2
37

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
34 M
4

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Dom. Prof. Rom.

EXVLTABO IN DEO IESV MEO

IHS

GASPARIS SANCTII CENTVMPVTEOLANI,

E SOCIETATE IESV THEOLOGI,

IN COLLEGIO COMPLVTENSI sacrarum literarum Interpretis,

IN DVODECIM PROPHETAS minores & Baruch Commentarij cum Paraphrasi.

NVNC PRIMVM PRODEVNT,

INDICIBVS *cùm Locorum Scripturæ, Regularum & Prouerbiorum, tum rerum notabilium illustrati.*

Cum priuilegio Regis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LVGDVNI

SVMPT. IACOBI CARDON ET PETRI CAVELLAT

M. DC. XXI.

Petr. Faber. sculpsit.

Ex dono J. Cardon et P. Cavellat

Digitized by Google

Digitized by Google

DOCTORI D. D.

ALVARO DE VILLEGAS

COADMINISTRATORI

SERENISSIMI D. D. FERDINANDI Cardinalis Infantis Hiſpaniarum Adminiſtratoris perpetui Arch'epiſcopatus Toletani, & Canonico magiſtrali eiuſdem Eccleſiæ Hiſpaniarum Primatis,

GASPAR SANCTIVS è Societate IESV, S. P. D.

QVOD hoſce in duodecim Prophetas commentarios, opus tenue, de re tamen non tenui, ſed tam difficili ac longa, quàm illuſtri, & ſacra, tuo nomini conſecrare voluerim, Sapientiſſime Doctor, non vna eſt apud me, neque vulgaris ratio: neque enim excidit è memoria antiquum illud tempus, quo primos ingenij tui præclaros impetus, & ad ſplendorem, & gloriam erumpentes igniculos, & obſeruabam attentè, & mecum tacitus iucundè verſabam. Tunc autem aliquid præſagiebat animus eorum, quæ nunc lubens, & mihi ipſi quodammodo gratulatus aſpicio. Quare debere me putaui amori in te meo, quem excitauit, cùm iuuenilem ætatem in Societatis noſtræ Madritano collegio quondam informarem, præclara indoles ingenuæ naturæ, & obſeruantiæ in te meæ, in quam amor ille prior conuerſus eſt, vt quàm te olim amauerim, & nunc obſeruem, publico aliquo teſtimonio profiterer. Acceſſit ad hæc quòd D. Franciſcus de Mendoza Almirantus Aragoniæ, qui, qua eſt humanitate, à ſuo me familiari congreſſu nunquam repulit, de te multum, ac ſæpe mecum ſermonem habuit; quem ego auidis accipiebam auribus, tanto iucundius, quanto magis noueram tanti Principis graue, ſyncerúmque iudicium; quod eo mihi maiori voluptati fuit, quòd videbam illud in eo ſermone nunquam à meo diſcrepaſſe.

Digitized by Google

Scio te de tuis rebus audire non libenter, pro ea modestia, quam in te à multis iam annis obseruauimus. Scio scripsisse ad optimũ, tuíque amantissimum Principem, cuius me obseruantissimum esse noueras, & à quo, quid ego statuissem, per litteras acceperas, vt me ab illa cogitatione deduceret, quia tuum nomen in hoc scribendi genere audire non poterat esse non molestum. Egit ille mecum tuam causam: sed brachio, vt aiunt, ita molli, vt non putarim afferri mihi vim ab illius, siue autoritate, siue imperio. Et quidem significabat non obscurè probare se animum meum in ea intercessione non obsequentem. Tecum ea de re agere, quod cum aliis soleo, ex vsu atque consilio meo fore non existimaui, quia de tuo animo, ac sensu, cui (pace tua dixerim) parere omninò non putabam, alia mihi plura coniecturam fecerant.

Vt igitur ad rem, cuius videri poteram oblitus, redeam, cùm mecum de te ab Almiranto multus esset, atque iucundus sermo, cursu, studióque loquendi de parente tuo Antonio de Villegas ornatissimo viro gratissimam, & nonnunquam longam orationem habuit. Vixit (vt tute scis) cum parente tuo familiariter, quod mihi illius ingenij ac morum non leuis commendatio est. Notum est enim quibus Princeps ille iam inde à iuuenilibus annis assuesceret, quorum probaret & amaret mores, & studia, & quos sibi ad amicitiam, & necessitudinẽ adiungeret. Ex eo assiduo familiaríque congressu, quàm multa didicit eximia: tum de domestica disciplina, quæ tota videbatur ad honestatem pietatémque composita (quæ patrisfamilias vera, & penè sola commendatio est) tum de tui generis antiqua nobilíque prosapia, quæ maiores tuos quàm longissima serie ex omni latere ac stirpe ad nostrum vsque sæculum propagauit. Narrabat hoc posterius Princeps ille antiquitatis Hispaniæ scientissimus, quod deinde ab aliis edoctus sum, quorum est apud me fides grauissima: neque enim hæc temerarius, aut ignarus affirmo. Cúmque maternum genus clarũ esse diceret à Zamorensi Ocamporum familia deriuatum, & ab equestri Ordine Lusitaniæ nobilitatis, vbi maiores tuos præclara cruciferi, ac militaris Ordinis, qui de Christo dicitur, consignabant insignia, & quarumdam artium præfectura perpetua commendabat; alia tamen ornamenta matris tuæ lectissimæ fœminæ prædicabat magis, vt propria ipsius, & nõ tantùm à præclaris natalibus accepta, quæ habuit à pietate, prudentia, & ab illa disciplina, quæ domesticos suos in officio, & in omni virtutum genere continuit. Quare, cùm in illius mores & ingenium lõgo iam tempore viduitatis exploratum intueretur, spectare se dicebat in ea mulieris illius fortis expressam imaginem, quam nobis Salomon in extremo Prouerbiorum capite descripsit. Quod verò ad paterni generis antiquitatem & splendorem spectat, illud tantùm dico extare etiam nunc

Digitized by Google

nunc in antiquis Hispaniæ tabulariis publica atque præclara monumenta; ex quibus constat, quo loco atque ordine apud antiquos Hispaniæ Reges, quàm diues atque potens olim fuerit Villegarũ familia. Illud vnũ dicam, quod scriptores de rebus Hispanis prodiderunt. Quo tempore Petrus, cui ingenij diritas *Crudelis* cognomentum dedit, Petrum Ruizium de Villegas Antelatum fuisse maiorem Castellæ (Hispani *Delantado* vocant) huius verò pronepotem Sanctium Ruizium de Villegas, eundémque parentis tui proauum sub Ioanne eius nominis secundo prætorianæ præfuisse cohorti, cui regij corporis custodia credita est, & eidem Alcarazẽsis arcis præfecturam mandatam, cuius tunc erant magni, atque frequentes vsus, cùm vicinus esset Mahometanus hostis, & cum eo penè continens pugna. Hæc ille, & in illud genus alia complura, quæ in præsentia prætereo, ne tantopere tuã modestiam tentare videar. Sed laudabat alia, probabátque magis, quæ maiora, & (vt ipse interpretabatur) sola censebantur hominum ornamenta, prudentiam puta, religionem, & illa omnia, quæ desiderare solent, & amare, qui bene de rebus, & incorruptè iudicant. Sed illud laudabat singulare, ac proprium, aut certè ab antiquissima memoria commune cum paucis, quòd cùm Imperatori Carolo, & Philippo filio triginta septem annos quæstoriam operam nauaret, tractarétque rationes Indicas, quæ ad regiam gazam, & fiscum pertinerent, toto illo tempore in illo munere præstando, quo alij immensas opes comparare solent, & magnas excitare atque ornare familias; ille tamen sic se gessit moderatè, atque integrè, vt non manus solùm, quod faciunt pauci, sed etiam animum, atque oculos ab omni cupiditate, atque auri splendore fallaci continuerit. Qua in re duo mihi narrabat planè admiranda, quæque tanti viri integritatem, & omnibus exploratam fidem confirmabant. Alterum est, eam fuisse de illius integritate, ac fide, déque iudicio, ac summa in ea re intelligentia opinionẽ, tum apud Principes, quorum agebat causam, tum apud eos qui de regio censu, atque Indicis opibus publicum atque legitimum iniere cõsilium, vt cùm manum atque rubricam in regiis rationibus agnouissent, quantumcumque esset diuitiarum pondus, atque periculum, nihil præterea explorandum putarent, & omnem de reliquo curam & studium abiicerent. Hoc sanè rarum, & fortasse in re tanta ad illud vsque sæculum inauditum. Neque illud integerrimi atque fidelissimi animi leuius argumentum, quòd cùm multa posset sibi ac suis ex eo munere tractando captare compendia, neque illustrium virorum, & suo, & antiquis temporibus defuissent exempla: sic tamen per triginta septem annos se gessit abstinenter, sic domum suam virtute ac meritis ornare maluit, quàm diuitiis, vt cùm vitæ Principibus, bonísque omnibus probatæ cursum absoluisset, in do-

Ioan. Mariana lib. 16 cap. 21. Garibai tom. 2. lib. 14. c. 31.

mo haud magna in re, sed fidei plena, ad funeris debitum honorē vix sumptus inuenti fuerint necessarij. Quare amici, quos habuit quamsimillimos, vt piis lacrymis, sic etiam piis sumptibus illius funus prosequuti sunt; quorum è numero fuit Almirantus ipse, qui amico fideli, ac pio, fidelem ipse, ac piam operā impendit; qui cùm id se debere putaret amico, cùm esset in viuis, ne mortuo defuisse videretur, tē statim in suam sibi fidem, & tutelam suscepit, atque ita complexus est amanter, vt in illo neque paternam curā, neque in omni officiorum genere prouidentiam requireres.

Laudarunt antiqui supraque Regum nomen, & titulos sustulerunt eos, qui cùm in magistratu viuerent, communésque rationes & opes dispensarent; sic tamen manus continuerunt à præda, vt aliena pietas efferret & honestaret funus, non priuata atque domestica facultas. Æternis extollunt præconiis Græci Aristidem suum, quòd cùm diu splendidum magistratum obierit, alienis tamen sumptibus illi parentatum est. Laudant eodem nomine Seruilium Isauricū, cui post Romano imperio subiugatas prouincias, triumphalémque gloriam, necessarij ad funus sumptus defuerunt. Neque enim tam videbantur, dum viuerent, in triumphali curru, plausúque populari conspicui, quàm cùm vita functi in alieno pheretro, & sumptu non suo, cum omnium gentium approbatione & laude, ferebantur ad tumulum. Valerius sanè Maximus lib. 4. c. 4. Valerio Poplicolæ trium consulatuum & rerum præclarè gestarum illud putauit esse columen, quòd pecunia fuerit tumulatus publica, cùm patrimonio minimè ad exequiarū impensas sufficiente decesserit. Subiugarat Seruilius Lyciam, Ciliciam, & Isauriam, à qua Isaurici cognomentum traxit, sed domuit cupiditatē, calcauit aurum, cuius seuerior est multo tyrannis, & potestas maior. Amplificauit Aristides Atheniensium Imperium, nouísque vectigalibus reddidit illustrius; sed maiorem assequutus est laudem cùm domū suam inornatam relinqueret, quàm cùm rem cōmunem, & publicam tot redituū incrementis ornaret. Quare bonorum omnium communi iudicio clarius à paupertate, & abstinentia, quàm à virtute bellica, rerúmque gestarum magnitudine nomen obtinuit. Et quidem si hominum ingenia attentè consideres, in quibus magnum habet, siue imperium, siue tyrannidem penè innata cupiditas, nihil de illorum Principum gloria potuit prędicari sublimius.

Hæc ego ab optimo Principe, in cuius animo hæc altiùs insederant, cùm audirem, subibat animum illud Bernardi, qui vitam abstinentem & parcam, & eorum indigentem, quibus honestè abundare possis, rem esse prædicat planè mirabilem. *Quid*, inquit, *mirabilius, aut quod martyrium grauius est, quàm inter epulas esurire? Inter vestes multas, & pretiosas algere; paupertate premi inter diuitias,*

quas

Digitized by Google

quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster iste appetitus? Sanè qui huiusmodi est, mirabilia fecit in vita sua. Subibat item illud Eccli. 31. vbi beatus dicitur ille, qui post aurum non abiit, neque spem suam in thesauris, & pecunia locauit. Cui diuinus Spiritus quasi rei inauditæ, aut certè admodum raræ, laudē, & seipsum quodammodo laudatorem, & pręconem promittit. *Quis est is*, inquit, *& laudabimus eum.*

Hoc parenti tuo sub hæc tempora contigisse meditor, cui à Deo excitatum est monumentum tale, quale antiqui, qui ab imperito vulgo appellantur Heroës, consequuti non sunt. Magnam illi gloriam in ære ac marmore sitam esse credebant, si ex illis suiipsorum spirātes imagines exprimerent: at Deus parenti optimo in optimo filio, in loco illustri illustrem magis ad omnem posteritatis memoriam, in qua perpetuò viueret, excitauit effigiem. *Mortuus est pater, & quasi non est mortuus: similem enim reliquit sibi post se.* Eccli. 30. Rusticus tibi fortasse video, qui tuo desiderio, ac voto silendo non obsequar; sim sanè inurbanus, & rusticus, dum meo studio ac tuis meritis obsequar, quæ, te inuito, & contra pugnante, hoc à meo, & à maioribus ingeniis officium non exigunt solùm, sed etiam extorquent. Hoc tamen à mea in te obseruantia, tua autoritate perficies, vt quæ longam desiderabant orationem, ea strictim & festinatò percurram. Si filius paternæ vitæ, ac gloriæ monumentum est, an non parentis optimi præclarum monumentum erit reliquisse filium, qui à primis annis sic fuerit honestè ac sapienter institutus, vt nullum ætatis tempus ab ingenuis studiis, & religiosis disciplinis abhorruerit? Qualem te in primis annis, cùm liberior viuendi potestas esse potuit, exhibueris? cum præsens ipse viderim, alienis testimoniis non indigeo: quemadmodum reliquū ætatis cursum institueris, confeceris que, semper tibi constans & similis? tot habes testes, quot habuisti in sacro litteratóque cōuentu spectatores, ac socios. Quo fueris ingenio, quàm acri, quàm fœcundo, quàm in eo, quod ingressus es, disciplinarū omniū illustri curriculo constanti, nouit Complutensis schola, quę iterum te, ac sæpius philosophicas primùm, deinde theologicas facultates docētem audiuit. Cui tantum tui discedens desiderium reliquisti, vt honorem, quem nunc proximè consequutus es, publica lætitia celebrandum putarit. Hinc te ad magistralem cathedram Ecclesiæ Toletanæ Ordo sacer assumpsit, cui tuam doctrinam atque prudentiam ita probasti, vt si quis incideret nodus qui ingenium fidémque requireret, te vnum curatorem, & vindicem expeteret. Cuius causa profectus Romam, atque ibi aliquandiu commoratus, ingenij acuti, modestiæ, atque doctrinæ singularis tam Ecclesiæ Principibus, quàm bonis omnibus præclarū & gratum documentum præbuisti. Mitto alia de tua doctrina atque prudentia Tole-

tani confessus testimonia. Illud graue est, & recens, quòd cùm Archiepiscopi, Cardinalísque Bernardi morte diœcesis hæc amplissimo suo esset viduata pastore, te omnium maximè iudicauit idoneum, quem in magnam tantæ prouinciæ partem eius loco curæque sufficeret. Quod grauissimum testimonium, præclarúmque iudicium statim probauit non iam conuentus vnus Toletanus, sed tota propemodum Hispania. Certè qui res Hispanicas moderantur, & curant, quando te vnũ, dum adhuc infantis Ferdinandi, qui Bernardo in illa sede augustissima, atque Primate successit, tenera est ætas, neque dũ ad tantũ illius prouinciæ pondus, & gubernationẽ matura, ad illam eandẽ curam adiutorẽ te & socium designauit. Quo iudicio hauddubiè significatũ est idoneum te videri, cui tantũ onus, & pastorale nomen proprium, atque perpetuum commendari potuerit. Hoc autem monumento, ecquod aliud optimus pater habere potuit, aut optare magis ad diuturnitatem solidum, ac firmum, magis ad splendorem & honestatem illustre? Atque vtinam hoc meum de tua virtute doctrináque iudicium quantum habet à veritate, tantum ab autoritate ponderis haberet, vt quemadmodum Hispani quantum ingenio, virtute & doctrina valeas præsentes agnoscunt; sic etiam hoc nostro testimonio (si tamen ad externos peruenire contingat) agnoscant externi. Erit tamen qualecumque est, si minus tuorum meritorum, mei tamen ingenij atque studij quàm maximum exhibere potui testimonium, dum opus hoc offero exiguum, & rude; in quo tamen positum est non parum laboris, & moræ. Quòd si illud (quicquid est) admittere non dedignabere, & magnam rei exiguæ autoritatem addideris, & quem retineas in me, & in nostram Societatem animum multis iam antea probatum testimoniis, nouo etiam testimonio atque argumento confirmabis. Vale, Toletanæ diœcesis gubernator dignissime, quem nobis Deus, reíque publicæ diu seruet incolumem.

APPROBATIO SVPERIORVM.

EGo Rodericvs Niño Prouincialis Societatis Iesv in Prouincia Toletana, potestate ad id mihi factâ à Reuerendo admodū Patre Mucio Viteleschi Præposito Generali; facultatem concedo, vt liber commentariorum in duodecim Prophetas minores & Baruch, à P. Gaspare Sanctio Societatis nostræ compositus, & eiusdē Societatis Hernandi de Salazar, Gasparis Hurtadi, & Francisci Aguadi iudicio examinatus, & approbatus typis mandetur. In quorum fidem has literas, manu nostra subscriptas, & nostri officij Sigillo munitas dedimus Toleti 8. Iunij 1620.

Rodericvs Niño.

CENSVRA.

PRo Regio Senatu vidi Commentaria hæc in duodecim Prophetas minores & Baruch, quæ duplici discreta volumine sapientissimus Pater Gaspar Sanchez è Societate Iesu tam solido proculdubio, quàm subtili, pariterque sublimi depinxit calamo. Quare digna iudico vt in lucem prodeant, vt lucem præbeant, eámque dignam operi. Matriti 15. Kalendas Augusti anno 1620. apud nostrum B. Martini Benedictinorum cœnobium.

Fr. Antonivs Perez.

Facultas R.P. Prouincialis Societatis IESV in prouincia Lugdunensi.

EGo Bartholo. Iacqvinotivs Societatis Iesv in prouincia Lugdunensi Præpositus Prouincialis, Opus quod inscribitur, *Gasparis Sanctij Centumputeolani è Societate* Iesv *Theologi, in Collegio Complutensi sacrarum literarum interpretis, in duodecim Prophetas minores & Baruch Commentarij cum paraphrasi*, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Februarij 1611. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab hominibus nostræ Societatis compositos, absque Superiorum eius permissione imprimant, permitto Iacobo Cardon & Petro Cavellat Lugdunensibus bibliopolis, vt ad sex primos annos imprimere, ac liberè diuendere possint. Datum Lugduni die 28. Decembris 1620.

B. Iacqvinotivs.

APPROBATIO.

NOs infrascripti sacræ Theologiæ Doctores fidem facimus, nos *Gasparis Sanctij Centumputeolani è Societate* Iesv *Theologi, in Collegio Complutensi sacrarum literarum Interpretis in duodecim Prophetas minores & Baruch Commentarios cum paraphrasi*, perlegisse, omniaque in illis iuxta orthodoxam Catholicæ Apostolicæ ac Romanæ Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum sanam doctrinam summa cum eruditione exponi. Lugduni die 11. Decembris 1620.

Fr. Robertvs Berthelot Episc. Damasci.

De Ville.

R.D. D.Thomæ de Meschatin la Faye huius libri imprimendi facultas.

THomas de Meschatin la Faye, Comes, Canonicus, & Camerarius Ecclesiæ Lugdunensis, & Vicarius Generalis in Archiepiscopatu Lugdunensi: Opus inscriptum, *Gasparis Sanctij Centumputeolani è Societate* Iesv *Theologi, in Collegio Complutensi sacrarum literarum Interpretis, in duodecim Prophetas minores, & Baruch Commentarij, cum Paraphrasi*, vt in lucem edatur, facultatem concedo. Lugduni 7. Iunij 1621.

Meschatin la Faye.

SVMMA

Digitized by Google

SVMMA PRIVILEGII A CHRI-
stianissimo Galliarum Rege concessi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate sancitum est, atque patentibus literis cautum, ne quis in regno suo, aliisve locis ditioni suæ subiectis, intra proximos annos decem, à die impressionis primæ inchoandos, ac numerandos excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo, & ratione curet librum, qui inscribitur, *Gasparis Sanctij Centumputeolani è Societate* IESV *Theologi, in Collegio Complutensi sacrarum literarum Interpretis, in duodecim Prophetas minores & Baruch Commentarij, cum Paraphrasi*, præter IACOBVM CARDON & PETRVM CAVELLAT Bibliopolas Lugdunenses, aut illos, quibus ipsimet concesserint. Prohibitum insuper eâdem auctoritate Regiâ omnibus suis subditis, eundem librum extra Regni sui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac instigare, sine consensu dictorum IACOBI CARDON & PETRI CAVELLAT. Idque omne sub confiscatione librorum, aliisque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expressis. Datum Parisiis die 16. Ianuarij 1621.

De mandato Regis,

Signatum

POTIER.

INDEX

Digitized by Google

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVÆ IN HIS COMMENTARIIS EXPLICANTVR.

Prior numerus paginam, alter numerum marginalem, a, b, c, d, e, literas interlineales designant.

EX VETERI TESTAMENTO.

Ex Genesi.

CAP.2. FAciamus ei adiutorium simile sibi. 1128.27.d
2. De limo terræ. 1585. 5.c
3. Ipse conteret caput tuum. 697. 36.a
19. Dominus pluit, &c. à Domino de cælo. 1521.21.b
29. Videns Deus quòd despiceret Liam. 1705. 6. a
32. In baculo meo transiui Iordanem. 119. 14.c
35. Non vocaberis vltrà Iacob. 938. 18.b
49. Et supposuit humerum suum ad portandum. 1138. 59.c
Desiderium collium æternorum. 1221. 78. a
Benjamin lupus rapax. 1432.18.d

Ex Exodo.

12. Primus erit in mensibus anni. 1390. 3.b
Affligent eos quadringentis annis. 827.a
14. Quid clamas ad me? 825. 12. d
19. Erat mons terribilis. 466.35.c

Ex Leuitico.

19. Statera iusta, & æqua sint pondera. 348.32.d
26. Nec titulum erigetis, nec insignem lapidem ponetis. 1573.72.d

Ex Numeris.

13. Stirpem Enach vidimus ibi. 410. 31.c
20. Scopuli torrentis inclinati sunt. 1594.c

Ex Deuteronomio.

13. Vxor quæ est in sinu tuo. 1015.21.e
14. Nec facies caluitium super mortuo. 892.78.c
30. Tu autem reuerteris, & audies vocem Domini. 720. 42.a
32. Et morere in monte. 636. 15. b
Condita sunt apud me, & signata in thesauris. 372.
33. Quasi in thalamo tota die morabitur.
De benedictionibus Domini terra eius de pomis cæli. 384.69.d

Ex Iosue.

7. Comburetur igne. 545. 42. d

Ex Iudicibus.

14. Septem igitur diebus conuiuij flebat. 827. 18. b

Ex 1. Regum

14. Applicate huc vniuersos angulos populi. 1589. 16. d
17. Nunquid non verbum est. 152.a
23. Perscrutabor eam in cunctis millibus Israel. 963.26.c
30. Ad Australem plagam Cerethi. 1290. 13.e
31. Et combusserunt ea. 673.35.b

Ex 2. Regum.

3. Nunquid caput canis ego sum. 730. 8.d
6. De lignis oliuarum. 1460. b
12. In sinu illius dormiens. 1010.2. c
21. Non est nobis super argento & auro quæstio. 1280. 49.b

Ex 3. Regum.

11. Vna tribus remanebit ei. 1431.16.d
12. Nec sequutus est quisquam domum Dauid præter tribum Iuda solam. ibid. & 678. b
19. Osculans manum. 367.b
21. Benedixit Naboth Deum. 674.39.d

22. His

22. His ventilabis Syriam. 1421.

Ex 4. Regum.

6. Et vltra non venerunt latrones Syriæ. 938.18.b
17. Et non remansit nisi tribus Iuda.878.b 1431.16.d

Ex 1. Paralipom.

9. Et qui stare fecit solem. 1234.a
25. Qui prophetarent in citharis. 484. 94.c
28. Scito Deum patris tui. 582.5.c

Ex 2. Paralipom.

27. Occidistis eos atrociter. 1420.83.

Ex 2. Esdræ.

12 Audita est lætitia Ierusalem. 40.7.b

Ex Tob.

3. Amplius ex te non videamus filium. 513. a

Ex Esther.

15. Circundata est gloria sua. 40.7.b

Ex Iob.

1. Genua trementia confortasti. 1082. 40.c
2. Benedic Deo & morere. 674. 39.c
6. Percusserunt maxillam meam. 959.a
9. Qui præcipit Soli & non oritur. 733.a
14. Signasti quasi in sacculo peccata mea. 374. 38. b
15. Et numerus eorum incertus est. ...
16. Mouerem caput meum super vos.1100. 25.d.
17. Tollet eum ventus vrens. 385.71.b
19. Et in nouissimo die de terra surrecturus sum. ...
Quis mihi tribuat vt scribantur sermones mei. 1157. 19. b.
20. Splendebat sicut lucerna super caput meum. 730.8.c
22. Nudos spoliasti. 43.14.b
29. Quasi ad imbrem serotinum. 1584.
30. Mandebant herbas & arborum cortices. 701.51.c
34. Probetur Iob vsque ad finem. 716.b
38. Quis conclusit ostiis mare? 1496.b
39. Animam catulorum eius implebis. 1166.47.b
40. Principium viarum Domini. 1221. 78. d

Ex Psalmis.

1. Tanquam puluis quem proiicit ventus. 367.17.c
4. Irascimini & nolite peccare. 720. 42.a
5. Viri sanguinum. 12.7.d
10. Dominus in cælo sedes eius. 266.55.a
Dominus in templo sancto suo. ...
11. Linguam nostram magnificabimus.771. 45.b
13. Quoniam Dominus in generatione iusta est. 287.34.b
17. Misit sagittas suas. 1054.27.b
22. Animam meam conuertit. 412.40.d
Impinguasti in oleo caput meum. 668. 21.b
25. Ignorantias meas ne memineris. 1196.a
27. Domine ne sileas à me. 814.d
Dominus autem assumpsit me. 42. 13.c
33. In chamo & fræno maxillas eorum constringe. 319.28.d
34. Euge,euge viderunt oculi nostri.1709. 16.b
36. Quia peccatores peribunt. 287.34.c 634.8.c
38. Suscepisti me de vtero matris meæ.42. 13.c
39. De luto fæcis. 1585.5.d
43. Quoniam humiliasti nos. 287. 34.c
Commotionem capitis in populis. 1100.25.c
44 A domibus eburneis. 596.44.b
63. Accedet homo ad cor altum. 1578. 86.b
67. Cõuertam in profundum maris. 1594.c
Qui ascendit super occasum. 1131. 36.c
Si dormiatis inter medios cleros .619.a
Infirmata est, tu verò perfecisti eam. 142.720.42.a
68. Quem tu percussisti persecuti sunt. 1420.83.
74. Inclinauit ex hoc in hoc. 1181. 84.c
75. A montibus æternis. 1221.78.c
Elegit tribum Iuda montẽ Sion.1332.c
86. super omnia tabernacula Iacob. 1745. 51. c
88. Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt. 1564.a
Thronus eius sicut dies cæli. vide Bar. 1.23.
92. Indutus est Dominus fortitudinem. 40. 7. b
100. Superbo oculo & insatiabili corde. 1166. 49. d
103. Qui ambulas super pennas ventorum. 1570.65.
Qui facis Angelos tuos spiritus.1499. 14.d
Illic reptilia quorum non est numerus. 1141.68.c
Respicit terram & facit eam tremere. 1219.72.c
105. Si non Moyses stetisset in confractione. ...
106. Siluerunt fluctus eius. 814.15.d
113. A facie Domini mota est terra. ...
118. Genua mea infirmata sunt. 1082. 40. c.
137. Mirabilis facta est scientia tua ex me. 292. 53.d

138. Si

Digitized by Google

138 Si sumpsero pennas meas diluculo. 11786.6.d

Ex Prouerbiis.

3. Scribe in latitudine cordis tui. 41.12.e
6. Homo apostata vir inutilis. 1287.1.c
8. Opes superbæ. 715.28.c
10. Benedictio Domini super caput iusti. 730.8.c.
22. Et configet eos qui confixerunt animam eius. 1775.50.b
26. Qui mittit lapidem in aceruum Mercurij. 1578.a
30. Tria sunt difficilia mihi. 1551.8.d

Ex Ecclesiaste.

10. Muscæ morientes perdunt suauitatẽ. 1357.2
11. Da partes septem, nec non & octo. 1391.a

Ex Canticis.

1. Si ignoras te. 663.6.d
4. Vulnerasti cor meum. 76.117.c
8. Si murus est, ædificemus super eo propugnacula. 74.113.c
Ibi me docebis. ibid.112.e
Sub arbore malo excitaui te. 42.13.d

Ex Sapientia.

1. Custodite vos à murmuratione quæ nihil prodest. 1287.1.c
4. Spuria vitulamina. 1673.8.d
5. Ibunt directæ emissiones fulgurum. 1054.27.b 1571.67.d
10. Descendétque cum illo in foueam. 1567.56.c

Ex Ecclesiastico.

2. Qui ædificat domum suam impendiis alienis, &c. 1174.
12. Inuoca illum in salute tua. 355.a
24. A mari abundauit cogitatio eius. 292.53.d
48. Prophetauit corpus eius. 484.94.c
91. Colluctata est anima mea in illa. 355.a

Ex Isaia.

1. Ciuitas fidelis plena iudicij. 1530.5.b
2. Ingredere in petram. 291.49.c
Præparatus mons domus Domini. ...
Heu consolabor super hostibus meis. 1551.a
3. Facies pauperum commolitis. 566.21.d & 959.a
Effœminati dominabuntur eis. 138.a
4. Panem nostrum comedemus. 48.b
5. Propterea dilatauit infernus animam suam. 1166.47.c
7. Radet Dominus, &c. caput & pilos pedum. 1060.48.d
8. Vsque ad collum veniet. 249.a
11. Leuabit manum suam super flumen. 1028.57.e
14. Scopabo eam. 777.6.b
20. Væ Assur virga furoris mei. 1418.a
25. Pedibus conculcabitur corona superbiæ. 1364.21.c
Humiliabit gloriam eius. 1128.27.d
Triturabitur Moab. 543.36.e
28. Sicut temporaneum. ...
29. Inebriamini & non à vino. 1165.44.a
Humiliaberis, de terra loqueris. 439.42.d
30. Frænum erroris, quod erat in maxillis. 319.28.d
Vsque ad medium colli. ...
35. Genua debilia roborate. 1082.40.b
38. Victima Domini de Bosra. 1269.20.d
40. Suscepit de manu Domini duplicia; vide Baruch 5.5.
Ponam in deserto viam. 1028.57.e
45. Rorate cæli desuper. 1584.3.d
Aperiam coram eo ianuas. 1495.3.d
47. Aggrauasti iugum tuum. 1417.77.e
Mole farinam. 43.14.b
48. Et Israel quem ego voco. 345.24.d
Qui vocamini nomine Israel. 115.2.b
49. In manibus meis descripsi te; vide Baruch 4.6.
Puluerem pedum tuorum lingent. 439.42.d
51. Cæli sicut fumus, liquescent. 512.47.b
Induere fortitudinem. 40.7.b
Calicem soporis bibisti. 70.30.b
59. Saluauit sibi brachium suum. ...
60. Ponam te in superbiam sæculorum. 715.28.c
61. In gloria eorum superbietis. ibid. d
63. Multitudo viscerum tuorum. 76.117.b
Inebriaui eos indignatione mea. ...
Neque inuocatum esset nomen tuum super nos. 43.14.c
64. Descendisti, & à facie tua montes defluxerunt. ...
66. Quia parturiuit & peperit Sion. 287.34.a

Ex Ieremia.

1. Ollam succensam ego video. 654.66.b
3. A modo vocat me pater meus. 42.13.e
Ponet in puluere os suum. 439.42.d
4. Ventus virens in viis. ...
Vidi montes, & ecce mouebantur. 466.35.b
8. Eiicient ossa regum Iuda. 1412.a
9. Ascendit mors per fenestras. 465.34.e
11. Et non cognoui. ...
17. Dupli contritione contere eos; vide Baruch 5.5.
Super latitudinem cordis eorum. 41.11.d
18. Sicut ventus vrens dispergam. ...
25. Accepi calicem, & propinaui cunctis Gentibus. 1181.84.b

* * Sume

Sume calicem vini furoris. 1165. 44.b
26. Ierusalem in aceruum lapidum. 553. 50.e
38. Secundùm combustionem patrum suorum. 673.34.b
45. Donec penitus consumantur. 882, 38.a
49. Periit consilium à filiis. 432.19.e
Non vltrà est sapientia in Theman; vide Baruch 3.22.
50 Cum Faunis ficariis. 701.51.c

Ex Threnis.

3. In contritione filiæ populi mei. ...
Ponet in puluere os suum. 439.42.d
4. Denigrata super carbones facies. 619. 52.a
Ad te quoque perueniet calix. 1181. 84.c
5. Pellis nostra quasi clibanus exusta est, 619,52.a

Ex Ezechiele.

5. Requiescere faciam indignationem meam. 1550.6.d
16. Iustificasti sorores tuas. 582.36.d
Fornicata es in filiis Assyriorum. 119, 14.c
Et facta es mihi. 93.25.e
Sceleratius agens ab eis. 292.53.d
17. Tulit medullam cedri. 1601.2.d
20. Dedit eis præcepta non bona. ...
25. Ipsi bibent lac tuum. 49.34.c
26. Et radent puluerem eius. 777, 61.c
29. Omnis humerus depilatus, 1553. 15.e
35. Et ipsorum via iniusta est. 1551.8.d
38. Et ponam frænum in maxillis eius. 319.28.d

Ex Daniele.

4. Oculos meos ad cælum leuaui. 52 43.e
13. Vt non viderent cælum. ibid.d
Angelus Dei scindet te medium. 543 35.b

Ex Osea.

5. Seruiuit Israel in vxore. 877.24.e

Ex Ioele.

1. Ante faciem eius ignis vorans. 654. 66.b

Ex Amos.

1. Transferam vos trans Damascum. 1550.5.c.
4. Cùm adhuc tres menses superessent vsque ad messem. 1584.c

Ex Iona.

2. Pelagus operuit caput meum. 1594. 33.d

Ex Michea.

2. Vir habens spiritum, ...
3. Principes in muneribus iudicabant. 877.24.e
4. Cornu tuum ponam ferreum. 1419.81.c
7. Præcoquas ficus desiderauit. ...

Ex Nahum.

1. In tempestate & turbine viæ eius. ...

Ex Habacuc.

3. In luce sagittarum tuarum ibunt. 1054. 27.b 1571,67.d
Mentietur opus oliuæ. 252.6.e

Ex Sophonia.

1. Congregans congregabo omnia. 121. 20.d
Super angulos excelsos, 1589.16.d

Ex Aggæo.

2. Magna erit gloria domus istius nouissimæ plusquam primæ. ...

Ex Zacharia.

1. Angelus qui loquebatur in me. 1154. 9.d
3. Torris est erutus de igne. 619.a
Et custodiam meam custodieris. 1151. 2.c
9. Duplicia reddam tibi; vide Baruch 5.5.
10. Transibit in maris freto. 1028.57.d
12. Plangent eam planctu, 1128.27.d
13. Et configent eum pater & mater. 1775.50.b

Ex 1. Machabæor.

3. Expanderunt libros legis de quibus scrutabantur Gentes similitudines simulacrorum suorum 806.a

Ex 2. Machabæor.

1. Cùm in Persidem ducerentur Patres nostri. 1025.48.c

EX NOVO TESTAMENTO.

Ex Matthæo.

5. AVdistis quia dictum est antiquis. 1540.35.b
Si quis te percusserit in dexteram maxillam. 959.a
6. Cùm ieiunas vnge caput tuum. 668. 21.b
11. A diebus Ioannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur. 687.2.c
12. Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, &c. 823.6.d
16. Absit à te Domine non erit tibi hoc. 770.a
17. Elias iam venit. 1789.16.b
Diceris monti huic transi. 1468. 26.e
20. Reges Gentium dominantur eorum. 697.36.b
22. Ascendens super asinam. 1559.16.e
23. Quem occidistis inter templum & altare. 1393.9.d
Implete mensuram. 1487.24.e

24. Faci

24. Facilius est cælum & terram præterire. ...
Et diiudicet eum. 543.35.b.
De die autem illa & hora nemo scit. 1680.30.e
26. Et hymno dicto. 481.83.b
27. Dederunt eos in agrum figuli. 1617.52.d
Blasphemabant eum mouentes capita sua. 110.25.c
Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum. 570.30.c

Ex Marco.

4. Dixit mari, tace, obmutesce. 814.51.d

Ex Luca.

1. Suscepit Israel puerum suum. 1377.a
7. Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. 1710.20.a
10. Videbam satanam quasi fulgur de cælo cadentem. 854.9.e
14. Et non odit patrem suum. 582.6.d
15. Accendit lucernam, & euertit domum. 1276.39.d
18. Descendit hic iustificatus ab illo. ...
21. Capillus de capite vestro non peribit. 739.39.b
22. Vendat tunicam suam, & emat gladium. 508.35.c

Ex Ioanne.

2. Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc. 1416.a
6. Panes hordeaceos. 92.b
7. Mea doctrina non est mea. 190.41.a
13. In finem dilexit eos. 716.30.a

Ex actis.

13. Amplius iam non reuersurum in corruptionem. 513.a
Videte contemptores. ...

Ex epist. ad. Roman.

1. Iudæo primum, & Græco. 1577.83.b
Iustus autem ex fide viuit. 1162.36.c
6. Sicut exhibuistis membra vestra, &c. 1694.a
7. Si fuerit cum alio viro. 93.25.e
8. Clamantes in cordibus vestris. 825.12.d
9. Non est currentis, neque volentis. 19.41.a
Iacob dilexit, Esau autem odio habuit. 1707.a
Vocabo plebem meam non plebam meam. 20.34.d
12. Carbones ignis congeres super caput eius. 730.8.d

Ex epist. 1. ad Corinth.

3. Colaphis cædimur. 959.11.b
5. Pro nobis peccatum fecit. 127.39.c
11. Omnis vir orans, aut prophetans. 484.94.b
15. Vbi est mors victoria tua. 380.a
16. Sit anathema Maranatha. 1792.24.a

Ex epist. 2. ad Corinth.

2. Qui me colaphizet. 959.11.b
3. Epistola nostra vos estis. 242.40.b

Ex epist. ad Galatas.

3. Iustus autem ex fide viuit. 1162.36.c

Ex epist. ad Ephes.

3. Inuestigabiles, &c. 192.50.e
4. Dedit dona hominibus. 1361.13.d

Ex epist. ad Hebræos.

1. Qui facit Angelos suos spiritus. 1499.14.d
5. Interpretabilis eis. 192.50.e
12. Adhuc semel & ego mouebo, &c. ...
Proposito sibi gaudio. 192.50.e
Non inuenit pœnitentiæ locum. 1707.12.d

Ex epist. 1. Petri.

2. Ad quem accedentes lapidem viuum. 1469.28.c
Populus acquisitionis. 90.16.e
Qui aliquando non populus. 20.34.c

Ex epist. Ioannis.

2. Qui dicit se nosse Deum, &c. 582.5.c

Ex epist. Iudæ.

Iesus populum de terra Ægypti saluans. 1241.133.d
Imperet tibi Deus. 1444.10.d

Ex Apocalypsi.

2. Duo candelabra. 697.36.b
6. Vidi animas interfectorum. 1396.16.c
8. Væ, væ, væ, habitantibus in terra. 536.15.b
11. Hi sunt duæ oliuæ. 1466.19.c
14. Mitte falcem. 1481.b
19. Et in femore eius scriptum. 1480.4.c

Digitized by Google

INDEX REGVLARVM, QVÆ IN HIS COMMENTARIIS TRADVNTVR.

SCRIPTVRA *extrema commemorare solet, in quibus continentur quæ illius sunt generis, etiamsi loco & tempore diuersa.* 826.17.e

Scriptura aliquando non tam voces spectat, quàm illarum significationem. 541.31.b & 182.89.d

Vulgatus aliquando è duabus significationibus minus propriam assumit. 121.19.a & 1673.8.d.

Numerus pluralis pro singulari positus cum distributione. 1363.20.d

Qui iacturam grauem aut mutationem sustinuit, perire dicitur. 545.41.c

Quod excellentius in aliquo reperitur, negatur esse in alio. 27.53.b

Cùm omnia ex dicendi modo videntur fuisse sublata, aliquid interdum additur quo non omnia perisse constat. 881.38.e

Conditionalis particula sæpe subauditur. 720.42.a

Terminatio fœminea pro substantiuo nomine. 1361.13.b

Actus secũdus pro primo. 363.4.d 1710.21.c

Quod faciendum esse quis denunciat, id facere dicitur. 7.29.5.c

Imperatiuus pro futuro cum epitasi. 636.15.b 391.2.b

Actio pro loco in quo exercetur actio. 907.32.e 734.22.b 1292.17.b

Negatio sæpe repetita. 1777.57.b

Multa suis locis scripta non sunt, quæ quia ab aliis citata cognoscuntur. 531.2.d

Quæ facienda prædicuntur, aut facta narrantur, illa fieri dicuntur. 187.33.b

Verba pro interiectionibus. 439.43.e

Minus proprium interdum sumit interpres cũ vox Hebraica duo significat. 90.15.a

Cùm apparet in Testamento veteri vmbra noui, ad illud digressio fit, & statim ad interrupta reditus. 378.53.e 1661.29.c 503.20.a

Paronomasia in sacris literis vsitata. 710.9.a & 635.13.d

Loca ab euentibus nominata. 141.8.e

Si conditionalis subaudiẽda. 733.a 720.42.a

Voces synonymæ coniunctæ cum epitasi. 75.115.e

Pro paucis nulli. 1264.4.b

Q*uia aduersatiua particula.* 634.8.c

Vir & mulier *aliis à natura rationali attributi.* 606.15.e

Scire aut cognoscere in Scriptura practicum aliquid valet. 52.43.c

Verba interdum explicanda per aduerbia. 157.12.d 21.36.a 262.44.e 477.c

Numerus cardinalis pro ordinali. 535.11.c 609.24.b

Cum obliquo aliquando iungitur verbum, non cum recto. 1364.21.b

Denominatur res à fine seu euentu. 43.14.a

In comparationibus excellere dicuntur, quæ extremo loco ponuntur. 537.17.c

Futurum pro præterito imperfecto subiunctiui. 474.62.d

Scribi iubentur, & signari, quæ longo pòst tempore implenda sunt. 1157.20.d

Genus fœmineum in irrisione pro masculino ponitur. 283.22.b

Non est à litera recedendum, nisi aliquid appareat indecorum, & absurdum. 773.53.e

Malus, etiam in re non bona, rei sacræ & optimæ Symbolum. 16.19.d. 1668.22.e

Magna siue impedimenta, siue beneficia prouerbiali forma in egressu de Ægypto significantur. 1231.103.c

Prouincia aut ciuitas quæ primum nauigantibus aut exploratoribus occurrit, nomen dat toti regioni. 571.33.c

Loca vbi artes maximè coluntur, nomen artificibus tribuunt. 1769.a

In

Digitized by Google

In Hebraico & Græco textu multa nomina Latina, aut peregrina. 781. 73.c

Cum aliquid è sacra Scriptura repetitur, aliquid interdum additur quod scriptum antea suo loco non fuerat. 344 20.d

Cùm conflatum est è duobus diuersis auctoribus vnum testimonium, vnius tantùm interdum nominatur auctor. 1763. 13.c 1619.55.b

Æternum, sæculum, generatio generationis, *& similia tempus aliquando significant diuturnum.* 458 10.b

Datiuus pro ablatiuo cũ præpositione cum. 195.59.d

Illorum dicimur filij, quorum mores imitamur. 740.43.e

Relatiuum aliquando sine antecedente. 539. 26. e

Præceptum vnum pro omnibus per synecdochem. 1779. a

Pretium aut labor, pro eo quod pretio aut labore comparatur. 258.26.a

Quia *sæpe redundat.* 47. 27. b 438. 39. c

Participia præteriti pro nominibus in bilis. 145.98.e 216.37.d

Quæ magna sunt sæpius iterantur. 455.1.c

Qui factum declarat, is facere dicitur. 490. 110. b

Nominatiuus absolutus si pronomen sequatur, quasi in eius casu foret, exponendus. 266. a

Antecedens pro suo relatiuo. 969.47.e 1596 37.a

Id fieri dicitur quod incrementum suscipit, seu perfectionem. 313. 9. e

Scriptura se interdum accommodat hominum opinioni. 1563. 46. c 638. 23. e

Aliquando res ab hominum existimatione falsa nomen assumunt. 236.24.e

Regula non solùm ad ædificandum, sed etiam ad destruendum adhibetur. 694.25.b

Genus masculinum in se concipit fœmineum. 284. 24.a

Vna historia in Scriptura typus alterius. 313. 8. c

Aliquando vna litera propter similium concursum omittitur. 192.50.d

Numerus pluralis ad significandam dignitatem pro singulari positus. 1363.20.d

Viris ignauis & mollibus fœmineum genus & nomen attributum. 603.a

Affirmatio cum negatione contrarij cum epitasi. 158.16.c 647.49.c

In Paraphrasi Chaldaica multa absurda. 781. 72. b

Pronomen tertiæ personæ aliquando reciprocum, interdum secus. 1128. 27. c

Id dicitur aliquis desiderare cuius indiget. 1364. 22. e

Quæ sacra sunt, aliquid interdum significant contrarium. 1791. 22. b

Liberatus quis dicitur aut ereptus ab eo ad quod erat à lege seu natura dispositus. 540. 29. d

Sententiæ potius quàm verba referuntur in testimoniis veteris Testamenti, quæ citãtur in nouo. 1760 4.e

Futurum adhiberi solitum, quando actio frequens aut agendi consuetudo significatur. 128. 41. b

Accusatiuus sæpe subauditur. 664.8.c

Causa moralis pro physica. 1720.58.a 1664. 39. b

Quod inutile est perinde est ac si non esset. 51. 39. c 12. 63. a

Futurum debitum aut decorum significat. 659. 42. e

Vbi manifestissima Prophetia de futuris texitur, per incerta Allegoriæ non extenuantur quæ scripta sunt. 1717.a

Præpositio aliquando redundat. 1126. 20.c

Dormiens dicitur, qui otiosus, aut inutilia captat. 432. 17. b

Quæ fecere patres tribuuntur filiis. 1397.19.c

Multa denunciata parentibus, quæ in posteris completa sunt. 1169 60.e

Talia Prophetæ facere dicuntur, qualia sunt quæ facienda prædicunt. 923.a

Pro nomine proprio eius notatio posita. 546. 45. c

Viuere censentur qui læti sunt, impii qui tristes. 409.29.b

Vbi aliquis duo habet nomina vtrumque solet exprimere Scriptura. 1391. 5.d

Multa in suis locis omissa, quæ alibi narrantur. 1395.14.e 853.4.c

Interdũ videtur actio noua, quæ veteris cõtinuatio aut augmentũ est. 1400 .132. d

Interdum aliquid factum dicitur cùm fieri incipit. 1414.69.e

Digitized by Google

Tunc aliquid fieri dicitur cùm apparet. 687. 2. *b*
Et *excessum significat in cõparatione.* 537. 17. *a*
Id dicitur aliquis velle quod in causa vult. 645. 43. *b*
Relatiua sæpe ab Hebræis omissa. 288.37.*c*
Actio pro illius effectu, seu fructu. 130.51.*e*
Pronomen aliquando otiosum. 1136.53.*d* 288. 40. *e*
Mortua dicuntur quæ languent, aut virorem amiserunt. 1202. 29.*c*
Ex Scripturæ duobus locis vnum conflatur testimonium. 1763.12.*b* 1559.34.*a* 381.60.*c*
Verba loco interiectionum. 12 7.*d*
Id obtinere quis dicitur, ad quod à natura, vel fortuna vocatur. 540 28.*c*
In iuramentis in *idẽ quod* per. 604.8.*d*
Cùm aliquid contra prouinciam edicitur, caput eius nominatur. 1298.36.*c*
In parabolis non omnia accommodanda. 790. 7. *d*
In *idem quod* propter 877.24.*d*
Vir multitudinẽ significat distributam. 607. 16.*a*
Anni nondum completi interdum omissi, interdum pro integris numerati. 1410.62.*e*
Quædam ætatis nomina naturam indicant ministerij. 1426.5.*e*
Esse aliquid simpliciter aut tale esse dicitur, quando aut esse simpliciter, aut tale esse cognoscitur. 368.18.*c* 1771.36.*b*
Tempus pro iis quæ fiunt in tempore. 708.4 *b* 1472.40.*c*
Non temere in alios animaduertendum. 835. 43. *a*
Futurum interdum per præsens aut præteritum explicandum, quando tempus præcessit præteritum, aut præsens. 317.22.*e*
Res significata pro signo. 40.7.*b*
Signum pro re significata. 1687.50.*e*
Figura pro figurato. 1694.71.*c*
Nomen pro persona. 1687.50.*e*
Ecclesia ad sacrum officium adhibere solet historiam, aut loca Scripturæ, quæ tamen tota accommodari non possunt, sed tantùm eorum quædam pars. 1668.20.*a*
Ecclesia ad sacrum officium historiam alienam propter similitudinem accommodat. 1668.21.*d* 1193.5.*d*
Relatiuum sine antecedenti ponitur cùm antecedens aliquid est notum & eximium, aut de quo tacitè cogitamus. 287. 35. *c* 1222.80.*c*
Locutiones hyperbolicæ in Scriptura. 774. 54. *b*
Quæ ab exitu parum absunt facta dicuntur. 186.16.*b*
Quæ ad præcedentis capitis finem pertinent interdum in subsequentis principio ponũtur, & contra. 37.1.*c*
Parentum nomina sine vlla mutatione pro patronymicis. 1376.61.*e*
Prouinciæ nomen interdum sumũt à prouinciis vicinis. 1025.48.*c*
Vniuersale nomen cum negatione vniuersali negatiuo æquipollet. 122.22.*b*
Hypallage vsitata in Scriptura. ...
Hyperbolici loquẽdi modi maximè in exprimenda vastitate. 7754.*b*
Interpretes sæpe ex Scriptura sumunt, quæ ad rẽ faciunt suam, & omittunt alia. 961. 20. *d*
Quod ostendimus factum esse illud fecisse dicimur. 1711.25 *c*
Si quid est dictu turpe, vel auditu graue, id figurata oratione honestari ac leniri solet. 1316. *a*
Possessor pro re possessa. 1775.49.*a*
Opus pro operis mercede. 106. 62. *c*
Negatur esse in aliquo id quod in alio excellentius reperitur. 27.53.*b*
Cælestia atque sublimia per sensibilium imagines cognoscuntur. 513.51.*b*
Verba neutra, cùm accusatiuo iunguntur, modũ aliquem secum important. 639.25.*d*
Auctor Canonicus in citandis Scripturæ testimoniis non tam verba quàm sententiã expendit. 20.34.*d*
Nomina composita non eodem ab omnibus modo conuersa. 1101. 28. *b*
Ciuitates genus interdum sumunt non quod significatio, sed quod terminatio exigit. 962.22.*c*
Cùm vir aliquid agit muliebre, fœmineum illi tribuitur aut genus, aut nomen. ...
Talis aliquis dicitur, qualis ille cuius exprimit mores. 1789.16.*a*
Non amplius, non vltrà, *interdum temporis tantũ dilationẽ significant.* 1322.37.*d*

Quædam

Quedā nationes ex ingenio aut artibus nomen sortitæ. 1195.14.b
Id fieri dicitur quod aptum est vt fiat: & id dicitur aliquis facere, quod vt faciat potestatem habet. 1427.7.e 1451.36.c
In Juda intelligitur Benjamin: imò interdum duæ illæ tribus vocantur vna. 1431. 17. e
Futurum pro nomine verbali. 170.54.d
Aliquando de se aliquis quasi de tertia persona loquitur. 1444.9.b
Peccatum aut iniquitas pro peccati pœna aut purgatione. 1445.14.b
Accusatiuus verbo cognatus id sæpe valet circa quod aliquo modo versatur actio. 1446.18.b
Commune nomen variè à variis redditur. 856. 16. e
In *idem aliquando quod* pro, *seu* propter. 354. 53. e
Quod Deus facit modò huic, modò alteri, diuinæ personæ tribuitur. 1761.7.c
Periisse dicitur quod magnum est passum detrimentum. 1027. 55.e
Tempus pro iis, quæ fiunt in tempore. 1442. 40. b
Geminatio propria Hebræorum montes montes ærei. 1496. 4.c
Sæpe in Scriptura auditur nomen quod antè erat ablatum. 1550. 4. c
Articulus Græcus ostendit, quando nomen locum habeat subiecti, quando prædicati. 1500.15.a
Nomina varia eiusdem hominis, & sæpe diuersorum idiomatum. 1496.4.c
Nomen commune peregrinum quod propriū videtur pro eius significatione ponitur. 1515.4.d
Explicationem peregrini nominis sæpe Interpres adhibet de suo. 1516.5.b
Septuaginta Interpretes sæpe à vulgato differunt, neque semper sine causa aliqua, 1517.10.e
Factum aliquid eo consilio dicitur quo fieri solet, licet aliter se habeat. 1019.a
Multa prouerbia ex Ægyptia libertate ac seruitute sumpta. 1194. 7. b
Quæ generaliter videntur dicta ad vnam tantum prouinciam coarctantur. 458.9. b
A typo sæpe ad Christum seu Euangelij tempus sermo conuertitur. 959.13.d 1433. 66. d 1641. 31. c
Datiuus sæpe apud Hebræos paragogicus. 20. d 1623.663.6.d
Hierosolymæ comparatione regiones aliæ dicuntur Aquilonares, aliæ Australes, &c. 1206.39.d
Tale aliquis nomen habet, quale eius ætati ac conditioni conuenit, licet ratio nominis desit. 436.30.c
Vulgatus genus aliquando retinet originalis linguæ. 697.36.b
Illa negantur inesse alicui quæ aliorum comparatione existimantur exigua. 1705.6.d
Ex propriis nominibus altera tantum pars interdum conuersa. 1100.26.e
Aliquid factum dicitur ab illo qui illud amplificauit seu ornauit. 1518.12.c
Aliquando nominatiuus absolutè ponitur, maximè in pronominibus. 1520.17.b
Transitus à prima persona ad tertiam. 1521. 20. b
Continuatio operis inceptio dicitur. 1534.19.b
Factum est, fuit, & erit, *otiosa aliquādo in Scriptura ex idiomate Hebræo.* 1355.25.e
Loca certa sumuntur pro illis mundi regionibus, ad quas spectant. 1563.47.e
Tempus determinatum, vt hodie, cras *pro tempore incerto.* 1569.61.b
Rebus & earum auctoribus commune nomen. 1621.a
Prolepsis vsitata valde in Scriptura. 1624. 68. b
Prophetæ multa in narrando prætereunt. 1643.37.d
Aliquis de se in tertia persona loquitur licet de se in prima loqui cœperit. 1644.40.d
Qui typus Christi fuerunt non in omni facto fuerunt, sed in vno vel altero. 790.7.e
In diebus illis, in illo tempore, tunc, *& similia adhiberi solent sine vllo ad superiora respectu.* 503.21.d
Fœmina fornicationum, vir dolorū, *& similia cum epitasi.* 12.7.d
Nomen alicui regioni vernaculū de illa regione indicat sermonem fieri. 781.72.b
Multa Scriptura recitat ab aliis dicta quæ non probat. 961.a
Cùm aliquis de se aut cum secunda persona loquitur, sic agit atque si cum tertia atque absente

Digitized by Google

absente persona loqueretur. 198.66.b
Vbi ex multitudine pauci relicti sunt, nullus existimatur aut dicitur esse reliquus. 460.12.d
Quod reparatum, aut compensatum quoquo modo sit, nõ existimatur periisse. 739.39.b
Quæ parum absunt ab exitu facta dicuntur. 586 16.b

INDEX PROVERBIORVM.

PROVERBIA multa ex Ægyptia libertate sumpta. 1194.7.b
Impedimenta siue beneficia magna in egressu de Ægypto prouerbialiter significata. 1231.103.b.
Vnigeniti amor & dolor. 718.38.c
Tela aranearum pro re futili. 235.20.c
Fraus & vis Achab & Iezabel. 901.6.a
A Basan ad Arnon. 608.21.a
Basan pro re munita & forti. 1052.20.a
Chanaan cum statera dolosa, pro fallaci. 348.32.c
Carmelus pro re speciosa. 533.5.c
Arcus dolosus aut prauus pro infido ac fallaci. 222.56.b
Libanus & Carmelus, pro re speciosa. 1051.19.e
Cinis pro re vilissima. 1788.13.b
Ad collum vsque, pro maximis rerum angustiis. 1240.130.d
Crudelitas in fratres. 669.24.a
Dissolutæ manus. 1326.48.a
Facies percussa, pro grauissima ignominia. 959.11.a
Nolite annunciare in Geth. 885.51.e
Humerus vnus. 1319 30.d
Iezrael pro supplicio. 18.26.b
Ignis & stipula. 1785.2.b
Imber temporaneus & serotinus. 183.23.c
Leæna & pardus pro sæuitia & fortitudine. 370.24.b
Multitudo locustarum prouerbialis. 430.10.c
Leonis rugitus pro re horribili. 327.54.d
A leone in vrsum, & ab hoc, in viperam. 646.45.b
Mane seu aurora pro tempore breuissimo. 311.1.a
Mane, diluculò, & similia pro magno studio & ardore. 900.4.c
De mane vsque ad noctem, & similia, pro breui tempore. 211.22.e
Montes cadite super nos. 290.48.e
Operiri sicut pallio. 1750.70.e
Pupillus pro misero & ab omni auxilio nudo. 399.23.b
Ventus vrens, pro re pestilente, & noxia. 1132.41.d 385.71.a
Vento pasci dicuntur qui falsa spe lactantur. 337.1.b
Vuæ in deserto, & prima poma ficulneæ pro re suaui. 363.46.c
Sub ficu & vite. 1452.37.c 939.21.a
Auertere scapulam. 1521.21.c
Radere seu verrere puluerem. 1553.15.e
Torris ab incendio. 618.52.e
Panis subcineritius. 214.31.b
Radix & germen. 1585.3.c
Iudæorum calamitas. 1356.25.a
Radix arida pro sterili. 270.71.d
Nubes matutina, aut ros matutinus pro re momentanea. 184.26.c
Signari in sacculo, pro diligenti custodia. 374.38.b
Antiqua sacrificia pro gratis. 1770.33.b
Sanguis sanguinem tetigit. 117.9.d
Sodoma pro graui supplicio. 618.51.e
Sodoma pro magna vastitate. 777.61.c
Occidet Sol in meridie. 717.34.b
Spuma pro re leui ac momẽtanea. 290.45.a
Vas immundum pro re vili ac sordida. 237.26.c
Vento pasci dicitur qui altè de se cogitat. 338.4.b
Pascere ventum. 387.1.b
Ventum seminare, pro fructu inutili ex stulto labore. 235.21.e
Ventorum pennæ. 147.103.a
A vino furere. 210.18.d
Vinacia vuarum, pro re vili, ac sordida. 88.10.d

Digitized by Google

IN OSEAM PROPHETAM COMMENTARII.

PROLEGOMENON I.

Quo ordine inter Prophetas Oseas numerandus.

1. *Oseas inter duodecim Prophetas primus.*

PRimvs Prophetarum omnium, qui iam communiter Minores appellãtur, súntque duodecim numero, existimatur Oseas, haud dubiè, quia primus omniũ & accepit à Deo, & scriptis tradidit sua vaticinia. Quod facile quiuis intelliget, si tẽpora dinumerat, in quibus Prophetæ vaticinati dicuntur, quæ licèt non omnibus, plurimis tamen, in oraculorum initiis præfixa sunt. Hic autem prophetasse traditur, vt ex huius libri exordio constat, in diebus Oziæ, Ioathan, & Ezechiæ, regum Iuda, & Ieroboam regis Israël, quod tempus nemo Prophetarum, qui hoc ordine censentur, antecessit. Fuit autem hoc tempus multis notis, atque nominibus illustre; sicut in nostris commentariis super Isaiam ostendimus, qui eodem, quo Oseas, tempore prophetauit.

2. *Tempus, quo prophetauit Oseas, illustre.*

Primùm sub hæc tempora, vt auctor est Eusebius *in Chronicis, & de præparatione Euangelica, lib.* 10. *cap. vltimo*, per Olympiadas notata sunt, & distributa tempora, ex quo factum est vt historia fidem habere cœperit.

Ex quo tempore fidem habuit historia.

Nam ante tempus illud mẽdacibus fabulis corrumpebatur potius, quàm rerum verè gestarum fide imbuebatur hominum intelligentia. Sic Eusebius in Chronicis ad primam Olympiadem: *Ab hoc*, inquit, *tempore Græca de temporibus historia vera creditur: nam ante hoc, vt cuique visum est, diuersas sententias protulerunt.* Item Clem. Alexan. *lib.* 1. *strom.* ex Eusebio. Ex quo antiqui duos constituerunt sæculorum ordines, alterum à cataclismo ad primam Olympiadem, quod appellarunt μυθικὸν, id est, *fabulosum.* Alterum ἱστορικὸν, id est, *historicum.* Sic sanè Varro, vt tradit Censorinus *de die natali cap.* 21. Sub hæc tempora fundari cœpit Romana ciuitas, & in Israëlitico genere facta magna rerum conuersio.

PROLEGOMENON II.

De vita, & morte Oseæ.

DE Oseæ vita aut silent, aut non nisi parcè loquuntur interpretes, & qui rem Iudaicam, atque Israëliticam scriptis prodiderunt. 3. *Oseæ genus, & vita.* Egerunt de Osea Epiphanius *lib. de vita, atque interitu Prophetarum, cap.* 11. Isidorus *de vita, & morte Sanctorum, cap.* 41. Chronicon Alexandrinum. Hieronymus *in præfatione* 121. *& in proœmio in Oseam;* Dorotheus *in Synopsi, cap.* 1. *&* 10. Ex quibus hoc ferme habemus, Oseam filium esse Beeri in Belomoth, de prosapia, tribúve Isachar prognatum; à quo datum esse signum dicitur, Domini in terras è cœlo venturi, cùm quercus in Selom findatur à seipsa in portiones bis senas, & totidem ex vna quercus fiant. Hæc Epiphanius *suprà*, & ex eo Isidorus, nisi quòd vbi Epiphanius *Selom*, Isidorus legit *Silo*, & cùm de vita nihil dixerint, de sepultura affirmant fuisse in terra sua. De tempore, aut de genere mortis, nihil ab antiquis proditum inuenio: calendaria Romanum, & alia ferme Latina, vt Bedæ, Adonis, Vsuardi decessisse indicant quarto nonas Iulij; cùm eo die renouetur Oseæ memoria. At Græci in Monologio in decimumsextum calendarum Octobris anniuersariam Oseam memoriam coniiciunt.

PROLEGOMENON III.

Quandiu vixerit, prophetaritque.

QVandiu vixerit, prophetaritque, docet ipse, cùm Reges nominet statim in principio Synchronos sibi; quandiu verò vitam, aut prophetale munus sustinuerit, prorsus incertum; quia non constat quoto Regum illorum anno aut natus fuerit, aut vita functus. Sanè vixisse, ac prophe-

4. *Quantum vixit, prophetauitque Oseas.*

tasse diu nemo dubitare cum ratione potest. Prophetauit enim sub Ozia, qui etiam vocatur Azarias, vt minimum 38. annis. Tot enim vixit post mortem Ieroboam regis Israël, vt constat *ex lib. 4. Reg. cap. 14. & 15.* Oziæ successit Ioathan, qui regnauit annis 16. totidem post illum Achaz: deinde Ezechias 29. Ad quem annum Ezechiæ, aut vitam, aut prophetiam produxerit Oseas, incertum est, sed si nihil ex Ezechia sumas (ego non parum sumendũ arbitror) erunt tamen anni 70. quibus spiritu afflatus fuit prophetico, etiamsi propheticum accepisset spiritum anno extremo vitæ Ieroboam: atque ideo illum diu vixisse oportet.

PROLEGOMENON IV.

Quo ordine numerentur hi duodecim Prophetæ.

5. *Duodecim Prophetæ nõ eodem ab omnibus ordine numerantur.*

NOn multum refert, quo ordine collocentur Prophetæ, sicut etiã quomodo, aut quo loco digerantur prophetiæ; vt enim vidimus sæpe apud Ezechielem, Danielem, & omnium maximè Ieremiam, non eodem ordine distribuuntur prophetiæ, quo acceptæ fuerunt à Deo, aut à Prophetis enuntiatæ. De antiquitate Prophetarum suis postea locis agemus pluribus; vbi ad Prophetarum singulos accedat cõmentatio. Tantùm dico non apud omnes eundem in numero ordinem seruari. Quo ordine statuantur à vulgata vides, quem codices sequuntur Hebraici, alium seruant Septuaginta lõgè diuersum. Nam primùm duodecim minores Prophetas, quatuor aliis maioribus anteponunt, & minoribus non eadem omnes serie digeruntur, vt obseruauit Hieronymus *in prologo 12. Prophetarum*, & iterum *in prologo commentariorum in Ioel*, vbi sic Hieronymus: *Non idem ordo est duodecim Prophetarum apud LXX. interpretes, qui in Hebraica veritate retinetur. Illi enim ponunt secundum Amos, tertium Micheam, quartum Ioel, quintum Abdiam, sextum Ionam*, &c.

6. *Librorũ non eadem series in Latinis, Hebraicisque codicibus.*

Quo id consilio LXX. fecerint, si Hebraici codices eo tempore eodem modo distributi fuere, quo posteriori hac ætate, mihi grauis aliqua ratio non succurrit. Illa videtur non inepta, quòd Hebraici codices, aut omnes, aut illi saltem, quos habuere Septuaginta, alium tenuerunt ordinem, quàm nostra hac ætate seruant. Quòd enim non semper eodem fuerint ordine digesti, satis nobis argumento est, quòd, cùm vulgatam translationem ab Hebraica veritate in librorum serie modum sumpsisse

A verisimile sit; tamen nunc alium in Hebraicis, alium in vulgatis codicibus Latinis videmus ordinem seruari. In Hebraicis post libros Regum ponuntur Prophetæ; deinde Psalmi; pòst Prouerbia, Iob, Cantica, Ruth, Lamentationes, Ecclesiastes, Esther, Daniel, &c. neque in omnibus codicibus Hebraicis, eadem distributio. Sic puto olim contigisse LXX. interpretibus; vt talem in vertendo ordinem seruauerint, qualem in Hebraicis codicibus inuenerunt.

B Neque puto illos de ordine librorum admodum fuisse sollicitos, cùm inuerso librorum, aut Prophetarum ordine, neque maior esset translationis obscuritas, neque interpretum ideo laboraret fides. Immo fortasse non eodem à LXX. senioribus ordine digesti fuerunt principio Prophetæ, quo nunc; sed cùm variæ à variis Græci transcriberentur codices, contingit, vt plerunque fit, vt ab incuriosis, & parum attentis scriptoribus, Prophetarum ordo mutatus sit. Nonnullam huius rei coniecturam C affert Nazianzenus, qui cùm Prophetarum ordinem, secutus hauddubiè LXX. digereret, aliter numerauit quàm Græca nunc habet translatio in Iambicis ad Seleucum de canonicis sacræ Scripturæ libris, vbi Ionam ponit ante Abdiam. 7.

PROLEGOMENON V.

De stylo, & obscuritate Prophetæ.

8. *Propheticus stylus diuersus ab aliis.*

STylus, & quasi character propheticus, D longè diuersus est ab alio quouis sermone familiari, atque historico; quod in ipsis Prophetis obseruare promptum est; cùm enim aliquando Prophetæ non instincti à Deo, sed vt alij suo spiritu, atque humano impulsu adducti loquantur; aut cùm historicum agunt potius, quàm Prophetam, longè tamen abeunt à seipsis in orationis forma, cùm historici, quàm cùm Prophetæ sunt: sicut alio charactere poëtæ, alio oratores, seu historici sua scripta consignant. Vt autem in poëtis, quorum E stylo affinis propheticus, varius est, & multiplex character, qui epicum à lyrico, seu satyrico secernit; sic inter Prophetas, licèt ab eodem omnes afflentur spiritu, non tamen idem in omnibus est dicendi genus. Quia aut materia ipsa aliam dicendi formam requirit, aut etiam varium est Prophetarum ingenium, cui se diuinus Spiritus interdum attemperat. Obseruauit hoc Hieronymus in præfatione ad duodecim Prophetas. *Oseas*, inquit, *commaticus est, & quasi per sententias loquens. Ioel planus in* *Oseæ stylus.*

princi

Digitized by Google

principiis, in fine obscurior: & vsque ad Malachiam habent singuli proprietates suas. Hoc est Hieronymi de Oseæ charactere iudicium, & sanè tanto Doctore dignum: re etenim vera commaticus est Oseas, id est, qui crebris sententiis stylum interrumpit, neque diffusum adhibet in scribendo modum, sed incisum, non tam diffluens, quàm sententiis abundans.

9. *Oseas obscurus.* De Prophetæ obscuritate satis multa interpretes; & ipse abundè commentationis cursus ostendet. Interim sufficiat nobis, duorum insignium Doctorum illustre testimonium; de Osea sic Augustinus de ciuitate lib. 18. cap. 28. *Osee*, inquit, *Propheta quanto profundiùs quidem loquitur, tanto operosiùs penetratur.* Hieronymus in procemio commentariorum ad Pammachium, *Si in explanationibus omnium Prophetarum sancti Spiritus indigemus aduentu, vt cuius* A *instinctu scripti sunt; illius reuelatione pandantur. Et in Isaia signatum librum legimus, quem Scribæ, & Pharisæi, qui legis literas nosse se iactant, non possunt legere, quia signatus est, nullúsque inueniri potuit, nisi leo de tribu Iuda, quem signauit Deus pater, qui eius posset reserare mysteria: quanto magis in explanatione Oseæ Prophetæ orandus est Dominus, & cum Petro dicendum: Edissere nobis parabolam istam.* B *Præsertim cùm obscuritatem voluminis in fine testetur ipse qui scripsit: Quis sapiens, & intelliget ista? intelligens, & cognoscet ea?* Faxit vtinam Spiritus ipse sanctus, qui obscuræ huius prophetiæ auctor, & Prophetæ sancti dux, & illuminator fuit, vt nobis lucem ad intelligendum, & verba ad explicandum inspiret, magni vatis oracula, quæ nunc lustrare mente, & commentariis illustrare contendimus.

IN CAPVT PRIMVM

ARGVMENTVM.

IN hoc vaticinio, quod primum est omnium, quod Oseas accepit à Deo, per signa quædam atque portenta, prædicuntur quamplurima, eaque grauissima incommoda, quibus decem tribus diu vexatæ sunt. Iussit enim Deus Prophetæ, vt fornicariæ sibi coniugium copularet, ex qua susceptum filium Iezrahelem vocat, quo Israëlitici imperij interitus ostenditur. In filia, quæ ex eadem fornicaria vxore nata est, alienum se Dominus ostendit à populo, cui ad suam misericordiam aditum dicit esse præclusum. In tertio, cui nomen esse voluit, Non populus meus, *statùs portenditur, quo nullus excogitari potest infelicior, cui populus, quem Dominus appellauit, & ornauit vt suum, sic abiiciendus sit, vt illius obliuio futura dicatur sempiterna. De domo verò Iuda multo iudicandum dicit esse benignius. Ad extremum docet ex populo Gentilico, Israëlitarum loco venturos esse quamplurimos, qui, licèt non secundùm carnem, secundùm tamen spiritum, & fidem vocabuntur, & erunt veri Israëlitæ.*

CAPVT I.

1. VErbum Domini, quod factum est ad Osee filium Beeri, in diebus Oziæ, Ioathan, Achaz, Ezechiæ, regum Iuda, & in diebus Ieroboam filij Ioas regis Israël.

2. Principium loquendi Domino in Osee: & dixit Dominus ad Osee, Vade, sume tibi vxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum: quia fornicans fornicabitur terra à Domino.

3. Et abiit, & accepit Gomer filiam Debelaim: & concepit, & peperit ei filium.

4. Et dixit Dominus ad eum. Voca nomen eius Iezrahel: quoniam adhuc modicum, & visitabo sanguinem Iezrahel super domum Iehu, & quiescere faciam regnum domus Israël.

5. Et in illa die conteram arcum Israël in valle Iezrahel.

6. Et concepit adhuc, & peperit filiam. Et dixit ei: Voca nomen eius, Absque misericordia: quia

PARAPHRASIS.

A 1. HOc fuit vaticinium primum, quod accepit à Domino Oseas filius Beeri, sub ea tempora, quibus in Ierusalem, & Iudæa regnauerunt Ozias, Ioathan, Achaz, Ezechias: & in Israël, & Samaria Ieroboam filius Ioas.

2. Sic Dominus primùm locutus est ad Oseam: Agedum Propheta, & quamprimum vxorem ducito, quæ prostituto corpore fornicarium quæstum instituerit: & licèt ex legitimo toro, suscipies tamen filios, qui secuti potius matris fornicariæ, quàm casti parentis mores, & exemplar,
B ipsi quoque, aut meretricabuntur inuerecundè, aut meretricias captabunt voluptates. In quibus suam cognoscet intemperantiam terra Israëlitica, quæ à Deo suo, quasi vxor adultera à viro recedet, & idololatriæ se totam, quasi vagæ amatorum petulantiæ prostituet.

3. Tunc autẽ ad diuinum præceptum Oseas matrimonio sibi legitimo coniunxit Gomer filiam Debelaim, quæ ex Prophetæ consuetudine concepit, & enixa est filium.

4. Tunc verò Dominus ad Prophetã:
C Impone filio tibi recèns nato nomen Iezrahel, quia paucos post dies efficiã, vt talia patiatur domus Iehu, qualia priùs supplicia vidit Iezrahel, & omnino delebitur imperium, quod in Israëlis domo dudum inueterauit.

5. Sicut olim sub Achab confregi vires, & arcum Israël in valle Iezrahel: sic etiam in illa die, quam Israëlis exitio destinaui, arma confringam, & vires prorsus auferam illius.

6. Rursus Gomer concepit à Propheta, & peperit filiam, cui, iubente Domino, hoc à patern

Digitized by Google

quia non addam vltrà misereri domui Israël, sed obliuione obliuiscar eorum.

A à parente nomen inditum est, *Absque misericordia*: cuius nominis notationem hanc reddidit Deus, quia non iam amplius, inquit, populi miserebor, ficut antea sæpe, sed illum sic abiiciam, vt eius etiam memoriam deponam.

7. *Et domui Iuda miserebor, & saluabo eos in Domino Deo suo: & non saluabo eos in arcu, & gladio, & in bello, & in equis, & in equitibus.*

7. Longè aliter accidet Iudæ, cùm illam Babylonius in exilium abduxerit, illius etenim miserebor, & per memetipsum, non aliena manu, liberabo: non arcu, non gladio, non equis, non equitibus, non denique vlla militari machina, aut bellici strepitus

B apparatu.

8. *Et ablactauit eam, quæ erat absque misericordia. Et concepit, & peperit filium.*

8. Cùm autem ad eam ætatem progressa est puella, quam vocari diximus, *Absque misericordia*, vt à maternis depelleretur vberibus, concepit Gomer tertiò, & peperit filium.

9. *Et dixit: Voca nomen eius: Non populus meus; quia vos non populus meus: & ego non ero vester.*

9. Tunc Deus ad Prophetam: Voca filium, qui tibi modò natus est, *Non populus meus*: quia tuum, ô Propheta, populum, meum non agnoscam: neque me illi, ficut antea, Deum, aut parentem præbebo.

10. *Et erit numerus filiorum Israël quasi arena maris, quæ sine mensura est, & non numerabitur. Et erit in loco vbi dicetur eis: Non populus meus vos: dicetur eis: Filij Dei viuentis.*

C 10. Neque tamen ideo non præstabo, quod olim Israëlitici generis parentibus promisi. Nam licèt dicantur Israëlitæ obliuioni tradendi sempiternæ, succedent tamen illorum loco, è Gentilico populo, qui verè spiritu, ac fide vocari possint Israëlitæ, eo numero, vt cum arena maris, cuius nemo mensuram assignauerit, comparari possint: quia eodem loco, vbi illi filiorum & populi mei nomen amittent, nempe inter Gentiles, erunt qui sic viuant, vt veros imitentur Israëlitas, & ideo vocabuntur populus meus, & filij atque cultores non deo-

D rum, qui vitæ sunt & motus expertes, sed veri atque viuentis Dei.

11. *Et congregabuntur filij Iuda, & filij Israël pariter: & ponent sibimet caput vnum, & ascendent de terra: quia magnus dies Iezrahel.*

11. Congregabuntur tándem filij Israël, & filij Iuda, & sub vno principe ac duce Zorobabel, in gratiam reuertentur, post longam tamen & duram seruitutem: quia leue non erit supplicium, quod depen[illegible], quale fuit, cùm sublato regno regis Achab, & illius extincta familia, vidit Iezrahel.

Vers. 1. *Verbum Domini, quod factum est ad Osee filium Beeri.*]

1. *Prophetæ cur Dei nomē sua prophetiæ prætendunt.*

PRIMVM verbum commentatio est operis, & attentionis idonea satis, & grauis conciliatio. Hominū quippe verba, eo ipso, quod hominum sunt, attentionem auertunt, & sæpe contemnuntur, quia ab illis profecta, qui aut fallere soliti, aut si viri sint exploratæ fidei, non tamen aliis facile probabunt, se illo esse ingenio, atque natura, vt falli non possint. Quare Prophetæ vt suis oraculis pondus aliquod & fidem concilient, diuini nominis illis auctoritatem prætendunt. Quod non

E eodem omnes modo faciunt, quidam enim: *Verbum Domini*, præmittunt, alij, *visio Isaiæ*, &c. alij, *hæc dicit Dominus*. Quæ nomina, sic audientes afficiunt, vt auidè accipiant; audita credant, & religiosè venerentur.

Obseruat hoc loco Hieronymus idem esse nomen huius Prophetæ, & Iosue, qui pro Moyse populo Israëlitico præpositus fuit, vterque enim ab eadem radice deriuatur, quæ saluare significat; à qua Iesus Christus seruator nomen accepit; rationem nominis tradidit Angelus, dum ait, *Quia ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Et de Iosue eadem adducitur ratio. Eccl. 46. v. 2. *Qui fuit magnus secundum nomen suum in salutem* 2. *Osee nomen commune Prophetæ cum Iosue.*

Digitized by Google

electorum. Qui etiam non semel appellatur Osee, vt *Num. cap. 13. v. 9. & 17.* Hoc verò nomē non puto fortuitò, ac sine consilio datum esse Prophetæ: vocatus etenim eo videtur Oseas, id est, seruator, aut quia seruatoris Christi vmbra quædam fuit, vt docet Hieronymus, *epi. 131. ad Rufinum*, aut quia per illum Deus salutem populi sui procurabat. In parentis nomine aliquid etiam arcanum meditatur Hieronymus. Beeri namque idem valet, quod *putei mei.* est autem Oseas, aut quilibet Propheta, aut qui munus obit euangelicum, filius putei Dei, quia ex illo haurit aquam salutarem, & viuam, quam in sitientes populorum agros effundant: cæleste videlicet doctrinam, de qua Isaias cap. 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris.*

Concionator filius putei Dei.

3. Hic quidam ex Hebræis, & nonnulli etiam alij, qui plus satis Hebræorum doctrinis addicti sunt, sentiunt, cùm in prophetiarū titulis Prophetarum nominantur parentes, ipsos quoque esse Prophetas, cuius regulæ meminit Hieronymus *in principio cōmentariorum in Sophoniam*, quam tamen non probat; neque meo iudicio probari cuiquam aut debet, aut potest. Tractauimus hæc pluribus in nostris commentariis super Zachariam *cap. 1.* Addunt præterea aliqui, cùm locus alicuius Prophetæ natalis siletur, talem Prophetam ortum in Ierusalem. ita Rab. Dauid *in principio huius Prophetæ*, quæ sententia non plus habet fundamenti, ac fidei, quàm superior. Sanè si Oseas fuit ex tribu Isachar, vt suprà ex Isidoro, & Epiphanio dicebamus, nō est verisimile Solymitanum esse ciuem, cùm funiculus Isachar quàm longissimè abesset à Hierosolymis.

4. *In diebus Oziæ*, &c.] De horum regum tempore, & cur cum regibus Iuda nominetur Ieroboam filius Ioas, Rex Israel, diximus suprà *prolegomeno 3.* Hic porrò Ieroboam non fuit ille, qui decem tribus à domo Dauidica distraxit, quique conflatis ex auro vitulis à patria religione, & Salomonis templo maiorem generis Israelitici partē abduxit. Ille enim non fuit filius Ioas, sed Nabath, & hoc nomine ab altero secernitur. Quod apud Hebræos frequens est, & pene legitimum, ne nominis communitas rebus ambiguitatem, & confusionem afferat. Qua de re nos pluribus in nostris commentariis in Zachariam, ad illud cap. 1. *Ad Zachariam filium Barachiæ.*

Ieroboā nomen duobus regibus cōmune.

5. Vers. 2. *Principiū loquēdi Domino in Osee.*] Ex hoc loco nonnulli coniectant primum omnium, qui Prophetarū nomine censentur (quales sunt, qui Doctorum etiam vsu Maiores, & minores appellātur,) Oseam fuisse; quasi Deus locutus fuerit primus in Osea, quem spiritu illustrauit prophetico, & per illum aliis consiliorum suorum arcana, & futurarum rerum euentus reuelauit. Ita putat *hic* Hieronymus, *& in Isaiæ cap. 1.* Basilius item *in cap. 1. Isaiæ*, quorum sententiæ è recentioribus multi aut subscribunt omnino, aut certè non improbant. Sed neque aliam Hieronymus repudiat, neque illorum plerique, qui cum Hieronymo in priori sententia sensisse videbantur, quales sunt Haymo, Albertus, Hugo, Dionysius, & Lyra. Tenet apertè Theodoretus, Ribera, Figuerius, & Castrus, neque puto ex his verbis graue posse in illam sententiam argumentum sumi. *Principium* enim sic accipi eo loco potest, imò meo iudicio debet, vt non conferatur cum Prophetis aliis quasi illorum primus sit Oseas, sed cum aliis Oseæ vaticiniis; ita vt hoc à Deo primùm acceperit. Neque præterea si verum est, quod multi putant, & in his Hieronymus *in pro-*

A *logo Abdiæ, & epitaphio Paulæ*, Abdiam sub Achab rege Israel, & sub Iosaphat rege Iuda; & Ionas sub prioribus annis Ieroboam prophetasse, vt est communior sententia, nullo modo Oseas existimari potest Prophetarum primus. Sed de Abdia, & Iona suò loco videbimus.

Vade, sume tibi vxorem fornicationum.] Hoc est primum illud verbum, de quo proximè, quo rudis adhuc Propheta illustratus, & quasi ad prophetale ministerium consecratus est. Durum sanè rudimentum, illi præsertim, qui caste semper, & honestè, & sine cuiusquam offensione antè vixisset. Hanc porrò causam fuisse arbitror, vt ab hoc nomine ductum sit omnium Oseæ vaticiniorum 6.

Obedientiæ illustre exēplum in Osea.

B exordium, vt Prophetæ in explenda diuina voluntate constantiam, & animum immemorem sui, & ad illa pronum, & ardentem, quæ Deo grata fore cognouisset, cognoscerent alij; ac discerent, qui obedientis sibi nomen assumunt, aut obedientiæ veræ formam, & exemplar habere volunt; quemadmodum recusandum esset nihil, quantumuis molestum, in quo aliquod se ostentet diuinæ voluntatis indicium, fuit sanè durum hominem cœlibem, quique fortasse ab honestis nuptiis animum haberet alienum, ad matrimonium cogere, & vxori, tanquam pistrino, & iugo alligare perpetuo. Sed est planè durius, & ingenuis viris, atque honestis mortis instar vxorem

C ducere non acceptam ex materno sinu, atque conclaui, vbi honestè, ac pudicè fuerat educata: quæ fama esset aliis, quàm forma notior; sed ex vaga libidine prostitutam, ex prostibulo, & meretriciis sordibus, à qua fore non sperabat, vt sanctam seruaret matrimonij fidem. Hæc, meo iudicio, grauissima est nostri Prophetæ commendatio, vt per illius ingenium neque durum, neque sui iudicij tenax, & animum ad obediendum paratum agnosceremus: putaremúsque dignū, cui Deus adfuisse existimetur, & magnarum rerum mysteria reuelasse.

Vxor fornicationum, sine dubio, illa est, quæ vitam instituit fornicariam, quæ corpus habet 7.

D venale, qui in fornice sibi instrauit cubile, & quæstum omnino instituit meretricium, neque aliud valet, opinor, modus ipse dicendi, quo Hebræi magnum aliquid, seu affectu, atque studio, seu frequentia ac modo significare solent. Sic *Isai. cap. 53.* Christus *vir dolorum* dicitur; quia assiduis, grauissimisque doloribus perfunctus est. Sic Psal. 5. *viri sanguinum* vocantur, qui cædibus se oblectant, id sibi studio habent, vt aliorum sanguinem frequenter effundant. Sic *viri diuitiarum*, qui toto spiritu diuitiis congerendis inhiant, nihilque relinquunt intentatum, vnde aliqua se lucri species obiiciat. Sic ergo nunc *vxor fornicationum* appellatur; quæ sic aut quæstus, aut vo-

REGVLA. *Fœminæ fornicationum, vir dolorum, & similia cum epitasi.*

E luptatis gratia libidini se, ac scortationi dedit, vt omnibus sui copiam fecerit, & quotidianis sit non solùm nota, sed etiam nobilitata flagitiis. Illud *vade* interiectio est, sicut alia verba plurima, quę in imperatiuo modo tam à Latinis, quàm à Græcis, & Hebraicis locantur. Qualia sunt age, agedum, apage, οἶσε, οἶσε δὴ, & similia. Quare dum Oseæ dicitur, Vade, sume tibi, perinde est ac si dicatur, *Agedum, quamprimùm sume tibi.*

REGVLA. *Verba loco interiectionum.*

Et fac tibi filios fornicationum.] In codice Hebraico non est, *& fac*, sed simpliciter, *Sume tibi vxorem fornicationum, & filios fornicationum.* Et ita in commentariis legit Hieronymus, quem alij quoque non pauci sequuntur. Tunc verò sensum esse putant hoc à Deo Oseam mandatum accepisse, non 8.

vt

Digitized by Google

vt ex fornicaria vxore filios susciperet, sed vt cum fornicaria, eius quoque filios ex fornicario concubitu antè susceptos in domum adduceret, eósque aleret pro suis. Verùm hanc explicationem facile conuellit, quod deinde sequitur, in quo, & quid datum Prophetæ fuerit in mandatis, & quàm ille fuerit executus sedulò docemur. Putat autem Hieronymus illud *sume*, esse vtrique orationis parti commune; atque ideo secundo loco per zeugma repetendum, in hunc modum; *sume tibi vxorem & sume ex ea filios fornicationis.* ita accipiunt Hieronymus, & Theodoretus, licèt illud *fac* in textu nó agnoscant, quos sequuntur ex recentioribus non pauci, in quibus sunt Ribera, Figuerius, & Castrus. Quod, meo iudicio, ipse apertè profitetur Oseas: versu etenim 3. dicit, *& abiit, & accepit Gomor, &c. & concepit, & peperit ei filium.* Similia repetit *v.6. & 8.* ita sentiunt interpretum plerique, præter hos Basilius *lib. 8. in Isaiam, in principio.* Augustinus *lib. 22. contra Faustum, cap. 80. & 89.*

9. Sed quæres cur si ex legitimo connubio suscepti filij, fornicationum filij nominantur. Haymo eò videtur inclinare, vt putet ideo eiusmodi nomen datum esse filiis, quia post matrimonium cū Osea contractum, alienis sese commiscuit fornicaria, & ex illis alienam, & adulterinam concepit prolem. Fornicatio itaque filios suscepit, non iustus, ac legitimus torus. Hæc tamen sententia ab aliis meritò contemnitur, tum quia neque litera, neque textus ad hanc sententiam cogit; tum quia impium est existimare id adeò fuisse cuiquā præceptum, vt vxorem permittat aliorum se libidini substernere, imò vt ipse curet, vt filij ex fornicario concubitu nascantur, id enim sonat, *fac tibi filios fornicationum,* quæ vox non tantùm iubet vt permittat, sed etiam, vt det operam, vt filij nascantur fornicarij; quod perinde est, atque vxoris lenocinari libidini.

10. Aliter visum est Hieronymo, qui ideo censet, filios licèt ex legitimo, ac sancto coniugio susceptos, habere à fornicationibus compellationem, quia mater ipsorum, licèt antiquam vitæ consuetudinem auersata, tamen aliquando meretricata fuit, & in fornice aut quæstum egit prostituto pudore, aut ex vaga, atque promiscua libidine voluptatem captauit. Habemus exempla his valde similia, si quis apud Hispanos nobilis vxorem ducat è Iudæo sanguine; licèt illa religionem eiurarit Iudaicam, Christianáque sacra, morésque iam alios amplexa fuerit, filij qui ex ea à viro nobili generati sunt, Iudæi nominantur; & eo nomine à certis quibusdam titulis, & nobiliū ordinibus arcentur. Sic filij à viro generati sancto, ac nobili, fornicationum dicuntur filij, quia nati è fœmina scortationibus antè, atque adulteriis fœdata.

11. Verùm tertia sententia multo mihi probabilior est, quam tenet Ribera, & probat perquam optimè ex illo Figuerius. Ideo mater vocata est vxor fornicationum, quia fornicariam egit, & prostitutam vitam, cúmque filij non imitati fuerint parentis honesti pudicos mores, sed impudicum, & vagum genitricis ingenium, idem etiam nomen habuerunt. Quod, vt optimè Ribera, ex ipso Propheta promptum est; cùm enim dixisset, *sume tibi vxorem fornicationum, & fac filios fornicationum,* causam nominis reddit; *quia fornicans fornicabitur terra à Domino,* id est, quia filij Synagogæ, quam ego, quasi vxorem post spiritualem fornicationem, id est, idolorum cultum, ad mysticum

Filij fornicationum qui.

matrimonium adiunxi, fornicabuntur ad genitricis exemplum; quia non secus, atque illa priùs, ad idolorum cultum dilabentur, & cap. 4. *Ipsi enim cum meretricibus conuersabantur, & cum effœminatis sacrificabant.* Et cap. 2. *& filiorum illius non miserebor, quoniam filij fornicationum sunt.* suarum videlicet; quia aliter non videbantur indigni misericordia; nisi ipsi fornicando diuinam à se clementiam auertissent.

Vers. 3. *Et abiit, & accepit Gomer filiā Debelaim.*] 12.
Modus iste dicendi promptum significat animum, non difficilem, qui causas nectat moræ, aut rei ipsius difficultatem obtendat, sed qui obuia quæque impedimenta summoueat. Erat, credo, Gomer ista fœmina vilissima, & solùm propter quæstuarij corporis turpitudinem nota. Quare satis habebat Propheta, quod horreret, ad nauseam vsque, & quod præcipienti Domino posset obiicere. Sicut fecere & ante illa tempora, & aliquandiu pòst viri neque irreligiosi, neque pauci, vt Moyses, Ieremias, Ezechiel, & Petrus *Actorum cap. 10.* quando ex immundis animantibus comedere iussus est, & *Ezechiel cap. 4.* humano stercore panem operire. Neque fortasse hæ vitæ sordes, & meretriciæ labes à generis splendore aliqua ex parte latere, aut honestari potuerint; cùm hinc etiam aliquid esset obscurum, quod adolescentem ingenuum ab his nuptiis auocare posset. Neque enim puto sine causa patris nomen, siue potiùs, vt Haymo putat, & Albertus, matris esse positum, cuius vita nihilo fortasse fuerat honestior, neque genus illustre; quæ enim loco natæ sunt honesto, quātumcumque sint ad illam intemperantiā pronæ, quæ est à Venereis, non tamen ita se proiiciunt impudenter, vt corpus aliis venale prostituant. Et quidem fornicariam Gomer fornicaria matre natam esse verisimile facit prouerbium illud cuius meminit Ezechiel cap. 16. *Sicut mater, ita & filia eius.* Quod etiam ex profanis dixit Iuuenalis,

Vxor Oseæ vilissima.

Scilicet expectas, vt tradat mater honestos
Aut alios mores quàm quos habet?

Hieronymus in nominibus Gomer, & Debelaim aliquid putat latere mysterij. Gomer enim cōsummatum sonat atque perfectum; quasi fornicaria fœmina, quā duxit Oseas, ad id progressa fuerit, quod in prostituta vita extremum esse solet. Debelaim verò duas massas, aut palathas caricarum. Hæ verò dulces sunt, & ad voluptatem comparatæ. Ex Debelaim orta est Gomer, voluptas enim primùm titillat sensus, deinde ad summum intemperantiæ cumulum perducit. 13.

Hîc interpretes plerique disputant, an hoc Oseæ cum fornicaria coniuge connubium verum fuerit, & planè historicum; an verò tantùm in figura, atque vmbra, ita vt hac allegorica dicendi forma status significetur Israelitici populi, quomodo in parabolis aliquando contingit, in quibus cùm nihil acciderit historicum, tamen in eis futurorum euentuum viua quædam spirat effigies.

Sed antequam disputationē istam ingredior, obseruo siue verè, & historicè ex vxore fornicaria filios generarit Oseas; siue id tantùm in vmbra, atque imagine contigerit, esse illud quicquid est, typum eorum, quæ tā Israeliticæ, quàm Iudaicæ reipublicæ contigerunt. Duobus quippe modis vmbræ præmittuntur, & imagines rerum futurarum. Aliæ veræ, quæ non Prophetæ solùm, sed aliis etiam aspectabiles erant. Quales fuerunt paschalis agnus, serpens æreus, Ieremias 14.

Duo imaginum, aut symbolorum genera.

 onustus

Digitized by Google

onustus catenis, Isaias discalceatus, & nudus, Zacharias cum duabus virgis intentus pascendo pecori destinato macello, & idem postea ferens vasa fatui pastoris, & Ezechiel vasis transmigrationis oneratus. Aliæ tantùm symbola quædam sunt, & spectra, quæ obiiciuntur aut oculis, aut menti Prophetarum, quæ alij videre nullo modo possunt; neque aliter discunt, quàm narrante Propheta. Qualis fuit virga vigilans, aut olla succensa, quæ oblata fuerunt Ieremiæ, aut duo calathi, quorum alter valde bonas, alter valde malas ficus continebat: aut ossa arida, & eadem postea vestita carnibus, alligata neruis, & rursus rediuiua. Nunc quærimus ad quod horum generum referenda sit hæc siue species, siue historia, quæ futuros portendit Israelitici atque Iudaici populi successus.

15. Fuerunt quidam neque pauci, neque indocti, qui totum hoc in visione, atque spiritu contigisse putant. quod tenuerunt cũ Chaldæo Paraphraste plerique ex Hebræorum magistris. quibus adde Burgensem *in additione 3. ad hoc caput*, & nunc recens Figuerius, &, quod magis mirere, Hieronymus *in hunc locum, & in cap. 4. Ezechielis*, cui subscribunt Haymo, Isidorus, & Vatablus. Neque huic sententiæ sua deest probabilis ratio. Nã, vt docet Augustinus *lib. 3. de doctrina Christiana, cap.* 10. cùm aliquid aut durum, aut indecorum apparet in sacris literis, tunc existimandum est non contigisse reipsa historicè, sed in somnio, aut mentis reuelatione fuisse repræsentatum. At quis non videat in hoc Oseæ cum fornicaria fœmina coniugio multa esse, quæ non solùm cum hominum consuetudine, sed neque cum ipsa rerum natura conueniant? Quis enim honestus, & prudens vltro sibi ex lupanari, ac lustris confectam scortationibus fœminam vxorem asciuit? quis non horreret, atque damnaret eiusmodi connubium? Quare hæc somnia dicenda sunt potius, aut rerum oblatæ species, quam res, quæ proprietatem habeant, aut historicam fidem.

16. *Oseas verè duxit vxorem fornicariam.* Sed est contraria sententia communis, & vera, quam textus ipse nisi contorqueas literam, repræsentat, & offert; tenent interpretum plerique, cum Cyrillo Alex. & Theodoreto *in hunc locum*, & veteres Hebræi, vt docet hîc Burgensis, & Montanus Ireneus *lib. 4. contra hæres. cap. 37.* Basil. *in c. 8. Isaiæ in principio*. August. *lib. 3. de doctrina cap. 12. & lib. 22. contra Faustum, cap. 80. & 89.* S. Thom. 1. 2. *q.* 102. *art.* 8 *ad* 3. *&* 2. 2. *q.* 154. *art.* 2. *ad* 3. & plures alij, quos hic referre opus esset longum.

17. Rationes sunt, meo iudicio, graues. Prima, sit, quia id verba sonant; quæ a proprio sensu, nisi res ipsa cogat, detorquenda non sunt, vt docet Augustinus eo ipso loco, de quo suprà. Quòd verò nihil turpe contineat hoc Oseæ factum, docet Augustinus contra Faustum suprà *cap.* 8. res sanè honestissima pro aliorũ spirituali vita, quodcunque genus ignominiæ subire: quod faciunt quotidie viri sancti, quique zelo inflammantur animarum. Quod fecit Isaias discalceatus, & nudus; & Ieremias oneratus catenis, & Christus ipse quam ignominiã non subiit, vt hominum genus ab æterna liberaret ignominia: Hoc verò typus fuit matrimonij, quod Deus cũ Synagoga iniit, quam cum idolis Gentium sæpius adulteratam, a reuocauit tamen sæpius ad thalamum iam antea proditum, vt illam a fornicariis sordibus, nefariisque sacris ad veram religionem, & munditiam adduceret. Hanc rationem adducit Hieronymus

Honestum est pro aliorum salute omne genus ignominiæ subire.

in hunc locum, dum exempla adducit illorum, qui eo nomine apud Gentes gloriosum nomen consecuti sunt, quòd alios a lustris, sordisque ministeriis abduxerunt, & sua consuetudine, familiarique congressu consecuti sunt, vt melioribus deinceps curis ac studiis deprauatum antè, & contaminatum animum instituerent. *Si quis*, inquit, *contentiosius, & maximè Gentilium noluerit figuraliter dictum recipere, & irriserit Prophetam fornicariæ copulatum, opponamus ei illud, quod solet laudare Græcia, & Philosophorum schola concinunt. Qua ratione prædicent virum eruditissimum Xenocratem, qui Polemonem luxuriosissimum iuuenem, & inter psaltrias, atque tibicines, & impudicas mulieres ebrium, & hedera coronatum fecit obedire sapientiæ; & adolescentem turpissimum mutauit in sapientissimum Philosophorum. Cur Socratem ad cælum leuent, qui Phædonem, ex cuius nomine Platonis liber est, de lupanari ob crudelitatem & auaritiam domini multorum libidini seruientem in Academiam transtulerit. Et quicquid illi de Philosophiæ magistris responderint, nos ad Prophetæ defensionem referemus.* Hæc Hieronymus.

18. Quod si aliquis putet, obiiciatque impium, atque indecorum videri, si res saltem in speciem turpis figura sit Dei, qui Synagogam sibi in spõsam asciuit, aut Christi, qui sibi Ecclesiam connubiali nexu copulauit; huic ego responderem, hinc magis elucescere diuinam bonitatẽ, qui vsqueadeo non repellit infidelem sponsam, quæ alienis se thalamis implicuit; vt etiam inuitet vltro, & penè officiis cogat reluctantem. Ex huiusmodi allegoriis, verbisque amatoriis, quæ aliquis fortasse plus satis acutus, atque curiosus Dei aut maiestatem, aut puritatem decere non putaret, colligebat Gregorius quàm esset amandus, quàm colendus Deus, qui ad humanas hasce loquendi formas sese demittit, dum sui amoris vim nobis humano modo significare contendit. Audi Gregorium Magnum in prologo ad Cantica. *Notemus quàm mirabiliter, quam misericorditer nobiscum operatur, qui vt nos ad amplexus sacri amoris accendat, vsque ad turpes amoris nostri verba se inclinat. Sed vnde se loquendo humiliat, inde nos intellectu exaltat, quia ex sermonibus huius amoris discimus, qua virtute in diuinitatis amore ferueamus.*

Diuini amoris signũ admirabile.

19. Neque præterea nouum est, aut infrequens in Scriptura, vt malus etiam in re non bona, rei optimæ, ac sacræ typus sit. Quod quia nonnemo durum putat, id exemplis, & magnorum Patrum auctoritate confirmemus necesse est. Negauit hoc quondam Hieronymus *in caput 45. Isaiæ, & in cap. 10. Oseæ, & in cap. 12. Ezechielis*, sed mutauit postea sententiam *epist. 131. ad Rufinum*, vbi docet, duas filias Loth, & duas vxores Oseæ significare vtrunque Testamentum; & Loth, & Oseam in eo etiam, in quo vxores, & filiæ figura fuerunt Synagogæ, Christi fuisse typum. Idẽ putat Augustinus *lib. 22. contra Faustum Manichæum*, & adducit incestum concubitum Loth, cum duabus filiabus, & Iudæ cum Thamar. Gregor. *lib. 3. Moral. cap. 21.* in eandẽ sententiam adducit adulteriũ Dauidis cum Bersabee. Quid ergo miretur si Oseam fornicariæ associatum matrimonij nexu Christi dicamus fuisse figuram. Sed sanè, vt optimè Augustinus *suprà*, nihil admisit Oseas in illo coniugio aut figurato sacramento, aut Prophetæ sanctitate indignum. *Quid*, inquit, *inimicum fidei Christianæ, si meretrix, relicta fornicatione in castum coniugium commutetur.*

REGVLA: Malus etiã in re nõ bona rei sacræ, & optimæ symbolum.

20. Sed est ratio grauis, quæ suadet, non hæc vni Oseæ in somnio, aut extasi fuisse proposita; sed

omnino

omnino ita verè, ac propriè fuisse peracta, vt alij viderint, cognouerint, & ex eorum aspectu, quid deinde futurum fuerit, planè perspexerint; quod Deus spectabat vnum, aut maximè eo hieroglyphico signo. Quo modo verò si spectrum illud occultum foret, & vni propositum Oseæ, viderent alij, eóque admonerentur de statu suæ reipublicæ futuro? esset itaque otiosa species illa occulta: neque enim sensus aliorum ad arcanam aliquã cogitationem pulsaret, nisi dicamus, quòd sibi vni oblatum esset, à Propheta identidem per conuentus, & compita proclamari solitum. Res autem mirabilis, & noua satis excitabat ipsam quoque multitudinem imperitam, & rudem, vt quid species illa noua portenderet, exquireret.

21. *Et concepit, & peperit ei filium.*] Iam sese prodit aliud hieroglyphicum signum, in puero, qui primùm ex hoc hieroglyphico, ac typico coniugio natus est, qui suo nomine portendit Israëlitidi, atque Iudææ Genti arcanos rerum, & tristes euentus. Hæc nimis violenter trahes ad speciem oblatam, in somnio, aut ecstasi, & puer ille nouo, atq; inusitato insignitus nomine, cùm passim occursaret populo, nominéque vocaretur insolito, securos etiam, atque incuriosos animos admonebat, & quid ab ipsis in Deum esset peccatum, & quàm seuerum supplicium immineret.

22. Vers. 4. *Voca nomen eius Iezrahel.*] Incidimus in locum vehementer impeditum, in quo multorum laborarunt ingenia, neque dum res videtur soluta, aut expedita satis. Quid alij dicant, aut sentiant, explicare longum esset opus, & quia promptũ est apud suos auctores inueniri, nõ admodum necessarium. Dicam igitur, quod minus mihi apparet difficile, neque tamen aliis persuadere studeo; quia neque mihi ipse verum esse omnino persuadeo, cùm aliqua videam, quæ sic probo, vt tamen non prorsus acquiescat animus; sic admitto vt adhuc aliquid requiram, & optem à meliori ingenio, & studio magis accurato. Prius tamen quàm cogitationem meam exponere aggredior, nonnulla præmittam, quæ viam aperiant, & rei obscuræ nonnihil lucis afferant.

23. Primùm obseruo Ieroboam filium Ioas, qui tunc in Israële, id est, in decem dominabatur tribubus, & sub quo actionibus hisce hieroglyphicis vaticinatus est Oseas, ex posteris esse Iehu, & eius pronepotem, & fortasse ideo inter Reges Iuda, sub quibus prophetasse dicitur Oseas, hic etiam numeratur Ieroboam, vt hinc quiuis intelligeret, superesse adhuc regnum Iehu saltem in posteris, de cuius excidio breui est vaticinij præsentis prima pars.

24. Porrò hoc regnum futurum esse in domo, & genere Iehu vsque ad quartam generationem, id est, vsque ad huius Ieroboami filium, habes lib. 4. Reg. cap. 10. v. 30. *Dixit autem Dominus ad Iehu: Quia studiosè egisti, quod rectum erat, & placebat in oculis meis, & omnia, quæ erant in corde meo fecisti contra domum Achab, filij tui vsque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel.* Hic verò Ieroboam in eo filiorum ordine tertius erat. Quare vna tantummodo generatio supererat; ad quam regnum produceretur de familia Iehu. Quod impletum est in Zacharia filio Ieroboam, qui non longè post hæc tempora, & regno, & vita defunctus est; quem ex alieno sanguine interfecit Sellum, regnúmque à domo Iehu in alienam transtulit familiam, 4. *Reg. cap.* 15. *v.* 12.

A Secundò obseruãdum duplicem esse Iezrahel, alteram in tribu Iuda, de qua Iosue *cap.* 15. *v.* 56. de qua hoc loco sermo non est. Alteram in campestri loco sitam, de qua Iosue *cap.* 17. *v.* 16. vbi occisus est ab impiis Naboth 4. *Reg.* 21. in cuius vindictam eodem loco linxerũt canes sanguinem Achab, sicut antè linxerant sanguinem Naboth. Quem etiam in locum proiectus est Ioram filius, & vxor eius Iezabel, vbi à canibus lacerata fuit. Historia hæc nota est *ex lib.* 4. *Reg. cap.* 9. & alij plures ex familia Achab in sanguinis innocentis vindictam, *cap.* 10. aut mortui, aut proiecti dicuntur in eundem agrum Iezrahel. 25.

Historia hæc illustris est, & quia insignibus 26.
B notata circunstantiis, apta prouerbio. Quare mihi videbatur Iezrahel apud Hebræos vim habere parœmiæ, & tunc illud nomen adhiberi, quando peccatis paratum esse supplicium dicimus; quomodo si quis Pentapolim cœlesti absumptam incendio pro nefariæ libidinis supplicio sumat: aut capharea saxa, pro sacrilegij, seu templi violati pœna; quia vbi Aiax Oileus pœnas dedit sacrilegæ intemperantiæ. Sumi autem certa quædam loca prouerbiali specie, pro rebus, quæ ibi, aut lætæ, aut infaustæ cecidere, non est in Scriptura sacra inusitatum. Mare etenim Rubrum pro magno sæpe periculo, atque exitio ponitur, quia ibi demersus est Pharao; & pro ingenti
C sæpe beneficio, quia illud vestigio sicco Israelitæ traiecerunt. Prioris exemplum est illud Psal. 67. *Conuertam in profundum maris*, vt nos eo loco explicuimus; posterioris illud Zachar. cap. 10. *& transiet in maris freto.*

PROVER. *Iezrahel pro supplicio.*

Cùm ergo eo loco de tota familia regis Achab graue sumptum esset, atque notabile supplicium, non mirum si Iezrahel pro supplicio vsurpetur, quòd in se conflarint, aduocarintque hominum peccata, maximè cùm agendum sit cùm familia Iehu, quæ probè nouerat, quid accidisset parẽtis sui memoria in Iezrahel, quam Iehu extincta prope Achab familia tota, impiorum sanguine madefecit. Iubet ergo Deus Prophetæ,
D vt puero recèns nato nomen imponat Iezrahel; quia futurum est, vt domus Iehu talem habeat exitum, qualem domus Achab olim in Iezrahel; vt enim effusus est sanguis tam Achab, quàm filiorum ipsius, & regnum tunc in aliam familiam calente adhuc sanguine translatum, sic etiam breui occidetur filius Ieroboam Zacharias, & regnum ad alienos transferetur. 27.

Quoniam adhuc modicum, & visitabo sanguinem Iezrahel super domum Iehu.] Rationem reddit cur Deus Oseæ filium Iezrahelis nomine consignari iusserit: quia tale Iehu in domo sua non longè pòst spectaculũ videbit, quale olim vidit in Iezrahele, vbi extinctus fuit rex, & regnum trans-
E latum ad alienos. Porrò hîc Hebræorum more nota subauditur similitudinis, quam si suppleas, explicatio erit neque difficilis, neque coacta, in hunc sensum. Quia post spatium admodum breue, sic visitabo domum Iehu; sicut visitaui domum Achab, cuius sanguis effusus est in Iezrahele, id est, talia patietur Iehu, qualia passus est Achab in Iezrahele. 28.

Hîc quærunt interpretes cur si diuino obsecutus imperio Iehu sanguine filiorum Achab cõspersit Iezrahelem, quod opus vsqueadeo nõ displicuit Deo, vt potiùs regio muneràrit nomine; tamen sanguis effusus illi dicatur fore luendus. Hic multi multa dicunt, quæ neque suis omnino auctoribus placent; neque, vt verum ingenuè fatear, 29.

tear, mihi ipse in mea cogitatione satisfacio. Veruntamen hæc mihi ratio minus videtur impedita; vt enim ex supradictis cõiectare posse videor, nullus est alius sensus, quàm propter peccata Iehu, & filiorum eius tale illis subeundum esse supplicium, quale subiit Achab, & ipsius filij propter effusum in Iezrahele sanguinem Naboth. fuit enim Zacharias, qui quartus à Iehu regnauit in Israel, occisus à Sellum, sicut à Iehu tota ferme posteritas Achab; & regnum ablatum à familia Iehu, sicut regnum à domo Achab sublatum antè fuerat.

30. Non fuit ergo sanguis à Iehu, seu ab eius posteris in Iezrahele profusus causa visitationis huius, id est, plagæ, & regni aliò transferendi, sed alia peccata, quæ impunita esse non debuerunt. Fuerunt enim tam Iehu, quàm ipsius posteri idolorum cultores, qui eodem quo Ieroboam filius Nabat consilio, atque studio; & recesserunt ipsi à religione patria, & ab eadem alios erectis aureis vitulis auocarunt. De Iehu habes 4. Reg. cap. 10. v. 31. *Porrò Iehu non custodiuit, vt ambularet in lege Domini Dei Israel in toto corde suo. Non enim recessit à peccatis Ieroboam, qui peccare fecit Israel.* De Ioachaz eius filio 4. Reg. cap. 13. v. 2. *Fecit malum coram Domino, secutusque est peccata Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israel, & non declinauit ab eis.* Idem dicitur de Ioachaz *cap.* 13. *v.* 11. & Ieroboam eius filio *cap.* 14. & tandem idem de Zacharia, qui extremus de genere Iehu, regnauit in Israel, *cap.* 15. *v.* 9. Illa ergo peccata grauia luit domus Iehu, eo modo, quo luerat antè domus Achab sanguinem Naboth in Israele profusum.

Iehu, & eius posteri impij.

31. *Et quiescere faciam regnum domus Israel.*] Dixerat proximè visitandam esse à Domino domum Iehu; sublato nimirum regno, quod paulo post mortem Achab obtinuerat. Sed quia reges alij, qui deinde in eodem regno successerunt, nihilo fuerunt Iehu, & eorum posteritate meliores, regnum quoque Israel non longo pòst tempore prorsus interiit. Quòd ab ipso tempore Iehu debilitari cœpit, & à vicinis hostibus malè mulctari, 4. *Reg.* 10. *v.* 32. Cùm actum esset de regno Iehu primùm constituto, statim subditur, *In diebus illis cœpit Dominus tædere super Israel, percussitque eos Hazael in vniuersis finibus Israel.* & tandem anno sexto Ezechiæ, vt habes *lib.* 4. *Reg. cap.* 18. *v.* 10. post accepta ab Assyriis detrimenta varia, tandem totus Israel traductus est ad Assyrios; & omnino completum, quod minatur hoc loco Dominus, dum ait quieturum, id est, cessaturum esse regnum Israel. Quare idem Oseas, qui prædixit, idem ipse vidit suum vaticinium exitu confirmari, nam, vt principio vidimus, sub Ezechia etiam prophetauit.

32. Vers. 5. *In illa die conterã arcum Israel in valle Iezrahel.*] Adhuc Propheta de vastitate loquitur decem tribuum, cum allusione tamen ad nomen filij, quem ex fornicaria primùm suscepit Oseas; & ad nomen Iezrahel, vbi victus fuit Achab, & vita spoliatus, & eius filius Ioram occisus à Iehu, cum vita simul Israelis amisit imperium. Quare hîc etiam subaudiendam puto similitudinis notam, in hunc sensum; sicut olim sub Achab cõfregi vires, & arcum Israelin valle Iezrahel, sic etiam in illa die, quam Israelis exitio destinaui, arma cõfringam, & vires prorsus auferam illius. Quòd verò hoc loco non de vno aut altero rege, seu de vna, aut altera tribu sermo sit, sed de toto prorsus Israele, satis indicat quod antecess-

A sit proximè. *Quiescere faciam regnum domus Israel,* quod aliquid importat vniuersum, non regni partem. *Arcum* verò pro omni armorum genere vsurpari, satis est in Scriptura frequens. Quidem in valle Iezrahel superatum esse dicunt Israelem ab Assyriis, sed neque probant, neque ex Scriptura sacra possunt: magis est verisimile, eo sensu, quem diximus, subaudiendam ibi similitudinis formam.

Vers. 6. *Et concepit adhuc, & peperit filiam; & dixi ei: Voca nomen eius, Absque misericordia.*] Hactenus de nomine Iezrahel, quo affect' est puer primùm ex fornicaria natus, qui graue portendebat supplicium, tale videlicet, quale pertulit domus Achab, cædem videlicet, ac regni iacturam. Nunc 33.
B aliquid præterea addit, quod ad Israelis præterea supplicium spectat; quòd videlicet regnum, quod amisit, nunquam recuperabit Israel: quod magnum est supplicij, atque doloris additamentum. Nam qui sperat se ad eum locum, & gradum vnde depulsus fuerat, fore reuocandum, habet quo iacturam rerum, ad animi dolorem consoletur. A qua spe hoc nouo hieroglyphico vaticinio Israel à Propheta deiicitur. Postquam enim natus fuit Iezrahel, à quo cædes prædicebatur, & regni dispendium, nata est filia, quæ iacturam illam regni, aut status, qui instar esset regni futurus, æternum fore significabat. Atque ideo appellari filiam iubet, *Absque misericordia:*
C quia non ampliùs illius miserebitur Deus. Hæc communior est, & verior expositio.

Vbi vulgatus *Absque misericordia*, Hebr. dicitur 34.
לא רחמה *lo Ruchamah*, à verbo רחם *racham*, quod *misereri* valet, & interdum *diligere*. Quare vox Hebraica non vno tantùm modo explicari potest, ac reddi: nempe *misera*, sed *non miserabilis*; aut *in indigna misericordia*; aut *quæ misericordiam consecuta non est*. Aut certè *non dilecta*, aut *non amabilis*. Sanè Petrus *epi.* 1. *cap.* 2. *v.* 10. ad hunc respectans Oseæ locum, eodem quo vulgatus modo interpretatus est. *Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei. qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti.* Paulus ad Rom. *cap.* 9.
D *v.* 25. vtranque significationem coniunxit. *Vocabo non plebem, plebem meam, & non dilectam, dilectam, & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam; & erit in loco, vbi dictum est eis: Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filij Dei viui.* Vbi notandum obiter, non eisdem verbis hæc à Paulo referri, quo scripta fuerant priùs ab Osea. Quod commune est scriptoribus sacris, & canonicis, qui in citandis veteris Testamenti testimoniis non tam verba sequuntur, aut numerant, quàm expendunt sententias, quæ si seruentur, de verborum qualitate, ac numero non laborant. Egimus hac de
E re pluribus in nostris commentariis in Isaiam *cap.* 7. *num.* 39. Quam regulam tradidit Hieronymus sæpe, vt *q.* 2. *ad Algasiam, in cap.* 27. *Matth. epist. ad Galat. sub finem.*

REGVLA. *Author canonicus in citãdis scriptura testimoniis non tam verba, quàm sententiam expendit.*

Quia non addam vltrà misereri domui Israel, sed obliuione obliuiscar eorum.] Rationem reddit, & notationẽ nominis *lo Ruchamah*, seu *Absque misericordia*; quia non iam ampliùs Dominus populi miserebitur sicut antea sæpe; sed illum sic abiiciet, & repellet ab oculis suis, vt illius etiam memoriam deponat. Hæc sanè difficillima sunt; quæque cum toto capite, imò cum Osea conciliari posse non videntur; quomodo enim Dominus Israelitici populi misertus non est, aut memoriam illius abiecit, cùm statim *v.* 11 dicatur filios Israel, & filios Iuda pariter fore congregandos; quæ qui- 35.
dem

Digitized by Google

dem res, neque obliuiosum indicat, neque inclementem animum. Sed hæc nobis, cùm ad capitis finem ventum fuerit, accuratiùs disputabuntur, neque enim hoc loco matura disputatio est.

36. Hic tamen obseruo, *addo & adiicio*, & similia per aduerbia esse explicanda, in hunc modum: non amplius, aut non iterum miserebor. Secundò, hæc verba, *non recordor*, aut *obliuiscor*, attribui aliquando Deo, cùm tamen in illum nullo modo possit obliuio cadere. Accommodatè tamen ad hominum sensus, qui tunc dicuntur recordari alicuius, cùm aut malè facta supplicio puniunt, aut bene facta mercede compensant. Sic Deus, cui omnia præsentissima sunt, obliuisci dicitur, cùm miseros ab ærumna non vendicat, aut à violentorum seruitute non liberat, aut quando improborum scelera abire sinit impunita; aut eo certè modo castigat, qui apud homines diuinarum rationum ignaros, habere non solet supplicij nomen. Hoc verò experti sunt diu, qui e decem tribubus apud Assyrios sic exularunt, vt nihil tamdiu à Deo visi fuerint habuisse subsidij. Neque enim habuere apud se Prophetas, sicut duæ aliæ tribus apud Babylonios, qui diuina ipsis mandata proponerent, consilia detegerent, & spe futuri reditus, & aliis præterea modis quotidie confirmarent; denique qui illorum solitudinem, & inopiam, aut re, aut melioris fortunæ expectatione solarentur.

[R]EGVLA. [A]ddã ver[b]a per ad[ue]rbia ex[pli]canda.

[D]ete cur [di]catur o[bl]iuisci, seu [n]on recor[da]ri.

37. Hic porrò pro moribus obseruandum maximè, misertum esse diu, ac sæpe Deum domus Israel, & cùm diu, multúmque peccasset, misericordiam tamen suam ostendisse vel ignoscendo, vel indulgendo ad vitam, & otium necessaria, vel certè ab inferenda plaga vindicem manum sustinendo. Impleuit tamen peccatorum numerum, quem expectabat Deus, vt populum tanquam alienum, & indignum misericordia repelleret; & tunc sic exterminauit à patriis finibus, sic aliorum addixit seruituti, vt non iam ampliùs dicatur recordaturus illius. Est sanè horribile eò peruenisse quemquam, vt audiat de se, aut audisse potuerit, si modò aliquid superest consilij, ac mentis, illud Dei verbum horrificum, & durum, *Non addam vltrà misereri.* Qua de re egimus pluribus in nostris commentariis in Zachariam *cap. 5. num.* 23. quæ tu vide.

Deus aliquandiu suspendit irã, donec adæquãt peccatorum mensura.

38. Vers. 7. *Et domui Iuda miserebor, & saluabo eos.*] Discrimen statuit inter duas tribus, quæ multis pòst annis ab exilio aliarũ tribuum, extorres egerũt apud Babylonios, quibus salutem promittit, ac misericordiam, quæ Israeli, id est, decẽ tribubus antè negauerat. Ne quis putaret ideo ab Assyris non fuisse liberatum, aut in regnum nõ esse restitutum Israelem, quia Deo ad magnum illud opus potestas defuisset; sed quia obduratus animus, & additus ad extremum peccatorum cumulus, obliuionem illam exigebat. Quòd verò non facultas ad saluandum, sed voluntas defuerit, docet benignior hæc promissio, quæ duabus tribubus, quæ è suis etiam sedibus extrudendæ sunt, integrandam fortunam, & misericodiam prædicit. Fortasse ideo Dominus cùm ad decem tribus per Oseam loquitur, certè cùm de tribubus duodecim sermo est aduersus, & minax, admiscet studium, quo duas alias tribus amplectetur, vt illæ ad duarum tribuum imitationem, paternam religionem retineant, demoliantur vitulos, quos Ieroboam Deo, & lucos, quos templo Salomonis opposuit.

A Dubitant hic aliqui de qua salute, seu misericordia accipiendus sit hic locus, quam Dominus promittit domui Iuda. Sunt qui hæc de tempore illo accipiant, quo liberati sunt Iudæi sub Ezechia ab Assyriorum rege Sennacherib, cùm deletus est exercitus illius ab Angelo: neque permissus, vt intra muros Hierosolymæ, vel vnam quidem mitteret sagittam. Quam sententiam illa ratio videtur confirmare, quòd tam decem tribus antè, quam duas postea tentauerunt Assyrij; sed exitu tamen longè dissimili. Nam primùm negotio non admodum difficili decem tribus expugnauere, & secum captiuas abduxerunt Assyrij, cùm tamen bellum postea duabus intulissent, 39

B perfecerunt nihil, imò potiùs aut occisi sunt ab Angelo, aut certè ignominiosè mulctati; ignobili fuga instanti se morti subduxere, & facit, quod statim additur, saluandã esse domum Iuda non in arcu, gladio, curribus, & bello, quod sanè ita accidit. Nam cùm nihil horum adhiberent Iudæi, sed sui, ciuitatisque custodiam Deo permisissent, Assyrius tamen exercitus vi cælitus illata concisus est. Hanc sententiã magnorum Patrum auctoritas tuetur, Hieronymi, Cyrilli, Theodoreti, Haymonis, & Alberti.

Sed alij ferme omnes de reditu ab exilio Babylonico locũ istum accipiunt, & meo iudicio meritò. Nam cùm dixisset proximè Deus post acceptam nempe plagam in Iezrahel, abiiciẽdam esse 40.

C prorsus Israelis memoriã; quasi nunquam foret regni nomen, & priorem statum rediturus, (atque ideo post puerum Iezrahel, id est, post plagam, quæ illum ab imperio deiecit, nomen impositum fuit filiæ, *Absque misericordia.* quasi post decessum à patria, & regno semper esset in perpetua futurus obliuione;) nunc opponit meliorem duarum tribuum conditionem, quæ non erunt in obliuione perpetua: sed post aliquod tempus reuertentur in patriam, & statum priori non dissimilem. Illam porrò salutem, atque misericordiam non est consecutus populus, arcu & gladio, aut strepitu militari; sed Cyri, atque Da-

D rij beneuolentia, quorum Deus sic affecit animos in Iudæorum populum, vt non solùm vltro facultatem fecerint in patriam redeundi, sed etiam sic ornauerint ad reditum, vt nihil illis ad commodam viam, imò neque ad delicatam & mollem desiderarint.

Vers. 8. *Et ablactauit eam, quæ erat Absque misericordia.*] Cumprimum ad id ætatis puella prouecta est, quam ex fornicaria susceperit Oseas, & à maternis vberibus depulsa, concepit rursus, ac peperit filium, cui nomen לא עמי *lo Ami*, id est, *non populus meus*, aut *non plebs mea*, quæ verba extremæ alienationis, atque offensionis pondus habent. 41.

E Vt enim nominis notationem Deus ipse exponit, populum illum Israeliticum quondam suum, quémque nutricis in modum in vlnis gestauerat, sic abiecit, ac reputauit alienum, vt neque velit populum appellari suum, neque se illius appellari nempe patrem, aut patronum, & dominum. His autem aut huiusmodi verbis significare solent quàm grauiter sint animati patres in degeneres filios. Sic ex hominum vulgari, vt reor, consuetudine Terentianus Menedemus dicebat intemperanti filio, qui à moribus desciuerat paternis.

Ego te meum esse dici tantisper volo,
Dum quod te dignum est facies.

Quoto anno natus sit alter filius lo Ami, id est, non populus meus, post sororem, *Absque misericordia,* 42.

dia, incertum: nisi quòd post ablactationem conceptus est. *Ablactauit eam quæ erat absque misericordia, & concepit, & peperit filium*, &c. Si certum esset, ac destinatum tempus ablactãdis infantibus, res esset certa, sed neque apud Hebræos, neque apud alias gentes existimo, aut à lege, aut à stabili consuetudine quicquam esse certum, aut definitum, aut inductum. Est autem verisimile triennij spatium lactandis infantibus solitum impendi; ex illo *Machab. lib. 2. cap. 7.* vbi mater sic alloquitur filium, *Fili miserere mei, quæ te in vtero nouem mensibus portaui, & lac triennio dedi.* Hoc verò spacium idoneum esse lactandis pueris, docet Vallesius ex Galeno *cap. 58. sacra philosophia.* Vltra quod tempus, si quispiam maternis assuescat vberibus, vt tradit Augustinus *in Psal.* 30. vulgari hominum conuitio Mammothrepti dicuntur. Quod si ita esse statuamus, verisimile est puerum Iezrahel triennio fuisse maiorem sorore sua lo Ruchamah, sicut hæc triennio maior fuit fratre Lo Ami: vt enim locus hic non obscurè indicat, quo tempore lactabatur infans, nõ dabatur opera rei coniugali.

Tribus annis lactatur infans apud Hebræos.

43. Vers. 10. *Et erit numerus filiorũ Israel quasi arena maris, quæ sine mensura est.*] Hic locus difficillimus est, & variè à variis tentatus, & expositus, quorum ego sententias commemorare nolo, ne eosdem item confutare cogar. Tantùm dicam, quod mihi videtur magis, tam veritati, quàm textui conuenire. Et primùm nihil in his verbis arbitror contineri, quod propitium indicet, aut benignum animum in decem tribus, de quarum exitio proximè. Magna etenim exiguo spatio, aut potius filo continenti proponeretur populi, fortunæque conuersio. Hæc ego potiùs de Gentili populo accipio, quæ Euangelij tempore ad Ecclesiam accessit, eo numero, vt hyperbolica figura cum arena maris comparetur. Qui populus Israeliticus vocari potest, imò vocatur sæpe, qui sanctitate, & fide imitatus est Israelitici generis auctorem, & parentem. Duo verò genera Israelitarum passim in Testamento nouo reperimus; quæ puto sumpta esse ex hoc loco, quem modò commentatione illustrare contendimus. Alterum est illorum, qui Israelitæ dicuntur secundùm carnẽ, qui nimirum ex Abrahamo parente secundùm carnis propagationẽ orti sunt; alterum eorum, qui cùm alios agnouerint parentes, alienos ab Israelitico semine, religione tamen ac fide Israelem, & Abrahamum imitantur, qui Israelitæ dicuntur secundùm spiritum. Qui etiam à Paulo dicuntur *Israel Dei* ad Galat. 6. *Quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia, & super Israel Dei.* Ad Rom. 9. v. 6. *Non omnes qui ex Israel, hi sunt Israelitæ: neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij; sed in Isaac vocabitur tibi semen. Id est, non qui filij carnis, hi filij Dei, sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine.* Et cap. 4. v. 11. *Et signum accepit circuncisionis, signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio: vt sit pater omnium credentium per præputium, vt reputetur & illis ad iustitiam, & sit pater circuncisionis non iis tantùm qui sunt ex circuncisione, sed & his qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahæ.*

Gentiles quomodo filij Israël.

44. Erit igitur sensus huius loci, etiamsi Israelitæ talia patiantur, qualia indicat nomen Iezrahel, & in obliuione sint in æternum coram Domino; quod portendit puella Oseæ filia, quam pater vocauit lo Ruchamah, ac denique eò redigantur, vt à Deo tractentur vt alieni, quod minatur alter Oseæ filius lo Ami, nihilominus succe- A dent illorum loco è Gentilico populo, qui verè spiritu, & fide vocari possint, ac debeant Israelitæ, eo numero vt cum arena maris conferri queant. Hic porrò locus videtur occurrere tacitæ Israelitarum cogitationi; qui eo nomine coarguere leuitatis, aut etiam mendacij possent Oseæ vaticinium, quod dissipandam, atque perdendam dicit partem illam nobilissimam, ac maximam Israelitici generis; cùm tamen Deus, qui neque falli ipse, neque fallere quemquam possit, non semel dixerit, vsqueadeo propagandum Abrahami genus, vt numero æquet aut terræ puluerem, aut littoris arenam. Huic itaque cogitationi respondet Deus, futuros quidem Israelitas, si- B cut arenam maris, non tamen illos, qui carnis propagatione filij sunt Israelis, aut Abrahæ; sed illos, qui moribus, & fide eorum fidem, & religionem expriment. Neque fortasse erraret, qui ab his verbis, *& erit numerus*, vsque ad *Dei viuentis*, existimaret includendum esse parenthesi, quasi Deus inde ab Israele secundùm carnem ad Israelem transeat, qui est secundùm spiritum: & deinde vaticinium redeat ad eos de quibus inchoatus, & eo vsque sermo productus. de quo plura ad finem capitis.

Hæc sententia graues habet patronos, Hieronymum, Cyrillum, Rufinum, Albertum, Haymonem, Dionysium, Montanum, Riberam, & 45.
C ex Patribus Tertul. *lib. 4. aduersus Marcionem, cap.* 16. Irenæum *lib. 1. cap. 4. & lib. 4. cap.* 35. Cyprianum *lib. 1. testim. contra Iudæos, cap.* 12. Augustinum *lib. 18. de ciuitate, cap. 18. & lib. 22. contra Faustum, cap.* 89. &, quod, meo iudicio, grauissimè, & omnino conuincit, idem expressit Paulus *ad Romanos cap.* 9. vbi videtur Oseæ in hunc locum interpretẽ egisse. Sic ergo ibi, v. 24. *Quos & vocauit nos non solùm ex Iudæis, sed etiã ex Gentibus, sicut in Osee dicit: Vocabo non plebem meã, plebem meã, & non dilectam, dilectam, & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. Et erit in loco, vbi dictum est: Non plebs mea vos ibi, vocabuntur filij Dei viui.* Vide Pauli interpretes in hunc locum.

D Sed dices hæc non bellè conuenire cum verbis Petri *epist. 1. cap. 2. v.* 10. vbi hæc verba de his, qui propriè Israelitæ dicuntur, exponit. Loquebatur enim, vt ex ipso epistolæ principio liquet, *electis aduenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ.* Hi verò Iudæi esse existimantur. Respondeo ita videri quibusdam; sed non sunt pauci, ac leuis auctoritatis, qui hæc Petri verba de Gentibus accipiunt, vt latè probat hîc Ribera, & Lorinus *in epistolã citatam Petri.* Sed etiamsi demus hæc esse de Israelitis intelligenda, nihil hinc efficitur contra nostram sententiam. Nam Petrus, vt liquet, de tempore Euangelij loquitur, & de spirituali Israelitarum E (si fortè de Israelitis sermo est) libertate, ac salute. At Oseas de libertate, ab Assyrio, siue à barbaro iugo, & de temporali regno, à quo exciderunt Israelitæ, & in quod nullo vnquam tempore restituti sunt. Tempore verò Euangelico ex genere Israelitico plurimi Christiana sacra susceperer. 46.

Et erit in loco, vbi dicetur eis: Non populus meus vos; dicetur eis: filij Dei viuentis.] Tunc appellati sunt Israelitæ lo Ami, id est, non populus meus, quando nati fuerant Iezrahel, & lo Ruchamah, id est, qui portenderant dissipandos esse Israelitas, expellendos à regno; ac tandem futuros esse extorres à patria inter Gentes, vbi sic dicuntur fore tractandi, ac si ad Dei prouidentiam, ac curam 47.

non

non pertinerent. Tunc verò vocati sunt lo Ami, id est, non populus meus vos. Nunc ergo dicit Dominus, eodem in loco, vbi eo in statu, ac conditione futuri sunt Israelitæ, vt vocari iure optimo possint, *non populus Dei*, futuros esse plurimos, qui illorum loco populus dicantur Dei, & filij Dei viuentis. Hi verò sunt Gētiles, qui abiurata vetere, ac falsa religione, quæ deos venerātur mortuos, ad Christum sese adiungent, & Dei viui vocabuntur cultores, & filij. Tunc verò illud *&*, ante verbum *erit*, rationalem particulam esse puto, non coniunctiuam, & tunc hanc videor informare posse sententiam: Non eritis vos ô Israelitæ, populus meus, neque tamen ideo deerunt mihi filij Israel, qui numero adæquent arenam maris, quam nulla potest capere mensura. Quia eodem loco vbi vos filiorum, & populi mei nomen amittetis; nempe inter Gentiles erunt qui sic viuant, vt veros imitentur Israelitas, & ideo vocentur populus meus loco vestri; & filij, atque cultores non deorum qui vitæ sunt, & motus expertes, sed veri, atque viuentis Dei.

48. Vers. 11. *Et congregabuntur filij Iuda, & filij Israel pariter, & ponent sibi caput vnum.*] Locus hic sumi potest aut de Euangelico tempore, spiritualique libertate, aut de reditu è captiuitate, quam subierunt decem tribus apud Assyrios, & duæ apud Babylonios. Sed priusquam rem hanc difficilem expedire tentemus, reuocare oportebit quod paulo antè verisimile putabamus, ea omnia, quæ ab illis verbis, *& erit numerus*, vsque ad *Dei viuentis*, continentur, includenda esse parenthesi; & redire sermonem statim ad eos, qui propriè, & non figuratè dicuntur Israelitæ.

49. His positis in quæstione proposita triplex videtur esse posse sententia. Alia quæ de populo verè Israelitico hunc locum exponit, ita tamen vt accipiat de spirituali congregatione, quando simul, cum duabus tribubus, sub tempus Euangelicum adhærebunt Christo, & in vnum omnes corpus sub eodem capite coalescent. Alia de reditu vtriusque populi, tam Israelitici, quàm Iudaici, ab exilio, ita vt sub vno duce, ac capite Zorobabele omnes reuertantur, & viuant. Alia in Israele Gentes intelligit, quæ cum Iudæis, qui sacris adhærescent Christianis, & in vnum corpus, & sub vno capite, ac duce Christo communem sequentur religionem, & fidem. Has ōmnes sententias explicabimus: quæ patronos habent, & rationes non infirmas, & liberum cuique iudicium relinquemus.

50. Primam sententiam, quæ Israelem propriè sumit, quæque de spirituali congregatione interpretatur, tenent in secunda expositione Hieronymus, Haymo, Albertus, Hugo, Vatablus, Montanus, & Castrus. Ratio est aut sola, aut præcipua, quia de Israele secundùm carnem locutus est Oseas, cui etiam Iudam opposuit secundùm carnem; cur igitur existimabimus tam citò ad Israelem secundùm spiritum translatum esse sermonem? Deinde quia ex Israele secundùm carnem multi sese Christo, sub Euangelij tempus adiunxerunt, cùm Galilæam, & Samariam concionando lustraret; & maximè sub finem sæculorum quando Israelitæ dicuntur esse conuertendi, vide Paulum *ad Rom. cap.* 11. Tunc verò illud extremum, *Quia magnus est dies Iezrahel*, in hanc sententiam potest assumi, ita vt sit acclamatio extrema, aut epiphonema, quo Propheta significat in Iezrahelis nomine (quod, vt pluribus suo loco diximus, supplicium durum, & longum significat) vsqueadeo seuerum fore Israelitis supplicium, & vsqueadeo grauem in illum offensionem diuinam, vt Deus appellet illum non populum suum; neque misereatur ad finem vsque sæculorum; quando cum aliis in idem ingredietur ouile, & Deum placatum, & misericordem inueniet.

51. Secunda sententia, quæ hunc locum de Israele carnali, & de illius reditu ab exilio in antiquum, atque terrenum solum accipit, suámque fidem magis auctoribus & rationibus tuetur non infirmis, ita putat Cyrillus, & Theodoretus, inclinat Albertus. Rationes sunt, prima, quæ multarum instar, & pondus habet, est, quia reuera ex decem tribubus ab exilio rediere quamplurimi, quod tenent omnes ferme Doctores, & Patres (si modò pauculos excipias, qui contrà sentiunt, adducti Oseæ testimonio, & signo hieroglyphico, quod exhibuit ipsius filia lo Ruchamah, id est, quæ misericordiam consecuta non est) tenent Cyrillus *hoc loco, & in prologo Zachariæ, & in cap.* 11. *Oseæ.* Theophylactus in illud Oseæ 3. *Post hæc reuertentur filij Israel*, & Theodoretus tam hic quàm Oseæ 3. ad illud, *Quia dies multos sedebunt.* Egimus hac de re pluribus in nostris commentariis super Zachariam ad illud cap. 8. *Domus Iuda & domus Israel sic saluabo eos.* & *in cap.* 37. *Ezechielis, num.* 27. Cuius rei neque pauca sunt, neque leuia in Scriptura sacra testimonia, quorum licèt aliqua apud Zachariam adduxerimus, illa tamen hîc iterare aliquod erit operæpretium. Quia locus hic illustris est, & qui maximè hanc cogitationem oppugnat.

Ex decem tribubus redierunt plurimi ab exilio.

52. Primum id habemus ab ipsa Scriptura, quæ apertè docet Israelem simul ab exilio cum Iuda remigrasse, Ierem. cap. 3. v. 18. *In diebus illis ibit domus Iuda ad domum Israel, & venient simul de terra Aquilonis ad terram, quam dedi patribus vestris.* Et cap. 50. v. 4. *In diebus illis, & in tempore illo* (nempe cùm expugnata fuerit Babylon) *ait Dominus, venient filij Israel ipsi, & filij Iuda simul.* Ezechiel. cap. 37. vbi in duobus lignis, seu tabulis diuisis priùs, deinde coniunctis in vnum, significantur duo illa regna iam olim distracta reditura in patrias sedes, & sub vnius futuras dominatu, ac capite; idque adeò apertè, vt nullus videatur relinqui potuisse dubitandi locus. Sic autem Ezechiel. v. 16. *Et tu fili hominis, sume tibi lignum vnum, & scribe super illud, Iudæ, & filiorum Israel, & sociorum eius: & tolle lignum alterum, & scribe super illud, Ioseph lignum Ephraim, & cunctæ domus Israel, sociorúmque eius,* &c. & postea v. 21. *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego assumam filios Israel de medio nationum, ad quas abierunt, & congregabo eos vndique, & adducam eos ad domum suam. Et faciam eos in gentem vnam in terra in montibus Israel, & rex vnus erit omnibus imperans; & non erunt vltrà duæ gentes, nec diuidentur ampliùs in duo regna.* Quòd si tam duæ, quàm decem aliæ tribus non forent post Babylonis excidium in Israeliticos fines reuersuræ, non erat cur Dominus Ezechieli præciperet, vt pro duodecim tribubus totidem in terra promissionis sortes describeret, illásque suis quasque familiis attribueret, *cap.* 48. Idem etiam ostendit Oseas *cap.* 11. vbi de Israel, qui in Ephraim intelligitur, mitiùs loquitur, & aliquid in posterum benignum promittit. *Non faciam furorem iræ meæ, non conuertar, vt disperdam Ephraim: quoniam Deus ego, & non homo.* Hoc præterea docuit Tobias iamiam moriturus, *cap. vltimo.* vbi quantumcumque hunc locum

Digitized by Google

cum alij aliò contorqueant, non tamen efficient, vt curiosis ingeniis persuadeant, de aliis quàm de decem tribubus illud esse Tobiæ vaticinium; cùm de Israelitis dispersis,& exulibus sit propheticus ille sermo, cùm tamen duæ tribus longo pòst tempore à suis sedibus migrarent in alienas; sic autem ibi Tobias, *Prope erit interitus Niniue, non enim excidit verbum Domini, & fratres nostri, qui dispersi sunt de terra Israel, reuertentur ad eam.* Ex his autem locis satis apparet si non omnes Israelitas,at certè illorum plurimos cum duabus aliis tribubus fuisse reuersos.

53. Sed quid ad hoc Oseæ testimonium? Sanè Oseas, vt vides, non affirmat filios Israel futuros esse in æternum exules, sed non futuram illorum memoriam, aut misericordiam apud Deum: eo nempe modo quo recordatus, & misertus est Iudæ. Ex quo sese iam prodit huius nodi solutio,qui sanè non parum implexus est. Si quis duos habeat filios, quos reuera amat, ita tamen vt in alterum sit multo propensior, illum ornet, habeátque sibi magis familiarem,& si quid est in ea familia pretiosum, & illustre, id illi aut largiatur, aut reseruet, is, licèt filium alterum alat domi, & ad vitam necessaria conferat, illius tamen dicitur esse immemor, comparatione illius, in quem totum animum,ac studium infudisse videtur. Quomodo *Gen.25.* Isaac amare dicitur Esau, Rebecca verò Iacob, quia alterius in alterũ maior apparebat indulgentia, & amor; cùm tamen vterque esset vtrique gratus,& dilectus. Sic Deus oblitus dicitur Israel, & Iudæ memor, quia licet ab exilio vtrunque reuocauerit,eodẽ edicto Cyri,& eodem tempore,tamen multo liberalius,atque benignius cõplexus est Iudam, quàm Israel. Primùm, quia Israelitæ non sunt regno restituti; sicut Iudæi, qui caput habuerunt ex sua familia, quod regium,aut regio proximũ nomen obtineret, quod non accidit Israelitis,qui neque caput aut principem nacti sunt ex suo genere, neque,vt ita loquar, formaliter sub antiquis nominibus in patriam redierunt. Neque enim amplius vocati sunt Rubenitæ, aut Ephraimitæ, aut Danitæ,&c. qui prognati fuerunt ex tribu Ruben, Ephraim, & Dan, sed omnes eodem nomine, ac si omnes forent de tribu Iuda, vocati sunt Iudæi. Quare non immeritò non nisi Iudæi dici potuerunt ab exilio reuersi. Neque saluati dici possunt Israelitæ si vulgi consuetudinem sequare, à qua in loquendo Scriptura sacra recedere non solet, quia neque ad pristinum statum, & nomen redierunt, cùm adhuc Iudæo Principi, alieno nempe à suis familiis essent seruituri, neque ad suas tribus,seu ad fines, ex quibus depulsi fuerant ab Assyriis reuocati fuerint. Vt enim in nostris commentariis super Ezechiel. *ad cap.*48. obseruauimus, alij fuerunt à Deo designati fines, & aliæ sortes; quare si ad seueram amussim, & examen rem expendas, reuera decem tribus ad suas,parentúmve suorum sedes restitutæ non sunt. Quare licèt ab Assyria seruitute, atque exilio vindicati, exulare tamen atque seruire videri possunt, quia reuera extra patriam sunt,& alienæ potestati subiecti.

REGVLA. *Negatur esse in aliquo id, quod in alio excellentius reperitur.*

Cur decem tribus negentur reditura.

54. Huic expositioni facile quæ sequuntur accommodari possunt. Ascenderunt de terra pariter cum tribu Iuda,eodem edicto à Cyro reuocati: posuerunt sibi caput vnum, quia vnus fuit dux è tribu Iuda, nempe Zorobabel, cui in ipso reditu,& deinde in destinatis sibi finibus obsecuti sunt. Neque illud extremum, quod videbatur esse difficilius, malè cohæret. Si enim Iezrahel supplicium significat durum, quale nempe subiit domus Achab, planè duro affectus est supplicio Israel, quando depulsus est à regno, & alieno principi seruire coactus extra sortes olim à Iosue definitas, neque parentum suorum nomen in suis familiis ampliùs audiuit: sed à nobiliori, atque potentiori tribu vocatus est Iudæus. Verè itaque magnus fuit dies Iezrahel, id est,iudicium quod tunc Dominus tulit de Israel,in quo spectari voluit exemplum illius supplicij,quod Dominus de Achab sumpsit in Iezrahel.

Tertia sententia est, in Israele figuratè intelligi Gentes, quæ euangelico tempore ad Christum accessere, quásque Israelitidas appellari diximus religione, ac fide. Ita Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 89. *Meritò,* inquit, *iste Propheta filios Iuda posuit pro Iudæis, & filios Israel pro Gentibus. Et congregabuntur,* inquit, *filij Iuda, & filij Israel pariter,* &c. & lib. 18. de Ciuit. cap. 28. *Hoc testimonium propheticum de vocatione populi Gentium, qui prius non pertinebat ad Deum, etiam Apostoli intellexerunt. Et quia ipse quoque populus Gentium spiritualiter est in filiis Abrahæ, ac per hoc rectè dicitur Israel, propterea sequitur, & dicit: Et congregabuntur filij Iuda, & filij Israel in idipsum; & ponent sibimet principatum vnum.* Vide, quæ deinde sequuntur. Augustino subscribunt, & recentioribus plerique, Lyra, Dionysius, Haymo, Ribera. Iuxta hunc sensum, vt docet Cyrillus, non sunt in vnum locum congregandi Iudæi, atque Gentiles, sed in vnam religionem, & fidem. Neque necesse est, vt quæ proximè antecesserunt verba, parenthesi claudantur, quod suprà putabamus verisimile, & planè in aliis sententiis dicendum necessariò, cùm enim quæ præcesserunt,de Gentibus sint intelligenda, & eodem spectent, quæ sequuntur, non est necesse vt parenthesi interrumpatur orationis filum. 55.

Tunc illud, *quia magnus dies Iezrahel,* opportunam habet explicationem, est enim durum supplicium Israelitarum loco succedere Gentiles, & illos habere iam nobile illud nomen, & nobiliori titulo, à quo illi suo magno merito exciderunt. Sanè grauiter tulerunt Iudæi *Actor.c.11.* iuxta aliquorum sententiam (quam tamen ego nunquam probaui) quòd Gentiles à Petro ad Ecclesiæ sinum essent admissi. Porrò *dies* aliquando pro clade, atque infortunio sumitur: vt Psal. 136. *Memento Domine filiorum Edom in die Ierusalem.* Magna igitur futura dicitur clades, cuius symbolum fuit Iezrahel: quando non solùm Israelitæ secundùm carnem depulsi sunt è regno, sed etiam Israelitæ secundùm spiritum eorum loco suffecti sunt. 56.

Adduxi tres sententias, quæ bonos habent patronos, & fundamenta non infima, in quibus explicandis longior fui; quia sanè locus est difficilis, neque illi nisi longiori aliqua opera, satisfieri potuit. Qua in re definire nihil habeo; neque improbare est animus, quod magna iudicia amplectuntur & probant. Et quidem ab eo,quod speciem habet & pondus veritatis,discedere permolestum est. Per me igitur integrum cuilibet esto, sentire vt volet: neque enim aliquam harum ita improbo, vt damnem; neque ita probo, vt reiectis aliis, illam persuadeam; secundam tamen secutus sum in Paraphrasi. 57.

Digitized by Google

IN CAPVT SECVNDVM

ARGVMENTVM.

IVDICIO Deus cum populo, tanquam cum adultera coniuge disceptat, illámque adulterij mystici, id est, violatæ fidei, ac temeratæ religionis incusat. Quare graue illi supplicium minatur, quo ab amentia atque errore resipiscat, & ad desertum, & proditum thalamum se referat. Suam deinde beneuolentiam, & studium promittit, quod nihilo erit languidius, quàm si sponsam duxisset primùm, cuius esset integer, & illibatus pudor. Qualia verò illa coniugalis animi, ac fidei promissa pignora futura sint, ad extremam capitis partem abundè persequitur.

CAPVT II.

1. *Dicite fratribus vestris: Populus meus; & sorori vestræ, Misericordiam consecuta.*

2. *Iudicate matrem vestram: iudicate: quoniam ipsa non vxor mea, & ego non vir eius, auferat fornicationes suas à facie sua, & adulteria sua de medio vberum suorum.*

3. *Ne fortè expoliem eam nudam, & statuam eam secundùm diem natiuitatis suæ; & ponam eam quasi solitudinem, & statuam eam velut terram inuiam, & interficiam eam siti.*

4. *Et filiorum illius non miserebor: quoniam filij fornicationum sunt.*

5. *Quia fornicata est mater eorum, confusa est quæ concepit eos: quia dixit, Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum meum, oleum meum, & potum meum.*

PARAPHRASIS.

A 1. O Vos, qui inter Israëlitas, ita sanctè ac religiosè viuitis, vt populi mei nomen in vestros mores optimè cadat, dicite fratribus, quos ego propter vitæ turpitudinem, honesto hoc populi mei titulo dignatus non sum. Et vos, quorum vita misericordiam consecuta est, dicite sorori vestræ, quæ se misericordia, & pace præbuit indignam.

2. Iudicate item matrem vestram, ô vos, quibus melior est mens; & seuera denunciatione edicite, neque ipsam mihi esse cõiugalis thalami cõsortem, neque me illam vxorem agnoscere. Dicite ergo illi, si vxoris nomen tueri vult, vt à facie sua meretricios fucos, ac lenocinia, tum etiam insignia pudicitiæ venalis à pectore submoueat. B

3. Ne si in sceleratæ vitæ consilio hærere velit, adigat eò clementiam meam, qua illam tandiu impunitam sustinui, vt spoliē illam ornamentis omnibus, talémque relinquam, qualem recens natā inueni, proiectam à matre, nudam, & miseram, ac tandem sine vllo dignitatis ornamento, ac vitæ subsidio, in eam speciem & squalorem adducam, quam habet regio, quam nemo, aut calcat, aut videt, quia sterilis est, neque à cœli nubibus aliquod accipit incrementum. Sic ego extinguam illam siti, efficiámque, ne quid in ea viriditatis, aut succi reliquum sit. C

4. Neque filiorum ipsius miserebor: quia ipsi quoque idololatricæ secuti genitricis exemplum, ad idolorum cultum deflexere, qui genus quoddam mysticæ fornicationis est. D

5. Sanè illorum mater, turpi se fornicatione fœdauit, & illam subiit ignominiam qualem quæ alterius petulantiæ succubuit, subire solet. In quod meretriciæ libidinis institutum induxit, aut spes vana, aut mentis stultissimus error, quo sibi persuadebat habere se, habiturámque deinceps ab amatoribus, non solùm ad vitam necessarios,

Digitized by Google

gnum eſt eius, qui ſpiritualis fornicationis quæ- A
ſtum inſtituit.

9. *Et adulteria ſua de medio vberum ſuorum.*] Sicut
Quæ vberũ fornicationes, ſeu ornamenta.
in facie duo genera fornicationum ſtatuebamus,
ſic etiam totidem in pectore, aut in vberum me-
dio locari poſſunt; nempe genus illud vulgare,
quod adhibere meretrices ſolent ad capiendos
priùs oculos, deinde animos leuiculorum ado-
leſcentium. Adulteria autem vberum vocari po-
teſt, vel ipſa vberum inuerecunda nuditas, vel
alia quædam ornamenta, quæ ſuſpenſa ad vbera
illecebræ ſunt, & irritamenta libidinis.

10. Sed quia ſpiritualis eſt hæc fornicatio, ſpiri-
tualia etiam vberum adulteria inueſtigemus.
Sicut in facie ornamenta quædam ſpectaban- B
tur, & ſigna religionis, quam priùs profite-
batur: ſic etiam in pectore, aut in medio vbe-
rum geſtari ſolita, multo eſt veriſimilius, certè
ex Scriptura ſacra magis notum. Dependebat
ex collo, aut gemma, aut ex pretioſa materia
tertia lamina, quam lunulam appellari arbitror.
Hoc opinor, exigebat ſponſus *Cant.* 8. ab ſponſa,
nempe vt ſui imaginem, aut mnemoſynon, ſeu
memoriale geſtaret inter vbera, cùm dicebat,
pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum;& clariùs *cap.* 1.
vbi ſponſa fatetur ſponſum ſuum, id eſt, ſponſi
effigiem, quam inter vbera in lunula portabat,
futurum ſibi pro faſciculo myrrhæ, & pro omni
vnguento, ſeu leuamento, quo refici cor atque C
hilarari ſolet. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi,
inter vbera mea commorabitur.* Cor verò pro gemma
ſumi, aut lunula, quæ ad pectus vſque de collo
ſuſpenditur, multa probant. Sanè profani, bul-
lam ſiue auream, ſiue ſcorteam, quam pueri à
collo ad pectus vſque demittunt, cor appellant.
Martialis *lib.* 14. *Apophor.* 219. bullæ, è corio bu-
bulo cordis impoſuit nomen. eſt autem illius A-
pophoreti titulus, *cor bubulum.*

Pauper cauſidicus nullos referentia nummos
Carmina cùm ſcribas, accipe cor, quod habes.

11. Tribus quoque Iuda, Iſraelis idololatriam i-
mitata idolorum, quorum ſeſe addixerat nefario
cultui, inter vbera ſua locauit effigies: ſic enim D
expono illud Ierem. cap. 17. *Peccatum Iuda ſcri-
ptum eſt ſtylo ferreo in vngue adamantino; exaratum ſu-
per latitudinem cordis eorum, & in cornibus ararum
eorum.* Vbi latitudo cordis idem omnino eſt, meo
iudicio, quod lamina, quæ à collo ſuſpenſa in-
minet cordi. Peccatum verò pro idolo ſumitur.
Peccatum pro idolo.
Sicut *Amos cap.* 8. delictum Samariæ pro vitulis
aureis poſitum eſt. Et quidem de peccato in cor-
nibus ararum, idem ſentit Lyra. Poſuerat itaque
Iuda idolorum ſiue effigies, ſiue phylacteria in
manibus, nempe in lapidibus pretioſis, qui in
annulorum pala includebantur, id enim eſt pec-
catum in vngue adamantino ſtylo ferreo fuiſſe
cælatum; poſuerat item inaures, quaſi profite- E
retur aras illas impias in idolorum cultum eſſe
conſtructas; idem in cordis latitudine, quaſi legi-
timo quodam charactere prædicaret cor ſuum,
Latitudo cordis quid.
animum nempe, & curas omnes idolorum ſtudi-
is conſecrari. Porrò *latitudinem cordis* idem eſſe
quod laminam, aut quod aliis locis *cordis* vocatur
tabula, mihi dubium non eſt: certè tam in hoc
Ieremiæ loco, quàm *Prou. c.* 3. & 7. vbi legis, *tabulã*
12. *cordis*, Heb. eſt לוח *luach*. In illis porrò prouerbiorũ
locis, tabulã ſumi pro lamina, quæ ſupra cor eſt,
aut in vberum medio, facile credet, qui duo illa
loca accuratiùs expenderit. Prou. 3. *Miſericordia, &
veritas te non deſerant, circunda eas gutturi tuo; & ſcribe
in tabulis cordis tui.* & cap. 7. *Liga ea* (nempe præ-
cepta Dei) *in digitis tuis, ſcribe ea in tabulis cordis tui.* A
Vbi intelligendam eſſe materialem laminam, ſal-
tem in ſymbolo, indicant, imò ſuadent multa,
quæ ſequuntur. Sicut enim illa, de quibus pro-
ximè, circundari dicuntur gutturi, & in digitis
ligari; ſic etiam inſculpi, ſeu cælari in tabulis
cordis. At non aliter circundantur gutturi, quàm
in torque cælata, qui circundat guttur, aut li-
gari in digitis, niſi quia in annulis inſculpta; ſic
etiam non aliter inſcribuntur in latitudine, ſiue
tabula cordis, quàm cælata ſtylo ferreo in lami-
na, ſeu alio quouis ornamento, quod ſupra pe-
ctus imminet. Ex his non eſt mihi difficile ſtatu-
ere, quæ ab Oſea hoc loco dicantur adulteria in
B medio vberum: nempe amatoria quædam ſym-
bola, aut effigies idolorum, quibus cum ſpiritu-
ales quaſdam ſcortationes exercuit. Quarum vſ-
que adeo infidelem illam adulteram non pude-
bat, vt ſignum etiam illarum obuiis quibuſque
oculis obiiceret.

Verſ. 3. *Ne fortè expoliem eam nudam, & ſtatuam* 13.
eam ſecundùm diem Natiuitatis ſuæ.] Hunc locum
Omnia ornamenta habet anima à Deo.
omnium optimè nobis expoſuit Ezechiel *cap.* 16.
vbi hunc ſponſæ ſtatum planè miſerabilem per-
quam aptè, atque eleganter deſcribit. In quem
locum nos ea de re in noſtris commentariis plu-
ribus. Id verò olim in nuptialibus ſacris vſita-
tum fuit, & quaſi legitimum: vt ſponſa quaſi
C nuda, & à parentibus proiecta fingatur, quaſi
moritura, & à ſponſo excitata de terra, vbi re-
cèns nata volutabatur in obſcœno puerperij ſan-
Vxor à viro omnia bona accepiſſe fingitur.
guine; à quo ſic eſt accepta liberaliter, ſic in-
dulgenter, ac molliter enutrita, vt à ſponſo di-
catur non ſolùm accepiſſe ornamenta omnia, at-
que ſubſidia dignitatis, & vitæ; ſed vitam etiam
ipſam, quam parentum iniuria perdidiſſe videba-
tur, ex quo fiebat, vt ſponſa viro ſuo non orna-
menta ſolùm, & nuptiales delicias, ſed vitam
etiam ipſam, & quæ vitalem conſequuntur ſta-
tum, accepta referret. Quare ſponſæ viros ſuos
parentes vocant, quia ab illis accepiſſe ſimulan-
tur, quæ negauerunt, aut abſtulerunt parentes.
D In hunc ſenſum explicauimus in noſtris com-
mentariis illud Cant. 8. *Sub arbore malo excitaui te:
ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua.* Ex-
citauit, inquam, ex terra vbi reiecta fuerat à ma-
tre ſub arbore: vbi primùm à partu ſoluta eſt, ex
quo id ſibi iuris habuit benignus, ac liberalis
ſponſus, vt inter vbera in amatoria lamina ge-
ſtari debuerit. Atque ideo ſubdit, *pone me vt ſi-
gnaculum ſupra cor tuum.* Quale idolorum portaſſe
arguitur fornicaria ſponſa, cui Dominus denun-
ciari iubet, vt auferat adulteria de medio vberum
ſuorum. Huc alluſit Ieremias *cap.* 3. vbi Deus in-
ducitur ad amplexum, & thalamum, reuocans fu-
gitiuam ſponſam, ac tandem admonens, vt ſo-
E lemnia illa atque legitima repetat verba, quibus
nuptiarum initiis ſponſum alloquitur. *Amodo
voca me pater meus, dux virginitatis meæ tu es.* Huc
Dauid Pſal. 38. *Suſcepiſti me de vtero matris meæ.* &
Pſal. 27. *Quoniam pater meus, & mater mea dereli-
querunt me, Dominus autem aſſumpſit me.* Huc Iſaias
cap. 54. *Vt mulierem derelictam & mœrentem ſpiritu
vocauit te Dominus: & vxorem ab adoleſcentia abie-
ctam.* Illum ergo ſtatum minatur Deus vxori for-
nicariæ, niſi de facie fornicationes, & de vberum
medio adulteria ſubmoueat, quem habuit in die
natiuitatis ſuæ, & antequam myſticas iniret nu-
ptias: nempe, futuram nudam, ſpoliatam; & cui
nihil ſit reliqui præter vitam, eámque omni non
ſolùm ludibrio, ſed etiam infortunio propoſi-
tam:

tam: quod deinde minutiùs explicat, dum singula ornamenta dinumerat, quibus sponsam illam ærumnosam,& nudam prosecutus est.

14\. *REGVLA. Res à fine, seu euentu denominantur.*

In illo, *ne fortè expoliem eam nudam*, aliquid alicui videri posset alienum, & improprium, cùm ille,qui nudus est,expoliari non possit, vnde qui rem assumit inanem, prouerbiali figura dicitur, *detrahere nudo vestimenta.* Sed hic dicendi modus, neque apud sacros, neque apud profanos scriptores inusitatus est. Apud quos est non admodum infrequens, vt res non ab eo,quod habent, denominentur, sed ab eo quod habituræ sunt, aut certè à fine,quem actio aliqua spectat,& cõsequitur. Quam regulam tradidit Rab.Dauid in radice נא *aph.sh*, eámque confirmat exemplis. Ex sacris est illud Isaiæ 47. *Tolle molam, & mole farinam.* cùm tamen farina non molatur, sed granum,ex quo farina fiat. Deut.17.6. *In ore duorum, aut trium testium, peribit qui interficietur.* Heb. *occidetur mortuus.* id est, occidetur vt sit mortuus. Iob 22. *Nudos spoliasti vestibus.* id est, spoliando reliquisti nudos. Sic apud profanos passim. Natus est rex, id est, qui postea regnum obtinebit: genitus est belluarum domitor; qui nempe vbi virile robur accesserit, belluas domiturus est. Sic dicimus illi qui nimium properat, vt vestigia tarda cohibeat,id est,vt cohibito festinato incessu tardiùs gradiatur. Iuxta hæc facilis est expositio, & sententia huius loci: minatur etenim Dominus vxori fornicariæ,quæ ab ipso accepit ornamenta ad vsum, atque delicias maxima,spoliationem ornamentorum omnium; ita vt nuda remaneat, qualis antea fuit, cùm à matre recens nata in sanguinis volutabro relicta est. Ad hunc statum ait Isaias *cap.63.v.18.* redactum esse populũ, dum dicit: *Facti sumus quasi in principio,cùm non dominareris nostri,neque inuocaretur nomen tuũ super nos.*

15\. *Et ponam eam quasi solitudinem, & statuam eam velut terram inuiam.*] Summa notatur infelicitas in Scriptura sacra, hac dicendi forma: quia reuera miserabilis est, atque horrida species, quam relinquit aut numerosa, atque splendida ciuitas, cùm incendio, aut aliquo alio modo subuersa in solitudinem ac ferarum latibula redigitur, aut cùm hortus irriguus, & amœnitatis, atque vbertatis eximiæ, aut ab hostili securi succiditur, aut sic à gelu, seu alia quauis cælorum inclementia senescit,aut exuritur, vt nullum deinde appareat aut vbertatis,aut amœnitatis vestigium; ab vtroque enim videtur sumpta similitudo. *Vastitatis descriptio.* Sic Isaias *cap.13.* Babyloni solitudinem minatur, & belluarum lustra. & iterum *cap. 34.* idem Idumeæ. Item. *cap.25.v.9.* ita de Ierusalem, ac ciuibus; *Interficiam eas, & ponam eos in stuporem, & in sibilum, & in solitudines sempiternas.* Hoc idem minatur vxori fornicariæ, quæ sic erat ornata splendidè, atque copiosè, vt videri possit ciuitati, atque horto similis, quem fœcundat, atque irrigat aqua diues,& iugis. Quibus sponsam aliam magis tamen fidelem, & gratam assimilat sponsus; ciuitati quidem cap.6.v.3. *Pulcra es amica mea,suauis,& decora sicut Ierusalem;* horto verò *cap.4.v.12.*

16\. Est autem hæc perbella comparatio. Qualis manet ciuitas antè lauta,ac nobilis, vbi præaltæ turres, & ædificiorum superba, atque artificiosa constructio solo adæquantur, in qua, quæ horreas,plurima, quæ ames, aut admirere, nihil inuenies. Sic repudiatam à tam locuplete,ac liberali sponso, ea sequatur status, fortunæque conuersio, vt neque species maneat,quam amet nisi cæcus,& amens,neque ornamenta illa,quibus il-

A lustris antea,& tanti regis sponsa videbatur, quã fastidiant honesti, atque elegantes oculi, neque illi assuescat nisi obscœnæ, atque syluestres feræ, quæ putridis aluntur carnibus, & speluncas subeunt tenebricosas, & horridas, & turpi halitu, atque squalore fœtentes. Sicut de Babyloniis in illum statum ex amplissima fortuna redactis dixit Isaias cap. 13. v. 19. *Et erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldæorum*, &c. *Non ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi; sed requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus*,&c. vbi speciem vides animæ, quã Dominus dimisit. *Qualis anima à Deo derelicta.* Vnde etiam intelliges, quàm sit optabile fornicationes à facie, & de medio v-

B berum,id est,de pectore adulteria tollere,ac tandem dum per tempus licet, & Dominus adhuc amatoriis verè vocibus inuitat; ab adulterorum complexu,ad ipsius sinum,& thalamum redire.

17\. Neque leuior est, aut minus accommodata similitudo, quæ ducitur ab arbore, priùs irrigua, atque vbere, deinde verò spoliata, & opportuno fructu, & ramorum,ac frondium peramœna luxuria; arenti radice ob aquarum inopiã,& quasi à cœlesti incendio fulminato, ac senescenti trunco. Quæ non minus est horribilis, ac fœda de cælo tacta, quàm fuerat antea peramœna, atque vtilis, quando ad radices aderat aqua copiosa, & iugis, neque aberat assidua, & diligens agricolæ

C cultura. Eadem similitudine in causa non dissimili vsus est Isaias *cap.1.v.30.* vbi populus confertur cum arbore, cui omnis pulchritudo, atque species defluxit, quia aqua antè iugis exaruit. *Cùm fueritis velut quercus defluentibus foliis, & velut hortus absque aqua.*

18\. *Anima peccatricis status miser.* *Et statuam eam velut terram inuiam.*] Septuaginta ὡς γῆν ἄνυδρον, *vt terram sine aqua*; vbi nullum est aquæ subsidium,sine quo hominum,aliorúmque ferme animalium vita sustineri non potest, deserta sit oportet terra ab hominum frequentia, & cultu, quale fuit olim desertum Pharan, antequam à petra Deus fontem excussisset viuẽtis aquæ; & bona pars Libyæ. Quare regiones

D illius modi,neque homines habitant, imò neque permeant veloci, ac peregrino passu. Talis autem est spiritualis sponsa, quam propter mores adulterorum consuetudine fœdatos, abiecit à se Deus; in qua nihil est pulchrum, quod delectet, nihil ad vsum opportunum: nemo sapiens est, & honestus,qui illam non modò familiari congressu, sed neque conspectu digna putet. Hæc est terra inuia,& inaquosa, quæ neque imbrem, neque lucem de cælo haurit; cui optimè accommodes illud Solini cap.20.de Riphæis montibus. *Terra miseræ descriptio.* *Damnata, inquit, pars mundi, & à rerum natura in nubem æternæ caliginis mersa. Sola terrarum non nouit vices temporum, nec de cælo aliud accipit, quàm hyemem*

E *sempiternam.* Vt autem in arida, ac sitienti regione feræ inueniuntur, quæ ab immodico æstu venenum alunt nocentissimum, vt sunt varia serpentum genera; sic in anima sitienti, atque arida nihil inuenies,nisi feras & aspectu horribiles, & veneno noxias. Notum est illud prouerbium, de Libya, quæ pars est Africæ, omnium maximè siticulosa. *Semper affert Libya mali quidpiam.* quod aliter etiam dicitur, *Semper Africa noui aliquid apportat;* quia inde noua quotidie mõstra in Romanorum theatrum deportabantur. *Africa cur varia monstra gignat.* Causam adducit Aristoteles *lib.2. de generat. animal. cap.5.* Quia cùm regio sit æstuosa valde, & aquarum penuria maximè laborans, sic vbi aliquid occurrit aquarum,eò sedandæ sitis gratia variorum animalium species

ized by Google

species concurrunt. Cùm autem ibi inuita in-
terdum Venere, vtpote diuersæ naturæ, misceantur,
proles non rarò biformis nascitur, & mon-
stra quotidie noua: vnde etiam similitudo ali-
20. qua non inepta sumitur, ad explicandum, quos
sponsa fornicaria, quæ lectum prodidit coniugalem,
fœtus concipiat, quæ mõstra parturiat, quas
è suis visceribus feras alat. Vt enim Libycæ feræ
monstra concipiunt, quia aliis, atque aliis ani-
mantibus, promiscuo, ac vario concubitu miscẽtur;
sic sponsa fornicaria, qualem à se Deus repellit,
cùm vagam captet libidinem, id est, cùm
peregrinos sequatur deos, quorum est infinita multitudo,
aut variis seruiat affectibus, qui variam etiam generant sobolem,
in animo nimis incontinenti, ac molli, monstra concipiat necesse est
multo peiora, quàm quæ gignit Libya, aut fingit errans, atque inuita natura.
Horum monstrorum quotidie nouas formas videmus. An non monstrum est virum
professione religiosum ambitione abductum ad honores, & magnos titulos aspirare,
à sua sibi voluntate leges imponere: id curare toto animi studio, vt cùm pauper esse
velit, nihil tamen habeat cum paupertate commune? Mille monstra apparent quotidie
in Principum curiis, vbi quia multorum opinioni, & affectionibus interdum inter se
pugnantibus seruitur, monstra conflantur varia, quæ concerpunt viscera, vbi ipsa
coagmentantur, & crescunt.

Anima à Deo aliena varia concipit monstra.

21. *Et interficiam eam siti.*] Metaphoram persequitur, ostenderat talem speciem habituram sponsam olim speciosam, & nuptialibus ornamentis instructam, qualem habet regio sterilis, quam homines, neque cultu, neque traiectu, atqueadeo neque conspectu dignam esse censent. Nunc causam illius squaloris, ac vastitatis adducit; quia aberit aut cælestis imber, aut aquarum iuges, & abundantes scatebræ, quibus & plantas alat, & illarum virorem perpetuò tueatur. Idem omnino Deus minatus fuit *Isai. cap. 5.* vineæ suæ, quæ infidelis fuit, & pro vuis maturis, & dulcibus labruscas protulit acerbas, & fœtentes. *Nubibus*, inquit, *mandabo ne pluant super eam imbrem.* Hæc mihi explicatio facilior videtur, & potior: sed addo mihi non improbabile videri illud *&*, rationalem esse particulam, non coniunctiuam; ita vt ratio reddatur, quare instar habitura sit solitariæ terræ, inuiæ, atque aridæ; quia Deus ab illa humorem omnem ablaturus est, & siti, atque ariditate confecturus.

22. Vers. 4. *Et filiorum illius non miserebor, quia filij fornicationum sunt.*] Sicut vxor Oseę fornicaria typus erat Israeliticæ Synagogæ, quæ ad spiritualem fornicationem defluxit; sic etiam illius filij ab Osea suscepti typus fuere ciuium Israelitarum, qui eo sensu filij vocantur fornicationum, quo filios Oseæ, fornicationum filios appellari diximus. Dicebantur autem illi suprà fornicationum filij; non quia ex matre suscepti fornicaria (hoc enim modo non erat cur filij propter maternam incontinentiam pœnas dependerent) sed quia ipsi ad fornicariæ, id est, idololatridis matris, imitationem idololatræ fuerunt, & ad spiritualis fornicationis lupanar prostituti. Vt ergo matrem Deus vexabit durè, & à suo complexu, ac cura repellet, vt adulteram, sic illius filios procul abiiciet, quia maternis se fornicationibus implicuerunt. Porrò sicut ex Hebræorum idiomate filij superbiæ, superbi, & filij iniquitatis, iniqui dicuntur; sic etiam filij fornicationum idem omnino sunt, qui fornicarij.

A Vers. 5. *Quia fornicata est mater eorum, confusa est, quæ concepit eos.*] Vix dum pactum inierat coniugale gens Israelitis, Synagoga planè infidelis, ingrata, & nunquam non instabilis, in his maximè rebus, quæ ad veram religionem pertinerent, cùm à fide sponso Deo data ad amatores alios, ad impias nimirum idolorum aras, quasi ad nefarium adulterorum thalamum transfugit. Conflauit enim ad Ægyptiorum exemplum aureos vitulos, quos eo studio coluit, quasi ab illo libertatem, & vitam, & quicquid haberet ornamentorum accepisset. Sic autem ante toruа vitulorum capita supplex ait Exod. cap. 32. *Hi sunt Dij tui Israel, qui te eduxerant de terra Ægypti.* & quod tunc facere exorsa est, postquam ex Ægypto primùm emigrauit, fecit ad hoc vsque Oseæ tempus millies. 23.

Confusa est, quæ concepit eos.] Confusio in Scriptura multa significat, propriè est rubor, aut verecundia, quæ ex re nascitur, aut turpi, aut quæ cõtra spem, votúmque nostram accidit. Atque ita confundi dicitur, qui in furto, aut in adulterio comprehenditur; aut ille cuius in os sordes cõiiciuntur, aut parentum, aut propriæ: confundi etiam dicitur, qui expectatione fraudatur, aut voto. Sic Dauid Psal. 30. *In te Domine speraui, non confundar in æternum*; quia scilicet spes mea non excidet vacua. & Eccl. cap. 2. *Nullus sperauit in Domino, & confusus est.* Sic agricola confundi di-
C citur, cùm ex labore suo nullum percipit fructũ: Ierem. cap. 14. v. 4. *Venerunt ad hauriendum, non inuenerunt aquam: reportauerunt vasa sua vacua, confusi sunt, & afflicti.* Et statim, *Propter terræ vastitatem, quia non venit pluuia in terram, confusi sunt agricolæ.*
In posteriori hac significatione videtur exponi 25.
posse præsens locus, quasi dicat, confusa est mater Synagoga, quia non talia consequetur à diis, quos coluit, vero abiurato Deo, cùm tamen nihil sibi non polliceretur ab illorum potestate, quam fidelem, & magnam arbitrabatur. Quomodo *Isai. cap. 1. v. 29.* propter spem in falsorum deorum fide locatam Iudæi dicuntur esse confundendi, quia nihil ex illorum religione boni
D dicuntur habituri. *Confundentur enim ab idolis, quibus sacrificauerunt.*

24. *Confundi quid.*

Hæc mihi explicatio non displicet; sed fortasse hoc loco idem est *confundi*, quod *fornicari*. ita vt hic sit quædam epexegesis, in Scriptura sacra familiaris, quæ eandem sententiam verbis exprimit, atque iterat diuersis, qualis est illa Cant. 8. *Ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.* Quia verò Synagoga quasi fœmina inducitur, quæ ab amatoribus passa est id quod meretrices, aut impudicæ solent; ideo confusa, quia quæ vim illam ab altero subit, ignominiam dicitur sustinere. Atque ideo sæpe in Scriptura audimus
E humiliari virginem, aut vxorem alterius, quia talia subire ignominiosum magis, atque pudẽdum existimatur fœminæ, quàm viro illa eadem, etiam violenter, inferre: & dehonestari dicitur fœmina, Hispanè *quedar deshonrada*, quæ ab altero impudicè cognoscitur; quod tamen nomen vulgo hominum non iactatur in viros. Hanc, credo, vim etiam habent verbum *confundo*, & nomen *confusio*; quia fœmina, quæ venereum aliquid patitur, admittit id, propter quod verecundari, atque confundi debeat. Sanè de luxuria sermo est *Iudic. cap. 9.* & ibi auditur confusionis nomen, *Denudauerunt femur virginis in confusionem.* Et 1. Petri cap. 4. v. 4. *Non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confusionem.* Hæc ego ita probo, vt nemini persuadeatur

26. *Cõfusio pro fornicatione.*

Digitized by Google

ſuadeam: placet enim magis explicatio prior, cui concinunt magis, quæ ſequuntur.

27\. *Quia dixit, vadam poſt amatores meos, qui dant panem mihi.*] Cõfuſionis cauſa redditur, quia ſperabat fornicaria vxor ab amatoribus ſuis, nempe Gentilium deis, quibus, relicta patria religione, impudenter adhæſerat, omnia non ad vitæ ſubſidium ſolùm, ſed ad delicias etiam neceſſaria. Ex qua ſpe id conſecuta eſt, vt omnia perdiderit, neque ex illa expectatione aliquid præter confuſionem, & ignominiam retulerit. Illud *quia* interdum in principio redundat, vt pluribus oſtendimus in noſtris commentariis in Ieremiam *cap.4. num.35.* vt eſt illud Ioan.4. *Bene dixiſti, quia non habeo virum.* Matth. 7. *Tunc confitebor illis, quia nunquã noui vos.* Tunc verò ratio non redditur, ſed tantùm continuatur inſtituta narratio, in hunc ſenſum: *Fornicata eſt mater eorum, confuſa eſt, quæ concepit eos, dixitque, vadam,* &c. Sed credo rationalem eſſe particulam, & cauſam oſtendi cur Deus ſepire ſe velle dicat viam ſpinis, & auferre ornamenta, quæ dederat, quia ipſa ab amatoribus aliis, aut habere ſe illa exiſtimabat, aut ſperabat meliora.

Regvla. Quia ſæpe redundat.

28\. *Vadam poſt amatores meos, qui dant panes mihi.*] Qui ſint amatores iſti, obſcurum eſt; quidam deos eſſe alienos exiſtimant, cum quorum religione ſuperſtitioſa ac vana, veram & auitam cõmutauit Iſrael. In his ſunt Hieronymus, Theodoretus, Haymo, Albertus, & è recentioribus alij. Sunt qui populos putent eſſe Gentilicos, quibus ſe Iſraelitæ religionis communione miſcuerant, à quibus ſperabant omnia, & vitæ ſubſidia, & pacis ornamenta. Quæ ſententia nõ diſplicet Hieronymo, neque pluribus aliis, qui illius ſententiæ plerumque ſubſcribunt. Placet quod Riberæ viſum eſt, in amatoribus tam Gentium deos, quàm populos contineri Gẽtilicos, vtriſque enim Gẽs Iſraelitis in amatorio lectulo ſeſe cõmiſcuit: idolis quidem, dum illorum religioni ſeruit; populis verò Gentilicis, dum cõmune cum illis vitæ genus, & religionis formã amplectitur. Quare tam cum idolis, quàm cum idololatris populis fornicata dicitur Iſrael. De idolis res eſt certa, & in Scriptura ſacra ſæpius iterata. Vnum, aut alterum exemplum cape. Ierem.3. v.9. *Facilitate fornicationis ſuæ contaminauit terram, & mœchata eſt cum lapide, & ligno.* Ezechiel. cap.23. v.37. *Quia adulteratæ ſunt, & ſanguis in manibus earum; & cum idolis ſuis fornicatæ ſunt: inſuper & filios ſuos, quos genuerunt mihi, obtulerunt eis ad deuorandum.* Fornicatæ præterea dicuntur cum populis impiè religioni deuotis, cum Aſſyriis nempe, atque Ægyptiis: Ezechiel. 16. *Fornicata es cum filiis Ægypti vicinis tuis, & fornicata es in filiis Aſſyriorum.* Ierem.2. *Filij quoque Mempheos, & Taphnes conſtuprauerunt te vſque ad verticem.* Sæpius occurrit modus iſte dicendi apud Ezechielem *cap.23.* His ergo verbis ſignificabat Iſraelitica Synagoga deſerendum eſſe verum, & patrium Deum, & iungenda eſſe connubia, atque commercia cum Gentium idolis, conuiuendúmque cum populis, qui illorum ſe ſacris, & auſpiciis addixerant, à quibus cumulatiùs ſperabat illa omnia præſtanda, quæ deinceps ſigillatim connumerat.

Fornicatio pro ſocietate, ac communione.

29\. *Qui dant panes mihi.*] Proprium erat, & quaſi legitimum ſponſi munus, vt nouæ nuptæ de victu, totóque inſtructu ſponſalitio, ac mundo muliebri commodaret: neque hoc ſine graui aliqua occaſione, ac cauſa; quando illam ex agro aſſumere fingebatur nudam, & miſerabilem, qualis videlicet fuerat à parentibus in ſanguinis volutabro derelicta. Exemplar habes in Canticis c.1. vbi ab ſponſo ornamenta varia accipit ſponſa, & cap.8. vbi ſuſcitata dicitur de terra, cùm ibi iaceret ſub arbore malo. Qua de re multa apud Ezechielem *cap.16.* vbi nos latè. Sed quòd ab ſponſo nouæ nuptæ alimentum omne, atque indumentum accipiant, docet aperte Iſaias *cap. 4.* vbi ſeptem inducuntur mulieres, quæ viri vnius coniugium ambiunt; quóque magis ad nuptiale fœdus inclinent, illum ab ea cura, atque moleſtia liberant, quam aſſumunt de more noui mariti, dum in alendis, atque ornandis vxoribus magnos faciunt ſumptus. *Apprehendent,* inquit, *ſeptem mulieres virum vnum in die illa, dicentes: Panem noſtrum comedemus, & veſtimentis noſtris operiemur: tantummodo inuocetur nomen tuum ſuper nos.* In poſtremis his verbis deſcriptio eſt ſponſi: ab ſponſo enim vxor, ſicuti familiam, ſic etiam accipiebat nomen.

Ab ſponſo tam quæ ad victũ, quàm quæ ad cultum accipit ſponſa.

Dum igitur ab idolis accepiſſe ſe dicit panem, & reliqua, quæ deinde commemorat, oſtendit fœmina illa fornicaria habuiſſe ſe priùs, & habituram poſtea amatores, ſiue ſponſos alios, à quibus & accepiſſet antè, & ſperaret in poſterum, quicquid ad victum, & dignitatem eſſet neceſſarium. In pane autem alimentum omne ſignificatur, quodcumque illud ſit ex Hebræorũ idiomate. Fortaſſe in pane omne intelligitur granorum genus, quod in farinam commolitur, & ex quo ſubigitur atque formatur panis. Tunc verò dare panem nihil eſſet aliud, quàm imbres emittere, quibus creſcunt, & ad granum, & meſſem producuntur ſata. Sed eſt ſuperior expoſitio, meo iudicio, accommodata magis, quia magis ex inſtituto nuptiali, cuius metaphoram toto hoc capite perſequitur Propheta. 30.

Et aquas meas.] In pane, & aqua per ſynecdochen eſculenta, ac poculenta omnia intelliguntur, quæ Scriptura ſacra ad menſam, atque ſplendidum conuiuium adhibet; in quo præter panem, & aquam adhiberi etiam ſolent alia eduliorum genera, ac varia irritamenta gulæ. ſic 4. Reg.6. *Pone panem, & aquam coram eis, vt comedant, & bibant.* 3.Reg.18. *Panis eos pane, & aqua.* Hoc ipſum audis ſæpe *3.Reg. cap.13.* Hoc ego puto veriſimilius, ſi tamen *aqua* in ſua proprietate ſumatur, & non pro rebus, quæ adhibentur ad potum, non magnum videbatur beneficium illud, quod ſpectatur ab aqua, quæ ſponte occurrit, & vltro in hominum vſus, atque in ſinum influit. In aliis fortaſſe locis, aquam alicui porrigere non habetur plurimi, quia res eſt vulgaris, & obuia; at in terra Iſraelitide, quæ irrigua non eſt, ſed de cælo ſpectat pluuiam, eámque in ciſternis colligit, & ſeruat, atque ideo venalis eſt, aliquod eſt beneficium aquam ab aliis accepiſſe. Sic Deus ad filios Iſrael Deut.2.v.6. *Cibos emetis ab eis pecunia, & comedetis: aquam emptam haurietis, & bibetis.* & ibid. v.28. *Alimenta pretio vende nobis, vt veſcamur: aquam pecunia tribue, & ſic bibemus.* 31.

In pane, & aqua omne intelligitur vitæ ſubſidium.

Aqua in terra promiſſionis venalis.

Lanam meam, & linum meum.] In lana, & lino omne comprehenditur tegumenti genus, byſſum, hyacinthum, purpuram, quæque ſubtilia, & multicoloria dicuntur; vario ſtamine, & opere polymito contexta. Talia dicitur Deus ſponſæ ſuæ tradidiſſe *Ezechiel.cap.16.* 32.

Oleum meum, & potum meum.] Oleum non ſolùm eſt, quod ex oliua exprimitur, ſed etiam quod odoriferum eſt, & alio nomine vocatur vnguentum; quod in diebus, conuiuiiſque genialibus adhibetur, quo irrorantur menſæ, & conuiuantium capita; quale eſt nardinum, myrrhinum, 33.

Potus multiplex.

num, & huius alia, quæ sæpe tam in nuptialibus deliciis, quàm in lætioribus aliis festis, atque conuentibus audiuntur. Potus iam aliquid est aliud ab aqua, de qua nuper: aut certè patet multo latiùs; sumitur enim pro quacumque potione, quæ ab arte fit. Sunt autem multa, ex quibus aliquid exprimitur, conditur, aut coctione ex multarum rerum admixtione, & confusione paratur; quæ licèt vinum non sint, vini tamen nomen vendicarunt, quale est quod mulsum dicitur, melicratum, & quod Cant. 8. *vinum conditum, & mustum malorū granatorum.* Athenæus *lib. 1. cap.* 29. quorundam vinorum meminit, quæ variè condiuntur, quale est, quod Authosmias dicitur, propter insignem odorem, item Thasium, Heracleum, & quod myrrhinum, seu myrtinum appellatur. Hæc itaque vina, aut hunc potum accipiebat hæc fœmina ex nobili sponsa iamiam facta prostituta meretrix, ab amatoribus, qui his deliciis aut captare, aut retinere voluerunt meretricis animum. Aliud potionis genus fuit tum apud nationes alias, tum etiam apud Hebræos, licèt minus frequenter, de quo locutam etiam arbitror fornicariam hanc sponsam. Lac non solùm esculentum esse, sed etiam poculentum multa testantur: qua de re nos multa *in cap.* 55. *Isaiæ*, ad illud, *Absque vlla commutatione vinum, & lac.* & Cantic. cap. 5. *Bibi vinum meum cum lacte meo.* De nationibus aliis, satis ibi multa. De Hebræis probant duo nuper citata loca; & *Iudicum* 4. Iahel sitienti Sisaræ lac potandum dedit; nobile videlicet potionis genus, quale principi tanto officij, atque obsequij ergò porrigendū videbatur. Sed probat apertè illud Ezech. cap. 25. *Idcirco ego tradam te Orientalibus in hæreditatem, & collocabunt caulas suas in te, & ponent in te tentoria sua. Ipsi comedent fruges tuas, & ipsi bibent lac tuū.*

Vini multa genera.

34.

Lac poculentum.

35. Grandis sanè stupor Israelitidis Synagogæ, quam hîc Dominus fornicariam appellat: quæ quod à Deo profectum est beneficium, id Gentium idolis acceptum refert. Dixerat olim, vix dum assecuta libertatem ab Ægyptio iugo, Exod. 32. *Hi sunt Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Quasi Ægyptiorum Dij, in quorum numero, & præcipuo in loco boues erant (nota est Ægyptiorum in Apim bouem religio) educturi fuerint Israelitas ex Ægypto, id est, è regno suo, vbi habuere munificentissima sacraria. Siquid præterea pulcrum habuere, siue ad voluptates, atque delicias comparatum; id ab amatorum benignitate, non à Dei beneuolentia, atque liberalitate deriuatum existimabant. Hæc sanè cogitatio est eius, qui non solum pudorem, & humanitatem, sed etiam mentem, ac bonum sensum exuisse videri possit. Dixit hoc idem postea Iuda, ad Israelis imitationem, & exemplar, *Ierem. cap.* 44. *v.* 17. qui similiter ad idolorum insaniam rediit; quasi à Deo sperare nil posset opportunum, *Vt sacrificemus*, inquit, *Reginæ cæli, & libemus ei libamina, sicut fecimus nos, & patres nostri, reges nostri, & principes nostri in vrbibus Iuda, & in plateis Ierusalem, & saturati sumus panibus, & bene nobis erat, malúmque non vidimus. Ex eo autem tempore, quo cessauimus sacrificare Reginæ cæli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & fame, & gladio consumpti sumus.*

36. Vers. 6. *Propter hoc ego sepiam viam tuam spinis: & sepiam eam maceria, & semitas suas non inueniet.*] Meditabatur secum infidelis, ac fornicaria vxor, vt relicto sponso, cuius castus erat, & legitimus torus, ad amatores rediret. Sed verus, ac zelotypus sponsus Deus, vt in fide contineat, atque officio, viam illi præcludit, qua se ad amatores illos, & adulteros aliquis aditus ostentabat. Illa verò siue maceries, siue sepes eiusmodi fuit, vt neque ad illam adulter ingredi, neque ipsa egredi sine dolore, atque molestia ad adulterum posset; transeundum enim erat inter spinas, & superanda maceria, quod neque fieri tutò potest, neque sine sanguine. Hoc ipsum minatus fuerat sponsus idem Deus sponsæ alteri, magis tamen pudicæ, atque fideli, *Cant.* 8. Cùm enim adolescentulæ de sororis suæ, id est, de sponsæ, quam Hebræorum more sororem appellant, constantia, ac fide dubitarent, si quando illius pudori insidias molirentur adulteri; respondet sponsus contra sponsæ infirmitatem, & procorum, seu amatorum fraudes satis à se maturè fuisse prouisum. Si enim murus sit, qui neque pulsatus respondet, neque quemquam admittit, nisi disiectus, illi argenteas pinnas pollicetur; si verò porta fuerit, quæ pulsata resonat, atque respondet, & facile pulsantem admittit, valuas illi cedrinas minatur, quibus sic obstruatur, obseretúrque, vt neque illam egredi, neque insidiatorem pudicitiæ ingredi patiatur. Sic nos locum illum Canticorum in nostris commentariis explicuimus: vbi in muro sponsæ exprimitur constantia, & fides; in porta leuitas, & facilis ad aliorum vota, & petulantiam.

Officiū sponsi amantis & zelotypi.

Vbi vulgatus *spinis*, LXX σκόλοψι; quæ vox sudes significat, aut vallos, quibus muniri castra solent, aut vineæ, atque horti, ne quis eò facile, aut impunitus irrumpat. Sed credo eandem esse, aut non valde dissimilem sententiam. Nam sudes illæ ex quibus sepes, & valli fiunt, ramosæ sunt, & præacutis stimulis, & quasi vepribus horrentes, in quas non aliter se induunt, qui ingressum moliuntur, quàm qui in rubos, aut spinarum plexus inciderunt. Quia verò sponsa hortus vocatur conclusus, & vni sponso peruius, vt legis Cant. cap. 4. *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus*, suarum partium esse putat strenuus custos, ac zelotypus sponsus ita sepire hortum illum tum pariete, siue maceria, tum præterea spinis, quæ non leue hortorum sepimentum est; vt nulli ad carpendos fructus, seu libandos flores pateat accessus. Solere autem vineas, aut hortos non maceria tantùm è saxo muniri, sed etiam vepribus constipatis, & implexis, quæ sepes appellantur viuæ, docet ex profanis Marcus Varro lib. 1. de re rust. cap. 14. *Primum*, inquit, *naturale sepimentum, quod obseri solet virgultis, aut spinis, quod habet radicem viua sepis.* Idem in vsu fuisse in Palæstina in hortis, ac vineis, quæ paulo accuratiùs, aut indulgentiùs ab agricola curantur, docet Isaias *cap.* 7. *v.* 21. vbi ostendit eò esse redigendam rem Iudæorum hortensem, & rusticam vt horti, aui vineæ, quæ propter molliorem curam non vomere, sed sarculo versabantur, non sepiātur spinis, quasi hoc esset delicatioris horti, aut generosæ vineæ sepimentum. *Omnes*, inquit, *montes, qui sarculo sarrientur, non veniet illuc terror spinarum, & veprium.* Hoc porrò ne amatores in vineam irrumpant, aut ipsa egressa foras illos inuitet, aut admittat, duplex adhibet munimentum, alterum è saxo, ac muro, dum ait, *Sepiam ea maceria*; alterum è spinosa planta, & viua sepe adiuncta maceriæ, dum dicit, *Sepiam viam eius spinis.* De huius loci morali sensu latè, & grauiter Gregorius *homil.* 36. *in Euangelia.* & *lib.* 34. *Moral. cap.* 1.

37.

Duo sepimentorum genera.

Optimum sepimentum ex spinis.

38. *Et semitas suas non inueniet.*] Diruperat, vt apparet, fornicaria sponsa maceriam, & è suo claustro atque sponsi præsentia, ad aliorum oculos eruperat gressu petulanti, ac vago, & sæpius iteratæ viæ vestigia impresserat, feceratque semitam tam sibi, quàm adulteris notam. Sed Deus obcæcaturum se dicit semitam illam, & vestigiorum notas turbaturum, ita vt neque viam ipsa, neque callidus adulter inueniat. Suprà ostendimus in amatoribus non tantùm idola, sed etiam idolorum cultores significari; ad quos sæpe confugerunt Israelitæ auxilij petendi gratia, cùm iam haberent, & familiaritate sibi deuinctos, & eiusdem religionis cōsortes. Viam illam interclusit Deus, & priùs Israelitis, cùm sic cōclusi sunt ab Assyriis, vt nihil habuerint ab Ægyptiis subsidij: & deinde Iudæis sub Nabuchodonosor, qui Ægyptiis ad ferendum auxilium, & Iudæis obsessis, ad fugam, & vmbrā Ægyptiorū accessum eripuit. Hoc puto esse vias esse clausas, & semitas non inueniri, antiquas nempe, & tritas, per quas mutuus erat, & alienorū, & Hebræorum hinc inde commeatus.

39. Nam licèt via, vt ita dicam, materialis nota esset, quia tamen iter per illā susceptum nihil erat habiturum momenti, nulla dicitur futura via, iuxta regulam illam Scripturæ quam tradidimus *in c. 3. Isaie, num. 5.* quæ docet, quod inutile, atque otiosum est, perinde haberi, ac si omnino non esset. Quomodo si ægro corpori nihil contulit medicina, medicinam abfuisse dicimus: & si consilium salutare non fuit, nullum fuisse consilium, vulgus hominum dicit, & regem non esse in republica, aut ducem in castris, cùm illorum segnis est, aut inutilis opera. Sic hoc loco negatur fore, aut inuenienda semita; quia illa tam obsessis, atque vexatis, quàm auxiliaribus copiis nullum afferet opportunum vsum.

REGVLA. *Quod inutile est, perinde habetur, ac si nō esset.*

40. Vers. 7. *Et sequetur amatores suos, & non apprehendet eos, & quæret eos, & non inueniet.*] Explicatio hæc est superioris clausulæ, quæ dicebat claudendam, neque inueniendam esse viam ad amatores, quos habuit fornicaria, non minus infideles, quàm infirmos. Quos quia non inueniet, aut certe ab illis nil assequatur opportunum, nullam futuram esse viam ostendit. Illud verò & ante *sequitur*, & *quæret*, particula videtur rationalis potius, quàm copulatiua, in hunc sensum: *Semitas suas non inueniet, quia sequetur amatores, & non apprehendet, quia quæret eos, & non inueniet.*

41. *Et dicet, vadam, & reuertar ad virum meum priorem: quia bene mihi erat tunc magis, quàm nunc.*] Ipsa rerum experientia docuit fornicariam vxorem, etiamsi pudorem relegasset, & frontem fricuisset, tandem ad legitimum torum esse redeundum. Neque enim a ligneis, lapideisque simulacris, quæ neque sentiunt, neque spirant, quicquam in rebus angustis accepit auxilij, neque ab illis in posterum aliquid putabat sperari posse; quod item de aliis, quorum fidei, atque potentiæ se suaque omnia crediderat, existimabat. Quare meliorem mentem, aut assumit nouam, aut reuocat antiquam, dicitque ex vsu sibi fore abiectis adulteris, ex quorum fallacibus promissis nihil præter dedecus, & dignitatis suæ iacturam inuenerat, ad illius complexum, & fidem se referre, quo cum vitam ègit antea pacatam, & felicem. Hoc si homo sapiat discet ex ipso rerum humanarum quantumcumque, aut vbere, aut felici vsu, semper enim ieiunus manet, inquietus, miser, cùm à Domino solo sit vbertas, pax, & solida, atque quieta tranquillitas. Nemo autem

In solo Deo pax & abūdantia, ab aliis nihil solidi.

A erit, qui modò gustauerit aliquando quàm suauis sit Dominus, qui non doctus ab ipsa rerum humanarū inopia, cui plurimum etiam admixtum est fellis, aut dicat, aut sentiat multo esse suauius, atque commodius, cum legitimo sponso Deo, quocumque ab illo modo accipiatur, quam cum adultero, licèt ille potens sit, & quicquid habet facultatis in ipsius delicias liberaliter effundat.

Egere hac de re sæpe, & grauiter Patres, vnum audi Hieronymum in hunc locum, vbi exemplar agnoscit illius adolescentis, de quo Lucas *cap. 15.* quia egressus à paterna domo post amatores suos, id est, post concupiscentias cordis 42.
B sui, consumpsit bona, quæ ab amanti, ac liberali parente acceperat, & cùm egeret, famémque suam siliquis, porcino nempe pabulo exsaturare cuperet, ab hoc agresti, atque vilissimo alimento repellebatur. Tunc verò memor dignitatis vnde exciderat, & abundantiæ, quam in paterna domo antè cognouerat, aperuit oculos suos, dixitque à vexatione doctus, *Quanti mercenarij patris mei abundant panibus, ego autem hìc fame pereo. Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater peccaui, &c.* & pro *filio sponsam* adhibe, & est historia, aut eadem, aut maximè similis. Addit deinde Hieronymus,
C *Ex quo intelligimus quòd prouidentia Dei sæpe nobis accidant mala, ne habeamus ea quæ cupimus & variis calamitatibus huius sæculi, ac miseriis ad Dei seruitutem redire cogamur.*

Quàm inops, & miser, qui à Deo fugit.

Vers. 8. *Et hæc nesciuit, quia ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, &c.*] Stupris coarguit fornicariam sponsam, quæ non cognouerit, à quo fuerint illa bona profecta, quæ ipsius spiritus tam insolenter inflauerant. Porrò *scire*, aut *nescire*, & similia in Scriptura sacra aliquid significant, idque non rarò, practicum, quia cognitio non infirma, & vacua, sed fortis, & efficax esse debet. Quare multi negantur vidisse cælum, quia ex eius aspectu, seu contemplatione, non adducebantur, vt mores componerent, & vitam ad meliorem normam informarent: quomodo duo se-
D nes, qui Susannæ pudori insidiati sunt, dicuntur, *Dan. cap. 13.* non vidisse cælum; quia illius aspectus neque oculos à libidine, neque à rapina manus, neque auaritiam à peruerso iudicio temperauit. de quibus ibi Daniel, *Euerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos, vt non viderent cælum.* Sanè Nabuchodonosor, quo tempore inter belluas fuit, & vitam egit aut belluinā, aut belluinæ similem, sæpe cælum viderat, sicut etiam vident animantes mutæ quantumuis illæ tardæ sint, ac stolidæ: tamē vidisse dicitur cælum post annos septē, quasi nunquā antea vidisset, quia bellua aut belluæ similis ex eo tempore esse desiit. *Dan. 4. v. 31.*
E sic Nabuchodonosor de se: *Igitur post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos meos ad cælum leuaui, & sensus meus redditus est mihi, & Altissimo benedixi.* Sic sanè ille dicitur nescire Deum, cui Dei cognitio vim nullam affert, vt mores mutet, aut obseruet mandata, de qua cognitione efficaci, ac practica est illud Ioannis epist. 1. cap. 2. v. 4. *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.*

43. REGVLA. *Scire aut cognoscere in Scriptura aliquid practicum valet.*

Sic, qui ex beneficiorum memoria ad Dei amorem, & eius explendæ voluntatis studium non excitatur, verè dicendus est nescire, eo, quo explicuimus, modo beneficia illa fuisse à Deo profecta. Et fortasse Propheta iuxta cogitationem hanc dixit ignorasse fornicariam sponsam illa dona, de quibus nuper, data à Deo, & potiùs à 44.

Genti

Gentilium Deorum munificentia profecta existimasse: quia in illorum cultum, & obsequium vniuersa conuertit. Quomodo dicimus ab illo ignorari patrem, qui patrē non obseruat, & colit, cúmque illum alere liberaliter possit, & honeste, fame tamen perire patiatur; neque ab illo accepisse vitam, & opes, qui opibus suis ipsius honorem, & salutem oppugnat. Qualis videri potuit Absalon, qui auctoritatem, quam à rege parente acceperat, & gratiam, quam eo maximè nomine apud populum habuit, in parentis sui exitium armauit. Si sciret namque fornicaria sponsa prudenter, & practicè lanam, linum, panem, & reliqua habere se à sponsi Dei liberalitate, nunquam ad Deorum siue aras, siue alium quemcumque cultum detulisset.

45. *Et argentum multiplicaui ei; & aurum quæ fecerunt Baal.*] Non solùm de victu sponsus, ac vario integumento prouidet sponsæ de more, quæ in lana, & lino intelliguntur, sed etiam de aliis ornamentis, quæ ex auro, siue argēto fiant, siue etiam, quæ in gēmis, pretiosisque lapillis numerantur: vt cōstat *ex Ezech. cap.* 16. vbi hac de re satis luculenter, & latè, quod etiam habes in Canticis, vbi sponsæ dantur aureæ murenulæ cū argenteis vermiculis, & vestis polymita, & varia, quę partē illā, quæ ad femora discissa est, fibulis alligatur aureis. Sic enim interpretor illud Cant. 7. v. 1. *Iunctura femorum tuorum, sicut monilia, quæ fabricata sunt manu artificis*; id est, quæ annulis quibusdam aureis confibulatæ sunt. Sed habemus exemplum antiquius, & nobile, in nuptiis Isaac & Rebeccæ *Gen.* 24. vnde fortasse in Hebræorum populum inducta fuit consuetudo, seruus enim Abrahæ, Domini sine dubio obsecutus imperio, v. 22. *protulit inaures aureas, appendentes siclos duos, & armillas totidem pondo siclorum decem*, quæ dedit Rebeccæ, & v. 53. *Prolatisque vasis argenteis, & aureis, ac vestibus, dedit ea Rebeccæ pro munere.*

46. *Quæ fecerunt Baal.*] Baal in datiuo casu est, quia præfixum habet ל: fecisse autem illi argētum, & aurum, nihil est aliud, quàm illud in idolorū obsequium contulisse. Quod non semel de adultera, atque infideli sponsa questus est Deus Ezech. 16. v. 17. *Tulisti vasa decoris tui de auro meo, atque argento meo, & fecisti tibi imagines masculinas: & sumpsisti vestimenta tua multicoloria, & operuisti illas. Et oleum meum, & thymiama meum, & panem meum; similam, & oleum, & mel, quibus enutriui te, posuisti in conspectu eorum in odorem suauitatis.* Sicut hæc omnia idolis consecrata dicuntur, sic etiam hoc loco, ad quem respexisse videri posset Ezechiel, omnia facta, id est, consecrata dici possent Baal; ita vt non tantùm de auro, atque argento sermo, sed de rebus etiam vniuersis fiat, quod putauit Lyra. Et quidem si verbum *facio* sacrificale sit, non videtur difficile. Quod aliquando valet apud Latinos, sicut ῥέζω, & ἕρδω apud Græcos, à quorum fonte videntur hausisse. In eo sensu sumpsit Virgilius *Eclog.* 3.

Facio, idem quod sacrifico.

Cum faciam vitulâ pro frugibus, ipse venito.

47. Vnde frequens apud Latinos rem facere diuinam, aut sacram, pro sacrificare, & Ezechiel. c. 45. v. 22. *Faciet princeps in die illa pro se, & pro vniuerso populo terræ vitulum pro peccato.* Sed credo illud *fecerunt* referendum esse ad aurum, & argentum, vt textus ipse non obscurè indicat. Tunc verò facere idem est, quod cælare, aut polire aurum, siue argentum, aut ex eo conflare, aut fingere aliquem effigiem, aut emblema. Factum enim argentum illud dicimus quod cælatum est, & aliquo argento illustre, aut certè ex quo formatum est vas; infectum quod rude, quódque communiter iam vocatur massa. Virgil. lib. 10.

Facere argentum idē quod cælare.

Est domus alta, iacent penitus defossa talenta
Cælati argenti: sunt auri pondera facti,
Infectique mihi.

Qua de re optimè Isidorus lib. 15. cap. 17. *Tria, inquit, sunt genera argenti, & auri, & æris, signatum, factum, infectum. Signatum est, quod in nummis est: factum est quod in vasis, & signis: infectum, quod in massis, quod & graue dicitur, id est, massa.*

Quare mihi maxime videtur probabile, & penè certum hoc loco facere argentum, siue aurum Baal, nihil esse aliud, quàm fingere ex eo metallo aliquam effigiem, siue phylacterium Baal, quod siue in aris, simulacrisve Baal locaret, siue ex suo collo amoris, siue religionis profitendæ gratia suspenderet. Dederat, credo, sponsus sui imaginem, aliquod amoris casti symbolum, quod gestaret sponsa, quasi datæ fidei, & coniugalis amoris monumentum, in argento, & auro, quale *Cant.* 8. commendarat sponsæ, cùm dixit, *Pone me vt signaculum super cor tuum.* id est, imaginem mei, quæ pectus tuum consignet, atque ornet. Sed argentum illud colliquefecit adultera, ablataque sponsi effigiē, idolorum induxit. Quam eodem loco statuit, vnde alteram sustulerat, nempe super cor, aut, quod idem est, inter vbera; in auribus, & facie, vbi aut sponsi, aut amatoris effigies, aut symbolum gestari solet. Hinc, vt nuper vidimus, iubetur sponsa, vt *auferat fornicationes suas à facie sua, & adulteria sua de medio vberum suorum.*

Religionis insignia, aut amatorum gestari solita.

Pro moribus locus hic illustris est, & mirè exprimit peccatoris impudentiam, qui, quæ à Deo munera susceperat, illa ad dæmonis voluptatem, & vsus planè nefarios, atque inuerecundos conuertit, & cùm Deus imaginem sui insculpisset animæ, quandiu illa in fide mansit, quasi coniugali, & igne sempiternæ charitatis inussisset; ille tamen exsculpsit inde, exussitque, & dæmonis imagine consignauit sese, & quasi charactere certo illius se mancipium profitetur. Quo quid aut horribilius, aut impudentius? Quòd si venter Deus est, vt dicit Paulus *ad Philip.* 3. si libido, aut quæuis alia inordinata voluptas; sanè ille Dei dona, argentum, & aurum, & ingenij vires, & mentis facultates omnes, quas sibi Deus, & vendicat, & suo quasi charactere consignat, idolis consecrat, & eripit Deo, qui aut ventri, aut libidini, aut aliis intemperantiis animi deliciis impendit. Has porrò voluptates, seu affectus esse hominibus pro Deo, dixit Hieronymus in illud Psal. 8. *Non erit in te Deus recens. Cui Deus, inquit, venter est, Deus ei recens est. Quotcumque vitia habemus, quotcumque peccata: tot recentes habemus Deos. Iratus sum, ira mihi Deus est: vidi mulierem, & concupiui, libido mihi Deus est. Vnusquisque enim quod cupit, & veneratur, hoc illi Deus est.* 48.

Peccatoris insignis impudentia.

Affectus omnes, quibus homo seruit, illi pro Deo sūt.

Vers. 9. *Idcirco conuertar, & sumam frumentum meum in tempore suo.*] Non minus amicè meretur de ægroto medicus, cùm illi cibum porrigit, qui conuersus in sanguinem corpus nutrit, & auget, quàm cùm alimentum subtrahit, aut sanguinem scissa vena; quia non minus interdum ad vitam necessaria est inedia, aut sanguinis emissio, quàm cibus, & mitiora naturæ blandimenta. Fuerat antè Deus in sponsam illam adulteram munificus, quam abundè omni tam alimento, quàm ornamento complexus fuerat: sed illa collatis sibi à Deo beneficiis abusa, amatores sibi vndecúnque 49.

Non minoris beneuolentiæ est auferre data, quàm noua beneficia conferre.

aduncabat: eò progressa stuporis, & amentiæ, vt ab illis habuisse se crederet, quod à vero, atque legitimo spóso recepisset. Quare sapienter Deus, & amanter, quæ dederat ante siue subsidia vitæ, siue dignitatis ornaméta, recolligit, quo tempore adultera magis idolorum studebat religioni nefariæ, vt vel sic cognosceret nihil ab illis accepisse boni, cùm tunc egeret maximè, quando ab ipsis summa omnia sperare posse videretur.

50. *Conuertor & similia per aduerbia exponenda.*

Illud *conuertar*, sicut alia similia, aut exponenda sunt per aduerbium *iterum*, aut *rursus*, aut per præpositionem *re*, adiunctam verbo; quæ apud Latinos repetitionem valet. Quare *conuertar*, & *sumam*, idem est, quod *resumam*, aut *iterum sumam*. Tale est illud Iob 7. *Non reuertetur oculus meus videre bonum*, id est, non iterum videbit bonum. Psal.85. *Deus tu conuersus viuificabis nos*. & Psal.73. *Conuersi sunt, & tentauerunt Deum*.

51. *Et sumam frumentum meum in tempore suo.*] Illud *in tempore suo*, duplicem potest habere sententiam, aut enim tempus indicatur messis, atque vindemiæ, quo vinum in torculari premitur, aut frumenta conduntur in horrea; aut tempus in quo maximus esse solet hominibus illorú terræ prouentuum vsus, atque commoditas. Prior sententia aliena non est ab omnium penè gentiú consuetudine, quæ *tempus suum* vocant prouêtuum, & fructuum, in quo fructibus aduenit tempestiua maturitas, & colligêdi opportunitas. Et hoc modo sumitur Psal. 1. vbi de arbore felice dicitur, *Et fructum dabit in tempore suo*. Tunc verò sensus est, nullum siue ex vite, siue ex semente capiendum esse fructum, quia ille non nisi certo, id est, suo tempore à cultore colligitur. Est autem res omnino molesta, si sata aut vanescant in herbam, neque veniant ad spicam, & granú: aut cùm proxima sunt maturitati, ac messi; aut exuruntur ab vrente vento, aut verberantur, & sternuntur à grandine.

52. *Bona, quorú malus vsus, tunc deficiunt, quando maximè necessaria.*

Hæc explicatio mihi potior; & quia aliis probatur, & quia ipsa non difficilis. Non tamen improbarem siquis illud *suo*, populo accómodet potius, quam segeti, ac vineæ, in hunc sensum. Cùm maiori populus vrgebitur rerum inopia, cùm illi aut siti, aut fame pereundum est, vinum illi, atque frumentum deerit, cùm alij interim rebus abundent sustétandæ vitæ necessariis. Quod suppliciú accommodatum est illis, qui relicto Deo, à quo vno sperari poterat præsidium, & salus, aut in Gentium idolis, aut in brachio carneo, & hominum fide spem, & fiduciam locauerunt. Quæ sententia in sacris literis obuia est. In amatoribus suprà non solùm Gentium idola, sed etiam gentes ipsas idolorum cultrices significari putabamus, quibus se populus tanquam iam eiusdem religionis consortibus adiunxerat. Ab vtrisque populus ille in rebus angustis auxiliú sperabat, ab vtrisque spes populi assiduis Prophetarum vocibus repellitur, ab vtrisque repulsus significatur, & proditus. Deut. 32. v. 37. *Vbi sunt dij eorum, in quibus habebant fiduciam? surgant, & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant*. De hominibus est illud Ieremiæ cap. 17. v. 5. *Maledictus vir qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius; erit enim quasi myrica in deserto. & non videbit cùm venerit bonum*. Ac si dicat, cùm bonum suum aliis aduenerit, nempe imber plantis, aut à cælo vis alia benignior; ipsa tamen à cómuni, & largo cælorú influxu nihil habebit commoditatis. Hoc ipsum fatetur Ierem. *Thren. cap. 4. v. 17.* dú ait expectasse populú, cùm ab hoste Chaldæo premeretur anguste, Ægyptiorú auxiliú, donec vigi-

Promissa oblata, aut bona ab hominibus eëcessa fallacia.

A les, atque attenti oculi spectádo deficerét, neque tamé inde aliquid oblatú esse salutare. *Defecerunt*, inquit, *oculi nostri ad auxilium nostrum vanum, cùm respiceremus attenti ad Gentem, quæ saluare non poterat*.

Et liberabo lanam meã, & linum meum quæ operiebant ignominiam eius.] Liberamus illud, quod ab aliis, siue iniustè, siue violenter retinetur, captiuú puta tyrannicæ addictum seruituti; aut oppressú ab hostili manu; aut ab iniusto carcere; aut ab iniqua vi: seu rem nostrã ab iniusto, atque violẽto possessore. Dei dona, quibus homo fruitur, infidelis, & impius, quasi captiua tenentur, & inuita seruiunt peccatoris studiis, atque consiliis, iuxta illud Pauli ad Rom. cap. 8. *Quia ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis*. Quare cùm ab illius 53. *Peccatori creatura seruiunt inuita.*

B vsu, & dominatu eripiuntur, à seruitute videntur in quoddam libertatis genus vendicari. Vbi vulgatus *liberabo*, Hebr. est והצלתי *hisalti*, quod *auferre* etiam significat. Quare non alius videtur esse sẽsus, quàm quem suprà indicat verbum *auferam*, adiunctum *frumento*, & *vino*; nisi quòd hoc loco quandam habet epitasim, quam optimè vulgatus expressit per verbum *liberabo*. Cùm enim quis ab alio eripit, quod possidebat iniustè, illud videtur asseruisse libertati. Verbum autem נצל *nasal*, non solùm auferre, sed etiam liberare significat. Et optimè accommodatur, cùm nostra ab aliorú iniusto dominatu vendicamus. Quare *Gen.* 31. cùm

C Deus dicitur abstulisse a Labã opes, ac facultates, easque ad Iacob transtulisse, eodem vtitur verbo; quia opes illæ Iacob sexennali seruitio debebantur; quas non tam eripuit à vero Domino, quàm ab iniusto possessore liberauit. Sic autem ibi *v. 31.* duæ vxores Iacob, *Deus tulit opes patris nostri, & eas tradidit nobis, & filiis nostris*. in Hebr. est, *Omnes diuitiæ, quas eripuit Deus patri nostro, nostræ erant*. In lana auté, & lino, omne continetur genus integumenti, licèt neque vinú propriè, neque lana sint. quale est illud quod ex quodam frutice depectunt seres, aut gossipinum, aut bombycinum opus.

Quæ operiebant ignominiam eius.] Hoc loco ignominia illam significat corporis partem, in qua 54.

D maximè apparet turpitudo, quam aliqua ratione esse nudatam instar mortis solet, & debet esse pudicis. Talem autem sponsus Deus inuenerat sponsam hanc infidelem, & adulteram, de qua idem Dominus Ezech. 16. v. 7. *& eras nuda, & confusione plena*. Hanc nuditatem ita cooperuit Deus, vt non solùm ignominiam tegeret, sed etiam ad dignitatem ornaret; ita vt non iam vna censeretur ex ignobili plebe, sed etiam ad Reginæ promoueretur, & nomen, & cultum. *Et vestiui te discoloribus, & calceaui te hyacintho*, &c. Hæc itaque omnia auferenda dicit, eóque spoliandam esse modo, quam tot antea ornauerant

E delitiæ, vt non tantùm regium amittat splendorem, sed etiam grauem subeat ignominiam, & pudorem à nudato corpore. Quod minatus fuerat paulo antè, cùm dixit v. 3. *Et statuam eam secundùm diem natiuitatis suæ*.

In hac autem nuditate aliquid turpe, atque ignominiosum obiicitur; seruilis népe conditio illius populi, qui de statu excidit regio, cùm in Assyriorum potestaté compactus est. Ancillæ auté inter alia seruitutis incómoda hãc etiam contumeliã subire solét, vt indecorè nudentur, & in illarum pudoré nihil non liceat dominorum petulãtiæ. Id sæpe cùm de alicuius populi seruitute sermo est, à Prophetis audimus. Isaias *c. 3. v. 17.* sub honesta metaphora, vt multi volunt, & nos eo loco ostendimus significauit, cùm dixit de filiabus Sion, *Et Dominus crinem earum nudabit*. 55. *Ancillæ indecorè vestita, imò nudata turpiter.*

Idem

Idem de Babylone à Persis subacta cap. 47. v. 2. *Denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum, reuela crura. Reuelabitur ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum.* Idem *cap.20.* de Æthiopia, & Ægypto. *Sic minabit rex Assyriorum captiuitatem Ægypti, & transmigrationem Æthiopiæ iuuenem, & senem, nudum, & discalceatum, discoopertis natibus ad ignominiam Ægypti.* Nahum *cap.3.* de Niniue, *Reuelabo pudenda tua in facie tua: & ostendam in Gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.* Hanc itaque captiuitatem minari videtur Deus adulteræ sponsæ, seruitutem videlicet ignobilem, & habitum, qui non valde pudorem, aut tueatur, aut occultet.

56. Aut fortasse dum nuditatem Deus, & ignominiam minatur, significat reuelandam turpitudinem, & internas animi sordes, quas externa sanctitatis specie, quasi allito fuco artificiosè celauerat. Sæpe etenim contingit, vt externa mundities, & elegantia, & exoticus odor, multa tegant obscœna, vlcerosa, fœtentia; quæ statim sese hominum oculis obiiciunt, vbi alienus ille fucus sublatus est. Quod maximè obseruare licet in illis, quæ meretricium instituunt quæstum, quibus totus splendor ascitus est foris, & aliena mũditiES: quam si detrahas, nihil apparet vilius, nihil turpius, nihil magis ad nauseam. Illarum mũditiem optimè descripsit Terentianus Parmeno in Eunucho. Cùm autem de Gente Israelitide Deus tanquam de fornicaria, seu scorto loquatur, quæ vilis est, & sordida, & si quid habet, quod stultorum capiat oculos, id externum est, optimè in illam hæc conueniunt minæ.

Peccatori à Deo auferẽdus fucus, & nudanda turpitudo.

57. Neque minus aptè ista in illos quadrant, qui nobilitate, atque opibus, quales sunt reges, & qui aliquo aliò nomine, seu titulo commendantur, aut qui aliquo artificio in speciem honesto simulãt vitia, quales sunt hypocritæ, quibus aliquando Dominus fucum detrahet, & personatam sanctitatem; & apparebunt vitia, quibus & ipsi virtutum indiderant nomen, falsò sibi de sanctitatis nomine blandiri, & vulgus hominum tanquam eximium aliquid suspiciebat. Id sæpe contingit in medio vitæ cursu, neque enim celari possunt diu, quæ splendorem habent à simulatione, & fuco. Sed hoc apparet præsertim ad finem vitæ, vbi nudantur omnia, & ad seuerum reuocantur examen, de quo Eccl. cap.11. v.29. *In fine hominis denudatio operum illius.*

Hypocritarum, & potentum supplicium.

58. Vers.10. *Et nunc reuelabo stultitiam eius in oculis amatorum eius.*]Eadem penè sententia redit, ostenditúrque futurũ, vt amatores Gentis Israeliticæ, quibus cũ societate inierat, & quasi connubiale fœdus, illius videant ignominiam, & sordes; cùm deposito regio fastu, & nuptiali cultu ancillarem in modum expedita, & nuda ad ignominiam, & plagam, assideat molæ, & ministerium obeat operosum, & vile. Hi porrò amatores Ægyptij sunt, & Assyrij, quorum aut ambierunt amicitiã, aut coluerũt sacra. Qui posteaquam illa de statu cecidit, atque ea passa fuit, quæ hoc loco prædicuntur ab Osea, illius fortunæ subsannantes insultarunt, de quibus Ieremias Thren.cap.1.v.8. *Omnes qui glorificabant eam, spreuerunt illam, quia viderunt ignominiam eius.*

59. Stultitiam pro peccato sumi, non est in Scriptura nouum, quæ peccatorem planè stultum appellat. Et quidem Philosophus ignorantem peccatorẽ vocat, & *Psal.24.* peccata vocantur ignorantiæ. *Delicta iuuentutis meæ, & ignorãtias meas ne memineris.* Et *2.Reg.13.v.12.* Thamar fratrem suum his verbis à peccando deterret. *Noli frater mi, noli opprimere me: neque enim hoc fas est in Israel, noli facere stultitiam hanc.* Quòd si iustus in Scriptura vocatur sapiens, consequens est vt impius stultus appelletur, & ignorans. Iob cap.28. *Ecce timor Domini ipsa est sapientia, & recedere a malo, intelligentia.* Dixit hoc expresse Ierem.*cap.29.v.23.* vbi sic de duobus pseudoprophetis Achab, & Sedecia. *Pro eo quod fecerint stultitiam in Israel, & mœchati sunt in vxores amicorum suorum.*

Stultitia, aut ignorãtia pro peccato.

Et vir non eruet de manu mea.] Sperabat Israel, si quando ab hostibus oppugnaretur, aliorum auxiliaribus copiis, quos hic amatores vocat, liberatum iri se: quod est aliquando, licèt rarius expertus. Ab hac spe nunc Deus populum depellit, negátque vllam esse potentiam, quæ à sua manu possit quemquam eripere. Quare si dominus adulteram nudauerit, nemo erit qui illius ignominiam operiat. Si ornamentum abstulerit, ornabit illam nemo. Nemo pascet, si ipse frumentum abstulerit, & vinum; denique vulnus, quod diuinus intulit furor, eiusmodi est, vt ab eo solùm sanari possit, qui illud inflixit. Aufert aliquando mortalis homo diuitias, honorem, vires, furando, detrahendo, vulnerando, sed restituit aliquando Dominus, in cuius manu sunt vires, diuitiæ, potestas, gloria. At Deo, si quando hæc auferre velit, quæ sese opponet industria, seu potentia mortalium? 60.

Vers.11. *Et cessare faciam omne gaudium eius; solemnitatem eius.*] Multa erãt Israelitis instituta festa, quæ non nisi Hierosolymis obiri poterant. Quare ab illis in exilio cessandum fuit. Alia quæ non erant aut Solymitano templo, aut certis quibusdam locis alligata, sic peragebantur, dum res floreret Israelitica, vt in eis aliquid esset festiuũ, & lætum, aut certè aliquod appareret solemnitatis, & gaudij monumentum; qualis esset vestis candida, & munda, geniale conuiuium, & diuini alicuius beneficij illustris, & festiua professio. Hæc tamen omnia cessatura dicuntur eo tempore, in quo à diuina manu percussus ille populus, qui fornicariæ sponsæ symbolo notatur, extorris ageret in barbaro, atque alieno solo. Nunc explicemus singula. 61.

In gaudio ego nil sacrum intelligo, puta sacrificium, aut legitimam aliquam solemnitatem in Dei cultum, & beneficij memoriam institutam; sed chorum, & ludos; & delicias alias, quibus se oblectabat populus honestè, & à quotidianis molestiis defessum animum laxabat. Hæc verò cessasse in exilio lamentatur Ieremias Thren. 5. v.14. *Senes defecerunt de portis, iuuenes de choro psallentium: defecit gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster, cecidit corona capitis nostri.* Quasi dicat defecisse dies illos geniales, & lætos, quos obire Israelitæ lauti, ac coronati consueuerant. Sed in *gaudio*, præsertim designari puto nuptialia sacra, quæ apud Hebræos eo peragebantur plausu, & eo splendore, vt nuptiale festum in lætissimarum rerum comparationem adducatur. Sanè cùm Ieremias *cap. 29. v.10.* cessaturum dicit omne gaudium, illud nuptialibus deliciis, & geniali conuiuio complexus est, prouerbiali, vt reor, specie; connumerat enim ea, quæ in nuptialibus sacris interuenire solent. *Perdam*, inquit, *ex eis vocem gaudij, & vocem lætitiæ, vocem sponsi, & vocem sponsæ, vocem molæ, & lumen lucernæ.* Eadem penè *cap. 7. v. 34. & cap.16. v.9.* & huc allusit Ioannes *Apoc. cap.8.* vbi etiam vox molæ cum voce sponsæ, & lumine lucernæ coniungitur. 62.

Nuptiale gaudiũ pro maximo.

Digitized by Google

63. *Solemnitatem eius, neomeniā eius, & sabbatum eius.*] Neomenias, & sabbata adducit exempli gratia, in quibus alia intelliguntur festa, quæ neque pauca apud Hebræos, neque vulgaria fuerunt. *Neomenia quid, & cur instituta.* Hæc porrò duo festa sæpe annis peragebantur singulis; neomeniæ quidem, quæ etiam appellantur Kalendæ, ineunte luna, id est, in singulorum mensium initio, in memoriam eius beneficij, quo Deus vniuersum gubernat. Hæc verò solemnitas ideo in neomenia, id est, primo lunæ die peragitur, quia res humanæ præcipuè ad lunæ motum variantur, seu, quod putat Ribera *lib. de festis Iudæorum, cap. 2.* quia sicut frugum omniũ primitias Deo libamus, sic etiam temporum initia, quæ lunæ periodo renouati, aut inchoari existimantur, Deo item consecrari debent. De neomeniis vide *Numer. cap. 28. & 29.* Sabbatum singulis hebdomadibus, quo tempore creationis rerum memoria renouatur.

64. Vers. 12. *Et corrumpam vineam eius, & ficum eius: de quibus dixit: Mercedes meæ hæ sunt, quas dederunt mihi amici mei.*] Suprà auferendum esse dixerat frumentum, & vinum: vt fame ipsa, ac necessitate cogente ad virum suum, & legitimum torum reuerteretur adultera. Nunc aliquid addit amplius, & dicit non solùm fructus, qui è radice funduntur, sed etiam spem omnem fructuum, esse tollendam. Corrumpentur etenim vineta, vnde vinum, & ficeta, in quibus intelliguntur arbores, & arescent, siue ab imis excindentur radicibus, ne quid boni ab illis in posterum sperare possit. *Vites, ac ficus in Palæstina frequentes.* Vtitur autem hîc vineæ, & ficus potius, quàm aliarum plantarum nominibus, quia hæ Palæstino solo magis sunt familiares, & nobiles; ex quo fit vt sæpe in Scriptura sacra duæ hæ plãtæ inueniantur coniunctæ. Neque necesse est id confirmemus exemplis, quando occurrent obuia mediocriter attentis. Vnum sit pro multis illud *Numer. cap. 13. v. 24.* vbi exploratores vt aliquod specimen promissæ terræ, his, à quibus missi fuerant, referrent, vuas protulerunt, & ficus, ex quibus quanta esset regionis vbertas, & illius proprietas, & natura cognoscerent; quibus etiam addiderunt mala punica, quia hæc etiam vernacula sunt Palæstinæ. *Absciderunt,* inquit, *palmitem cum vua sua, quem portauerunt in vecte duo viri. De malis quoque granatis, & de ficis tulerunt.*

65. Hæc alij ferme interpretes, neque mihi displicet; sed tu vide an aliquid hîc sit arcanum magis, magisque ad nuptiales ritus accommodatum, ego sanè sic arbitror, neque meo iudicio, sine fundamento. Notum est sponsam inter Hebræos emi solere dotali pretio, vt habemus in hoc Propheta, hoc ipso capite, vt exponemus statim ad illud v. 15. *& vallem Achor*, & iterum *cap. 3.* vnde sponsa à nouo marito emi dicebatur, vt dicemus ibi. Est autem veri plusquam simile fundum aliquem à sponso præberi nouæ coniugi, qui dotalis esset, & ad vxoris vsum pertineret. Id colligere mihi posse videor, ex eo quod statim subiicitur, *& vallem Achor*, & quòd vineæ dotalis *Cant. 8.* sponsa meminit, quam ab sponso acceperat. *Vinea fuit pacifico*, &c. vbi nos in eam sententiam plura. Dederunt, opinor, amatores illi, quasi sponsi, dotalem vineam, qua sponsa illa vteretur pro sua, aut, quod verius est, vineam illam ab sponso legitimo dotis nomine acceptam amatorum suorum indulgenti liberalitati tribuebat. Vt autem suprà argentum, & aurum, frumentum, & oleum, quod ab sponso acceperat, habere se dicebat ab amatoribus aliis *v. 5.*

A quæ tamen Deus illi contulerat *v. 8.* atque ideo ab illa Deus abstulit; sic quia vineam, & ficum, quæ habebat à Dei liberalitate, adulteris adscripserat, ideo minatur Deus fundum illum dotalem esse corrumpendum: ne qua pars illius ad sponsæ commoda pertineat.

Et ponam eam in saltum.] Explicat quomodo sit 66.
dotalis illa vinea corrumpenda: eo nempe modo, quo Deus euerti aut perire permisit vineam illam, de qua *Isaia cap. 5.* quam cùm conseuisset nobili germine, ornassétque, atque instruxisset luculèter maceria torculari, ac turre, postea tamen direptã sepe, & pluuia de cœlo prohibita, cõculcata est, & dissipata à belluis, spinis, & fruticibus *Status animæ à Domino desertæ.*
B obsita; ita vt in syluarum similitudinem efferata, non iam amplius vinea, aut hortus, sed ferarum latibula appellari debeat. Hæc de illa vinea Isaias; eadem, vt arbitror, hoc loco Oseas: neque enim aliud est vineam illam in saltum conuerti, & syluestribus feris conculcandam, atque comedendam permitti. Hoc idem sub eadem metaphora expressit idem Isaias *cap. 7.* dum vineam vberem, & egregiè munitam spinarum vallo, in saltum esse conuertendam affirmat. *Et erit in die illa omnis locus, vbi fuerint mille vites, mille argenteis, in spinas & vepres erunt: cum sagittis, & arcu ingredientur illuc.* Illa vinea dotalis fuit, terra vber, & pinguis, ad quã Deus traduxit populum, quem ex Ægyptia
C seruitute liberauit, desponsauitque sibi non multo pòst ad montem Sinai: quam propter adulteria, id est, propter impia sacra, quæ relicto Deo non minus infideliter, quàm impudenter obiit, euerterunt Assyrij, deinde Chaldæi, ac tandem Romani. ita vt non solùm ornamento, & fructu, sed etiam stirpe, cultoréque vastauerint. Ita penè Hieronymus, vbi speciem vides, & viuum quoddam exemplar animæ, quam deserit Dominus; & quasi tenebricosis, tartareisque belluis calcandam, ac deuorandam permittit.

Vers. 13. *Et visitabo super eam dies Baalim.*] Baa- 67.
lim ambiguam habet significationem, significat enim idola, vt reor, omnia, quæ à Baal, Deo vi- *Baal quid.*
D delicet communi, & notissimo vicinarum Gentium nomen acceperunt. Item dominos, & maritos; nam vxores honoris gratia, dominos suos coniuges appellant. Est autem lusus quidam elegans in ambiguo: ita enim coluisse dicitur adultera sponsa amatores adulteros, vt ostendat quinam sint amatores illi, qui in obscura metaphora latebant, nempe idola, quibus cum metaphorica luxuria libidinata est. Dies autem Baalim fortasse dicuntur illi, quibus aliquando inter Israelitas dominata sunt idola: cùm non *Dies modò rem lætam, modò tristẽ, & aduersã significat.* solùm aromate, & optimis quibusque frugibus, sed etiam filiorum sanguine illorum imbuebantur, & ornabantur aræ. Dies etenim licèt inter-
E dum aliquid significet aduersum (quomodo dies Ierusalem vocatur ille, in quo fuit à Babyloniis euersa. Psal. 136. *Memento Domine filiorum Edom in die Ierusalem.* Tamen plerunque dies pro eo tempore vsurpatur, in quo aliquid alicui contigit festiuum, & ex voto. Quomodo dies Domini dicitur, in quo Deus iudicando vniuersum suam hominibus ostendet potestatem, & gloriã, *Ioel. cap. 2.* Et ad eos qui sacrilegas manus intulerunt Christo dictum est, *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* quia nempe tunc obtinuerunt, quod optabant, & potestatem habere visi sunt, vt facerẽt, quod priùs habuerunt in votis. Sic etiam dies illi, de quibus hîc Oseas, videtur esse Baalim, quia idolis tunc libabantur illa, quæ apud Israelitas

litas magno erant in amore, ac pretio, quæ erepta Deo vero, Baalim, id est, dæmones desiderarant antè, & nunc, quod essent tandem adepti, triumphabant. Dies autem, & tempora per metonymiam vsurpari pro his, quæ fiunt in tempore; sicut locus, pro iis, quæ in loco continentur, satis est tam apud sacros, quàm apud profanos scriptores vsitatum, & frequens. Quæ verò sint illa, quæ populus ille fecit, & quæ visitabit Deus in diebus Baalim, statim ostendit. Porrò *visitare* idem esse aliquando quod punire, iam antè diximus; in hunc certè sensum in præsentia accipiendum est.

68. *Quibus accendebat incensum, & ornabatur inaure sua,* &c.] Omnia, quæ in cultum veri Dei, sponsique legitimi præstare debuit spósa fornicatrix, illa eadem exhibuit Baalim quanto potuit studio ac diligentia. Persequitur autem Propheta meretricis metaphoram, quæ vt amatorum, oculos alliciat, & captet, omne adhibere solet artificium, omnia lenocinia, & blandimenta libidinis. Quare vestes induit elegantes, & mundas, & quicquid splendet in gemmis, quicquid nitet, & radiat in metallis. Quòd si quid vitiosum est in oculis, & horret in tota facie, illud fuco & putida quadam hypocrisi dissimulat, ita vt pro naturali facie alienam laruam, seu mendacem quamdam formam obiiciat. Id faciebat adultera sponsa cùm inire vellet amatorum cubile, id est, cùm impias aras aut suffiret aromate fumante, aut imbueret victimarum sanguine; hoc est etenim fornicari. Tunc ornabat se ad voluptatē illorum, quorum operabatur sacris, & seruiebat studiis; Gentilico videlicet ritu. Eo videlicet modo, quo Dialis sacerdos, & Flamen, aut Veneris mystæ, aut Phrygiæ Cybeles Corybantæ, aut aliorum Deorum impuri sacerdotes ornabantur; longè ab ea munditia, atque habitu, quem ad pias victimas Deus in suis sacerdotibus exigebat.

Quàm effusi sumptus, & ardens studium in dæmonum cultu.

69. Porrò in sacerdotibus, aut etiam his qui sacris interessent, nihil patiebatur immundum tam sacra, quàm profana religio, & quia profanum in modum ad Gentilium exemplar meretrix illa metaphorica sese ornabat ad torum adulteri, id est, ad sacrificium, & aram: ideo non erit abs re strictim attingere, quam munditiam ad sua sacrificia commendarat nimium in hac sua religione superstitiosa Gentilitas. Ferebant primùm puras manus, quas abluebant priusquam aras, aut sacra tangerent, aqua viuente. Sanè arceri legitima quadam formula à sacris, quibus manus non essent puræ, docet Liuius lib. 41. *Cum omnis,* inquit, *præfatio sacrorum eos, quibus non sint pura manus, sacris arceat.* Ouid. *lib.* 4. *Fastor.*

Quanta sacerdotum mundities, dum sacrificiis dant operam.

His Dea placanda est: hæc tu conuersus ad aras
Dic quater, & vino perlue rore manus.

Æneas apud Virgilium *lib.* 2. negat sibi licere contrectare sacra, donec manus abluerat quas cruentas habebat, & pollutas à Græcorum cæde.

Tu genitor cape sacra manu, patriósque penates
Me bello è tanto digressum, ac cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero.

70. Plura inuenies apud Brissonium de formulis *lib.* 1. eandem in vestium munditiam adhibebant curam, vt idem Brissonius suprà multis ostendit. Tibullus *lib.* 1. *eleg.* 10. cùm de sacrificio quodam esset sermo, dicit:

Vestiũ munditiẽs in sacerdote.

Hunc pura cum veste sequar, myrtóque canistra
Vincta geram.

Et statim *lib.* 2. *eleg.* 1. tam vestium, quàm manuum puritatem commendat.

Casta placent superis, pura cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Virgil. *lib.* 12. *Æneid.*

——*Puraque in veste sacerdos.*

Vbi Seruius puram appellat vestem, quæ neque funesta est, neque fulgurita, neque maculam habet. Ad hunc, credo, modum ornabat se hæc idolorum cultrix, seu metaphorica adultera; addideratque, quo metaphoricus concubitus, id est, sacrificalis opera gratior accederet, ornamenta alia meretricia; monilia videlicet, & inaures.

Hæc eadem à suis exigit Dominus. Multa occurrunt in Scriptura sacra testimonia, in quibus commendat Deus vt vestimenta sint candida, ac pura: sed probat totus liber Canticorum Salomonis, vbi sponsæ cultus describitur elegans, & mundus; & *c.* 16. *Ezechiel.* vbi ablatæ dicuntur sordes à puella, quæ iacebat in sanguine, & nuptiales traditæ vestes, atque deliciæ. Sed est optimus locus *Exod. c.* 19. in quo Deus mundari iubet indumenta illorum, quibus cum propiùs agere, atque familiariùs vult. Sic autem ibi Deus ad Moysem v. 10. *Vade ad populum, & sanctifica illos hodie, & cras, lauéntque vestimenta sua, & sint parati in diem tertium: in die enim tertia descendet Dominus coram omni plebe super montem Sinai.* Quod vt iussum à Moyse fuerat, præstiterunt Hebræi. Addit tamen Iosephus populum illum cultioribus se vestimentis ornasse; quo tempore ad futurum sibi propiùs Deum expectabant. 71.

Deus externam etiam munditiem in sacerdotibus commendat.

Nunc ergo queritur Deus, quòd ornatum, quem sibi legitimo, & vsqueadeo liberali sponso seruare debuit, ad Gentium idola, quasi ad impurum adulterorum thalamum detulerit; immemor omnino, & sponsi prioris, & quòd ab eius liberali manu multiplex illud ornamentum acceperit. 72.

Vers. 14. *Propter hoc ecce ego lactabo eã.*] Satis hîc ostēdit Dominus ingenium suum munificum, ac mite; & quanta ad benefaciendum feratur animi promtitate. Est autem hoc Deo penè familiare, vt cùm illa hominum peccata proponat, propter quæ barathrum mereantur, aut fulmen, & cùm horribilia minatus est supplicia, statim ad veniam verbis propemodum supplicibus inuitet. Multa sunt in Scriptura sacra admirabilis huiusce humanitatis documenta. Vnum accipe in eadem omnino causa, imò in eadem prorsus allegoria. *Ierem. cap.* 3. connumerat eadem propè Deus, quæ nunc in Israelitide Gente flagitia; deinde hortatur infidelem, & inuerecundam sponsam, vt ad pactum redeat coniugale, & ad thalamum, quem tandiu, ac toties infideliter prodidit. Quod facit hic etiam sine dubio Deus. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen reuertere ad me, dicit Dominus: & ego suscipiam te.* & statim v. 3. *Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Ergo saltem amodo voca me: Pater meus, dux virginitatis meæ tu es.* 73.

Tunc Deus peccatori benignius veniã promittit, cùm de se actum putat propter vitæ turpitudinem.

Illud *propter hoc* magnopere languentem peccatoris animum spe futuræ veniæ confirmare debet; ideo, inquit Dominus, blanditiis verè amantis animi, reuocabo ad statum antiquum, & sociale, seu coniugale fœdus, vt id totum humanitati meæ tribuat, quod ignoscam; & vltro non prouocatus vllis meritis ad amandum alliciam. Quare cùm auersam videam, & nihil minus quàm de renouanda fide, & repetendo con- 74.

Digitized by Google

nubio cogitantem; neque appareat aliquid, quod studium meum, & beneuolentiam promereat: imò potiùs multa, quæ alienent animum, & furorem instimulent, a meipso sumam, quòd in illam clementiùs afficiar, & blandiùs aduocem, & mollius amplectar. Propter hoc igitur lactabo eam.

75. Est qui hæc referenda putet ad illud v. 7. *Vadā, & reuertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quàm nunc.* Quasi dicat Deus, ideo illā esse lactandam tractandámque benigniùs, quia iam suis infortuniis edocta ad virum suum redire statuerat, quòd Deus consilium compensare, & tueri voluit illo nouo, ac liberali beneficio. Sed sanè longum esset hyperbaton, quale in Scriptura sacra rarum est. Potiùs ego crediderim ideo dixisse Dominum lactandā esse sponsam, ornandámque magnificè, quia spoliata ornamentis, & dotali vinea, tunc deinde aliorū oculis ignominiosè nudata, satis pœnarū dedisse videbatur. Illius igitur misertus Dominus reuocabit in patriā quasi ad dotalem vineā, & ad vallem Achor, vbi ea beneuolētia, ac studio cōplexus est, quo priùs, antequam ab amplexu, & thalamo ipsius excidisset. Quæ sententia apud Prophetas non semel auditur, apud quos sæpe Dominus quasi dolens quòd populus tam grauia apud externos patiatur, reditum pollicetur, & fortunam, statúmque priorem. Mitto expositiones alias, quia admodum sunt difficiles & obscuræ, tres hasce tantùm attigisse contentus: ex tribus mihi extremæ placent, neque definire possum vtra magis; in postremam hanc magis propendet animus.

76. *Lacto quid.* Vbi vulgatus *lactabo*, Hebr. est פתה *patah*, quod multa significat, *seducere, suadere, allicere, blandiri*, & ideo varij variè conuertunt. Tigurina *pelliciam*, LXX *seducam*, seu *decipiam*, Græcè πλανῶ. Sed si rectam, & institutam allegoriam, & filum orationis consideres, nemo meliùs vulgato Hebraicæ vocis vim, & proprietatem expressit. Significat, opinor, verbum פתה verbis vti ad persuadendum mollibus: qualibus nimirum amatores vtuntur ad fœminam, cuius nuptias, aut consuetudinem ambiunt. Quare etiam blandiri valet, & illecebris aliquem ad sua siue vota, siue voluptatem pertrahere. Quia verò ea frequenter modò à suis amasiis puellæ simplices, & incautæ in fraudem inducuntur, fit vt פתה *blandiri, pellicere, lenocinari*, atque etiam *lactare*, idem sint omnino

77. quod *seducere*. Sed reuera verbum illud, siue fraus intersit, siue sermo sit syncerus, & simplex (neque enim magis hoc, quàm illud importat) orationem significat benignam, liberalem, suauitatis, & beneuolentiæ plenam. Sanè mollis erat, & illecebrosa oratio illius fœminæ, de qua Prou. 5. v. 3. *Fauus distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius; nouissima verò illius amara quasi absynthiū, & acuta quasi gladius biceps.* Et iterum *cap. 5. v. 15.* vbi meretrix in hunc modum cum adolescentulo loquens inducitur. *Egressa sum in occursum tuum, desiderans te videre, & reperi. Intexui funibus lectulum meum, straui tapetibus pictis ex Ægypto: aspersi cubile meum myrrha, & aloe, & cinnamomo: veni, inebriemur vberibus*, &c. Hæc oratio blanda est, & fallax, quæ fucum facit adolescentibus, & illos ad mortem capit, & illaquear. Sed orationes quamplurimæ verè amatoriæ sunt dulcissimis instructæ illecebris, stillantes melle, castum redolentes amorem, quibus omnis abest fucus, & dolus, qualem ab hoc sponso legis *Ieremiæ cap. 3.* & plures in Canticis Salomonis, & qualis sine

A dubio est hæc, quam habiturus dicitur sponsus ad sponsam, quam ad torum, & fidem reuocare studet.

Verbum *lacto*, vt putat Sextus Pompeius, frequentatiuum est, ab antiquo *laico*, vnde deriuatur *allicio, illicio*, & ab his *allecto, illecto*, quod idem est, quod *allicio*, & *attrabo*. Licèt autem interdum nihil contineat captiosum, & fallax, sed tantùm sit amoris plena, & suauitatis oratio; tamen quia sæpe eo dicendi, & suadendi genere vtuntur veteratores, & callidi, fit vt sæpius in peiorem partem assumatur. Sic Terentianus Simo in Andria. 78.

Tune impune hec facias? Tune hic homines adolescentulos

B *Imperitos rerum, eductos liberè, in fraudem illicis?*
Sollicitando, & pollicitando eorum animos lactas?

Et iterum apud eundem adolescens Charinus,

Non tibi satis esse hoc visum solidum est gaudium,
Nisi me lactasses amantem, & falsa spe produceres?

Ex sacris sunt illa Prou. 1. *Si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis.* & cap. 16 *Vir iniquus lactat amicum suum.*

Quæ sequuntur, aliter ab, aliis, atque aliter explicantur, neque, vt arbitror, malè, & satis ad mores opportunè, quæ ego nunc omitto, quia apud suos auctores videre promptum est; neque illa refutare, aut infirmare admodum gratum; 79.

C præsertim cùm ij sint, quos ego, & amo plurimum, & obseruo. Ego puto his verbis contineri, quæ apud Hebræos in nuptialibus sacris solemnia sunt, vt pluribus ostendimus in nostris commentariis super Cantica *prolegom.* 3. vbi pluribus ostendimus, quæ in illis Canticis occurrunt, illa omnia in quotidianis Hebræorum nuptiis inueniri. In nuptialibus autem sacris primo loco ponitur sponsæ vocatio, id est, oratio sponsi, suauitate atque amatoriis illecebris plena, qua ad sui amorem desidem, & in amore languentem sponsam allicit. Quæ oratio partim in quinto capite, patim in secundo continetur: vtroque autem loco spōsa refert, quid ante illum temporis articulum sponsus fecerit, dixeritque in quinto ab illis *Qualia verba sponsi ad sponsam, & Dei ad animam.*

D verbis. *Ego dormio, & cor meum vigilat*, vbi orationem repetit, qua nihil mollius, nihil potest excogitari potentius ad excitandum amorem. *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Quod reliquum est illius orationis amatoriæ, atque lactantis, repetit *cap. 2.* ab illis verbis, *surge, propera amica mea, columba mea, & veni.*

Quæ verò extra ciuitatem in agro suburbano peragebantur nuptiæ, ad solitudinem euocabatur sponsa, vt apparet ex oratione tota, quam sponsa repetit *cap. 2.* quæ eò spectat, vt in agro eo 80.

E tempore proponantur illa, quæ animum ad nobile illud rusticationis genus inuitant, quales sunt florentes vineæ, germinantes ficus, vox turturis, &c. & remoueantur, quæ egressum illum in solitudinem, & agrum retardare poterant, qualis est hyemalis asperitas, & importunus imber. Accedit, quòd, vt diximus paulo antè, vinea sponsa coëmitur dotali, peramœna, atque vbere. Hanc etiam hoc loco spectare licet in valle Achor, & in eius vinitoribus, quod reliquum est capitis multa complectitur, quæ à re nuptiali separari non possunt. Quare hæc omnia iuxta nuptiales ritus explicabo; cuius cogitationis veritas præter alia complura, ex eo apparet, quod iuxta illam expeditum est, & continens orationis filum.

Digitize

silum. Quæ verò hîc obiter, ea nunc paulo accuratiùs explicabimus. De lactatione seu blandiciis, quibus sponsæ animus ad redamandum inuitatur, satis, vt credo, dictum est.

81. *Et ducam eam in solitudinem.*]Hæc est altera pars epithalamij sacri, seu nuptialium sacrorum. Lactat priùs Dominus sponsam, dum verbis amatoriis illi blanditur; & eo consilio lactat vt ad solitudinem, vbi de more maxima sacrorum illorum pars peragitur, educat. Porrò extra ciuitaté assumi magna ex parte geniales delicias, & illos, qui sacra illa exornant, & exhilarant, hymenæos ludos, multa probant. Primùm oratio illa sponsi, quam sponsa repetit, quæ eò tota confertur, vt ex cubili, & vmbra in agrum euocetur sponsa. Deinde quia *cap.* 8. cùm exacto iam die in vrbem reditur, & sponsi domum, vbi extrema exhibetur scena, sponsa dicitur venire de solitudine, atque deserto in geniali ferculo. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dile-*

Extra ciuitatem celebrata Hebræorũ connubia.

82. *ctum suum.* Et eapropter domus erat publica, vbi nuptiales fiebant ludi, quam Ieremias *cap.* 39. *v.* 8. domum appellat vulgi: de qua nos in illum Ieremiæ locũ pluribus. De quo Hadrichomius in Ierusalem num. 45. *Domus*, inquit, *vulgi, vbi meculationibus se exercebant, & publica conuiuia celebrabant, ac epulis, lusibus, & ambulationibus animum reficiebant.* Id ad extremum docent infelices illæ nuptiæ filiorum Iambri, quæ conuersæ sunt in luctum, de quibus *lib.* 1. *Machabæorum cap.* 9. *v.* 37. Quæ, vt ex adiunctis constat, in solitudine celebratæ fuerant. Cùm ergo sponsus affirmat adulteram esse in solitudinem deducendam; nil aliud promittere videtur, quàm iterandos, seu renouandos ritus, quibus fœdus connubiale contrahitur: aut certè clarius matrimonium, cuius prima quasi libatio in solitudine fit.

Domus in agro pro nuptialibus sacris.

83. *Et loquar ad cor eius.*] Quis dubitat in solitudine vbi totus ponebatur dies, maximè cùm iam præcessisset illa lactatio, qua noua coniux in solitudinem vocata est, non fuisse spósum locutum quàm mollissima verba, qualia non respuit nuptialis illius diei consuetudo vetus, & quasi legitima religio. Loqui porrò ad cor, idem est, quod loqui amatoriè, ac blandè, & talia denique verba, qualia sunt in audientium votis; aut quæ eò tendunt vt cor alicuius capiant, & ad redamandum alliciant; aut certè cor exhilarent mœrore contractum. *Genes. cap.* 34. vbi de Sichem vulgatus, *Tristémque deliniuit blanditiis*, Heb. est, *locutúsque est ad cor puellæ:* & Ruth *cap.* 2. cùm Ruth verba accepisset à Booz beneuolentiæ plena, dixit v. 13. *Consolatus es me, & locutus es ad cor ancillæ tuæ.* Isaiæ cap. 40. v. 2. *Loquimini ad cor Ierusalem, & aduocate eam.* Sed est accommodatum exemplum, & huic quàm simillimum, illud *Iudic. cap.* 19. *v.* 3. vbi cùm Leuites reducere ad se vellet fugitiuam sponsam, & verbis vteretur ad illud studium, ac curam accommodatis, amatoriis videlicet, & mollibus, eisdem vsus est verbis, quibus nunc Dominus apud Oseam. *Secutus est eam vir suus, volens reconciliari ei, atque blandiri, & secum reducere.* Vbi vulgatus *blandiri*, Hebr. est, *loqui ad cor.* sicut etiam transtulere Septuaginta.

Loqui ad cor quid.

84. Vers. 15. *Et dabo ei vinitores eius ex eodem loco, & vallem Achor ad aperiendam spem.*] Locus iste valde torsit, & distraxit interpretes, quorum sententias referre, neque otium est, neque animus, quia neque improbare, neque infirmare lubet; breui tantùm referam, quæ aliis multis placuisse video. Et primùm obiectuo, vbi vulgatus habet *vinitores*, Hebr. esse כרמים, quæ vox aliter, atque aliter notata, *vinitores* valet, & *vineas.* Si legas כרמים *keramim*, vineas, si tamen כרמים *coremim* vinitores significat. Vulgatus *coremim* legit, atque ideo reddidit *vinitores.* Sed si rem accuratiùs expendas, non multum refert siue hoc, siue illo modo legas; neque enim vinitores esse possunt, vbi vineta non sunt: & qui alicui vinitores largitur, vineam existimatur dedisse, & insuper, qui vineam curent, & colant.

85. Deinde videndum, quæ sit vallis Achor, & quæ illius nominis notatio. Achor vallis est prope Iericho, vt constat *ex Iosue cap.* 7. sic appellata, quia ibi confusus, & conturbatus est populus, propter peccatum Achan, qui contra Domini præceptum de Ierichuntinis spoliis aliquid sumpsit, quæ auaritia ingenti dolore, ac clade populum affecit. Quare oppressus conspirante populo lapidibus nomẽ dedit loco; qui ex eo facto vocatus est Achor, de quo Hieronymus in Epitaphio Paulæ. *Vallis*, inquit, *Achor, id est, tumultus, atque turbarum, in qua furtum, & auaritia condemnata est.* Damnato autem Achan, & illius morte propitiato, atque expiato populo, res deinde bellica, & vrbium expugnatio meliores cœpit habere successus.

Achor quid.

86. Ex hoc euentu varia à variis informatur expositio, & assignatur ratio, cur fugitiuæ sponsæ ad aperiendam spem promiserit Deus vallem Achor. Quidam in Achor tribulationem indicari opinantur; & quia tribulatio via quædam est ad quietem, & gloriam, ideo vt spem concipiat libertatis, & veniæ, quæ à Deo sese per adulterium subduxerat, illi promittitur Achor, quæ non longè abesse solet à salute. Ita Hieronymus, & cum eo Haymo, Rubertus, Albertus, & Lyra, iuxta illud Pauli ad Rom. 5. *Tribulatio patientiam operatur: patientia probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit.* Est quidem hæc expositio satis ad mores. Sed fortassè non ita satis ad literam.

Tribulatio pacem & felicitatem antecedit.

87. Rab. Dauid reuersurum putat captiuum antea populum in terram suam; & per eandem regionem, quasi per ostium ingressurum, per quam primùm, Iosue duce, ipsius parentes ingressi sunt, per vallem videlicet Achor, quæ occurrit statim traiecto Iordane prope Iericho: sed non eodem successu. Ibi enim propter anathema Achan turbatus est populus, & malè concisus cùm primùm in promissa sibi terra vestigia posuit. Sed modò longè aliter; ibi enim quasi adita, seu repetita possessione, spes excitabitur, firmabitúrque, neque amplius dicetur Achor, id est, turbatio, seu tumultus, sed ostium spei. Sic enim legit ibi Rab. Dauid, & è recentioribus plerique.

88. Hæc sententia placuit quibusdam ex nostris, quoad illam saltem partem, quæ asserit per idem ostium ingressos esse primùm ex deserto filios Israel, & ex exilio postea in patrios fines fuisse reuocatos, atque ideo in valle Achor apertam esse spem, quia ibi antiquæ hæreditatis reperita possessio. Sed est sanè difficile creditu per idem ostium tam ab exilio reduces, quàm primos expugnatores à deserto in terram promissionis intrasse. Quia neque ab eadem regione vtrique profecti sunt; neque in Scriptura sacra, quod ego viderim, aliquod apparet huiusce cogitationis pertenue vestigium.

89. Ego hîc allegoriam continuari puto sumptam è nuptiali apud Hebræos consuetudine, vb fun-

Dotali fun-

de sponsa coëmpta.

dus aliquis, qui plerunque hortus est, aut vinea dotis nomine a nouo marito sponsæ tribuitur, id nos pluribus ostendimus *Cant. cap.* 8. ad illud, *Vinea fuit pacifico.* Ad quem locum allusum videtur ab Osea, dum vallem Achor tam liberali manu tradendam esse dicit sponsæ. Est autem, vt illo Canticorum loco diximus, aut vallis eadem, aut non valde ab ea dissitus locus, quæ modò dicitur Achor, & quæ alibi Engaddi, & *Canticorum* 8. Baalhamon, pro qua noster interpres reddidit nominis explicationem, nempe, *in ea, quæ habet populos.* Hæc enim omnia esse prope Iericho in loco vberrimo, & non longe ab eo loco, vnde ex solitudine in geniali ferculo in sponsi Solymitani domum traducebatur sponsa, satis ex Scriptura, sacrisque scriptoribus constat. De Achor non dubium ex historia Iosue *cap.* 7. & docet Hieronymus de locis Hebraicis. De Engaddi docet Iosephus *lib.* 9. *Ant. cap.* 1. vbi ait esse in agro Ierichuntino distantem à Ierusalem triginta stadiis. Idem *lib.* 14. *cap.* 7. Hegesippus *lib.* 4. *de excidio Hierosol. cap.* 17. cyprum, ait, & balsamum nasci iuxta fontem ab Elisæo sanatum in campo Ierichuntis; at cyprum, & balsamum esse in agro Engadditano, docet Hieronymus *in Epitaphio Paulæ, & super cap.* 27. *Ezechielis*, ad illud, *Iuda, & terra Israel.* Eodem in loco esse opinor Baalhamon, siue *eam quæ habet populos.* Vbi sponsæ dotalis erat vinea, cuius tanta videtur fuisse amœnitas, atque fœcunditas, vt quilibet è populo eo loco sortem quantumlibet exiguam habere magni faceret; & ideo fortasse vocata fuit Baalhamon: quæ populi studium, aut indicat, aut connotat.

Idem significant tria nomina Achor, Engaddi, Baalhamon.

90. Quòd verò Achor vberrima sit, & amœnitatis eximiæ, indicat Isaias *cap.* 65. *v.* 10. vbi sumpta ex Achor similitudine, felicitatem ostendit populi, quem quasi iam omnino suum amplexabitur Deus. *Erunt campestria in caulas gregum; & vallis Achor in cubile armentorum populo meo, qui requisierunt me.* Quasi dicat Deus eam futuram rerum abundantiam, agrorúmque fœcunditatem, vt quæ olim censebantur longè pulcherrima, vallis nempe Achor, in pecudum caulas, & armentorum cubilia computari debeant. Vbi vulgatus *campestria*, Hebr. est *sarôn*, quam plagam esse etiam pulcherrimam docet Isaias. Idem *cap.* 35. cum gloria Libani decorem coniungit Carmeli, & *saron.* in quibus summam esse amœnitatem ipsa adiunctorum natura declarat. *Germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans: gloria Libani data est ei, decor Carmeli, & Saron: ipsi videbunt gloriam Domini*, &c. His vtcumque positis, sic partem hanc implexam valde, & vehementer obscuram contexo, atque ordino.

Achor terra fœcunditatis, & amœnitatis eximiæ.

91. *Ducam eam in solitudinem.*] Id est, in agrum nuptiali more, in eam nimirum agri Ierichuntini partem, quæ non procul abest a Hierosolymis, vbi plantæ sunt balsami feraces, quæ etiam vineta vocantur, sicut cypri, id est, frutices, quæ balsamo stillant, appellantur vites.

Et loquar ad cor eius.] Verba nimirum amatoria, & blanda, quæ mœrorem detergant à superioris vitæ asperitate contractum, & animum verè studiosum, & amantem prodant.

92. *Et dabo ei vinitores eius ex eodem loco.*] In solitudinem Engadditanam, quam diximus esse prope Iericho, educenda dicitur fugitiua sponsa, vt nuptiale instauret, & repetat fœdus; ad quam educta fuisse dicitur sponsa, de qua in Canticis Salomonis. Sic enim explicabamus ibi illud Cant. 2. *Vineæ florentes dederunt odorem suum.* Vbi vineas illas non tam vini, quam balsami feraces putabamus. Quod docuerunt aperte Septuaginta dum reddunt, ἄμπελοι κυπρίζουσι. id est, *vites cyprizant*, id est, germinantes, aut cypri florem, aut balsamum, quod vnius cypri prouentus est, odorem ex se suauissimum spirant. Ex eo igitur loco vbi vineæ sunt non tam vitibus consitæ, quàm cypris, in quem sponsam matrimonij gratia produxi, dabo illi dotalem vineam, & addam vinitores illius curandæ gnaros, & industrios, qui nempe diu operam illam hortensem, & rusticam cypris, & balsamo nauarunt. Hoc idem de vinitoribus, & vinea habes *Cant.* 8. vbi legis quid compendij pariat vinea quotannis: quo pretio compensetur vinitorum sollicitudo, ac labor. Ad quem locum, opinor, spectauit Oseas, dum Achor meminit, & vinitorum, v. 11. *Vinea fuit pacifico, in ea quæ habet populos* (id est, in Baalhamon, Engaddi, seu Achor) *tradidit eam custodibus*, (id est, vinitoribus) *vir affert pro fructu eius mille argenteos; vinea mea coram me est. Mille tui pacifice, & ducenti his, qui custodiunt fructus eius.*

Et vallem Achor ad aperiendam spem.] In valle Achor, siue Engadditana vineam accipiet dotalem, ac suam ab sponsali manu. *Ad aperiendam spem*; vt hinc intelligat quàm amanti in illam animo sim; quando vulgare non est, neque vulgaris beneuolentiæ pignus: & inde spe maiora concipiat, speretque ab animo tam molliter, atque amanter affecto. Timere iure optimo poterat fugitiua sponsa viri sui zelotypi iustum dolorê, & armatas manus: neque sperare posse videbatur aut antiquas delicias, aut perfidiæ veniam. Cùm ergo præclusa videretur spes omnis reconciliationis, & veniæ; aperuit illam Deus, oblato tanto dono, quantum esse communi Hebræorum sensu, imò Hebræorum vulgari prouerbio putabatur in aliqua Achor, siue Engadditani agri, quamtumlibet exigua possessione. Qui enim amantissima, ac pretiosissima dedit, ille haud dubiè minora non negabit. 93.

Et canet ibi iuxta dies iuuentutis suæ.] Hæc etiam nuptiale aliquid, & iucundum olent. Dies iuuentutis Israeliticæ plebis illi fuerunt, in quibus non longè post excussum Ægyptium iugum ad mótem Sinai connubiale fœdus iniit cum sponso Deo. Illud nanque tempus iuuenile fuit, quia ferme primum, post primum libertatis fructum. Vocatur etiam tempus iuuentutis, seu adolescentiæ, quia illa ætas maximè nubilis est: quia iam grandis, laboris patiens, & maritali denique matura commercio; sic Ieremias cap. 2. v. 2. *Recordatus sum tui, miserens adolescentiam tuam, & charitatem desponsationis tuæ.* Eo verò tempore cecinit Gens illa ad sponsæ nomen, & dignitatem vocata nuptiale aliquid, quale in epithalamiis sacris canit sponsa. Quid verò tunc cecinerit, incertum est. Suspicor illud fuisse, quod sponsa cecinit *Cant.* 8. vbi se profitetur fore in amore constantem, quamtuncunque siue intentis plagis, siue ablatis muneribus oppugnetur ab adultero. Cùm enim adolescentulæ, quæ de more aderant nouæ maritæ, subtimerent, ne parum esset in ætate illa non admodum robusta virium, atque constantiæ, si quando adulter illam alloqueretur, id est, ad sui amorem blandimentis, ac donis, aut aliquo alio artificio pelliceret, dixisśetque, *Soror nostra parua, & vbera non habet: quid faciemus sorori nostræ, quando alloquenda est?* Ad quas sponsa, *Ego murus, & vbera mea sicut turris*; non ero porta, quæ peruia esse 94.

Adolescētia populi Israelitici quæ.

esse aliis, atque aliis solet, & quæ facile, aut conuellitur, aut effringitur: sed murus, qui hostilibus resistit machinis, neque quemquam admittit, nisi disiectus. Hoc idem concinuisse videtur Hebræorum populus ad montem Sinai in diebus iuuentutis suæ, cùm leges accepit à Deo connubiales, eásque fideliter, atque constanter seruaturũ se esse promisit. Exod. cap. 19. v. 5. *Si audieritis,* inquit Dominus, *vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis, & vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta.* Statim verò subiicitur quid responderit, id est, cecinerit populus, iamiam ad coniugale fœdus admissus. *Respónditque omnis populus simul, cuncta, quæ locutus est Dominus, faciemus.* Quod item confirmauit postea cap. 24. v. 7. *Omnia, quæ locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes.*

Populus Hebræus quãdo primum iniit connubiale fœdus.

95. Vbi vulgatus *canet,* Hebr. est ועניה *ve anethah.* quæ vox *respondere* significat. Quòd si ita vertas, allusio est ad id, quod proxime adducebamus ex cap. 19. Exodi. *Respónditque omnis populus simul. cuncta, quæ locutus est Dominus, faciemus.* Quare sensus esset apertus, & commodus. Tunc respondebit populus reconciliatus mihi post adulteria, quod respondit olim ad montem Sinai in iuuentute sua, cùm primùm ad mysticos, & connubiales amplexus admissus est. Sed sanè optimè, & magis ad nuptiale fœdus attemperatè conuertit vulgatus, per verbum *canet.* Vt enim cuiuis constat epithalamium, seu nuptiale canticum dramaticum est, in quo est aliqua cantatium vicissitudo, cùm canunt alternis, & sibiipsis vicissim ex interuallis respondent. Sic planè vides in epithalamio Salomonis, vbi dramaticum in motem nuptialis ille cantus exhibetur.

96. *Et iuxta dies ascensionis suæ de terra Ægypti.*] Explicatio est iterata superioris clausulæ; quod sæpe in Scriptura sacra fit per epexegesim. Docet enim quæ sit Israelitici populi iuuentus, seu adolescentia; & quando vocari cœperit sponsa, nempe quando egressa est de terra Ægypti, quæ egressio hoc loco nominatur ascensio; vel quia ab Ægyptiis oppressa quasi demersa in profundo lacu videbatur, ex quo tunc ascendit, ad libertatem videlicet, & lucem cùm Ægyptum deseruit; & iam sui iuris esse cœpit. Seu certè, quia reuera Ægyptia terra profunda est, & si terram promissionis intueare, instar obtinet depressæ vallis; quare dum viam molitur in terram Chanaanitidem, ascensionem parat. Et hæc mihi posterior explicatio potior, atque solutior est.

97. Vers. 16. *Vocabit me: Vir meus, & non vocabit vltrà Baali.*] Natura ipsa fert, vt eius, quem quis oderit, neque vultum videre, neque vocem audire velit, imò neque leuissimum aliquod signum intueri, quo inimici excitetur memoria, aut occurrat imago. Grauiter fert sponsus, maximè si pungant zelotypiæ stimuli, siquis adulteri, seu riualis nomen vsurpet; quia cum nomine simul etiam tacitè auditur iniuria. Quare qui alicuius honori, ac voluptati studet, ab earũ rerum compellatione abstinet, quæ non possunt audiri sine molestia, etiamsi natura sua nihil contineant nisi honestum, & sanctum. Baal honestum nomen est, quo vxor virum suum honoris gratia compellare solet, ac si dicat *dominum suum,* cui ipsa obsequium, & obseruantiam præstat; at id habet incommodi quòd aliquid olet illius religionis nefariæ, atque impiæ, cui adhæserat priùs vxor infidelis, & adultera, quáque auersatur, & horret sponsus Deus. Cum enim Baal ita significet vi-

Abstinendum à verbis, quæ aliquid sonant indecorum.

A rum, vt etiam in eo aliquid audiatur Gẽtilicum, nempe idoli nomen, quod sæpe in Scriptura auditur, quodque maximè amant, venerantúrque Gentiles; quæ Deum sponsum nuptiali blandimento vocaret Baali, id est, *virum meum,* aut *dominum meum;* illa eadem excitaret memoriam idoli Baal, quæ non poterat accedere non ingrata ad aures sponsi, quem vrebat, cruciabátque vehementer violati tori grauis iniuria; & vilissimi illius adulteri memoria. Ait ergo Deus sponsæ, vbi primùm ad fidem iam antea proditam, & ad amplexus castos, legitimósque redierit, non amplius vocandum esse sponsum Baali, licet in nomine nihil esset indecorum, ac vile, sed *virum* B *isi,* id est, *vir meus,* quia in hoc nomine nihil auditur affine religioni damnatæ; in illo verò resonat idoli nomen, quod coluerunt maximè Gentiles, & ad illorum imitationem Israelitæ.

Hic pro re morali obseruandum maximè, his, 98.
qui vere, ac seriò Deo placere student, & eo esse loco apud illum, quo sponsa est apud sponsum suum, ne quod verbum, aut loquantur, aut audiant, quod aliquid oleat aut magis liberum, aut minus pudicum, quàm religiosum decet animum, aut tanti sponsi castam, & verecundam sponsam. Qualia sunt verba quæ licèt non nefaria, tamen propter paranomasiam aut soni affinitatem aliquid possunt olere nefarij. Vt enim doC cet Apostolus non solum à malo sed ab omni etiam specie mali abstinendum est. Audi quod hac de re Origenes *homil. 8. in cap. 20. Exodi,* dum agit de anima, quæ post varia adulteria, relictis tandem amatoribus ad sponsum reuertitur. *Nisi nunc, inquit, tota fide permaneas cum viro tuo, & toto ei ore glutineris ex multis sceleribus quæ commisisti, suspecta es ei. Omnis motus tuus, & aspectus tuus, ipse etiam incessus, si fuerit negligentior, displicebit. Nihil vltrà in te lasciuũ videre, nihil dissolutum, & prodigum potest. At vbi parum quidem à viro tuo diuerteris oculos, Statim necesse est memoriam fieri priorum: vt ergo priora deleas, & fides tibi possit haberi in reliquis, non modo agendum tibi nihil est impudicum, sed ne cogitandum* D *quidem.*

Sponsa nihil cogitãdum, aut dicendum, quod excitare possit turpẽ memoriam.

Obseruandum item diligenter ei, qui offendere non amplius velit ad ea, ad quæ olim turpiter 99.
impegerat, vt minima etiam quanto maximo potuerit studio declinet, si eius fuerint generis, in quo aliquando ab ipso peccatum est. Nescio etenim quomodo ad exiguam scintillam, aut semimortuos cineres recalescit animus, & ad illa, quæ iam dudum reliquerat, atque oderat, colliquescit. Ex quo fit, vt experientia ipsa magistra doceamur, vt constantes animos, qui iam dudum contra carnis illecebras obduruerant, quósque graues impulsus siue à blandiente carne, siue à dæmonis anhelante rabie, neque tantulum à conE stantia commouerant, eosdem, quia neque cauent, neque horrent tentamenta minima, à rebus etiam leuissimis sic esse sensim debilitatos, vt tandem miserè, atque ignominiosè ceciderint. Quare qui volet non iterum ad Baalim, quorum se aris supplex aduoluerat, relabi, is neque vnquam vsurpet nomina Baal, & vocem etiam Baali, propter nominis affinitatem, perhorrescat.

A minimis viro spirituali cauendum.

Vers. 17. *Et non recordabitur vltrà nominis eorum.*] 100.
Recordor ex vsu Scripturæ non significat memoriam quancumque, quæ nobis renouat, atque offert, id quod aliquando cognouimus, quamquam id non rarò contingat; sed quæ affectu do-

Digitized by Google

cet in nobis viuere, aut renouari cognitionem illam actem, ac viuidam, quam communiter memoriam practicam, aut actuosam appellamus. Quomodo Deus, in quem nulla potest obliuio cadere, recordari dicitur nostrorum meritorum, quando illa aliquo munere compensat, & miserorum, quando illos ab oppressione liberat, & sceleratorum, cùm illorum flagitia supplicio punit. Hæc memoria practica est, qualem depositura dicitur sponsa priùs infidelis, & vaga, quia non ita recordabitur Baalim, id est, idolorum, quæ amatorum nomine sæpe compellantur, vt illorum aras, & sacrificia obeat, aut illorum iterum libidini metaphoricæ succumbat. Sed si quando antiqui temporis, quod malè, atque inuerecundè posuit, memoria subeat, illa etiam erit practica, alio tamen consilio, ac modo, excitauit sponsæ iam reconciliatæ spiritum, vt tempus illud infortunatum detestetur, non vt amet, aut probet: vt se quàm longissimè subducat à priori via, non vt vestigiis prioribus insistat. Sed est in ipso dicendi modo non vulgaris epitasis, dum dicitur: *Et non recordabitur vltrà nominis eorum*, quæ verba sempiternam, & immensæ cuiusdam pro-

Recordor sæpe aliquid significat practicum in Scriptura.

101. funditatis obliuionem important. Magnæ offensionis, atque odij argumentum est, nolle cuiuspiam congressum admittere, præsertim si ab eo neminem ex omni loco, atque ordine repellas; aut si conspectum declinet, & vmbram ipsam, atque vestigium horreat, aliquanto grauius. Quid si ad vocem eius concutiatur, & inhorrescat animus, & totus à se abeat: aut si exalbescat exanguis; aut accensus furore totus inardescat? tunc verò nihil videtur significari posse magis infensum. At nolle illius nomen, etiam ab amicis, qui bona omnia cupiunt, & præstare student, vel leuiter audire, id summi, atque immortalis odij documentum est. Non igitur recordabitur ampliùs sponsa, iam melior, nominis Baalim, quia cùm neque ipsa nominet, neque nominari coram se ab aliquo sustineat, audiendi desuetudine nominis illius impuri obliuiscetur: neque si velit, poterit nominare, quia nomen ignorat. Sanè cùm aliquid alienissimum à tempore, aut loco futurum esse dicimus, hoc ferme modo significamus; *neque hoc tempore, aut loco, hoc vel illud nomen cuiquam erit notum*, quia neque illius rumor audietur, aut metus incesset. Hoc certè modo pacem summam explicuit Theocritus, Βοᾶς δ' ἔτι μηδ' ὄνομα εἴη. id est, *neque deinceps nomen erit clamoris, aut tumultus.*

Magni odij argumentū nolle alicuius nominis vel obscurā notam audire.

102. Vers. 18. *Et percutiam eis fœdus in die illa cum bestia agri, & cum volucre cæli*, &c.] Percusserat Deus antea fœdus cum bestiis agri, cum volucribus cæli, cum arcu, & gladio, vt peccatorem populum morsu, ac vulnere, lacerationéque conficeret. Tum cùm electa primùm, & constituta est Israelitica respublica. Leuit. 26. v. 21. *Si ambulaueritis ex aduerso mihi*, &c. *immittam in vos bestias agri, quæ cōsumant vos, & pecora vestra, & ad paucitatem cuncta redigant*. & statim v. 25. *Inducámque super vos gladium vltorem fœderis mei*, tum deinde sæpe. Hæc omnia minatus est Deus Ezechielis cap. 14. v. 21. *Quòd si quatuor iudicia mea pessima, gladium, & famem, & bestias malas, & pestilentiam immisero*, &c. & proximè v. 12. *& ponam eam in saltum, & comedent eam bestia agri.* Quo loco Septuaginta, *comedent eam volucres cæli, bestiæ agri, & reptilia terræ.* Hoc quidem pactum Deus cum gladio, bellua, peste, ac fame fecerat, id est, præceperat, vt peccatorem populum, ista suis quoque armis, ac modo confi-

In peccatores à Deo decreta supplicia.

A cerent: neque enim alio modo Deus cum fame, gladio, ac bellua paciscitur. Nunc verò, quia iam sponsa à vaga libidine, amatorúmque consortio, ad castum legitimúmque torum reuocata est, & vsquead eo horret illorum consuetudinem, vt etiam nominis oblita sit, pactum aliud percutit longè diuersum, vt non minus liberalis appareat, & benignus in ornanda, atque fouenda restituta coniuge, quàm fuerat seuerus in punienda, cùm variis se implicuisset adulteriis. Hoc idem pactum expresserat Leuit. cap. 26. v. 6. *Auferam malas bestias, & gladius non transibit terminos vestros.* Quæ promissio multis Scripturæ sacræ locis auditur, *Iob cap. 5. v. 20.* & deinceps omnia,

103. *Quanta Dei in amicos prouidentia.*

B quæ nunc audis ab Osea, latè persequitur idem David *Psal. 90.* Cùm enim prius nihil à gladio, atque arcu, nihil ab hoste metuendum dixisset, *à sagitta volante in die*, &, *cadent à latere tuo mille*, postea adiecit v. 13. *Super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem.*

Et dormire eos faciam fiducialiter.] Hæc securitas quā sæpissimè à Deo animæ iam reconciliatæ, & sponsi domum restitutæ promittitur. Sic Leuit. 26. v. 6. *Dabo pacem in finibus vestris; dormietis, & non erit qui exterreat.* De eodem tempore loquebatur Zacharias *cap. 3.* & eamdem promittit securitatem, & otium. *In die illa dicit Dominus exercituum vocabit vir amicum suum, subter vineam, & sub-* 104.

C *ter ficum.* vbi licèt nulla essent murorum claustra, non tamen eo irrupturus erat impetus, aut clamor hostilis. Idem Michæas cap. 4. v. 4. *Sedebit vir subtus vineam suam, & subter ficum suam, & non erit, qui deterreat.* An verò hæc omnia intelligenda sint de Gente Israelitide ab exilio reuersa, aut de Euangelij tempore, dicemus postea, vbi actum fuerit de totius capitis literali sensu. Interim existimamus hæc in restituto populo fuisse completa, & in illis typicè Euangelij temporis pacem, & tranquillitatem longè præstantiorem adumbrari.

Vers. 19. *Et sponsabo te mihi in sempiternum.*] Vi- 105.
de quàm Deus liberalis, quàm amans, quámque

D benignus futurus sit in animam illam, quæ impuras fornicationum sordes, & amatorum illecebras auersata, ad sponsi amplexus, & legitimum thalamum redierit. Reuocabit enim illam ad antiquam fidem, amplectetur vt sponsam, illámque non aliter accipiet, & ornabit, quàm cùm primùm illibata, & virgo ad priores nuptias admissa est. Tunc enim ornamenta tribuit amplissima, qualia in mundo muliebri numerari solēt; & quæ apud Ezech. *c. 16.* & in Canticis Canticorū continentur. Ibi dotalem vineam tradidit in Baalhamon, id est, vt habes Cant. cap. 8. *in ea, quæ habet populos.* Hîc promittit vallem Achor, quæ, vt dixi, eadē est quæ vinea Engaddi, aut quæ dicta est, *quæ*

E *habet populos.* Et dum sponsationis meminit, omnia pollicetur, & offert, quæ accipere debet, & solet sponsa ab amante, ac locuplete sponso.

Illud *in sempiternum*, ex vsu Scripturæ sacræ, 106.
non semper significat, quod nullo terminabitur signo; sed quod futurum est diuturnum. Quale videri posset spatium illud, quod ab hoc tempore ad sæculum vsque Euangelicum interiectum est. A tempore autem restituti populi, in quo institutum videtur sociale hoc, & connubiale fœdus, licèt compluribus aliis flagitiis sese væsanus ille populus implicuisset; idololatriæ tamen crimen exhorruit: neque iam ampliùs vllus fuit, qui idolis immolarit, ac seruierit; nisi Machabæorum tempore, quod non admodum longum fuit

A captiuitate populus idololatriā horruit, præter admodū paucos.

y Google

fuit. Neque qui tunc idolis sacrificarunt, aut seruierunt, id tam faciebant vltrò, nisi admodum pauci, quàm amara necessitate coacti, proposita & bonorum omnium iactura, & suppliciorum acerbitate. Reliquo tempore, vt est communis Doctorum sententia, ab impiis illis idolorum sacrificiis abstinuerũt. Vide, quæ diximus ad illud Ezechielis cap. 11. *Et auferent omnes offensiones, cunctásque abominationes eius ex illa.* Quemadmodũ Iudæi extremis Synagogæ temporibus, ne vltrà esset in sua ciuitate, ac templo idololatriæ species, morti se obtulerint, diximus in nostris commentariis in Danielem ad illud cap. 9. *& erit in templo abominatio desolationis.* Vide Galatinum *lib. 4. cap. 23.* quod latè probat ex multorum Rabinorum sententia. Vnde infert Christi mortem causam fuisse extremæ captiuitatis populi, ac templi ruinæ; cùm idololatria non fuerit eo tempore, quæ prioris ciuitatis, ac templi vastitatem inuexerit. Quo argumento vsus est Hieronymus in ea epistola ad Dardanum, quæ incipit, *Quaris Dardane.* Cùm autem idolorum cultus spirituale quoddam adulterium sit, quod directò desponsationi & nuptiis opponitur; cùm in æternum desponsanda dicitur fœmina illa, ad fidem antè datam, & legitimum torũ reuocata, nullus futurus idolorum cultus significatur.

107. Hæc explicatio aliena non est; sed ea mihi magis, & omnino probatur, quæ quicquid in sempiterna desponsatione significatur, id totum ad Dei humanitatem, & clementiam refert. Quasi dicat Deus ad illam, quæ ad omnem spem interclusos sibi aditus omnes existimabat, cuique ad aperiendam spem vallis Achor possessionem promiserat, vsqueadeo non recusaturum nuptias, vt vltrò offerat, illásque non ad exigui moram temporis, sed ad consuetudinem æterni connubij. Neque enim Deus dona sua reuocat; cùm illa sine pœnitentia sint, &, quod ad Deum spectat, sempiterna erit illa desponsatio: Deus namque non faciet, quominus stabilis futura sit. Quod statim declarat magis.

108. *Et sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio.*] Hic multa Patres, & interpretes, à sensu literali non aliena, & ad morum institutionem præclara. Hieronymus repetendum indicat pactum coniugale, quod ad montẽ Sinai iniit cum populo suo Deus vbi iustitiam sumit pro lege, quæ ibi data est, quã accepit populus; ac tandem dixit futurum se esse in Domini potestate; dedit præterea iudicium adiunctum misericordiæ, vt quando peccauerit, tradatur captiuitati; cùm egerit pœnitentiam, reuocetur in patriam, & consequatur misericordiã. Ita ferè Hieronymus, quo cum sentit Haymo.

109. Augustinus in illud Psal. 105. *Beati, qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam.* Existimat has duas voces idem significare; quamuis paulo pòst hanc suam sententiam moderetur. Quod etiam olim mihi videbatur: imò existimabam, quæ sequuntur omnia eòdem pertinere, neque velle sibi aliud, quàm verbis idem significantibus rem magis, atque magis confirmari, quod in Scriptura non rarò fit. Sed cogitationem illam nunc ipse damno & multo aliter, quàm antè de huius loci sententia iudico.

110. Alij in iustitia sanctitatem agnoscunt, quam primùm sponsus tribuit, vt sordes ab sponsa detergat, quam nisi priùs esset mundata, non amaret. Atque ideo cùm esset nigra dealbatur, & vendicatur à fuscore illo, quem à sole contraxerat, & deinde ornamentis aliis induitur, quæ tanti

A regiis sponsam decent; quæ quia iã sponsam iustã comitantur, iustitia dicuntur. Psal. 131. v. 9. *Sacerdotes tui induantur iustitiam.* Sic sanè Christus postquam Ecclesiam lauit, de qua Paulus tanquam de sponsa loquitur ad Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret.* & variis illã ornamentis excoluit, & ideo subdidit, *vt exhiberet sibipsi gloriosã.* In iudicio verò intelligunt seueritatem illam, qua Deus vlcisceretur iniuriam, quam sponsa illa, quæcumque illa sit, passa fuit ab aliis, qui vel illam seduxerunt, abstraxerúntque ab amplexu sponsi legitimi; aut captiuam abdò compulerunt. Ita penè Ribera.

Ego hic primùm pertexi arbitror institutam 111.
B de re nuptiali, ac coniugali metaphoram, & his verbis contineri officium, quod obire sponsus, & solet, & debet erga illam, quam sibi sancto, atque legitimo nexu copulauit, deinde inter iustitiam, & iudicium aliquid video interesse discriminis: quod vidit Augustinus suprà, collegítque ex illa Psal. 93. *Quoad vsque iustitia conuertatur in iudicium.* Cùm ergo sponsus desponsandam esse dicit adulteram, non tamen iam adulteram, in iustitia, & iudicio, significat, opinor, regendam esse, & in officio continendam quomodo filia in officio continetur à patre, à quo leges accipit, quas sequatur, qui illius pudori, atque honori consulit, déque rebus omnibus necessariis cõmodat. Cui
C per patrium nomen, ac potestatem licet admonere illam liberè, atque etiam seuerè, si quando in eo, quod ius exigit coniugale, peccauerit. Id verò ad sponsum pertinere tam sponsus, quàm sponsa docet *Cant. 8.* vbi primùm ostẽditur, sponsum in gubernanda sponsa parentis loco esse suffectũ, neque iam ampliùs parentis habendã esse rationem, sed totum amorem, ac studium in sponsum esse conuertendum. Quare in nuptialibus sacris spõsus *pater* appellatur. Plura hac de re diximus in nostris commentariis in Cantica ad illud cap. 8. *sub arbore malo excitaui te.* & dixit apertè sponsus ipse Deus, cùm eadem ageret, & sub eadem metaphora apud Ierem. *cap. 3.* vbi docet hæc verba in contrahendo matrimonio fuisse
D quasi legitima. Nam cùm ageret de renouanda fide iam antea data, violata tamen adulteriis, dicit Deus, *Amodo voca me: Pater meus, dux virginitatis meæ.*

Maritus vxori parentis loco.

Vt ergo pater leges filiæ, certámque viuendi formam præscribit; sic sponsus nouæ vxori certum definit viuendi modum; quod sponsa magno ponit amoris, ac beneficij loco: atqueadeò idipsum, & vehementer optat, & enixè petit. *Quis mihi,* inquit, *det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ,* &c. *Ducam in domum matris meæ: ibi me docebis.* Quæ vltima verba connubiales leges significant, quas noua nupta accipit à marito nouo. Qualia 112.
E sunt illa, *Sub arbore malo excitaui te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua. Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.* Hanc ego *iustitiam* appello, sicut etiam existimabat Ribera *suprà.*

Sponsus vxori viuendi præscribit formam.

Iudicium verò est studium illud, quod sponsus adhibet, vt datas sibi leges noua coniux colat, & obseruet, illámque quasi iudex aut coërceat metu, aut præmiis inuitet, vt sponso suo in amore, atque officio respondeat. Id etiam licere sibi, & esse in ipsa matrimonij ingressu legitimum, habemus *Cant. cap. 8.* vbi sponsus iudicaturum se dicit sponsæ fidem, atque constantiam, eámque pro meritis aut ornaturum splendidè, aut mulctaturum asperè. *Si murus est,* inquit, *ædificemus super* 113.

Digitized

eum propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis. Quem locum nos sic nostris commentariis explicuimus, vt planè iudicium quoddam ibi contineatur, quod sponsus exercet. Si sponsa, ac si dicat, instar muri fuerit, qui pulsatus non respondet, neque quemquam admittit nisi disiectus, ornabitur à me pretiosis donis, quemadmodum si murus argenteis pinnis, atque propugnaculis decoretur. Si verò instar ostij fuerit, quod ad pulsum resonat, ac facile vertitur, quia in cardine stabile esse non potest, & pulsantem admittit, claudatur omnino tabulis cedrinis, ita vt neque ipsa foras prodire, neque liberum cælum intueri possit. Quod quidem licere viro in fœminam sibi connubiali fœdere sociatam, probat quòd vir caput est vxoris, atque vxor viro suo subesse debet. Ad Ephes. cap. 5. v. 21. *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris.*

114. Hoc verò imperium optimè iustitiæ, atque iudicij nomine significatur, & quidem cum de imperio, administratione legitima, ac publica sermo est, hoc fermè declaratur dicendi genere, sic *Psal. 71.* de Salomone, *Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis.* Et Psal. 88. *Iustitia, & iudiciũ præparatio sedis tuæ.* Psal. 98. *Iudicium, & iustitiam in Iacob tu fecisti.* Ex his mihi videtur non difficile, iuxta propositam de re nuptiali metaphoram, in desponsatione, quæ in iudicio, atque iustitia futura dicitur, nihil aliud esse quam curam illam, & prouidentiam, qua sedulus sponsus vxoris inuigilat non solùm commodis, quoad ornamenta, & victum, sed etiam moribus, institutóque viuendi. Quod sponso non solùm licet, sed etiam necessarium est, quando apud sponsam locum iam obtinet parentis. Quod sponsa, si modò ingenuitatis aliquid habeat, & pudoris, non putat molestum, & indecorum; sed tãquam honestum, & iucundum expetit, atque vt sibi ab sponso cõtingat obsecrat. Hoc, credo, sibi præsertim vult, quod tanto studio desiderant apud Isaiam *cap. 4.* septem mulieres, quæ vnius viri nuptias ambiũt, quæ sic ad illum cuius apprehenderunt laciniã. *Tantummodo inuocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum.* Inuocari autem alicuius nomen superioris est potestatis, quæ possit, & leges ferre, & cohibere metu, & præmiis allicere. Ita indicat illud Isaiæ cap. 63. *Facti sumus sicut in principio, cùm non dominareris nostri, neque inuocatum esset nomen tuum super nos.*

In iudicio & iustitia summum significatur imperium.

Inuocari super aliquem alicuius nomen potestatis est.

115. *Et in misericordia, & miserationibus.*] In duarum vocum coniunctione aliquid ego magnum odoror, quod maximè Dei benignitatem aperiat, & homines ad amandum amorem illum, & clemẽtiam inuitet. Notum est geminatas voces, aut synonymas epitasim habere in Scriptura sacra non vulgarem, quæ aliquid indicat in eo genere præstantissimum. Sic Psalmis sæpe præfiguntur duo hæc nomina, quorum eadem vis *Canticum Psalmi*, vel *Psalmus Cantici.* Sic Adam *Genes. cap. 2.* formatus dicitur *de limo terræ*, id est, de limo purissimo. *Psal. 39.* vbi vulgatus *de luto fecis*, Hebr. *de luto cœni*, id est, de copioso, atque profundo, seu certè de denso, ac grauiter olente cœno. Sic in Scriptura sæpe auditur, *ira furoris*, vt *Thren. cap. 1. v. 12.* & similia. Cùm ergo *misericordia* cum *miserationibus* coniungitur, magna significatur, & quasi perpetua, & iugis beneficiorum emanatio. Et id credo propriè hoc loco significatum esse ab sponso, quo magis fugitiuæ sponsæ confirmaret desperantem animum.

REGVLA. *Voces synonyma cõiuncta cum epitasi.*

A Quod vt aliqua ratione appareat si non omnino verum, at saltem vero quam simillimum, obseruo Hebraicam vocem רחמים *rechamim*, pro qua vulgatus reddidit *miserationes*, significare viscera, aut vuluam, quæ concipit, & figurat fœtum. Sic infrà Oseas cap. 9. v. 14. *Da eis vuluam sine liberis.* Heb. רחם *rechem*, & alibi millies. Quare *Gen. 43. v. 30.* vbi vulgatus, *Commota sunt viscera eius*, Heb. est רחמיו, sicut etiam 3. Reg. 3. v. 26. *Commota sunt quippe viscera eius.* Quare videtur hoc loco Deus iamiam futurus sponsus pœnitentis animæ promittere illi non solùm misericordiam, sed etiam viscera, & cor, vnde perpetuæ sunt miserationum quasi scatebræ, & fontes, vnde iuges fluunt, & continentes misericordiæ. Hæc viscera habuit secum populus Israeliticus, quamdiu fidem seruauit, quam sponso dedit. Quæ tamen amisisse sensit, cùm ab ea defecit. Isai. cap. 63. v. 14. *Vbi est zelus tuus, & fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum, & miserationum tuarum? super me continuerunt se.* Sua quoque viscera sponsus ipse fatetur esse in sponsæ suæ potestate, quæ suæ sibi voluptati alligauit sponsa, ita vt cor sponsi in sponsæ sinum, & vota immigrasse videatur; id enim valet illud Cant. 4. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum, in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Pro *vulnerasti*, transtulerunt LXX. ἐκαρδίωσας, quod idem valet, atque *abstulisti mihi cor*, aut tibi ipsi tãquam tuam possessionem vendicasti, & hoc iuxta illud tritum, animam esse magis vbi amat, quàm vbi animatum animat, & informat. Ambrosius *Psal. 118. octonario 11. v. 2.* paulo aliter eodem tamen sensu, *corde cepisti me*, quasi cordi vincula sint iniecta; quibus non aliter tenetur à fideli sponsa, quàm à Domino seruus, cui, ne fugiat, & alteri operam suam, atque studium locet, domi tenetur constrictus vinculis non iã suo, sed alieno voto seruiens. Hæc explicatio mihi & literæ, & amantis, atque misericordis naturæ videtur consentanea. Neque alio modo aptiùs explicari potest affectus animi, qui se alterius voluntati totum addixit. Aptè Bernardus de animo, qui à seipso excedens in amantem transiliit *lib. de præcepto, & dispensatione*, licèt non tam de Deo animam amante, quàm de Deum amante animam loquatur. *Habemus*, inquit, *& vnde corpori, & vnde Domino inhæreamus, illud viuificando, & sensificando, illum credendo, & diligendo. Non enim præsentior est spiritus noster, vbi animat quàm vbi amat. Nisi fortè magis putetur esse vbi vinctus ex necessitate tenetur, quàm quo sponte, & alacri fertur voluntate. Denique vbi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum.*

116. *Dei in animam tenerrimam adgratiam admirabilis benignitas & liberalitas.*

Sua Deus viscera animæ impendit.

117. (B)

Amantis anima in amato est.

118. Porrò hæc duo sæpe in Scriptura sacra coniunguntur, *misericordia, & miserationes*, quæ beneficium aliquod non vulgare significant, siue sit quædam quasi correctio, quæ plerunque sine auxesi non est; quasi Deus videatur sibi promisisse parum, cùm misericordiam promisit in singulari numero, atque ideo corrigens vocem illam dicat in plurali, *miserationes*: ac si diceret, non vna tantùm misericordia pœnitentem animam, sed multis aliis, & quasi continuis fore cumulandam. Siue certè, quia Dominus promittit non misericordiam vnam, sed vnde perpetuò hauriat misericordiam, viscera nempe illa, quæ quia misericordia perpetuò stillant, viscera vocantur misericordiæ: vt Zacharias apud Lucam cap. 2. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ab alto.* Quasi promittat Dominus non fructus tantùm, sed etiam radicem, vnde fructus omnis, & viriditas pullulat; non solùm aquã conclusam

Digitized by Google

clusam in vase, sed fontem etiam ipsum, qui viuentes aquas largè diffundit.

119. Vers. 10. *Et sponsabo te mihi in fide, & scies, quia ego Dominus.*] Fides hoc loco de sponsa dici perquam commodè, & dè sponso potest multo commodius. De sponsa accepit Hieronymus; ita tamen vt fides sit virtus illa theologica, quæ diuinarum rerum cognitionem infundit: cum illo sentiunt Theodoretus, Theophylactus, Haymo, & ex recentioribus complures alij. Et reuera magna dos est fides, & reliquorum donorum fundamentum.

120. Hæc mihi grauia sunt, quibus non parum momenti affert magnorum virorum communis au-
Coniugum fidelitas. ctoritas. Sed credo etiamsi fidem in sponsa esse statuamus, illam non tam esse fidem, de qua nuper, quàm illã, quæ pars existimatur esse iustitiæ, quámque fidelitatem communiter vocamus. quã seruant vicissim inter se coniuges; dum se mutuo prosequuntur amore, & castum seruant torum, quem habent cum consorte communem. Tunc verò sensus erit: Desponsabo te mihi, déque rebus tam ad vsum, quam ad delicias necessariis commodabo, si tamen fueris in amore, & coniugali fide fidelis, & constans. Quod pactum iniit cum Hebræo populo. *Leuit. 26.* vbi rerũ omnium abundantiam promittit, si datam sibi legem constanter seruet; qualia etiam statim iterat, licèt paulo obscuriùs: contra verò si à mandatorum obseruantia, id est, à coniugali fide defecerit, omnia minatur aduersa. Vide locum Leuitici, de quo proximè, & *Deut. cap. 28.* vbi tam promissa, quam terrores, & minas latè persequitur.

121. Sed ego eò magis inclino, vt existimem, non tam hoc loco fidem ab sponsa requiri, quàm in sponso Deo futuram esse fidem, id est, fidelitatem ostendi. Quæ etiam fides in Deo duobus potest modis intelligi, ita vt constantiã significet, quam in amando, ac bene de sponsa semper merendo seruauit qui officium, quod ab sponso seruari debet, nunquam deseret, & hæc dos est pretiosa, quæque sponsam allicere debet, vt hunc præter alios sponsum eligat, hunc amet, huic adhæreat, ab illo speret omnia, in huius amore, ac fide sic acquiescat, vt de aliis curis, atque promissis non laboret.

122. Sed credo fidem ad antiqua promissa pertine-
Dei fidelitas in promissis. re, de quibus lãtissime *Leuit. 26. & Deut. 28.* quæ hîc repetere longum esset, & eius qui abuti vellet otio. Sanè promissa eiusmodi sunt, vt si homo humana commoda exprimere, ac meditari vellet, neque grandius aliquid inuenire, neque aliquid cogitare posset illustrius. Dum igitur desponsandam dicit in fide reconciliatam adulteram, significat in illam ornandam conferenda omnia, quæ illis, atque aliis pluribus Scripturæ locis promissa sunt; est enim fides promissorum, dictorum, conuentorumque constantia, & veritas: quod etiam probat vox Hebr. naven *amunah*, quæ etiam firmitatem, ac veritatem valet. Promissa autem illa, in quorum fide, id est, complemento, quasi dotali munere desponsatur sponsa, paucis verbis statim numerantur. Audi promissa Leuit. cap. 26. *Si in præceptis meis ambulaueritis*, &c. *dabo vobis pluuias temporibus suis: & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur. Apprehendet messium triturа vindemiam, & vindemia occupabit sementem, & comedetis panem vestrum in saturitate, & absque pauore habitabitis in terra vestra. Dabo pacem in finibus vestris, & non erit, qui exterreat: auferam malas bestias, & gladius non transibit terminos vestros.* Horum vltima legimus hoc ipso capite paulo antea: priora suberunt statim, quæ rerum omnium abundantiam importat.

Et scietis quia ego Dominus.] Hæc verba, meo iu- 123.
dicio, magno sunt firmamento nostræ sententiæ: cognoscet namque experientia populus vbi sese ad Domini fidem, complexumque retulerit, verum esse Deum, quando quæ minatus est peccatoribus damna, tam exacta castigatione compleuit, & quæ conciliato promisit, iam præstitit fideli, ac liberali manu. Quo loquendi modo millies per Prophetas, & maxime apud Ezechielem ex supplicio imposito, vel beneficio collato, post minas vel promissa, se Deum esse cognoscendum dicit ab iis, qui vtranque manum, videlicet seueram, aut mitem, experti fuerint.

Vers. 21. *Et erit in die illa: Exaudiam, dicit Do-* 124.
minus, exaudiam cælos; & illi exaudient terram, & terra *Creaturæ*
exaudiet triticum.] Repetit hic Propheta paulo ob- *omnes iustorum commodis seruiunt.*
scuriùs, quæ nuper clariùs vidimus ex Leuitico, in quibus largiendis fidelem se præstat Dominus, & verum. Docet autem quàm omnia libẽter seruiant illius animæ voluntati, atque vsui, quæ Domino fideli se obsequio mancipauit, vt omnis creatura ingemiscit, & parturit, dum peccatoris commoditati seruit, quasi indignè ferat illi obsecundare, qui se à Dei imperio, ac voluntate subduxit; sic cùm illi seruit, qui communi seruit Domino, facit id non patienter modò, sed etiam libenter. Quare artificiosè finguntur creaturæ inanimes, & mutæ, orantes Dominum vt ipsis abundè largiatur, pro cuiusque natura, quod ipse postea in Sanctorum vsum, ac delicias effundant. Quare petunt a Deo cæli, efficiat vt ipsi a cælesti influxu largis grauidentur imbribus, vt habeant, quo terras, quibus semina mandauerunt sancti, irrigent ac fœcundent. Quos cælos Dominus exaudiet, implebitque mollibus, atque fœcundis imbribus, qui postea ad hominum vota agrorum vbertatem, & lætitiam stillent.

Hic autem cælos aëreos intelligo, vbi con- 125.
crescunt nubes, qui vmbra, imbréque a siti libe- *Pluuiæ iustorum agris debentur.*
rant hiantes agros, & humore lætificant opportuno. Cùm autem multa sint in aere, quæ vitam hominum conseruant, ac recreant, quales sunt venti, quorum vis est benignior, & vitalis aura: nam alij pestilentes sunt, corporibus noxij, & qui sata, aut vrunt, aut faciunt vt in stipulas, & grana vacua, aut putrida vanescant; id videntur orare aërei cæli; ne quid horum in suo complexu, ac sinu concipi patiatur Dominus, ne inde accipiant segetes, quod agricolarum populetur labo- *Aër quomodo Sanctorũ seruiat voto.*
res, & illorum spem, & solatium eludat. Et vt olim cælestis cibus Manna formabatur in aëre, quem ad populi victum, atque delicias, quasi ad sponsam Dominus effundebat, sic etiam nunc aër idem clamare inducitur ad Dominum, vt tale aliquid accipiat delicatum, & dulce, quod deinde largiatur hominibus, qualis est humor ille suauis, & mollis, qui crassescit in aëre qui fingendis fauis, & elaborando melli magnum præbet apibus subsidium. Certũ est non omnem rorem, qui stillat ex aëre, esse idoneum rei apiariæ, & in aëre rorem illum concrescere, aptéque disponi ad mellis saporem, atque naturam. *Mel in aëre fit.*
Quod sensisse videtur Aristoteles lib. 5. de histor. animal. cap. 22. *Construunt* (inquit) *apes fauos e floribus, ceram ex lacryma arborum fingunt, mella ex rore aëris.* Et statim: *Mel autem non ipsas facere apes, sed rorem cadentem deferre, argumento est, quod vno, aut altero die cellas melle repletas inueniunt apiarij. Item autumno*

Digitized by Google

tunno vel, posteaquam detractum est, non reparatur, cùm tamen illo etiam tempore flores proueniant. Item Plinius *lib. 11. cap. 12.* vbi sic de melle: *Venit hoc ex aere, & maximè syderum exortu sub lucanis temporibus: itaque tunc prima aurora folia arborum melle roscida inueniuntur. Ac si qui matutino sub dio fuere, vnctas liquore vestes, capillumque concretum sentiunt. Siue ille est cæli sudor, siue quædam syderum saliua, siue purgantis se aeris succus, vtinámque esset, & purus, & liquidus, qualis defluit primùm.* Hinc, puto, Virgil. *lib. 4. Georg.* mel vocat aëreum, & donum è cælo cadens.

Protinus aërij mellis cælestia dona
Exequar.

126. Cùm autem ad nuptiale, ac geniale cõuiuium ex simila, & oleo, & melle comparentur cibi, optat, & petit cælum, aëreum nempe, sibi vt à Deo præbeantur, quæ ad sacras illas nuptias exhilarandas, & genialem mensam instruendam sunt necessaria. Sanè his vescuntur noui coniuges in nuptiali traductione, ac pompa. Cant. 5. *Comedi fauum cum melle meo.* & Ezech. cap. 16. v. 13. *Similam, & mel, & oleum comedisti.* Vbi etiam de nuptiis sermo est, cogitatio sanè dulcis, quæque admodum ostendit, & probat, quanta sit Dei in sponsam sibi reconciliatam indulgentia.

127. *Et illi exaudient terram.*] Vt clamat aër ad Deũ, à quo exauditus fit quodammodo grauidus his donis, quibus fœcundat, & exhilarat terram; sic etiam terra ipsa clamat ad aereum cælum, & pluuias exigit, ac melleos rores, quo frumentum pariat, vinum, & oleum; tum etiam mel ad illud geniale conuiuium, quod sponsæ parat iam reconciliatæ Deus, & vt illi in posterum nihil ad delicias desit. Exaudit autem votum terræ cælum, & imbres effundit, non procellosos, in grandines coactos, cum fragore, & fulmine, sed molles, & tacitos; non vibratos ab infensa manu, sed ab humana, & miti æquabili stillatione diffusos. Quales *Deut. 32.* optabat, & orabat Moyses, cùm dicebat, *Concrescat in pluuiam doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum, quasi imber super herbam. & quasi stilla super gramina.* *Duo pluuiarum genera.* Hanc porrò pluuiam duobus maximè temporibus desiderat terra, ad satum nempe, & tunc vocatur temporanea, & ad spicam, & granum, quæ dicitur serotina; vtranque verò Dominus promittit fideli sponsæ, quandiu castam seruauerit cubile, Deut. 11. v. 13. *Si diligatis Deum vestrum, & seruiatis ei in toto corde vestro, & in tota anima vestra, dabit pluuiam terræ vestræ temporaneam, & serotinam, vt colligatis frumentum, & vinum, & oleum.*

128. Hæc facit quod Aristoteles docet *lib. 8. Ethic. cap. 1.* vbi agit de communicatione rerum, qualis esse debet inter coniuges, qui vt amore inter se, sic etiam officiis certare debent. Vbi etiam ex Euripide docet esse inter terram, & imbrem, atque adeò inter nubem, quoddam quasi naturale connubium, vt enim æquè vir, & fœmina coniugalem appetunt congressum, quia æquè prolem amant; sic etiam non magis aridus, & sitiens ager imbrem appetit, quàm imber ipse in terræ sinum influere desiderat, vt ex ipso terra grauidata concipiat. Euripidis versus quos ibi produxit Aristoteles, sic nos ad Latinorum numeros aptauimus.

Non magis terra appetit imbrem, quàm nubes illam in terram effundere desiderat.

Pandit terra sinus, pluuiásque à nubibus optat,
Cùm macer ablato campus ab imbre sitit.
Nec minus à pluuiis, quæ turget in aëre nubes,
Optat in expansos larga venire sinus.

129. Vers. 22. *Et terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum.*] Clamant etiam terræ fruges, & fructus,

Terra parit

qui à terra succum, & alimentum trahunt, & in cuius gremio, sicut in matris vtero fœtus formatur, & crescit. Cùm semina, aut stirpes à terræ sinu, atque tepore habeant, vt augescant, fundántque fructus ad hominum victum necessarios. Quid terra ipsa frugibus præstet, dixit eleganter Tullius. *Quæ cum gremio mollito, ac subacto semen sparsum excepit, primùm id occatum cohibet, deinde tepefactum vapore, & complexu suo diffundit, & elicit herbescentem ex eo viriditatem.* Hæc habent terræ partus a terra, tanquam à matre; qui vt seruire possint eorum commodis, qui Deo tanquam sponso adhæserunt, à terra orant, suum vt officium præstet; quod facit terra illorum seminum, ac stirpium obsecuta votis. Porrò hæc tria pro omnibus terræ prouentibus prouerbiali, vt reor, specie tam hic, quàm aliis locis vsurpantur. Psal. 4. *A fructu frumenti, vini, & olei sui multiplicati sunt.* & suprà vers. 8. *Ego dedi frumentum, & vinum, & oleum.*

insitorum votis.

Et hæc exaudient Iezrahel.] Hæc verba mihi omnino persuadent veram esse nostram cogitationem de Iezrahel; quod videlicet, statum illum peccatorum significat, qui derelicti non sunt à Deo, sed adhuc paterna, licèt seuera disciplina, corriguntur, sublatis nimirum subsidiis illis, quæ labentem naturam mortalium sustentant, & renouant. Hic ergo status, qui Iezrahelis adumbratur nomine, quia fame conficitur, & necessariis eget alimentis ad vitam, frumentum optat, vinum, & oleum, & si quod aliud est naturæ siue solatium, siue subsidium; cuius vota tunc exaudiunt, cùm copiosus illarum rerum prouentus est. 130.

Iezrahel pro gente non omninò derelicta, misera tamen.

Vers. 25. *Et seminabo eam mihi in terra, & miserebor eius, quæ fuit absque misericordia.*] Hactenus de Iezrahel, cuius inopiæ, ac fami tanta liberalitate prouisum est. Nunc de statu illo Israelitidis gẽtis, qui in filia exprimebatur Oseæ; cui datum nomen lo Ruchama, id est, *non misericordiam consecuta.* De qua deinde non audietur hoc nomen, cùm ipsa mores, & studium mutauerit; sed dicetur Ruchama, id est, *misericordiam consecuta*; quia illius tunc miserebitur Dominus, cùm ab amatorum consuetudine ad castos sponsi sui complexus, & thalamum redierit. Seminanda porrò dicitur gens illa, cuius Deus videbatur abiecisse curam, & à patriis finibus in exilium mandasse, in terra sua, nempe Israelitide; vt ibi, sicut olim, pacatè, atque abundanter viuat; in eáque genus suum propagat, & amplificet, sicut mandata terræ semina, sic multiplici fœtu cumulantur, vt ex vno grano spica prodeat multis fœcunda granis; & ex fici tantulo grano (verbis vtor Tullij) aut ex acino vinaceo, aut ex cæterarum frugum, aut stirpium minutissimis seminibus tanti trunci, ramique procreentur. Quòd autem terra hic nõ vniuersam significet terram, sed illam, quam suo olim populo Dominus ascripsit, & sponsæ quasi dotalem assignauit, probat illa Scripturæ sacræ consuetudo, quæ commune nomen ad illam significationem coarctat, & cohibet, de qua sermo est. Quam regulã Hieronymus tradidit ad illud Isaiæ 13. *vt disperdat omnẽ terrã.* In illa itaque terra, quasi in parentũ noualibus seminata fuit gens ab exilio reuocata, vbi in immensam propè multitudinem excreuit. Illud porrò *seminauit* ex Scripturæ vsu, idem est quod *posuit*, siue *statuit* in certo aliquo loco, quod verbum infrequens non est. Ieremias *cap. 31. v. 27.* eodem sensu, & de eodem populo dixit, *Seminabo domum Israel, & domum Iuda,* 131.

132.

de, semine hominum, & semine iumentorum, id est, reducam populum extorrem à patria, efficiamque vt regio, quæ inculta erat non solùm ab hominibus, sed etiam à iumentis, hominibus deinde, ac iumentis abundet. Ita penè Theodoretus, Theophylactus, & cum Chaldæo ex Hebræis nõnulli.

133. *Spiritualis connubij forma.* Vers. 24. *Et dicam non populo meo: Populus meus es tu: & ipse dicit: Deus meus es tu.*] Ventum est ad populum, iam dimissum, ad cuius salutem nihil sperari posse videbatur à Domino. Sed ea est Domini benignitas, vt illum nihilominus aduocet ad se, eóque deducat, atque promoueat, vt vocari iam possit Dei populus. Dei verò populus vocatur, quia diuinis se legibus attemperat; quia peregrinos Deos non agnoscit; quia denique constanter, & verè dicit illi, cuius dicitur esse populus, *Deus meus es tu.* Quibus verbis non obscurè significatur, cur priùs non populus, nunc autem Dei populus appellatur; quia fœdus illud antiquum renouat, quo nuptialem in modum Deo se totum credidit, quémque Deus in suam recepit tutelam, & fidem. Hæc porrò verba nuptialia sunt, quæ mutuum coniugum studium, & amorem significant, qualia sunt illa aliquoties repetita in Canticis, *Dilectus meus mihi, & ego illi.* &, *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.* Sic in isto metaphorico connubio sponsus dicit, *Tu mihi populus*; respondit populus, quasi sponsa foret, *Tu mihi Deus.*

134. Ad extremum expendamus oportet, an quæ hoc dicuntur capite, tam quæ minacia, quàm quæ benigna, & quodammodo amatoria sunt, de populo aut extrudendo in exilium, aut concidendo grauiter; & de eodem iam ab exilio in patriam, reuocato intelligenda sint: seu de Ecclesia, quam Deus è Iudæo, Gentilique collectam sic complexus est, vt sponsæ in modum luculenter ornauerit. Qua de re variè sentiunt, & loquuntur interpretes.

135. Quidam de reuocato in patriam, prioremque fortunam populo sermonem esse credunt, quod cum Chaldæo, & Hebræorum multis sentiunt ex nostris neque pauci, neque vulgaris notæ, Rufinus, Theodoretus, Theophylactus, Haymo, Albertus, Hugo, Isidorus. Quòd si, quæ his capitibus continentur, abiecto primùm, deinde restituto populo conuenire aliquis probauerit, in eãdem quoque sententiam adducet Augustinum, qui *lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 10. & cap. 11.* docet historicum illum esse sensum, quem verba propriè sonant; nisi in propria illa significatione, ac sono aliquid sit absurdi contra veritatem, aut contra sanam fidei, morúmve doctrinam. Hæc verò sententia multa habet, eaque non leuia suæ veritatis, aut probabilitatis argumenta. Primùm, quia nihil habemus ab Osea, quod non optimè in populum Israeliticum quadret; siue malè diu in exilio vexatum, siue postea ab exilio restitutum, vt in singulis partibus, vt reor, sufficienter ostensum est. Deinde quia non facile sibi quiuis persuaserit, in Ecclesiam, quæ maxima ex parte è Gentili populo congregata est, præcessisse adulterium, & violatam connubij fidem; quando populus ille ante Christum, & Euangelium in

Idololatria in populo gentilico nõ dicitur adulterium.

A mysticum illud connubium aggregatus non est, neque audiuit à Deo familiarem illam, & quasi legitimam matrimonij contrahendi formam: *Populus meus tu.* neque dixit, *Deus meus tu es.* Neque sponsum Deum reliquisse arguitur, aut adulterij nomine notatur; sicut Israeliticus populus, cui perfidiæ, & adulterij crimen sæpius obiicitur. Quæ contra hanc sententiam obiici possent, satis ex his, quæ à nobis suprà dicta sunt, infirmari, atque dissolui possunt.

Altera sententia hæc omnia refert ad Ecclesiam, & Euangelij sæculum, quæ magis est communis, & magis etiam fundamentis innixa. Hæc est Hieronymi, Ruperti, Cyrilli, Dionysij, Lyræ, 136.
B & ex recentioribus, Montani, Riberæ, Figuerij. Rationes illæ sunt potissimæ, imò vna est ex omnibus conformata ratio; quia neque omnia impleta sunt, in duobus temporibus Israelitici populi, & quæ hoc loco promittuntur, longè sunt maiora, quàm quæ in vtrunque illius gentis statum conuenire possint. Sed in commentariis nostris abundè, opinor, huic siue rationi, siue rationibus satisfecimus, docuimúsque, quàm illa omnia in vtrunque populi tempus aptè cadant.

Ego sic puto definiendam esse quæstionem, vt auctores omnes, & interpretes, qui hoc vel illo modo sentiunt, à se tamen aut nullo, aut certè leuissimo interuallo dissideant. Hîc ego primùm 137.
C aliquid video typicum, & aliquid historicum, sicut in omnibus ferme vaticiniis, quæ habemus à Prophetis aliis, in quibus aliquid pacatum, & felix post restitutum populum ab exilio prædicitur, de quibus nos in præfatione quadam *ad cap. 40. Isaiæ, & in cap. 2. Zachariæ*; vbi diximus ex omnium penè Patrum, interpretúmque sententia in restituta Hierosolyma expressam esse imaginem Ecclesiæ. Ita putant nonnulli ex his, quos pro priori sententia nuper adduximus, vt Theodoretus, & Theophylactus, & ex his qui posteriorem sententiam magis probant, hanc tamen nonnulli non improbant, dum aliqua de Israelitarum rationibus accipiunt, vt Cyrillus, Hieronymus, Lyra, & plerique alij.
D

Accepit sanè captiuus antea populus dona ab sponso Deo planè nuptialia, quæ ad finem secundi capitis verbis magnificum aliquid, & amatorium significantibus explicuit Propheta. Sed si 138.
cum his donis conferas, quibus Ecclesia desponsata, atque ornata est, vmbram tantùm putabis eximij corporis, aut imaginem mortuam, & obscuram viuentis, atque splendentis animæ. Quare Patres, qui Ecclesiastas agunt, aut hæc spirituali modo meditantur, neque reipublicæ meminerunt Israelitidis, neque aliquid inueniunt diuinum, quod in Ecclesiam ab sponso Deo collatum non fuerit. Qui tamen si interpretes agerent, ab
E ipso, credo, orationis continenti filo cogerentur, si non omnia, plurima tamen de temporali Israelis statu, réque illius publica instaurata, atque aucta interpretari. In quo Ecclesiæ dignitati ac gloriæ nihil detractum esse video; sicut neque altissimis nostræ redemptionis mysteriis, eo quòd illorum in Testamento veteri vmbræ præcesserint.

Digitized by Google

IN CAPVT TERTIVM

ARGVMENTVM.

VATICINIVM istud ad duas spectat tribus, quæ post aliarum decem exilium, captæ fuerunt à Chaldæis, & in longam & miseram seruitutem abductæ. Cur verò illis dura illa rerum conditio subeunda sit, ea redditur ratio: quia cùm illas Deus tam amarit ardenter, atque constanter: ipsæ tamen & Deum, & illius eximia beneficia, cum rebus vilissimis permutarunt, quæ vuarum appellantur vinacia. Neque tamen aut exilium, aut animi offensionem futuram dicit esse perpetuam, aut sine aliqua velut maritali prouidentia, ac studio. Quod optimo symbolo declarat in vxore, quam post adulteria vagámque libidinem duxit Oseas: cui licèt à sua consuetudine, ac toro separatæ, de victu tamen quamuis parcè ac duriter interea prouidit.

CAPVT III.

1. *ET dixit Dominus ad me: Adhuc vade, & dilige mulierem dilectam amico, & adulteram: sicut diligit Dominus filios Israël, & ipsi respiciunt ad deos alienos, & diligunt vinacia vuarum.*

2. *Et fodi eam mihi quindecim argenteis, & coro hordei, & dimidio coro hordei.*

3. *Et dixi ad eam: Dies multos expectabis me: non fornicaberis, & non eris viro: sed & ego expectabo te.*

4. *Quia dies multos sedebunt filij Israël sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine ephod, & sine theraphim.*

5. Et

PARAPHRASIS.

A 1. POst hæc, rursus ad me Dominus: Agedum, Osea, adhuc tibi alia vxor quærenda, aliæ sunt ineundæ nuptiæ. Elige tibi vxorem, quæ propter adulterium, cum libello repudij, repulsa sit à viro, & quæ ad hanc ignominiam, illam quoque turpitudinem adiecit, vt vetitis se amoribus implicuerit. Hanc igitur duces, & amabis, in quo extare volo symbolum, & exemplum illius amoris, quo Deus prosequitur filios Israël; cùm tamen illi deos amant, & venerantur alienos: cùm ab illis id tantùm

B possint haurire commodi, quod ab vuarum vinaciis, ex quibus expressum est vinum, neque alium habent vsum, quàm vt porcorum pabulum esse possint.

2. Tunc ego diuino obsecutus imperio, vxorem duxi, qualem mihi Dominus ducendam præceperat: & iuxta Hebræorum consuetudinem illam mihi coemptam antè pretio, domum asciui. Impendi igitur dotis, ac pretij nomine, argenteos quindecim,

C & sesqui corum hordei.

3. Vbi verò domum illam traduxi, hæc illi mandata meo iure præscribo. Primùm vt expectet aliquandiu, quasi vidua à toro meo, atque molliori consuetudine separata, neque putet se aliud habituram à me, quàm vigilem summámque custodiam, ne vnquam ad consueta turpitudinis genera reuertatur. Vt autem ipsa diu me expectabit, dum maritalem illi indulgentiam, & amorem præstem: sic etiam ego vicissim il-

D lam expectabo, donec apta sit, & digna casto atque legitimo coniugio.

4. Neque frustrà connubium istud tot notatum signis, siue offensi, siue amantis animi contractum est: quando in eo Iudaici populi varia conditio illustri symbolo describitur. Gens enim Iudaica sedebit diu, quasi vidua sine rege, sine præfecto, ac duce, qui profanis publicísque curis: & sine

sacer

Digitized by Google

A sacerdote, qui sacris, & qui etiam altari, ac sacrificio præsit. Neque erit ephod, aut theraphim, quæ rem sacram integram, & bene constitutam esse docent.

5. Et post hæc reuertentur filij Israel, & quærent Dominum Deum suum, & Dauid regem suum: & pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius, in nouißimo dierum.

5. Postquam diu in exilio gens illa infidelis, & adultera consederit, à sui sponsi complexu, & indulgentia molliori distracta, reuertetur tandem, quærétque in suo domicilio, & quasi connubiali secessu dominum, qui è Dauidico propagabitur semine. At eo quòd Dauid spiritu regnum illud administrabit, illum religioso quodam timore obseruabunt, & grata memoriæ illius amabunt, & colent beneficia.

Vers.1. *Et dixit Dominus ad me: Adhuc vade, & dilige mulierem delectam amico, & adulteram.*]

1. ALTERA hæc prophetia est, & alterum præceptum, quo Deus ostẽdit, & quid ipse in populum contulerit quondam suum, & quod illum propter infideles, & incontinentes mores supplicium expectet. Sed antequam literæ explicationem ingredior, explorato opus est, an caput hoc de Israele, id est, de decem tribubus intelligendum sit, sicut priora alia duo; vel tantùm de duabus, quæ licèt longè post alias, aliquando tamen fortunam non dissimilem sortitæ sunt. Sunt qui putent, in hoc capite de duodecim tribubus esse sermonem, cùm tamen antea de decem tantùm locutus sit Propheta. Ita Hieronymus indicat subobscurè, neque minus obscurè inquit Ribera, & apertè Figuerius.

2. *Vaticinium hoc de duabus tantùm tribubus.* Chaldæus, Theodoretus, & Theophylactus, quibus subscribit Castrus, putant hanc prophetiam cum superiori contexi, & totam esse de decem tribubus; rationes, meo iudicio, infirmæ sunt, quæque falso nituntur fundamento. Placet magis quod visum est Haymoni, Ruperto, Hugoni, Alberto, atque Vatablo, vaticinium hoc contra duas tribus esse institutum. Quod multa mihi, eaque non leuia persuadent. Primùm, quia postquam decem à duabus tribubus Roboami tempore distractæ sunt, vt loco, institutóque diuisæ, sic etiam promissis plerunque, ac suppliciorum siue minis, siue molestiis separatæ sunt. Item quia sicut in duabus meretricibus Oolla, & Ooliba duo illi populi ex vno dissecti *Ezech. cap. 23.* significati sunt, sic etiam nunc iidem populi in duabus fœminis eiusdem penè instituti adumbrari videntur, Israel, id est, decem tribus in fornicaria, quæ nupsit Oseæ, duæ aliæ tribus in adultera, quam hoc capite diligere iubetur Propheta. Adde quòd propheticæ minæ nullo modo cadere possunt in Israel; id enim sine dubio minatur Deus ablaturum se, quod iam antea dudum pars illa populi perdiderat. Neque enim postquam à Dauidis progenie, templóque recessit, sacrificiũ habuit, aut altare, ephod ac theraphim. Hæc verò sancta esse ac legitima puto, non quæ pro sanctis, atque legitimis Ieroboamus induxit, vt populum quem ad se ex Dauidis dominatu subduxerat, à templo, atque sacrificiis auocaret. Nam post aliquod tempus restituenda dicit altare, sacrificium, & ephod; non quæ

B ingrata Deo, qualia fuerunt, quæ à Ieroboamo populus accepit, nempe nefaria, detestandaque vehementer; sed qualia habuerunt Iudæi dum altari ac templo sacram darent, & legitimam operam; ea nimirum, quæ Dominus ait post longa tempora fore reuocanda. Quòd si hoc vaticinium accepit Propheta sub Ezechia, vt putat Chrysostomus *serm. 2. in Psal.* 40. eo nimirum tempore, quo iam decem tribus in exilium abierant, tunc neque regem neque qualemcumque sacerdotem, & aram habuerunt; quare in illas propheticæ hæ minæ conuenire non poterant.

Dilige mulierem dilectam amico, & adulteram.] Hic etiam dubitant interpretes, quænam sit hæc mulier, & à quo dilecta. Quidam Gomer esse putant, eandem videlicet, quam antea duxerat Propheta, quæ fornicaria dicebatur, ex qua tres suscepti filij, quæ tunc fornicaria vocata est, quia nondum legitimè viro coniuncta; nunc verò appellatur adultera, quia relicta Osea, cui antè nupserat, alienis se amatoribus implicuit. Ita putat Rufinus, Theodorus, Antiochenus, & Ribera. Sed hęc sententia ab aliis cómuniter exploditur, quia non opus esset illam iterum emere, cùm reuocare voluit, cùm iam antè nuptiali ritu coemisset. 3.

C Alij putant adductam quidem à Propheta domum adulteram, quæ à viro suo se subduxerat, & vaga libidine meretricio more nouis se quotidie nuptiis oblectabat; quam tamen neque vxorẽ duxit, neque illi assueuit, sed potiùs, vt se ab illa vitæ turpitudine cohiberet, domi se cum honesta continuit. Cuius ea ratio aut sola, aut præcipua est, quia alterius vxorem Oseas salua religione ducere non potuit. Hæc sententia pluribus placet, & in his Hieronymo, Cyrillo, Theodoreto, Alberto, Hugoni, & Lyræ, quam ad extremum amplectitur Castrus. 4.

D Mihi longè videtur probabilius hanc etiam mulierem adulteram nupsisse Prophetæ, sicut paulo antea fornicaria nupserat; frustra enim emeret illam nisi vxorem esset habiturus. At dices emit, vt secum domi tanquam seruam haberet, eóque artificio illius pudori, & mariti dignitati consuleret: nam eo consilio nonnulli putant emptam à Propheta; at hoc effugium præcludit verbum *diligo*, quod nuptiale atque amatorium est; neque tam domino in ancillam, tanquam sponso in vxorem idoneum est, atque 5. *Nubit rursus adultera Prophetæ.*

 familiare,

Digitized by Google

familiare. Neq; aliquid video, quod opponi huic ſententiæ ab Hebræorũ religione poſſit; dici etenim potuit adultera, vel poſtquam vir deceſſit; neque enim lex vlla prohibet viduatam coniuge mulierem iterum, ac ſæpius nuptias inire: deinde quia accepto libello repudij à priori ſoluta matrimonio alium ſibi coniugem poſſet expetere, ſic enim de hoc libello, ac iure Deut. cap. 24. *Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua. Cúmque egreſſa alterum maritum duxerit*, &c. Quod verò ad ſignificationem attinet huius hieroglyphici ſigni, longè maior eſt vis in hac expoſitione, vt mox conſtabit.

6. *Dilectam amico.*] Hunc amicum adulterum intelligo, idque, meo iudicio, neceſſariò. Neque enim ſi maritus prior illam diligeret, dimiſiſſet à ſe cum libello repudij, liberámque permitteret facultatem nubendi, cui vellet: præſertim cùm poſtea, vt maximè cuperet, reuocare non poſſet, quemadmodum lege cautum eſt Deuter. cap. 24. de qua nuper. Et ita cenſent Hieronymus, Theodoretus, Haymo, Theophylactus, Albertus, & Hugo. & nomen *amicus* id planè ſignificat, licèt enim nemo amicus magis eſſe debeat, quàm ſponſus, tamen hoc nomen patet multo latius, & à maritali ad alios amores plerunque traducitur. Accedit quòd Septuaginta, pro *amico* legunt *mala*: ſic enim conuertunt *ἀγάπησαι πονηρὰ*, id eſt, *dilige mulierem diligentem mala.* Quam lectionem in commentariis non improbat Hieronymus. Fecit verò vocis Hebraicæ ſimilitudo, vt inter vulgatum, & Septuaginta tanta eſſet in vertendo diuerſitas, vox enim רע à רעע deduci poteſt, quod malum aliquid ſonat, & à רעה, quæ inter alia amicitiam etiam, & ſocietatem importat. Illa verò aliter, atque aliter notata, aliam, atque aliam ſignificationẽ habet. Cùm verò tam Hieronymi, quàm Septuaginta temporibus nondum eſſent excogitata puncta, Hieronymus aliter, aliter LXX. legerunt.

7. *Sicut diligit Dominus filios Iſrael.*] Licèt poſtquam ſub Roboamum duodecim tribus diſſectæ ſunt, decem illæ, quæ Ieroboamo adhæſere, Iſraelis ſibi nomen vendicarunt, non tamen ita perpetuum fuit, vt non etiam duæ aliæ, Iuda videlicet, & Beniamin, appellatæ fuerint interdum *Iſrael*; vt millies audis apud Iſaiam, & Prophetas alios, quia non minus duæ tribus, quàm decem aliæ ab Iſraele prognatæ ſunt. Accommodat autem Deus ſymbolum illud, & docet cuius rei cauſa inuentum, ac propoſitum eſſe voluerit. Nempe vt oſtendat quo animo ſit in generationem illam prauam, & adulteram affectus; quæ licèt adulteriis ſe innumeris fœdauerit, illius tamen curam non omnino depoſuit, imò tunc etiam dilexit, cùm ſeipſum ab illa contemptum videt, & amatores alios, & alienos in amore ſibi fuiſſe prælatos. Si enim amare eſt bene alicui velle, ac illius commodis, & ſaluti conſulere, quomodo Deus non dicetur amare populum, quem etiam dum exulem grauibus vrgeret incommodis, ſeruabat tamen; eóque referebat vexationem illam duram, vt expiaret à ſordibus, idoneúmque redderet caſto, atque fideli cõiugio. Sic ſanè Iſaias cap. 1. v. 25. *Et conuertã manum meã ad te: & excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtãnum tuũ, &c. poſt hæc vocaberis ciuitas iuſti, vrbs fidelis.* Hinc indignatio contra nationes illas, quæ

Quo molli animo Deus etiã in peccatores affectus.

A hoſtilem in modum captiuum populum vexauerunt, Zachar. cap. 1. v. 14. *Zelatus ſum Ieruſalem, & Sion zelo magno, & ira magna ego iraſcor ſuper gentes opulentas: quia ego iratus ſum parum, ipſi verò adiuuerunt in malum.* Vide quæ in hunc locum diximus in noſtris commentariis. Opus ſanè fuit amantis animi patronum, ſeu pædagogum præponere, qui alicuius commodis inuigilet, & ab omni tueatur iniuria: at hoc fecit Deus, qui, vt pluribus in noſtris commentariis ſuper Danielem oſtendimus, captiuo populo Gabrielem præfecit, qui contra principem Perſarum, atque Græcorum acerrimè pugnauit; (duos autem illos principes Angelos eſſe malos, & Iudæorum
B populo contrarios, eo loco docuimus.) Illud verò non amantis animi, & quam molliſſimè affecti argumentum eſt, quòd ſeipſum Dominus arguere, aut excitare videtur, vt malè vexatum populum ab inimicorum præda, ac calumniis eripiat? Iſai. cap. 52. *Aſſur abſque vlla cauſa calumniatus eſt eum* (nempe Iudæorum populum) *& nunc quid mihi eſt hinc? dicit Dominus.* Ac ſi dicat ad hominum ſimilitudinem: Quid ego nunc otioſus ſedeo? quin ſtatim me ad eius libertatem accingo, cùm mihi neque facultas deſit, neque voluntas, ac ſtudium populum iuuandi? Iubet ergo Deus vt adulteram ducat, eámque affectu maritali diligat, ſuſtentet, atque ornet, neque vi-
C tæ ſordes impedimento ſint, quominus illius rationibus ſtudeat, & conſulat; quemadmodum ipſe adulterantem diligit populum, & de rebus illi commodat neceſſariis. 8.

Singularis Dei in afflictos etiamſi peccatores affectus & benignitas.

Et ipſi reſpiciunt ad deos alienos, & diligunt vinacia vuarum.] Grauis videbatur offenſionis cauſa, dignaque ſempiterno repudio, quòd tantus ſponſus tam vilis fuerit, vſqueadeo ingratæ, atque infideli ſponſæ, vt cum diis alienis, qui maiori in pretio haberi non debent quàm vuarum vinacia, illum non ſolùm inuerecundè, ac ſtultè, ſed etiam ignominioſè commutarit, debuerat populus ille, ſi modò pudoris aliquid haberet, aut mentis, amantẽ redamare, neque de re alia cogi-
D tare quàm de referẽdo amoris officio; quod faciebat illa, quæ longè meliore cõſilio repetebat, *dilectus meus mihi, & ego illi.* & iterum, *Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius.* Sed totam vim animi, totum præcordiorum affectum, & pondus ad vuarum vinacia, res nimirum futiles, & ludicras conuertit. Et tamen, qua eſt bonitate Deus, atque clementia, adhuc diligit, eo prorſus modo, quo diligi iubet à Propheta caſto fœminam quotidianis pollutum adulteriis. 9.

Singularis peccatoris ſtutor & amentia in contemnendo Deo.

Vinacia vuarum prouerbiali, vt apparet, ſpecie pro rebus viliſſimis vſurpantur, ſicut à Latinis *quiſquilia, caſſa nuces, aut glandes, fundi putridi*, & ſimilia. Sed in hac voce aliquid ego vilius in-
E uenio: vinacia namque non ſolùm vilia ſunt, & ſordida, ſed etiam porcorum ex vinitorum vſu deſtinata pabula. Sunt autem vinacia vuarum folliculi, ex quibus in torculari, ac prælo expreſſum eſt vinum, neque aliquid habent carnis, ac ſucci, ſed nudum, & aridum granum, in nudo etiam, & arenti folliculo. Quo autem hæc viliora ſunt, eo grauior fit iniuria Deo, quando illum ſponſa tot cumulata beneficiis, cum re vſqueadeo vili, ac ſordida permutat. 10.

PROVER. *Vinacia vuarum pro re vili ac ſordida.*

Vbi vulgatus *vinacia vuarum*, Hebraicus textus habet אשישים *aſiſaim*, quæ vox commune aliquid ſignificat, quod hilaritatem, aut ſuauitatem importat, vt pluribus oſtendimus ad illud Cant. cap. 2. *Fulcite me floribus.* vbi diximus vocem 11.

cem hanc apud Hebræos significare, quicquid conuiuium, aut geniales dies ornat, & exhilarat; siue à verbo *sus* deducas, quod est *gaudeo*, aut ab *asas*, quod in eundem sensum accepit Hieronymus *Isaiæ cap.* 16. vbi *asisim* exponit, *his, qui lætantur*. Quare *Cant.* 2. vocem illam Hieronymus *flores* vertit, Septuaginta *vnguenta*, Abenezra *vas vinarium, cados vinaceos, & modios simila*, Pagninus, & Isidorus *phialas*. Et idem Hieronymus, qui hoc loco reddidit *vinacia*, & Cantic. 2. *flores*, 2. Reg. 6. & 1. Paralip. 16. conuertit *similam frixam oleo*, quia hæc omnia instruere solent splendidas mensas, & accumbentes oblectare. LXX. hoc loco πέμματα reddidere, quæ, vt docet hîc Hieronymus, placentæ sunt, quæ cum passis vuis comeduntur, aut crustulæ. Quòd si hîc in aliquid intelligas delicatum, ac molle opere pistorio, dulciario, aut
12. vnguentario confectum; hunc sensum, & significationi nominis, & rei ipsius naturæ non ineptum puto, sponsam adulteram nouis quotidie nuptiis oblectari; quia vbi à vero, atque legitimo coniuge discessit, nouos quotidie amatores ambit, & illis se omnino impendit, & implicat. Tunc verò pro nuptiis adhibetur; quia præsertim reperitur vbi nuptialis est plausus, & genialis mensa. Sicut vox eadem *Cant.* 2. pro nuptiis vsurpatur, vbi dicitur, *Fulcite me floribus*. Queritur ergo Dominus quòd sponsa relicto casto, atque legitimo toro, alios sibi thalamos, alios amatores expetat, neque tamen ideo illius aut abiicit curam, aut amare desinit.

Anima quæ à Deo defecit, variis se quotidie amoribus implicat.

13. Hieronymus aliò respexit cùm vuarum vinacia conuertit, vt paulo antè diximus, vile nempe aliquid, & sordidum, quod optimè ad porcorum vsum cum cœni volutabro coniungas. Conuertit quidem vinacia, cùm in Canticis *flores* reddidisset, quia statim sequitur *anabim*, quæ vox vuas significat, communéque nomen ad illas voluptates coarctat, quæ sumuntur à vitibus. Sumit autem id quod in eo genere vilissimum est, & aut à vinitore reiicitur, aut porcorũ tantùm pabulo seruatur, vt ostendat ignobilem illam, & infidelem adulteram naturæ suæ oblitam in porcorum naturam, & sensus degenerasse. Sumpsit Hieronymus, opinor, ab antiquissimis interpretibus Symmacho, & Aquila, quorũ prior ἀνάγρια, id est, *steriles*, posterior παλαιά, id est, *vetera* conuertit. Quæ autem ex vitibus vetera, sterilia, seu inutilia sunt, quo nominè melius vocari possunt, quàm vinaciarum, eo quo suprà explicuimus, modo?

14. Vers. 2. *Et fodi eam mihi.*] Figuerius hîc metaphoram putat esse vineæ, quo nomine Deus non semel Israeliticum populum appellat, in qua colenda illos sumptus fecit, de quibus hîc Propheta. Hieronymus, Albertus, Haymo, Rupertus, & Lyra, allusum esse putant ad vineam, qui tamen possessionem, & coëmptionem intelligunt. Sed sanè non est verisimile, tam subitò reliquisse adulteræ metaphoram, maximè cùm ad illam è vestigio redierit. Placet magis quod visum est pluribus, in verbo *fodi* emptionem significari; quæ veteri Hebræorum ritu in nuptiis contrahendis intercedit. Vbi vulgatus *fodi*, Heb. est *carah*, quod *fodere* significat, *emere*, & *acquirere*. Hîc sine dubio emptionem, & acquisitionem importat, quemadmodum locis aliis nõ infrequenter. Deut. cap. 2. v. 6. *Aquam emptam haurietis, & bibetis.* Heb. *tikru*; certum est autem tunc non fodiendos esse puteos, sed pretio aquam cisternis conclusam hauriendam. & *Gen.* 50. *v.* 5. dixit Iacob iamiam moriturus ad Ioseph, *En morior, in sepulcro meo, quod fodi mihi in terra Chanaan, sepelies me.* At *Genes.* 49. *v.* 30. emptus dicitur ager ille, non effossus ab Abraham, quem se emisse dicit Iacob; quia emptum à parentibus perinde possedit, atque si ipse sua sibi pecunia parasset.

Hîc porrò obseruandum, cùm vox Hebraica duo diuersa significat, interdum ab auctoribus etiam profanis, & classicis vsurpari id, quod minus est proprium; ex quo tamen deinde per quandam quasi metalepsim gradus fiat ad alterum, ex profanis accipe vnum, aut alterum exẽplum. *Immanis*, crudelem significat, & ingentem. Virgilius pro *immani sæuum* posuit, *lib.* 1. cùm ageret de Hectore, quia ex *sæuo* ad *immane*, deinde ad *ingens* per quosdam quasi gradus ascenditur. 15.

Sæuus vbi Æacidæ telo iacet Hector.

Χειμὼν tempestatem significat, & hyemem; vnde poetæ sæpe hyemem pro tẽpestate sumunt. Item ἀξίωμα dignitatem valet, & decretum, seu placitum sapientum; ex quo fit vt in Philosophorum scholis passim pro decretis, quæ etiam apud ipsos ἀξιώματα dicũtur, dignitatis nomẽ audiatur. Ex sacris plurima producere possemus exempla, duo accipe. κύαμος lenticulam significat, & *vas olearium*. Hieronymus sæpe lenticulam vertit etiam dum vas significat, in quo continetur, & seruatur oleum. *Sap.* 4. *v.* 3. Interpres vocem ambiguam μόσχοι, quæ plantam significat, & vitulum, *vitulamina* reddidit, cùm tamen eo in loco iuxta institutam allegoriam, non tam locus esset vitulo, quàm plantæ. *Multigena autem impiorum multitudo non erit vtilis, & spuria vitulamina non agent radices altas.* Sic ergo cùm hoc in loco aptior esset iuxta metaphoram nuptialem emendi, seu acquirendi significatio, quàm fodiendi; noster tamen interpres alteram adhibuit.

REGVLA. Cùm vox Hebraica duo significat, interdũ interpres minus proprium assumit.

Porrò nuptias per coëmptionem fieri, ita vt mutuò datis vtrimque donis se coniuges coëmant. Res est satis illis comperta, qui mediocriter in sacra atque profana eruditione versati sunt. De profana satis multa Brissonius *in libro de formulis Romanorum.* Vide etiam Seruium ad illud *lib.* 1. *Georg.* 16.

Nuptiæ per coëmptionẽ.

Téque sibi generum Tethys emat omnibus vndis.

De sacris sunt exempla non pauca, in quibus non tam vir dicitur emptus ab vxore, quàm vxor à viro. Et sanè perquã aptè, cum sponsa iuxta nuptiales Hebræorum ritus pauper inducatur, & nuda, in syluis nata, & ibi in abiectionem animæ proiecta. Sic sanè *Genes. cap.* 34. Sichem emere sibi vult Dinam filiam Iacob, cuius ambibat nuptias. *Inueniam gratiã coram vobis, & quæcumque statueritis dabo. Augete dotem, & munera postulate, & libenter tribuam, quod petieritis, tantùm date mihi puellam hanc vxorem.* Iacob vxores emit Rachel, & Liam vtranlibet dura septem annorum seruitute, Genes. 29. *Seruiam tibi pro Rachel filia tua minore septem annis.* Dauid item vxorem suam regis filiam centum Philistinorum præputiis acquisiuit. 2. Reg. 3. *Redde vxorem meam Michol quam despondi mihi centum præputiis Philistiim.* Et Christum sponsam suam Ecclesiam magno etiam pretio sibi comparauit. Actor. 20. *Vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Ob hanc credo causam à Petro *epist.* 1. *cap.* 2. *v.* 9. populus acquisitionis vocatur Gens sancta, quam Dominus sibi quasi in nuptialem thalamum,

mum asciuit. Et idem sponsus Deus dotali vinea sibi sponsam coemit in Baal hamon. *Cant.*8.& *Osea cap.* 2. daturum se dicit ad aperiendam adulteræ spem vallem Achor, quæ sit pro illius nuptiis dotale pretium. *Matthei* 1. v.18. vbi vulgatus, *cùm esset desponsata mater eius Maria*, Syriacè est, *mechirah*, id est, *empta*; neque aliud est eo loco empta, quàm desponsata. Quo verò pretio B. Virgo empta fuerit à Ioseph, cuius coniectare promptum est; cùm vir esset pauper, quique manu, & arte fabrili victum sibi frugalem, & tenuẽ pararet. Vili ergo pretio pro sua tenuitate coemit sponsam tantam, cuius comparatione quicquid in mundo existimatur pretiosum, & pulchrum, instar obtinet nihili.

Maria quomodo in nuptiis empta à Ioseph.

17. *Quindecim argenteis, & coro hordei, & dimidio coro hordei.*] In hoc argentorum numero, & hordei mensura multa diuinant suo more Rabbini, quàm aptè, & consequenter, ipsi viderint. Fortasse aliquid in eo sacramenti latet; quid tamen illud sit, incertum est. Sententiæ variæ, sed in illis nihil video in quo acquiescere possit prudentis animus. Neque fortasse à Deo præfinitum est Prophetæ nuptiarum pretium; neque ipse de quantitate, ac numero laborauit, sed obtulit, aut quod paratum habuit in fortuna tenui, aut quod sibi visum est idoneum pro conditione, ac meritis fœminæ, quæ sic abiecisset pudorem, & modestiam, vt adulteria sua in hominum oculis publicè defigeret.

18. *Corus quæ mensura.* Quid sit corus diximus in nostris commentariis super Ezechielem *cap.* 45. Quidam putant tantum frumenti capere, quantum camelus, alij quantum possit asinus portare: atque ideo putant asinum Hebr. dictum esse חמר *chamor*, quia illi chomer vnus, id est, corus idoneum, & quasi legitimum pondus est. Iosephus *lib.* 15. *Ant. c.*12. decem medimnos Atticos vno coro mensurari putat. In re vsqueadeo controuersa, & dubia placet, quod Hieronymo placet, in vno coro modios numerari triginta. Ita *in Ezechielem cap.* 45. & *Leuit. cap.* 27. *v.* 16. *Isai.* 5. *v.* 10. pro *coro* vertit *modios triginta*. Quod non improbat Epiphanius *lib. de ponderibus*, & addit, quod nuper dicebamus, corum onus esse cameli; in quam sententiam magis inclinat Mariana. Quòd si modius duos Hispanicos *celemines* implet, efficitur corum quinque fanecarum mensuram implere: atque adulteram fœminam septem fanecis cum dimidia emptam à Propheta, quod in annum fœminæ satis idoneum alimentũ est. Fortasse hæc desponsationis illius merces tota non fuit, sed alimenti modus, quem in singulos annos Oseas adulteræ sibi desponsatæ designauit. Quod enim in totam vitam nouus coniux sponsæ suæ de alimento prouideat, certum est. Sanè septem mulieres, quæ vnius viri matrimonium expetunt *Isai. cap.* 4. ab ea cura, quasi legitima sponsum liberant, dum dicunt, *panem nostrum comedemus.* Et sponsus *Cant.* 8. perpetuos fructus dotalis vineæ in sponsæ vsum, & delitias confert. Quod item facit sponsus idem Deus, dum vallem Achor sponsæ reconciliatæ promittit.

Maritus vxori in totã vitam de alimento prouidet.

19. Sed dices, mercedem videri non solùm exiguam, sed etiam sordidam, & vilem, neque admodum rei accommodatam nuptiali corum vnum, & alterum dimidiatum hordei: hoc enim non tam hominum est, quàm iumentorum pabulum. Hic ergo duos inuenio solutionis modos: aut enim sponsæ in hordeo assignati sunt annui redditus, ex quibus pecuniam redigat, qua necessaria ad vitæ tam subsidia, quàm ornamenta paret, sicut aliis in syluis, pascuis, lapillis constituitur victus, quæ licèt homini esculenta non sint; ex his tamen habet, vnde emat ad omnes sumptus necessaria. Addo etiam in Palæstina genus quoddam esse hordei, (si Montano credimus in illud Isaiæ cap. 30. *commixtum stigma comedent*,) quod aliquid habet quasi fermentaceum, quo vinum acescit, quod sumpsit ex libro Misnaioth. & quidem hordeaceos panes esse apud Hebræos maiori in pretio, quàm apud Hispanos, docet vsus in illorum regione familiaris. Millies enim audimus hordeaceos panes, qui non solùm ab inope, atque ignobili turba adhibentur ad mẽsam, sed his, qui meliori loco sunt, tanquam victus non insuauis, aut rusticus offertur. Sanè 4. *Reg.*4. *v.* 42. oblati sunt Eliseo honoris, & sustentationis gratia panes ex hordeo. *Vir autem quidam venit de Baalsalisa deferens viro Dei panes primitiarum, & viginti panes hordeaceos.* Imò & Dauidi cùm fugeret Absalon, ab amicis panes etiam ex hordeo porrecti sunt, *lib.* 2. *Reg.* 17. *v.* 28. Neque credo aliquid fecerunt insolitatum Christi discipuli, cùm ad suum, & magistri cibum panes secum tulerunt hordeaceos, *Ioan. cap.* 6.

Hordeum apud Hebræos in pretio.

Neque solùm apud Hebræos vsus hordei familiaris, & non indecorus, sed etiam sub hæc tempora, & longè etiam pòst, apud antiquos, de quibus Plinius lib. 18. cap. 7. *Antiquissimum*, inquit, *in cibis hordeum sicut in Atheniensium ritu, Menandro auctore, apparet, & gladiatorum cognomine, qui hordearij vocantur.* Vbi modum etiam ostendit, quo etiam ad delicias hordeum solitum esset parari. 20. *Item apud Græcos.*

Non tamen ignoro posterioribus sæculis vile habitum esse & ignominiæ plenum, panem illum ex hordeo, eòque mulctari maximè, qui in re, disciplinaque militari aliquando peccassent. Sanè de tyronibus id tradit Vegetius de re milit. lib. 1. cap.13. *Qui parum in armorum prolusione profecerant, pro frumento hordeum cogebantur accipere. Neque ante eis in tritico reddebatur annona, quam experimentis datis ostendissent se omnia, quæ erant in militari arte, complesse.* De ignominia κριθοφαγίας, vide Polybium *lib.* 6. & Godescalcum *in locum citatum* Vegetij. Hoc sanè supplicio puniebat, notabatque Augustus milites, qui ex data sibi statione decessissent. Hoc tamen ignominiosum fuisse non puto, nisi post longa sæcula à re Romana constituta. Neque id apud Hebræos olim habuisse aliquid indecori probant ea, quæ nuper adduximus, & quia hordeum sæpe cum rebus delicatis numeratur, cum frumento videlicet, & oleo; quâ de re statim: nam in hordeo hoc tempore aliquid fortasse durum & ignominiosum ostenditur, & hoc mihi potiùs, quia, vt dicemus postea, panis hic hordeaceus parcũ portendebat, & insulsum cibum, quo vsi sunt captiui apud Babylonios. De allegorico, atque morali sensu pretij, quo empta est adultera, vide hic Hieronymũ, quem alij sequuntur; & Ambrosiũ *lib.*4. *epist.*39. & *lib.*9. *epist.*77. vbi optimè ad mores. 21.

Hordeũ pro tritico datũ his qui in re militari deliquissent.

Vers. 3. *Et dixi ad eam: Dies multos expectabis me: non fornicaberis, & non eris viro.*] Habuit quidem apud se Propheta vxorem adulteram, non tamen aut tori sociam, aut ita tractatam familiariter, ac molliter, vt sponsa solet à viro suscipi, in cuius consuetudinem, & amplexum venit. Quare habuit separatam à maritali conclaui, imò à communi mensa; & eo fortasse consilio hordei, co- 22.

Vxor adultera aliquãdiu ab Osea separata.

rum

by Google

rum cum dimidio præbuit, & argenteos triginta, vt ex illis sibi ad singulos annos, quos seorsum à viro quasi vidua traduceret, alimenta sibi superiori viuendi generi attemperata conficeret. Quid porrò parcus hic, & subrusticus cibus significet, tunc dicemus, cùm symbolum, & typum ad rem in eo significatam accommodabimus.

23. *Non fornicaberis, & non eris viro.*] Sic adultera in Oseæ domum, atque coniugium venerat, vt tamẽ neque amplexu, aut toro, aut mollioribus sponsæ deliciis frueretur, faciebat illa viuendi ratio seuera, magis, quàm matrimonij natura postulabat: vt angustè conclusa sub sponsi custodia, non se, vt antea, impunè, atque inuerecundè in consueta turpitudinis genera laxaret. Illud, *nõ eris viro*, ad Oseam nouum coniugem, & ad alios amatores, quibus assueuerat priùs, referri potest. Si ad Oseã referas, hic erit sensus satis ad symboli institutum, & sensum accommodatum. Viues quidem apud me, quia vxorem te meo mihi pretio vendicaui; sed ita viues perinde, atque si virum non haberes. Neque enim à me aliquid accipies aliud nisi claustrum, atque custodiam, quæ te liberè pro tua voluntate vagari non sinat, & cibum parcum, & durum, qualis est ille, qui ex hordeo subigitur. Cæterùm sedebis in angulo, quasi vidua, donec te nuptialem in modum mitius, & liberaliùs amplectar. Et hæc mihi sententia potior est. Quæ etiam placuit Hieronymo, Haymoni, Alberto, & Riberæ, licèt aliam sententiam, de qua mox, non omnino respuant. Vide quæ statim *num.* 26.

Vxor à viro custodienda.

24. Alij virum illum intelligunt, cuius honorem adulterando læsit, & à quo cum libello repudij dimissa est: aut certè amatores alios, quorum se libidini prostituit, à quibus dicit omnino esse abstinendum, id est, non iam amplius adulterandum. Tam enim adultera censebitur, quæ post repudium, secundum deserit maritum, ad priorem reuersa, quàm, quæ amatorum obsequitur intemperantiæ. Ita putant illi, quos pro altera expositione produxi; & illi præterea, qui viro addunt *alteri*. & hi sunt Septuaginta, Pagninus, & Vatablus. Et sanè ita accidit: nam licèt in exilio Babylonico, vbi hæc sponsa diu expectauit sponsum, cuius gerebat typum Oseas, idola coluerit, vt docet Ieremias *cap. 16.* tamen post exilium, quando iam cum sponso Deo familiariùs, atque coniunctiùs vixit Hierosolymæ, vbi Deus suum sibi domicilium parauerat, idola non coluit, nisi spatio breui Machabæorum tempore, idque non tam sponte, quàm ab Antiochi dominatu barbaro coacta. Sed, vt dixi, expositio prior potior mihi est, & magis, vt opinor, ad capitis filum.

25. Hic porrò notãdus dicẽdi modus, quo Hebræi in re coniugali frequenter vtuntur. Cùm enim significare volunt aliquam nupsisse alteri, aut alicuius voluntati ita paruisse, ac si illi connubiali nexu foret coniuncta, hoc ferè modo explicant *viro esse*, aut *fieri*, nempe copulatam aut legitimo vinculo, aut turpi consuetudine. Ezech. cap. 16. v. 8. *Ingressus sum pactum tecum, ait Dominus Deus: & facta est mihi.* nempe vxor. *Ruth cap. 4.* vbi vulgatus habet, *Tulit itaque Booz Ruth, & accepit vxorem.* Hebr. est, *accepit Ruth, & facta est ei.* Leuit. 21. v. 3. vbi vulgatus, *& sorore virgine, quæ non est nupta viro.* Hebr. *quæ non fuerit viro.* Quam phrasim imitatus est Paulus *ad Roman. cap. 7. v. 3.* vbi vulgatus, *vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.* Græcè est, *si fuerit alteri viro.* Quod ter in eadem prope clausula repetit.

Esse, aut fieri viro, *vox nuptialis.*

26. *Sed & ego expectabo te.*] Hæc cura non est eius, qui omnino coniugem, licèt adulteram, abiecit; sed illius, qui corrigere studet, dignámque reddere, quam amet, secumque in sinu, atque amplexu teneat. Atque ita vt sponsa expectat virum sibi fauentem magis, atque propitium, quo cum vitam agat vere coniugalem, sic etiam non minori studio sponsus desiderat sponsam sic habere ab omni adulterij, ac turpitudinis labe purgatam, vt illi se totum possit impendere. Quare expectauit diu, quóque sordes deponeret antiquas, neque nouas contraheret, omnem vim expiatoriam adhibuit, quam Isaias *cap.* 1. & Ieremias *cap. 6.* camini, atque fornacis nomine explicuerunt.

Vers. 4. *Quia dies multos sedebunt filij Israel sine rege, &c.*] Accommodat iam Propheta symbolum ad veritatem, docétque, quo spectet connubium istud tot notatum signis, vel offensi, vel amantis animi. Priusquam huius loci expositionem, & symboli accommodationem aggredior, obseruo Iudaicum genus, id est, duas tribus, de quibus hoc vaticinium intelligendum nuper dicebamus, sic esse priuatum ciuitate, ac templo, atque aliis siue sacris, siue profanis commodis sic diuulsum ab amplexu sponsi, vt tamen non fuerit ab illo repudiatum. Cùm enim vitam ageret ærumnosam, & tristem, sub dura Chaldæorum tyrannide, illius tamen Deus saluti, ac dignitati consulebat. Quare, vt diximus in nostris commentariis super Danielem *cap.* 10. custodem, curatorémque captiui populi, & sponsæ, quæ videri poterat abiecta, Gabrielem Archangelum præfecit. Et licèt durus esset, & rusticus panis, qualis subigitur ex hordeo, prouidit tamen quantum illi satis esset ad victum, cum ex coro, & altero dimidiato coro demensum esset ad singulos dies non exiguum. Neque plus habuerunt à suo chœnice Athenienses, qui diurni victus existimabatur mensura non exilis. 27.

Sic abiecti Iudæi vt nõ omninò Deus illorum curam abiecerit.

Quòd verò gens illa Iudaica repudiata non fuerit, licèt quodammodo repulsa ab sponsi complexu, imò & domicilio, docet ipse Deus *Isai. cap.* 50. vbi cùm prædiceret statum illum, quem nunc eidem populo minatur Oseas, dicit, *Quis est liber repudij matris vestræ, quo dimisi eam? aut quis est creditor meus cui vendidi vos?* Quasi dicat non esse repudiatam, atque dimissam, cùm nemo possit libellum repudij demonstrare, sine quo iuxta repudij leges *Deut. cap.* 24. traditas, illegitima, ac nulla foret illa dimissio. Quem locum de corporali Iudæorum exilio apud Babylonios putant Hieronymus, Haymo, S. Thomas, & Hugo. Qua de re vide, quæ in nostris commentariis in illum Isaiæ locum adduximus. Quare expectabat sponsum, quasi qui lõgam instituisset peregrinationem, & ab eius conspectu abfuturus esset quamdiutissime; atque ideo, quasi vidua foret, in tenebris sedebat, & sordibus. Quam item expectauit Dominus, donec septuaginta annorum vexatione purgatam, in ciuitatem suam, & templum tanquam in propriam domum, & connubiale conclaue reuocauit. An verò de Iudæorum statu, in quo in præsentia sunt, hæc etiam intelligi possit, aut debeant, dicemus statim, & pluribus in quæstione hac de re ad capitis finem instituta. 28.

Iudæi licèt exules, non tamẽ à Deo repudiati.

Sedeo ex vsu Scripturæ statum significat ærumnosum, lugubrem, & sordidum, sicut contra 29.

Sedeo aliquid lugubre.

bre, & orbitæ lumsignificat.

tra *surgere* fortunatum aliquid, & lætum. Neque enim cui æger est animus, aut ab aliqua turpitudine confusus, exsurgere audet, aut eleuari à puluere, aut in lucem è tenebris emergere. Sic populus de quo nunc Propheta, & in eodem statu sedere dicitur Thren. cap. 1. v. 1. *Quomodo sedet sola ciuitas*, & quia sponsum expectat quasi peregrinum, & absentem, se quasi viduam deputat, & luget, & ideo subdit, *Facta est quasi vidua domina Gentium.* Explicuit vtrunque optimè Isaias *cap.* 47. vbi his verbis sordidam, lugubrémque fortunam minatur Babyloni. *Descende, sede in puluere, virgo filia Babylon, sede in terra.* Vide, quæ eo in loco à nobis dicta sunt.

30. *Sine rege, sine principe, sine sacrificio, sine altari.*] His omnibus caruere Iudæi toto captiuitatis tempore, iuxta illud Azariæ filij Obed, qui diuino afflatus spiritu dixit lib. 2. Paralip. cap. 15. v. 2. *Si quæsieritis eum* (Dominum) *inuenietis: si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos. Transibunt autem multi dies in Israel absque Deo vero, & absque sacerdote, doctore, & absque lege.* Quod etiam captiuitatis tempore reipsa fuisse completum, dicit Azarias alter in oratione sua Daniel. cap. 3. v. 38. *Et non est in tempore hoc princeps, & dux, & propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te.* Quomodo autem hoc verum esse possit, cùm sacerdos tunc esset, & rex, & sacrificij locus, explicuimus in nostris commentariis super Danielem, ad hunc locum; quæ quia non minus huc, quàm illuc faciunt, inde huc pleraque transcribemus. Sic ergo nos ibi.

31. *Et non est in tempore hoc princeps, & dux, & propheta.*] Sic extabuit Respublica, populúsque Israeliticus, vt nullum habuerit caput, nullum doctorem, aut principem, quem sequeretur. Loquitur autem iuxta Scripturæ morem, quæ id dicit abesse, quod otiosum est, aut quod inutile, aut denique sine honore, ac dignitate existimatur. Quo modo dicimus, si rex infans fuerit, aut sine illa prudentia, atque consilio, quod arduum regni pondus exigit, non esse regem; si concionator leuiculus sit, quærátque magis inane nomen, quàm Dei maiorem gloriam, & animarum salutem: aut si medicina nullum ægro corpori leuamentum attulerit, abfuisse dicimus regem, doctorem, & medicinam. Si consul, sacerdos, Propheta vili habeatur loco, aut non audiantur, defuisse dicimus consulem, sacerdotem, & Prophetam. Quales videri potuere sacerdotes tempore Saul, & Prophetæ tempore Manassæ. Erant quidem sacerdotes in exilio, & in his sacerdos magnus Iosedech, aut Iesus eius filius. Erat rex Sedecias, aut si is fortè eo tempore decesserat; erat Iechonias, qui Nabuchodonosori superstes fuit, & è vinculis extractus est ab eius filio Euilmerodac: erant Prophetæ Daniel, & Ezechiel, Zacharias, Aggæus, & Malachias; sed quia illis non habebatur fides, aut honor, aut quia certè non ita liberè, atque cum dignitate loquebatur, sicut antè florente Iudæorum Republica, fuisse eo tempore negantur ab Azaria.

REGVLA. *Id abfuisse dicitur, aut fuisse negatur, quod est inutile.*

32. Sicut extra Solymitanum templum excitari non poterat altare, sic neque extra templum illud offerri holocausta poterant, aut illa sacrificia, oblationes, & libamenta, quæ hîc commemorantur. Quare, & nunc à Iudæis, qui toto orbe dispersi vagantur, & olim in captiuitate illa sacrificia cessauerunt, quæ in vno templo à Domino in illum vsum excitato offerri poterant. Non nego euerso templo, in ipsius loco, & quasi busto immolatas victimas, & oblata sacrificia; vt constat *Ierem. cap. 41.* vbi viri de Sichem, & de Silo, & de Samaria venisse dicuntur, vt in euerso templo quædam offerrent thura. Quia non iusserat Deus vt tantùm offerrentur in constructo templo, sed in loco, quem sibi pro templi fabrica designaret. Atque ideo in illo Dauid ante constructum templum excitauit aram, & obtulit pacificas victimas *2. Reg. cap. 24.* & post euersum in eodem situ excitatum fuit altare, vt in eo offerrentur holocausta, *Esdræ lib. 1. cap. 3.* Sed quia id perquam rarò fiebat, si modò aliquando factum tempore captiuitatis, & vrbs, imò & regio tota vastata penè esset ab his, qui legitimè, & sanctè offerre sacrificia poterant, ideo absolutè dicit Azarias, neque holocaustum esse, neque sacrificium, neque locum vbi legitimè primitiæ tam pecorum, quàm frugum offerrentur.

In euerso templo aliqua offerri sacrificia poterant.

Cur captiuitatis tempore cessasse dicatur oblatio.

Et sine ephod, & sine theraphim.] De ephod satis multa Ribera *lib. 3. de templo, cap. 10.* Eius forma, atque materia describitur *Exod. 28. v. 6.* & deinde. *Facient autem superhumerale* (Heb. אפוד *ephod*) *de auro, & hyacintho, & purpura, coccóque bis tincto, & bysso retorta, opere polymito, duas oras iunctas habebit in vtroque latere summitatum, vt in vnum redeant,* &c. Vide quid Iosephus de ephod *lib. 3. Ant. cap.* 11. vbi ephod idem esse putat cum Græcorum epomide, quæ idem valet, quod superhumerale Latinum. Plura de Ephod vide apud Riberam. Illud non omittendum, ephod apud Iudæos esse duplex, alterum quod vni proprium erat Pontifici summo, de quo proximè; alterum lineum, quod non solùm sacerdotes alij, atque Leuitæ, sed etiam turba alia popularis, & laica, tunc maximè temporis induere poterat, cùm operam daret diuino cultui, aut religioso ministerio. Leuita tantùm erat Samuel, & tamen de illo legimus 1. Reg. cap. 2. *Samuel autem ministrabat ante faciem Domini puer accinctus ephod lineo.* & *cap. 22.* de Doeg Idumæo, qui ad Saulis imperium sacerdotes occidit, scribitur: *Irruit in sacerdotes, & trucidauit in die illa octoginta quinque viros vestitos ephod lineo.* Et de Dauid, qui neque sacerdotale, neque Leuiticum munus obire poterat, cùm non esset de Leuitica familia, dicitur lib. 2. Reg. cap. 6. *Porrò Dauid accinctus erat ephod lineo.* Cum nimirum saltaret ante arcam Domini. De duplici hoc ephod vide Hieronymum *epist. 127. ad Fabiolam,* & *epist. 130. ad Marcellam,* & Abul. *in lib. 1. Reg. cap. 22. quæst. 27.* 33.

Ephod quid.

Ephod forma duplex.

Et sine theraphim.] De theraphim diximus in nostris commentariis super Zachariã *cap. 10. n. 10.* varij de theraphim variè loquuntur, & sentiunt. Quidam imagines esse putant per quas consultus diabolus reddit oracula. Alij instrumentum quoddã Astrologicum, quod per astrorum aspectum rerum futurarum euentus explorat. Hieronymus imagines esse putat, statuas, aut signa, quod communiter opinantur interpretes, siue etiam idola. Quare ipse hoc loco μορφώματα interpretatur. Hæc porrò signa in significationem possunt honestam accipi, & in turpem; de honesta dicit hoc loco Hieronymus, dum hîc intelligi putat figuras illas, quæ spectabantur in templo, quales sunt Seraphim, Cherubim, & palmæ, & alia emblemata, atque anaglypha, quæ magno artificio splendebant in templo; quod item cum Hieronymo sentiunt Haymo, Dionysius, & Hugo. Et quidem hîc theraphim aliquid significare sacrum, quódque cum dolore captiui relinquerent, 34.

Theraphim aliquid significat honestum, & sacrum.

Digitized

querent, satis docet locus ipse, vbi in suppliciis numeretur illorum ablatio, & cum illis rebus coniunguntur, quæ magno habebantur in pretio, siue propter religionem, qualia sunt, altare, sacrificium, ephod, siue propter dignitatem, & splendorem, quales principes censentur, & reges.

35. *Id aliquid turpe.*

Quod autem theraphim in malam accipiantur partem, probant omnia ferme loca, vbi in Hebraico textu occurrit hoc nomen. *Genes. 31. v. 19.* Rachel furata dicitur idola patris sui. Heb. *theraphim.* Ezech. cap. 21. v. 21. *Stetit rex Babylonis in biuio diuinationem quærens, commiscens sagittas, interrogauit idola, exta consuluit.* Hic nemo dubitat aliquid esse superstitiosum, & magicum. Sed vbi vulgatus *idola*, Hebraicus textus habet *theraphim.* Sicut etiam Zachar. cap. 10. v. 2. *Quoniam simulacra* (Heb. *theraphim*) *locuta sunt inutile: & diuini viderunt mendacium.* Nunc iam exploranda nobis est huius loci sententia.

36. *In theraphi aliquid creditur esse magicum.*

Quidam in ephod & theraphim aliquid putant olere magicum, & gentilicium. Quod erat tunc familiare Iudæis, qui, vt erant superstitiosi, ac mobiles, tum præterea rerum nouarum auidi, ac scrutatores consulebant magos, & diuinos, consulebant auguria, atque exta, & responsa de futuris euentibus à nugacibus Gentium simulacris captabant. Quare domi habebant sicut Gentiles vana opinatione delusi suos quasi lares, & penates, quos & colerent, quasi diuinum esset aliquid, & in ambiguis rebus consulerent. Quod significasse videtur Isaias *cap. 57. v. 8.* dum ait, *Post ostium, & retro postem posuisti memoriale tuum.* quos Hieronymus lares, seu tutelares Deos esse putat. Neque alio consilio videtur Rachel ad parentis exemplar abstulisse idola, nisi vt haberet viæ duces, & quæ in ipso itinere consuleret. Quæ item habuisse videtur Michas *Iudic. 17.* qui conflasse dicitur ephod, & theraphim; aliquid nimirum execrabile, ac profanum, quod ex eo constat, quia simul hæc habuit inter deos, quos ex argento, atque auro impia religione conflauerat. ita putant Castrus, & Ribera.

37. Figuerius secutus Rab. Abraham, & Dauid Kimhi, qui sacrificium, & ephod ad verum Dei cultum, theraphim ad idolorum referunt, hanc putat esse sententiam, Iudæos neque Deos colere alienos, neque patrium, & verum, quia neque ephod habebunt, neque theraphim, quasi dicat, quia vtriusque religionis participes esse voluerunt, futuros vtriusque expertes. Quod obiecit olim Elias quibusdam qui vtroque claudicabant pede, & ita idolis seruiebát, vt tamen veræ religionis asseclæ videri studerent. 3. Reg. 18. v. 21. *Vsquequo claudicatis in duas partes? si Dominus Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini illum.* De his Origenes in cap. 20. Exodi homil. 8. *Ideo, inquit, luget nos Propheta, quos videt huiuscemodi inconstantia fluctuare, & dicit: Væ duplices corde, & animo. Et iterum, vsquequo claudicatis vtrisque genibus? sed & Iacobus Apostolus dicit, vir duplex animus inconstans est in omnibus viis. Sumus ergo nos, qui non integra, & perfecta fide sequimur Deum nostrum, & ab alienis recessimus diis, velut in medio quodam confinio positi: & ab alienis, quasi fugaces cædimur; & à nostro Domino tanquam instabiles, & dubij non defendimur.* Hæ sententiæ ideo mihi non placent, quia durè admodum ab honesta significatione abduci videntur posse theraphim: quia cum illis coniunguntur, à quibus sanctitas videtur remoueri non posse. Quare placet multo magis Hieronymi senteñtia, qui in theraphim sacras intelligit imagines, & signa, quæ in templo visebantur, quales sunt teraphim, & cherubim, palmæ, & boues, quorum tergo mare insidebat æneum, & si qua alia erat imago in structura, & supellectile templi Salomonij.

Ego quid putem minus impeditum, magisque, vt reor, textui consentaneum, expediam, timidè quidem, quia à multis, magnisque auctoribus recedo, sed rei ipsius obscuritas, & tanta in re à variis sæpè tentata interpretum dissensio, leuat audaciæ nomen, quæ tunc à nemine prudentium arguitur, cum aliquid occurrit in quo expediendo non alij omnino placuerunt; quia aliquid est præterea, quod requirat attentus, atque curiosus lector, & locus ipse in alias atque alias explicationes patet. 38.

Quod ad ephod attinet, non displicet in illo sacerdotium intelligi, quia illud sacerdotis maximi præcipuum erat, & proprium insigne, quo modo sceptrum pro rege, fasces pro consule, thiara, & infula pro Pontifice, & alia sexcenta signa pro rebus significatis per metonymiam vsurpantur, atque ideo Septuaginta, vbi vulgatus, sine ephod, ipsi reddiderunt ἱερατείας, id est, *sine sacerdotio.* 39. *Ephod pro sacerdotio.*

De voce præterea theraphim ita censeo, esse quidem imagines, aut signa, vt putabat Hieronymus, qui Aquilæ versionem probat, à quo vox illa μορφώματα conuertitur. Est autem theraphim signum, aut effigies quæ non semper aliquid indicant superstitionis gentilicæ, sed ad aliquid etiam patent sacrum, aut quod nullum habet vsum indecorum, aut impium; quomodo hic locus non obscurè docet, & Michol 1. *Reg. 19.* statuã confecit, quam supposuit pro Dauid, quæ nihil continebat impium, & tamen illa Heb. dicitur theraphim, *Tulit autem Michol statuam, & posuit eam super lectum, & pellem pilosam caprarum posuit ad caput eius, & operuit eam vestimentis.* & Hieronymus, vt paulo antè vidimus, in theraphim, sacras intelligit imagines, quibus ornabantur intima etiam ac sacratissima templi. 40. *Theraphi signa significat & imagines.*

Obseruo præterea ex signis, & imaginibus dæmones olim edidisse responsa, sicut etiam nunc faciunt in regionibus ab Hispanis trans Oceanum apertis; quorum ego aliquas vidi, & apud me duas habeo per quas diabolus locutus esse existimatur. Respondebant autem per illa signa dæmones, aut verbis, aut aliquo motu, aut vultus mutatione, aut sudore, aut denique externa aliqua significatione; qua de re in Ecclesiasticis annalibus exemplorum satis. Quod fuisse inter gentes familiare probat, quod iam longa obseruatione notauerant, quæ statuerunt signa, & quasi nutus qui prosperos rerum euentus, siue aduersos portenderent. Sic sanè Philostratus in Heroicis, vbi notas hasce simulacrorum obseruatas dicit. *Si appareant conspersa puluere ariditatem, & sitim indicari; si sudore madeant imbres; si sanguine morbos, cadésque portendi.* Ex eo, quod erat familiare Gentilibus, commentus est Virgilianus Sinon offensam esse Mineruã, & graue Græcis infortunium instare. Æneid. 2. 41. *Ex signis & imaginibus dæmones olim reddidere responsa, & quo modo.*

Nec dubiis ea signa dedit Tritonia monstris.
Vix positum castris simulacrum, arsere coruscæ
Luminibus flammæ arrectis: salsúsque per artus
Sudor iit, térque ipsa solo, mirabile dictu,
Emicuit.

Aliquid simile refert Herodotus *lib.* 6. apud quẽ 42.
Cleomeni sacrificanti in Iunonis templo flammas subitò ex eius simulacro emicuisse dicuntur.

Ex etiam experientia frequenti idem Poëta *lib. 3. c. Aeneid.* penates Deos loquentes, & futura prædicentes inducit. De deorum responsis per simulacra satis multa profani, à quibus ego in præsentia abstineo.

43\. Hinc, credo, ortum est, vt à præcipuo simulacrorum vsu statuæ, ligna vel imagines dicantur theraphim, licet illas, neque subeat, neque per illas diabolus loquatur. Quod sanè in omni lingua vsitatum est. Videmus namque ab his, quæ in aliquo genere magis sunt vsitata, alia omnia, licet peculiaris illa ratio non conueniat, compellationem assumere. Equitare dicimus aliquem in asino, in mulo, in arundine, cùm tamen de equo id solùm dici propriè possit, quia id in equo frequentiùs fiat. Pyxidem vocamus quodcumque vasculum ad seruandum, v. g. aut pretiosum aliquid, licet ex buxo non fiat, quia frequentiùs è buxea materia fieri consueuit. Cares dicantur serui, licet non è Caria, & Phryges, licet non e Phrygia, quia inde olim aduecta mancipia. Sic etiã statuæ, ac ligna dicta theraphim, id est, occultarum rerum, aut futurarũ nuncia, quia illorũ vsus inter Hebræos olim frequentissimus: vt constat ex illo Zachar. cap. 10. *Simulacra locuta sunt inutile.* & Ezech. cap. 21. Nabuchodonosor idola consuluit. Vide Euseb. *lib. 5. de præparat. Euang. cap. 7.* vbi docet deos statuas amare ex certa aliqua materia, illisque contineri, atque eas quodammodo animare. Idem Marsilius ex Trismegisto in Socratis Apologia.

Regvla. Ab his, quæ in aliquo genere magis sunt vsitata, alia compellationem sumunt, licet ratio nominis absit.

44\. Hinc, credo, factum est vt vocentur theraphim illa, quæ occulta aperiunt, & futura prædicunt, licet statuæ non sint, quia id præstant, quod olim statuæ, siue μορφώματα. Quare (vt iam tandem eò deducatur commentatio, cuius causa suscipitur) existimo, quæ Hebraicè dicuntur *vrim*, & *thumim*, quæ vulgatus reddidit doctrinam, & veritatem, appellari hoc loco theraphim, quia per illa præcognoscebat populus rerum euentus: quia Dominus ibi certa reddebat signa, siue oracula, quæ dubitare quemquam de rerum certitudine non sinebant. Quare vbi vulgatus doctrinam, & veritatem reddidit, Septuaginta δήλους, Aquila vero φωτισμοὺς id est, *illuminationes, seu manifestationes* transtulerunt. Has porrò illuminationes, seu manifestationes, siue vrim, & thumim esse in ephod satis apertè docet Scriptura sacra. Aut enim erant lapides, qui in rationali, id est, in pectorali lamina includebantur, aut certe alij ab eis diuersi, qui varijs siue aspectibus, siue illuminationibus iuxta varium sciscitantium votum oracula reddebant. Sic Iosephus lib. 3. Ant. cap. 12. *Per duodecim lapides, quos supra pectus Pontifex in rationali portat, victoriam pugnaturis Deus prænuntiabat. Tantus enim splendor fulgebat in eis, cùm nondum exercitus moueretur, vt omni fieret multitudini manifestum, eorum auxilio adesse Deum.* Hoc idem Chrysostomus oratione 3. aduersus Iudæos. *Rursus,* inquit, *in lapidibus, qui erant in pectore summi sacerdotis (id vocant declarationem) relucebat fulgor quidam futura significans.*

Theraphim videtur esse, quæ in ephod vocantur doctrina, & veritas.

45\. Hos igitur lapides puto appellatos esse theraphim, quia id verè præstabant à Deo, quod falsò simulacra occupata, & quodammodò a malis spiritibus animata. Quod indicat Septuaginta translatio, quæ vocem theraphim modo δήλους, & modò δήλωσιν vertit: quos lapides non aliter consulebant pij, quàm statuas, & ligna, quæ subierunt dæmones, infideles, atque impij. Cùm verò lapides illigati essent in ephod, in consultationibus illis ephod nominabatur potius quam theraphim, siue rationale. *1. Reg. c. 23. v. 9.* dixit Dauid ad Abiathar sacerdotem: *Applica ephod,* & statim ait iterum Dauid, *Si tradent me viri Ceilæ in manus eius* (Saulis) *& si descendet Saul, sicut audiuit seruus tuus, & ait Dominus: Descendet. Dixitque Dauid: Si tradent me viri Ceilæ, & viros, qui sunt mecum, in manus Saul? & dixit Dominus: Tradent.* Et cap. 30. v. 7. *Applicauit Abiathar ephod ad Dauid, & consuluit Dominum, dicens: Persequar latrunculos hos, & comprehendam eos, annon? dixit Dominus: Persequere, absque dubio enim comprehendes eos.*

Per ephod consultabatur Deus.

46\. Hanc sententiam indicant, qui Septuaginta lectionem sequuntur, Theodoretus, & Theophylactus, qui in theraphim illustrationes illas intelligunt, quæ sunt a lapidibus, quos sacerdos maximus portat in ephod. Δήλους, inquit Theodoretus, *diuinas prædictiones nominauit, & quod summus sacerdos rationalis iudicij τὴν δήλωσιν, id est, ostentum, accipiebat, & veritatem, & quod per quasdam significationes in illo factas futura prædicebat.* Theophylactus verò cùm dixisset in rationali sacerdotis maximi duodecim esse lapides, qui futuros euentus significarent, statim dicit populum, cui Deus per Prophetam gratia minatur, cariturum splendore illo, ac manifestatione, quam priùs habuerat à rationali. Neque hæc sententia displicet Hieronymo: qui cùm suam antè proposuisset, addit, *Verum quia LXX. δήλων interpretati sunt, pro quibus Aquila φωτισμοὺς transtulit, & hæc ipsa sunt ἐνλογεῖον, id est, in rationali, hoc intelligimus quod in pectore, & corde Pontificis,* &c. Quam sententiam ad extremum probat, quod theraphim hoc loco ponitur simul cum ephod, quod est illius nobilissima pars, quamque maximi faciebant Iudæi; atque ideo ægerrime ferebant ab illa destitui, atque ideo vt gradationis ratio atque natura postulat, extremo loco posita est.

47\. Vers. 5. *Et post hæc reuertentur filij Israel, & quærent Dominum Deum suum.*] Postquam diu in exilio gens illa infidelis, & adultera consederit, à sui sponsi complexu, atque molliori indulgentia distracta, reuertetur tandem, quæretque in suo domicilio, & quasi connubiali secessu Dominum. Et reuera ita contigit, nam exacto annorum septuaginta curriculo, purgata iam ab illis sordibus, quas fœdè adulterando contraxerat, & superiores amatores, & dominos pertæsa, a quibus nihil præter iniuriam, & ignominiam acceperat, sponsum illum amare cœpit, quem experta fuerat mitem, liberalem, & cui vni promptum, & effusum deberetur obsequium. Quod reuera ita accidit: nam, vt sæpe vidimus, post reditum abiecit idola, neque illorum nomen auditum est ampliùs, nisi Machabæorum tempore, cogente Antiocho, & vim omnem tyrannicam ad extorquendam veram religionem adhibente.

48\. *Et Dauid regem suum.*] Notum est parentum nomina sine vllo flexu patronymicè sumi pro filiorum, posterorúmque nominibus, vt latè probauimus in nostris commentariis super Acta *cap. 7. num. 48. & 49.* vbi id etiam apud Latinos esse non infrequens ostendimus. Quare in Dauid hoc loco aliquem omnes intelligunt è semine Dauidico, siue sit Christus, qui apud Ezechielem non semel appellatur Dauid, siue aliquis alius ex eius genere, qui ducem se, & quasi regem præbuit restituto populo, qualis fuit Zorobabel. Aut certè, qui licet ex eius genere nati non fuerint, illius tamen mores, atque constantiam in perse

Regvla. Parentum nomen sine vlla mutatione pro patronymicis.

Digitized by

David optimorũ Principum exẽplar.

perferendis laboribus, & in bellorum administratione virtutem imitati sunt, quales fuerunt Machabæi; qui cùm e Dauidico genere propagati non fuerint, Dauidicos tamen, si quispiam alius, spiritus, & mores, expresserunt. Est autem in Scriptura sacra, Hebraicóque idiomate vsitatum, vt nota, & quasi forma similitudinis omittatur, qualis est, *sicut, tanquam*, & similia; quare si hæc de Machabæis, aliisque Pontificibus intelligas, qui rem Iudaicam post reditum è Babylone moderati sunt, hic erit sensus. Quærent regem sibi, qui tanquam alter Dauid sapienter, & iustè, adde etiam, & amanti animo rem administret publicam; cuius potestati subiecti nihil patiantur eorum, quæ à barbaro Chaldæorum dominatu pertulerunt. An verò de temporali, aut de spirituali regno, seu republica hæc intelligenda sint, siue de Iudæis, qui captiui egerunt Babylone, aut de his, qui post Christi mortem incertis vagantur sedibus, ad finem expendemus.

Pauor, & timor pro religione, & obseruãtia.

49. *Et pauebunt ad Dominum.*] *Pauor, timor*, & similia in Scriptura sacra religiosam obseruantiam significant, vnde viri iusti, ac religiosi timorati dicuntur, & Deus ipse *timor* appellatur *Gen. 31. v. 42. & 43.* Quare post illa tempora pauebunt ab exilio reduces Deum, quia abiectis idolis, quæ amatorum nomine significata sunt, vni adhærebunt Deo, illum obseruabunt, & colent, neque ab alio aliquid aut sperandum, aut timendum existimabunt.

50. *Et ad bonum eius.*] Sicut patronum nostrum amamus, eúmque qui de nobis officiosè, & largè meritus est; sic etiam illius dona, eo vel nomine, quod ab ipso profecta, amamus, obseruamúsque; quia aliquid in illis auctoris est, nempe quod adhæsit ex animo, imò animus ipse, quem cum ipso munere largitor impẽdit. Si de temporariis bonis sermo sit, quæ populus accepit à Domino, cùm in patrios fines remigrauit, in bonis numerabitur instaurata ciuitas, excitatum iterum templum, ager opimus, cui à Deo prouisum de temporanea, ac serotina pluuia. Denique pax, & otium, quibus iam post longæ captiuitatis incommoda potitur. Hæc pauere, id est, magni facere debet, populus quondam ærumnosus, & pauper, aut certè pauere, quia quo maiora à diuina manu obueniunt beneficia, eo magis ingratis à largitoris offensione timendum; quia plus ab illo exigendum est, qui pluribus ab alio beneficiis cumulatur. Imò ille, qui beneficiũ accipit, si modò grato est, atque ingenuo pectore, libertatem vendit: vt optimè Seneca de beneficiis. Quòd si beneficiis venalis est libertas, seruos se profiteantur oportet, quos tot Dominus beneficiis ornauit. Atque ideo necesse est, eo sint animo aduersùs Deum, quo serui aduersùs dominos suos, quibus in omnibus placere student, neque ab illorum nutu quoquam auertunt oculos; & si quid in exequendo mandato peccare contigerit, supplicium horrent. Sic ergo Iudæi tot à Deo cumulati beneficiis pauere debent, & obseruare bene de se meritum Deum. Et ipsa etiam beneficia, ne si, aut ingrati non agnoscant, aut in benefactoris iniuriam conuertant, gladium potius, quem in sua distringãt viscera, quàm beneficium ad salutem, & vitam accepisse videantur. Quòd si qui pro malefactis, & iniuriis beneficia recipit, & honoribus augetur ab altero, ardentes habet flammas supra caput congestas, vt dicit Paulus ad *Rom. cap. 12. v. 20.* quomodo non pauebit ante

Quomodo diuinis beneficiis respondẽdum.

Quid à Dominis beneficiis timendum.

Deum, & ante carbones beneficiorum ardentes, qui post tot adulteria, post idolorum multiplex obsequium, post fidem coniugalem toties, & tam inuerecundè violatam, tam mitem sponsum, & tam liberalem experitur. Quódnam sit illud præcipuum bonum, quod Deus contulit post statum Iudæorum ærumnosum, & durum, siue spiritualem intelligas, siue corporeum, diximus, satis credo accommodatè huic loco, ad illud Zachariæ cap. 9. v. 17. *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?*

In nouissimo dierum.] Hæc vox *nouissimum* non semper in Scriptura sacra significat superlatiuè id, quod omnium, verbi gratia, temporum extremum est; quasi nihil præterea temporis supersit. Sed interdum idem omnino valet, quod *postea*, vt ostendimus pluribus in nostris commentariis in Acta Apost. *cap. 2. n. 36.* & vt alia exempla deessent, illud esset pro mille, quod vbi vulgatus reddit eandem vocem Hebraicam, aut certè quæ ab eadem deducitur radice Ioel cap. 2. v. 28. *Post hæc effundam spiritum meum.* Petrus Actor. 2. v. 17. *Et erit in nouissimis diebus.* Nouissima verò tempora, aut si mauis, tempus illud quod erit *post dies* illos, illud est, quod succedet Iudæorum exilio, in quo caruerunt rege, sacerdote, altari, ephod, & theraphim. Tunc enim regem habebunt à quo spectent benigna omnia; non regem alienum, & barbarum, cuius ferreo iugo ceruices frangebantur. Quare hæc verba nihil incommodant illorum sententiæ, qui hæc de reditu è Babylonica seruitute Iudæorum accipiunt. 51.

Nouissimũ idem interdum quod postea.

Postquam iam de totius capitis expositione egimus, expendamus oportet, quod polliciti sumus, de quo tempore, quæ hîc habemus ab Osea, intelligenda sint, de reditúne captiuorum è Babylone, an de aduẽtu Christi primo, cùm constituit Ecclesiã, vel de secundo ad extremũ sæculorũ tempus, nã de horum omniũ aliquo sunt, qui præsens vaticiniũ accipiant. Theodoretus, Theophylactus, & Rufinus, & alij quos tacito nomine citat hîc Hieronymus, spectare putant hanc prophetiam ad reditũ è Babylone, & tunc esse completam cùm in patrio solo, quod ablatum fuerat à Chaldæis, receperunt. Quæ sententia mihi difficilis non est, quia nihil video in toto capite, quod in illam conuenire non possit, vt satis videtur in ipso commentationis decursu fuisse probatum, dum singula seorsum explorantur. 52.

Alij hæc referunt ad primum Christi aduentum, quando gens illa ad illud vsque tempus misera sine rege, quem suæ libertatis vindicem expectabat, & sine sacrificiis fuit, illo nempe sacrificio ac rege, quibus ἀντονομαστικῶς magna illa nomina accommodari poterant. Ita putant Isidorus, & Castrus. 53.

Communior est Patrum, interpretúmque sententia, quæ hæc ad finem sæculorum, & Christi secundum aduentum pertinere putant. Ita ex interpretibus Hieronymus, Cyrillus, Albertus, Hugo, Dionysius, Lyra, & omnium acerrimè Ribera. Ad illud enim tempus populus ille sine rege, sine sacrificio, sine sacerdote fuit; tunc autem regẽ suum Dauid, id est, Christum ex Dauidico genere prognatum quæret, quem ad illud vsque tempus non solùm ignorarat, sed etiã publicis incesserat maledictis. De hac Iudæorum sub finem sæculorum conuersione, multa dicuntur ab interpretibus, & Patribus in illud ad Rom. cap. 11. v. 25. *Omnis Israel saluus fiet, postquam intra-* 54.

Digitized by Google

uerit Gentium plenitudo. Et nos hac de re satis multa in nostris commentariis in Isaiam, ad illud cap. 59. *Et veniet Sion redemptor, & eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob.*

55. Hæc ego non possum non probare, quia eò incumbit magnorum auctorum concors sententia. Neque tamen Theodoreti, Theophylacti, & aliorum, quorũ nomina non expressit Hieronymus, opinio displicet, qui completam esse dicunt prophetiam hanc, quando post septuaginta annos, ad illam felicitatem, & locum remigrarunt Iudæi, vnde prius vrgentibus peccatis exciderant. Quod multa mihi persuadent; primùm, quia in exilio rege caruerunt, sacrificiis, ephod, & theraphim, quo sensu suprà suo loco explicuimus. Deinde quia hæc eadem recepere rursus, ab exilio reuersi instaurata vrbe, & excitato templo, quod licèt obscurè, videtur tamen id per Oseam fuisse promissum. Adde quòd, vt suprà ostendimus, populus ille captiuus, licèt ab sponsi Dei, cuius imaginem referebat Oseas, complexu, & maritalibus deliciis abstractus, vxoris tamen nomen obtinebat, & Deus illius inuigilabat commodis & honori, vt maritum decebat ingenuum, & zelotypum; neque enim a se cum libello repudij aliò dimiserat. Quare licet cibus esset parcus, & asper, vtpote subactus ex hordeo, tamen ille quotannis sponsi suppetebat impendio. At Iudæi, qui post Christi mortem vixere, viuúntque hodie, viuéntque ad finem vsque sæculorum; qui Christi nomen cum fastidio audiunt, illúmque implacabili prosequuntur odio, quomodo sustinere possunt sponsæ personam, & nomen? Aut quomodo expectare dicendi sunt Christũ, quem potiùs execrantur, neque enim ille, quem ipsi expectare dicuntur, Messias est, cùm venturum expectent, Messias autem verus iam dudum venerit.

Iudæi huius temporis nõ possunt appellari sponsa.

56. At dices expectare quidem Messiam, licèt falsa existimatione deceptos, cùm nondum illum aduenisse credant. At qui expectaturi dicuntur, si verba Prophetæ accuratiùs expendas, Messiam expectant verum. Expectatio enim illa, de qua Oseas, reciproca videtur, & mutua, ita vt ille idem expectetur in aduersa fortuna, qui illos etiam in eadem iacentes expectabat, sed, qui expectabat, verus erat sponsus, & verus Messias; aut verus saltem Deus. Sic autem Oseas Dei nomine, *Et dixi ad eam: Dies multos expectabis me, non fornicaberis, & non eris viro, sed & ego expectabo te.* Neque hanc sententiam improbat Hieronymus, quasi in ea esset aliquid absurdi, sed tantùm dicit aliam sibi magis probari.

Oseas videtur nostri temporis Iudæis fuisse locutus.

57. Nihilominus veram esse puto communem illam sententiam, quæ de præsenti Iudæorum statu vaticinium intelligit, ita tamen vt illius in Babylonico exilio ærumnoso, ac sordido, aliqua illius status vmbra præcedat. Ibi gentem illam aliquandiu vidimus sine rege, sine sacrificiis, sine templo, sine theraphim, quo sensu suprà à nobis explicatum est. Ibi duro vtebatur, & vilissimo cibo; ludibrio erat omnibus, & nugantibus, atque otiosis hominibus apta, familiarisque materia. Rediit tamen post annos 70. & regem inuenit, qualem antea reliquerat. Ecce typus, & viuum quoddam posterioris status simulacrum, & exemplar; nunc posteriorem statum, & priori adumbratum imagine, in quo in præsentia viuunt Iudæi, vide. Mansit etenim iam diu iumentorum pabulo se vtcunque sustentans, cæcus, vagus, errans, & in ipsa luce pomeridiana cæcutiens;

58. *Iudæorum nostri temporis status.*

A qui status non procul abest à belluino. Hordeo pascitur, & ipse iam prorsus euanida, ac vacua, illis videlicet Scripturæ testimoniis, quæ venturum dicunt esse Messiam. Quæ licet fœcunda olim fuerint, & magno fœtu grauida, quia venturum Christum in suo quasi vtero continebant, vbi iam tamen ediderunt in lucem, vacua sunt, & effœta; quia iam nobis venisse potius partum significant, & probant, quam venturum portendunt. Quare dum spem suam Iudæi illorum testimoniorum fide sustentant, cum ab illis frumentum iam excussum sit, sicut a spica granum; hordeo viuunt, imò aristis, & paleis, in quibus frumentũ, quod tantopere esuriunt, non inueniunt.

Spes Iudæorum vanis, paleis potius sustentata, quam granis.

B Hæc sane sunt vinacia vuarum, non valde diuersa ab illis, quæ ipsorum maiores dilexerunt: amant enim inanes folliculos iam arentes, & vacuos, ex quibus iam olim vinum illud expressum est, cuius odor antea veterum Patrum, pòst verò fidelium Ecclesiæ filiorum corroborat spiritum, & exhilarat animos. Hoc ergo cibo iam euanido quàm diutissimè pasti talem contraxerunt speciem, qualem antea captiui Babylonici, de quibus Ieremias Thren. 5. v. 10. *Pellis nostra quasi clibanus exusta est, a facie tempestatum famis.* & cap. 4. v. 8. cùm præcessisset fames de Nazaræis dicitur, *Adhæsit cutis eorum ossibus, aruit, & facta est quasi lignum.* Neque ea nunc carent nota Iudæi, quam

C olim apud Babylonios eorum parentes è sordido ministerio cõtraxisse videntur. Ex stercore enim, quod amplexati sunt, aliquid puto fœtidum olebant, & graue, vel quia in sterquilinio, quasi in lecto breues, & pauidos capiebant somnos, vel quia ex equorum stabulis extrahendis sordibus tristem dabant, & ignobilem operam; ideo enim Thren. 4. v. 5. stercora dicuntur amplexati. Nunc potiùs, propter ingens illud scelus, quod in Christi cæde patrauerunt, inesse grauem, & quasi naturalem fœtorem, & testantur nunc, qui cum illis aliquando vixerunt, & quasi rem notissimam prodiderũt antiqui. Ammianus *lib. 2.* hæc tradit de Iudæis. *Cùm Palæstinam transiret* (Marcus Impera-

59. *Iudæi hoc tempore fœtentes & sordidi.*

D tor) *Ægyptum petens fœtentium Iudæorum, & tumultuantium sæpe tædio percitus, dolenter dicitur exclamasse: O Marcomani, ô Quadi, ô Sarmatæ, tandem alios vobis deteriores inueni.* Sanè Martialis, prouerbiali, vt reor figura, inter illa, quæ grauissimè fœtent, Iudæorum anhelitum connumerat. Sic enim lib. 4. epig. 4. ad Bassam loquitur, cuius erat intolerabilis fœtor, vbi Iudæos vocat Sabbatarios.

Quod ieiunia sabbatariorum
Mallorum, quod anhelitus reorum,
Quod spiritus moriens lucerna Ledæ,
Quod ceromata fece de Sabina,
Quod vulpis fuga, viperæ cubile,
Malles, quam quod oles, olere Bassa.

E Causas alias affert in suis epistolis Franciscus Philelphus, cur fœteant Iudæi. Sed ne quis amplius quærat, aut dubitet, vnde sordido illi, atque infelici populo grauis ille siue ab spiritu halitus, siue à toto corpore fœtor aduenerit, miraculo quotidiano experimur illud esse Iudaicæ perfidiæ, quasi naturale auctoramentum. Nam vbi per Baptismum renati Ecclesiæ primùm aggregantur, quasi iam à seipsis in aliam quandam naturam abiissent, fœtor ille quasi naturalis detergitur, & grati esse incipiunt à Christi odore, quos grauis antea fœtor ab hominum congressu repellebat, de quibus ita Fortunatus *lib. 5. Carm. epist. ad Gregorium* de Iudæis conuersis per Auitum Episcopum Arbernicum.

60. *Fœtor à Iudæis in baptismo depositus.*

Abluitur

Google

Abluitur Iudæus odor baptismate diuo,
Et noua progenies reddita surgit aquis.
Vincens Ambrosio suaui spiramine rores.
Vertice persuso Chrismatis efflat odor.

61\. Quod verò sine ciuitate, ac templo, sine rege, ac duce omnibus odiosi, & contempti viuant, notius est quam vt multis à nobis confirmari debeat; vbiuis gentium hospites sunt, sedem non habent vllam certam, quam de suo nomine compellent, vagi sunt in nationibus, & quasi fluctus à ventis huc, atque illuc incerti iactantur, & interdum cum offensione graui franguntur scopulis allisi. Hic status Iudæorum post Christi mortem. quos gentes omnes sic execrantur, vt nemo velit cum illis aut inire connubiale pactum, aut hospitium habere commune. Sanè Mahometani neminem ex eo genere ad suum nomen, atque religionem admittunt, nisi priùs Christiano se baptismate lustrauerint. Ex Christiano namque Sarracenum fieri non putant suæ religioni indecorum accidere; ex Iudæo verò perquam turpe putant. Hoc idem fecerunt olim Romani, qui cùm victos populos Romanos appellari permitterent, id tamē ne quid suo nomini ab odioso, ac sordido genere labis adhæresceret, nullo modo licere Iudæis voluerunt. Aug. *in Psal. 58.* ad illud, *Ne occidas eos.*

Iudæi omnibus odiosi, ab omnibus repulsi.

Mahometani ex Iudæo immediatè neminem ad suam sectā admittunt.

62\. Hæc omnia complexus est Tertul. aduersùs gentes, cap. 21. *Dispersi*, inquit, *palabundi, & cœli, & soli sui extorres vagantur per orbem sine homine, sine Deo rege. quibus neque aduenarum iure terram patriam saltem vestigio salutare conceditur.* De misera Iudæorum vita est locus illustris apud Hieronymum ad illud Sophoniæ cap. 1. *Vox diei Domini amara.* Vide Chrysostomum *oratione 3. contra Iudæos.*

Romani Iudæos non dignantur suo nomine.

Quàm verò vbique gentium vectigalium onere grauentur, vt studio sibi, ac ludo habeant suis opibus genus illud hominum spoliare, aut illorum illudere, atque insultare fortunæ, & videmus hoc tempore, & paulo post Christi mortem illis accidisse, auctor est Suetonius in Domitiano cap. 12. *Præter cæteros*, inquit, *Iudaicus fiscus acerbissimè actus est, ad quem deferebantur, qui velut professi Iudaicam intra vrbem viuerent vitam, vel dissimulata origine imposita genti tributa non pependissent. Interfuisse*

Iudæi grauibus oppressi vectigalibus.

A *me adolescentulum memini, cum à procuratore, frequentissimoque concilio inspiceretur nonagenarius senex, an esset circumcisus.* Hæc Suetonius. Damnatam esse tributis circumcisionem quasi rem notissimam, & quasi prouerbialem, dixit Martialis *lib. 7. ep. 54.* de exactione dura Iudæis imposita, vide Iuuenalem *satyra 2.* & nostros commentarios in illud Thren. 1. *Princeps prouinciarum facta est sub tributo.*

Quæ supersunt, eadem ... sunt, vt facile quiuis, quæ Iudæi passi sunt in exilio, cum illis, quæ patiuntur hoc tempore, componet, ita vt corpus sequatur vmbra, & effigies veritati respondeat. Nec enim fornicati sunt Iudæi, id est, non abierunt post idola post Christi passionem: B idololatria enim in Scriptura sacra præter cætera vitia, fornicatio dicitur. Expectarunt Christum, licèt insipienter, venturum videlicet, cùm tam ... iam venisset; expectauit illos Deus, ac tandem in diebus nouissimis, sub finem nempe sæculorum, regem inuenient Christum e Dauidico genere: vt docuimus ex Paulo supra *ad Rom. cap. 11. v. 25.* 63.

Hæc mihi exponendi ratio visa est solutior, quæ diuersas interpretum sententias aptè conciliat, & statum Iudæorum miserum præmisso typo, quasi prælucente lumine demonstrat. Quòd verò Patres in tempus Iudæorum præsens maximè conspirant, quasi Babylonici temporis obliti, ideo faciunt, quia magis ad veritatem animum, C quam ad vmbram conuertunt. Neque id mirum cùm contra Iudæos agant, qui seruatori Christo sacrilegas manus attulerunt, & scelus illorum ingens ex dura illorum, & sordida conditione demonstrare studeant. Porrò in exilio Babylonico, & in amplificato, atque ex ornato populo, postquam in patrios fines, melioremque fortunam reuocatus est, Ecclesiam intelligi vexatam prius crudeliter, deinde pacato in statu collocatam, amplificatamque mirabiliter, communis est omnium ferme auctorum, & Patrum cogitatio, vt pluribus ostendimus in præfatione quadam *ad cap. 40. Isaiæ.* Quare non mirum est, si hoc etiam tempus Babylonicum aliquid etiam aliud adumbret, quod ad tempus spectet Euangelicum. 64

Digitized by Google

IN CAPVT QVARTVM

ARGVMENTVM.

GRAVES Dominus intorquet minas contra decem tribus, docétque quàm iustè in illas diuinus inflammetur furor, qui tales instigat pœnas, quales multis in toto fermè capite persequitur. Causa autem omnium tantæ cladis grauissima est idololatria, quam, vt alibi millies, fornicationis nomine significat. Ad extremum admonet Iudam, vt auitam colat, seruétque religionem, quam contẽpsit & prodidit. Ephraim quoque id præstare possit, integrè atque perpetuò monet, vt cum Ephraimitis qui inter Ethnicos, & alienos censeri debent, nihil consuetudinis habeat atque commercij.

CAPVT IV.

1. *AVite verbum Domini filij Israël, quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ: non est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra.*

2. *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit.*

3. *Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea, in bestia agri, & in volucre cœli: sed & pisces maris congregabuntur.*

4. *Veruntamen vnusquisque non iudicet: & non arguatur vir: populus enim tuus, sicut hi qui contradicunt sacerdoti.*

5. Et

PARAPHRASIS.

A 1. O Filij Israël, in quorum nomine meum etiam nomen esse volui, aures aduertite: quia grauis est mihi cum terræ vestræ habitatoribus disceptatio. Et cur amplius iudicij huius suspendam, aut temperem grauitatem ac seueritatem? cùm clament pro veritate iam omninò sublata mendacium, & dolus: cùm auaritia, atque crudelitas misericordiam relegarit è populo, neque vlla sit sæuitia, quæ homines nimiùm, aut genio, aut voluptati deditos, aut ad studium pietatis impellat, aut deterreat

B paululum à peccando.

2. Maledictum, conuitium, contumelia, mendacium, & fucus, adulterium, & furtum sic compleuerunt ciuitates, publicósque conuentus, vt instar fluminis, quod ripas excedens latè campos oblimat, & inundat: sic ipsa vbique locorum, & in omni hominum conditione, atque ordine latè, atque impunitè grassantur. Sunt verò peccata quæ è carne, & sanguine nascuntur, vsqueadeo frequentia, vt nullum sit

C tempus, nullus locus, tam abditus, aut publicus, tam religiosus, & sacer, quem non inundet, atque contaminet illorum immensa, & nunquam intermissa proluuies.

3. Propter hoc habebit populus grauem lugendi causam, cum omni pecore, atque armento, atqueadeo omni cæli volucre communem: quia regio illa, quæ omnibus ad victum, & humanos vsus commodis abundabat, deficiente pluuia, sic a-

D rescat, vt non homines solùm, sed etiam volucres, ac pecora deficiant. Quæ etiam calamitas ad pisces quoque maris Tiberiadis pertinebit, in quo ipsi quoque, aut corruptis, aut deficientibus aquis extinguẽtur.

4. Cùm tamen eò sit redactus infelix hic populus, ad instar tamen insanientis ægroti omnem respuit medicinam. Quare nemo illum, aut doceat, aut arguat: quia in illo siue sanando, siue instituendo, frustrà sumetur opera. Sunt enim illorum similes,

Digitized by Google

A miles, qui contradicunt ſacerdoti, neque illius iudicia verentur, aut admittunt, quibus ideo à lege capitale iudicium decretum eſt.

5. Et corrues hodie, & corruet etiam propheta tecum: nocte tacere feci matrem tuam.

5. Ergo, ô popule ſtulte, magno tuo merito cades ab eo nomine, quod dignitatis plenum quondam habuiſti: cades à patria, & libertate ſimul cum Prophetis, quorum falſa promiſſione, atque oſtentatione deceptus es. Neque in ſummo dolore hiſcere audebit mater tua, quia coram Domino inſolente & barbara inſeruit fortuna: quæ inſtar erit noctis, neque de fortuna B ſua queri, neque lacrymari impunè licebit.

6. Conticuit populus meus, eo quòd non habuerit ſcientiam: quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi: & oblita es legis Dei tui, obliuiſcar filiorum tuorum & ego.

6. Quòd verò populus ſilere cogatur, neque ſuam libere deplorare fortunam, ideo eſt, quia ſcientiam non habuit viuidam, nempe atque acrem, quæ mores componit, & animi morbos amaro licet medicaméto pellit. Et quia tu (ô gẽs, quæ ex Leuitico genere decem tribus ſecuta es, & vitulis aureis, variiſque Gentium idolis ſacerdotalem operam nauaſti) veram ſcientiam, quæ veram & religioſam ſacrificandi C formam tradit, repuliſti, repellam ego te, ne vnquam in templo meo ſacerdotali mihi miniſterio fungaris. Quia tu, ô gens Iſraëlitica, obliuioni præſcriptam à me legem tradidiſti, ego quoque filiorum tuorum obliuiſcar, abiiciam memoriam, duréque ab hoſte barbaro iactari permittam.

7. Secundùm multitudinem eorum ſic peccauerunt mihi: gloriam eorum in ignominiam commutabo.

7. Quo magis aucti beneficiis ac numero ſacerdotes, eo magis in me fuerunt iniurij, & pluribus apud me peccatis offenderunt. Quare cùm beneficia in benefactoris iniuriam, dedecúſque conuerterint, D efficiam, vt pro gloria, quam prius habuerunt eximiam, ignominia, dedecúſque ſuccedat.

8. Peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum ſubleuabunt animas eorum.

8. Eò ſpectant ſacerdotum conſilia, vt oblationes aſſiduè captent, quæ pro peccatis ab aliis frequenter offeruntur: & dum ſacrificiis illis aliorum animas à peccatorum ſordibus expiari dicunt, ſpe tam facilis & quotidianæ expiationis, eorum peccata magis, ac magis alunt, atque confirmant.

9. Et erit ſicut populus, ſic ſacerdos: & viſitabo ſuper eum vias eius, & cogitationes eius reddam ei.

9. Quia idem ſacerdotum, ac popularis turbæ viuendi genus, idem etiam erit ignominiæ, atque ſupplicij modus. E Eorum igitur vitam, & mores ſeuero ac iuſto iudicio condemnabo, & qualia in alios meditabantur, talia in alios infortunia conuertam.

10. Et comedent, & non ſaturabuntur: fornicati ſunt, & non ceſſauerunt: quoniam Dominum dereliquerunt in non cuſtodiendo.

10. Anhelabant illi ad aliorum opes, vt famem explerent alieno atque furtiuo cibo: non tamen, vt multum diúque laborent, aſſequentur, vt famem exſaturent, & optata inueniant: quia ſpirituali fornicatione, cum idolis, impio ſe concubitu miſcuerunt: neque dum animum habent alienum à metaphorica illa libidine, in quã

Digitized by Google

A ideo tam sunt intemperanter proiecti, quia à Deo, illiúsque mandatorum obseruantia recesserunt.

11. *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.*

11. Hanc verò siue insaniam, siue vecordiam fornicatio inuexit, quæ cor totum aufert, & euertit, non secus atque si homo ab ebrietate & vino totus incaluisset.

12. *Populus meus in ligno suo interrogauit, & baculus eius annunciauit ei: spiritus enim fornicationum decepit eos, & fornicati sunt à Deo suo.*

12. Quis putet illi consilij aliquid, aut mentis esse, qui à ligneo simulacro sciscitatur oracula? qui virgã aut baculum de futurorum successu, aut recta rerum administratione consulit? Planè in illorum animis altè insidet fumosus quidam ardor, B qui ad idolorum cultum accendit & rapit: qui ideo tam vehementer in illis dominatur & æstuat, quia se à veri Dei sancto, & debito cultu distraxerunt.

13. *Super capita montium sacrificabant, & super colles accendebant thymiama: subtus quercum, & populum, & therebinthũ quia bona erat vmbra eius: ideo fornicabuntur filiæ vestræ, & sponsæ vestræ adulteræ erunt.*

13. Illo igitur spiritu metaphoricæ fornicationis abrepti, in montium fastigiis præaltísque collibus excitabant aras, in quibus venerabundi ac supplices adolebant aromata. Quod item, neque magis piè, neque minùs frequenter facerent in locis nemorosis, & densis, quæ populus, C therebinthus & quercus opacabant, quarum innoxia putabatur vmbra, & amœnitas grata. Quocirca sic ad fornicarios hosce loquetur Deus: Quia in lucos montésque seceditis, vt ibi ad metaphoricum lupanar, metaphoricis indulgeatis adulteriis, idcirco liberè, à paterna interim maritalique custodia vxores ac filiæ aliorum se libidini prostituant, illæ adulteriis, hæ fornicationibus fœdatæ.

14. *Non visitabo super filias vestras cùm fuerint fornicatæ, & super sponsas vestras cùm adulterauerint: quoniam ipsi cum meretricibus conuersabantur, & cum effeminatis sacrificabãt, & populus non intelligens vapulabit.*

14. Neque tamen ego, quod summæ offensionis argumentum est, parentis vigi- D lantis ac prouidi aut zelotypi sponsi partes agam: non enim supplicio ac metu, à vitæ turpitudine cohibebo, aut filias, cùm fornicando & pudorem suum, & parentis nomen violauerint, aut vxores cùm coniugalem torum adulterando polluerint. Neque mirum, si vxores ac filiæ venereis se voluptatibus tradant, cùm domestica habeant exempla in maritis, ac patribus: qui, dum sacris operantur gentilicis, non solùm cum meretricibus aduersam, sed etiam cum effœminatis & pathicis auersam libidinem E exercent. Quia ergo stultus hic populus, & peccauit turpiter, & domesticis ad peccandum exemplum & facultatem præbuit, graues mihi dabit, atque diuturnas pœnas.

15. *Si fornicaris tu Israël, non delinquat saltem Iuda: & nolite ingredi in Galgala, & ne ascenderitis in Bethauen, neque iuraueritis: Viuit Dominus.*

15. Si Israel paternam prodidit religionem, & cum Gentium idolis fornicatus est. Tu saltem, ô Iuda, quem propiùs intueor, maioribúsque quotidie beneficiis amplector, noli ad illius exemplum in eandem fornicationis ignominiam abduci. Quare ô viri Iudæi, cauete à Galgalis, & Bethauen, vbi præcipuus impiæ superstitionis locus,

16. Quo

A cus, & quædam quasi sceleratis victimis nobilitata sacraria, neque quod Israëlitæ scelerate faciunt, per vitulos falsósque deos iuramento concepto, quasi illi viuentes sint, & non potiùs mortui dicatis, *Viuit Dominus.*

16. *Quoniam sicut vacca lasciuiens declinauit Israël: nunc pascet eos Dominus, quasi agnum in latitudine.*

16. Cauete vobis ab Israëlis, tam consuetudine, quàm exemplo: quia ille quasi iuuenca indomita, quæ neque iugum patitur, neque à pingui pabulo, in quo saginatur & lasciuit, abduci potest, suo sibi genio, atque studiis obsecutus, ad Gentium idola declinauit. Sed interim, dum in amplis v-
B beribúsque pascuis latè ac liberè vagantur, pascuntur reuera, & saginantur à Domino, non aliter quàm agni, quibus nulla est ad resistẽdum facultas, aluntur ad macellum.

17. *Particeps idolorum Ephraim, dimitte eum.*

17. Noli, ô Iuda, cum Ephraim, id est, decem tribubus aliquid habere commercij, ne mores tuos illius consuetudo corrumpat, sic enim se idolis adglutinauit, vt illorum ingenij particeps, in eandem cum illis naturam abiisse videatur.

18. *Separatum est conuiuium eorum, fornicatione fornicati sunt: dilexere ignominiam protectores eius.*

18. Habeto, ô Iuda, Ephraimitas Gentilium loco, atque ideo noli cum illis mensam habere communem. Fornicatio enim
C frequens, & consuetudo cum Gentium idolis fecit, vt inter Israëlitas, populum nẽpe Dei, numerari non debeant sacerdotes illorum, & principes, qui illos ab omni iniuria atque infortunio, suorum laterum opposito, tegere debuerunt, in illam ignominiam & sordidum cultum induxerunt, quẽ ipsi væsano consilio diligebant.

19. *Ligauit eum spiritus in alis suis, & confundentur à sacrificiis suis.*

19. Dispergentur ergo velocissimè, ac variè, perinde atque si ventorum pennis essent alligati: neque à diis, quos aris & sacrificiis coluerunt, habebunt aliquid, præter ignominiam, & dedecus.

Vers. 1. *Audite verbum Domini, filij Israël.*]

1. *Vaticinium hoc de decẽ tribubus.*

HÆc multi ad omne genus Israeliticum pertinere putant, id est, ad decem tribus, quæ defecerunt ad Ieroboam; & ad duas alias, quæ ciuitati adhæserunt, & templo; in his sunt Haymo, Ribera, Figuerius. Neque illud v. 15. *Si fornicaris tu Israel, non delinquat saltem Iuda.* quod huic sententię fauere videbatur, quidquam iuuat, immo potiùs incommodat. Primùm, quia vix aliud verbum occurrit in toto capite, quod Iudæam sonet, aut etiam oleat: vnum autem aut alterum verbum ex alieno argumento vaticiniis inseri non est inusitatum, & nouum. Deinde, quia cum his aduersa comminetur Propheta, qui variis se flagitiis implicuerunt, quorum in hoc capite non pauca commemorat, his verbis potiùs innocentem ostendit fuisse Iudam, & ab illis alienum peccatis, propter quæ tam grauia populo supplicia imminere dicuntur. Quasi optet Propheta, vt cùm decem tribus tot fuerint contaminatæ sceleribus; aliæ saltem duæ nihil admit-
D tunt simile, propter quæ simili etiam iactentur infortunio. Quare placet magis quod visum est plerisque aliis, pertinere has minas ad tribus decem, quod, credo, constabit magis dum accuratiùs expendemus singula. Ita cum Hieronymo sentiunt Chaldæus, Hugo, Dionysius, Rupertus, Vatablus, Castrus.

Illud *Israel* non puto carere aliquo pondere, 2.
quod maximè ad reprehensionis acerbitatem faciat. Nam quo quis ab alio magis aut ornatur titulis, aut augetur commodis, eo magis augetur peccatorum grauitas, si quid audeat in hominem de se tam prolixè meritum indigniùs admittere. Complexus est Dominus Israeliticum populum iam inde ab Ægyptia libertate infinitis propè beneficiis; sed illud leue non est, quod mutato parentis nomine, pro *Iacob Israëlem* appellari voluit, & eius progeniem *filios Israel*, vt in parentis, ac filiorum nomine diuinum quoque nomen audiretur. Gen. 32. v. 28. *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel.* vbi Dei nomen

Dei nomen aliis insertũ nominibus dignitatem conciliat.

Digitized by Google

nomen אל *el* continetur, ita vt nomen illud assiduè in illo populo, & suauiter resonans, amabile redderet, ac venerabile non solum nomen, sed etiam populum Israelis nomine consignatum. Sanè hoc esse beneficium maximum, quale sponsa solet ab sponso recipere, dum ab illo ex Hebræorum more compellationem habet, & familiam (vt a Salomone sponso sponsa peregrina, & rustica vocatur Sulamitis) docuit Deus ipse apud Isaiam *cap.* 48. *v.* 1. vbi cùm Iudæorum perfidiam incusare vellet, ex eo illorum in peccando grauitatem exaggerat, quòd tali affecti nomine talia, tamque inuerecundè peccauerint: *Audite hæc domus Iacob, qui vocamini nomine Israel.* In secundo, & proprio iam populi nomine, non leuem ego epitasin inuenio, quod expendere iterum, ac sæpius debent, qui nobili aliquo insigniti sunt nomine; vt qui in suo nomine Iesu habent inclusum, aut Christi nomen; ac sedulò curare, nequid audeant, quod tanti nominis sanctitatem, ac maiestatem dedeceat.

Magnum Deus cum suo nomine onus imposuit.

3\. *Quia iudiciũ Domino cum habitatoribus terræ.*] Pro *iudicio* Hebr. est ריב *rib*, quod disceptationem, iurgium, & rixam valet: ad quam Dominus vocat, & præparat eos, quibuscum futura est disceptatio, & quoddam quasi iudiciale iurgium. Futurum verò dicitur cum habitatoribus terræ, nõ quidem vniuersæ, sed illius, quam habitabant filij Israel; quod ostendit articulus præfixus, neque enim dicitur ארץ *ares, sed* הארץ *ha ares*, id est, huius terræ: vt tamen Dei nomen in Israelitarum nomine conclusum, peccatum auget illorum, qui tanto nomini irrogauerunt iniuriam; sic qui terram illam opimam, vberem à Dei paterna ac liberali manu consecuti, abiecerunt tamen Deum, illúmque cum impuris idolorum monstris permutarunt, augent ingrati perfidiæ pondus, & largitoris furorem instimulãt. Quàm verò magnum beneficium fuerit in regione illa desiderabili consedisse gentem Israelitidem, agnouerunt viri grati, ac pij, qui beneficium istud sæpe prædicarunt. Sic sane Moyses Deuter. cap. 32. à v. 13. ingrati populi peccatum amplificat. *Constituit eum super excelsam terram, vt comederet fructus agrorum, vt sugeret mel de petra, oleúmque de saxo durissimo. Butyrum de armento, & lac de ouibus cum adipe agnorum, & arietum filiorum Basan, & hircos cum medulla tritici, & sanguinem vuæ.* His similia occurrunt non infrequenter in Psalmis. Excellentiam porrò regionis huius, & Dei ipsius verbis accepimus, qui eiusdem populi peccata ab huius regionis bonitate, quam omnium dicit esse præstantissimam, exaggerat. Sic autem Dominus Ezech. cap. 20. v. 6. *In die illa leuaui manum meam pro eis, vt educerem eos de terra Ægypti in terram quam prouideram eis, fluentem lacte, & melle, quæ est egregia inter omnes terras.* Vide plura de huius terræ bonitate in nostris commentariis in hunc Ezechielis locum, *& cap. 20. n. 24.* & iterum *cap. 27. n. 59. & cap. 34. n. 17.*

Beneficia accepta Deũ ad iracundiam prouocant.

Terra promissionis bonitas.

4\. Ribera, & ex eo Figuerius aliquid hic inuenium graue quidem ad mores, minus tamen, vt arbitror, accommodatum ad literam, dicunt enim disceptationem siue iudicium fore in his qui in terra habitant, id est, qui terrena meditantur, qui ita sibi de terrena possessione, atque habitatione commodant, quasi in terra futura esset sempiterna mora. Cum his, inquit, seuerè iurgabit Dominus, horum vitam, & mores rigido discutiet, atque explorabit examine. Non verò cum illis, qui sic in mundo quasi pe-

Graue iudicium cum his, qui terrena amãt.

A regrini viuunt, vt ad cælum aspirent, qui permanentem hic ciuitatem non habent, sed futuram inquirunt, qui cùm corporis vinculis constricti teneantur in terra, eorum tamen in cælis conuersatio est. Est sanè cogitatio hæc ad mores instituẽdos optima, sed neque prior minus videtur opportuna, quæ ingratos animos grauiter exagitat, & minus videtur à litera abhorrere.

Non est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra.] Incipit iam Deus cum suo populo sub amaro iurgio disceptare, & crimina obiicere, propter quæ seuerum hoc examen, & ex eo supplicium, quale nuper audierat, subire debeat. Qualia sint illa, quorum reus arguitur, 5.
B iudicare difficile non est. Eadem prorsus dixit Ieremias *cap.* 9. in hunc Oseæ locum, vt apparet, intentus, qui nobis ad eius explicationem ducem se, atque interpretem præbebit. vbi Oseas, *non est veritas*, Ieremias dicit v. 3. *Extenderunt linguam suam, quasi arcum mendacij, & non veritatis.* vbi quæ sit illa veritatis violatio, fusiùs ostenditur, neque enim est tantùm oratio, quæ contra quàm in animo habes, foris significes, in qua tantùm appareat mendacij dolus; sed aliquid præterea accedit incommodi, qua mendaci lingua, non secus, atque venenato spiculo aliorum non solùm honos, sed etiam vita compungitur, laceratur, & perit. Quale videri potuit mendacium illud, quo duo libidinosi iudices apud Da-
C nielem *cap.* 13. Susannæ vt primùm pudori, sic etiam postea honori, ac vitæ insidiati sunt. In veritate igitur violata dolus intelligitur, & calumnia. Quod optimè expressit Ieremias suprà v. 8. *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est: in ore suo pacem cum amico suo loquitur, & occultè ponit ei insidias.* Plura addit in hanc sententiam ibi, quæ tu vide.

Et non est misericordia.] De hac Israelitarum inclementia multa clamãt Prophetæ, quàm fuerint non solùm immisericordes in pauperes, sed etiam crudeles, & auari in eos, quibus paulo est 6.
D fortuna felicior; quorum insidiantur opibus, & omni artificio, ac vi in sua tandem commoda conuertunt. Hæc verò inclementia diuinum furorem ad omne supplicij genus vehementer instimulat. Qua de re optimè cùm hunc Oseæ locum tractaret ad Demetrianum loquitur Cyprianus. *De sterilitate*, inquit, *aut fame quereris; quasi famem maiorem siccitas, quàm rapacitas faciat: quasi non de captatis annonarum incrementis, & pretiorum cumulis flagrantior inopiæ ardor excrescat. Quereris cludi imbribus cælum, cùm sic horrea cludantur in terris. Quereris minus nasci, quàm quæ nata sunt indigentibus præbeantur. Pestem, & luem criminaris, cum peste ipsa, & lue vel detecta sint, vel aucta crimina singulorum; dum nec infirmis exhibetur misericordia, &*
E *defunctis auaritia inhiat, & rapina.* Vide reliqua.

Inclementia & rapina famem & inopiam inducit.

Et non est scientia Dei in terra.] Hæc eadem Ieremias suprà v. 3. *Et me non cognouerunt, dicit Dominus.* Qualis fuerit illa Dei ignoratio, explicuit postea v. 8. *In dolo renuerunt scire me.* Non quidem populus ignorabat Deum, & quid ipse ab hominibus exegisset, sed illa Dei legísque cognitio practica non erat, quia homines illi Dei se voluntati, ac legi non attemperabant; & quia sic se, morésque suos informabant, ac si exleges essent; neque cognitionem vllam Dei haberent, & ideo renuunt scire indolo, qui simulant ignorare se Deum: aut certè studiosè Prophetas, atque Doctores audire refugiunt, ne legem contem- 7.

Scientia Dei quomodo negetur esse in terra.

psisse

pisse videantur, quam sibi ignotam esse dicunt. Eandem calamitatem, totamque infortuniorum quibus idem populus vexatus est, tradit Isaias cap. 5. v. 13. *Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam: et nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius siti exaruit.*

8\. *Inundare dicuntur peccata, quæ publicè atque impunè fiunt.*

Vers. 2. *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt.*] Hæc tunc peccata vigebant in populo in omne genus intemperantiæ proiecto, quæ etiam Ieremias commemorat *cap.* 5. & alij Prophetæ dolenter, & sæpe. Cætera aperta sunt; illud *inundauerunt* vim indicat apertam, & maximam illorum scelerum, de quibus proxime, atque adeo profligatos mores perditi, atque inuerecundi populi. Fieri namque solet, vt varia sint alicubi flagitia, neque illa in publicam erumpant lucem; quòd si id aliquando fieri contingat, fit tamen non sine pudore eius, qui peccatum admisit, & aliorum aut admiratione, aut apprehensione graui. Quare si quid tunc homines aut perfidiosè, aut luxuriosè meditantur, habēt sua diuerticula ac tenebras, in quas suam libidinem, aut consilia alia scelerata coniiciant. Quòd si iam nullus pudor, & supplicij metus prohibet, & in medio foro, ac luce hæc sine pudore, atque impune fiunt, tunc verò actum esse de honestate, actum de religione existimatur. Hoc perquam aptè proposita translatio significat, quæ sumpta est à flumine, quod quandò suo contentum alueo intra suas se ripas coercet, ac voluit, sedatò fluit, neque aliorum sata populatur, ac sternit, neque videtur nisi ab his, qui aut in flumine nauigant, aut prope fluminis ripas constiterunt. At si excedat ripas, & circumiectos latè campos inundet, & compleat, nemo est qui non videat effusas, atque exorbitantes aquas; nemo, qui non iudicet vim esse aquarum maximam, quæ ripas exuperant, & agros inundant. Inundasse igitur dicuntur peccata; quia sic multiplicata sunt, vt erumpant ex tenebris sic impunita, atque inuerecunda, vt in plateis liberè, & in publicis conuentibus admittantur, sic denique vagata latè, vt nullum sit hominum genus, nulla conditio, quam non obliniant, atque contaminent.

9\. *Prover. Sanguis sanguinem tangit.*

Et sanguis sanguinem tetigit.] Ieremias cap. 9. v. 3. *De malo ad malum egressi sunt.* quasi dicat continens esse peccandi filum, neque vllum intermitti tempus à peccando; aut vllum esse locum tam abditum, aut publicum, tam religiosum, aut sacrum, quem non inundet peccatorum immensa proluuies. Est autem hæc prouerbialis forma, qua significamus aliquid esse perpetuum, & nunquam interruptum, ita vt laborem labor, & calamitatem calamitas contingat. Sic apud Senecam in Hercule furente Megara.

Iam statue tandem grauibus ærumnis modum,
Finémque cladis; nulla lux vnquam mihi
Secura fulsit; finis alterius mali
Gradus est futuri.

Hoc perpetuum seu laborum, seu peccatorum filum, catenatum vocant Latini, quia sic sunt inter se contexta, vt nihil sit vacuum, nihil non connexum. Sic Martialis lib. 1. epigr. 16.

Expectant curæque, catenatique labores.

Vt ergo catenati dicuntur labores, & curæ; quia sibi ipsis continenter succedunt, sic ètiam catenata, sibique ipsis connexa dici possunt flagitia, quia vnum continuò excipit alterum, & aliis atque aliis sine intermissione contextis, longum trahitur, & continens filum.

A Porrò sanguis non solùm cædes indicat, quarum hic rei accusantur Israelitæ, sed etiam alia 10.
scelera, quæ ex immoderatis quibuscumque animorum affectibus oriuntur. Sumitur autem primùm pro tyrannide, atque crudelitate, & hoc potius, & quia victu sanguis, & sanguine vita augetur animalis, fit etiam vt sanguis pro vita, & alimentis, atque ideo etiam pro facultatibus vsurpetur, quibus parantur cibi, & hominum vita sustentatur. Sic Ecclesiast. cap. 34. v. 25. *Panis egentium vita pauperum est: qui defraudat illum, homo sanguinum est.* Deinde, quia ex carne, & sanguine illa præcipuè nascitur passio, quæ generationi seruit, & propagandæ soboli, fit vt sanguis sæpe pro illa sumatur intemperantia, quæ à libidine est. Dum ergò hic Propheta inundasse dicit adulteria, homicidium, & furtum, &c. nil aliud, puto sibi vult, quàm quod significauit statim, dū dixit, sanguinē à sanguine contingi. Quod item expressit Ieremias cap. 2. v. 34. *In alis tuis inuentus est sanguis.* & Isaias c. 1. *Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Quibus verbis omnes hi Prophetæ ostendunt populum istum ad vim, & cædem, & rapinam, & Venerem, ad quiduis denique flagitiosè tentandum audacem esse, impudentem, & promptum. Ita ferè hic Hieronymus, Cyrillus, & Haymo, & Gregorius *lib.* 13. *Moral. cap.* 10. & placet è recentioribus plerisque.

Sanguinis significatio multiplex.

C Vers. 3. *Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in ea.*] Ostendit iam quid mali terræ Israelitis olim attributæ à peccato prouenerit. *Lugere* in Scriptura sacra idem est quod desertum esse aliquid, aut vastatum, aut carere illo ornamento quod rei ipsius aut exigit, aut patitur natura. quo sensu viæ Sion dicuntur lugere, quia carent hominum frequentia, quæ viarum aut solum, aut maximum ornamentum est. Threnor. 1. *Viæ Sion lugent, eo quòd non sint qui veniant ad solitudinem.* Sic scholæ, & forum dicuntur lugere, cùm illæ ab auditorum, hoc à causarum solitudine frigent. Lugent ciuitates, & templa, cùm pauci aut obeunt templa, aut ciuitatis portas ingrediuntur, aut frequentant. Isai. 3. v.
D 16. *Mærebunt, atque lugebunt portæ eius.* Sic etiam lugere dicuntur agri cum propter sitim macie horrent, aut grandine, aut vredine, perculsi spem omnem vbertatis suis cultoribus ademerunt; sicut quando virides sunt ac pleni, & spem ostentant vbertatis eximiæ, lætari dicuntur, ac ridere. Id nunc in terræ luctu significatur, nempe aut solitudo, & vastitas, aut strages, & macies, quæ diuturna populi & continuata impietas induceret. 11.

Illud *& infirmabitur omnis*, eundem habet sensum. *Infirmari* etenim idem est quod *lugere*, atque ideo hæc duo sæpe in eandem sententiam
E coniunguntur. Isai. 33. v. 9. *Luxit, & elanguit terra.* *Languere* autem, & *infirmari* idem est, vt constat, & cap. 24. v. 4. *Luxit, & defluxit terra, & infirmata est.* Quare hoc loco nihil aliud significari arbitror, quàm terræ Israeliticæ, & habitatoribus eius esse lugendum, id est, tam his, quàm illi grauissima impendere detrimenta. 12.

Infirmari quid in Scriptura.

In bestia agri, & in volucre cæli.] Abductas fuisse ab hostibus, aut consumptas, quo tempore Assyriorum castra in Israeliticis finibus consederunt, volucres domesticas, & cicures, quæ tunc temporis erant in sagina, item pecora, atque armenta alia, quæ vsui esse poterant, aut colendis agris, aut mensis instruendis, satis est verisimile. Sanè hoc indicat Ieremias *cap.* 9. *v.* 10. vbi dicit 13.

Google

dicit à Babyloniis (quod factum etiam esse prius ab Assyriis verisimile est) abactas fuisse volucres, nempe domesticas, & pecora. *A volucre cæli, vsque ad pecora transmigrarunt.* Tunc verò præpositio *in* idem valet, quod *propter*, quod nostris in Scriptura sacra occurrit. Duo accipe exempla ab hoc ipso Propheta, alterum cap. 5. v. 5. *Israel, & Ephraim ruent in iniquitate sua.* id est, propter iniquitatem suam. Alterum cap. 14. v. 2. vbi eadem ferme verba, atque sententiæ repetuntur; lugebit itaque terra, & illius accolæ, propterea quod & volucres defecerunt, & armenta.

In id aliquãdo quod propter.

14. Sed est mihi verisimilius *in* hoc loco idem esse quod *cum*, & sensum esse non solùm luctum, seu lugendi causam regioni Israelitidi denunciari, sed etiam omnibus, qui in illa vagantur, & aluntur; quia regio illa, quæ statis, ac fidelibus de cælo pluuiis, non solùm ad victum, sed etiam ad delicias alebatur, deficiente pluuia sic arescet siti, vt non homines solùm, sed etiam volucres, & pecora deficiant. Id sanè Iudæis non longe post hæc tempora prædixit apertè Ieremias cap. 12. v. 4. *Vsquequo lugebit terra, & herba omnis regionis siccabitur propter malitiam habitantium in ea? consumptum est animal, & volucre.* &c. & *cap.* 14. lugentes etiam, & morientes inducit tam cicures belluas, quàm syluestres, & feras arente pabulo. *Propter terræ vastitatem, quia non venit pluuia in terram, confusi sunt agricolæ, operuerunt capita sua. Nam & cerua in agro peperit, & reliquit, quia non erat herba. Et onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventum quasi dracones, defecerunt oculi eorum, quia non erat herba.* Præpositio verò *in* aliquando idem valet quod *cum*, quod putat hîc Ribera, & nos pluribus ostendimus in nostris commentariis in Ezechielem *cap.* 27. *n.* 52. vbi exemplorum satis. Gen. 32. v. 10. *In baculo meo transiui Iordanem.* id est, cum baculo. Ezech. 16. v. 28. *fornicata est in filiis Assyriorum.* plura exempla habes apud Pagninum *lib.* 1. *inst. cap.* 18.

Grauis fames in terra promissionis.

In idem interdũ quod cum.

15. *Sed & pisces maris congregabuntur.*] Non solùm terrestribus, siue domesticæ, siue syluestres sint, belluis fames indicitur, & mors; sed etiam fluuialibus, ac marinis, nequid in ea regione liberum sit a calamitate communi. Sed dicet forsan aliquis, si graue illud infortunium, vel ab hoste impendet, vel à cælorum, seu elementorum iniuria, propter quam aut arescent agri, aut vrentur pruina; aut segetes, arborúmque prouentus noxio aliquo influxu corrumpentur; quid ab his timere possunt fluuiales belluæ, quibus cælestis imber necessarius non est, neque ab humana industria aliquid accipiunt ad vitam necessarium? Huium ego cogitationi duobus modis occurri posse puto. Aut enim à noxia aliqua, & pestilenti vi, sic posse fluminum aquas alioqui dulces, atque salubres infici, vt omnes, qui in illis inhabitant pisces moriantur, qualis est illius herbæ pestilentissima proprietas, quæ non in fluminibus modò, sed etiam in mari pisces extinguat, de qua Plinius lib. 19. cap. 7. *Lactuce*, inquit, *sponte nascentis primum est genus eius, quam caprinam vocant, qua pisces in mare deiecta protinus necantur, qui sunt in proximo.* Hanc fortasse idem *lib.* 26. *cap.* 8. Platiphyllon vocat: aut si diuersum herbæ genus est, illi certe eandem vim, & proprietatem attribuit. Quod herbæ facit pestilens natura, nónne faceret Deus, cùm sublatis piscibus peccatorum ingluuiem punire vellet.

Pisces quomodo aqua marina corrupta creantur.

Platiphylli pestilens natura.

16. Hoc certè fecisse ante hoc tempus constat *Exod. cap.* 7. *v.* 20. vbi cùm aqua Nili conuersa fuisset in sanguinem, additur, *Et pisces, qui erant in flumine, mortui sunt.* Quod nouissimis Euangelij temporibus fecisse etiam aliquando Deum sacri docent annales. Platina in vita Victoris III. Pontificis Maximi refert inter alia diuinæ iracundiæ prodigiosa signa illud quoque fuisse, vt pisces tam fluuiatiles, quam marini magna ex parte perierint. Quòd verò piscium sterilitas, aut ex vno loco in alium commigratio propter accolarum peccata contigerit, docet S. Bernardus *in vita S. Malachiæ*, cuius hic verba libuit attexere, vt ab illo potius audias, quam à me. *Est*, inquit, *insula maris in Hibernia ab olim fœcundissima piscium, & mare ibi piscosum valde. Peccatis, vt creditur, habitantium adempta copia solita, quæ multos habebat filios, infirmata est, & à tanta funditus sui cõmoditate emarcuit. Dolentibus accolis, & iacturam grauem populis agrè ferentibus, reuelatum est cuidam mulieri precibus Malachiæ, posse afferri remedium. Rogantibus igitur enixè accolis Malachias pro piscium fœcunditate orauit. Ascendit oratio, ascendit & piscium multitudo, & fortè vberior, quàm diebus antiquis, & ipsa populo terræ perseuerans vsque in hodiernum diem.*

Pisces aliquando in fluuiis extincti propter hominum peccata.

Alio modo priuari potuit peccatrix illa regio 17.
fœcunditate, atque commoditate piscium, quibus Iordanis patrius fluuius abundat, vt docet Hieronymus *in cap.* 47. *Isaiæ*, & probat mare Tiberiadis, seu Genesareth, quæ pars est Iordanis, vbi piscatorum multitudo, piscium abundantiam fuisse docet. Priuari itaque piscibus Iordanis potuit arente alueo cælorum siti: sicut imbrium defectu alia quoque flumine exaruisse traduntur. Sanè eam ob causam exaruisse plurimos fontes, à quibus fluuij augentur aquis, imò nihil habent aliud, quàm quod è suis fontibus collegere, hoc ipso anno, in quo Oseæ expositoriam operam nauamus, contigisse vidimus, in quo sitire vidimus copiosos etiam fontes, & iuges puteorum aquas defecisse. Iordanem verò, de quorum piscatione hîc sine dubio sermo, à duobus capitibus & fontibus aquas habere, *Ior*, videlicet, & *Dam*, & docent communiter Geographi, & nomen ipsum fluminis non obscurè probat. Fuisse autem propter hominum peccata arefacta flumina, docuit Dauid Psal. 106. v. 33. *Posuit flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim, terram fructiferam in salsuginem à malitia inhabitantium in ea.* Idem de Nilo fluuiorum maximo tradit Isaias *cap.* 19. *v.* 5. vbi etiam memini piscium, quorum iactura mœrere faciet piscatores. *Arescet*, inquit, *aqua de mari, & fluuius desolabitur, atque siccabitur, & deficient flumina. Et mœrebunt piscatores & lugebũt omnes mittentes in flumen hamum: & expandentes rete super faciem aquarum.* Idẽ etiam Ezechiel. cap. 30. v. 12. *Et faciam alueos fluminum aridos.*

Fontes & flumina aliquando amissa.

Loquendi modus paulo obscurior. Quid sit 18.
congregari pisces, aut cur congregari dicantur, cùm de illorum interitu, siue inopia sermo est, non omnes inter se interpretes consentiunt. Illud certius *congregari* hoc loco idem esse quod deficere, ac mori, & ita conuerterunt L X X. *Et pisces maris deficient.* Cur verò congregari dicantur, minus certum, Haymo subaudiendum putat *in mortem.* Idem putat Dionysius, Hugo, & Interlinearis. Ribera existimat *congregari*, iuxtà Hebræorum idioma, idem esse quod *mori.* Rationem verò nominis eam esse putat, quia, qui extinguuntur, plurimis, id est, mortuis aggregantur. Vnde in Scriptura frequens, *appositus ad populum suum colligi, siue aggregari ad patres suos.* Placet ista Riberæ coniectatio, quam etiam Castrus

Congregari idem quod mori.

amplexus

amplexus est. Sed addam ego quoque aliã, quam expẽdet lector,& si volet tenebit,me non inuito.

19. *REGVLA. Vulgatus aliquando è duabus significationibus minus propriam sumit.*

Vsitatum est nostro interpreti,vt cum verbum Hebraicum duas habet significationes,illã interdum vsurpet, quæ minus est propria, & deinde per quandam quasi metalepsim ad propriam ascendat, vt diximus ad illud cap.3. *Et fodi eam mihi quindecim argenteis.* Ad exempla, quæ eo loco produximus,adde aliud illustre ex Isaia *cap.6.* vbi cùm Angelus sine dubio prunam sumpserit, siue ardentem carbonem, tamen calculum habuisse dicitur in manu, qui sonat pretiosum lapidem, quem nos Carbunculum appellamus, quia carbonis instar splendorem emittit. Quòd autem pruna sit, & ardens carbo, non calculus, seu lapillus, constat; quia sublatus est forcipe, & sublatus de altari,siue holocausti, siue thymiamatis, in quibus carbones esse nemo dubitat, lapillos verò pretiosos ibi esse non audimus. Neque Ecclesiæ auctoritas dubitare nos sinit, quæ ignito calculo Isaiæ labia dicit esse mundata. Cur autem ibi noster interpres calculum conuerterit, ea ratio est, quia vox Hebraica רצפה *rispah*,& Græca ἄνθραξ, tam carbunculum lapidem, quam prunam, carbonémque significat: sicut etiam vox Latina carbunculus. Sumpsit autem vulgatus quod minus est proprium, ex quo tamen ad id, quod proprium est; ascensus fiat. Ad hunc ergo modum cùm verbum אסף *asaph congregare* significet, & *finire, conficere,* seu, *auferre*; vulgatus priorem significationem sumpsit,in qua tamen per quandam gradationem priorem intellexit.Et hoc fortasse sensu explicanda sunt alia loca, in quibus per verba *congregari*, & *colligi*, mors intelligitur, & exitium,quæ in Scriptura occurrunt non pauca. Iuxta alteram verbi significationem, Septuaginta conuerterunt,*deficient.* Chaldæi *diminuentur,* & omnes Hebræi, vt docet Lyrã, *sitientur.*

20. Quia verò animalia, ex quibus homines aliquod accipiunt commodum, aut in aëre volant, aut gradiuntur in terra, aut natant in aqua, dum horum meminit Deus, omnia hominibus auferenda dicit emolumenta, quæ habere potuere in terra promissionis. In hunc ego sensum accipio illud Sophoniæ cap.1. v.2 *Congregans congregabo omnia à facie terræ, dicit Dominus: congregans hominem, & pecus, congregans volatilia cæli, & pisces maris; & ruinæ impiorum erunt.* In quibus omnia intelliguntur, quæ terræ promissionis ornamento esse poterant, ac tutelæ.

21. Vers.4. *Veruntamen vnusquisque non iudicet, & non arguatur vir.*] Pergit Dominus iurgari,& disceptare cum populo,& flagitia adglomerare flagitiis: vt ostendat eò demersum esse populum, vt de illius salute spes nulla sit reliqua. Si corpus sit ægrum, exangue, ac sepulturæ proximum; spes tamen vitæ, atque salutis superest, si medicum amat, & oblatam ab illo medicinam lubens admittit. Quòd si affecto corpore, & natura ipsa iam succumbente morbo, adeò non amet medicum,vt illum a se & manu submoueat, & maledictis incessat, de illo iam prudentes actum esse putant. In hoc statu erat gens Israelitica, cùm Dominus cum illa iurgari hîc inducitur,& iudicio contendere. Neque aliud,vt reor, hîc significatur a Domino, quam populum illum ad instar insanientis ægroti, omné repellere disciplinam. Dicendi figura rarior, vsitata verò. Quomodo cùm aliquem rudem, hebetem, aut indocilem significare volumus, dicimus ne quis illum doceat, quia nimirum in illo instituendo frustrà sumetur opera: si inexorabilis fuerit quispiam,monemus ne quis preces perdat, & lacrymas. Sic Deus quia statuerat non iam amplius ignoscendum esse Iudæis, iubet Ieremiæ ne supplices ad ipsum preces effundat. cap.7. v.16. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, neque assumas pro eis laudem, & orationem, & non obsistas mihi,quia non exaudiam te.* Hæc loquendi figura non est apud profanos insolens, qua non tam homo prohibetur alium admonere,seu corrigere,quàm significatur inutilis, atque otiosa correctio. Quomodo sæpe audis, *noli arare littus, noli ædificare super arenam, lauare laterem, dealbare Æthiopem, in aqua scribere, senem docere,* & similia, quia stultam illam operam nullus sequetur fructus. Hoc sibi velle videtur Eccli.32. v.6. *Vbi auditus non est,non effundas sermonem.*& illud *Amos cap.5.v.12.* valde facit ad hunc locum, imò cum hoc loco. *Cognoui multa scelera vestra, & fortia peccata vestra, &c. ideo prudens in tempore illo tacebit: quia tempus malum est.*

Modus dicendi, quo alicuius desperata significatur salus.

22. *REGVLA. Vniuersale nomen cum negatiuo æ vniuersali negatiuo æquiualet.*

Quod ad loquendi modum attinet, obserua vniuersale signum affirmatiuum apud Hebræos, si negationem adiungas æquipollere plerumque signo negatiuo, contra quam statuunt logici. Quare *non omnis* idem est quod *nullus*, vt est illud, *homo cum interierit, non sumet omnia.* id est, nihil sumet, & illud Gen.4. v.15. *Vt non interficeret eum, omnis, qui inuenisset eum.* & Matth. c.24. v.22. *Non fieret salua omnis caro.* id est, nulla caro saluaretur. Notandum præterea *vnum* apud Hebræos interdum idem esse quod *quicunque*, aut *vnusquisque*, quæ etiam signa quædam sunt vniuersaliter affirmantia, vt diximus in nostris commentariis in Cantica ad illud cap.8. *Vir affert pro fructu.* id est, *quilibet.* Quomodo etiam *Cant. 3.* vbi vulgatus, *vnusquiusque ensis super femur suum*, Heb. est, *viri gladius.* Quare cùm dicitur hoc loco, *vnusquisque non iudicet,* idem est, quod *nullus iudicet.* & *non arguatur vir,* idem quod *nullus arguatur.* Hoc tamen quod dixi de negatione adiuncta signo vniuersali, licèt verum plerunque, non tamen perpetuum est; sæpe enim particulare aliquid valet affirmatiuum, iuxta logicorum scita. Quale est illud Matth. 7. v.21. *Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* & illud ad Rom. 9. v.6. *Non omnes,qui ex Israel sunt,hi sunt Israelitæ.*

Vir aliquando idem quod quicunque.

23. *Populus enim tuus,sicut hi, qui contradicunt sacerdoti.*] Loqui Dominus cum omnibus singulatim videbatur, atque ideo dixit, *Vnusquisque non iudicet*; &, *vir non arguatur*, quasi diceret, ò tu quicunque es è toto populo, ne quemquam arguas: loquitur autem cum his, aut solùm, aut præcipuè, quibus id negotium datum est, vt peccatores coarguant, neque aliquam illorum culpam impunitam esse patiantur; quales sunt Sacerdotes, & Prophetæ, & cui rerum publicarum cura mandata est. Et ideo quasi ad vnum illorum conuersus,singulariter loquitur, ac dicit, *Populus enim tuus.*

24. Reddit autem hic Dominus causam,cur à correctionis salubri medicina abstinendum sit; quia nempe populus obstinato animo reprehensionis beneficium non curat, neque sentit iam acerbitatis aculeos, quia & frontem perfricuit, & sicut cicatricosa bellua contra plagas, & stimulos obduruit. Porrò illud, *sicut hi qui contradicunt*, indicat,opinor, similitudinem: nempe vt tales videantur, quales illi, qui sacerdotis reprehensionem, aut iudicia contemnunt, illique contradicunt, quibus graue decretum est à lege supplicium. Sic sanè Deuter.17. v.12. *Facias quæcunque*

Sacerdoti contradicit., capitalis.

Digitized by Google

dixerint, qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis moriatur homo ille, & auferes malum de Israel. Quare hunc sensum arbitror esse germanum. Quasi dicat Dominus, actum iam esse de populo tot iam delibuto flagitiis, perinde ac si sacerdotis imperium detrectasset, cui prorsus ideo supplicium esset decretum capitale. Quare non esse cur de illius capite cuiquam esset laborandum, nisi mauis, quod mihi difficile non videtur, allusum hic esse ad historiam Core, Dathan, atque Abiron, qui Aaron sacerdoti summo cõtradixerunt, quos ideo terra viuentes absorbuit, de quo *Num. c.16.* Quasi dicat, tale in præsentia populum manere supplicium, quale olim subiere tres hi viri cum aliis, qui cum sacerdote maximo congressi sunt, & superbè iurgati. Prior mihi expositio omnium videtur expedita maximè. Dicam tamen quid aliis præterea visum sit.

Sacerdotum reuerentia

25. Sunt qui putent illud *sicut* nullam importare similitudinem, sed tantùm indicari rationem, cur de illorum correctione sperari possit nihil. Quasi dicat, nemo hunc populum sui officij admonere studeat, ne ludat tempus, & operam; contemnet enim admonitionem, & reprehensionem auersabitur; vtpote, qui iam sacerdotibus aduersatus fuerit, habueritque vilissimos, quorum tamen sacra esse debuerit, & grauis auctoritas. Hanc sententiam aut tenent, aut indicant Dionysius, Rupertus, Vatablus, Lyra, Albertus, & Castrus, sed cum aliquo discrimine, quod quale sit in præsentia omitto, ne longus sim: verba tantùm referam Hieronymi, quia illis plures alij subscribunt. *Prouocati*, inquit, *fuerant ad iudicium filij Israel, qui habitabant in terra, vt causas dominicæ indignationis audirent, & peccata præterita audirent, propter quæ hostibus traderentur. Nunc quia in sceleribus perseuerant, & impudenti Deum facie contemnunt, audiunt: Non necesse est, vt veniatis ad iudicium, vt in vestris flagitiis arguamini, quia tanta estis impudentiæ, vt neque conuicti quidem pudorem habeatis, & verecundiam, sed contradicatis mihi, quasi si discipulus magistro, sacerdoti plebecula contradicat, quæ non habet sacerdotij dignitatem.* Hæc Hieronymus, & cum illo complures alij.

26. Alij putant significari hîc à Propheta neminem esse, qui alium sceleris possit arguere, cùm nemo sit immunis à scelere, licèt sit sacerdos, cuius vita aliis esse debet honestatis exemplum. Quare alij contradicere suo iure possent sacerdoti, in eiúsque caput obiectum crimen retorquere. Ita Hebræorum magistri Rab. Dauid, & Rab. Abraham.

27. Vers. 5. *Et corrues hodie, & corruet etiam Propheta tecum.*] Verba hæc ad illum refero, quem Dominus ab arguẽdo abstinere iubet, qui cùm non secus atque alij in scelere sit, illi simul cum aliis pereundum est. Illud *hodie* tempus significat ruinæ proximum, quod *cap. 1.* superiùs expresserat, v. 4. *Adhuc modicum, & visitabo sanguinem Iezrabel.* Corruet autem populus ille, quia cadet ab eo nomine, quod habuit ante plenum dignitatis: cadet ab antiqua sede, ex qua in alienam captiuus abducetur, & cùm suo priùs arbitratu viueret, pòst ad alterius præscriptum suæ vitæ cogetur rationes instituere. In illo, *& corruet Propheta*, duo Hieronymus considerat, & pseudoprophetas, qui cum aliis simul, quos ipse falsa promissione lactarunt, migrabunt in exilium, quod videtur potiùs, aut prophetale munus, quo decem tribus toto captiuitatis tempore caruerunt. Nam cùm antè Prophetas habuerint Heliam, & Eliseum, cæterósque Prophetarum filios, qui prophetauerunt in Samaria, & nunc ipsum Oseam, & alios e duodecim Prophetarum numero, qui in decem tribubus numerati sunt, pòst verò prophetas dicuntur habuisse nullos. Secus atque tribus duæ, quibus, dum etiam grauiùs vrgerent captiuitatis incommoda, non defuerunt, qui illorum aut solarentur dolorem, aut carperent studia, si quando à veræ religionis tramite deflecterent; quales fuerunt Daniel, Ezechiel, Aggæus, Zacharias. Hæc explicatio ita placet vt alia mihi probetur magis, & quia magis soluta, & quia probata pluribus.

Et nocte feci tacere matrem tuam.] Alij illud *nocte* cum superiore clausula coniungunt, ita vt nocte corruisse dicatur populus; aut quia cùm in captiuitatem venerit, nullam videbit aut libertatis spem, aut malorum effugium. Quemadmodum, qui in tenebris sunt, nusquam non offendunt; & vbicunque cæca via est, & occlusa porta. Aut certè in nocte corruunt, quia in vitam incidunt ærumnosam, & tristem, quæ in nocte, ac tenebris significari solent; ita distinguunt cum Chaldæo recentiores interpretes. Sed Hieronymus, & Septuaginta illud *in nocte* cum sequenti clausula coniungunt, ita vt mater illorum, nempe Synagoga, quæ ex decem tribubus congregata est, tacitura dicatur in nocte. Quid verò illud sit, exploráto opus est. 28.

Tacere in Scriptura, & *silentium*, subiectionẽ sonant, & seruitutem duram, aut grauem aliquam consternationem animi, quæ silere cogit. Quomodo *lib. Machab. 1. cap. 1.* terra siluisse dicitur in conspectu Alexandri, quia sic fuit horrore, atque stupore concussa, vt neque hiscere auderet in eius dominatu. Idem dicitur de Moab *Isai. cap. 15.* & de Ascalon *Ierem. 47.* de quibus tunc erat sermo, quasi de re omnino profligata, & perdita. In nocte igitur tacebit populus, quia cum fortuna dura diu in exilio conflictabitur, quam significant nocturnæ tenebræ; tacebit autem, aut quia victi coram victoribus mutire non audent, quia elingues illos reddit insolens aliorum victoria: aut quia seruis integrum non est de dominorum crudelitate queri, aut suam lamentari fortunam in summo etiam dolore. Sanè seruorum lacrymas, si seruitus paulo sit inclementior, à barbaro domino impunitas non esse, multa docent tum sacra, tum profana monumenta. De sacris est illud Thren. 1. v. 2. *Plorans plorauit in nocte*; quo in loco in nostris commentariis in Ieremiam obseruauimus captiuos interdiu coram aliis lugere non audere; atque ideo in noctes, vbi sine interpellatore, ac teste lacrymari possent, suos gemitus, ac lacrymas contulisse. De profanis adduximus aliquot exempla in locũ Ieremiæ, de quo proximè. Ad illa adde quod Seneca adducit satis dolenter, & grauiter lib. 4. controu. contr. 1. *Nulla flendi maior est causa, quàm flere non posse. Est quædam in ipsis malis miserorũ voluptas, & omnis aduersa fortuna habet in querelis leuamentũ. Ibi me flere prohibes, vbi crudeliter ipse non fleres. Cùm miserrimũ sit flere, quàm infelix sum, cui in hoc quidẽ licet; dirum omen occurrit, cogit flere, qui non sinit.* Hæc carptim ex illa controuersia. Quia cum singulis loquitur, qui toti reipublicæ comparati instar habent filiorum, matris comparatione, ideo illorum matri silentium minatur in nocte,

29. Silentium *dolorem indicat, aut fortunam duram.*

30.

noctе; quia communis est illa calamitas, quæ Synagogam e decem tribubus collectam comprehendet, quæ mater est.

31. Verſ. 6. *Conticuit populus meus, eo quòd non habuerit ſcientiam.*] Quomodo ſuprà *tacere* ſignificare diximus duram, humilémque fortunam; ſic modò de populo toto Iſraelitico, qui ſingulorum mater appellatur, exiſtimandum puto. Redditur autem ratio, cur taciturа dicatur mater, & populus, quod eſt prorſus idem, & gratia tantùm explicationis adhibetur: quia nimirum ſcientiam non habuit, illam videlicet, de qua ſuprà *v. 2.* practicam nempe, & viuidam, quæ non ſolùm mentem complet, & illuminat, ſed etiam ad religioſum opus mouet, & inſtimulat. De hac ſcientia nihil hic dicam ampliùs, quia ſatis multa nuper; habuiſſe tamen aliqualem etiam legis ignorantiam, aut docet, aut indicat, quod proximè ſuccedit.

32. *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi.*] Hic locus nonnihil videtur addere vitium illorum ſententiæ, qui vaticinium iſtud de duabus tantùm tribubus explicabant, quæ tantum verum habebant templum, vera ſacrificia; ac perinde verum etiam ſacerdotium. Sed hæc etiam pars ſuam habet explicationem, quæ nihil officiat ſuperiori noſtræ, & communiori ſententiæ. Repuliſſe hoc loco dicitur ſcientiam populus (loquitur autem de ea populi parte, quæ Leuitico, ac ſacerdotali miniſterio erat deſtinata, nempe, quæ genus ſuum deriuabat ex familia Leui) quia ſcientiam abiecit, quæ docebat tum diuinam legem, tum præterea ſacrificales ritus, quos Deus in ſuo templo ſeruari præcepit. Et vt aliam religionem amplexus eſt, cùm erectos a Ieroboam aureos vitulos adorauit, ſic etiam aliam habuit religionis formam, alias leges, alios denique ſacrificandi ritus. Ait igitur Deus gentem illam, licèt templo olim, & ſacerdotio deſtinatam, quia ſcientiam repulit à Deo ſacerdotibus commendatam, & aliam coluit, e Gentilium libris, cæremoniiſque libatam; fore deinceps à vero ſacerdotio repellendam. Ita Hieronymus, & Haymo. Et hæc mihi ſententia veriſſima eſt.

33. *Tribus Leuitica non habuit certā aliquam ſortem.*

Ad cuius lucem obſeruo tribum Leui, ex qua tantùm aſſumebantur illi, quibus templi cura, atque religio mandata eſt, non habuiſſe certum ſibi funiculum in terra promiſſionis; ſed latè in tota terra duodecim tribubus permixtam fuiſſe, & quaſi confuſam, *Ioſue cap. 21.* Cùm autem pluгimi ex Leuitico, id eſt, ſacerdotali genere habitarent ſimul cum illis, qui à templo defecerunt, & vitulos adorarunt aureos, ipſi quoque ad aliorum exemplar deſeruerunt templum, & altare, & pene patriam religionem prodiderunt; his ergo Deus, etiam poſtquam ab exilio remigrarent in patriam, ſacerdotale munus, & nomen interdicit. Quod ſanè ita factum, vt docet apertiſſimè Ezechiel, cui Dominus, & templi formam, & ſacrificandi ritus, & ſacerdotale genus & munus deſcripſit. Sic autem ille

34. *Leuitæ qui ſecuti ſunt Ieroboam, non amplius ad ſacerdotale miniſterium redierunt.*

cap. 44. à v. 10. locutus eſt clarè, ſic ad hunc Oſeæ locum attemperatè, vt nulla clarior, nulla illuſtrior excogitari poſſit commentatio. *Leuitæ,* inquit, *qui longè receſſerunt à me in errore filiorum Iſrael, & errauerunt a me poſt idola ſua, & portauerunt iniquitatem ſuam, erunt in Sanctuario meo ædittui, & ianitores portarum domus, & miniſtri domus: ipſi mactabunt holocauſta, & victimas populi: & ipſi ſtabunt in conſpectu eorum* (ſacerdotum) *vt miniſtrent eis. Pro eo quòd miniſtrauerunt illis in conſpectu idolorum ſuorum, & facti ſunt domui Iſrael in offendiculum iniquitatis: idcirco leuaui manum meam ſuper eos, ait Dominus Deus, & portauerunt iniquitatem ſuam, & non appropinquabunt ad me, vt ſacerdotio fungantur mihi, neque accedent ad omne ſanctuarium meum iuxta Sancta Sanctorum, ſed portabunt confuſionem ſuam, & ſcelera ſua, quæ fecerunt. Et dabo eos ianitores domus in omni miniſterio eius, & vniuerſis, quæ fiunt in ea. Sacerdotes autem, & Leuitæ filij Sadoc, qui cuſtodierunt cæremonias ſanctuarij mei, cum errarent filij Iſrael a me, ipſi accedent ad me, vt miniſtrent mihi: & ſtabunt in conſpectu meo vt offerant mihi adipem, & ſanguinem, ait Dominus Deus.* En quomodo ex Iſraelitico genere a ſacerdotio repelluntur, qui decem tribubus permixti communi cum illis errore ſeducti ſunt. Qui tamen non ſunt omnino a templo, ſed tantum à ſacerdotali miniſterio ſeparati. Illa enim in templo obire munera iubentur, in quibus ſplendoris eſt minus, & laboris, atque moleſtiæ plurimum. Neque enim tam erunt ſacerdotes, quàm ſacerdotibus ad ſacrificale munus adminiſtri. Erunt enim ianitores, & ædittui, iugulabunt holocauſta, & victimas, præſtabunt denique ſeruilem quandam operam, aut ſeruili proximam ſacerdotibus.

Ex hoc loco nonnulli colligunt indignum eſſe ſacerdotio, & Epiſcopatu, qui literarum ſibi ſubſidia non quæſiuit. Ita de Epiſcopo Synodus VII. & habetur diſt. 38. cap. omnes. *Subſtantia,* inquit, *ſummi ſacerdotij noſtri ſunt eloquia diuinitus tradita, id eſt, vera diuinarum Scripturarum diſciplina, quemadmodum magnus perhibet Dionyſius. Quod ſi diſceptauerit* (nempe Epiſcopus conſecrandus) *& ita libenter facere, & docere minimè ſpoponderit, nullatenus conſecretur. Ait enim Propheta Deus, tu ſcientiam repuliſti, & ego repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi.* Ex hoc item loco probat Bernardus neceſſariam eſſe ſcientiam ſacerdoti, *ſerm. 36. in Cantica.* Hanc verò non habuere, qui ex Leuitico genere decem tribuum impietati adhæſerunt: vt enim religionem aliam, ſic etiam doctrinam illi conſentaneam amplexæ ſunt; atque ideo quia veram à ſe ſcientiam repulerunt, à vero etiam ſacerdotio repulſæ ſunt. 35.

Scientia Epiſcopo, ac ſacerdoti neceſſaria.

Et oblita es legis Dei tui, obliuiſcar filiorum tuorum.] 36.
Iuſtum eſt Dei iudicium, & populi peccatis attemperatum, vt qui oblitus eſt Dei, obliuionis diuinæ experiatur incommoda, id eſt, non ſentiat in ſe diuinæ memoriæ conſueta beneficia. Sicut *recordor* ſumitur pro aliquo opere, quod ſit memoriæ teſtimonium, & ſignum; ſic etiam *obliuiſcor* priuationem oſtendit illius rei, quod memoris animi videri poterat teſtimonium. Quomodo Deus recordari dicitur pauperis, cùm tamen in illum obliuio cadere non poſſit; quando illius neceſſitatem miſerendo releuat, & peccatoris, cùm illius ſcelera ſupplicio mulctat. Sic obliuiſci dicitur afflicti, & miſeri, quando illum ſinit in malis conſeneſcere. Obliuiſcetur igitur Deus filiorum Iſrael, quia illos ab hoſte iactari permittet, quaſi illorum omnino memoriam, & curam abieciſſet.

Verſ. 7. *Secundùm multitudinem eorum ſic peccauerunt mihi.*] Sententia non difficilis, licèt non eodem modo ab omnibus explicata. Significatur enim diuinis abuti beneficiis Iſraelitas, quóque plura accipiunt, eo etiam pluribus. 37.

Ingratitudinis pœna.

bus iniuriis officia compensare. Hieronymus, & Hayino sic exponunt. *Quot homines habuit Israel, tot aras extruxit dæmonibus, in quorum victimis peccauit mihi.* Theophylactus innumera putat significari peccata. Quemadmodum enim Israelis filij certo numero circumscribi non possunt, atque ideo sæpe cum stellis cæli, & arena, quæ est in littore maris, comparantur; sic etiam illorum peccata nulla potest mensura, aut numerus comprehendere. Huc alludunt pleræque aliorum sententiæ, quare ab illis commemorandis abstineo.

38. *Gloriam eorum in ignominiam commutabo.*] Iustissimo Dei supplicio illis beneficium aufertur, qui aut illius deposuere memoriam, aut, quod peius est, in benefactoris iniuriam, dedecúsque conuertunt. Fecit hoc Deus in populum; de quo priùs fuerat benignissimè meritus, neque tamen ab illo quidquam videbatur bene merendo extorsisse præter contumeliam. Quare illum multo quàm antea secius prosecutus est, gloriam illius cum ignominia permutando. De sensu nemo dubitat; quæ sit in præsentia gloria, varij variè. Theophylactus multitudinem putat populi, qui ad miraculum vsque multiplicatus est, quem Dominus aut bellorum, aut morborum incommodis ad paucitatem redegit; quam alij sententiam amplexi sunt. Ego aliquid amplius importare puto duas illas voces *gloriam*, & *ignominiam*. In *gloria* regnum intueor, quod habuit priùs Israël fortunatum, & splendidum; regionem vberem lacte, & melle manantem, ciuium numerum, quem vix capiebat regio latis porrecta finibus: hæc tamen omnia vltor scelerum Deus commutauit in seruitutem, & exilium, & longum syrma; prolixas, pretiosásque lacinias in seruilem amictum; qui nec illa operiat, quæ nudare nefas. Denique vt iam viles existimentur, & sordidi, qui priùs in gradu, vestéque pretiosa visebantur. Hæc eadem significarat paulo antè Propheta cap. 2. v. 8. *Ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt Baal. Idcirco conuertar, & sumam frumentum meum, &c. & nunc reuelabo stultitiam eius in oculis amatorum eius.* En commutatio gloriæ in ignominiam.

Peccatoris gloriã ignominia sequitur.

39. Vers. 8. *Peccata populi mei comedent.*] Non nominat, qui sint isti, qui peccata comedunt, verùm ex adiunctis non obscure deducitur esse sacerdotes: nam sacerdotij nomen paulo antea præcesserat, & proximè sequitur sacerdotum. Certum est *peccatum* in Scriptura significare *sacrificium*, quod pro peccato offertur; mille locis audis in Testamento veteri, *hostiam pro peccato, victimam, aut sacrificium* pro peccato. vbi tamen in Hebraico textu tantùm auditur peccati nomen, vbi vulgatus Leuit. 10. v. 17. *Cur non comedistis hostiam pro peccato?* Heb. *Cur non comedistis peccatum?* & *cap. 5. v. 5. cap. 6. v. 25. cap. 7. v. 2. Num. 15. v. 24.* Quod in nouo etiam Testamento vsitatum videmus. 2. Corinth. 5. v. 21. *Eum, qui peccatum non nouerat, pro nobis fecit peccatum;* id est, obtulit victimam, quæ peccatum nostrum expiaret. Hæc dubia non sunt, de sententia res est obscurior.

Peccatum pro sacrificio pro peccato.

40. Et quia hæc omnia de Synagoga ex decem tantùm tribubus collecta nobis explicanda necessariò sunt, si nobis ipsis constare volumus, obseruemus oportet, tribus illas suos etiam habuisse sacerdotes, sua sacrificia; ex quibus capiebant sacerdotes illi, quicquid ad sumptus foret necessarium. Id habemus expressum *lib. 3. cap. 13. v. 31.* vbi sic de Ieroboam postquam populum à templo distraxit. *Et fecit fana in excelsis, & sacerdotes de extremis populi, qui non erant de filiis Leui.* Et idem repetit *v. 32.* Nota est historia sacerdotum Baal, quos alebat, habebatque secum Achab rex Israel, quos occidit Helias 3. *Reg. cap. 18.*

Sacerdotes vitulis præfecti.

41. Deinde obseruandum Hebræis esse familiare futurum adhibere; vbi actio significatur frequens, & agendi consuetudo. Quam regulam nos adduximus in nostris commentariis super Ezechiel. *cap. 16. num. 82.* quocirca illud *peccata comedent,* hunc habet sensum, *peccata comedunt, aut solent comedere.* Nunc sententias aliquot adducamus, quæ probantur aliis, neque sanè videntur improbabiles, aut à textu alienæ.

REGVLA. *Futurum adhiberi solitum, quando actio frequens, aut agendi consuetudo significatur.*

42. Rab. Salomon citatus à Figuerio, reprehendi putat sacerdotes alienos, qui inter decem tribus, diis sacrificabant gentilicis, quia illis aluntur sacrificiis, quæ sacerdotes veros, atque legitimos sustentare debuissent. Alexander *1. epist. 2.* & habetur *2. p. 1. q. 1.* indicat sacerdotes instar ignis futuros; qui sic edant, atque consumant populi peccata, sicut ignis stipulas deuorat, & scoriam exurit. Sic autem ibi, *Ipsi sacerdotes pro populo interpellant, & peccata populi comedunt, quia suis precibus ea delent, atque consumunt: qui quanto digniores fuerint, tanto faciliùs in necessitatibus, pro quibus clamant, exaudiuntur.* pia sanè explicatio, & tanto patre digna.

Sacerdos quasi ignis aliorũ peccata consumit.

43. Sunt qui putent peccata hîc propriè sumi, non pro sacrificiis expiatoriis. Quasi sacerdotes illorum in se culpam derident; quibus adhibere medicinam, & mores corrigere debuerunt. Et quemadmodum, qui cibum sumit, licet ab aliena natura, ab agno puta, aut porco suam sibi carnem facit, neque minus habet sibi naturalem, & propriam; sic, qui aliena peccata comedit, vel quia ad illa conniuet, cùm deberet arguere, aut qui, vt alij offendant, scandalum opponit, suum sibi facit alienum peccatum. Ita Hieronymus, dum ait: *Idcirco peccata populi mei deuorant consentientes sceleribus delinquentium: quia cùm eos peccare perspexerint, non solùm non arguunt, sed laudant, atque sustollunt, & beatos prædicant.* Idem Gregor. homil. 17. in Euang. *Cur peccata populi comedere dicuntur, nisi quia peccata delinquentium fouent, ne temporalia stipendia amittant. Sed & nos, qui ex oblationibus fidelium viuimus, quas illi pro peccatis suis obtulerunt, & si comedimus, & tacemus, eorum proculdubio peccata manducamus.* Hæc sententia grauis est, & planè tremenda his, qui ex fidelium oblationibus viuunt; neque tamen sedulò illorum inuigilant saluti.

Sacerdos & prælati negligentes aliena peccata faciunt sua.

44. Est tamen communis tam antiquorum, quàm recentiorum opinatio, hîc peccata, pro sacrificiis sumi, quæ à peccatis expiant, vt paulo antè diximus. Sic Theodoretus in secunda explicatione, Cyrillus, Theophylactus, Albertus, Ribera, & recentiores alij, qui inertiam sacerdotum, & auaritiam accusant, qui beneficium amant, & emolumentum illud, quod est à sacrificiis, & altare, officium tamen, & laborem detrectant, & horrent, de quibus Bernardus optimè *ser. 77. in Cant.* vbi cùm à malis pastoribus dixisset spoliari potius sponsam, quàm ornari, non custodiri, sed perdi, non defendi, sed exponi, non instituti,

tui, ſed proſtitui, non paſci, ſed mactari, ac deuorari gregẽ; addit ex hoc Propheta: *Peccata populi mei comedent; quaſi dicat, peccatorum pretia exigunt, & peccantibus debitam ſollicitudinem non impendunt. Quem dabis mihi de numero præpoſitorum, qui non plus inuigilet ſubditorum vacuandis marſupiis, quàm vitiis extirpandis?* Eſt quidem ſacerdoti comedere peccata perquam dulce, ſi tamen extincta pœnitentia, in eām curam induſtria illius adnitente: quomodò Petro neque noxius, neque inſulſus fuit cibus oblatus in linteo *Actor. 10.* quia non prius ex immundis animantibus, quadrupedibus, & reptilibus iuſſus eſt parare ſibi cibum, quàm illa occideret: *Occide*, inquit Dominus, *& manduca.* At ſi viua deglutiret obſcœna illa, atque noxia animalia, afferrent quidem principio nauſeam, atque faſtidium, deinde mortem. Sic planè contingit his, qui viua comedunt aliorum peccata; quæ non ſecus ac viperini fœtus diſrumpunt viſcera, in quibus fuerant antè concepta. Multa hac de re Patres, quæ longiùs perſequi interpretis negotij non eſt.

Peccata quomodo comedant ſacerdotes.

45. *Et ad iniquitatem eorum ſubleuabunt animas eorum.*] Hæc ad vtramque ſententiam accommodari poſſunt. Primùm ſi cum Hieronymo, atque Gregorio ſentias, & de peccatis propriè ſermonem eſſe ſtatuas, ſẽſus erit nihil aliud illos ſacerdotes ſpectare, aut eò habere intentos animos, vt ſua peccata quotidie augeant; quod ſanè tunc faciunt, cùm aliena peccata faciunt ſua. Tunc autẽ illud *eorum* in vtroque loco reciprocum eſt, & idem valet quod *ſuam*, & *ſuas*. Quòd ſi poſteriorem, magíſque communem opinionem ſequare, & illud *eorum* priori loco non cenſeas eſſe reciprocum, quod magis puto: ſenſus erit, id maximè in votis eſſe ſacerdotibus, vt alij ſæpius peccata committant, ea præſertim, quæ ſacrificiis de more expiari ſolent: quo illis maior inde vtilitas, & quaſi vberior ex eo fundo prouẽtus adueniat. Vt enim medici diſſidia eſſe in vrbe, & contentiones non moleſtè ferunt, quia aliorum vulnera ipſis ſunt pro meſſe, vnde ſibi maxima captant cõpendia. Quod item optat forenſe miniſterium, quod aliorum diſſidiis locupletatur, & alitur. Sic illi peccata, aut fouent, aut excitant, aut ſi quouis alio modo patrentur, ferunt non grauatè. Ita Vatablus, Montanus, Figuerius, & Ribera.

Sacerdotum auaritia.

46. Si iniquitas pro ſacrificio ſumatur expiatorio, quemadmodum de peccato nuper oſtenſum eſt: ſenſus eſt non admodum à ſuperiore diuerſus. Dicuntur enim ſacerdotes ad oblationes illas aſpirare, quibus expiari creditur ab iniquitate populus: quam explicationem Figuerius quibuſdam attribuit Hebræorum magiſtris.

47. Hieronymus, Haymo, Theophylactus, Rupertus, & plures alij vtroque loco *eorum* ad populum referunt, ita vt ſacerdotes populi iniquitates augeant, atque conſignent, dum peccatrices illius animas à metu liberãt, & omnino ſubleuant à grauiſſimo peccatorum onere, quo grauantur. Audi nunc Haymonem, & in eo plures alios. *Dum illi peccatis deſeruirent, ſacerdotes ſubleuabant animas eorum, dicentes: Quoniam populus Dei eſtis, ex genere Abraham deſcendiſtis, propter illius amicitiam parcet vobis Deus, ſi peccaueritis ei.* Theophylactus addit: *Non reprehendebant eos in ſceleribus ſuis tanquam malè agerent; verùm enim animas ipſorum ipſi ad ſe recipiebant ſuper nos dicentes condemnatio. Perinde atque ad Pilatum vociferabantur, ſanguis eius ſuper nos.*

Sacerdotes mali aliis ad peccandum irritamento ſunt.

48. Theodoretus aliter accipit, putat enim ſacerdotibus eſſe pœnas ſubeundas, qui dum molliter, & delicatè viuunt, aliorum ſalutem contempſerunt. Cyrillus hunc putat commodum ſenſum, oportere vt ſacerdotes pro aliorum peccatis ſeipſos offerant Deo. *In tempore,* inquit, *iniquitatum populi videlicet ipſi accipient, id eſt, offerent in ſacrificium, & in odorem ſuauitatis ſpiritualem Deo animas ſuas, probè nimirum conuerſantes, & vitam legibus mirificè conſentaneam traducentes, & quæ ſacerdotibus decora ſunt, cogitare, & facere ſummo ſtudio enitentes. Poteſt enim talis populum, qui in offenſam Dei incurrit, & legem iniquè violauit, in priſtinum locum reſtituere.* Hæc Theodoreti, atque Cyrilli ſententia grauis eſt ad mores; aliæ magis ad literam, quarum mihi probatur maximè, quæ Hieronymo placuit.

Sacerdotes ſeipſos offerũt pro peccatu aliorũ, & quo modo.

Verſ. 9. *Et erit ſicut populus, ſic ſacerdos.*] Similitudinem ſtatuit inter populum, turbámve laicã, & inter ſacerdotes. Hanc verò ſimilitudinem in viuendi ratione, conſiderant Theophylactus *hîc*, & Gregorius *homil. 17. in Euang. & 2. p. Paſtor. cap. 7.* Quaſi eadem ſit in populari, ac ſacerdotali ordine, & morum peruerſitas, & vitæ licentia, cùm vterque non tam religioni, quam genio; non tam legibus, quàm libidini ſtudeat. Alij æqualem fore putant in ſupplicio menſuram, neque alio loco habendum vel apud Deum, vel apud barbarum hoſtem popularem, alio ſacerdotem; ſed vtrique eandem ignominiam, & idem ſubeundum eſſe ſupplicium: quod accidiſſe multo poſtea in duarum tribuum captiuitate docuit Ieremias Thren. cap. 1. v. 4. *Sacerdotes eius gementes, virgines eius ſqualida,* &c. Quod iiſdem omnino prædixit ſub idem tempus Iſaias cap. 24. num. 2. *Ecce Dominus diſſipabit terram, & nudabit eam, & affliget faciem eius, & diſperget habitatores eius. Et erit ſicut populus ſic ſacerdos: & ſicut ſeruus ſic dominus eius.* Ita Hieronymus putat, Theodoretus, Albertus, Lyra, & è recentioribus non pauci. 49

Alij ſimilitudinem eſſe volunt tam in vitæ genere, quàm in ſupplicij modo; omnes enim eaſdem captant voluptates, omnibus in auaritiam, ambitionem, & molliores animi delicias idem amor, ac ſtudium: vt hi adulantur, & fallaci blandimento turbam nimium væſanam, ac credulam ſeducunt, ſic turba illa lactari ſe vult, & captioſa adulatione mulceri. Atque ideo vtrunque genus hominum idem manet exitus, eadem fortuna. Ita tenet Haymo, Dionyſius, & Hugo, quæ placent Figuerio, & quibuſdam Hebræorum magiſtris; & hæc ſententia mihi magis arridet, & quia apta eſt ipſa per ſe, & quia duas alias vel coniungit, vel conciliat. 50

Et viſitabo ſuper eum vias eius: & cogitationes eius reddam ei.] *Viſitare* damnare interdum eſt, & punire, & id planè ſignificat hoc loco. *Viſitare vias,* nihil eſt aliud quàm vitæ inſtitutum, & modum condemnare, hoc enim *via* in Scriptura valet: in via autem opera etiam intelliguntur, quæ ſunt quaſi veſtigia quædam impreſſa viæ. Cogitationes reddere, idem, vt opinor, eſt quod cogitationum fructus, ac merita, iuxta illam regulam quæ actiones ſumit pro effectu, ac meritis actionum. Quomodo iuſtitiæ opus dicitur pax, id eſt, iuſtitiæ merces. Iſai. cap. 32. & Leuit. 19. *Nõ morabitur opus mercenarij tui vſque manè.* id eſt, meritum, ſeu merces operis. Sic Pſal. 127. *Labores manuum tuarum quia manducabis.* id eſt, laboris pretiũ. Sic dicitur Rhetor ex oratione viuere, ex piſcatione piſcator, ex mendacio, atque periurio falſus teſtis, id eſt, ex illarum actionum mercede. Cùm autẽ cogitatio apud Deum inſtar obtineat 51

REGVLA. *Actio pro illius fructu, ſeu effectu.*

Iusta peccatorum regressio.

operationis, illi Deus cōsentaneam referet mercedem. Cogitabat populus ille de acquirendo honore, de congerendis diuitiis, de aliorum cæde, de explendis voluptatibus, ad quas animus aspirabat intemperans: reddet Deus in visitando mercedem, quam cogitatio talis exigebat. Quare ambitioni respondebit ignominia, & sordes; auaritiæ rerum omnium egestas; crudelitati, & cædi, dura, & longa ab hoste barbaro vexatio: denique fames, labor, & vitæ modus, non tam ex suo, quam ex alieno præscripto instituendus.

52. Vers. 10. *Et comedent, & non saturabuntur.*] Hoc est vnum ex his suppliciis, quæ minatur Dominus peccatorum viæ; sacerdotum præsertim, qui aliorum peccatis, id est, sacrificiis peccatorum expiatoriis ad satietatem vsque vescebantur. Quibus in hac Dei visitatione, hostiumque vexatione cibus erit vsqueadeo parcus, vt a cibo famelici recederent. Ita Cyrillus, Albertus, Hugo, & è recentioribus alij. Hæc obscura non sunt; sed vnde fames illa prouenerit nunquam saturata, non ita certum. Nam alicui videri posset ex eo prouenisse, quòd Deus vim abstulit pani, reliquisque cibariis ad alendum, confirmandumque corpus: quomodo nónulli accipiunt illud Isaiæ cap. 3. *Auferet à Ierusalem, & a Iuda omne robur panis, & omne robur aquæ.* Sed ego id potius ex eo prouenire arbitror, quia in seruili statu, in quem postea deuoluti sunt, parce illis, ac duriter ab inclementi hero cibus præbebatur. Neque aliud sibi vult locus, quem ex Isaia proximè citauimus.

Malè quæsita non explent animum.

53. Hieronymus aliter accipit, quē sequitur Haymo; qui illud *comedent* ad culpas referunt, putántque hic insatiabilem quandam ingluuiem ostendi, & sitim peccatorum, ita, vt cùm se totos ingurgitarint in peccata, adhuc tamen aliquid amplius appetant; & cùm ex omni cibo immoderatè comederint, adhuc tamen acuta sit, & integra fames. *Voluptas,* inquit Hieronymus, *insatiabilis est, & quanto magis capitur, tanto plus vtentibus se famem creat. E contrario beati esurientes, & sitientes iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur; sicut iustitia saturat, sic iniquitas substantiam non habens vana comedentes fraude deludit, & vteros deuoratium vacuos derelinquit.*

Cupiditas, & cupiditas insatiabilis.

54. Theodoretus, & Theophylactus de suppliciis accipiunt, quæ comedent, id est, sustinebunt sacerdotes impij, qui tamen non saturabuntur; quia vbi his perfuncti fuerint, alia succedent, atque alia; quæ tamen illis omnia exorbenda sunt. Non secus atque helluones, & voraces, etiamsi multa vorando consumpserint, semper tamen aliquid vorant inexplebili quadam auiditate, quę à corrupta natura, & immoderata quadam intēperie nascitur. Posteriores hæ sententiæ ad mores quidem videntur graues; minus tamen, vt opinor, ad literam.

Continuata peccatorum supplicia.

55. *Fornicati sunt, & non cessauerunt.*] Hoc ex recentioribus nonnulli partem putat esse supplicij, & in fornicatione, concubitum omnem intelligunt, siue cum vxore legitimum, siue cum aliena nefarium. Quasi dicant: Quantumuis illi rei siue vxoriæ, siue meretriciæ dent veneream operam filiorum desiderio; non tamen vlla ex multiplici concubitu orietur proles. Hanc sententiam, aut tenet, aut indicat Chaldæus, qui legit, *nec generabunt filios.* Eodem modo vertunt Pagninus, & Tigurina. Idem tenent Isidorus, & Vatablus, & Montanus: & quidā Hebræorum magistri, quod Figuerio non displicet. Qui tamen hanc dupliciter explicat: primùm ita esse hos sacerdotes deserendos à Deo, vt confecti stupris, ac fornicationibus, siue illæ spirituales sint, siue corporales; non tamen sint a fornicando cessaturi, ita vt vnū peccatum alterius causa, & pœna sit, quod docuit S. Thomas *1.2.q.75. art.4.* deinde eodem quo alij sensu, vt enim priùs dictum fuerat, *comedent, & non saturabuntur*; quia esus ille semper erit famelicus, sic nunc dicitur, *fornicati sunt, & non multiplicabuntur*, quemadmodum recentiores legunt, quia illorum concubitus siue fornicarius, siue legitimus, semper erit sterilis. Aut quia ex illo nulli nascentur liberi; aut quia si quos generari contingat, alij fame, alij gladio, peste alij, omnes denique aliis, atque aliis casibus extinguentur.

Alij verò plerique longè meliùs putant his verbis causam reddi cur sacerdotes isti, aut etiam qui à sacerdotibus decepti sunt, vsqueadeo seuere puniantur; quia his se vitiis impensè tradiderunt; quæ hoc loco singulatim cōmemorat; quia vtroque fornicationis genere, tā propriæ, quàm mysticæ, & olim se contaminauerunt, neque dum seu propriam, seu metaphoricā libidinem expleuerunt. Auctores magis in metaphoricam libidinem inclinant, id est, in idololatriam, quod mihi etiam placet, sed non puto excludendam illam quæ propriè nominatur libido, fornicatio. 56.

Quoniam Dominum dereliquerunt in non custodiendo.] Rationem aliam reddet, vt opinor, non tam vt doceat, cur tam seuerè Dominus à sacerdotibus pœnas exquisierit (quamquam id quoque obliquè significet) quàm vnde prouenerit immensa illa siue luxuries, siue libidinandi rabies, quæ in vtrunque fornicationis genus præcipites rapuit insanos amatores: qui sic obstinarunt animos, vt exhausto libidinando corpore pariter, atque animo, diuelli tamen a turpi illa voluptate non possint. Id verò ex eo prouenisse dicit; quia & Deo, & illius legi inuerecundam dixere, longámque salutem, & aut alias sibi præstituerunt leges, aut ab aliis præscriptas amplexi sunt. 57.

Vers. 11. *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.*] Nemo videbatur futurus, in quo aliquid esset consilij, ac mentis, qui Dominum desereret, & diuinas leges cum impiis hominum, ac dæmonum deliciis commutaret. Reddit ergo Dominus causam, cur sacerdotes illi à se suarúmque legum obseruatione defecerint; quia videlicet excordes sunt, & amentes, quam etiam rationem reddidit *Deut. cap. 32.* cùm enim dixisset v. 21. *Ipsi me prouocauerunt in eo, qui non erat Deus.* subdidit v. 28. *Gens absque consilio est, & sine prudentia: vtinam saperent, & intelligerent,* illam porrò siue væcordiam, siue insaniam fornicatio innexit, quæ non aliter mentis vires quatit, & euertit, quam vinum, & ebrietas; quæ vbi hominem primùm occupauit, illum à mentis statu, atque constantia depellit. Hîc autem subaudiri puto similitudinis formam, quod apud Hebræos passim occurrit. *Sicut vinum, & ebrietas auferunt cor, sic etiam fornicatio.* 58.

Fornicatio, vt dixi, hoc loco præcipuè sumitur pro idololatria, per quam delusus homo a vera religione deficiens, totum se consecrat, & impendit alienæ: quæ vt aufert totum hominem, sic etiam necesse est, vt auferat cor: seu potiùs, quia cor aufert, totum sibi aufert, & vindicat hominem. Sed præstat hoc idem illa, quæ propriè fornicatio dicitur: de qua multa Patres in hoc Oseę, opinor, testimonium intenti, qui cæcum vocant, insipientem, insanum, & furiosum illum, cuius animum occupauit libido. Habemus in Scriptura ea de re præclara testimonia, duo tantùm 59.

Libido homines cæcos reddit, & amentes.

dum adducam, vbi senibus, in quibus maior solet esse prudentia, sublatum esse dicitur cor; & quos vere, si rem ipsam attente consideres, excordes voces. Vide quid de Salomone prorsus excorde Scriptura tradat 3. Reg. cap. 11. *Auerterunt mulieres cor eius,* & iterum, *deprauatum est cor eius per mulieres.* Hoc autem est auferre, aut excæcare cor. Clarius Daniel *cap.13. v.56.* ad senem iudicem qui Susannæ pudori insidiatus fuerat: *Species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum.* Quemadmodum vinum & ebrietas hominum mentem à suo statu deturbet, vt nihil sanum cogitare sinat, quotidie videmus: non sine magna ebriorum infamia, & puerorum risu.

60. Vers. 12. *Populus meus in ligno suo interrogauit, & baculus eius annunciauit ei.*] Hic iam ostenditur quomodo ablatum cor fuerit populo; qui mysticæ maximè fornicationis arguitur. Qui enim cordatus videri possit, qui lignô supplicat, qui à baculo, & trunco oraculum petit? Ideo sanè auersum dicitur Salomonis cor, & deprauatum; quia defecit à Domino, & idola sibi fabrefecit, & coluit; quæ mulieribus illis alienigenis, quos adamarat, esse vidit in honore, ac pretio. Hic, vt bene Ribera, in illo *meus* exaggeratio est criminis, atque væcordiæ. Si enim alienus populus idola consuleret, non foret adeò admiratione, aut reprehensione dignum, cùm neque veri Dei tam clara accepisset documenta, & signa; neque tot esset ornatus beneficiis. At populum, quem Dominus appellauit suum, de quo tam sæpè, tam amanter, tam luculenter meritus, ad alienos deos, à quibus aliquid neque accepisset, neque sperare posset, defecisse monstri instar est, & irrationalis naturæ quædam forma.

61. Lignum hoc loco simulacrum est è ligno dolatum, sumitur autem generatim pro idolo è quacunque fuerit materia compositum. Interrogare in ligno nihil est aliud quàm in rebus incertis illud consulere, & ab inanimata natura, quæ rationis est expers, atque consilij, consilium exigere; quo quid amentius? Fuerunt autem inter Gentes plurimæ diuinandi formæ, ita vt nihil ferme sit in rebus, ex quo non captetur à populis superstitione delusis diuinatio. Qua de re multa Cicero *in libris de diuinatione*, Cœlius Rhodig. *lib. 7. cap. 19.* Inter alia verò diuinationis genera numeratur illud quod à Græcis dicitur ῥαβδομαντεία, quæ Latinè idem est, quod diuinatio per virgam, seu baculum, quo in diuinando instrumento vtebantur; id enim valet *in ligno.* ב etenim apud Hebræos signum est instrumenti. Talis erat auguralis lituus, qui genus quoddam erat baculi, pastorali similis, de quo sic Cicero lib. 1. Diuin. *Lituus erat incuruum, & leniter à summo inflexum bacillum;* cuius figuram in antiquis

Varia diuinandi ratio per lignum & virgam.

62. nummis quotidie videmus. Fuerunt præterea alia virgarum, seu baculorum genera, quæ ex augurali, aut diuinatorio ritu varia inclinatione, ac motu; ac multiplici casu multiplices etiam euentus portendere putabantur, quale diuinandi genus adhibuisse videtur Nabuchodonosor Ezech. c.21. v.21. *Stetit,* inquit, *rex Babylonis in biuio, in capite duarum viarum diuinationem quærens, commiscens sagittas, interrogauit idola, exta consuluit.* Quod in sagittis, quæ virgæ quædam sunt, fecit Nabuchodonosor, & in baculis alios fecisse verisimile est. Quomodò verò Nabuchodonosor per sagittas diuinationem captasse videatur, diximus in nostris commentariis ad illum Ezechielis locum.

A *Spiritus enim fornicationum decepit eos, & fornicati sunt à Deo suo.*] Fornicatio seu propriè, seu metaphoricè sumas, homines facit non solùm sceleratos, & impios, sed etiam excordes & amentes. 63.

Spiritus hoc loco vis quædam interna est, quæ homines interiùs impellit, & exagitat, qui communiter impulsus, & motus appellari solet. Qui, si ad vitium inclinat, furor dicitur, & dira libido, quia ardor ille animi, qui ad vitium rapit, quia à ratione, aut à consilio prudenti non est, habenis non cohibetur; atque ideo vt ipse præceps, atque furiosus est; sic etiam præcipites homines agit in furorem. Sic Virgilius Æneid. 9. de Turno.

Spiritus varia significatio.

B *Sed furor ardentem, cædisque insana cupido*
Egit in aduersos.

Sic ardor, quo quis afficitur in alterum, siue cùm illum vehementer amat, & ad insaniam vsque furit, & æstuat, spiritus vocatur, qualis est libido, aut zelotypia, quæ hominem concerpit, & vrit: aut cùm graui inflamatur ira, & ad vindictam rapitur. Sic stultus dicitur *Prou.* 29. non posse continere spiritum suum, sed statim proferre; quia omnes animi sui impetus statim manifestat. Spiritus igitur fornicationis, si de fornicatione propria sermo sit, ille est, quo æstuat animus & ad Veneris intemperantiam prurit. Si de alia fornicatione spirituali, spiritus fornicationum erit; aut dæmon ipse, qui intus exagitat hominem, rapitque ad nefarium, & insanum cultum, aut affectus alius, qui illi zelo, ac pietati ex aduerso respondet, quo pius animus ad Dei amorem fouendum in sese; & in aliis excitandum afficitur. Eo spiritu homo sic furit, & insanit, vt lignum adoret, baculum consulat, & eius oraculis adhærendum putet. Quod verò hæc de spirituali fornicatione intelligenda sint, probat quod statim additur, *& fornicati sunt à Deo suo.* id est, fornicando recesserunt à Deo, nempe idololatrãdo: quomodo sponsa à viro suo recedit, cùm adhæret adultero illius libidini prostituẽdo corpus. Illud *&* ante *fornicati*, non tam coniunctiua particula, quàm rationalis est.

64. Spiritus fornicationis quid.

C

D Vers. 13. *Super capita montium sacrificabant, & super colles accendebant thymiama.*] Solebant Gentes aras in prealtis montium fastigiis extruere, & in locis quos arborum tum vmbra diffusior, tum lætior amœnitas opacaret. Quare cùm de Gentilium religione, atque sacrificio sermo est, sæpe montium occurrit, & lucorum nomen. Quæ expressit Deus Deut. cap. 12. *Subuertite omnia loca, in quibus coluerunt Gentes, quas possessuri estis Deos, super montes excelsos, & colles, & subter omne lignum frondosum.* Hæc sæpe occurrent apud Prophetas Ierem. 2. v. 20. *In omni colle sublimi, & sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix.* Idẽ repetit *cap. 3. v. 6.* Vnde sæpe audimus ab impiis 65

E regibus ædificari excelsa, & dari vitio piis alioqui regibus, quod excelsa non fuerint demoliti. Sane iuxta ciuitates lucos esse, & ibi templa consecrata dæmoni, docet Plutarchus in quæstionibus centuriatis Romanorum. Cur verò extra ciuitates in densis obscurisque nemoribus sacra fierent dæmoni, & ibi excitata impia delubra, ea videtur esse ratio, quia solitaria templa, & locus nemorosus, & solus commoda sunt diuerticula libidinum. Ita indicat Philo *lib. 2. de Monarchia,* parum à principio, vbi docet, cur intra templi ambitum lucus nullus sit, & inter alias causas hanc etiam addit, quia syluarum condensa maleficis conueniunt; & latebræ sunt insidiis oppor- 66.

Dæmon ad siluestria loca eligit opportuna libidini.

 tune

tunæ. Et addere posset apertiùs, quia ibi tum vitæ, tum pudori parari possent tam à sanguinariis, quam à lenonibus, & scortatoribus insidiæ.

67. Sanè Deorum templa prostibula quædam esse, neque magis esse pura, quàm meretricius fornix, ipsi docent sacrorum mystæ, & idolorum cultores, qua de re Iuuenalis *Satyr.* 9. ad hominem profligatæ libidinis, quique illius explendæ gratia deorum templa quasi publica lupanaria obire consueuerat, scribit, Isidis, Cereris, Cybeles, & Pacis templa scortatoribus esse, & Pathicis plena; quod de templis aliis, quantumuis illa Gentes religiosa putent, dicere potuisset. Sic autem ibi Iuuenalis.

Gentilium templa libidinum diuerticula.

Nuper enim, vt repeto, fanum Isidis, & Ganimedem,
Pacis, & aduecta secreta palatia matris,
Et Cererem (nam quo non prostat fœmina templo?)
Notior Aufidio mœchio celebrare solebas.

68. Thymiama commune nomen est, & significat quidquid additum prunis odorem ex se gratum aspirat, quod aroma posset, seu suffimentum appellari, à verbo θύω, à quo deriuatur thus, quod item à Græcis vocatur libanus: quia cùm inter aromata primum obtineat locum, generis nomen, sicut alia pleraque sibi vendicauit. Quemadmodum apud Latinos communi vocabulo appellatur *incensum*, quia inter illa aromata, quæ incenduntur, gratiùs aspirat.

69. *Subter quercum, & populum, & terebinthum, quia bona erat vmbra eius.*] Incertum est, quænam sint hæ plantæ, quas non eodem modo conuertunt interpretes, sicut alia plurima. Illud est certum arbores esse patulis ramis diffusas, & ad opacandum locum opportunas, alij cum vulgato vertunt, *quercum, populum, terebinthum*: alij *pinum, castaneam, quercum*: alij *vlmum, platanum, quercum*. Biblia Hispanica ab Hebræis iam pridem conuersa, *Al cornoque, castano, encina.* Sanè res est obscura, vbi noster *quercus*, Heb. est אלון *alon*, quam modò *pinum*, modò *castaneam*, modò *quercum* reddiderunt interpretes. Chaldæus adhibuit בלוט *belot*, vnde Hispani illius arboris fructus, id est, glandes *bellotas* appellant. Huius arboris vmbra non videtur inamœna fuisse, maximè in Palæstina, quando Isaias *cap.* 1. *v.* 30. populum felicem, & splendidum, cum quercu frondosa; deinde ab ea fortuna lapsum, & miserum, cum eadem comparat, à qua frondes vtrique pulchræ defluxerunt: *Erubescetis*, inquit, *super hortis, quos elegeratis, cùm fueritis velut quercus, defluentibus folijs, & velut hortus absque aqua.* Ab hac quercus vmbra opportuna, & læta felicitatē describit Maro Tityri, quem lentum requiescere inducit sub quercus, seu ilicis vmbra; quam eo loco fagum appellat; ἀπὸ τοῦ φαγεῖν, quia homines olim glande vescebantur, sicut etiam à Latinis ob eandem causam æsculus vocatur, ab æsca: vbi vulgatus *populus*, Heb. est לבנה *libne*, quod album sonat, quod LXX. conuertere, λεύκη; quare si populus est, erit sanè illa quæ *alba* dicitur: nam esse populum albam, & nigram, nemo dubitat. Albæ autem lætæ sunt, & gratas diffundunt, & patentes vmbras, vnde Maro secutus, opinor, rerum naturam, sub arboris illius vmbram amicum inuitat, quasi ad ruris delicias. Sic autem ille eclog. 9.

Vox Hispanica bellota vnde deducta.

Hic ver purpureum varios hic flumina circum
Fundit humus flores: hic candida populus antro
Imminet, & lenta texunt vmbracula vites.

Vbi vulgatus *terebinthum*, Heb. est אלה *elah*, quod etiam variè redditur. Est autem in Syria arbor magna, vt tradit Plinius *lib.* 13. *cap.* 6. Quare, etsi alibi sit neque ita procera, ac patula; tamen in Syria, ad quam pertinet Palæstina, optimè laudatur illius vmbra, quæ perpetua est, quia, vt auctor est Plinius *lib.* 16. *cap.* 21. nunquam à frondium suarum vestitu, atque virore nudatur.

Ideo fornicabuntur filiæ vestræ, & sponsæ vestræ adulteræ erunt.] Quidam hìc adulterium intelligunt carnale; spirituale, id est, idololatriam alij: alij vtrunque, & id magis placet, tam in parentibus, qui vtrique se fornicationi implicuerunt; quàm in vxoribus, ac filiabus, quæ parentum exemplum secutæ iisdem se sordibus fœdarunt. Existimo tamē, quod ad parentes attinet, de spirituali fornicatione sermonem esse præcipuum; quod verò ad vxores & filios attinet, de carnali. Id verò apertè docent aliqui, & alij obscuriùs indicant, cùm docent ideo permissurum Deum, vt relictis viris vxores adulterorum libidini succumbant, & filiæ alienorum se petulantiæ prostituant, vt ex eo discant parentes, quibus in seruanda filiorum pudicitia vigilandum est, & sponsi zelotypi, quis domino fuerit sensus, quando ipsi idolorum religionem, quasi torum adulterinum amplexati, torum quem seruare debuerunt immaculatum, prodiderunt, & à legitimo diuulsi complexu, in alienum se sinum transtulerunt. Tunc autem fœminæ illæ meretricatæ videntur fuisse liberiùs, cùm parentes, aut coniuges secedebant in lucos, syluásque condensas, aut ad excelsa montium fastigia enitebantur. Tūc enim cùm solitudo, & sublata custodia blāda sit conciliatrix turpitudinis, cùm testis absit, cuius oculos non verearis, & aditū aperiat aliorum licentiæ; quando viri essent spirituali fornicationi syluis intenti, filiæ, atque vxores domi corporali se fornicatione, & coniugale cubile polluebant. 70.

Vers. 14. *Non visitabo super filias vestras, cùm fuerint fornicatæ, & super sponsas vestras, cùm adulterauerint.*] Graue hoc supplicium est tā in parentibus, & maritis, si illorum vxores, ac filiæ viris adhæserint alienis, quàm in filiabus, & vxoribus, & in his multo grauius, si illas Deus sine metu, ac liberè libidinari permittat: vrit enim vehementer parentes, si modò in illis aliquid est honoris ingenui, inuerecunda filiarum petulantia, atque oppressus pudor; & viros violata coniugis fides, & zelotypiæ dolor. Sed est longè grauius supplicium, quod subeunt meretricatæ fœminæ, cùm illarum insaniam adactis stimulis non cohibet Deus: imò, vt docent frequentes Patres, nullum est offensi animi documētum maius, quàm quòd hominum scelera videantur impunita. Tūc enim derelictus homo existimatur à Deo, sicut æger à medico, quando de illius salute desperatur: vt enim cùm eo in statu fuerit ægrotus, vt neque illi medicus potionem porrigat amaram, aut à ferro, atque cauterio abstineat, & quiduis illi pro suo arbitratu sumere permittat; sic quando Deus suæ quęque voluntati permittit, magnum hostilis animi documentum præbet. 71.

Graue supplicium impunita relinquere peccata.

Quia locus iste illustris est, & ad morum disciplinam egregius, libet hìc, quid ea de re senserint, dixerintque Patres, paucis ostendere. Hieronymus sic in hunc locum: *Quando videris peccatorem diuitiis affluere, iactare se potentia, sanitate gaudere, delectari coniuge, corona circundari liberorum, & impleri illud, quod scriptum est, in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur; dicito in illo* 72.

commi

comminationem Prophetæ esse completam. Non visitabo super filias vestras,&c. Idem in illud Ezechielis cap. 7. *Non parcet oculus meus, neque miserebor. Clementissimus medicus incidere cupiens putridas carnes, & cariosa vulnera adurere cauterio, non parcit, vt parcat; non miseretur, vt magis misereatur. Percutit autem Dominus quem diligit, & castigat omnem filium, quem recipit. Et deinde tale quid & per Amos loquitur Deus: Quoniam vos cognoui de vniuersis tribubus terræ, idcirco vlciscar super vos omnia peccata vestra.* Gregor. homil. 12. in Ezech. *Peccantes quosque tunc cõsideremus ampliùs miseros, quando eos conspicimus in culpa sua sine flagello derelictos. Vnde Prou. 1. Auersio paruulorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet illos. Qui enim à Deo auertitur, & prosperatur, tanto perditioni fit proximus, quanto à zelo disciplinæ inuenitur alienus.* Tractat hęc latè, & luculenter Origenes *homil. 8. in c. 20. Exodi*, vbi post alia plurima dicit: *Vide misericordiã, & pietatem boni Dei, quando vult misereri, & indignari se dicit, & irasci; sicut per Ieremiam dicit, dolore, & flagello castigaberis Ierusalem, vt ne abscedat anima mea abs te. Hæc, si intelligis, miserentis Dei vox est, vbi irascitur, & zelatur, vbi adhibet dolores, & verbera: flagellat enim omnem filium, quem recipit. Vis autem audire indignantis Dei terribilem vocem? Audi quod dicit per Prophetam. Cùm enumerasset multa nefanda, quæ commiserat populus, addit etiam hæc: Et propter hoc non visitabo super filias vestras, cùm fornicantur, neque super nurus vestras, cùm mœchantur. Hoc est terribile, hoc extremum, cùm iam non corripimur pro peccatis, cùm iam non corrigimur delinquentes. Tunc enim cùm excesserimus peccandi modum, Deus Zelans auertit à nobis zelum suum.* Vide quid in nostris commentariis in Ieremiam diximus ad illud cap. 6. *Erudire Ierusalem, ne fortè recedat anima mea à te.*

73. *Quoniam ipsi cum meretricibus conuersabantur.*] Ostendit vnde filiabus, & vxoribus, tanta concessa fornicandi, atque adulterandi licentia, quia in parentibus, atque coniugibus habuerunt, quod in seipsis exemplar exprimerent. Hæc porrò non solùm de spirituali, sed etiam de carnali fornicatione interpretor: quia, vt nuper dicebamus, luci, & templa non tam religionis erant, quàm libidinum diuerticula. Conuersari autem cum meretricibus aliquid aliud indicat, quam quod vox ipsa sonat; Scriptura namque sacra modestè solet res admodum obscœnas verbis non obscœnis obuoluere, quomodo *Danielis cap. 13. v. 57.* fœminæ Israelitides dicebantur cum senibus loqui, vbi significantur illorum libidini supposuisse corpus. Imò & Latini per *consuetudinem* veneream exprimunt intemperantiam. Quid ergo mirum, si cum viris publicè in religiosis locis cum meretricibus corpora commisceant, idem etiam audeant in occulto fœminæ, quarum minor est constantia, neque minor in Venerem ardor, & pronitas.

74. *Et cum effœminatis sacrificabant.*] Si ad sacrificium, & templa cum scortis simul & effœminatis accedebant, non est difficile coniectare qualis futurus fuerit illarum concursationum finis, quale consilium: nẽpe, quod fornicationum spiritus suggerebat. Pro *effœminatis*, Heb. est. קדשות *kedasoth*, quod generis est fœminei: nihilominus omnes præter Symmachum, qui reddidit ἑταίρας, id est, *meretrices*, in fœmineo genere, in genere masculino interpretantur; licèt non omnes eodem modo. Quòd verò hi viri genus sibi nunc fœmineũ assumant, non est inusitatum, aut nouũ. Cùm enim vir muliebres gerit spiritus, id est, ignauos, & timidos; cùm muliebria patitur, me-

REGVLA. Cùm vir aliquid agit muliebre, fœmineum illi tribuitur aut genus, aut nomen.

A ditatur, & cogitat, mulierum illi tribuitur, aut genus, aut nomen. Vnum Isaiæ cap. 3. duo nobis suppeditat exempla v. 4. *Dabo pueros Principes eorum: & effœminati dominabuntur eis.* & v. 12. *Mulieres dominatæ sunt eis.* Vide quid in priorem Isaiæ locum Hieronymus. Sic Numanus apud Virgil. *lib. 9.* vbi ignauia, & luxus planè muliebris Troianis obiicitur.

Vobis picta croco, & fulgenti murice vestis:
Desidiæ cordi, iuuat indulgere choreis.
Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.
O verè Phrygiæ, neque enim Phryges.

Quod sumpsit ex Homero apud quem nõ semel inuenitur Ἀχαιΐδες, οὐκ ἔτι Ἀχαιοί, id est, *Achaides*
B *fœminæ, non viri Achæi.*

Hos ergo viros effœminatos, seu veriùs fœminas vocat; quia quæ illæ minus turpiter, ipsi turpissimè patiuntur. Aquila conuertit ἐνηλλαγμένους, id est, *commutatos*: quod nempe desierint esse viri, & se in naturam quodammodo fœmineam mutauerint. Hæc expositio proximè ad vulgatã accedit, quæ reddidit *effœminatos*. Theodotio κεχωρισμένους, id est, *separatos*, ideo fortasse, quia vitam agebant separatam ab aliis, vel loco, vel instituto, & ordine, quia nempe consecrati erant impiæ religioni, & ideo à profana turba segregati. Huc spectare videtur textus Hebraicus, qui habet קדשות id est, *sanctificatos*, & Græcus
C ex Septuaginta, qui legit τετελεσμένων, id est, *consecratos*, seu *initiatos*. 75.

Ex hac extrema translatione odorari videor in quibusdam Gentilium templis esse prostibula, in quibus aut viri, aut fœminæ dæmonis nefario cultui consecratæ, ex prostituti corporis impurissimo quæstu aut victimas parabant immolari solitas, aut in necessarios templi sumptus necessaria conferebant. Cuius rei in sacris literis aliquod habemus non obscurum indicium, *Baruch cap. 6.* vbi turpis indicatur quæstus à venali pudore in Deorum cultum, de quo Herodotus pluribus *lib. 1.* Deinde cùm Gentium ritu Iudæorum esset regio tota polluta, prostibula in ea
D fuisse effœminatorum, & fœminarum, quæ corporis nefarium vsum idolis consecrarant, constat ex *lib. 3. Reg. cap. 15. v. 12.* vbi sic de Asa rege Iuda, *Abstulit effœminatos de terra, purgauitque vniuersas sordes idolorum, quæ fecerant patres eius. Insuper, & Maacham matrem suam amouit, ne esset princeps in sacris Priapi, & in luco eius quem consecrauerat: subuertitque specum eius, & confregit simulacrum turpissimum.* Neque templum ipsum Hierosolymitanum, quo tempore à Gentibus occupatum, ac profanatum est, caruit hac ignominia: in illo enim publicæ prostabant meretrices, & pro pueris meritoriis, & pathicis certæ excitabantur ædiculæ. De fœminis aliorum libidini
E venalibus habes lib. 2. Machab. cap. 6. v. 4. *Templum luxuria, & comessationibus Gentium erat plenum, & scortantium cum meretricibus: sacratisque ædibus mulieres se vltro ingerebant, intrò ferentes ea, quæ non licebat.* De prostitutis pueris, qui hoc loco effœminati vocantur, est illud eiusdem libri cap. 4. v. 22. *Ausus est* (Iason) *sub ipsa arce gymnasium constituere, & optimos quosque ephæborum in lupanaribus ponere.* Erat autem arx adiuncta templo, illa nempe quæ prius Baris, deinde Antoniana vocata fuit. Porrò ante illud tempus lucum fuisse in templo, & effœminatorum fornices, habemus ex *lib. 4. Reg. cap. 23. v. 6.* vbi sic de Iosia. *Et efferri iussit lucum de domo Domini foras Ierusalem,* &c. *destruxit quoque ædiculas effœminatorum, quæ erant in domo Domini.*

76. *Gentilium templa meretricum, & cynædorum prostibula*

In Scri[illegible] aliquando meretrices, & pathici.

Quid

77. Quòd in Gentilium templis effœminatorum esset, aut fœminarum prostitutus pudor, ex Gentilibus docet Herodotus *lib. 1. de Babylonus*, sanè in templo Veneris Ericinæ fuisse fœminas Veneri consecratas, quæ Venereæ dicebantur, testis est Tullius, & Albertus Magnus idem hoc ipsô loco refert ex Hieronymo (tametsi ego apud illum non inuenio.) *Scenicæ*, inquit, *meretricula nuda currebant circa templum Veneris, & moniales Veneris funibus sedebant colligata, omnium exposita libidini.* Non valde dissimilia his docet hìc Hieronymus, dum ait קדשות *kedascth* esse meretrices, quæ Priapo sacerdotale ministerium obibant: quod autem fuerit illud ministerium ex Priapi instituto, ac nomine coniectare difficile non est.

Scorta fœminea & mascula diis Gētium consecrata.

78. *Et populus non intelligens vapulabit.*] Montanus hæc cum interrogatione legenda putat; aut certe exponenda ironice. Quasi dicat Deus, numquid impunitos relinquam parentum, ac maritorum tam fœdos incestósque concubitus? & siquid in eo genere peccatum est a fœminis, in quibus minus est resistendum virium, minus ad deliberandum consilij, ignominioso, capitalique supplicio mulctabo? Sacerdotum peccata, in quibus esse debet legis intelligentia, impunitatem consequentur; & muliercularū, quas illorum inuitauit exemplum, capitalis censura damnabit? Hæc sententia mihi non videtur improbanda; notum est enim quàm seuerè Dominus statuerit de sacerdotum filia Leuit. 21. v. 9. *Sacerdotis filia, si deprehensa fuerit in stupro, & violauerit nomen patris sui, flammis exuretur.* Neque leue supplicium decretum est in omne fœminarum genus, & ordinem, si aut parentum nomen fornicando, aut coniugalem torum adulterando fœdauerint. De virginibus, quocumque illæ fuerint parente natæ, sic *Deuter. cap. 22.* decernitur. *Si verè fuit ei obiectum, quòd virginitas in ea non sit inuenta, eiicient eam extra fores domus patris sui, & lapidibus obruent illam viri ciuitatis illius, & morietur.* Idem de vxoris adulterio iudicium *Leuit. 20. v. 10.* fortasse parentes, aut mariti agi postulabant lege aut in fornicarias filias, aut in adulteras vxores, vt aspersam suæ familiæ maculam eluerent. Quibus respondisse videtur Dominus, iniqua illorum exigere, cùm non minus ipsi grauiter peccassent, & tamen vellent impunitum suum esse peccatum, cùm viris adulteris eadem esset a lege seueritas; & qui cum effœminatis nefario concubitu corpora miscuerint, occidi iubeantur, *Leuit. 20. v. 13.* Quomodo siquis Iudæ, qui ad nurum suam, quam scortum esse existimarat, accessisset, quo tempore dixit Genes. cap. 38. v. 24. *Producite eam, vt comburatur*; obiiceret: Quis pudor ô Iuda? iubere fœminam igne comburi, cùm in eodem tu scelere, ac damnatione fueris.

Graue filiabus decretū supplicium violati pudoris.

79. Est quidem hæc sententia mihi non difficilis; feror tamen in illam libentiùs, quæ hæc de toto populo interpretatur, minatúrque plagas, quas verbum *vapulo* secum importat, captiuitatem nempe, ac seruitutem, vt cum Hieronymo existimarunt alij, & quæ à seruitute abesse non solent infortunia. Dicitur porrò populus non intelligens, quia scientia illa caruit, de qua suprà, nempe acti, efficaci, & practica, quæ mores componit, acuit ignauos, effrænes cohibet ac præcipites, quam quia non habuit Iudæorum populus, abiisse dicitur in exilium, & nobiles eius à fame, & siti fuisse confectos, *Isaiæ cap. 5. v. 13.* vbi vulgatus *vapulabit*, Heb. est ילבט *ilabet*; quod alij vertunt, *corruit, peribit, iaBabitur*, quæ omnia parum a Hieronymi translatione dissentiunt.

80. Longe aliter L X X. vt notauit Hieronymus, vertunt. *Adhærebat meretrici.* Quòd si id probas, maximum habent ex hoc loco sacerdotes, & qui aliis prælucere debent morum honestate, documentum: ideo enim populus non intelligens adhæsisse dicitur meretrici, quia meretricatos vidit sacerdotes, & meretricia lustra impudenter obiisse, neque existimabat sibi fore dedecori, quod literatos, ac sacros homines suô exemplo probare, certe non horrere intuebatur. De hac re multa, & grauiter Patres; & externi Philosophi, qua de re nos in Isaiam *cap. 5. num. 50.* & in Ieremiam *cap. 23. num. 22.*

Perniciosū sacerdotum publicum peccatum.

81. Vers. 15. *Si fornicaris tu Israel, non delinquas saltem Iuda.*] Hinc ego colligebam suprà illa crimina decem tantum tribubus obiecta fuisse, quando ab illarum in illa impuritate consortio duas alias tribus secernere videtur Propheta. Video rationem hanc non esse eiusmodi, vt in illam cogitationem omnino cogat, quia commodus ille sensus videbatur: si Propheta ad duas tribus conuersus dicat, vt exorari se sinant; & quando decem aliæ sic in peccatis obduruerunt, vt de illarum meliore fruge spes nulla sit: ipsæ tamen dent tandem veritati manus, & Deo, à quo abiisse videbantur, ceruicem iterum summittant. Sed sanè leuis cōiectura non est, quæ ex hoc loco sumitur; qui alteram Israelitici generis partē ab altera secernit. Videtur autem à duabus tribubus contendere Propheta: vt quando decem aliæ diuinam legem, & Dei veri, atque paterni nomen prodiderunt, illud constanter tueantur, ne prorsus ab Israelitica familia excidat vera religio, quam illius generis parentes, & principes amplexi sunt. Hæc magis videtur expedita, & aliorum ferme omnium magis consentanea sententia.

82. Ribera, quem Figuerius sequitur, querelam esse putat Domini contra Iudæos; quod cùm plura illius liberalitati, atque indulgentiæ debeant, non minus tamen quàm decem aliæ tribus effusè peccauerunt. Quasi dicat Deus: Non tam ægrè fero, ô Iuda, quòd à me defecerit Israel, cùm templo careat, & illis sacrificiis, ac cæremoniis, quæ quotidie antiquorum beneficiorum memoriam excitant; & vitulos habeat aureos, & externa impiæ religionis monumenta; id verò non possum quin molestè feram, cùm tot ornata beneficiis, inter tot paternæ curæ, atque amoris signa, studium tuum à me ad idola trāstuleris. Quod dixisse item videtur ad exaggerandū ingrati animi grande piaculum. Psal. 54. v. 13. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique: & si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscōdissem me forsitan ab eo. Tu verò vnanimis dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu*, &c. Est quidem explicatio ad mores opportuna, & querela grauis contra sacerdotes, religiosos & eos, quos sacro titulo, ac nomine indigetat Deus, quibus cum agit familiariùs, quos è sacrario alit, quorum honori, ac commodis consultum esse vult. Quibus quotidie, nisi ad diuinas voces obsurduerunt, à Domino dicitur, si fornicatur turba illiterata, & rudis, tu quem sacræ instruunt disciplinæ, cuius aures sacris quotidie resonant oraculis; ne fornicēris. Si fornicatur, qui sæculo seruit, & regum aulis assiduus est, & indè compendia captat, quasi legitima, tu qui adesse mihi debet

Grauiter fert Deus ab illis contemni, quos pluribus ornauit beneficiis.

debes, & à me maiora, quàm ille à regibus, ſtipendia ſperas, fornicari noli, id eſt, ſtudia mihi debita ad alios tranſcribere. Sed quòd hæc explicatio non ſit ad literam, facile ex ſequentibus intelligitur.

In Galgalis idola conſtituta.

83. *Et nolite ingredi in Galgala, & ne aſcendatis in Bethauen.*] Cur a Galgalis deterreat Dominus Iudæos, docet Hieronymus hoc locó, neque aliquid video in re dubia, quid minus incertum afferri poſſit. Quid ſint Galgala, dixit in locis Hebraicis Hieronymus, vbi ſummatim colligit quidquid præcipuè de illis in Scriptura traditur. Nempe eſſe propè Iordanem, neque longè à Iericho, vbi primum in terra promiſſionis celebratum paſcha, & facta ſecunda circumciſio; vbi cùm e fructibus terræ alimenta ſuppeterent, defecit Manna, vbi Saul vnctus, vbi diu ſtetit tabernaculum. Hæc ibi Hieronymus. Hoc tamen locó docet cur ſibi Iudæi à Galgalis cauere debeant. Cùm enim locus ille religioſus haberetur, & celebris, illi quoque alienæ atque aduerſæ religionis error inoleuit. Diabolus namque excelſa appetit, & in locis aliquando ſacris coli deſiderat, & quaſi aliquid in ſe numinis habeat, ad illum locum aſpirat, vbi vero aliquando numini diuini ſunt honores exhibiti. In eo ergò loco vbi quondam celebratum paſcha, & ſedes aliquandiu tabernaculo cõſtituta, aræ excitatæ ſunt, & ibi ſimulacra poſita ad quæ voti, ac religionis gratia concurſationes fiebant ab his, qui vera religione prodita, falſam ſunt amplexati. Quod docuit non obſcurè Oſeas cap. 9. *Omnes nequitiæ eorum in Galgala, quia ibi exoſos habui eos.* Sumuntur, opinor, hoc loco per ſynecdochen Galgala, pro lucis, ac montibus, ac aliis quibuſcunque locis, vbi conſpicerentur nefariæ religionis impia ſacraria, à quibus Dominus arcet Iudæos ne ad decem tribuum exemplar impias aras victiſſimis imbuant ſceleratis.

Bethauen quid.

84. *Et ne aſcendatis in Bethauen.*] An Bethauen proprium fuerit, vel appellatiuum, ſeu commune nomen, incertum eſt. Hieronymus idem eſſe putauit, quod Bethel, quæ cùm priùs ita vocaretur à Iacob, id eſt, *domus Dei*, poſtea tamen, quia ibi excitatum eſt idolum, id eſt, aureus vitulus à Ieroboam, commutato nomine dicta eſt Bethauen, quod nomen L X X. reddiderunt οἶκος ὤν, id eſt, *domum iniquitatis.* Aquila, & Symmachus οἶκον ἀνωφελῆ, id eſt, *domum inutilem.* Theodotio οἶκον ἀδικίας, *domum iniquitatis.* Quæ tranſlationes aliquid oſtendunt commune. Et quidem ante tempus, in quo vitulos aureos conflauit Ieroboam, iam audiebatur in Scriptura ſacra nomen Bethauen, vt *Ioſue cap. 7. cap.* 10. & 18. Ex his mihi videbatur Bethauen nomen eſſe commune: & cùm ab ea deterrentur Iudæi, ab his locis arceri, vbi ſedes eſſet, & quaſi ſacrarium religionis impiæ. Quaſi dicat Deus, nolite adire loca, quæcunque illa ſint, vbi luci ſunt, & idolorum aræ.

REGVLA. Loca ab euentibus nominata.

85. Veruntamen placet, quod viſum eſt Hieronymo, Bethauen vocari ciuitatem illam, quam antea Iacob nominarat Bethel, ex quo ibi aureus vitulus dedicatus eſt. Eſt enim vſitatum tum alibi, tum maximè in Scriptura ſacra, vt loca ab euentu aliquo illuſtri, ac noto nomen ſubinde aliud, atque aliud ſumant; ab exemplis abſtineo, hoc vnum quod præ manibus eſt, inſtar erit mille. Luza dicebatur olim ciuitas, quam *Gen.* 28. Iacob appellauit Bethel, id eſt, domũ Dei. Cúmque euigilaſſet Iacob de ſõno ait, *Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam, &c. non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta cæli, &c. Appellauitque nomen vrbis Bethel, quæ priùs Luza vocabatur.* Vt autem ab ſpeciali Dei præſẽtia, domus Dei ciuitas illa nominata fuit; ſic etiam à poſteris, cùm tanta foret loci, religioniſque mutatio, mutatum eſt etiam nomen; & quæ priùs Bethel, deinde Bethauen nominari cœpit, quæ domum ſonat iniquitatis, ſeu idoli: quaſi dicerent homines religioſi, ac pij illam non ampliùs nominari debere domum Dei, ſed domum diaboli.

86. *Neque iuraueritis: Viuit Dominus.*] Hieronymus hic edici putat his, qui idolis ſupplicant, ne nomen ſuum in iuramento concipiendo aſſumant, cùm ab eius obſeruantia longè animus abſit. Quod item in populo ſimulatore, & callido reprehendit Deus *Iſaiæ cap.* 29. *v.* 13. & Chriſtus Matth. 15. v. 8. & Marc. 7. 6. *Populus hic labiis me honorat; cor autem illorũm longè eſt à me.* Idem etiam exiſtimat Cyrillus. Fortaſſe populus ille quem nunc Dominus à peccando deterret, minus ſibi à periurio temperabat; cui in ore frequens erat, *viuit Dominus*, cùm tamen longè tunc eſſet & obſeruantia ab animo, & à ſermone veritas. Quare videri poſſet damnari nunc à Domino periurium: & edici ne tam ſit diuinum nomen in ore mendaci, atque ſacrilego familiare. Id verò frequenter feciſſe Iudæos docet Dominus Ierem. cap. 5. v. 2. *Circuite vias Ieruſalem, & aſpicite, & conſiderate: & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientẽ iudicium, & quærentẽ fidem, & propitius ero ei. Quod ſi etiam viuit Dominus dixerint, & hoc falsò iurabunt.*

87. Rab. Salomon, cui videtur ſubſcribere Figuerius, exiſtimat, Iſraelitas ſolitos eſſe iurare per viuentem Deum, cùm mendacium iuramento confirmare ſtudebant; cùm verò in eo, cui implorati nominis obtendebatur religio, nihil eſſet falſi, per aureos vitulos concipiebatur iuriſiurandi forma. Quod putat Figuerius apertè probari ex eo loco, quem proximè ex Ieremia produximus. Quod nullo modo mihi videtur eſſe probabile. Ieremias enim cum his agit, qui erant tunc Hieroſolymæ, vt conſtat. At Solymitanico tempore, licèt Gentium idolis ſacrum aliquem honorem impenderent, aureos tamen vitulos coluiſſe non legimus, imò eo, credo, nomine illos execrabantur, & horrebant, quòd decem tribubus eſſent in honore, à quibus illi odio diſſidebant antiquo. Neque præterea Ieremiæ tempore vlli erant aurei vituli, quorum Iudæi nomen ad veritatem confirmandam implorarent: cùm iam pridem cum decem tribubus eſſent in exilium abducti, & in alias fortaſſe ſpecies conflati.

88. Placet magis quod viſum eſt Theodoreto, cuius ſententiæ ſubſcripſere Albertus, Hugo, Dionyſius, Lyra, Ribera, & Caſtrus, nempe ſolitos eſſe viros Iſraelitas, qui à templo receſſerant, & aureis vitulis, quem vero Deo priùs, cultum exhibebant religioſum, eodem modo iurare per vitulos, quo per Deum antè iurare conſueuerunt. Quare quaſi vitulus verus eſſet, & viuus Deus, per illum iuramento concepto dicebant: *Viuit Dominus.* quaſi dicerent, *viuit vitulus*, quæ grauis in diuinum nomen erat ignominia, maximè quia tunc inanimatæ materiæ nomen attribuebatur Tetragammaton, & ineffabile יהוה *Iehouah.* Quod non obſcurè docet illud Iudicum *cap.* 17. *v.* 3. vbi τῷ *Iehouah* dicitur conſecratum argentum, & tamen ex illo conflatum eſt impium idolum; quare idolo illi, quodcumque eſſet, impoſitum

Gentes ſuis interdum diis nomen Dei tetragrammaton tribuebant.

erat nomen illud, quatuor literarum. ita putat Lyra & Burgensis. Quod Dei nomen datum est a gentibus vanis coniectant aliqui, meo iudicio non male, ex eo Sap. 14. v. 21. *Incommunicabile nomen lapidibus, & lignis imposuerunt.* Illud nomen
89. *ἀκοινώνητον* tetragrammaton esse putant. Sane ex hoc nomine ineffabili, Gentiles quem deorum patrem, hominúmque regem arbitrabantur, Iouem appellarunt. Et cùm alia Gentiles nomina, atque alios effectus diis tribuerint vanis, atque mendacibus: vt quòd sempiterni, quòd omnipotentes, quòd optimi, & maximi sint. Quid mirum si nomen etiam Dei ineffabile suis etiam diis voluerint esse commune. De suo sanè vitulo dixerunt olim filij Israel Exod. 32. v. 4. *Hi sunt dij tui Israel qui eduxerunt te de terra Ægypti.* & v. 5. illi attribuerunt nomen Iehouah. *Quod cum vidisset Aaron* (nempe conflatum vitulum) *ædificauit altare coram eo, & præconis voce clamauit dicens: Cras solemnitas Domini est.* Heb. est, *Solemnitas est Iehouah.* Ad parentum igitur imitationem non minus stolida, quam ingrata posteritas, duobus vitulis, quos vero opposuit Deo, Dei veri nomen imposuit tetragrammatō. Per quod nomen iurabat, cum veri Dei insigni contumelia, dicebatque, *viuit Dominus*, à quo iuramento pios, si qui pij tunc erant, Iudæorum animos auertit Deus.

90. Vers. 16. *Quoniam sicut vacca lasciuiens declinauit Israel.*] Vbi vulgatus *lasciuiens*, Heb. est סוררה *sorerah*, quæ vox rebellem, contumacem, & refractariam significat; qualis est ille, qui se liberum putat, & a suis ceruicibus iugum excutit. Sane rebellis est iuuenca, quæ nullo modo adigi se patitur, vt aratrum trahat, quæ contra ipsos etiam stimulos calcitrat, quæ obluctatur, rumpitque lora si quando vinculis alligari contigerit. Quod ex eo prouenit, quia pabulis saginata est pinguibus, & sua potius libidine quam aliorum regitur imperio. A qua vitula similitudinē sumpsit Moyses Deut. cap. 32. v. 15. *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus: dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.* & accommodate ad hunc locum transtulit Chaldæus. *Quoniam sicut bos saginatus, & recalcitrator, sic rebellat ob multitudinem bonorum Israel.*

Peccatoru in peccando furor & insania.

Septuaginta aliter reddidere, non tamen significanter minus, *ὡς δάμαλις παροιστρῶσα*, *sicut vitula ab œstro percussa*, quæ dicendi figura prouerbialis est, significatque aliquem aut furere insania, aut ab acriori aliquo spiritu agi præcipitem; denique sibi imperare non posse, quominus huc, illúcque vagus rapiatur, & erret incertus. Neque sanè minus agitabatur furiosè populus inquietus ab spiritu idolomaniæ, qui non secus, atque œstrum, seu asilus æstuantem animum quiescere non sinit. Vide quæ diximus in nostris commentariis in Ieremiam ad illud cap. 46. *Vitula elegans atque formosa Ægyptus stimulator ab Aquilone veniet.*

91. Sed nullus melius, aut significantius conuerterit, quam vulgatus, dum reddit *lasciuientes*, quæ vox idem etiam valet quod rebellis, & contumax, aratri, ac lori impatiens; cùm lasciuum pecus, neque aut labore fractum, aut vsu domitum parere velit, aut assuescere iugo, & liberè huc, atque illuc erret furioso simile, neque a lascinia minus exagitetur, quàm si foret ab œstro percussum. Habet præterea similitudinem aptam, consentaneámque allegoriæ, quæ in Scriptura sacra infrequens non est, & in hoc Propheta, vt vides, reperitur sæpius, vocatur enim idololatria fornicatio, atque ideo lasciuienti vitulæ comparatur populus, quia ad Venerem illam metaphoricam, vsque ad insaniam prurit. Deinde quia in eadem allegoria aurei vituli sunt, amatores, ideo populus vacca appellatur lasciuiens; quæ vitellorum appetit congressum, a quo situm quandam amatoriam explere cupit. Quare hoc dicendi modo nihil puto significari aliud, quam decem tribus inflammatas esse religionis peregrinæ studio, à quo duas alias, quæ veterem religionem retinuerunt, remouet Deus.

Nunc pascet eos Dominus quasi agnum in latitudine.] 92.
Vagabatur vitula lasciuiēs, suóque arbitratu percurrebat latè campos, vbi suæ petulantiæ, ac lasciniæ aliquid occurrebat opportunum, quasi pabulorum omnium domina; cui nullus quicquam afferre posset impedimenti, ac molestiæ; sed reuera, vitula, quæ se liberam à iugo, alienā a macello, & cultro existimabat, & illibata, atque virentia pascua in magna cāporum latitudine habere credebat, erit reuera sicut agnus, cui nulla est celeritas ad fugam, nulla ad resistendum virtus, qui ad macellū alitur, & ideo in locis vberibus pinguescit; & vbi cum illo commodius agitur, destinatur ad aram. Hæc est lasciuienti vitulæ certa conditio; hic status, hic exitus. Hic, puto, præsentis loci germanus est sensus, qui Lyræ placuit atque Vatablo.

Impiorum prosperitas ducit ad mortem.

Aliis aliter visum. Hieronymus abigendum dicit populum ab hoste Assyrio, vt lato captiuitatis campo, non vt vitula lasciuiens vagetur, & ludat: sed quò victor hostis voluerit, cogetur sicut agnus: qui neque nouit, neque potest aduersario resistere. Cum Hieronymo sentiūt Haymo, Albertus, Hugo, Dionysius, & Ribera. Vel, vt Theodoretus censet, & Theophylactus, pascendū esse populum, iā ab hoste domitum, & fractum assiduis laboribus perinde atque si mansuetus esset agnus; labor enim, & ærumnosus status spiritus frangit insolentes, & erectum collum inflectit, & curuat. Quidam ex Hebræis, quibus subscribit Figuerius, sic exponunt, si non lasciuisset, neque iugum abiecisset populus, pasceret eum Dominus in abundantia, sicut agnos in prato spatioso atque vbere. Ita Rab. Dauid, & Rab. Abraham. Aliter præterea exponit Rab. Dauid. Pascet eos tanquam agnum vnicum in latitudine, quia agnus vnicus in campo vitam agit solitariam, & tristem, balat, atque discurrit huc, & illuc; & neque quiescit, neque pascitur. Hi omnes sensus a primo non admodum aberrant, qui mihi omnium videtur maximè solutus. 93.

Vers. 17. *Particeps idolorum Ephraim dimitte eum.*] 94.
Vbi vulgatus *particeps*, Hebr. est חבור *chabur*, quod *alligatum* valet, & *adglutinatum*, quod optime reddidit noster interpres. Nam quæ fortiter adglutinata sunt, in vnum corpus coaluisse existimantur; quia illa prius frangas, quàm diuellas, & separes: & quæ sic adglutinata sunt, in aliā naturam quodammodo migrasse censentur. Quo modo de idolorum cultoribus dictum est Psal. 134. *Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis.* Hieronymus hæc verba ad duas tribus pertinere existimat, cui antè dixerat, *Si fornicaris tu Israel, non delinquas saltem Iuda.* Est autem hoc loco Ephraim, quod prius Israel, id est, decem tribus. Nam Ieroboam, ad quem tribus illæ defecerunt, Ephraimita fuit. Erit ergo sensus iuxta Hieronymum, quem ex interpretibus sequūtur Haymo, Theophylactus, Albertus, Hugo, Ribera: Noli ô Iudā, cum Ephraim, id est, cum decem tribubus aliquid habere commercij.

ne mores tuos illius consuetudo corrumpat: quia in illorũ naturam abiit, quibus se per amorem, & cultum adglutinauit; atque ideo illorum particeps est, quare non minus ab Ephraim in eum modum affecto, quam ab idolis ipsis labem, & sordes contrahes. Hæc mihi sententia potior est, magisque cum illis, quæ consequuntur, & antecessere, consentanea.

95. Alij cum Propheta sermonem esse censent, quem iubet Dominus ab Ephraimitis, id est, a decem tribubus corrigendis abstinere, cum illorum omnino desperanda sit salus, qui sic adhæserunt gentium idolis, vt ab illis diuelli nullo modo queant. Quare frustra suscipietur ille labor qui inustam idolomaniam exurere tentauerit; neque magis audientur propheticæ siue promissiones, siue minæ, quàm a surdo fabulæ, aut a serpente, qui obturauit aures, incantatoris carmina: ita Rubertus, Vatablus, & omnium nouissimè Figuerius, Rab. Dauid, & Rab. Salomonis opinionem secutus. Quod hactenus Dominus non est locutus cum Propheta, vt vides, & quæ sequuntur, non apte se cum hac cogitatione conciliant. Quare arridet magis Hieronymi sententia.

96. Vers. 18. *Separatum est conuiuium eorum.*] Figuerius, & Vatablus, qui Rabinorum adhæsere sententiæ, illud *separatum*, pro quo Hebr. סר *sarsobhàm* interpretantur, *& putuit*, quasi se vino ingurgitarint illo, qui metaphoricam fornicationem parit, ita vt illo vino ebrij nihil aliud inhalent aut eructent, quàm quod impietatem olet gentilicam. Ex quo sequitur vt fornicatione fornicentur, id est, impensè se fornicationi tradant: & in ea toti, atque omnino sint. Quare in eorum studiis corrigendis tempus Propheta, atque operam ludet.

97. Rab. Salomon alienum à Deo connubium interpretatur, quia cum meretricibus illud obeunt Ephraimitæ. Abenezra cessaturum dicit illorum conuiuium, vbi afflictio aduenerit, quæ iamiam imminet. Neque enim vini copiam habebunt, aut panis, quibus se ad satietatem vsque, & ebrietatem expleant.

98. Sed placet, vt dixi, magis Hieronymi sententia, quæ putat admoneri Iudam vt ab Ephraim se consuetudine separet, cum gentilicis se moribus, & institutis imbuerit, neque salua religione possit cum illo simul mensam inire, quam cibis à lege prohibitis instruxit. Quare prohibitum fuit & olim, & extremis Synagogæ temporibus, ne communi Iudæi cum Gentibus mensa fruerentur. Quod norat Ephraimitis quædam mulier à Samaria, quæ admirata fuit Christum à Samaritana fœmina postulare potum, cùm Iudæus esset, Ioan. 4. v. 9. *Quomodo tu Iudæus cum sis, bibere a me poscis quæ sum mulier Samaritana? non enim coutuntur Iudæi Samaritanis.* Quantum Iudæi Gentilium mensas exhorruerint, habes *Actor. cap. 10. & cap. 11.* vbi graues contra Petrum excitatæ turbæ, quia cum Cornelio communem habuisset mensam; vide quæ nos eo loco in nostris commentariis, & in cap. 1. Danielis, vbi hac de re pluribus. Separatum itaque dicit Ephraimitarum esse conuiuium, id est, separabile, ac dignum à quo viri pij, & patriæ legis amatores abstineant. Sæpe enim participium præteriti, pro nominibus in *bilis* adhibentur; vt *inaccessus* pro *inaccessibilis*, *inuictus* pro *inuincibilis*, *inuisus* pro eo, qui sine molestia, atque odio videri non potest. vide quæ hac de re pluribus in nostris commentariis in Ezechielem *cap. 34. vers. 4.*

Iudæis non licebat communè cum Gentibus habere mensam.

Regula. *Participia præteriti pro nominibus in* bilis.

A *Fornicatione fornicati sunt.*] Alia ratio cur Iudæ 99
lis rete debeat consortium, atque conuictum Ephraim, non solum quia illorum mensa cibis onerati sunt, a quibus abhorret Iudæorum religio, sed quia lex prohibet, vel quia licèt a lege permissi, prohibiti sunt tamen eo nomine, quòd idolis ante consecrati fuerant. Nunc rationem alteram adducit, seu potius iterat, quam adduxerat priùs, quia fornicando fornicatus est Ephraim, id est, quia idolorum superstitioni sic se impotenter tradidit, vt in eo totus sit, ne quod habeat tempus a libidinando vacuum. Quare eo loco habendus est, quo Publicanus & Ethnicus, quibus neque *Aue* dicendum est.

B *Dilexerunt afferre ignominiam protectores eius.* 100
Protectores Heb. מגניה *maginneha*, id est, clypei eius, nempe Ephraim, illi videlicet qui pro salute, atque incolumitate populi opponere debuere pectus hostili ferro; sicut clypeus ictus excipit, quos alicuius capiti hostis intentat. Illi porrò protectores, seu clypei, sacerdotes sunt, & principes, ac magistratus, quibus publica salus credita est. Qui cum ab aliis ignominiam depellere debuissent, in ignominiam coniecerunt longe turpissimam. Ignominiam voco idololatriam, quia sane ignominiosum est viro non solum religioso, sed etiam, cui aliquid sanæ mentis, est adorare Gentium spurcitias, & vitulos colere comedentes fœnum, supplicare marmori, & ligno, quibus nihil inest mentis, ac sensus. Aut certe ignominia est status ille indecor, & sordidus, quem populus à sacerdote, & principe deceptus subiit in exilio, vbi vitam egit & a victu inopem, & à seruili conditione sordidam, & à toto viuendi genere miserabilem.

Vers. 19. *Ligauit eum spiritus in alis suis.*] Modus 101
dicendi obscurus, quique ad multiplices sensus patet. Septuaginta sic reddunt: *Turbo spiritus sibilabit in alis eius.* Quod sic explicant Theodoretus, Cyrillus, & Theophylactus. *Perinde atque ventus in quosdam, & sonitu aera dissecans; sic ipsa Synagoga decem tribuum ceu alata in alienam terram captiua abducitur.* Figuerius aliam indicat translationem, auctoris nomen silet. *Ligauit spiritum, id est, ventum in alis suis*, vbi alæ sunt laciniæ vestiũ, & fluentes sinus, vbi colligere solemus, & ferre, quæ ad nostros vsus necessaria putamus. Tunc verò hunc putat esse sensum. Quemadmodũ si quis ventum liget, in vestium lacinia, quando illam explicet, nihil ibi omnino deprehendet, sic Ephraim, cum ex idolorum assiduo cultu multa se collegisse atque habuisse recondita putaret, nihil inueniet præter ventum, confusione, & dedecus; idem putat Hugo. Quæ explicatio grauis est ad mores.

Hieronymus in spiritu diabolum intelligit, 102.
qui ligaturus dicitur illos, quibus istæ proponuntur minæ in alis, seu, quod idem est, ligaturus alas, ne possint, quò velint, euolare, aut expediri ab ea seruitute, quam subeunt, dum idololatriæ se nexibus alligarunt; cum Hieronymo sentiunt Haymo, Albertus, Dionysius, & Hugo. Quod si dæmonem adhuc accipias, alia ex his verbis posset inferri sententia; ita tamen vt non tam alæ sint populi, quàm dæmonis ipsius; quasi dicas. Ligauit diabolus in alis suis populum voluntati suæ plus satis addictum, & vt ipse suis alis fingitur, quocunque voluerit, incredibili celeritate ferri; sic etiam illum, secum in quæcunque placuerit flagitia circumfert. Ita Dionysius. Quæ explicatio ad mores est grauissima: nam quemadmodum Deus obsequentem popu-

[illegible]

Diabolus quos habet sibi subiectos in varia præcipitat peccata.

lum in alis suis portauit, & in terram promissionis induxit, Deut. cap. 32. *Expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.* Sic diabolus suis alligat alis vesanum populum, & secum per omnia vitiorum genera ad exitium trahit sempiternum.

103. Alij in *spiritu* ventum intelligunt; quia vox Hebraica רוח *ruach*, vtrunque valet, & spiritum, quo viuimus & animamur, & ventum, quem aspirando trahimus, & qui aërem perflat, & exagitat. Et putāt ideo populum alligatum dici ventorum alis, quia ea velocitate dissipabitur, quo dissipatur, & diffunditur ventus. Ventorum autem pennæ prouerbiali specie summam significant velocitatem tam apud sacros, quàm apud profanos scriptores. Psal. 103. *Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum.* & Psal. 17. *Ascendit super cherubim, & volauit super pennas ventorum.* Profani multo sæpius. Ouid. lib. 6. Metam. de Borea.

Ventus velocitatis symbolum.

PROVER. *Ventorum pennæ.*

> *Excussit pennas, quarum iactatibus omnis*
> *Afflata est tellus, latumque perhorruit æquor.*

Et iterum epist. 11.

> *Imperat & pennis, Eure proterue, tuis.*

Et Metam. 1.

> *Emittitque Notum, madidis Notus euolat alis.*

Isidorus lib. 7. Etymol. cap. 5. *Pictorum*, inquit, *licentia pennæ Angelis dantur, sicut, & iuxta fabulas ceterum venti pennas habere dicuntur, propter velocitatem.* Pennæ itaque ventorum celeriter, & variè iactabunt populum, atque dispergent, non secus atque funda iaculatur, atque dispergit lapides. Subauditur autem hîc similitudinis nota, quod apud Hebræos frequens, in hunc sensum: Dispergentur, qui e decem tribubus idola coluerunt quàm celerrimè, & quàm longissimè, perinde atque si in ventorum pennis essent alligati. Vt enim venti peruadūt omnia, facilèque diffluunt, turbantur, atque soluuntur, sic etiam populi, neque in vno morabuntur loco, neque in vna regione quieti consistent; sicut neque marini fluctus, quos agitant venti, & ad scopulos allidunt, & frangunt. Eadem metaphora, & eodem argumento vsus est Isaias cap. 57. v. 13. *Liberent te congregati tui, & omnes eos auferet ventus, tollet aura.*

Et confundentur a sacrificiis suis.] Sperabant stulti illi adoratores fore vt ab idolis, quorum gratiam 104.
sibi ipsis sacrificiis promeruisse videbantur, securam agerent vitam in patriis finibus, & bonis affluentem; cùm verò iactari se videant ab hostibus, & haberi ludibrio, confundentur, & erubescent, quòd à ligno, & marmore salutem sperarint, & otium. Aut certè sacrificia adeò illos non vendicarunt ab iniuria, vt potiùs in illa compegerint infortunia, quibus postea durè iactabuntur. Hæc de capite 4.

IN CAPVT QVINTVM

ARGVMENTVM.

HOC caput ita in decem tribus tonat, ac fulminat, vt tamen interim duas respectet, admoneátque, ne, si idem infortunium declinare velint, illarum mores, aut studia sequantur. Reprehendit primum Sacerdotes & principes, qui sua abusi dignitate, ac nomine, & nonnulla etiam doctrinæ, & sanctitatis opinione, rudiori atque imperitæ plebi insidias parant, & à templo, veræque religionis cultu remorantur. Et cùm graues proposuisset minas, significat neque ipsorum, neque auxiliaribus aliis copiis euitari posse, neque sanari à mortali manu vulnera, quæ inflicta fuerunt à diuina. Quàm autem hostiliter & acerbè, tam Iudæorum, quàm Israelitarum fines ingressurus, vastaturúsque sit, leænæ catulique leonis similitudine declarat.

CAPVT V.

1. *AVdite hoc sacerdotes, & attendite domus Israel, & domus regis auscultate, quia vobis iudicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi, & rete expansum super Thabor.*

PARAPHRASIS.

C 1. AVdite primum, ô sacerdotes, à quibus tanti incendij orta est, aut accepta, & sparsa prima fax. Audite omnes quotquot ex Israelitica stirpe, nomen & genus deriuatis, sed vos præcipuè, quibus ad regiam aulam liberior est, & penè necessarius ingressus, qui regium clauditis latus, aut qui regium animum consiliis instruitis, & regia decreta auctoritate vestra confirmatis. Audite, inquam, quod de vobis decretum est. Cur vero vestro capiti, tam graue ac durum iudicium impendeat, paucis accipite. Et primum Sacerdotes populique magistri, quid in vobis reprehendam, & damnem, vobiscum recognoscite. Debuistis pro vestro munere speculatores esse, populúmque de imminenti periculo, aut de paratis insidiis admonere,

A ſed veſtram auctoritatem, & nomen in la-
queum conuertiſtis: neque enim tam fuiſ-
ſetis pernitioſi populo nimium credulo, ni-
ſi veſtrum ipſi nomen, & doctrinam, quam
eſſe in vobis maximam ſuſpicerent. Quare
extitiſtis illis omninò ſimiles, qui in mon-
te Thabor, qui aucupio abundat, & vena-
tione, volucres, & feras in laqueos, aut caſ-
ſes inducunt.

2. Et victimas declinaſtis in profundum: & ego eruditor omnium eorum.

2. Eò veſtra conſilia ferebantur, vt vi-
ctimæ quæ iuxta legem ſacraſque ceremo-
nias, in vno tantùm Solymitano templo
B immolari poterant, quàm longiſſimè ab
illo, & ab omni legitimo ritu macta-
rentur. Cúmque ego admonuerim ſæpe,
& ab hoc conſilio abducere voluerim,
nihil tamen eſtis facti eruditione mea me-
liores.

3. Ego ſcio Ephraim, & Iſrael non eſt abſconditus à me: quia nunc fornicatus eſt Ephraim, contaminatus eſt Iſrael.

3. Cùm ego eruditor fuerim Ephraim,
neque tam longa atque beneuola eruditio
vllum ex obſtinato populo fructum retu-
lerit, noui bene, aut quo ille ſit ingenio, aut
quid ab illo iterata admonitione ſperari
debeat. Eſt quidem hoc tempore Ephraim
C omni fornicationis genere contaminatus,
eſt omni vitiorum proluuie fœdatus Iſrael:
neque, ſi iterum, ac ſæpius moneatur, inge-
nium mutabit, aut exuet mores.

4. Non dabunt cogitationes ſuas vt reuertantur ad Deum ſuum: quia ſpiritus fornicationum in medio eorum, & Dominum non cognouerunt.

4. Tam aberunt, vt velint ab errore
tam turpi ad patriam religionem redire, vt
neque de meliori cogitent fruge, neque
vllum admittant de morum inſtitutique
mutatione conſilium: vſqueadeo altè illo-
rum animis, idolorum ſtudia, id eſt, forni-
cationis myſticæ ſpiritus inſedit, à quo id
habent homines ab illo ſpiritu penitus oc-
D cupati, vt verum Deum, neque curent, ne-
que velint agnoſcere.

5. Et reſpondebit arrogantia Iſrael in facie eius: & Iſrael & Ephraim ruent in iniquitate ſua, ruet etiam Iudas cum eis.

5. Talem autem ex ſtulto labore, & ne-
fario idolorũ cultu fructum referet Iſrael,
qualem ipſius exigit arrogantia. Qui enim
ſuperbos ſibi ſpiritus aſſumpſerat, ignomi-
nioſè cadet ab excelſo loco, propter ini-
quitatem ſuam deturbatus: neque meliori
erit in ſtatu, ac conditione Iuda, cùm iiſ-
dem ſe peccatis implicuerit.

6. In gregibus ſuis, & in armentis ſuis vadent ad quærendum Dominum, & non inuenient: ablatus eſt ab eis.

6. Tunc autem, cùm vrgente hoſte irã
E Dei ſuorum peccatorum vindicem experi-
ri cœperint, vt illum ſibi placatum, & pro-
pitium reddant, victimas de gregibus, non
minores ſolùm, quales ſunt agni, ſed etiam
maiores, quales ſunt vituli, frequenter of-
ferent: neque tamen illum, qualem ſuis vo-
tis expetierant, placatum inuenient: ſic
enim ab illis animum habebit alienũ, quaſi
ſe ab illorũ oculis longè ſubduxiſſet, ne eo-
rum audiret gemitus, aut lacrymas videret.

7. In Dominum præuaricati ſunt, quia filios alienos genuerunt: nunc deuorabit eos menſis cum partibus ſuis.

7. Neque hoc plus æquo graue videtur
eſſe ſupplicium, quando tam ipſi grauiter
præuaricati ſunt. Sic enim idolis adhæſe-

A re, vt vel ipsi sint ab antiqua religione prorsus alieni, & filios etiam à vera religione procrearint, quos traduxere per ignem, & barbara illa atque impia ceremonia idolis adoptarunt, conseruarúntque. Neque diu morabitur hæc Ephraimitici populi dira clades: vnus enim mensis, qui iam appetit, regnum hoc, cum omnibus eius partibus absumet.

8. Clangite buccina in Gabaa, tuba in Rama: vlulate in Bethauen, post tergum tuum Benjamim.

8. Tu autem, ô Iudâ, alienis edocta periculis, cùm audieris vlulantem Bethauen, quæ tibi est à tergo proxima, cùm ab hoste
B conciditur, ad idem te periculum quamprimum compara. Quare eodem tempore, quo morientium, aut captiuorum resonant gemitus, fac vt in Gabaa, & Rama clangor resonet litui, ac tubæ qui periculi admoneat otiosos, & securos, & ad vim hostilem arcendam hortetur.

9. Ephraim in desolatione erit in die correptionis: in tribubus Israel ostendi fidem.

9. Vlulabit autem Ephraim, quando dies ipsius cladi iam antè destinatus, & ineluctabilis aduenerit: quando intelligat cum magno suo malo, populus ille stultus & incredulus, qui vanas putabat & fugaces
C Prophetarum minas, inesse fidem, & pondus verbis meis, quibus excidium illud Israeliticis tribubus iā antè prædixerā.

10 Facti sunt principes Iuda quasi assumentes terminum: super eos effundam quasi aquam iram meam.

10. Sed quia Principes Iuda, quos cautos facere debuissent vicinorum extrema calamitas, sic expressere Israelitarum mores, quasi illorum assumpsissent terminos, & iisdem, atque illi, legibus ac finibus vixissent: ideo in illos quoque sic furorem effundam, vt cum torrente, qui præceps atque copiosè ruit, comparari possit.

11. Calumniam patiens est Ephraim, fractus iudicio: quoniam cœpit abire post sordes.

D 11. Sic accipietur Ephraim, vel dum ab hoste iactatur, & suis spoliatur ornamentis, & omnium iniuriis, atque ludibriis patet, sicut qui calumniis opprimitur, neque suum sibi ius in iudicio legitimo, aut publicis tribunalibus obtinet. Quòd ideo magno suo patiuntur merito, quia sordidum institutum, quod est ab idolorum cultu, complexi sunt.

12. Et ego quasi tinea Ephraim: & quasi putredo domui Iuda.

12. Tentaui ego, dicit Dominus, primùm Ephraim, deinde Iudam: sensim tamen, & molliter: Ephraim quidem, sicut tinea, quæ sensim ac tacitè vestimenta con-
E sumit: Iudam autem, sicut putredo, & caries, quæ lignum morsu tacito ac lento corrodit & perdit.

13. Et vidit Ephraim languorem suum, & Iuda vinculum suum: & abiit Ephraim ad Assur, & misit ad regem Vltorem: & ipse non poterit sanare vos, nec soluere poterit à vobis vinculum.

13. Cognouit Ephraim regni sui vires, quasi languidæ essent, & à diuturni morbi vexatione exhaustæ. Cognouit etiam Iuda, accepisse se plagam, quam adhuc habebat obligatam vinculo, & fasciis à chirurgi manibus. Quare, cùm Ephraim non satis haberet in suis viribus fiduciæ, externas asciuit. Misit enim ad Assur auxilij gratia, cuius tanta existimabatur esse potentia,

14. Quo vt

Digitized by Google

vt Gentium compellatione communi vocaretur vltor. Sed planè frustrà. Neque enim illa poterit languenti atque exhausto corpori vllam afferre medicinam, neque sanare vulnus, & quibus fuerat, obligatum, vincula dissoluere.

14. *Quoniam ego quasi leana Ephraim, & quasi catulus leonis domui Iuda: ego ego capiā, & vadam: tollam, & non est qui eruat.*

14. Quid enim posset humana potestas, vbi contrà stat & pugnat diuina? Ego enim sic occurram Ephraim, sicut leæna, cui erepti sunt à venatore catuli: sic Iudæ domui, sicut catulis, & fortis viribus, & assuetus prædæ. Ego irruam, quasi de sylua leo, instimulante fame: egò capiam tollámque prædam, neque vllus erit tam potens, & audax, qui illam de faucibus, atque vnguibus extorqueat.

15. *Vadens reuertar ad locum meum: donec deficiatis, & quæratis faciem meam.*

15. Quemadmodum leo egressus è sylua, explet se ferarum sanguine, deinde ad sua se lustra refert, vt rursus lacerata præda, suam iterum exsaturet famem. Sic ego, dicit Dominus, ita me vobiscum geram, donec deficiatis omnes, & longè iam experientia edocti, nihil in vanis Gentium simulacris esse præsidij, reuertamini ad me, quem solum fidelem, atque pòtentem inuenistis.

Vers. 1. *Audite hoc sacerdotes, & attendite domus Israël, & domus regis auscultate.*]

1. PERGIT Deus enumerare peccata, quæ decem tribus in exilium, & seruitutem impulere. Et quia durus ille casus comprehendit omniū hominum ordines, ideo omnes hominum ordines appellat. Illud verò tergeminum verbum, *audite, attendite, auscultate,* magnum aliquid indicat, quod aliquis aut timere, aut sperare debeat. Loquitur primùm cum sacerdotibus, quia ab illis fortasse erupit incendij aut prima, aut maxima fax. Dicūtur autē sacerdotes non quia in decem tribubus veri essent, aut legitimi, cùm non essent illorū plurimi ex Leuitico genere: vt habes *lib. 3. Reg. cap. 12. v. 31.* Sed quia co notabantur nomine vulgo Israelitarū, quomodo etiā aliqui Prophetæ dicuntur ob eandē causam, qui tamen Prophetico spiritu afflati nō sunt, sed à mendaci delusi: aut qui falsò sibi compellationem illam vendicarunt, quia eo nomine eos stultum hominum vulgus appellabat. Domus Israel totum significat populum, aut turbam promiscuam, qua ratione à sacerdotali, ac regio, siue aulico ordine secernitur; quo sensu millies vocatur, *populus terræ. Domus regis* illi dicuntur, aut qui è genere regio sunt, aut qui consilij, aut honoris gratia assistunt regi, aut de more, aut qui legitimè regiam aulam frequentant: quales fuerunt, qui *Isaiæ cap. 7.* Domus appellantur Dauid.

2. *Quia vobis iudicium est.*] Non temere Deus quemquam affligit, aut damnat, sed re priùs explorata diligenter, & expensis scelerum momentis; licèt enim ille deliberatione non egeat, cùm in sapientiam illam infinitam nulla posset dubitatio cadere, neque à quoquam posset iniustitiæ coargui, cùm nihil possit iniustum moliri: tamen qua est humanitate, ad hominum morem deliberasse inducitur, vt alibi sæpe, & sui consilij rationem reddere his, in quorum caput, atque fortunas animaduertit; vt homines scelerū conuicti suo se iudicio condemnent, & suo se gladio quodāmodo conficiant. Sic Isaias cap. 1. *Venite, & arguite me, dicit Dominus.* & iterum cap. 43. *Reduc me in memoriam, & iudicemur simul: narra si quid habes, vt iustificeris.* Micheæ cap. 6. *Popule meus, quid feci tibi? aut quid molestus fui tibi, responde mihi. Decet* (inquit Basilius in locum, de quo proximè, Isaiæ cap. 1.) *Dei iudicium nihil habere affine tyrannidi; sed iudicum more, qui inter homines familiarem ineunt communicationem,* &c. Siue *iudicium*, vt alibi damnationem, suppliciúmque, siue disceptationem significet, cogitationémve causæ, tamen ad illud quicquid est, quos reos agit, ad iudicium accersit; illósque quasi sibi à consilio forent, quid agere velit, quibúsque de causis ad seuerum illud iudicium adducatur, impertit.

Dei in iudicando æquitas, & humanitas.

3. *Quoniam laqueus facti estis speculationi, & rete expansum super Thabor.*] Pro *speculatione* Heb. est מצפה *misspah*, quæ vox ciuitatem significat, cuius frequens in Scriptura mentio, & vocatur *masspah.* Recentiores interpretes proprium esse nomen opinantur, aut montis, aut vrbis, quòd item putant Vatablus, & Montanus, & Figuerius, & nonnulli ex Hebræorum magistris. Quod mihi non omnino displicet, neque enim inusitatum est vulgato interpreti, vt pro nomine proprio illius significationem, aut notationem adhibeat. Quomodo pro *baal hamon*, Cant. 8. legis, quæ habet *populos*, & pro *salem* Psal. 75. posuit *pacem. Et factus est in pace locus eius.* Cui cogitationi fauet nomē Thabor, quod statim adhibetur, neque enim aptè Thabor cum speculatione consentit. Tunc verò sic Figuerius, & Vatablus, hunc locum accipiunt: putant illi Thabor, & Mispah, duos esse montes altitudinis eximiæ, & opportu-

REGVLA. *Vulgatus sæpe pro nomine proprio eius significationē posuit.*

Digitized by Google

nos valde volucrum aucupio, aut venationi ferarũ; vbi venatores, & aucupes laqueos tendebant, & retia, quibus volucres caperentur, & feræ. Tunc verò subaudiendam putant similitudinis notam, in hanc sententiam. Eodem modo laqueos ostendisti, & retia, insipienti populo, fecistique vt illis caperetur, & periret, sicut venatores, & aucupes laqueos parant, & retia, quibus capiunt, & lacerant incautam, atque securam prædam.

4. *Ieroboami consilium, quo populũ suum inuenit à templo.* Montanus sententiam adducit Hebræorum, qui in libro quem *Midras Thanhuma* appellãt, dicunt Ieroboamum in duobus montibus Mispah, & Thabor excitasse hortos, atque arces, atque ibi constituisse excubias, quæ explorarent, prohiberéntque ne quis constitutis à lege diebus sacrificij gratia Hierosolymam peteret, proposita capitali pœna siquis contrà faxit. Quam esse veterum traditionem, ait Rab. Dauid, Rab. Salomon, & Abenezra, & ex nostris Nicolaus Lyra. Vide infrà c. 6. ad illud, *& quasi fauces virorum latronum*, quid dicat Hieronymus ex cuiusdam Hebræi siue sententia, siue somnio. Ad quod Ieroboami consilium respexisse existimant Prophetam, cùm expansum dicit laqueum in Thabor, & rete in Mispah, quæ à progressu retardarent irretitum populum, illúmque aut occiderent tanquam prædam, aut vitulis alligarent aureis, & impiæ religioni manciparent. Hæc Hebræorum cogitatio est; vnde id acceperint, ipsi viderint, mihi illorum fides leuissima est, qui non ex Scriptura, sed ex suo cerebro sumunt noua sæpe cómenta, & monstra, quibus expediri posse putant occultos, & implicitos nodos. Sed viri docti rident illorum nugas, suísque relinquunt auctoribus tanquam stipulas à grano vacuas, aut vuarum vinacia. Montanus magis in priorem explicationem inclinat.

5. Vulgatus vbi Heb. מצפה, *speculationem* legit, sicut etiam Septuaginta, & Chaldæus Paraphrastes; quod magis placet. Tunc verò *speculatio* passiuè sumi potest, & actiuè; passiuè quidẽ pro his, quorũ saluti sacerdotes inuigilant, & quos quasi de sublimi speculo intuentur, ne quid illis accidat aduersum. Vt enim *congregatio*, pro congregatis, *circumcisio* pro circumcisis, *generatio* pro filiis ponitur, & denique *actio* pro actionis obiecto, ac termino; sic *speculatio*, pro his, pro quibus speculatores excubias agunt, in hunc sensum; Qui speculationi, id est, his, quos vestra speculatio intueri debuit, obtendistis laqueos, & coniecistis in fraudem. Ita Cyrillus *hic, & lib. 12. in Ioan. cap. 26.* Haymo, Albertus, Hugo, & Lyra. Sumi etiam potest actiuè, pro his qui in excubiis sunt, & quid populo impendeat mali, speculantur, & vt mature euitari possit admonent. Ita Theodoretus, Theophylactus, & Chaldæus. Tunc verò si sermo sit de aliis, qui præsunt, quales sunt magistratus, & principes, sensus erit illos parasse laqueos speculatoribus, nempe sacerdotibus, dum illos propositis minis prohibent liberè prædicare quod sentiant, & populum à væsana mente, & perniciosa religione depellere. Quare illos minis, ac fraudibus cepere non aliter, quam laquei solẽt prædam in Thabor. Sed est verisimilius

6. *Sacerdotes, & principes malè sua authoritate abusi.* *speculationem* sacerdotibus conuenire, prophetísque falsis, sumíque pro ipso sacerdotali munere. Quasi dicat Propheta; speculationem, id est, sacerdotale munus, aut nomen fuisse sacerdotibus, pro laqueo & reti: vt enim laqueus occulte ac fraudulenter capit, dum esca proponitur, aut aliquid, quod in fraudem feram, aut volucrem alliciat. Sic etiam prophetale aut sacerdotale nomen instar obtinet laquei. Neque enim populus sacerdotum, ac Prophetarum consiliis paruisset, nisi gens illa, quæ sancta existimabatur, & sapiens, suis monitis doctrinæ, ac sanctitatis speciem obtendisset. Species ista simulata quasi esca fuit, quæ hamo appendi solet, aut laqueo: quæ & laqueum abscondit, & in exitium trahit. Hæc ferme Hieronymus.

Ex hoc loco colligunt Patres, quantum reipublicæ noceant, qui magno sunt in republica loco, aut qui speciem habent externam sanctitatis. Sanè per fœminas, quæ honestæ videbantur, & religiosæ, excitata est seditio in Paulum, & Barnabam, quæ illos ex Antiochiæ Pisidiæ finibus exturbauit. Actor. 13. v. 50. *Iudæi autem concitauerunt mulieres religiosas, & honestas, & primos ciuitatis, & excitauerunt persecutionem in Paulum, & Barnabam, & eiecerunt eos de finibus suis.* Multa hac de re Patres, vnum adducam Gregorium, qui paucis videtur aliorum sententias fuisse complexus. Sic autem ille in Pastorali: *Nemo in Ecclesia amplius nocet, quàm qui peruersa agens nomen vel ordinem sãctitatis, vel sacerdotis habet; delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur.* Quod item iterat homil. 17. in Euangelia. *Nullum puto fratres charissimi ab aliis maius præiudicium, quàm à sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla prauitatis cernit; quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus.* Et paulo pòst propiùs ad hunc locum. *Quanto autem mundus gladio feriatur, aspicitis, quibus quotidie percussionibus intereat populus videtis. Cuius hoc nisi nostro præcipue peccato agitur? Ecce depopulatæ vrbes, euersa castra, Ecclesiæ, ac monasteria destructa, in solitudinem agri redacti sunt, sed nos pereunti populo auctores mortis existimus, qui esse debuimus duces ad vitam.* Malorum sacerdotum mores hîc describit Hieronymus. *Speculatores*, inquit, *vos posui, & principes in populo, & in excelso dignitatis culmine constitui, vt populum regeretis errantem: vos autem facti estis laqueus, & non tam speculatores, & principes, quàm venatores appellandi.* 7. *Species sanctitatis in gente non sancta nocentissima.*

Hi porrò sacerdotes, Prophetæ, & principes, qui pro salute publica excubare debent, speculatores dicuntur, quorum est munus prospectare longè, nequid populum opprimat incautum: sic Isaias de se cap. 21. *Super speculam Domini ego sum.* Idem item de se Abacuc cap. 2. *Super custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem meam, vt videam quid dicatur mihi.* Clariùs ad Ezechielem *cap. 3.* Deus, *Fili hominis speculatorẽ dedi te domui Israel.* Vbi graue minatur supplicium, nisi populo, cuius gratia excelsum obtinet locum, maturè admoneat, sibi vt ab impendente periculo caueat. Idem repetit *cap. 33. v. 7.* Vide quod in priorem Ezechielis locum adduximus in nostris commentariis. 8. *Principes & sacerdotes, speculatores.*

Sicut rete expansum super Thabor.] Communis est 9.
interpretum sententia non aliter speculatores illos, de quibus proximè, oppositis plagis cœpisse credulam, atque imperitam turbam; & ad idololatriam pellexisse, quam venatores, & aucupes in casses, atque in retia inducunt volucres, & feras. Abũdare autẽ aucupio, ac venatione Thabor, docet hîc Cyrillus. Hieronymus hîc. *Est*, inquit, *Thabor mons in Galilæa, situs in cãpestribus, rotundus, atque sublimis; & ex omni parte finitur æqualiter.* Iosephus *lib. 4. de bel. cap. 21.* ait inter cãpum magnum,

atque

atque Scythopolim situm esse, & eius altitudinem 30. stadiis esse sublimem, quam a Septentrionali latere inaccessam dicit, in cuius vertice, 20. stadiorum tradit esse planiciem, quam suo tẽpore vndique dicit muro fuisse circumdatam.

10. Vers.2. *Et victimas declinastis in profundum.*] In sensu, exiguo admodum flexu, omnes ferè conueniunt; licèt non omnes eodem modo conuertant, significat enim eò incumbere sacerdotes, & principes, postquam à Hierosolyma, & templo defecerunt, vt victimas, quæ iuxta sacras leges, & ritus in vno tantùm Solymitano templo immolari poterant, quàm longissimè ab illo, & ab omni legitimo ritu mactarentur. Pagninus ita reddit, *Et ad iugulandum declinantes a via recta in profundum.* Tigurina, *Mactando apostatæ in profundum ceciderunt.* Chaldæus, *sacrificantes idolis euntes.* De translatione LXX. quæ longè diuersa est, agemus statim; quæ verba quàm non violenter ad vulgatam translationem, & sensum trahi possunt, nemo non videt.

11. Vbi vulgatus *in profundum*, Heb. est העמיקו *heemiku*, quod ad verbum sonat, *profundauerunt*, seu *egerunt in profundũ.* quod exponi dupliciter potest; aut quomodo nuper exposuimus, ita vt longè à templo, ac sanctitate reiectæ sint victimæ, cum ad impias idolorum aras immolantur: aut quod idolis oblatæ omnino perierint. Quomodo cùm aliquid pessum, aut perditum damus, in barathrũ, ac puteum proiecisse dicimur; sic certè Hispanus loquitur. Aliquid item per hoc verbum significatur, quod ad dæmonem pertineat; quia dæmones in abysso sunt, & profundis addicti tenebris: quare quod profundatur, aut in profundum mittitur, ad dæmonem videtur esse mandatum. Ita indicat Hieronymus statim ad illud, *& ego eruditor omnium eorum*; sic enim ibi ad populum. *Qui tam grauiter deliquistis, vt non solùm occideritis victimas, sed in profundum eas miseritis inferni.* Neque temere quis diceret, (quia verbum illud ab עמק *hemek* deriuatur, quod vallem significat) indicari locum, vbi idolorum aræ essent excitatæ; in cõdensis nimirum vallibus, vbi luci sunt, & apta libidinum diuerticula, vt diximus *cap.4.* ad illud, v.13. *super capita montium.* Gregorius *homil. 4. in Ezechielem* explicationem adhibet ad mores opportunam.

12. Notat hic Ribera, quod etiam nos obseruauimus in nostris cõmentariis in Isaiam *cap. 6. num. 45. & cap.64. num.19.* & Ierem. *cap.4. num.54.* multa verba explicanda esse per aduerbia. Quomodo dicitur Psal.59. v.8. *Lætabor, & partibor Sichimam.* id est, lætanter partibor. & Deut. cap. 12. v.18. *Lætaberis, & reficieris.* id est, iucundè reficieris. Sic modò, *Profundastis declinantes.* id est, profundè, longè, ac vehementer declinastis. Sic *Osea cap.9. v.9.* vbi vulgatus *profundè peccauerunt*, Hebr. est *profundauerunt.*

REGVLA. *Verba interdum explicanda per aduerbia.*

13. Septuaginta sic vertunt, *quod, qui capiunt venationem, defixerunt.* Præcesserat *rete expansum super Thabor.* Septuaginta hoc loco nihil addunt, sed tantùm explicant superiora, & docent quomodo rete expansum sit, & ad captandas feras, seu volucres obtentum. Defixum porrò rete dicit, quia, vt dicit hoc loco Theodoretus, retia tenduntur, expanduntùrque in perticis humi defixis, quæ perticæ *σιῦες* vocantur, furcillæ, varræ aut venatoriæ furcæ. Horatius in epodo ode 2.

Venatorum instrumenta.

Aut trudit acri, hinc, atque hinc multa cane
Apros in obstantes plagas.
Aut amite leui rara tendit retia,
Turdis edacibus dolos,

De varris Lucanus lib.3.

Aut dum dispositis attollat retia varris
Venator.

Et ego eruditor omnium eorum.] Variè hic locus ab interpretibus accipitur. Quidam verba hæc esse putant amantis, atque miserentis Dei; quasi dicat, licèt multis populi peccatis offensus sit, & ad seueram vindictam prouocatus, non tamen esse cur ab obtinenda venia, atque salute desperet; adhuc enim illum salutaribus imbuet disciplinis, neque antiquam curam de illius incolumitate deponet. Ita Hieronymus, & Haymo, è recentioribus alij nonnulli. 14.

Alij ex eo exaggerari culpam arbitrãtur, quòd cùm Deus, quos hic impietatis, ac perfidiæ coarguit, semper admonuerit, & per Prophetas omni artificio ac studio ad meliorem frugem reuocare voluerit, illi tamen obstinati hæserunt in suscepto semel errore, neque Dei oracula pluris habuerunt, quàm aniles fabulas, aut nugas de circo. Huc inclinant Rubertus, Vatablus, Montanus, & quidam ex Hebræorum magistris; quorum sententiam probant Figuerius, & Ribera. Et mihi satis videtur facilis, ac soluta. Alij significari putant hoc loco minas Israelitici populi sceleribus intentas; neque vox *eruditor* ab hoc vsu, atque significatione aliena est, erudire namque aliquid in Scriptura sacra interdum importat seuerum, & graue. Thren.cap.1.v.13. *De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me.* Ita Chaldæus putat, Theodoretus, & Theophylactus; posteriores hæ sententiæ mihi magis videntur ad textum. 15.

Vers.3. *Ego scio Ephraim, & Israel non est abscõditus a me.*] Erudierat Dominus, & per Prophetas dolarat Ephraim, neque tamen tam longæ, tam constantis, tam beneficæ operæ vllum extabat magni momenti pretium. Quare non erat cur supplicium tot nominibus debitum longiùs differretur, & nouorum beneficiorum fructus, sicut alij antea sæpe perirent. Quare cùm antiqua beneficia docuerint, quem habitura essent exitum recentia, in stolidis, atque obstinatis animis, statuit Dominus, non tam paternè, ac molliter, quàm hostiliter, & durè agendum esse cum illo populo. Hîc obserua epitasim esse cùm post affirmationem contrarij subiicitur negatio: vt cùm de Ioanne Baptista dicitur; *Confessus est, & non negauit.* Et de Ezechia, *Morieris, & non viues.* Sic nunc planè sibi cognitum esse dicit Ephraim cùm dixit, *Scio Ephraim*, & statim additur, *Israel non est abscõditus.* Porrò Israel non hoc loco idem est quod Ephraim, vtrunque cum pro decem tribubus adhibetur. 16.

REGVLA. *Affirmatio cum negatione cõtrarij cum epitasi.*

Quia nunc fornicatus est Ephraim: contaminatus est Israel.] Eadem est sententia per epexegesim iterata. Quid sit fornicari, ex superioribus liquet: nempe idola colere. Ex his satis apparet sermonem esse de decem tribubus, quando toties auditur nomen Ephraim, & Israel, quæ duo nomina idẽ apud Prophetas plerũque valent. S. Hieronymus, & nonnulli alij in Ephraim reges intelligunt, & principes; quia reges Ephratæi fuerunt; in Israel verò reliquum populum. Sed quod dixi magis videtur ad textum, & vsum Scripturæ, quod putat Theodoretus, Rupertus, Vatablus, & Lyra. 17.

Vers.4. *Non dabunt cogitationes suas, vt reuertantur ad Deum suum.* Explicat Dominus quæ sit illa populi fornicatio, cùm illum ostendat à seipso recessisse, nempe per idololatriam; & quo in illo 18.

siue errore, siue impudentia progressus sit; quando non solùm nolit ad antiquam, & patriam religionem reuerti, sed neque de meliori cogitet fruge, neque admittat ad animum vllum de saniore consilio sermonem. Dare autem cogitationem, phrasis est Hebraica, pro cogitare; sicut etiam *dare cor ad sciendum*, seu *mentem* pro animum suum ad sapientiam, seu ad aliquod aliud opus intendere.

19. *Quia spiritus fornicationum in medio eorum.*] Quid sit spiritus, diximus suprà *cap.* 4. ad illud v. 12. *spiritus fornicationum decepit eos.* Est autem hic spiritus idololatriæ, qui illorum animis insedit, vsqueadeo violenter, & altè, vt præcipites agat, & de religione vera cogitare non sinat. Cùmque alibi fornicatio idololatria vocetur, quia distrahit sponsam à diuini sponsi amplexu, ac thalamo, & eodem modo sine dubio in hoc loco sumatur: tamen puto, quæ hîc dicuntur, spectare etiam fornicationis naturam, & spiritus, quo prurit homo, & furit in libidinem. Qui enim illo exagitatur spiritu, neque quicquam cogitat aliud, neque se inde ad meliorem mentem abduci sinit, quia totum hominem capit, & absorbet libido. Sic Aristoteles lib. 7. Moral. cap. 11. *Voluptates*, inquit, *prudentiæ sunt impedimento: atque eo magis, quo quis magis oblectatur, vt in venereorum voluptate contingit, in qua constitutus nemo intelligere quicquam potest.*

Luxuria ad conuersionē maximum impedimentum.

20. *Et Dominum non cognouerunt.*] Metaphoricus ille in Venerem pruritus excæcauit stolidos peregrinæ religionis sectatores, ne Deum cognoscerent verum, adeò illum vilem habuerint, vt cum aureis vitulis commutauerint. *Cognoscere*, autem ex Scripturæ vsu, cognitionem importat non sterilem, & frigidam, sed actiuam, viuidam, & quæ ad præclarum aliquod opus vrgeat, & instimulet. Hinc fit vt ignorare illos dicamur, quorum aut doctrinam respuimus, aut mandata contemnimus. Qua de re plura *cap.* 4. *v.* 1. ad illud, *Non est scientia Dei in terra.*

21. Vers. 5. *Et respondebit arrogantia Israel in facie eius.*] *Respondeo* tam apud sacros, quàm apud profanos scriptores, id interdum valet, quod alicui operi siue à lege, siue à consuetudine rependitur; vt si labori honesto gloria, corpori atque otio paupertas, & dedecus, tyrannidi odium, quasi legitima merces tribuatur. Sic Iacob Gen. 30. v. 33. *Respondebit mihi cras iustitia mea.* & Isaias c. 3. in eodē propè argumento, & eadem omninò sententia. *Agnitio vultus eorum respondit eis.* Ierem. c. 14. *Peccata responderunt nobis.* Sic apud profanos frequens, respondere alicui in amore, in officio, id est, parem, ac debita remetiri, respondet exitus spei, promissis, & animis, id est, consentaneus est. Sic Virgilius *lib.* 1. *Georg.* agricolæ studiis ac votis respondere dicit agri prouentus.

Respondeo æquam significat mensuram.

Illa seges demum votis respondet auari
Agricolæ, bis quæ solem, bis frigora sensit.

Sic igitur arroganti populo, ac perfido respondit fructus, quem infelix illa, atque stulta sementis exigebat, sordes, seruitus, ignominia, rerum omnium inopia. Hunc fructum parit arrogantia. Hæc est inflati spiritus legitima, & quasi naturalis merces.

22. Illud *in facie eius*, sic nonnulli explicant, & quidem aptè, supplicium, quod pro meritis excipient arrogantes, futurum esse manifestum; ita vt simulatione nulla tegi possit. Quomodo quæ in facie sunt celari neque solent, neque possunt. Nam si quis fucum adhibeat, aut splenium ad tegendam deformitatem aut vulnus, artificium illud, aut nihil valet, aut certè maiorem aut prodidit, aut indicat ignominiam. Notum est illud,

Quod tegitur maius creditur esse malum.

Hispanus optimè expressit Hebraicam phrasim, dum infortunium, quod ex scelerato, seu insipiente consilio profectum est, sic explicat, *Salióle alos rostros*, metaphora sumptâ à ciborum intemperantia, quam pustulæ produnt in labris erumpentes.

Ego potiùs crederem *faciem eius*, sicut alibi, millies periphrasim esse illius, cuius dicitur esse facies, quomodo dicimus, *à facie gladij*, id est, à gladio, *faciem alicuius*, seu *vultum deprecari*, id est, aliquem. Quare sensus erit facilis, si ita interpretere. Arrogantia Israel, ipsi respondebit, id est, talem pariet fructum, qualem ipse meretur. 23.

Et Israel, & Ephraim ruent in iniquitate sua: ruet etiam Iuda cum eis.] Explicat quid sit arrogantiam in facie respondere. Arrogantia alta semper appetit, neque quemquam sibi præferri, aut æquari patitur: nunc videndum, quid huic immoderato spiritui ex aduerso respondeat. Attollit sese superbus sursum, hunc Deus deprimit, & abiicit deorsum. Præesse vult aliis, sed Deus aliorum subiicit imperio: denique facit, vt corruat, & nihil habeat reliquum dignitatis, & gloriæ. Illud *in iniquitate*, idem valet quod *propter iniquitatem*. *In* etenim non raro apud Hebræos idem est quod *propter*. Infra cap. 12. *Seruiuit Israel in vxore*, id est, propter vxorem. Micheas 3. *Principes eius in muneribus iudicabant*, id est, propter munera. Isaiæ cap. 50. *In iniquitatibus vestris venditi estis.* Thren. 3. *In cunctis filiabus vrbis meæ.* Vide quæ in nostris commentariis diximus ad hunc posteriorem locum, & *in cap. Ierem.* 15. *num.* 47. 24.

In idē quod propter.

Ruet etiam Iuda cum eis.] Idem quod decem tribubus infortunium contigit, accidit etiam post aliqua tempora duabus aliis; quia licèt non recessissent à templo, idola tamen coluerunt non solum extra templum, sed etiam in ipsius templi locis maximè sacris, vt habes apud Ezechielem *cap.* 8. *& cap.* 23. sub allegoria Oolla, & Ooliba: vbi fornicata dicitur Iuda, non secus ac priùs Israel. Vide etiam Ieremiam *cap.* 11. *& cap.* 44. Hic verò videtur Deus significare voluisse, non odio illius Israelitici populi, tam seuerum se denunciasse supplicium; sed quoniam illud grauissima quædam illorum scelera aduocabant, maximè idolorum cultus nefarius, & veræ religionis contemptus, & obliuio. Quando idem etiam iudicium aliquandiu pòst tulit in dilectum sibi populum, apud quem templum, id est, proprium sibi domicilium locarat, quando idem admisit impudenter, & liberè idololatriæ crimen. Quomodo si quis in filio peccatum aliquod puniret capitali supplicio, ille satis illustri documento probaret, sibi vehementer inuisum esse tale flagitium. 25.

Vers. 6. *In gregibus suis, & in armentis suis vadent ad quærendum Dominum, & non inuenient, ablatus est ab eis.*] Hæc tam ad decem tribus, quàm ad duas alias pertinere putat Hieronymus, & cùm eo plerique alij. Quod mihi non displicet; licèt illud parùm huic cogitationi faueat, quod non videmus decem tribus de suis gregibus, atque armentis, aut postquam ab aliis duabus discessere, aut cùm ab hostibus malè mulctatæ sunt, in templum publicè obtulisse victimas, vbi legitimè tantùm immolari poterant. Quare non displicebat 26.

bat mihi, quod visum est Figuerio, posteriora hæc ad duas tantùm tribus pertinere: hæc enim similia, sæpe dicta sũt de duabus tribubus, de decem verò, quod ego meminerim, nunquam. Isai. 1. v. 11. *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus. plenus sum. Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui.* Ierem. 11. *Nunquid carnes sanctæ auferent à te malitiam tuam.* Plura huius generis inuenies de Iuda apud Prophetas.

27. Ibunt igitur siue omnes tribus vrgentibus hostibus, siue duæ tantùm oneratæ victimis, siue de gregibus, nempe minoribus, quales sunt arietes, & agni; siue de armentis, quales sunt tauri, ac vituli ad quærendum, placandúmque Dominum; neque tamen inuenient, placatum nempe: & qualem suis necessitatibus, ac votis expetierant. Porrò ablatum esse Dominum ab eis, nihil est aliud, quàm alieno esse animo, ac perinde se habere, ac si nec præsens esset; neque illorum videret res angustas, & oblatas victimas, neque denique vota, ac preces audiret. Sic *Deut.* 32. cùm significat Deus sibi nullam esse curam de rebelli populo, vbi, sicut frequenter alibi, humano modo loquitur. *Abscondam,* inquit, *faciem meam ab eis, & considerabo nouissima eorum. Generatio enim peruersa est.* Isai. cap. 54. v. 8. *In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te.* Iob 13. v. 24. *Quare faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum?* Isai. cap. 58. v. 2. *Peccata vestra absconderunt faciem eius* (Dei) *à vobis.* Neque dicendi modus in hac significatione alienus est Latinis, qui *auferre se ab aliquo* sumunt pro discedere, seu abalienare se ab aliquo. Aut, quod idẽ est, auferre aliquem à se, quod dixit Deus de duabus tribubus 4. Reg. cap. 23. v. 27. *Etiam Iudam auferam à facie mea, sicut abstuli Israel, proiiciam,* &c.

Abscondere faciẽ quid.

28. Illud *in gregibus suis,* idẽ est quod *cum gregibus; in* enim persæpe idem valet quod *cum,* vt diximus in nostris commentariis in Ezechielem *cap.* 16. *num.* 118. ad illud, *Fornicata est in filiis Assyriorum,* id est, cum filiis. & cap. 34. v. 25. *In sanguine comeditis.* & statim, *stetistis in gladiis*, id est, cum sanguine, & gladiis.

In idẽ quod cum.

29. Vers. 7. *In Domino præuaricati sunt: quia filios alienos genuerunt.*] Præuaricari in Domino idem esse puto, quod *contra Dominum;* ב *beth* enim pro quo Latinè, *in,* interdum significat *contra*: vt *Gen. cap. 16. v. 12.* de Ismaele, *manus eius* (בכל *bacol*) *contra omnes; & manus omnium contra eum* (בו *bo.*) Adducit autem argumentum, quo duæ, vt opinabar, tribus præuaricationis arguuntur: quia filios genuerunt alienos. Cur autem filij vocentur alieni, obscurum est; neque eodem omnes explicant modo. Ego cùm in hunc locum deducta cõmentatio est, addubitare cœpi an allusum hic esset ad nomen filij Oseæ, de quo c. 1. לאעמי *loami,* id est, *nõ populus meus,* quasi omnes sint eius instituti, ac vitæ, vt vocari possint *non populus Dei*, id est, alieni filij: seu certè filij dicantur alieni, quia his parentibus nati, qui nihilo sunt Gentilibus meliores. Gẽtiles autẽ suos filios, quasi alieni forent, proiiciebãt, cùm recèns essent nati, vt pluribus ostendimus *in cap. 8. Cant. & in cap. 16. Ezechielis*, quo nomine significantur Israelitæ fuisse idololatræ, neque vixisse aliter, quàm quilibet è Gentili populo.

Alieni filij qui.

30. Hieronymus alienos dici putat, aut quia geniti sunt in eo tempore, in quo parentes idolorum adhæserunt religioni, qui ideo parentum videbantur secuturi vestigia, & alieni futuri à Deo; aut quia ab impiis parentibus idolis consecrati, quod non semel fecerunt parentes traducentes per ignem. Id sanè fecisse dicitur Achaz 4. *Reg.* 16. Quod de toto populo queritur Dominus Ezech. cap. 16. v. 21. *Immolasti filios meos, & dedisti illos consecrans eis.* Alij putant alienos illos appellari, qui nati sunt ex Israelita patre, & ex matre alienigena, Moabitide puta, Ammonitide, Idumæa. Porrò eiusmodi filij, quia matribus assidui sunt, & maternis blanditiis magis capiuntur, maternis libentius, quàm paternis obsequuntur monitis, & vestigiis insistunt. Hoc Dominus cauet, cùm prohibet virum Israelitam, aut Israelitidem fœminam alterius Gentis, aut religionis implicari coniugio. Deut. cap. 7. v. 2. *Non inibis cum eis* (Gentilibus) *fœdus, neque sociabis cum eis coniugia. Filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo, quia seducet filium tuum ne sequatur me, & vt magis seruiat diis alienis.* Si Idumæa v. 9. aut Moabitis vxor, virum potest ad alienam religionem abducere, in quo plus est iudicij, atque constantiæ, quomodo non multo facilius teneram filiorum ætatem, quæ non aliter, quàm mollis cera, fingitur moribus, ad quamcunque velit viuendi formam finget, & instituet. Ita cum Chaldæo putat Theophylactus, & Burgensis, quod Riberæ non displicet. Ex his sententiis illa mihi probatur maximè, quæ Hieronymo placuit.

Matrimonia Iudæis cum Gentibus prohibita.

Nunc deuorabit eos mensis cum partibus suis.] Septuaginta, *comedet eos rubigo.* Legerũt fortasse חסיל *chasil*: neque metaphora esset aliena ab instituto Prophetæ. Vt enim rubigo segetes vrit, ac perdit; sic hostilis exercitus Israeliticæ gentis florentem statum absumet, & extinguet. Sed cum vulgato plerique alij consentiunt, qui legerunt חדש *chodes*, quod mensem significat, aut mensis initium, atque ideo alij cum vulgato *mensem.* Aquila *Kalendas,* siue *Neomenias* vertit. Sed est adhuc difficilis, & obscura sententia. Quidam hìc designari putant certum aliquem mensem, in quo totum Israeliticum genus translatum est ad Assyrios, & illius fines omnino vastati. Ita quidam ex Hebræis, quos secuti sunt Montanus, & Lyra. Sed planè id verisimile non est; tum quia ex quo decem tribus ab Assyriis affligi, atque vastari cœptæ sunt, non vnus mensis, sed anni plurimi interiecti sunt, quantum nimirum intercessit spatij ab regno Phacee, vsque ad annum 9. Hoseæ, qui postremus fuit regum Israel. De Phacee habes *lib. 4. Reg. cap. 15. v. 29.* de Hosea *cap. 17. v. 6.* 31.

32. Alij putant crebras futuras hostium incursiones, singulisque mensibus recens aliquod populum accepturum infortunium, ita putat Hieronymus in secunda expositione, qui *ex lib. 4. Reg. cap. 15. & ex 2. Paralip. cap. 28.* probat sæpe in Israeliticos fines irrupisse Chaldæos. Cum Hieronymo sentiunt Haymo, Albertus, Hugo, Ribera, quod etiam censuit Chaldæus Paraphrastes.

33. Ego hic hyperbolem esse putabã, à qua Scriptura sacra non abhorret. Et quidem hyperbolicè aliquid hìc significari ipse fatetur Hieronymus, & illius asseclæ, cùm singulis mensibus, futuræ dicuntur impressiones hostiles: quod sanè factum non est. Mihi multo videbatur verisimile magis hyperbolem esse non in menstruis Assyriorum appulsibus, aut vastitate frequenti; sed in festinatione, quia propè aderit tempus, in quo ab euentu suam probauit fidem præsens vaticinium.

nium. Quod priori explicatione secutus est Hieronymus: *Non, inquit, multo post tempore, non annorum spatiis infinitis, vt solitus eram prius longè post futura prædicere, sed nunc, & inpræsentiarum adueniet Assyrius.* Aut certè *mensis* pro breui sumptus est tempore, quo status Israeliticus periбit. Et re vera pro tanti imperij amplitudine satis videtur angustum illud spatium, quod in subiugando, atque euertendo illo posuerunt Assyrij. Neque, credo, erraret, qui nihil hic acciperet hyperbolicum; sed existimaret reuerà post mensem vnum, ex quo hęc à Propheta audiuit Israel, appulisse in eius fines Assyrios, & primam illius cladem intulisse. Nam viuente Osea, & cœptam, & finitam esse Israelis stragem, ab ipso Propheta manifestè discimus. Prophetauit enim sub Ozia seu Azaria, sub Ioatham, & Achaz, quo tempore fuit primus Assyriorum appulsus, & sub Ezechia: cuius anno 6. capta est Samaria, *lib. 4. Reg. cap. 17. v. 10.* & extinctum omnino Israelis imperium; & hoc postremum mihi probatur omnium maximè. Significari autem hic festinatum Assyriorum aduentum, sentiunt cum Hieronymo Rupertus, Vatablus, Haymo, Isidorus, & Figuerius. Neque parum fauet huic sententiæ illud *nunc*, quod pręfigitur mensi; idè enim valet, vt opinor, quod præsens hic mensis. Illud *cum partibus*, LXX. conuerterunt, *cum fortibus suis*, eodem sensu. Mensis autem per metonymiam, pro his rebus sumitur, quæ in mense fiunt, pro exercitu nempe Assyriorum, pro clade, & aliis aduersæ fortunæ casibus, quæ in illo mense Israelis vires, atque fortunas attriuerunt. Quo modo dicimus, *Hic dies mihi salutem attulit*, id est, victoria eo die comparata; *hyems me exanimauit*, id est, frigus hyemale.

34. Vers. 8. *Clangite buccina in Gabaa, tuba in Rama, vlulate in Bethauen.*] Hic dicendi modus aliquid indicat iamiam impendens ab hostili acie, quando clangor denunciatur buccinæ, & litui clamor. Hæc etenim concrepare non solent, nisi cùm iam afflat hostilis rumor, & arma ad resistendum expediri iubentur. Vbi vulgatus *Gabaa*, & *Rama*, LXX. reddiderunt, *in collibus, & excelsis*, quod tam ipsis, quàm vulgato familiare est; vt aut explicationem nominis adhibeat pro nomine proprio, quod hîc fecisse videntur LXX. aut cùm nomen sit appellatiuum, ita relinquant non conuersum, vt proprium esse videatur. Quare meritò hic aliquis dubitare posset, an hic iubeat Deus, vt in duabus hisce ciuitatibus, quæ sunt in tribu Benjamin, tuba clangat, & buccina; aut certe in montium fastigiis, quæcunque illa sint. In montibus, & collibus signū edi solitum, quo populi siue admonerentur, cùm quid opus esset scito, aut facto; aut vt se ad subitum aliquem casum compararent; res est nota, de quo super Isaiam *cap. 40. v. 54.* ad illud, *super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion.* Neque mihi videbatur difficile, aut contra Scripturæ sacræ consuetudinem, si ita accipiamus. Quo modo acceperе Septuaginta, & qui illorum translationem secuti sunt, Theodoretus, & Theophylactus. Tum verò sermo esse potest ad decem tribus Israel, vt in omni montium fastigio tubarum, ac buccinarum sonitu parari, atque expediri arma iubeant, & quàm maximos possint delectus habeant. Siue, vt Theodoretus docet, & Theophylactus, cum quadam ironia subamara, monet vt colles ascendant, vbi excitauerant aras, conseeraueràntque ligneis, atque marmoreis simulacris, & ab eis in illis rerū angustiis auxilium implorēt, quam ad rem clangente tuba omnes latè populos aduocari iubet. Confirmat hanc cogitationem nomen Bethauen, quod statim subiicitur; quod in malā partē semper assumitur, sonatque aut domum iniquitatis, aut domum idoli, vbi vlulandum esse dicit: quia Gentiles, si quando grauior aliqua vrgeret angustia, non tam orabant, quàm excruciabant se, & gladiis, atque lāceolis incidebant; vt habes *lib. 3. Reg. cap. 18. num. 28.* vbi sic de sacerdotibus, dum orarent ab Baal, *Clamabant ergo voce magna, & incidebant se iuxta ritum suum, cultris, & lanceolis, donec perfunderentur sanguine.* Quòd si ad hoc clamandi, atque plangendi genus aduocat, optimè vlulare siue rugire iubet, neque enim hic tam clamores, & gemitus, quàm rugitus, atque vlulatus edit.

In collibus Iudæi clamare soliti, aut signa proponere.

Illa sententia communior est, & eo nomine mihi probata magis, quæ in Gabaa, & Rama ciuitates duas intelligit, quæ, Hieronymo teste, sunt in tribu Benjamin: quod etiam constat ex *Iosue cap. 18.* quas esse in locis excelsis ipsa docet nominum notatio. Quare inde possent commodè admoneri populi concrepante tuba, quia ex edito loco magis sese clangor, aut clamor quoquo versus diffundit. Quòd si duæ istæ ciuitates, licèt in tribu Benjamin, ad regnum pertinent Israel, quia vi, aut astu à regibus ablatæ, & ad alienum funiculum, seu possessionem traductæ, non est difficilis, aut obscura sententia; monentur enim Israelitæ, vt in duabus ciuitatibus, quibus dominantur, aut signū excitent militare, aut clangente tuba populos admoneant, quid in eo rerū articulo facto opus sit. Sanè ita videtur posse colligi ex *lib. 3. Reg. c. 15. v. 17. & v. 21.* vbi rex Israel in finibus Benjamin ædificasse traditur duas has ciuitates, quo regibus Iuda ad terminos Israel aditū præcluderet. Sed euertit hanc cogitationē, quòd sub hęc tēpora (quidquid de superioribus statuas) duæ istæ ciuitates sub ditione numerabantur regum Iuda, vt planè constat ex *Isaia cap. 10. v. 29.* vbi postquam iam Israelitici regni terminos omnes occupassent Assyrij, & quod è tota Palæstina reliquum erat, nempe quod obtinebant adhuc reges Iuda, subiugare sibi vellet Sennacherib, ad duas hasce ciuitates exercitum admonit. *Obstupuit Rama, Gabaa Saulis fugit.* Quare aliter à nobis informanda est huius loci sententia, & primùm statuendum has duas ciuitates, vt sunt in funiculo Benjamin; sic etiam regum Iuda imperio parare. 35.

Cognouimus supra *v. 5.* aliquot annos post cladem Israel, eundem quoque exitum habituram esse tribum Iuda, & Benjamin. *Israel & Ephraim ruent in iniquitate sua: ruet etiā Iudas cum eis.* Idem ego significari arbitror hoc loco, quasi admoneat Propheta duas alias tribus, vt in alieno periculo discant. Quod verò ad illas pertinet, parenthesi arbitror esse concludendum ab illis verbis, *in gregibus suis*, vsque ad *post tergum tuum Benjamin*, postquam statim sermo, qui de Israel, seu Ephraim institutus fuerat, pertexit. Quasi dicat Dominus, postquā antecessisset proximè Israelitica clades, caue tibi ô Iuda, & Benjamin; & cùm vlulantem videris Bethauen, quia vel absumitur ferro, vel extorris agitur ab Assyriis; cane buccina, & contra ingruentē hostē, qui non multo pòst aderit, animos, & aciem para. Ita visum est Riberæ, &, meo iudicio, optimè. Qui ex maximo exitio putat edici duabus tribubus, vt suo capiti timeant, quod spectare possunt in alieno, iuxta illud Horatianum, 36.

At te post paulo ventura pericula cernis,
Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet.

37. *Vlulate in Bethauen post tergum tuum Benjamin.*] Hæc mirè faciunt ad posteriorem sententiam. Bethauen ciuitas erat in tribu Ephraim, quæ priùs dicebatur Bethel; vbi vitulorum alterum constituit Ieroboam, quem à decem tribubus coli pro Deo voluit. Hæc autem à tergo erat Benjamin, id est, illius finibus adiuncta; nam duabus hisce familiis communis est terminus. Monet ergo Deus duas tribus, & præsertim Benjamin, vt cùm vlulare audiat Bethauẽ, id est, proximam tibi ciuitatem, cùm ab hoste conciditur, seipsam ad casum comparet non dissimilem; & dum illa rugit, atque vlulat, ipsa clangat buccina; & eodem tempore sonent morientium, & captiuorum gemitus, & litui sonitus, qui nõ quid tale Benjaminitæ patiantur, cauet. Quomodo duæ tribus non longè post hæc tempora, grauia passæ fuerint à Sennacherib, & deinde à Chaldæorum exercitu deletæ, habes *lib. 4. Reg. à cap.* 18. de Sennacherib; de Chaldæis autem à *cap.* 24.

38. Vers. 9. *Ephraim in desolatione erit in die correptionis.*] Ostendit cur vlulare debeat Ephraim, & gemitus audiendos ex Bethauen, quæ proxima est Benjaminitis; quia dies tandèm aderit extremus, & ineluctabilis, & quasi fatalis articulus, qui regnum illud quondam amplissimum extinguet.

39. *In tribubus Israel ostendi fidem.*] Vacuas putabant Israelitæ, de quorum nunc excidio loquitur Deus, ab omni pondere Prophetarum minas, quas vertebant aut in aniles nugas, aut fabulosa cantica, aut certè verba Dei ipsius, qui variis locis his, qui diuina transilirent mandata, exilium minabatur, & mortem, & alia plurima, quæ numerantur in malis. Nunc verò ostendisse se dicit Deus, id est, ostensurum (loquitur enim more prophetico, & præteritum adhibet pro futuro) neque infidelem esse promissionem, neque minas inanes. Liberabit enim fidem suam, vel cumulando bonis eos, qui diuinis adhæserint mandatis; & eos, qui contrà fecerint, afficiendo suppliciis, vt expertæ sunt statim decem tribus: & non longè pòst aliæ duæ. Hæc est sententia communis, & facilis.

40. Vers. 10. *Facti sunt Principes Iuda, quasi assumentes terminos.*] Locus hic variè exponitur. Theodoretus, & Theophylactus, qui codices sequuntur LXX. qui ita habent, *Quasi transferentes*, hunc putant esse sensum. Varios esse, atque instabiles principes, qui legem non aliter mutant, quàm si terminales lapides, qui agros definiunt, alio transferrent, & modò hos, modò illos pro suo arbitratu agros excolerent. Quæ sanè metaphora aptè Iudæorum ingenium versatile significat, qui nouas religiones quotidie ambiunt, neque pluma aut fumus, magis à vento, quàm ipsi ab idololatriæ spiritu mouentur.

41. Hieronymus, quem alij, vt solent, frequentes sequuntur, ideo plectendos dicit esse Iudæos, quia cùm dolere debuissent cognatarum sibi tribuum interitum, & illarum periculo doceri, quod sibi deinceps instituendum viuendi genus, tamen eò magis illorum studium ferebatur, vt relictos aliorum terminos occuparent, & ex aliorum incommodis captarent lucra, & fines amplificarent antiquos. Hæc Hieronymi sententia ex eo confirmari potest, quia Deus antea seuerè præceperat, ne quis aut possessionis suæ signa reuellaret, aut in alienam possessionem irrumperet. Deut. cap. 19. v. 14. *Non assumes, & transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in possessione tua, quam Dominus Deus dabit tibi in terra, quam acceperis possidendam.* Et ibid. cap. 27. v. 17. *Maledictus qui transfert terminos proximi sui; & dicet omnis populus: Amen.* Hoc verò studium fines amplificandi grauiter reprehendit Dominus Isaiæ cap. 5. v. 8. *Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vsque ad terminum loci.* Est quidem hæc Hieronymi sententia grauis, & nobis amplectenda, vel eo nomine, quòd tanto Doctori placuit. Verùm est aliquid, quod meo iudicio non leuiter hanc Hieronymi cogitationem oppugnat, atque debilitat. Primùm, quia non videtur, quòd tam graue fuerit Iudæorum peccatum; si possessiones caducas, quæ nullos agnoscunt possessores, & dominos adirent, cùm iam ipsa naturæ lex, atque hominum consuetudo videretur fecisse communes. Præsertim cùm cognatione essent proximi, & ipsorum parẽtibus ascripta foret olim illa possessio. Sanè licuisse duabus tribubus relictas aliorum sortes iure, ipse docet Dominus *Ierem. cap.* 49. *v.* 1. vbi grauiter reprehendit Ammonitas, quòd cùm ab Assyriis forent è suis finibus eiecti filij Israel, qui vltra Iordanem constiterant, nempe Gad, & Ruben, & dimidia tribus Manasse; ipsi tamen in vacuos à possessoribus agros irruperunt, cùm tamen superessent alij ex filiis Israel, ad quos fratrum suorum derelicta possessio pertineret. *Ad filios Ammon hæc dicit Dominus. Nunquid non filij sunt Israel? aut hæres non est ei? Cur igitur hæreditate possedit Melchom, Gad: & populus eius in vrbibus eius habitabit?*

Quare alia mihi expositio magis probaretur, nisi nuda foret à patrono, tum quia facilis, tum quia, quid illi opponas, nihil occurrit graue. 42.
Minatur Dominus idẽ supplicium duabus, quod decem tribus antè subierant; neque sanè immeritò, cùm iisdem se flagitiis implicuissent; neque minus essent fornicatę impudẽter, & liberè, quam tribus aliæ, quibus mysticam sæpe fornicationem obiecerat. Quod optimè expressit Ezechiel in duarum meretricum allegoria *cap.* 23. quæ mirè hanc nostrã cogitationem explicat. Vbi docet Ooliba, in qua duæ tribus significantur, ideo grauiter à Deo fuisse mulctatam, quia imitata est sororis Oolla profligatos mores, cuius supplicio à fornicando deterreri debuisset. Putabam igitur duas tribus dici assumere, seu transferre terminos, quia sic aliarum decem mores expressere, quasi illarum assumpsissent terminos, & in eisdem cum ipsis legibus, ac finibus vixissent, procul à religione & tẽplo, & omninò iam factæ ex illarum numero, quæ secutæ Ieroboam aureis vitulis diuinos honores exhibuerunt. Cui cogitationi non parum fauet, quòd non dicuntur assumpsisse, sed quasi assumpsisse alienos terminos.

Super eos effundam quasi aquam iram meam.] Quia 43.
non aliter principes Iuda, & cum ipsis multitudo reliqua in Dominum peccauerunt, quàm decem aliæ tribus, in quarum cœtum & ordinem migrasse videbantur, ideo in illas Deus grauiter se animaduersurum esse dicit. Modus dicendi explicandus. In aquis torrentibus, & latè regionem aliquam inundantibus exprimit exercitum copiosum, & fortem; res est nota, cui nulla vis opponi potest, neque agger vllus impedimento est, quo minus obuium quodque sternat, & obruat. Sic Isaias *cap.* 8. *v.* 7. de Assyriis, qui contra Iudam exercitum

Agrorum fines non mutandi.

Exercitus in flumine descriptio.

citum armarunt, de quibus fortasse præsens sermo. *Propter hoc ecce Dominus adducet super eos* (qui sunt e duabus tribubus) *aquas fluminis fortes, & multas, regem Assyriorum, & omnem gloriam eius*, &c. *Et ibit per Iudam inundans, & transiens vsque ad collum.* Et cap. 30. v. 28. *Spiritus* (id est, ira) *eius velut torrens inundans vsque ad medium colli ad perdendas gentes.* Ieremi. cap. 46. v. 8. *Ægyptus fluminis instar ascendit, & velut flumina mouebuntur fluctus eius; & dicet: Ascendens operiam terram*, &c. Hostilis porrò exercitus ita vocatur Dei; quia per illum Deus pœnas exigit de scelerato populo. Quare cùm de hac ipsa re sermo esset Isaia, cap. 10. v. 5. indignationem suam dixit Dominus esse in manu Assyrij; per illum etenim Deus iniurias suas vltus est. *Assur, inquit, virga furoris mei, & baculus ipse est. In manu eorum indignatio mea.* Effundet ergo Dominus iram suam quasi aquam, quoniam in populum Iuda Assyriorum primùm, deinde Chaldæorum exercitum inducet qui non secus, atque exundantes aquæ, Iudæorum populum operiant. Hunc cum Hieronymo incumbunt plures alij.

44\. Hanc ego sententiam germanam esse puto; Ribera aliam adiungit, & in aqua etiam significari putat vindictam grauem, & furorem ardentem, quo omnem in illa [illegible] capit [illegible] exhauriet; vt enim si aqua effundas nihil in vasis fundo, aut lateribus manet, sed quicquid est totum omnino foras effluit, quod in quibusdam alijs liquoribus non contingit, in oleo putà, melle, & vnguentis, in quibus aliquid est viscosum, & pingue: vt enim quam possis diligenter excutias, nunquam tamen efficies, vt non semper aliquid aut lateribus hæreat, aut in fundo subsideat. Deut. cap. 12. v. 16. *Comedes, absque esu dumtaxat sanguinis, quem super terram, sicut aquam effundes.* Idem cap. 15. v. 23. id est, neque vna quidem sanguinis gutta in animali remaneat. Hinc Christus Psal. 21. v. 15. *Effusus sum sicut aqua*, id est, *totus mihi sanguis exhaustus est.* Placet quidem hæc Riberæ cogitatio, cui fauet illud Isaiæ cap. 1. v. 5. *Super quo percutiam vos vltra?* quasi Deus in populi correctionem omne suppliciorum genus exprompserit; verùm alia communis mihi potior est.

Aqua [illegible] similitudo totale aliquid indicat.

45\. In quacunque sententia illud habemus certum, in verbo *effundo* magnum aliquid significari. Instillat Deus, & effundit iram, magno tamen discrimine; cùm instillat, guttatim immittit, sicut è cælo pluuiam: quæ sic hominem madefacit, vt non obruat; sic terram rigat, vt nihil aliud afferat incommodi, quam puluerem in lutum cogere, & impedire, & quasi ligare pedes, ne in vitiorum semita liberos habeant, & expeditos gressus. At cùm aquam effundit torrentis in modum omnia populatur. Stillauit Dominus, cùm per Prophetas admonuit, vt sibi temperarent à peccando. Sic Ezech. dicitur cap. 20. v. 46. *Stilla ad Africum, & propheta ad saltum agri meridiani.* Vides quò nos in illum locum adduximus. Hic ita aduerte, pro [illegible] solet Deus stillare prius, id est, furoris sui guttas demittere, cùm morbo affligit, aut bonorum iactura. Quod si his homo melioribus non assuescat; tunc demum effundit iram, sicut aquam, & in peccatoris caput sæuit hostiliter.

Instillare & effundere iram quid.

Deus amicè prius, molliter, deinde hostiliter sæuiè castigat.

46\. Versetur. *Calumniam patiens est Ephraim fractus iudicio.*] Calumniam passus dicitur in Scriptura, qui quocunque modo vexatur, & opprimitur, siue id ab hoste violenter fiat, siue ab accusatore fallaci, aut ab iniquo iudice fraudulenter. Sic Isaias cap. 52. *Assur absque vlla causa calumniatus est eum.* Calumniam igitur passus dicitur Ephraim, aut quia ipse acerbe iactabitur; aut quia ipse cùm in exilio fuerit, vim sibi, atque iniuriam inferri clamabit, siue ab hoste, quem experietur inclementem, & durum, siue à Deo, de cuius iustitia ac fide querimonia non infrequens. Sic sanè querebatur populus, qui cùm sibi de religione, ac sanctitate placeret, de Deo querebatur, quòd ipsorum non respexisset merita, sed varijs incommodis iactari pateretur. Isai. cap. 58. v. 2. *Me etenim de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt, quasi gens, quæ iustitiam fecerit, & iudicium Dei sui non dereliquerit. Rogant me iudicia iustitiæ, appropinquare Deo volunt. Quare ieiunauimus, & non aspexisti? humiliauimus animas nostras, & nescisti?* Ita aut tenent aut indicant ex interpretibus nonnulli. Neque mihi displicet, cùm Israeliticum genus deberi sibi multa existimaret, cùm varias accepisset promissiones à Deo, & subesse aliorum imperio durum existimaret, & indignum: quare in Deo constantiam, & in promissis fidem requirebat, suæ iustitiæ falsò, atque innocentiæ blanditus.

Calumnia quid.

Ego hîc magis putabam expeditam esse sententiam, si, quod apud Hebræos obuium est, subaudiatur similitudinis nota. In hunc sensum. Sic accipietur Ephraim, vel dum ab hoste iactatur, & suis spoliatur ornamentis, vel dum e patriis finibus expulsus ludibriis omnium, & contumeliis patet, sicut, qui ita sunt infortunati, sic reputantur sordidi, ac despicabiles, vt neque suũ sibi ius in iudicio legitimo, ac publicis tribunalibus obtineant. Qui verò in eo statu, atque ea existimatione est, vt res suas, neque à iudicio repetere legitimo, aut irrogatas sibi persequi iniurias, innumeris quotidie contumeliis atque iniuriis conciditur: vt enim homines auari sunt, petulantes, ac barbari, tentabunt pro sua libidine omnia, quæcunque sibi fore existimabunt impunita. Id verò est calumniam pati, cùm & multa illis obiiciantur falsò, quibus siue à lege, siue à consuetudine grauissima sunt decreta supplicia, aut cùm omnis ad publica iudicia clausus est accessus; quia peruersis, atque corruptis iudiciis res agitur. Quod statim explicatur magis cùm additur, *Fractus iudicio*, quod idem valet, quod *iudicio damnatus*; aut cui omne iudicij, ac fori leuamentum periit. Porrò hoc supplicium Deus suæ legis desertoribus iam dudum indixerat. Deut. cap. 28. v. 29. *Omni tempore calumniam sustineas, & opprimaris violentia, neque habeas, qui liberet te.* 47.

Quoniam cœpit abire post sordes.] Causã reddit cur eò sit redactus Ephraim, vt tam à priuatis hominibus, quàm à publicis, legitimisque iudiciis, omnibus spolietur ornamentis, & legum æquitate: quia sordes amplexus est, idola videlicet, in quibus nihil æquum, nihil purum, aut commodum inuenitur. Vbi noster *sordes*, quidam e recentioribus reddidere, *præceptum*: quia Heb. est. צו *sau*, quasi deductum fuerit à verbo צוה *sauah*, quod est præcipere. Sed vulgatus deduxit à radice צוא *tsa*, à quo deducitur vox illa, quæ stercus significat, aut excrementum; de qua significatione non dubito, licet de illa Hebræorum lexicon sileat. Qui *præceptum* legunt, sic explicant hunc locum: Talia passus est Ephraim, quia contempto Dei præcepto secutus est præceptum Ieroboam, qui erectis vitulis, & pro illorum cultu sacrificiis institutis, vetuit, ne quis sacrificij, aut 48.

religio

religionis gratia templum obiret Hierosolymitanum. Sed dura est, & longè petita hæc interpretatio.

49. Verſ.12. *Et ego quaſi tinea Ephraim, & quaſi putredo domui Iuda.*] Duo regna, Iſraeliticum ſcilicet, & Iudaicum ſæpe in hoc capite coniunguntur, quia etiam ipſa ſtudium ſuum, atque animos in flagitioſo viuendi genere coniunxêrunt. Priori tamen loco ſæpe collocatur Ephraim, id eſt, Iſrael, quia, & prior ſeſe à Deo diſtraxit, & priori etiam loco perfidiæ, atque transfugij ſui pœnas exoluit. Vterque populus ex quo cœpit à fide, & vera religione deficere, ſenſim cœpit, & quaſi per partes continuò labaſcere. Quare ſæpe tentatus eſt ab hoſtibus, & malè conciſus, ita vt coactus fuerit auxiliares ſibi copias ab externis aſciſcere, de quibus ſtatim: quia verò illa ſiue externa, ſiue domeſtica, atque inteſtina vexatio non ſtatim, & quaſi vno impetu vtrunque illum populum deiecit, ſed ſenſim debilitauit, & fregit, donec tandem tanquam torrens inundans per Aſſyrios, & Babylonios omnino contriuit; confert ſe hoc loco cum putredine, ac tinea: quarum altera veſtimenta, altera materiam ligneam exedit, ac corrumpit, vtraque verò id præſtat morſu tacito, ac lento. Fuerunt autem regibus Iſrael, & Iuda exhauſtæ opes, aut quia externis regibus coacti ſunt vectigalia dependere, quod fecit Manahem rex Iſrael, de quo ſtatim, Achaz, & Ezechias, aut ereptæ vi à potentiore hoſte: & vires, quia ſæpe à vicinis acceptæ clades, quæ ciuitati præſidium, & robur ademerunt. Hæc vero putredo cenſeri potuit, & tinea, quæ ſic afficiunt, aut veſtimentum, aut ligna, vt neque poſſint eſſe diuturna, neque magnam aliquam molem ſuſtinere.

Sēſim priùs & mitiùs, poſt duriùs punit Deus.

50. Verſ.13. *Et vidit Ephraim languorem ſuum, & Iudas vinculum ſuum.*] Non fuit difficile ex acceptis quotidie tot incommodis intelligere acciſas eſſe vires, & quaſi expreſſum ſanguinem, aut exuctum è venis, neque ſatis ad patriam, vitamque defendendam eſſe præſidij. Quare cognouerunt duo illa regna languorem ſuum, & ex accepta plaga, quam graue poſſet timeri periculum. In languore autem, & vinculo, duo expreſſit Propheta regnorum incommoda; quæ etiam in affecto corpore, vnde ducta eſt metaphora, videmus. Aut enim corpus morbo, id eſt, interno aliquo incommodo laborat, quod ipſa ſibi naturæ fragilitas importat; aut aliquid, quod aut mortem affert, aut mortis periculum accerſit, aut infligitur foris. Morbus præſertim Ephratæis tribuitur, quia ibi iam pridem peregrinæ religionis cultus inſedit, & error ille diuturnitate, & mora, & quia vltrò ſibi conflatis aureis vitulis accerſiuit, quaſi morbus naturalis fuit. At Iudæ vinculum datur, aut quia ab hoſtibus externis, & a decem tribubus, ſæpe plagam accepit, aut quia à vicinarum regionum contagione contraxit. Dicitur autem *plaga* vinculum, aut quia vinciri, atque obligari ſolet à medico, & ideo ſignum pro re ſignificata ponitur, aut quia vinciri debet. Hebr. eſt מזור *mazor*, quæ plagam valet.

51. *Et abiit Ephraim ad Aſſur, & miſit ad regem vltorem.*] Spectat hic locus ad tempus Manahem, regis Iſrael, qui eodem regnauit tempore, quo vixit Oſeas, imò fortaſſe, quo tempore hæc ab Oſea dicebantur. Hic cùm vi, atque aſtu regnum inuaſiſſet, occiſo Sellum, collegit hinc inde ſpoliatis ciuibus vim magnam argenti, & ad Aſſur miſit, id eſt, ad regem Aſſyriorum, vt contra vim, & inſidias illius ſe copiis, & auctoritate muniret, de quo ſic lib. 4.Reg. cap.15. v.19. *Veniebat Phul rex Aſſyriorum in Therſam: & dabat Manahem Phul mille talenta argenti, vt eſſet ei in auxilium, & firmaret regnum eius. Indixitque Manahem argentum ſuper Iſrael cunctis potentibus, & diuitibus, vt daret regi Aſſyriorum quinquaginta ſiclos argenti per ſingulos.* Idem quoque fecit rex Achaz *ibidem cap. 16. v. 7.* qui collato argento, quantum inuenire potuit, accerſiuit Theglathphalaſar regem Aſſyriorum contra duos reges, nempe Iſrael, & Syriæ, qui coniunctis viribus in ipſius exitium conſpirauerant. Ita accipit hunc locum Hieronymus, cui alij ferme omnes interpretes ſubſcribunt.

Iſraël Aſſyrijs vectigalis.

52. Quidam Aſſur vocari putant regem Ægypti, tunc quia ad illum ſæpe confugit Iſrael, & Iuda, vt habes *lib.4. Reg.* plurimis locis, tum quia non ſemel rex Ægypti appellatur Aſſur. Iſai. cap. 52. v.4. *Deſcendit in Ægyptum populus meus in principio, vt colonus eſſet ibi, & Aſſur abſque vlla cauſa calumniatus eſt eum.* Vide quæ nos eo loco. In quo fortaſſe ſenſu ſumpſit iterum Oſeas *cap.14. v.4.* de quo nos ſuo loco. Sed puto hæc omnino ſpectare Aſſyriorum regem.

53. Porrò Aſſur iſte *Rex vltor* appellatur; quia cùm eſſet potentiſſimus, infirmiorum vlciſcebatur iniurias; & eos, quibus à potentiorum armis clades impendebat, aut ſeruitus, vel ſuo tantùm nomine tutabatur. Præſtitit, credo, ſicut de Manahem nuper dicebamus, & Achaz, aliis etiã nationibus ſubſidiariam operam: vnde factum opinor, vt ex ea ſiue conſuetudine, ſiue facultate, atque potentia, vltoris ſibi cognomentum quæſierit. Quomodo noſtra memoria principes variis inter ſe cognomentis, ac titulis diſtinguuntur. Rex enim Hiſpaniarum *Catholicus*, Galliarũ *Chriſtianiſſimus* appellatur. Huc fortaſſe ſpectarunt Septuaginta, dum nomẽ ipſum reliquerunt Hebræum, quaſi proprium eſſet Aſſyriorum regis, qui enim à vulgato tam *hic*, quàm *cap.*10.*v.*6. vltor ab illis appellatur Iarib. Quod etiam ipſa vulgatæ tranſlationis notatio probat, quæ Vltoris nomen maiuſculo notat charactere.

Aſſur cur dictus vltor.

Ad extremum obſeruo, vbi vulgatus *Vltor*, Heb. eſſe ירב *Iarib*, quod tempus exiſtimatur eſſe futurum. Ego magis crediderim nomen eſſe verbale, verbalia enim eiuſmodi *iod* habere ſolent in principio; ſed etiamſi futurum ſit, non eſt inuſitatum in Scriptura, vt futurum vices obeat nominis, quod deductum à verbo ſignificat perſonam, vt diximus in explicatione *Pſal.67. num.95.*

REGVLA. *Futurum, pro nomine verbali.*

54. *Et ipſe non poterit ſanare vos: nec ſoluere poterit à vobis vinculum.*] Prædixit hæc, opinor, Oſeas, quo tempore Manahem Aſſyriorum auxilio confirmare voluit regnum ſuum; aut ſi etiam hæc, vt Hieronymo placuit, ad regem pertinent Ieruſalem, quando Achaz auxiliares Aſſyriorum copias mercede conduxit, quæ neque accepta ab hoſte plagam ſanauerunt, neque attulerunt aliquid præter inanem ſtrepitum, & prima vtriuſque populi, aut vaſtitatis, aut vexationis ſemina. Perſtat autem adhuc in eadem vulneris, ac morbi metaphora, & affirmat neque ſanandum eſſe morbum, neque, quo obligabatur vulnus, ſoluendum eſſe vinculum. Vt autem vinculum hiantis adhuc, & neque obducti vulneris ſignum eſt; ſic etiam illius diſſolutio aut partem fractam ſolidatam, aut diuiſæ obductam eſſe cicatricem oſtendit.

55. Vers.14. *Quoniã ego quasi leæna Ephraim, & quasi catulus leonis domui Iuda.*] Cur Assur, aut aliquis alius auxiliator sanare non possit, aut leuare morbum, aut vulneri salutarem adhibere medicinam, ea ratio est, quia plaga illa non tam est inflicta ab humana, quam a diuina manu: atque ideo ab vno tantum Deo obligari, atque sanari potest. Notum est illud quod de Achillis hasta fabulantur poëtæ, quæ vna inflicto à se vulneri salubris esse poterat. Fabulosum illud: hoc verò certissimum, nulla hominum siue medicina, siue industria leuari posse malum, quod à Dei offensione profectum est. Hoc puto sibi voluisse locum istum, nempe quidquid anteà mali passæ sunt tam decem, quàm duæ tribus, quibus Deus instar fuit putredinis, & tineæ: & postea quando funditus videntur extinctæ; cùm Deus illis occurrit tanquam leæna, aut leoninus catulus, id totum à Deo prouenisse, qui hominum manibus quasi sui furoris instrumentis vsus est, vt perfidi, aut peruicacis populi peccata mulctaret.

Cētra vulnus inflictū à Domino nulla est humana medicina.

56. Vbi vulgatus *leæna*, Heb. est שחל *sachal*, quæ variè à variis redditur, interdum *leo*, aliquando *leæna, leop-rdus, panthera, aspis*. De propria significatione omnino non constat; sicut de pluribus aliis animantium generibus: Hieronymus sanè nunc *leænam* conuertit, vt hoc loco, & Iob 4.v.10. LXX. *aspidem*. Psal.81. *super aspidē, & basiliscum ambulabis*. & alibi *pantheram*. Quicquid tamen sit, certum est animal esse sanguinarium, & sæuum, cui se Deus similem esse dicit, dum in Ephratæos mores hostiliter sæuit. Quidam ideò putant comparationem à leæna potius, quam à leone sumi; quia in eo genere fœmina truculentior est, sed de hoc non laboro, tum quia fortasse falsum, tum quia hoc nomen epicœnum est, & vtrunque sexum in se cohibet. Neque præterea, in eo laborandum puto, quòd Deus hoc loco non cum leone, sed cum leonis catulo seipsum conferat.

57. Vt enim filius hominis homo est, & filius tauri taurus, & pullus asini asinus, licèt corpore, atque ætate grandis; (vt *Iudic.cap.10.v.4. & cap.12. v.14.* pulli dicuntur asinorum, vbi necesse est grandi esse atque robusto corpore, cùm illud tunc munus dicantur obire, quod ætas imbecillis, ac tenera sustinere non posset:) sic ego catulum leonis ita interpretor, quasi leo sit magnus; fortis & assuetus prædæ, quod probatur ex *cap.14. Iudicum*, vbi fera, quam occidit Samson, modò *leo* dicitur, modò leonis catulus. Scio aliquos in leonis catulis, qui recèns sunt ab vbere diuulsi, aliquid inuenire præcipuum, quasi magis acutos dentes habeant, & maximè sint sanguinis sitientes; quia cùm solitum deficiat pabulum, quod sugebant è maternis vberibus, neque famem tolerare possit genus illud animantium voracissimum, multo sæuiores, atque audaciores esse existimantur, de quibus Psal.103. *Catuli leonum rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi.* quod etiam sensisse existimantur profani. Sanè de leonis catulo adhuc tenero dicit Horatius lib.4.carm. ode 4.

Leunculi magis quàm leones ferociores existimati, sed falsò.

Qualémve lætis caprea pascuis
Intenta fuluæ matris ab vbere
Iam lacte depulsum leonem,
Dente nouo peritura vidit.

Sed nihil hic Horatij locus probat, vt cuiuis iudicare promptum, etiamsi Horatij grauis esset, & historica fides. Quare omnino mea mihi sententia placet.

Ego, ego capiam, & vadam: tollam, & non est, qui eruat.] Seruat metaphoram, & id sibi accommodat in populi supplicio, quod leoni in captanda, ac laceranda præda familiare est. Prodit leo famelicus è sylua, & quocumque pergit obuium quodque rapit, fértque secum ad cubile suum, vt habeat, & quo pascatur ipse, & quo catulos alat suos, neque vllus est, qui de illius vnguibus, ac faucibus prædam extorqueat. 58.

Vers.15. *Vadens reuertar ad locum meum.*] In eadem perstat allegoria, & leonis in morem, vt Cyrillus, Theodoretus, & Theophylactus docent, dicit, vbi sanguine suam expleuerit famem, redeundum sibi esse in latibulum suum, quo sensu nuper explicuimus, & eò conuertendam esse prædam. Hi tamen secuti L X X. translationem, non tam de leone, quàm de panthera interpretantur. 59.

Donec deficiatis, & quæratis faciem meam.] Neque cessabit dura illa vexatio, qua leo ille furiosus exagitabit, & lacerabit prædam, donec omnes illi, qui libertatis spem in humano præsidio collocarunt, deficiant, id est, vt ego interpretor, nemo à sæuo leonum, seu pantherarum laniena exors sit, & liber. Quia nimirum omnes, aut ceciderunt ferro, aut duræ alligati seruituti exciderunt à patria. Hoc puto deficere est, quia qui in exilio viuunt, pro mortuis censentur; vnde Ezech. c.37. cùm de exulibus, quasi de mortuis, sub ossiū aridorum allegoria loqueretur, sic ait v.12. *Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulcris vestris, populus meus, & inducam vos in terram Israel.* vide quomodo exilium ipsum sepulcrum appellet. Tunc igitur quandò omnes defecerint, & reipsa cognouerint nullum à mutis simulacris, aut ab humana manu sperari posse subsidium, reuertentur ad Deum, & quærent illum experimento ipso edocti, nisi Deus in ea calamitate respexerit, omnes sibi præcludi ad salutem, & libertatem aditus. 60.

IN

IN CAPVT SEXTVM

ARGVMENTVM.

DOCET primùm, quódnam consilium capturi sint Israëlitæ, tribulationum stimulis compuncti, & quomodo ad bene sperandum excitent mœrentem animum. Carpit deinde grauiter illorum inconstantiam, ac leuitatem animi, cum ipsis, tam sit misericordia momentanea, & sibi in externa atque fucata sanctitate magnopere placeant, cùm tamen procul absint à legis obseruantia, & misericordia, qua nullum est magis acceptum holocaustum. Reprehendit deinde Galaad, quia consilio planè scelerato, vt alios à templo veráque religione prohiberet, cum sacerdotibus conspirauit. Ad extremum subobscurè duabus aliis tribubus captiuitatem, & reditum prædicit.

CAPVT VI.

1. IN tribulatione sua manè consurgent ad me: Venite, & reuertamur ad Dominum.

2. Quia ipse cepit, & sanabit nos: percutiet, & curabit nos.

3. Viuificabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius. Sciemus, sequemúrque vt cognoscamus Dominum: quasi diluculum præparatus est egressus eius, & veniet quasi imber nobis temporaneus, & serotinus terræ.

4. Quid faciam tibi Ephraim? quid faciã tibi Iuda? misericordia vestra quasi nubes matutina, & quasi ros manè pertransiens.

PARAPHRASIS.

A 1. CVm populus ingruẽtibus vndique
malis, stimulos senserit, quos meus
in illum furor adegit, quasi qui affulgente
luce excitatur à somno seipsum, atque alios
his verbis vrgebit, vt quamprimùm se ad
pœnitentiam accingant. Agitedum, venite,
& ad Deum, à quo peccãdo recessimus,
quàm possumus ocyssimè reuertamur.

2. Neque enim à mortali potentia capti
sumus, & à nostris finibus in exilium
abducti, sed à Deo, qui leonis instar, nobis
occurrit: ab ipso capti sumus, atque per-
B cussi, ab illo nobis sperari potest salus, & libertas.

3. Duobus diebus vitam agemus duram,
& morti quàm simillimam, sicut Ionas
in ventre ceti, tanquam in tumulo sepultus,
sed tertio die ad vitam nos Deus, libertatémque
restituet. Pòst verò in conspectu
eius vitam agemus pacatam, & lætam,
& quæ verè possit appellari vitalis. Tunc
verò cognoscemus Deum, & quo illum
magis deinde cognoscamus, sequemur il-
C lum, & ab eo nunquam ampliùs recedemus.
Tunc autem Dominus vitæ meæ, aut
libertatis auctor, talis nobis adueniet, qualis
aurora, quæ nocturnam exigit caliginem,
& lucem terræ atque lætitiam apportat:
aut qualis imber temporaneus, & serotinus,
qui sitientem exsaturat terram, illámque
siti, atque æstu laborantem, & torridã,
benigno succo fœcundat, & exhilarat.

4. Feci quod debui, studuíque pro meo
ingenio liberali, ac miti, vt vos, ô Ephraim
D & Iuda, ad meliorem frugem, & ad illam
fidem, quam deseruistis, reuocarem. Quid
ergo iam faciam? quando ex tam assiduo
atque constanti studio, neque vestrum emolliui
obstinatum animum, neque ex vestra
pertinacia fructum vllum percepi: nisi
vt contineam ab indulgentia manum, &
extendam ad plagam? Si quando enim misericordiam
in fratres ostendere voluistis,
illa fuit vsque momentanea, & futilis,

A vt non durarit magis, quàm matutina nubes, aut ros, quæ vbi primùm sol exortus fuerit, statim differantur, aut vanescant.

5. Propter hoc dolaui in Prophetis, occidi eos in verbis oris mei: & iudicia tua quasi lux egredientur.

5. Tentaui omnia, quo te ad honestatẽ, & officium reducerem: & quemadmodum qui rude lignum, aut saxum, in pulchram aliquam aut honestam speciem informare vult, omnem adhibet artis solertiam, omne ferramentum: sic ego vos, vt aliquam exprimerem pietatis formam, dolaui sæpe, ac diu aduocato omnis artis lenocinio, atque ope, per Prophetas, modò tundendo mina-
B cibus verbis, modò blandioribus mulcendo promissis; nihil denique omittendo, quod ab optimo artifice, aut ab amanti animo sperari potuit. Sanè grauis fuit ictus ille, cùm vobis per Prophetas subeundam esse dixi ignominiosam mortem, cùm iam tandem dies ille ineluctabilis aduenerit, qui de tuis peccatis, atque fucata sanctitatę supplicium exiget. Tunc luce clarius apparebit, nihil habuisse nisi vanam ac personatam speciem sanctitatem illam, in qua tibi tantopere placebas.

6. Quia misericordiam volui, & non sacrificium; & scientiam Dei, plusquam holocausta.

C 6. Magna vobis videbatur illa religio ac sanctitas, quæ in externa sacrificiorum, ac holocaustorum immolatione cernitur: sed sanè dum abest misericordia, fallax est illa, atque fucata religio. Misericordia mihi gratior est, quàm victima, & illa Dei practica cognitio, quę animum ad illius legem & voluntatem informat, & regit, multo placet magis, quàm holocaustum.

7. Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi preuaricati sunt in me.

7. Debuissent tam Ephraimitæ, quàm Iudæi, à veri Dei scientia, id est, à præceptorum obseruantia, non recedere: sed fece-
D runt illi in terra promissionis, quod protoplastus Adam in paradiso, vbi impositum à me præceptum, & initum pactum violauit.

8. Galaad ciuitas operantium idolum, supplantata sanguine.

8. Galaad, quæ mearũ legum obseruantissima esse debuerat, vtpote sacerdotalis ciuitas, ipsa idola fingit, & adorat, & eadem illa vitia, quæ sanguinis significantur nomine, insidiosa & callida supplantationę subuerterunt.

9. Et quasi fauces virorum latronum, particeps sacerdotum, in via interficientium pergentes de Sichem: quia scelus operati sunt.

9. Adiunxit se Galaad cum sacerdotibus, vt alios ab Hierosolyma & templo
E prohiberet, eo in loco, vnde per Sichem patet ad Hierosolymam accessus: ibi autem occupauerunt locorum angustias, sicut latrones insidere solent montium fauces, vbi maior viatorum frequentia, & præda magis parata, atque obuia. Porrò Galaad ideo tam studebat ardenter, ne quis adiret Hierosolymam, ne contemptis aureis vitulis, Gentiúmquę simulacris, quibus fingendis ipsa dabat operam, institutus ea de re quæstus interiret.

10. In domo Israel vidi horrendum: ibi fornicationes Ephraim: contaminatus est Israel.

10. Horrendum planè scelus, & execrandum vehementer admisit Israel, quod cum

11. Sed

Digitized by Google

A cum nauſea atque offenſione vidi,dum verum Deum , cum vitulo comedente fœnum commutauit, quod cõtraxit primum ab Ephraim,vnde ortus Ieroboam, qui cõflatis vitulis contaminauit Iſrael.

11. *Sed & Iuda pone meſſem tibi,cùm conuertero captiuitatem populi mei.*

11. Sed tu,ô Iuda, capies quidem meſſem,& fructus alios, non tamen quando in tuis finibus hoſtile graſſabitur ferrum , ſed poſtquam exacto annorum ſeptuaginta curriculo,in patriam poſtliminio redieris.

Verſ.1. *In tribulatione ſua manè conſurgent ad me.*]

1\. *Tribulatio oculos aperit, & ad pœnitentiā adducit.*

HÆc cum ſuperiore capite contexenda ſunt; eodem enim ſpectāt. Dixerat in extrema parte capitis non eſſe manum cohibendam à vulnere ; aut leoninos vngues à lacerando : donec rebelles ſeſe referant pœnitendo ad Dominum, à quo impiè fornicando receſſerant. Hoc enim ſibi Deus plerumque proponit, dum ſeueriùs videtur ſæuire in ſuos, vt ad ſe reducat,cùm facti ſunt alieni. Illa verò maxima tribulationis vis eſt , vt cæcos aperiat oculos & languentes inſtimulet,& ad officium reuocet. Hæc porrò ſententia in Scriptura frequens eſt, & à Patribus millies iterata. Prou.1. 27. *Cùm irruerit repentina calamitas , & interitus quaſi tempeſtas ingruerit : quando venerit ſuper vos tribulatio, & anguſtia , tunc inuocabunt me , & non exaudiam ; manè conſurgent,& non inuenient me.* Pſal.82. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Iſaiæ cap.26. v.16. *Domine in anguſtia requiſierunt te in tribulatione murmuris doctrina tua* , &c. Ex Patribus audi Gregorium lib.6. Moral. cap.17. *Peccatoris mens tanto altius tenebreſcit , quantum nec damnum ſuæ cæcitatis intelligit. Vnde fit plerunque diuini muneris largitate,vt culpam pœna ſubſequatur,& flagella oculos delinquentis aperiant , quos inter vitia ſecuritas cæcabat. Torpens quippe animus percuſſione tangitur, vt excitetur: quatenus , qui ſtatum ſuæ rectitudinis ſecurus perdidit, afflictus conſideret, quo iacet. Hinc itaque ipſa aſperitas correctionis origo luminis , vnde & per Paulum dicitur: Omne quod arguitur à lumine manifeſtatur , argumentum enim ſalutis eſt vis doloris.* Hæc Gregorius.

2\. *Tribulatione interdū magis obduratur animus.*

Cùm hic plerunque ſit tribulationis fructus, interdum tamen fieri aſſolet , vt aliquis magis vexatione obduretur , ſicut in conſtruendo ex materia terrea pariete contingit : qui quo magis à pauiente percutitur , eo magis ad firmitatem obduratur. Sic ſanè contingit Achaz , qui eo ſe longiùs alienauit à Deo , quo ab ipſo premebatur anguſtiùs, de quo lib.2. Paralip. cap.28.v.22. *Inſuper , & tempore anguſtiæ ſuæ auxit contemptum in Dominum : ipſe per ſe rex Achaz immolauit diis Damaſci victimas.* Horum è numero fuerunt, qui dicebant Iſai.cap.9. v.10. *Lateres ceciderunt , ſed quadris lapidibus ædificabimus : ſycomoros ſucciderunt , ſed cedros immutabimus.* Alij quidem non ſeſe anguſtiæ tempore offirmant in malo ; ſunt tamen animo adeò inconſtanti,& vario, vt cùm primùm vexatio conſederit,ad ingenium redeant,& antiquos mores. Quod fecit ſæpe Pharao,qui vrgente procella peccatum fatebatur ſuum ; vbi tamē videbatur affulſiſſe tranquillitas , in priori conſilio hærebat obſtinatiùs. Quod item accidit perſæpe populo Iſraelitico , quem excitabat , & ad officium reducebat vexatio ; cùm tamen mitior afflauiſſet aura , ad eandem ſe ſcelerum proluuiē referebat. Mitto exempla,vnus nobis Nehemias *cap.9.v.27.* erit pro multis,vbi ſic de moribus ſuis: *Dediſti eos in manu hoſtium ſuorum , & afflixerunt eos. Et in tempore tribulationis ſuæ clamauerunt ad te , & tu de cælo audiſti*,&c. *Cúmque requieuiſſent,reuerſi ſunt,vt facerent malum in conſpectu tuo , & dereliquiſti eos in manu inimicorum ſuorum, & poſſederunt eos. Conuerſique ſunt, & clamauerunt ad te,tu autem de cælo exaudiſti , & liberaſti eos , & conteſtatus es vt reuerterentur ad legem tuam ; ipſi verò ſuperbè egerunt*,&c.

Conſurgere manè nihil eſt aliud quàm aliquid facere ſtudioſè,ac ſedulò; qui dicendi modus, vt reor , prouerbialis in Scriptura ſacra familiaris eſt ; ſicut conſurgere , aut vigilare diluculo , aut aliquid in matutino conari. Hæc porrò illud ſtudium , auiditatem , aut in agendo feſtinationem indicant , vt nihil homo putet huic occupationi eſſe præuertendum. Qua de re nos pluribus in noſtris commentariis in Ieremiam *cap. 7. num.21.* Fortaſſe *manè* hoc loco lucem ſignificat,quam induxit vexatio : ante illud namque tempus homo aut iacebat in tenebris , aut alto quodam ſopore tenebatur ; tribulatio igitur aut euocauit è tenebris,aut excitauit à ſomno,fecitque vt ad nouam lucem,quam iam intuebatur,aſſurgeret. Hoc fortaſſe verum,ſed illud certius, atque communius. 3.

Venite, & reuertamur ad Dominum.] Hiſce verbis à profundo veterno ſoluti , & iam ex tenebris euocati ſeſe mutuò ad veram religionem hortantur, quos compungebant, erudiebántque ſeueræ tribulationis aculei. Vide quid tribulatio faciat; quid matutina lux , vbi primùm cæcis oboritur oculis. Non iam de ſua tantùm ſalute ſolliciti ſunt, ſed alios lucis,ac libertatis exortes eſſe nolunt. Quare ſe mutuò exhortantur , ac dicunt: *Venite, & reuertamur*, &c. 4.

Verſ.2. *Quia ipſe cepit, & ſanabit nos; percutiet,& curabit nos.*] Exiſtimabant olim Ephraimitę , aduenisse ſibi aut impendere infortunium aliquod à mortali manu : quare contra hoſtiles acies aut parabant arma , aut ciuitates ſuas monumentis vallabāt: & vbi his ſe rationibus muniiſſent,ſatis ſibi contra omnes euentus putabant eſſe præſidij. Non tamen ea ſubibat cogitatio , vt crederent, tot malorum , ac cladium auctorem eſſe Deum, atque ideo ad placandū illius animum , aut temperandam iram nihil adhibebant opportunum. Quo nomine illos Deus grauiter accuſat apud Iſaiam *cap.22.v.10.* qui contra hoſtilem impreſſionem propugnacula , & ad tolerandam obſidionem opportuna comparant:neque tamen de Deo quicquam cogitant qui ædificauit ciuitatem ; & à quo vno conſeruari poteſt. 5.

Deus percutit , & ipſe ſolus ſanat.

Illud *cepit* non eſt ſcribendum cum diphthon- 6.

Digitized by Google

go, ita vt idem sit quod inchoauit; quia est à verbo capio, Heb. טרף taraph, quo vsus est Dominus capite præcedenti, cùm dixit: *Ego, ego capiam, & vadam, tollam, & non est, qui eruat.* Quasi dicant, non hostes rapuerunt, & abduxerunt nos, sed Deus, qui nobis leonis instar occurrit, atque ideo ab illo solo sperari potest salus, & libertas. Vbi vulgatus *percutiet*, alij ferme omnes vertunt *percussit*. Sed placet multo magis vulgati translatio, tum quia magis cum Hebraico textu consentanea, quæ habet in futuro יך *iach*: tum quia multo significantior. Ostendit enim quàm sit Deus miris, atque benefica natura, quàm placetur facile. Simul etiam rationem ostendit, cur ab illo etiamsi in graui offensione percusserit, sperari tamen debeat medicina vulneris; quia eius est ingenij, vt si percusserit, sanet; quod millies expertus fuerat populus ille: vt nuper dicebamus ex Nehemia *cap. 9.* & cecinit Anna Samuelis mater lib. 1. Reg. cap. 2. v. 6. *Dominus mortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reducit. Dominus pauperem facit, & ditat: humiliat, & sublevat.* Consuetudinem autem hanc, & naturæ siue pronitatem, siue debitum per præteritum rarò, aut, quod ego viderim, nunquam significatur; per tempus verò præsens sæpissime, per futurum non infrequenter solet. De tempore præsenti exempla occurrunt innumera, vide quæ diximus in Isaiam *cap. 3. num. 11. & cap. 24. num. 100.* De futuro est illud *Gen. 20. v. 5.* vbi pro eo quod vulgatus transtulit, *Quæ non debuisti facere*, Heb. est, *Quæ non fient*, id est, *quæ fieri non debuerunt, aut quæ fallibilia non erant.* & Isaiæ cap. 53. v. 16. *Quia spiritus à facie mea egredietur, & flatus ego faciam*, id est, quia spiritus, & flatus ego creator sum.

7. Vers. 3. *Viuificabit nos post duos dies; in die tertia suscitabit nos.*] Hic locus difficilis non esset, nisi iam eò incubuisset omnium penè Patrum concors sententia, vt de Christi post tertium diem resurrectione locum interpretentur; quod sanè accómodare literæ, aut cum adiunctis conciliare non est leuis operæ. Quod facere tentabimus; neque enim à communi Patrum sententia recedendum est, priùs tamen quid alij de tota re, aut de loquendi modo statuant, nonnihil dicemus.

8. Quidam hæc non de Christo ex mortuis suscitato capiunt, sed de captiuitate, à qua excitandi dicuntur exules non secus, ac de sepulcris, qui inter viuos esse desierunt. Ita quidam ex Hebræis, quos citat Figuerius. Quod ex eo probari posse putant, quia hæc verba eorum sunt, quos cruciat, & vrit tribulatio; qui meliora iam meditari in Deo vero spem salutis collocantes, breui sperant adfuturam esse sanitatem: quod verba ipsa videntur significare non obscurè. Neque si antecedentia, aut ea, quæ consequuntur, consideres, facile inuenias, quomodo hæc aptè in vnam sententiam coagmentari possint. Hæc illis grauia sunt; nos quomodo communis, veraque sententia teneri, atque defendi possit, videamus.

9. De Christo resurgente, ac mortuorum resurrectione, cuius causa fuit Christi resurrectio, accipiunt communiter Patres, licèt cum aliquo discrimine. Hieronymus *in hunc locum*, August. *lib. 18. de Trin. cap. 28. & serm. 90. de tempore*, Gregor. *homil. 20. in Ezechielem*, Lactantius *lib. 4. cap. 19.* Cyprianus *lib. 2. contra Iudaos, cap. 24.* Rufinus *in expositione Symboli*, Anselmus *Commentario in epist. 1. ad Corinth. cap. 15.* Bernardus *serm. 1. Resur.* S. Thomas *in epist. ad Ephes. cap. 2. lect. 2.* Origen. *homil. 5. in Exod.* Gre-

A gor. Nyssen. *lib. de cognitione Dei*. Cyrillus *lib. 2. in Ioan. cap. 26.* Tertul. *aduersus Iudaos, cap. 13.* Theodoretus, & Theophylactus *ad hunc locum*. Omnes denique interpretes, imò & Galatinus docet *lib. 8. cap. 22.* nonnulli etiã ex Hebræorum Magistris. Ad Christi igitur resurrectionem primùm hæc attemperemus, ex quo deinde constabit, quomodo etiam ad mortuorum excitationem pertinere possint.

Quidam hîc ab historia Babylonica, seu à tribulatione corporea ad resurrectionem spiritualem, quam Christi mors, & resurrectio attulit, migrationem esse factam existimant. Quod sæpe fit in Scriptura, quæ ab humanarum rerum euentu, atque à profano sæculo, ad Christum Dominum, & tempus euangelicum vaticinium traducit. Qua de re nos pluribus in nostris cõmentariis in Isaiam *cap. 45. num. 21.* Sed, vt hic obseruauit Ribera, eiusmodi transitus non temere fit, neque casu, sed quando aliqua similitudo, aut occasio præcessit, quæ aliquo modo euangelici temporis mysterium, seu euentum adumbrat. Est quidem ita, sicut Ribera meditatur: atque ideo minus hæc cogitatio placet, quia reuera hic aut nulla est, aut certè non nisi exigua, aut perquam tenuis vmbra. 10.

B

Alij hanc nouam esse putant prophetiam, quæ Christi resurrectionem, & in ea aliorum suscitationem prædicit: sed alij eo nomine reiiciunt, quòd hæc verba Prophetarum non sunt; sed multitudinis imperitæ, ac rudis: quæ tantum sacramentum nõ videbatur potuisse cognoscere. Quæ mihi ratio ideo probatur minus, quia in ea captiuorum multitudine fuerunt Prophetæ non pauci, qui spe futuri reditus mœrentes exulum animos solabantur. Quales fuerunt Ezechiel, Daniel, Zacharias, Aggæus, Malachias, Esdras, à quibus doceri potuerunt, qui pro mortuis censebantur, & in exilio, quasi in tumulis sepulti in Messia resurgente resurrecturos alios; & eodem agente, illos fore ab eo, in quo tenebantur exilio liberandos; quod ex eo fit verisimile, quia proximè dixerant ab vno Deo sperandam esse salutem, & libertatem. Fuisse autem Christum resurrecturum, multæ prophetiæ ante tempus vtriusque captiuitatis prædixerant, quas populum illum non ignorasse verisimile est. 11.

C

D

Quidam vir mihi maximè familiaris, neque indoctus, existimabat audisse populum illum ignarum & rusticum adfuturum Messiam, qui afflictum populum recrearet, & qui post tertium diem rediuiuus exiret è sepulcro. Cùm tamẽ spiritualia carnalis ille, & stupidus populus non assequeretur, prophetias illas ad temporariam felicitatem, & libertatem à terrena seruitute detorquebat. Atque ideo vtramque prophetiam coniungens, & quasi contrahens in vnam, dicebat, *Viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos.* 12.

E

Ego hîc omnia inuenio vehementer implexa; neque aliquid video, in quo curiosus animus non offendat. Quare tẽtabo si quo modo ad communem, verámque sententiam confirmandam afferre possim aliquid verisimile; hoc autem videbatur mihi non abs re. Nemo, credo, dubitabit historiam Ionæ aut propter rei naturam, aut propter commissæ à Deo prouinciæ grauitatem, fuisse notissimam. Quæ verò eiusmodi sunt, locum solent plerumque facere prouerbiis, ad quæ frequens est, & familiaris allusio. Hæc historia commodè videtur eò conferenda, vt in ea significetur grauis aliqua, sed breuis calamitas, & oppressio; 13.

Ionas liberatus resurrectionis, & liberationis à graui malo typus prouerbialis.

sio; quam tamen sequitur optata, atque insperata libertas, quam nulla hominum industria parere, sed vna potest largiri diuina manus. Fuit autem Ionas in ventre ceti tribus diebus, ita tamen vt in tertio eiectus sit in littus. Quocirca, qui dolorem suum, atque oppressionem consolari vellet, cum allusione ad Ionam oppressum priùs, deinde liberatum optimè diceret: *Vbi vnus, & alter dies in mœrore, ac tenebris fuerimus, tertius tandem adueniet dies, qua nobis lucem reddat, & lætitiam.*

14. Hanc porrò historiam vmbram fuisse Christi, qui cùm priùs latuisset in corde terræ, die post obitum tertia ad vitam remigrauit, ipse docuit Christus Matth. cap. 12. v. 40. *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Cùm igitur vmbram intuentur, qui eo loquuntur modo, Ionam spectantes Christi resurrectionem, licèt ignari, respiciunt, cuius erat typus libertas Ionæ, quem tertia die ex eo statu, in quo mortuus censeri potuit, marina bellua in littus quasi rediuiuum euomuit.

15. Hæc ratio aliquid videtur habere ponderis pro communi sententia. Sic enim de vexationis, mortísque ciuilis breuitate loquitur, vt Christi resurrectionem respiciat. Agi verò hîc de seruitute, ac tribulatione, quæ citò lucem, & exitum videbit, censent Theodoretus, & Theophylactus. Et quidem hæc explicatio sic implet literam, sic totius vaticinij filum contexit, vt nihil occurrat, quod deinde ad hanc sententiam violenter intorqueas.

16. Sed obiiceret hîc aliquis hanc expositionem eo laborare incommodo, quòd prius hæc prædicta videntur ab Osea, quàm Ionas illa fuisset passus, vnde prouerbialem formam sumptam esse diximus, cùm Ionæ prophetia cum ipsius historia coniuncta sit, & Oseas omnium primus existimetur prophetasse. Hæc obiectio non existimabitur grauis illi qui nouerit plurimis annis prophetasse Oseam; vt enim suprà *proleg. 3.* diximus, prophetauit annis non minus septuaginta. Eodem autem tempore vixit, prophetauitque Ionas sub iisdem nempe regibus, vt tradit Iosephus *lib. 9. Ant. cap. 11.* & Hieron. *in proœmio Ionæ*, qua de re nos pluribus, cùm ventum fuerit ad Ionam. Ex quo fit multo ante hanc prophetiam contingere potuisse, quod in Iona prouerbiali figuræ locum fecit.

17. Illud tamen non omittendum, quod communiter notant interpretes, viuificatos, seu excitatos homines dici à resurgente Domino, quia resurrectio Christi resurrectionis nostræ causa fuit, & exemplar. Ita S. Thomas *3. p. q. 56. art. 1.* quod multis Scripturæ sacræ testimoniis aut indicatur, aut asseritur. Petrus epist. 1. cap. 1. v. 3. *Qui secundum misericordiam suam magnam regenerauit nos in spem viuam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis.* Et Paulus ad Ephes. 2. v. 5. *Cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo, conresuscitauit, & consedere fecit in cælestibus.* De tribus diebus, quinam sint, multi multa dicunt, ego illa prætereo, quia longus esse nolim, & apud suos auctores videre promptum est, & quia iuxta expositionem quam induximus, consideratio illa necessaria non est.

Resurrectio Christi nostra resurrectionis exemplar, & causa.

18. *Et viuemus in conspectu eius.*] Postquam Deus post tempus illud breue, quod in tribulatione Ionæ, & Christi sepultura significatur, excitauerit nos sicut piscis Ionam in littus euomuit; vt Christus rediuiuus è sepulcro prodiit, in patriam re-

A uertemur, quasi quis è mortuis reuocetur ad vitam, excitabimus templum, vbi diutius in diuino conspectu commoremur; in Dei laudes continenter intenti, qui in templo familiare sibi domicilium locauit, vbi vitam agemus pacatam, & lætam, & quæ verè appellari possit vitalis. Hæc mihi germana videtur expositio, & facilis. Vt enim diximus in nostris commentariis in Ezech. c. 20. num. 41. prouerbiali specie ille dicitur mori magis quàm viuere, cui vita contigisset inops, tristis, & sordida: & contra illa existimatur viuere, cui vita iucunda est, & rebus tam ad vsum, quàm ad voluptatem necessariis abundans. Sic Seneca,

Mortuus dicetur qui vitam agit ærumnosam & tristem.

Mortis habet vices
B *Lenis cùm trahitur vita gemitibus.*

Et Sophocles in Antigone,

Nam nulla cui mentem voluptas recreat
Non viuere Hercle existimo, sed mortuum
Viuentis illum ferre præ se imaginem.

Idem Martialis lib. 6. Epig. 69.

Et quantum tetrica tulere febres,
Aut languor grauis, aut mali dolores
A vita meliori separentur,
Non est viuere, sed valere vita.

In Scriptura sacra hæc dicendi forma familiaris est, vbi passim mori dicuntur, qui cum aduersa fortuna conflictantur; & illi viuere, quibus ad votum aspirat fortuna. Sic terra viuentium vocatur
C cælum: & Paulus se viuere dicit, cùm bene fratribus suis est. vnum accipe exemplum ex Psal. 37. *Ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper; inimici autem mei viuunt,* id est, læti sunt, & à timore vacui.

Hæc multo magis de resurrectione affirmari possunt, siue illa sit à peccato, quæ verè mors est; siue à sepulcro, cùm anima se rursus in corpus infundet, quia vtrunque fit à Deo, vtrunque præstat Christi mors, & resurrectio, & ille, qui verè resurgit, & viuit, in conspectu Dei est, quod populus, vrgente tribulationis æstu, optabat cùm dicebat, *& viuemus in conspectu eius.* Deum vbique præsentem habet, & coram eo ambulabat, quo
D modo ambulasse dicũtur antiqui Patres Gen. 48. *Deus in cuius conspectu ambulauerunt Patres mei Abraham, & Isaac, &c.* 19.

Sciemus, sequemúrque, vt cognoscamus Dominum.] Qui, quo sensu diximus, resurrexerit siue à peccato, siue à sepulcro, cognoscet Deum, eóque incumbet vt illi maximè, & totus adhæreat; hoc enim est practica, ac viuida cognitione nosse Deum. Quod etiam captiui facturos se sperabant, vbi à tyrannico, ac barbaro iugo soluti in patriam remigrarent, in qua Deum liberè atque assiduè colerent, abiectis peregrinis moribus, imò & peregrinis diis, à quibus antea animi non admodum videbantur alieni. 20.

E *Quasi diluculum præparatus est egressus eius.*] Quæ in statu sunt ærumnoso, ac tristi, in tenebris esse existimantur, qualis terra censeri potest, cùm illam obumbrant nocturnæ tenebræ. Quare tunc videri potest resurrexisse, ac viuere, cùm affulget aurora: quæ ostendit illustria vitæ documenta quæ occultarant tenebræ; non aliter quàm vita functos tegit sepulcrum. Sic Christi corpus dum triduo iacuit in monumẽto in tenebris erat, non solùm quia clausum, sed quia instar erat leprosi, sine aspectu, quale conspexit Isaias; & quale videri solet cadauer à vitali spiritu derelictum. Cùm autem egressus est Christus è sepulcro iam rediuiuus deposita mortis imagine, & de morte 21.

Digitized by Google

ipsa, atque inferno triumphans, instar erat auroræ, & Solis, qui & ipse pulcher est, & splendidus, & res alias pulchritudine complet, & splendore collustrat. Idem etiam de aliorum corporibus dicendum est, quæ iam extabuerunt, aut in puluerem redacta sunt; quibus resurrectio instar erit diluculi, quæ corpus exanime, ac putridum animabit, & maiori quàm antea pulcritudine conuestiet.

22. Illud idem accidet captiuo populo, quem mortuum appellat Ezechiel *cap.* 37. & exilio nomen dat sepulcri cui libertas pro resurrectione fuit: vt habes *ibidem*. Hanc porrò resurrectionem à Deo sperabat populus ille, dum dicebat: *Ipse cepit, & sanabit nos.* Cùm autem Deus quasi assertor venerit, & amissæ iam pridem libertatis vindex, cùm egressus fuerit ad confringendum seruile iugum, erit populo ærumnoso, & tristi, quod solares radij mundo in profundam noctis caliginem demerso. Eodem dicendi modo explicatus fuit euentus non dissimilis in eodem populo, cui mors imminebat ab hoste Iudæorum Amam, quam tamen auertit Dominus, & in auctoris caput conuertit; de quo tempore, rerúmque vicissitudine dicitur Esther cap. 8. v. 16. *Iudæis autem noua lux oriri visa est.* id est, post tribulationis noctem, lætum apparuisse diluculum.

23. *Et veniet quasi imber nobis temporaneus, & serotinus terræ.*] Eadem similitudine vsus est Isaias, cùm de corporum resurrectione sermo foret, cap. 27. v. 19. *Viuent mortui tui, interfecti mei resurgẽt: expergiscimini, & laudate, qui habitatis in puluere, quia ros lucis, ros tuus.* Vide quæ nos eo loco pluribus. Hæc verba optimè in illos quadrant, quos excitabit Dominus è puluere, & euocabit è tumulo. Vt enim herba, quæ hiberno tempore nihil habet præter radices, & stirpes, quæ non extant è terra, sed intra illius viscera, quasi in quadam sepultura conduntur; aut cùm pluuia deficiente non germinant, mortua dicitur; cùm verò adueniente, seu verna temperie, seu opportuna pluuia, effert se statim herbescens quædam viriditas, & herba videtur reuiuiscere: quare agris pluuia pro vita est, à qua habent, quo virescant, & floreant. Sic hoc loco Deus aduenicns, siue adducturus vitam cadaueribus, siue captiuis libertatem, instar erit imbris: quia id faciet in corporibus mortuis, aut in captiuo, atque oppresso populo quod in agris, atque herbis arentibus opportunus imber. Porrò agros aut herbas, cùm aridæ sunt, aut in terra latent, mortuas appellant tam sacræ quàm profanæ literæ. De profanis pauca accipe de multis. Virgil. Eclog. 7.

PROVER. *Imber temporaneus & serotinus.*

Mortua planta qua.

Aret ager, vitio moriens sitit aëris herba,

Et lib. 4. Georgic.

Fer flebilis inimicum ignem, atque interfice messes.

Tullius apud Nonium, *Nullo modo faciliùs arbitror posse, neque herbas arescere, & interfici.* Iudas *epist. Canonica, vers.* 12. arbores vocat *bis mortuas.* Deinde sępe Scriptura sacra resurgenti corpori attribuit, quod plantarum est proprium, quando mitiore cælo germinare incipiunt. Isaiæ cap. 66. *Ossa vestra quasi herba germinabunt.* Ecclesiastici 46. & iterum 48. *ossa eorum pullulent.*

24. Cùm terra promissionis irrigua non sit, sicut terra Ægypti, vt habes Deut. cap. 11. v. 11. *de cælo spectãs pluuiam:* quæ si aliquando defecerit, quod propter hominum peccata aliquando contigit, tota terra squalet, & luget, & speciem habet planè miserabilem. Quare imber apud Hebræos prouerbialiter sumitur pro re maximè necessaria, si-

A ne qua hominum vita conseruari non potest. Atque ideo cùm aliquid maximè in votis est, illud explicare solent imbris temporanei, atque serotini desiderio. Porrò duplex est imber, familiaris, & omnino necessarius terræ promissionis, temporaneus, qui & terram disponit ad satum, facitque vt iacta semina radices mittant, & coalescant: & serotinus, qui producit, atque maturat grana. De duplici hoc imbre vide Hieronymum ad illud Amos cap. 4. *Ego quoque prohibui a vobis imbrem.*

Duplex imber in Palæstina.

Vers. 4. *Quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Iuda?*] Videtur hoc loco Deus dolenter loqui, & ferre perquam molestè, quòd, vt humano B loquar modo, eo adigatur, vt tam seuerè, ac grauiter de populo suo statuat, illúmque excedere cogat è patriis finibus, & apud alienos subire sordidam, & ignobilem fortunam. Quasi dicat, tentaui omnia, quo te ad honestatem, & officium reducerem; certaui tecum beneficiis, neque tamen obstinatum animum emollire, aut peruersam mentem expugnare potui. Quid ergo facerem, nisi quod extremum homo solet adhibere remedium, cùm seruus fugitiuus aliter reuocari domum, aut in officio, ac fide contineri non potest. Tunc etiam cohibet ab indulgentia manum, extendit ad plagam. Hæc eadem dixit sub vineæ metaphora Isaiæ cap. 5. *Quid est quod vltra debui C facere vineæ meæ, & non feci*, &c. Loquitur autem cum vtroque populo, quia eisdem se sceleribus implicuit vterque, & eandem licèt non eodem tempore, subiit fortunam. 25.

Deus quasi inuitus peccatorem punit.

Misericordia vestra, quasi nubes matutina.] Ostendit causam, cur sicut defessus medicus, vbi cætera nil profecisse videt, ignem admouet, & ferrum; vrit, & secat; sic etiam nunc Deus illam adhibet medicinam, quam extremus morbi, & penè desperatus articulus requirit. *Quia*, inquit, *misericordia vestra quasi nubes matutina.* Nubes matutina, prouerbiali figura dicitur res, quæ citò labascit, & soluitur, & cùm multa promittat, nihil præstat. Qualis est matutina nubes, quæ plu- D uiali humore videtur esse grauida, & sitientes agros expletura, quam tamen ventus, qui matutino tempore aspirare solet, dissat, atque dispergit, aut sol exoriens consumit, & exiccat, & tota illi species momento temporis dissipatur. Quid spectet hoc loco Propheta, nemo melius explicuit, quàm Propheta ipse infrà *cap.* 13. *v.* 3. vbi adiunctæ aliæ similitudines, quid hæc similitudo sibi velit, dubitare non sinit. *Quasi nubes matutina, & sicut ros matutinus præteriens sicut puluis turbine raptus ex area, & sicut fumus de fumario.* 26.

PROVER. *Nubes aut ros matutinus pro re momentanea.*

Et quasi ros manè transiens.] Instabilitatem, & inconstantiam alia similitudine declarat. Apparet E in herba ros matutinus, qui tamen ab oriente sole statim exsiccatur, aut illico perflante aura vanescit. 27.

Nunc explorandum an illa misericordia, quæ similis esse dicitur matutinæ nubi, sit Dei in homines, quos beneficiis cumulare vult, aut hominum in alios, quorum inopiam subleuare debuerunt. Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus, & Haymo, & alij è recentioribus plurimi diuinam misericordiam esse putant, quam hominum appellant, quia eò spectat, vt hominum paupertati subueniat. Tunc autem illam opinantur esse sententiam, ostendisse Deum sæpe misericordis, ac liberalis animi documenta maxima; nubem nimirum cælesti pluuia grauidam, & copiosos imbres effundere gestientem, sed quia homi-

Terra sicciтas, & pluuia defectus peccati pœna.

hominum peccata cælestibus sese opposuerunt fluentis, nubes illas sic esse disiectas, aut sic esse repressum cælestium bonorum copiosũ imbrem, quasi tenuis nebula, aut matutina nubes ab oriente sole, aut ab vrentis venti flatu vehementi dissoluitur. Et quidem hoc esse grauissimum damnum, quod oriri solet à peccatis, Scriptura docet, & Patres tum frequenti, tum oratione graui. Quod de ingratitudine sub eadem metaphora dixit Bernardus super Cantica sermone 51. *Ingratitudo beneficiorum perditio, ventus vrens, siccans fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ.*

Ingratitudo Dei misericordiam exsiccat.

28. Apparebat quotidie solem ipsum orientem præuertens nubes, quæ non tantùm nobis cælestem rorem, sed Deum ipsum afferebat (nubem enim Dei esse sedem, & quasi vehiculum, multa docent Scripturæ loca; & tradit Chrysost. *Actor. cap.*1. ad illud, *& nubes suscepit eum ab oculis eorum.*) sed quoties nubes illa apparebat, toties à peccatorum oppositu fugabatur. Est enim peccatum quasi ventus Aquilo, cuius spiritu vehementi, ac frigido dissipantur nubes, vt habes Prou. cap. 25. v. 23. *Ventus Aquilo dissipat pluuias.* Quandiu verò perflauerit inimicus Aquilo, aut nunquam, aut non nisi rarò, aut parcè fluent ex aromatifera planta, quæ vitalem habet succum, & halitum, vnguenta fragrantia. Vnde *Cant.*4. optat sponsus vt abeat procul Aquilo, quo perflante constipantur, atque conglaciant arborum trunci, & durantur aromata, quæ ex ipsis manant; aspiret verò Auster, qui mitior est, & suo tepore laxat, sudareque facit aromatiferas plantas. Quàm verò sæpe sese hominum peccata diuinæ opposuerint largitati, dissipàrintque matutinam nubem, diximus paulo antè ex Nehemia *cap.*9. vbi cùm viri Hebræi percussi resipiscerent, Deúmque iam viderentur ad misericordiam inflexisse, illico tamen ad ingenium reuersi, diuinum in se rursus furorem acuebant.

29. Hæc sententia grauis est, & valde ad informandos mores opportuna: verùm mihi magis videtur ad literam, filúmque capitis, si misericordiam hoc loco hominum magis esse existimemus, quàm Dei. Quod ideo mihi persuadeo, quia misericordiam Deus hominibus commendat, inclementiã damnat, vt cuilibet obseruare promptum est, & nos suo loco accuratiùs notabimus. Quare sensus erit. Quia vos in fratres vestros animum ostendistis inclementem, & durum, me item durum, & inclementem agnoscetis. Fuit enim misericordia vestra non stabilis, & constans, sed leuis, & quæ nihil habet præter speciem vacuam, quæ promittit aquam, & aut dissipatur à vento, aut fulguribus micat, aut iaculatur fulmina. Sic sanè de homine, qui promittit multa, & eorum nihil reipsa præstat, habemus Prou. 25. v. 14. *Nubes, & ventus, & pluuia non sequentes, vir gloriosus, & promissa non complens.* Hanc sententiam probant, tenéntque Chaldæus, Rubertus, Lyra, Vatablus, Montanus, Isidorus, sequitur Ribera in hoc capite *num.*16. qui tamen priùs probasse videbatur, quod Hieronymo placuit. Neque Theophylactus improbat.

Misericordia Dei furorem auertit.

30. Vers. 5. *Propter hoc dolaui in Prophetis, occidi eos in verbis oris mei.*] Rude saxũ, & ineptum ad fabricam paulo elegantiorem ferramentis polimus, quadramus, & variis insignimus emblematis, aut in varias, & honestas species informamus; aut truncum vastum, nodosum, & planè syluestrem, qui ad instruendum potius focum, quàm

Multiplex Dei, ac con-

A ad honestum aliquem vsum censebatur idoneus, dedolamus ascia, atque runcina, ex illóque Angelum fingimus; aut religiosam aliquam formam, quam alij ament, suspiciant, venerentur. Sic Deus rudem illum populum dolare voluit, & quasi ex trunco aliquo deformi, & rudi nobilem aliquam imaginem exculpere. Atque ideo misit Prophetas, quibus pro scalpris vteretur, & runcinis, quibus regulam dedit, & normam ad quam distortum illum stipitem, & rude saxum informarent. Habuit autem sculptor ille maximus multa, quæ in illo populo sub id tempus detereret, quod nimirũ illi ex impuris Gentiliũ sordibus inoleuerat. Id ergo per Prophetas

stans studiũ in peccatore conuertendo.

B mitiori, atque paterna manu elimare voluit: sed cùm nihil paterna sedulitas efficeret, adhibuit ferrum, seruitutẽ, & exilium, quod seuerius erat purgationis genus.

Occidi eos in verbis oris mei.] Obscurum est, qui sint isti, qui hoc loco nominantur occisi, Prophetæne, quibus inflammatus furore populus, qui ægrè ferebat se à quoquam corripi, manus attulit violentas, an illi, quos modò Deus obstinati consilij, & leuitatis coarguit? Sanè res est dubia, & varia sententia. Quidam falsos prophetas occisos putant, qui populum nimis credulum in fraudem trahebant, atque perniciem: quod beneficium Dei non vulgare fuit, dum enim do- 31.

C ctores praui de medio tolluntur, extinguuntur magna ex parte prauitatis semina: illorum autem mors eruditio, si saperent, esse debuit, his, qui pseudoprophetarum consiliis aberrarant à lege, quod fecit Elias 3. *Reg. cap.*18. vbi occidisse traditur quadringentos, & quinquaginta Prophetas Baalim; & Iehu 4. *Reg. cap.*10. aliam sustulit innumerabilem multitudinem, quando subuertit domum Achab. Ita Hieronymus, Cyrillus, & Haymo: secuti Septuaginta translationem, qui locum illum ita conuertunt, *ἀπεθέρισα τοὺς προφήτας ὑμῶν*, id est, *demessui*, aut *occidi prophetas vestros. Aptè*, inquit Cyrillus, *demessui, dixit, magno enim numero instar spicarum demessi ceciderunt.* Hiero-

Magnũ Dei in populum beneficium, si praui Doctores, aut leuiculi concionatores de medio tollantur.

D nymus hîc pseudoprophetas ideo dicit occisos, *vt qui causa erroris fuerãt prospera promittentes, interfecti verterentur in occasionem salutis. Et est sensus, ne diceretis, Prophetis credidimus, etiam ipsos interfeci, vt omnis vobis peccandi tolleretur occasio.*

Alij occisos esse dicunt veros Prophetas, aut quia reuera ita contigit, quomodo occisus creditur Isaias & Amos, qui fortasse hanc Oseæ prophetiam antecesserunt. Et sanè, si hoc loco de Prophetarum cęde sermo est, magis de verorum, quàm de falsorum cæde esse puto; illi enim Prophetæ occisi sunt, per quos dolauit, atque erudiuit Deus populum illum distortum, & rudem; at illos quis sanus, & pius fallaces esse credat? 32.

E Veri igitur Prophetæ occisi existimantur, *in verbis oris Domini*, quia illa mãdata habuerunt à Deo, quæ ad populum deferrent obstinatum, & stolidum, propter quæ certum adierunt vitæ periculum: vt expertus est non semel Ieremias, quem diuini verbi fidelis constantia in lacum contrusit; & tandem refractariorum hominum lapidibus obiecit; ille autem eos occidisse existimatur, qui causam dedit cædis, licèt ille paratũ vitæ periculum effugerit. Ita putant Theodoretus, Theophylactus, Montanus, Ribera, & è recentioribus alij. Quæ sententia mihi probatur valde. Fortasse *occidere* non in propria significatione sumendum est, sed habet aliquid admixtum hyperbolicæ formæ. Cùm enim aliquis graue aliquid passus

est,

est, & laborando fractus, is occisus dicitur, aut periisse. Vnde illud apud comicos tritum, *perij, occidi, enecas me*, & similia; iuxta illa, quæ paulo antè diximus, vitam ærumnosam & tristem non existimari vitalem, sed potiùs instar habere mortis, aut mortem vocari. Dici ergo posset Deus occidisse Prophetas suos, dum eos clamare iubet, & ilia vociferando rumpere, neque à clamando cessare, aut aliquid leuamenti, atque quietis ab assidua illa contentione assumere, quod imperatum fuit hoc ipso tempore Isaiæ cap. 58. *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum.* Et huic Prophetæ infrà cap. 8. *In gutture tuo sit tuba.*

33. Frequentes alij de populi cæde hæc interpretantur, in quibus est Hieronymus, Haymo, Dionysius, Albertus, & Lyra. Ideo verò Prophetarum ore occisi dicũtur peccatores, quia Deus per Prophetas illis cædem, & aduersa omnia minabatur, nisi mentem mutarent. Est autem in Scriptura frequens, vt illa fieri dicantur, quæ aut facienda prædicuntur, aut facta narrantur. Sic *Isaia cap. 6.* edicitur Prophetæ: *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude.* id est, dic excæcandum esse cor illorum, aggrauandas aures, claudendos oculos. Ierem. 1. *Ecce dedi verba mea in ore tuo, &c. vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & edifices, & plantes.* id est, vt talia futura esse denuncies. Sic ergo nunc occidisse se dicit Dominus eos, quos infidelitatis coarguit, quia illis subeundam esse mortem, aut id, quod instar obtinet mortis, per Prophetas denunciat. In hanc postremam sententiam magis propendet assensio.

REGVLA. *Illa dicuntur fieri, quæ aut facienda prædicãtur, aut facta narrantur.*

34. *Et iudicia tua, quasi lux egredientur.*] Iudicium hîc sumitur pro condemnatione, aut censura graui, quæ sceleris reos aut acerbo doloris sensu punit, aut graui notat contumelia. Hæc verò iudicia vsqueadeo futura dicuntur aperta, vt instar lucis, aut Solis omnium occursent oculis, & his notata signis, vt nemo dubitet illa à Deo scelerum vindice fuisse profecta. Hæc communiter interpretes. Sed est fortasse sensus alius, quem alij significare videntur obscuriùs; sed mihi bellè videtur cum reipsa congruere, & quæ antecesserunt, cum his, quæ consequuntur, aptè contexere. Putabat populus ille magno se in loco esse apud Deum, & ab illo obtinuisse sacrificiis identidem offerendis, vt nihil esset, quod ab illius libertate ingentibus prouocata meritis non impetraret. Quare externa illa sanctitatis specie deceptus, quasi ea ratione satisfactum esset diuinæ legi, omittebat alia, quæ lex exigebat, & his sese rebus implicabat, quæ vera religio vehementer horrebat. Aduersùs hæc sunt illa Isai. c. 1. v. 11. *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus. Plenus sum. Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui.* & statim addit v. 17. *Discite benefacere, quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam.* Hæc opera misericordiæ sunt; qualia hoc loco apud Oseam commendat, & requirit Dominus.

35. Propter hæc populus nimium sibi de sua religione blanditus iustum se putabat, & ab aliis, qui externam tantùm captant, capiúntque religionis speciem, iusti iudicabantur, digníque, quos amplecteretur Deus tanquam filios, & quasi omnia promeritos beneficiis ornaret. Quæ apud Isaiam prædicabat populus ille, querebatúrque quòd Deus ipsius iustitiam non aspexisset, & tanta merita, ab omni mercede vacua reliquisset. Sic autem apud Isaiam Deus cap. 58. v. 2. *Me etenim de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt, quasi gens, quæ iustitiam fecerit, & iudicium Dei sui non dereliquerit, rogant me iudicia iustitiæ*, &c. Hæc ergo iudicia, quæ apud homines sanctitatis plena videbantur, dignaque, quæ Deus cumulatiùs ornaret, apparebunt non iam illustria cum externo sanctitatis fuco, sed, sublato simulationis inuolucro, fucata, & fœda, dignaque non ornamento, & gloria, sed ferro, sed exilio, sed fulmine. Hæc verò simulata sanctitas & vera crudelitas, & impietas ex vmbraculis prodibunt in lucem, quando cælesti virtute, & Dei vltrice dextera sumptum esse supplicium, nemo quantumuis rudis, & ignarus dubitare possit.

In iudicio apparebit qualis quisque fuerit.

Vers. 6. *Quia misericordiam volui, & non sacrificium.*] Hæc eadem audis ab Isaia *cap.* 1. de quo nuper: respuit enim ibi Dominus sacrificia, misericordiam amat, & commendat. Ideo igitur ait Dominus egressura iudicia, dura videlicet, & condemnatoria, quia populus ille dum ostentationis gratia sacrificiis dat vanam, & ambitiosam operam, misericordiam abiicit, neque oppresso subuenit, aut pupillum defendit: quo nomine apud Isaiam Dominus simulatam hominum religionem accusabat. Hinc intelligo, quid statim in principio capitis sit misericordia, & cur ibi rectè dici possit non diuinam, sed humanam esse misericordiam, illam, quæ similis esse dicitur aut matutinæ nubi, aut rori transeunti. Carebat etenim populus misericordia, aut siqua illius species erat, vanescebat statim, & cum multum promitteret, nihil præstabat; sicut nubes matutina, quæ grauida videtur cælesti pluuia, & tota tandem soluitur, & dissipatur in ventum. 36.

Grata Deo misericordia.

Cur verò dicatur Deus nolle sacrificium, cùm tamen illud sæpe commendarit, explorandum est. Et primùm statuo misericordiam hoc loco, contra quam alij sentiunt, non sumi pro tota iustitia, id est, pro omnium complexione virtutum: quod ideo mihi persuadeo, quia statim additur, *& scientiam Dei plusquam holocausta.* In scientia autem Dei, quæ viuida esse debet, & practica, omnis lex intelligitur. Hæc autem ratio alicui videri posset infirma, quia per epexegesim eadem solet iterari sententia. At illa grauissima est, quæ ex verbis Christi sumitur *Matth. cap. 9. v. 13.* vbi hunc Oseæ locum de ea, quæ propriè dicitur misericordia, quæ alterius leuat miseriam, quæcunque illa sit, siue liberando ab errore, siue ab aliquo vitio laborantẽ animam aliorum; siue corpus à nuditate, & fame, siue ab alio quouis valetudinis incõmodo. Est sanè propriæ misericordiæ opus ægroto corpori mederi: & errantẽ à via, & ambulantẽ in præcipiti, & caliginoso loco adducere in lucẽ, & à præcipitio liberare; vt hoc probet Christus adducit istud Oseæ testimoniũ. Cùm enim dixissent Pharisæi, *Quare cũ publicanis, & peccatoribus manducat magister vester.* Respondit Iesus, *Non est opus valẽtibus medicus, sed malè habentibus: non enim veni vocare iustos, sed peccatores.* Ecce quomodo miseria ostenditur, cui subuenit misericordia. Non accedit medicus ad valentes, in quibus afflicta valetudo non est, sed ad infirmos, in quibus est, quod releuet misericordia. Neque Christus iustos vocat, quia malum non est, vnde illos extrahat, sed peccatores: in quibus malum est, à quo miserendo liberet. Explicuit Christus non minus apertè *Matth. cap. 12. v. 7.* Cùm enim 37.

Misericordia Deo oblatio gratissima.

Phari

Pharisæi accusarent Apostolos, quòd spicas collegissent in sabbato, illorum inclementiam Dominus accusat, quòd immisericordes essēt, neque dolerent de pauperum fame, quorum potiùs inopiæ subuenisse debuerant. Quod hoc ipso Oseæ testimonio confirmat. *Si autem*, inquit, *sciretis quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes.* id est, potius de illorum releuanda miseria, quàm de commendanda obseruatione sabbati cogitaretis.

39. Sed cur Deus nolle se dicit sacrificium, & holocaustum? Egimus hac de re in nostris commentariis ad primum Isaiæ caput, vbi idem tractatur argumentum. Et fortasse eandem ob causam Deus hic sacrificia respuit, quia nempe externa tantùm in illis spectatur sanctitas, & ab impuris manibus offeruntur. Sed credo hîc comparationem quandam fieri inter misericordiam, quæ aliorum necessitati subuenit, siue illa spiritualis, siue corporalis sit, & inter sacrificia, quæ offeruntur in templo. Quòd si alterutrum defuturum est, ait Dominus malle se vt sacrificium, quàm vt misericordia deseratur. Hanc sententiam apertè tenent Ambrosius *lib. de pœnitentia, cap. 2.* vbi sic legit: *Misericordiam malo quam sacrificium.* Idem Augustinus *lib. 10. de Ciuit. cap. 5.* & contra Faustum lib. 20. cap. 16. *Misericordiam magis volo quàm sacrificium.* Et addit, *Nihil aliud, quam sacrificio sacrificium prælatum oportet intelligi.* vbi nota misericordiam ab Augustino sacrificium vocari, iuxta illud Apostoli ad Heb. cap. 13. *Benefacere, & communicatores esse nolite obliuisci, talibus enim sacrificiis placatur Deus.* Et hoc ipsum, vt credo, indicat Propheta ipse, licèt paulò obscuriùs. Vt enim in secundo membro dixit cum comparatione, *scientiam Dei magis quàm holocausta*, sic etiam in priori dixisse videri potuit, *misericordiam magis quam sacrificium.* Tunc verò per zeugma illud *magis*, quod in posteriori membro exprimitur, in priori subaudiendum est.

Misericordia sacrificium est.

40. Sed obstat quòd Propheta negatione vtitur, quare omnino videtur sacrificia respuere. Ait enim non *magis quam sacrificium*, sed, *& non sacrificium.* Sed hunc nodum exoluit Scripturæ consuetudo, quæ aliquid negat inesse alicui, quod alterius comparatione existimatur exiguum, vnde fit vt cùm ex magno numero pauci fuere superstites, nullus dicatur esse reliquus, vt diximus in nostris commentariis in Ieremiam *cap. 9. num. 19. & 20.* Hinc Sodoma, & Samaria, licèt a peccatis non essent immunes, iustæ tamen, id est, sine peccato fuisse dicuntur comparatione Iudæ quæ illos longè peccando superarat. Sic enim de Sodoma cap. 16. v. 4. ad Iudam. *Non fecit Sodoma soror tua ipsa, & filiæ eius, sicut fecisti tu, & filiæ tuæ.* Et v. 51. *Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccauit, sed vicisti eas sceleribus tuis.* Et statim dicit, illas ipsius comparatione nullius peccati reas existimari. *Iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis.* Et illico fortassis Lucæ cap. 14. v. 26. dixit Christus, *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem, & animam suam, non potest esse meus discipulus.* Odium omnem excludit beneuolentiæ gradum: at homo odisse dicitur patrem, & matrem, licèt illos non possit, aut certè non debeat non amare: quia tantus esse debet in Deum amor, vt eius comparatione quicunque aliùs amor, vocari possit non amor, aut odium. Quod explicuit Matthæus *cap. 10. v. 37.* qui cùm de hoc ipso Christi sermone loqueretur, sententiam eandem verbis comparatiuis expressit, & propriis; & quid sit *odisse* clariùs ostendit, *Qui amat*, inquit, *patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus.* Iuxta hanc regulam explicari possunt multa, quæ in Scriptura sacra passim occurrunt: vt est illud Ioan. cap. 7. *Mea doctrina non est mea.* id est, non tam mea, quàm Patris est; ego enim ab illo hausi, & cap. 10. *Non estis vos, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.* id est, non tam vos, quàm ille loquitur. Idem docuit S. Thomas ad illud ad Rom. 9. v. 16. *Non est currentis, neque volentis, sed miserentis est Dei.* & Chrysostomus *homil. 42. ad populum*, vbi hæc eadem Pauli verba adducit. Licèt etenim serra, aut ascia aliquid operentur, quia tamen multo magis debetur artificis industriæ, artifici soli totum opus ascribimus. Hinc credo constat cur dicatur Deus amare misericordiam, sacrificium nolle, quia si spectes, quàm Deo misericordia placeat, quod est in externo sacrificio, instar obtinet nihili. 41.

Regula: *Aliquid in Scriptura negari videtur, quod aliorum cōparatione exiguum est.*

Et scientiam Dei plusquam holocausta.] Scientia Dei non est hoc loco, quæ tantùm illustrat mentem, & nihil præterea facit, sed illa quæ voluntatem inflammat, stimulos admouet, neque hominem in legis obseruantia torpere sinit. De hac scientia diximus suprà *cap. 4.* ad illud, *Et non est scientia Dei.* Quare non habuisse scientiam Dei, & non obseruasse Dei voluntatem, atque præcepta, idem est. Dixit hoc Ioan. epist. cap. 2. *In hoc scimus, quoniam cognouimus eum si mandata eius obseruamus. Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.* 42.

Vers. 7. *Sicut Adam transgressi sunt pactum, ipsi præuaricati sunt in me.*] Illud *Adam* quidam nomen statuunt esse commune, & significare idem quod *homo.* Ita sanè putant LXX. qui transtulerunt, ὡς ἄνθρωπος. Tunc verò explicatur dupliciter, quidam in primo casu ponunt, & ita explicant, *facti estis sicut homo, qui pactum violat*, ita Theodoretus, & Chaldæus. Alij in casu secundo, in hunc sensum: *Quasi hominis esset pactum, & non meum, sic illud audacter, & liberè transgressi sunt.* ita Vatablus. 43

Communis est sententia, quam cum Hieronymo tenent frequentes alij, hic similitudinem sumi a primo parente Adam, quem posteri multis modis imitati sunt. Audi Hieronymum, & in eo plures alios, quos habet sibi in hac cogitatione asseclas. *Ipsi*, inquit, *imitati sunt Adam, vt quod ille in paradiso fecerat pactum meum, legémque prætereúns, isti in terra facerent, & ibi, hoc est, in paradiso omnes præuaricati sunt in me in similitudine præuaricationis Adam. Non enim mirum, si quod in parente præcessit, hoc etiam in filiis condemnetur.* 44.

45. Fuit autem inter Adam, & horum peccatum similitudo maxima. Primùm quia Adam præuaricatus est fœdus quod cum ipso Dominus percussit, intercessisse autem inter Deum, & Adamum, pactum, grauissimorum nostri temporis Theologorum sententia est. Tenent ex antiquis Rupertus *lib. 5. in Genes. cap. 33.* & August. *lib. 16. de ciuitate, cap. 17.* & hîc Hieronymus. Fuit item pactum inter Deum, & populum, de quo *Deuter. cap. 7. & 8.* vbi promittit Deus regionem, quæ vbertate, ac specie illius paradisi similitudinem referat, in quo collocatus fuit Adam, si tamen dati sibi præcepti obsequentem se præbuerit. Sic autem Deus ad populum illum *cap. 8.* postquam mandatorum suorum obseruationem iniunxit, *Deus tuus introducet te in terram bonam; terram riuorum.*

Inter Adā & Deum pactum.

rum.

Terra promissionis cū paradiso cōparatio.
Pactū Dei cū Hebræis de terra possessione.

rum, aquarumque, & fontium, in cuius campis, & montibus erumpunt fluuiorum abyssi; terram frumenti, hordei, & vinearum, in qua ficus, & malogranata, & oliueta nascuntur: terram olei, ac mellis, vbi absque vlla penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfrueris. En tibi species quædam paradisi primi: en populus quasi primus Adā in eo loco positus; quo nullus in terra melior, nullus ad omnes vsus magis opportunus, vt expressè docuit Ezechiel *cap.* 20. *v.* 15. qui illam vocat *præcipuam terrarum omnium.* Audi alteram partem pacti ibid. v. 19. *Sin autem oblitus Domini Dei tui secutus fueris Deos alienos, colueris que illos, & adoraueris, ecce nunc prædico tibi, quod omnino dispereas, sicut Gentes, quas deleuit Dominus in introitu tuo.*

46. Illud, *ibi præuaricati sunt in me*, quidam ad originale peccatum referunt, quasi illi, quos hoc loco sceleris arguit, iam inde à principio originalem labem à parente contraxerint, quod quanuis obscurè, indicat Hieronymus, quòd licet verum sit infectam esse à peccatore parente prolem vniuersam (Virginem excipio) non tamen arbitror de originaria labe hunc esse sermonem, quod etiam putat Gabriel Vasquez *in* 1.2. *S. Thom. disp.* 130. *cap.* 2. Quid enim egerint apostatæ filij, non quid ab aliis sine vllo suo opere contraxerint, Deus accusat, & improperat. Puto subaudiendam hic esse similitudinis notam, in hanc sententiam, *sicut Adam ibi*, nempe in paradiso, *sic isti in terra promissionis, quæ instar erat paradisi præuaricati sunt.*

47. Et huc fortasse spectat, quod proximè dixerat, populum apostatam, & exlegem scientiam non habuisse Dei, vt in hoc etiam imitaretur Adamum, qui non tam Dei, qui vetuit vt abstineret ab arbore; quàm diaboli, qui ad vetitum cibum inuitabat, imperio paruit. Contempsit enim diuinam legem per Moysem cum seuera denunciatione propositam; & se totum ad peregrinos mores, & idolorum impuros ritus attemperauit.

48. Vers. 8. *Galaad ciuitas operantium idolum.*] Ostendit quo modo populus, qui violati fœderis arguitur, à pacto defecerit. Et incipit a Galaads quæ tanti sceleris, atque incendij aut prima fuit, aut nocentissima fax. *Galaad* (verba sunt Hieronymi) *ciuitas trans Iordanem in possessione tribus Gad, vbi idolum consecratum est, quæ habitabatur à sacerdotibus: nam & ipsa fugitiuorum ciuitas fuit. Quanto igitur celebrior, & maioris auctoritatis, quia in partem sacerdotum fuerat delegata, tanto trans Iordanem habitantis Israel principium idololatriæ, & malorum omnium fuit, vt qui prius peccauerant, primi ab Assyriis caperentur.* Ostendit hic Propheta vnde euenerit Israelitici fundi tanta calamitas. Fuit quidem vitulorum alter in Bethel, alter in Dan; sed non tam perniciosæ fuerunt duæ hæ ciuitates cum suis vitulis, quàm Galaad, vbi magna sacerdotum frequentia; qui cum doctrina supra cæteros valeant, & aliis esse debeant exemplar, & forma viuendi; dum ipsi idola fingunt, & adorant, præscribunt aliis quid ipsi probent, & quid e religione vera magis sit; prætenditur enim rebus turpissimis species honesta à sacerdotali nomine: neque pudet ignaram, atque ignobilem turbam illa admittere, quæ commendat, & probat sacerdotum exemplum, quibus inesse creditur, & legis cognitio, & religionis obseruantia. Quare omissis aliis ex Galaad, id est, è sacerdotum errore, aut insania tantam populi ruinam ortam esse dicit. Quod clamant sæpe Patres, & grauissimè Gregorius homil. 17. in Euangelia, & in 1. p. Pastoral. cap. 2. sic de sacerdotibus. *Nemo in Ecclesia amplius nocet, quàm qui peruersè agens nomen, vel ordinem sanctitatis, vel sacerdotis habet, &c. in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur.* lege totum caput.

Sacerdotum exemplum malum nocentissimū.

49. *Supplantata sanguine.*] Supplātare hoc loco non à planta, quæ genus est fruticum, atque arborum, sed ab ea, quæ pedis infima pars est, componitur, quod aperte docet vox Heb. עקב. Quare sensus non est supplantatam esse, id est, fundatam Galaad in sanguine, cædibus videlicet aliorum per vim, & iniuriam, aut filiorum per impiam, & sacrilegam superstitionem, quæ parentibus præcipit, vt filios suos in idolorum cultum ad impias aras immolent. Quo modo *Abacuc cap.* 2. *v.* 12. in sanguinibus dicitur ædificata ciuitas, *Væ qui ædificat ciuitatem in sanguinibus, & præparat vrbem in iniquitate*, sed potiùs à sanguine euersam esse Galaad. Est autem *supplantare* aliquem fraudulenter, & callide in palæstra, & lucta opposito pede, aut implicatis cruribus incautum deiicere. Vnde siquis ab eo, quem amicum putabat, & à quo nihil censebat esse metuendum, in fraudem inducatur, & periculum supplantatus dicitur. Sic Psal. 48. *Qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem.* Quid sit *sanguis*, explicuimus in nostris commentariis super Isaiam ad illud cap. 1. *Manus vestræ sanguine plenæ sunt.* vbi diximus in sanguine significari omnia vitia, quæ ab humanæ naturæ corruptione proueniunt; qualis est libido, crudelitas, auaritia, & rapina, quæ pauperum exugunt sanguinem, id est, illa naturæ subsidia, sine quibus vita sustineri non potest. His rebus putabant, qui Galaad vrbem sanguinariam incolebāt, futuros se tutos ab hostili manu, quia satis se parauisse præsidij existimabant contra omnes siue fortunæ, siue hominum appulsus. Cùm autem hæc ipsa perniciem attulerint, quia propter illa populus euersus, & aliò transmisgrare coactus est, iure populus supplantatus appellari potuit a sanguine, quia effusus sanguis aut ereptæ facultates, aut alia vitia, quæ securitatem, & otium fallaci blandimento promittebant, in extremum exitium perpulerunt.

Sanguis in Scriptura quid.

50. Putat autem Ribera, legendum esse à *sanguine*, & ita olim fuisse scriptum; omissum verò illud *a*, à properante scriptore, & parum attento; aut quia literam redundare credidit. Neque mihi Riberæ cogitatio displicet: neque leuis est coniectura, tum quia si literam illam detrahas, obscurior est sententia, tum quia facile eo loco illud *a*, à festinante notario præteriri potuit. Accidit enim non rarò, vt quando duæ literæ eiusdem, aut similis figuræ concurrunt, omittatur altera, quod in nostris commentariis in Acta *cap.* 8. *num.* 37. pluribus ostendimus. Ex illis pauca accipe. Ad *Hebr.* 12. cōmuniter legitur, *Proposito sibi gaudio*, cùm tamen, si Græcos codices consulas, dicendum esset, *pro proposito sibi gaudio*; habent enim Græcè ἀντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς, id est, *pro gaudio proposito*; sed cōcursus ille geminati *pro* fecit vt excideret illorum alterum. Sic *ad Heb.* 5. legitur *interpretabilis*, pro *ininterpretabilis*. & Ephes. 3. *inuestigabiles*, pro *ininuestigabiles*. Sic ergo cùm in hac coniunctione *fundata a sanguine* duæ eiusdem soni, atque figuræ literæ concurrerent, facile in errorem inducere potuere festinantem notarium, vt alteram omitteret.

Regvla. Aliquando vna litera propter similium cōcursum omittitur.

51. Vers. 9. *Et quasi fauces virorum latronum.*] Hic locus

Insidiæ callidæ à sacerdotibus.

locus variè à variis conuertitur. Quidam sic reddunt. *Tanquam hami viri in ripis cœtus sacerdotum*; quæ sanè metaphora perquam bellè explicat callidas illorum fraudes, quorum astutam improbitatem reprehendit. Vt enim hamus sic captat prædam, vt tamen celetur ab esca, neque pisces sentiant capi se ab illo, donec seipsos extricare non possint; sic illi, quorum vitæ, ac opibus insidiabantur viri sanguinum, nempe crudeles, & auari, non prius cognouerunt insidias, quàm in illas incurrerunt incauti. Plerique alij, & omnes recentiores ita conuertunt, cum Hebræis, *Quemadmodum latrones expectant virum*, seu *obseruant*. Hæc tanta varietas ex Hebraica voce orta est, quæ modico flexu expectationem, hamum, & fauces significat, si enim legas חך *chec*, guttur valet, & fauces: si חכה *chakkah*, hamum, & חכה *chakah* verbum expectare est. Sed si rectè expendas, aut idem est in omnibus sensus, aut non admodum diuersus, licèt metaphora non eadem. Omissis aliis in vulgati versione incumbat commentatio, & *fauces* potius quàm alia omnia hîc intelligamus.

Faucium significatio multiplex.

52. Fauces duo significant, alterum propriè, guttur nempe, quod spiritum aut expirando emittit, aut aspirando trahit; aut certè, quæ cibos primùm excipiũt, ac deinde cõfectos in stomachum transmittunt, in hanc significationem sumunt nonnulli, & putant non minus ad cædem, seu lucrum anhelare sacerdotes, & viros alios principes, quàm latrones, qui leonum, atque luporum more sanguinem sitiunt, & fauces habent, aut hiantes, aut stillantes sanguine; ita accipit Ribera,

53. Sunt præterea fauces locorum angustiæ, & quasi portæ inter præaltas, ac præruptas cautes, per quas his, qui vltra montes pergunt, necessariò transeundum est, quæ à Latinis vocantur claustra, seu fauces, aut portæ, à Græcis πύλαι. Quales vocantur Alpes, per quas transitur in Italiam, & Amani, seu Tauri pylæ, per quas iter in Ciliciam patet, & loca illa angusta, de quibus Virgil. Æneid. 6.

Vestibulum ante ipsum, primisque in faucibus Orci
Luctus, & vltrices posuere cubilia curæ.

Hæc loca obsidere solent latrones, quia in illis certa præda est, quia alia clausa sunt, & nemini peruia. In hunc vsum accepere Haymo, Albertus, & Montanus.

54. Cur verò latronibus, qui viarum angustias obsident, similes dicantur viri illi scelerati, ac perfidi, ea ratio est, quam adduximus *cap. 5.* ad illud, *& rete expansum super Thabor.* Narrat autem hîc Hieronymus ex Hebræi eiusdem sententia historiam, quæ si vera foret, nil aliud nobis ad huius loci intelligentiam esset requirendum. *Cùm intelligentiam*, inquit, *iuxta historiam quæreremus ab Hebræo, ita nobis expositum est. Sacerdotes Bethel, imò phanatici Bethauem temporibus Paschæ, & Pentecostes, & scenopegiæ, quando per Sichem, quæ hodie Neapolis appellatur, eundum erat Hierosolymam (vbi solùm licebat victimas immolare) ponebant in itinere latrones, qui insidiarentur pergentibus, vt magis vitulos aureos in Dan, & in Bethauem, quàm in Hierosolymis, & in templo adorarent Deum.* Hæc fortasse vera, sed omnino vide, quod citato loco ex *cap. 5.* à nobis dictum est [illegible]

Sacerdotes alios callidè auertunt à Deo.

55. *Particeps sacerdotum in via interficientium per gentes in Sichem, quia scelus operati sunt.*] Si vera esset Hebræi illius cogitatio, de qua proximè, facilis esset horum verborum intelligentia, nempe ciuitatem Galaad cum sacerdotibus conspirasse, ne vllus per Sichem religionis, & pietatis ergò ad Solymitanum templum accederet. Quod locus iste vehementer indicat; & ita fortasse est, saně ita frequentes accipiunt interpretes. Et facit ad hanc sententiam, quod Galaad sanguinaria nominatur ciuitas, quæque pœnas dedit suæ crudelitatis; à sanguine namque supplantata dicitur, & euersa. Quòd autem tam acriter, atque hostiliter in religiosum populum cum sacerdotali cœtu cõiurarit, ea causa est, quòd non minus quàm sacerdotes, quos ex omnibus tribubus pro aureis vitulis elegit Ieroboã, in idolorum nefarium cultum insanierunt, atque ideo omnibus excubiis existimarũt viam illam, quæ ducebat Hierosolymam, esse præcludendam. Quòd si, vt nonnemo putat, & verba, quæ proximè antecessere, non obscurè docent, hæc ciuitas statuariam artem exercebat; sicut aliæ aliis artibus ciuitates deditæ sunt, & fingendarum imaginum gloria florebat; nõ mirum si grauiter ferret perire sibi quæstum, quem ex illo artificio quotidie capiebat. Si enim iaceret Gentilium religio, apud quos multus, & varius simulacrorum vsus; frigeret ars illorum, & quæstus, cùm apud Hebræos nefas esset imagines sculpere. Sanè propter eandem causam Demetrius quidam, qui ex fingendis Dianæ simulacris, aut illius phylacteriis cudendis ingentem sibi pecuniam parauerat, alios eiusdem artis socios incitauit in Paulũ *Actor.* 19. quia dum alios auertit ab idolorum cultu, idolorum quoque & cultum, & effigies euertit. Id verò indicat illud, *Galaad ciuitas operantium idolum.* Hoc in re dubia videtur non improbabile. Illud *particeps sacerdotum*, idem esse arbitror, quod studio, atque animo cum sacerdotibus consentire. Quod omnino dicendum esset, si, quod multi putant, Sichem hoc loco humerum significat, quod vox Hebr. non respuit. שכמה *secmah* enim tam Sichimam, quàm humerum sonat, & tunc non displicet sensus, quem Chaldæus adducit: *Consociati*, inquit, *sunt ipsi, & sacerdotes eorum itinere vno, obsidentes animas humero vno.* Quo etiam modo locutus est Sophonia cap. 3. v. 9. *Et seruiant ei humero vno.*

56. *In Galaad simulacrorum officina.*

57. Vers. 10. *In domo Israel vidi horrendum; ibi fornicationibus Ephraim, contaminatus est Israel.*] *Horrendum* magnum aliquid sonat, quod homines, aut ita admirantur, vt horreant, obstupescant, & à seipsis abeant; aut ita execrantur, vt spectare neque velint, neque possint. Tale planè fuit scelus Israel, cùm Deum suum, à quo tot fuerat cumulatus beneficiis, commutauit cum vitulo comedente fœnum, cùm Deum dereliquit fontem aquæ viuæ, & fodit sibi cisternas dissipatas, quæ cùm aquam nequeant continere, nihil sibi retinent præter cœnum crassum, & fœtidum, quod non tam sitientem refrigeret, & expleat, quàm hiantem relinquat, & fœtore suo obstipatis faucibus extinguat. Hoc idem iisdem penè verbis expressit Ieremias cap. 18. v. 13. *Quis audiuit talia horribilia, quæ fecit nimis virgo Israel.* Hæc verò horribilia passus est Israel propter Ephraim; id est, propter Ieroboam, qui fuit Ephratæus, qui vitulos conflauit aureos, viásque præclusit decem tribubus, ne in Solymitano templo legitima, & sancta obirent sacrificia, fecitque, vt honor, qui vni Deo exhibendus erat, mutis impenderet simulacris, hoc est, fornicationibus, id est, idololatriis Ephraim contaminatum esse Israelem, & iam pridem cædi atque exilio deuotum.

Vers. 11

58. Vers. 11. *Sed & Iuda pone messem tibi.*] Difficilis A locus, & variè redditus, atque expositus. Quidam aliquid hic ironicum agnoscunt, quasi neget Deus Iudam sublato Israele, futuram esse securam, neque aliter esse Israeliticos, quàm Iudaicos fines ab hoste vastádos. Pone, inquit, messem ex quo copiosum fore prouentum speras; aderit hostis, quo tempore spes se fructus maior ostentabat; & quod tu tibi parauerás vitæ subsidium, repentinus auertet. Ac si dicat, non est quod in faciendâ semente nimium labores; quia nullus inde fructus ad te perueniet. Est autē ironia in sacris literis vsitata; qualis est illa Eccl. 11. *Lætare iuuenis in adolescentia tua*, id est, ne læteris, & *lib. 3. Reg. cap. 18.* cum prophetarum clamo- B res ad Baal inanes futuros esse diceret, iubet vt clament, cum ironia tamen subamara. *Clamate*, inquit, *voce maiore: Deus est enim Baal, & forsitan loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere, aut dormit, vt excitetur.* In eodem sensu, atque materia dixit Melibæus Maronianus Eclog. 1.

Ironia in Scriptura vsitata.

Impius hæc tam culta noualia miles habebit
Barbarus has segetes, en quò discordia ciues
Perduxit miseros, en queis conseuimus agros.
Insere nunc Melibæe pyros, pone ordine vites.

59. Alij vocem Hebraicam שת *sath*, pro qua vulgatus in imperatiuo *pone* reddidit, in præterito conuertunt, *posuit*. & hi sunt omnes præter vulgatum. Tunc verò illud *tibi* potius est ad Israelem referendum, quàm ad Iudam, in hunc sen- C sum. Iudas quoque, ô Israel, in idem tecum studium, in eandem idololatriam, ac perfidiam incubuit, eandem fecit scelerum sementem, eosdem plantauit lucos, eisdem se tandem aris, ac moribus implicuit, vox enim קציר *casir*, pro qua vultus *messem* transtulit, ramum etiam significat, & plantam, aut denique quicquid radicibus nixum surgit à terra, qualia sunt illa etiam, inter quæ excitari solent idolorum altaria. Neque displiceret hæc lectio, nisi contrà staret vulgata translatio; neque difficultatem haberet vllam, quod extremum est in hoc capite, & in sequenti primum. Datiuum porrò interdum Latini ad Græ- D corum, opinor, imitationem, pro ablatiuo adhibent cum præpositione *cum*. Sic sanè Horatius de arte poëtica ad finem.

Regula. Datiuus pro ablatino cū præpositione cum.

Inuitum qui seruat idem facit occidenti.

Plura ibi exēpla adducit ex Lucretio Iambinus, vt autem huius loci sensus est, *facit cum occidente*, vel perinde facit, atque si occideret. Sic hoc loco *posuit ô Israel, Iuda tibi messem*, idem est, atque si diceret, posuit, aut plantauit tecum, aut eadem, quæ tu, in idolorum veneratione fecit. Aut si mauis non alium ex sua semente fructū referet Iuda, quam quem tu ô Israel, ex tua percepisti.

60. Sed si cum vulgato legas, *pone messem*, quod E omnino faciendum est, locus est neque minus obscurus, neque minus varius. Quidam illud, *sed & Iuda*, ad superiora referunt, & sequentem clausulam incipiunt à *pone messem*, ita Montanus, & ita indicant L X X. dum vertunt, *Contaminatus est Israel, quin etiam viri domus Iuda cœperunt multiplicare peccata.* Tum verò sensus est non aliter vixisse Iudam quàm Israel, neque leuius huic, quam illi impendere supplicium.

61. Ego primùm existimo illud *pone messem*, pertinere ad Iudā, neque significare aliud quam quod *cap. 5.* suprà diximus ad illud, *Clangite buccina*, nempe vt Iuda, quæ Israelis mores fornicando expressit ab Israelis messe, id est, vastatione per Assyrios discat, quodnam suo capiti periculum immineat.

A Porrò *messem*, sicut etiam *vindemiam*, pro direptione sumi, notum est; sic sanè vsurpauit Ieremias *cap. 51.* de Babylone, *veniet & tempus messionis illius.* Qua de re nos suprà ad illud, *occidi eos in verbis oris mei*, vbi ex Cyrilli sententia diximus verbum *meto* stragem magnam significare; qualis est illa, quæ spicarum fit, dum in æstate demetuntur segetes, ita exponit hûc locum Hieronymus, & cum illo alij.

Messis pro vastitate.

Illud deinde arbitror significari in messe. Aut 62. non diu post futuram vastitatem Iuda, quia cum iam seges maturuit, proxima falx est, quæ illam demetat, vnde Christus Ioan. cap. 4. v. 35. *Videte regiones, quia albæ sunt iam ad messem.* Et paratum B iam imminénsque supplicium, per segetem maturam falci significatur. Ioel cap. 3. v. 13. *Mittite falces, quoniam maturauit messis.* Et Apocal. 14. v. 15. *Mitte falcem tuam, & mete, quia venit hora, vt metatur, quoniam aruit messis terræ.* Aut certè quidquid seminetur, aut plantetur à Iuda expositum esse vastationi, ac prædæ: & expectare hostiles manus, sicut maturæ segetes falcem expectant. Quasi dicat, ea omnia, quæ plantata sunt, quæcunque illa sint, extirpanda fore, ac demetenda, siue falce, siue securi; tam enim vox Hebr. קציר *casir*, quàm Latina *messis*, omne genus plantationis significat. Porrò id accidisse Iudæ, de qua hic aut solùm, aut præcipuè sermo est, dixit sub hæc tem- C pora Isaias cap. 1. v. 7. *Terra vestra deserta: ciuitates vestræ succensæ igne: regionem vestram coram vobis alieni deuorant, & desolabitur, sicut in vastitate hostili.* Quod item *Thren. cap. 5.* lamentabatur Ieremias, cùm diceret, *Hereditas nostra versa est ad alienos.*

In re obscura licebit, credo, mihi locum istum 63. aliis, atque aliis modis versare, si quo modo aut verum sensum, aut qui vero est affinis, inuenire contingat. *Messis* pro fructuum collectione sumitur, quicunque illi sint, de mellificio sumpsit Virgil. lib. 4. Georg.

——Duo tempora messis.

De vindemia Georg. 2.

Postremum metito.

D Sumitur itaque *messis* pro quocunque fructu. Est porrò prouerbium quoddam non solùm Latinis, sed Græcis etiam, atque Hebræis commune, quod ex messis similitudine docet quencunque hominem suo labori ac studio accommodatum fructum esse capturum. Latini in eo euentu sic loquuntur, *Vt sementem feceris, ita & metes*; & errores vitæ malorum sementem appellamus. In Scriptura sacra id multo frequentius. Inde illud Pauli ad Galatas 6. *Qui seminat in carne, de carne metet corruptionem.* & Oseas infrà cap. 8. *Ventum seminabunt, & turbinem metent.* De quo postea suo loco Eccl. 7. *Non semines mala in sulcis iniustitiæ, &* E *non metes ea in septuplum.* Iuxta hæc, opinor, significat Propheta, quando iam constat, qualem sementem fecerit Iuda confusionem illam, & ignominiam, cædes, & exilium, esse demessurum. Tunc verò hic videtur esse non incommodus sensus. Pone ante oculos ô Iuda, qualem peccatorum sementem feceris, quàm largè radices iuniperorum, quarum nullus est fructus præter acutos spinarum aculeos, & radices amaritudinis plantaueris, quæ peccatorum sunt accommodata symbola, & ex his coniecta, qualis sit futura messis ex hac semente.

Messis quæcumque collectio fructuum.

Sed placet magis explicatio alia, quæ licèt ab 64. aliis non admodum dissentiat, modus tamen dicendi diuersus est. Negat hic Dominus ex labore, quem in colendis, ac seminandis agris posuerunt

vitæ

Digitized by Google

viri Iuda, aliquid esse capturos emolumenti: aut enim segetes conculcabuntur, aut sternentur ante messem ab hoste, aut certè postquam ad tempestiuam maturitatem venerint, alienis demetentur manibus, & in aliena comportabuntur horrea. Quod autem hic de segetibus dico, réque frumentaria, id etiam de aliarum omnium rerum, aut fructibus, aut fœtibus intelligo. Vt enim Ieremias eidē populo prædixit cap. 9. v. 10. *A volucre cæli, vsque ad pecora transmigrauerunt, & recesserunt.* Horum autē fœtus appellari posse messem ex eo fit verisimile, quia illorum admissura, ac multiplicatio eadem metaphora seminatio dicitur, vnde eadem translatione illarum fœtura vocari potest non inuita translatione messis. Ieremias *cap.* 31. *v.* 27. cùm egisset priùs de hominibus, pecoribúsque in Babylonem abductis, cùm deinde esset de remigratione sermo, ait, *Seminabo domum Israel, & domum Iuda semine hominum, & semine iumentorum.* Erit ergo sensus: Inuenies, ô Iuda, & capies messem, non tamen illis temporibus, in quibus hostilis in tuis finibus grassabitur furor, quod iamiam aderit, sed postquam exacto septuaginta annorum curriculo in patriam redieris. Id quod non obscurè indicat, quod statim sequitur.

65. *Cùm conuertero captiuitatem populi mei.*] Ita Deus minatur tristia, vt illis statim læta subiungat, quod planè docet minas illas, & infensas voces ab animo verè clemente, atque paterno fuisse profectas; qui non inuehit mala, vt perdat, sed vt sanet, non vt abiiciat vt alienos, sed vt vexatione erudiat, & quasi domesticos ad familiam reducat. Vide quæ de hac Domini consuetudine diximus in nostris commentariis in Isaiam *cap.* 19. *num.* 22. Hæc porrò omnia, quæ auferenda dicit ab hoste prædatore, restituenda docet, cùm postliminio exules in patriam redierint, vbi non solùm agri quondam steriles, aut, quod idem est, ab hoste seu conculcati, seu demessi, fruges effundent vberes, ad Iudæorum vsus; sed etiam abacta pecora copiosos alent

A fœtus; & desertos antè fines latè complebunt. Sic Zacharias cap. 2. v. 4. *Absque muro habitabitur Ierusalem præ multitudine hominum, & iumentorum in medio eius.* vbi LXX. *frugifera habitabitur Ierusalem à multitudine*, &c. Ieremias *cap.* 33. *v.* 12. cùm dixisset, *Reducam conuersionem terræ sicut à principio*, addit Deus, *Adhuc erit in loco isto deserto absque homine, & absque iumento, & in cunctis ciuitatibus eius habitaculum pastorum accubantium gregum.* Lege totum hoc Ieremiæ caput: vbi quàm lætus, ac fortunatus futurus sit captiuorum reditus, elegantissimè describitur.

Illud *populi mei*, nonnihil videtur hanc no- 66.
stram cogitationem conturbare: si enim cum Iudæis loqueretur, aut certè cum Ephraim, non B dicturus videbatur Deus *captiuitatē populi mei*, sed *captiuitatem tuam.* Sed hāc difficultatem facile soluit Scripturæ consuetudo, quæ ita cùm aliquis de se, aut cum persona secunda loquitur, sic agit, quasi de tertia, & absente persona sermo foret. Sic Christus sæpe, cùm de se loquatur, quasi de tertia persona dicit, *Videbunt filium hominis*, id est, *me, & quem dicunt homines esse filium hominis*, & alia eiusdem generis innumera. Vide nostra commentaria in Cantica *cap.* 2. *v.* 34. Sic nos cùm loquimur cum rege, parente, aut sacerdote, aut eo, qui de nobis aliquo modo meritus est, & significamus, exhibendum illis honorem, & obseruantiam, aut referendam gratiam, sic illos alloquimur præsentes. Ego obseruabo regem, paC rentem colam, id est, te qui rex es, & te qui pater, & referam bene de me merito gratiam, id est, tibi. Sic etiam nunc, *Cùm conuertero captiuitatem populi mei*, id est, tuam, qui es populus meus. Hoc dicendi genere vsus est apud Virgil. *lib.* 4. Æneas cùm ad Didonem præsentem loqueretur,

——Ego te, quæ plurima fando
Enumerare vales, nunquam regina negabo
Promeritam, nec me meminisse pigebit Elisæ.

id est, *tui.* Hæc mihi visa sunt non adeò impedita; si quis melius aliquid attulerit, gratus amplectar. Hæc de capite 6.

REGVLA. *Cū aliquis de se, aut cū secunda persona loquitur, sic agit atque si cū tertia, atque absente persona sermo foret.*

IN CAPVT SEPTIMVM

ARGVMENTVM.

QVERITVR Dominus, quòd idololatria, quæ Iehu tempore extincta videbatur, repentè pullulauerit, cuius causam fuisse & regis animum nimis timidum, & parum constantem, & principum improba callidáque consilia, quæ eò regem inuitum perpulere, ne populo ad paternam religionem dilapso, ipsi suo ordine & emolumento priuarentur. Deinde populum stuporis atque insipientiæ damnat, qui post rugas & canos, neque suum statum miserum agnoscat, & in eo non minus insipienter, quàm obstinatò perseueret. Graues deinde proponit minas, & illorum peccatum magis exaggerat, quòd quæ à Deo recepissent beneficia, illa in auctoris ignominiam perfidiosè conuerterint.

CAPVT VII.

1. *CVm sanare vellem Israel, reuelata est iniquitas Ephraim, & malitia Samariæ, quia operati sunt mendacium: & fur ingressus est spolians latrunculus foris.*

PARAPHRASIS.

1. CVm ego, dicit Dominus, cogitationē suscepissem, de purgādo ab idololatriæ sordibus Israel, eámque ob rem Iehu Israelitico populo præfecissem: ecce apparuit rursus rediuiuum scelus, quod iam

A extinctum esse videbatur in Ephraim, eiúsque capite Samaria. Ibi enim, sicut antea, conflata sunt idola, quæ perierant, & in eũdem locum, atque ordinem restituta. Hinc tota Israelitici fundi exorta calamitas: hinc tam à domesticis, quàm ab externis tentata, atque exhausta domus Israel.

2. Et ne fortè dicant in cordibus suis, omnem malitiam eorum me recordatum: nunc circumdederunt eos adinuentiones suæ, coram facie mea factæ sunt.

2. Ne verò, qui nunc præsentes sunt, quibúsque prænunciari iubeo, tacitè apud se dicant, me omnia superiorũ temporum peccata voluisse punire, suorum illos scelerum coarguant, quæ illos vndique circumB fundunt, quæ inuerecundè atque impiè ante oculos meos admiserunt.

3. In malitia sua lætificauerunt regem: & in mendaciis suis principes.

3. Cùm rex impius, & regni principes, cum excessu tam suo, quàm vniuersi regni existimarent, ne quis religionis ergò adiret Hierosolymam, aureos excitauerunt vitulos, quibus subiectus populus honores Solymitano templo debitos impenderet. Horum studiis lenocinati Israelitæ, dum vitulos adorant, regis, ac principum exhilararunt animos, à quibus magis quàm à Deo gratiam inire maluerunt.

4. Omnes adulterantes, quasi clibanus succensus à coquente: quieuit paululum ciuitas à commistione fermenti, donec fermentaretur totum.

C 4. Nemo fuit ex regibus Israel, quin hæserit Ieroboami vestigiis: & eo ardore, quo inflammatur à pistore clibanus, non exarserit in aureorum vitulorum studium, & amorem. Quieuit quidem ciuitas paululum à fermentatione: quia principio regni Iehu, populus non corrumpebatur, sicut massa à fermento corrumpitur, & ad clibanum ea ratione disponitur. Veruntamen sic à fermento, quod alij reges antè miscuerant, massa corrupta est, vt nulla pars ex tanta multitudine maneret non infecta.

5. Dies regis nostri: cœperunt principes furere à vino: extendit manum suam cum illusoribus

D 5. En quò defluxere regis nostri Iehu dies, auspicati feliciter! en quo abiit zelus, qui aureis vitulis præsens minabatur exitium! Principes enim, quorum aliorum regum tempore magna fuit in populis auctoritas, indignati grauiter, quòd vitulorum adoratio cessasset, sic excanduerunt in vitulorum causa, vt furerent non aliter, quàm illi, quibus vinum immoderatè haustum mentem eripuit. Quare cùm Iehu illorum furori repugnare non posset, sese in illusorum idololatrarúmque conuentum, & inE saniam dedit.

6. Quia applicuerunt quasi clibanum cor suum, cùm insidiaretur eis: tota nocte dormiuit coquens eos, manè ipse succensus quasi ignis flamma.

6. Cùm principes arderẽt, siue furore, siue studio religionis impiæ vindicandæ, quã oppugnarat, atque euerterat Iehu: non aliter quàm accensa fornax, eò incubuerunt, toto animi corporísque conatu, vt regium frangerent animum, & suæ secum religionis consortem haberent. Cogitabat quidẽ tota nocte Iehu, quomodo principes illos incẽdio perderet, maléque cõficeret: at vix dum lux affulserat matutina, cùm elanguit zelus ille, & qui suo igne alios comburere

7. Omnes molie

A molicbatur, aliorum ipse igne concaluit, atque succensus est.

7. Omnes calefacti sunt quasi clibanus, & deuorauerunt iudices suos: omnes reges eorum ceciderunt: non est qui clamet in eis ad me.

7. Quod fecerunt cum Iehu, principes illi à vera religione transfugæ, quorum animus non secus ac clibanus idolorum amoribus æstuabat, id quoque cum regibus, qui deinde successere, tentarunt, perfecerúntque. Quare nullus deinceps fuit ex regum iudicúmque numero, qui non ad vitulorum aras supplex accederet. Neque vllus eorum supplices ad me manus, & clamores sustulit.

8. Ephraim in populis ipse commiscebatur: Ephraim factus est subcinericius panis, qui non reuersatur.

B 8. Huius porrò tantæ corruptelæ fermentum, ex vicinarum gentium nimis familiari commercio, & mutuo coniugio sumptum est. Factus est autem Ephraim in tribulationis clibano, quasi panis, qui suppositus cineri ac prunis non reuersatur: quia ab ea calamitate, quam ab hoste sustinuit, à qua non aliter combustus est, quàm ab ardente cinere suppositus panis, nunquam ad antiquam patriam & gloriam reuertetur.

9. Comederunt alieni robur eius, & ipse nesciuit: sed & cani effusi sunt in eo, & ipse ignorauit.

C 9. Cùm alieni omne studium ac subsidium promitterent, & algentem Ephraimitarum animum promissione fallaci calefacerent, illius sensim opes ipso nesciente rapuerunt, comederúntque. Sed ille planè pudendus, & infantilis error, in capite iam cano, atque rugosa facie, post tot annos Prophetarúmque monita non agnouisse.

10. Et humiliabitur superbia Israel in facie eius: nec reuersi sunt ad Dominum Deum suum, & non quæsierunt eum in omnibus his.

10. Humiliabitur, vexabitúrque Israel, iuxta scelerum mensuram, sicut torretur cineri prunísque suppositus panis: neque tamen reuertetur ad Dominum, sicut cinericius ille panis non reuersatur: neque, cùm D tot quotidie, aut moneatur vocibus, aut instimuletur vexationum aculeis, Dominum quæret, vnicũ, in ea tribulatione, perfugiũ.

11. Et factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor: Aegyptum inuocabant, ad Assyrios abierunt.

11. Fuit planè excors, & fatuus Ephraim, sicut columba, cui nihil videtur esse cordis, aut sensus: cùm in rebus angustis, ad Assyrios, Ægyptiósque confugerit, à quibus timere potius exitiũ debuit, quàm sperare subsidium.

12. Et cùm profecti fuerint, expandam super eos rete meum: quasi volucrem cæli detraham eos, cædam eos secundùm auditionem cœtus eorum.

12. Cùm profecti fuerint Ephraimitæ ad fœderatos sibi tutelaréſque populos, & E externa sibi asciuerint auxilia, expandam rete meum: & sicut auceps cæli volucres, sic ego illos, quantumcumquè se supra nubes sustulerint, comprehendam, ac detraham; cædam denique, quemadmodum sæpe de suis peccatis, peccatorúmque pœnis audierunt, ac tandem cognoscant, non esse vanas, ac sine pondere Prophetarũ minas.

13. Væ eis, quoniam recesserunt à me: vastabuntur, quia præuaricati sunt in me: ego redemi eos: & ipsi locuti sunt contra me mendacia.

13. Heu vicem illorum doleo, & supplicium, quod illorum stuporem manet, ex quo à me recesserunt, ægrè afficit animum meum. Quid autem aliud faciam? cùm illos sæpe à seruitute dura, grauique vexatione

A tione redemerim, & beneficiis cumularim innumeris, illi tamen pro beneficiis retulerunt iniuriam, & nomen meum purum, & sanctum, alienissimis fœdauere mendaciis.

14. Et non clamauerunt ad me in corde suo, sed vlulabant in cubilibus suis: super triticum & vinum ruminabant, recesserunt à me.

14. Neque illum mihi honorem tribuerunt, vt ex animo ad me in tribulatione clamarent. Sed cùm fictè in aliorum oculis pias viderentur preces effundere, in secessu tamen, & tenebris Gentilium more vlulabant, mugiebántque, cùm vinum sibi peterent, & triticum: itaut illos in absonis agrestibúsque clamoribus, lupos te, aut boues audire putares. Hæc illi meditantur, ac B faciunt, ex quo recesserunt à me.

15. Et ego erudiui eos, & confortaui brachia eorum: & in me cogitauerunt malitiam.

15. Erudiui illos, ostendíque viam, vt cognoscerent, quid ex vsu suo futurum esset, & robur atque industriam, vt quod facto opus esse nossent, reipsa perficerent. At ipsi id pro eo beneficio retulerũt gratiæ, vt quæ à me accepissent, debellatis hostibus, & regionibus in suam potestatem redactis, illa omnia non mihi, sed idolorum potestati malitiosè tribuerint.

16. Reuersi sunt vt essent absque iugo, facti sunt quasi arcus dolosus: cadent in gladio principes eorum, à furore linguæ suæ. Ista subsannatio eorum in terra Aegypti.

16. Cùm primùm à me legem accepissent, cui suas ipsi rationes attemperarent, C recesserunt non longè pòst à me, facti prorsus exleges: quia subesse alterius iugo, & voluntati durum arbitrabantur. Quare facti sunt velut arcus dolosus, & prauus, quia iacula, quæ aduersùs hostes ego porrexeram, illa eadem ipsi contra me perfidiosè conuerterunt. Idcirco principes, qui reliquis stolida atque inuerecunda lingua auctores fuerunt, vt relicto Deo, vanis supplicarent idolis, ferro conficientur. Talis eorum in me subsannatio fuit, qualis parentum olim, cùm de Ægyptia seruitute quõdam emerserunt, atque ideo erit vtriusque subsannationis idem supplicium.

Vers. 1. *Cùm sanare vellem Israël, reuelata est iniquitas Ephraim, & malitia Samariæ.*]

1. OBSCVRVM est de quo tempore loquatur Propheta, & quænam sit infirmitas, quam curare Dominus voluit in Israel. Plerique cum Hieronymo eò conspirant, vt vaticinium hoc spectare putent ad tempus Ieroboam filium Nabath, ad quem decem tribus à duabus aliis distractæ confugerunt, quem Dominus excitasse dicitur, vt purgaret per illum Israel ab idololatria, cuius se sordibus infecerat, aut in Ægypto, & in deserto priùs; aut postea sub Salomonis tempore, quo tempore ipse vixit. Tunc verò putant laborasse vehementer Israelem vniuersum peccato idololatriæ, quam inuexit perniciosum Salomonis exemplum: qui dum nimis est vxorius concubinarum, quas è variis Gentiũ nationibus asciuit, sic votis obsecutus est, & precibus, vt communem cum illis religionem habuerit. Et sicut multorum deorum, atque dearum cultrices consortes habuit impuri thalami, sic etiam multis diis, deabúsque communem D cum amasiis honorem impendit. Fert autem aut natura rerum, aut hominum nimium facile, ac væsanum ingenium, vt alij id ament, & sequantur, aut certè si minus ament, amare se simulent, quo regum, ac principum propendere videt consilia, atque animos. Verissimè enim cogitarunt illi, qui principum exempla legem esse dixerunt multitudini: neque magis homines vulgò leges obseruant, quàm principum voluntatem, aut mores. Sic ergo Solymitani secuti Salomonis exẽplum varios colebant deos, atque ideo Israel totus infectus videbatur idolorum sordibus, quare Deus, vt populo illi eo laboranti morbo mederetur, Ieroboamum elegit: qui tamen ipse grauiori postea morbo correptus est. Conflatis enim aureis vitulis, non iam occultis fraudibus, sed apertis consiliis, imò & vi adhibita maiorem populi partem ad nefariam religionem adduxit. Atque ideo cùm Deus sanare vellet Israelem, noua plaga apparuit in Ephraim, & Samaria; quia Ieroboam Ephratæus, Samariæ rex, nouam illam

2. *Rex quasi lex est populi, cuius alij exemplum, & voluntatem sequuntur.*

illam religionem inuenit. Ita Hieronymus, quẽ alij ferme omnes sequuntur interpretes.

3. Sed quominus hæc sententia placeat, facit primùm; quia licèt Salomon obsequutus vxorum libidini multis se erroribus implicuerit, non tamen eò pertraxit reliquum populum, vt toti Israeli videretur adhibenda medicina. Deinde quia Ieroboamo potiùs datæ sunt decẽ illæ partes, quæ ex toto Israelis corpore abscissæ sunt, vt peccatum potius principis, quàm vt populi peccatum plecteretur. Id enim Deus apertè docuit *3. Reg. cap. 11. v. 11.* per Aiam Salonitem, per quem sic ad Salomonem: *Quia habuisti hoc apud te* (nẽpe vt deos alienos coleres) *& non custodisti pactum meum, & precepta mea, quæ mandaui tibi, disrumpens* B *scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo.* Quòd verò per Ieroboam sanandus esset populus ab Ægyptiis sordibus, aut ab illis, quas in deserto contraxit, non videtur verisimile, tum propter ea, quæ modò diximus, tum quia alij præcessere reges, & duces, qui hoc multo magis præstare potuerunt.

4. Alij non de Salomone, aut Ieroboam, sed de aliis regibus Israel hæc accipiunt, aut de toto Israele peccatore. Mihi maximè placet, quod visum est etiam Castro, sermonem hîc esse de Iehu, cuius primùm mihi graue argumentum, quia ipsius tempore vixit Oseas, quando peccatum, quod oppressum videbatur zelo, atque studio C principis Iehu, pullulauit iterum, & quod sublatũ videbatur scelus Samariæ, non solùm vires, sed etiam incrementum accepisse visum est. Deinde quia nihil ferme eorum, quæ in hoc capite occurrunt, nisi admodum contortè, accommodari possunt ad tempus Ieroboam: ad Iehu autem perbellè. Quod si assequimur, facilem credo ad nostram sententiam lectorem habebimus.

Primum prophetasse Oseam, paulo post mortem Iehu, non negabit, qui paulo accuratiùs regum Israel, & regum Iuda tẽpora digesserit, prophetauit quidẽ Oseas sub Ieroboam rege Israel, vt habes supra *cap. 1.* id est, annos 33. post mortẽ D Iehu. Nam vt constat ex *lib. 4. Reg. cap. 13. v. 1.* Ioachaz filius Iehu, qui parenti successit, regnauit annis 17. huic verò successit Ioas, qui annis regnauit sedecim, *ibid. v. 11.* huic successit Ieroboam filius Ioas, sub quo prophetauit Oseas, eo verò tempore, iam Deus per Iehu peccatum Samariæ delere, & morbum illum latè serpentem sanare voluerat. Quod tamen cùm iam extinctum videri posset, repentè pullulauit, id quod verbis expressis significat Oseas. De Iehu liquet ex *cap.* 10. *lib. 4. Reg.* vbi interfecisse traditur sacerdotes Baal, & impiam illam superstitionem sustulisse. Cùm enim astu sacerdotes in templum conclusisset, dixit militibus, quos in illud consilium ar- E maueratː *Quicunque fugerit de hominibus his, quos ego adduxero in manus vestras, anima eius erit pro anima illius. Factum est autem cùm cõpletum esset holocaustum, precepit Iehu militibus, & ducibus suis: Ingredimini, & percutite eos, nullus euadat. Percusseruntque eos in ore gladij, &c. & protulerunt statuam de fano Baal, & fecerunt pro ea latrinas, vsque in diem hanc; deleuit itaque Iehu Baal de Israel.* Hæc fuit medicina, quam adhibuit Deus Israelitico morbo, sed non multo pòst apparuit peccatum Samariæ, quod tunc vigebat maximè, quando hæc ab Osea denunciata sunt: statim namque post illa, quæ proximè adduximus *v. 29.* scribitur, *Veruntamen à peccatis Ieroboam filij Nabath, qui peccare fecit Israel, non recessit, nec dereliquit vitulos aureos.* hoc idem dicitur de

A illius filio Ioachaz *cap. 13. v. 2.* & de Ioas *ibid. v. 11.* & tandem de huius filio Ieroboam, cuius tempore prophetauit Oseas *cap. 14. v. 23.* De quo idem Scriptura tradit, quod de ipsius parentibus, qui Samariæ vitulos adorarunt. Porrò de sui temporis peccatis loqui Oseam, ipse docet statim *v. 2.* cùm ait, *Nunc circumdederunt eos adinuentiones suæ.*

Quia operati sunt mendacium.] Idola omnia mendacium vocantur, & vanitas, quia nihil habent diuinum præter nomen, quod ab illorum mentitis quàm longissimè abest. Cùm aut sensu careant, vtpote ex ligno, aut marmore, aut si quis illa subeat spiritus, ille nequam est, & noxius, & cùm in promittendo largus sit: in præstando tamen futilis est, & vanus. Hinc in Scripturis Gentium idola mendacium appellantur, & vanitas. Sed cùm quædam sint mendacia, quæ nonnullam habere possint veritatis speciem, alia tamen sunt, quæ nisi homines seipsos vltro ludificent, non possunt non videri mendacia. Qualia sunt, quæ pro diis coluerunt Israelitæ, vbi à vera religione defecerunt. Quid enim mentis in boue, qui in stuporis exemplum prouerbiali figura producitur? quid dignitatis in eo, qui fœno vescitur? qui iugum subit? & plaustrum trahit? quem virga cædit, & cui stimulos adigit arator? hoc planè stolidum, & impudens mendacium est. 5.

Et fur ingressus est spolians, latrunculus foris.] Hinc Israelitici fundi exorta calamitas. Hinc tam à domesticis, quàm ab externis tentata, atque exhausta domus Israel. Statuit hîc Hieronymus inter latrunculum, & furem id discriminis, quòd fur occultè, & per insidias aliquid molitur fraudulenter, latro verò apertè, & sine vlla simulatione grassatur. Fur clam in tectis, aut ciuitatibus calliditate, atque astu ad suos vsus commoda traducit aliena, latro foris in agris, locisque desertis prædas agit. Quare si ad hanc cogitationem explicationem nostram attemperemus, dicamus necesse est, Israeliticum populum, cũi Dominus seueros hosce euentus denunciat, vel à domesticis vel occultis fraudibus, vel intestinis odiis, ac bellis esse vexatum, & attritum, vel aperto bello ab hostibus externis, qui foris ex peregrinis regionibus aduenere, fuisse spoliatum, & euersum. Et hoc mihi videtur non difficile. Nam sub hæc tempora grauibus affectus est Israel, variisque detrimentis à domesticis, quia, vt constat *lib. 2. Paralip. cap. 12. & cap. 15.* plurimi ex Israel transfugisse dicuntur ad Assa pronepotem Salomonis, & *cap. 30.* alij ex tribu Aser, Zabulon, & Manasse accessisse dicuntur ad Ezechiam. Hoc idem accidisse sub Roboam, docet Iosephus *lib. 8. Ant. cap. 3.* ad quem tanta se adiunxit aliarum tribuum multitudo, vt illius regnum iam noua illa decessione attenuatum corroboraretur. Et decem præterea tribus dissectæ sunt inter se, & intestinis bellis grauiter attritæ, vt habes *lib. 3. Reg. cap. 16. v. 21.* Sed fortasse fures dicuntur populi finitimi, à quibus tentati sæpe sunt Israelitæ, & concisi grauiter; quales fuerunt Palæstini, Syri, Idumæi, Moabitæ. Latrones verò illi, qui è longioribus regionibus profecti priùs Israelitas, deinde Iudæos funditus euerterunt, Assyrij nimirum, & Babylonij, qui ideo foris dicuntur aduenisse, ex barbaro videlicet, & peregrino cælo. Posteriorum aduentum sæpe minati sunt Prophetæ, quid ab aliis nationibus passi fuerint Israelitæ à tempore Iehu, quod, vt 6.

Inter furem & latronem differentia.

modò putabamus non improbabile, respicit Propheta. habes 4. *Reg. cap.* 10. *v.* 32. & *cap.* 13. *v.* 3. & *cap.* 14. *v.* 26. Arbitror autem illud *spolians* iterandum esse per zeugma in secundo membro.

Quid sit *latrunculus*, & *latro*, diximus pluribus ad illud Ieremiæ cap. 18. *Adduces enim super eos latronem repentè.* Est autem *latro* militare nomen, & idem omnino quod *miles*: item *latrunculus*, quæ vox in sacris literis passim occurrit.

7. Vers. 2. *Et ne fortè dicant in cordibus suis omnem malitiam eorum me recordatum, nunc circumdederunt eos adinuentiones suæ, coram facie mea factæ sunt.*] Hæc mihi omnino persuadent spectasse Prophetam præsens hoc tẽpus, in quo vaticinium hoc fulminat, & illa peccata incursare præcipuè, quorum ipse testis erat; quando ita priorum meminit, vt tamen præsentia numeret, & amplificet. Cùm Assyriorum aduentu diripi facultates suas viderent Israelitæ, séque in seruitutem, & exilium abduci, cùm graue existimarent illud esse supplicium: cogitare non improbabiliter poterant Deũ parentum peccata bonorum deprædatione, & seruitutis incommodo voluisse plectere. Id quod illis sic erat in ore frequens, vt iam apud illos in prouerbium abierit, *Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt,* de quo nos plùribus ad eadem verba in nostris commentariis apud Ieremiam *cap.* 31. & Ezech. *cap.* 18. quæ maximè faciunt ad hunc locum. Horum cogitationi occurrit Deus, docétque etiamsi nihil à parentibus esset admissum, tamen ea posteros patrasse flagitia, vt non minori debuerint supplicio mulctari: quæ Deus ipse spectabat præsens, & meritorum momenta vindex expendebat. Porrò hìc *adinuentiones* idem valent quod peccata, imò etiam quod peccatorum pœnæ, vt alibi sæpius. Quasi dicat Deus, ego ego ipse video, quemadmodum illos circunstent peccata, quæ admiserunt ipsi, pro quibus circunstabunt, exilium, seruitus, & sordes, quæ peperit peccatorum tam larga seminatio. Quàm peccarint frequenter, & grauiter Israelitæ Oseæ temporibus, maximè sub Ieroboam, & Manahem, Phacee, Oseæ, constat ex *lib. 4. Reg. cap.* 14. & 15. & 16. & 17.

8. Vers. 3. *In malitia sua lætificauerunt regem.*] Id spectabant reges Israel, ne populus dum patriam religionem colit, & pietatis ergò templum inuisit, ad regis Iuda, cuius in ditione templum erat, partes, & studia dilaberetur. Populus autem, ne quid contra regum suorum vota, atque consilia moliri videretur, magis se ad regis voluntatem, quàm ad patriæ, diuinæque legis obseruantiam accommodauit. Dum ergo mendacibus diis, vitulísque aureis regi lenocinatus supplicat, illum lætificat, & satius esse ducit ab illo, quàm à vero Deo gratiam inire. *Malitiam* autem, & *mendacium* pro idolis sumi, docet illud de quo proximè hoc ipso capite, *Malitia Samariæ, quia operati sunt mendacium.*

9. Vers. 4. *Omnes adulterantes quasi clibanus succensus à coquente.*] Allegoria hæc obscurissima est, & translatio multiplex. Septuaginta parum à vulgato differunt, pro *à coquente*, habent *ad coquẽdum.* Chaldæus, *omnes comprimere optant vxores sociorum suorum, æstuantes veluti clibanus cùm ipsum accendit pistor.* Pagninus, *omnes hi adulterio incalescunt, sicut clibanus succensus à coquente.* Plerique cum Hieronymo hæc explicant de Ieroboam, qui cùm ille æstuaret aut regni, aut impiæ religionis ardore, alios in idem studium, atque incendium adduxit. Quo autem hæc, quæ admodum videntur implexa, idoneè concilient, artificium quoddam inuenit Ieroboam, quo sine vi, atque tumultu consecutus est à populo, ne abiret vnquam Hierosolymam, & se ab ipsius imperio, ac societate distraheret. Sic enim rem attemperauit Israelitícam noua illa discessione turbatam, vt sponte populus non principis imperio, atque suasu religionem illam nouam complexus videretur. Audi Hieronymum. *Omnes qui in malitia sua lætificauerunt regem, & in mendaciis suis principes, adulteri sunt & instar clibani à Ieroboam idololatriæ igne succensi, vt panem coquerent impietatis. Qui cùm erroris in animas eorum misisset incendium, quasi caminus, & clibanus primo igne succensus paululum conquieuit, vt non vim faceret populo, sed sua eum dimitteret voluntati, donec fermentaretur omne mendacium. Quicquid enim necessitate fit, citò soluitur, quod voluntate arripitur, perseuerat.* Quod hìc obscurè Hieronymus, clariùs expressit Cyrillus, nam cùm dixisset in timore fuisse Ieroboam ne seditione facta à populo, qui ægrè ferret antiquam religionem euerti, & cum Ægyptiis sordibus commutari, vel occideretur, vel quod instar putabat esse mortis, exturbaretur à regno. *Cum esset, ait, vulpes, à dolo præsidium petit: multos ex Israel summittit, vt clamites, docentésque ipsis vitulum conflandum, & nouos dies festos, ac proprios inducendos, atque ipsum à rege contendendum, vbi populum ad hoc perquam paratum, atque propensum, & bonum rei suasoribus astipulari, vnáque iisdem gaudere dicit; coacta concione, palam promulgauit adorationem vitulis aureis impertiendam, & diem festo octaui mensis decimum quintum sanxit, sicut scriptum legimus 3. Reg. cap. 12. Hac tunc Ieroboamo dicente laudabat populus, & exclamabat: Hæc est dies regis. Idem & nobis erit propositum. Et aliis quibusdam huiuscemodi laudibus eum recreabat.* Hæc Cyrillus. Ex 10.
hac Hieronymi, Cyrillique sententia facile intelligitur, quod proximè sequitur, quomodo quieuerit paululum ciuitas à commixtione fermẽti: cùm Ieroboam, licèt sicut clibanus arderet, & regni cupiditate, & vitulorũ studio, continuit tamen sese aliquandiu, donec populus illorũ suasu, quos ipse summiserat, fermentaretur, id est, disponeretur sensim, vt sicut fermentatus panis in ardentem, & accensum clibanum mitteretur, quem Ieroboamus ad nefarium illud opus accenderat. Tunc verò panis integrè existimatur tumuisse fermento, quando populus paucorum hominum suasu sic est affectus, vt libens admitteret latam legem de vitulis conflandis, adorandísque, instituendísque legitimis festis, quæ in illorum religionem populus obiret. Ita expressè Cyrillus. Hieronymus paulo aliter. Cuius hæc videtur esse sententia. Sicut pistor paululum immittit fermenti in massam, deinde relinquit, vt paulatim vis se fermenti in omnes partes diffundat, ac deinde mittatur in ardentem fornacem: sic Ierobam simulatè, & callidè, & quasi nihil insidiosè tentaret, populum corrupit. Huc, vt dixi, inclinant frequentes alij, & est sententia non difficilis. Est tamẽ aliquid, quod non omnino attenti, atque curiosi lectoris studio satisfaciat.

Quo artificio Ierobo͂ populo à Ierusalem auertit.

Ego hìc proponam quid mihi dicendum oc- 11.
currebat: quod minus videbatur habere difficultatis. Ne tamen sequar, facit nouitas ipsa. Dicam tamen quid suspicer, vt lector expendat, & de illo, vt volet, statuat. Primùm existimo non esse hìc de vno Ieroboamo sermonem, seu de

omnibus

omnibus, qui imperij Israelitici sceptrum tenuerunt, ex quo decem tribus à familia Dauidis recesserunt; quod docent Theodoretus, Theophylactus, Montanus, & nonnulli alij; & indicat non obscurè Propheta, dum ait; *In malitia sua lætificauerunt regem, & in mendacijs suis principes.* Quæ verba non vnum regem, sed plures significant.

12. Deinde si regum omnium, qui in decem tribubus dominati sunt, tempora dinumeres, inuenies à Ieroboamo, vsque ad Oseam, qui regum omnium vltimus fuit, neminem recessisse à peccatis Ieroboam, qui peccare fecit Israel. Cúmque hi, & regnandi libidine tenerentur, & metuerent, ne suorum odio, aut antiquæ religionis desiderio exciderent à regno, religionē nouam fouebant ardentissimè, & in ea reliquam multitudinem continere omni studio, atque artificio nitebantur. Quare ipsi optimè dicuntur adulterantes, iuxta Scripturæ phrasim, quæ pseudolatriam, adulterium appellat, neque minus idolorum studio flagrant, quàm accensa fornax, quæ & ipsa ardet, & alios inflāmat. Ad hanc igitur cogitationem accommodabo reliqua: nam promptum est cuilibet videre apud Hieronymum, Cyrillum, & alios, quid consentaneè ad superiorem sententiam afferri posset.

13. *Omnes adulterantes quasi clibanus.*] Nemo fuit ex regibus Israel, siue ex genere Ieroboam, siue ex his qui ex aliis familiis in regno successere, qui non hæserit Ieroboami vestigiis, & aureis vitulis non consecrauerit sacrificia, & dies solemnes, & festos: de omnibus enim dicitur illud solemne, & quasi legitimum, de via Ieroboam non recessit, qui peccare fecit Israel.

14. *Quieuit paululum ciuitas à commixtione fermenti.*] Hoc accidit cùm primùm ad regnum vocatus est Iehu, qui, vt statim atque regnum iniit autore, atque vocante Deo per Prophetam suum, à quo vnctus est, vt liquet ex *lib. 4. Reg. cap. 9.* eò animum intendit, vt impiam religionem aboleret quare plurimos occidit è sacerdotibus Baal, statuam confregit, & templum excidit, & in sordidum latrinarum vsum conuertit, vt habes 4. *Regum* 10. *v.* 25. Eo tempore quieuisse videbatur populus à fermento nempe regis Iehu, qui non videbatur commendaturus aureos vitulos, cùm tam studiosè, atque acriter ad sanguinem vsque, & cædem sacerdotum insecutus esset nefariam illam religionem, quæ gentem Israeliticam infecerat. Dum verò populus non fermentabatur, neque disponebatur ad clibanum, id est, ad impietatem, qua superiorum principum animi flagrabant. Quieuit itaque aliquandiu à vitulorum, atque idolorum cultu: quia licet non omnino veteres animos deposuisset, non tamen contra noui principis studium moliri quicquam contra religionem secutum sibi fore existimabat. Sed illud fermentum, quod iam antea ab aliis principibus acceperat, non erat otiosum, sed inflabat, & corrumpebat animos, & ad metaphoricam fornacem disponebat. Quando ergo fermentatus est totus populus, & apud omnes inualuit vitulorum amor; ipse quoque princeps Iehu aliorum exemplo, aut certè cùm timeret ne quid grauius pateretur ab offenso populo, aut certè ne ad templum, & regum Iuda fidem, finésque transfugeret, coluit ipse quoque aureos vitulos, & sopitam paululum idolomaniam excitauit. Sic autem de Iehu lib. 4. Reg. cap. 10. v. 28. *Deleuit itaque Iehu Baal de Israel. Veruntamen à peccatis Ieroboam filij Nabath, qui peccare fecit Israel, non recessit, nec dereliquit vitulos aureos.* &c.

Aliquandiu cessatum à vitulorum adoratione.

A

15. Vers. 5. *Dies regis nostri.*] Si sequeris Hieronymi, Cyrillique sententiam, qui putant callidè per veteratores quosdam inductum esse populum, vt aureos vitulos exigeret, sensus erit acclamasse populum cum festiuo plausu, cùm legem tulit rex de adorandis vitulis, festisque diebus decernendis, dixisséque, *dies regis nostri nempe hi sunt, quos vitulorum honori consecrauit:* seu, *dies regis nostri felices sint, & plurimi, qui tam est de nobis officiose meritus*, aut aliquid eiusmodi, quo bene ominari solemus illis, quibus bene cupimus.

16. Sed iuxta posteriorem cogitationem, quæ nobis videbatur non improbabilis, alius erit sensus. Si in *rege* Ieroboamum intelligas, sensus erit, redisse post paucorum dierum interuallum dies Ieroboam, videlicet infaustos, & impios, in quibus pro antiqua, & vera religione inducta est stolida, & gentilis impietas. Si verò Iehu, mutatum esse religiosum tempus, quod cum regno Iehu affulsisse videbatur Israelitico populo, & tandem eò defluxisse, vt vulnus recèns obductum recrudesceret, & quæ deformata fuerat species idololatriæ renouata rediret. Ac si dicat Propheta: En quò regis nostri Iehu pietas tandem euasit; en quò abiit zelus, qui idololatriæ, & vitulis præsens minabatur exitium. Appellat autem Oseas Ieroboam, seu Iehu regem suum; quia ipse illorum suberat imperio, quia, vt diximus *proleg.* 2. de tribu fuit Isachar, quæ vna fuit è decem, quæ discesserunt à familia Dauid.

B

C

17. *Cœperunt principes furere à vino.*] Hoc loco, & in tota allegoria de fermento, & clibano multa dicunt Hebræorum magistri, quorum ego cogitationem, sicut alias plurimas libens omitto; quià & obscura, & multa confingit sine vllo fortasse fundamento. Principes hosce illos esse arbitror, quorū tunc in populo, & priùs apud reges alios Israel, quorum Iehu suffectus est loco, grauis erat auctoritas. Illi ergo cum dominantibus vitulis ipsi quoque dominarentur in dilectis tribubus, & sæuierunt ipsi, & populum concitarunt aduersùs Iehu; cùm iam totus intumuisset à fermento, vt causam vitulorum susciperet, & acres principis spiritus debilitaret, & frangeret, quod tandem consecuti sunt, vt mox videbimus.

D

18. Hìc nobis duæ translationes obseruandæ, altera *furere à vino*, quæ significat aliquem præcipitem à furore rapi, quasi impotentem sui, qua similitudine Scriptura non infrequenter vtitur. Psal. 77. v. 65. *Excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino, & percussit inimicos suos.* Illi enim, qui tenentur à vino, à mente excidunt, & furunt interdum vehementer in alios. Quare principes illi dum immoderatè regem inuadunt, & vrgent ad vitulorum insaniam, & ipsi furunt impotenter, & bacchantur cæci, & regi quendam quasi limphaticum furorem immittunt. Huc faciunt illa, quæ de ebrietate habes Eccl. cap. 31. v. 38. & 40. *Vinum multum potatum irritationem, & iram, & ruinas multas facit ebrietatis animositas, imprudentis offensio minorans virtutem, & faciens vulnera.* Ex hac vini proprietate, quod furorē, & amentiam gignit, ortum est illud poëtarum de Lapitharum pugna commentum.

Prouerb. A vino furere.

E

Vini potentia.

19. Alterum est fermentum eam habere vim, vt massam inflet farinaceam, vnde etiam quæ terram soluunt, & rarescere, siue tumere faciunt, fermentum appellantur. Sic Columella *lib. 2. cap. 15.*

Fermenti vis est natura.

stercore

stercore terram fermentari dicit. Cùm ergo acescat, & tumeat fermentata massa, factum est, vt fermentescere, aut in fermento esse idem sit quod indignari. Sic Plautus in Mercatore, *Vxor propter illam tota in fermento iacet.* id est, tumet ira. Quare sub diuersa metaphora idem significare puto in vini furore, atque in fermentatione, nempe erupisse aliquando furorem, qui paululum fuerat, aut metu, aut simulatione compressus, & sic inuasisse regium animum, vt existimauerit cedendum esse concitatæ multitudini, & principum votis. Quieuit itaque paululum idololatria, & vitulorum cultus; donec fermento tumuit tota ciuitas, non solùm quia ad clibanum, id est, ad idololatriæ incendium disposita; sicut massa subacta à fermento disponitur, sed quia tota fermẽtata fuit, id est, vehementer intumuit furore, atque studio conculcatæ religionis vindicandæ ab iniuria, & in priorem statum reuocandæ.

20. *Extendit manum suam cum illusoribus.*] De Iehu hæc accipio, sicut superiora, fermentatus populus, quo sensu proximè diximus, & principes, & quasi vino toti commaduissent, furentes insania eò adegerunt timidum, aut delusum regem, vt manus illis dederint inermes, quæ olim eisdem zelo, atque potentia armatæ terrori fuerant. Fecit igitur idem quod illusores, quibus regius animus euersus, & expugnatus est, extendit manus supplices ad vitulos aureos, & quod antea damnarat edicto, & ferro fortasse piè mulctauerat, impiè sicut reliqua turba cõplexus est. Alij alias explicationes afferunt, veras fortasse, sed quæ multa obscurant, alia inuoluunt: quæ tu apud suos auctores vide. Mihi adducere, aut explorare non libet, quia res est longa, & ego in commentando longior sum, quàm initio statueram.

21. Vers. 6 *Quia applicauerunt quasi clibanum cor suum, cùm insidiaretur eis.*] Ostendit Propheta vndenam regis animi tam insperata prouenerit, ac subita mutatio. Quia principes illi, de quibus proximè, qui etiam illusores appellantur, toto animi, corporisque conatu eò incubuerunt, vt vires frangerent, & animum euerterent. Illud enim est cor suum quasi clibanum applicare, nempe ardens seu furore, seu zelo, aut potiùs væsana quadam cupiditate retinendæ religionis, quam Ieroboamus inuexerat. Hoc verò fecerunt illusores illi, cùm de ipsorum pernicie cogitaret Iehu, id enim est *cùm insidiaretur eis.*

22. *Tota nocte dormiuit coquens eos; manè ipse succensus, quasi ignis flamma.*] Hæc bellè conueniunt cum præcedenti explicatione, neque aliud est, quàm illius expositio. Cùm insidias Iehu principibus moliretur, qui nefariam religionem retinere studebant, ipse illorum insidiis occupatus, & in illius amorem, seu studium accensus est. Tota nocte ardens ipse zelo voluebat secum quomodo illos coqueret, & iam animo coquebat, conficiebatque; sic enim afficiebatur, quasi iamiam vreret, ex illorum interitu anticipatam lætitiam capiebat. Sed breui consedit ardens ille zelus, & æstus religiosi consilij: nam manè aliorum igne ipse succensus est, quos ipse suo inflammare, atque consumere meditabatur. Porrò cùm aliquid momentaneum, ac breue significare volumus, his ferme modis explicamus, in quibus nocturnum cum matutino tempore coniungitur; quia exiguum est spatium, quod inter duos hosce terminos interiectum est. Sic Ezechias apud Isaiam cap. 38. *De manè vsque ad vesperam finies me.* Psal. 29. *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Psal. 89. *Manè floreat, & transeat; vespere decidat, induret, & arescat.* Quod Hispanus familiariter vsurpat dum temporis breuitatem hoc modo significat, *de la noche ala mañana.* Quare his verbis nil puto significari aliud, quam citò fractam fuisse Iehu constantiam, & breui ad Ieroboami mores, & studia defluxisse.

PROVER. *De manè ad noctem & similia pro breui tempore.*

23. Vers. 7. *Omnes calefacti sunt quasi clibanus, & deuorauerunt iudices suos: omnes reges eorum ceciderunt: non est qui clamet in eis ad me.*] Quod fecerunt cum Iehu principes à vera religione transfugæ, id fecisse videntur cum aliis regibus, seu iudicibus, qui deinde rem Israeliticam moderati sunt. Vt enim ipsi inflammati erant væsano vitulorum amore; sic etiam reges, & iudices amore vitulorum sic inflammarunt, vt non aliter arderent quàm succensa fornax. Quare deinceps nullus fuit ex regibus, & iudicibus populi, qui non accideret ad vitulorum aras; qui cùm supplices preces, & manus ad idola sustulerint frequenter, nemo tamen ad me clamauit supplex, & meum in rerum angustiis auxilium implorauit. Quomodo reges omnes, quandiu durauit regnum Israel à peccatis Ieroboam non recesserint, diximus paulo antè.

24. Distinguit hoc loco Deus, aut potius coniungit cum regibus iudices, quare scito opus est, quid in Scriptura sacra sit iudex. Multa nomina ab vno aliquo ministerio, seu actione imposita sunt, cùm tamen illi, qui eo afficiuntur nomine, non minus alia plurima, quam illud, à quo nomen acceperunt, exerceant. Consul à consulendo dicitur, non tamen minus regit, & iudicat, &, si quando res exigat publica, arma tractat, & imperatorem agit. Et qui imperator dicitur, nomen sumpsit ab imperando, id est, præscribendo aliis, quid facere debeant; at iam vox est militaris, & plures alias functiones amplectitur. Iam verò Rex vnde nomen hauserit, nemo non videt: at non illi minus conuenit iudicare, tueri, & viduis esse pro maritis, pupillis, & orbis pro parentibus. Sic Ieremias cap. 22. ad regem: *Facite iudicium, & iustitiam, & liberate vi oppressum de manu calumniatoris.* Quæ omnia ad regem pertinere indicat Dauid Psal. 71. vbi orat vt hæc omnia legitimè, & sanctè exerceat, Salomoni concedi. *Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis: iudicare populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio. Iudicabit pauperes populi, & saluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem.* Hoc idem de regibus Cicero lib. 2. de officiis. *Mihi, inquit, non apud Medos solùm, vt ait Herodotus, sed apud maiores nostros iustitiæ fruendæ causa videntur olim bene morati reges constituti.* Eodem etiam modo iudex, cùm nomen habeat à iudicando, alia tamen exercet, quæ regum sunt, imperatorum, & magistratuum omnium.

REGVLA. *Magistratus, aut artifices cùm multa exerceant, ab vno tamen opere nomen assumunt.*

25. *Regum quæ munera ac partes.*

Qui reges, iidem iudices.

26. Olim, qui præfuerunt Hebræorum Genti ad tempus vsque Heli, Iudices vocabantur, quibus idem penè ius, eædem partes erant, quæ regibus, vt docet liber totus Iudicum. Illi Heb. dicuntur שופטים *sophetim*, à quibus Magistratus summus apud Pœnos nomen accepit, qui *Suffetes* dicitur, vt ait Liuius *lib. 8. decad.* 3. Pœnos autem, & Phœnices multa ab Hebræis accepisse vocabula, docet Augustinus contra literas Petiliani *cap.* 103. Fuit tamen inter Reges, & iudices apud Hebræos aliquid discriminis, quod paucis explicuit Lactantius lib. 4. de sapientia, cap. 10. *Primò, inquit, non dominio regum subiecti fuerunt Iudæi, sed populo, ac legi ciuiles iudices præsederunt. Non tamen in*

Iudices olim iidem penè qui reges.

Pœni ab Hebræis multas sumpserunt voces.

Quod inter reges, iudicesque discrimen.

annum

annuum constituti sunt, sicut Romani consules, sed perpetua iurisdictioni subnixi. Neque vlla erat illis condendi leges, aut imponendi tributa legitima potestas, aut nouam inducere gubernationis formam; quare non tam Hebræi tunc à Iudicibus, quàm à Deo gubernari dicebantur. Vnde Dominus Samueli dixit, *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Reliqua ferme Iudicibus cum regibus fuere communia.

27. Quare cùm tam exiguum fuerit regum, iudicúmque discrimen, & quæ affinia sunt omniũ linguarum vsu, alia vicissim vsurpentur pro aliis, credo hoc loco per epexegesim, in secunda clausula contineri, atque explicari priorem: in hunc sensum. Omnes proceres, & principes populi, cùm ipsi ad clibani similitudinem essent inflammati, deuorarunt reges suos, ita vt, quod ad religionem attinet, nulla ipsorum videretur potestas; omnes, inquam, reges qui & iudices de solio, atque statu ceciderunt, quia & ipsi corrupti sunt, neque contra impetum insanientis populi obniti potuerunt. Est autem status populi planè miser, cùm stulta hominum multitudo non tam se superiorum voluntati, dum iusta decernit, aut legibus attemperat; sed potiùs quocunque fert effrænatus animus abducit. Quod perinde est, atque si plaustrum suo pondere bouem trahat, hauddubiè in præcipitium; vbi tam plaustrum quàm bos ipse discerpatur, & pereat. Ita sanè docet prouerbium antiquum, quod hoc dicendi modo præposterum ordinem explicat, cùm plebs inepta regi, vxor marito, discipulus magistro præscribit, quid facto, dictóque opus sit.

28. Vers. 8. *Ephraim in populis ipse commiscebatur.*] Ostenditur vndenam tantæ corruptelæ principium: nempe ex vicinarum gentium nimis familiari commercio, ex quotidiana consuetudine: ex mutuo cõiugio. Hinc enim factum est vt Hebræo populo non solùm peregrini mores inoleuerint, sed etiam inuecta fuerit barbara religio. Fuit itaque Gentilium conuictus, quasi fermentum, quo subacta ex Israelitico semine farina corrupta est. Tot enim habuit altaria, tot Deos, quot fingere voluerunt deliramenta Gentilium, de quibus infrà cap. 10. v. 1. *Iuxta vbertatem terræ suæ exuberauit simulacris.* Sumpsit Israel ab aliis populis alios Deos, sicut sub ætatem Oseæ Achab Sydoniorum simulacra in terram Israelitidem inuexit; quod malum ortum est ex impio connubio, quod cum Iezabel Sydoniorum regis filia contraxit *lib. 3. Reg. cap.* 16. Neque fortasse alia causa fuit cur vitulos potius Ieroboam ex auro, quàm alia simulacra conflauerit, nisi quia paulo antè inter Ægyptios commoratus fuerat, vbi ab eorum rege Sesac aliquid videtur iniisse gratiæ, vt liquet *lib. 3. Reg. c. p.* 11. *v.* 40. apud quos magno in loco erat Apis, quem sub bouis imagine colebant.

Israël ad Gentium exemplar varia coluit idola.

29. Porrò hoc loco *commisceri* aliud est ab eo, quod suprà v. 4. vbi à commixtione fermenti cessasse dicitur ciuitas paulisper. Ibi enim est לוש *lus*, à radice, quæ significat farinam cum aqua miscere, atque subigere; hic verò בלל *balal*, quod infundere valet, & ex variis rebus, atque naturis aliquid componere: quod faciunt pharmacopolæ, & coqui, qui res natura simplices ita confundunt, vt nemo illas internoscat, aut separet. Cum ergo iussisset Dominus, ne quis ex populo, quem sibi vnum ex omnibus elegit, alienis se populis admisceret, maximè per connubia, quæ

A ex diuersis vnam efficiunt carnem, & multa confundunt, atque commiscent, quæ non bene leges, atque religio consociant; populus tamen neque commercia vitauit, neque coniugia Gentilium; vnde prima labes, & quasi semen malorum, quibus miser ille populus consumptus est. Cautum hoc fuerat Exod. cap. 34. v. 12. *Caue ne vnquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam.* Quod ante hoc tempus accidisse canit Dauid Psal. 105. v. 35. *Et commixti sunt inter Gentes, & didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalum.*

Ephraim factus est quasi subcineritius panis, qui non 30.
B *reuersatur.*] Quidam panem hunc illum esse putant, qui prunis impositus torretur, & hic à pistore reuersari solet, vt ad vtranque faciem coquatur æqualiter. Quòd si quis id facere negligat, perdet omnino panem, pars enim inferior, quæ prunas tangit, redigetur in cremium, & cineres; superior verò, quæ longè abest a prunarum ardore, manebit cruda, & inepta esui. Atque ita hi existimant hac similitudine significari periisse funditus Ephraim: neque esse in toto illo corpore quod experti possit, aut probari. Ita putãt ex Hebræis Rab. Dauid, & cum eo Vatablus, & Montanus: qui variè similitudinem accommodant. Cyrillus hunc panem assari dicit super lapidem, & ita faciunt apud Hispanos pastores, & C rustici, qui syluas habitant, locaque deserta; vbi melior non adest coquendi commoditas. Reliqui subcineritium panem interpretantur, quem Græci ἐγκρυφίας appellant: quia vndecunque prunis, & cineribus tegitur. Quod mihi placet magis, & est magis ad huius panis naturam; qui cùm ab omni parte coopertus sit cineribus, & prunis, & plerunque æqualiter, non est cur reuersetur. Cõstituitur autem hìc differentia panis, qui in clibano, & qui sub cinere, atque carbonibus torretur. Ille enim reuersatur, & voluitur, vt vim flammæ æqualiter concipiat; hic verò immobilis stat, neque ab eo, in quo iacuit statu, vllo modo conD uertitur.

Panis subcineritius quis.

Huius similitudinis variæ adducuntur expositiones, nonnulli obstinationem, alij stuporem significari putant Israel, qui ab eo consilio, quod semel arripuit, abduci non potuit, neque cum tanto suo malo resipuit; & cùm inter prunas vndique torreretur, non tamen inde exilire laborabat, sed in suis malis hærebat obstinato consilio. Ego, quod ad historiam, rémque Israeliticam pertinet, nihil puto significari aliud, quàm scelus Ephraim, id est, decem tribuum, ex quo primum cœpit cum Ieroboam, ad extremam vsque captiuitatem, nunquam fuisse interruptum: vt suprà explicabamus ad illud, *Quieuit paululum ciuitas.* Vt enim panis subcineritius non reuersaE tur, sed à prunis comburitur, fœdatur à cineribus, & denique si diutius hæreat, inutilis redditur. Sic Ephraim nunquam, ex quo cecidit, excitatus est, & eò adductus obstinatione pertinaci, vt si non omnino perierit, periisse tamen omnino censeri possit. Quod explicat statim Propheta dum ait, humiliatum esse Ephraim, nec tamen ad Dominum fuisse conuersum. Vide locum. 31.

PROVER. Panis subcineritius.

Ephraim grauis & diuturna calamitas.

Quod ad moralem attinet sensum Hieronymus in subcineritio pane, peccatorem intelligit, 32. quem peccati non pœnitet, neque se ab eo quo se polluit, viuendi modo, per vitæ mutationem conuertit. Eodem modo cum Hieronymo sentiunt

Subcineritius panis peccatoris symbolum.

tiunt frequentes alij. Gregor. *lib.* 31. *Moral. cap.* 8. qui cum citatum Oleæ locum recitasset ait, *Ex natura quippe bene condita est nobis intentio, qua surgat in Deum. sed ex conuersatione nequiter assueta inest voluptas, qua præsens premat in seculum. Panis autem subcineritius ex ea parte est mundior, quam inferius occultat, atque ex ea parte est sordidior, qua desuper cinerem portat. Quisquis ergo intentionem, qua Deum debuisset quærere, negligit, quasi more panis subcineritij mundiorem partem inferius premit: & cum curas seculi libenter tolerat, quasi congestum cinerem superius portat. Reuersaretur autem panis subcineritius, si desideriorum carnalium cinerem repelleret, & intentionem bonam, quam in se dudum despiciendo oppresserat, superius ostentaret. sed reuersari renuit, cùm mens amore curarum secularium pressa molem superpositi cineris abiicere negligit. Dúmque assurgere in intentionem bonam non appetit, quasi mundiorem faciem subter premit.* Idem penè *lib.* 11. *Moral. cap.* 17. Quod Hieronymus *suprà*, idem Cyrillus, Theodoretus, Theophylactus, & est expositio accommodata, & facilis.

33. Vers. 9. *Comederunt alieni robur eius, & ipse nesciuit.*] In pane subcineritio, qui non reuersatur, si diu coopertus iaceat cineribus, & prunis, duo significantur, primùm obstinati animi pertinacia, deinde illius inutilis vsus: nisi vtilem dicamus, & ad mensam idoneum carbonem, in quo nihil est humidi, nihil succulenti. Alterum nuper explicuimus, alterum nunc exprimitur à Propheta; consumit ignis, & comburit iacentem inter prunas panem, idque sensim dum illi existimatur officiosè præstare, quo cum dignitate, ac gustu adducatur ad mensam: sic etiam alieni, qui quasi clibani fuerunt, vbi crematus fuit Ephraim, illius vires ademerunt. Tum quia faces iniecere, cùm induxerunt ad peccatum (peccatum quippe flamma est, quæ cuncta populatur, & vorat) tum etiam, quia illi iidem alieni, qui vanam religionem inuexerant: acies inuexerunt hostiles, quæ regiones antè pacatas, & vberes vastarunt. Et ipse Ephraim nesciuit esse hostes, quos amicos putabat; & ab illis se prodi, atque vri, in quorum fide tutum se esse fore arbitrabatur. Porrò alieni sunt tam dij, quos coluere Israelitæ, quàm Gentes, a quibus nouam religionem acceperunt. Hæ porrò Gentes robur comederunt Ephraim, vel dum variis excursionibus regiones illius populantur, vel dum Ephratæi dona mittunt ingentia, quo fauorem sibi ab alienis concilient, & eo nomine totam regionem opibus, & ornamentis exhauriunt.

34. *Sed & cani effusi sunt in eo, & ipse ignorauit.*] Non miramur in adolescente errorem, & ignorantiam, quia caret experientia rerum, quam ætas affert, & longus vsus, neque in illo, qui primum instituit vitæ modum, aut varios euentus, & rerum vicissitudines expertus non est. At in sene, quem multa docuit superior ætas, & qui iam malis frequentibus atteritur, si ex præteritorum memoria ad futuros casus non se comparet, neque ex anteactis ventura coniectet; id verò monstri instar est. Tales erant illi, quos Isaias pueros vocat centum annorum, quibus in senectute grauì puerilis inest leuitas: qui cùm in iuuentute desipiant, in ætate iam grandi non resipiscunt. Hoc nomine Deus carpit Ephraim; qui cùm ab infantia, id est, à tempore Ieroboam, vexari cœperit, neque quo erat mentis stupore, cognoscebat aut corrumpi Israeliticos mores, aut opes exhauriri, aut quis denique exitus rebus tam peruersè compositis impenderet. Fuit iste sanè

Turbo est senibus ignorare.

A grauissimus error, & in cano capite, & rugosa facie pudendus, atque intolerabilis; neque leuior fuit aut minus infantilis Ephraimitarum, qui tot iam annis, post tot Prophetarum voces rerumque discrimina non cognouerunt vrgeri se propter peccata, maximè propter desertam religionem, neque tam à mortali manu, vel industria, quam a diuina peccatorum vindice mulctari. Qui error ad canos, imò & ad mortem vsque productus est, nempe ad extremam captiuitatem, quæ vocari potuit non solùm senectus, sed interitus populi. Hic expertus est populus, quod sæpe Scriptura clamat, & philosophi stulta adolescẽtia stultam fieri senectutem; & iuuentutis vitia, in senili corpore consenescere.

Vitia adolescentiæ ad senectutem durant.

B Vers. 10. *Et humiliabitur superbia Israel in facie eius.*] Simile est huic, quod dicitur cap. 5. v. 5. *Et respondebit arrogantia Israel in facie eius.* Vide quæ ibi diximus; neque aliud est humiliari superbiam, quàm arrogantiam in facie respondere. Respondet enim illud alicui, quod illius meritis debetur, vt copiosa messis indefesso agricolæ labori, virtuti honor, humilitati gloria. Sic ergo superbiæ proprius, ac naturalis fructus ignominia, atque humiliatio est. Cætera ex loco superiore pete, qui eodem modo habet Hebraicè, & idem est verbum ענה *anah*, quod ibi Hieronymus *respondebit*, hîc *humiliabitur*, conuertit. 35.

Nec reuersi sunt ad Dominum Deum suum.] Explicatio est subcineritij panis, qui sub cinere C coquitur, nec tamen reuersatur. Torreri namque est humiliari, vexarique inclementer, & durè, non verò reuersari, est obstinatò in priori consilio hærere, neque Deum in afflictione requirere. 36.

Vers. 11. *Et factus est Ephraim, quasi columba seducta non habens cor.*] Locus hic illustris est, & celeber, qui mirè explicat Israelis dissolutos mores, & stupidum ingenium in excorde, ac desipiente columba, quam priùs seductam appellat Propheta, deinde negat habere cor. Vbi vulgatus *seducta*, Heb. est פותה *pothah*, quæ vox simplex aliquid valet, quódque suaderi facile, atque laD ctari potest, seu seduci. Quare alij stolidam, alij simplicem, alij insipientem conuertunt; noster *seductam* reddidit eodem, opinor, sensu, iuxta illam figuram, quæ actum secundum, vt Physici vocant, pro primo ponit, quæ etiam in sacris frequens. Ponitur autem hîc præteritum passiui participij pro nomine in *bilis*; ac si dicas, columba simplex, & suadibilis, seu seducibilis facile. Sic *inuisus* pro eo, qui videri non potest sine molestia, *inuictus*, & *infractus*, qui neque vinci, neque frági potest, *inaccessus locus* ad quem nullus patet accessus, *incorruptus iudex*, cuius iudicium largitione, ac gratia peruerti non potest. Quomodo Paulus dixit 1. Cor. 9. *Et illi quidem vt corruptibilem* E *coronam accipiant; nos autem incorruptam*, id est, incorruptibilem. Sic ergo hîc seductam columbam simplicem, & seducibilem intelligo. Quod postea explicuit Propheta, cùm addidit, *non habens cor*, quod nihil est aliud quàm excordem esse, siue væcordem, quæ nihil sentiat, nihil præuideat, nihil caueat, aut odoretur mali. 37.

Regula. *Participia præteriti pro verbali in bilis.*

Sed agè videamus in quo magis spectetur columbinus stupor, & excordata simplicitas, & ad illa Israeliticos mores accommodemus. Stolida appellatur columba, vt cum Hieronymo sentiunt Chaldæus, Theodoretus, Haymo, Theophylactus, & è recentioribus complures alij, quia pullorum suorum, aut nullam habet, aut exiguam, 38.

Cur excors appellata columba.

& languidam curam. *Aues cæteræ*, inquit Hieronymus, *pullos suos etiam cum periculo vitæ sua protegere festinant: & cùm ad nidum suum accipitrem, colubrum, coruum, siue cornicem accedere viderint huc, illucque volitant, & immittunt se, morsu, & vnguibus lacerant, & dolorem parentis querula voce testantur. Sola columba ablatos pullos non dolet, non requirit.* Addit Theodoretus, & Theophylactus aliud stuporis genus columbæ circa filios. Nam cùm quotidie videat aut perforari a quibusdam bestiolis oua, petiréque spem futuræ sobolis, & lacerari a serpentibus filios, aut etiam è columbariis tolli ab illorum dominis, nihilominus ibidem post acceptam plagam morantur securæ, ac sine dolore, oua rursus edunt, fouent, atque excludunt in iisdem nidis, vnde exclusa fuerant, & elisa, neque pullos inde remouent, vnde priùs aut serpens, aut homo sæpius abstulerat.

39. Aliter hanc columbæ væcordiam considerant Rab. Dauid, Montanus, & Rupertus. Sic enim ad escam rapitur cæca, atque excors, vt neque rete timeat expansum, neque quicquam de expandente, atque abeunte aucupe suspicetur, & vltro se in laqueos induit, vnde cùm volatu sit pernicissimo, euolare non potest. Ego aliquid aliud inuenio stuporis indicium, quod ex stulta quadam ambitione nascitur. Cùm enim sibi in colorum varietate plurimùm columbæ placeant, inani quadam ostentatione strepitum edunt; quod nisi implicitis alis facere non possunt. Ad strepitum illum excitantur accipitres, & cùm volare nequeant impeditis alis, facile capiuntur. Audi Plinium lib. 10. cap. 36. *Columbis*, inquit, *inest quidam, & gloriæ intellectus, nosse credas suos colores, varietatémque dispositam: quin etiam ex volatu quæritur plaudere in cælo, variéque sulcare. Qua in ostentatione, vt vincta præbentur accipitri, implicatis strepitu pennis, qui non nisi ipsis alarum humeris eliditur, alioquin soluto volatu in multum velociore, speculatur occultus fronde latro, & gaudentem in ipsa gloria rapit.* Singularis planè stupor, qui volatum aufert, quod vnum columba effugium habet: & dum vanæ indulget gloriæ, vltro sibi mortem asciscit.

Superbia & venustas mortis causa.

Columbæ ambitio mortem adducit.

40. Nunc applicemus singula, & in columba væcorde, ac stolida, Israelis imaginem exploremus. Quod ad filios attinet, quorum vitam columbis diximus esse vilissimam, iam antè dixerat Propheta cap. 5. v. 7. *In Dominum præuaricati sunt, quia filios alienos genuerunt.* Quòd in iisdem nidis oua pariant, foueant, & excludant, neque tot iam periculis, atque incommodis cautiores reddantur, probat auxilium sæpe ab externis imploratum, sine vllo tamen successu; & ab his quos sibi subsidio fore existimabant, fractas esse vires, & opes exhaustas. Neque tamen tot rerum experimentis didicit, nihil esse sperandum ab hominum fide: quæ & leuissima est, & ex fallaci promisso lucrum captat.

Ephraim columbæ similis.

41. Illud verò, quod postremo loco dicebamus ex Plinio de ambitiosa ostentatione columbæ, maximè spectare licet in Ephraim, quem esse superbum dixit Propheta cap. 5. v. 5. *Et respondebit arrogantia Israel in facie eius: & Israel, & Ephraim ruent in iniquitate sua.* Et proximè v. 10. *Et humiliabitur superbia Israel in facie eius.* Vide quomodo superbia constrinxit alas Israel; & suæ libertatis, atque salutis prædonem aduocauit. Est quidem omnis superbia inimica saluti, illa tamen maximè, quæ vt ab humanis oculis gloriam quærat, diuitias, si quas se habere putat, publicè ostentat, & quasi venales proponit. Ad illas enim statim prædator aduolat, diripitque à vesano possessore. Et ne à præsenti exemplo longius abeamus, in ipsa columba idoneum habemus, &, si Aristoteli credimus, familiare documentum; damnat enim ille, vt Vlysses Aldobrandus tradit *lib. 15. Ornithologiæ, cap. 1. §. in genere describi* colorem in columbis candidum esse perniciosum, quoniam eo colore ab accipitre cognoscitur esse columbam, & illam tanquam imbellem, & natam prædæ volucrem insectatur.

Venustas & opes occultanda.

Ægyptum inuocabant, ad Assyrios abierunt.] Hic stupor metaphoricæ columbæ apparet, quæ sæpius ab Assyriis, Ægyptiisque seducta, ad illos tamen iterum, & sæpius recurrit, quasi fideles, & verè tutelares foret experta. Ad Assyrios confugit Manahem, quo regnum suum aliquo stabilimento firmaret. *4. Reg. 15. v. 19.* & Osee rex vltimus Israel auxiliares sibi copias petiit à Suà rege Ægypti. *4. Reg. 17. v. 29.* qui si saperent, & haberent cor, ad Deum, à quo vno seruari poterant, relictis aliis nugis, ac nugatoribus confugissent. 42.

Vers. 12. *Et cùm profecti fuerint, expandam super eos rete meum, quasi volucrem cæli detraham eos.*] Persequitur, opinor, Propheta metaphoram væcordis, seductæque columbæ, spectatque proprietatem illam, quam suprà ex Ruperto, atque aliis produximus. Dum enim columba auidè, ac temerè cibos captat, in laqueos se induit, quos parauerat auceps. Hoc ergo significat Deus facturum sese, cùm Ephraim auxilium sibi ab externis quæsierit; qua in re persimilis est columbæ, quæ grana quærit, & captat, inter laqueos, & pedicas, & dum secum agi putat commodiùs, propius est periculum, & mors. Licèt *cælum* adiunctum volucri nihil aliud plerumque significet, quàm in aëreo cælo volucres vagari, atque ideo sæpe vocentur volucres cæli; quod familiare volucrum epitheton est, tamen hic aliquid aliud indicari arbitror accommodatum Ephraimitarum arrogantiæ, quæ illorum inflauit animos, tum propter internam virtutem, tum propter externorum, ac fœderatorum auxilia. Qui autem felices sunt, aut nihil sibi deesse putant ad commoditatem, & gloriam, in cælo esse dicuntur. Ait igitur Deus, licèt in cælo te esse putes, & nihil metuas à terrena potentia, inde tamen deiiciam te; sicut volucres, quæ cæli immensa peruagantur spatia, laqueos tamen aucupis non effugiunt. quod ad eundem sensum, vt opinor, dixit ad Edom *Abdiæ v. 4.* & Ierem. cap. 49. v. 16. *Qui dicis in corde tuo, quis detrahet me in terram? si exaltatus fueris vt aquila, & inter sydera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.* 43.

Cadam eos secundùm auditionem cœtus eorum.] Auditio pro sermone ponitur, quia ille auditus per aures ad animum transmittitur. Auditio porrò hæc verba fuerunt, aut quæ parentes olim audierunt à Moyse in frequenti cœtu, vbi talia Deus minatur his, qui à data sibi lege defecerint, qualia nunc transgressoribus subeunda denunciat (vide *Deut. cap. 27. & 28.*) Aut quæ postea audiebat posterorum cœtus, cùm in conuentu illorum publicè recitaretur lex. Aut certè auditio verba sunt Prophetarum, quæ frequens populus sæpius audierat, aut ab hoc Propheta priùs, aut ab aliis, quorum vaticinia, aut monumentis mandata non sunt, aut certè postea, cùm iam scripta fuissent, exciderunt. 44.

45. Verſ.13. *Væ eis, quoniam recesserunt à me.*] Non delectatur Dominus peccatorum pœnis, cùm magis ſit ad miſericordiam pronus. Si humiliat, non facit ex corde, ſed coactus, & dolens: quaſi ſibi, atque animo ſuo miſericordi vim faciens, vt humano loquamur ſenſu. Sic olim cùm cataclismo vellet mundum delere, tangi ſe dicebat cordis dolore, *Gen.* 6. vſqueadeo hominum interitus non erat ex corde. Et *Thren. cap.* 3. *v.* 33. cùm de Iudæorum ærumnoſo ſtatu ſermo foret, ait Ieremias, *Si abiecit, & miſerebitur ſecundùm multitudinem miſericordiarum ſuarum: non enim humiliauit ex corde ſuo, & abiecit filios hominum.* Id planè hoc loco indicat illud *væ*, quod dolentis animi ſignum eſt, quíque inuitus brachium extendit ad plagam.

46. *Et ego redemi eos, & ipſi locuti ſunt contra me mendacia.*] Significat Deus quodammodo ſe cogi vindicem, atque cruentam manum in populum exercere, quem cùm haberet ſibi deuotum, & proximum, multis quotidie amplectebatur beneficiis: atque ideo dixit, *Væ eis, quoniam receſſerunt à me.* Nunc ſua in populum merita, & contra populi in ſe iniurias, atque mendacia proponit. *Ego*, inquit, *redemi eos*, non tantùm ex Ægyptia ſeruitute, vbi barbaro Regi ſordidam nauabant, & moleſtam operam, ſed millies aliis quoque iudicum, regúmque tẽporibus, in quibus eò res erat adducta Iſraelitica, vt actum de illa prorſus exiſtimaretur. De quibus Pſal. 105. v. 42. *Dominati ſunt eorum, qui oderunt eos: & tribulauerunt eos inimici eorum, & humiliati ſunt ſub manibus eorum, ſæpe liberauit eos.* Cùm tamen adiutorem habuiſſent eum in rebus anguſtis, & nouis quotidie titulis libertatem deberent, ac vitam, tamen pro beneficiis reddiderunt iniuriam, & illius nomen alieniſſimis fœdauere mendaciis. Pſal. 77. v. 19. *Et malè locuti ſunt de Deo, dixerunt: Nunquid poterit Deus parare menſam in deſerto?* Et *Exod.* 32. vitulis aureis aſcripſerunt libertatem ſuam, negauerunt Deo, dicentes cum feſtiuo plauſu, *Hi ſunt dij tui Iſrael, qui eduxerunt te de terra Ægypti.* Sophonias cap. 1. v. 12. *Qui dicunt in cordibus ſuis: Non faciet bene Deus, neque faciet malè.* Et multis locis negabant diuinis oculis patere illa omnia, quæ in tenebris fierent, aut parietibus clauſa tenerentur: vt *Iſai. cap. 29. v. 15. Ezech. 8. v. 12.*

Honori ſibi ducit Deus, ſi aliquis ad ſe in tribulatione clamet.

47. Verſ.14. *Et non clamauerunt ad me in corde ſuo, ſed vlulabant in cubilibus ſuis.*] Honori ſibi eſſe dicit Deus, ſi aliquis ad ſe in tribulatione confugiat, & ſua magis vti velit, quàm aliena miſericordia. Pſal. 49. *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Aliter alij, ego ſic expono, & vt arbitror, maximè ad Dei ingenium; ita vt Deus honorificetur ab illis, qui ipſius implorant auxilium, & qui idonei ſunt, vt in eorum ſinus diuinæ influant miſericordiæ. Dixit acutè quidam ex profanis, non tam ſacrificiis, aut effingendis ſtatuis aliquem deſignari, aut initiari Deum, quàm hominum precibus. Martialis lib. 8. epigr. 24.

Qui finget ſacros auro, vel marmore vultus,
Non facit ille Deos, qui rogat ille facit.

48. Queritur ergo Deus, quòd populus toties exauditus ab ipſo, non tamen iã in tribulatione clamat; quòd ſi aliquãdo facit, ſimulatè facit, vt hominum opinioni ſeruiat, non tamen ex animo, vt honoret nempe Deum, & ab illo ſuarum calamitatum leuamentum expectet; cùm adhuc ſupplicet idolis, & illorum abſurdam religionem cum vera religione confundenda putet. Orant quidem ad Deum publicè, ſi tamen id aliquando contingat, quia teſtes habent aliorum oculos: at in ſeceſſu, ac latebris more Gentilium vlulant; quia eo modo exiſtimant flectendos eſſe deorum animos, non humana videlicet, ſed belluina voce.

49. *Sed vlulabant in cubilibus ſuis.*] Cubilia hoc loco ſumit Hieronymus, pro lectulis, vbi fornicationi datur impudens opera; fornicatio verò metaphorica idololatria eſt. Dum autem idololatras vlulare dicit, & poſtea ruminare, oſtendit nihilo eſſe belluis meliores, aut ſapientiores. Vlulant enim canes, & lupi, ruminant boues, voces autem, quas extorquet diabolus, aut quas in impiorum ore confundit, aut fingit, non tam humanas eſſe putes, rationales, & quæ aliquid ſonent à mente profectum quàm porcorum grunitum, leonum fremitum, luporum vlulatum; puto autem in Gentilium orationibus, ac votis eſſe vſitatum aliquem loquendi modum, horriſonum, & triſtem, qualis nimirum expectari poſſet à dæmone. Neque credo aliter orabant ſacerdotes Baal. 3. *Reg. cap.* 18. de quibus ſcribitur, *Clamabant ergo voce magna, & incidebant ſe iuxta ritum ſuum cultris, & lanceolis, donec perfunderentur ſanguine.* Hæc verò non videntur ſine vlulatu, & gemitu fieri potuiſſe. Deinde, ſi quando fieret per ignem luſtratio Gentili ritu quis credat ab impia illa luſtratione abfuiſſe gemitum? Huic cogitationi vehementer fauet Septuaginta tranſlatio, quæ ita reddit, quod ſtatim ſequitur: *Super triticum & vinum ruminabant, receſſerunt à me. Super tritico, & vino concidebantur.* Vt Theodoretus, Cyrillus, & Theophylactus exponunt hæc poſtrema verba iuxta Septuaginta. Audi Theophylactum, qui aliorum ſententias clariùs exprimit. *Idolis*, inquit, *ſacra facientes, peragentéſque feſta vlulabant, perinde, atque inſueuerunt idolorumcultores furiis agitati vlulare. Præterea à me dona habentes, nimirum fruges, & vinum, in quibus capiebant voluptatem, ſectiones iterum faciebant in gratiam dæmonum, pectora, & brachia diſpungentes.* Addit deinde id videri feciſſe, quod Cybeles ſacerdotes feciſſe dicuntur, quod crudele factu, & dictu turpe eſt. *Hæc itaque*, inquit, *committebant Iſraelitæ ſuper cibo, & vino, hoc eſt, petentes ea ab idolis.* Hæc Theophylactus.

Diabolus nõ tam humanas, quàm belluinas voces edocet.

50.
Quis Gentibus in orando modus.

51. *Super triticum, & vinum ruminabant, receſſerunt à me.*] Quid iuxta Septuaginta tranſlationem Patres Græci ſenſerint, proximè diximus; quid iuxta vulgatum Latini ſentiant expediamus. Inprimis placet quod ſuprà dicebamus, in verbo *rumino*, indicari ſtuporem Ephraim; in quo non plus oſtenditur eſſe mentis, quàm in boue, aut in alia irrationali natura, quæ fœno paſcitur, & agreſte pabulum commandit, & ruminat. Alij cum Hieronymo, atque Chaldæo putant propter abundantiam vini, atque frumenti, quæ ruminabant, id eſt, quibus belluarum more oblectabantur Ephratæi, erupiſſe in ea vitia, quibus videri potuerunt quàm ſimillimi belluis. Hæc abundantia fecit, vt ingrati homines à Deo deficerent, quare ſtatim additur, *receſſerunt à me.* Adducit Hieronymus illud Ezech. cap. 16. v. 49. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia.* Sed hæc clariùs de eodem populo Moyſes Deut. 32. v. 15. *Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit, incraſſatus, impinguatus, dilatatus; dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo. Prouocauerunt eum in diis alienis*, &c.

Ciborum abundantia homines belluas reddit.

Verſ.15.

Digitized by Google

52. Verſ.15. *Et ego erudiui eos, & confortaui brachia eorum.*] Alia beneficia enumerat Deus, vt populi inſipientis ingratum animum oſtendat. Beneficium eſt maximum alicuius mentem præceptis imbuere, quæ viam homini ad præclarum aliquod opus expediant; beneficium item maximum robur addere, & confirmare brachia, vt quod quis ingenio, atque arte deſcripſit, reipſa compleat; vtrunque populo præſtitit Deus. Nã in aliis multis in omni populi ætate maturè docuit, quod facto eſſet opus, & quo id præſtaret, vires præſtitit. Sed in re bellica id clariùs ex Scriptura conſtat, quod de ſe canit Dauid Pſal.143. *Qui docet manus meas ad prœliũ, & digitos meos ad bellum.* & Pſal.17.v.33. *Deus qui præcinxit me virtute, & poſuit immaculatam viam meam. Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum, & ſuper excelſa ſtatuens me. Qui docet manus meas ad prœlium. & poſuiſti vt arcum æreum*
53. *brachia mea.* Hæc aut his quàm ſimillima præſtitit Deus iudicibus olim, & poſtea nonnullis regibus populi ſui, quibus, & viam oſtendit, & vires contulit ad victoriam. Quare non immeritò quidam ſenſum eſſe putant huius loci, induſtriam, & virtutem datam eſſe Iſraelitis, vt commodè aggrederentur, & felici ſucceſſu bella conficerẽt. Ita ſanè putant Rupertus, & Vatablus. Sed placet quod cum Hieronymo ſentiunt Albertus, & Haymo, & plures alij, eruditum eſſe populum à Moyſe, & informatum ac dolatum à Prophetis, vt legem ſeruarent, & tam in formandis moribus, quàm in ſacrificiis obeundis certum tenerent & legitimum modum: tunc præterea datam eſſe virtutem, vt nationes alias ſubiugarent, & prœlia ſecunda conficerent.

54. *Et in me cogitauerunt malitiam.*] Nimirum, quòd ipſi eſſent fortunati, & liberi, imò quòd viuerent, non meæ acceptum ferebant liberalitati, ac potentiæ, ſed ab idolis, quæ ipſi ſibi finxerant, profectum exiſtimabant. Hinc illæ voces inſanæ, ac ſtolidæ, quibus venerabundi, ac læti ad aureos vitulos clamabant Exod.32.v.4. *Hi ſunt dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Quæ verba repetiuit Ieroboam, cùm nouos conflaret vitulos, *3. Reg.12. v.28.* Malitiam cogitauerunt olim Hebræi, cùm de Deo impiè loquebantur, & inuerecundè, de quibus Pſal.77.v.19. *Et malè locuti ſunt de Deo: dixerunt, nunquid poterit Deus parare menſam in deſerto.* Neque minus ſub hæc ipſa tempora, ſanè paulò pòſt, ætate Ieremiæ dicebant, vt habes apud ipſum cap.44.v.17. *Facientes faciemus, &c. vt ſacrificemus Reginæ cœli* (id eſt, lunæ) *& libemus ei libamina, ſicut fecimus nos, & patres noſtri, reges noſtri, & principes noſtri in vrbibus Iuda, & in plateis Ieruſalem: & ſaturati ſumus panibus, & bene nobis erat, malúmque non vidimus. Ex eo autem tempore, quo ceſſauimus ſacrificare Reginæ cœli: & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio, & fame conſumpti ſumus.* Multa his ſimilia in Scriptura dicta, aut cogitata contra Deum.

55. Verſ.16. *Reuerſi ſunt vt eſſent abſque iugo.*] Videbatur olim Iſrael non minus à legibus ſolutus, quam alij populi. Quare vt alij pro ratione, ac legibus ſuam ſequebantur voluntatem, non ſemper æquiſſimam, quæ omne iugum non tam ſubit, quàm excutit libenter. ſic Iſrael iugum omne auerſabatur & horrebat. Cùm autem iam à Deo legem & iugum accepiſſet, & voluntatem ſuam voluntati alligaſſet diuinæ, breui tamen, cùm vix ceruicẽ aſſueſeciſſet iugo, illud abiecit, quod illi exprobrat Ieremias cap.2.v.20. *A ſæculo confregiſti iugum meum, rupiſti vincula mea, & dixiſti, non ſeruiam.* Ad illum ſtatum rediiſſe videbatur populus, cui, cùm olim leges eſſent impoſitæ, ſic tamen viuebat ſolutus, & liber, quaſi exlex eſſet omnino, & ſuo prorſus relictus arbitrio. Quare vt Gentes illos ſibi fingebant, aut colebant Deos qui maximè eſſent ad genium, & ideo colebant Martem qui accendit iram, & vindictam probat. Mercurium, qui mercimoniis fauet, & lucrum apportat. Venerem, quæ turpioribus lenocinatur voluptatibus, & ſenſibus inuerecundè blanditur; ſic etiam Iſrael, vbi iugum excuſſit, vt in omnem intemperantiam laxaret habenas; ſic etiam omnium religionum ſordes, & monſtra complexus eſt. De illo ſuprà dixit Ieremias poſt confractum iugum, & diſrupta lora. *In omni colle ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo tu proſternebaris meretrix.* In hunc ſenſum cum Hieronymo inclinant frequentes alij.

Iſrael iugi legum impatiens.

Facti ſunt quaſi arcus doloſus.] Hebr. רמיה *remiiah*, 56.
quæ vox à radice רום *rum* deduci poteſt; quæ eleuare ſignificat, vel a רמה *ramah*, quæ in piel fraudem ſonat, & dolum. A priori radice LXX. reddiderunt τόξον ἐντεταμένον, id eſt, *extenſum*; a poſteriori vulgatus, *doloſum*, & alibi *prauum*. Quæ tranſlatio & rebus ipſis accommodatior eſt, & multò, quàm alia, ſignificantior. Eſt autem arcus doloſus, qui aliò emittit ſagittã, quàm quò fuerat à ſagittario deſtinata; quando illum ferit, in cuius fauorem torquebatur. Quomodo ſi iaculum, quod vibratur in hoſtem, amicum tranſfigat, aut quod petit feram, filium, parentémve conficiat. Hic arcus doloſus dicitur, aut prauus, prouerbiali ſine dubio ſpecie, qualis illud apud Latinos, *Ale luporum catulos*, aut, *Vallus vitem decepit*; qui cùm eo conſilio eſſet à vinitore adhibitus, vt viti caducæ, ac teneræ foret adminiculo: ipſe tamen aut lapſus opprimit vitem, aut radices agens, latéque diffundens frondes, ac ramos, & ſuccum exugit, qui debebatur viti, & ſuo pondere, atque vmbra aſſurgenti officit, & creſcentem ſtrangulat. Habet autem prouerbium iſtud duplicem ſenſum, & vtrunque percommodum. Alter ſi doloſus hic arcus illum petat, à quo vibratus eſt, quod contingit ſæpe, vt ſuo ſe aliquis ferro confodiat, & hunc ſenſum probare videtur, quod ſubeſt proximè, *Cadent in gladio principes eorum.* & ita planè contigit. Nam dum muniti idolorum auxilio ſuperiores ſe fore ſperabant, ab iiſdem proditi cognouerunt, quos tutelares aſciuerant, ſibi fuiſſe fraudi.

PROVER. *Arcus doloſus aut prauus pro infido ac fallaci.*

Alter ſi arcus hic feriat à quo vires accepit, & 57.
quem tueri pro beneficiis debuiſſet; quomodo ſiquis in illum ferrum conuertat, à quo illud ad defenſionem accepiſſet, & orationem ille contra magiſtrum habeat in iudicio, à quo orãdi artem, & facultatem eſſet edoctus. Et id puto à Propheta ſignificari præcipuè, quia magis cum toto capitis filo conſentiunt, & ita putat Hieronymus, Haymo, Albertus, & plerique alij. Eadem metaphora vſus eſt Zacharias *cap.9.* vbi ad ſternendos, ſubiugãdóſque populos dicit aſſumpſiſſe ſibi Deum Iuda, & Ephraim tanquam arcum. *Quoniã extendi mihi Iuda quaſi arcũ, impleui Ephraim.* Quid ſit implere Ephraim, aut Ephraim tanquam arcum, diximus in illum locum Zachariæ. Cùm ergo Deus Iſraelitas contra ſui nominis inimicos armaſſet, ipſi tamen in Dominum ſuum doloſum arcum, & perfidioſa iacula conuerterunt.

Hoc ipsum ante hoc tempus de eodem populo cecinit Dauid Psal. 77. v. 57. *Et auerterunt se, & non seruauerunt pactum, quemadmodum patres eorum conuersi sunt in arcum prauum.* Hebr. est vox eadem רמיה *remiiah.*

58. Hæc omnia optimè conueniunt in illos, qui cùm à Deo sint exaltati, & ipsius destinati cultui præcipua aliqua ratione, quales sunt sacerdotes, religiosi, & quos status, & ordo commendat, ipsi tamen cùm nihil de illius gloria cogitare deberent, in Deum tantæ dignitatis auctorem, dignitatis ipsius iacula conuertunt, quæ tanto grauiores habent emissiones, quanto maiori vi ab altioris dignitatis titulo torquentur. Quàm perniciosa sint sacerdotum peccata, quàm noxiæ illorum, qui à religione vera defecerunt, incuriæ ac culpæ, docuit multis Augustinus *tom. 2. epist. 137.*

Grauis in Deum à sacerdotibus iniuria.

59. *Cadent in gladio principes eorum à furore linguæ suæ.*] Ex hac impietate id consecuti sunt tum alij ex vili, atque promiscua turba, tum maximè principes, vt non solùm ex regio statu, quem sibi fore putabant sempiternum, sed etiam ex libertate, vitáque ceciderint. Principum autem præcipuè meminit, quia illi auctores fuerūt aliis, vt aureis vitulis statos exhiberent, & diuinos honores, furiosa planè, insana, atque impudente lingua, id enim est, *à furore linguæ.* id est, propter furorem, & insaniam sceleratæ linguæ. L X X. verterunt, propter imperitiam linguæ, id est, quia, vt ait Cyrillus, tanta fuit illorum linguæ proteruitas, vt dixerint, *ligno, Deus meus es tu, & lapidi, tu me genuisti.*

60. *Ista subsannatio eorum in terra Ægypti.*] Explicat quísnam illæ linguæ furor sit, propter quem principes casuri dicuntur, nempe subsannatio, quali olim populus aut in Ægypto cùm adhuc Pharaoni seruiret, aut paulò postquam inde cœpit libertatem aspicere, de Deo queri cœpit, quòd ipsius saluti malè consuluisset. Questus est autem sæpe contra Moysem, & Aaron, atque adeò contra Deum, à quo cum mandatis fuerant missi ad Pharaonem, quòd eorum gratia dura ab Ægyptiis paterentur incommoda. *Fætere, inquit, fecistis odorem nostrum coram Pharaone, & seruis eius, & præbuistis ei gladium, vt occideret nos.* Subsannarunt sæpe in toto traiectu per desertum, cùm laborarēt siti, cùm carnes expeterent, cùm alliorum, porrorúmque, quæ in Ægypto reliquerant, desiderio languerent. Denique quotiescunque aliquid accideret aduersum, vsque ad vituli adorationem, cui adscribebant impia, atque furente lingua, quòd viuerent, quòd ex Ægyptio iugo, & seruitutis sordibus emersissent. Hæc profectò subsannatio est, id est, offensi, seu illudentis animi documentum impudens.

A

Porrò hic duo nobis obseruanda sunt: alterum est subsannationem sumi pro subsannationis supplicio: quomodo *peccatum, iniquitas, impietas,* & similia, per metonymiam, pro illorum suppliciis vsurpantur. Quare sensus erit, hoc est supplicium subsannationis, qua principes, sicut parentes olim in Ægypto, indignis modis ac verbis Dominum acceperunt: nunc sublati ferro subsannationis illius pœnas dant. 61.

Alterum est ex vsu Scripturæ sacræ aliquid dici fieri in aliquo tempore, seu loco, quod ab eo siue loco, siue tempore longè non sit. De loco est illud *Ioannis 1.* de Baptista, *Hæc in Bethania facta sunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans.* Neque tamen in vrbe baptizabat, sed prope illam. Christus in Bethleem dicitur natus, occisus Hierosolymæ, cùm tamen extra vtranque ciuitatem natus sit, & occisus, de tempore non minus vsitatum, & frequens. In vno ingressu filiorum Israel de Ægypto, & de hoc ipso tempore, in quo nostra laborat commentatio, plurima sunt exempla. Nam quæ post illum excessum ex Ægypto facta sunt, in ipso egressionis articulo facta esse dicuntur, vt siccatum esse mare, *Iosue 2.* occurrisse Moab Israelitis, *Deut. 23. v. 4. & cap. 25. v. 18.* datum manna, *Exod. 16. v. 32.* traditam legem in monte Sinai, *Deut. 4. Leuit. 26. 4. Reg. 8.* Hæc omnia cùm aliquot diebus, imò & mensibus post egressum ex Ægypto contigerint, accidisse tamen dicuntur, quando ex Ægypto egressus fuit Israel propter temporis vicinitatem. Hinc, credo, constabit non difficile, quæ dicatur hoc loco subsannatio in terra Ægypti, nempe illa, quæ neque procul ab Ægypto contigit, neque procul ab eo tempore, quod Ægyptium egressum consecutum est. Qualis fuit obmurmuratio illa quòd defecisset aqua, *Exod. 17. v. 3.* & grauiùs *Exod. 16. v. 3.* cùm dicebat, *Vtinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus carnes in saturitate.* Et Num. cap. 11. *Interea ortum est murmur populi, quasi dolentium pro labore contra Dominum.* Tunc enim sic dolens querebatur: *Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cepe, & allia. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi Man.* Hic deinde subaudienda est similitudinis nota, quod Hebræis est familiare. Quare sensus est, *subsannatio populi, & maximè principum, quasi subsannatio est illorum, qui in terra Ægypti, aut proximè, postquam excesserunt ab illa parentes olim obmurmurarunt: neque hos lenius manet supplicium, quàm quo propter impudentiam similem illorum parentes mulctati sunt.* Hæc de capite 7.

62.

B

C

D

IN

IN CAPVT OCTAVVM

ARGVMENTVM.

IVBET Propheta Dominus, vt quàm maximo potest clamore contendat edicátque, quàm graue Israeli supplicium immineat ab Assyriis, cùm idola conflauerint, quorum ea est futilitas, & impotentia, vt ipsa quoque inter spolia è suis delubris auferantur. Quare illorum auxilium vanum erit, & filis ex aranearum tela quàm simillimum. Minatur deinde statum sordidum, & ignobile: quia alienum sibi præsidium mercede, atque muneribus asciuit, quasi solitarius esset, & nudus ab auxilio, sicut onager in solitudine. Cúmque duæ aliæ tribus, quæ Iudæ significantur nomine, humanum potius, quàm diuinum exquirant auxilium, eandem illis cladem, & exitium minatur.

CAPVT VIII.

1. *IN gutture tuo sit tuba quasi aquila super domum Domini: pro eo quòd transgressi sunt fœdus meum, & legem meam præuaricati sunt.*

2. *Me inuocabunt: Deus meus cognouimus te Israel.*

3. *Proiecit Israel bonum, inimicus persequetur eum.*

4. *Ipsi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui: argentum suum & aurum suum fecerunt sibi idola, vt interirent.*

5. *Proiectus est vitulus tuus Samaria, iratus est furor meus in eos, vsquequò non poterunt emundari?*

PARAPHRASIS.

A 1. CLama, ô Propheta, & quàm maximo potes clamore contende, non aliter, atque si clangor esset tubæ, quæ latè personat, & hominum animos horrore cõcutit. Hoc autem erit Prophetici clamoris argumentum. Aduenire iam super populum, domúmque Dei externum hostem, ea velocitate, qua aquila ad prædam aduolat, & illius infortunij, quod ab armis hostilibus impendet, eam esse causam, quòd fœdus iam pridem mecum initum, & datam à me legem violarunt.

2. Cùm tandem vrgeri se vehementer ab hoste videant, neque à diis quos antè

B fuerunt venerati, ostendi spem aliquam libertatis, ac vitæ, reuertentur ad me, dicéntque supplices: Iam Domine, experimento cognouimus, te esse verum Deum, quem coluit pater noster Israel, cuius tu meritis concede, vt posterorum salutem tuearis.

3. Sed quantumcumque Israelis nomẽ obtendant, in eóque nomine sibi placeant, non efficient, quo minus ingruat inimicus, illósque ad necem vsque persequatur: quãdo longè secus ac fecit pater Israel, fœdus & legem, & bonitatem omnem abiecerunt.

4. Peribunt cum populo ipsi quoque

C principes, quia ita reipublicæ tractarunt gubernacula, vt suo potius arbitratu, quàm ex meo præscripto ac voluntate rem administrarent publicam. Quare, quod ipsi sua abusi potestate fecerunt, ego neque cognoui, neque probaui. Dum autem ex auro suo deorum sibi simulacra fingunt, causam sibi præsentis exitij conflauerunt.

5. Vitulus tuus, ô Samaria, quem tibi tutelarem fore putabas, vsqueadeò tibi saluti non erit, vt neque seipsum à communi incendio liberare possit. Proiicietur enim cum ipsius cultoribus, in quos furor meus vehementer exarsit. Vsquequò enim hære-

Digitized by Google

A bunt in antiquis sordibus obstinatò, quando in eo persistunt statu, ac pertinacia, vt mundari non possint?

6. Quia ex Israël & ipse est: artifex fecit illum, & non est Deus: quoniam in aranearum telas erit vitulus Samariæ.

6. Illud planè infandum, & horribile, quòd vitulus ab Israele conflatus fuerit, cui præscriptum fuisset, ne quod sibi fingeret simulacrum. Quòd si vitulus factus ab artifice, absque dubio Deus non est, neque amplius habet, quàm quod truncus, ex quo dolatus fuit: quare sic dissipabitur, & vanescet, sicut aranearum telis fila soluuntur?

7. Quia ventum seminabunt, & turbinem metent: culmus stans non est in eo, germen non faciet farinam: quod & si fecerit, alieni comedent eam.

B 7. Seminarunt Israelitæ, dum vitulos conflant, & adorant, corrupta semina, & à vento euanida: quare cur aliquid inde aliud messuros se sperent, quàm turbinem, perturbationem videlicet, cædem, & exilium? Ex eo porrò infelice semine, neque herbescens vlla erit viriditas, neque culmus exurget, neque vlla erit farinæ, aut panis expectatio. Quòd si quem inde fructum existere contingat, ad alienos potius prædatores, quàm ad satores, & dominos pertinebit.

8. Deuoratus est Israël: nunc factus est in nationibus quasi vas immundum.

C 8. Prædabuntur alieni, deuorabúntque Israelis bona, & ipse tanquam vas impurum, & ignobile, ad vilissima quæque ministeria proiicietur.

9. Quia ipsi ascenderunt ad Assur, onager solitarius sibi: Ephraim munera dederunt amatoribus.

9. Hæc verò ideo ab Assyriis patientur Israelitæ, quia ad illos præsidij causa confugerunt, quasi soli essent, sicut onager in deserto: & eo consilio ad illos, aliósque sibi amicos, & fœderatos populos munera miserunt.

10. Sed & cùm mercede conduxerint nationes, nunc congregabo eos: & quiescent paulisper ab onere regis, & principum.

10. Conduxerunt præterea ex nationibus aliis mercede, auxiliares copias, illas
D tamen omnes ego in illorum exitium congregabo. Quiescent quidem paululum ab eo tributo, atque onere, quod pendebant Assyrio regi, aliísque principibus, sed succedet statim aliud longè grauius.

11. Quia multiplicauit Ephraim altaria ad peccandum: factæ sunt ei aræ in delictum.

11. Sicut externi populi, aut mercede conducti, aut obligati muneribus, exitio fuerunt Israeli: sic etiam externi dij, quibus Ephraim excitauit altaria, vt peccandi præbuere materiam, sic etiam exitij causam attulerunt.

12. Scribam ei multiplices leges meas, quæ velut alienæ computatæ sunt.

E 12. Quid capiam consilij vt stupidum ac rebellem populum à peccando cohibeam? Scribámne leges alias præter eas quas olim per Moysem præscripsi? Sed quid proderunt nouæ cùm veteres cõtempserint, & in alias mutauerint, quas sua ipsorum libido excogitauit.

13. Hostias offerent, immolabunt carnes, & comedent, & Dominus non suscipiet eas: nunc recordabitur iniquitatis eorum, & visitabit peccata eorum: ipsi in Aegyptum conuertentur.

13. Vt enim offerebant hostias, non tã vt placerent mihi, quàm vt ex ipsis carnes sibi victúmque pararent, sic planè facient, si qua recèns illi mandata præscribã. Quocirca, cùm ab illis melior mens, & vitæ mutatio speranda non sit, vlciscar iniquitates

14. Et illorum,

Digitized by Google

A illorum, & de peccatis quæ tamdiu toleraui, supplicium sumam, quorum sic erit sordida miseraque conditio, vt ad Assyrios relegati, in illum statum compacti videantur, quo apud Ægyptios eorum parentes superiore memoria perfuncti sunt.

14. *Et oblitus est Israel factoris sui, & ædificauit delubra: & Iudas multiplicauit vrbes munitas: & mittam ignem in ciuitates eius, & deuorabit ædes illius.*

14. Quod supplicium nemo aut leue, aut iniquum iudicabit: cùm factorem, cõseruatorémque suum abiecerit Israel, & illius loco simulacra colat, illísque passim aras, ac delubra constituat. Neque procul aberit ab hoc duarum tribuum status, atque conditio: cùm ipsæ quoque ad aliarum exemplum, spem salutis non in Deo suo, sed in ciuitatis mœnibus, humanóque præsidio collocauerint. Quare illarum ciuitates vastabit ignis, & tam ædes publicæ, quàm priuatæ, eodem conflagrabunt incendio.

Vers. 1. *In gutture tuo sit tuba.*]

1. *Tubarum clangore admonetur, aut conuocatur populus apud Gentiles.*

SI quid sacrum, aut magni momenti proclamandum, aut denunciandum erat, id videtur factum olim excitata populorum priùs attentione clangente tuba. Sic qui sacra ferebant, aut pro sacrorum religione stipem corrogabant à populo, vt illum admonerent, adesse Deum, aut illius monumentum aliquod, tubarũ, aut lituorum inflatu significabãt, ex profanis occurrunt plurima, vnum accipe ex Ouid. lib. 1. de Ponto eleg. 1.

Et quis ita est audax, vt limine cogat abire
Iactantem Pharia tinnula sistra manu?
Ante Deum matrem cornu tibicen adunco
Cùm canit, exiguæ quis stipis æra neget.

C Ad concionem tubis aduocari populum, quas inflaret præco, docet illud Propertij, quod de sæculo Romuli videtur agere.

Buccina cogebat priscos ad verba Quirites.

Dionysius lib. 11. *Plebem ministri quidam cornibus bouillis, id est, buccinis, insonantes ad concionem cogebant.* Et Liuius *lib.* 33. solemne esse ait, aut præconem cum tuba, aut cum præcone tubicinem in theatrum procedere. *Romani*, inquit, *ad spectaculum consederunt, & præco cum tibicine, vt mos est, in mediam arenam processit.* Et quidem ætate nostra in multis locis ea est consuetudo, vt priùs præco tubarum clangore attentum reddat populum, deinde aut prætoris edictum, aut populi scitum voce promulget.

2. *Item apud Hebræos.*

D De sacris res est magis nota. Vt enim nostro sæculo Christiani ære campano, sic etiam olim Hebræus populus tubarum strepitu ad sacra, solemnésque dies excitabatur. De Neomeniis est illud Psal. *Buccinate in Neomenia tuba.* & pro Iubilæo tubas esse certæ cuiusdam materiæ, ac formæ, res est nota.

3. Cùm igitur graue aliquod instaret infortunium Israelitidi Genti, ab Assyriis, admonitum Dominus vult esse populum à Propheta, vt quod audierat sæpius, id nunc solemni quadam audiat, ac legitima forma. Iubet namque, vt præconis more tubam assumat, securúmque, & quasi soporatum populum excitet: sicut incauti mili-

B tes euocantur ad pugnam, quando hostis imminet, & minatur extrema. Hæc sonant verba; sed sanè magis est credibile subaudiri hîc similitudinis notam, quasi iubeat Dominus, vt quanto maximo potuerit clamore contendat Propheta, vt audiatur ab omnibus, non aliter, atque si clangor esset tubæ, quæ latè personat, & hominum animos horrore concutit; & ita communiter interpretes cum Hieronymo. Neque aliud præcepisse videtur Deus Oseæ, quàm quod eodem fortasse tempore præcepit Isaiæ, cùm dixit cap. 58. *Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo peccata eorum.* vbi, vt vides, nota similitudinis exprimitur. Hoc porrò vaticinium non solùm in Ephraim, id est, in decem tribubus, sed etiam in Iuda intorquetur. Vt ex ipso capitis decursu colligitur, & maximè ex versu 14. *Oblitus est Israel factoris sui; & ædificauit delubra; & Iudas multiplicauit vrbes munitas: & mittam ignem in ciuitates eius.*

Quasi aquila super domum Domini.] Hoc est argumentum illius vocis, quæ personabit instar tubæ, in quod acuitur prophetici spiritus, ac vocis dira contentio, venturam nempe aquilam super domum Domini. Quod argumentum, quia alienis proponitur verbis, obscurum est, atque ideo singula attentiùs exploranda. In *aquila* communiter interpretes regem Chaldæorum intelligunt Nabuchodonosor, qui cùm sæpius Hierosolymam esset aggressus, templúmque variis modis compilasset, tandem illud anno Sedeciæ vndecimo funditus deleuit. Vocatur autem Nabuchodonosor aquila grandis magnarum alarum *Ezechielis cap.* 17. Sed sanè videtur non satis cohærere cum his, quæ toto capite dicuntur Chaldæorum nomen, aut Nabuchodonosoris imperium. Quæ enim hîc dicuntur de Israel, & Samaria, iam erant completa, cùm regnum iniit, aut certè cùm deuictis Assyriis constitutum est Chaldæorum imperium, atque ideo de Assyriis sermonem magis esse arbitror, quàm de Chaldæis, quod putat Montanus, neque abnuit Albertus. Neque solus Nabuchodonosor vocari aquila debuit, quia neque minus velocitèr, neque minus

4.

Nabuchodonosor vocatus aquila.

 felici

feliciter Assyrij populati sunt decem tribus cum Samaria, quam duas alias Babylonij cum Ierusalem. Optime autem cum aquila confertur exercitus; quia sicut aquila prædatrix est, & sanguinolenta, sic etiam exercitus ad prædam aspirat, & sanguinem anhelat. Optimè verò quæ hîc dicuntur, omnia quadrant in Assyrium, licèt nō omnia in eundem regem. Nam quod attinet ad decem tribus, quæ Samariæ, atque Ephraim significantur nomine, constat à Salmanasar, & Theglathphalasar variis temporibus fuisse spoliatas bonis, & ad Assyrios fines procul abductas. De domo Domini, siue illa templum sit, siue Hierosolyma, nemo nescit quid consilij ceperit, quid tentauerit, quò denique rem deduxerit Sennacherib. Neque Propheta dicit captam esse ciuitatem, aut templum, sed ad domum Domini aquilam illam aduolasse. Quod fecit Sennacherib ea contentione ac studio, vt Ezechiam regem, & viros illius consilij principes ad desperationem adegerit. Vide *Isaiæ cap.* 36. vbi *v.* 22. legati, qui de pace ab Ezechia missi fuerant, cùm tam de pace componenda, quàm de libertate, ac vita desperarent, re infecta, ad Ezechiam redierunt, scissis tunicis, quasi iam actum foret de summa re; quod item audito nuncio fecit Ezechias, & pro regio amictu saccum induit, vt habes *cap.* 37. *v.* 1.

5. Quòd si *domum Domini* Gentem Israelitidem intelligas, nemo iam dubitabit de Assyriorum prædatione, ac strage esse vaticinium. Quòd verò populus Dei dicatur, *Dei familia*, siue, quod idem est, *domus Dei*, satis est notum, millies enim audimus in Scriptura, *domus Israel, domus Iuda, domus Dauid*, pro his qui ad hos Patriarchas genus referunt: aut pro illis, qui eiusmodi viris quoquo modo seruiunt, aut in illorum clientela sunt. Quomodo dicimus alicui esse copiosam, & luculentam domum, quia multos filios, aut famulos habet egregiè, ac luculenter instructos. Sic ergo populus Israeliticus domus potuit nominari Dei, quia illius fuit familia; vel quia illius obsequio, vt famulorum conditio est, specialiter deuotus; vel quia eo amore, ac beneuolentia susceptus, quo filij solent à parentibus.

Domus pro familia ac genere.

Pro eo quòd transgressi sunt fœdus meum.] Transgressoribus legum talia erant proposita supplicia, qualia nunc Deus per Prophetam denunciat. Vide *Deuter. cap.* 28. maximè *à v.* 20.

6. Vers. 2. *Me inuocabunt, Deus meus, cognouimus te Israel.*] Cùm aquila, de qua nuper, sanguinaria venerit, exertis vnguibus, & adunca muscide terribilis; cùm discerpantur ab hoste, confugient ad Deum, & nomen illud, quod blasphemando violauerant, implorabunt, dicéntque, quo diuinum animū ad misericordiā inflectant, se esse Israelitas, electum quondam populum, & à nobilissimo genere prognatos, qui olim cognouerunt Deum, practica nempe cognitione, ac viuida, quem vocantem secuti sunt; in quorum nomine, nomen Dei includitur, quod aliis quondam nationibus venerationi, atque horrori fuerant. Israel namque idem valet, quod præualens Deo, sic ferme cum Hieronymo sequentes alij.

7. Alij sic exponunt. Iam tandem experimento cognouimus te esse Deum verum Israel, quando nimirum à diis, quos colebamus, nullum in rerum angustiis leuamentum habuimus, quo nomine mutare student diuinam mentem, vt benigniora cogitent, quando ipsi mutata mente ad illum se supplices conuertunt, à quo priùs violata fide, & conculcata religione defecerant: vterque sensus accommodatus ad literam; posterior quibusdam ex Hebræis placet, nec displicet Figuerio.

8. Vers. 3. *Proiecit Israel bonum, inimicus persequetur eum.*] Plurimum Israelitæ in parentum virtute, ac nomine statuebant esse præsidij, atque ideo illis multum erat in ore nomen Abrahæ, Isaac, & Iacob, propter quod nihil sibi putabant euenturum aduersum. Quibus respondit talia cogitantibus Christus Matth. 3. v. 9. *Ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham, dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ: iam enim securis ad radicem arboris posita est.* Idem penè dicit hîc Deus; sugillat enim stultam illam cogitationem, & parum prodesse ait nobilem illum titulum Israel, aut Dei nomen, quod ipsi suo inesse nomini ambitiosiùs iactabant, si cuius nomen gloriosum stemma esse arbitrabantur, eundem quasi vile aliquid, & infructuosum proiicerent. Ac si dicat Deus, quid prodest appellari Israel, si ille, qui in Israelis sibi nomine placet, Israelis Deum, & Dominum abiecit. Non efficiet profectò Israelis nomen, quominus ingruat hostis potens, & victor in illius fines, & illum lacessat pertinacibus armis, & ad meritum vsque persequatur.

Parentum virtus lans inanus posteris.

9. Vers. 4. *Ipsi regnauerunt, & non ex me.*] In fine præcedentis capitis locutus fuerat Dominus de principibus dura: reddit nunc, opinor, causam, cur tam seuerè de illorum capitibus statuat, quia ita regni tractarunt gubernacula, vt neque ex diuino præscripto gubernauerint, neq; populi spectauerint cōmoditatem, & vsum, sed suo potiùs arbitratu abducti intentis animis ad voluptatē, & lucrum, iura omnia tā diuina, quàm naturæ peruertant. Regnauerunt, inquit, sed nō ex me, id est, non me auctore, aut præscribente. Quod facere debent, qui verè reges, & patres patriæ videri volunt, ita vt non tam ipsi, quàm per ipsos Deus dominetur. Quod sanè fecit Samuel, ad quem Deus quo tempore importunis precibus, imò vrgente conuitio populus regē postulabat, *Non te*, inquit, *abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Ita puto explicandum hunc locum: nam Ieroboam, de quo præsertim videtur esse sermo præsens, electus est à Domino, & ad regnum vocatus per Ahiam Silonitem, qui sic ad Ieroboam Dei nomine 3. Reg. cap. 11. v. 30. *Apprehendénsque Ahias pallium suum nouum, quo coopertus erat, scidit in duodecim partes. Et ait ad Ieroboam: Tolle tibi decem scissuras, hæc enim dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus.* Et de Iehu dicendum idem, quem vnxit Propheta missus ab Eliseo lib. *Reg.* 4. *cap.* 9. *v.* 3. dixitque, *Hæc dicit Dominus, vnxi te regem super Israel.* Non ergo ait non fuisse electos à Deo, sed non tractasse ex Dei præscripto, ac voluntate regni gubernacula, quod indicant Septuaginta, dum ita conuertunt, *Ex semetipsis regnauerunt, & non per me.*

10. *Principes extiterunt, & non cognoui.*] Eadem est sententia per epexegesim explicata. Quis neget vniuersa Deo esse cognita? At ignorare dicit, aut non cognoscere, illos reges, ac principes, quorum nunc acta reprehendit. Quia neque illorum acta probat, neque se priùs consulto publica ratio administrata est. Sic sanè millies Deus illos se ignorare dicit, quos improbat, aut damnat. Ad fatuas virgines dixit, *Nescio vos*, quia illarum væcordiam in re magna, atque torporem damnat. Et *Matth. cap.* 7. *v.* 22. ignorasse se ait multos, qui magna se in Dei gloriam fecisse prædicabant,

Nesciri aut non cognosci dicuntur, quorum facta improbantur.

dicabant, quia in re natura sua sancta magis suam captabant, quàm diuinam gloriam. *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus, & tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos.* Non itaque Deus ignorauit regnasse principes; sed illorum consilia, atque acta non probauit: quia suis indulgebant potius votis, quàm diuinis legibus administrationis formam attemperabant.

11. Quidam illud *regnauerunt, & principes extiterunt*, actiue sumunt, ita vt non tam accusentur reges, quòd malè gubernarint, quàm populus, qui regni habenas illorum potestati permiserit. Sic sanè Hebræi, & probant recentiorum translationes, quæ reddunt, non regnauerunt, sed regnare fecerunt, & principes constituerunt. Quod etiam sibi videtur velle vox Hebraica המליכו *himlicu*, & השירו *hasiru*, quæ in coniugatione hiphil actiuæ significationis sunt. Neque desunt ex Patribus, qui ita sentiant. Sic certè Cyprianus ep. 55. *Sibimet ipsis regem constituerunt, & non per me.* Origenes homil. 4. in Iudic. *Fecerunt sibi regem, & non per me, & principem, & non per consilium meum.* Eodem modo interpretes Græci sequuti LXX. Theodoretus, & Theophylactus, imò & Hieronymus; nã cùm de populo dixisset illud, *Deus meus es, & cognouimus te, nos qui vocamur Israel*, statim subdidit, *frustrà hæc faciunt, cùm ipsi sibi regem constituerint, & contra meam fecerint voluntatem, & principes habeant aduersarios meos, quos ego nescio.* Sed non est deserẽda vulgata trãslatio, neque fortasse illi textus aduersatur Hebraicus, etiamsi purus sit: norunt enim mediocriter in Hebraicis versati, coniungationem hiphil non semper importare alteram actionem supra Kal.

12. Hunc locum egregiè tractat ad mores Bernardus *de conuersione ad clericos, serm. 27.* & Gregorius 1. p. Pastor. cap. 1. *Sunt nonnulli, qui intra sanctam Ecclesiam per speciem regiminis gloriam affectant honoris, videri doctores appetunt, transcendere cæteros concupiscunt, atque attestãte veritate primas salutationes in foro; primos recubitus in cœnis, primas in conuentionibus quærunt cathedras. Qui susceptum curæ pastoralis officium ministrare digno tanto magis nequeunt, quanto ad huius humilitatis magisterium, ex sola elatione peruenerunt. Ipsa quippe in magisterio lingua confunditur, quando aliud discitur, & aliud docetur. Contra quos Dominus per Prophetam queritur, dicens: Ipsi regnauerunt, & non ex me; principes extiterunt, & ego ignoraui. Ex se autem, & non arbitrio summi Rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus nequaquam diuinitus vocati, sed sua cupidine accensi culmen regiminis rapiunt potius, quàm assequuntur. Quos tamen internus iudex, & prouehit, & non cognoscit, quia quos permittendo tolerat, profectò per iudicium reprobationis ignorat. Vnde ad se quibusdam, & post miracula venientibus dicit: Recedite à me operarij iniquitatis; nescio qui estis vos.*

Qui prælati ac principes electi dicantur à Deo.

13. *Argentum suum, & aurum suum fecerunt sibi idola, vt interirent.*] Non cognoscit Deus nempe approbando vt suos, eos, qui pro sua libidine potius, quàm ex Dei præscripto populum gubernant; aut sicut multorum ferebat sententia, inconsulto Domino regem sibi, ac populo præficiunt. Sed cur eos non cognoscat, contra quos nunc minaciter agit, noua ratio est, eaque grauis, quia conflatis ex argento, atque auro Deorum simulacris, publico documento a Deo vero se recessisse profitentur. Ex his autem sumptibus, idolorúmque figmentis id consecuti sunt, vt grande sibi, ac populo infortunium asciuerint. Illud *vt* non importat finalis causæ vllam habitudinem, sed tantùm consecutionem aliquam, & effectum: neque enim eo consilio væcordes illi reges idola conflarunt, vt mortem sibi ab illorum adoratione quærerent, mors tamen inde consecuta est, à qua fortè se liberos tutelarium Deorum auxilio confidebant.

Vers. 5. Proiectus est vitulus tuus Samaria.] Samaria sedes erat regia, & regni caput, vnde pro decem tribubus adhibetur, quibus præerat, qui illius vocatur vitulus, cùm tamen procul abesset à Samaria; quemadmodum vocari posset decẽ tribuum. Vsqueadeò verò vitulus ille saluti aliis esse non potuit, vt neque sibiipsi cauere potuerit ab interitu. Eodem loquendi modo vsus est Deus *Ierem. cap. 48. v. 7.* ad Moab. *Tu quoque capieris, & ibit Chamos in transmigrationem; sacerdotes eius, & principes eius simul.* Dixit hoc idem de Ægyptiorum diis *cap. 43. & cap. 49.* de Melchon Ammonitarum idolo. Ab his autem diis tam aberat facultas liberandi cultores, vt neque à seipsis auertere potuerint communem fugam, & ignominiam. 14.

Iratus est furor meus in eis.] Obscurum est an illud *in eis*, principes spectet, cultorésque alios vitulorum, vel certè vitulos, cum quibus populus insanus Deum verum, & patrium commutauit. Illud prius videtur certius, quia illud *in eis*, pluralis est numeri, cùm tamẽ vitulus in singulari præcesserit. Sed neque malè cogitaret, qui hæc ad vitulos referret, siue tantùm sint duo, in Dan videlicet, & Bethel, siue alij ad horum similitudinem Samariæ, aut alio in loco fuerint conflati. Neque enim inusitatum est vt cùm singularis præcesserit numerus, ad illud referatur pluralis, in quo plura intelligantur, quæ singularis numerus per synecdochen continebat. 15.

Vsquequò non potuerunt emundari?] Dolentis ista vox est, & medici, qui cùm adhibitis fomentis, & mitioribus aliis curationibus, nihilo tamen melius ægrotum habere videt, ad sectiones tandem, & vstiones venit. Aut certè parentis vox est, qui in proteruum, ac cõtumacem filium cogitur seuerioribus agere suppliciis, & procul à se in vltimas terras amandare. Quot modis Deus populum illũ idololatram ad sanitatem, & veram religionem mollioribus verbis, & paternis hortationibus asciuerit, quoties in Prophetis dolauerit, quo modo in extergenda rubigine sufflatorium ruperit, consumpserit plumbum, & omne expiatorium instrumentum perdiderit, clamat Ieremias *cap. 6. v. 29.* quid ergo superest, nisi vt tanquam vile ac reprobum argentum procul amandetur. 16.

Vers. 6. Quia ex Israel, & ipse est.] Quidam proprium idolum Israelitarum interpretantur; sicuti aliarum Gentium alia sunt idola, vt Sidoniorum Astarthe, Moabitarum Chamos, Ammonitarum Moloch, Chaldæorum Bel: quia hos vitulos quasi hæreditario iure Israelitæ à parentibus acceperunt. Vix enim egressi fuerunt ex Ægypto cum magno suorum ornamentorum dispendio ex armillis, & annulis vitulum conflarunt. Sed licèt illud peccatum antiquum fuerit in eo populo; tamen proprium non fuit: sumpserunt enim ab Ægyptiis, quorum dij præcipui Apis, & Isis, aut boues fuerunt, aut bouina facie ficti sunt. 17.

Alij nihil aliud significari putant, quàm vitulos artificum manu fuisse conflatos, atque ideo neque habere potuisse aliquid diuinitatis, neque hominibus esse subsidio, cum non tàm homo ab 18.

animato

Christianorũ & religiosorũ grauiora peccata.

animato simulacro quàm ab homine simulatum dependeat. Quæ ratio sæpe à Prophetis adducitur in idolorum vilitatem, & contemptũ. Qua de re Ieremias *cap.* 10. *v.* 3. & Isaias *cap.* 44. *v.* 12. vbi nos pluribus. Et hæc explicatio mihi potior, cui fauet plurimùm, quod proximè succedit, *Artifex fecit illud.* Illud hic magnum habet pondus, quod additur *ex Israel.* Quasi admiretur Deus, quod non ab externo, sed ab Israelita artifice monstrum illud, cui diuinum datum est nomẽ, formatum sit. Præscriptum quippe fuerat Israeli, ne idola cuderet, neque apud illum vllum inueniretur simulacrũ (cui nimirum diuinos impẽderent honores) & cùm ipse Gentium deri- B deret insaniam, cùm saxo, & ligno atque æri aliquid existimaret esse diuinum, cui illud Dauidicum multum erat in ore. *Simulacra Gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum, os habent, & non loquentur.* &c. Tamen ab Israelita artifice vitulus est formatus, ab illo adoratus, & in diuinum ordinem adductus.

19. *Idolorum futilitas.*

Artifex fecit illud, & non est Deus.] Si factus ab artifice, absque dubio Deus non est, neque amplius aliquid habet, quàm truncus ex quo dolatus est: cuius pars altera aut ad coquendas carnes focum instruit, aut ad aliquod vile ministerium informatur. De quo Isaias cap. 44. v. 15. *Sumpsit ex eis* (nempe lignis) *& calefactus est, & succendit, & coxit panes, de reliquo autem operatus est Deum, & adorauit.* C Hinc ipsi quoque Gentiles, in quibus aliquid erat mentis, nugatorium putabant, & planè figmentum hoc sculpturæ genus. Sic Horatius Priapum de seipso, ac sua diuinitate loquentem inducit, lib. 1. Sat. 8.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Cùm faber incertus scamnum faceret, ne Priapum
Maluit esse Deum. Deus inde ego sum, auiũmque
Maxima formido.

20. PROVER. *Tela aranearum pro re futili.*

Quoniam in aranearum telas erit vitulus Samariæ.] Pro *aranearum telis*, Hebr. est. שבבים *sababim*, quæ vox multa significat, atque ideo variè ab interpretibus redditur. Alij *scintillas*, alij *contritiones*, alij *fragmenta* reddunt. LXX. & Theodotiõ, D vt dicit hic Hieronymus πλανῶν, id est, *seducens*, aut *decipiens*. Symmachus ἀκαταστατῶν, id est, *instabilis*. Quinta editio ῥεμβόμενος, id est, *vagus, & fluctuans*, Tigurina *scissilis*, Pagninus *fissa*. Hieronymus ab Hebræo quodam ait se dixisse significare minuta fila, quæ in aëre volitant, discussa, vt creditur, ab aranearum telis, quæ dum videntur, dissoluuntur, & pereunt, & tandem momento temporis in nihilum abeunt. Hæc forsasse prima est, & propria nominis significatio. Quæ satis explicat quanta sit futilitas, & instabilitas vituli Samariæ, qui nimirum sic vanescit, quasi pertenue filum ex aranearum tela; sic mouetur, & fluctuat, quasi illa siue fila, siue spumulæ perflante E vento. *Sap. cap.* 5. *v.* 15. res adducuntur futilissimæ, quibus spes assimilatur impiorum, cum quibus etiam conferri posset vitulus hic Samariæ. In quo, qui spem locauit suam, hic verè sperare dicitur, quod ab hac rerum futilitate stultus. *Spes impij tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur, & tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur, & tanquam fumus, quæ à vento diffusus est.*

21. PROVER. *Ventum seminare, pro fructu inutili ex stulto labore.*

Vers. 7. *Quia ventum seminabunt, & turbinem metent.*] Hoc absque dubio prouerbium est, quo explicãt Hebræi inutilem fructum ex stulto conatu, in quo laboris plurimum, à mercede tamen, aut prouentu vacuum; qualis esset illius, qui ventum seminaret, qui nihil inde referret

A solidum, & sibi tumultum pareret, & ruinam. LXX. reddidere pro *vento* ἀνεμόφθορα, id est, *vento corrupta*: quibus nempe medulla non est, neque virtus vlla seminalis, in qua spes sit messis, & grani. Sed sanè, licèt ventus hoc loco subuentaneum aliquid, & euanidum sonet, qualia solent esse grana, quæ propter noxium, & intempestiuum ventum intra folliculos nihil habent medullæ; quæ prudens agricola seminare non vult, ne terram, & operam inani satione perdat, tamen *venti* nomen maius aliquid, & turbulentius sonat. Vt enim ventus, si in terræ visceribus clausus sit, terram quatit, & commouet, & magnarum molium etiam ima fundamenta conuellit, tempestates excitat, & naues aut bene ad naualem conflictum constratas, aut oneratas mercibus momento temporis summergit, & siquid præterea ex terra non tam grauidata, quàm inflata ventorum fœtu, nascitur, turbo est, id est, ventus rapidus, rapax, vorticosus, qui siue terras, siue fluctus inuadat, omnia sternit, circumagit & rapit, & sicut è semẽte multiplicatus redditur fructus, sic è seminato vento multiplicatus ventus nascitur. Et hic est turbo, qui a Græcis dicitur δῖνος, qui conuoluens sese, & actus in gyrum violentissimo impetu, quocunque incumbit, solùm nudat siue ab arborum vmbra, siue ab ædificiorum mole.

Peccati fructus.

Seminarunt igitur Israelitæ, dum idola colunt, euanida, & quasi à vento corrupta semina, 22. ex quibus nullum tulerunt tantæ operæ pretium: tulerunt tamen turbinem, qui seminati venti prouentus est, id est, si humana spectes, famem, cædes, exilium, ignominiam, illa denique, quorum ingenuos animos pudere debeat. Sed præcipuè dicuntur messuisse turbinem, quia in varias regiones dissipati sunt, non secus ac turbine dissipantur stipulæ. De quibus Apostolus, *Quem fructum habuistis eorum, in quibus nunc erubescitis.* Si verò interiora, angorem animi, morum corruptelam, odium non apud Deum solum, sed etiam apud homines, hic planè turbo est conglobatus ab illo vento, quem tanto studio, atque labore seminarũt. Neque sanè quis sperare potest fructum, nisi quem stirpes, aut semina naturæ vi generant, ac fundunt. Audi Apostolum ad Galat. 6. v. 8. *Quæ seminauerit homo, hæc & metet: quoniam qui seminat in carne, de carne metet corruptionem, qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.*

Culmus stans non est in eo, germen non faciens farinam.] Explicatio est superioris clausulæ, quæ 23 alium fructum ex seminato vento negat, præter turbinem. Si euanidum est semen, sanè neque radices aget, neque ex se herbescentẽ viriditatem emittet, aut culmum, aut stipulam, quæ assurgat è terra, certè farinæ expectatio non erit ex euanido semine, quæ laborem compenset agricolæ, & esurientem reficiat. Culmus in segete stipula est, quæ nodis, quasi quibusdam geniculis distinguitur, firmatúrque: germen spica est, vt ait Hieronymus, quæ aut grana non pariet, aut sanè erunt eiusmodi, vt ad molam afferri non possint, quia in illis farinæ nihil clauditur, ex qua panis subigatur.

24. REGVLA. *Aliquando res ab hominum existimatione falsa nomẽ assumunt.*

Quod si fecerint, alieni comedent eam.] Interdum aliquid nomen illud habet, quod dat hominum existimatio, licèt aberret à veritate longè, quomodo sapientes dicuntur, quos ita vulgus iudicat, licèt in illis neque minimum deprehendatur sapientiæ; quales erant illi de quibus Christus

Digitized by Google

ſtus Matth. cap. 11. *Qui abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.* Sic dij vocantur Gentilium ſimulacra, quia ſic exiſtimat, appellátque deluſa gentilitas. Sic puto appellari fructum aliquem ex euanido ſemine, quia aut hi, qui ſeminarunt, aut alij, qui lippientes, aut cæcos oculos afferebant ad ſtultam illam, infrugiferámque ſementem, fructum ibi aliquem videre ſe putabant. Si ergo fructum aliquem ſaltem iuxta hominum iudicia ſtulti illi ſatores cepiſſe ſe putauerint, illum alieni comedent: quià ſi humana conſideres commoda, omnes illorum opes abſtulerunt Aſſyrij; ſi aliquæ ſpiritualium bonorum ſpecies, (nam bonum aliquod verum, & ſolidum ex euanido ſemine non oritur) illam dæmon capit, cui ager ille infelix laborat, & parturit. Audi Gregorium optimè ad mores lib. 8. Moral. cap. 25. *Culmus*, inquit, *germen non habet, cùm vita meritis virtutum caret. Farinam culmus non facit, cùm is, qui in præſenti ſæculo proficit, nil ſubtilitatis intelligit, nullum boni operis fructum reddit; ſed ſæpe & cùm fecerit, hanc alieni comedent. Quia cùm bona opera hypocrita oſtendunt, de his malorum ſpirituum vota ſatiantur. Qui enim per hæc placere Deo non appetunt, nequaquam agri Dominum, ſed alienos paſcunt.*

Sementis à peccatore facta fructū capit damō.

25. Verſ. 8. *Deuoratus eſt Iſrael: nunc factus eſt in nationibus quaſi vas immundum.*] Præteritum adhibet pro futuro, quia certiſſima ſunt, quæ denuntiantur mala, aut ventura quamprimum; has enim ob cauſas præteritum pro futuro Scriptura vſurpat. Niſi dicamus, quod mihi incredibile non eſt, quo tempore hæc ab Oſea dicebantur, iam cœptam eſſe Iſraelitarum diſperſionem, & eò bonam illorum partem eſſe redactam, vt & bona amiſerit paterna, & tanquam vas impurum viliſſimis miniſteriis addictum.

26. *Vas immundum* prouerbiali ſpecie pro re ſumitur ſordidiſſima, quod ea videlicet excipit, aut ſeruat, quæ ipſa horret, & excernit natura, qualis eſt laſanum, ſcaphium, aquariolum, matula, quæ onus excipiunt veſicæ, ac ventris. Hæ verò voces etiam apud Latinos abierunt in prouerbium, quo hominem deſpectum, & nihili matulam vocant. Hæc porrò accidiſſe Iſraeli, cùm eſſet in exilio, multa docent. In primis id ſæpe lamentatur Ieremias, dum deſpectos dicit illos, qui apud ſuos in honore fuerant, & denique amplexatos fuiſſe ſtercora; quod non longè abeſt ab ſcaphio. Sanè cùm eſſent aliquandiu pòſt à Romanis paſſi non diſſimilia, purgandi ſtabulis, & extrahendo ſtercori ſordidam operam nauabant; tota enim illorum ſupellex erat, cophinus & fœnum, in hoc decumbebant; in illo ſuam artem, & miniſterium venditabant, de quibus Iuuenalis ſatyr. 3.

PROVER. *Vas immundum pro re vili, ac ſordida.*

Iudæorum vilis, miſeraque conditio.

———*Delubra locantur*
Iudæis, quorum cophinus, fœniúmque ſupellex.

Hunc autem eſſe cophinorum vſum, docet Auguſtinus ad illud Pſal. 80. *Manus eius in cophino ſeruierunt. Per cophinum*, inquit, *ſignificantur opera ſeruilia, mundare ſtercora, terram portare.* Hoc vas Paulus vocauit in ignominiam. Porrò ex vaſe multæ ſunt apud Hebræos adagiales formæ. Vt, *vas inutile, vas contritum, vas perditum*, & ſimilia, quæ omnia affinia ſunt vaſi immundo.

27. Verſ. 9. *Quia ipſi aſcenderunt ad Aſſur.*] Docet vbi immundiſſimi vaſis miniſterium obierit Iſrael; apud Aſſyrios videlicet à quibus variis excurſionibus ſuperatus eſt, & in captiuitatem abactus. Ita Hieronymus, & Chaldæus, & plures alij è recentioribus. Cùm autem terra promiſſionis altior ſit, ab illa tamen aſcendere dicitur populus, cùm potiùs deſcendere dici debuiſſet: quia verbum *aſcendo*, & *deſcendo* ex Hebræorum vſu non ſemper reſpiciunt accliuitatem, ſeu decliuitatem locorum. 1. *Reg.* 29. *v.* 4. cùm ſerui Achis dixiſſent de Dauid, *Non deſcendat nobiſcum in prælium.* v. ſtatim 9. dixerunt iidem; *Non aſcendet nobiſcum in prælium*; vbi, vt vides, vtrunque verbum tantùm ſignificat *venire*. Et 1. *Reg.* 23. *v.* 25. cùm ad montem aſcendiſſet Dauid, in montem tamen deſcendiſſe traditur. *Statimque deſcendit ad petram.* Quare *aſcendere ad Aſſur*, nihil eſt aliud, quàm ad Aſſyrios proficiſci.

Deſcendo & aſcendo idem aliquàdo quod venio.

Fortaſſe ratio redditur cur gratia paſſuri dicantur Iſraelitæ, quia videlicet cùm in rebus anguſtis auxilium à Deo petere debuiſſent, confugerunt potiùs ad Aſſyrios, quorum præſidio tutos ſe ab omni periculo fore arbitrabantur: quo nomine ſæpe ſunt à Prophetis accuſati. Ita Theodoretus, Theophylactus, Rupertus, Montanus. Et facit valde quod poſtea dicitur ad Aſſyrios amatores ab Iſraelitis munera fuiſſe tranſmiſſa, quod ſanè à liberis potius, & florentibus, quàm à captiuis, & egentibus factum oportuit. 28.

Onager ſolitarius ſibi.] Hîc notam ſubaudi ſimilitudinis; quaſi dicas ſimilem fuiſſe populum onagro ſolitario, neque puto *ſolitarium* aliud importare, quàm explicationem nominis. Onager enim agreſtem aſinum ſonat, qui eo ipſo ſolitarius dicitur, quia in ſolis locis, id eſt, in deſertis, atque ſylueſtribus moratur. Qua verò in re populus onagri exprimat mores, & ingenium, obſcurum eſt. Sanè in onagro plurima videmus, quæ & ipſa turpia ſunt, & his in Iſraelitico genere deprehenduntur affinia. Primùm onager agreſtis eſt, & ferus, quem perſequuntur omnes; & contrà ille infeſto animo perſequitur alios, cum quo *Gen. cap.* 16. confertur Iſmael: vbi enim vulgatus v. 12. *hic erit ferus homo: manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum*, Heb. eſt, *Onager inter homines.* Onager deinde laſciuus eſt, & in Venerē impotens, de quo Ierem. cap. 2. v. 24. *In deſiderio animæ ſuæ attraxit ventum amoris ſui.* Eſt denique ſuperbus, & impatiens iugi. Iob 11. v. 12. *Vir vanus in ſuperbiam erigitur, & tanquam pullum onagri, ſe liberum natum putat.* Deinde inuidus eſt, & zelotypus, & vſqueadeò in Venerem furens, vt in rabiem agatur, etiam in proprios filios: quaſi riuales forent, quos execat dentibus, & quoad ipſe poteſt, pruritum ad libidinem adimit. Ita Oppianus *lib.* 3. *Cyneg.* Ego in his omnibus aliquid obſeruo, quod huic Hebræorum generi à Prophetis ſæpe, & vehementer obiicitur. Quòd iugum non ferat, dixit Ieremias cap. 2. v. 20. *A ſæculo confregiſti iugum, rupiſti vincula, dixiſti: Non ſeruiam.* De reliquis ſuprà cap. 4. v. 2. *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt*, & de libidine, qua præcipuè exæſtuare exiſtimatur onager, eſt illud cap. 7. v. 4. *Omnes adulterantes quaſi clibanus ſuccenſus à coquente.*

29. *Onagri proprietates.*

30.

Cur dicatur onager *ſolitarius ſibi*, incertum fortaſſe, quia, vt paulo antè dicebamus, in ſolitudine moratur, & ſyluis, vſu autem hominum loca ab hominum frequentia vacua ſolitaria dicuntur, aut ſolitudo. Nam non eſſe ſolùm, ſed potiùs marem frequentibus fœmellarum gregibus ſtipari, auctor eſt Oppianus, & Solinus *cap.* 30. ait ſingulos onagros gregibus imperitare fœminarum, timereque, ac curare vehementer, ne quis riualis

31. *Onager libidinoſus & zelotypus.*

riualis sit, ac libidinis æmulus. Ex his ego colligere posse videor cur solitarius vocari possit onager. Non sanè quia solus incedat, cum numerosos potiùs secum circumferat fœminarum greges, sed quia nullum ex suo sexu patitur, qui fœminas ineat, & illarũ secum congressum dispertiat. Est igitur solitarius nõ ab onagrarum, sed ab onagrorum consuetudine. Vsqueadeò verò solus esse vult è masculino sexu, vt filios masculos aut extinguat, aut effœminet. Ita Oppianus. *Onagri*, inquit, *magna fœminarum multitudine gaudent: quoquo maritus ducit fœminæ sequuntur, siue is ad pastiones, siue ad fontes proficiscitur: atque ad vesperã vnà cum ipso ad domesticam sedem redeunt. Ex æmulatione, & riualitate tãtopere laborat, vt sui pulli de matre sint ei suspecti. Itaque fœmina parienti proximus assistens partum expectat; ac si fœminã ediuit, amat partum, & lambens ipsum lingua conformat. Sin autem editum marem videt, tunc animo incitatur, & ex ægritudine laborare incipit, quod alter mas natus sit, qui matre aliquando potiri possit. Quamobrem furenti animo, & prompto pullorum testiculos aggreditur abscindere. Mater etsi pariendi doloribus debilitata, suo tamen infelici filio; contra parentem auxiliari molitur.* Hæc Oppianus, ex translatione Petri Gellij. Idem Solinus docet cap. 30. *Africa*, inquit, *onagros habet, in quo genere singuli imperitant gregibus fœminarum æmulos libidinis suæ metuunt, inde est quod grauidas suas seruant, vt in editis maribus, si qua facultas fuerit, generandi spem morsu detruncent, quod cauentes fœminæ in secessibus partus occulunt.* Hæc eadem Plinius *lib. 8. cap. 30.*

32. Hæc explicatio mihi difficilis non est, quòd nempe solus esse velit populus, & dominari sine consorte, sicut onager vllum in suo regno consortem habere non vult: quod de eodem Israelitico genere dixit Isaias cap. 5. v. 8. *Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vsque ad terminum loci. Nunquid habitabitis vos soli in medio terræ.* Et fauet illud *sibi* additum *solitario*: nam licet paragogicè sumi possit, & hoc mihi maximè probetur, quod apud Hebræos sæpe (vt in commentariis in Cantica diximus ad illud cap. 1. *si ignoras te*) tamen ipse loquendi modus indicat onagrum nullum sibi velle in suo illo syluestri regno socium habere. Quod aliis etiam animantibus esse commune, rerum naturalium obseruarunt historici.

33. His ego addo aliquid de onagro, quod Israelitarũ statui maximè congruit, & est ad mores opportunum maximè. Nasci onagros, de quibus proximè in Africa, ibique illorum magnam esse venationem & copiam, docent Solinus, & Plinius suprà. Qui cùm dixisset, *Africa asinorum syluestrium multitudinem fundit*, addit quod nuper de illorũ in filios crudelitate produximus. Quare dũ asini nominãtur Africani, Mauritanij, seu Maurisij, hi planè onagri esse intelliguntur. Sed audi quid de his Africanis, seu Maurisiis asinis dicat Ælianus lib. 14. cap. 9. de histor. animal. *Maurisij*, inquit, *asini primùm vt se in viam dederunt, incredibiliter incitata celeritate iter conficiunt, vt euolare, non excurrere videantur. Deinde eos cùm fessos de via & pedes & spiritus deficiunt; & pedum tarditatem ad currendum constricti insistunt. Et acerrimas profundunt lacrymas non tantopere (meo iudicio) ob futuram mortem, quàm ob pedum infirmitatem, quare vt captiui ad equos alligati trahuntur.* Hæc Ælianus; vbi expressam vides Israelis imaginem, qui cùm nimis immatura festinatione ad gloriam, seu ad negatam voluptatem properaret, defecit tandem & viribus, atque spiritu cadens, constrictus ad hostes non iam amplius liber, & strenuus adducitur. De onagro soluto priùs, deinde constricto, vide Gregorium præclarè ad mores *lib. 10. Moral. cap. 15.* ad illud Iob cap. 11. *Et quasi pullum onagri se liberum natum putat.* Sed credo, quicquid de onagro sentiãt ceteri, in eo spectari similitudinem, quia nõ aliter Israelitæ confugerunt ad Assyrios, dederúntque numera, quàm si essent, sicut onager, soli, & ab omni præsidio destituti.

Præmatura celeritas onagro noxia.

Ephraim munera dederunt amatoribus suis.] Amatores vocat alienos populos, quos sibi mercede, ac fœdere coniunxit, vt se eorum auxiliaribus copiis aduersùs omnem casum communiret, vt habes de Manahem 4. *Reg. cap. 15. v. 19.* qui Phuc regi Assyriorum pendebat quotannis mille argenti talenta, *vt esset ei in auxilium, & firmaret regnum eius.* Quod item faciebat Osee filius Elam, qui quotannis certam pecuniæ summam Salmanassari tributi nomine pendebat 4. *Reg. cap. 17. v. 3.* Hos amatores vocat Ephraim, quia non aliter eos in amore, & fide retinere cupiebat, quàm qui amat, alios conciliare, & tueri illorum amorem muneribus studet. Quod ideo fortasse fecerunt studiosiùs, quia sicut onagros, solos se putabãt, & nudos ab auxilio. 34.

Vers. 10. *Sed & cum mercede conduxerunt nationes, nunc congregabo eos.*] Eosdem, quos sibi auxiliares mercede conduxerat Israel, habebit inimicos, & manus, quas in se futuras putabat amicas, & contra hostes suos muneribus emerat, armaueràtque, non multo post experietur hostiles: congregabuntur enim omnes, & conspirabunt, vt perdant Ephraim. Illud *congregabo eos*, aliter exponit Hieronymus, Theodoretus, & Haymo. Ait enim, cùm mercede conductæ fuerint nationes, tunc esse congregandos Ephraimitas, non vt cum aliis pugnent, sed cum illis, quos mercede è suis finibus asciuerant, non tam vt defenderent, quàm vt oppugnarent; quare cogentur ipsi congregari in vnum, vt se, ciuitatesque suas muniant, ac defendant contra illos, in quorum se fidem, & societatem dederant. Sed est, meo iudicio, solutior explicatio prior, quam probant Rupertus, Vatablus, Montanus, & Figuerius. Quod in casu simili de duobus tribubus dixit Ezechiel cap. 16. v. 37. *Ecce ego congregabo omnes amatores tuos, quibus commixta es, & omnes, quos dilexisti cum vniuersis, quos oderas, & congregabo eos super te vndique, & nudabo ignominiam tuam coram eis.* Idem Isaias *cap. 7. v. 20.* eundem populum malè vexandum dicit ab Assyriis, quos pro se priùs mercede conduxerat. *In die illa radet Dominus in nouacula conducta in his, qui trans flumen sunt in rege Assyriorum caput, & pilos pedum, & barbam vniuersam.* Sensus est prorsus idem, licèt modus loquendi paulo diuersus. vide quæ nos in eum Isaiæ locum adduximus. 35.

Israel mercede sibi malum accersiuit.

Et quiescent paulisper ab onere regis, & principum.] Scripsit, credo, hæc Oseas eo tempore, quo Oseæ tributa negauit Salmanassari Assyriorũ regi, aut certè spectabat tempus illud, quo, Osee Israelis rege rebellante, populus à pendendo tributo paululum requieuisse videbatur. Paulo etenim postquam Assyriorum iugum è suis ceruicibus excussit, & patriam, & libertatem perdidit, vt habes *lib. 4. Reg. cap. 17. v. 4.* Cessabunt itáque paulisper ab onere, succedet autem onus longe grauius, exilium, seruitus, ignominia, præ quibus alia, quæ priùs censebantur onera, leuamentum potiùs oneris censeri poterant. Alij paulo aliter hæc explicant, dicúntque cessaturum esse onus 36.

illud

illud, quod antè Ephraim grauissimum putabat, cùm durum tributum quotannis dependere cogeretur Assyriis; quia mala succedent vsque adeò grauia, vt priorum malorum obliuionem inducant. Sic enim vsu euenit, vt in duorum malorum, seu dolorum congressu illius tantùm recordemur, illud lugeamus, quod grauius vrget, & illius exulcerat præcordia, illius obliuiscamur, quod alterius comparatione instar obtinet nihili: iuxta illud tritum, *dolor est medicina doloris*, dolor nempe grauior, leuioris sensum aut minuit, aut tollit. Sed posterior hæc explicatio licèt aliquid videatur acuminis habere, re tamen vera durè accommodatur ad textum.

37. Vers. 11. *Quia multiplicauit Ephraim altaria ad peccandum, factæ sunt ei aræ in delictum.*] Quæcumque Israel futura sibi existimabat præsidia, dãno fuerunt, & fraudi; conduxerat mercede Assyriorum auxilia, sed perinde fuit, atque si nouaculam conduxisset, quæ quicquid erat opum, virium, atque ornamenti desecaret. De qua Isaias *cap. 7. v. 17.* deorum quoque Gentilium auxilium asciuerat; eorum sibi gratiam conciliatum iri putabat muneribus, sacrificiis, & vbique locorum excitatis altaribus, sed planè erant vmbræ quædam, & moles sine mente ac sensu, à quibus id consecutus est insanus populus, vt augeret peccata, & eius, quorum potentiã timere debuisset, aut in ea spem suã, & auxilium locare, furorem exacuerit.

38. Vers. 12. *Scribam ei multiplices leges meas, quæ velut aliena computatæ sunt.*] Vt variè locus iste transfertur, sic etiam ad varios sensus patet. Hieronymus quasi dubitabundum inducit Deum, secúmque deliberantem, quomodo populum à supplicio vendicet, & ad sanitatem, & officium reducat. Et clausulam istam cum interrogatione concludit, ac si dicat: Scribámne leges alias præter eas, quas olim per Moysem tradidi? Sed quid proderit nouas scripsisse leges, cùm veteres contempserint? nunquid nouas maiori studio, ac religione suscipient, quàm suscepere veteres; quæ apud illos nihilo plus habuere ponderis, quàm alienæ? Cum Hieronymo sentiunt frequẽtes alij. Alij huic Hieronymi sententiæ aliquid admiscent ironicum, quasi Deus suum consilium reprehendat, quòd laboret de corrigendis Israelis moribus, cùm tamen ipsi nihilo idcirco futuri sint meliores; qualia multa reperies apud profanos, & sacros scriptores; tale est illud Maronianum,

En queis consevimus agros?
Insere nunc Melibœe pyros, pone ordine vites.

Et illud tritum, *Ale luporum catulos, & canes, qui te lanient.* Quem animi affectum hoc ferme modo explicant Latini, *I nunc, & ventis animam committe. I nunc & asino trade lyram*, & similia. Ex sacris est illud Isaiæ cap. 26. v. 11. *Misereamur impio, & non discet iustitiam facere.*

39. Huic expositioni bellè consentit, quod proximè sequitur. *Hostias offerent, immolabunt carnes, & comedent, & Dominus non suscipiet eas.* Ac si dicat, non plus in nouis, quàm in veteribus præceptis, aut religionis inuenient, aut vtilitatis capient, vt enim offerebant hostias non tam vt placerent Deo, quàm vt sibi ex illis victum pararent, (quare illæ tanquam alienæ, vanæ, & ab omni pietate vacuæ repellebantur à Domino) sic planè facient, si qua recèns illi mandata præscribam. Si quid enim fecerint, suam sibi commoditatem, & gloriam, non meam mihi voluntatem, & gloriam captabunt. Placet hæc expositio

præ omnibus aliis, quæ variæ à variis afferuntur.

Nihilominus non displicet Rufini sententia, quam probat Ribera, quæ in legibus supplicia à legibus decreta cognoscit. Scripsit autem leges Deus puniendo reos violatæ legis: quando supplicium transgressoribus imposuit, quod à lege iam olim fuerat definitum. Vide *Deut. cap. 28. à versu 15.* vbi expressa sunt omnia, quæ populus subiit propter contemptam legem. Neque nouum est vt tam vir sanctus, quàm impius à lege punitus leges dicantur viuæ; qui aliquid aliis præscribant, quod vel amare, & sequi, vel horrere, ac declinare debeant. Quòd vir sanctus, quíque iuxta legem vitam suam informat, dicatur lex viua, & suis moribus, quasi renouata lex edicat aliis quid facto opus sit, quid lex, quid Deus, quid religio velit, indicat Paulus dum discipulorum suorum mores suam vocat epistolam, quia non minus informati ab Apostolo Corinthiorum mores docent salutis, & perfectionis viam, quàm Pauli Epistola. Sic autem ille ad Cor. Epist. 2. cap. 3. *Epistola nostra vos estis scripta in cordibus nostris, quæ scitur, & legitur ab omnibus hominibus, manifestati quòd epistola estis Christi ministrata à nobis.* Accõmodatè ad hæc Augustinus *libro uno de mẽdacio ad Consentium, cap. 15. tom. 4.* ait Sanctorum vitam interpretationem esse Scripturæ sacræ, *Diuina*, inquit, *Scripturæ non solùm præcepta Dei continent, sed etiam vitam moresque iustorum, vt si fortè occultum est, quemadmodum accipiendum sit, quod præcipitur, in factis iustorum intelligatur.* Idem *sermon. 16. de verbis Domini, ad medium*, & Gregor. Homil. 10. super Ezechielem. *In sanctorum vita cognoscimus, quid in Scriptura legere debeamus.* Huic similia dixit Philo in libro de Abraham, vbi tradit legas scriptas vitæ Sanctorum esse commentarios.

40. *Sancti leges viuæ.*

41. *Sceleratus, à lege punitus lex est viua.*

Vt autem vir sanctus lex est viua, quæ vitæ modum, & rationem præscribit; sic etiã sceleratus affectus debitis suæ iniquitatis suppliciis lex item viua est, quæ aliis peccatorum grauitatem ostendit, monétque vt ab illis quàm longissimè absistãt. Explicuit hoc optimè Maro *lib. 6 Æneid.* vbi Phlegyam in mediis tormentis inducit, tanquam si lex foret viua, admonentem omnes, vt iustitiam colant, & Deum reuereantur, quandoquidem ipse quia legem, & pietatem prodidit, tam dura patitur.

——Phlegyásque miserrimus omnes
Admonet, & magna testatur voce per vmbras,
Discite iustitiam moniti, & non temnere diuos.

42. Quod Phlegyas iste clamabat in tormentis, id tacitus clamat suspensus è patibulo homicida, aut latro, aut eorum discerpta membra, & in viis ad aliorum terrorem, & exemplum proposita. Lex sanè erat iudicibus iniqui iudicis detracta pellis, & extenta in solio, vbi iudices considere soliti, vt in eo exemplo docerentur, quem tenere deberent in iudicando modum. Hanc legem proposuisse iudicibus Cambysem, auctor est Herodotus *lib. 5* Et idem refert *lib. 2. de Senacheribo* (hic autem fuit Senacherib, de quo *lib. 4. Reg. cap. 19.* cuius historiam corrupit, & fabulosè narrauit Herodotus) quem expressum esse tradit cum suæ cladis, & ignominiæ monumentis, cum hac inscriptione, ἐς ἐμὲ τις ὁρέων εὐσεβὴς ἔστω, *in me quis intuens pius esto.* id est, disce à me colere pietatem: ideo enim perij, quia aliquid contra pietatem aggressus sum. Sic ergo Israelitæ confecti plagis, & exilio sordidi propter peccata, leges quædam sunt, quibus Deus, & peccata damnat, & aliis edicit, vt à peccata caueant.

Digitized by Google

Aut certè renouat leges, quas contra peccatores iam antè tulerat, *Deut.28.* dum pœnas ibi propositas in peccatoribus apparere facit. Hæc dicta fuerint pro Rufini sententia; probo tamen magis, quam priori loco iuxta Hieronymi mentem adduxi.

Verſ.13. *Hoſtias offerent, immolabunt carnes, & comedent, & Dominus non ſuſcipiet eos.*] Hæc à nobis iam explicata ſunt in priori ſententia, num....

43. *Nunc recordabitur iniquitatis eorum, & viſitabit peccata eorum.*] *Recordor* practicam memoriam ſignificat, qua Deus aut peccata punit, aut merita compenſat. Quare recordari dicitur impiorum, cùm illos flagellando caſtigat; aut iuſtorum, cùm illis fauet, & ab impiorum fraudibus, aut potentia defendit. Viſitare præterea vox eſt ambigua, quæ aliquid indicat ab offenſo animo, ſeu etiam à beneuolo profectum. Vtrunque verbum hîc tam *recordor*, quàm viſito affectionem indicat ſæuientis animi, & aliquid durum contra Iſraelitas meditantis; cladem videlicet, exilium, & ſordes, & quæ miſeros comitari ſolent incommoda.

44. *Ipſi in Ægyptum conuertentur.*] Quidam hæc non de decem tribubus, ſed de duabus accipiunt, quæ Hieroſolyma ſubuerſa duce Iohana filio caret, in Ægyptum abierunt, vt docet Ieremias *cap.43.* quibus Dominus grauia per Ieremiam infortunia denunciat *capite ſequenti.* Ita quidam Hebræorum Magiſtri, in quibus ſunt Rab. Dauid, & Rab. Abraham. Sed planè locus iſte de Ephraim loquitur, vt facilè quiuis intelliget; tum ex hoc capite, tum etiam clariùs ex ſequenti *v.3. & v.6.* Quando ergo ſtat ſermonem hic tantùm eſſe de decem tribubus, agè iam explicemus in quem iſta ſenſum exponenda ſint.

45. Hieronymus duobus modis explicari poſſe affirmat, neque definit quid magis probet. *Reuertentur*, inquit, *in Ægyptum, vel auxilia poſtulantes, vel eoſdem colentes Deos, in quibus prius in Ægypto errauerunt.* Vtrunque verum eſſe probat Oſee regis Iſrael ſtultum planè conſilium; de quo *lib.4. Reg. cap.17.* cùm enim excutere vellet ex populi ceruicibus Aſſyrium iugum, legatos miſit auxilij fœderiſque gratia ad Suà regem Ægypti, quæ res illi, & regni iacturam attulit, & populo toti extremum infortunium. Seu certè in Ægyptum conuertendi dicuntur, quia illum inſtituent viuendi modum, quem in Ægypto tenuerunt: colent enim idola, ſicut olim fecerunt, cùm ſeruirent Ægyptiis in ipſa populi adoleſcentia. Id verò non obſcurè docet Ezechiel *cap.23. v.2.* vbi de toto Iſraelitico populo ſermo eſt ſub duarum ſororum meretricantium allegoria. *Fili hominis duæ mulieres filiæ matris vnius fuerunt, & fornicatæ ſunt in Ægypto, in adoleſcentia ſua fornicatæ ſunt: ibi ſubacta ſunt vbera earum, & fracta ſunt mammæ pubertatis earum.* Vbi duæ voces obſeruandæ, *fornicatio*, quæ in Scriptura idem eſt quod *idololatria*, & *adoleſcentia* ſeu pubertas, quæ ætatem adhuc teneram ſignificat, qualẽ populus ille in Ægypto poſuit. Et clariùs *cap.20. v.8.* vbi Dominus dicit voluiſſe ſe filios Iſrael in Ægypto delere, quia ibi coluerunt idola.

Iſraëlitæ in Ægypto coluerunt idola.

46. Sed facilior mihi videtur illa ſolutio, quam adducit Lyra, nempe propter peccata reuerſuros eſſe Iſraelitas in Ægyptum; quia talia breui apud Aſſyrios patientur, qualia ipſorum ante maiores apud Ægyptios; ſeruitutem nempe duram, miniſteria ſordida, & quæ minimè mores decent ingenuos. In hac porrò explicatione iuxta Hebræorum conſuetudinem ſubaudienda eſt ſimilitudinis forma, in hunc modum: eò adigentur ad Aſſyrios abducti, vt conuerſi videantur in illum ſtatum, quo apud Ægyptios eorum parentes olim perfuncti ſunt.

47. Verſ. 14. *Et oblitus eſt Iſrael factoris ſui, & ædificauit delubra.*] Sæpe Deus hanc rationem reddit, cur tam ſeueram, atque hoſtilem manum in populum extenderit, quia videlicet prodita religione vera amplexus eſt falſam, & recedens à templo, vbi offerri victimæ legitimè poterant, pro idolorum cultu excitauit aras, & delubra conſtruxit. Illud *&* cauſalem potius eſſe puto, quàm coniunctiuam particulam.

48. *Et Iudas multiplicauit vrbes munitas.*] Sicut Iſrael impudenter ſe contra impreſſiones hoſtiles communiuit, auxilio videlicet humano potius quàm diuino, ſic etiam Iuda illius mores, & ſtuporem imitata, in humano præſidio ſpem ſuæ ſalutis, ac libertatis collocauit. Quod exprobrauit Iſaias Iudæis cap.22. v.10. *Domos Ieruſalem numeraſtis, & deſtruxiſtis domos, ad muniendum murum. Et lacum feciſtis inter duos muros, & aquam piſcinæ veteris, & non ſuſpexiſtis ad eum, qui fecerat eam.* Hæc Iudæi hoſtibus oppoſuere præſidia, quæ non magis illis quàm Ephraimitis fuere præſidio; nec enim illi poſtea mitiora à Babyloniis, quàm Ephraimitæ paſſi ſunt ab Aſſyriis.

49. *Et mittam ignem in ciuitates eius, & deuorabit ædes illius.*] Ita planè contigit: nam, vt habes *lib.4. Reg. cap.25.* euerſa fuit à Chaldæis Hieroſolyma ſub Sedecia. Et vrbes omnes muratæ paulo poſt hæc verba ab Aſſyriorum rege Senacheribo captæ ſunt *ibid. cap.18.* & Iſaiæ cap.36. *Anno quarto decimo regis Ezechiæ aſcendit Senacherib rex Aſſyriorum ad vniuerſas ciuitates Iuda munitas, & cepit eas.* Hæc, puto, tempora ſpectat Propheta; neque enim videtur auertere ſermonem ab Aſſyriis, qui capti regionis illius vbertate, & ſpoliis opimis, quæ ſuperiores reges ex illa ſuſtulerant, redierunt ſtatim ſub Senacherib, vt quod reliquum eſſet bonorum euerterent. Hîc tu pro moribus obſerua, quàm ſint futilia præſidia omnia, quæ humana comparat poteſtas, & induſtria; vbi Deus alienum habet animum, quem ciuium, aut propugnatorum iniquitates auertunt. Quæ enim magis videntur ab arte, ſeu à natura munita, illa inſtar habent ſtipulæ in conſpectu flammæ. Peccatum nanque ſcintilla eſt; quicquid verò molitur humana ſolertia, ſtupa. Sic Iſaias cap.1. v.31. *Erit fortitudo veſtra vt fauilla ſtupæ, & opus veſtrum, quaſi ſcintilla, & ſuccendetur vtrumque ſimul & non erit qui extinguat.* Illum ignem dicit hic Dominus ſe miſſurum; quem nempe nos illius manibus peccando porreximus, qui ciuitates, & illarum ædes populatur, & vorat. Hæc de cap.8.

Omnis humana potentia abſque Deo infirma.

Google

IN CAPVT NONVM

ARGVMENTVM.

PROHIBET Deus, ne Israel, qui Deum antè cognouerat, illúmque parentem fuerat expertus, ad Gentilium exemplar in peccatis exultet. Deinde dispersionem in varias, dissitásque regiones denunciat: & ibi apud eos sordes, & interitum, à quibus in rebus angustis omne sibi subsidium promittebant. Causam deinde sordidi illius status, & vexationis eam esse dicit, quòd adeò se in omnem intemperantiæ, & peccandi licentiam proiecere, vt multiplici scelerum profunditate cum Gaabitis Sodomæisque comparari possint, & quod cùm ipse tam fuerit in ipsos, eorúmque parentes animo liberali, atque amanti, ipsi relicta patria religione, ad inania fœdaque simulacra deflexerint. Tandem sterilitatem, & orbitatem à liberis minatur, exilium longum, & nullum in nationibus domicilium stabile.

CAPVT IX.

1. *NOli lætari Israel, noli exultare sicut populi: quia fornicatus es à Deo tuo, dilexisti mercedem super omnes areas tritici.*

2. *Area & torcular non pascet eos, & vinum mentietur eis.*

3. *Non habitabunt in terra Domini: reuersus est Ephraim in Aegyptum, & in Assyriis pollutum comedit.*

4. *Non libabunt Domino vinum, & non placebunt ei: sacrificia eorum, quasi panis lugentium, omnes qui comedent eum, contaminabuntur: quia panis eorum anima ipsorum, non intrabit in domum Domini.*

5. *Quid facietis in die solemni, in die festiuitatis Domini.*

PARAPHRASIS.

A 1. NOli, ô Israel, ad Gentium similitudinem, & exemplar tam effusè lætari: neque enim fas est, geniales illum dies assumere, qui à Deo suo fornicando discessit. Quare tibi nullo concedendum est modo, quod Gentili populo, qui legem ignorat, videtur vtcunque tolerabile. Ego tibi de tritico nuptialique victu, atque alimento prouidi. Tu verò datam ab adultero exiguam, vilémque mercedem, areæ frumenti prætulisti.

2. Quare neque ex area deinceps frumentum accipies, quo vescaris: neque torcular tibi vinum exprimet, quod tuam expleat sitim: erit enim ager mendax, & vinea, quæ spem fallent tuam, téque ieiunum, & hiantem relinquent.

3. Non habitabunt diu in terra, quam Deus olim genti promisit Israelitidi. Abducentur enim ad Assyrios, vbi cibis vescetur immundis, & à lege prohibitis, quod perinde erit, atque si duram in Ægypto seruitutem subeant, qualem superiori memoria subierunt parentes.

4. Cessabunt tunc libationes, & victimæ: quia extra Hierosolymam offerri nefas. Et si alibi offerri contingat, illa Deus, tanquam sibi grata non admittet. Quòd si ante exilium in Solymitano templo, aut in exilio, alieno, atque profano loco offerre sacrificia tentauerint, eo mihi loco erunt, quo lugentium panis, qui abominabilis, & eos qui vesci volent, polluit, atque contaminat, etiãsi panis ille quem offeret Israel, ita fuerit ad victum necessarius, vt illo oblato necessariò illi pereundum sit.

5. Quis vobis erit animus? quod consilium? cùm in vestro dolore me sic habeatis inimicum, vt calamitatem vestram meã esse deputem solennitatem, & lætitiam, & in vestris ego lacrymis triumphem.

6. Ecce enim profecti sunt à vastitate: Aegyptus congregabit eos, Memphis sepeliet eos: desiderabile argentum eorum vrtica hereditabit, lappa in tabernaculis eorum.

A 6. Videre iam videor illos, qui ab Assyriorum vastitate, & ferro elapsi sunt, ad Ægyptios profectos, & ibi aut fame, aut ferro, aut dira vexatione sublatos, vbi pro perfugio, quod existimabant esse paratum, & pro hospitali domo, ac fide, ferrum & sepulturam inuenient, & hortos, ac domos, quam impenso sibi pretio compararant, lappa, & vrticæ, atque aliæ syluestres frutices occupabunt.

7. Venerunt dies visitationis, venerunt dies retributionis: scitote Israel stultum prophetam, insanum virum spiritualem, propter multitudinem iniquitatis tuæ, & multitudinem amentiæ.

7 Sustinui iam diu vltricem dexteram: aduenit tandem dies, in quo meritis peruicacis populi, non indebita rependam supplicia. Visitabo scelera, quæ adhuc dissimulasse, aut non vidisse ab stulto populo existimabar. Disce iam tandem, Israel, quanto in errore fueris, cùm verum Prophetam stultum appellabas, & illum insanum, quẽ diuinus afflabat spiritus. Tu verè, ô Israël, insanus fuisti, & ideo quia insigniter fuisti iniquus, & amens, illos insaniæ damnabas & amentiæ.

B

8. Speculator Ephraim cum Deo meo; propheta laqueus ruinæ factus est super omnes vias eius, insania in domo Dei eius.

8. Fuerunt quidem apud Ephraimitas speculatores, ac Prophetæ viri, qui cum Deo facerent, & eius mandata ad populum exprimerent. Fuerunt item falsi, qui dum fallaci blandimento populum lactant, omni ratione ac via in laqueum, & ruinam induxerunt. Hi verè fuerunt insani, neque enim in deorum suorum delubris quicquam præter insaniam discere potuerunt.

C

9. Profundè peccauerunt, sicut in diebus Gabaa; recordabitur iniquitatis eorum, & visitabit peccata eorum.

9. Ex verorum Prophetarum contemptu, falsorúmque suasu, eò impietatis proiecit Ephraim, vt in profundum peccatorum descenderit. Neque enim minus illius corrupti fuerunt mores, quàm Gaabitarum, atque adeò non minus, quàm illi seuerè puniuntur.

D

10. Quasi vuas in deserto, inueni Israel, quasi prima poma ficulneæ in cacumine eius, vidi patres eorum: ipsi autem intrauerunt ad Beelphegor, & abalienati sunt in confusionem, & facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.

10. Videte qualem mihi gratiam retulerit Ephraim. Ego eo studio atque auiditate complexus sum Israel, qua famelicus & deficiens viator vuas, in vasta solitudine. Neque aliter accepi populum, quàm accipi solent grossi, id est, prima poma ficulneæ, quæ auidè & cum voluptate vorãtur. Ideo verò hi mihi grossi tantopere placuerunt, quia in summo arboris Israeliticæ cacumine, tanquã maturos, & dulces grossos patris excreuisse vidi. Ipsi autem contempserunt me, & cum Priapo idolorum omnium spurcissimo, atque execrãdo maximè commutarunt. Ex quo id consecuti sunt, vt qui sacris interfuere turpissimis, ipsi etiam turpiter spoliati antiquis ornamentis patria, & libertate facti omnibus ludibrio, in confusionem abierint, non iam apud omnes minus abominabiles, quàm quæ in ea professione execrabili dilexerunt.

E

11. Ephraim 11. Quasi

Digitized by Google

11. Ephraim quasi auis auolauit, gloria eorum à partu, & ab vtero, & à conceptu.

A 11. Quasi auis à nido suo, sic auolabit Ephraim, & spoliabitur illa gloria, quam à filiis solent habere parentes. Aut steriles fœminæ non concipient, aut si concipient, fœtus extinguentur in vtero: aut si nasci contigerit, quia sicca erunt genitricis vbera, fame interibunt.

12. Quòd & si enutrierint filios suos, absque liberis eos faciam in hominibus: sed & væ eis cùm recessero ab eis.

12. Quod si ad ætatem vsque firmam adoleuerint filij, aut cadent immaturi, confecti gladio, aut in exilium à parentũ oculis abstrahentur, quòd parentibus proinde erit, atque si iam excessissent è viuis. Væ B illis! Heu quàm multa manent illos incommoda, cùm animum ab eis paternum auertero.

13. Ephraim, vt vidi, Tyrus erat fundata in pulchritudine: & Ephraim educet ad interfectorem filios suos.

13. Me patrono, & Israeliticæ gentis rationibus fauente, sic erat munitus Ephraim, vt Tyro non cederet, quæ pulcherrimam habuit, eandémque fortissimam munitionem. Sic tamen, cùm ab illo recessero, erit infirmus, & infelix, vt filios quos ad arcendum Assyriorum impetum armauerit, non tam ad aciem, quàm ad gladium eduxisse videatur.

14. Da eis Domine. Quid dabis eis? Da eis vuluam sine liberis, & vbera arentia.

C 14. Da illis, ô Domine, da, inquam, illis infœcundam vuluam, id est, concipiendo atque formando fœtui minùs idoneam. Da, si quando fœtum lucem aspicere contigerit, arentia vbera, & à lacte vacua, vt ab vtero filius translatus videatur ad tumulum.

15. Omnes nequitiæ eorum in Galgag, quia ibi exosos habui eos: propter malitiam adinuentionum eorum, de domo mea eiiciam eos: non addam vt diligam eos, omnes principes eorum recedentes.

15. In Galgalis fuit grauissima illorum iniquitas, & iniuria: quia cùm ibi magna à me beneficia recepissent, simulacris meam ibi memoriam, & religionem abiecerunt. D Propterea grauiter in illos animatus sum. Propter hanc illorum malitiam, & religionem ibi nefario atque insipiente consilio excogitatam, eiiciam eos procul à patria, neque iam iterum, sicut antea, diligebam. Quia principes illorum, quorum voluntatem & exempla turba sequitur imperita, à meis mandatis excesserunt.

16. Percussus est Ephraim, radix eorum exsiccata est: fructum nequaquam facient. Quòd & si genuerint, interficiam amantissima vteri eorum.

16. Percutietur igitur Ephraim, neque ad priorem gloriam vnquam redibit, sicut arbor quæ, vbi exsiccata est radix, neque fructus facit, neque viriditate, & flore rediE uiua reuertitur. Quòd si vt arbor germinat, ab ipsis filios procreari continget, charissimam illorum sobolẽ, ex hoc illam gladio hostili deuoueo.

17. Abiiciet eos Deus meus, quia non audierunt eum: & erunt vagi in nationibus.

17. Illos, ait Propheta, Deus abiiciet, quia eius præceptis se non præbuerunt obsequentes: & sic à suis sedibus excludentur, vt nullibi consistant, sed odiosi omnibus sedibus vagentur incertis.

Digitized by Google

Vers. 1. *Noli lætari Israël, noli exultare sicut populi, quia fornicatus es à Deo tuo.*]

1\. EXVLTABAT, vt apparet, Israel ad Gentilium ritus; instituebat ludos, atque tripudia ad aras, seu delubra Deorum, aut quia sic exigebant profani fasti; aut propter copiosos, atque felices terræ prouentus. Sanè Israelitæ ad montem Sina psallebant hilares, ducebántque choros ante vitulum, quem pro Deo sibi ex auro conflauerant, ea exultatione, ac strepitu, vt clamor putaretur militaris, de quo Exod. 32. v. 17. *Audiens autem Iosue tumultum populi vociferantis dixit ad Moysem: Vlulatus pugnæ auditur in castris. Qui respondit: Non est clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam, sed vocem cantantium ego audio. Cúmque appropinquasset ad castra, vidit vitulum, & choros.* Hæc, credo, fecerunt tunc Hebræi Ægyptios mores imitati; & sub hæc Oseæ tempora parentes suos imitati posteri, dum vitulorum suorum Gentilico ritu sacra peragerent. Hos ergo Deus ab insana lætitia, & impia religione deterret, neque vult illis cum Gentilium populis lætitiam illam communem; cáusque grauem rationem esse dicit, quia à Deo fornicando recesserunt. Quam verò vim habeat ista ratio, explorato opus est.

Israelis ludi ante idola & vitulos.

2\. *Quia fornicatus es à Deo tuo.*] Varia est interpretum, & multiplex expositio. Rab. Dauid, & Rab. Abraham eo saltem nomine dicunt non esse lætandum Israeli, licèt alia omnia succederent ex votis, quia Deum suum deseruere, cuius peccati tristis memoria animum, qui non omnino desipuisset, exulcerare perpetuò debuit. Quare iubet Deus ne lætetur sicut aliæ Gẽtes; quia illæ Deos suos, quantumuis vanos, atque fallaces nunquam prodiderant, & eo saltem nomine, quasi constantes forent, gloriari possent. Quod tamen arrogare non posset sibi populus ille tam parum in religione stabilis, qui noua quotidie numina aut fingit, aut ab aliis conficta impotenter arripit. Hoc certè Gentilium exemplo exprobrat Deus populo suo desideratam in suscepta religione constantiam. Ieremias cap. 2. v. 10. *Transite ad insulas Cethim, & videte, & in Cedar mittite, & considerate vehementer, & videte, si factum est eiusmodi, si mutauit Gens deos suos, & certè ipsi non sunt dii; populus verò meus mutauit gloriam suam in idolum.* Cum his sentit Figuerius.

3\. Alij ferme omnes cum Hieronymo, & Theodoreto putant non eo modo lætandum esse Israeli, quo Gentibus; quia Gentes, quia neque tam essent a Deo ad pietatem instructæ, aut nouis quotidie beneficiis ornatæ, non tam erant reprehendendæ, si in illam se vanam voluptatem effunderent, neque tam erant seuerè flagellandæ; at Israel, qui legem acceperat, Deúmque sibi proximum, & familiarem habebat, cùm ad idola difflueret, quid nòn timeret à Deo tam impudenter, & manifestè prodito? cur ex impiis ad impuras aras sacrificiis voluptatem caperet? *Ne gaudeas*, inquit Hieronymus, *ne læteris, nec putes te talem esse vt sunt cæteræ nationes: aliter enim nesciens Deum, aliter punitur recedens à Deo. Quia seruus, qui scit voluntatem domini sui, & non facit eam, vapulabit multis.* Hoc apta quadam similitudine explicat Rupertus. *Aliter*, inquit, *iudicatur adultera, quæ fornicando recedit à viro suo, atque aliter meretrix, quæ nulli fidem dederat, neque vnquam astricta fuerat vinculo coniugali. Tu virum Deum sortita fueras, & tali marito contempto dormiisti cum altero viro*, &c. Quare meretrix licet libidinis sit profusæ, ac vagæ, quia neminem timet, dies ducit geniales, & lætos: at adultera maximè si honestum habeat, & zelotypum virum, cùm ab illo extrema omnia timeat, neque lætari potest, neque animo esse à timore vacuo. Hæc posterior explicatio mihi potior est.

Ab eo qui plus accepit seuerius exigenda ratio.

A

Dilexisti mercedem super omnes areas tritici.] Multa hìc alij, quæ tibi promptum erit apud auctores suos legere. Ego dicam hìc breuiter, quod mihi magis videtur esse solutum. Egerat priùs Deus de Israele quasi de fornicaria, quæ gloriabatur, ac prædicabat se ab adulteris accepisse mercedem: cap. 2. v. 5. *Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum meum, oleum meum, & potum meum.* Hæc porrò mercedem suam appellat, quasi pretium prostituti corporis, vt ipsa fatetur fornicaria. v. 12. *De quibus dixit* (nempe fornicaria) *mercedes hæ meæ sunt, quas dederunt mihi amatores mei.* Deus autem, id est, verus, & legitimus sponsus, dedit illi aream frumenti, copiosam olei, vinique vindemiam. v. 8. *Et hæc nesciuit, quia ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum.* Ex his satis videtur aptè informari posse hæc sententia: Dedi ego tibi, ó adultera, ac inuerecunda sponsa, aream frumenti, quæ tibi in totam vitam ad cultum, victúmque sufficeret; nempe in annos singulos dotis nomine quindecim argenteos. Corum hordei, & dimidium item hordei, *cap. 3. v. 2.* præter alia nuptialia, atque opulenta munera, de quibus *cap. 2. v. 8.* Ipsa tamen tantis ingrata beneficiis, & castum torum, & legitimum ac liberalem sponsum cum nefario cubili, & turpi amatorum mercede permutauit. Hæc mihi facilia videntur, & sine vlla offensione. 4.

B

C

Vers. 2. *Area, & torcular non pascet eos; & vinum metietur eis.*] Hoc idem dixerat Deus *cap. 2. v. 9.* cùm eodem modo, quo nunc, amatorum suorum munera commendasset, *idcirco*, inquit, *conuertar, & sumam frumentum meum in tempore suo, & vinum meum in tempore suo: & liberabo lanam meam, & linum meum, quæ operiebant ignominiam eius. Aream* autem, & *torcular* pro vino, atque frumento sumi per metonymiam nemo, credo, nescit. Sanè hæc duo coniunxit 4. Reg. cap. 6. v. 27. Rex Israel, *vnde te possum saluare? de area, vel de torculari?* Hæc verò capitis huius cum altero Oseæ capite consensio magno mihi argumento est, veram esse explicationem, quam adduxi. 5.

D

Et vinum mentietur eis.] Vt *fallere* varios habet vsus, vbi à propria significatione transfertur, sic etiam *mentior*. De *fallo* tritum est, spem fallere, cogitationem, votum, & similia, quando aliter res accidit, quàm sperabamus, cogitabamus, cupiebamus; sic etiam *mentior* eosdem penè vsus habet. Promittit ager, imò promittit sibi aliquis ex agro vberes prouentus, exusta tamen, aut aliquo alio modo afflicta seges spem illam eludit, & hiantem deserit agricolam, tunc ager, aut seges mentiri dicitur. Quare vinum tunc mentitur vinitori, cùm spem prouentus maximi, aut hostium importunus aduentus, aut alia quæuis témporum iniuria præcidit. Eodem dicendi modo vsus est Abacuc cap. 3. v. 17. *Mentietur opus oliuæ.* 6.

E

Ager aut vinea mendax quid.

ua, & arua non afferent cibum. Quod item profanis vsitatum. Sic sanè Horatius lib. 3. carm. Ode 1.

Non verberata grandine vineæ
Fundúsque mendax.

Et contrà fidelem appellat agrum, qui quod recepit, aut promisit, bona fide refert. idem lib. 3. Ode 16.

Puræ riuus aquæ, syluaque iugerum
Paucorum, & segetis certa fides meæ.

Et clariùs lib. 2. epist. 2.

Verùm vbi oues furto, morbo periêre capellæ,
Spem mentita seges, bos est enectus arando.

7. Vers. 3. *Non habitabunt in terra Domini.*] Nempe in terra promissionis, quæ Domini dicitur, tum quia à Domino præ omnibus electa, vbi populum suum tanquam in proprio domicilio locaret. Tum quia ipse debellatis habitationibus antiquis in illam populum induxit.

8. *Reuersus est Ephraim in Ægyptum.*] Quo sensu hæc sint intelligenda, explicuimus *cap. 8. v. 13.* ad illud, *Ipsi in Ægyptum conuertentur*, neque aliquid addo, quia eadem vtrobique ratio.

9. *Et in Assyriis pollutum comedit.*] Captiuitas, credo, ac seruitus hoc dicendi modo significatur. Qui enim sui iuris sunt, etiam inter alienos, qui religioni, legibúsque dissimillimis addicti sunt, suis tamen legibus, atque arbitratu viuunt, cibis vtuntur à lege, aut consuetudine permissis: sic Iudith, quia libera erat, in Assyriorũ castris suis vescebatur cibis, quos secum adduxerat ex Bethulia, ne cibo vesceretur polluto. Sic Daniel, & tres alij pueri in regia domo, ne se Gentilicis polluerent eduliis, legumina elegerunt, & purã aquam. Quomodo verò Gẽtilium mensa, & ad illam adducti cibi polluti dicantur, seu immundi, diximus in nostris commentariis in Danielem *cap. 1.* quia nempe aut illos Iudæorum religio prohibebat, aut quia idolis priùs immolati, qui dicuntur εἰδωλόθυτα, aut quia Gentilico ritu, & certis, quibusdam ceremoniis consecrati. Talibus autem cibis necessariò penè pascendi captiui, quia neque auarus dominus, & qui Iudæorum religionem non admodum curaret, alios præberet, quàm quos suæ familiæ ex veteri instituto parare solitus, neque ipsi tam erant legis obseruantes, vt ideo confici vellent inedia.

Cibi polluti qui.

10. Hæc mihi non improbabilia, sed fortasse immundi dicuntur, atque polluti cibi, qui ex immunda, viliquè materia parati sunt; aut qui aliquid tetigerunt immundum. Quales erant panes illi quos ex faba, hordeo, lente, & milio subegit Ezechiel, quósque humano stercore tegere iussus est *cap. 4. v. 13.* Cui dixit post hæc Dominus: *Sic comedent filij Israel panem suum pollutum inter Gentes, ad quas eiiciam eos.* In hanc sententiam magis inclinat animus, quia hi polluti dicuntur cibi, quibus in exilio sustentandi dicuntur apud Babylonios Iudæi; neque mitius, aut splendidius Israelitæ apud Assyrios habuerunt exilium.

11. Vers. 4. *Non libabunt Domino vinum, & non placebunt ei.*] Cùm in hunc locum incurrerem, addubitare cœpi, an Hebræi ante cibum aliquid legitimum aut sacrum præmitterent, vt sacrarent mensam, quod nos facimus modò, & in hunc plurimi vsum certam habemus formam ab Ecclesia præscriptam; in quam cogitationẽ ideo adducebar, quia id apud Gentiles vsitatum esse, & quasi legitimum videbam. Sanè ita fecit, ex solemni, absque dubio, Gentium ritu, Dido apud Virgilium, lib. 1. vbi ante cibos Deorum præmittuntur nomina, & imploratur fauor.

Sacrandi mensam cõsuetudo apud Gentes.

——— Tum facta silentia tectis
Iuppiter hospitibus, nam te dare iura loquuntur,
Hunc lætum Tyriísque diem, Troiaque profectis
Esse velis: nostrósque huius meminisse minores.
Adsit lætitiæ Bacchus dator, & bona Iuno.

Hoc idem docet *lib. 4.* vbi Iarbæ nomine docet in mensa Iouî vinum libari. Deinde, quia apud Hebræos lex erat vt sumptis cibis Deo bonorum omnium largitori agerentur gratiæ. Deut. cap. 8. v. 10. *Cum comederis, & satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo pro terra optima, quam dedit tibi.* Hoc sanè præceptum *Matth. cap. 26.* Christus impleuit, qui peracta cœna hymnum cum discipulis cecinit, hauddubie ἀντίδωρον, id est, in gratiarum actionem, vt pluribus ostendimus super Isaiam ad illud cap. 5. *Opus Domini non respicitis.* Ex his ego hanc sententiam informari posse existimabam. Non esse de more ab Israelitis sub alieno dominatu libandum Deo vinum, aut offerendos in mensa cibos; sed potiùs aut offerendos idolis Gentilium ritu, aut à Gentilibus oblatos, esse sumendos.

Item apud Hebræos.

Alij variè interpretantur, à quorum sententiis libens abstineo, tantùm dicam, quid visum sit Hieronymo, quia cum illo sentiunt frequentes alij. Ille autem existimat non iam ampliùs ab Israele libandum esse vinum (in quo, puto, per synecdochem alia intelliguntur sacrificia) quia cùm extra templum offerri non liceret, omnino, quandiu forent apud extraneos, erant intermittenda. Atque ideo siquid, contra quàm à Deo esset definitum, immolaretur, aut libaretur extra templum, illud non poterat esse non ingratum, quia contra legem. Sacrificarent igitur potius dæmoni Gentium more, quàm Deo iuxta patriam religionem; quæ vnum destinauit locum altari, ac sacrificio. In hunc ferè modum Hieronymus. Cuius sententia ideo mihi probatur minus, quia etiam ante captiuitatem non poterant decem tribus sacrificare legitimè ac sanctè, quia neque in suis finibus habuere templum, neque ad illud in quo tantùm sacrificari religio permittebat, accedere sinebant homines religiosos, & pios, illi penes quos erat summa reipublicæ, vt diximus *cap. 5. v. 2.* ad illud, *Quoniam laqueus facti estis speculationi, & rete expansum super Thabor.* Sed est nihilonimus hæc explicatio potior, & cõstabit statim *num. 14. & 16.* 12.

Mihi non displicebat quod visum est Riberæ, rationem ostendi cur Dominus tam grauiter statuerit de populo, quia videlicet illius sacrificia ac libamenta non eo animo fiebant, vt placerent Deo, sed vt sacrificiorum occasione sibi victum pararent. Notum est mediocriter in Scriptura versatis, bonam victimarum partem ad illos pertinere, qui rei sacrificali operam darent. Hi verò, quo magis abundarent pro alenda familia rebus necessariis, sacrificabant libenter, non quo placerent Deo, sed quo sibi ac suis, non ad vsum solùm necessarium, sed etiam ad voluptatem indulgerent. Quod Deo non poterat esse non molestum, cùm rem omnino sacram, quæque finem aliquem sacrum spectare debuit, seruire fecerint profano compendio. Hoc idem dixerat cap. 8. v. 13. *hostias offerent, immolabunt carnes, & comedent, & Dominus non suscipiet eos;* quia videlicet illæ non tam diuinæ voluntati, quàm sacrificantium abdomini seruiebant. Sed sanè hæc sententia eodem laborat incommodo, quo superior, quia Israel, id est, decem tribus, quas videntur hæ 13.

minæ designare, neque sacrificabant in templo, neque si hostias vitulis, aut aliis Gentium idolis immolarent, ex illis iuxta Gentium ritus ad eos ex lege pars hostiarum aliqua pertinebat.

14. Sane res est obscura, & quocunque verses modo, aliquid habet impeditum. Ego sic videbar ista posse componere, si facerem decem tribus agnouisse errorem antiquum, quem à Ieroboami temporibus imbiberant, & quo impendens sibi periculum effugerent, statuisse parentum more in Solymitano templo offerre sacrificia, quæ vini libatione significantur. Quæ tamen Deus affirmat futura sibi non iucunda. Id mihi colligere posse videor, quia idem affirmasse videbatur, cap. 8. v. 2. *Me inuocabunt Deus meus, cognouimus te Israel.* Quòd si dicas decem illas tribus, malis edoctas resipuisse, voluisseque iuxta præscriptas à Moyse leges sacrificare; Deúmque dicere illa libamenta nequaquam sibi placitura, quia in legitimo loco oblata non sunt, tunc facilis videtur Hieronymi, communiórque sententia: cessat enim illa ratio, quam suprà dicebamus incommodare expositioni illi.

15. *Libatio quid propriè.* Hic porrò obseruandum primùm vinum in sacrificiis infundi solitum, quod constat ex *lib. Numer. cap. 15, à v. 4.* vbi edicitur quantum vini in singulis sacrificiorum generibus impendi debeat; deinde notandum, licèt apud Latinos verbum *libo* ad res quæ adolentur, & cremantur, quoquo modo pertineant; tamen in Scriptura sacra rebus tantùm accommodatur liquidis, quæ effunduntur è phialis, ab exemplis abstineo, quia passim occurrunt. Vide, quæ diximus in nostris commentariis in Ezech. *cap. 44. n. 63.*

16. *Sacrificia eorum quasi panis lugentium: omnes qui comedent eum contaminabuntur.*] Hæc mihi minus difficilem reddunt explicationem illam, quam posteriori loco produximus; de sacrificiis decem tribuum, quæ vel in templo ante captiuitatem, vel in exilio iam captiuæ immolare, seu libare tentabunt. Quæ sacrificia, ait Dominus, sibi eo loco, atque ordine futura, quo panis lugentium, qui abominabilis est, & eiusmodi, vt omnes qui illo vesci volent polluat, atque contaminet. Nunc verò quis sit iste lugentium panis, & cur censeatur immundus, exploremus.

17. *Luctus pro mortuorum exequiis.* *Lugere* in Scriptura sacra non solùm est ex animi contracti mœrore, aut eiulatus edere, aut lacrymas effundere; sed interdum, idque non infrequenter est honorem funebrem defunctis impendere, vt docet Hieronymus epist. 25. ad Paulam de obitu Blesillæ. *Planctus,* inquit, *magnus non in plangentium exanimatione, sed in pompa funeris, & exequiarum frequentia intelligendus est.* De hoc luctu, parentalique cibo vide plura in nostris commentariis super Ezechielem ad illud cap. 24. *Mortuorum luctum non facies.* Hunc panem Hieronymus περίδειπνα vocat; hæ verò parentales cœnæ sunt, quæ in parentum, aut aliorum mortuorum funeribus exhibentur, quas etiam apud Hebræos obiri solitas docet locus proximus Ezechielis, vbi nos plura.

Cœnæ funebres apud Gentes, & apud Hebræos.

18. *Quæ ad mortuos pertinent, polluta.* Præterea quæcunque ad mortuos pertinent esse polluta, & ab illis alios contaminari, docet hic Hieronymus, dum ait, *Non solùm, qui obtulerit, sed etiam, qui comederit de eiusmodi cibis, immundus erit.* Plura in hanc sententiam Haymo, vnde tamen desumpserit non video. Sed quòd omnia, quæ mortuos attigerint, aut mortuorum causa fiant, immunda sint, aliósque efficiant esse immundos, multa aut probant, aut indicant. *Leuit.* 21. prohibetur sacerdos ad mortuum ingredi, ne contaminetur. Idem penè de Nazaræis dicitur *Numer. cap. 6.* Sed est locus *Numer. cap. 19.* magis ad hanc cogitationem. *Ista est,* inquit, *lex hominis, qui moritur in tabernaculo. Omnes, qui ingrediuntur tentorium illius, & vniuersa vasa, quæ ibi sunt, polluta erunt septem diebus.* Et *Deut. 26.* qui decimas offert hoc modo profitetur illas esse legitimas, neque habere aliquid immundum, cur admitti non debeant. *Non comedi ex his in luctu meo, nec separaui ea in qualibet immunditia: neque expendi ex eis quicquam in re funebri.* Ex his non difficile est statuere cur apud Deum impiorum sacrificia dicantur lugentium pani esse non dissimilia: quia quæ lugentes, id est, mortuorum exequias celebrantes conferunt, & immunda ipsa sunt, & eos, qui illa quoquo modo tetigere, contaminant.

Quia panis eorum, anima eorum, non intrabit in domum Domini.] Qui secundam expositionē probauerit, quæ Riberæ placuit, facile se ex hoc loco, & consequentèr expediet. Nam si quæ offert, animæ suæ offert, quia ex illis non tam diuinam voluntatem quærit, quàm suam sibi commoditatem captat, ille non inducit in templum, sed in horreum suum, aut in sua cellaria sacrificium: quare hæc non tam placant excitatum Dei furorem, quàm sopitum exsuscitant, & acuunt. Sed quia in aliam Hieronymi expositionem pronior erat assensio, ad illam etiam explicationem nostram attemperemus. 19.

Anima ex vsu Scripturæ desiderium significat, non vulgare, sed vehemens, ardens, & antiquum. Psal. 40. v. 3. *Non tradat eum in animam inimicorum eius.* & Iob cap. 38. v. 39. *Nunquid capies leænæ prædam, & animam catulorum eius implebis.* Quo loco, vt vides, *anima* inhiantem significat auiditatem, & ardens desiderium. Si ita capias, sensus erit, licèt panis eorum ipsis suauis sit, multisque de causis expetendus, non tamen illum admittam, sed perinde erit odiosus, quasi panis foret lugentium, quique à mortuo habet, vt execrabilis sit. 20. *Anima pro desiderio magno.*

Significat item *anima* idem quod *vita.* Quo sensu dicimus ponere animam suam in manibus suis, & odisse, aut amare animam suam: quod idem est atque exponere se vitæ periculo; aut conseruare, seu prodigere vitam. Iuxta hanc acceptionē sententia erit non inepta, etiamsi Israel offerat panem, quem habet ad vitam necessarium, illum tamen non admittam, quia non minus ad illum nauseo, quàm ad panem lugentium. Notum est autem illa esse longè gratiora, vbi cætera paria esse contigerit, quæ ex necessario nobis vsu subtrahimus; ita vt si illa absit, pereundum sit nobis, aut graue aliquod subeundum incommodum; tunc enim dicimus vitam nostram dare. Quomodo si quis largiatur alteri tunicam, quam habet solam, & ideo maneat nudus, aut aquæ scyphum, sine quo à siti extinguendus est. Sanè eo nomine donum commendatur Sarephtanæ fœminæ, *lib. 3. Reg. cap. 17. v. 10.* quæ pauxillum tradidit farinæ Eliæ, quod habebat, & sibi, & filio suo vnicum alimentum, quæ verè dixisse potuit largitam se esse Prophetæ duas vitas, suam videlicet, & filij sui. Et eo item nomine pluris fecit Christus duo minuta viduæ, quàm ingentia dona, quæ ab aliis mittebantur in gazophylacium, cuius ea à Christo reddita ratio est Marci cap. 12. v. 44. *Omnes enim ex eo quod abundabat illis, miserunt; hæc verò de penuria sua omnia quæ habuit misit, totum victum suum.* 21.

Illud gratius donum, quod è necessariis subtrahitur.

Vers. 5.

22. Verſ. 5. *Quid facietis in die ſolenni, in die feſtiuitatis Domini.*] Si ſermo hic eſſet de vtroque populo, de Iſrael videlicet, & Iuda, quod ex interpretibus non pauci aut ſentiunt, aut ſupponunt, facilis eſſet ſententia. Cùm enim aliquot dies lætiſſimi eſſent Iudæis, in quibus alicuius eximij in illum populum beneficij excitaretur memoria, non poterat non eſſe moleſtum Iudæis illis non intereſſe. Quare inter alia incommoda, quæ impendent ſcelerato populo, hoc etiam minatur, quòd neque ſolitas feſtiuitates obibunt, neque vlla pars antiquæ iucunditatis ad ipſos pertinebit. Huc pertinet expoſitio Theodoreti, Theophylacti, & Lyræ.

23. *Quomodo Deus dicatur lætari in peccatoris ſupplicio.*

B Verùm quia probabilius videtur de decem tribubus eſſe hoc vaticinium, ideo placet magis, quod cum Hieronymo frequentes alij putant, ſolemnitatem, & feſtiuitatem eſſe captiuitatem, & cladem Iſraelitici populi. Loquitur enim Dominus de ſe ad hominum ſenſum, qui cum diē ſolennem eſſe deputant, ac lætum, cùm de hoſtibus ſuis vindictam capiunt. Sic Deus iterum Ezechielis cap. 5. *Complebo furorem meum, & requieſcere faciam indignationem meam in eis, & conſolationem accipiam.* & Deut. 18. *Sicut antè lætatus eſt Dominus ſuper vos, bene vobis faciens, vóſque multiplicans, ſic lætabitur diſperdens vos, atque ſubuertens.* Vide quæ nos ſuper Iſaiam ad illud cap. 1. *Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Quare hic eſt ſenſus. Quid vobis, ô Iſraelitæ, capiendum eſt conſilij, quidve faciendum, cùm hoſtes ingruerint, cùm captiui ad alienas regiones abducamini, cùm denique me ſic habeatis inimicum, vt calamitatem veſtram, meam eſſe deputent ſolemnitatem, & lætitiam, & in veſtro ego exilio, ac lacrymis triumphem.

24. Verſ. 6. *Ecce enim profecti ſunt à vaſtitate. Ægyptus congregabit eos, Memphis ſepeliet eos.*] Futurum hic ex præterito intelligitur, quod eſt apud Prophetas vſitatum valde, maximè cùm breui accidet, quod futurum prædicitur. Ac ſi dicat Deus (humano nempe modo) videre iam videor profectum Iſraelem ſpoliatum, & extorrem peracta iam vaſtitate, ac ſtrage per Aſſyrios, & eos, qui ab illa vaſtitate dilapſi ad Ægyptios abierunt, occiſos ibi aut fame, aut ferro, & pro præſidio, ac domo inueniſſe ſepulturæ locum. Qui hoc loco ſermonem eſſe putant de duabus tribubus, non multum laborant de hac Ægyptia profectione, ac tumulo; quia ſatis ex Ieremia conſtat *cap. 43.* eos, qui reliqui fuere ab exilio, & cæde, cùm à Chaldæis vaſtata eſt Hieroſolyma, commigraſſe in Ægyptum; quos non minus moleſtam, & duram habuiſſe commorationem illam Ægyptiam, quàm alij Babylonicam habuere, ipſe docet Ieremias ſtatim *cap. 44.*

25. Verùm etiamſi de Iſraele tantùm, id eſt, de decem tribubus hæc intelligamus, non eſt res admodum explicatu difficilis, primùm quia Oſee rex Iſrael, quem ſuſtulit rex Aſſyriorum, regnúmque debellauit Iſraeliticum proximè ante communem illam cladem, legatos miſit ad Sua regem Ægypti. Eſt autem non incredibile, quo tempore durauit obſidio Samariæ, quæ non breuior triennali fuit, plurimos, qui iam actum de re Iſraelitica diuinabant, diffugiſſe ad Ægyptios, & in ipſa vaſtitate elapſos eſſe non paucos. Quis enim credat populum vſqueadeo diffuſum ab Aſſyriis copiis, quæ non ſe per Iſraelitici regni ſpatia tam latè diffuderant, captum fuiſſe; aut non eſſe quamplurimas vias ab hoſte vacuas, per

A quas ad Ægyptios fines pateret effugium? Significat ergo Deus omnibus, qui ex Gente ſunt Iſraelitide, vbicunque locorum fuerint, communem impendere fortunam.

Deſiderabile argentum eorum vrtica hereditabit, lappa in tabernaculis eorum.] Vſitatum eſt in Scriptura vt pretium, & id, quod locum obtinet pretij, ſumatur pro re, quæ pretio comparatur; quomodo opus quo mercenarius operæ ſuæ mercedem, denarium puta, emerit, pro mercede eo modo comparata ſumitur. Iſai. 32. *Erit opus iuſtitiæ pax, & labor*, pro pane, qui paratur. Pſal. 127. *Labores manuũ tuarum, quia manducabis.* Sic ergo nunc *argentum deſiderabile* pro domibus ſumitur, aut agris lautis, & vberibus; quæ argẽto fuerunt coëmpta. Ita cum Hieronymo tenent aliorum interpretum plerique. Eſt autem hoc è rerum natura, vt ager, aut hortus à cultore deſertus ſyluescat, & herbis infrugiferis ſqualeſcat, & horreat, vt de agris Solymitanis antè ad delicias, & voluptatem excultis dicit Iſaias cap. 32. v. 13. *Super humum populi mei ſpinæ, & vepres aſcendent.* & cap. 7. v. 19. *Vbi fuerint mille vites mille argenteis, in ſpinas, & in vepres erunt, cum ſagittis, & arcu ingredientur illuc.* Quod ipſum accidere in domibus ipſis, quæ fuerunt aliquando regiæ ſedes, habemus ab ipſo Iſaia cap. 34. v. 13. *Orientur in domibus eius ſpinæ, & vrticæ, & paliurus in munitionibus eorum.* Micheas item cap. 3. *Sion quaſi ager arabitur, & Ieruſalem in aceruum lapidum erit, & mons domus in excelſa ſyluarum.* Qui loquendi modus profanis vſitatus eſt, qui vbi direptæ, vaſtatæque ciuitates formam proponunt, quaſi extremam vaſtitatis lineam addunt, ciuitates in ſyluas, & ferarum luſtra fuiſſe conuerſas. Sic Virgil. lib. 3. Æneid.

26. Regula. *Pretiũ aut labor pro eo quod labore aut pretio cõparatur.*

Litora tunc patriæ lacrymas, portúſque relinquo,
Et campos, vbi Troia fuit.

Et Ouid. epiſt. 1. Heroid.

Iam ſeges eſt, vbi Troia fuit, reſecandaque falce
Luxuriat Phrygio ſanguine pinguis humus.
Semiſepulta virûm curuis feriuntur aratris
D *Oſſa, ruinoſas occulit herba domus.*

Hoc planè docet Propheta euenturum ciuitatibus illis, quas Iſraelitæ coluerunt, dum ait in tabernaculis habitatorum loco futuram vrticam, & lappam, ſylueſtres herbas, quæ in ciuitatum ruinis plerunque naſcuntur. Vrtica, Heb. קמוש *kimos*, quod credo aliquid ſignificat commune; vnde alij *ſpinam* vertunt, ſed præcipuè huic ſpinarum generi accommodatum eſt, tam *hîc* quàm *Iſaiæ cap. 34. v. 13. & Prouer. 24. v. 31.* Et quidem aptè ad huius herbæ naturam, quæ ſæpe iuxta parietes, & in locis ruinoſis naſcitur. Vbi noſter *lappa*, Heb. eſt חוח *choach*, quæ vox etiam commune aliquid valet. Nam alij ſæpe *ſpinam* conuertunt, quod etiam fecit vulgatus Cant. 2. *Sicut lilium inter ſpinas.* interdum *carduum*, vt 4. *Reg. cap. 14. v. 9.* item *paliurum*. *Iſai.* cap. 34. v. 13. In lappa igitur, & vrtica nihil arbitror ſignificari aliud, quàm vaſtandas eſſe domos, & ſpinis, ac vepribus operiendas. 27.

Verſ. 7. *Venerunt dies viſitationis, venerunt dies retributionis.*] Quaſi dicat, ſuſtinui hactenus vltricem dexteram, furorem meum à flagello continui; iam tandem effundam, quod in contumacem populum iam pridem animo conceperam, venit iam dies in quo meritis ſuis non indebita recipiet; viſitabo ſcelera, quæ aut non videre, à ſtolido populo, aut illorum immemor exiſtimabat. Hic porrò dicendi modus in eodem articulo 28.

culo familiaris est. Sic Deus Isai. cap. 34. v. 8. *Dies vltionis Domini, annus retributionis iudicij Sion.* hæc eadem *cap. 64. v. 4.*

29. *Scitote Israel stultum prophetam, insanum virum spiritualem.*] Duas hic sententias esse video, quas non difficile textus admittit. Alteram de prophetis falsis, qui se diuino Spiritu afflatos esse prædicabant; cùm tamen incitarentur ab humano, & suo; aut certè forent à diabolico delusi. Hi falsa spe lactabant plus satis credulum, & insipientem populum, cùm omnia illi secunda promitterent. Quare de meliore fruge, aut de mutanda vitæ ratione omnem curam abiecerat: vbi autem tempus visitationis aduenerit, & contraria prorsus reipsa experiatur, quam à prophetis mendacibus acceperat; tunc stultum agnoscet, ac delirum prophetam, cuius mendaciis ante fidem adhibuerat. Ita putant Chaldæus, Rupertus, Vatablus, Montanus, neque longè hinc abit Ribera, & Lyra, qui Israelem prophetam insanum sibiipsi vana promittentem faciunt. Quod etiam Theodoretus, & Theophylactus arbitrantur, quod non improbat Haymo, licèt Hieronymi sententiam magis probet.

30. Alij de veris Prophetis accipiunt, quorum verba sic accipiebat Israel, ac si nullum illis pondus inesset, sed omnino forent somnia vana, & meræ delirantium, atque bacchantium nugæ. Et hanc putant esse sententiam. Tunc cognoscent omnes stimulis edocti, & rerum euentu, quàm fuerint antè Prophetæ veri, cùm nullum eorum verbum irritum exciderit. Hanc sententiam sequuntur cum Hieronymo complures alij, non solùm ex nostris, sed etiam ex Hebræorum magistris, quæ mihi omnium probatur maximè. Quàm sæpe Prophetæ veri iudicati fuerint mendaces, & quos non spiritus cælestis ageret, sed deuios, ac præcipites abriperet limphaticus furor, docent variis locis sacra monumenta. Sic Isaiæ *cap.* 28. in canticum irrisorium sumpsisse dicitur populus Prophetarum oracula, & subsannando cecinisse, *Manda, remanda, expecta, reexpecta.* Et Ezech. *cap. 33. v. 31.* eodem modo excepisse dicitur idē populus Ezechielis verba, & eadem illis, quæ nunc, eandémque ob caussam minatur Deus. *Audiunt,* inquit, *sermones tuos, & non faciunt eos: quia in canticum oris sui vertunt illos,* &c. *Et cùm venerit, quod prædictum est (ecce enim venit) tunc scient quod prophetes fuerit inter eos.* Clariùs 2. Paralip. cap. 36. v. 15. *Mittebat autem Dominus Deus patrum suorum ad illos per manum nunciorum suorum, de nocte consurgens, & quotidie commonens, eo quòd parceret populo, & habitaculo suo. At illi subsannabant nuncios Dei, ac parui pendebant sermones eius, illudebántque Prophetis donec ascenderet furor Domini,* &c. Multa huiusmodi occurrent attento lectori.

Prophetarũ verba subsannata.

31. Stultos, & insanos existimat vulgus Prophetas, quòd cùm vim spiritus ignorarent, quo afflabantur, & incitabantur interiùs, rémque ex signis, quæ emicabant exteriùs, metirentur, non putabant mentis esse sanæ illa aut dicere, aut facere, quæ dici, aut fieri videbant à Prophetis. Dicendi quippe modus, & corporis cultus, qui non erat cum vulgari consentiens, cùm supra vulgus esse non putaretur, infra vulgus esse credebatur. Quarè Prophetæ, vt reor, à malesano vulgo stulti dicebantur. Sic 4. *Reg. cap.* 9. dixerunt viri quidam principes ad Iehu de Propheta ad illum misso, *Quid venit insanus iste ad te.* Et ob eam opinionem ligatū esse putabamus in nostris commentariis Ezechielem ab amicis, & domesticis, quia illum excidisse mente cogitabant. Ezech. cap. 3. v. 25. *Ecce data sunt super te vincula, & ligabunt te in eis, & non egredieris in medio eorum.* Quod etiam de suis vatibus censuere Gentiles, apud quos *furere*, ac *vaticinari* eodem numerabantur ordine. Sanè Plato in Phedro insanos vocat Prophetas. Quidam, inquit, diuino beneficio sunt insani, vt Prophetæ, & Sibyllæ.

Propheta existimati insani.

32. *Virum spiritualem.*] Heb. *virum spiritus*, in quo videlicet est spiritus, nempe propheticus. Est itaque vir spiritualis, qui spiritu instinctus est diuino; quomodo *cap. 2. v.* 11. dixit de se Michæas, *Vtinam non essem vir habens spiritum, sed mendacium potiùs loquerer.* id est, vtinam mala quæ vobis denuncio, à meo potius essent, quàm à diuino Spiritu, ne certo vos successu comprehenderent.

33. In illo *scitote Israel*, obseruo *scitote* esse in numero multitudinis, quia Israel nomen est collectiuum, cui verbum illud adiungitur. Errant autem infantiliter, vtpote Hebraici sermonis ignari, qui *te* à *scito* separant, & hunc sensum esse faciunt, *scito ô Israel te esse insanum prophetam.* Heb. enim est in plurali numero ידעו *iedhu.* Est autem in *scitote* aliquid admixtum ironiæ. Israel in vocatiuo est, contra quàm multi ex interpretibus putant.

34. *Propter multitudinem iniquitatis tuæ.*] Hæc ad visitationem, & retributionem referenda: ideo enim visitantur ab vltore Deo Israelitæ, quia illorum increbuit iniquitas, & amentia. Seu potiùs ad stultum de Prophetarum amentia, atque iniquitate iudicium. Ait enim ideo Prophetas tales existimatos, quia qui talia iudicabant, amentes erant & iniqui.

35. Vers. 8. *Speculator Ephraim cum Deo meo; propheta laqueus ruinæ factus est super omnes vias eius, insania in domo eius.*] Mirè interpretes in huius loci expositione variant. Hieronymus, Haymo, Albertus, Dionysius, Figuerius, & alij, hæc accipiunt de Ieroboam, qui cùm à Deo rex esset constitutus, atque vt speculator, excubias deberet agere perpetuas, ne populus suæ commissus fidei aliquid ab hoste pateretur; ipse tamen conflatis vitulis laqueus illi fuit, & ruina, fecit denique vt in nefarium idolorum cultum populus insaniret.

36. Alij de prophetis falsis interpretantur, qui cùm Deo, id est, Dei nomine, atque spiritu loqui se mentirentur, populum fallaci blandimento seductum, in laqueum induxerunt, & insaniam. Ita quidam Hebræorum magistri, & cum illis ex nostris Ribera, Montanus, Rupertus, Castrus.

37. Alberto, atque Dionysio non displicet in speculatore Ephraim intelligi Aiam Silonitem, qui 3. *Reg. cap.* 11. scisso in duodecim partes pallio nouo, Dei nomine è duodecim decem Ieroboamo tribus ascripsit. Hic etenim licèt verus esset speculator, & Propheta, atque ideo dici possit *speculator cum Deo meo*, tamen laqueus ex occasione fuit Israeli, atque ruina; quia præpositus regno per illum Ieroboamus mores corrupit populi, ac tandem ad insaniam, & exitium traxit.

38. Ego latiùs hæc intelligenda crediderim, & explicanda ad veros, falsósque prophetas, quos eodem, aut variis etiam temporibus habuit Ephraim, de veris diximus nuper, quorum oracula somnia vocabat, & nugas Ephraim, quæ tunc demum expertus est habuisse pondus, quando prædictas antè minas declinare non potuit. Cùm autem horum verba non solùm ab animo, sed etiam ab auribus obstinatò respueret, quia minus

erant

erant ad palatum, audiebat libenter prophetas alios adulatores, & fallaces, a quibus seductus est populus, & in laqueum inductus. Hæc cogitatio ideo mihi placet, tum quia nihil videtur habere distorti, tum etiam quia diuersa Prophetarum studia, imò, & diuersa religio Prophetarum in hac ipsa clausula se produnt. Verus speculator, & Propheta, cum ab Osea dicitur, *speculator cum Deo meo*, Deo vtique vero, qui Dei caussam agere, quique à Deo mittitur, id enim valet tam apud Latinos, quàm apud Græcos, *facere cum aliquo*, neque aliam esse arbitror huius loci sententiam. Falsus autem cùm statim dicitur, *insania in domo Dei eius*. Deus eius, nempe pseudoprophetæ, idolum est. Qui in omnibus vijs laqueos parat, & in domo Dei sui, vbi nimirum locati sunt aurei vituli; vbi dementia maior est, & violatæ religionis turpior insania.

39. Vers. 9. *Profundè peccauerunt, sicut in diebus Gabaa.*] Ex verorum Prophetarum contemptu falsorumque suasu eò se impietatis proiecit Ephraim, vt in profundum peccatorum venerit. Cur verò in profundæ impietatis exemplum adducatur Gabaa, obscurum est. Duo tempora in Scriptura occurrunt, in quibus aliquid iniquum, & turpe contigisse videmus, in Gabaa, quæ ciuitas est in tribu Beniamin, Saulis maximè nobilitata natalibus. Qui primus omnium sublatis iudicibus, regium nomen in Dei populum vniuersum inuexit. Illius temporis status renouatus videtur sub Ieroboam; quia quemadmodum noua inducta religione fecit, ne Deus, quantum in ipso fuit, in populo regnaret, sic Saul aliquo modo exclusisse videtur Dominum à regno. Hoc certè dixit Deus ipse Samueli cùm vrgeret populus, vt sibi, sicut nationibus aliis, rex præficeretur; lib. 1. Reg. cap. 8. v. 7. *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos. Iuxta omnia opera sua quæ fecerunt à die, qua eduxi eos de Ægypto, vsque ad diem hanc, sicut dereliquerunt, & seruierunt diis alienis, sic faciunt etiam tibi.* Huc inclinat Hieronymus, Haymo, Albertus, & Hugo, leuiter tamen, multo enim magis in alteram sententiam propendent, de qua statim. Sed certè non videtur prioris sententiæ fundamentum vsqueadeò infirmum, vt contemni debeat: vt enim sub Ieroboamo, sic etiam antè sub Saule mutata fuit administrationis forma. Neque leuiter videtur peccasse populus, aut leue inductum Israelitico populo detrimentum, quando Deus tam graui oratione de populi pertinaci, atque obstinato consilio questus est.

40. Alterum peccatum fuit in Gabaa, quod Beniaminitidē tribum totam propè deleuit, de qua Iudic. cap. 19. & 20. Nota est historia, planèque execranda, quam inter Gentes nullis humanitatis legibus excultas etiam horreremus. In qua duo audimus & violatam esse Leuitæ vxorem, & occisam: quo mortis genere, Scriptura non docet; fortasse dum perferre non potest libidinantium in multiplici concubitu pondus & iniuriam. Hanc rationem indicat Leuita ipse dum vxoris mortem, & illius caussam refert. Iudic. c. 20. v. 5. *Ecce homines ciuitatis illius circumdederunt nocte domum, in qua manebam, volentes me occidere: & vxorem meam incredibili furore libidinis vexantes denique mortua est.* Sanè hac barbara, & sanè belluina libidine & hostili magis, quàm amica vexatione extinctas esse fœminas docet illud inhumanum Thessalorum factum, qui vt odium, quod in Phocenses animo conceperant, cumulatiùs explerent, captas aliquot illorum vxores iterato multorum nefario congressu adeò vexauerunt intemperanter, vt illas oppresserint, & occiderint, huius rei auctor est Herodotus *lib.* 8. Hanc tantam Gabaitarum intemperantiam consecuta est totius penè tribus Beniamin extrema vastitas. Coniurarunt etenim reliquæ tribus, vt iniuriam illam, quam putabant esse communem, vlciscerentur. Hoc videtur esse scelus, propter quod Ephraim imitatus dicitur peccata Gabaa, & illius expressisse mores.

Immo iterato concubitu à scortatoribus extincta fœmina.

Ego potius spectari hic puto illius ciuitatis statum profligatum, & perditum, quem habuisse dicitur Gabaa, quo tempore accidit, & mors illius fœminæ planè barbara, & illius tribus dira clades, quæ optimè describitur *cap. 19.* in quo spectare licet imaginem quandam Sodomæ, quando ab igne cælesti tacta, atque consumpta est. Vt enim Sodomæi perfricta omnino fronte, publicè ad infandum concubitum viros deposcebant; sic etiam neque minori libidinis insania Gabaitæ ad præposteræ libidinis vsum Leuitam non solùm verbis, quod ipsum ferendum non esset, sed etiam armata manu postulabant. *Venerunt viri ciuitatis illius filij Belial, & circumdantes domum senis* (eò enim Leuita cum vxore diuerterat) *fores pulsare cœperunt clamantes ad dominum domus, ac dicentes: Educ virum qui ingressus est domum tuam, vt abutamur eo.* Vt verò bonus ille senex, qui Leuitam exceperat hospitio, nefandam illam, ac sodomiticam rabiem cohiberet, fecit quod antea Sodomis fecisse Loth traditur *Gen. cap. 19.* obtulit enim filiam quam habebat virginem, neque tamen sedare potuit hiantem illam sitim. Alia porrò ex hoc ipso capite flagitia Gabaitarum colliguntur. Primum quia *v. 22.* vocantur *filij Belial*, id est, *absque iugo*, aut *filij diaboli*, aut *apostatæ à lege*, hæc enim omnia tonat *Belial*. Fuerunt deinde immisericordes, & crudeles, vt constat v. 15. *sedebant* (Leuita, & vxor) *in platea ciuitatis, & nullus eos recipere volebat hospitio.* Illud verò peccatum nefariæ libidinis esse toti ciuitati commune, probat quia scortatores illos, & masculæ Veneris captatores adeò non tradiderunt iustæ vindictæ: vt pro illorum salute subeundum sibi capitis periculum existimauerint. quod planè docet Gabaitas ab eo scelere non omnino abhorruisse: & ab ea ciuitate disciplinam abesse, quando illud scelus impunitum esse voluerunt, quod lex supplicio punit capitali. *Leuit. 20. v. 13.* 41.

Gabaitæ quibus sceleribus infames.

Sodomitis similes.

42.

Huic Gaabitarum statui, ac tempori, similem fuisse statum Ephraim, id est, decem tribuum, ipse suprà videtur significasse Oseas cap. 4. v. 1. *Non est veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt: & sanguis sanguinem tetigit.* Erat certè Ephraim non dissimilis Sodomæ, cui nuper Gabaam simillimam fuisse dicebamus, vt scribit Ezechiel *cap. 16. à v. 46.* vbi tres sorores esse dicit, morum videlicet similitudine, Sodomam, Samariam, quæ est Ephraim, id est, decem tribus, & Iudæam. Quare si Samaria soror est Sodomæ, quid obstat quo minus illam Gabaæ dicamus esse similem, aut etiam sororem? 43.

In illo *profundè peccauerunt*, aliquid ego inuenio proprium Hebræorum idiomati, qui sæpe verbis vtuntur pro aduerbiis, quæ noster interpres aliquando relinquit Hebræos imitatus: vt *magnificauit facere*, pro magnificè fecit: *non reuertar vt faciam*, id est, non iterum faciam. Interdum pro verbis 44.

REGVLA. Verba aliquando pro aduerbiis.

Digitized by Google

verbis aduerbium reddit: vt Ionæ *cap. 4.* bis di- A
citur *putas ne bene irasceris tu?* vbi vulgatus *bene*,
Heb. est verbum היטב *heteb*. Sic etiam hoc loco,
vbi nos *profundè*. Heb. est, העמיקו *hehemicu*, id est,
profundauerunt.

45. Vers. 10. *Quasi vuas in deserto inueni Israel: quasi prima poma ficulneæ in cacumine eius vidi patres eorũ.*] Commemorat Deus quòd bonis à principio, quámque beneuolè collatis ornarit Israelem, & quemadmodum ille à principio tám fuerit inurbanus, & rusticus, tam immemor accepti beneficij, vt pro gratia insignem retulerit iniuriam. Modus autem dicendi prouerbialis est, quo significamus ea, quæ maximè nobis in voto, atque in amore sunt. Eo, inquit dominus, studio, ea B auiditate complexus sum Israelem, quo famelicus, & deficiens viator vuas in vasta solitudine, in qua arida sunt omnia; neque quicquam occurrit, quo leuare possit vrentem sitim, & extremã famem. Neque aliter accepi populum, quàm accipi solent grossi, qui vt primùm maturuerunt, auidè, & cum voluptate vorantur, vtpote primi fructus, quos arbores vbi cæli tẽpestas intepuit, parturiunt, & maturant. Ideo verò hi mihi grossi tantopere placuerunt, quia in ipso Israeliticæ arboris cacumine, summisque ramis videbam excreuisse, & ad tempestiuam venisse maturitatem grossos suauissimos, illos nempe patres, qui Israelitici populi auctores extiterunt, & C principes. Hic credo sensus est, nunc exploranda singula.

46. Vuæ in deserto, prouerbiali, vt reor, specie significant rem maximè suauem, & expetendam, tum quia ipsæ suaues sunt, tum quia locus solitarius, & sterilis facit, vt rebus etiam insulsis, & amaris aliquid insit suauitatis. Prima poma ficulneæ, grossi sunt, qui Hispanicè nominantur *breuas*, Heb. בכורה *becora*, quæ Punico vocabulo *Albacora* dicuntur. Hæ verò plurimi fiunt, quia primi arborum fructus in deliciis sunt, & in suauissimarum rerum comparationem adducuntur. Michex 7. *Præcoquas ficus desiderauit anima mea.* id est, sicut præcoquas ficus: quasi dicat, vehementer desideraui. Isaias *cap. 28. v. 4.* בכורה, id est, D grossum, temporaneum vocat. *Sicut temporaneum*, inquit, *ante maturitatem autumni, quod cùm aspexerit videns, statim, vt manu tenuerit, deuorabit illud.* Optimè igitur hac similitudine explicatur quàm Deus libenter, quàm non grauatè populum illum, & complexus sit molliter, & beneficiis ornarit luculentis.

PROVER. *Vua in deserto, & prima poma ficulnea pro re suaui.*

47. *In cacumine eius vidi patres eorum.*] Amauit Deus arborem illam, cuius grossos dicit fuisse sibi dulces, quia in cacumine, in summis videlicet ramis spectabat, Abraham, Isaac, & Iacob, quorum gratia tolerauit diu posterorum peccata, E & assidua illis beneficia præstitit. Quare sæpe audis in Scriptura proponi à filiis horum parentum merita, cùm aliquid orant, & Deum horum esse memorem, cùm ignoscit filiis, aut bene illis facit.

48. Alij in parentibus non Abraham intelligunt, & Iacob, &c. sed qui principes erant in populo, aut quando progrediebatur in deserto, aut quando hæc vaticinabatur Oseas; quia tempore Abraham, aut Patriarcharum non contigerunt illa, quæ hoc loco Deus exprobrat Israeli: neque hi Patriarchæ inuenti sunt in deserto. Sed sanè hæc ratio non nimis premit, nam neque de deserto propriè loquitur Propheta quasi ibi grossi fuerint, aut vuæ: sed potius significat eo se studio accepisse populum, sicut qui in deserto æstuosi, ac sterili, vuas inuenit, aut præcoquas ficus, quibus lassum, & deficientem spiritum reficiat. Explicatio autem, quam nuper tradidimus, satis alias obiectiones depellit.

Hieronymus videtur respexisse antiquissima illa tempora, in quibus vixerunt parentes primi gentis Israeliticæ, quorum gratissimi fuere mores, & in quibus seram etiam illorum posteritatem spectabat, quem sequuntur plures alij, & in his Theodoretus. Quasi Deus amauerit magnos illos viros, habueritque eo loco, ac pretio, quo habentur vuæ, aut præcoquæ ficus à viatore in deserto, atque infelici loco; ab eorum tamen virtute defecisse posteros, & auitæ, ac veteræ alienam, eámque impurissimam religionem prætulisse. Hæc mihi opinio non admodum differre visa est, ab ea quam nuper pluribus explicui. Sed sanè, si similitudinem à ficulnea deductam attentiùs contemplere, inuenies tam grossos, qui in aliis ramis, quàm eos, qui in cacumine visebantur, à Deo fuisse dilectos, aut signa in illos dilectionis exhibita. Quare mea mihi cogitatio non displicet, quæ tam parentes quàm posteros parentum gratia dicit esse dilectos; neque aptè succenderet seuera reprehensio, nisi præcessissent beneficia in populum illum ingratum antè collata. 49.

Ipsi autem intrauerunt ad Beelphegor, & abalienati sunt in confusionem.] Vide quam gratiam pro quibus beneficiis populus ingratus, ac stolidus reddiderit. Dereliquit etenim Deum suum, & eius loco elegit Beelphegor, quo nihil in suis sacris magis execrandum, & obscœnum habuit antiquitas. Beelphegor idem esse creditur, qui à Latinis dicitur Priapus, de quo quid profani aut sẽtiant, aut dicant, referre pudet, à quibus commemorandis parco, vt auribus parcam religiosis, ac castis. vide Hieronymum hic, vbi modestè turpissimi idoli sacra, atque naturam docet. Quidam Beelphegor, Dominum, aut Deum interpretantur apertionis; ratio nimis fœdissima est, quam ex Hebræis adducit Rab. Salomon, à quo malo audias, quam à me, ingressi autem dicuntur Israelitæ ad Beelphegor, *Num. cap. 25. v. 3.* quæ verò fuerint illius monstri abominanda sacra, ostendit factum illius, qui cùm scorto Madianitide occisus est à Phineas Eleazari filio, quod scelus sub hæc tempora viguisse etiam apud Hebræos constat ex *lib. 3. Reg. cap. 15. v. 13.* vbi hæc habemus de Assa rege Iudææ. *Abstulit effœminatos de terra, purgauitque sordes idolorum, quæ fecerant patres eius, insuper, & Maacham matrem suam amouit, ne esset princeps in sacris Priapi, & in luco eius, quem consecrauerat: subuertitque specum eius, & confregit simulacrum turpissimum.* Idem hoc ipso tempore fecisse decem tribus suadent, & illarum profligati mores, & quod, vt statim dicitur cap. 10. *exuberauit simulacris.* Cùm autem Moab non procul abesset, verisimile est Beelphegor, quod Moabitarum erat idolum, in aliorum Deorum censum esse relatum. 50.

Beelphegor idem qui Priapus.

Abalienati sunt in confusionem.] Auerterunt se à Deo, cui exhibebant honestum, pium, & vtilem cultum; & ad illum Deum ingressi sunt, in cuius sacrificiis, ac fanis nihil facere, aut videre poterant, quod casti aut verecundi oculi non horrerent. Aut certè abalienati sunt in confusionem, quia desertæ religionis scelus illos spoliauit ornamentis atque opibus; eripuit patriam, & libertatem, ac denique fecit vt vbius Gentium confusionem, & ignominiam subirent. 51.

Et

Digitized by Google

52. *Amoris vis, qua amantem in amatum transformat.*

Et facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt.] Ea vis est amoris, vt amantem quodammodo in amatum transformet. Ita Ambrosius *lib. de Isaac, & anima, cap. 3.* Loquitur autē de osculo, quod amoris est, & symbolum, & signū. *Tunc,* inquit, *nos osculatur Dei verbum, cum cor nostrum lumine cognitionis illuminat, & amore bonitatis inflammat: vt adhæreant ipsi, & vnus cum ipso spiritus efficiatur.* Clarius Gregorius in illud Cant. 1. *Osculetur me. Cum eius,* inquit sponsa, *osculum sentio, subita mutatione me derelinquo, & in eius similitudinem illico liquefacta transformor.* Et adhuc clarius Augustinus *tract. 2. in epist. Ioannis.* vbi dicit amorem eius esse naturæ, vt amantem in illud mutet, in quod amando fertur. *Tenete,* inquit, *dilectionem Dei, vt quomodo Deus est æternus, sic & vos maneatis in æternum. Quia talis est quisque, qualis eius dilectio est: terram diligis? terra eris; Deum diligis? quid dicam? Deus eris. Non audeo dicere ex me, Scripturam audiamus. Ego dixi, dij estis, & filij Altissimi omnes. Si ergo vultis esse dij, & filij Altissimi, nolite diligere mundum.* Idem docet S. Thomas sæpe *1. 2. q. 22. art. 2. q. 66. art. 6. ad 1.* vbi discrimen statuit inter potentiam cognitiuam, & appetitiuam. Amor enim naturā induit, & mores imbibit rei amatæ, quia est impulsus quidam ad illam, & cum ipsa nodus quidam, & vnio. Secus se mens habet in intelligendo, res enim intellecta transit quodammodo in intelligentis naturam, vnde spectare licet qualis esset tunc Israël, cùm ad insaniam vsque amaret Beelphegor, quo nihil turpius aut finxit, aut excogitare potuit antiquitas. Quare verisimile est, talia illis placuisse flagitia, qualia suprà in Gabaitis horrebamus. Quod verba illa nō obscurè docent, de quibus supra v. 9. *Profundè peccauerunt, sicut in diebus Gabaa.*

53. Vers. 11. *Ephraim quasi auis auolauit, gloria eorum à partu, & ab vtero, & à conceptu.*] Locus hic variè à variis exponitur, & cum Hieronymo dupliciter. Putat enim aut gloriam Ephraim esse Deum, qui deseret populum illum, tanquā auis, quæ procul auolat à nido. Quæ sententia satis videtur accōmodata, & populi statui, & rerū euentui. Deseruit namque Deus populum illum, deuorandúmque reliquit Assyriis, non aliter, atque auis auolans à nido implumes relinquit pullos deuorandos colubro, vel accipitri. Cui sententiæ accommodatè subiicitur, *à partu, & ab vtero, & à conceptu,* quia ex quo cœpit populus ille in Abraham, eius in se Dominus curam, & patrocinium suscepit; in Scriptura verò hi dicendi modi principium sonant, & originem. Ad hanc præterea expositionem facit, quod paulo pòst additur. *Væ eis, cùm recessero ab eis.* quasi dicat, væ illis, cùm auolauero tanquam auis à nido, illósque destitutos à meo patrocinio reliquero.

54. Altera Hieronymi expositio est, quæ gloriam Ephraim filiorum multitudinem esse statuit, gloriabatur enim Ephraim, id est, decem tribus, quòd plures haberet filios, quàm aliæ duæ, quæ templo adhæserūt, & Dauidico generi; vincebat enim illas, vt regionum spatiis, sic etiam hominum multitudine. Hi verò filij Ephraim, id est, qui e decem tribubus propagati sunt, auolabunt à patriis finibus, sicut auis à nido, & in Assyrios fines abducentur. Hæc sententia placuit plerisque aliis, & mihi videtur magis cum toto textu consentire. Neque loquendi modus alienus est à Scripturæ sacræ consuetudine, quæ filios parentum appellat gloriam, sicut magistrorum discipulos.

Sed quia modus ipse loquendi obscurior est, obseruo vsitatum esse in Scriptura ex Hebraici sermonis idiomate nominatiuum non infrequenter absolutè poni, & post illum adhiberi pronomen, in cuius casu iuxta Latinos canones esse debuit nominatiuus ille qui præcessit. Exemplis hoc confirmemus. Psal. 10. v. 4. *Dominus in cælo sedes eius.* id est, Domini sedes in cælo. & Psal. 56. v. 5. *Filij hominum dentes eorum arma, & sagittæ.* id est, filiorum hominum dentes arma, & sagittæ. Psal. 67. v. 32. *Æthiopia præueniet manus eius Deo.* id est, Æthiopiæ manus præueniet Deo. Isaias cap. 11. v. 10. *Radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum Gentes deprecabuntur.* id est, radicem Iesse omnes deprecabuntur. Plura nos diximus in hunc Isaiæ locum. Sic igitur præsentem locum interpretor, atque ordino. *Quasi auis auolauit gloria Ephraim, quæ est à partu, vtero, atque conceptu.* id est, peribunt omnes filij Ephraim, quocumque considerentur in statu, ac modo. 55.

55. Regula. Nominatiuus absolutus si pronomen sequatur, quasi in eius casu foret exponendus.

A partu, & ab vtero, & à conceptu.] Tres status in sobole considerari possunt, vel postquam egressa ab vtero lucem aspexit, & puriorem auram spirando traxit; aut quo tempore intra materna viscera delituit, aut certè, quo primùm concepta est. Omnibus his exitium minatur, aut exilium. Quod sigillatim statim explicat. Aut enim sterilis erit Israelitidum fœminarum vulua, ne concipiat, aut in vtero concepta morietur intus, antequam lucem videat, aut statim, atque ex vtero prodierint: quia alimentum nullum ex aridis vberibus exugent, interibunt. Hæc omnia statim clariùs explicantur. 56.

Filiorum mors, aut priuatio graue parentum supplicium.

Vers. 12. *Quòd etsi enutrierint filios suos, absque liberis eos faciam in hominibus.*] Alium iam statum filiorum proponit; eorum nempe, qui iam in ætatem adoleuerant firmiorem, qui solatio esse parentibus poterant, & præsidio. His autem alia accidet neque leuior, neque minus parentibus funesta calamitas. Aut enim hostile ferrum illos extinguet, faciétque vt parentes orbentur à filiis; atque ideo in hominibus esse desinent, id est, inter homines numerari: aut certè, dum in exilium auehuntur, à parentum consortio, atque amplexu distracti, perinde erunt parentibus, atque si iam prorsus excessissent è viuis. Et quidem exules, vt alio loco diximus, pro mortuis censentur. Erunt ergo absque liberis parentes, aut quia confecti gladio filij, aut quia à parentum oculis in alias, atque alias Assyriorum regiones distrahentur. 57.

Væ eis, cùm recessero ab eis.] Recedere dicitur Deus aut elōgari ab aliquo, cùm minus illi fauet, quàm antea solitus: sicut etiam obliuisci dicitur alicuius, siue peccatoris, sicut Iusti, cùm illius peccata non punit, & cùm hunc ab impiorum vexatione non liberat. Cùm Deus aderat, id est, parentis in modum fauebat Israeli, nihil ab hoste patiebatur aduersum. Cùm autem auertit sese, illum hostibus spoliandum, & deuorandum tradidit. Quod sæpe Deus per Prophetas minatur, & ipsi quoque Prophetæ testantur, & dolent. Sic Azarias *Dan. cap. 3.* sic Ieremias *in Threnis,* sic Dauid *in Psalmis* sæpe. 58.

Illud hîc obseruandum, longè aliter legisse Septuaginta, & Theodotionem. ἡ σάρξ μου ἐξ αὐτῶν, *caro mea ex ipsis,* quæ varietas ex literarum similitudine nasci potuit. Legerunt sine dubio Septuaginta בשרי *besari,* quod *carnem meam* valet; Hieronymus, Symmachus, & Aquila בשורי *besuri,* quod est *recessio, seu auersio mea, seu recedente me.* 59.

De Christi incarnatione prophetia.

te me. Aliqui contendunt hanc esse prophetiam de Christi incarnatione: & à Iudæis ante Hieronymi tempora fuisse corrupta verba, & pro בשרי supposuisse משרי. Ita putant Burgensis, & Lyra, & Galatinus *lib. 1. de arcanis, cap.* 8. vbi de hac Iudæorum in corrumpendis Scripturis perfidia satis multa. Quicquid sit de hac loci siue integritate, siue corruptione, nihil hîc moror. Ego nihil arbitror hic esse vitiosum, sed ita prorsum in Hebraicis codicibus esse legendum. Ex Patribus certè, qui Septuaginta lectionem secuti sunt, Cyrillus nihil hîc videt de Christi incarnatione: sed de Prophetæ carne, id est, de Oseæ cognatis locum interpretatur. Sic Cyrillus, *Minante Deo, atque etiam dicente de Ephraim, siue de omni Israel radicitus periturum, & deploraturum orbitatem, laboraturúmque frustrà in educatione liberorum, seipsum Propheta ab vltione subducit, & immunitatem ab ira sic precatur. Caro mea ex eis, intellige ex eis procul ab eis. Extra illos, inquit, & quàm longissimè ego sim, & omne genus meum. Interdum enim huic voci carni, generis quoque subiecta est notio.* Hæc Cyrillus. Idem omnino Theophylactus in secunda expositione, vbi dicit idem quoque orasse Dauid, cùm dixit Psal. 25. *Ne perdas cum impiis animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam.*

60. Sed in priori expositione Theophylactus, & Theodoretus de Christi carne intelligunt, & illi quoque existimare videntur, qui locum istum corruptum esse dicunt ab Hebræis. Addunt tamen Theodoretus, & Theophylactus, ideo non omnino extinctum esse genus Israeliticum, vt semen seruaretur ex eo, vnde iuxta promissionem factam Dauidi, atque Abrahæ nasceretur Christus. Quod item de Iudæis sensit Basilius, explicans illud Isaiæ cap. 1. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus.* id est, periissemus omnino, nisi Dominus ex eo genere seruari semen aliquod voluisset. Quæ Christi magna commendatio est. Qualem assentatoriè adhibuit Ouidius *lib. 1. de Ponto, eleg. 2. ad Maximum*, vbi dicit non omnes Fabios vno die fuisse sublatos, vt esset vnde genus duceret, & vitam Maximus è Fabiorum stirpe.

Qui nasci vt posses, quamuis cecidere trecenti,
Non omnes Fabios abstulit vna dies.

Sed quicquid sit de explicatione tota, ac LXX. translatione, quominus hæc postrema placeant, facit quòd Christus natus fuit ex semine Dauid, ex tribu videlicet Iuda: at, vt sæpe diximus, hæc de decem tribubus intelliguntur; quarum vita ad Christi genus iuxta promissiones antiquas necessaria non erat.

61. Vers. 13. *Ephraim, vt vidi, Tyrus erat fundata in pulchritudine.*] Quàm fuerit Tyrus ab arte, atque natura munita, quàm abundans opibus, cùm esset totius Orientis, & propè dixerim commune totius orbis emporium, vt se nationibus aliis longè prætulerit, neque à quoquam sibi timendum existimauerit, dixit latè ac luculenter Ezechiel *cap.* 27. talem sese putabat Ephraim, cui nihil deesse videbatur ad firmitatem, & gloriam, cùm tamen illi recedente Domino, nihil foret gloriosum, nihil firmum. Hîc Hebræorum more nota desideratur similitudinis, quasi dicas: Ephraim (quod mihi occultum esse non potuit, qui intima quæque atque occultissima peruideo) quasi Tyrum sic se in pulcritudine fundatam arbitrabatur. Aut certè, vt indicat Hieronymus, meo patrono, ac tutelari sic erat firma, atque hostibus inaccessa, vt Tyro ciuitatum omnium fortissimæ non cederet: quæ vndique marino gurgite cingebatur, vbi allisi frangebantur fluctus, & vt scopulus procellas, & turbines ridebat. Et hæc posterior explicatio pluribus probatur, quo nomine mihi displicere non potest.

Ephraim educet ad interfectorem filios suos.] Hæc omnia referenda sunt ad superiora illa v. 56. *à partu, & ab vtero, & à conceptu. Quòd si enutrierint filios suos, absque liberis eos faciam.* Primùm ergo dicit, quomodo filij iam adulti occidendi sint. Quos enim Ephraim in prælium eduxerit, & contra Assyriorum impetum armauerit, ad gladium euocabit, & cædem, cùm absente Deo nihil illis ex voto, atque vsu futurum sit. Quare dum in aciem producunt, quasi imbelles agnos ad gladium, & lanienam euocant. 62.

Vers. 14. *Quid dabis eis? da eis vuluam sine liberis, & vbera arentia.*] En illa duo, quæ significata proximè fuerant, *à partu, ab vtero, & à conceptu*; quæ nobis suprà explicata sunt, neque aliud præterea necessarium videbatur, cùm iam ibi dictum fuerit, quæ parentum sit gloria ab vtero, conceptione, & partu. Vtrunque hoc loco complexus est Propheta, sterilitatem nempe à conceptu atque vtero, cùm vuluam Israelitis precatur sine liberis; infœcundam nempe, neque fœtui concipiendo, aut formando idoneam; in qua aut nulla sit sobolis conceptio, aut si quando contigerit exanimetur, & pereat, antequam lucem videat. Sterilitatem à partu cùm vbera precatur arida, & à lacte vacua. Quod si contigerit, necesse est intereat recens natus fœtus, cùm primùm, & omnino necessarium nutrimentum absit, & de vtero, quasi de tumulo ad tumulum alium traducatur. 63.

Sterilitas grauis maledictio.

64. Rupertus, Figuerius, & Montanus, hæc ab animo profecta putant non offenso, qui aliis aliquid imprecetur mali, sed à misericorde, quique omnia suis optet secunda. Durum quidem est vuluam esse sterilem, maximè apud Hebræos, apud quos si qua foret infœcunda, & sterilis, insigni apud omnes infamia notabatur. Durum est recens natum infantem inedia perire, frustrà inhiantem ad vbera materna, ex quibus nihil habet, quod exugat; sed est longè durius, iam adultos filios, quique mille parentibus suauitates attulerunt, spectantibus, dolentibúsque parentum oculis, aut fame, tabéque consumi, aut confici ferro, aut vitam trahere sic infortunatam, & sordidam, vt optare possint etiam sapientes illam cum morte permutare. Id ergo ex Montani, Figueriique sententia optat Propheta; quod etiam ex Hebræis aliqui, à quibus illi sumpsisse videntur. Sic Rab. Dauid, *Da, inquit, Domine id quod daturus, vt patiantur in vtero, seu infantia, quod postea passuri sunt ab hostili ferro.* Rab. Salomon, *Da illis in infantia, quod tibi decretum est dare alio tempore: da eis vuluam sterilem, & infirmam, vt moriantur ea hora, qua exeunt in lucem mundi, aut arefacito vbera matrum, vt lac non habeant, quo nutriantur filij.* 65.

Melius non nasci quàm nasci miserum.

Idem etiam docet Rab. Abraham. Quod sanè accommodatum est hominum opinioni, ac sensui, qui magis existimant infelicem illum, qui in vita miseris conflictatur incommodis, quàm qui aut nunquam est susceptus in lucem, aut certè recens à partu exanimatus est. Sic Christus Lucæ 23. vers. 23. *Beatæ steriles, & ventres.*

Digitized by Google

tres, qui non genuerunt, & vbera, quæ non lactauerunt. Ieremias cap.20.v.18. *Quare de vulua egressus sum, vt viderem laborem, & dolorem, & consumerentur in cõfusione dies mei?* Similia habes apud Iob *cap. 3.* Et *Eccl. cap. 4.* cùm præcessissent lacrymæ, calumniæ, & vexationes innocentium, addidit, *Et laudaui magis mortuos, quã viuentes, & feliciorem vtroque iudicaui, qui necdum natus est, nec vidit mala, quæ sub sole fiunt.* Sanè si Iosepho credimus *lib. 7. de bello, cap. 8.* mater illa, quæ filium interemit, sibique ex eo alimentum parauit, illata morte liberatum iri filium dicebat infortuniis morte ipsa durioribus, quæ fames postea, & seruitus afferret.

66\. Sed hæc sententia licèt acuta, non firmis admodum firmamentis innititur. Primùm, quia illud, *da eis Domine, quid dabis eis?* ipso dicendi modo nihil significat molle, nihil humanum. B Neque ista imprecatio est Prophetæ, (hoc enim persuadère alicui posset nihil à Propheta durum spectari) sed prædictio, neque enim optat, vt hæc eueniant populo, sed eidem euentura prænunciat. Et quia numerosa filiorum sobole gloriabatur Ephraim, hanc illi plagam sanè molestam prædicit, quod pauci deinceps ab infœcũda vulua filij nascentur. Quod denique statim indicat Deus, qui quasi annuisse videretur, non tam precibus, quàm prædictioni Prophetæ, ait, iuxta illa, quæ proximè comminatus fuerat. *Percussus est Ephraim, radix eorum exiccata est, fructum nequaquam facient,* &c. C Quare nihil videtur à Deo de priori sententia fuisse mutatum. Neque ego puto à cõmuni sententia recedendum.

67\. *Locus sacer, aut accepti beneficii illustris pondus addit peccatis.*

Vers. 15. *Omnes nequitiæ eorum in Galgal: quia ibi exosos habui eos.*] Quæ sint Galgala, & cur Deus tam grauiter fuerit offensus his, quæ ibi ab Israelitis admissa sunt, diximus suprà *cap. 4. v. 15.* ad illud, *Nolite ingredi in Galgala, & ne ascendatis in Bethauen.* vbi Bethauen idolorum nefariis sacrificiis infamis ostendit, qualia ab Ephraim sacrificia instituerentur in Galgalis. Quod clariùs ipse Propheta docuit cap. 12. v. 11. *Si in Galaad idolum, tamen frustrà erant in Galgal bobus immolantes: nam & altaria eorum, quasi acerui super sulcos agri.* D Ibi autem habuit exosos, ideo fortasse, quia priùs ille locus fuit in quo transmisso Iordane constiterunt filij Israel, qui terræ promissionis aditus, & quasi possessio fuit. Atque ideo ibi extare debuit monumentum aliquod potius accepti beneficij, quam erectis idolorum altaribus contemptæ patriæ religionis iniuria. Item quia locus ille omnium primus videtur fuisse in terra promissionis consecratus. Nam & ibi circumcisus est populus, quod plurimis annis antè non fecerat. *Iosue cap. 5. v. 9.* ibi positi duodecim lapides, qui extracti fuerant à Iordanis alueo, *Iosue cap. 4. v. 20.* Fuisse autem locum illum religione sacrum ex eo fit verisimile, quia pro immolandis victimis E electus est à Samuele primùm. lib. 1. Reg. cap. 10. v. 8. *Descendes ante me in Galgala, vt offeras oblationem, & immoles victimas pacificas.* Et cap. 11. v. 15. *Fecerunt ibi regem Saul coram Domino in Galgala: & immolauerunt ibi victimas pacificas coram Domino.* Illud *quia* aut significat nihil, vt sæpiùs alibi, aut est idem quod *idcirco*, vt putat Manuel Sà. Neque alio fortasse sensu dixit de Magdalena Christus Lucæ 7. *Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum.* id est, idcirco dilexit.

68\. *Propter malitiam adinuentionum eorum de domo mea eiciam eos.*] Adinuentiones hominum in malam plerunque partem capiuntur. Dicuntur verò adinuentiones, quæ extra legem sunt, quæque

A Dei instituta non sunt, sed hominum commenta. Sed commodissimè vocari possunt adinuentiones idola, quia idolum nihil est, vt expressè Paulus 1. Cor. cap. 8. v. 4. *Scimus quia nihil est idolum in mundo.* Nisi ergo homo idolum inuenisset, aut somniasset, idolum non esset. Propter hanc malitiam ab Israelitis inuentam eiecit illos Dominus de domo sua: domum autem appello terram promissionis, cuius tunc populus possessionem adiit, quando traiecto Iordane consedit in Galgalis.

Non addam vt diligam eos.] *Dilectio* interdum pro aliquo animi beneuolentis signo ponitur, 69.
sicut *obliuio*, seu *memoria*, pro aliquo obliti animi, & immemoris indicio. Cùm ergo Deus negat diligendos esse viros illos idololatras, accommodatè ad id, quod proximè dixerat, negat illos postliminio in patriam fore reuocandos. Quo verò sensu hæc intelligenda sint, diximus suprà *cap. 1. à v. 9.* Quomodo autem verba per aduerbia nonnunquam explicari debeant, diximus alibi, quare, *Non addam vt diligam*, id est, quod non iterum diligam.

Vers. 16. *Percussus est Ephraim, radix eorum exiccata est: fructum nequaquam facient.*] Explicata hæc 70.
sunt à nobis paulo antea, cùm diximus à partu, vtero, & conceptione tollendos esse filios; & quorum ætati aliquid accesserit roboris, illos deuotos esse ferro. Neque arbitror erraret, quicunque hac metaphora significari crederet, extremam calamitatem, à qua spes nulla reliqua est. Si enim ex arbore ramos abscindas, aut corticem detrahas, aut alio quouis modo vexes, & affligas, spes tamen superest, quòd ad priorem vbertatem, & speciem reuocari possit, quia radix superest, in qua totius plantæ fundamentum, & vita continetur. At si stirpitus arborem euellas, aut radix elidatur, & arescat, actum iam est prorsus de tota planta. Sic etiam arbitror hac similitudine significari non iam ampliùs Israelitidem gentem, ex quo Assyriorum armis abscissa est, & è patrio solo quasi radicitus euulsa, futuram esse rediuiuam.

Fructum nequaquam facient.] Id sequitur ex abscissa, vel arida radice. Radix porrò arida sterili- 71.
tatis symbolum est, aut ab ea certè similitudo ducitur, ad explicandum infœcundæ naturæ statum infirmum. Sic apud Isaiam, *cap. 56. v. 3.* eunuchus, cui vis fœcunditatis emarcuit, lignum vocatur aridum, à quo fructus vllus sperari non potest. Et à radice עקר *acar*, quæ eradicare, aut euellere valet, sterilis vocatur עקר *acar*, & sterilis fœmina עקרה *acarah*, quomodo *Gen. cap. 11.* vocatur Sara, quia in illa vis fœcunditatis ablata est.

PROVER. *Radix arida pro sterili.*

Vers. 17. *Et erunt vagi in nationibus.*] Dispersus est Israel ex quo ab Assyriis superatus, & è suis finibus expulsus fuit, neque enim tantum disseminatus est Assyriorum regiones, quæ latè, ac longè, quoquo versùs patebant; sed etiam, vt paulo antè dicebamus, in Ægyptum, vbi congregati, atque sepulti. suprà v. 6. *Profecti sunt à vastitate. Ægyptus congregauit eos: Memphis sepeliet eos.* Hic fuit status eorum, quos Dominus eiecit de domo sua: à qua vbi semel exciderint, non possunt non esse instabiles, & vagi. Quod in ipso mundi principio cognouit Cain, qui cùm putaret se à facie Dei depelli, dixit Gen. cap. 4. v. 14. *Ecce eiicis me hodie à facie terræ, à facie tua abscondar, & ero vagus, & profugus in terra. Omnis igitur, qui inuenerit me, occidet me.* Huic ego quàm simillimos

puto viros Israelitas, exclusos iam à domo Domini, & ab illa familiari protectione desertos, à qua aliis quondam nationibus occurrebant horribiles. Nunc tamen vagi incedunt, neque certam habent sedem, vbi tanquam in suo sibi domicilio, tutò consistant. Neque metu vacant: atque etiamsi hostis nullus sit, ipsi sibi fingunt, quem metuant: & vbi cæteræ absint timendi causæ, suamipsi vmbram expauescunt. Quod vsque adeò notum est, & vulgatum omnibus, vt illorum pauor locum fecerit vulgari prouerbio. Cùm enim aliquem timoris accusamus, aut Iudæum vocamus; aut quando rem magis amplificare volumus, Iudæo timidiorem. Hæc iam pridem de se audierant Hebræi, si quando defecissent à fide, quam Deo constantem, & integram seruare deberent. Deut. 28. à versu 64. *Disperget te Dominus in omnes populos à summitate terræ vsque ad terminos eius. In gentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui. Dabit enim tibi Dominus ibi cor pauidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mœrore: & erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis noctè, & die, & non credes vitæ tuæ. Manè dices, quis mihi det vesperum, & vesperè, quis mihi det manè?* Hæc omnia aut continet, aut indicat illud, *Et erunt vagi in nationibus.* Hæc de cap. 9.

Iudæi vagi, ac timidi.

IN CAPVT DECIMVM

ARGVMENTVM.

TOTVM hoc caput, in enumerandis peccatis Ephraimitarum, illorúmque propterea supplicium amplificando consumitur. Primùm queritur Deus, quòd quicquid facultatis & virium in idolorum cultum & honorem effusè contulerunt, cum tamen ab illis nihil præter stragem, & ignominiam consecuti sunt. Quæ adeò aliis non potuerunt esse præsidio, vt ipsa non euitarint, quominus inter alia spolia, prædæ quoque fuerint hosti victori. Propterea eò desperationis dicuntur esse venturi, vt opprimi optent à ruentibus saxorum molibus, dummodo ærumnosam vitæ conditionem effugiant. Cum verò illorum stultum, & inutilem laborem exprobrasset, ex quo fructus sperari posset nullus, hortatur vt meliùs ponant, atque prudentiùs, quod reliquum est temporis, ne cæco subitóque tumultu talia patiantur, qualia Salmana olim à Gedeone.

CAPVT X.

1. *Vitis frondosa Israel, fructus adæquatus est ei: secundùm multitudinem fructus sui multiplicauit altaria, iuxta vbertatem terræ suæ exuberauit simulachris.*

2. *Diuisum est cor eorum, nunc interibunt: ipse confringet simulachra eorum, depopulabitur aras eorum.*

3. *Quia nunc dicent: Non est rex nobis: non enim timemus Dominum: & rex quid faciet nobis?*

4. *Loquimini verba visionis inutilis, & ferietis fœdus: & germinabit quasi amaritudo iudicium super sulcos agri.*

PARAPHRASIS.

1. ABundauit Ephraim, & frondium amœnitate, & palmitum ambitiosa luxuria, neque fructus defuere copiosi, quemadmodum illa tanta luxuries promittebat: iuxta vbertatem suam, & excitauit aras, & finxit simulacra. Quicquid enim opum habuit, aut virium, id totum in nefarium idolorum cultum impendit, impensurus plura, si pluribus abundaret.

2. Non poterit effugere, quin intereat: cùm cor illius, dum idola sequitur, & ab illis gratiam aucupatur, destructum sit à me. Sed ille idem à quo Ephraim secutus simulacra diffregit, per hostium manus illa cōminuet, & aras sic disperdet, ad quas impiæ ducebātur victimæ, vt nullum ex eis vestigium supersit.

3. Cùm igitur confracta simulacra videant, & aras subuersas tum regem secum in exilium rapi, dicent tunc vexatione docti: En quomodo orbati sumus rege! qui eidem nobiscum alligatus iugo. Quod nobis infortunium ideo contigit, quia à veri Dei timore, atque obseruantia defecimus. Ecquod à rege nostro sperari potest, in hac rerum conflictione, perfugium?

4. Reputent autem secum pseudoprophetarum verba, quorum decepti vaticinio fallaci, tantis se malis implicuerunt, di-

Digitized by Google

5. Vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ, quia luxit super eum populus eius, & æditui eius super eum exultauerunt in gloria eius, quia migrauit ab eo.

6. Siquidem & ipse in Assur delatus est, munus regi vltori: confusio Ephraim capiet, & confundetur Israel in voluntate sua.

7. Transire fecit Samaria regem suum quasi spumam super faciem aquæ.

8. Et disperdentur excelsa idoli, peccatum Israel: lappa & tribulus ascendet super aras eorum: & dicent montibus: Operite nos; & collibus: Cadite super nos.

9. Ex diebus Gabaa, peccauit Israël, ibi steterunt: non comprehendet eos in Gabaa prælium super filios iniquitatis.

10. Iuxta desiderium meum corripiam eos: congregabuntur super eos populi, cùm corripientur

A céntquè ad illos cum subamaro fastidio: Loquimini verba vaticinij, mendacij, & visionis, cui nulla inest vtilitas, ac fides: & quod è vestro cerebro, quasi diuinum foret oraculum, expromitis, interposita iurisiurandi religione, & diuinæ fidei auctoritate confirmante, & dum nos aures dociles, & animos obsequentes præbemus, id assequemur commodi, vt ex sulcis, quos vestra somnia, & fanaticæ magæ seminarunt, quasi ex amara radice, iudicium seuerum, & amarum absynthium colligamus.

B 5. Vitulos aureos, quos in Bethauen locauit Ieroboam, adorauerunt viri Ephraimitæ, quorum Samaria caput est, & regia sedes: verumtamen illi idem illis sublatis dolebunt, atque plorabunt: plorabunt quoque æditui, & templorum mystæ, qui in vitulorum gloria, propter priuata commoda, priùs exultauerant, cùm iam inde procul fuerint ablati, vbi neque illis impē detur honor, atque ipsis cessabit omnis ex eorum religione commoditas.

C 6. Ipsi namque vituli, inter alia spolia, ad regem Assyriorum, cui vltor & vindex cognomentum erat, tanquam præcipuum aliquod munus deferrentur. Quod cùm fieri videat Ephraim, erubescet pudore cōfusus, suúmque consilium serò damnabit, cùm id videat tam ignominiosè ac facilè esse deletum, quod subsidio sibi firmo fore existimabat.

7. Amisit Samaria regem suum, qui sic euanuit à rege sublatus, sicut spuma quam excitauit ventus, aut feruor super aquam,
D quæ momento temporis tota dissipatur, & perit.

8. Neque tantùm vitulus, qui rex erat Samariæ, sicut spuma gracilis repentè vanescet, sed loca etiam excelsa idolis consecrata perdentur, in quibus commissum fuit ab Israele peccatum. Vbi autem idolorum aræ aromate, ac victimis frequenter fumabunt, lappæ orientur, & tribuli. Tunc autem ea desperatione ac mœrore afficietur Israël, vt statum illum optet cum duro mortis genere commutare. Atque ideo dicent vrgentibus malis: O montes, ô colles,
E in quorum hiatus, ac speluncas confugimus, cadite, operite, & obruite nos.

9. Peccauit Israel supra peccata Gabaa, quorum mores fuere olim in omnem turpitudinem, & infamiam proiecti, & illis diu perseuerarunt. Atque ideo longè grauiore prælio vexabitur, conficietúrque ab externis hostibus, quàm quo à cognatis tribubus confecti sunt ciues Gabaa, viri nimirùm iniquissimi.

10. Congregabo namque super eos externos populos, & illorum victricibus ar- mis

tur propter duas iniquitates suas.

A mis furori meo ac desiderio satisfaciam, cùm illos propter duo mala seuerè corripuero. Alterum fuit incontinentia, ac profunda luxuria, qualis olim fuit apud Gabaitas: alterum idololatria, quam ad Gabaitarum intemperantiam addiderunt.

11. Ephraim vitula docta diligere trituram, & ego transiui super pulchritudinem colli eius: ascendam super Ephraim, arabit Iudas, confringet sibi sulcos Iacob.

11. Ephraim illis se tradidit studiis, in quibus minus esset laboris, ac molestiæ, plurimum verò voluptatis, aut vsus: sicut vitula, quæ iugum detrectat & aratrum, in quo durus est labor, & pro ipso labore leuando, nulla commoditas: amat verò trituram, vbi labor est leuior, & pabulum paratum, & præsens. Sed ego collum eius pulcrum, & indomitum, imposito iugo submittam, & frangam: ascendam super Ephraim, qui sessorem & frænum non admittebat, & ad agros vomere subigendos adigam. Quod patietur quoque Iuda, si eorundem scelerum se sociam adiunxerit.

12. Seminate vobis in iustitia, & metite in ore misericordiæ, innouate vobis nouale: tempus autem requirendi Dominum, cùm venerit qui docebit vos iustitiam.

12. Quod si paratum vobis malum declinare est animus, nolite iam ampliùs longam vobis sementem spinarum facere, id est, crudelitatis & iniustitiæ: neque enim dubium, quin ex illis aculeati manipuli colligendi sint: sed seminate misericordiæ semina, in agro iustè & legitimè subacto, & quantum in illis misericordiæ fuerit, tantum erit honestæ, & pretiosæ messis. Quare agros deserite iniustitiæ, & desertum tādiu atque incultum agrum misericordiæ renouate, & ad satum meliorem disponite, & dum tempus adhuc opportunum superest requirendi Dominum, ne illud perire patiamini, sed expectate, donec propitius Deus reipsa doceat, & ostendat fructus, qui ex misericordiæ, atque iustitiæ sulcis pullularint.

13. Arastis impietatem messuistis, comedistis frugem mendacij: quia confisus es in viis tuis, in multitudine fortium tuorum.

13. Satis diu, ô viri Ephraimitæ, lusistis, ac perdidistis operam: seminastis enim in impiis alienæ regionis sulcis corrupta semina, & supplicium inde iniquitati debitum, ex stulto illo labore retulistis. Peperit vobis sementis illa mendacem, ac lapidosum panem: quia abiecto Deo, qui vobis vnus salus esse potuit, in vestris machinationibus & consiliis bellatorúmque multitudine, ac robore spem omnem, atque fiduciam collocastis.

14. Consurget tumultus in populo tuo: & omnes munitiones tuæ vastabuntur, sicut vastatus est Salmana à domo eius qui iudicauit Baal in die prælij, matre super filios allisa.

14. Inopinatus erit hostium appulsus, tantúsque repentè tumultus excitabitur, vt omne etiam à prudentibus consilium eripiat. Quare quicquid munitionum aduersùs hostilem impetum comparasti, sine vllo operæ tantæ pretio ab hoste vastabitur. Non aliter quàm superbissimus olim, & potentissimus Salmana à Gedeone (qui per irrisionem, & iocum dixerat vindicandum esse Baal) eodem die, quo primum est initum prælium, superatus est, cuius tanta

15. Sic fuit

15. *Sic fecit vobis Bethel, à facie malitiæ nequitiarum vestrarum.*

A fuit ab hoste facta cædes, vt non solùm qui in castris fuerant Salmana conficerentur, aut suo, aut hostium ferro, sed etiam cum liberis ipsæ quoque matres, quæ bello non interfuere, trucidentur.

15. Hanc vobis stragem afferent vituli, quos pro diis vobis locastis in Bethel. Hic peccatorum vestrorum fructus est.

Vers. 1. *Vitis frondosa Israël, fructus adæquatus est ei.*]

1. INDEM Propheta persequitur argumentum, Israelisque gloriam amplificat, quam ipse statuebat esse maximam in numerosa, atque eleganti sobole. Hanc verò gloriam optimè vocat vitem, quam contexit, & ornat foliorum ambitiosa luxuries. Vt enim vitis, quæ syluescit nimium, & tota in propagines, frondésque diffusa, vanescit, nihil affert fructus vinitori, sic Ephraim, seu Israel, dum comptulos procreat, & alit adolescentes, & tractandis armis ineptos, &, quod caput malorum omnium est, ab auita religione degeneres, nihil aluisse videtur præter frondes, id est, non tam filios, quàm B filiorum ambitiosam, atque inanem vmbram; qui fructus vanis parentum studiis adæquatur. Neque enim vanitati quidquam nisi vanitas respondere potest. Hanc explicationem attulit priori loco Hieronymus, aut certe nō admodum diuersam, quam sequuntur, aut certe ad quam alludunt plures alij. Haymo, Rupertus, Vatablus, Figuerius. Audi Hieronymum, *Vites quæ putatæ à vinitore non fuerint, in flagella frondésque luxuriant: & humorem, quem debuerant in vina mutare, vana frondium, & foliorū ambitione disperdunt: istiusmodi vitis dānosa est agricolis. Talis fuit Israel crescens in multitudine populorum, & non reddens fructus agricolæ Deo.* Ad hanc priorem C Hieronymi sententiam faciunt plurimum antiquæ translationes, quæ vocem Heb. בוקק *bokek*, pro qua Hieronymus *frondosam* vertit, affini aliqua significatione conuertunt. Aquila ἔνυδρον reddidit, id est, aquosam; aut vt Hieronymus etiā putat ἔξυδρον; quia vini perdit saporem. Ideo ego crediderim ἔνυδρον appellari, quia quæ irriguo loco sata sunt, quæque ideo vocari possunt aquosa, in frondes potius, & propagines, quàm in fructus totam vim fœcunditatis effundunt. Quare de vitibus dixit optimè Maro lib. Georgic. 2.

Littora myrtetis lætissima; denique apertos
Bacchus amat colles.

2. Symmachus reddidit ὑλομανοῦσαν, id est, vt Hieronymus interpretatur, *quæ tota in frōdibus creuerit:* D aut si vim duarum partium compositionis Græcæ consideres, sic exponas licet; vitem immoderate, aut etiam insanè, seu furiosè syluescentem. Septuaginta εὐκληματοῦσα, id est, vt Hieronymus explicat, *bona habens propagines, & flagella fructifera.* Mihi nō videbatur malè redditurus, qui ita conuerteret; propaginum multitudine, ac diffusione luxurians, εὖ enim vt norunt in Græcis mediocriter versati, non solùm quod rectum est, & vtile, sed etiam, quod fœcundum est, & multiplex, significat, & valet, quod apud Latinos *abundanter*, sicuti etiam *bonum*, & *bene*, *multum* sæpe significat, & *valdè*: vt *bona pars hominum*, id est, magna pars; *bene doctus*, id est, valde doctus. Sic Græci illum, qui longam habet comam, id est, bene comatum, εὔκομον vocant, εὐκτέανος, seu εὐκτήμων dicitur locuples, seu qui multas habet possessiones.

Bonus saepe pro multo, & bene pro valde.

3. Altera Hieronymi explicatio est, iuxta Septuaginta translationem, quo sensu ipse accepit vocem εὐκληματοῦσα. Ait igitur, Israel, antequam a religione desiceret, exuberasse ramis, & illorum multitudini, atque abundantiæ fructuum quoque bonitatem, ac fœcunditatem respōdisse: At postea totam illam fructuum abundantiam, in diuinam offensam fuisse conuersam, vt quo magis abundaret opibus, eo pluribus abundaret inanium Deorum simulacris. Hæc Hieronymus. In quam sententiam cum ipso alij penè interpretes tam B Græci, quàm Latini conspirant, cum aliqua tamen differentia. Quidam enim de vbertate intelligunt antiqua, cuius fructus fuit illorum sanctitas, quæ superioribus sæculis in eo populo viguit. Ita putat Haymo. Alij exuberasse dicunt populum sarmentorum propagine; quæ latè vsque ad mare terram impleuit. Iuxta illud Psal. 79. *Extendit palmites suos, vsque ad mare, & vsque ad flumen propagines eius.* Illam tamen gratiam tot bonorum largitori retulit, vt quo magis esset in locorum spatia diffusa, & pluribus abundaret filiis, eo plura in idolorum cultum excitaret altaria.

4. C Quidam Hebræorum magistri, quibus ex nostris nonnulli subscribunt, illud בוקק, vastatum aut dissipatum esse putant. Quare vitem illam Israeliticam vastatam interpretantur. quòd si vastata, fructus illi adæquatus nullus erit, quia etiam vitis illa nulla est. Sed noua hæc explicatio nullo modo est admittenda: quia contrà stat antiquorum omnium recepta translatio. Neque contrà pugnat vox Heb. בוקק, siue illa à בוק, siue à בקק deriuetur. Inter alia etenim idem est quòd *euacuo*. Quare Pagninus vertit, *vitis vacua*. Vacuum autem dicimus, quicquid est sine fructu, quantumuis inani, atque ambitiosa pulcritudine fulgeat: quemadmodum vacuos dicimus, aut D inanes conatus, quos nulla sequitur vtilitas; orationem vacuam; quantumuis numeris, & verborum pigmentis efflorescat, si absint, & rerum momenta, & sententiarum pondera. Vacuam igitur appellat Hieronymus vitem, dum frondosam appellat, quia quantumuis frondibus, & pampinis abundet, inanis est.

Vacuum quid [illegible]

5. Ego in vite frondosa, non puto significari vacuitatem, aut orbitatem a frondibus, qui expectari solent a fœcunda vite, id est, a vino, atque aliis commodis, quæ capiuntur ab vuis, & si allegoricè hæc interpreteris, ab opibus, à filiis, & à rebus aliis, quæ numerantur in bonis. Sed quia hæc ad turpes, & inanes vsus collata sunt, ad Deorum nempe fingenda simulacra, aut ad superbam opum ostentationem; frondes hæc, & pampini

existimari potius debent, quàm racemi. In cogitationem aliquid conferunt superiores sententiæ; licet non omnes inter se consentiant. Et quæ sequuntur, omnia bellè cum hac expositione conueniunt.

6. *Fructus adæquatus est ei.*] Id est, fructus attulit copiosos, quales illa tanta fœcunditas, & foliorum ambitio promittebat. Aut fructus respondit votis viris illius, seu vinitoris. Nam vt vitis illa palmites suos extendit vsque ad mare, sic etiam ad mare vsque populis abundauit, & innumerabili filiorum sylua.

7. *Secundum multitudinem fructus sui multiplicauit altaria: iuxta vbertatem terræ suæ exuberauit simulacris.*] Querebatur Deus suprà *cap.* 2. *v.* 8. quòd ex argento, atque auro simul quod ab ipso cumulatè accepisset Ephraim, imagines conflauisset impuras; & vinum, & oleum ab ipso donatum in idolorum sacrificiis consumpsisset. *Ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt Baal.* Et Ezech. cap. 16. v. 17. *De auro meo, atque argento meo, quæ dedi tibi, fecisti tibi imagines masculinas, & fornicata es in eis.* Hoc idem nunc Deus Israeli per Oseam exprobrat, dum ait populum illum sic fuisse in omnem idolomaniam effusum, vt quicquid haberet opum, & virium, id totum ad idolorum conflanda simulacra contulerit; collaturum plura in illud opus, si abundaret pluribus. Credo autem populum illum consentaneè ad illa quæ nunc audimus à Propheta, non solùm pro facultatum modo exuberasse simulacris, sed etiam, quo maior esset facultatum accessio, accessionem quoque fieri ad idolorum numerum, & pretium materiæ. Quare qui priùs è figulari creta, aut è ligno, aut marmore simulacra fingebat, vbi res paulo esset ornatior, conflabat ex ære, argento, auro atque pretioso lapide. Sic Maro *eclog.* 7. *ad Priapū*, quē suprà Beelphegor appellari diximus,

Nunc te marmoreum pro tempore fecimus; at tu
Si fœtura gregem suppleuerit, aureus esto.

Opum abũdantia peccatorum occasio.

Et Silius Italicus lib. 7.

——— *Hoc tibi diua*
Interea velamen erit, si pellere nostris
Marmaricam terris nubem dabis, omnis in auro
Pressa tibi varia fulgebit gemma corona.

8. *Diuisum est cor eorum, nunc interibunt.*] Cor hoc loco, sicut alibi millies, pro voluntate sumitur amore, aut animo, quod si diuiditur, id est, in varia dissecatur studia, necesse est, vt statim intereat. Quemadmodum omne vulnus licèt acu punctum in corde lethale est. Quomodo verò cor sit diuisum, incertum est, & obscurum; Græci Doctores, Cyrillus, Theodoretus, Theophylactus, & alij quidam ex Latinis, diuisionem hanc in multiplicem, & varium idolorum cultum interpretantur; dum alij vnum, alij atque alij alium, atque alium Deum venerantur. Tunc autem quia in varia studia dissecantur populorum animi, necesse est vt populus dissoluatur, & pereat. Quomodò Christus dixit. Lucæ cap. 11. v. 17. *Omne regnum in seipsum desolabitur.*

Anima à Deo diuisa moritur.

9. Hieronymus, Haymo, Albertus, & Hugo diuisum esse dicunt cor regis, & populi, eo tempore, in quo hæc prædicebantur ab Osea, putat enim Hieronymus ex Hebræorum sententia, quam non satis videtur probare, ortam esse seditionem inter Osee regem Israel, & populum, cùm rex ad templum, & veterem religionem reuocare vellet populum illum; populus verò contra obluctaretur, & omnino de-

A tractaret imperium. Hæc tamen sententia in eo maximè laborat, quo nihil certum affert, neque meo iudicio, verisimile de hoc regis, ac populi dissidio.

Minus improbabiliter Lyra, diuisum esse dicit Israelitarum cor, quia sic Deum verum colere se profitentur, vt etiam honores diuinos impendat idolis, cor autem inter dissimillima istæc studia diuisum necesse est vt intereat. His dicebat olim Elias 3. Reg. cap. 18. *Quousque claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum, si autem Baal, sequimini illum.* Hanc etiam sententiam indicat Cyrillus: & addit illud Lucæ 16. *Nemo potest duobus dominis seruire.*

B Mihi omnium probatur maximè illa cogitatio, quæ diuisionem illam inter Deum statuit, & populum, quia videlicet secessit a Deo, dum vano sese addixit idolorum cultui. Hinc enim orta prima mali labes, hinc fractæ vires, hinc excitati hostes, hinc strages edita, hinc orta captiuitas. Ita Chaldæus, & cum illo quidam Hebræorum magistri. Theophylactus in priori explicatione, Rupertus, Vatablus, neque aliquid habes, quod huic opponas. 10.

Vers. 2. *Ipse confringet simulacra eorum, depopulabitur aras eorum.*] Ipse Deus, à quo diuisum est cor populi, ostendet quàm sit tutela futilis illorum deorum, quibus simulacra conflata, & altaria 11.
C constructa, statuæ quippe confringentur, & in sordida vasa constabuntur; subuertentur aræ, neque vllum supererit superstitionis sceleratæ vestigium. Hoc sæpe alibi minatus est Deus Isai. cap. 46. v. 1. *Confractus est Bel, contritus est Nabo: facta sunt simulacra eorum bestiis, & iumentis* (nempè onera, quia in captiuitatem ipsa quoque translata) de vitulis Samariæ dictum est suprà cap. 8. v. 6. *In aranearum telas erit vitulus Samariæ.* Vbi diximus a quibusdam pro aranearum telis reddi *scissilia*, seu *frusta*. Comminuti quippe vituli, & in frusta contracti e suis fanis, & aris abducti sunt, vt ex illis cuderentur nummi, aut vasa fingerentur ad meliores vsus opportuna.

D Vers. 3. *Quia nunc dicent: Non est rex nobis, non enim timemus Dominum, & rex quid faciet nobis?*] 12.
Cùm eò deducta fuerit res Israelitica, vt cum diis, quos sibi stolidi ex metallo conflauerant, iam in frusta conscissis auherentur in exilium, tunc a vexatione edocti vel inuiti cognoscent, quanto in errore versati sunt, cùm Deum abiecerint, à quo vno sperari salus poterat, & sine quo vanum est, ac futile, quicquid parare potest humana potentia. Dicent igitur tunc quando cum suo rege simul extorres abducantur a patria: En quomodo orbati sumus à rege, qui eidem nobiscum alligatus est seruitutis iugo. Quod nobis infortunium ideo contigit, quia à veri Dei,
E quem parentes nostri coluerunt, obseruantia defecimus. Neque irato Deo rex noster quantumcunque potens viribus, & rei militaris solertia, atque vsu quicquam præstaret, cùm staret contra violati numinis, & grauis offensio, & potentia maior, quàm vt ab humanis viribus sustineri posset. Porrò *timere* obseruantiam significat religiosam, qualem Deo exhibent viri pij: vnde etiam fit vt *timor* aliquando sumatur pro Deo.

Vers. 4. *Loquimini verba visionis inutiles, & ferietis fœdus.*] Locus hic variè à variis redditur. 13.
Tigurina, *loquuti sunt verba delerando in vanum, & fœdus pangendo.* Pagninus, *locuti sunt verba deierando mendaciter: feriendo pactum.* Septuaginta, *Rex autem quid faciet nobis? loquens verba occasiones menda-*

ces,

zed by Google

ces, disponet testamentum. Chaldæus, *loquimini verba violentia, & ad rapinam spoliantia; falso iurant, vt vanum feriunt fœdus.* Antiqua translatio Hispanica: *Fablaron palabras, iuraron iura de vanidad, confirmaron pleytesias.* Vide quam omnes inter se, & quam longe dissideant a vulgato. Si tamen accuratius expendamus, licet dicendi modus sit diuersus, sententia tamen non vsqueadeo diuersa est, vt non ad Hebraica verba, quæ nunc habemus, cogi possit. De verbis, *loquimini*, & *ferietis*, quæ aliter alij reddunt, non laboro; quia literæ illæ aliis notatæ punctis, quæ post Hieronymi tempora inuenta sunt, illorum omnium temporum significationem important. Vox Heb. אלות *aloth*, pro qua vulgatus reddidit *visionis inutilis*, iuramenta valet, & execrationes. Hæc verò Hieronymus non tam intento in verba, quam in sententiam animo, aliter expressit, cum hæc de prophetiis exponeret falsis, quibus populus nimium credulus seductus est, & extrema passus; quas cum non putarent apud populum, quantumuis delirum, habituras esse pondus, illas iuramento confirmabant, additis interdum execra-
14. tionibus. Præmittebant enim iusiurandum illud familiare, quo in confirmandis promissionibus, ac minis vtebatur Dominus, *Viuo ego*, aut *si non fecero*, & similia, in quibus cum iuramento aliquid etiam execratorium admiscetur. Quare qui *visionem inutilem* dixit, *iuramentum* dixit, res etenim, quæ censeri possent inutiles, & vanæ, quæque fidem sibi nó merentur, si maior absit fides, qualis à iuramentis, aut execrationibus accedere solet, nullum existimantur habere pondus. Neque, credo, aliud intellexerunt Septuaginta, cùm dixerunt, *occasiones mendaces*; vbi enim Latinus interpres *occasiones* reddidit, Græcè est προφάσεις, quæ vox licet sæpius *occasionem*, si tamé vocis notationem inquiras, etiam *prædictionem*, aut *vaticinium* valet, deducitur enim à verbo πρόφημι, quod est *prædico*, a quo etiam *Propheta* nomen deriuatum est. Ita putat Ribera, cuius ego cogitationem valde probo.

15. Quod ad sententiam attinet, si ita legas, sicut iuxta Hebraicos codices, quos nunc habemus, recentiores transtulerunt interpretes, explicatio difficilis non est. Iurarunt enim Israelitæ, idque additis execrationibus confirmarunt, deserendum esse verum Deum, & omnino adhærendum idolis, & ea de re fœdus legitimè sanxerunt. Aut certe percusserunt fœdus prius cum Assyriis, deinde cum Ægyptiis, quorum societate omnia ab omni periculo vacua fore putabát. Aut certè iurarunt falsi prophetæ mendaciter, vt suis verbis fallacibus, & vanis diuinam conciliarent auctoritatem, & fidem: auctoresque fuerunt, vt contribules sui cum alienis Gentibus fœdus, & societatem inirent.

16. At iuxta vulgatam, vt ipse indicat Hieronymus, aliquid est admixtum ironiæ. *Dicite*, inquit, *quid vultis, errores veteres suspirate, pollicemini vobis prospera, quæ vertentur in contrarium; fœdus ferietis nequaquam cum Deo, sed cum mendacio.* Hæc Hieronymus. Quibus verbis significat magnus Doctor solere Israelitas retractare, aut tacite secum, aut in conuentibus, ac circulis cum aliis, quæ audiissent à pseudoprophetis, qui pacem promittebant, & securum otium; si aut cum idolis fœdus, aut cum peregrinis populis inirent: modus autem loquendi per ironiam, non tam iubet vt aliquid fiat, quam ne potius fiat, retardat, & vetat.

Et germinabit quasi amaritudo iudicium super sulcos agri. 17. Quæcunque opera, seu consilia nostra semina dicuntur, quæ pro natura sua varios producunt fructus: qui seminant in lacrymis, aut qui lacrymas seminant, exultationem metent, qui geminus lacrymarę partus est: qui in carne metet corruptionem, qui in spiritu vitam æternam, ad Gal. 6. Seminarunt in sulcis suis Israelitæ, cum à Deo recesserunt, radicem amaritudinis, quæ peccati apta descriptio est, inde necesse fuit, vt germen erumperet amarum, & suæ consentaneum radici. Sunt quidem alia semina interdum euanida, interdum sic mandata terræ importuno, atque infelici satu, vt fallatur omnino spes agricolæ, & copiosæ sementi nullus respondeat prouentus; at peccati semina semper aliquid pariunt, quod homini lacrymas, aut perniciem afferat. Eccli. 7. v. 3. *Fili non semines mala in sulcis iniustitiæ, & non metes ea in septuplum.*

Cum sem. semina non semper, peccatum tamen semper parturit fructum.

18. Qui sint illi sulci obscurum est; ego sulcos illos esse arbitror, qui suprà dicti sunt adinuentiones, consilia videlicet illa, quæ non sunt à Deo, sed ab hominum arbitrio delirante, & temere ad animales sensus inclinato: quo sensu nunc, opinor, à Hieronymo dicuntur Israelitæ iniisse fœdus cum mendacio, in quo etiam optime potest idolum intelligi: quod etiam sensisse videtur Hieronymus. *Fœdus, inquit, ferietis nequaquam cum Deo, sed cum mendacio: & post fœdus germinabit vobis non seges fœcunda frumenti, non saltem iumentorum cibus hordeum, non legumina varia, non vites, sed orietur vobis amaritudo.*

19. Fortasse hic sulci vocantur externi populi, quorum fœdus, & societatem ambierunt Hebræi, vt semina iacerent tranquillitatis, & otij; illius verò societatis procuratio, seu tentatio, optime sulci, aut vomeris appellatione significatur. Qui enim fructus ex agro quærit, prius illum vomere proscindit & subigit. Sic qui fructum quærit, nempe pacem, & otium, quæ hominibus maxime in votis sunt, sulcum imprimit, & quodammodo animos disponit, & subigit, a quibus fructus tranquillitatis expectat. Hoc indicat illud *Deut. cap. 29. v. 18.* vbi sic Hebræi auertuntur ab idolis, vt etiam arceantur à Gentilium familiari congressu, licèt ibi obscurius, alibi tamen hoc ipsum studiosè commendatur, quo allusisse videri potest Propheta, quia omnia, quæ eo in loco, & sub eadem metaphora dicta sunt, huc accommodatissime conferri possunt. *Vidistis abominationes, & sordes, id est, idola eorum, lignum, & lapidem, argentum, & aurum, quæ colebant: Ne forte sit inter vos vir, aut mulier, familia, aut tribus, cuius cor auersum est hodie à Domino Deo nostro, vt vadat & seruiat diis illarum Gentium; & sit inter vos radix germinans fel & amaritudinem.*

20. Iudicium quasi amaritudo, nihil est aliud, quam iudicium amarum; quod est supplicium illud, quo Dominus populum iam pridem rebellantem afficiet, vbi vulgatus *quasi amaritudo*, Heb. est כראש *caros*, id est, sicut caput. Caput autem capitale aliquod venenum significat. Quod vulgatus aliquando *venenum*, aliquando *fel*, aliquando *amaritudinem* conuertit. Ex Hebræis quidam cicutam, alij toxicum esse volunt. L X X. transtulere ἄγρωστιν, quæ vox gramen sonat, quæ herba sponte nascitur, & latissimè serpit, quæ per singula geniculo rutica sursum, & radicem mittit deorsum; denique si sicca eius aliqua pars, dummodo geniculum habeat, super cuius terra ceciderit, omnia replet gramine. Hæc ex Hieronymo.

Ex agrorum sulcis germinasse dicitur amaritudo, absynthium, & fel, id est, ex idolorũ nefario cultu, quorum aræ sic videbantur in agris frequentes, sicut frugum acerui extant ex agrorum sulcis, sic statim Oseas cap. 12. v. 11. *Altaria eorum quasi acerui super sulcos agri.*

21. Vers. 5. *Vaccas Bethauen coluerũt habitatores Samariæ.*] Hinc Hieronymus librum tertium commentariorum orditur. Hic nobis, priusquam capitis explicationem aggrediantur, videndum est, cur Propheta, quos sæpe in masculino genere appellauit vitulos, nunc in fœmineo vaccas appellet. Deinde, cùm in Bethel, quæ postea propter religionem impiam vocata est Bethauen, vnus tantùm fuerit constitutus vitulus a Ieroboam; (nam alter è duobus positus est in Dan, id est, in extremis finibus terræ promissionis) vaccæ tamen in Bethauen plurali numero ponantur.

22. Quod ad genus attinet, Hieronymus irrisionis gratia ait vitulos in fœmineo genere vocatos esse vaccas. Quod in omni credo idiomate familiare; cùm enim aliquem ignauum, aut mollem significare volumus, id muliebri compellatione facimus. Sic Numanus apud Virgil. *lib. 9.* dum Troianis imbecillitatem exprobrat, & ignauiam, non Phryges appellat, sed Phrygias. Sicut etiam Homerus *Iliad. 8.* ἀχαιίδας vocat, non ἀχαιούς. Et Isaias cap. 3. v. 12. *Mulieres dominatæ sunt eis.* Vt ergo Deus ostendat à vitulis nil sperari posse magnum, & opportunum; non vitulos vocat, aut tauros, in quibus constantia spectatur, & robur, sed vaccas, aut vitulas, quæ imbelles sunt, & facilè deficiunt.

REGVLA. Genus fœmineum in irrisione pro masculino ponitur.

23. Optimè quidem Hieronymus. Aliter Ribera qui multis docet, neque ineruditè, neque vitulum quem antea conflauerunt Hebræi ad montem Sinai, neque duos alios, quos ad illius imitationem finxit Ieroboam, masculini sexus aliquod habuisse signum, cùm tantùm essent expressa vitulorum capita, ex quibus non magis vitulos, quàm vitulas fuisse conijcies. Fecisse autem Ieroboam plures vitulos, aut vitulas, ad antiquissimi vituli exemplar, ex eo fit probabile, quia iisdem verbis vsus est in illorum dedicatione Ieroboam, *lib. 3. Reg. cap. 12. v. 28.* quibus parentes olim ad mõtem Sinai alterum dedicarunt, *Exod. cap. 32. v. 8.* vterque etenim dixit, *Ecce dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti*; quia verò alicui durum videri poterat, tantum vitulorum expressum esse caput, sicut viro cuidam docto visum est; cui ego id difficile persuadere potui, ideo hoc mihi accuratiùs explorandum est. Ita docet Hieronymus super hunc Prophetam *cap. 7.* in primis verbis, *In eremo vituli conflauerunt caput, atque dixerunt: Isti sunt dij tui Israel.* & *cap. 11. v. 3.* ad illud, *Et ego quasi nutritius Ephraim. Cùm peccassent*, inquit, *& fecissent sibi vituli caput, dedi locum pœnitentiæ.* Aug. ad illud Psal. 73. *Dedisti eum escam populis Æthiopum, ipsum*, ait, *caput vituli in ignem misit, & exterminauit.* Ambros. lib. 1. de pœnit. cap. 8. *Moyses rogauit, quando vituli caput fidei immemores adorauerunt.* Lactãtius lib. 4. cap. 10. *Cum Moyses dux Hebræorum ascendisset in montem, atque ibidem quadraginta diebus moraretur, aureum caput bouis, quem vocant Apim, quod eis signo præcederet, figurarunt.* Idem Rupertus in illud Amos 5. *Nunquid hostias.* Et in eadem verba Beda *Actor. 7.* Cùm ergo Ieroboam ad huius vituli similitudinem, duos alios conflasset, verisimile est duo potius capita, quàm tota vitulorum corpora ex auro formasse. Quod etiam Septuaginta confirmant, qui cùm de vitulis hisce loquuntur, non vitulos, sed vitulas appellant. *lib. 3. Reg. cap. 12* vbicunque de vitulis sermo est, quas vocant δαμάλεις, illis semper genus attribuit fœmineum. Idem facit Iosephus *lib. 8. Ant. cap. 3.* vbi sæpe vitulas appellat aureas.

Vitulorum tantum expressum caput.

Sed dicat aliquis, cùr si vitulæ sunt potius quàm vituli, Scriptura toties vitulos appellat; imò & ipsi Septuaginta μόσχον, in masculino genere aliquando conuertunt. Respondeo id vsu sæpe venire, vt masculinum genus, quia nobilius est, vsurpetur pro fœmineo. Exempla occurrunt varia, tu pauca accipe, plura apud Riberam in hunc locum inuenies. Aristoteles lib. 6. de hist. animal. cap. 3. *Leones in Syria quinquies in vita pariunt.* & cap. 35. *Lupus fert vterum, & parit, vt canis.* quæ sanè nisi de fœminis explicari non possunt. 24.

REGVLA. Genus masculinum in se concipit fœmininum.

Neque ratio deest, cur Hebræi vitulas potius, quàm vitulos adorare voluerint. Nam hos sibi Deos ad Ægyptiorum similitudinem conflarunt, apud quos non tam boues mares, quàm fœminæ in honore ac religione erant. Audi Herodotum lib. 2. longè ab initio, *Boues*, inquit, *mares eosdémque mundos, ac vitulos vniuersi Ægyptij immolant: fœminas omnes immolare non licet, vtpote Isidi consecratas. Nam Isidis simulacrum muliebre est bubulis præditum cornibus, quemadmodum Io Græci describunt. Bouésque fœminas omnes itidem Ægyptij venerantur ex omnibus pecudibus longè plurimum.* Hæc omnia probabile efficiunt quod nunc ex Ribera produximus.

Boues fœminæ magis quàm mares in honore apud Ægyptios.

Mihi non videtur difficilis solutio, si vitulum dicamus vnum constitutum primum in Bethel, eúmque eo habitu, vt licèt tantum caput esset expressum, nihilominus in eo toruitas aut vis appareret masculina, vt enim experientia docet, aliquid est in fronte, ac tota facie tauri, quod in vaccæ fronte, ac facie non videmus, vnde qui nudum tauri caput videret, non difficile taurum esse cognosceret. Adde quod frequenter in Scriptura, vituli vocantur, non vitulæ, quæ mihi ratio grauissima est. Cur verò vitulus olim ab Hebræis ad montem Sinai, & postea à Ieroboam, in Dan, & Bethel expressus fuerit, rationem affert S. Clemens Romanus *lib. 6. Constitut. cap. 20.* & Lactantius nuper, quia Apis bos colebatur ab Ægyptiis, & caput illud bouis erat Apis, cuius effigies frequẽs erat apud ipsos. Dicuntur autem vaccæ ab habitatoribus Samariæ, quia aliæ quoque effigies expressæ sunt, vel publicè, vel priuatim ad illius vituli similitudinem: vt fieri solet ab his qui Deum aliquem venerantur, qui non in sacrariis solùm, sed etiam in annulis, armillis, & torquibus illorum secum gestant effigies. Hæc porro magis constabunt ex his, quæ proximè in sequenti difficultate dicemus. Cur verò hæ in fœmineo genere vaccæ dicantur, dicemus postea nostram coniecturam, *num. 30. & 31.* 25.

Vituli videntur fuisse potius quàm vaccæ.

Deinde videamus cùr in Bethauen plures dicantur esse vaccæ, cùm vnũ tantùm vitulum, seu vitulam fuisse constet. Duos enim vitulos finxit ex auro Ieroboam; alterum posuit in Dan, alterum in Bethauen, quæ idem valet, quod domus idoli, seu domus iniquitatis. Huic obiectioni variè posset occurri. Ribera præter vitulum, seu vitulam auream, quæ inter alia idola præcipuam obtinuit locum; alias putat etiam fuisse plures vitulas, quas ad Ægyptiorum exemplum coluerunt Hebræi, quod ex eo probat, quia *lib. 3. Reg.* 26.

3. *Reg. cap.* 12. *v.* 32. in Bethel, quæ dicta est postea Bethauen, plures dicuntur constituti vituli, cùm tamen paulo antea duo vituli dicantur fuisse diuisi; alter in Dan, alter in Bethel. *Et ascendens* (Ieroboam) *altare, similiter fecit in Bethel, vt immolaret vitulis, quos fabricatus fuerat.*

27. Mihi videtur non improbabile, quando iā Israelitæ sibi persuaserant, vitulos esse Deos, ipsos priuatim apud se plures habuisse vitulos, præter illos, quos suis sumptibus ex auro constauit Ieroboam; sicut nouerant fecisse quondam Ægyptios, & Gentiles alios, qui apud se recessus habuerunt, & sacraria domestica, vbi propria colerent, & familiaria simulacra. Hæc explicatio mihi omnium maximè placet. Addo tamē tertiam, quæ satis nodum hunc exoluisse videbitur, si statuamus Bethauen non nomen esse proprium eius ciuitatis, quæ pro Bethel nomen illud supposuit, sed commune illorum locorum, in quibus aut sacrificiorū, aut actionum turpium opus exercetur. Omnes enim illi loci Bethauen, id est, domus idoli, vel domus iniquitatis appellari possunt. Quomodo à Paulo idolium dicitur quicunque locus, vbi aræ visuntur idolorum, aut aliquod obitur ministerium, aut in quo aliquod apparet impiæ superstitionis argumentum. Quare Dan appellari quoque potuit Bethauen, quia illa domus etiam fuit iniquitatis, seu idoli.

Multa inter Israelitas fuerunt vitulorum imagines.

28. Hic dubitare posset curiosus aliquis, cur cùm in Dan constitutus fuerit vitulus, non secus atque in Bethel, perquam rarò audiamus aliquid in Scriptura de Dan, de Bethel autem perquam frequenter. Huius rei causam reddidimus in nostris commentariis in Ieremiam ad illud cap. 48. *Confusa est domus Israel à Bethel*, num. 33. Quia verò nomen Bethel, seu Bethauen in hoc Propheta sæpius occurrit, neque minus hîc, quàm illic obseruatio illa necessaria est, huc quoque transcribere, non erit abs re, sic autem nos eo loco.

29. Sed dubitabis cùm non minus vitulus fuerit in Dā quàm in Bethel, cur solius hoc loco Bethel meminerit Propheta. Hæc videtur non incommoda assignari posse ratio, quia Bethel propior erat Hierosolymæ, atque ideo vitulus ille frequentiùs erat in ore Iudæorum. Ille verò alius vitulus in extremis terræ promissionis erat finibus, & vix cognitus iis qui patriam in templo religionem obibant. Adde, quòd multa fecit impietatis illius auctor Ieroboam in Bethel quæ facta non leguntur in Dan, vt habes 3. lib. Reg. cap. 12. *Altare fecit in Bethel, vt immolaret vitulis, quos fabricatus fuerat, constituitque in Bethel sacerdotes.* Adde quòd locus ille magno erat in pretio, atque in religione apud Hebræos, propterea quòd ibi Iacob in scala Dominus apparuerat, *Genesis capite* 28. & quia in loco eodem altare construxit, *Genesis* 25. Quare cùm priùs Luza diceretur, vocatus est Bethel, id est, *domus Dei.* Tanti autem fecit Israelitici generis Pater Iacob locum illum, vt non permiserit, cùm eò ventum est è Mesopotamia, aliquod à domesticis idolum inferri. *Abiicite* (inquit) *Deos alienos qui in medio vestri sunt, &c. surgite, & ascendamus in Bethel.* Nefas enim putabat vir ille tantus, si in domo Dei locus esset idolis. Quid ergo non ferrent grauiter viri pij in Bethel, id est, in domo Dei aureo vitulo datum esse locum? Sanè postquā vituli effigies sacrum illud occupauit, pro nobili illo atque augusto nomine, aliud sumpsit fœdum, & ignobile tractum ab idolis, dictus est namque Bethauen, id est, *domus iniquitatis*, seu *domus idoli*, ex quo ad res morales aliquid hinc video sumi posse præclarum. Graue est vbicunque locorum aut personarum insidere sordes, maximè eas, quæ sunt à peccatis: at si eas inuehi contingat in locum personámve quæ Deo consacrata fuerit, illud est longè grauius. Quemadmodum si in templo profanum aliquid admittatur, si sacerdos sæcularibus se sordibus immisceat: illud enim Christus speluncam dicit fieri latronum, hi aliis nominibus nihilo honestioribus appellantur. Quare vbi in his aliquid est sordidum, & impurum, aliorum peccata non recordamur, sicut vitulus aureus in Bethel fecit, vt ille alter, qui erectus fuerat in Dan, aut esset in obliuione, aut minor in eo videretur esse deformitas.

Vitulus qui in Bethel sæpius nominatur quàm qui in Dan.

Religiosi peccatum grauius.

Peccatum in loco seu persona sancta multo grauius.

Quia luxit super eum populus eius.] Hæc mihi probabilem efficiunt cogitationem meam, de qua in explicatione secunda, nempe vaccas Bethauen esse illas, quas priuatus quisque sibiipsi conflarat, vt imaginem apud se in suo sibi sacrario priuatim haberet eius vituli, quem pro Deo toti populo proposuerat Ieroboam. Neque est improbabile populum illum iam profanum, impurum, & fatuum, vt gratum aliquod officium suo vitulo præstaret, qui natura sua lasciuus est, & in Venerem pronus, vaccas finxisse ex auro, quas vitulo procaci, atque prurienti, aut offerret, aut supponeret. Quàm verò sint lasciui vituli, docuit Virgilius *lib.* 3. *Georg.* dum ait, vri fœminarum amore tauros, neque pasci herbis, sed omnino consumi Veneris æstu, atque ideo docet eò esse ablegandos, vbi fœminam non videant. 30.

Vituli valde lasciui.

Carpit enim vires paulatim, vritque videndo
Fœmina, nec nemorum patitur meminisse, nec herbæ.

Lege reliqua, quæ valde ostendunt, quanta vituli pruriant libidine. Turpia hæc videntur; sed multo turpiora edidere suæ religionis argumenta Gentiles, & eorum impudentiam imitatus Israel, maximè in sacrificiis Beelphegor, vt diximus suprà *cap.* 9. *v.* 10.

Cùm autem præcessissent vaccæ in fœmineo genere, & plurali numero, nunc singularis adhibetur numerus, & genus masculinum, in quo sine dubio vitulus intelligitur, qui primùm in Bethel constitutus fuit à Ieroboam; significari igitur posset hac generum, numerorúmque permutatione causa cur lux erit populus, id est, habitatores Samariæ, qui coluerunt vaccas Bethauen, quia sublatus est vitulus ille princeps, & masculus, cuius gratia vaccæ aliæ, quas alij apud se priuatim colebant, censebantur religiosæ. Cur enim colerent vaccas, quæ religionem, & pretium accepissent à vitulo, si vitulus confractus esset, & in aranearum telas ignominiosè conuersus, & tandem ad Assyrios translatus, apud quos nullo esset habendus in pretio? 31.

Portò locus hic obscurus est, in quo duæ voces aliquid nobis difficultatis implicant. Altera vox est *quia* in principio clausulæ, quæ si causalis est, illum sensum videtur reddere quem proximè adduximus; qui fortasse verus est. Tamen hanc vocem otiosam esse aliis Scripturæ locis persæpe pluribus exemplis ostendimus ad illud Ieremiæ cap. 4. *Ista malitia tua, quia amara, quia tetigit cor tuū.* Cuius sensum hunc esse commentabamur. Cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi, ista malitia tua amara tetigit cor tuum. Ioan. cap. 4. *Bene dixisti, quia non habeo virum.* Matth. 7. *Tunc confitebor illis, quia nunquam noui eos.* & cap. 21. *Dicite quia Dominus his opus habet.* His omnibus locis redundat, quia 33.

Quia, & quoniam otiosa sæpe in oratione.

fi

si hic *quia* otiosum esse statuas, sensus est, *Coluerunt vaccas habitatores Samariæ, & populus eius vitulum luxit aliò translatum.*

34\. Ego hîc illud *quia*, potiùs existimarem sumendum esse aduersatiue, & idem valere, quod, *sed tamen, veruntamen, at verò.* Quod nos pluribus ostendimus in nostris cōmentariis ad illud Isaiæ 66. *Quia parturiuit, & peperit Sion filios suos.* Quod quia alicui fortasse nouum videbitur, cùm tamen in Scriptura sit non infrequens, exemplis idipsum confirmemus. Et primum sit hoc quod adduximus ex Isaia proximè. *Nunquid parturiet terra in vna die? quia parturiuit, & peperit Sion.* Quod ego eo loco sic exponebam. Non poterit terra vno die concipere, aut parturire germina; neque fœminam sine longo fastidio, ac partu prolem eniti masculam; veruntamen faciet Deus, vt Sion antequam parturiat, pariat numerosam sobolem. Psal. 36. v. 20. cùm dixisset Dauid de iustis, *Non confundentur in tempore malo,* subiicit de impiis, *Quia peccatores peribunt,* id est, veruntamen peccatores peribunt. & Psal. 13. v. 6. cùm dixisset de peccatoribus, *Trepidauerunt timore, vbi non erat timor,* de iustis statim dixit, *Quoniā Dominus in generatione iusta est,* id est, veruntamen Deus cum iustis erit, atque ideo non timebunt. Psal. 43. v. 19. iustorum nomine loquens Dauid, *Non recessit retro cor nostrum, &c. quoniam humiliasti nos.* id est, cùm iusti essemus, veruntamen aut nihilominus humiliasti nos. Iuxta hæc ego commodè explicari posse arbitror hunc locum in hanc sententiam: Coluerunt habitatores Samariæ vaccas Bethauen, luxit tamē ille populus, quia vitulus sublatus est, qui videlicet vaccis illis religionem conciliabat.

Quia vox interdum aduersatiua.

35\. Altera vox, quæ huic loco obscuritatem parit, est illud *eum,* quod sine antecedenti ponitur, & quod, omnium sententia, vitulum significat. Satis notum est relatiuum adhiberi in Scriptura non rarò sine antecedenti, quod tunc fieri plerunque solet, quando res est eximia. Quomodo apud profanos Pythagoras à discipulis dicebatur *ipse*, quia nullus erat eorum cogitatione maior; neque qui illam vocē, sæpius, & honestiùs incurreret, quique sua tantùm auctoritate fidem sentētiæ, & pōdus tribuebat. Atque ideo sæpius erat in illorum ore αὐτὸς ἔφα, id est, *ipse dixit,* nempe Pythagoras. Ea fortasse de causa *eum*, pro *vitulo* positum est, quia vitulus in habitatorum Samariæ ore frequens erat, & gratus. Hoc multo frequentiùs occurrit inter Hebræos, qui nomen silent, quod in mente versabatur, & eius loco relatiuum adhibent, quasi non tam voci, quàm cogitationi suæ respondeant. Qua de re nos multa in nostris commentariis ad Cantica ad illud cap. 1. *Osculo oris sui,* de quo nimirum sponsa cogitabat, neque enim sponsi præcesserat nomen. Ioan. cap. 20. dixit Magdalena, *Domine si tu sustulisti eum,* nempe Christum, in quo ipsa tota erat, & de quo reliquos cogitare existimabat. Sic Dauid Psalmo 8. cùm nihil præcessisset ait, *Fundamenta eius in montibus sanctis,* id est, Ierusalem, quam secum contemplabatur animo. Amabant fortasse Samaritæ vitulum ad eum modum, quo Dauid Hierosolymam, aut Magdalena Christum; quare Propheta in illius cogitationem intentus pronomen posuit, nomen omisit.

REGVLA. *Relatiuum sine antecedenti ponitur, præsertim cùm antecedens aliquid est notum & eximium, aut de quo tacitè cogitamus.*

36\. *Et æditui eius super eum exultauerunt in gloria eius, quia migrauit ab eo.*] Hieronymus hîc fabulas quasdam refert Hebræorum, qui dicebant aureos vitulos, sublatos esse à sacerdotibus furto, & pro illis alios fuisse suppositos, ex vili metallo, ita tamen artificiosè deauratos, vt priores referrent. Cùm tamen in metu essent, ne aliquo modo fraus illa flagitiosa se proderet, gauisi sunt, cùm ablati sunt vituli, & dono missi Assyriorum regi, qui vltor dicitur, quia illum eo munere demereri sibi voluerunt, vt vltor ipsis esset, & vindex. Cognouisse tamen dicitur Assyrius fraudem, & de illa grauiter expostulasse cum rege Israel. Hæc Hebræorum fabula, seu fabulosa traditio, quam licèt Hieronymus non probet, ad illam tamen expositionem accommodat, & docet quibusdam visum esse, quos tamen non nominat à rege Manachem inter alia dona, quæ misit ad Phul regem Assyriorum, *lib. 4. Reg. cap. 15.* missos etiam fuisse aureos vitulos.

Hebræorum fabula de vitulis aureis.

37\. Sed est sine dubio explicatio illa verior, & solutior, quæ hîc subaudiri putat nomen relatiuum, quod Hebræis familiare est, & tunc esse sensum ploraturos æditMuos, qui priùs exultauerant, cùm vituli gloriosi priùs abducti sunt à Samaria, vbi non iam ampliùs futuri sunt in ea religione, ac pretio, in quo apud Samaritanos antè fuerant. Quòd verò apud Hebræos relatiuum omittatur, res est nota; vide Pagninum *lib. 1. institut. cap. 25.* vbi plurima adducit exempla. Tu accipe duo. Psal. 7. vbi vulgatus, *Exurge Domine in præcepto quod mandasti,* Heb. *In præcepto mandasti.* Ibidem, *Incidit in foueam, quam fecit.* Heb. *incidit in foueam fecit.* Sic ergo nunc dicendum *æditui eius, qui super eum exultauerunt.* Quæ sententia quibusdam è recentioribus probatur magis, in quibus sunt Ribera, Figuerius Manuel de Sà, Montanus, & relatiuum illud versiones aliæ, Tigurina, atque Pagnini addunt, neque abhorrent Hebræorum magistri.

REGVLA, *Relatiuum sæpe ab Hebræis omissum.*

38\. Vers. 6. *Si quidem & ipse in Assur delatus est, munus regi vltori.*] Non est missus vitulus, vt credo, ante captiuitatem, ad regem vltorem, vt ferebat illa Hebræorum traditio, de qua suprà Hieronymus. Quia sub hæc tempora, quibus prophetabat Oseas, adhuc vitulus colebatur in Samaria, suprà cap. 8. *Quoniam in aranearum telas erit vitulus Samariæ.* Et hoc ipso capite, v. 2. *Ipse confringet simulacra eorum, depopulabitur aras eorum.* & postea v. 8. *Disperdentur excelsa idoli peccatum Israel.* Delatus est igitur vitulus aureus, sicut alia spolia, quo tempore Samaria sub Osee in Assyriorum potestatem venit. Vocatur autem Assur rex vltor: quia propter potentiam præsidio aliis futurus putabatur, & iniuriarum vindex, vt pluribus ostendimus ad illud cap. 5. v. 13. *Misit ad regem vltorem.* quæ tu vide: nec enim hîc aliquid occurrit, quod addamus.

39\. *Confusio Ephraim capiet: & confundetur Israel in voluntate sua.*] Consilium videbatur iniisse Ephraim ad regni munimentum, atque tutelam opportunum, cùm proprios sibi finxit Deos, quorum religione, ac cultu à Hierosolyma, & templo reliquam multitudinem arceret. Sed vbi ciuitates suas ab hoste diripi, séque cum vitulis, diísque tutelaribus abduci videret in exilium, erubescet pudore confusus, suúmque consilium serò damnabit, cùm id sibi fraudi esse videret, quod subsidio futurum existimabat. Voluntatem autem pro consilio sumi, vox Heb. עצה *asah,* satis apertè docet.

40\. Vers. 7. *Transire fecit Samaria regem suum quasi spumam super faciem aquæ.*] Si ad verbum verba Hebraica interpretere, hic est sensus. *Sic sublatus est, aut euanuit rex Samariæ sicut spuma super aquam.*

REGVLA. *Pronomen sæpe redundat.*

Neque

Neque si accuratè rem expendas, alius est sensus à vulgato נדמה שמרון מלכה *nidmeh someron malcah, euanuit Samaria rex eius.* Illud porrò *eius* redundat in hac Latina translatione, sicut *suum* apud vulgatum, quod tamen eleganter admittit Hebræorum idioma, sicut pluribus ostendimus suprà *cap. 9.* ad illud versu 11. *Ephraim quasi auis auolauit gloria eorum.* Si verba consideres vulgati, hic est sensus. Regem suum abiecit Samaria, id est, amisit regem. quod, vt vides, nihil valet aliud, quàm regem euanuisse Samariæ.

41. Nunc videndum quisnam sit rex iste Samariæ, qui sic euanuit, vt in nihilum videatur fuisse redactus. Communiter interpretes Oseæ putant vltimum regem Israel, qui post triennalem obsidionem captus est, quo tempore totus Israelis, id est, decem tribuum dominatus interiit. Quæ sententia mihi probatur omnium maxima, quia pluribus placet. Dicam nihilominus, quod mihi magis videbatur expeditum, & in quo minus attenti lectoris curiositas offendat.

42. Putabam ego in rege aureum intelligendum esse vitulum, quod vt crederem, his adducebar rationibus. Prima, quia de rege Samariæ neque leuiter videbam vllã antecessisse, aut successisse mentionem, ita vt de illo videretur inducendus sermo; de vitulo verò, & proximè multa, & deinde non pauca. Quæ omnia valde ad hanc explicationem faciunt. Neque verò regis nomen huic cogitationi vehementer officit: idolum enim, quia præesse existimatur populis suæ religioni consecratis, rex vocari potest; & gentes Deos suos Reges salutabant. Neque aliam ob causam vocati sunt Dij quidam, quibus aliquando sacrificarunt Hebræi, Moloc, aut Melcon, & Luna apud Ieremiam Regina dicitur. Dicitur præterea vitulus *Rex* iuxta Hebræorum consuetudinem, Scripturæ sacræ familiarem metaphoram, quæ sponsum appellat Regem, sicut sponsam Reginam vocat; vt pluribus ostendimus in nostris Commentariis super Cantica *proleg. 3.* Quòd autem idolum sponsa dicatur, aut amasius, satis docet quod passim audimus idololatriam vocari fornicationem, & adulterium, & illam animam fornicariam dici, quæ aliquid in idolo agnoscit, & veneratur diuinum. Sed habemus illustre testimonium apud Isaiam *cap. 17. versu 9.* vbi idolum sponsus appellatur, & rex. Cùm enim de inanium Deorum simulacris egisset, meminisset que cubilis, quod ad metaphoricum, sacrilegúmque concubitum instrauerat, & Deum illum falsum appellasset adulterum: subdit, *Ornasti te regi vnguento, & multiplicasti pigmenta tua.* Aut fortasse rex vocatur vitulus comparatione vaccarum Bethauen, quas coluisse dicuntur Samariæ, quarum erat quasi rex, & ductor vitulus, sicut in grege masculus ductor est, & vir appellatur illius gregis. Vir quidem appellatur hircus apud Maronem Ecloga 7.

Sponsus appellatur Rex.

43. *Idolum sponsus appellatur & Rex.*

44. *Rex & ductor in gregibus.*

Vir gregis ipse caper deerrauerat.

Et alibi taurum tam virum, quàm ducem gregis vocat.

Quem legere ducem, & pecori dixere maritum.

Certare verò de imperio tauros, vitámque ideo periculis obiicere, docent, qui de re armentaria disputarunt. Virg. lib. 12.

Cùm duo conuersis inimica in prælia tauri
Frontibus incurrunt, pauidi cessere magistri,
Stat pecus omne metu mutum, mussántque iuuencæ
Quis pecori imperitet, quem tota armenta sequantur.

Hic ergo taurus gregis totius vocari Rex non

A immeritò posset. Sic puto vitulus aureus, qui quasi rex sublimem occupabat locum, maximè si accommodatur ad vituli nomen, atque metaphoram, Samaritæ vaccæ nominentur. Nominantur autem ab Amos cap. 4. *Audite verbum hoc vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ.* Sanè si vaccas finxerunt Samaritæ, quas apud se priuatim colerent in sacello domestico, vt suprà putamus non improbabile, illarum rex dux vocari potuit aureus vitulus. Quare multa mihi persuadent, non de Osee rege Israel, sed de vitulo aureo hunc esse sermonem.

Quasi spuma super faciem aquæ.] Hoc idem paulo antè dixerat cap. 8. versu 6. *quoniam in araneaB rum telas erit vitulus Samariæ.* Telas autem aranearum suprà interpretabamur fila quædam tenuissima, quæ apparent in aëre: quæ videri possunt partes quædam insecabiles, quas à dissipata spuma spiritus difflauit. Bellè autem locus iste cum illo concinit. Vbi vulgatus spuma, Hebræi קצף *keseph.* qui propriè est spuma, quæ in aqua summa à calore feruente concrescit. qualis est in olla, cui ignis suppositus est. Et ita Symmachus conuertit ἐπίζεμα, quæ vox significat id, quod aquæ feruenti innatat. Sed vt feruere dicitur mare, quando ventis agitatur, & æstuare, licèt nullus sit æstus, aut calor ab igne: sic etiam spuma maris ἐπίζεμα non incommodè dicitur: quia à feruente, atque æstuante mari despuitur. Vtra-
C que verò spuma, quacumque ex causa proueniat, facilè dissipatur à fluctibus. Vnde in rerum maximè instabilium, & fugientium amplificationem adducitur *Sapientiæ cap. 5. versu 15.* de spe impij. *Tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur, & tamquam spuma gracilis, quæ à vento dispergitur.* Et hoc idem valet prouerbium illud antiquum, *Homo bulla.* bulla etenim spuma quædam est, quæ in aqua tumet, vbi leuiter siue à vento, siue à ramo concutitur. 45.

Prover. Spuma pro re leui, aut momentanea.

Septuaginta, & post illos Theodotion φρύγανον transtulere, quod alij cremium, alij materiam leuem, atque aridam esse putant, quæ flammam citò concipit, & momento temporis à flamma cõ-
D sumitur: quales sunt herbæ aridæ, siccaque virgulta, quæ vbi concepta flamma primùm splendere cœperunt, statim extinguuntur. 46.

Vers. 8. *Et disperdentur excelsa idoli, peccatum Israel.*] Hæc satis indicant sermonem esse de vitulo, cuius gloria, & honos sic est dissipatus, sicut spuma, quæ cùm primùm tumuit, statim vanescit. Nec enim tantùm vitulus redigetur in telas aranearum, ac sicut spuma disiicietur, sed loca etiam illi consecrata perdentur, excelsa nempe, vbi sacrificabatur idolo, quod peccatum dicitur Israel. Hic verò est vitulus, qui delictum appellatur Samariæ Amos c. 8. v. 14. *Qui iurant in delicto Samariæ.* 47.

E *Lappa, & tribulus ascendet super aras eorum.*] Diximus *cap. 9. versu 6.* ad illud, *Lappa in tabernaculis eorum.* hac dicendi forma extremam vastitatem significari, inde sume.

Et dicent montibus, operite nos, & collibus, cadite super nos.] Prouerbialis forma est, qua in summo dolore, vel desperatione vtuntur homines, quos dura vexat, & agitat fortuna, quasi optent statum illum infelicem cum graui ruina, cum ipsa sepultura, & morte commutare: sicut cùm aliquid detestamur, & horremus, malle nos dicimus quamuis fortunam experiri, quam eiusmodi subire ignominiam, & casum. Cùm verò modum adhibemus prouerbialem, non necesse est, vt ta- 48.

Prover. Montes cadite super nos.

Digitized by Google

lia dicantur, ac fiant, qualis illa prouerbialis forma significat. Satis est vt talis significetur status, in quo talia fieri, aut dici solent, aut etiamsi talia sint, qualia modus dicendi talis exprimit, summum videlicet esse malum insignem ignominiam. Dixit Iesus, sic euertendam esse Hierosolymam, vt non remaneret lapis super lapidem, quod impletum est, licèt non omnis structura lapidum dissipata sit; quia illis verbis tantùm significabatur ingens ciuitatis vastitas, & ruina. De hac re nos plura in commentariis super Isaiam *cap.3.n.11.* Verum igitur est, quod dicit hîc Oseas, & Christus *Lucæ 23.vers.30.* Ioan. *Apocalyp.6. vers.16.* dixisse tam Israelitas prementibus Assyriis, quàm Iudæos, dum vrgerent Romani, *Montes cadite super nos*, quia grauissimis vexati sunt infortuniis, quod modus ille dicendi significat.

49. Hunc credo modum prouerbialem esse apud Hebræos, neque apud alios fortasse reperies: neque enim apud alios illa ratio est, quæ apud Hebræos valet. Habebant enim Hebræi speluncas in arduis inaccessisque rupibus, ad quas in extrema fortuna confugiebant, vt tradit Iosephus *lib.14.antiquitatum, cap.26. & lib.1. de bello, cap.12.* vbi illarum formã sitúmque describit. Ad hanc Hebræorum consuetudinem, genúsque munitionum occurrunt in Scriptura sacra frequentes allusiones. Isaiæ cap.2. *Ingredere in petra, & abscondere in fossa humo.* & paulo pòst, *Introibunt in speluncas petrarum, & in voragines terræ à facie formidinis Domini.* Qua de re nos pluribus super Isaiam *cap.2.num.16.* Cùm autem illi in antris sub montibus laterent, ibique paterentur grauia, & extrema metuerent, non mirum si mõtibus dicerent, quorum rimas, ac cauitates subierant, quósque habebant super se, *Cadite super nos, & collibus, operite nos.* quasi dicat, vt ait Cyrillus, hostile ferrum, & extremam exilij miseriam auertite. Id mihi omnino probat Ioan. Apocal.6. vers.16. *Reges terræ, & principes, &c. absconderunt se in speluncis & petris montium, & dicunt montibus, & petris, cadite super nos.*

Speluncæ in montibus ad quas confugerunt Hebræi.

50. Aliis gentibus aliæ sunt familiares, & quasi prouerbiales formæ, quia non habent, sicut Hebræi illud in montibus familiare perfugium. Quare vt magnum aliquod malum horrere se ostendant, illúdque declinent, fulmen optant è cælo, aut sub vastos terræ hiatus, quibus absorbeantur, aut aliquid simile. Sic Aristides in Themistocle, vt doceret illum omni dolore, ac fortunæ ludibrio esse superiorem, ea remouet ab illo, quæ mœrentis ac desperati animi argumenta sunt. *Neque*, inquit, *perplexus erat, neque consternabatur animo, neque optabat vt terra sibi dehisceret, neque beatos dicebat illos, qui iam olim essent defuncti.* Ex hac gentium imprecatione familiari, dixit Dido apud Virg. *lib.4.* cùm se animum alienum à nuptiis habere significaret,

Modi quibus summa significatur desperatio aut peccati odium.

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras
Pallentes vmbras Erebi, noctémque profundam
Ante pudor, quàm te violem, aut tua iura resoluam.

51. Alij sunt præterea modi quibus euulgabant Hebræi desperantis animi aut mœrentis affectum, sicut Iob cap. 3. *Pereat dies in qua natus sum*, &c. *Quare non in vulua mortuus sum, egressus ex vtero non statim perij?* & Ierem. cap.20. *Maledictus vir, qui non me interfecit à vulua, vt fieret mihi mater mea sepulcrum.* Hæc verba, quæ dicta sunt à Iob, & Ieremia, neque desperantis sunt, aut impatientis

A animi, sed tantùm vsitatæ, ac prouerbiales species, quibus animi languentis, atque afflicti mœror explicatur.

Vers.9. *Ex diebus Gabaa peccauit Israel.*] Hic locus variè ab aliis explicatur, & reuera ille difficilis est, & in varias cogitationes patet. Hieronymus, quem sequuntur frequentes alij, significari putat iam pridem in Israel hæsisse peccatum, à diebus videlicet Gabaa, id est, ex quo Leuitæ à Gabaitis non solùm contumelia temerati pudoris, sed etiam crudele, ac barbarum mortis genus sustinuit. Peccauit autem Israel, quia licèt extincta propè tribu Benjamin iniuriam illam communem vltus, non tamen id fecit, vt Dei causam ageret, & diuinam vindicaret iniuriam, sed vt suis rebus caueret: tectámque seruarent ab aliorum petulantia vxorum pudicitiam. Nam si Dei causa laborarent, idola etiam delerent, quæ magis videbantur esse contra religionem, quæ vni deberetur Deo. At cùm illa relinquerent in ciuitate Dan, in qua fuisse dicitur omni tempore, quo arca Dei fuit in Silo *cap.18.Iudicum*, non tam videntur pro religione, quàm pro rebus, rationibúsque aliis pugnare voluisse. Hæc Hieronymus, cui alij complures adhærent. 52.

B

Ego cum his quoque sentio; addam nihilominus explicationem aliam, quam expendat lector, déque illa, vt volet, statuat, & iudicet. Diximus suprà ad illud cap.9. v.9. *Profundè peccauerunt, sicut in diebus Gabaa*, grauissimè peccasse Gaabitas, neque abfuisse longè à Sodomæorum intemperantia, & vtrisque simillimos fuisse Israelitas, illos maximè, quos nunc Propheta insectatur, & terret. Idem nunc arbitror significare voluisse Prophetam. Et illud ipsum auget. Ideo addit, *ex diebus Gabaa.* Est autem hîc notandum apud Hebræos non esse comparatiua nomina, sed eorum loco adhibere plerumque מן *min*, vel מ, quod *præ* sæpe reddit vulgatus: sed quia interdum idem valet, quod *ab, de, ex*, fit, vt hæ etiam particulæ in Scriptura comparationem significent, & excessum. De *a*, seu *ab* est illud Eccli.24. v.39. *A mari abundabit cogitatio eius, & consilium illius ab abysso magna*, id est, plusquam mare, & plusquam abyssus. Ezech.16. v.52. *Vicisti sorores tuas peccatis tuis, sceleratiùs agens ab eis*, id est, præ eis. Lucas cap.18. v.14. *Descendit hic iustificatus ab illo*, id est, magis quàm ille. De *ex* est illud 3.Reg.14. v.21. de Ierusalem, *Quam elegit Dominus, vt poneret nomen suum ibi, ex omnibus tribubus Israel*, id est, plusquam omnes. Psal.137.v.5. *Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, & non potero ad eam.* Posterior pars hemistichij priorem explicat, & continet: prioris verò hæc est sententia. Mirabilis est scientia tua, supra quàm ego illam assequi perscrutando queam. 53.

C

D

E Iuxta hæc istam ego sententiam informabam, peccauit Israel supra peccata, quæ viguerunt olim, in diebus fama nempe, atque exitio notis Gabaitarum; cùm illorum mores maximè essent profligati, ac perditi, & propter illorum scelera à reliquis tribubus tota fermè tribus Benjamin deleta fuit. Ita visum est Montano, & quibusdam Hebræorum magistris. In hanc ego cogitationem adducor, primùm, quia hîc agitur de peccato totius Israel, at in Gabaa tantum peccarunt, qui ciuitatem illam incolebant; aut si plures velis in illorum scelerum societatem cogere, nulli videntur alij fuisse, præter eos, qui pro Gabaitis contra reliquas tribus arma sumpserunt: hi verò fuerant Benjaminitæ. In vindicanda Leuitæ 54.

tæ iniuria, non videntur peccasse reliquæ familiæ: neque prius aggressi sunt prælium, quam Deum consulerent, qui illorum probauit, promouitque consilium. Ad hanc verò sententiam facile omnia, quæ sequuntur, accommodari possunt; ad quam nos conferemus reliqua, ad aliorum tamen cōmunem cogitationē respectantes.

55. *Ibi steterunt.* Illud *ibi*, sicut aduerbia cætera localia, non solùm locum significant, sed aliquando, idque non infrequenter, pro aliis orationis partibus adhibentur. Quomodo dicimus, *Huc pertinet illud.* id est, ad hæc. *Hic immoremur*, id est, in his quæstionibus. *Hinc abeamus*, id est, ab his difficultatibus. Sic etiam puto illud *ibi* significare peccata Gabaa, aut dies Gabaa; (tempus enim pro his, quæ in tempore fiunt, vsurpatur.) quasi dicat, grauius peccauerunt, quàm olim Gabaitæ, & in peccatis perseuerarunt. *Stare* autem contentionem significat, & in proposito consilio cōstantiam. Status enim ille corporis aliquid indicat strenuum, & obstinatum in agendo; & studium eius, qui è vita malit, quàm ex commissa sibi statione depelli. Sic dicimus, *stat sententia*, id est, firma est. Sic Virgil. lib. 12.

Stat conferre manum Æneæ, stat quicquid acerbi est
Morte pati.

Mille alia ocurrunt eiusmodi, quæ numerare necesse non est. Pertinax igitur studium significatur in peccando, quod iam inde à multis annis increbuit, neque vnquam elanguit in Israel.

56. Sunt, qui putent *stare* eo loco significare defecisse tunc ardorem Israel in colendo Deo, cohibuisséque gradum, ne deinceps ambularet in via Domini; cùm tunc in populum inducta fuerit idololatria propter idola, quæ ablata ex domo Michææ inter Israelitas primùm constituta sunt, *Iudicum c. 18. v. 30.* Sed non videtur si hîc sermo esset de idololatria primùm inducta, mentionem fieri oportere Gabaa, quia neque ibi posita sunt idola, imò neque in tota familia Benjamin, sed in Dan, quæ ciuitas nomen sumpsit ab eiusdem nominis Patriarcha, in cuius erat sorte, quæ priùs dicebatur Lais. Neque præterea ibi diu steterūt idola; sed donec fuit domus Dei in Silo, id est, vsque ad tempora Samuelis, vt quibusdā placet, quando arca Dei in Philisthinorum potestatem venit. Adde quòd longè ante hæc tempora fuerunt idola in Israel; neque vna tantùm, aut altera tribus dicitur illa coluisse, sed totus Israel. Iudic. c. 8. v. 33. *Postquam autem mortuus est Gedeon, auersi sunt filij Israel, & fornicati sunt in Baalim: percusseruntque cum Baal fœdus, vt esset ei in Deum: nec recordati sunt Domini Dei sui.* Quod etiam argumentum aliam cogitationem infirmat, quæ dicit à diebus Gabaa cœpisse scelus Israel; illud nempe propter quod è patriis expellatur finibus, & hostili ferro, ac seruituti dabitur, nempe idololatriā; cùm longè antè, nempe sub Gedeonis tempora aliquandiu inueterasset in Israel. Neque nimis probabile videtur, quod putat Hieronymus, ideo Israelem modò puniri, quia vltus iniuriam, quam vxor Leuitæ à Gabaitis acceperat, ibi stetit, neque vlteriùs prouexit zelum suum, vt etiam tolleret idolum, quod è domo Michææ translatum fuerat ad ciuitatem Dan, quæ priùs appellabatur Lais. Nam, vt vidimus, tempore Samuelis sublatum est. Neque est verisimile impietates illius à Dauide religioso principe non fuisse omnino depulsas, si quæ superessent ex illa impietate reliquiæ. Quare non apparet cur posteri tot annis pòst malum illud à maioribus suis relegatum tam graues pœnas daturi fuerint.

57. *Non comprehendet eos in Gabaa prælium super filios iniquitatis.*] Hieronymus consequenter ad ea, quæ proximè ex eius opinione produximus, ait non ideo exitium hoc, quod Propheta minatur, Israelitis impendere, quòd prælium suscepere contra Gabaitas, sed quoniam grauiorem aliam iniuriā, alteram videlicet religionem impunitā reliquerunt. Quid verò hæc ratio firmitatis habeat, nuper ostendimus. Cum Hieronymo sentiunt complures alij, quos asseclas sibi sanctus Doctor, aut perpetuos, aut assiduos habet, quales sunt Haymo, Hugo, Dionysius, Albertus, & è recentioribus Ribera, & Figuerius. Iuxta hanc sententiam illud *in*, vt bene obseruat Ribera, idem valet, quod *propter.* quasi dicens non propter Gabaa futurum prælium, quod Israelitas comprehendet.

58. Mihi solutior illa videtur explicatio, quam probat magis Ribera, & indicat Rupertus, & Lyra, qui dicunt longè futurū esse prælium durius, quo ab externis conficiantur Israelitæ, quàm quo ab aliis tribubus vexati fuerint ciues Gabaa, filij videlicet iniquitatis, id est, viri iniquissimi. Quā verò dissimile bellum fuerit, non est existimari difficile, siue congressum ipsum belli, siue exitum aspicias. Neque enim sic à Gabaitis infeliciter pugnatum est, vt non priùs in pugna bis superiores extiterint, magnámque in aduersariorū castris stragem ediderint. Deinde, quia aduersarios, post cruentam victoriam, pœnituit grauiter, quòd tā grauem cognatæ sibi tribui plagam intulissent, quare consilium inierunt, quo reliquis à cæde commodarent, instaurarént que familiam, quam ad paucos vastitas illa tanta redegerat. Quod quidem neque curarunt Assyrij victores insolentes, & barbari, neque in ipso armorum conflictu aliquod ab Israelitis infortunium, aut plagam acceperunt. Hic verò, quod apud Hebræos frequētissimum est, nota subauditur similitudinis, in hanc sententiam. Non comprehendit eos prælium Assyriorum, sicut viros iniquos comprehendit in Gabaa, prælium totius Israelis ad vlciscendam iniuriam Leuitæ coniurati.

59. Vers. 10. *Iuxta desiderium meum corripiam eos: cōgregabuntur super eos populi.*] Iuxta humanum modum, ac sensum loquitur Deus, sicut alibi sæpe: solent namque homines, cùm grauiter habent exulceratum animum, diúque apud se cōceptum acerbitatis virus compressere, cùm se commoda obtulerit occasio, cum graui aliorum dolore, ac plaga suo sibi furori satisfacere. Ad horum similitudinem dicit Dominus, populum illum rebellem, & idololatrā sic esse à populis externis, quos ipse ad illorum vindictam congregabit, seuerè mulctandas, vt desiderium suum, & sitim eorum sanguine, lacrymis, & infortuniis exaturet. Similes locutiones occurrunt in Scriptura sacra frequentes. Ezech. c. 5. *Complebo furorem meum, & requiescere faciam indignationem meam in eis, & consolationem accipiam.* plura vide in nostris cōmentariis in Isaiam ad illud cap. 1. *Heu consolabor super hostibus meis.*

60. *Cùm corripientur propter duas iniquitates suas.*] Quæ sint duæ istæ iniquitates, obscurum est. quidam duas illas esse putant, quarum Ieremias meminit, c. 2. v. 13. *Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas.* Ita Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus, Haymo, & alij plures. Quæ cogitatio eo laborat incommodo, quòd in eo peccato, de quo Ieremias, si rectè expendas, vna tantùm ap-

pater iniquitas, vna deformitas; sicut in idololatria vnum est peccatum, quod tamen duo necessariò complectitur, ex quibus constatum est, neque enim aliquis conuerti potest ad idolum, quin seipsum à Deo in ipso temporis articulo quamprimum auertat. Quare si accuratè auersionem à fonte viuentis aquæ, & conuersionem ad cisternas distinctas consideres, vna est iniquitas, & v-

61. num peccatum. Duo tamen peccata ideo fortè dicuntur, & nunc ab Osea, & tunc à Ieremia, quia duo grauissima documenta sunt animi desipientis, & impij. Nam si hîc de idololatria Israelem inculant, satis se prodit dementis populi belluinus stupor, quia à Deo recessit, cuius antea potentiam, & bonitatem agnouerat; & vitulo se tanquam Domino subiecit, animali stupidissimo; & cui, quia expressum erat è metallo, nihil esset mentis, ac sensus, cuique, si viueret, pabulum esset è fœno, ac stipula. Quod notauit, ponderauitque Dauid Psal. 105. v.20. *Mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.* Aut certè hîc impietas apparet ingens, cùm à Deo recedit, & ingens stultitia, cùm diuina maiestas, & gloria, cum bouis stupore commutatur. Eadem apparet, & illa in duobus malis admiratur, & reprehendit Deus apud Ieremiam. Alterum, quòd aqua deseratur iugis, & pura, à qua mille deriuantur commoditates; alterum, quòd aquæ illi præponatur cœnum crassum, & fœtidum, neque enim superesse aliud, aut solet, aut potest ex perforata, rimosâque cisterna. Hæc pro Hieronymi, magisque communi sententia.

In peccato duo horribilia.

62. Mihi simplicior videtur, atque solutior explicatio, si dicas duas reuera fuisse iniquitates in Israel; atque ideo seuerius esse puniendum, quàm olim habitatores Gabaa, in quibus vna tantùm punitur iniquitas, nempe profusa, atque nefaria libido. At in Israel reperitur libido, qualis in Gabaa, & insuper idololatria, quam non videntur agnouisse Gabaitæ. Vide, quæ nos suprà *c.9.* ad illud, *Sicut Gabaa profundè peccauerunt.* Hæc explicatio placuit Montano.

63. Alij duas iniquitates duos interpretantur vitulos, quorum alterum in Bethel, alterum in Dan Ieroboamus collocauit: appellari autem vitulum *peccatum, iniquitatem, & delictum,* iam antea à nobis obseruatum est. Ita Lyra, Haymo, Dionysius, & Hugo. Quidam Hebræorum magistri, & qui illorum cogitationibus adhærere solent, aliter transferunt, & interpretantur hunc locum. Tigurina, *cùm vinxero eos ad vtrunque oculum.* Pagninus, Vatablus, & reliqui ferme Hebræorum, *ligauerunt se in duobus sulcis, seu ingenibus suis.* Vnde ortæ fuerunt variæ translationes, quæ Hebraicarum vocum significatio, quæ litterarum similitudo, vnde tanta varietas orta, explicare longum esset, & parum fortasse necessarium. Hebræi hîc coniungunt cum Israele Iudam, quasi duo hi populi iterum coaluerint, conuenerintque in vitulorum adoratione. Quod factum putant quando Iosaphat rex Iudæ affinitatem contraxit cum Achab rege Israel: cuius filius Ioram malum fecisse dicitur in oculis Domini, & per regis Israel viam ambulasse. Hæc illi, quorum explicare, aut infirmare sententiam longum esset. Illud dico non malè quæ sequuntur cum hac explicatione conuenire; nam statim multis allegoria pertexitur vitulæ triturantis, aut arantis, noualis ac iugerum. Sed hæc non difficile veniunt ad translationem, explicationémque

64. vulgati. Ego hîc pro moribus hoc videor ac-

A commodatè ad Hebræorum, nouâque translationes esse dicturus, si tales esse dicam vitulorum adoratores, quales sunt ipsi vituli, quos tanquam Deos amplectuntur, & colunt. Vt enim illi stupidi sunt, iugum subeunt, terram aratro versant, & collum oneri supponunt; sic & illorum adoratores quo sunt mentis & sensuum stupore, vitulorum videntur ingenium, & mores induisse. Quare fœno pascuntur, pondus ferunt importabile, terram subigunt, neque altiùs se supra terram attollunt. Vide quæ diximus suprà ad illud cap.9. v.10. *Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt.* Hoc onus sub aris subeunt vituli molestum, & graue: homo verò plusquam vitulus stolidus illud portat, abijcitque diuinum iu-

Peccatoris stupor vitulino similis.

B gum, quod suaue est, & onus quod leue.

Vers. 11. *Ephraim vitula docta diligere trituram.* 65.
Vitulos adorauit Ephraim, atque ideo illi vitulorum studia placuerunt, illa videlicet, in quibus labores & molestiæ multum non inesset, multum verò aut voluptatis, aut vsus; quale esset lasciuire in saltibus, aut pratis, quod de Segor vitula conternante dixit Isaias *cap.* 15. vide quæ nos ibi *num.* 18. Hæc verò si quid operis appeteret, illud esset leue, quod neque collum iugo premeret, neque onere lassaret, ac frangeret; qualis est tritura maximè in trienni vitula, quæ nondum domita est, aut assueta iugo; qualis nunc
C dicitur Ephraim, in qua vngulis à vitula teruntur acerui, non tribula, aut plaustro. Et ita leuis ille labor assumitur, vt pabulum illi paratum sit, neque interim alligatum os, aut impeditum habeat, iuxta illud Deuteronomij 25. 4. *Non ligabis os bouis terentis in area fruges tuas.* Hæc mihi explicatio videtur facilis, & quæ viam ad reliqua reddat expeditam; quæ placuit Ruperto, & Vatablo, dum aiunt vitulam illam terere maluisse fruges in area, quàm arare, quia in area pinguescit, dum abundat pabulo, & leuior est labor, in subigenda verò terra vomere labor est grauis, & parca atque imparata commoditas. Huic cogitationi plurimum fauet quod Deus statim subdi-
D dit, imponendum esse iugum collo Ephraim, & adigendum ad aratrum; quasi dicat, nihil illi futurum esse deinceps gratum, aut molle. Aliam explicationem adducemus statim ad illud, *arauit Iudas*, vbi trituram dicemus prædam, quam Ephraim capiebat è Iudæorum finibus, quare non tam seminare videbatur, quàm metere, imò ex aceruo frugum congregata sumere. Vide quæ nos ibi pluribus, fortasse non abs re.

Communior est sententia, quam cum Hieronymo sequuntur frequentes alij: quam quidem Hieronymus explicat, præfatus tamen priùs rem esse difficilem, & satis se habere si aliquid afferre posset verisimile. *Locus,* inquit, *iste, imò omnia, quæ* 66.
E *hoc capitulum sequuntur, magnis obscuritatibus inuoluta sunt: vnde & nos qui explicare conamur, & prudens simul lector attendat, vt si non veritatem, quod difficillimum est, saltem suspicionem verisimilium inuestigare valeamus.* Quare ipse non satis in sua sibi cogitatione placet. Sic ergo Hieronymus: *Ephraim similis est vacca vel vitulæ, quæ à iuuentute sua didicit aream terere, & ferreos orbes super aceruos segetum trahere, vt palea à tritico separentur. Et non solum didicit, verùm nimia consuetudine cœpit amare quod docta est.* Hæc Hieronymus satis apertè, qui in hac vitula exprimi indicat illud Prouerb. 22. v.6. *Adolescens iuxta viam suam etiam cum senuerit non recedet ab ea.* Sanè dixit verè quicunque dixit consuetudinem esse naturam alteram, quod hoc ipsum animal, de 67.

Consuetudo alteram naturam facit.

A de quo hîc sermo, satis probat, cùm enim natura sua ferox sit, si tamen ab ætate adhuc tenera assuescat iugo, ipse vltro illud appetit, & subit libenter, licet labor illi longus, ac durus subeundus sit. Dixit hoc bellè quidam ex profanis, qui optimis exemplis vim hanc consuetudinis explicuit in tauro, equo, elephanto, ac leone, quos consuetudo domat, facileque reddit aliorum imperium: quod ipsi natura sua valde detrectant. Ouidius lib. 4. de tristibus, elegia 6.

Tempore ruricolæ patiens fit taurus aratri,
Præbet & incuruo colla premenda iugo.
Tempore paret equus lentis animosus habenis,
Et placido duros accipit ore lupos.
Tempore Pœnorum compescitur ira leonum,
Nec feritas animo, quæ fuit antè manet.
Quæque sui iussis obtemperat Inda magistri
Bellua, seruitium tempore victa subit.

B

68. Quæ sententia tam à sacris, quàm à prophanis millies auditur; quibus vulgare est consuetudinem alteram esse naturam. Sanè Augustinus *lib. 6. de musica*, naturam quandam secundam, & quasi affabricatam vocauit. Basilius in regulis fusioribus, interrogatione 6. *Non paruus est labor, vt se aliquis à priori non bona consuetudine reflectat, ac reuocet, quoniam quidem mos longo tempore confirmatus, vim quodammodo obtinet naturæ.* Quod etiam in plantis obseruauit Virgilius *lib. 2. Georg.* vbi iubet eandem cæli regionem aspiciant è suo plantario translatæ arbores, quam primùm spectare cœperant; quod è rustica disciplina nunc faciunt arborarij. Audi Virgilium.

Magnum est à teneris bene assuescere.

C

Antè locum similem exquirunt, vbi prima paratur
Arboribus seges, & quo mox digesta feratur:
Mutata ignorant subitò ne semina matrem.
Quin etiam cæli regionem in cortice signant.
Vt quo quæque modo steterit, qua parte calores
Austrinos tulerit, quæ terga obuerterit axi
Restituant. Adeò in teneris consuescere multum est.

Hæc ideo lubens attuli, quia & sententia grauis, & locus hic Oseæ ab aliis in hanc cogitationem sæpe tentatus. Tropologicum sensum adduxit Gregorius, qui aliorum sensus videtur fuisse cóplexus, quia in illo reliquos audies, illum huc attexam. Sic ille lib. 20. moralium cap. 16. ad illud Iob cap. 30. v. 7. *Qui inter huiusmodi lætabantur, & esse sub sentibus delitias computabant. Amant*, inquit, *peruersi homines pro huius mundi gloria etiam tribulationes, cunctisque pro ea sudoribus libenter seruiunt, & grauium laborum iugo deuotissimè colla submittunt. Quod bene sub Ephraim specie Osea prophetante describitur, qui ait; Vitula Ephraim docta diligere trituram; vitula enim trituræ laboribus assueta relaxata plerunque ad eundem laboris vsum etiam non compulsa reuertitur. Ita prauorum mens huius mundi seruitiis dedita, & rerum temporalium fatigationibus assueta etiamsi sibi labore vacare liceat, subesse tamen terrenis sudoribus festinat, & vsu miseræ conuersationis trituram laboris quærit, vt à iugo mundanæ seruitutis cessare non libeat, etiamsi liceat.* Hæc Gregorius. Et eadem propè *homilia* 10. *in Ezechielem.* Hæc explicatio quia pluribus placet, displicere mihi non debet. Quia verò, vt dixi, prior magis videtur expedita, ad illam quod reliquum est capitis attemperabo.

D

E

69. *Et ego transiui super pulchritudinem colli eius.*] Hæc meam mihi cogitationé persuadent, neque enim pulchrum esset collum Ephraim Mitidis vitulæ, si affrictum esset, perustum, atque exulceratum à iugo, neque ita bellè caderet onus, aut iugum super vitulæ collum, nisi illud priùs esset solutú, ac liberum. Et quidem illi omnes, qui pulchram, & lasciuientem vaccam dicunt Ephraim, neque adhuc domitam, id etiam existimare debét, quod nobis videbatur magis expeditum, & obuium. Refugisse videlicet vitulá arandi molestum sibi, atque inutile negotium; & terendarum frugum opus suscepisse, in quo labor est mollior, & magis parata commoditas. Hieronymus hîc illud *tráfiui* per præteritú vertit ואני עברתי *ve ani abarti.* quia reuera in præterito tempore est, verùm duas ob causas significare potest aliquid futurum, tum quia *vau* conuersiuum antecessit ante pronomen *ani*: tum etiá quia Prophetis est familiare pro futuro adhibere præteritú, maximè tum res prædicta successú breuiter est habitura. Neque quod statim sequitur, *& ascendá*, aptè caderet, nisi quod antecessit proximè, rem etiam significaret futuram. Et ita per futurum transtulere Septuaginta. Sumamus igitur *transiui* in significatione futuri, & nihil habebit implexum nostra cogitatio.

Ait igitur Dominus: Ego transibo per collum eius torosum, & pulchrum, quia aut conculcabo, aut imposito iugo summittam, & frangam. Obseruat autem hîc Hieronymus verbum *transeo*, si de Deo dicatur, significare aliquid durum, plagas videlicet, aut opus ab animi offensione profectum, quod probat *Deuteron.* 12. vbi sæpe Deus transiisse dicitur per Ægyptum, & exterminator Angelus, quia regionem illam multa primogenitorum cæde compleuit, Iob c. 15. *Quibus solis data est terra, & non transibit alienus per eos.* Zachar. 9. *Et non transibit super eos vltrà exactor.* 70.

Ascendam super Ephraim.] Indomitus equus, aut etiam taurus neque iugo summittit collum, neque super se sessorem admittit. Talis erat antea Ephraim, qui suo sibi ingenio, ac liberis animi motibus indulgens iugum legis excusserat: neque sessorem admisit, aut frenum, vt quisquam super illum inequitaret. Aut certè, quia minus aptè ephippium, & equitatio in bouem conueniunt (iuxta illud vulgare ex Horatio, 71.

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.)

ascendet super vitulam Deus, quia alligabit illam plaustro, & quasi auriga ascendet, & inde exagitabit aculeis, vt stimulis compungatur, & lassetur onere plaustrali.

Arabit Iudas, confringet sibi sulcos Iacob.] En quomodo à leuiore cura ad opus adigit molestum, & durum, ab area nempe, & frugibus ad glebas, & vomerem. Tria hæc opera sunt, quæ ad hominum vsus nauare solent boues, subeunt iugum, trahunt, terram vertunt aratro: hæc omnia subibit pulcrum, & molle collum Ephraimitidis iuuencæ. Sed cur hîc Iudam, id est, duas tribus cum Iacob, id est, cum decem aliis tribubus coniungit Propheta? Duplex occurrit modus soluendi nodi. Alter est si statuamus quo tépore hęc dicta sunt à Propheta grauiter exagitari Iudá, non ab alienis tantùm, sed etiam à decem, cognatisque sibi familiis Israel. notum est enim, vt habemus in huius Prophetæ exordio, prophetasse Oseam sub Achaz, & Ioatham. Notum item est ex *cap. 7. Isaiæ*. & ex *lib. 4. Reg. c. 15. & cap. 16.* grauiter tam Ioatham, quàm Achaz à duobus regibus, Syriæ videlicet, & Samariæ bello fuisse vexatos. de Ioatham cap. 15. v. 37. *In diebus illis cœpit Dominus mittere in Iudam Rasin regem Syriæ, & Phacee filium Romeliæ.* de Achaz cap. 16. v. 5. *Tunc ascendit Rasin rex Syriæ, & Phacee filius Romeliæ rex Israel in Ierusalem ad prœliandum.* Quàm grauior res Iudaica afflicta fuerit sub Achaz, habes *lib. 2. Paralip. c. 28.* nam v. 5. dicitur Achaz traditus in manus 72.

Grauiter vexata Iuda tum ab externis, tum à cognatis tribubus.

manus regis Syriæ, & magna accepta præda, & grandis illata clades Iudæ, & v.6. a Phacee rege Israel occisa dicuntur de Iuda centum viginti millia, & iterum v.7. capta dicuntur a filiis Israel & in Samariam translata ducenta millia mulierum, puerorum, & puellarum, & abducta inde infinita præda. Quam grauiter attriti Iudæi fuerint eodem tempore ab Idumæis, & Palæstinis, habes *eodem capite, vers.*17. & 18. vbi obseruandum maxime hos hostes siue domesticos, aut cognatos, siue alienos, quales fuerunt Syri, missos fuisse à Deo propter peccata Achaz, & à Deo item Iudam traditam esse hostili potestati: sic habes 2.Paral.28. vers.5. *Tradiditque eum*, nempe Achaz, *Dominus Deus eius in manus regis Syriæ.* De regibus Syriæ & Samariæ libro 4. Reg. cap. 16. vers.37. *In diebus illis cœpit Dominus mittere in Iudam Rasim regem Syriæ, & Phacee filium Romeliæ.* Hoc tempore, vt vides, arabat Iuda, id est, gra-
73. uia patiebatur ab hostibus infortunia. Quo tempore exultabat Ephraim, id est, decem tribus quasi vacca lasciuiens diligebat trituram, id est, laborem illum leuem, quo ex area Iudæ congestisque frugibus mille capiebat commoditates, habebatque collum non subactum, aut attritum iugo, quia in illis præliis, quæ cum Iuda habuit sub ea tēpora, res illi successit semper ex votis. Ait igitur Deus venturum tempus (id quod iam impendebat proximè) quando aret Ephraim eodem modo, quo sub idem tempus arabat Iuda, id est, eodem vexetur modo & atteratur ab Assyriis, quo Iuda à Syris, & ab ipso Ephraim, quo tempore ipse secunda sibi omnia promittebat. Hæc mihi expositio probaretur omnium maximè, nisi illo laboraret incommodo, quòd à patronis destituta est. Quare quod alij communiter dicunt, id quoque nobis placeat, prædici hîc à Propheta non solùm vastitatem, quæ decem tribubus impendebat ab Assyriis, sed & illam, quam aliquot pòst annis Iudæis intulere Chaldæi. Neque enim hi minus ararunt, id est, vitam egerunt ærumnosam apud Babylonios, quàm illi priùs apud Assyrios.

74. Vers.12. *Seminate vobis in iustitia.*] Si priorem explicationem amplectamur, quam proximè dicebamus à patrono destitui, non esset difficilis huius loci solutio, quæ planè non parum videtur implexa. Seminabat ante Ephraim in sulcis iniustitiæ cùm in Iudæorum fines armatus irrumperet, & inde opimas prædas in Samariam abduceret. Id verò non tam erat seminare, quàm metere, cùm in maturam aliorum segetem falcem mitteret, siue, quod idem est, non tantum arationem, quam trituram diligere. Monet ergo Deus vt fructus potius capiant ex labore legitimo, ac iusto, quàm ex iniquo, & violento prædam. Quod satis explicat, ac probat, quod statim additur, *Et metite in ore misericordiæ.* quasi dicat, absit à vestris commodis iniuria: absit omnis à messe, atque tritura crudelitas. Hæc mihi facillima sunt, & est fortasse allusio ad verba Obed prophetæ, qui, vt habes *lib.2. Paralip. cap.28. vers.9.* reprehendit crudelitatem Israel, monuitque vt clementer exciperent Iudæos, quos vexarant atrociter, & tyrannicæ seruituti subiicere parauerant. *Iratus*, inquit Obed, *Dominus Deus patrum vestrorum contra Iudam, tradidit eos in manibus vestris, & occidistis eos atrociter, ita vt ad cælum pertingeret vestra crudelitas, insuper filios Iuda & Ierusalem vultis vobis subiicere in seruos & ancillas, &c. sed audite consilium meum, & reducite captiuos, quos adduxistis de fratribus vestris, quia magnus furor Domini imminet vobis.* Hæc eadem quæ Obed dixisse videtur nunc Oseas, & monere Ephraim, vt trituram omittat, id est, prædam, & seminet potiùs, & aret, & è suo labore fructum cum benedictione potius, quàm cum iniuria metat, atque trituret.

75. *Et metite in ore misericordiæ.*] Si proximam explicationem probemus, res videtur satis expedita: videtur enim admonere Oseas Ephrateos, vt colligant fructus ex labore suo potius quàm ex alieno, iuxta os, & verba prophetæ Obed qui, vt vidimus, illorum exprobrauit crudelitatem, & vt fratres suos, quos iam seruituti destinarant, mitiùs amplecterentur hortatus est, sed quia communem sententiam non improbabamus, ad illam quoque explicationem nostram attemperemus.

76. *Seminate vobis in iustitia.*] *Seminare* & *semen* in Scriptura sacra opera significāt, ex quibus cognatum & naturalem fructum demetimus, vt pluribus ostendimus ad illud cap.8. *Quia ventum seminabunt.* Qui corrupta seminat, aut euanida, non est cur è longa copiosáque semente aliquod expectet emolumentum, qui radicem plantat amaram aut spinarum semina, non dubium quin aculeatos inde manipulos colligat; sic qui in sulcis iniustitiæ seminauerit, id est, qui aliquid molitus fuerit iniustè, in suum sibi caput exitium parat, quod afferet, qui iniuriarum vltor est, iustus Deus. Monet ergo Propheta, vt seminet otiosus ille populus, sed seminet iusta semina in terra iustè, ac legitimè subacta, in sulcis, quos misericordia, iustitia, & sanctitas impresserit, non quos crudelitas, iniquitas, atque rapina designauerit. Neque vllum putet fructum fore salutarem, præter illum qui ex aruo misericordiæ collectus non sit.

77. *In ore misericordiæ.*] Hunc locum alij variè accipiunt. quidam putant in ore significari voluntatem, vt Gen.24. *Vocemus puellam, & quæramus eius voluntatem*, Hebr. *& quæramus os ipsius.* Isai.30. *Qui ambulatis vt descendatis in Ægyptum: & os meum non interrogastis*, id est, *voluntatem meam.* Hoc porrò dicendi modo explicari putant abundantiam: quasi dicat, seminate quantum misericordia postulauerit, ac voluerit. Hispanus dicit, *su boca seu medida.* Seu certè ita abundanter faciendam esse sementem, vt non parcè spargantur grana, sed ex ore sacci, sine vlla moderatione fundantur, quod Hispani dicunt in eundem vsum, *sembrar abocade costal.*

78. Ego nihil aliud expressum arbitror à Propheta, quàm quod dixit Paulus 2.Corinth.9. vers.6. *Qui parcè seminat, parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet: vnusquisque prout destinauit in corde suo.* quod mihi persuadet vox Hebr. פה *pe*, quæ *os* significat, quæ inter significationes alias mensuram quandam sonat, & proportionem, maximè si accedant præpositiones ל *lamed*, & כ *caph.* quorum innumera occurrunt exempla. Accipe duo 4. *Reg.* 2. vbi vulgatus, *Fiat in me duplex spiritus tuus*, Hebr. est פי שנים *pisanim*, id est, mensura duorum, vel mensura duplex. *Exod.* 16. *vers.*21. pro eo quod vulgatus habet, *colligebant autem singuli quantum sufficere poterat ad vescendum*, Heb. est לפי אכלו *lapi oclo.* iusta comedere cuiuslibet, id est, ad mensuram, quā quisque comedere poterat. *Numer.* 6. *vers.*21. vbi noster, *iuxta quod mente deuonerat.* Heb. כפי נדרו *kephi nirdo*, pro mensura voti. Sic ergo nunc ad verbum transtulit verba Hebraica, dixitque, *in ore miseri*

Os mensuram, & proportionem interdum valet.

misericordiæ, secutus Hebraicum idioma לפי חסד *laphi chesad*, iuxta misericordiam, vel ad mensuram misericordiæ.

79. *Innouate vobis nouale.*] Seminarant, vt apparet, Ephraimitæ in sulcis iniustitiæ, quia nihil faciebant, quod viros iustos & religiosos deceret. Quare agrum iniustitiæ satis habebant subactū, & excultum, ex quo frequentes capiebant quotidie manipulos. At alius ager pietatis sic erat incultus,& vastus,vt omnino horreret instar syluæ, quasi numquam esset aut nouatus à vomere, aut notus agricolæ. Hunc igitur agrum monet Propheta innouari,id est,proscindi, & satum iam spinis ad cultum reuocari, à quo iam pridem excidisset. Hoc eodem loquendi modo vsus est Ieremias cap.4.vers.3. *Nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas.* Cùm spinas euelli iubet Propheta, satis ostendit quale sit solum, quod nouari admonet, incultum videlicet, & efferatum frutice, ac spinis horridum: de nouali innouando, réque morali diximus plura ad locum proximè è Ieremia citatum; quæ hic iterare necessarium non est,inde pete.

80. *Tempus autem requirendi Dominum,cùm venerit, qui docebit vos iustitiam.*] Locus est difficilis; omnes ferme de Christo interpretantur,qui ab Isaia Doctor appellatur iustitiæ, licèt non eodem omnes modo. Quidam hunc esse sensum arbitrantur: dum adhuc tempus est,Dominum quærite,donec Christus aduenerit,qui iustitiam docebit, à quo scilicet discetis quomodo iustitiæ fructus,ex cultu, seu sulcis iustitiæ colligendus sit. Sic docent aut indicant Theophylactus, Rupertus, Burgensis,Vatablus,Montanus, & quidam Hebræorum, vt docet Galatinus *lib.3.cap.29.* Hieronymus,cui subscribunt Haymo,Dionysius & Hugo de Christo aliter exponunt.Cùm venerit Christus in carne,& docuerit vos suam iustitiam, tunc erit opportunitas ad inquirendum Dominum: in hunc propè modum cum Hieronymo alij. Vtramque ego explicationē amplector, tum quia piam, etiā pridem receptam; tum quia magnorum virorum auctoritate firmatam. Nihilominus non displicet L X X. translatio, & illius expositio, quam Theodoretus adducit,& Theophylactus, quæ tamen non multo discrepat à vulgata, nisi quòd in altera proprius, in altera figuratus est sermo. L X X. ita transferunt, *Quoniam est tempus, quærite Dominum, donec veniant fruges iustitiæ vobis.* Quod sic Theodoretus exponit: *Dum nos Deus patientia sua sustinet,commutemus in melius nostrum genus viuendi,vt fructus iustitiæ percipiamus.*Nec longè hinc abit in explicatione priori Theophylactus.

81. Et quidem si metaphoram seminantis, aut triturantis persequare, sensus videtur non expressus, sed oblatus à textu. Reprehenderat antea Deus Ephraimitas, quòd in sulcis seminassent iniustitias,id enim valet illud v. 11. *docta diligere trituram*; & quod statim sequitur, *arastis impietatem.* Nunc verò monet, quando tempus adhuc est opportunum, & quæri adhuc potest, & inueniri Deus,ne tempus præterire patiantur, sed expectent donec Deus doceat, id est, ostendat fructus iustitiæ ex illis erumpentes sulcis,vnde priùs pullularat iniquitas.

82. Huic explicationi non parum assonat textus Hebraicus; vbi pro eo quod vulgatus habet, *qui docebit,* legit יורה *ioreh*, quod tam docere valet, quàm pluere. Quare quidam transtulere in priori significatione vt vulgatus, & Pagninus, *Tempus requirendi Dominum, donec veniat, & doceat vos iustitiam.* Tigurina, *donec veniat,& depluat super vos iustitiam.* Idem propè L X X. *donec veniant fruges iustitia.* Quæ eòdem spectant omnia. Ille verò siue doctor iustitiæ, siue nubium cælestium congregator, imbriúmque largitor, Christus est, qui inundauit,fœcundauítque terram priùs arentem, & incultam, & docuit iustitiam, quia modum ostendit iustè viuendi,aut docuit, id est, ostendit iustitiæ fructus, quomodo imber post siccitatem parturire facit terram, fructúsque germinantes aliorum oculis ostendit. Quare docere, aut germinare, seu producere iustitiam, aut idem sunt, aut certè sibiipsis admodum affinia, nisi quòd alter proprius est, & alter allegoricus dicendi modus.

Vers.13. *Arastis impietatem, iniquitatem messuistis; comedistis frugem mendacij.*] Pertexitur adhuc metaphoricus sermo, & institutum illud aperit Deus,quod ad illud vsque tempus tenuit Ephraim. *Arare* idem est quod seminare, quia sementis numquam à vomere secernitur, qui iacta semina occat, & tegit. Nisi impietas per metonymiam pro loco sumatur, vbi impietas seritur: tunc autem arare impietatem, nihil erit aliud, quàm arua subigere, vnde germinauit impietas. Ex eo labore iniquitatem messuistis, aut quia nullum inde retulistis prouentum, quem probaret Deus: aut iniquitas, vt alibi frequenter, pro supplicio ponitur, quia nihil inde habuistis præter plagas,ignominiā, exilium. Comederunt autem frugē mendacij,quia cùm prouentus magnus speraretur ex sulcorum improbitate, isque maximè ad voluptatem, & salutem idoneus, pòst verò dentibus stridorem,& membris tabem, & tandem mortem attulit. Panis mendax dicitur ille, à quo aliud speras, aliud accipis. Panis mendacij dicitur *Prou.20.v.17.* qui specie decipit, & cùm ex pura siligine subactus videatur, aut coactus est ex arena, aut multum habet calculorum admixtum. *Suauis est homini panis mendacij: & postea implebitur os eius calculo.* Fruges præterea dicuntur mendacij, quæ primùm ostendunt ambitiosam foliorum luxuriem, & spem excitant fœcundissimi fructus, deinde verò aut totæ vanescunt in herbas inutiles,aut ab vrente vento omnis perit vbertatis spes. Vide quid nos suprà *cap.9.* ad illud v.2. *Vinum mentietur eis.* 83.

Panis mendacij quis.

Quia confisus es in viis tuis, in multitudine fortium tuorum.] Explicat quæ dicantur fruges mendacij, illæ nempe quæ expectabantur ex Deorum custodia, quorum gratiam iniisse se arbitrabatur populus, & ex auxilio eorum, cum quibus fœdus & societatem inierat; illæ dicuntur viæ, quia institutum vitæ sic appellatur. Multitudo verò fortium illi populi sunt, qui sibi à multitudine militum, & à militari gloria plurimùm se valere existimabant, neque solùm seipsos,sed etiam alios,quos in suam fidem, atque tutelam recepissent, fortuna & casu superiores esse prædicabant. Spes tamen illa mendax fuit, & fructus illius non alius quàm qui mendaci, atque infideli agro referri solet. 84.

Consurget tumultus in populo tuo, & omnes munitiones tua vastabuntur, sicut vastatus est Salmana à domo eius, qui iudicauit Baal in domo prælij.] Hic locus variè tentatus est & redditus à diuersis, quorum referre sententias, aut Hebraicum textum cum vulgata translatione cōponere difficillimum est. Ab hoc ego labore abstinere posse videor, cùm diligēter sit à nostro Ribera tractatus; neque hic labor iis qui Hebraicè ignorant, necessarius sit. 85.

Quare licèt alij contrà, & non sine aliqua veri similitudine sentiant, dicamus cum Hieronymo, quem alij sequuntur plurimi, agi hic de prælio, in quo victus est à Gedeone Salmana, in quo multa videntur contigisse, quorum speciem retulit Ephraim, quo tempore vastatus est ab Assyriis. Singula consideremus, expendamúsque quomodo hæc illis sint, si minus omnino similia, at certè multis ex partibus affinia. Multa sibi pollicebatur Salmana cùm ab omni instructu militari potentissimus esset: ea quippe erat multitudo tum hominum, tum earum rerum, quæ ad rem militarem maximè censentur opportunæ, vt de fortuna belli nihil timeret. Iudic. 7. v. 12. *Madian autem, & Amalec, & omnes orientales populi fusi iacebant in valle vt locustarum multitudo: cameli quoque innumerabiles erant, sicut arena, quæ iacet in littore maris.* Hæc quidem hyperbolicè, sed definitè numerus exprimitur *cap.* 8. *v.* 10. vbi bellatores præter aliam infinitam turbam lixarum, & calonum supra traditur centum & triginta quinque millia. Non minus igitur quàm isti audaces erant, & confidentes Ephraimitæ tum multitudine, tum copiarum externarum auxilio, de quibus proximè, *Quia confisus es in viis tuis, in multitudine fortium tuorum.*

Salmana superbia, & casus.

86. Vers. 14. *Consurget tumultus in populo tuo.*] Inopinatò irrumpit Gedeon, irrupit in castra Salmana: & subitum ibi, atque ingentem excitauit tumultum, qui Madianitis consilium omne excussit, & animos fregit. Primùm quia tempus erat nocturnum, & alta quies; ipsum verò noctis silentium; & tenebræ, & inopinatus impetus horrorem afferunt, & consternationem animorum. Adde fractarum lagenarum crepitus, buccinarum clangores, tot lucernarum lumina, vlulatus, & fremitus exultantis turbæ, à quibus nó potuit non excitari in turbatis castris magna confusio. Vbi autem in subitis casibus consilium abest, non potest non esse magnus tumultus. In Ephraim autem ob causas non dissimiles excitatum esse tumultum cùm eò se infudit acies Assyria, neque à fœderatis populis subsidium aliquod oblatum est, nemo credo dubitabit. Imò non est incredibile vt in similium rerum angustiis euenire assolet inter populares domestica extitisse dissidia, dum alij repugnandum, alij cedendum Assyriis existimarent, & his animorum studiis dissentientibus infirmatas esse populi vires. Sicut in castris Salmana mutuo se ferro Madianitæ cædebant.

87. *Et omnes munitiones tuæ vastabuntur.*] Hìc nonnemo aliquid requiret in Salmana, cum quo hæc munitionum subuersio conueniat. Sanè si *munitiones* muros tantùm significarent, ego quoque hic hærerem, sed vox מבצר *mibsarah*, quam hic adhibuit Hebræus codex id omne significat, quod ab hoste defendere, aut hostem prohibere potest. Non est autem verisimile sic incautè agere Madianitas maximè cùm essent in castris, vt non habuerint illa saltem munimenta castrorum quæ inertissimi, ac securissimi omittere non solent: adfuisse tamen vigiles, qui pro castrorum custodia continentes agerent excubias, ipse docet textus *Iud. cap. 7. v. 19.* Expectauit enim Gedeon mediæ noctis silentium, quando altior homines occupat sopor, tunc autem mediam noctem esse cognouit, quando de more tubis custodes ad sequentes vigilias excitantur. Sanè tubis excitari custodes docuit Silius lib. 7.

Tubis quatuor noctu vigiliæ distingui solita.

— Mediam somni cieos buccina noctem
A *Divideret: iámque excubias sortitus iniquas*
Tertius abrupta vigilares ad munia quiete.

Sic autem ibi de Gedeone, *Ingressúsque est Gedeon, & trecenti viri, qui erant cum eo in partem castrorum incipientibus vigiliis noctis mediæ, & custodibus suscitatis.* Illæ vigilium custodiæ, genus aliquod fuere munitionum, quæ tamen Gedeonis non potuerunt impedire, aut retardare consilia.

A domo eius, qui iudicauit Baal in die prælij.] Hìc 88.
iam apertè sese prodit Gedeon, qui quoniam aram destruxit Baal, iudicasse dicitur Baal, quique ideo sibi nomen fecit Ierobaal, quia subsannando illius potentiam dixit Iud. 6. v. 31. *Si Deus est Baal, vindicet se de eo, qui suffodit aram eius.*

B *Matre super filios allisa.*] Hic etiam alij hærent, 89.
quia non vident quando à Gedeone in castris Salmana matres cum filiis simul extinctæ fuerint: sed neque in excidio Ephraim legimus cum filiis occisas esse matres. Hieronymus occisas fuisse dicit matres cum filiis à Salmana, & eodem modo postea à Gedeone iudicio iustissimo cum Salmana ipsius quoque matrem occisam fuisse, quasi à Gedeone dictum foret illud ad Salmana: *Quomodo absque liberis fecit gladius tuus multas matres; ita sine filiis erit inter mulieres mater tua.* Sed hæc verba Samuelis sunt ad Agag regem Amalech; quare ex hoc loco nihil prorsus habemus.

Ego duobus modis dissolui posse arbitror 90.
C hunc nodum, alter tempore belli initi cum Salmana verè à Gedeone cum filiis extinctas esse matres, quia, vt constat *Iud. 8. v. 17.* ciuitatem Phanuel sic euertit, vt nullas aut ciuitatis, aut ciuium in ea seruauerit reliquias. *Turrim quoque Phanuel subuertit occisis habitatoribus ciuitatis.* Hæc porò pertinere ad Salmana ex eo fit verisimile, quia hæc contigere in secundo prælio, in quo superati fuerunt Zebee, & Salmana, & illis præsentibus: nam in priori prælio occisi fuerant Oreb, & Zeb, *Iudic. 7. v. 25.* Neque, vt puto, Assyrij, cùm Israelem oppugnarent, à fœminarum cæde continuisse manus, certè illas cum viris in exilium egere.

D Sed placet magis explicatio altera, quæ in cæ- 91.
de filiorum, & matrum stragem magnam, & barbaram intelligit, quando aliquid ita vastè conciditur, vt neque sit aliquid reliquum, neque vlla stragis instaurandæ spes. Si filij sternantur, spes est aliqua instaurandæ ciuitatis, & sobolis, si parentes maneant, qui noua fœtura damna reficiant. Quo modo sublatis ramis non tota expectatio fructus eliditur, quia radix adhuc superest, vnde noua possunt germina diffundi. Radix verò optimè appellari potest mater, sicut contrà matrem radicem appellamus, & stirpem. Sanè radicem arboris, aut imum truncum modò matrem, modò parentem appellat Plinius *lib. 12.*
E *cap. 5.* cùm agit de ficu Indica. *Ipsa*, inquit, *se semper ferens vastis diffunditur ramis, quorum imi adeò in terram curuantur, vt annuo spatio infigantur, nouámque propaginem faciant circa parentem, in orbem quodam opere topiario. Superiores eius rami excelsum emicant, sylnosa multitudine, vasto matris corpore.* Matrem item Virgilius vocat arboris stirpem *lib. 12.* dum loquitur de sceptro Latini regis.

Strages omnimoda.

Mater pro arborum radice.

Nunquam fronde leui fundet virgulta, nec vmbras,
Cùm semel in syluis ima de stirpe recisum
Matre caret, posuitque comas, & brachia ferro
Olim arbos.

Quare sumpta ab arboribus translatione, cùm a- 92.
liquid significare volumus funditus esse deletum, his ferme modis explicamus, *radicitus*, aut *stirpitus euellere.*

euellere, seu cum radice ac stirpe, hoc est, *cum matre*. Puto ergo hoc dicendi genere, quod prouerbium olet, nihil significari aliud, quam omnino extinguendum, nempe tradendum ferro, vel exilio genus Ephraimiticum. Quod fortasse sibi volunt illa Dei imperia, quæ in Scriptura sæpe iubent sic aliquid esse vastandum, vt neque viris, neque fœminis, neque vlli ætati, aut ordini parcatur: aut vbi fœminæ cum viris dicũtur dicissæ, aut dissectæ prægnantes. Habes in hoc Propheta, & in eodem prorsus argumento exemplum illustre cap. 14. v. 1. *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitauit Deum suum, in gladio pereant; paruuli eorum elidantur: & fœta eius discindantur.* Quasi dicat, ignobile illud genus sic esse abA olendum, vt omnis illius spes elidatur in posterũ.

Vers. 15. *Sic fecit vobis Bethel à facie malitiæ nequitiarum vestrarum.*] Ostendit Dominus vndénam hæc tanta calamitas Ephraimitis impendeat, nempe ab impio idolorum cultu: qui id attulit ingrato, ac scelerato populo, quod Gedeon Salmanæ, & Madianitarũ castris. Illud *à facie* ex Hebræorum idiomate idem valet, quod *propter*, vt millies occurret in Scripturis attento lectori, in vno Psal. 37. tria habes exempla. *Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum. Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ*, id est, propter iram, propter peccatum, propter insipientiam. Hæc de cap. 10. 93.

IN CAPVT VNDECIMMVM

ARGVMENTVM.

OSTENDIT Deus, amplificátque beneficiorum magnitudinem, quibus parentis in modum populum Israeliticum, non prouidè solùm, sed etiam indulgenter, & molliter superiori memoria complexus est. Quibus perfecit, ne, quod cupiebant maximè, in Ægyptum redirent, docétque contrà fecisse illorum posteros, qui cùm similibus essent adstricti beneficiis, quæ apud ingenuos animos vim habere debent vinculorum, non tamen effecit, quo minus dura paterentur ab hostibus, & ad illos abducerentur captiui. Dolet deinde, quòd populum grauiter punire compellatur, sed animus ad misericordiam proclinis, aliquid tandem de supplicij seueritate remittit, consolatúrque populum, spe remigrationis proposita. Redit ad extremum post longum hyperbaton, ad commemoranda Israelis peccata, illaque proposito Iudæ in retinenda religione testimonio fideli, à dissimilitudine aggrauat, & amplificat.

CAPVT XI.

1. *Sicut manè transiit, pertransiit rex Israel. Quia puer Israel, & dilexi eum: & ex Ægypto vocaui filium meum.*

2. *Vocauerunt eos, sic abierunt à facie eorum: Baalim immolabant, & simulachris sacrificabant.*

PARAPHRASIS.

B 1. Rex Israel Osee, qui aliorum auxilio, ac fœdere regnum suum sperabat fore diuturnum, defunctus est regno, à quo non aliter transiit, quàm aurora, cuius tempus breuissimum est, illúdque subobscurum, medium videlicet inter noctis Solísque viciniam. Heu quanta facta rerum conditionísque mutatio! Dilexi ego quondam Israel, cùm adhuc esset puer, neque ad tantum nomen amplitudinémque prouectus, & eo amore ac studio complexus fui, quo pater filium suum, atque ideo
C ex Ægyptia seruitute, in libertatem, & regni splendorem vocaui.

2. Dedi id negotij Moysi, & Aaron, quos in Hebræorum causa, pro me Deos esse volui Pharaonis, qui partes sui reditus fideli conatu, & exitu felici peregerunt. Quanto autem studio duo illi principes laborarunt in Ægypto, deinde in deserto: deinde tanta illi peruicacia, ab illorum monitis datísque à Domino mandatis recesserunt. Quasi enim ab idolis libertatem accepissent, & vitam, excitatis aris, & immolatis victimis, honores illis diuinos tribuerunt.

3. Et

3. Sus-

3. *Et ego quasi nutricius Ephraim, portabam eos in brachiis meis: & nescierunt quòd curarem eos.*

A 3. Suscepi ego quidem Ephraim, ea prorsus indulgentia, ac cura, qua pædagogus, aut nutritius clientulum delicatum, ac tenerum, suæ commissum tutelæ ac fidei: qui non solùm alimento pascit, consilio regit, sed etiam in humeris, atque in sinu gestat. Cùm autem ego populum illum suscepissem, curassémque, sicut attentus medicus variis morbis laborantem ægrotum: ille tamen, quo erat mentis stupore, non intellexit, aut saltem in agendo non ostendit animum beneficij memorem.

4. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis: & ero eis quasi exaltans iugum super maxillas eorum: & declinaui ad eum vt vesceretur.*

B 4. Cùm illi beneficiorum immemores belluinam viderentur induisse naturam, atque adeò belluarũ more funibus essent, ac stimulis agendi: adduxi tamen beneficiorum, & charitatis vinculis, quibus homini, si modò in illo aliquid sit humanitatis ac sensus, nihil debet aut potest esse violentius. Et cùm aliquid laboris, atque molestiæ subirent in longo illo difficilique transitu: ego sic releuabam, reficiebámque, sicut agricola solet laborantem bouem, quem à iugo liberat, & à labore summouet, vt suis se temporibus pabulo reficiat atque confirmet.

C

5. *Non reuertetur in Terram Ægypti, & Assur ipse rex eius: quoniam noluerunt conuerti.*

5. Tractaui porrò populum illum adeò clementer, ne reuerteretur in Ægyptum, & in eandem rursus seruitutẽ impingeret, ex qua priùs emerserat. Cúmque parentes ad Ægyptum, cuius sæpe incesserat cupiditas, reuersi non fuerint, illorum tamen posteri, licèt non in Ægyptum, ad Assyrios tamen, quorum non erat mitior dominatus, abierunt. Quia à via quam ingressi fuerant ad me, ac meliorem mentem conuerti noluerunt.

D

6. *Cœpit gladius in ciuitatibus eius, & consumet electos eius, & comedet capita eorum.*

6. Iam Assyrius gladius vastare cœpit ciuitates Israelis, & quod reliquum est, totum absumet atque conficiet: illos etiam, in quorum potestate atque arbitratu erat reipublicæ summa.

7. *Et populus meus pendebit ad reditum meum: iugum autem imponetur ei simul, quod non auferetur.*

7. In eo autem angusto rerum articulo pendebit ex me, expectabítque populus, vt benignus redeam, qualis antè solitus, parentum suorum antiqua memoria, serò tamen, & frustrà: nihilo etenim minus, quamtumcunque à me expectent, aut clament, sustinebunt iugum, quod nullus ex illorum ceruicibus exoluat.

E

8. *Quomodo dabo te Ephraim, protegam te Israel? quomodo dabo te sicut Adama, ponam te vt Seboim? Conuersum est in me cor meum, pariter conturbata est pœnitudo mea.*

8. Quomodo, ô Ephraim, impetrare potero à clementia mea, vt te barbarorum hostium potestati, atque inclementiæ tradam? aut quomodo à iustitia, quæ punit, vt se protegam, neque eò redigam vastitatis, quo antea ciuitates, quarum tu in peccando secutus es exemplũ? Adama dico, & Seboim, & quinque ciuitates, quæ cælesti priùs igne consumptæ, mari deindẽ mortuo

9. Non

A tuo demersæ sunt. Dum hæc meditor, variis animum meum (humano loquitur more) motus exagitant. Ita enim animum à priori cogitatione conuerto, iam subit prioris cogitationis pœnitentia. Puniam quidem Ephraim, non tamen ita, vt omninò deleam, sicut antea exussi, deleuique Pentapolin.

9. Non faciam furorem iræ meæ: non conuertar vt disperdam Ephraim: quoniam Deus ego, & non homo: in medio tui sanctus, & non ingrediar ciuitatem.

9. Quare non totum meum furorem exsaturabo, non ita obliuiscar humanitatis, vt omninò disperdam Ephraim. Quod quidem homo faceret, si in furore simili,
B similem etiam facultatem haberet vlciscendi doloris. Ego verò Deus sum, qui continere furorem possum, & illum misericordia temperare: non homo, qui furorem adductis habenis cohibere non solet, neque illum secum in animo concoquere. Accedit quod in te ô Ephraim, aliqui sunt sancti, qui in Sodoma, totâque Pentapoli non fuerunt: qui si non omninò cohibere, obtundere tamen possint districtum gladium vindicis iracundiæ. Quare non ingrediar ciuitates Ephraim eo modo, quo
C Sodomam olim sum ingressus.

10. Post Dominum ambulabunt, quasi leo rugiet: quia ipse rugiet, & formidabunt filij maris.

10. Aderit ergo tempus, quando ab exilio redeat Ephraim, & duabus aliis tribubus permixtus Deum sequatur, legitimáque in illius cultum obeat sacrificia. Rugiet etenim Dominus, tanquam leo, cùm decretum laxandæ captiuitati tempus affulserit, & ad eius rugitum pauebunt & tumultuabuntur Chaldæi, atque Ægyptij, qui prope aquas habitant fluuiales, ac marinas.

11. Et auolabunt quasi auis ex Aegypto, & quasi columba de terra Assyriorum: & collocabo eos in domibus suis, dicit Dominus.

D 11. Cùm autem Deus rugitu suo Assyrios Ægyptiósque concusserit, redibunt ex eorum regionibus, vbi agebant extorres Israelitæ, ea celeritate, qua ad nidos suos reuertuntur columbæ, aut aues aliæ, quas agit ad nota diuerticula atra tempestas. Tunc verò, ait Dominus, illos fore in patriis finibus, vnde iam antea dudum exciderant collocandos.

12. Circundedit me in negatione Ephraim, & in dolo domus Israel: Iudas autem testis descendit cum Deo, & cum sanctis fidelis.

12. Dixi de reditu meliorique conditione, quam habiturus est Ephraim: nunc ad interrupta reuertor, ad scelera nempe
E illius, propter quæ cædem commeruit & exilium. Inter alia peccata Ephraim, hoc non est in postremis numerandum, quod nomen meum aureis vitulis imposuit: cùm mihi religiosum cultum & honorē negauit, côque dolo circumuenit, & præuaricata est à me domus Israel. Longè aliter fecit Iudas, qui quo tempore alij secuti Ieroboam, aureis adhæserunt vitulis, ipse in moribus expresso fideli testimonio, me verum confessus est: secutus & me præcipientem, & parentes suos, in eadem professione præeuntes.

Vers. 1.

Vers. 1. *Sicut manè transiit, pertransiit rex Israël: quia puer Israël, & dilexi eum.*]

1 HÆC multi præcedenti capiti attexunt, & caput vndecimum ordiuntur ab illis verbis, *Ex Ægypto vocaui filium meum.* Ita cum Chaldæo recentiores quidam, Pagninus, Vatablus, Montanus, Rupertus. Sed nos distinctionem illam sequamur, quam vulgatus tenuit, & ante illum Septuaginta. Hic, puto, rex Israel fuit Osee, qui regum omnium vltimus sceptrum tenuit Israeliticum. Qui periit, transiitque, non iterum rediturus ad regale solium, imò neque ad locum vnde cum aliis plurimis in exilium excessit. Hic porrò discessus sic fuit acceleratus, & præceps, sicut aurora, idem enim valet *manè* seu *diluculum*: cur verò festinatus ille transitus, aut Osee regnum auroræ comparetur, non omnes conueniunt. Hieronymus ideo conferri putat cum aurora, quia tempus illud, quod auroram, seu diluculum vocamus, breuissimum est. *Sicut*, inquit, *ortus auroræ, & diluculum, & principium Dei, quod appellatur manè inter noctis, Solisque viciniam transit celeriter, ita vt finiatur nox, & clarescat dies; sic rex Israel, id est, decem tribuum, velociter transiet.* Cum Hieronymo sentiunt è recentioribus plerique, & cum his Theodoretus, Rufinus, & Cyrillus, & reuera aurora citò suum peragit, & absoluit curriculum, id est, illud spatium, quod neque diem possis, neque noctem appellare.

PROVER. *Manè, seu aurora pro tempore breuissimo.*

2. Alij in eo positam esse similitudinē arbitrantur, quia sicut momento temporis ab Oriente ad Occasum vsque permeat matutina lux, qua nulla maior potest celeritas intelligi, sic etiam momento temporis ab acri, & festinante hoste abducetur rex Israel ab eo loco, vbi splendebat in ortu suo, ad Assyrios, vbi quasi in occasu deficeret splendor ille matutinus, & regius: ita Figuerius indicat.

3. Sunt qui legant, non *sicut manè transiet*; sed, *in manè transiet*; qui error facilè contingere potuit propter litterarum similitudinem. כ caph enim, quæ significat *sicut*, non longè dissidet à ב *beth*, quæ idem valet quod *in*. ita putant Vatablus, & Rupertus. Tum verò sensum esse putant, in principio regni, quando videlicet regij splendoris primus emicuit radius, regem Osee, in quo obscuratus fuit regius, id est, solaris splendor, depellendum esse regno. Quòd si legendum putarem, quod sanè non committam, *in manè* potius, quàm *sicut manè*, aliter ego locum istum exponerem. Neque enim statim desiit regnare, postquam regnum iniit, cùm anno regni sui 9. è regno ceciderit, vt habes *lib. 4. Reg. cap. 17.* potiùs ego hæc ad Israelem referrem, quem regem appellat, quia illum ornauit splendore regio, cùm exactis regibus, antiquisque habitatoribus regionis Chananitidis, in terram opimam, & verè regiam introduxit. Hic verò Israel in manè, aut in aurora pertransiit, id est, statim in principio, nempe quando egressus est de Ægyptio iugo, & spectare cœpit lucem aut solem libertatis; tunc verò pertransiit ab obseruantia legis, & Dei voluntate, cùm recessit pertinaci consilio ab Aarone, & Moyse, per quos à Deo vocatus, & institutus fuerat, qua de re statim agit.

4. Si de Osee intelligas, vt volunt qui *in manè* legendum esse contendunt, non *sicut manè*, in hunc A ego modum potiùs interpretarer, regem Israel in aurora potius fuisse, quàm in sole regni. Aurora ita noctem secernit à die, & à luce tenebras, vt non facilè statuas, an annumerari tenebris debeat, an luci, quia aut nox appellari potest lucida, aut dies tenebrosa. Sic igitur Osee, non tam videtur obtinuisse regnum, quàm regni vmbram, quia regnum habuit, sine regni tamen dignitate, atque splendore; obscurum nempe, ignobile, ita vt alienis potius parere videretur, quàm imperare propriis. Vt enim habes *lib. 4. Reg. cap. 17.* contra illum exercitum coëgit Salmanassar rex Assyriorum, & ad seruitutem annuùmque vectigal adegit, ac tandem vinctum compegit in vincula. Hic status non tam est regnantis, quàm eius qui obscuram quandam vmbram B habet simulati regni, quare sensus esse posset transiisse regem Israel, sicut qui transit per tenebras; id est, nullam in suo regno lucem vidisse, quia vt seruus fuit, cùm regnare existimari potuit, aut vinculis astrictus, vterque verò status à vulgari, ac tenebricosa vita non longè abest. Sed placet magis si legas *sicut manè*, & ita accipias, sicut principio diximus.

Osee regnū breue, & obscurum.

Quia puer Israel, & dilexi eum.] Illud *quia*, vt aliàs sæpe, nihil significat, sed ornatus tantùm gratia ex Hebræorum idiomate in Scriptura ponitur, vt pluribus ostendimus suprà *cap. 10. num. 33.* Neque aliud hic locus sibi videtur velle, quàm Deum in illum populum fuisse humanissimum, ab eo tempore, quo vocari potuit puer, id est, in quo euocatus est ab Ægyptio dominatu. Illud porrò tempus Deus populi vocat adolescentiam, vt diximus super Ieremiam *cap. 2. v. 2.* C & suprà *cap. 2.* ad illud *v. 15. Canet tibi iuxta dies iuuentutis suæ, & iuxta dies ascensionis suæ de terra Ægypti.* Quàm verò Deus populum illum complexus fuerit indulgenter, quàm amauerit, amorisque paterni documenta dederit eximia, docent illæ tot plagæ, quibus concisi fuerunt Ægyptij; apertum mare, aquarum scatebræ de petra cæli stillantes suauissimo rore; hæc verò eximij amoris argumenta sunt. Beneficia verò pro amore sumi vsitatum est in Scriptura: vnde eleemosyna, seu hospitalis cibus ἀγάπη dicitur, id est, *charitas*, & ideo fortasse Magdalena dilexisse dicitur multum, quia multa dedit dilectionis argumenta. Sic Deus dilexisse dicitur populum in sua pueritia, quia tunc in illum, quàm esset molliter animatus, documenta dedit. 5.

Populi Israëlitici pueritia.

Beneficium pro amore.

D *Et ex Ægypto vocaui filium meum.*] Hoc magnū fuit amoris argumentum, quòd populum illum noluit Deus Ægyptiorum subiectum esse tyrannidi. Quare inde eum euocauit per Moysem, quem ad illud opus suam quasi vicariam potestatem dedit: atque ideo Pharaonis illum Deum constituit. Porrò ibi subaudiendā arbitror, similitudinis notam, in hunc sensum: Vocaui illum, eduxique ex Ægyptia seruitute, quasi esset filius meus, id est, eo affectu, quo pater filium liberaret è carcere. Hæc fermè interpretum omnium sententia est, qui locum istum captiui populi libertate capiunt, & ita videtur exigere continens narrationis filum. Sanè ita expressè docent Septuaginta, cùm vertunt, *Ex Ægypto vocaui filios eius.* Eodem fermè modo Chaldæus, & quidem Deus 6.

Digitized by Google

Israel vocatur Dei filius.

Deus ipse primogenitum suum appellat Iudæorum populum, *Exod.4.v.22.* vbi cum de hoc ipso rerum articulo loqueretur. *Hæc dicit Dominus: filius meus primogenitus Israel.* Et statim, *Dimitte filium meum vt seruiat mihi.* Hieronymum audi, & in eo omnes penè alios huius loci interpretes. *Dum esset Israel puer, & paruulus, & captiuus in Ægypto teneretur, dilexi eum, tanquam filium & ex Ægypto vocaui filium meum,id est,populum Israel,quem filium vocaui, dicens ad Pharaonem: Filius meus primogenitus Israel,dimitte filium meum, vt seruiat mihi.*

7. Est tamẽ in eo difficultas grauis,in qua acriter, & pie multorum ingenia laborarũt, quia *Matth. cap. 2. v. 15.* hæc in Christo ex Ægypto reuerso dicuntur impleta. *Ioseph consurgens accepit puerum, & matrem eius nocte, & secessit in Ægyptum, & erat ibi vsque ad obitum Herodis, vt adimpleretur, quod dictum est à Domino per Prophetam, dicentem,ex Ægypto vocaui filium meum.* Quo loco omnes ferè interpretes Osee locum historicè de Israelitico populo, typice verò de Christo interpretantur. Qua de re nemo ferme dubitat, quod vt expediamus, aliqua nobis obseruanda sunt, quæ iam antè docuimus in nostris commentariis in Ieremiam ad illum locum cap.31. *Vox in excelso audita est lamentationis luctus, & fletus Rachel plorantis filios suos, & nolentis consolari super eis, quia non sunt.* vbi eadem omnino ratio est. Nam historicè de Iudæorum gẽte sermo est,vt est omnium penè interpretũ conspirans sententia; & tamen Matthæus eodem capite impletam dicit prophetiam, cùm ab Herode infantes,in Bethleẽm,& eius finibus occisi sunt.

8. **REGVLA.** *In Scriptura vna historia typus alterius.*

Primùm obseruo aliter se habere sacrarum literarum plurimas historias, quàm profanæ. In profanis enim præter rem narratam, non est cur quicquam expectes ampliùs, at in sacris res ipsa narrata, veraque historia, aliquid sæpe continet, idque præcipuum, quod literæ ipsi ab Spiritu sancto propositum est. Verè Hebræi transierunt mare sicco vestigio, verè cælesti cibo in solitudine pasti sunt, verè de petra excussæ sunt aquæ, quæ sitientem populum recrearunt, nihilominus verum est in aperto mari præfiguratum esse Baptismum, in cælesti manna diuinum Eucharistiæ mysterium; in petra percussa, Christum vulneratum,vbi septem fluxerunt Sacramenta. Idem de agno typico, cuius nullum os confringi iubetur,idem de æneo serpente,quem excitauit Moyses, idem de toto ferme Salomonis templo,ac sacrificiis dici potest. Sanè Paulus *1.Corinth.9.v.11.* omnia Hebræis in figura contigisse dicit.

9. **REGVLA.** *Id fieri dicitur quod incrementũ suscipit, seu perfectionẽ.*

Secundò obseruo ex vsu Scripturæ id dici fieri, seu impleri, quod incrementum suscipit, aut perfectionem. Exempla affert non pauca Salmeron *Proleg.15. regula 30.* Accipe pauca *Ioan. cap.2.* in nuptiis Cana Galileæ dicũtur credidisse discipuli,neque tamen tunc primùm crediderant,alioqui non illum relictis omnibus fuissent secuti, si illum impostorem crederent, maximè cùm inopem viderent, à quo nulla videbantur humana commoda sperari potuisse. Dicuntur tamen tunc credidisse, quia ex illo miraculo illorum fides incrementum accepit. De iustitia,seu iustificatione est illud Eccli. cap. 18. *Ne verearis vsque ad mortem iustificari.* id est, augere iustitiam, & clariùs Apocal. cap. vlt. *Qui iustus est, iustificetur adhuc, & qui sanctus est, sanctificetur adhuc.* Cùm ergo in Prophetiis multa dicantur futura, quæ tamen aliarum rerum vmbræ sunt, licet illud, quod præcedit sicut vmbra eiusmodi sit, vt eo reipsa exhibito impleta dici possit Scriptura, tamen quoniam

A aliquid aliud superest, quod impleri debeat, impleta tunc dicitur Scriptura,cùm nihil adhuc superest, quod requiras.

10. *Christus aliquo modo in populo Israelitico adumbratur.*

Hinc iam, credo, sese prodit facilis difficultatis propositæ solutio. Si tamen priùs consideremus in populo vrgente necessitate ex terra Chanaanitide in Ægyptum profecto,& eodem rursus in eandem regionem reuocato Christum adumbrari.Quod meo iudicio probare difficile non est, & eius nonnullum apparet in Scriptura sacra vestigium: cùm populum illum Deus,quẽ ex Ægypto vocauit filium suum appellet primogenitũ, in quo spectare videri potuit filium suum, quem postea defuncto Herode eduxit ex Ægypto. Pro-
B fectus fuit olim Iacob, & in eo populus ab eo propagatus in Ægyptum vrgente fame, cuius vis interdum non minor est,quam ferri:profectus est eodem Christus vrgente ferro Herodis, quod in omnes infantes,qui erãt in Bethleemitico tractu, grassatum est.Euocatus est inde populus,& in antiquas sedes, quas parentes olim incoluerunt,restitutus, quando nullum erat in arente solo periculum a fame. Sic Christus reuocatus est in eandem regionem,cùm extincto Herode nullum appareret periculum à ferro. Cùm ergo in reuocato populo, reuocati Christi species appareret,eaque in populo remigrante prædicta,neque adhuc impleta esset prophetia,quæ aliquid præterea in illo
C signo portendebat;optimè dixit Matthæus reuersum esse Christum ex Ægypto vt complerentur quæ scripta sunt, hoc nempe loco Osee, cùm historiæ omnino res in illa præfigurata responderit.Plura nos in citatum nuper Ieremiæ locum c. 31. Vide Gabr.Vasquez *disp.14.à cap.1.* vbi docet hunc locum historice de populo Israelitico, mysticè tamen de Christo esse sumendum.

Vers. 2. *Vocauerunt eos, sic abierunt à facie eorum.*] 11.
Hìc omnes Moysem intelligunt, in Aaron, quos Deus illi curæ, atque negotio præfecit, vt populum tunc ærumnosum,& sordidum in libertatem assererent: quod præstiterunt fideliter,& Deo illorum conatibus fauente,consecuti sunt. Sed po-
D pulus ille peruicax,& ingratus non solùm a duobus illis Domini legatis,sed etiam à Deo ipso suæ vindice libertatis defecerunt: cùm tamen illos sicut pater dilexerit, & nouis quotidie beneficiis ornauerit. *Eos* porrò vocat in plurali numero,cùm tamẽ populus vox sit singularis; quod millies facit,quia nomen est collectiuum, sicut alibi, *Populus hic labiis me honorat, cor tamen eorum longe est à me.* Porrò nota similitudinis omissa videtur in principio,vt frequenter omittitur ab Hebræis.In hũc sensum, *Sicut vocauerunt eos, sic abierunt à facie eorum.* Quanto nempe studio pro illorum salute duo illi Principes laborarunt, priùs in Ægypto,deinde in deserto;tanta ipsi obstinatione,ab illorum moni-
E tis, datisque à Domino mandatis recesserunt.

Baalim immolabant, & simulacris sacrificabant.]Hoc 12.
est à Moyse,Deóque deficere, cui si saperent, impendere non solùm honores,& cultum,sed etiam sanguinem, & vitam debuissent, eo tamen tempore quasi ab idolis mutis libertatem accepissent, & vitam excitauerunt illis aras, immolarunt victimas,& eò sunt progressi stuporis,atque vecordiæ,vt supplices accederent ante vitulum,clamaréntque, *Hi sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti,* Exod.cap.32.v.4. Cùm autem plures Deos adorauerint in deserto Israelitæ, dicuntur tamẽ adorasse Baalim,aut quia hoc nomẽ commune est omnibus Gentiliũ simolacris,aut quod potius reor, quia per synecdochẽ species adhiberur

Baalim commune nomẽ Gentium idolis.

pro genere. Adorarunt enim Moloch, Chamos,
Beelphegor,& alia quædam idolorum monstra.
13. Vers. 3. *Et ego quasi nutritium Ephraim, portabam eos in brachiis meis.*] Auget, & suam in populum
indulgentiam, & in se populi stuporem ingratum. Indulgentiam quidem suam, quia cùm illi
pro beneficiis retulissent iniuriam, non tamen
animum abiecit paternum, & humanum; sed illis non aliter adfuit, quàm teneris, & omnium
rerum imperitis infantibus adesse solet pædagogus, & nutritius, qui non solùm disciplinis instruit, consilio regit, sed etiam in humeris, atque
in sinu gestat. Stuporem autem, quia cùm tot
quotidie beneficiis essent suscepti, neque agnouerunt eum, qui de se tam sæpe, ac sedulò merebatur, sed potiùs cum vilissimo ligno, aut deformi vitulo permutarunt. Vbi vulgatus *nutritius*,
14. Heb. תרגלתי *tirgalti*, quod à רגל *reguel* deducitur,
quod opus significat, quod versatur circa pedes;
quare quidam vertunt, inuolui pedes illius, fasciis
videlicet, vt solent à nutricibus infantium pedes,
& ita videntur L X X. voluisse, qui transtulerunt
συνεπόδισα id est, *colligaui*, alij *deduxi*, seu *ambulare feci*, quod etiam nutricis opus est. Illa enim pueriles pedes ad incessum informat, plostellis imponit, munit serperastris, ambulare denique
facit, non solùm vtiliter, sed etiam eleganter.
Sed quia hoc nutricis, aut nutritij opus est, bene noster conuertit, *Et ego quasi nutritius Ephraim.*
Et facit, quòd ea, quæ sequuntur, non ab aliis
plerunque, quàm à nutricibus, nutritiisque præstari solent, nempe gestari in brachiis infantes.
Porrò populum illum sicut infantem, cuius ad
incessum imbecilli sunt, & insueti pedes, qui
molli, ac lento ducitur ingressu, deductum esse
per desertum, non semel in sacris literis audimus,
Deut. cap. 1. v. 31. *Portauit te Dominus Deus tuus, vt solet homo gestare paruulum filium suum in omni via per quam ambulastis, donec veniretis ad locum istum.* &
cap. 32. v. 11. *Expandit alas suas, atque portauit in humeris suis.* Hunc verò nutritionis, seu indulgentiæ
modum præscriptum esse à Domino Moysi, ipse
docuit *Numer. cap.* 11. *v.* 12. qui tantum illud
pondus pertæsus, sic infit ad Deum, *Nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi: Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum, & defer in terram, pro qua iurasti patribus eorum.*

Singularis Dei in populum indulgentia.

Eo modo Deus à Moyse populum tractari voluit, quo ipse tractauit.

15. Codex Hebraicus non habet *brachiis meis*, sed
brachiis suis, זרעותיו *Zerehhotau*, & ita quidam vertūt, *suscepit eos in brachiis suis.* & intelligūt de Moyse, qui ad Domini imperium, quasi nutrix in
vlnis suis portauit, vt modò ex *cap. Num.* 11. referebamus. Sed est sine dubio legendum cum
vulgato, *brachiis meis.* tum quia nimis esset durus
contextus, & transitus difficilis à prima persona
ad tertiam. tum quia lectio L X X. id sine dubio
præ se ipsa fert. Sic enim illi legunt in Complutensi editione, *suscepi eum super brachium*, absque
dubio, meum: sed codices Sixtiani tam Græci,
quàm Latini habent *brachium meum.* Illud porrò
vau, quod affixum esse putatur tertiæ personæ, additum videtur, propter aliud sequens *vau*, quod
erroris causa scriptoribus parum attentis esse solet; sæpe enim contingit vt ob eam causam, aut
geminetur, aut auferatur litera. De illo קחם *cachā*,
pro quo alij vertunt *suscepit eos*, non laboro, potest
enim esse aut participium, aut infinitiuus; ita vt
commoda esse possit hæc explicatio. *Ego nutritius fui Ephraim, portans, siue portando eum in brachiis meis.*
16. *Et nescierunt, quòd curarem eos.*] Omnem sensum
omnino exuisse videtur ille, qui cùm alterius gestetur in sinu, qui illi de cibo opportuno ac delicato prouideat, ignoret tamen vnde tam promptum habeat, tamque suæ naturæ attemperatum
alimentum. Nescire verò dicitur aliquis, qui licèt ingenio sit acuto, & quid erga se fiat, probè
cognoscat, nihil tamen refert officij, ac gratiæ,
quo habere se testetur animi beneficij memorē.
Quod de eodem populo per Isaiam querebatur
Dominus *cap.* 1. cùm plus mentis, si qua mens
in brutis esse potest, esse dicat in asino, ac boue,
quàm in hoc populo, qui boue atque asino longè est stolidior. *Filios*, inquit, *enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.* (ecce nutritius Ephraim.) *cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui; Israel autem me non cognouit.*

Incredibilis peccatoris stupor in agnoscendis beneficiis Dei.

Hæc fortasse vera, & morali sensui satis opportuna, quæ valde significant ingrati animi horribile vitium. Sed quia vbi noster *curarem eos*, 17.
Heb. est רפאתים *rephathim*, quod verbum illam
curam, seu curationem importat, quam adhibet
medicus ægroto, quam nos medicinam appellamus, ideo aliam esse puto sententiam, & ægroto
corpori, & prudenti, ac sollicito medico accommodatam. Qui ne serpat aut ingrauescat malum,
medicinam admouet non tam gratam, quàm vtilem affecto corpusculo, quam æger aut nimis
stupidus, aut plus satis delicatus ac mollis auersatur, & horret, & interdum quasi phrenesi, aut
rabido furore correptus in medicum insanit, illúmque non solùm verbis contumeliosis, sed etiam pugnis, aut calcibus incessit. Mille morbis
tentatus, imò confectus in deserto fuit populus
Hebræus; mille etiam modis ad sanitatem reuocare conatus est benignus pater, & sapientissimus
medicus. Et quia infirmus erat, neque satis firmus 18.
ad festinatum ingressum, lento deduxit gradu, eo
nimirum, quo, qui languido sunt corpore, gradiuntur. Prohibuit multa, ad quæ infirmorum ferebatur impotens, & præceps voluntas, quæ cùm
ferre non posset delicatus ægrotus, à medico recessit, & secutus est Baalim, & alia vicinarum
Gentium idola, à quibus molliùs se tractandum,
& magis ad voluptatem existimabat. Neque sciebat illam non tam esse vexationem, quàm medicinam, quæ tunc maximè ac salutaris esse solet,
cùm dolorem facit. Dixit hoc Hieronymus, quem
dum audis, audire te puta aliorum interpretum
sententias. *Cùm mihi*, inquit, *peccassent faciendo sibi vituli caput, dedi locum pœnitentiæ, & ignorauerunt, quòd curarem eos: & vulnus idololatriæ quadraginta annorum spatio obducerem, & pristinæ redderem sanitati.*
Amara illa videbatur potio: at erat salutaris, & à
misericorde medico porrecta; quæ si modicum
fellis afferret palato, at longum, & grauem dolorem pellebat à visceribus. Neque enim tam esset
à Gentibus vexatus ille populus, & in durum exilium, & seruitutem datus, si salutarem illam
medicinam, neque adeò amaram lubens admisisset. Huc facit quod de pœnitentia dixit Augustinus tom. 9. lib. de decem chordis cap. 9. *Melior est modica amaritudo in faucibus, quàm æternum tormentum in visceribus.*

Deus quasi medicus ægrotum populum curauit.

Peccator vt phreneticus horret medicinam.

Vers. 4. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.*] Septuaginta paulo aliter. *In corruptione hominum extendi eos in vinculis charitatis meæ.* Quæ 19.
tamen non eodem modo dispunguntur ab omnibus. Hieronymus ita distinguit, vt illud *in corruptione hominum*, cum præcedentibus societ, deinde
nouam ordiatur clausulam, in hunc modum:
Non cognouerunt, vt sanarem illos in corruptione hominum. Sed communiter editiones correctæ magis, quales sunt Complutenses, Regiæ, &
Sixtianæ

Sixtianæ non aliter dispungunt, quàm vulgata.

20. Hic multa a nobis expendenda. Primum an Adam nomen sit proprium protoplasti, vel commune naturæ. Rufinus, Haymo, Hugo, Dionysius, de primo homine sermonem esse putant, sed non eodem explicant modo. Rufinus, & Dionysius ab Adæ felicitate similitudinem peti existimant, ita vt non aliter populus tractatus a Deo fuerit in deserto, quàm in paradiso protoplastus; ibi enim Adā paratas habuit epulas sine vllo suo labore abundantes, salutares, & dulces, sic in deserto populus suauissimum cibum è cælesti rore, & aquam iugiter manantem è petra. Alij Adam in eo statu considerant, in quem peccando cecidit, vbi duriùs videbatur acceptus à Domino, cùm pelleretur è deliciarum loco, & terram obsituisse spinis, iussissetque vt in sudore vultus sui pane vesceretur suo. Tamen eò spectabat illa seueritas, vt pœnitentem hominem ad iustitiam, & sanctitatem reduceret. Ita Haymo, Albertus, & Hugo. Neque aliò spectabat modus ille seuerus, quo Dominus in solitudine populum exercuit, quàm vt errantem illum ad septa reduceret, & in officio, ac fide contineret.

Hebræi in deserto eodē modo, quo Adam in paradiso tractatus.

21. Alij Adam nomen esse putant commune naturæ. Ita cum Hieronymo plures alij, & fauent omnes translationes antiquæ, & ita videtur esse dicendum. Vitulæ priùs stolidum illum populum, seu lasciuienti vaccæ comparatat, quæ funibus trahitur ad septum, aut officium, quia ratione non potest; cui pro ratione stimulus, & funis est. At Deus non attraxit Gentem illam, quæ mores videbatur hausisse belluinos, belluino more, stimulis, videlicet, & rudentibus; sed vinculis, quibus capi homines solent, & trahi magis, nempe beneficiis. quod explicatur statim dum adiicit, *in vinculis charitatis*, id est, quæ à charitate procedunt. Neque sanè vlla vis est potentior apud cordatos homines, quàm quæ oritur à beneuolentia, maximè vbi nulla præcesserunt merita, quæ allicerent, sed potiùs iniuriæ, quæ retardarent aliorum animos ab officio.

22. *Traham eos.*] Quidam *traham*, vt vox ipsa præsefert, tempus putant significare futurum, in hunc sensum. Nōdum animum antiquum abieci, adhuc paratus sum trahere errantem populum ad me, non belluarum more, terroribus; ac stimulis, sed hominum vinculis, nempe beneficiis, quibus homines, si modò aliquid retinent humánum, obniti non solent. Ita Ribera. Sed est communis sententia ibi *traham* exponendum esse per præteritū. Sic cū Hieronymo, Haymo, Rupertus, Hugo, Lyra, Montanus. Quod mihi certum est iuxta regulam, quam plurimis exemplis explicuimus in nostris commentariis in Isaiam *cap.* 41. *num.* 6. vbi diximus tempus futurum significare rem interdum præteritam, interdum præsentem, maximè cùm tempus antecessit præsens, aut præteritum: cùm autem hîc tempus antecedat subsequatúrque præteritum, facilè intelligitur, quo modo *traham* præteriti temporis significationem contineat. Tradidit hanc regulam Augustinus *tom.* 8. ad illud Psalm. 3. *Exurrexi, quia Dominus suscepit me.* Heb. est, *suscepisti. Hoc,* inquit, *magis aduertendum est, quemadmodum in vnā sententia, & præteriti temporis verbum, positum est, & futuri. exurrexi enim dixit, quod est de præterito, & suscipiet, quod est de futuro, cùm resurgere vtique sine illa susceptione non posset. Sed in prophetia bene miscentur futura præteritis, quo vtrumque significetur.*

Regula. Futurum interdum per præteritum, aut præsens explicandum quando ipsum præcessit præteritum, aut præsens.

23. Ex his iam difficilia non erunt, quæ reliqua

A sunt capitis, quæ valde ex ipso dicendi genere videbantur implexa. Loquitur enim nō de Israelitis, qui tunc erant in viuis, quādo hæc ab Osea dicebantur; sed de his, quos Dominus eduxit ex Ægypto, & multos tandem cumulatos beneficiis in terram promissionis induxit, de quibus à principio capitis agere instituerat. Quos cùm videret ad omne genus idololatriæ pronos, & in data fide assiduè vacillantes, trahebat ad se, molli tamen manu; beneficiis videlicet, quæ ingenui, atque prudentis animi vincula sunt, quibus fortius stringitur, quàm ferreis vinculis belluinæ ceruices. Hæc verò vincula dicuntur charitatis, quia licèt beneficiis atque indulgentiæ
B aliquid videretur seueritatis admixtum; illud tamen totum à charitate, & à sedulitate paterna nascebatur: sicut non magis amat pater, cùm filium amplexu fouet molliter, quàm cùm virga cædit paulo seueriùs.

Et ero eis quasi exaltans iugum super maxillas eorum.] Hoc etiam loco *ero* tempus significat præteritū, iuxta regulam, de qua nuper, quod communiter etiam censent interpretes. Quibus verbis ostendit Deus aliud beneuolæ prouidentiæ genus in antiquum illum populum. Solent qui rei rusticæ, aut plaustrariæ dant operam, alligare vitulorum colla iugo, & illa fortiter, vt res agatur magis ex vsu, vinculis alligare, at ex interuallis
C adimunt iugum, & colla dissoluunt, vt à labore cessent, & aliquid sibi quietis assumant, & pabulo se opportuno reficiant. Id fecit Deus, multo tamen humanius, ac multo frequentius quàm solet arator, aut rhedarius. Hanc arbitror sententiam esse obscuri huius, atque perplexi loci, non diu premi laborantem populum, sed laxari frequenter, & alterna laboris, atque quietis vicissitudine leuari molestiam, si qua in illo curriculo subeunda fuit. 24.

Iugum super maxillas exaltare quid.

Sed est difficile statuere vnde sumatur hæc metaphora, aut quid commune iugo cum maxillis, neque enim iugum tam ad maxillas, quàm ad ceruices pertinet. Vatablus existimat cùm
D bobus à labore cessandum est, tolli è ceruicibus iugum, illúdque à cornibus, seu super maxillas solere suspendi, sed non lego alicubi gentium id fuisse in vsu; & sanè plus laboris afferret iugum cornibus, quàm ceruicibus impositum; neque hoc esset leuare ab onere, sed onerare multo grauiùs. Rufinus exaltari iugum idem esse putat, quod remoueri à maxillis, seu ceruicibus boum. *Sicut,* inquit, *in curribus fieri videmus, in quibus iuga cùm soluuntur eriguntur.* Est quidem hoc verum, quod Rufinus cogitat; quod nos videmus aliquando fieri, vbi enim plaustra boues deserunt, eleuatus temo sursum etiam eleuat iugum, quod extremam temonis partem occupat. Ve-
E rùm neque id perpetuum est, imò non nisi rarò in plaustris contingit; & in aratro, cui sæpius alligantur boues, multo rariùs. Nisi dicamus apud Hebræos, ex quorū̄m consuetudine ducta est sine dubio similitudo, rotatum esse aratrum, & eo modo trahi, quo plaustrum solet, sed neque id apparet in vsu fuisse apud Hebræos, neque fortasse vllibi Gentium. 25.

Verisimilius est id quod ex Columella *lib.* 2. *cap.* 2 putat Figuerius, nempe ad singulas sulcorum versuras eleuandum esse iugum ad caput & cornua, vt refrigerentur colla, quæ vri alioqui solent, & affligi grauiter. Hoc enim dat aratori sedulo præceptum. *Sulcum,* inquit, *longiorem quàm pedum centum viginti contrarum peteri est, quo-* 26.

Boues quomodo in aratione releuandi.

niam plus æquo fatigatur, vbi hunc modum excessit. Cum ventum erit ad versuram, in priorem partem iugum propellat, & boues inhibeat, vt colla eorum refrigescãt, quæ celeriter conflagrant, nisi assiduè refrigerentur, & ex eo tumor, ac deinde vlcera inuadunt. Sed neque hæc videtur satis expedita solutio; nam licet hæc solertis agricolæ, déque boum commoditate solicita cura sit; at nihil hic de maxillis audio, quod in hoc loco præcipuè quærimus.

27. Quare alia via nobis instituenda est, neque alia mihi visa commodior, quàm quæ Riberæ placuit, modò aliquid addas è veteri rusticorum disciplina. Docet Columella suprà, non esse boum cornibus alligandum iugum, sed imponendum collo, contra quam plurimis in locis faciunt Hispani, quia melius humeris, & toto corpore, quam capite solo nituntur boues. Deinde docet maximè expedire vt erecto, non demisso capite trahat aratrum. *In opere*, inquit, *boues arctè iunctos habere conuenit, quo speciosius ingrediantur sublimes, & elatis capitibus, ac minus colla eorum labefactentur, iugúmque melius aptum ceruicibus insideat.* Hæc Columella. At non apparet, quomodo eleuari possint capita boum, nisi frænum addas, seu capistrum, quo tanquam equi erecto incedant capite; quòd iugo alligetur necesse est. Ex quo fiet, vt lorum illud, seu frænum, quo ligantur ora, seu maxillæ boum, dicatur etiam iugum.

28. Huiusmodi autem frænum, seu capistrum gestari solitum à bobus, dum terram aratro subigunt, aut ad aliud quoduis opus iugum subeunt, ex eo fit probabile, quia dum in area teruntur fruges, iubetur agricola ne liget ora boui trituranti; id est, ne faciant, quod in aliis operibus fieri consueuit, vt bos possit, & caput demittere, & os aperire, non prohibente fræno, & pabulo parato, & non interdicto molestum illud opus leuare. Quòd verò huiusmodi fræno, quod ori iniicitur, aut capistro, quod ligat, maxillæ quoque dicantur constringi, multa docent Scripturæ sacræ loca. Psal. 33. *In chamo, & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Isaiæ cap. 30. *Frænum erroris, quod erat in maxillis populorum.* Ezech. 38. *Et ponam frænum in maxillis eius.* Ait ergo Dominus etiam dum populum grauiter videretur vexasse, aliquando sustulisse iugum, quod ceruices illius, atque maxillas constringebat, & aliquid, imò & multum cessationis, & otij à labore tribuisse. Hæc mihi expositio, & facilis visa est, & quæ totum textum explicat, & implet.

29. Mihi alia explicatio aliquando placuit; quam licèt non probem omnino, afferam tamen, quia fieri potest vt alicui placeat. Durum videtur esse iugum, & graue pondus, quod nostris ceruicibus Deus, atque humeris imponit; & ita iudicat, qui Dei ingenium, & naturam mitissimam ignorat, quia nempe maluit mundi iugum importabile, quàm Dei leuissimum, & suauissimum subire. Imponit quidem Dominus iugum, in speciem graue, quódque subiectas ceruices fracturum videatur, sed ita imponit, vt tamen manu leuet, atque suspendat, ita vt neque aliorum humeros, aut ceruices videatur attingere. Quod norat, orabátque, qui nostro nomine dicebat Sap. 9. v. 10. *Mitte illam* (sapientiam) *de cælis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret.* Quæ si adsit, non leuis modò, sed etiam suauis videtur labor ille quem homo sustinet, quem nempe Dominus, & manu suspendit, & mira suauitate condit. Quare licèt Paulus *1. Cor. cap. 15.* dicat se laborasse omnibus abundantiùs, tamen labores illos, quos pertulit, sic expertus est à diuina gratia, fauoréque conditos, vt seipsum laborasse non putet. Non quòd reuera non laborauerit; alioquin non diceret, *sed gratia Dei mecum*; sed quia labor ille licèt magnus, parum tunc habuit molestiæ. Iuxta hanc explicationem sensus est facilis; & fortasse verus, eiusmodi fuisse iugum impositum à Deo, quamuis graue humanis oculis videretur, ac si nihil omnino grauitatis haberet. Sic enim videtur aut ceruices premere, aut maxillas arctare, vt tamen suspendente diuina manu, neque maxillas stringat, neque insideat ceruicibus.

Dei iugum cùm graue videatur, leuissimum est.

30. *Et declinaui ad eum, vt vesceretur.*] Hinc colligo veram esse expositionem, quam suprà adduxi, exaltare iugum nihil aliud videri, quàm remoueri iugum, vt reficiantur boues, & ducantur ad pabulum. modus loquendi obscurior propter Hebraicum Idioma. Erit autem sententia multa facilior, si ita transferas, declinaui, seu adduxi ad eum cibum. Heb. est אוכיל *ocbil*, quod multi nomen esse putant, & idem valere quod cibus, aut esca, licèt alij verbum esse existiment. Quare vulgatus vertit, *vt vesceretur.* quod Hieronymus exposuit, *dedi eis escam.* Symmachus, *declinaui ad eum cibos.* Sed idem omnino valet, quod vulgatus reddidit. neque enim aliud est declinare ad aliquem, vt vesceretur, quàm afferre cibos, quibus vesci possit.

31. Huic curæ seduli, atque amãtis agricolæ opponitur, immite aliorum ingenium, qui exercent alios dominatu barbaro; neque tamen vires alimento reficiunt, aut aliquid à labore laxamenti dant. Quales erant Chaldæi, de quibus Ierem. Thren. cap. 5. *Ceruicibus nostris minabamur, lassis non dabatur requies.* id est, non auferebatur iugum, quod bobus indulgetur à rustico. Sed labori labor, & onus oneri continenter succedit. Hoc præterea esse idolorum ingenium, dixit idem Ieremias cap. 16. v. 13. *Eiiciam vos de terra hac in terram, quam ignoratis vos, & patres vestri, & seruietis ibi diis alienis die, ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.*

Graue iugũ quod ab homine imponitur.

32. Vers. 5. *Non reuertetur in terram Ægypti.*] Quidam hæc referunt ad tempus futurum, quod illud *reuertetur* designat; putántque tunc impletam, quando Manahem contra Assyrios Ægyptiorum sibi auxiliares copias aduocauit: occupatus tamen ab Assyriis, non potuit, quò destinarat animo, ad Ægyptios cõfugere; quare illi Assyriorum imperium subeundum fuit. Ita Hieronymus, Haymo, & frequentes alij. Quod mihi non displicet; veruntamen, neque improbatur illa cogitatio, quæ hæc ad superiora tempora pertinere putat; sicut quæ præcessere proximè. Nempe cùm Deus exaltabat à maxillis, ac ceruicibus iugum, & à labore solutum populum declinabat ad pabulum. Quod eo faciebat consilio, ne populus defessus laborando, & itineris longi fastidio reuerteretur in Ægyptum: quod non semel tentauit, aut voluit, porrorum memor, & alliorum, aut ollarum carnium, quibus antè cùm seruiret Ægyptiis vescebatur. Lege *Numer. cap. 11. v. 4. & cap. 14. à principio.* Fecit tamen Dominus patiens, & misericors, ne reuerteretur, & in eãdem rursus seruitutem impingeret, ex qua nuper emerserat. Erit igitur sensus, tractaui populum indulgenter, ac molliter, neque ita laborare feci, vt non etiam opportunis locis, atque temporibus tribuerem quiescendi facultatem. Quare licèt reuertendi in Ægyptum

Deus magno studio cauit ne populus in Ægyptum rediret.

frequen-

frequenter inceſſerit cupiditas; tamen reuerſus non eſt. Hæc explicatio facilè totum caput leni filo contexit; explicatio alia nonnihil videtur habere violentum. Tempus verò futurum, iuxta ea, quæ proximè diximus, per præteritum explicari poteſt, ſicut ab aliis penè omnibus tempora futura, quæ præceſſere, præteriti ſignificationem habere exiſtimantur.

33. *Et Aſſur ipſe rex eius, quoniam noluerunt conuerti.*] Communis explicatio eſt, quam paulo antea, ex aliorum penè omnium ſententia produximus. Nempe non venturos in Ægyptum Iſraelitas, vnde præſidium certum ſibi promiſerant, ſed Aſſyriorum fore imperio ſubmittendos. Quod ego non abnuo: ſed ſi conſequenter ad poſteriorem explicationem dicendum eſt aliquid, hoc planè dici poſſe videtur non alienum; cùm illi priores in Ægyptum ſuperioribus ſæculis reuerſi non fuerint, neque regem Pharaonem imperio iterum ceruices liberas ſummittere voluerint; illorum tamen poſteros, quia in ſuſcepta perfidia pertinaci conſilio hærere voluerunt, ſubituros eſſe non quidem Ægyptium, ſed, quod nihilo erit optabilius, ac mitius, Aſſyriorum imperium. Quare ego illud *in terram Ægypti*, puncto concludo, & nouam exordior clauſulam; ab illo, *& Aſſur.*

34. Verſ. 6. *Cœpit gladius in ciuitatibus eius*, &c.] Hæc iam obſcura non ſunt, in vtraque expoſitione. Oſtenditur enim quod decem tribubus pro tam obſtinata perfidia ſupplicium immineat ab Aſſyriis, quorum imperium non effugient. Bellum etenim minatur, quod conſumet tum alios, tum eos præcipuè, in quorum poteſtate, atque arbitratu erat ſumma reipublicæ. Puto autem hæc ab Oſea prædicta, quo tempore res Iſraelitica vaſtari iam cœperat ab Aſſyriis. Nam, vt conſtat ex *lib. 4. Reg. cap. 15.* & clariùs *lib. 1. Paralip. cap. 5. v. 26.* ſenſim labaſcere, atque abſumi cœpit regnum Iſrael, donec tandem ſub Oſee capta Samaria debellatum, atque extinctum eſt, *lib. 4. Reg. cap. 17.*

35. Verſ. 7. *Et populus meus pendebit in reditum meum.*] Variè alij. Mihi Hieronymi ſententia maximè probatur. Quam alij communiter ſequuntur, qui dicunt in eo rerum conflictu, cùm inſtet iam extrema calamitas, ſuſpenſis animis expectaturum miſerum illum populum, an Deus mitem ſe præſtet, & humanum: qualem illum olim parentes in diſcrimine ſimili experti ſunt. Fruſtrà tamen expectabunt adiutorem, quem toties clamantem, & vltro ſalutem offerentem, tam inurbanè, at-

36. que inuerecundè contempſerunt. Aliæ explicationes parum videntur ad rem. Illa nonnihil facit ad mores, quam adducit Montanus, licèt parum ad literam, niſi ego fallor; putat enim tantam eſſe populi vecordiam, tantam inſolentiam & in ſuſcepto errore pertinaciam, vt licèt grauiter Deum offenderit, nolit tamen illum ſupplex ad veniam flectere, & orare priùs, vt ad gratiam redeat. Sed expectat donec ſe Deus quaſi ſupplicem, & precatorem offerat, vt non tam Deus errantem populum, quàm populus Deum ad amicitiam, & gratiam admiſiſſe videatur; quaſi id ad hominum dignitatem pertineat, non tam aliis offerre, quàm ab aliis oblatam reconciliationem admittere. Quo genere noſtra ætate grauiſſimè, ac frequentiſſimè peccatur à multis, qui eam tantùm ob cauſam diuturnas alunt inimicitias, quia nemo vult prior alterum de venia, aut gratia prouocare. Quaſi dedecori fore ſtatuant,

Glorioſum eſt alium ad pacem, & veniam inuitare.

A oſtendere animum ingenuum, docilem, quique procul abſit à ferino. Cùm contrà viri prudentes in ignoſcendo ſtatuerint non exiguam dignitatis partem. Audi Chryſoſtomum *tom. 5. homil. de ſimultate, & ira*, vbi cùm hoc ipſum argumentum tractaret, ait: *Inter probra ducimus eum* (à quo læſi ſumus) *priorem adire. Sed quid probri eſt ſi tu prior lucra preoccupes? verecundia eſſe debet, ſi in eo affectu perſiſtas, expectéſque donec iniuria auctor pro reconciliatione te adeat, id probrum, id vitium, id ingens damnum. Qui enim prior venit, is totum lucrum anticipat: ſi enim ab alio exoratus iram relinquis, illi imputatur, cuius precibus impetratum eſt. Non enim Deo obtemperamus, ſed illi gratificans legem adimpleuiſti. Quòd ſi nemine intercedente, neque illo, qui læſit, adeunte, aut preces adhiben-*

B *te, ipſe reiecto iſto pudore nihil cunctatus ad iniuriæ auctorem accurreris, eique iras tuas reſolueris, tuum ex toto ſit illud officium, & opus virtutis, vniuerſámque mercedem ipſe recipies.* Neque id ſolum viri ſancti, ac pij, quos diſciplina informat Euãgelica, ſed etiã profani. De profanis eſt illud Adriani, qui cùm ad imperatorium nomẽ eſſet euectus, ereptam ſibi exiſtimauit vindictę ſumendæ, de iniuria priuata facultatẽ. Theodoſius, Ambroſio teſte, in illius obitu beneficium ſe accepiſſe dicebat, cùm ignoſceret. Et quidem Deus tum maximè fortitudinem oſtendit, cùm ignoſcit. Sic Moyſes ad Deum *Num. 14. v. 17.* cùm peteret vt populi peccata dimitteret, ait, *Magnificetur ergo fortitudo Domini*, &c.

C & hoc ipſo capite v. 9. *Non conuertar, vt diſperdam Ephraim: quoniam Deus ego, & non homo.*

Ab offenſo alium ad gratiã prouocare, quãtus honor.

Iugum autem imponetur eis ſimul, quod non auferetur.] Pendebit populus, expectabitque auxilium meum; ſed ſerò, poſtquam toties admonitus & ad officium, & amicitiam vocatus aures obſtruxit. Quare reſpondet Deus illorum inſaniæ, & petitioni ſeræ, quantumuis clament, & pendeant, nihilominus illis ſubeundum eſſe iugum tum durum, tum etiam eiuſmodi, vt non ſit ex interuallis auferendum è collo, ſicut impoſitum à Domino iugum ſuper maxillas ſæpius exaltabatur. vide quæ proximè diximus *num. 24.* quæ non minus huc faciunt. 37.

D Verſ. 8. *Quomodo dabo te Ephraim? protegã te Iſrael? quomodo dabo te ſicut Adama? ponam te, vt Seboim?*] Cùm de mundo communi inundatione delendo cogitaret Dominus, tangebatur dolore cordis intrinſecus, *Gen. cap. 6.* & cùm talia de duabus tribubus meditaretur, qualia nunc de decem, nouo quodam dicendi genere animi ſui dolorem humano modo, ac ſenſu ſignificabat. Iſaiæ cap. 1. *Heu*, inquit, *conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Sic modò eundem prodit affectum miſericordis, atque amantis animi, quique inuitus non tam adducitur, quàm trahitur ad inferendam plagam. Quæ plaga non infligetur ab imbelli manu, aut ab offenſione leui, cùm

E talis futura ſit, qualem olim acceperunt è cælo quinque ciuitates priùs delicioſæ, atque vberes, ſicut paradiſus Dei, pòſt verò tactæ de cælo, & in cinerem redactæ, & tandem mortuo mari, ac fœtido demerſæ. Hiſtoriam habes *Gen. cap. 19.* 38.

Deus cùm punit, dolet.

Hæc aperta, illud obſcurius; quo modo cum *dabo*, quod proximè antecedit, ac ſequitur, conuenire poſſit *protegam*, quod contrariæ omnino ſignificationis eſt. Heb. eſt אמגנך *amaguen*, quod deduci poteſt à radice גנן *ganan*, quod *tegere* ſignificat, aut à מגן *magan*, quod *tradere* recentiores omnes à מגן deducunt; quod etiam ex antiquis fecere Symmachus, Theodotio, & Chaldæus. Neque id improbatur Hieronymo, qui in contrariã 39.

significationem accipit, & suam quodammodo translationem rettactat. *In eo loco,* inquit, *vbi nos & Septuaginta interpretati sumus, protegam te Israel, in Hebraico scriptum est* אמגנך *amaguenicha: quod Aquila transtulit ὅπλῳ κυκλώσω σε, id est, scuto circundabo te. Quod cum in bonam partem putaremus intelligi, & significare protectionẽ, ex editione Symmachi, contrarius nobis sensus subiicitur, dicentis ἐκδώσω σε, id est, tradam te. Ex translatione quoque Theodotionis non prospera, sed aduersaria demonstrantur, ἀφοπλιῶ σε, quod significat, nudabo te, & auferam à te ὅπλον, hoc est, scutum, quo te ante protexeram. Et hic sensus magis conuenit Domino comminanti.* Hæc Hieronymus, cuius sententiam sequuntur alij non pauci. Sed quia plus habet auctoritatis trãslatio, quàm expositio Hieronymi, ideo ad translationem illius, (quæ etiam est Septuaginta, & Aquilæ) explicationem accommodo; quod etiam fecerunt alij, vt Ribera, & Figuerius, qui sic locum istum accipiunt. Ribera quidem, *An protegam teuà venturis calamitatibus, cùm pœnitentiæ oblitus idola quotidie me cernente adores?* Figuerius, *Vellem quidem protegere te, sed prorsus indignum te mea protectione reddidisti.* Vterque imitatus videtur Theodoretum, & Cyrillum, qui in eandem sententiam eundem locum assumpserunt.

40. Ego hîc in Deo videre videor amantem patrem, & iudicem seuerum: in Ephraim verò filium, quem pater amat, & punire recusat; pater dolet cùm in illum animaduertere lege, aut consuetudine cogitur, & paterno affectu commotus dolens ait: Quo modo ab animo paterno impetrem, vt filium aut carnifici tradam cruciandum, aut remis alligem, aut vinculis mandem, squalori, ac tenebris; vt verò iudex, qui vindex est legum, neque personam accipit, & statuit omnino se debere reipublicæ, vt sontes damnet, neque scelus vllum patiatur impunitum abire, dicit secum dolens, quomodo à legibus impetrare potero, vt te, ô fili, à supplicio liberem; quomodo te protegam ab eo fulmine, quod in tuum caput torquetur à legibus? sic Deus amans dicit, *quo modo tradam?* Iudex verò, *quo modo à legum seueritate defendam?* in altero verò membro per zeugma repetendum est *quo modo*, in hanc meam cogitationem videtur flecti posse non difficile explicatio Cyrilli.

In Deo circa peccatorem animus parentis, & iudicis.

Adama, & Seboim è numero sunt illarum quinque ciuitatum, quas ignis de cælo tetigit, & consumpsit, harum nulla mentio in Genesi, vbi supplicium illud cæleste describitur, at fit in Deuter. *cap.* 29.

41. *Conuersum est in me cor meum: pariter conturbata est pænitudo mea.*] Humano modo loquitur, quia se ad hominum sensus, & cogitationem sæpe accommodat Deus. Neque enim homo intelligeret plurima, quæ dicuntur, si sermo diuinus se supra humanum stylum & cogitationem attolleret. Cùm homo de re quapiam graui difficilique deliberat, variè suam intelligentiam versat: modò hæc placent, & illa eadem rursus improbantur; interdum seuerè de rebus statuit, interdum, quæ fuerant seuerè definita, moderatur, ac temperat, quia varij affectus vacillantem spiritum trahunt, & exagitant. Hos sibi affectus accommodat Deus, vt enim ostenderet grauia fuisse populi peccata, dignaque vt non mitiori plecterentur supplicio, quàm quo Pentapolis affecta est, quæ sic fuit ab igne cælesti vastata, vt nullum reliquum appareat, aut è tanta mole, aut è tanta amœnitate vestigium, dixit: *Quo modo dabo te sicut Adamam, & Seboim?* Quasi tale aliquid spiraret animus, quale ciuitates illæ supplicium subierunt. Pòst verò quasi consilium illud nimium haberet acerbitatis, ait, cor illud, quod cædem meditabatur, & omnimodam populi ruinam, esse conuersum, & tactum prioris consilij pœnitentia adhibuisse modum cogitationi priori; ita vt neque omnino maneret impunitum populi scelus, neque seuerè, ac durè plecteretur. Huc inclinant omnium penè sententiæ cum Hieronymo, Theodoreto, Cyrillo, Rufino.

Vers. 9. *Non faciam furorem iræ meæ, non conuertar, vt disperdam Ephraim.*] Disperdiderat Dominus quinque ciuitates, id est, omnino, ac funditus exciderat; quia neque excitatæ sunt ampliùs, neque in illum abierunt statum, vt excitari potuerint, cùm illarum sedes mare mortuum, natura fœtidum, ac pestilens oppleuerit. Eò, vt dixi, spirabat diuinus furor; animus tamen mitior, & conuersus ab ea cogitatione, dicit, *Non faciam furorem iræ meæ.* id est, nõ faciam id, quò meus me furor instimulabat: neque cõuertar ab hoc mitiori consilio, ità vt ad priorem reuertar cogitationem; ita vt Sodomam olim, sic etiam modò disperdam, id est, funditus deleam Ephraim. Quomodo non omnino perierit Ephraim, licèt variè à patriis sedibus fuerit dispersus; sed multi redierint è decem tribubus duabus permixti, diximus suprà ad illud cap. 1. *Voca nomen eius absque misericordia.* 42.

Deus furorem temperat suum.

Quoniam Deus ego, & non homo.] Variè hic locus tractatur ab auctoribus; communiter hic spectari existimatur diuina clementia, quam non potest hominum improbitas exhaurire; sicut exhaurit quotidie, atque extinguit humanam. qua de re nos paulo antè ad illud, *& populus meus pendebit.* homo namque præceps est ad iram, neque facilè vbi furere incepit, ad lenitatem, & misericordiam traducitur. Ita Cyrillus, Theodoretus, Rupertus, & Vatablus. Alij ad clementiam referunt, alio tamẽ sensu, quia homo, vt est ingenio inclementi, ac ferino, insectatur hostem, à quo læsus, aut offensus est ad cædem vsque; neque ab eo consilio, atque conatu desistendum putat, donec ferino more sitim suam ardentem aliorum sanguine exaturarit. Deus verò, qui non cædem spectat, sed salutem aliorum, sicut Medicus, cùm medetur ægroto, aut pater cùm virgam admouet peccanti filio, ita cædit vt sanet, ita percutit, vt ad disciplinam, & officium reducat. Ita cum Hieronymo frequentes alij ex nostris, & ex Hebræis Rabbi Abraham. 43.

Miseratur Deus, & parcit: homo totum acerbitatis virus effundit.

Chaldæus, & ex Hebræis Rab. Dauid, firmitatem, aque constantiam diuini consilij hîc spectari censent; quibus adhæret Figuerius. Cùm enim Deus multa promisisset Israelitidi genti, ne suæ fidei promissionique deesset, conseruare populum voluit, in quo ornando data olim fides erat implenda. Non est autem Deus sicut homo, qui vt leuis est fidei, neque admodum propositi tenax, quid promiserit, aut quomodo sit fides liberanda, non laborat. Dixit hoc idem Paulus ad Roman. 3. v. 4. *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* Placet tamen multo sententia prior, tum quia omnia quæ à Deo promissa fuerant, si modò saluæ essent duæ reliquæ tribus, seruari potuissent. 44.

In medio tui sanctus, & non ingrediar ciuitatem.] Locus etiam iste variè à variis accipitur. Rufinus, & Rupertus, quibus Ribera subscribit, Deum quasi ducem considerant, qui armis sibi 45.
ciuitatem

ciuitaté subiecit, quam cùm iam esset expugnaturus, ac direpturus, cohibet se naturæ bonitaté adductus, ne illam perdat. Quasi dicat Deus se non ingressurum ciuitatem, vt illam tanquam Sodomam omnino populetur, ac perdat; quomodo hostis ingreditur prædator, atque insolens victoria, & longo obsidionis fastidio, & quotidianis incommodis, atque iniuriis lacessitus. Sed in medio ciuitatis futurum sanctum, id est, benignum, & mitem, quique aliorum leniat potius, quàm acuat furorem, & cruentas ac furaces manus à cæde, rapináque contineat. In hanc illi sententiam, licèt aliqui eorum subobscurè.

46. *Aliter Deus se habet in puniendo, quàm homo.* Hieronymus aliter explicat, quasi Deus dicat alias se habere in iudicando, atque puniendo leges, quàm homines, qui summũ ius persequuntur, à quo sæpe abesse non solet iniuria. à quo videtur homines deducere, dum ait Eccl. cap. 7. v. 17. *Noli esse iustus multum.* Quem locum sic explicat Hieronymus. *Si quem rigidum, ac trucem ad omnia fratrum peccata conspexeris, vt neque in sermone peccanti, nec propter naturalem interdum pigritiam morami det veniam, hunc scito plùs iustum esse.* Talem se esse negat Deus ex Hieronymi sententia, dum se in eo populo sanctum appellat; benignum scilicet, & qui aliquid de legis seueritate remittat; quique in consilium semper lenitatem, & misericordiam adhibeat. Audi Hieronymum. *In medio tui sanctus, & non ingrediar ciuitatem, hoc est: Non sum vnus de his, qui in vrbibus habitant, qui humanis legibus viuunt, qui crudelitatẽ arbitrantur iustitiam. Ius summũ summa malitia est, mea autem lex, meaque iustitia est saluare correptos.* Cum Hieronymo sentiunt Albertus, & Haymo. Hebræi, vt dicit hìc Hieronymus, de sua Ierusalem hæc accipiunt, quam omnibus volunt esse præpositam. quasi dicat Deus se nullam aliam ciuitatem ingressurum esse: ita antiquissimi Hebræorum magistri, ante ætatem Hieronymi; quod etiam retinuerunt post illum plures alij, vt Rab. Salomon, Rab. Abraham, Rab. Dauid, quod etiam nunc deliri existimant Iudæi, cùm apud se tantùm habitare Deum sibi persuadeant.

47. Alias alij explicationes adducunt, ego duas afferam, vtinam non abs re, ex illis tu quam malueris accipe, nisi vtranque reiiciendam putes. Primum arbitrabar in *sancto* non esse intelligendum Deum, sed templum, in quo eo temporis articulo aut tabernaculum, in quo superioribus sæculis Deus ab Israele colebatur. Promiserat autem Deus habiturum se tabernaculum suum in medio populi; neque à se vltrà fore repellendum. Leuit. 26. cap. 11. *Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abiiciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, & ero Deus vester: vósque eritis populus meus.* Hæc ratio mouere potuit Deum ne omnino disperderet Ephraim, vt antiquam illam promissionem impleret, quam non implesse videri poterat, & violatæ fidei insimulari, si eodem modo, quo Adama, & Seboim tabernaculi sui antiquam sedem obruisset. Ex hac promissione populus ille tantum fiduciæ ceperat, vt nihil sibi ab hoste, nihil ab vlla hominum, aut temporum iniuria timendum putaret. quare frequens habebat in ore illud Ieremiæ cap. 7. v. 4. *Templum Domini, templum Domini, templum Domini est.* Sed hæc explicatio ideo minus placet, quia templo, non tam est Heb. קדוש *cados*, quod hoc loco legimus, quàm קדש *codes.*

48. Altera explicatio magis est mihi probabilis, & nisi à patrono nuda, omnium mihi maximè

A placeret. Dixerat nuper Dominus, non esse disperdendum Ephraim, sicut Seboim, & Adama, in quibus illas etiam ciuitates intellige, quæ cum ipsis simul cælesti deflagrarunt incendio. Nunc, opinor, Deus rationem reddit cur aliter modò de Ephraim, quàm olim de Sodoma supplicium decernat. Notum est illud Abrahæ cũ Deo familiare colloquium, & quemadmodum concessa fuerit Abrahæ precibus ciuitatum illarum ab impendente iam flamma liberatio, si modò aliqui in Sodomis inuenirentur iusti, qui furorem obtunderent, & plagam auerterent. Hoc quod tunc Deus non reperit in Sodomis, Seboim, & Adama, reperisse se dicit in Israel, sanctum videlicet

B aliquem, cuius gratia ita plectenda voluerit populi peccata, vt contrà quàm ex Sodomis, aliquas manere statuerit ex populo reliquias, & ideo dicit, *In medio tui sanctus.*

At dicat aliquis, in Sodomis ventum esse ad iustorum denarium, promissúmque parcendum esse ciuitati, si modò in illa decem accurrerent iusti, qui intentum ad plagam brachium cohiberent. At nunc vnus tantùm videtur esse sanctus, qualis vnus etiam in Sodomis tunc erat, nempe Loth, qui epist. 2. Petri cap. 2. *iustus* appellatur. Respondeo primùm Loth non esse Sodomæum, sed aduenam, qui tunc primùm in eam regionem appulerat. Nam, vt habes Genes. cap. 12. egres- 49.

C sus est Loth cum Abraham de Haran, & cùm peregrinus esset in eo loco separatus ab Abraham propter pastionis opportunitatem consedit: quare inter Sodomitas numerari non debuit. Respondeo secundò *sanctum* hìc, licèt in singulari numero, significare multitudinem per synecdochem, quod in Scriptura sacra frequentissimum est. Quale est illud Virgilianum,

—Vteriimque armato milite complent.

Quare sensus est, *In medio tui sancti sunt.* Fuisse autem plurimos sanctos, quo tempore hæc ab Osea dicebantur, aut quando decem tribus malè mulctatæ fuerunt, & captæ tandem ab Assyriis, res est certissima. Viuebant etenim tunc Prophe- 50. *Aliqui in Israël sancti, cùm capta decem tribus.*

D tarum plurimi, Oseas, Amos, Ioel, Abdias, & alij, qui ad decem tribus pertinebant. Fuisse sanctum Tobiam, qui eo tempore captus est, ipsius Scripturæ testimonio docemur; & idem dicendum videtur de tota illius familia, imò de amicis, quos habuit tum cùm captiuus ageret in Niniue, tum cùm adhuc in patrio solo moraretur. Id verò ideo mihi fit verisimile, quia Raguel, cuius filia Sara Tobiæ iuniori nupsit, sanctus esse dicitur. Tobiæ cap. 8. v. 5. sic Tobias ad sponsam, *Filij sanctorum sumus, & non possumus ita coniungi, sicut gentes, quæ ignorant Deum.* Hoc mihi verius, sed quid si dicamus vnum tantùm virum sanctum à Deo requiri, & propter illum non fuis-

E se omnino partem illam Israelitici generis extinctam? Sanè vnum tantùm virum iustum requirebat Dominus, vt Hierosolymæ, in quam grauiter erat indignatus, placaretur. Ierem. cap. 5. *Circuite vias Ierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem; & propitius ero ei*, nempe ciuitati, vt docet affixum generis fœminei. Ex quibus coniectare licet quanti vir iustus haberi in ciuitate debeat, cùm clamantibus aliorum peccatis vindictam, & cladem, contrà stet iustus, qui clamoribus illis obstrepat, offensúmque Deum ad clementiam inflectat. Vide quæ nos in illum Ieremiæ locum. *Viri sancti magni vsui populis.*

Et non ingrediar in ciuitatem.] Hæc etiam postre- 51.

 mam

mam cogitationem confirmant. Gradiebatur Dominus cum Abraham cùm pergeret ad euertendam Sodomam. Gen. cap. 18. v. 16. *Cùm ergo surrexissent inde viri* (hi erant tres Angeli, in quibus Abraham cognouit, & adorauit Deum) *direxerunt oculos contra Sodomam, & Abraham simul gradiebatur deducens eos,* &c. Cùm autem Abraham remorari conaretur Deum spirantem minas in peccatricem illam gentem, neque tandem posset, cùm numerus non esset iustorum, quem opponeret, ingressus est Deus in ciuitatem, tanquam iudex, & vindex, & deleuit populum in omne genus impietatis proiectum. Nunc ergo dicit Dominus non eo furore, ac spiritu se ingressurũ in populum Israeliticum, cùm in eo aliqui reperiantur sancti, quo in ciuitates illas, in quibus iustus nullus inueniebatur, ingressus est.

52. Vers. 10. *Post Dominum ambulabunt.*] Iam suprà à nobis dictum est, quemadmodum cum duabus tribubus ad Cyri edictum è decem tribubus plurimi in sedes, vnde depulsi fuerant, reuersi fuerint, & rursus inierint templum, à quo recesserunt, & sacrificia illa iterum obierint, quæ iam pridem à tempore Ieroboam intermissa sunt. Id verò est, *post Dominum ambulabunt*, id est, Deum sequentur ducem, & magistrum, neque magis de vitulis curabunt, idolorúmque monstris, quàm de sordibus, ac cœno, quæ cum nausea respuimus. Sic penè Cyrillus, Theodoretus, Haymo, & è recentioribus alij non pauci.

53. *Quasi leo rugiet, quia ipse rugiet, & formidabunt filij maris.*] Ostendit vnde futura sit populo ad Assyrios abducto salus, & libertas, vt nempe in patriam restitutus meliora cogitet, moresque suos ex disciplina veteri, diuinóque præscripto moderetur. Quia Deus leonis instar rugiet, Gentésque barbaras, atque insolentes, quæ duro imperio premebant extorres, sic concutient, ac sternent, vt vel inuitæ dimittant prædam, liberúmque reditum ad priorem locum, & ordinem aperiant. Hæc de restituto populo, instaurat àque veteri religione historicè, quid de Euangelico tempore, cuius hîc apparet quædam effigies, dicemus statim. nunc quædam speciatim obseruanda.

54. Primum de rugitu leonis, quem prouerbiali specie arbitror sumi pro re vehementer horribili, cuíque nulla obsistere possit, vel virtus, vel audacia. Sic ira regis cum leonis fremitu comparatur *Prou. cap.* 19. quia non aliter rugiens leo, quàm regis furor subditorum pectora sternit, & exanimat, ex hac leonis rugientis natura dixit Amos cap. 3. *Leo rugiet, quis non timebit.* Solet autem rugitus hic leonis contingere aut cùm prædam appetit esuriens, & se ad illam parat, (de quo rugitu explicari potest, quod modò produximus ex Amos) aut cùm iam prædam cepit, & illam aut dilacerauit, aut intentus est illi dilacerandæ, quod ex Amos eodem cap. 3. non obscurè habemus. *Numquid dabit catulus leonis vocem de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit?* Addit hîc Hieronymus eam esse vim leonini fremitus, vt stuporem afferat animantibus, & eodem, quo illum accepere, vestigio consistant. Ab hac leonis proprietate videtur hîc sumpta fuisse metaphora. Rugiit enim Deus quasi leo, & reges magnas vtique belluas, & inferiores alias ita perterruit, vt neque commouere se potuerint, fremente Domino, neque ausi fuerint hiscere, vel obscurè. Tunc verò formidabunt filij maris, quicunque illi sint, nam de hoc mox videbimus; & Dominus quod de populo constituerat, assequetur.

PROVER. *Leonis rugitus pro re horribili.*

Formidare non tam hoc loco metum, quàm sedulam quandam, atque anxiam sollicitudinem significare existimatur. Qualis est illa, quam homines tunc adhibent, cùm se ad profectionem parant, domúmque suam, atque familiam totam, aliò traducunt, aut cùm ad longam nauigationem adornatur classis; Heb. est חרד *charad*, quod non solùm *pauere*, licèt hoc frequentius, sed etiam sollicitum esse, & ex sollicitudine tumultuari significat. Idem verbum adhibetur statim, pro quo vulgatus *auolabunt* supposuit, quod non leue argumentum est, vt existimemus in posteriore hac significatione verbum esse sumendum. 55.

Filij maris. Heb. מים, quod variè notatum varia significat. Si enim ita notes מים *maim*, aquas significat; & illi quicunque sunt dicentur filij aquarum, pisces puta, naues, aut nauigantes; aut certè qui oras fluuiales aut marinas incolunt. Sin verò legas מים *miam*, significat de mari. Vtranque lectionem adducit Hieronymus, & sic alteram sequitur, vt alteram non improbet, sed vtcunque legas, non magnum est discrimen in sententia. 56.

His vtcunque positis si *rugiet* ad inimicos referas, sub quorum dominatu crudeli, ac barbaro tenebatur captiuitas, terrebuntur illi, rugiente Domino, & ita consternentur, vt viam captiuis relinquant expeditam ad reditum, qui vt primùm laxari sibi claustra viderint, ex Ægypto volabunt, & Assyria, & in suas sibi sedes reuertentur. Ipsi verò hostes appellari possunt filij maris. Ægyptij quidem, apud quos nonnulli fuerunt ex Hebræis, vt mox dicemus, quia illorum regio Mediterranei maris fluctibus alluitur; & Nilus, qui Ægyptum perlabitur, & rigat, instar obtinet maris. Assyrij etiam, quia illorum fines Euphrates perluit, qui propter suam magnitudinem *fluuius* appellatur *magnus*: imò & *mare*, sicut Babylon eandem ob causam, cùm longè absit à mari, mare tamen appellatur Isai. cap. 21. cùm contra Babylonem graue intorqueret vaticinium, dixit, *Onus deserti maris.* Quod clariùs Ieremias *cap.* 51. *v.* 13. quæ cùm idem cum Isaia tractaret argumentum, ait ad Babylonem, *Quæ habitas super aquas multas.* Et hæc acceptio optimè congruit cum verbo *formidabunt*. 57.

Dei ira leonis rugitus.

Si autem referas ad captiuos, vt docent plures alij, & in his apertè Hieronymus, sensus est non difficilis, tunc nimirum reuersuros extorres ab exilio, cùm Deus illos rugitu suo in patrios fines reuocauerit. Ita Hieronymus. *Dominus*, inquit, *cùm instar leonis rugierit, & intonuerit, ac dederit vocem suam, cunctæ aues, & vniuersa volatilia perhorrescent, & ibunt ad nidos, id est, ad domos suas, in quibus Dominus habitabit cum eis.* Cum Hieronymo sentiunt Vatablus, Rubertus, Montanus, Albertus, & alij. 58.

Placet tamen explicatio prior, quæ rugitum, & pauorem ad hostes refert, apud quos durè vexabatur Israel; quia id magis cum vulgata translatione facit, quæ post rugitum formidinem adhibuit, quæ non tam esse debuit, ac potuit in Israelitarũ, quàm in Chaldæorum animis, in quorum finibus tam duæ, quàm decẽ aliæ tribus exulabãt; quia iã antea dudum, quàm rugiret leo, Chaldæi sibi subiugarant Assyrios. Cur enim formidarent Israelitæ, quo tẽpore iam affulgebat tam dulcis, támque desiderata libertas? Ita Cyrillus, Theodoretus, Haymo, & alij non pauci. Rugit autem leo 59.

leo cùm Cyrus Persicas vires contra Babylonios, Deo duce, atque auspice collegit, atque instruxit, eo maximè rerum articulo, cùm capta est Babylon; post quem statim regium exiit edictum, quo laxata est longa, atque ærumnosa captiuitas. Rugiit autem Deus per Cyrum, sicut etiam per eius manus dimicauit. De manu Cyri, quæ manus Domini videri potuit, est illud Isaiæ 45. *Hæc dicit Dominus christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subiiciam ante faciem eius gentes,* &c. De rugitu Cyri, qui sanè Domini est rugitus, adducit Cyrillus illud Ieremiæ cap. 4. v. 7. *Ascendit leo de cubili suo.* Sed reuera non est ibi sermo de Cyro, qui Babylonios, sed de Nabuchodonosor, qui Solymitanos expugnauit.

60. Vers. 11. *Et euolabunt quasi auis ex Ægypto: & quasi columba de terra Assyriorum.*] Vbi à rugitu leonis Ægyptij, Assyriique concussi fuerint, atque exanimati, redibunt inde in patriam Israelitæ ea celeritate, qua pernici volatu redeũt ad nidos columbæ, aut aues aliæ quas agit ad notas sedes atra tempestas. Fuisse Israelitas inter Assyrios nemo nescit, vbi sese admiscuere Iudæis, qui abducti traduntur à Babyloniis, quia tam Assyrij, quàm Babylonij sub Chaldæorum regis imperio tenebantur. Fuere item apud Ægyptios, quò se præsidij gratia receperant; neque tamen ibi magis humanum habuerunt hospitium, quàm ipsorum fratres, qui Assyriorum, vel Chaldæorum iugum subiere. De duabus tribubus habes apud Ieremiam *cap.* 41. & deinceps; quòd verò inde aliqui reuersi fuerint in terram Iuda, docet idem *cap. 44. v.* 28. De tribubus aliis decem, licèt nihil habeamus ex Scriptura certum, vnde tamen id diuinare possimus, non leues nobis coniecturæ sunt. Nam *lib. 4. Reg. cap.* 17. Osee vltimus rex Israel, cùm ex suis ceruicibus excutere tentaret Assyrium iugum, legatos misit ad Sua regem Ægypti, qui auxiliares ab illo copias exigerent, quare videtur eo temporis articulo inter vtrunque regem aut aliquod sociale fœdus, aut aliquam intercessisse necessitudinem. Quare verisimile est, quo tempore eò ab Assyriis redacta fuit res Israelitica, vt nulla sperari posset salus, è decem tribubus ad Ægyptios commigrasse quamplurimos, qui quo tempore alij apud Chaldæos, & Assyrios, ipsi apud Ægyptios commorati sunt.

Israelitæ apud Assyrios, & Ægyptios exularunt.

61. Illud superest videamus an eo tempore, quo superati sunt Chaldæi, & qui apud eos exulabant è Israelitide gente, libertatem consecuti sunt, superati quoque fuerint Ægyptij, & qui apud illos exulabant Israelitæ, in patriam remigrarint. Quod si assequimur, nihil iam apparet, quod ad nostram sententiam ampliùs requiramus. Sanè constat non longè post illa tempora à Cambyse Ægyptios fuisse debellatos. Lege Herodotum *lib.* 8. Iustinum *lib.* 1. Quo tempore non est incredibile parcitum fuisse à Cambyse Israelitis, de quorum salute tam benignè cogitasse parentem Cyrum audierat. Sed etiamsi nihil à Persis paterentur Ægyptij, res tamen Hebræorum sub idem tempus soluta videtur fuisse apud Ægyptios, nam cùm illi potius peregrini essent, atque hospites in ea regione, quàm captiui, vbi rugitu illo, quo Deus per Cyrum strauit Babylonios, instaurari viderunt ciuitatem, & templum, sibique iam integrum esse paterna domicilia repetere, statim omnes euolarunt in patriam, cuius incredibili studio tenebantur, à qua depelli, vt dixit de Iudæis Tacitus, ægrius ferebant, quàm à vita.

Post Chaldæos subactos quoque Ægyptus à Persis.

Et collocabo eos in domibus suis.] Hæc explicatio 62.
sunt, neque dubitare sinunt, hæc historicè de captiui populi reuocatione esse intelligenda.

Quidam hæc de Euangelij tempore, Gentium vocatione, & Iudæorum conuersione accipiunt; neque sanè sine fundamento, verum eorum plerique Hebræorum captiuitatem, & ab ea liberationem respectant. Quare indicant non obscurè, aut apertè docent, de Hebræorum reditu historico, ac literali sensu, de Ecclesia verò typicè esse intelligenda. Audi Hieronymum, & in eo plures alios, qui illius vestigiis adhæserunt. *Filios,* inquit, *maris, siue aquarum eos possumus appellare, qui sagena Domini comprehensi sunt, & abstracti de mari huius sæculi. Cùmque capti fuerint, de morte ad vitam collocabuntur in domibus suis, quæ horrea vocat Euangelium, in quibus electa, & à paleis separata frumenta conduntur. Natura leonum esse dicitur, vt cùm infremuerint, & rugierint, omnia animantia contremiscant, & fixo gradu se mouere non possint. Tantus pauor est, & tãta formido. Itaque & Dominus, cùm instar leonis rugierit, ac intonuerit, & dederit vocem suam, cunctæ aues, & vniuersa volatilia perhorrescent: & ibunt ad nidos, id est, ad domos suas, in quibus Dominus habitabit cum eis.* Hæc Hieronymus.

Qualis Euangelij tempore Dei rugitus.

Vers. 12. *Circumdedit me in negatione Ephraim, & in dolo domus Israel.*] Quidam hæc esse putant 63.
duodecimi capitis exordium, Hebræi nempe, & alij, qui plus satis se Hebræorum rationibus addicunt. Sed licèt in re non videam multum esse momenti, tamen non puto sine aliquo graui momento receptam ab omnibus iam olim diuisionem dimitti oportere. *Circumdare* idem est quod circumuenire, & cùm se quisque fidelem simulet, fidem fallat, & se contra quàm specie, atque oratione profitebatur, alterum oppugnet. Talis fuit Ephraim, qui cùm simularet eo tempore, quo Ieroboam Ephraimita decem tribus à Hierosolyma, templóque distraxit, Deum à se coli, (neque enim aliter tam facilè tantam Israelitarum multitudinem secum abduxisset) postea tamen occasione captata in apertam inuerecundiam, & perfidiam erupit, dixitque ad populum artificiosè deceptum, 3. Reg. cap. 12. *Nolite vltrà ascendere in Ierusalem. Ecce dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Quasi in aureis vitulis verus coleretur Deus à quo Israel libertatem esset adeptus ab Ægyptio iugo. Id, quod proximè sequitur, eandem per epexegesim sententiam continet, & illud *in dolo* apertè indicat, quid sibi velit superiùs illud, *circumdedit.* Nisi dicas dolo ab Ephraim, ex qua ortus fuit Ieroboã, deceptam esse reliquam multitudinem, & ducis sui exemplum, & mandatum secutam, ad aureos vitulos declinasse.

Hic obseruo, quod etiam visum est Riberæ, 64.
ab illis verbis v. 8. *Ponam te vt Seboim.* vsque ad v. 12. exclusiuè contineri quoddam hyperbaton, illúdque includi oportere parenthesi, est enim digressio quædam à scelere, suppliciòque Israel, quæ libertatem eius reditúmque promittit. Post verò pertexit interrupta, & scelus Israelis amplificat, vt ostendat quanto suo merito impositum à Deo supplicium patiatur. Quod si ita statuas, filo continenti totum caput atque perpetuo constat.

Iudas autem testis descendit cum Deo, & cum sanctis 65.
fidelis.] Refert hoc loco Hieronymus Hebræorum antiquam traditionem, quam meritò aut improbat, aut eo loco statuit, vt parum de illa laboran

Digitized by

Hebræorum de Iuda figmentum.

laborandum putet. Sanè qualis illa cunque fidei A sit, ad rem propositam nihil habet momenti. *Tradunt*, inquit, *Hebræi huiuscemodi fabulam in exitu Israel ex Ægypto, quando ex alia parte mons, & alia Rubrum mare, & ex alia Pharaonis cingebatur exercitu, & inclusus populus tenebatur: cæteris tribubus desperantibus salutem, & aut reuerti in Ægyptum, aut bellare cupientibus, solus Iuda fideliter ingressus est mare, unde & regnum meruit accipere & hoc esse quod nunc dicitur, Iudas testis sermonum Dei, & stipulator, ac vindex descendit cum Deo in mare, & inter sanctos fuit fidelissimus, vt verbis iubentis crederet Dei.* Iam pridem ego Hebræorum admirabar audaciam, qui vt cogitationes suas in Scripturarum explicatione confirment, quiduis fabulantur, & fingunt, nobisque tanquam sacrum aliquid, & inconcussæ veritatis obtrudunt, sed hic miror stuporem, & amentiam, cùm nihil hìc videam, ex hoc comB mento ad explicationem, quam ipsi comminiscuntur opportunum. Valeant igitur Rabbini cum suis nugis, ne nostrorum ingenia, quod aliquando faciunt, stultis imbuant deliramentis.

66. Est igitur huius loci sententia, quam cum Hieronymo probāt frequentes alij, statui discrimen inter Ephraim, & Iudam, vt inde magis appareat sceleris deformitas, quàm modò Deus exilio, ac vastitate mulctare vult. Quo tempore Ieroboam, & frequens cum illo decem tribuum cœtus declinauit ad vitulos, seruauit Iudas datam Domino fidem, neque à templo, patriáque religione recessit. Id enim est quod dicitur, *descendit cum Deo*, id est, secutus est Deum ducem, Dominum, & magistrum; sicut alij secuti sunt C Ieroboam, aut vitulos, quos pro Deo stultus ille princeps excitauit. *Descendere* autem cum aliquo nihil est aliud, quàm illum sequi, sicut etiam *ascendere* cum aliquo. hæc enim verba licèt apud Latinos accliuem indicent, siue decliuem locum, in Scriptura tamen interdum id valent quod simpliciter *ire*, aut pergere, dicitur autem Iuda descendisse cum Deo, & cum sanctis, quia Deum secutus est præcipientem, & sanctos, maiores videlicet suos, præeuntes, quorum auctoritas, & exempla plus apud Iudam valuerunt, quàm quæ ad auertendum, lactandúmque populum com-

Descendo, quid, & ascendo.

A mentus est Ieroboam, & ideo testis appellatur fidelis (sic enim iungo *fidelis* cum *testis*. neque 67. puto, quod quidam malunt, legendum esse fidelibus) quia non verbis, quod quidam faciunt, quæ facilè simulantur, & cadunt, sed vita ipsa, & moribus professi sunt, Deum esse vnum, & verum, quem colebant. Hoc verò præclarum est testimonium, quod non est à volubili lingua, sed à morum fideli constantia. Ab hac vitæ sanctitate propositique firmitate vsque adeò strenua, vt mortem non horreat, malitque per mille acerbitates à vita, quàm a religione, aut ab officio depelli, vocati sunt *martyres*, id est, testes, qui fidem suam datis vltro ceruicibus, aut alio quouis modo profuso sanguine consignarunt. Sunt qui in *sanctis* sacerdotes intelligunt, & eos, qui in tēplo rei sacrificali piam nauabant operam: hi enim B passim in Scriptura *sancti* nominantur, vel ab vnctione sacra, vel quia rebus sacris ex instituto vacare debent. Qui autem cum his ad templum descendunt, ostendunt planè cum Deo se velle habitare, & viuere, qui in templo familiare sibi domicilium locauit. Ad vtrunque mihi videtur patere litera, vtrunque puto non improbabile. Si hoc posterius amplectare, non erit difficile 68. statuere, quid sit *descendere*, in cuius explicatione atque accommodatione nonnulli laborant. Cùm enim templum esset in parte ciuitatis non admodum excelsa, & in extremo ciuitatis latere subiectum monti Sion, & ciuitati Dauid, maxima pars ciuitatis cùm templum adiret, descendebat, licèt postea, quia templum erat in Moria monte molliter accliui, iterum esset ascendendum. Quare C interdum Iudæi ascendere, idque frequentiùs, interdum descendere dicuntur in templum: vt *Actor. cap.21. v.32.* cùm malè Paulus tractaretur in templo, decurrisse dicitur tribunus vt illi faueret. *Qui assumptis militibus, & centurionibus decurrit ad illos.* Græcè κατέδραμεν. Et *cap.23. v.10.* idem tribunus iussit milites in templum descendere, qui raperent Paulum, *Timens tribunus ne discerperetur Paulus, iussit milites descendere, & rapere eum.* Græcè καταβῆναι. Ex his posterior hæc explicatio mihi difficilis non est, licèt magis sit expedita prior. Hæc de capite 11.

Quod verū, ac fidele testimonium.

Templū quo loco situm.

In templum tur interdū homines descendere, interdum ascendere dicantur.

IN CAPVT DVODECIMVM

ARGVMENTVM.

STVPOREM & peccatum amplificat decem tribuum, quæ deserto Deo in alio salutis suæ translata fiducia, alienam religionem amplexæ sunt. Quóque magis pateat, quo tam amentiæ, quàm improbitatis progressæ fuerint, beneficia omnia commemorat, quibus à principio, in ipso etiam Israeliticæ gentis parente Iacob, totum etiam populum complexus est. Quomodo antequam in lucem, ex vtero materno, totus prodiisset, supplantato fratre, ius sibi primogenij vindicarit, vt magna à Domino, tam sibi, quàm posteris promissa receperit, quàm fortiter cum Angelo luctatus, quàm fortunatus, ac diues post tot discrimina redierit in patriam: vt denique tam officiorum memor & gratus, vnius Dei religionem seruare, & illius perpetuum quoddam memoriale retinere voluerit. Contrà verò fecit ingrata posteritas, quæ Chananæorum potius improbos, quàm pios religiosi patris mores imitata, & deos coluit alienos, & per calumniam & dolos, potentiam & facultates auxit. Nihilominus paternum in illos ostendit animum, promittitque, si meliora cogitent, in patriis finibus securum, atque tranquillum otium.

CAPVT

CAPVT XII.

1. EPhraim pascit ventum, & sequitur æstum: tota die mendacium & vastitatem multiplicat: & fœdus cum Assyriis iniit, & oleum in AEgyptum ferebat.

2. Iudicium ergo Domini cum Iuda, & visitatio super Iacob: iuxta vias eius, & iuxta adinuentiones eius reddet ei.

3. In vtero supplantauit fratrem suum, & in fortitudine sua directus est cum angelo.

4. Et inualuit ad angelum, & confortatus est: fleuit, & rogauit eum: in Bethel inuenit eum, & ibi locutus est nobiscum.

5. Et Dominus Deus exercituum, Dominus memoriale eius.

6. Et tu ad Deum tuum conuerteris: misericordiam & iudicium custodi, & spera in Deo tuo semper.

7. Chanaam, in manu eius statera dolosa, calumniam dilexit.

8. Et

PARAPHRASIS.

A 1. VSqueadeò stultus est Ephraim, vt dum fallaci aliorum promissione lactatur, non videat se nihil habere solidi, sed rebus seduci nugatoriis, quemadmodum qui se non cibo, sed vento sustentare student. Dum autem ab externis auxilium quærit Ephraim, & refrigerantem vmbram, in malorum æstu, id agit amens, vt vmbram sequatur refrigerantem, & gratam, & ventum sequatur noxium, & vrentem. Et dum mendacibus tota die promissionibus nititur, aut dum idola veneratur, in quorum fide spem collocauit libertatis suę, aut dum cum externis fœdus B & societatem iungit, id planè molitur, & quærit, vt vastitatis suæ auctores aduocet, & faces ad incendium multiplicet, & accendat. Quid enim est aliud pactum cum Assyriis pepigisse, & commercij atque amicitiæ gratia, oleum & quicquid in terra Ephraimitide pretij est, deportasse?

2. Expendenda igitur sunt iam, & iudicanda: nunc Israelis, & postea Iudæ conuentiones, & peccata, quibus talia reddet post seuerum examen Deus, qualia exigunt illorum qualiacunque merita.

3. Audiat igitur primùm Israel, & Iuda, qualibus ego meritis illorum genus persecutus fuerim à principio. Cùm adhuc C inclusus esset in vtero, Iacob manu apprehendit calcem fratris, qui in partu præcesserat, & eafuit à Deo fortitudine præditus, vt in lucta fuerit Angelo superior.

4. Sic enim addito sibi à Domino robore confirmatus est, vt priores obtinuerit partes, & meliorem locum in luctando. Nihilominus cum fletu & lacrymis benedictionem orauit, & exorauit ab Angelo. In Bethel inuenit Angelum, atque ibi cum illo luctatus est. Cum illo ibidem iterum de nobis, qui ex illius semine propagati sumus, & quasi nobiscum in nostro parente sermonem habuit.

D 5. Cùm autem Gentilium deorum ibi abiecisset, atque infodisset monumenta, nullum aliud sibi ac suis memoriale ac monumentum, esse voluit, nisi quod veri Dei memoriam excitaret.

6. Tu ergo, ô Ephraim, secutus parentis tui religionem, & fidem, teipsum totum relictis idolorum monstris, ad Deum conuerte: misericordiam cole, legitimo integróque iudicio de causis statue, & salutem, & libertatem ab vno Deo expecta, non à diis, quorum neque vis est vlla, neque sensus, non ab hominibus, quorum potentia & infirma & fallax fides.

7. Fecit tamen multo aliter Ephraim, quàm discere potuisset à parente Iacob, & malum

Digitized by Google

A maluit Chananæorum mores,& ingenium quàm parentis exprimere. Atque ideo in illa dolus est, & calliditas: statera falsa, & contra insontes, & infirmos instructa calumnia.

8. Et dixit Ephraim: Veruntamen diues effectus sum, inueni idolum mihi: omnes labores mei non inuenient mihi iniquitatem, quam peccaui.

8. Cùm autem Ephraim vim pecuniarum ingentem, per calliditatem, & fraudem, Chananæorum more, congessisset, satis se munitum arbitrabatur, contra iudiciorum seueritatem: cùm hæc vim habeat nullam, quando in causis, iudiciisque tractandis, pecunia versatur. Quare, cùm ab
B omni se periculo tutum putet, suæ sibi felicitati gratulatur, & dicit: Inueni mihi idolum, & Deum, qui me ab omni metu præstabit incolumem. Omnes labores aut fraudes nihil mihi laboris afferent, aut molestiæ: nihil supplicij, si quod, dum pecuniæ studeo, peccando cõmerui.

9. Et ego Dominus Deus tuus ex Terra AEgypti, adhuc sedere te faciam in tabernaculis, sicut in diebus festiuitatis.

9. Nihilominus, ô Ephraim, ego Dominus tibi iam pridem notus, ex quo maiores tuos de Ægyptia seruitute liberaui: meliora cogites, eundem erga te retinebo animum, quem iam olim in me parentes
C agnouerunt. Neque sinam in caput tuum aliquid moliri Assyriorum potentiam. Hærebis, ô Ephraim, otiosus, & securus in patria, vbi patrio ritu festiuitates, & in his illam, quæ anniuersaria solemnitate fixis de more tabernaculis peragitur.

10. Et locutus sum super prophetas, & ego visionem multiplicaui, & in manu prophetarum assimilatus sum.

10. Quo verò fuerim olim, & modò in te sim animo, ô Ephraim, hinc licet intelligas. Sæpe enim cum Prophetis de te, & ad te per Prophetas locutus sum: qui & meo nomine,& meam personam sustinentes, mandata ad te mea, diuino consigna-
D ta auctoramento, detulerunt.

11. Si Galaad idolum, ergo frustra erant in Galgal bobus immolantes: nam & altaria eorum quasi acerui super sulcos agri.

11. Si in Galaad fuerunt idola, illorúmque cultus intemperanter effusus: & tamen ita periit primò Assyriorum appulsu, vt nihilo meliori sint loco idolorum aræ iam euersæ, quàm agrorum sulci, quos imprimunt, & conculcant boues. Quid sperare potuerunt Galgala, quæ eandem amplectuntur insaniam quæ boues immolant ad impias aras, cùm consortes sceleris ciuitates euersas videant, & earum in-
E colas Assyriorum seruituti traditos.

12. Fugit Iacob in regionem Syriæ, & seruiuit Israel in vxorem, & in vxorem seruauit.

12. Iam ad interruptam de Iacob narrationem reuertor, & alia beneficia, quibus in parente ipsius posteros ornaui, enumerare pergo. Fugit Iacob, vt fratris insidias declinaret in Mesopotamia Syriæ, vbi pro vxore socero suo, atque auunculo Laban, longam locauit, ac permolestam operam, pro Lia: deinde iterum pro vxore Rachel, quem ibi Dominus seruauit, & tandem innumeris cumulatum opibus, parenti patriæque restituit.

13. In propheta autem eduxit Dominus Israel

13. Deinde cùm ipsius posteri barbaro

Iſrael de Ægypto: & in propheta ſeruatus eſt.

14. Ad iracundiam me prouocauit Ephraim in amaritudinibus ſuis, & ſanguis eius ſuper eum veniet, & opprobrium eius reſtituet ei Dominus ſuus.

A ro premerentur Pharaonis imperio, per Moyſem Prophetam illos Deus, ex Ægyptia ſeruitute liberauit,& per eundẽ poſtea ſeruauit,& traduxit incolumem.

14. Neque aliter Iacob in præſentia poſteros amplecteretur, niſi me illis ſuis peccatis ad iracundiam, ſumendámque vindictã prouocaſſent. Sua me amaritudine amarũ reddiderunt, excuſſerúntque è ſuauiſſimo pectore ſuauitatem. Quare dum grauia patiuntur, peccatum ſuum luunt, & in ſuum ipſorum caput flagitia conuerſa ſunt, in quos reddidit Deus opprobriis pœnam, quam tunc commeruere, quando Deum ipſum opprobrio inuerecũdus populus affecit: quando nempe illi, & aureos vitulos, & idolorum ſordida figmenta præpoſuit.

Verſ.1. *Ephraim paſcit ventum, & ſequitur æſtum.*]

1. HOc eſſe prouerbium, nemo dubitat, neque de ſignificatione dubitare ſinit locus alius huic ſimilis *Prou. cap. 10. v. 4.* qui ſine dubio difficile ſignificat ſtultũ irritúmque conatum. *Qui nititur mendaciis, hic paſcit ventos, & idem ſequitur aues volantes.* Vtrunque prouerbium eſt,& eadem vtriuſque vis. Quãtus ſit labor humi incedentem hominem tardum, & qui laſſatur facilè, ac defetiſcit, inſequi aues, quarum eſt perniciſſimus volatus, quæ longè ſe ſuſtulerunt à terra, & non ſolùm hominum incurrendo velocitatem, ſed etiam in cernendo oculos effugiunt, quis non videt? Sed eſt obſcurum, an illud *paſcit* actiuè accipiendum ſit, ita vt Ephraim ventis paſcatur, & ab illis alimentum petat, quaſi in eis aliquid ſit ſolidum, quo adoleſcat, & roboretur homo; vel paſſiuè, id eſt, aliis ſe deuorandum propinat, ita vt qui nunc dicuntur venti abſumant,& omnino deuorent Ephraim. In poſteriori ſignificatione ſũpſit Auguſtinus *lib. 5. cõtra Creſconiũ cap. 9.* qui exponens quod ex *Prou. c. 10.* nuper adducebamus, ait, *Qui nititur falſis, hic paſcit ventos, id eſt, fit eſca ſpiritibus malis.* Eodẽ modo Lyra, qui paſci putat Aſſyrios ab Ephraim, dum illis aut tributa pendit annua, aut muneribus in ſociali fœdere retinere ſtudet.

Prover. Paſcere ventum.

Stultus, & grauis peccatoris labor.

2. Ego actiuè potiùs explicandum arbitror, ita vt nõ tam vẽtos, ſuis quaſi viſceribus, & opibus alat Ephraim, quàm ipſe paſcatur, & alatur, à vẽtis, ita plerique cũ Hieronymo. Licèt enim paſco, Heb. רעה *rahhah*, alere interdũ ſignificet, quomodo dicitur aliquis, *paſcere oues, paſcere eſurientes*; interdũ tamen eſt idẽ, quod *comedere*, quomodo ouis dicitur herbam paſcere, id eſt, carpere. Ouid. lib. 2. Faſtor.

Pauit ouis pratum, verbenas improba carpſit.

3. Neque id minus vſitatum in ſacris, ſiue in verbo Hebr. רעה, ſiue in Latino *paſco*. Pſal. 48. v. 15. *Mors paſcet eos.* id eſt, vorabit eos, aut ex eis æternum ſibi pabulum parabit. Ierem. 50. v. 19. *Reducam Iſrael ad habitaculum ſuum: & paſcet Carmelũ, & Baſan.* Quod mihi maximè perſuadet locus alius huic affinis *Ierem. c. 22. v. 22.* vbi in ſimili cauſa, atque argumento dicit, *Omnes paſtores tuos paſcet ventus.* Paſci verò à vento nihil eſt aliud quàm lactari ab aliquo ſpe falſa, aut vacuis promiſſionibus ſeduci. Satis verò notũ eſt vẽtum prouerbiali forma pro re vana, & quæ ſpeciẽ habet ſine corpore, & firmitate, ſumi. Qui vitã ex aliena promiſſione ſuſ-

Prover. Vento paſci

B penſam trahũt, atque hiantem, quales in principum curiis innumeri occurſant quotidie greges; Hiſpanorũ vulgus chameleontes vocat, qui non ab alio, quàm à ventis paſci exiſtimantur, qui vbi diu ſpe vana deluſi ſunt,& cùm magna ſperẽt, inane experiuntur longũ illud, & ſedulum aucupium; tunc demum agnoſcunt nihil ſe hiantibus faucibus hauſiſſe præter ventũ,& quod firmũ videbatur fore ſubſidiũ, nihil reliquiſſe præter deſperationem,& inopiam.

dicuntur, qui falſa ſpe lactantur.

Inflatos homines dicimus, qui cùm nihil habeant ſolidi, ac firmi, aliquid tamen habere ſe putant, in quo ſibiipſis placeant. Quomodo inflatum ſapientia illum appellamus, quando ſapientiæ ſibi poſſeſſione gratulatur, cùm tamẽ nihilo differat à ſtulto. Inflatum parentũ imaginibus, & rebus præclarè geſtis, cùm ipſe neque pilum habeat boni viri, neque imaginẽ poſſit habere vllã, C niſi fortè inertis belluæ, aut indolati ſtipitis. Sic etiã inflatũ appellamus, qui vẽto tumet,& ſpiritu quodam noxio, in vtris ſimilitudinem diſtẽditur, qui robuſtus apparet, toroſus, & pinguis, neque illo eſt quicquã aut magis imbecillum,& languidum, aut quod minus habeat, quàm quod habere creditur. Sic etiam nemo eſt minus ad oppugnãdum, ſiue ad repugnandum inſtructus, quàm qui fallaci ſpe omnia ſibi promittit, cùm tamẽ omnia potiùs timere debeat. Eſt enim imparatus ad omnia, cùm ſpes inanis audaciam potius alat, quàm ſuggerat vires,& imparatũ hominem opprimere, difficile nõ eſt. Hic verò ventum paſcit,& vorat, quo tumet totus, & inflatur, in quo alimenti nihil eſt,& à quo habet vt ęgro ſit corpore, & quidquid antè virium habuerat, id totum conſeneſcat. 4.

Item qui aliẽ de ſe cogitat.

Et ſequitur æſtum.] Pro *æſtu* Heb. eſt קדים *cadim*, 5.
qui vẽtus eſt orientalis, à קדם *kedem.* id eſt, *oriente*: D cùm autem hic ventus calidiſſimus ſit, vnde ſæpe in Scriptura dicitur *ventus vrens*, commodè Hieronymus *æſtum reddidit.* quo aut per epexegeſim explicuit ſententiam, aut quid externũ auxilium, quod ſibi in rerũ anguſtiis aduocauit Ephraim, nocumenti pepererit, clariùs expreſſit. Pro קדים Septuaginta ſeniores καύσωνα reddiderunt; quæ vox magnũ ſignificat ardorem,& vrentẽ febrem; quare dũ ſpem ex aliorũ promiſſione concepit Ephraim, cõcepiſſe videtur venenũ, quod febrẽ induceret ardẽtẽ, & ex ea mortẽ. Dum grauis vrget æſtus, qui ſapiunt, vmbrã quærunt opportunã, ſiue ab arbore, ſiue à rupe, quæ deficientẽ ſpiritum

Dei vmbra in æſtu.

reficiat, & ardorē aut tēperet, aut restinguat. Hæc vmbra Deus; alij omnes non tam vim obtinent fugidæ vmbræ, aut refrigerantis auræ, quàm vrētes venti. Sic de Deo Isaias cap. 4. v. 6. *Et tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æstu, & in securitatem, & absconsionē a turbine, & a pluuia.* Et cap. 25. v. 4. *Factus est spes a turbine, vmbraculum ab æstu.* At Ephraim dū alienam sequitur vmbrā, & à Deo recedit, id videtur facere, vt vmbrā fugiat refrigerantē, & ventū sequatur noxium, & vrentem. Ita pænè Cyrillus.

6. *Tota die mendacium, & vastitatem multiplicat.*] Mendacium illud est, quod spem nostram fallit, aut datam fidem, & oblatam promissionem eludit. Quomodo ager appellatur mēdax, qui spem excitauit prouentus vberrimi, deinde nullum retulit fœnus eorum, quæ acceperat, vt paulo antè diximus ad illud cap. 9. v. 2. *Et vinum mentietur eis.* Ille item, qui expectationi, aut promissis non respondit, quales videri possunt Assyrij, qui sese venditabant vltores; & Ægyptij, quorum erat cymbalatum, & superbè decantatum auxilium: & idola, quæ spem aluerant vecordis, ac desipientis populi. Sed dum multiplicant fallaces has spes, & tam manifesta idolorum mendacia, vastitatem quoque multiplicant: quia à Deo deficiunt, à quo vno sperari poterat salus, & hostes aduocant in suos fines à diuino patrocinio desertos. A diis itaque alienis, mendacisque aliorum fide exiliit illa fax, & incendium horribile, quo Israelitici fines deflagrarūt, & ad extremos vsque cineres multiplicata vastitas.

7. *Fœdus cum Assyriis iniit, & oleum in Ægyptū ferebat.*] Explicat nunc quomodo ventum pascat, id est, ventosis, atque inanibus promissis vota sua fouerit, imò & expleuerit Ephraim. Putabat enim in rebus angustis Assyrios sibi futuros esse subsidio, aut Ægyptios, quos in fide, ac gratia, artificio, ac sumptu retinere studebat. Quare fœdus cum Assyriis iniit, tempore videlicet Manahem 4. Reg. cap. 15. v. 19. *Veniebat Phul rex Assyriorum in Thersam, & dabat Manahem Phul mille talenta argenti, vt esset ei in auxilium & firmaret regnum eius. Indixitque Manahem argentum super Israel cunctis potentibus, & diuitibus, vt daret regi Assyriorum quinquaginta siclos argenti per singulos.* Hoc putat Hieronymus, & cum eo plures alij esse fœdus, quod cum Assyriis dicitur ab Israele percussum.

8. Oleum dicitur delatum ad Ægyptum, vel quia inter Israelitas, & Ægyptios familiare commercium fuit: quod sanè fieri non solet, nisi cùm est inter populos instituta societas. Tunc autem ex eo, quo quælibet abundat regio, alteri præstantur, aut pretio, aut permutatiōne, quæ ad domesticos vsus necessaria sunt. Abundabat autem Samaria, & tota terra promissionis oleo expresso ab oliuis, & alio item oleo odorato, quod stillat ex plantis, quod vnguētum appellatur, stillatitium videlicet, & liquidum. Hoc autem ex Israelitide terra ad communia populorum emporia cōportari solita, docemur ab Ezechiele, qui cùm c. 27. docuisset, quæ ex quaque regione merces ad Tyrium emporiū aduehérentur; vbi v. 17. ad terrā Israel ventum est, proprios exponit illius, & quasi vernaculos prouentus; sic igitur ad Tyrū: *Iuda, & terra Israel, ipsi institores tui in frumento primo, balsamū, & mel, & oleum, & resinam proposuerunt in nundinis tuis.* In oleo aute per synecdochen reliquæ intelliguntur merces; ponitur autem oleū, quia maior illius copia in Ægyptum emporium portabatur.

9. Aut fortasse non tam hæ merces erant, quas negotiatores Israelitæ portabant, quàm munera, quibus reges Israel gratiam, & amicitiam inire

A ab Ægypti regibus studebant; ita cùm Hieronymo plures alij. Neque tamen existimandum est, vt putat hic Hieronymus, oleum tantùm in muneribus ad Ægyptium missum, sed cum illo alios quoque prouentus, qui in Palæstina pretiosi sunt, & vernaculi, vt qui proximè à nobis nominati sunt, quosque ad emporium Tyri diximus comportari solitos, balsamum videlicet, mel, oleum, resinam. Sic Iacob *Gen.* 43. cùm ab eo, qui eidem Ægyptiæ regioni præerat, quem suum esse filium non putabat, gratiam inire vellet, dona misit, non ex vno, aut altero genere, sed de optimis terræ frugibus. *Sumite*, inquit, *de optimis terræ frugibus in vasis vestris, & deferte viro munera, modicum* B *resinæ, & mellis, & storacis, stactes, & terebinthi, & amygdalarum.* Quæ non misisset Iacob, si hos fructus familiares esse Ægyptio solo cognouisset. Neque arbitror hæc etiam fuisse à rege Israel in muneribus prætermissa. Hæc porrò munera tunc videntur ad Ægyptium delata, quando prodita fide Osee rex Israel ab Assyriis defecit: cúmque aduersa non sine causa ab Assyriis timeret, auxiliares à Sua rege Ægyptiorum copias per legatos petiuit. Tunc autem verisimile est oleum, & alios domesticos Palæstinæ fructus missos in Ægyptum. Vide *lib.* 4. *Reg. cap.* 17.

Qui fructus Palæstinæ vernaculi.

Vers. 2. *Iudicium ergo Domini cum Iuda, & visitatio super Iacob: iuxta vias eius, & iuxta adinuentiones* 10.
C *eius reddet ei.*] Iudicium nunc Dominus instituit cum Israele, quóque magis illius impietatem, & perfidiam amplificet, beneficia commemorat, quæ olim accepit in parentibus, vt ex illis appareat, quàm sint omnium suppliciorum acerbitate digni, qui pro tot beneficiis tam insignem iniuriam retulerunt. Licèt autem iudicium hoc præcipuè decem tribus intueatur, quæ Israelis, siue Iacob appellatione designantur, déque illis ad finem vsque prophetiæ sermo fit, vt constat: tamen meminit etiam Iuda, id est, duarum tribuum, quia, & ipsæ etiam postea variis se superstitionibus alienarunt à Deo, vt hinc intelligant, qui hoc loco vocantur Israel, quid maD ximè Deus, atque omnino puniat, nempe peccata. Hæc enim abire prorsus impunita non vult, quocunque in loco, aut quacunque in persona reperiantur. Meminisse verò ideo videtur Iuda, quia illam priùs laudarat, sibique caram esse significarat, quam tamen negat futuram immunem à supplicio, si ad decem tribuum peccata defluxerit. *Visitatio* & *iudicium* punitionem hic sonant, & plagam ex Hebraici sermonis proprietate. Licèt duæ istæ voces significationis ambiguæ sint, & modò aliquid è benigno, modò aliquid ex offenso animo profectum importent. Quia verò Deus iustum se iudicem Israelitis probare vult, iudiciū præmittit, expenditque merita tam E collata olim parentibus, quàm posteris nunc recèns liberaliter impensa. Quibus opponit tā vetera, quàm noua populi peccata; quas nunc vias, & adinuentiones appellat, iuxta quæ erit attemperatus supplicij modus.

Vers. 3. *In vtero supplantauit fratrem suum.*] Nota est historia ex Gen. cap. 25. v. 25. *Protinus alter egrediens plantam fratris tenebat manu, idcirco appellauit eum Iacob.* Neque sine causa appellat hoc loco Propheta Iacob, quem pluribus aliis locis vocauit Israel, quia in supplantatione ratio notatur nominis. Supplantare enim Heb. est עקב *Acab*, à quo nomen accepit Iacob, qui idem valet atque supplantator. *Supplanto* apud Latinos plerunque sonat fraudulentū aliquod artificium, quo in lucta athletæ opposito, seu implicato pede antagoni 11.

Supplanto quid.

tagonistam decicit, ex quo fit vt supplantare iam idem sit quod decipere, id est, callidè aliquid, & fraudulenter moliri. Quod etiam in re athletica, ac gymnastica turpe existimatur. Quod docuit Cicero ex communi hominum sensu libr. 3. de officiis. *Qui stadium currit, contendere debet, quàm maximè possit, vt vincat; supplantare eum, quo cum certat, aut manu depellere nullo modo debet.* Supplantare tamen hoc loco nihil puto esse aliud quàm plantam tenere pedis. quod Iacob fecit, cùm in matris suæ puerperio plantam tenebat fratris: inde enim nomen sortitus est Iacob, vt habes suprà *Gen. cap. 25.* Neque apparet, quo loco astuta, ac fraudulenta lucta vsus sit Iacob, vt ab hac luctatoria fraude Iacob, id est, supplantator dolosus appellari debuerit. Hoc verò aliquod fuit Israeliticæ gentis beneficium, cùm Deus eo signo, planè admirabili, & raro (quódque ideo ab historico sacro prætermissum non est) & fortitudinem Iacob, & primogenij gloriam portendere voluerit. Fortitudinem quidem, quia manu tenuit plantam præcedentis fratris, quod in vtero, id est, antequam totus foret egressus è vulua, non videtur sine prodigio fieri potuisse, cùm manus in nascendo præire neque soleant, neque possint. Captum verò fuisse Esau à planta, quæ totius corporis fundamentum est, & qua debilitata totum corpus, aut corruit, aut vacillat, illustre quoddam prognosticon fuit primogenij ius in primogenito Esau non futurum esse diuturnum. Quare ea supplantatione significatum est à Deo prærogatiuam, quam habet inter Hebræos primogenitus, non tam ad Esau à plantis captum, quàm ad Iacob supplantantem pertinere. Alij dicunt hanc fuisse luctam inter Iacob, & Esau, apprehensámque ideo plantâ à Iacob, vt præcedentem in eo quasi stadio retardaret à cursu, & licèt exiisset prior è carceribus, non tamen metam, id est, primogenij gloriam attingeret. Alia traduntur à Patribus de hac supplantatione, & lucta inter fratres, neque dum susceptos in lucem, quæ hic omitto, quia non multum ad huius capitis institutum faciunt.

Iacob quomodo supplantauit fratrem, & quale in ea supplantatione miraculum.

12. *Et in fortitudine sua directus est cum Angelo.*] En aliud beneficium longè maius, & illustrius. Magna res est vicisse naturæ leges, pugnasse in vtero; cùm neque locus esset aptus, neque naturalis aliqua facultas ad pugnandum, supplantasse fratrem; manúsque suas, quod monstri instar est ante caput in nascendo, atque ante pedes exeruisse, quo facto superatus videtur, & primogenij iure spoliatus Esau. Sed est longè maius conseruisse manus cū superiori aliqua, id est, angelica natura, & in eo certamine mortalem hominem, & ex natura sua mollem, & imbecillum superiorē extitisse. Hic nonnulla sunt à nobis obseruanda.

13. Primum hic dici luctam esse inter Angelum & Iacob, cùm multa in hoc congressu contigisse dicantur, quæ non videntur à Deo posse separari. Primùm, quia Iacob ex eo certamine nomen consecutus est gloriosum, omisso priori, quasi non arte supplantauerit, ac deiecerit fratrem, sed apertè viribus ac lacertis superauerit Deum. Vocatus est autem Israel, id est, *potens contra Deum.* cuius rationē tradidit antagonista, quicunque ille fuit. *quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis.* Deinde quia Iacob consecutus ex ea lucta benedictionem, *vocauit nomen loci illius Phanuel.* & statim adducit nominis notationem, *dicens, vidi Deum facie ad faciem.* Veruntamen fuisse Angelum, dicit hoc loco O-

Iacob cum Angelo luctatus, non cum Deo.

A seas, & ita tenent communiter Patres, docéntque quoties Deus apparuisse dicitur hominibus in veteri maximè Testamento, non Deum, sed Angelum speciem illam diuinam humanis oculis abiecisse: cúmque Dei nomine tanquam legatus diuina mandata pertulerit, Dei quoque nomine fuisse locutum; & talia verba protulisse, qualia vnum tantùm Deum decere poterant. Agunt ea de re pluribus scholastici doctores; & nos nonnihil in nostris commentariis super Acta Apostol. ad illud cap. 7. *Et cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina.* Neque plura exigit hic locus.

Illud non videtur alienum, si exploremus an Angelus iste bonus fuerit, an malus: neque locum existimarem esse huic quæstioni, nisi quibusdam nescio quo modo venisset in mentem hunc Angelum esse malum. Illorum tacebo nomina, ne tam fœdam labem cuiusquam nomini inussisse videamur, rationem tantùm addam, quæ in illam siue mentem, siue amentiam homines adduxit. Aiunt cacodæmonibus odiosam esse lucem, atque ideo amare tenebras; quarum principes esse dicuntur, quia in illis potentiores sunt. Quare lucem fugitant, imò neque lucem sustinere possunt. Multa apud profanos de hac animarum, seu dæmonum fuga, qui nocturnos lemures, & manes noctu apparere fingunt, sole autem aut oriente, aut iam proximè aduentante vanescere. Virgil. de vmbra Anchisæ; 14.

Quidā Angelum illum malum esse putant, sed falsò.

Dæmoni lux odiosa existimatur.

C *Iámque vale, torquet medios nox humida cursus,*
Et me sæuus equis oriens afflauit anhelis.
Dixerat, & tenues fugit, ceu fumus in auras.

Et idem poëta ex communi hominum experientia atque opinione docet noctu frequenter Æneæ filio Anchisæ parentis vmbram apparuisse, *lib. 4. Æneid.* Sanè id omnibus vmbris, seu manibus esse commune, docet Propertius *lib. 4. eleg. 7.* apud quem ita loquuntur vmbræ.

Nocte vagæ ferimur, nox clausas liberat vmbras,
Errat, & obiecta Cerberus ipse sera
Luce iubent leges lethæa ad stagna reuerti.

Hæc est totum illius vanæ cogitationis fundamentum. Cùm enim ille, quo cum luctabatur Iacob, dimitti se vellet ad auroræ exortum, horrere putant illum appropinquantem lucem, quod malorum spirituum proprium esse dicunt. Sed si sacras reuelationes, aut illustrationes consideres, plerasque noctu factas tam in nouo, quàm in veteri Testamento comperies. Cur ergo luctator Angelus Iacobo auroræ iamiam aduentantis exortum obiecerit, rationes alias afferunt Patres *in cap. Gen. 32.* Quas tu vide apud Lippomanum *in catena.* Illa mihi facilis est, si dicat Angelus satis iam temporis datum esse pugnæ, quando à summo mane ad lucentem vsque diem foret producta. Neque dæmones adeò horrent lucem, vt in solari hac luce congredi recusent; cùm sæpe iubeamur in omni tempore intentis animis illorum assultus expectare. Neque illorum insidiæ ac machinæ eiusmodi sunt, vt à luce, & sole hoc materiali manifestentur: imò ex his, quæ videntur, quæque capiunt incautos, & curiosos oculos, tela sibi parant, & acuunt, quibus in media plerunque luce hominum viscera configant. Quare ipsi, neque lucem horrent; quasi minus ad configendum idoneam, neque tenebras nocturnas amant, quasi celaturæ sint occultas insidias. Hæc pro re leuissima dixisse sufficiat; pudet enim in re vsque adeò futili diutiùs immorari. Lyra ex Hebræorum sententia aliam adducit causam, cur Angelus affulgente iam aurora discedere 15.

Dæmones nō horrent lucem.

P 4

cedere voluerit. Tu apud illum vide, & hominum vide cogitationem stolidam.

16. Vbi vulgatus, *directus est cum Angelo*, Heb. וישר *vaiasar*, à verbo fortasse שרה *sarah*, siue שור *sur*, quod dominari, seu præualere significat. Vnde alibi vulgatus vertit *Gen.* 32. fortem esse, aut præualere; hoc tamen loco Hieronymus deduxisse videtur à ישר *iasar*, quod est, rectum esse; & in piel dirigere. Sed licèt dicendi modus diuersus sit, sententia tamen, aut eadem est, aut certè non admodum diuersa. Ille enim, cui aliquid accidit, aut ex voto, aut ex vsu, dirigi dicitur in agendo, id est, non errasse ab scopo, seu à proposito, in quod sua conferebat consilia: vnde in Scripturis obuium, *viam dirigi, opera, consilia, manus*, id est, prosperari aliquem, & sui esse compotem voti.

Quomodo Angelus superatus ab homine.

17. Quærunt hîc interpretes, quomodo Angelus cùm longè sit fortior, post longam luctam mortalem hominem superare nequierit; imò verò ab illo superatus confessus fuerit apertè, maiorem esse eo in pugnando vitutem. *Si contra Deum*, inquit, *fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis?* Variè ad hanc difficultatem, quæ sanè grauis est, respondent auctores. Augustinus *lib.* 16. *de ciuit. cap.* 39. ait Angelum voluisse vltro à Iacob superari, cùm eundem facile superare potuisset; quia ibi figura Christi fuit, qui cùm longè esset omni humana potestate superior, superatus tamen à principibus sacerdotum, seditiosâque turba videri voluit, vt suam hominibus benedictionem impertiretur. Sicut Angelus à Iacobo superatus suam Iacobo benedictionem impertitus est. Non longè ab Augustino Abulensis: qui putat victoriam illam esse simulatoriã; cùm enim Angelus posset, simulauit tamen sibi non satis fuisse virium ad victoriam, quo magis fiducia cresceret, & animus Iacobo, vt speraret, ab aduersante, & colluctante fratre superiores partes, cùm Angelo, id est, superiori potestate, non fuisset inferior. Idem etiam S. Thomas in Genesim, seu veriùs Thomas Anglicus, contra has explicationes facit quod Iacobi victoria, non tam Angeli voluntati, quàm impotentiæ tribuitur. Id planè docet ipse Angelus Gen. 32. v. 25. *Qui cùm videret quod eum superare non posset, tetigit neruum.* Quare minus mihi displicet, quod quidam putant ex Hebræis, quibus assentiuntur ex nostra Societate Cornelius, & Pereira, additum esse à Deo robur Iacob, supra quàm facultas exigeret humana, quo superior esset Antagonista Angelo, sicut vnus Angelus potentior est altero. Sed est longè facilius quod cum Caietano putant iidem Cornelius, & Pereira, & Martinus del Rio, omnes in Genesim, impediente, seu attemperante Domino concursum, non totis viribus dimicasse Angelum, quia ad conatum illum non totas, quas habuit à natura vires, conferre potuit, atque ideo verè dicitur, & non simulatè, *cùm videret, quod eum superare non posset.* & statim, *Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis.*

18. Vers. 4. *Fleuit, & rogauit eum.*] Hic Hebræi valde, nisi ego fallor, & infantiliter errant: dum putant fleuisse non Iacob, sed Angelum, quasi timere debuerit, ne dum suo colluctatori succumberet, ab illo occideretur. Non miror id placuisse Hebræorum magistris, qui in rebus maximè seriis maximas agunt nugas; miror alicui ex nostris væsanam illã cogitationem placuisse, placuit sanè Vatablo, licèt dicat nō fleuisse simpliciter Angelũ, sed quasi fleuisse; id est, simulasse fletum: sed est hoc planè ridiculum, neque alia indiget confutatione, quàm quæ statim à Propheta subiicitur. Nam perquam bellè conuenit cum oratione fletus, & cum eius animo, qui timidus est, & graue aliquod periculum declinare studet. Adde quod benedici Iacob optat, & exigit ab Angelo; hæc porrò benedictio digna est, quæ precibus extorquoatur, & lacrymis, quomodo Esau *Gen.* 27. cùm à patre benedictionem captaret, ad preces lacrymas, & rugitus adhibuit. De quo v. 34. *Audiuit Esau sermonibus patris, irrugiit clamore magno, & consternatus ait: Benedic etiam mihi, pater mi.* Et v. 38. *Mihi quoque obsecro, vt benedicas. Cùmque eiulatu magno fleret*, &c. Hoc credo mysticæ licet veræ pugnæ articulo fleuisse Iacob, cùm sibi persuasisset egere se benedictione Domini, vt à se fratris sui grauem, & inueteratã offensionem auerteret. Est qui 19.
putet fleuisse Iacob ex dolore graui, quem cepit, quo tempore tactus ab Angelica manu neruus emarcuit. Ita Figuerius coniectat; sed nimis mollem fingit, & infantem Iacob, qui muliebres eiulatus ederet, quos viris esse indecoros omnis disciplina clamat, etiam eorum, qui delicias in vita & voluptates captant. Gemerétne Iacob ad tactum illum fortasse leuem, qui dudum se laboribus assuefecerat duris, & longis, quibus ad omnem aut vulnerum, aut temporum molestias obduruisset. Dixit quidem, & dixit verè de seipso Iacob Gen. 31. v. 40. *Diu, noctúque æstu vrgebar, & gelu, fugiebátque somnus ab oculis meis: sicque per viginti annos in domo tua seruiui tibi.* Ex hac vita syluestri, ac rustica, pastoritia nempe, aut venatoria ad gladiatoriã arenam adducebantur viri robusti, qui eo studio sic se contra omnes plagas, gladiatoriique studij discrimina muniebant, vt turpe existimarent, & planè fœmineum, ad plagarum inflictum, & totius corporis contusionem ingemere. Cicero lib. 2. quæst. Tuscul. *Consuetudinis*, inquit, *magna vis est, pernoctant venatores in niue, in montibus vri se patiuntur; inde pugiles cæstibus contusi ne ingemiscunt quidem.* Hæc fortasse huius Ciceronis loci sententia est.

Adde ad extremum esse in Scriptura sacra non 20.
infrequens, vt cùm aliquid ex antiqua historia repetitur, addatur interdum aliquid, quod tamen eo loco, vbi res illa fusiùs tractatur, non reperitur. Exempla suppeditabit non pauca *caput* 11. & 12. *epist. ad Hebræos.* Et multo plura *in lib. Sapientiæ à cap.* 16. vbi plurima narrantur, quæ in deserto, plurima, quæ in Ægypto contigere filiis Israel, quæ tamen antea suis locis scripta non sunt. Quis nosset aliquid de terræ motu, qui in diebus contigit Oziæ, nisi id accepissemus ab Amos *cap.* 1. & Zacharia *cap.* 14. Sic de Iacob fletu nil habemus in Genesi, vbi ipsius historia latissimè texitur; habemus tamen ab Osea, cuius neque minus certa, neque minus sacrata fides est.

REGVLA, *Cũ aliquid ex sacra Scriptura repetitur, aliquid interdum additur quod scriptũ ante su. loco non fuerat.*

Et Bethel inuenit eum, & ibi locutus est nobiscum.] 21.
Magnum beneficium fuit Israeliticæ gentis progenitorem benedictionem consecutum ab Angelo, quæ in totum posterorum genus latè redundauit: maius quàm primogenij ius, quod paterna benedictione eripuit fratri suo. Nunc aliud commemorat sanè eximium, quod habes *Gen. c.* 28. & *cap.* 35. vbi multa Deus promisit Iacob, eiúsque familiis, qualia nulli antea rationi; propter quæ, si aliquid esset in eo populo mentis, abesse nunquam debuit ab eo, quod præscriptum esset à Domino. Vtrunque verò beneficium accepit Iacobus in Bethel, vbi postea erectus est aureus vitulus, quem pro Deo coluit ingratus ille

Angelus sæpe locutus cum Iacob.

ille populus. Alterum beneficium fuit *Gen. 28.* vbi scalam vidit ille Patriarcha; & Angelos ascẽdentes, & descendentes; quod cælestium donorum, quibus populum illum Deus prosecuturus erat, symbolum erat præclarum, & illustre. Ibi de propaganda, ornandáque familia promissionem accepit, & addidit ad extremum, *benedicentur in te, & in semine tuo omnes tribus terræ. Et ero custos tuus quocunque perrexeris.* Tunc verò locum, qui priùs Luza vocabatur, appellauit Bethel.

22. Apparuit iterum cùm rediisset ex Mesopotamia in eodem loco *Genes. 35.* vbi excitauit altare Domino; vbi Deus quod ibidem antea promiserat, de propagatione generis iterauit, & quod de populi tutela in seipsum receperat, cumulatè compleuit. Sic enim ibi, *Cúmque profecti essent, terror Dei inuasit omnes per circuitum ciuitates, & non sunt ausi persequi recedentes.* De vtroque tempore videtur locutus Propheta, sed magis de hoc posteriori, quia hoc luctæ cum Angelo, de qua proximè, successit.

23. Quod verò dicitur, *Et ibi locutus est nobiscum.* indicat promissiones illas non ad vnum Iacobum, aut Iacobi sæculum coarctari, sed ad totum illius genus, in quodcunque illud tempus incurreret. Quod non difficile sibi persuadebit, qui vtrũque locum attentè consideret, & expendat. Loquitur autem hîc Oseas tam suo, quàm aliorum nomine, ad quos illa larga promissio pertinebat. Locutus est, inquit, nobiscum, quando cum parente nostro loquebatur; aut certè cum parente de nobis locutus est.

24. Vers. 5. *Et Dominus Deus exercituũ, Dominus memoriale eius.*] Hic locus magis est difficilis quàm prima videtur facie. In eo tamen, quidquid illud est, aut magnum significatur beneficium, aut grauis ostenditur ratio, cur ab Israele Deus coli, & obseruari debeat. Hieronymus in memoriali nomen agnoscit Dei, quo populus ille in parente suo consignatus est. Deus enim *Gen. cap. 35.* à suo nomine vocari voluit Israel, qui priùs dicebatur Iacob. Sic enim v. 10. *Non vocaberis vltra Iacob, sed Israel erit nomen tuum; & appellauit eum Israel.* hoc verò magnum beneficium est audiri in illius populi compellatione diuinum nomen, vt quoties nomen suum audiret, toties recordaretur Dei, diuinorúmque beneficiorum memoriam renouaret. hoc verò potentissimum esse memoriale, & vim habere maximam ad inflãmandum animum, alligandúmque perpetuò diuinæ voluntati, Dominus ipse si minus expressè, dixit tamen obscurè apud Isaiam cap. 48. v. 12. *Audi me Iacob, & Israel, quem ego voco.* id est, qui facio vt meo voceris nomine. Israel enim, à quo illius posteri Israelitæ nominantur, nomen in se continet Dei. Hoc itaque memoriale est, vt ex suo nomine discat populus sic vocatus, quémnam Deum colere, cui supplicare, atque adhærere debeat; illum nẽpe, cuius nomen in suo audit, atque circumfert. Hoc idem significarat paulo antea v. 1. cùm dixit ad eundem populum Deus, *Audite hæc domus Iacob, qui vocamini nomine Israel.*

Deus Iacob suum nomẽ quasi memoriale dedit.

25. Ego aliter hunc locum accipio accommodatè ad historiam illam, quam ex *cap. 35. Gen.* nuper adduximus, quam prius quàm exponere aggredior, obsecro memoriale esse symbolum, phylacterium, aut simulacrum, quod memoriam excitat illius Dei, aut religionis, cui aliquis seipsum addixit. quare idolum, seu imago Dei alicuius memoriale est, quales fuerunt aurei vituli, effigies

Memoriale quid.

A Melchon, & signa, quæ Ezechiel spectauit in tẽplo, & quæ inde à Iosia sublata traduntur. Isaias cap. 57. v. 8. *Post ostium, & retro postem posuisti memoriale tuum.* Memoriale nihil est aliud quàm effigies Deorum, aut aliquod illorũ monumentum, quod vt vbique occurSaret oculis, in frequentibus maximè locis ad Gentium imitationem collocabant Iudæi. Nunc iam ad historiam.

Cùm ex Mesopotamia remigraret Iacob cum copiosa filiorum, seruorúmque familia: & iam ingressuri essent in locum, quem & antea propter illud illustre portentum, de scala, quæ ad summũ vsque cælum attollebatur, consecrarat Domino; & iterum statim excitato altari consecraturus erat, atque ideo appellauit Bethel, id est, domum B Dei. Tunc autem Iacob, conuocata tota familia, quam sciebat adhuc habere gentilicos spiritus, & ferre inanium Deorum secum memorialia, id est, idolorum effigies, aut monumenta, quorum frequens erat vsus in Mesopotamia, quam gentilica superstitio, atque insania corruperat, dixit tam seruis, quàm filiis, & vxoribus, *Abiicite Deos alienos, qui in medio vestri sunt.* & statim v. 4. *Dederunt ergo ei omnes Deos alienos, quos habebãt, & inaures, quæ erant in auribus eorum.* Addunt verò Septuaginta, *Dederunt Iacob Deos alienos, qui erant in manibus eorum.* Cur verò serui, vxores, & filij iussi idola tradere, ornamenta aurium, & manuũ attulerint, C inaures videlicet, armillas, & annulos, rationem reddit Augustinus *quæst. 112.* & Chrysostomus *homil. 35.* vterque in Genesim. quia in armillis, inauribus, & annulis inanium Deorum exprimebantur effigies, aut illorum certè phylacteria, & symbola, quæ nos optimè vocare possemus memorialia, quia dum illa oculis occursant, illorum excitant memoriam, quorum symbola sunt, aut monumenta. 26.

Ex eo verò tẽpore nemo dubitabit curatũ esse à Iacob, vt pro diis alienis, deorúmque phylacteriis, & symbolis aliquid secum omnes veri Dei symbolum, ac memoriale circũferrẽt: in armillis, & annulis, quãdo iã omnes constituissent, alienæ D religionis esse deponendam memoriã. Quod autẽ futurũ esset illud Dei memoriale, obscurũ est, cùm Dei apud Hebræos nulla foret effigies. Sed potuit esse symbolũ aliquod alicui⁹ Dei beneficij; quale esset scala Iacob nõ multo antè oblata dormienti, aut lucta cũ Angelo, quo tẽpore Israelitidi genti grãdia promissa sunt, aut saltẽ Dei nomen in annulis, armillisque cælatũ, & hoc verius. Sic putãt aliqui in terra promissionis disposita certis interuallis signa Dei nomen incisum habuisse; & ideo illa Gentibus fuisse formidini. Sic sanè sanctus Iulianus Archiepiscopus Toletanus *in Chronico,* (quod mihi manu scriptum ostendit amicus quidam vir eruditus,) dicebat se ab eruditissi- E mis Hebræorum accepisse iter sabbati esse mille passuum; & singula milliaria ab Hebræis erectis lapidibus solere signari (sicut apud Romanos communiter, vnde apud illos tritum, *ad primum, secundum, & tertium lapidem.* id est, ad primum, &c. milliare.) in altera autem lapidum illorum facie, erat milliarium numerus, in altera Dei nomen, cui locus ille consecratus erat. Inde timor iniectus Gentibus à diuini nominis maiestate, iuxta illud Psal. 64. *Turbabuntur Gentes, & timebunt, qui habitant terminos à signis tuis.*

Dei nomen piorum memoriale.

Ex his ego hanc sententiam commodè colligere posse videor, non iam amplius statuisse, qui de familia fuerunt Iacob, afferre secum impiæ superstitionis insignia; quia quidquid im- 27.

pium aliquid oleret, prorsus abiurarunt, atque ideo nullum aliud habere voluisse memoriale, quàm quod memoriam illius excitaret, à quo tam magnifica acceperant in Iacob Domino suo, seu parente promissa. Ad horum exemplar hortatur non Propheta posteros, vt abiectis à se procul monumentis aliis, seu symbolis, quæ alienum aliquid à patria religione saperent, vnius tantùm Dei circumferrent secum memoriale.

28. Vers. 6. *Et tu ad Deum tuum conuertere, misericordiam, & iudicium custodi, & spera in Deo tuo semper.*] Multa Deus promiserat Iacob, maximè *Gen. cap.* 28. quæ, vt diximus, latè se ad posterorum etiam memoriam porrigebant, modò in illis fides esset, & pietas, vt apertè Deus ipse docuit *Deut. cap.* 27. & 28. vbi hanc promissionem temperasse, atque explicuisse visus est. Monet ergo Propheta, vt idolorũ cultũ detestetur populus, & reuertatur ad Deũ, à quo stultè, atque inuerecundè recesserat; & vitam iuxta Domini leges, & voluntatem instituat, & tunc demum à Dei benignitate, quæ volet, speret. Nisi mauis hoc postremum significare, vt populus ab vno Deo salutem, & libertatem speret, non à diis, quorum potentia nulla; non ab hominibus, quorum fallax fides, & huc potiùs inclinat animus. Porrò misericordiam maximè, & iudicium commendat, tum quia in his virtutes illæ continentur, quæ tam ad aliorum, quàm ad propriam vtilitatem pertinent; tum quia, si magis hæc ad propriam significationem, & naturam coarctes: hæc tunc maximè in populo Israelitico iacebant, neque in causis legitima exercebantur iudicia, sed erat seniorum, ac Principum venalis fides, neque vllus erat misericordiæ locus, aut honor.

29. Vers. 7. *Chanaam in manu eius statera dolosa calumniã dilexit.*] Quo tempore Iacob ex Mesopotamia rediit, tota regio Chanaanitis idolorum erat cultui, & vanis superstitionibus addicta. Quibus tunc erat quàm simillima familia Iacob, cùm secum gestaret in armillis, & annulis Deorum imagines, & symbola, quasi tutelares forent, & viæ duces. Quare magna erat tunc temporis inter Iacobi familiam, & Chananæos differentia: Israelitæ verò, quos hic Propheta ad parentis sectanda vestigia exhortabatur; magis videntur in instituendo vitæ genere Chananæos, quàm Israeliticos mores expressisse; & id puto ab Osea Israelitis datum esse probro, quod magis illis Chananæorum ingenium, & institutum, quàm paterna pietas studio fuerit. Hoc porrò loco, sicut frequenter alibi subaudienda est similitudinis nota, in hunc sensum. Cùm Israelem patrem misericordem, & iustum imitari deberet Ephraim, maluit se ad Chananæum ingenium informare; in quo dolus est & calliditas, statera falsa, & contra insontes, & infirmos structa calumnia.

30. Hæc est, opinor, propria huius loci sententia; sed est obscurum, an Chanaam, seu Chananæus nomen sit proprium eorum, qui regionem habitant Chanaanitidem, an commune eorum, qui artem exercent mercatoriam, quique Circitorum more cum statera, & trutina, cum cithara, aut crotalis obeunt ciuitatis compita, & quas venales habent merces euulgant: vtrunque enim aptè cadit in hunc locum. Chananæi etenim malè semper audierunt, maximè apud Israelitas: quare cùm ab Israelis pietate, ac moribus defecisse arguuntur, Chananæi, id est, scelerati, atque exe-

Chananæorum ignobile, & odiosũ nomen.

crandi nominantur. Imo propter morum dissimilitudinem Chananæi veri Israelitis veris opponuntur. Dan. cap. 13. *Semen Chanaam, & non Iuda.* Ezech. 16. cùm loqueretur Deus cum Ierusalem, ait tam abesse longè à Iudæ nobilitate, vt nata potiùs videatur Chananæo parente. *Radix tua, & generatio tua de terra Chanaan.*

Ego vtrunque iactari puto in Ephraim, mores videlicet Chananæos, & mercatorum fraudes, & calumnias; cùm enim aliis vitiis olim laborarint Chananæi, hoc tamen videntur laborasse maxime, qui cùm rebus abundarent, quarum frequens esset, atque vtilis mercimonia, aromate videlicet vario, balsamo, & oleo, horum vim maximam in Tyrium emporium, Ægyptiúmque portabant, à quibus non aberant fraudes illæ, quæ comitari plerunque solent mercatores. Hi verò stateram secum portant, quæ pondus mercium, & momentum explorat, quam fuisse falsam aliquando, imò, & frequenter, satis docet hic locus, qui Ephraim cum Chananæo comparat, cuius statera legitimum pondus non habet. Hac ego ratione componi posse video illorum sententias, qui aut cum Hieronymo Chananæos habitatores, aut cum Hebræis, recentioribúsque aliis negociatores putant. Sunt namque Chananæi genere, ac loco; sunt item ministerio, quia negotiationem exercent, qui aut suas vendunt, aut circumeundo ciuitatem alienas merces euulgant. Prouer. vltimo de muliere operosa, & forti. v. 24. *Sindonem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo.* 31.

Chananæi mercatores.

Facit autem ad hanc explicationem valde tum quod antecessit proximè *misericordia*, & *iudicium*, quam ideo Deus commendasse videtur, quia ab Ephraim violari videbat, atque contemni. Accommodatè igitur adhibet mercatorum nomen, cum statera dolosa, & cum frequenti calumnia, quæ duo misericordiam produnt, & iudicia peruertunt. Quæ enim æquitas, vbi iniqua trutina, & statera fallax? quæ misericordia, vbi calumniæ occulta quædam violentia intercedit? in statera dolosa iudicium iniquum significari, & in calumnia immisericordiam, Scriptura sacra docet. De iudicio iniquo est illud Leuit. cap. 19. v. 35. *Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere, & mensura, statera iusta, & æqua sint pondera.* Et quidem regulam pro lege sumi, & pro iudicio trutinam, satis est vsitatum, & vulgi sermone prouerbialiter tritum. Vnde hominem, qui nullum habet in iudicando personarum discrimen, aut patitur largitione iudicia corrumpi, *Trutina iustiorẽ* appellamus. *& æqua lance* iudicare eum, qui neutram in partem affectus, aut infectus est. Porrò in Scriptura *calumnia* cum pupillo, ac vidua, aut etiam cum paupere coniungitur, quia illi, in quos misericordia præcipuè conuenit, frequentiùs ab aliorum vel potentia, vel cupiditate opprimuntur. Certum est enim illud prouerbiale pupillos, & viduas certissimam esse potentiorum prædam. Huc cum Theodoreto, & Cyrillo propendent alij plures, qui hæc de auaritia Ephraim, & congregandis opibus iniquè sermonem esse putant: & docet manifestè, quod sequitur. 32.

PROVER. Chanaam cum statera dolosa pro fallaci.

Vers. 8. *Et dixit Ephraim, veruntamen diues effectus sum; inueni idolum mihi.*] Oratio satis accommodata illius ingenio, qui calumnia, atque astu diuitias sibi comparauit ingentes: qui dummodo potens sit opibus, quibus seipsum, & causam, siue accusationem tueri posset, si quis aut fraudis, aut repetundarum accersat, reliqua non curat. Non nominis honestatem, quia cum pu- 33.

Pecunia, quanta vis.

dore, nominis quoque dignitatem abiecit; non Deum, quia Deum humana istæc curare non putat, aut si id credat, satis se contra Deum munitum existimat; non legum æquitatem, aut iudiciorum seueritatem, quia si pecunia versetur in iudiciis, nihil sibi timendum arbitratur; quia illa & expugnat animos, & leges quantumcunque in suum caput intentas, & interpretatur benigniùs, & potenter infringit. Hoc secum meditabatur Ephraim, post stateram dolosam, post intentam calumniam; sibique de congestis vtcunque pecuniis gratulabatur, quasi iam certam haberet aram, & sacrum asylum, vbi nihil esset timendum non ab humana solùm, sed à diuina potentia. Et ad hanc cogitationem consentaneè audet, & dicit:

34. *Inueni idolum mihi.*] Habeo, quasi dicat, diuitiarū satis, quas pro Deo habeo. Ab his enim satis mihi præsidij est, vt omnem vim à me aduersariam auertam, siue illa sit à lege, siue ab armata illorum manu, à quibus per fraudem, & calumniam ereptæ sunt. Et dummodo satis instructus videar à pecuniis, de reliquis non laboro: hæ enim me liberum præstabunt à periculo, & ipsa iustitia, atque innocentia magis me iustum, atque innocentem ostendēt. Hæc explicatio magis mihi videtur ad textum, à qua alij abhorrent parum; amplectuntur alij. Nomen autem *idoli* satis hanc cogitationem probat: vt enim idolum à delusa gentilitate existimatur omnia posse; sic etiam pecunia, & multorum opinione, & ipsa experientia quotidiana existimatur omnipotens, qua maius nullum communi Gentium sensu numen habetur. certè huic omnium

35. maximè obsequuntur studia mortalium. Quomodo pecunia pro Deo ab antiquis habita, quanta eius potentia, diximus pluribus in nostris commentariis in Danielem ad illud cap. 11. *Deum autem Maozim in loco suo venerabitur*, quæ omnia in hunc etiam locum aptissimè cadunt. Excogitarunt antiqui pro variis naturæ necessitatibus leuandis variam etiam Deorum multitudinem, alium ad conciliandam aliorum gratiam, & amorem, siue legitimum, & honestum, siue turpe, & ab ipsa penè natura damnatum; hoc præstat aurum ipso Ioue, quem Deorum summum fabulatur antiquitas, multo potėtius. quando, sicut est in fabulis, vt Danaes expugnaret pudicitiam, exuit Iouem, & auri assumpsit siue naturam, siue speciem. Martem antiquitas bellorum facit Deum, sed multo facilius sternit acies, & ciuitates capit pecunia, quàm Mars. Sic sanè Pythius Apollo respōdisse dicitur Philippo, cùm illum de victoria consuleret.

Pecunia habita pro Deo.

Pecunia ad omnia potens.

Ἀργυρέαις λογχαῖσι μάχε, καὶ πάντα νικήσεις,
Si telo ex auro pugnaueris, omnia vinces.

Nihil est tam sanctum, nihil tam munitum, & clausum, quod non tentet, violet, & expugnet pecunia. Quid multis? ipsa deformibus speciem, grandi iam ætate victis iuuentutis florem, turpibus honestatem, obscuris nobilitatem, & splendorem conciliat. Denique ab antiquis pecunia honorem obtinuit diuinum, vt nos in eum locum Danielis pluribus ostendimus. Sanè nihil est tam incultum, ac barbarum, nihil tam cultum, & ingenuum quod imperio pecuniæ non succumbat. Ita profani sæpe; sed hoc ipsum clariùs Scriptura sacra docet Eccl. cap. 10. *Pecuniæ obediunt omnia.*

36. Aut ergo dicit Ephraim habere se in congesto pecuniarum cumulo Deum, a quo sibi sperat ad-

A futura omnia pro votis, aut certè, quod visum est Hieronymo, non curare se quid alij sentiant, aut obstrepant, dummodo diues sit, id enim illi instar est omnium. Sic sanè dicebat Horatianus ille auarus, qui ad auri tinnitum, & fulgorem facilè ferebat vulgi infestos clamores, & illam, quæ ex auaritiæ sordibus oriri existimatur, infamiam. Audi Horatium lib. 1. Saty. 1.

——Quidam memoratur Athenis
Sordidus, ac diues populi contemnere voces
Sic solitus. Populus me sibilat, at mihi plaudo
Ipse domi, simul ac numos contemplor in arca.

Omnes labores mei non inuenient mihi iniquitatem, 37.
quam peccaui.] Hæc impedita sunt: neque vna est huius loci translatio. Alias adducere prætermitto, ne longus sim. Tantùm adducam explicationes duas, ne commentarios hosce, quos longos esse nolim, variis aliorum cogitationibus onerem. Quidam hoc de se existimare putant Ephraimitas nihil in congerendis pecuniis esse peccatum. Seruatas aut à natura haustas, aut principium decreto, aut hominum consuetudine introductas leges. Quare licèt penitissimè rimentur omnia Prophetarum oculi, qui lyncei esse existimātur, nihil tamen inuenient, quod accusent, aut in quod cælestes minas intorqueant. Et sanè litera ad hanc sententiam facilis est. Ita visum est quibusdam Hebræorum magistris, quibus adhæsere Figuerius, Montanus, & Vatablus; neque C mihi displicet.

Communiter alij cum Hieronymo sentiunt, 38.
id quod pluribus superiùs ostendimus, placere sibi Ephraim in pecuniis vndecunque, & quomodocunque congestis: neque curare qua ratione, ac iure possideat, dummodo possideat. Neque timere repetundarum, mali doli, aut socij defraudati iudicium, quia hæc omnia sanat, facitque legitima, ac sancta, quæ iudicia moderatur, pecunia; cui nihil opponi in foro, nihil in iudiciis potest, quod par afferat robur, aut momentum. Sententia facilis est, ordo verò literæ nonnihil implexus. Sed si *iniquitatem* pro supplicio sumas, quod in Scriptura millies occurrit; (in D qua *peccatum, impietas, iniquitas* & similia, pro pœna ponūtur, quæ iniquitati, impietati, ac peccato debetur) non erit explicatio dura, aut insolita in hunc modum. Omnes labores mei, qualescunque illi sint, non afferent aut parient mihi pœnam aliquam pro pecuniis iniquè, atque artificiosè congestis, *quam peccaui*, id est, quam peccando commerui. Hæc pro communi sententia videntur dici posse non ineptè.

Vers. 9. *Et ego Dominus Deus tuus de terra Ægypti:* 39.
adhuc sedere te faciam in tabernaculis, sicut in diebus festiuitatis.] Quidam hæc verba putant esse minacia, & durum aliquid Ephraimitis non sine magno suo merito portendere. Quasi vitam acturi E sint miseram, & extorrem in tabernaculis, sicut solent, qui ruri viuunt, & ministerium obeunt pastoritium, & rusticum. Ita ferme Theodoretus.

Alij de tempore Christi interpretantur, in quo 40.
post varia discrimina, atque incommoda requies promittitur, & talis festiuitas, qualem habuerunt olim filij Israel, cùm excusso Pharaonis iugo in tabernaculis habitarunt. Ita ex Hebræis Rab. Salomon, cui ex nostris subscribunt Rupertus, Isidorus, Vatablus, & Lyra.

Alij in his nihil existimant ab offensione natū, 41.
sed potiùs ab animo miti, atque paterno profectum. Quasi Deus bonitatem suam, atque clementiam

mentiam, perfidiæ opponat, atque improbitati populi. Sed in hoc non omnes conueniunt. Quidam putant Ephraimitis reditum à captiuitate promitti, quam longum apud Assyrios, & inclementem sustinebant. Licèt enim durum sit à proprijs finibus depelli, & eos, qui siue honesto, siue turpi studio opes congessere non paucas, vitam agere angustam, inopem, & rerum omnium egentem; tamen dulce est aliquando expectare reditum in patriam, & libertatem à seruitute, & quasi vitam à sepulcro, & tabe. Ita ex Hebræis Rab. Dauid, & ex nostris non pauci cum Hieronymo.

42. Sed idem Hieronymus aliter etiam putat exponi posse hunc locum, ita vt dicat Deus relinquere se adhuc Ephraimitis pœnitentiæ locum; quam si adhibere voluerint, & ad illum redire pœnitendo, à quo peccando recesserant, auertendum esse malum, quod ipsorum capiti iamiam impendebat ab Assyriis. Ex quo id etiam essent consecuturi, vt geniales haberent dies, quales Hebræis esse solent illi, quos anniuersaria memoria in tabernaculis ponunt, illorum beneficiorum memores, quæ receperunt longo illo spatio, quo in deserto, cùm nondum haberent domicilium stabile, in tabernaculis habitarunt, hoc verò festũ per synecdochẽ pro aliis Hebræorum festiuitatibus vsurpatur, sicut etiã apud Zachariam *cap. 14. v. 16.* festum hoc tabernaculorum aliorum omnium festorum nomen, & pondus habet. *Ascendent*, inquit, *ab anno in annum, vt adorent Dominum Deum exercituum, & celebrent festiuitatem tabernaculorum.* quod in eodem capite sæpius iterat.

43. Huc ego magis propendeo, & sic huius loci sententiam informo. Ego Dominus iam tibi notus ex quo te de Ægyptia seruitute liberaui, qui illis te beneficiis complexus sum, quæ parentes cum plausu, atque exultatione celebrant. Ego, inquam, si meliora cogites, eundem retinebo animum, quem olim in me parentes agnouerunt. Quare non siriam in caput tuum aliquid licere Assyriorum imperio. Exultabis ô Ephraim, otiosus, & securus in patria, patrias obibis festiuitates, & in his scenopegiam, id est, festum tabernaculorum, quod lætissimum est. Porrò de hoc festo, eiúsque sanctitate multa habes *Leuit. cap. 23.* inde pete. neque enim in his mihi ampliùs vagari libet.

44. Vers. 10. *Et locutus sum super Prophetas, & ego visionem multiplicaui.*] Probat Deus exemplis, quo animo, & modo sit, & antè fuerit, in populum, tam suorum mandatorum, ac beneficiorum immemorem. Cùm nunc horretur per Prophetam, vt morum mutatione gladium auertat suis iam proximè ceruicibus intentum, & idipsum per Prophetas alios iterum, & sæpius edixerit. Fuerunt sanè Prophetæ multi ante hoc tempus, à quibus hæc eadem sæpe audiuit Ephraim; fuit Propheta ille, qui ipsum admonuit Ieroboã *3. Reg. 13.* quando regia manus ad plagam eleuata arefacta est: fuit item Ahias Silonites, per quem eundem regem Dominus vehementer increpuit. *3. Reg. cap. 14.* fuerunt Elias, & Eliseus. Fuit Michæas filius Iemla *3. Reg. cap. 22.* Fuit item Oseas, & alij Prophetæ illi coætanei, qui ante hoc tempus multa Dei nomine populo denunciarunt (nam verisimile est multis ante annis tum Oseæ, tum aliorum Prophetarum cœpisse vaticinia.) Per hos igitur multiplicauit Dominus prophetias, auxit visiones; pulsauit iterum, atque iterum occlusam obdurati animi portam, quasi qui vehementer cuperet, in illum admitti. Vbi vulgatus *super Prophetas*, Heb. est על *al*, quod interdum *ad* valet, interdum *cum*. Locutus est igitur cum Prophetis, illísque id negocij dedit, vt populum leuitatis arguerent, & violatæ fidei: suóque capiti extrema omnia metuerent, nisi ab idolorum insania resipiscerent.

Deus sæpe Israël per prophetas admonuit.

Et in manu Prophetarum assimilatus sum. Heb. 45.
אדמה *adameh* quæ aliqui actiuè exponunt; quasi dicat Deus, similitudines, & symbola se dedisse Prophetis, quibus rudem populum ad pietatem instituerent. Quod sanè, vt vides, frequenter facit: modò enim se sponsum, modò pastorem, interdum se nutricem, & nutriciũ appellat. Sic verò se rudi accommodat ingenio, quòd intelligibilia non semper, sensibilia commodiùs, & faciliùs assequitur. Quare Deus, qui nouit, quàm se difficile mens hominum maximè rudiorum, ad incorpoream rerum cogitationem attollat, subtiliora hæc sensibilium rerum integumentis inuoluit.

Sed sanè legendum est cum vulgato, & cum 46.
LXX. *assimilatus sum*, idque multo significantiùs: quia hoc dicendi modo plus auctoritatis, & ponderis assumit prophetia. loquuntur enim Prophetæ Dei nomine, cùm verba sumunt ex illius ore, & illius personam repræsentant, quomodo actor in scena personam sustinet regis; & legatus, seu Apostolus eius, cuius agit partes cum potestate vicaria. Quare diceret, qui significare vellet alienam ab aliquo sustineri personam, in hoc histrione assimilatus est rex; in hoc legato Pontifex, in Apostolo Christus. Sic igitur in Prophetis assimilatus est Deus, idque non vno tantùm modo. Primùm, quia Dei loquuntur nomine, & verbis, qua ratione cùm Angeli apparent, aut loquuntur hominibus, Deus apparuisse dicitur, aut locutus, quia in Angelis Deus humanis oculis aliquam suiipsius similitudinem obiecit. Deinde quia non solùm Prophetæ verbis, sed etiam actionibus diuinos sensus atque cogitationes exprimebant. Prophetabant interdum viri sancti non tantùm verbis, quasi Dei mandata, siue consilia deferentes ad populum; sed etiam rebus signísque hieroglyphicis, quasi Deum ipsum aliter, atque aliter affectum referrent. Et ne longiùs abeamus, in hoc ipso Propheta exempla habemus neque pauca, neque obscura. Quid enim aliud significabat Oseas *cap. 1.* cùm vxorem duxit fornicariam, ex qua suscepit filios, qui Dei in Israeliticum populum consilia, & affectus exprimebant? Et iterum *cap. 4.* cùm vxorem duxit dilectam amico? Oseam verò dum nuptias hasce typicas iniret, Dei sustinuisse personam, nemo dubitat. Et Deus ipse non obscurè docet, dum ad hæc symbola refert, quid postea in populum infidelem facere statuisset.

Propheta Dei legatus.

Vers. 11. *Si Galaad idolum, ergo frustrà erant in* 47.
Galgal bobus immolantes.] Hic mihi locus valde videtur esse difficilis; neque sanè quid alij nonnulli dicant, qua sum ingenij imbecillitate, assequor. Quòd si fortasse diuinando consecutus sum aliquid, illud tamen quicquid est, non omnino placet, nolo in aliorum sententiis exponendis otium perdere, & lassare lectorem, dicam quod mihi in aliorum sententiis minus videtur esse difficile. Et primùm obseruo in Galaad, id est, vltra Iordanem, & extra terminos terræ promissionis consedisse tribum Gad, & Ruben, & dimidiam tribum Manasse; vt habes *Numer. cap. 32.* Cùm autem regio illa longiùs abesset à templo,

Galaad idolis dedita.

plo, & cum Gentibus penè necessariò frequentem vsum, & commercium habuerit, credibile est ex illarum consortio contraxisse labem; & idolis ante aureos vitulos, & post Ieroboami consilium impium, honores impendisse diuinos. Sanè partem illam ex omnibus finibus Israeliticis gentis idololatria maxime laborasse constat suprà cap. 6. v. 8. *Galaad ciuitas operantium idolum, supplantata sanguine.* Hæc autem ciuitas, vt dixit eo loco Hieronymus, & in tribu Gad, quam habitabant sacerdotes, quia in illorum sortem contributa, quæ & ipsa nefariis idolorum sacris erat addicta, & erat conflandorum idolorum communis officina.

48. Obseruandum secundò omnes decem tribus captas fuisse, & in exilium abductas ab Assyriis; nam omnium primæ captæ sunt, quæ consederunt vltra Iordanem, nempe tribum Gad, Ruben, & dimidiam tribum Manasse: quod habes lib. 1. Paralip. cap. 5. v. 26. *Suscitauit Deus Israel spiritum Phul regis Assyriorum, & spiritum Theglathphalassar regis Assur, & transtulit Ruben, & Gad, & dimidiam tribũ Manasse.* Idem penè habes *lib. 4. Reg. cap. 15. v. 29.* vbi cum aliis tribubus capta etiam dicitur Galaad, à Theglathphalassar. Aliquandiu post hæc tempora captum est quod reliquum erat è decem tribubus à Salmasar, vt habes *lib. 4. Reg. cap. 15.* cùm regnaret Osee in Israel.

Decem tribus ab Assyriis variis incursionibus captæ.

49. Ex his iam sese prodit sensus, qui huius loci videtur esse germanus, & proprius. Dicta enim sunt, vt appparet, hæc ab Osea post captam ciuitatem, quæ dicebatur Galaad, quæ pertinebat ad funiculum Gad, & tribus, quæ in monte Galaad vltra Iordanem constitere, & antequam caperetur Samaria, & Galgala, & quicquid erat reliquum de Israel. Sic ergo Propheta hortatur, vt si suis rebus consultum esse velint, qui adhuc in patriis sedibus relicti sunt, abiiciant alienos Deos, & vitulorum insaniam, & ad verum Deum legitimum traducant cultum, à quo vno sperare possint, & orare incolumitatem, & salutem. Et in hunc modum argumentationem instituit; si in Galaad fuit idolum, imò & idola plurima, quibus ciuitas illa, aut illa certè regio deditissima fuit, & tamen periit, & nihilo meliori sunt loco idolorum aræ iam euersæ, quàm agrorum sulci, quos imprimunt, & conculcant boues; quid sperare poterit Galgal, seu Galgala, quæ idem amplectitur institutum, eisdem abducitur erroribus, quæ bobus sacrificat? cur liberatum iri se speret ab Assyriorum ferro, cùm ciuitates illas Assyriorum imperio seruire videat. Porrò post *idolum* aliquid subaudiendum per aposiopesim, nempe *periit, vastata est,* aut aliquid simile, deinde aptè succedit, *Et tamen frustrà erant in Galgal,* &c. Quasi dicat, neque tamen Galgal alieno periculo didicit frustrà se salutem expectare à vitulis, quos vitulis immolandis honorat.

50. *Nam & altaria eorum quasi aceruí super sulcos agri.*] Cùm moles aliqua seu fabrica destruitur, quicquid artificiosè priùs compactum fuerat, ita dissoluitur, vt nihil ab artificio maneat; sed ligna, aut lapides in aceruum, sine arte vlla, aut ordine confusa. Quæ similitudo in Scriptura sacra frequens est. Isai. 17. v. 1. *Ecce Damascus desinet esse ciuitas, & erit sicut aceruus lapidum in ruina.* Ieremiæ 26. v. 18. *Sion quasi ager arabitur, & Ierusalem in aceruum lapidum erit.* Hic postremus locus aliquid affert lucis alteri simili, in quo nostra laborat commentatio. Duo coniungit Ieremias aceruos lapidum, & aratum agrum, id est, aceruos, & sul-

Aceruus lapidum pro vastitate magna.

A cos; hæc eadem in Osea videmus, aceruos nempe super sulcos agri, in locis saxosis, qualia sunt omnia penè, quæ in terra promissionis coluerunt, aut incoluerunt Hebræi, saxa, quæ non semper frugibus, ac plantis vtilia sunt, extrahuntur ex agris, & in aceruos congregantur; quod credo rustici dicunt *agros exossare*, quia eximuntur lapides quæ in agris id præstant, quod in corporibus ossa. Sic sanè dixit Persius Satyr. vltima,

Exossatus ager iuxta est.

Sed dixit hoc clariùs Isaias *cap. 5.* qui dum commemorat, quam sedulam, ac prouidam operam Dominus impenderit, colendæ, atque custodiendæ vineæ inter alia sapientis agricolæ, ac vinitoris officia, hoc etiam addit, *Et lapides elegit ex ea.* 51.

B In his porrò locis vbi saxeum est solũ, quale hoc Caracitanum est, in quo ego sum, dum hæc scribo, in agris, inter sulcos aceruos videmus plurimos, ex his lapidibus congestos; quos ab agro purgato agricola sedulus exemit. Ait igitur Deus vertendos esse vomere agros, seu agrorum instar loca, vbi idolorum templa fuere, seu altaria. Saxa verò olim in altarium formam, & honorem composita, non aliter fore dissipanda, quam saxa, quæ in aceruos congerit agricola, dum agros emaculat, & purgat, quæ adeò non amat, aut veneratur, vt potiùs execretur, & horreat.

C Vers. 12. *Fugit Iacob in regionem Syriæ, & seruiuit Israel in vxorem, & in vxorem seruauit.*] Cœperat suprà à versu 3. commemorare Propheta, quot modis ac beneficiis complexus fuerit Deus Israelem, seu Iacob, & quo modo, vt memorem se, & gratum tot beneficiis ostenderet, habere noluerit in sua familia vllius memoriale, nisi Dei. Huius occasione hortatur posteros, vt vnum Deum colant, ab eo orent, & expectent omnia; non à diis, quorum nulla est, neque recta, aut benigna voluntas; neque si velint, vllam habent benefaciendi facultatem. Hæc ad v. 12. in quo nunc explicando versamur, claudenda sunt parenthesi; quia inchoatam narrationem interrumpunt. Nunc verò post longum hyperbaton, refert D se Propheta iterũ ad Iacob, à quo videbatur paulisper recessisse, & quam interciderat narrationem pertexit, vt discant posteri, quàm antiqua fuerit Dei, & quàm paterna sedulitas, de ornando populo, quem ingratæ memoriæ reum accusat. 52.

Fugit Iacob.] Docet quomodo Deus adfuerit Iacobo, quo tempore vixit in Mesopotamia Syriæ, vbi vitam egit agrestem, & duram dum operam nauat pastoritiam socero Laban, pro Lia, quam priori loco duxit vxorem, fraude ab infido, & callido auunculo circumuentus. Deinde pro Rachel, quod in studio natura sua permolesto maximè in alieno solo recusare non potuit, E quominus multi labores atque pericula forent subeunda. Ab his tamen omnibus liberauit eum Dominus, effecitque, vt qui pauper, & fugitiuus in illam regionem appulerat, diues tamen, & fortunatus remigraret ad suos Gen. cap. 32. v. 10. *In baculo,* inquit, *meo transiui Iordanem istum, & ecce nunc cum duabus turmis regredior.* Hæc verò omnia à Dei benignitate recepit Iacob, quia fidelem se illi, & gratum exhibuit. In multis codicibus Latinis secundo loco est *seruiuit*, sed immeritò; quia in Heb. est שמר *samar*, & nũc Sixtiani codices *seruauit* habent, non *seruiuit*. Vbi vulgatus *in vxorem* Heb. est באשה *be issah*, quod idem est, atque *pro vxore*, vel *propter vxorem*, id enim valet ב *beth* Hebraica præpositio; & in iuxta Hebræorum proprietatem 53.

REGVLA. In idem aliquando quod pro, seu propter.

ptietatem, Eccl. cap.13. v.18. *Omni vita tua dilige Deum: & inuoca illum in salute tua.* id est, *pro salute tua.* Et cap.51. v.25. *Colluctata est anima mea in illa,* id est, pro illa, siue propter illam. Thren. cap.3. v.48. *Diuisiones aquarum deduxit oculus meus, in contritione filiæ populi mei.* In hunc sensum ego accipio illud familiare Paulo, *Ego vinctus in Domino.* id est, *pro Domino,* aut *propter Dominum.*

54. Vers.13. *In Propheta autem eduxit Dominus Israël de Ægypto.*] Hæc aperta sunt, neque vlla egent explicatione. Historiam habes in Exodo, vbi Deus traditur, quo tempore arctiùs Hebræi premebantur à barbaro Pharaonis imperio, misisse Moysem, qui hoc loco Propheta nominatur, & post innumera prodigia liberasse populum, qui genus suum deriuabat à Iacob. Aliis deinde signis plurimis, & illustribus, in toto illo tractu, qui est ab Ægypto ad terram vsque promissionis, satis ostendit, quo studio complexus fuerit, qua indulgentia fouerit Gentem ab Israëlis semine propagatam. Hæc verò prudens omitto, quia neque ignota sunt, aut obscura, & quia non nisi longiori sermone explicari possunt.

55. Vers.14. *Ad iracundiam me prouocauit Ephraim in amaritudinibus suis.*] Cur, diceret aliquis, si tam es, ô Domine, & natura clemens, & tam ad ignoscendum facilis, vt ad veniam inuites etiam nolentes, vt proximè vidimus, cur tam modò in Ephraimiticum populum inflãmaris studio vindictæ, vt sanguinem mineris, & opprobrium & quicquid horret, & execratur animus ingenuus: & cùm stillare soleant melle labia tua, nunc despumare videantur venenum, & fel. Huic cogitationi occurrisse videtur Dominus, dum ait, alienam esse amaritudinem illam, non natam à suauissima, clementissimáque natura; sed ab eo quod ex hominum peccatis hausit amarum. Quare postea *cap.14.v.1.* dolens Propheta, aliquid in Deo reperiri fellis, succenset, & clamat, *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitauit Deum suum.* Hoc idem de Iuda dixit Ieremias Thren. cap.1.v.18. *Iustus est Dominus, quia os eius ad iracundiam prouocaui.* Vbi pro *prouocaui* Heb. est מרה *marah,* quod amaricare valet. Quasi dicat Ieremias totius populi nomine: Os Domini omni suauitate plenum est, melle stillat, & nectare; ast ego amarum mihi reddidi, dum illum felle, atque absyntho poto. Porrò per metonymiam amaritudinem dici peccatum, satis notum est; quia peccati naturalis fructus amaritudo est, & ignominia.

Peccator Dei suauitatem in amaritudinem conuertit.

56. *Et sanguis eius super eum veniet.*] Id est, luet suo A sanguine peccatum suum. Sanguinem esse super alterius caput; idem est, quod mori, non solum siquis alteri manus violentas attulerit, quia tunc effusus alienus sanguis in homicidæ caput futurus esse dicitur, sed etiam cùm quis peccatum à se commissum sanguine, & morte expiat. De priori est illud Iudæorum Mat.27. v.25. *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Et 2. Reg. cap.1. v.16. ait Dauid ad Amalecitam, à quo Saul occisus, *Sanguis tuus super caput tuum.* Iosue 2. v.19. *Qui ostium domus tuæ egressus fuerit, sanguis ipsius erit in caput eius.*

57. *Et opprobrium eius restituet ei Dominus.*] Modus dicendi obscurus, grauis tamen ad significandum diuinæ iustitiæ pondus, æquum, & graue. Qui iustè aliquid facit, debitorem sibi Deum constituit, vt mercedem reddat, quam operi bo- B no se daturum promisit. neque Deus, vt inquit Paulus ad Heb.6. *iniustus est, vt obliuiscatur operis vestri.* Reddit itaque Deus iustis, quod accepit, dum opera sancta, mensura cumulata compensat. Sic etiam, licèt modo longè diuerso peccata recipit, seruátque fideliter, quæ suo tempore peccatori, nisi peccator esse desierit, debita mercede, id est, æterna confusione restituat. Hoc eodem loquendi genere vsus est Paulus ad Rom. cap.2. vers.5. *Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddit vnicuique secundùm opera eius.* Thesaurizat itaque peccator in diuino pectore indignationem, & iram, dum illud peccando amaritudine C complet. Hanc verò Deus aliquando restituet, cùm euomat in peccatoris caput, quicquid ab illo acerbitatis hauserat.

58. Illud *opprobrium eius*, ambiguæ significationis est, cùm tam illud *eius* ad Deum, quam ad hominem peccatorem referri possit. Si actiuè sumas, ad peccatorem pertinet, in hanc sententiam. Restituet Deus opprobrium, quod ipse peccator attulit; dum audet cum vano idolorum monstro permutare, cœleste numen. Illud autem opprobrium restituet Deus, cùm opprobrij pœnam in caput hominis inuerecundi retorquebit. Si verò passiuè, ad Deum spectat, qui tale passus est opprobrium, neque alius erit sensus à superiore; restituet enim Dominus, quod accepit, & tale peccatori, quale ab ipso passus est, remetietur opprobrium. Hæc sententia in Scriptura sacra millies occurrit. Tale est illud 1. Reg.2.v.30. *Quicumque honorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Hæc de cap.12.

IN CAPVT DECIMVMTERTIVM

ARGVMENTVM.

TOTVM hoc caput eò spectat, vt amplificet Dei misericordiam, & beneuolum animum in populum Israëliticum, & incredibilem atque inuerecundum eiusdem populi stuporem, in referenda non gratia quam debuit, sed iniuria quam pro gratia mille titulis debita rependit. Ostendit enim Dominus, & olim patres nouos sibi excogitasse deos, & filios nouo idolorum & victimarum genere parentum peccata cumulasse. Queritur primùm, quòd deos sibi fingant, à quibus sperari nihil potest opportunum, & aduersa minatur omnia, & ferarum comparatione suam in populum offensionem, & dolorem, qui ex illa consequatur, parturientis similitudine declarat. Digreditur deinde ad

Digitized by Google

pus Euangelicum, & suam de morte futuram aliquando victoriam prædicit. Ad extremum verò, post longiusculum hyperbaton, ad vastitatem reuertitur, quam per Assyrios Deus in Israëliticos terminos inducet.

CAPVT XIII.

1. *LOquente Ephraim, horror inuasit Israel, & deliquit in Baal, & mortuus est.*

2. *Et nunc addiderunt ad peccandum: feceruntque sibi conflatile de argento suo quasi similitudinem idolorum, factura artificum totum est: his ipsi dicunt: Immolate homines vitulos adorantes.*

3. *Idcirco erunt quasi nubes matutina, & sicut ros matutinus præteriens, sicut puluis turbine raptus ex area, & sicut fumus de fumario.*

4. *Ego autem Dominus Deus tuus ex terra Aegypti: & Deum absque me nescies, & saluator non est præter me.*

5. *Ego cognoui te in deserto, in terra solitudinis.*

6. *Iuxta pascua sua adimpleti sunt, & saturati sunt: & leuauerunt cor suum, & obliti sunt mei.*

7. *Et ego ero eis quasi leæna, sicut pardus in via Assyriorum.*

8. Occur

PARAPHRASIS.

A 1. CVm Ieroboam de tribu Beniamin nouam vellet religionem inducere, ad impiam illam, & insperatam vocem cohorruit Israel. At vbi obsecutus regię voluntati, pro Deo voluit assumere, & colere Baal, peregrinos nempe deos, tunc demum destinatus est exilio, ferro, & tam externarum quàm vicinarum Gentium ludibrio.

2. Neque tamen ibi stetit posterorum insania: addiderunt quippe noua flagitia, & parentum peccata, nouo quodam scelerum incremento cumularunt. Conflarunt
B namque ex argento simulacrum, prout cuique visum est, quod totum nihil amplius habuit, quàm quod accepit ab artifice: & tamen tam qui idola formauerunt artifices, quàm qui sacris præsunt, edicunt hominibus, vt adorent vitulos, & illorum aris victimas imponant.

3. Quare his, qui suam salutem talium deorum tutelæ, ac fidei tradiderunt, duras adueniet ac repentinus interitus. Sic autem euanescet illorum venustas, potestas, & gloria, sicut à solaribus radiis matutina dissipatur nubes: & sicut rores, qui nitebant in gramine, vbi cælum primùm intepuit, repentè deficiunt. Sic autem à suis se-
C dibus diuersi diffugient, ab inimicorum armis ventilati, sicut tenuis stipularum puluis à vento dispergitur, aut fumus, quem fumarium eructat, dissipatur à turbine.

4. Ego verò habeo facultatem, vt possim: & clementiam, vt velim ab omni te periculo incolumem præstare. Quod facilè iam inde cognoscere potuisti, ex quo de terra Ægypti, ac dura seruitute iam olim exemi. Et quamcunque in partem studium cogitationémque conuertas, nullum præter me, qui te saluare possit, Deum inuenies.

5. Ego te in vasta solitudine, vbi mille
D occurrebant vitæ discrimina, sic suscepi, ac foui, vt non solùm liberarim à morte, sed etiam ad delicias vsque, abundè satis, atque indulgenter aluerim.

6. Constitui illos, quos pro filiis alui in locis vberrimis, vbi ad satietatem vsque paratum habuerunt, & familiare pabulum. Et quo magis ex eo pingues ac nitidi, eo fuerunt insolentiùs elati, & à me longiùs abierunt.

7. Nunc autem alia meditor, non vt me liberalem ostendam & mitem, sicut

antea,

Digitized by Google

A antea, sed durum & violatæ fidei, ac religionis vltorem: cùm enim res illis erit cum Assyriis, occurram sicut leæna, & pardus hianti rictu, & exortis ad lacerandum vnguibus.

8. Occurram eis quasi vrsa raptis catulis, & dirumpam interiora iecoris eorum: & consumam eos ibi quasi leo, bestia agri scindet eos.

8. Occurram item, quasi vrsa furens, ac rabida præ dolore, cùm raptos sentit catulos, quos tanto labore animauit, & finxit: & illorum dilacerabo, effundámque præcordia, vt bestia syluestris & effera prædam dilacerat, & euiscerat: sic ego illos à pectore disrumpam.

9. Perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum.

B 9. Hoc verò supplicium, ô Israël, quod te manet, hanc perditionem ac cladem, quam tibi denuncio, tuis tantùm sceleribus ascribe, non meæ sæuitiæ. Qui, vt solus rebus angustis possum esse subsidio, sic etiam ad auxiliandum semper paratus sum.

10. Vbi est rex tuus? maximè nunc saluet te in omnibus vrbibus tuis; & iudices tui, de quibus dixisti: Da mihi regem, & principes.

10. Vt autem à me vno prouenire posse salutem tibi persuadeas, quantum potes, superiora tempora recognosce, & ex illis disce, quid à regibus principibúsque tuis sperari possit. Vbi est rex tuus, quem tanto tibi studio postulasti? Aduoca illum, vt
C te, dum tot vastantur, aut vastitatem metuunt, ciuitates ab hoste defendat. Vbi iudices, quos dum pertinaci olim oratione ad nouam administrationis formam postulasti, dicebas: Da mihi regem, & principes, qui aut imperent, aut imperata moderentur, & compleant.

11. Dabo tibi regem in furore meo, & auferam in indignatione mea.

11. Quando regem postulasti, regem accipies, quem tibi magis offensus, & indignatus, quàm propitius & placatus attribuam: regem videlicet Assyriorum, qui te
D ex tuis finibus traducat ad suos, qui tamen tam defendat & parcat, quàm spoliet, & nudet, & fame tandem vexationéque conficiat.

12. Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum eius.

12. Nunc iucundè habere videtur Ephraim, dum adhuc manet peccatum occultum, & impunitum, sicut fœtus, qui cum voluptate conceptus est: qui aut nihil affert, aut parum molestiæ, dum in vtero tegatur, & abscondatur, antequam maturitas aduenerit.

13. Dolores parturientis venient ei: ipse filius non sapiens: nunc enim non stabit in contritione filiorum.

E 13. Sed quemadmodum conceptionis voluptatem sequitur grauissimus in puerperio dolor, sic etiam populum nimium præmaturè gestientem, grauissimè excipiunt dolores, quasi parturientium. Cùm enim contritio, id est, filiorum partus aduenerit, peccatorum nēpe supplicium, quod voluptatis immoderatæ fructus est, scire non poterit, sed cadet infelix, & pro iucunditate modica, difficilem subibo, & diuturnum dolorem.

14 De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua ô mors, morsus tuus ero

14. Hæc grauis diuturnaque calamitas admonuit me calamitatis alterius, quam peccatum

Digitized by Google

ro inferne: consolatio abscondita est ab oculis meis.

A peccatum induxit mortis: nempe, quæ genus non solùm Ephraim, sed etiam humanum comprehendit. De hac igitur, vbi Euangelij, & extremum seculorum tempus aduenerit, liberabo captiuum hominum genus, & ab illius vinculis expediam. Tunc igitur, ô mors, tuo te pugione confodiam, quando ipse mortuus resurrexero, pignúsque aliorum resurrectionis certum ostendero, & quando in fine sæculorum, qui iam fuerant in tabem puluerémque redacti, ad vitam excitauero. Sed redeo ad interrupta, ad populi nempe plagam, à qua modicè declinarat oratio. Tam video grauem esse plagam, ô Ephraim (verba sunt Prophetæ) quæ tibi iamiam imminet, vt

B nihil omninò videam, quo consolari possim, aut leuare dolorem meum.

15. *Quia ipse inter fratres diuidet: adducet vrentem ventum Dominus de deserto ascendentem: & siccabit venas eius, & desolabit fontem eius, & ipse diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis.*

15. Hanc autem plagam ideo accipiet Ephraim, quia dum à templo & antiqua religione discessit, séque ipsum à duabus sibíque cognatis tribubus diuisit. Hanc igitur ob causam immittet Dominus Assyriorum exercitum, qui Ephraimiticos populabitur, ac deformabit fines, & omnes opes atque ornamenta diripiet, non aliter quàm ventus calidus ac pestilens, qui perflat à deserto, exhaurit fontes, atque omnes aquarum scatebras exsiccat.

Vers. 1. *Loquente Ephraim, horror inuasit Israël.*]

1. PErbit, opinor, Propheta explicare, quódnam sit opprobrium illud, quo Deum suum affecit Ephraim, & quínam tam impudentem perfidiam maneat interitus. Communis interpretũ sententia est, in Ephraim intelligendum esse Ieroboam, qui Ephratæus fuit, & prima fax illius incendij, quo non solùm Ephratæa tribus, sed etiam nouem cum ipsa deflagrarunt. Sic igitur communiter interpretes. Cùm loqueretur Ephraim, id est, Ieroboam, suaderétque reliquis ne religionis ac sacrificij causa templum adirent, satis sibi præsidij futurum ab aureis vitulis, quos in celeberrimis locis excitauit, à quibus id consecuti essent, vt & olim exirent ab Ægypto liberi, & nunc tot regna splendidè quietémque possideant. *Ecce*, aiebat, *dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Cùm Ephraim, id est, Ieroboam Ephratæus hæc loqueretur, obstupuerunt primùm Israëlitæ, horruerúntque vocem illam sacrilegam, neque enim poterat non videri absurdum, sceleratum, & insolens multis, quibus in pretio adhuc, atque in honore erat antiqua religio, aboleri patriam religionem, tẽplum deseri Solymitanum, quo nihil terrarum orbis habuit augustius. Horruerunt itaque primùm ad vocem illam sceleratam, & impiam: sed cùm vrgeret adhuc Ieroboam, & orationi artificiosæ, ac callidæ manus quoque adhiberet armatas, horruerunt etiam ad regis imperium, & ne quid ab eo capita-

C le, seu aduersum subirent, illius siue minis, siue precibus obsecuti conflauerunt vitulos, illísque diuinos impenderunt honores. Ita penè cum Hieronymo frequentes alij, qui ab illo recedere non solent, Haymo, Rubertus, Albertus, Hugo, Dionysius, Ribera, Castrus. Quo verò artificio Ieroboam populum totum, non admodum primùm obsequentem, ad vitulorum adorationem pellexerit, diximus ad illud cap. 7. *Omnes adulterãtes, quasi clibanus succensus à coquente.* Et hæc mihi sententia probatur maximè, eo præsertim nomine quòd magnos habet auctores, & textum satis aptè contexit.

Neque tamen alia mihi sententia displicet, 2.
quæ duos status, ac tempora considerat in Ephraim, seu Israel. Alterum cùm sanctè vixit, ne-

D que ab alio, quàm à Deo sperandam esse salutem, arbitrabatur. Tunc enim tam erat finitimis, imò & longè dissitis populis horribilis, vt ad illius vocem, & frẽmitum horrerent, quia illi sese quancunque in partem inferiores putabant. Quod verum est tempore maximè Iosue, qui fuit de familia Ephraim, ad cuius ingressum in terram promissam, quam occuparant priùs Chananæi, omnes obstupuerunt, & eorum plurimi abiectis armis vltro se dediderunt. Iosue cap. 5. *Postquam audierunt omnes reges Amorrhæorum, qui habitabant trans Iordanem ad occidentem plagam, & cuncti reges Chanaam, qui propinqua possidebant magni maris loca, quòd siccasset Dominus fluenta Iordanis coram filiis Israel, donec transirent, dissolutum* est

est cor eorum, & non remansit in eis spiritus. Imò ante siccatum Iordanem Gentiles illi populi Israeliticum nomen formidabant, quod muliereculæ etiam hospitatrici notum erat, quæ id fortasse frequenter à diuersoribus audierat Iosue cap. 12. vers. 8. *Ecce mulier ascendit ad eos* (exploratores missos à Iosue) *& ait: Noui quòd Dominus tradiderit vobis terram, etenim irruit in nos terror vester, & elanguerunt omnes habitatores terræ.* At postquam Ephraim recessit à Deo, & peccauit in Baal, id est, Gentilium Deorum sacris adhæsit, mortuus est, id est, ita cecidit exanimatus, & languidus, vt iam in mortuis numerari possit. Hanc sententiam tenuerunt quidam Hebræorum magistri, cum Chaldæo paraphraste: & ex nostris Vatablus, & Figuerius, & indicant recentiorum translationes. Nequa video, quid huic explicationi possit obsistere præter communem sententiam. Sed sanè multorum sensus magnum habet pondus.

3. *Baal commune idolorum nomen.* *Et deliquit in Baal, & mortuus est.*] Baal hîc per synecdochen pro quolibet vsurpatur Gentilium idolo. Quare iuxta priorem explicationem, quam magis nobis probari diximus, tam Ieroboam, quàm populus ab eo seductus peccauit in Baal, in idolis nempe colendis, in quibus numerantur vituli. Neque non speciatim Baal Sydoniorum Deum coluit Israel, cui innumeram sacerdotum multitudinem præfecit, vt accidit tempore Achab, vt constat *lib. 3 Reg. cap. 26. & 28.* Tunc verò mortuus est tam qui populo præerat, Ieroboam nēpe, qui aureos vitulos, & Achab, qui in Dei quondam populum introduxit Baal, quàm populus seductus, qui regum voluntati nimis se præbuit obsequentem. *Mortuum* hîc quidam spirituali sensu accipiunt, ita vt peccauerint, qui religionem antiquam, & patriam cum Gentilium monstris permutarunt, de quo nemo sanus dubitare potest. Alij simpliciter de corporali morte capiunt, quia victi fuerunt Ehraimitæ; & illorum interfecti plurimi, postquam relicto Deo vero externa sacra, & aliena præsidia quæsierunt.

4. *Mortuus, pro mortali, aut morituro.* Ego hîc *mortuum* non pro eo capio, qui propriè dicitur *mortuus*, qui nempe ferro, aut aliquo quouis modo in viuis esse desiit, sed pro eo, qui destinatus est, atque damnatus ad mortem auctoritate legitima, ac publica; aut qui morti propter naturæ necessitatem obnoxius est. Est autem in Scriptura, sicut etiam apud profanos, vsitatum valde, vt actus secundus, vt loquuntur physici, sumatur pro primo; siue, quod idem est, facultas, aut dignitas ad aliquam actionem, pro actione ipsa. quo modo docere dicitur, qui ad docendum aptus, aut designatus est, & comedere aliquid, cui ad cibum illum comedendum & appetitus est à natura, & stomachus ad concoquendum idoneus. Sic ergo Ephraim ex quo secutus est Baal, aureósve vitulos, mortuus est, quia ex eo tempore morti, cædi, atque exilio destinatus est. Exemplum habemus huic quàm simillimum *Gen. 2.* Edixit Dominus Adæ, vt à ligno scientiæ boni, & mali gustum abstineret, & addidit, *In quacunque die comederis ex eo, morte morieris.* Comedit Adam ex eo, non tamen eodem die mortuus est, vitam enim post degustatum pomum produxit ad annos vsque nongentos & triginta. *Gen. 5. v. 6.* dicitur tamen eo die mortuus, quia tunc licèt mortem non obierit, eius tamen aliquando obeundæ pœnam incurrit, sicut mortuus iam existimatur, qui à legitima potestate capitali supplicio addictus est. Sic Christus ex sententia Augustini hora tertia crucifixus dicitur, quia illa hora damnatus est ad crucem, cui ad horam sextam affixus est. Sic ergo mortuus videri potuit, seruus, & extorris Ephraim, cùm amplexus est Baal; quia ex eo rerum articulo exilio, seruituti, ac morti deuotus est. Ita indicant verba illa Ahiæ Salonitæ 3. Reg. cap. 14. vers. 15. *Percutiet Dominus Deus Israel, sicut moueri solet arundo in aqua: & euellet Israel de terra bona hac, quam dedi patribus eorum, & ventilabit eos trans flumen; quia fecerunt sibi lucos, vt irritarent Dominum.*

Hîc obseruandum, vt ostendimus suprà *cap. 6. num. 18.* vitam ærumnosam, & tristem pro morte censeri, quare exules mortui dicuntur, & exilium sepulcri nomine notatur *Ezechielis cap. 37.* vbi nos ea de re pluribus. Cùm ergo Ephraimitæ vitam traxerint extorrem, & ægram, in numero haberi possunt mortuorum, & cùm vitæ ærumnosæ, ac miseræ destinati sunt, morti videntur fuisse deuoti. 5. *Vita ærumnosa mors existimata.*

Vers. 2. *Et nunc addiderunt ad peccandum, feceruntque sibi conflatile de argento suo, quasi similitudinem idolorum.*] Satis grauiter peccasse videbantur Ephraimitæ, cùm vitulos conflauerunt ex auro, propter quod digni videbantur, in quos Dominus in illorum caput ea decerneret, quæ proximè commemorauimus. Neque tamen ibi stetit illorum peruicacia: addiderunt quippe noua flagitia, & parentum inuerecundam audaciam nouo scelerum incremento cumularunt. Multiplicarunt enim altaria, vt ostendimus suprà *cap. 10.* & vt pluribus Deus ipse conquestus est *cap. 2.* ex auro, atque argento, quod à se tanquam à sponso liberali receperat, idola conflauit, & masculinas effigies, quibuscum mysticum adulterium, & inauditas fornicationes exercuit. 6.

Illud *quasi similitudinem idolorum*, varij variè conuertunt, & exponunt, si ad verbum interpretere ex Hebræo, *Fecerunt sibi conflatile ex argento secundùm* כתבונם *ebunam, simulacra, opus artificum totum id.* Illud תבון quidam à radice בין deducunt, quod significat intelligere, & hanc putant esse sententiam. Fecerunt simulacra secundùm sententiam, seu prudentiam, aut consilium suum, id est, vt quisque excogitauit, aut formari posse commodiùs arbitratus est, quasi simulacrorum exemplar non aliunde sumpserint, quàm ab ea specie, quam luxuria, seu auaritia, aut alius quiuis immoderatus affectus illorum animis impressit. Ita quidam ex Hebræorum magistris, in quibus sunt, Rab. Dauid, & Rab. Abraham, quibus subscribere videntur quidam è recentioribus, qui *intelligentiam*, siue *prudentiam* transtulerunt. Pagninus, Tigurina, & alij nonnulli. Quo dicendi genere id videtur à Propheta significari nihil habere idola, nisi id quod accepit ab artifice, à quo impensum est argentum, & species inducta. Quemadmodum aurei vituli, sumpserunt quidem materiam, & corpus ab eo, quod ex auribus sibi, ac manibus detraxerunt filij Israel *Exod. 32.* Formam autem opere fusorio, ab eo formatorio vase, in quod metallum illud infusum est. *Tollite*, inquit, *Aaron, inaures* 7.

inaures aureas de vxorum filiorúmque ac filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me. Fecitque populus quæ iusserat, deferens inaures ad Aaron. Quas cùm ille accepisset, formauit opere fusorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem.

8. Vulgatus, cùm Septuaginta deriuasse videtur à בנה *banah* quod est ædificare, seu fabricare; sed sententia non est admodum diuersa. Tantùm enim significat ex argento homines suo arbitratu simulacra finxisse. Est autem *similitudo*, idem, quod simulacrum, quia eadem est vtriusque vocis etymologia, seu effigies, vt in Scriptura sæpe. Hinc similitudo millies pro idolo, Exod. 20. 4. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem.* Deut. 4. vers. 16. *Ne fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi, vel fœminæ, similitudinem omnium iumentorum,* &c. *ne fortè errore deceptus adores ea.* Dicitur non absolutè *similitudo*, sed *quasi similitudo*. Cur cum illa adiectione dicatur, variæ à variis rationes adducuntur. Placet, quam adducit Albertus, quia illa non erat vera similitudo. Eius enim quod non est, nulla potest vera formari effigies. At enim idolum nihil est, nisi inanis quædam species, quam somniantis hominis delusa cogitatio formauit. Sic Paulus 1. Cor. 8. *Scimus quia nihil est idolum in mundo.*

9. *Factura artificum totum est.*] Hæc sæpe apud Prophetas audies, dum de idolorum futilitate inducitur sermo: vt apud Isaiam cap. 46. & 41. vbi docet eius naturæ, atque virtutis esse deos illos nugatorios, atque fallaces, in quibus homines planè dementes, ac cæci fiduciam collocarunt, vt potius ab humanis sumptibus, & detrimentis ipsi dependeant, quàm ad sumptus possint hominibus præbere necessaria, aut illorum reficere detrimenta.

10. *His ipsi dicunt, immolate homines vitulos adorantes.*] Quidam illud *his* referendum censent ad idola; quasi artifices, qui ex auro conflauere vitulos, aut sacerdotes, aut qui alio quouis modo religioni, ac sacrificio præsunt, edicant populo, vt sacrificent vitulis, id nempe, quod lex aut consuetudo præscribit, illósque supplices adorent: tunc verò *homines* in vocatiuo est, in hũc sensum, de his idolis dicunt ad populum sacerdotes, aut regio nomine præcones, ô homines, immolate vitulis victimas, & illos adorate. In hanc sententiam Albertus, Lyra, & è recentioribus alij.

11. Hieronymus, Cyrillus, Haymo, & plures alij *homines* in accusatiuo statuunt, putántque edici à sacerdotibus, aut regum nomine sacrificantibus, vt humano sanguine, ac morte litent vitulis; neque satis sibi habeant obtulisse irrationales victimas, sed addant etiam rationales, sibíque ab idolis ea ratione placatis, & gratiam ineant, & pro votis sibi omnia adfutura credant. Sanè id fecisse olim populum illum ad Gentium similitudinem, & exemplar, habes Psalm. 105. *Immolauerunt filios suos, & filias dæmoniis.* Et de Manasse *lib. 4. Reg. cap. 21.* & Achaz *ibid. cap. 16.* hoc idem refert Scriptura, ait enim ab illis sacrificatos esse filios, & per ignem traductos.

12. Septuaginta paulo aliter vertunt, *ipsi dicunt, immolate homines, vituli defecerunt.* Quæ verba, vt Theodoretus putat, & Cyrillus, ostendunt eam esse sacerdotum multitudinem, eam victimarum copiam, quæ ad altaria, & cultum quotidie deferuntur, vt irrationales victimæ iam defecerint, atque ideo ad humanas confugiendum sit. Ego aliam videor excogitare posse sententiam iuxta Septuaginta translationem. Non benè hic illas immolat victimas, quas pro Deis veneratur, & colit: quare *Exodi cap. 8. v. 26.* cùm dixisset Moysi Pharao, *Ite, & sacrificate Deo vestro in terra hac,* respondit Moyses: *Si mactauerimus ea, quæ colunt Ægyptij coram eis, lapidibus nos obruent.* Non itaque quisquam auderet in Ægypto immolare vitulos, cùm vituli apud Ægyptios Deorum obtinerent nomen, & pondus. Eodem ergo modo sacrificuli, aut sacrorum antistites, cùm vitulos colerent, impiúmque iudicarent vitulos, vitulino sanguine placari, aut coli, defecisse dicunt victimas, nempe vitulinas, atque ideo deinceps humanis victimis esse litandum.

Hæc verba, vt putat hîc Hieronymus, dæmonum sunt, qui non solùm odoramentorum suffitu, sed etiam humano sanguine delectantur. Quare exigit, vt immolentur homines, quorum ipsi victimæ gratissimæ sunt omnium. Et sanè huiusmodi hostias plurimas accipit quotidie ab hominum insania: qui non solùm filios ab infantia consecrant, dum prauis illos imbuunt disciplinis, & studere edocent ambitioni, & vndecunque conuehendis opibus; neque ad verum cultum, & pietatem informant, sed etiam seipsos dum his affectibus, qui à carne oriuntur, & sanguine, nimis intemperanter obsequuntur. Porrò ea, quæ præter modum amamus præter Deum, illísque inordinatè seruimus, pro Deis nobis sunt; quos ab aliis accepimus, aut nobis etiam ipsi formauimus, qui Dij appellantur recentes, & noui. Audi Hieronymum in illud Psal. 80. *Non erit in te Deus recens. Cui Deus*, inquit, *venter est, Deus ei recens est. Quotcunque vitia habemus, quotcunque peccata, tot recentes habemus Deos. Iratus sum, ira mihi Deus est: vidi mulierem, & concupiui, libido mihi Deus est. Vnusquisque enim, quod cupit, & veneratur, hoc illi Deus est. Auarus aurum Deum habet.* 13.

Dæmoni quomodo humana immolatur victima.

Vbi vulgatus *adorantes*, vt obseruat Hieronymus, conuertit Aquila καταφιλοῦντες, id est, *deosculantes*, sed est eadem, aut non admodum diuersa sententia; pro adoratione namque illius signum adhibetur. Non enim olim apud Gentiles, aut certè non nisi rarò sine osculo fiebat adoratio. In osculo enim reuerentia significatur, atque summissio. Vnde ortum est, vt dum se alteri quispiam, aut profitetur seruum, aut supplex accedit, osculetur illius pedes, aut etiam locum, vbi pedum fuerant impressa vestigia. Sic qui ad Parthorum regem accedebant, illius prius osculabantur pedes, quàm preces funderent, aut postulata proponerent. Martialis lib. 10. epigr. 14.

Osculum adorationis signum.

Ad Parthos procul ite pileatos,
Et turpes, humilésque, supplicésque
Pictorum sola basiate regum.

In religioso præterea cultu, qui est ab adoratione aut faciebant, cùm commodè possent, aut simulabant Gentiles relata ad os manu. Actione 4. in Verrem Cicero ait æneum Herculis simulacrum attritum habuisse mentũ & rictum, ab his, qui ad illum adoraturi venerant, *quia in precibus*, inquit, *& gratulationibus, non solùm adorare, sed etiam osculari solent.* Cùm verò id reipsa præstare non possent, cùm altius esset, aut longius simula

Manuum osculum in adoratione.

Digitized by Google

simulacrum, quàm vt ab adoratoribus tangi posset, aliquo signo osculi præferebant signum, manu videlicet ad os applicita, vnde natum est adorationis nomen. *Adoro* enim est ad ora applico. Plinius lib. 28. cap. 2. *Adorando dexteram ad oscula referimus: totum corpus circumagimus: quod in læuam fecisse Gallias religiosius credunt.* Minutius Felix in Octauio. *Cæcilius, simulacro Serapis denotato, manum ori admouens osculum labiis pressit.* Lucianus de saltatione. *Indi quidem cùm manè surgunt solem adorant, non tamen quemadmodum nos inter adorandum facimus, manum osculantur.* Quod etiam ex sacris literis expressum habemus. lib. 3. Reg. cap. 19. v. 18. *Derelinquam in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incuruata ante Baal, & omne os, quod non adorauerit eum, osculans manum.* Hæc omnia complexus est Hieronymus *Apologia 1. contra Rufinum*, explicans illud Psal. 2. *Apprehendite disciplinam.* נשקו inquit, *vt verbum de verbo interpreter καταφιλήσατε, id est, deosculamini dicitur, quod ego nolens transferre putidè, sensum magis secutus sum, vt dicerem, adorate* (sic vertit Hieronymus, pro apprehendite.) *quia enim qui adorant, solent deosculari manum, & capita submittere, quod se Iob elementis fecisse negat, dicens: Si vidi solem cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè, & lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo, quæ iniquitas maxima est, & negatio contra Deum altissimum. Et Hebræi iuxta linguæ suæ proprietatem, deosculationem pro veneratione ponunt.* Hæc Hieronymus, & eadem penè in hunc Oseæ locum.

Adoro vnde dictum.

16. Vers. 3. *Idcirco erunt quasi nubes matutina, &c.*] Quatuor similitudinibus explicat quàm vana sit illorum gloria, qui idolis supplicant, & illorum patrocinio tutos se fore putant ab omni casu. Duabus, vt arbitror, subitus Israelitarum significatur interitus, & momentanea felicitas, quam subitò perdet Assyriorum acies; duabus aliis peregrinatio longa, & multiplex exilium, in quod illius belli reliquiæ dispergentur. Nubes matutina pulcra videtur, cùm Solis illuminatur, & quasi inardescit radiis, videturque vbi se sol altiùs ab horizonte sustulerit, maius captura lucis incrementum, at postquam in illam solares radij propiùs incurrerunt, statim euanescit. Ros item matutinus, qui herbis insidet, adeò pulcher est, vt margaritas putes, sic sanè vocari solent à poëtis: at vbi ascendente sole paulùlum incaluit dies, momento temporis euanescit, & nullum apparet eius in herba vestigium.

17. Duæ aliæ posteriores similitudines, non tam extinctum populum, quàm variè dissipatum ostendunt. Puluis à turbine raptus ex area, quàm longissimè ab area, & quàm multipliciter dispellitur, sic populus à suis finibus quàm longissimè dispersus, varias Assyrij regni partes impleuit, qui hoc loco dicitur puluis, Heb. vocatur מץ *mots*, quæ vox non significat, id quod propriè nos puluerem appellamus, comminutam videlicet terram, sed minutas paleas, seu palearum glumam, & quisquilias, quas ventus, dum area ventilatur, dissipat; quæ agricolis plerunque pereunt, & ab Hispanis appellantur, *Tamo*; puluis verò dicuntur, quia nullo alio nomine videbantur significari posse comodiùs; cùm מץ in comminuto, ac triturato palearum aceruo idem sit, quod in terra puluis. In ea significatione sumitur Psal. 1. *Non sic impij, non sic, sed tanquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ.* Idem significat *fumus de fumario*, quia magna interdum mole sursum eructat, & tamen temporis momento vanescit in nihilum, & in varias partes latè dispergitur. Aliis non dissimilibus comparationibus exprimitur, quàm sit vana peccatorum fiducia. Sap. 5. v. 15. *Spes impij tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur, & tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur, & tanquam fumus, qui à vento diffusus est.*

Vers. 4. *Ego autem Dominus Deus tuus ex terra Ægypti.*] Opponit Deus tum potentiam, vt posset, tum humanitatem, vt vellet in populum illũ esse beneficus; vtrumque procul aberat à vitulis, cum quibus verum Deum commutauit Israel, & ab aliis idolis, in quibus nihil erat præter inane nomen. Suam autem potentiam, & diuini nominis maiestatem tunc apertè cognoscere potuit Israel, cùm tot audiuit à Deo iam olim edita prodigia, cùm Ægyptiorum perfregit vires, & ab illorum iugo captiuas Hebræorum ceruices eripuit. Dicitur autem ab eo tempore fuisse Deus, cùm nunquam non fuerit; quia illo tempore toti populo se Deum esse cælo, terráque turbatis, atque confusis, non dubio testimonio probauit. Ex Scripturæ autem consuetudine tum aliquid dicitur esse simpliciter, aut tale, quando aut tale, aut simpliciter, esse cognoscitur; aut talia proponuntur testimonia, & signa, vt ex illis aliquis simpliciter aut talis cognosci, aut iudicari possit. Sic Deus tunc dicitur cognouisse quo in loco esset apud Abraham, quando iussus à Deo non dubitauit dilectum sibi filium immolare. Cui post præclarum illud facinus dixit Gen. 22. *Nunc cognoui, quod timeas Dominum, & non pepercisti, &c.* id est, quia non pepercisti. Norat autem Deus multo antè Abrahami fidem, & obseruantiam. 18.

Regvla. *Tunc aliquid esse dicitur simpliciter, aut tale, quando tale aut simpliciter esse cognoscitur.*

Et Deum absque me nescies: & saluator non est præter me.] Hieronymus, Theodoretus, Cyrillus, Haymo, & Lyra præceptum hîc agnoscunt, quod populus ille liberatus accepit à Deo, ne præter se Deum alium agnosceret. Ita *Exodi cap.* 20. ad quem locum videtur respexisse Deus. *Ego, inquit, sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis, non habebis Deos alienos coram me, &c. Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes.* Hæc mihi expositio omnium maximè placet. Sed vide an hæc quoque, quam hîc propono, possit inter alias habere locum. Mutabat populus ille quotidie Deos, cùm sperarat obtinere se posse ab illorum aliquo, id quod ab aliis videbatur esse negatum. neque tamen ex tot Deorum multiplici cultu, quicquam assecutus est præter cædem, dedecus, exilium. Neque ex illo tot calamitatum conflictu aliquid habuit leuamenti. Cúmque adhuc in mutanda, aut multiplicanda religione instabilis fore videretur, deducit illum ab inani spe, & à stultò, væsanóque consilio, affirmans, nunquam futurum, vt populus ille, quantumcunque se in omnem partem, ac religionem verset, Deum agnoscat verum, & fidelem præter se, à quo sperare posset salutem, quam desiderat, & fortunatum, quas iactari videt, & atteri ab hoste potentiori præsidium, se enim solum esse saluatorem: quare si quis ab alio salutem, & libertatem expectet, nihilo plus faciet, quàm qui à captiuo libertatem, salutem ab ægroto, & à mortuo aut stipite vitam, ac spiritum exquirat. Cum hac expositione bellè 19.

bellè consentiunt, quæ deinde succedunt, quæ probant ab effectu, vere se Deum, & saluatorem esse. Hæc eadem habes apud Isaiam cap. 45. *Nunquid non ego Dominus, & non est vltra me Deus: absque me non est Deus iustus, & saluans non est præter me.*

20. Vers. 5. *Ego cognoui te in deserto, in terra solitudinis.*] Probat se Deum esse, & saluatorem, qui nempe saluare possit. Vbi mille occurrunt vitæ discrimina, qualia occurrebant passim in ea solitudine, vbi nulla inueniebantur vitæ subsidia; sed multiplex potiùs, & quotidiana moriendi necessitas, vbi neque messis erat, neque vindemia, non arbor, non vmbra, non aqua, nihil denique vitale; sed vt de extremo patriæ suæ exitio dixit ille,

——Crudelis vbique
Luctus, vbique pauor, & plurima mortis imago.

21. In illa tamen vasta solitudine, vbi vmbra mortis sæpius occursabat, parauit Dominus affluenter non solùm quæ ad vsum, sed etiam, quæ ad delicias opportuna. Produxit è petra vim aquarum maximam, escam dedit quotidianam è cælo, fecit ne quis è tanta multitudine vllo corporis morbo tentaretur; ne longo tempore attererentur calcei, aut vestimenta vsu, & vetustate deficerent: vide *Deut. cap. 29. v. 5. & cap. 32. à v. 10. & Psal. 77.* Hæc autem omnia ab vno Deo saluatore, & vero præstari potuerunt. Porrò cognosco idem esse quod fauere ex Hebraici sermonis proprietate, nemo ignorat. Quare Deus illos dicitur cognoscere, aut quorum probat mores, aut quos paterno prosequitur studio, lib. 1. Paralip. cap. 11. *Quod vltra addere potest Dauid, cùm ita glorificaueris seruum tuum, & cognoueris eum.* Et Amos cap. 3. *Tantummodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ.* Id verò tunc verum est, cùm de superiori est sermo; si verò de inferiori, obseruantiam, & pietatem significat. Psal. 90. *Protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.* Et lib. 1. Reg. cap. 2. *Filij Heli, filij Belial, nescientes Dominum.*

Cognosco, idem quod faueo.

22. Vers. 6. *Iuxta pascua sua adimpleti sunt, & saturati sunt, & leuauerunt cor suum, & obliti sunt mei.*] Antiqua est hæc Dei de populo suo querimonia, qui id exprobrat ingrato, atque infideli populo, quòd tot beneficia, tam larga, ac delicata vitæ non subsidia solùm, sed ornamenta in diuinæ maiestatis iniuriam conuertit. vide, quæ diximus suprà ad illud cap. 2. *Argentum multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt Baal.* Quo autem Dei in gentem illam maior humanitas, & beneuolentia profusior, eo gentis illius in Deum maior impudentia, & in alienos Deos insania procacior. Sic suprà cap. 10. *Secundum multitudinem fructus sui multiplicauit altaria, iuxta vbertatem terræ suæ exuberauit simulacris.* Hoc idem sub eadem metaphora explicuit Moyses *Deut. 32. v. 15.* Nam cùm vberrima proposuisset pascua, in quibus Gentem illam, quasi dilectum gregem collocauit, subdidit, *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo. Immolauerunt dæmoniis, & non Deo.* Neque credo alio sensu dicitur à Propheta, *Iuxta pascua sua adimpleta sunt*, id est, iuxta pascuorum vbertatem saturati sunt, & quo magis pingues, ac nitidi, eo longiùs recesserunt à Domino.

23. Vers. 7. *Et ego ero eis quasi leæna, & quasi pardus in via Assyriorum.*] Ea humanitate atque indulgentia susceptus fuerat populus à Deo, cùm per vastam solitudinem graderetur, vt sperari

A non posset à matre mollior, atque benignior, vide *Deut. cap. 32. à v. 11.* Nunc autem Deus alium se futurum ostendit, non mitem, aut liberalem, vt antea, sed durum, & violatæ fidei ac proditæ religionis vltorem. In via, quam ipso auctore, atque auspice susceperant ex Ægypto, in terram promissionis, habuerunt illum ad omnia parentis officia non solùm facilem, sed etiam vltro se offerentem. At nunc, quia aliam meditantur, aut ingrediuntur viam, occurret illis non obuiis vlnis ad amplexum, sed quasi leæna, aut pardus hianti rictu, & exertis vnguibus ad lacerandum. Dignum sanè stolidi, atque infidelis animi supplicium.

B Pardus, & leæna sæuissimi sunt, vt constat: 24.
neque necesse est de illorum natura truculenta, ac rabida quicquam huc adducere, quia res est nota, & à multis, qui animalium historias prodiderunt, satis explicata diligenter. Id dicam, horum sæuitiam prouerbiali specie ad explicãdum ingentem aliquem furorem aliorum iniuria prouocatum frequenter adhiberi. Suprà cap. 5. *Ero quasi leæna Ephraim.* Num. 23. *Vt leæna consurget, & quasi leo erigetur: non accubabit, donec deuoret prædam, & sanguinem occisorum bibat.* Vtrunque leænam, & pardum coniunxit Ieremias cap. 5. *Percussit eos leo de sylua, lupus ad vesperam vastabit eos, pardus vigilans super ciuitates eorum.*

PROVER. Leæna, & pardus pro sæuo, & feroci.

C Vers. 8. *Occurram eis, quasi vrsa raptis catulis.*] 25.
Forma item prouerbialis 2. Reg. cap. 17. de Dauid. *Tu nosti patrem tuum, & viros, qui cum eo sunt, esse fortissimos, quasi vrsa raptis catulis in saltu sæuiat.* Prou. 17. *Expedit magis vrsæ occurrere raptis fœtibus, quàm fatuo confidenti sibi in stultitia sua.* Cùm verò tantopere sæuiat vrsa cùm suis se fœtibus orbatam videt, ea existimatur naturalis ratio, quia pluris stat illi filiorum procreatio, quàm alicui alteri animantium generi. Edit enim carnem sic rudem, & informem, vt neque viuentem putes, neque vitalem, in qua nulla apparet vrsi species, nulla spes vitæ. Sed carnem illam lambendo fingit, formátque, neque minus laborat animando

PROVER. Vrsa raptis catulis pro feroci, & irato.

Vrsæ fœtus quanto labore à matre formatus.

D fœtum, quem enixa est, quàm dum contineret in vtero, & materno sanguine sustentaret. Quid ergo mirum si eripi sibi catulos doleat, sæuiátque, si tanto illos labore, & enixa est priùs, & natos postea lambendo formauit. Vide Ælianum *lib. 2. hist. cap. 19.* & Plinium *lib. 8. cap. 36.* Hinc discat qui aut exemplo malo, aut suadendo, siue instigãdo alium ad peccandum induxit, quàm in illum grauiter Deus sit offensus; & quid ab illius furore timere debeat, qui filium rapuit, & neci dedit, quem ipse tanta cura, atque studio formauit, animauitque, cùm priùs nil esset aliud, quàm informis caro, certè, qui carnis seruiret affectibus, multo fœdior, & alienior à vita,

Deus grauiter fert quemquã ab alio ad peccandũ induci.

E quàm vrsinus fœtus recens editus, qui præter matrem, aliis omnibus odiosus est, & nauseam mouet.

Et disrumpam interiora iecoris eorum.] Hoc pro- 26.
prium est leonis, pardi, atque vrsi, qui captam prædam fœdè dilacerant, & euiscerant; neque hic aliud esse arbitror, quàm superiorum explicationem. porrò interiora iecoris præcordia sunt, Heb. סגר *segor*, quæ vox clausuram sonat, seu claustrum. Quare ad verbum *interiora iecoris* sunt illa, quæ cor claudunt, & ambiunt, quæ nos communiter præcordia vocamus. Porrò iecur hoc loco idem est, quod *cor*, Heb. לב *leb.* Prou. 7. v. 23. *Donec transfigat sagitta iecur eius,* Thren. 2. *effusum est in terra iecur meum.*

Digitized by Google

27. *Bestia agri scindet eos.*] Minatus olim fuerat Deus malas bestias, quibus peccatorem hominem lacerandum præberet. Leuit. cap.26. v.22. *Emittam in vos bestias agri, quæ consumant vos, & pecora vestra.* Et Deut.32. v.24. *Dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atque serpentium.* Sed ego puto subaudiendam hîc esse, sicut frequenter alibi, similitudinis notam, in hunc sensum. *Scindam eos, sicut ab agrestibus belluis scindi solent.* Ita vt idem dicatur de bestia agri, quod paulo antè de leæna pardo, atque vrso dictum fuerat.

28. Vers.9. *Perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum.*] Locus hic in varias sententias patet, & variè à variis redditur, & exponitur. Omnes tamen, licèt non eodem modo, eò conspirant, vt putent non adeò illa prouenisse, aut impendere mala, pœnas videlicet, & damna temporaria, cùm ipse misericors sit, & auxiliari malit, quàm nocere, sed à peccatis, quæ tantam peccatori populo cladem attulerunt. Hieronymus, tribus explicat modis. Primus est. *Infelix Israel, & dignus maledictione perpetua, qui in tantum impietatis descendit profundum, vt solius Dei saluetur misericordia.* Secundus ex Hebræo, *Dispereat Israel, quia nihil tibi reliquum est, nisi vt mea solùm clementia conserueris.*

29. Quidam vbi vulgatus *perditio tua*, per verbum reddunt, *perdidit te*, ita Pagninus, & Vatablus, & Hispanica translatio: qui subaudiri putant *vitulus*, in hunc sensum, perdidit te vitulus tuus, aut perditio tua fuit à vitulis tuis; à me verò fuit auxilium tuum. Ac si dicat, vide inter me, quem repulisti, & vitulos, quos amasti quantum intersit; à me vno sperari potest salus, & auxilium ab illis nihil præter perditionem, & cladem.

30. Priorem Hieronymi sententiam sequuntur plures alij, quam ego sic interpretor. Infelix ille planè, & insigniter sceleratus est, qui à se nihil habet, quo diuinam in se misericordiam inflectat. Habet enim interdum peccator aliquid, cuius gratia non omnino Deus animum habeat alienum à venia, quia si in Venerem intemperanter effusus, est tamen ad humanitatem, & misericordiam propensus, quare vt vitium vnum iracundiam instimulat, est tamen virtutis species quædam, quæ illam retardat à vindicta, & inclinat ad veniam: peccat quis, errore tamen potius, quàm improbitate, cùm ignarus fecerit, quod sciens nunquam, & prudens admisisset; error ille vt liberat à scelere, sic etiam veniam meretur ab offenso, sic Paulus 1. Timoth.1. v.13. *Priùs blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus, sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci.* At populus hic nullo modo errori suo prætexere posset ignorantiam, cùm sæpe superioribus sæculis, & proximè à Prophetis audisset nihil esse in idolis nisi fucatum aliquid, nugatorium, & fallax. Quare nisi ad diuinam misericordiam confugiant, nihil habent, quod à se de suis meritis obtendant. Quod hoc exemplo, credo, manifestum erit. Admisit filius omni ex parte sceleratus indignum facinus, quod non nisi capitali supplicio expiari potest; si totum excutias hominem, nihil inuenies, quod aut iudicis furorem, aut legum seueritatem mitigare possit. Si tunc parentum aut nobilitatem, aut sanctitatem opponas, aut alia quæuis in rempublicam merita, propter quæ aliquid de iudicij grauitate remittendum sit, ita vt id non tam filij moribus, quàm parentis meritis concedatur, sanè ille improbissimus, quem non tam propria, quàm aliena merita defendunt. Sic nunc verè sceleratus existimari debet populus ille, qui à sola Dei misericordia sperare potest veniam.

Peccatoris miserrimus status.

31. Hoc optimum existimatur esse documentum his, qui cum Deo precibus, & obsecrationibus agunt, vt spes toto aut veniæ, aut eorum, quæ orando student exorare, non tam in suis meritis, quæ abesse omnino confitentur, quàm in diuina misericordia statuant. Sic Azarias apud Danielem cap.3 omnia à se remouet merita, & ad Dei bonitatem, & ad parentum suorum Abraham, Isaac, & Iacob sanctitatem ad impetrandum aduocat. Idem penè Daniel cap.9.

Preparatio ad orationẽ optima.

32. Hæc prior Hieronymi sententia mihi grauis est, à qua non procul abest secunda. Sed ego amplius patere arbitror, & significare quicquid populus ille aut patitur, aut metuit mali, id ipsius peccatis esse tribuendum; quare non esse cur Deum crudelitatis incuset, cuius natura est ad omnem humanitatem, atque clementiam prona, qui, vt solus rebus afflictis potest esse subsidio, sic etiam ad auxiliandum, penè cogente naturæ bonitate, semper paratus est.

33. Quidam legunt, *Perditio tua ex te Israel.* sed illud *ex te*, neque est in Hebraico textu, neque Hieronymus agnouit, neque nunc habent codices à Sixto correcti. Sed neque mutat sententiam, quam proximè adduximus, significat enim habere populum à se, vt grauibus afficiatur incommodis, nempe à suis peccatis, quæcunque illa fuerint, à Deo verò solùm illorum sperari posse medicinam.

34. Septuaginta hunc locum aliter reddiderunt, *Corruptioni tuæ Israel, quis auxiliatur?* Quæ verba sic exponit Hieronymus. *Captiuitati tuæ, & vltimæ seruituti quis ferre poterit auxilium eorum, quos tibi præsules æstimasti?* eodem penè modo Theodoretus, & Cyrillus.

35. Vers.10. *Vbi est rex tuus, maximè nunc saluet te in omnibus vrbibus tuis, & iudices tui, de quibus dixisti, da mihi regem, & principes.* Probat exemplo Deus se solùm esse, qui rebus cadentibus subsidium, & grauiter affectis afferre possit medicinam. Iubet namque, vt à regibus, quos sibiipsis præesse voluerunt, auxilium petant, quo tempore variè dispersi ab hoste victore multiplici vexatione iactantur, & reipsa probent quàm sint futilia promissa illa, quæ homines, & magni vendunt, & superbè iactant. Petierunt sibi Israelitæ reges, quorum auspiciis meliùs administratum iri putabant rem Israeliticam; sed quàm illorum plurimi rem afflixerint, quam defendendam, atque ornandam susceperant, sacra narrat historia, quare dum pulsis iudicibus, reges expetunt, in illum ipsorum caput malum accersierunt. Omnes penè hæc referunt ad tempora Saul; & sanè meritò, quia verba hîc à Propheta citata illius maximè tempora designant, dixit enim populus ad Samuelem 1. Reg. cap.8. v.6. *Da nobis regem, vt iudicet nos.* quam petitionem displicuisse Deo, ipse docet statim v.7. *Nõ te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Quod verò statim addidit, *& principes*, non inuenimus eo in loco, vbi mutari voluerunt Israelitæ, inducto regio nomine, publicam administrationis formam. Veruntamen vt varia fuit reipublicæ species, sic etiam variari oportuit eorum qui regibus adfuerunt, & numerus,

rus, & ratio; quare alij fuerunt principes, alij iudices, quorum hic Propheta meminit. Nisi malis in regio nomine principum etiam, & iudicum nomen, & munus, contineri: reges etenim causis vacare debent, atque iudiciis; iidem principes sunt, & duces, qui bella gerunt, seq; se pro suorum salute periculis exponunt; quod populus ipse dum regem postulat, explicuit non obscurè. Dixit enim v. 20. *Iudicabit nos rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis.* Sed cur cùm regem postularint, dixerintque, *Da nobis regem*, in plurali nũc Prophetas principes nominat? Solutio est non difficilis. Neque enim dum reipublicæ formam mutari vult populus, ab vno tantùm rege gubernari vult, sed à multis per varias successiones. Quot nempe fuerunt à Saule, & Dauid, ad tempus vsque Sedeciæ. Quare dum regiam administrationem desiderant, plurimos vtique reges, & principes desiderant, qui mutuò sibi in illa gubernationis forma succedant.

36. Vers. 11. *Dabo tibi regem in furore meo, & auferam in indignatione mea.*] Frequentes alij illud *dabo* & *auferam*, per præteritum efferunt, putantque sermonem esse de Saul, quem elegerunt Israelitæ, quique non multo pòst ignominiosè sublatus est, duobus nempe annis ab initio regno, vt probabile putabamus in nostris commentariis *ad cap. 15. Actuum Apostol.* Aut certè defecit, quo tempore vrbs euersa fuit, & templum excisum, extincto Sedecia, post quem ad tempus vsque Christi reges defecerunt in Israel. Neque enim (vt in nostris commentariis in Ezechielem *ad cap. 21.* latè probauimus ex Hieronymi sententia) qui ex Machabæorum genere diademata sibi imposuerunt; propriè reges fuerunt, sed vulgi errore, aut compellatione illorum, qui aut timore, vt vsu sæpe venit, aut adulatione, qua in principum domibus nihil est frequentius. Hi verò fuerunt Hircani, Aristobuli, & qui ipsis in eadem familia successere. Alij hæc intelligunt de Ieroboam, qui primus regnauit in decem tribubus, ad quas præsens hoc vaticinium, seu ad ipsius regnum, quod paulo post hæc tempora defecit in Osee. In hanc ferme sententiam Hieronymus, quem sequuntur Haymo, Lyra, & communiter alij.

37. Ego, vt hæc probo, sic etiam non improbarem, si quis hæc de Assyriorum rege accipiat, quem Dominus populo in furore suo præposuit, id est, cùm illum punire voluit; qui licet alienus, illius tamen populi rex vocari potuit, quia ius in illum habuit, & regiam potestatem, quasi in captiuos, & suo subditos imperio. Quales verò fuerit potestas illa tyrannica, ac barbara, qualis seruitus, facilè quiuis excogitare poterit, tum ex religionis, tum ex generis dissimilitudine. Illum igitur regem imposuit Deus, qui non tam amplecteretur vt pater, quàm attereret, & vexaret vt hostis. Illud verò, *Et auferam in indignatione mea*, ad populum refero Israeliticum, quem Dominus ex suis finibus abduxit, & abstulit, & ad alienum solum, & barbarum traduxit, cuius capiti imposuit victorem, & insolentem regem, à quo expectari nihil posset, præter vim, iniuriam, & calumniam. Hæc mihi sententia ideo minus videtur improbabilis, quia hîc futurum tempus video, nam præteritum, quod licèt aliquando cõtingat, id minus sæpe fit, maximè apud Prophetas, qui suo modo persæpe præteritum potius adhibent pro futuro, deinde quia accommo-

A datum videtur esse supplicium illorum, qui regem petierunt, contra Dei voluntatem, vt regem paterentur; qui non tam ipsorum commodis, quàm ex ipsorũ calumniis, & rapinis priuatis rationibus, commodisque seruiret. Hæc ego diuinando coniecto, neque forsan abs re.

Vers. 12. *Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum eius.*] Excidisse putabat Ephraim peccata sua ex diuina memoria, atque ideo eam ob rem nihil sibi metuendum putabat: at Deus seruabat ea diligenter sicut pecunia seruatur in sacculo, aut in arculis, seu thesauris, quæ magno habentur in pretio; quæ ne pereant, aut effluant, magno studio, atque solertia prouidet auarus. 38.

Peccata seruat Deus tanquam in sacculo.

B Quæ tandem profert, cùm adest opportunitas, in qua vtiliter locari possit, & prudenter expendi. Sic itaque Deus peccata, quorum iam pridem Ephraim memoriam abiecerat, ligauit in sacculo, donec veniret maturitas, id est, definitum à Domino supplicij tempus. Porrò secunda pars explicatio prioris est; idem est enim *colligatam esse iniquitatem*, atque *absconditum esse peccatum*. Huius metaphoræ, quæ prouerbiale aliquid olet, vsus est in Scriptura non infrequens. Iob cap. 14. v. 16. *Signasti quasi in sacculo peccata mea.* Ad Rom. cap. 2. v. 5. *Thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei.* Et clariùs Deut. cap. 32. v.
C 34. *Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis. Mea est vltio, & ego retribuam eis in tempore.* Sic cum Hieronymo explicant interpretum plerique.

PROVER. Signari in sacculo pro diligenti custodia

Ego aliunde arbitror deductam esse metaphoram; nisi dicamus allegorias esse diuersas, aut ex vna similitudine inchoatam, in altera finitam esse allegoriam; quod vitium maximum censent esse Rhetores. Ego potiùs crederem ab animalium procreatione allegoriam esse petitam, in qua aliquid videmus maximè ad voluptatem, aliquid ad dolorem, & cruciatum vehemens. Indidit natura commiscendorum corporum appetitum ingentem, & in ipso congressu miram voluptatem. Et dum in vtero continetur, atque forma- 39.

Voluptatis turpis exitus amarus.

D tur fœtus; id est, dum ligatur membranulis, & absconditus latet, leuis est dolor. At dum partui maturus prodire gestit in lucem, & in ipso puerperio, ac nixu grauis est, & intolerabilis cruciatus, ex quo prouerbiali specie dolor parturientis summi doloris acerbitatem significat. Ex hac rerum vicissitudine, ex voluptate nempe, quam deinde tantus excipit dolor, ortum est illud Græcorum prouerbium, quod honesta metaphora rem non admodum honestam inuoluit, ἀπτίοις χοῖρε γίγνεται.

Concepit populus peccata, suauiter quidem & iucundè, quia in his genio indulgent, & naturæ sentientis affectibus, iniucundum non est, dare
E peccatis operam, sicut neque parentibus, dum filiorum procreationi vacant. Quandiu peccat, celata videbantur silentio, aut impunita, nullus erat, aut certè non acerbus dolor. At vbi tandem partus aduenit, peccati nempe fructus, cædes, exilium, vastitas; tunc visa sunt præcordia discindi, & intolerabili quodam dolore concerpi. Et ideo ad hanc metaphoram accommodatè subditur: 40.

Vers. 13. *Dolores parturientis venient ei.*] Parturientis dolor, summus dolor est, non solùm apud Hebræos, quibus est hic dicendi modus prouerbialis, sed etiam apud Græcos, quibus ὠδίν, id est, puerperij dolor, grauem significat dolorem. Sed hoc loco existimo expectari metapho- 41.

Digitized by Google

ram; de qua nuper, quæ peccati conceptionem fieri dicit cum voluptate, partum cum dolore; est autem peccati fructus, & partus ignominia, clades, & rerum omnium, quæ optari posse videbantur, certa iactura. Qualia passi sunt Israelitæ ex suis exclusi finibus; & seuero Assyriorum imperio traditi.

42. *Ipse filius non sapiens, nunc non stabit in contritione filiorum.*] Ephraim, & tribum sonat, quæ quasi mater est, quæ concipit, & parit, & Ephraimitas, id est, singulos illius tribus, qui filij sunt. Quare mirandum non est, si quando sermo fuerit de Ephraim, quædam parturienti matri accommodentur, quædam filiis, qui vel in vtero conclusi sunt, vel difficili matris puerperio in lucem suscepti. Hinc nata est huius loci non leuis obscuritas, & hinc etiam obscuritati afferenda lux. De sententia dubitat nemo, nempe Ephraim nunc luere, aut luiturum breui, stultitiæ suæ non indebitas pœnas, in metaphora explicanda totus labor. Ego pertexi arbitror continuarique metaphoram priùs institutam, quam à concipiente, parturienteque fœmina duci existimabam, reprehendique stultitiā Ephraim, qui talem conceperit, diúque in vtero fœtum continuerit; cuius partus longus erit, & durus. Partus autem est labor, dolor, seruitus, exilium, & illa omnia, quæ apud barbaros, & insolentes homines subire solent extorres, & captiui. Quod licèt ex nostris nullus expresse dicat, ita tamē loquuntur, vt non videantur improbare. Clariùs doctores Hebræi, quibus è recentioribus nonnulli subscribunt, in *contritione* vuluam intelligunt. Pagninus ita conuertit. *Ipse filius fuit non sapiens, quoniam si fuisset sapiens, non ad tempus stetisset in vulua filiorum.* Et eodem modo Tigurina translatio, cum Vatablo, & Isidorus Clarus.

43. Vbi vulgatus *contritio*, Heb. est משבר *misbar*, quæ vox contritionem, seu confractionem valet, quo nomine appellatur fœminarum matrix, seu vulua, quia illa in edendo fœtu vehementer laborat. Chaldæus sellam interpretatur, vbi sedet puerpera, quod itē faciunt alij ex Hebræis. Quidam ij maximè, quos nuper retulimus, cum Hebræis, hanc ex hoc loco sententiam informant, si sapiens esset Ephraim, non tandiu latens premeretur in vulua, sed statim egredi conaretur in lucem. Quæ sententia ad mores grauis est. Est etenim insipiens ille, qui diu conceptum in animo peccatum continuit, neque illud per pœnitentiam abortiuum, & exanimatum abegit. Augetur enim peccatum dum absconditur, & fouetur in sinu, ac tandem postea, tanquam viperinus fœtus viscera disrumpit. Non igitur tam esset longus, atque difficilis partus, nisi diu pestilens ille fœtus molem suscepisset, & robur. Hæc quidem ad mores satis opportuna, minus tamen, vt opinor, ad literam.

Peccati diu celati pœna.

44. Hieronymus, & cum eo plures alij, qui ab illo recedere non solent, putat eam futuram contritionem, seu laborem, qui in illo difficili partu significatur; vt non possit in illo nixu siue conflictu stare Ephraim, id est, perferre laborem, seu dolorem illum. Aut certè in filiorum contritione non satis habiturum esse virium; cùm illos videat, & inclementer ab hoste tractari, & extrema pati, dum vrgetur bello, aut dum captiuus barbarorum non voluntati solùm, sed libidini seruit.

45. Alij ad mores hæc etiam accommodant, & aliunde similitudinem deducunt. Quemadmodum, inquit, si puella, quam clausam continet parentis custodia, furtiuâ Venere ab amatore concipiat, occultat quam potest solertissime vitium; & omni artificio, ac simulatione cauet, ne pater aut quispiam ex domesticis intelligat: interim tamen, dum tegitur, adolescit fœtus, & sensim ad partus maturitatem adducitur. Tunc puella, quæ pudorem, & virginitatem antè prodiderat, prodidit etiam famam, subitque in pariendo cruciatus ingentes, quos eiulatu manifestat, & celatum diu Veneris furtum. Ita, inquit, accidit Ephraim, qui, cùm iustus aliis videri vellet, occultabat peccatum, & sibimet fallaci blandimento assentatus dicebat supra, cap. 12. v. 8. *Omnes labores mei, non inuenient mihi iniquitatem, quam peccaui.* At cū cōtritio aduenit, id est, partus illius metaphorici decreta maturitas; tunc licèt inuitus suum peccatum professus est Ephraim, & ipsi etiam Gentiles agnouerunt, quanta esset in eo peccatorum proluuies, quàm vana, atque fucata sanctitas. ita putant Rupertus, & Montanus. Hæc Rupertus ad illos accommodat, quos aut retardat pudor, à confitendo peccato, aut fallax alia ratio lactat, & decipit, quominus aperiatur vulnus, quia nimirum medicinæ acerbitatem horret. Sed aderit tempus cùm reueletur id, quod tanto celarat artificio, cum longè maiore confusione: & experiatur acerbitatem, non à medicina, quæ curare potuisset, aut ab amante medico, qui in vrendo, atque secando sanitatem spectat; sed ab inutili omnino tormento, & ab hoste, qui per summos cruciatus, nihil nisi dolorem, & exitium molitur. Hic planè filius insipiens est, qui vulnus animi celat, cùm reuelatum oportuit: neque tamen celare potest, vt maximè velit, quando ex reuelatione, non nisi dedecus, atque ignominiam referet.

Pœnitentia dilata tristis fructus.

Peccati in confessione celati pœna.

46. Ego iuxtà explicationem, quam suprà putabam non improbabilem, aliam ex hoc loco sententiam informare posse videor. Et primùm statuo in Ephraim intelligendam tribum, & quasi matrem, quæ concepit cum voluptate ignobilem, atque inimicam prolem, cuius partus, qui non est sine dolore, diuturnus fuit, quandiu nimirum durauit captiuitas. Tunc verò sic videtur explicari posse locus iste difficilis. In contritione filiorum, id est, in partu, qui sine contritione non est, filiorum, id est, peccatorum, quos antè cum voluptate concepit Ephraim, colligauítque, & fouit in vtero, *non stabit*, id est, cadet, & vitam aget ærumnosam, ignobilem, & odiosam omnibus, (id enim est *non stare*, quod idem est, quod *sedere*: sedere autem sordidæ, lugubrísque fortunæ signum est.) *contritio filiorum*, optima puerperij descriptio, est ab effectu, & signo, puerperium enim seu partus est dolor, qui in filiorum partu matrem excruciat. Hic autem partus supplicium est, quod peccatorum conceptioni Dominus imposuit. Neque hæc explicatio leuis est ad mores.

47. Notum est momentaneum esse quod turpiter delectat, quod verò ex ea voluptate cruciat, esse diuturnum, imò & æternum. Id optimè explicatur in peccatorum conceptione, quæ sunt instar fœtus, qui fouetur, & augescit in vtero, quorum partus disruptis præcordiis acerbitatis habet plurimum: cùm autem conceptio aut momentanea sit, aut certè temporis non admodum longi, æternus tamen erit partus peccatorum: nempe dolor, dedecus, gehenna, quorum pondere licèt grauetur, crucietúrque anima peccatrix, nunquam tamen continget, vt leuetur à partu illo, aut

Pro voluptate breui æternus dolor.

aut pondus illud graue in æternum deponat. Neque enim est virtus pariendi, id est, excutiendi viperinum fœtum. Atque ideo partus ille, & inutilis conatus ad abigendum, seu edendum conceptam illam sobolem sempiternus erit. Hæc eadẽ videtur, & sub eadem allegoria significasse Ezechias apud Isaiam cap. 37. v. 5. *Dies tribulationis & angustiæ, correptionis, & blasphemiæ dies hæc: quia venerunt filij vsque ad partum, & non est virtus pariendi.*

48. Vers. 14. *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos.*] In locum incidimus implexum valde, qui magna ingenia diu torsit, & in alias, atque alias sententias variè distraxit. In quo explicando ita me geram, vt priùs afferam quid alij senserint. Deinde quid mihi magis videatur probabile. Sunt qui hæc, quæque succedunt proximè, ad Ephraimitas pertinere putent: idque non tam ad spiritualem, quàm ad temporariam libertatem. Ita multi ex Hebræis; quorum sententiam probat Theodoretus, quibus Dominus libertatem promittit ab exilio, quod perinde est, atque libertatem à morte, vt enim constat ex Ezechiele *cap.* 37. exules censentur pro mortuis: & exilij locus pro sepulcro. Vide, quæ nos ad illum Ezechielis locum in nostris commentariis. Et quidem è decem tribubus, quas significari constat nomine Ephraim, ab exilio rediisse non paucos suprà ostendimus *cap.* 1. putat tamen Theodoretus hæc ita fuisse implenda in captiuorum reditu, vt tamen postea mysticè in vniuersali mortuorum resurrectione multo cumulatiùs expleri debeant. Hæc eadem multo clariùs Paulus de Palacios.

49. Rufinus de Iudæis intelligit, quos ad extremam penè desperationem adduxit Senacherib; ita vt euadere se mortem non putarent Iudæi. Promittit ergo ex sententia Rufini Deus à manu mortis fore Iudæos liberandos, quo tempore omnes ad libertatem aditus videbantur obstructi. Quod præstitit Deus temporis momento per Angelum suum, qui occisis in Assyriorum castris centum octoginta quinque millibus, Assyriorum vires, & potentiam attriuit. Hæc sententia Rufini licèt cætera forent expedita, eo tamen laborat incommodo, quòd hoc de decem tribubus vaticinium institutum est, Rufinus autem de duabus accipit, ad quarum exitium aspirabat Senacherib.

50. Tigurina translatio, & Isidorus subaudiendam esse putant conditionalẽ particulam, in hunc sensum. Si sapiens fuisset Ephraim, & per pœnitentiam maturè resipuisset à culpa, non esset nunc in contritione, neque parturientis dolores sustineret; ego enim liberarem à morte, quæ neque manus haberet ad nocendum, neque ad retinendam prædam, quam cepisset. Et accommodatè ad hæc, exponunt, quæ proximè sequuntur. Qui dicendi modus perbellè explicat naturam, & affectum diuini pectoris, quod pronum est ad misericordiam, neque nostris malis delectatur, imò ad illa inferenda trahitur inuitum Thren. 3. v. 33. *Non enim humiliauit ex corde suo.* Imò, si quando cogitur, cum dolore punit. Vide, quæ diximus ad illud Isai. 1. *Heu consolabor super hostibus meis.* Et attemperatè ad hanc explicationem paulo pòst auditur: *Consolatio abscondita est ab oculis meis.* Ac si diceret, dolorem meum consolari non possum, quem ex populi infortuniis capio; quia in peccatis adhuc perseuerat obstinato consilio; & illa seuero supplicio mulctare cogor. Eodem penè dicendi genere, in eodem affectu vsus est De-

Deus ad hominum supplicium inuitus.

us Psalm. 80. v. 13. *Si populus meus audiisset me, Israel si in viis meis ambulasset, pro nihilo forsan inimicos eorum humiliassem, & super tribulantes eos misissem manum meam.*

Communis tamen sententia est hæc ad Christum, spiritualémque vitam, & libertatem pertinere: qui de morte liberat, æterna videlicet, quæ peccatum sequitur, & de manu mortis, quæ peccatum est. Non enim mors æterna cepisset homines, nisi nos illi manus dedissemus, & vngues; peccatum videlicet, quod nos mortis manibus, & potestati tradidit, quódque Apostolus cùm in hunc Oseæ locum incideret, 1. *Cor. cap.* 15. stimulum mortis appellauit. Non enim haberet stimulum, quo nos compungeret, aut gladium, quo perimeret, nisi à nobis ipsis aculeos habuisset, & arma, quæ contra caput nostrum peccando conflauimus. A morte igitur, & peccato liberauit nos Deus, verè Saluator. Hanc sententiam plurimi sequuntur ex Hebræis, quos citat Galatinus *lib.* 8. *cap.* 21. & Lyra *hic.* Euseb. *de demonstr. lib.* 4. *cap.* 12. Hieronymus, & alij ferme interpretes. quò etiam referunt, quæ sequuntur statim, quæ antequam explicare aggredior, aliqua mihi præmittenda sunt. 51.

Primùm eam esse diuini pectoris clementiam, vt in summa etiam offensione, atque ira, cùm omnia minatur peccatori, suæ tamen benignitatis non obliuiscatur. Exẽplorum satis est in Scriptura, pauca nunc accipe. *Isaiæ cap.* 1. *v.* 25. post graues minas, quales nunc intentat Ephraimitis, salutem, & libertatem promittit. *Et conuertam*, inquit, *manum meam ad te, & excoquam ad purum, scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum: & restituam iudices tuos, vt fuerunt priùs, & consiliarios tuos, sicut antiquitus. Post hæc vocaberis ciuitas iusti, vrbs fidelis.* Et *cap.* 16. cùm multa contra caput suũ, atque fortunas audiisset Moab, audiuit statim verba clementiæ, ac suauitatis plena, quæ tam Moabitis, quàm aliis omnibus secunda omnia promittebant. *Emitte agnum Domine dominatorem terræ, de Petra deserti*, id est, de Moab. Et *Ierem. cap.* 16. *v.* 14. cùm graues præcessissent minæ contra Iudæos, quasi illatum Deus esset oblitus, libertatem promittit, & successum ex votis. Dixerat priùs, *Eiciã vos de terra hac in terram, quam ignoratis vos, & patres vestri, & seruietis ibi diis alienis, die, ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.* Et continuò addit, *Propterea ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non dicetur vltrà, viuit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Ægypti, sed viuit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Aquilonis, & de vniuersis terris, ad quas ieci eos: & reducam eos in terram suam, quam dedi patribus eorum.* 52.

Secundò obseruo, cùm in Scriptura veteri, aliquod apparet vestigium temporis euangelici, vsitatum esse in Scriptura sacra, vt ad illud assurgat Prophetarum spiritus, breuiter tamen, & quasi extra institutum argumentum, quare cùm hæc accidunt, accidunt autem non infrequenter, statim reditur ad institutũ, & quæ videbantur interrupta, contexuntur. Ex multis accipe vnum, aut alterũ exemplum *Isai.* 45. In Cyro, qui captiuum populum in libertatem asseruit, confregitque Babylonicum iugum, vmbra quædam apparebat Christi seruatoris, qui ex duriori seruitute, spirituali nempe vniuersum genus hominum eripuit. Ad Christum igitur Isaias continuò vaticinium traduxit, dixitque, *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum*, &c. Neque tantum ad Euangelium assurgit propheticus sermo, cùm illius sese 53.

REGVLA. *Cùm apparet in Testamento veteri vmbra noui, ad illud digressio, & statim ad interrupta reditus.*

in Testamento veteri typus ostendit; sed etiam cùm aliquid apparet contrarium, quod quia alicui videbitur durius, & maximè ad hûc Oseæ locum explicandum facit, pluribus à nobis exemplis explicato opus est. Duo habes illustria apud Zachariam *cap.* 13. præcesserat supplicium, quo à pseudoprophetis, & impostoribus sumptum est à parentibus; hinc excitatur Zacharias, vt ad Christum Prophetam verum à parente percussum sermonem traduceret. Quare Deum patrem inducit, quasi intentum ad plagam, & his se verbis, ad inferendum vulnus adhortantem. *Framea suscitare super pastorem meum, & super virum cohærentem mihi.* Et cap. 9. v. 9. cùm egisset de victoria contra Tyrum, & Ascalonem, vbi apparatus bellici, & tumultus descripti, statim contraria omnia in Christo triumphante proposuit. *Ecce*, inquit, *Rex tuus venit tibi, iustus, & saluator; ipse pauper, & ascendens super asinum, & super pullum filium asinæ.* Ezech. cap. 34. cùm actum esset de pastoribus, qui dum priuatis student commodis non tam pascebant, quàm lacerabant gregem; statim sermo ad Christum pastorem optimum transfertur, qui datum sibi gregem à parente non solùm abundanter, sed etiam indulgenter pascet. *Et suscitabo super eas pastorem vnum, qui pascet eas, seruum meum Dauid.*

54. Ad extremum obseruandum, quia hæc, quæ de nouo Testamento, Euangeliique tempore dicuntur, aliena quodammodo videntur ab instituto, filóque prophetiæ, à quo ad altiora, sacratioraque mysteria, spiritus propheticus abripitur; qui deinde se ad inchoata, atque interrupta recipit, ideo hæc quasi aliena claudenda esse parenthesi, quod si ita fiat, non erit obscurus textus ipse verborum, cùm parenthesis tota eximenda sit a textu, & quæ à parenthesi videtur esse disclusa, sublata e medio parenthesi coniungenda sint.

55. Hinc credo vera sese prodet huius loci obscura, atque impedita sententia. Præcesserat dura populi calamitas parturientis dolore significata, quæ instar erat mortis, tum quia grauis, tum quia, qui à patria extorres abierunt, numerantur in mortuis, sicut etiam exilium instar obtinet sepulcri. Ex hoc statu planè misero, ex quo non videbatur sperari posse libertas, excitatus est Deus, aut propheticus spiritus à Deo, ad contemplationem illorum captiuorum, quorum Deus posterioribus sæculis incolumitati, atque saluti, per seruatorem Christum prouidebit. Hæc porrò ab illis verbis, *de manu mortis*, vsque ad *ero inferne*, claudenda sunt parenthesi, & illud, *in contritione filiorum*, cum illo, *consolatio abscondita est*, coniungendum est. Prior pars parenthesis iam à nobis explicata est; ad posteriorem iam descendat commentatio.

56. *Ero mors tua, ò mors, morsus tuus ero inferne.*] Qui priorem partem ad populum siue Israeliticum, siue Iudaicum referebant, iidem hanc etiam posteriorem eòdem pertinere censuerunt. Quare non est cur in illorum aut referendis, aut explicandis sententiis iterum laboremus. Neque verò in vera sententia inuestiganda multum operæ, atque studii ponendum, cùm optimum illius interpretem habeamus Apostolum 1. *Cor. cap.* 15. à quo recedere audacis est, ne dicam impij animi. Sanè Hieronymus, cùm in hunc locum incideret, ait ab eo, quod Apostolus dixit, se neque audere, neque posse recedere. Paulus autē, vt ex extrema capitis illius parte constat, de resurrectione mortuorum vniuersali loquitur, dixerat enim, *Ecce mysterium vobis dico, omnes quidem resurgemus, sed nō omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba*, &c. *Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Vbi est, mors, victoria tua? vbi est mors, stimulus tuus?* Hæc porrò posteriora sumpta fuisse ex hoc Oseæ testimonio, nemo dubitat. Sumpsit tamen Paulus ex Septuaginta translatione paulo tamen mutata; quod facere sæpe solent scriptores sacri, atque canonici, qui non tam in verba, quàm in verborum sententiam intenti, aliquid interdum addunt, aut mutant, quæ sententiam eandem magis explicant, & expediunt. Sic autem legunt LXX. *Vbi est causa tua, mors? vbi est aculeus tuus, inferne.*

Non itaque quisquam piè negabit hæc esse de resurrectione carnis intelligenda: sed quia Christi resurrectio causa fuit, & exemplar resurrectionis nostræ; vbi mortem vicit, & illius vires, & potentiam ademit, ideo e Patribus non pauci de Christi resurrectione, eiúsque descensu ad limbum interpretantur, vnde, qui in Abrahæ sinu captiui tenebantur, eripuit. Ita Augustinus *serm.* 137. *de tempore.* Gregor. *lib.* 12. *Moral cap.* 8. & *homil.* 22. *in Euangel.* Anselmus *in citatum Pauli locum.* Sic autem Augustinus, & ex eo Gregorius suprà. *Non ab inferno rediens Dominus, electos simul, & reprobos traxit, sed illa exinde omnia sustulit, quæ sibi inhæsisse præsciuit. Unde etiam per Osee Prophetam dicit: Ero mors tua, ò mors, ero morsus tuus inferne. Quod occidimus, agimus vt penitus non sit, ex eo autem quod mordemus, partem abstrahimus, partémque relinquimus. quia ergo in electis suis funditus Dominus occidit mortem, mors mortis extitit, quia verò ex inferno partem abstulit, partémque reliquit, non occidit funditus, sed momordit infernum. Dicit ergo, ero mors tua, ò mors, id est, in electis meis te funditus perimo. Ero morsus tuus inferne, quia sublatis eis te ex parte transfigo.* Et ad hunc sensum alij etiam ex Patribus interdum accedunt, aut alludunt, qui Christi mortem, & resurrectionem cum generali mortuorum resurrectione consociant. Ita hîc Hieronymus, qui id etiam Paulum existimasse censent. *Quod Paulus*, inquit, *in resurrectionem interpretatus est Domini, nos aliter interpretari nec possumus, nec audemus.* Quod paulo antè clariùs expresserat, cùm dixit, *Liberauit autem omnes Dominus, & redemit in passione crucis, & effusione sanguinis sui, quando anima eius descendit in infernum, & caro eius non vidit corruptionem.* Vtrunque videtur hoc loco prædictum à Deo, & Christi morte vincendam esse mortem, & eo ad inferos descendente extrahendam esse prædam è limbo, & excitandos esse sub finem sæculorum, qui è vita discesserant. Impleri tunc cœpit prophetia cùm Christus infernum momordit, vt explicuerunt suprà Patres, quorum nuper sententiam adduximus, & inde captiuos ad lucem, & libertatem eduxit. Tunc autem omnino completa est, quando ante generale iudicium, animata rursus vniuersorum hominum corpora resurgent. Ita putat Ribera, qui dicendi modus facile Patres, qui aliter sentire videbantur, cum Paulo conciliat.

Ero mors tua, ò mors, morsus tuus ero inferne.] Laudo, probóque Patrum illorum cogitationem, qui mortem hîc separant ab inferno, & mortem à morsu. Nihilominus non ille mihi male, aut cogitasse, aut coniectasse videretur, qui eandem crederet esse sententiam, iteratam verò per epexégesim, quæ in Scriptura sacra frequentissima est.

Infernus idem aliquando quod mors, aut sepulchrum.

est. *Mors* enim, & *infernus*, vt norunt omnes, qui mediocriter in Scriptura versati sunt, idem sæpe significant, sicut mors, & sepulcrum. *Infernus* autem, quia locum significat depressum, idem omnino valet quod *sepultura*, Heb. שאול *seol*. Sed quòd *morsus*, seu *stimulus*, vt vertit Paulus, idem etiam significet quod *mors*, non est aut probatu, aut creditu difficile. Causa enim, aut instrumentum pro suo effectu sumi notum est, vt gladius, aut plaga pro cæde, ac morte, vnde in Scriptura frequēs, *non effugies gladium, facta est plaga magna*, id est, multi perierunt. pro *morsu*, Heb. est. קטב *coteb*, quod non solùm morsum, sed etiam excidium valet. Septuaginta reddiderunt *aculeum*, Theodotio *plagam*. Plagam autem, seu aculeum, aut morsum esse mortiferum, satis indicat, quod stimulus, aut plaga mortis esse dicuntur, mortis autem proprium opus est, & naturale perimere. Quare non valde erraret, si modò error esset aliquis, qui sic locum istum exponeret. O mors ero tibi mors, meo, inquam, stimulo mortifero compungeris; morsu meo lacerata morieris.

59. Hunc locum, vt vidimus, adduxit Paulus 1. *Cor.* 15. In quo explicando aliquid etiām operæ ponamus oportet; & quia obscurus est, & quia nobis ad expositionem, quam secuti sumus, præluxit. Sic autem ibi Paulus, *Tunc fiet sermo, qui scriptus est. Absorpta est mors in victoria. Vbi est mors victoria tua, vbi est mors stimulus tuus.*

60. Antequam explicare aggredior Pauli testimonium, obseruo, illud ex duorum Prophetarum locis esse conflatum, quod sacris scriptoribus, qui in Testamento nouo aliquid adducunt ex veteri, insolens non est. Sic Petrus *Actor. cap.* 1. hoc contra Iudam testimonium citauit. *Fiat commoratio eorum deserta, & non sit, qui habitet in ea; & Episcopatum eius accipiat alter.* Cuius pars prior ex Psalm. 68. posterior ex Psalm. 108. desumpta est. Et idem Petrus *epist.* 1. *cap.* 2. cùm dixit, *Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, & lapis offensionis, & petra scandali.* Alteram partem sumpsit ex Psalm. 117. alteram ex Isaia *cap.* 8. Marcus *cap.* 1. cùm dixit de Ioanne, *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparauit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* Priorem partem ex Malachia *cap.* 3. posteriorem ex Isaia sumpsit *cap.* 40. Paulus ad Roman. *cap.* 3. ex multis Psalmis vnum coagmentauit testimonium. Illud, *omnes declinauerunt simul, inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum*, sumpsit ex Psalmo 13. ast alios octo versus, qui incipiunt, *sepulcrum patens est guttur eorum*, ex variis Psalmis. Et Christus ipse ex Isai *cap.* 56. & Ieremia 7. composuit testimonium illud apud Matthæum cap. 21. *Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Sic etiam Paulus eo loco, quem nuper adduximus, duo coniunxit diuersorum loca, ex quibus vnum conflauit testimonium. Vnde sumpseris illud prius, *Absorpta est mors in victoria*, obscurius est, sed mihi non est dubium sumptum esse ex Isaia *cap.* 25. vbi vulgatus legit, *præcipitauit mortem in sempiternum*, vt nos pluribus ostendimus in nostris commentariis ad illud Isaiæ caput. vbi obseruauimus probauimúsque pluribus scriptores sacros, & canonicos non semper afferre ex Testamento veteri testimonia iuxta L X X. translationem; & interdum sumere ex Hebraico textu. Quòd si ad Hebraicum textum Pauli referas verba, totum inuenies expressum à Paulo, vbi vulgatus, *præcipitauit*, quod in

Regula. Scriptores Canonici aliquando ex pluribus testimoniis vnum componunt.

A præterito est, non *præcipitabit* in futuro, Heb. est בלע *belahh*, quæ vox absorbere significat. Et ita Septuaginta conuertere κατέπιεν, id est, *absorbuit*. Paulus verò passiuè κατεπόθη, id est, absorpta est, ita Hieronymus in huius loci Isaiæ commentariis exposuit; *mors absorpta est.* Illud hîc videtur incommodare nonnihil, quod בלע in actiua voce est, quare exponendum videbatur *absorbuit*, sicut reddidere Septuaginta; & conuertit vulgatus, nempe *præcipitauit*. Hic tamen nodus non difficiles habet explicatus, si statuas Apostolum, quod fecit alibi sæpius, sententiam potius secutum esse, quàm verba. Absorbuit quidem Christus mortem in victoria: quod si ita Paulus conuertisset, egisset magis ad verba, rémque grammaticam accommodatè; sed id Apostolo necessarium non fuit, cùm nec punctum quidem à vera sententia recessisset. Perinde est enim si dicas, *Absorbuit Christus mortem in victoria.* atque si dicas, *Absorpta est mors in victoria*, nempe à Christo.

Vbi vulgatus *in sempiternum*, Heb. est לנצח *lanesach*, quæ vox *in sempiternum* valet, & *in victoriam*. Quare in Psalmorum titulis sæpe inuenitur ab eadem radice למנצח *lamnaseach*, quæ à Septuaginta plerunque *in finem*, à Hieronymo, & aliis, *victori* conuertitur. Quare dubitandum non est hunc locum à Paulo sumptum esse ex Isaia *cap.* 25. & iuxta Hebraicum textum fuisse conuersum. 62.

Altera pars sumpta fuit ex Osea, in qua non tam Paulus verba, quàm sentētiam expressit. Dominabatur ad tēpus vsque Christi mors in mundo, vincebátque, quia stimulum habebat, cuius erat mortifera plaga, neque peccatum. At vbi Christi mors aduenit, & cùm ea victoria, mortis confregit stimulum, & vires ad vincendum eripuit: quo nihil est aliud, quàm à Christo mortem fuisse superatam, & mortuam. *Mortuum* autem dicimus, aut *non esse*, quod ita infirmum est, ac debile, vt nihil præstare possit ex suo, aut ex vsu communi. Si ergo mors, neque vincere potest in pugna, neque aculeos ad pugnandum, atque pungendum habet, mortua dici potest; & ita planè Paulus appellat, dum illam victam, & exarmatam contemplatur. Quòd verò vulgatus, *ero* transtulerit, Paulus autem *vbi*, ortum est ex ambigua significatione vocis אהי *ehi*, quæ prima potest esse persona verbi substantiui in futuro; atque ita vulgatus conuertit *ero*, & ad verbum *vbi*, quomodo Septuaginta, & Paulus, & è recentioribus nonnulli transtulerunt. Sic sanè vocem eandem reddidit vulgatus hoc ipso capite v. 10. *Vbi est rex tuus.* 63.

Porrò hic locus Pauli apertè docet, vt dicebamus suprà, hoc Osee vaticinium exponēdum esse de extremo sæculorum articulo, non solùm quia id planè liquet ex toto textu, sed quia, quod ex Isaiæ *cap.* 25. sumpsit testimonium, de illo tempore, in quo post iudicij vniuersalis examen iusti cum Domino triumphabunt, institutum est; vt nos in nostris commentariis ostendimus, & facilè quiuis mediocriter attentus intelliget. 64.

Consolatio abscondita est ab oculis meis.] Hîc iam absoluta, & definita parenthesi, ad interrupta Ephraimitarum tēpora recurrit vaticinium. Sed priusquam dico, quod mihi magis videtur expeditum, quid alij probabiliter sentiant, paucis attingam. Quidam verba ad Prophetam pertinere putant, qui piè de suorum exitio, & acerbè dolet. Ita Hieronymus in posteriori expositione; item 65.

item Haymo, Rupertus, Ribera, Caſtro. Quaſi dicat Propheta nullo modo fieri poſſe, vt non ſit ægro animo, cùm videat aut populum ſuum deuotum eſſe cladi, atque exilio, aut inferno, id eſt, æterna morte alios ab aliis eſſe diuidendos. Idem penè Albertus & Lyra. Alij de Deo accipiunt. Hieronymus, & Haymo in priori vterque expoſitione, Vatablus, & alij quidam è recentioribus, quaſi nulla poſſit conſolatione leuare dolorem ſuum, quem capit ingentem, ex illorum clade, quos omni modo, ac ſtudio ſeruatos eſſe vellet: loquitur autem Deus hic humano modo, ſicut *Iſai. cap.* 1. vbi dolere ſe dicit, quòd cogatur in obſtinati populi exitium vindicem furorem exercere. *Heu*, inquit, *conſolabor ſuper hoſtibus meis.* Et eodem affectu, cùm mundum obruere ſtatuiſſet vniuerſali diluuio Gen. cap. 6. *Tactus dolore cordis intrinſecus, delebo, inquit, hominem, quem creaui à facie terræ.* Licèt poſterior hæc explicatio ſuam habeat probabilitatem, & pondus: multa tamen ſunt, quæ in priorem ſententiam penè cogunt. Tum quia ex hoc loco mutata eſt orationis forma; cùm enim hactenus Deus in prima, id eſt, in ſua perſona loqueretur, hinc tamen tertia, id eſt, diuerſa videtur induci perſona, qua ſanè Deus non vteretur, ſi ipſius eſſet hæc oratio. *Quia ipſe inter fratres diuidet*, &c. Loquitur igitur Propheta, & cur ægro ſit animo, cauſam reddit.

66. Verſ. 15. *Quia ipſe inter fratres diuidet.*] Hic locus valde eſt difficilis, & illius expoſitio multiplex. Quidam ad ea, quæ proximè antecceſſerunt, referenda cenſent, id eſt, ad extremi iudicij tempus, cùm moritura dicitur mors, & infernus morſu ſpoliandus. Tunc enim Deus fratres diuidet morſu, quia alios eximet à tenebris, ſeu ad illas diſcedere non ſinet, alios in tenebras ſeuero, iuſtóque iudicio compinget. Sic exponit Albertus, & adducit illud Matth. cap. 24. *Tunc duo erunt in agro, vnus aſſumetur, & alter relinquetur: duæ molentes in mola, vna aſſumetur, altera relinquetur: duo in lecto, vnus aſſumetur, & alter relinquetur.* Eodem modo Lyra, niſi quòd diuiſionem hanc illam eſſe putat, quam in extremo ſæculorum mali à bonis eo ſeparabuntur modo, quo hædi ſeparantur ab agnis. Hæc porrò ſeparatio optimè ſignificatur morſus nomine, morſus enim aliquid carpit, aliquid relinquit ex toto: aliquid ſumit tanquam palato dulce, & ſtomacho ſalubre; aliquid reiicit tanquam palato inſulſum, & noxium ſtomacho. Porrò cùm hoc ipſum intueretur Iſaias, viderétque quantum inter fortunatas animas, & æternis alligatas tormentis intereſſet, clamauit ſicut Oſeas hoc loco, & aliquanto dolentiùs cap. 24. v. 16. *Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi. Væ mihi.* Quod alij ferme omnes ita conuertunt, *macies mihi, macies mihi.* Ac ſi dicat, contabeſco mærore, atque intimis angoribus totus externuor, cùm videam, quod peccatorem ſupplicium maneat, quibus excidat bonis.

In iudicio uniuerſali qualis ſeparatio bonorum à malis.

67. Alij ideo dolere Prophetam arbitrantur, quia mortem ſuo tempore mortuã eſſe non videt, ſed adhuc graſſari liberè, & promiſcuè rapere, quos velit, & fratrem à fratre diuidere; à patre filium, omnem denique neceſſitudinem, & coniunctionem temporis momẽto diſcindere. Ita Hieronymus, Haymo, & Ribera, & quidem mortis proprium eſt ſeparare; vt dixit 1. *Reg.* 15. iam gladio deſtinatus Agagſtimalecites; *Siccine ſeparat amara mors?* Addit hic aliquid Hieronymus ad mores opportunum, docétque quomodo dici debeant fratres ab inferno diuidi. *Quicquid*, inquit,

A *ſeparat fratres, infernus eſt appellandus, & maximè mulier meretrix, quæ vocans inſipientem ad ſe, dicit inopibus prudentiæ, panes occultos libenter attingite, & aquæ furtiuæ dulcedinem: & neſcit inſipiens quoniam terrigenæ apud eam pereunt, & in profundum inferni incurrunt. Et mel deſtillat de labiis mulieris meretricis, quæ ad tempus impugnat fauces inſipientis, nouiſſimè autem amarius felle inuenitur, & acutus magis, quam gladius vtrinque acutus.* Lege reliqua.

Qui ſcandalo eſt alijs & maximè meretrix, infernus eſt.

Ego hîc magis probo, quod proximè attigeram, ex hoc loco ad finem vſque capitis non niſi de Ephraimitarum calamitate eſſe vaticinium, reddíque cauſam cur dolorem ſuum nulla conſolatione leniri poſſe Propheta cenſuerit. 68.
B Quicquid enim ſiue ad Euangelij tempus, ſiue ad extremum ſæculorum diem hic adiectum eſt, illud parentheſi claudendum, & ab hoc loco, in quo noſtra verſatur commentatio, ſeparãdum eſſe diximus. Ita dicit Hieronymus placuiſſe quibuſdam, placuit certè Theodoreto, & Alberto, dum ventum vrentem, de quo ſtatim, exercitum appellat hoſtilem: ſic Caſtrus, & Paulus de Palacios, Pagninus, & Montanus, & multi ex Hebræorum magiſtris, cum Chaldæo. Quod etiam ſentiunt, aut ſi conſequentia dicere voluerint, ſentire debent, qui principium capitis ſequentis partem eſſe volunt extremam huius, hi verò pauci non ſunt. Ibi autem apertè ſermo eſt de
C Samaria, quæ ſubitura dicitur hoſtile ferrum.

Dolet igitur Propheta, redditque cauſam, cur tam graui ſupplicio mulctari debeat Ephraim: quia ipſe inter fratres diuiſit, diſſecuit nempe regnum Iſrael, & à templi religione decem tribus auertit. Vbi vulgatus *diuidet*, Heb. eſt יפריא *iaphri*, id eſt, creſcet, aut multiplicabitur. Vbi *fratres*, Heb. אחים *achim*, quæ vox etiam prata, ſeu vireta ſignificat. Quare quidam ſic ad verbum ex Hebræo tráſferunt, *quia ipſe inter germina, ſeu vireta creſcet, aut multiplicabitur.* Tigurina, *Quoniam ipſe inter vireta florebit.* Eſt autem alluſio ad nomen Ephraim, qui *frugiferum*, aut *creſcentem* ſonat. Ad quam ſignificationem alluſiſſe videtur Moyſes 69.
D *Deut.* 33. *v.* 13. qui cùm ſub nomine Ioſeph benedixiſſet Ephraim, ait, *De benedictione Domini terra eius, de pomis cæli, & rore, atque abyſſo ſubiacente,* (in hac abyſſo intelligũtur iuges aquarum ſcatebræ, quibus regio illa Ephraimitica exuberabat) *de pomis fructuum Solis ac lunæ*, &c. Ad hanc terræ Ephraimiticæ naturam aquis, frugibúſque abundantem, accommodatè dicuntur omnia, de quibus ſtatim.

Et adducet ventum vrentẽ Dominus de deſerto aſcẽdentem, & ſiccabit venas eius, & deſolabit fontem eius.] 70.
Qui de iudicij extremi tempore ſermonẽ eſſe putant, in vento vrente ignem illum eſſe credunt, qui præcedet iudicem, & mundum concremabit.
E Ita Lyra, & Vatablus. Alij qui de Euangelij tempore hæc interpretantur, in vento vrente Chriſtũ intelligunt, quẽ Pater de deſerto, id eſt, de Virginis vtero miſit in terrã, vt ab illo, quaſi à cæleſti incendio conflagraret. Ita Hieronymus, Cyrillus, & Haymo; Rupertus Spiritũ ſanctum eſſe cenſet. Complures alij, quos hæc de republica Ephraimitide accepiſſe diximus, qui ſanè pauci non ſunt, in vrente vento Aſſyriorum exercitũ agnoſcunt, qui Ephraimiticos fines populatus eſt. Appellatur autem ventus vrens, accõmodatè, vt diximus, ad regionis naturam exuberantem fontibus; & plantarum varietate, atque amœnitate conſpicuam, qui exſiccabit fontes, areſaciet plantas, neque vllum linquet prioris formæ, aut fertilitatis antiquæ veſtigium,

stigii, hoc planè significat illud, *Siccabit venas eius, & desolabit fontem eius.* Ruffinus, qui hæc de Assyriis accipit, ventũ vrentẽ illum Angelum esse putat, qui exercitum Senacherib vna nocte deleuit.

71. Hic tamen nobis adhuc explorandum, quis sit hic ventus vrens, & cur ascendere dicatur de deserto. Ventus vrens Hebr. dicitur קדים *cadim*, qui prouerbiali specie aliquid significat noxium & vehemens, qui exurit segetes, facitque ne ad grana, maturitatémque perueniãt: aut certè spiritu violenter incitato, illas vbi iam maturuere sternit, & dissipat. Quare hostilis exercitus, à quo grauia timentur infortunia, vẽtus vrens appellari solet. Ierem. 4. v. 11. *Ventus vrens in viis, quæ sunt in deserto filiæ populi mei.* & cap. 18. v. 17. *Sicut ventus vrens dispergam eos coram inimico.* Iob cap. 27. v. 21. *Tollet eum ventus vrens, & auferet. & velut turbo rapiet eum de loco suo.* Hic ventus, & quia calidus, & quia vehemens, aptus ẽst non solum vt humorem e terra, & rorem e cælo, sed etiam vt fontes ipsos, qui e terræ visceribus ebulliunt, & ipsius etiam maris profunditatẽ exiccet. Exod. 14. v. 21. *Cùmque extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi, & vrente tota nocte, & vertit in siccum.* Hic obseruo, sicut in aliis similitudinibus, maximè prouerbialibus, subaudiri solet nota similitudinis, sic etiam hoc loco subaudiri debere. Quare sẽsus erit: Adducet Dominus Assyriorum exercitum, qui Ephraimitarum populetur fines, & omnes opes, & ornamẽnta diripiat, perinde, atque si ventum immitteret vrentem, & noxium, qui siccaret fontes, & omnem agrorum vbertatem, & luxuriem exureret.

PROVERB. Ventus vrẽs pro vi pestilenti, ac noxia.

72. Quoad secũdã partẽ *de deserto*, illud dico Hebr. esse קדים *cadim*, quod aliquid indicat Orientale. An verò sit Subsolanus, Vulturnus, aut Euroauster, qui omnes vocari possũt Oriẽtales, inter auctores non constat. Ego eo argumento adducor, vt credam esse Euroaustrum, tum quia à deserto perflat, per illud, inquam, desertum, quod peragrarũt Hebræi, cùm exierunt ex Ægypto, quod κατ᾽ ἐξοχὴν desertum appellatur; quod ita Orientale ẽst, vt ad Austrum inclinet. Tum etiam, quia ventus vehemens, & præceps sæpe aspirare dicitur ab Austro. Sanè Iob *cap. 9.* cum Arcturo, Orione, atque Hyadibus, nimbosis nempe signis, Austri interiora consociat, siue, vt LXX. vertunt, Austri promptuaria, vnde tempestates erumpunt: sicut ex rupe Æolide, vt nugantur poetæ, immanes ventorum turbines aspirant. Huic loco adde alterum ex *cap. 37.* & intelliges quantum habeat firmitatis nostra cogitatio. *Ab interioribus orietur tempestas.* quem locum plerique de meridie accipiunt, id ẽst, de Austro, sic sanè vertit Pagninus. Orientalis autem ventus ad meridianam plagam spectans Euroauster ẽst. Vide, quæ diximus in nostris commentariis super Isaiam ad illud *cap. 21. v. 1.* vbi cum ageret de hostili exercitu, qui Persicas virẽs contra Babylonios inuexit, ait: *Sicut turbines ab Africa veniunt, de deserto veniunt, de terra horribili.*

Ventus de deserto, quid.

Exsiccabit venas eius, & desolabit fontem eius.] Eadẽ sententia bis iterata. Idem enim ẽst vena, atque fons. In venis autem, & fontibus illæ significãtur opes, atque deliciæ, quibus abundabat Ephraimitis regio, quã exiccaturus, id ẽst, spoliaturus erat Assyriorum exercitus. Hieronymus, qui in vento vrente Christum agnoscebat, illum à meridie, siue ab Austro perflare dicit, iuxta illud Abac. 3. *Deus ab Austro veniet, & sanctus de monte Pharan.* qui vtique in solitudine situs ẽst, & meridiana plaga. Hic autem siccat venas, & fontes mortis; peccata videlicet, quæ in hominum fines mortẽ inducunt. Desertum porrò vnde ventus iste ardẽs erupit, ẽst humanũ genus. *In quo, inquit, diabolus quærens requiem inuenire non potuit, siue desertũ intelligimus sanctæ Mariæ vterũ virginalem, quod absque semine humano nulla frutice pullulauerit; sed virga simplex, atque purissima, & vnione fœcunda ediderit eum florẽ, qui dicit in Cantico Canticorum: Ego flos cãpi, & lilium conuallũ.* 73.

Christus ventus de deserto.

Et ipse diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis.] 74.
Hinc iam, opinor, apertẽ loquitur, & propriè, non allegoricè, neque enim aptè thesaurus, & vas desiderabile cum vento, ac turbine conueniũt. Thesaurus propriè pecunia dicitur in terra abscondita, cuius nulla extat memoria: at impropriè, & latiori forma dicitur quicquid pretiosũ ẽst, siue illud in pecuniis, siue in bonis quocũque modo numeretur. Imò per metonymiã vas omne, siue arcula, in qua pretiosum aliquid obsignatur, & clauditur, thesaurus nominatur. Quo modo *Matth. c. 2.* Magi apertis thesauris, id ẽst, arculis, obtulerunt munera, aurum, thus, & myrrham. Patet etiã thesauri nomen ad omnia humana commoda, qualia sunt, quæ in horreis, promptuariis, ærariis, atque apothecis seruantur. Quæ verò hæc sint, expressit Ezechiel c. 38. *Ecce ad diripiendam prædam congregasti omnem multitudinẽ tuam; vt tollas argentum, & aurũ, & auferas supellectilem, atque substantiã, & diripias manubias infinitas.* Dũ ergo diripiẽdus dicitur ab Assyriis thesaurus omnis vasis desiderabilis, significatur planè nihil in Ephraimitide regione ab Assyriorũ vi, atque rapina futurũ esse reliqui. Sũt porrò vasa varia, quibus varia item thesaurorũ genera cõtinentur: alia vnguenta continent, quæ myrothecia dicũtur, alia aromata, quæ pyxides, alia medicamenta, quæ narthecia, alia, quæ pecuniam, quæ fisci, alia quæ aurũ, gemmas, & ornamẽta, ad fœminarum delicias, & luxum molliorem, quæ cõmuni vocabulo arculæ dicuntur. Quicquid ergo in his vasis desiderabilibus ab auaris, & locupletibus, siue ab elegantibus, & lautis, studiosè seruatur, siue in auro, & gemmis, siue vnguento, atque aromate, siue in veste, instructúque geniali, mundóve muliebri, id totum ab Ephraimitide regione irruptione hostili ad Assyrios transibit. Hæc de capite 13.

Thesaurus quid.

Thesaurus pro vase.

IN CAPVT DECIMVMQVARTVM

ARGVMENTVM.

PRÆDICIT *primùm Deus, quid propter peccatum Samariæ calamitatis impendeat. Deinde ad pœnitentiam, id est, ad meliorem mentem hortatur, & optimam præscribit orandi, ac pœnitendi formam. Conuerso verò populo magna promittit, eaque præclaris similitudinibus illustrat, & amplificat. Significat tandem optare se*

Digitized

maximè, vt omnes intelligant, quæ sint parata, & iusto præmia, & præuaricatori supplicia. Quæ totius huiusce prophetiæ videtur esse peroratio.

CAPVT XIV.

1. PEreat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitauit Deum suum: in gladio pereant, paruuli eorum elidantur, & fœta eius discindantur.

PARAPHRASIS.

A 1. PEribit Samaria, quia absynthij populum Domino peccãdo porrexit, fecitque vt ipsum experiretur amarum, & durum. Peribunt viri, adulta iam, atque cõstanti ætate, gladio: paruuli allidentur ad saxa, & discisso prægnantium vtero, tã ipsæ matres, quàm immaturi fœtus, in ipsarum visceribus extinguentur.

2. Conuertere Israel ad Dominum Deum tuum: quoniam corruisti in iniquitate tua.

2. Quod si declinare studes, ô Ephraim, abiice religionem impiam, quam contempto Domino complexus es, téque totum ad Deum verte, atque ex animo conuerte: B neque enim aliam ob causam hæc tibi impendent infortunia, nisi quia à Deo peccando recessisti.

3. Tollite vobiscum verba, & conuertimini ad Dominum: & dicite ei: Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum: & reddemus vitulos labiorum nostrorum.

3. Reuertere igitur ad Dominum, & verba tecum assume, non vana, & à sano sensu vacua, sed viro digna pœnitente, & sano: & dic ad Dominum, quem studes ad misericordiam inflectere: Obsecro, Domine, ab omni me peccatorum meorum labe purifica, vt bonum tibi sit, & gratum sacrificium, quod dehinc ad tuam laudem, & C obsequium immolare meditor. Reddam enim tibi pro beneficiis labiorum meorum fructus, gratiarum nempe actiones, quæ tibi non erunt gratæ minus, quàm teneri, atque immaculati vituli, qui tibi, puro atque legitimo ritu, ad aram immolantur.

4. Assur non saluabit nos, super equum non ascendemus, nec dicemus vltrà: Dij nostri opera manuum nostrarum: quia eius, qui in te est, misereberis pupilli.

4. Superiora consilia, quæ tibi displicuisse scio, & doleo, meliore iam mente detestor. Quare fateor, neque ab Assyriis, neque ab equis, neque ab alio quouis instructu militari, sperari posse libertatem, & salutem: neque saxo aut ligno, quæ manus D nostræ ad species informarunt alienas, aliquid esse numinis apertè confiteor: neque illa deinceps Deum, aut seruatorem meum salutabo. Tu enim verè Deus, & seruator es, quia populi tui, iam tamen quasi pupilli, ab omni auxilio ac prudentia destituti, ipsa cogente naturæ bonitate, misereberis.

5. Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontaneè: quia auersus est furor meus ab eis.

5. Ad hanc vocem pœnitentis animi, ac seriò superioris ætatis peccata detestantis, respondebit Dominus iam placatus: Ego quicquid malorũ passus est, Ephraim, E quodcunque acceptum ab hoste detrimẽtum cumulatè reficiam, & quos auersos oderam, conuersos iam à seipsis, ego quoque à furore meo conuersus spontaneè diligã.

6. Ero quasi ros, Israel germinabit sicut lilium, & erumpet radix eius vt Libani.

6. Sicut herba in arido, atque sitiente solo, marcida est, & radix eius ita exsuccis, & languida, vt perquam pusillum distet à mortua: si illam cælestis imber largiter irroret, recreatur illicò rediuiua radix, & se-

7. Ibunt nescenti

A nescenti iam & morienti herbæ nitorem, quam amiserat, restituit, & auget. Sic ego ero quasi ros Israeli, quo germinabit adeò diffusè ac pulchrè, vt cũ lilio possit de suauitate, ac venustate contendere, & emortua radix, non minus crescet, cõfirmabitúrque, quàm illarum plantarum profunda, atque diffusa radix, quæ nascuntur in Libano.

7. Ibunt rami eius, & erit quasi oliua gloria eius, & odor eius vt Libani.

7. Hæc porrò radix iam rediuiua & firma, propagines suas (in quibus magna significatur & pulcra posteritas) latè quoquò B versùs exporriget, eritque gloriosa, quasi oliua nouellis circumfusa termitibus, & sicut arbores, quæ thure stillant odorata.

8. Conuertentur sedentes in vmbra eius: viuent tritico, & germinabunt quasi vinea: memoriale eius sicut vinum Libani.

8. Qui verò ab impiis idolorum sacris conuersi fuerint, sub huius arboris vmbra vitali pariter atque amœna requiescent, & quos priùs, belluarum instar, victus videbatur aluisse ferino similis, humano viuent, nempe triticeo. Victu autem illo generoso ac pingui, sic erunt nitẽtes ac fœcundi, sicut vitis, quæ numerosis oneratur racemis, & multiplici, ac læta palmitum propagine vestitur. Et sicut priùs, sic erant odiosi ac C viles, vt illorum nomen non audiretur, sine molestia ac nausea, postea sic erunt honesti ac grati, vt illorum nomen atque memoria, eam audientibus suauitatem inhalet, quàm vinum illud, quod aromate de Libano conditur.

9. Ephraim quid mihi vltrà idola? ego exaudiam, & dirigam eum ego vt abietem virentem: ex me fructus tuus inuentus est.

9. Quid igitur vltrà idola quærit, consulit, & veneratur Ephraim? Idola neque audiunt, neque dirigere, aut fortunatos præstare possunt cultores suos. Ego vtrumque faciam: audiam enim supplices, & dirigam: & cùm antè fuerit, sicut aridum lignum, efficiam tamen sicut abietem, cuius D eximia proceritas est, & grata viriditas: habebit etiam à me, vt cum hac viriditate, ac specie, fructus quoque habeat, quibus caret abies.

10. Quis sapiens, & intelliget ista? intelligens, & sciet hæc? quia recta viæ Domini, & iusti ambulabunt in eis, præuaricatores verò corruent in eis.

10. O vtinam aliquis ita sit sapiens, vt intelligat ista, quæ à me per Prophetam edicta sunt Ephraimitidi Genti, & ita intelligens, vt hæc non ignoret. Nempe, viam Domini viam esse rectam, per quam iusti ambulant, & consequuntur vitã, & à qua si præuaricator aberrauerit, qui illam nouit, atque contempsit, rapietur ad mortem.

Vers. 1. *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitauit Deum suum.*]

1. QVIDAM hoc finem esse volũt capitis 13. non exordium 14. Ita dispungunt Albertus, atque Dionysius. Neque displiceret ista distinctio, nisi contra staret commentis. Cùm enim actum esset in fine de his incõmodis, quibus affectus fuit Ephraim, siue Israel, (qui Samariæ nomine intelliguntur) quæ ad opes, seu ornamenta pertinebãt; neque quicquam esset audi- E tũ de plagis, aut vexationibus aliis, quibus Ephraimitæ ipsi essent ab hoste victore conficiendi, aut superbè iactandi; nunc illa adducit, quæ in seipsis excipient vulnera, siue à bellatoribus, siue à prædatoribus Assyriis, quorũ non esset futura minor in diripiendo, quàm in dimicãdo crudelitas. Quare optimè videbãtur posse coniungi cum aliis infortuniis, quæ in capite præcedenti à nobis explicata sunt. Vnde etiam existimabamus suprà probari

bari posse superiora de temporaria Ephraimitarũ clade esse intelligenda, quando non aliter hęc cõmodum habet, & expeditum sensum; sed retinenda est communis, & antiqua distinctio.

2. Adhibet hic vulgatus imperatiuũ, seu, vt vult Hieronymus, optatiuũ, quasi optet, precetúrque Propheta, vt malè pereat Samaria; seu Ephraim, quæ, congeminandis peccatis, tam fuit odiosa, atque molesta Domino. Sed alij frequentes in modo hæc imperatiuo statuunt, putántque hîc nihil aut optari, aut imperari à Propheta, sed tantùm quid postea futurum sit vaticinando prædici. Sumi autem imperatiuum pro futuro, & docent cõmuniter Patres, & exempla occurrunt in Scriptura frequẽtia. Sanè docet idem Hieronymus ad illud 11. *Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa.* & Augustinus ad illud Psalm. 78. *Effunde iram tuam in Gentes, quæ te non nouerunt.* Prædicit itaque Propheta futurum aliquãdo, vt talia patiatur Samaria, qualia hîc commemorantur. Cur verò his afficienda sit plagis, illa proponitur iustissima causa, quia dũ obstinato consilio hæret in peccatis, Deum, cuius voluntati seruire debuit, gratúmque, ac iucũdum obsequium præbere, ad amaritudinẽ prouocauit. Hebr. מרתה maretbah, quæ vox *amaricare*, seu *amaritudine replere*. Sic Thren. cap. 1. *Iustus est Dominus, quia os eius ad iracundiã prouocaui.* Ruth 1. *Amaritudine valde repleuit me Omnipotens.* Iustè igitur

3. hæc tot incommoda manent Ephraimitas, quia Deum amaricarũt: & cùm tam esset suauis, & mitis, vt nectare stillaret, & melle, porrecto ex felle, atque absynthio poculo amaritudine repleuerũt. Quare si quid contra nos fellis habet, si quid durum, si verba ex eius ore tonant horribile aliquid, & hostile, illa non fundit vltrò natura liberalis, & mitis, sed violenter extorquet, & morum improbitas, & in peccando proteruus, & obstinatus animus. Hoc ipsum agnouit Ieremias vbi proximè; qui cùm nõ dissimilibus iactaretur incommodis, iustum appellabat Deum, neque eius accusabat seueritatem, sed suam potiùs inurbanitatem, & amentiam, qua sibi Deum reddidit amarum, & durum. *Iustus est*, inquit, *Dominus, quia os eius ad iracundiam prouocaui.* Verbum מרה marah rebellare etiã & apostatare significat; & hîc satis accommodatè; nam Ephraim dum vitulos adorat, & alios sibi Deos recentes conflat, à vero Deo deficit; & quia ad alienam transfugit fidem, & inimica castra, rebellis est, & quẽ prius parentem benignũ, & prouidũ, nunc hostem experitur amarum, & durum.

4. *Paruuli eorum elidantur, & fœta eius discindantur.*] Non legimus hæc accidisse quo tempore Samariam, totamque regionem Israelitidem oppugnarunt, & vastarunt Assyrij; sed contigisse nemo pius negare, aut dubitare potest, cùm tam ab Osea apertè prædicantur. Neque enim omnia, quæ gesta sunt, in propriis locis à sacris scriptoribus narrantur, vt diximus suprà *cap. 12. num.* 20. Facta tamen cognoscimus, aut quia prædicta, aut quia ab aliis obiter aliis de causis commemorata. Sanè non constat Hebræorum infantes, cùm à Chaldæis obsideretur Hierosolyma, allisos esse ad petram, ex eo tamen cognouimus, quia idipsum passuri dicuntur Babylonij in retributione, id est, vt talia ipsi ferant, qualia Iudæis vbi in suam potestatem redegere intulerunt damna, Psal. 136. *Filia Babylonis misera. Beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis. Beatus, qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram.* De fœtarum discissione, & euisceratione nihil habemus expressum in sacris historiis, sed negare factum

Regula. Imperatiuus pro futuro.

Nostra peccata Deum amarum faciunt.

Mulieres pregnantes discissa, infantes allisi.

A esse, nefas. Fieri verò solitum ab hoste barbaro, maximè vbi iniuriis lacessitus est animus, aliqua nos exempla ex Scriptura sacra docét. Manahem rex Israel, vt habes lib. 4. Reg. cap. 15. v. 16. *Percussit Thapsam, & omnes, qui erant in ea*, &c. *& interfecit omnes pregnantes eius, & scidit eas.* Hoc ipsum obiecit Elisæus Hazaeli regi Syriæ lib. 4. Reg. cap. 8. v. 12. *Scio quæ facturus sis filiis Israel mala, ciuitates eorum munitas igne succendes, & iuuenes eorum interficies gladio, & paruulos eorum elides, & pregnantes diuides.* Hoc idem Amos *cap. 1. v.* 13. numerat in peccatis Amon, *quòd dissecuerit pregnantes Galaad.* qua de re nos ibi pluribus postea.

B Vers. 2. *Conuertere Israel ad Dominum Deum tuum, quoniam corruisti in iniquitate tua.*] Hinc quidam caput 14. ordiuntur, quia aliud est argumentum, cum quo, quæ proximè antecesserunt, non videntur aptè posse contexi. Sed nos communem sequimur diuisionem, neque admodum referre existimamus, siue ad filum, siue ad sensum orationis, hoc ne, an illo modo distinguas. Monet autem Propheta Israelem, decem nempe tribus, quas sæpe Ephraim, proximè verò Samariæ nomine compellauit, vt si declinare velit infortunia, quæ iamiam impendent ab Assyriis, abiiciat religionem impiam, quam contempto Domino complexus est; séque totum ad Deum, à quo vno sperari salus potest, verè atque ex animo referat. 5.

C Neque enim aliam ob causam patitur, nisi quia à Domino peccando recessit. Illud *in iniquitate*, idem valet, quod propter iniquitatem. *in* enim interdum idem est, quod *propter*, quod alibi suprà à nobis obseruatum est.

Vers. 3. *Tollite vobiscum verba, & conuertimini ad Dominum, & dicite ei.*] Instruit populum iam dudum veræ religionis rudem, & ignarum, quia falsæ pertinaciter adhæserat, docétque quo precationis genere vti debeat; & quæ sit ad Dominum vera, nõ fallax, atque fucata conuersio. Verba non sunt informes soni, quos nõ fingit humana ratio, quales sunt, qui ex duorum corporũ collisione resonant, aut inconditæ, & agrestes bellu- 6.

D arum voces, quas expromit furor, aut immoderatus alius belluarũ affectus; qui à natura prouenit rationis experte, quæ à sensu regitur, non à ratione, siue consilio. Cùm homines à natura sentiẽte rapiuntur, vocésque proferunt, quas sentiens potius natura, quam rationalis expromit, non verba loquuntur, sed voces, aut sonitus, qui, vt à sana mente non sunt, sic etiam negantur hominum esse, & magis à prudentibus belluinæ vocantur. Sanè qui stultè loquitur; vt qui magnifica de se iactat, aut furore præceps omnia minatur, cui timor mentem, & consilium eripuit, qui gratiam ab alio assentatione captat, fundere dicũtur vacuos à mẽte, id est, irrationales sonos. Et alij latrare, alij fre-

E mere, rugire alij, alij rudere, rugire, grũnire, & vlulare existimantur, dum certarum belluarum affectionibus seruiunt. Tales vocari possunt, qui ad vanos, & sine mente Deos aut preces effundunt, aut legitima ineptæ religionis forma vota concipiunt. Hos igitur hortatur Propheta vt ineptiri desinant, & belluinum in morem agrestes fundere, & sine mente sonitus. Assumant verba, homine nempe digna, qui à Deo, atque à ratione regitur, quæ sunt ad salutem, omittat illa, quæ & nulli sũt vsui, & insignem hominum stuporem, & amentiã produnt. Illa verò verba propriè, ac verè nominari possunt, quæ ab animo proueniũt, qui conuersus ad Deum, nil vanũ, aut infantile cogitat. Verba essent sanè à bona mente vacua, si quispiam, cùm

Verba, quid propriè.

Variorum affectuum variæ voces.

cùm parentem domi, aut filium haberet extinctũ, & iã proximè mandandum sepulturæ, aliquid tamen cantaret lætum, aut superba effutiret, nõ tristia meditaretur, aut loqueretur verba. Si quispiã item ad mortem saucius superbos spiritus, sermonis ambitioso fastu difflaret, nec vocaret medicũ, & omne remedium ad auertendum præsens illud periculum aduocaret. Dat igitur Propheta verba ægrotãti populo, & iamiã morituro breuiter opportuna, quæ iubet vt iterũ, ac sæpius ingeminet; quæ sanè quàm aptissima sunt, vt cladẽ auertant impendentem, & incitatum diuinum animum ad vindictam, ad leuitatẽ, & misericordiã inflectant.

8. *Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonũ.*] Hæc sunt verba, quæ tollere secum debeat homo peccator, nempe vt oret Deum, vt ab omni iniquitate purificet. Quæ petitio in sacris literis frequentissima est, & his, qui orationem ingrediuntur, familiaris. Sic Dauid Psal. 50. *Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.* Dum autem oratur Deus, vt omnem auferat iniquitatem, vt optimè hîc Hieronymus, oratur vt non solùm peccata, sed etiam omnes peccatorũ fibras euellat, ne qua sit radix amara, quæ clandestinè ac sensim aliquid peccatorum iterum parturiat. Audi Hieronymum. *Docetur hic* (peccator) *quo modo debeat agere pœnitentiam. Tollite, inquit, vobiscum verba, id est, preces, & delictorum confessionem, & conuertimini ad Dominum tam verbis, quam operibus, & dicite ei: Omnem aufer iniquitatem, nihil languoris in nobis, & ruinæ pristinæ derelinquas, ne rursus mali seminis pullulent rediuiua plantaria.*

Auferenda peccata, & illorum fibræ.

9. *Et accipe bonum.*] id est, & accipies à nobis bonum. Imperatiuus enim apud Hebræos vices obit futuri. Bonum triplex constituitur à Philosophis, honestum, vtile, iucundum. Nullum horũm solidum, & verum ab homine peccatore præstari potest, aut offerri Deo. Solidum dico, quódque tanti nominis mensuram implere debeat; nam de bonis aliis moralibus, & leuioris ordinis quæstio est inter scholasticos Doctores controuersa. Vt igitur peccatrix anima aliquid possit offerre Deo bonum, quod videlicet honestum sit, id est, iuxta legem, & ordinem, quem Deus sanctæ, ac legitimæ oblationi præscribit: vt gratum sit, neque nauseam moueat necesse est, vt à se omnem peccatorũ immunditiam, omnem graueolentiam extergat, offerebant sub hæc tempora Iudæi sacrificia plurima, in quibus ipsi sibi valde placebant; sed quia ab impuris animis, & pollutis manibus offerebantur, ad illa Dominus fastidiente stomacho nauseabat. Grauiter hæc Isaias cap. 1. à v. 11. *Ne afferatis,* inquit, *vltrà sacrificiũ mihi, incensum abominatio est mihi.* Id igitur hac exhortatione agit Propheta vt iniquitatem Deus ab animis, & sordes omnes abstergat à manibus, vt bonum ipsi sit, & gratum, quod deinde sacrificium, & obsequium parat. Hoc Hieronymus paucis complexus est. *Nisi tuleris mala nostra, bonũ tibi, quod offeramus, habere non possumus. Iuxta illud, quod alibi scriptũ est Psal. 36. Declina à malo, & fac bonum.*

Nullum bonum solidũ offerri à peccatore posse.

10. Libet hîc attexere auctoris non boni, fortasse non malam expositionem: fieri etenim non rarò solet, vt inepti non semper inepta, & barbari, atque inerudìti non semper barbara, atque inerudita loquantur. Interdum, vt est in prouerbio, olitor valde opportuna locutus est. Rab. Dauid ex aliorum Rabbinorum sententia illam esse magnam pœnitentiam existimat, quæ venit vsque ad Deum. Sic enim illi legunt, *Conuertimini vsque ad Deum.* Quo illi sensu dixerint, non laboro, illud dico, ibi veram esse pœnitentiam, vbi vera fuerit conuersio, quæ hominem terrenis adhærere non sinit, sed illum ad eum tam potenter attollit, atque sublimiter, vt præ Deo reliqua contemnat omnia, neque pluris faciat, quàm stercora, aut quæ vulgo detrimenta existimantur. Sunt conuersiones quædã infirmæ, & languidæ, quales sunt illorum, qui ægro, atque exhausto corpore in lecto decumbunt, qui non tã se cõuertunt, quàm vertunt in grabatis, & cùm ab vno se vertunt latere, in alterum incumbunt. Quare quocunque modo iacent in lecto, neque stant, aut ex illo alacres exiliunt. Hi verò sunt, qui ita vnũ detestantur peccatum, vt alterum ament: sic vnum euitant, vt adhæreãt alteri. Hi quia duobus dominis seruire, aut placere non possunt, ad Dominum vsque non perueniunt. Quæ sit perfecta conuersio, dixit Gregorius in lib. 3. Reg. cap. 7. *Perfectè,* inquit, *conuertitur, qui quod semel prauè egerat, plangit: quod rursum plangat, vltrà non repetit.* Aug. *serm. 3. in Dominic. 1. Quadrag.* illum conuersum esse negat, qui priorum cicatrices vulnerum resauciat: vnde Origenes *in c. 34. Exodi, homil.* vbi, quæ sit auersio, & quid vera conuersio, optimis exemplis probat & amplificat. Conuersio, vt ait hîc Albertus, mutatio situs est, vt quæ sinistrà sunt, dextera fiant, & contrà sinistra, quæ dextra fuerant: quæ anteriora, priora; quæ superiora, inferiora. Ad quem locum, & gradum nisi peruenerit, qui sibi in pœnitentiæ nomine gratulatur, sanè ad Dominum vsque non perueniet. Perituras opes atque fugaces priores habet auarus, cælestes autem, & æternas posteriores: necesse est vt harum opum situm, & ordinem conuertat, si Deo gratus esse vult, id est, priori loco statuat cælestes, posteriori fugaces, & humanas. Excesserat Agar è domo Saræ, cui seruire debuit, cùm esset ancilla; dominam tamen suam despiciebat, cùm illam sterilem videret, se verò iam ex Abrahamo grauidam; quare superiori se loco positam arbitrabatur. Hanc Angelus monet non solùm, vt rediret domum, vnde excesserat, id enim non tam esset cõuerti, quàm reuerti, sed vt illi se humiliaret, id est, vt Sarã priori, se verò ipsã posteriori loco, atque ordine constitueret. *Reuertere,* inquit, *ad dominã tuã, & humiliare sub manu illius.* Gen. 16. v. 9. symbolũ illustre fuit conuersionis, & pœnitẽtiæ veræ ægrotus ille, qui triginta & octo annis paralysi resolutus decũbebat in lecto, qui tunc inuentæ sanitatis, & conuersionis veræ documentũ dedit, quãdo inuerso prorsus ordine omnia mutauit. Nã qui priùs deses, inérsque dissolutis neruis iacebat in grabato, idẽ pòst alacer, & vegetus ambulabat: qui priùs lectũ habuit quasi solatiũ, & ignaui corporis subsidiũ, in quo supposito decubuit, idẽ lectũ superposuit humeris: & qui substratus quieti, ac leuamẽto, sublatus oneri, atque molestiæ fuit. Hoc totũ fecit, qui corporis infirmitatẽ sustulit, neque minora facit idẽ Dominus, qui iniquitatẽ, id est, animi morbũ ab homine depellit.

Vera cõuersio, quæ.

11. *Imperfecta conuersio.*

12. *Et reddemus vitulos labiorum nostrorum.*] Vituli labiorum, vt est cõmunis interpretũ sententia, laus est Dei: in quam grati pectoris homines labia cõformant, dum diuina erga se beneficia recognoscũt. Ita cum Hieronymo hîc, & Gregorio *in lib. 1. Reg. c. 1. in fine,* frequentes alij. Septuaginta *fructus labiorum.* Et quidem si quis fructus est labiorum, ac linguæ, hic maximus est. Neque ad alium finẽ aperiri, atque laxari sibi labia postulabat Dauid, cùm dicebat Psalm. 50. *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudẽ tuam.* Hoc ipsum docuit

Quã grata Deo laus.

optimus interpres Paulus ad Heb. *cap.13. v.15.* iuxta Septuaginta lectioné. *Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius.* Porrò hoc sacrificiũ Deus vitulis præfert Psalm.49. *Nunquid manducabo carnes taurorum, an sanguinem hircorũ potabo; immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.* Et Psalm.68. *Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude. Et placebit Deo super vitulum nouellũ cornua producentem, & vngulas.* Tũc verò hoc sacrificium bonum est, & gratum Deo, cùm ablata est ab animo peccatoris iniquitas. Eccli. cap.15. v.9. *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* & Psalm.49. v.16. *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum.* Homines etiam laudari vetat Seneca *epist.54.* ob eorũ laudes, quos non possint ipsi laudare: quippe improbi laus nó tam videtur comẽdare, quàm damnare quæ laudat, cùm illos plerunque laudemus, qui suis moribus nostros non reprehendunt.

13. Appellantur autem diuinę laudes vituli labiorum: id est, sacrificiũ gratissimum Deo; quale existimabatur illud, quod ex vitulis adhuc nouellis offerebatur, in quibus nihil esset durum, nihil scabrum, & fœdum, omnia tenera, ac pulcra, cùm illi ætati nihil inesset torui, nihil a syluis, nihil ab aratro accessisset, quod aliquis timere, aut horrere possit. Ideo *Psalm.68.* dum gratissimum Deo sacrificium describitur, vitulus proponitur, cuius adhuc vngulæ teneræ sunt, & cornua tunc primùm è fronte pullulant. Puto autem subaudiendam hîc esse similitudinis notam; in hanc sententiã. Reddemus tibi laudem, & gratiarum actionem, quæ tibi erit instar vituli, qui legitimo ritu ad arã immolatur. Ita exponit Chaldæus. *Sint sermones labiorum nostrorũ accepti apud te, veluti boues in gratiam, & bene placitum super altari tuo.*

Gratũ Deo sacrificium laudis.

14. Illud hîc non omittendum, quod Ribera testis ipse præsens, & oculatus audiuit, cùm ad conuẽtus generales, quos tunc indixerat omnibus prouinciis Societas, Romam esset profectus. Adfuit ipse tunc Iudæorũ conuẽtui, ad quos Christianus quidam ex Iudæo valde doctus orationẽ habuit, in qua hunc Oseæ locũ eruditè versauit, & explicuit. Cùm hoc tẽpore à multis antè sęculis Iudęi, neque tẽplum habeant, neque extra tẽplum sacrificia vlla possint obire legitimè, ea se cõsolatione sustentãt, quod quæ manibus offerre, & cultris iugulare non possunt, labiis tamen offerunt, dũ hæc ipsa præcepta a legislatore de victimarũ immolatione tradita, in Synagogis legunt; quod labiorũ opus, & sacrificiũ est. Id autẽ prædictũ esse putant ab Osea, dũ ait: *Reddemus vitulos labiorum.* & eo à se modo credunt satisfactum esse legi. Illorum insaniam confutabat ille Christianus è Iudæo, aliter interpretans Oseæ locum, quàm putabant Iudæi. Dicebat enim hunc esse illius loci germanũ sensum: Reddemus tibi vitulos labiorum, id est, quos tibi tunc promisimus, cùm grauibus vrgeremur incommodis, quæ explicatio neque tunc Riberæ; neque mihi modò visa est improbabilis. Talis videtur esse illa Dauidis Psalm. *65. Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea. Et locutum est os meum in tribulatione mea. Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum, offeram tibi boues cũ hircis.* Hęc tamen explicatio, licèt acuta, nó tamen omnino apparet expedita, quia supponit Ephraimitas aliquid ante hoc tempus vouisse Domino, quod tamen illi tempori, quo ab vrbe, templóque recesserat, fecisse non est admodũ consentaneũm. Placet quod de laudibus pro diuinis beneficiis exol-

De vitulis labiorum quæ Iudæorum sententia.

A uendis, suprà visum est Patribus: in quibus nihil occurrit durum, atque distortum.

Sunt qui hæc explicari posse putent de peccatorum confessione, quæ labiorum vitulos multis de causis appellari potest. Burgensis hic glossam quandam citat Hebræorum, quæ in labiorum vitulis pœnitentiam, & peccatorum confessionem agnoscit. Quæ glossa sine dubio est Rab. Dauid, quam Figuerius adducit, qui hunc Oseæ locũ sic expónit. *Loco vitulorum reddemus coram te confessionem labiorum nostrorum, id est, factã per labia nostra: quia magis placent verba, & sermones pœnitentis, & conuersionis. Siquidem sacrificia nihil prosunt sine confessione iniquitatis: quoniam de omnibus dicitur Leuit. c. 5. v.5.* (vbi de B sacrificio agnę ac caprę sermo est) *agat pœnitentiam pro peccato. Heb. confiteatur, quòd peccauit. Et similiter hircus emissarius Leuit. 16. nihil aliud continebat, quàm verba cõfessionis peccatorum.* Appellari porrò vitulus confessio potest, primùm quia peccatorũ cõfessio sacrificium quoddã est, vt dicit Ambrosius epist. 28. ad Theodosium. *Erant,* inquit, *tunc* (in tempore Dauidis) *sacrificia pro delictis, hæc nunc sunt sacrificia pœnitentiæ.* Et Psalm.50. sacrificium vocatur *cor cõtritum, & humiliatum,* quale habere debet, qui non indignus vult ad Pœnitentię sacramentum accedere. Hic verò si Septuaginta translationẽ sequaris, maximus est labiorũ fructus, cùm ex illis colligatur iustitia, & sãctitas. Isai.42. *Dic tu prius peccata tua, vt iustificeris.* Si cũ vulgato vitulos legas, qui immolantur, & cultrũ ad aras patiuntur, verè pœnitentia, & auricularis homologesis, quæ illius nobilissima pars est, vitulus vocatur, quia reuera ibi sacrificium fit (si rem ad vulgi, carnaliúmque hominum opinionẽ, & censuram expendas) cruentum, & durum. Cùm non minus immolẽtur seuerè, quæ amat homo, & omni studio, atque solertia venatur, quàm vitulus, qui dũ cultros subit sacrificales, vitam suam cum sanguine profũdit. Audi Chrysostomum homil.42. in Mat. *Non paruus est hic cruciatus animæ, nec quantus sit ab alio cognoscitur, nisi ab eo qui compunctus est: qui non ignorat hac re animam in hac vita maximè torqueri, nec est nescius quantus dolor ex memoria peccatorũ nascatur. Quas ob res iustitiam Deus huic pœnitentiæ in præmium proposuit, dicens: Dic tu prius peccata tua vt iustificeris.* Isai.42.

Peccatorum confessio victima similis.

15. (in margin beside "Sunt qui hæc explicari")

16. *Quæ in confessione dura.*

17. Similia habet Tertullianus *lib. de Pœnit. cap. 9.* Neque sanè leuis est dolor, atque cruciatus à pudore, qui vsque adeò graue telũ est, vt homines aliquando confecerit. Notum est quod de Diodoro refert Plin. *lib.7.c.53.* qui quòd quæstioni ab aliis publicè propositæ satisfacere non posset, sic erubuit, vt in ipso Philosophię stadio exanimatus obierit. Et nostris tẽporibus contigisse audimus, vt non pauci viri nobiles pudore ipso deterriti maluerint perire fame, quàm aliena misericordia mẽdicatò viuere: quòd planè indicat maiorem inesse vim cruciatus pudori, quàm fami. At quantus pudor est detegere in cõfessione peccata, quæ virgo E cõtra votum, & pudorem admisit, quæ vir nobilis contra datã imperatori fidem, & mille alia, quæ ne in alicuius cognitionẽ, & aspectũ veniãt, qui ingenio pudico, ac nobili est, quocunque rerum detrimento, ac vitæ etiam dispendio emeret.

18. Hæc satis indicant in confessione aliquod apparere specimen sacrificij, ac vituli, qui ad altarẽ immolandus adducitur. Neque tamen ideo probanda est illa hæreticorum impia, atque inepta vox, quæ confessionem conscientiarum carnificinam appellat, illámque quasi crudele aliquid, & naturæ contrarium auersatur & horret. Quasi crudelem appellarit quisquam sanæ mentis homo

mo artem medicam, aut chirurgicam, quæ carnificinæ cuiusdam instar habet; quæ per summos interdum cruciatus male luxatum, aut vlcerosum hominem sanitati restituit, & a morte vendicat, vrendo, secando, luxando, ac distorquendo membra, cùm aliter neque seruari possit vita, neque restitui salus. Dixit hoc ipsum Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. dum illam hæreticorum vocem ineptam damnat. *Ipsa,* inquit, *huiusmodi confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia grauis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis, & consolationibus leuaretur, quæ omnibus dignè ad hoc sacramentũ accedentibus per absolutionem certissimè conferuntur.*

19. Atqui dicunt, grauis est pudor, neque pauci sunt, qui verecundiam illam subire non audent, atque ideo omnino à confitendo abstinent; & qui multa in confitendo aut silentio prætereunt, aut verborum obscuris ambagibus sic inuoluunt, vt omnino lateant quantumuis attenti sacerdotis intelligentiam. Sanè regula ab insipientibus, quorum infinitus est numerus, sumenda non est. Nam si stultorum habenda esset ratio, omnis esset disciplina relinquenda, deserendæ leges, iustitia, & æquitas omnino prodenda, quibus communis, & publica ratio continetur, quia plurimi sunt, qui leges oderunt, cùm vitam habere velint ab omni ratione recta dissolutam, multi, qui propter mentis stuporem magna interdum abiiciunt, & vitæ subsidia, & dignitatis ornamenta propter momentaneam aliquam, & turpem voluptatem. Stultus sanè fuit Esau, qui ne tantisper famem toleraret primogenituram amisit, stultus Lysimachus, qui, vt sitim sedaret, cum libertate regnum, & honorem prodegit. Stulti alij ex omni ordine, atque ætate quamplurimi, qui res, quæ magno in pretio habentur à prudentibus, atque adeò vitam ipsam cum rebus ludicris, & falsa specie ludificantibus, aut cum turpi voluptate permutant. Nunquid qui bene rempublicam constituere vellet in ferendis legibus horum stuporem, & insaniam in consilium vocabit? An ideo damnanda medicina, aut ars chirurgica, quam Scriptura tantopere commendat, quia multi delicati, ac molles perire malunt, quàm amaram haurire potionem, quàm secari, atque vri, quàm à cibis suauibus, & noxiis abstinere? Facessat igitur tam impia, tam fatua, tàmque inuerecunda vox, quæ iam pridem sanctorum oratione grauissima confutata, auctoritate depulsa à superioribus sæculis obsolebit. Lege Tertullianum *lib. de pœnit. à cap.* 9. Origenem *homil.* 2. *in Psal.* 37. August. *lib.* 2. *de visitatione infirmorum. cap.* 5. Vbi post alia hæc ad extremum addidit, *Heu cur erubescis confiteri, quod facere nequaquam erubuisti? melius est coram vno aliquantulum ruboris tolerare, quàm in die iudicij coram tot millibus hominum graui repulsa denotatum labescere.* & lib. de decem chordis. *Melior est medica amaritudo in faucibus, quàm æternus cruciatus in visceribus.*

Quod stulti velint & sentiant, in ferendis legibus curandum nõ est.

Confessionis vtilitas.

20. Vers. 4. *Assur non saluabit nos.*] Hoc ad veram conuersionem pertinet, quæ mentẽ mutat, illámque ad sanam, & meliorem cogitationem traducit. Audierat populus sæpe vanam esse spem, quã in hominum præsidiis collocarat, neque ab alio quàm à Deo sperari posse libertatem, & salutem; ipse autem ab humano brachio ad futurã sibi firmitatem, & subsidium putabat, quo vim omnem hostilem, & detrimentum auerteret. Iam verò experientia edoctus, & adductus pœnitentia dicit, infirmã sibi videri Assyriorum potentiã, eorúmque auxilium magnificè decãtatum, nihil habere præter superbos, & inanes sonitus, quibus neque vis inest vlla, neque si inesset, constans esset, & fidelis promissio. Porrò in Assur omne externũ, & humanum auxilium significari puto, quale fuit Ægyptiũ. Tam enim ad Ægyptios, quam ad Assyrios auxilij gratia profectus est Ephraim suprà cap. 7. v. 11. *Factus est Ephraim, quasi columba seducta, non habens cor: Ægyptum inuocabant, ad Assyrios abierunt.* Assur tamen præcipuè meminit, tum quia ille omnium putabatur potẽtissimus, quare omnes ad illum præsidij gratia confugiebant, & eam ob rem, vt diximus ad illud *cap.* 5. *v.* 13. rex appellabatur *vltor.* Tum quia eodẽ loco dixit Dominus nihil sperare posse Ephraim ab Assyriis, quorũ se fidei, auxilióque permiserat. *Abiit Ephraim ad Assur, & misit ad regem vltorẽ, & ipse nõ poterit sanare vos.*

21. *Super equum non ascendemus.*] Hoc etiam verbum animi pœnitentis est, quíque superiora consilia accusat, & damnat. Sed quid sceleris est in equestri siue pugna, siue incessu, vt illum Ephraimitæ pœnitentes detestari debeant? Ego duo inuenio propter quæ ab equorum vsu abhorrere debeat pœnitentis animus. Primum, quia non tam in Deo ante hoc tempus Ephraimitæ, quam in quadrigis, & equis spem locarunt salutis, & victoriæ. Est enim verisimile dixisse illos, quod Iudæi postea Isai. *cap.* 30. *v.* 15. quibus hoc ipsum Deus exprobrat, quòd nũc Ephraimitis. *Quia hæc dicit Dominus Deus Israel, si reuertamini, & quiescatis, salui eritis: in silentio, & spe erit fortitudo vestra. Et noluistis, & dixistis, nequaquam, sed ad equos fugiemus. Ideo fugietis, & super veloces ascendemus, ideo velociores erunt, qui persequentur vos.* Illam ergo vocem nunc damnant, & retractant; & dicunt se deinceps non tam futuros esse inuerecundos, & fatuos, vt dicant, prohibente Domino, se in equos ascensuros: aut sperent magis opportunũ, & præsens ab equis, quàm a Domino adfuturum auxilium; sed malle seriò, atque ex animo canere Dauidicũ illud Psal. 19. *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri sperabimus.* Ita docent, aut indicant Hieronymus, Theodoretus, Cyrillus, & Rupertus. Mitto quòd Dominus frequentẽ equorũ vsum in terra promissionis prohibuit, qui tamen sub hæc tempora infrequens non erat. Ita Hieronymus in illud Psal. 75. *Dormitauerunt, qui ascenderunt equos.* Cuius præcepti vestigium aliquod habemus *Deut.* 17. *v.* 16. vbi sic de rege. *Cúmque fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero subleuatus.* Et ideo fortasse præcepit Dominus Iosue *cap.* 11. *v.* 6. vt equos subneruaret, quos ab hoste caperet. Vide Serarium *in cap.* 11. *Iosue, q.* 7.

Quia equorum vsum ... [illegible]

22. Altera ratio est, quia cùm Ægyptij, & Assyrij equitatu valerẽt, mittebãt ad Ephraimitas equos, quibus vterentur in bello, quibus cùm iam ipsi nõ minus quàm aliæ nationes abundarent, ascendebãt equos Gentium more, & illorum velocitate freti parentum sibi existimabant mortis, & seruitutis effugiũ. Habuisse autẽ equos Ephraim, illud satis probat, quod *lib.* 4. *Reg. c.* 7. *v.* 13. in obsidione Samariæ, consumpti dicuntur omnes equi; & ex illis superesse quinque; & quòd Assyriorum rex Senacherib, his qui sese dederent ex Hierosolymitanis, equos promittebat; quod fecerant fortasse reges alij Assyrij, cùm fœderatos sibi Ephraimitas habuerunt. Sic autem Rabsaces regis Assyriorum legatus ad Iudæos 4. Reg. 18. v. 23. *Transite ad Dominum meũ regẽ Assyriorũ & dabo vobis duo millia equorũ.*

Nec dicemus vltrà, dij nostri, opera manuum nostrarũ.] Id est, nullum dehinc Deum colemus, præter te,

quia planè cognoscimus ligno, aut saxo, ex quibus manus nostræ simulacra finxerunt, nihil esse numinis. Illud porrò, *dij nostri*, in casu vocandi est. Quasi dicant Ephraimitæ meliori iam mente, nō salutabimus, cōpellabimúsque nostræ artis, atque laboris inanimata figmenta, dicentes: O dij nostri saluete, aut adeste, aut quid simile.

23. *Qui pupillus.*

Quia eius, qui in te est, misereberis pupilli.] Pupillus ille dicitur, qui & ipse nondum habet consilium, & robur, quibus seipsum tueatur, & regat, & patre caret, cuius se prouidentia, atque adminiculo sustentet. Quia autem hic miser existimatur, & omnium egenus, quia neque à se habet, neque à parentibus vitæ subsidia, fit vt in Scriptura pupillus pro homine imbecillo, ac misero, & omni ex parte destituto sumatur. Quare misereri pupilli prouerbiali specie nihil est aliud, quàm subuenire illi, quicunque sit, quem dura insectatur fortuna; quíque ab aliis non habet paratum auxilium, deinde sicut vidua vocatur illa, quæ licet viuum, ac sospitem maritum habeat, ille tamen abest domo, aut captiuus agit, quia ille nihil vxori præstat eorum, quæ soluit, aut debet connubiale ius. Quare apud profanos sæpe fœminę dum ad viros scribunt absentes, se viduas vocant. Sic si pater abiiciat filium, aut alteri vendat, aut propter ignauiam, & sordes oderit, neque illum paterna cura aut re, aut consilio iuuet, ille filius pupillus vocari potest non immeritò.

PROVER. *Pupillus pro misero, & ab omni auxilio nudo.*

24. Ex his duas ego huius loci expositiones instituo: altera est idola nihil habere numinis, cū miseri, qui pupillorum significantur nomine, quantumcunque in illa sint animo, precésque, & vota quotidie ingeminent, semper sint miseri, neque à mutis simulacris aliquid habeant leuamenti. In Deo auté vero omnia esse parata miserorum subsidia, cuius animum piè tangit, & commouet pupillorum causa. & ideo abiicienda esse procul ab Israelitis finibus idola; & verum Deum seriò, atque ex animo deinceps esse suscipiendum.

25. Altera si pupilli nomen ad populum referas Israeliticum, qui priùs parentem habuit Deum, qui sic illum amplexus amanter, vt super humeros portauerit. Deut. 32. v. 11. *Assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.* Hunc vocabit filium primogenitum, Exod. 4. v. 22. *Filius meus primogenitus Israel*; quod nomen adhuc molliori cōpellatione attribuit Dominus Ephraim, Ierem. cap. 31. v. 20. *Si filius honorabilis mihi Ephraim, si puer delicatus, quia ex quo locutus sum de eo, adhuc recordabor eius.* Hic tamé cum à parente profugus alienæ se curæ, ac fidei tradidisset, à suo patre Deo quodammodo derelictus, quasi pupillus aliorum rapinæ, ac cōtumeliæ traditus videbatur. Quia igitur post tot iniurias ab immemore, atque ingrato animo profectas, propter quas filij nomé prodidisse videbatur Ephraim, illius tamen Dominus miserebitur (quod non nisi à Deo, aut ab humanissimo parente præstari potuit) ideo abiicienda à se dicit idola; & vni vero Deo prorsus adhærendum, cuius ex animo, tāta, támque impudens filiorum improbitas misericordiam extorquere non potuit. In hanc penè sétentiā hunc locum accipiunt Hieronymus, Cyrillus, & alij plures, quatenus in pupillo Israeliticum populum intelligunt.

26. Vers. 5. *Sanabo contritiones eorum, diligā eos spontaneè: quia auersus est furor meus ab eis.*] Verba sūt Domini, cuius est mollissimus animus, & àquo facilè preces, & lacrymæ, modò nō fictæ, ac fatuæ, quod volunt exorant. Eò spectabat populi cōuersio, ac preces, ad quę illum informabat Oseas, vt sanaret Dominus, quas populus iam ante plagas acceperat, & quę impendebāt ab hoste incommoda procul auerteret, & vt tādem ad illum reuocaret statum, vt qui pupillus absque patre Deo videri poterat, iam filius vocaretur, in quem sponte fertur parentum amor, & indulgentia. Id verò totū promittit Deus, modò talē se præstet Ephraim, qualē illa verba fingunt, & formāt, quæ proximè doctus est ab Osea. Idē Dominus dixerat suprà c. 11. v. 8. *Conuersum est in me cor meum, pariter conturbata est pœnitudo mea. Non faciam furorem iræ meæ, non conuertar, vt disperdam Ephraim, quoniam Deus ego, & nō homo.* Clariùs Ieremias cap. 31. v. 20. *Si filius honorabilis Ephraim, si puer delicatus, &c. Idcirco conturbata sunt viscera mea super eum, miserans miserebor eius, ait Dominus.* Hæc de Christo, euangelicóque tempore accipiūt interpretum plerique, alij expressè, vt Cyrillus, Rubertus, Albertus, Lyra, Dionysius, Hugo; alij obscuriùs, vt Hieronymus, Haymo. quod ego quàm verissimum arbitror: neque dubito quin in illud præcipuè intentus Propheta, quæ nunc cōmentando versamus, vaticinatus fuerit. Tunc enim Deus verè populi illius contritiones, & vulnere sanauit, animi nempe vulnera, quæ peccata sunt, & spōtaneè dilexit nō tam ab aliorum meritis, quàm à sua mitissima natura prouocatus.

Veruntamen non puto durum, aut difficile, si quisquam dicat typicè à Deo salutem pœnitenti 27.
populo promitti, & protectionem ab his incommodis, quæ ab hoste mortali metuebat. Gloriosū autem reditum Iudæorum è Babylonia, & instaurationem Hierosolymæ typum esse nascentis, & adolescentis Ecclesiæ, communis est Patrum, interpretúmque sententia, vt pluribus ostendimus in præfatione quadam ad caput quadragesimum Isaiæ. quod idem dici posset de illis, qui ex Ephraim, id est, de decem tribubus redierunt cum Iudæis ad edictum Cyri, qui sanè fuere non pauci. Quod autem de hoc Ephraimitarum reditu hæc sint intelligenda, tenet Rufinus, & Theodoretus; ad illud, *Humiliaui, & corroborabo.* De his enim extremis verbis vniuersè dicit, *Omni studio te curabo, ab omnique pernicie tutum efficiam, ac inuadentes te, quasi quibusdam aculeis perterrefaciam.* Et id planè sentire debent, qui in vento vrente suprà *cap. 13. v. 15.* Assyrium exercitum intelligunt. Id enim videtur concedere Deus Ephraim, quod ipse metuebat, orabátque; metuebat autem Assyrium, cuius aduentus similis futurus dicebatur vrenti vento. Illi verò fuerunt Theodoretus, Rufinus, Paulus de Palacios, Castrus, Pagninus, & Montanus, qui illud c. 13. v. 15. *ipse inter fratres diuidet*, de hoc Ephraimitarum tempore interpretantur. Quare cùm omne bonum Deus in tempus Euangelij promittat populo, vbi se per pœnitentiā ad ipsum ex animo conuerterit; hic tamen illius felicissimi temporis, eximięque liberalitatis pignus quoddam, & typum præmittit, dum illam ostendat felicitatē, rerúmque vicissitudinē, quam in humanis rebus, qui fortunatus haberi vellet, posset optare. In eo igitur, quod reliquum est, sic attéperabimus cōmentationem, vt primùm intueamur Ecclesiam donis cælestibus ornatam affluenter, deinde illius quandā vmbram in pœnitéte, restitutóque populo contemplemur.

Vers. 6. *Ero quasi ros: Israel germinabit quasi lilium.*] 28.
Hæc de incarnato Verbo in virginis vtero accipiūt Rupertus, & Lyra: quod de Messia existimarunt Hebræorum aliqui, vt probat Galatinus *lib. 3. cap. 17. & lib. 9. cap. 11.* Et quidem Christus ros appellatur *Isai. 45.* De illo enim accipiūt interpre-

tes

tes illud, *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum.* Frequentes alij de gratia interpretãtur, per quam animæ quæ periisse videbantur, reuocantur ad vitã; & de Spiritus sancti donis, quibus non minus ornatur, & splendescit Ecclesia, & pœnitentium animæ, quàm herbæ iã marcidę, ac mortuis quàm simillimæ, vbi in illas aut ros matutinus, aut imber è cælo opportunus influxerit. Erat quidẽ Israel dum vanæ se idolorum religioni stultus alligaret, peccatisque oneraretur ingentibus, quasi aridus stipes, ex quo nihil amœnum, & viride, nihil floridum, & ad mensam vtile sperari poterat. Vbi tamen aduenienti Christo cælestis illum imber irrorauit, pullulauit rediuiua radix, neque minus habuit cãdoris, ac gloriæ, quàm lilium, quod propter eximiam venustatem in pulcerrimarum rerum amplificationem adducitur.

29. Hæc veritas, nunc vmbram vide, obscuram quidẽ pro tanto splendore, vmbram tamen. Qui vitã agit ærumnosam, ignobilem, sordidã, qualis est illorum, qui barbarę sũt addicti seruituti, pro mortuis censentur. Sic sane Seneca,

Qui tristes sunt mori, qui læti viuere censentur.

Mortis habet vices
Lentis cùm trahitur vita gemitibus.

Et Sophocles in Antigone,

Nam nulla cui mentem voluptas recreat
Non viuere Hercle existimo, sed mortuum
Viuentis illum ferre præ se imaginem.

Quo dicendi genere vsus est Dauid Psalm. 37. *Ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper; inimici autem mei viuunt.* id est, læti sunt, & ab omni metu vacui: quasi diceret, ego qui in dolore sũ, ac metu, numerari possum inter mortuos; illi viuere existimandi sunt, quibus omnia succedunt ex votis.

Cùm autẽ omnis miser vocari mortuus posset, maximè, qui exulat à patria: vt pluribus ostendimus in nostris commentariis super Ezechielem ad caput 37. vbi expressè exules Babylonij *ossa* vocantur *arida*, id est, plusquam mortui; & exilium *sepulcrum* nominatur. Quapropter dum hi è sordibus emergunt, & à seruili statu ad vitam censentur reuocari, sicut herba in agro sitiente marcescens ad imbris humorem reuiuiscit. Porrò mortuorum suscitatio, quod item de miserorum statu meliore dicendum, hac roris, & germinis similitudine frequẽter exprimitur. De mortuis Isaias cap. 26. v. 20. *Expergiscimini, & laudate, qui habitatis in puluere, quia ros lucis, ros tuus.* & cap. 66. v. 14. *Ossa vestra sicut herba germinabunt.* Eccli. 46. v. 15. *Ossa eorum pullulent.*

30. *Et erũpet radix eius, vt Libani.*] Pulcrum quidem est lilium, cui ad aspectum gratum accidit etiam suauissimus odor, nitor tamen ille nomentaneus est, & vix dũ oculis oblatus marcescit. Quare non magna videri posset Ecclesiæ, & fidelis animæ commendatio, si filiorũ illis candor, atque venustas traderetur, cùm illa nullo modo posset esse diuturna. Ideo illi additur Libani, id est, cedri, quæ Libano familiaris est, altitudo, & firmitas. Cuius lignum, quia cariem non patitur, existimatur æternum, certè immortalitatis est symbolum, cùm eius succo infectæ res leuissimè diuturnitatem ferant. Sanè, vt auctor est Plinius *lib. 13. c. 13.* eo artificio libri Numæ, cùm essent chartacei, ad annos durarũt quingentos triginta quinque, cùm tamen toto illo tẽpore terræ essent infossi. Vnde carmina immortalitate digna, digna etiam existimantur, quæ cedrino illinantur succo. Horatius in arte,

Cedrus æternitatis symbolum.

— Speramus carmina fingi

A *Posse linenda cedro.*

Persius,

Et cedro digna locutus.

Sanè Plinius *lib. 16. c. 40.* ait cedrum, & cupressum non sentire vetustatem, & cariem, quas ibidem æternas appellat.

Sed dicat aliquis, quî fieri possit, vt erũpat radix, cùm illa ima sit pars, & fundamẽtum plantæ, neque vnquã è terra possit erumpere, vi nẽpe naturæ; neque si extrahatur externa vi, id fieri possit, nisi ad interitũ plantæ. Hoc ipsum dicendi genus adhibuit Isaias cap. 53. *Ascendet sicut virgultum corã eo, & sicut radix de terra sitienti.* Tractauimus hãc ipsam quęstionem in nostris commentariis super Isaiã ad illud c. 11. *Et erit radix Iesse.* Vbi diximus radicẽ, &, quod idem est, stirpem non tantùm esse id ex quo succrescit germen, & virgultum; sed etiam germen ipsum, & virga, quæ ex stirpe pullulant. De radice est illud quod proximè citabamus ex Isai. *cap. 53.* & quia Christus cùm sit germen ex radice Iesse, tamen appellatur radix *Isai cap. 11.* & *Apocal. c. 5. & cap. 22.* appellatur *radix Dauid.* Vbi constat sermonem esse de Christo, qua homo est. *De stirpe* exempla sunt magis aperta, quæ pro filiis frequenter adhibetur, qui nõ tam propriè stirpes sunt, quàm rami, aut germina, quæ ex stirpe, radicéve fundũtur. Isai. 48. v. 19. *Fuisset quasi arena semẽ tuũ, & stirps vteri tui, vt lapilli eius.* Num. 13. v. 29. *Stirpem Enac vidimus ibi.* id est, filios Enac. Paralip. cap. 22. v. 10. *Surrexit* (Athalia) *& interfecit omnem stirpem regiam Ioram.* Dum ergo stirps, id est, Ecclesia eruptura dicitur, hauddubiè germina intelliguntur speciosa, & procera, id est, fideles filij, quæ ex Ecclesiæ nobilissima stirpe latè pullulabunt. 31.

Radix, & stirps pro germine.

B

C

Hieronymus illud *erumpet* aliter explicat, putat enim significare conatum, quo arbor terram deorsum findit, vt altè radices ad firmitatẽ agat, quo enim altiùs demittit radices, eo se magis sursũ attollit, vt de quercu cecinit Virgilius lib. 4. Æneid. 32.

Ipsa hæret scopulis, & quantum vertice ad auras
Æthereas, tantum radice ad tartara tendit.

Sed est sanè durũ verbum *erumpere* ad illam significationẽ trahere, quod potius valet foras prodire, quàm intrò adigi, aut conari deorsum.

D

Hæc iuxta versionem vulgatam; si codices consulas Hebraicos, & translationes alias, sensus erit aliquanto diuersus, quem in commentariis videtur expressisse Hieronymus. Sic enim habet [illegible] *va iac serasau,* id est, *percutiet radices suas: seu mittet, aut iaciet.* vt tam antiquæ aliæ, quàm nouæ translationes conuertunt. Si ita Hieronymus cõuertisset, aut pro *erumpet* dixisset *derũpet*, quod aliquid significat deorsum mittere (vtrunque enim verbum licèt rarò, interdum tamẽ reperitur actiuum) illius explicationem libens admisissem, at si *erumpet* legas, non video quo alio sensu possit explicari commodiùs. 33.

E

Si ad vmbram Ecclesiæ referas, id est, ad populum ex seruitute, & sordibus excitatũ: sanè quasi radix videbatur exilis, & mortua, qualis spectari solet in terra sitienti; & stirps arida, quæ tacta esset à cælesti fulmine, aut à diuturna siti prorsus emortua. Nihilominus vbi primùm affulsit libertas, quasi appetente verè, & rorante cælo germinauit; aut certè si superiorem vitam damnauisset, ita germinasset, vt non minus abundaret, splẽderétque generosa sobole, quàm Libanus splendente, procera, atque odorata planta. 34.

Vers. 7. *Ibunt rami eius, & erit quasi oliua gloria eius, & odor eius vt Libani.*] Pulcra metaphora, qua non solùm filiorũ Ecclesiæ multitudo, sed etiam splẽdor, 35.

dor, & bonum illorum nomen significatur. In ramis proles significatur numerosa, quæ non secus ab Ecclesię sinu quoquò versùs diffunditur, quàm à trunco rami late se in omnẽ partem exporrigũt. Tribus hic similitudinibus explicatur Ecclesiæ firmitas, species, & pulcritudo; quia vna non poterat satis tot illius ornamenta, & delicias exprimere. Cõpararat cum lilio, cuius cùm cãdor esset eximius, & species grata; illud tamen, quod pretiosum habet, momento tẽporis languescit, & moritur. Atque ideo addit Libanum, id est, cedrũ familiarem Libano, quæ ad proceritatẽ, vt diximus, firmitatem addit, & durationẽ sempiternę similẽ. Sed quia Libanus, id est, cedrus syluestris est planta, à qua nullus sperari potest fructus opportunus esui; tertiam addit similitudinem sumptam ab oliua, à qua fructus colligitur ad varios mẽsæ, ac valetudinis vsus opportunus, & ipsa per se speciosa est, maximè, vt arbitror, in palæstina. Ex quo fit vt pulcerrimarum rerum species cum oliuarũ specie conferatur. Psalm. 51. *Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei.* Eccli. 24. v. 19. *Quasi oliua speciosa in campis.* Et hoc ipso nomine populum suum olim dum esset meliore mẽte, oliuam Deus appellauit, Ierem. 11. v. 16. *Oliuam vberem, pulcram, fructiferam, speciosam, vocauit Dominus nomen tuum.* Sed quia in oliua aut nullus est, aut certè non admodum gratus odor; ideo ne quid Ecclesiæ defuisse videatur ad gloriam, odorem illi attribuit, qualis reperitur in Libano. Esse autẽ in Libano aromata varia, discimus ex *Gen. cap.* 38. *v.* 25. ibi mercatores Madianitæ venisse dicuntur, de monte Galaad, cuius caput, & pars nobilissima est Libanus, & inde in Ægyptum comportasse aromata, stactem, & resinam. Deinde cedrus ipsa grati odoris est, de qua Maro libro septimo Æneid.

Ecclesia pulcritudo, firmitas, & odor.

Oliua vsus, & species.

Vrit odoratam nocturna in limina cedrum.

36. Quod ad typum pertinet, felicitatémque populi Ephraimitæ, cùm ab exilio rediit, aut si peracta pœnitentia rediisset; (de hac enim re quæstio est, quã suprà *cap.* 1. disceptauimus) satis habemus lucis ex Isaia *cap.* 49. *à num.* 60. in expositione secunda de Ierusalem captiua, cui à Deo talia promittuntur, qualia nunc Ephraimitis si sapiant, & ex animo reuertantur ad Dominum.

37. Vers. 8. *Conuertentur sedentes in vmbra eius.*]Ecclesia, vt vidimus, quàm simillima est Libano, cuius grata est, & odorata vmbra; qui ergo conuersi fuerunt ab aliis locorum vmbris, vbi excitati fuerãt idolorum aræ, sub hac tam diffusa, ac tam amœna vmbra requiescẽt. Quòd sub arbore frõdosa prosterneretur metaphorica meretrix, habes apud Ieremiam *cap.* 2. *cap.* 3. *v.* 6. Qua de re nos plura ad illud Isai cap. 57. v. 5. *Qui cõsolamini in diis subter omne lignum frondosum, immolantes paruulos in torrẽtibus subter eminentes petras.* Sub his vmbris sedebant priùs Ephraimitæ; has tamen meliori consilio detestati sub vmbra sedebunt Ecclesiæ, aut sub vmbra illius, de quo sponsa cecinit Cant. 2. *Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Huc inclinant interpretum plerique, neque aliter sentio: sed addo explicationem aliam, de qua lector, vt volet, me non inuito, statuat.

38. In vmbra duo reperimus commoda, & in pace, atque otio opportuna quædam diuerticula, quæ subeũt homines; vbi nullum timetur ab hoste, aut ab insidiatore periculum; & à labore, atque æstu refrigerium, & requies. De priori sunt illa trita *esse sub vinea, ac ficu.* Zachar. 3. *Vocabit vir amicum suum subter vineã, & subter ficum.* & Michææ cap. 4. *Sedebit vir subtus vineam suam, & sub ficum suam, & non erit, qui deterreat.* De posteriore res est magis nota, ac certa, quos enim æstus vrit, vmbram desiderãt, vt viatores, qui ad saxorum, aut arborum vmbram à labore respirant, & à calore refrigerantur; quare prouerbiali specie vmbra pro refrigerio sumitur, quo reuocatur integraturque spiritus iam deficiens. Iob cap. 7. v. 2. *Sicut seruus desiderat vmbram.* Isai. 32. v. 2. *Erit vir, sicut qui absconditur à vento, & celat se à tẽpestate, sicut riui aquarũ in siti, & vmbra petræ prominẽtis in terra deserta.* Et c. 25. v. 4. *Quia factus est fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, spes à turbine, vmbraculũ ab æstu.* In hanc ego significationẽ assumi posse existimabam hunc locum. Fingebã enim hominem sic vrgeri ab æstu, qui pro tribulatione frequenter vsurpatur, vt laboraret, atque deficeret spiritus; qui vbi obuiam habet, & quasi diuinitus paratam vmbram, recreatur ita, vt redditus sibi videatur omnino, & ab ipso reuocatus interitu. Exi- 39.

Vmbra pro quietis, aut refrigerij loco.

stimari autem poterant Ephraimitæ quo tempore idolis supplicabant, aut mortui, aut quibus deficeret spiritus, qui licet vmbram haberet, qualẽ suprà descripsimus, ab his arboribus, sub quibus excitabantur altaria, aut sub petris, ad quas impia religione ac barbara immolabantur paruuli? illa tamen vmbra erat vehementer noxia, quæ cùm leuare videretur ab æstu, lethiferũ tamen morbũ inducebat. Qualis esse dicitur ab historię naturalis auctoribus multarũ arborum vmbra, quę cùm ab arboribus sit specie gratissimis; ipsa tamen capiti grauis est, & valetudini maximè contraria. Quod docuit Lucretius lib. 6.

Arborum quarumdam vmbra noxia.

Arboribus primùm certis grauis vmbra tributa est,
Vsque adeò capiti faciant vt sæpe dolores,
Si quis eas subter iacuit prostratus in herbis.

Plinius *lib.* 17. *c.* 12. quarundã arborũ vmbras noxias esse dicit, quales quæ à syluestribus plerunque lignis funditur, puta à iunipero, abiete, picea, pinu, & iuglande. Sub huiusmodi vmbris iacuisse vide- 40.
batur Ephraim, cùm idolorum se potestati tradidit, & spiritum omnino vitalem amisisse; quem tandem vmbra mutata, sub meliori arbore recepit. Et id significare arbitror, illud *conuertẽtur.* Cùm enim aliquis languet, & lasso corpore sternitur, amisisse videtur spiritum, id est, esse exanimatus, cùm verò seipsum à languore, seu consternatione recipit, conuertitur spiritus qui procul à corpore aufugisse, existimari potuit. In hanc ego sententiam accipio illud Psalm. 22. v. 2. *Super aquã refectionis educauit me, animam meam conuertit;* id est, reuocauit, refocillauit, quasi iam abiisset, defecissétve. Ita videtur intellexisse Symmachus, qui vertit *ἀνεκτήσατο*, id est, *recuperauit.* & clariùs Hieronymus *refecit.* Mercerus apud Pagninum in radice שוב *reuocauit, recreauit.* Id verò valere verbum *sub*, quo hic vsus est Propheta, docet illud *1. Reg.* 30. *v.* 12. vbi verbum illud adhibetur, vbi vulgatus habet de puero pene exanimato. *Reuersus est spiritus eius, & refocillatus est.* & *lib.* 3. *cap.* 17. *v.* 22. bis adhibetur verbum idem שוב, in hac significatione. Sic enim ibi Elias ad Dominum pro filio viduæ vita functo. *Reuertatur obsecro, anima pueri huius in viscera eius. Et reuersa est anima pueri intra eum, & reuixit.* Quã phrasim expressit Hispanus, qui cùm significare vult aliquem ex metu, aut ex animi deliquio recreatum esse, hoc ferme modo explicat, *voluio ensi*, quod etiam Latinis familiare est, qui dicũt *redire ad se*, nẽpe eos, qui à se propter grauem aliquam consternationem abierant, imò id sæpe sine accusatiuo significant. Hæc explicatio aliena mihi non est; nemini tamen illam persuadeo.

Conuertor, idem quod spiritum resumo.

Viuent tritico, & germinabunt quasi vinea.]Dum vi- 41.
tam

tam agerent Ephraimitæ à religione alienam, institutum videbantur amplexi sylvestre, atque ferinum, qui vt de stultis, & sordidis dicebat Iob cap.30. v.3. *Egestate, & fame steriles, qui rodebant in solitudine, squalentes calamitate, & miseria: & mandebant herbas, & arborum cortices, & radix iuniperorum erat cibus eorum.* Hi tamen ad Dominum conuersi, & rationalis naturæ facti participes, humano cibo vitam non ferino victu propagabunt, quare viuent tritico, pane nimirum triticeo, id est, illis rebus animum pascent, quæ spiritus gignunt, & alunt excelsos, & nobiles, quales illos decent, qui non ex voluptate carnis, sed ex Deo generati, stirpem illam olere, ac referre student, ex qua se genus duxisse gloriantur. In tritico Hieronymus, Theodoretus, & cum his frequentes alij bonorum spiritualium abundantiam significari putant; Haymo, Albertus, & Lyra de pane intelligunt Eucharistico, vtrunque verum est, vtrisque aluntur, adolescunt, & confirmantur animæ, vtrisque virent, & fœcundantur animi, non secus ac vites, numerosis onerantur racemis, & multiplici, ac læta palmitum propagine vestiuntur.

42. *Et memoriale eius sicut vinum Libani.*] Pro memoriali Heb. est זכרו *Zicrò*, id est, memoria eius, seu mētio illius, aut fama. Ante conuersionem odiosum erat, & vile Ephraimitarum, & Iudæorum nomē, ita vt in prouerbium abierit illorum sordida, ac misera conditio, Ierem. cap.24. v.9. *Dabo eos in vexationem, afflictionémque omnibus regnis terræ, in opprobrium, & in parabolam, & in prouerbium, & in maledictionem in vniuersis locis, ad quæ eieci eos.* At postquam mores mutauerit, & ingenium, sic erit gratum illorum nomen, vt cum Libani vino conferri possit. Bonum autem nomen cum vnguento, atque aromate fragranti, familiari Hebræorū prouerbio comparatur. Sic Eccli. 49. *Memoria Iosie in compositione odoris facta opus pigmentarij.* id est, fama Iosiæ tanquā odor à pigmentario, seu vnguentario cōpositus, Eccl. cap.7. v.2. *Melius est nomē bonum, quàm vnguenta pretiosa.* Bonus præterea odor pro bona fama sumitur; & olere dicitur malè, qui infamia laborat, aut qui de se aliis vitæ non probæ suspicionem mouet: vt ille qui exoticis, & meretritiis vnguentis latè à se odorem spargebat, de quo Epigrammatarius,

Bonum nomen cum rebus odoriferis comparatum.

Odor pro fama.

Posthume non bene olet, qui bene semper olet.

In hunc sensum putabamus nos exponi posse illud Cant.1. *Oleum effusum nomen tuum*, id est, fama tua sicut vnguentum.

43. Vinum hoc loco cum Hieronymo, conditum esse puto, & odoratum. Quod ideo Libani dicitur, quia eo aromate conditum est, quod è Libano sumitur. Libanus autem vsque adeò odoratis guttis, seu lacrymis abundat, vt pro ipsis odoribus vsurpetur. Vinum autem condiri solitum non solùm ad suauitatem palati, & ad salubritatē corporis, sed etiam ad vim odoris, & vnguenti, res est satis explorata. Hinc vinum dicitur myrrhatū, foliatum, nardinum, & Cant.8. conditi vini nomen auditur. Quòd verò vinum vnguenti odorem, & suauitatem, imò & vsum habeat, fit verisimile ex illo Cant.1. *Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.* Vbi fortasse in altero hemistichio alterius expositio est. Sanè vinum, in quo spica Cilissa, id est, crocum incoquitur, pro vnguento pretioso spargebatur in theatris. Sic Martialis in Amphitheatro epig.3.

Vinum odoratum.

Et Cilices nimbis hic maduere suis.

Nimbi autem Cilicum sunt vina, quæ odorem sibi croci ex coctione traxerunt, de quibus sæpe i-

A dem auctor. Erit igitur sensus, tam gratam fore memoriam populi iam ad Dominum conuersi, vt cum odorato vino, id est, cum vnguento optimo conferri possit.

Hæc mihi explicatio facilis est: neque aliam 44.
quæro. Quòd aliqui vinū Libani generosum putant, fortasse id verè cogitant: sed non probant, sicut quod alij etiam addūt, ex Libano deportari vinum, quod in tēplo libetur Hierosolymitano. Comportari ex Libano solita aromata ad varia thymiamata, ac fumigamenta; & comportata ligna, ex quibus facta templi contignatio, compertum est, at vinum inde ad libationes afferri, planè obscurum, & plus fortasse quàm incertum.

B Vers.9. *Ephraim quid mihi vltrà idola.*] Hæc qui- 45.
dam verba esse putant Ephraim, qua seipsum vehementer incuset, quòd idolis diuinos impenderit honores, & à Deo recesserit, qui non minus fideliter promissa præstat, quàm liberaliter promittit. Quare statuit iam sibi cum idolis non ampliùs aliquid futurum esse negotij: ita Chaldæus, quod etiam putauit Lyra, Pagninus, & Vatablus. Alij frequentes cum Hieronymo Deo attribuunt. Tunc verò duplex potest esse sententia. Altera si Ephraim sit in secundo casu, & dicat Deus, *Quid mihi est cum idolis Ephraim?* nempe commune, *cum illa neminem liberare, neminem ornare, aut audire queant: ego autem exaudiam, & dirigam*, &c. Hieronymus. *Cùm tanta rerum abundantia sit futura, ô Ephraim,* C *omnis qui agis pœnitentiam dimitte idola: ego enim exaudiam, & dirigam te*, &c. Quæ explicatio mihi potior est. Illud verò *mihi*, quod alicui fortasse videri possit minus fauere huic explicationi, difficultatis nihil habet, quod sibi persuadebit facile, qui norit datiuum apud Hebræos, sicut etiam apud Latinos, otiosè, & tantùm ad venustatem adhiberi solitum. Qua de re nos pluribus ad illud Cāticorum, *Si ignores te.* vbi pro *te*, si idioma sequaris Hebraicum, dicendum esset *tibi*, est enim לך *lach*, quod bis ponitur in illo versu. *si ignoras tibi*, & statim *egredere tibi*, cùm tamen nihil significetur aliud, quàm *si ignoras, egredere.* Mille eiusmodi occurrent exempla. Vide, quæ diximus apud Isaiam *cap.* D 59. v.61. Quare sensus erit, ô Ephraim, quid vltrà idola, nempe quæris, adoras, consulis, aut aliquid eiusmodi: aut in tertia persona. Quid igitur vltrà Ephraim idola quærit, consulit, adorat &c. & hoc potius.

Datiuus aliquando ornatus tantùm gratia.

Ego exaudiam, & dirigam eum.] Idola surda sunt; 46.
neque supplicantium preces audiunt, quare frustrà clamant eorum adoratores. Quod etiamsi audirent, non tamen possent iuuare supplices suos, aut illorum dirigere consilia. Ego vtrunque præstabo, audiam enim supplicantem populum, & ita instituam, & regam, vt quodcumque, me auctore, ac monitore, susceperint, ex vsu illorum sit, id enim in Scriptura valet *dirigere*, nempe prosperare, & qualis optari possit in suscepto consilio exi- E tum præbere.

Ego vt abietem virentem ex me fructus tuus inuentus 47.
est.] Aliquid hic necessariò supplendum. Quid illud sit, obscurum. Hebræorum magistri supplent, *præstabo me abietem.* id est, quasi abietem virentem, putántque eius esse naturæ vt summos ramos ad imas vsque radices inclinet. Quare ex hac similitudine hanc exprimunt sententiam: sicut abies virens, atque frondosa ramos excelsos ad terram vsque flectit, & incuruat; sic ego, qui in excelsis habito, habito item cum contrito, & humili spiritu, ita vt possit contrectare manu, & fructum ex me facilè decerpere. Sic Rab. David, & Rab. Salomon

Dei humilitas ex abiete similitudine.

Digitized by Google

lomon. Hoc idem indicant LXX. dum ita transferunt. *Ego sicut iuniperus condensa, ex me fructus tuus inuentus est.* & nouæ translationes, quæ vertunt, *Ero ei, vt abies frondosa*, quod item placet Vatablo, atque Montano, quorum hæc est sententia. Ego illis me vt abietē præbebo, sub cuius vmbra commodè, atque iucundè sedeant.

48. Plerique tamen alij cum Hieronymo populum iam ad Dominum conuersum futurum esse dicunt abieti persimilem; cuius eximia proceritas est, grata viriditas, & ad opacandum locum latè diffusa. Erat ante hanc consilij mutationem populus ille quasi lignum aridum, & a cælesti fulmine percussum, aut quales in hyeme rigente, atque aspera apparere solent plantæ sic squalentes, & horridæ, vt nihil differre videatur à mortuis; at vbi aspirante gratia mitior tēpestas, & quasi vernus tepor aduenit, mutata est rerū species, & pro hyemali siccitate successit, viriditatis vernæ suauis amœnitas. Sed quia abies arbor est infructuosa, cuique tantùm data est cum proceritate filiorum ambitiosa luxuries, ideo additum est, *Ex me fructus tuus inuentus est.* Quasi Dicat Deus, sicut à me habebis viriditatē & speciē abietis; sic etiam habebis, vt frugifer sis; quod abies non habet. Imò hinc cognosces, quòd fructibus abundes donum esse benignitatis meæ, non opus naturæ. Quemadmodum si quis in abiete, aut sicut LXX. conuerterunt, in iunipero, fructus inueniat, quales edere non solet abies, aut parturire iuniperus, beneficium ibi cognosceremus alienum, non naturæ vim. Ait ergo Deus, ego tibi ô Ephraim viriditatem simul, & fructum impertiam.

49. Vbi vulgatus *abies*, Hebr. est ברוש *beros*, quam varij variè vertunt; Septuaginta *iuniperum.* Rab. Dauid *buxum.* Sane in his plantarum vocibus magna est, & rerum obscuritas, & dissidium interpretum.

50. Vers. 10. *Quis sapiens, & intelliget ista; intelligens, & sciet hæc?*] Hæc quidam ad totam Oseæ prophetiam extendunt, putántque his verbis significari rem esse vehementer obscuram; cuius intelligentiam, acutissimæ etiam, ac solertissimæ mentes non assequantur. Quasi dicat Deus aut nullum, aut non nisi perquam rarum fore, qui quantumuis sit acuta mente præditus, penetrare possit arcana Dei consilia, quæ tot rerum, atque verborum integumentis inuoluta sunt. Ita Hieronymus, Theodoretus, Rupertus, & alij, Hieronymus postquam dixit multis difficultatibus implexum esse vaticinium, addit: *Si autem ipse, qui scripsit vel difficile, vel impossibile confitetur, quid nos facere possumus, qui lippientibus oculis, & peccatorum sordibus obscuratis clarissimum iubar Solis non possumus intueri? nisi dicere illud quod scriptum est: O profundum diuitiarum sapientia, & scientiæ Dei.*

Osee obscuritas.

A

51. Ego crediderim potiùs non tam obscuritatem hic ostendi vaticinij, quàm Dei significari desiderium, qui id optat maximè, vt omnes intelligant tum. quæ in tota hac prophetia continentur; tum maximè, quæ duobus hisce capitibus, in quibus & supplicia proponuntur grauissima his, qui cùm à diuinis mandatis recessissent, ad meliorem mentem redire nolunt, & quot maneant ornamenta gloriæ, & commoda pacis illos, qui adducti suorum scelerum pœnitentia tenerentur ad stationem, & ordinem ante relictum. Ac si dicat, ô vtinam aliquis ita sit sapiens, vt intelligat ista, quæ à me sunt per Prophetam edicta Ephraimiticæ genti, & ita sit intelligens, vt hæc non ignoret.

B

Hæc porrò geminatio studium significat, & ardorem cupientis animi. Quæ verò sint illa quæ omnibus Deus cupit esse perspecta, statim declarat.

52. *Quia rectæ viæ Domini, & iusti ambulabunt in eis, præuaricatores verò corruent in eis.*] Viæ Domini mandata sunt, & leges; quæ ducunt ad vitam, in quibus iusti ambulant, & à quibus peccatores aberrant. Illi studia sua, ac mores ad diuinarum legum normam attemperant, hi dum suis obsequuntur affectibus, id est, membrorum legibus, ab alia lege, quæ rectam ducit ad vitam, præuaricantur; quibus viæ illæ sanctæ, ac planæ, vbi nihil occurrit, ad quod offendat bene constitutus animus; ruinæ tamen erunt, & mortis occasio. Nam cùm legem habuerint, à lege iudicandi sūt, & lex non obseruata damnabit reum violatæ legis. Facit ad hoc illud ad Rom. 2. v. 12. *Quicunque sine lege peccauerunt, sine lege peribunt: & quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur.* Et Lucæ cap. 12. v. 47. *Ille seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non præparauit, & non fecit secundùm voluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis vapulabit paucis.* Neque mirū si hæc faciat lex obseruata piè, aut perfidiosè contempta, cùm de Christo, qui viua fuit lex, hoc idem cecinerit Simeon Lucæ cap. 2. *Ecce iste positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel.* Hic itaque peroraſſe videtur Propheta, & breui

C

D

53. quasi epilogo contraxisse, quæ latè tota prophetia diffusa sunt, quæ nihil aliud continet, quam promissiones, & minas. Et nos quoque quando iā opus hoc exiguū mole, mysteriis tamen, & difficultatibus maximū absoluimus, peroremus, obsecremúsque Deum, vt aperiat aures, animos illustret, atque confirmet, vt hæc intelligamus, quæ tam ipse omnibus explorata cupit, & in via, quam ipse ad vitā expediuit, cōstituat, & dirigat gressus nostros, vt cum ipso, qui legem dedit, qui veritas, & vita est, in æternum viuamus.

Hæc absoluta sunt in Iesumontaria domo anno 1618. die Iunij 26.

Laus Deo, B. Virg. P. N. Ignatio, & ipsi præterea Oseæ, quos ad hoc opus patronos aduocaui. Quæ verò à me scripta sunt, Ecclesiæ Catholicæ, & Doctorum hominum censuræ subiicio.

IN

IN IOELEM PROPHETAM COMMENTARII.

PROLEGOMENON I.

De vita, & genere Ioelis.

1. DE Ioele nihil ferme certum habemus ab scriptoribus, neque præter coniecturas admodum incertas, quicquā vel diuinando affirmare possumus. De Ioele Hieronymus statim *in principio commentariorum*, Dorotheus *in Synopsi*, Isidorus *de ortu, atque obitu Patrum, cap.* 40. Epiphanius *de vitis Prophetarum*. Ex quibus nihil habemus aliud quàm illum fuisse de tribu Ruben, natúmque in agro Bethoron, & ibi mortuum, & sepultum in pace. De patre res est certa, genus enim suum ipse prodit statim in principio, vbi se filium esse dicit Phatuel, quod, Hieronymo teste, idem valet quod *latitudo Dei*, vel *aperiens Deus*. Quod sanè nomen satis accommodatum est instituto prophetico. Cùm enim Propheta non tam suo loquatur spiritu, quàm diuino, necesse est, vt sicut spiritus, seu halitus, ex quo in ore verba formantur, os loquentis aperit; sic etiam Deus, cuius filij dicuntur Prophetæ, os Prophetarum aperiat, quia in illorum ore loquitur. Optimè igitur Ioelis pater Phatuel appellatur, id est, *Deus os illius aperiens*. Septuaginta Batuelem vocant, quod nomen nihil, Hieronymo teste, significat. Porrò alius reperitur eiusdem nominis Ioel filius Samuelis, de quo Iosephus *lib.6. Ant.cap.* 3. qui propter suam in re administranda publica intemperantiam parenti suo Samueli conflauit inuidiam. Nominis communitas fecit, vt nonnulli hunc Prophetam filium esse putauerint Samuelis, ita Rab. Salomon, cuius sententiam non solùm nostri, sed Rabbinorum aliqui reprehendunt.

Ioelis genus & patria.

Ioel alter Samuelis filius.

PROLEGOMENON II.

De tempore quo prophetauit Ioel.

PRopheta nihil dicit de hoc tempore, sed siquid valet illa regula, quæ docet, cùm siletur tempus, illud esse tempus intelligendum, in quo qui proximè antecessit vaticinatus est; siquid, inquam, valet illa regula: Prophetauit Ioel, sicut Oseas in diebus Oziæ, Ioatham, Achaz, & Ezechiæ. Huius regulæ meminere, probauerúntque Hieronymus *in prologo duodecim Prophetarum*; Rufinus *in principio commentariorum in Ioelem*, & è recentioribus plurimi. Quam ego regulam cùm tot, tantisque viris placeat, improbare non possum. Verùm illud obstat, quod valde est obscurum, & incertum, quo ordine sint Prophetarum vaticinia digerenda. Neque enim omnes eodem numerantur, aut distinguuntur ordine, vt multis docet Hieronymus *in huius Prophetæ prologo, ad Pammachium*, vbi à Septuaginta in duodecim Prophetarum serie constitui secundo loco dicit Amos, Ioelem in quarto, & alios alio ordine, atque communiter digerantur in Biblijs. Quare ab his, qui antecessere, nulla videtur assumi regula, quæ perpetua sit. Quare de Ioelis ætate non eadem est omnium sententia. Certè in Seder Olam, in Hebræorum chronico prophetasse dicuntur sub Manasse Ioel, Nahum, & Abacuc, & ideo noluisse regis illius nomen initio suæ prophetiæ præfigere, ne impio nomine diuina oracula fœdarent, quod etiam dicit Rab. Dauid *in principio suorum commentariorum in hos Prophetas*, & idem citat Rab. Salomon in eo libro, qui inscribitur *Halacoth Gedoloth*. 2.

Quo tempore vaticinatus Ioel.

Librorum Scripturæ non eadem vbique series.

Sed vtcumque sit, certè constat eodem tempore, quo Oseas, floruisse Ioelem, quod dicit Hieronymus, & Rufinus, vterque *in hunc locum*, Theodoretus *in prologo duodecim Prophetarum*, Cyrillus *in prologo Ioelis*,

August. *lib.* 18. *de ciuit. cap.* 27. Clemens Alexand. *lib.* 1. *stromat*, & alij tam antiqui, quàm recentes communiter, nisi qui nimis Hebræorum se placitis alligarunt, quorū hîc nomina honoris gratia prætermitto.

PROLEGOMENON III.

Quò spectet Ioelis prophetia.

5. Hieronymus *epist.* 103. *ad Paulinum* significare videtur, licèt verbis obscuris, Ioelis prophetiam ad duodecim tribus pertinere. *Ioel*, inquit, *filius Phatuel describit terram duodecim tribuum, eruca, brucho, locusta, rubigine vastante consumptam.* Quod etiam Theodoreto visum est in præfatione Ioelis, Haymoni, Remigio, Lyræ, Burgensi, & quibusdam alijs Hebræorum magistris. Sed mutauit postea Hieronymus sententiam, cùm ad huius Prophetæ commentarios ventum est, cùm enim tunc librum intueretur propiùs, rémque totam, vt necesse est, consideraret attentiùs, obseruauit plurima, quæ priorem illi sententiam excusserunt. Quod accidit frequenter alijs, & Hieronymo sæpe, vt aliter in disputationibus, aut dum obiter locum aliquem ex Scriptura sacra versant, aliter dum interpretes agunt, illum accipiunt. Sic sanè accidit Hieronymo, qui *in præfatione ad Ioelem*, quæ est *epist.* 136. aliter statuit, dum ait: *Quo modo in Osee propheta sub nomine Ephraim ad decem tribus confertur vaticinium, sic in Ioel omne, quod dicitur ad tribum Iuda, & ad Ierusalem pertinere credendum est; & nullam omnino Israël, id est, decem tribuum fieri mentionem.* Neque fortasse hic aliter, quàm ibi existimauit Hieronymus. Negari etenim non potest sermonem aliquem esse in hoc Propheta de Israël, vt constat *cap.* 3. *v.* 1. hic tamen licèt factus de Israele, non tamen factus est ad Israelem. Neque aliud fortasse Hieronymus voluit, cùm ait descriptam terram duodecim tribuum, quod fieri potuit, etiam si totum prophetiæ pondus ad Iudam pertineret. Extremam Hieronymi sententiam sequuntur frequentes alij, quam ipsa Ioelis prophetia, dum commentatione à nobis illustrabitur, ostendet, vt puto, non obscurè.

Ioel locutus ad duas tribus.

IN

Digitized by Google

IN CAPVT PRIMVM

ARGVMENTVM.

TOTVM hoc caput, sicut etiam reliqua Ioelis vaticinia, ad duas tribus spectat, quas graui denunciatione, quasi quodam fulmine, Propheta concutit: cùm iteratos Chaldæorum appulsus, & ab illis extremam vastitatem minatur, illarum bestiolarum similitudine, quæ noxiæ frugibus, & pestilentes sunt. Et quia, tum ab imbrium defectu, tum ab hostiũ incursione frequenti, nullus erit ab agro prouentus, nulla messis, nulla vindemia, plorare omnes iubet, & externo cultu hirsuto, atque aspero, suam ac totius populi lamentari fortunam: præcipuè Sacerdotes, & qui sacrum ad altaria ministerium obeunt, quia extinctis ariditate frugibus, & pecudum armentorúmque gregibus sublatis, neque victimæ erunt, quæ mactentur ad aras, neque libamenta, quæ de more offerantur in templo. Quare templo isti luctum, & solitudinem denunciat.

CAPVT I.

1. *VErbum Domini, quod factum est ad Ioel filium Phatuel.* A

2. *Audite hoc senes, & auribus percipite omnes habitatores terræ: si factum est istud in diebus vestris, aut in diebus patrum vestrorum?*

3. *Super hoc filiis vestris narrate, & filij vestri filiis suis, & filij eorum generationi alteræ.*

4. *Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo.* B

5. *Expergiscimini ebrij, & flete, & vlulate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine: quoniam periit ab ore vestro.* C

6. *Gens enim ascendit super terram meam, fortis & innumerabilis: dentes eius vt dentes leonis: & molares eius vt catuli leonis.*

7. *Posuit vineam meam in desertum, & ficum meam decorticauit: nudans spoliauit eam, & proiecit: albi facti sunt rami eius.*

PARAPHRASIS.

1. HOc est verbum, quod Ioel Phatuelis filius accepit à Domino.

2. Adeste huc animis, & audite, ô viri ætate graues: audite quotquot terram à Deo promissam habitatis, & videte an vestra patrúmque memoria simile aliquid aliquando contigerit.

3. Hac igitur de re filios vestros monete, vt idem illi nepotibus, & tertiæ postea generationi nepotes impertiant.

4. Ingruent enim in fines vestros Chaldæi, qui variis appulsibus rem omninò Iudaicam latè diripient, quódque priùs prædabundi reliquerunt, id postea secum totum abducent, non secus atque in agris non rarò contingit. Fieri etenim solet, vt quæ eruca non tetigit, locusta deuoret, & si quid fuerit à locusta reliquum, id absumat bruchus: ac tandem illa, quibus bruchus, & aliæ agrorum pestes pepercerint, exurat rubigo.

5. O igitur viri opulenti ac diuites, quique vni tantùm abdomini nati esse videmini, excutite iam tandem grauem istum soporem, qui vobis mentem & consilium eripuit. Vlulate & flete, quibus à vino magna est & familiaris voluptas: ea enim vobis iam impendent tempora, tam angusta, & misera, vt neque vobis summis etiam labiis vinum libare liceat.

6. Quamprimum enim gens terram, quam à me quondam accepistis, inuadet, & numero infinita, & fortitudine præstans: quæ dentes habet ad lacerandum acutos, & duros instar leonum: dentes inquam eiusmodi, vt neque acumine, atque duritie cedant leoninis.

7. Hæc gens non minus quàm bruchus, atque locusta noxia, neque minus, quàm leo, truculenta, & ferox populum meum,

Digitized by Google

A quem antè non minus accuratè ac sedulò, quàm vineam excolui, ita dissipauit, vt in syluam & solitudinem redegerit: induxit tabem ficui, detracto cortice, & omni tam ornamento, quàm tegumento spoliatam abiecit, & rami iam sine virore, ac succo incanuerunt.

8. Plange quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis suæ.

8. Plange ergo, ô Iuda, quam modò vineam appellaui, & abiecto nuptiali cultu, hirsutum indue, & asperum tegumentum sume, quale saccum est è cilicino textu consutum, qualem assumeret sponsa vi- B duata coniuge, cui adhuc virgo & in ætate puerili nupsit, cùm primùm videri potuit matura connubio.

9. Periit sacrificium & libatio de domo Domini: luxerunt sacerdotes ministri Domini.

9. Cur autem tibi plorandum sit, in causa hæc sunt. Primùm, quia Chaldæorum inimica vis omne sacrificium, atque libamen remouebit è templo: vastabit enim vineas, oliueta, & segetes. Quare non erit, vnde ex more libamenta fiant: pecudes omnes, & armenta, aut extinguet, aut auehet: vnde neque erit, vnde sumantur victimæ. Lugebunt Sacerdotes, quia ne- C que ad sacrificale negotium facultas aderit, neque ipsis templi sacrorúmque ministeria suggerent ad domesticos sumptus necessaria.

10. Depopulata est regio, luxit humus: quoniam deuastatum est triticum, confusum est vinum, elanguit oleum.

10. Vastata est regio. Terræ facies fœdè admodum deformata est: quoniam sic, aut cæli siti, aut ab hostili furore inclementer accepta, vt nullus ex illa frumenti, vini, atque olei prouentus sperari possit.

11. Confusi sunt agricolæ, vlulauerunt vinitores super frumento & hordeo, quia periit messis agri.

11. Graui mœrore affecti sunt agricolæ, & animi sui dolorem vlulatu, ac gemi- D tu prodiderunt, qui rei vinariæ, ac rusticæ dant operam: cùm pereunte messe, nulla sese à frumento, & hordeo commoditas ostentet.

12. Vinea confusa est, & ficus elanguit; malogranatum, & palma, & malum, & omnia ligna agri aruerunt: quia confusum est gaudium à filiis hominum.

12. Nullum vinea dedit, aut promittit fructum: emarcuit ficus, punicea mala, palmæ, & mala: omne denique arborum genus, quæ gignuntur in agris aruerunt, atque ideo sublata est ab hominibus omnis exultandi materies.

13. Accingite vos, & plangite sacerdotes, vlulate ministri altaris: ingredimini, cubate in sacco ministri Dei mei: quoniam interiit de domo Dei vestri sacrificium & libatio.

13. Vos quoque Sacerdotes, & quibus altaris cura ac ministerium mandata sunt, vestem assumite cilicinam, & planctum, E atque vlulatum lugentium in modum instituite. Ingredimini templum, ô ministri Domini, & ibi vobis pro molli, & lauto lectulo saccũ, cinerémque substernite: quoniam nullum erit ampliùs in templo sacrificium, nulla libatio.

14. Sanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate senes omnes habitatores terræ in domum Dei vestri, & clamate ad Dominum.

14. Ieiunium sanctum, quo placari Deus possit, publico atque legitimo consessu decernite: aduocate in templum Domini hominum cœtus, maximè qui propter ætatem, atque consilium prudentia pollent, ac maturitate senili: omnibus denique promissæ

A promissæ terræ habitatoribus hoc ipsum
indicate: & omnes denique eodem stu-
dio, & quasi vno ore ad Dominum cla-
mate.

15. *A a a, diei: quia propè est dies Domini, & quasi vastitas à potente veniet.*

15. Væ, væ, væ nobis. O quàm amara,
& turbida nobis impendet dies. Propè est
dies, in qua Dominus suas vlciscetur iniu-
rias, & debitas à nobis exiget pœnas. Talis
nobis imminet clades, talis regioni nostræ
vastitas, qualem infirmæ plebi vir poten-
tissimus inferre solet.

16. *Numquid non coram oculis vestris alimenta perierunt de domo Dei nostri, lætitia & exultatio?*

16. En quomodo spectantibus, atque
B dolentibus vobis alimenta, tum à pluuiæ
defectu, tum ab hoste calcata, atque dire-
pta perierunt: atque ideo neque fuerunt
victimæ, quæ ritè mactarentur in templo,
neque libationes, quæ ex terræ prouenti-
tibus offeruntur: atque ideo omnis est à
domo Domini sublata lætitia.

17. *Computruerunt iumenta in stercore suo, demolita sunt horrea, dissipata sunt apothecæ: quoniam confusum est triticum.*

17. Iumenta, quorum vsus necessarius
agricolis, confecta fame, in ipso in quo ce-
ciderunt loco extabuerunt: & quia fru-
menti prouentus nullus fuit, vacuæ fue-
C runt apothecæ, atque horrea: neque ma-
iorem agricolis vsum attulerunt, quàm si
forent omninò dissipata.

18. *Quid ingemuit animal, mugierunt greges armenti? Quia non est pascua eis: sed & greges pecorum disperierunt.*

18. Quid commeruerunt irrationales
animantes, vt tam grauia nobiscum, & pro-
pter nostra peccata patiantur incommo-
da? Ingemuerunt animantia muta, quæ la-
bori atque operi nata sunt: mugierunt ar-
menta, perierunt pecora, pecorum etiam
pabula perierunt.

19. *Ad te Domine clamabo: quia ignis comedit speciosa deserti, & flamma succendit omnia ligna regionis.*

19. Ad te igitur clamabo, Domine, à
quo vno sperari potest, atque præstari sa-
lus. Sic deficiente pluuia campus exaruit,
D sic quæ in deserto speciosa videbantur, sic
arbores regionis nostræ deformatæ sunt,
atque vastatæ, atque si peruasisset omnia,
atque assumpsisset flamma.

20. *Sed & bestiæ agri, quasi area sitiens imbrem, suspexerunt ad te: quoniam exiccati sunt fontes aquarum, & ignis deuorauit speciosa deserti.*

20. Quemadmodum area, quæ variis
est ab olitore plantata leguminibus, illis
præ siti morientibus, hianti terra clamat
ad cælum, à quo cum imbre vitam expe-
ctat: sic etiam bestiæ deficiente pabulo
morientes, suspiciunt ad cælum, deside-
rantque pluuiam, quoniam ipsi quoque
E fontes exsiccati sitiunt, & quæ olim spe-
ciosa fuerunt, & opima pabula, non aliter
sunt à siccitate consumpta, quàm si hostili
conflagrassent incendio.

Digitized by Google

Vers. 1. *Verbum Domini, quod factum est ad Ioel filium Phatuel.*]

1. TITVLVS satis ex dictis constat: Ioelis pater ideo ponitur, quia cùm aliis Ioelis nomen esset commune, hac nota Iudæis familiari, Ioel propheta ab aliis quibuscunque secernitur. Fuit sanè, vt diximus, alius Ioel Samuelis filius, cui tanti patris sanctitas, & nomen auctoritatem conciliauit; fecitque vt illud nomen ex Iudaico genere plurimi sibiipsis asciscerent, à quibus hac nota Ioelem hunc nostrum separatum oportuit.

2. Vers. 2. *Audite hoc senes, & auribus percipite omnes habitatores terræ.*] Sententia iterata, quæ attentionem captat, & verbis magnum indicat inesse pondus, familiaris Prophetis. Sic Moyses Deut. 32. *Audite cæli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei.* Psal. 48. *Audite hæc omnes Gentes: auribus percipite omnes, qui habitatis orbem.* Isaias cap. 1. *Audite cæli, & auribus percipe terra.* Magnum itaque est, quod huic prophetiæ argumentum proponitur; quando graui hoc dicendi genere omnium ordinum homines attentos esse iubet.

3. Aduocat primùm senes, quorum ab experientia, & annis grauior fides, qui viderunt multa, audierúntque plura, quæ contigerant ea ætate grauissima: vt illorum testimonio probet nihil superiori ætate accidisse molestius, atque horribilius, quàm quod duabus tribubus imminebat exitium ab hoste Babylonio. Viderant, opinor, senes, quorum excitat animos Propheta, eorum plurima quæ decem tribus ab Assyriorum exercitu pertulerunt: certè cùm illa in vicina regione, & in cognato populo contigissent, ignorare non poterant. Illa iubet reuocent in memoriam, & alia quibus patrum memoria tam Isaelitici, quam externi populi perfuncti sunt. Quæ omnia si cum his conferantur, quæ propheticis oculis duabus tribubus impendere videt infortunia, exigua videbuntur. Porrò senes, vt Rupertus putat, & Albertus, non tantùm illi dicuntur, qui prouecta sunt ætate, & canis aspersi, sed illi etiam, quibus licèt canicies aut ætatis maturitas non aduenerit, præuertit tamen seniles annos sẽsuum iudiciique maturitas. Illi enim nouerunt sæpe, quæ ignorant illi, qui ab ætate grandi vocantur senes; certè illa, & meditantur attentiùs, & penetrant acutiùs.

Cúmque hos præcipuè attentos esse velit, adesse tamen vult animis communem aliam, & inferiorem turbam, quæ terram habitat, nempe illam, cui ea prædicuntur incommoda, de quibus statim, quam nempe tunc incolebant duæ tribus, in quas tonat, & fulminat seuerum hoc Ioelis vaticinium.

4. *Si factum est illud in diebus vestris, aut in diebus Patrum vestrorum.*] Comparatione amplificat earum rerum magnitudinem, quarum minas denuntiat, cùm neque sua, neque parentum memoria tale aliquid contigisse significat. Quare noua dicturus, neque vlli veterum Patrum vnquam audita, nouas aures, nouos animos comparat. Hic dubitant Hebræi quomodo hæc vera esse potuerint, cùm illa, quæ hoc loco commemorantur, eiusmodi non sint, vt non aliquando talia, & fortasse maiora visa fuerint. Fuisse enim locustam, & bruchum in terra Ægypti, constat ex Psal. 104. v. 34. *Dixit, & venit locusta, & bruchus, cuius non erat numerus.* Hæc porrò eiusmodi fuere, vt neque talia visa fuerint superioribus ante sæculis, neque posterioribus vnquam futura sint. Exod. cap. 10. v. 13. *Ventus vrens leuauit locustas, quæ ascenderunt super vniuersam terram Ægypti, & sederunt in cunctis finibus Ægyptiorum innumerabiles, quales ante illud tempus non fuerant, nec postea futuræ sunt, operuerúntque vniuersam superficiem terræ vastantes omnia.* Respondent Hebræorum magistri variè, sed, vt solent, neque solido aliquo fundamento, neque satis ad rem. Ego si de locusta, & brucho proprius, & non potiùs figuratus esset sermo, Caietani potiùs solutionem amplècterer in locum illum Exodi, qui hæc non absolutè capit, sed comparatione illius regionis, in quo hæc facta, aut futura dicuntur. Quare in terra Ægypti neque fuerunt antea, neque futuræ postea sunt tot, ac tam perniciosæ locustæ, neque in terra promissionis, aut certè in ea regione, vbi duæ tribus consederunt: aut fuerunt tales, aut erunt aliquando. Sed reuera hìc non est propriè de locusta, ac brucho vaticinium; sed de variis Chaldæorum appulsibus, qui rem Iudaicam sic sunt hostiliter populati, vt nihil in ea ad hominum vsus opportunum reliquerint.

5. Vers. 3. *Super hoc filiis vestris narrate, & filij vestri filiis suis, &c.*] Hinc ego graue argumentum sumere mihi videor, vt probem prophetiam hanc non tam ad decem, quàm ad duas tribus pertinere: cùm hoc tempore aut decem tribus iam essent euersæ, aut certe non procul abessent ab interitu, neque admodum interesset Iudæis harum rerum renouare memoriam; imò cùm neque obliuisci possent, cùm graue esset tam lati imperij tam vicinum exitium. Intererat autem plurimum nosse Iudæos, quæ ipsorum corruptos mores maneret clades, & id quod ipse verbis proximè minacibus edicit. Id enim iubet vt à parentibus filij, & ab his nepotes doceantur. Spatium verò illud, quod inter hoc Ioelis vaticinium, & Hierosolymæ stragem intercedit, cùm sit annorum circiter centum, satis laxè capit tres generationes, quibus edici iubetur futura calamitas, vt omnes se maturè comparent, vt illam aut viriliter ferant, aut pœnitendo declinent. Cùm autem eorum quæ magna sunt à Domino collata beneficia, perire Dominus memoriam non sinat, cùm beneficium leue non sit, tanto antè futuræ cladis fuisse populum admonitum; illius memoriam altè iubet, ad tertiam vsque ætatem, id est, ad tempus vsque denunciatæ cladis pòsterorum mentibus infigi.

6. Vers. 4. *Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, residuum bruchi comedit rubigo.*] In his, vt dixi, varia Israelitici populi significantur detrimenta, quæ à variis Israelitici nominis inimicis variis irruptionibus illata sunt. Quia iam suprà à nobis dictum est, totam Ioelis prophetiam ad duas tantùm tribus pertinere, ideo quæ alij de decem aliis tribubus adducunt, iure meo videor præterire posse, de duobus alij aliter accipiunt. Cùm enim ante Chaldæorum appulsum multiplici fuerint Iudæi, & concisi plaga, & affecti detrimento, priùs à Senacherib sub Ezechia, deinde cùm filius eius Manasses captiuus abductus est in Babylonem *lib. 2. Paralip. cap. 33.* pòst occiso Iosia magnam res Iudaica plagam

Multis plagis duæ tribus variis temporibus affectæ.

plagam accepit à Pharaone Nechao. Ad extremum ſub Nabuchodonoſor quater Iudæorum regnum grauiter eſt afflictum, & tandem cum Hieroſolyma & templo omnino diſſolutum. Qui hæc omnia prædici exiſtimaret à Ioele, nihil mihi videretur alienum dixiſſe, neque quatuor illæ agrorum peſtes contra admodum faciunt, licet plures fuerint hoſtium irruptiones. Tantùm enim videtur hoc dicendi genere prædici aliis alias ſucceſſuras eſſe plagas, quæ duas tribus quietas eſſe non ſinant, atterántque ſenſim, atque debilitent, ac tandem conficiant, neque quicquam reſiduum ex tanta gloria, atque amplitudine relinquant.

7. Hebræi, vt refert hîc Hieronymus, quarum ſententiam dum non improbat, ſed latè perſequitur, videtur probare, probant certè alij, quibus Hieronymi ſententia, vt debet, grauis eſt, nec vnquam niſi admodum rarò deſeritur. Hi verò ſunt Remigius, Haymo, Albertus, Rupertus, Dionyſius, & Hugo, qui quatuor imperiis quatuor has animalculorum ſpecies accommodant. In *eruca* exprimi putant Aſſyriorum, & Chaldæorum imperium, qui primùm rem Iſraeliticam, & Iudaicam aliis, atque aliis temporibus, & irruptionibus euerterunt: in *locuſta* Perſarum, & Medorum, apud quos extincto Chaldæorum imperio, captiui diu inueterauerunt. In *brucho* Græcorum, ex quo fuerunt multi, qui Iudæorum cauſam inſectati ſunt; præſertim Antiochus Epiphanes, de quo multa in libris Machabæorum. In *rubigine* Romanorum, qui exciſa ciuitate, ac templo, atque ipſo propè extincto Iudæorum nomine, quicquid ab aliis reliquum fuerat, ablatum eſt. Hæc cogitatio fortaſſe vera; ſed illud patitur incommodi, quòd in duas tribus nihil videntur magnum Aſſyrij præſtitiſſe, licèt extrema tentauerint. Nam licet Senacherib ſub Ezechiæ tempus aliquot occuparit ciuitates, non tamen illas habuit in poteſtate diu: & deletis ab Angelo Aſſyriis caſtris, non tantum ornamentorum, & honoris abſtulit, quantum reliquit. Deinde quia Chaldæi nihil fecere reliquum, quòd prædarentur Perſæ, neque Græci, & qui illorum infenſiſſimus fuit, & nequiſſimus Antiochus, abſtulerunt, quod Perſis fuerat à cæde, & direptione reliquum; ſed quod Iudæi ab exilio reuocati Perſarum auſpiciis, & impendiis moliti ſunt. Quod idem de Romanis omnino dicendum; qui non abſtulerunt Græcorum reliquias, ſed quæ nouo opere Iudæi ſua ipſorum manu, atque ſtudio conſtruxerant.

8. Quare placet id, quod magis videtur placuiſſe Hieronymo, quatuor Chaldæorum aduentus in quatuor hiſce beſtiolarum ſpeciebus exprimi: ſic autem Hieronymus ad illud v. 6. *Gens enim aſcendit*, cùm ſuperiorem ſententiam retuliſſet, addidit, *licet nũc nobis magis de Babyloniis dici videatur, atque Chaldæis, quorum crudelitas in populum Dei, feritáſque deſcribitur, &, ni fallor, videor mihi in hoc Propheta aliquid reperiſſe.* Fuerunt autem quatuor ſub Nabuchodonoſor Chaldæorum appulſus, primus cùm anno 3. Ioacim venit Hieroſolymam, victúmque regem vectigalem ſibi fecit, & multa ſecum abduxit tẽpli donaria. Secundus quando 8. anno eiuſdem regis, rediit cum exercitu, vt rebellantem ad officium cogeret, & fidẽ; aut quod deinde fecit, regno mulctaret, & vita. Tertius cùm tertio pòſt menſe illius filium Ioachim, ſeu Iechoniam, quem parentis loco in regno ſuffecerat, regno pelleret. Quartus cùm anno Sedeciæ vndecimo vrbem excidit, templum excuſſit, & rem funditus Iudæorum extinxit. His quatuor irruptionibus non erit difficile totidem beſtiolarum naturam accommodare.

In quatuor beſtiolis quatuor Chaldæorũ aduentus ſignificati.

9. *Eruca*, Hebr. גזם *gazam*, Græcem κάμπη; eſt autem vermiculus villoſus, & hirſutus, oleribus infenſus, & arboribus, quorum inſidet frondibus, & illas corrodit, & deformat: dicitur ab Hebræis גזם *gazam*, quia detondet, & carpit herbas, quibus inſedit; à Græcis κάμπη, quia flexũ corporis ſe conuoluit, & repit.

Eruca quid.

10. *Locuſta*, Heb. ארבה *arbeh*, à multitudine: quia multæ ſimul volant, & Solis interdum ſicut nubes ſplendorem eripiunt, & vmbram inducunt. Græcè ἀκρίς, quæ maxima peſtis eſt frugum, per quas ſi quando tranſire contingat, aut tranſiiſſe videbitur tempeſtas, aut hoſtilis acies. De qua Plinius, in quo plures alios de naturali hiſtoria ſcriptores audire te puta, lib. 11. cap. 19. *Gregatim ſublatæ vento in maria, vel ſtagna decedunt, longinqua maria tranſeunt continuata plurium dierum fame, quam propter externa pabula petere ſciunt. Deorum iræ peſtis hæc eſſe intelligitur. Namque, & grandiores cernuntur, & tanto volant pennarum ſtridore, vt aliæ alites credantur. Solémque obumbrant ſollicitè ſuſpectantibus populis ne ſuas operiãt terras. Sufficiúntque vires, & tanquam parum ſit maria tranſiiſſe immenſos tractus permeant, diráque meſſibus contegunt nube, multa contactu adurentes, omnia verò morſu erodentes, & fores quoque tectorum.* Hanc verò peſtem eſſe maximam Syriæ, cuius pars eſt Palæſtina, & tota terra promiſſionis, ipſe docet Plinius paulo pòſt, dum non aliter euocari dicit homines contra locuſtas, quàm contra hoſtiles copias militari coguntur imperio. Ea verò eſt locuſtarum multitudo, vt iam abierit in prouerbium, ita vt multarum Gentium copiæ illius comparatione ſignificetur. Ierem. cap. 46. v. 23. *Multiplicati ſunt ſuper locuſtas, & non eſt eis numerus.* Iudic. cap. 6. v. 5. de hoſtium exercitu. *Inſtar locuſtarum vniuerſa complebant.* & cap. 7. v. 12. *Orientales populi fuſi iacebant in valle, vt locuſtarum multitudo.* De his Prou. 30. v. 27. *Regem locuſta non habet, & egreditur vniuerſa per turmas ſuas.*

Locuſtarum proprietas.

Locuſta agrorum peſtis.

Locuſtarum multitudo prouerbialis.

11. *Bruchus*, Heb. ילק *ielek*; quid verò illud ſit, obſcurum, communiter genus exiſtimatur eſſe locuſtæ: neque tamen eſſe pennatum, & ideo maximè exiſtimãtur eſſe peſtilentes bruchi, quia cùm volare non poſſint, regionem illam vbi conſederunt ſemel, totam interdũ populãtur, atque vrunt. Sanè Plinius *lib. 8. cap. 29.* oppidum quoddam à bruchis ſubuerſum eſſe tradit in Africa. Solere autem bruchos, cùm auolare non poſſint, comprehendi, & illorum aceruos coniectos in foſſas terra tegi atque opprimi, habemus ex Iſaia cap. 33. v. 4. *Congregabũtur ſpolia veſtra, ſicut colligitur bruchus, velut cùm foſſæ plenæ fuerint de eo.* Loquebatur ibi de Senacherib, cuius exercitus ſicut bruchorum multitudo populabatur Iudæorum regionem, qui tamen in Topheth, quaſi in foſſas bruchi coniecti, oppreſſus eſt. Sunt qui bruchos eſſe putant illud vermiculorum genus, qui vites cùm germinare incipiunt, & fructum oſtendere, corrodunt, quos vulgus Hiſpanorum appellat *pulgon*, & hoc fortaſſe verum.

Bruchus quid.

12. *Rubigo*, Heb. חסיל *chaſil*, quam tum alij, tum etiam vulgatus non ſemper eodem modo vertit. Vertit quidẽ *bruchum* in eo loco Iſaiæ, quem proximè produximus, & *1. Paralip. 6. v. 28.* & beſtiolæ genus eſſe indicant reliquæ tranſlationes; quid tamen

Digitized by Google

men illud sit, sicut pleraque alia huiusce generis, A obscurum est. Sed est etiam quoddam vitium in frugibus, quod illas fœde exurit, & perdit, quod Latinus nebulam, Hispanus *añublo, seu tizonzillo* vocat. Hoc vitium frugum est præcipue, maximè notum agricolis, de quo Horatius lib. 3. Car. ode 23.

Nec pestilentem sentiet Africum
Fœcunda vitis: nec sterilem seges
Rubiginem.

Et Virgil. lib. 1. Georgic.

Mox & frumentis labor additus, vt mala culmos
Esset rubigo.

13. Est autem rubigo spicarum morbus, cùm exceptus in spicam ros, aut pluuia non excutitur, B sed excalefactus à calore spicã exurit, & in fuliginem spem totam agricolæ conuertit. Quare olim agricolæ, vt pestem hanc auerterent ab agris, festa quædam instituerunt, quæ siue à rubigine, siue à Rubigo Deo Rubigalia dixerunt. Sed hic quoque morbus vinearum est, qui sicut spicas, sic etiam vites, cùm tenera est adhuc palmitum viriditas, inuadit. Cui morbo vinitores maturè occurrunt, ex ea disciplina, quam tradit Columella lib. de arboribus, cap. 15. *Palearum,* inquit, *aceruos inter ordines verno tempore positos habeto in vinea. Cum frigus contra temporis consuetudinem intellexeris, omnes aceruos incendito: ita fumus nebulam, & rubiginem remouebit.* C

14. Ad mores variè hæc accipiunt interpretes, quos tute facile super hunc locum consulere poteris. Tantum tibi proponam quid Magnus hic excogitarit Gregorius lib. 33. Moral. cap. 39. *Quid,* inquit, *per erucam, quæ toto corpore in terra repit, nisi luxuria designatur? quæ cor, quod tenuit, ita polluit, vt in superioris munditiæ surgere amorem non possit. Quid per locustam, quæ saltibus euolat, nisi inanis gloria exprimitur, quæ se vanis præsumptionibus exaltat? Quid per bruchum, cuius corpus totum penè in ventrem colligitur, nisi edendi ingluuies figuratur? Quid per rubiginem, quæ dum tangit, incendit; nisi ira innuitur? Residuum ergo erucæ locusta comedit, quia sæpe cum luxuriæ vitium à mente recesserit, inanis gloria succedit.* D *Et residuum locustæ bruchus comedit, quia sæpe cum inani gloria, quæ quasi ex sanctitate veniebat, resistitur, vel ventri, vel quibuslibet ambitionis desideriis immoderatius indulgetur. Residuum bruchi rubigo consumit, quia sæpe dum ventris ingluuies per abstinentiam restringitur, ira impatientiæ acriùs dominatur, quæ more rubiginis quasi exurendo messem comedit. quia virtutum fructus impatientiæ flamma abscit. Cum ergo vitia vitiis succedunt, alia pestis agrum mentis deuorat, dum alia relinquit.* Hieronymus in quatuor agrorum pestibus quatuor animi perturbationes principes, & quasi capitales agnoscit, quæ reliquas mouent, ducunt, & sustentant, ægritudinem, gaudium, E timorem, spem. Quas paucis complexum esse dicit Virgilium Æneid. 6.

Eruca luxuria symbolum.

Locusta gloria inanis.
Bruchus gulæ.
Rubigo iræ.

Hinc metuunt, cupiúntque, dolent, gaudéntque, nec auras
Respiciunt clausi tenebris, & carcere cæco.

Idem quod Gregorio, visum est Hugoni de sancto Victore, qui Gregorij cogitationem latè persequitur.

15. Vers. 5. *Expergiscimini ebrij, & flete, & vlulate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine, quia periit ab ore vestro.*] Si propriè superiora sumas de animalculis, quæ fruges, & vites depopulantur, vt nonnulli volunt, optimè hæc interpretabere, de vino etiam non figurato, sed propriè. Si enim bruchus, & rubigo vineas inuadant, noxio illorum attactu nulla colligetur ex vite quantumuis vbere vindemia. Sed esse hæc omnia figuratè sumenda, multa probant, quorum paulo antè nonnulla produximus, & quæ sequuntur non obscurè docent.

In ebrietate igitur, & vini dulcedine vbertas significatur, & nobilitas earum rerum, quæ habentur in pretio, quarumque possessione homines vulgo censentur fortunati. Quales sunt opes, diuitiæ, quæ ad vsum, & voluptatem pertinent: & quæ commoda pacis, & dignitatis ornamenta dicuntur. His omnibus carebunt breui, & cum eo dolore, quem vlulatus, & fletus significabunt, qui priùs his rebus, ad satietatem, atque luxuriam abundabant. 16.

Ebrietas pro abundãtia.

Qui ebrij sunt, id est, locupletes, & rebus affluentes, quas natura, aut morum intemperantia desiderat, illi plerunque dormiunt in illarum rerum aut quærendarum, aut conseruandarum studia demersi. Dormire autem dicuntur, quantumuis longas, sedulásque agant excubias, qui futilia curant, & eorum, quæ maximè faciunt ad naturam bene cõstitutam obliti, nihil ingenuum & liberale meditantur. Quemadmodum otiosum illum appellamus, qui quantumcunque se laborando discruciet, efficiet tamen nihil, quod esse possit honestum, aut vtile tantæ operæ pretium. Vt igitur acriter, cum vrget necessarium aliquod opus, dormientem excitamus; sic etiam illum, qui ludicris intentus opera, & otio dormienti similis abutitur, expergisci iubemus, vt sapere incipiat, vt seria cogitet, & quæ imminent a natura, vel hoste incommodis occurrat. Vt autem ebrij neque euitare student, imò neque sentiunt mala quæ patiuntur, aut impendent; sic qui rebus abundant, quæ voluptates aut fouent, aut aduocant, quasi ebrij forent, omnem videntur sensum, aut mentem amisisse. Dixit sanè acutè, & verè quicumque dixit, diuitias, & opes non solùm superbos, sed etiam fatuos, & insipientes efficere. Audi Gregorium lib. 33. moral. cap. 40. *Ebrij vocati sunt, qui mundi huius amore confusi mala non sentiunt, quæ patiuntur. Quid est ergo dicere: Expergiscimini ebrij, & flete, nisi somnum vestræ insensibilitatis excutite, & in deuastatione cordis tot sibi succedentibus vitiorum pestibus, vigilantibus lamentis obuiate.* 17.

Otiosus dicitur, & dormiens, qui inutilia captat.

Diuitiæ quendam quasi stuporem, & ebrietatem inducunt.

Vbi vulgatus *in dulcedine*, Heb. est עסיס *asis*, quod esse existimatur vinum dulce, quale mustum est (nam hoc præcipuè valet hoc nomen) aut ab aliis fructibus expressum, quàm ab vuis, nempe à pomis, malis puniceis, aut aliquo aromate conditum, qualia homines lauti, suóque genio immoderatè seruientes adhibere solent ad mensam; de quibus Athenæus *lib.* 1. per multa capita. Et nostra ætate homines, qui suo tantùm videntur abdomini nati, condiendis, seu potiùs corrumpendis vinis plus satis indulgent. 18.

Quia periit ab ore vestro.] Notus Hebraismus: est enim *perire* idem quod abesse. Amos cap. 1. *Peribit fuga à veloci.* id est, velox non effugiet. Psal. 141. *Periit fuga à me.* Ieremiæ cap. 49. *Periit consilium à filiis.* Sic ergo hoc loco perire vinum ab ore, nihil est aliud, quàm auferendum esse vinum, ne illud bibant, qui priùs abundanter, & cum suauitate aut naturali, aut artificio quæsita luxuriosè potabant. 19.

Perire ab aliquo, quid.

Vers. 6. *Gens enim ascendit super terram meam fortis, & innumerabilis.*] Explicat quod priùs in eruca, brucho, & locusta obscuriùs indicarat, & quod in allegoria impropriis verbis, & sine vllo integu 20.

integumento proponit. Et apertè docet, vnde ventura ſit illa vaſtitas, cuius denunciatione populum tunc lautum, & ſecurum excitare vult. De numero, in quo Chaldæorum exercitus, cum locuſtis, & bruchis comparatur, nemo, credo, dubitabit, cùm ea ſit locuſtarum multitudo, vt non ſecus, ac nubes terris vmbram obducant. Idem de erucis, & rubigine, ſi in ea vermiculos intelligas infenſos vitibus, dicendum eſt. Illud verò durius, cùm non ſolùm Chaldæorum exercitus cum locuſta, & brucho in multitudine, ſed etiam in fortitudine comparetur. Huic difficultati, non vno modo occurri poteſt, primùm quia locuſtæ dici poſſunt fortes, licèt in ſuo genere imbelles, & infirmæ; quia valde nocent frugibus, & herbis illis quibus inſedere. Eſt autem illud in omni ferme lingua vſitatum valde, vt illi dicantur fortes, qui ſtrenuè ſuum munus, quale illud cumque ſit, aggrediuntur, & obeunt. Quomodo diuites appellantur fortes, quia opibus, quod lubet tentant, & plerunque quod tentant aſſequuntur. Fortis dicitur orator, qui cauſam ingenioſè, & conſtanter tuetur, & fortes morbi, qui corpus debilitant, & ſternunt, fortis dicitur mulier, quæ domeſtica curat, & quod matremfamilias decet, ſedulò præſtat. Prou. 31. *Mulierem fortem quis inueniet?* Cùm ergo hæc omnia conſequantur facilè locuſtæ, & bruchi, licèt natura ſint imbelles, & infirmi, nil mirum ſi fortes appellentur, & in eo genere cum ipſis comparentur Chaldæi.

Fortis dicitur qui ſuũ munus ſtrenuè obit.

21. Adde quòd reuera locuſtæ fortes ſunt, quæ, vt ſuprà referebamus ex Plinio, ipſas quoque tectorum portas erodunt. Teſtæ verò qua locuſtæ teguntur, vſqueadeo duræ ſunt, vt ideo loricatæ vocari poſſint; imò fortaſſe hoc eſt familiare locuſtarum epitheton. Apocalypſis *cap.* 19. locuſtæ dicuntur habuiſſe loricas ferreis non diſſimiles. Quoddam locuſtarum genus tradit Plinius ſuprà, quod curribus, ac feminibus cùm inaruerint, ſerrarum præbet vſum. Quare comparatio à locuſtarum fortitudine ſumpta inepta non eſt.

22. *Dentes eius, vt dentes leonis, & molares eius, vt catuli leonis.*] Parum videbatur Chaldæorum vim, & furorem expreſſiſſe, ſumpta ex locuſtarum, bruchorúmque ſimilitudine: atque ideo aliquid ſumit à leone, qui princeps belluarũ eſt, & à natura magis ad nocendum inſtructus. Niſi dicas comparari quidem cum locuſtis, & bruchis multitudine, furore verò, ac fortitudine cum leonibus. Quàm fuerint Babylonij fortes, quam in perferendis laboribus adamantini, habemus ex Prophetis non ſemel, de tolerantia, ac fortitudine Iſaias cap. 5. à verſu 27. *Non eſt deficiens, neque laborans in eo: non dormitabit, neque dormiet, neque ſoluetur cingulum renum eius, nec rumpetur corrigia calceamenti eius. Sagitta eius acuta, & omnes arcus eius extenti: vngulæ equorum eius vt ſilex, & rotæ eius quaſi impetus tempeſtatis. Rugitus eius vt leonis rugiet vt catuli leonum, & frendet, & tenebit prædam.* De crudelitate quomodo in omne hominum genus, & ordinem ſæuierint, neque ſenili, aut infantili ætati pepercerit, vt virgineo illuſerit pudori, vt omne crudelitatis genus exercuerint, deplorat multis in Threnis Ieremias, vbi completa dicuntur abundè, quæ hìc aliquando futura prædicit Propheta.

23. In leone, & catulo leonis, nihil eſſe puto diuerſum: ſed tantùm eádem eſſe ſententiam aliter atque aliter expreſſam; quod cu epitaſi ſit in Scri-

Catulus leonis, idem quod leo.

A ptura ſacra non infrequenter. Nam quòd quidam in catulo leonis magis acutos, & fortes eſſe dentes ſomniarunt, iam à nobis in noſtris cõmentariis ſuper Oſeam *ad cap.* 5. *v.* 14. improbatum eſt. Eſt autem vſitatum ex Hebræorum idiomate, vt per filiũ multa circumſcribamus, in quibus tamen filij nomen nihil addit ad ſignificationem: quomodo *filius hominis, filius arietis, tauri, coruorum,* idem eſt quod *homo, aries, taurus, coruus.* Neque puto hìc in *catulo* aliud ſignificari, quàm in *filio.* Sicut neque *pullus aſinæ* aliquid minus habet, quàm aſinus, & quidem *Iudic. cap.* 14. ille quem occidit Samſon modò leo, modò leonis catulus appellatur.

Verſ. 7. *Poſuit vineam meam in deſertum, & ficum* 24.
B *meam decorticauit.*] Populus Iſrael, & illa pars præcipuè, quæ ad templum, Hieroſolymámque pertinet, ſuam ſibi vineam non ſemel Deus appellauit. Iſai. 5. v. 7. *Vinea enim Domini exercituum domus Iſrael eſt: & vir Iuda germen eius delectabile.* Hac metaphora vſitata ſatis apud ſcriptores ſacros, magna regionis ſignificatur, & vniuerſalis euerſio. Cùm enim vinea diligenter priùs exculta in deſertum redigitur, nihil profectò ſignificatur fuiſſe reliquum. Quod verò ſubditur corticem à ficu fuiſſe detractum, apertè docet, hæc non propriè de locuſta, ac brucho eſſe intelligenda; cùm ab horum morſu, & erucæ, ac rubiginis attactu nihil patiatur ficus; quia præter-
C quam, quòd aſpera eſt, habet etiam inſipidum, & amarum ſuccum, propter quem, etiamſi cætera eſſent tenera, tuta tamen eſſent ab harum beſtiolarum morſu: quod de cupreſſo dixit Vitruuius lib. 2. cap. 19. *Ineſſe illi amarum quendam ſaporem, qui à carie defendit, & vermiculos abigit, qui eam gignunt.* In decorticata ficu ficus, opinor, ſignificatur tabes, & interitus, cùm enim alia præſtet arboribus cortex, ille tamen eſt præcipuus vſus, quòd ab æſtu, & frigore truncum defendit: qui cùm neque firmam habeat, neque duram materiam, facile ab vtralibet qualitate grauiter afficitur: quare rei hortenſis periti actũ eſſe putant de ficu, quando illa eſt à cortice nudata; neque
D enim cortex alius illius loco ſuccreſcit, & rami, ac ſtipites, vt dixi, ab illo naturali tegumento nudati ſeneſcunt, & pereunt. Quare perinde videtur decorticari, atque ſuccidi ficera. Quemadmodum idem eſt detrahere pellem, ac vitam eripere animali. Plinius *lib.* 17. *cap.* 24. tradit necari arborem, ſi corticem in orbem detrahas, excepto ſubere. Eſt porrò *cingo* verbum antiquum, quo Iuriſperiti ſignificant illud damnum, quod detracto in orbé cortice arboris accipiunt, actionémque ſtatuunt in eos, qui arbores ſuccidunt, cædunt, cingunt. His enim modis ab hoſtibus arboreta vaſtantur. Ex quo veriſimile eſt hoc dicendi modo ſignificari enectas eſſe ficus, ab ho-
E ſtili ferro, quando illæ deglabratæ, aut delibratæ non viuunt. Coniunxit autem Propheta cum vite ficum, quia hæc duo etiam in eodem loco coniunguntur. In Palæſtina namque vitibus, ac ficubus conſeruuntur agri; quare ſæpe audis requieſcere ſub vite, ac ficu. Et ſponſus *Cant. cap.* 2. cum vineæ floribus ficuum quoque groſſos coniunxit: & Chriſtus *Lucæ* 13. in vinea, ex Hebræorum conſuetudine, ficum conſtituit.

Cortex quã vtilis arboribus.

Nudans ſpoliauit eam, & proiecit: albi facti ſunt rami eius.] Explicat quid ſit ficum à cortice nudari, nempe proiici; qualis verò futura ſit illa nudatio, quæ tabem arbori, & interitum adducit, ſatis explicat, cùm ramos albos eſſe dicit, id eſt, vndique ſpoliatos

spoliatus à cortice. Quòd si vna tantùm parte nudaretur a cortice, retinere posset vitam, & fructus producere, vt experientia docet; quòd si omnino corticem detrahas, omnino perdes ficum. Quod optime dixit Gregorius *lib.8. Moral. cap...* vbi ad mores bellè adducit metaphoram decorticatæ ficus, docetque virtutum, atque animæ custodem esse humilitatem, quæ optime significatur in cortice, qui cùm aridus, atque deformis videatur, regit tamen medullam, & vim latentis animæ à cæli, & temporis iniuria. *Cum mens*, inquit, *hoc, quod egerit, videri ab aliis concupiscit, quasi expoliata ficus, eum, qui se texerat, corticem amisit, vbi aptè subditur: Albi facti sunt rami eius, quia ostensa humanis oculis eius opera cand scunt, de sanctitate nomen sumitur, cùm recta actio diuulgatur. Sed quoniam subducto cortice rami fici huius arescunt, sol. rter intendendum est, quia facta arrogantium humanis oculis ostensa, vnde placere appetunt, inde siccantur. Mens itaque, quæ per iactantiam proditur, decorticata rectè ficus vocatur, quia candida est per hoc quod cernitur, & siccitati proxima per hoc, quod tegmine corticis nudatur. Intus ergo sunt seruanda, quæ agimus, si ab interno arbitro vicem recipere nostri operis expectamus.* Lege reliqua, quæ in hanc sententiam optime Gregorius.

Humilitas virtutum tegumentū, & custos.

26. Vers. 8. *Plange quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis suæ.*] Optima similitudo, & bellè ad πάθος ex fortunæ mutatione subita. Nihil sponsa pulchrius, nihil ornatius nuptiali tempore; in cuius instructum quicquid est in rerum natura pulchrum impenditur. Vide *Psal. 44. & caput 16. Ezechielis, & librum totum Canticorum*, & disces quanto studio, atque impendio sponsus in regium sponsæ suæ cultum incumbat. Ex quo factum est vt sponsa dicatur Regina familiari, & legitima compellatione, aut, quod idem est, filia Principis, & auroræ, ac lunæ dicatur esse similis. Quantus verò sit nuptialis plausus, quanta lætitia tam nouorum coniugum, quàm illorum, qui genialem pompam comitantur, quanta ab hymenæo cantico iucunditas, argumento est, quòd hæc in lætitiæ magnæ comparationem adducuntur. Vnde *Ierem. cap. 25.* dum cessaturum dicit gaudium Ierusalem, quod item dicit hoc loco Ioel, huius lætitiæ cessatione significat. *Perdam*, inquit, *ex eis vocem gaudij, & vocem lætitiæ, vocem sponsi, & vocem sponsæ.* Idem repetit *c. 7. & cap. 16. & Apocal. cap. 18.*

Nuptiarum eximius apparatus.

27. Quis fœminarum habitus in luctu obscurè ex Scriptura sacra colligitur; fuisse lugubrem, & sordidum, tum præterea cum vlulatu, & nonnulla etiam corporis offensione, qualis est crinium, genarúmque laceratio, ex aliarum nationum consuetudine verisimile est. Compone nunc sponsæ cultum, atque lætitiam, cum viduæ vlulatu, ac sordibus, & nihil inuenies magis ad aspectum miserabile, aut magis ad dolorem acerbum.

Fœminarū habitus in luctu.

28. Adde quòd dolor iste non est cuiuscunque viduæ; sunt enim plurimæ, quæ iam sunt aut fractæ molestiis, aut affectæ tædio mariti, ac longi matrimonij, quæ de cultu, atque munditia non laborant: quibus carere aut marito moroso ac sene, aut lautis, ac nuptialibus deliciis graue non est. Sed eius viduæ status proponitur, quæ vix dum gustata nuptiarum suauitate, sponsique blanditiis, recens à nuptiis, immaturo sponso recentis interitu, & sponsi suauitate, & nuptiali cultu, & ipso denique sponso viduata est. Hic planè fuit status Ierusalem, & Iudæ, quæ paulo antè cùm sponso Deo præsente, atque propitio

A fruеretur, dies agebat planè geniales, abundabat opibus, vites habebat, & ficus, ad quarum vmbram otiosa, atque secura quiescebat: at cùm sponsus Deus ab ea tanquam adultera recessit, quod illi perinde fuit, atque si sponsus esset mortuus, tum vinea redacta est in desertum, decorticata ficus, & pro flore, ac germine per locustam, bruchum, squalor, & sterilitas inducta.

Hic porrò nonnulla à nobis obseruanda. Primum cur dicatur virgo, cui ipso loquendi genere libatus videtur esse pudor à nouo sponso, cuius difficultatis non est difficilis solutio, si statuas id esse vsitatum valde apud scriptores omnes, & apud sacros maximè, vt tale nomen aliquid B habeat, quod proximè amisit: vnde cæci, surdi, & claudi, & muti dicuntur; quibus à Deo data est videndi, audiendi, & incedendi facultas, quia paulo antea illa caruerant. *Cæci*, inquit Christus, *vident, claudi ambulant*, &c. & in hoc ipso nomine exempla non desunt. Virgil. Pasiphaem iam nefaria libidine corruptam virginē vocat eclog. 6. 29.

Virgo cur aliquādo vocetur, quæ corrupta est.

O virgo infelix, quæ te dementia cepit.

& Terentius in Eunucho, *virgo illacrumat*, & tamen ideo illacrumasse fingitur, quia illi astu fuerat erepta virginitas.

Aut certè ideo vocatur virgo, quia puella adhuc fingitur, ætati verò puellari propria est, & in bene constituta familia quasi naturalis virgi- C nitas. Ex eo autem quod alicui debitum est, & quasi naturale, nomen illi tribuimus, licèt illi, propter inertiam, aut iniuriam minimè conueniat. Quomodo Christiani olim vocabantur sancti; quia illud exigebat euangelicæ vitæ ratio, quæ tota ad sanctitatem informat. Sic sacerdotes dicuntur Presbyteri, id est, senes, item qui publicæ rei consulunt senatores, aut seniores, quia tam illi, quàm hi aut ætatem, aut mores habere debent seniles; & tamen contingit non rarò aut mores, aut ætatem habere iuuenilem. Sic pueri dicuntur serui omnes, licèt ætati sint non virili solum, sed etiam senili, quia pueri ætate sunt ad seruiendum idonea; sic seruus Abraham *Gen. 24.* D vocatur puer, cùm tamen illi id negotij datum fuerit, quod committi non soleat nisi senibus, & Hispani eos, qui suam alteri operam locarunt, *mozos*, appellant, id est, iuuenes, quia iuuenilis ætas idonea est seruili ministerio. 30.

REGVLA. *Tale aliquis nomen habet, quale eius ætati, ac conditioni conuenit, licèt ratio nominis desit.*

Saccus vox est Hebræis, Græcis, Latinísque communis, & cùm alia significet, tum in Scriptura sacra frequenter vile quoddam, & sordidum tegumenti genus; quale homines aut in luctu induunt, aut pœnitendo aliquod dolentis animi documentum præbent. Dicitur autem saccus, quia ex eadem materia, aspera videlicet, & vili consuitur, ex qua sacci fiunt; neque fortasse multo plus habent artis: fiunt autem opinor ex E hircorum, aut camelorum pilis, quale Ioannes habuisse dicitur Mat. cap. 3. *Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & Zonam pelliceam circa lumbos suos.* quæ optima mihi videtur sacci descriptio, quem etiam cilicium appellare possumus; est enim cilicium tegumentum ex hircorum, caprarúmque villis contextum, qui in Cilicia, vnde nomen traxere, tonsiles sunt. Vbi autem cilicium habet vulgatus, Septuaginta ferme σάκκον, transtulerunt, & quidem Hebr. שׂק est, id est, *saccus*. Quia verò saccus indicium est, atque insigne doloris, ideo quæ vultum assumunt horridum, & lugubrem, licèt inanimata sint, indui dicuntur sacco, quo apud Isaiam cap. 50. induendi cæli dicuntur. 31.

Saccus quid.

Cilicium quid.

Super

Digitized by Google

32. *Super virum pubertatis suæ.*] Septuaginta παρθενικὸν, id est, vt Hieronymus exponit, virgineum; illum nempè, cui nupsit fœmina in ætate puellari, quo tempore pubertas primùm germinans docebat illam maturam esse coniugio, quique virginei pudoris florem primus abstulit. Ille verò, qui primus libauit puellares amplexus, quæque casti connubij iura permittunt, maximè charus est, eo præsertim tempore, quando feruet ætas. Ex qua ætatis, rerúmque natura sumpsit Virgil. illud Didonis *lib. 4. Æneid.* Sic enim illa de Sichæo, cui virgo nupserat, quemque suæ pubertatis virum vocare posset.

Ille meos, primus, qui me sibi iunxit, amores
Abstulit, ille habeat secum, seruétque sepulcro.

33. Vers. 9. *Periit sacrificium, & libatio de domo Domini, luxerunt sacerdotes.*] Hæc eò spectant, vt regio tota ab hostili siue ferro, siue flamma dicatur euersa, ita vt neque templum supersit, in quo de more immolentur victimæ, neque si adhuc superesset, futuræ fuerint hostiæ, quæ ad aras deferrentur. Et ideo lugendum esse prædicit sacerdotibus, quia & eorum sacrum frigebit ministerium: neque ipsi habebunt, quo honestè vitam ab altari, réque sacrificali sustentent. Exercitus quippe Chaldæorum vineas populabitur, & segetes, atque ideo non erit, vnde libamenta fiant ex pane, vino, atque oleo; & pecudes omnes, & armenta aut extinguet, aut auehet, atque ideo neque vituli erunt, neque arietes, neque aliud animantium genus, quod sacras aras de more imbuat.

34. Porrò hìc *sacrificiũ* pro his animalibus vsurpatur, quæ mactantur in tẽplo, libatio pro his siue liquoribus, siue frugibus ex quibus liba fiunt: pro vino nempe, atque oleo, simila, atque frumento. Est enim apud externos, & maximè apud sacros frequenter vsitatum, vt actio pro his rebus vsurpetur, circa quas versatur; quomodo *circumcisio* pro circumcisis, *congregatio* pro congregatis, *messis* pro frugibus, *vindemia* pro vuis; sic etiam hìc *sacrificium* pro victimis, *libatio* pro vino, atque oleo, aut etiam pro frugibus adhibetur.

35. Vers. 10. *Depopulata est regio: luxit humus.*] Hæc satis explicant, quomodo superiora intelligenda sint. Lugere id dicitur, quod aliquid suæ naturæ patitur aduersum, quo sensu lugere dicitur forũ cùm à iudicio, & causis, & scholæ, cùm à lectionibus atque auditoribus vacant: lugent vineæ, cùm exustæ sunt gelu, aut siti languidæ; & viæ cum non sunt, qui illas frequenti ingressu, atque numeroso nobilitent. Vide quæ diximus ad illud Thren. 1. *Viæ Sion lugent, eo quòd non sint, qui ingrediantur.*

Lugeo quid in sacris literis.

36. *Confusum est vinum.*] Metaphora Hebræis vsitata, & facilis, aliis fortasse durior, vt lugere dicitur terra, vinea, & ager, quia talia patiuntur, qualia homini in fortuna simili luctum, atque dolorem inducerent; sic modò confusum dicitur vinum, & confusi statim agricolæ, hi propriè, illud figuratè, quia fidem quam dominorum studio, atque labori dedisse videbantur, aut arenti solo, aut exustis frugibus non liberarunt. Tunc autem meritò aduenit confusio, & rubor, quando nos aliquis fraudis aut fidei violatæ coarguit. Id metaphoricè contigit viti, ac vino, propriè verò vinitoribus, qui alienas vites colendas mercede conduxerunt. Cùm sementem accipit ager in gremio, priùs diligenter à colono subacto, promittit, se quod accepit bona fide cum fœnore redditurum. Ita sane Cicero ex Hesiodi sententia. Hæc apta videtur nominis ratio. Sed sanè patet multo latiùs huius nominis vsus, vt ex hoc ipso capite intelligitur, vbi etiam dicitur gaudium confundi. Quare *confundi* est aliquid aduersum pati, aut ab spe decidere, aut ab eo quod quispiam optat, ferre repulsam. Septuaginta, Chaldæus, & alij interpretes his omnibus locis reddunt, *aruerunt*, aut *aruit*. Deduxerunt enim illa tempora à יבש *iabas*, quod est arescere, vulgatus verò a בוש *bus*, quod est confundi.

37. *Elanguit oleum.*] Sicut lugere dicitur vinea, aut ager, quando propter sitim, aut aliquã aliam temporis inclementiam aut nullus est, aut tenuis ex magno labore prouentus. Sic etiam frequenti Hebræorum metaphora, infirmari dicitur, aut languere. Vtrunque coniunxit Isaias capite 24. v. 7. *Luxit vindemia, infirmata est vitis.* plura occurrent exempla.

38. Vers. 11. *Confusi sunt agricolæ, vlulauerunt vinitores super frumento, & hordeo.*] Hæc aperta sunt. Tãtùm enumerat illa, quæ quia decorticata ab hoste, vel succisa, vel aliquo alio affecta detrimento, nullum cultori suo commodum attulerunt. Cùm autem, quæ numerantur, omnia pulchra sint, & ad nobilium, atque lautorum mensas expetita, vt vitis, palma, malogranata, mirari aliquis posset, cur inter hæc numeretur etiam hordeum, quod non tam hominum est, quàm boum, aut iumentorum pabulum. Huic obiectioni satis videtur esse satisfactum *cap. 2. Oseæ*, vbi diximus hordeum etiam ad lautiorum mẽsas adhiberi. Sed sanè etiamsi belluas tantùm aleret, non ideo sua careret æstimatione, ac pretio; atque ideo grauis etiam fuit illa iactura, quam hordeo sublato pertulerunt Iudæi.

Hordeum in Palæstina in honore habitum.

39. Vers. 12. *Quia confusum est gaudium à filiis hominum.*] *Quia* non puto rationalem esse particulam, sed tantum ab Hebræis adhibitam ornatus gratia, & apud Latinos esse prorsus otiosam, sicut alibi sæpe. Sicut illud Ioan. *Bene dixisti, quia non habeo virum*, & similia. Aut certè idem valet quod *idcirco*. Sicut illud Oseæ cap. 9. v. 15. *Omnes nequitiæ eorum in Galgal. quia ibi exosos habui eos.* Id est, *idcirco exosos habui.* In hanc sententiam. Quia confusum est frumentum, elanguit vinea: idcirco confusum est, & sublatum gaudium. Confundi porrò gaudium ab aliquo idem est quod abesse, vel perire; vide, quid diximus paulo antè ad illud, *quia periit ab ore ipsorum.*

REGVLA. *Quia interdum tantũ, ad ornatũ, aut idem quod ideo.*

40. Vers. 13. *Accingite vos, & plangite sacerdotes, vlulate ministri altaris: ingredimini, cubate in sacco ministri Dei mei.*] Hæc satis indicant vaticinium istud ad duas tribus pertinere, apud quas verum erat templum, sacerdotium legitimũ, instituta à lege sacrificia: monet autem Propheta sacerdotes præcipue, quorum est diuinum furorem precibus, ac sacrificiis auertere, vt planctu, ac lacrymis placatum populo reddant Dominum, a cuius furore tam diræ, atque frequentes intorquentur minæ. Assumántque pœnitentis habitum, saccum videlicet, quod Scriptura cilicium esse dicebamus, vestitum nempe hirsutum, & asperum; cui etiam statim ieiunium indicit. Quæ omnia ad leniendam diuinam offensionem potentissima sunt. Illud *vlulate ministri altaris*, per epexegesim additum est. Est enim idem quod *plangite sacerdotes.*

41. *Ingredimini, cubate in sacco.*] Dubium est, quò spectet illud *ingredimini*, ad domumne cuiusuis priuatam, vel ad templum; vtrouis enim loco sacerdotes cubare in sacco, & emere potuerunt, cubauit

Saccus vsitatus in lu-

Eu tam pro vestimentis, quam pro lecto.

cubauit sanè Dauid in planctu domi suæ cùm ad mortem ægrotaret filius ex adulterio susceptus. Cubauit Achab 3. *Reg.* 21. sed in simili dolore, ac metu solitos esse sacerdotes, imò & laicam turbam in templo cubare asperos emere, & substrato cilicio, verisimile fit ex *lib. Iudith cap.* 4. vbi in dolore ac metu non dissimili fecisse dicuntur Iudæi, quod hîc Ioel ab iisdem fieri nunc hortatur. *Clamauit omnis populus ad Dominum instantia magna, & humiliauerunt animas suas in ieiuniis, & orationibus ipsi, & mulieres eorum. Et induerunt se sacerdotes ciliciis, & infantes prostrauerunt contra faciem templi Domini, & altare Domini operuerunt cilicio.* Ex his mihi vtrunque fit probabile; nihil tamen certum. Videtur autem hoc posterius magis ad sacerdotale ministerium: qui cùm publicam sustineant personam, & pro communi causa laborare debeant, publicum etiam & exemplum præbent, & ministerium obeunt. Quare in templo, vbi fortasse ciliciis erant instrata altaria, etiam pro sacerdotum stragulis, ac lectis sternebantur, vbi non tam longos, & placidos in lecto molli, quàm breues, & molestos, & in duro solo somnos captarent. Ita Hieronymus, Vatablus, Figuerius.

Ex quibus constat ad auertendam iram Dei non indici solùm diurnam, breuémque pœnitentiam, sed nocturnam, ac longam, vt ea assiduitate, contentionéque longa, diuinum expugnetur pectus, & frangatur, aut obtundatur furor, maxime cùm diuturna austeritas laxari soleat, atque dissolui nocturna mollitie, & mundities illa, quam continentia peperit diurna, nocturnis, ac vetitis contaminari deliciis.

42. Sed adhuc mihi dubium est, an illud *cubare* somnum indicet, aut quietem, licèt incommodam, propter non tam lecti, quàm soli duritiem; seu potiùs illam corporis habitudinem, qua homines proni iacent in puluere, dum supplices orant; quia status ille iacentis, atque orantis de terra potentissimus est ad commiserationem excitandam. Huius rei exemplorum satis habemus apud profanos, & multo plus apud sacros, qua de re nos aliquid in nostris commentariis in Isaiam, ad illud cap. 29. v. 4. *Humiliaberis, de terra loqueris, & de humo audietur eloquium tuum: & erit quasi pythonis de terra vox tua, & de humo eloquium tuum mussitabit.* Et nonnihil ad illud Thren. 3. *Ponet in puluere os suum, si fortè sit spes.* Quæ duo loca plurimum faciunt ad hanc cogitationem. Sicut etiam illud Isaiæ 49. *Vultu in terram demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.* & Psal. 71. *Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent.* Ex hac fortasse consuetudine natum est vt dicantur *sterni*, seu *prosterni preces*, quia ab hominibus funduntur, qui prostrati sunt, & homines dum profundè orant in faciem, seu super faciem procidere. Ex profanis indicat Liuius lib. 3. dec. 1. *Strata*, inquit, *passim matres crinibus templa verrentes veniam irarum cælestium, finémque pesti exposcunt.* Lucius Piso, vt auctor est Valerius *lib.* 8. *cap.* 1. cùm vehementer laboraret causa, & iam damnandus videretur, terram, & iudicum pedes, à pluuia, & luto sordidos osculatus est, cumque os, & barbam cœno oblita iudicibus ostenderet, iudicium, quod iam impendebat atrox, euasit. Hæc posterior explicatio mihi non displicet, neque tamen ideo superiorem improbo.

Orant interdum homines iacentes proni in puluere.

43. Pro *ingredimini*, Heb. est בוא *bau*, quod idem est, atque *venite*, ex quo suspicabar, neque nunc ab ea cogitatione procul sum, vocem illam non

Regula. Verba pro interiectionibus.

A denotare locum vllum, siue secessum, & cubile, siue templum, aut publicum alium locum, sed esse interiectionem, quæ tardantes acuit, & quasi admonet stimulos, quales sunt illæ Latinorum, *agedum, agitedum.* Quod autem *veni, & venite, vade, & vadite*, & similia loco interiectionum adhibeantur, diximus in nostris commentariis super Ieremiam *cap.* 2. *v.* 1. quasi dicat, *Agitedum, & quam primum cubate in saccis.*

Quoniam interiit de domo Dei vestri sacrificium.] 44.
Quid sit *perire ab aliquo*, diximus paulo antè *v.* 5. & idem prorsus est *interire*, nempe cessare de templo sacrificia.

Vers. 14. *Sanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate senes.*] Nullum est potentius mandatum, 45.
B quàm quod ab optimi principis exemplo proponitur, neque enim quemquam pudet id facere, quod principis, aut eius qui in dignitate est, non tam imperia, quàm exempla præscribunt. Puderet sanè multo magis, si quod principes audent, honestúmque iudicant, ipsi aut horrerent, aut diffugerent, aut veluti indecorum, aut vile contemnerent. Edixit primùm Propheta sacerdotibus, vt plangerent, & sese saccis induerent cilicinis, nunc iubet, vt ipsi quoque congregato populo fletum, & clamorem edicant, facile plagatus ad plagam, sagatus ad sagum, incineratus ad cinerem, & ieiunus alios ad ieiunium, non solùm inuitat, sed etiam cogit. Sanctificare porrò ieiunium, nihil est aliud, vt opinor, quàm illud instituere, & obire legitimè, ac sanctè, nam plurima ieiunia, licèt legitimè, aduocato cœtu, & populo ipso consentiente essent instituta; non tamen illa sic assumebantur, vt Deo essent grata, cùm priuatis potius rationibus, quàm diuinæ voluntati seruirent, de quibus Deus apud Zachariam cap. 7. v. 5. *Cum ieiunaretis, & plangeretis in quinto, & septimo per hos septuaginta annos, numquid ieiunium ieiunastis mihi?* & Isaias *cap.* 58. Iudæorum ieiunia tanquam otiosa, & vana reprehendit.

Principum exemplum potentissimum.

C

Sanctificare ieiunium, & similia quid.

Sanctificatio igitur ieiunij sanctitatem in ieiunio commendat: sed addit præterea aliquid in ieiunio publicum, & legitimum, quod nimirum publica aliqua ratione institutum est: aduocato scilicet populo, qui certa lege, ac voto aut in perpetuum, aut ad definitum tempus ieiunandi sibi necessitatem indicat. Qualia fuerunt ieiunia multa, quæ sub id tempus instituerunt Iudæi, aut cùm timerent hostem, à quo grauia impendere infortunia prædixerunt Prophetæ; aut cùm aliquod acceperunt incommodum. Quare pro variis calamitatibus variâ fuerunt decreta ieiunia, quæ nunc etiam, vt audio, seruant Iudæi: pro excæcato Sedecia, & eius filiis occisis; pro obsessa primùm ciuitate; pro dirutis mœnibus; pro occiso Godolia, quæ omnia ex Hebræorum Calendario constant. Hæc tot ieiunia sanctificata fuerunt aduocato, ac cõsentiente populo. Sanctificare autē ex vsu Scripturæ sonat aliquid sanctum, aut legitima aliqua ceremonia decretum. Quomodo bellum sanctificatum dicitur, aut sacrum, quod pro religione pugnat: & sāctificati milites, quorum delectus sanctè conscriptus est, id est, interposito sacramento, seu iuramento militari. De verbo *sanctifico* diximus plura ad illud Ierem. cap. 1. *Antequam exires de vulua, sanctificaui te.* Id credo nunc agit Propheta, vt conuocetur populus, communibúsque suffragiis decernat ieiunium, quo Dei ira auertatur, à qua extrema omnia timere poterat. Neque fortasse alio consilio

D 46.

E

Digitized by Google

cõsilio iubet Propheta vt aduocentur senes, non vtique solùm qui ætate sed qui consilio, atque prudentia senes sunt, vt de communi re statuant, legitimóque consessu, de indicendo, sanctificandóque ieiunio deliberent.

Sed credo simpliciorem esse sententiam si dicas à Propheta præscribi vt omnes ieiunantes, siue illud ieiunium ad illum tantùm articulum indictum sit, siue ad aliud præterea tempus conueniant in templum, ibique clament ad Dominum, vt populo tantopere laboranti subueniat.

47. Vers. 15. *A,a,a, diei, quia propè est dies Domini.*] Heb. אהה *ahah*, noster autem interpres reddidit per *A*, tertiò geminatum, sicut etiam Ieremiæ *cap.* 1. *v.* 6. sed *cap.* 4. *v.* 10. reddidit *heu, heu, heu.* Ex quo verisimile est eiusmodi interiectione vehementem aliquem dolorem, aut perturbationem indicari. Illud *diei* in tertio casu est, vt probat Lamed præpositum. Sumitur autem dies per metonymiam pro his rebus, quæ in illo siue die, siue tẽpore longiore impendent populo infelici, ab hoste Chaldæo, quæ incõmoda quæcumque sint, nomine *vastitatis à potente* significantur.

48. *Quasi vastitas à potente veniet.*] Pro potente Heb. est שדי *sadai*, quæ vox est à radice שדד *sadad*, quæ vastare significat, & est Dei nomen, quod fortem, victorem, & vastatorem sonat. Est autem hic elegans quædam paranomasia, cùm ab eadem radice deducatur שד *sod*, quæ vastitatem sonat, ac si dicas, vastitas à vastatore veniet, id est, ab eo, cuius potentiæ, ac vastatrici manui nemo potuit resistere. Quare illi non tam armis, quàm ieiunio, ac precibus occurrendum est.

49. Vers. 16. *Nunquid non coram oculis vestris alimenta perierunt, de domo Dei nostri lætitia, & exultatio.*] Hic locus multis persuasit, quod priùs suprà dictum de eruca, locusta, & brucho, quæ sibi vicissim succedere, intelligendum esse, non figuratè de hostili exercitu, sed de bestiolis illis, quæ vineas, frugésque populantur. Ego vt ibi Chaldæorum copias agnosco, quod non obscurè docet ipse Propheta; sic etiam famem fuisse grauem intelligo, qua sub idem tempus laborauit populus, sed tam à locusta, & brucho, quàm ab imbrium defectu: defecisse autem sub illud tempus pluuiam, & ideo computruisse iumenta, docuit Ieremias aut apertè, aut indicat non obscurè *cap.* 14. vbi, quæ ibi commemorat agrorum, agricolarúmque detrimenta, à siccitate nata fuisse dicit potius quàm ab hoste, seu à locusta, vel rubigine. Quare duo denunciat hoc loco Propheta, & hostilem appulsum, qui sæpius Iudæorum fines latè vastabit; & pluuiæ defectum, quo laborabit diu infelix illa regio; & tam homines, quàm iumenta inedia, & squalore tabescant. Id, meo iudicio, satis constat ex fine capitis, de quo suo loco. Nunc alimenta tantùm dicuntur coram oculis periisse, quod multis modis euenire potuit: aut quia cùm iam frugibus, ac vineis adesset tempestiua maturitas, repentino Chaldæorum aduentu omnia exusta, aut conculcata sunt; aut quia bestiolæ vineis, ac frugibus infensæ, cùm adhuc essent segetes, & vitium propagines teneræ, aut attulerunt tabem, aut morsu truncarunt. Sed potuit id etiam à siti, pluuiæque defectu contingere. Nam cùm ad temporaneum imbrem facta esset sementis, & ortæ segetes, quæ agricolarum oculis spem abiiciebant futuri prouentus, deficere tamen potuit serotinus imber, qui arescentibus præ siti frugibus, spem omnem, & gaudium agricolarum elusit. Et hoc posterius mihi magis videtur dici posse cum illius temporis historia, & cum totius capitis filo consequenter. Cum verò fruges deficerent pro hominũ victu, & armentorum, ac pecudum pabula siccarẽtur; neque erant victimæ, quæ ritè mactarentur templo, neque libationes, quæ ex frumento, & oleo offerebantur: atque ideo omnis ab altari, & templo videbatur sublata lætitia.

Vers. 17. *Computruerunt iumenta in stercore suo.*] 50.
Hæc variè exponunt, & conuertunt alij. Septuaginta, *saltauerunt iumenta*, Chaldæus, *computruerunt vasa vinaria*, Recentiores, *computruerunt grana, aut semina sub pulueribus*, aut, *glebis suis.* Quasi in ipso terræ gremio semina aut humore noxio corrupta fuerint, aut imbre deficiente antequam radices agerent, & herbescerent, interierint. Et iuxta hanc translationem, hanc ego posteriorem sententiam magis probarem. Sed absque dubio multo à nostro interprete melius redditum est ab Hebraica voce בהמות *iumenta*, sed nunc videndum, quid sit in stercore iumenta putrescere. Communis est interpretum sensus iumenta cùm carerent pabulo, in suis se stabulis continuisse, atque ibi cùm non essent paleæ, vbi commodiùs, mũdiúsque iacerent, in ipso iacuisse stercore, atque ibi consumpta fame extabuisse. Hæc ego non improbo: sed potiùs, quia pluribus placent, probo, atque amplector. Dicam tamen, quod mihi non omnino videtur improbabile.

Et primùm, non videntur iumenta, cùm iam 51.
omnino essent nulli vsui futura, continenda in stabulis, ad præsepia, quæ ab omni essent destituta pabulo, moritura scilicet, & propter maciem priùs, deinde mortua propter fœtorem molestum aliquid, & tetrum habitura. Sed potiùs credo defecisse in agris, aridísque pascuis, quo fuerant à dominis amandata; vt & ipsa sibi alimenta quærerent, & dominos à sumptu, atque molestia liberarent. Quod ipse aut docet, aut indicat Propheta, dum ait paulo pòst, *Quia non est pascua eis*, defecisse porrò pecudes, atque armẽta in agris præ siti, ac fame, eo tẽpore, quod nunc à Ioele designari suprà putabamus, indicat Ieremias *cap.* 14. de quo proximè. *Cerua*, inquit, *in agro peperit, & reliquit, quia non erat herba*: & *cap.* 12. ob eãdem causam omne animal dicit fuisse consumptum. *Vsquequò lugebit terra, & herba omnis regionis siccabitur propter malitiam habitantium in ea? consumptum est animal, & volucre*, &c.

Neque huic cogitationi quicquam incommo- 52.
dat, quòd in stercore dicuntur computruisse iumenta: stercus etenim, aut sterquilinium non semper est materia illa tetra, & odoris molesti *Sterquilinium quid.*
quæ ex corruptis paleis, iumentorúmque pabulis putrescit, quæ in illis plerunque locis reperitur vbi ad præsepia stabulantur armenta. Est enim sterquilinium locus teter, ac fœtidus, quacunque id ex causa contingat. Sterquilinium sanè dicitur locus, in quo ceciderunt, & computruerunt homines, ita Ieremias *cap.* 16. de Iudæis. *Mortibus ægrotationum morientur; non plangentur, & non sepelientur, in sterquilinium super faciem terræ erunt.* Et qui duce Sisara ceciderunt de Madian, quia insepulti manserunt, facti sunt sterçus terræ. Psal. 83. *Disperierunt in Endor, facti sunt vt stercus terræ*, Heb. *stercus terræ.* Neque in alio sterquilinio cubuit Iob, quàm in eo, qui sordes, fœtorémque contraxit ab exulcerato, atque fœtenti corpore. Et Ioacim cùm sepeliendus dicitur Ierem. cap. 22. *sepulturà asini*, quod nihil est aliud, quàm non habiturum honorem sepulturæ. Sic ergo mihi

verisimile est dum dicuntur iumenta in stercore suo computruisse, nihil significari aliud, quam fame fuisse enecta, & eo ipso loco, vbi quærendo pascua in agro ceciderunt, extabuisse: tam verò locus ipse, quàm cadauer putre, & in saniem solutum, stercus, seu sterquilinium appellatur.

53. Hic locus variè à patribus ad sensum moralem adhibetur, vnum pro omnibus Gregorium accipe lib. 14. Moral. cap. 8. *Qui carnali affectioni succumbunt, non iam homines, sed iumenta nominentur, sicut de quibusdam, qui in peccato suo moriuntur, per Prophetam dicitur: Computruerunt iumenta in stercore suo. Iumenta quippe in stercore suo computrescere, est carnales homines in fætore luxuriæ vitam finire. Non enim esse homines, sed iumenta declarantur, de quibus per Prophetam dicitur: Vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebant.*

Luxuriosi iumenta sunt putrida.

54. *Demolita sunt horrea, dissipatæ sunt apothecæ, quoniam confusum est triticum.*] Dissipari dicitur aliquid, aut euerti, quando aut non seruit illi vsui, ad quem destinatur ab artifice, aut otiosum est, maximè si ad sordidum aliquod, aut vile ministerium transferatur. Periisse dicuntur scholæ cùm studia frigent, neque in illis aliquid literarium auditur, præter nomen. Periisse templum, cùm ibi nihil exercetur sacrum, aut ad profanos vsus, indignósque religioso nomine traducitur. Periisse denique, qui ex excelso loco ad statum defluxere sordidum, & ignobilé. Quo verbo sæpe suam fortunam deplorare solent, qui ex sublimi loco deciderunt: illis enim familiare est in dolore, *perij, nullus sum*, & similia. Deinde quia illa talia esse dicuntur, licèt aliter se habeant qualia vt sint rerum natura postulat, vt alibi sæpius à nobis dictum est, quomodo si bellorum nulla est, aut causa, aut metus, vel suspicio, frangenda dicuntur arma, & in instrumenta rustica conuertenda, vt lanceæ in vomeres, & gladij in falces. Cùm igitur neque frumentum futurum sit, neque vinum, quæ in horreis, & apothecis seruari solent, cùm illorum vsus futurus sit nullus, dissipata dicuntur, & euersa, excisa fuisse propriè non arbitror. Quare sensus erit, quod ad messem attinet & vindemiam, sine vllo rerum dispendio apothecas, & horrea posse dissipari.

REGVLA. Periisse dicuntur illa, quorum vsus perijt, licèt alios habeant vsus.

55. Vers. 18. *Quid ingemuit animal, mugierunt greges armenti? quia non est pascua eis.*] Hæc satis probant ab imbris potius defectu, quàm ab hostium armis hæc posteriora prouenisse; ideo enim computruerunt iumenta, ideo pecudes, & armenta ingemuere, quia exaruerunt pascua, sine quibus illis aut moriendum fuit, aut macies, & tabes contrahenda. Hæc porrò expertium rationis animalium commemoratio eò spectat, vt cladis, aut famis amplificetur magnitudo: neque enim exigua est siccitas, ac vastitas, quæ mortem adducit belluis laboris patientissimis; aut his, quibus data celeritas est, & solertia quædã ad inuestigandum, atque vndecúnque carpendum alimentum, quales sunt capræ, arietes. Deinde valet etiam plurimum ad pathos, cum animalia mansueta, & rusticis attrita laboribus passim cadant iisdé fortasse in locis, quæ aratro sæpe subegerunt. Deinde quia statim Propheta assurgit in preces, & illa proponit, quæ diuinum animum possint ad misericordiam inflectere. Quod enim Dei in illos inflammetur furor, qui grauiter in idolorum cultu peccauerunt, sanè mirandum non est: at quid commeruere irrationales animæ, quid belluæ aut gladio, aut vomeri destinatæ: aut fame, aut tabe macrescere, ac perire debuerint? Quare non ille orationem institueret imprudenter, qui innocentium aut merita, aut vitam proponeret innoxiam. Flexit sanè Deum, vt à Niniuitis manus cohiberet infensas, infantium, aut iumentorum, quæ nunquam peccauere misericordia, de quibus sic ad Ionam cap. 4. *Et ego non parcam Niniue ciuitati magnæ, in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum, qui nesciunt, quid sit inter dexteram, & sinistram suam, & iumenta multa.*

56. Vers. 19. *Ad te Domine clamabo: quia ignis comedit speciosa deserti, & flamma succendit omnia ligna regionis.*] Hæc variè explicari, licèt sententia non admodum diuersa, solent. Quidam nullam hîc agnoscunt metaphoram, sed propriè putant speciosa deserti, & ligna regionis igne conflagrasse, quia cùm in Iudæorum fines irrupere Chaldæi, quædam ferro, quædam, ad quæ ferrum peruenire non potuit, incendio vastarunt. Alij in igne, & flamma ventum intelligunt vrentem, de quo in Scriptura sæpe, à quo non minus exuruntur arbores, & fruges, quàm si omnia peruasisset incendium. ita Chaldæus. Alij locustam, & bruchum intelligunt in flamma, qui cùm inter herbas, & fruges grassati sunt, omnia videntur fuisse combusta. Et quidem, quæ aliquo modo viriditatem amiserunt, speciem, aut succum, illa combusta dicuntur, in omni, vt arbitror, lingua; cùm enim hæc omnium optimè, atque facillimè præstare ignis soleat, ab illo, cùm aliquid horum accidit, duci solet metaphora.

57. Ego hîc de siti, ac macie agrorum, quæ à pluuiæ defectu accidit, hæc omnia accipio, & similitudinis notam, & quasi formam subaudio, in hanc sententiam. Sic iam pridem deficiente pluuia campus exaruit, sic pascua, sic omnia, quæ in deserto speciosa videbantur, deformata sunt, sic denique vastata, ac perdita, ac si peruasisset omnia, atque absumpsisset flamma. Hæc mihi explicatio facilis est, quæque bellè cum reliquo capite consentit.

58. Vers. 20. *Sed & bestiæ agri, quasi area sitiens imbrem suspexerunt ad te.*] Periisse dixerat, aut esse combusta, quæ in agris antè speciosa fuerant, atque frugifera; nunc redit ad belluas, quæ idem incommodum, quod plantæ, patiuntur à siti, & illarum ardorem, & desiderium sumpta à sitienti, atque hiante terra similitudine declarat. Area ab olitore cõsita aut imbrem desiderat, aut aquæ riuum à fonte deriuatum, quæ si desint, statim plantæ, quantumcunque nobiles, languescunt, & pereunt; quare moribundæ clamant, sibíque in extremo illo mortis articulo aquarum refrigerium exposcunt. Quod idem facit terra ipsa, dum rimas agit, & quasi ore multiplici suam seruatori suo sitim, necessitatémque proponit. Dicuntur porrò bestiæ agri ad Dominum suspexisse, non quia Deum cognoscant, aut ab illo sibi necessariis prouideri petant; sed quia gemitus ille Deum auctorem, conseruatorémque naturæ inclinat vt opportunum illis alimentum impertiat, & tunc præcipuè quando aliunde ipsæ sibi comparare nõ possunt. Sic dicuntur catuli leonum à Deo sibi escam petere Psal. 103. *Catuli leonum rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi.* & Psal. 146. *Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Illud *inuocantibus* tam ad iumenta, quàm ad coruos pertinere arbitror; omnes enim quo sensu diximus ad Deum clamant: tunc verò maximè quando ab alio sperari subsidia nõ possunt. de coruis est etiam illud Iob cap. 38. in fine, *Quis*

Res irrationales aut inanimatæ, quomodo dicantur clamare ad Deum.

preparat coruo escam suam, quando pulli eius clamant ad Deum.

59. *Quoniam exiccati sunt fontes aquarum.*] Existimare aliquis posset siccatos esse fontes à Chaldæorum exercitu, cuius ea erat multitudo, vt quicquid erat aquarum in Iudæorum finibus, exhaurirent. Quod sub hæc ipsa tempora sibi arrogabat Senacherib apud Isaiam cap. 37. v. 25. *Ego fodi, & bibi aquam, & exiccaui vestigio pedis mei omnes riuos aggerum.* Sanè, si quam fidem merentur Græcorum historiæ, Xerxes eam multitudinem in Græciam inuexit, vt vbicunque vestigium poneret, flumina siccauerit. Ita Herodotus *lib. 7.* Iustinus *lib. 2.* de quo Iuuenalis Satyra 10.

——— Credimus altos
Defecisse amnes, epotaque flumina Medo
Prandente.

Sed hanc cogitationem facile euertit, quod proximè antecessit, neque enim exhaustis ad temporis momentum fontibus, siccarentur etiam pecudum, atque armentorum pabula. Quare caussam aliquam assignemus oportet vniuersalé magis, à qua siccari fontes possint, exuri prata, & ab vsitato pabulo armenta destitui.

IN CAPVT SECVNDVM

ARGVMENTVM.

PRINCIPIO Deus imminentem à Chaldæorum exercitu vastitatem denuntiat, quam eleganter miserabiliterque describit. Primùm docet, quàm impauidi atque robusti futuri sint hostes, quos Dominus in Iudæorum caput, & exitium armabit, & illorum acies, quasi dux & auctor, antecedet. Vbi verò illorum robur & ardorem multis amplificauit, hortatur, vt sese ad Deum vera ac solida pœnitentia conuertant, si velint conditionatas illas minas declinare, promittitque, si à priori insania resipiscant, talia, támque copiosa bona, vt si terrena intuearis commoda, non videantur excogitari posse magis illustria. Neque id satis habet, sed etiã ad extremũ maiora se daturũ pollicetur, spiritualia nempe, qualia postea Euangelij tẽpore largitus est, Spiritum videlicet sanctum, qui omnium ætatum, conditionum, ac sexuum homines impleuit, spirituque afflauit prophetico.

CAPVT II.

1. *CAnite tuba in Sion, vlulate in monte sancto meo, conturbentur omnes habitatores terræ: Quia venit dies Domini, quia propè est.*

2. *Dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis, quasi manè expansum super montes populus multus & fortis: similis ei non fuit à principio, & post eum non erit vsque in annos generationis & generationis.*

3. *Ante faciem eius ignis vorans, & post eum exurens flamma: quasi hortus voluptatis terra coram eo, & post eum solitudo deserti, neque est qui effugiat eum.*

PARAPHRASIS.

1. AScendite, ô sacerdotes, in Sion, & clangente atque vlulante tuba, in monte sancto excitate populum, & omnes habitatores terræ promissæ, & spem fallacem, in qua longum ducit, & securum otium, ex illorum animis excutite: vt qui nihil sibi metuendum esse putant, omnia formident. Quia venit, quia propè iam imminet dies, in qua Dominus, in vestro capite, suo sibi furori satisfaciet. Qui dies vobis iñauspicatus erit, & obscurus, dies nubilus, dies in qua omnia turbida, ac sine cõsilio fiant: quando exercitus ingruet adeò copiosus, & præceps, vt momento temporis vestros occupet fines, non secus atque aurora, quæ fugatis tenebris, totam complet, & illuminat terram: neque prius in ortu, quàm in summis montibus apparet expansa.

2. Populus etenim copiosus aderit, robustus, & acer, qualem populus Iudæorum nunquam vidit, ex quo cœpit esse, neque videbit vnquam, donec multæ generationes exactæ fuerint.

3. Præcedet agmen ignis, vorax, proprium Chaldæorum insigne: subsequetur alius, quem spargat inimicorum manus, qui in terram illam, quæ paulo antè horto ad regias delicias exculto non videbatur inferior, sic grassabitur acerbè, vt nihil in il-

A la, nisi solitudinis appareat effigies. Neque vllus erit, qui flammæ illius incendium effugiat.

4. Quasi aspectus equorum, aspectus eorum: & quasi equites sic current.

4. In quolibet hostium, videre te putabis speciem aliquam, & spirantem imaginem equi ad cursum velocis, & ad pugnam impauidi: qui ea erunt in currendo velocitate, vt pedites equitum cursum adæquare possint.

5. Sicut sonitus quadrigarum super capita montium exilient, sicut sonitus flammæ ignis deuorantis stipulam, velut populus fortis præparatus ad prælium.

5. Eo porrò impetu ac strepitu, ad summa ascendet montium fastigia, quo quadrigæ cum magna equorum incitatione
B rapiuntur, eo sonitu ac stridore, quo ignis, qui vbi syluas aut stipulas apprehendit, sursum ad montium vsque fastigia progreditur. Ita denique se geret Chaldæorum exercitus, sicut decet populum, qui strenuus est & acer, & qui optimè ad præliandum instructus, ad vim & sanguinem aspirat.

6. A facie eius cruciabuntur populi: omnes vultus redigentur in ollam.

6. Dum autem igne, & ferro hostiliter grassatur, siue dum horribili specie, consternatione, ac metu spectantes exanimat, afferet populis, aut dolorem, aut dolendi causam. Ex quo illum contrahent colorem, quo nigrescit olla ex igne supposito,
C & familiari fumo.

7. Sicut fortes current: quasi viri bellatores ascendent murum: viri in viis suis gradientur, & non declinabunt à semitis suis.

7. Quasi viri audaces & strenui viri Babylonici omne militiæ discrimẽ alacres subibunt, conscendent muros, vbi maius est ab hoste periculum, suos in acie seruabunt ordines, neque à statione sibi ab imperatore designata, aut vltrò decedent, aut vi pellentur.

8. Vnusquisque fratrem suum non coarctabit, singuli in calle suo ambulabunt: sed & per fenestras cadent, & non demolientur.

8. In suo quisque loco, atque ordine pugnabit: neque ex sua statione depulsus socium angustabit, aut comprimet, neque in
D summo etiam discrimine turbabit ordines: cum denique seruabit modum, vt neque in via, neque in signis cum hoste conferendis, alij aliis impedimento sint. Ea erit membrorum agilitas, ea ex longo vsu comparata dexteritas, vt ex præaltis fenestris, sine vlla corporis vexatione, desiliant.

9. Vrbem ingredientur, in muro current: domos conscendent, per fenestras intrabunt quasi fur.

9. Vt ex fenestris locisque sublimibus, audaci atque incolumi saltu se demittunt: sic etiam ad fenestras locaque sublimia ascendunt reptando, sicut fur. Quare nullum illos impedimentum morabitur, quo-
E minus ingrediantur vrbes, superent muros, in illisque decurrant audacter, & sicut latrones in domibus opes ad rapinas, sic isti viros ad exorbendum illorum sanguinem exquirent.

10. A facie eius contremuit terra, moti sunt cæli: sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum.

10. Ab impetu illorum atque conspectu, ea erunt in Iudæorum animis perturbatio, atque æstus, ea caligo, vt nihil putent esse tutum, & omnia nutare ac tremere, & clarissima cæli lumina splendorem suum, aut subtraxisse, aut amisisse videantur.

11. Et Dominus dedit vocem suam ante faciem

11. Adde quod Dominus, tanquam illius

Digitized by Google

faciem exercitus sui: quia multa sunt nimis castra eius, quia fortia & facientia verbum eius: magnus enim dies Domini, & terribilis valde: & quis sustinebit eum?

A lius exercitus imperator & dux, voce horribili ac truci Chaldæis, quorum præcedet agmen spiritus addet, adimet Iudæis. Sunt autem Dei castra, cuius omnes creaturæ militiæ seruiunt, copiosa, & fortia, & quæ ab ipsius imperio non recedunt. Quare horribilis erit dies illa, in qua bellator Deus suos in populum rebellem, & ingratum exercitus inducat. Et quis erit vsque adeò animosus, & strenuus, qui se illius castris obuium opponat?

12. *Nunc ergo dicit Dominus: Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu.*

B 12. Nunc ergo, dicit Dominus, si impendentem à Deo calamitatem declinare est animus, verè & ex animo ad me, non simulata sanctitatis specie, conuertimini. Et sicut ex intempestiuo risu instructisque mensis, & frequentibus poculis, voluptatem cepistis, sic nunc à vita superiore, per ieiunium, fletúmque, & veram pœnitentiam recedite.

13. *Et scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & conuertimini ad Dominum Deum vestrum: quia benignus & misericors est, patiens & multa misericordia, & præstabilis super malitia.*

13. Neque satis esse existimate, vt vestram mihi pœnitentiam probetis, vestimenta exteriùs esse lacerata, necesse etenim est, vt lacerato corde peccator à seipso C mutetur, spiritus deponat antiquos, & nouos assumat. Hoc igitur modo vos totos ad Dominum verè serióque conuertite. Neque est, quòd malitiæ consideratio multiplices animos vestros in desperationem adducat. Est enim Dominus benignus, cuius animum proximè tangunt miserorum infortunia, qui non ad iram præceps est, sed expectat, & sustinet: cuius misericordiam nulla vincet peccatorum multitudo, nulla scelerum grauitas exhauriet.

14. *Quis scit, si conuertatur, & ignoscat, & relinquat post se benedictionem, sacrificium & libamen Domino Deo vestro?*

D 14. Fieri etenim potest (neque quisquam est, qui contrà aliud affirmare possit) vt si verè conuertamur ad Deum, ipse quoque qui modò à nobis sese auersum ostendit, conuertatur ad nos, & quos spoliare statuit ornamentis, atque opibus, eosdem ornet, & amplectatur amanter, & relinquat paterna ac liberali manu benedictionem, id est, pacem & otium, & rerum omnium abundantiam: ex quibus fiant & sacrificia consueta, & in Dei cultum quotidiana libatio.

15. *Canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium, vocate cœtum.*

E 15. Tubarum igitur clangore aduocate ex Sion hominum cœtus, populos cogite, edicite tandem, vt omnes ieiunium sanctum legitimúmque constituant.

16. *Congregate populum, sanctificate ecclesiam, coadunate senes, congregate paruulos, & sugentes vbera: egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo.*

16. Populos autem vndecunque vocatos (quæ Ecclesia est) ad orationes & sacrificia, per legales expiationes disponito. Ad preces autem & lamenta, non solùm senes, & qui ætate iam censeri possunt adulta, sed infantes etiam, & qui maternis adhuc lactantur vberibus accersite; neque sinite, vt noui coniuges voluptati vacent, quam matrimonij fines & nuptialia iura

Digitized by Google

A permittunt, séque cum aliis ad legitimas preces, maritalis thalami abstinentia disponant.

17. Inter vestibulum & altare plorabunt sacerdotes ministri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo: & ne des hereditatem tuam in opprobrium, vt dominentur eis nationes: quare dicunt in populis: vbi est Deus eorum?

17. Inter vestibulum sacerdotalis atrij altareque holocausti, vbi spectari possint à laica ac populari turba, cum gemitu & lacrymis consistent Sacerdotes, dicántque orantes: Parce, obsecro Domine, parce populo, quem tuum præcipuo quodam modo esse voluisti: neque permittas hæreditatem ab alienis, barbarísque nationibus occupari, quod non solùm nobis, qui à nostra possessione pellimur, sed etiam tibi B opprobrio dabunt insultantes populi, & impio occinent ore fidelitatem in te, aut potentiam requiri: cùm seruare, aut nolis, aut non possis gentem illam, quam in tuam fidem, atque tutelam recepisti.

18. Zelatus est Dominus terram suam, & pepercit populo suo.

18. Si populus eo, quem dixi, modo supplex orasset, séque ex animo, non fucata conuersione, ad Deum, vt debuit, recepisset, zelaretur Deus terram suam, neque pateretur ab aliena gente possideri, & populo suo miseratus ignosceret.

19. Et respondit Dominus, & dixit populo suo: Ecce ego mittam vobis frumentum, & vinum, & oleum, & replebimini eis: & non dabo vos vltrà opprobrium in Gentibus.

C 19. Et responderet Dominus, ac diceret oranti populo: Annuam vestris votis, dabóque vobis frumentum, vinum & oleum, quod antè negaueram, etiam ad saturitatem, neque patiar vos Gentibus ampliùs esse ludibrio.

20. Et eum, qui ab Aquilone est, procul faciam à vobis: & expellam eum in terram inuiam & desertam: faciem eius contra mare Orientale, & extremum eius ad mare nouissimum: & ascendet fœtor eius, & ascendet putredo eius, quia superbè egit.

20. Tum præterea regem Nabuchodonosorem, qui ab Aquilone suas in vestros fines copias parat, auertam à vobis, abigámque in terram desertam, & minùs hominum vestigio frequentem. Quare copiarum ea est multitudo, vt cùm primùm D agmen attingat mare mortuum extremũ, ad stagnum vsque Tiberiadis producatur. Sic tamen latè vastéque numerosas illas copias concidam, vt putredo ac fœtor, quẽ strata cadauera exhalabunt, totam regionem, vbi iacebunt insepulta, fœdè contaminent, quod idoneum erit arrogantis animi supplicium.

21. Noli timere terra, exulta & lætare: quoniam magnificauit Dominus vt faceret.

21. Nunc tandem, ô terra, quam graues à Domino terrores concutiunt, metum depone, & animo iam meliore exulta: aderit E enim aliquando aureum verè sæculum, quando Dominus magnificum se in populum suum, & liberalem ostendet.

22. Nolite timere animalia regionis: quia germinauerunt speciosa deserti, quia lignum attulit fructum suum, ficus & vinea dederant virtutem suam.

22. Ad superiora, atque interrupta redeo. Si verè, ô populi, conuertamini ad Dominum, nihil vobis eorum, quæ timetis, eueniet. Quare non experieris, quod antè fueram comminatus: nempe omne animal periturum à fame, & à siti terram prorsus exsiccandam. Germinabit etenim desertum, à quo greges habent opportunum suę naturæ pabulum, neque hominibus deficiet à terræ frugibus commodum alimentum:

23. Et

Digitized by Google

A tum : arbores enim abundabunt fructibus: ficus,& vineæ,quicquid à sua natura virtutis habent , ad hominum vsum cumulatè parturient.

23. *Et filij Sion exultate , & lætamini in Domino Deo vestro : quia dedit vobis doctorem iustitiæ , & descendere faciet ad vos imbrem matutinum & serotinum, sicut in principio.*

23. At vos,filij Sion, maius aliquod expectate , & illustrius à Domino beneficiũ: exultate igitur,quantum potestis,in Domino Deo vestro , qui immittet vobis seruatorem Christum , qui in terram non solùm iustitiam,& veritatem doceat,sed etiam inducat. Immittet præterea cum imbre temporaneo & serotino , à quo terra concipit,
B & parturit fruges,& alia cælestia dona,quę in hac terrenorum bonorum fœcunditate significantur,sicut fecit iam olim in principio, cùm populus se magis præbebat obsequentem.

24. *Et implebuntur areæ frumento , & redundabunt torcularia vino & oleo.*

24. Implebuntur areæ frugum aceruis, torcularia vino exundabunt , & oleo : sed multo magis Ecclesiæ,ac fidelium sinus cęlestium bonorum largitas implebit.

25. *Et reddam vobis annos , quos comedit locusta , bruchus , & rubigo, & eruca : fortitudo mea magna , quam misi in vos.*

25. Illa denique omnia, quæ eruca, rubigo, locusta, & bruchus , & aliæ agrorum pestes abstulerunt, quæ meæ fuerunt forti-
C tudinis instrumenta : illa , inquam , omnia cumulatè restituam.

26. *Et comedetis vescentes , & saturabimini: & laudabitis nomen Domini Dei vestri, qui fecit mirabilia vobiscum : & non confundetur populus meus in sempiternum.*

26. Tunc verò ad satietatem vsque, oblatis antè cibis vesci licebit : & de more Deum pro tanta bonorum largitate laudabilis, qui vos, ad miraculum vsque , tam larga ac liberali manu complexus est. Neque deinceps populus inopiam aliam , aut aliam similem patietur ignominiam.

27. *Et scietis quia in medio Israel ego sum, & ego Dominus Deus vester, & non est amplius : & non confundetur populus meus in æternum.*

27. Tunc autem , ex tanta rerum conuersione , intelligetis rediisse me ad anti-
D quum animum, ac studium fouendi populum in patrio sinu. Neque enim tam esset grandis,ac diuturna felicitas, nisi in medio vestri , tanquam princeps & moderator, constitissem. Ex quo etiam cognoscetis, idola quibus aliquid inesse diuinum putabatis,vana esse figmenta, neque vllum esse Deum , præter me. Ex quo etiam eueniet, vt nulla vobis in æternum ignominia contingat.

28. *Et erit posthæc:Effundam spiritũ meum super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri,& filiæ vestræ : senes vestri somnia somniabunt , & iuuenes vestri visiones videbunt.*

28. Postquam autem , tam humanis, quàm cælestibus donis populum meliori-
E bus institutum moribus ornauero , largiar diuinum quoddam , & prorsus incomparabile beneficium. Largiar enim è cælo spiritum , in omne hominum genus, qui afficiet eos , quorum animos & sinus impleuerit , vt spiritu afflet , & vigore prophetico è vestro semine sexum vtrunque: prophetabunt enim filij vestri,ac filiæ : neque tantùm senes ætate graues , sed etiam iuuenes , per visiones & somnia occultarũ rerum à Domino illustrationes , & intelligentiam accipient.

29. *Sed & super seruos meos & ancillas*

29. Neque hoc beneficium proprium

las in diebus illis effundam spiritum meum.

A erit Iudæorum, sed commune etiam cum gentilico. Spiritum quippe meum illis impertiar, quocumque fuerint genere prognati, aut quocunque sexu, ac proprietate notati, qui fidelem mihi seruitutem seruierint.

30. *Et dabo prodigia in cælo, & in terra sanguinem, & ignem, & vaporem fumi.*

30. Tunc autem temporis, tam in cælo, quàm in terra illustria apparebunt, admirandaque prodigia: sanguinei videlicet ignes, & ex eo fumi densa, atque obscura nubes.

31. *Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem: antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis.*

31. Sed ante hoc tempus, Spiritus sancti aduentu lætum, & illustre, sol à suo destituetur lumine, luna sic apparebit tristis ac lurida, ac si foret à sanguine conspersa.

32. *Et erit omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit: quia in monte Sion, & in Ierusalem erit saluatio, sicut dixit Dominus, & in residuis, quos Dominus vocauerit.*

B 32. Qui porrò Dominum verum sibi Deum assumpserit, & qui ab illo vno salutem sibi expectandam nouerit, vnum sibi ex omnibus perfugium elegerit, & seruatorem implorauerit, salutem ab illo verã cõsequetur. In Ierusalem enim, & in mõte Sion salus erit, siue prima & propria, siue manifesta extremi iudicij tempore, quod ibi peragetur, cùm testimonio publico declarabuntur salui viri iusti, quam salutem non solùm Iudæi, sed etiam Gentiles obtinebunt, quos Deus ad suorum cœtum aduocauerit, sicut ego nunc edoctus à Domino pronuncio.

Vers. 1. *Canite tuba in Sion, vlulate in monte sancto: conturbentur omnes habitatores terræ, quia venit dies Domini, quia propè est.*]

1. *Quæ magna sunt sæpius iterantur.*

QVæ quocunque in genere magna sunt, illa sæpius iterari solent, quo altiùs animis infixa acriores excitent, magisque constantes affectus. Id facit nunc Propheta noster, qui non minus, quàm superiori capite dolenter, ac grauiter futurum Chaldæorum aduentum, & diram ab illo calamitatem describit. Iubet primùm Dominus, vt more Hebræis familiari clangente buccina aduocetur populus in templum, vt intentis animis, & precibus in Deum, auertatur clades, quæ propediem à Chaldæis adfutura prædicitur. C

2. Sicut nostra ætate cymbalis admonetur, & congregatur populus Christianus, vt sacris intersit precibus, & officiis; sic olim tubis Hebræorum aduocabantur cœtus, déque rebus communibus, siue ad religionem, siue ad res profanas & publicas pertinerent, admonebantur. Neque tamen ad omnia eædem erãt tubæ, aut illorum eodem modo temperatus clangor. Vide *Numer. cap.* 10. Cùmque varius sit tubarum sonitus, ille qui fit vlulante tuba stimulos admouet, quasi rumpenda sit omnis cunctatio, & festinatio, ad opus incumbendum. Et id credo sibi velle illud *vlulate*, quod non tantùm arbitror ab humana voce, quàm à tuba, quæ conciso sono, & vlulatu crebro mouere castra iubet, & se quãprimum ad profectionem contra hostes accingere. Numer. 10. v. 9. *Si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes, qui dimicant aduersum vos, clangetis vlulantibus tubis.*

Tubarum apud Hebræos varius vsus, & clangor.

In monte sancto.] Mons sanctus aut dicitur templum, quia in monte Moria à Salomone constructum fuit, & hoc mihi potiùs; quia sacerdotes, qui has tubas inflare debuerunt (vt constat *Numer.* 10.) plerunque in templo morabantur, & quia locus ille excelsius erat, facile ex eo ab omnibus audiri posset tubarum clangor. Qui tamen Sionem esse existimaret, non admodum pugnauerim; quia locus ille omnium erat altissimus; neque ille tubarum inflatus opus erat sacrum, aut quod ad religionem pertineret, vt non etiam edi potuerit in profano loco. 3.

Conturbentur omnes habitatores terræ.] Conturbari hic nihil est aliud, quàm hominum falsam pacem, & malè securum otium interpellari; vt qui priùs nihil sibi metuendum putabant, omnia formident; & qui ad delicias, voluptatésque molles omnia naturæ blandimenta captabant, illi iam aspera meditentur, & dura, agant excubias, & loricæ pondere grauent, atque onerent membra luxu mollia, & ad omne voluptatum genus prurientia. Id verò facit tubæ clangor, qui non, vt tibia, permulcet aures, sed concutit animos, & ita afficit, vt totus homo sit in armis; & non nisi de accipiendis, aut inferendis vulneribus cogitet. Ex eo quod in hoc rerum motu plerunque accidit, cecinit Maro lib. 8. Æneid. 4.

D

——*Ut rauco strepuerunt cornua cantu*
Extemplo turbati animi, simul omne tumultu
Coniurat trepido Latium; sæuitque iuuentus.

Quia venit dies Domini, quia propè est.] Ratio redditur

Digitized by

ditur cur non clangore simplici conuocandus sit populus, sed vlulante tuba; quia iamiam hostis imminet, cui quamprimum cum armis occurrendum est. Dies verò Domini dicitur, quia tunc Deus furori suo, quem antea repressèrat, habenas laxabit, suámque indignationem, & de accepta iniuria antiquum dolorem consolabitur. Sicut etiam dies sæculorum extremus dies vocatur Domini, quia peccatores, quorum cuiusque tecta fuerant, & nondum omnino punita merita, debito supplicio mulctabit. Loquitur autem Propheta, sicut alij quàm sæpissime de Deo ad hominum sensum, qui suum sibi tempus, aut horam vocat, in qua sui voti fuerit, aut studij compos. Quomodo Christus de his, qui ipsius sitiebant sanguinem, dixit, *Hæc est hora vestra.*

Dies Domini quæ.

6\. Vers. 2. *Dies tenebrarum, & caliginis; dies nubis, & turbinis.*] His verbis prouerbiali specie significari solet magna rerum turbatio, quando graui, atque inopinata hostium incursione, mens pugnatoribus eripitur, & omne consilium: tum præterea quando omnia contingunt infeliciter. Vt autem in luce, ac die felix exprimitur fortuna, sic in nocte, ac tenebris luctuosus, ac miser significatur euentus. Hinc tritum illud, *Occidet sol, complicabuntur cæli, stellæ obscurabuntur.* Sic Ioel statim v. 10. *Sol, & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum.* Ezech. cap. 32. *Operiam cælos, & nigrescere faciam stellas eius: solem nube tegam, & luna non dabit lumen suum.* Plura hac de re diximus in nostris commentariis super Ieremiam *cap. 4.* ad illud, *Et cælos, & non erat lux in eis.* Illud *turbinis* aliquid addit ad calamitatem, nempe motum aliquem repentinum, & concitatum, qui omnia conuoluit, & exagitat, sicut qui præcipiti conuoluitur gyro, secúmque obuium quodque rapit, atque circumagit. Sed vox Heb. ערפל *araphel*, aliquid præterea addit, nempe tenebras, easque densissimas. Quare cum agitabantur grauiter Iudæi hinc, atque hinc vrgentibus bellorum procellis, nihil tamen erit lucis, id est, consilij in ea perturbatione; omnia vndique occurrent obscura, impedita, ac turbida. Luctus vbique, & confusus clamor, & vbique imago præsentis mortis. Hæc tu accommoda ad mortis articulum, quando homo, & dolore vexatur multiplici, conscientiæ angoribus, & impendentis horrore iudicij.

Tenebræ, nox, & similia pro afflictione.

7\. *Quasi manè expansum super montes.*] Exercitus ingens, incitatus, & præceps, exprimi solet non infrequenter similitudine fluminis, quod præceps rapitur, & egressus ex alueo latè campos inundat, & complet. Exempla occurrunt plurima. Vide Ieremiam *cap. 46. v. 7.* Isai. *cap. 8. v. 7. & cap. 59. v. 19.* Sed nunc comparatione longè magis illustri, tam multitudinem, quàm velocitatem exercitus declarat, qui & latè, & cum celeritate prorsus incredibili Iudæorum fines occupabit. Cùm pulsis tenebris aurora, siue manè splendentem vultum primùm exerit, momento temporis totum complet, & illuminat terram, neque prius lux illa matutina in ortu, quàm in summis montibus apparet expansa. Satis hanc multitudinem in locustis expressisse videbatur; quæ instar nubis expansæ terram obumbrant, sed celeritas nulla alia similitudine explicari potuit significantiùs.

8\. *Similis ei non fuit à principio, & post eum non erit, vsque in annos generationis, & generationis.*] Hæc sine dubio de Chaldæorum copiis intelligenda sunt; sed laborant hoc loco vehementer interpretes, dum quærunt, quomodo à principio tempore sæculorum omnium, talis exercitus non fuerit multitudine videlicet, & robore, & quod difficilius est, quomodo neque futurus esse dicatur ad annos vsque generationis, & generationis, cùm Romani maiores omnino coegerint copias, & damnum longè grauius Iudæorum rationibus intulerint.

9\. Vt quod hic impeditum est, & obscurum expedire aggrediamur, obseruemus oportet, quod vere, & sæpe Hieronymus docuit, multa, quæ generaliter videntur esse dicta, ad aliquam tantùm prouinciam esse coarctandam, ad illam videlicet, de qua inductus est sermo. Quod sanè verum est, etiamsi vniuersale ibi signum appareat. Ita Hieronymus in illud Isaiæ cap. 13. *Vt disperdam omnem terram. Idioma est, inquit, Scripturæ, vt omnem terram illius significet prouinciæ, de qua sermo est.* Quare hoc loco de duabus tantùm tribubus hæc nunc accipienda, quia de illis institutum est vaticinium.

REGVLA. Quæ generaliter videntur dicta ad vnã tantùm prouinciam coarctantur.

10\. Obseruandum item, *in æternum, sempiternum, sæculum sæculi, generatio generationis, vel in generationem, & generationem*, & similia, non significare sæpius durationem, & moram, quæ fine caret, sed tempus diuturnum. Quare si quidpiam duraturum est per aliquot sæcula, id est, generationes, aut vitas hominum, id æternum, aut sempiternum appellatur, hac de re plurima occurrent exempla, optima inuenies *Exod. 28. v. 29. Genes. 13. v. 15. Genes. 17. 8.* vbi quæ æterna dicuntur diuturna tantum sunt, & iam omnino defecerunt. Hinc iam apparet, quæ possit esse huius nodi solutio. De tempore quod antecessit, minus est laborandum, nam vtcunque sit de nationibus aliis, quæ variis calamitatibus fuerunt ab hoste concisæ, de genere tamẽ Israelitico, & de Iudaico, de quo vaticinium istud præsertim accipitur, non audiuimus aliquid vnquã subiisse durius, quàm quod à Chaldæorum exercitu sustinuit. Quòd verò ad tẽpus pertinet futurum, ex dictis non difficile est, quid dictum oporteat coniectare. Cùm enim voces illæ, de quibus suprà, non semper spatium nullo definitum tempore significet, sed longum, cùm longa post tempora Romanorum exercitus grauem Iudæorum populo plagam inflixerit, sanè ex Scripturæ consuetudine, optimè dicitur in annos generationis, & generationis exercitum talem, aut tale detrimentum, non futurum, quale à Babyloniis accepere Iudæi. Et quidem, si dicendi modum attentiùs explores, nihil hic significatur æternum, sed non futurum tantùm, tamque robustum exercitum, donec aliquarum generationum, aut sæculorum anni transacti fuerint. Neque enim, vt alibi sæpius, dicitur, *in generationem, & generationem*, sed *in annos generationis, & generationis*. Quæ verborum forma aliquid videtur indicare diuersum.

REGVLA. Æternum, seculum, generatio generationis & similia, tempus aliquando significant diuturnum.

11\. Vers. 3. *Ante faciem eius ignis vorans: & post eum exurens flamma.*] Communis interpretum sententia est, à Chaldæorum exercitu obuium quodque fore deuorandũ, & ita omnia fore vastanda, quasi loca illa non hominum vestigia, sed flãmarum incendia peruasissent. Neque ego aliter accipio, sed aliquid requiro, quod nõ videtur communis ista sententia consecuta. Hic ego flammam video præcedere Chaldæorum agmen, & flammam item à tergo subsequi. Quæ ego sic aptè videor posse componere, ita vt, neque in textu, neque in Chaldæorum castris aliquid requirat studiosus lector. Explicui hæc super Ieremiam ad illud cap. 1.

cap. 1. v. 13. *Ollam succensam ego video.* vnde aliquid sumam, quia non minus hic, quàm illic necessarium.

12. Coluisse pro Deo Chaldæos ignem, res est tam à profanis, quàm à sacris scriptoribus neque obscurè, neque vno tantùm loco prodita. Hanc fuisse Hebræorum traditionem docet Hieronymus *in Traditionibus Hebraicis super Genesim,* qui ideo dicunt, in ignē fuisse coniectum Abrahamum, quod ignem Chaldæorum Deum adorare noluerit. Quod etiam docet Lyranus, atque Burgensis in illud Genesis 11. *Mortuus est Aram ante Thare patrem suum, in terra natiuitatis suæ in Vr Chaldæorum.* Vt ergo ignem pro Deo coluere Chaldæi, sic etiam plus est, quàm verisimile aliarum Gentium more secum in castris circumtulisse tutelarem vtique Deum: omnes enim Gentes Deos viæ duces & comites secum asportabant, vt docet Seruius ad illud Virgilij 6.

Sol & ignis Chaldæorū Deus.

——— *Errantésque Deos,* &c.

13. Ab his, sicut alia plurima sumpserunt Persæ, qui Babylonicum imperium ad suam Gentem, & nomen transtulerunt. Ex quorū cōsuetudine Chaldæorum quoque ritum, & militare insigne coniectare licet; quia verisimile est, id, quod erat Babylonici imperij, ad Persicum quoque imperium fuisse transcriptum. Certè Agathias lib. 2. historiæ, Persas à Chaldæis accepisse religiosum hunc ignis cultum prodit. Reges porrò Persarum, qui reliqua Deorum turba reiecta, & ignem, & solem coluerunt, quocunque procederent, antecedebat ignis, viæ comes, & dux. Ita Xenophon *lib. 8. Cyropadiæ.* Quintus Curtius *lib. 3.* Procopius *lib. 2. belli Persici.* Ammianus Marcellinus *lib. 23.* Tertullianus *in Apologetico cap. 16.* cuius etiam rei aliquod habemus in Scriptura sacra vestigium. Nam *Iudith cap. 10.* iuxta Septuaginta versionem, Holophernem Chaldæorum ducem (vt multis probat Serarius, qui putat historiam Iudith contigisse ante solutam captiuitatem, quod non leuiter suadet Nabuchodonosoris nomen, à quo imperatorium nomen illud accepit) lampades antecedebant argenteæ. *Et annunciauerunt ei de ea* (nempe Holopherni de Iudith illius serui) *& exiuit in proscenium, & lampades argenteæ præcedentes eum.* Quòd verò lampades illæ non essent ad exigendas tenebras, ex eo fit perspicuum, quia quo tempore egressus est Holophernes, multus iam erat dies, quia Iudith orto iam die prodiit è Bethulia. Aliquid verò temporis in progressu, colloquióque seruorum cum Iudith, & rursus cum Holopherne positum esse oportuit; quare propter tenebras nulla indigebat Holophernes prælucente lampade.

14. Ad hanc credo consuetudinem respexisse Ieremiam, & in olla succensa vidisse Chaldæorum exercitum, cuius erit signum præuius ignis in olla, seu prunatio, quod olla dicitur, sicut etiam lebes, quia illius fundum altius est, sicut lebetis esse solet, ne ignis ille sacer vel à vento dissipetur, extinguaturve, vel aliquo motu, seu concussu excidat. Ex hac explicatione lucem accipit illud Ioelis *cap. 2.* vbi loquitur de Chaldæorum exercitu, *Ante faciem eius ignis vorans.* In hanc ergo sententiā magis inclino, quia lenior est, neque video, quid in ea aut durum occurrat, aut ineruditum; & facit, quòd non olla dicitur accendens, aut inflammans, quod vastatoris exercitus epithetum est, sed accensa, quod ollæ seu lebetis proprium est, in qua portatur ignis. Accensa verò dicitur, aut quia ab igne, quem in se cohibet, ignescit, aut per metonymiam, quia ignem continet ardentem. Huc facit, quod dicitur Ieremiæ, capite 4. numero 15. *Notum facientes idolum de monte Ephraim.* Erat autem ibi sermo de Chaldæis, neque procul de monte Ephraim cognosci posset Chaldæorum idolum nisi esset ignis, qui è longinquo loco videri solet, atque cognosci. Vide, quæ ibi diximus.

Hinc facilè apparet, quisnam sit ignis ille, qui faciem præcedebat Chaldæorum, nempe, qui illis prælucebat, & sacrum erat, ac militare signum. Illud autem *vorans* epitheton est ignis, neque enim ignis antecedens, sine maximo Chaldæorum incommodo exurere posset, quicquid coram esset; præcidissent enim sibi aditum ad vlteriora, igni coram ardente, ac præcedente; neque poterat illud incendium non esse noxium, atque molestum tantæ multitudini, quod & alimenta combureret, & non minorem Chaldæis ipsis, quàm illorum hostibus exitium afferret. Alia ratio esset de flamma, quæ lucebat à tergo, quæ populata quicquid iā erat ab acie calcatum, Iudæis maximum, Chaldæis verò nullum afferebat incommodum. Alia aliis placebunt, mihi hæc nihil offensionis habere videntur. 15.

Quasi hortus voluptatis terra coram eo, & post eum solitudo deserti.] Hæc meam mihi cogitationem confirmant, quæ nihil existimabat pati terram, à præcedenti flamma. Nam ante exercitum, id est, pars illa anterior, quam nondum Chaldæorum vestigia calcauerant, omnia erant vsque adeò speciosa, ac plena, vt in eis appareret species quædam paradisi Dei, aut horti cuiusdam amœnitatis eximiæ. At post exercitum, id est, postquam regionem illam peruasisset exercitus, & populatrix flamma, sic exusta est illa tanta suauitas, & nitor, vt nihil iam appareret, nisi solitudo, & prioris vbertatis immane bustum. Hæc mihi expositio facilis est, & rei naturæ aptè consentiens. Neque illa displicet communis explicatio, quæ putat, nihil hic accipiendum de flamma, sed tantùm significari regionem, quæ ante Chaldæorum appulsum hortus voluptatis videri poterat; post illorum aduentum sic esse ab omni spoliatam ornamento, vt cum exercitu peruasisse quoque videretur incendium. 16.

Nec est qui effugiat eum.] Fugerunt aliqui Chaldæorum manus, qui partim in Ægyptum, partim in vicinas alias regiones dilapsi sunt, vt constat ex Ieremia *capite 40.* & deinde. Dicitur tamen hic effugisse nemo, iuxta illam Scripturæ sacræ consuetudinem; quæ vbi ea magna multitudine pauci relicti sunt, nullus existimatur, aut dicitur esse reliquus. Exempla occurrent plurima; vnum accipe ad huius rei confirmationem illustre. Ieremias *cap. 44.* de his, qui elapsi è Chaldæorum manibus, ait, *Consumentur omnes viri Iuda, qui sunt in terra Ægypti, gladio, ac fame, donec penitus consumantur;* & tamen statim dicuntur ex illis redituri pauci, quia pauci perinde atque si nulli forent, existimantur. *Et qui fugerint gladium, reuertentur de terra Ægypti in terram Iuda viri pauci.* 17.

REGVLA. Vbi ex magna multitudine pauci relicti sūt nullus existimatur aut dicitur esse reliquus.

Vers. 4. *Quasi aspectus equorum aspectus eorum, & quasi equites sic currerent.*] Describitur hic strenuus Chaldæorum vigor, audax, & imperterritus animus, quem neque lassat labor, neque frangit locorum asperitas, ascensus arduus, neque armorum strepitus, aut tubarum clangor. Tales verò sunt Chaldæi in quorum aspectu animoso, atque alacri videre te putabis speciem aliquam, & ima- 18.

ginem

Equorum nobilitas, & audacia. ginem viuam equi ad cursum velocis, & ad pugnam impauidi. De equo mira profani, & sacri. Audi Iob *cap. 39. v. 24.* qui omnium optimè equi naturam, & nobilitatem describit, & in eo, quid nos in Chaldæorum ingenio, atque audacia spectare iubeamur. *Terram vngula fodit, exultat audacter, in occursum pergit armatis: contemnit pauorem, nec cedit gladio, super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta, & clypeus, feruens, & fremens sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem. Vbi audierit buccinam, dicit: Vah, procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & vlulatum exercitus.* Hæc Iob. quibus nihil de equo humana facundia cogitauit illustrius. Profani plurima, pauca dabo. Virgil. Georg. lib. 3. de equo.

Continuò pecoris generosi pullus in aruis
Altiùs ingreditur, & mollia crura reponit.
Primus & ire viam, & fluuios tentare minaces
Audet, & ignoto sese committere ponti.
Nec vanos horret strepitus.

Oppianus in Halieuticis.

Hic generosus honor, & gloria maior equorum,
Nam capiunt animis palmam, gaudéntque triumpho.
Nónne vides victor quanto sublimius altum
Attollat caput, & vulgi se venditet aura?

19\. Sed cùm in equis optimè exprimatur Chaldæorum velocitas, & alacritas, præcipuè tamen hæc apparent in illis equis, quos alit Euphrates, & quibus ad pugnam vtuntur Chaldæi, de quibus Oppianus,

Equorũ qui ad Euphratem alacritas, & vigor.

——Qui habitant virides Euphratis ad vndas
Magna nimis vtuntur equis ad bella leonum.
Lumina glauca vibrant, & magnum in pectore robur.
Efferat audaces animos ad feruida bella.
Accedit leuitas cursus, quodque ora leonis
Intrepidè perferre valent.

In illis verbis *quasi equites, sic current*, velocitas explicatur Chaldæorum, quorum ea est celeritas, vt pedites equitum cursum adæquare possint. De quibus Ieremias Thren. 4. v. 17. *Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cæli.* De ardore, & constantia Chaldæorum in pugnãdo vide Isaiam *cap. 5.* & Ieremiam *cap. 4.* certasse autem olim pedites cum equitibus. De celeritate constat ex Statio *lib. 6. Thebaid.* vbi sic de Dinante,

Alipedúmque fuga pregressus equorum
Ante Dinas.

Et de Camilla Virgil. lib. 11.

Hæc fatur virgo, & pernicibus ignea plantis
Transit equum.

20\. *Sicut sonitus quadrigarum super capita montium exilient: sicut sonitus flammæ ignis deuorantis stipulam.*] Variis similitudinibus, ardorem, & impetum Chaldæorum exprimit. Quidam hæc ad locustarum naturam accommodant, quibus nihil est arduum, nihil clausum, in quibus vis, & furor Chaldæorum significatur. Prima similitudo, vt arbitror, à quadrigis sumitur, non in ea facilitate, qua montium iuga superant, & in illis veloci, atque expedito rotatu discurrunt: neque enim idonea esset comparatio, cùm quadrigæ ascendere non possint ad alta, atque salebrosa loca; neque ibi expeditum, & facilè habere cursum. Quare quasi magnum aliquid prædicabat Senacherib *Isaiæ cap. 37. v. 24.* quòd in montium altitudinem quadrigas suas agere potuerit; quasi res esset ardua, & aliis negata; aut non nisi paucis ante concessa. Sic autem Dominus per Prophetam ad regem superbum, qui laudem illam tanquam aliquid sibi proprium arrogabat. *Dixisti in*

A *multitudine quadrigarum mearum: Ego ascendi altitudinem montium, iuga Libani.* Similitudo igitur à sonitu sumitur, quem edunt quadrigæ, quando incitato feruntur cursu, quocunque in loco agitari contingat. Qui sanè exiguus non est, quando quadrigarum sonus, seu, quod idem est, rotarum, & curruum, ad magni tumultus amplificationem adducitur. Quasi dicat Propheta, eo impetu, ac sonitu progressuros supra montium capita Chaldæos, quo quadrigæ, aut rotæ cum magna equorum incitatione rapiuntur. Nisi mauis ibi conditionalem particulam subaudire in hunc sensum; talem futurum strepitum, & sonitum Chaldæorum supra montium capita, qualem ederent quadrigæ,
B si ibidem per saxeta, & salebras agerentur.

Meminit credo Propheta præcipuè capitum, seu fastigiorum montium, quia ibi Iudæi in idolorũ cultum impias aras erexerant; vt de decem tribubus, quarum dux aliæ exẽplum sunt secutæ, dixit Oseas cap. 4. v. 13. *Super capita montium sacrificabãt, & super colles accendebant thymiama.* Quare vbi priùs alieni dij regnare videbantur; in locis sublimibus, ibi prædabundi Chaldæi, & illorum fanis illudentes cum sonitu, & plausu exiliebant, triumphabantque. 21.

Vers. 5. *Sicut sonitus flammæ ignis deuorantis stipulas.*] Sonitus ignis, qui syluã incendit, aut messes, 22.
C quia secum metum, & exitium importat, horribilis est. Atque ideo optimè Chaldæorum tumultus cum incendij sonitu comparatur, non quia ille omnium maximus, sed quia omnium maximè formidandus. Sicut serpentis sibilum, aut leonis fremitum vehementer timent viri etiam audaces, & fortes, quia in serpente venenum, in leone dentes, & vngues esse sciunt, & in vtroque vim ad nocendum potentissimam. De sonitu quem elicit flamma ex stipulis, spinis, aridáque materia, est illud Eccles. cap. 7. v. 7. *Sicut sonitus spinarum ardentium sub olla.* & de sonitu stipularum cùm ab igne cremantur, dixit Maro lib. Georg. 1.

D *Sæpe etiam steriles incendere profuit agros,*
Atque leuem stipulam crepitantibus vrere flammis.

Et quia ignis horribilis est quando in aridam incidit materiam, aut syluam inuasit sæuiente vento. Ideo diuinus furor cum igne comparatur, qui syluam populatur, & vastat, & peccator cum sylua, quæ ab igne quoquò versùs grassante in cinerẽ redigitur. Psal. 82. v. 15. *Sicut ignis, qui comburit syluam, & sicut flamma comburens montes, ita persequeris illos.* Est autem hæc perbella comparatio, exercitus animosi, atque alacris, qui ardens ideo frequenter appellatur; vt enim ignis, qui syluas, aut stipulas apprehendit, sursum ad montium vsque iuga progreditur, cum impetu, ac sonitu ex
E ardente materia excitato, neque vis est vlla, aut locorum accliuitas, quæ ascendentem retardet, sic Chaldæus cum militari strepitu, & eorum, quos ferro appetet, exitio difficiles quosque ascensus superabit, neque minus ascendet velociter quàm ignis, qui suapte natura superiora capessit.

Velut populus fortis præparatus ad prælium.] Illud *velut* non tam similitudinem valet, quàm decentiam, aut debitum: quomodo rege, qui vt regium decebat nomen liberalis fuit, dicitur, *Fecit sicut rex.* Quomodo *Ioan. 1.* intelligendum est illud, *Gloria quasi vnigeniti à Patre.* Fecit igitur Chaldæorum exercitus id, quod facere debuit populus, qui fortis est, & acer, & qui optimè ad præliandum 23.

liandum instructus ad vim, & sanguinem anhelat.

24. Vers. 6. *A facie eius cruciabuntur populi.*] *A facie* idem est quod *ab*. Quare nihil hic, vt opinor, significatur aliud, quam exercitum illum allaturum esse plurimis aut dolorem, aut dolendi causam, siue dum ferro, atque igne hostiliter grassatur; siue dum horribili specie, consternatione, ac metu spectantes exanimat.

25. *Omnes vultus redigentur in ollam.*] Spectat credo Propheta ad superiorem comparationem flammæ deuorantis, cuius id est proprium, vt id quod attigit, aut etiam afflauit, atrum reddat, vt videmus in olla, atque omni instrumento culinario, quod à foco, & flamma atrorem statim trahit, atque fuliginem. Id credo sibi velle hunc locum, Iudæorum facies, ex metu, aut ex alia fortasse causa, de qua mox, illam habituras esse speciem, aut colorem, quam olla contraxit ex igne supposito, & familiari fumo. Hac eadem similitudine vsus est Isaias cap. 13. v. 6. *Vnusquisque ad proximum suum stupebit, facies combustæ facies eorum.* Nahum cap. 2. v. 10. *facies omnium sicut nigredo ollæ.* Quærunt hic aliqui vndénam ater iste color prouenire potuerit. Theodoretus in illum locum Nahum, de quo proximè, ait sanguinis confluxu, & quasi concretione fieri faciem luridam, quod item eodem loco sentit Theophylactus, rémque ipsam magis explicat. *Præ metu*, inquit, *rigebit sanguis: facies autem omnium liuida reddentur, quod in maximis frigoribus contingit, vt illi pari ollæ similes fiant, quæ igni admota, & propterea præusta nigrescit.* Idem ferme in hunc locum Rufinus, & Cyrillus.

Nigredo in facie, vnde.

26. Ego colorem istum quomodo à pauore prouenire posset non video, cùm metus potiùs sanguinem impellat ad cor, quod tunc laborat maximè, quam euocet ad faciem. Quare facies à metu non tam liuorem contrahit, qui fit à sanguine, quàm pallorem, qui sanguinis discessum consecutus est. Quare qui metuunt, pallescere dicuntur, & exalbescere; non verò liuore fœdari, aut rubore suffundi. Neque si homines à pauore arescere dicuntur, Lucæ 21. v. 26. *Arescentibus hominibus præ timore, & expectatione*, fit vt ideo existimari debeat infuscata facies, cum tantum eo dicendi modo attoniti significentur homines, & exangues, aut sine succo; hæc verò pallorem magis indicant, quam atrorem.

27. Placet, quod Theodoreto visum est in hunc locum, à fame videlicet, & inopia colorem illum nigrum, atque deformem contrahi. Quod sane ita accidisse, vt minatur Ioel, testis ipse lamentatur Ieremias *Thren. cap. 4. v. 8.* de Nazareis. *Denigrata est super carbones facies eorum.* & cap. 5. v. 10. *Pellis nostra quasi clibanus exusta est à facie tempestatum famis.* Et quidem experientia ipsa constat plenam succi faciem fame macrescere, atque siccari, & ex eo colorem contrahere luridum, ac nigrum. Sed ego aliquid aliud in Iudæis considero, vnde atram habuerunt, atque deformem faciem: adduxit quidem colorem illum nigrum fames, vt dicit Ieremias, quæ longa fuit, sicut etiã longa fuit extrema ciuitatis obsidio; & vsqueadeò grauis, vt parentes filiorum, & filij parentum carnibus pasti fuerint, vt constat ex Ezech. cap. 5. v. 10. *Patres comedent filios in medio tui, & filij comedent patres suos.* Sed hostes iidem Chaldæi, sic vexauerunt miserum illum populum; aut in via, cùm captiuum abducerent, aut in exilio, in regione æstuosa, seruilibus ministeriis alligarent, vt sordes contraheret, & faciem ignobili fuscore coloraret. Planè fecerunt victores Chaldæi, quod comicus Demea minatus est se facturum cuidam eleganti psaltriæ.

Illa famula plena, fumi, ac pollinis
Coquendo sit faxo, & molendo: præter hæc
Meridie ipso faciam, vt stipulam colligat.
Tam excoctam reddam, atque atram, quàm carbo est.

Hæc leuia fuere, si consideres, qualia captiuus ille populus subiit sub Babylonico, ac barbaro dominatu, de quibus Ieremias *Thren. cap. 5.* Si ad hæc omnia referas Prophetæ verba, non est obscura sententia, posse autem referri, textus ipse facile patitur. Neque fortasse alius est sensus Isaiæ, & Nahum locis antè citatis.

Sed dices, statim agere Prophetam de his, quæ populi captiuitatem, & seruitutem illam, vnde collecta fuit ollæ nigredo, præcessere. De murorum ascensu, de seruata in pugnando animorum, ordinúmque constantia; respondeo hoc tantùm loco agi de his incommodis, quæ ab hoste Chaldæo passi sunt Iudæi, atque ideo non mirum, si quod in hoc rerum concursu fieri solet, per prolepsin ante suum tempus positum esse dicamus, quod aliquãto pòst in exilio captiui subierunt. 28.

Vers. 7. *Viri in viis suis gradientur, & non declinabunt à semitis suis.*] Describit viros constantes, & strenuos, & qui disciplinam militarem, & didicere diligenter, & seruant religiosè. Nam ea aggrediuntur, vnde se maius ostentat, vel à locorum accliuitate, vel à propugnatorum multitudine, ac contentione periculum. Quare aggrediuntur, atque conscendunt muros, in viis suis gradiuntur, id est, suos seruant ordines, neque ab statione sibi ab imperatoribus designata, aut vltro decedunt, aut vi pelluntur; cùm honestius ducant à vita, quàm ad gradum depelli. Hæc aperta sunt. 29.

Seuera Chaldæorum militum disciplina.

Vers. 8. *Vnusquisque fratrem suum non coarctabit: singuli in calle suo ambulabunt.*] Hoc exigit ex militari disciplina siue in incedendo, siue in pugnando ab imperatore designatus ordo, qui laxus plerunque esse solet, ne sibi mutuò milites aut in via, aut in conferendis signis impedimento sint; singuli ergo in suo calle, id est, in suo ordine, Hispanè *en su hilera*, ambulabunt, neque in summo etiam discrimine turbabũt ordines. Hæc videtur huius loci plana, atque expedita sententia. Contrà verò fecisse dicuntur Ægyptij, qui in ea pugna, quam cum Chaldæis commiserunt ad fluuium Euphratem, pro turbatis, atque confusis ordinibus, sibiipsis pugnãdi facultatem eripiebant, imò, & sibiipsis vicissim non minus afferebant incommodi, quàm ab hoste timere potuissent. Sic nos in nostris commentariis super Ieremiam explicabamus illud cap. 46. v. 12. *Fortis impegit in fortem, & ambo pariter conciderunt.* Vide quæ nos ibi. 30.

Sed & per fenestras cadent, & non demolientur.] Hactenus Chaldæorum ostendit fortitudinem, audaciam, & in militari disciplina constantiam, & fidem; iam aliquid addit, idque non leue, quod illius Gentis in re bellica dexteritatem, & velocitatem commendat, sumptum, opinor, ex vsu, disciplináque castrensi, ad quam ita in bene constituta republica instituuntur tyrones, vt illa vincant assuetudine, & vsu, quæ non videbatur posse assequi, aut sustinere natura mortalium; de quibus vide Vegetium, & super eum Godeschalcum. 31.

cum. Fuit ſanè dura illa militiæ diſciplina, iuxta quam ab ætate adhuc tenera inſtituebatur pueri, vt obdurarent contra calorem, & frigus, contra omnia naturæ incommoda, vt ſaltu foſſam, & flumina traiicerent, & per aſpera, & interrupta ſaxorum aſcenderent, vt inde audaci ſaltu ſe ad inferiora demitterent, vt denique alij eſſent exercitatione, atque vſu, quàm à natura videbantur eſſe formati. Ex hac conſuetudine didicere Chaldæi ex feneſtris ſine vlla corporis vexatione deſilire, ex hac muros, & feneſtras aſcendere, & illa præſtare omnia, quæ ſtatim ſubiiciuntur, quæ quia obſcura non ſunt, ab illorum explica-
32. tione abſtineo. Illud non omittam, pro eo, quod noſter vertit, *per feneſtras cadent, & non demolientur*, pleroſque alios conuertiſſe, *ſuper gladios cadent, aut irruent, & non vulnerabuntur.* Qui dicendi modus mirè amplificat Chaldæorum audaciam, ac dexteritatem in pugnando; hoc ſanè modo Homerus *lib.12. Iliad.* Hectoris robur, & audaciā exprimit. Et Silius Italicus lib.12.

Chaldæorū audax, & intrepidus animus.

Paulus vt aduerſam videt increbreſcere pugnam;
Ceu fera quæ telis circumcingentibus vltro
Aſſilit in ferrum, & per vulnera colligit hoſtem
In medios fert arma globos.

Et Virgil. lib.9. Æneid. de Helenore.

Vt fera, quæ denſa venantum ſepta corona
Contra tela furit, ſeſeque haud neſcia morti
Inicit, & ſaltu ſupra venabula fertur.

33. Alij pro *non demolientur*, legunt, *nec lucro inhiant*, ſeu *neque aurum concupiſcunt.* Quod etiam præſtare debent, qui ſtrenuo ſunt animo, & militaris diſciplinæ ſtudioſi; certè id faciunt, qui magno in alios æſtuant furore, quorum animos non lenit, aut placat oblata pecunia. Sic ſanè de Perſis, ac Medis, Iſaias *cap.*13.*v.*12. vbi tantum futurum eſſe dicitur illorum in Babylonios odium, vt nullus poſſit oblato auro ab hoſtili ferro vitam redimere. *Pretioſior erit*, inquit, *vir auro, & homo auro obryzo.* & v. 17. *Ecce ego ſuſcitabo ſuper eos Medos, qui argentum non quærant, neque aurum velint, ſed ſagittis paruulos interficiant*, &c. Neque, vt reor, in Iudæos Babylonij, quàm in Babylonios Perſæ magis fuere placati, atque benigni. Cúmque iſtæ, atque aliæ huius loci tranſlatione Chaldæorum robur, & in re militari præſtantiam ſatis aptè ſignificent, vulgati tamen tranſlatio, neque leuius id præſtat, & eſt magis ad Hebraicum textum conſentanea.

A militari virtute abeſſe debet auaritia.

34. Verſ.9. *Per feneſtras intrabunt, quaſi fur.*] Hoc etiam ex militari, patriáque diſciplina habuere Chaldæi, non ſolùm, vt ex feneſtris, locíſque ſublimibus audaci, atque incolumi ſaltu deſilirent, ſed etiam, vt ad feneſtras, locaque ſublimia, atque ardua aſcenderent reptando; quod faciunt latrones, qui per illa loca ſibi ad prædam aſcenſum, atque aditum moliuntur, quæ minus putant eſſe à ſera, ſiue à cuſtodia munita. Confert autem Chaldæos cum furibus, quia fures id habent ab vſu quotidiano, & ab nonnulla etiam arte, vt per feneſtras facile in alienas domos irrumpant. Quaſi ergo Chaldæi nullam aliam artem, ſeu lucrum inſtituiſſent, quàm quod per feneſtrarum ingreſſum ſibi parant latrones, ſic facile ſe interiorem domum per feneſtram inſinuant, & vt latrones opes, & rapinas, ſic illi homines ad cædem perſcrutantur. In hæc verba videbatur Ieremias intentus, cùm dicebat cap.9. v.21. *Aſcendit mors per feneſtras noſtras, ingreſſa eſt domos noſtras.* vbi ſermo itē de Chaldæis. Quorū ea erat ad pugnandū alacritas, vt ſi fores apponas, & clauſtra, per feneſtras intrent ſiue murorū, ſiue priuatarum ædium, mortémque ſecū ad intimos ciuitatis, domorúmque ſeceſſus importent.

Verſ.10. *A facie eius contremuit terra.*] Hyperbole hæc eſt, in Scriptura non infrequens. Qui- 35.
dam in terra homines intelligunt, qui terram incolunt, qui reuera ad hoſtium ingreſſum timuerunt, nam de terræ motu, atque tremore non putant. Sed illi iidem hoc ipſum de cælis, ac cælorum aſtris, dicere debuiſſent. Ego de terræ tremore cælorúmque obſcurato lumine eandem rationem eſſe arbitror, illá nimirum, quam attuli ad illud Ieremiæ cap.4. *Vidi montes, & ecce mouebantur; & omnes colles conturbati ſunt.* Accommodat ſe namque Scriptura ſacra hominum cogitationi, & tale aliquid videtur ſignificare, licèt minus verum, quale homines putant, aut magis communi nomine ſignificant. Quomodo ſtellæ dicuntur de cælo cadere, quia vulgus hominum, cometas, qui per aëra diſcurrunt, ſtellas eſſe credit, Deos appellat, quos coluit deluſa gentilitas; cùm tamen dij non ſint, quia eo præcipuè nomine vocantur à Gentibus. Cùm ergo grauis metus id agat in homine perturbato, æſtuante, ac timido, quod vertigo, atque ebrietas, quibus qui affecti ſunt, omnia commoueri videntur, & obſcurari, neque quicquam eſſe ſtabile, ac firmum; ſic qui in metu ſunt graui, nihil putant eſſe tutum: omnia illis nutant, & tremunt, obſcurantur omnia, vſqueadeò non ſolùm mentibus, ſed etiam oculis, offunditur craſſa quædam, atque horribilis caligo. Hæc dicendi hyperbolica forma adeò frequens eſt in Scriptura ſacra, vt videri poſſit prouerbialis. Ierem.4.v.23. *Aſpexi cælos, & non erat lux in eis: vidi montes, & ecce mouebantur, & omnes colles conturbati ſunt.* Exod.19. vbi vulgatus, *Erátque omnis mons terribilis*, Heb. ויחרד iachrod, id eſt, contremuit, Iudic.5. *Domine cùm exires de Seir, & tranſires per regiones Edom, terra mota eſt.* Alia huiuſmodi occurrent attento lectori non pauca. De obſcurato cælo, ereptáque luce oculis, in rerum anguſtiis, & animi angoribus, diximus ſuprà *v.*1. Adde illis illud Iſai. *cap.*13. ſuper hoc cælū turbabo, & mouebitur terra de loco ſuo propter indignationē Domini exercituū.

Commoueri, atque obſcurari omnia videntur timidis, & afflictis.

Quod verò de terræ magno, atque horribili 36.
motu diximus, id etiam profanis eſt familiare; qui dum exercitus copioſi vim, & curſum, incitationémque rotarum ſignificare volunt, id terræ mugitu, atque tremore exprimunt, quaſi terræ moles tantum illum impetum, & pondus ſuſtinere non poſſint; ſic Virgil. lib.12. Æneid.

——— *Tunc cæco puluere campus*
Miſcetur, pulsúque pedum tremit excita tellus.

Et iterum ibidem.

Qualis apud gelidi cùm flumina concitus Hebri
Sanguineus Mauors clypeo increpat, atque furentes
Bella mouens immittit equos: illi æquore aperto
Ante notos Zephyróſque volant, gemit vltima pulſu
Thraca pedum.

Claudianus 2. in Eutropium.

Ecce autem flauis Gradiuus ab vſque Gelonis
Arua cruentato repetebat Thracia curru.
Subſidunt Pangæa rotis, altéque ſonoræ
Strident axe niues.

Hunc eundem eſſe puto ſenſum illorum verborum, quæ legis lib.1. Machab. cap.9. v.12. *Proximauit legio ex duabus partibus, & clamabant tubis. Exclamauerunt autem, & hi qui erant ex parte Iudæ etiam ipſi, & commota eſt terra à voce exercituum.*

Verſ.11. *Et Dominus dedit vocem ſuam ante faciem* 37.

V exercitus

Digitized by Google

exercitus sui.] Vox Domini appellatur tonitruum, cum quo simul vibratur fulmen, quod telum existimatur esse Dei; à qua voce potius, quàm a quadrigarum, & equorum pulsu, tubarúmque clangore terra cótremuit. Vocatur autem tonitruum vox Domini, Psal. 17. *Intonuit de cælo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam, grando, & carbones ignis.* & Psal. 26. *Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit,* & 1. Reg. 12. *Clamauit Samuel ad Dominum, & dedit Dominus voces & pluuiam in illa die.* Hæc fortasse vox est Dei, neque est incredibile cùm pugnatum est a Chaldæis contra Israelitas, tonánte tonitru, & micante fulgure additos esse Chaldæis animos, ereptos Iudæis. Aut sic agente Deo intus, & tacitè, sic esse alios confirmatos, exanimatos alios, quasi Deus claram edidisset vocem, quæ varia esset in variis operata. vide de hac voce quid etiam paulo pòst. Consideratur autem à Propheta hoc loco Dominus, quasi dux, & Imperator, qui exercitũ agit, illíque imperatoria voce animos inspirat bellicos, cùm tamen contrà hostibus spiritus frangat, & formidinem,
38. ac desperationem immittat. Qua de re exempla occurrunt, & numero non pauca, & euentu illustria, *Genes. cap. 35.* consuluit Deus incolumitati Iacob incusso vicinis ciuitatibus pauore. *Cúmque profecti essent, terror Dei inuasit omnes per circuitum ciuitates, & non sunt ausi persequi recedentes.* Exod. 23 Deut. cap. 7. metum item incussit Chananæis ne auderent sese Israelitis opponere. Et 4. Reg. cap. 7. in obsidione Samariæ sonitu quasi equorum, & curruum perterrefecit Syros, & suis spoliatos ornamentis conuertit in fugam. Et quidem talem Dominus populo suo minatur pauorem, si minus se legi obsequentem præbuerit. Leuit. 26. *Fugietis nemine persequente.* Hæc Dei vox siue aperta, qualis est quæ simul cum fulmine tonat è nubibus; siue, quæ tacitè animos pulsat, & exagitat, fecit, vt nutare videretur terra, obscurari cælum, & omnia in trepidantium capita dissoluta corruere. Neque credo à bona coniectura aberraret ille, qui in hunc sensum acciperet illud *Iudic. c. 5.* ex cantico Debboræ, v. 20. *De cælo dimicatum est contra eos: Stellæ manentes in ordine, & cursu suo aduersùm Sisaram pugnauerunt.* Sed de hoc stellarum ordine, & pugna pluribus agunt interpretes, & aliò plerique abeunt.

Tonitru vox Dei.

Deus castris metum incutit.

39. *Quia multa sunt nimis castra eius, quia fortia & facientia verbum eius.*] Castra Dei sunt creaturæ omnes, quæ diuini Imperatoris voci parent; quibus neque arma desunt fortia contra vim omnem, & potentiam creatam, quantumuis illæ exiguæ sint, & ad pugnandum non solùm infirmæ, sed etiam indociles: quales ranæ, cynomyiæ, cyniphes, qui conturbarunt, ac domuerunt Ægyptios, & crabrones, per quos ex suis finibus exterminati fuerunt Chananæi *Iosue 24. v. 12.* de quibus Sap. 5. v. 18. *Armabit creaturam ad vltionem inimicorum.* Sed castra dicuntur Dei cælorum astra, & elementa omnia, quæ vbi ab Imperatore summo in aciem euocantur, momento temporis omnia subuertuntur. Castra illa, quæ concrescunt in aëre, quibus neque strepitus abest, aut militaris clangor, id est, tonitruum, quod vox dicitur esse Dei; sicut Imperatoris vox est tuba, quæ castris edicit, quid curatum velit. De his Iob cap. 38. v. 22. *Nunquid ingressus es thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexisti, quæ præparaui in tempus hostis, in die pugnæ, & belli.* Et clariùs Sap. 5. v. 21. *Pugnabit cum illo* (nempe Deo) *orbis terrarum contra insensatos. Ibunt directæ emissiones fulgurum, & tanquam à bene curuato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insilient. Et à petrosa ira plenæ mittentur grandines: excandescet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter. Contra illos stabit spiritus virtutis, & tanquam turbo venti diuidet illos.* Castra Dei fortia, & eius voluntatem facientia sunt Angeli; de quibus Psal. 102. v. 20. *Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute facientes verbum illius.* Quos Iacob *Gen. 32. v. 2.* Dei appellauit castra. *Iacob autem abiit in itinere, quod cœperat. Fuerúntque ei obuiam Angeli Dei, quos cùm vidisset ait, castra Dei sunt hæc.*

Arma Dei omnes creaturæ.

Sed & castra Dei sunt Chaldæi, Assyrij, Ægyptij, & quotquot ex variis regionibus tanquam 40.
sui furoris administros aduocauit. Isaias *cap. 7. v.* 18. cùm sermo esset de hoc ipso argumento, ac tempore, ait: *Et erit in die illa, sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Ægypti, & api, quæ est in terra Assur: & venient, & requiescent omnes in torrentibus vallium, & in cauernis petrarum,* &c. vide quæ nos in hunc locum adduximus in nostris commentariis. Illud porrò sibilum, quo apes, & muscæ, ex suis quæque finibus euocatæ dicuntur, vox fuit imperatoria, & quasi edictum, quo Gentes, quæ in muscis exprimuntur, & apibus, in aciem euocantur. Et fortassè hæc fuit illa vox, quam Dominus dedit ante faciem exercitus sui, prouocatoria scilicet, & quæ ad vim, & arma euocat exercitus magnos, & validos contra rebelles, & ingratos populos.

Magnus enim dies Domini, & terribilis valde: & quis sustinebit eum?] Cur dies ille, in quo de peccatore populo pœnas sumet Deus quam acerbissimas, dies vocetur Dei, diximus supra ad illud 41.
v. 1. *Quia venit dies Domini.* Cur dicatur dies ille terribilis, & importabilis, satis ex dictis constat, cùm castra immineant, qualia suprà descripta sunt, quæ Dominus conscribet, cogétque tanquam Imperator, & dux, quibus sua voce, quæcunque illa sit, sic addet militares spiritus, vt tamen aduersariis vim omnem, & ad sustinendum impetum constantiam eripiat.

Vers. 12. *Nunc ergo dicit Dominus: Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, fletu, & planctu.*] 42.
Hæc est secunda pars huius secundi capitis, in qua Deus postquam periculi iam impendentis metu peccatoris populi concussit animos, ita vt omnem videretur ad salutem aditum præclusisse, vt est natura mitis, & ad veniam pronus, ad suam aduocat amicitiam, & ad amplexum inuitat, præscribítque modum, quo conciliari possint, cum eo, quem tam impudenter abiecerant, & ad priorem fidem, & amicitiam redire. Petit primùm vt conuertantur toto corde, id est, verè ac seriò, non simulatè, quod fecerant antè externa tantùm pietatis specie contenti, cùm in operibus natura sua religiosis, nihil esset, nisi ascitus non ab animo, sed ab ambitiosa calliditate religionis fucus. Quid sit toto animo conuerti, diximus *Osee cap. 14.* ad illud v. 2. *Conuertere Israel ad Dominum Deum tuum.* In hæc verba habes apud Bernardum sermonem integrum in capite Ieiunij.

In ieiunio & fletu.] Recesserat à Deo populus, 43.
quem aduocat ad amicitiam Deus ipse, quia maluit suo inseruire genio, quàm vitæ modum ad seuiorem disciplinam informare. Cùm autem diuina lex prohiberet multa, quæ immoderatus appetit affectus, quia sentientis, atque animalis naturæ appetitus magis ad risum, instructásque mensas, quàm ad fletum, & ieiunium rapitur, dum illis indulget intemperanter, & ab his abhorret:

Vita quæ vera mutatio.

horret; totum sese à Deo, & ab illius legis obseruantia subducit. Monet igitur Deus si arcere à se velit intentum iam suo capiti periculum, amet, quæ prius auersatus fuerat: abstineat à risu, instructisque mensis, & frequentibus poculis; & se totum à superiori vita, per ieiunium, & fletum, & veram conuersionem, & non fucatam pœnitentiam auertat.

Quæ vera, & quæ simulata pœnitentia.

44. Vers. 13. *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.*] Hoc est conuerti ad Dominum ex toto corde, & non tantùm simulatè. Simulat pœnitentem, & conuersum animum externa, atque fucata species, qualis est pectoris tunsio, cineris conspersio, demissio capitis, vestimentorũ laceratio, & sordes. At cùm externa omnia ita se habeant, vt nihil præterea aliud hominum oculi à pœnitente desiderent, fieri potest, imò & frequenter assolet, vt animus neque mutetur ab habitu, statúque priori, sed in priori sensu obstinato consilio perseueret. Talis est hypocrita, qui idẽ est, quod apud Latinos *histrio*, qui, cùm pœnitẽtis speciem intuentium oculis exhibeat, toto tamen cælo abest à pœnitente. Exẽplum huius simulati pœnitentis fuit Achab *3. Reg. cap. 21.* qui cùm audisset quid suo capiti, & regno decretum esset à Domino supplicij, *Scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitque, & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite.* Quis vnquam meliùs personam egit pœnitentis? An hæc vera fuerit pœnitentia non disputo; neque ea de re eodem omnes modo sentiunt interpretes. Illud dico non apparere in Scriptura, quod ego viderim, redditam esse vineam ab Achab, quam per summam iniuriam ereptam esse nouerat; neque curatum esse, vt honori satisfieret Naboth, cui blasphemiæ nomen obiectum fuerat, & eam ob caussam supplicium indictum capitale. Quod idem est atque cum laceris vestibus, cum sacco, & cinere, cor tamen intrinsecus non esse laceratum, non mutatum à se, cùm adhuc spiritum retineat antiquum, & alienam vineam apud se in horti delicias permutatam conseruet.

45. *Cor scindi* nihil est aliud quàm mutari, & à se ipso retexi, & quodammodo liquescere, atque perire, sicut id quod scinditur, quam priùs habuerat relinquit formam, & nouam assumit. Scinditur cor auari cùm diuitias abiicit, quæ cordi inoleuerant, & in eandem cum illo naturam coaluerant. Cor item scinditur luxuriosi, cùm turpem abiicit amorem, qui non minus videbatur, quam ipsa vita naturalis, cùm magis anima in amato quàm in amante sit. Hoc Dominus à pœnitente requirit, si hæc absint, cætera non tam argumenta, quàm figmenta sanctitatis non admodũ curat.

Cor quomodo scinditur.

46. Porrò in dolore, & planctu solere vestimenta disrumpi, satis est in Scriptura notum. Scidit Iob vestimenta sua accepto de filiorum morte tristi nuncio; scidit Iacob *Gen. cap. 36.* & Dauid non semel, ille audito Iosephi, hic filij Absalon, & Abner interitu; scidit Achab eo loco, atque articulo, de quo suprà; esse porrò id vsitatum apud Hebræos satis indicat locus, in quo explicando nostra laborat commentatio, & indicat Ieremias *cap. 36.* vbi miratur combusto impiè libro, neque timuisse, neque discidisse vestimenta, qui tunc aderant, quasi id ferret illius populi consuetudo. Neque id vni Hebræorum populo propriũ fuit, sed commune cum aliis. Ita de Lacedæmonibus Herodotus *lib. 6.* de Mardonio re infeliciter gesta *lib. 8.* de Sabinis Liuius *lib. 1.* Ex hac consuetudine in summo dolore, ac desperatione, Virgilius *lib. 12.* inducit Amatam de laqueo cogitantem, & eius mortem miserabiliter dolentem Latinum Regem cum veste discissa. De Amata,

Vestes in dolore discindi solita.

Purpureos moritura manu discindit amictus,
Et nodum informis leti trabe nectit ab alta.

De Latino Rege statim,

——*It scissa veste Latinus*
Coniugis attonitus fatis, vrbisque ruina.

Quia benignus, & misericors est, &c.] Ad bene sperandum de venia excitat timidos, & penè desperantes Iudæorum animos, argumentúmque sumit à Dei benignissima natura, quæ deficientes recreat, & fugientem animam reuocat, atque integrat, quique vltrò ad veniam, ad supplicium autem fertur inuitus. Proponit autem illa, quæ ad confirmandos languentes spiritus potentissima sunt. Quia benignus Deus, quia illum hominum miseria proximè tangit; quia non in puniendo præceps est, sed expectat, & sustinet, lentóque in ira procedit gradu; cuius misericordiam nulla vincet peccatorum multitudo, nulla scelerum grauitas exhauriet. Hæc aperta sunt. 47.

Vers. 14. *Quis scit, si conuertatur, & ignoscat, & relinquat post se benedictionem.*] Conditionales erant illæ minæ, quæ grauem à Chaldæorum exercitu cladem portendebant, quam Deus alio, id est, mitiori animo, auertisset à Iudæorum finibus, si ipsi à priori vitæ instituto etiam auersi, verè se ac seriò conuerterent ad Deum. Ex hac porrò tam hominum à peccando, quàm à Dei ab inferendo supplicio conuersione, id consequetur populus, vt ignoscat Deus & pro ferro, vastatione, ac flamma, quæ timebat, benedictionem, id est, pacem, & otium, & rerum omnium abundantiam excipiat. 48.

Dei minæ aliquando conditionales.

Sacrificium, & libamen Domino Deo vestro.] Hic ego duo video, & copiosam, & promptam sacrificiorum materiam, & concessam à Deo liberam sacrificandi facultatem. Materia quidem, quia neque exurentur, aut conculcabuntur segetes, ac vineæ, ex quibus fiat in templo quotidiana libatio, neque extinguentur, aut abigentur pecora, ex quibus ad aras adducuntur, & immolantur victimæ. Facultatem verò, quia manebit templum alioqui excidendum à Chaldæorum manu; neque vllus erit ab exercitu metus, qui peregrinos, ab vrbe, templóque submoueat, & sacrum illud, ac religiosum opus impediat. 49.

Vers. 15. *Canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate populum.*] Hæc iam nobis in principio capitis magna ex parte declarata sunt. Monet rursus Propheta, vt illa populus cõmuni decreto statuat, edicátque vt omnes sese ad leniendam diuinam offensionem, & supplicium à suo capite declinandum accingant; vt ieiuniũ instituant, quale Deus admittit, & commendat; vt omnes ad lacrymas, & preces in templo conueniant, præsténtque reliqua, quæ statim magis explicatè prosequitur. De ieiunio Elias *in orationem 1. Nazianzeni*, vbi hæc ipse Ioelis verba tractantur. *Sanctificate*, inquit, *ieiunium, hoc est, instar votiui cuiusdam donarij, ac sacrificij, verè purum, ac sanctum ieiunium efficite. Quod quidem tunc demum existit, cùm propria voluptates, atque ipsæ animæ commotiones, hoc est, ira, & libido compescuntur.* 50.

Vers. 16. *Sanctificate Ecclesiam.*] Ecclesiam hîc vocat, quam antè populum, & cœtum appellarat; quia præcesserat tubæ clangor, qui absentes euocat, & in vnum locum, atque consilium cogit. Ecclesia autem, vt nominis notatio probat, aliquid euocatum, & ex diuersis in vnum locum, 51.

Ecclesia quid.

& cœtum congregatum importat. Monet igitur Propheta, vt quotquot ex diuersis partibus coierunt, sanctificentur, id est, per pœnitentiam eluant sordes illas, quas contraxerunt, dum ab immoderatis affectibus abducuntur. Et hoc fortasse est sanctificari, sanctos videlicet, & iustos fieri. Sed credo sanctificationem hic aliam indici, institutam à lege, sine qua nemo potest aut templum inire, aut sacris operari, aut interesse legitimè. Quàm multæ sint legales immunditiæ, quam variæ purificationum, ac lustrationum formæ, quas etiam sanctificationes appellamus, habemus ex Leuitico, quas hîc numerari necessarium non est.

52. Illud dico etiam apud Gentiles cautum esse ne quis aut sacra perageret, aut sacris interesset impurus. Qua de re nos pluribus in nostris commentariis super Ezechielem *cap. 44. num. 35.* ad illud, *Et non accingentur in sudore.* Sanè tritum erat, & solemne in sacrificiis, vt omnes sacrificiorum tempore iuberentur discedere, quorum esset vita contaminata. Hinc tritum illud, *ἑκὰς ἑκὰς ἐστε βέβηλοι*, quod expressit Virgilius dum à sacris remouet profanos lib. 6.

Nemo etiã apud Gentiles ad sacra accedebat impurus.

—Procul ò procul este profani,
Conclamat vates, totóque absistite luco.

Multa apud profanos de hac tam animi, quàm corporis dispositione reperies, quæ ad orationem, seu ad opus sacrificale requiritur, lege Tullium lib. de legibus. *Castè iubet lex adire ad Deos, animo videlicet, in quo sunt omnia. Nec tollit castimoniam corporis.* Sic quidam ab aris, & templis remouet, qui nocturno, licèt legitimo concubitu se polluerunt.

Vos quoque abesse procul iubeo, discedite ab aris,
Queis tulit externa gaudia nocte Venus.
Casta placent superis, casta cum mente venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Et Iuuenalis satyra 6.

Ille petit veniam, quoties non abstinet vxor
Concubitu sacris, obseruandísque diebus.

Qua de re satis multa Tiraquellus in legibus connub. lib. 15. à num. 116.

53. *Coadunate senes, congregate paruulos & sugentes vbera.*] Omnem ætatem in senibus, & infantibus comprehendit; hi enim extremi sunt termini, qui ætates omnes cohibent, ac definiunt. Cur senes adesse cum aliis debeant, prompta ratio est, cur verò qui nondum sunt ab vbere materno depulsi, id paulo obscuriùs, cùm orare non possint, & commune periculum non timeant, imò neque norint. Sed non est otiosa hæc infantium in templum productio, quia vt infantilis vagitus magnam vim habet apud homines ad flectendos animos, quantumuis adamantinos, sic etiam apud Deum. Quàm sit potens infantium vlulatus, & præuisa calamitas, vt homines etiam dum maximè æstuant furore, leniantur, & recentibus exemplis docemur, & antiqua magno nobis documento sunt. Legimus enim, & vidimus productos in iudiciis à parentibus infantes, qui fletu suo à parentum iugulo capitale supplicium auerterunt. Sed neque minus apud Deum potens est infantilis clamor, & ipsa præterea innocentia gratissima est. Sanè adduci se Dominus dicebat *Ionæ cap. 4.* vt Niniuitis ignosceret infantium causa, quorum magna erat in copiosa illa ciuitate multitudo, quæque fortasse sicut reliqui homines ac iumenta à suis cibariis, sic etiam ipsi à materno lacte depulsi sunt. Ait ergo cùm alij se cilicio ieiunióque macerarent, vagirent infantes, *Non parcam Niniue ciuitati magnæ, in qua*

Infantes ad publicas preces & planctus adhiberi soliti.

A *sunt plusquam centum viginti millia hominum, qui nesciunt inter dexteram, & sinistram suam.* Per hæc autem extrema verba infantilis ætas, & natura describitur. 54.

Esse autem hoc inter Hebræos vsitatum, vt in summo siue dolore, siue periculo infantes quoque aut sternerentur humi, aut flere cogerentur, habemus ex *lib. Iudith. cap. 4.* vbi cùm extrema omnia, & sibi, & templo timerent Iudæi, aut ipsi vltro, vt magis indicat litera, aut edicente Eliacim sacerdote ex veteri, opinor, consuetudine, vt talia publicè fierent à populo, qualia nunc iubet Propheta. *Clamauit omnis populus instantia magna, & humiliauerunt animas suas in ieiuniis, & orationibus ipsi, & mulieres eorum. Et in-*

B *duerunt se sacerdotes ciliciis, & infantes prostrauerunt contra faciem templi Domini, & altare Domini operuerunt cilicio.* Hæc eadem videntur in simili dolore, ac periculo fecisse Iudæi *lib. 2. Machab. cap. 3. à v. 17.* & Iosaphat *lib. 2. Paralip. cap. 20. v. 13.*

Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo.] Orationis tempore vacandum esse à permisso aliàs vsu coniugij, docuit Paulus *1. Cor. 7. v. 5.* vbi sic ad coniugatos: *Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi.* Iuxta hoc Apostoli documentum docent Patres diebus sacris, & festis, quos orationi, ac pietati destinauit Ecclesia, non esse dandam operam rei vxoriæ. Augustinus *serm. 244. de tempore,* inauspi- 55.

Orationis tempore vacandum ab vsu coniugij.

C catum esse dicit in diebus festis connubialem vsum, & ex eo aut turpem, aut infirmam sobolem, aut monstra generari, quæ paternam intemperantiam & puniant, & euulgent. *Qui vxorem suam in profluuiis positam agnouerit, aut in die dominico, aut in alia qualibet solemnitate se continere noluerit, qui tunc concepti fuerint, aut leprosi, aut epileptici, aut etiam fortè dæmoniaci nascentur. Denique quicumque leprosi sunt, non de sapientibus hominibus, (qui & in aliis diebus, & festiuitatibus castitatem custodiunt) sed de rusticis maximè qui se continere non sapiunt, nasci solent.* Quia verò totum quadragesimale tempus orationi est, ac pœnitentiæ destinatum, Nicolaus primus *cap. 50.* in responsis ad quæstiones

Proles nata deformis, ac debilis ex concubitu in festiuis diebus.

D Bulgarorum, scribit ad eosdem, vt toto illo tempore à re coniugali se contineant. Obseruant Hebræorum magistri, quorum e nostris aliqui sententiæ subscribunt, in quibus est Remigius *hîc.* Abulensis *in cap. 7. Gen.* & Hieronymus ad illud Zachar. cap. 12. *Familia domus Dauid seorsum, & mulieres eorum seorsum.* quo tempore durauit aquarum diluuium, & mundi vniuersalis interitus, neque Noë, neque illius filios operam dedisse vllam generandæ soboli, quia tempus erat potius lugendi, & placandi Deum oratione, & lacrymis, quàm captandæ, licèt honestæ voluptatis. Imò addunt in arca diuersis in locis vi- 56.

Noë, & qui fuerunt in arca, abstinuerunt ab vsu coniugij.

E ros à fœminis seorsum habitasse. Quod probant, quia, vt constat ex *cap. 7. v. 7.* viri à fœminis separatæ ingressi sunt. *Ingressus est Noë & filij eius: vxor eius, & vxores filiorum eius cum eo in arcam.* Cùm verò iam pax rebus esset inducta, ad præceptum Domini viri cum fœminis simul egressi sunt ex arca Gen. cap. 8. v. 15. *Locutus est autem Deus ad Noë dicens: Egredere de arca tu, & vxor tua, filij tui, & vxores filiorum tuorum tecum.* Vterque aderat orationis, ac tribulationis articulus, cùm hæc à Ioele dicebantur, tribulatio impendebat ab hoste Babylonio, ieiunium, & preces indicebantur à Propheta; quare status ille omni ex parte luctuosus, & miser, id suo iure exigebat ab his etiam qui nuper inierant nuptiale sacrum, quibus aliquid permitti posse videbatur, vt thalamum deserant,

Viri ac fœmina seorsum in arca Noë.

Digitized by Google

deserant, & cubile, & vitam agant viduam interim cùm sedatur, aut frangitur illa tempestas. Vide quid nos in nostris commentariis ad locum nuper ex Zacharia citatum.

57. Vers.17. *Inter vestibulum & altare plorabunt sacerdotes ministri Domini.*] De altari, atque vestibulo multa diximus in nostris commentariis super Ezechielem, vbi duo constituimus altaria, alterum holocausti, alterum thymiamatis, quibus proxima erant sua quoque vestibula. Alterum in atrio sacerdotum, alterum in priori parte domus, aut sanctuarij, quæ dicitur Sancta. Ad vtrumque altare accedere poterant, & orare sacerdotes (cùm tamen ad sancta sanctorum vni sacerdoti magno, idque semel in anno pateret aditus.) Incertum est inter quod altare, atque vestibulum plorare iubeantur sacerdotes; neque aliquid est, quod in alterutram partem vehementer cogat. Sed placet, quod visum est Riberæ, altare hoc esse potiùs holocausti, quod erat in atrio sacerdotum, quàm thymiamatis, quod erat in sanctis. Tum quia nomē altaris, si nihil addas, illi potiùs conuenit; tum præcipuè, quia cùm totus ad preces, & lacrymas vocaretur populus, qui suas cùm sacerdotum precibus lacrymas, & clamores adiungerent, maximè videbatur opportunum; vt eo in loco res ageretur à sacerdotibus, vbi spectari posset à turba populari, & laica. Id verò difficile non erat, cùm ex atrio Israel, seu populari, quod erat atrio sacerdotali coniunctum, prospectus esset ad altare holocausti. Omitto alia, quæ ad vtrunque tam altare, quàm vestibulum pertinebant, quia illa eiusmodi sunt, vt breui sermone comprehendi non possint, & quia ex nostris Commentariis in Ezechielem, quæ hìc desiderari poterant, peti possunt.

58. *Parce Domine, parce populo tuo.*] Quid sibi velit hæc oratio, obscurum non est. Artificium tantùm obseruandum, quo vtuntur omnes viri pij, quódque vim habet maximam ad impetrandum aliquid à Deo. Animi ingenui, & bene amantis est, id optare, quod non tam ex vsu tuo, quàm eius, à quo petis, futurum est, aut certè futurum esse dicitur. Vnde cùm erant sancti, id sæpe dicunt in orationibus, *da gloriam nomini tuo.* & similia. Moyses petit à Deo, vt ignoscat populo, à quo grauiter fuerat offensus, illámque rationem adducit sanè grauem, & piam. Numer.cap.14.v.16. ne dicerent Ægyptij, *Non poterat introducere populum in terram, pro qua iurauerat, idcirco occidit eos in solitudine. Magnificetur ergo fortitudo Domini.* Idem ergo faciendum esse dicit his orationibus, quos ad piam, & nobilem precationem informat. In primis dicit causam hìc agi Dei, dum populum eius, & hæreditatem eius versari dicit in periculo; & exponi suspicioni, atque opprobrio hominum, qui in Deo aut fidelitatem, aut potentiam requirent, dicéntque, *Vbi est Deus eorum*; ac si dicerent, aut populus iste non habet Deum, aut sic est infirmus, vt seruare non possit. Ita Dauid Psal.78. & Psal.113. *Ne fortè dicant in Gentibus, vbi est Deus eorum?* Lege orationem Azariæ *Dan.cap.3. & Danielis cap.9.* vbi nonnihil de hoc artificio in nostris Commentariis obseruauimus.

Vtilis, & ingenuus orandi modus.

59. Vers.18. *Zelatus est Dominus super terram suam.*] Mirum est quàm parum hìc inter se consentiant Interpretes, cùm alij hæc ad sacrum Euangelij tempus, spiritualémque libertatem, atque vbertatem, alij ad profanum, & temporariam abundantiam referendam putent. Neque posteriores isti eodem modo censent, aut coniectant: nam

A alij spectari dicunt tempora Senacherib, alij Holofernis, alij Chaldæorum. Longus sim, si velim quibus alij rationibus ducantur, exponere, aut illos infirmare. Quare dicam breuiter, quid ipse sentiam; & quomodo existimem aut conciliari posse sententiam aliorum, aut expediri, quæ non parum in eo, quod reliquum est capitis, apparent impedita.

Ego hìc duo distinguo tempora, & in his totidem beneficia suis accommodata temporibus; alia sub certa cōditione, quæ nullū habuerunt effectum, quia interposita conditio defuit; alia absoluta omnino, quæ tempore à Propheta designato, ac præuiso tandem impleta sunt. Illa ab eo, *Zelatus est Dominus*, vsque ad, *& filij Sion*, conB clusa sunt; hæc ab eo loco ad finem vsque capitis producta. Priora igitur de temporaria, pòst verò alia de spirituali libertate interpretemur. 60.

Zelatus est Dominus super terram suam, & pepercit populo suo.] Conditionem proposuerat Dominus populo, si vellet ab eo periculo liberari, quod propediem impendebat à Chaldæorum exercitu. Nempe vt conuerterentur non simulatè, ac fictè, sed ex animo, ac seriò, scinderent corda, & ex eis quicquid esset scelerum excuterent; neque in vna vestimentorum laceratione sanctitatem veram sitam esse crederent, ac tandem præstarent illa omnia, de quibus proximè. Quòd si ita se compararent ad auertendam iram, Deus antiquum resuC meret animum in populum iam pœnitentia cōtritum; neque de illius commoditate ac gloria zelaretur minus, quàm sponsus de sponsæ honore; atque commoditate. Quare ignosceret populo, à quo toties fuerat iniuriis lacessitus, & vindicem manum à plaga temperaret. Hæc sententia satis videtur expedita, quæque optimè explicat quanta sit virtus veræ pœnitentiæ, quæ furorem placat diuinum, & exercitus ad cædem aspirantes debilitat, & frangit. Neque præteritum illud tempus *zelatus est*, huic cogitationi quicquā incommodat. Nam prophetico more pro futuro sumitur, & ita vertit Pagninus. Cùm autē Hebræorum tempora pauca sint, fit vt illa omnium D temporum, quæ Græci habent, seu Latini vicem obeant; quare sæpe futurum indicatiui, pro præterito imperfecto subiunctiui ponitur. Exempla sunt obuia, vnum accipe de mille, *Psal.80.v.15.* vbi etiam pro eodem subiunctiuo præteritum indicatiui ponitur, quod magis facit ad institutum. *Si populus meus audisset me Israel, si in viis meis ambulasset; pro nihilo forsan inimicos eorum humiliassem, & super tribulantes eos misissem manus meas.* Heb. futurum est tempus. Id verò quod sequitur, quódque in præterito vulgatus reddidit, recentiores omnes per subiunctiuum reddunt. Sic vulgatus, *inimici Domini mentiti sunt ei, & erit tempus eorum in secula & cibauit eos ex adipe frumenti, & de petra melE le saturauit eos.* Alij verò, vt Pagninus, & Tigurina, *Qui odio habent Dominum, essent illis seruiliter supplices, ipsorum autem æuum perpetuum esset, & cibaret eum medulla tritici, & melle de petra te saturassem.* Quod si ita conuertas, vt profectò licet sine offensione vulgatæ, sensus esset facillimus, & verus. *Zelaretur Dominus terram suam, & parceret populo suo.* Si sancta esset, & eo, quo dixi, modo instituta petitio. 61. 62.

Pœnitentiæ vis.

REGVLA. Futurum pro præterito imperfecto subiunctiui.

Vers.19. *Et respondit Dominus, & dixit populo suo: Ecce ego mittam vobis frumentum.*] Hinc non parum firmitatis accedit meæ cogitationi. Respondet etenim Deus orationi illorum, qui vrgente metu ex propheticis minis, liberari se orabant ab ho- 63.

 ste,

ste,& fame,à locusta,& brucho, quibus permissa erat à Domino Iudæorum hæreditas. His ergo iam redditur benigna, & accommodata responsio, quæ talia promittit, seu promisisset populo, qualia ipse orando exorare studebat. Quasi diceret Propheta,iuxta illa,quæ nuper dicebamus: Si seriò populus esset conuersus,& sanctè oraret,atque legitimè, responderet Dominus, diceretque populo, *Ecce ego*,&c.

64. *Ecce ego mittam vobis frumentum, & vinum.*] Dominatus fuerat Deus rebelli populo; nisi resipisceret, famem, & inopiam, de quibus primo capite, ferrum, & cladem, de quibus proximè, hæc iam absutura dicit à Iudæorum finibus, si modo ab illorum animis absit impietas. Dabit etenim è cælo opportunum imbrem, neque patietur locustam, & bruchum in illorum segetes irrumpere; amouebit hostem, efficiétque benignior ne vnquam alienæ gentes Iudæorum fortunæ insultent, & illudant.

65. Vers.20. *Et eum, qui ab Aquilone est, procul faciam à vobis, & expellam eum in terram inuiam, & desertam.*] Hæc in quacunque alia sententia non video, quam habere possint explicationem, quæ attento lectori satisfaciat,in hac verò nostra habet omni ex parte, nisi ego fallor, expeditam. Ad cuius intelligentiam prælucebit nobis Ezechiel *cap.21.* vbi deliberantem inducit Nabuchodonosor, iam egressum cum exercitu copioso de Babylone; & consulentem auspicia, & alia diuinationis genera, vt ab illis disceret, an castra illa in regionem Ammonitidem, an in Iudæorum terminos inferret. Quas sortes moderatus est Deus,ac tandem fecit,vt relicta Ammonitide terra bello peteret Hierosolymam, quod ita fecit rex ille feliciter, vt eius votis fortuna responderit, & talia Iudæis intulerit damna,qualia prædicta fuerant, & ab aliis Prophetis sæpe, & nunc à Ioële proximè. Audi nunc Ezechielem, *Et tu fili hominis pone tibi duas vias, vt veniat gladius regis Babylonis, de terra vna egredientur ambæ; & manu capiet coniecturam, in capite viæ ciuitatis coniiciet,viam pones vt veniat gladius ad Rabbath filiorum Ammon, & ad Iudam in Ierusalem munitissimam: Stetit enim rex Babylonis in biuio, in capite duarum viarum diuinationem quærens, commiscens sagittas, interrogauit idola, exta consuluit. Ad dexteram eius facta est diuinatio super Ierusalem,vt ponat arietes*,&c. De hac Nabuchodonosoris diuinatione, & quomodo Deus ad Iudæorum exitium sortes temperauerit, diximus in nostris commentariis super Ezechielem,ad hunc locum.

Nabuchodonosor sorte b.2. petiit Ierusalem.

66. Hinc iam apparet, vt opinor, vera huius loci sententia. Ait enim Dominus, si populus ab illa insania, in qua tunc erat, ad antiquam,id est, ad meliorem mentem redeat, ita temperaturum se esse sortes, quas Nabuchodonosor in biuio consuluit, vt castra ab Aquilone non in Ierusalem, de qua tunc erat deliberatio, & diuinatio consulta, sed in Rabbath, id est, in regionem Ammonitidem inferrentur. Quam appellat terram inuiam, & desertam; aut quia si cum terræ promissionis frequentia conferatur, deserta censeri potest,& inuia; aut quia si eò tunc castra admouisset Nabuchodonosor (quod fecit postea, anno ab expugnata Hierosolyma quinto, vt tradit Iosephus *lib.10. Ant. cap.11.*) desertam omnino redderet. Vide quàm fuerit postea vastata apud Ieremiam *cap.*49. & Ezechielem *cap.25.*& ibi nostros commentarios.

67. *Faciem eius contra mare orientale; & extremum eius*

A *vsque ad mare nouissimum.*] Hæc optima explicatio est superioris sententiæ. Nam regio Ammonitis, in quâ (si Iudæorum populus meliore esset animo) conuertendus esset Chaldæorum exercitus, ad mare pertinet Orientale,id est, ad mare mortuum,cuius adiacet ripis. Nam cùm quinque ciuitates vicinos mari mortuo terminos occuparent, vbi illæ cælesti consumptæ sunt incendio, in illarum vacuas possessiones venerunt Moab, & Ammon duo filij Loth ex incesto filiarum cōcubitu suscepti. Erat regionis Ammonitidis caput,& sedes regia Rabbath, de qua Nabuchodonosor oppugnanda cogitabat,quando in biuio,& exta consuluit.

B Quod hîc dicatur mare nouissimum, incertum;vocari etenim potest mare Mediterraneum, quod comparatione maris mortui,& maris Tiberiadis maximè distat à Ierusalem; aut certè mare ipsum Tiberiadis, quod longius abest,quàm mare mortuum. Quocunque intelligas modo, sensus erit neque impeditus, neque ineptus,si in *nouissimo* mare intelligas Tiberiadis, tunc sensus erit hyperbolicus,nempe eam esse futuram Chaldæorum multitudinem, quam antè in locustis expresserat;vt cùm primùm agmen attingat Ammonitas, extremum ad mare vsque Tiberiadis producatur. Sin mare hîc Mediterraneum intelligas, sensus est facilior: nam constat debellatis 68.
C à Nabuchodonosor Ammonitis, Moabitis, & Idumæis,ad extremum euersam esse Tyrum,quæ cùm insula priùs esset in mari Mediterraneo,pòst verò constrato aggere angusto freto facta est à Nabuchodonosore peninsula. Nisi mauis Ægyptum intelligere, quæ mari adiacet Mediterraneo, & post excisam Tyrum, ipsa quoque venit in Chaldæorum potestatem. Hac itaque incumberet Chaldæorum acies, & à Iudæorum terminis abstineret, nisi peccata, à quibus se vesanus ille populus continere noluit, furorem diuinum exacuerant, & contra peccatorum caput ferrum, & cædem aduocarent.

D *Et ascendet fœtor eius, & ascendet putredo eius, quia superbè egit.*] Hæc similiter per subiunctiuum expono, & sicut superiora, de exercitu Chaldæorū intelligo. Ita vt dicat Deus, si mutet populus mentem, mutaturum se, quod conditione supposita statuerat, & Regem, qui extremam cladem attulit Iudæorum Genti, postquam aliarum regionum accessione suum amplificasset imperium, moriturum tamen infeliciter, & ab inhumatis cadaueribus fœtorem tantum exhalatum iri, vt regionem totam, vbi clades edita, latè, & fœdè contaminet. Fœtor ex cadaueribus,quæ in certaminis loco insepulta, quasi in sterquilinio extabuerunt, supplicium videtur arrogantis animi, vt hoc loco non obscurè significatur. Quod 69.
E item Ezechiel dixit *cap.32.v.6.* de Ægypto. *Irrigabo terram fœtore sanguinis tui.* Isaias cap.34.v.3. *De cadaueribus eorum ascendet fœtor.* Hæc verò contigerunt aliter, quia neque mutata Iudæorum vita, neque vtiliter,atque legitimè instituta precatio.

Vers.21. *Noli timere terra, exulta, & lætare: quoniam magnificauit Dominus, vt faceret.*] Hæc referri posse videntur ad Christi tempus verè fortunatū, & aureum, in quo omnium hominum generi, atque ordini abundanter à diuina benignitate pronisum est. Quod cùm non videatur improbabile, ac durum, qua ratione intelligi possit, ac debeat, explicare tentemus. Huc igitur aduocemus oportet, quod aliis in locis à nobis necessariò 70.

riò obseruatum est, sępe ad Euangelij tempora, & Ecclesiæ œconomiā gradum fieri à Prophetis, nō solùm cùm in antiquo testamento vmbra se prodit noui, sed etiā cùm aliquid sese offert contrarij. Vide quid à nobis pluribus dictū est in illud Zachariæ cap. 13. *Framea suscitare super pastorem meum.* Cùm ergo strages imminerer ante prædicta, quæ stratura esset vrbem munitissimam, allatura famem, & alia quàm fœdissima, quæ à Chaldæorum armis pertulerunt Iudæi: ex hac tanta clade, tāmque afflicta fortuna, excitat sese Prophetæ spiritus ad certam spem temporis, fortunæque melioris, quam secum afferet Christus, cùm fugans è terra tenebras, quasi verus sol rebus humanis affulserit. Modus autem dicendi nouus, nouum aliquid, & inusitatum portendit, quódque toto cælo à superiore narratione recedat. Erat tunc in metu terra; quia armari contra se potentissimas inimicorum acies audierat, nunc iubet vt terra, non solùm Iudæa, sed quàm latè orbe toto patet, timorem abiiciat, exultet, & triumphet, qui experietur aliquando Deum ita propitium, & liberalem, vt se illustribus documentis, ac signis doceat in largiendo magnificum. Illud *magnificauit vt faceret*, seu *magnificauit facere*, quomodo habes *Psal.* 125. nihil est aliud quàm *magnificè fecit*. Est enim Hebræorum idioma, vt verba adhibeant pro aduerbiis; quare illa per aduerbia sunt explicanda. Vide quæ diximus ad illud Oseæ cap. 9. *Profundè peccauerunt*, vbi Heb. est, *Profundauerunt peccare.*

REGVLA. *Interdum verba per aduerbia explicanda.*

71. Vers. 22. *Nolite timere animalia regionis, quia germinauerunt speciosa deserti; quia lignum attulit fructum suum.*] Hìc aliquid obstrepit, & nostræ, & communi sententiæ; neque enim apparet quomodo hæc possint in Euangelij tempora conuenire. Quid enim Euangelio cum belluino genere cōmune? quæ spiritualis animarum pabuli, cum herbarum vbertate, & arborum germinatione communio? Cap. 1. dictum fuerat hominibus, & belluis calamitatē, & famem futuram esse communem. *Quid ingemuit animal, mugierunt greges armenti? Quia non est pascua eis*, &c. *Ignis comedit speciosa deserti.* Credo hoc dicendi genere significari in aureo verè Christi, atque Euāgilij tempore, futura omnia felicia, sicut aliis in locis eisdem propè verbis explicuerunt non semel Prophetæ. Isaias cap. 35. *Lætabitur deserta, & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium.* Et iterum cap. 30. v. 23. *Pascetur in possessione tua in die illa agnus spatiosè: & tauri tui, & pulli asinorum, qui operantur in terra commixtum migma comedent*, &c. Hoc verò tempus etiam agnouerunt Sibyllæ, quæ nihil defuturum dicebant, cùm Christus nasceretur de Virgine, quod tū aliis tum omnigena agrorum fœcunditate significabant. Sed hìc credo varia hominum genera, varia ingenia, ac mores exprimi. Quibus à Christo nascente variis etiam modis prouisum est. Varia namque hominum ingenia, & studium multiplex à varia item animalium natura designari nemo nescit. Hinc quidam vocantur aquilæ, alij lupi, leones, agni, tauri, & quid non? Sanè, cùm de eodem tempore loqueretur Isaias *cap.* 11. vt est multorum è Patribus sententia, in variis, sibique ipsis nullo modo consentientibus animantibus, varij hominum ordines, & mores exprimuntur. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, vitulus, & leo, & ouis, simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos.*

72. Cùm igitur nec eadem sit hominum capacitas, neque idem studium, ac voluptas, sicut neque omnium animantium idem pabulum, aut idem ingenium est, in eo tamen aureo sæculo, pro ut exigit cuiusque rationalis, honestaque voluntas, satis erit à diuina benignitate prouisum. Cùm speciosa deserti germinatura prædicantur, & fructus suos ficus, & vinea, & omne lignum pomiferum productura, quæ non sunt ad omnium siue naturam, siue stomachum.

73. Hæc mihi non videntur omnino contemnenda, quia neque ratione, neque magnorum virorum auctoritate carent. Hanc tamen partem coniungendam esse cum priore existimo, & adhuc sub oblata conditione contineri. Quasi dicat Propheta, si mores mutes, ò popule, & te ad Deum ex animo conuertas, faciet, quæ suprà dicta sunt. Quare noli timere, o terra, in quam suprà à cælo diræ intorquentur minæ, neque doleas, quòd omne à fame periturum dicitur animal, & à siti terra prorsus exiccanda. Germinabit enim desertum à quo greges habeant suæ naturæ opportunum pabulum, & arbores fructiferæ, à quibus homines suum sibi capiant alimentum.

74. Vers. 23. *Et filij Sion exultate, & lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem iustitiæ.*] Hinc iam Prophetæ spiritus ad aureum Euangelij sæculum attollitur, excitatus cōmemoratione illius felicitatis, quæ pœnitenti populo ærumnosæ vitæ loco, cuius proximè descriptio præcesserat, promittitur. Et dicit multo magis esse lætandum filiæ Sion, cùm tempus illud aduenerit, cùm à Messia magistro, & duce iustitiam doceatur, id est, quomodo se ad iustitiam præparare debeat. Hic verò notandum & aliquando non esse particulam coniunctiuam, sed interdum significare excessum. Quare sententia hæc non videtur incommoda: Exultabit populus Iudæorum, si ab intento liberatus periculo, rebus abundet ad suas, pecorúmque delicias necessariis; sed gaudebit multo magis filia Sion, cùm ille, quem expectat Messias, & Saluator aduenerit, qui in terra iustitiam, & veritatem non solùm doceat, sed etiam inducat. Huic simile est illud Psal. 124. *Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui*, id est, licèt magnum sit vrbis præsidium à montium altitudine, & ascensu arduo, maius tamen est à Dei custodia, qui ciuitatem circuit. Isaias cap. 52. *Gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus*, id est, gaudebit multo magis Deus tecum. In hunc ego sensum accipio illud Prouerb. cap. 6. *Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius*: ac si dicat, sex abominatur Dominus, sed multo magis septimum. Idem loquendi modus est *ibid. cap.* 30. sæpę, & Amos *cap.* 1. non semel. Ait ergo Propheta lætandum esse multo magis filiæ Sion, id est, Iudæorum Genti, cùm tempus aduenerit Euangelicum, quàm cùm venerit, si fortè ventura est conditionata, & promissa felicitas.

Et aliquando excessum significat.

75. Christus Doctor appellatur iustitiæ, & hìc à Ioële, & ab aliis Prophetis perquam sæpe, quia illius tum vitæ exemplum, tum disciplina, ac sermo eò spectant, vt homines veram iustitiam ac sanctitatem acquirant. Idem quod Ioel, dixit Oseas cap. 10. v. 12. *Tempus requirendi Dominum, cùm venerit, qui docebit vos iustitiam.* Idem penè Isaias *cap.* 2. *v.* 3. *& cap.* 55. *v.* 4. *Psal.* 2. *v.* 6. vbi vulgatus *doctor*, Heb. est מורה *moreh*, quod inter alia stillare significat, aut pluere, quæ vox lenitatem indicat sedatæ doctrinæ, qualis stillatio roris cadentis super gramina; sic sanè est doctrina cælestis, quæ non secus lætificat, ac fœcundat animam,

Christus iustitiæ Doctor.

Digitiz

animam, quàm cæleſtis imber arentem, atque ſitientem agrum. Sic Moyſes Deut. 32. *Fluat vt ros eloquium meum, quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtilla ſuper gramina.* Et ipſe Chriſtus imber vocatur, Iſai. cap. 45. *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum.* Accommodatè ad hanc ſignificationem ſubditur ſtatim cum alluſione non ineleganti.

76. *Et deſcendere faciet ad vos imbrem matutinum, & ſerotinum, ſicut in principio.*] Dominus qui *ſtillator* dicitur, ſeu *pluuiæ pater, & qui genuit ſtillas roris*, Iob v.28.c.38. emittet imbres in omne tẽpus opportunos. Quidam hæc etiam pertinere putant ad terrena commoda, quorum etiam abundantiam ſuppeditabit Deus, cùm populum ad patrias ſedes è Babylonia ſeruitute reuocauerit, cùm reſtituat affatim, quæ eruca, locuſta, & bruchus antè conſumpſerant, vt millies Deus per Prophetas alios pollicitus eſt. Sed eſt communior, meóque iudicio multo verior ſentẽtia, quæ hæc de ſpiritualibus bonis interpretatur, quæ alibi ſæpe in temporariis, & terrenis exprimuntur. Iſai. 55. v. 10. *Quomodo deſcendit imber, & nix de cælo, & illuc vltra non reuertitur, ſed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti, ſic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum; ſed faciet, quæcunque volui, & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud.* Neque tamen in populo improbo, quod cum Hieronymo, ac Cyrillo probant alij plurimi, hiſtorico ſenſu, hæc de temporaria felicitate ſumi, ita tamen vt hic præcipuè Eccleſiæ tempus, & ſpirituales intelligantur deliciæ, quæ neque pauciores erunt, aut minores, quàm in temporalium bonorum ſymbolo præceſſerunt.

77. Imber matutinus, & ſerotinus eſt, quem Oſeas *cap. 6.* vocauit temporaneum, & ſerotinum. Quis verò ſit imber ille, diximus ibi *num.* 24. quibus verbis ſignificatur in humanis commodis non defuturam ſedulam, & opportunam prouidentiam, quæ fruges excitet e terra, eáſdemque ad maturitatem adducat, & multo in ſpiritualibus minus eſſe requirendam. Erit enim indulgentia mollior, & ros matutinus, qui ſpiritualem infantiam excitet, & exhilaret, & grandiorem, magiſque robuſtam virtutem confirmet, & augeat.

78. *Sicut in principio.*] Si hiſtoricè hæc accipias, de ea benignitate, qua Deus ante populum ſuum complexus eſt, non eſt difficilis ſententia: ſatis enim frequenter audimus in Scriptura ſacra antiquis temporibus, non ad vſus tantùm neceſſarios, ſed etiam ad delicias Deum liberaliter omnia fuiſſe largitum. Quod non minus promiſit liberaliter in principio, id eſt, Leuit.cap.26. v. 5. *Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea cuſtodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluuiam temporibus ſuis. & terra gignet germen ſuum: & pomis arbores replebuntur. Apprehendet meſſium tritura vindemiam, & vindemia occupabit ſementem. Et comedetis panem veſtrum in ſaturitate.* Idem penè *Deuter. cap.* 28. Quod, vt tunc promiſit, ſic etiam præſtitit Deus fideli manu, vt hic locus apertè docet, & Ieremias Thren. cap. 5. *Innoua dies noſtros ſicut à principio.*

79. Si ad ſpiritualem ſenſum referas, cui ſupponi ſemper, Hieronymo teſte, debet hiſtoricus, non eſt explicatio difficilis. Quàm molliter Iſraeliticum populum in ſuis parentibus cõplexus fuerit Deus, nemo ignorat, quoties Abraham, Iſaac, & Iacob familiariter fuerit allocutus; quàm mul-

A ta, quàm grandia pollicitus, quàm ſæpe ac diu per Moyſem copioſum illum populum diuinis præceptis informauerit, vt denique tanquam filium, ac diſcipulum acceperit, non eſt neceſſe explicare pluribus, cùm eiuſmodi præceptis, ac promiſſis pleni ſint quinque libri legis, plena Scriptura tota, quæ ideò, aut Dei commendat benignitatem, aut populo exprobrat ingratam obliuionem. Promittit ergo Deus populo iam tamen ad meliora conuerſo tam temporaria, quàm ſpiritualia bona; qualia in principio dedit, cùm populus ſe magis obſequentem præbuit.

Verſ. 25. *Et reddam vobis annos, quos comedit locuſta, bruchus, & rubigo; & eruca fortitudo mea magna, quam miſi in vos.*] Hæc, meo iudicio, ſatis probant, 80.
B quæ ſuprà Deus minatus eſt mala, ſpectare Chaldæorum tempora, quæ variis appulſibus rem funditus Iudaicam populati ſunt. Nunc igitur, ſi hiſtoriam intueare, reſtituit Dominus, quod multiplex illa agrorum peſtis abſumpſit. Dilatauit Iudæorum fines, cæleſtibus irrigauit, ac fœcundauit imbribus, & multo fecit feliciores, quàm fuerunt antè. Vide, quæ diximus in noſtris commentariis ſuper Zachariam *cap.* 9. *num.* 23. Quare verè reſtituit Deus, quod per bruchum, & locuſtam abſtulerat; quando ſpoliatum, afflictum, & ſordidum populum ad priſtinam nobilitatem & ſtatum reduxit.

C Si tempus reſpicias Euangelicum, ſpiritualiaque damna, quæ populus ille Iudaicus, mundus totus ab his ſiue vitiis, ſiue hoſtibus ſpiritualibus, quæ in illis ſignificantur beſtiolis, paſſus eſt (de quibus multa ſuprà *cap.* 1. ad illud, *Reſiduum erucæ comedit locuſta.* vbi ex Hieronymo, ac Gregorio aliqua pro moribus adduximus, quæ hic iterare neceſſarium non eſt.) Hæc reſtituit Dominus, dum reformauit illa, quæ mala conſuetudo corruperat, quæ vitia detriuerant, quæ caro in omnem intemperantiam fluxa, & procliuis inuexerat. Ex hoc loco Doctores ſcholaſtici aliquod capiunt firmamentum, vt probent merita, quæ adueniens mortificauit peccatum,
D ad vitam à qua videbantur excidiſſe reditura. Ita putat Albertus, & gloſſa interlinearis hic. Quæ ſanè ſententia communis eſt, & vera, ex hoc tamen loco non puto graue poſſe argumentum ſumi, neque enim illa eadem, quæ noxiæ illæ peſtes abſtulerant, reſtituta ſunt. Sed aliquid illorum loco æquale, aut etiam magis excellens, aut nobile ſuppoſitum, quod ſuperiorem iacturam aut ſuppleuit, aut etiam longè ſuperauit. 81.

Hæc verò, quæ tenuia ſunt, & infirma, & planè vilia, Deus tamen ſuam appellat fortitudinem; quia per illa præſtat, quæ magna rerum molimina præſtare non poſſent, aut bellicæ machinæ ſubuertere. In manu etenim Dei nihil eſt imbecillum, nihil languidum, culices, & cy-
E niphes turbauerunt, & fregerunt Ægyptios, crabrones Chananæos ex ſuis finibus expulerunt, *Ioſue cap.* 24. *v.* 12. Quare fortitudinem ſuam vocat vermiculos quoſdam, quia diuinæ virtutis, & omnipotẽtiæ inſtrumenta ſunt, quibus obſiſtere non poteſt humana potentia: quod item de ſpuma gracili, de tenui puluiſculo, de leuiſſima ſtipula dici poſſet, quæ in diuina manu vim quandam obtinent, quaſi omnipotẽtem. Quare, qui ſapit quocunque loco, ac tempore, & ante quamcunque creaturam timere debet; quia quantumcunque vilis ſit, & fragilis, Dei tamen fortitudo eſt, id eſt, diuinæ fortitudinis inſtrumentum. 82.

Res natura infirmæ, & leues magnarum rerum inſtrumenta ſunt in Dei manu.

Digitized by Google

mentum. Scio hæc allegoricè de Chaldæorum exercitu esse capienda, quem Deus virgam appellat furoris sui, per quē Deus pœnas sūpsit graues ab obstinato, & infideli populo. Nihilominus quæ de eruca, ac brucho in sua proprietate diximus, illa quàm verissima sunt; quod enim Deus per innumeram Chaldæorum, & bellatricem multitudinem præstitit, præstitisset quoque æquè facile per locustas, per stipulas, per stupam, per insecabilia denique, & monogrammata corpora. Vide quæ in hunc locum dicit Cyrillus, & Hieronymus.

83. Vers. 26. *Et comedetis vescentes, & saturabimini, & laudabitis nomen Domini Dei vestri.*] Hæc respiciunt illud Ps. 22. *Edēt pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirūt eum.* Erat autē vsitatum apud Hebræos, saltem erat præceptum, vt peracta mensa pro recenti illo beneficio gratias agerent Deo. Sic Deut. cap. 8. v. 10. *Cum comederis, & satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo.* Quam consuetudinem ad tempus vsque Christi fuisse productam, docet illud *Matth. cap.* 26. de extrema Christi cœna, *Et hymno dicto.* Erat autem hymnus ille *ἀντίδωρος*, id est, in gratiarum actionem. Quòd verò hymnus ille canendo, non consueto loquendi modo recitatus fuerit, satis docet apertè vox Græca *ὑμνήσαντες ἐξῆλθον*, id est, cùm cecinissent exierunt. Ex quo loquendi genere planè liquet non Christum solum, sed cum eo simul Apostolos cecinisse. Quod qui negant, non videntur consuluisse codices Græcos, qui ea de re scientem Græcè dubitare non sinunt. Illud etiam hîc obseruo, quod millies à me alibi dictum est, *nomen Dei*, idem esse, quod *Deum*: nam cùm Dauid *Psal.* 22. dixisset, *laudabunt Dominum*, cùm eòdem respexisset Ioel, dixit, non *Dominum*, sed *nomen Domini*, quod est prorsus idem.

Vsitata gratiarum actio post cibos.

Nomen Dei, idem quod Deus.

84. Si hæc de spirituali cibo intelligamus, laudabunt viri sancti Deum, quòd tam fuerit in spiritualibus donis, verisque animarum alimentis largiendis munificus. Sed maximè quòd cibum illum cælestem tradiderit, quod germinat virgines, & alit robustos, atque ingenuos spiritus, cuius in Testamento veteri illustres præcesserunt vmbræ; quæ tamen cum suo corpore comparatæ, vmbræ tantùm sunt, & mortuæ quædam rerum imagines.

85. *Et non confundetur populus meus in sempiternum.*] Hæc videri poterant minus esse consentanea tēporali Iudæorum reipublicæ, qualis fuit post reditum ab exilio. Quia non fuit vsqueadeò perpetua libertas, atque felicitas, vt non aliquando iterum vexata fuerit, atque confusa, vt Machabæorum tempore sub Antiocho; & iterum multo duriùs, ac longiùs sub Romanorum dominatu. Verùm iam à nobis sæpius dictum est, & nunc proximè *v.* 2. ad illud, *Vsque annos generationis, & generationis, æternum, sempiternum,* & similia non significare semper id quod, aut principio caruit, aut habiturum non est finem, sed quod aut iam pridem accidit, aut quod diuturnum futurum est. Confusio verò cùm omne infortunium, ac vexationem significet, tunc maximè, cùm honor, & existimatio patitur, cùm vitæ conditio sordida est; cùm vita, & mores aliorum exagitata ludibriis; cùm denique homines id subire coguntur, quod non decet ingenuos.

86. Vers. 27. *Et scietis, quia in medio Israel ego sum, & ego Dominus Deus vester, & non est amplius.*] Cùm tanta successerit rerum conuersio, tantus splen-

A dor ex tanta obscuritate, tanta ex rerum infelicitate felicitas, cognoscet populus rediisse iam Deum ad antiquum animum, & habere iam in sinu eos, quos à suo complexu, vno & familia repulisse videbatur. Neque enim tam esset grandis, diuturnaque felicitas, nisi Deus in medio populi tanquam princeps, & moderator constitisset. Ex quo etiam cognoscerent idola, quæ priùs coluerunt, vana esse figmenta: neque ab illis aliquid sperari posse amplius, quàm à ligno, & lapide; aut ab aliqua alia inanimata natura, in qua nihil est mentis, aut sensus: & præter Deum verum nihil in rebus esse diuinum.

De Ecclesiæ tempore multo hæc sunt illustri- 87.
B ora; sunt enim dona spiritualia, qualia ab vno tantùm Deo conceduntur hominibus, & quæ diuinæ potestatis, atque naturæ documenta sunt: qualis est peccatorum dimissio, gratiæ largitio, & quæ gratiam comitantur virtutes, & dona. Et illud donorum omnium maximum, quod Christum nobiscum præsentem esse facit, quod perpetuum donum est, de quo Christus ipse apud Matthæum in extremis totius Euangelij verbis, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi.*

Vers. 28. *Et erit post hæc, effundam spiritum meum* 88.
super omnem carnem.] Hinc Hebræi tertium caput incipiunt, vt docet Lyra, & ita capita destinguit
C Pagninus. Neque leuis videbatur ratio, cur ita capita dispungi debuerint; quia magna hinc sequitur rerum, aut argumenti mutatio. De significatione ac tempore huius prophetiæ multi multa dicunt. Ego quid alij contrà meditentur, aut censeant, non laboro, cùm optimum habeam doctorem, & interpretem Petrum, qui & tempus huius prophetæ ostendit, & materiam Actor. *cap.* 2. vbi de Spiritu sancto, qui in die Pentecostes missus est, quod reliquum est totius capitis interpretatur. Hactenus ostendit Propheta quid Christus Ecclesiæ bona contulerit cùm vixit nobiscum, vt doctor fuerit iustitiæ, vt damna priùs ab hostibus accepta noua quadam ratione resti-
D tuerit, quo sensu proximè à nobis explicatum est. Nunc iam addit quid sub illud tempus, quando Spiritum sanctum misit in terram, Ecclesiæ vndecunque Gentium congregatæ præstiterit. Hæc nos tractauimus non indiligenter in nostris cōmentariis super Acta Apost. vbi cùm nullum verbum omiserimus quod hîc habeamus à Ioele, neque aliquid addi oportere videatur, inde huc transcribemus, quæ non huc minus, quàm illuc faciunt. Tantùm dico paulo aliter haberi hoc loco, quàm in actis, quia Petrus LXX. translationem secutus est, à cuius etiam verbis nonnihil deflexit, etiamsi tam Septuaginta, quàm Hebraici, atque vulgati textus sententiam tenue-
E rit. Sic ergo nos ibi,

Et erit post hæc, effundam spiritū meum super omnem 89.
carnem. Petrus in actis, *& erit in nouissimis diebus, effundam de spiritu meo.* Verba Ioelis de Spiritus sancti descensu esse intelligenda impium est dubitare, cùm ita Petrus exponat, cui datus est Scripturæ sensus. Qui verò sint nouissimi dies, non omnes eodem modo statuunt. Quidam *nouissimum diem, vel tempus aut finem seculorum,* de tempore Euangelij intelligunt. Ita Hieronymus *Isai.* 2. & in illud Malachiæ 4. *Et erit in nouissimo dierum,* Lyranus *ibidem.* Sed licèt quæ hîc dicuntur, in tempus Euangelij inciderint, absolutè tamen in Scriptura *nouissimum tempus* non dicitur euangelicum; nam multa nouissimis temporibus facta

esse

esse traduntur, quæ longè Euangelij tempus antecesserũt: Gen.49. *Vocauit Iacob filios suos, & dixit eis: Congregamini, vt annunciem, quæ ventura sunt vobis in diebus nouissimis.* Sed illorum pleraque, ac penè omnia expleta esse ante Euãgelium notum est: & Dan.2. *Est Deus in cælo reuelans mysteria, qui reuelauit tibi, quæ ventura sunt in nouissimis temporibus.* Horum autem pleraque ante Christi aduentum contigerunt, vt quæ ibi de Persarum, Medorum, & Græcorum imperiis prædicuntur. Et huius generis sunt plura alia exempla.

90. Alij de tempore eo accipiunt, in quo Christus nobiscum egit in terris, quod minus est probabile; quia præter ea, quæ facta esse dicuntur ante Christi aduentum, multa dicuntur futura in nouissimis temporibus, quæ post Christi ascensionem, aut facta iam sunt, aut aliquando fient. 1. Tim. 4. *In nouissimis temporibus discedent quidam à fide.* & 2. Tim. 3. *In nouissimis diebus instabunt tempora periculosa.* & hoc ipso loco iudicij dies, vt quidam putant, nouissimus dicitur.

91. Mihi valde placet, quod noster Ribera ex parte docet in illud Michææ 4. *Et erit in nouissimo dierum*, vbi, *nouissimum* dicit non significare certum aliquod tempus, puta tempus Messiæ, aut finem sæculorum, sed esse explicandum accommodatè ad ea quæ antecesserunt, quocunque illa tempore contingant. Plerunque verò non tam comparantur cum temporibus, quæ consequuntur, superlatiuè, ita vt dicantur illorum temporum extrema; quàm cum præcedentibus, ita vt sit sensus, post hæc aut illa tempora: quod probat vox Hebraica אחרים *acharim*, quam modò noster interpres *postea*, modò *nouissimè* conuertit. *Dan.* 2. quæ priùs nouissimis temporibus, illa eadem *postea* eodem penè verborum textu, futura dicuntur: & *Gen.* 33. vbi vulgatus habet, *posuit vtramque ancillam, & liberos earum in principio; Liam verò, & filios eius in secundo loco: Ioseph autem, & Rachel nouissimos.* Hebraicè est, *Liam, & filios*, אחרנים id est, *post ipsos*; & Rachel אחרנים *post illos*: neque enim ibi Lia poterat esse nouissima, cùm post illam sequeretur Rachel. Possemus plura huc exempla congerere; sed instar omnium est locus iste, quem nunc versamus. Nam quod hic Petrus dicit ex Ioel, *in nouissimis diebus*, vulgatus habet in ipso Propheta, *post hæc.*

92. Ex his constat quid sibi velit Ioel, quem nunc Petrus exponit. Prædixerat *cap.*1. duabus tribubus Chaldæorum aduentum funestam cladem, sterilitatem, & famem; in secundo verò capite, vnde sumptum est hoc testimonium, impetum hostilem contra duas illas tribus describit, eásque ad peccatorum pœnitẽtiam hortatur; postquam Dei benignitatem promittit, bonorúmque spiritualium per Christum vbertatem. *Post hæc*, inquit vulgatus; Petrus verò, *in nouissimis diebus*, id est, postquam Christus datus à Patre iustitiæ Doctor, & Deus in medio, Israel fuerit; *post hæc*, id est, postquam esse desierit corporaliter, *effundam spiritum meum*, &c.

93. *Effundo abundantiã significat.* Vers.28. *Effundam spiritum meum*, Petrus Act. 2. *de spiritu meo.* Verbum *effundo* vbertatem significat: quæ enim effunduntur, non parcè dantur, aut stillatim, sed abundanter, & copiosè. Metaphora ab aquis sumitur, quibus irrorari leuiter contingit homines, & baptizari, id est, allui largè; & hoc posterius valet *effundo*. Eadem metaphora vsus est Christus suprà; *vos autem baptizabimini Spiritu sancto*, id est, replebimini. Et Ioannes

A Matth. 3. *Ipse vos baptizabit Spiritu sancto.* vbi Chrysostomus, *sicut ego modo copiose effundo aquam super vos, ita ipse copiosè Spiritum sanctum effundet.* Theophyl. *Mutabit vos largiter Spiritus sancti gratia.* Rufinus hunc locum audaciùs dicit accommodatum à Petro ad Christi tempora, cùm agat Propheta de Ezechiæ temporibus; sed fallitur omnino.

Super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ.] *Omnis caro*, vocantur omnis conditionis, ætatis, & sexus homines, cuiuscunque illi nationis sint. Quo sensu dicitur Isaias 40. *Omnis caro fœnum*, & Psal. 144. *Benedicat omnis caro nomen sanctum eius.* Prophetare autem non solùm est futura prædicere, vt vox ipsa sonat, sed etiam laudare Deum, & Scripturas interpretari, vt docet S. Thomas in illud 1. Cor. 11. *Omnis vir orans, aut prophetans*; quia etiam Scriptura *Prophetia* dicitur. 2. Petri cap. 1. *Habemus firmiorem propheticum sermonẽ.* Vnde *prophetare* est in Scriptura idẽ quod in Prophetis legendis, seu interpretandis versari. Et quia diuinæ laudes ex sacra Scriptura plerunque sumuntur, laudare Deum prophetare est. Et in hunc sensum omnes cõmuniter accipiunt illud 1. Paral.25. *Igitur Dauid, & magistratus exercitus segregauerunt in ministerium filios Asaph, & Heman, & Idithum, qui prophetarent in citharis, & psalteriis, & cymbalis*, id est, canerent: licèt Hebræi aliter accipiant. Siue ergo propter hoc, siue quia hæc omnia præstare solebant Prophetæ, *prophetare* ex Scripturæ vsu est ad Prophetarum similitudinem aut loqui, aut viuere. Quod ex eo magis liquet, quia cùm Prophetæ miracula ederent, iam etiam ipsa miraculorum patratio *Prophetia* vocatur, id est, opus Prophetæ. Eccles. *cap.*48. de Elisæo, *Et mortuum prophetauit corpus eius.* quia, vt constat 4. *Reg. cap.* 13. mortuus ipse suscitauit hominem, quem occisum latrunculi in ipsius sepulcrum intulerant. Et in eundem sensum puto accipiendum, quod statim *cap.* 49. de Ioseph dicitur; *& ossa ipsius visitata sunt, & post mortem prophetauerunt.* Hæc autem omnia prophetandi genera Apostolicis temporibus contigerunt: nam & futura prædixit Agabus, & Paulus; Scripturam interpretatur hoc loco Petrus; visiones vidit Ioannes in Apocalypsi; Petrus *Act.* 10. Paulus *Act.* 9. & 16. Porrò somnia, & visiones ad prophetiam pertinent, vt docet S. Thomas 2. 2. *q.* 174. *artic.* 3. 94. *Quot modis sumatur prophetia.*

Quando hic Propheta somniorum, & visionum meminit, oportet breuiter dicamus quid sit inter vtraque discriminis. Et primum, quod ad hunc locum spectat, nihil interesse arbitror inter visionem, & somnium; sensum enim esse puto, tempore à Propheta designato, iuuenes, & senes futuros esse Prophetas, vbi duæ prophetiæ formæ, pro ipsa prophetia sumuntur. Quare, meo iudicio, non est cur hoc loco quæramus, quare visio iuuenibus, & senibus somnia tribuantur. Visiones dicuntur propriè illæ prophetiæ, quæ mentes mouent, & illustrant imaginibus plerunque menti tantùm obiectis, quales oblatæ sunt Isaiæ, Ieremiæ, Ezechieli, Danieli, & Zachariæ, & Ioanni Euangelistæ in tota Apocalypsi; interdum oculis, quales fuerunt illæ literæ, quas in aduerso pariete vidit Daniel *cap.* 5. ex quibus cognouit imminere iam interitum Balthasari regi, & imperium Babylonicum transferendum ad Persas. Quia verò quæ videmus oculis illustriora solent esse, atque certiora, fit vt illa etiam prophetia vocetur *visio*, in qua Prophetæ nullæ 95. *Somnium & visio quid.*

nullæ oblatæ sunt rerũ imagines. Quare prophetiæ Isaiæ, & Abdiæ *visiones* dicuntur, & Prophetæ olim *videntes* appellabantur. Somnia dicuntur quando dormientibus futurarum rerum euentus ostenduntur: siue hoc per imagines fiat, vt contingit Petro *Act.* 10. & Pharaoni *Genes.* 41. & Nabuchodonosor *Dan. cap.* 2. siue per internam locutionem, & illustrationem. Et hoc modo Adã in somnio existimo cognouisse matrimonij leges: sic ter Iosephus Mariæ sponsus in somniis admonitus est, semel vt Mariam sponsam domum traduceret, iterum vt Mariam cum filio in Ægyptum transportaret: tertiò cùm Herode defuncto iussus est redire in terram Israel.

Non omnes qui somniis docentur, prophetæ sunt.

96. Hìc obiter obseruandum, etiam si aliquis semel aut iterum in somniis, vel interno sermone, vel obiecta specie sit illustratus, non statim habendum esse in Prophetis: vt contigit Pharaoni, & Nabuchodonosori; Laban *Genes.* 31. & Abimelech *Genes.* 20. Nam illi non intellexerunt, quid portenderent species oblatæ (quod esse necessarium in Propheta docet Hieronymus *in caput primum Isaiæ*, & cum ipso alij plures:) intellexerunt autem Ioseph, & Daniel prophetica illustratione docti. Hi verò etiamsi intellexerint, de suis tamen rationibus admonebantur, non de communibus; quod datum est Prophetis, per quos tanquam per instrumenta Deus populis aut prædicebat futura, aut de præteritis, quæ non nisi diuina reuelatione cognosci poterant, informabat.

97. Vers. 29. *Sed & super seruos meos & ancillas in diebus illis effundam spiritũ meum.*] Iterum repetit eadem, vel sacræ Scripturæ more, quæ iteratione eiusdem sententiæ firmitatem, certitudinémque significat, vt in Canticis docuimus *cap.* 6. ad illud, *capilli tui sicut grex:* vel certè quia priùs de Hebræis loquebatur, nunc verò hanc Dei liberalitatem, ad Gentes quoque pertinere docet, quæ Spiritum quoque sanctum acceperunt Act. 10. *Adhuc loquente Petro verba hæc cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum: & stupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus sancti effusa est: audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum.* & *Act.* 15. idem Petrus de Gentibus dicit.

Regula. Apostoli ex Testamento veteri non tam verba referunt quàm sententiam.

98. In Hebræo nõ est *seruos meos*, sed tantùm *seruos, & ancillas.* Ex quo quidam existimant ab hoc prophetãdi munere excludi neminẽ, etiam alienum à religione, & seruili conditione natum: veruntamen de illis, qui se ad Christum adiunxerunt, sermonem esse certum est. Cui rei satis affert probationis authoritas Petri, cui Christus Scripturæ sensum aperuit: qui vel ita accepit textum Hebraicum, vt ipse allegauit, vel cùm dubius esset sensus, sic est interpretatus. Est autem vsitatum Apostolis, & Euangelistis, vt à Testamento veteri non tam verba referant, quàm sensum, vt tradit Hieronymus tum alibi sæpe, tum maximè in fine *lib.* 1. *Comment. ep. ad Galatas, & lib. de optimo gen. interpretandi*, vbi multis hoc exemplis confirmat. Vide Salmeron *Proleg.* 9. *quinquages.* 1. *can.* 17. Et statim cùm neque in textu Hebraico, neque Græco sit, *& prophetabunt*, addidit illud Petrus explicationis gratia. *Prophetare* autem, vt nuper diximus, ea formæ significat omnia, quæ Apostoli afflati plenius Spiritu sancto præstiterunt.

99. Vers. 30. & 31. *Et dabo prodigia in cælo, & in terra sanguinẽ ignẽ, & vaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinẽ.*] Hic multa obscura sũt, & in Propheta Ioël, & in Petro. Primũ, quomodo hæc cum antecedentibus congruant: secundum ad quódnam tempus referenda; deinde quomodo impleta sint. Sunt, qui dicant, teste Hieronymo, hoc loco Apostolos non propriè vsos esse Scripturæ testimoniis, sed quæ de aliis temporibus dicta sunt, accommodatè ad suum institutum ad alia tempora retulisse. Quod sanè hîc dici non debet: nam licèt per accommodationem explicari soleant Scripturæ loca, hîc tamen eo modo explicari non possunt, quia Iudæos explicatio per accommodationem non conuinceret, quæ magis declarandæ rei gratia assumitur, quàm probandæ.

Chrysostomus, & OEcumenius *super Acta* hæc 100.
de excidio Hierosolymitano intelligunt, in quo ex his signis multa contigerunt, vt prodit Iosephus *lib.* 7. *cap.* 12. *de bello.* Sed sanè aliquid maius sonant verba Prophetæ. Quare communiter alij de extremo Iudicij tempore accipiunt. Orig. *tract.* 30. *in Matth.* Beda *in Marcum cap.* 13. S. Thomas *in Mat. cap.* 24. Theodoretus, & Rupertus *hic* Caiet. *super Acta* neque id negat Chrysostomus, & OEcumenius; & videtur hoc satis esse probabile. Sed cur hæc adducantur à Petro, cùm ad depellendum crimen ebrietatis nihil pertineant, difficile explicatu est. Posset nonnemo 101.
suspicari, ideo à Petro fuisse subiecta, quæ à Ioële de extremo iudicio dicta sunt, vt compleret in ipso prædicationis exordio mandatum illud, quod à Magistro se accepisse tradit Act. 10. *Præcepit*, inquit, *nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo iudex viuorum, & mortuorum.* Atque ideo oblatam sibi occasionem abire passus non est. Neque existimauit, quæ coniuncta sunt apud Ioëlem à Spiritu sancto eodem agente Spiritu separari fas esse (maximè cùm paulo antè ipso Ascensionis die, idem penè fecerit magister, qui è medio ad cælum cursu per Angelos monuit eadem maiestate venturum se ad iudicandum, qua in cælum tunc moliebatur ascensum.

Præceptum datum Apostolis de prædicando iudicio.

Hæc, vt dixi, plurimum habent probabilitatis: 102.
sed mihi verisimilius est, & quæ à Ioële antè, & à Petro nunc, hæc omnia non tam ad finem sæculorum, quàm ad Christi tempora, & ad ea, quæ in nascentis Ecclesiæ primordiis contigerunt, esse relata. Reliqua verò quæ Propheta deinde subiicit, quæ à Petro repetita non sunt, ad quæ tempora pertineant, suis deinde locis explicabimus. Hæc est sententia Hieronymi *super cap.* 2. *Ioëlis*, & Bedæ, & Gagnæi *super Acta*, quod vt mihi persuadeam, facit inprimis Petri testimonium, quod & obiectam ebrietatis culpam diluit, & Christi, de quo penè totus sermo est, sanctitatem, & dignitatem ostendit. Et ideo post recitatum Ioëlis testimonium de Christo disputat, illique postrema verba, quæ omnium maximè iudicij tempus indicare existimabantur, accommodat. Nam cùm de illorum temporum signis ageret, & prodigiis, illis à Patre approbatum, & ostensum indicat. *Iesum*, inquit, *Nazarenum, virum approbatum* (Græcè ἀποδεδειγμένον, id, quod etiam *demonstratum* valet) *à Deo in vobis virtutibus, prodigiis, & signis.*

Hæc de tempore Euangelij.

Porrò illud, *audite verba hæc*, quod *Actor. cap.* 2. 103.
Petrus subiecit, magnam coniunctionem esse ostendit inter illa, quæ à Ioële dicta commemorat Petrus, & quæ deinde subiicit de Christo: ideo enim excitat Iudæorum memoriam ad eorum recordationem, vt ex eis Iesum Messiam esse cognoscant. Cæterùm signa omnia à Ioële prædicta,

prædicta, & Christi, & primis Euangelij temporibus accidisse satis constat. Data sunt enim de cælo signa, missus est ignis de cælo, eo ipso, quo Petrus hæc loquebatur die, qui si verus ignis fuit, vaporem quoque fumi extitisse verisimile est, etiamsi à Luca non exprimatur, quia illum emittunt, quæ ab igne tacta sunt, præsertim cælesti. Sol item obscuratus est, & consequenter Luna, quæ tunc erat toto orbe illustris, quia hæc à luce fulget Solis, & ille iam defecerat. Data item sunt signa in terra deorsum: nam & discissa sunt saxa, & aperta sepulcra. Illud de sanguine difficilius: sed referri potest ad sanguinem, quem omnes penè Christi discipuli, & fideles alij, pro Christo fuderunt; quod graue testimonium fuit eius diuinitatis. Vel quod est verisimilius, ad sanguinem, quem Romanus Imperator à Iudæis tanto ardore expetiuit, dum effusum ab ipsis Christi sanguinem vlciscitur. Nisi mauis accipere figuratè de gladio, & igne, quæ vt in terram mitteret, Dominus, se dicit, in terram venisse, *Matth.* 10. *& Lucæ* 12. quæ duo eodem loco, & tempore dicta fuisse satis liquet, si vtrunque Euangelistam conferas. Et fortasse ad hunc locum Ioëlis respexit Christus, qui sanguinem, & ignem coniunxit.

104. REGVLA. *Res non semper eo narrantur ordine, quo gesta sunt.* Duo verò sunt, quæ huic expositioni non parum incommodant; alterum est, quia hæc signa, atque prodigia, non eo ordine in Christi passione contigerunt, quo referuntur à Propheta. Nam quæ priori loco numerantur, impleta sunt post aduentum Spiritus sancti, quæ posteriori in Christi passione, quæ longè antecessit; quare de aliis signis, atque temporibus videtur locutus Propheta. Difficultatem hanc facile soluit Scripturæ consuetudo, quæ, vt notauit Hieronymus in illud Amos 2. *Ego sum qui ascendere vos feci de terra Ægypti*, ordinem temporum vbique seruare non solet. Constat prius egressos esse Israelitas, quàm exterminatos Amorrhæos, sed in Amos suprà prius narratur Amorrhæorum clades, quàm Israelitarum exitus. & *Psal.* 77. *&* 104. quæ priùs facta sunt, posteriori narrantur loco. & Paulus *ad Hebræos* 11. non eo ordine numerat viros illustres fide, quo ipsi vixerunt: nam Gedeonem ponit ante Barac, Samsonem ante Iephthe, Dauid ante Samuëlem. Sic hoc loco prius narratur Spiritus sancti descensus, & eius signa, quàm Christi Passio, & quæ illam comitata sunt, & consecuta prodigia.

105. Alterum est, quia non apparet quis esse possit magnus ille dies, & horribilis, vt dicit Ioel, siue manifestus, vt dicit Petrus, quem signa præcedent. Et primùm verisimile est, & ostendit ipse narrationis textus, non hic agi de signis omnibus, sed de obscuritate Solis & Lunæ; hæc verò antecesserunt Christi mortem, & resurrectionem. Vter autem horum dicendus sit magnus, atque horribilis dies, inuestigandum est: vtrunque diem esse magnum negat nemo; terribilem fuisse diem mortis, vel propter ipsa prodigia ipsi etiam hostes confessi sunt: nam *Matth.* 27. Centurio, & qui cum ipso erant custodientes Iesum, viso terræ motu, & his, quæ fiebant, timuerunt valde. Hunc diem, id est, huius diei articulum, in quo Christus est mortuus, præcessit Solis, & Lunæ defectio; quo tempore fulgebant maximè. Nam Luna tunc, si vnquam erat illustris, quia obiecta ex aduerso Soli tantùm impleret orbem suum, Sol verò, quia hora sexta, lucebat maximè. Obscuratus est Sol in nostro, Luna in opposito hemisphærio. Sol supra Christi caput, infra pedes Luna: quia non in Iudæa solum, sed in toto orbe tenebræ factæ sunt. Luna verò conuersa dicitur in sanguinem, ea figura familiari apud Hebræos, quæ rebus accommodat interdum nomen, non secundùm quod habent, sed quod vulgi opinione habere existimantur, vt diximus in illud Cant. 7. *Nasus tuus*. Dicitur verò sanguis, quod sanguinis habet similitudinem: qua ratione vinum vocatur *sanguis vuæ*, Deut. 32. & Eccli. 50. & *succum mori*, 1. Machab. 6. Sic etiam quia Luna, quæ toto splendebat orbe, repente facta lurida, quia rubebat obscurè, irradiata nempe à sole obscurè, & luridè rubente, in sanguinem conuersa dicitur.

106. *Dies resurrectionis quomodo terribilis.* Si dicamus hic sermonem esse de læto Resurrectionis die, non multum obstat, quòd à Propheta dicatur esse horribilis: nam quæ prodigiosa sunt, & inopinata, etiamsi non infesta, horrorem nonnunquam afferunt. Vnde *horror* pro admiratione, & *horrendum* pro admirabili sumitur. quo sensu apud Poëtas frequens est *horrendum dictu*. Sumitur etiam pro veneratione, ac religione, vt docuit Seruius in illud Virg. 1.

Horrentique atro nemus imminet vmbra.

Et Lucanus.

Arboribus suus horror inest.

Et in Scriptura *horribile* pro admirabili, & prodigioso ponitur. 2. *Reg.* 7. Deus dicitur fecisse populo suo magnalia, & horribilia. *Timor* admirationem, & reuerentiam sæpe valet. *Lucæ* 7. suscitato filio viduæ dicitur, *timor omnes accepit*: & *Lucæ* 1. nato Ioanne, *factus est timor super omnes vicinos*. & 3. *Reg.* 3. perspecta sapientia Salomonis populus dicitur timuisse, & clariùs *Mat.* 9. vbi sanato paralytico *videntes turba timuerunt*, Græcè est ἐθαύμασαν, id est, *admirati sunt*. Et de hoc loco mihi dubium non est; nam vbi vulgatus reddidit, *terribilis*, Petrus posuit, *manifestus*, secutus Septuaginta, apud quos est ἐπιφανὴς, id est, *illustris*. Illo verò resurrectionis die quis vnquam alius ortus est clarior, & illustrior? videntur autem LXX. in suis codicibus habuisse non ירא *iara*, quod *timere*, sed ראה *raah*, quod *videre* significat; inter quæ magna est literarum similitudo. Siue ergo de Passione accipias, siue de Resurrectione, nihil video siue à litera distortum, siue à reipsa alienum.

107. Quòd si mauis de Iudicio extremo hæc intelligere, quod probabile diximus, & multorum sententia confirmatum est, ideo à Ioële existimo de iudicio sermonem inductum, quia cùm de Christo priùs agere cœpisset, addere voluit id quod extremum est, & quod vnum reliquum erat operum Christi: nam illi iudicium hominum in fine sæculorum datum est. Quod etiam videntur voluisse Angeli in Ascensione, qui Apostolos de sui magistri discessu sollicitos, & quid de illo in posterū futurum esset cogitantes, monent, illud vnum superesse negocij, vt eadem maiestate ad iudicandum redeat, qua tunc ipsis spectantibus in cælum sublatus est. Et Christus ipse iam Passioni proximus, de suo egit ad iudicandum aduentu, huc fortè respiciens.

108. Vers. 32. *Et erit omnis, qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit.*] Huc vsque Petrus deduxit Prophetæ vaticinium, vt commodè de Christo, cuius nomen inuocandum dicit, sermonem inferret. In quo sanè apparet diuinum quoddam artificium, & altius quam ab homine piscatore, & rudi expectari poterat. Erat tunc Iudæorum plerique

Digitized by Google

risque inuisum Christi nomen, quod omni artificio, atque studio si minus extinguere, at certè obscurare tentauerant, reddereque inuidiosum. Ideo ad hunc vsque locum nihil de Christo, donec ad illum, & rei admirandæ nouitas, & Prophetæ oraculum facilem, & sine offensione aditum expediret, vt bene notauit hic Chrysostomus. Iam verò opportunius de Christo loquitur adeò libere, vt facilè ostendat non timore aliquo constrictam esse linguam, ne Christum sonaret; sed quòd nondum esset eius nominandi maturitas. Porrò illud *erit* ex Hebræorum vsu redundat, cuius exempla passim obuia.

109. *Quia in monte Sion, & in Ierusalem, erit saluatio, sicut dixit Dominus, & in residuis, quos Dominus vocauerit.*] Hucusque Petrus in Actis, quæ, vt commodissimè potuimus, exposita sunt. Hæc quæ omissa a Petro difficillima sunt: neque auctores sic videntur locuti, vt sibiipsis satisfaciant. In monte Sion, & Ierusalem, quidam Ecclesiam intelligunt, extra quam salus non erit; quemadmodum neque extra arcam tempore diluuij. Tunc verò nō solùm saluabuntur, qui de Iudæis, ad quos primùm spectabat hoc vaticinium, ad Ecclesiam, id est, ad mysticam Sion, & Ierusalem accesserint; sed etiam residui, id est, qui è Gentibus ad fidem, & Ecclesiam sese adiunxerint, & in eius gremio, vt fideles decet, vitam instituerint. Quos Deus non minus, quàm Iudæos vocabit: neque minus amanter, atque suauiter amplectetur. Illud verò, *sicut dixit Dominus*, aut aliquod tempus spectat antiquum, in quo hæc à Deo dicta sunt; qualia sunt illa Isai. 2. v. 3. *Quoniam de Sion exiuit lex, & verbum Domini de Ierusalem, & iudicabit Gentes,* &c. Licet enim eodem tempore Ioel, & Isaias prophetauerint, fieri tamen potuit, vt hoc Isaiæ vaticinium illum temporis articulum antecesserit, in quo hæc à Ioele prædicuntur. Aut certè hæc verba eo tempore ab aliquo Prophetarum dicta esse constabat; quæ tamen ad nos non peruenere, aut quia scripta non sunt, aut cùm scripta fuissent, vt aliis multis accidit, exciderunt. Aut, quod Riberæ visum est, & mihi valde placet, significat Propheta illud sibi fuisse dictum à Domino. Ac si dicat, sicut dixit Dominus mihi. Hæc expositio mihi potior est; sed addam, quod in rebus dubiis, non solùm licet, sed interdum expedit, explicationem aliam, quæ videtur aptè partem huius capitis extremam cum subsequenti capite coniungere.

110. A Egerat Propheta, vt vidimus, de Christi aduentu, & quid Ecclesiæ boni, quidque toti humano generi contulerit. Deinde explicuit donum illud maximum, quod in mundum misit, postquam è mundo sublatus rediit in cælum, nempe Spiritum sanctum. Supererat tantùm vnum, quod præterea ad Dei humanitatem pertinebat; nempe vt iudex rediret ad finem sæculorum, & omnium Gentium expenderet, suóque momento, ac debita mercede singulorum hominum, qualiacunque forent merita pensaret. Sic, credo, in ascensione Domini, cùm iam à Christi humanitate nihil esset expectandum noui præter extremum ad iudicandum aduentum, apparuerunt Angeli, qui dixerunt spectantibus in cælum B Iesum ad iudicandum esse venturum, quasi dicerent, non esse cur plura de Christo in posterum requirerent. Docet autem iudicium hoc futurum esse in Sion, seu Ierusalem, quod idem esse arbitror atque in valle Iosaphat, de qua statim in principio capitis 3. ibi autem saluabuntur, qui inuocauerint nomen Domini, id est, solemni illo, & vniuersali iudicio salui esse declarabuntur.

111. Vt enim norunt, qui mediocriter in Scriptura sacra versati sunt, is dicitur aliquid facere, qui factum esse declarat, quod cùm alibi frequens sit, in re tamen iudiciali frequentissimum est. Quomodo malus iudex iustificare dicitur impium pro muneribus, id est, iustum declarare; & sacerdos dicitur aliquem polluere, id est, pronunciare pollutum. Sic ergo in Ierusalem, seu, quod idem est, in valle Iosaphat saluabit Dominus, qui ipsius C nomen inuocarunt, id est, illos, qui ipsius se voluntati subdiderunt, id est, pronunciabit saluos, aut certè, quia tunc integram tam animorum, quàm corporum salutem, & verè beatam conditionem largietur. Tunc verò illud *residuum* exiguum significat numerum saluandorum, quod sæpe Scriptura clamat, dum paucos dicit futuros electos, & stultorum infinitum esse numerum: & esse paucos, qui per angustam viam, quæ ducit ad beatitudinem, ingrediuntur. Heb. est שרידים *seridim*, quæ vox inter alia numerum significat exiguum, nempe reliquias eorum, qui perierunt; quæ ipso dicendi genere paucos significant. Neque enim, si ex magno numero pauci defuerunt, qui à cæde liberi sunt, vocantur reliquiæ, sic sanè explicuere aliqui illud Isaiæ cap. 1. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus.* vbi pro *semine* est שריד *sarod*, & in eo aliquid intelligunt exiguum.

REGVLA. Is dicitur aliquid facere quod factum declarat.

IN CAPVT TERTIVM

ARGVMENTVM.

CAPVT hoc alij de Iudæorum statu ac tempore, alij de extremi iudicij die interpretantur. Quod videtur plerisque, & mihi omninò placet. Veruntamen, quia prior sententia magnos habet patronos: priora verba, in quibus præcipuum videtur esse dissidium, in vtramque sententiam explicabo. Primum graue minatur iudicium in valle Iosaphat his, qui Dei populum grauibus, tum opprobriis, tum detrimentis affecerunt. In quibus iusti intelliguntur oppressi, & improbi, qui viros iustos inclementer superbèque vexarunt, quorum enumerat plurima, fœdaque flagitia: & adducta similitudine belli, quod in summa pertur

perturbatione, ac metu comparatur, illis horribile docet impendere supplicium. Deinde iam sine vllo verborum integumento de iudicio loquitur, illorum denique supplicium horribile, horum summam æternámque felicitatem denunciat.

CAPVT III.

1. *QVia ecce in diebus illis, & in tempore illo, cùm conuertero captiuitatem Iuda & Ierusalem.*

2. *Congregabo omnes Gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat: & disceptabo cum eis ibi super populo meo, & hereditate mea Israel, quas disperserunt in nationibus, & terram meã diuiserunt.*

3. *Et super populum meum miserunt sortem: & posuerunt puerum in prostibulo, & puellam vendiderunt pro vino vt biberent.*

4. *Verùm quid mihi & vobis Tyrus & Sidon, & omnis terminus Palæstinorum? numquid vltionem vos reddetis mihi? & si vlciscimini vos contra me, citò velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum.*

5. *Argentum enim meum & aurum tulistis: & desiderabilia mea & pulcherrima intulistis in delubra vestra.*

6. *Et filios Iuda, & filios Ierusalem vendidistis filiis Græcorum, vt longè faceretis eos de finibus suis.*

7. *Ecce ego suscitabo eos de loco, in quo vendidistis eos: & conuertam retributionem vestram in caput vestrum.*

8. *Et vendam filios vestros, & filias vestras in*

PARAPHRASIS.

A 1. ACcidet aliquando, postquam sub finem mundi captiuos sub diaboli potestate Iudæos, ad veram filiorum libertatem conuertero, & ad Ecclesiæ gremium tandem adduxero.

2. Accidet, inquam, vt omnes nationum omnium gentes congregem, & adducam in vallem Iosaphat, cum quibus seuero iudicio disceptabo. Pro eo quòd fidelem & sanctum populum, cuius est symbolum, Ierusalem, & Iuda malè vexauerunt, quem in alias atque alias gentes dissiparunt, & in illius possessiones irruperunt.

B 3. Quæ populum meum redactum iam in seruitutem, inter se sortitò diuisere, & pueros ingenuos, vbi in suam potestatem venerunt, in publicæ libidinis diuersorio vænales posuerunt, vt euulgato corpore lucrum captarent meretricium, & vsqueadeò puellas Israelitides habuerunt viles, vt ex illarum prostituto pudore, de vino sibi ac victu prouidere voluerint.

4. Et vos, ô Tyrij, & Sidonij, quíque terminos habitatis Palæstinos, quid cum populo meo, imò quid mecum longo odio atque pertinaci contenditis? vósne vt in
C populo meo insultetis mihi? quæ isthæc audacia, atque impudentia est? Quòd si id vobis studio est, abire non patiar impunitum, sed væsanum hoc consilium, in caput vestrum, sine vlla cunctatione conuertam.

5. Tulistis aurum meum, & argentum, quæ ad altare mihi & sacra ministeria seruiebant. Denique quicquid pretiosum erat & optabile, illúdque ad manium deorum impia delubra, & execrandos vsus intulistis.

6. Et Iudæos, atque adeò Solymitanos ciues, externis atque Gentilicis populis
D pretio vendidistis: in longissimis nempe finibus, ne qua foret in patriam redeundi spes.

7. In alienos fines, & planè quasi mortuos aliorum voluntati seruos alligastis: sed ego illos è seruili statu, alienáque regione, quasi è puluere & tumulis excitabo: quódque in illos malè, atque iniquè cogitastis, id ego vicissim in caput vestrum ex aduerso conuertam.

8. Vt enim vos Iudæorum, Solymitanorúmque

Digitized by Google

in manibus filiorum Iuda, & venundabunt eos Sabæis genti longinquæ, quia Dominus locutus est.

9. Clamate hoc in Gentibus, sanctificate bellum, suscitate robustos: accedant, ascendant omnes viri bellatores.

10. Concidite aratra vestra in gladios, & ligones vestros in lanceas. Infirmus dicat: Quia fortis ego sum.

11. Erumpite, & venite omnes gentes de circuitu, & congregamini, ibi occumbere faciet Dominus robustos tuos.

12. Consurgant, & ascendant Gentes in vallem Iosaphat, quia ibi sedebo vt iudicem omnes gentes in circuitu.

13. Mittite falces, quoniam maturauit messis: venite, & descendite, quia plenum est torcular, exuberant torcularia: quia multiplicata est malitia eorum.

14. Populi populi in valle concisionis: quia iuxta est dies Domini in valle concisionis.

15. Sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum.

A norúmque filios, ac filias Græcis pretio in seruitutem tradidistis: sic ego per Iudæos liberos vestros vendam Sabæis, qui regionem habitant à vestris finibus quàm longissimè dissitam, neque his verbis pondus aberit, quia illa Dominus locutus est.

9. Ergo, ô Gentes, sanctorum populo graues & infensæ, ad iudicium vos, tanquã ad certamen, in quo de summa rerum agitur, comparate. Quare omnem militarem apparatum instruite, conscribite milites, illisque adactis militari sacramento bellum B legitimò, & religiosò more sanctificate. Euocate eos, qui strenui sunt, atque robusti: descendant, descendant, inquam, ad prælium, qui assueti sunt bello, & de militari laude gloriantur.

10. Agite, & quod in summo periculo extremum solet adhiberi subsidium, instrumenta ad bellicos vsus sedulò conuertite. Quare gladium ex vomere, & lanceã ex ligone conflate. Neque infirmus putet eximi se posse ab hac præliandi necessitate, sed potiùs audaciam simulet, & inesse C sibi clamet ad dimicandum vires, atque constantiam.

11. Eripite ergo iam è vestris finibus, & quantumcunque virium potueritis, vndecunque colligite. Venite, & congregamini ex omni loco, qui iudicij vallem latè circumstat: ibi enim sternet, atque conficiet Dominus eos etiam, qui fuerint in acie robustissimi.

12. Obscuriùs hucusque, & allegoricè: nunc iam clariùs & propriè de iudicio. Conueniant, dicit Dominus, omnes gen- D tes, quæ quasi symbolo in illis significantur populis, quæ Iudæorum fines vndecunque circunstant. Conueniant, inquam, in valle Iosaphat, vbi sedulò iudex, & omnium causas seuero, atque legitimo iudicio discutiam.

13. Ergo agite, ô vos, quos meæ iustitiæ administros esse volui, quando iam messis idoneam habet maturitatem, etiã & tempestiuam areæ assumite falcem: & quia torcular plenum est à copiosa & exuberante vindemia, quàm mensuram implebit hominum multiplicata malitia: descendite, E calcate, ac submittite prælo racemos infelices.

14. O quanta populorum multitudo in illo valle concidetur, quæ ideo concisionis appellabitur vallis. Neque longè abest tempus illud in quo in illa concisionis valle innumerabiles hominum sternentur greges.

15. Sub id tempus, solem & lunam obnubilabit caligo, & stellæ cæli splendorem amittent.

16. Et Dominus de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit vocem suam: & mouebuntur cæli, & terra: & Dominus spes populi sui, & fortitudo filiorum Israel.

A 16. Tunc verò Dominus non aliter de Sion, vbi extremi iudicij futurum est commune theatrum, rugiet, & de Ierusalem terribilem emittet vocem, quàm frendens leo, & intentus ad prædam. Neque si cæli moueantur, & terra, in illa tanta rerum perturbatione, aliquid iustis accidet, quod aut spem debilitet, aut animos frangat. Dabit enim Dominus spem certam salutis, ne de futuro successu sint solliciti, & fortitudinem, ne quid metuant, aut insuperabile suspicentur.

17. Et scietis quia ego Dominus Deus vester, habitans in Sion monte sancto meo, & erit Ierusalem sancta, & alieni non transibunt per eam amplius.

B 17. Cùm videritis hæc fieri, tunc cognoscetis esse me Deum, qui habito in Sione cælesti, & in excelso monte, in quo habitant & triumphant beati. Tunc Ierusalem erit impolluta, & sancta, in quam nihil introibit contaminatum & immũdum: neque illuc vnquam ingredientur alieni, nempe ab ordine, atque familia iustorum.

18. Et erit in die illa: stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte: & per omnes riuos Iuda ibunt aquæ: & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum.

18. Ibi tunc erit vera felicitas, quam terra promissionis lacte fluens, & melle figurabat. Tunc verè montes stillabunt vini, mellísque dulcedine, tunc colles manabunt lacte, & riui Iudææ aquarum implebuntur iugi decursu. Tunc fons, qui de
C domo Domini perennes fundit aquas, irrigabit eos, qui inter spinarũ aculeos mortificationúmque incommoda vixerunt, efficiétque, vt in spinarum torrente, & ipsis spinarum aculeis, flores erumpant, fructúsque dulcissimi.

19. Aegyptus in desolationem erit, & Idumæa in desertum perditionis: pro eo quod iniquè egerint in filios Iuda, & effuderint sanguinem innocentem in terra sua.

19. Hæc erit iustorum felicitas, quos Sion & Hierosolyma figurat: at Ægypti, & Idumææ, in quibus reproborum status, & natura figuratur, alius erit exitus, alia
D conditio. Ægyptus enim exscindetur funditus, & Idumæa in æternam solitudinem redigetur: quia filios Iuda, in quibus exprimitur status, ac vita iustorum, iniquis ac violentis iudiciis oppresserunt, & in terra sua, in qua ipsi fortunati censebantur, ad sanguinem vsque & cædem innocentium bacchati sunt.

20. Et Iudæa in æternum habitabitur, & Ierusalem in generationem & generationem.

20. At Iudæa & Ierusalem, quæ cælestem adumbrant beatorum patriam, nullam patietur felicissimi status mutationem, cuius splendorem & habitationem frequẽtem, nulla auferat sæculorum æternitas.

21. Et mundabo sanguinem eorum, quem non mundaueram: & Dominus commorabitur in Sion.

E 21. Tunc omninò expiabo iustorum sanguinem, quem eousque nondum detersisse existimari poteram, quia adhuc viri pij infelices in multorum cogitatione censebantur: quia neque dum muneratam iustorum patientiam esse constabat, neque impiorum punitam esse sæuitiam. Succedet ad iustorum veram sempiternámque felicitatem, quòd ab illorum societate nũquam aberit Deus, quo præsente, nihil timeri potest aduersi.

Vers. 1.

Digitized by Google

Vers. 1. *Quia ecce in diebus illis, & in tempore illo cùm conuertero captiuitatem Iuda, & Ierusalem.*]

1. MIRE hic variant Interpretes, neque id mirum, cùm res sit vehementer implexa. Ego quando iam statui vaticinium hoc esse de vniuersali, atque extremo iudicio, quod cum Hieronymo sentiunt plerique alij ex interpretibus, eò præcipuè incumbet commentatio. Scio esse aliquos, qui hæc ad tempus illud reuocant, in quo captiui è Babylone redierunt in patriam; quo tempore, quod à vicinis populis ablatum fuerat, restitutum est à Deo, qui quasi iudex in valle Iosaphat disceptauit, & quasi legitimo iudicio recuperauit ablata, mutatis interim seuerè populis, à quibus spoliati, aut malè vexati sunt Iudæi; ita ferè Theodoretus, Cyrillus, & Rufinus. Aliter alij, atque aliter, sed quæ dicunt, neque facile conueniunt in hunc locum, neque suam sibi fidem, ac veritatem probant.

2. Quare, vt dixi, hæc de extremo iudicio videntur esse intelligenda, sic enim res erit impedita minus, tametsi pauca non sint, quæ nostram commentationem impediant, & morentur. Sed quia altera sententia magis auctoribus, neque rationibus infirmis innititur, non existimaui otiosæ fore, aut innutilis operæ, si iuxta illam bonam capitis partem explicarem, explicaturus iterum eandem iuxta sententiam illam, quæ de finali iudicio hæc interpretatur.

Expositio prior de statu Iudæorum.

Cùm conuertero captiuitatem.] Postquam Deus ab exilio reuocauit Iudæos, per illos pari, aut etiam grauiore supplicio mulctauit eos qui variis illos detrimentis affecerant, aut simul cum Chaldæis, aut dum suæ siue cupiditati siue auaritiæ seruiunt.

3. Vers. 2. *Congregabo omnes Gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat.*] Non apparet quando post solutum à captiuitate populum deductæ fuerint Gentes in vallem Iosaphat, & ibi seuero Dei iudicio, & dextera scelerum vltrice concisæ. Quare, qui hæc ad libertatem Iudæorum pertinere negant, aliquid aliud sperari iubent, quod nondum reipsa completum est. Quæ ratio non admodum vrget eos, qui Scripturæ sacræ consuetudinem norunt. Illa etenim cùm similitudinem adducit, frequentissimè tacet similitudinis formam, vt cùm magnum periculum significare vult, mare rubrum nominat, quia in eo demersi sunt Ægyptij, vt Psal. 67. *Ex Basan conuertam, conuertam in profundum maris.* Et Zachar. 10. *Et transiet in maris freto.* Quasi dicat, in graue periculum conficiam, sicut olim Ægyptios in mare rubrum; aut è magno periculo liberabo, sicut Hebræos de eodem mari. Sic ergo victoria illa, quam contra hostes Iudæorum tulit Iosaphat, Moabitas nempè, Ammonitas, & Idumæos; aut prouerbialis fuit, aut ita nota, vt in magnæ, atque insperatæ stragis comparationem adducatur. Vide *lib. 2. Paralip. cap. 20. v. 26.* vbi in valle benedictionis occisi dicuntur hostes Iudæorum à Deo, & ex cadaueribus illorum exuuiæ detractæ à Iosaphat. Quare vallis benedictionis, quæ etiã vocari potuit vallis Iosaphat (quia ibi Deus Regi Iosaphat occisos hostes, & spoliandos tradidit) hoc loco sumi potuit pro magna victoria, & à Deo miraculosè oblata. Quare sensus esse posset non difficilis, si notam hic similitudinis suppleas in hunc modum: Congregabo omnes Gentes, quæ populum meum hostili animo persecuti sunt, eòque deducã quo olim Ammonitas, Moabitas, & qui erant de monte Seir, id est, Idumæos, & sic illos concidam, sicut feci priùs in valle benedictionis, seu Iosaphat.

Vallis Iosaphat prouerbiali specie pro supplicij loco.

Vallis Iosaphat dicta vallis benedictionis.

4. Et quidem hos populos post captiuitatem fuisse à Iudæis Machabæorum tempore subactos, habes lib. 1. Machab. cap. 5. v. 65. *Exiuit Iudas, & fratres eius, & expugnabant filios Esau.* & v. 68. *Et declinauit Iudas in Azotum, in terras alienigenarũ, & diruit aras eorum,* &c. illa verò quę statim subsequuntur, optimè in hæc Iudæorum tempora conueniunt, qui grauia passi sunt à vicinis populis, & grauia illis vicissim intulerunt damna. Quare cùm hæc nõ admodum videantur improbabilia, non ita præteribo, vt non confirmem, & explicem. Ita tamen, vt illud magis probem, quod visum est Hieronymo, & plerisque aliis.

5. *Et disceptabo cum eis ibi super populo meo, & hæreditate mea Israel, quos disperserunt in nationibus, & terram meam diuiserunt.*] Cùm eò rem deduxero, quò deducti sunt, qui olim oppugnare, & delere studuerunt Iosaphat, disceptabo cum illis, quia adiutores fuerunt hosti Chaldæo contra populum meum, feceruntque vt ille à suis finibus procul expulsus, in alienis viueret exul, miser, & habitus ab omnibus ludibrio: & quas aliis eripuere possessiones, ipsi tanquam suas occuparunt, non secus ac si hæreditario iure illas obtinuisset. Quòd nationes illæ, quæ *lib. 2. Paralip. cap. 20.* bella mouerunt contra Iosaphat, cum Chaldæis quoque postea conspirauerint, res est notissima, & de Idumæis qui loco nuper citato v. 22. significantur in monte Seir, constat ex *Psal. 136.* vbi non solùm dimicasse (de hoc enim dubitat nemo,) sed aliis ad delendam funditus ciuitatem stimulos addidisse narrantur. *Memento Domine filiorum Edom in die Ierusalem. Qui dicunt, exinanite, exinanite, vsque ad fundamentum in ea.* De Ammonitis satis argumenti est, quod Achior Ammonites, & Dux Ammonitarum in castris fuit Nabuchodonosoris cum Holopherne; vt habes Iudith *cap. 5.* vide Ezechiel. *cap. 25.* Et de Moabitis res videtur certa, cùm illi perpetua gesserint bella cum gente Israelitide, & illi sub hæc tempora fuisse aduersarios scribit Ezechiel *cap. 25.* vbi etiam de Ammon, & de Idumæis.

Idumæi cum Chaldæis contra Ierusalem.

6. Quod autem vicinas sibi possessiones adierint, quas primùm decem tribus, deinde aliæ duæ reliquerunt, res videtur certa, quia id natura ipsa rerum exigit, vt in caducas possessiones irrumpant proximi; & de Ammonitis dicit apertè Ieremias cap. 49. v. 1. *Numquid non filij sunt Israël, aut heres non est ei? cur igitur hereditate possedit Melchom Gad, & populus eius in vrbibus habitauit?* Quod itẽ indicat Amos *cap. 1. v. 13.* & Sophonias *cap. 2. v. 8.* hoc ipsum videtur dicere de Moab. *Audiui opprobrium Moab, & blasphemias filiorum Ammon, quæ exprobrauerunt populo meo, & magnificati sunt super terminos eorum.*

Possessiones Israel ab Ammonitis & Moabitis occupatæ.

Digitized by Google

7. Vers.3. *Et super populum meum miserunt sortem.*] Non, credo, aberraret admodum, qui in populo, populi intelligeret possessionem, quam inter se vicinæ Gentes sorte diuiserunt; sed est expeditum magis, & obuium, si Gentem ipsam Israelitidem intelligamus, quam inter se victores hostes sortitò diuiserunt, vt ipsis gens captiua seruilem operam nauaret. Quod non dubium quin hostes Chaldæi fecerint, sicut facere solitæ nationes aliæ Gentiles, sanè ex vulgari consuetudine dixit aliquoties Homerus, & ex eo Virgilius *lib.3. Æneid.* apud quem sic Andromache apud victorem hostem captiua.

O felix vna ante alias Priameia virgo
Hostilem ad tumulum Troiæ sub mœnibus altis
Iussa mori, quæ sortitus non pertulit vllos
Nec victoris heri tetigit captiua cubile.

8. *Et posuerunt puerum in prostibulo, & puellam vendiderunt pro vino, vt biberent.*] Vsqueadeò viles habuerunt seruos, & ancillas, quas ex captiua turba sibi sorte acceperunt victores hostes, vt pueros in publicæ libidinis diuersorio prostituerint, vt sibi etiam è vulgato corpore lucrum captarent meretricium. Et vt vinum haberent, (in quo etiam intelligo omnia, quæ abdomini obsequuntur, & stomacho, vt omnes mensarum delicias) puellas vendiderunt, id est, venales habuerunt, vt ex illarum prostituto pudore compendij aliquid caperent, quo sibi, suæque familiæ de victu, ac potu prouiderent. Quod fecerunt Babylonij, imò & alij, qui cum Babyloniis studia, & arma contra Iudæos sociarunt. De omnibus enim locutus est Ieremias Thren. cap.5. *Mulieres in Sion humiliauerunt, & virgines in ciuitatibus Iuda. Adolescentibus impudicè abusi sunt.* Neque mirum si id fecerint homines Gentiles, & barbari, adde & victores, & insolentes, quando idipsum ipsi quoque Iudæi nemine cogente præstiterunt, qui etiam in loco maximè sacro prostibula constituerunt, vbi non puellæ solùm, sed etiam pueri corpore mererent. *Lib.4.Reg. cap.23.v.7.* de Iosia, destruxit quoque ædiculas effœminatorum, quæ erant in domo Domini, pro quibus mulieres texebant, quasi domunculas luci. Et *lib.2. Machab. 4.12.* de Iasone, *Etenim ausus est sub ipsa arce gymnasium constituere, & optimos quosque ephoborum in lupanaribus ponere.* Ita hunc locum exponunt cum Hieronymo frequentes alij.

Pueri ad prostibulum venditi.

9. Sunt tamen alij, qui hîc aliquid vident, minus quidem turpe, sed quo non minus indicatur captiuorum vilitas. Vile existimamus id, quod cum re permutatur futili, cum stipula puta, aut cassa nuce, aut rupto vitro. Vile habuit Esau primogenij ius, & prærogatiuam, quando illud cum edulio rubro, & vili commutauit. Sic planè vili habitus est ille captiuus, quem pro concubitus mercede scortator meretrici attribuit, aut lenoni: vili item habita est ancilla, quæ cauponi pro vino, quod sitim expleret fortasse semel, aut quo semel fieret ebrius, vinolentus dedit. Hunc putant esse sensum Lyra, & Vatablus, & indicant nouæ translationes, Tigurina, & Pagnini, qui sic vertit ex Hebræo, aut certè valde ad textum Hebraicum consentaneè. *Posuerunt puerum pro pretio meretricis, & puellam vendiderunt pro vino, vt biberent.* Eodem modo Chaldæus, imò & Septuaginta. Quocunque modo sumas, graue peccatum fuit, & ignominia grauis. Vtraque expositio verisimilis est, sed priori fauet omnium ferme interpretum concors sententia, atque ideo mihi probabilior.

10. Vers.4. *Verùm quid mihi, & vobis Tyrus, & Sidon, & omnis terminus Palæstinorum.*] In Tyro, Sidone, & Palæstinis, omnes intelligit Iudaici nominis inimicos, de quibus in valle Iosaphat sumendum dicitur esse supplicium. Quorum Tyrij, Sidonij, & Palæstini, vt putat Cyrillus, duces fuerunt. Vsqueadeò autem Deus populi sui causam suam esse duxit, vt non tam cum populo, quàm secum dicat susceptum esse certamen. Atque ideo dicit, *Quid mihi, & vobis?* dicendum esset potiùs, nisi Deus sibi illatas putaret iniurias, quas populus accepit, *Quid populo, & vobis?* Quemadmodum Iudæi ab exilio reduces, Tyrios, Sidonios, Palæstinósque subiecerint, diximus in nostris commentariis in Zachariam *cap.2. num.23. & 24.* quod item diximus de populis omnibus, de quibus hîc quoque videtur institutum vaticinium. *Hæc dicit Dominus exercituum: Post gloriam misit me ad gentes, quæ spoliauerunt vos, qui etenim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei; quia ecce ego leuo manum meam super eos, & erunt præda his, qui seruiebant sibi.* Et Sophonias *cap.2.* apertè hoc ipsum dicit de Palæstinis, Tyriis atque Sidoniis, de Palæstinis apertè dum meminit Gazæ, Ascalonis, Accaron, de Tyriis, atque Sidoniis obscuriùs, dum meminit funiculi maris ad quem pertinent. *Et erit funiculus maris requies pastorum, & caulæ pecorum, & erit funiculus eius, qui remanserit de domo Iuda.* Et clariùs Abdias v.20. *Transmigratio exercitus huius filiorum Israel omnia Chananæorum* (possidebit) *vsque ad Sareptam.* hæc ad Sidonios pertinet, & Tyrus, ac Sidon inter Chananæas regiones numerantur, quas Iosue in distributione terræ Chananitidis assignauit Asser *Iosue cap.19.v.28. & 29.* quas tamen expugnare non potuit.

11. *Nunquid vltionem vos reddetis mihi?*] Si vltionem reddere sit insultare in alium, & durè concidere, quod videtur hîc existimare Cyrillus, sensus est: Nunquid vos insultabitis mihi? ac si dicat, non erit tam in populum meum, quàm in meipsum hæc siue insultatio, siue crudelitas: quare non patiar illam abire impunè. Aut certè, quæ istæc impudentia est, vt quisquam audeat insultare mihi, & de meo dolore furori suo, aut inuidentiæ satisfacere? Sin autem *vlcisci alicui* sit, vltionè capere de aliquo, pro iniuriis irrogatis alteri, quod magis videtur significare modus ipse dicendi, alius erit sensus, nempe populos illos, dum sæuiunt in Iudæos, quos Dominus suæ iustitiæ administros habuit, non id spectasse vt diuinas castigarent iniurias, & eo supplicio docerent quanto in honore, ac reuerentia futurus esset Deus (quod faciunt Angeli, qui honori semper obsequuntur diuino) sed vt suum explerent odium, satiarent auaritiam, aut victoriam de populo Iudaico ambitiosè iactarent. Quare non habuit Deus quid in Gentibus illis amaret, aut afficeret præmiis, quando omnia illarum studia priuatum spectarent commodum, neque quicquam curarent, aut nossent, quod gratum futurum esset Domino, aut ab eo præceptum. Neque credo aliud esse tribuendum his Gentibus, quàm quod de Assur, id est, de Senacherib, cuius consiliis, harum Gentium nonnullæ seruierunt, dixit Deus *Isai.cap.10.* Quem assumpsit Dominus tanquam iræ suæ vindicem, & ministrum, in cuius manu arma posuit, quasi flagellum, & virgam, ipse verò nihil horum cogitabat, sed ad cædem anhelabat, & prædam. *Væ Assur virga furoris mei, & baculus ipse est; in manu eorum indignatio mea, &c. Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor eius*

eius non ita existimabit, sed ad conterendum erit cor eius. Hæc tamen posterior explicatio non satis aptè cum sequentibu s hæret, minatur etenim Deus Gentibus illis, si odiosæ esse pergant, & vlcisci contra Deum, id est, bellum contra illum, & inimicitias gerere, futurum vt breue audaciam illam, & insipientiam luant; & in suo experiantur capite, quod in populi caput, quod Deus suum interpretatur, moliti sunt.

12. Vers. 5. *Argentum enim meum, & aurum tulistis, & desiderabilia mea, & pulcerrima mea intulistis in delubra vestra.*] Quemadmodum vasa omnia sacra transtulerint hostes Babylonij, & in Deorum suorum delubra portauerint, habemus *lib. 4. Reg. cap. 25. & Ierem. cap. 52. & Daniel. cap. 1.* Hæc peccata Babyloniis cum aliis populis fuere communia, quia aut ipsi sacra abstulerunt, ac pretiosa vasa; aut vt alij aufeerent, auctores, atque hortatores extiterunt.

13. Vers. 6. *Et filios Iuda, & filios Ierusalem vendidistis filiis Græcorum.*] Grauis hæc fuit iniuria, venditos esse filios Iuda; neque maiori fortasse pretio, quàm meretrici pro vna, aut altera nocte dependi solet ab intēperante scortatore, aut ab immoderato potatore pro vino. Cōstat vēdi solitos Hebræos ab hoste victore, seu à prædatore, quicunque ille sit, siue ab externis, id est, alienis ab Israelitico semine, siue ab ipso etiam forsitan Israele, quando sub Ieroboam à duabus tribubus dissectus est; tunc enim hostiles cum illo, atque diuturnas gessit inimicitias. De externis habemus exemplum *lib. 2. Machab. cap. 8.* vbi Nicanor cùm mente victoriam occupasset de Iudæis, constituit vt de Iudæorum captiuis duo talentorum millia redigerentur. & *v. 34.* mille negotiatores venisse dicuntur cum pecunia, vt ex Iudæis sibi mancipia coëmerent. Quomodo Hebræi ab Hebræis vēdi atque emi possint, diximus *in cap. 34. Ierem. num. 36.* Vide *Exod. 21. v. 2. & Deut. 15. v. 12.* Græci iidem, credo, sunt, qui Gentiles; sic enim ab Hebræis vocabantur externi populi, maximè qui procul aberant, quos nimirum mare magnum separabat. Quare non sine causa additum est, *Vt longè faceretis eos de finibus suis.* Quasi diceret, his vendidistis, qui longissimè aberant, vt dolor esset eo maior, quo longiùs essent ablegati, & spes omnino præcisa redeundi. Porrò in Græcis significari omnes, qui neque Hebræi, neque circumcisi sunt, docet loquendi modus, qui in Scriptura sacra infrequens non est, & familiaris Paulo. Ad Rom. 1. v. 16. *Iudæo primùm, & Græco.* cap. 2. v. 9. *Iudæi primùm, & Græci.* Ad Galat. 3. v. 28. *Non est Iudæus, neque Græcus* & alibi centies.

Hebræi captiui venditi.

Omnes Gentiles, vocati Græci.

14. Vers. 7. *Ecce ego suscitabo eos de loco suo, in quo vendidistis eos, & conuertam retributionem vestram in caput vestrum.*] Hæc aperta sunt, & satis notum quemadmodum ab exilio redierint, qui capti prius, ac venditi fuerant. Dicuntur verò suscitati, siue à puluere, & stercore, in quo iacere dicuntur infelices; siue à sepulcro, in quo exules existimantur tumulati. Nam, vt constat ex Ezechielis *cap. 37.* exules dicuntur mortui, & ossa iam arida, & exilij locus sepultura. Et addit talia esse in violentorum caput referenda, qualia ipsi damna in captiuos, & exules contulerunt.

15. Vers. 8. *Et vendam filios vestros, & filias vestras in manu filiorum Iuda, & venundabunt eos Sabæis genti longinquæ.*] Hæc est illa retributio, de qua nuper: vt enim Hebræi Græcorum filiis dati sunt in seruitutem; sic etiam ab Hebræo iam victore dantur hostes quondam insolentes in seruitutem

A Sabæis, qui & ipsi barbari sunt, & longè absunt. Quando id contigerit non constat ex Scriptura; sed contigisse certum est ex hoc loco. Hoc porrò fieri posse, vt seruitute quis redimat vitæ iacturam, quam amisisse potuit, si bello legitimo, ac iusto superatus est: satis ex Gentium communi iure constat.

Vers. 9. *Clamate hoc in Gentibus, sanctificate bellum, suscitate robustos, &c.*] Sicut *cap. 2.* edixit Propheta Iudæorum Genti, vt se ad bellum, quod iam imminebat ab hoste potentissimo, compararet, verbis, quæ hostium appulsum, & præsentem interitum indicebant. Sic etiam nunc conuersus ad Gentes edicit illis, vt omnem militarem apparatum aduocent, conscribant milites, B illósque de more, sacramento adigant militari, id enim est sanctificare bellum, id est, facere ne quis illud possit salua religione deserere. Cætera obscura non sunt; in quibus habes descriptionem optimam timidæ Gentis, quæ se ad bellum tumultariè comparat, qua nemo Poëtarum illustriorem finxit. 16.

Optima belli comparandi descriptio.

Vers. 10. *Concidite aratra vestra in gladios, & ligones vestros in lanceas.*] Cùm pacata sunt omnia, instrumenta bellica ad vsus conflantur rusticos, vt de tempore Messiæ dixit Isaias cap. 2. *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltrà ad prælium,* vbi nos in hanc sententiam multa. C Sic etiam cùm bellorum ingruit aut horror, aut metus, instrumenta rustica ad bellicos vsus conuertuntur, vt omnium optimè hîc Ioël. Cuius loquendi modum expresserunt quidam è profanis. Sic Virgil. lib. 7. Æneid. 17.

Vomeris huc, & falcis honor, huc omnis aratri
Cessit amor, recoquunt patriis fornacibus enses.

Et meliùs lib. 1. Georgic.

Quippe vbi fas versum, atque nefas, tot bella per orbem
Tam multæ scelerum facies, non vllus aratro
Dignus honor, squallent abductis arua colonis,
Et curuæ rigidum falces curuantur in enses.

D Ouid. lib. 1. Fastorum.

Sarcula cessabant, versique in pila ligones:
Factaque de rastri pondere cassis erat.

Infirmus dicat, quia fortis ego sum.] Cùm graue bellum imminet, & de vita, ac summa rerum agitur, omnes se quantum possunt ad bellum comparant; neque ab eo se onere eximunt ætate graues, & tractandis armis inutiles senes; non ipso sexu imbelles fœminæ, non qui affecto sunt, & imbelli corpore. Omnes audaciam simulant, & inesse sibi clamant ad præliandum vires, id est, re ipsa significant vires sibi, atque animos non deesse, quando sese dant in medias acies; quasi neque ab ætate, neque à morbo vires essent attritæ, E aut exhausta corpuscula. Sic cùm turrim obsideret Abimelec, & in eo res esset, vt neque ipsa defendi posset, neque qui intus essent à morte liberari. Iudic. 9. mulier quædā pro turre, vitáque pugnauit, & regē ipsum molari lapide iam pene victoria exultantē oppressit. In simili casu Priamus iam æuo confectus sumpsisse arma, & in medios hostes irrupisse fingitur à Virgilio *lib. 2. Æneid.* 18.

Periculum audaces omnes & robustos reddis.

Hæc à me dicta sunt pro Cyrilli, Rufini, Theodoretíque sententia, qui hæc de captiuorum reditu interpretantur, à qua plures alij non nimis abhorrent, qui dum aliam sequuntur, quam nos etiam amplectimur, in hanc interdum, aut imprudentes, aut ipso cogente capitis filo delabuntur. Nunc iam aliter explicemus hæc ipsa, quæ 19.

hucuſque ex capite hoc tertio libauimus, & quid alij communiter ſentiant, quorum ſententiæ noſtra quoque ſubſcribit, quo modo videri poſſit veriſimile oſtendere tentemus.

Explicatio altera de extremo iudicio.

20. Vſitatum eſt in Scriptura ſacra, vt cùm in Teſtamento veteri apparet vmbra noui, aliquando ad illud gradus fiat. Exemplis abundamus, de quibus nos ad illud Zachariæ cap. 13. *Framea ſuſcitare ſuper paſtorem meum.* Pauca tantùm producam, quæ cum hoc ipſo, quod præ manibus eſt, aut tempore congruunt, aut materia. Egit Daniel de Antiocho *cap.* 11. in quo cùm imago quædam appareret Antichriſti, ſermonem illico ad Antichriſti tempora traduxit. Egit Chriſtus *Mat. cap.* 24. de Romanorum exercitu, horribiliſque Iudæorum clade: & ex hac lugubri, atque horribili ſpecie, ad Antichriſti, extremíque iudicij tempora progreſſus eſt. Sed habemus exemplum huic quamſimillimum apud Iſaiam *cap.* 24. Nam cùm Tyrum, quæ & ſpecie, & mercium varietate, & omnium penè Gentium, quæ mercimoniæ gratia confluebant, aſſiduo, & penè quotidiano concurſu imaginem vniuerſi mundi referebat, cecidiſſe doceret immani caſu, & μικρόκοσμον illum euanuiſſe repentè, ſtatim quaſi excitatus à ſono ruentis ciuitatis, de totius mundi vaſtitate ſermonem inſtituit, in quo caput deinde 24. & 25. conſumpſit. *Ecce*, inquit, *Dominus diſſipabit terram, & nudabit eam, & affliget faciem eius, & diſperget habitatores eius.* Grauior fortaſſe cauſa fuit, cur hic de iudicio extremo vaticinium inductum; ſed occaſio non leuis, de qua nuper, neque inſolens ſcriptori Canonico.

REGVLA. *Quando in veteri Teſtamẽto apparet vmbra noui ad illud interdum gradus fit.*

21. *Quia ecce in diebus illis, & in tempore illo cùm conuertero captiuitatem Iudam, & Ieruſalem.*] Illud *quia* in Hebræorum idiomate poſitum eſt, quod apud Latinos omnino, ſicut aliis frequenter locis otioſum eſt. Quid ſibi velit illud *in diebus illis*, aut *in tempore illo*, & ſimilia, diximus in noſtris commentariis ſuper Danielem *cap.* 12. *v.* 1. In ſumma diximus ex ſententia Chryſoſtomi *homil.* 77. *in Matthæum*, & *homil.* 26. *in Acta*, & iterum *homil.* 19. *in Matthæum*, & Theophylactus *in cap.* 13. *Math.* Euthymius *in cap.* 3. *Mat.* qui omnes docent, *in illo tempore*, *in diebus illis*, *tunc*, & ſimilia adhiberi in Scriptura ſacra ſine vllo ad ſuperiora reſpectu. Quod idem affirmat Auguſtinus *lib.* 2. *de conſenſu Euangel. cap.* 6. vbi oſtendit, quomodo cùm *Matth. cap.* 3. actum eſſet de Chriſti infantia, de reditu nempe ex Ægypto poſt Herodis mortem, ſtatim dicitur in principio cap. 4. *In diebus autem illis venit Ioannes Baptiſta prædicans in deſerto.* Audi quid Chryſoſtomus dicat in hæc verba Matthæi, *Mos*, inquit, *Scripturarum eſt, & vtique celeberrimus, vti his verbis, in diebus illis, non ſolum cùm ad præteritam narrationem aliud tempus adiungitur, verumetiam cùm illa narrat, quæ poſt multorum annorum ſpatia contigerunt. Sic Dominus, cùm in Oliueti monte reſideret, & accedentes ad eum ſollicitè diſcipuli de captiuitate Ieruſalem, déque ipſius ſciſcitarentur aduentu (& certè noſtis quàm grandi hæc medio diuidantur) cùm de vrbis ſubuerſione dixiſſet, iámque ad dicendum de mundi fine tranſiret. TVNC, inquit, hæc vel illa erunt. Dicendo autem TVNC, non vtique tempora, quæ plurimum erant diſcreta, coniunxit, ſed illud tantummodo, quo euentura erant tempus notauit, dicens, in diebus illis. Non enim quaſi continuò hæc ſecutura monſtraret, hic poſuit, ſed illis, inquit, diebus, in quibus iſta contigerunt.* Hæc Chryſoſtomus. Iuxta quam regulam non admodum laborandum eſt, quæ verba aut quæ tempora præceſſerint; cùm hic dicendi modus, quæ dicuntur, non neceſſariò ad ſuperiora referat.

Quia interdum otioſũ.

REGVLA. *In diebus illis, in illo tempore, tunc, & ſimilia adhiberi ſolent ſine vllo ad ſuperiora reſpectu.*

22. *Cùm conuertero captiuitatem Iuda, & Ieruſalem.*] Duas ego conuerſiones inuenio Iuda, & Ieruſalem, alteram de qua proximè ab exilio Babylonico; alteram ſub finem ſæculorum, de qua Paulus *cap.* 11. *ad Roman.* vbi docet ſub finem mundi conuertendos eſſe Iudæos. Cùm enim ad Gentiles loqueretur, qui ſibi in eo placebant maximè, quòd in Eccleſiam eſſent aſcripti, excluſis Iudæis, quos eam etiam ob cauſam contemnebant: docet Iudæos non ita à Deo fuiſſe contemptos, vt non ipſi etiam aliquando conuertendi ſint. Sic autem ibi Paulus, *Nolo enim vos fratres ignorare myſterium hoc, vt non ſitis vobis ipſis ſapientes: quia cæcitas ex parte contingit Iſrael, donec plenitudo Gentium intraret, & ſic in omnibus Iſrael ſaluus fieret.* Plura hac de re nos in noſtris commentariis in Iſaiam ad illud cap. 59. *Et venerit Sion redemptor, & eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob.* Hæc explicatio omnium mihi maximè probatur; quæ neque Remigio, neque Riberæ, neque Figuerio diſplicet. A priori illa conuerſione ad poſteriorem hanc excitatus videtur propheticus ſpiritus.

Ad finem mundi conuertẽdi Iudæi.

23. *Congregabo omnes Gentes, & deducam eas in vallem Ioſaphat.*] Hæc verba aliquid iam olent vniuerſale. Quando omnes Gentes dicuntur eſſe congregandæ, in quibus etiam intelliguntur Iſraelitæ. Nam licèt *Gentes* abſolutè ſignificent populos ab Iſraelitarum cœtu, ac religione ſeparatos; tamen ſi aliquid addas, non minus his, quàm illis conuenit. Quare *multæ Gentes*, *omnes gentes*, & ſimilia, Iudæis etiam cum his, qui abſolutè Gentes appellantur, accommodari ſolent.

De valle Ioſaphat longa eſt diſceptatio, & inter magnos interpretes non leue diſſidium. Qua in re, quia grauis eſt, & illuſtris, nonnihil à nobis operæ ponendum eſt. Sunt, qui nullam eſſe putat vallem, quæ in Scriptura ſacra dicatur Ioſaphat: ſi qua enim illa omnino, aut maximè, in qua Deus prodigioſo quodam euentu concidit omnes inimicos, quorum ingens erat numerus, qui præſens periculum regi Ioſaphat, totique rei Iudaicæ iamiam illaturi videbantur, de qua Victoria *lib.* 2. *Paralip. cap.* 20. Sed vallis illa vallis appellatur benedictionis, non vallis Ioſaphat. Adde, quòd communis eſt ſententia, quam nos ſtatim veram eſſe dicemus, vniuerſale iudicium peragendum eſſe prope Ieruſalem: at vallis illa, quæ appellari potuit Ioſaphat, longè diſtat à Ieruſalem. Quandoquidem filij Iuda 2. *Paralip. cap.* 20. *v.* 20. egreſſi ſunt per deſertum Thecuæ ad dimicandum, ſeu potiùs ad ſpectandam inimicorum cladem: at Thecua, vt ait Hieronymus *in cap.* 6. *Ieremiæ*, ſtatim in principio, diſtat à Hieroſolyma milliaribus duodecim.

De valle Ioſaphat diſceptatio.

Quidam talem vallem eſſe negant.

24. Quocirca hi putant Ioſaphat non eſſe proprium nomen regis Iuda, aut alicuius vallis, quæ ab aliquo illius facto, vel euentu appellationem accepit; ſed nomen eſſe commune, quod ſignificat *Domini iudicium.* quaſi Propheta dicat, deducendas eſſe omnes gentes in vallem, vbi ſedebit ad iudicandum Dominus. Et quidem quod Ioſaphat *iudicium Domini*, aut *Dominum iudicem* ſignificet, aut connotet, nemo, qui Hebraicè norit, ignorabit. In hanc ſententiam videtur inclinare Hieronymus hoc loco, & ſuper Ezechielem *cap.* 38. *ad*

Alij cõmune dicunt eſſe nomen.

38. *ad finem, & epist.* 142. *ad Damasum*, vbi dicit vallem Iosaphat esse vallem iudicij Domini. Idem Hugo; nec improbat Vatablus, & docet apertè Chaldaica Paraphrasis, & sentiunt ex Hebræis Rab. Dauid.

25. *Alij esse dicunt prope Ierusalem.*

Alij vallem Iosaphat statuunt inter Ierusalem, & montem Oliuarum; dicúntque propter aliquem euentum medium illud spacium sumpsisse nomen à Iosaphat. De euentu tamen, aut facto dubitant, neque vna est omnium existimatio. Ex Hebræis Rab. Dauid aliquod suspicatur extitisse ibi Iosaphat monumentum, quod tamen illud sit ignorare se dicit, & in superiorem cogitationem inclinat Beda *lib. de locis sacris, cap.* 6. vbi de his, quæ sunt iuxta muros Ierusalem, ait, *Occurrit Gehēna, quæ est vallis Iosaphat, à septentrionali plaga in Austrum porrecta: per quam torrens Cedron, si quando pluuiales aquas recipit, occurrit. Hæc vallis, & parua campi planicies irrigua, & nemorosa, plenaque deliciis locum in se quondam Baali sacrum habuit. In hac turris Regis Iosaphat sepulcrum eius continens.* Salligniacus lib. 9. cap. 2. *Prope locum*, inquit, *vbi Christus orando sanguinem fudit, sepulcrum est Iosaphat regis Iuda pulchra pyramide insignitum; è regione templi Salomonis, & inde vallis sortita est nomen illud famosum.* Vnde hæc acceperint auctores isti non video; sanè Iosaphat 3. *Reg.* 22. *v.* 51. *& lib.* 2. *Paralip. cap.* 21. sepultus dicitur non in valle Cedron, seu Gehinon, sed in ciuitate Dauid. Cur verò inde exhumari debuerit, & ad vallem transferri, neque ratio apparet vlla, neque demutato sepulcro vllum in Scriptura sacra vestigium.

Iosaphat prope Ierusalē in valle existimatur sepultus.

26. Ego ratione illam prono, quam *num.* 3. superiùs attigi, nempe vallem Iosaphat, & Ammonitarum, & Moabitarum cæde prouerbialiter sumi pro eo loco, vbi seuerum sumptum est de improborum impietate supplicium; ibi enim sic deleti sunt cælesti iudicio numerosæ inimicorum acies in Dei populi cædem anhelantes, vt ex tanta multitudine neque vnus quidem superstes euaserit. Ex quo factum est vt omnis locus, vbicunque Gentium fuerit, si in illo strages edita maximè ab vltore Deo, vocetur vallis Iosaphat. Sicut quicunque locus profundus, & horribilis, in quem capitalis supplicij rei deijciuntur, appellatur Barathrum, cùm tamen locus sit Athenis. Locus ille vbi Iudæorum hostes concisi sunt, appellatus fuit *vallis benedictionis*, quia cùm alij aut gemerēt è cælo vulnerati, aut strati tabescerent; alij tamen, quibus Deus insperatam victoriam, & salutem obtulerat, benedicebant Deo. Quare perquam optimè iudicij extremi locus appellari potuit vallis Iosaphat, quia & in ea gemitus audiebantur morientium, & grauis spirabat è cadaueribus fœtor, tunc deinde triumphantium resonabat plausus, & exultantium voces; sic etiam in extremi Iudicij loco, vt varij erunt hominum status, & exitus, sic etiam varij erunt sensus, & dissimiles voces. Alij enim vlulabunt è seuero iudicio, quasi à cælesti fulmine percussi; lætabuntur alij, cùm iam è metu, atque angore liberi de æterna hæreditate sibi gaudebunt, & aliis vicissim gratulabuntur. Hæc mihi ratio, notatióque nominis visa est non difficilis, quæ neque à valle nomen adimit Iosaphat, neque iudicij locum remouet à Ierusalem. Sed vbi sit vallis ista, iam exploremus.

Vallis Iosaphat prouerbialis, pro loco vbi strages edita.

27. *Vallis Iosaphat quare dicatur supplicij locus.*

28. Sed obstrepet aliquis, & dicat, in ea, quæ propriè appellari potuit vallis Iosaphat, indicatos esse tantum, id est, concisos ferro sceleratos homines, & qui populo Dei insidias moliebantur,

In valle Iosaphat tantùm erunt damnandi.

A & cædem. At in valle Iosaphat figurata, in ea nempe, de qua Propheta loquitur, omnes simul tam bonos, quàm malos esse iudicandos. Huic cogitationi ipse respondet Ioel, dùm in valle Iosaphat illos futuros esse dicit, qui dispersērunt Israel, & eius hæreditatem diuiserunt: vbi à valle Iosaphat separare videtur viros innocentes, & iustos. Erunt quidem in iudicio viri iusti, in quo iustissima trutina ipsorum merita expendentur à Domino; sed erunt non in valle Iosaphat, id est, in loco depresso, atque humili, qualem esse oportet illorum, quos æterni supplicij reos facit morum improbitas, sed ad vallem; sicut etiam Christus in valle non erit, sed in aëre, in ea regione,

B quæ vallem desuper spectat. Erunt autem iusti simul cum Christo è terra sursum eleuati in aëre, neque enim decebat vt excitati iam à mortuis viri sancti, quorum erant corpora gloriosa, in depressa valle, quæ instar tunc obtinebat inferni, & reuera gehenna vocabatur, permixti essent cum illis, quorum erat aspectus horribilis, & æternis suppliciis damnata vita: neque in eo statu egebant terra, aut solido loco, vbi consisterent, cùm corpus non esset in illo statu graue, quod ferretur deorsum. Dixit hoc apertè Paulus 1. ad Thessal. cap. 4. v. 17. *Nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo*

Iusti erunt simul cum Christo in aëre. 29.

C *in aëre*: vnde sumpserunt, tenéntque nonnulli Patres, & interpretes. Vide Franciscum Suarez *tom.* 2. *in* 3. *p. S. Thom. disp.* 53. *sect.* 3. Hæc expressè S. Thomas in citatum Pauli locum. *Est*, inquit, *hæc inter bonos, & malos differentia, quia mali remanebunt in terra, quam dilexerunt; boni rapientur ad Christum, quem quæsierunt. In resurrectione etiam sancti conformabuntur Christo, non solùm quantum ad gloriam corporis, ad Philip.* 3. *sed etiam quantum ad situm, quia Christus erit in nube, sic & sancti à nubibus rapientur.* Imò Augustinus *lib.* 20. *de ciuit. cap.* 18. dixit sanctos eo tempore quo mundus incendio conflagrabit, futuros esse in locis aëris sublimioribus, quò incendij flamma, aut molestia non perueniat. Cùm enim quæsiisset, eo ipso tempore conflagrationis

D vbinam futuri essent sancti, cùm eos habentes corpora in aliquo corporali loco esse necesse sit, respondet: *Possumus respondere futuros esse in superioribus partibus, quò ita non ascendet flamma illius incendij, quemadmodum nec vnda diluuij. Talia quippe illis inerunt corpora, vt illic sint, vbi esse voluerint.*

Hæc vallis Iosaphat, quo sensu diximus, erit prope Ierusalem, ita communiter Scholastici doctores. S. Thomas 4. *dist.* 48. *q.* 1. *art.* 4. *q.* 4. *quodlib.* 10. *art.* 2. *opusc.* 60. *cap. vltimo.* Albertus *eadem dist. art.* 8. Palud. *d.* 47. *q.* 1. *art.* 1. & plures alij, quos sequitur, & citat Franciscus Suarez *tom.* 2. *in* 3. *p. disp.* 53. *sect.* 2. Neque desunt ex Scriptura sacra coniecturæ. Nam hoc ipso capite *v.* 18. di-

30. *Vallis Iosaphat metaphorica erit prope Ierusalem.*

E citur, *Dominus de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit vocem suam.* Et *Actor.* 1. hoc ipsum videntur Angeli prædixisse, cùm dicunt discipulis, qui eo in loco intentis in cælum oculis Christum suspiciebant ascendentem, *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Neque ratio deest idonea, & grauis, cur eo in loco præcipuè peragi debuerit vniuersale iudicium. Nam locus ille multis fuit ornatus à Deo beneficiis, multis nobilitatus iniuriis, quæ omnia clamant in peccatoris caput, & si alia silerent omnia, locus tamen ipse tacitus accusaret, damnarétque peccatorem. Ibi Dominus iudicatus, damnatus, & crucifixus fuit; atque ideo consen-

Vallis Iosaphat idoneus ad iudicandum locus.

consentaneum fuit vt suo sibi honori in eadem regione cõsuleret. Quare ibi iudicaturus sedet, ibi condemnat, ibi cruciat sceleratos, & impios, vt vbi erecta crux fuit ad ignominiam, ibi eadem rursus crux appareat ad Christi gloriam, vt muneret illos, qui Christi morientis ignominiã, & crucem amplexi sunt; illósque procul a se ignominiosè proturbet, qui sic suam vitam instituerunt, vt nihil sibi cum cruce voluerint esse commune. De quibus Paulus ad Philip. 3. v. 18. *Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est.*

32\. Accedit quòd hic locus licèt amœnitatis eximiæ, inferni tamen symbolum quoddam est, & à quo infernus familiare apud Hebræos nomen habet. Vt enim vallis hæc *Gehẽna* dicitur *Gehinnon*, & *Topheth* appellatur: sic etiam iisdem nominibus appellatur infernus. Vide quæ diximus in nostris commentariis in Isaiam ad illud cap. 30. *Præparata est enim ab heri Topheth, à rege præparata, profunda, & dilata, nutrimenta eius ignis, & ligna multa, flatus Domini, sicut torrens sulfuris succendens eam.* Imò vt dicit in hunc Isaiæ locum S. Thomas, opinantur Hebræi hìc esse inferni fauces, seu quædam gehennalis ignis spiracula; vt de Auerno, atque Ætna fabulantur Poëtæ, cuius rei illud argumento esse putant, quòd ibi duæ palmæ perpetuò fumant. qua fide hæc asserant, ipsi viderint. Videtur igitur locus ille idoneus iudicandæ impiorum causæ; vt qui æternis sunt alligandi tenebris, in ipso iudicentur tenebrarum aditu, & Orci faucibus.

Vallis Iosaphat inferni symbolum.

In valle Iosaphat quæ Topheth dicitur, & Gehenna fauces inferni esse existimantur.

33\. *Et disceptabo cum eis ibi super populo meo, & hæreditate mea Israel, quos dispersērunt in nationibus, & terram meam diuiserunt.*] Hæc à nobis satis, opinor, explicata sunt in expositione priori: quare non multum in illis operæ, atque studij ponemus, illa priora ad hanc sententiam, quam omnino probamus, accommodasse contenti. Quam ad rem obseruo primùm vsitatum esse in Scriptura sacra, vt per synecdochen species vna pro toto genere sumatur. Et in commendatione, seu violatione legis, habemus exempla non pauca, vbi peccatum vnum, exempli gratia, pro peccatorum omnium vniuersitate ponitur. Quomodo sabbati custodia pro totius legis obseruantia sufficitur, *Ierem. cap. 17. v. 21. & Zachar. cap. 14.* Festi tabernaculorum custodia pro aliorum omnium festorum obseruantia, & contrà horum violatio, pro omni peccato, quod ex neglecta, ac violata lege profectum est. Et in hoc ipso argumento exemplum est apertum; cùm enim in generali iudicio de peccatis omnibus exigenda sit ratio, iudex tamen ipse Christus *Mat. cap. 25. v. 42.* his qui à sinistris sunt, peccata obiicit, quæ sunt contra misericordiam. *Discedite*, inquit, *à me maledicti in ignem æternum. &c. esuriui enim & non dedistis mihi potum; hospes eram, nudus, infirmus, in carcere. &c.* Vt ergo nunc peccata obiicit, & exprobrat iudex, quæ ab animo duro, & inclemente prouenjunt; sic etiam nunc eorum peccatorum meminit Dominus, quæ in eodem propè genere sunt, quæ videlicet durè afficiunt proximos, quos expoliant bonis, quos turpi exponunt lucro, quos pro vili pretio ærumnosæ alligant seruituti.

Regula. Per synecdochen vnũ præceptum, & vnum peccatum pro omnibus simul adhibentur.

34\. Secundò obseruandum, sicut Ierusalem symbolum quoddam est, atque vmbra cælestis patriæ, sic etiam, qui aliquo modo ad Ierusalem pertinent, quales sunt Israëlitæ, symbolum quoddam esse illorum, qui in cælestis Hierosolymæ ciues ascripti, & in illorum censum relati sunt.

Solymitani ciues cælestium typus.

A Ex quo non obscurè intelligitur, quomodo, quæ hìc ab alienis populis facta commemorantur, contra populum Dei, accommodari possint vexationibus illis, calumniis, & iniuriis, quæ Dei fideles serui ab his qui alieni, id est, scelerati sunt, impiè, atque superbè pertulerunt. Quæ verò hìc subiisse dicuntur viri Israelitæ, facile accommodari, transferrique possunt ad illa, quæ viri Dei amantes a violentorum & iniquorum hominum genere quotidie patiuntur. Quare hæc omnia prætereo, & lectori attentò accommodanda relinquo, ne in re minus necessaria longior sim, quam vel-lim, & rei ipsius explicatio desiderat.

Vers. 9. *Clamate hoc in Gentibus, sanctificate bellũ,* 35.
B vsque ad, *robustos tuos.*] Hoc dicẽdi genere nil aliud significari puto, quam magnam impendere calamitatem, quam vix aliquis, omnibus aduocatis viribus, declinare possit, quæ in bello significatur, quo nihil ciuitatibus accidere, aut solet, aut existimatur horribilius. Sic Christus *Lucæ cap. 22. v. 36.* cùm significare vellet instare tempus periculosum, & turbidum, dixit discipulis, vt vendita etiam tunica gladios emant: quo loco non bellum, aut pugnam, aut militarem in modum defensionem commendabat; id enim longè aberat, & à Christi doctrina, quam acceperant Apostoli, & ab eo temporis articulo, in quo patiendi tempus erat, quando grauiter à Christo repre-
C hensus est Petrus, quòd contra Principis sacerdotum ministrum gladium exemisset. Ait igitur eo loco Christus, *Qui non habet vendat tunicam suam, & emat gladium.* Et quid eo prouerbiali dicendi modo significari vellet, statim explicuit, cùm dixit, *Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc, quod scriptum est, oportet impleri in me.* Vbi comprehensio probatur ignominiosa, & dura, hostilis rabies, iudiciorum iniquitas, flagella, spinæ, crux, & mors. Cúmque discipuli, vt erant eo tempore imperiti, & rudes, déque ea, quæ propriè dicitur contentio, & pugna, rem essent interpretati, atque ideo respondissent, *Domine ecce duo gladij hìc,* Christus illorum ignorationem coarguens dixit,
D *satis est*, id est, non est cur ea de re vobiscum agã pluribus, quando ad hæc tam hebeti estis, & imparato ingenio. Sic cùm omnes iubentur expedire arma, & ligones in lanceas, & vomeres in aratra concidere; quod idem propè est, atque aratra vendere, & arma comparare; (sicut discipuli diuẽditis tunicis emere iubentur gladios) nihil videtur prædici aliud, quàm magna rerum discrimina, & perturbationem imminere.

Belli comparatione magnus significatur metus aut periculum.

Vers. 12. *Consurgant, & ascendant Gentes in vallem* 36.
Iosaphat; quia ibi sedebo, vt iudicem omnes Gentes in circuitu.] Hæc iam faciliùs de extremo iudicio capiuntur, neque in accommodatione ampliùs la-
E borandum, cùm verba in sua propria significatione, ac vi forense ministerium, & iudicij seueritatem sonent. Illud *Gentes in circuitu*, explicandum arbitror quemadmodum nuper superiora per synecdochem; Gentes enim in circuitu illæ sunt, quæ Israeliticos attingunt fines, quales Idumæi, Palæstini, Moabitæ, Ammonitæ, & nationes aliæ, quæ cum Israelitis perpetuas gesserunt inimicitias. Sed illæ per synecdochẽ ponuntur pro omnibus, qui Dei causam oppugnant; & quid velit Deus, nihil habent pensi.

Vers. 13. *Mittite falces, quoniam maturauit messis; venite, & descendite, quia plenum est torcular, exuberant torcularia, quia multiplicata est malitia eorum.*] 37.
Modus iste loquendi per imperatiuum epitasim habet, significatque aut studium ardens eius, qui fieri

Messis, & torcular prostrage.

fieri aliquid præcipit, aut prædicit: aut futurum id breui, quod eo dicendi modo denunciatur. Quomodo proximè v. 9. *Clamate hoc in Gentibus*, &c. & cap. 2. v. 1. & 15.

38. Ad hunc, credo, locum allusum est in Testamento nouo, quoties sub messis torcularísque metaphora extremi iudicij tempus exprimitur. Sic Christus *Matth. cap.* 13. *v.* 30. cùm dixisset homo qui bonum in agro semen seminarat, seruis de zizaniis, *Sinite vtraque crescere vsque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus, colligite primum Zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum.* Postea *v.* 39. parabolam de extremo iudicij sæculo interpretatur. *Messis*, inquit, *consummatio sæculi est*, &c. idem Apocal. cap. 14. v. 15. *Et alius Angelus exiuit de templo clamans voce magna ad sedentem super nubem. Mitte falcem tuam, & mete, quia venit hora vt metatur, quoniam aruit messis.* Est autem accommodata metaphora ad explicandum vniuersale iudicium; in messe etenim non vna aut altera spica, non vnus, aut alter manipulus colligitur; sed totus omnino ager demetitur, licèt non eodem omnia successu, quæ ex agro pullularunt. Alia enim ad honorem, hominúmque mensas reconduntur, alia ad ignem seu iumentorum pabula. Sic in mundi fine subibunt omnes generale iudicium, dissimillimo tamen euentu; alij enim inde ad gloriam, & gaudium attollentur, alij ad ignominiam, & æternum angorem exturbabuntur. Maturasse autem dicitur messis, nempe tota, quia iam venit dies vni cognita Deo, quæ omne genus hominum ad examen vocat, quæ mundo erit, quod segeti æstas. Vt enim hæc segetes detruncat, ac sternit, sic illa mundum ab hominibus vastat, & alios ab aliis latè dispergit.

Messis pro extremo iudicio.

39. *Venite, & descendite, quia plenum est torcular.*] Vt priùs messores ad messem iam falci maturam aduocarat: sic nunc calcatores ad torcular, & prælum dispositam vindemiam vocat. Tunc verò calcari racemi in torculari solent, quando plenum est torcular ex rusticorum disciplina. Hæc autem vuarum compressio, & expressio musti, ingentis cladis symbolum, & prouerbialis significatio est. Sic Apoc. cap. 19. v. 15. *Et ipse reget eas in virga ferrea, & ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis.* Et *Isai. cap.* 63. cùm sermo esset de Christo triumphatore, qui magnam hostium suorum stragem ediderat, scribitur, *Torcular calcaui solus, & de Gentibus non est vir mecum: calcaui eos in furore meo*, &c. *Dies enim vltionis in corde meo, annus retributionis meæ venit.* Vide quæ diximus ad illud Thren. cap. 1. v. 15. *Torcular calcauit Dominus virgini filiæ Iuda.*

40. *Quia multiplicata est malitia eorum.*] Expectauit Dominus, vt calcaret torcular, donec ille racemorum adueniret cumulus, qui lacum, id est, præuisam à Deo antè mensuram impleret. Cùm verò sic est hominum multiplicata malitia, vt non iam ex diuino consilio ampliùs expectandum videretur, messores aduocat, & calcatores, qui negotium peragant antè definitum. Eodem, credo, modo hîc multiplicata malitia dicitur, id est, impleta, & iam omnino matura supplicio. quomodo *Genes. cap.* 18. *v.* 20. multiplicatus dicitur clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum, id est, vt legit Augustinus *lib. 4. de vita Christiana, impletus*, quasi Dominus certam peccatorum mensuram expectauerit, vt suspensam admoueret manum, quam ad illum vsque articulum à plaga sustinuerat. In hanc sententiam inclinat Hieronymus, & Haymo, Ribera, Figuerius, & alij. In eandem nos adduximus plura *in cap.* 5. *Zachariæ, num.* 23. Hæc mihi videtur neque inepta, neque violenta explicatio. Sed erit illa fortasse commodior, quæ meditatur iam omnes gentes æterno supplicio destinatas in valle Iosaphat (nam iustos non esse in valle deorsum, sed in aëre sublimes à terra, iam antè diximus,) & Dominum cùm iam nihil præterea supersit, iubere, vt quod faciunt messores, cùm iam messis est matura falci, aut calcatores, cùm plenum est torcular, id faciant Angeli diuini furoris ministri: & infelix illud hominum genus in supplicij loco, tanquam in torculari conculcent; aut à mundo, & vita quæ videri poterat vitalis, aridas segetes in area, quasi tribulis, aut ferrato, dentatóque carpento triturent.

Definita ad supplicium peccatorum mensura.

Vers. 14. *Populi populi in valle concisionis, quia iuxtà est dies Domini in valle concisionis.*] Quam suprà vallem *Iosaphat*, nunc vallem *concisionis* appellat, ab effectu: quia ibi Gentes in illum locum congregatæ concidentur, ad eum modum, quo populi impij, & aduersarij, ad vota, & preces Iosaphat in valle benedictionis perierunt. Ait igitur Deus populos populos, id est, innumerabilem populorum multitudinem (id enim valet illa vocis geminatio) esse iam in valle, & adesse diem Domini, diem nempe iudicij, quando Deus vindictam de Gente peccatrice sumet. Hæc ego ad metaphoram messis, atque messorum refero. Nam sicut in vuarum metaphora positus est locus, vbi calcantur racemi, nempe torcular, sic in metaphora messis assignari debuit locus, vbi terantur fruges, qualis est area. Et hoc, opinor, significat *vallis concisionis*, quasi dicas, *vallem areæ*, in qua congregatæ sunt messes, quæ iam tribulam expectant, aut plaustra ferrantia. Id mihi ideo persuadeo, quia vbi vulgatus *vallis concisionis*, Heb. est עמק החרוץ *emec he charus.* Vox autem חרוץ non quancunque concisionem significat, sed illam, quæ est à tribula, imò & tribulam ipsam significat, quæ terit, conciditque fruges, & granum à stipula secernit. Atque ita Hieronymus sæpe ita conuertit, vt non possit aliud intelligi, quàm tribula, aut quod instar obtinet tribulæ. Isai. 27. v. 25. *Non enim in serris triturabitur gith*, id est, serratis rotis, aut carpentis. & cap. 41. v. 15. *Posui te vt plaustrum triturans.* 2. Reg. cap. 12. v. 31. vertit *ferrata carpenta.* Quare illa videtur facilis huius loci sententia: quæ tribulam vocat aut plaustra ferrantia super aceruos metaphoricæ messis, qui in vallem tanquam in aream congesti sunt. 41.

Sunt qui *vallem concisionis* vallem separationis interpretentur, quia ibi iusti separantur à reprobis, sicut grana, quæ in folliculis, id est, inter malos promiscuè viuebant, separantur à paleis. Ita Remigius, Lyra, Dionysius, & Hugo, & fauet Tigurina translatio, quæ reddit *vallem excussionis*, & Chaldaica, *vallem diuisionis iudicij.* 42.

Vers. 15. *Sol, & Luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum.*] Hic dubitant interpretes, an hæc sint illa iudicij signa, quæ Christus dixit esse futura Mat. 24. *Statim autem post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum mouebuntur.* Sunt qui putent non de his propriè signis, sed metaphoricè tantùm esse sermonem, id est, de metu, angore, ac perturbatione animorum, quæ patientur reprobi, cùm instare 43.

instare sibi videant, à Iudice, atque vltore Deo iudicium graue, & supplicium horribile. Quo sensu supra *cap. 2.* diximus ad illud, *dies tenebrarum, & caliginis, dies nubis, & turbinis.* Ita putant hic Hieronymus, Remigius, Rupertus, & ex recentioribus Vatablus, Ribera, & Castrus. Idem sentiunt Theodoretus, & Cyrillus accommodatè ad suam sententiam. Cur verò ita sentiant, ea est, aut sola, aut præcipua ratio, quia hæc, quomodo audis à Ioele, futura sunt in ipso temporis articulo, quo iudicandi sunt, aut etiam, quo puniendi reprobi; illa verò signa obscurati Solis, & Lunæ, & stellarum obscuritas, & mœror iudicium ipsum, imò, & corporum resurrectionem antecedent. Quod multis, & optimè docet Franciscus Suarez *tom. 2. in 3. p. S. Thomæ, disp. 56. sect. 3.* Quod probat, quia, vt ex Matthæo constat *cap. 24.* nòn prius veniet iudex, quàm signa præcesserint, de quibus nunc Ioel: cùm enim illa singulatim enumerasset, subdit v. 30. *Et tunc parebit signum filij hominis venientis in nubibus cæli, cum virtute multa, & maiestate.*

Iudicij signa præcedunt iudicem.

44. Ego sanè ita puto ante iudicis aduentum, & ante suscitatos mortuos facta fuisse prodigiosa illa signa de cælo. Neque tamen ideo existimo de aliis signis hic vaticinatum esse Ioel, quàm de aliis, quæ iudicem ipsum venturum, & extremum sæculorum diem antecedent; tum quia hæc signa cùm tam sint illustria, atque horribilia, non videbantur omittenda: tum etiam, quia non dicuntur eo tempore futura prodigia, cùm illi frugum aceruì iam arentes, & torcular plenum expectant tribulam, & prælum, sed iam præcessisse. *Sol,* inquit, *& Luna obtenebrati sunt.* Quasi dicat, iam præcessērūt iudicij signa, & nihil superest, nisi vt Dominus rugiat, vibrétque condemnationis fulmen. Quare expedite falcem, aut tribulam, &c. Et de his signis accipiunt Glossa, Lyra, neque improbant Rupertus, Remigius, Hugo, Dionysius, quibus superior etiam sententia videbatur non improbabilis. Sed neque est improbabile, iudicij etiam tempore obscurata fuisse Solem, Lunam, & astra; licet longe ante illud tempus obtenebrari cœperint. Ita putant auctores hi postremi, qui astrorum obscuritatem ex eo prouenisse affirmant, quia in præsentia Christi, quicunque splendor, quantuncunque magnus sit, instar habet caliginis; aut quia cæli damnatorum tormenta, & illius diei horrorem intueri non potuerunt, & hoc postremum non displicet Hieronymo, & Ruperto.

45. Vers. 16. *Et Dominus de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit vocem suam.*] Hinc liquet, quo in loco sit vallis Iosaphat: neque enim Deus alio in loco rugiet, quàm vbi congregati fuerint illi, quos eo rugitu, & clamore concutiet: at, vt vides, rugiet de Sion, & clamabit de Ierusalem. Rugitus leonis prouerbiali specie pro re vsurpatur maximè formidanda, exempla sunt obuia. Rugitus autem ille ea vox erit, quæ reprobos iam iudicio legitimo conuictos suppliciis addicet sempiternis.

46. *Mouebuntur cæli, & terra, & Dominus spes populi sui, & fortitudo filiorum Israel.*] Occurrere videtur hic Dominus tacitæ illorum cogitationi, qui timere poterant, an ex illa rerū perturbatione aliquid accidere posset iustis incommodi, quod ipsi aut auersarentur, aut horrerent. Quis enim securum se esse credat, si cælum ruat: aut certè sic afficiatur, vt ruiturum appareat. His respōdet Deus sanctorum non solùm incolumitati, sed animi tranquillitati in illo rerum motu satis esse prouisum.

Sanctorum in iudicio securitas.

A Dabit enim spem certam salutis, ne de futuro successu sint solliciti; & fortitudinem, ne quid metuant, aut insuperabile esse suspicentur. Porrò in hoc dicendi genere particulam suspicor conditionalem subaudiri, in hunc sensum. Si cæli moueantur, & terra, & vniuersi tremat, & dissoluatur machina, non tamen iusti trement, ac pauescent; quia Deus illis spes erit, & fortitudo. Quod etiam de viro iusto cùm rectè factorum conscientia omnem pellebat ex animo formidinem, dixit quidam ex profanis hoc ipsum de viro iusto.

Si conditionalis sæpe subauditur.

Non fulminantis (terrebit illum) *magna Iouis manus;*
Si fractus illabatur orbis,
B *Impauidum ferient ruinæ.*

Huic loquendi modo similes alij occurrunt in Scriptura, in quibus hypothetica subauditur particula. Isai. cap. 51. *Leuate in cælos oculos, & videte sub terra deorsum; quia cæli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur,* &c. *Salus autem mea in sempiternum erit.* Id est, si cæli sicut fumus liquescant, & terra atteratur, salus mea nunquam deficiet. & Mat. cap. 24. *Cælum, & terra transibunt; verba autem mea non præteribunt.* Quod Christus ipse docuit *Lucæ cap. 16.* qui hanc ipsam sententiam per comparationem expressit. *Facilius est cælum, & terram præterire, quàm à lege vnum iota cadere.* Neque duo hæc loca eandem possent habere C sententiam, nisi in priore particulam conditionalem intelligas. Vide plura in nostris commentariis ad illum locum, quem proximè ex Isaia citauimus. 47.

Vers. 17. *Et scietis quia ego Dominus Deus vester habitans in Sion in monte sancto meo.*] Sion hìc pro cælesti beatitudine ponitur, quia illius est typus, sicut etiam Ierusalem. Quare idem est sensus, ac si diceret; cùm obscurari cœlum videritis, & nutare terram, & tantam in rebus omnibus fieri mutationem, sicut nunc futuram esse prænuncio, tunc cognoscetis esse me Deum, & idolorum stultam superstitionem condemnabitis. 48.

Et erit Ierusalem sancta, & alieni non transibunt per eam amplius.] Ierusalem intelligo cælestem, sicut D proximè dixi de Sion, quæ futura dicitur sancta, quia in illam nihil immundum, aut contaminatum intrabit, *Apocal. cap. 21. v. 27.* Sed illud habet nonnihil difficultatis, quia non ampliùs dicuntur per illam Ierusalem alieni transituri, quod in terrenam difficile non est: at quomodo possit in cælestem cadere, non est ita facile cogitatu. In terrenā ingressi sunt sæpe alieni, Chaldæi nempe, & qui ex aliis Gentilium populis auxiliares illis manus applicuere: at cælestem Ierusalem nunquam obtinuerunt, aut intrarunt alieni, nempe reprobi, qui *Apocal. cap. 21.* dicuntur contaminati, seu immundi. Id verò videtur significare E illud *non ampliùs*, quod ita negat in posterum, vt tamen aliquid antè contigisse concedat; quomodo dicimus illum, qui à regia dignitate deiicitur, illum non ampliùs regnaturum, qua voce illum aliquando regnasse confitemur. 49.

Sed neque deest quid huic obiectioni responderi possit, illud primum, æternam futuram esse cælestis patriæ possessionem; neque enim in ea futurus est vnquam alienus, id est, peccator; quin sicut Angeli quondam apostatæ, ex ea deturbentur; quare nullus erit, qui de casu aut æternæ possessionis iactura timendum putet. Sed est alia solutio promptior, atque facilior. Nam sicut vox Hebraica עוד od, sic etiam Latina *non ampliùs*, *non vltrà*, 50.

Digitized by Google

Regula. Non amplius, non vltrà, aliquando nullum dicunt respectum ad præteritum, & idē valēt, quod nunquam.

vltrà, & similia, sic aliquid negant in futurum, vt non semper aliquid eiusmodi aliquando factum esse fateantur. Adduci possent plura, duo pro multis exempla accipe, alterum ex *cap.*13. *Actuum*, vbi Paulus *v.*34. dixit de Christo, *Quòd autem suscitauit eum* (nempe pater) *à mortuis amplius iam non reuersurum in corruptionem*, &c. Neque tamem vnquam Christus corruptionem est passus, vt probat eo loco Paulus. Et Tobiæ *cap.*3. *v.*9. cùm Sara Raguelis filia virgo esset; vt constat ex *cap.*6.*v.*22. tamen audiuit ab ancilla, *amplius ex te non videamus filium, aut filiam.* Quare his locis *non amplius*, idem est quod *nunquam*. & idem sæpe valet עד לא *lo ad*, quod codex habet Hebraicus.

51. Vers.18. *Et erit in die illa stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte, & per omnes riuos Iuda ibunt aquæ.*] Quæ altiora sunt, quàm quæ ab humano sensu capi, aut cógitatione comprehendi possint, illa accommodatè ad humani ingenij tarditatem explicari solent. Nihil autem capit humani infirmitas ingenij sublime, & à sensu remotum, nisi ad earum rerum similitudinem, quæ sensibus occurrunt: eiusmodi sunt cælestia, atque diuina, quæ Deus iustorum esse voluit meritorum præmia, quæ nec oculus vidit, neque auris audiuit, neque in corda hominum vnquam ascenderunt. Quare in imagine licèt rudi, & ex sensibilibus expressa sumenda sunt, non ex ignota ipsius beatitudinis natura. Sic *Apocal. cap.* 21. & 22. cælestis patria eo modo describitur, quo illa, quæ vulgo hominum maximæ existimantur amœnitatis, ac pretij. Quare ibi ciuitatem legis omni genere ornamentorum instructam, ibi gemmæ radiant, riui clarissimi collucent; arbores pulcherrimo vestitu splendent, & suauissimos quoquo versùs odores aspirant; quia hæc homines in terra maximè admirantur, & amant. In terra promissionis hoc puto æstimabatur maximè, si in montibus copiosum esset, & felix melliticium, ita vt montes dici possent stillare dulcedine; aut si felix esset vinearum prouentus, & vini generosi dulcedo, omnem locum impleret. Si copiosi essent, & fœcūdi greges, propter quod lacte campi, saxaque diffluerent, denique si imbres, ex quorum abūndantia pendet regionis illius spes, & fortuna, sic essent copiosi, vt riui qui vacui sæpe sunt, & aridi, aquis semper abundent.

Regula. Cælestia, atque sublimia, per sensibiliū imagines cognoscuntur.

52. *Et fons de domo Domini egredietur, & rigabit torrentem spinarum.*] Fons ille, qui egressurus dicitur de domo Domini, est ille de quo Apocal.cap.22. *Et ostendit mihi fluuium aquæ viuæ, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei, & agni.* De quo item Psal.35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos; quoniam apud te est fons vitæ.* Fons iste aliquot post annos ostensus est Ezechieli *cap.*47. qui de templo, quæ domus Dei erat, abundanter egressus, latè complebat, & fœcundabat agros: dum autem de domo Domini egressurus dicitur, vberes promittit, & iuges aquas, quæ & puræ sunt, neque illas iniuria vlla temporum, aut hominum quantacunque sitis exhauriet.

53. *Et irrigabit torrentem spinarum.*] Inter spinas dicuntur habitare, qui vitam agunt ærumnosam, quibus nihil est molle, nihil, quod exhilaret animum, aut blandiatur sensibus. Hanc vitam ducunt, qui ad cælum adspirant, & humana omnia tanquam fluxa, & peritura contemnunt; qui voluptates respuūnt, & quod de miseris dixit Iob *cap.*30. *v.*7. licèt alio sensu, *in desertis habitabant torrentium, & esse sub sentibus delicias computabant.* Has itaque spinas irrigabit fons, qui Dei ciuitatem lætificat, efficietque vbere suo, atque perenni fluxu, vt nihil in spinis spinosum appareat, & qui spinosam, & duram amplexus est vitam, colligat de spinis vuas, & de tribulis ficus; quod fieri negat hominum vulgus, quod sua consilia humana consideratione metitur, ex quorum consuetudine, naturæque proprietate hoc etiam Christus *Math. cap.*16. negauit. Sed efficiet fons ille cælestis, vt suauitatis, & mollitudinis æternæ prouentus ex spinarum aculeis repentè proueniat.

Pœnitentia fructus.

Vbi vulgatus *torrens spinarū*, Heb.est נחל השטים *nachal ha siim.* Est autem נחל non solùm aqua decurrens alueo conclusa, sed etiam locus ipse, per quem aqua ex imbre collecta delabitur; licèt in se aquarum nihil habeat. Qualis est angusta vallis, & longis alluuionibus excauatus locus. In huiusmodi autem depressis angustiis solent hinc inde pullulare frutices plerunque spinosi, vt rubi, rhamni, & mille aliæ arbustorum species, quæ quia non nisi rarò, idque non semper opportuno tempore rigantur, inamœnæ sunt, & non admodum à syluestribus diuersæ. An verò hic locus aliquis significatur certus, qui vocetur *torrens spinarum*, (vt videtur accepisse Hieronymus, qui illum statuit trans mare mortuum in regione Moabitide) seu locus alius, vt alij volunt, qui hac etiam in re variè sunt inter se dissecti. An commune sit nomen torrentis, cuius vtrinque ripæ senticetis horreant, nihil est certum. Atque ideo in eà re exploranda frustrà videor operam esse sumpturus. Quid sit שטים, non est omnino certum, constat spinosam esse plantam, de qua hìc late Hieronymus, qui illius lignum imputribile vocat, de quo nos in nostris commentariis in Isaiam *cap.*41. ad illud, *dabo in solitudinem cedrum, & spinam.* 54.

55. Quod ad sensum attinet moralem, multa hîc Hieronymus, & in Apologia ad Pāmachium aduersùs Iouinianum in fine; vbi docet illud esse proprium huius fontis, vt spinas peccatorum in veræ iustitiæ fructus commutet. Sic autem hîc Hieronymus: *Egredietur fons de domo Domini, quæ interpretatur Ecclesia, de quo Ezechiel, & Zacharias ponunt in fine voluminum suorum, vt spinas nostras, & vitia, atque peccata, quæ nullam frugem habuere iustitiæ, commutent in Domini noualia: & ariditatem nostram rigent aquis largissimis, & pro spinis, ac vepribus flores virtutum multiplices germinemus. Et in eo loco, vbi quondā fornicatus est Israel, & initiatus est Beelphegor. Lilia castitatis, & rosæ pudoris ac virginitatis exuberent.* Non longè hinc abit Nazianzenus in oratione Quadragesima. Vbi cum LXX. *torrentem* appellat *iuncorum. Beatus*, inquit, *qui licèt iuncorum torrens sit, de domo tamen Domini rigatur, atque ex iuncifero frugifer efficitur, pastúmque eum, qui hominibus aptus sit, profert, non autem asperum, & inutilem.* Putat autem Nazianzenus torrentem spinarum, siue iuncorum esse Baptismum. Placet hæc Hieronymi expositio; verùm quia hæc de bonorum præmio, quod in cælesti patria consequentur, accipienda, plures, & in his etiam Hieronymus ipse putat, magis est explicatio præcedens, quæ etiam est ad mores accommodata.

Pœnitentia vis.

56. Vers. 19. *Ægyptus in desolationem erit, & Idumæa in desertum perditionis.*] Duplex est eorum, qui examen subibunt extremi iudicij status, atque exitus. Alij enim attollentur ad gloriam, æternásque delicias; & horum est symbolum, & imago Dei populus,

populus, de quo proximè. Alij deprimentur ad tartara, æternumque supplicium; & horum nunc adducit accommodatum symbolum, Ægyptios videlicet, & Idumæos, quorum corrupti mores, & animi iam olim ad Israelitici populi exitium intěti. Quibus a Deo clades indicitur, & vastitas, quia immites fuerunt vtrique in Iudæorum genus, eo fortasse tempore, quo excisa a Chaldæorum exercitu Hierosolyma, superstites à captiuitate, & cæde perfugium sibi apud Idumæos, & Ægyptios quæsierunt. A quibus nihilo fuerunt accepti mitius, quàm qui extorres abducti fuere Babylonem. De Ægyptiis habes apud Ieremiam *cap.44. v.27.* vbi viri Iuda, qui in Ægyptum abiere præsidij gratia consumendi dicuntur ibi fame, atque gladio. Neque mitiùs accepti fuerunt ab Idumæis, quos semper habuerunt sibi contrarios. In desolata autem Ægypto, & Idumæa deserta accommodatè ad regionum naturam maxima significatur infelicitas, neque enim quicquam accidere potest ciuitatibus infelicius, quàm si ab habitatoribus, cultoribúsque deserta in solitudinem redactæ syluescant.

57. Vers. 20. *Et Iudæa in æternum habitabitur, & Ierusalem in generationem, & generationem.*] Opponit Iudæam, & Ierusalem Ægypto, & Idumææ, & vt his vastitatem, id est, extremam calamitatum omnium, quæ accedere possunt ciuitati, denun-
58. ciat. Sic illis eam, quæ summa existimatur esse felicitas, æterna videlicet habitatio.

In die iudicij omnino iusti ab iniuriis vendicantur.

Vers. 21. *Et mundabo sanguinem eorum, quem non mundaueram.*] Ad illud vsque tempus videri poterat Deus non omnino vltus iniurias, quas sanctis intulerunt iniusti, ac violenti, quia illos iniuriis affectos esse constabat, neque tamě omnes illorum innocentiam agnouerant. Tunc verò Deus quando omnium hominum opera ad generalis iudicij trutinam adducantur, palàm faciet, & quid aduersi, sine vllo suo merito tulerint viri pij, & quid violenter irrogarint iniuriæ viri scelerati. Illud verò est mundare sanguinem, id est, tollere infamiæ notam, quæ sanctorum nomini aspersa fuit. Neque nouum est etiam apud profanos, vt *mundare, expiare, purgare*, & similia vltionem significent, neque id inuita metaphora. Nam, vt fert vulgi opinio, ille ex oblata ab aliis contumelia in sordibus videtur esse, qui non illam à se, per vindictam detersit: tunc autem aut iniuriam, aut seipsum vlciscitur, purgátque, quando in auctoris caput iniuriam, aut contumeliam retorquet. Mundabit itaque sanguinem iustorum Dominus, cùm ab illis quicquid in opinione hominum contumeliæ, aut turpitudinis hæserat, munerata illorum vita, & damnato aliorum capite expiabit. Hoc videbantur expetere iustorum animæ *Apocal. cap.6.* cùm clamabant, *Vsquequò Domine sanctus, & verus non indicas, & vindicas sanguinem nostrum, de his, qui habitant in terra.* Ita Hieronymus in priori explicatione, Theodoretus, Remigius, Albertus, & Hugo.

Et Dominus commorabitur in Sion.] nempe cæle- 59.
sti, quæ summa erit Beatorum felicitas, quia ab illorum oculis numquam aberit Deus: neque præsente illo, séque fruendum tam impensè ac liberaliter præbente, quicquam timeri potest aduersi.

Finis commentariorum Ioelis.

IN

Digitized by Google

IN AMOS PROPHETAM COMMENTARII.

PROLEGOMENON I.

De patria, & genere Amos.

1. *Patria Amos.* PATRIAM suam ipse prodit Propheta statim in principio, licèt in ea se natum fuisse non dicat. Satis tamen est verisimile natale illi fuisse solum, quando ibi vixit, & inter pastores pastoritiam ipse vitam instituit. Fuit igitur Thecua ipsius patria, quę, Hieronymo teste *in cap. 6. Ieremiæ* distat à Ierusalem duodecim milliaribus, & sex à Bethleem ad Australem plagam, eodem teste *in prologo super Amos.* Hæc verò ciuitas pertinebat ad tribum Iuda, vt situs ipse docet, qui, vt vides, proximus est duabus ciuitatibus, quæ in tribu Iuda maximis fuerunt nobilitatæ miraculis, & docet apertè Hieronymus in hunc Prophetam *cap. 5.* ad illud, *Væ desiderantibus diem Domini.* Et *cap. 7.* ad illud, *Fuge in terram Iuda.* Sunt, qui aliis tribubus hanc ciuitatem ascribant, in quibus est Rab. Dauid, qui dicit esse de funiculo Asser, sed loquitur sine vllo fundamento. Epiphanius de tribu Zabulon esse putat, reliqui cum Hieronymo de tribu consentiunt.

2. *Thecuitis fœmina auia existimatur Amosi, sed falsò.* Ex hac ciuitate fuit illa fœmina Thecuitis, de qua *lib. 2. Reg. cap. 14.* quæ in parentis gratiam reuocauit Absalon, quæ, vt *in lib. de locis Hebraicis, in lib. 2. Regum*, ex aliorum sententia ait Hieronymus, auiam fuisse Prophetæ existimatur, sed sanè ex communione loci, non admodum graue ducitur argumentum. Fuit Thecua Hieronymi ætate exiguus quidam vicus, cùm superioribus sæculis oppidum esset fortasse non ignobile. Sic autem Hieronymus in Ieremiæ locum, de quo proximè: *Thecuam viculum esse in monte situm, & duodecim millibus à Hierosolyma separatum, quotidie oculis cernimus.* Ab hac porrò ciuitate ad mare vsque rubrum per spatia longissi-A ma vasta est solitudo, *vltra*, inquit in Prologo Hieronymus, *nullus est viculus, ne agrestes quidem casæ, & furnorum similes, quas Aphri appellant Mapalia, tanta est eremi vastitas, quæ vsque ad mare rubrum, Persarúmque, ac Aethiopum, & Indorum terminos dilatatur. Et quia humi arido atque arenoso* (sic apud Hieronymum lego, forsan error irrepsit) *nihil omnino frugum gignitur, cùm ita sunt plena pastoribus, vt sterilitatem compensent pecorum multitudine. Ex hoc numero pastorum, & Amos propheta fuit, imperitus quidem sermone, sed non scientia.* Eadem penè Isidorus, Cyrillus tamen alia tradit aliquãtulum diuersa in præfatione super Amos.

B *Vixit*, inquit, *in solitudine Iudæi, quæ versus austrum sita ad fines maris Indici pertinet, & ad Persidem vsque porrigitur, in qua Gentes quamplurimæ pascunt. Est enim propter amplitudinem, irrigationem, herbarúmque diuersitatem ad ouium greges alendos percommoda.*

De genere nihil habemus in Scriptura sacra, quia ipse de parente silet; quod non fecerunt Prophetarum plerique, cur siluerit variæ à variis afferuntur causæ. 3. *Genus Amos.* Quidam putant ideo ab Amos parentis nomen fuisse præteritum, quia ignobilis erat, & rusticus; cuius nomen nullam filij vaticiniis auctoritatem conciliaturum videbatur.

C Ideo enim censent parentum nomina prophetiarum titulis præfigi, vt generis splendor splendorem quoque, ac fidem vaticinio conciliet. Ego aliam suspicor esse causam non propriam Prophetarum, sed communem cum his, qui cum aliis nomen habuerunt commune. *Parentum nomina cur adhiberent Hebræi.* Quomodo duo Iacobi parentum nominibus secernuntur, alter enim vocatur Zebedæi, alter Alphæi filius, neque alia nota Ieroboam filius Nabat, ab alio sibi cognomini, nisi parentis nomine distinguitur. At, opinor, nullus fuit Amos, aut siquis alius ita obscurus, vt ab eo nulla nota noster Propheta separari debuerit. Aut si nobilis, cùm nulla Propheram nobilitas commendaret, satis ipsa ob-

Digitized by Google

ſcuritate generis, & ſylueſtri vitæ modo diſtinguebatur, quem ipſe prodit, dum ſe armentarium eſſe dicit, & ſycomoris veſci, quæ paſſim occurrunt, his qui in agris ſylueſtrem agunt, & ignobilem vitam. A

4. *Amos Propheta alius à patre Iſaia.* Illud hic obſeruandum, hunc Amos non fuiſſe Iſaiæ parentem, quod, vt aliqui exiſtimarent, fecit Latinæ tranſlationis ſimilitudo, tam enim Iſaiæ pater, quàm Propheta noſter vocatus eſt Amos. Id exiſtimauit Epiphanius in illius vita, & Clemens Alexandrinus *lib.* 1. *ſtromatum*, non longè à medio. Cedrenus *in compendio hiſtoriarum*. B Auguſtinus dubitat *lib.* 18. *Ciuit. cap.* 27. putat Hieronymus *in cap.* 38. *Iſaiæ*. vbi Iſaias dicitur filius Amos prophetæ, ſicut etiam *lib.* 4. *Reg. cap.* 20. ſed mutauit poſtea Hieronymus ſententiam, & omnino negat Amos, qui vnus fuit è duodecim Prophetarum numero, Iſaiæ fuiſſe parentem. & rationes adducit, cur mutarit ſententiam, quia ſi Hebraicas voces conſideres, longè hic Amos ab altero diſſimilis apparebit; cùm in vna tantùm litera conueniant, diſcrepantibus aliis. C Pater enim Iſaiæ dicitur אמוץ, id eſt, *fortis*, atque *robuſtus*; Propheta verò עמוס, id eſt, *populus conſulſus*, vt Hieronymus ipſe interpretatur. Deinde quia, vt eſt communis tam Hebræorum, quàm noſtrorum ſententia, Iſaiæ pater Amos tam longè erat, vt armenta paſceret in agro Thecuano, & ibi ſycomori poma diſtringeret, vt è regio genere natus exiſtimetur, & Amaſiæ regis frater. Neque loca quę modò produximus ex *Iſai cap.* 38. *& lib.* 4. *Reg. cap.* 20. huic cogitationi quicquam officiunt: D vt enim modò habēt Sixtiani codices, illud *Propheta* non cum Amos Iſaiæ parente, ſed cum Iſaia filio coniungitur, ſic enim legimus in correctis codicibus, non *Iſaias filius Amos prophetæ*, ſed *Iſaias filius Amos propheta*.

PROLEGOMENON II.

De Propheta huius vita, & inſtituto.

5. *Amos paſtor & propheta.* FVit paſtor, & Propheta. De vtroque apertum habemus ab ipſo Propheta teſtimonium. E *cap.* enim 7. *v.* 14. ſe armentarium eſſe, & more aliorum, qui vitam agunt ſylueſtrem, & ruſticam, victu ſuſtentari ſylueſtri, ac duro. & ſtatim *v.* 15. conſtitutum ſe dicit à Domino Prophetam. Sed dubitare aliquis poſſet, quomodo ſi Propheta eſt Amos, quod negare nemo poterit, ipſe ſibi nomen illud, atque officium negat. *Non ſum*, inquit, *Propheta, & non ſum filius Prophetæ, ſed armentarius ego ſum.* Reſpondet huic quæſtioni Gregorius lib. 2. moral. cap. 41. *Quia eadem*, inquit, *hora qua requiſitus eſt, prophetiæ ſibi ſpiritum deeſſe ſenſit, teſtimonium de ſemetipſo veraciter intulit, dicens: Non ſum Propheta. Qui tamen ſecutus adiunxit: Et nunc audi verbum Domini*, &c. *Quibus Prophetæ verbis apertè oſtenditur, quia dum de ſe illa loqueretur, impletus eſt, & mox habere ſpiritum prophetandi meruit, quia ſe Prophetam non eſſe humiliter agnouit.* Addit deinde plura in hanc ſententiam. Bene quidem Gregorius, ſed eius ſententia eo laborat incommodo, quòd Propheta ex vſu Scripturæ non ſolùm ille dicitur, qui diuinas actu illuſtrationes accipit, & reipſa prophetat, ſed qui ſpiritu afflari ſolet prophetico, & aliquando futura prædicere. Quomodo malè negaret nauta, ſe nautam eſſe, etiamſi neque nauem actu regat, neque ventus aſpiret ad nauigandum opportunus. Alia eſt ergo reddenda negationis cauſa, quæ, meo iudicio, difficilis non eſt.

Dixit Amaſias *cap.* 7. ad Amos, cuius verba minacia impatienter audierat. 6. *Amos cur ſe prophetam eſſe neget.* *Qui vides* (id eſt, qui prophetandi miniſterium exerces) *gradere, & fuge in terram Iuda, & comede ibi panem, & prophetabis ibi.* Loquitur autem Amaſias, quaſi Amos ex prophetico miniſterio quæſtum inſtituiſſet, & lucrum captaret, quaſi artem exerceret quæſtuariam, & ex illa viueret. Ad quam Amos reſpondet ſe non eſſe Prophetam, qualem nempe exiſtimabat, aut fingebat Amaſias: qui ſpiritum, quaſi artem, aut manus contuliſſet ad quæſtum; ſed habere miniſterium aliud, quo pararet ſibi victum, eſſe videlicet armentarium, neque præterea ſibi ad victum artem aliam vrbanam, & magis ingenuam eſſe neceſſariam: cùm ſibi ſatis eſſet paratus cibus à ſycomoris, quarum poma diſtringeret. Quæ verba reſpōdent illius Amaſiæ verbis; *& comede ibi panem.* Quaſi dicat, de pane non laboro, cùm à ſycomoris, quæ vbicunque ſunt obuiæ, cibus mihi ſufficiat. Cui etiam cogitationi fauet plurimum, quod à Propheta dicitur ſtatim, *Non ſum filius Prophetæ.* Quo ſignificat propheticum ſpiritum nō eſſe artificiū humanum, quod à parentibus filij, aut ab artifice diſcipuli doceri ſoleant. Eſt autem hoc in omni penè natione vſitatum, immo, & nōnullis ſeuera lege cautum, ne filius aliam artem, aut quæſtum exerceat, niſi quam parētes didicerunt. Quare dum Amos negat ſe filium eſſe Prophetæ, id planè videtur negauiſſe propheticum ſpiritum non eſſe humanum opus, aut miniſterium, quòd à parentibus filij doceantur. Neque illud vbiuis Gentium exerceri poſſe ſicut humanum quodlibet artificium: ſed eo tantùm

Digitized by Google

in loco, in quo Deus aliquid denunciari velit. Quare Amos prophetat in Samaria, quia contra regionem illam prophetico afflabatur, & incitabatur spiritu; non in Iudæa tunc, cùm eò ab Amasia mittebatur: quia in illam tunc nullum à Deo vaticinium acceperat. Hæc mihi soluta, & facilis videtur explicatio, neque aliena videtur aut difficilis illa, quæ negaret ideo Amos negare se esse Prophetam, quia habitum non gestaret prophetalem, sed agrestem, & rusticum, qualis esset Thecuano pastori familiaris. Erat enim certus, & quasi legitimus Prophetarum habitus, saccus videlicet cilicinus, qualem Ioannes habuit, qui tegumentum habuit ex pilis camelorum contextum, quæ optima cilicij descriptio est. Talem habuit Elias, qui *lib. 4. Reg. cap. 1.* & Isaias *cap. 20.* cui dixit Dominus, *solues saccum de lumbis tuis.* quod esse Prophetarum insigne docuit apertè Zacharias *cap. 13.* qui saccum cilicinum dicit non ampliùs sumendum ab illis, qui eo indumenti genere se Prophetas esse simulabant. *Non,* inquit, *operientur pallio saccino, vt mentiantur.* Hoc videtur modo negare Amos se Prophetam esse, habitu nempe, ita vt ex illo quis cognoscere possit ministerium propheticum.

Peculiaris Prophetarũ habitus.

7\. Quòd pastor etiam fuerit Amos, ipse docuit locis proximè citatis, sed qualis sit pastor, non omnes conueniunt, cùm pastoris, & armentarij nomen latè pateat. Sicut enim agricola, & arator dicuntur non solùm, qui suis manibus aut agros colunt, aut boues agitant, sed etiam qui agros habent, quos aliorum opera subigunt, & exercent; sic pastores dicuntur, non solùm, qui rusticam, & duram vitam agunt in syluis, qui sequuntur greges, qui pernoctant sub dio, sed qui re abundant pecuaria, quique non tam curatores sunt, quàm gregum domini. Quales vocari potuerunt Nabal, Laban, & ipse etiam Iacob, cùm iam ætate grauis aliis gregum custodiam commendasset. Sanè Cicero Deiotarum regẽ pastorem vocat, & agricolam, quia re pecuaria, & rustica diues erat. *Vt non solùm,* inquit, *tetrarches nobilis, sed diligentissimus agricola, & pecuarius haberetur.* Quidam in horum numero ponunt Amos, virúmque potentem esse dicunt, & non tam custodem, quàm dominum numerosi gregis. Ita sentiunt Chaldęus, qui transtulit illud cap. 1. v. 1. *Verba Amos, qui fuit dominus gregum de Thecua.* & nomen Heb. נקד *noked*, illud videtur indicare, quod non tam videtur significare custodem, quàm dominum gregum. Sane eo nomine vocabatur Mesa rex Moab 4. *Reg. 3. v. 4.* quem tamen custo-

Amos pastor.

Pastor dicitur, qui re abundat pecuaria.

A dem gregis esse nemo sanus existimabit. *Porrò Mesa rex Moab nutriebat* (Heb. erat *noked*) *pecora multa, & soluebat regi Israël centum millia agnorum, & centum millia arietum.*

Sed est communis, & vera sententia, rusticum, & pauperem fuisse Amos, & gregis fuisse custodem, incertum tamen an suum pauerit, vel suam alieno pascendo operam locarit. Quòd pascendo gregi armentariam operam dederit, ipse docet cap. 7. *Tulit me Dominus cùm sequerer gregem, & dixit Dominus ad me: Vade, propheta ad populum.* B Quòd pauper fuerit, ex eo liquet, quod ibidem ait, *Armentarius ego sum, vellicans sycomoros.* qui cibus illorum est, quorum est rustica, & angusta conditio. 8.

PROLEGOMENON III.
De obitu Amos.

9\. EX sacris literis nihil habemus certum: communis tamen est Patrum consensio, vexatum sæpe, ac verberatum fuisse ab C Amasia, non quidem rege, vt putauit Isidorus *in lib. de vita, & obitu sanctorum, cap. 43.* sed sacerdote, vt expressè docent alij omnes, &, quod apud me magnum habet pondus, Martyrologium Romanum *pridie Calend. Aprilis.* Cuius hæc sunt verba, *Thecue in Palæstina* (mors) *sancti Amos prophetæ, quem Amasias sacerdos frequenter plagis afflixit, & filius eius Ozias vecte per tempora transfixit. Qui postea semiuiuus in patriam deuectus, ibidem expirauit, sepultúsque est cum patribus suis.* Hæc Martyrologium, quæ D sumpta sunt ex Isidoro *suprà*, & maximè ex Epiphanio *lib. de vita, & interitu Prophetarum, cap. 12.* & Dorotheo *in Synopsi cap. 2.* Cyrillus in præfatione ait ab Amasia contritos esse Prophetæ dentes; sed sanè ea fuit illius constantia, vt licet edentulus, non tamen fuerit elinguis: neque minus fuerit in loquendo liber, quàm si os habuisset illæsum, & integrum. Neque deest aliquod in Scriptura vestigium. Nam *cap. 7. v. 10.* Amasias sacerdos inuidiam conflare voluit Prophetæ apud Ieroboam, quasi regnum E conturbaret. Neque alio modo impius sacerdos vlturus videbatur voces, quas contra se audiuit à Propheta, plenas terroris, & spiritus. *Vxor,* inquit, *tua in ciuitate fornicabitur, & filij tui, & filiæ tuæ in gladio cadent,* &c.

Obitus Amos.

PROLEGOMENON IV.
Quo tempore prophetârit.

10\. QVo tempore prophetauerit Amos, ex ipsius prophetia non obscurè colligitur,

Quo tempore prophetarit Amos.

tur, vbi dicit ſe prophetaſſe in diebus Oziæ, & Ieroboam filij Ioas; quandiu prophetauerit non conſtat, neque vlla ex Scriptura ſacra ſumi poteſt coniectura grauis. Arias Montanus biennio tantùm Prophetam vaticinatum eſſe putat, ídque ex eo colligere ſe affirmat, quia Propheta ipſe ſcribit ſtatim in principio, ante duos annos terræ motus, cuius hanc putat eſſe ſententiam. *Qui vidit ſuper Iſrael in diebus Oziæ biennium, ídque ante terræ motum.* quod videtur indicare Chaldæus, qui ſic reddit: *duobus annis antequam veniret terræ motus.* Cuius ſententia ex eo videtur aliquid probabilitatis habere, quòd Amos biennio ante terræ motum aggreſſus eſſe dicitur vaticinium, ſed in eo terræ motu perfunctus fuiſſe traditur regno Ozias; cuius dominatũ non exceſſit vaticinium Amos. Eodem igitur anno, ſuo quoque prophetali munere perfunctus eſt Amos. Quod verò terræ motus ille finem attulerit imperio regis Oziæ, veriſimile fit ex eo quod ſcribit Ioſephus *lib. 9. Ant. cap.* 11. nempe tunc contremuiſſe terram, quando Ozias ſacerdotis ſibi munus aſſumpſit. Tunc autem, vt dicit eo loco Ioſephus, & conſtat ex *lib. 2. Paralip. c. 26. v.* 19. percuſſus eſt lepra, & iuxta legem excluſus à ciuitate, aut ſaltem à domo regia, cuius loco ex eo tempore filius eius Ioatham regni gubernacula ſuſcepit. Quare ſi tempore Oziæ prophetauit Amos, non plures fuerunt duobus annis ex quo cœpit vſque ad ciuilem regis interitum, id eſt, quouſque regnare deſiit; ſatis eſt veriſimile, intra biennij ſpatium definitam eſſe prophetiam Amos, & huc ego vehementer inclino.

PROLEGOMENON V.

Contra quos, & de quibus prophetauerit.

11. *De quibus rebus prophetauit Amos.*

PRophetauit præcipuè contra decem tribus, vt ipſe docet ſtatim, *in principio.* Verba Amos, *quæ vidit ſuper Iſrael,* quod ex toto libro facile conſtabit. Sed vt Prophetæ alij licèt contra vnam aliquam nationem vaticinium intorqueant, interdum tamen quaſi ex tranſcurſu ad nationes alias digrediuntur; ſic etiam Amos cùm eò præſertim minas intenderit, vt admoneat, concutiátque decem tribus Iſrael, aliquando tamen nationes alias minaci vaticinio compungit. Exemplum habemus in Oſea, & Ioële, quorum proximè vaticinia commentatione Inſtrauimus, alter enim cùm de decem tribubus aggreſſus eſſet vaticinari, nonnihil adiecit de duabus, alter ſic de duabus agere inſtituit, vt non parum de decem admiſcuerit. Sic omnino Amos, cùm illi propoſitum eſſet, contra decem

A tribus vaticinari, eóque præcipuè ſpiritus illum propheticus incitaret, tamen non pauca retulit ad duas tribus, & ad nationes alias gentilicas, quæ in Dei populum animum habuerunt infenſum, & armatum. Hunc porrò omnium primum prophetaſſe contra Iſraelem docet ex Hebræorum ſententia Hieronymus *lib. 3. cap. 7. in Iſaiam.* Quæ porrò fuerit tanti vaticinij materies dixit Hieronymus *in epiſtola ad Paulinum,* vbi etiam paucis explicat ad quas Gentes illius ſpectant vaticinia. *Amos,* inquit, *paſtor, & ruſticus, & ruborum mora diſtringens* B *paucis verbis explicari non poteſt. Quis enim dignè exprimat tria, & quatuor ſcelera Damaſci, & Gazæ, & Tyri, & Idumææ, & filiorum Amon, & Moab, & in ſeptimo, & octauo gradu Iuda, & Iſrael? Hic loquitur ad vaccas pingues, quæ ſunt in Samaria monte, & ruituram domum maiorem, minorémque teſtatur. Ipſe cernit fictorẽ locuſtæ, & ſtantem Dominum ſuper murum litum, vel adamantinum, & vncinum pomorum attrahentem ſupplicia peccatoribus, & famem in terram, non famem panis,* C *nec ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Dei.*

PROLEGOMENON VI.

De ſtylo, & charactere ſermonis.

12. *Amos eloquens.*

HIeronymus *in proœmio Commentariorum Amos ad Pammachium,* ſermonem illius imperitum eſſe dicit: hauddubiè in ſtylo, ac phraſi, nam de re ipſe fatetur, ſermoni illius non defuiſſe ſcientiam, qualem acceperunt à Deo Prophetarum reliqui. D *Ex numero,* inquit, *paſtorum Amos propheta fuit, imperitus ſermone, ſed non ſcientia; idem enim, qui per omnes Prophetas ſpiritus ſanctus loquebatur.* Longè aliter putat Auguſtinus *lib. 4. de doctrina Chriſt. cap. 7.* vbi optimè docet ſacris literis ineſſe germanam eloquentiam, quæ ſapientiæ adhæret, quaſi inſeparabilis comes, vbi poſtquam varia produxit exempla, tandem deſcendit ad Amos, qui omnium maximè ab his, qui ignorant, in quo ſpectari debeat eloquentiæ laus, ruſticitatis arguebatur. Sed E eo loco Auguſtinus ab hac illum ruſticitatis nota defendit, & in eo eximiam quandam eloquentiam eſſe dicit. Expendit autem locum illum ex *cap. 6.* vbi contra homines ſuperbos, luxurioſos, & fraternæ charitatis immemores ita clamat. *Væ vobis qui opulenti eſtis in Sion,* &c. In quibus verbis admirabile quoddam artificium agnoſcit Auguſtinus, tam ad motum, quàm ad ornatum, & venuſtatem orationis. quod tu vide apud ipſum, neque enim huc totum tranſcribere neceſſarium eſt. Illud dicam ſtatim poſt repetita Prophetæ verba ſubie

Auguſtini de Amos eloquentia iudicium.

subiecisse Augustinum, *Num quidnam isti, qui Prophetas nostros tanquam ineruditos, & eloquutionis ignaros veluti docti, disertique contemnunt, si aliquid eis tale, vel in tales dicendum fuisset, aliter se voluissent dicere, qui tamen eorum insanire noluissent. Quid enim est, quod in ipso eloquio aures sobriæ plus desiderent?* Et postquam expendit singula, obseruauitque quid probare, atque admirari debeant viri sapientes, & facundi, addidit, *Quàm sit pulcher, & quemadmodum afficiat legentes, atque intelligentes, non opus est cuiquam dici, si ipse non sentiat. Et plura quidem, quæ pertinent ad præcepta eloquentiæ in hoc ipso loco, quem pro exemplo posuimus, possunt reperiri; sed bonum auditorem non tam, si diligenter discutiatur, instruit, quàm si ardenter pronunciatur accendit. Neque enim hæc humana industria composita est, sed diuina mente sunt fusa, & sapienter, & eloquenter: non intenta in eloquentiam sapientia, sed à sapientia non recedente eloquentia.* Hæc Augustinus.

13. Fortasse ideo imperitus existimatur Amos, quia inter Thecuanos pastores vitam egit rusticam, ab vrbano conuictu separatam, atque ideo non habuit, vnde politioris sermonis facultatẽ acciperet: aut quia translationibus vtitur, ac similitudinibus ex agro syluáque desumptis. Quorũ neutrum imperiti, rusticique sermonis nostrũ Prophetam apud sapientes arguit, neque enim ab hominum familiari congressu eloquentiam didicit, sed à diuino Spiritu hausit rusticus Amos. Qui enim os aperit mutorum, & elingues ad sermonem informat, qui linguas infantum facit disertas, idem rusticum, elinguem, & barbarum, si talem esse fateamur, sic expoliuit, vt in eo humana eloquentia nihil amplius desideret. Idẽ quod Amos institutum coluit Dauid, & in eodem, vt arbitror, agro Thecuano (cùm Thecua, vt auctor est Hieronymus *in proœmio*, sex passuum millibus ad Australem plagam distaret à Bethleem, quę patria fuit Dauidis.) At quid in Dauidis Psalmis rusticum? quid quod eloquentiam summam non redoleat?

Neque si verba sumuntur ex rure, ac syluis, ideo syluester vocari debet, aut rusticus Amos: sic enim rusticus censeri potuisset Theocritus, cuius musa inter pecora, & syluas maxima ex parte versata est, rusticus esset, & agrestis Maro *in Eclogis, ac Georgicis*: vbi pastorem egit, & agricolam, cùm tamen non minus ibi, quàm in Æneide ipsius splendeat eloquentia. Rusticus denique Salomon, in eo opere, quod propter excellentiam, vocatum est *Canticum canticorum*, cùm in eo pastorum inducantur nuptiæ, & ex syluis sæpe fuerit ducta similitudo. 14.

Ad extremum libet adiicere quòd Nazianzenus *oratione* 25. illorum cogitationem reprehendit, qui hominum ingenium aut dotes ex instituto, natalique solo pensanda putãt, cùm Deus plurimos ex humili tam sorte, quàm loco, & instituto ad amplissimum ordinem humanóque maiorem extulerit. Exemplum adducit Ramathæ, quæ ignobilis erat, neque tamen impedimento fuit quominus Samuel foret prudentia, atque consilio, tum prophetiæ dono clarus, & admirabilis. Itẽ Saulis, qui ex asinis inuestigandis, & Dauidis, qui ex pastorali ministerio vocati sunt ad regnum; quod item contigit Moysi, atque Iosepho, quorum alter è rure, curáque pecuaria, alter à seruitute, ac carcere ad locum, & ordinem regio proximum translati fuerunt. His adiungit Amos qui cùm caprarius esset, spiritu afflatus est prophetico. Plura ibi adducit Gregorius, quæ tu vide. 15.

Digitized by Google

IN CAPVT PRIMVM

ARGVMENTVM.

CAPVT hoc contra nationes varias vaticinium continet, quod quia terrificum est, & grauia infortunia denunciat, rugientis leonis fremitu significatur. Ostendit autem quemlibet illorum populorum, quos dura hac comminatione designat, admisisse plurima, propter quæ illum à capitali supplicio non eximeret, sed præcipuè propter illud, quod quartum appellat, & quod quasi aliorum cumulus est, non esse à definito supplicio liberandum.

CAPVT I.

1. *VErba Amos, qui fuit in pastoribus de Thecue: quæ vidit super Israel in diebus Oziæ regis Iuda, & in diebus Ieroboam filij Ioas regis Israel, ante duos annos terræ motus.*

2. *Et dixit: Dominus de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit vocem suam: & luxerunt speciosa pastorum, & exiccatus est vertex Carmeli.*

3. *Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non conuertam eum: eo quòd triturauerint in plaustris ferreis Galaad.*

4. *Et mittã ignem in domum Azael, & deuorabit domos Benadad.*

5. *Et conteram vectem Damasci: & disperdam habitatorem de campo idoli, & tenentem sceptrum de domo voluptatis: & transferetur populus Syriæ Cyrenem, dicit Dominus.*

6. Hæc

PARAPHRASIS.

A 1. HÆc sunt verba Amos pastoris Thecuani, qui inter Thecuanos pastores, pascebat armenta, quæ accepit à Deo, dixitque spiritu afflatus Prophetico, quo tempore Iudææ regnum Ozias, & Israelis obtinebat Ieroboam, filius Ioas, biennio antequam graui, celebrique motu terra contremuisset.

2. Dixit ergo primùm. Aderit aliquando tempus, in quo Deus, qui suum sibi domicilium locauit Hierosolymæ, rugiat tanquam leo, & ex Sione minacibus verbis ita sæuiat, ac fremat, vt quæ speciosa sunt in terra, & pascendis gregibus opportuna,
B exsiccentur, & lugeant, & quod agricolis est maiori in pretio, qualis est Carmelus, quasi fuerit fulminatum è cælo, reddatur inutile.

3. Hæc dicit Dominus de Damasco: Admisit Damascus multa scelera, propter quæ illam ab excidio, quod in eam capitale decreueram, non eximerem: sed nunc præcipuè, propter illud, quod ad extremum addidit, quasi scelerum cumulum, non conuertam, nec liberabo à strage, quã meretur: quia videlicet sicut fruges teruntur in area, sic plaustris serrantibus Galaaditas dissecuit.

C 4. Quare dabit mihi pœnas, pro immani scelere Damascus. Armabo enim, & mittam hostes, qui non aliter perdant domum Azael, & ipsius filij Benadad, qui Syriæ dominantur, quàm si illam peruasisset, ac consumpsisset incendium.

5. Perfringam igitur vectes, & portas, & munimenta omnia, quæ Damascum ab omni hostiũ incursione, & machinis tuentur, & illos qui ciuitatem incolunt, in qua idolorum impia sacra sunt, & frequentes aræ, omninò disperdam, neque parcam illis, qui in deliciosa illa ac molli ciuitate dominantur: denique populus totus à Damascenis sedibus, ad Cyrenem vsque traducetur. Neque istæ minæ ab humano fulminantur ore, sed à diuino: quare non excident inanes.

6. Hoc

Digitized by Google

6. *Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Gazæ, & super quattuor non conuertam eum: eo quòd transtulerint captiuitatem perfectam, vt concluderent eam in Idumæa.*

A 6. Hoc etiam vaticinio minaci ac duro Dominus fremuit, ac sæuit contra Gazam, dicitque. Scelera sunt plurima, quibus Gaza vindicem gladium aduocabat: sed præcipuè nunc aduocat, & vrget, quod postremo loco, quasi cumulum, addidit: propter quod suspensum hactenus supplicium tandem infligam. Fecerunt etenim Gazæi, vt duram populus meus, atque perfectam captiuitatem subiret, cùm illum vendiderunt Idumæis, diris dominis, quique ab Esau sui generis auctore, antiquissima memoria immortales cũ gente Israelitica inimicitias aluerant, à quibus neque libertatem, neque benignum animi clementis officium expectabant.

7. *Et mittam ignem in murum Gazæ, & deuorabit ædes eius.*

7. Quare mittam acies hostiles in muros Gazæ, & in ædes illius, à quibus non leuius patiatur incõmodum, quàm ab igne: tam enim hæ, quàm illi sic excidentur, atque tabescent, quàm si diro conflagrassent incendio.

8. *Et disperdam habitatorem de Azoto, & tenentem sceptrum de Ascalone: & conuertam manum meam super Accaron, & peribunt reliqui Philisthinorum, dicit Dominus Deus.*

8. Et Azotum, occisis aut abductis ciuibus, relinquam ab habitatoribus nudam: neque manum vltricem, & duram ab Accarone cohibebo: neque ex tam frequente hominibus prouincia, vllæ supererunt reliquiæ à communi cæde. Verba hæc Dei sunt, cuius potentiam effugiet nemo, & cuius fidem certissimus sequetur euentus.

9. *Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Tyri, & super quattuor non conuertam eum. eo quòd concluserint captiuitatem perfectam in Idumæa, & non sint recordati fœderis fratrum.*

9. Hæc etiam Dominus contra Tyrum. Plurima alia Tyri flagitia fecerunt illam indignam misericordia & venia. Sed præcipuè quod ad extremum, quasi mensuræ complementum adiecit, suspensam hactenus vindicem manum ad supplicium capitale laxauit. Quia Tyrij Gazæorum exemplum imitati, Idumæorum seruituti populum meum obligarunt, fecerúntque vt duram & perfectam seruitutem seruirent: neque rationem habuerunt vllam illius fœderis, quod olim percusserant cum Israele, quo cum habere debuerunt socialem animum & fraterno similem.

10. *Et mittam ignem in murum Tyri, & deuorabit ædes eius.*

10. Mittam igitur in muros ædésque Tyri inimicas acies, quæ ad ignis similitudinem grassatæ, quæcunque habuerint obuia, latè vastabunt.

11. *Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Edom, & super quattuor non conuertam eum: eo quòd persecutus sit in gladio fratrem suum, & violauerit misericordiam eius, & tenuerit vltrà furorem suum, & indignationem suam seruauerit vsque in finem.*

E 11. Non parcam Idumæis tum propter alia scelera quamplurima, tum vel maximè propter illud scelus, quoad extremum superiora cumularunt. Quia cum Israelitis habuerunt, & odium implacabile, & immortale bellum, & illis, cùm ipsorum indigerent misericordia, districtum obtenderunt gladium, & supplices ab omni humanitatis officio repulerunt, & paterni furoris atque odij tenacissimi fuerunt, illúdque ad finem vsque, obstinato consilio, conseruarunt.

12. Mittam 12. Sic

12. *Mittam ignem in Themam & deuorabit ædes Bosræ.*

12. Sic igitur diruam muros Theman, & ædes Bosra, quæ præcipuæ sunt Idumæorum vrbes, vt in illis diu grassatum videatur incendium.

13. *Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus filiorum Ammon, & super quattuor non conuertam eum: eo quòd dissecuerit prægnantes Galaad ad dilatandum terminum suum.*

13. Propter alia plurima Ammonitarum scelera, sed præcipuè propter quartum, quod scelerum mensuram impleuit, non auertam ab illis impendentem cladem. Quia vt fines suos, Galaaditis sublatis, latè propagarent, vsque adeò in illos sæuierunt, vt neque à dissecandis euiscerandisque prægnantibus abstinuerint. Quapropter, tanquam flammam, immittam hostiles acies in Rabba, quæ eo vlulatu, quo victores solent, & impetu ad turbines instar concitato, excindant muros, & domos subuertent.

14. *Et succendam ignem in muro Rabba: & deuorabit ædes eius in vlulatu in die belli, & in turbine in die commotionis.*

15. *Et ibi Melchom in captiuitatem, ipse, & principes eius simul, dicit Dominus.*

14. Tam autem aberit Melchon Ammonitarum Deus, vt populum suæ religioni deditum à morte captiuitatéque defendat, vt euitare non possit, quo minus ipse captiuus cum principibus abducatur. Hæc per me Dominus Ammonitis denunciat.

Vers. 1. *Verba Amos, qui fuit in pastoribus Thecue, quæ vidit super Israël, &c.*]

1. HÆc à nobis exposita sunt in prolegomenis, vbi diximus, qualis, & vbi locorum essent Thecua, ac Thecuana pabula, & quomodo licèt Amos in varias regiones spectarint vaticinia, ad decem tamen tribus pertinere præcipuè, quod hic non obscure Propheta significat. Vbi iam in magis correctis codicibus legimus *pastoribus*, legebatur priùs etiam in vulgatis codicibus *pastoralibus*. In re ipsa non multum est momenti, siue illo modo legas cùm in pastoralibus, id est, pascuis, siue ouium armentorumque diuersoriis, pastores plerunque, & penè soli habitent. Quare idem est agere, aut esse in pastoralibus, atque in pastoribus, id est, inter pastores. Ex Græcis quidam legunt ἐν τοῖς ποιμέσι, vt Symmachus, & quinta editio, vt auctor est Hieronymus, alij ποιμνιοτρόφοις, vt Aquila, eodem teste, quod idem valet, atque inter pastores, aut gregum nutritores. Sed alij, vt Cyrillus docet, legerunt κτηνοτροφίῳ, quæ vox pascua sonat, aut locum vbi aluntur pecora. Septuaginta legũt *Accarim*, vnde ita verterint, non video. Theodoretus *Cariathiarim* esse putat.

2. *Ante duos annos terræ motus.*] Multa sunt, quæ in his locis, vbi commodè scribi posse videbantur, omissa fuere, aut etiam fortasse, cùm scripta fuissent, aut iniuria temporum, aut hominum incuria perierunt. Qua de re egimus *in cap. 1. Actuum, num. 15.* Et quidem ignoraremus multa, nisi ex alijs locis vel citata, vel quasi obiter notata leperemus. Quis nosset per crabrones exactos è suis finibus Chananæos, nisi longè pòst, iam morti proximus Iosue in Hebræorum memoriam reuocasset? ignoraremus plurima, quæ tunc acciderunt, quando ex Ægyptia seruitute erepti fuerunt Israelitæ, nisi illa ex libro Sapientiæ *à cap. 16. ad finē vsque libri* scriptor sacer esset prosecutus. Sic etiam nunc ignoraremus fuisse terræ motum in Ierusalem, & illius tempus, nisi modò accepissemus ab Amos, & aliquot pòst annis à Zacharia *cap. 14.* Quoto anno Oziæ regis acciderit incertum est, neque ego in re dubia, in qua variè sentiunt interpretes, multus esse volo, cùm nihil existimem inueniri posse certum, in quo mihi ipsi satisfaciam. Illud dico rem fuisse notissimam omnibus, neque enim aliter annus ille notaretur illo graui terræ concussu, nisi res esset inter Hebræos notissima, & ex ea annus ille maxime celebris.

REGVLA. Multa fuisse locis scripta nō sunt, quæ quia ab alijs citata cognoscuntur.

3. Dicunt autem Hebræi, neque abnuit Hieronymus, & Cyrillus, hunc terræ motum tunc contigisse, quando ausus est Ozias rex Iuda sacerdotale sibi munus assumere, tunc enim Deus grauiter ea regis insolentia commotus, non solum auctorem ipsum sceleris fœda lepra percussit, sed populum ipsum graui terræ fremitu, ac tremore conturbauit, de quo *lib. 2. Paralip. cap. 26.* Qualis autem fuerit quantúsque motus iste, docuit Iosephus *lib. 9. Anti. cap. 11.* Cùm enim dixisset sacerdotum vocibus à sacerdotali functione non fuisse deterritum audacem illum, & insolentem regem, imò illis si molesti esse pergerent, mortem minaretur, addit statim, *Ecce ibi terra vehementer concutitur, fissoque supernè templo radius solis, et regis improbum ferit, quod è vestigio lepra contactum est. Accessit huic, & aliud prodigium, quod eodem terræ motu ante vrbem in loco, qui dicitur Eroge, dimidium montis ad Occidentem vergentis reuulsum, & per quattuor stadia volutum obiectu tandem orientalis montis constitit, obstructa via publica, & oppressis ruina hortis regis.* Addit autem Cyrillus *in cap. 14. Zachariæ*, ex Hebræorum, vt arbitror, sententia, horribiliter Iudæorum regionem, & ipsam quoque Hierosolymam contremuisse: ipsam etiam Sion ita esse quassatam, vt in duas partes dirumperetur, & opplerentur valles, quæ illius iugis adiacebant. Hanc quoque terræ motum fuisse prædictum ab Amos,

Terræ motus quo tempore acciderit, & qualis.

Digitized by Google

Amos, tradunt Hebræi *cap.* 3. dum ait, *Percutiam domum hyemalem cum domo æstiua, & peribunt domus eburneæ, dissipabuntur ædes multæ.* Sed de his suo loco pluribus.

4. Vers. 2. *Et dixit Dominus, de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit vocem suam.*] Incipiunt iam propheticæ minæ, quæ licèt directò in gentilicos populos, qui terram promissionis ob omni fermè latere contingunt, torqueantur, tamen obliquè Israeliticum quoque populum designãt, cui idem manet supplicium, cùm eisdẽ se flagitiis implicuerit. Ait igitur venturum aliquando tempus vt Deus qui suum sibi domicilium locauit Hierosolymæ, vbi templum habuit, & vnde solet interrogantibus edere responsa, rugiat vt leo, & sic fremat, ac sæuiat, vt quicquid speciosum est in agris, quicquid herbosum, & pingue in pastorum pabulis, id totum populetur, & vastet. Est autem per epexegesim in vtroque hemistichio eadẽ sententia: quæ tunc geminari solet, quando grauis est, & attentionem exigit. Est enim hæc attentionis captandæ Hebræis familiaris forma. Est autẽ hîc subaudienda similitudinis forma, in hanc sententiam. Dabit Dominus minaces voces in populos, quorum peccata puniet, non aliter, atque rugiens leo: quæ voces minæ erunt, quibus non deerit pondus, & fides. Sic enim Deo tonante, ac fulminante afficietur terra, vt quæ speciosa sunt, & pascendis opportuna gregibus, exiccentur, & lugeant, & quod est maiori pretio, atque studio agricolis, qualis est Carmelus, id, quasi fuerit fulminatum è cælo, reddatur inutile.

5. Hic nobis aliqua obseruanda, primum per synecdochem, *speciosa pastorum*, & *verticem Carmeli*, sumi pro omnibus, ex quibus homines voluptatem aliquam, aut vsum capiunt; quia è Carmelo, & pascuis, ex vinetis nempe, ac gregibus, mille homines capiunt voluptates, & vsus. Deinde per eandem synecdochen Carmelum, qui mons est pulcherrimus, & quod nomen ipsum sonat, vite, adde etiam olea, & arbore frugifera consitus est. Hic porrò mons prouerbiali specie pro loco sumitur amœnitatis eximiæ, & cuius vastitate, ac luctu luctus significatur, & vastitas totius prouinciæ. Ita Hieronymus ad illud Isai. cap. 16. *Et auferetur lætitia, & exultatio de Carmelo. Idioma est Scripturarum, quod semper Carmelum montem opimum, atque nemorosum, qui Ptolomeidi imminet, & in quo orauit Elias fertilitati, & abundantiæ comparet, ac per hoc significet omnem lætitiam, ac fertilitatem de vberrimis quondam vrbibus auferendam.* Id igitur facit hoc loco, dum Carmeli vertici siccitas denuntiatur.

Carmelus pro re specio-sa.

6. Secundò obseruandum fecisse hoc loco, & in suo vaticinio persæpe Prophetam nostrum, id quod omnes propè Gentes communiter, vt ex sua professione, atque arte sumant vocabula: quibus aut suos explicent affectus, & sensus; aut rerum naturas apta aliqua similitudine declarent. Quod optimis exemplis explicuit hoc loco Hieronymus. Cùm igitur Amos esset pastor, ea in regione, vbi sæpe leones occurrerent, vt probat David pastor etiam Thecuänus; (quia Bethleem sex tantùm milliaribus à Thecua distabat) qui *lib.* 1. *Reg. cap.* 17. *v.* 34. ait sibi, dum gregem pasceret, occurrisse leones, & vt ipse loquendi modus ostendit, non infrequenter. *Pascebat*, inquit, *seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo*, &c. Cùm, inquam, pastor esset Amos, & leonum sæpe aut vidisset aspectum, aut fremitum audiisset, [illegible]isseque à leonis fremitu diuinum signifi-

Amos similitudines sumit à re-[illegible].

A cauit furorem. Cùmque pastoribus nihil accidere possit iniocundius, quam si exiccentur pascua aut aquarum siti, aut pestilenti aliquo ventorum afflatu, (quam agrorum, seu pascuorum, ruinam Scriptura *luctum* appellat) calamitatem publicam, quæcunque illa sit, pascuorum luctu, atque ariditate pastoritio vocabulo declarat.

Vbi vulgatus *speciosa pastorum*, Heb. est נאות *neboth*, quæ etiam habitacula significat; & ita conuertunt quidam è recentioribus, Pagninus, & Vatablus, cum Chaldæo. Est autem נוה idem quod *mapalia*, seu *tabernacula pastorum*, qualia dixit Hieronymus occurrere frequenter in solitudine Thecue ad furnorum similitudinem constructa. Quam vocem à Pœnis accepere Hispani, qui tu- 7.
B guria, siue à cespite, siue è calamo, materiaque palustri concinnata *Nauas* appellat, nam etiam gurgustium, aut pastoralis casa ab eadem radice נוה *naue*, aut *naua* dicitur. Hispanè *caserias*. Vnde multa sunt oppida, quæ dicuntur *Nauas*, quia ex pastorum casis, atque mapaliis habuerunt originem. Quod si ita accipiamus, sensus non erit obscurus, aut difficilis, si per metonymiam res continens adhibeatur pro contenta, & lugere dicantur casæ illæ syluestres, ac pastoritiæ, quia pastores, qui in illis habitant, lugent, quia fructus omnis, qui ex pascuis, ac gregibus sperabatur, interiit. Sed neque minus propria est, aut minus apta vulgati translatio, atque sententia.

C In hac porrò metaphora Carmeli exiccati, & deserti lugentis optimè explicantur omnium hominum status, atque fortunæ, in desertis enim pastorúmque mapaliis adumbrantur optimè tenuioris, atque ignobilis plebis sors, & ingenium, quæ angustam agit, & obscuram vitam, quæque se parum attollit à terra. In vertice autẽ Carmeli maiestas, & nobilitas, quæ in altum assurgit, & quæ infra sunt, latè despectat, atque contemnit. Et reuera ita accidit. Sic enim rem Israeliticam vexauit Assyrius, vt omnes omnium ordinum homines ex suo, qualiscumque foret, loco, atque commoditate deturbãrit. 8.

Vers. 3. *Super tribus sceleribus Damasci, & super* 9.
D *quatuor non conuertam eum.*] Hic nobis aliquid ponendum est moræ, (vt loquendi formam explicemus: quæ vt communis non est, sic etiam non potest esse non obscura. Et primùm dicam quod aliis visum fuerit, deinde quid mihi magis appareat verisimile. Sunt qui sine vlla figura hæc interpretantur, ita vt in *tribus*, tria tantùm peccata censeant. In his est Montanus, qui tria peccata putat illis nationibus esse communia, quas minaci Propheta vaticinio compungit. Illa verò sunt idolorum cultus, incesta connubia, nefariaque luxuries, & effusio sanguinis, quibus hæ gentes addiderunt quartum, quod fuit extrema inhumanitas, & plus quàm ferina crudelitas. Alber-
E tus rapinam, mulctam, & gladium. Quæ explicatio ideo mihi non placet, quia non constat nationes illas varias iisdem se implicuisse sceleribus, & quartum illud peccatum, quod in diuersis diuersum est, indicat alia tria non omnino eadem fuisse. Et cùm sit plus quàm verisimile nationes alias, contra alias naturæ leges offendisse; non videntur alia peccata quæ Dei furorẽ instimularãt, à Propheta fuisse prætermittenda. Quare plusquã quatuor peccata, numeratũ oportuit

Alij hic in *tribus* & *quatuor* septenarium nume- 10.
rum accipiunt, & in eo multitudinem ma[illegible]
significari putant. Quod ex Scriptura non difficile probant. Est enim vsitatum vt septenarius
[illegible]

Septenarius numerus multitudinem significat.

numerus, aliquid indefinitum importet, idque non exiguum. Exemplis abundamus, duo accipe. Psal. 11. *Septies in die laudem dixi tibi.* id est, Augustino teste, sæpe, aut etiam semper, & Prou. 24. *Septies in die cadit iustus.* id est, frequenter. Quare tunc ita legunt, *Super tribus, & quatuor sceleribus Damasci non conuertam eum.* Quòd verò duo hi numeri, qui septenarium complent, separatim ponantur, etiam cum illis magna significatur multitudo, vsitatum est maximè apud profanos. Virgil. lib. 2. Æneid.

——O térque, quatérque beati.

Et iterum lib 4.

Terque, quatérque manu pectus percussa decorum.

Quod item apud Græcos non infrequens. Homerus lib. 1. Odyss.

Τρὶς μάκαρες Δαναοὶ καὶ τετράκις

Ter felices, & quater Danai.

11. In hanc sententiam incumbunt Vatablus, & Isidorus. Quorum sententia licèt minus videatur aliena, illud tamen patitur incommodum, quod ex vsu Scripturæ, quatuor, post tria, non est cardinalis, sed ordinalis numerus, ita vt non significet *quatuor*, sed *quartum*. Quod cum Hieronymo censent plures alij, Theodoretus, Haymo, Hugo, Dionysius, Lyra, Remigius, & probat optimè Ribera exemplis non tam similibus, quàm omnino iisdem, eodem nempe dicendi genere, & eodem etiam numero. Prouer. cap. 30. v. 15. *Tria sunt insaturabilia, & quartum, quod nunquam dicit, sufficit.* Hebr. sunt eædem voces שלשה & ארבעה *selosah, & Arbaah.* vbi si vocis proprietatem spectes, dicere etiam potuisset, *& quatuor*, sicut alij præter vulgatum transtulerunt. Eadem est dicendi forma *eodem cap. v. 18. & v. 21. & v. 29.* vbi illud ארבעה sumendum esse in ordinali, non in cardinali forma, satis constat; quia illa omnia singulatim numerantur, efficiúntque non septenarium, sed quaternarium numerum, quod sanè nō accideret, si ארבעה multitudinem significaret, & non vnum cum ordine, nempe post tria. Præcesserunt tria insaturabilia, *infernum, & os vuluæ, & terra, quæ non satiatur aqua.* Deinde addit ארבעה quod cùm quatuor sonet, quartum valet. *Ignis verò nunquam dicit, sufficit.* Neque hoc tantùm loco cardinalis pro numerali ponitur. Quare *vnus* sæpe adhibetur pro *primo*, vt *Aggæi cap. 1.* vbi vulgatus, *In anno secundo Darij.* Hebr. est, *in annis duobus Darij.*

REGVLA. Numerus cardinalis pro ordinali.

12. Hoc mihi certum est. Sed adhuc obscurus est sensus. Quidam illud *super tribus, & super quatuor,* de tertia, & quarta generatione interpretantur, ad quam in Scriptura producenda dicitur paterni sceleris pœna. Quasi dicat Deus, non tantùm ad tertiam, sed etiam ad quartam generationem tanti sceleris aut differendum, aut producendum esse supplicium. Ita indicat Hieronymus, & Cyrillus.

13. Communis est sententia sustinuisse Deum vltricem dexteram à plaga, quandiu populi, contra quos tam hoc, quàm sequenti capite vibrantur minæ, ad quartum scelus, quasi ad peccatorum cumulum, quem Deus supplicio destinarat, non peruenit: vbi verò eò peruentum est, non amplius locum esse lenitati, ac patientiæ. Licèt enim hoc quoque variè opinentur interpretes, Hieronymus sic post alia de tribus, & quatuor sceleribus Damasci. *Si semel meum esset populum persecutus, aut secundo, darem veniam; nunc verò cùm tertiò, & quartò crudelis extiterit, vt captiuam multitudinē feriens plaustris tereret, nōnne debeo eum plagis corripere? nōnne clementiæ meæ vultum auertere debeo?* Cum

Deus supplicium suspēdit vsque ad certum peccatorum numerum.

A Hieronymo sentiunt Theodoretus, Remigius, Haymo, Dionysius, Lyra, & Glossa.

Ribera in ternario numero multitudinem significari dicit, & hoc verissimè. Quod tam in sacris, quàm in profanis obuium est. Virg. lib. 1. Æneid. 14.

——Ast illam ter fluctus ibidem

Torquet agens circum.

& lib. 6.

Idem ter socios, pura circumtulit vnda.

& lib. 2.

Ter conatus ibi collo dare brachia circum.

Ter frustrà comprensa manus effugit imago.

Vbi Seruius *ter* idem esse dicit, quod *sæpius.* Horatius,

Ter pure lecto poterunt recreare libello.

Hinc ortum est, vt in aliquo genere præstantem ternario numero significemus. Sic appellamus, *termaximum, terfelicem, trisceleslum, trimegistum*, & similia. plura inuenies in adagio *Ter.*

Ter multitudinem, & præstantiam significat.

In sacris exempla occurrunt non pauca, vbi ternarius numerus, aut quod eòdem spectat, vox tertiò repetita, contentionem significat maximam, aut multitudinem ingentem. *Apoc.* 8. magnum indicat dolorem *væ* ter repetitum. *Væ, væ, væ habitantibus in terra.* Ierem. cap. 7. v. 2. *Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes: Templum Domini, tēplum Domini, Templum Domini,* id est, tēpli nomen sæpius inclamātes. postea cap. 22. v. 29. *Terra, terra, terra audi verbum Dei.* Sed optimum exemplum in lib. *Esther cap. 8. v. 9.* postquam enim præcessit *centum viginti septem*, in Hebræo additur מדינה מדינה. מדינה *medinah, medinah, medinah*, id est, innumerabiles prouincias, quales nimirum censentur illæ centum viginti septem. 15.

Putat igitur Ribera in ternario peccatorū numero multitudinem exprimi peccatorum, quam tamen Deus patienter tulit, cùm tamen illi noua facta est accessio ab aliis peccatis, seu ab eo peccato, quod quartum dicitur, quod grauissimum fuit, vt ex diuina comminatione, atque ex ipso rerum euentu non obscurè constat. Tunc verò iam Deus affirmat non iam ampliùs suspendendam iram, neque supplicium vltrà differendum, cùm peccata iam supra communem excreuerint modum, qui in ternario numero significatur, & magnus à quarto peccato cumulus accesserit. Quæ explicatio mihi valde probatur. Qui dicendi modus fortasse inter Hebræos prouerbialis fuit. Neque leue sumitur argumentum tunc ex Amos, qui sæpe tria præmittit, & quartum addit, tunc ex *Prouerb. cap. 30.* vbi hi numeri sæpe eodem ordine coniunguntur, & Eccli. cap. 26. v. 5. *A tribus timuit cor meum, & in quarto facies mea metuit.* Neque apparet verisimile, quòd tot nationes, quas hîc Propheta numerat, & pungit, tria omnes peccata commiserint, & his vnum addiderint grande; quod tamē solum ex omnibus nominatur. Quod etiam argumentum est in tribus nihil designari definitum, & certum, sed tātùm confusam multitudinem, qualis fuit tam Gentibus, quàm Israelitico populo communis, nam contra hos omnes detonant Prophetæ vaticinia. Itaque sensus est commisisse nationes illas multa scelera, cùm tamen eò se impietatis, atque impudentiæ proiecerint, vt plura addiderint, atque grauissima, contra Dei populum, extendendum esse brachium, quod iam diu fuerat intentum ad plagam, & à diuina misericordia cohibitum. In quarto autem scelere non videtur improbabile, si quis dicat plura contineri peccata, etiamsi 16.

In tribus peccatis multa continentur peccata.

In quarto peccato multa videntur contineri peccata.

Digitized by Google

iamsi vnum tantùm plerunque numeretur, nā cùm *cap. 2.* vltimo loco contra Israelem agitur, in quarto peccato plura numerantur peccata, vt ibi dicemus; neque alia fortasse ratio est in aliis, vt ibi censet Ribera. Vide locum illum *num.* 31.

17\. Hæc, vt dixi, explicatio omniū maximè placet, à qua parū abeunt Patres, & interpretes, cùmque hāc ego & cōmendem aliis, & mihi ipsi amplectar, tētabo tamen hunc locum, & similia, quæ mox occ..rent, aliter explicare, quod vt faciā ipsa mihi rerū, atque verborū difficultas maxima permittit. Notum est coniunctionē *&* aliquando significare excessum in comparatione, vt Psal. 124. *Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui.* id est, defendunt, ac muniunt Hierosolymam montes, qui illā vndecunque vallant. Sed multo magis Deus qui illam quasi excubitor, & propugnator obambulat. Mille tibi occurrent exempla his similia. Quare iuxta hanc Hebræorum consuetudinem, non malè mihi videretur expositurus, qui in hanc sententiā locum ipsum acciperet. Si tantùm populus tria admisisset peccata, seu, quod verius putabamus, illam peccatorū multitudinē, quæ significatur in tribus, nō conuerterem illum, sed multo magis nō conuertā propter quartum, quia illud est grauissimū. Tunc verò per zeugma repetendum est illud, *non conuertā.*

REGVLA. *Et in comparatione excessum significat.*

Hanc explicationē mihi persuadent plurima eiusdē generis, quæ non video, quomodo aliter explicari possint; illa nimirū omnia, quæ *Prouerbiorū c. 30. & c. 6.* suprà produximus, vbi tribus, quæ præcellere, aut etiā pluribus, non negatur, quod tribuitur quarto, sed dicitur illud idē multo magis quarto cōuenire. Explicemus exēpli gratia illoru aliqua, neque reliquorum diuersa est ratio.

REGVLA. *In comparationibus excellere existimantur, quæ extremo loco ponuntur.*

18\. Prouerbiorū 30. *Tria sunt insaturabilia, & quartum, quod nunquā dicit, sufficit, infernus, & os vuluæ, & terra quæ nō satiatur aqua, ignis vero nunquā dicit, sufficit.* Quo in loco nemo dubitabit lōgè minorē esse in igne satietatē. Nam aliis aliquando cōtingit satietas; quòd si contingat illorū auiditatem non expleri, tamē quo magis abūdant, nō ideo magis excitatur, & augetur auiditas, vt in terra irrigata, & in fœminarū libidine notū est. At ignis quo plus lignorum adieceris, quia adhibitis alimētis magis adolescit, magis etiā crescit alimētorum desideriū. Et Prou. c. 6. *Sex sunt quæ odit Dominus, & septimū detestatur anima eius, oculos sublimes, linguā mendacē, manus effundentes innoxiū sanguinem, cor machinās cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendū in malū proferentem mendacia, testē fallacem, & eum qui seminat inter fratres discordias.* Quis dubitat hoc postremū esse magis odiosum? Idem etiā dici posset in aliis, in quibus idem est comparationis modus. In quo loquēdi genere epitasim esse arbitror nō vulgarem; ex multarum enim rerū comparatione vis augetur rei illius, cuius amplificamus grauitatem.

19\. Quod itē apud profanos frequens. Sic Theocritus Idyl. 8. *Arboribus tēpestas metuēdum malū; aquis cœnum, auibus laqueus, feris agrestibus retia; viro autē teneræ virginis amor.* Idyl. 9. *Dulce vitulus mugit, dulce etiam bos, dulce fistula, dulce pastor, dulce & ego.* In altero is, qui apud Siculū poëtā loquitur grauius se torqueri, atque affici dicit ab amore, quàm arborē à tempestate, aquā à limo, & sordibus: in altero magis se esse vocalē, & canorum, quam vitulū, cuius vox bubulcis ingrata non est, aut fistula, quam maximè pastores amant. Hunc imitatus est Virgil. ecloga 3. apud quem sic Damætas.

Triste lupus stabulis, maturis frugibus imber,
Arboribus venti, nobis Amaryllidis iræ.

& statim cum eadem comparatione, atque epitasi Menalcas.

Gasp. Sanctij Com. in Amos

A *Dulce satis humor, depulsis arbutus hœdis*
Lenta salix fœto pecori, mihi solus Amyntas.

Vbi vides, quæ extremo ponitur loco in suo quæque genere plurimum præstare. Similia adhibuit eclog. 7. in fine.

Quòd si hic illa numerantur peccata, quæ nationes illæ gentilicæ in Dei populum admiserunt, aut decē tribus in alias duas, quæ Dei populus appellari potuerunt; quæ quarto loco numerantur, grauissima sunt omnium. Quod item dicendum de peccatis Iuda, nā de hac etiam sunt propheticæ minæ. Propter hæc postrema cogitatio nō displicet mihi, placuisset omnino, nisi nuda foret à patrono, de illa lector statuet, vt volet. 20.

B *Non conuertam eum.*] De quo genere conuersionis hæc sint intelligenda, obscurū est, & inter auctores nondum exploratum. Quidā de spirituali putant, ita vt cùm quis ad quartum peccatū defluxerit, id est, ad magnum, aut definitum peccatorum cumulū, deserendus sit à Deo, neque per pœnitentiā, aut alio quouis modo, ad gratiā, ex qua excidit, reuocandus: aut, quod idem ferme est, statim obiturus, non modò temporariam corporis, sed etiam mortem animæ sempiternam. Ita videtur indicare vox ipsa, *non conuertam*, quæ ad spiritualem mortem non difficile, ad aliam quamuis corporis pœnam non nisi difficillimè trahitur. Ita sentiūt Glossa, Rupertus, Albertus, Ribera, Figuerius. Alij quidam, aut varij sunt, aut C ita loquuntur ambigue, vt non facile discernas, quid magis probent, vt Remigius, Dionysius, Vatablus, Lyra, Emanuel Sà. Qui verò de spirituali pœna interpretantur, sic accipiunt, vt postquā ad quartum peccatum, id est, peccatorum cumulum peruenerit Damascus, aut peccator, cuius Damascus est typus, & ciuitates illæ, quas Propheta minaci vaticinio concutit, tunc claudendum esse misericordiæ, ac pœnitentiæ aditum; & præter obstinationem, atque æternam pœnam nil aliud superesse, quo sensu suprà explicuit Ribera, & communis fere aliorum opinio. Quasi Deus expectet certam aliquam peccatorum mensuram, quam vbi homo peccando cōpleuerit, aut illum deserat Deus, quasi iam in pec- D catis obstinatò, ac profundè demersū, aut in mortem non solùm temporariam, sed æternam adigat. 21.

Sanè hoc horribile, & dignum impudenti obstinatione supplicium, imponi aliquando à Deo misericorde ac iusto peccatorum vindice, docent grauissimi Patres, iidémque doctissimi, quorum hīc verba referre non grauabor, quia grauia sunt dignaque, quæ altè peccatorū animis infigantur. Et primùm id sentiunt omnes, quos suprà de spirituali pœna hæc intellexisse diximus. Quibus annumero Hieronymum, licèt hic valde videatur obscurè locutus. Hic enim cùm de supplicio ageret Gazæ, ait: *Expectaui multo tempore, vt agerent pœnitentiam, & ideo nolui punire peccantes, vt aliquando conuersi reciperent sa-* E *nitatem. verum quia tertiò, & quartò eadem faciunt, cogor mutare sententiam, & plagis corrigere delinquentes.* Et paulo antè de Damasco: *Si semel meum esset populum persecutus, aut secundo darem veniam: nunc verò cùm tertiò, & quartò crudelis extiterit, &c. nónne debeo clementiæ meæ vultum auersare ab eo?* Cyrillus Alexandrinus in illud Isai. cap. 1. *Populo graui in iniquitate. Ad aliquod tempus, & mensuram tulit Deus contemptum delinquentis. Cùm autem ad plenitudinem, & maturitatem peccati notam sibi, ac perspectam iam pertigerint, supplicium irrogat.* Idem in eundum locum Basilius, & iterum Cyrillus *in caput Zachariæ 5.* vbi hoc ipsum in amphora videtur expressisse Propheta. Theodoretus eadem *ibidem*, qui adducit illud de completis iniquitatibus Amorrhæorum, *Gen. 15.* idem penè Chrysostomus 22.

Deus vt puniat, certam peccatorum mensuram expectat.

Z *homil. 4.*

homil. 4. in Matt. sed omnium clarissimè Augustinus de vita Christiana cap. 4. *Esse certum*, inquit, *peccatorum modum, atque mensuram Dei ipsius testimonio comprobatur: & quia vnusquisque celerius, vel tardius, prout peccatorum suorum modum expleuerit, iudicetur, euidentissimè demonstratur.* Quod postquam variis Scripturæ testimoniis, & exemplis confirmauit, addit: *Quo exemplo manifestissimè instruimur, & docemur singulos secundum peccatorum suorum plenitudinem consummari, & tandiu, vt conuertantur, sustineri, quandiu cumulum suorum non habuerint delictorum consummatum.*

23. Alij hæc de temporali tãtùm supplicio sumunt, Theodoretus, Cyrillus, Hugo, Palacius, Chaldæus, & fauent illorum translationes, qui vertunt *non parcam ei*, qui dicendi modus supplicium indicat temporale: neque enim, si spirituale supplicium consideres, Deus ante pepercerat, cùm nondum pœnitentiã egisset Damascus; pepercisse autem videri poterat, quia nondum pœnas exegerat, quas post peccatũ quartum tandem inflixit. Denique ab hac sententia abesse non videntur, qui ita locuti sunt obscurè, vt illorum verba in vtranque sententiam non inuita trahantur. Hi verò sunt Remigius, Dionysius, Vatablus, Lyra, Emanuel Sà. Et si Hieronymum attentè legas, hoc ipsum, si non omnino apertè, at certe vehementer insinuat. Nam vt vides in locis, quæ ex Hieronymo in fine superioris sententiæ produximus, de corporali potius, quàm de spirituali plaga loquitur, sic enim de sceleribus Gazæ. *Quia tertio, & quarto eadem faciunt, cogor mutare sententiam, & plagis corrigere delinquentes.* & de sceleribus Damasci, *Cùm tertio crudelis extiterit, vt captiuam multitudinem plaustris ferreis tereret, nonne debeo eum plagis corripere? nonne clementia mea vultum auersare ab eo?*

24. Cur verò in hanc sententiam magis inclinet assensio, facit præter tot virorum consensum, genus illud supplicij, quod per Prophetam comminatur Dominus populis, quos illo quasi spiculo designat; neque enim spirituale est, vt vides, quod animam tangat, sed corporale omnino, quod aut exurit vrbes, aut populatur opes, aut aliquo tandem commodo Gentem illam obstinatã expoliat. Lege supplicium indictum Damasco, Gazæ, Tyro, Idumææ, Moab, & Ammon, Israeli, & Iudæ, & nihil audies præter bellum, fugam, & incendium, quæ omnia longè absunt à spirituali supplicio.

25. Sed illud difficile, quod vox *non conuertam*, qua vsus est vulgatus, non videtur, nisi admodum violenter ad corporale supplicium detorqueri posse. Hoc igitur, quod grauissimè, imò quod solùm penè nostram sententiam oppugnat, expedire, aut infirmare tentemus. Heb. est אשיב *asib*, quod alij variè vertunt, ex quorum translationibus in alterutram partem æquale pondus est. Pagninus transtulit, *non parcam ei*. Tigurina, *non reuocabo eum*. Septuaginta οὐκ ἀποστραφήσομαι, quod Hieronymus transtulit, *non auersabor*, id verò non magis in hanc, quam in illam sententiam procliue est. Quid verò hoc dicendi genus significet, dicemus postea. Sed iam ad nostram translationem, quàm tueri omnino, ac venerari debemus, veniamus.

26. Vatablus in illo, *non conuertam eum*, non putat intelligi *Damascum, Gazam, &c.* sed *furorem*, nempe Dei, & hanc suspicatur esse sententiam. Non conuertam furorem meum à Damasco, donec illam omnino consumam. Idque probat, quoniam sæpe relatiuũ sine antecedẽte aut pro antecedẽte ponitur. Quod sanè quã verissimũ est, vt nos pluribus ostendimus ad illud Cant. 1. *Osculetur me osculo oris sui.* Vbi illud *sui*, nihil expressum habet, quod referri possit. Tale est illud Psal. 86. *Fundamenta eius in montibus sanctis*, id est, Ierusalẽ, & illud Magdalenę Ioannis c. 20. *Domine, si tu sustulisti eum*, id est, Christum: sic etiam hic adhiberi *eum* potuit pro furore. Addo ego, nisi ita accipias, non posse constare, neque Hebraicum textum, neque Latinam translationem. Cùm enim Damascus, Gaza, & reliquæ ciuitates sint fœminei generis tam apud Hebræos, quàm apud Latinos, in vtroque tamen textu adhibita est masculina terminatio. Hebræus enim dicit אשיבנו *asibenu*. Latinus autem *conuertam eum*. Quare necesse est in vtroque pronomine aliquid intelligamus alienum à Damasco, & reliquis nationibus, quibus cum genus illud conuenire non potest. Neque hæc mihi expositio magnopere displicet.

REGVLA. *Relatiuum aliquando sine antecedente.*

27. Aliqui hæc cum interrogatione sumenda putant, in hunc sensum. Ob tria Damasci scelera, & quartum superadditum, non conuertam ignominiam in caput eius, eique vicem rependam? ita Montanus. Sed nimis est explicatio dura, & multa supplet, atque contorquet: neque exempla, quæ ibi adducit, admodum sunt ad rem.

28. Ego aliter hunc locum acciperem, neque, nisi meipsum fallo, procul abs re, ita vt illa conuersio, quasi vindicatio sit, aut liberatio ab eo, in quo moraliter iacere, aut incurrisse videbantur illi populi propter peccata, quibus iterum, ac sæpius iterandis adhæserunt. Vsitatum est in omni lingua, ac literatura, vt quis dicatur aliquid obtinere, ad quod à natura ipsa, vel fortuna vocatur. Quare si id iniuria hominum, aut fortuna nimis aduersante exciderit, ab illius possessione excidisse dicuntur illi, qui in sua potestate habituri videbantur, etiamsi in eius possessionem nunquam venissent. Sic primogenitus, si patris nimia charitas in minores filios, regnum ad illorum aliquem traduxerit, qui primò natus est, excidisse dicitur, aut depulsus è regno, quia illum ius & natura ad regni possessionẽ vocabat. Sic qui suis meritis magistratum inire debuit, si illud hominum fraudibus, atque calumniis non obtinuerit, amisisse dicitur. Eodem modo mortuum appellamus, quem eò adegit morbi vis, vt de illius vita actum existimetur: quare si quispiam illum sanitati restituat, reddidisse vitam, & à mortuis excitasse dicitur: aut si damnatus sit aliquis morte, qui sua auctoritate, aut industria illum gladio, aut resti subduxit, ad vitam dicitur reuocasse. Et si quis iamiam esset absorbendus à fluctibus, aut excepturus iugulo hostile ferrum, illum diceretur excitasse à morte quicunque, ne illam alter subiret, aut porrexit tempestiuè manum, aut hostem summouit. Dixit hoc optimè Augustinus in illud Psal. 85. *Eruisti animam meam ex inferno inferiore.* vbi dicit erutum se ab inferno inferiori, quia liberatus fuit à peccatis, propter quæ deducendus esset ad tormenta inferioris inferni. *Quemadmodum*, inquit, *si medicus videat tibi imminentem ægritudinem forte ex aliquo labore, & dicat: Parce tibi, sic te tracta, requiesce, his cibis vtere, nam si non feceris, ægrotabis: tu autem si feceris, & saluus eris, rectè dicis medico, liberasti me ab ægritudine, non in qua iam eras, sed in qua futurus eras. Nescio quis habens causam molestã mittendus erat in carcerẽ, venit alius, defendit eũ: gratias agẽs, quid dicit? Eruisti animã meam de carcere. Suspẽdendus erat debitor, solutũ est pro eo, liberatus dicitur de suspẽdio. In his omnibus nõ erãt, sed quia talibus meritis agebãtur, vt nisi subuentum esset, ibi essent, inde se rectè dicũt liberari, quo per liberatores suos non sunt permissi perduci.* Hæc Augustinus.

REGVLA. *Id dicitur quis obtinere ad quod à natura, vel fortuna vocatur.*

29. REGVLA. *Liberatus quis dicitur aut ereptus ab eo, ad quod erat à lege, seu natura dispositus.*

30. Hic planè status erat Damascenorum, & illorũ, in quos horribile hoc torquetur vaticinium; eò enim peccando peruenerant, maximè quando ad reliqua quartum accessit scelus, vbi iam haberi

potuo

potuerint pro mortuis. Quare qui illos aut liberaret a capitali pœna, aut supplicium tot modis debitum ab illorum capite suspenderet, ille iuxta prædicta censeri posset eos a morte reuocasse. Quocirca cùm dicit Dominus, *non conuertam eum*, perinde videtur, atque si diceret, non excitabo à morte, quã ipse meruit, & ego iam infligere decreuí: facit ad hæc, quod verbũ *conuerto* hunc etiam habet vsum, dicimus enim conuertere, id est, reuocare fugientem animũ, quod idem est, atque animare exanimé. Quomodo dicitur Psal. 22. *Super aquam refectionis educauit me, animam meam conuertit.* Plura de hac significatione, atque vsu diximus ad illud Oseæ cap. 14. v. 8. *Conuertentur sedentes in vmbra eius.* Erit ergo sensus; quia Damascus peccatis peccata cumulat, non reuocabo iudiciú, quod de ipsius capite decreueram, quod perinde est, atque non reuocabo a morte, quæ tã illi certò eueniet, vt iudicari debeat iam aduenisse.

31\.
REGVLA. *Scriptura aliquando non tam voces spectat, quàm illarũ significationem.*

Cur genus adhibuerit masculinũ tam Hebraicus textus, quàm Latina translatio, diximus suprà, cùm Vatabli explicaremus sententiam. Sed quia in aliam magis propendet assensio, aliam adhibeamus rationem necesse est, neque illa est difficilis, aut inusitata. Solet Scriptura non tam voces spectare, quàm illarũ significationé, & ideo quando loquitur cum ciuitatibus, quia homines alloquitur, qui ciuitatem incolunt, genus adhibet masculinum, & interdum pluralem numerum, cùm in singulari sit ciuitas, & fœminei generis. Sic *Matth. cap. 15.* cùm præcessisset *populus*, subdidit Christus ex Isaia, *Cor autem eorum longe est à me.* & hoc ipso loco cũ præcessisset *Damascus*, trãstulerũt Septuaginta iuxta Theodoretus (nã alij aliter legũt) *auersabor eos*, & vulgatus statim in plurali, *eo quod triturauerint.*

Peccator existimat Deum non videre peccata, quæ nõ punit.

Quid sibi velit hic dicendi modus, quo vsi sũt Septuaginta, explicuit Theodoretus. *Auersans*, inquit, *Dominus non videtur videre hominũ delicta: quare mirificus Dauid ait, auerte faciẽ à peccatis meis, dũ ea Dominus puniuit, inquit, firmabo faciẽ meam super vos, & respiciam ad iniquitates vestras. Nõ auersabor, hoc est, nõ amplius diuturna patientia, neque auersabor faciem meam à peccatis vestris; sed intuebor, quæ prius per longam patientiam non videbatur videre.*

32\.
Crudele supplicium, quo homines tribulis aut ferreis plaustris triturantur.

Eo quòd triturauerint in plaustris ferreis Galaad.] Quæ sint illa tria scelera, quibus quartum adiunxere Damascus, Gaza, Idumæa, &c. nõ docet Propheta, neque necesse est, cùm in tribus multitudo intelligatur scelerum: explicuit autem quartum, quia illud grauissimũ fuit, & vsqueadeo ab omni humanitate alienũ, vt nihil videretur excogitari posse crudelius. An verò hæc figuratè aut propriè sint intelligẽda, mox videbimus. Quid sit *triturare* nemo dubitat. Est autem acernos frugum in area terere, ac comminuere, ita vt ex spica, atque folliculis excutiantur, ac separentur grana, & paleæ sic atterantur, ac mollescant, vt idonea sint iumentorum pabula. Ad huius trituræ similitudinẽ homines victi à victore hoste insolente, ac barbaro, aut etiam interdum à prudente, ac iusto scelerũ vindice lacerantur, inductis aut dẽtatis tribulis, acuto silice, aut ferreis plaustris. Quod passos fuisse Galaaditas à Damasco, id est, à regibus Syriæ, cuius caput est Damascus, & regia sedes, habemus lib. 4 Reg. cap. 10. v. 32. *In diebus illis cœpit Dominus tædere super Israel, percussitque eos Hazael in vniuersis finibus Israel à Iordane contra Orientalem plagam, omnẽ terrã Galaad, Gad, & Rubẽ, & Manasse.* Quo verò modo populos illos Syrus attriuerit, habes cap. 13. v. 3. *Iratusque est furor Domini contra Israel, & tradidit* [illegible] *regis Syriæ, & in manu Benadad filij Hazael cunctis diebus.* & v. 7. *Et non sunt relicti Ioachaz* (regi Israel) *de populo, nisi quinquaginta equites & decem currus, & decem millia peditum: interfecerat enim eos rex Syriæ, & redegerat quasi puluerẽ in triturа areæ.* Nihil hic habemus de Galaaditis tritura cõcisis; indicat tamẽ Septuaginta trãslatio, quæ sic habet, *Eo quod secuerint serris ferreis in vtero habẽtes in Galaad.* Quod Hazaeli, cùm ad Syriæ regnũ nõdum esset euectus, prædixit Elisæus 4. Reg. c. 8. 12. *Scio*, inquit, *quæ facturus sis filiis Israel mala: ciuitates eorum munitas igne succendes, & iuuenes eorum interficies gladio, & paruulos elides, & prægnantes diuides.*

In plaustris ferreis. Hebr. חרוצות *charusoth*, quæ vox à varijs variè redditur. Septuaginta, *serræ ferreæ*: Symmachus, *rota ferrea*, sicut etiã Aquila & Theodotio, vt dicit Theodoretus: vulgatus modò *plaustra serrantia*, modò *ferrata carpẽta*. Quid illud sit docet hic Hieronymus, & super Isaiam, ad illud cap. 25. *Triturabitur Moab sub eo, sicut teruntur palea in plaustro. Pro tribulis*, inquit hic Hieronymus, *quæ Hebr. dicuntur Charusoth, & à Theodotione dicuntur rotæ ferreæ, quæ nos plaustra ferrea interpretati sumus, Septuaginta trãstulerunt πρίοσι σιδηροῖς, id est serris ferreis. Est autem genus plaustri, quod rotis subter ferreis, atque dentatis voluitur, vt excussis frumentis stipulas in areis conterat, & in cibos iumentorum, propter fœni sterilitatem paleas comminuat.* De hoc plaustro est illud Isaiæ cap. 41. *Ego posui te, quasi plaustrum triturans nouum, habens rostra serrantia: triturabis montes, &c.* 33.

Alij *tribulam* vertunt, & putant esse tabulam, cui acuti inseruntur silices, qui paleas diuidunt, & grana suis folliculis nudant, ita Rab. Dauid. Alij in genere neutro constituunt. Vide Varronẽ *lib. 1. cap. 52*, vbi tribulum sic definit. *Id fit à tabula lapidibus, aut ferro exasperata, quæ imposito auriga, aut pondere grandi trahitur iumentis iunctis, vt excutiat è spica grana. Aut fit ex assibus dentatis cum orbiculis, quod vocant plostellum Pœnicum.*

Hic porrò non abs re fuerit explorare, an hæc siue tritura, siue prægnantium euisceratio, seu diuisio re vera ita contigerint, vt verba propriè sonant, vel potius figuratè, atque hyperbolico dicendi genere. Sunt qui propriè contigisse negẽt, quia id videtur horrere ipsa natura hominum: quæ etiam in hostibus hoc spectaculum indignũ, & barbarum auersatur. Neque præterea audimus alibi Gentium stratam esse hominum multitudinem, sicut in area fruges, & ibi laceratam à dentatis asseribus, aut serrantibus plaustris. Tum quia facilis est explicatio, si notam similitudinis subaudias, quod in Scriptura sacra infrequens non est. In hunc modum, eo quòd ita strauerit, atque conciderit Galaaditas Damascus, sicut in area sternuntur, & conciduntur fruges. Est autem perbella similitudo ad significandam magnam hominum cædem, quæ à frugibus sumitur, siue cùm iam exarẽt, & à falce demetũtur, siue cùm in area à ferrata tribula conciduntur, vnde strages pro cæde sumitur. Quod item valet ex vsu Scripturæ, *messis*, atque *vindemia*. Quare sicut *vindemiare*, ac *metere* impropriè sumuntur, & tantùm translatè ad significandam cædem, sic triturare, aut circumagere plaustra serrantia impropriè, & figuratè stragem significant. Quæ similitudo videtur expressa *lib. 4. Reg. cap. 13. v. 7.* vbi cùm sermo esset de hoc ipso facto, ac tempore, quod Propheta designat, non trituratus dicitur Israel, sed quasi fuisset sub tritura, fuisse contritus. *Interfecerat eos* (Israelitas) *rex Syriæ, & redegerat quasi puluerem in tritura areæ.* quod si ista propriè contigissent, non videbantur ab historico sacro prætermittenda. 34.

35\. Neque insitatum est tum apud profanos sæpe, tum apud sacros non rarò, vt acerbum aliquod supplicij genus aut vsitatum, aut saltem tantum mente conceptum per synecdochen pro supplicio sumatur acerbissimo, quodcunque illud sit. Secare aliquem ferra, idem prope est, quod rotis dentatis, aut plaustris ferrantibus lacerari, atqui aliqui ferrati dicuntur, aut dissecti, quos tamen neque gladius tetigit, neque ferra. Oppressi sanè fuere lapidibus duo senes, qui Susannæ pudori priùs, deinde honori, ac vitæ insidiati sunt: quia, vt constat *Deut.* 19. illud supplicium accusator mendax subire debuit, quod esset à lege constitutum in eum, qui obiecti esset flagitij conuictus: at adulterio, cuius agebatur rea Susanna à mendacibus senibus, decreta erat à lege lapidatio, vt liquet *Ezech. cap.* 16. *v.* 40. *& cap.* 23. *v.* 45. *&* 47. vide quæ diximus in nostris commentariis ad hunc postremum locū, & super Danielem *cap.* 13. *n.* 57. Cùm igitur lapidati fuerint duo illi senes, ferra tamen, aut alio quouis instrumento diuisi dicuntur. Sic enim Daniel ad eorum alterum, *Ecce Angelus Dei accepta sententia ab eo scindet te medium*; & ad alterum, *Manet Angelus Domini gladium habens, vt secet te medium*. Neque alio sēsu accipio illud *Mat. cap.* 24. de seruo malo, de quo sic Christus, *Veniet Dominus serui illius in die, qua non sperat, & hora, quā ignorat, & diuidet eum, partémque eius ponet cum hypocritis.* Quòd verò eo loco diuidere significet propriè aliquem secare mediū, probat verbum Græcum διχοτομήσει, cuius ea sola, aut præcipua significatio est. Et hac ratione explicari possunt non incōmodè alia plurima Scripturæ loca, quæ trituræ meminerunt, aut discissionis, de quibus statim.

Secare, & ferrare pro acerbissimo supplicio.

Lapidatio adulterij pœna.

36\. Hæ mihi rationes visæ sunt non leues, verùm cōmunis consensio magnum habet pōdus, neque verborum proprietas deserenda est, cùm nullū ex ea timetur incōmodum. Neque parum confirmat communē opinionē, quòd sæpe in Scriptura hoc idem traditur contigisse, idque adeò expressè, atque illis notatum circūstantiis, vt in alium sēsum non videatur detorqueri posse. Sanè verba Elisæi apertissima sunt, qui sic ad Hazaelem regem Damasci 4. Reg. 8. v. 12. *Scio, quæ facturus sis filiis Israel mala: ciuitates eorum munitas igne succendes, & iuuenes eorum interficies gladio, & paruulos eorum elides, & prægnātes diuides.* Et hinc credo Septuaginta occasionem sumpsere, vt trāstulerint hoc loco, *pro eo, quod secuerunt serris ferreis prægnantes in Galaad.* Quod ad genus illud attinet acerbissimæ trituræ, verisimile facit factum Dauid, de quo 2. Reg. cap. 12. *Circumegit super Ammonitas ferrata carpenta.* Et clariùs 1. Paralip. cap. 20. v. 3. *Fecit super eos tribulas, & trahas, & ferrata carpenta transire, ita vt dissecarentur, & contererentur.* Alia sunt quæ hanc consuetudinem aut exprimunt, aut indicant, vt illud Isaiæ 25. *Triturabitur Moab sub eo, sicut teruntur palea in plaustro.* Et similia non pauca.

Verum supplicium à ferra seu tribula.

37\. Neque deest quid respōderi possit ad obiecta. Horret natura supplicium illud acerbū, sed multa etiam horret non minus grauia, quæ tamen non cōsiderat, aut refugit immoderatus furor, quæ vt consilij expers, sic etiam humanitatis est. Neque leniora sunt alia, quæ facta legimus in historiis. Neque Hazael exhorruisset ad Elisæi verba 4. *Reg. cap.* 8. si aliquid dixisset vulgare, & quod in hostes victos cōmuniter exerceri solitum, id est, si illa verba essent figuratè accipienda, nō propriè. Respondit enim, *sum seruus tuus canis, vt faciam rem istam magnam.* Canis proprium est lacerare, & intestina, atque præcordia dispergere, quod trituræ

A respōdet, aut prægnantium vtero dissecto. Idē fecit sine dubio Dauid, quod ad trituram attinet, cōtra Ammonitas, neque tamē crudelis erat Dauid, sed id exigebat Ammonitaru facinus, & maximè expediebat, vt illorum supplicio alij etiam populi discerēt, quo loco haberi debeāt Principū legati. Neque crudelis fuit Gedeō cùm homines inhumanos, & infideles Gēti suæ triturauit quasi frumentum in area, Iudic. cap. 8. v. 16. *Tulit seniores ciuitatis, & spinas deserti, ac tribulos, & contriuit cum eis, atque comminuit viros Socoth.* Hæc non admodū differūt à tritura: vt enim acuti silices asseribus infixi, aut rotæ serrantes subiectos hominum aceruos lacerant, atque cōminuunt; sic etiam spinosi rami, ex aculeatis plantis compungunt, & lacerant.
B & verbum Hebr. דוש *dus*, quod adhibuit Gedeon *v.* 7. cùm hoc supplicium minatus est, triturare significat.

Quod verò de diuisis prægnantibus transtulerunt Septuaginta, & prædixit Elisæus, quódque etiam fecisse arguitur Ammō infrà *v.* 13. non videtur incredibile. Quod itē fecisse traditur Manahem 4. Reg. 15. v. 16. *Percussit Manahem Thapsam, & omnes, qui erant in ea, &c. & interfecit omnes prægnantes eius, & scidit eas.* Nam licèt sæuire in fœminas, quæ imbelle quoddā genus est, non soleāt etiam hostes ipsi victores, & multo minus in infantes, quibus neque facultas est, neque animus nocendi, tamen neque id cōsiderat cæcus, & præ- 38.
C ceps furor, & sua etiam interdum interesse putat, nullum ex inimico genere esse reliquum, qui aut patriæ ruinam, aut parentum iniuriam vlciscatur. Quod etiam fecisse censeri debent, qui filios materno interimebant in gremio, aut inde auulsos saxis allidebant, neque in illos minor esse debuit misericordia, neque magis hostilem iram acuebant, quàm qui adhuc in genitricis vtero claudebantur. Sic sanè fecerunt Babylonij capta Hierosolyma, & Persæ vbi in eorum potestatē venit Babylonia, sicut *Psal.* 136. prædixerat Dauid. *Filia Babylonis misera. Beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis. Beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram.* Vide quæ eo loco diximus.
D Et quod mirere magis, fecerunt idem, & vt est credibile, iubēte Domino, licet id ex Scriptura sacra non constet, Moyses, & Iosue, quibus in gubernando populo, bellóque administrando familiariter Deus aderat. Moyses de se *Deut.* 2. *v.* 34. de Sehō rege Amorrhæorum. *Cunctas vrbes in tempore illo cepimus, interfectis habitatoribus earum viris, ac mulieribus, & paruulis, non reliquimus in eis quicquam.* & *cap.* 3. *v.* 6. de Og rege Basan. *Deleuimus eos, sicut feceramus Sehon regi Hesebon, disperdentes omnem ciuitatem, viròsque, ac mulieres, & paruulos.* Quod fecit paulo pòst Iosue expugnata Iericho cap. 6. v. 21. *Ceperunt ciuitatem, & interfecerunt omnia, quæ erant in ea, à viro vsque ad mulierē, ab infante vsque ad senem.*

Hostes in infantes sæuire soliti.

E Quòd verò hæc prætermissa fuerint à sacro historico, non admodum cogit in oppositum. Sunt enim plurima, quæ eo in loco, vbi commodè tractari poterant, omissa sunt, & aliis in locis aut prædicta, aut propter commodam aliquam occasionem commemorata; vt pluribus ostendimus in principio huius libri, vbi actū est de terræ motu sub Ozia. 39.

Galaad nomen est ciuitatis, de qua Oseæ 6. *Galaad ciuitas operantium mendacium.* Et nomen regionis trans Iordanem, in qua constitere Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manasse, quod nomen primùm impositum fuit à Iacob, quando fœdus iniit cum socero Laban, quam ab erectis lapidibus vocauit aceruum testimonij. Est autem vsitatum 40.

Galaad quid.

tum

tum vt in prouinciis, ac regnis vna sit ciuitas, quæ plerunque prouinciæ caput est, cui sit cum prouincia commune nomen, quo modo apud Hispanos, *Toletum, Hispalis, Corduba, Valentia*, tam regna significant, quàm regnorum capita. Hîc porrò Galaad pro regione tota sumitur, vt constat ex lib. 4. Reg. cap. 10. v. 32. *In diebus illis cœpit Dominus tædere super Israel, percussitque eos Hazael in omnibus finibus Israel, à Iordane contra orientalem plagam omnem terram Galaad, & Gad, & Ruben, & Manasse.* Vbi illud *&* non est coniunctiua, sed expositiua particula, & valet idem, quod *id est*.

41\. Vers. 4. *Et mittam ignem in domum Hazael, & deuorabit domos Benadad.*] Idem omnino valet domus Hazael, & domus Benadad, vterque enim rex fuit Damasci, & alter alteri in regno successit, & vterque bello tentauit, & grauiter afflixit Israelitas, vt habes *lib. 4. Reg. cap. 13. v. 3.* Hoc porrò supplicium est cōtra Damascum, quia eò progressi fuerant crudelitatis Damasceni, vt serrantibus plaustris Galaaditarum corpora subiecerint. Sed quodnam sit hoc supplicium, incertum est. Quidam in domo regiam aulam intelligunt, & palatia, quæ superbi illi reges insana mole construxere Damasci. Mihi magis est verisimile, quod Remigius putat, Albertus, Hugo, & Lyra, domum hîc sumi pro familia; sicut alibi millies. Domus enim Iacob, Dauid etiam pro his vsurpatur, qui ex Iacobæo, seu Dauidico sanguine propagati sunt, & ædificare domū in Scriptura, excitare, seu propagare familiam significat. Porrò interire, seu deuorari familiam, non semper idem valet, quod familiam ita deleri, vt numerari iam non possit amplius in rerum natura. Interdum enim periisse dicitur, idque non infrequenter, qui è gradu cecidit sublimi, & in sordidam aut vulgarem conditionem deiectus est, cecidit ergo domus Hazael, quia regnum amisit & patriam: vt enim statim subditur, translatus est, qui sceptrum tenebat, Cyrenem, vtique exul, & quasi vnus è plebe.

Perire dicitur, quod grauem sustinuit iacturam, & mutationē.

42\. Quòd verò ignis mittendus dicitur in domū Hazael, figuratè hoc potius dicendum est, quàm propriè. Ita communiter interpretes, & verè. Neque inusitatum est, vt magna strages, aut etiam supplicium aliquod horribile significetur in flāma, atque incendio, de supplicio est illud Achan *Iosue cap.* 7. qui iussus est à Domino igne cremari. v. 15. *Quicumque in hoc facinore fuerit deprehensus, cōburetur igne*, & tamen v. 25. dicitur, *Lapidabitque eum domus Israël.* Neque est verisimile virum sanctissimum Iosue aliquid mutasse de diuino iudicio, quod non videtur fuisse aliud, quàm anathematis reum esse subiiciendum lapidationi, quæ quia graue supplicium fuit, ignis nomine significatum est. Item duo illi senes, qui in honoris, capitisque discrimē Susannam adduxerunt (si modò de illis sermo est apud Ieremiam *cap.* 29.) frixi dicuntur igne, cùm tamen, vt suprà vidimus, lapidibus fuerint interempti.

Ignis pro magno supplicio, ac strage.

43\. Quòd verò magna strages siue hominum, siue frugum, atque arborum incendij, aut ignis vocabulo significetur, probant illa, quæ occurrunt sæpe, *ignis consumpsit speciosa deserti.* & similia, quæ tamen detrimentum illud acceperunt ab vrente vento, vel ab imbrium defectu. & *Numer. cap.* 21. v. 28. ignis pro bello ponitur. *Ignis egressus est de Hesebon, flamma de oppido Sehon: & deuorauit Ar Moabitarum.* Quod ita transtulit Chaldæus, *Ventus vrens fortis egressus est de Hesebon, & facientes prælium sicut flamma de ciuitate Sehon; occiderunt popu-*

A *lum*, &c. Idem penè significauit Ioatham Gedeonis filius Iudic. cap. 9. v. 20. *Sin autem peruersè, egrediatur ignis ex eo, & consumat habitatores Sichem, & oppidum Mello: egrediaturque ignis de viris Sichem, & de oppido Mello, & deuoret Abimelech.* quo dicendi modo bellum significauit, & stragem. quod item apud profanos obuium. Vnde prima fax dicitur seditionis, ac belli, qui belli, ac seditionis auctor fuit, ardere dicuntur prouinciæ odiis, ac bellis, & inflammari animos, & similia, cùm tamen ab illis longè absint ignis, & incendium. Dixit idē quod Amos aliquanto postea Ieremias cap. 49. v. 27. *Succendam ignem in muro Damasci, & deuorabit mœnia Benadab.*

B Vers. 5. *Et conteram vectem Damasci.*] Vectis robur significat, illud maximè, quod hosti opponimus, quasi munimentum quoddam ciuitatis; est enim repagulum, quod portis obiicitur, ne externis aditus in vrbem pateat. Si quis porrò vectes submouerit, & portas effregerit, maximum videtur ciuitatum sustulisse præsidium, & hostibus ciuitatis expugnandæ facultatem dedisse. Sumitur autem vectis pro quocunque machinamento, aut præsidio, quod hostes aut abigit, aut retardat, per synecdochen. Sanè cùm Deus impedimenta sustulit quæ gradum ad victoriam Cyro morabantur, effregisse dicitur portas, & vectes contriuisse. Isai. cap. 48. v. 14. *Propter vos misi in Babylonē, & detraxi vectes vniuersos.* quod se facturum Deus C ipse promiserat. Isai cap. 45. v. 1. *Aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo, portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam.* 44.

Vectis pro munimento.

45\. *Et disperdam habitatorem de campo idoli.* Heb. בקעת און *bicath auen*, quæ vox vallem iniquitatis, siue idoli sonat. Hebræi cum Chaldæo nomen ciuitatis esse putant in Syria, quæ sit diuersa à Damasco, quibus cum è nostris nonnulli sentiunt, neque id admodum contrarium est translationi vulgatæ, cui id est non infrequens, vt significationem, & notationem nominis adhibeat pro nomine. Quomodo *lib. 1. Paralip. cap. 4. v. 22.* quater pro nominibus propriis eorum adhibetur D significatio *Qui stare fecit solem; virique mendacij, securus, & incēdens*, pro *Iochim, Chozeba, Ioas, & Saraph.* Sic autem putant dici *bicathauen*, quomodo dicitur Bethleem, aut Bethel, quæ licèt significent illa *domum panis*, hæc *domum Dei* sunt tamen nomina duarum ciuitatum. Et idem iudicant, de illa, quæ statim vocatur *domus voluptatis*, Heb. בית עדן *betheden*, quam etiam esse putant ciuitatem in Syria. Sed est communis sententia hanc esse Damascum, cui ab idololatria, & amœnitate, quæ luxuriam, atque delicias alit, campus vocatur idoli, atque deliciarum domus, quod putat Hieronymus; quódque maximè facit verisimile Ieremias *cap. 49. v. 25.* vbi Damascum appellat *ciuitatem laudabilem, vrbem lætitiæ.* Aut certè illa esse E epitheta Syriæ, quæ vberrima est, & ad delicias captandas opportuna, & in qua passim apparent frequentes aræ, & impia delubra. Habitatoribus igitur Damasci, ac Syriæ, & illorum regi cædes denunciatur, & exilium, vtrunque enim valet verbum *disperdo*. Nam vt exul censetur pro mortuo, & exilium pro tumulo; vt habes apud Ezechielem *cap.* 37. sic etiam, qui patriam aut libertatem, & multo magis si vtrunque perdidit, periisse dici non immeritò potest.

REGVLA. *Loco nominis proprij eius notatio ponitur.*

46\. Est qui putet domum voluptatis appellari Damascum, aut Syriam, Heb. בית עדן domus Eden, quia ibi fuerat paradisus, vnde eiectus Adam,

Damasci occisum existimatur Abel.

qui etiam dicitur Eden. Neque parum iuuat hanc cogitationem, quod Damascus habuisse dicitur illud nomen à sanguine Abel, qui ibi effusus creditur à fratre Cain. Damascus enim idem valet quod terra ebria sanguine, aut quæ sanguinem bibit. Vnde, vt dicit Hieronymus, *in cap. 27. Ezechiel.* ex Hebræorum sententia, sortita est nomen illa ciuitas: est autem verisimile Abelem non procul à paradiso fuisse interemptum, neque Eden proprium est nomen, sed commune, neque alia ab omnibus assignatur ratio nominis.

47. *Et transferetur populus Syriæ Cyrenem.*] Hoc idem habes apud Ieremiam *cap. 49. v. 24.* vbi dissoluta dicitur Damascus, & in fugam conuersa. Quando verò id contigerit incertum est. Communiter omnes putant hoc Damascenorum exilium contigisse cùm ab Achaz mercede conducti sunt Assyrij contra Syriam, & Samariam. Tunc enim cecidit rex Damasci, & populus Cyrenem translatus est. Id habes lib. 4. Reg. cap. 16. v. 9. *Ascendit rex Assyriorum in Damascum, & vastauit eam, & transtulit habitatores eius Cyrenem.* Neque quicquam incommodat, quod prouinciæ nomen quo extorres abierunt Damasceni, alibi Syrene, alibi Cyrena nominetur, nam in textu Hebraico idem vtrobique nomen est קירה *kirah*, neque in omnibus exemplaribus est Syrena: magis enim correcti codices, & in his Sixtiani Cyrenem legunt, licèt Cyrene sit in Africa, quæ Cyrenaicam prouinciam denominat, de qua Actorum 2. *Et partes Libyæ quæ est circa Cyrenē.* Sed alia est Cyrene, ad quam translati dicuntur Damasceni, neque enim captiuos suos in alienam prouinciam abducerent Assyrij, nisi fortè quis illos sibi pretio coemerent. Quod non facerent Cyrenenses, qui procul absunt à Damasco: nam Cyrene Ægyptios attingit fines, neque populum tantum, tam facile possent suo sibi alligare mancipio. Traducti ergo sunt ad aliam Cyrenem, quæ est in Assyriorum ditione: de qua videtur locutus Isaias *cap. 22. v. 6.* vbi, cùm ageret de populis, qui Nabuchodonosori, qui tunc Assyrium imperium adiunxerat Babylonico, auxilio fuerunt, ait: *Ælam sumpsit pharetram, & parietem nudauit clypeus.* Heb. est. קיר *kir*, vbi vulgatus *parietem.* קיר *kyr* autem, seu קירה *kirah*, Cyrenem significat. Hoc ipsum tradit Iosephus lib. 9. Antiq. cap. 13. *Vastata*, inquit, *Syria, expugnataque Damasco* (rex Assyriorum) *Rasem quoque regem occidit, Damascenos verò in superiorem Medium populariter traduxit, & pro illis quasdam Assyriorum Gentes in agrum Damascenum reposuit.*

48. Vers. 6. *Super tribus sceleribus Gazæ, & super quatuor*, &c.] Hæc nobis suprà satis, credo, abundanter explicata sunt, in prophetia de Damasco: neque aliquid est præterea, quod addamus; tam hic, quàm aliis locis, vbi hæc eadem recurrit dicendi forma. Porrò sicut proximè Damascus pro tota Syria, cuius erat caput, sic modò Gaza pro tota sumitur Palæstina. Et hoc certius, quia aliæ Palæstinæ ciuitates ad idem cum Gaza supplicium à Propheta vocantur. De tribus sceleribus nihil dico, quia tantùm significant scelerum multitudinem. De quarto res est obscura valde, & quæ valde torsit, ac distraxit interpretes.

49. *Eo quòd transtulerint captiuitatem perfectam, vt concluderent eam in Idumæa.*] Hoc est peccatum quartum, & quoddam quasi mensuræ complementum, quod in Dei populum admiserunt Palæstini. Sed quódnam sit illud peccatum, aut quo tempore admissum, exploratu difficile est. Illud primum certum inter Palæstinos, & Israelitas, vt inter vicinos populos plerunque solet, diuturna intercessisse, & intestina bella. Qualia legimus Samsonis, Samuelis, & Saulis tempore, in quo varia à Palæstinis detrimenta acceperunt Israelitæ. Illud item videtur certum loqui hic Prophetam de scelere, quod ante suam ætatem admissum est à Palæstinis. Quare nihil hic de Assyriis, nihil de Babyloniis cogitandum est. Sed quæ fuerit illa perfecta captiuitas, quam hoc loco tantopere exprobrat, & exaggerat Deus, non video, quomodo ex sacris literis, neque diuinando coniectari possit. Neque nouum est, vt aliqua in Scriptura prætereantur, eo in loco, vbi commodè tractari poterant, quorum aliis in locis mentio fiat, vt paulo antea diximus, cùm ageremus de terræ motu sub Ozia. Nihil dici posse arbitror magis certum, aut magis ad rem. Nam alia quæ ab aliis diuersa adducuntur, multa secum afferunt incommoda, quæ non probant, qui Prophetæ verba, & vaticinij pondus attentè discutiunt.

Figuerius tunc putat hæc accidisse quando Palæstini cum Arabibus bello aggressi sunt Ioram regem Iuda, vbi magnam regi, ac regno plagam intulisse traduntur, vt habes *lib. 2. Paralip. cap. 21.* Sed ibi neque verbum vnum de Idumæis, neque quod oleat perfectam captiuitatem. Rabbini in huius loci explicatione multa peccant, quæ hic omitto, ne ipse quoque cum illis nugari videar. Nam præterquam, quòd de secundo templo à Romanis euerso locum istum accipiunt, quod non benè cadit in Prophetæ verba, quæ rem indicant iam antè præteritam, illud addunt, quod viri sancti ridēt, Romanos esse Idumæos, & illis à Palæstinis perfectam captiuitatem esse traditam. Quo id argumento probent, diximus in nostris commentariis in Isaiam ad illud cap. 21. *Onus Duma*, quod hic repetere necesse non est. Vide quæ in illum Isaiæ locum, & in commentariis super Abdiam dixit Hieronymus. 50.

Cùm de tempore perfectæ huius captiuitatis non constet, expendamus quænam sit perfecta captiuitas. vbi vulgatus *perfecta*, Heb. est שלמה *selemah*, quæ vox variè à variis redditur, & exponitur. Septuaginta captiuitatem Salomonis reddunt; quia id etiam valet vox Hebraica, si aliis notetur punctis. Sed qui possit huius translationis commodus esse sensus non inuenio. Aquila ἀπηρτισμένην transtulit, Theodotio τελείαν, quæ duæ voces perfectum aliquid significant. Symmachus ἀναπεπληρωμένην, id est, *completam*, quod idē est. Completam, aut perfectam captiuitatē ideo aliqui putant, quia cùm aliqui siue ex Israelitis, siue ex Iudæis inimicorum manus effugissent, & seruilem statum, confugissentque ad Palæstinos, ab illis sunt proditi, & Idumæis traditi, atque ideo, quia nullus fuit à communi conditione superstes, plena dicitur, aut perfecta captiuitas. Facilis esset ista solutio, modò aliquid haberet solidi in Scriptura sacra fundamenti, quod neque ego inuenio, neque ab aliis, nisi ego fallor, quod lectori satisfaciat, adducitur. Quare res à nobis aliter tentanda est. 51.

Ego hic *perfectum*, ac *plenum* duabus rebus accommodari posse video, aut multitudini, ita vt ex aliquo numero nihil existimetur esse reliquū, quomodo si ex toto Israelitarum, seu Iudæorum genere nullus ferrum, aut exilium, siue seruitutē euaderet. 52.

Digitized by Google

euaderet. Aut naturæ ac modo captiuitatis, ita vt ad captiuitatem plenam, atque perfectam nihil desiderari posse videatur. Quemadmodum illa perfecta, ac plena libertas appellatur, quando aliquis nullius paret imperio, neque in eo est statu, qui seruitutem metuat. Qui captiuus esset apud beneuolos homines, à quibus bene tractaretur, & amanter, ita vt nihil experiretur durum, nihil hostile, diceretur quidem captiuus, quia nō tam suo, quàm alieno viueret arbitratu, non tamen plenè, ac perfectè captiuus, & seruus, quia vitam ducit aliorum captiuorum vitæ longè dissimilem. At si quis seruitutem illam subeat, in qua nihil est, quod ingenui mores, & ipsa hominis natura non horreat, vbi sordidum sit, & vile ministerium, cibus parcus, & durus labor assiduus, à quo nec exiguo tempore respirare liceat, qualis à Ieremia *Thren. cap.* 5. describitur. Ille perfectè, ac plenè vocari posset seruus, atque captiuus.

53. Deinde vt vita sit sordida, labor durus, adsintque reliqua seruitutis incommoda, si tamen eo sit loco alligata, aut definita seruitus, seu captiuitas, vnde se captiuus facile possit expedire, & amissam libertatis lucem intueri; non dicitur plenè, atque perfectè captiuus, quia nondum spem abiecit libertatis. At si eo sit à fortuna, aut hominum iniuria compactus, vt ibi æterna sit seruitus subeunda: vt si interfusum mare, si ardui, atque inaccessi montes interiecti, ille verè captiuus dicitur, quia nulla se ostentat libertatis spes, tot spatiis, atque impedimentis interclusa.

54. Talem seruitutem obiisse videbantur, qui Idumæorum iugum ex Israelitico genere subierunt, duram nempe, vtpote apud illos, quibuscum æternas habuerunt inimicitias, ab ipso nempe parentum ortu, imò antequam ex materni vteri claustris susciperentur in lucem. De illis enim Genes. 25. v. 22. *Collidebantur in vtero eius* (Rebeccæ) *paruuli.* Sic autem Idumæi odio prosequebantur Israelitas; vt illos supplices repulerint, neque per fines suos transire permiserint, *Numer. cap.* 20. Et cùm Nabuchodonosor Hierosolymam bello esset aggressus, non solùm illis auxiliares præbuerunt manus; sed etiam vt funditus ciuitatem excinderent, hortabantur. Psal. 136. *Memento Domine filiorum Edom in die Ierusalem; qui dicunt: Exinanite, exinanite, vsque ad fundamentū in ea.*

55. *Quæ perfecta captiuitas, vel seruitus Israel.* Hoc igitur fuit quartum illud peccatum grande, quod admisit Gaza, & reliquæ ciuitates Palæstinæ, propter quod illis à Deo negatur conuersio. Quia cùm captiuos suos, quos bello ceperant, si pretio vellent à se distrahere, mitioribus dominis tradere potuerint; elegerunt tamen Idumæos, quos Israelitici nominis hostes esse norant acerbissimos. Quod perinde fuit, atque si carnifici traderent, aut lanio. Deinde quia ab eo Idumæorum ingenio nulla sperabatur libertas, neque enim illis argentum gratius, quàm Israelita seruus, in quo cruciando, explère possent antiquissimum odium, & parentis sui veteres iniurias vlcisci. Hoc sanè dixit Isaias *cap.* 13. *v.* 12. de Persis, qui valde erant infensi Babyloniis. *Pretiosior erit vir auro, & homo mundo obrizo.* Hoc verò indicare videtur non obscurè Prophéta, dum captiuitatem dicit in Idumæam fuisse conclusam. *Vt concluderent eam in Idumæam.* conclusum enim aliquid sonat alligatum arctè, & cui omnes ad libertatem aditus occlusi sunt.

56. Vers. 7. *Et mittam ignem in murum Gazæ, & deuorabit ædes eius.*] Nihil hîc addendum occurrit, præter id, quod proximè dictum de Damasco. Nam eadem penè sunt verba, & eodem exponenda modo, attemperatè tamen ad prouinciæ naturam. Enumerantur autem præcipuæ ciuitates Palæstinæ, neque inde excipienda Geth, quæ omissa videri poterat, cùm verba, quæ mox subiiciuntur, nihil non comprehendant. *Et peribunt reliqui Philisthinorum.*

Pro re morali locus est opportunus, maximè 57. contra eos, qui aut exemplo malo, aut suasu, aut alio quouis modo animas ad peccandum alliciunt. Illi enim transferunt captiuitatem perfectam, quia animam, quam Deo eripiunt parenti, aut sponso, dæmonis alligant imperio: qui durus est Dominus, & barbarus, neque ex illius manibus facile extorquetur præda. Quare nil mirum si Deus in hoc crudele facinus tam sæuiat inclementer, vt ideo minetur tale supplicium, quale proximè in Damasco dicebamus. Porrò in Edom adumbrari dæmonem, & infernum, non semel audimus. Vide Hieronymum in Psal. 107. *Quis deducet me vsque in Idumæam.* vbi Idumæam inferni dicit esse typum. Idē *epist. ad Damasum q.* 3. *& in Psal.* 136. Edom symbolum dicitur esse diaboli. Quod etiam sentit Origenes *homil.* 6. *in Exod.* ad illud Cantici Moysis, *Conturbati sunt principes Edom.*

Quando Gaza, & reliquæ ciuitates barbaræ 58. *Palæstina quando vastata.* huiusce crudelitatis pœnas dederint, non est inter auctores omnino constitutum, certum est post hoc vaticinium, aliquoties Palæstinam malè fuisse mulctatam, vt à Senacherib, qui Sargon fuisse existimatur, de quo Isaias cap. 12. *In anno quo ingressus est Tharthan in Azotum, cùm misisset eum Sargon rex Assyriorum, & pugnasset contra Azotum & cepisset eam.* Debellauit etiam sub hæc tempora Palæstinos Ozias, de quo lib. 2. Paralip. cap. 26. *egressus est, & pugnauit contra Philisthim, & destruxit murum Geth, murum Iamniæ, murúmque Azoti*, &c. Idem fecit Ezechias lib. 4. Reg. cap. 18. *Ipse percussit Philisthæos vsque ad Gazam, & omnes terminos eorum à turre custodum vsque ad ciuitatem munitam.* De hoc potiùs ego acciperem hoc vaticinium, quàm de Ozia, quia, quo tempore subacti fuerunt ab illo Palæstini, nondum fortasse prophetare cœperat Amos. A tempore enim terræ motus, quando nempe diuinitus fuit à lepra percussus, in domo vixit separata, & regnare desiit, *lib.* 2. *Paral. cap.* 26. At Ezechias longè fuit post hæc tempora, & talem videtur Palæstinis inflixisse plagam, qualem modò futuram prædicit Amos: sed est mihi verisimilius hoc vaticinium esse de illa Palæstinorum siue plaga, siue incendio, quam etiam minatus est Ieremias *cap.* 25. vbi calicem furoris Domini propinare iubetur. *Cunctis regibus terræ Philisthim, & Ascalonis, & Gazæ, & Accaron, & reliquiis Azoti.* Et iterum *cap.* 47. hoc ipsum repetit. Hæc eadem multo clariùs Sophonias *cap.* 2. *v.* 4. Hanc verò vastitatem tam Palæstinæ, quàm aliarum prouinciarum, quibus hoc ipsum minatur Amos, inferendam esse dicit eodem loco Ieremias à Nabuchodonosor. Quoto anno à Hierosolyma diruta Palæstinam, cæterásque prouincias exciderint Chaldæi, contra quas primo, & secundo capite noster Propheta fulminat, non habemus, quod ego viderim, in Scriptura sacra, tradit tamen Iosephus lib. 10. Antiq. cap. 11. *Quinto*, inquit, *post excidium Solymitanum anno, qui fuit regni ipsius Nabuchodonosori vigesimus tertius, cum magnis copiis inuasit Cœlem Syriam.*

Qua subacta bellum gessit contra Ammonitas, & Moabitas: & his quoque perdomitis Ægyptum hostiliter est ingressus. A

60. Vers. 9. *Super tribus sceleribus Tyri, &c.*] De hoc loquendi genere satis a nobis supérque dictū est, de captiuitate plena, atque perfecta in Idumæorum terminos conclusam, idem dicendum quod proximè de Gaza, neque aliquid est auctertius, aut nouum, quod hic adijci possit. Est enim verisimile si quos ex genere Israelitico cepissent Tyrij, illos fuisse venditos Idumæis, à quibus non essent suscepti benignius, quam oues à lupo, aut à leone famelico. Quando Tyrij cum Israelitis bellum gesserint, non constat, gessisse tamen dubitare nefas. Cùm ex hoc loco coniectare liceat, & dicat apertè Dauid Psal. 82. *Aduersum te testamentum disposuerunt tabernacula Idumæorum, & Ismaelitæ Moab, & Agareni, Gebal, & Ammon, & Amalech, & Philistim cum habitantibus Tyrum.* Imò, & coniurasse videntur Palæstini cum Tyriis, quando vtrosque simul superasse, ac continuisse dicitur Samuel. Eccli. cap. 46. v. 21. *Contriuit principes Tyriorum, & omnes duces Philistim.*

Tyrus Israelitis infensa.

61. *Et non sunt recordati fœderis fratrum.*] Fœdus hoc sociale, atque fraternum inter Tyrios, & Israelitas, initum videtur Dauidis, ac Salomonis tempore 3. Reg. cap. 5. v. 1. *Misit quoque Hiram rex Tyri, ad Salomonem, audiuit enim quòd ipsum vnxissent regem pro patre eius, quia amicus fuerat Hiram Dauid omni tempore.* Cum Salomone etiam iniisse fœdus, habemus ex eodem capite, & expressè v. 12. *Et erat pax inter Hiram, & Salomonem, & percusserunt ambo fœdus.* Quale verò illud fuerit, quam arcte atque amicè sociatum, ipse significauit Hiram *eodem lib. cap. 9. v. 12.* cùm dixit, *Hucine sunt ciuitates, quas dedisti mihi frater?* Hanc fraternitatem videtur dissoluisse Tyrus, cùm bellum gessit contra Gentem Israeliticam, aut cùm captiuos ex eo genere vendidit Idumæis. Ita ferme omnes cum Hieronymo. Quod si ita est, hoc bellum, aut hanc violatæ fraternitatis perfidiam necesse est contigerit, non ante tempora Salomonis, qualia fuerunt illa, de quibus proximè, quorum Dauid meminit *Psal. 82.* aut *Eccli. 46.* gessisse contra Tyrios dicitur Samuel: neque enim tunc contra Tyrios, atque Israelitas conglutinata fraternitas, cuius Tyrij dicuntur immemores: contigit autem exacto Salomonis regno. Quo verò tempore, id planè incertum, mihi tamen incompertum est, neque video aliquid ab aliis afferri verisimile.

Inter Tyrios, & Israelitas sociale fœdus.

62. Alij hoc fraternum siue sociale fœdus, de Idumęis atque Israelitis interpretantur, qui cùm fratres essent ex eodem vtero, atque eodem etiam partu suscepti, vt genere, & sanguine, ita etiam deberent studiis, atque animis consentire. Sed dum Tyrij captiuos Israelitas Idumæorum subiiciunt dominatui, id efficiunt omnino, vt inter duos illos populos nulla sit amicitia, nulla fraternitas, seuerū enim dominorum nomen, & abiecta seruulorum conditio, non satis se in eundem sensum, societatémque conciliant. Tum deinde morum, studiorúmque dissimilitudo, tum domesticæ, ac familiares iniuriæ dissociant animos, & generant odia. Ita ex Hebræis Rab. Abraham; neque improbat Rab. Dauid, tenent ex nostris Vatablus, & Robertus. Sed est explicatio prior soluta magis, & communis.

63. Vers. 10. *Et mittam ignem in murum Tyri.*] Quid in igne significetur, explicuimus suprà in vaticinio de Damasco, nempe ciuitatis excidium. Cùm autem sæpe vastata fuerit Tyrus, de illa sine dubio strage vaticinium hoc est, quam intulit Nabuchodonosor, paulo postquam bellum Solymitanum absoluit, quæ ab aliis Prophetis nō semel prædicta fuit. Isaias *cap.* 23. Ieremias *cap.* 27. & 47. Ezechiel *cap.* 26. & 27. vbi multis clades illa describitur, & nos in illis locis non pauca. De Tyri amplitudine, & gloria plurima apud sacros, atque profanos scriptores: vide Ezechielem *cap.* 27. & 28. & nostros in ea capita commentarios.

Vers. 11. *Super tribus sceleribus Edom, &c.*] Eadé, quæ in superioribus dicendi forma, neque diuersa sententia. 64.

Inter Idumæos, & Israelitas immortale odium.

B *Eo quòd persecutus sit in gladio fratrem suum, &c. & indignationem suam seruauerit vsque in finem.*] Nondum ex materno vtero emerserant duo fratres, etiam natura ipsa prodebat inter illos immortale dissidium, cum adhuc intra materna viscera colluderent. Quod ad finem vsque vitæ produxisse existimatur Esau. Quod odium à parente quasi hæreditario iure acceperunt posteri, qui ab Edom vocati fuerunt Idumæi, & ad finem vsque pertinaci studio conseruarunt. Vt enim pater semper odit Iacobum, quia alta mente reposuerat erepti primogenij dolorem, quam ipse grauē interpretabatur iniuriam: sic ipsi filij, in filios Israelis implacabiles aluerunt inimicitias. De Esau dicitur Gen. 28. v. 41. *Oderat ergo semper Esau Iacob pro benedictione, qua benedixerat ei pater, dixitque in corde suo: Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* Conseruasse illum animum ad illud vsque tempus, quo ex Mesopotamia rediit in terram Chanaam, id est, ad annum vsque vigesimum à prærepta benedictione, argumento est, quòd adhuc illum timebat Iacob. Et quo illum placaret præmisit munera, sibique ac suis diligenter cauit, eo modo gregibus, familiaque dispositis, quominus ab irato fratre acciperent detrimenti. C

Sed dicat aliquis, non videri perpetuum, aut implacabile odium, quod primum in fratrem concepit Esau, quando, vt ex *Gen. cap.* 32. & 33. liquet, occurrit illi Esau beneuolus vt apparet, vt docent illa, quæ maxima existimantur beneuolentiæ signa Gen. 33. v. 4. *Currens itaque Esau obuiam fratri suo, amplexatus est eum, stringénsque collum eius, & osculans fleuit.* Hìc multa dicunt interpretes de animo Esau, déque tot virorum comitatu, quem fratri obiecit redeunti. Vide Abul. *in cap.* 32. *Gen. q.* 2. Hebræi non putant occursum illum natum ex amore, fratrísque desiderio, sed vt fratrem extingueret, aut saltem ea comitum multitudine terrorem incuteret. Imò, vt ipse Abulensis scribit *in cap.* 33. *Gen.* Rab. Salomon osculum, quod fratri obtulit Esau, ortum esse dicit ex inueterata rabie: infigere enim maluit dentes, quàm oscula libare, sed lacerare non potuit fratrem morsu, quia aut Dominus repentè mutauit illius mentem, aut conatum elusit. Sed nugatur Rabbinus iste, sicut frequenter alibi. Ego retinuisse puto Esau veterem animum, eo verò tempore mutatum esse à Deo, prohibitúmque ne aliqua in re fratri fieret iniurius. Sicut paulo ante *Genes. cap.* 31. *v.* 24. prohibuit Laban, qui non minus erat indignatus, ne quid contra eundem Iacob duriùs moliretur. Quò etiam videntur spectasse castra illa Dei, quæ visa sunt Iacob *cap.* 32. *v.* 2. & lucta cum Angelo *ibid. v.* 24. cùm adhuc esset in metu, quæ id fecisse videntur, nequid impenderet à fratre periculi. 65. D E

Esau quo animo occurrit Iacob fratri suo.

Secuti igitur Esau posteri paternum ingenium, 66.

nium, & odium obstinatum, & pertinax. *Indignationem suam seruauerunt vsque in finem*, quam ostenderunt primùm, cùm egressi sunt filij Israel de Ægypto; tunc enim aditu prohibuerunt, & publica via, & illis occurrerunt armati: vt habes *Numer. cap.* 20. *& Psal.* 136. Et non solùm auxilio fuerunt contra Iudæos Babyloniis, sed etiam illis, quo funditus delerent Hierosolymam, faces admouebant, de odio Idumæorum in Iudæos multa habes apud Abdiam, & Ieremiam *cap.* 49. & Ezechiel. *cap.* 25.

67. Vers. 12. *Mittam ignem in Theman, & deuorabit ædes Bosra.*] Quid sit ignem mittere, explicatum est suprà. Sumpsit hic Propheta duas ciuitates, quæ erant in Idumæa nobilissimæ, & sæpius in Scriptura repetitæ; in quibus per synecdochen tota intelligitur Idumæa. Quando hic ignis siue proprius, siue metaphoricus vorarit Idumæam, non est coniectatu difficile, cùm id repetant iterum, & sæpius Prophetæ alij. Vide Ieremiam *cap.* 25. *&* 49. Ezech. *cap.* 25. fuit autem capta, & in solitudinem redacta à Nabuchodonosor quinto anno ab excisa Hierosolyma, vt paulo antè diximus ex Iosepho *lib.* 10. *Ant. cap.* 11.

Vers. 13. *Super tribus sceleribus Ammon.*] Nihil addendum ad illa, quæ in eadem forma de aliis nationibus obseruauimus.

68. *Eo quòd dissecuerit pregnantes Galaad.*] De hoc crudelitatis genere diximus in vaticinio de Damasco, vbi hęc eadem verba adhibuit Septuaginta translatio. Neque est quid ea de re quicquam ampliùs addamus. Cur autem crudele illud tormenti genus meditati fuerit Ammonitæ, ipse videtur docuisse Propheta, dum addit, *Ad dilatandum terminum suum.* Occiderant, credo, Assyrij cùm cis Iordanas tribus bello subiugarunt, nimirum Gad, & Ruben, & dimidiam tribum Manasse; aut abduxerant secum viros. A fœminis autem, quia imbelles erant, aut quia magis in illas, quasi in genus infirmum, misericordia flectitur, manus abstinuerunt armatas, & illarum plurimas in patriis sedibus reliquerunt. Sanè hostes, in quibus aliquid esset pudoris, aut honoris ratio, abstinendum esse putauerunt, non à cæde solùm, sed ab iniuria. Sic Alexander apud Quintũ Curtium lib. 5. *Cum captiuis*, inquit, *& fœminis gerere bellum non soleo armatum sit oportet, quem oderim.* Et ex hominum consuetudine dixit Æneas apud Virgil. 2. Æneid.

Hostes abstinent à fœminarum cæde.

——Nullum memorabile nomen
Fœminea in pœna est, neque habet victoria laudem.

Et Deus *Deut.* 20. *v.* 13. in bello abstinere iubet à fœminarum cæde. In illorum fines, vtpote vicinos, & à suis habitatoribus, & cultoribus vacuos irruperũt Ammonitæ, vt docuit Ieremias *cap.* 49. in quo prophetat contra filios Ammon, *Nunquid non filij sunt Israel? aut hæres non est ei; cur igitur hæreditatem possedit Melchon* (is erat Ammonitarũ Deus) *Gad, & populus eius in vrbibus eius habitauit?* Vbi propterea idem minatur supplicium, quod nunc Amos, ex quo fit verisimile de eodem Ammonitarum scelere agere vtrumque Prophetam.

69. Cur eò progressi fuerint immanitatis Ammonitæ vt prægnantes dissecuerint, & in materna vulua fœtus eliserint, duo à nobis assignari possunt causæ. Altera est inueteratum in Israelitas odium, cuius magnum, & fortasse primum argumentum fuit, quia, vt habes *Deut. cap.* 23. *v.* 4. noluerunt in pane, & aqua occurrere filiis Israel, cùm per desertum incederent, imò, & conduxerunt Balaam, vt illis malediceret. Hoc enim

Ammonitarum, & Moabitarum odium in Israelitas.

tam de Moabitis, quàm de Ammonitis affirmat locus Deut. de quo proximè. Vnde vtraque natio etiam post decimam generationem intrare prohibetur in templum. *Quia*, inquit, *noluerunt vobis occurrere cum pane, & aqua in via, quando egressi estis de Ægypto, & quia conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Mesopotamia Syria, vt malediceret tibi.* Et 1. *Reg. cap.* 1. Moas rex Ammonitarum bellum intulit Israeli, in quo vsque adeò ostendit inimicum, atque obstinatum animum, vt dixerit non aliter, aut priùs cum Israelitis percutiendum fœdus, quàm oculos illis dextros effoderet. Alia dederunt signa hostilis animi sub iudice Iephthe, & cùm Dauidis nuncios grauissima contumelia fœdarunt. Inflammari autem potuit antiquum odium, ex quo Dauid superatos Ammonitas dentatis calcauit, dissecuitque carpentis, lib. 1. Paral. cap. 20. *Fecit super eos tribulas, & trahas, & ferrata carpenta transire, ita, vt dissecarentur, & contererentur: sic fecit Dauid cunctis vrbibus filiorum Ammon.* Vt autem antiquum solarentur dolorem, & inustam suo nomini labem exurerent, paria Israelitico generi retulerunt, dissectis prægnantibus, & vt est verisimile dentatis plaustris super ipsas circumactis.

Altera causa est vt perpetua esset, & absque vlla perturbatione, ac metu Galaaditidis religionis tunc primùm vsurpata possessio. Nam si manerent filij illorum, qui ab Assyriis fuerunt sublati ferro, aut captiui in alienas regiones abducti, timere poterant ne aliquando paterna rura, quam ab aliis iniquè possideri videbant, aut vi, aut alia quauis ratione repeterent. Quare suis rationibus optimè consultum esse existimabant, si omnino veterum possessorum stirpem abolerent, & non modò natos iam infantes, sed etiam qui adhuc claudebantur in vtero, funditus extinguerent. Eo consilio Herodes multa infantum millia iussit occidi, vt regni, quod astu potius quàm iure possidebat, firmitati consuleret. Eodem Pharao, ne quid grauius Ægyptium regnum, à mascula Hebræorum sobole pateretur, vbi primùm ederentur in lucem, occidi iussit, & ex vtero statim ad tumulum traduci. Ex profanis multa habemus exempla tam in fabulis, quàm in historiis. Notum est quid Astyages in nepotis sui Cyri vitam decreuerit, vt recens natum lacerandum à feris exposuerit. Quid Amulius, qui cùm primùm ex Syluia natos accepit Romulum, & Remum, vt suo capiti, regnóque caueret, in Tiberim mergi iussit. Longum esset recensere, quæ in eo genere aut verè prodit, aut falsò fabulatur antiquitas. Vnum tamen adducam, & cum eo rationem, cur infantes aliis videantur horribiles, eóque nomine publico etiam decreto tolli iubeantur. Dixit hoc optimè Seneca, in Troade, vbi Græcos finxit sollicitos, quòd Astyanax viueret, qui cùm ad virile robur perueniret, vlcisci posset patris, & patriæ occasum. Sic ergo ibi Vlysses ad Andromachem, 70.

Cur tyranni innocentes infantes interficiant.

Dura minister sortis hoc primum peto,
Vt ore quamuis verba dicantur meo,
Non esse credas nostra: Graiorum omnium,
Procerúmque vox est. Petere quos seras domus
Hectorea soboles prohibet: hanc fata expetunt.
Sollicita Danaos pacis incerta fides
Semper tenebit, semper à tergo timor
Respicere coget, arma nec poni sinet,
Dum Phrygibus animos natus euersis dabit.

Hæc mihi ratio visa est non leuis cur prægnantes exsecrare voluerint Ammonitæ, vt dilatarent 71.

tét nempe terminos, tanquam omnino suos, non quasi iniquè aliis vsurpatos, quos superasse scirent, quique recuperare tentarent, vbi facultas suppeteret, & opportuna ad vindicandam hæreditatem occasio. Neque alia fortasse de causa scissæ dicuntur fœminarum omnium Galaaditidum tantùm prægnantes, quia ab illarum fœtu, non se omnino putabant securos Ammonitæ. Neque fortasse in alias sæuitum est, siue virgines essent, siue nuptæ, modò ne fœtu grauidæ. Et quidem *Num.* 31. *v.* 17. cùm Deus Madianitidas fœminas iugulari præceperit: à puellis tamen, atque virginibus abstineri iussit. Gregorius in sensu allegorico hæc de Hæreticis accipit 3. p. Pastor. admon. 25. *Qui paruulorum corda iam de Verbi conceptione grauida erroris gladio scindunt, & iacta veritatis semina disperdunt.* Quæ tu etiam accommoda his, qui aliis impedimẽto sunt, quominus in virtute formentur, ac crescant, qui in Dei sinu, atque visceribus, quasi in materna vulua fouentur. Sic sanè Deus ipse dixit Isai. cap. 46. v. 3. *Qui portamini à meo vtero, qui gestamini à mea vulua.* ex quo etiam intelligitur, quàm ferat Dominus grauiter aliquem iustum alterius opera ad peccatum abduci non sanè leuius, quàm mater cuius disrumpuntur viscera, vt fœtus tradatur lacerandus canibus, amplificauimus nos hanc sententiam in nostris commentariis ad illum Isaiæ locum.

Scandalosi dira crudelitas.

72. Vers. 14. *Et succendam ignem in muro Rabbath.*] De hoc dicendi modo alibi sæpe. Rabbath caput est Ammonitidis prouinciæ, de qua sæpe cum agitur ab aliis Prophetis de Ammonitarum cæde, vt *Ezech. cap.* 25. *Ieremiæ cap.* 49. Hæc verò ciuitas postea, Hieronymo teste, *in cap.* 21. *Ezech.* à Ptolomæo Philadelpho, vocata est Philadelphia. Hæc porrò vastitas inducta est a Chaldæorum rege, quinto ab excisa Hierosolyma anno, vt aliæ prouinciæ, de quibus supra.

Vers. 15. *Et ibit Melchon in captiuitatem.*] Cùm 73.
aliis ciuitatibus vastitas denunciatur, illarum etiam diis commune prædicitur exitium, vt idololatræ discant quale nam præsidium sint habituri in idolorum fide, seu potentia; cùm illa cauere sibiipsis nequeant, nec recusare quominus abducantur in alienum solum captiua, & in impura vasa ad sordida ministeria conflentur. Dixit idem, quod nunc Amos de Melchom Ammonitarum Deo Ieremias cap. 49. v. 3. *Clamate filiæ Rabbath: accingite vos ciliciis, plangite, & circuite per sepes: quoniam Melchom in transmigrationem ducetur, sacerdotes eius, & principes eius simul.* Idem de Chamos Deo Moabitarum prædixit Ieremias cap. 48. v. 7. *Ibit Chamos in transmigrationem, sacerdotes eius, & principes eius simul.* Idem minatur diis Ægyptiorum cap. 43. v. 12. *Succendet ignem* (Nabuchodonosor) *in delubris deorum Ægypti, & comburet ea, & captiuos ducet illos.* Hoc ipsum accidit aureis vitulis, quos abstulerunt Assyrij, vt diximus ad illud cap. 10. Oseæ. *Siquidem & ipse in Assur delatus est.* Itẽ diis, quos coluerunt Babylonij, de quibus nos in cõmentariis *in Isai. cap.* 46, ad illud, *Anima eorum in captiuitatem ibit.*

Dij Gentiũ cum populis captiui.

IN CAPVT SECVNDVM

ARGVMENTVM.

EADEM fermè, quæ nationibus aliis præcedenti capite, minatur nunc Propheta Moabitis, Israëlitis, & Iudæis, & cur tantopere sæuiendum sit in illas nationes docet. Sed magis immoratur in commemorandis his, quæ admisit Israël, in quam multo grauius, quàm in alios fulminat. Cui illa præsertim obiicit flagitia, quæ à crudelitate, & inclementia, tum etiam à Veneris intemperantia proueniunt. Deinde cùm à beneficiorum obliuione exaggerasset populi peccata, graue tandem minatur infortunium, à quo neminem dicit futurum esse superstitem.

CAPVT II. — PARAPHRASIS.

1. *HAec dicit Dominus: Super tribus sceleribus Moab, & super quattuor non conuertam eum: eo quod incenderit ossa regis Idumææ vsque ad cinerem.*

1. HÆc dicit Dominus de Moab: Propter alia multa scelera, non eximerem ab excidio Moab, sed præcipuè propter quartum: quia incendio tradidit exhumata ossa regis Idumææ, illaque in fauillas, & cineres redegit.

2. *Et mittam ignem in Moab, & deuorabit ædes Carioth: & morietur in sonitu Moab, in clangore tubæ.*

2. Quare hostilem manum inueham in Moabitidem terram, quæ tanquam ignis ædes Carioth funditus excindat. Et inter bellicos clamores, sonitúsque tubarum occidetur Moab.

3. *Et disperdam iudicem de medio eius, & omnes principes eius interficiam cum eo, dicit Dominus.*

3. Neque parcam his, qui ciuitatibus præsunt, Principibus videlicet, & iudicibus, penes quos est summa rerum: hos enim, dicit Dominus, eodem cum aliis impetu conficiam.

4. *Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus*

4. Propter plurima, inquit Dominus, scelera

bus Iuda, & super quattuor non conuertam eum: eò quòd abiecerit legem Domini, & mandata eius non custodierit: deceperunt enim eos idola sua, post quæ abierant patres eorum.

A scelera non parcerem Iudæ, sed propter quartum omnium maximè. Quia nihil habuit pensi, quidnam esset præceptum à Domino, quid legibus cautum. Omnia hæc namque, quasi vile aliquid, & nugatorium foret, conculcauit: secuti quippe sunt Iudæi parentum vestigia, & spe falsa delusi, idolorum sacris adhæserunt, à quibus sibi omnia futura pro votis existimabant.

5. *Et mittam ignem in Iuda, & deuorabit ædes Ierusalem.*

5. Eapropter irruet, tanquam ignis, Chaldæorum exercitus, qui domos Solymitanas à fundamentis euertat. B

6. *Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Israel, & super quattuor non conuertã eum: pro eo quòd vendiderit pro argento iustum, & pauperem pro calceamentis.*

6. Admisit, dicit Dominus, Israel, quàm multa, quæ diuinum instimulant furorem, & prouocant ad cædem, sed illud præcipuè, quod pauperis iusti causam prodit, & euertit, corruptus muneribus: quod perinde est, atque si iustum ipsum venderet, cùm à suo iure ac possessione deiectus, cogatur iniquo creditori seruire. Quod facit auarus, & infidelis iudex, ne sibi pereat vile aliquod lucrum, quale est pretium, quo emi calceamenta possunt.

7. *Qui conterunt super puluerem terræ capita pauperum, & viam humilium declinant: & filius ac pater eius ierunt ad puellam, vt violarent nomen sanctum meum.*

C 7. Hæc iudicum in pauperem iniuria est; sed alia est ignominiosa magis, & crudelis. Conterunt enim pauperem pugnis, & vi deprimunt, & affligunt ad terram: neque seruant illum iudicandi modum, quem lex ipsa atque natura præscribit, à quo dum declinant, à via atque iudicio pauperum diuertunt; nihil minus faciunt, quàm suscipere atque tueri miserorum causas. Accedit aliud omnibus commune flagitium: nam filius cum puella concubuit, cum qua pater priùs corpora miD scuerat. Ex quo id consecutum est, vt nomen sanctum meum, quo præcepta mea consignata sunt, pollutum censeretur, & vile.

8. *Et super vestimentis pignoratis accubuerunt, iuxta omne altare: & vinum damnatorum bibebant in domo Dei sui.*

8. Et quod animi est crudelis & impij, super vestibus stragulis cubabant quas pignori à pauperibus acceperant, quásque dominis ante noctem restitui lex imperabat: ne humi, aut nudi, cùm aliud non haberent tegumentum, cubare cogerentur. Ipsi verò, in illis aut dormiebant, aut imE pia agebant peruigilia, ad idolorum aras, & ad turpem illam quietem pignoratas sibi substernebant vestes, quas ad illud tempus pauperibus redditas oportuit. Ibidem autem in templis, Gentilico ritu, vinum bibebant, quod sibi ad luxum coemerunt, extorta pecunia ab his, quos corrupto iudicio condemnarunt.

9. *Ego autem exterminaui Amorrhæum à facie eorum: cuius altitudo, cedrorũ altitudo eius, & fortis ipse quasi quercus: & contriui fructum eius desuper, & radices eius subter.*

9. Multis te, ab antiquis sæculis, complexus sum officiis, ô Israel, pro quibus perfidiam mihi, atque iniuriam retulisti. Ego è suis finibus Amorrhæum exegi, vt in eius tu succederes locum: cuius si spe-

10. Ego ctes

A ctes fortitudinem, instar erat quercus: si proceritatem, proceris cedris non erat inferior: quem tamen ita exterminaui, atque deleui, vt non solùm fructu spoliauerim, & frondibus, sed etiam, ne qua in posterum spes foret inibi germinandi, ab imis vsque stirpibus excidi.

10. *Ego sum, qui ascendere vos feci de terra Aegypti, & duxi vos in deserto quadraginta annis, vt possideretis terram Amorrhei.*

10. Ego sum, qui te de Ægyptio iugo liberum exemi, & quadragenali peregrinatione, per inuiam solitudinem traduxi, vt in Amorrhæorum regione, non tanquam hospitem, & inquilinum, sed tanquam verum possessorem, & dominum collocarem.

11. *Et suscitaui de filiis vestris in prophetas, & de iuuenibus vestris Nazaraeos: numquid non ita est filij Israel, dicit Dominus.*

B 11. Eo tempore vobis Prophetas dedi, qui diuina ad populum oracula proferrent, & de vestra iuuentute adolescentes elegi, quos meo nomini, ac cultui sacratos esse volui, & quasi à profana turba segregatos, Nazaræos appellari volui.

12. *Et propinabitis Nazaraeis vinum: & prophetis mandabitis, dicentes: Ne prophetetis.*

12. Illa tamen, quæ ad populi dignitatem religiosúmque viuendi modum ego constitui: illa tu, ô Israel, quod in te fuit, impiè dissoluisti, cùm Nazaræis porrigeres vinum, quod per legem gustare non licebat: & aut silentium indiceres Prophetis, aut propositis minis ediceres, vt nisi quod tibi foret ad palatum loquerentur.

13. *Ecce ego stridebo super vos, sicut stridet plaustrum onustum fœno.*

C 13. Ecce ego, sub vestrorum peccatorum onere, quod iam dudum porto, sic gemo, quemadmodum plaustrum, cùm onustum fœno, graui prægrauatum onere stridet.

14. *Et peribit fuga à veloce, & fortis non obtinebit virtutem suam, & robustus non saluabit animam suam.*

14. Eo autem tempore nemo vltricis dexteræ vulnus effugiet: non velox cursu, non fortis robore, non potens viribus assequatur, vt vitam suam liberet ab interitu.

15. *Et tenens arcum non stabit, & velox pedibus suis non saluabitur, & ascensor equi non saluabit animam suam:*

15. Corruet, quantumcumque homo fuerit sagittandi peritus, neque vllus tam erit pedum pernicitate leuis, qui mortem euadat: neque efficiet quisquam equestri
D fuga, vt instantem à tergo inimicum effugiat.

16. *Et robustus corde inter fortes nudus fugiet in illa die, dicit Dominus.*

16. Et qui audaci fuerit, & infracto pectore, & inter fortes fortissimus, in illis rerum angustiis, sic erit infirmus & debilis, vt quasi ab omni foret virtute nudus, fuga sibi petendum esse putet vitæ subsidium, Hæc dicit Dominus, cuius verbis, neque pondus aberit, neque fides.

Vers. 1. *Super tribus sceleribus Moab*, &c.]

1. HIc nihil nobis addendum ad illa, quæ ad similem dicendi modum in capite præcedenti dicta sunt.

Eo quòd incenderit ossa regis Idumaea vsque ad cineres.] Graue scelus esse oportet illud, propter quod tantopere Deus indignari se dicit in Moabitas; de quo pluribus,
E vbi de hoc Idumææ rege, cuius ossa effossa de sepulcro, & in cineres redacta, dicemus. Communis est omnium interpretum sententia hunc regem, qui exhumatus, atque combustus est, fuisse illum, qui cum rege Israel, & Iuda arma coniunxit, contra regem Moab *lib. 4. Reg. cap. 3.* vbi eò desperationis adductus est rex ille, vt super murum

rum primogenitum filium, ſpectantibus omnibus immolauerit. Hinc dicunt regem Moab, tantum in regem Idumææ odium concepiſſe, vt in mortuum quoque feratum in modum bacchatus fuerit. De modo nihil habemus in Scriptura, imò neque de ſcelere. Neque quicquã peruenisset ad nos, ſi de illo Propheta noſter tacuiſſet. A quo id vnum habemus, combuſta fuiſſe regis oſſa, & ad cineres vſque reſoluta. In aliis diuinant Hebræi, neque magis ad veritatem, & veri aliquam ſpeciem, quàm in rebus aliis, vbi ridiculè nugantur.

De rege Idumææ Hebræorum nugæ.

2. Chaldæus dicit ex regis Idumææ cineribus, quaſi ex ſubacta calce cæmentaria, regem Moab, aulæ ſuæ induxiſſe tectorium, quod miror probatum eſſe Quinquarboreo ſuper paraphraſim Chaldaicam in Amos, quod præterquam, quòd nullum in Scriptura ſacra fundamentum habet, neque ex cineribus oſſium hominis vnius incruſtari poſſit paries; neque ſubactus cinis ita cogitur, aut dureſcit, vt ad liniendum parietem ſit opportunus.

3. Minus eſt credibile, quod hoc loco ſomniauit Rab. Dauid, quódque eodem loco Quinquarboreus amplectitur, neque Vatablus improbat, regem nempe, cuius oſſa cremata traduntur, fuiſſe illum quem *lib.* 4. *Reg. cap.* 3. in extrema deſperatione immolauit Moabitarum rex: putat enim eſſe non filium regis Moab, ſed regis Idumææ. Cùm enim, inquit, vrgeri ſe videret à tribus regibus, erupit ex vrbe in illam partem, vbi ſtationem ſuam ſeruabat rex Idumææ, cùm tamen nihil in eo congreſſu promouiſſet, abſtulit in reditu captiuum regis Idumææ filium, quem ſuper murum in omnium conſpectu trucidauit: hunc verò ideo regem appellari dicit, quia primogenitus erat, & deinde pro patre regnaturus. Hîc multa peccat recutitus iſte, primùm quòd hæc de ſuo potius cerebro, quàm de Scripturæ ſacræ monumentis promit. Deinde quia Scriptura non dicit, illum regis filium fuiſſe cõbuſtum, ſed immolatum; & oſſa cremata argumento ſunt, dudum poſt regis mortem admiſſum fuiſſe horribile illud, & immane facinus. neque enim tantum fuiſſet regi Moab pietatis, & otij, vt oſſa nudaret, cremarétque, & de carnibus aliter ſtatueret. Deinde, quia primogenitus niſi in regni ſocietatem fuerit aſcitus, nunquam dicitur rex. Tamen quia ſi regis Idumææ filius eſſet ea ratione iugulatus, potiùs reges vrgerent obſidionem, vt amici, ac fœderati de immolato filio dolorem ſolarentur, quàm arma deponerent, & in patriam redirent.

4. Minus abs re, quamquam, vt ſæpe alibi, de ſuo cerebro Rab. Salomon *in lib.* 4. *Reg. cap.* 3. vt refert Lyra. Ait enim, interrogaſſe regem Moab, quamobrem tam eſſet Deo gratus populus Iſrael, & cùm reſponſum eſſet, illam apud Deum gratiam inueniſſe, quia pater illorũ Abraham filium ſuum Iſaac Deo ſacrificaſſet; ſtatuiſſe eodẽ ſacrificij genere diuinam ſibi gratiam, & patrocinium demereri, atque ideo immolaſſe filium primogenitũ, & ea ratione impendentẽ iam ab hoſte mortem effugiſſe. Suam ſibi fidem liberet Rabbinus iſte, quæ ſemper apud me leuiſſima fuit.

Hoſtium cadauera exhumari ſolita.

Cùm ex Scriptura ſacra nihil habeamus certũ de hac regis Idumæorum exhumatione, & oſſium diſperſione; illud mihi videtur prudenti cõiectura dici poſſe, cùm varij eſſent inter finitimos populos congreſſus, vt plerunque fit, Moabitarum regem aliquando victorem eam iniuriam intuliſ-

A ſe Idumæorum nomini, vt regium effoderit cadauer, illúdque per ludibriũ ignominioſè diſperſerit. Quod fecerunt Chaldæi, cùm Hieroſolymã in ſuam ſibi ditionem ſubiugarunt, vt habes *Ierem. cap.* 8. *& Baruch cap.* 2. de quibus ſtatim. Fecit hoc idem Sylla, qui Marij oſſa exhumata diſperſit, quod ſibi ne aliquando contingeret, cremari ſe iuſſit, non integrum inferri ſepulturæ. Hic verò metus apud Romanos pro ſepultura buſtum introduxit. Ita Plinius lib. 7. cap. 54. *Ipſum cremare apud Romanos non fuit veteris inſtituti: terra condebãtur. At poſtquam longinquis bellis obrutos erui cognouere, tunc inſtitutum. Et tamen multæ familiæ priſcos ſeruauere ritus: ſicut in Cornelia nemo ante Syllam dictatorem* B *traditur crematus. Idque voluiſſe, veritum talionem, eruto C. Marij cadauere. Sepultus intelligitur quoquo modo conditus, humatus verò humo contectus.* Hæc Plinius.

Comburendi corpora vnde orta conſuetudo.

5. Iam tamen exploremus, cur violato ſepulcro regio, & oſſibus in cinerem redactis, tam dicatur indignatus Dominus, vt ideo neget conuertendum eſſe Moab. Summæ videtur non immanitatis ſolùm, ſed etiam impietatis ſæuire in mortuos, aut illorum ſepulcra violare. Quare apud omnes malè ſemper audierunt, qui aliorum ſepulcris, ac cineribus irrogarunt iniuriam, imò, & ſibi vulgus hominum perſuaſerat illos ardentibus furiarum tædis agitari, quibus minus eſſent religioſi parentum cineres, & ſepulcra. Ita Horatius, C *epiſtola ad Piſones in fine.* Peſſimè apud omnes audiuit Cambyſes, vt auctor eſt Herodotus *lib.* 3. qui Amaſis regis Ægypti iam defuncti effodi iuſſit cadauer, & flagris cædi, vellicari, ſtimulis pũgi, & omni contumeliarum genere vexari. Quis non horreret, execraretúrque, ſi modò verum eſt, & non merum Rabbinorum figmentum quòd exhumarit parẽtem Euilmerodach, & illum contumelioſè tractarit, de quo nos in *cap.* 25. *Ieremiæ.*

In mortuos ſæuire impium.

Cambyſes impietas in mortuum.

6. Quàm ſancta fuerint barbaris etiam hominibus, quique vitam alioqui degunt ſylueſtrem, & vagã, parentum cineres, & ſepulcra, docuerunt illuſtri quodam exemplo Scythæ pleriſque aliis in rebus prorſus inculti. Cùm enim cætera deſpicerent o- D mnia, pro parentum tamen ſepulcris ad mortem vſque certandum putarunt. De quibus Herodotus *lib.* 4. & Valerius Maximus *lib.* 5. *cap.* 4. Nam cùm illis Darius metum, aut inertiã exprobraret, quòd bellũ ſemper declinarent, reſponderunt ipſum cùm ad parentum ſuorũ ſepulcra veniſſent, cogniturũ quẽadmodum Scythæ præliari ſolerẽt. Hac de re profani plurima, quæ libens omitto.

Religioſa ac veneranda mortuorum ſepulcra.

7. Neque leuiora ſacri, qui horribile eſſe indicant exhumari cadauera, & condita priùs oſſa diſpergi, quando in minis id primùm, aut in primis numerant. Sic dictum eſt Ieroboamo *lib.* 3. *Reg. cap.* 13. ſic Ieremias *cap.* 8. in extremis numerat, quòd oſſa regum ex ſuis ſint tumulis ex- E trahenda. *Eiicient oſſa regum Iuda, & oſſa principum eius, & oſſa ſacerdotum, & oſſa Prophetarum, & oſſa eorum, qui habitauerunt in Ieruſalem de ſepulcris ſuis.* Quod dolet Baruch cap. 2. v. 24. *Statuiſti verba tua, quæ locutus es. In manibus puerorum tuorum Prophetarum, vt transferrentur oſſa regum noſtrorum, & oſſa patrum noſtrorum de loco ſuo: & ecce proiecta ſunt in calore Solis, & in gelu noctis.*

8. Ex his apparet quàm ſit graue peccatum exhumare mortuos, & illorum inſultare cineribus, & cum illis dimicare rurſus, & illum honorem eripere, quem dedit viuorum pietas, & qua id ratione fieri poteſt rurſus interficere. Quod vſqueadeo natura ipſa horret, & Deus execratur, vt ſi id hoſtibus inferri contingat, abire non ſi-

nat impunitum. Hostis quidem erat populi Dei, imò & Dei ipsius rex Idumææ; at illius vlciscitur iniurias, quia creator omnium, & Dominus est; & vt omnium gerit curam, sic etiam omnium rationibus consulit, & naturæ leges violari non patitur. Ita penè Hieronymus hîc. *Vt ostendat se Deus omnium Dominum, & cunctas animas ad suum, qui earum conditor est, imperium pertinere, regis quoque Idumæorum iniuriam vindicat; imò & scelus, quod in eum à Moabitis perpetratum est*, &c.

Detractores quasi canes.

9. In mortuos verò sæuire, & cum morte non etiam inimicitias extingui, belluini esse animi, & parum ingenui, sapientes, & honesti viri indicarunt. Quare mortuis maledicere, aut illis detrahere, illiberale putarunt, & turpe. Id enim dicebant esse canum, qui à carnibus putridis non cohibent rabidam famem, & quæ terra tegit, foras effodiunt. His detractores assimilat, qui mortuorum vitia, quæ terra benignior condit, in hominum conspectum euocant; quod perinde est atque ossa effodere, & illa comburere; quia sic detecta accipiunt, & exaggerant vitia, quasi incendio digna fuerint, aut cruce, aut denique talia, quæ fœdo aliquo ac duro supplicio punire debuerint.

De mortuis non nisi honorificè loquendum.

10. Longè aliter viri sapientes ac pij, qui de mortuis parcè, & non nisi cum laude loquuntur, nisi illorum vita, atque doctrina eiusmodi sit, vt si commendentur, aliquid hominibus allatura sint incommodi. Nam quæ laudantur, aut etiam non improbantur commemorata, probari solent, & ad imitationem, & exemplum adduci. Fuit Arius vir scelestissimus, cuius vita, atque doctrina multorum mores, & ingenia corruperunt: quare Magnus Athanasius non potuit illa non reprehendere, ne si negligeretur, adolesceret pestis, & in aliorum animos sensim irreperet. Ita tamen egit modestè, vt diceret sibi accidisse perquam molestum, quòd sibi necessarium foret agere cum mortuis; à quibus abstinere debet maledica lingua, & oratio non omnino beneuola. Sic autem ille oratione 1. contra Arianos. *Omnibus quidem hominibus communis vitæ exitus mors est, neque illi defuncto* (Ario) *tametsi inimico insultandum; cùm incertum sit num ante vesperam ipse quoque à morte sis apprehendendus. Sed tamen exitus rei, quia non est vulgaris, operæpretium est, vt enarretur.*

Athanasij modestia in reprehensione mortuorum.

Mori pacificè quid.

11. Vers. 2. *Et morietur in sonitu Moab, in vlulatu, in clangore tubæ.*] Alij morbo intereunt lento, alij ipsa naturæ necessitate consumpti, inter domesticos & amicos, qui qua possunt ratione, ac studio morbum leuant, & dolorem solantur, qui mori dicuntur pacificè, sine vlla vi extrinsecus allata, ac sine tumultu. Quomodo Gen. 15. v. 15. dixit Dominus Abrahæ, *Tu autem ibis ad patres tuos in pace sepultus in senectute bona*, & lib. 2. Paralip. cap. 28. dicit idem Iosiæ, *Iam colligam te ad patres tuos, & infereris in sepulcrum tuum in pace.* Sine tumultu enim vterque sepultus est, quia nullus tunc erat hostis, qui funebrem planctum, & debitas exequias perturbaret. Contrà verò quia Ioab à Dauide iam morituro iudicatus est, dignus, qui ferro tolleretur, quando ille simulata amicitia duos præclaros duces ferro sustulerat, præcepit filio suo Salomoni, ne sineret illum pacificè diem suum obire, sed ferro vt ipsius exigebant merita perimeret. lib. 3. Reg. cap. 2. *Tu quoque nosti, quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ*, &c. *facies ergo iuxta sapientiam tuam, & non deduces canitiem eius pacificè ad inferos.* Id est, non sines illum aut morbo, aut naturæ necessitate decedere, sed facies vt gladius morbū, aut naturæ necessitatē anteuertat.

Cùm ergo mors Moab in tumultu, & sonitu, & tubarum clangore prædicitur, pacifica negatur mors. Cadet enim inter frementes hostes, inter vlulantes ciues, inter micantes, atque vibrantes gladios, aut etiam conculcatus ab equorum vngulis. Aut quod significasse videtur Isaias cap. 25. v. 10. plaustris ferrantibus ab hoste concisus. *Triturabitur*, inquit, *Moab sub eo, sicut teruntur paleæ in plaustro.* Quæ omnia sine sonitu, atque tumultu non fiunt. Vide Ieremiam cap. 48. vbi optimè Moab casum, vastitatémque describit, & multis explicat, quæ hîc Propheta paucis. Hæc contigerunt anno quinto ab excisa Hierosolyma, vt diximus suprà de Amonitis. 12.

Moab quomodo peremptus.

Vers. 4. *Super tribus sceleribus Iuda.*] Non est Deus personarum acceptor, atque ideo ea minatur & nunc Iudæ, & Israeli postea, quæ populis externis, ignem videlicet, id est, bellum, & cladem, quia eodem, quo Gentes, modo à Deo peccando recesserunt. 13.

Eo quòd abiecerunt legem Domini, & mandata eius non custodierunt.] Hæc aperta sunt, & millies à Prophetis iterata, quare non est cur in illis amplificandis, aut commemorandis multi simus. 14.

Deceperunt enim eos idola sua, post quæ abierunt patres eorum.] Decepti dicuntur ab idolis, quia cùm ab illis magna sibi commoda promitterent, relicto vero, ac patrio Deo in nefarium idolorum cultum abierunt. Quod ita fuit Hebræorum populo familiare, vt ab ipsis, vt ita dicam, incunabulis, & deinde ad extrema ætatis suæ tēpora ab aliis atque aliis Gentilium sacris, quasi vagus sēper, & errabundus adhæserit. Coluit in Ægypto Ægyptiorū monstra, quibus ille diuinum nomen indidit, atque ita, cùm vix ex eorum seruitute respiraret, ad aureos vitulos rediit, quos antè coluerat. Docuit hoc Isaias cap. 2. v. 20. dum inter idola, quæ coluerunt Iudæi, talpas numerat, & vespertiliones, quæ fuerunt Ægyptiorum numina. & expressè Iosue cap. vltimo. Quòd in deserto idola coluerint, res est nota, & docet Amos ipse cap. 5. v. 26. *Et portastis tabernaculum Moloch.* de quibus dixit Dauid Psal. 105. *Commixti sunt inter Gentes, & didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum.* Neque meliores fuerunt posteri, vsque adeò in omne genus idololatriæ proni, vt in ipso etiam templo Solymitano aras excitauerint impuras, & varia idolorum mōstra collocauerint. Vide quæ diximus ad illud Ierem. 11. v. 13. *Secundùm numerum ciuitatum tuarum erant dij tui Iuda: & secundùm numerum viarum Ierusalem posuisti aras confusionis.* 15.

Israelitæ in Ægypto, & deserto coluerunt idola.

Vers. 6. *Super tribus sceleribus Israel*, &c.] Quemadmodum vt magis amplificaret Propheta quartum scelus, tria præmisit in aliarum nationum vaticiniis, sic etiam, vt magis amplificet Israelis scelus, aliarum nationum præmisit scelera, quódque illis decretum est à Domino supplicium. Agebat autem, vt diximus, præcipuè cum Israelitis, ad quos deinde pertinet, quicquid reliquum est totius prophetiæ. 16.

Eo quòd vendiderit pro argento iustum.] Hunc iustum Rupertus Iosephum esse dicit, quem fratres Ismaelitis mercatoribus vendiderunt Gen. 37. Sed sanè scelus illud non decem tantùm tribuum fuit, sed commune cum Iuda. Neque præterea illi Israelitæ, quorum mores, ac studia vellicat Amos, illius antiqui sceleris participes fuerunt. Alij iustum hunc venditum Christum seruatorem esse putant, quem sordidi lucri auidi 17.

a [illegible] vendidit Iudas. Ita probat Rab. Samuel [illegible] Christianus *in epist. ad Isaac Israelitam cap. 6.* [illegible] *tom. 6. Bibliothecæ veterum Patrum,* quod [illegible] sensit Galatinus *lib. [illegible] cap. 24.* & Adrianus [illegible] *lib. 9. cap. 47.* & ante [illegible] Haymo, neque improbat Lyra. Quod minus in Christi tempus, & venditionem conuenire, optimè probat [illegible] Ribera. Primum quia non tam ab [illegible] quàm à Iuda venditus est, atque emptus Christus. Deinde quia illa scelera, quæ eodem ordine connumerantur, quæque eodem tempore [illegible] dicuntur, quo venditus pro argento iustus, non satis cum Christi venditione consentiunt. Qui enim vendidisse dicitur iustum, ille idem pro calceamento dicitur vendidisse pauperem: neque eo tempore fuerunt idola, iuxta quorum altaria accubuisse arguuntur.

18. Est autem communis sententia notari hic, & grauissimis destinari suppliciis corrupta iudicia, [illegible] & [illegible], quæ pauperum euertunt causas, fortunas eripiunt, & vitæ insidiantur. Nullum nomino, ne numerem omnes. Iustus hic dicitur, qui iustè, atque legitimè de honore, aut bonorum possessione certat, cui iura fauent, & æquitas: sed iudicium aduersatur improbitas, & largitionibus corrupta fides. Dicitur porrò vendi iustum, cùm tamen iudicia pretio vendantur. Quia per metonymiam [illegible] pro re [illegible] ponitur, vt Vcalegon pro Vcalegontis domo, quare qui diceret venditum Vcalegontem, venditam diceret Vcalegontis domum, sic modò *vendi iustum,* nihil est aliud, quam venditam esse causam, aut bona iusti. Aut quia [illegible], vt opinor, linguarum omnium in dicendi modo, ille venditus dicitur, cui fraus fit, ab illo præsertim, qui se patronum, ac defensorem profitetur, aut ab eo, qui publicas disceptat causas, & æquitatem pro dato sibi munere tuetur. Sic Hispanus cum ab alio [illegible] deceptus est, venditum se dicit. Quod cùm in aliis benè, optimè verò locum habet hic dicendi modus in causa pauperis, cùm ab iniquo, atque auaro iudice proditur. Nam cùm tenuis sit, & angusta pauperum fortuna, si causa cadat, & quod illi lex, & æquitas tribuit, eripiatur, necesse est, vt operam suam alteri locet, quo victum sibi, atque familiæ paret. Id vendere seipsum est, quia quandiu alteri locata est opera, alterius se alligant imperio, neque sui iuris, ac potestatis est. Quòd si damnatus iniustè pauper, soluendo non sit, vendendus esset creditori, vt habes Exod. cap. 22. v. 3. *Si non habuerit, quod pro furto reddat, ipse venundabitur.* Imò & filii seruos habent creditoris, si pater illi satisfacere non posset. Sic sanè dixit Elisæo vidua sibi, ac liberis suis accidisse: absque dubio ex consuetudine, & lege. Lib. 4. Reg. cap. 4. *Mulier quædam de vxoribus Prophetarum clamabat ad Elisæum, dicens: Seruus tuus vir meus mortuus est, & tu nosti, quia seruus tuus fuit timens Deum; & ecce creditor venit, vt tollat duos filios meos ad seruiendum sibi.* Quare corruptus iudex, qui argento vendit pauperis causam, pauperem etiam videtur vendidisse, & iustum, quia cogit vt suas operas creditori [illegible], aut seipsum vendat, vt quod pecunia non potest, laborando soluat, ille verò [illegible] dicitur, qui in causa est, vt ab alio [illegible] [illegible] ædificare dicitur domum, quia [illegible] ædificetur ab aliis. item, qui operi faciendo [illegible], quia aliis, quid facto opus sit, [illegible].

Quomodo debitor vendi posset, cũ soluendo nõ esset.

19. *Et pauperem pro calceamentis.*] Vsque adeo vilis, [illegible] iudici vilis fuit pauperis causa, aut

etiam libertas, vt illam non dubitet pro calceamentis permutare. Quare libenter [illegible] animo, & curat, ne alii vitam ducant commodam, & liberam, dummodo sibi calceamenta non desint. Calceamentum Propheta pro re posuit vilissima, tum quia ipsa vili æstimantur, quia sine vllo ferè impendio comparantur, tum quia abiecta, vtpote, quæ calcantur perpetuò pedibus, neque vnquam eleuantur à puluere, & fimo. vt ponderat hîc Hieronymus. Hæc crimina sunt iudicum, quæ detestatur Deus, & sæpe edicit verbis grauissimis, ne vllo modo admittantur ab eo, cuius iudicio causarum disceptatio permittitur. Deut. 16. v. 18. *Iudices, & magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi per singulas tribus tuas, vt iudicent populum iusto iudicio, nec in alteram partem declinent. Non accipies personam, nec munera, quia munera excæcant oculos sapientium, & mutant verba iustorum.* Quàm verò sub hæc tempora corrupta essent iudicia, docet Isaias cap. 1. v. 23. *Principes tui infideles, socii furum: omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos.* Et cap. 5. v. 23. *Væ qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo.* [illegible]

Calceus pro re vili.

Apud Lyram Rab. Salomon, pro calceamentis clausuram legit, & hanc putat esse sententiam curare potentem, vt pauperi maceriam diruat, quæ fundum ipsius à diuitis fundo discludit, ac separat, vt ex duabus vna fiat possessio, quæ diuiti seruiat, quam sententiam non improbat Lyra. Sed hanc lectionem coarguunt interpretes omnes: & vox Hebr. [illegible] calceum valet, cui accedit dualis numeri terminatio, quæ nullo modo maceriæ, calceis verò commodissimè aptatur, notum est enim dualem numerum rebus conuenire, quæ natura geminæ, aut [illegible] sunt, quales sunt pedes, & calcei. 20.

Vers. 7. *Qui conterunt super puluerem terræ capita pauperum.*] Superior [illegible] & qui legum, & æquitatis vindices esse debuerant. Iam alia proponit communia, partim quæ pauperum iniustam vim, partim quæ ad alia violentiæ, ac turpitudinis genera spectant. Hunc locum varii variè reddunt, & exponunt. Hebr. *Qui desiderant pauperum capita super terræ puluere,* supple esse. Vbi fortasse hypallage est Hebræis vsitata, in hunc sensum, Qui desiderant esse puluerem in pauperum capite. Nam hoc in summa miseria, ac luctu homines faciunt. Chaldæus, *Qui conculcant vt puluerem terræ caput pauperum.* Septuaginta, *Et pugnis percutiebant in capite mendicitum.* Tigurina, *Anhelantes super puluerem terræ caput tenuium.* Sed deserenda non est vulgata translatio, quæ omnium optimè hanc pauperum iniuriam exprimit. Quæ in variis parit explicationes, quæ tamen omnes eodem ferè spectant. Prima est magis esse contritum pauperum caput, comminutumque pugnis, quam terræ puluerem, quæ hyperbolica locutio est. Altera allisum esse terræ pauperum caput, ibique vexatum, & afflictum inclementer. Deinde coactum esse pauperem, cùm iniquè secum agi videtur, ad infimas se preces deiicere, & caput super puluerem statuere. Quod esse etiam apud profanos vsitatum pluribus ostendimus super Isaiam ad illud cap. 49. *Et puluerem pedum tuorum lingent.* & ad illud Thren. 3. *Ponet in puluere os suum, si forte sit spes.* Et eundem [illegible] in iudiciis fieri solere, cùm quis aut laborat causa, aut iniusto premitur iudicio, docet illud factum L. Pisonis, de quo Valerius 21.

Supplicantes mittebant ad terram se deiiciunt.

 [illegible] lib. 8.

lib.8.cap.1 *Cum enim tristes de eo sententiæ ferebantur, repentina vis nimbi incidit. Cumque prostratus humi pedes iudicum oscularetur, os suum cœno repleuit. Quod conspectum tam tam quæstionem a seueritate ad clementiam, & mansuetudinem transtulit.* Hæc Valerius. Ex his elige quam malueris, mihi illa probatur magis, quæ malè vexatum dicit pauperum caput potentiorum pugnis, quod dixit in eo iudicio Isaias *cap. 3. v. 14* vbi videtur totam istam sententiam fuisse complexus. *Rapina pauperis in domo vestra. Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis?* Vt faciem commolere, aut pugno percutere, pro magna ponitur ignominia, vt eo loco diximus in nostris commentariis; sic caput conterere, nihil est aliud, nisi fallor, quam extremam ignominiam subire, vtrumque enim seruile est supplicium, & sordidæ conditionis ignominia.

22. *Et viam humilium declinant.*] Hic quoque locus ad multa patet. Primum, vt Hieronymus putat, & in priori explicatione indicat Cyrillus, superbi, atque potentes, & qui publicas sustinent aut iudicant causas, pauperum sordes, & inopiam fastidiunt, pudori sibi esse ducunt cum illis congredi, aut ab illis etiam salutari; quare quasi ad illorum aspectum nausearet stomachus, omnem declinant locum, vbi occursum ire putant tenue illud, & obscurum genus hominum. Altera Cyrilli explicatio est, declinare hos homines potentes opibus, auctoritate, atque doctrina apud humilem, ac simplicem plebeculam nobiles, humilium viam, quia suo exemplo, & doctrina a veritate, rectaque ratione detorquent. *Qui deginant, ait Cyrillus, ecclesiasticos in suam opinionem deprauant, & simpliciorum animis oblique, atque peruersa via subeuntes persuadent. Nihil enim apud ipsos rectum est, sed potius verba peruersa, & indecora, & sermones compositi, & inscitiæ pleni.* Quomodo de huius farinæ hominibus dixit Isaias cap. 3. *Qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.* id est, te ad prauam, & deuiam semitam abducunt.

23. Mihi illa magis probatur expositio, quæ dicit ab impiis, corruptisque iudicibus ius omne pauperum perfidiosè peruerti, ita Chaldæus paraphrastes, & quidam ex Hebræis, & in his Rab. David, Montanus, Vatablus, Figuerius, Castrus, & in hanc magis inclinat Ribera. Via modus est, & legitima iudicandi ratio a Domino præscripta, vt docet illud Exod. 18. v. 20. *Esto tu populo* (verba sunt Ietro ad Moysem) *in his, quæ ad Deum pertinent, vt referas, quæ dicuntur ad eum, ostendasque populo ceremonias, & ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant, & opus quod facere debeant.* Viam idem esse quod viuendi, aut agendi modum, nemo credo nescit, qui in Scriptura mediocriter versatus est. Et iuxta hæc sensus erit, non tenuisse iudices, qui idem esse deberent iuris, legumque custodes, illum iudicandi modum, quem Deus, & natura ipsa rerum præfiniunt, sed illum declinauerunt, id est, declinarunt ab eo, aut, quod idem est, ab illo diuerterunt.

Via, modus, & institutum.

Et præterea via idem quod opus, aut etiã causa, vt Chaldæus exponit, Oseæ cap. 4. v. 9. *Visitabo super eum vias eius, & cogitationes eius reddam ei.* vbi viæ idem esse videntur, quod causæ, aut iura, quæ Dominus iudex, & exactor expendet. Sed clarius Iob. cap. 24. v. 3. *Asinum pupillorum abegerunt, & abstulerunt pro pignore bouem viduæ, subuerterunt pauperum viã, & oppresserunt pariter mansuetos terræ.* Iuxta hæc sensus est omnium, meo iudicio, maximè proprius, iniquo iudicio proditum esse, atque peruersum pauperum iudicium, & ab eo excidisse aliorum siue muneribus, siue calumniis; quod illis æquitas, & legitima ratio tribuebat.

Via idem, quod causa aut opus.

24. *Et filius, ac pater eius ierunt ad puellam, vt violarent nomen sanctum meum.*] Cum omne peccatum, quod castitatem, ac pudorem contaminat, graue sit, illud Deus, & magnopere prohibet, & seuerè punit, quod in cognatione, aut affinitate coniunctos admittitur. Lege cap. 18. *Leuitici*, vbi Deus omnes sigillatim cognationum, atque affinitatum persequitur gradus. Ponit autem hic Propheta vnum genus peccati, pro omnibus, quæ ex incesto concubitu nascuntur; cum videlicet pater, ac filius cum eadem puella corpora miscuerunt, quæ Deus prohibuit. *Leuit. cap. 18. v. 8.* Quale flagitium admisit Ruben *Gen. 35. v. 22.* propter quod grauiter a patre maledictione percussus est, *Gen. 49. v. 4.* & primogenij prærogatiua priuatus, *lib. 1. Paralip. cap. 5. v. 1.* Illud vt nullam habet causæ finalis habitudinem, sed tantum dicit consecutionem; id enim ex illo patris, ac filij nefario congressu consecutum est, vt sanctum Dei nomen haberetur vile. Sed cur illud ab incesta turpitudine violari dicitur? ea opinor de causa, quia diuino nomine diuina consignantur mandata. Addi enim solet præceptis illud quasi legitimum, *ego Dominus*. quare qui præcepta violat, violasse quoque videtur sanctum Dei nomen, quod in ipso quoque præcepto existimatur esse contentum. Aut certè quia ex Scripturæ sacræ consuetudine nomen alicuius pro illo interdũ vsurpatur, cuius est nomen, cum violato præcepto lator quoque præcepti violetur, cuius nimirum auctoritas contemnitur; nomen Dei sanctum, quod Deum ipsum significat, violari dicitur. Quam graue fuerit hoc peccatum, explicuit Paulus 1. Corinth. 5. *Omnino auditur in vobis fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes quidem, ita vt vxorem patris habeat aliquis. Et vos inflati estis, & non potius luxistis, vt tolleretur de medio vestrum, qui hoc opus fecit.*

Incestus graue peccatum.

Dei nomen cur a peccatore pollui, seu violari dicatur.

25. Vers. 8. *Et super vestimentis pignoratis accubuerunt iuxta omne altare.*] Hieronymus sententiam adducit Hebræorum, quam dum non improbat, videtur probare. Sane nil producit aliud, quod ipse sentiat, aut probet de literali sensu, nisi quod ex translatione LXX. deduci posse coniectat. Sic igitur Hieronymus. *Ita interpretantur Hebræi. Super vestimentis eorum, qui ad idola ire nolebant, & quæ vi extorserant epulantes in idolio accubabant.* Hæc iuxta Hebræorum sententiam, quam cum Hieronymo plures sequuntur alij, qui docet accubitum non esse ad capiendum somnum, sed ad sumendas epulas, quando Israelitas accubuisse dicit epulantes in idolio.

26. Iuxta Septuaginta accubitus ille potius erat ad Veneris vsum, quam ad epulas, aut somnos capiendos, de quorum translatione sic Hieronymus. *Secundum Septuaginta tantus erat contemptus in Deum, vt vestimenta sua in quibus dormiunt, vel in quibus fornicantur, iuxta altare funibus extenderent, & facerent παραπετάσματα, id est, velamina, quo fornicantes in templo nullus aspicere posset.*

27. Ego, quod ad stragulum attinet ex alienis, pignoratitiisque vestimentis, siue ad epulas, siue ad Venerem, siue ad somnos captandos, nihil habeo certum, solere autem in Gentilium templis hæc omnia turpiter exerceri, imò templa turpissimarum voluptatum esse quasi legitima diuersoria,

(produnt

In templis libidinis diuersoria.

produnt auctores tam sacri, quàm profani. Quod ad venereas voluptates, quæcumque prostituti corporis attinet, docet Herodotus *lib.* 1. apud Babylonios virgines in Veneris templo commorari solitas, neque prius legitimè nuptias inire, quam virginitatem in eo loco deposuerint. Neque aliò spectabant in Deorum templis instituta peruigilia, & sacra nocturna. De Isidis, Cybeles, Cereris, & Pacis delubris affirmat Iuuenalis *Satyra* 9. vbi ad hominem flagitiosum, & nunquam exsaturatæ libidinis ait,

Nuper enim, vt repeto fanum Isidis, & Ganymedem
Pacis, & aduecta secreta palatia matris,
Et Cererem (nam quo non prostat fœmina templo)
Notior Aufidio mœchus celebrare solebas.

In templis conuiuia.

Quòd in Deorum fanis, id est, in idoliis soliti essent Gentiles epulas sumere geniales, docet illud *Iudic. cap.* 16. *v.* 23. vbi læti Philistæi propterea quòd in ipsorum potestatem, & manus deductus esset Samson, conuenisse dicuntur in vnum, *vt immolarent hostias magnificas Dagon Deo suo, & epularentur.* Et *Iudic.* 9. *v.* 27. Sichimitæ *ingressi fanum Dei sui inter epulas, & pocula maledicebant Abimelec.* Quod statim indicat Propheta dum ait, *Et vinum damnatorum bibebant in domo Dei sui.* Et Paul. 1. *Corinth. cap.* 8. *v.* 10. reprehendit quosdam, quòd in idoliis recumberent, & quæ fuerant idolis oblata comederent. Et Philo *libro de plantatione Noe* causas adducit, cur in templis soliti essent veteres obire conuiuia. Plura hac de re diximus super Ezechielem ad illud cap. 18. *In montibus non comederit.*

28. Quòd item dormirent in templis, vel ad captãda somnia, seu oracula, seu etiam tãtùm quietis gratia, diximus ad illud Isaiæ cap. 65. *& in delubris idolorum dormiunt.* Ob quam harum causarum Israelitæ ad Gentilium imitationem, & ritum lectos sibi substrauerint, incertum est. Sed hæc omnia aliis, atque aliis temporibus fecisse Israelitas, non est incredibile; cùm non minora scelera admisisse in templo omnium sub ea tempora sanctissimo dicantur Iudæi, quo tempore minus erant de patria religione solliciti. Vt enim sacra ibi fierent nefaria, & omni lege damnati concubitus, colligitur ex *lib.* 4. *Reg. cap.* 23. vbi *v.* 6. dicitur de Iosia, *Efferri fecit lucum de domo Domini foras Ierusalem, in conuallem Cedron.* & v. 7. *Destruxit quoque ædiculas effœminatorum, quæ erant in domo Domini, pro quibus mulieres texebant quasi domunculas luci.* & v. 11. *Abstulit quoque equos, quos dederant reges Iuda Soli in introitu templi Domini.* Et *Ezech. cap.* 8. impia quædam, & impura sacra in Deorum cultum instituta traduntur. De sacris Priapi habes *Reg.* 3. *cap.* 15. quorum quantus fuerit honor, ex eo constat, quòd regis Assamatar illorum sacerdos fuisse tradatur. Ex quo colligere licet, quanto ignobilis turba, siue studio, siue furore ad sacrilegum illud opus raperetur.

In templis instrati ad dormiendũ lecti.

In templo Solymitano infanda flagitia.

29. Ego hîc duo peccata obiici arbitror Genti Israelitidi. Alterum quòd idola coleret ritu gentilico, & in illorum templis, seu in lucis impiæ religioni consecratis cubarent, quocunque id modo, seu consilio fieret. Hoc facile colligitur ex illo, *Accubuerunt iuxta omne altare.* Alterum est accubuisse super vestimentis pignoratis, quod crudelitatis, & violati præcepti scelus est. Crudelitatis quidem, quia cùm pauperes, quorum stragulas vestes pignori acceperant, cùm nullum aliud pro lectulo tegumentum haberent (de his enim absque dubio sermo est) incommodè, & in nudo fortasse solo cubare cogebantur; violati

Pignoratæ vestes ad singulas noctes pauperibus reddendæ.

A verè præcepti, quia hoc cautum à lege fuerat, quæ pauperum tenuitati consultum esse voluit. Sic enim Exod. 22. v. 26. *Si pignus a proximo tuo acceperis vestimentum, ante Solis occasum reddes ei. Ipsum enim est solum, quo operitur, indumentum carnis eius: nec habet aliud, in quo dormiat. Si clamauerit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum.* Idem *Deut. c.* 24. *v.* 13. Quare vestimenti pignorati dominus referebat quotidie domum ad Solis occasum vestem stragulam, & ad creditorem, vbi dies illuxisset, referebat; neque minus illi vsui erat vestimentum alligatum pignori, quam si foret omnino solutũ, nisi quòd id illi imponebatur oneris, vt quotidie ad creditorem die facto reduceret.
B Isti ergo crudeles exactores neque iuxta legem ad Solis occasum referebãt pauperum vestimenta, & illud præterea addebant flagitij, vt in illis ad impias idolorum aras ipsi decumberent, vel vt somnos ibi commodiùs, aut cibos caperent, vel vt execrandæ ibi indulgerent libidini.

Et vinum damnatorum bibebant in domo Dei sui.] 30.
Hæc satis probant, quod nuper dicebamus in Gentilium templis consuesse celebrari conuiuia. Fortasse damnatorum vinum illud dicitur, quod nobile est, & aliquo aromate, seu artificio conditum. Nam, vt pluribus ostendimus ad illud Isai. 51. *calicem soporis bibisti,* damnatis morte, quo fortiùs ferrent, & minori doloris sensu supplicij
C acerbitatem, vinum porrigebatur nobile, quod exhilararet animum, & ex arte conditum, vt induceret sensuum stuporem. Eò existimatur spectare illud Prouerb. capite vltimo, *Date siceram mœrentibus, & vinum his qui amaro sunt animo.* Et vinum illud myrrhatũ, quod datum est Christo, vbi ventum est ad crucẽ, *Marc.* 27. non existimatur propinatum esse à sæuitia, sed à misericordia, vt leuior esset dolor inducto à medicato vino sensuum stupore. Quare dum isti in templo bibisse dicuntur damnatorum vinum, vinum existimatur esse nobile; quale damnatis de more in ipso mortis articulo propinari solet. Sed est communis, & omnino vera illa sententia, quæ damna-
D torum vinum illud existimat, quod ex illorum pecunia, qui à corrupto iudice iniquè damnantur, epulum instruunt, quod ad idolorum aras obeunt. Vinum autem per synecdochen, pro conuiuio sumi, non est in Scriptura infrequens. Isai. cap. 5. v. 12. *Cithara, & vinum in conuiuiis vestris.* & cap. 24. v. 9. *Cum cantico non bibent vinum.* & mille alia, in quibus per vinum omnis intelligitur mensarum instructus.

Vinum damnatorum nobile.

Hic tu obserua quod *cap.* 1. sub initium diximus, sicut in tribus peccatis, non ternarius & definitus numerus intelligitur. Sed peccatorum multitudo; sic etiam videri in peccato quarto, non vnum considerari peccatum, sed peccatorum
E cumulum, & excessum in peccatorũ multitudine. Cùm enim dixisset Dominus, *super tribus sceleribus Israel, & super quartum, non conuertam eum,* in quarto peccato (& idem in aliis aliarum nationum vaticiniis, videtur esse dicendum) non vnum aliquod, sed multa peccata continentur. Nempe pro argento iustum, & pro calceamentis venditum esse pauperem: allisum esse pulueri pauperum caput, & humilium declinatam esse, atque despectam viam, eidem puellæ patrem, & filium incesto adhæsisse concubitu; & ad idolorum aras ex pignoratis vestibus instructos esse lectulos. Hoc quidem, vt vides, multa sunt crimina, & tamen in quarto continentur peccato.

31. *In quarto peccato, multa continentur.*

Digitized by Google

32. Vers. 9. *Ego autem exterminaui Amorrhæum à facie eorum.*] Amplificat tam Iudæ, quàm Israelis peccatum à beneficiorũ multitudine, quibus ingratum illum, & pertinacem populum prosecutus est, eo enim grauior, & impudentior iniuria, quo pluribus est de te meritus, quem peccando violas. Incipit autem ab Amorrhæis, quos debellauit Deus, & vacuam ab aliis regionem, Israeli tradidit, cùm tamen alia præcesserint beneficia, ad illud vsque tempus maxima. Cur verò cùm septem è suis finibus exactæ sint nationes, Amorrhæorum tantùm meminerit, explorandum est. Ego duas præcipuè causas inuenio, alteram textus indicat sacer, quia fortissimus erat Amorrhæus, quare eximium beneficium fuit illum à Deo fuisse superatum, & quasi constrictum esse traditum Israelis ferro, & ideo sæpe cùm sermo esset de Chananæorum terra, quam septem nationes occuparunt, vnus tamen nominatur Amorrhæus. Gen. 15. v. 16. *Nondum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum.* Quod sanè fieri potuit per synecdochen, ita vt vnus hominum ordo, ac genus sumatur pro reliquis.

Septem nationes Chananæorum, cur Amorrhæorũ nomine vocatæ.

33. Mihi altera occurrebat causa, quæ cum multis aliis nationibus communis est; fieri enim interdum assolet, vt prouincia, aut ciuitas, quæ primùm explorationibus, aut nauigantibus occurrit, nomen suum toti attribuat, communicétque prouinciæ. Quod nostris temporibus experti sunt Hispani, qui prouinciis, quas felici nauigatione aperuerunt, atque lustrarunt, imposuere nomina illius loci, quem primum cognouerunt. India à nobis communiter vocatur regio, quæ dissita est, & antea incognita, quocumqe in loco sit, quia ex incognitis dissitisque regionibus primùm explorata est, quam ex suo nomine denominauit Indus, qui illam interfluit. Et ab Hispanis Mahometani omnes, vbiuis Gentium fuerint, Mauri vocantur; & quia ea pars Africæ propior est Hispaniæ, & quia à Mauritania profecti, qui primùm Hispanis ex Mahometana secta cogniti sunt. Cùm ergo Amorrhæi omnium primi cogniti, & superati fuerint ab Israele, è septem nationibus, quas bello subegerunt, vtpote vltra Iordanem, vt constat ex *Deut. cap.* 2. factum est vt Israelitæ nationes alias Amorrhæorum nomine compellauerint: sicut Hispani quotquot sectam profitentur Mahometanam, Mauros appellant.

REGVLA. *Prouincia aut ciuitas quæ primũ nauigantibus aut exploratoribus occurrit, nomen dat toti regioni.*

34. *Cuius altitudo cedrorum altitudo eius: & fortis ipse quasi quercus.*] Beneficium hoc commendat Dominus, ab illorum viribus, & potentia, quos fregit, ac tradidit Israelitarũ ferro trucidandos. Hãc autem potentiam à duabus rebus probat, & commendat, nempe à proceritate corporis, deinde à firmitate, & robore: proceritatem cùm cedro, firmitatem, & robur, cum ilice componit. Vtrunque, vt puto, prouerbium est. Qui enim procero sunt corpore cum cedro comparantur. *Ezech. cap.* 31. *v.* 8. dicitur de Assur, *Cedri non fuerunt altiores illo.* Eccli. 24. v. 17. *Quasi cedrus exaltata sum in Libano.* Quercus etiam robusta est, & ad resistendum potens, de qua optimè Seneca in Hercule Oetæo.

Amorrhæorum robur, & proceritas.

Cedri proceritas prouerbialis.

Gemit illa (quercus) *multo vulnere impresso minax,*
Frangitque cuneos; resilit excussus chalybs,
Vulnúsque ferrum patitur, & truncum fugit.

Et Virgil. lib. 4. Æneid.

Ac veluti annosam valido cum robore quercum
Alpini Boreæ nunc hinc nunc flatibus illinc
Eruere inter se certant: it stridor, & altè
Consternunt terram concusso stipite frondes.
Ipsa hæret scopulis, & quantum vertice ad auras
Æthereas, tantum radice ad tartara tendit.

Vtrunque coniunxit Isaias cap. 2. v. 13. *Dies Domini super omnes cedros Libani sublimes, & erectas, & super omnes quercus Basan.* Et Zacharias *cap.* 11. *v.* 1. & 2. Videtur autem ideo comparatus Amorrhæus cum cedris, ac quercubus, quia in eius regione vtraque arbor nobilissima est, ibi enim est Galaad, vbi proceræ ac speciosæ cedri, & Basan, cuius laudatissimæ sunt, & notissimæ quercus. Quasi dicat Propheta non minus proceritate conspicuos esse, & fortitudine eximios Amorrhæos, quàm cedri, ac quercus, quas habent sibi familiares.

35. Fuisse autem Amorrhæos vasto ac procero corpore cui robur plerunque deesse non solet, ipsa Scriptura sacra docet. Sic enim exploratores à Moyse designati Numer. cap. 13. v. 34. *Populus, quem aspeximus, proceræ staturæ est: ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo, quibus comparati, quasi locustæ videbamur.*

36. Cùm de omnibus regibus Amorrhæorum (qui primi fuerunt, sanè Iosuæ *cap.* 10. *v.* 5. quinque numerantur) hic sermo sit, tamen videtur allusum ad regem Basan, de cuius vasto, ac giganteo corpore in Deut. cap. 3. de quo sic Moyses, v. 11. *Solus Og rex Basan restiterat de stirpe gigantum. Monstratur lectus eius ferreus, qui est in Rabbath filiorum Ammon, nouem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis manus.* & *v.* 13. dicit terram Basan appellatam fuisse terram gigantum.

37. Libet hìc ascribere, vt habeat lector, aut quid rideat, aut certè quid doleat, de Iudæorum stupore, qui cùm in multis aliis spectari possit, hìc tamen sic apparet, vt non solùm Gentis amentiam incredibilem, sed etiam intolerabilem impudentiam in fingendo prodat. Refert Hieronymus à sancta fide è Iudæo Christianus ex libro Thalmud, quem tanti faciunt Iudæi, vt de illius fide dubitare graue putent esse peccatum, tum alia de Og sanè plusquam fabulosa, tum in Berochoth cap. *Qui vidit.* Vtar autem verbis illius, quibus subscribunt Abulẽsis, & Adrianus Finus, & quotquot Iudæorum deliramenta aut rident, aut conuellunt. *Dicunt*, inquit, *Hebræi de Og rege Basan, quòd cùm populus Israel esset in deserto, quæsiuit Og pro spatio situationis populi eius: & relatum est illi quod erat spatium trium leucarum. Tunc euulsit vnam syluam magnam spatio trium leucarum quam posuit supra caput suum, vt eam supra populum, & castra proiiceret, & sic omnes simul vno ictu consumeret. Quo cognito Dominus Deus magnam formicarum quantitatem in vertice illius syluæ congregari fecit, quam quidem syluam perforauit ita, quòd homo inuictus per illud foramen caput proprium immittens syluã illam induit, & vestitus est. Quam quidem syluam cùm extra se proiicere voluisset, prohibuit Deus, & fecit crescere dentes eius, & non potuit. Tunc Moyses volens eum interficere, cepit quamdam securim longitudinis decem cubitorum, & ipse erat alios decem longus, & erexit se in aërem aliis decem, & percussit eum capite modicum, & sic dilaniauit eum. Item habetur in Nidda cap. Arbotatrix. Dicit Rab. Saul: Ego sepeliebam mortuos, & accidit mihi quadam vice, dum quendam mortuum sepelirem. Venit quidam coruus, & intrauit per os cruris mortui cuiusdam: & ego cucurri post eum per spatium trium leucarum, & semper per vacuum ossis illius. Et postquam vidi me non posse illum assequi, reuersus sum, & cùm exirem cognoui, quòd illud os erat de corpore Og.* Quis non miretur tam impudens

De Og Hebræorum fabula.

menda

mendacium; aut quomodo Iudæi dicent, tenere se sacræ Scripturæ sensum, neque ab illa discedere, cùm ipsa Scriptura doceat *Deut 3.* lectulum Og habuisse cubitos longitudinis nouem. O cæcum, ô verè miserum hominum genus, quod talia commentatur; & eo magis miserãdum, quòd nisi impium videri velit, & graui dignum supplicio, talia credere, & profiteri cogatur.

38. Vers. 10. *Ego sum qui ascendere vos feci de terra Ægypti.*] Alia persequitur beneficia, quæ licèt non singulatim exprimat, indicat tamen, dum illos quadraginta annorum spatio per desertum dicit esse traductos. Neque ignorabat populus, quid in illo quadragenali cursu, in variis rerum articulis accepisset à Deo. Illud quod statim sequitur, *vt possideretis terram*, indicat quod suprà dicebamus, in Amorrhæo esse nationes alias intelligendas, in quarum finibus Israelitæ expulsis habitatoribus consederunt.

39. Vers. 11. *Et suscitaui de filiis vestris in Prophetas, & de iuuenibus vestris in Nazaræos.*] Inter alia beneficia, planè admirabilia, quibus Dominus in deserto prosecutus est, illud Dominus non statuit posteriori in loco, quòd Prophetas dederit ex illa Gente, qui diuina ad populum oracula perferrent. Quod fecit tum in ipso cursu antequam terram promissionis ingrederetur, vt ex lib. Num. constat. vbi *cap. 11. v. 26.* prophetasse dicuntur Eldad, & Medad, & Moyses ipse Propheta fuit. Dedit item Nazaræos, Gentem videlicet religiosam, & iuxta sui nominis notationem, separatam à populo, vitæ nimirum instituto, & religiosi cuiusdam cultus dignitate. Qui eo loco fuerunt Hebræis, vt illorum honori, & incolumitati studuerint maximè, & si quid grauius aut paterentur, aut illis accideret præter dignitatem, aut propulsarent, aut si minus possent, prosequerentur lacrymis. Dolebat Ieremias *Thren. cap. 4. v. 7.* quòd Nazaræi olim lauti ac mundi, ad sordida fuerint abiecti ministeria, & longa illuuie fœdi à seipsis longè excessisse viderentur. *Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulcriores, denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis.* Et Machabæi cùm hostes vehementer vrgerent, & pro his, quæ apud ipsos in maiori essent religione, ac pretio, laborarent, in his Nazaræos numerant *lib. 1. cap. 3. v. 49.* cùm enim librum produxissent legis, & ornamenta sacerdotalia, & alia, quæ ad templi sacra ministeria pertinebant, tamen *suscitauerunt Nazaræos, qui impleuerant dies, & clamauerunt voce magna in cælum, dicentes: Quid faciemus istis, & quò eos ducemus?*

Prophetæ fuerunt in deserto.

Nazaræi magno in pretio apud Hebræos.

40. Vers. 12. *Et propinabatis Nazaræis vinum, & Prophetis mandabatis, dicentes: Ne prophetetis.*] Dissoluebant Israelitæ, quæ ad populi dignitatem, religiosúmque viuendi modum constituerat Deus. Et quod in se erat faciebant ne Nazaræi essent in populo, cùm propinarent illis vinum, quod per legem gustare non licebat; quare laxabant illud votum, quod erat illi ordini maximè à lege commendatum. Et cùm silentium indicerent Prophetis, aut non nisi quod illis esset ad palatum loquerentur; propositis minis, si quid contra mutirent, sanè tunc Prophetas esse in populo vetabant: neque enim Propheta mutus esse potest, loquatur necesse est, aut verbis, aut signis, nisi velit Prophetæ nomen prorsus amittere. Fecerunt id sæpe principes, qui ægrè ferebant, aut proferri in vulgus sua consilia, aut quæ in aliorum essent oculis defixa, publicè reprehendi. Hæc hominum audacia in lacum coniecit Ieremiam, & tandem oppressit; hæc Isaiæ tempore dicebat Prophetis cap. 30. v. 10. *Nolite videre ea, quæ recta sunt; loquimini nobis placentia; videte nobis errores.* Hoc ipsum ausus est Ieroboam, qui populum à templo atque auita religione distraxit; qui Prophetæ Dei nomine minus grata comminanti vulnus intendit. Hoc contra nostrum Prophetam Amasias sacerdos, qui *cap. 7.* illum à se hisce verbis abegit. *Qui vides, gradere, fuge in terram Iuda, & comede ibi panem, & prophetabis ibi, & in Bethel non adiicies vltrà, vt prophetes.*

Prophetis ab Hebræis silentium indictum.

Vers. 13. *Ecce ego stridebo subter vos, sicut stridet plaustrum onustum fœno.*] Quidam codices habent, 41.
super vos; quod si admitteremus, ab hoc loco non foret difficilis exitus. Vt enim diximus *cap. 1.* in vaticinio Gazæ super hostes iam domitos, & qui aliorum furorem iniustis prouocarant, traduci solebant ferrata plaustra, qui non aliter comminuerentur, quàm à carpento, aut tribula stipularum aceruí. Sed hanc lectionem euertit omnino vox Hebr. תחת *tachath*, quæ *subter* significat potius, quàm *super*, quæ vox in varias cogitationes distraxit interpretes.

Hieronymus in stridore plaustri minaces spiritus & minacia Domini verba cognoscit. *Sicut plaustrum,* inquit, *stipulæ, vel fœni onere prægrauatum stridore, & sonitu longè exululat, sic ego peccata vestra vltra non sustinens, & quasi stipulam tradens incendio clamabo, & dicam: Peribit fuga à veloce,* &c. Cum Hieronymo sentiunt Cyrillus, Remigius, Albertus, Hugo, Lyra, Dionysius. Quo dicendi genere significatur iam Deo esse sic grauem populum, inuerecundum, & obstinatum, vt sub eo iam laboret, & gemat, neque ferre possit amplius tam molestum illud, & diuturnum onus. 42.

Ribera illud *subter* locum significare putat, in quo aliquis est, quod satis accommodatis exemplis ostendit. vbi enim *Exod. 16.* vulgatus legit, *Maneat vnusquisque apud semetipsum.* Heb. est *sub se.* & 1. Reg. 14. *Stemus in loco nostro,* Heb. *stemus subter nos.* Plura exempla inuenies apud Pagninum in voce תחת. Neque ratio deest cur hæc vox locum significare debeat, nam cùm locus ille dicatur præcipuè, quem pedibus calcamus, & qui nobis subiectus est, qui *subter* dicit, aliquid subiectũ indicat, neque infrequens est tam apud Græcos, quàm apud Hebræos, vt in particulis indeclinabilibus aliquod subaudiatur accommodatum nomen; quomodo τὰ κάτω inferiora, τὰ κάτωθεν fundamenta, τὰ ἄνω superiora, τὰ ἄνωθεν quæ è cælo delata fuerunt, significant, iuxta hæc sensus erit. Quemadmodum plaustrum onustum stridet, & gemit, sic etiam ego stridorem, clamorem, & tumultum excitabo in loco vestro: in terris nempe vestris, in quas hostes irruent, quos ego in vestrum exitium, & opprobrium armabo. Qui autem bello moriuntur, aut vim experiuntur armatam, illi in stridore cadunt, inter frementes videlicet hostes, clangorem tubarum, armorum sonitum, cadentium, & morientium gemitus. Sicut de Moab suprà *v. 2.* dictum est, qui talia passurus dicitur, qualia nunc Israelitidi genti minatur Deus. *Morietur in sonitu Moab, in clangore tubæ.* Hæc mihi sententia ita probatur, quia acuta satis, & non extorta, vt tamen magis probem Hieronymi sententiam, quæ sanè grauis est, & magis cum vulgata translatione consentiens. 43.

Subter te, idem quod in loco tuo.

Ira Dei à peccatore prouocata.

Sæpe audimus in Scriptura sacra iam Deum defessum esse, aut ferendis impiorum peccatis, aut cohibendo brachio ab inferenda plaga. Isai. 44.

Molestius Deo peccator, & grauis ad portandum.

Digitized by Google

cap.43. v.24. *Seruire me fecisti in pecc atis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Ieremi. cap. 23. v.33. *Vos estis onus, proiiciam quippe vos, dicit Dominus.* Vt autem plaustrum gemit cum graui prægrauatur onere: & qui sub onere gemit, prope est vt onus à se procul abiiciat. Sic Deus, cui nostra imposita sunt peccata, gemit sæpe quasi ferre iam nequeat molestum illud, & diuinis etiam humeris, si non omnino importabile, at certè grauissimum pondus. Quare cùm iam gemat, prope est vt deponat, & malè disperdat, quos tandiu in humeris, támque sine vllo tantæ operæ pretio portauerat. Quare cùm dicit Deus, *stridebo subter vos*, significat iam adesse tempus vt gemat, cui gemitui oneris festina proiectio succedet. Neque tamen gemitus ille animi fracti est, aut imbecilli (licèt accómodatè ad hunc hominum affectum, seu lassitudinem loquatur) sed infensi, & sese intendentis, & excitantis ad plagam. Aliter enim gemit, qui grauius portat onus, quam virium patitur modus; aliter gladiator, aut lignator, qui tunc gemunt cùm se ad firmitatem, & conatum intendunt. Ille vt hostem feriat, hic vt quercum securi deiiciat. Sed in Deo hic vtrumque video, & gemitum, atque stridorem ex fastidio, & quasi lassitudine, quam adducunt peccata, & ex offensione suspirium, quo se Dominus excitat ad anhelatam plagam. Optimè in hanc sententiam Gregor. lib.11. Moral. cap. 31. *Deus tanto tunc duriùs districtionem exerit, quanto nunc vocandis peccatoribus suam leniùs potentiam sternet. Qui enim diu conuertendos spectat, non cõuersos sine retractatione cruciat. Quod per Prophetam scilicet breuiter insinuat, dicens: Tacui, semper silui, patiens fui, sicut parturiens loquatur.*

Dei gemitus magnæ alicuius plagæ prognosticum.

45. Sumit autem Propheta, vtpote rusticus, & armentarius, ex rure, réque pastoritia similitudinem, quod facit aliis sæpe locis. Atque ideo sumit e rure plaustrum, quod agricolarum instrumentum est familiare, ex re armentaria fœnum, quod demetunt bubulci, imponúntque plaustris ad boum, aliórumque armentorum commune pabulum. Quod sæpe viderat, aut fecerat armentarius Propheta, qui non semper sequebatur, atque pascebat gregem, sed ad illius vsum pro hyemali tempore, quando aridus est ager, & emortua herba, necessaria portabat: hybernum autem armentorum pabulum fœnum est. Quam autem strideant illa plaustra, quæ boues trahunt, norunt Hispani, & aliæ, vt credo, nationes, quibus illa vectura nota est. Sic sane strident acutè, vt audire te credas aut sonum ex præcipitato flumine; aut strepitum incedentis exercitus. Neque aliam ob causam puto plaustra dici onerata fœno, nisi quia à pastore, & rustico adducta est similitudo: idem enim valeret si onerata fuisset ligno, aut saxo, aut alio quouis onere.

Septuaginta aliter legunt, *Ecce ego voluam super vos, sicut voluitur plaustrum plenum stipula.* Quod ita Theodoretus exponit. *Tantis vos onerabo suppliciis, vt lugeatis, & gematis sicut plaustrum graui onere pressum, interea dum trahitur gemebundo stridore concrepat.* 46.

Rupertus aliter hunc locum accipit, satis accommodatum ad mores, neque omnino alienum ab orationis filo, putat enim agi de Israëlitarum exilio, qui à natali solo succidentur, sicut fœnum ab eo prato desectum vbi natum est, quod impositum plaustris conuehitur, siue ad ignem, siue ad iumentorum ignobile pabulum. Neque prius comportatur, quam succisum est, & eo in statu, vt irrigatio siue à cælesti pluuia fit, siue à iugi riuulo, nulli illi futura sit vsui: aqua corrumpatur potius, & putrescat, quàm adolescat, & vireat. Assimilat autem se Deus plaustro, quod fœnum vehit, quia ipse Israelitas extorres aliò traducet; sed cum stridore: quia omnes latè populi ex graui, ac repentino tanti regni casu cognoscent, quasi stridenti plaustro, illud ingrati populi immane supplicium. Hæc ferè Rupertus, quæ tu, quod facere potes, non difficile ad statum peccatoris, cui nihil iam vtilitatis afferunt diuinæ admonitiones, accommoda. 47.

Quis peccatorum miserrimus status.

Huc libuit adiicere, quod accommodatè ad 48.
Hieronymi nostrámque sententiam dicit Gregorius lib.4. Moral. cap.5. *Quia fœnum est vita carnalium, sicut scriptum est: Omnis caro fœnum, in eo quod Dominus vitam carnalium patitur, more plaustri fœnum se portare testatur. Cui sub fœni onere stridere est pondera, & iniquitates peccantium tolerare.* Quare, vt inquit hoc locò Cyrillus, *horrendum est Deum irritare, & eo vsque in improbitatem abire deinceps præcipitem, vt peccata nostra tolerare amplius non possit, tametsi natura sua bonus, clemens, & multo mansuetissimus sit.*

Peccatorum consuetudo timenda.

Vers.14. *Et peribit fuga à veloci.*] Eò spectat stri- 49.
dor onerati plaustri, id est, Dei gemitus, vt populum omni supplicio dignum funditus excindat: quod in eo quod est reliquum capitis, optimè describit; cuius ea est summa, neminem ex eo populo quantumcunque se contra furorem hostilem accuratè communiat, non tamen à communi calamitate habiturum effugium. Reliqua explicatione non indigent, illud solum obseruandum *perire fugam à veloce*, ex Idiomate Hebræorum nihil esse aliud, quàm veloci suam velocitatem nulli futuram esse vsui, vt gladium aut exilium effugiat. Quasi dicat, aberit à veloce fuga. Eodem modo dicitur Psal.141. *Periit fuga à me.* Ierem.18.24. *Peribit sapientia à sapientibus*, id est, sapientes non inuenient, aut assequentur sapientiam. Ezech. cap.7.v.26. *lex peribit de sacerdote*, id est, ignorabunt legem. Ioel. cap.1. *vlulate omnes qui bibitis vinum in dulcedine, quia periit ab ore vestro*, id est, non gustabitis vinum.

Perire fugã ab aliquo & similia, quid.

IN CAPVT TERTIVM

ARGVMENTVM.

DOCET primùm Deus, nullum esse pœnale malum, quod Israeli contigerit fortuitò, & à se, quicquid illud fuerit, fuisse profectum. Quod ex eo probari posse docet, quod multo anteà denunciatum fuerit per Prophetas, quibus sua consilia familiariter impertiit, quòd suis præceptis obsequentes habuit. Quare dum illi fremere videntur, sicut leones, ipse in illorum ore frendet, & rugit. Enumeratis autem scele-

ribus,

ribus, quæ à calumniis corruptísque largitione iudiciis promanarunt, grauem minatur ruinam Israeli, ex quo pertenues, illæque inutiles esse dicuntur reliquiæ.

CAPVT III.

1. *AVdite verbum, quod locutus est Dominus super vos, filij Israel: super omnē cognationem, quam eduxi de terra Ægypti, dicens:* A

2. *Tantummodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ: idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras.*

3. *Nunquid ambulabunt duo pariter, nisi conuenerit eis?*

4. *Numquid rugiet leo in saltu, nisi habuerit prædam? numquid dabit catulus leonis vocem de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit?*

5. *Numquid cadet auis in laqueum terræ absque aucupe? numquid auferetur laqueus de terra antequam quid ceperit.*

6. *Si clanget tuba in ciuitate, & populus non expauescet? si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit?*

7. *Quia non facit Dominus Deus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos prophetas.*

PARAPHRASIS.

1. AVdite omnes Israeliticæ familiæ, quas ego, dicit Dominus, de Ægyptiorum tyrannide vindex, & redemptor euocaui: audite, inquam, quæ de vobis oracula detonui; neque enim illis momentum aberit, aut fides.

2. Ex omnibus nationibus elegi vos, & eo studio, atque beneuolentia complexus sum, vt nihil aliud, non solùm non curasse, sed neque cognouisse existimari potuerim. Quocirca, quia tot beneficiis non gratiam, sed ingrati, atque infidi animi iniuriam retulistis, visitabo cunctas iniquitates vestras:
B & quo maius beneficiorum pondus, eo grauior erit supplicij magnitudo.

3. Erit autem hoc supplicium, quod vobis à me, per Prophetas iampridem, & hoc etiam tempore denunciatum est: neque aliter illi loquuntur, quàm à me docti, atque instituti sunt: cùm enim bene mihi cum Prophetis conuenerit, sentimus idem, ambulamus vnà, & eodem spectant nostra cōsilia: neque enim simul ambularemus, nisi inter nos in omnibus bene conueniret.

4. Rugit quidem leo in saltu, non tamen
C prius, quàm prædam videat, ad quam famelicus anhelat, quam suo rugitu tremefacit, & exanimat; & velocitatem ad fugiendum retardat. Rugit item in cubili suo, cùm nactus est, quod conficiat, & laceret: sic modò rugiens per Prophetas Dominus paratam esse prædam ostendit, & lanienæ proximam.

5. Sicut auis, nisi interueniat aucupis solertia, non cadit in laqueum, quem insidiator tetendit in terra: sic cùm in laqueos, id est, in manus incideritis hostiles, scitote à me paratos esse laqueos, qui non auferentur, donec illud, cuius gratia tenduntur, apprehendant.

D 6. Si clangente tuba, quā humanus inflat, & inspirat anhelitus, homines timent, séque ad hostilem aduentum mature communiunt: quid agere oportet illos, qui diuino Spiritu inflari vident Prophetarum fauces, & aliquid insonare terrificū? Quicquid enim malorum Prophetæ denunciant, id à Domino scelerum vindice prædicitur, & infertur: neque vllum est pœnale malum in ciuitate, quod non fuerit definitum, & inductum à Domino.

7. Hoc porrò malum, multo antè prædictum est à Prophetis: à Deo prius accepere, quia eadem cum illis ambulat via: & quod illis iniungebatur negotij, ipsi fideli-

A ter, & accuratè præstabant. Quod magno esse debet prudentibus argumento, quicquid est mali, à Domino prouenisse.

8. Leo rugiet, quis non timebit? Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit?

8. Ad leonis fremitum, quis non exhorrescat? Timere sanè debet ille, quem diuinus designat rugitus: quia non erit inanis, neque minus timendum est Prophetis, si cum à Deo prophetandi mandatum accepere, aut nolint, aut non audeant prophetare.

9. Auditum facite in ædibus Azoti, & in ædibus Terræ Aegypti: & dicite: Congregamini super montes Samariæ, & videte insanias multas in medio eius, & calumniam patientes in penetralibus eius.

9. Agite, igitur Prophetæ, & in Azoti ædibus, totaque Palæstina, atque etiam
B longius in Ægypto clamate, & dicite: O Ægyptii, ô Palæstini, qui nostis, quàm Deus in hunc populum beneuolus fuerit, atque munificus, adeste, & ad montes Samariæ properate, vbi frequentes visuntur dæmonum aræ, & videte, quanta in Samaritano tractu sit impietas, quàm stolidus atque insanus stupor, & quemadmodum in ipsis penetralibus, per vim & calumniam, à potentioribus exagitentur infirmi.

10. Et nescierunt facere rectum, dicit Dominus, thesaurizantes iniquitatem, & rapinas in ædibus suis.

10. Qui verò publicis iudiciis præsunt,
C quorum fidei publicæ, atque priuatæ causæ creditæ sunt, vsque adeo à lege & æquitate recesserunt, vt rectum & fas nunquam omnino didicisse videantur. Hi ergo, qui largitionibus corrupti, venale habuerunt iudicium, thesaurizarunt, congesseruntque diuitias in ædibus suis, suæ nempe iniquitatis exitiale pretium.

11. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Tribulabitur, & circuietur terra: & detrahetur ex te fortitudo tua, & diripientur ædes tuæ.

11. Propterea dicit Dominus: Terra violenta, & iniusta, quæ alienis gloriatur, & triumphat impendiis, obsidebitur, atque vexabitur ab hoste potentiori, & illis nudabitur ornamentis, quæ fraude atque ca-
D lumnia congesserat: & insanæ illæ ædes, quas extortæ miserorum opes excitarunt, aut absumentur incendio, aut machinatione vastabuntur hostili.

12. Hæc dicit Dominus: Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ: sic eruentur filij Israel, qui habitant in Samaria in plaga lectuli, & in Damasci grabato.

12. Quomodo, ait Dominus, si pastor reliquias colligat, quas è lacerata pecude reliquit leo: nempe duo crascula, aut extremum auriculæ, quibus fidem faciat Domino gregis, à leone fuisse laceratam ouem, non custodis incuria periisse: sic nunc continget filiis Israel, qui nunc, quasi procul absint à periculo, securè ac molliter cubant
E in lectulis, quos in domus conclaui sibi cōstrauerunt, & in grabatis, quæ sibi insterni ad somnum, & quietem putabant à Syrorum auxiliis, quorum caput est Damascus.

13. Audite, & contestamini in domo Iacob, dicit Dominus Deus exercituum.

13. Audite igitur, ô Prophetæ, dicit Dominus exercituum, & aduocatis testibus, & interposita diuina fidei firmitate legitima forma, hæc domui Iacob meo nomine denuntiate.

14. Quia in die cum visitare cœpero præuaricationes Israel, super eum visitabo, & super altaria Bethel: & amputabuntur cornua altaris,

14. Cum visitare, & iudicare cœpero peccata, quæ admisit Israel, visitabo inprimis ipsum, & pro scelerum mensura, ac modo

& cadent in terram.

A modo supplicium imponam: visitabo item altaria, quæ pro vitulorum cultu erecta fuerunt in Bethel, & eorum cornua, à quibus plurimum habuerunt ornamenti, disiecta & detruncata labentur in terram.

15. *Et percutiam domum hyemalem cum domo æstiua: & peribunt domus eburneæ, & dissipabuntur ædes multæ, dicit Dominus.*

15. In ea verò visitatione, subuertam æstiua atque hiberna cubicula, neque parcam domibus elaboratis ex ebore: multæ denique domus exscindentur.

Vers. 1. *Audite verbum hoc, quod locutus est Dominus super vos filij Israël: super omnem cognationem, quam eduxi de terra Ægypti.*]

1. INCERTUM est an hæc verba ad totum Israelis genus, id est, ad duodecim familias referantur, an tantùm ad decem, quibus post Ieroboami tempora commune nomen, quasi proprium foret, attributum est. Hieronymus hic duodecim agnoscit tribus, quia verba hæc tam in decem, quàm in reliquas alias duas aptè conueniunt, quia omnes ex Ægyptia seruitute euocatæ, omnes eodem in tota traiectione per desertum, modò susceptæ sunt. Cum Hieronymo sentiunt Remigius, Cyrillus, Hugo, Dionysius, Lira, Ribe.a. Alij de decem tribubus hæc acipiunt, Theodoretus, Albertus, Montanus, & Castrus, vtrique sanè probabiliter. Verumtamen componi poterunt discrepantes istæ sententiæ non difficile.

2. In toto capite duæ sunt partes, quarum prior ad omnes tribus, posterior ad decem tantùm, sicut eiusdem Prophetæ vaticinia reliqua, conferuntur. Aut quia huius initium capitis coniungendum est cum fine præcedentis, in quo tam de Iuda, quàm de Israele dictum, & illis obiecta crimina, & propositæ minæ. Quibus nunc alia beneficia proponuntur, vt magis in ingratis appareat scelerum turpitudo. Aut cùm directò ad decem tribus spectet querimonia; ad duas tamen obliqua confertur reprehensio. Quod faciunt interdum viri prudentes, qui in vno corripiunt, & damnant, quod aliis etiam edictum esse volunt. Quod fecit Christus *Marci* 13.v.37. dum ait, *quod vobis dico, omnibus dico.* Et *Osea cap.5.v.5.* cùm vaticinium esset contra Israel, meminit tamen Iudæ, admonuitque vt in alieno capite periculum faceret, *Israel, & Ephraim ruent in iniquitate sua, ruet etiam Iudas cum eis.* Et cap.6.v.10. *Contaminatus est Israel, sed & Iuda pone messem tibi.*

3. Posterior pars capitis, & reliqua huius Prophetæ vaticinia, Israelem aspiciunt, atque compungunt; vt apparet in decursu capitis, vbi multa de Bethel & Samaria, déque aliis, qui Iudam eodem consilio vexauerunt; de Iuda verò nihil. Sic puto componi posse, quæ dissidere videbantur sententiæ, & ad cætera, quæ sequuntur, aditum aperiri.

4. Quare sensus erit. Audite omnes Israelitæ familiæ, quas ego de Ægyptiorum tyrannide vindex, & redemptor euocaui: audite, inquam, quæ de vobis oracula detonui, neque enim illis momentum aberit, aut fides, quas ego ex omnibus nationibus eo studio elegi, ea beneuolentia complexus sum, vt nihil aliud non solùm non curasse, sed neque cognouisse existimari potuerim. Et videtur esse quædam superiorum renouatio, &

B quasi dictorum epiphonema. Post quod ad decem tribus, duabus interim omissis, totum confertur vaticinij pondus.

Vers.2. *Tantummodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ.*] Nihil diuinæ intelligentiæ clausum, nihil occultum est; tamen non omnes hoc loco cognouisse dicitur, sed tantùm ex omnibus Israeliticum genus. Est autem hic obseruandum, quod alibi à nobis sæpe dictum est, *cognoscere* aliquid in Scriptura sacra importare practicum, id est, opus aliquod, quod non otiosam, aut mortuam significat esse cognitionem illam, quod item de memoria dicendum. Quare qui Deum non colit, & mandata illius non obseruat, Deum cognoscere negatur, quia cognitio illa sterilis est & vacua. Ioan. epist.1. cap.2.v.4. *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.* Neque aliquis si potens sit, & diues, cognoscere aliquem existimatur, si illum laborare patitur inopia, & fame. Et pater cùm offensus filij intemperantia illum abigit domo, neque illi victum, aut vestitum indulget, illum nescire dicitur, & alienum deputare; sic Christus dicit *Matth. c.25.* stultis virginibus, quas non erat ad nuptiales delicias admissurus, *Amen dico vobis, nescio vos.* & cùm Dauid Salomoni filio legis obseruantiam, & Dei honorem cultúmque commendat 1. *Paral. cap.28. v.9.* hoc etiam vtitur dicendi modo, *Tu autem Salomon fili mi, scito Deum patris tui.* Sic ergo Dominus vt significet quanto studio Gentem Israeliticam amplexus fuerit, vt ornarit fouerítque, sicut pater filium, illum tantùm ex omnibus cognitum sibi esse dicit. Quo dicendi genere vsus ad eundem populum per Oseam cap.13.v.5. *Ego cognoui te in deserto, & terra solitudinis,* quod Chaldæus exposuit, *Ego tribui vobis necessaria in deserto.* — 5. — *Cognosco, aliquid importat practicum.*

D Dicitur autem Deus cognouisse tantùm illum populum, & consequenter ignorasse alios, iuxta illam regulam, qua vtuntur communiter homines, neque est in Scriptura sacra infrequens, quæ negat aliquid inesse alicui, quod alterius comparatione exiguum existimatur. Quomodo Samaria, & Sodoma, licèt magnis contaminatæ flagitiis, iustæ dicuntur comparatione Iudeæ quæ illas in peccando longo superarat interuallo. De qua Ezech. cap.16. *Iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis.* Iuxta hæc interpretor illud Lucæ 14.v.26. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem,* &c. quia tantus debet esse erga Deum amor, vt illius comparatione quicunque alius amor odium vocari possit. Quod explicuit Matthæus *cap.10.v.37.* qui cùm eundē Christi sermonem referret, verbis vsus est non figuratis, vt Lucas, sed propriis. *Qui amat patrem, aut matrem* — 6. REGVLA. *Aliquid alicui inesse negatur, quod alterius comparatione exiguum est.*

trem plus quàm me, non est me dignus. Hinc, credo, ignorata dicitur Gentilitas, quia licet illi Deus ad vitam, & vtranque salutem necessaria præbuerit, quia tamen in Iudæum populum amoris eximij, & paternæ cognitionis, atque memoriæ quotidiana pene argumenta præbuit, nationes alias ignorasse dicitur, sic sane superiora Gentilium sæcula tempora vocat ignorantiæ, & tempora despecta. Actor. 17. v. 30. *Et tempora quidem huius ignorantiæ despiciens Deus, nunc annunciat hominibus*, &c. vide quid hac de re nos pluribus ad illud Actuum, cap. 14. v. 15. *Qui in præteritis generationibus dimisit omnes Gentes ingredi vias suas.*

Gentilitas cur dicitur ignorata à Deo.

7\. *Idcirco visitabo super vos cunctas iniquitates vestras.*] Magnum hoc documentum est animi verè paterni, & de filiorum commoditate solliciti, admonere aut laboranti, aut sanioso cauterium, aut pigritanti aculeos, aut erranti flagellum. Nam qui tabescere sinit alium, aut errare, aut libero, ac soluto gradu ad præcipitium, aut insidias tendere: neque ab illo immoderato cohibet cursu, ille sine dubio docet alienum esse illum, quem ad mortem properantem videt, neque tamen retardat. Quia ergo Dominus cognouit, id est, tanquam domesticum, & familiarem habuit Iudæorum populum, ideo in illius peccata tanquam pater aut medicus sanitatem potius, quàm dolorem spectans animaduertit. Hæc sententia verissima est, & grauissimis verbis in Scriptura, & tribus sæpius vsurpata, & fortasse huius loci propria, vt putant interpretum nonnulli cum Hieronymo *hic, & in cap. 7. Ezechielis*, qui notat punitionem hanc, non tam percussionem dici, quàm visitationem; *Quia plaga*, inquit, *Dei visitatio est, atque curatio. Et omnes*, inquit, *iniquitates, siue peccata vestra visitabo, ne quid impercussum remaneat, ne quid non recipiat sanitatem.* Et adducit illud ad Heb. 12. *Quem enim diligit Dominus, corripit, & castigat omnem filium, quem recipit.* Hac de re nos latè ad illud Oseæ cap. 3. *Non visitabo super filias vestras, cùm fuerunt fornicatæ.*

Magnum amoris argumentum cùm à Deo corripimur.

8\. Veruntamen magis ad textum, filúmque sermonis esse arbitror, si hæc dicamus ab irato potius, quàm à beneuolo animo fuisse profecta. Quod tenent omnino, aut indicant interpretum plerique Cyrillus, Rubertus, Dionysius, Lyra. Quasi Deus ex beneficiorum magnitudine probet seuerius esse puniendos Israelitas, quia tot beneficia atque ornamenta proiecerunt, quàm eos, quos minus cumulatè complexus est. Iuxta illud Lucæ cap. 12. v. 47. *Ille seruus, qui cognouit voluntatem domini sui, & non præparauit, & non fecit secundùm voluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Omni autem, cui multum datum est, multum quæretur ab eo, & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.* Non ergo mirandum, si ea Dominus seueritate, de qua in extrema parte capitis antecedentis, populum suum puniat, cùm tot ipse oneratus beneficiis, tot Deum onerarit iniuriis; cùm data sibi mandata conculcarit, & Deum verum pro quo, nisi cum pudore, mentem quoque humanam abiecisset, vitam vltro impendere debuit, cum ligno, & lapide, cum fœdissima simulacrorum specie permutauerit.

9\. Vers. 3. *Nunquid ambulabunt duo pariter, nisi conuenerit eis?*] Quorsum inducãtur hæ similitudines à Propheta, obscurum est, neque mirum si in varias cogitationes distrahantur interpretes. Ego nullam aliam rationem commodiorem inuenio, ad explorandum verum illarum sensum, quàm si scopum intuear, ad quem omnes illæ similitudines destinantur. Scopus autem, nisi fallor, ille est qui *versu 6.* statuitur. *Si erit malum in ciuitate, quod Deus non fecerit? Quia non faciet Dominus Deus verbum, nisi reuelauerit secretum suum, ad seruos suos Prophetas.* Vbi duo habes, & omne malum, quod peccatori populo fuerit inflictum, adeò fuisse comparatum, & illud esse per Prophetas multo antè prædictum. Ad hæc duo capita referendæ sunt similitudines, quod si assequimur, nihil erit amplius, quod ab interprete curiosus requirat, & studiosus lector. Nunc ad singula.

Nunquid ambulabunt, &c.] Quidam hæc de Domino, ac populo interpretantur, qui quondam 10.
cùm haberet illum obsequentem, cum illo agebat familiariter, vt amicus, & vt pater molliter, & amanter. Ita Rupertus, Albertus, Ribera, Figuerius. Et hunc putant esse sensum. Non posse duos eadem simul ingredi via, nisi inter eos animi, studiaque consentiant, aut quia eadem curant, quia eundem sibi viæ terminum destinarunt, aut quia alter alterius voluntati, aut obsequitur vt filius, aut seruus; aut vt amicus ad alterius studium sua consilia, atque animum attemperat. Si hæc absint, neque illos eadem capiet via, & dissidebunt potius, atque pugnabunt, quàm gradiantur simul, neque quod viatores sæpe faciunt, mutuas sibi præstabunt operas. Sic ergo Deus, cùm populum habuit obsequentem, illi se ducem, & comitem præbuit, neque deseruit, licèt aliquando familiarem quasi necessitudinis vsum intermiserit; sed de victu illi non solùm ad naturæ necessitatem, sed etiam ad indulgentiam, ac delicias prouidit. At sub hæc tempora, quando populus totus à Domino recessit, Deus quoque se totum ab illorum congressu videtur abstulisse, & tradidisse aut ferro, aut tabi, aut vbi cum illo mitiùs agebatur, alienæ gentis in alieno, ac barbaro solo seruituti. Non displicet explicatio, quia ab scopo proposito non aberrat, reddit enim causam cur Deus mutasse videatur ingenium, cùm illos nunc animo insectetur hostili, quos antè studio verè paterno per tot annorum, ac locorum spatia prosecutus fuerat.

Iuuat afferre, quid hîc addat Rupertus, quod 11.
est ad mores graue, & valde diuinum ingenium, & confessionis naturam mirificè declarat. *Visitabo*, inquit, *super vos omnes iniquitates vestras instante iudicio, remota misericordia, tanta cum seueritate, vt me saltem commonitorium vobiscum sermonem conferre libeat. Quòd si adhuc quæritis, ecce hoc ipsum quàm rationabile sit, per hoc simile intimo cuilibet auri audienti. Nunquid ambulabunt duo pariter, nisi conuenerit eis? vtique dicetis mihi. Non. Ad hæc inquam nos duo sumus, ego qui arguo, vel corripio Deus, & Israel qui corripitur, nimirum non conuenit nobis, quia me corripientem Deum correptus Israel non audit: in hoc nobis animum disconuenit, quia ego arguo, ille se defendit.* Dixit hoc idem Augustinus optimè, ad illud Psal. 75. *Et factus est in pace locus eius. Quandiu*, inquit, *non confiteris peccata tua, quodammodo rixaris cum Deo. Quomodo enim non cum illo litigas, qui quod illi displicet, laudas? Psalmi vox est dicentis: Incipite Domino in confessione. Quid est, incipite Domino in confessione? incipite adiungi Deo. Quomodo? vt hoc vobis displiceat, quod & illi displicet. Displicet illi vita tua mala, si placeat tibi, disiungeris ab illo; si displiceat tibi, per confessionem illi coniungeris.* Idem.

Quãdo correctio Dei vtilis.

Confessio qualis.

Sed placet magis communis sententia, quæ 12.
docet Deo bene conuenisse cum Prophetis, atque ideo omnes simul per eandem viam incessisse,

tisse, nẽpe in idem Deum cũ Prophetis incubuisse consilium. Denunciabat enim Dominus Prophetis quid de populo siue rebelli, siue obseqũti statuisset, & idem Prophetæ fideli narratione deferebant ad populum, interdum sermone beneuolo, ac leni, interdum seuero, ac graui, attẽperata voce ad Domini voluntatẽ, & animum. Qui aliquando pectore verè paterno promittebat læta; aliquando leonis instar inflammatus furore rugiebat. Huic expositioni optimè consonant omnia, quæ sequuntur. Sic putant Cyrillus, Remigius, Lyra, Hugo, Dionysius, Vatablus, & Figuerius, & ex Hebræorum Magistris Rab. Abraham. Audi pro omnibus Cyrillum. Qui vbi multis expressit quàm grauiter tulerint Israelitæ Prophetarum voces, quæ nihil eo tempore pro illorum votis referebant à Domino, & vt illis silẽtium indixissent; vt fecit Amasias cum Amos, subdidit, *Castigat igitur eos Deus, quoniam Prophetas ab eo missos, non desuper, & à Deo deportare sermones dicebant, sed eos à se potiùs confictos effutire, & à mente vniuersorum Domini abhorrentia proloqui existimabant. Idcirco ait: O imprudentes & stolidi, num de vobis aliqui instituent amicitiam, & eandem vitæ viam ambulabunt, si inter se non nouerint. Omne enim animal simile diligit, & ad similem sibi homo se applicabit. Si ita est, vt est, quo pacto Prophetas, velut amicitia, & dilectione mea dignatus essem sanctus ego, si ipsi sancti non fuissent. Quomodo igitur persequimini sanctos, quibus & sermones meos concredidi, quos vt bonos recepi, nimirum eandem volenti voluntatum viam mecum ingredientes? Quod enim mihi, idem illis placitum erit. Quare Prophetas increpare sequitur, vt nihil aliud sit, quàm meipsum in reprehensione ponere.* Hæc Cyrillus.

13. Vers. 4. *Nunquid rugiet leo in sylua, nisi habuerit prædam.*] Rab. Dauid id significare dicit à Propheta, nunquam inanem fore leonis rugitum, & putat illum leoni esse pro telo, cuius iactus in manu viri audacis, & strenui irritus non est. Vt leo, inquit, rugire non solet in sylua, quin adsit ei præda. Vbi enim animalia eius audierint fremitum, protinus in eodem vestigio consistunt, & ex illis rapit leo quodcunque voluerit. Quod item dicit Procopius ad illud Isaiæ cap. 31. v. 4. *Quomodo si rugiat leo*, & Hieronymus ad illud Oseæ cap. 11. *Quasi leo rugiet.*

Leoni rugitus pro telo est.

14. Ego quod attinet ad hunc leonis rugitum, qui stuporem dicitur aliis immittere animantibus, nihil dico: quia nihil eiusmodi in his, qui de naturis animalium scripserunt, inuenio. Tantùm dico, id videri accommodatum huic loco, licèt alio sensu, quàm visum est Rab. Dauid. Rugit quidem leo, sed rugit præcipuè quando nactus est prædam; quia suo rugitu inferiores animantes exanimat, & velocitatem retardat ad fugam. Sic igitur Deus quia iam prædam paratam esse videt, rugit vt leo, & dentes, atque vngues acuit, quibus laceret prædam, rugitus autem ille impendentem iam cædem, & venationem prænuntiat, quia, vt diximus, non fit priusquam in conspectu sit præda.

15. Sustinuerat iam pridem Deus furorem suum, & vt leo dentes, atque vngues aliquando recondit, sic ipse intentum ad plagam brachium huc vsque cohibuit. Sed eò se populus obstinatæ peruicaciæ proiecit, vt iam anhelanti ad cædem, & vngues ad lanienam acuenti præda fieret opportuna. Quare rugit per Prophetas, & instare iam ineuitabilem plagam denunciat. Et quidem hoc Prophetæ verbum rugitus quidam est: vt enim per Prophetas blanditur Deus, cùm læta promittit, & mœrentes consolatur, per Prophetas excitat, & quietem turbat, cùm ad bellum hortatur; sic etiam per Prophetas rugit, cùm minatur exitium, & casum prorsus ineluctabilem.

Deus per Prophetas rugit.

16. *Nunquid dabit catulus leonis vocem de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit.*] Eadem est sententia per epexegesim iterata. Apprehendere autẽ, aut habere prædam dicitur is, cuius telum, aut laqueum præda non effugiet, quia eo loco est, vt necessariò, aut in venabulum, aut in venatoris retia sit incidendum. Communis enim fert loquendi apud omnes gentes familiaris vsus, vt quæ parum absunt ab exitu, facta dicantur. Sic mortuum vocamus, qui iam agit extremum, aut deficientem spiritum; captam vrbem, quam eò angustiarum deduxit longa, & difficilis obsidio, vt iam sit omnino desperata libertas: sic modò apprehensa dicitur, aut capta præda, quæ capietur breui, neque vllus aperitur ad libertatem aditus.

REGVLA. *Quæ parum absunt ab exitu, facta dicuntur.*

17. Vers. 5. *Nunquid cadet auis in laqueum terræ absque aucupe?*] Superior comparatio ita de Deo loquebatur, rugiente iam, & ad prædam intento, vt tamẽ in ea appareret aliquid, quod ad Prophetas pertinet. Rugitus licet esset Dei, edebatur tamen per Prophetarum ora, per quæ resonabat ille fremitus ab inspirante Domino, sicut clangor per tubam, aut inflatu tubicinis. At hic nihil video, quod sibi vendicare Propheta possit; totum est Dei, quia nihil est quod periclitantes admoneat: sed tantùm significatur quis laqueos tetenderit, & quis sit auceps ille, qui auiculas allectat in retia. Est autem auceps Deus, laqueus verò Assyriorum, aut Chaldæorum exercitus. Vt autem laqueus non obtenditur, nisi ab aucupe; sic etiam exercitus ille, qui tam decem, quam duabus tribubus vastitatem attulit, non est ab alio, quàm à Deo conscriptus, non ab alio instructus quàm à Deo.

Deus scelerum vltor, quem effugiet nemo.

18. *Nunquid auferetur laqueus de terra, antequam quid ceperit?*] Vt auceps non amouet, quos parauit laqueos, donec aues illaqueatas apprehendat; ne laborem illum inanem sumpsisse videatur; sic etiam Dominus non relinquet, aut remittet aucupium, donec populum, quem sibi prædę proposuit, in Assyriorum laqueos, & potestatem induxerit. Quod sanè ita præstitit cumulatè, vt regionem totam suis nudauerit accolis, & tam regionem, quàm habitatores illius in hostilem potestatem tradiderit.

19. Adde huc ex Cyrillo, in auibus, quæ sublimes volant à terra, & cælestem regionem propiùs intuentur, designari superbos spiritus; in his verò, quæ capiuntur tendiculis humi dispositis, eos, qui carnalia, & fluxa, & apta saginæ consectantur. Illis in arborum ramis, his in terra, vbi suos sibi nidos construunt, parantur insidiæ. *Aucupi autem & laqueo se assimilat Deus, superbos ad terram deturbans, & quasi confringens, & ad supplicium capiens, qui terrena capiunt.*

Varij laquei pro vario hominum ingenio.

20. Vers. 6. *Si clanget tuba in ciuitate, & populus non expauescet.*] Sicut rugitus Dei est, in Prophetarum tamen ore formatus: sic etiam clangor diuino formatur habitu in Prophetarum faucibus, non secus, atque à tubicinis inflatu resonat tuba. Sumit autem hic argumentum à comparatione minore. Nam si clangente tuba, quam humanus inflat, & quasi inspirat anhelitus, homines timent, seque ad hostilem aduentum maturè communiunt, quid agere oportet illos qui diuino spiritu inflari vident Prophetarum fauces, & aliquid

quid insonare minax, & horribile? Addit Paraphrastes Chaldæus, *Clanget tuba in ciuitate, non suo tempore.* Quia tempora quædam sunt siue constituta à lege, siue à consuetudine recepta, in quibus à clangente tuba vocatur populus ad sacra quædam legitima, aut de futuris sacris admonetur, qualia sunt Sabbata, Neomeniæ, & cùm tempus Iubilæorum aduenerit, & similia. At cùm tempore non suo, id est, cùm extra tempus legitimum, & notum tubarum clangor concrepuerit, tunc hostilis significatur aduentus: aut noua indicitur belli comparatio, quæ non potest non commouere audaces etiam bellatorum animos.

21. *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit.*] Huc vsque similitudines, iam illarum succedit accommodatio, quæ docet quicquid malorum nunciatur à Prophetis, & quicquid timere possunt homines instimulante peccatorum consciẽntia, id à Deo iusto scelerum vindice prouenire. Neque offenso Deo existimandũ ab alio malorum inflictus deriuari, cui res omnes creatæ, quantumuis videantur à naturæ pronitate ferri, arma sunt, & instrumenta vindictæ. Quare nemo ciuitatum stragem hostibus, varia morborum genera vento pestilenti, aut cælorum inclementiæ attribuat, licèt his Deus quasi administris ad vltionem peccatorum vtatur. Neque vllum est malum in ciuitate, malum, inquam, non quod culpam importet, sed quod culpam pœnali aliquo detrimento purgat, & punit, quod non fuerit definitum, & inductum à Deo. Hoc idem habes Isaiæ cap. 45. *Ego Dominus, & non est alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem & creans malum.* Malum, inquam, quod tranquillitatem, & otium turbat, quale bellum est, & quæcunque externa, seu intestina vexatio, & quicquid humanis commoditatibus officit; & dolorem, aut ignominiam parit, qualis est vastitas, cædes, exilium, seruitus, inopia, hæc nemo adscribat, nisi Deo, qui aut punire vult hominum errata, aut per hæc amicos ad magna virtutum incrementa prouehere.

22. Vers. 7. *Quia non faciet Dominus Deus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos Prophetas.*] Si illud *quia* particula sit rationalis, sensus est nõ difficilis. Est enim argumentum, quo Deus probat non temerè, ac fortuitò prouenire mala, quorum breui stimulos experiatur Israel, cùm nihil subiturus sit ab hostibus, quod non fuerit à Prophetis multo antè prædictum. Sicut nemo sanus dubitaret inductum à Domino generale diluuiũ, cùm eodem reuelante multis antè diebus præsenserit Noë. Aut septem annorum abundantiam, & totidem deinde sterilitatem, & famem immissam esse terræ ab auctore Deo, cùm ab ipso priùs didicisset Iosephus, & ab eo Pharao. Et hæc est communis interpretum sententia, quam ego non improbo. Sed fortasse, quod aliis sæpe locis facit Scriptura, illud *quia* otiosè ponitur: tunc verò hic erit sensus. Nullum esse malum, quod homines malum esse deputant, & quia suis consiliis importunum, declinant, & horrent, quod non sit hominibus à Deo comparatum; quod ille Prophetis, fidelibus nempe seruis, notum esse voluit, vt autem ita sentiam, & probem, facit, quòd, vt paulo antè ex multorum sententia amplexi sumus, Deus eadem cum Prophetis ambulabat via, quia videlicet inter illos conueniebat bene: quod enim imperabat Deus, ipsi accipiebant auidè, & fideliter, ac sedulò præstabant: neque proposito

A vitæ periculo, quominus illa alacriter obirent, deterrebantur. Huc autem dicebamus spectare quatuor illas similitudines leonis rugientis, auiculæ ab aucupe comprehensæ, & populi timentis, atque exanimati à clãgente tuba, vbi leonem diximus esse Deum, rugitum verò Prophetarum voces, tubam esse Prophetas, spiritum verò, quo illa inflata, atque inspirata sonitum ederet horribilem, esse diuinum. Quare bellè inter Deum, & Prophetas conueniebat, sicut inter furorem leonis, & leoninum guttur, & inter halitum tubicinis, & tubam, quæ ab illo clangit, & resonat. Denique inter artificem non imperitum, & instrumentum, quod ad eius voluntatem, & motum sine vlla difficultate tractatur.

B Vers. 8. *Leo rugiit, quis non timebit? Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit?*] Audierat Propheta rugientem Deum, id est, animi sui furorem leonino quodam fremitu significantem: qui tam ingrato populo nisi meliora meditaretur, & saperet, quàm Prophetis, nisi diuina consilia ipsis reuelata perferrent, durum minabatur exitium. Quare vtrisque à diuino rugitu metuendum est. Neque enim leuior esse debet homini prudenti Dei furor ad vindictam anhelans, quam aliis feris leonis fremitus, à quo nullos syluarum secessus, nullas latebras putant esse tutas. Sanè rugiente leone stupere, atque exanimari feras, ita vt C eodem, quo audiuere, vestigio hærere cogantur, diximus proxime ad illud, *nunquid rugiet leo.* & Oseæ *cap.* 11. ad illud, *quasi leo rugiet.* quod fortasse non semel expertus fuerat Amos: dum operam sumit armentariam in Thecuana solitudine, neque alia fortasse de causa tam sæpe à rugiente leone similitudinem sumit, quia probe norat, quantus à leone fremente tam armentis, quàm armentariis terror solitus esset immitti. 23.

Licèt Dei rugitus, & verbum vtique minax, quod in secundo ponitur hemistichio, non minus populi, quàm Prophetarum pectora concutiant. Tamen verisimile est ad Prophetas tantùm D spectare, quibus Dei verba rugitus instar sunt, neque aliter accipiũt diuinas minas, qui Dei norunt potentiam, & quantum minaci verbo pondus insit. Ita cum Hieronymo Cyrillus hæc verba Deo censet, non Prophetæ esse tribuenda: quasi apud populum grauiter ferentem importuna suis votis Prophetarum oracula, defendat Prophetas, cùm non possint, rugiente Deo leonis instar, non timere, aut eodem loquente, & spiritum instimulante propheticum, nõ prophetare. Timebant, credo, Prophetæ diuinas minas, quas non secus accipiebant, quàm si rugitum audiissent leonis; aut cæleste tonitruum, à quo non solet abesse fulmen; quia fortasse omnes, cùm E ad prophetale munus vocati sunt, illud audierant quod sub idem ferme tempus audiuit Ezechiel *cap.* 3. *v.* 18. & iterum 33. v. 7. *Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel, & audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me. Si dicente me ad impium, morte morieris, non annuntiaueris ei, neque locutus fueris, vt auertatur à via sua impia, & viuat, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram.* Quod si ita est, quis, loquente Domino, non prophetabit, quando contempto Dei verbo tam durum denunciatur supplicium. 24.

Quòd si diuini verbi præcones, qui Prophetarum nunc in Ecclesia ministerium obeunt, attentè secum meditarentur, quid ab ipsis exigat diuini 25.

Deus concionatori modũ atque materiam præscribit.

diuini verbi concrediti sibi prædicatio, quantum secum onus munus illud apportet, neque in explendo dato sibi mandato pigritarent, neque dum ingenium suum admirabundo populo futiliter venditant, in suggestu, sacráque concione non aliter quam in theatro actores scenici nugarentur. Dum rugit Deus tanquam leo, agendi modum, & formam, vt olim Prophetis, sic modò concionatoribus præscribit. Quis igitur pudor, quæ mens, vt rugiente Deo ipsius nuncius tam ineptè cantillet; & dum peccator ad pœnitentiam excitatur, & lacrymas, captet ipse risum, & indignam statu locóque sacro voluptatem? Sanè Propheta cùm Dominus cum furore, ac fremitu locutus est, non potuit non statim prophetare; quod, vt vides, rugiendo fecit. quod enim nunc ad populum minaci vaticinio proloquitur, non admodum discrepat à rugitu.

Concionatorum qualis vox.

26. Vers. 9. *Auditum facite in ædibus Azoti, & in ædibus terræ Ægypti.*] Placet quod cum Hieronymo sentiunt communiter interpretes, aduocari populos vicinos, & ab Israelitarũ alienos religione; vt & ipsi oculati sint testes eorum, quæ contra legem, & naturam bene constitutam admisit Israel: & videant quàm iustè à Deo suis expellantur è finibus, & grauibus iactati modis, à ferro, & hostili violentia ad extremum addicti fuerint barbaræ seruituti. Adducit autem hos potius Deus, quàm alios plurimos, qui Israeliticos fines attingebant, quia cùm hi testes fuissent plurimorum, quibus populum illum Dominus fuerat antè complexus, multo magis possent, ex studiorum tam longè dissimilium comparatione scelerum grauitatem agnoscere. Atque ideo singulatim ostendit, omnia, quæ in illo populo execrabatur Deus, & quæ grauibus infortuniis iam antea deuouerat. Hæc credo huiusce externarum Gentium euocationis propria causa est. Quidam aliam addunt, quia in suppliciorum parte deputant; aliorum, maximè eorum, qui hostili sunt animo, oculis, aut saltem cognitioni patere sua vel errata, vel detrimenta, maximè, quæ oriuntur à culpa. Sic Dauid cùm grauem Israel ab hoste plagam accepisset, in Saulis, Ionathæque parentalibus cecinit, lib. 2. Reg. 1. v. 20. *Nolite annunciare in Geth. Neque annuncietis in compitis Ascalonis: ne fortè lætentur filiæ Philisthim, ne exultent filiæ incircumcisorum.* Et Thren. 2. v. 17. *Lætificauit super te inimicum, & exultauit cornu hostium tuorum.* Sed licèt grauis sit dolor, qui ex hac inimicorum lætitia nascitur, non tamen id spectasse videtur Deus, vt verba consequentia declarant. Neque enim externi illi, atque inimici populi ideo vocantur, vt cædem, & ignominiam, sed vt peccata intueantur Samariæ, quæ Dominus exilio, ac cæde mulctare vult.

In Dei iudicio qui testes peccatorum ignominia.

Magnus dolor ac pudor si hostes nostra norint damna.

27. *Et dicite: Congregamini super montes Samariæ, & videte insanias multas in medio eius.*] Quid Prophetæ in Palæstina, quid in Azoto, quæ illius prouinciæ caput est, & in Ægypto audiri facere debeant, aut illorum clamori propositum sit, iam ostendit, nempe vt conueniant omnes, ac videant, quæ in Samaria decémque tribubus stultè, ac sceleratè fiant. Vbi vulgatus *insanias*, Hebr. מהומת *mehumoth*, quæ vox *contritiones, confractiones, & tumultus* valet. Hieronymus tumultus esse dicit, quos insanorum, atque bacchantium more excitat Samaria: dum se vesani ciues ad vitulorum adorationem immolandósque filios inuicem hortantur. Cum Hieronymo sentiunt alij plures. Sanè vox Hebr. מהומת, & Latina *insaniæ*, ad multa patent. Nam quodcunque peccatorum genus ex vsu Scripturæ ignorantia vocatur, & amentia. quare, vt insani dicuntur, quicunque se à recto viuendi cursu abripuerunt, sic etiam quæcunque à recto vitæ tramite declinatio appellatur insania. Quocirca non mihi alienum videtur, quod Theodoretus, licèt obscuriùs, indicat, insanias significare vim quamdam, & iniuriam, qua viri potentes, & audaces, infirmos, atque inopes, quique repugnare non audent, violenter opprimunt. Quod videtur aliqua ratione probare, quod statim sequitur. *Et calumniam patientes in penetralibus eius.* Nam licèt עשק *asac* plura significet, tamen plerunque bonorum deceptionem sonat, quam per fraudem, & calumniam patiuntur infirmi. Quare videntur hîc duo peccatorum genera spectanda proponi, quibus indignè, & inclementer à potentioribus exagitantur inopes: vel quia plagis conciduntur, quasi seruilem subirent conditionem, aut legibus iniquè conculcatis, & corruptis largitione iudiciis, & à causa caderent, & propriis euerterentur bonis.

Vers. 10. *Et nescierunt facere rectum.*] Hebraismus 28.
est, quo significatur longa operis alicuius faciendi desuetudo; ille enim nescire dicitur artificium quia illud sic exercet ruditer, ac rarò, perinde ac si numquam didicisset. Cùm autem *rectum* latè pateat, & fortasse hoc loco pro omni virtutum, atque officiorum genere sumatur, (hæc verò recta dicuntur, quia in faciendo homines sic deducunt, & formant, vt à via, quæ recta est, aberrare non sinant) tamen magis videtur pertinere ad illos, qui iudicia tractant, rationésque publicas ex lege, atque æquitate disceptant. Quasi in prioribus violentiæ accusentur, & calumniæ, quibus potentes opprimunt, fortunísque expoliant infirmam, atque ignobilem turbam; in posterioribus autem conniuent fraudulento consilio, aut qui venalem habent auctoritatem, & linguam.

Thesaurizantes iniquitatem, & rapinam in ædibus 29.
suis.] Hæc valde iuuant postremam hanc explicationem, quia paucis colligunt, quæ hucusque proposita. At hæc non sunt contra virtutes omnes, sed contra illas, quæ aliorum corpora fortunásque à vi, ac fraudibus tutas esse iubent. pro iniquitate, & rapina, Hebr. est חמס *chamas*, & שד *sod.* quarum vocum altera præcipuè vim, & furtum, ac mendacium, altera apertè rapinã prædámve significat. Hi igitur siue violenti, & callidi, siue iudices aut largitionibus corrupti, aut aliqua alia ratione venales, thesaurizare dicuntur, quia suæ iniquitatis pretium congesserunt, & id potius, aut quia peccata in illorum domibus clamant, quæ alienæ produnt, & euulgant fortunæ iniquis rationibus à miseris extortæ. De domibus alieno ædificatis impendio explicatur à quibusdam illud Abac. 2. v. 11. *Quia lapis de pariete clamabit, & lignum, quod inter iuncturas ædificiorum est, respondebit.* Licèt enim spoliati miseri mutire non audeant præ timore, neque suam deplorare fortunam, ipsa tamen ligna, & lapides, quæ ex rapina, & fraude domum construxerunt, contra furaces, ac violentos dominos clamabunt; & quæ celata fuerunt artificio, & dolo, iustissimis clamoribus euulgabunt.

Vers. 11. *Propterea hæc dicit Dominus Deus tuus:* 30.
Tribulabitur, & circuietur terra.] Hæc aperta sunt. Continent enim violentæ, atque dolosæ vitæ accommodata supplicia; oppresserunt viri potentes, & inhumani, ac tribularunt infirmos; spoliarunt

by Google

liarunt opibus, ex quibus ædificia insana, & superbas ædes, ad ambitiosum fastum, & molliores delicias construxerunt. His omnibus Dominus iubet denunciari contraria. Obsidebitur enim, ac tribulabitur terra, & illis nudabitur ornamentis quæ fraude, ac violentia congesserat; amittet aut conseruandæ dignitatis, aut pacis, ac vitæ retinendæ subsidia. Et immanes illæ substructiones, quas extortæ miserorum opes excitarunt, aut absumentur incendio, aut hostili machinatione vastabuntur.

31. Vers. 12. *Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ, sic eruentur filij Israel.*] Prouerbialis dicendi figura, quæ aut ex multitudine magna, aut ingenti mole exiguas dicit superfuisse reliquias, easque eiusmodi, vt nulli iam vsui futuræ videantur. Sunt aliæ huic non dissimiles, qualis illa Isai. cap. 24. v. 13. *Hæc erunt in medio terræ, in medio populorum, quomodo si pauca oliuæ, quæ remanserunt, excutiantur ex olea, & racemi cùm fuerit finita vindemia.* Et cap. 17. v. 5. de Damasco *Et erit sicut congregans in messe quod restiterit.* In messe quot sint spicæ, quæ falce demessæ, magnos extruunt aceruos in area, nemo non videt; quàm paucæ attenti, atque auari agricolæ manus effugiant, quotidie videmus: quæ si cum tota messe conferantur, instar obtinent nihili. Idem dicendum de racemis, qui apparent in vitibus, vbi est à vinitore peracta vindemia, qui exigui sunt, acerbi, & ad mensam, & ad dolium inutiles. Ante excussam oleam, oneratur arbor, & incuruescunt rami pondere baccarum: at vbi excussa est, vix vnam, aut alteram baccam in summo ramorum cacumine reperias. His credo communiter alij exiguas significant ex copiosa multitudine reliquias.

32. Sed, vt hoc loco obseruauit Hieronymus, & nos antea pluribus, ex re pastoritia pastor Amos similitudinem sumpsit, ex eo nempe, quod sæpe viderat, ac manu contrectarat. Nihil horribilius viderat leone, & nihil vt bonum pastorem decet, charius habuit vitulo, aut agno, quos habuit suæ fidei, atque custodiæ concreditos. Viderat autem ex vitulo, seu ariete, qui in leoninos vngues, & dẽtes inciderat, nihil esse reliquum præter vngulas, aut crusculа, quæ dura sunt, & ossea, aut ex capite extremum auriculæ; exiguum nempe aliquid, & vile ex magna præda. In quo videre sibi visus est speciem quandam euersæ ac dissipatæ Samariæ, ex qua nihil fuit ex Assyriorum prædatione reliquum, præter magni cuiusdam imperij obscura quædam, & abiecta vestigia, eaque latè, ac sine vllo ordine dispersa: sicut quæ à laniena, voracitatéque leonis in agro relinquuntur.

33. Sunt qui hîc pugnam aliquam considerant, qua pastor cum leone congreditur, vt captum arietem de faucibus expediat; quod faciebat Dauid, dum pastoritiam operam paternis gregibus impenderet. Ita Vatablus. Sed est dura, & creditu difficilis expositio, neque enim similitudo sumitur ex his quæ rarò, & penè miraculosè contingunt. Est autem perquam rarò hominem cum leone congressum existere in pugna superiorem, quod in Hercule admirantur, atque commendant fabulæ, & tanquam aliquid rarum, & eximium de Samsone, ac Dauide prædicant sacræ literæ, quam enim vim haberet occisi leonis prædicatio, vt satis sibi virium ad confligendum cum hoste, qui terrori erat Israeli toti, probaret Dauid, si illud cum omnibus, aut etiam cum ali-

A quibus aliis pastoribus haberet commune, neque multos dicit Dauid occisos esse, sed leonem vnum. Lib. 1. Reg. cap. 17. v. 36. *Nam & leonem, & vrsum interfeci ego seruus tuus.*

Multo videntur magis ad rei naturam explicuisse Theodoretus, & Cyrillus, qui crusculа & auriculas non putant erepta fuisse à pastore strenuo, & leonum faucibus, sed potiùs illa ex toto cadauere à leone relicta fuisse, & à pastore tristi, atque exanimato collecta. Nõ itaque pastor eruit de leonis faucibus exiguas illas ex ariete, aut vitulo reliquias, sed quæ satiatus noluit; aut quia ad esum inepta vorare non potuit, ex illa laceratione collegit. Sed quis erit vsus pastori, aut quæ 34.

B ex collectis cruribus, & aure commoditas? sanè maximus, defert enim, vt docet hîc Theodoretus, & Rupertus, illa ad Dominum gregis, docétque nõ ex sua incuria periisse pecus; sed quia leo gregẽ inuasit, cuius neque debuit, neque potuit obluctari potẽtiæ. Nimis enim esset durus ille dominus, & iniquus, quia mercenario exigeret, vt pro irrationali pecude animam obiiceret leoni rationalem. Quare vt nostra ætate domini satisfactum sibi dicunt à pastore, si signum aliquod afferat laceratæ pecudis, neque amplius exigunt à sedulo, fidelique custode, sic etiam olim eadem lex ac consuetudo valuit. Id sanè apertè docuit Iacob *Gen.* 31. *v.* 39. vbi dicit sibi, dum greges pasceret Laban, non fuisse vsum eo legis aut consuetudinis beneficio, quod aliorum pastorum indemnitati cauet. *Arietes gregis tui non comedi, nec captum à bestia ostendi tibi: ego damnum omne reddebam.*

Pastores signa deferũt lacerata pecudis ad Dominum gregis.

C

Hic sine dubio sensus est historicus, morales ab aliis plures afferuntur. Quidam putant ex cruribus, auriculisque relictis ex tota præda intelligi nondum actum esse de anima, quam leonina rabie diabolus vorasse videbatur: in auribus enim obedientiæ intelligitur, & diuinæ inspirationis audientiæ studium, ac facultas, quæ vbi in peccatore, quantuncunque lacerato superfuerunt, spes superest vitæ reuocandæ. In cruribus vis est 35.

Non est in peccatore desperanda salus si aures habeat, & audiendi studium.

D aut fugiendi malum, aut consectandi bonum. Si ergo neque instrumenta desint doctrinæ sanæ, & diuinæ vocis audiendæ, neque pedes, vt quæ à Deo excepisti mandata persequaris, non erit cur de salute recuperanda desperes.

Sed illud etiam hîc obseruare potest moralis 36.
Theologus ostendẽdum esse à pastore, ex lacerata pecude Domino gregis, crus, & auriculam, quia licèt, vt inquit Rupertus, hæc pars sit exigua; efficiunt tamen, vt ex eis possit agnosci, quale fuerit pecus, quod leo raptum ex grege deuorauit; vtrùm ouis, an vitulus, vtrum asinus, an pullus equinus. Dicet quidem Dominus ad pa-

Quale indiciu de Christiano, ac religioso.

E storem quod per Ieremiam olim *cap.* 13. *v.* 20. dictum est regi, ac dominatrici, *Vbi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum?* Tunc ille ostendet auriculam, quæ audire maluit leonis fremitum, quàm pastoris sibilum; & crura, quæ secuta sunt magis ferarum lustra, quàm designata pabula, & septa pastorum, & totam illam iacturam à seipso in pecudis stuporem, atque proteruiam deriuabit. Quod si signum illud, quod diuersorum dominorum armenta distinguit, inuri solet vngulis, aut auriculis, quantus erit dolor illius domini, qui gregi inclyto suo characterem illum impressit, quod in vngula, aut aure referri videt ex lacerata, ac deuorata pecude. Hîc meditetur Christianus, sed præcipuè religiosus, ac sacerdos, quot est à Domino symbolis,

Quomodo Dei pecus signatum.

lis, quot modis consignatus. Et cùm tamen ad Dominum referantur signa, quia nihil in illo præter externum illud symbolum apparet, quod Deum possessorem esse fateatur (quia quicquid aliud est præter signum diaboli est, & à diabolo tanquam à rugiente leone deuoratum) quis tunc dolor, & pudor, cùm signa tantùm externa Christiani sint, aut sacerdotis; reliqua verò omnia, quæ sacra esse debuerunt, vtpote consecrata Domino, execranda iam sint, quia nimirum diabolicæ potestati deuota.

37. *Sic eruentur filij Israel, qui habitant in Samaria in plaga lectuli, & in Damasci grabato.*] Accommodat iam similitudinem, & in Samaria laceratam pecudem contemplatur, ex qua exiguæ inutilésque reliquiæ remanserunt. Habitabant quo tempore hæc à Propheta dicebantur Israelitæ securi, ac molliter, quia nihil sibi ab hostili manu timendum putabant; cùm satis existimarent se tam à domestico, quàm ab externo, ac sociali apparatu ad omnem bellorum, ac fortunæ aleam habere præsidij. Quare neque laborabát, neque excubias agebant assiduas, & molestas, quasi qui sub pellibus agerent, aut hostem propediem ad futurum expectarent. Sed viuebant perinde atque illi qui composita domo, & foribus claustris egregie munitis in lectuli plagam, seu angulum secedit, vt iucundè dormiat, & noctem illam totam sine vllo interpellatore in otio, atque quiete transfigat: sunt sanè in domo quocunque modo constituta regiones, siue secessus varij; alij aliis studiis, & occupationibus destinati, in quibus vigilant homines, & domesticis curis diurnam plerunque operam impendunt. In plaga tamen lectuli, id est, in eo conclaui, vbi somni atque quietis gratia lecti sternuntur, omnem homines abiiciunt curam, omnem molestiam, & vt laxant animum, sic etiam laxant corpora, & in molli lectulo molliter exigunt tempus illud nocturnum, & iners. Hic porrò subaudiendam arbitror militudinis notam, in hanc sententiam. Qui habitant in Samaria, quasi in plaga lectuli, vbi labor nullus, aut excubiæ, sed tantùm somnus, & inertia.

38. Hic sensus mihi difficilis nôn est, in quem cósentiunt, aut certè ab illo non admodum aberrant interpretes. Et si, quod nonnulli volunt, pro *plaga* legendum esse putes *angulum*, hæc etiam vox cogitationem illam magis confirmat. Lectus enim plerunque non in media domo, sed in secessu, hoc est, in angulo domus insterni solet. Magis alij laborant in eo quod sequitur, *in Damasci grabato*. Sunt enim qui putent vocem Hebr. דמשק *demesek* non significare Damascum, id est, ciuitatem, quæ caput est Syriæ, & in ea prouinciam totam, cuius illa regia est, & prima sedes; sed angulum, ita vt eadem iteretur sententia: in hunc modum. Qui habitant in Samaria in angulo lecti, & in angulo grabati. Ita putant Hebræi, & cum his ex nostris aliqui, in quibus sunt Pagninus, Vatablus, & Montanus. Sed cùm hæc vox nullo alio in loco repetiatur, in quo angulum significet, aut aliquid simile, & millies significet Damascum, quæ caput est Syriæ, non est cur à communi significatione recedamus. Præsertim cùm antiquissimi interpretes Damascum reddiderint: in quibus sunt Septuaginta cum Chaldæo, neque est difficilis sententia. Nam si, quod proximè dicebamus, ideo in lectulo Samariæ quietum ducebant, atque tranquillum somnum Israelitæ, quia ibi parata sibi putabant ad resistendum omnia. Sic etiam quia cum Syris, quorum metropolis sedes est Damascus, vires, & studia coniunxerant, in Syrorum auxilio, quasi in grabato molli sibi quiescendum esse arbitrabantur; ita cum Hieronymo putant plures alij. Existimo autem hæc à Propheta esse denunciata, sub id tempus, in quo rex Israel & rex Samariæ coniunctis viribus contra Iudæos coniurarunt, vt habes apud Isaiam *cap. 7.* Qui tam suis fidebant viribus, vt sine telo, vllàque bellorum impressione euerti posse crederent Ierusalem. Sic enim dicebant duo fœderati reges Phacee filius Romeliæ rex Israel: & Rasim rex Syriæ v. 6. *Ascendamus ad Iudam, & suscitemus eum, & auellamus eum ad nos; & ponamus regem in medio eius.* Cùm autem rex Iuda, & populus totus conspirasse contra se viderent, Syriæ atque Samariæ fœderatas videres, *Commotum est cor regis, & cor populi eius sicut mouentur ligna syluarum à facie venti.*

Vers. 13. *Audite, & contestamini in domo Iacob,* 39.
dicit Dominus exercituum, quia in die, quo visitare cœpero, &c.] Hæc obscura non sunt, iubet namque Dominus, vt quæ nunc addenda sunt, quæ omnia Samariæ dirum minantur exitium, illa interposita diuinæ fidei firmitate populo denuncient. Cótestari hoc loco profiteri aliquid est, aut denunciare publicè, aduocatis testibus, quorum fides homines aut obliuionis, aut perfidiæ coarguat. Quomodo contestatus est cælum, & terram Isaias cap. 1. *Audite cæli, & auribus percipe terra.* Et Moyses Deut. 32. *Audite cæli, quæ loquor, percipe terra verba oris mei.* Nunc ergo aduocato ad dictorum fidem diuino testimonio, dum additur vsitatum illud, & familiare Prophetis, *dicit Dominus*, iubet Dominus, vt publica, ac solemni forma contestentur, quæ deinde sequuntur, ne causari postea possint sibi non prædicta. Idem antè præceperat Samueli 1. *Reg. cap. 8. v. 9.* cùm minas, atque exitus nó admodum dissimiles denunciari iubet. *Nunc*, inquit, *vocem eorum audi; verumtamen contestare eos, & prædic eis ius regis, qui regnaturus est super eos*, &c.

Vers. 14. *Visitabo super altaria Bethel, & amputa-* 40.
buntur cornua altaris.] Cóstituerat Ieroboam vitulorum alterum in Bethel, excitatâ ara sublimi, vt verisimile est, & pulcra, quemadmodum decere existimabat illum Deum, quem Israeli toti colendum proposuerat; de qua 3. Reg. cap. 12. v. 32. Est autem mihi pene certum in excitando altari illam seruatam esse formam, quam habuit Solymitanum templum, quia, vt ex hoc ipso loco non obscurè colligitur, ad Iudaicæ religionis formam multa dicitur ad impia sacra, ad nefariam religionem expressisse Ieroboam. *Constituit*, inquit, *diem solemnem in mense octauo, quinta decima die mensis in similitudinem solennitatis, quæ celebrabatur in Iuda. & ascẽdens altare similiter fecit in Bethel.* Altare autem pro holocaustis, & victimis, quod visebatur in templo, cornua habebat quatuor in totidem angulis, id est, columnas erectas, quæ præter alios vsus, quos in immolandis victimis habuerunt, addebant altari pulcritudinis multum: vide quæ diximus ad *cap. 43. Ezechielis*, vbi satis multa de altaris forma. Quia verò, vt diximus ad illud Oseæ 10. v. 5. *Vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ*, vt erant multæ vitulorum effigies tam in publicis, quàm in priuatis ac domesticis sacrariis, sic etiam ibi multa excitabantur altaria, quibus Deus grauem comminatur ruinam. Sed speciatim agit de illo, quod magna, vt apparet, mole, & egregio opere cóstructũ fuerat in Bethel; vbi

Ad aureos vitulos colendos multa ex Iudæorum religione sumpsit Ieroboam.

vbi aureus vitulus fuerat à Ieroboam constitutus, cum quatuor columellis, seu cornibus, quæ detruncanda dicuntur ex illo altari, & altare ipsum funditus eruendum. Nudauit, opinor, Assyrius sublatis vitulis, & si qua alia erant ornamenta pretiosa altaria omnia, sane aureos vitulos ad illum missos fuisse dono, diximus ad illud Oseæ 10. v. 5. *Æditui eius super eum exultauerunt.* Sed euertit omnino, ita vt ex eo nullum reliquum fuerit vestigium, Iosias *lib. 4. Reg. cap.* 22. vt prædictum ante fuerat. 3. Reg. cap. 13. *Insuper altare, quod erat in Bethel, & excelsum quod fecerat Ieroboam filius Nabat, qui peccare fecit Israel. Et altare illud excelsum destruxit, atque combussit, & comminuit in puluerem.*

41. Vers. 15. *Et percutiam domum hiemalem cum domo æstiua: & peribunt domus eburneæ.*] In æstiuis, atque hyemalibus domibus, habitationes illæ commentur, quæ lauti, ac delicati sibi superbè construunt, nequid durius à temporum iniuria patiantur. qua in re plura excogitauit humana solertia, quam natura laborum patientissima requirit. Sed nos illam vario luxu, atque mollitie frangimus, dum ad corporis voluptarios sensus alia, atque alia non solum luxuriosè, sed etiam inepte blandimenta captamus. Antiquissima illa fuit cubiculorũ pro æstate, atque hyeme distinctio, in quibus ad refrigerandum æstum, aut frigus tẽperandum, innumera excogitauit instrumenta humana mollities. Sanè iam inde à primis ferme sæculis excogitata fuit varia, pro varietate temporum cubiculorum descriptio. Mitto profana, quorum pleni sunt libri, ex sacris habemus antiquissima exempla *Iudic. cap. 3. v.* 2. Eglon rex Moabitarum occisus fuisse traditur in æstiuo cœnaculo, & *Ierem. cap. 36. v.* 22. rex Iuda Ioacim hyemalem dicitur habuisse domum. Sic puto in Samaria, totóque Israelitico tractu plures fuere domus, quæ variis temporibus seruirent non modò regibus, sed illis etiam quibus latior esset supellex, & fortuna melior, aut in ciuitate, aut in aliis locis, aut magis apricis, aut quibus maior inesset amœnitas.

Æstiua, & hiberna cubicula.

42. *Peribunt domus eburneæ.*] Duplex reperitur ebur, alterum proprium, os videlicet elephanti, & maximè dens, quod eximij candoris est, & magno habetur in pretio propter varios vsus, quos habet ad instructum, ornamentúmque supellectilis elegantis, & lautæ. Alterum quod licet ebur non sit, quia non ex osse; propter similitudinem tamen vocatur ebur, & est saxum quoddam miri candoris, quod præsertim è Tiburtino monte cæditur; licet ea de re variè sentiant, & loquantur auctores. Sanè Plinius ex Theophrasto *lib. 36. cap.* 18. ebur esse putat fossile, cuius item meminit Martialis lib. 8. epig. 28.

Ebur duplex, elephantinum & fossile.

Lilia tu vincis, nec adhuc delapsa ligustra,
Et Tiburtino monte, quod albet ebur.

43. Si hoc verum esset, non esset cuiquam mirum si principes ædes sibi construerent eburneas, ex ebore videlicet fossili, cùm id faciant nostra ætate plurimi, qui longè sunt inferiores, vel dignitate, vel opibus. Qui magnas ex alabastrite, seu è pario lapide domos moliuntur, quod vocari pos-

A set propter eandem similitudinem ebur. Sed non puto domus illas, quibus Dominus proximam minatur ruinam, esse ex illo candenti saxo, & simulato ebore. Hebraica enim vox שן *sen*, quam adhibuit Propheta, dentem significat, nempe elephantinum, ex quo præcipuum ebur. Et fortasse verum nõ est ebur esse fossile, sed in Tiburtino potiùs monte verum ebur, os videlicet elephantinum candefieri; quia locus est perfrigidus, qui ad ossium candorem maximè existimatur opportunus. Ita sane Martialis indicat supra, & clariùs lib. 7. epigr. 12.

Dum Tiburtinis albescere collibus audit
Antiqui dentis fusca Lycoris ebur:
Venit in Herculeos colles. Quid Tiburis alta
B *Aura valet? paruo tempore nigra fuit.*

Erat igitur verè domus ex ebore: & illud planè mirum, cùm elephantini dentes rari sint, vtpote ex longinquis regionibus aduecti. Ego sic existimo eburneas esse domus, non quia ex solido ebore constructæ, sed quia sectili ebore, vario, & vermiculato opere distinctæ. Quod nostra ætate fit, & fuisse olim in vsu multa probant. Ex sacris est illud Psal. 44. *A domibus eburneis.* Neque pauci sunt, qui de domibus propriè, siue palatiis, aut templo hæc interpretentur, licet alij probabilius de arculis, siue etiam de vasculis olfactoriis accipiendum putent. Salomon ex ebore sibi thronum construxit, ita tamen vt ex interC uallis aurum interluceret. 3. Reg. cap. 10. *Fecit rex Salomon thronum de ebore grandem, & vestiuit eum auro fuluo nimis.* Plus aliquid videtur fecisse Achab 3. *Reg. cap. 22. v.* 39. qui domum sibi fabrefecit ex ebore. Non credo ex ebore solido, sed tabulis incrustatam eburneis, quomodo aureis crustis integebatur Salomonis templum. 44.

Quo sensu domus dictæ eburneæ.

Quod ad externos attinet, habuerunt illi quidem eburnea cubicula, non tamen, vt opinor, tota ex ebore, sed partim ex ebore, partim ex ebeno, partim ex alio pretioso siue ligno, siue metallo, ac lapide tessellata, quod nos vocare possumus vermiculatum opus. quod artificij genus expressisse videtur Plinius, cùm dixit lib. 35. cap. 1. *Nec* D *tantùm parietes toti operiunt auro, verùm & interraso marmore vermiculatis ad effigies rerum, & animalium crustis.* de hoc, credo, incrustationis genere dixit Horatius lib. 2. Car. Ode vltima. 45.

Non ebur, neque aureum
Mea renidet in domo lacunar.

Plinius *lib. 16. cap.* 43. ligna dicit ebore tegi, atque adornari solita, quæ ab ea materia optimè appellari potuerunt eburnea. Sic fortasse ad exemplum Achab, qui ex ebore construxit domum, omnium fortasse primus è regibus Israel, domus alij reges, & principes ex eadem materia, & eodem artificio fabricarunt, quas Dominus hîc perituras esse denunciat. De eburneis operibus aliE quid nos postea ad illud cap. 6. *Qui dormitis in lectis eburneis.* Tradunt Hebræi hoc vaticinium tunc fuisse impletum, quando terræ motu sub Ozia plurima tam publica, quàm priuata ædificia corruerunt. De quibus nos suprà *cap. 1. in principio.* Sed errant hîc Hebræi; neque enim hæ minæ reges Iuda, aut illorum regionem, sed Israelis petunt.

Digitized by Google

IN CAPVT QVARTVM

ARGVMENTVM.

GRAVIA minatur Dominus Israëlitis infortunia, quóque maiori illos timore concutiat, sacram iurisiurandi fidem interponit, & rationem reddit, cur hæc, quæ prædicit, incommoda sustinere debeant: tum quia in pauperes violenti sunt, & iniurij: tum quia, cùm multis modis, & frequentibus plagis, illos ad sanitatem & officium reuocare voluerit: ipsi tamen in errore atque idolorum sordibus, pertinaci consilio, hærere voluerunt. Nihilominus ad spem salutis, & libertatis vocat, & ad illum gratiæ locum, quem habuerunt antè, si modò se ad ipsius amicitiam seriò ac legitimè disponant.

CAPVT IV.

A

1. AVdite verbum hoc vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ: quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes: quæ dicitis dominis vestris: Afferte, & bibemus.

B

2. Iurauit Dominus Deus in sancto suo: quia ecce dies venient super vos, & leuabunt vos in contis, & reliquias vestras in ollis feruentibus.

3. Et per aperturas exibitis altera contra alteram, & proiiciemini in Armon, dicit Dominus.

C

4. Venite ad Bethel, & impiè agite: ad Galgalam, & multiplicate præuaricationem: & afferte manè victimas vestras, tribus diebus decimas vestras.

5. Et sacrificate de fermentato laudem, & vocate voluntarias oblationes, & annunciate: sic enim voluistis filij Israel, dicit Dominus Deus.

6. Unde

PARAPHRASIS.

1. VObiscum mihi disceptatio est, ô viri Israel, qui sicut vaccæ pingues, ad saginam pascuntur, in montibus Samariæ, sic vos abdomini tantùm vestro, & voluptati seruitis? Qui sic pudorem, & humanitatem abiecistis, vt per calumniam pauperes euertatis bonis, & egenos violenter opprimatis. Qui dominis & magistratibus, qui iudiciis præsunt, atque reipublicæ, non precibus solùm importunis, sed conuitiis vrgetis, vt ex direptis aliorum bonis, vobis conuiuium instruant, & vinum ad bibendum largè propinent.

2. Audite igitur, ô vaccæ pingues, iamiam cultro atque macello destinatæ, quid Dominus de vobis concepto per templum sanctum suum iuramento, confirmet. Veniet, inquit iuratus Dominus, aliquando tempus, in quo aderunt, qui vos in contis, ac perticis vnco præferratis eleuent, & ollis feruentibus iniiciant.

3. Tunc verò exibitis, ô Samaritanæ vaccæ, per muros, quos habebit quælibet è regione sui, interruptos ab hoste, quia tot erunt, & tam patentes scissuræ, vt nullibi occurrat impedimentum ab opposito muro. Et ab amœno, atque felici pabulo, ad Armon aridum solum, & cælum frigidum, atque insalubre traducemini.

4. Contenditis igitur frequentes (loquitur autem hîc Deus ironicè) in Bethel, vbi vitulorum sunt constituta sacraria, & ibi impietatis vestræ documenta præbete. Obite Galgala, vbi præcipua idolorum officina, & antiquis nouas quotidie præuaricationes adiungite. Afferte summo manè victimas, quod studij vestri ardentis documentum est, & tertio quoque die sacrificia, ac libamenta, quæ ex decimato grege, ac decimatis terræ prouentibus assumuntur.

5. Afferte in gratiarum actionem sacrificia, quibus ex lege adhiberi fermentatum licet. Et tandem edicite vniuersis, vt ad cultum

Digitized by Google

A cultum ornatúmque vitulorum, voluntariè aliquid è suis ornamentis & facultatibus erogent. Hæc ad vos ironicè, ô stulti Israelitæ, neque plus exigitur, quàm vobis ipsis imposuistis, cùm placuit insana vitulorum religio.

6. Vnde & ego dedi vobis stuporem dentium in cunctis vrbibus vestris, & indigentiam panum in omnibus locis vestris: & non estis reuersi ad me, dicit Dominus.

6. Vt ego vos ab impia illa vitulorum religione deducerem, à quibus rerum abũdantiam, salutem, libertatem, & otium expectabatis: vt vanam experimento, & illorum fidem, & vestram expectationem cognosceretis, feci, vt vobis acciderent vestris

B votis, atque expectationi omninò contraria. Quare dedi vobis, ne possetis, etiam in summa abundantia, vesci sine dolore, atque fastidio cibis, dentium stuporem in omni ordine, ac loco: neque dedi ciborum abundantiam, quæ famem leuaret: absuit denique, aut ciborum copia, aut edendi facultas: neque tamen edocti, abiecta vitulorum adoratione, ad me, religionémque meam rediistis.

7. Ego quoque prohibui à vobis imbrem, cùm adhuc tres menses superessent vsque ad messem: & plui super vnam ciuitatem, & super alteram ciuitatem non plui: pars vna compluta est; & pars, super quam non plui, aruit.

7. Cùm adhuc ad messem vsque tres superessent menses, clausi vobis cælum, &

C pluuiam serotinam prohibui: quod non accidisse fortuitò, aut à communi naturæ lege, ex eo constare vobis potest, quia ciuitatem vnam largo madefeci imbre, ad alterum nulla pars pluuiæ cælestis influxit: pars vna commaduit abundanter, pars altera siti aquarum exaruit.

8. Et venerunt duæ & tres ciuitates ad vnam ciuitatem, vt biberent aquam, & non sunt satiatæ: & non redistis ad me, dicit Dominus.

8. Non solùm aqua cælestis defuit, quæ campos irrigaret, sed pluuialis aqua in cisternis collecta, quæ sitim hominum ac pecorum expleret: quare vrente siti, homines ad alienas cisternas aquatum profi-

D ciscebantur: neque tantum illis à ciuitate compluta porrigebatur aquæ, quantum erat ad extinguendam sitim necessarium. Neque tamen, dicit Dominus, cùm istæc tam grauiter vrgerent incommoda, rediistis ad me.

9. Percussi vos in vento vrente, & in aurugine, multitudinem hortorum vestrorum, & vinearum vestrarum: olineta vestra, & ficeta vestra comedit eruca: & non redistis ad me, dicit Dominus.

9. Quòd si acceperunt agri serotinæ pluuiæ beneficium, frugésque ad culmum, & spicam adductæ sunt, cùm certa sese futuræ vbertatis species offerret, feci, vt ventus perflaret igneus, & vrens, qui vredine atque aurigine festinantes iam ad maturi-

E tatem fruges excoqueret, & hiantem agricolarum expectationem eluderet. Hæc frugum calamitas, & pestis. Neque hortis, ac vineis sua quoque lues, atque calamitas defuit. Misi enim erucam, quæ hortos vestros, quorum ingens est in vestris finibus multitudo, corroderet: quæ vineas, olineta, ficetaque vestra popularetur, ac perderet. Neque tamen tot affecti detrimentis, damnata idolorum insania, rediistis ad me.

10. Misi in vos mortem in via Aegypti, percussi in gladio iuuenes vestros, vsque ad captiuita-

10. Neque aliter affecti estis, aut morbo, aut morte, dum in vestra, obstinato consi-

Digitized by Google

ptiuitatem equorum vestrorum: & ascēdere feci putredinem castrorum vestrorum in nares vestras: & non redistis ad me, dicit Dominus.

A consilio, perseueratis insania, quàm olim Ægyptij, quando contra diuina monita, non animos solùm, sed etiam aures obdurarunt. Qui inter vos erant robusti iuuenes, confecti sunt gladio, capti sunt atque interfecti equi, & teterimus odor vestras afflauit nares, quem fœdissima castrorum strages exhalabat. Neque tamen, dicit Dominus, perfecit hæc grauissima plaga, vt ad me reuocaretis gradum.

11. *Subuerti vos, sicut subuertit Deus Sodomam & Gomorrhā, & facti estis quasi torris raptus ab incendio: & non redistis ad me, dicit Dominus.*

11. Denique non aliter atque Sodoma olim subuersa est, sic estis à me iactati, atque subuersi: neque aliam speciem à dura vexatione retulistis, quàm habet lignum, quod vstulatum eripitur à flamma. Neque B tamen tam grauis, atque ignominiosa plaga ad fidem, quam integram conseruare debuistis, & ad patriam religionem reduxit.

12. *Quapropter hæc faciam tibi Israel, postquam autem hæc fecero tibi, præparare in occursum Dei tui Israel.*

12. Sed quando superiores hæ plagæ non perfecerunt, vt te ad fidem & ad officium reuocarent, experieris illa, quæ tibi proximè, & iam antea sæpe minatus sum infortunia. Veruntamen non adeò te procul à me repellam, ô Israel, vt non etiam seriò atque ex animo reuertentem amplectar. Quare postquam te duris hisce modis exercuero, præpara te, vt mihi iam beneuolo gratus occurras: neque hoc benefi- C cium (sic enim existimare debes) sicut alia plurima perire sinas.

13. *Quia ecce formans montes, & creans ventum, & annuncians homini eloquium suum, faciens matutinam nebulam, & gradiens super excelsa terræ: Dominus Deus exercituum nomen eius.*

13. Præpara, inquam, te, ô Israel, vt occurras Domino Deo tuo, à quo sperare potes, quæ voles omnia. Ipse enim est non sicut idola, quæ muta sunt, in quibus nihil est spiritus, & vitæ, sed viuus, & potens vniuersorum auctor, & conditor, à quo excitata fuit montium altitudo, à quo habent animantes omnes, quòd sint, & viuant: qui consilia sua multo antè prænunciat, & illorum fidem rerum ipsarum euentu confirmat: qui nebulam creat, & matutinum rorem, qui quæ in terra excelsa sunt, libero ac dominante gressu percurrit, & calcat: ille denique est, qui Dominus virtutum, atque exercituum appellatur.

Vers. 1. *Audite verbum hoc vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ.*]

1. MIRVS est Amos in sumendis ex re agresti, ac pecuaria similitudinibus, quibus cogitationes suas mirificè exprimit. Diffluebant, vt ex superioribus constat, Samariæ proceres luxuriæ, atque otio, quod æstiuæ, atque hyemalis domus vicissitudo, & earum ornatus, qui in materia significatur eburnea, satis ostendunt. molles enim, & delicati sint oportet, qui tam sine sibi voluptati seruiunt. Hoc verò significatur optimè in vaccis pinguibus, quæ neque plaustrum trahunt, neque terram scindunt impresso D vomere, sed in amœno, atque vbere pabulo lasciuiunt. Hæ porrò vaccæ, quæ in sagina sunt, macello destinantur, & cultro. Quare dum magis pingues, ac nitidæ, propiores sunt aut aræ aut lanienæ. Id spectarat sæpe Amos, qui armentarius erat, & fortè bubulcus: cuius è grege pinguissimum quodque ad cædem sumebatur quotidie. Et huc spectat tota comparatio, quam mirificè rusticus noster orator amplificat.

Vocantur autem vaccæ in fœmineo sexu, cùm 2.
tamen sermo sit ad varios, vsitato Scripturæ more, quæ vbi aliquid à viris mollius attentatur, aut

Digitized by Google

aut cùm se languori, ac otio dedunt, aut denique nihil in eis constans apparet, aut virile, fœminarum illis compellationem attribuit. Sed hoc facit in hoc animalium genere frequentius. Homines enim luxui deditos, & vni tantùm abdomini, aut voluptariis animi motibus seruientes vaccas vocat, iuuencas, aut vitulas. *Isai. cap.15. & Ierem. cap.48.* Segor vitula vocatur conternans, seu triennis, & Ægyptus, de qua Ierem. cap.46. *Vitula elegans, atque formosa Ægyptus, stimulator ab Aquilone veniet ei.* Et hic ipse populus, contra quem Amos tam agit vehementer, vitula vocatur, & vacca lasciuiens ab Osea cap.4.v.16. *Sicut vacca lasciuiens declinauit Israel.* Et cap.10.v.11. *Ephraim vitula docta diligere trituram.* Quòd autem hîc sermo sit de viris licet in genere non virili, docet affixũ masculinum statim *v.5.* nam vbi vulgatus *super vos,* Hebr. est עליכם *alechem*, & vbi *leuabunt vos,* נשא אתכם *nisa etkem.*

Regvla. *Viris ignauis, & mollibus fœmineũ genus, & nomen attributum.*

3. Vbi vulgatus *pingues,* Heb. בשן *basan*, est autem Basan regio quædam pinguissima, & alendis gregibus opportuna valde. Vnde greges in omni genere opimi, ac nitidi filij dicuntur Basan, aut regionem pasti Basanitidem. Deut.32. v.14. *Butyrum de armento, & lac de ouibus, cum adipe agnorum, & arietum filiorum Basan.* Quomodo regionem hanc propter pabulorum nobilitatem & copiam sibi assignari voluerint tribus Gad, & Ruben, & dimidia tribus Manasse, habes *Iosue cap.13. v.12.* Reliqui interpretes dictionem relinquunt Hebraicam. Hieronymus, & Symmachus ad significationem intenti, & vim adagialis phrasis, aliter reddiderunt, Hieronymus, vt vides *pingues.* Symmachus εὐτραφεῖς, id est, *bene saginati.*

Basan prouerbialiter pro loco pingui, atque vbere.

4. Vocari autem vaccæ alia de causa potuerunt viri illi potentes, ac molles, quia cùm vitulos colerent, illisque se nefariis cæremoniis submitterent, id videbantur præstitisse aureis vitulis, quod vaccæ tauris, dum illorum se libidini substernunt, quod ex vsu Scripturæ minus videtur durum, quæ idololatriam, fornicationem, seu adulterium vocat. Quàm sit hoc animantium genus libidinosum, diximus super Oseam *cap. 10.* ad illud, *quia luxit super eum populus eius.*

5. *Quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes.*] Ostendit vndénam tam sint adipatæ, & crassæ vaccæ illæ Basanitides, & quæ illis pabula fuerint pro Basan. Cùm enim viri illi potentes, audaces, & violenti quiduis audeant, & ad congerendas opes impotenter inhient, prædam habent paratam in pauperum, atque infirmorum bonis, in quæ non minus irrumpunt liberè, quàm si illorum forent veri domini. Imò iniuriam sibi fieri arbitrantur, si quispiam ipsos ab aliena possessione, aut manu, aut iure depellere contendat. Id enim sonat *confringere pauperes, & egenis facere calumniam.* Hoc enim posterius, non solùm fraudem, & iniuriam, sed etiam, vt diximus *cap.3.v.9.* oppressionem significat, & vim.

6. *Quæ dicitis Dominis vestris: Afferte, & bibemus.*] Theodoretus, & Hebræi, qui in vaccis pinguibus fœminas intelligunt, quæ vsque adeò delicatæ sunt, & molles, vt nihil sibi ad delicias, & luxum deesse velint, facile ex hoc loco sese expediunt. Hæ enim dominorum suorum, id est, coniugum artificio, ac studio omnibus abundant, quæ suis sibi votis proposuerunt. Et fortasse viri nimis vxorij, dum negare non audent, quæ vxores precibus, aut interdum fortasse conuitio efflagitant, pauperes opprimunt, & expoliant. Sed, vt principio diximus, viros alloquitur Propheta, quos pauperum substantia pinguefecit; quod etiam communiter sequuntur interpretes, cum Hieronymo. Hi verò domini illi sunt, vt opinor, qui aut cum imperio sunt vt reges, aut prouinciarum præfecti, aut qui cum magistratu caussis præsunt publicis. Ab his etenim alij aut præfecturas obtinere student, quibus tenuiorum fortunis dominentur, aut præfectos, & magistratus vrgent, vt communes mensas alienis onerent dapibus, & poculis instruant. Dicunt igitur dominis, *Afferte* nempe, quæ furati estis, aut aperta vi, & minacibus verbis extorsistis, ne nobis desit, quod bibamus, aut quo nostram expleamus ingluuiem.

7. In potu verò totum intelligitur conuiuiũ; & tam poculentis, quàm esculentis instructæ mensæ, vt significetur illorum hominum intemperantia, quam non tam saturitas prodit, quàm temulentia, quæ cum profuso, ac turpi luxu, morum etiam turpitudinem euulgat. de quibus sic Hieronymus, *Ex eo quod posuit, date, & bibemus, & non dixit, & comedemus, ebrietatem earum significat in vino, atque luxuria, quæ statum mentis euertunt.* Præcipuum locum in conuiuiis habuisse vinum multa probant. In sacris vini sæpius ac poculorum, quàm ciborum nomen auditur. Ioel. cap.1.v.5. *Vlulate omnes, qui bibitis vinũ in dulcedine.* Psal.68.v.13. *In me psallebant, qui bibebant vinum.* Isai.5. v.12. *Tibia, & vinum in conuiuiis vestris.* & iterum Amos cap.6.v.6. *Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti.* Et Græci conuiuia non ab epulis, sed à poculis symposia nominarunt, quasi dicerent, compotationes. Vide quæ diximus in nostris commentariis in Danielem *cap.5.num.13.*

In potu & vino totum intelligitur conuiuium.

8. Vers.2. *Iurauit Dominus Deus in sancto suo, quia ecce dies venient super vos.*] Hoc est quod audire Propheta iubet vaccas pingues, quæ habitant in monte Samariæ, nempe venturũ aliquando tempus, in quo euentum experiantur durum, quem statim denuntiat. Quóque maior dictis accedat auctoritas, diuinam interponit fidem, imò & diuini iurisiurandi religionem. *In* non rarò idem significat, quod *per*, quando in iuramento capiendo adhibetur. Isai. cap.62.v.8. *Iurauit Dominus in dextera sua, & in brachio fortitudinis suæ.* & cap.45. v.23. *In memetipso iuraui.* Amos iterum cap.6.v.8. *Iurauit Dominus Deus in anima sua.* Quis verò sit huius iuramenti sensus, diximus in nostris commentariis ad citatum Isaiæ locum *cap.62.*

Regvla. *In in iuramentu idem quod per.*

9. *Iurare* ergo *in sancto suo*, idem est quod *per sanctum suum: sanctum verò*, vt ait Hieronymus, ad multa patet. *Iurauit*, inquit, *Dominus in sancto suo, vel in semetipso, vel in filio, vel in templo, vel in omni qui sanctus est, & appellatur templum Dei.* Heb. בקדשו *bekadso*, id est, per sanctitatem suam. Sed quocunque modo sumas, verum est, quod dicit Paulus *ad Heb. cap.6.* Deum per semetipsum iurare. *Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit per quem iuraret maiorem, iurauit per semetipsum.* Nam quodcunque nomines, in quo iuramentum fidem, & pondus habeat, in eo Deus intelligitur, & illius interponitur sacrosancta fides. Ita Christus ipse docuit Matth. cap.23.v.20. *Qui iurat in altari* (id est, per altare) *iurat in eo, & in omnibus, quæ super illud sunt, & quicunque iurauerit in templo, iurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eum.* Et iterum Matth. cap.5. v.34. *Ego autem dico vobis non iurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum est pedum eius: neque per Hierosolymã, quia ciuitas est magni regis: neque per caput tuũ iurauetis, quia non potes vnũ capillum album facere, aut nigrũ.*

Iuramentum diuinũ quale.

In quocunque iuramento Deus intelligitur.

Et

10. *Et leuabunt vos in contis, & reliquias vestras in ollis
feruentibus.*] Perstat in eadem allegoria Propheta,
& docet quò spectet illa vaccarum pinguium
Tristis exitus vitæ delicatæ ac mollis. abundans, delicataque sagina: nempe vt macel-
lo, & cultro magis essent idoneæ. Dixit hoc idem
Ieremias *cap.12. v.3.* cùm enim dixisset, *Quare
via impiorum prosperatur: bene est omnibus, qui præua-
ricantur, & iniquè agunt.* statim illorum declarat
exitum. *Congrega eos, quasi gregem ad victimam, &
sanctifica eos in die occisionis.* Est autem proprium
vaccarum, quæ ad hominum epulas in macello
mactantur, vt inde frustrà ferantur in vectibus,
seu perticis, quas hic contos appellari arbitror,
& deinde ollis iniiciantur feruentibus. Hac me-
taphora cædes significatur illorum principum,
quorum fuere symbolum Basanitides vaccæ in
montibus Samariæ. Vt enim illæ lacerantur, dis-
sipantúrque, & quæ priùs pingui, atque abundã-
te pabulo saginatæ fuerant, deinde venatoribus,
ac laniis prædæ sunt, & saginæ; sic viri illi po-
tentes hostili ferro, aut trucidati, aut domiti,
quasi in contis, & perticis, in alias, aliásque re-
giones traducentur.

11. Vbi vulgatus *in contis*, Hebr. est צנות *sinoth*,
quod varij variè reddunt. Quidam *in contis*, seu *ha-
stis*, alij *in acuminatis stipitibus*, alij *in spinis*, seu *hamis*,
aut *vncis*. Et quidem hæc penè omnia valet vox
צנה, vt variis Scripturæ locis vulgatus reddidit.
Alij reddunt in scutis, aut clypeis, & si hoc pro-
bes, allusum videbitur ad rem castrensem, & mi-
Clypei loco feretri in acie. litarem, nam in acie mortui in clypeis loco fere-
tri portabantur. Hinc illa Lacenæ virilis, & egre-
gia vox, quæ cùm filium armaret ad bellum, &
clypeum traderet, hortaretúrque, vt mortem po-
tius nobilem oppeteret, quàm clypeum amitte-
ret, dixit abeunti filio ἢ τὰν ἢ ἐπὶ τᾶς, id est, *vel
hunc redde, vel super hunc reuertere.* nempe occisus,
& quasi in feretro, exempla possem adducere
non pauca, duo accipe à Latino poëta lib. 10.
Æneid.

——At socij multo gemitu, lacrymísque
Impositum scuto referunt Pallanta frequentes.

Et eodem libro,

At Lausum socij exanimem super arma ferebant
Flentes ingentem, atque ingenti vulnere victum.

Sed non puto Assyrios, & natura feroces, & in
Israelitas hostiliter affectos tantum honoris ha-
bituros fuisse illorum cadaueribus, vt in scutis
12. relata sepulcris inferrent. Quare lectiones aliæ
Hostium capita hastis præfixa. magis placent, quæ omnes eòdem penè spectant,
in quibus videre videor, præter id quod in sym-
bolo obseruabamus de vaccis; ignominiæ quod-
dam genus, quo hostes victores, & insolentes
eorum, quos in acie superarant, & maximè prin-
cipum præfixa contis capita quasi in triumpho
per ludibrium traducebant. Sic Trebonij caput,
vt docet in Philippicis Tullius, hastæ suspendit
Dolobella. Sic capita Pisonis, & Galbæ hastis
præfixit Ottho, auctore Tacito *lib.1. Histor.* sic ex
militari consuetudine Virgilius *lib. 9. Æneid.*
Euriali, & Nisi capita summæ hastarum cuspidi
infigit.

Quin ipsa arrectis (visu miserabile) in hastis
Præfigunt capita, & multo clamore sequuntur.

13. *Et reliquias vestras in ollis feruentibus.*] Reliquiæ ex
communi vsu id significant, quod postquam me-
liora sunt electa, ex toto corpore, seu aceruo,
quasi vilius aliquid reiectum, atque relictum est:
quomodo ciborum reliquiæ dicũtur, quæ super-
fuerunt dominis; quæque canes alunt, aut ser-
uulorum ignobilem familiam. Sic in vaccarum

A corpore quædam sunt nobiliora, quæ traiecta
verubus torrentur, aut quæ gestantur in perticis,
& contis, quædam minutiora, viliora que, quæ
in ollis, vasisque aliis concauis aut coquuntur,
aut gestantur, qualia sunt viscera, & quæ com-
modè ex vncis aut perticis suspendi non possunt.
Iuxta hanc acceptionem duo hîc Israelitarum
genera, & ordines agnosco, alterum eorum, qui
in magno illo, & mystico Israelis corpore melio-
rem obtinent locum, quales sunt principes, &
magistratus: alterum illorum, quorum magna est,
& obscura multitudo. Illi portantur in contis
tanquam magna præda, quasi in triumpho, & ad
gloriosæ specimen victoriæ, hi in turba promi-
B scuè, & quasi in olla, aut vase conclusa, quorum
nihil nisi in turba, & quasi confusione cernitur.
Pro *ollis* Hebr. סירות *siroth*, quæ vox ollam sonat,
& lebetem, in quibus coquuntur carnes. Sed si-
gnificat etiam spinas, seu hamos, quibus minora
animalia traiici solent, & venalia proponi: qua-
les sunt pisciculi, aut passerculi, qui à piscatore,
aut aucupe racematim ex spinosa planta, aut ha-
mata pertica suspenduntur. Et facit ad hæc valde,
quod vbi vulgatus *feruentibus*, Hebr. est דוגה *dugah*,
quæ vox *piscem* sonat. Vnde, Hieronymo teste,
Aquila transtulit *pisciculorum*, & alij è recentio-
ribus, aut pisces hîc inueniunt, aut aliquid quod
rem oleat, aut sonet piscatoriam, vt Pagninus,
C Tigurina, Chaldæus. Sed vulgatus *feruentibus* red-
didit, neque ignorabat Hieronymus, quid aliis
interpretibus placuisset, qui tamen inter se valde,
& à vulgato dissentiunt. Neque dubium est, quid
præseferat vulgata translatio. Nempe id euentu-
rum Samariæ principibus, quos hoc vaticinium
præcipuè designat, quod vaccis ad penu productis
è sagina, ex quibus aliquid videmus in ollis fer-
uentibus, seu lebetibus ad mensam iam paratam
coqui, & aliquid ad crastinas epulas in contis
præfixum, aut pendulum ex hamo reseruari. Mit-
to reliqua, quæ ab aliis afferuntur, quia paucis
explicari non possunt, neque admodum necessa-
ria sunt, neque puto, quod ad vulgatam transla-
D tionem attinet, opus esse pluribus. Addam tamen
Hieronymum agnouisse hîc quoque pisciculos,
sed intentum in sensum magis, quàm in verba,
pro ollis piscium, reddidisse *feruentes ollas, sicut le-
bes, inquit, feruentissimus minutos pisces pariter inuoluit,
ita & vaccas Basan absque vllo ordine captiuitatis mi-
seriis opprimendas dicit.*

Vers. 3. *Et per aperturas exibitis altera contra alte-
ram.*] Obscurus est hic locus, tum quia translatio 14.
difficilis, tum quia textus ipse Hebraicus non pa-
rum implexus. Exposuit fortasse verè Hierony-
mus, sed adeò obscurè, vt non facilè assequare,
quid velit. *Aperta, inquit, vobis est captiuitatis via,
& cùm lebetes vestri fuerint exusti, exibitis altera contra
E alteram secundum Hebræorum idioma, qui pro eo quod
nos mutuo, vel vicissim, mulierem, & mulierem, hoc est,
alteram contra alteram vocant.* Hæc Hieronymus.
Ego antequam meam sententiam profero, quæ
non adeò discrepat ab ea, quam Hieronymus in-
dicat, obseruo, quod antè pluribus docui super
Isaiam ad illud cap.34.v.15. *Ibi congregati sunt mil-
ui alter ad alterum.* Hebraicas voces tam mascu- 15.
linam איש *is*, quàm fœmineam אשה *isah*, quæ
virum, & viraginem, seu in humana specie fœ-
minam significant, irrationalibus etiam naturis
accommodari. Genes.7.v.2. *Ex omnibus animantibus
mundis tolles septena, & septena, masculum, & fœminam.*
Hebr. est איש, & אשה, & victimis *Gen.15. v.10.*
imò & rebus inanimatis, vt cortinis. *Exod cap.26.
v.3.*

REGVLA. *Vir, & mulier aliis à natura rationali attribuit.*

Digitized by Google

v.3. quod etiam vsitatum, licèt minus sæpe, apud profanos, Theocritus *Idyl.*8. hircum vocat, αἰγῶν ἀνέρα, id est, *virum caprarum*, quod ab illo sumpsit Virgilius Eclog.7.

Vir gregis ipse caper deerrauerat.

16. Obseruo secundò איש, & אשה multitudinem significare distributam, id est, idem valere, quod *quilibet, quicunque, singuli*, & similia. Sane *cap.*3.*v.*8.*Cant.* vbi vulgatus, *vniuscuiusque ensis super femur suum*, Heb. *viri ensis super femur.* & Cant.8. *vir affert pro fructu*, id est, *quilibet.*

REGVLA. *Vir multitudinē significat distributam.*

17. Ex his jam apparet, quæ possit esse huius loci sententia. vbi vulgatus *altera contra alteram*, Heb. est נגדה אשה *isah negdah*, quod Hieronymus dixit *mulierem, & mulierem.* Ad verbum iuxta ea, quæ modò produximus, *qualibet contra se*, nempe vacca, nam in eadem perstat metaphora, & אשה

18. irrationalibus etiam accommodatur naturis. Tota difficultas est in vacca נגדה *negda*, id est, *coram se*, aut *contra se.* Nam ab vsu Hebræorū, & vi sermonis, non videbatur alienum, si quis ita explicaret, egredietur quælibet illarum vaccarum pinguium post illam, quæ est contra, aut coram se, per murum iam ab hoste diruptum, ita vt continuata serie, vna post aliam, aut fugam intendat, aut in captiuitatem, & quasi ad macellum abducatur. Sed placet omnino quod visum est Vatablo, Isidoro, Montano, & Figuerio, neque displicet Castro, qui murum statuunt sic ab hoste dirutum, vt iam non sint quærendæ portæ, cùm tota ciuitas mille pateat scissuris, siue aperturis, per quas exire possint; vel a victore abigi pingues illæ vaccæ de monte Samariæ. Quare sensus erit: Exibitis ò vaccæ singulæ contra se, siue è regione sui, neque enim opus erit ad quærendam portam captare circuitum, cùm è cuiusque regione murus pateat ab hoste interruptus, per quem rectà quilibet exire possit, vbicunque locorum morari contigerit, quia nullibi occurret impedimentum ab opposito muro.

19. Id verò mihi verisimile facit, quod eodem loquendi modo in argumento non dissimili, aliquoties vtitur Scriptura sacra. Iosue 6.v.5. *Muri funditus corruent ciuitatis, ingredienturque singuli per locum, contra quem steterint.* & statim v.20. *Muri illico corruerunt, & ascendit vnusquisque per locum, qui contra se erat.* Vtroque loco est נגדו איש *is negdo*, quod ab נגדה אשה *isa negdah*, genere tantùm differt, cùm illic sit masculinum, hic fœmineum genus.

20. *Et proiiciemini in Armon, dicit Dominus.*] Non conuenit inter auctores quis sit Armon, quidam vocem diuidunt, & הר *ar* montem esse putant, מונה *monah*, alteram compositionis partem variè sumunt, vt refert hîc Hieronymus. Septuaginta *super montem Ramman.* Aquila *super montem Armona.* Theodotio *super montem Mona.* Quinta editio *super montem excelsum.* Chaldæus *montes Harmine.* Alij voces coniungunt, & Armeniam esse putant, ita Symmachus, & proiiciemini in Armenia: quem secutus est Hieronymus, qui sic exponit, *proiiciemini in montes Armeniæ, quæ vocatur Armonah.* & in fine, *Transferemini in Armon montes Armoniæ, qui Medis, Persisque confines sunt.* ex quo videtur sumpsisse glossa, quæ dicit Armon esse regionem vltra montes Medorum, & Persarum. Res sanè obscura est, neque quicquam apparet certum, quod sequar, aut probem. Sed si diuinandum est, neque enim aliter nisi diuinando res agi potest, hoc nomine, prouerbiali, vt reor, figura exprimi videtur regio inamœna, sterilis, sub frigido atque inclemente cælo: quales esse solent illæ, ad quas magnorum scelerum rei, exilio damnati relegantur. Quod ideo mihi videtur verisimile, quia vaccæ illæ, contra quas hoc intorquetur vaticinium, in pabulis dicuntur fuisse Basan, quæ regio prouerbiali specie aliquid sonat pingue, amœnum, & quo nihil optare commodius possent pecudum, atque armentorum greges. Dicuntur igitur vaccæ à Basan in Armon, id est, ab amœno, atque felici pabulo ad aridum solum, & cælum insalubre traducendæ. Quomodo Virgilianus Melibœus ex Mantuanis pascuis, vberibus nempe, & lætis abducendas dicebat capras ad arida loca, & herbas infelices.

At nos hinc alij sitientes ibimus Afros,

Pars Scythiam, & rapidum Cretæ veniemus Oaxem.

Erat, credo, inter pastores, quorum de numero erat Amos, hoc familiare prouerbium, sumptum è re pastoritia, quo ipsi magnam rerum mutationem, siue discrimen ostendebant. Ita vt cùm res esset ad deteriorem statum deuoluta, dicerent, *ex Basā ad Armon.* & contrà cùm emersisset ex angusta, & misera ad meliorem conditionem, *ex Armon ad Basan.* Quomodo Latini dicunt *à remo ad tribunal*, seu *à tribunali ad remum*: aut *de consule rhetor*, aut *de rhetore consul.* Hæc mihi visa sunt non abs re, meliora ab aliis libenter accipiam. 21.

Prouerbium à Basā ad Armon.

Vers.4. *Venite ad Bethel, & impiè agite, ad Galgalā, & multiplicate præuaricationem.*] Ironica est hæc locutio, quæ non iubet, vt Bethel, & Galgala sacrificaturi frequentes obeant Samaritani proceres, sed potiùs ab impiis aris, & nefaria religione deterret. Quale est illud Christi Matth.23. v.32. *Et vos implete mensuram patrum vestrorum*, & Eccl. 11. v.9. *Lætare iuuenis in adolescentia tua, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum.* Et magis ad hunc locum 3. *Reg.*18.*v.*27. Elias ad sacerdotes Baal, qui vociferantes ad Baal, nullum ab illo responsum audiebant, *Clamate*, inquit, *voce maiori, Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere, aut certè dormit, vt excitetur.* Nominat autem præsertim Bethel & Galgala, quia illa loca frequentiùs voti, ac religionis gratia obibat Israel, de quibus plura in nostris commentariis ad illud Oseæ cap.4. *Nolite ingredi in Galgala, & ne ascendatis in Bethauen.* Esse autem Galgala, sicut etiam Bethel idolorum contaminata sordibus, sæpe audiuimus apud Oseam *cap.* 9. *v.*11. *cap.* 12. *v.*11. vbi à nobis reddita illius consilij causa est. 22.

Bethel, & Galgala idolorum præcipua sacraria.

Et offerte manè victimas vestras, tribus diebus decimas vestras.] Hic locus mirè torsit, & distraxit interpretes. Quorum hic referre, aut infirmare sententias longum esset. Sumam ex omnibus, quod minus mihi videbitur impeditum. Et primùm puto in victimis, & decimis, omnia intelligi donaria, ac munera, quæ offerri, aut immolari solebant in templo. Neque enim rarum est in Scriptura, vt per synecdochen species aliqua pro toto genere sumatur. Quod si ita statuas, non displicet quod Hieronymus censet, licèt aliis illius sententia minus probetur. Sic enim exponit illud de tribus diebus decimarum. *Huius*, inquit, *loci hæc nobis videtur explanatio. In Leuitico lege præceptum est ne quædam hostia in alterum diem reseruētur, & ne alia in diem tertium maneant, quòd si remanserint, immunda sint.* Indicat ergo Hieronymus immunda esse illa sacrificia, quæ offerebat Israel, sicut illa quæ in tertium diem reseruantur, quæ damnantur à lege. Vide *Leuit. cap.*7. *v.*17. sed quibusdam eo minus placet Hieronymi sententia, quia non 23.

Digitized by Google

non hic de trium dierum victimis, sed de trium dierum decimis sermo est. Sed si decimæ per synecdochen pro omni oblationum genere sumantur, nihil contra Hieronymum firmitatis habet obiectio.

24. Ex eo loco, quem ex Leuitico proximè citauit Hieronymus, alia mihi occurrebat sententia. Sic autem habet, *Si voto, vel spōte quispiā obtulerit hostiam, eadem similiter edetur die: sed & si quid in crastinum remanserit, vesci licitum est: quicquid autem tertius inuenerit dies, ignis absumet. Si quis de carnibus victima pacificorum die tertio comederit, irrita fiet oblatio, nec proderit offerenti, quin potius quæcunque anima tali se edulio contaminauerit, præuaricationis rea erit.* Ex hoc ego sic coniectabam, Israelitas, aut illorum sacerdotes, & æditituos, qui de oblatis ad vitulorum aras victimis subsidium sibi cōparabant, cùm viderent sibi tertio ab immolatione die victimarum carnibus vesci non licere, tertio quoque die immolare solitos, ne deesset, quo singulis diebus ritè, atque legitimè vescerentur. Et illud *tribus diebus*, sic interpretor, quasi dicendum foret, *tertio quoque die.* quod apud Hebræos insolens non est, qui cardinales numeros sæpe pro ordinalibus vsurpant: quomodo dicunt *vnum*, pro *primo*. Gen. 1. *Factū est vespere, & manè dies vnus.* id est, *primus*, & Aggei cap. 1. vbi vulgatus, *in anno secundo Darij*, Heb. habent in duali numero, *in anno duorū Darij.* Sic nunc, *Afferte tribus diebus victimas vestras.* Idem videtur esse, quod *tertiis diebus*, aut *tertiis quibusque diebus.* Et id videtur voluisse Symmachus, cùm transtulit *tertia die.*

Regvla. Cardinalis numerus, pro ordinali.

25. Rupertus, & Lyra tres dies celebres hîc intelligunt, quibus adesse iubet Deus omnes masculos Hierosolymis; neque tunc apparere vacuos muneribus. De quibus Exod. 23. v. 14. & Deut. 16. v. 16. *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegit in solemnitate azymorum, & in solemnitate hebdomadarum, & in solemnitate tabernaculorum. Non apparebis ante Dominum vacuus.* Sed dicunt quidam huic cogitationi non esse locum, quia illis diebus non offerebantur decimæ, cùm tamen hîc de decimis solus sermo. Quòd si ibi, vt suprà putabamus verisimile, victimæ, & decimæ, per synecdochen, pro quolibet dono, siue immolatione sumuntur, infirmum est quodcunque huic Lyræ, Rupertíque sententiæ ab aliis opponitur.

26. Hæc ex omnibus magis arbitror ad textum idonea, sed addam quod mihi quoque visum est non improbabile, vtinam verum, & non abs re. Primum, vt constat, licèt irrisoriè, Propheta cōmendat hîc Israelitis contentionem magnam, & studium ardens in vitulorum cultum: quod tunc ostendunt homines cùm festinatò, atque frequenter faciunt. Vtrunque Propheta commendat, festinationem quidem, cùm dicit, *Afferte manè victimas vestras.* id est, quàm celerrimè, ita vt hæc sit prima cogitatio, & primum opus, quod non solùm occupationes alias, sed solem etiam orientem anteuertat. Frequentiam explicat illis verbis, *Tribus diebus decimas vestras.* id est, tertio quoque die, qui dicendi modus assiduitatem indicat; cum enim aliquid frequenter, ac passim fieri dicimus, hoc ferme vtimur loquēdi modo, *Tertio quoque verba peccat*, aut *implerat Deum*, & similia.

27. Quòd verò ad decimarum nomen attinet, licèt, quod priùs dicebatur, mihi non videatur improbabile, puto tamē decimas in sua proprietate esse capiendas. Notum est enim ex decimis, quas de more temporibus certis offerebat Israel,

Ex decimis oblata in templo sacrificia.

A toto anno deferri ad templum, & immolari victimas, & alia plurima libamenta, ex oleo, vino, simila, réque frumentacea. Vide quæ diximus in nostris commentariis in Ezechielem *cap. 45. ad v. 13. 14. 15.* vbi decimæ assignantur ex gregibus, ac terræ frugibus pro libamentis, ac victimis quæ offeruntur in templis. *Hæ sunt*, inquit, *primitiæ, quas tolletis, sextam partem ephi de coro frumenti, & sextam partem ephi de coro hordei. Mensura quoque olei batus olei, decima pars cori est*, &c. *Et arietem vnum de grege ducentorum, de his, quæ nutriunt Israel in sacrificium, & in holocaustum, & in pacifica, ad expiandum pro eis, ait Dominus Deus. Omnis populus terræ tenebitur primitiis his principi in Israel.* (princeps hic, B vt cum Hieronymo, & Theodoreto tenent alij plures, summus sacerdos est) *Et super principem erunt holocausta, & sacrificium, & libamina in solemnitatibus, & in Calendis, & in Sabbatis in vniuersis solemnitatibus domus Israel. Ipse faciet pro peccato sacrificium, & holocaustum, & pacifica ad expiandum pro domo Israel.* Scio in templo secundo, de quo hæc Ezechielis verba intelligenda sunt, plurima aliter instituta, quàm fuerunt in primo à Salomone constructo, vt in nostris commentariis *ad caput hoc 45.* pluribus ostendimus; veruntamen non est improbabile tunc quoque ex decimis plurima perferri ad templum siue sacrificia, siue libamina. Quod multa indicant, imò C in eo iudicio apertè confirmant. Deut. 12. v. 6. *Ad locum quem elegerit Dominus Deus vester* (id est, templum) *de cunctis tribubus vestris, vt ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis, & offeretis in loco illo holocausta & victimas vestras, decimas, & primitias manuum vestrarum, & vota, atque donaria primogenita boum, & ouium*, &c. Eadem propè habes *Num. 18. v. 26.*

Hæ decimæ quocunque oblatæ tempore, & quacunque immolatæ solemnitate, semper decimæ sunt, atque ideo, quæ tertio quoque die, siue frequenter offeruntur, decimæ sunt: quia ex decimo grege, aut decimatis terræ frugibus assumptæ. Quare non est cur eo nomine aut hæc nostra D cogitatio, aut Hieronymi, Rupertique sententiæ damnantur. Ad hanc legē sacerdotúmque veterū consuetudinem, videntur sacerdotes, atque æditimi vitulorum sua quoque instituisse sacrificia. 28.

Vers. 5. *Et sacrificate de fermento laudem.*] Alia commemorat, quæ sanctè, atque legitimè fiebant in templo, & ex illorum imitatione nefariè, atque impiè in vitulorum delubris. Laudem sacrificare, seu sacrificium laudis, quales fortasse sunt, qui ab Osea vituli dicuntur labiorum, nihil est aliud quàm pro gratiarum actione sacrificium offerre. Quidam reprehendi hîc putant Israelitas, quòd fermentatum obtulerint, quod ne fieret cauebat antiqua lex Leuit. 2. v. 11. *Omnis oblatio, quæ E offertur Domino, absque fermento fiet, nec quicquam fermenti, ac mellis adolebitur in sacrificio Domini.* Sed reuera falluntur: neque enim ideo illorum sacrificia damnantur, quia illis aliquid admixtum sit fermenti; sed quia cum vero Deo, vt alia omnia, sic etiam maximè sacrificia laudis deberentur, ad vitulorum tamen honorem translata sunt. Neque in hoc sacrificio admixtum ab Israele fermentum legem violabat, cùm enim alibi remoueat, hîc fermentum admittit. Leuit. cap. 7. v. 12. *Si pro gratiarum actione oblatio fuerit, offeret panes absque fermento cōspersos oleo, & lagana azyma vncta oleo, coctámque similam, & collyridas olei admixtione cōspersas, panes quoque fermentatos cum hostia gratiarum.* Puto autem appellari *laudem de fermēto* hoc sacrificium, 29.

In sacrificio pro gratiarum actione fermentum adhibetur.

ficium, quia in eo solo fermentum poterat adhiberi legitime. Hoc sacrificiũ damnari putat propter fermentum Gregorius homil. 22. in Euang. *Panes*, inquit, *sine fermento comedit, qui recta opera sine corruptione vanæ gloriæ exercet, qui mandata misericordiæ sine admixtione peccati exhibet, ne peruersè diripiat, quod quasi rectè dispensat. Hoc quoque peccati fermentum bona sua actioni miscuerant, quibus Propheta voce per increpationem Dominus dicebat: Venite ad Bethel, & impiè agite. Et post pauca: De fermento laudem immolat, qui Deo de rapina sacrificium parat.*

Corrupta sunt dona, quibus admiscetur vanitas, aut rapina.

30\. *Et vocate voluntarias oblationes, & annunciate.*] Voluntariæ, seu spontaneæ oblationes illæ dicuntur, quas homines vltro nulla cogente lege, aut recepta consuetudine, quæ instar obtinet legis, Deo offerunt. Non dico illa, quæ ex voto offeruntur, nam licèt nulla homini imponatur vouendi necessitas, at vbi votum antecessit, cuius vis est ad obligandum maxima, iam oblatio illa voluntaria, id est, spontanea, ac libera non est, sanè inter illa, quæ ex voto debentur, & spontanea, seu voluntaria aliquid constituitur in Scriptura discriminis. Leuit. 22. v. 23. *Bouem, & ouem aure, & cauda amputatis voluntariè offerre potest; votum autem ex eis solui non potest.*

Aliud est sacrificium esse voluntarium, aut ex voto.

31\. Vocare autem aut annunciate voluntarias oblationes, licèt alij aliter sentiant, nihil aliud esse puto, quàm edici aliis, vt ad publicam necessitatem, & vsum pro suo arbitratu quilibet, quod volet, eroget, quod plerunque fit ab eo, qui aut aliis præest, aut magnam apud alios auctoritatem obtinet. Quomodo Paulus collectam aliquando indixit, id est, contributionem, & symbolum, vt pauperum inopiæ subueniret. 1. Cor. 16. v. 1. *De collectis autem, quæ fiunt in sanctos, sicut ordinaui Ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite, per vnam Sabbati vnusquisque vestrûm apud se seponat, recondens quod ei bene placuerit, vt non cum venero, tunc collectæ fiant*, &c. Eam ob causam existimant aliqui octauum diem festi tabernaculorum appellari *collectam*. Leuit. 23. v. 36. quia tunc populus ibi congregatus conferebat quod necessarium erat, vel ad templi sumptus, vel ad pauperum necessitatem subleuandam. Ita S. Thomas 1. 2. *q.* 102. *art.* 4. Petrus Comestor *in historia lib. Numer. cap.* 47. Abul. *in cap. 23. Leuit. q. 26. & 27.* Lyra *in idem caput.*

Collecta, & symbola, inter Hebræos vsitata.

32\. Similia fecisse dicitur Cyrus *Esdræ lib. 1. cap. 1.* qui in suo edicto, quo ædificandi templi Iudæis facultatem fecit, edixit omnibus vt pro sua quisque facultate, ad piam illam fabricam quod posset liberè, atque spontaneè conferret. Quod fecerunt omnes prompta ac liberali manu. Idem legimus *Exod. cap. 25. v. 1.* vbi sic ad Moysem Deus, *Loquere filiis Israel, vt tollant mihi primitias ab omni homine, qui offeret vltroneus, accipietis eas.* Et idem rursus imperat, *cap. 35. v. 5.* Quod item fecit Aaron, *Exod. 32. v. 2.* cùm edixit populo, vt ad conflandum vitulum armillas, annulósque porrigeret. Id igitur monet Propheta, cum irrisione tamen, vt in cultum, ornatúmque vitulorum voluntariè aliquid e suis facultatibus, aut ornamentis erogent; sicut fecerunt olim ipsorum parentes ad tabernaculi ornamentum, & fabricam; ne quid in eo colendo, siue ornando quisquam desideret, quod à prompto studio, & liberali manu gestari posset. Huc inclinant Vatablus, Figuerius, & Castrus.

33\. *Sic enim voluistis filij Israel, dicit Dominus.*] Hucusque Propheta ironicè, iam summoto figurato sermone clariùs agit, & ostendit non tam hortari se, vt talia fiant, qualia antè audierat Israel; sed declarare quid faciat, ac ne deinceps similia faciat deterrere. Sic, inquit, voluistis, id est, amastis alienos Deos; vt non plura magísve studiosè Deo vero sacerdotes veri, atque legitimi in templo præstiterint, quàm vos Deorum manium sordibus impendistis.

Vers. 6. *Vnde & ego dedi vobis stuporem dentium in cunctis vrbibus vestris, & indigentiam panum in omnibus locis vestris, & non estis reuersi ad me.*] Vt bonus pater, qui deuium ab officio, & honestate filium ad se studet, & ad bonam frugẽ reuocare: sic Deus studio vere paterno, ac miti variis versauit modis populum suum, vt ad auitam, verámque religionem, à qua defecerat, quasi postliminio reduceret. Sic autem ille in væsano consilio pertinaciter hæserat, vt a patria potius, & vita, quam ab impia illa religione discederet. Expectabat populus ille ab aureis vitulis, mutisque simulacris, rerum abundantiã, salutem, libertatem, & otium, & alia siue ornamenta pacis, siue vitæ subsidia, & eo consilio in illorum sacrilegum cultum non solùm opes, sed suum etiam, filiorúmque sanguinem impendebant, vt verò illum ab ea expectatione deiiceret, fecit vt sustineret omnino contraria, famem, morbum, iacturam rerum, & varia honoris, commodorúmque naufragia, quæ latè commemorat; vt hinc tandem assiduo experimento discat, quàm sit illa religio futilis, quæ tot mala ab ipsis finibus auertere non potuit. 34.

Dedi vobis stuporẽ dentium] Stupor dentium affectus quidam est, quo dentes torpent ad ciborum vsum, & illa horrent, & auersantur, quæ palatum appetit, & quæ stomachus non fastidit: stupor autem plerunque prouenit ex his, quæ gustatu acerba sunt: quales sunt vuæ nondum maturæ. Vnde ortũ prouerbium Hebræis familiare, de quo Ieremias cap. 29. v. 29. & Ezech. cap. 18. v. 2. *Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt.* Neque solùm qui vuas deuorant immaturas odynalgiam, id est, dentium dolorem, aut stuporem patiuntur, sed etiam (vt nos quotidie experimur, & Arist. *sect. 7. problem. 5.* prodidit) qui comedentes vident. Stupor autem iste per synecdochen, pro quocunque morbo, aut impedimento sumitur, qui aut à comedendo retardat, aut saporem adimit rebus etiam quibus data est ingens à natura suauitas. Duobus autem modis potest aliquis inedia torqueri, aut quia nõ habet, quo famem depellat, quod in agrorum siti, aut in longa obsidione plerunque contingit; aut quia corpus sic est affectum, vt stomachus ad omnia etiã exquisitissima nauseet, aut illa neque concoquere, aut retinere possit. Hi inter instructas epulis mensas, inter varia, & generosa pocula fame pereunt, sicut de Tantalo nugantur fabulæ, qui in mediis aquis sitire, & cum ori hianti immineant, alludántque onerati pomis arborum rami, esurire fingitur. Sic ergo contigisse videri potuit Israelitis, quibus Deus abstulit aut ciborum copiam, aut edendi facultatem. 35.

Stupor dentium quid.

Sed puto vnam esse, & simplicem sententiam, iteratam tamen per epexegesim. Vbi enim vulgatus reddidit *stuporem*, & Septuaginta, quos secutus est Hieronymus, & Chaldæus [illegible], Hebr. tamen est נקיון *nikion*; quod munditiam significat, quæ in dentibus ex inedia prouenit, munditiam, inquam, ab his fibris, seu ciborum reliquiis, quæ peracta cœna hærere solent inter dentes: pro quibus adhiberi solent dentiscalpia. Ita cum Hieronymo, & Theodoreto plures alij. Nam scabrities, & rubigo, quæ in dentium sordibus 36.

dibus numerantur, non tam in ciborum esu, quàm ab inedia nascuntur. Quare ex profanis quidam fami dedit *scabros rubigine dentes*. Reddidit tamen vulgatus *stuporem* sumpto consequenti pro antecedenti, seu effectu pro causa: quia stupor dentium ex inedia, id est, ciborum desuetudine prouenit; ita Rufinus. Magis autem videtur verisimile, si stupor dentium pro indignatione sumatur, pro indignatione, inquam, illa, quæ oritur ex eo facto, quod à nobis turpiter admissum serò damnamus. Qualis est ille, quem in æterno carcere patiuntur damnati, dum rodente conscientiæ verme, periisse vident, quæ magno sibi vsui futura fuisse meditantur: aut sibi studio, ac voluptati fuisse illa, quæ æternos cruciatus, & sine vlla consolatione lacrymas pepererunt. Et ille fortasse est stridor dentium quem toties Scriptura sacra peccatori minatur. In hac certè significatione sumitur Eccli. 30. v. 9. *Lacta filiũ, & pauentem te faciet: lude cum illo, & contristabit te. Ne corrideas illi, ne doleas; & in nouissimo obstupescant dentes tui.*

37. Neque Hieronymo displicet illa translatio, quæ legit *munditiem*, quam probant recentiorum plerique, & ex antiquis, vt ipse testatur, Symmachus, & Aquila, & ex Theodoreto Theodotio, & putat quod paulo antè nos dicebamus, ex dentium munditie famis significari magnitudinem, quod etiam putat Theodoretus.

Neque tamen reuersi sunt ad Deum, quæ verba sæpe repetit Deus, quasi indignè ferens illud paternæ prouidentiæ remedium periisse, cùm tamen etiam apud stolidos, ac barbaros plurimum soleat habere momenti. Vexatio enim stupidorum doctrina est, qua non secus erudiuntur, & ad opus adiguntur sibi debitum, quàm stimulo boues, aut asini virga.

38. Vers. 7. *Ego quoque prohibui à vobis imbrẽ, cùm adhuc tres menses superessent vsque ad messem.*] Aut hîc ponitur secundus modus, quo quis torquetur fame, deficiente cibo, aut explicatio hæc est superioris vexationis: quæ ostendit vnde prouenerit stupor ille dentium, & panis indigentia. Nempe ex agrorum siti, & pluuiæ defectu, quæ Deus docet non accidisse fortuitò, sed summo consilio, cùm ipse cælum ipsum clauserit, & in nubibus aquarum fluenta represserit. Dum autem ante messem ait tribus mensibus prohibitam esse pluuiam, significat pluuiam defecisse serotinam, illam videlicet, qua adolescunt fruges, excludúntque spicam è vagina, ac tandem perducunt ad maturitatem. Esse autem duo pluuiarum genera, temporaneum, & serotinum, in terra promissionis, nemo doctus ignorat; illud terram ad satum aptè disponit, hoc ad messem. Cúmque his, qui Palæstinam habitant, graue sit incommodum, vtrumlibet horum imbrium deficiat, & inde grauis animorum languor, & mœror, est tamen longè grauior si serotinus absit. Est enim durum perire frumentum, quod primùm terræ mandatum est, ac miserabile marcescere fruges, ac mori, cùm iam aliqua se vbertatis species ostentaret. Eo, arbitror, anno in quo hæc Amos perferebat ad populum, tribus antè mensibus pluuia defecerat, spectabatúrque Ephraimiticus ager aridus, & mortuus, neque in cisternis, quæ pluuiales aquas colligere solitæ, aqua reperiebatur, quæ sitim sedaret. Quare, vt statim dicitur, ad aliena loca aquarum progrediebantur, qui in suis, quod haurirent, non habebant. Aut fortasse, *pluuia tribus ante messem mensibus*, descriptio est pluuiæ serotinæ quæ fruges auget, & maturat. Hanc pluuiam Hieronymus fuisse dicit in mense Aprili, quia putat triticeam messem in Iulium incidere. Ego citiùs existimo in ea regione messem contingere, quia ex nouis frugibus panis offertur in Pentecoste, quæ ad Iulium mensem nunquam producitur. Et sanè mense Aprili hordea metuntur, ex quibus secundo Azymorum die offeruntur manipuli, ad quæ non minus quàm ad triticum serotinus imber necessarius est.

Pluuiarum duo tẽpora.

39. *Et plui super vnam ciuitatem, & super alteram ciuitatem non plui.*] Probat non casu hæc fieri, sed à summo rerũ arbitro, qui res humanas moderatur, & earum commoda suo arbitratu iustè, sapientérque dispensat. Quare ciuitatem vnam largo irrigauit pluuiarum influxu, & aliam sitientem, & aridam reliquit, quod non contingeret, si Deus nullam haberet, quam effunderet, aquarum vim; neque à natura, cùm illa nullum habeat in suiipsius, suarúmque rerum dispensatione discrimen. Quod verò loquitur, *pars vna compluta est, & pars, super quam non plui, aruit.* Explicatio esse posset superioris sententiæ. Non vt in vna ciuitate pars fuerit fœcundata à cælesti pluuia, pars verò eiusdem ciuitatis aruerit, sed quòd pars vna terræ promissionis rigata fuerit ab humore cælesti, pars autem, id est, ciuitas altera nullam à cælo pluuiam acceperit. Sed est communis veriórque sententia, hæc de aliquarum ciuitatum partibus esse intelligenda, in quibus pars vna ab imbre compluitur, & læta est, ac virens; pars verò altera à siti squalescit, & horret. Sic enim Deus multo magis ostendit opus illud esse suæ prouidentiæ, qua vlcisci vult peccatorum insaniam, & manifestè docere nihil esse virtutis in Gentium idolis, ad inducendum bonum, quod appetunt homines, & auertendum malum, quod exhorrescunt maximè. Nam si nulla ciuitas, aut singularum pars nulla pluuiali humore commaduisset, putarent homines, vt ait Hieronymus, aut lege naturæ, aut astrorum cursu, hanc varietatem temporum vrbibus, & populis accidisse. At natura, & astra non sic agunt liberè, vt imbrem sic attemperatè in vnam demittant, vt eundem ab altera
40. suspendant. Quo etiam admirabili suæ prouidentiæ consilio ostendit Deus, quòd hæc ciuitas aut illa ciuitatis pars arida sit, hiantémque relinquat spem agricolarum, non ex eo prouenire quòd ipse non habeat ingentes aquarum thesauros, quos ad hominum vsus abundanter effundat, sed quia illud tunc maximè erat ex peccatorum vsu. Partes enim aliæ opportuno, vt videbant alij, tempore complutæ, satis hominibus argumento sunt, non Deo defuisse quid daret, sed in hominibus defuisse merita, quæ reciperent. Sic Deus sæpe cùm agri maximè sitiant, & nihil propius sit, quàm vt homines fames extrema conficiat, effundit imbres in mare, quod imbres non desiderat, aut in deserta ac scopulosa loca, vbi neque homines sunt, neque armentorum greges, neque vlla inde videtur prouenire posse cõmoditas, quare vim illam aquarum ingentẽ prodegisse videtur, & perdidisse prorsus. Dixit hoc ipsũ Iob cap. 38. v. 26. *Quis dedit vehementissimo imbri cursum, & viam sonantis tonitrui, vt plueret super terram absque homine in deserto, vbi nullus mortalium commoratur.* Est autem verisimile licèt Deus *Matth. 5. v. 45.* solem suum oriri faciat super bonos & malos, & pluat super iustos, & iniustos, eo tamen tẽpore, de quo nunc Propheta, complutas esse ciuitates illas, & eas ciuitatum partes, quæ in vera religione permanserant, aut quæ minus se idolorũ sacris impẽsè tradi

Pluuia defectus peccati pœna.

Pluuia bonorum præmium.

tradiderant. Eo enim argumento maximè probaret Deus, quid spectare posset, qui Deum verum colerent, quid timere, qui idolorum sacris adhærerent.

41. Vers. 8. *Et venerunt duæ, & tres ciuitates ad vnam ciuitatem, vt biberent aquam, & non sunt satiatæ.*] Terra promissionis è cælo expectat pluuiam, quæ non solùm ad terræ fœcunditatem necessaria est, sed etiam ad hominum pecorúmque sedandam sitim. Quare si pluuia desit, & agris deerit alimentum, & vita, & hominibus, atque pecoribus pereundum est. *In his locis*, inquit Hieronymus, *in quibus nunc degimus* (viuebat autem in optima parte Palæstinæ) *præter paruos fontes omnes cisternarum aquæ sunt; & si imbres diuina ira suspenderit, maius sitis quàm famis periculum est.* Quocirca ciuitates illæ, quæ nullum à cælesti pluuia susceperе subsidium ad alienas cisternas aquatum proficiscebatur, neque tantum porrigebatur aquæ à ciuitate compluta, quantum ad explendam sitim erat necessarium, cùm ciuitates illæ, quibus tunc aquarum inerat copia, sibiipsis cauerent, ne in similem, deficiente pluuia, cogerentur inopiam.

42. Vers. 9. *Percussi vos in vento vrente, & in aurugine.*] Ecce alia plaga à beneuola, atque paterna manu. Miserat Dominus, quem, vt proximè vidimus, antè negauerat, imbrem serotinum, qui exaggerat fruges, & excludit, maturátque spicas: & cùm sibi de futuro prouentu gratularetur agricola, perflauit subitò igneus quidam ventus, & vrens, qui spem iam certam præcidit, & elusit. Hæc duo, vt opinor, morbi, & vitia segetum sunt, nam proximè horti, & plantæ maiores ab eruca dicuntur esse consumpta. Pro vento vrente Hebr. est. שדפון *sidaphon*, quod, vt auctor est Hieronymus, transtulerunt Aquila, Theodotio, & Symmachus ἀνεμοφθορίαν, id est, damnum inductum à vento. Rab. Dauid ventum orientalem esse putat: de quo nobis plura dicta sunt ad illud Osee cap. 1. *& adducet ventum vrentem Dominus de deserto.* Vulgatus alibi aliter conuertit. 3. Reg. 8. v. 37. *corruptum aërem.* 2. Paralip. 6. 28. *æruginem.* Sed planè aliquid significat, quodcunque illud sit, quod segetes, ac plantas vitiat, atque corrumpit.

Ventus vrens quis.

43. Vbi vulgatus, *aurigo*, Hebr. est ירקון *ieracon*, quod LXX. & alij omnes antiqui interpretes ἴκτερον transtulere, vno excepto Theodotione, qui ὠχρίασιν reddidit, quæ pallorem significat. Est autem aurigo morbus siue in homine, siue in plantis, qui pallorem inducit: pallor autem tam in homine, quàm in planta aliquid significat esse corruptum. Sanè Ieremias *cap. 30. v. 6.* hominum faciei, qui timent graue aliquod, & impendens malum, auriginem attribuit. *Conuersæ sunt vniuersæ facies in auriginem.*

44. Septuaginta pro *vento vrente*, reddiderunt, *πύρωσιν* id est, combustionem, siue ardorem, pro *aurugine*, sicut alij, ἴκτερον. Hæc autem duo malè afficiunt, & torquent hominum corpora; quia etiam morborum nomina sunt, quorum alter vrit, & attenuat corpus, siue febris sit, & καῦσον, quæ ab ardore nomen assumpsere; siue qui ignis appellatur sacer. Alter à felle pallore suffundit totum corpus, sed præcipuè oculos, qui ab auri colore aurugo nominatur. Dicitur etiam regius, aut arquatus morbus, seu ἀπὸ τοῦ ἰκτέρου, ictericus. Ex his quidam existimarunt hæc non tam de frugum, atque plantarum, quàm de hominum morbis esse accipienda: quos Dominus immisit, vt illis tanquam stimulis edocti homines reuerterentur ad Dominum, à quo se compungi, atque cruciari videbant. Ita putant Theodoretus, & Cyrillus, & hic posterior in icterio, & combustione febrim intelligit, & morbum regium. *Quoniam*, inquit, *Israelitas indigentia panis, & potus, ad emendationem parum permouebat, hoc molestiæ quoddam ipsis infertur, morbi videlicet corporum febris, & icterus.* Sed quominus hæc expositio placeat, facit, quod, cùm semper in enumerandis plagis gradatim attollatur oratio, vt apparet; hîc nimis videretur infantiliter esse depressa. Statim subsequitur eruca, quæ plantarum fructus deuoret, aut sic plantas afficiat, vt omnem capiendi fructus expectationem eripiat: & hoc multo leuius est, quàm à regio morbo, aut ab igne sacro corpus esse vexatum, quia durius est hominem in corpore, quàm in externis bonis esse mulctatum.

Multitudinem hortorum vestrorum, & vinearum vestrarum, olineta vestra, & ficeta vestra comedit eruca.] 45. Altera agricolarum cura est in colendis pomiferis plantis, quæ magno subsidio sunt, ac voluptati hominum vitæ. Has verò Deus per erucas inutiles reddidit, sicut nuper segetes negata pluuia, aut inducto vento, qui exureret, aut aurigine, siue rubigine, quæ erumpentes è vagina spicas fœdè corrumperet. Quid sit eruca, diximus *Ioel. cap. 1. num. 9.* numerat autem Propheta, quæ maximo sunt in pretio in terra Israelitide, imò quæ ibi frequentissima sunt. In hortis cypri sunt, & mala punica, in locis autem petrosis, qualia sunt in solo Palæstino, felici satu prouenjunt ficus, oliua, & vitis; quod optimè norat Thecuites pastor, qui has arbores corrosas viderat ab eruca.

Vers. 10. *Misi in vos mortem in via Ægypti.*] Hic 46. mirè distrahuntur interpretes. Quidam hæc propriè de via Ægypti interpretantur, licèt non eodem modo. Ex Hebræis Rab. Dauid existimat Israelitas vrgente fame adiisse Ægyptum, vt inde sibi frumenta coemerent: eo prorsus modo, quo filij Iacob ex eodem, aut vicino loco antè discesserant frumentandi gratia: & ibi immissam à Deo pestem, & hostilem gladium, quo omnes in ipsa via ceciderunt. Cuius sententiam amplexi sunt Vatablus, Montanus, Quinquarboreus. Sed hanc sententiam multa conuellunt. Primum, quia multa hîc narrantur, quæ in frumentatores illos conuenire non possunt, neque à magna multitudine separari. Audimus enim hic castra & intolerabilem halitum, qui ex stratis cadaueribus aspiratur, & equos esse captiuos, quos certè illa famelica Israelitarum turba non portabat; nisi dicamus missos esse equos, qui pro dossualibus iumentis alimenta portarent: quod nemo, credo, existimabit. Adde quòd fames illa non erat sic vniuersalis, vt tota terra Israelitide latè grassaretur; aut vicinas regiones occuparet. Sic enim vna ciuitas siti laborabat vt ciuitates aliæ vicinæ idoneo ad messem imbre non indigerent. Quare non erat, cur tantum sibi laboris assumerent, ad Ægyptios vsque porrecta profectione.

Hieronymus, quo cum ex antiquis sentiunt 47. Theodoretus, Cyrillus, Rupertus, Albertus, Remigius, & è recentioribus plerique, hanc plagam contigisse putant in via Ægypti, cùm legati illuc mitterentur auxilij petendi gratia; quod fecisse non semel tam decem tribus, quàm postea duas alias, nemo nescit. Hoc mihi magis est probabile, & quia id multorum commendat auctoritas,

ritas, non possum non admittere. Sed est aliquid, quod minus cum hac cogitatione conueniat. Primum illa omnia, quæ superiorem expositionem infirmant, hîc enim aliquid auditur copiosum, atque castrense, equorum captiuitas, & odor cadauerum, qui Israelitarum nares grauiter afflaret. At qui neque legatos comitaretur exercitus, neque in via Ægypti, id est, procul à Samaria, & Israelitico cælo, grauis esset Israelitis castrorum odor.

48. Quare ego in aliam sententiam magis inclinabar, quam indicat Chaldæus, & sequitur Castrus: vterque autem subaudiri putat similitudinis notam; in hunc sensum, *Misi in vos mortem sicut in via Ægypti.* id est, qualem olim subiistis, quando suscepta in terram promissam profectione, multis modis in solitudine vexati cecidistis. Ego hic subaudio similitudinis formam; sed non tam hæc Israelitarũ infortuniis, quæ in deserto subierunt, accommodo, quàm plagis illis, quæ Ægyptios conciderunt, quo tempore ipsi hostilem in modum Hebræorum genus insectabantur. Quasi dicat Deus non aliter iactatos esse Israelitas, dũ obstinato animo in arrepta impietate perseuerant, quàm Ægyptij olim, dum contra pietatem, & diuina monita non solùm animos, sed etiam aures obdurarunt. Porrò *in via Ægypti,* & similia, similitudinem indicant, & idem valet quod *instar,* quia via modus est, aut ratio viuendi, seu operandi: vnde frequens in Scriptura *ambulare in via,* seu *iuxta viam alicuius:* id est, imitari quid alij faciant. Duo accipe exempla in eisdem omnino vocibus. *Isai. cap.* 10. v. 19. sic de Senacherib, qui durè vexauit regionem Iudæorum, & graui concussit metu Hierosolymam. *In virga percutiet te, & baculum suum leuabit super te in via Ægypti.* id est, ita sæuiet in te, sicut olim Pharao rex Ægypti in populum dura oppressum seruitute. Et iterum statim v. 21. contra Senacherib. *Eleuabit virgam suam in via Ægypti.* id est, sic Deus illum virga plagáque percutiet, sicut Pharaonem olim in terra Ægypti. Hanc eãdem huius loci reor esse sententiam. Eodem nempe modo sæuitum esse in Gentem Israelitidem à Deo, quo priùs in Pharaonem, neque magis illam ad Deum rediisse, quàm rediit Pharao ingeminatis plagis. Nunc videndũm qua in re Israeliticæ plagæ cum Ægyptia via, plagisve conueniant.

Via, modus, & institutum.

49. Primùm existimo non hîc inuestigandam esse in rebus omnibus similitudinem, neque in auctoribus tam profanis, quàm sacris singularum rerum affinitas exquiritur, satis est si in genere toto aliqua reperiatur similitudo, puta vexatio, calamitas, & sæpius eadem aut similis iterata plaga. Ego hîc in primis video idem Deo, cùm Israelitas vexaret, esse propositum, quod antea quando vexauit Ægyptios. Vt enim tunc verberabat Ægyptios, vt Pharaonis emolliret animum, & ad excipienda diuina monita perpelleret, ille tamen in eodem consilio pertinaciter hærebat: sic nunc Deus variis populum versabat modis, & afficiebat plagis, vt ad officium illum, & patriam religionem reduceret; (atque ideo post singulas plagas addit illud quasi legitimum, *& non redistis ad me;*) illi tamen nihilo fuerunt, quàm ante meliores. Hæc vna ratio satis erat, superque grauis, vt in via Ægypti mulctari dicerentur Israelitæ. Sed si singula diligenter expendas, nihil reperies in his plagis quas ab hoc loco Propheta commemorat, cuius non aliquid simile reperias in Ægyptiis.

A Et primùm placet quod nonnulli putant, quos citat, neque tamen nominat Ribera, qui hæc referunt ad obsidionem Samariæ tempore Ioachaz *lib. 4. Reg. cap.* 13. vbi filij Israel à rege Syriæ dicuntur attriti, *ita vt ex toto populo non fuerint relicti regi Ioas, nisi quinquaginta equites, & decem currus, & decem millia peditum: interfecerat enim eos rex Syriæ, & redegerat quasi puluerem in tritura areæ.* Hic video magnam fuisse Israelis cladem, ex qua tetrum odorẽ exhalatum oportuit. Et hic est odor qui ex castris ad Israelis nares ascendisse dicitur. Cùm autem quinquaginta equites dicuntur esse reliqui, idem est ac si dicas totidem equos esse residuos, quia alij aut occisi, aut ab hostibus capti.
B Abũdasse autem equis tunc Samariam, quos Ægyptij, Assyriique miserunt, docuimus suprà ad illud Oseæ cap. 14. *Super equum non ascendemus.* Neque dubitandum in illa strage occubuisse iuuenes, quia, & ipsi robusti sunt, & tractandis armis magis idonei, atque ideo audaciores, & semper propiores periculo. Ex his intelligere videor omnia, quæ statim succedunt.

Percussi in gladio iuuenes vestros, vsque ad captiuitatem equorum vestrorum, & ascendere feci putredinem castrorum vestrorum in nares vestras. 50.
] Idem quoque accidit Ægyptiis, quorum equi occisi fuerũt, tum *cap. 9. Exod.* quando equi, cameli, & asini interfecti sunt, tũ in mari rubro, quando cùm per-
C sequeretur Pharao fugientem Israelem, omnes equites, & currus congregauit, *Exodi* 14. Quanta verò fuerit in Ægypto clades cùm occisi fuerunt exterminatoris gladio primogeniti, legimus sup. cap. 18. 8. *Omnes vno nomine mortis mortuos habebant innumerabiles. Nec enim ad sepeliendum viui sufficiebant: quoniam vno momento, quæ erat præclarior natio illorum, exterminata est.* Hîc ego occisos esse iuuenes video, & ex illorum cadaueribus grauem anhelitum.

Vers. 11. *Subuerti vos sicut subuerti Sodomam, & Gomorrham; & facti estis quasi torris raptus ab incendio.*] 51.
Hyperbolicus loquendi modus, qui ab Scriptura sacra alienus non est. Neque enim ab igne cælesti
D conflagrauit Samaria, ciuitatésque aliæ Israëlitides, quæ Samariæ parebant; & multi mortẽ effugerunt immissam à Deo, quod Sodomæi, ac Gomorrhæi consecuti non sunt. Est autem hæc prouerbialis figura, qua graue aliquod siue infortunium, siue supplicium significatur: prouerbia autẽ in omni lingua sæpe sunt hyperbolica, quomodo hominem macie extrema extenuatum, atque confectum μονόγραμμον vocamus: sic vir pauperrimus leberide dicitur, aut pistillo nudior. Sic puto dum Israelitæ cum Sodomæis conferuntur, nihil significari aliud, quàm illos fuisse vehementer afflictos.

PROVER. *Sodoma pro graui supplicio.*

Facti estis velut torris raptus ab incendio.] Hæc 52.
E etiam prouerbialis figura est, quæ extremam significat conditionem, atque fortunam, in quam aliquis ex secunda, ac splendida deiectus est. Hanc verò optimè exprimit lignum, quod cùm priùs viride fuisset, ac floridum, & interdum odoratum, & maculis à natura speciosè distinctum, vbi tamen ambustum, & tantum non redactum in cineres raptum est ab incendio, deforme est, sine succo, atrum, fuliginosum. Qualis videri potuit Israel pulcher quondam, & diues, nunc autem eò redactus, vt externis populis ludibrio sit, & eo habitus in loco, in quo lignum semiustum, quod nullum habet vsum, nisi vt in sterquilinium mittatur, aut iterum tradatur incendio. Eadem dicendi figura vsus est

PROVER. *Torris ab incendio.*

Digitized by Google

Zacharias *cap.3. v.2.* qua Iesu Sacerdotis extrema significatur fortuna, qua perfunctus est, quo tempore exul egit apud Babylonios. *Nunquid*, inquit, *non iste torris est erutus de igne?* Ad quod prouerbium crebræ sunt allusiones in Scriptura, ad significandum statum ærumnosum, & durum. Thren. 4. *Denigrata est super carbones facies eorum.* & cap. 5. *Pellis nostra quasi clibanus exusta est, à facie tempestatum famis.* Quod si Psal. 67. *cleri* ollas significant, & lebetes, & alia instrumenta, quæ foco seruiunt, & culinæ, qui dormire dicuntur inter medios cleros, quasi ligna sunt, quæ ab igne torrētur, neque enim alia inter cleros dormiunt, nisi quæ ignem alunt, atque sustentant: sed nos eo loco explicationem istam non probamus.

53. Vers. 12. *Quapropter hæc faciam tibi Israel.*] Hîc aliqui aposiopesim esse putant, quæ aliquid omittit, cogitandúmque relinquit lectori, quod plerunque obscurum est, & longa indiget explicatione. Quale est illud Psal. 94. *Si introibunt in requiem meam.* & Psal. 88. *Iuraui in sancto meo si Dauid mentiar,* quæ figura perturbatis, atque offensis animis accommodata est, vt est illud Maronianum lib. 1. Æneid.

Quos ego. Sed motos præstat componere fluctus.

Et illud Terentianum, *Egóne illam? quæ illum? quæ me, quæ non?* Ita cum Hieronymo plures alij. Sic autem Hieronymo. *Idcirco id faciam tibi ô Israel, vt qui præterita contempsisti, saltem ad ea, quæ illaturus sum, corrigaris. Cúmque dixerit, hæc faciam tibi, quid facturus sit, tacet, vt dum ad singula pœnarum genera Israel pendet incertus, quæ ideo terribiliora sunt, quia omnia suspicatur, agat pœnitentiam, ne Deus inferat, quæ minatur.*

54. Ego hîc varias plagas, & varia illarum tempora considero; quasdam iam Deus inflixit Israli, vt famem vel ab aquarum defectu, vel ab aurugine, & eruca, vel mortem, cadauerúmque fœtorem in via Ægypti. Quasdam in posterum minatur, nisi iam tandem meliora cogitent, & ad Deum, cuius prodiderunt religionem, reuertantur. Has verò principio capitis posuit, sub vaccarum pinguium, seu Basanitidum metaphora, quòd nempe in contis, ollísque feruentibus portabuntur. Ad hæc respexit, meo iudicio, Deus, cùm dixit *hæc faciam*, nempe, quæ minatus sum, quandoquidem superiores plagæ non perfecerunt, vt te ad fidem, & officium reuocarent. Sic putat in secunda expositione Hugo, & inclinat Castrus: neque video quid in illa difficile, atque contortum sit.

55. *Postquam autem hæc fecero tibi, præparare in occursū Dei tui Israel.*] Hieronymus hîc multorum translationes & expositiones adducit, Symmachus, & quinta editio ita transtulerunt, *præparare vt aduerseris Deo tuo.* Septuaginta, *vt inuoces Deum tuum.* Illud *in occursum Dei tui,* quod cū Theodotione habet vulgatus, ad multa patet, & ideo à variis variè exponitur. Occurrere alicui, amicitiam indicat, & obsequium; quomodo hospitibus occurrere solemus, vt illos amanter excipiamus hospitio: aut his apud quos offendimus, vt in illorum gratiam redeamus. Aut etiam occurrimus infensis telis, atque animis, tanquam hostibus, vt illos à nostris finibus arceamus. hoc posteriori modo accipit Albertus in priori expositione, tenet Montanus, & probant Symmachus, & quinta editio, quæ, Hieronymo teste, sic conuertunt, *vt aduerseris Deo tuo*, tenet ex Hebræis Rab. Abraham. Hanc verò putant esse sententiam, cùm hæc compleuero, quæ minatus sum: cùm te sic

A abduxero, sicut post lanienam laceratæ vaccæ in præferratis contis, aut feruentibus oliis asportantur: tunc experieris an tibi satis futurum sit animi, vt audeas, & satis virium, vt possis aduersari mihi. Neque parum huic cogitationi fauet, quod statim singularis Dei potentia describitur. *Quia ecce ego formans montes, &c.* Hæc enim non tam ad beneuolentiam, ac mansuetudinem explicandam opportuna sunt, quàm ad ostendendam potentiam, & timorem aliis inferendum. Alij iuxta eādem Symmachi translationem, de tempore capiunt euangelico, & 56. interpretantur ironicè: quia eo tempore post plagas, quas Gens illa Israelitica pertulit sub alieno dominatu, B aduersata est Christo, neque studium illud impium intermisit, donec tandem adegit in crucem. Ita Hieronymus in expositione postrema, qui Deum in hunc modum loquentem induxit. *Feci, vt te corrigerem, quæ præteritus sermo descripsit: & quia noluisti reuerti ad me, faciam tibi, quæ meo continentur arcano. Occidisti seruos, quos ad te miseram, mittam nouissimè filium meum tu autem iuxta consuetudinem tuam, qua semper voluntati Domini restitisti, præpara te, vt contradicas, & aduerseris Deo tuo, iuxta illud, quod scriptum est: Ecce hic positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum, & in signum, cui contradicetur. Et hoc dicit nō quo præcipiat, quid facere debeat; sed antè prædicit, quid sponte facturus sit.* Hæc Hiero- C nymus, cui subscribit Hugo.

Alij de Christo hæc accipiunt, & tempore euangelico, aliò tamen sensu, nempe vt se gens 57. tot vexata malis ad excipiendum Christum præpararet, qui salutem humano generi, & libertatem adducet. Quod cum Hieronymo tenent Remigius, Hugo, Dionysius, Ribera. Sed frequētes abeunt, & in his illi etiam, quos modò nominaui, in eam sententiam, quæ de Deo hæc accipit, qui per extremas hasce plagas populum ad pœnitentiam vocat, ne hoc beneficium, sicut plura alia similia perire sinat. Illud enim est *præparari in occursum Dei*, ea nimirum specie, quam Deus libēter admittit, & amplectitur. A qua sen- D tentia neque discedunt Hebræorum magistri, cùm huiusmodi oracula de suæ Gentis libertate interpretari soleant. Sic Rab. Dauid, *Præpara te, & dispone, vt obuiam eas, & exeas in occursum eius; in pœnitentiam, & bona opera, & experieris bonitatem, & benignitatem eius, conuertétque tibi mala in bona.* Eodem pene modo Rab. Salomon. *Præpara te in occursum meum, vt conuertaris ab impietate tua.* Non longe ab his abit Chaldæus, qui ait, *Præpara te, vt suscipias, & audias doctrinam legis.* Et hæc explicatio mihi potior est, tum propter eorum auctoritatem, qui ita sentiunt, tum quia cum toto capitis filo optimè consentit, quia cùm aliis plagis non esset populus ad Dominum reuersus, per vitæ mutationem, hortatur, vt hæc plaga nouissima torpentem excitet, & mentem reducat, quam euer- E tit impietas.

58. Sunt qui hæc de libertate populi ab ærumnoso statu, duráque seruitute capiunt; qualem reuera populus bona ex parte consecutus est, post extremam plagam, quando in contis, ollísque feruentibus in exilium tanquam in macellum traductus est, ita putat Theodoretus; à cuius sententia alij non multum abhorrent. Et quidem sæpe Deus cùm grauia minatur, quo est animo ad miserendum, & benefaciendum prono, ad extremum solet magna promittere. Quod fortasse nunc quoque facit, non solùm quoad spiritualia bona, licèt hæc frequentius, sed etiam humana,

Digitized by Google

humana, ac temporaria, qualis est libertas, & securitas, & rerum omnium, quæ vitæ necessariæ fuerint, abundantia. Sed licet hoc non omnino videatur improbabile, communior tamen sententia multo magis arridet.

59. Vers.13. *Quia ecce formans montes, & creans ventum, & annuncians homini eloquium suum.*] Non nouum est, vt Deus huiusmodi vtatur oratione, cùm sapientiam suam, atque potentiam hominibus significare, ac commendare vult, tum vt intelligant timendum esse, ac venerandum, cùm omnia possit temporis momento dissoluere, eaque iterum, ac sæpius renouare; tum vt sperent omnia ab eo, cuius sapientiam nihil latere, nihil potentiæ repugnare posset, sed facit id sæpe, dum vana Gentium idola nihil habere diuinitatis probare vult: se enim auctorem vocat vniuersorum, à se dicit creatos esse cælos, & quidquid eorum complexu continetur, ab eodem habere homines, quòd viuant, & sint, neque sibi ignota esse, quæ fiant vbicunque terrarum, & quæ extremo sæculorum omnium futura sint. Multa occurrent exempla, pauca hæc accipe, cùm Ierem. *cap.*10. vellet Gentilium Deos nihil posse, imò nihil esse, his ferme verbis ostendit, quæ in suorum ore iubet esse familiaria. *Sic ergo dicetis eis* (Gentilibus videlicet, qui lignum, & saxum venerantur) *Dij qui celos, & terram non fecerunt, pereant de terra, & de his, quæ sub celo sunt.* Et ille solus, quasi dicat, est Deus. *Qui fecit terram in fortitudine sua: præparat orbem in sapientia sua, & prudentia sua extendit celos. Ad vocem suam dat multitudinē aquarum in celo, & eleuat nebulas ab extremitatibus terræ, fulgura in pluuiam facit, & educit ventos de thesauris suis.* Hæc porrò verba scripta sunt à Ieremia Chaldaicè, cùm cætera omnia Hebraico scripsisset idiomate, vt haberent captiui apud Babylonios, quod Chaldæis contra deorum suorum religionem obiicerent. Isai.cap.42.v.5. *Hæc dicit Dominus creans celos, & extendens eos, firmans terram, & quæ germinant ex ea, dans flatum populo, qui est super eam & spiritum calcantibus eam.* & cap.45.v.12. & iterum v.18.

60. Vbi vulgatus *ventum*, Hebr. est רוח *ruach.* quæ vox significat naturam spirabilem, & aëream, quam spirando trahimus, & qua hominum vita continetur: & animam ipsam à qua vita est, cúmque vtrunque verum sit, quia vtriusque Deus creator est, puto tamen de anima hunc locum esse capiendum, quod mihi persuadet alter locus quem modò ex *cap.*42. *Isaiæ* produximus. vbi *flatus, & spiritus* sine dubio animam significant. Hæc porrò homines ab inanimato ligno, aut saxo haurire non possunt.

61. *Et annuncians homini eloquium suum. Pro eloquio suo,* Hebr. est שחו *secho*, quæ vox *meditationem* valet, *eloquium, cogitationem, negotium,* aut *opus.* sed quia pronomen ו *vau*, quod vulgatus conuertit *suum*, ambiguum est, tam enim significat absolutum, quam reciprocum pronomen, dubium est an eloquium, nempe mentale, seu cogitatio sit hominis, quam Deus non ignorat, quod esse vult suæ diuinitatis argumentum, aut certè cogitatio, aut eloquium Dei sit, quod secum Dominus versat, & loquitur, quódque hominibus aut familiariter impertit, vt Abraham quondam *Gen, cap.*16. cùm de subuertenda Sodoma cogitationem suscepit: aut vt aliis aperiatur, annunciat; quod fecit sæpe, dum Prophetarum mentes futurarum rerum illustrationibus imbuit. Quidam priori modo accipiunt, & cogitationem hominum esse putant, quam dum Deus cognoscit, & aperit, se Deum verum esse probat, iuxta illud Psal.138. *Scrutans corda, & renes Deus.* & 1. Reg. 16.v.7. *Homo videt ea, quæ parent, Dominus autem intuetur cor.*

Sed mihi longè est verisimilius cogitationem esse Dei, quam Dominus reuelat Prophetis longè antea quam veniant; quod testimonium diuinitatis est, quale nunquam dij Gentium reddere potuerunt. In hanc ego sententiā magis inclino, quia hoc eodem argumento vsus est aliquando Deus, vt Gentium idolis diuinitatem esse negaret, & probaret suam. Duo ex multis adducam testimonia ex Isaia, quæ vim huius rationis mirificè explicant, cap.41. v.21. *Accedant* (idola) *& nuncient nobis, quæcunque ventura sunt. Priora, quæ fuerunt, nunciate, & ponemus cor nostrum, vt ponamus nouissima eorum, & quæ ventura sunt, indicate nobis. Annunciate, quæ ventura sunt in futuro, & sciemus, quia dij estis vos.* Duo tempora constituit Deus, in quibus explorari potest diuina siue cogitatio, siue potentia, præteritum, in quo aliquid ab eo, qui Deus videri vult, prædictum est, & reuera aliquando certo rerum euentu confirmatum. Alterum præsens, ac futurum, in quo aliquid hodie prædici potest, quod exitum habeat, & successum de signato tēpore futurum. Ad hoc examen Deus vocat Gentilium Deos, vt vides, & eodem diuinitatem suam explorat, & commendat, *Isai.*45. vbi quæ prædicta fuerunt, impleta esse demonstrat, & alia prædicit, ex quorum euentu hoc ipsum confirmat. Qui locus mirè cum hoc nostro colludit; neque, meo iudicio, sumi aliunde potest explicatio commodior. Priùs enim ostendit potentiam suam in rerum formatione, deinde addit quid olim prædixerit, & quàm habuerit exitus certos, & aliquid præterea prædicit noui, cuius euentū expectari iubet. Sic autem v.11. *Hæc dicit Dominus sanctus Israel plasles eius: Ventura interrogate me super filios meos, & super opus manuum mearum mandate mihi. Ego feci terram, & hominem super eam creaui ego: manus meæ tetenderunt celos, & omni militiæ eorum mandaui.* Et v.21. *Quis auditum feci hoc ab initio: ex tunc prædixit illud? nunquid non ego?* Illud autem est, quod suprà dixerat de Abraham, quod omnes impletum esse norant, cap.41.v.24. *Suscitaui ab Aquilone, & veniet ab ortu Solis: vocabit nomen meum, & adducet magistratus quasi lutum, & quasi plastes conculcans humum.* Et statim eadem repetit verba. *Quis annunciabit ab exordio?* Hæc mihi explicatio solutior videtur, neque alias improbo, quia neque falsæ sunt, neque alienæ à textu. 62. *Diuinitatis argumenta.*

Antequam hìc abeam, obseruo hunc locum à nonnullis adduci, vt Spiritum sanctū Deum esse negent. Isti verò hæretici sunt, qui vbi vulgatus legit *creans ventum*, ipsi *spiritum* legunt: & quia spiritus ille creatus est, longè à Spiritu sancto existimant diuinitatem abesse. Horum errorem confutant Didymus *lib.*1. *de Spiritu sancto.* Ambrosius *lib.*2. *de Spiritu sancto, cap.*7. Hieronymus *hic.* neque difficile fuisset hæreticis illis, quid esset eo loco spiritus, coniectare, si, quæ præcesserunt, aut subsequuntur, considerarent; agit enim de rebus naturalibus, de montibus, seu, vt legunt Septuaginta, de tonitruo, de matutina nebula; cum quibus ventus aptè, Spiritus verò sancti creatio nullo modo sociari potest. 63.

Alij secuti translationem Septuaginta, in *eloquio* Christum intelligunt, illi etenim sic vertunt, *Annuncians in homines Christum suum.* Hæc autem 64.

Digitized by Google

differentia ex literarum similitudine nata est, legit quidem vulgatus מעשו *masecho*, id est, eloquium, siue opus, aut cogitatio sua. Septuaginta verò משיחו *mesicho*, id est, Christum seu vnctum suum. Septuaginta secuti sunt antiqui omnes. Tertullianus *lib. contra Hermogenem, cap.32. & 3. contra Marcionem, cap.6.* Euseb. *de demonstrat. lib.4. cap.22.* Athanasius, Basil. Ambros. Augustinus. Sed est longè commodior vulgata translatio, magisque ad Hebraicos codices, quos nunc habemus. Neque aptè Christus inter montes, & ventos, & matutinam nebulam constituitur.

65. *Faciens matutinam nebulam.*] Hieronymus, *qui matutinum splendorem effundit*, & rursus, *tenebris terram obnubilat*, Septuaginta legunt, ποιῶν ὄρθρον καὶ ὀμίχλην, id est, faciens diluculum, & nebulam, quod idem est, vt ait Cyrillus, atque lucem, & tenebras, noctem, & diem. Sunt qui in matutina nebula aliam Dei potentiam, seu prouidentiam agnoscunt, qui subitò potest eripere splendorem cùm primùm affulserit, & rursus illuminare tenebras, id est, deponere potentes de sede, & exaltare humiles. Sicut infrà dicitur cap.8. v.9. *Occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis.* Quod item dixit Ieremias cap.15. v.9. *Occidit ei sol, cùm adhuc esset dies.*

Deo facile est subitò superbos deprimere, & humiles extollere.

66. Quòd si illud, *annuncians homini eloquium suum*, de hominum cogitationibus accipias, optimè hæc ad illam expositionem referas, ita tamen vt *nebula*, vt loquuntur Logici, subiectum sit, *matutina* verò prædicatum, quasi dicat Deus nihil sibi futurum esse clausum, nihil obscurum, & quæ instar obtinent nocturnæ caliginis, futura sibi quasi matutinam lucem, quæ omnia detegit.

A Quod dixerat antè Dauid Psal.138. *Quia tenebræ non obscurabuntur a te, & nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebræ eius, ita & lumen eius*, id est, faciet Deus vt quæ in nocte, id est, in occulto fiunt, illa sic appareant, quasi in aperto, & meridiana luce fiant. Hæc eadem dicit statim cap.5. v.8. *Conuertentem in manè tenebras, & diem in noctem mutantem.*

Et gradiens super excelsa terræ.] Si expositionem 67.
illam sequaris, de qua proximè, optimè Deus ingredi dicitur super excelsa terræ, id est, in montibus, vt hoc dicendi modo significetur nihil esse quod diuinos oculos, & intelligentiam lateat. Sicut in humanis, vt aliquis clarè, latéque prospectet, necesse est, vt lux latè compleat spatium, & ne quod corpus opacum, & crassum interpositum, aut lucem, aut rem obiectam oculis eripiat. B hoc incommodum euitat ille, qui in excelsis, id est, in montium iugis altè considet, & inde subiecta speculatur corpora. Hoc nunc affirmatur de Deo, quod item aliis in locis Scripturæ sacræ sæpius audimus. Psal.112. *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo, & in terra.* Sed alij, vt credo, simpliciùs exponunt, nihil esse in rebus, quod diuinæ potentiæ subiectum non sit, etiam illa, quæ altissimum locum obtinere videntur. Quæ in montium fastigiis significari solent. Sic Michæas *cap.1.* vbi mirè cum nostro Propheta colludit, *Calcabit super excelsa terræ, & consumentur montes subtus eum.* & Isaias cap.64. *Vtinam dirumperes cælos, & descenderes. A facie tua montes defluerent.* Vbi sine dubio in montibus superbi spiritus, & terreni principes intelliguntur. Hæc de capite quarto.

IN CAPVT QVINTVM

ARGVMENTVM.

PRÆDICIT iterum Propheta, quæ iamiam imminent Israëlitidi plebi casus, & incommoda, sed mœrens & dolens cum lugubri, & quasi parentali planctu. Deinde Dei verbis admonet, vt si salui esse velint, Bethel obliuiscantur, & Galgala, & si qua alia sunt impiæ religionis destinata sacraria, à quibus sperari nihil potest opportunum, & se ad verum Deum aliquando conuertant, qui & omnia potest, & animo est ad benefaciendum prono. Commendat iterum ac sæpius, vt à peccatis abstineant, & virtutem atque officium ament, & colant: si quæ iam parata sunt incommoda, tam frequentibus, quàm desertis ac syluestribus locis declinare studeant. Neque enim sacrificia & victimæ, quæ nunc offeruntur, auertent plagam: quia grata non sunt, neque est, cur parentum meritis confidant, quos obliuionis & violatæ religionis reos accusat.

CAPVT V.

1. *AVdite verbum istud, quod ego leuo super vos planctum: Domus Israël cecidit, & non adiciet vt resurgat.*

2. *Virgo Israël proiecta est in terram suam, non est qui suscitet eam.*

PARAPHRASIS.

C 1. AVdite, ô viri Israëlitæ, verbum, quod ego mœrens & lugens, quasi parentale carmen instituo, cuius hæc est materies, & summa complexio. Cecidit, cecidit virgo Israël, & eo casu sic est contrita grauiter, vt spes nulla de illius resurrectione, atque instauratione supersit.

2. Talem mihi videre videor virginem Israël, in terra sua, qualis est puella, quæ recens à puerperio in materni sanguinis volutabro relicta est: neque est vllus, qui illam

Digitized by Google

3. Quia hæc dicit Dominus Deus: Vrbs de qua egrediebantur mille, relinquentur in ea centum: & de qua egrediebantur centum, relinquentur in ea decem in domo Israel.

4. Quia hæc dicit Dominus domui Israël: Quærite me, & viuetis:

5. Et nolite quærere Bethel, & in Galgalam nolite intrare, & in Bersabee non transibitis: quia Galgala captiua ducetur, & Bethel erit inutilis.

6. Quærite Dominum, & viuite: ne fortè comburatur vt ignis domus Ioseph, & deuorabit; & non erit qui extinguat Bethel.

7. Qui conuertitis in absynthium iudicium, & iustitiam in terra relinquitis.

8. Facientem Arcturum & Orionem, & conuertentem in mane tenebras, & diem in noctem mutantem: qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ: Dominus nomen est eius.

9. Qui subridet vastitatem super robustum, & depopulationem super potentem affert.

10. Odio habuerunt corripientem in porta: & loquentem perfectè abominati sunt.

11. Idcir

A Iam breui in illo statu morituram eleuet è terra.

3. Quia vt à Domino accepi, sic erit attritus Israel, vt in ciuitatibus singulis, tantùm decimus quisque relinquatur, vbi nimirum mille, centum: & vbi centum, ibi tantùm decem futuri sint reliqui.

4. Veruntamen, ô viri Israel, longum iam vale dicite idolorum insanæ religioni, & meipsum quærite, quibus occurram non inuitus: & vitam, cui iam supremus imminet dies, conseruabitis.

B 5. Quærite, inquam, me, non idola, à quibus sperari nihil potest boni. Quare procul de Bethel cogitationem abiicite, neque religionis gratia in Galgala abieritis, aut Bersabee: tam enim longè erit, vt Galgala vobis saluti sint, vt seipsa ab exilio vindicare non possint: neque maius vobis erit præsidium à Bethel, quod præcipuum est idolorum, & tam vanum, & turpe, quàm insigne sacrarium.

C 6. Quærite Deum, & vitam agetis verè vitalem: ne si aliud vobis patrocinium quæsieritis, domus Ioseph, id est, decem tribuum, grassante incendio vertetur in fauillam, quam vastabit ignis, quem nulla vis humana restinguet.

7. Nunc enim multo aliter viuitis, quàm officij aut iudicij ratio postulabat. Pro sanctitate namque, quæ mihi & vobis gratissimum propinaret poculum, impietatem & iniustitiam amastis, quæ vobis instar erunt absynthij, dum me in caput vestrum durum esse facient, & amarum.

D 8. Cur quæritis, ô viri Israel, idola vana, quæ nihil faciunt, imò quæ nihil sunt, Quærite illum, à cuius omnipotenti manu, & infinita sapientia, rerum vniuersitas creata est. Ab illo habent Arcturus, & Orion, quòd splendeant in cælo: à quo fieri potest, vt subitò matutina lux vertatur in noctem, & nox in matutinam lucem conuersa repentè fulgeat. Qui euocat è mari aquas amaras, & salsas, redditque dulces, eásque ad terræ fœcunditatem effundit: Cui Domini nomen est.

E 9. Cui ea est fortitudo, vt sine vllo labore, seu molestia, quasi ludens & ridens euertat ciuitates, quas robustorum hominum præsidium tuetur: neque maiori labore virum potentem, qui se ab aliis superari non posse existimabat, deiiciet, & euertet.

10. Neque immeritò Deus, quasi per risum & ludum ciuitates potentésque vastabit, quia non solùm subsannarunt, sed etiam habuerunt odio tam Prophetas, quàm alios, qui suo iure, & rectè atque legitimè ipsorum mores corripiebāt in porta.

Digitized by Google

A ta, vbi frequentes de more populi conuentus.

11. *Idcirco pro eo quod diripiebatis pauperem, & prædam electam tollebatis ab eo: domos quadro lapide ædificabitis, & non habitabitis in eis: vineas plantabitis amantissimas, & non bibetis vinum earum.*

11. Hinc ortum est, vt profligato pudore, & conculcatis legibus, nihil putaretis auaritiæ vestræ, atque potentiæ non licere. Quapropter, cùm pretiosum quodque, quod suo sibi labore parauisset inops, atque debilior turba, ad vestros vsus, per vim atque calumniam auerteritis: ædificabitis domos sectili, atque quadrato lapide ad firmitatem instructas: neque tamen illas habitabitis, quia in hostium potestatem venient. Neque ex vineis, quas electo ac
B nobili surculo plantastis, vinum exprimetis, & si quod fuerit forsitan expressum, alieni bibent.

12. *Quia cognoui multa scelera vestra, & fortia peccata vestra: hostes iusti accipientes munus, & pauperes deprimentes in porta:*

12. Perspexi, dicit Dominus ad magistratus, & iudices, peccata vestra, & multitudine plurima, & genere grauissima, qualia ab illis, qui robusti sunt, in peccando patrari solent. Sic enim estis in pauperes, ac iustos animati, quasi vobis cum illis foret hostile dissidium: qui largitionibus iudicia corrumpitis, & in porta publicóque consessu, pauperem vænali iudicio con-
C demnatis.

13. *Ideo prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est.*

13. Idcirco prudenter Prophetæ facient, qui cùm videant tempus instare malum, & exitium ab hoste, neque ab obstinatis animis aliquid melioris frugis sperari posse, existimabunt potiùs ex vsu fore, tenere in eo rerum articulo silentium, quàm sine vllo laboris, atque operæ pretio verba disperdere.

14. *Quærite bonum, & non malum, vt viuatis: & erit Dominus Deus exercituum vobiscum, sicut dixistis.*

14. O viri igitur Israelitæ, meliorem aliquando cogitationem assumite: adhære-
D te bono, declinate malum, & tunc vobis talis continget vitæ modus, qualis optari à prudente potest: erit enim tunc vobiscum Deus, quemadmodum existimatis vobis fore perpetuum, qui genus ducitis ab Abraham: & hoc ipsum communibus precibus, quasi solenne, atque legitimum appenditis.

15. *Odite malum, & diligite bonum, & constituite in porta iudicium: si fortè misereatur Dominus Deus exercituum reliquiis Ioseph.*

15. A vitiis animum ad honestatem conuertite, & æquitatem, quæ iam pridem à portis atque iudiciis exulauerat, in suum sibi locum restituite. Fortè miserebitur
E Dominus, & parcet illis, qui ex tot inimicorum plagis fuere superstites.

16. *Propterea hæc dicit Dominus Deus exercituum dominator: In omnibus plateis planctus: & in cunctis, quæ foris sunt, dicetur væ væ: & vocabunt agricolam ad luctum, & ad planctum eos qui sciunt plangere.*

16. Sed quia mentem retinetis antiquam, neque minus, quàm de mutandis moribus cogitatis, nullus erit locus, qui non miserorum planctu amarè circumsonet. Erunt qui in plateis vrbium, locísque publicis, atque frequentibus exululent, ingeminéntque illud tritum ac lugubre, væ, væ. Neque deerunt, qui campos, & syluas, lugubri questu, atque vlulatu compleant. Ea porrò erit doloris magnitudo, vt non satis

17. Et

Digitized by Google

A satis habeant ciues, ad deplorandum malum, lacrymarum, sed aduocent ad planctum, non solùm lamentatrices & præficas, quæ vænales habent nænias, & lacrymas, sed etiam agricolas, & genus hominum indoctum, & rusticum, omnes denique, quibus ad plorandum spiritus, aut facultas est.

17. Et in omnibus vineis erit planctus, quia pertransibo in medio tui, dicit Dominus.

17. Neque solùm in compitis locísque frequentibus erit planctus, sed etiam extra ciuitatem in vineis: quia in illis quoque hostilis grassabitur furor, quem Dominus B ipse belli dux, & auctor inducet.

18. Væ desiderantibus diem Domini: ad quid eam vobis? dies Domini ista, tenebræ, & non lux.

18. Væ illis, qui desiderare se dicunt diem Domini, quem horribilem esse clamant Prophetæ, quasi Propheticæ minæ aliquid sint inane, & planè nugatorium. Sed sanè non est, cur diem illum tantopere aduenire desiderent, cùm nihil ab ea habituri sint amplius, quàm horrorem, & tenebras, & illud, quod dici & luci contrarium est.

19. Quomodo si fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrsus: & ingrediatur domum, & innitatur manu sua super parietem, & mordeat eum coluber.

19. Hic quocunque se animo ac studio vertat, nihil habebit a periculo vacuum, & C cùm vnum velit declinare malum, in alterum incurret. Quomodo si effugere aliquis leonem velit, quem frementem audit, aut quem è vestigiis odoratur esse proximum, & in vrsum verum ac præsentem incurrat: & vrsum declinet, & eo consilio ingrediatur domum, quam ab vrso, vtpote munitam pariete, securam esse putat: & dum parietem apprehendit, quem saltu superet, ibi mordeatur ab aspide, quæ latebat in cauerna maceriæ, & quasi in insidiis excubabat.

20. Numquid non tenebræ dies Domini, & non lux: & caligo, & non splendor in ea?

D 20. Si talis futura est vestræ vitæ conditio, vt vndecunque occurrat moriendi ineluctabile periculum: nunquid non verum existimabitis, quod nuper accepistis, statum illum appellari posse caliginem, & non lucem, in quo nullibi aliquid occurret, non obscurum, non amarum, non horribile?

21. Odi, & proieci festiuitates vestras: & non capiam odorem cœtuum vestrorum.

21. Neque est, cur propter festiuitates vestras, & victimarum, aut aromatum frequentiam, aliquid lucis expectetis. iam enim hæc abominatus sum, & tanquam aliquid tetrum, & molestum abieci. Quare, E neque solennitates vestras probo, & suffimenta, quæ in cœtibus adoletis, grauem mihi halitum aspirant.

22. Quòd si obtuleritis mihi holocautomata, & munera vestra, non suscipiam: & vota pinguium vestrorum non respiciam.

22. Quòd si, aut in altaribus, quæ extra templum mihi in finibus vestris excitastis, aut in ipso Solymitano templo holocausta obtuleritis, & victimas, longè sum, vt illa propitiatus admittam: neque respiciam sacrificia vestra, quantumcunque illa pinguia sint, & sacris obeundis idonea.

23. Aufer à me tumultum carminum tuorum,

23. Quos tu cantus numerosos esse putes,

rum: & cantica lyræ tuæ non audiam.

A tas, & dulces, ego rixantium interpretor tumultus, & fremitus. Facesse ergo cum tuis canticis ac citharis, quæ non mihi plus quàm vlulatus inconditi, atque absoni voluptatis afferunt.

24. *Et reuelabitur quasi aqua iudicium, & iustitia quasi torrens fortis.*

24. Cùm tempus aduenerit, cùm de tuis victimis, & canticis, ac tuis denique maritis iudicabitur iudicium diuinum, atque iustitia peccatorum vindex, sicut torrens incitatus & præceps, quod tectum antè fuerat, reuelat, & obuium quodque rapit: sic reuelabit peccata tua, & regionem
B tuam, violenta quadã irruptione vastabit.

25. *Numquid hostias & sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israel.*

25. Reuelabit iudicium illa, quæ vos aut vestra aut parentum vestrorum magna putatis esse merita, quæ qualia fuerint, mecum paulisper cogitate. Et primùm existimate, ne quam spem libertatis, ac veniæ afferant parentum merita, longa quadraginta annorum peregrinatione, nulla sacrificia, nullas fuisse hostias à vestris maioribus oblatas.

26. *Et portastis tabernaculum Moloch vestro, & imaginem idolorum vestrorum, sidus Dei vestri, quæ fecistis vobis.*

26. Maiori studio coluerunt Moloch,
C cuius secum tulerunt tabernaculum, & alia plurima inanium deorum simulacra, & sidus Rempha, quæ omnia suis sibi manibus maiores vestri fabricarunt.

27. *Et migrare vos faciam trãs Damascum, dicit Dominus, Deus exercituum nomen eius.*

27. Quare, cùm neque vestra, neque parentum merita, aut leniant offensionem, aut retardent iram, vltra Damascum, in longissimas terras captiuos abducam. Hæc verba Domini sunt; qui Deus vocatur exercituum, cuius nemo potest resistere potentiæ.

Vers.1. *Audite verbum istud, quod ego leuo super vos, planctum, domus Israël.*]

1. HACTENVS audiuimus minas, & quasi fulmina vibrata de cælo ab ira Dei peccatorum vindice: nunc audiri incipiunt non leuiora, sed ab animo, non qui tam sibi placet de vindicta, quàm de illa dolet, & legitimum instituit lamentum, quasi iam Israel accepisset plagam, quam sibi, nisi mutaret mentem, imminere cognouerat. Parat igitur sibi Propheta beneuolentiam à populo, quem seuera priùs denunciatione compunxerat, & attentionem, cùm non vulgaria dicturus videatur, & maximè coniunctã cum iis, ad quos sermo spectat, cùm ipsorum caput designet, & petat. Lamentari dicitur velle se, id est, carmen pangere funestum, & lugubre, quale in amicorum funere cantari solet, quasi domui Israel patrio more honores exhibeat parentales.

Vaticinandi modus pietatis plenus.

2. Hoc eodem vaticinandi genere vsus est Isaias contra regem Babylonis *cap.*14. vbi sic Babylonici imperij casum, & regis interitum prænunciat, vt quasi lugubrem instituat cantum, & dutum illum interitum deploret. *Quomodo*, inquit, *cecidisti de cælo lucifer, qui manè oriebaris, corruisti in terram, qui vulnerabas Gentes*, &c. Et clariùs de rege Tyri Ezechiel *cap.*27. quod tantùm in funebri
D quadam lamentatione consumitur. Præcesserat autem in principio v. 2. *Tu ergo fili hominis, assume super Tyrum lamentum.* Hæc autem à duobus Prophetis vaticinando dicta sunt; sed sunt lamentationes aliæ non quidem Prophetæ, quia de rebus iam antè præteritis, eodem tamen genere orationis, quales sunt, quæ à Ieremia de euersa Hierosolyma, ac templo, & captiuo populo institutæ sunt, & quibus Dauid Saulis, & Ionathæ, & deinde Abner interitũ pro dolore prosecutus est.

Cecidit, non adiiciet, vt resurgat virgo Israël.] Collapsam iam propheticis oculis intuetur domum Israel, & eò redactam, vt de eius instauratione spes nulla supersit. Illud porrò, *non adiiciet*, *non addet*, & similia, iuxta Hebræorum idioma idem 3.
E valet, quod *non iterum*, aut *non amplius*. Quod autem *cecidit* ad *virginem* referri debeat, non ad *domum*, ex eo constat, quia נפלה *naphelah*, id est, *cecidit* terminationis est fœmineæ, בית *baith* autem, id est, domus, generis est masculini.

Cur autem populus Israel, & alij etiam multi *virginis* sibi nomen assumpserint, vt *virgo filia Sidonis*, Isaias cap.23. & cap.27. *virgo filia Babylonis.* & cap.46. *virgo filia Ægypti*, diximus ad illud Isaiæ cap.37. v.22. *Subsannauit te, virgo filia Sion.* & ad illud Thren. cap.1. *Torcular calcauit Dominus* 4.

Cur Israël vocata virgo, & alij etiam populi idololatræ.

virgini

virgini filia Iuda. Vocari autem possunt virgines tam Israel, quam Iuda, non quia idolis metaphorico non succubuere concubitu (vt nonnulli volunt, quia reuera vterque populus, quo tempore virgo vocabatur, idola coluerat) sed quia, aut nunquam ab hoste victore subactus fuerat, & grauem aliquam, & sordidam ignominiam expertus (quæ ratio non omnino mihi probatur, quia sæpe populus ille externum subiit dominatum) aut quod potius reor, quia fœminæ in ætate puellari, & virginali statu delicatæ sunt, & gratæ parentibus, & ab illis indulgenter, ac molliter enutritæ. Qualiter ab Isaia *cap.* 3. describuntur, quibus nihil mollius, nihil excogitari potest elegantius. Cùm ergo virginem appellat Israel, statum proponit splendidum, ac lautum, vt grauior appareat ruina, & seruitutis, atque exilij sordes, ex superioris status comparatione. Quomodo verò Israelis casus non dicatur vnquam instaurandus, cùm tamen ex eo populo plurimum in patriam, & antiquum splendorem redierint, diximus in nostris commentariis in Zachariam *cap.* 8. ad illud, *Domus Iuda, & Domus Israel, sic saluabo eos*, & latè *in cap.* 1. *Osea num.* 51. & deinceps.

5. Vers. 2. *Proiecta est in terram suam, non est qui suscitet eam.*] Adhuc antequam in alienos fines extorris abducatur, in sua etiam regione fracta erit, & vilis. In quam hostis barbarus, & victor tantum assumet virium, quantum volet, neque erit vllus, qui illam à misera ea conditione, quasi à sepulcro ad vitam, seu liberum spiritum exsuscitet. Fortasse allusum est ad illam insolentis, & barbari hostis consuetudinem, qui subactos hostes sternit, sicut fruges in area, & in illos tribulam inducit, seu ferrata, atque serrantia carpenta, sicut pluribus diximus suprà ad illud cap. 1. *Eo quòd triturauerint in plaustris ferreis Galaad.* Alij alia cogitant de hac Israelitidis virginis proiectione, quæ libens omitto, ne longus sim. Ego hîc consuetudinem aliam, seu prouerbialem alium dicendi modum videre videor, quo apud Hebræos extrema calamitas explicari solet, de qua nos pluribus *Cant.* 8. ad illud, *Sub arbore malo excitaui te*, & *Ezech. cap.* 16. ad illud, *Proiecta es super faciem terra in abiectionem anima tua.* vbi puella fingitur exilis, & immunda, vtpote recèns à puerperio, aut exposita feris, aut quacunque alia, siue naturæ, siue cælorum iniuria statim peritura, nisi quis exsuscitet è terra, & quasi de tumulo reuocet ad vitam. Dicit ergo Propheta talem videri Israelis statum, neque nullum esse, qui ab eo excitare possit. Qualis autem ille sit, aut cur virgo Israel proiecta in terram dici possit, statim declarat.

6. Vers. 3. *Urbs de qua egrediebantur mille, relinquentur in ea centum.*] Satis videtur proiectus, atque consumptus ille populus, cuius decimus quisque relictus est, id est, è mille centum, & è centum decem, quando verò eò redactus est populus, nó procul abest à ruina; & penè in eo videtur positus articulo, in quo proiecta puella recèns nata, cui vitã quicũque casus potest eripere. Ex quo constat aut non omnes Israelitas cecidisse ferro, aut consumptos esse fame, aut excessisse exules à patriã, quando in ciuitatibus singulis decimus quisque dicitur esse relictus: nisi mauis hæc intelligenda non esse de extremo Assyriorum appulsu, sed de aliis, quibus ab illis res Israelitica grauiter attrita est, & ad exiguum istum numerum redacta. Cùm enim sic essent exhaustæ Israeliticæ vires, & bellatorum imminutus numerus, facile cùm ad extremum toties iam victrices copias reduxit Assyrius, sic vrbes suis vastauit ciuibus; & non solùm inde Israeliticum genus, sed Israeliticum etiam nomen exulauerit. In hanc penè sententiam Remigius, Hugo, Dionysius, & Figuerius.

7. Porrò in decima hac parte exiguum significari numerum, cúmque ex ingenti aliqua multitudine relictum, indicat Isaias *cap.* 6. *v.* 12. in eodem propè argumento. *Et adhuc*, inquit, *in eo decimatio*, id est, collectio decimæ partis, quæ ex hostium prædatione, ac strage reliqua fuerat, quasi dicat: post vindemiam erit adhuc racematio, id est, reliquiarum collectio. Hoc idem sub alia metaphora explicuerat suprà cap. 3. v. 12. *Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auricula: sic eruentur filij Israel, qui habitant in Samaria.*

8. Vers. 4. *Quia hac dicit Dominus domui Israel, quarite me, & viuetis.*] Non obliuiscitur Deus ingenij sui, ac naturæ mitissimæ, cùm irascitur enim, misericordiæ recordatur, vt notauit hîc optimè Hieronymus, & nos in hanc sententiam nonnihil in illud Isaiæ cap. 1. *Lauamini, mundi estote.* Idem Origenes *homil.* 1. *in Ieremiam.* Illud *quia*, non semper est rationalis particula, sed interdum alia longè diuersa significat. Hîc, vt credo, aduersatiua est, & idem valet, quod *at verò, verumtamen*, vt nos pluribus ostendimus, in illud Isaiæ 66. *Quia parturiuit, & peperit Sion.* & in illud Ieremiæ cap. 4. 8. *Quia ignis egressus est.* vnum accipe exemplum. Tu plura inuenies. Cùm dixisset Dauid Psal. 36. de iustis, *Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur.* de peccatoribus subdidit, *Quia peccatores peribunt*, id est, *verumtamen peccatores*, &c. Vide plura ad illud Oseæ cap. 10. *Quia luxit super eum populus.*

REGVLA. *Quia aduersatiua particula.*

9. *Et nolite quærere in Bethel, & in Galgala, nolite intrare.*] Quomodo istæc duo loca idolorum cultu nefario, & quæ inde oriuntur, flagitiis fuerint nobilitata, diximus *Osea cap.* 4. *num.* 83. De Bersabee nunc aliquid dicendum. Neque dubium videtur quin ciuitas illa Gentilium Deorum aris, atque delubris fuerit infamis; neque enim aliter cum Bethel, & Galgalis numeraretur. Sed huius rei licèt nihil, quod ego viderim, in Scriptura sacra habeamus expressum, habemus tamen coniecturas aliquas, atque vestigia. Primùm, quia quemadmodum in Dan, id est, in extrema parte terræ promissionis locatus est vitulus à Ieroboamo, sic etiam in extrema alia parte verisimile est fuisse religionis impiæ instituta sacraria: quo omni ex parte à Hierosolyma, & templo arcerentur tribus, quas ad se rex impius ex toto Israelis corpore traduxerat. Fuisse autem duas illas ciuitates Dan, & Bersabee in extremis promissæ terræ finibus, etiamsi cætera defuisset, probat vulgatus ille dicendi modus, quo Scriptura sacra, dum totam illam terram circumscribit, frequenter vtitur. 1. Reg. 3. 20. *Cognouit vniuersus Israel à Dan, vsque Bersabee, quòd fidelis Samuel Propheta.* & similia passim.

Bersabee locus impia religioni consecratus.

10. Secundò quia diabolus religiosa loca, Deóque vero præcipuo quodam modo consecrata, vt Deo videretur non dissimilis, eripi Deo, & sibi ipsi dedicari studuit, vt facit in Bethel, quæ domus appellata est Dei, cùm priùs Luza vocare-

Diabolus consecrata Deo loca dedicari sibi optat, & curat.

tur: quia ibi ab Israele excitatum fuit altare, vbi aurei vituli locatum fuit impurum atque immane sacrarium, quod item fecit in Galgalis, religioso quodam loco, vt diximus *Osea 4. num. 83.* sed Bersabee locus etiam fuit religiosus, & sacer, ex quo Abraham fœdus iniit ibi cum Abimelec *Gen. 21. v. 31.* & additur statim v. 33. *Abraham plantauit nemus in Bersabee, & inuocauit ibi nomen Domini æterni.* & *Gen. 26. v. 24.* eodem loco apparuit Deus Isaac, *qui ædificauit ibi altare, & inuocato nomine Domini extendit tabernaculum.* Scio alias expositiones adduci ab aliis, sed hæc nihil videtur habere distorti, & est magis ad bonorum auctorum mentem, aliæ minus faciles sunt, atque solutæ.

Bersabee locus pius, & sacer.

11. *Quia Galgala captiua ducetur, & Bethel erit inutilis.*] Ostendit Propheta cur ex vsu Israelis futurum sit Deum quærere verũ, & patrium, & idola vana, eorúmque delubra prorsus abiicere, quia à Deo præstari possunt omnia, quæ optare posset prudens hominum votum; ab idolis autem, quæ nihil sunt, nisi vana quædam species, & mortua, sperari nihil potest præter ignominiam, & dedecus. Quin potiùs Galgala, quæ idolis abundat, imò quæ idolorum est communis officina, deripietur ab Assyriis, & sicut ciuitates aliæ exilium subibit. & Bethel, quæ spem stultorum in rebus angustis, & dubiis sustentabat, aberit prorsus inutilis, & fallax. Quare magno suo merito vocari potest, non Bethel, id est, Dei domus, vt antea, sed Bethauen, quod nomen postea consecuta est, id est, domus iniquitatis, seu domus inutilis. Aut quia ipsa inutilis aliis, atque inanis fuit, aut quia inanis erit, & spoliata prorsus, & in nihilum ab hostibus redacta.

12. Hîc duo nobis obseruanda, alterum hîc per metonymiam *Galgala*, & *Bethel*, sumi pro his, quæ inibi ab Israele iam seducto colebantur: capta enim cum ciuibus fuerunt idola, quæ sibiipsis salutem afferre nequierunt, & in vasa ad domesticos vsus necessaria ignominiosè cõflata. Quòd verò dij captiui abducerentur, diximus suprà *cap. 1.* ad illud, *Et ibit Melchom in captiuitatem.* Quòd aurei quoque vituli translati fuerint ad Assyrios, diximus *in cap. 10. Oseæ, v. 5.* ad illud, *vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ.*

13. Alterum est, in nominibus *Galgala*, & *Bethel*, eleganter lusisse Prophetam nostrum Thecuanum, & rusticum. Galah enim migrare significat, seu captiuum abigi: inter vtranque autem vocem magna est similitudo: quare elegans est paronomasia, qualis illa comici *hæc inceptio est amantis, amentis*, & illa, *Ex oratore arator factus est.* huiusmodi plurimæ occurrunt in sacris literis, quas quia Latinus sermo assequi non potest, ignorant qui Hebraicè nesciunt. Tales sunt illæ Dan. cap. 13. *sub prino*, & *sub schino*, quibus Propheta opposuit, *scindet & diuidet*, in quibus venustatem agnoscunt Græci, quæ tamen apud Latinos frigent. Et Isaias *cap. 5.* in illis vocibus, *Expectaui vt faceret iudicium, & ecce iniquitas, iustitiam, & ecce clamor.* Hæc Hebraicè venusta sunt, in illis tamen Latinus nil videt argutum. Sic etiam Latinus in hac coniunctione, *Galgala captiua ducetur*, nihil agnoscit elegans, nihil ex arte, at Hebræus videt aliquid ab agnominatione pulcrum. Sic enim ille legit, Guilgal, Galo, Igleh.

REGVLA. Paranomasia in Scriptura frequens.

14. De Bethel alia ratio est, & ex alio capite orta venustas, nempe ex etymologia, seu notatione nominis. Notum est enim ciuitatem illam, quæ

A olim dicebatur Bethel, posterioribus sæculis propter aureos vitulos appellatam esse Bethauen, vt diximus ad illud Oseæ cap. 10. *Vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ.* Bethauen autem domum significat iniquitatis, vt vertit hunc Oseæ locum Theodotio, aut domus inutilis, siue nihili, vt verterunt Symmachus, & Aquila, quam translationem tam ibi, quàm aliis sæpe locis probat Hieronymus. Componitur autem Bethauen à *beth*, quæ domum, & ab און *auen*, quæ inter alia mendacium, & vanitatem, seu inanitatem valet. Quare argutè Amos ait Bethel, quæ sua ætate, vulgo etiam hominum, dicebatur Bethauen, esse omnino quod nomen ipsum præseferebat, domum scilicet inanem, & inutilem, ex qua nihilo plus haurias, quàm à vase vacuo, aut in qua nihil sit postea ab Assyrio relictum. Et hoc posterius probat Septuaginta translatio.

Bethauen cur sic appellata.

B Vers. 6. *Quærite Dominum, & viuite.*] In dicendi modo epitasis est: sumitur enim sæpe imperatiuus pro futuro. Sed id habet præcipuum, quod rem significat certam, & quasi iam paratam & præsentem, exempla adducit Pagninus *lib. 3. instit. cap. 12.* ex hac obseruatione explico illud Deut. 32. v. 49. *Ascende in montem istum Abarim*; &c. *& morere in monte.* Quod idem est, atque si dixisset, statim certissimè morieris. Quod explicuit statim cùm per epexegesim addidit, *Quem conscendens iungeris populis tuis.* 15.

REGVLA. Imperatiuus pro futuro cũ epitasi.

C *Ne fortè comburatur, vt ignis, domus Ioseph.*] Domus Ioseph, pro decem tribubus vsurpatur, quas à duabus aliis & domo Dauid distraxit Ieroboam, qui fuit Ephraimita. Vnde fit vt decem tribus, quæ post discessionem vocatæ sunt Israel, appellentur quoque frequenter Ephraim, quia ex illo prognatus Ieroboam. Vnde etiam ortum vt Ioseph pater Ephraim, eandem ob caussam, nomen quoque suum decem tribubus dederit, quæ primum regem, regiúmque conditorem habuerunt Ieroboam è genere Ioseph. 16.

Ioseph pro decem tribubus.

Illud *comburatur vt ignis*, aliquid indicat arcanum, cùm modus sit loquendi à vulgi consuetudine nonnihil alienus. Non enim dicitur ignis comburi, sed comburere materiam sibi suppositam. Ergo hîc epitasim agnosco, & formam locutionis hyperbolicæ. Audieramus suprà *cap. 4. v. 11.* de Ephraim, *Facti estis, velut torris raptus ab incendio.* in torre autem, id est, vstulato ligno, licèt neque succus sit vllus, neque color nisi ater, & horridus, est tamen in eo aliquid solidi, & vestigium aliquod, ex quo non difficile coniectes, quid antè fuerit. At si totum occupet ignis, & in cinerem soluat, ac fauillam, neque vestigium habet vllum prioris formæ, neque vllum vsum eorum quos dum torris esset, id est, ambustum lignum, habere potuit. Hæc fortasse vera sententia est. Neque displicet, si ignis hoc loco sit in obliquo casu; in hunc sensum. Ne sic pereat domus Ioseph, hostili ferro quasi grassante flamma. Vel si actiuè exponas, quomodo sumpsit Chaldæus, & cum illo quidam Hebræorum magistri, ne sic pereat domus Ioseph, quasi illam inuasisset, & vorasset incendium. Septuaginta clariùs, μὴ ἀναλάμψῃ ὡς πῦρ οἶκος Ἰωσὴφ, *vt non reluceat tanquam ignis domus Ioseph.* Sed quocunque modo legas, idem est sensus, sed vulgata translatio multo est significantior. 17.

D

E

Vers. 7. *Qui conuertitis in absynthium iudicium, & iustitiam in terra relinquitis.*] Caussam reddit cur domui Ioseph timenda sit vastitas à gladio, non 18.
secus,

Digitized by Google

secus, atque incendium ab igne, nisi ad Dominum, quem deseruere, reuertantur. Quia talia admittunt, qualia hic à Propheta reprehenduntur. Conuertent iudicium in absynthium, vt ait Hieronymus, *qui iniquo iudicio Deum ad iracundiam prouocauerunt, & conuerterunt dulcedinem iudicij in absynthij amaritudinem, assumentes iniquitatem, & iustitiam relinquentes.* Loquitur autem Hieronymus, vt apparet, de his, qui causis publicè disceptandis præsunt, & legum sunt vindices, atque custodes; qui dum suæ potius commoditati, quàm legum ac iuris integritati seruiunt, conculcant omnia, peruertunt iura, & Dei, qui legum, & æquitatis conditor est, in seipsos furoris stimulos exacuunt. Sed si de his iudicibus, ac magistratibus sermo sit, alia etiam esse posset huius loci sententia. Qui miseri sunt, tenuíque fortuna, quíque nequeunt se tutò potentiorum calumniis opponere, perfugium habent in iudicum potestate, ac fide, quæ mœrentes consolantur, du maiori auctoritate frangi posse sperant potētiorum audaciam. Quare publicus ille iudicum, magistratuúmque consessus, illis dulcis est, quíque spe tuendæ libertatis omnem ex animo metum, & amaritudinem abstergit. Sed hæc, quæ miseris debuit esse dulcedo, in absynthium conuertitur, dum iudices iustificant impium pro muneribus, & ipsi non minus, quàm alij in miserorum fortunas inuerecundè, ac violenter irrumpunt.

Iudicū iniquitas.

19. Sed credo hunc locum patere latiùs, & *iudicium* significare quicquid homo siue legibus, siue naturæ bene constitutæ præscripto præstare debet. *Iudicium* enim in Scriptura sacra idem interdum valet, quod *officium*, aut quod quis accepit à lege, siue approbata consuetudine. Exemplorum abundè dabit *Psal.118.* Accipe ex aliis locis pauca. Psal.105. *Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam.* Isai.cap.5. *Expectaui, vt faceret iudicium, & ecce iniquitas.* Pro officio igitur, quod præstare debuit Ephraim, & iustitia, quam si, vt par erat, studiosè seruaret, rem Deo fecisset gratissimam, qua suauissimum propinaret poculum; dum iustitiam relinquit, suæque magis libidini, quàm rationi seruit, absynthium porrigit, & fel. Quod autem peccatum absynthij aut amaritudinis explicetur vocabulo, multa docent, & nos adduximus non pauca ad illud *Osea cap.14.v.1.* vbi de eodem populo sermo est. *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitauit Deum suum*, & ad illud Thren. 1. v. 18. *Os eius ad iracundiam prouocaui.* id est, amaricaui. Quare sensus erit, pro sanctitate, quam integram seruare debuistis, pleni estis peccatis, quæ & vobis instar erunt absynthij, & me in caput vestrum durum esse facient, & amarum.

20. Vers.8. *Facientem Arcturum & Orionem.*] Ab illis verbis, *Quærite me, & viuetis*, quæ sequuntur ad hæc vsque verba, claudenda sunt parenthesi. est enim longum hyperbaton, quod transiliendum est, vt superiora cum verbis hisce aptè coniungantur. Sic autem coniungo. *Quærite me, & viuetis facientem Arcturum, & Orionem*, &c. media autem, quæ nonnihil à continenti filo deflexerunt, incidenda sunt. Porrò quid propriè significent voces Hebraicæ כימה *kimah*, & כסיל *kesil* incertum, neque eodem semper modo conuertit Hieronymus כימה, quam hoc loco reddidit Arcturum. Iob *cap.9.* reddidit Hyadas. Quàm sit horum nominum significatio incerta, ipse docuit Hieronymus hoc loco. *Arcturus*, inquit, *qui Hebraicè kimah dicitur, à Symmacho & Theodotione in Pleiadas vertitur, quem vulgo Bootem vocant. Orionem autem qui Hebr. dicitur kesil, Symmachus absolutè stellas, Theodotio interpretatus est vesperum. Hebræus autem, qui nos in Scripturis sanctis erudiuit, kesil intepretari putat splendorem, & significare generaliter astra fulgentia.* In reipsa non puto interesse magni, hoc ne an illo modo interpreteris. Neque enim alius est sensus, quàm à Deo creata fuisse sydera, quam aliis sæpe locis Scriptura vocat cæli militiam: per synecdochen autem pars pro toto ponitur, id est, duo sydera, pro omnibus aliis, quibus cælorū pellucida natura distinguitur. Cur verò præsertim Thecuanus pastor duorum horum syderum meminerit, quæcunque illa sint, ea idonea videtur esse ratio. Quia pastores, qui in agro pernoctant, hæc præsertim astra obseruare solent. Sanè Arcturus, & plaustra Bootæ, Orion, & Pleiades, Hispanis pastoribus notissima sunt, neque ipsi plerunque aliis vtuntur signis, vt nocturna spatia metiantur.

Et conuertentem in manè tenebras, & diem in noctem 21.
mutantem.] His verbis nihil aliud significari puto, quàm Deum esse Dominum, & dispensatorem temporum, qui facit vt dies nocti, & contra nox diei, atque luci succedat. Seu certè cui facile est efficere, vt in mediis tenebris lux appareat, id est, vt nox illustretur quasi à solari lumine, & dies tenebris quasi nocturnis obscuretur. Quod aliter explicuit Ieremias cap. 15. v.9. *Occidit ei sol, cùm adhuc esset dies*, & Amos infrà cap. 8.v.9. *Occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis.* Quibus verbis Dei ostenditur singularis potentia, qualem non habuere Gentilium dij, à quorum obseruantia, & cultu Ephraimitas auertit. Hoc planè dixit verbis non admodum dissimilibus Iob *cap.9.* vt Dei in vniuersi molitione, ac fabrica probaret, commendarétque potentiam. *Qui præcipit Soli, & non oritur.* Ecce dies obscuratus, impedito Solis stato, atque legitimo progressu, *& stellas claudit subsignaculo.* Ecce nocti inducta caligo. *Qui extendit cælos solus, & graditur super fluctus maris. Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas, & interiora Austri.*

Deus subito obscurat illustria, & illustrat obscura.

Qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem 22.
terræ.] Admirabilis illa vis, & potentia fuit, quæ sursum potuit euocare aquas maris amaras, & salsas, idoneásque magis, vt sterilitatem, & maciem, quàm vt vim fœcunditatis inducat. Illas tamen Deus sic à salsugine, vique omnino pestilente purificat, vt dulces fiant, atque potabiles, & latè se in omnem locum quantuncunque præruptum, & sublimem effundant. *Aquas maris*, inquit hìc Hieronymus, *amarissimas æthereo calore suspensas excolat, & eliquat in dulcem pluuiarum saporem, instar medicinalis cucurbitæ, quæ calore superioris gyri humorem, & sanguinem sursum trahit: ex quo discimus vnde sint pluuiæ.*

Hæc mihi potiora sunt. Sed fortasse Thecua- 23.
nus rusticus locutus est hìc ex vulgi opinione. Quod sæpe facit Scriptura sacra, potius quàm ex meteorologia philosophica, vt pluribus ostendimus in nostris commentariis in Isaiam *cap.13. num. 11.* Putat enim rusticorum vulgus nubes è sublimi descendere, impleréque sinus, ex marinis fluctibus, quos deinde ad hominum vsus fundit, atque dispensat. Sic sanè loquuntur profani, qui cælestem arcum aquam bibere, & eandem effundere statim in terram, aut verè putant, aut vulgus hominum ita meditari significant. Martialis lib.12.epigr.29.

REGVLA. *Scriptura in loquendo interdum se ad vulgi opinionē accommodat.*

Digitized by Google

Iris vulgò existimatur aquam haurire è mari.

Ceruinus gelidum sorbet sic halitus anguem
Casus ut aliè sic rapit Iris aquas.

Et iterum lib. 4 epist. 19.

Ne madidos intret penetrabile frigus in artus,
Néve grauis subita te premat Iris aqua.

Et clariùs Plautus in Curculione actu 1. scena, *Flos veteris. Ecce autem bibit arcus, pluet credo Hercle hodie.* Vide Cœlium Rhodiginium *lib. 22. cap. 29.* Et facit ad hanc explicationē, quod nō è mari solùm ascendunt vapores, qui concrescunt in nubes, imò multo magis ab humida, atque palustri terra, quàm à mari vapores attolluntur, cuius rei illa grauis est coniectura, quòd qui in altum se pelagus dederunt, tum terram esse proximam putant, cùm nubes aspiciunt, qua videlicet, ex terrestri magis, quam è marino vapore coguntur. Hæc mihi non improbabilia; sed prior sententia communis est, & ideo magis mihi probatur.

24. Vers. 9. *Qui subridet vastitatem super robustum, & depopulationem super potentem affert.*] A rerum creatione, dispensationeque, Dei probauit omnipotentiam, nunc idem probat, quia nulla illi vis obsistere potest, quominus aut potentes deturbet, & frangat, aut infirmos corroboret. Quod explicat nouo quodam orationis genere. *Subridere* non semper signum est lætantis animi, sed aliquando minantis cum irrisione quadam, & contemptu illius, in quem offensi sumus, & inimico animo. Quod plerunque accidit his, qui viribus pollent, aut qui sibi tantum arrogant virium, vt reliquos præ se contemnendos putent. Ita indicat Hieronymus dum adducit translationem Aquilæ, quam probat, & sequitur. Qui vbi ipse reddidit *subridens*, ille habet μειδιῶν, quod offensionem quandam, & iracundiam importat. Quo verbo in affectu simili non semel vsus est Homerus, & ad eius exemplum Virgil. lib. 9. Æneid. ad Pandarum.

Olli subridens sedato pectore Turnus,
Incipe, si qua animo virtus, & consere dextram.

Et iterum lib. 10. ad Orodem.

Ad quem subridens mixta Mezentius ira,
Nunc morere.

25. Hinc illud *subridere triste, amarum, crudele, formidabile*, & similia. Sed puto hoc loco *subridere vastitatem*, nihil esse aliud, quàm cum risu aliis vastitatem inferre, id est, sine vllo angore, ac metu, quo viri etiam fortissimi carere non solent, in eo conflictu, quo ciuitas vastatur. Hìc porrò obseruandum, cùm verbis neutris, quasi actiua forent, accusatiuum damus, actionem aliquam significare, cum modo tamen, quem verbum importat. Qualis est illud, *Exultabit lingua mea iustitiam tuam.* id est, cum exultatione celebrabit. Isaiæ cap. 49. *iubilate montes laudem*, id est, celebrate cum iubilo, Thren. 1. *vigilauit iugum*, id est, expectauit, aut obseruauit vigilanter. Sic Latini dicunt, *deperire aliquem*, id est, ad mortem amare. *Corydon ardebat Alexin*, id est, ardenter amabat. Sic puto, *subridere vastitatem* importare excidium sine vllo vel metu vel labore, ita vt tantum absit, vt quis de euentu timeat, aut in eo laboret, vt potiùs lætetur, & rideat. Sic apud Latinos frequens, *Quod aliis graue, mihi ludus, & iocus est.* Tā ergo Deo facile erit euertere Samariā, quantumcunque se contra omnes, aut temporum, aut bellorum casus communierit, vt quasi in eo opere subrideat, & ludat, & idem valet quod statim additur, *Et depopulationem super potentem afferet.*

REGVLA. Verba neutra cum accusatiuo coniuncta modum secum important.

26. Vers. 10. *Odio habuerunt in porta corripientem: & loquentem perfectè abominati sunt.*] Hoc fuit omnium

A scelerum incrementum maximum, & quasi cumulus, qui contra Samaria, gentémque Ephraimitidem diuinum armauit furorem, & vastitatem à subridente horribilem inuexit. Cùm enim eò ventum est, vt quis corripientem oderit, maximè cùm id pro officio, & dignitate faciat, de ipsius salute, ac vita desperandum est. Sicut de vita ægroti actum esse creditur, cùm eget omnino medicamento, ac medico, & vtrunque sui atque rationis impos auersatur, atque horret. Qui in porta sedet, & legitimè corripit, iudex est, aut qui publicas curas moderatur, & sustinet; his ergo non parere, aut, quod maioris est audaciæ, hos habere ludibrio atque odio, extremæ est amentiæ, B & eius, qui in interitum velit ruere, voluntarium. Hic verò qui in portis iudicat, & corripit, quia secundùm leges iudicat & loquitur, quia illæ à recta, perfectáque ratione abesse non debent, rectè dicitur atque perfectè loqui. Portas autem pro tribunali, aut legitimo iudicandi loco sumi, satis 27.
est exploratum; cur verò publicus, legitimúsque consessus in portis fiat, rationem tradit hic Hieronymus, & hìc & in cap. 8. Zachariæ ad illud, *Veritatem, & iudicium pacis iudicate in portis vestris.* Super hunc locum ait, *In porta iuxta veterem morem Iudaici populi esse iudicia, & sæpe legimus, & crebrò interpretati sumus, vt neque agricola ad causam veniens frequentia ciuitatis, & nouo terreretur aspectu, neque vrbis* C *habitator longè ab vrbe properaret, & subuectionem quæreret iumentorum.* Super locum citatum Zachariæ, *Ne cogerentur*, inquit, *agricola intrare vrbes, & aliquod subire dispendium, iudices in portis residebant, vt tam vrbanos, quam rusticos in exitu & introitu vrbis audirent: & finito negotio, vnusquisque confestim ad proprias sedes reuerteretur.* id verò constitutum erat Deut. cap. 16. v. 18. *Iudices, & magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi per singulas tribus tuas, vt iudicent populum iusto iudicio, nec in alteram partem declinent.*

Qui correctionem odit proximus est ruinæ.

Cur iudicia in portis.

Sunt qui corripientem in porta Prophetam 28.
esse putāt, qui perfecta loquitur; quia non alia loquitur, quam quæ diuino Spiritu afflatus acce- D pit. Et sanè Prophetæ loquebantur, & corripiebant in porta, quia ibi maior erat populi frequētia, ad quam propheticum sermonem effunderent. Psal. 72. *Vt annunciem omnes prædicationes tuas in portis filia Sion.* & *Prou.* 1. sapientia dicitur clamare in foribus portarum vrbis, & Ieremias *cap.* 17. prophetare iubetur in porta ciuitatis, & ita putat Theodoretus, & Cyrillus, & cum illis è recentioribus alij, neque mihi displicet.

Propheta in portis loqui soliti.

Vers. 11. *Idcirco pro eo quòd diripiebatis pauperem,* 29.
& prædam electam tollebatis ab eo, domos, quadro lapide ædificabitis, &c.] Ex eo quòd iudicia contempserunt, tam iudices, qui custodes esse debuerunt & vindices legum, quàm qui recta loquentium, id est, legitimè, ac rectè iudicantium decreta con- E tempserunt, ortum est vt nihil à calumnia tutū, nihil non expositum aliorum iniuriæ, ac prædæ. Quare pauperum causæ plerunque laborabant, neque quicquam habebant pretiosum, quod aliorum caperet oculos, atque animos, in quod non iniicerent viri potentiores furaces, ac violentas manus. Eapropter ipsorum domus licèt sectili, atque quadrato lapide ad firmitatem constructæ in hostium potestatem venient, neque ab illis habitabuntur, quorum opera, & sumptu ædificatæ sunt. Neque ex vineis, quas electo surculo plantauerunt, vinum exprimient, aut si quod expresserint, alieni bibent, qui nō secus hæc bona diripient, & ad suos vsus, libidinémque conuertent,

ed by Google

tent, quàm ipsi ad vsus non semper honestissimos pauperum bona diripuerunt. Hæc non obscura sunt.

30. * Vers.12. *Quia cognoui multa scelera vestra, & fortia peccata vestra, hostes iusti, accipientes munus, & pauperes deprimentes in porta.*] Hic iam iudicum, & magistratuum scelera ciuium, ac populariun peccatis adglomerat, quorum multa dicit esse peccata non solùm numero, sed etiam genere, quæ etiam dicit esse fortia: vel quia graue, & forte exigunt à Deo peccatorum vindice supplicium; vel quia ab obstinato animo, & ad omne peccatorum genus audace, atque potente nascũtur. Est enim ad peccandum sua quoque potentia, quam meliùs languorem, & infirmitatem appellas, appellatur sane à vulgi decepti falsa opinatione potentia, cuius opinionem in loquendo nonnunquã sequitur Scriptura. Sic Isaias cap.5. v.22. *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.*

Peccata cur vocata fortia.

31. *Hostes iusti.*] Posterius hoc nomen in genitiuo est numeri singularis, & est idem qui pauper: nã pauperum causa, maximè quando cum potentiori concertatio est, iustior est plerunque. Iustum autem & pauperem non minus infideles, atque corrupti iudices oppugnant, quàm qui in illorũ fortunas hostiliter irrumpunt. Quod verò statim additur, *accipientes munus*, ad iudices spectat, qui largitionibus corrupti, & sontes absoluunt, & damnant insontes, neque tam æquitati, reique publicæ, quàm suæ commoditati seruiunt. De quibus Isaias cap.5. *Væ qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo.* & Prou.cap.17. *Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est vterque apud Deum.* Ad eosdem iudices spectat, quod additur, *& pauperes deprimentes in porta.* id est, in tribunali, ac foro, quod in portis à lege constitutum est.

Pauperis causa plerumque iustior.

32. Vers.13. *Ideo prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est.*] Hieronymus duas hic expositiones adducit, & vtramlibet satis accommodatam ad textum. Altera hæc de paupere intelligit, qui si prudens est, eliget potius, dum fraus, & pecuniæ dominantur in iudiciis, pecuniam amittere, & seipsum sceleris reum, aut iniustum pecuniæ possessorem fateri, quàm fori molestiam, iudicum, aduersariorúmque calumniam, & bonorum suorum maiora multo dispendia subire, cùm nullum in ea iudiciorum peruersitate speret operæ, atque laboris pretium. Altera prudentes Prophetas vocat, quorum munus est peccantem arguere, qui cùm viderint, eò tandẽ erupisse hominum peccata, & obstinatos animos à peccando reuocari non posse, tum deinde adesse tempus malum, cùm obsideatur ciuitas, & captiuitas instet, tacebunt, quia iam nullam ex suis clamoribus vtilitatem expectant. In hanc sententiam inclinant Cyrillus, Theodoretus, & interpretũ plerique. Pro qua sententia facit illud Prou.9. v.7. *Qui erudit derisorem, ipse iniuriam sibi facit: & qui arguit impium, sibi maculam generat. Noli arguere derisorem, ne oderit te, argue sapientem, & diliget te.* Et Eccli.32.v.9. *Vbi auditus non est, non effundas sermonem.* Quòd si illud, *Odio habuerunt in porta corripientem, & loquentem perfectè,* de Prophetarum contemptis clamoribus intelligas, plus habet probabilitatis ista sententia, quæ etiam mihi multo potior est.

Prophetis & concionatoribus vtile aliquando tacere.

33. Vers.14. *Quærite bonum, & non malum, vt viuatis, & erit sic Dominus Deus exercituum vobiscum, sicut dixistis.*] Semper Deus quàm sit ad miserendum pronus ostendit, cùm iratus est, in ipso etiam mi-

A narum æstu misericordiæ recordatur. Hucusque Ephraimitæ malum quæsierant, & non bonum, idola nimirum contempto Deo vero, aut pauperum bona per calumniam, & fraudes pietatis immemores, ac fidei, quam integram, atque incorruptam seruare debuerant. Et tamen vitam sibi promittebant, abundantem scilicet, & quietam, quæque verè posset appellari vitalis: & Deum sibi futurum esse propitium, idque, & secum, & publicè stolida plane confidentia prædicabant. Nunc Propheta monet, vt contra faxint, vt Deum videlicet colant, contempto vano idolorum cultu; & vitam suam omnino retexentes, melioribus studiis, & institutis informent. Hæc aperta
B sunt: illud obseruandum, *viuere*, vt alibi dictum est, significare id, quod in vita homines putant esse præclarum, & optabile. Quale est abundare opibus, otio frui, & quiete, doloribus carere, bonam apud omnes habere existimationem, & similia. Qui enim cum doloribus, aut mala fortuna conflictatur, illum mortuis potius, quàm viuentibus vulgus annumerat, cuius nomine dixit Seneca,

Viuere idẽ, quod feliciter ac iucundum esse.

Mortis habet vices
Lentis cùm trahitur vita gemitibus.

Hic dubium est, quando Ephraimitæ dixerint 34.
Dominum Deum exercituũ secum esse futurum; Hieronymus tunc illos hæc dixisse putat, quando
C cùm sese iactant ex Abrahami semine prognatos. Quare monet Propheta, vt si filij Abrahami esse, ac videri volunt, & Deum secum habere proprium, & patronum, imitentur Abrahami opera, & bonum quærant, quod ille facit, & non malum à quo Abrahami animus vehementer abhorruit. Theodoretus hæc ad illud refert, *Quærite bonum, & non malum.* Hoc enim sæpe dicebant filij Israel, quibus Dauidici Psalmi multum erant in ore, in quibus hæc sententia frequens, Psal.30. *Declina à malo, & fac bonum.* Psal.69. Psal.33. Idem Cyrillus sentit. Vtrunque satis ad rem, nec displicet quod visum est Riberæ. Hoc in precibus, & salutationibus Hebræis esse familiare, *Dominus sit nobiscum,*
D *Dominus sit tecum, propitius sit tibi Deus*, & similia. Sic Angelus Gedeoni, Iudic.6.v.12. *Dominus tecum virorum fortissime.* & Ruth cap.2. his verbis Booz messores salutat, *Dominus vobiscum.* Quam salutationẽ ad postrema reipublicæ Israelitæ tempora durasse, docet secundus liber Machab. *cap.1.v.5.* sic enim fratres suos salutant Iudæi, quo tempore à Græcorum armis non nihil respirare cœperunt. *Exaudiat Deus orationes vestras, & reconcilietur vobis, nec vos deserat in tempore malo.* Et Angelus ad Mariam familiari, opinor, Hebræorum more, hunc in modum salutat, *Aue gratia plena, Dominus tecum.* Monet ergo Propheta, vt si velint illa sibi contingant, quæ sibi vicis-
E sim aut salutando, aut precando dicunt, & optant, bonum etiam vicissim quærant, & non malum.

Dominus vobiscum, familiaris salutatio.

Vers.15. *Odite malum, & diligite bonum, & constituite in porta iudicium.*] Iubet vt illa reuocent, & amplectantur, quæ malè prodiderant, vt à vitiis animum ad honestatem conuertant, & æquitatem, quæ iam pridem exularat à portis, & iudiciis in suum sibi locum postliminio restituant, id est, vt legibus potius, quàm voluntati suæ, accommodis datam sibi iudicandi potestatem attemperent. 35.

Si fortè misereatur Dominus Deus exercituum reliquiis Ioseph.] Modus iste dicendi, qui dubitanter aliquid significat, difficultatem indicat in rebus 36.

& arbitrij nostri libertatem. Quia licèt aliquid reuera futurum sit, fieri tamen potest, vt homo rerum difficultate deterritus illa aggredi, aut subire non audeat, quæ Deus exigit ab homine, quæque ad misericordiam, & veniam idoneæ comparant peccatoris animum. Vide Ambrosium *lib. 2. de pœnit. cap. 5.* Reliquiæ Ioseph illi dicuntur, qui & Ephraim, id est, è decem tribubus ex strage sæpius ab Assyriis edita superstites fuerunt. Ex quo discimus, hæc ab Amos eo tempore fuisse denunciata, quando vastari cœpta est res Israelitica.

37. Vers. 16. *In omnibus plateis planctus: & in cunctis, quæ foris sunt, dicetur, væ, væ.*] Sicut à versu 6. qui incipit, *Quærite Dominum*, ad versum 8. exclusiuè, diximus prophetiæ filum interruptum hyperbato: sic etiam nunc existimamus à v. 14. ad 16. hyperbatum esse, quod, sicut alterum prius, homines ad meliorem mentem hortatur. Nunc autem post parenthesim ad instituta reuertitur, contexitque minas, quorum tantisper videbatur oblitus. Ait ergo eam futuram esse plagam tam latè longéque patentem, vt nullus sit locus, qui non miserorum planctu amarè circumsonet. Erunt qui in plateis vrbium, locísque publicis, atque frequentibus exululent, ingeminéntque illud tritum, ac lugubre, væ, væ, neque extra vrbes in locis syluestribus, atque desertis deerunt, qui campos & syluas lugubri questu, atque vlulatu compleant.

38. *Et vocabunt agricolam ad luctum, & ad planctum eos, qui sciunt plangere.*] Quando aliquid nobis successit ex voto, omnibus animi nostri lætitiam impertimur, & vt nobiscum lætentur exhortamur. Quod ex communi hominum, & præcipuè Hebraici populi consuetudine significauit Christus, cùm pastorem induxit, qui inuenta, ac restituta oue, quæ à grege deerrauerat, conuocatis amicis, ac vicinis ait, Lucæ cap. 15. v. 6. *Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat.* quod idem fecit mulier, quæ inuenta drachma, hoc idem gratulationis officium ab amicis efflagitat. Neque nouum est vt cùm insigne aliquod à Deo beneficium accepimus, ad agendas gratias, laudandúmque Deum creaturas omnes etiam inanimatas aduocemus. Quod fecit Dauid sæpe, & tres pueri, qui *Dan. cap. 3.* cùm liberi, ac sani inter flammarum incendia deambularent, quicquid in rerum natura, in quocunque numeratur ordine, ad diuinas laudes celebrandas hortatur. Idem etiam accidit in mœrore. Inuitamus enim cùm aliquid nobis aduersum accidit, omnia etiam quæ rationis vsu, & sensu carent, vt nobiscum plorent, quasi tanto dolori non sufficiant nostræ, atque communes lacrymæ, quæ pretio emuntur, & facile alieno dolori adulantur, & seruiunt. Exemplorum satis apud poëtas maximè tragicos. Hoc ipsum nũc indicat, imò futurum esse dicit Amos, is enim erit dolor ex repentino casu, ea animorum consternatio, vt plangentes ciues, qui aut angustè obsidentur, aut bonis, ac vita spoliantur ab Assyriis, aduocent ad lacrymas, & planctum non solùm lamentatrices, & præficas, quæ venales habent lacrymas, sed etiam agricolas, & genus hominum indoctum, & rusticum, quod minus communium commodorum dispendio commouetur.

Ad gratulationem, & planctum in magno dolore, ac gaudio alios aduocamus.

39. Hîc obseruandum, quod etiam notaui in commentariis super Ieremiam ad illud cap. 7. *Et sume indirectum planctum*, non solùm lamentatrices esse fœminas, quæ venditas impendant lacrymas, & simulatos gemitus, sed etiam viros, qui venale

Non solùm fœminæ, sed etiam viri

A habeant illud artificium simulatè lugendi, quod coniectabamus ex *lib. 2. Paralip. cap. 35.* vbi viri, ac fœminæ legitimo planctu atque anniuersario prosequi traduntur Iosiæ funus. *Omnes*, inquit, *cantores, atque cantatrices vsque in præsentem diem lamentationes supra Iosiam replicant.* Et docet apertè locus iste, vbi aduocandi dicuntur non solùm agricolæ, qui cùm illius artificij sint ignari, dum plangunt, ex animo plangunt, sed etiam, qui sciunt plangere, id est, qui plangendi, atque adeò lacrymandi simulatoriam artem didicere. Quod Romanis, & aliis fortasse nationibus vsitatum fuit: neque satis habuerunt fœminas conducere, quæ in alieno funere capillos dissiparent,

lacrymas & planctū habent venales.

B ascititios credo, & lacrymas funderẽt arte potius expressas, quàm sponte cadentes, sed etiam viros, de quibus Horatius in arte poëtica prope finem.

Vt qui conducti plorant in funere, dicunt,
Et faciunt propè plura dolentibus ex animo.

Vers. 17. *Et in omnibus vineis erit planctus, quia pertransibo in medio tui, dicit Dominus.*] Quia varia subibunt ab hostibus infortunia omnes hominum ordines, & in omni loco, ideo omnibus, & vbique locorum luctus indicitur. Lugent in ciuitate ciues in plateis, & compitis, quia expugnari vident ciuitatem, & ciuium ornamenta diripi; lugent vinitores, & agricolæ, quia, quæ ipsi tanto 40.

C studio plantarunt, coluerúntque, conculcari, atque succidi cernunt ab Assyriis. Id verò significat Deus ipse, cùm ait, *Quia pertransibo in medio tui.* Ac si dicat, non hærebit intra ciuitatis mœnia bellorum pestis, sed inde egressa late grassabitur, & per omnia loca pertransibit tam frequentia ciuibus, quàm habitatoribus vacua. Quare vt in ciuitate politioris disciplinæ viri, sic in agris indocti, ac rustici plorabunt. Vineas autem non tantùm intelligo consitos vitibus agros, licèt hoc frequenter significet vineæ nomen, sed agrum, aut hortum, quocunque arborum genere plantetur, id nos latè probauimus in nostris commentariis super Cant. ad illud cap. 1. *Vineam meam*

D *non custodiui.* Est autem hîc antithesis non inelegans, in illa magna rerum conuersione, nam siue vinea sumatur pro horto, puta cypreto, ficeto, puniceto, &c. siue pro plantatione vinifera, in his hilares Hebræi, atque geniales ducebant dies. De hortis nemo dubitat, cùm illi ad exhilarandum animos mille hominibus opportunitates præbeant. Sanè in hortis nuptiarum peraguntur sacra; & sponsa *Cant. 7.* sponsum suum ad vineam inuitat, quam esse hortum ibi docuimus. Quòd si vinea, vt nomen ipsum præsefert, vinifera, seu vitifera sit, in ea exultant vinitores, cùm cantant celeuma, sicut agricolæ lætantur in messe. Pro

E læto igitur vinitorum celeumate dum vindemiæ dant operam, pro nuptialibus choris, & festiuis hymenæis audietur in vineis omnibus nihil aliud, nisi planctus, vlulatus, & tumultus.

Vers. 18. *Væ desiderantibus diem Domini.*] Dies Domini hoc loco sine dubio est ille, in quo Deus sumptis à væsano populo pœnis suo sibi furori satisfaciet. Quomodo extremus ille sæculorum dies, qui de vniuersorum hominum meritis iudicabit, dies appellatur Domini. de hoc die vide quid diximus ad illud Ioel. cap. 2. *quia venit dies Domini.* Sed cur si dies iste grauis est, & nemini cordato non formidandus, illum desiderare debuit, aut potuit Ephraim? Hieronymus hæc de Iuda accipit, & Israel, & de vero, ac proprio desiderio interpretatur. *Væ*, inquit, *Iuda, & Israeli dicentibus,* 41.

Dies Domini quis.

Google

centibus, veniat dies, veniat prædicta captiuitas, dummodo, quod promittitur per Prophetas, etiam restitutionis tempus consequatur. Non est enim tantum mali in captiuitatis iniuria, quantum boni in hic, quæ post captiuitatem Dominus pollicetur.

42. Sunt qui hæc de duabus tantùm tribubus accipiant, quasi decem aliis, à quibus iam pridem odiis dissidebant, malè cupiant, & illud infortunium precentur, quod dies Domini magnus, & horribilis allaturus est. Quibus Propheta dicit non esse lætandum, quia cum illis postea non mitius agetur à Babyloniis, quàm cùm decem tribubus priùs ab Assyriis. Ita Montanus, & Albertus.

43. Mihi alia occurrebat expositio, quam neque alienam putabam à veritate, & textu, neque à vulgi, Scripturæque sacræ consuetudine, quæ id dicit alicui esse in votis, ad quod se viuendi instituto disponit, quamtumcunque illud aut contemnat, aut horreat. Quomodo ille optare dicitur suspendium, qui latrociniis, ac cædibus cōpendium quærit, quia cædes illum, & latrocinia ad crucem deducunt. Ille desiderare dicitur mortem, qui cùm ægro sit corpore, immoderatis se cibis, ac poculis ingurgitat: sic etiam ille dicitur spoliari velle, qui thesaurum portat in via. Cùm ergo id homo faciat, dum peccatis indulget, vt sibi infensum reddat Deum, qui gehennæ, ac morti peccatorum destinat, desiderare dicitur, quod odit; mortem videlicet, & gehennam, licèt illa vehementer oderit, quia viam illam ingreditur peccando, quæ ad vtrunque deducit. Quod Theologi dicunt, desiderare aliquid in causa, quomodo naufragium optat, qui nauigationem apparat, & nauem conscendit, & ebrietatem, qui immoderata haurit pocula, & mortem, qui in sinu fouet viperam, & infamiam, qui improborum se conciliis immiscet. Hispanus id explicare solet, per verbum *querer*, quod idem valet quod Latinum *velle*, atque ideo de eo qui proximus est morti dicit, *Quierese morir. Quiere subir ala horca.* quia iam dispositus est ad ascensum, cùm tamen nihil oderit magis. Simili verbo vtitur Scriptura, cùm alicuius vult explicare desiderium. In qua *quæro* idem est, quod *desidero*, exempla sunt obuia; duo accipe, quæ nostram cogitationem valde confirmant, vtrunque *Prouer. cap.* 17. alterum v. 16. *Qui altam facit domum suam, quærit ruinam.* Alterum v. 19. *Qui exaltat ostium, quærit ruinam.* Longè abest, vt ruinam desideret domus suæ, qui magnis illam impendiis ædificat, & exaltat.

Regula. Id dicitur aliquis velle quod in causa est.

44. Sed est mihi potior illa sententia, quæ hîc aliquid ironicum putat admixtum. Contemnebant hi, quibuscum modò Propheta loquitur, propheticas minas, quasi nullum illis pondus inesset, & cùm sæpe occinerent durum aliquid, quod non illi semper ad aures admitterent, illorum oracula, quasi nugatorium aliquid foret, vertebant in canticum, vt habes *Ezech. cap. 33. v. 32.* Quale hoc canticum fuerit exprimit, opinor, Isaias *cap.* 28. dum Prophetarum verba in quosdam quasi musicos numeros astringunt, qui magis apparent in Hebraicis: Latina sic habent, *Manda, remanda, expecta, reexpecta,* &c. Et dum magis vrgerent Prophetæ, & instare calamitosum tempus clamarent, ipsi aut quia non credebant, aut quia paratum à Domino malum declinare se posse arbitrabantur, desiderare se obloquebantur diem illum Domini, quem horribilem esse Prophetæ prædicabant Isai. 5. v. 19. *Væ qui dicitis: Festinet, & citò veniat opus eius* (id est, supplicium, quod decretum, ac paratum habet) *vt videamus: & appropiet, & veniat consilium sancti Israel, & sciemus illud.* Sanè Ieremias *cap.* 17. *v.* 15. queritur, & dolet, quòd nugator existimetur à populo, & fumos vendere, dum horribiles euentus minatur. *Ecce*, inquit, *ipsi dicunt ad me, vbi est verbum Domini? veniat.* His ergo, qui hoc sensu, ac spiritu diem desiderant Domini, respondet Propheta non esse cur tantopere illam aduenire velint, cùm nihil ab ea habituri sint, nisi quod luci, ac diei futurum sit contrarium, tenebras scilicet, & horrorem, quæque nocti affinia esse existimantur; omnia verò, quæ aduersa sunt, quæque animos angustant, & contrahunt, noctis, atque caliginis significatur vocabulo. Atque ideo additur, *dies Domini ista tenebræ, & non lux.* his nimirum, qui illam irrisoriè vocant, & verè despiciunt.

45. Vers. 19. *Quomodo si fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrsus: & ingrediatur domum, & innitatur manu sua super parietem, & mordeat eum coluber.*] Prouerbiales hi sunt dicendi modi, quibus indicatur vndecunque imminere discrimina: neque locum esse vllum à periculo vacuum. Quare cùm aliquis in illum rerum articulum deductus est vt nihil habeat, vnde spes libertatis, ac salutis sese ostentet; & cùm velit vnum declinare malum, in aliud incurrit, hoc prouerbio vtetur accommodatissimè. Quomodo Latini vtuntur vsitatis illis, *Incidit in scyllā, cupiens vitare charybdim.* Et illud, *dum fumum fugit, in flammam incidit; dum pluuiam metuit, labitur in foueam*, & similia. Id verè contigit Ephraimitis, cùm enim declinare vellent ab vno periculum, in alium hostem inciderunt, quem amicum putabant, & ad quem præsidij gratia confugerant, à quo multo grauiùs spoliati sunt. Hîc duo constituuntur loca, quædam magis opportuna lacerationi, ac prædæ, quæ aperta sunt, & omni animantium generi peruia, vt syluæ, & deserta ab habitatoribus loca, in quibus nihil est tutum, cui se homines credant, si quando à feris periculum immineat. Alia tecta, & clausa, quo feræ non irrumpunt, vt domus, maximè quæ firmo opere in propugnaculi formam extructæ sunt. Nunc iam prouerbium, aut prouerbialem sententiam explicemus, quam ex agro sumpsit armentarius noster, cui idem fortasse aliquando contigit, dum in syluis pascendis gregibus rusticam operam nauaret.

Prover. A leone in vrsum, & ab hoc in viperam.

46. Et primùm puta fugam non esse à leone persequente, sed à fremitu, seu vestigio leonis, qui non procul esse existimatur. Alioqui decresceret oratio si quis elapsus à leone in vrsum incurreret, qui longè est celeritate, ac viribus inferior leone. Crescit autem oratio si quis dum declinat leonē quem non videt, sed videt tantùm in vestigio, aut fremitu, in verum vrsum, à quo laceretur, inciderit. Quòd si vrsum fugiat, fortem quidem hostem, non tamen insidiosum, ac callidum, quia apertè pugnat: & domum, quæ vrsum ab ingressu prohibet, quia pariete clausa, se recipiat, vbi omnia putat esse tuta; & dum ascensum molitur, & manu extremum apprehendit parietem, vt inde se intra septa demittat, & ibi mordeatur ab aspide, quæ in cauerna maceriæ, quasi in insidiis excubabat, crescit adhuc oratio, quia magis est timenda vipera. (hanc enim puto significari in colubro) cuius est morsus pestilens, & eo grauior, quo neque euitari potuit, cùm lateret, & eo loco infixus, vbi nihil putabatur esse periculi, imò in quo sperabatur fore perfugium.

47. *Status peccatoris à Deo derelicti.* Hic viuum quoddam exemplar esse meditor eorum, qui à Deo derelicti sunt, seu veriùs qui Deum auctorem libertatis, & vitæ reliquerunt, & à mortali brachio petendam esse salutem existimarunt, quorum numerus non exiguus est, quia stultorum infinitus est numerus. Horum vitam vrgeri videmus quotidianis incommodis, & à rebus omnibus magno suo merito hostilem in modum oppugnari. Quocunque se corpore, aut animo conuerterit, occurret ei coluber in via, cerastes in semita. Sanè contra insensatos omnem creaturam armatam esse *Sap.* 5. discimus, quæ peccatori quamcunque in partem se dederit, occurret armata.

48. Hîc multi hasce feras, variis hominibus, temporibúsque accommodant, qui rem turbauere, ac iactauere Iudaicam, quæ ego lubens omitto, quia illa in duas tantùm tribus conueniunt, de quibus Propheta non loquitur, vt suprà à nobis obseruatum est, & in eo quod reliquum est capitis, aliquid apparet, quòd tantùm videtur in decem tribubus posse conuenire.

49. Vers. 20. *Nunquid non tenebræ dies Domini, & non lux? & caligo, & non splendor in ea?*] Eandem sententiam paulo antè legimus, explicuimúsque; quid vero essent tenebræ, exemplis explicuit, cùm videlicet homini omnia sunt clausa, angusta; neque aliquid est tutum, quo se homo in tot periculorum congressu corripiat. Hoc idem nunc repetit, refértque se ad exempla nunc primùm adducta, quasi dicat: Si talis futura est vestra conditio, vt leoni versus in syluestri loco, & his in domo vipera succedat, nónne vobis visum est statum illum appellari posse caliginem? in quo nullibi aliquid occurrat non obscurum, non amarum, non horribile. Hîc obserua, quod alibi à me dictum, epitasim esse in affirmatione, cum negatione contrarij; significatur enim res fore certissima. Quomodo dictum est Ezechiæ Isai. cap. 38. *Quia morieris tu, & non viues.* Ezechielis cap. 18. *Vita viuet, & non morietur.* & Ioan. cap. 1. de Baptista, *Confessus est, & non negauit.* Sic modò vt Ephraimitæ sibi persuadeant, certissimas fore metaphoricas tenebras, negationem adhibet contrarij, nempe lucis, quod facit bis, dum futuras esse affirmat tenebras, & illarum contrarium adfuturum negat, nempe lucem. Et iterum caliginem adhibet, splendorem remouet. Quod perinde est, ac si diceret: Amen dico vobis, quia regionem vestram tenebræ occupabunt, & caligo.

Regula. Epitasis est in affirmatione cum negatione contrarij.

50. Vers. 21. *Odi, & proieci festiuitates vestras, & non capiam odorem cœtuum vestrorum.*] Hoc idem dixit sub hoc ipsum tempus Isaias *cap.* 1. duabus tribubus propter illud vitæ genus, morúmque corruptelam, quam proximè in Ephraimitide gente reprehendit Amos. Vbi festiuitatum meminit, sabbatorum scilicet, & calendarum, & odoris, quem afflabant aromatum suffimenta varia. Odor porrò dicitur cœtuum: quia homines ad illa sacra conueniebant, in quibus aut adolebantur aromata, aut cremabantur victimæ. Hæc, credo, offerebant decem tribus Domino vero, tametsi aureos vitulos colerent, neque enim omnes sic veram religionem abiecerant, vt non Deum patrum suorum agnoscerent, illúmque studerent habere beneuolum: & cùm aliarum Gentium Deos, & religionem admitterent, ab illa saltem Deorum multitudine Iudæorum Deum non excluderent. Quare vt diis aliis alia offerebant suffimenta, ac munera; sic etiam Iudæorum Deum suis quoque donis, ac libamentis honorabant. Fuisse autem in terra Israelitide aras vero Deo consecratas, habemus ex *Oseæ cap.* 8. *v.* 13. vbi de Israelitis sermo est. *Hostias*, inquit, *offerent, immolabunt carnes, & comedent, & dominus non suscipiet eas.* & 3. *Reg. cap.* 18. *v.* 30. excitatum esse traditur altare Domino, quod antè fuerat euersum, & ibi Deo oblatum ab Elia sacrificium in monte Carmelo, id est, in finibus Israel. Neque pauca fuisse in Dei religiosum cultum altaria constructa, docet idem Elias cap. 19. v. 10. *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum Domini filij Israel: altaria tua destruxerunt.* Ex quo constat quàm leue sit argumentum, quod ex hoc loco sumpserunt aliqui, vt probarent hæc ad duas tribus pertinere, quia sibi persuaserat in terra Israelitide nullas esse victimas, nullum altare. An verò iuxta leges veterésque Hebræorum ritus extra Hierosolymam offerri potuerint sacrificia, alterius disputationis est, & nos proximè aliquid dicemus.

In Israel aliquot altaria vero Deo sacrata.

Vers. 22. *Quòd si obtuleritis mihi holocaustomata, & munera vestra non suscipiam, & vota pinguium vestrorum non respiciam.*] Quædam erant sacrificia, quæ offerri extra templum legitimè non poterant, qualia erant holocausta, & sacrificium iuge, & quæ hoc loco nominantur pinguia. Cùm hæc immolari extra templi septa non liceret, plurimi, aut quia accedere non poterant sine vitæ discrimine, quales erant, qui Ieroboami, & successorum ipsius imperio suberant, aut quia illos arcebat ab ingressu templi Iudæorum religio, quales erant Gentiles, aut mittebant victimas, quæ mactarentur in templo, quod faciebant Israelitæ, aut certè pecunias, quibus victimæ pro sacrificiis emerentur, quod solum licebat externis ab Hebræorum genere. Vide quæ diximus in nostris commentariis in Ezechielem *cap.* 44. *num.* 16. Ait ergo Dominus non solùm sibi ingrata fore, quæ in alieno loco neque legitimo fortasse ritu ab Israelitis offeruntur, sed quæ legitimè immolantur, aut libantur in templo, quæ ipsi aut obtulerunt vltro, aut vt vota soluerent, quibus sibi significandi in templo necessitatem impofuerunt. 51.

Quomodo decem tribus vero Deo victimas obtulerint.

Vers. 23. *Aufer à me tumultum carminum tuorum: & cantica lyræ tuæ non audiam.*] Cùm aliquid inconcinnum est, neque ad numeros musicos artificiosè resonat; aut cùm voces fuerint agrestes, & absonæ, elegantes aures illud quasi molestum aliquid aduersantur, & respuunt, & latratum vocant canum, luporum vlulatum, aut porcorum grunitum, vbi modestissimè loquuntur, coruorum crocitantium, aut anserum perstrepentium inconditos, & intolerabiles sonos. Et quidem quantumcunque canora sit, atque suauis vox, & numerosus concentus, si tamen illum ab inimici faucibus fundat anhelitus, qua priùs minas spirarat, & cædes, molestior est, quàm serpentis sibilum, & leonis fremitus. Talis est peccatoris vox, à qua Deus laudes suas decantari non vult. Psal. 49. *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum.* & Eccli. 15. 9. *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Hoc canticum Deus tumultum vocat, id est, rixantium atque frementium confusos, & informes sonitus. Neque ideo cantus improbat numerosos, & lyræ sonos; imò illos commendat, & exigit, atque adeò canendi modum, & ordinem præscribit, vt habes in Psalmis. Sed si ab inimico animo resonent cantica, quantumcunque illa cygnea 52.

Peccatoris canticum ingratum Deo, & cur.

cygneo gutture funditur, ingrata sunt, quia longe alia meditatur animus, quàm lingua sonat. Talia canebat, aut prædicabat populus, ad quem Christus Marci cap. 7. v. 7. ex Isai. cap. 29. v. 13. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me, in vanum autem me colunt*, &c.

53. Vers. 24. *Et reuelabitur quasi aqua iudicium, & iustitia quasi torrens fortis.*] Duas ego hic sententias video, neutra illarum inscita est, aut aliena. Altera est omnium penè Hebræorum, quos è recentioribus sequuntur Vatablus, & Montanus, qui in *iudicio*, atque *iustitia*, opera intelligunt sancta, quæ à virtute officióque proueniunt, sicut in Scriptura sacra millies. Hanc igitur putant esse sententiam, non placere Deo victimas ab impuris manibus oblatas, non canticorum, aut lyræ numerosam harmoniam, quia ab animo funditur, qui longè à diuina voluntate recessit. Quare si placare velint offensum Deum, dent operam, vt iudicium colant, atque iustitiam, idque abundanter, ac diu, atque ita continenter, sicut continens est, & abundans iugis aquæ torrens. Illud porrò *reuelabitur* significationem habet optatiui, in hanc sententiam. Reueletur, id est, appareat in vestris conciliis, & in vrbium portis iudicium, &c. Hæc porrò sententia in Scriptura sacra frequens est. Oseæ cap. 6. *Misericordiam volui, & non sacrificium.* Et Michææ 6. cùm dixisset, *Nunquid offeram Domino holocausta, & vitulos?* subiunxit, *Indicabo tibi homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: vtique facere iudicium, & diligere misericordiam; & sollicitum ambulare cum Deo tuo.*

54. Altera sententia est Hieronymi, Theodoreti, Cyrilli, quos sequuntur frequentes alij, qui in indicio, atque iustitia aliquid vident durum, & à Dei offensi vindice dextera profectum. *Sicut aqua*, inquit Hieronymus, *si labatur in pronum, quod priùs texerat nudat. & patere facit omnium oculis: sic iudicium Dei, atque iustitia, qua de suo quodam populo iudicauit, patebit omnibus, & feretur instar torrentis fortissimi qui quicquid arripuerit, secum trahit, & sibi obsistere non patitur.* Idem penè Cyrillus. Porrò in aqua vim significari vehementem, hostilem, & obuium quódque vastantem, nemo dubitat: certè hostilis exercitus, qui omnia populatur, & sternit, cum aqua præcipiti, atque exundante comparatur. Isaiæ cap. 8. *Propter hoc ecce Dominus adducet super vos aquas fluminis fortes, & multas; regem Assyriorum, & omnem gloriam eius.* Idem postea *cap.* 59, & Ieremias *cap.* 46. Neque sine causa addidit, *quasi torrens fortis.* Quia aqua, quæ leni decurrit riuo, facile quòcunque velis deducis, & flectis non repugnantem. At qui præceps ex præalto labitur fastigio, obuium quodque rapit, & vbi plusculum aquarum collegit, omnia proturbat, neque vlla moles incitatum illud aquarum pondus sustinet. De quo optimè Maro lib. 2. Æneid.

In diuino iudicio omnia reuelantur.

Rapido montano flumine torrens
Sternit agros, sternit sata læta, boúmque labores
Præcipitésque trahit syluas.

Et Silius Italicus lib. 4.

Vt torrens celsi præceps à vertice Pindi
Cum sonitu ruit in campos, magnóque fragore
Auulsum montis voluit latus, obuia passim
Armenta immanésque feræ syluæque trahuntur.

Propter illa igitur peccata, quorum proximè meminit Propheta, adueniet Dei instimulatus fu[illegible], & ita grassabitur violenter, vt totam popu[illegible] Israelitidem regionem, cùm è ciuibus alios interimat, alios propellat in exilium, deiiciat domos, & quicquid in agris erat fœcundum, & cultum late prosternat.

Vers. 25. *Nunquid hostias, & sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis domus Israel.*] Commemorat suprà Dominus scelera, quæ aduocabant diuinam iram, quibus posteri nimis tunc immoderate se tradiderant. Sed quia tueri se poterant, & paratum exitium declinare parentum meritis, quæ spectare Dominus posset in filiorum offensione, ideo nunc parentum summouet merita, & illorum renouat, exprobrátque flagitia, quæ quadraginta annorum peregrinatione patrauerunt. Et primùm docet nullum sacrificium, nullas hostias longa illa peregrinatione fuisse oblatas. Hæc verba ad finem vsque capitis repetiit Stephanus *Actorum cap.* 7. v. 42. vbi nos illa latè exposuimus. Neque hic aliquid occurrit noui, quod addamus. Quare ex eo loco, huc, quod necessarium fore videbitur, transferemus. 55.

Dubitare hîc posset aliquis, quomodo *hîc*, & *Actor. cap.* 7. dicantur sacrificia, & victimæ oblata non esse 40. annis, toto nempe tempore ante aditam terram promissionis: nam *Leuit.* 8. in consecratione Aaron, & filiorum oblatum sacrificium est. Item aliud *cap.* 9. & *Num.* 7. in dedicatione tabernaculi per duodecim dies. Respondet Hieronymus ea sacrificia non tam ex animo oblata esse, quàm metu ex illorum cæde concepto, qui idola coluerunt. Quapropter Deus illa, vtpote non ex amore profecta contempsit. Est sanè hæc Hieronymi sententia probabilis, sed quia non est adeò certum illa Israëlitarum obsequia ex metu prodiisse, aliter expediri potest hic nodus ex regula à nobis tradita, iuxta quam ratio haberi non solet exigui numeri, qui plenum aliquem, & perfectum, aut modicè superat, aut ab eo deficit. Cùm verò hæc sacrificia oblata fuerint non longè post egressum ab Ægypto, vno scilicet, aut altero anno, non est alienum ab Scriptura si dicas 40. annos intermissa sacrificia fuisse, quæ tantùm 39. aut 38. annos obita non sunt. Quēadmodum 40. annos offensus esse Deus dicitur populo, cùm tamen offendi cœperit non statim ab egressu, sed vbi exacerbatus est ad aquas contradictionis. 56.

Sed quæres adhuc quomodo præside, ac duce Moyse, qui tam erat religiosus, & diuinæ legis obseruator, tandiu omissum fuerit illud sacrificiorum obsequium? Respondeo, Hebræos ad illa sacrificia præstanda lege non cogi, donec ventum esset ad terram promissionis. hoc liquet satis ex *Deut. cap.* 12. Quare toto peregrinationis tempore non est circumcisus populus, neque à secundo anno post relictam Ægyptum celebratum Phase. Vtrunque verò præstitum est *Iosue cap.* 5. post transmissum Iordanem, id est, in ipso ingressu terræ promissionis: quia lex eò vsque suspensa tunc cogebat. Causa verò cur Deus ab ea lege populum in deserto liberum esse voluit, ea est; quia benignissimus Deus noluit edicere peregrinanti populo, vt pararet victimas loco, & alieno, & sterili, vbi facile inueniri non poterant. Atque ideo per Ieremiam *cap.* 7. suam benignitatem in antiquos Hebræorum patres ostendit. *Non sum locutus*, inquit, *cum patribus vestris; & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Ægypti de verbo holocaustomatum, & victimarum; sed hoc verbum præcepi eis, dicens: Audite vocem meam, & ero vobis Deus.* 57.

Quædam sacrificia ante aditam terram promissionis non obligabant.

Quid

Digitized by Google

Plura homo impendit diabolo, quàm sibi ab eo Deus postulat.

58. Quid ergo dices si ab his sacrificiis obeundis liberi Hebræi toto peregrinationis tempore, cur Amos, & Stephanus, & Ieremias suprà de his sacrificiis omissis queruntur? Sanè non quia hæc omissa sunt, sed quia illa, quibus Deus Hebræam gentem onerare noluit, vltro ipsi, atque auidè diis alienis, & multo duriora impenderunt. Quare tres hi supradicti iisdem locis meminerunt militiæ cæli. Ieremias quidem miram sedulitatem, atque studium describit, quo parentes, ac filij placentas pararant Reginæ cæli, id est, Lunæ. omnes meminere Moloch, vel Tophet, cui non iam victimas alias, sed de suo semine quotidie miserandum holocaustum offerebat Israel; quod proposito capitali supplicio prohibitum fuerat *Leuit.* 18. *&* 20. *cap.*

Moloch quis.

59. Vers. 26. *Et portastis tabernaculum Moloch.*] Stephanus Actor. 7. *suscepistis tabernaculum Moloch.* Quis sit iste Moloch nihil inter auctores certum; sed videtur idem esse, qui alio in loco dicitur Melchom *Amos cap.* 1. Ita docent Beda, & OEcumenius in hunc Actor. locum. Et sanè 3. *Reg. cap.* 11. vbi vulgatus habet *Moloch*, Hebr. est Melchom, quod honoris gratia videtur affixum sumpsisse, sicut *Adon*, & *Baal*, eandem ob caussam aduocato affixo dicuntur *Adonai*, *Baali*. Est autem idolum quod præcipua religione ab Ammonitis colebatur, vt habes 3. *Reg.* suprà, quod esse apud illos summo in loco nomen ipsum indicat, quod regium aliquid sonat; מלך *malch* enim *regnare est*: & L X X. *Amos cap.* 1. pro *Melchom* verterunt *Rex eorum.* Ex nominis notatione, & quia statim subditur, *sydus Dei vestri*, quidam non temere putant, Melchom ab Ammonitis dici illum, qui à Latinis vocatur Iupiter: nam & hic *diuûm pater* salutatur, *atque hominum rex.* OEcumenius Mercurium, alij Saturnum esse volunt: sed nihil certum. Addit OEcumenius habuisse in fronte pretiosum, & pellucidum lapidē, qui instar syderis fulgeret, & fortasse est, qui statim dicitur *Rempham.* Sanè ex 1. *Paral. cap.* 20. constat habuisse coronam ex auri talento distinctam, & radiatam lapidibus pretiosis ex qua Dauid regium sibi cōflauit diadema. In illa verò corona verisimile est Ammonitas coluisse cæli militiam, quia non aliter erat distincta gemmis, quàm syderibus cælum. Quanto verò studio Gentes coluerint Moloch, & quàm illi dura obierint siue seruitia, siue sacrificia oblatis per summam impietatem, atque acerbitatem filiis, colligitur ex *cap.* 18. *&* 20. *Leuit.* vbi seuera proposita pœna à tanto scelere deterrentur Hebræi.

Quis Moloch, seu Melchom.

Quando sacrificatum Moloch.

60. Quæres hîc quo tempore antiqui Patres sacrificauerint Moloch. OEcumenius contigisse putat cùm Moyses in montem ascenderat, & à conuentu aberat filiorum Israel. Sed sanè id tacitum non reliquisset Moyses, cùm hoc non esset minus impium, quàm adorasse vitulum. Neque credo sermonem hîc esse de Salomonis tempore, qui 3. *Reg.* 11. fanum construxit Moloch Ammonitarum idolo, neque de Manasse *cap.* 23. quia hi non dicuntur Patres, quemadmodum illi, qui maximè aberant à Patriarcharum tempore. Præsertim quia contextus ipse tam Amos, quàm Stephani satis ostendit ista de illis tradi, qui in deserto morati sunt. Neque refert quòd illæ minæ de relegatione trans Babylonem non videantur opportunæ, nisi post terræ possessionem, vt Caietanus & alij cēsent super Acta, quia hîc ab Amos obiiciuntur præsentiū scelera, propter quæ pœna proponebatur, & remouentur parentū merita, quæ retardare potuerunt diuinam vindictam. Nam propter parentes interdum cum filiis agi mitiùs probant Abrahæ, & Dauidis merita. Est autem verisimile, vt placet Riberæ *in cap.* 5. *Amos*, id contigisse cùm populus appulit ad terram Moab, *Num.* 25. ibi enim dicitur: *Fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua: at illi comederunt, & adorauerunt Deos earum.* Neque refert 61. quòd Moloch Deus dicatur Ammonitarum, non Moabitarum: nam fieri plerunque solet, vt qui aliquarum nationum proprij sunt dij, in aliarum etiam religionem aduocentur; qui tamen nomen seruat earum prouinciarum, vbi primùm culti, & vnde ad alias deinde translati, sicut in corporis ornamentis, & arborum fructibus vsu venit, quæ cùm nostra iam sint, & apud nos nata, antiquum tamen nomen seruant. De ornamentis exemplum sit apud Hispanos, *Tudesco*, *Bohemo*, quæ pallij quædam genera sunt, & eadem figura dicuntur *vestes Phrygia*, & *Babylonica.* De arboribus, *malus Punica, Medica, Persica,* quæ ita vocantur, quia inde ad alia loca translatæ sunt. Neque in materia præsenti de religione pauciora sunt exempla. Colebatur à Romanis Isis, & Cybele; illa tamen dicebatur Ægyptia, vel Pharia; hæc Phrygia, vel Idæa. Sic Moloch propiùs Ammonitarum Deus facile ad Moabitas propter generis, locique propinquitatem migrare potuit. Imò puto hunc Deum priùs esse cultum à Chaldæis, & ab his, vt dixi, translatum ad Persas. Nam quòd ignis Chaldæis esset pro Deo, satis est compertum, vel ex historia Abraham, qui ideo existimatur in ignem à Chaldæis esse coniectus, quòd ignem ipsorum Deum adorare noluerit. In igne verò coli Moloch argumento est, quòd qui Moloch pro Deo obseruant, in eius cultum, & honorem filios suos per ignem traducunt.

Res nomina seruant regionum vnde translatæ.

62. *Et imaginem idolorum vestrorum, sydus Dei vestri, quæ fecistis vobis adorare ea.*] Stephanus suprà, *Et sydus Dei vestri Rempham figuras, quas fecistis adorare eas.* Vox Rempham non est in Amos, addiderunt tamē Septuaginta, ex quibus sumpsit Stephanus. Sed quid illud sit, explorato opus est, de qua multi multa. Sed sanè res est vehementer implexa, & nomen, quia hoc tantùm loco reperitur, obscurum, & incertum. Explicare, vt opinor, voluere Septuaginta proprietatem aliquam illius syderis, de quo hæc Amos. Quidam illud sydus Saturnum esse credunt, coniectura satis infirma, quia Arabes *Chium* vocant Saturni stellam, & in Amos, vbi vulgatus habet, *imaginem idolorum*, Heb. est כיון *kijon*, eodem quo vox Arabica, sono. Alia mihi occurrebat grauior coniectura, vt Remphā Saturnus videri potuerit; quia non secus filios oblatos vorabat Moloch, quàm Saturnus, vt est in fabulis, vorasse traditur. Poëtas verò in suis fabulis inclusisse multa ex sacris Bibliis petita, satis notum est. Sed neque hoc mihi persuadet Rempham esse Saturnum: nam primum illud כיון *kijon* nomen censeo esse commune, non proprium, *& aliquid firmo iam, & stabili modo, locóve constitutum* significare: qualis statua est, aut stata religionis forma, à radice כון *kun*, quod *firmare* aut, *stabilire* significat. Deinde quia Mythologi alias causas afferunt ex ipsa Philosophia altè petitas, cur illa voracitas data sit Saturno.

Rempham quis.

63. Res sanè obscura, & in qua si quid afferatur verisimile, non fastiendum sit. Ego hîc duo afferam, tu, lector, quod magis placuerit, si tamen quid placebit, eligito. Existimo igitur Rempham nomen esse commune, & significare *obscuritatem & tenebras,*

Digitized by Google

tenebras, vt putat OEcumenius, & vertit Theodotio, vt dicit Hieronymus super Amos. Per irrisionẽ ergo Stephanus dicit lapidem illum pretiosũ, & splendentem, qui erat in fronte Melchõ, vt dicit OEcumenius, aut in eius corona, vt fit verisimile ex *lib. 1. Paralip. cap.* 20. qui Iudæis instar syderis fuit, fuisse illis cæcitati, obscuritati & offensioni, adeò vt ab illo excæcati, atque delusi in longũ exilium, & seruitutem, & tanquam in lapidem impegerint, aut in barathrum profundũ demersi sint. Neque obstat, quod statim addit Stephanus in numero plurali, *figuras, quas fecistis*: nam & figura erat propria Moloch, & gemma, quæ erat siue in fronte, siue in corona, figura erat syderis.

64. Altera explicatio est, quę ideo iure optimo minus placebit, quia noua, verùm coniecturæ non infirmæ. Dixerat paulo antè Stephanus Iudæos olim coluisse militiam cæli, id est, solem, lunam, & astra, nunc verò speciatim agit de Moloch, seu Melchom, id est, vt ego interpretor, de astrorum rege, id est, sole. Nam *Moloch* regem sonat, & inter astra sine dubio sol, & magnitudine, & splendore princeps est, cui esse delatum diuinum honorem satis ex Scriptura compertum est. Et fauet huic expositioni, quod *Ierem. cap.* 7. Luna vocatur Regina cæli, Heb. מלכת *mela chah*, sicut Sol Moloch, seu Melchom: antiquitas autem Gẽtilium masculinum sexum Soli, fœmineum verò Lunæ dedit. Quod etiam indicat corona ipsius, quæ 1. *Paralip.* 20. gemmis exculta traditur, id est, syderibus distincta, non aliter atque Sol syderibus circumdatur, licèt in ipsius conspectu parum fulgentibus. Illam autem coronam instructam radiis esse puto, vt nunc regiæ coronæ sunt, quæ ad solarium radiorum similitudinem efformantur. Vt autem solem antegreditur Lucifer, sic Rempham, qui, vt putat Beda, Lyranus, & glossa interlinearis, Lucifer est, aut Veneris stella, positus in fronte Moloch, seu in anteriori parte coronæ, satis exprimit Luciferi munus. Huic sententiæ plurimũ fauet Amos *hoc loco*, à quo Stephanus testimonium hoc sumpsit, qui postquam meminit Melchon, statim subdidit, *& sydus Deorum vestrorum*, vtique planetarum. Quare bene explicatur, quæ sit cæli militia, de qua suprà. Et hæc iuxta veritatem Hebraicam. Neque aliam ob causam reor Iudæos, cùm Moloch filios consecrarent suos, illos per ignem traduxisse, nisi quia Solis igneam esse naturam existimabant.

65. Hinc, credo, Persarum reges, qui, reliqua Deorum turba reiecta, vnum solem, vt dicit Strabo *lib.* 15. colendum esse censuerunt, aut certè præcipuum, quique, qua erant arrogantia, Deorum similes esse volebant, Solis sibi nomen, aut imaginem tribuerunt. Hac forma in seipsis, quàm poterant insolentissimè, Solis imaginem expressisse, quia videri ipsi volebant, quasi quidam Sol, & ideo Sol Asiæ salutabantur, vt indicat Horatius *lib. 1. Satyra* 7. qui Brutum Asiæ prætorem, Solem appellat Asiæ, vulgata, vt reor, compellatione. Est Sapor Persarum rex, vt tradit Marcellinus *lib.* 7. Sic scripsit ad Constantiũ imperatorẽ. *Rex Regum Sapor, particeps syderum, & frater Solis, & Lunæ, Constantio fratri meo salutem.* Hi ergo vt effigiem aliquã præseferrent Solis, corona vtebantur radiata, id est, radiis quibusdam ad Solis similitudinem instructam. Quam multis pòst annis imperatorum insania in Romanos fastus induxit, vt tradit Aurelius Victor in vita Aureliani Cæsaris, & Eutropius, in eius item vita, qui Persarum non so-

Solem colunt Persæ, & ipsorum Rex sol vocatur.

A lùm insaniam, sed etiam religionem imitatus, templum Solis ædificauit Romæ, vt tradit Eutropius suprà.

66. Præterea ne quid deesset ad expressam Solis imaginem, addiderunt quoque imaginem quandam Luciferi: nam, vt author est Xenophon *lib. 8. pædia Cyri*, Curtius *lib* 3. Procopius *lib.* 2. *belli Persici*, Ammianus Marcel. *lib.* 23. Tertullianus *in Apologetico, cap.* 16. Reges Persarum quocunque procederent, antecedebat ignis: cuius etiam rei aliquod habemus in Scriptura vestigium. Nam *Iudith capit.* 10. iuxta versionem L X X. lampades antecedebant Holophernem, quod non esse ad exigendas tenebras, sed ad B Assyrium fastum, ex eo constat, quia quo tempore egressus esse dicitur, non erant tenebræ: quia Iudith ad ortum diei exiit è Bethulia, ad quam excipiendam processit prælucente lampade. quod obseruabant Persarum reges, in quibus etiam Assyrij, & Chaldæi intelliguntur, nam à Chaldæis, & Assyriis hanc videntur accepisse Persæ consuetutinem simul cum imperio, maximè in acie. Ex quo intelligi potest illud *Ioelis cap.* 2. vbi agit de exercitu Chaldæorum, *Ante faciem eius ignis vorans*; & illud *Ieremiæ cap. 1.* cùm sermo esset de eodem exercitu; *ollam succensam ego video*, antecedebat enim ignis regem radiata corona ad Solis similitudinem splendentem, quomodo Lucifer C solem prægreditur. Iuuat maximè quod tradit Quintus Curtius *lib* 3. & Rhodiginus *lib.* 8. *cap.* 1. vbi dicit in castris regũ Persarum super tabernaculum regis conspicuam omnibus promicare Solis imaginem crystallino inclusam globo, & illi ignem prælucere. Quia solem Persæ, & Chaldæi colebant, ideo credo ignem quoque pro Deo coluisse, quæ, si vspiam vlla, hæc viua Solis imago est. De igne verò Chaldæorum Deo multa tradunt non solùm profani, sed etiam Ecclesiastici auctores. Ex his mihi fit verisimile Moloch, seu Melchom simulacrum esse Solis; Rempham verò Luciferi, qui *Sydus* dicitur *Dei vestri*, id est, Moloch. Sol autem aptè dicitur Moloch, quia rex est D inter astra, & quia, vt diximus, vel solus apud Persas, vel præcipuè colitur. Quare Persarum rex, qui sol esse vult, aut Solis frater, Rex regum vocatur, vt nuper de Sapore dixit Marcellinus; & fortasse Moloch ab Hebræis dicebatur Persarum rex, seu Melchom, qui idem valet, quod *Rex eorum*, seu *Rex regum*. Certè communi vocabulo antonomasticè *Rex* dicitur, imo *Rex vltor*, quasi Rex potentissimus regum, id est, Rex regum, *Oseæ cap. 5. & 10.* Hæc mihi visa sunt habere aliquid lucis ad illustrandum locum maximè obscurum, quæ si alicui minus probantur, probabitur, credo, conatus, atque studium inuestigandæ veritatis.

Reges Persarum antecedis ignis.

Quid verò sit, *suscepistis tabernaculum Moloch*, 67. E non omnino facile. Amos dixit *portastis*; sensus duplex esse potest, alter, qui de tabernaculo Dei loquatur, quasi Deus per Amos dixerit: Portastis quidem tabernaculum meum per desertum, sed non tam mihi portare videbamini, quàm Moloch (& tunc Moloch est in datiuo) in quem tota cogitatione ferebamini. Nam peracto curriculo, ad quod feliciter obeundum, ego vobiscum aderam in tabernaculo dux, & præcursor, quasi à Moloch, & non à me tot illa beneficia suscepissetis, illum coluistis in terra promissa.

Secundus sensus, qui mihi probatur magis, 68. est de tabernaculo ipsius Moloch, quod ædificauerunt Israelitæ, & cui filios suos consecrarunt per

Gẽtiles viæ comites deos portabant.

Digitized by Google

per ignem 3. *Reg.* 23. Tabernaculum autem erat pheretrum quoddam, in quo solemni pompa circumferebatur Moloch, quem Iudæi Gentium ritu secum, quocumque pergerent, protectionis, & religionis ergò portabant institutæ viæ comitem, & ducem; sicut per desertum arcam, & in ipsa diuinum oraculum olim portauerant Hebræi. Vsitatum autem esse, vt Gentes tutelares Deos vitæ comites secum adducerent, docet Seruius in id Æneid. 6.

Errantésque deos, agitataque numina Troiæ.

69. Neque aliam ob causam existimo Rachel furatam esse Deos patris sui, & seruos Iacob, cùm egressi sunt ex Mesopotamia, à quibus Iacob abstulit idola, & infodit ea super terebinthum, *Genes.* 35. Hac puto de causa Laban tam facile deprehendisse sublatos esse Deos, quia cùm viæ comites ex more habere vellet, non inuenit. Videtur autem Iacob ibi ostendisse quam ob causam à seruis gestarentur idola, dum dicit Deum sibi fuisse socium itineris sui, quasi diceret, non esse circumferendos Deos illos, qui potius offensioni erunt, quàm viæ duces, vnum esse verum, & fidelem ducem, quem ipse habuit in toto illo longo, atque insidiarum pleno curriculo.

Rachel cur furata idola.

70. Vers. 27. *Et migrare vos faciam trans Damascum.*] Stephanus Actor. 7. *Et transferam vos trans Babylonem.* vtrunque verum, & vtrunque ex Scripturæ sacræ consuetudine. Scriptores enim Canonici, qualis erat Stephanus, in cuius ore Spiritus sanctus loquebatur, non videntur, cùm ex veteri Testamento testimonia sumunt, tam spectare verba, quàm verborum pondus, atque sententiam. Quare dummodo sententia non sit diuersa, de verbis, & syllabis non laborant. Quomodo non videretur mendax, aut infidelis interpres, qui cùm in prototypo exemplari haberet v. 9. *fugiens fumum, in flammas incidit*, ipse conuerteret, *fugiens imbrem, incidit in foueam.* vtroque enim loco tantùm significatur aliquem, dum minus declinat, in maius incurrisse periculum. Et in re simili, siquis haberet in prototypo textu, *Ad finem vsque terræ*, & verteret, *ad Gades vsque*, nemo illum inertiæ, aut infidelitatis argueret, quia ex hominum vsu eadem est omnino significatio. Erat, credo, inter Hebræos prouerbialis forma,

REGVLA. *Scriptores canonici in citandis ex Testamento veteri testimoniis non tam verba, quàm sententiam sequuntur.*

A cùm aliquis procul esset amandandus, *abire vltra Damascum*, aut *vltra Babylonem*, quomodo dixit Iuuenalis Satyr. 2.

PROVER. *Vltra Babylonem, aut Damascum.*

Vltra Sauromatas fugere hinc libet, aut glacialem Oceanum.

id est, ad finem vsque mundi, vbi iam non amplius cum hominibus viuam. Idem puto significabant Hebræi cùm dicebant, *trans Damascum*, aut *trans Babylonem.* Quocirca idem omnino ab Amos, & Stephano significatum est. Hæc mihi facilia videntur, neque aliena à veritate, & textu. 71.
Sed fortasse sensus est non figuratus, sed proprius, tum qui ab Amos hoc loco, tum qui ab Stephano productus. Fuerunt namque decem tribus, de quibus Amos, vltra Damascum Babylonem vsque translatæ; imò vltra Babylonem, nempe in Bosphorum, de quo Abdias, & *lib. 4.* B *Reg. cap. 6.* translatæ dicuntur in ciuitates Medorum, qui vltra Babylonios sunt. Et Iosephus *lib. 9. Ant. cap. vltimo*, tradit non in Mediam solùm, sed in Persidem quoque translatum esse Israel. Sed neque si omnino in Babylonia constitissent, aliquid à Scripturæ consuetudine alienum dixisset Stephanus, cùm dicit vltra Babylonios fines translatum Israel. Cùm enim aliquid amplificare vult Scriptura, aliquid addere solet vltra summum, vt Exod. 15. *Dominus regnabit in æternum, & vltrà.* Et idem loquendi modus est, quando dicitur, *in sæculum sæculi*, Heb. vtrobique.... id est, *in sæculum*, seu *in æternum, & adhuc*, Hebraicam phrasim exprimit Hispanus, cùm dicit *para siempre iamas.* nam illud *iamas*, idem est, quod *y aun mas.* C sed sine dubio in priori sensu sumpsit Stephanus, quia, & verissimus est, & non figuratus. Existimo autem hæc à Iudæis dici solita prouerbiali forma, quasi longius absuturi sint Hebræi ab vrbe, quàm antea soliti. Cùm enim prius à Syris Hebræi agerentur captiui, cùm prædandi gratia sæpe Syrorum latrunculi Israeliticos fines inuaderent, vt docet puella capta, quæ Naaman Syrum quærendæ valetudinis gratia, vt in terram Israel proficisceretur, hortata est; tamen non iam Damascum vsque abducendi dicuntur, sed trans Damascum, vt dixit Amos, quod idem est atque trans Babylonem, vt dicit hîc Stephanus.

IN CAPVT SEXTVM

ARGVMENTVM.

IN *hoc capite, vt meditatur & probat August.* lib. 4. de doctrina Christiana, cap. 7. *mirè splendescit Rhetoricus stylus Prophetæ Thecuani, ac rustici, qui lasciuiam & luxum describit eleganter, & acerrimè insectatur illorum, qui in populo primum tenebant & amplissimum locum. Quibus edicit instituti magnam, ac loci mutationem, exilium, & cædem ab hoste, cuius potentiam natura loci, & saxorum asperitate freti non timebant.*

CAPVT VI.

1. *VAE qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ: optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Israel.*

2. *Tran*

PARAPHRASIS.

D 1. VÆ vobis, qui affluentes opibus delicatè ac molliter viuitis in Sion, quæ duarum tribuum caput, & præsidium est. Væ item vobis, quibus Samariæ montes spiritus addunt, & audaciam, quasi nũquam eò aspirare possit aduersaria potentia.

Digitized by Google

2. Transite in Chalane, & videte, & ite inde in Emath magnam: & descendite in Geth Palæstinorum, & ad optima quaque regna horum: si latior terminus eorum termino vestro est.

3. Qui separati estis in diem malum: & appropinquatis solio iniquitatis.

4. Qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris: qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti.

5. Qui canitis ad vocem psalterij: sicut Dauid putauerunt se habere vasa cantici.

6. Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti: & nihil patiebantur super contritione Ioseph.

A tia. Qui tanquam populorum Principes, & capita, cum ambitioso fastu inter Israelitas superbum aliquid spirantes, inceditis.

2. Vt verò cognoscatis, quàm sitis non ingrati solùm, sed etiam stupidi, dum neque agnoscitis oblatum à Domino beneficium, omnes alias regiones, quæ illustres existimantur, & opimæ, oculis & cogitatione lustrate, & tandem videte, an illarum aliqua cum vestra regione, aut amplitudine, aut vbertate, aut specie comparanda sit. Transite ad Chalane, quæ nobilissima
B est in tractu Babyloniæ, inde ad Emath, quæ terram vestram à plaga Aquilonari definit, tandem ad Geth, quæ in campo Palæstinæ nobilissima est: & quanto sit illustrior regio, quam meo beneficio possidetis, expendite.

3. Sed ea est vitæ vestræ morúmque peruersitas, vt vobis hæc tot nominibus commendata regio deserenda sit. Dum enim illius deliciis ac commodis abusi, cupiditati vestræ intemperanter indulgetis, id estis mercedis consecuti, vt in diem ma-
C lum, nempe in direptionem, exilium, & ferrum separemini, tanquam victimæ è grege cultro destinatæ. Et tamen adhuc portas frequentatis, & in solio sedetis, vnde iniquè iudicando, id scelerum contraxistis, quod vastitatem vobis, & exilium peperit.

4. Deinde, quasi ab omni periculo securi, otiosi ac desides in eburneis lectis somnos capitis inertes ac longos, & in tricliniaribus lectis pulcherrimo instructis
D stragulo, ad lasciuiam & crapulam cubatis, qui ad cibum agnum pinguissimum de grege, & de armento saginatum vitulum adhibetis.

5. Quibus non satis est exquisitis cibis stomachum explere, sed prurientes etiam aures carmine mulcetis, & cum citharæ numeroso cantu, humanam quoque vocem sociatis. Et quidem isti stulta cogitatione sibi blandiuntur, & licere sibi putant, inter pocula adhibere musicorum organa, quia in Dauide audiũt illud esse laudatum:
E cùm tamen Dauid id faceret, ad diuinas laudes celebrandas, hi verò inter dapes, & pocula, in media ebriosorũ turba, ad oblectandos desides, & lasciuientes animos.

6. Et ne vllus sensus à sua voluptate vacaret, ad vinum in phialis largè diffusum, gratissimus vnguentorum odor accedebat, quibus nimis lauti ac delicati conuiuæ spargebantur. Neque quicquam habebant pensi, quid interea mali pateretur Ioseph, decem nimirum tribus, quæ partim iam durè vexata fuerant, partim nihil non ab hoste vicino formidare poterant,

Digitized by Google

7. Quapropter nunc migrabunt in capite transmigrantium: & auferetur factio lasciuientium.

8. Iurauit Dominus Deus in anima sua, dixit Dominus Deus exercituum: Detestor ego superbiam Iacob, & domos eius odi, & tradam ciuitatem cum habitatoribus suis.

9. Quòd si reliqui fuerint decem viri in domo vna, & ipsi morientur.

10. Et tollet eum propinquus suus, & comburet eum, vt efferat ossa de domo: & dicet ei, qui in penetralibus domus est: Numquid adhuc est penes te?

11. Et respondebit: Finis est. Et dicet ei: Tace, & non recorderis nominis Domini.

12. Quia ecce Dominus mandabit, & percutiet domum maiorem ruinis, & domum minorem scißionibus.

13. Numquid currere queunt in petris equi, aut arari potest in bubalis, quoniam conuertistis in amaritudinem iudicium, & fructum iustitiæ in absinthium?

14. Qui

A 7. Idcirco hi, qui primi sunt diuitiis ac potentia, omnium primi captiuitatis iugum atque molestias sustinebunt. Et qui in capiendis voluptatibus, in vnum modum atque consilium conspirarunt, hi pariter in exilium abibunt, vt quorum vna fuit intemperantia, vna sit pœna.

8. Hoc ipsum affirmauit Deus iuramento, per animam suam interposito, dicens abominationi sibi esse superbos Israelitarum, & ambitiosos fastus, & domos ad stultam gloriam & lasciuiam exstructas.
B Tum deinde ciuitatem insanis ædificiorum molibus insolentem, cum suis habitatoribus inimicorum manibus esse tradendam.

9. Si tamen contingat, vt ex vna cognatione, seu familia decem durum inimicorum gladium effugiant, neque ipsi diu vitam, quam ab hostili ferro subduxerint, conseruabunt: illos enim aut fames, aut pestis, aut durior aliqua vexatio consumet.

C 10. Tunc verò propinquus illius, qui in illa domo, quam sibi perfugij loco delegerat, aut absconditus est, aut iam est peste, aut inedia consumptus, veniet, vt si quæ supersint è cognato sanguine reliquiæ, illas vendicet ab interitu, aut extremum impendat funeris honorem: & illum quem extinctum inuenerit, igne comburat, vt consumptis carnibus, quas propter grauem odorem secum asportare non possent, nuda efferat ossa de domo quæ funeris honore prosequatur, & in honesto loco sepeliat.
D Hic dicet illi qui in interiori domo est, quíque putria iam cadauera aut nudata carnibus ossa produxerit, an aliquid præterea supersit quod egerat foras.

11. Cúmque ille responderit superesse neminem, aut mortuum quem producat & cremet, aut viuum qui in illis latebris mortem effugiat, iubebit illi rursus propinquus, de quo proximè, cùm ex mœrore & indignatione aliquid impium in Deum tantæ cladis auctorem dicturus videretur, vt sileat: neque contra Deum impiam exerat linguam.

E 12. Nam si contra Deum indecorum aliquid atque blasphemum iactet, prouocatus Deus à maledica lingua sic delebit ciuitatem, domúmque Iacob, vt neque domum relinquat aut amplam, & splendidam, aut sordidam, & humilem, quin omnino sternat, & exscindat.

13. Neque est cur existimetis loci natura satis ciuitates contra hostiles conatus esse munitas, & hostes nihilo in oppugnanda ciuitate magis esse facturos, quàm equi in arduo atque petroso solo, vbi omnia sunt

ad

Digitized by Google

A ad curſum impedita, aut bubalus ſi aratrum ſcopulis velit imprimere, vtriſque enim conatus erit laborioſus & irritus. Non eſt, inquam, cur ſperetis nihil ab hoſtibus poſſe inter ſaxoſa loca & interrupta ſalebris promoueri. Cùm enim vos plurima contra legum æquitatiſque naturam feceritis, & iuſtitiam atque iudicium reddideritis inſtar abſynthij amarum, & crudele, nil mirum ſi contra quàm loci natura patitur, quod expugnatu videbatur arduum, ſubiugetur ab hoſtibus, & ſaxa veloci curſu

B conculcent equi, & vomere ſubigant, & emolliant bubali.

14. *Qui lætamini in nihilo: qui dicitis: Nunquid non in fortitudine noſtra aſſumpſimus nobis cornua?*

14. Accedit ad iniquitatem veſtram & calumniam quòd idolis diuinos impenditis honores, quòd in eorum lucis atque delubris feſtiuos ac geniales ducitis dies: quòd in nihilo ponitis, cùm tot impendeant mala, omne ſalutis ac libertatis firmamentum. Quòd denique vires vobis atque potentiam arrogatis; &, quod intolerabilis inſolentiæ eſt, hæc non ab alio quàm à vobis ipſis & habuiſſe quondam, & nunc ha-

C bere liberè & ambitioſè prædicatis.

15. *Ecce enim ſuſcitabo ſuper vos domus Iſrael, dicit Dominus Deus exercituum, gentem: & conteret vos ab introitu Emath, vſque ad torrentem deſerti.*

15. Vt autem hæc tot peccata puniam, & reipſa experiamini à vobis nihil vobis ineſſe potentiæ: Excitabo, dicit Dominus exercituum, contra vos inimicam gentem, quæ tanquam imbelles & infirmos conterat; & quicquid veſtrum & veſtris viribus comparatum ſuperbè iactabatis, ab vltimis vſque finibus eripiat, ab ingreſſu Emath vſque ad torrentem Ægypti, qui terram promiſſionis ab Aquilonari atque Auſtrali regione definiunt.

Verſ.1. *Væ qui opulenti eſtis in Sion, & confiditis in monte Samariæ.*]

1. ADMIRATVR Auguſtinus *lib.4. de doctrina Chriſtiana, cap.7.* eloquentiam Thecuani paſtoris, quem nõnulli ſermonis imperitum eſſe putant; quaſi ſermonem in ſyluis didicerit, impolitum, & ruſticum, non elegantem, & purum, qualis familiaris eſt illis, qui loca inhabitant politioribus exculta diſciplinis. Eo loco Auguſtinus ſingula explorat, & nihil inuenit quod non ſit plenum artis, ſi modò artificium vocari poteſt, quod ab Spiritu ſancto dictatum eſt. Tu locum vide, & quid de noſtri Prophetæ ſtylo iudicat Auguſtinus, agnoſces, de quo nos ſuprà pluribus *prolegomeno ſexto.*

2. Cùm totum hoc Amos vaticinium ad decem tribus, quaſi fulmen quoddam directò torqueatur, vt *prolegomeno* 5. probauimus, interdum tamen aliquid admiſcet alienum, vt *cap.*1. atque 2. vidimus, vbi aliarum nationũ ſcelera exprobrantur, & denuntiantur minæ. In hoc ergo capite cõtra decem tribus agit Propheta, quod nomen indicat Samariæ, & contra duas alias, quod docet Sion, cuius nomen in principio audis. Ita cũ Hieronymo, atque Cyrillo putant frequentes alij, licet Theodoretus de ſolo Iſraele putet eſſe vatici-

D nium. Et hoc indicat LXX. trãſlatio, quæ ſic reddit, *Væ deſpicientibus Siõ.* Hi verò ſunt Iſraelitæ, quibus mõs Samariꝗ ſpiritus addebat inſolentes. Petit autem hæc prophetia præſertim illos, qui in vtroque populo auctoritate pollẽt, qua in tenuioris fortunæ homines abutuntur, in quos quiduis à ſua fortuna ſibi putãt eſſe conceſsũ. Neque ſibi metuunt quidquam fore contrariũ, cùm ad montes Sionis, & Samariæ non credant futurũ hoſtibus acceſſum, cùm illos muniãt, & loci natura, & propugnacula hominum artificio comparata, vbi vulgatus *opulenti*, Hebr. eſt שאננים *ſaananim*, quæ vox diuites ſonat, abundantes, & qui in delicijs

E viuunt. Quem hominum ſtatum ſuperbia comitatur, & aliorum contemptus.

Optimates, capita populorum, ingredientes pompaticè domum Iſrael.] Optimates illi ſunt, qui aut in 3.
magiſtratu viuunt, aut quorum arbitratu res adminiſtrantur publicæ, & qui capita dicuntur populorum. In hos igitur inuehitur Propheta, & dirum illud væ inſonat, quod inſtar habet fulminis. Id verò reprehendit primũ, & fortaſſe maximè, quòd ex magiſtratu, aut ſplendido loco, ſpiritus ſumpſerint arrogantes, quòd ſuperbo ingrediantur inceſſu; quòd in eorum comitatu pom-

Digitized by Google

pam te videre putes, aut regios fastus. Horum autem incessum Cicero odiosum esse dicit lib. 1. officiorum. *Cauendum est,* inquit, *ne tarditatibus vtamur in incessu mollioribus, vt pomparum ferculis similes esse videamur.*

4. Vbi vulgatus *pompaticè*, Hebr. est להם *labem*, quod quidam *sibi*, alij *ad eos* conuertunt. Si legas *sibi* optimè cum vulgata translatione consentit. Perinde enim opulenti illi, qui populorum capita dicuntur, ingrediuntur superbè, atque si ipsi soli essent, aut ad se trahere vellent omnium oculos, & illorum animis suiipsorum admirationem, & venerationem excitare; neque aliud in incessu, ac fastu captant. Sibi igitur tantùm ingrediuntur, cùm tamen publicam sustineant personam, & illorum incessus communibus commodis seruire debeat.

5. Si legas *ad eos*, dupliciter interpretari poteris. Aut enim refert illos, qui optimates dicuntur, & tunc hic erit sensus: Ad illos ingredietur domus Israel, quasi ad iudices, qui de ortis in ciuitate controuersiis disceptēt. Ingredietur itaque ad illos aut iudicij aut consilij gratia, quia in eis summa erat auctoritas, & prudentia existimabatur esse non vulgaris. Alij illud *ad eos* ad montes referunt, in quibus sita erat Sion duarum tribuum prima sedes, & Samaria, quæ Israelitici regni caput erat. Ad eos ergo mōtes venerunt filij Israel, exclusis Chananæis, qui regiones illas primùm occuparunt. ita ex Hebræis Rab. David. Cui sententiæ fauet, quòd hic Deus amplificare vult ingrati populi scelus intolerabile, qui cùm sedes accepisset à Deo omnium optimas, ab illo tamen recessit beneficij immemor. Vt verò montium illorum vbertatem, & speciem commendet, iubet vt regiones alias adeant, de quibus statim, explorēntque an illarum sit aliqua, quæ cum illa præclara possessione conferri possit.

6. Ego si ad rem grammaticam vocem Hebraicam להם *labem* examinare velim, Hebræorúmque familiare idioma, non videbor alienum aliquid dicturus, si vocem illam otiosam, & paragogicam esse statuam. Est enim vsitatum, vt datiuus ponatur, adiunctus præsertim verbis paragogicè, id est, qui significationi nihil addat, sed tantùm consuetudini, aut ornamento seruiat. Exemplis abundamus. *Cant. 1.* vbi vulgatus. *Si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres, egredere.* Heb. est, *Si ignoras tibi, egredere tibi.* quod simpliciter nihil est aliud quā *si ignoras, egredere.* & *cap. 2. v. 10.* vbi vulgatus *surge*, & statim *veni*, & *v. 13.* iterum *veni*, Hebr. est, *surge tibi, veni tibi.* Et in eandem sententiam explicuimus illud Isai. 59. *Saluauit tibi brachium suum*, id est, saluauit brachium eius, populum. Quod si ita est, vt planè videtur esse dicendum, conuerti sic potest non ineptè, *Ingrediantur domum Israel.* nempe sicut iudices, aut magistratus, ad causas disceptandas cōmunes, & publicas. Qui verò sic ingrediuntur, pompaticè ingrediuntur, & cum ambitioso fastu, vt personam decet. *Domum Israel*, domum intelligo publicam, non priuatam alicuius, sicut domum ciuitatis illam appellamus, quæ ciuitatis rationibus seruit, & communi commodo. Sic puto, & sententiam esse facilem, & vulgati translationem cum Hebraico textu posse componi.

Regula. Datiuus sæpe apud Hebræos paragogicus.

7. Vers. 2. *Transite in Chalane, & videte; & ite inde in Emath.* &c.] Ingratum indicat esse, atque væsanū populum, qui cùm gratus esse Domino debuerit, quia in montes illum vberes, & lata regionis optimæ spatia deduxerit, illi tamen ex illa tanta siue amplitudine, siue splēdore occasionē sumpsere, vt spiritus sibi sumerent ambitiosos, & illum seruarent habitum in incessu, vt pompā esse crederes, non ingressum hominis. Iubet igitur Deus, vt regiones alias adeāt ingrati illi, & stolidi optimates, & opulenti, vt ex illarum cōparatione cognoscant, quanti illa prouincia sit habenda, quam Dei beneficio consecuti sunt, & suo inde stuporē cognoscāt, & damnent. Chalane in tractu Babylonico est, vt habes *Gen. cap. 10.* vbi sic de Nēbroth, *Fuit autem principium regni eius Babylon, & Arach, & Achad, & Chalane in terra Senaar.* Emath in extremis finibus terræ promissionis posita est ad Aquilonarem regionem. Geth ciuitas est nobilis in tractu Palæstino, de qua in Scriptura sæpius. Ponuntur autem hæ ciuitates, quia valde tunc notæ, in quibus per synecdochē aliæ intelligūtur, quarum magna potentia, & explorata bonitas.

8. Vers. 3. *Qui separati estis in diem malum, & appropinquatis solio iniquitatis.*] Vbi vulgatus, *separati estis.* Hebr. מנדים *menadim*, quod actiue quidam interpretantur, in quibus sunt Hebræi, cum Chaldæo, & recentiores omnes interpretes, Pagninus, Tigurina, Vatablus, Isidorus, Montanus. Qui hoc ferme modo interpretantur. *Qui remouetis à vobis diem malum*, nempe cum gestu quodam, atque fastidio, quasi id longè abiit à meritis vestris, aut ab ipso minarum euentu, aut certè abesse quàm longissimè diem illum, quem minantur Prophetæ, dicentes, & iterantes illud Ezech. cap. 12. v. 27. *Visio, quam hic videt, in dies multos, & in tempora longa iste prophetat.* Sed vulgatus passiuè exposuit, *separati estis.* Quod interdum valet vox נדה *nadah*, quæ in voce actiua passionem significat, fortasse quia accusatiuus subauditur, sicut apud Latinos, *soluit, mouet, appellit*, vt *hinc mouit*, id est, motus est, aut profectus, aut mouit se, seu castra; *huc appulit*, id est, venit, seu *nauem appulit*, & ita exponit ex Hebræis Rab Salomon. *Qui mouetis vosipsos ad diē malum.* Simile est illud Psal. 54. v. 8. *Ecce elongaui fugiens*, id est, elongaui me. Illi ergo, qui pompaticè incedunt, & in deliciis viuunt, suis sibi cupiditatibus intemperantiùs obsecuti, in diem malum, nempe in direptionem, exilium, & ferrum reseruati sunt.

Regula. Accusatiuus sæpe subauditur.

9. *Et appropinquatis solio iniquitatis.*] Si Hebræorū expositionem sequare, erit hoc loco antithesis non inelegans, quasi dicat Deus: Remouetis à vobis, ô viri voluptuarij, & arrogantes, diem malum, & supplicium indictum per Prophetas, quasi aut nunquam futurum, aut certè post multos dies posterorum ætate; & tamen non remouetis id, vnde vobis paratum est hoc malum, sed adhuc exercetis iniqua iudicia, & solium ambitis, in quo lucrum captatis iniustum, & miserorum iustitiam euertitis.

Sed si vulgatam lectionem sequare, quod necessarium est, sensus erit duplex, & vterque facilis. Alter, destinati iā estis diei malo, exilio videlicet, & gladio, & tamen adhuc appropinquatis solio iniquitatis, id est, iudicatis iniquè, & augetis quotidie cælestis iræ, atque incendij materiā. Alter est, si illud *&* rationalis sit particula, & tunc huiusmodi sententiam informo, *destinati estis diei mala*, quia vos in solio iniquitatis, vbi leges & iudicia peruertitis, miseros homines diei malo, id est, iniuriæ, ac prædæ exposuistis. Aut quia pro muneribus iustificatis impios, à quibus suum sibi ius miseri obtinere non possunt. Aut quia damnastis innocentes, quo vestris, siue aliorum cōmodis, ex illorum dispendiis seruiretis.

Hiero

10. Hieronymus, & cum illo plures alij putant, *solium iniquitatis*, solium esse aut imperium regis Babylonis, seu Assyrij, cui suberunt cum ignominia, ac vexatione duti, qui paulo antè dicuntur opulenti, & de quorum mollitie statim. Hanc sententiam probant è recentioribus nonnulli, mihi paulo videtur durior.

11. Vers. 4. *Qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris.*] Diximus paulo antè eos, qui à vulgato dicuntur opulenti, Hebraicè dici שאננים *saananim*, quæ vox non solùm abundantes, & splendidos, sed etiam delicijs, otio, atque desidia diffluentes significat. Hoc iam minutiùs explicat Propheta, & indicat hosce homines, qui splendidè viuunt & molliter, non solùm voluptuarios esse, sed etiam furaces, quique non minus voluptates auide, quàm fraudulenter, & callide prædas captent. Neque tam pretiosa splenderet supellex, nisi ad illam comparandam, quæsita foret vndecunque pecunia. Lecti quidam cubiculares sunt ad quietem, & somnos, alij discubitorij, seu triclinares ad capiendos cibos, in vtrisque elaborandis plurimum operæ, ac sumptus ponebat antiquitas. De discubitoriis ornandis, multa dicunt externi, in quibus otiosorum hominum mira lasciuia, vnum accipe Plinium lib. 33. cap. 11. *Lectos*, inquit, *mulierum iam pridem totos simus operiri argento.* vbi de hoc ornatu plura. Esse autem lectos eburneos, à materia scilicet in eos vsus opportuna, multa docent: sanè Varro *lib.* 8. apud Romanos alios lectos ex ebore, alios è testudine factos esse tradit. Et Clem. Alexan. *lib.* 2. *Pædag.* lectos esse dicit ἀργυρόποδας, & ἐλεφαντοσκελῆτας, id est, argentipodes, & cõfectos ex ebore: licèt autem interdum lectos, & sedes, & alia lautioris domus ornamenta ex ebore fiant, nudo, ac solido; sæpe tamen ex ebore fiunt sectili, alia materia ex internallis vermiculato opere interposita, testudine videlicet Indica, ebeno, & pretioso metallo, vt indicat Clemẽs loco proximè citato. Eburnei lecti meminit Horatius lib. 2. Satyr. 6.

Lectorum tã cubicularium, quàm triclinariũ ornamenta.

Eburnei lecti, & alia supellex.

——— Ponit vterque
In locuplete domo vestigia, rubro vbi cocco
Tincta super lectos canderet vestis eburnos

12. Quod de triclinari lecto dictum est, idem etiam de cubilari dici potest, neque enim minus elegantiæ, atque munditiæ in hoc, quàm in illo spectari voluerunt antiqui. Sed est hic dubium de vtro horum lectorum loquatur Propheta: nam vox communis est, & Hebræis, hoc maximè tempore, hic discumbendi modus ad mensam vsitatus, vt indicat Ezechiel cap. 23. *Sedisti super lectum honorabilem, mensaque præparata est ante ipsum.* Neque *dormiendi* vox admodum premeret, cùm hæc etiam interdum valeat idem, quod iacere, seu cubare. Vnde apud Hebræos frequens, dormire cum vxore, dormire in sinu alterius, id est, cubare, & dormire in sepulcris, id est, iacere, imò & dormire is dicitur, qui à labore, siue motu cessat. Iob cap. 38. v. 37. *Concentum cœli quis dormire faciet?* Et sicut strenuum, atque sollicitum vigilantem dicimus, sic etiam cessatorem, ac desidem dormientem vocamus. Sanè vox Hebr. שכב *sacbab*, ad hos vsus patet, sed Clemens Alexand. triclinares lectos esse putat lib. 2. Pædagogi cap. 2. *Spiritus sanctus per Amos elocutus. Qui bibunt vinum per colationem, & super lectum*, inquit, *sedent eburneum*, illud *sedent* triclinium potius indicat, quàm cubile. Sed quando eò incumbit omnium penè interpretum contensio, vt cubiculares esse lectos existiment, nos etiam cum illis sentiamus. De do-

Hebræorum triclinares lecti.

Dormio, idem quod iaceo, aut otiosus sum.

mibus, alijsque operibus eburneis diximus pinra supra ad illud cap. 3. *peribunt domus eburneæ.*

13. *Et lasciuitis in stratis vestris.*] Non solum ad quietem, & somnum lectulos sibi instrauerant eburneos viri illi opulenti, ac molles; sed ad turpiores voluptates, quas parit otium, & curandi corporis plus satis vigilãs studium. Bacchus enim, & Ceres sociam sibi habent, & penè affixam Venerem, quæ sine Baccho, ac Cerere, vt optimè Comicus, plerunque friget. Ita cum Hieronymo, & Augustino *lib.* 4. *de doctrina Christiana, cap.* 7. plerique alij Hebræi, & quidam, qui illis plus satis adhærent, de nimio apparatu lectulorum accipiunt.

Qui comeditis agnum de grege.] Electum fortasse de grege toto, id enim indicat dicendi modus, quasi optimum quemque agnum de pauperum gregibus assumerent, & illis scabiosum quodque, & macilentum relinquerent. Vnde Paraphrastes vertit, *Qui comeditis pinguia ex grege.*

14. *Et vitulos de medio armenti.*] Quo modo *medium* præpositionibus adiũctum, ex Hebræorum idiomate, nihil addat præpositionibus, dictum est à nobis sæpe. Quare *de medio armenti*, nihil est aliud quàm *de armento.* pro *armento* Heb. est מרבק *marbeq*, quod Hebræi saginarium esse putat, neque abnuit Hieronymus, qui *Ierem.* 46. *v.* 21. vertit *vitulum saginatum*, & 1. Reg. 28. v. 24. *vitulum pascualem.*

15. Vers. 5. *Qui canitis ad vocem psalterij.*] *Non satis vobis fuit*, ait Hieronymus, *Veneris libido, & gutturis, & æstuantis cibis aqualiculus, nisi tibiarum, & psalterij, & lyræ canticis aures vestras mulceatis.* Quàm verò frequenter, & penè legitimè musica adhiberetur in conuiuiis externorum, docent antiquissimi, tum poëtarum, tum historicorum, quorum adducere testimonia longi esset, & iniucundi negotij. Ita sane docet Homerus *lib.* 21. *Odyss.* vbi musicam vocat ἀναθήματα δαιτός, id est, additamẽta conuiuij. Virgil. *lib.* 1. *Æneid.* Iopam in Didonis conuiuio canentem inducit.

Musica in conuiuiis.

——— Cithara crinitus Iopas
Personat aurata, docuit quæ maximus Atlas.

16. Et Plautus vtrunque coniunxit, & eburneos lectos, & conuiuialem musicam, in Sticho scena, *Quisnam obsecro. Lectos*, inquit, *eburatos, auratos, tibicinas, fidicinas, sambucinas.* Apud sacros eadem de re testimonia non desunt, illud graue Eccli. cap. 32. v. 7. *Gemmula carbunculi in ornamento auri, & comparatio musicorum in conuiuio vini. sicut in fabricatione auri signum est smaragdi, sic numerus musicorum in iucundo, ac moderato vino.* Et idem *cap.* 49. *v.* 2. *Iosiæ* memoriam musicæ comparat in conuiuio vini. Sed est locus egregius Isaiæ cap. 5. v. 11. *Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperam, vt vino æstuetis, cythara, & lyra, & tympanum in conuiuiis vestris; & opus Domini non respicitis.* idem *cap.* 24. *v.* 8. Huiusmodi conuiuia agitabant sæpe opulenti illi, quos Propheta lasciui animi, & intemperantis arguit, quasi nulla futura esset rerum vicissitudo.

17. *Sicut Dauid putauerunt se habere vasa cantici.*] Tuentur infirmorum audaciam, aut stultitiam potentiorum facta, & sanctorum exemplum interdum impij aduocant, vt rebus interdum indignis, & turpibus aliquam obtendant honestatis speciem, sed errant sæpe, dum sibi licere putant in aliquo studio, atque opere, quod in re admodum dissimili, sanctis viris laudi, atque honori datum est. Cecinit olim Dauid in psalterio, & cithara diuinas laudes, idque vt in templo fieret, curauit diligenter, & eam ad rem necessarios

Non omnia omnibus cõcessa.

Exempla mala accẽmodata.

comparauit sumptus; & cantorum ordines accurate disposuit. Viri autem isti opulenti existimarunt sanctè se posse facere inter dapes, & pocula, & in media ebriosorum turba, quod fecit Dauid, cùm diuinas prædicaret laudes, seque ipsum, & alios, qui sacris, aut canticis intererant, ad Dei amorem, & cælestium rerum contemplationem excitaret. Aut certè hi dum vitulis sacrificarent, & Gentium idolis, perstrepebant canticis, multiplicique symphonia, Gentilium ritu, sibique id honestum, sanctúmque putabant, quia antè aut fecerat psaltes Dauid, aut faciendum curauerat. Neque meditabantur aliò spectare Dauidicam harmoniam, aliò suam: se enim obstrepere Deo, & ingratum aliquid vlulare, Dauidem verò nihil studere aliud, quàm vt Deo gratum aliquod obsequium impenderet. Sic Hieronymus. *Quod Dauid fecit in cultum Dei Leuitarum ordines, & organorum repertens varietates, vos ad voluptatem, & luxuriem confertis.*

18. Vas ex vsu sermonis Hebraici instrumentum significat, vnde *vasa mortis* Psal. 7. tela sunt mortifera; *vasa pastoris* Zachar. cap. 11. illa sunt instrumenta, quibus in agendis, moderandisque gregibus vtuntur pastores. *Vasa furoris*, Isai. 13, v. 5. & Psal. 70. v. 22. quæ hic *vasa cantici* eadem significatione dicuntur *vasa psalmi*.

Vasis significatio multiplex.

19. Vers. 6. *Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti.*] Adhuc reprehendit Israeliticam luxuriem, & effusam in omne deliciarum genus intemperantiam. Primum quòd in phialis, vasis nimirum pretiosis, & capacibus vinum biberent, vtique vt illud poculorum genus exigebat, delicatum, & nobile. Deinde, quia ad alias mensæ delicias odores etiam adiunxerunt, siue qui à cremato aromate, siue qui ab stillatitio vnguento diffunduntur. Quæ etiam sunt, vt dicebat suprà Clemens Alexand. lauti additamenta, quasi legitima conuiuij. Vsitata esse in externorum conuiuiis vnguenta, siue suffimenta, ne vllus sensus à sua oblectatione vacaret, diximus pluribus in Canticis *cap. 1. num. 11.* quod non minus Hebræis, quàm externis familiare, de externis multa externi scriptores. Vnum accipe exemplum, in quo lauta mensa, qualem hi viri opulenti habuisse videntur, à Cicerone describitur lib. Tuscul. 5. *Collocari iussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimo, textili stragulo, magnificis operibus picto, &c. Aderant vnguenta, coronæ, incendebantur odores, mensæ conquisitissimis epulis instruebantur.*

Odores & vnguenta in conuiuiis.

20. In Scriptura occurrent exempla non pauca, quæ indicant in lautioribus conuiuiis frequentem esse vnguentorum vsum cap. 12. v. 6. *Fruamur bonis, quæ sunt, vino pretioso, & vnguentis nos impleamus.* Ezech. cap. 23. v. 41. *Sedisti in lecto pulcherrimo, & mensa ornata est ante te, thymiama meum, & vnguentum meum posuisti super eam.* vbi vulgatus, *optimo vnguento delibuti,* Heb. est ראשית שמנים *resith semanim,* quod vnguentum capitis explicari potest; aut quia caput præcipuo aliquo vnguento perfundebatur, aut quia vt caput in corpore pars est nobilissima, sic etiam hoc vnguentum, quia nobilissimum est, nomen sumpsit à capite, quasi vocetur vnguentorum omnium caput, & princeps. Sanè conuiuarum capita respergi solita, tã apud externos, quàm apud Hebræos, multa docent, vnde vt ego coniectabam in cõmentariis super Acta *cap. 19. num. 8.* fit valde verisimile, Hebræos habuisse nullum capitis integumẽtum, neque enim aliter nisi admodum indecorè perfundi posset caput vnguentis. Stillabant Romanorum capita

Conuiuarũ capita vnguentis perfusa.

Capitis nullum tegumentũ apud Hebræos.

A vnguento pretioso, &, vt ita loquar, capitali, vt probant testimonia non pauca. Cicero in Pisonem, de Gabinio. *Erant compti capilli, & madentes cincinnorum fimbriæ.* Ouid. lib. 5. Fastor.

Pinguescat nimio madido mihi crinis amomo.

Et Tibul. lib. 3. eleg. 7.

Iam dudum Syrio madefactus tempora nardo.

Plura habemus ex sacris literis, in quibus vnguenta sæpe cum capite iunguntur. Eccl. cap. 9. *Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum super caput tuum non deficiat.* quod vsitatum in conuiuiis docuit Christus *Matth. cap. 6.* vbi ad celandũ, dissimulandúmque ieiunium, signa iubet assumi illorum, qui lautioribus solẽt interesse cõuiuiis: 21.

B *Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua.* Psal. 140. *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* & Psal. 22. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum; & calix meus inebrians quam præclarus est.* Quare Magdalena nihil tentauit inusitatum, ac nouum, cùm vnguentum nardinum super Christi caput effudit accumbentis ad mensam. Neque si id parum esset vsitatum, illud officij genus Christus à Pharisæo requireret. *Caput,* inquit, *meum non vnxisti.*

22. Ex his videtur non improbabile, quod hoc loco dicitur vnguentum optimum, Hebr. ראשית *resith*, illud esse, quo resperguntur conuiuantium

C capita, qui propriè dicuntur vnguentis delibuti, quia ex capite ad faciem & collum defluunt vnguenta. Iuuenalis satyr. 2.

—Hirsuto spirant opobalsama collo.

Et hoc fortasse allusum, quamuis communiter alia existimetur esse sententia, Psal. 133. vbi vnguenti illius fragrantia explicatur suauitas, quæ ex fratrum oritur concordia. *Sicut vnguentum in capite, quod descendit super barbam.* Hæc erat species illorum, in quorum mores inuehitur Propheta, qui ad voluptatẽ, & luxum nihil non adhibebãt.

Et nihil patiebantur super contritionem Ioseph.] 23.

Quæ proximè dicta sunt de Hebræorum conuiuiis, de immoderatis poculis, & superbo luxu,

D minus essent reprehendenda, nisi eo essent tempore suscepta, quo aliorum libertas, & vita augustè laborabant. Eccli. 22. v. 6. *Musica in luctu importuna narratio.* Quidam hinc putant probari posse hæc de duabus tantùm tribubus esse intelligenda, quæ cùm minus in decem alias essent affectæ, de illarum exitio sibiipsis gratulabantur, diésque ob eam causam agebant geniales, & lætos. Quòd verò Ioseph pro decem tribubus sumatur, docuimus suprà *cap. 5. v. 6.* Illi porrò, qui hîc dicuntur, & epulari splendidè, & largiter, & exultare immoderatè, alieni esse videntur à regno, siue familia Ioseph, id est, à decem tribubus. Ita putant Montanus, verùm omnes penè alij cõtrà sentiunt cum Hieronymo, Cyrillo, & Theodoreto, qui hæc conferri putant in Samariæ prin-

E cipes, & Israelitici regni proceres. Qui cùm regni totius saluti, ac libertati prouidere debuissent, vsqueadeò tamen illius erant immemores, vt quo tempore, aut patiebantur, aut metuebant ab hostibus, quæ extrema censentur infortunia, ipsi tamen epulabantur splendidè, & genio, ac voluptati quàm poterant effusissimè seruiebant. His Hieronymus accommodat illud *Ezech. cap. 34.* contra malos pastores. *Qui comedunt lac de ouibus, & vestiuntur lanis, & quicquid primum est deuorant, & vulnera non sanant, confracta non solidant, perentia non requirunt.* Neque minus accommodatè in illos conuenit aut viuendi modus, aut intentæ

minæ

ænnæ per Zachar. *cap.11.* cùm sumere iubetur Propheta vasa pastoris stulti, & in symbolo exprimere quod mali isti pastores meditentur, & faciant.

24. Porrò in contritione Ioseph, de qua non laborant, qui suo sibi genio largiter indulgent, significari puto omne cognationis officium esse proditum, aut etiam humanitatis, idque prouerbiali inter Hebræos specie. Ita indicat Augustinus lib. 4. de doctri. Christ. cap. 7. *Non, inquit, dictum est: Nihil patiebantur super contritionem fratris, sed positum est pro fratre Ioseph, vt quicunque frater proprio significaretur eius nomine, cuius ex fratribus fama præclara est: vel in malis, quæ pendit, vel in bonis, quæ rependit.* Cùm autem historia Ioseph nota esset propter splendorem personæ, & propter crudelitatis nouum, & inauditum exemplum, materiam præbuit amplissimã prouerbio. Miserunt fratres Ioseph in cisternam veterem, vbi illi propter loci incommoditatem, nisi statim foret extractus, pereundum fuisset, dolebat eo tempore, vt ex horrore, ac pædore loci, & ex ætate adhuc tenera coniectare licet, & lacrymabatur Ioseph, fratres tamen longe aberant, vt illi compaterentur, præter vnum, & alterum, imò statim, atque in cisternam illam profundam, & veterẽ demissus est, ipsi accubuerunt, vt cibis illis vescerentur, quos illis fortasse paulo ante à patre attulerat Ioseph. Gen. cap. 37. v. 25. *Miserunt eum in cisternam veterem, quæ non habebat aquam, & sedentes, vt comederent panẽ, viderunt Ismaelitas viatores,* &c. De his igitur proprie dici posset, *Bibentes vinum in phialis, nihil patiebantur super contritionem Ioseph.* Et hoc ipsum per metaphoram prouerbiali forma dici posset, de omnibus qui molliter, & delicatè viuunt, neque de fratrum suorum incommodis laborant.

PROVER. De crudelitate in fratres.

Hic libet adscribere, quod ex Rab. Salomonis sententia dicit Abulensis *ad cap. 36. Gen.* cisternam illam veterem, in quam missus est Ioseph, plenam esse serpentibus, & scorpionibus: quod sanè verisimile est, quia etiam non est improbabile, illã cisternam esse dissipatam, quæ ita aquam exciperet pluuialem, vt tamen illam non retineret, qualis erat illa, de qua Ierem. c. 2. *Foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere nõ valent aquas.* Hanc porrò cisternam dissipatã, & veterem, sicut aquam puram retinere non poterat, sic etiam verisimile est retinuisse, quod in aqua crassum est, & cœnosum: neque enim per angustas cisternarum rimas, quod crassum est, exsudat, aut effluit: quare illarum fundum cœnosum esse necessarium est. Talis certè fuit illa cisterna, siue lacus, in quem proiectus fuit Ieremias cap. 38. *Proiecerunt eum in lacum,* &c. *& submiserunt Ieremiam funibus in lacum, in quo non erat aqua, sed lutum: descendit itaque Ieremias in cœnum.* In locis verò cœnosis immundas has, obscœnasque bestiolas produci, satis docet ipsa experientia. Neque credo aliud voluisse Iosephi fratres, dum illum in cisternam demiserunt, quàm vt manus suas à fraterno sanguine conseruarent innoxias, id est, ne tam suis manibus, quam mortiferis belluarum morsibus, & loci pædore, & pestilenti halitu fratrem extinguerent. Id enim significasse videtur Ruben, cùm dixit Genes. cap. 37. vers. 21. *Non interficiamus,* inquit, *animam eius, nec effundamus sanguinem, sed proiicite eum in cisternam veterem, quæ est in solitudine, manusque vestras seruate innoxias.* Fuit ergo insignis illa crudelitas, quòm non tregit fratrem demersũ in lacum, & defixus in limo, & inter sordes, & horribiles belluas, quominus accumberent mensæ, & epularentur iucundè.

25. Nisi mauis ab alia eiusdem Iosephi historia prouerbium deducere. Inclusus erat Iosephus in carcere, in quem Dominus sine vllo suo merito propter tentati adulterij suspicionem coniecerat, vbi pistoris, atque pincernæ regij somnia sic scienter exposuit, vt eius coniectatio nullo modo aberraret ab exitu. Pistori crucẽ, pincernæ fortunam, à qua excidisse videbatur, prædixit, admonens tamen, vt cùm libertatem, & statum priorem esset consecutus, sui recordaretur, quem innocentem vxoris calumnia, & mariti crudelitas in vincula coniecisset. Gen. 40. v. 14. *Memento mei, cùm tibi bene fuerit, & facias mecum misericordiam, vt suggeras Pharaoni, vt educat me de isto carcere.* Et deinde v. 23. *Et tamen succedentibus prosperis, præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui.* De hoc etiam proprie dici potuit, *Bibebat vinum in phialis, & nihil patiebatur super contritionem Ioseph.* Vnde prouerbio factus locus, in eos, qui cùm dies agant geniales, & ab omni perturbatione vacuos, quid alij patiantur, non curant. Hæc mihi videntur non aliena, & quæ optimè explicant sententiam, quam priori loco produximus, quam maximè probamus.

26. Vers. 7. *Quapropter nunc migrabunt in capite transmigrantium.*] Quia hi tã molles sunt, ac voluptuarij, vt suo genio, atque abdomini nati videantur; & adeò inclementes, & duri, vt cognati sanguinis commiseratione non tangantur, minatur illis Deus exilium à patria, quod consequetur illarum rerum iactura, quibus se in meliori fortuna liberiùs oblectabant. Et quia, vt dicit hic Hieronymus, primi sunt diuitiis, ac potentia omnium primi captiuitatis iugum sustinebunt, potentes enim potenter tormenta patientur. Ego hic in Thecuano armentario, & rustico Propheta, aliquod Rhetoricum artificium inuenio. Vbi vulgatus legit, *& optimo vnguento delibuti,* Hebr. est, *in capite vnguentorum,* id est, in præcipuo vnguento, quale caput est in animali. Nunc illi capiti, aliud nunc caput opponit, transmigrationis videlicet, & exilij; vt qui quod erat in deliciis primum, & maximum nacti sunt, idem quod primum est, & maximum in exilio, transmigrationeque sustineant. Ad verbum qui vnguentorum capite delibuti sunt, idem in capite migrabunt transmigrantium.

Qui principes sunt in republica, principes in tormentis.

27. *Et auferetur factio lasciuientium.*] Horum verborum non est difficilis sententia, quam paucis complexus est Hieronymus, cui subscripsere frequentes alij. *Qui in capiendis,* inquit, *voluptatibus vnum habuere consensum, & comessationes exercuerunt, ac symbola, hi pariter auferentur: vt quorum vna sit luxuria, vna sit pœna.* Sed est huius sententiæ subobscura ratio. Vbi vulgatus *factio,* Heb. est מרזח *mirzach,* quam alij *luctum* vertunt, in quibus sunt quidam ex Hebræis, & Pagninus, ac Vatablus, alij *conuiuium,* vt Tigurina. Qui *luctum* trãstulerunt, sic exponunt, *appropinquabit luctus lasciuientium, & comessantium.* Qui *conuiuium,* auferetur lætitia, & succedet luctus. Sed est eadem omnino sententia. Nam מרזח ita significat conuiuium, vt tamen luctum, & aliquid funereum importet; quale est funebre, ac ferale epulum, quod exhiberi solet in mortuorum inferiis. Quod conuiuium, quia funereum aliquid est, & parentalium quoddam additamentum, plus luctus habere debet quàm voluptatis. Hanc eandem vocem Hieronymus Ierem. cap. 16. v. 5. *conuiuium* reddidit. *Ne ingrediaris domum conuiuij, neque vadas ad plangendum, neque consoleris eos.* vbi in commentariis,

Digitized by Google

conuiuium dicit esse lugentium; quod de more ad mortuorum exequias adhiberi solet. De quo nos plura in nostris commentariis ad citatum Ieremiæ caput.

28. Nunc vulgari translationem cum aliorum sensu, atque translatione componamus. Noster reddidit *factio*, qualis nempe suprà multis descripta fuerat, id est, consensio, aut coniuratio illorum, qui conuiuiis, & omni voluptatum genere oblectabant, quasi diuersa esset factio, aut etiam respublica, ab illa, in qua erat inferior, atque debilior turba, ex cuius præda luculentas ipsi mensas extruebant, & omnia naturæ blandimenta captabant. Hæc porrò conuiuia parentalia vocari potuerunt, quia vt parentale epulum ex bonis mortuorum instruitur, quod viuos excipit, & sub lugentium persona oblectat, & exhilarat, sic illorum hominum, qui propterea quòd vitam agunt miseram, & omnium auaritiæ propositam, mortui censeri debent, quasi testamento legatam cœnam obeunt funebrem; quam sæpe repetunt quasi suo sibi arbitratu debitam. Hæc igitur cœna in posterum negabitur, atque ideo illa conuiuantium iniqua factio, seu conspiratio crudelis dissoluetur.

Pauperum bona quasi præda est, & hæreditas potentium.

29. Vers. 8. *Iurauit Dominus Deus in anima sua.*] Iuramento Dominus confirmat, quod proximè se facturum esse minatus fuerat, aut certè iureiurando asserit id, ex quo prouenit tam horribilis plaga, & tam insperata clades. Quod ad iuramentum attinet, duo hic nobis obseruanda sunt. Alterum est, *in* in iureiurando concipiendo esse quod *per*, vt Isai cap. 62. *Iurauit Dominus in dextera sua, & in brachio fortitudinis suæ*, id est, per dexteram & brachiū. Item cùm *anima alicuius* idem sit quod *aliquis* (vnde *anima mea* idem valet, quod *ego*, *anima mea*, idem quod *mihi*.) qui iurat in anima sua, aut per animam suam iurat per seipsum. Et cùm ex Hebræorum idiomate *anima* sumatur pro *vita* (vt probant illæ vsitatæ formæ. *Qui amat animam suam: posui animam meam in manibus meis*, & plures aliæ similes) qui iurat in anima sua, aut per animam suam, quod fecit Deus *Ieremiæ cap. 51.* iurat per vitam suam, quod idem est, ac si diceret Deus: *Viuo ego*, quæ diuini iurisiurandi familiaris est forma. De significatione diuini iuramenti diximus in nostris commentariis *in Isaiam cap. 62. num. 33.*

In in iuramentis idē, quod per.

Iurare per animam suam, quid sit.

30. *Detestor ego superbiam Iacob, & domos eius odi: & tradam ciuitatem cum habitatoribus suis.*] Quod proximè iuramētum antecedit, referri potest ad illas minas, quæ præcessere, aut ad eas, quæ statim subsequuntur. Sed cùm eodem spectent omnes, quocunque accipias modo, nihil refert. Ego vtrasque spectare arbitror. Hactenus arrogantissimi populi certum, & quasi naturale signum adhibuit; cùm lectos appellauit eburneos, luculentas mensas, immoderata pocula, & ortam ex ebrietate lasciuiam. Quare & illorum mores à sobrietate, atque modestia alienos, & domos insanas, & insolentes odit, ac statuit tam habitatores delicatos, & molles, quàm domos superbè, atque eleganter instructas tradendas esse inimicorum potestati, qui ciues aut morti dedant, aut seruituti, & domos subuertant, & pretiosa illarum ornamenta deripiant. Domus autem quas detestatur Dominus non sunt illæ, quæ moderatis excitantur sumptibus, in quibus apparet modestia, & religiosa moderatio, quales plerunque ædificant, qui sua sorte contenti, nihil supra suum statum, ac conditionē meditantur eximium; sed sunt illæ,

Ædificia superba, quæ ingrata Deo.

A quibus homines supra alios videri student sublimes, & aliquid habere humano maius, & excelsius, quæ plerunque impendiis ædificantur alienis. Hebr. ארמנות *armenoth.* id est, palatia, arcem, basilicam. In has inflammatur diuinus furor; quia spiritus abominatur insolentes, qui superbas illas moles architectantur. Eccli. cap. 10. v. 7. *Immundus est apud Deum omnis, qui exaltat cor suum, & odibilis coram Deo est, & hominibus superbia.*

Vers. 9. *Quòd si reliqui fuerint viri decem in domo vna, & ipsi morientur.*] Hic sudant interpretes, & variè in eruendo sensu distrahuntur, præsertim Hebræi. Hieronymus sic hunc locum integrum exponit. *In tantum contra eos Dei ira desæuit, vt etiam* 31.
B *si remanserint decem viri in domo vna, ipsi quoque moriantur: & propinquus siue vicinus comburat cadauera mortuorum, vt efferat ossa de domo: quia præmorientium turbis integra corpora efferri non valeant. Cùmque iam lassus fuerit asportando, interroget eum, qui in penetralibus domus est, vtrùm supersint, quos sibi tradere debeat: & ille respondeat, finis est. Iam non habeo, quem tibi tradam ad sepeliendum. Et antequam non habere se iuret, ille, qui interrogauerat, & foris erat, & non esse cognouerat, imperat ei, & dicit: Tace, & non recorderis nominis Domini. Hoc autem idcirco commemorat, vt ostendat, nec malorum quidem pondere, & necessitate compulsos velle nomen Domini confiteri: & in tantam apud Israel obliuionem Dei venisse vocabulum, vt ne id*
C *simplici quidem iuramento, nomen Dei dignetur audire.* Hæc Hieronymus, cui subscribunt alij, qui ab illius sententia discedere non solent, Remigius, Albertus, Dionysius, Hugo. Quorum mihi sententia non improbatur; sed sunt in illo examinanda non pauca, quę non videntur admodum expedita.

Et primùm domum illam vnam, in qua viri decem dicuntur esse relicti, non puto esse singularem aliquam domum, quam parietes, tectúmque definiunt, sed familiam aliquam, quæ ex vna stirpe, ac parente deducta, in multas domos, atque familias propagata est. Nam si in domo vna relicti forent decem viri, non diceretur domus 32.
D illa graue aliquid passa, cùm in republica integra, atque florente non ita multæ domus reperientur, quæ decem habeat viros, nisi dicamus, qui reliqui fuerint ex cæde, ac fame, in vnam aliquam domum confugisse, vt ibi mutuò sibi præsidio sint, & communem mortis necessitatem effugiant. Vbi tamen nihilo magis tutum perfugium habebunt, quos enim vis hostilis non attigit, eos fames, aut pestilentia consumet. Et hanc cogitationem nonnihil confirmat, quod *cap. 5. v. 3.* ex ea ciuitate, vnde centum egrediebantur, decem tantùm dicuntur esse superstites.

Vers. 10. *Et tollet eum propinquus suus, & comburet eum.*] Qui hoc loco dicitur esse propinquus, 33.
E qui cadauer combureт, & ossa efferat, nempe ad sepulcrum, Hebr. dicitur דודו *dodo*, quod communiter patruelem significat, vt vertunt sæpe Septuaginta *in Canticis*, & *Isai. cap. 5. v. 1.* vulgatus. Aliqui vicinum interpretantur, quasi propinquus sit non tam cognatione, quàm loco. Sed non est deserenda aut vulgata translatio, aut significatio communis, maximè cùm rei ipsius natura ferat, vt qui genere aliis coniuncti sunt, accurrant, siquid propinquis aduersi contigisse cognouerint, vt illis si qua ratione possint, in illa fortunæ aduersitate subueniant. Ex aliis ergo ciuitatibus, in qua minus inclementer bacchatum fuerat hostile ferrum, veniunt propinqui, vt si quæ supersint e cognato sanguine reliquiæ, illas vendi

Digitized by Google

vendicent ab interitu, aut extremum impendant funeris honorem.

34. *Et comburet eum, vt efferat ossa de domo.*] Miser iudicabatur omnino, quem inhumatum putrescere cõtingeret, maximè si canibus futurus esset præda. Vnde apud externos tanta cura sepulturæ: à qua si quis excidere metueret, nihil habebat, quo suum sibi dolorem solaretur. De externis satis apud externos multa, quæ nunc omitto, vide quæ diximus ad illud Ierem. 7. *Et erit morticiniũ populi huius in cibos volucribus.* De Hebræis habemus exemplum huic quàm simillimum, quod nos pluribus explicuimus ad illud Ieremiæ cap. 34. *Secundùm combustiones patrum suorum.* vbi diximus cadauera Saulis, & filiorum partim fuisse combusta, partim mandata sepulturæ. 1. Reg. cap. vltimo, v. 12. *Surrexerunt omnes viri fortissimi, & tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro, venerúntque Iabes Galaad, & combusserunt ea ibi igne. Et tulerunt ossa eorum, & sepelierunt in nemore Iabes.* Nam cùm aliquot dies, vt necessarium videtur ex historia, cadauera illa pependissent in muro, aspirabant iam grauem aliquem, & intolerabilem halitum, quem neque ipsi, qui sustulerant inde, tolerare possent; neque alij ad carnes regij cadaueris putres iam, & fœtentes funeris ergò possent accedere, nudauerunt carnibus ossa, quibus in patria de more parentarent, & carnes combusserunt igne, ne quid secum fœtidum, & immundum adducerent. Eodem consilio propinqui illi viri misericordes, ac pij, quia neque tabe fluentia cadauera sustinere poterant, neque satis se piè facturos existimabant, si parentale aliquod officium omitterent, combusserunt carnes, & extulerunt ab incendio nuda carnibus ossa, quæ inferrent sepulcro, & quibus ferales impenderent honores.

Sepultura magnus honor.

Ossa nuda carnibus sepulcro mandata.

35. *Et dicit ei qui in penetralibus domus est, nunquid adhuc est penes te.*] Hic qui in penetralibus esse dicitur, & quem alloquitur propinquus, aut est aliquis, qui de decem viris superstes fuerat, aut quem exploratorem miserat, qui intima scrutaretur domus penetralia, & tabida, atque fœtentia cadauera foras efferret: aut certè consumptis flamma carnibus ossa ab incendio liberata produceret. Hunc igitur rogauit propinquus, cùm iam aliquot cadauera, aut nudata carnibus ossa protulerit, an aliquid præterea supersit, quod in abdito domus secessu pateat. Quæ vox eius est, qui ex graui fortuna, duróque conflictu magnam esse hominum cladem suspicatur.

36. Vers. 11. *Et respondebit finis eius.*] Id est, superesse adhuc neminem, aut mortuum quem producat, & cremet; aut viuum, qui in illis latebris mortem effugerit. Quasi dicat, iam actum esse prorsus de ciuibus, adeò, vt non solùm superstes sit nullus e tanta multitudine; sed neque vllum sit cadauer, quod non fuerit solutum in cineres.

37. *Et dicet ei, tace; & non recorderis nominis Domini.*] Quam hic Hieronymus, & cum illo plures alij sententiam esse putauerint, diximus paulo ante. Quòd videlicet odio diuini nominis, quod in iureiurando concipiendo interponi solet, nolit hoc ipsum iuramento confirmari. Quasi paratus esset ille siue explorator, siue vespillo, siue, vt Cyrillo placet, domus dominus iurare nihil latere præter ea, quod cremet, aut producat; cui os opprimit propinquus ille, ne Dei nomen, quod execratur, audiat, aut quia idololatra est, aut

A quia tantum malum illatum à Domino fuisse cognouerat. Hæc mihi dura visa sunt, sicut etiam Cyrillo, cui hæc sententia probari non potuit. Cuius nũc verba proferam, quia neque illius, neque meam sententiam explicare possum elegantiùs, ac meliùs. Sic igitur Cyrillus: *Quidam putant affirmántque iuraturos domus dominos ab interrogantibus prohibitum iri, ne per nomen Domini iurent. Addunt verò Ephraimitas vsque adeò ad extremam à Deo alienationem prolapsos, vt volentes quosdam nec nominare quidem Deum vniuersorum paterentur. Est autem, opinor, putida vehementer, & indecora huiusmodi oratio. Quòd enim Ephraimitæ à charitate Dei penitus resiluerint, nemo dubitabit. Sed ex plagis, & flagellis fa-* B *ctos cautiores, æquum erat potius timere aliquantum, & deinceps ad salubriora consilia capessenda procedere, nec è rebus aduersis tam ferociter, & audaciter contra diuinam pietatem loqui. Ad hæc (adijciam enim dictis istuc quoque) quid quæso ædium præpositos interrogatos, quisnam apud eos aut viuus adhuc fortasse, aut saltem mortuus iam lateret, etiam addere sacramentum cogebat neminem amplius apud se esse? Quia est ergo, dicet, tace, ne* 38. *nominet nomen Domini? Arbitramur, quia aduersus Deum execrationem, & maledictum filiis Israel sic interdicere solebant, principio ducto ex mandatis legis: scriptum est enim in Leuitico duos viros iurgatos inter se in castris, deinde alterum pugnantium (nempe Ægyptiæ filium) blasphemasse nomen, & lapidibus esse obrutum, statimque* C *Deus hæc verba apponit: Homo si malè dixerit Deo suo, peccatum accipiet; nominans autem nomen Domini morte moriatur. Nominare itaque nomen Domini maledicere est. Quod à sacris literis vocibus boni ominis exprimitur. Quia verò multi consueuerunt, cùm in aliquo dolore, aut mœrore versantur, voces aliquando maledicas in Deum iactare, renuncianti, inquit, domus præsidi sine domino, neminem præterea apud se esse, quamquam grauissimis calamitatibus circumuento, & oppresso, obturabis os, inquit, ne nominet nomen Domini, hoc est, ne quid contumeliosum contra Deum efficiat. Quibus verbis non temere illis plagam, seu pœnam irrogatam, neque immeritò eos, sed necessariò, & vtiliter puniri ostenditur.* Hæc Cyrillus, in cuius explicatione duo nobis obser- D uanda, & paulo accuratiùs explicanda sunt.

Nominare nomen Domini, aliquid indicat blasphemum.

Diuino nomini magna debetur reuerentia.

Alterum est nihil indecorum, aut commune 39. apud Hebræos cum diuino nomine coniungi, qui audiri simul cum diuino nomine sacrilegium esse putant; quare verbum *maledico* ab illo remouent, & eius loco contrarium, licèt aliena significatione supponunt. Hinc illud lib. 3. Reg. cap. 21. de Naboth. *Viri diaboli dixerũt contra eum* (Naboth) *testimonium coram multitudine. Benedixit Naboth Deum & regem: quamobrem eduxerunt eum extra ciuitatem, & lapidibus interfecerunt.* Eodem verbo vsa est vxor Iob *cap. 2. v. 9.* quæ Dei nomen in summo etiam dolore, ac desperatione, quæ interdum homines tam in consiliis, quàm in verbis E præcipites agunt, indecoro vocabulo temerare non est ausa; sed cùm contrarium significare vellet, dixit tamen, *Benedic Deo, & morere,* pro *maledic,* quod optimè intellexit Iob, cùm ad impiam illam vocem respondit, *Quasi vna de stultis mulieribus locuta es.* Imò neque diabolus ausus est cum diuino nomine *maledictionem* coniungere, cùm tamen de illius gloria non laboret, immo, nihil mallet, quàm illud ab omnium Gentium linguis lacerari, ac despui, vt docuit Hieronymus ad illud Galat. 3. *Maledictus omnis. Etiam ipse,* inquit, *satanas cùm de Iob polliceretur, quòd si grandibus pressus esset angustiis blasphemaret, à meliori parte hoc significauit, dicens: Nisi te benedixerit.* Quare cùm propinquus ille tacere iubet exploratorem, aut dominum

Nulla vox indecora cũ diuino nomine coniungebatur ab Hebræis.

Diuini nominis reuerentia.

Satanas non audet aliquid indecorum cũ Dei nomine coniungere.

num domus, id iubet ne quid contra Deum indecorum loquatur, aut indignum, quod facturus videbatur, cùm à Deo sic videret miserum illum populum abiectum, & exhaustum, ac si dicat, *Caue ne in hac eff.usione Domino maledicas.*

40. *Gentiles deis suis maledicere soliti.* Alterum est tam Israelitis, quàm Iudæis aliquid ex Gentium consuetudine adhæsisse gentilicum. Qui cùm aliquid patiuntur aduersi, in Deos suos non aliter bacchantur, & sæuiunt, quàm in quemlibet hominem de plebe ac circo. Idque vsqueadeo irreligiosè, ac liberè, vt in illos non solùm exerant sacrilegas linguas, sed etiam inferant infensas manus. Mitto quæ ad nos de Gentium religione, quæ regiones illas incolunt, quas felici nauigatione trans Oceanum aperuerunt Hispani, ad nos deferantur quotidie: quàm apud Sinas Deorum sit religio vilis, & nomen despicabile, quando Deos suos, nisi postulata concedant, conuitiis lacerent, immo & flagellis male accipiant, & allidant terræ. De antiqua religione, à qua aliquid hauserunt Israelitæ iam idololatræ, vnus Homerus multa dabit exempla. Vide quàm impiè, liberéque in suos Deos loquatur apud Virgil. *lib.* 2. Æneas, qui tam à poëta fingitur religiosus, & pius. Is ergo doloris impatiens, quod Creusam vxorem amisisset, ait:

Quem non incusaui amens, hominúmque, Deorúmque.

Et Eclog. 5. de Daphnidis morte,

Cùm complexa sui corpus miserabile nati,
Atque Deos, atque astra vocat crudelia mater.

Horum igitur consuetudinem imitati Israelitæ, in eodem rerum articulo de Deo querebantur, atque in illo aut fidem, aut misericordiam requirebant, quod multis locis populo suo exprobrat Deus.

41. Vers. 12. *Quia ecce Dominus mandabit, & percutiet domum maiorem ruinis, & domum minorem scissionibus.*] Hieronymus priori suæ sententiæ consentaneè ait, *Quia in tantam rabiem prosilistis, vt etiam mortis tempore, & imminentibus malis noluetitis nomen Domini nominare, ideo mandabit Dominus*, &c. Sed si cum Cyrillo sentiamus, quod nobis magis videbatur solutum, hæc poterit esse sententia. Cauete ne quid contra diuinum nomen impiè, atque indecore proferatis: ne prouocatus Deus sic deleat aut ciuitatem, aut domum Iacob, vt neque domum relinquat aut amplam, & splendidam, aut sordidam, & tenuem, quin omnino sternat, & excindat.

42. Domum maiorem communiter omnes cum Hieronymo, & Cyrillo, decem tribus intelligunt, quia harum fines patebant latiùs, & viris, atque opibus abundabant; domum verò minorem, duas alias, quæ vt inferiores numero, sic etiam minus erãt & apparatu militari instructæ, & ad resistendum idoneæ. Domus autem maior ruinis dicitur esse percussa; quia funditus deleta est, neque vnquam instaurata, cùm ad regiones, vnde exciderat, numquam remigrarit: domus autem minor discissa, quia non omnino periit, sed post aliquot annos, redintegrato statu, formam, & locum instaurauit antiquum. Quæ ruinam subeunt, & à statu ceciderunt, & vita, nisi de integro res agatur, omnino perierunt; quæ verò discissa sunt, & interrupta, in quocumque volueris genere coniungi possunt, & colligari, & minori studio, atque impendio renouantur: vt apparet in veste discissa, quæ resarcitur facile, & in interruptis mœnibus, quorum scissuræ, ac rimæ A mediocri sumptu, ac labore complentur. Spatium porrò 70. annorum, quibus duæ tribus extorres abfuerunt à patria, quasi rima quædam, aut scissura fuit, quæ continuatum illud regnum post longa tempora diuisit, quæ duæ discissi regni partes tunc denique coierunt, cùm soluta captiuitas fuit, & facta postliminio in antiquam sedem populi remigratio.

Hæc mihi potiora sunt, quia & ipsa non dura, aut extorta à textu, vel historia, & quia à tot virorum auctoritate magnum habent pondus; sed est aliquid, in quo hærere possit curiosi lectoris mediocris attentio. Primum, quia non ita concidit Israel, id est, decem tribus, vt non fuerint B aliquando restitutæ, vt pluribus docuimus ad illud Oseæ cap. 1. *Et congregabuntur filij Iuda, & filij Israel pariter.* Quare non videtur domus illa maior ruinis percussa. Deinde quia hìc agit Amos, vt apparet, non contra Iudam, sed contra Israel, id est, contra decem tribus, quare ab illis ruinam, aut discissionem remouere non oportuit. Tertiò, quia vbi vulgatus *ruinis*, Hebr. est רסיסים *resisim*, quæ vox non tam significat ruinam, quæ aliquid sonat totale, ac subitum, quàm stillã, seu guttam, aut perstillationẽ, quæ lentè, ac sensim debilitat domum, & tandem sternit. & ita Pagninus vertit, *Percutere faciet domum magnam rimis, & domum minorem scissionibus.* Tigurina, *domum magnam scissuris, paruam fissuris.* Et Vatablus futurum putat describi C terræ motum, propter quẽ *tam parua quàm magna domus rimas agent.* & antiquissima translatio Hispanica, *feran feridas las grandes casas con gotas, y las pequeñas con fendiduras.* Quod si ita est, grauior est, magísque inopinata ruina domorum tenuium, ac paruarum, quàm magnarum, quas construxere, & habitauere potentes, cùm stillationes ac guttæ sensim corrumpant domum, quia illarum ictus vehemens non est, at scissura quæ fit ab impetu maiori ruinam minatur, & importat multo breuiorem. Adde quòd ita fert ipsa rerum natura vt domus magnæ quæ firmo, ac quadrato lapide constructæ sunt, non vno procumbant ictu, sed aliis, atque aliis subinde repetitis, qui quasi stil- D læ sunt, quæ sensim excauant, & debilitant domum, ac tandem longa assiduitate prosternunt. At exiguæ, & malè materiatæ domus, vno tantùm tormentorum ictu rumpuntur, & corruunt.

Hæc videntur nonnihil incommodare cogitationi communi. Verùm vulgata lectio retinenda est, quam probat Septuaginta translatio, quam habemus nunc à Xisto correctam; & Chaldaica paraphrasis, quæ sic habet, *Percutiet regnum magnum plaga valida, & regnum exiguum plaga debili.* Sed respondeamus oportet ad obiecta. Et primùm negari non potest è decem tribubus in patriam remigrasse quamplurimos, vt citato loco satis, vt opinor, probatum est. Verùm non ita redierunt ab exilio, vt pristinum retinerent or- E dinem, ac nomen; aut sub aliquo capite de suo genere, cui subessent. Quare omnes vno duci ex alieno genere paruerunt, omnes ex eo tempore vocati sunt Iudæi, deposito primo, & gentilitio nomine, nemo iam Rubenitarum, Gaditarum, ac Ephraimitarum nomen audiuit. Quare ingente ruina decem tribus corruisse existimãdæ sunt. 43.

Neque magis vrget quod dicebamus hæc minas in vnum Israelis nomen intorqueri. Nam licèt negari non possit, quod etiam nos suprà verũ esse docuimus, decẽ tribus in toto hoc vaticinio designari, tamen aliquid interdum admiscetur, quod ad duas alias, quasi obliquè respectet: quod 44. 45.

quod vidimus paulo antè hoc ipso capite statim in principio. *Væ qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ.* De voce רסיסים non est quod multum laboremus, cùm ex omnium etiam Hebræorum sententia contritiones significet, & fracturam, quæ nulla alia voce melius exprimi potuerunt, quàm *ruinæ*, sicut etiam fecere Septuaginta.

46. Vers. 13. *Nunquid currere possunt in petris equi? aut arari potest in bubalis?*] Nemo, credo, dubitabit hunc dicendi modum esse prouerbialem, quo aliquid significatur neque vtiliter, immo neque vllo modo posse fieri. Neque enim inter præruptos scopulos, aut loca frequentibus intercisa salebris discurrit equus, qui planitiem amat, & in ea plurimum, aut in ea potiùs tantum potest. Vnde natum prouerbium, *Equum in planitiem.* Neque bubalus arare potest inter petras. Sumet enim laborem molestum, & durum, & sine vllo omnino compendio, cùm neque subigi possit aratro, imò neque distringi saxum, neque amplecti sinu, atque fouere semẽ; si quod à stolido aratore recepit. Quare qui equis per saxa, & scopulos incitaret ad cursum, nihil ageret aliud, quàm, vt seipsum & equum rumperet, & temerario præcipitio perimeret; & qui aratrum saxis vellet imprimere, ille rem tentaret non solùm inutilem, sed supra aratorum, ac bubalorum vires. Hæc prouerbij vis; nunc illius accommodatum sensum inuestigemus.

47. Montanus hæc verba illorum esse censet, quibus ab hostibus Propheta vastitatem minatur. Quasi illi irrideant, sibique satis à natura dicant comparatum esse præsidij contra omnem vim, atque apparatum hostilem. Cùm enim terram incolant asperam saxis, sublimem, & inaccessam, propter scopulos, & salebras, iactabant sermone audaci, ac libero nil sibi timendum ab Assyriis, qui putabantur ab equitatu potentissimi, cùm ad loca saxosa, & ardua equestris cursus aspirare nõ posset. Neque capiendam esse ciuitatem, quod in bubalis arantibus subobscurè significant. Et adducit illud Horatij *lib. 1. ode 16.* quo inducto aratro vltimum significabatur ciuitatis exitium, cùm illius solum factum esset arabile, vtpote non iam tam extruendis domibus, quàm ferendis frugibus destinatum.

Subactæ ciuitates arari solitæ.

> *Altis vrbibus vltimæ*
> *Stetere causæ, cur perirent*
> *Funditus; imprimeretque muris*
> *Hostile aratrum exercitus insolens.*

48. Est quidem hoc quod Montanus asserit verum, solere victores inducto aratro significare ciuitatem esse captam, & suam. Quod etiam significauit Cicero *Philip. 1.* vbi circunducto aratro ab hoste victore subacta significatur esse ciuitas, *vt vexillum*, inquit, *tolleres, vt aratrum circunduceres; cuius quidem vomere portam Capuæ penè perstrinxisti.* Acutè quidem ista Montanus. Sed probare debuisset hanc consuetudinem Assyriis, aut Hebræis cum Romanis fuisse communem. Quod certè non faciet.

49. Ego iam pridem ex hoc loco sententiam penè eandem informaram, nempe verba hæc esse Israelitarum, qui deridebant Prophetarum oracula, séque satis habere præsidij vel ab ipsa tantùm natura loci prædicabant, cùm equis nullum ad sublimem ciuitatem, & præruptis impositam saxis pateret accessus. Neque videretur vlla ratio cur ciuitatem hostes euersam esse cuperent, cùm ex illius solo nihil capi possit emolumenti, cùm arari non possit, cùm sit scopulosum & arduum, quod vnum hostes ex euersis ciuitatibus spectare solent. Quasi subsannando dicant, vt hostes se à bello, & obsidione temperent, quando nullus est ad equorum cursus expeditus locus, neque ex pretioso solo, vllus ex seminatis frugibus prouentus sperari posset. Sed neque hæc explicatio omnino probatur, quia non satis bellè cum consequentibus conuenit. Sed si aliquid illúdque pauxillum, aut mutes, aut addas, non, credo, multum displicebit.

Sic igitur nos illam sententiam informemus. 50.
Dicunt derisores illi, & plus satis suis viribus petrosique soli naturæ tribuentes, nihil sibi ab hostibus esse metuendum, cùm obstarent duo, & soli asperitas, quæ non possit facile, ac tutò ab equite calcari; & solum ipsum ferendis frugibus inutile, quod hostium retardaret studium; qui ex belli molestiis aliquod plerunque compendium captant, aut certè, quod mihi magis est verisimile, nihilo magis acturos esse hostes Assyrios, quantuncumque virium ad bella collegerint, quàm equi inter aspera, atque prærupta saxa, quæ calcare non possunt veloci cursu, aut bubali, si iisdem saxis vomerem velint imprimere. Vtrisque enim conatus erit laboriosus, & irritus.

His verò respondet Deus, cùm ipsi multa con- 51.
tra legum, æquitatísque naturam fecerint, non esse mirandum si contra ipsorum caput, quæ fieri non posse videbantur, contra naturæ leges nonsolùm vtili successu, sed etiam facili perficiantur, quale est ab equis saxosa loca, quasi planicies quædam essent, cursu calcari, & subigi à bubalis, non secus, atque si campus foret planus, exossatus, & mollis. Et hæc mihi expositio omnium videtur soluta maximè; neque alij admodum diuersi sunt, nisi fortasse in dicendi figura. Quasi hæc verba sint Prophetæ, qui tacitæ aliorum cogitationi respondent, qui illud de equis, ac bubalis, aut obiiciebant, aut opponere possent. Quorum cogitationem verbis, quæ modò attigimus, & statim magis explicatè proponemus, infirmat. Mitto plura, quæ dicuntur ab aliis, quæ si singulatim persequi, atque explicare vellem, longus sim; illa verò apud suos auctores videre promptum est.

Nihilo tamen minus adducam expositionem 52.
aliam, non vt illam cuiquam persuadeam, sed quia in re obscura, quæque ad multas expositiones ipsa patet, aut trahi potest; tentari, quod videri potest opportunum, non solum licet, sed interdum necessarium est. Ego sic coniectabam; amplificari hîc à Propheta à cõparatione impossibilium improbitatem, atque perfidiam hominum, qui sic se in iudiciis, disceptandisque causis habuerunt, vt iudicium in amaritudinem, & iustitiæ fructum, qui suauissimus est, in fel, & absinthium commutauerint. Quod est magis verisimile, si Hieronymi sequaris expositionem, qui commutationem illam iudicij in amaritudinem, & iustitiæ in absinthium in Deo factam esse dicit, à peccatore populo, qui fecit, dum obstinatò hæret in peccatis, vt Deus qui benignissimus est, & multo quàm nectar, atque ambrosia suauior, amarus fiat, sicut fel, & absinthium. *Vos*, inquit, *cùm equi, & bubali naturam suam mutare non possint, mutastis naturam Dei, vt dulcem amarum faceretis, & fructum iustitiæ eius in absinthium verteretis, quæ est herba amarissima.* Cùm autem hoc ab aliqua natura creata fieri posse non videretur, non malè inferret Propheta, nil iam esse in rebus impossibile factu,

Rem peccator prodigiosam facit, dũ Dei suauissimũ ingeniũ amarum reddit.

factu, & ideo discurrere posse equos incitato, atque pernici gressu super acutos & præruptos silices, & arari saxa à bubalis, & inde spectari posse
53. copiosissimam messem. Est hæc comparatio, seu amplificandi modus vsitatissimus, cùm enim aliquid aut numquam expectatum, aut vehementer absurdum factum audimus, tunc in rerum naturis nihil impossibile factu fore dicimus. Exempla occurrent passim, duo accipe à profanis. Non putabat Ouidius futurum vnquam, vt in rebus angustis desereretur ab amico, qué sibi demeruerat officiis, & à cuius amore, & fide nihil non sperabat; cùm tamen esset ab illo proditus, quod impossibile existimabat, ait iam nihil impossibile esse iudicandum. Sic autem lib. 1. de Tristibus, Eleg. 7.

Amplificatio ab impossibili.

In caput alta suum labentur ab æquore retro
Flumina, conuersis solque recurret equis.
Terra feret stellas, cælum findetur aratro,
Vnda dabit flammas, & dabit ignis aquas.
Omnia naturæ præpostera legibus ibunt,
Pársque suum mundi nulla tenebit iter.
Omnia iam fient, fieri quæ posse negabant,
Et nihil est, de quo non sit habenda fides.
Hæc ego vaticinor, quia sum deceptus ab illo
Laturum misero, quem mihi rebar opem.

Nupserat apud Virgil. *Eclog.* 8. Nisa, nympha longè pulcherrima, Mopso pastori stolido, ac vasto, & in quo nihil esset hominis ingenui, ac belli; queritur riualis pastor, & ait deinceps mirandum non esse, si quæ maximè natura differunt, & ingenio, societate inter se, & coniugali fœdere copulentur, cùm tam dissimiles formæ, tam diuersi mores, tam arcto necessitudinis vinculo coniugantur. Sic ergo pastor ille riualis, & inuidus:

Mopso Nisa datur; quid non speremus amantes?
Iungentur iam gryphes equis, æuóque sequenti
Cum canibus timidæ venient ad pocula damæ.

54. Neque aliena videtur hæc expositio si aliter illud de iustitia in absinthium mutata cum aliis accipias; nempe illos, quibus exprobrat rapinam atque perfidiam, Deus, amarum fecisse, atque horribile id, in quo miseri debuerũt habuisse perfugium; cùm iudicia pulcra, miserorum debeant causas tueri, & illorum solitudini, atque inopiæ contra potentium calliditatem, & opes subuenire. Cùm igitur Iudæorum æquitas, & tot modis ac locis tradita, ac commendata iudicandi forma prodita, ac violata sit, quod nullo modo fieri posse credebatur, nil mirandum videtur, si quod impossibile factu est, nempe equos inter silices, quasi in planicie currere, & arari saxa fieri posse existimemus.

55. *Quoniam conuertistis in amaritudinem iudicium, & fructum iustitiæ in absinthium.*] Hic locus iam à nobis paulo antè declaratus est. respondet enim Deus arandos esse silices à bubalis, & ab equorum cursu velocissimo calcandos, quando ipsi nihil meditantur æqui, ac sani; eorum enim peccata perfecerunt, vt hostes nihil à saxis, præruptísque silicibus habeant impedimenti, quominus obsideant, capiántque ciuitatem, & saxa eadem dura, atque arida possint bubalorum vomere sulcari. Sanè de Ierusalem, & Sione, quæ in saxosis locis, naturáque sterilibus sita sunt, dixit eodem ferme tempore Michæas *cap.* 3. *v.* 12. cùm eadẽ exprobraret scelera populo, qui sicut illi, quibus cum nunc disceptat Amos, dicebat: *Non venient super nos mala. Propter hoc,* inquit, *causa vestri Sion quasi ager arabitur, & Ierusalem quasi aceruus lapidum erit, & mons templi in excelsa syluarum.* Quid

A porrò sit iudicium in amaritudinem, & iustitiam in absinthium conuerti, diximus suprà *cap.* 5. ad illud v. 7. *Qui conuertitis in absinthium iudicium.*

Vers. 14. *Qui lætamini in nihilo.*] Hoc planè admirabile, & ex quo non temere quis inferat, sensu nimirum hyperbolico, omnia fieri posse, quæ ipsorum natura negabat posse fieri. Quid enim à natura, aut certè à bona mente magis alienum, quàm aliquem lætari in nihilo. Et mirandum magis, *in nihilo*, cùm tot impendeant mala, posuisse omne salutis, & libertatis firmamentum. Hoc igitur complanabit silices, vt discurrent equi, & emolliet saxa, quæ à bubalis possint aratro versari. Quid sit illud *nihilum* incertum. Symmachus transtulit ἀλόγως, id est, *stultè*, & *ir-* 56.
B *rationabiliter.* Hebr. est לא דבר *lodabar*, id est, *non verbum. Verbum* autem apud Hebræos idem est, quod *res*, quare *non verbum* valet, idem quod *non res*, seu *nihil*. Est autem *non res*, aut *nihilum* idolum, quod, vt docuit Paulus 1. *Cor.* 8. nihil est in mundo. Sic putat Hieronymus: aut certè omnia præter Deum, quæ nihilo magis firmitatis habent contra illa, quæ quotidie occursant infortunia, quàm stupa contra ignem, aut puluis, seu leuissima stipula contra faciem venti. Quòd si quis inflatus superbia in seipso satis putet habere præsidij, ille iam minus habere existimandus est quàm nihil, quia habet in seipso non quod ab hoste defendat, sed quod cum hoste faciat, neque minus
C quàm hostis vrgeat, & oppugnet. Atque ideo subdit,

Peccatoris, præsertim superbi, spes fallax, & infirmum auxilium.

Qui dicitis, nunquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua?] Cornua in Scriptura sacra potentiam significant, & regnum, sumpta metaphora ab animali, puta à tauro, seu rhinocerote, quorum vis esse existimatur in cornibus, quibus magna etiam pondera propellunt, & ventilant. Neque id solùm apud sacros, quamuis id frequẽtius, sed etiam apud profanos. De sacris probant multa passim. Psal. 46. *In te inimicos nostros ventilabimus cornu.* Deut. 33. v. 17. de Ioseph, *Cornua rhinocerotis cornua illius: in ipsis ventilabis Gentes vsque ad terminos terræ.* Ex profanis vnus Horatius no- 57.
D bis plura suppeditabit exempla. lib. 3. ode 21. sic ad vini amphoram:

Cornu pro regno, seu potentia.

Tu spem reducis mentibus anxiis,
Viréisque: & addis cornua pauperi.
Post te, neque iratos trementi
Regum apices, neque militum arma.

Et in epodo ode 6.

Caue caue, namque in malos asperrimus
Parata tollo cornua.

Ea fuit igitur horum hominum superbia, is stupor, vt non solùm vires sibi, atque potentiam arrogauerint, quas cornuum vocabulo significant; sed illas à seipsis habere prædicent, neque aliis, atque adeò neque ipsi Deo acceptas esse referen-
E das putent. Cùm tamen à Deo in regionem illam sint introducti, & in eius possessione quàm diutissimè conseruati.

Vers. 15. *Ecce enim suscitabo super vos, domus Israel, dicit Dominus Deus exercituum, Gentem.*] Grauia 58.
fuere illa peccata, quæ suprà Deus exprobrauit populo: sed postremum illud vehementer acuit diuinum furorem, quòd id, quod à Dei benignitate acceperat, id suæ sibi virtutis negotium esse prædicabat. Quare vt iam tandem de illa falsa cogitatione cadant, neque suarum esse virium acceptum à Deo beneficium conseruare reipsa experiantur; minatur Deus excitaturum se gentem, à qua conterantur tamquam imbelles, & infir

Digitized by Google

& infirmi, & quicquid suum esse superbè iacta- A bant, ab vltimis vsque finibus eripiat.

39. *Ab introitu Emath vsque ad torrentem deserti.*] Hi sunt extra fines, qui terram promissionis, id est, Israelis hæreditatem definiunt. Emath ab Aquilone orientali, quæ, vt docet hîc Hieronymus, Epiphania dicitur, ab Antiocho Epiphane nomen sortita, quæ primùm ab Aquilonari regione excipit egressos de terra promissionis. Huic ex aduerso ab Austro occidentali respondet, terminus alius, qui modò *torrens deserti* dicitur, alibi aliis nominibus nuncupatur, nempe torrens Ægypti, 2. *Paralip.* 7. & Sichor Ægypti, 1. *Paralip.* 13. quem fluuium LXX. Rhinocoluram, seu Rhinocoruram transtulere, quia ciuitatem illius nominis præterlabitur, & inter hanc, & Pelusium in mare mediterraneum ingreditur, vt dicit hîc Hieronymus. Qui ex his verbis colligit extremas hasce minas ad duodecim tribus pertinere, quia illorum terminos duo illi fines circumscribunt, de quibus proximè. Quem alij plures sequuntur, sed sunt qui contrà sentiant, neque fortasse temere, Theodoretus, & Vatablus, quia intra duos illos terminos non videntur Iudæ, & Benjamin tribus esse conclusæ, quia hæc ad mare pertinent, neque à duobus illis finibus attinguntur, qui ad Aquilonem spectant orientalem, & occidentalem Austrum. Adde quod rex Israel Ieroboam filius Ioas *lib.* 4. *Reg. cap.* 14. *v.* 25. restituisse dicitur terminos Israel, id est, decem tribuum, quarum fines eosdem assignat, quos nunc Amos. *Ipse*, inquit, *restituit terminos Israel ab introitu Emath, vsque ad mare solitudinis.* Alia porrò Emath, quæ Iuda dicitur, de qua statim *v.* 28. alia est ab ea, quæ terrã promissionis ab aliis secernit. Esse autem duas eiusdem nominis ciuitates, docuit Hieronymus ad illud cap. 6. v. 2. *Ite in Emath magnam.* Hoc posterius ita probo, vt priora non improbẽ.

Terra promissionis termini.

Torrens, seu fluuius Ægypti, seu deserti quis.

IN CAPVT SEPTIMVM

ARGVMENTVM.

VIDIT primùm Propheta Dominum, qui sub vernum tempus fingebat locustas, quæ herbescentes fruges, cùm adhuc essent teneræ, disperderent. Vidit deinde aduocantem ad ciuitatis incendium flammas. Ac tandem super murum abiicientem trullam, qua murorum solidabat & implebat rimas, & quod erat in illis quassatum & infirmum, confirmabat. Ex quibus facile coniectauit, quid signa illa indignantis animi designarent. Quare orat Deum, vt misertus populi, quem varia afflixerant, & extenuarant incommoda, vltricem manum ab intentato vulnere contineat, quod tandem assequitur: Deus enim ad Prophetæ preces vltricem iram aliquandiu suspendit. Cùm autem Amasias sacerdos illum ablegare vellet à Bethel, quia Propheticas voces suis consiliis ac lucris incommodare nouerat, respondet Propheta, neque se sponte sua venisse, vt prophetaret in Israel, sed ab armentis, quibus pastoralem dabat operam, in illud ministerium sumptum fuisse à Deo: neque arbitratu suo in Iudæam, quo ab Amasia repellatur, posse remigrare. Ad extremum, grauia Amasiæ infortunia prædicit.

CAPVT VII.	PARAPHRASIS.
1. *HAec ostendit mihi Dominus Deus: & ecce fictor locustæ in principio germinantium serotini imbris, & ecce serotinus post tonsionem regis.* B	1. OBiecit Dominus cogitationi meæ speciem hominis, qui fingebat locustarum agmina, eo tempore, in quo ab imbre serotino rigatur terra, & herbescẽtes fruges, sub vernum tẽpus, germinante calamo, luxuriant. Postquam Assyriorũ rex rẽ Israeliticã magnis affecisset incõmodis.
2. *Et factum est: cùm consummasset comedere herbam terræ, dixi: Domine Deus propitius esto, obsecro: quis suscitabit Iacob, quia paruulus est?*	2. Cùm autem, in oblato illo spectro, conspicerem in fruges germinantes, & teneras inuolasse locustarum agmen, & omnem herbam regionis, pertinaci consessu, & pestilenti morsu, corrosisse, indolui, & has ad Deum preces supplex effudi: Misereat te, ô Domine, obsecro, & ab vlteriore plaga manum cohibe grauem, & vltricem: si enim tu exiguum iam, & exhaustũ populum duriùs afflixeris, quis illum deinde subleuare, atque instaurare poterit?
3. *Misertus est Dominus super hoc: Non erit, dixit Dominus.*	3. Largitus est Dominus meis votis, ac precibus, quod optabam, & manum ab

Digitized by Google

illa plaga, quæ iamiam impendere videbatur, aliquandiu suspendit.

4. *Hæc ostendit mihi Dominus Deus: & ecce vocabat iudicium ad ignem Dominus Deus: & deuorauit abyssum multam, & comedit simul partem.*

4. Alia deinde species oblata est mihi: videbar etenim videre Dominum, qui ad iudicium de Israel ignem aduocabat, cui permisit, vt in gentem illam peccatricem grassaretur, & fureret. Hic porrò ignis, abyssum & fontes exsiccabit, quibus irrigabatur, & florebat sors Israelitica: & ipsa pars fœcunda, & inclyta humore deficiente, deficiet, & arescet ab illa horribili flamma consumpta.

5. *Et dixi: Domine Deus quiesce, obsecro: quis suscitabit Iacob, quia paruulus est?*

5. Tunc ego ad subitum illud incendium totus cohorrui, oraui que supplex ad Deum, in hæc verba: Domine Deus, cohibe, quæso, vindices flammas ab incendio: quis enim te infenso exigui huius, & exhausti populi ruinas instaurabit?

6. *Misertus est Dominus super hoc: Sed & istud non erit, dixit Dominus Deus.*

6. Respexit Dominus ad preces meas, & miseratus populi calamitatem, quod iamiã grassaturũ videbatur, suspendit incendiũ.

7. *Hæc ostendit mihi Dominus: & ecce Dominus stans super murum litum, & in manu eius trulla cæmentarij.*

7. Alia deinde oblata est species. Videbatur Propheta sibi videre Dominum, præseferentem habitum cæmentarij, cum trulla suæ artis insigni super murum, quem priùs incrustarat solidarátque tectorio, quò firmior esset paries ad ferendos hostium impulsus, & nimborum iniurias.

8. *Et dixit Dominus ad me: Quid tu vides Amos? Et dixi: Trullam cæmentary. Et dixit Dominus: Ecce ego ponam trullam in medio populi mei Israel: non adiiciam vltrà superinducere eum.*

8. Rogatus à Domino, quid viderem: videre me dixi fabri murarij trullam: tunc verò Dominus, quid illa cæmentarij trulla portenderet, aperuit, dixitque: Ecce ego trullam summoueo à murorum fabrica, populíque custodia, & in populi medium cum fastidio atque offensione proiicio. Neque enim amplius trulla vtar, aut instrumento tectonico, ad inducendum tectorium, aut instaurandos muros: quia iam ciuitas damnata est ruinæ, & destinata inimicorum ferro.

9. *Et demolientur excelsa idoli, & sanctificationes Israel desolabuntur: & consurgam super domum Ieroboam in gladio.*

9. Euertentur excelsa, & luci, in quibus idolorum aræ, atque delubra visebantur: & exscindentur funditus quæcunque nefariæ religionis, siue sacrificia, siue sacraria: & super domum Iereboam, & regnum Israel, armatam ferro manum extendam.

10. *Et misit Amasias sacerdos Bethel ad Ieroboam regem Israel, dicens: Rebellauit contra te Amos in medio domus Israel: non poterit terra sustinere vniuersos sermones eius.*

10. Cùm Amasias sacerdos Bethel minaces hosce sermones audisset, timerétque ne si quod moliebatur, obtineret Propheta, perirétque lucrum, quod ex vitulorum sacrificiis capiebat, adiit Ieroboam regem Israel, & illũ incusat, quòd in ipsius regno seditionem contra regem moueat, & talia loquatur homo seditiosus, & audax, qualia populus sustinere non posset.

11. *Hæc enim dicit Amos: In gladio morietur Ieroboam, & Israel captiuus migrabit de terra sua.*

11. Hæc, inquit Amasias, de te loquitur, ó Rex Amos. Tibi nempe occumbendum esse ferro, & populum mutaturum patrium solum, & in peregrinam regionem abducendum.

12. Et

12. Cùm

Digitized by Google

12. *Et dixit Amasias ab Amos: Qui vides, gradere, fuge in terram Iuda: & comede ibi panem, & prophetabis ibi.*

A 12. Cùm nihil Amasias obtinuisset à rege, ipse Prophetam adiit, & pro sua auctoritate edicit vt prophetare desinat, aut aliò detorqueat vaticinium, si suo capiti consultum esse velit. Si Propheta es, inquit, ô Amos, & eo artificio tibi alimoniam paras, hinc quamprimum te nobis aufer, & in terram Iuda quamprimum proficiscere, ibi quæstuariam hanc artem, & propheticum ministerium profiteberis, quo tibi victum, & vitæ necessaria subsidia comparabis.

13. *Et in Bethel non adiicies vltrà vt prophetes: quia sanctificatio regis est, & domus regni est.*

B 13. Si tam tibi placet quæstus, quem ex arte captas prophetali, aliò tuum istud artificium detorque, neque vlteriùs prophetes in Bethel, nisi malum tuo capiti conflare vis: quia non poteris regis offensionem declinare, quia in Bethel præcipuum habet suæ religionis sacrarium, & regni sedem.

14. *Respondebítque Amos, & dixit ad Amasiam: Non sum propheta, & non sum filius propheta: sed armentarius ego sum, vellicans sycomoros.*

14. Ad hæc Amasiæ verba, sic Amos: Non sum ego is, qui propheticum spiritum venalem habeam, & quæstuarium, quasi quoddam esset artificium acceptum à parentibus. Ego quidem eo modo Propheta non sum, neque à parente didici, quia sanè pater Propheta non fuit. Habeo quidem C artem, quæ mihi satis est ad victum, & necessaria vitæ subsidia: sum enim armentarius. Neque mihi de victu admodum curandum est, cùm vltrò in syluis, & montibus occurrat, vitam namque meam vellicatis sycomoris vtcunque sustento.

15. *Et tulit me Dominus cùm sequerer gregem: & dixit Dominus ad me: Vade, propheta ad populum meum Israel.*

15. Cùm autem pascendis gregibus rusticam operam nauarem, euocauit me Deus, & iussit, vt inde profectus in Israeliticis finibus propheterem. Quare, neque mea sponte huc veni, neque mea sponte hinc in Iudæam remigrare possum.

16. *Et nunc audi verbum Domini: Tu dicis: Non prophetabis super Israel, & non stillabis super domum idoli.*

D 16. Et tu, ô Amasia, qui obiectis terroribus linguam meam cohibere vis à prophetando contra Bethel, id est, idolorum domicilium, audi duram de tuo capite vaticinium.

17. *Propter hoc hæc dicit Dominus: Vxor tua in ciuitate fornicabitur, & filij tui, & filiæ tuæ in gladio cadent, & humus tua funiculo metietur: & tu in terra polluta morieris, & Israel captiuus migrabit de terra sua.*

17. Hæc dicit Dominus: Vxor tua in ipsa ciuitate vim patietur à petulante & luxuriosa turba: filios tuos, ac filias hostilis conficiet mucro: & agros tuos hostes inter se metatrice regula, atque funiculo distribuent: & tu in aliena, atque polluta terra, in gentilico videlicet solo, morieris: & totus denique Israel captiuus migrabit ad alienos.

Vers.1. *Hæc ostendit mihi Dominus Deus, & ecce fictor locustæ in principio germinantium imbris.*]

1. AVDIERAT hactenus loquentem Dominum, edicentémque, quid euenturum esset peccatori populo, E quíque iam pridem aures, & animos ad diuinas exhortationes obdurarat. Nunc iam videt, in obscuro tamen, & hieroglyphico portento

pondus, & exitum, quem minaces Prophetarum voces sæpius intonuerant. Est, credo, hic affinitas quædam prophetiæ Ioelis *cap. 1.* & huius, aut certe quædam hic apparet allusio ad verba Ioelis. Ibi enim præcessit eruca, quæ primum cœpit vastare Israelis agros, (est enim verisimile ante hæc Prophetæ verba, inchoatam esse Israelitici regni vastitatem) huic erucæ successisse dicitur locusta, quæ, quod reliquum eruca fecerat, depopulata est. Huius igitur locustæ aduentus species quædam oblata est Prophetæ Amos, in qua multa notantur, quæ à nobis singulatim explicanda sunt.

2. *Ecce fictor locustæ* pro fictore; Heb. est יוצר *iotser*, quæ formatorem sonat, aut statuarium ex quacumque materia, siue ex ligno, aut marmore, siue ex metallo, aut luto. Apparet igitur Deus quasi ex luto formet locustarum agmina, quæ deinde in Israelis fines populabundas inuehat: vt quiuis inde cognoscat Deo numquam defuturas acies, quibus suas vlciscatur iniurias, & hominum errata castiget: quando neque materia deest vnde neque ars, & facultas vt sciat, ac possit formare suæ voluntatis administros, & iniuriarum vindices. Formari autem aut fingi videri possent locustæ ea figura, quæ ex consequentibus antecedentia significat. Quomodo quod latebat antè tunc fieri, aut esse dicitur, cùm emergit è tenebris, & hominibus tunc primùm innotescit. Sic à diebus Ioannis Baptistæ cælorum Regnum vim pati, & rapi à violentis, dixit Christus *Matth. cap. 11. v. 12.* Cùm tamen numquam illud consecuti fuerint, nisi violenti, quia Ioannes hoc edixit hominibus, cùm illis pœnitentiam, vitæque mutationem commendauit. Sic *Gen. cap. 22.* dicit Deus oblato filio se tunc cognouisse, quod timeretur ab Abraham, cum ante illud tempus ignorare non potuerit; quia tunc timoris manifestum apparuit argumentum. *Nunc*, inquit, *cognoui, quod timeas Dominum, &* (id est, quia) *non pepercisti filio tuo propter me.* Sic nunc fortasse fingi dicuntur à Domino locustæ, cùm tamen forent antè formatæ, quia tunc primùm apparuerunt. Sed magis est verisimile oblatum esse in visione Prophetæ Deum, non tam euocantem locustas in aciem, quàm formantem, aut educentem ex argilla ac puluere, quod omnipotenti virtuti æquè facile fuit, atque in agmen cogere iam antè productas. Quo maior ostenditur Dei potentia, qui possit subitò tot fingere atque armare copias, & per locustas ex suis finibus expellere Israelitas, sicut ante per crabrones ex iisdem finibus Chananæos expulerat, *Iosue cap. 24. v. 12.* Et furor emicat magis inflammatus in ardente pectore, cùm ad perdendos peccatores nouas acies formauerit, nouos milites, & nouam bellandi formam instruxerit.

REGVLA. *Tunc aliquid fieri, aut esse dicitur, cum apparet.*

Deus contra peccatores nouas format acies.

3. Cur acies maximè infensæ, ac prædatrices in locustis exprimantur, diximus super *Ioel. cap. 1.* vbi nonnullas locustarum proprietates adduximus. Neque est aliquid præterea quod addi posse videatur, nisi quòd in locustis species quædam apparet hominis armati, cùm dura illas non tam cutis, quàm testa circundet, eo artificio vt loricatæ, & cataphractæ videantur, & ad omnes militares assultus expeditæ. Septuaginta paulo aliter conuerterunt, sensu non admodum diuerso, minus tamen significante ἰδοὺ ἐπιγονὴ ἀκρίδων, id est, *genitura, aut fœtura locustarum:* quæ nimirum à cæli tepore excluduntur sub imbrem serotinum. Sed hæc translatio minus est ad textum Hebraicum, & de diuina offensione plurimum minuit.

In locusta armati hominis species.

In principio germinantium serotini imbris.] Optimi imperatoris est, non solùm militum habere delectus, curareque ne illis quicquam desit ad rem militarem promouendam, sed etiam obseruare singulorum temporum, ac locorum opportunitates, & momenta; ne quis sit conatus irritus, aut telum sine sanguine. Nihil promouisset locustarum agmen, si tunc esset productum, seu euocatum, cùm segetes essent iam maturæ, atque aridæ, quas neque corrodere possent, neque detruncare. Quare tunc formatæ sunt locustæ, & productum agmen, quando eo in statu sunt, aut segetes, aut plantæ, vt neque resistere possint locustarum dentibus, neque euitare quominus spicis detruncatis, fructus totus intereat. Illud autem tempus est, quando serotinus imber in terra promissionis solet esse familiaris, & penè legitimus. Vt enim in Scriptura millies auditur, duo sunt imbrium tempora maximè ab agricolis nota, qui agros excolunt Palæstinos, & duplex imber. Alter sub æquinoctium autumnale, quo terra ad satus, plantationésque disponitur, qui temporaneus dicitur; alter ineunte vere, & sub illius temporis æquinoctium, quo aperto iam tempore aperiuntur fruges, & ad spicam maturitatémque perueniunt, quo tempore adhuc segetes teneræ sunt, & virides, & facile locustarum dentibus arroduntur; & hic vocatur serotinus imber. Tunc verò dicuntur germinare fruges, quia tunc magis apparet naturæ, quasi latentis in radice vis, & potestas, cum hyemali tempore astringatur terra horrente cælo, laxetur autem aëre tepente, & vis diu terræ inclusa, atque compressa visceribus erumpat. Modus loquendi, *principio germinãtium serotini imbris*, obscurior, licèt de sensu illius nemo dubitet, significatur enim tunc formatas esse locustas, cùm germinarunt herbescentes fruges; id est, cùm primùm defluit serotinus imber. Ordo verò literæ hic videtur facilis, iterato per zeugma *principio.* Principio germinantium frugum, id est, principio imbris serotini. 4.

Imbres duo, temporaneus, & serotinus.

5. *Et ecce serotinus post tonsionem regis.*] Tonsio hoc loco trifariam accipi, atque explicari potest. Aut figuratè, ita vt vastitatem significet, à quacumque illa causa proueniat; sumpta metaphora à tonsione, seu populatione armentorum, aut locustarum, quæ tondere dicuntur herbas, cùm illas depascunt: aut propriè. propriè de ouibus dicitur, aut de his quorum tonsile vellus est, vt de capris, atque camelis in Palæstina; quorum vellera ad textum cilicinum, & quædam velamina offerebantur in templo. Aut certe ex quadam affinitate ad hanc tonsionem, tondere dicuntur fruges, aut quasuis herbas, oues, & omnia armentorum genera, quia ita carpunt aut arborum frondes, aut in pascuis summas herbas, vt radices relinquant, & truncos, ex quibus postea frondes, germinaque repullulent. Sicut pastor, cùm tõdet oues, sic detrahit lanam, vt relinquat, vnde rursus lana subinde succrescat. Quare familiare est Latinis maximè poëtis adhibere tondere, pro depasci. Virg. lib. 1. Georg.

Tonsionis varia significatio.

Tercentum niuei tondent dumeta iuuenci.

Item metere, aut herbam è pratis ad armentorum pabulum, aut fruges ex agris. Est propterea tondere spoliare aliquem aut vestibus, aut opibus, ita vt nudus relinquatur, ab vtrolibet, sicut

sicut ouis vellere detonso.

6. Nunc videndum in qua significatione *tondeo* sumi debeat. Si propriè sumas de ouium tonsione, tempus significatur, quo formata est locusta. Nam eo tempore quo imber aduenire solet serotinus, tondentur oues, nempe cùm excedente hyeme tempus incaluit. Ita Columella *lib.7.cap.4.* vbi docet illud tonsioni tempus opportunum, *in quo oues, neque frigus, si lanam detraxeris, neque æstum, si nondum detonderis, sentiant.* Illud verò est, vt patet sub æquinoctium vernum. Varro *de re rustica, lib.2. cap. vltimo*, aptum esse tempus existimat inter æquinoctium & solstitium, cùm sudare cœperint oues. Sed licèt verum sit eodem tempore locustas in fruges insilire, & damnum afferre frugibus insanabile, & oues tonderi, ac imbrem defluere serotinum, sunt tamen multa, quæ cum hac ouium tonsione non bene conueniunt: vt quod statim dicitur tonsionem esse regis, & post hanc tonsionem exiguum esse populum.

Oues tõdentur sub vernum tẽpus.

7. Quare, vt alia omittam, puto tonsionem istam esse metaphoricam, neque aliud sibi velle post tonsionem formatas esse locustas, quàm post primam vastitatem illatam ab Assyriis, impendere secundam ab illis, qui locustarum nomine significantur. Hæc porrò vastitas *tonsio* vocatur, quia ita diripuit sortem Israeliticam, vt aliquid in ea reliquerit, sicut tonsio, quæcumque fuerit, siue à pecude, siue à falce, non stirpitus excindit omnia, sed radicem relinquit, quæ illa, quæ sublata sunt, quasi rediuiuo germine restaurat. Ille porrò rex, à quo facta dicitur superior illa tonsio, fuit Teglathphalasar, qui primus ex Assyriis irrupit in Israelis fines, quos demessuit potius, & totondit, quàm excidit stirpitus. Tulit enim partem aliquam, & aliam reliquit, quæ nisi similis postea calamitas rediret, si non omnino restitueret, at certè bona ex parte instauraret ablata. Primum

8. regnante Phacee lib.4. Reg. cap.15. *In diebus Phacee regis Israel venit Teglathphalazar rex Assur, & cepit Aion, & Abel, domum Maacha, & Ianoe, & Cades, & Asor, & Galaad, & Galilæam, & vniuersam terram Nephthali, & transtulit eos in Assyrios.* Idem habes *lib.1. Paralip.cap.5.v.26.* vbi cùm Theglathphalasar ascendisse dicitur Phue rex Assyriorum. Hæc fuit prima tonsio, quæ ex Israelitico regno magnam messem desecuit, virorum nempe, qui ex suis sedibus exclusi translati fuerunt in alienas. Deinde regnante Osée rediit Salmanasar, qui totondit iterum Israelem, spoliauitque si minus à viris, at certè ab ornamentis, atque opibus. lib. 4. Reg. cap.17.v.3. *Contra hunc* (nempe Osee) *ascendit Salmanasar rex Assyriorum, & factus est ei Osee seruus, reddebátque illi tributa.* En altera tonsio regis Assyriorum. De his autem temporibus existimo oblatam esse Prophetæ locustarum speciẽ, quæ extremũ Israeli minabantur exitium, quam tandem intulit Salmanassar anno nono postquam Osee regnum iniisset Israeliticum, de quo *citato capite v.6. & cap.18. v.10.*

Israel ab Assyriis variis temporibus attritus.

9. Vers.2. *Et factum est cùm consummasset comedere herbam terræ, dixi: Domine Deus propitius esto, obsecro, quis suscitabit Iacob, quia paruulus est.*] Spectabat in eo spectro Amos insiliisse locustas in virentes agros, & omnes illius herbas in pertinaci consessu, & pestilenti morsu cõsumpsisse. Cúmque facile nosset quid species oblata designasset, ruinam videlicet regni, cuius interitus viro pio non poterat esse nõ molestus, orauit Dominum, vt à regno iam exiguo, & multis partibus spoliato, ac debili vltricem, atque infensam dexteram cohi-

A beret. Quod tandem Prophetæ precibus largitus est Deus. Suspendit enim aliquandiu supplicium illud, quod imminebat à locustis, licèt post aliquod tandem tempus inuexerit. quod significauit illico, dum addidit, *Misertus est Dominus super hoc; non erit, dicit Dominus.*

Ex his duo mihi intueri videor, eaque coniectura non admodum incerta. Alterum est, quod proximè obseruaram, hanc speciem oblatam esse de re, quæ contigit post primum Assyriorum appulsum, quando sublatis quibusdam tribubus, de quibus *lib.4. Reg. cap.15. & lib.1. Paralip. cap.5.* ad paucos redactus, videbatur Israel. Atque ideo dixit in ea precatione Propheta quasi præuidisset attenuatum valde priori detrimento, *Quis suscitabit Iacob, quia paruulus est?* paruulus videlicet numero, accisa illius non exigua, aut ignobili parte. Alterum est longè post hanc orationem missas fuisse locustas, nempe post annos, vt minimum, nouem. Nam cùm primam plagam accepisset Israel, plagam, inquam, quæ viris, atque vrbibus expoliauit populum illum, sub Phacee, alteram accepit sub Osee, qui illi proximè successit in regno, anno illius, aut sexto, aut eo circiter, cùm factus est tributarius, aut certè nono, cùm capta est Samaria, & regnum Israelis prorsus extinctum. *lib.4. Reg. cap.17.* 10.

B

C Vers.4. *Hæc ostendit mihi Dominus Deus: & ecce vocabat iudicium ad ignem Dominus Deus.*] Suspendit Dominus exoratus à Propheta stragem illam quam portendebat formatum, & instructum locustarum agmen, aliis tamen, atque aliis portentis, quo ipse esset animo, aut quid exigeret obstinata populi malitia, significabat. Quare obiecit speciem aliam horribilem magis, quia ignis multo est quàm locusta nocentior. Tondent enim locustæ frugum, aut frondes, aut spicas; sed abstinent à radice, ex qua rursus aliquid ad hominum vsus germinare potest; sic arborum populantur, quod viret, aut floret, vt tamen stirpi parcant, aut trunco. At ignis si vehemens est, qualem Dominus ad iudicium vocat, omnia consumit, neque parcit radicibus, quantumuis altè defossæ sint. Sanè igni comparatur luxuries, de quo Iob cap. 31. v.12. *Ignis est vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina.* 11.

D

Sed quem Assyriorum aduentum ignis iste designet obscurum est, neque valde inter se consentiunt interpretes. Quidam in his visionibus variis portendi putant varios Assyriorum appulsus, quod etiam in variis animalibus, aliísque agrorum pestibus expressit Ioel *cap.1.* Primus aduentus significatus videtur in eruca, quem Propheta in principio notauit, dum fictas dicit fuisse locustas, post tonsionem regis, in qua voce allusisse videtur ad etymologiam nominis. Dicitur enim

E eruca Heb. גזם *gazã*, à radice גזז *gazaz*, quæ tõdere significat. Fuit autẽ illa siue eruca, siue tonsio, iactura illa grauis, quam accepit Israel sub Manahẽ primũ à Phul rege Assyriorum, de qua lib.4. Reg. cap.15. v.19. *Veniebat Phul rex Assyriorum in terram* (Israel) *& dabat Manahem Phul mille talenta argenti, vt esset ei in auxiliũ, & firmaret regnum eius. Indixitque Manahem argentum super Israel cunctis potentibus, & diuitibus, vt daret regi Assyriorum, quinquaginta siclos.* Hæc verè tonsio dici potuit, & opus erucæ. 12.

Post hanc tonsionem vidit Propheta formari locustas, in quibus significari potuit aduentus eiusdem Phul, & Theglathphalasar, quæ magnam Israelitici imperij partem diripuerunt, abstulerúntque, de quibus *lib.4. Reg. cap.15. & lib.1. Paral. cap.5.* 13.

Digitized by Google

cap.5. Cùm verò ad extremum venit Salmanaſſar, primùm tanquam bruchus, impoſito tributo Oſee Iſraeliticas vires eneruauit. 4. *Reg.* 17. *v.*4. & deinde, expugnata Samaria, funditus deleuit Iſraelis imperium, tunc aduenisse exiſtimari debet ignis, de quo nūc Propheta. Vſqueadeò enim deformatum, ac perditū manſit imperium Iſraelis, quaſi regionem illam peruaſiſſet, & aſſumpſiſſet incendium. Et fauet huic cogitationi, quod etiam à Ioel extremum hoc detrimētum ab igne illatum, licèt obſcurè, ſignificatur. Vltimo namque loco *rubigo* ponitur, Heb. חסיל *chaſil*, quæ fruges exurit, & in cineres, ac fuliginem vertit, quæ ab Hiſpanis *añublo. ſeu tiçoncillo*, dicitur. De trulla cæmentarij, & vncino pomorum, alia eſt ratio; de quibus ſuo poſtea loco, quæ non tam nouum indicant detrimentum, quàm aliquem detrimenta hæc circumſtantem modum. Quòd ſi Ioel de tribubus decem loqueretur, quod cum Hieronymo *epyſt. ad Paulinum*, & Theodoreto cēſent Haymo, Burgenſis, Remigius, & Lyra, res eſſet magis expedita; ſed mutauit poſtea Hieronymus ſententiam in præfatione ad Ioel, quem frequentes alij ſecuti ſunt, & nos poſterius hoc magis putabamus veriſimile *proleg.* 3. *in Ioel.*

14. Qui hæc de duabus tribubus interpretantur, in igne Chaldæorum regem agnoſcunt, qui Ieruſalem, & templum incendio vaſtauit. Sed quia de decem tribubus loquitur Propheta in toto ferme hoc vaticinio, vt *proleg.* 5. pluribus oſtendimus, & conſtuit magis hoc ipſo capite *v.* 15. ideo aliter nobis informanda eſt huius loci ſententia.

Ignis ſupplicij maximi, aut detrimenti ſymbolum.

15. Ignis, vt dixi, pro magno adhibetur ſupplicio, cùm de puniendo peccato ſermo eſt. Cùm verò de ruina, ac detrimento, maximum illud exiſtimatur, quod infertur à flamma. Hoc puto ſignificari modo in igne, qui poſtremo loco vaſtauit omnia, neque ex tanto imperio quicquam reliquit præter informe buſtum, id eſt, euerſi imperij triſte monumentum. Loquendi modus obſcurus eſt, *vocare iudicium ad ignem*, ſed eſt ſententia non difficilis, primùm, ſi hic hypallagem eſſe ſtatuas, quæ in Scriptura ſacra non infrequens, & ita voces permutes, *vocauit ignem ad iudicium*. Senſus erit ad iudicium quod de Iſraelis interitu decretum eſt, aduocabit Dominus ignem, qui cùm diuinæ iuſtitiæ executor ſit, & adminiſter, regnū illud funditus exurat. Eadē figura vſus eſt Amos *cap.5.v.*16. vbi enim vulgatus habet, *vocabunt ad planctum eos, qui ſciunt plangere.* Heb. eſt. *vocabunt luctum ad ſcientes lamentum.* Et *Iudic. cap.*1.*v.*8. vbi vulgatus, *Tradentes cunctam incendio ciuitatem.* Hebr. eſt, *ciuitatem miſerunt in ignem.* pro, *ignem miſerunt in ciuitatem.* Neque hæc mihi explicatio diſplicet.

REGVLA. *Hypallage viſitata in Scriptura.*

16. Verum nullam hic hypallagem eſſe puto. & *vocari iudicium ad ignem*, ſic interpretor, aut iudicium totum, id eſt, rem iudicatam igni eſſe permiſſam, aut rem totam ad ignem, & cineres eſſe redactam, quod non abhorret à Latinorum vſu, apud quos frequens *aduocare ad iudicium vim*, cùm res magis armis, quàm legibus, aut æquitate decernitur. *aduocare auaritiam*, cùm de re tota auaritia diſceptat, quia nimirum, ex iudicio nihil à corrupto iudice ſpectetur, præter lucrum.

17. *Et deuorauit abyſſum multam, & comedit ſimul partem.*] Hîc multa à multis excogitata, neque mirum, quia res eſt obſcura, ſi variè verſet, & torqueat interpretum ingenia. Qui de duabus tribubus ſermonem eſſe putant in *abyſſo* Hieroſolymam, aut etiam alias Iudææ ciuitates, in *parte* templum, quæ Dei domus, & quaſi quædam poſſeſſio eſt, ſignificari exiſtimant. Hi verò pauci non ſunt, & in his Hieronymus, Albertus, Remigius, & Hugo. Sed quia hæc de tribubus decem arbitramur eſſe capienda (quod etiam Theodoretus indicat, & affirmat Cyrillus, licet in *parte* duas tribus intelligat, ad quas aliquanto poſtea peruenit incendium) aliter rem expediamus neceſſe eſt.

18. In igne ſignificari ſupplicium, illúdque grauiſſimum, ſuprà à nobis demonſtratum, quòd verò quodcumque ſuppliciū atrox, & horribile ignis ſignificetur vocabulo, explicuimus, credo ſatis in noſtris commentariis ſuper Ieremiam ad illud cap.29. *Quos frixit rex Babylonis in igne.* Puto ergo ſignificari hic deuorandam, id eſt, exiccandam eſſe abyſſum, & partem, id eſt, hæreditatem eſſe conſumendam. Quia enim quæcumque ſortem illam, & regionem Iſraelitidem tueri poterant, & in ſua quaſi ſpecie, ac viriditate conſeruare; illa peribunt, qualia fuerunt Ægyptiorum auxilia, quæ ſpem, & audaciam diu Iſraelitarum aluerunt, diuitiæ, atque opes, quas exhauſit priùs Phul, quo tempore regnum Iſraelis tenuit Manahem *lib.*4. *Reg. cap.*15. & deinde Salmanaſſar cùm regnaret Oſee *ibid. cap.*17. Ignis ille hanc exſiccauit abyſſum, quæ rigabat Iſraelem, atque ideo neceſſe fuit, vt pars, id eſt, hæreditas illa ſiccaretur, & periret: quemadmodum areſcant plātæ neceſſe eſt ſi fontes vnde humorem accipiebant, & vitam, exaruerint.

19. Aut certe minus figuratè abyſſus primùm, & deinde pars, id eſt, hæreditas ab igne deuoranda ſunt; quia mittet Dominus ſiccitatem, quæ fontes exhauriat, & omnes aquarum ſcatebras exſiccet, & id eſt abyſſum deuorari, ex quo etiam ſequetur vt hæreditas, id eſt, ſors Iſraelitica tota conſumatur, fame nimirum, & peſte, quæ famem plerunque comitatur. Quod fortaſſe accidit quo tēpore ab Aſſyriis res Iſraelitica iactata fuit, ſicut paulo antè ſub Achab, quo tēpore deficiente pluuia ſiccati ſunt fontes, & agri emortui. ita vt Abdiæ procuratori dixerit Achab 3. Reg.18. v.5. *Vade in terram ad vniuerſos fontes aquarum, & in cunctas valles, ſi fortè poſſimus inuenire herbam, & ſaluare equos.* & paulo pòſt Ieremiæ tempore cùm ſiccati ſunt fontes, & deficiente pabulo mortua pecora, de qua fame ac ſiccitate Ieremias cap.14. *Venerunt ad hauriendum, non inuenerunt aquam, reportauerunt vaſa ſua vacua.* & ſtatim, *Cerua in agro peperit, & reliquit: quia non erat herba.*

20. Iſte ignis commoda translatione ſumi poteſt pro ſiccitate, atque æſtu, quo primùm ſiccata eſt abyſſus: deinde id quod ab abyſſo fœcunditatem accipiebat. Licèt autem abyſſus profundos ſignificet ſinus exundantes aqua, ſumitur tamen pro aquarum ſcatebris, quæ ex terræ viſceribus ebulliunt. Creditur intra terræ viſcera eſſe vim aquarum maximam, quæ per occultas terræ venas, atque meatus fontes eructant. Hæ porrò aquæ abyſſus magna dicitur Gen.cap.7.v.11. *Rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ.* Quæ verò ibi *abyſſus magna* dicitur, hîc à Propheta vocatur *abyſſus multa*, quæ ſiccata dici poteſt, quia exhauſtis fontibus nullum illius in terra ſignum apparet. Ex vſu verò Scripturæ, tunc aliquid perire dicitur, cùm non apparet, vt dicebamus proximè *num.*2. in quo tamen hyperbole quædam eſt in Scriptura ſacra non infrequens.

Abyſſus quid.

21. Quòd verò *pars* idem ſit quod ſors, aut hæreditas, nemo, credo, dubitat. *Numer. cap.*34.*v.*15. quædam tribus in ſortitione terræ promiſſionis, ſuas

ſuas partes dicuntur vltra Iordanem accepiſſe. Ex his omnibus tandem hanc ſententiam informo, ab illo igne, ſiue æſtus ſit, & ſiccitas ex pluuiæ defectu, ſiue furor ſit Dei, quem ignis adumbrat, exiccatam videri abyſſum magnam, quæ quaſi vita eſt terræ, quam fœcundat, & irrigat: & conſequenter partem, quæ obtigit Iſraelitis ab illo æſtu, & incendio metaphorico videri conſumptam. Hæc mihi videbantur aptè poſſe contexi, neque in illis aliquid eſſe contorti, ſi quis conſentaneum magis aliquid attulerit, lubens, & gratus accipiam.

Gregorius hunc locum ad mores ſic exponit lib. 33. Mor. cap. 9. *Iudicium*, inquit, *ad ignem vocatur, cùm iuſtitiæ ſententia ad pœnam iam æternæ concremationis oſtenditur: & multam abyſſum deuorat, quia iniquas, atque incomprehenſibiles hominum mentes concremat: quæ nunc ſe hominibus etiam ſub ſignorum miraculis occultant. Pars autem domus Domini comeditur, quia illos quoque gehenna deuorat, qui nunc quaſi in ſanctis actibus de electorum numero ſe eſſe gloriantur.*

Iudiciū Dei ſeuerum cōtra peccatorem.

22. Verſ. 5. *Et dixi, Domine Deus, quieſce, obſecro.*] Spectabat in illa viſione Propheta Deum eiaculantem flammas, & ad regionis illius exitium anhelantem: id enim, vt diximus, adumbrat ignis. Concuſſus metu Propheta, & populi vicem miſeratus, orat id, quod in priori viſione, & tandem exorat, nempe vt vltricem dexteram, & vindices flammas ab incendio cohibeat. Reliqua obſcura non ſunt.

23. Verſ. 7. *Et ecce Dominus ſtans ſuper murū litum, & in manu eius trulla cæmentarij.*] Poſt illam viſionem de igne, abyſſóque exhauſta, alia rurſus obiicitur ſpecies. Videre namque ſibi videbatur Propheta Dominum præſeſeferentem habitum cæmētarij, cùm nulla ſuæ artis inſigni, ſuper murum, quem priùs incruſtrarat, ſolidarátque tectorio, quo & firmior eſſet paries, ad ferendos, & hostiū impulſus, & nimborum iniurias. In huius loci translatione mira varietas. Hebraicus textus habet, *ſuper murum perpendiculi, ſeu ſtanni; & in manu eius perpendiculum, ſeu ſtannum.* Chaldæus, *ſuper murum iudicij, & coram eo iudicium.* Septuaginta, *ſuper murum adamantinum, & in manu eius adamas.* Tigurina, *ſuper murum ad normam extructum, habebátque normam in manu.* Hebræi, vt refert Lyra, ſic vertunt: *ſuper murum lineatum, & in manu eius linea.* Sanè res eſt difficilis, & obſcura. Primùm huius tantæ varietatis rationem exploremus, deinde verum ſenſum, cui aliquid lucis afferet tanta varietas, inquiramus.

24. Vbi vulgatus *litum*, & *trulla*, Hebr. eſt אנך *anach*, quæ vox vna eſt vtroque loco, atque ideo, ſi verba ſpectes, eodem vtrobique modo conuerti debuit, quod non fecit vulgatus, quia non tam erat in verba, quàm in verborum ſententiam intentus. Quid propriè ſignificetur voce אנך incertum eſt cùm hoc tantùm in loco reperiatur. Hebræi putant propriè ſignificare ſtannum, ſeu plumbum, vnde quia perpendiculum ex plumbo, ſeu ſtanno ſit, quidam expoſuerunt murum perpendiculi, quia videlicet murus erat ex arte tectonica ad perpendiculum directus. Quia verò perpendiculum, ſeu plumbeum pondus ex linea, ſeu ex lino ſuſpenditur, ideo lineatus dicitur murus, & linea apparet in cæmentarij dextera. Hinc quidam *amuſſim*, ſeu *normam* exponunt, quia putant fortaſſe per ſynecdochen perpendiculum, pro omni tectonica menſura, ac regula conſtitui: quare licere ſibi putant, quiduis exprimere, dum modo regulam eſſe norint cæmentarij. Et cùm latomi, atque architecti, de operis perfectione, perpendiculo, norma, atque amuſſi iudicent, hinc Chaldæus murum interpretatus eſt iudicij, & iudicium dixit eſſe in cæmentarij manu. Hæc de variis tranſlationibus, quæ magis inter ſe conſentiunt, quas non improbat in commentariis Hieronymus, dum vocem אנך *anach* ſtannum ſignificare docet, ex qua fit cæmentariorum perpendiculum.

Iuxta illorum cogitationem, qui regulam hîc agnoſcunt, qua murus ex arte conſtructus eſt, quæque in artificis dextera conſpicitur, duplex poteſt eſſe ſententia. Altera vt regula illa exploret quid in muro protuberet, quid exorbitet, quid in latus à rectitudine procumbat, vt illud demoliatur. Extendi enim funiculum, & adhiberi regulam non ad ædificandū ſolùm, ſed etiam ad deſtruendum, habemus ex Scriptura ſacra. Thren. cap. 2. v. 8. *Cogitauit Dominus diſſipare murum filiæ Sion; tetendit funiculum ſuum, & non auertit manum ſuam à perditione.* Eſt autem funiculus menſura, ſeu regula fabrilis, ille fortaſſe, vnde perpendiculum, id eſt, pondus plumbeum ſuſpenditur. Item *Iſaiæ cap. 34.* vbi ſermo eſt de Idumæorum excidio, *Extendetur ſuper eam menſura, & redigetur ad nihilum: & perpendiculum ad deſolationem.* Vide noſtros in vtrumque locum commentarios, vbi hæc de re pluribus. 25.

Non ſolùm ad ædificandum, ſed etiā ad deſtruendū adhibetur regula.

Sed hæc ſententia eo laborat incommodo, quòd ſtatim deponenda dicitur illa menſura, aut quicquid illud eſt, quod tenetur in manu, vt dicemus ſtatim ſuo loco. quòd ſi ad euertendum murum foret illa menſura, abiicienda non eſſet, eo maximè tempore, cùm iam eſſet propius murorum excidium. Quocirca illa mihi expoſitio videtur commodior, quæ à muris, réque Iſraelitide remouet Dei eximium aliquod patrocinium, curámque præcipuam, qua populum ſuum tuebatur, & ad difficiles quoſque euentus confirmabat. Solent qui domum, aut arcem ſartam eſſe volunt, ac tectam, perpetuas ſuper illas agere excubias, ne qua ſit pars à ſtillicidio debilior; ne quid hiet, aut alio quouis incommodo laboret. Quare ibi aſſidui ſunt fabri, ac latomi, qui nunquam ceſſent; & pro illorum victu, domóque farcienda annui conſtituti ſumptus. Domus Iſrael, domus erat Dei, ad cuius munimentum, ac firmitatem vigili Deus cuſtodia aſſiduus excubabat: quæ cùm ruinoſa eſſet, & ſicut domus aliæ malè materiata (quid enim ſolidum eſſe poteſt, ac firmum vbi caro eſt;) & quam quotidie peccata excauant, ac debilitant, Deus qui illius fuerat architectus, reparator fuit. Quamobrem cum perpendiculo apparet, aut trulla cæmentarij, vt exploret quid ſit ruinæ proximum, an aliquæ ſint rimæ, quæ expleri debeant, ne quid ſit denique, quod hoſti ad direptionē aditum aperiat. Quàm verò natura ſua, & crebra à peccatis quaſi ab ariete verberatione murus ille eſſet ruinoſus, & debilis, explicuit ſua tranſlatione Theodotio, qui reddidit τηκόμενον, id eſt, tabeſcentem, & pronum ad ruinam. At poſtquam aſſiduitate peccandi infidelis hæc domus diuinum à ſe patrocinium auertit, & furorem exacuit, abiecit perpendiculum, & trullam (quod facit nonnunquam architectus cum faſtidio, cùm nō procedit opus, ſed in molitione tempus perit, & ſumptus) & ruentem deſeruit, & diſperdendam hoſtibus, ac diripiendam tradidit. Eſt itaque hic habitus, ac ſpecies Domini deſerentis magis, quàm inſtaurantis,

26.

Sicut architectus ruinoſa domus, ſic Deus reparans ſa natura lapſa inuigilat.

27.

Deus offenſus peccatorum multitudine, curā animæ reparandæ quandoque abiicit.

Digitized by Google

rantis, aut ædificantis domum Israel. Neque alium esse arbitror sensum in aliis translationibus, licèt dicendi ratio videatur dissimilis, & translatio diuersa.

28. Septuaginta pro perpendiculo *adamantem* posuerunt, sicut etiam Symmachus, teste Hieronymo, quæ translatio variè à variis exponitur. Hieronymus dum hoc loco de adamante loquitur, totus est in allegorico, atque morali sensu. Cyrillus in adamante, qui in manu Domini gestatur, Assyrium intelligit robustum, & strenuum, contra cuius firmitatem, & robur nihil habent Israeliticæ vires, quod opponant vtiliter. Aut certè Dei verbum vtique minax, quod non redibit vacuum, & instar adamantis, domabit omnia, neque erit vis vlla, quæ illius petitiones frangat, aut eludat. Deinde addit, eorum verborum, quæ in L X X. translatione leguntur, postquam proiectus est adamas, *Non vltrà adiiciam præterire eum,* hunc esse sensum, *Expetiturum pœnas ab ipsis* (nempe Israelitis) *impiè gestorum, & amplius non toleraturum, & de cætero aduersùs eos vocatis in potestatem traditurum.* quasi ex eo tempore laxandæ sint furoris habenæ, quas illatenus benignitas adduxerat. Theodoretus in adamante plagam durissimam, & insanabilem intelligit. Et in muro adamantino putat Cyrillus diuinam significari potentiam, quæ nihil eorum, quæ mente designauit, non assequitur.

29. Ego iuxta illa, quæ de perpendiculo superiùs adduxi, sic coniectabam, allegoriam de adamantino muro, & adamante in manu Domini sic explicari posse non incommodè, vt muri adamantini potentiam significent Israelis tunc temporis robustam, cùm Deus excubabat pro mœnibus, à quo habuerunt, vt essent adamantina, & facile arietis, & catapultæ ictus, & alia omnia hostium machinamenta contemnerent. Et ideo in illius manu conspicitur adamas, quasi architectus esset, qui ex adamante muros compingeret adamantinos. Sicut qui opus strueret lateritium, cum laterculo fingeretur, cum apta videlicet operis materia. Est itaque Dominus apud Amos architectus, qui muros fingit, ex adamante; aut certè, qui constructos ex adamante dissoluit, ac diruit; & hoc mihi potiùs. Ideo enim adamantem habebat in manu, non nouum, vt adamantinos muros adamantis apposita promoueret; sed veterem sublatum ex muris, quasi reuulsis lapidibus circunducta ciuitati mœnia dissolueret. Ideo enim Theodotio reddidit τηκόμενον, id est, qui soluebatur, ac diffluebat: & statim ipsi L X X. transtulerunt, *Ecce ego impono adamantem in medio populo.* quasi lapides illi, qui in murorum fabrica erant ex arte dispositi, iam temere, & sine vlla arte, atque ordine disiecti in medio populi iaceant, vbi non tam munimento sint, quàm impedimento ciuibus.

Fortissimi muri in quibus Deus excubat.

30. Hic pro moribus nota quàm misera sit, quámque ludibrio, ac direptioni exposita ciuitas, quæ à diuino patrocinio deseritur. quæ cùm priùs mœnibus esset adamantinis septa, & ipsis hostibus formidabilis, iam prædæ patet, & ab hostili, atque profano pede conculcatur. Misera vocatur ciuitas, quæ patens est, & absque ambitu peruia non hominibus solùm peregrinis, sed etiam belluis. Neque minus est misera, atque infelix anima, quam adamantina Domini claustra destituunt. Si Deus infensus sit, & manum adiutricem ab vrbe summoueat, sine muris est ciuitas, aut si qua videtur habere propugnacula, illa nihil habent firmitatis præter speciem. Neque enim adamantina sunt, sed stupea, quæ alunt potius, & aduocant, quàm propulsant incendium. Sic Deus *Isaiæ cap. 1. v. 31.* peccatorum propugnacula stupea vocat contra flammarum globos comparata. *Erit,* inquit, *fortitudo vestra vt fauilla stupæ, & opus vestrum quasi scintilla: & succendetur vtrũque simul, & non erit, qui extinguat.*

Qualis est anima à Dei custodia destituta.

Secundò obserua murum adamantinum vocari murum fortem, expugnatúque difficilem, ex quacunque fuerit materia constructus. Quomodo Horatius animum nullius culpæ conscium murum appellauit aheneum, & sæpe à profanis ferrei dicuntur muri, quos vis hostilis aut nullo modo, aut non nisi difficile discutiat. Sanè in ea significatione adamantina dicuntur, quæcumque in quolibet genere indomita significantur, & quæ nulla machinatione, ac pulsu frangi, aut incuruari possunt. Sic Virgil. *lib. 6. Æneid.* columnas ad portas inferni vocauit adamantinas, & ferream turrim. 31.

Porta aduersa ingens, solidóque adamante columnæ,
Vis vt nulla virum, non ipsi excindere ferro
Cælicolæ valeant, stat ferrea turris ad auras.

Et Ouid *lib. 4. Metam.* inferni aditus clausos esse dicit adamante, & Statius *lib. 7. Thebaid.* Regiæ Martis fores adamante claudit: sic ab Horatio claui vocantur adamantini; adamantina item Martis lorica, & quod magis facit ad nostrã cogitationem, adamantini vocantur muri ab Æschine in oratione contra Demosthenem.

Tertiò ex his colligo siue muros appelles perpendiculi, & in manu Domini perpendiculum statuas; siue pro perpendiculo adamantem supponas, seu litum dicas esse murum, & trullam in manu Domini consideres, de quo mox, significari munitam esse priùs ciuitatem propitio, atque fauente Domino; pòst verò illo iam infenso, atque aduersante esse ruinosam & debilem, & cuilibet expositam ludibrio, ac prædæ. 32.

Nunc iam ad translationem vulgatam veniamus, in qua noster interpres, quod alibi sæpe fecit, quod etiam ex Tullij sententia in optimo interprete probatur: non tam secutus est verba, quàm verborum pondus, atque sententiam. Iuxta quam spectauit Amos Dominum supra murum litum, & in eius manu trullam cæmentarij. Ad verbum diceret, *murum litionis, & in manu eius litionem.* Vtroque enim loco est אנך *anach*, quam Aquila, quem secutus est Hieronymus, ἀλοιφωσιν transtulit, quæ *vnctionem*, seu *incrustationem* valet. Sed quia litio in manu alicuius, nihil est aliud quam calx, aut argilla, & id tandẽ, quod parietis tectorium est; aut certè instrumentum illud, quo parieti tectorium inducitur, ideo vulgatus *pro litione*, seu *incrustatione, trullam* adhibuit cæmentarij. Quam dum Dominus tenebat manu, reconcinnabat, quæ labascere videbantur, & ruere, & hiantium murorum rimas implebat; cùm verò abiecit, vt statim habes *v. sequenti*, significat se iam sedulum illud studium abiecisse, quo murorum firmitati, & populi incolumitati consulebat. 33.

Quid sit hoc loco *trulla*, docet Vitruuius *lib. 7. cap. 3.* dum *trullissare* idem esse vult quod incrustare parietem, aut tectorium inducere, quod non solùm firmitatem operi, sed etiam speciem, & dignitatem conciliat. *Coronis,* inquit, *explicatis, parietes quam asperrimè trullissentur; postea autem supra trullissatione subarescente* (id est, tectorio) *deformentur directiones*, &c. Erit ergo trulla instrumentum latum, & planum, quo fabri murarij linunt, com- 34.

planant

planántque parietes. Est item trulla vas quoddam culinarium, ac vinarium; sed illi cum hoc loco nihil est commune, atque ideo quid illud propriè significet, laborandum non est.

35. Vers. 8. *Ecce ego ponam trullam in medio populi mei Israel.*] Illud *ponam* idem est, quod deponam, & abiiciam, siue trullam, quod facit cæmentarius, aut cùm opus absolutum est, neque iam ampliùs à trullisatione desiderat, aut illam cum offensione, & execratione proiicit, quia aliquis contigit error in opere; aut cùm tardè opus, & male procedit, siue perpendiculum, aut adamanta, quod facile constat ex eo quod proximè succedit.

36. *Non adiiciam vltrà superinducere eum.*] Variè hîc meditantur interpretes. Ego quid sentiam, quódque magis esse putem ad vulgati translationem, breuiter dicam. Et primùm illud *eum*, referre puto Hebraicam vocem אנך, quæ generis est masculini, pro qua vulgatus reddidit trullam. Neque multum refert, quòd hæc generis sit fœminei, neque enim nouum est vulgato, vt in transferendo genus seruat originalis linguæ. Apocal. cap. 2. *Duo candelabra stantes.* dicendum esset *stantia*, sed respexit interpres ad Græcam vocem λυχνίαι, quæ generis est fœminei. Matth. cap. 20. *Reges Gentium dominantur eorum*; *earum* dicendum fuisset, sed habita ratio est Græcæ vocis ἔθνος, quæ generis est neutrius. Genes. 3. *Ponam inimicitiam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius, ipse conteret caput tuum.* *Ipsum* dicendum esset; sed quia vox Hebraica זרע *Zerahh*, quæ semen valet, generis est masculini, pronomen masculinum adhibuit. Plura occurrent exempla attento lectori, quæ nos variis locis obseruauimus. Sic ergo cùm vox *trulla* Hebraicè generis sit masculini, *eum* adhibuit, & non *eam* vulgatus interpres.

REGVLA. *Vulgatus genus aliquando retinet originalis linguæ.*

37. Ait igitur Dominus non iterum inducendam esse trullam muro lito, ad illinendum, seu conseruandum tectorium, ad instaurandum muros, quia iã ciuitas damnata est ruinæ, & destinata inimicorum ferro. Heb. ita habet לא אוסיף עוד עבור לו *lo osiph od abor lo.* quod variè reddunt interpretes. Septuaginta, *Non vltrà adiiciam præterire eum*, Tigurina, *Nec vltrà pertransibo eum*. Eodem penè modo Pagninus, & quidam ex Hebræis. Tunc verò *eum*, ad populum referunt, cui Dominus edicit non illi iam ampliùs esse parcendum. Pertransibat enim illum, ignoscendo videlicet, quia non tangebat vltrice virga; deinceps tamen conculcabit illum cum peccatoribus aliis, neque pedes, quibus proterebat alios, aut habebit leues, ne molestiam inferant, aut suspendet ne tangant. Quomodo dicimus, cùm in numerando hominum cœtu, aliquem omittimus, illum esse præteritum, seu pertransitum; & idem cùm in legendo libro aliquid præteruehimur, aut quia obscurum, aut quia minus ad palatum nostrum. Sic pertransiisse, aut præteriisse dicitur Deus populum cùm illi propter suam benignitatem ignoscit; tunc vero non præteritur, cùm illorum peccata debito supplicio mulctabit.

38. Ego, vt dixi, *eum*, ad trullam refero, ne à vulgati translatione recedam, quam videor aliter non posse facile [illegible]. Licèt Hieronymus ad populum pertinere indicet subobscurè, dum ait, *Quod deponat trullam in medio populi sui Israel, & cessare faciat atque torpere, vt nequaquam vltrà superinducat eum & [illegible] ne tueatur auxilio.* Et hic [illegible] literam. Non iterum transire faciam trullam, nempe per parietem, vt illum complanet, atque consolidet; aut certe non permittam trullæ transire, siue vt transeat. Quocumque legas, aut accipias modo, sensus est idem, sed posterior iste magis cum vulgata translatione consentit.

Vers. 9. *Et demolientur excelsa idoli.*] Pro *idolo*, 39.
Heb. ישחק *Iſchac*, quam vocem è recentioribus plurimi retinuerunt, & putant aut in Isaac, qui eo explicatur Hebraico nomine, intelligi domum Israel. Neque enim minus Isaac vocari potuit eius generis pater, quam Iacob, seu Israel; & vt ille vocatus est populus Iacob, aut Israel, sic etiã appellari potuit Isaac. Verùm nõ est credibile, cùm alibi populus ille numquã fuerit notatus eo nomine, nunc præter consuetudinẽ nouam hãc appellationem habuisse. Alij, in quibus sunt Isidorus, & Rab. Dauid, excelsa illa nomen arbitrantur sumpsisse ab Isaac, quia Israelitæ, vt egregium Abrahæ sacrificium nouo renouarent exemplo, suos filios immolabant, Moloch nimirum, aut Beelphegor, & ideo excelsa Isaac appellat sunt, quia, vt ille quondam à parente in monte, sic etiam noui quotidie Isaaci in montibus, excelsisque locis mactabantur.

Sed vulgati translatio magis est ad vsum Scripturæ, à qua Septuaginta non abhorrent, qui pro 40.
idolo risum transtulerunt, quia reuera idolum aliquid & ludicrum, & irrisione dignum. Vulgatus autem in sensum magis quàm in vocem intentus, idolum reddidit, rem videlicet ludibrio magis, & irrisione dignam, quam honore, qui est à sacrificiis, aut à diuino nomine.

Et sanctificationes Israel desolabuntur.] Sanctifica- 41.
tio aliquid significat Deo sacrum, qualia sunt delubra, altaria, omnia denique loca religioni consecrata. Habuit Israel, ex quo à Dauidico dominatu, ac templi religione recessit, quamplurima loca gentiliciis temerata sacrificiis; quales erant luci, & torrentes, & altaribus, quibus, vt dixit Oseas, regnum illud vbique locorum exuberabat. His ergo omnibus extremam Dominus desolationem minatur.

Et consurgam super domum Ieroboam in gladio.] 42.
Quo tẽpore hæc dicebantur, regnabat Ieroboam filius Ioas, apud quem Amasias sacerdos questus est de Prophetæ in dicendo libertate, ex quo supra coniectabamus, quæ acciderunt sub Manahem rege Israel, & deinde sub Phacee, fuisse post has visiones Amos. Quia quando ab Assyriis incommodis attritus fuit Israel, iam vita functus fuerat Ieroboam, imò occiso Zacharia filio, regnum ad alienos translatum. Nihilominus non puto huius Ieroboam dici domum, cui gladium Dominus minatur, & exitium, sed alterius, qui primus in decem tribubus regnauit; & regnum constituit Israeliticum, qui filius dicitur Nabat. Vt enim regnum Iuda domus appellatur non Salomonis, aut Roboam, sed Dauid, quia ille regnum in suam familiam primus induxit. Sic etiam regnum Israel domus vocatur Ieroboam filij Nabat, quia ille omnium primus, & tribus dissecuit, & regnum obtinuit.

Vers. 10. *Et misit Amasias sacerdos Bethel ad Iero-* 43.
boam, &c.] Amasias hic sacerdos erat, capiebátque in impia vitulorum, aut idolorum religione quotidianos fructus: quos perituros esse norat, aut certè metuebat, si quo cœperat ardore, atque studio minaces illas voces vrgeret, ac persequeretur Amos. Quare cùm sua non posset, regis auctoritate Prophetæ linguam constringere studebat. Et ideo veris admiscet falsa, vt in inuidiam

Digitized by Google

diam trahat Prophetam, illúmque aut regio decreto aliò diuertat, aut spiritum includat, ne etiamsi velit, voces formet, quæ viros concutiant Israelitas, illisque quàm imbiberant ante religionem extorqueant. Neque tamen, vt Hieronymus putat, exorauit à rege quod orabat, immo cùm sua videret postulata contemni, ipse vltro Prophetam adiit, & pro sua auctoritate edicit si suo capiti consultum esse velit, aut cohibeat linguam, aut aliò detorqueat vaticinium.

44. Vers. 12. *Qui vides, gradere, fuge in terram Iuda, & comede ibi panem, & prophetabis ibi.*] Ex hoc loco nonnulla coniectura sumitur, vt credamus superiora contra decem tribus fuisse prolata: & in terra Israel, in quam ex agro Thecuano profectus fuerat Amos; quando iubetur Amos concedere in terram Iuda, & ibi munus obire propheticum. *Qui vides*, idem est, ac si diceret, *qui Propheta es.* Nam olim ab antiquissimis temporibus Prophetæ dicebantur *videntes*, vt habes *lib. 1. Reg. cap. 9. v. 9.* Et nunc præcipuè videns appellari potuit, quia plures proximè antecessere visiones, quas verisimile est, & Gentem Israelitidem, & Amasiam istum accepisse ab Amos. Quare peculiaris aliqua ratio fuit, cur hoc loco non tam prophetare, quàm videre diceretur.

45. *Et comede ibi panem, & prophetabis ibi.*] Existimabat, opinor, Amasias, quemadmodum ipse è sacerdotali munere victum sibi, & compendia maxima captabat, sicut ex suo opificio artifex, sic ex prophetico spiritu, quasi ex quodam quæstuario ministerio lucrum captari, & vitæ commoditatem ab Amos. Quare illum ad Iudæam remittit, vt inter suos propheticum munus, quasi quãdam iocularem, aut impostoriam artem exerceat, qua sibi ad necessarios naturæ sumptus pecuniam quærat. Id enim valet illud, *& comede ibi*, id est, quære alimentum, & necessaria vitæ subsidia.

46. Vers. 13. *Et in Bethel non adiicies vltrà vt prophetes; quia sanctificatio regis est, & domus regni est.*] Ostendit Amasias cur è Prophetæ vsu non videatur eo in loco prophetare, in quo illũ aliò amouere studebat: quia videlicet malum suo sibi accersebat capiti, cùm non posset regium furorem declinare, qui in Bethel præcipuum habuit suæ religionis sacrarium, & regni sedem. Quare non videbatur laturus esse patienter, si quisquam illi probro daret, quòd religionem coleret alienam, aut quòd sibi esset exilium subeundum, aut ferrum. Hanc Amasias exhortationi maleuolæ, ac callidæ, prætexebat humanitatis speciem. Sed reuera id agebat vt illum amoueret à Bethel, vnde cùm vitulorum primus esset antistes, magnis quotidie compendiis augebatur. Vbi vrgente Propheta, & dura contra locum illum vaticinia fulminante, spes nulla relinquebatur copiosi lucri.

47. Vers. 14. *Non sum Propheta, & non sum filius Prophetæ.*] Quomodo hæc sint intelligenda, & quo sensu Amos se Prophetam esse neget, diximus in principio *proleg. 2.* Nempe non esse Prophetam, qualem Amasias putabat, qui spiritum haberet venalem; sicut pseudoprophetæ, qui sua vendebant somnia, & variis imposturis lactabant plebem nimis credulam, & gratiam inibant à principibus, & ab vtrisque lucrum non exiguum. Atque ideo negat se Prophetam esse, qui videlicet spiritum habeat, quasi quæstuarium aliquod ministerium, neque se eo indigere artificio ad quærendum cibum, cùm satis sibi habeat, id quod pauperibus vltro, & gratis occurrit in syluis, quódque sine pretio à rusticis, & agrestibus est pro quotidianis, atque legitimis epulis, cùm sycomoros vellicet, & ex illis sibi alimoniam, & delicias paret.

48. In hoc sensu se Prophetam esse negat. Sed cur etiam Prophetæ filium. Ego hîc duas explicationes inuenio, vtram illarum præferam non habeo constitutum; neutra displicet. Ex idiomate sermonis Hebraici *filius alicuius*, idem est quod *aliquis*, vnde *filij taurorum, & arietum*, iidem sunt qui *arietes, & tauri*, & millies in Scriptura Prophetæ dicuntur *filij hominum*, & Christus in Euangelio *filius hominis*, id est, homo vocatur. Sententia autem iterata epitasim habet in Scriptura sacra. Quare hoc loco Amos Prophetam se esse præcise negat, dum sententiam iterat, cuius sensus est. *Non sum Propheta, non sum, inquam, Propheta.* Quomodo *Psal. 8. v. 5.* dicitur eodem omnino sensu. *Quid est homo, quòd memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum?*

Filius personam circumscribit.

49. Altera explicatio sumitur ex hominum consuetudine, apud quos filij illam exercent artem, quam à parentibus didicere: quare qui pastorem habuerunt parentem, pastoritiam ipsi vitam instituunt, quomodo ad generationes aliquot Abrahami posteri rei pecuariæ operam duram, & agrestem nauarunt. De quibus filij Iacob ad Pharaonem Gen. 47. v. 3. *Pastores ouium sumus serui tui, & nos, & patres nostri.* Quin nationes aliquot sunt, quæ seuerè cauent, ne quis alium instituat quæstum, aut artem, nisi illam, quam exercuerunt parentes. Sanè hoc Sinarum incolis dicitur esse legitimum. Vtcumque id sit, argumentum hoc topicum est, à consuetudine deductum, quod licèt non persuadeat, suadet tamen. Quo in eodem nomine, licèt in re aliquantulum diuersa, pseudo quidam prophetæ vsi sunt, apud Zachariam cap. 13. v. 5. *Non sum, inquit, Propheta, homo agricola ego sum, quoniam Adam exemplum meum est.* Ac si dicant se numquam fuisse Prophetas, sed natos eo parente, quẽ Deus esse iussit terræ cultorem. Hæc verò ratio tunc valet, si, quod putabat Amasias spiritus propheticus, simulatus videlicet, venalis esset, & ad quęstum collatus. Vtraque explicatio non difficilis, in priorem pronior est assensio. Multa hîc ab aliis afferuntur, quæ referre longum esset, à quibus abstineo, ne longus sim.

Filij plerũque parentũ suorum artẽ exercent.

50. *Sed armentarius ego sum, & vellicans sycomoros.*] Responsio hæc est ad alteram partem sermonis Amasiæ, qui iussit Prophetæ, vt paulo ante meditabamur, vt alimentum sibi in patria quæreret prophetando. Ad quem respondisse videtur Propheta, illum non indigere vllo artificio, ac dolo, qui satis sibi habet ad cibum, & delicias, quod sponte fundit, & offert incultum, & syluestre solum: offert autem sycomoros, ea copia, vt ad rerum multitudinem explicandum in comparationem adducantur. Lib. 2. Paralip. cap. 1. v. 15. *Præbuit rex cedros quasi sycomoros, quæ nascuntur in campestribus multitudine magna.* Hæ verò rusticis, & pauperibus pro alimento sunt, quia & illorum ingens copia, & illorum prouentus in anno frequens. De quo Dioscorides lib. 1. cap. 143. *Pomum ter aut quater anno fert, non ramis, vt ficus, sed caudice ipso caprifico non dissimile.* Dicitur sycomorus, quia aliquid habet à moro, & aliquid à ficu, ab illa frondes, ab hac poma. Hinc Hieronymus cùm in textu *sycomorus* transtulisset, in commentariis tamen rubos intellexit, & in epistola ad Paulinũ.

Sycomorus rusticorum cibus.

Sycomorũ frequens in agro Palæstino, & quadrifero prouentu felix.

Amos,

Amos, inquit, *pastor*, *& rusticus*, *& ruborum mora distringens.* In commentariis rationem adducit, cur rubos potius esse iudicet, quam sycomoros. *Quidam*, inquit, *ita edisserunt, vt sycamina velint appellari genus arborum, quæ Palæstinæ nascuntur in campestribus, & agrestes afferunt ficus, quæ si non vellicantur, amarissimas cariculas faciunt, & a culicibus corrumpuntur. Nobis autem* (*quia solitudo, in qua morabatur Amos, nullam huiuscemodi gignit arborem*) *magis videtur rubos eiicere, qui afferunt mora, & pastorum famem, atque penuriam consolantur.* Hæc Hieronymus. Quæ ratio non videtur ita grauis, vt tantum doctorem mouere debuerit, vt suam ipse translationem quodammodo non probet. Est enim in terris, sicut in ætatibus, quædam vicissitudo, & quæ olim pingues, & aliquarum arborum feraces, iam ætatis progressu effœtæ sunt, & earum nihil, præter obscura quædam vestigia deprehendes, vbi nunc aut etiam Hieronymi ætate in Iudæa arbores illæ, quæ pretiosissimo quondam stillabant balsamo: quarum Iosephi tempore species tota in Iudæa perierat? Refert Plinius *lib.* 17. *cap.* 4. quasdam regiones plantas producere desiisse, quarum antè fuerunt feracissimæ, & in Hispania nunc multa loca carent arboribus, quibus non multis antè sæculis abundabant.

51. Pastores igitur, & agrestes homines sycomoris victitabant, vnde, vt opinor, ficarij dicebantur. Sic sanè Faunos appellat Ieremias *cap.* 50. *v.* 39. qui sunt, vt fabulantur poëtæ, syluestres dij, aut certè homines, qui bellulno more vitam agunt in syluis. Sic ergo Ieremias ibi de Babylone, *Habitabunt dracones cum faunis ficarijs, & habitabunt in ea struthiones*, &c. Hac dicendi formula, aut simili describitur miserorum, ac sordidorum hominum angusta fortuna, qui nihil habent quo stomacho suo, aut fami satisfaciant, præter, quod spontè fundant incultæ syluæ. quidquid illud sit, sanè ita depingit miserorum statum Iob cap. 30. v. 3. *Qui rodebant in solitudine, squalentes calamitate, & miseria. Et mandebant herbas, & arborum cortices, & radix iuniperorum erat cibus eorum.* Ouidius *lib.* 1. Metam. hunc victum tribuit primis simplicissimísque sæculis.

Fauni ficarij.

Contentique cibis nullo cogente creatis
Arbuteos fœtus, montanaque fraga legebant,
Cornaque, & in duris hærentia mora rubetis.

Apud Virgilium ait Achæmenides, qui vitam duram agebat in syluis lib. 3. Æneid.

Victum infelicem baccas, lapidosaque corna
Dant rami, & vulsis pascunt radicibus herbæ.

52. *Vellicans sycomoros.*] Dioscorides lib. 1. cap. 145. docet sycomori poma non maturescere, aut esse apta cibi, nisi vngue scalpantur, aut ferro. Quare dum Amos sycomoros vellicat, id est, distringit, esculentos reddit. Tunc autem antecedens pro consequenti ponitur, præparatio nempe ciborum pro ciborum vsu. Ac si diceret, delicias alias neque habeo, neque curo, sycomoris vescor, quos antè vellico, maturitatique dispono.

53. Vers. 15. *Et tulit me Dominus cùm sequerer gregem, & dixit Dominus ad me: Vade Propheta ad populum meum Israël.*] Significat Propheta se non posse, aut debere sua voluntate in Iudæam reuerti; quia neque sua voluntate egressus fuit e Iudæa; sed iussus à Domino, cùm nihil cogitaret minus, dum pascendis gregibus rusticam operam impenderet. A quo mandatum accepit, vt quid impenderet aduersi ab irato Deo, ad populum Israeliticum referret.

Vers. 16. *Et nunc audi verbum Domini.*] Hæc specìatim ad Amasiam, vt constat. Quæ tunc fortasse Propheta accepit primùm à Domino, cùm prophetæ linguam metu regij furoris constringere voluit. Omnia verò ad finem vsque capitis expositione non egent. 54.

Non stillabis super domum idoli.] De domo idoli diximus ad eadem propè verba suprà *v.* 9. neque est quid præterea addendum videatur. De *stillo* diximus plura *in caput* 20. *Ezechielis num.* 104. quæ omnia non minus ad illum, quam ad hunc locum pertinent. Quare huc inde transferre libuit. *Stillo* vox est, quæ ambiguos habet, immo & contrarios metaphoricos sensus. Vt enim pluuia quædam est sedata, & mollis, quæ terram rigat, impinguat, & oblectat, rursus alia vehemens, inimica, horribilis quæ disturbat, dissipat, & disperdit omnia; sic sermo, cui pluuia in Scriptura dicitur esse similis, interdum est benignus, placidus, sic suauiter influens, sicut pluuia in vellus: interdum etiam asper, procellosus, & minax, qui dicitur nimbus, qualis est, qui Ægyptios agros, & pecora populatus est, de quo Exod. 9. v. 23. *Dominus dedit tonitrua, & grandinem, ac discurrentia fulgura super terram, pluitque Dominus grandinem super terram Ægypti, & grando, & ignis mixta pariter ferebantur.* Hanc nimbosam, & inimicam pluuiam descripsit optimè Latinus poëta Georgic. 1. 55.

Stillo modò aliquid benignum, modò aliquid aduersum valet

Sæpe etiam immensum cælo venit agmen aquarum,
Et fœdam glomerant tempestatem nubibus atris
Collectæ ex alto nubes: ruit arduus æther,
Et pluuia ingenti sata læta, boúmque labores
Diluit, implentur fossæ, & caua flumina crescunt
Cum sonitu, feruétque fretis spirantibus æquor.

Sic in Scriptura *stillare* interdum pluuiam aliquam sedatam, & mollem, interdum verò turbidam, & horribilem sonat. De priori est illud Moysis Deut. 32. *Concrescat in pluuiam doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum: quasi imber super herbam, quasi stillæ super gramina.* & illud Amos 9. & Ioel. cap. 3. *Stillabunt montes dulcedinem.* De posteriori sunt exempla plura. Dan. cap. 9. *Stillauit super nos maledictio, & detestatio, quæ scripta est in libro Moysi serui Dei, quia peccauimus ei.* 2. Paralip. cap. 12. *Non stillabit furor meus super Ierusalem.* & ibid. cap. 34. *Idcirco stillabit furor meus super locum istum, & non extinguetur.* In hanc omnino significationem sumitur hoc loco *stillo* apud Amos: quia sermo propheticus, qui dura, atque horribilia denunciat, instar obtinet nubis obscuræ, ac densæ, quæ pro imbre sedato, ac molli grandinem iaculatur, & fulmina, neque enim minus terrificæ sunt propheticæ, quàm meteoræ, siue cælestes minæ. 56.

Vers. 17. *Vxor tua in ciuitate fornicabitur.*] Passiuè hoc exponendum est, non quòd vltro Amasiæ vxor accersat adulterum, sed quòd illa ab hoste victore, & petulante vim patiatur. Est enim vsqueadeò insolens victoria, maximè apud barbaros, vt quiduis licere sibi putet in captiuarum corpora. Id sanè concessum sibi existimabant Chaldæi, cùm Hierosolymis sunt potiti, de quibus Ieremias Thren. c. 5. *Mulieres in Sion humiliauerunt, & virgines in ciuitatibus Iuda.* 57.

Et humus tua funiculo metietur.] Victores agros viritim diuidunt, atque ideo, vt æqua cuiuis portio contingat, funiculo vtuntur, & metatrice regula. Cùm autẽ Amasiæ, qui sacerdos erat summus, agri, vt apparet, ex hominis potestate, & auaritia, ampli forent, & multorum militum operam compensare possent, diuidendi fuerunt, atque ideo funiculum, & regulam adhiberi oportuit. 58.

tuit. Hoc verè contigit in eo tractu, in quo agros habuit Amasias. Nam quicquid de aliis partibus sit Israelitici regni, Assyrij illorum loco, qui aut occisi, aut traducti fuerunt in exilium, miserunt in Samariam, iuxta quam est Bethel, ex suo genere, qui vacuos à suis possessoribus agros occuparent. 4. Reg. 17. v. 24. *Adduxit autem rex Assyriorum de Babylone, & de Cutha, & de Auah, & de Emath, & de Sepharuaim, & collocauit eos in ciuitatibus Samariæ pro filiis Israel.*

59. *In terra polluta morieris.*] Id est, in terra incircumcisorum, & Gentilium. Hi verò dicebantur polluti, tum quia idolorum amplexati sordes, ipsi quoque ex illorum complexu sordes contrahebant, tum etiam, quia cum præputio depositi

A credebatur immunditia quædam. Ex quo fiebat, vt qui incircuncisi, idem quoque vocarentur immundi. Isai. cap. 52. v. 1. *Non adiiciet vltra, vt pertranseat per te incircuncisus, & immundus.* Deinde quia terra promissionis, vtpote electa à Deo, sancta dicebatur, & eius comparatione quæcumque alia regio vocabatur immunda. Putabant autem illum miserum Iudæi, qui in terra promissionis sepulturam non esset consecutus, aut extra paternum sepulcrum tumulari contigisset. Vide Abul. *in lib. 3. Reg. cap. 13. q. 19.* Erat hæc, opinor, inter Hebræos maledictio, qua aliis mortem extra patriam, aut sepulturam extra terram sanctam imprecabantur. Ierem. cap. 22. de Phassur, *In Babylonem venies, & ibi morieris, ibique sepelieris.*

IN CAPVT OCTAVVM

ARGVMENTVM.

OBLATA est Prophetæ adunca virga, qualem gestare solent arborarij villici, dum poma colligunt ex ramis, qui attingi non possint illorum manibus. Quo significabatur instare iam tempus, quo decem tribus sic transmitterentur, è suis sedibus ad alienas, quemadmodum collecta ex arboribus poma, ex arboreto venalia transportantur. Enumerat deinde aliquot peccata, propter quæ populo tam graues intorqueantur minæ. Quorum caput sunt auaritia, quæ ad alienas opes impotenter anhelat, & fraus ac dolus, tam in vitiosis mercibus, quàm in corrupta ac violata mensura. Ad extremum docet, venturum aliquando tempus, cùm ea sit futura diuini verbi fames, & inopia, vt nullibi terrarum, qui modò fastidiunt, Prophetarum oracula reperiant.

CAPVT VIII. — PARAPHRASIS.

1. *HAec ostendit mihi Dominus Deus, & ecce vncinus pomorum.*

B 1. ALiud rursus spectrum oblatum est mihi. Videbam enim perticam præferratam vnco, qualem habere solent arborarij, dum colligendis fructibus vacant, vt quos nequeunt manu ramos contingere, eos ad se deprimant hamata virga.

2. *Et dixit: Quid tu vides Amos? Et dixi: Vncinum pomorum. Et dixit Dominus ad me: Venit finis super populum meum Israel: non adiiciam vltrà vt pertranseam eum.*

2. Cùm ego in spectro defixos haberem oculos, interrogatus à Deo, quid viderem: spectare me dixi vncinatam virgam, qua ab arborario villico poma colliguntur. Et iterum Dominus ad me: Vncinus iste aduenisse iam tempus portendit, in quo periturum est Israelis imperium. Satis iam diu manum à vindicta continui: non enim amplius, quasi non videam ad Is-
C raelis peccata conniuebo. Laxabo iam furoris impetum antè repressum. Patientiæ meæ venit, & Israelis finis.

3. *Et stridebunt cardines templi in die illa, dicit Dominus Deus: multi morientur, in omni loco proiicetur silentium.*

3. Iam templi, in quo ab Israele simulacra colebantur, concrepabunt cardines, aut quia hostium multitudo ardens, & incitata per illos irrumpet, aut quia illos, aut illisus aries, aut securis inimici franget, aut reuellet. Magna tunc erit hominum strages, magnum vbique silentium, in terra ab habitatoribus vacua.

4. *Audite hoc qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ.*

4. Excitate igitur animos, & audite, ô viri potentes, & immites, qui pauperes op-

5. Dicen

primi

Digitized by Google

A primitis, & eorum sanguinem exugitis, & cò adigitis, vt deficiant exangues, & intereant de terra, aut vitã agant non vitalem.

5. *Dicentes: Quando transibit mensis, & venundabimus merces; & sabbatum, & aperiemus frumentum: vt imminuamus mensuram, & augeamus siclum, & supponamus stateras dolosas.*

5. Excitate, inquam, animos, & aures aduertite, quibus est in ore frequens: O vtinã iam kalendæ prætereant, vt locari fœnori pecuniæ possint, & pro locatis exigi fœnebres vsuræ, quod in diebus illis religio non patitur. Quæ pecuniæ nobis pro mercibus ac negotiatione sũt: neque enim minus lucri nobis vsuraria pecunia, quàm mercatori in tractandis mercibus, negotiatio pensitat.
B O vtinã trãseat eo nomine odiosũ sabbatũ, quia in illo nundinari nefas, vt aperiamus horrea, & frumentũ ex illis vænale proponamus: quod non parũ afferet lucri, si familiare nobis adhibeamus artificiũ: si nẽpe diminuta, ac decrescẽte mẽsura, augeatur preciũ, aut pecuniæ põdus, & dolosa supponatur statera: quæ dũ emimus, leuitatis plus, dũ vendimus, plus æquo grauitatis habeat.

6. *Vt possideamus in argento egenos & pauperes pro calceamentis, & quisquilias frumenti vendamus?*

6. Et eo artificio pauperes, cùm æs ea pactione contractũ dissoluere non possint, aut ememus operas, aut ipsos voluntati nostræ
C alligabim⁹ perpetuo nexu. Quare illos pro vsurario argẽto, aut pro venditis rebus etiã vilissimis, qualia sunt calceamenta, seruos possidebimus. Neque peribunt nobis purgamenta frumenti, aut areæ quisquiliæ, ex quibus quasi res foret ventilata, & pura pecunia redigetur.

7. *Iurauit Dominus in superbiam Iacob: Si oblitus fuero vsque ad finem omnia opera eorũ.*

7. Quamobrem iuramento interposito minatus est Deus decem tribubus, quarum detestatur superbiam, se non futurum vnquam memorem operum, quæ scelerate commisit, neque relicturum impunita.

8. *Numquid super isto non commouebitur terra, & lugebit omnis habitator eius: & ascendet quasi fluuius vniuersus, & eiicietur, & defluet quasi riuus Aegypti?*

D 8. Nunquid non eiusmodi sunt peccatorum opera, vt propter illa, terra cõmoueri, aut dehiscere, & illius habitatores vlulare non debeant. Sanè populus vniuersus sic è proprio natalique solo, vrgẽte sẽper hoste, incessãter abibit, sicut à suo fõte rhinocolura fluui⁹ Ægypti, cõtinẽti fluxu, in mare deuoluitur, vbi salsis permixt⁹ vndis euanescit.

9. *Et erit in die illa, dicit Dominus Deus: occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis.*

9. Eo verò tẽpore, ea erit rerum vicissitudo, vt qui priùs rebus omnibus, nõ ad vsus tantùm domesticos, sed etiã ad delicias abundabant, repentè & naturæ subsidiis, &
E dignitatis ornamentis spoliati, vitam agant angustam & ignobilem: quod perinde erit, atque si in meridiano splendore, deficiente repentè sole, nox obrepat, & luci clarissimæ caligo densissima succedat.

10. *Et conuertam festiuitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in planctum: & inducam super omne dorsum vestrum saccum, & super omne caput caluitium: & ponam eam quasi luctum vnigeniti, & nouissima eius quasi diem amarum.*

10. Indulsistis choris, ludisque gentilicis, ad idolorũ aras, sed efficiam ego, vt loca eadem, vbi dies agebantur geniales, & læti, vlulatu personent, & parentali planctu: & pro amictu delicato ac molli, saccũ induam è cilicino textu, & caput illustrè cincinnata cæsarie, horrere faciã deformi caluitio: neque vlla pars erit regionis illius, in qua non

A audiatur lugubre lamentum, quasi vbiuis procederet vnigeniti funus.

11. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & mittam famem in terram: non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini.*

11. Despexistis hactenus, & cum fastidio, ac nausea verbum meum in Prophetarum ore, tanquã inauspicatũ aliquid, & nugatoriũ abiecistis. Aderit tamen aliquãdo tēpus, quo illud appetatis, non aliter quàm sitiens aquam, & panē famelicus desiderat.

12. *Et commouebuntur à mari vsque ad mare, & ab Aquilone vsque ad Orientem: circuibunt quærentes verbum Domini, & non inuenient.*

12. Tunc verò tēporis, etiãsi ab omnibus terrarum angulis, orbem totum oberrēt, & lustrent studio quærendi verbum Dei, & Prophetarũ oracula, quæ modò vehementer auersantur, non tamen inuenient. B

13. *In die illa deficient virgines pulchræ, & adolescentes in siti.*

13. In illis rerum angustiis, deficient nõ modò senes, & infantes, quibus minus est constantiæ, ac virium, sed etiã qui in vtroque sexu robusti sunt, quales sunt adolescentes, & virgines, quibus cum pulcritudine ac specie, firmitas etiam accessit, & ad incommoda perferenda constantia.

14. *Qui iurant in delicto Samariæ, & dicunt: Viuit Deus tuus Dan, & viuit via Bersabee: & cadent, & non resurgent vltrà.*

14. Hæc verò macies, & mors ex eo proueniet, quia vitulis aureis, quæ Samariæ fuerunt delictorũ familiaris occasio, quasi C dij forent veri, honores exhibuere diuinos, per illos iurant, & illã adhibent iurisiurãdi formã, quã in obtestãda diuina fide viri pij religiosè concipiunt. Vt enim hi iurãt, viuit Dominus: sic illi, viuit Deus, id est, vitulus, qui est in Dã, & qui est in Bersabee. Quare cadēt, & ita cadēt, vt spes sit nulla resurgēdi.

Vers. 1. *Et ecce vncinus pomorum.*]

1, ALIA obiicitur visio quæ eódē quò superiores spectat. Cùm enim instaret iã Israelitici regni extrema clades, & tamen adhuc in peccatis Israelitæ hærerent obstinato cõsilio, instat Deus aliis, atque aliis modis admonendo, vt vitæ mutatione impendētē iã plagam à suis iugulis auertant. Prius autem quàm quid portendat visio, explicare aggredior, expendendũ est quid significet vox Hebraica כלוב *kelub*, pro qua alij *vncinũ*, alij *canistrũ* reddiderunt. Sed si res expendatur attentiùs, licèt non eadem sit translatio, est tamen eadem omnino sententia. Transtulerunt omnes penè interpretes tam recentes, quàm antiqui *canistrum*, siue *sportam*: cuius ad illum temporis articulum, in quo hæc dicta sunt à Propheta, aptissima est metaphora. Huius nunc vim, & sensum explicabimus, deinceps aliã exponemus de vncino pomorũ, quæ priori loco nobis statuenda est, & cuius explicatio magis ad illud Israelis tempus opportuna.

2. Canistrum à quibusdã existimatur apparuisse vacuum, paratũ tamen à pomorũ domino, seu arborario, vt poma iá matura, quæque diu in arbore retineri non possunt, colligat, & à suo loco in alium traducat. Quo in statu videbatur esse res Israelitica, quæ sub hæc tēpora adhuc erat in patria, sicut fructus in arbore; futurũ tamē erat propediem, vt transportaretur inde, sicut in canistro decerpta ab arboribus poma aliò transmittuntur,

3. Alij plenum putant esse canistrum, pomis non solùm iam maturis, sed etiã putribus, quales erant ficus malæ valde, quas in calatho vidit Ieremias *cap.* 24. Illa verò iam erant conuasata, & ad vecturam disposita, quomodo merces conuolutæ ex vno loco transportantur in alium. Hoc hieroglyphico signo exprimi videtur, eo à Deo, qui horti Israelitici custos erat, & Dominus, Gentem Israelitidem illius horti fructum, sic esse iã excussam ab arbore, & quasi in viminco vasculo conclusá, vt ab Assyrio prædatore, aut mercatore, sine vllo labore, ac more transportari possit. Ad quam expositionem nonnihil facit, quòd vox כלוב etiam decipulam significat, aut etiam caueam, in qua comprehensæ detinentur aues, quo modo conuertit vulgatus apud Ieremiam cap. 5. v. 27. *Sicut decipula plena auibus, sic domus eorum plena dolo.*

Antequam ad vncinum venio obseruo, pro *pomis* esse in Hebræo קיץ *caiis*, quæ *æstatem* significat, & ideo omnes penè alij nimis tenaces literæ *canistrum æstatis* conuerterunt. Sed est eadem omnino sententia, siue canistrum, aut vncinum æstatis esse dicas, siue pomorum. Est enim vsitatum non apud sacros solùm; sed etiam apud profanos, vt locus, aut tempus per metonymiã pro his quæ sunt in tempore, aut loco, adhibeantur. Et in hoc ipso nomine *æstatis*, aut *autumni*, sunt exempla non pauca, quo tempore frequens est ex arboribus copiosa vindemia. Isaias *cap.* 16. *v.* 9. קיץ, id est, vindemiæ tempus, pro vindemia posuit, *super vindemiam tuam vox calcantium irruit.* Heb. *super æstatem*, aut *autumnum*. Et 2. *Reg.* 16. vbi vulgatus *centum massis palatharum*, Heb. *centum æstatis*, quoniam in æstate palathæ colliguntur. קיץ autē autumnum interpretor, cùm tamen æstas propriè sit, quia Hebræi sub mitiore cælo in æstate carpebant, quæ nos in autumno. Græcis ὀπώρα millies pro fructibus autũnalibus ponitur, vt Latino nomine autumnus. Martialis lib. 12. epig. 57.

4. REGVLA. *Tempus pro his, quæ sunt in tempore.*

Nec

Nec in Falerno monte maior Autumnus.
Quare idem est vncinus, seu canistrũ pomorum, seu æstatis, aut autumni, atque vncinus pomorũ, aut fructuũ, qui æstate aut autumno colliguntur.
5. Nũc ad vulgatũ venio, qui vbi alij *canistrũ*, ipse *vncinũ* reddidit. Est autẽ vncinus baculus inflexus à sũmo, qui plerũque præferratus est adunco ferro, quo arborarij ramos, quos manu tangere nequeunt, apprehẽsos ad se demittunt. Hi verò cùm matura iã poma carpenda sunt, sicut canistra ferunt, in quibus illa commodè portentur, sic etiã secum afferunt vncinum quo ex arbore decerpãt. Quare vtrumque pro fructuũ collectione accõmodatè ponitur. Et ideo dicebã, quocumque legas modo, eãdem esse sententiam: tam enim propè significatur esse pomorũ collectio, cùm affertur canistrũ, ad portenda poma, quàm cùm admouetur vncinus ad illa carpenda. Septuaginta magis accedunt ad translationem vulgatæ, qui pro vncino reddiderunt. *Ieremiæ c.5.* vbi vulgatus, pro כלוב *decipulam* reddidit. ὡς παγὶς ἐσταμένη, id est, *vt laqueum extensum.* Neque aliud fortasse voluerunt, dũ hoc loco transferũt ἄγχος ἰξευτοῦ, id est, *vas aucupis.* Vas etenim instrumentum est, quod rebus omnibus accommodatur: quare tam hoc nomen decipulæ, ac caueę aucupis cõuenire potest, quàm laqueo, immo id fortasse magis significat vox Gręca ἄγχος, quia à verbo deducitur, quod strangulare, ac præfocare valet, vnde ἀγχόνη laqueus est. Vncinus verò instar obtinet laquei, quia non aliter capit, ac tenet poma, aut pomorum ramos, quàm laqueus aues.

Vncinus quid.

6. Fortasse hoc loco vncinus nihil significat aliud quàm quod suprà à nobis dictum est, nẽpe instare iam tempus, quo colligentur è suis sedibus Israelitæ; vt tanquam poma iã matura, aliò trãsferãtur. Addunt tamẽ aliqui spectari in hoc symbolo aliquid aliud, quod speciatim accidit in Israelis extrema clade. Expugnarũt Assyrij, abduxerũntque secum tribus illas, quæ ipsorum fines propiùs attingebãt, quásque ipsi manu pene tenere poterant, illas videlicet, quæ trans Iordanẽ erãt. De quibus *4. Reg. c. 15. v. 19. & lib. 1. Paralip. c. 5. v. 26.* Rediere postea, & reliqua, quæ superfuerãt, quæque longiùs aberãt ab Assyriis finibus, tandẽ subiugarũt, & auexerunt secum. Hoc ipsum significari putãt in vncino pomorũ. Colligit primùm arborarius poma quæ proxima sunt, quæque tãgi possunt, & apprehẽdi manu; quę verò altiora sũt, quam vt tãgi possint, baculo præferrato, & incuruo, depressis ramis adducuntur, & eo artificio nihil est quod arborarij manus, & solertiã effugiat. Acutè quidẽ meditatur hæc sententia; sed minus fortasse ad rem. nam facit hanc de vncino speciẽ oblatam esse postquam tribus, quæ trans Iordanẽ substitere, captæ sunt ab Assyriis, cùm tamen acciderit longè post mortem Amos (qui, vt diximus *proleg. 3.* & docet apertè Martyrologium Romanũ *ad diem 31 Martij*, occisus fuit ab Amasia sacerdote, & Ozia illius filio) aut certè non prophetauit vltra regnum Ieroboã, vt ipse docet Amos statim in principio. At tẽpore Ieroboam nihil eiusmodi subiit Israel ab Assyriis. Sed affligi cœpit cùm regnaret Manahẽ, qui occiso Zacharia Ieroboami filio tertius ab illo regnum occupauit.

7. Multo magis expeditũ est, si dicamus cũ Hieronymo, attrahi à Deo tempus, in quo extinguẽdum est Israeliticum imperium, rémque disponi, vt nullo, aut perquã facili negotio, vt regno, rebúsque Israeliticis potiantur Assyrij. *Sicut vncino* (inquit apud Hieronymum Deus) *rami arborum detrahuntur ad poma carpenda, ita ego proximum captiuitatis tempus attraxi.*

Quod ad sẽsum attinet moralẽ in vncino, qui poma, quãtũcumque sublimia deprimit, & carpit, mors significatur, qui in manu est eius, qui omnes iã ab ineunte mundo morte dãnauit. hic verò sẽper eleuatus, & ad carpenda poma expeditus est, qui diu expectare nõ potest, quia in sua viriditate, ac flore diu poma perseuerare nequeunt, quia citò maturitatẽ suam cõsequuntur, citò putrescũt, citò in canistra delabuntur, quę sepulcrorum instar sunt. Sanè vita hominum naui cõparatur, quę poma in vnam regionem ex alia transmittit, quæ velociter currit: nã si diu morentur inter fluctus ab humore corrũpantur poma necesse est, & pabulũ fiant porcorum potius quàm ad lautã, & luculentam mensam adduci mereantur. Iob cap. 9. *Dies mei velociores fuerunt cursore fugerunt, & non viderunt bonum: pertransierunt, quasi naues poma portantes.* 8.

Vncinus pomorum mortis symbolum.

Vers. 2. *Venit finis super populum meum Israel.*] Explicat Deus quid ille pomorũ vncinus portendat, nimirum Israeli extremã impẽdere ruinam, quẽadmodum cùm arboribus admouetur adũca virga, propè est vt ab eis decutiantur poma. Est autem hic elegans quædam paranomasia, in Hebraico textu, quam explicare nõ potuit Latinus interpretes. קיץ *kaiis* æstatẽ significat, קץ *kes*, finem. Ludit igitur Deus in voce קיץ, & ex illa Prophetã coniectare iubet finem adesse, quia inter vtrãque vocem magna est affinitas. Quæ figura in sacris literis frequenter occurrit. Qua vsus est Ieremias *cap. 1.* dum ex virga amygdalina, quam eo loco *vigilantẽ* reddidit noster interpres, vt paranomasiam ostenderet, collegit vigilare Dominũ super populum suum. Et Daniel *cap. 13.* ex *schino*, & *prino* intulit duos senes, qui Susannæ pudori insidiati fuerãt, ab Angelo Domini fore dissecãdos. 9.

Regvla. Paranomasia in sacris literis vsitata.

Non adiciam vltrà, vt pertranseam eum.] De hoc dicendi genere egimus *cap. praeced. ad versum 8.* vbi Septuaginta legũt, *præterire eum*, pro eo quod vulgatus legit *inducere eum.* vbi Hebr. eadem sunt omnino verba. Ait igitur non iam amplius ignoscẽdum esse populo tot iã flagitiis delibuto: neque, quod antè fecit, suspendendam esse virgam à vulnere; sed tandem venisse, & patientiæ suæ, & imperiis Israeliticis finem. 10.

Vers. 3. *Et stridebunt cardines templi in die illa.*] Hieronymus, Theodoretus, & è recentioribus aliqui hæc de duabus tribubus, & Salomonis templo capiunt. Sed, vt Cyrillus putat, Rufinus, Lyra, Montanus, & Ribera, & alij plures, sermo non est de templo Solymitano; neque enim hæ minæ contra duas, sed contra decem tribus intorquentur, neque duarum tribuum, sicut aliarum decem imminet finis. Est igitur templum in quo ab Israelitis, aut aurei vituli, aut Gentium idola colebantur. Pro *cardinibus*, LXX. reddidere *laquearia*, recentiores, cum Hebræis, *cantica*, Hebr. est שירות *siroth.* fortasse Septuaginta seniorum, & Hieronymi tempore aliter habuit textus Hebraicus. Quicquid sit de Hebraica voce, sensus non est diuersus: magnus enim vtroque modo significatur tumultus, ac ruina, & superioris status magna conuersio. Stridebunt quidem cardines templi, seu, vt alij legunt, palatij, id est domorum, aut regis, aut principum virorũ, quia aut hostium multitudo præceps per illos irrũpet, aut quia illos securi, aut ariete confringet, atque discutiet. Et aliquid simile dici etiam potest de templi laquearibus, quæ ipsa quoque stridere dicuntur, aut vlulantium gemitu, aut ad exultantium hostium, atque frementium clamorem informi reboatu. 11.

12\. Qui pro cardinibus *cantica* trāstulerunt, sic exponunt. Erit in templo pro cāticis vlulatus, & fletus. Et fauet huic explicationi, quod Hebr. pro *stridebunt* est, הילילו *helilu*, ad verbum, *vlulabunt cantica*, id est, in fletum, & vlulatum conuertētur, siue in idolorum fanis, siue in principū palatiis, vtrobique enim personabant antea cantus, & vtrobique pro canticis lamenta succedent.

13\. Subit hîc aliquid ex humana eruditione, fortasse nō abs re. Cùm in hunc locum inciderē, subdubitare cœpi, an hîc esset aliquod signū inferēdi, ac perinde iā impēdentis belli. Id verò ita esse suspicabar, quia inter Gētes, quales erant Assyrij, à quibus expugnatus fuit Israel, id videbā esse legitimum. Nā templi nō pulsabantur solùm, sed etiā frangebātur portæ, & illarū stridore bellū hostibus cēsebatur indictū. Id ex veterum consuetudine docuit Virgil. lib. 7. Æneid. vbi hoc docuit esse principiū, & concitandæ ad arma totius Italię, & belli comparandi. Sic autem ille,

Belli indicendi forma apud Gentiles.

Mos erat Hesperio in Latio, quem protinus vrbes
Albanæ coluere sacrum: nunc maxima rerum
Roma colit, cùm prima mouent in prælia Martem
Sunt geminæ belli portæ (sic nomine dicunt)
Relligione sacræ, & sæui formidine Martis.
Centum ærei claudunt vectes, æternaque ferri
Robora, nec custos absistit limine Ianus.
Has, vbi certa sedet Patribus sententia pugnæ
Ipse Quirinali trabea, cinctùque Gabino
Insignis, reserat stridentia limina Consul.
Ipse vocat pugnas: sequitur tunc cætera pubes
Æreaque assensu conspirant cornua rauco.

Et paulo pòst,

Tunc Regina Deum cælo delapsa morantes
Impulit ipsa manu portas, & cardine verso
Belli ferratos rupit Saturnia postes.

Hæc ego non tā affirmo, quàm coniecto, imò alij coniectanda, atque expendenda trado. Huic cogitationi nonnihil suffragatur, quod in principio dicitur c. 9. *Percute cardinem*, de quo suo loco.

14\. *Multi morientur: in omni loco proiicietur silentium.*] Ostendit magnam hominum stragem ab vncino portendi, aut cardinum stridore significari, quod *silentij* nomine multo magis amplificatur. Silentiū in Scriptura multa significat, primùm seruitutem angustam, & miseram, quæ homines facit, ne in summo etiā dolore mutire audeāt, vt diximus in nostris cōmentariis in Ieremiā *cap. 8. n. 23.* Deinde solitudinem ab hominibus, qui si absint, necesse est in terris esse silentium, & in hoc posterius inclinant cū Hieronymo plures alij; licèt Hieronymus vtranque significationem videatur amplecti. Silet namque Iudæorum terra ab habitatoribus vacua, & vbicumque proiectum est silentium, quia vndecumque eiectus est Israel, & vbicumque terrarū silent Iudæi, quia hiscere nō audent; de quibus Hieronymus, *In toto orbe terrarum proiectum est silentium Iudæorum: vbicumque fuerint, mussitant potius quàm loquuntur.* Explicationes aliæ à variis adducuntur; sed nescio quomodo ad illas durior est assensus.

15\. Vers. 4. *Audite hoc, qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ.*] Cùm ad totum Israelē minæ istæ pertineant; præcipuè tamen appellātur à Propheta viri violenti, atque potētes, qui in pauperes inclementes sunt, & iniurij, quos conterūt, aut quia bonis euertunt omnibus, & quodāmodo sanguinem exugunt, aut quia illorum facies pugnis deturpant, atque concidunt: aut tandem eò adigunt, vt deficiant morte cōsumpti, aut vitā agant non vitalem. His ergo Propheta talia denunciat, qualia ipsi pauperibus irrogant detrimēta quotidie. Conterentur quippe vsqueadeo inclementer ab Assyriis, sicut ignobiles serui à dominatu barbaro, qui aut vitā eripient; aut sic relinquēt angustam, & miserā, vt nō immeritò possit cū morte permutari. Et vt pauperes è terra deficiunt, aut quia vita miserabiliter defuncti, aut quia è patriis sedibus crudeliter exacti: sic illi aut vitā amittent hostili absumpti ferro, aut extorres à patria procul abigētur. Quomodo verò egenos conterant, atque conficiant, statim declarat.

Vers. 5. *Dicentes quando transibit mensis, & venundabimus merces.*] Quidam pro *mensis*, *messis* supponunt, quia statim agitur de frumento, quod non fit, nisi cùm demessæ sunt fruges. Sed vox Hebraica חדש *chodes* facile dirimit controuersiam, quæ mensem significat, aut calendas, id est, cuiuslibet mensis primum diem. Sed cur primus dies expectabatur mensis, vt merces venderentur? Sanè hoc valde est exploratu difficile. Quoad mensem, id est, calendas aut neomenias, quæ mēsem inchoant, illud videtur non difficile expectari ab auaris, & inclementibus dies illos, quia tūc pecuniæ dabantur fœnori, & fœnebres tunc exigebantur vsuræ. Quare tunc cùm miseri assiduis essent exactionibus exhausti, neque soluendo essent, illorum publicabantur bona, & tandem in creditorum potestatem veniūt, quæ illis sunt pro mercibus, cùm non minora lucra fœneratoribus locata pecunia, quàm mercatoribus merces, aut negotiatio pariatur. Quòd autem Kalendis pecunia fœnori locari soleat, indicat illud Horatianum de Alfio fœneratore, in Epodo ode 2. 16.

Kalendis pecunia fœnori locari solita.

Hæc vbi locutus est fœnerator Alfius
Iamiam futurus rusticus,
Omnem relegit idibus pecuniam,
Quærit kalendis ponere.

Quod autem tunc fœnebre exigeretur lucrum, docet idem Horatius lib. 1. satyr. 3.

——fugis vt Drusonem debitor æris,
Qui nisi cùm tristes misero venere kalendæ,
Mercedem aut nummos, vnde vnde extricat.

Quod etiam in vsu fuisse apud Græcos, docet apud Aristophanem in Nubibus Strephiades quidā debitor, qui optat incātatricem aliquā Thessalam dari, quæ lunam remoretur, aut nunquam exoriri sinat; sic enim fiet vt vsuram nō soluat. Et Plutarchus lib. de non fœnerando. *Neque kalendarum (* inquit, qui non fœnerat *) memoriam refricat, & nouæ lunæ seu neomeniæ, quæ cùm sit dierum omniū sacerrima, & sanctissima, nefastam tamen, & horribilē, ac tristē faciunt fœneratores.* Optare igitur vidētur fœneratores illi, & crudeles harpyię, vt mēsis trāseat, & noua oriatur luna, vt exigāt à debitore pecuniā. 17.

De sabbato eadē videtur ratio: cùm enim dies esset solēnis, neque aliis diebus commodè rustici possent agrestes curas relinquere, & qui in pagis degunt suas sedes sine aliquo impendio deserere: ad diē sabbati differebatur aliquādo solutio, cùm obire tūc possent cōmodè ciuitates, vbi fœneratores plerūque degebant, & æs, quod ab illis contraxissent, dissoluere. In hanc sententiam inclinat Cyrillus. 18.

Hæc fortasse vera, sed obstat, quòd hîc non de fœnore, siue exigendo, siue imponendo sermo est, sed de vendendis mercibus, aut aperiendis horreis: & ita communiter sentiunt interpretes; dissident tamen plurimum inter se: quorum longum esset aut referre, aut infirmare sententias. Duas tamen afferam, quæ minus videntur offensionis habere. Altera est Hieronymi, qui hosce dies licèt sacros expectari dicit ab auaris illis, vt merces illas cari, atque dolosè vendant. *Qui expectatis,* 19.

Digitized by Google

ſtum, inquit, *kalendas, vt negotiemini, & vſuras augeatis de vſuris, & ſabbata, vt aperiatis horrea, deiſque frumenta amplius recepturi, & Dei ſolemnitates turpis lucri gratia in veſtra compendia vertitis.* Vt ergo ruſticos deciperent aut mercium qualitate, aut illarum menſura ac pondere non legitimo, dies illos expectabāt à labore opereque ſeruili feriatos, quādo maior fit in ciuitatem ruſticorum conuentus.

20. Altera ſententia eſt Rufini, quam probat magis, & ſequitur Ribera, qui dicunt non tam ab auaris illis expectari feſtos illos dies, quàm haberi odio. Quia cùm profeſtis diebus nundinari, aut mercaturam exercere non liceat, ferebant permoleſtè interponi aliquem diem, in quo ceſſandum eſſet à negotiatione, ac tandē nullum pecuniarum futurum incrementum. Quare dicebant: Quando tranſibunt neomeniæ, ac ſabbata, à quibus negotiationem ſubmouet religio, vt venales proponamus merces, & horrea, atque apothecas eo die concluſas aperiamus. Hæc poſterior ſententia mihi facilior eſt. Neque enim quantumcumque & bonam mentem, & pudorem negotiatores illi profligaſſent, auderent ſpectantibus aliis, & clamante lege, tot iam antè ſæculis religiosè ſeruata aperire horrea, & apothecas reſerare.

Dies ſabbati à nundinis feriatus.

21. Quod ad ſabbatum attinet, placet quod acutè Cyrillus obſeruat, hoc ſabbatum, id eſt, hebdomadam (nam ſabbatum pro hebdomada ſumi probat illud Lucæ 18. *Ieiuno bis in ſabbato*) eſſe non dierum, ſed annorum. Erat autem ſeptimus quiſque annus remiſſionis, quia eo debitor exonerabatur ab alieno ære, & creditor illius iacturam ſubibat, ſi tamen aliqua eſſe poteſt in pietate iactura. Audi Cyrillum. *Quid illud ſit, quorúm e ſabbatum tranſitum quærant, vt aperiant theſauros, & paruam faciant menſuram, & magnam faciant ſtateram explicandum eſt. Scriptum eſt igitur in Deuteronomio cap. 15. Septimo anno facies remiſſionem. Et hoc eſt mandatum remiſſionis. Remittes omne debitum, quod debet tibi proximus, & à fratre tuo non repetes: quoniam cognominata eſt remiſſio Domini Dei tui. Ab alieno exiges, quæcumque fuerint tibi apud eum. Fratri tuo remiſſionem facies debiti tui. Et infrà hortatur in hunc modum: Caue tibi ne fiat verbum occultum in corde tuo iniquitas, dicens: Appropinquat annus ſeptimus, annus remiſſionis, & iniquus ſit oculus tuus fratri tuo indigenti, & clamabit contra te ad Dominum, & erit in te peccatum magnum. Cùm igitur* (ait Cyrillus) *lex debitorum amputationem imperet, annis velut ſabbatizantibus, ſeu quieſcentibus (ad ſeptimum enim annum tempus ſoluendi compleri conſtituit.) Deinde commonefaciat non eſſe malignandum, ſed commodandum potius egentibus, etiamſi non procul abeſſe annus remiſſionis videatur, qui multos & diuites theſauros habebant manū contrahentes annorum ſabbata, quæ iam ante fores expectare ſtudebant. Ita demum mutuabāt, ne temporibus remiſſionis debitum, ſeu æs alienum ſubiiceretur. Hi dicunt, quando tranſibunt ſabbata, haud dubium quin annorum, & aperiemus theſauros.* Hæc Cyrillus.

Septimo quoque anno debitor liber à debitis.

22. Neque diſplicet, quod Chaldæus putat in ſabbato intelligi ſeptimum annum ceſſationis, quādo videlicet terra ſabbatizat, id eſt, quieſcit à cultura; de quo Leuit. cap. 25. v. 2. *Quando ingreſſi fueritis terram, quam ego dabo vobis, ſabbatizes ſabbatum Domini, ſex annis ſeres agrum tuum, & ſex annis putabis vineam tuam, colligéſque fructus eius, ſeptimo autem annō ſabbatum erit terræ requietionis Domini: agrum non ſeres, & vineam non putabis.* Septimus ille annus ſabbatum dicitur, quod deſiderabant, qui ad illius tempus in horreis frumenta compreſſerant; deſiderabant autem, vt annus ille ſeptimus tranſiret, quia cùm nihil tunc eſſet à terra frumenti noui, exacto anno magna videbatur annonæ futura grauitas. Quare qui rem ſuam familiarem auctam eſſe ſtudebant, in illum annum vim frumenti maximam reſeruabant. Faciebant autem frugum inopia, vt pluris tunc veniret frumentum, & ideo tunc laxabant horrea ad anguſtum rerum articulum ante concluſa. Duo hæc poſtrema de ſabbato ſatis videntur eſſe ſoluta; libentius tamen inclinat animus in Rufini ſententiam.

Septimo quoque anno vacabat terra à ſatione.

Vt imminuamus menſuram, & augeamus ſiclum, & ſupponamus ſtateras doloſas.] Hic iam ſe prodit modus, quo à diuitibus conteruntur inopes, & deficiunt è terra: quia tum aliis afficiuntur incommodis, tum illo veteratorio conſilio, quo imminutis mercibus, coanguſtata menſura, illarum tamen pretium augetur. Vbi vulgatus menſuram tranſtulit, Hebr. eſt *nom ephah*, quæ à vulgato ſæpe conuertitur *ephi*. Eſt autem *ephi* menſura aridorum, & pars decima cori, quæ tres colligit modios, & valet id quod apud Hiſpanos fanecæ dimidium, ſumitur autem per ſynecdochen pro qualibet menſura. 23.

Augetur autem ſiclus, id eſt, frumenti pretium, quia ſtatera ſupponitur doloſa, aut quia lances inæquales, aut iniuſta pondera. hoc verò artificio facili poterat in coemptionibus dolus intercedere, cùm æs non eſſet tunc plurimum ſignatum, ſed rude, neque tam numerabatur, quàm pendebatur pecunia. quod, credo, tunc etiam fiebat, quando rerum venalium pretium erat non æs rude, ſed certo iam charactere impreſſum. De ſtateræ vſu in rebus contrahendis, déque illius dolo diximus ad illud Oſeæ 12. *Chanaan in manu eius ſtatera doloſa.* De ſiclo diximus plura in noſtris commentariis in Ezechielem *cap. 45. n. 40.* ad illud, *ſiclus autem viginti obolos habet.* vbi Hieronymus, *ſiclus autem, id eſt, ſtater habet drachmas quatuor: octo autem drachmæ Latinam vnciam faciunt.* 24.

Porrò eo loco Ezechielis docet Deus accuratè admodum, atque minutim, quale futurum ſit pondus, & menſura tam liquidorum, quàm aridorum, ne qua fraus intercederet. Quod etiam ſæpe commendarat Deut. cap. 25. v. 13. *Non habebis in ſacculo diuerſa pondera maius, & minus: nec erit in domo tua modius maior, & minor. Pondus habebis iuſtum, & verum, & modius æqualis, & verus erit tibi, vt multo viuas tempore ſuper terram.* Et Prou. 20. v. 10. *Pondus & pondus, menſura & menſura, vtrumque abominabile eſt apud Deum.* 25.

Verſ. 6. *Vt poſſideamus in argento egenos, & pauperes, pro calceamentis.*] Hæc à nobis explicata ſunt ſuprà *cap. 2. v. 6.* ad eadem propè verba: *Pro eo quòd vendiderit pro argento iuſtum, & pauperem pro calceamentis.* Hoc erat diuitum iſtorum conſilium, vt non tantùm iniquis pactionibus pauperum bona ad ſuos vſus commoditatéſque conuerterent, ſed etiam ipſos mancipio ſibi, & nexu colligarent. Solere enim pro debitis aliquem cùm ſoluendo non fuerit, ſeruitutē ſubire, & amittere libertatem, quo ingenuis nihil ſolet eſſe moleſtius, diximus ſuper Oſeam loco nuper adducto. Illud verò planè miſerabile, quòd cùm rerum viliſſimarum, quæ calceamentorum ſignificātur nomine, non poſſint pauperes pretiū diſſoluere, coguntur miſelli aut certo tempore locare operas, quod ſeruitutis genus quoddam eſt, aut interdum etiam addicere perpetuas, quod faciunt pretio coëmpta mancipia. 26.

27\. *Et quisquilias frumenti vendamus.*] Iam aliud ostendit iniustitiæ genus, neque enim solùm de mensura detrahunt, aut stateram adhibent dolosam, sed etiam pro liquidis ac puris fæces vendunt, & eiectamenta; quæ neque vlli sunt vsui, neque venum legitimo foro proponuntur, quæ hoc loco vocantur à Propheta quisquiliæ, dicuntur autem Hebr. מפל *mappal* à cadendo: sunt autem illa, quæ ex cribro dum concutitur, labuntur in terram, qualia sunt paleæ, lapilli, & minuta quædam grana, quæ purgamenta dicuntur, quæ abiiciuntur potius, aut mutis seruiunt animantibus, quàm hominum vsui existimantur idonea. Et quæ à rusticis purgato iam frumento, verruntur ex area; vbi nihil est purum, sed sordes variè inter se confusæ, atque permixtæ, quales sunt puluis, minutæ paleæ, & nonnulla etiam grana, quæ exciderunt, & effugerunt agricolarum oculos. Quisquiliæ dicuntur, quæ ex arboribus cadunt, & calcantur pedibus, vt folia, vt emarcidi flores, & immaturi, & ante suum tempus excussi, atque decidui fructus. Denique illa, quæ scopis ex domo iam emundata colligimus, & in sterquilinium cum fastidio proiicimus, & nausea; quæ Græci συρφετὸν vocant, & καλλυσματα, συρφετὸς, quæ vilissimum aliquid sonat, & inutile.

Quisquiliæ quid.

28\. Vers. 7. *Iurauit Dominus in superbiam Iacob.*] Pro *superbia* Hebr. est גאון *gaon*, quæ superbiam significat, & gloriam, splendorem, celsitudinem. Vnde sunt ortæ variæ sententiæ. Quidam *in superbia Iacob*. Deum ipsum intelligunt, à quo habuit Iacob, id est, genus Israeliticum, quòd splendidus esset, atque gloriosus. Neque superbiæ nomen putant huic sententiæ quicquam incommodare, cùm hoc nomen in bonam partem interdum assumatur, & idem valeat quod illustre, eximium, excellens. Prou. 8. *Mecum sunt diuitiæ, & gloria, opes superbæ.* Isai. 60. *Ponam te in superbiam sæculorum.* Vnde etiam *superbire*, idem est quod excellere. Isai. 61. *Fortitudinem Gentium comedetis, & in gloria earum superbietis.* Neque id apud Latinos infrequens. Virgil. lib. 1. Æneid.

Superbum idem interdum quod illustre, ac excellens.

Hinc populum latè regem, belloque superbum
Venturum excidio Libyæ.

Et lib. 2. Æneid.

Barbarico postes auro, spoliisque superbi.

De Deo interpretantur quidam ex Hebræis. Alij de templo, quod gloria est, & decus illustrissimum Iacob. Quasi Deus per seipsum iuret, aut per templum, quod ad ipsius gloriam excitatum est, talia se facturum, qualia statim minatur.

29\. Sed est communis omnium penè sententia, *in Iacob*, idem esse quod *contra Iacob*. id est, vt antè à nobis non semel obseruatum est, contra decem tribus; multa enim statim proponuntur in minis, quæ non possunt in duas tribus conuenire. quod verò ב *beth*, pro qua vulgatus reddidit *in*, idem interdum valet, quod *contra*, diximus ad illud Cant. 8. *Quando alloquenda est.* & Gen. 16. de Ismaele, *Manus eius* בכל *bacol contra omnes: & manus omnium* בו *bo*, id est, *contra eum*. Sic hoc loco, בגאון *bighon*, pro quo vulgatus *in superbia*, idem valet quod *contra superbiam*.

30\. *Si oblitus fuero vsque in finem omnia opera eorum.*] Si execrationem indicat, quæ tamen in Scriptura plerumque siletur: maximè cùm iuramentum est Dei, quia à Dei nomine quicquid aliquid sonat inauspicatum, & turpe, remouere solet, vt diximus *cap. 6. v. 11.* ad illud, *Non recorderis nominis Do-*

In finem, æternum aliquid, aut in suo genere vehemens significat.

A *mini.* Subauditur autem, *ne sim Deus*, aut *infirmus habear*, aut similia. Vbi vulgatus *in finem*, Hebr. est לנצח *lanetsach*, quod Septuaginta reddiderunt εἰς νῖκος, id est, *in victoriam*, sicut etiam sæpe in Psalmorum titulis. Quid verò sit *in finem*, difficile non est coniectare, nempe aut *in sempiternum*, aut iuxta Hebræorum idioma, Scripturæque consuetudinem, *in longum tempus*. Interdum verò epitasim quandam importat, & idem valet quod *vehementer*, & cui in suo gradu, atque ordine, nulla possit fieri accessio. Quomodo fortassè explicari posset illud Ioan. 13. *In finem dilexit eos.* Sanè ita videtur explicandum illud Iob 34. v. 36. *Probetur Iob vsque ad finem*, id est, exactissimè, ita vt B aduersùs illum omnes aduocentur vires, omnia expromantur iacula.

Vers. 8. *Nunquid super isto non commouebitur terra, & lugebit omnis habitator eius?*] Vsitatus dicendi modus, quo grauis significatur aut peccatorum fœditas, aut supplicij magnitudo, sic profani in dolore, aut indignitate precari solent, vt terra dehiscat, vt cælum ruat, vt aspectabilis hæc naturæ moles dissoluatur, & huiusmodi imprecationes tragicæ, à quibus Scriptura sacra non abhorret. Sic Ieremias cap. 2. *Obstupescite cæli, & portæ eius desolamini vehementer.* Sic Oseæ cap. 10. *Dicent montibus, operite nos, & collibus, cadite super nos.* Commoueri autem terram est nutare, ac tremere quasi C sustinere non possit importabile peccatorum pondus. Quomodo terra ingenti hiatu patens peccatores absorbuit *Numer. cap. 16. v. 31.* & propter Sodomæorum peccata commota videri potuit, atque dissoluta terra, quam ignis de cælo tetigit, & eò redegit, vt omnino periisse videri potuerit. Et antea propter hominum vitam in omne flagitiorum genus profligatam vniuersali diluuio terram obruit, & quasi disperdidit. Certè ita Scriptura loquitur Gen. 6. *Repleta est terra iniquitate à facie eorum: & ego disperdam eos cum terra.* Quid verò hoc loco sit terram commoueri, explicat satis, quod proximè succedit, *Et lugebit omnis habitator eius.* Commouetur terra, quia D in ea nihil vacuum à tumultu, & metu, nihil à periculo tutum, imò nihil nō ab hoste vexatum. Quare omnes lugebunt, aut quia in se vident intenta signa, aut quia spoliati bonis, & a suis sedibus in alienas, & barbaras abducti. 31.

Imprecationes, & exclamationes tragicæ vsitatæ in Scriptura.

Et ascendet quasi fluuius vniuersus, & eiicietur, & defluet quasi riuus Ægypti.] Captiuitas indicatur Israel, quæ optimè in flumine defluente exprimitur. Nam, vt ille à suo fonte perenni, ac continenti fluctu recedit, neque vllo tempore subsistere permittitur, donec tandem in mare decurrat, & salsis infusis vndis aut euanescat, aut euanuisse videatur. Sic sanè *vniuersus*, nempe Iacob, huic enim, vt diximus, intentantur minæ, vi expelletur è E patrio, natalique solo, sicut à suo fonte fluuius, & celeri, neque intermisso, ac quiescente gressu, vrgente semper à tergo Assyrio, deducetur ad regionem hostilem, vbi nihilo magis erit notus, quàm Ægypti fluuius, vbi in marinos fluctus influxerit. Fluuius Ægypti est, qui terram promissionis ab Austro occidentali definit, de quo nos plura *cap. 6. in fine.* Adducitur autem in exemplum fluuius iste, tum quia vniuersus vanescit, cùm sese in mare mediterraneum exonerat. Hieronymus in commentariis Septuaginta translationem secutus videtur potius quàm suam, & pro *vniuersus, consummationem* legit. Sed est idem in vtraque lectione sensus, neque enim aliud est consummari regnum Iacob, quàm Iacob vni- 32.

uersum

Digitized by Google

uerſum inſtar fluuij in regionem peregrinam abduci.

33. Porrò hic fluuius contra naturam ſuam dicitur aſcendere, cùm tamen aquæ non tam per accliuem aſcendere, quàm per decliuem locum deſcendere poſſint. Sed, vt docuimus in noſtris commentariis in Ieremiam cap.22. num.2. *aſcendo* interdum idem eſt quod *deſcendo*, & vtrunque idem, ſæpe quod *venio*. Sed eſt hic fortaſſe aliquid arcani. Siquis ſurſum aſcendere fluuium cogeret, aliquid ſanè moliretur contra impetum illius, atque naturam, & ſi in eo aliquid eſſet mentis, ferret quàm moleſtè nihilominus, ſi vis inſtaret contraria, & vehemens, ſurſum aſcenderet, ſicut hauſtoriis quibuſdam machinis quotidie videmus. Abducebatur ad Aſſyrios populus captiuus, renitente non ſolùm animo, ſed etiam gradu, quaſi fluuius non tam ſuo incitatus, quam alieno motu. Quod illi qui tanto tenebatur patriæ deſiderio, a qua diſceſſus omnis accliuis erat, & arduus, non poterat eſſe non moleſtum.

Aſcendo, & deſcendo, idem ſæpe, quod venio.

34. Verſ.9. *Occidet ſol in meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis.*] Hic dicendi modus aliquid olet prouerbiale, de cuius ſenſu nos plura adduximus ſuper Ieremiam ad illud cap.15. v.9. *Occidit ei ſol cùm adhuc eſſet dies.* Sicut in lumine, atque meridie fauſta ſignificatur, & læta fortuna, ſic etiam in nocte, ac tenebris ſors adumbratur triſtis, & infelix. Quare nihil hic ſignificatur amplius, quàm illam rerum futuram eſſe conuerſionem, vt qui modò rebus abundabant non ad vſus ſolùm neceſſarios, ſed etiam ad ambitioſos faſtus, atque delicias, illi repentè ornamentis omnibus, & naturæ ſubſidiis ſpoliati, vitam agerent miſeram, anguſtam, & ignobilem. De ſenſu morali aliquid nos in loco nuper citato ex Ieremia; inde pete. Cur verò triſtibus obſcurum dicatur cælum, & ſol occidere, diximus pluribus ſuper Ieremiam *cap.*34. ad illud, *Et tabeſcet omnis militia cælorum: & complicabuntur ſicut liber, cæli.*

PROVER. Occidet ſol in meridie.

35. Verſ.10. *Et conuertam feſtiuitates veſtras in luctum.*] Gens Iſraelitica cùm vitulos aureos coleret, quos ex Ægyptiorum conſuetudine, ac religione ſuperioribus ſæculis acceperat, ad illorum imitationem feſtiuos ducebat, & geniales dies, quales diis impuris corrupti mores exhiberi ſolent. Certè cùm antè *Exod. cap.*32. Iſraelitæ aureos conflarunt vitulos, ſic cantabant, ducebántque choros alacriter, vt clamor quaſi pugnantium appareret. *Quare audiēs Ioſue tumultum populi vociferantis, dixit ad Moyſem: Vlulatus pugnæ auditur in caſtris. Qui reſpondit, non eſt clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam; ſed vocem cantantium ego audio. Cumque appropinquaſſet ad caſtra, vidit vitulum, & choros.* Neque minus erant hilares feſtiuitates, ac ludi, & magis fortaſſe indecori ac turpes, quos Gentilium diis, quos vndecunque ſibi accerſierant, impenderunt Iſraelitæ. Quàm autem obſcœna eſſent Gentilium ſacra, maximè quæ noctu peragebantur, diximus in noſtris commentariis ſuper Iſaiam *cap.*65. *n.*8. Gentilium verò nefarios, & inuerecundos ritus ſectatos eſſe, qui in Samaria vitulos habuerunt, & idolorum impura ſacraria, vbi voluptati, ac Veneri opera daretur potius, quàm religioni, indicat Michæas *cap.*1. vbi ex proſtibuli pretio, ac meretricio lucro conflatas [illegible] Deorum imagines. Sic ergo de Samaria, *Omnia ſculptilia eius concidentur, & omnes mercedes eius* [illegible] *& omnia idola eius ponam in perditionem, quia de mercedibus meretricis congregata ſunt.* Cuius loci fortaſſe alium indicabimus ſenſum, cum ad Michææ commentationem, Deo adiuuante, ventum fuerit. Feſtiuitates igitur illas nimis fortaſſe impudenter actas, & obſcœna cantica, quibus ſeſe exhilarabant vecordes animi, conuertet Dominus in ſqualorem, & luctum, & in confuſum ac parentale carmen.

Iſraelitarū ad idolorum aras feſtiui ludi.

Et inducam ſuper omne dorſum veſtrum ſaccum, & ſuper omne caput caluitium.] Hæc lugentis ſunt ſigna, & eius qui cognato cadaueri exhibet inferias in mœrore, & luctu lautiores veſtes deponi, & delicatas, & ſumi ſordidas, & cilicinas, multa docent. Sic ſanè fecit Dauid in funere Abner, 2. Reg.3.v.31. *Scindite*, inquit, *veſtimenta veſtra, & accingimini ſaccis, & plangite ante exequias Abner.* Sic Achab Reg.lib.3. cap.21.v.27. *ſcidit veſtimenta ſua & operuit cilicio carnem ſuam, & dormiuit in ſacco.* Vide plura in noſtris commentariis ad illud Ioel. cap.1.v.8. *Plange quaſi virgo accincta ſacco.* 36.

De caluitio res eſt aperta, & ab antiquiſſimis accepta temporibus, non à profanis modo, ſed etiam à Gente Iſraelitide. Iob *cap.*1. audito filiorum interitu, *tonſo capite corruit in terram.* Iſaias cap.15. *In cunctis capitibus eius caluitium.* Mich.cap.1. *Decaluare, & tondere ſuper filios deliciarum tuarum.* Ierem.16. *Non ſepelientur, neque plangentur, neque caluitium fiet pro eis.* plura nos in noſtris commentariis ſuper hunc Ieremiæ locum, vbi aliquid de Gentilium ritu. 37.

Caluitium in luctu.

Et ponam eam quaſi luctum vnigeniti.] Amor vnigeniti magnus eſt, quia parentes non habent plures filios, in quos diffluat, & diſtrahatur amor vnde ad ardentiſſimi amoris comparationem, & amplificationem adducitur. Sic Dauid de Ionatha 2. Reg. cap.1. *Sicut mater amat vnigenitum filium ſuum, ita ego te diligebam.* vnde ortum illud tritum apud Latinos *vnicè amare*, id eſt, vehementer. Hinc etiam fit vt grauiſſimus ſit ille dolor, quem vnigeniti mors parentibus adducit: quem puto apud Hebræos figuram habere prouerbialem. Zachariæ cap.12. *Plangent eum planctu quaſi ſuper vnigenitum.* Ieremiæ cap.6. eadem ferme reperit, quæ hic Amos. *Filia populi mei accingere cilicio, & conſpergere cinere, luctum vnigeniti fac tibi, planctum amarum.* illud *eam* refert terram, quæ paulo anteceſſerat: ſignificatur autem nullam futuram eſſe terræ partem, in qua non audiatur lugubre lamentum, quaſi vbiuis procederet vnigeniti funus. 38.

Vnigeniti amor, & dolor [illegible] biatus.

Verſ.11. *Immittam famem in terram, non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini.*] In fame, & ſiti duo experimur, & appetitum cibi, ac potus, qui non leuiter cruciat, & defectum eorū, quibus leuari poſſunt, & expleri. Mittet Dominus in terram illam Iſrael, in quā ſuperiores intenduntur minæ, famem, & ſitim, eorum videlicet, quæ ipſi deſpexere, & tanquam inauſpicatum aliquid auerſabantur, verbi nempe Dei, quod per Prophetas Dominus, & denunciabat antè, & hoc ipſo tempore per Oſeam, & alios. Et denique per Amos, quem è Samaria, terraque Iſraelitide ad duas alias tribus Amaſias ſacerdos diſcedere iubebat. Dicit nunc ergo Deus venturum aliquando tempus, in quo qui modò Prophetarum oracula faſtidiunt, illa deſiderent, vt in tenebris, ſiue illæ ignorantiæ, ſiue afflictionis ſint, aliquid habeant lucis è cælo, quæ ipſorum & illuſtrent mentes conſilij ignaras, & errantes dirigant, & mœrentes animos conſolentur. Neque tamen inuenient, quia quo tempore liberali 39.

Qui verbū Dei contemnit, neceſſitatis tempore non inueniet.

Digitized by

manu mittebantur à Domino, repulerunt. Sed cur tanta sitis oraculi prophetici, cùm illius tantùm fuerit antè fastidium? Ideo, opinor, quia priùs impostores existimabantur, & nugaces prophetæ, & cùm aduersa illorum votis obloquerentur, illos aut tanquam veteratores habuerunt viles, aut tanquam inimicos persecuti sunt. Sed cùm reipsa experti sunt propheticas minas habuisse pondus, neque ex illorum cerebro fuisse depromptas, sed à Deo inspiratas, amare cœperunt, quos antè odio insectabantur hostili, & venerari plurimum, quos neque congressu suo, aut colloquio dignabantur. Addo etiam quia recordabantur, propheticis minis aliquid esse frequenter admixtum, quod spem excitaret fortunæ melioris, aut quia aliquid prædicabant de libertate aliquando futura; aut quia ad vitæ mutationem hortabantur, qua dicebant declinatum iri cladem & exilium, quod iamiam impendere clamabant ab Assyriis. Cùm autem in illos incidissent laqueos, ex quibus quomodo seipsos extricarent, non videbant, sitim habebant, & famem vehementem diuini verbi, ad quod priùs stomacho nimis delicato nauseabant; vt ab illo discerent, quódnam habere possent ex tot ærumnis, ac vexationibus effugium. Sed frustrà optabant, quod oblatum vltro repulerunt, sed fortasse alius sensus est, de quo statim, ita vt fames, aut sitis, non desiderium, sed penuriam significet.

40. Hic multa, & varia tam nostri, quàm Hebræorum magistri, quæ hic lubens omitto, ne longus sim; quidam enim de Iudæis hæc interpretantur, qui pœnas dant crucifixi Christi, & nunc incertis vagantur sedibus omnibus odiosi, ac despicabiles. Qui Dei verbum quærunt, aut Prophetam, neque vspiam reperiunt, etiamsi longissimos, atque abditissimos terrarum angulos excutiãt. Sed planè historicus saltem sensus (nihil hîc dico de allegorico, & mystico) ille est, quem nuper produximus. Ita Theodoretus, Cyrillus, & Rufinus, Albertus, & Lyra, Ribera, Castrus, & alij quidam è recentioribus. Quòd verò, contra quàm nonnulli sentiunt, hæc tantùm sint accipienda de tribubus decem, probat, & quia ad illas prophetabat Amos, & quia hæc de verbo Dei, in duas alias tribus nullo modo conueniunt. Nam illæ habuerunt Prophetas, quo tempore vexatæ sunt à Chaldæorum armis, nempe Ieremiam, Baruch, & alios; & dum captiui agerent apud Babylonios, Ezechielem, Danielem, & Esdram, imò soluta etiam captiuitate; tunc enim Zacharias, Aggæus, & Malachias prophetarunt. Atque ideo nulla fuit tanta verbi Dei aut Prophetarum inopia, quanta hoc loco futura prædicitur. Secus est de Israele, id est, de decem tribubus, quæ post hæc tempora nullam habuere prophetiam, vt constat, nisi fortè, qui ex illo ordine ad duas alias familias accesserunt, & cum illis in vnum quasi corpus coaluerunt.

Duæ tribus post captiuitatem habuerũt prophetas, non verò decem.

41. Allegoricè quidam hæc accipiunt de Iudæis, qui propter Christi crucifixi mortem pœnas adhuc luunt, extorres, vagi, despicabiles, quos nullus mensa, nullus hospitio, aut consuetudine dignatur. Ita Hieronymus, Cyrillus, Dionysius, Hugo, & è recentioribus Montanus, & Figuerius. Sed minus huic cogitationi fauet, quod nec de duabus hic tribubus Propheta loquitur, à quibus crucifixus est Christus, neque duæ tribus per multa tempora sermone caruere prophetico, & tempore etiam Christi Prophetæ, & Doctores nõ defuerunt, à quibus diuini verbi lucẽ acciperent.

42. Vers. 12. *Et commouebuntur à mari vsque ad mare, &c.*] Hic ego *si* conditionalem particulã subaudio, quod in Scriptura frequens est. Quomodo suppletur Psal. 67. v. 10. *Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ; infirmata est, tu verò perfecisti eam.* id est, si infirmata fuerit, tu perficies, Deut. 30. v. 8. *Tu autem reuerteris, & audies vocem Domini Dei tui, &c. Abundare te faciet Dominus Deus tuus.* id est, si reuertaris, abundabis. & Ioan. cap. 7. *Quæretis me, & non inuenietis.* id est, si quæsieritis. Isai. cap. 64. *Descendisti, & à facie tua montes defluxerunt.* & Genebrardus in illo Psal. 4. *Irascimini, & nolite peccare.* supplendam esse putat conditionẽ in hunc sensum: Si irasci aliquando contingat, non peccetis. De hac regula iterum *cap. 9. v. 5.* ad illud, *qui tangit terram, & tabescet.* Sic etiam hoc loco, vt opinor, subaudienda conditio est. Quasi dicat Deus, etiamsi totum orbem terrarum oberrent, & lustrent, quærentes Dei verbum, quod modò despiciunt, atque conculcant, non tamen inuenient. Quòd si ita cogites, non est admodũ laborandum, cur hi, vel illi termini notentur, in quibus inuestigandi dicuntur Prophetæ: his enim finibus totus orbis existimatur esse conclusus. Saltem illa tantùm pars mundi nota, aut explorata erat Israeli.

REGVLA. Conditionalis particula sæpe subauditur.

43. Hinc mihi verisimile est, quod suprà *num. 39.* putabam videri non improbabile, in siti, & fame verbi Dei non explicari desiderium, quod præcipuè sitis, & fames figuratè significant, cùm non videamus decem illas tribus obiisse spatia illa latissima, diuini verbi inuestigandi gratia, quæ discursatio illius famis, ac sitis effectus esse debuit. Significat ergo fames, & sitis tantùm penuriam, & indigentiam verbi prophetici. Quòd verò fames, & sitis nihil interdum præter indigentiam sonent, probat vulgatus dicendi modus, quo fontes dicuntur sitire, id est, aquis carere; & tempore famis augeri annonæ pretium, id est, quando frumenti minor est copia. Verùm quia rarior est iste sermonis vsus, placet quod priore loco nobis visum est. Desiderabant decem tribus Prophetarum oracula in angusta fortuna; fecerunt tamen illorum merita, vt etiamsi summo inuestigarent studio, non tamen in latissimis terræ finibus inuenirent.

Sitis, & fames pro inopia.

44. Hoc porrò supplicium durum est, & omnium grauissimum, quæ Dominus denunciauit per Prophetas, & tandem inflixit. Neque enim tantum offensionis in rebellem illum populum ostendit Deus, cùm abduxit à patria, cùm domos, & agros incendio vastauit, quàm cùm ab illo sermonis sui lucem & præsidium eripuit. Sanè hoc maximum existimabat esse damnum Dauid, cùm dicebat Psal. 73. v. 11. *Signa nostra non vidimus, iam non est Propheta, & nos non cognoscet amplius.* Neque leuiter se Deus indignatum ostendit, cùm prophetæ sui Ezechielis inclusit spiritum, & constrinxit linguam, ne ad populum verba, vt antè, faceret prophetica. Ezech. cap. 3. v. 26. *Linguam tuam adhærere faciam palato tuo: & eris mutus, nec quasi vir obiurgans, quia domus exasperans est.*

Graue supplicium subtrahi verbũ Dei.

45. Quod ad sensum moralem spectat, quomodo Deus propter hominum peccata, obstinatamque duritiem Prophetas amoueat, & concionatoribus, aut linguam includat, aut spiritum infirmet, diximus ex Gregorio ad locum Ezechielis, de quo proximè. Idem docet lib. 30. Moral. cap. 35. *Sæpe,* inquit, *doctori verbum pro gratia tribuitur auditoris. & sæpe propter auditoris culpam subtrahitur sermo doctori.*

Propter peccatum verbum Dei tollitur

Quantum

Digitized by Google

46. Quantum præstet diuinum hoc alimentum corporali cibo, quantóque à nobis pluris æstimari debeat, dixit optimè Chrysostomus homil. 54. in cap. 27. Gen. *Corpori, inquit, ob voracitatem, & immoderantiam multa paramus, animam verò fame perire sinimus, tametsi potior anima sit, quàm corpus, & ablata illa, hoc mortuum relinquatur. Debentes igitur & huic, & illi congrua, & conuenientia alimenta præbere, intemperati & hinc, & illinc, vtrique nocemus, huic plusquam oportet saginantes, hanc autem fame perire cogentes. Et quod omnium Dominus loco maximæ indignationis aliquando interminatus est Iudæorum populo, dicens: Dabo vobis non famem panis, neque sitim aquæ, sed famem audiendi sermonem Domini, docens nos, quòd illa quidem fames corpus emaciat, hæc autem animam attenuat. In hoc nunc nos sponte incidimus, idque postquam tantam nostri curam declarauit, & dispensauit, vt post sacrarum Scripturarum lectionem habeamus, & à Doctoribus admonitiones.*

Verbū magnum animorum alimentum.

47. Vers. 13. *In die illa deficient virgines pulcræ, & adolescentes in siti.*] Cùm tanta futura sit fames, tanta sitis verbi Dei, aut prophetici sermonis, quæ in tanta inopia nullum habebunt leuamentum, deficient animæ spirituali morbo, ac macie, sicut corpora, vbi ipsorum defecerint alimenta. Neque tantùm infantes in spirituali ætate, ac robore, aut senes viribus spiritualibus exhausti, quos facile illa fames, aut sitis attenuat, atque consumit; sed etiam qui in vtroque sexu robusti sunt, quales sunt adolescentes, & virgines, quibus cum pulcritudine, ac specie firmitas etiam accessit, & maior ad perferenda incommoda constantia. Vnde verò aduentura sit hæc macies, ac mors, statim aperit, quia videlicet à Samariæ delicto, id est, à vitulis aureis auxilium implorauit: quibus tanquam diis honores exhibuere diuinos, & ideo subiicit:

48. Vers. 14. *Et iurant in delicto Samariæ.*] Delictum, & peccatum, & similia pro idolis aliquando sumuntur; vel quia illa effectus fuerunt peccati, quo homines delusi recesserunt à Deo; vel quia peccatorum causa cùm homines deceperint, & à vera religione, vanissima quadam religionis opinione deduxerint. Sic sanè vocari Gentium idola docuimus in nostris commentariis ad illud Ieremiæ cap. 17. *Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo in vngue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum.* Vbi diximus, Gentium idola in annulis, ac pectorali lamina circumferri solita. Iurare autem per delictum, siue idolum Samariæ, nihil est aliud, quam diuinum aliquid in vitulis agnoscere, idque forma profiteri legitima. porrò *in delicto* idem esse quod *per delictum*, sæpius a nobis obseruatum est.

Et dicunt, viuit Deus tuus Dan, & viuit via Bersabee.] Explicat Propheta, quòd non sit illud iuramentum, quod per delictum Samariæ Israelitæ concipiunt, nempe viuit Deus Dan, id est, vitulus, qui in Dan, id est, in extremis terræ promissionis finibus ad Aquilonarem plagam locauit Ieroboam. Quid porrò significet *via Bersabee*, obscurum est. Quomodo Bersabee idolis abundaret, & impiam Israelitarum religionem aluerit, diximus pluribus supra ad illud cap. 5. v. 5. *Nolite quærere Bethel, & in Galgala nolite intrare, & in Bersabee non transibitis.* Viam Bersabee nihil aliud puto quàm idolum ibi religionis ergò collocatum, & ita verterunt L X X. *Viuit Deus tuus Dan, & Deus tuus Bersabee.* Viam verò sumi pro ratione, institutóque viuendi, res est non obscura; hîc verò cultus esse videtur, qui Bersabee idolis solitus esset impendi, per quem siquis iurauerit per idolum, videtur iusiurandum concepisse. Quomodo qui per tẽplum, aut altare iurat, per Deum iurat, vt docuit Christus *Mat. cap. 23. v. 20.* Nisi dicamus viam alio sensu pro idolis sumi, quia via quæ ducit ad Bersabee, frequens erat, & impiis aris, atque delubris, & crebris idolorum monumentis. Sanè post hæc tempora Iosias 4. *Reg. cap. 23. v. 8.* viam, quæ est à Gabaa in Bersabee, purgasse dicitur ab idolorum sordibus. *Congregauit* (Iosias) *omnes sacerdotes de ciuitatibus Iuda, & contaminauit excelsa, vbi sacrificabant sacerdotes de Gabaa vsque Bersabee: & destruxit aras,* &c. 49.

Et cadent, non resurgent vltra.] Quo sensu decem tribus dicantur nunquam in patriam rediturae, aut non resurrecturæ, diximus ad illud Oseæ cap. 1. num. 51. *Et congregabuntur filij Iuda & filij Israel, & ponent sibi caput vnum.* Hæc de capite 8. 50.

IN CAPVT NONVM

ARGVMENTVM.

CAPVT hoc nonum, sicut pleraque alia, ad decem tribus spectat, quamuis in extrema parte de Ecclesia sit sermo, cuius mira prædicitur abundantia, mira dulcedo, & mira ad finem vsque sæculorum constantia. Ad quam euocandi sunt vndecunque terrarum gentilici populi, qui propter sanctitatem, & fidem veri vocantur Israëlitæ. Primùm igitur videt Propheta Dominum super altare, quod ad idolorum cultum excitatum erat in Bethel, vnde accepit à Domino mandatum, vt grauia, quæ iam populo imminebant, infortunia prædiceret, à quibus, quantumcunque laborent, nullum nancißentur effugium: quia nulla pars est, quæ aut diuinos lateat oculos, aut quæ se à diuino vendicet, aut eximat imperio. Præsertim, cùm Israëlitæ ita se in omnem turpitudinem proiecerint, vt neque aliter viuant, quàm Æthiopes, neque minùs seuerè tractandi videantur. Addit tamen ad extremum, licet iactentur durè, neque minus concutiantur assiduè, quàm frumentum in cribro, quod incessanter huc illúcque propellitur, non tamen ex domo Israël, vel vnum casurum esse lapidem. Quod tamen in Ecclesia, id est, in Israële mystico præstitit Deus.

Digitized by Google

CAPVT IX.

1. *Vidi Dominum stantem super altare; & dixit: Percute cardinem, & commoueantur superliminaria: auaritia enim in capite omnium, & nouissimum eorum in gladio interficiam: non erit fuga eis. Fugient, & non saluabitur ex eis qui fugerit.*

2. *Si descenderint vsque ad infernum, inde manus mea educet eos: & si ascenderint vsque in cælum, inde detraham eos.*

3. *Et si absconditi fuerint in vertice Carmeli, inde scrutans auferam eos: & si celauerint se ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo serpenti, & mordebit eos.*

4. *Et si abierint in captiuitatem coram inimicis suis, ibi mandabo gladio, & occidet eos: & ponam oculos meos super eos in malum, & non in bonum.*

5. *Et Dominus Deus exercituum, qui tangit terram, & tabescet: & lugebunt omnes habitantes in ea: & ascendet sicut riuus omnis, & defluet sicut fluuius Aegypti.*

6. *Qui ædificat in cælo ascensionem suam, & fasciculum suum super terram fundauit: qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ, Dominus nomen eius.*

7. *Numquid non vt filij Aethiopum vos estis mihi, filij Israël, ait Dominus? numquid nõ Israël ascendere feci de Terra Aegypti: & Palæstinos de Cappadocia, & Syros de Cyrene.*

8. Ecce

PARAPHRASIS.

A 1. Alia rursus species oblata est mihi. Vidi Dominum super altari, quod erat in Bethel, consecratum vitulo, qui dixit mihi, vt libera atque prophetica voce denunciarem populo, percutiendos esse cardines impuri delubri, & eo concussu illius superliminaria conuellenda: quia nullus est, cuius præcipuè studium cupiditati non seruiat. Quare ad vnum omnes gladio perimam, neque vllus erit, qui quantúcunque studio, viribúsque contendat, paratum sibi malum effugiat: cùm nihil sit clausum diuinis oculis, nihil quod diuinam
B potentiam frangat, aut retardet.

2. Si ferarum atque serpentum instar, latebras subeant, & ad profundos hiatus, & ad ipsa terræ viscera descendant, inde extraham illos. Si tanquam volucres, supra nubes se sublimes attollant, vt aucupis laqueos, & insidias euitent, inde illos ad laqueos & exitium traham.

3. Si speluncas subeant, & latebras, quæ in Carmeli vertice sunt miserorum perfugia, scrutabor illos, & extraham inde. Et si vt oculos meos lateãt, ad maris vsque profunda descenderint, ibi draconem inuenient marinum, cui ego mandabo, vt illos
C morsu laceret.

4. Et si gladium euasisse se putent, quẽ subierunt alij cum hoste congressi, non tamen illum, si in captiuitatem abierint, euitabunt. Ibi enim iam extra belli aleam, atque discrimina illum excipient à dominis, neque amicè in illos, neque clementer animatis. Vbicumque autem terrarum fuerint, intendam in eos non beneuolos oculos, vt saluem, sed infensos, vt perdam.

5. Hæ minæ sunt à Domino exercituũ, cuius ea est potentia, vt si velit, leui quodã
D attactu terram dissoluat. Ille igitur eò terram Israelitidem rediget vastitatis, vt extabuisse, & in nihilum abiisse videatur. Quare lugebunt miserè, qui priùs illam habitabant, & sicut fluuius Ægypti in mare à suo fonte delabitur, sic illi à patriis sedibus, in peregrinas sedes abducentur.

6. Ille est, qui thronum suum in cælo, & scabellum pedum suorũ locauit in terra, qui euocat è mari aquas insalubres & salsas, eásque attenuatas & dulces, ad terræ fœcunditatem effundit, cuius nomen est Dominus.

7. Cùm filij sitis, ô Israelitæ, magnorum sanctorúmque parentum: quia tamen animos habetis longè ab illorum sanctitate degeneres, eodem apud me estis numero, ac loco, quo illi, qui ex Æthiopico sanguine propagati sunt. Neque est cur æternam vobis

Digitized by Google

A vobis futuram existimetis possessionem, in terra Israelitide: quia à me euocati fuistis ex Ægypto, & in illa, me auctore atque auspice, collocati. Nam beneficium à me nationes aliæ accepere non dissimile, & tamen non est illis concessa æterna possessio. Nōne de Cappadocia Palęstini, de Cyrene Syri in regiones vestræ vicinas à me translati sunt.

8. Ecce oculi Domini Dei super regnum peccans, & cōteram illud à facie terræ: veruntamen conterens non conteram domum Iacob, dicit Dominus.

8. Oculi namque Domini in quocunque regno, non tam parentum virtutem, quàm habitatorum intuentur merita. Intentus ego sum, inquit Dominus, in regnum habitatorum flagitiis inquinatum, vt illud disperdam, & horum nomen, & memoriam extinguam; neque tamen Israelis domum funditus exscindam.

9. Ecce enim mandabo ego, & concutiam in omnibus gentibus domum Israel, sicut concutitur triticum in cribro: & non cadet lapillus super terram.

9. Licèt enim vbicumque gentium egerit Israel, sic durè sit & continenter excutiendus, atque vexandus, sicut in cribro frumentum, quod modò huc, modò illuc incessanter impellitur, & ab vno latere in aliud assiduè reuersatur, non tamen ex tam ampla domo, vel vnus, qui lapis in eo ædificio vocari possit, excidet in terram.

10. In gladio morientur omnes peccatores populi mei, qui dicunt: Non appropinquabit, & non veniet super nos malum.

10. Peribunt sanè peccatores, qui in Israelis domo non erant lapides, sed stipulæ ac stramenta palustria, quæ nihil habent firmitatis: hi verò sunt, qui Prophetarum minas nihili faciunt, neque futurum putant, vt aliquando malum, quod ipsis denunciatur, adueniat.

11. In die illa suscitabo tabernaculum Dauid, quod cecidit: & readificabo aperturas murorum eius, & ea quæ corruerant, instaurabo: & readificabo illud sicut in diebus antiquis.

11. Postea verò, Euangelij tempore, aduocatis Gentilibus, qui, quia mores exprimunt Israelis, Israelitæ vocari, & Abrahami filij meritò poterunt, instaurabo tabernaculum Dauid, & quicquid in illo hians videbatur & debile, complebo confirmabóque: excitabo collapsa, & ad præclaram illam speciem restituam, quam habuerant antiquitùs.

12. Vt possideant reliquias Idumeæ, & omnes nationes, eo quòd inuocatum sit nomen meum super eos: dicit Dominus faciens hæc.

12. Eo tempore, nationes omnes, animo priùs ac religione alienæ, & ipsi etiam Idumæi Israelitici nominis hostes infestissimi ad Dauidis tabernaculum, id est, Christi seruatoris Ecclesiam accedent: quia & latas à Christo leges accipient, & ab illius nomine compellationem assument. Hæc dicit Dominus, cuius hoc erit opus.

13. Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & comprehendet arator messorem, & calcator vuæ mittentem semen, & stillabunt montes dulcedinem, & omnes colles culti erunt.

13. Erit autem ea rerum abundantia, vt messis ad illud vsque tempus, in quo terra renouatur iterum, & ad satus recipiendos ab aratore disponitur, producatur: neque prius cessetur à vindemia, quàm opportunum, & quasi legitimum sementis faciendæ tempus aduenerit. Montes ipsi melle fluent, ac lacte, & colles quondam efferati, ac steriles electo plantabuntur surculo, & fundent copiosam nobilémque vindemiam.

14. Et

14. Tunc

Digitized by Google

14. *Et conuertam captiuitatem populi mei Israel: & ædificabunt ciuitates desertas, & inhabitabunt: & plantabunt vineas, & bibent vinum earum: & facient hortos, & comedent fructus eorum.*

14. Tunc populum meum, qui captiuus hactenus, & vagus videbatur, ab illo statu infelici, & vago vindicabo. Ædificabit enim, habitabítque ciuitates, quæ in illo statu desertæ videri potuerunt: plantabunt vineas, ex quibus generosum expriment, atque potabunt vinum: arboreta conserent, & eorum fructibus abundè vescentur.

15. *Et plantabo eos super humum suam: & non euellam eos vltrà de terra sua, quam dedi eis, dicit Dominus Deus tuus.*

15. Sicut arbores in terra fœcunda, sic veros illos Israelitas, in Ecclesia mea, quasi in sua iam regione plantabo: neque inde auellam, sicut Israelitidem gentem totam eradicaui, & in regionem peregrinam abduxi. Hæc verba Dei sunt, cuius neque fallax est fides, neque infirma manus, ad promissa præstanda.

Vers. 1. *Vidi Dominum stantem super altare.*]

1. HIc primùm statuendum est, quem præcipuè populum præsens hoc vaticinium designet. Communis est sententia, quam cum Hieronymo, ac Theodoreto sequuntur frequentes alij, hæc eò spectare, vt prædicant duas tribus esse vastandas siue à Chaldæis, siue à Romanis, nam in hoc etiam varij sunt, qui de duarum tribuum excidio cogitant. Illorum rationes ex ipso capitis decursu sumuntur, quarum vim, & pondus tunc expendemus, cùm ad illa loca commentatio descenderit. Mihi idem videtur esse dicendum de hoc extremo vaticinio, quod de omnibus aliis, nempe vt alia omnia Prophetæ verba decem consauciant tribus, sic easdem ab hoc illius extremo verbo perstringi. Ita putat Cyrillus, Rufinus, & ex iunioribus Pagninus, Paulus Depalauos, Isidorus, & Castrus. Quod, meo iudicio, modus ipse loquendi non obscure significat. neque enim vnquam meminit duarum tribuum, aut eorum, quæ ab illis separari non solent: sed semper petit, & nominat Israelem, aut Iacobum, aut vtriusque domum, quibus nominibus appellantur decem tribus tum ab aliis sæpe, tum ab hoc Propheta frequentissimè. Et facit quod proximè *in fine cap.* 8. actum est de delicto Samariæ, id est, de idolis, & de via Bersabee, quæ plena erat altaribus, vt paulo antè dicebamus. Aptè ergo subiungitur idolorum, atque ararum excidium, quod statim in principio prædicit Propheta. Et cùm ipse dixerit *cap.* 7. eductum se ex agro Thecuano, & cum mandatis à Deo in Israeliticos fines esse translatum, vt ibi prophetaret, neque audiamus mutasse locum, nonnulla coniectura est inter Israelitas de ipsorum euentu inauspicato, ac duro fuisse vaticinatum.

2. *Vidi Dominum stantem super altare.*] Altare hoc, qui contrà sentiunt, putant esse illud quod erat in templo Salomonis, holocausti puta, aut thymiamatis. Ego altare illud esse puto, cuius paulo antè Propheta meminerat, in quo videlicet locatum erat Samariæ delictum. Ita Cyrillus. *Constituit, inquit, super altare non ei honorem tribuens, quod stultè cogitaretur. Absurdissimum quippe est opinari, ac dicere idolorum aris reuerentiam, & honorem impertisse Deum. Et quo pacto tandem altare vitulorum honorasset? Stetit porrò suprà potius vt destrueret, & euerteret.* Illud obiter velim obseruet, qui Cyrilli commentarios in 12. Prophetas euoluerit, argumentum singulis capitibus præfixum non esse Cyrilli, sed additos ab eo, qui aut Latinos reddidit, aut prælo mandauit, qui cùm putaret opus fore mancum, nisi totius capitis breuis præponeretur perioche, alienam adhibuit sumptam ex Ribera, qui cùm non semper Cyrilli sententiam amplectatur, necesse est vt breuis illa perioche Cyrillo præfixa à Cyrilli sententia aliquando recedat. Hæc dixerim, quia, quæ huic capiti præposita est, agi hîc putat de duabus tribubus, quo tempore à Romanis subiugatæ sunt, & cum Hierosolyma templum excisum, quod putabat Ribera, quódque longè aberat a Cyrilli sententia.

Percute cardinem, & commoueantur superliminaria.] 3.
Fortasse hîc allusum ad istam consuetudinem, quæ bellum significabat, indicebátque pulsatis, aut conuulsis templi foribus, de quibus præcedenti capite v. 3. *Et stridebunt cardines templi in die illa.* Sed aliud puto hac cardinis pulsatione portendi, nempe euertendum esse templum, quod magno erat Samaritanis in honore, & pretio, vbi locatus erat aureus vitulus, & aliorum idolorum indecens turba. Fuisse autem Samariæ, aut, quod idem est, in Bethel, quæ non procul à Samaria ciuitate regia aberat, religiosum aliquod, & illustre templum, in quo esset vitulus, aut aliud simulacrum, quod *Samaria delictum* appellari diximus, probat satis *cap.* 8. *v.* 3. vbi cùm sermo esset de decem tribubus, stridentium templi cardinum meminit. Neque præterea videtur verisimile, non fuisse ibi pro vituli cultu splendidum aliquod, & operosum templum, quando eo consilio vitulos excitauit, & noua sacraria Ieroboam, vt tribus, quas à Dauidico genere distraxerat, à Salomonico quoque templo distraheret. Quod videbat homo gnarus, & callidus fieri non posse, nisi, vt religioni religionem, sic etiam templo templum opponeret. Hinc illa ratio diluitur, quæ ideo suadebat aliis de duabus tribubus esse hoc vaticinium, quia templi in eo nomen auditur, quasi nullum foret pro vitulorum religione delubrum.

De eo, cui iubetur, vt templi cardinem percutiat, 4.

Digitized by Google

riat, dubitant interpretes. Quidam Angelum putant, cui edicit Deus, vt cardinem ita concutiat vehementer, vt ipsa etiam commoueantur, & tremant superliminaria, quod ab humana virtute non videbatur exigendum, neque præstari, nisi ab angelica poterat. De Angelo accipiunt nonnulli Hebræorum magistri, & ex nostris Theodoretus, & Lyra, neque improbat omnino Hieronymus. Immo multi ex hoc cardinis concussu contigisse putant terræ motum illum, de quo in principio huius vaticinij. Quod sine vllo fundamento, aut prudenti coniectura dicitur. Sed præceptum illud datum esse Amos tenent cum Hieronymo, atque Cyrillo frequentes alij, & modus ipse dicendi, si singula consideres, in posteriorem hanc sententiã pronior est. Tunc verò dupliciter in eam sententiam locus explicatur. Vno modo vt percusserit Propheta ad Domini præcipientis imperium cardinem tẽpli, vt actione illa hieroglyphica impuræ illius religionis interitum portenderet. Vt enim in aliis Prophetis sæpe videmus, non tantùm verbis, sed etiã actionibus, quæ multo magis, & pulsant animos, & hærent memoriæ, futura prædicũtur. Deus verò, cuius obsecutus imperio templi cardinem Propheta pulsabat, aut nutare fecit templi limina, aut fecit vt aliorum oculis nutare viderentur.

5. Alter modus mihi facilior est, ex ea regula, quam aliis in locis sæpius adhibuimus, nempe illa dici ab illis fieri, quæ ab ipsis facienda denunciantur. Quomodo Isaiæ dictum est cap. 6. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua.* id est, prædic excæcandum cor, & aggrauandas aures. Et Ieremiæ cap. 1. *Constitui te hodie super Gentes, & regna vt euellas, & destruas, ædifices, & plantes.* id est, alia euertenda dicas, alia plantanda. Iubet ergo Deus Prophetæ vt percutiat cardinẽ, & templi superliminaria conuellat, id est, vt prædicat templi, idolorúmque ruinam, quam significat grauis illa templi conuulsio. Vbi vulgatus *cardo*, Hebr. est כפתור *capthor*, quod pomum significare creditur, quod nomẽ habet, quia pars illa pomis est, & floribus exculpta, & vario emblemate, & argumento spetioso conspicuum. Dicunt autem eum, qui à vulgato *cardo* conuertitur, esse lapidem illũ, qui duobus innititur columnis, quæ totam portæ cauitatem definiunt. Illæ porrò quæ hîc apppellantur superliminaria, Hebr. dicũtur ספים *sippim*, quæ existimantur esse lapides, quos modò vocabamus columnas, & fabri murarij *antas*, aut *parastadas* appellant. Hieronymus, qui in trãslatione *superliminaria*, in commentariis etiam interpretatur *vestibula*. Rabini varij sunt, neque aliquid nos omnino certum afferre possumus. Illud certum est portarum esse partes, & ornamenta; & in his per synecdochen portas ipsas templi, immo & templũ ipsum significari, cuius ruina interitus quoque nefariæ religionis exprimitur.

REGVLA. *Ab illis id fieri dicitur, quod faciendum esse denunciatur.*

6. *Auaritia enim in capite omnium.*] Rationẽ reddit cur non iã amplius illius populi ferenda sint flagitia, quę hactenus impunita fore videbãtur; cùm tãdiu ira Domini vindex siluisset, ac tandẽ cum templo, cuius contremuerunt portarum limina, ipsaque impia, ac sordida religio peritura sit, quia in omniũ capite auaritia est. Porrò quid hoc sibi velit, & obscurum est, & variè à variis explicatur. Alij in capite sacerdotes intelligũt, quorum quo sanctius nomẽ, & ordo sublimior abesse longiùs debuerunt ab auaritiæ sordibus. Itẽ princeps, qui siquid ab aliis in eo genere peccatum est, seuerè

A iuxta leges punire debuerunt, tam longè tamen fuerunt, vt hæc in aliis suppliciis expiarẽt; vt pro sua potestate, qua ipsas quoque leges sibi subesse cogitabant, nihil esset tam religiosum, & clausum, in quod illorum auaritia armata potentia nõ irrumperet. Pro qua sententia facit, quia statim ponitur *nouissimũ*, quod capiti opponitur, quod in republica primum, atque præcipuum est.

Ego duas hîc explicationes subodorabar, quas 7.
lectori propono, non suadeo; quæ sanè mihi neque difficiles, neque impeditæ videbantur. Altera est vt *caput*, & *nouissimum*, referantur non ad personas, sed ad tempora, ita vt maxima notetur rerum conuersio, quasi dicat, in primo tempore, B cùm vobis melior, iudicio vestro, arridebat fortuna, fuit auaritia, seu cupiditas, & id quod ex ea cupiditate, vbi potestas adest, atque solertia, sequebatur, nempe rerum omnium abundantia: in nouissimo verò tempore aderit gladius exactor, & vindex, qui vestram puniat, & spoliet auaritiam. Et facit pro hac sententia, quia pro *nouissimo* Hebr. est אחרית *acharith*, quæ vox nõ tam personam significat, quàm tempus, aut quod alicui operi, aut consilio succedit, nempe mercedem, & finẽ laboris, & similia, aut certè idẽ quod *postea*. Et quidem priora tempora Israeli fausta videbantur, & læta; quæ tamen postea excepit fames, gladius, & ignominiosa seruitus.

C Altera in illo, *in capite omnium*, personas intelli- 8.
gi, nõ tamen illas solùm, quæ in dignitate constitutæ sunt, quæque vocari solent ciuitatum capita, sed omnes summas, infimas, cuiuscunque fuerint sexus atque ordinis. Vt enim multis probauimus in nostris commentariis in Isaiam c. 35. n. 19. ad illud: *Lætitia sempiterna super caput eorũ.* per *caput* hominẽ, aut animal circunscribimus, sicut etiam per *animam*, & *faciem*, atque ita *caput alicuius*, idem est quod *aliquis*, *caput meum* idẽ quod *ego*, plura nos ibi exempla produximus, nũc pauca accipe. Prou. 10. *Benedictio Domini super caput iusti*, id est, *super iustum*. Iob 20. *Quando splendebat lucerna super caput meum.* id est, *super me*. 2. Reg. 3. *Nunquid caput canis* D *ego sum*, id est, *canis ego sum*. Ad Rom. 12. *Carbones ignis congeres super caput eius*, id est, *super eum.* Sic ergo cùm in omnium capite esse dicitur auaritia, nihil esse aliud quàm in omnibus auaritiam esse, neque vllum esse, cuius præcipuum studium cupiditati nõ seruiat, quod dixit aliquot pòst annis de duabus tribubus Ieremias c. 6. *A minore vsque ad maiorem omnes auaritiæ student, & à Propheta vsque ad sacerdotem omnes faciunt dolum.* Vtralibet expositio non videtur esse contorta, neque mihi constitutum est vtram magis probem, in posteriorem magis propendet animus.

Caput alicuius, idem quod aliquis.

Et nouissimum eorum in gladio interficiam.] Si *nouis* 9.
simum personã esse statuas, sensus est, neminem ex tanta multitudine futurum esse reliquum à cæde. E quod perinde est ac si dicas, ad vltimum vsque interficiam. Et hæc explicatio magis cum posteriori cogitatione consentit, & cum aliorum frequenti sententia. Si verò tempus interpretere, sensus est, quem paulo antè produximus, nempe eos, qui congerendis vndecũque pecuniis inhiabant; & ideo in principio dies agebant secundos, & lętos, extremis tandem temporibus, aut excepturos esse ferrum, aut seruitutem, & exilium subituros.

Non erit fuga eis, qui fugient.] Nemo quantun- 10.
cunque ingenio, viribúsque contendat, effugiet paratum sibi à Domino supplicium. Neque enim latebræ erunt vllæ, quæ non pateant diuinis oculis,

Digitized by Google

culis, quibus nihil est clausum, aut vlla vis, aut calliditas, quam non præuertat, & frangat diuina potentia. Quod breui hac oratione complexus est. Id locorum enumeratione probat, in quibus esse poterat à morte perfugium, in quibus nihil est obscurum, quod lucem interpretis requirat. Nonnulla tamen obseruanda.

11. Vers. 2. *Si descenderint vsque ad infernum, inde manus mea educet eos.*] Effugere solent homines aut reliquæ animantes aliorum vires, atque insidias, dum ab illis se quàm longissimè corripiunt. Effugiunt volucres aucupum, aut tela, aut laqueos, dum sublimi volatu eò se attollunt, quò vis aucupum, atque solertia peruenire non potest. Effugiunt feræ venatorum insidias dum terræ subeunt hiatus, & ad ipsa terræ viscera descēdunt. His igitur ait Dominus neque futurum esse perfugium, si serpentium, aut ferarum more cauernas subeant, & profundos hiatus; aut si volucrum instar supra nubes se sublimes attollant. Hoc agnouit, prædicauitque Dauid Psal. 13. *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua effugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, inde manus tua deducet me.* Neque hic dicendi modus profanis inusitatus, aut infrequens. Sanè Æneas apud Virgil. *lib. 12.* dum significat nullo aut loco, aut modo euitandam esse mortem a Turno, sic ait,

A Deo nemo se abscōdit.

Verte omnes tete in facies, & contrahe quicquid
Siue animis, siue arte vales: opta ardua pennis
Astra sequi, clausúmque caua te condere terra.

12. Vers. 3. *Et si absconditi fuerint in vertice Carmeli, inde scrutans auferam eos.*] Decrescere videtur hæc oratio cùm priùs ad cælos vsque sustulerit, & ad infernum vsque depresserit eos, qui mortis student necessitatem effugere; nunc verò in Carmeli vertice constituat, & in eius cauernis abscondat, quæ ab vtroque extremo quàm longissimè distant. Quid enim in Carmelo tam altum, quod cælum attingat, & quid in illius cauernis tam profundum, quod ad infernum, id est, ad terræ centrum deprimatur? Sed nil dicit absurdum Thecuanus pastor, nihil, quod meritò damnare possit curiosus, & delicatus Rhetor. Dixit priùs, quod assequi non potest mortalis, grauis, & onerosa tarditas, quæ non potest sese ad cælum extollere volando; aut ad terræ penitissimos abscessus demittere. Sed nunc explicat, quid illo hyperbolico dicendi modo significare velit. Et addit quod facere potuit Israel, & quod in angusto rerum articulo fecit aliquando.

13. Habuerunt Israelitæ in præaltis montibus præruptísque rupibus ad quos arduus erat accessus, speluncas notas & inaccessas latebras, ad quas in extremo rerum discrimine confugerent. De his nos plura super Isaiam *cap. 2.* ad illud v. 10. *Ingredere in petram, & abscondere in fossa humo à facie timoris Domini.* & v. 19. *Introibunt in speluncas petrarum, & in voragines terræ à facie formidinis Domini.* & nonnihil ad illud Ieremiæ cap. 4. v. 29. *A voce equitis, & mittentis sagittas fugit omnis ciuitas, ingressi sunt ardua & ascenderunt rupes.* Sanè Dauid in spelunca delituit, 1. *Reg. 14.* à Iosue *cap. 10.* quinque Reges ex speluncis extracti sunt, in quas se fugiētes abdiderant. Iosephus *lib. 14. Antiq. cap. 27. & lib. 1. belli, cap. 12.* speluncas esse dicit miserorum perfugium in præruptis rupibus, quarum viæ angustæ atque arduę. Ait ergo Dominus, etiāsi ex ciuitatibus egressi, spelūcas adeāt, quæ sunt in Carmelo, nōn tamen effugient mortem, quam vnde-

Iudæorum spelunca, & latebra.

A cumque terrarum peccata tardantem accersunt.

Et si celauerint se ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo serpenti, & mordebit eos.] Allusum puto ad historiam Ionæ, qui mari se commisit, vt Dei effugeret imperium, à quo denunciaturus Niniuitis interitū mittebatur, nisi illum morum mutatione declinaret. Ibi enim habuit Dominus fluctus, quos ventorū flatibus violēter attolleret, nauémque, nisi peccator, atque rebellis excuteretur, demergeret: ibi serpentē aut dracones, sic enim vocantur pisces grandes, qui dominantur in mari, quales sunt Leuiathan, & Behemoth, qui deturbatum è mari exciperent, & absorbeāt. Neque temporū ratio hanc cogitationem oppugnat, fuit enim Ionas multò ætate superior, cùm vixerit 14.
B sub Achab rege Israel, si verum est quod tradunt Hebræi, fuisse filiū Sarephtanæ viduæ quē suscitauit Elisæus. Qua de re nos pluribus, cùm ventū fuerit ad Ionæ Commentarios. Quare nihil dicit hîc Amos, quod aliqui ex Israelitico genere non tentauerint.

Gregorius ad illud Psalmi 142. ad sensū moralē sic explicat hunc locum. *Qui de peccatorum*, inquit, *venia desperant, illi in lacum descendunt, vbi lumen non videant misericordiæ, intentionem cordis non dirigant ad cælos, carnis satisfaciant desideriis, Deum contemnant, sicut scriptum est: Peccator cùm in profundum venerit, contemnit. De talibus per Amos Prophetam Deus intonat, dicens: Si celauerint se ab oculis meis in pro-* 15.
C *fundo maris, ibi mandabo serpenti, & mordebit eos. Quid est celari in profundo maris, nisi in altitudine delitescere desperationis; celat verò se qui confitetur peccata sua, nō confitetur autem qui desperat de misericordia Dei. Vel certè ille se ab oculis Dei celat, qui à mandatis eius auertitur, oculi enim Domini spiritus Dei, qui legem, id est, mandata dedit. Qui ergo se ab oculis Dei in profundo desperationis celauerint, potestatem accipit diabolus, vt eos mordeat, & vt in ventrem suæ malitiæ inducat. Ipse est enim serpens, cui dictum est, terram comedes.*

Desperationis damna.

Confessionis vtilitas.

Vers. 4. *Et si abierint in captiuitatem, ibi mandabo gladio, & occidet eos.*] Hoc miseris in exilio poterat esse solatium, quòd mortem seruitute redemissent. Dum enim reliqua esset miseris vita, ser- 16.
D uitutis quantacunque incommoda putabant esse toleranda. Sed neque id consequentur miseri, neque tā faciles, atque æquos sortientur dominos, vt dum grauibus vrgent seruitutis incommodis, dū flagello, ac fuste sæuiūt in corpora, vitæ parcant. Cùm enim vilissima esse putent illa mancipia de illorum vita, maximè si lentè, atque illiberaliter seruiant, non admodum laborant. Quare præter innumera ludibria, & seruitutis incommoda, aut excipient ferrum, aut mors quotidie obuersabitur ante oculos. Porrò *mando* verbum est militare, & significat militarem manum ad bellum inferendum emittere. De quo nos super Isaiam *c. 23. n. 28.*

E *Et ponam oculos meos super eos in malum, & non in bonum.*] Hic dicendi modus epitasim habet, quia non solùm affirmat aliquid, sed etiam contrarij adhibet negationem. Quomodo Ezechiæ dictum est, *Morieris, & non viues.* & Ioannes, *confessus est, & non negauit.* Quæ dicendi forma in Scriptura sacra familiaris est. 17.

Vers. 5. *Et Dominus Deus exercituum, qui tangit terram, & tabescet.*] Verisimile hoc Propheta probat à possibili. Quare Dei admirabilem potentiam ostendit, cui nihil est non superabile. Cui facile est, quæ firmo videntur stabilita fundamēto, dissoluere, & sublatis prioribus nouas in mundum rerum formas inducere. Hîc porrò *si* 18.

condi

Si conditionalis subaudienda. conditionalis particula subaudienda est, sicut paulo antè docuimus *cap.* 8. *v.* 12. in hunc sensum, *Si terram tangit, tabescet.* Simile illud Iob cap. 9. v. 7. *Qui præcipit Soli, & non oritur.* id est, si præceperit Soli, vt se contineat in occasu perpetuo, non orietur. Simile est illud Gnathonis Terentiani, *Negat quis, nego: ait, aio.* id est, *si negat, nego, si affirmat, affirmo.* Simile item illud apud eundem, *vocat, veniendum est, eiicit, abeundum.* id est, si vocat, non possum recusare quin veniam: si eiicit, non possum non abire.

19. *Et lugebunt omnes habitatores in ea.*] Quia posset si vellet terram dissoluere, idem eò rediget vastitatis, vt extabuisse & in nihilum abiisse videri possit. Quare cùm in hostium potestatem venerit, quia ibi nihil relinquent non temeratum; & si quid reliquum esset speciosum, & vtile, non tamen ad veteres possessores pertineret, qui longè ablegandi sunt à patria, ideo lugebunt omnes, quasi de patria, atque adeò de seipsis actum esse putarent. Quomodo abituri sint, statim edocet.

Et ascendet sicut riuus omnis, & defluet sicut fluuius Ægypti.] Hæc verba exposita nobis sunt *cap.* 8. *v.* 8. neque occurrit, quid prætereà addamus.

20. Vers. 6. *Qui ædificat in cælo ascensionem suam: & fasciculum suum super terram fundauit.*] Hic locus ad multas sententias patet, & ita interpretes in diuersa distraxit. Hieronymus, cui subscribunt Remigius, Albertus, & Hugo, ascensiones putat esse, vel gradus, per quos iustos Deus in cælos deducit, aut certè iustos ipsos, in quib' Deus quotidie in cælos ascendit. Verba Hieronymi audi, quæ nonnihil habent obscuritatis. *Dominus Deus omnipotens, qui respicit, siue tangit terram, & commouet eam, ipse est, qui quotidie ædificat in cælo ascensionem suam: & dicit in Euangelio: Pater meus vsque modò operatur, & ego operor. Et non solùm de costa Adam in typum Ecclesiæ semel ædificauit Euam, sed quotidie credentes, & membra corporis sui ædificat, & de terris ad cælum leuat, vt in illis ipse conscendat.* Et statim explicat fasciculum super terram, esse iustos, qui adhuc in terra militant, qui in vna fide, ac religione constructi sunt. *Iste*, inquit, *qui quotidie ascendit in sanctis, fasciculum suum fundauit super terram, de quo in Euangelio loquitur. Ne timeas grex paruule, quia complacuit patri meo habitare in te. Iste fasciculus vna Domini religione constructus est.* Hæc Hieronymi sententia allegorica est. A qua in allegorico sensu non longè recedit Cyrillus, qui tamen hæc de Christo accipit, & vtriusque sententiæ plurimum fauet LXX. translatio, quæ sic habet, *Qui ædificat in cælum ascensionem, & repromissionem in terra fundat.*

21. Sed communis est aliorum penè omnium sententia, hìc significari summam Dei potentiam, *Deus omnia complet.* qua in cælis dominatur, & terris; quam nemo vnquam potuit, aut poterit in æternum effugere, vt hinc sibi persuadeant Israelitæ, quoquò se consilio, aut cogitatione vertant, nullum habituros se esse à diuino furore perfugium. Cyrillus in cælo Angelos intelligit, qui creatoris sui parent imperio. Frequentes alij cum Theodoreto, & Chaldæo sedem Dei in cælis, in terris scabellum considerant, illam in *ascensione*, hanc in *fasciculo* significari putant. Quod mihi etiam maximè probatur. Quod etiam, vt dicit Theodoretus, significauit David Psal. 112. cùm dicit, *Qui in altis habitat, & humilia respicit.* & clariùs Isaias cap. 66. *Cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.* Et Christus apud Matth. cap. 5. *Ego dico vobis, non iurare omnino, neque per cælum, quia thronus*

A *Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum eius.* Cur verò sedes Dei cælum, & scabellum terra nominetur, diximus ad locum citatum ex Isaia. Fasciculum Lyra, & Vatablus tria opinantur elementa, quæ terram circunfundunt, quæ inter se non aliter ad varios affectus colligantur, quàm rami, seu flores in fasciculum. Sed non est cur tã angustè rem interpretemur, & quasi coangustemus diuinam potentiam, & à magis communi sensu recedamus, maximè cùm rerum vniuersitas in omni ferme idiomate cæli ac terræ nominibus significari soleant.

Iam reddamus oportet rationem, cur sedes appelletur *ascensio*, & scabellum *funiculus*. De ascen- 22. *Regula. Actio pro loco vbi illa exercetur.*
B sione leuior est difficultas, notum est enim actionem pro loco, vbi exercetur actio, interdum vsurpari, idque non infrequenter. Oratio enim pro templo sumitur, vbi oratur. *Cœnatio, deambulatio, congregatio, quies, Ecclesia, mansio, habitatio, commoratio*, locum significant actionibus illis destinatum. Cùm ergo thronus, aut regia sedes sublimis sit, ad quam plerunque per gradus ascenditur, nihil sanè nouum dixerit, qui sedem ascensionem nominauerit. *Ascensio pro throno.*

De *fasciculo* res est obscurior. Hebr. אגדה *agudah*, quæ à radice deducitur, quæ alligare, aut congregare valet. Quare vox illa *alligationem* significat, quod nomen ad significandum scabel- 23. *Fasciculi varia significatio.*
C lum, quod regum aut lautiorum hominum pedibus supponitur, commodissimum est, siue aliquid sit ex lignea materia compositum, siue sacculus tomento fartus, qui à puluere puluillus, ac puluinar vocatur. Nam quæ ex tabulis compacta sunt, & quasi colligata, à Græcis vocantur πήγματα, Latini *pegma* vertunt. Quod nihil est aliud, quàm asserum, seu tabulatum colligatio. Si verò pro scabello *puluillum* sumas, neque hoc videtur alienum ab Hebraica voce: nam eiusmodi sacculi tomentis infertiebantur, quæ siue eiusdem essent generis, siue diuersi, alligatio quædam appellari possunt, aut quia ipsa inter se confusa, atque constricta, aut quia simul in sacculo conclusa. Sanè Cant. 1. vbi vulgatus legit, *Fasciculus*
D *myrrhæ, dilectus meus mihi*, alij legunt alligamentum myrrhæ; id est, sacculus, qui fartis myrrhæ siue guttis, siue floribus inter vbera à delicatis, & lautis ad confirmandum, & exhilarandum animum gestari solet. Septuaginta *alligamentum guttæ* conuerterunt. Alligari autem poterat siue in pyxide, id est, olfactorio vasculo, siue in sacculo, vt modò putabamus.

Qui vocat aquas maris, & effundit eas, &c.] Hæc à nobis explicata sunt *cap.* 5. *v.* 8. 24.

Vers. 7. *Nunquid non filij Æthiopum vos estis mihi.*] Mirum est quàm in huius loci explicatione diuersi sint interpretes. Quidam hæc conferunt ad Israelis laudem, & Æthiopum nomine dignitatem aliquam, & speciem significari censent. Alij veriùs indignum aliquid, & turpe, in ea cõpellatione considerant: neque tamen in eius ratione conueniunt. Hieronymus argumentum sumi putat à parium comparatione, & edici Israelitis eadem lege cum aliis nationibus esse metiendos, eandem fortunam esse subeundam. *Ego*, inquit, *creator sum omnium: cunctas Gentes de eodem finxi luto, & æquali sorte generaui: denique Æthiopes, Syros, Palæstinos, atque Iudæos distantes locis, atque corporibus mortalitatis lege sociaui: & pro arbitrio meo seruos meos huc, illucque commuto, & in diuersas prouincias transfero. Ne ergo tumeatis in superbiam, quòd vos de Ægypto eduxerim, & quasi peculiarem populum meum* 25.

Pharaoni seruire passus non sim: hoc idem feci & Palæstinis, vt transferrem eos de Cappadocia, & in Palæstinæ regionibus collocarem: Syros quoque transtuli de Cyrene. Ex quo qui æquali conditione sunt facti, æquali iudicij mei sententia punientur: & omnia absque discretione personarum impia regna subuertam. Hanc Hieronymi sententiam sequuntur, aut ad illam respectant frequentes alij, habent tamen aliquid quod in ea minùs probent.

26. Mihi illorum sententia probatur magis, quæ similes Israelitas Æthiopibus facit, non quidem in eo, quòd è suis finibus in alios commigrarit, neque enim id constat, aut illius transmigrationis apparent vel obscura vestigia, quæ nos in illam explicationem deducant: sed in morum corruptione, inquinata vita, & vitiis, quæ diuturna obstinatione sic inoleuerunt, vt à vita prius, quàm à morum corruptela deserantur. In colore nigro improbos mores significari, & ingenium prauum, infidele, distortum, notum est, & probat satis oppositus color, quo vitæ puritas, & ingenij simplicitas exprimitur. Vnde frequens apud Latinos *vitæ candor, mores candidi*, & similia, quibus significamus nihil in illis esse dolosum, nihil non sincerum, & simplex. Contrà verò in nigro deprauati significantur, & infidi mores, & veteratoria calliditas. Sic sanè Horatius *lib. 1. Sat.* 4. cùm significare vellet hominem illiberalem, perfidiosum, malignum, bifrontem, qui alia præsefert ore, alia premit in corde, qui simulare nouit, ac dissimulare, & assentari omnibus, illum dicit succum habere loliginis, id est, esse nigrum. Et ibid.

Candor simplicitatis, & innocentiæ symbolũ: niger color prauum indicat ingenium, & mores.

——— Absentem qui rodit amicum,
Qui non defendit alio culpante, solutos
Qui captat risus hominum, commissa tacere
Qui nequit, hic niger est, hunc tu Romane, caueto.

27. Tales erant Israelitæ sub hæc tempora, qui non solùm à Propheta nigri, sed etiam Æthiopes appellantur, in quibus naturalis est ille color, qui nullo hominum studio, nullo artificio detergi potest. Vnde ortum est tritum illud vulgari sermone prouerbium *Æthiopem lauare*, seu *dealbare*, accidit autem interdum, vt consuetudo longa vertatur in naturam, atque adeò vt non sit minus difficile consuetudinem prauam, quàm naturam exuere. Quod in eadem materia significauit Ieremias cap. 13. v. 23. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, & pardus varietates suas, & vos poteritis bene facere, cùm didiceritis male.* In quam sententiam nos super illum locum non pauca. Fecit igitur in Israelita obstinata consuetudo, quod in Æthiope natura, atque ideo Æthiopes hic appellantur, aut quod idem est *Æthiopum filij* qui filij erant Abraham, quia illorum genus, & propè dixerim naturam praua consuetudo retexuit, & fecit Æthiopicam. Neque nouum est vt homines illorum dicantur filij, quorum exprimunt mores. quomodo *Ezech. cap.* 16. Iudæi ex Chananæo patre, & matre Cethæa nati dicuntur, quia illorum barbarum ingenium imitati sunt.

Israelitæ cur dicti Æthiopes. Consuetudo altera natura.

28. Hæc expositio placuit ex recentioribus Alberto, Lyræ, Vatablo, Riberæ, ex antiquis Chrysostomo *homil. 11. in Matth.* & Cyrillo hic. Putabant Israelitæ nihil se passuros ab hostibus, cùm patrem haberent Abraham, Isaac, & Iacob: quorum meritis credebant à Deo deberi, vt eorum posteros quocunque essent ingenio, & cuiuscunque religionis asseclæ, ab hoste tueretur, cùm tamen interea nihil de parentum fide, ac morum sanctitate cogitarent. His ergo dicit Dominus abesse quàm longissimè vt magnorũ parentum dicantur filij, cùm seipsos ad alienos finxerint mores, barbaros, infidos, belluinos, ita vt in eos perquam aptè Æthiopum compellatio cadat. Neque illis deberi, quod Abrahæ soboli promissum est; neque enim tunc Abrahæ genus censeri debent, cùm à præclaris parentibus animos habuere degeneres. Ita fermè Chrysostomus suprà, & Cyrillus, cuius accipe verba, & in illis audire te puta verba Chrysostomi. *Supercilium,* inquit, *semper erigentes Israelitæ, sursúmque, ac deorsum nobilitatem maiorum verbis perpetuò iactantes, & lingua largissimi dicebant, Patrem habemus Abraham,* &c. *Eò autem dementia miseri processerunt, vt sibi ad felicem statum, & ad gloriam satis fore arbitrarentur, ex radice Abrahami produisse, & ex Ægypto in terram promissionis deportatos esse. Vt igitur nossent gloriationes huiusmodi ipsis nihil commodare in socordiam prolapsis, nolentibúsque pietatis officia complecti, cogitur dicere, nónne vos eodem loco habebo, tametsi à maioribus nobiles, quo etiam Æthiopum filios, qui radicem generis sui Abrahamum non habent? Non enim diuinum numen magis huc, quàm illuc inclinatur, nec personam intuetur vllo modo, nec carnalem nobilitatem studiosis actionibus destitutam agnoscit.* Hæc Cyrillus.

Non fidendũ parentum virtuti.

Nunquid non Israel ascendere feci de terra Ægypti? & Palæstinos de Cappadocia, & Syros de Cyrene.] Occurrit Deus alteri Israelitarum cogitationi, qua à se omnem periculi formidinem, ac suspicionem ablegabant. Cùm enim Ægyptium iugum Dei benignitate è suis ceruicibus excussissent, & ad illam regionem introducti, ac stabili domicilio in ea collocati, qua nihil in orbe audierant esse felicius, sperabant beneficium illud futurum esse perpetuum, neque sibi vnquam regionem illam ereptum iri, quam singulari Dei beneficio tandiu conseruassent. Hanc cogitationem euertit Dominus dum alias nationes similem liberalitatem, ac beneficium expertas esse dicit, quibus tamen id, quod sibi à Dei benignitate promittunt, concessum non est. In eandem namque regionem, & intra promissæ terræ fines transtulit Palæstinos è Cappadocia, & Syros nempe illos, quorum caput est Damascus; & tamen illi beneficium aut non habebunt, aut certè (si tentari iam cœpit ab Assyriis eorum fortuna) non habuere perpetuum. ita fermè omnes, in quorum numero etiam est Hieronymus. Quorum sententiam paucis Cyrillus videtur fuisse complexus. *Atqui,* inquit, *magnum quiddã, & præclarum illud vobis videtur ex Ægypto in aliam regionem transiisse. Tum, quid hoc? inquit, aut quam vobis vtilitatem pariet? Acceperunt à me istuc beneficium, & alij, transtuli siquidem alienigenas, hoc est, Palæstinos, (sic enim interpretati sunt Hebræi) è Cappadocia, & Syros omnes (puta, qui tunc sub regno Damasci censebantur) traduxi ex fouea. Sciendum pro fouea Hebræos transtulisse Cyrene. Coloni igitur fuerunt Palæstini Cappadocum, Syri autem Cyrenæorum.* 29.

Palæstini è Cappadocia profecti.

Quando traducti fuerint Syri, ac Palæstini ex Cyrene, & Cappadocia, non constat. Sunt qui 30.
putent post hæc tempora contigisse migrationem illam: sed mihi nullo modo videtur probabile. Neque video quam vim habere posset ratio, si ita censeas, rem enim notam proponit Propheta, nempe non aliter Israelitas ex Ægypto in terram promissionis, quàm Palæstinos ex Cappadocia, & Syros ex Cyrene in regionem vicinam esse translatos; atque ideo non esse cur ex illa translatione ex Ægypto coniectare debeant possessionem sibi in ea regione fore perpetuam, cùm

cùm Syri, ac Palæstini, qui aliunde translati in suis quique sedibus diu inueterarunt, inde captiui ad peregrinum, & hostile solum abducendi sint.

31. De Syris quando fuerint è Cyrene translati, nullum, quod ego viderim, apparet in Scriptura vestigium. De Palæstinis è Cappadocia translatis habemus Deut. cap. 2. v. 23. *Heuæos quoque, qui habitabant in Haserim vsque Gazan, Cappadoces expulerunt: qui egressi sunt de Cappadocia deleuerunt eos, & habitauerunt pro illis.* Idem indicat Ieremias cap. 47. v. 4. *Depopulatus est Dominus Palæstinos, reliquias insulæ Cappadociæ.*

32. Vers. 8. *Ecce oculi Domini super regnum peccans, & conteram illud à facie terræ.*] Explicat Deus, quod modò obscuriùs indicarat, & ait spectare se non parentum nobilitatem, aut mores ab ipso antè probatos, sed tantum quemcumque nobilitatis habiturum, aut gratiæ apud ipsum, quantuncumque veræ sanctitatis habuerit. Et illum habendum esse pro hoste, quantuncunque sibi de parentum virtute blandiatur, qui vitam suam peccatorum sordibus inquinauerit. Quare neque Israelitis proderit paterna virtus, si ipsi ab illa animos habuerint alienos, neque parentum peccata Palæstinis, aut Syris oberunt, si vitam ipsi suam immaculatè transegerint, & tam hos, quàm illos Dominus delebit è terra, si peccatis seipsos inuerecundè tradiderint. Ipsius quippe oculi in regnum peccans intenti sunt, quodcunque illud fuerit, vt illud disperdat, & de terra illius nomen, & memoriam extinguat.

Parentum virtus non liberat à morte sceleratos filios.

33. *Verumtamen conterens non conteram domum Iacob.*] Seuera hucusque comminatus fuerat Dominus domui Israel: hinc iam emollit vaticinium, & ad spem vocat fortunæ melioris. quod Deo inter minas esse familiare, diximus in nostris commentariis super Isaiam *cap. 1. v. 64. & cap. 19. v. 22.* Ait igitur Deus non omnino esse conterendam domum Iacob, sed aliqua ratione restitutum iri, quo sensu explicabimus statim. Id enim valet, *conterens non conteram.* id est, non funditus excindam. Quomodo verò id futurum sit, statim exponit.

34. Vers. 9. *Ecce enim mandabo ego, & concutiam in omnibus Gentibus domum Israel, sicut concutitur in cribro, & non cadet lapillus super terram.*] Durè, & continenter iactandam dicit Dominus domum Israel, non ab vna aut altera natione, sed in omnibus populis. Neque tamen ideo sic concutietur, vt cadat, & intereat. Dura est metaphora, & similitudo eius, nec facilè apparet, quomodo ad institutum accommodari possit. Si à frumento metaphora ducatur, quod à paleis, & puluere purgatur in cribro, vario hinc inde concussu exagitatum, non satis consentaneè subiicitur, nullum lapillum lapsurum in terram, neque enim minus frumentum à lapillis, quàm à puluere, & stipulis purgatum oportet: neque enim minus incommodi est in aceroso, quàm in lapidoso pane.

35. Ego in ea purgatione, quæ cribro fit, duo cõsidero, & purgatum frumentum à sordibus, quas adduxit ex area, aut exagitatum à cribrante, dum ab vno cribri latere in alterum latus subinde propellitur. Ab hoc postremo puto ductam esse metaphoram, quæ iactationem ita significat, vt purgationis similitudinem non curet. Et est sanè similitudo & pulcra, & grauis ad significandam irrequietam, & duram alicuius iactationem, quæ à frumento sumitur, vbi in cribro concutitur. Sic enim ad cribri circulum appellitur, vt ibi non

A conquiescat, sed statim continenti concussu ad alteram circuli partem repellatur reciprocato motu. Hoc Latinus, & ex eo Hispanus pilæ similitudine significat, quæ in ludo variè à variis impellitur, & suo motu non ludentes solùm, sed etiam spectatores oblectat. Certè has frequentes hominum iactationes, & vicissitudines in pila explicuit Plautus in captiuis, scen. 1. *Enimuero,* inquit, *dij nos quasi pilas homines habent.*

36. Cùm ergo hîc de purgatione nihil, sed tantùm de iactatione, non est laborandum, cur lapillus ex cribri concussu dicatur non casurus in terram. Sed nunc quærendum cur hîc lapilli Propheta meminerit. Sanè non abs re. Cùm enim dixisset,
B concutiendam esse domum Israel, accommodatè dixit ex domo neque lapillum vnum esse casurum. Sumitur autem hic domus pro ea mole, quæ ex luto, ac lapide construitur. tunc verò domus quasi frumentum in cribro cócutitur, quando illam machinæ pulsant, & quatiunt hostiles, tunc autè ex lateritio dissiliunt lateres, aut murali tormento discutiuntur lapides. Hoc verò mirum, & diuinæ potentiæ opus ex assidua, duráque iactatione, neque discuti, neque cadere lapidem vnum.

37. Hæc dicta fuerint de materia metaphoræ: nûc de re, quã metaphorica locutio designat. Fuerût quidè tam decem, quàm duæ reliquæ tribus, instar frumenti in cribro, à variis Gêtibus agitatæ,
C de duabus loca habemus expressa, neque cû aliis mitiùs est actum, aut honestiùs. Thren. cap. 1. v. 4. *Migrauit Iudas propter afflictionem, & multitudinem seruitutis: habitauit inter Gentes, neque inuenit requiem.* Deinde v. 8. appellat Ierusalê, dum esset inter Gêtes, *instabilem*, & cap. 5. *Ceruicibus nostris minabamur, lassis nõ dabatur requies.* Sanè statum istum satis adumbrat triticum agitatum in cribro, quod nunquam quiescit, sed modò ad hoc, modò ad illud latus incessanter alliditur.

38. Illud verò difficile, quomodo verisimile sit in tanta tanti populi iactatione ex mystica Israelis domo, neque vnum excidisse lapidê, cùm tamen plurimi fame, peste, & gladio dicantur occisi. Hîc
D nobis in expediendo hoc nodo aliquátulum sudandum est. Duplex occurrit ratio, quæ nodû exoluat, & vtraque meo iudicio non difficilis. In domo aliqua ampla, aut in ciuitate, quæ publicû vocari potest, & commune domicilium, vt multa sunt cóstricta firmo, atque quadrato lapide, sic alia sût ex ligno, & crudo latere, alia cespite, ac stipula, aut stramento palustri fabrefacta. Illa facile incêdio, ac catapultę resistunt, hæc facile si alterutrum ingruat, labascunt, ac pereunt. Ad hanc fortasse metaphoram respexit Paulus 1. Cor. c. 3. v. 12. *Si quis superædificat super fundamêtum hoc* (nempe Christum) *aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur. & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit.* Contingit
E autem sæpe vt cùm in domus tot modis materiatas inuolet flãma, aut accedat ab hostili catapulta, atque ariete verberatio, diruantur, aut inflammentur alia; ex lateritio autem, aut marmoreo opere, neque vllus decidat lapillus. In ciuitate, aut ampla domo, qui iusti sunt, & grati Deo, tanquam lapides esse censentur, qui ciuitatem, aut domum firmant, atque custodiût. Improbi verò stipulæ sunt, & arida materia, aut lutea, quam leuis etiam violentia disturbat, & quæ potius aduocat, & concipit, quàm auertit incendium. Hi perierunt, alij qui neque à fide,

In ciuitate iusti quasi lapides firmi, impij quasi stipula.

neque à legum custodia recesserunt, seruati sunt, id planè Deus ipse significat statim, cùm dicit, *In gladio morientur omnes peccatores populi mei.* ac si diceret, cadent stipulæ, non cadent lapides. Et quidem ex tanta Israelis strage aliquos viros bonos scimus fuisse superstites, qualis fuit Tobias, & illi de quibus Tobias *cap. vltimo.*

39. Alter modus est, meo iudicio, neque insitatus, neque difficilis. Cùm aliquid periit, si quo modo illud aut inuentum est, aut aliqua ratione compensatum, aut reparatū, neque dicitur, neque existimatur periisse. Sic Christus *Lucæ 21. v. 18.* dixit Apostolis, quibus antea dixerat persecutorū odio, ac ferro subeundā esse mortē, *Capillus de capite vestro non peribit*, quia licèt perierit, & per mille transmutationes in totidem formas abierit, reparabitur tamen in generali resurrectione, & rursus rediuiua capita exornabit, & vestiet. Sic etiam si quis arcem amisit, cuius custodiam, & tutelam receperat: si deinde ab hoste recuperauit, nihil amisisse existimatur. Perdidit aliquis ludendo centum, totidem in eodem, aut certè diuerso ludo, aut à diuerso etiam collusore lucratus est, nihil perdidisse dicitur, quia loco amissæ alia successit æqualis, licèt diuersa, & à diuerso collusore pecunia. Sic planè hîc accidit. Hoc alia similitudine videtur explicuisse Paulus *ad Rom. cap. 11.* dum fractos dicit oliuæ ramos, & eorum loco oleastrum insertum, agebat eo loco Paulus de eodem quo nos argumento, de Gentilibus nempe, qui Iudæorum loco suffecti sunt. Tunc verò oliua illa, cui fracti sunt, & decussi rami, nihil dicetur amisisse, cùm priorum iacturam, posteriores surculi abunde refecissent. Perierunt ex Israele quamplurimi, quia à temporaria vita, & à promisso non solùm terreno, sed etiam cælesti Regno exciderunt: suffecti sunt in eorum loco non æquali solùm, sed etiam maiori numero Gentiles. Quare iuxta supradicta, neque lapillus existimandus est excidisse de domo Iacob. Et hoc indicat ipse Amos statim dum ait, *In die illa suscitabo tabernaculum Dauid, quod cecidit, & readificabo aperturas murorum eius.* vbi excidisse significat lapides, sed eorum loco alios fuisse repositos. Quod etiam fortasse in temporali Israelitarum regno dici posset, in figura tamen, & typo, quia post longa sæcula regio Israelitica frequens fuit, sicut olim habitatoribus, & ad antiquum splendorem ita reuocata, vt nullus ex ea videretur excidisse lapis. Sed de hoc statim.

Regvla. Quod reparatum, aut compensatum quoquo modo sit, nō existimatur periisse.

40. Vers. 10. *In gladio morietur omnes peccatores populi mei, qui dicunt: nō appropinquabit, & non veniet super nos malum.*] Hi sunt, quos proximè dicebamus in domo Iacob esse stipulas, aut lateres crudos, qui facilè aut exuruntur, aut cadunt. Qui nempe à se firmitatem omnem abiecerunt, quæ à Deo est dum veros subsannant Prophetas, dum dicunt illorum voces sonos esse non ab effectu solùm, sed à mente vacuos. Atque ideo nihil metuunt, quia falsis prophetis, quorum inanibus promissis lactabantur, aures, & animos præbuerunt obsequentes, & credulos.

41. Vers. 11. *In die illo suscitabo tabernaculum Dauid, quod cecidit, & readificabo aperturas murorum eius, & ea, quæ corruerant, instaurabo, & readificabo illud, sicut in diebus antiquis.*] Quòd in illo die, illo tempore, & similibus nihil significetur cum respectu ad superiora, sed simpliciter idem sit, quod *postea*, diximus pluribus *in principio cap. 1. Ioel. & super Danielem cap. 12. v. 1.* Quæstio hîc esse posset de quo tempore, ac tabernaculo loquatur hîc propheta,

A de tempore ne post captiuitatem, quando extorres redierunt in patriam, & reædificarunt, habitaruntque desertas ciuitates, quod non videtur esse aliud, quàm suscitatum esse tabernaculum Dauid, & murorum ruinas, aut aperturas instauratas fuisse. Ita putant Chrysostomus *in cap. 15. Actuum*, Cyrillus, & Rufinus *hîc*, & omnes penè Hebræorum magistri, quibus subscribit Pagninus, ita tamen vt mysticè de Christo exponat, & Ecclesia. Quod hac ratione suaderi posset, quia, vt pluribus ostendimus super *cap. 1. Oseæ*, è decem tribubus in patriam remigrauere quamplurimi, qui reædificasse videntur tabernaculum Dauid, & omnes illius aperturas implesse, quas fecit olim Ieroboam, dum decem tribus à Dauidi-

B co dominatu distraxit. Omnes enim tribus quotquot edicto Cyri redierunt, ducem habuerunt Zorobabelē è genere Dauidis, neque ducem habuerunt, aut principem è suo genere cui parerent; sed se adiunxerunt tribui Iuda, ex qua Dauid ortus est, & relicto Gentilitio nomine, Iudæi deinceps appellati sunt. Quare vt temporibus antiquis totus Israel vni obsequebatur Dauidi, sic post solutam captiuitatem nullum alium regem agnouerunt, aut ducem, nisi qui Hierosolymæ, aut Iudææ præfuisset. Neque difficile, quæ supersunt ex hoc capite ad hanc sententiam aptari possent.

Omnes Israelitæ post exilium vnū habuerunt caput.

C Verumtamen communis est, & vera sententia, hæc accipienda de Euangelij tempore, & de Christo, qui patronymicè hîc, & aliis sæpe locis appellatur Dauid; ac de Ecclesia, quæ Christi vocari potest domus, & tabernaculum. Ita hîc Hieronymus, Theodoretus, & cum ipsis frequentes alij: neque negat Cyrillus, qui ita hæc historicè de regni Dauidis terreni instauratione accipit, vt tamen typicè de regno Christi, & Ecclesiæ amplificatione capiat. Sed probat omnium optimè Iacobi Hierosolymi Episcopi canonica auctoritas, qui locum istum de Gentium conuersione, à quibus Ecclesiæ ingens accessio facta est, interpretatur. Cùm enim de Gentilibus ad fidem iam conuersis controuersia quædam disce-

D ptaretur in eo concilio, quod omnium primum habuit Ecclesia; sic egit *Actor. cap. 15. v. 14.* Loquitur autem non ad textum Hebraicum, sicut hic vulgatus, sed ad translationem LXX. magis tamen ad sententiam intentus, quàm ad verba: quod sæpe faciunt Apostoli, dum veteris Testamenti producunt testimonia. ***Simon narrauit quemadmodum Deus visitauit sumere ex Gentibus populum nomini suo, & huic concordant verba Prophetarum, sicut scriptum est: Post hæc reuertar, & readificabo tabernaculum Dauid, quod decidit, & diruta eius readificabo, & erigam illud vt requirant cæteri hominum Dominum, & omnes Gentes super quas inuocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens hac.*** 42.

E Hîc nobis repetendum est, quod paulo antè dicebamus filios alicuius in Scriptura sacra illos appellari, qui alicuius ingenium, & mores imitantur. Quare filij Israel cùm à parentum ingenuitate ac religione defecissent, filij dicuntur Æthiopum, vt nuper vidimus, & nati è Chananæa, atque Cethæa stirpe, imò, & viperarum progenies. Contrà verò, qui mores imitātur Abraham, & Israelis, filij eorum appellantur. Sic Christus *Lucæ cap. 19.* Zachæum, qui ex multorum sententia Gentilis erat, filium vocauit Abraham. Et *Israel Dei* vocantur, qui Christi doctrinam amplexi sunt, *ad Galat. 6.* vtrumque coniunxit Paulus ad Rom. 9. *Non omnes, qui ex Israel, ij sunt* 43.

Regvla. Illorum dicimur filij quorū imitamur mores.

Digitized by Google

ij sunt Israelitæ, neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij: sed in Isaac vocabitur tibi semen. id est, non qui filij carnis, hi filij Dei, sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine. Cùm ergo hi veri sint Israelitæ secundùm fidem, & spiritum, licèt ab Abrahami propagine procul absint, ideo excitatum dicitur Dauidis tabernaculum, quia Israelitæ veri illud complent, & habitant. Et instaurandæ murorum aperturæ ex lapidibus ex Abrahami lapidicina sumptis secundùm illius fidem, illorum loco, qui ex eius semine prognati, ab illius fide, & religione ceciderunt. Et cùm non pauciores ex Gentibus accesserint ad mysticum Dauidis tabernaculum, quàm ex circuncisione defecerunt, verè iuxta superiùs obseruata dici potest, nullum ex Israelitico semine, ex Israelitica fabrica excidisse lapidem.

44. *Sicut in diebus antiquis.*] Si de temporario regno Dauidis esset sermo, impleta etiam videbatur prophetia: vt enim diebus antiquis antequam sub Ieroboam decem tribus discessissent à templo, & ad impia sacra diffluxissent, totus Israel Dauidici generis obsequebatur imperio, sic post captiuitatem eò se meliori consilio retulerunt, vnde defecerunt, & duabus se rursum tribubus adiunxerunt, ita vt dissecti corporis partes in vnum corpus iteratò coaluerint. Sed hic de Gentium conuersione loquimur, & idcirco ad hunc sensum nostram expositionem attemperemus oportet. Antiqua tempora dicebantur illa, quæ Latini appellarunt aurea, in quibus mores synceri ac candidi; nulla in hominum societate versutia, nulla simulatio. Quare, qui simplici erat ingenio, neque aliud præsceferret in vultu, quàm haberet in animo, homo dicebatur antiquus, aut homo antiquitatis, qualem nimirum ferebant antiqua sæcula. Sic Virgilius lib.6. Æneid.

Antiquus dicitur homo simplex, & rectus.

Hic genus antiquum Teucri pulcherrima proles,
Magnanimi Heroes nati melioribus annis.

45. Sed alius sine dubio sensus est. Antiqua tempora vocat, quæ fuerunt quasi incunabula Gẽtis Israeliticæ, quando maior erat fides, maius pietatis studium, & amor, nullum erat idolum, quod saltem apertè, atque impunè colerent. nulla tanta in moribus corruptela, quantam suis temporibus videbat Amos. Quando dicere potuit Balam, licèt in Dei populum animatus male. Num. cap.23.v.10. *Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant posteriora mea horum similia.* Et cap. 24. v. 21. *Non est idolum in Iacob, nec videtur simulacrũ in Israel. Dominus Deus eius cum eo est, & clangor victoriæ regis in illo.* Hoc idẽ sub hæc tempora promittit Deus Isaiæ cap. 1.v. 26. *Et restituam iudices tuos, sicut fuerunt prius, & consiliarios tuos, sicut antiquitus.* Hi verò consiliarij, ac iudices, vt censent communiter interpretes, Apostòli fuerunt, aut Apostolici viri, qui non minori studio, atque progressu moderati sunt Ecclesiam, quàm Moyses, & antiqui Iudices Synagogam. Quàm dissimilis fuerit superioris ætatis, ac posterioris Israelitidis reipublicæ moderatio, satis ex Scriptura constat, & habemus Iosue cap. vltimo v.31. *Seruiuitque Israel Domino cunctis diebus Iosue, & seniorum, qui longo vixerunt tempore post Iosue, & qui nouerunt omnia opera Domini, quæ fecerat in Israel.*

Iudæorum antiqua tẽpora meliora.

46. Vers.12. *Vt possideant reliquias Idumeæ.*] Non difficilè hoc quoque aptari posset ad Iudæorum tempora, post solutam captiuitatem. Nam non solùm subacti fuerunt à Machabæis, sed admissa circuncisione, quam ab Esau vsque ætate vehementer horruerant, in Dei populum cooptari visi sunt. Debellauit Iudas Idumæos, vt habes *lib. 1. Machab. cap.5. v.3. & v.65.* & iidem ab Hircano ad circuncisionem adducti sunt, vt tradit Iosephus lib.13. Ant.cap.17. *Subiugatis omnibus Idumæis edixit* (Hircanus) *vt circunciderentur, nisi mallent ex propriis pelli sedibus: atque illi amore patriæ admiserunt, & circuncisionem, & reliquam iuxta Iudaicam ritus viuendi formulam.* Sed, vt dixi, hæc nobis de Ecclesia, atque Euangelij sæculo explicanda sunt.

47. Fuerunt Idumæi Israelitici nominis hostes infestissimi, quique non solùm ipsi genus illud hominum oppugnabant hostiliter, sed etiam alios in eius odium, atque exitium instimulabant. In quos est illud Psal. 136. *Memento Domine filiorum Edom in die Ierusalem, qui dicunt, exinanite, exinanite vsque ad fundamentũ in ea.* Et Thren.4.v.21. *Gaude, & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus: ad te quoque perueniet calix. inebriaberis, atque nudaberis.* In his significantur illi, qui Ecclesiam in suis incunabulis vexabant acerbiùs, siue armati potentia, vt fecerunt tyranni, siue instructi doctrina, & sui ingenij acumine confisi, vt fecerunt priùs Philosophi, deinde hæretici. Hi tamen postea ceruices antea elatas, & indomitas Euangelij iugo subdiderunt: & quàm antea spiritu vexabant hostili, tam postea sunt studiosè atque constanter amplexati, vt non solùm pro illius honore, ac cultu opes interdum amplissimas, sed etiam sanguinem vitámque profuderint. Lege Ecclesiasticos annales, exempla occurrent plurima illorum, qui à Gentilium instituto, ac vita ad Ecclesiam traducti illam & ornarunt opibus, & scriptis ab impiorum calumniis defenderunt, & suo denique sanguine purpurarunt. de hac re plura, & elegantissima Isaias cap.6. v.10. *Et ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi.* & v.14. *Et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te; & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi.* & v.16. *Suges lac Gentium, & mamilla regum lactaberis.*

Idumæi Israelitici nominis hostes.

Ecclesiam ornarunt, qui prius illam infestati sunt.

48. *Eo quòd inuocatum sit nomen meũ super eos.*] Hinc quiuis facilè coniectabit, qualisnam sit hæc Idumæorum, id est, Gentilium possessio, nempe spiritualis, quia super illos inuocandum dicitur nomen Domini. Inuocari autem nomen alicuius super alium, nihil est aliud quàm aliquem esse alterius imperio obsequentem, & subditum, quomodo super vxorem dicitur inuocari mariti nomen. Optimè hunc dicendi modum explicuit Isaias cap.63. v.19. *Facti sumus quasi in principio, cùm non dominareris nostri, neque inuocaretur nomen tuum super nos.*

49. Vers.13. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & comprehendet arator messorem, & calcator vuæ mittentem semen.*] Prouerbialis forma, qua magna significatur rerum abundantia, & fructuum perceptio iugis, & continens, ita vt nullum sit temporis momentum, in quo aliquid tibi terra non suppeditet, idem omnino, quod modò, dixerat antè Dominus, Leuit cap.27. v.5. *Apprehendet messium tritura vindemiam, & vindemia occupabit sementem.* Tam copiosa autem significatur messis futura, vt ad orationem, id est, ad tempus vsque in quo terra renouatur iterum, & ad satus accipiendos disponitur, producatur; neque prius cessetur à vindemia, quàm opportunum, & quasi legitimum sementis faciendę tempus aduenerit, ita vt vindemia messi, & sementis vindemiæ sine vlla cessatione, aut quiescendi facultate succedat. Hæc humanum aliquid, ac tempora-

Fœcunditatis, atque abundantia descriptio prouerbialis.

rium sonant; sed in his spiritualium bonorum prouentus exprimitur, quod in Scriptura sacra vsitatum est, quæ se ad hominum sensus frequenter accommodat. Et quia humana cogitatio à sensibus accipit rerum imagines, qui nequeunt aliquid nisi corporeum apprehendere, ideo nobis Dominus, dum spiritualia promittit, corporatum aliquid interdum proponit. Neque verò hîc quærendum, quomodo vindemia sementem, & oratio messem apprehendat, in prouerbialibus enim dicendi modis, dummodo sententiam, & mentem assequare, non est cur de cætero labores. Hac autem prouerbiali figura, magna rerum significatur vbertas.

50. *Et stillabunt montes dulcedinem, & omnes colles culti erunt.*] Prior pars aliis etiam metaphoris explicari solet, nempe fluent lacte, & melle, quorum alterum habent homines à numeroso grege, alterum ab apum examine multiplici, tum à terræ fruticibus ad mellificij gloriam opportunis. Hæc verò nullo excellentiùs inuenerunt fideles in Ecclesia, quàm extorres Israelitæ in patriam restituti. Lex enim gratiæ, & Christus, qui præest, & fœcundat Ecclesiam, latè quoquò versus dulcedinis diffundit riuos, & steriles antè campos exundanti nectare complet, & exhilarat. Pro dulcedine Hebr. est עסיס ghasis, quod vinum significat: & ita reddidit Chaldæus, & vulgatus aliquando, vt *Cant. 8. v. 2.* & *Isaiæ 49. v. 26.* Quo loquendi genere significatur vinearum copia, ex quibus tantum exprimetur generosi vini, vt ex saxis ipsis stillare videatur. Et hoc etiam habet Ecclesia per Christum abundanter, producit enim illud vinum, quod germinat virgines, & exhilarat mœrentes animos. Neque hoc in vno, aut altero loco, sed vbiuis Gentium etiam in collibus à cultoribus antè, & arbore desertis. Si hæc quispiam vellet cum Cyrillo, ac Rufino de reditu captiuorum exponere, haberet pro sua sententia illud *Isaiæ cap. 7.* vbi post vastitatem hostilem, satis futura dicitur terræ forma, vt loca priùs vbertatis, & amœnitatis eximiæ in armentorum caulas, & pabula conuertantur. Et de collibus speciatim dicitur, *Omnes montes, qui in sarculo sarrientur, non veniet illuc terror spinarum, & veprium,* (id est, septa ex spinoso frutice) *& erit in pascua bouis, & in conculcationem pecoris.* Quare colendi dicuntur agri, & colles, qui sublatis habitatoribus iam erant in syluarum modum efferari. Sed hæc, vt dixi, de Euangelij tempore exponenda sunt, quo tempore ipsi quondam colles natura sua non admodum fœcundi, colentur non sine magno operæ, atque studij pretio. Vomer enim Euangelicus vt sacra etiam aspera proscindit, sic etiam fœcunditatem impertit.

Ecclesiæ fœcunditas, & suauitas.

Vers. 14. *Et conuertam captiuitatem populi mei Israel.*] Si cum Rufino, ac Cyrillo hæc de Israele restituto capias, habes *ad cap. 1 Oseæ*, quomodo decem tribus dici possint à captiuitate restitutæ. Sed cum pluribus dicendum hæc quoque ad Ecclesiam pertinere, & populum Israel dici illum, qui nō solùm secundùm propagationem carnis, sed etiam secundùm sanctitatem, & fidem appellari debet Israelita. Hi verò captiui videbantur, quando illorum domus non omnino videbatur extructa, atque ideo quasi peregrini, & exules à suis sedibus incerti vagabantur. Postquam autem desierunt esse captiui, & libertatem, quæ à Deo est, obtinuerunt, ædificarunt sibi domos, aut à Domino potiùs ædificatas habitarunt, in qua parata inuenerunt à largitate diuina, quæcunque sanè institutus animus ad vsum, & delicias optare posset. Quæ pluribus explicat Propheta: neque eiusmodi sunt, vt aliquid lucis requirant ab interprete. 51.

Vers. 15. *Et plantabo eos super humum suam, & non euellam eos vltrà de terra sua.*] De terra viuentium, atque Ecclesia triumphante hæc accipiunt Hieronymus, Remigius, Dionysius, & Hugo, in qua plantati veri Israelitæ ex quacunque stirpe propagati, nunquam euellentur, quia illa est stabilis, & æterna possessio. Secus est dum adhuc manet in seminario, ex quo euellitur aliquando ex disciplina hortensi, & in loca interdum dissimillima traducitur. Qualis videri potest Ecclesia militantium, quæ quoddam seminarium est, ex quo in cælum est, & trita via, & expedita transmissio. Nihilominus idem Hieronymus, Albertus, & Cyrillus, & alij è recentioribus plurimi de Ecclesia accipiunt, quæ adhuc in terris militat, & fluctibus iactatur immodicis: quæ tamen, quantuncunque sæuiant procellæ, non obruetur, nec si premant hostiles machinæ, vnquam oppriment, neque illam Deus vnquam auellet, sicut Israelitidem Gentem totam eradicauit, & in regionem peregrinam abduxit. 52.

Et hic sit finis Prophetiæ Amos.

IN

IN ABDIAM PROPHETAM COMMENTARII.

PROLEGOMENON I.

De patria & genere Abdiæ.

1. DE patria certi nil habemus, aut etiam de genere, cùm vtrumque Abdias ipse tacuerit, quod non fecerunt aliorum Prophetarum plerique. Quidã Hebræorum genus illi adscribunt Idumæum, & ideo præcipuè contra Idumæos prophetasse, qui iuxta sui notationem nominis, seruus erat Dei: hoc enim significat Abdias. Quare ferebat ægrè homo religiosus, & Dei amans, à suis prouincialibus religionem veram esse despicatui, & toties, támque pertinaci studio ab eisdem Israeliticum populum oppugnari. Quocirca in suum genus vehementer inuehitur, & fulminat, sicut cognati solent, vbi ab his, quos sanguinis communione coniunctos habent, aliquid vident turpe, aut sordidum admitti. ita putat Rab. Salomon, quam sententiã Hebræorum magistris dicit esse communem. *Aiunt*, inquit, *sapientes*, *Abdiam proselytum esse Idumæum. Dixit igitur Dominus: Ex ipsis adducam aduersus eos. Veniet Abdias, qui vixit inter duos impios, Achab, & Iezabel, neque imitatus est mores eorum, & pœnas sumet de impio Esau, qui vixit inter duos iustos Isaac, & Rebeccam, & non imitatus est opera eorum.* Idem penè Rab. David: sed id omnino incertum, neque omnes Hebræorum magistri id probant. Sanè negat Rab. Abraham, licèt ipsius ratio valde sit infirma.

Abdias Idumæus existimatus.

2. Nostri Abdiam Sichimitam esse dicunt, ex ciuitate quæ non procul abest à Samaria, ex agro Bethacaron, seu Bethacamar. ita Isidorus *in libro de vita, & morte Sanctorum, cap.* 44. Epiphan. *de vita, & obitu Prophetarum, cap.* 15. Dorotheus *in synopsi*, Chronicon Alexandrinum, quibus adhærent è recentioribus aliqui. Neque aliquid huic sententiæ argumento est, præter an-

Abdias Sichimita.

A tiquam auctoritatem, quæ vbi maior aliqua vis non opponitur, grauissima est, neque deseri solet, nisi ab audacibus ingeniis.

Refert Lyra *lib.* 4. *Regum, cap.* 4. *in principio*, Abdiam coniugem fuisse illius viduæ Sarephtanæ, cuius filium excitauit è mortuis Elisæus, quod putant communiter Hebræi, imò & Latini, vt docet ibidem Lyra, licèt neminem nominet: refert idem, sed ex aliorum sententia, Abulens. *in lib.* 4. *Regum, cap.* 15. *quæst.* 31. Quod si verum est, dicendum est, etiam Abdiam patrẽ esse Ionæ Prophetæ, ex Hebræorum sentẽtia, qui B Ionã filium esse tradũt Sarephtanæ viduæ, quem suscitauit Elisæus, sed Hebræorum semper mihi suspecta fides: quid verò appareat verisimilius, dicemus statim. 3.

Abdias putatur esse maritus viduæ Sarephtanæ.

PROLEGOMENON II.

Quo tempore prophetauit.

SI verum est, quod cum Hebræis tenent interpretum plerique, hunc esse dispensatorem illum, quem habuit Achab, quique centum pauit Prophetas, quo tempore illos ad cædem quærebat Iezabel, C non est difficile coniectare prophetiæ tempus, ducentis nempe annis ante Prophetas alios, tantum enim temporis intercessit inter Achab, & reges illos, quorum ætate prophetarunt alij, ita tenent Epiphanius, Isidorus, Dorotheus, Chronicon Alexandrinum, Rupertus, & Hieronymus, tum in principio commẽtariorum in Abdiã, tum in epitaphio Paulæ ad Eustochiũ. Quos è recẽtioribus sequuntur Georgius Ederus *in sua Œconomia Bibliorũ, cap. de Abdia*, Genebrardus *in Chronico, ad annũ mundi* D 3272. Sixtus Senensis *in Abdia*, Montanus *in præfatione ad librum duodecim Prophetarum.* Quin addunt hi ferè omnes, Abdiam fuisse illum tertium Pentecontarchum, seu Quinquagenariũ, cui pepercit Elias, duobus aliis igne cælitus demisso consumptis, & tandem aulicã vitam auersatum adhæsisse Eliæ, & ex misericordia, qua Prophetas 4.

Abdias prophetauit sub Achab.

Digitized by Google

tas in speluncis aluit, & Iezabelis furori subduxit, id esse consecutum, vt Propheta fieret.

5\. Hæc Hebræorum omnium, & magnorum præterea Doctorum, & interpretum sententia est, cui fauet plurimum quod 2. *Paralip. cap.* 17. *vers.* 7. Iosaphat rex Iuda docendi populũ munus commisit Abdiæ, quod negotium Prophetarum est. *Tertio*, inquit, *anno regni sui, misit de principibus suis Benhail, & Obdiam, &c. vt docerent in ciuitatibus Iuda.* Qui hìc Obdias dicitur, à Septuaginta appellatur Abdias: & quidem hic Propheta ab Hebræis Obdias vocatur, nõ Abdias. Hæc mihi sententia valde probabilis est: neque rationes, quæ contrà ab aliis adducuntur, eiusmodi sunt, vt vehementer premant.

6\. Alij hoc non probãt, & potiùs illis Prophetis associant, qui inter duodecim primo loco numerantur. In his ex antiquis sunt Cyrillus, qui cum Ioele tempore coniungit, & Theodoretus, qui post Ionam statuit. Hieronymus qui suprà σύγχρονον fecerat Eliæ, in principio commentariorum in Oseam, à tempore Oseæ, & aliorum Prophetarum non secludit: sic enim ibi, *Ex quo perspicuum est, prophetante Osea, Isaia, & Ioel, & Amos, & Abdia, & Iona & Michæa, qui σύγχρονοι, id est, contemporanei eius fuerunt, regnum decem tribuum esse finitum.* Ex recentioribus acerrimè pro hac sententia pugnant Abulens. *in lib.* 4. *Regum, cap.* 15. *quæst.* 31. & Ribera, *præludio* 2. *in* 12. *Prophetas*, neque desunt ex Hebræis, qui cum illis sentiant.

7\. Ego id vnum affirmare habeo, rem esse admodum obscuram, & incertam, neque vllam esse coniecturam grauem, quæ nos in vtramlibet partem deducat, aut inclinet. Quare placet, quod ex Hebræis visum est Abenezræ, nihil esse certum: quod iudicarat olim Augustin. *lib.* 18. *de ciuitate, cap.* 31. & idem sensit Augustiniani ordinis ornamentum maximum, acri vir ingenio, & iudicio maturo, Luisius Legionensis, qui præclarum commentarium edidit in hunc Prophetam: qui, si plura tanti ingenij monumenta in Scripturis sacris exponendis reliquisset, optimè esset de literatis, ac literis, & de Hispano nomine promeritus. Hi itaque sentiunt, ea de re nihil posse certum neque diuinando definiri, quod & mihi quoque visum est. Sed si in hac rerũ obscuritate diuinare fas est, in priorẽ sententiam libentiùs descenderem: quia ad illam aliquid se lucis ex Scripturis ostentat, vt vidimus: neque rationes, quæ obtendi contrà possunt, sic vrgent in oppositum, vt repugnantem à sua cogitatione commoueant.

PROLEGOMENON III.

Quid spectet hoc vaticinium.

Non dubium est quin hoc vaticinium Idumæos petat, & exagitet, cùm id apertè affirmet, in principio, bonus sui ipsius interpres Abdias: sed in eo dissident interpretes, quòd quidam propriè, alij figuratè Idumæos accipiunt. Hebræi Romanos putant Idumæorum significari vocabulo, atque ideo hasce minas contra Romanos intorqueri. Quo id argumento sibi persuadeant, diximus ad illud Isai. 21. *Onus Duma*: vbi in Duma Romam esse statuunt. Illorũ nos meras nugas in supradicto Isaiæ loco refutauimus, neque nugari amplius cũ nugatibus libet. Alij Iudæos intelligunt qui à paternis moribus, & patria religione defecerunt. Qui propterea Idumæi vocantur, sicut etiam aliquando Amorrhæi, Cethæi, Sodomæi: non quia ab illis familiã, & genus, sed quia ingenium, & mores expresserunt. Ita Burgensis, & Rubertus, vterque super Abdiã. Luisius Legionensis partẽ huius prophetiæ putat ad veros, & proprios Idumæos pertinere historicè, partẽ item alteram historicè pertinere ad Iudæos, quos Idumæorum adumbrat improbitas, quique Idumæi ideo vocari possunt, quia Esau, qui & Edom, à quo vocati sunt Idumæi, reproborum symbolum fuit. Quare in toto capite nihil videt accommodatum, & mysticum, sed totum historicum. Quæ sententia mihi difficilis non est: quod obseruaui non semel, dum Prophetas alios cõmentationibus illustrare contenderem. Frequenter enim ex rerum similitudine, aut etiam significatione, aut euentu contrario, ex vna historia, ad alteram migratio fit. Et hoc ipsum videtur sentire Augustin. *lib.* 18. *de ciuitate, cap.* 31. 8.

Frequentes alij de Idumæis, eo modo accipiunt, quo acceperunt Isaias, Ieremias, Ezechiel, & alij, qui contra veros Idumæos sua detonuerunt vaticinia, à quibus ad Ecclesiam, Gentiúmque conuersionem, allegorico sensu sermo traducitur. Iuxta quam sententiam, nihil est in toto hoc vaticinio, quod non in hoc proprium, & non figuratum Idumæorum genus historicè conuenit. Huc, vt dixi, incumbunt frequentes alij dum absolutè spectari hìc dicunt Idumæos ab Abdia. Hieronym. in Epistola ad Paulinum, *Abdias, qui interpretatur seruus Dei, pertonat contra Edom, sanguineum, terrenúmque hominem, fratris quoque Iacob semper æmulum hasta percutit spiritali.* In hanc ferè sententiam iurant interpretum plerique. Neque aliter sẽtiũt Cyrillus, & Theodoro 9.

Digitized by Google

doretus. Hæc mihi omnium probatur maximè.

PROLEGOMENON IV.

De scriptis Abdiæ.

10. VNum hoc ab Abdia vaticinium habemus, illúdque vno tantùm capite conclusum: exiguum sanè mole, sed magnum pondere: in quo explorando, magna sudarunt ingenia, neque dum res satis est expedita. Quare non exiguus existimari debet, apud prudentem rerum æstimatorem, qui magna continet, aut donat, licèt illa in specie non videantur esse magna. Quod optimè Hieronymus docuit, *in proœmio Epistolæ ad Philemonem*, quæ cùm breuis sit, alicui videbatur non magni esse facienda: contra huius igitur cogitationem, ita Hieronymus. *Mihi videntur, qui Epistolam simplicitatis arguunt, suam imperitiam prodere, non intelligentes, quid in singulis sermonibus virtutis, ac sapientiæ lateat. Si autem breuitas habetur contemptui, contemnantur Abdias, Nahum, Sophonias, & alij duodecim Prophetæ, in quibus, tam mira, & tam grandia sunt, quæ feruntur, vt nescias, vtrum breuitatem sermonum in illis demirari debeas, an magnitudinem sensuum.* De hoc Isidor. libro Allegoriarum sacræ Scripturæ. *Abdias, id est, seruus Domini, inter omnes Prophetas breuior numero verborum, sed gratia mysteriorum æqualis.*

REGVLA. *Abdias sermone breuis, magnus pondere.*

11. Ex hoc capite plurima sumpsit Ieremias *cap.* 49. vbi eadem, quæ nunc Abdias contra Idumæos, quæ nos eo loco explicuimus. Cúmque ibi idem sit argumentum, & eadem plerumque, aut certè non admodum diuersa verba, illa interdum in huius Prophetæ cōmentationē transferemus: quod nostro iure possumus, cùm non aliena vsurpemus, sed vtamur nostris.

PROLEGOMENON V.

De vita & morte Abdiæ.

12. QVomodo dispēsator existimatus fuerit regiæ domus Achab, & centum pauerit Prophetas, quinquagenos, & quinquagenos, eósque à Iezabelis rabie cautè submouerit, diximus suprà ex Hebræorum sententia, à qua non recedunt antiqui Patres. Et quemadmodum precibus obtinuerit ab Elia, ne sicut alij duo quinquagenarij misso cælitùs igne consumpti sunt, sic ipse quoque inflammatus periret. Ex eo tempore, adhæsisse existimatur Eliæ, & nuncio remisso aulicis curis, & expectationi, quam habere potuit à regia liberalitate non exiguam, Deo se totum tradiderit à quo spiritum accepit propheticum: quod Hieronymus præmium esse dicit, & misericordiæ, qua Prophetas, ad quorum sanguinem sitiens anhelabat Iezabel, occultauit, atque aluit, & quod illius societatem elegerat, cuius in Deum totus ferebatur spiritus.

Abdias vnde donum consecutus prophetiæ.

De illius morte nihil habemus aliud, quàm mortuum esse in pace, id est, naturali morte, non vi extrinsecùs allata: ita Isidorus. Epiphanius sepultū esse dicit in Bethacamar, cum patribus suis, Hieronymus in Samaria, quæ nunc Sebaste dicitur, in eodem quo Elisæus sepulcro: sic autem in principio commentariorum. *Sepulcrum eius vsque hodie, cum Mausoleo Elisæi Prophetæ, & Baptistæ Ioannis, in Sebaste venerationi habetur.* Quæ olim Samaria dicebatur, vt docet *hic* Hieron. & *Epistola* 27. quæ est Epitaphium Paulæ, ad Eustochium: vbi multa ibidem tradit spectari prodigia. Loquitur autem de sanctæ Paulæ peregrinatione, quæ loca sacra lustrauit, religionis ergò. Vbi autem Hieronymus alia commemorarat, addit. *Atque inde diuertens, vidit duodecim Patriarcharum sepulcra, & Sebasten, id est, Samariam, quæ in honorem Augusti, ab Herode, Græco sermone Augusta est nominata. Ibi siti sunt Elisæus, & Abdias Prophetæ: & quo maior inter natos mulierum non fuit, Ioannes Baptista: vbi multis intremuit consternata mirabilibus: namque cernebat, variis dæmonas rugire cruciatibus, & ante sepulcra Sanctorum, vlulare homines more luporum, vocibus latrare canum, fremere leonum, sibilare serpentum, mugire taurorum: alios rotare caput, & post tergum terram vertice tangere, suspensísque pede fœminis, vestes defluere in faciem. Miserebatur omnium, & per singulos effusis lacrymis Christi clementiam deprecabatur. Et sicut erat inualida, ascendit pedibus montem: in cuius duabus speluncis, persecutionis, & famis tempore, Abdias propheta centum Prophetas aluit pane, & aqua.* Hæc Hieronymus, qui in adolescentia sua, cùm adhuc ingenium ad scribendum nondum esset satis, aut instructum doctrina, aut ætate maturum, commentarios edidit in Abdiam, quos ipse ludos appellat, quia secutus est allegoriam, in qua liberiùs vagari licet: cùm nihil in allegorico sensu vehementer premat, quod multo aliter contingit, quando quis commentationem suam alligauit historico, ac literali sensui. 13.

Abdiæ mors & sepultura.

IN CAPVT VNICVM

ARGVMENTVM.

VATICINIVM hoc breue, quod & rerum pondere, & dictorum obscuritate, satis suam breuitatem idoneè compensat, totum fulminat contra Idumæos, Iudaici nominis (si quisquam alius) hostes infensissimos. Primùm docet, à legato diuinitus misso admoneri externos populos, nempe Chaldæos, & qui cum illis studia, atque arma coniunxerint, vt Idumæorum regionem latè populentur: cùm tamen illis Idumæi contra Hierosolymam militarem operam nauauerint non inertem: quo tempore, robustis animum, atque constantiam, & prudentibus dicit defuturum esse consilium. Deinde barbaram quandam Idumæorum crudelitatem amplificat, quam tanti incendij facem esse dicit. Vbi verò de Idumæorum vastitate egit, ad Iudæorum felicitatem vaticinium traducit, qui cùm malè aut haberent tunc, aut postea futuri essent ab hoste iactandi, sordidi censebantur, & viles, & digni, quibus Idumæorum insultaret superbia. Hos verò dicit redituros in patriam, quantumcunque fuerint, aut inter se dispersi, aut à patria remoti, & occupaturos fines, à quibus antea fuere depulsi, imò eousque progressuros, vt Idumæos ipsos iugum cogant sustinere Iudaicum. Quæ verò historicè de Iudæorum gloria, & de Idumæorum interitu dicuntur, illa multo illustriùs conueniunt in Ecclesiam, & viros Apostolicos, qui in illius amplificationem ardenter incumbent.

CAPVT VNICVM.

1. *VIsio Abdiæ. Hæc dicit Dominus Deus ad Edom: Auditum audiuimus à Domino, & legatum ad gentes misit: Surgite, & consurgamus aduersus eum in prælium.*

2. *Ecce paruulum dedi te in Gentibus: contemptibilis tu es valde.*

3. *Superbia cordis tui extulit te, habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum: qui dicis in corde tuo: Quis detrahet me in terram?*

4. *Si exaltatus fueris vt aquila, & si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.*

5. *Si fures introissent ad te, si latrones per noctem,*

PARAPHRASIS.

A 1. HÆc est Abdiæ prophetia, & hoc verbum Dei contra Idumæos. Hoc audiuimus Prophetæ, quibus sua Deus cōsilia impertitus est, & quæ per legatum suū denunciari gentibus iussit, quos ad Idumæorum interitum armauit. Hæc porrò erat legati vox, & ad arma capienda exhortatio. Agitedum, excitate vos, & surgite contra Idumæos ad prælium: ego enim vobis adero, & vobiscum simul cum hoste congrediar.

2. Ecce, ô Esau, à quo genus suum deriuant Idumæi, sedes tuas angustis conclusi
B finibus: quare necesse fuit, vt esses paruulus. Insuper, cùm in cauernis habites petrarum, locísque subterraneis, non potes esse non abiectus vehementer, & sordidus.

3. Arrogantia tua, & inflatus spiritus fecit, vt magnificè de te, & superbè sentires. Nam cùm belluarum more in cauernis habites, terræque voraginibus, sic tute te insolenter effers, vt summa appetas fastigia, & locum deberi tibi principem putes, qui tacitus tecum meditaris, & dicis: Ecquis erit, qui me in terram, ex hoc scopula-
C ri fastigio deturbet?

4. Si tuam tibi sedem eo loco statueris, vbi aquila solet suum sibi nidum fabricare: imò si transgressus nubes, ad ipsa etiam sidera receptum habeas, non tamen assequeris, vt meas effugias manus seueras, & graues: inde enim te, ad ima vsque terræ, abiiciam.

5. Vindemiator, quantumuis auarus, &

Digitized by Google

noctem, quomodo conticuisses? nónne furati essent sufficientia sibi? si vindemiatores introissent ad te, numquid saltem racemum reliquissent tibi?

A & attentus, relinquit tamen in vite aliquem racemum. Si fur in alienas irrumpit fortunas, sumit quæ sibi necessaria, aut in votis sunt, & plurima relinquit. Quòd si vindemiator vineam tuam nudaret à vindemia, & nocturnus latro prædandi gratia domum esset ingressus, nónne tibi, aut stupor, aut metus vocem ademisset?

6. Quomodo scrutati sunt Esau: inuestigauerunt abscondita eius?

6. Quid igitur facies, cùm Chaldæi omnes scrutentur latebras, vbi tuas opes cōdidisti, vbi quæ occultissima sunt, solerti ac pertinaci indagatione perquirant, ne-
B que relinquant aliquid, quod sit ad humanos vsus futurum necessarium.

7. Vsque ad terminum emiserunt te: omnes viri fœderis tui illuserunt tibi: inualuerunt aduersum te viri pacis tuæ: qui comedunt tecum, ponent insidias subter te: non est prudentia in eo.

7. Illi iidem, quibuscum sociale fœdus iniisti, prodiderunt fidem, quam antea dederant, & illuserunt tibi. Et quos tibi pernecessarios ac familiares, & communem cum illis mensam habuisti, occultas moliti sunt insidias. Ac tandem sui consilij atque studij compotes, præualuerunt contra te, & è tuis finibus, ad alienos vsque terminos expulerunt. Verè eo tempore, nihil in Idumæis erit consilij, atque pru-
C dentiæ.

8. Numquid non in die illa, dicit Dominus, perdam sapientes de Idumæa, & prudentiam de monte Esau?

8. Eripiam, ait Dominus, in illa die, quæ Idumæis accidet infelix, & extrema, consilium à senibus, & prudentiam ab illis, qui rem Idumæam administrare posse videbuntur.

9. Et timebunt fortes tui à Meridie, vt intereat vir de monte Esau.

9. Si Themanitæ, qui ad plagam meridionalem Idumææ sunt, quæ maximè distat à Chaldæa, animo erunt languenti & pauido: quid de illis sperandum, aut cogitandum erit, qui magis vicini Chaldæis, cùm ille ingruerit rerum articulus, in quo
D Idumæis omnibus pereundum sit.

10. Propter interfectionem, & propter iniquitatem in fratrem tuum Iacob, operiet te confusio, & peribis in æternum.

10. Hæc autem ideo tibi accident, ô Esau, & ignominiosa confusio, & in æternum duraturus interitus: quia iniquus fuisti, & vsque ad interfectionem crudelis in populum Israeliticum: in gentem videlicet tibi sanguinis propinquitate coniunctam.

11. In die cùm stares aduersùs eum, quando capiebant alieni exercitum eius, & extranei ingrediebantur portas eius, & super Ierusalem mittebant sortem: tu quoque eras quasi vnus ex eis.

11. Cuius rei tunc documentū præbuisti non dubium, quando in Chaldæorum manus venit Israelis exercitus, & alieni per
E ciuitatis portas victores irruperunt, & sibi, aut diripiendam vrbem, aut ereptam ex ea prædam sortitò diuidebant. Eo tempore, sic eras inflammatus odio, sic vrbis excidium & expugnationem vrgebas, quasi vnus fores ex Chaldæorum numero.

12. Et non despicies in die fratris tui, in die peregrinationis eius: & non lætaberis super filios Iuda in die perditionis eorum: & non magnificabis os tuum in die angustiæ.

12. Cùm tamen in die illius tantæ cladis, & cùm frater tuus peregrinus abduceretur à patria, non debuisses illum vsque adeò superbè despicere, neque exultare, cùm filij Iuda spoliati bonis, & extremam ab hoste fortunam, & ignominiam paterentur. Neque, cùm illi priuatam & pu-

Digitized by Google

A blicam calamitatem deplorarent, committendum tibi fuit, vt in eorum triumphares lacrymis, & illorum sortem ignominiosè & crudeliter insectatus, insolentem prædicares tuam, tanquam superiorem, & fortunæ ludibriis, & inimicorum armis.

13. Neque ingredieris portam populi mei in die ruinæ eorum: neque despicies & tu in malis eius in die vastitatis illius, & non emitteris aduersus exercitum eius in die vastitatis illius.

13. Neque, cùm murus hostilibus machinis rueret, & cum eo simul graui populus casu labasceret, debuisses cum hostibus adoriri, atque ingredi ciuitatem, & pronam ad casum, & ruentem impellere, sed B potiùs, aut labentem sustentare, aut iacentem erigere. Quid plura? neque humanitas, neque generis communio patiebatur, vt, cùm populus ille malis premeretur ingentibus, & suis spoliaretur ornamentis & commodis, illum negligeres. Et multo minus, vt armatus inueheretis in illum, aut emissus ab hoste Babylonico, cui operam nauabas militarem, illum insequereris fugientem.

14. Neque stabis in exitibus vt interficias eos qui fugerint: & non concludes reliquos eius in die tribulationis.

14. Ad extremum, neque pium, neque humanum fuit, omnes viarum exitus, omnia miserorum diuerticula occupare C custodia: ne cui illorum, aut facilis esset, aut impunita fuga, & omnes, qui à fuga abstinuissent, sic vndique intra mœnia atque angustè concludere, vt nullus se ad fugam aditus aperiret.

15. Quoniam iuxtà est dies Domini super omnes gentes: sicut fecisti, fiet tibi, retributionem tuam conuertet in caput tuum.

15 Adest iam dies Domini, omnibus illis gentibus horribilis, & dura contra omnes gentes, quæ in Dei populum manus aliquando intulerunt armatas, è quarum tu es in primis, ô Esau; tunc autem eadem patieris, quæ aliis intulisti damna, & quæ D in alienum caput molitus es, eadem in tuum vicissim conuertentur.

16. Quomodo enim bibistis super montem sanctum meum, bibent omnes Gentes iugiter: & bibent, & absorbebunt, & erunt quasi non sint.

16. Quomodo vos, ô Idumæi, cùm diriperetur Hierosolyma, geniales habuistis dies, & splendidas mensas, sic etiam gentes cùm vestras diripient opes, & patriam euertent, poculis se frequentibus & splendidis mensis oblectabunt. Neque tamen illis diuturna hæc erit, siue lætitia, siue possessio: nam ab hoste potentiore sic concidentur, vt videri possint nunquam fuisse.

17. Et in monte Sion erit saluatio, & erit sanctus: & possidebit domus Iacob eos qui se possederant.

17. Filij autem Iacob, qui Chaldæo- E rum armis subacti fuerant, liberati iam ab exilio, & in Sionem, vnde extorres excesserant, restituti (in qua iterum instaurabitur templum, vbi Deus tanquam in suo domicilio habitet) possidebunt eos, à quibus in deteriori fortuna possessi fuerant.

18. Et erit domus Iacob ignis, & domus Ioseph flamma, & domus Esau stipula: & succendentur in eis, & deuorabunt eos: & non erunt reliquiæ domus Esau, quia Dominus locutus est.

18. Neque aliter domus Iacob perdet, atque consumet domum Esau, quàm flamma stipulam, aut aridam materiam, quam apprehenderit. Inuadent enim Idumæos Iudæi, illósque conficient: neque plures ex

19. Et

Digitized by Google

A ex Idumæa reliquiæ, ex incendio supererunt, quàm supersunt ex stipula ab igne cōsumpta. Neque hæc verba suo carebunt pondere, quia ex Deo sunt.

19. *Et hereditabunt hi qui ad Austrum sunt, mõtem Esau, & qui in campestribus Philisthiim: & poßidebunt regionem Ephraim, & regionem Samariæ: & Beniamin poßidebit Galaad.*

19. Hi porrò, qui Australem plagam, è terra promissionis inhabitant, Idumæos subigent armis, & illorum regionem, terram nimirum confragosam occupabunt. Subiicient quoque Philisthiim, qui terram campestrem, & littoralem possidēt, & Beniamin Galaaditidem regionem potestati suæ subiicient.

20. *Et transmigratio exercitus huius filiorum Israel, omnia loca Chananæorum vsque ad Sareptam: & transmigratio Ierusalem, quæ in Bosphoro est, poßidebit ciuitates Austri.*

20. Qui è decem tribubus in peregrinas sedes transmigrarunt, ad suas sedes restituti, Chanaanitidem terram, vsque ad B Sareptam Sydoniorum vrbem, obtinebunt. Qui verò è duabus tribubus Solymitanum solum reliquerunt, reuersi in Australem plagam, quam possederunt antè, ex quocunque loco ad quem fuerint ab hoste relegati, Australes ciuitates, à quibus exciderant, recuperabunt.

21. *Et ascendent saluatores in montem Sion iudicare montem Esau: & erit Domino regnum.*

21. Ex monte verò Sion, ad quem exules reuocati, rursus ascendent, egredientur viri robusti, & strenui, qui & patriam seruent, & amplificent, & domito atque subacto monte Esau, rem ita constituant, vt Dominus, sicut prioribus sæculis, in antiqua sua hæreditate regnet.

Vers.1. *Visio Abdiæ.*]

1. VISIO commune nomen est, quod C ad omne prophetiarum genus extenditur, sicut etiam Videntes dicuntur Prophetæ, quocunque modo, aut dicendi genere futura præsentiant, aut prædicant: propter vicinitatem, opinor, quia non multùm refert, dummodo futura prægnoscas, siue illa auditu capias, seu vigilans in oblata rerum imagine, seu etiam dormiens in spectro, aut somnio illustratus agnoscas. Quare, cùm maxima sit, inter hæc cognoscendi genera, vicinitas, non dura est alterius ad alterum genus accommodatio. Neque aliquid hoc loco vidisse existimandus est Propheta, cùm ipse potiùs audiisse se dicat, quæ nunc in Idumæos minacibus verbis intorquet oracula.

2. *Hæc dicit Dominus ad Edom.*] Hinc multa con- D tra Idumæos sumpsit Ieremias ab Abdia, *cap.* 49. paululum tamen immutata.. Sic autem ille vers.7. *Ad Idumeam*: vbi diximus illud *ad* interdum vsurpari pro *de*, quòd aliquot ibi exemplis confirmauimus. Quare sensus erit: Hæc dicit Dominus de Idumæis.

Ad *idem aliquando quod de.*

3. *Auditum audiuimus à Domino, & legatum ad gentes misit.*] Ieremias suprà vers.14. *Auditum audiui à Domino, & legatus ad gentes missus est.* Quidam ex Hebræis hæc verba gentibus attribuunt, quibus subscribit Montanus: quibus id putant negotij datum esse à Deo, vt contra Idumæos, quamprimum arma expediant: itaut, cùm se mutuo ad bellum exhortantur, dicant accepisse se legatum à Domino, à quo iubentur apparatum adornare militarem, & illum in Idumæorum terminos inuehere. Sed illorum cogitationem satis coarguit Ieremias: qui, cùm de eadem re loquatur, singularem adhibuit numerum, dum ait, *Auditum audiui:* quæ vox minus in illam hominum multitudinem conuenit, qui seipsos ad bellandum exacuunt. Quare dicendum est, cum aliis ferè omnibus, hæc esse Prophetarum verba, quibus Dominus hæc inspirauit oracula, vt sua Idumæis exprobrarent flagitia, & de futuris rerum euentibus admonerent.

Accommodat autem ad bellorum naturam, 4. Imperatorúmque consuetudinem, in adornando, atque inferendo bello. Priùs enim excitatur obscurus quidam rumor, qui reliquorum nuncius, & quasi prognosticum est: deinde singula expressè magis cognoscuntur, puta, vnde primùm motus, qui delectus, qui profecti, quæ belli consilia. Eodem propè modo accidit, & Abdiæ priùs, & postea Ieremiæ: nam primùm audiisse belli rumorem visus est, id enim valet, *Auditum audiui*, verba nempe, quæ instare bellicos motus denunciabant. Deinde legatum esse missũ ad Chaldæos, dataque mandata, vt se quamprimum ad datum sibi negotium expedirent, id enim valet quod statim additur, *Congregamini, & venite contra eam, & consurgamus in prælium.* Quæ verba sunt legati, qui à Domino missus esse traditur.

Quis sit iste legatus, obscurum est. Hierony- 5.

 mus,

Digitized by Google

mus, Rupertus, Remigius, & alij, qui à Hieronymo recedere non solent, Dionysius, Hugo, Haymo hunc legatum Christum esse putant: quod etiam glossa sumpsit ab Hieronymo. Quod mihi etiam placeret, si sermo figuratus esset, & ad omnes gentes sese latè diffunderet: sed neque figuratus est, & contra illos tonat, qui propriè vocantur Idumæi. Secus esset, si vaticinium istud illos compungeret, qui spiritualiter sunt Idumæi, id est, alieni à religione, & pietate, & digni tandem, qui filij nominentur Esau.

6. Dionysius, Lyra, & Hugo, qui in locum Ieremiæ, de quo nuper, Ieremiam ipsum putant esse legatum: hic etiam, quando idem est vaticinium, eadem verba indicare possent Abdiæ mandatum esse hoc legationis obeundæ negotium: neque necesse est, vt nunc Adias, & postea Ieremias hæc ad Babylonios mandata pertulerint, vt sibi ex eo vendicent legati nomen: cùm hæc eadem verba, licèt post longa tempora, ad Babylonios transmitti potuerint, & illos excitare, vt primùm animos, deinde manus arment, in Idumæorum interitum. Sed planè constat tam de aliis, quàm de seipsis, & nunc Abdiam, & postea Ieremiam locutos esse.

7. Mihi verosimilius, hunc legatum esse, aut Angelum, aut internum aliquem pulsum, per quem Deus spiritus excitaret hostiles, in Chaldæorum animis. Neque hic laboro, an Deus per Angelos, an per alium quemuis motum, aut modum ardorem inspirauerit bellicum, cùm hoc ipsum Deus Angelorum sæpe ministerio perficiat. Sanè legatus Latinè id est, quod Angelus Græcè, & ita Septuaginta transtulere. Angelum esse dicunt Dionysius, & Hugo, qui tamen alias expositiones non improbant, & Theodoretus in locum sæpe citatum Ieremiæ. Sed alij instinctum esse putant internum, in quibus sunt ij ipsi, de quibus modò Dionysius, & Theodoretus, Cyrillus, Lyra, Ribera. Et hoc mihi videtur magis expeditum, licèt non adeò hanc à priori sententia de Angelo discrepare putem. Hic verò modus Deo est perquam familiaris, qui externo monitore non eget, si quando hominum animos concitari, aut ad impiorum vin-

Deus quomodo animos commouere solitus.

8. dictam efferari vult. Sic Ierem. *cap.*1. Aquilonares populos ad euertendam Hierosolymam aduocauit. *Ecce ego*, inquit, *conuocabo omnes cognationes regnorum Aquilonis, & veniet*, &c. Idem Isai. cap.5. *Eleuabit signum in nationibus procul, & sibilabit ad eum de finibus terræ.* Solet etenim Dominus, immisso spiritu, id est, aliquo impulsu, seu cogitatione, aut metu, cuius interdum ignoratur causa, deterrere homines, aut concitare, addere, seu adimere vires, & audaciam. Qua de re egimus pluribus, in nostris commentariis super Isaiam, ad illud cap.37. *Et ecce dabo ei spiritum, & mittam nuncium, & reuertetur ad terram suam.* Vbi aliquot id exemplis confirmauimus. Hunc spiritum antiqui, aut Deum esse opinabantur, aut aliquid immissum à Deo. Sic Virgil. 9. Æneid. cùm Nisi animus æstuaret intus, magnum aliquid aggrediendi desiderio, dixit ad Euryalum:

Quis animorum motus à Deo.

——DIne hunc ardorem mentibus addunt,
Euryale, an sua cuique Deus fit dira cupido?
Aut pugnam, aut aliquid iamdudum inuadere magnum,
Mens agitat mihi, nec placida contenta quiete est.

9. *Surgite, & consurgamus aduersus eum in prælium.*]

A Eisdem ferè verbis vsus est Ieremias suprà hisce verbis, ex Hebræorum sententia, Babylonij cohortantur, & acuunt, vt arma sumant contra Idumæos. Incitabat enim illos æstus quidam inditus, vel ab Angelo, qui datas sibi partes diligenter agebat, vel ab spiritu, qui otiosos esse non patiebatur homines, & natura bellaces, & prædiis opimis, & victoriis illustribus assuetos. Quare non solùm alios instimulant ad bellum, dum aiunt: *Surgite*, sed seipsos, dum addunt, *surgamus*, quasi torporem, & ignauiam excutiant, & seipsos stuporis, & inertiæ condemnent. Sed, vt dixi, verba sunt legati, quicunque ille sit, qui arma parari quamprimum, & quàm diligentissimè possint: & ne de secundo bellorum euentu

B desperent, seipsum socium, aut etiam ducem, & auspicem adiungit. Idcirco tacitè secum cogitabant, quia id etiam audiebant, qui ad cædem anhelabant, & prædam, quasi Deum habituri essent adiutorem, & ducem, cuius interno pulsu, ad durum illud & molestum opus, quasi quibusdam stimulis agebantur. Et hoc meliùs audiebant tam Abdias quàm Ieremias, quàm Chaldæi, cognoscebántque, vtpote diuini illius consilij interpretes, & conscij, à quo iniectæ forent illæ faces, quibus inflammabatur militum animus, quod tamen iidem, qui patiebantur, ignorabant.

Vers.2. *Ecce paruulum dedi te in gentibus, contemptibilis tu es valde.*] Eadem penè Ieremias suprà. Sunt qui illud *dedi* explicandum esse putent per futurum, quasi dicat Deus, eò redactum iri populum, copiosum priùs, & potentem, vt fiat & exiguus numero, & conditione vilis: nimirum postquam Chaldæorum armis strages virorum magna facta fuerit, & omnia ex ea regione commota, atque ornamenta sublata. ita putant Lyra, Vatablus, neque abnuunt Dionysius, & Hugo, & inclinat Cyrillus. 10.

C

Sed placet magis, quod Hieronymus docet, quem cum aliis pluribus sequitur Haymo, Ribera, Legionensis, Figuerius, & Theodoretus super Ieremiam, licèt super Abdiam videatur 11.

Idumæorum vilitas.

D approbare contrarium, huc magis inclinat Cyrillus. Qui docent non ostendi, deiiciendos Idumæos ex eo loco, quem olim habuerunt amplum, & eximium, ad sordidam angustámque fortunam, sed potiùs statum ignobilem ac tenuem proponi, propter quem abiecto esse animo debuerunt, neque eos spiritus assumere, quos alunt, & locus excelsus, & opes abundantes. Ac si dicat Deus: Feci, vt paruulus esses, quia angustis te finibus inclusi, & ne in gentibus aliquod tibi nomen esset, efficere potuere domesticæ sordes, & vbi perpetuò degeres, non tam hominum vrbana domicilia, quàm ferarum lustra, saxorum speluncæ, & subterraneæ late-

E bræ: vt enim suprà vidimus, in subterraneis specubus habitauerunt olim Idumæi. Sed tu, cum inter gentes infimum locum habere debuisses, tibiipsi stolidè assentatus, summum elegisti.

Quòd verò ante hoc, siue Abdiæ, siue Ieremiæ tempus, angusti fuerint Idumæorum fines, & numerus habitantium exiguus, colligitur ex Scriptura non obscurè. De finibus habes *Deuteron.* 2. vbi in montium Seir claustris contineri dicuntur Idumæi. De incolarum numero ad paucos redacto, constat apertè libro 2. Regum *cap.*11. *à num.* 15. vbi Ioab constitisse traditur in Idumæa, & ibidem omne masculinum interemisse: quare abundare non poterat viris illa regio, cui sobolis 12.

Idumæorum angusti fines & populus exiguus.

lis propagandæ spes, & quasi semen extincta fuisse videbantur.

13. Vers. 3. *Superbia cordis tui extulit te, habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum.*] Ieremias paulo aliter. *Arrogantia tua decepit te, & superbia cordis tui, qui habitas in cauernis petræ, & apprehendere niteris altitudinem collis.* Habitabant, vt diximus, Idumæi in asperis & confragosis scopulis, quò non putabant aspirare posse inimicorum arma, aut ascensum expediri ab humana solertia. Vnde spiritus sumpserunt insolentes, quasi extra omnẽ alam collocata foret eorum fortuna, imò & summum inter omnes populos, aut vendicabant sibi locum, aut spe non dubia præsumebant. Illud enim est, *exaltantem solium tuum*, quasi supra omnium montium, aut regnorum fastigia, suam sibi sedem collocare vellent. Quod dixit aliquanto clariùs loco sæpe citato Ieremias. *Apprehendere niteris altitudinem collis.* Ita putant non improbabiliter alij. Sed placet magis, quod paulo antè dicebamus, reprehendi hoc loco Idumæos: quia, cùm belluarum more, non multum ab illis ingenio, institutóque dissimiles, in rupium habitarent cauernis, eámque ob rem sentire de se summissè debuissent, assumpserunt sibi tamen superbos animos, & quasi ingenuis moribus, aut liberalibus, dignísque homine disciplinis essent exculti, cæteros præ se despiciebãt omnes. Quod summæ stultitiæ est, & eius in quo neque mens, neque rationalis naturæ quicquam, nisi nomen, & figura relicta esse videantur.

14. *Superbus stultus.* Vbi Abdias *extulit te*, Ieremias habet *decepit te.* Vtrobique est idem verbum *נשא nasa*, quod vtrumque valet. Et quidem, si quem vana extollat cogitatio de se, ille deceptus est, laborátque non turpi solùm, sed etiam infantili errore, cùm longè abducatur à vero, & cùm vni sibi in seipso placeat, cæteris sit omninò vilis, atque ridiculus. Quemadmodum si quis nigra sit facie, & ore in omnem modum distorto, ac turpi, pulcrum se esse putet, & cum aliis de venustate certet, eáque de re faciem suam velit publicæ aliorum supponere censuræ, & illo nihil sit deformius, pingi tamen iubeat effigiem sui, quàm potuerit hominum penicillus exprimere pulcherrimè. Sic videbatur à sua arrogantia, atque ambitione deceptus Nabuchodonosor, cuius, cùm nihilo esset, quàm cuiusuis è populo statura procerior, statuam tamen conflauit ex auro colossæa mole, quæ turris magnitudinem exæquaret. Erat enim, vt habes *Daniel. cap. 3.* cubitorum 60. qua de re nos plura in eum locum Danielis.

15. *Idumæorum habitatio in cauernis.* Hic obseruandum est quod notauit hoc loco Hieronymus, regionem illam, quam Idumæi habitant, æstuosam esse, atque ideo homines subterraneos quærere specus, & latebras, ferarum more, vt illam cælorum inclementiam tolerare possint, neque speluncas illas esse tantùm in mõtiũ sublimiori parte, ad quã ascensus est arduus, sed etiam in descensu, atque adeò ad montium radices, imò in loco ipso depresso, atque campestri. Ait igitur Hieronymus ad illum vers. 8. *Quomodo scrutati sunt. Et re vera, vt dicamus aliquid de natura loci: omnis Australis regio Idumæorum, de Eleutheropoli, vsque Petram, & Hailam (hæc est enim possessio Esau) in specubus habitatiunculas habet, & propter nimios calores Solis, quia meridiana prouincia est, subterraneis tuguriis vtitur.* Habitabant, credo, quomodo illi, de quibus idem Hieron. in caput 1. Amos in principio. *Qui casas habuerunt furnorum* *similes, quas Afri appellant Mapalia.* Et quales habitarunt Troglodytæ, de quibus Mela lib. 1. cap. 8. *Troglodytæ nullarum opum domini, strident magis, quàm loquuntur, specus subeunt.*

16. *Idumæorum superbia.* Ex hoc agresti, ac ferino viuendi genere, colligebat Hieronymus, stuporem Idumæorum, qui cùm nihil haberent, quo animos attollerent, superbè tamen de seipsis cogitabant. *O*, inquit, *Edom, qui cùm minimus sis, inter omnes in circuitu nationes, & ad comparationem gentium cæterarum, paruus in numero, vltra vires erigeris superbia. cúmque habites in speluncis imò in cauernis petrarum humilis atque pauperculus, & excelsa ædificiorum tecta non possideas, quasi aquila in sublime extolleris.* Sed, credo, bellorum tempore deserebant valles, & campestria loca, & ad præaltas rupes, & quasi miserorum perfugia confugiebant: & ideo commodè subditur:

17. *Qui dicis in corde tuo, quis detrahet me in terram?*] Securum reddebat ferinum illud hominum genus scopulorum asperitas, ad quam aspirare non posse arbitrabantur inimicorum vires, quantumcumque ad prædam, & vindictam ardentes. Quare dicebant suæ fortunæ gratulati: Ecquis erit casus, ecqua vis atque solertia, quæ nos è tanto culmine deiiciat.

18. Dicebant idem propè Barbari quidam, qui cùm locum quendam excelsum occupassent, ad quem nullus videbatur aditus apertus, irridebant Alexandri conatus, licèt iam Macedonicum nomen, tot partis victoriis reddidisset horribile, & cum sanna & risu interrogabant, an Alexander alatos haberet milites, qui per aërem sibi ad petræ fastigium viam aperirent. Dixerunt idem penè Hispani quidam, quos cùm bello premeret Sertorius, ad speluncas sese recepere, quæ adhuc visuntur, non longè à Centumputeolis patria mea, ad ripam Tagonij quem Hispani *Tajuña* vocant, ad extremos fines Caracinorum, quos nos appellamus *Alcarria.* Hîc obiter obserua, quosdam Plutarchi interpretes malè vertisse Tagum, cùm Græcè sit *ταγόνιον*, quod minoris fluminis nomen est, quod alij *Tagussam* vocant. Sed vtrique ab Alexandro & Sertorio, id est, à mortali manu subacti sunt, & ex excelso scopulorum fastigio, in terram deiecti. Quod idem etiam accidit Idumæis, qui è suis siue rupibus, siue latebris extracti fuerunt à Chaldæis, & talia passi, qualia hîc prædicuntur ab Abdia.

19. Vers. 4. *Si exaltatus fueris, vt aquila, & si inter sydera posueris nidum tuum, inde detraham te.*] Ieremias supra. *Cùm exaltaueris, quasi aquila, nidum tuum, inde detraham te.* Aut viuebant Idumæi in excelsis rupibus, aut cùm etiam in vallibus, campestrique regione suas haberent speluncas, & latebras, inde tamen, quo tempore bellum ingrueret, sperabant se in excelsis rupibus satis ab hostilibus armis futuros esse tutos, quibus ait Dominus: Etiamsi sedem eo loco statuant, in quo aquila solet nidum construere, imò si transgressi nubes, ad ipsa etiam sydera receptum habeant, non tamen consecuturos, vt diuinas effugiant manus, seueras, & graues, & vt non inde ad imam vsque terram deturbentur. Quia diuinæ potentiæ nihil est arduum, nihil non superabile. Hæc item Iob cap. 20. *Si ascenderit vsque ad cælum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur.* Psalmo 138. *Quo ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? si ascendero in cælum, tu illic es,* &c. Quod etiam

iam cognouerunt, dixerúntque non semel, qui fabulis scribendis poëticam operam nauarunt, quorum vnus de Encelado, Idumæorum ingenio quàm simillimo, dixit:

Quò fugis Enceladè? quascunque accesseris oras,
Sub Ioue semper eris.

20. Quomodo in arduis præruptísque silicibus, suum sibi nidum aquilæ construant, docent sacræ, atque profanæ literæ. Quod ideo facere existimantur, ne serpentes oua ipsarum corrumpant, & perdant, aut pullos adhuc implumes, ac teneros occidant. Ex quo fit, vt aquilæ adhiberi soleant in earum rerum comparationem, quæ expugnari posse nullo videntur modo: tum quia ipsæ fortes sunt, & plano etiam in loco formidabiles, tum quia in his locis nidificant, ad quæ nulli est accessus liber à periculo. Illud *inter sydera*, hyperbole est, tam sacris, quàm profanis vsitata. Sic rex Babylonis *Isaiæ cap.*14. dicebat, *In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum.* & *Iob cap.*20. de quo nuper. Et de Atreo Seneca in Thyeste.

Hyperbolicum prouerbium, cælum attingere.

Æqualis astris gradior & cunctos super
Altum superbo vertice attingens polum.

Item Ouidius,

——Quo coniuge felix
Et diis chara ferar, & sydera vertice tangam.

Horatius lib. 1. carminum.

Quòd si me Lyricis vatibus inseris,
Sublimi feriam sydera vertice.

21. Vers. 5. *Si fures introissent ad te, si latrones per noctem, quomodo conticuisses*] Tacere ille dicitur, qui grauiter ab aliqua seruitute premitur: cui, vt alia plurima, sic etiam loquendi libertas sic eripitur, vt neque hiscere audeat, neque suam calamitatem lugere, nisi libente domino. Atque etiam ille silet, quem subitus oppressit, & exanimauit casus: huic enim stupor constrinxit linguam. In hunc, credo, sensum explicandus est hic locus. Quasi dicat Dominus, insolentem illum populum, qui omnia sibi inferiora existimabat, sic esse afficiendum, si inopinatum aliquid aduersum obreperet, vt elinguem esse iudices, præ stupore ac metu. Vnde colligit, quo animo futurus sit, quando in sua præsidia, ac latebras irrumpant Chaldæi & nihil relinquant, quod non scrutentur, ac diripiant. Id enim valet, quod statim succedit.

Silentium pro stupore ac metu.

22. *Nónne furati essent sufficientia sibi? si vindemiatores introissent ad te, nunquid saltem racemum reliquissent tibi.*] Discrimen statuit inter latrones, quos hic etiam vindemiatores appellat, & Chaldæos: aut inter Deum ipsum, qui Chaldæorum manibus vniuersam vastabit Idumæorum terram, & quæ pretiosa fuerint, transportabit ad suam. Etenim vindemiator, quantumcunque attentus, & auarus, aliquid tamen relinquit in vitibus, ad pauperum vsus: & cùm latro, non tam studeat spoliare, atque vexare alios, quàm sibi de necessariis prouidere, vbi hæc furatus fuerit, ab aliis abstinet, neque pauca relinquit, quibus vtatur Dominus. Sed quia id agit Deus, vt te bonis omnibus, ac commodis expoliet (neque enim tuis indiget, vt vitam honestè ducat, & abundanter, sicut homines solent) nihil omnino relinquet tibi, siue ad vitæ subsidium, siue ad ornamentum dignitatis. Grauia sunt hæc: sed addit aliquid Deus apud Malachiam *cap.*1. quòd non solùm Idumæis euersam regionem esse dicit, & ablata omnia, quæ in bonis numerari solent, sed etiam

A instaurandæ fortunæ spem omnē præcidit. *Quòd si dixerit Idumæa, destructi sumus, sed reuertentes ædificabimus, quæ destructa sunt. Hæc dicit Dominus exercituum: Isti ædificabunt, & ego destruam: & vocabuntur termini impietatis, & populus cui iratus est Dominus, vsque in æternum.*

Hæc paulo aliter, commutato videlicet ordine, adhibuit Ieremias in hunc modum. *Si vindemiatores venissent super te, non reliquissent racemum: si fures in nocte, rapuissent quod sufficeret sibi.* Ex quo facilè quiuis intelliget, in secundo membro, in quo vindemiatoris inducitur similitudo, adhibendam esse negationē, ita vt aliquid ex ea vindemia dicatur esse relictum, hoc modo: Nunquid saltem racemū non reliquissent tibi? B Quòd enim in secundo membro iterari negatio debeat, quæ in priori antecessit, probat multis Pagninus in institutionibus *lib.* 4. *cap.*14. & nos multis probauimus in nostris commentariis super Isaiam *cap.*53. *num.*10. vnum tantùm è multis adducam exemplum, Prouerb. 30. vers. 13. *Non didici sapientiam, & scientiam Sanctorum noui.* id est, nec noui scientiam Sanctorum. 23.

REGVLA. Negatio iteranda in secundo membro.

Vers. 6. *Quomodo scrutati sunt Esau, inuestigauerunt abscondita eius.*] Hæc eadē Ieremias suprà *vers.*10. sed paulo aliter. *Ego verò discooperui Esau, & reuelaui abscondita eius.* Hæc vox *quomodo* admirationi seruit, cui adiuncta est commiseratio & dolor: cuius exempla obuia in Ieremiæ Threnis. Hic Deus C humano modo, quasi admirabundus, intuetur Chaldæos, qui magno studio, atque solertia scrutantur omnia Idumæorum latibula, diripiunt quicquid in bonis numerant auari, neque relinquunt, quod vindemiatores, quorum oculos quantumuis attentos aliquid est in vitibus quod effugiat: aut latrones, qui non ita in aliorum opes insiliunt, vt non relinquant aliquid, quod sit futurum dominis vsui. Quæ hic à Chaldæis inuestigatæ, atque direptæ dicuntur Idumæorum opes, illas Ieremias discoopertas, ac reuelatas dicit à Domino; quia, agente Deo, illas inuestigare tutò, & pro votis inuenire potuere Chaldæi. 24.

D Vers. 7. *Vsque ad terminum emiserunt te omnes viri fœderis tui.* Quid sit hoc loco terminus, obscurum est. Frequentes eò incumbunt, vt terminum putent illam partem, quæ definit, ac circumscribit Idumæam, quem nos limitem vocamus: sed non omnes eodem explicant modo. Quidam, cùm iā essent Idumæi à Chaldæis subiugati, & à patriis finibus ad alienos abducerentur captiui, deductos esse putant, donec è suis sedibus excederent ab his, quibuscum fœdus inierant sociale. Quod officium præstari solet ab amicis, qui, si quid alij aduersi patiuntur, pietatis esse putant, illos cum lacrymis, ac dolore pio abeuntes prosequi, siue rei ad iudicium capitale vocentur, si- E ue tradantur in vincula, siue mittantur in exilium: hoc enim debere se credunt amicitiæ. Sed hoc officium erat simulatum, & fallax, quod internum gaudium, externo gemitu, & expressis artificio lacrymis dissimulabant. Ita putat Vatablus, & Montanus, ad quorum sententiam alij difficiles non sunt. 25.

Sed tenent frequentes alij, cùm Hieronymo, ac Theodoreto, ad terminos vsque deductos esse à fœderatis suis Idumæos, quia illi, qui Idumæorum audaciam aluerant, aut promissis, aut interposita fide, aut alio quouis intercedente sociali fœdere, cùm bellum ingrueret à Chaldæis, aut cùm oppugnati fuerint, post aliqua sæcula, Ma- 26.

chabæo

chabæorum armis (ego de Chaldæorum temporibus hæc interpretor) prodent fidem, multis ante promissis, & vinculis alligatam, & se Chaldæis ad Idumæorum vastitatem adiungent, donec tandem debellent, & extorres à patria, ad terminos vsque Babylonios eiiciant.

27. Hæc magis ad aliorum mentem, item ad meam: neque enim ego ab aliorum consensione lubens dissentio, sed planè tunc cum dolore distrahor, cùm me grauior aliqua ratio repugnantem deducit. Sed dicam, quid mihi dici etiam posse videatur, non alienum à veritate, & textu. Putabam ego, hosce fœderatos, qui viri etiam pacis appellantur, quibus cum communem mensam habuerunt Idumæi, esse Chaldæos: constat enim inter hos fuisse societatem, quando Idumæi, cùm obsideretur Hierosolyma, militarem operam nauauerunt Chaldæis, strenuam, & ardentem, datam esse ab Idumæis operam, docet Ieremias *Threnor. cap. 4. vers. 21.* vbi præsertim in Idumæos inuehitur, qui omnium ardentissimè non solùm auxilium præbuere Chaldæis, sed etiam ad excindendam funditus ciuitatem, faces admouerunt, quibus eadem minatur, quæ nunc Abdias. *Gaude & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus. Ad te quoque perueniet calix: inebriaberis, atque nudaberis.* Et Psalmo 136. *Memor esto, Domine, filiorum Edom, in die Ierusalem; qui dicunt: Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea.* Non dubium, quin Idumæi tunc nihil à Chaldæorum exercitu metuerent, imò quin omnia sperarent, cùm tam acrem illis, & sedulam præstitissent operam, in euertenda Hierosolyma. Sed illi fefellerunt expectationem illam, & contra datam, & tot modis astrictá fidem, tentauerunt bello fœderatos suos, neque à pertinaci studio cesserunt, donec à suis finibus extorres excessere. Quo verò tempore id contigerit, dicemus suo loco postea.

28. *Omnes viri fœderis tui illuserunt tibi, inualuerunt aduersum te viri pacis tuæ, qui comedebant tecum.*] Amplificatio est, cum eleganti quadam gradatione, quæ perfidiam exaggerat, & dolendi causas auget, & extollit. Durum est ab hoste pati, vsitatum tamen: at miserum, quódque animum vehementer vrit, & exagitat, id à sociis, & fœderatis subire: & grauius ab his, de quibus prolixè aliquando sis meritus: & multo grauius, si mensam cum illis communem habuisti. Quod explicuit Dauid Psalmo 40. *Homo pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit contra me supplantationem.* Hoc idem Ieremias *cap. 38. vers. 22.* ad Sedeciam. *Seduxerunt te, & præualuerunt aduersum te, viri pacifici tui.* Porrò viri pacifici, aut viri pacis illi dicuntur, quibuscum necessitudo nobis est, & familiaris vsus, quibus nostras curas, & negotia impertimur, & arcana etiam consilia non celamus.

Chaldæorũ in Idumæos perfidia.

29. *Ponent insidias subter te.*] Illud *subter*, occultum aliquid, & clandestinum indicat, quales sunt pedicæ, & laquei, qui illis solent locis occultari, vbi commodius capiant incautos pedes. Sed est allusum ad aquilę nomẽ, cui se similes putabant Idumæi, cùm in arduis, & inaccessis locis suos sibi nidos posuissent, cui tamen laquei in terra disponuntur; in quos incidunt aliquando, quantumcunque se volando sublimes attollant. Nisi mauis illud *subter*, significare locum, in quo aliquis est, vt diximus super Amos *cap. 2. num. 51.* & tunc hic erit sensus: In loco tuo insidias, aut tendiculas ponent. Et si diuinare licet, fortasse à Chaldæis, vel ab aliis, qui se socios & ami-

Subter aliquando locũ significat, vbi aliquis est.

cos venditabãt, fallacibus promissis persuasi Idumæi, descenderent è rupibus, quò non ita facile aspirarent hostes, & ibi capti illa subierunt incommoda, de quibus mox. Sed hæc nos diuinamus potius quàm asserimus.

Non est prudentia in eo.] Non est hominis cordati, & in quo aliquid sit prudentis consilij, facilem se, & credulum præbere aliorum promissis, in quibus sæpe celantur insidiæ. Ieremias paulo aliter. *Nunquid non vltrà est sapientia in Theman? periit consilium.* Quod de Theman dicit hìc Ieremias, hoc Abdias de tota affirmat Idumæa. Theman præcipua videtur esse pars Idumææ, cuius frequens, atque præcipua mentio, cùm sermo incidit de Idumæis. Videtur autem illa ciuitas, aut scholas habuisse Philosophiæ, aut eius disciplinæ, quæ olim in regionibus illis maximè colebatur. Nam sæpe pars illa Idumææ à consilio laudatur: vt vides hic, & Eliphaz Themanites, qui cum Iob omnium acerrimè disputauit, sapientissimus esse dicitur: qui, vt nomen ipsum præsefert, aut erat è Theman, aut in Theman disciplinis Philosophicis fuerat excultus. Idumæi igitur, in quibus numerantur Themanitæ, quorum consilio, atque sapientia res administrabatur publica, sic in rebus administrandis errabant cæci, atque præcipites, vt illis consilium videretur, & mens excidisse. Quare sic admirabundus Propheta, *Nunquid non vltrà est sapientia in Theman?* id est: Nunquid ad hoc vsque tempus datum est Themanitis, vt sapientes sint, deinde verò, vt omninò desipiant, quia sic in deliberando abripiuntur temerè, sic abducuntur insipienter, vt in Themanitis spectare te putes stolidum genus hominum, & politioris indocile disciplinæ. 30.

Theman sapientium schola, aut sedes.

Vers. 8. *Nunquid non in die illa, dicit Dominus, perdam sapientes de Idumæa, & prudentiam de monte Esau?*] Genus quoddam minatur supplicij, quod neque Deus, neque viri sapientes putent esse leue: cùm eripiendum dicat esse consilium à senibus, & prudentiam ab his, qui administrant, aut administrare posse videbantur Rempublicam. Isaiæ *cap. 3.* hoc ipsum minatur Dominus, cùm dicit auferendum esse à Iuda iudicem, & prophetam, ariolum, & senem, consiliarium, & sapientem. Quare, cùm neque in illis consilium sit, neque mens, acquiescet facile illorum verbis, qui se venditabunt socios, & amicos, à quibus in laqueos ab hoste paratos inducẽtur: & cùm grauiùs vrgeat inimicus, nihil inuenient consilij, quo se ab imprudentibus periculis expediant. Quod dixit priùs, *sapientes de Idumæa*, idem iterat per epexegesin, cùm dicit *prudentiam de monte Esau.* Mons autem iste aliter vocatur Seir. Vtraque vox idem valet, quod Idumæa: quia tota regio, aut sita est in montibus, aut montibus inclusa. 31.

Prudentibus à Deo erepta prudentia.

Cyrillus hìc Idumæorum sapientiam illam esse putat, quam impostores quidam habere se putant, aut simulant, ab astris, cuius opinione magnum consequuti sunt nomen, à stulta & admirabunda plebecula. Audi Cyrillum. *Sapientes & intelligentes appellat falsos vates, & assentatores, impostores, & augures, & ex astris fabellas disseminantes, qui eò nugacitatis deuenient, vt inde etiam futurorum notitiam capi posse stolidè arbitrarentur. Quibus rebus idolorum cultibus impliciti magnopere perterrebantur. Hoc morbo, præter alios, etiam ipsi Idumæi affecti, cùm inibi esset, vt bellum circumquaque denunciaretur, exitum circumspiciebant. Congregantes autem harum rerum peritos, quo pacto bellum ipsum euenturum esset, referre iubebant. Hi, vt par erat, victoriam ipsis vaticinabantur,* 32.

Astrologiæ iudiciariæ futilitas.

 sed

sed deprehensi sunt mendaces, & arte ipsos fallente à vero aberrarunt, conuictique sunt intelligentia carere, planè falsò prolocuti miseri. Hæc Cyrillus. Idem penè Lyra: sed quod diximus, magis est commune.

33. Vers. 9. *Et timebunt fortes tui à meridie, vt intereat vir de monte Esau.*] Isaiæ *cap.* 3. cùm Iudæis extremam vastitatem minatur Deus, futurum dicit, vt viri in quibus consilium est & prudentia, de medio tollantur, quia non tam lacertis, quàm consiliis administratur bellum: item viri fortes, qui viribus præstent, quicquid prudentes iudicauerint, ex vsu futurum esse reipublicæ. Hoc idem Dominus per Abdiam Idumæis edicit, defuturos nempe sapientes, quorum iudiciis in deliberando, & robustos, quorum in præliando viribus vtatur Respublica. Dicit ergo, incutiendum esse metum fortibus, ne audeant inimicorum non solùm impetum, sed neque oculos subire, & ex eo euenturum, vt nemo eorum, qui habitant mótem Esau, aut cædem, aut exilium effugiat: illud enim est, interire de monte Esau, id est, in eo non futurum ampliùs.

34. Vbi vulgatus *à meridie* Hebraicè est תימן themā, quæ ciuitatem significat, aut primam, aut ex præcipuis, quæ sunt in Idumæa. Fortasse ideo vocata est Theman, quia in meridionali plaga sita est. Neque inusitatum est nostro interpreti, vt prò nomine proprio, eius adhibeatur significatio, vt pluribus docuimus ad illud Canticor. 6. *Pulcra es amica mea, suauis, & decora.* Qui plagam Australem, seu meridionalem accipiunt Idumææ, hanc arbitrantur esse sententiam: Si fortes, qui in plaga meridionali sunt, quæ maximè distat à Chaldæa, quæ Aquilonaris regio est, tam erunt animo languenti, ac pauido, quid de illis sperandum, aut cogitandum erit, qui ad illam regionem habitabunt, quæ propiùs respicit Chaldæorum fines: vnde dirum timetur exitium?

Theman vrbs Idumæorum præcipua.

35. Neque tamen videtur improbabile, primùm hîc meridiem sumi pro Theman: deinde Theman non esse ciuitatem aliquam, tametsi in Idumæa ciuitas sit eius nominis, sed totam prouinciam, quæ nomen sumpsit à filio primogenito Esau: qui, vt constat *Gen.* 36. *vers.* 15. vocatus est Theman, qui fortasse prouinciæ toti nomen dedit. Quemadmodum vsu aliis prouinciis frequenter euenit, quibus non solùm à primis fundatoribus, sed etiam ab aliquo ex illorum posteris, qui tamen non longè recesserint ab origine, datum est nomen. Ex sacris exempla habemus. Primum, cùm Ioseph non esset auctor Israelitici generis, tamen aliquando totum illud genus nomen sumpsit à Ioseph. Psalm. 79. *Qui regis Israel intende, qui deducis velut ouem Ioseph.* vbi per epexegesin eadem est in vtroque hemistichio sententia. Et ideo pro tota vsurpatur Israelis familia, quia primogenitus fuit Iacob, loco Rubē, vt habes *lib.* 1. *Paralipom. cap.* 5. *vers.* 1. Neque nouum est, vt ciuitas, aut etiam prouincia nomen accipiat, non ab auctore, sed ab illius filio, seu etiam nepote: quomodo Cain *Gen. cap.* 4. *vers.* 17. à suo filio ciuitatem quam primùm ædificauit, appellauit Henoch: siue quia illam ornauit, amplificauitque: fierique potuit, vt licèt Esau primus incoluerit montem Seir, non tamen illum tam ornauerit ipse, aut filius Eliphaz, quàm nepos Theman. Ex profanis accipe vnum exemplum, tu plura inuenias. Euandrus omnium primus ædificauit Romam, de quo Virgil. 8. Æneid. libro,

Ciuitatibus vnde nomen impositum.

Tunc rex Euandrus Romanæ conditor arcis.

36. Et tamen nomen accepit à Romulo, qui illam

A amplificauit, & ornauit. Aut etiam Theman per synecdochen, pro tota vsurpatur prouincia, quia prouinciæ caput, & prima sedes. Quomodo in Hispania Valentia, Corduba, Toletum, non solùm ciuitates significant, sed etiā regna, quorum sunt caput. Neque leue argumentum est, in Theman Idumæam totam significari, quandoquidem meridiana plaga, & ventus qui ab illa spirat, Theman appellatur: quia comparatione Hierosolymæ, regio illa ad meridiem inclinat. Venti autem, non ab vna ciuitate sumunt nomen, sed à tota prouincia. Quomodo dicitur Africus, Libs, Hellespontius, Thracius. Erit ergo iuxta hæc, huius loci sententia: Omnes fortes, qui fuerunt

Theman pro tota Idumæa.

Theman pro plaga meridionali.

B in tota Idumæa, trepitabunt: in quam inclinat Cyrillus, & meo iudicio indicat non obscurè Ieremias *cap.* 49. *vers.* 20. vbi Theman idem esse putat, quod Idumæam. *Audite*, inquit, *consilium Domini, quod iniit de Edom, & cogitationes eius, quas cogitauit de habitatoribus Theman.* In epexegesi, qualis sine dubio est hæc, in vtroque hemistichio eadem debet esse sententia.

Vers. 10. *Propter interfectionem, & propter iniquitatem in fratrem tuum Iacob, operiet te confusio.*] Causam reddit, cur hæc tanta clades, & vastitas maneat Idumæos: quia in Iacob hostiles semper aluerunt spiritus, & sempiternum odium, licèt Idumæi ab antiquissimis tēporibus infensi fue- 37.

Idumæorum odium contra Israelitas

C rint Israelitis, quasi hæreditario odio, vt diximus *in cap.* 1. *Amos num.* 64. & tam olim, quàm extremis temporibus, omnibus illos affecerint incommodis, tamen hoc loco tempore illo existimo locutum esse Prophetam, quo vastatus est ab Assyriis Israel, & duæ postea tribus à Chaldæis: quo tempore non receperunt supplices, cùm extrema pateretur vterque populus, imò in illorum exitium, cum Chaldæorum exercitu conspirarunt. Hoc satis meo iudicio probāt, quæ sequuntur. Illud *propter interfectionem* Hebræorum 38.
dispunctio ad superiora refert, & quidam Latini codices. Tunc verò sic exponunt locum. Interibit seu deficiet omnis vir de Esau, quia interficietur.

D Sed cōmodiùs ad sequentem accōmodatur clausulā, vt habent codices à Sixto correcti. Et tunc, ideo futura dicitur tanta populi vastitas, quia iniquus, & crudelis fuit in gentem sibi sanguinis cognatione coniunctam. Quòd verò confusionem minatur Deus, supplicium accommodatum denunciat Idumæorum atrogantiæ, de qua paulo antè, qui aut suis viribus, aut in naturali regionis præsidio, ita sibi placebant & gratulabantur, vt nihil à quoquam formidandum putarent: quo autem confidentia, atque arrogantia maior, eo in fortunæ conuersione maior erit pudor, atque confusio.

Et peribis in æternum.] Instaurata fuit Idumæa ab 39.

E ea clade, quam accepit à Babyloniis, vt prædixit Ieremias *cap.* 27. *vers.* 7. cùm enim paulo antè Idumæos, Moabitas, & Tyrios, &c. subiiciendos esse dixisset regi Babylonis, statim illorum captiuitati & seruituti terminum definit. Neque postea Machabæi cùm Idumæo populo bella gessissent, nisi in suas iterum sedes & potentiam forent restituti. Cur ergo nunc audimus à Propheta, stragem illam, & solitudinem Idumæis futuram esse sempiternam? Sanè verissimè, iuxta Hebræorum idioma, qui *æternum*, & similia non tantùm dicunt, quod nullo clauditur termino, sed etiam quod diuturnum est, quantum videtur annorum septuaginta spatium, quot Idumæorum durauit seruitus, vt in locum citatum Ieremiæ diximus,

diximus, in nostris Commentariis. Neque id solum apud Hebræos, sed etiam apud Latinos vitatum, apud quos *æternum*, & similia non semper valent, quod nullo definitur spatio. Egimus hac de re pluribus, in nostris Commentariis in Isaiam, *cap. 13. num. 29.* Hoc idem de Idumæis cecinit Ieremias *cap. 25.*

40. Vers. 11. *In die, cùm stares aduersùs eum, quando capiebant alieni exercitum eius.*] Iam sæpe à nobis dictum est, quemadmodum Idumæi socios se Babiloniis ad expugnãdam Hierosolymã adiunxerint. Cùm autem in alienas, id est, Chaldæorum manus venit exercitus Israel, tunc videntur Idumæi dixisse illud, quod multis antè sæculis Propheticis auribus accepit Dauid Psalm. 136. *Exinanite, exinanite, vsque ad fundamentum in ea.* Quod odium ostenderũt apertè, cùm illud aggressi sunt facinus, à quo fortasse abstinuissent Babylonij, quantumcunque à Iudæorum perfidia prouocati: illi enim fuerunt, qui primi, & fortasse soli flammas coniecerunt in templum, quo domus illa, ipsis etiam Gentibus religiosissima, conflagrauit: sic enim iuuenis quidam ad Cyrum Esdræ lib. 3. cap. 4. vers. 45. *Tu vouisti ædificare templum, quod incenderunt Idumæi, quando exterminata est Iudæa à Chaldæis.* Neque minus fortasse crudeliter sæuierũt in Israelitas, quando expugnati fuerunt ab Assyriis, & in peregrinum solum ablegati: neque enim melius erant in hos, quàm in illos affecti, cùm omnes essent ab eodem propagati parente, in quem totum illud genus hæreditario odio hostiliter ardebat. Illud, *Et extranei ingrediebantur portas eius*, tempus designat, quando magis emicuit Idumæorum, aut ardens studium, aut implacabilis furor.

Templũ ab Idumæis incensum.

41. *Et super Ierusalem mittebant sortem.*] Quomodo victores hostes prædam sibi sortitò distribuant, diximus ad illud Ioel. cap. 3. vers. 3. *Et super populum meum miserunt sortem:* vt autem alia, sic etiam captiui ducti sortibus aliorum alligabantur seruituti, vt docet Nahum cap. 3. vers. 10. *Et super inclytos eius miserunt sortem.* In quam sententiam multi explicant illud Psalm. 67. *Si dormiatis inter medios cleros*, id est, si fueritis inter sortes, sicut homines iam domiti, de quorum capite sortes consuluntur. Sed aliter nos illum locum in expositione illius Psalmi interpretati sumus. Quia verò, cùm res, & capita Iudæorum committerentur sorti, rem vrgebant vehementer Idumæi, tulerunt debitum tantæ, tàmque importunæ sedulitati supplicium, cùm eorum quoque fortunas, & capita Babylonij hostes sorti permiserunt, de quibus Isaias cap. 34. vers. 17. *Et ipse misit eos* (nempe feris, quæ exclusis Idumæis, illorum regionem habitarunt) *sortem, & manus eius diuisit eam in mensuram.*

42. Vers. 12. *Et non despicies in die fratris tui.*] Hîc variè interpretes, quorum enumerare, ac infirmare sententias longum opus. Ego hîc arbitror verum esse, quod Vatablus indicat, cui Montanus & Legionensis subscribunt, futurum, sicut aliis multis locis, significare debitum, aut decorum, id est, quod fieri, aut potuit, aut debuit. Iuxta quam regulam ego exposui illud Isaiæ cap. 57. num. 55. *Quia spiritus à facie mea egredietur, & flatus ego faciam*, id est, ego sum, qui possum facere, vt aspirent venti, aut respiret homo. Genes. 20. vers. 9. vbi vulgatus habet, *Quæ non debuisti facere, fecisti nobis.* Hebr. *Opera quæ non fient*, [illegible], id est, opera quæ non debent fieri, vt legit Chaldæus Genes. 34. [illegible] 7. vbi vulgatus,

Regvla. Futurum debitum, aut decorũ significat.

A *Et violata filia Iacob rem illicitam perpetrasset.* Hebraicè est, *Vt dormiret cum filia Iacob, & sic non fiet*, id est, fieri non debuit, aut illicitum factu fuit. Matth. cap. 16. *Absit à te Domine, non erit tibi hoc*, id est, non æquum est, vt hæc patiaris.

Ex his non erit difficilis sequentium expositio, si tempora, quæ in futuro ponuntur, per debitum, aut decorum exponas. Quomodo si hæc, quæ præ manibus habemus, in hunc sensum accipias. Non debuisti despicere fratrem tuum, quo tempore ab hostibus patiebatur extrema. Quia ergo, contra omnem humanitatem obduruisti, & quos consolari, aut tueri debueras, non minus quàm alieni hostiliter insectatus es, ideo talia patieris, qualia proximè de tuis rebus audiisti. Et ad hunc modum sunt explicãda reliqua, quæ in tempore futuro, iuxta Hebræorum idioma, posuit noster interpres. Quæ nunc illustro paraphrasi: neque enim puto aliquid præterea esse necessarium, cùm res tota, ad hanc regulam vocata, obscura non sit. Cùm hostes Babylonij populum meum ad extremam adegissent desperationem, & portas desiderij sui compotes ingrederentur, & miserorum fortuna sorti foret commissa, tu cum illis quasi alienus esses ab illorum genere, in eius exitium conspirasti, cùm tamen in die illius tantæ cladis, & cùm peregrinus abduceretur à patria, non debuisses illum vsque adeò superbè despicere. Neque exultare, cùm filij Iuda spoliati bonis, & patria, extremam ab hoste fortunam, & ignominiam paterentur. Neque, cùm illi, & priuatam, & publicam calamitatem deplorarent, committendum tibi fuit, vt in illorum lacrymis triumphares, & illorum sortem ignominiosè, & crudeliter insectatus, insolenter prædicares tuam, tamquam superiorem fortunæ ludibriis, & inimicorum armis: neque, cùm populus hostilibus machinis laberetur & rueret, debuisses iam pronum ad casum, & ruentem impellere, sed potiùs, aut ruentem sustentare, aut iacentem erigere. Quid plura? Neque humanitas, & generis communio patiebatur, vt cùm populus ille malis premeretur ingentibus, & suis spoliaretur ornamentis, & commodis, illum negligeres, & multo minus vt armatus inuehereris in illum, aut emissus ab hoste Babylonio, cui operam nauabas militarem, illum insequereris fugientem. Ad extremum, neque pium, neque humanum fuit, omnes viarum exitus, omnia miserorum diuerticula occupare custodia: ne cui illorum, aut facilis esset, aut impunita fuga, sed omnes districtus exciperet gladius, & eos qui à fuga abstinuissent, sic vndique intra mœnia, atque angustè concludere, vt nullus se ad fugam aditus aperiret. Hoc postremum explicauit Ezechiel *cap. 35.* Vide quod nos ibi, *num. 4.* 43.

E Hæc mihi expositio facilis: neque aliquid in ea durum, aut distortum inuenio. Ex omnibus aliis, illa mihi maximè placet, quã à Hieronymo acceperunt frequentes alij. Itaut talia nunc minetur Propheta Idumæis, qualia ipsi Israelitis intulerunt damna, nempe ludibria, sortes, fugam, exilium, & cædem: quod item fecit Ieremias Threnor. cap. 4. *Gaude, & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus: ad te quoque perueniet calix. Inebriaberis, atque nudaberis.* Cùm ergo talia pertulerint Idumæi, qualia aut ipsis intulerunt incommoda, aut cum risu, & voluptate ipsorum ab aliis illata subiit Israel, tunc longè erunt, vt aliis irrideant, aut in eorum angusta, atque vexata fortuna lætentur, nisi sibiipsis esse velint iniurij, 44.

&

Digitized by Google

& suis vicissim infortuniis illudere. Quare iuxta Hieronymi expositionem hæc erit sententia. Non despicies fratres tuos, cùm videas illos extorres ablegari: quia tu quoque patriam deseres, ab hoste captiuus: non exultabis memor illius cædis, quæ Israelitas concidit, cùm idem te hostis, & gladius excipiant. Neque magnificè tua, & superbè iactabis, cùm in illam conditionem abiiciaris, quæ magnos spiritus, & possit, & debeat profundè deprimere. Neque stabis in biuiis, vt fugientes aut interimas ferro, aut à fuga retrahas, sed tu potiùs, aut retraheris à fuga, aut sterneris in biuio. Cum hac sententia bellè cohæret, quod statim sequitur. In hunc ego modum Hieronymū accipio. Alij aliter capiunt, sed neque omnia facilem habent, cohærentémque sententiam, neque omnia à nobis adducenda sunt.

45. *Magnificare os quid.* Illud *magnificare os*, nihil aliud est, quàm superba loqui, aut quicquid lubet effundere: ita vt neque pudor, neque metus, spiritum includat audacem, & liberum, quasi qui linguæ suæ domini sunt, neque illam ad legem vllam, aut aliorum voluntatem attemperant. Quod dicebant illi, de quibus Psalm. 11. vers. 5. *Linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt: quis noster Dominus est?*

46. Vers. 15. *Quoniam iuxtà est dies Domini, super omnes gentes, sicut fecisti, fiet tibi.*] Plurimæ gentes variis temporibus vexauere Iudæos: vel dum ipsæ seorsim bello tentant, & hostiliter vexant rem Iudaicam, vel dum se hostibus potentioribus associant, quales sunt Assyrij, qui decem, & Babylonij qui duabus tribus ad cædem, & exilium vsque persecutæ sunt. His omnibus Prophetæ, talia aut etiam duriora minantur, qualia contra Dei populum pertinaci consilio molitæ sunt. Ierem. cap. 25. vers. 9. *Ecce ego mittam vniuersas cognationes Aquilonis, ait Dominus, & Nabuchodonosor regem Babylonis seruum meum, & adducam eum super terram istam, & super habitatorem eius, & super omnes nationes, quæ in circuitu illius sunt, & interficiam eos, & ponam eos in stuporem, & in sibilum, & in solitudines sempiternas.* Idem statim *vers.* 15. sub nomine calicis, idem significat, & inter nationes alias, quos hoc vaticinij genere, & calicis nomine designat, speciatim nominat Idumæos. Et *cap.* 27. hoc idem explicuit vaticinio quodam hieroglyphico, dum catenas porrigit, tum aliis principibus, tum etiam Idumæis. Quare, dum omnibus gentibus, à quibus populi Dei est vastata salus, propinandus dicitur calix, ex illorum numero non excluduntur Idumæi, quibus edicitur, non aliam aut meliorem futuram esse sortem, quàm ipsis, aut agentibus, aut instimulantibus subierunt Iudæi. Et vt certissimum esse doceat prophetiæ pondus, multis illud modis amplificat, qui cùm nihil addant significationi, addunt tamen plurimum affectui. Sicut fecisti fiet tibi, & retributionem tuam conuertet in caput tuum. Illud verò *in caput tuum* idem est quod in te. Caput enim alicuius idem est quod *aliquis*, vt pluribus ostendimus in commentariis in Isai. *cap.* 35. *num.* 19.

47. *Bibere vox ambigua.* Vers. 16. *Quomodo enim bibistis super montem sanctum meum, bibent omnes gentes iugiter. Et bibent, & erunt quasi non sint.*] *Bibere* in Scriptura vox est ambigua, quæ modò aliquid significat horribile, ac triste, vt modò ex Ieremia *cap.* 25. diximus, & docuit apertè Psalm. 74. vbi calix, & potus, pro supplicio ponitur. *Hunc humiliat, & hunc exaltat,*

A *quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto. Et inclinauit ex hoc, in hoc: veruntamen fæx eius non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ.* Cur verò calix, aut potus supplicium significet horribile, diximus super Isaiam ad illud cap. 51. *Quæ bibisti de manu Domini calicem iræ eius*, quem locum vide. Significat præterea magnam etiam lætitiam, qualis solet esse in conuiuiis, quæ plerunque exhilarat fœcundus calix. Vnde vinum, quia præcipua esse existimatur conuiuij pars, sine quo nihil esset lætum, & geniale, fit vt conuiuium vini significetur vocabulo, vt diximus super Danielem *cap.* 5. *vers.* 19. & à vino, & potu conuiuia à Græcis appellantur symposia, id est, compotationes. *Vinum pro conuiuio.*

B Hoc loco bibere, vt cum Hieronymo sentiunt Cyrillus, & plures alij, aliquid significat lætum, quo nuptiæ, v. g. victoriæ & triumphi celebrantur. Cùm autem iam Chaldæi, & qui in illorum castris contra Iudæos dimicabant, bellorum molestiis essent perfuncti, & opima inimicorum præda locupletati, secundos bellorum euentus genialibus mensis & frequētibus poculis celebrabāt. Hoc idem in suis finibus experientur Idumæi. Nam, vt illi, diffuso largè mero, debellatis Iudæis dies agebant lætos, & festiuos, sic hostes occupatis Idumæorum sedibus, in illis splendida agitabunt conuiuia, ex direpta præda, & vino ad ebrietatem hausto, curas antiquas & molestias dissoluent. 48. *Bibere aliquid significat lætum.*

C Illud alicui contra cogitationem nonnihil exhibet negotij, quod illi idem, qui bibituri dicuntur calicē, statim dicuntur perituri continenti verborum textu, quod in illos multo magis quadrat, qui calicem amarum & mortiferum haurient, quam qui lætum, & qualis decet homines exultantes victoria. Mihi placet quod visum est Theodoreto, denunciari hîc Babyloniis talem exitum, qualem habuerunt priùs Iudæi, excisa Hierosolyma, & postea Idumæi eorum armis domiti, & e suis sedibus excedere compulsi. Nam vt ipsi in aliorum cædibus, ac direptionibus exultarunt, sic cùm Persæ, ac Medi Babyloniam victricibus armis expugnarint, ipsi non solùm potentia & gloria, sed etiam a vita cadent. Id enim valet, *Et erunt quasi non sint.* Quæ verba in rebus omnibus vicissitudinem quandam esse docent. Vt enim lugebunt Idumæi spoliatis bonis, & à patria depulsi, qui paulo antea immodicè se exultantes extulerant, sic qui in Idumæorum dolore, & casu triumpharunt, iidem postea Persarum viribus subacti, sic afficientur, vt perinde possint existimari, atque si nullo tempore fuissent. Id verò significauit Ieremias, qui cùm sub calicis metaphora in priori significatione aliquarum nationum, in quibus numeratur Idumæa, exitium prædixisset per regem Babylonis, ad extremum addidit idem Babyloniis aliquādo subeundum esse supplicium: sic enim cap. 25. vers. 26. *Et rex Sesac bibet post eos.* Rex verò Sesac rex est Babylonis, vt eo loco diximus: vbi obscurum scribendi modum, tum Iudæis, tum Gentibus vsitatum ostendimus. 49.

D E Antequam ex priori parte capitis emergamus, exploremus oportet, quando, aut a quibus talem stragem, atque fortunam Idumæi subierint, qualis nunc prædicitur ab Abdia. Duo tempora, & totidem excidia significantur à Propheta. Alterum in priori parte capitis à Chaldæis, alterum in posteriori à Iudæis, quos antè infectati fuerant, & vexarant hostiliter. Quòd fuerint malè mulctati, 50.

mulctati, & exacti à suis finibus à Chaldæis, docuit satis perspicue Ieremias *cap.* 25. *& cap.* 27. & Ezechiel *cap.* 35. vt sentit ibi Hieron. & cum eo frequentes alij. Sic auté ibi vers. 3. *Ecce ego ad te mons Seir:& extendam manum meam super te. & dabo te desolatum*, &c. Et infrà vers. 15. hoc idem dicit, quod nuper Abdias. *Lætante vniuersa terra, in solitudinem te redigam: sicuti gauisus es super hereditatem domus Israel, eo quòd fuerit dissipata, sic faciam tibi*, &c. Clarius cap. 25. vers. 13. *Extendam manum meam super Idumæam, & auferam de ea hominem, & iumentum, & faciam eam desertam ab Austro, & qui sunt in Dedan gladio cadent. Et dabo vltionem meam super Idumæam, per manum populi mei Israel.*

Idumæi à Chaldæis deleti.

B Quoto anno ab excisa Hierosolyma tentata fuerit, atque deleta à Babyloniis Idumæa, non constat ex Scriptura, sed indicat Iosephus *lib.* 10. *Antiquitatum, cap.* 11. vbi licet non nominet Idumæam, nominat tamen nationes alias vicinas, à quibus Idumæa separari non solet. *Quinto*, inquit, *post excidium Hierosolymitanum anno, qui fuit regni ipsius Nabuchodonosoris vigesimus tertius, cum magnis copiis inuasit idem Syriam. Qua subacta bellum gessit contra Ammonitas, & his quoque perdomitis, Ægyptum hostiliter est ingressus.*

51\. Vexati iterum sunt à Iudæis, & vastati, postquam se rursus à vastitate confirmarunt Idumæi, & libertatem consecuti, instaurarunt, quæ priùs C fuerant à Chaldæorum exercitu subuersa. Id planè docet in eo, quod reliquum est capitis Abdias, & alij Prophetæ non semel. Et quidem id accidisse instaurata iam Hierosolyma, & excitato templo, habemus ex lib. 1. Machabæorum cap. 5. vers. 3. *Et debellabat Iudas filios Esau in Idumæa, & eos qui erant in Arabathane, quia circumsidebant Israelitas, & percussit eos plaga magna.* Sed est dubium an hæc ad Iudæos pertineant, postquam ab exilio redierunt, ita vt ab illis subacti fuerint Idumæi, an ad Euangelij tempus, in quo barbara illa atque syluestris natio, Christi iugum suscepit domita ab illis, qui veri appellari potuerunt Israëlitæ.

Idumæi à Iudæis subacti.

52\. D Quidam de spiritali victoria capiunt, quam de Idumæis retulit Euangelium. ita indicat August. *lib.* 18. *de ciuitate, cap.* 32. Tenet Lyra, & Burgensis, Montanus, Rupertus, & omnium acerrimè Legionensis. Rationes hæ sunt, aut solæ aut præcipuæ. Quia non apparet, quando Idumæi fuerunt ita subacti à Iudæis, à captiuitate solutis. Item quia Samaria possidenda dicitur à Iudæis, quod ex Scriptura sacra non constat, imò neque à prophana. Quare nisi de spirituali sensu hæc accipias, non videtur expleta prophetia.

53\. Alij de Iudæorum felicitate capiunt, postquam ab exilio remigrarunt in patriam. Putant E cum Hieronymo complures alij, qui ab illa dissentire non solent. Tenet apertè Cyrillus, & Theodoretus, de cuius sensu statim. Tenet Ribera, probátque multis. Rationes hæ præcipuæ. Prima, quia iuxta Aug. *lib.* 3. *de doctrina Christiana, cap.* 10. *& 11.* non est ab eo, quod proximè litera significat, ac sonat, recedendum, nisi aliquid appareat indecorum, aut falsum. *Quando ea*, inquit, *quæ dicuntur, propriè accipi possunt, vt verba sonant, nec quid habent absurdi, contra veritatem, aut contra sanam fidei morúmve doctrinam, tunc ille sensus est historicus: sin autem maiora sint, quàm vt possint illi rei conuenire, de qua dicuntur, quærendus est alius sensus occultior, atque sacratior, qui quamuis spiritualis videatur, historicus tamen sit.* Hæc Augustinus. Quæ quidem

Regvla. Non est à litera recedendum, nisi cùm aliquid [illegible] in[illegible] aut [illegible].

A regula verissima est. & ab omnibus iure perquam optimo recepta, iuxta quam proposita nobis controuersia disceptanda. Quòd si de Iudæis, atque Idumæis propriè sumptis hæc verè affirmari potuerint, quæ hoc loco traduntur ab Abdia, proculdubio de illis statuendus est historicus sermo. Id igitur agamus, neque alia nobis confirmatione opus erit.

Audimus hîc Iacob, Esau, Ioseph, Samariam, 54.
Benjamin: & sicut stipulam ab igne, sic Idumæos à Iacob & Ioseph vastatos esse, atque consumptos. Et primùm nemo dubitat in Scriptura sacra hyperbolicas esse locutiones, iuxta quas, quod diuturnum est, æternum appellatur, & quando B è magno numero superstites fuere viri aliorum comparatione pauci, nullum existimari fuisse reliquum. Ab exemplis supersedeo, quæ sunt obuia. De priori, id est, de æterno, pro diuturno vide regulam, quam adduximus super Isaiam *cap.* 32. *num.* 32. Quòd omnes sumantur pro multis, & paucis pro multis, vide regulam ea de re, in nostris commentariis in Isaiam *ad caput* 10. *num.* 28. & in Ieremiam *cap.* 23. *num.* 11. Ex his regulis non erit, opinor, incredibile, imò neque difficile, quod posterior sententia probat. Nam primùm debellatos à Machabæis Idumæos, iam suprà obseruauimus ex *lib.* 1. *Machabæor. cap.* 5. vbi percussi dicuntur Idumæi plaga magna: qui loquendi C modus in Scriptura talem plagam significat, qua omnes dici posse videantur occisi. Sed neque leuem postea plagam acceperunt *lib.* 1. *Machab. cap.* 10. *vers.* 17. (si modò hæc à superiori diuersa plaga est) vbi vigintimillia Idumæorum dicuntur extincta. Et iterum *vers.* 23. plusquam viginti millia. Sed illa fuit longè grauissima, quam acceperunt Idumæi ab Hircano, vt refert Iosephus lib. 13. Antiquitat. cap. 17. *Hircanus*, inquit, *subiugatis omnibus Idumæis edixit, vt circumciderentur, nisi mallent è propriis pelli sedibus. At illi amore patriæ admiserunt, & circuncisionem, & reliquam, iuxta Iudaicos ritus viuendi formulam: atque ex eo primùm tẽpore inter Iudæos censeri cœpti sunt.* Tunc periisse vi- D deri possunt Idumæi, quia de suo statu, ac religione ceciderunt, circuncisionem admittere coacti, quã tantopere execrabatur ipsorum pater Esau, vt ipsam adducto præputio in sua carne deleuerit, & paterni generis notam, & religionem abiurauerit. Ita docet Epiphanius *lib. de ponderibus, ad medium.* Periisse autem existimantur, vt Logicorũ more loquar, formaliter Idumæi, quia Idumæi circuncisa carne esse desierunt. Vulgò autem hominum, & consideratione morali, illi periisse dicuntur, qui graue detrimentum accipiunt, aut grauem fortunæ, aut vitæ mutationem. Vnde familiare est apud Tragicos, & Comicos, qui & hominum mores, & loquendi consuetudinem E imitantur, si quid aduersum accidit, aut timetur, dicere, *Perij, Occidi, Nullus sum*, & similia. Qua in re assimilari possunt Idumæi aridæ stipulæ, & domus Iacob atque Ioseph flammæ: quia non minus domus Iacob Idumæos, quàm arentem stipulam flamma consumpsit. Ex quo etiam intelligitur, quomodo Idumæa futura dicatur Domino regnum: quia sacra colet Iudaica, & stigmate impresso circuncisæ carni legitimo testimonio ac signo se de Dei Regno, ac populo esse profitebitur.

Regvla, In Scriptura sacra locutiones hyperbolicæ.

Idumæi sæpe à Iudæis vexati.

Idumæi circuncisionem admittere coacti.

Regvla. Periisse existimantur, qui graui aliquo detrimento affecti sunt.

Vrget adhuc quidam exemplo Samariæ, quam 56.
dicuntur possessuri, qui fuerint ex genere Iacob. Quod cùm nunquam ab exilio reuocati Iudæi consecuti fuerint, effici videtur necessariò de fi-

gurate

gurat̀è potius, quàm de propriè Iudæis ſumen-
dum eſſe vaticinium. Sed ego Samariam terrám-
que Ephraimitidem à Machabæis occupatam in-
uenio. Narrat hoc ſacra hiſtoria, licèt obſcurè,&
Ioſephus vſqueadeo expreſsè, vt nihil dici potu-
erit apertius. *lib. 1. Machabæorum, cap. 5. verſ. 66.*
Iudas dicitur perambulaſſe Samariam, quo loco
ſignificatur obſcurè aut tunc ſubactam à Macha-
bæo Samariam, aut certè ante hoc tempus in
eius fuiſſe poteſtate: neque enim perambularet
cum exercitu, niſi aut illam ſubiugare vellet, aut
haberet antea ſuæ poteſtati ſubiectam. *Et mouit
caſtra, vt iret in terram alienigenarum, & perambula-
bat Samariam.* Obſcurè hæc, fateor, ſed quod
Ioſephus docet *lib.* 13. *Antiquitat. cap.* 18. luce
clarius. Cùm enim de obſeſſa Samaria ſermo eſ-
ſet, quam princeps Iudæorum Hircanus obſidio-
nis anguſtiis diu vexarat, addit tandem. Atque
ita Hircanus, integro anno in oppugnatione ex-
acto, non contentus vrbem carpere, etiam ſo-
lo eam æquauit, ductis eò torrentibus, quorum
eluuie ita cuncta fœdata ſunt, vt ne veſtigium
quidem ſupereſſet eius oppidi. Debellauit item
ciuitates alias Samariæ ſubiectas, & gentē Chal-
dæorum, quam Aſſyrij Iſraelitarum loco ſuffe-
cerant, quos inde auectos in ſuam ditionem re-
gnúmque tranſtulerant. Sic autem de illo Ioſe-
phus lib. 13. Antiquitat. cap. 17. *Cæterùm Hirca-
nus audita morte Antiochi confeſtim ad vrbes Syriæ du-
xit exercitum, ratus, id quod erat, inuenturum ſe eas
vacuas propugnatoribus,* &c. Et inſuper Sichimam,
atque Garizim cum gente Cuthæorum, qui ac-
colebant templum, inſtar Hieroſolymitani in-
ſtructum, permiſſu Alexandri, & Sanaballete du-
ce. Quare hæc ſententia, quam alij ſtylo com-
pūgunt plus ſatis acuto, eámque tragicum in mo-
dum exagitant, non videtur, cur exiſtimari de-
beat improbabilis.

57. Nihilominus placet tertia ſententia, quæ ma-
gnos auctores inter ſe nō ita conſentientes aptè
conciliat. Quæ ſic affirmat, hæc eſſe de Iudæo-
rum ſtatu, poſt ſolutam captiuitatem à Cyro, dé-
que Idumæorum excidio intelligenda hiſtoricè,
vt tamen typicè Euangelium, id eſt, meliora tem-
pora reſpiciant. Ita apertè Theodoretus, qui ſic
explicat omnia de Idumæorum caſu, Iudæorúm-
que meliori fortuna, vt tamen dicat aliquid ibi
ad ſpiritualem ſalutē, & Euangelij tempora por-
tendi. Cùm enim dixiſſet loquens cum Idumæis:
Vos, ó Idumæi, pœnā dabitis eorum, quæ in fra-
tres veſtros cōmiſiſtis: ſtatim ſubdit illorū verbo-
rum explicationem. *In monte autem Sion erit ſalua-
tio, & erit ſanctum.* Et ait, *Reducam eos ex captiuita-
te, & ſanctum templum readificabo.* Prænunciat ſal-
uationem omnibus exortam in Sion, & ſancti-
ficationem inde, in omnem orbem terrarum pro-
fuſam, per crucem Saluatoris. Deinde, quod reli-
quum eſt capitis, de Idumæis, atque Iudæis, in
ſignificatione interpretatur propria. Eadem ſen-
tentia adſcribi poteſt Hieronymo, licèt quid i-
pſe ſentiat, non obſcurè doceat: qui cùm hæc
omnia, de Iudæis victoribus, Idumæíſque ſubiu-
gatis eſſet interpretatus, reſpectat tamen Euan-
gelij tempus, quo tempore ſignificat aliquid ho-
rum ſimpliciter, & ante omnia alia fore perfectè
complenda. *Idumæa,* inquit, *ſubuerſa, & ab inimicis
gentibus, cum quibus priùs contra Iacob fœdus inierat,
deuorata, in monte Sion, erunt reliquiæ, eritque ſalua-
tio, & erit ſanctus, hoc eſt, vel ipſe Dominus reuertetur
ad templum, quod propter peccata dimiſerat, vel erit ab-
ſolutè ſanctum, id eſt, ſanctum ſanctorum. Et poſſidebit*
A *domus Iacob, ſub Zorobabel, vel Eſdra, & Nehemia,
eos, qui ſe hæreditate poſſederant. Et erit domus Iacob, id
eſt, Iuda, ignis: & domus Ioſeph, id eſt, decem tribuum
flamma.* Vide quàm non obſcurè de reſtitutis ab
exilio Iudæis loquatur Hieronymus. Sed poſtea
explicationem inducit myſticam. *Destructis,* in-
quit, *carnis operibus, & terreno imperio deſolato, erit in
Eccleſia ſaluatio eorum, qui à matre non exierint.* Et
iterum, cùm explicaret illud, *Et hæreditabunt hi,
qui ad Auſtrum,* &c. ait, *Reuerſo in regnum ſuum Iuda,
qui habitauit in meridie, & poſſedit omnem regionem,
iuxta diuiſionem Ieſu filij Naue. Qui priùs terminis ar-
ctabantur anguſtis, poſſidebunt montem Eſau, id eſt,
montes Seir, & montana, quæ Edom antè poſſederat.*
B Sed aliquanto pòſt addit: *Hoc verùm tantum ſit,
Deus viderit, poteſt enim ex parte per annos quingentos,
vſque ad aduentum Chriſti eſſe completum.* Ex his non
dubium eſt, quid Hieronymus ſentiat. Idem et-
iam cenſent illorum multi, qui Hieronymo ple-
rumque ſubſcribunt, Dionyſius, qui tamen ma-
gis probat myſticū ſenſum, Remigius, Albertus,
Hugo, Ribera, Robertus, & Caſtrus. Quæ ſen-
tentia nihil derogat Euangelio, quando illi con-
cedit allegoricè, quod hiſtoricè ac propriè Iu-
dæorum captiuitati reſtitutæ, neque contorquet
literam, quæ nihil aliud ſonat, quàm Idumæam
ſubrutam, & euerſam, & glorioſum Iudæorum
reditum; & illuſtres victorias, quales de Genti-
C bus, & de his, quorum erant ſtudia & mores à
pietate alieni, tulit Eccleſia, quos adumbrabat
Idumæorum & pertinax in Iſraelitas odium, &
crudele ac barbarum ingenium. Nunc explore-
mus ſingula.

Verſ. 17. *Et in monte Sion erit ſaluatio, & erit ſan- 58.
ctus.*] Gratulabantur ſibi, opinor, Idumæi, quod
ipſius regioni, nihil à Babyloniis accidiſſet aduer-
ſi, & ipſi, graſſantibus quacunque Chaldæis, e-
uaſiſſent incolumes: cùm tamen Iudæi, aduersùs
quos immortales aluerant inimicitias, captiui ab
hoſtibus eſſent abducti, & ipſorum templum,
quod maximum erat ornamentum illius populi,
incendio conflagraſſet. In quo ſibiipſis maximè
D placebant, quod ipſorum manibus, vt liquet ex
lib. 3. Eſdræ, cap. 4. verſ. 45. faces eſſent in tem-
plum illatæ. His ergo edicit Propheta futuram
rerum viciſſitudinem, & qui è Sion extorres ex-
ceſſerunt, eoſdem cum gloria eòdem redituros,
& inſtaurandum eſſe templum, quod ignis ab-
ſumpſit, reuocanda ſacrificia, & ibi Dominum,
tanquam in ſuo, ſicut antea ſacrario, domicilium
eſſe locaturum. Vbi vulgatus *ſanctus*, Hebr. eſt
קדש *kodes*, quod *ſanctitatem* ſignificat, aut in gene-
re neutro *ſanctum*. Intelligitur autem templum,
quod Sanctum appellatur, in quo habitat Deus,
& præcipua quadam religione colitur, aut certè
Deus ipſe in ſolio gloriæ ſuæ, qui populi iam ſui,
E quem priùs abieciſſe videri potuit, patronus
erit, & cuſtos.

Et poſſidebit domus Iacob eos, qui ſe poſſederant.] 59.
Hæc eadem dixit, aliquot pòſt ſæculis, Zacha-
rias cap. 2. verſ. 8. *Poſt gloriam, miſit me ad Gentes,
quæ ſpoliauerunt vos. Quia ecce ego leuo manum meam
ſuper eos, & erunt præda his, qui ſeruiebant ſibi.* Et pau-
lo pòſt addit, quod proximè dicebamus, Deum
rurſus ad templum rediturum. *Et poſſidebit Domi-
nus Iudam, partem ſuam, in terra ſanctificata.* Qui au-
tem futuri ſint illi, qui venturi dicuntur in Iudæ-
orum poteſtatem, ſtatim declarat. Et primùm a-
git de Idumæis.

Et erit domus Iacob ignis, & domus Ioſeph flamma, 60.
& domus Eſau ſtipula.] Hæc à nobis ſuprà explica-
ta

ta sunt, cùm diximus, quas Iudæi victricibus armis, in Idumæos, strages ediderint: neque est, cur illa rursus iteremus. Comparatur autem domus Iacob flammæ, quia hæc, vbi materiam aridam apprehenderit, qualis est stupa, aut stipula, momento temporis inflammat, & perdit: quia nihil est, quod illius vim retardet, aut debilitet, neque illius aliquid relinquit, quo quis stupam fuisse, aut stipulam agnoscat.

Hyperbolici dicendi modi maximè in exprimenda vastitate.

6. *Et non erunt reliquia domus Esau.*] Ex hoc loco non nemo colligebat, hæc non de proprio Esau, sed de figurato esse capienda: quia eò redacti non fuerint Idumæi, vt non fuerint relicti, ex ipsorum contritione, quamplurimi. Quare non aptè citra figuram, Idumæi cum stipula, & Iudæi cum flamma comparantur. Sed hæc cogitatio, aut nullum habet, aut non nisi pertenue fundamentum, quæ non considerat in Scriptura sacra hyperbolicas esse locutiones, maximè cùm alicuius ciuitatis significatur exitium durum, & horribile. Quale est, non esse relinquendum lapidem super lapidem, quod dixit Christus de Ierusalem, aut quod de Babylonia dixit Isaias cap.14. vers.22. *Et scopabo eam scopa terens*, quasi dicat, ex tanta mole, & tam ampla ciuitate, neque puluisculum esse relinquendum, quod faciunt scopæ, quando domus accuratè verritur. Eodem modo Ezechiel de Tyro, cap.26. vers.4. *Dissipabunt muros Tyri, & destruent turres eius, & radent puluerem eius de ea, & dabo eam in limpidissimam petram.* Ierem. *cap.*49. *vers.*18. qui pleraque eorum, quæ de Idumæa vaticinatus est, sumpsit ex Abdia, sic de Idumæa. *Et erit Idumaea deserta*, &c. *Sicut subuersa est Sodoma, & Gomorrha, & vicinia eius.* Neque tamen Idumæa, de qua, omnium concessu, ibi Ieremias loquitur, talia passa est, qualia olim Sodoma. Et Babylonem, sicut Sodomam euertendam dixit Ierem. *cap.*50. *vers.*40. & Isaias *cap.*13. *vers.*19. & tamen Babylon stetit semper, & fuit caput, & prima sedes Syriæ, licèt non eodem statu, atque splendore, quo priùs. Hoc idem dixit Amos *cap.*4. *vers.*11. de Israel, cùm adhuc, aut integra esset, aut non admodum attenuata ab Assyriis. *Subuerti*, inquit Deus, *vos, sicut subuertit Dominus Sodomam.* Vt ergo verum fuit Ieremiæ vaticinium, licèt longè abessent Idumæi à Sodomæorum incendio, sicut etiam nunc, quamuis longè absint ab eo, quod verba propriè sonant, quia magna fuit strages, quod prouerbialis illa atque hyperbolica dicendi forma significat, verum erit Abdiæ vaticinium.

Sodoma prouerbialiter pro magna vastitate.

62. *Quia Dominus locutus est.*] A diuini verbi firmitate fidem accipit, & pondus prophetia. Quidam ex Hebræis non malè huc aduocat illud lib. Numer. cap.24. vers. 18. *Erit Idumaea possessio eius* (nempe Iacob) *hareditas Seir, cedet inimicis suis, Israel vltrò fortiter aget.* Sed claudit hîc, opinor, Propheta suum vaticiniũ, & quasi consignat illa familiari ac legitima clausula, *Dicit Dominus.* Illud enim valet, Dominus locutus est. Nam particula, *quia*, vt sæpissimè aliàs, sic fortasse nunc, otiosè ponitur, iuxta Hebræorum idioma.

63. Vers.19. *Et hareditabunt hi, qui ad Austrum sunt, montem Esau.*] Quomodo Idumæi subacti fuerant à Machabæis, & ad circuncisionem vsque compulsi, dictum est suprà. Porrò duæ tribus, quarum caput fuit Hierosolyma, habitare dicuntur in Austro, quia ad Australem partem terræ promissionis sors illa pertinet, in qua templum est, & prima regni sedes.

64. *Et qui in campestribus Philistiim.*] Hoc idem Isaias cap.11. vers.14. *Ephraim non amulabitur Iudas, & Iudas non pugnabit contra Ephraim. Et volabunt in humeros Philistiim per mare, simul pradabuntur filios Orientis, Idumaea*, &c. Et Ezechiel *cap.*25. *vers.*15. vbi Idumæos cum Palæstinis coniungit, & idem minatur, quod nunc Abdias. Et adhuc clariùs Sophonias cap.2. vers.4. *Quia Gaza destructa est, & Ascalon in desertum, Azotum in meridie eiicient, & Accaron eradicabitur. Va qui habitatis funiculum maris, gens perditorum. Verbum Domini super vos, Chanaan, terra Philistinorum, & disperdam te, itaut non sit inhabitator. Et erit funiculus maris, requies pastorum, & caula pecorum.* Et ne quis dubitaret de Iudæis à captiuitate reuocatis esse sermonem, addidit, *Et erit funiculus* (nempe maris, seu Palæstinæ) *eius qui remanserit de domo Iuda, ibi pascentur in domibus Aquilonis, ad vesperam requiescent* (nempe Iudæi à captiuitate reuersi) *quia visitabit eos Dominus Deus eorum, & auertet captiuitatem eorum.* Quid clariùs? Neque obscuriùs Isaias suprà, dum ait, Philistinos, & Idumæos subiugandos ab Ephraim, & Iuda, cùm iam studiis animísque conuenerint. Obscuriùs Ezechiel: sed mihi non est dubium ibi etiam loqui de Palæstinis ab Israele subiugatis. Eodem enim modo de illis videtur loqui, quo proximè de Idumæis: at ibi per manum Israel, dixit fore vastandos. *Dabo*, inquit, *vltionem meam super Idumeam, per manum populi mei Israel.* Hoc verò post exilium, id est, Machabæorum tempore, impletum est. Habes hoc ex lib.1. Machab. cap.5. *Declinauit Iudas in Azotum terram alienigenarum*, (sic appellabantur Palæstini) *& diruit aras eorum, & sculptilia deorum ipsorum succendit igne, & cepit spolia ciuitatum, & reuersus est in terram Iuda.* Quod ad Grammaticam attinet, sic literam ordino. *Hareditabunt montem Esau, & Philistiim, qui habitant in campestribus.* Nam tractus Palæstinus littoralis est, & campestris, & planus.

Et possidebunt regionem Ephraim, & regionem Samaria.] De hac re egimus suprà, vbi diximus ab 65.
Hircano dirutam esse Samariam, quod docuit Iosephus *lib.*15. *Antiquitat. cap.*18. & ciuitates aliquas Ephraimitidas *ibid. cap.*17.

Et Beniamin possidebit Galaad.] Hoc etiam acci- 66.
dit post solutam captiuitatem 1. Machab. cap.5. vers.38. *Inde perrexit Iudas, & cepit Casbon, & Mageth, & Bosor, & reliquas ciuitates Galaaditidis.* Cur verò id hoc loco consecutus dicatur Beniamin, cùm Iudas Machabæus rem illam tentauerit, perfeceritque, non aliam causam esse puto, quàm vt ostendatur, quantum habitura sit virium illa tribus, quæ ad paucos redacta, in bello quod gestum est ad Gabaa, de quo Iudicum *cap.*10. *&* 21. in nullo priùs habebatur numero. Ex magno enim numero, tantùm sexcenti viri reliqui fuerunt, & omnes ciuitates, & viculi incendio conflagrarunt. Quare paulo ante ætatem Abdiæ, si modò vixit sub regnum Achab, vt magis putabamus probabile, vsqueadeo existimabatur vilis, & infirma, vt cùm duæ tribus secutæ fuerint Roboam, reliquis decem dilapsis ad Ieroboam, vna tantùm tribus dicatur secuta Roboam, quasi Beniamin eo tempore nullo esset in numero. 3. Reg. cap.11. vers.32. sic Aias Propheta ad Ieroboam: *Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus, porrò vna tribus remanebit ei, propter seruum meum David.* Et lib.4. Regum cap.17. vers.18. *Iratúsque est Dominus vehementer Israeli, & abstulit eos à conspectu suo, & non remansit, nisi tribus Iuda tantummodo.* Hæc, puto, tribus ab Idumæis ita putabatur vilis, vt nihil

Tribus Beniamin olim exigua, & vilis.

ab illa magnum sperari posset. Ab hac igitur dicit Abdias expugnandum esse Galaad, vt doceat illud quod magis putabatur infirmum, multò, postquam solutus esset ad patriam reditus, futurum esse potentius, quàm Galaad, in quo ciuitates erant munitæ, & homines militari gloria præstantes: cùm tamen alij eò etiam incubuerint, Machabæo duce, qui Beniaminita non erat, sed Leuita, aut, vt aliqui volunt, ex materno genere Iudæus.

67. Vers. 20. *Et transmigratio exercitus huius filiorum Israel, omnia loca Chananaeorum, vsque ad Sarephtam.*] Hîc nobis sumendus est labor non tam difficilis, quàm molestus: quia discedendum est, meo iudicio, necessariò ab illis, quorum studio plurimum debet Hispania, quo nomine, vtpote Hispanus, non possum illos non amare, & habere gratias, pro pio in patriam amore, & conatu, quem ad illius nomen amplificandum, & ornandum adhibuerunt. Sed sanè illi, qui historicum agit, aut interpretem, & patria, & amicis, quantumcunque prolixè, atque officiosè meritis, magis esse debet amica veritas, quam nisi quis exploret, ac sequatur, longè erit vt historicus haberi debeat, aut interpres. Iure enim optimo de se audiet, quod acutè quidam in eum, qui elatus patriæ desiderio simulabat quædam, dissimulabat alia, cecinit,

Nec malus es ciuis, nec bonus historicus.

Non, puto, illi, quicunque sunt, plus amant patriam, quàm ego, neque plus sumpserunt laboris, ad illam exornandam, aut vindicãdam, siue à calumnia, siue à suspicione. Neque tamẽ tunc quicquam spectaui magis, quàm veritatem, quam deserere, cùm omni hominum conditioni turpe sit, tum maximè illi, qui historię aut sacrarum literarum cõmentationi dat operã, eámque prælo studet latè diffundere. Disceptaui ego in Commentariis super Acta Apostolorum, quàm potui diligenter, atque vtinam cum aliquo studij mei, atque operæ pretio, deaduentu S. Iacobi, & eius prædicatione in Hispania, quam gloriam quidam ex externis nobis eripere tentarunt. Quod item feci, dum à Petro, & Paulo lustratam esse Hispaniam probare conatus sum. Defendi Isidorum nostrum multis in locis, propter quæ malè à nonnullis accipiebatur eius, vel ingenium, vel doctrina: neque, si qua ad Hispaniæ laudem occurrit occasio, illam prætermisi, neque prætermittam vnquam: tamen nunquam me, aut patriæ studium, aut cuiusquam gratia ab eo, quod speciem putauero habere veritatis, abducet. Non ideo hæc dixerim, quòd quæ visa sunt aliis, falsitatis arguam: fieri enim potest, vt ego fallar, sed causam reddo, cur ab illis recedam: quia nulla ratio, aut species veritatis adducit, vt cum illis sentiam.

68. Non hîc improbo, quòd aliquid hîc spirituale vident: nam & ego hîc etiam agnosco fundatam, & amplificatam Ecclesiam, maximè populi accessione gentilici: sed quòd nihil hîc historicum esse putant, in statu Iudæorum, cùm ab exilij sordibus ad templi ac patriæ splendorem redierunt, quod sentiunt communiter interpretes. Et putant frequentes Patres, & scriptores ferè omnes, tam noui, quàm antiqui restitutam Hierosolymam typum esse Ecclesiæ humilis priùs, & afflictæ, deinde verò splendentis gloria, & amplificatæ multitudine Gentium. Auctores numerauimus, tùm in principio *cap. 2. Zachariæ.* tum in præfatione quadam *ad cap. Isaiæ 40.* Neque video, quomodo tot loca, tam certis notata signis, tam distincta terminis, tam accommodata Israelitis, atque Iudæis, accommodari possint iuxta sonum literarum Ecclesiæ, aut à Iudæorum statu separari.

Et transmigratio exercitus huius filiorum Israel, omnia loca Chananaeorum, vsque ad Sarephtam.] Qui 69.
hæc historicè de Gentium conuersione, sine vlla ad Hierosolymam restitutam comparatione sumunt, in transmigratione filiorum Israel, Apostolos intelligunt, aut viros Apostolicos, qui rei Euangelicæ student, & in Sarephta Galliam vident, ad quam vsque sese diffudit Euangelij prædicatio. Multa hîc video, quæ, non nisi contortè, in hanc cogitationem trahuntur. Primùm, quia transmigratio non conuenit, nisi in eos, qui ex aliquo loco commigrarunt, & si textum accuratè expendas, qui ab eo loco, vbi agebant, extorres in patriam redierunt. At hoc in Apostolos, quàm difficile aptari possit, quis non videt? Maximè cùm illorum, qui Chananæorum fines, vsque ad Sarephtam obtinebant, habituri dicantur exercitum. Id verò in Israelitas optimè, in Euangelij præcones durè admodum cadit. Deinde, vt verum sit, in Sarephta Galliam significari (neque enim ea de re nunc laboro, licèt fortasse possem) cùm tamen Sarephtam esse terminum Chananæorum, id est, terræ promissæ, constet, cur potius de illa, quàm de hac vaticinium istud interpretabimur? Præterea quid tantum est ad Galliam vsque perlatam esse Euangelij lucem, cùm non procul absit à Iudæa? Dicunt Galliam sumi pro tota Occidentali plaga, quia his qui è Iudæa sollunt, Occasum versùs, vltima omnium occurrit Gallia. Quàm id verum sit, viderint Cosmographi. Sanè Hispania propiùs spectat occidentem solem.

Sarephta Gallia esse existimatur.

Ego in *Sarephta* nihil aliud intelligo, quã quod 70.
Scriptura sacra, dum ea vtitur voce: hæc verò ad Sidonios pertinet, vt docet Sarephtana vidua, ad quam missus est Elias 3. *Regum cap. 17.* Vade in Sarephta Sidoniorũ, & manebis ibi. Quod repetitur *Lucæ cap. 4.* Notum præterea est, cùm duæ tribus ad Austrum pertineant, in terra promissionis, decem alias, quæ vocantur Israel, magna ex parte pertinere ad regionẽ illam, quæ ad Tyrios vergit, & Sidonios, vbi est Sarephta, de qua nunc. Dum igitur Israel possessurus dicitur Chananæorum loca, vsque ad Sarephtam, nihil, opinor, dicit aliud, quàm recuperaturos esse decem tribus sortes suas, quas habitarunt antequam pellerentur ab Assyriis, neque futurum esse quicquam, quod è suis funiculis alieni possideant. Quod sanè ita cõtigit: nam & regiones suas rursus occuparunt, imò & latiores habuerunt terminos, quàm olim, dum res Israelitica esset integra, subactis vicinis regionibus, quas hostes priùs habitarunt. De Samaria, de qua solum dubium esse poterat, dictum est suprà quomodo victa fuerit ab Hircano, & de Cuthæis, quos in ea loca induxerunt Assyrij, quomodo Hircanus idem Israeliticum iugum subire compulerit.

Sarephta terminus terra promissionis.

Et transmigratio Ierusalem, quæ in Bosphoro est, possidebit ciuitates Austri.] Hic maior oritur concerta- 71.
tio cum his, qui acri studio, pro Hispaniæ gloria, studiosè laborant, & illam hoc loco ab Abdia prædictum esse contendunt, quorum studium laudo: vtinam assequi possent, quod sequũtur, habuissent me quoque asseclam, neque in illam sententiam traherer inuitus. Hi igitur vaticinium hoc de Hispanis interpretantur, qui felici

lici nauigatione Euangelicam lucem in transmarinas regiones intulerunt. Putant autem vocem ספרד *sepharad*, pro qua vulgatus reddidit *Bosphorũ* significare Hispaniam, vnde egressi, qui postea dicuntur *Saluatores*, occupabunt ciuitates Austri, id est, quæ trans Oceanum sunt, ad eam regionem, quæ ad polum pertinet Australem. Hæc summa est illorum sententiæ, qui gloriæ fauent Hispanicæ, quæ nobis exploranda est, & quod magis facere videatur ad textum explicandum.

Sepharad existimatur Hispania.

72\. Quòd Hispania à recentioribus Hebræis appelletur Bosphorus, nemo dubitat, qui modò illorum scripta videre potuit. Antiquissimus omnium, qui docuit ספרד *sepharad*, Hispaniam nominari, fuit Chaldaicus Paraphrastes Ionathan Ben Vziel, qui hoc loco transmigrationem

Bosphorus existimatur Hispania.

B posuit in Hispania: quem deinde alij secuti sunt. Neque ego dubito, hoc tempore ab Hebræis ita Hispaniam vocari. An verò hoc nomen aliis etiam prouinciis conueniat, & quæ sit nominis ratio, explorandum est. Hoc nomen, vt Hieronymus docet, terminum significat; quod non est Hebræum, sed Assyrium. Et si etymologiam scruteris, finem significat descensus, id est, profectionis, aut viæ: quod conuenire potest cuicunque loco, qui terminus sit terræ, qualis est littoralis, aut qui prouinciam aliquam definit. Hoc porrò nomen, quia Assyrium est, haud dubito,

REGVLA. *Nomen alicui regioni vernaculũ de illa regione indicas sermonẽ fieri.*

C quin primò sit impositum regioni, quæ ad Assyrios pertinet. Quomodo neque malè in rebus aliis coniectamus ex nomine, quod vernaculũ est

73\. illi regioni, de qua controuersia est. Quam regulã tradit Hieronymus ad hunc Abdiæ locum. *Consuetudinis*, inquit, *Prophetarum est, quando loquuntur contra Babylonem, Ammonitas, Moabitas, Philisthiim, & cæteras nationes, multis sermonibus lingua eorum abuti, & seruare idiomata prouinciarum.* Quod item docuit Rab. Dauid *in Commentar. Psalm.* 2. Nemo dubitabit Philippos Romanorũ esse coloniam, quia *Actor. cap.* 16. *vers.* 12. vox Latina *colonia*, in textu originali, & Græco reperitur. Neque dubitamus cohortem, quam ad templi custo-

REGVLA. *Multa nomina Latina aut peregrina in textu Græco, aut Hebraico.*

D diam, seu ad alios vsus habuerunt sacerdotes, esse è Romano milite, quanduquidem in Græco textu Latino significatur vocabulo Matth. cap. 27. vers. 66. ἔχετε κουστωδίαν, *habetis custodiam*: & à Romanis militibus, aut Romano more fuisse flagellatum Christum, quando verbum Latinum *flagello*, inter Græca vocabula reperitur, apud Matth. suprà *vers.* 27. Eodem modo iudicem intelligeremus esse Romanum, à quo Christus condemnatus est, quia locus vbi iudex sedebat Romano nomine, in Græco etiam textu, *prætorium* appellatur. Et in Commentariis nostris, *in cap.* 3. *Danielis*, ex instrumentorum Musicorum nominibus coniectabamus, instrumenta illa è Græcia

E deportata. Cùm ergo, *Sepharad*, vox sit Assyria, hauddubiè, quin locus ille sit inter Assyrios, siue proprium illud sit, siue commune nomen. Ego commune puto, sicut etiã existimauit Hieronymus, quod significat id, quod quàm longissimè abest à nobis, & quo in suo genere atque ordine nihil est vlterius. Quod optimè cadit in Bosphorum, quia ille Assyrij imperij pars est extrema, vt transtulit Hieronymus, ex sententia illius Iudæi, quem habuit præceptorem. Inde factum est, vt cùm recẽtiores Iudæi, aut nõ haberent, aut ignorarent nomen, quod habuit Hispania, commune illi nomen attribuerent: quia ipsa quoque, finis est terræ, cùm maiori ex parte mari, tum Oceano, tum Mediterraneo circumfundatur. Quod no-

A men, vt puto, tunc illi datum est, quando Iudæi, quò longius summouerẽtur à patria, ab Hadriano translati fuerunt in Hispaniam. Atqui dices, 74.
ante Hadrianum, & transmigrationem illam Iudæorum, in Hispaniam fuisse Ionathan Ben Vziel, à quo extat Paraphrasis in Prophetas, qui vocem illam Assyriam, *Sepharad*, Hispaniam reddidit. Primùm nego, Paraphrastem Hispaniam reddidisse, sed *spamiam*, Chald. אספמיא, quæ vox, quantùm ab Hispania differat, nemo non videt. Deinde incertum est, quo tempore Chaldæus iste Paraphrastes vixerit. Et vt ille Christi aduentum antecesserit, vt nonnulli volunt, & fortasse verè, attamen quàm hic fideliter ac verè transtulerit, non constat. Certè in ea Paraphrasi, quam nunc super Prophetas habemus, passim occurrunt, quæ limam desiderant, eámque seueram: quia absurda sunt, & Scripturæ sacræ non solùm non consentanea, sed etiam maximè contraria. Vnde in Scripturam illam, illa tot absurda reperiantur, an ab ipso Actore, & Paraphraste, vel ab imperito & parùm attento Notario (neque hoc improbabile, cùm per multas manus, & sæcula, ad nostram vsque ætatem, Paraphrasis illa peruenit) vel certè à Iudæorum callida, ac perfida malitia sensim irrepserint, incertum est: certum tamen, errores esse multos.

Chaldæus non dicit Sepharad esse Hispaniam.

In paraphrasi Chaldaica multa absurda.

Ego id suspicabar, cùm in Hispania viderem, 75.
C ab Hadriani tempore, Iudæorum commigrasse quamplurimos, & inter illos fuisse viros illius gentis peritissimos, qualis fuit Iosephus pater, & Rab. Dauid Kimhi filius, & Abraham filius Esdræ, qui aliter appellatur Aben Ezra. Eodem loco numero Rab. Salomonem, qui vixit in Gallia: qui, dum Iudæis Hispanis fauet, suum quoque exilium consolatur, cùm æqua videretur Gallorum, Hispanorúmque conditio. Hi igitur, vt sibi ac posteris aliquod quærerent ex Scriptura sacra solatiũ, pro Bosphoro, aut alio nomine, quod primùm adhibuit Paraphrastes, aut certè pro *spamia*, quæ vox tacitè videbatur posse corrumpi propter literarum similitudinem, Hispaniam
D supposuerunt: quia illa finis est terræ, & sibi ex illo nomine futurum ad ciuitates Austri, id est, in Iudæam, & Hierosolymam reditum pollicebantur.

Cur Iudæi Sepharad appellarunt Hispaniam.

Quod verò in Sepharad olim non intelligeretur Hispania, argumento est, quòd ex antiquis nemo ad hunc Abdiæ locum meminit Hispaniæ, An ignorabant Hispaniam esse prouinciam, tum lautam, & nobilem, tum latis spatiosam finibus, ex qua sciebant à Romanis pretiosa comportari metalla? At quis credat, si Sepharad significaret Hispaniam, nomen illud tot sæculis fuisse obscurandum silentio? Omnes interpretes, Hieronymo teste, nomen retinuerunt Assyrium. Septuaginta autem nõ mutarunt nomen, aut aliud supposuerunt quod aliquid sonet ab Hispania diuersum. 76.

Sepharad non videtur esse Hispania.

Hæc de nomine Hispaniæ, quod viros illos extremis hisce temporibus, in illam cogitationem adduxit. Nunc dicam, quid in illa sententia minus mihi probetur. Primùm quoniam id quod studet maximè, nõ assequitur: illam enim gloriam non attribuit his, qui propriè appellari potuerunt Hispani, sed his, qui ex Iudæorum genere, in Hispaniam commigrarunt: quicquid enim præclarum illa sententia, aut agnoscit, aut fingit, illis adscribit, de quibus Abdias ait, *Et transmigratio Ierusalem* (nẽpe Iudæi, qui è Hierosolyma profecti) *quæ in Bosphoro est, possidebit ciuitates* 77.

Austri. Quàm autem illi parùm idonei fuerunt, vt Euangelij, ac Christi causam religiosè susciperent, euentus ipse docuit: sic enim in sua perfidia hærere pertinaciter, vt ex vsu rei Hispanicæ iudicauerint reges Catholici, Ferdinandus, & Elisabeth, illos quàm longissimè ab Hispaniæ finibus amandare.

78. Illa porrò ratio, quam nonnullis probari video, quantum habeat firmitatis, quilibet intelliget. Illam addaxit primus omnium Montanus, à quo acceperunt alij. *Eandem*, inquit, *esse Hispaniam, quæ Sepharad olim dicta fuerat, illud argumento nobis est, quod antiqui Græcorum auctores prouinciam hanc, antiquo atque illustri vocabulo, Sperida nominarunt.* Vis autem rationis, & coniectura tota in eo est, quod in Sperida tot reperiuntur cõsonantes, quot in Sepharad. Ego hìc vellem à Montano nominari, quinam sint illi Græcorum antiqui, à quibus illustri vocabulo Sperida vocatur Hispania. Ego enim neminem inuenio, licèt multos consuluerim. Sed vidit fortasse Montanus (neque enim credendum est, virum tantum aliquid confinxisse) in aliquo auctore, quem credo nominasset, si aut incorruptum putaret, aut dignum cui in eo scribendi genere fides haberetur. Norunt autem qui in Græcis versati sunt, quàm Græci codices inueniantur corrupti, in nominibus præsertim propriis, quod fecit illius linguæ ignoratio, quæ tanta fuit olim, hodiéque, vt vix vllus inueniatur idoneus, qui mandandis prælo scriptoribus Græcis præponi possit.

Hispania non appellatur Sperida.

79. Mea verò sententia est, quam Hieronymus tenuit, & cum eo frequentes alij, tam antiqui, quàm recentes, si modò pauculos excipias, qui nostra ætate aliter existimarunt, hìc literali sensu, de duabus tribubus esse sermonem, quæ à Bosphoro, id est, ab vltimis vsque terræ finibus vbicunque peregrinari aut exulare contigerit, ad ciuitates Austri, id est, ad Iudæam & Hierosolymam, quæ ad partem Australem promissæ terræ pertinent, aliquando remigrabunt, ita Hieronymus docet, qui pro Sepharad conuertit Bosphorum, & hoc perquam optimè, & in Bosphoro prouerbiali forma, quamcumque intelligit regionem, quæ longè dissita est, sicut Bosphorus procul aberat à terra promissionis: aut quæ regionem aliquam definit, vltra quam nõ est, quò cursum, & progressum extendas. Hoc idem captiuo populo promisit Deus per Ieremiã cap. 13. vers. 7. *Exultate in lætitia Iacob, & hinnite contra caput gentium, &c. Ecce ego adducam eos de terra Aquilonis, & congregabo eos ab extremis terræ.* Et hoc ipsum visum est Hieronymo hìc. *Transmigratio*, inquit, *in Ierusalem, quæ in cunctis terminis regionibúsque diuisa est, vrbes Austri, id est, tribus suæ recipiet.*

Bosphorus pro quacũque regione longinqua.

80. Quòd si hæc de eo, quod proximè sonat litera, explicari possunt, sine vlla, aut veritatis, aut piarum aurium offensione non est, cur, ex Augustini sententia, alium sensum inuestigemus historicum. At inficiabitur nemo, ciuitates Austri occupatas iterum à duabus tribubus, quæ iuxta Ieremiam, de quo proximè, à Bosphoro, id est, ab extremis terræ redierunt. Sanè eo maximè argumento nituntur, qui contrà sentiunt, quiã ea, quæ hìc prædicta fuerunt ab Abdia, in Gentium conuersione completa cernimus, sed non minus eadem in restituto populo impleta videmus, cùm Israel Chananæorũ loca Sarephtã vsque possederit, & Iuda rursus Australẽ regionẽ occupauerit.

81. Hæc historicè: mysticè verò aliquid aliud, tãquam in vmbra significari, iam antea diximus: sicut alibi sæpius, in restituta atque iterum habitata Hierosolyma, Ecclesiã constitutam, & amplificatam esse probauimus, ex communi Patrum, auctorúmque sententia. Et quidẽ tanti momenti est nouum orbem, ad fidem, & Euangelium esse traductum, vt mirari nemo debeat, insignem illam accessionem ad Ecclesiam, ab aliquo Propheta aliquo modo siue historico, siue etiam typico fuisse prædictum. Quod visum est etiam Iosepho Acostæ e nostra Societate, qui cùm hunc Abdiæ locum tractaret, *lib. 1. Indicæ historiæ, cap. 15.* dixit non esse improbandos illos, qui hunc Abdiæ locum de Americæ conuersione interpretantur, & maximè videri consentaneũ, vt rei tantæ aliquod in sacris literis monimentum extaret.

Reditus, & gloria captiui populi typus Ecclesiæ.

De Bosphoro multa dicunt historici, qui à bouis traiectu dictus est, aut ab aliquo euentu, qualis fuit illa transmissio Ius, quæ in vaccam conuersa, per illud maris fretũ, ex Europa in Asiã tranauisse fingitur: de qua Valer. Flacc. l. 4. Argonaut. 82.

Bosphorus vnde dictus.

Iámque dies, atque aura vocant, rursúsque capessunt
Æquora, quo rigidos eructat Bosphorus amnes.
Illos, Nile, tuis nondum dea gentibus Io
Transierat fluctus, vnde hæc data nomina Ponto.

Seu certè quia spatium illud, quod Asiam ab Europa discludit, adeò angustum est, vt à boue animali graui, ac tardo trañci natando possit. Hanc nominis rationem adducit Plin. *lib. 6. cap. 1.* Duo à Cosmographis cõstituuntur Bosphori, Cymerius, & Thracius, de quibus Plin. *lib. 4. cap. 12.* quẽ tu lege. De quo Bosphoro Propheta loquatur incertum. Imò, vt diximus, propriè de illorum neutro: cùm Bosphorus prouerbiali figura sumatur pro quocunque loco, qui procul abest. Sed Hieronym. *in cap. 10. Zachariæ* ex Hebræorum sententia Thracium putat, ad illud, *Et transibit in maris freto. Narrant*, inquit, *Hebræi captiuum populum Iudæorum non solum in Medos, & Persas, sed in Bosphorum quoque, & septentrionalem plagam ab Assyriis, atque Chaldæis esse translatum, & postea eos ex parte reuocatos, Dei ad eos se conuertente clementia. Et hoc esse quod nunc dicitur, transibunt in mari angusto Propontidis angustias quæ Chalcedonem, & quondam Bizantium breui freto diuidunt.* Hæc verò descriptio quædam est Bosphori Thracij. Et addit ex eorum item sententia, ad illud quod proximè sequitur, *Et percutiet in mari fluctus,* iterum diuidendum esse mare, vt olim mare rubrum, & sicco vestigio captiuos reuersuros in patrias: sed istæ nugæ sunt meræ è Rabbinorum cerebro, de quibus nos in nostris Comment. *super Zachar.* ad hunc locum.

Bosphori duo.

Vers. 21. *Et ascendent Saluatores in montem Sion, iudicare montem Esau*] Ex his difficile non est coniectare, quinam sint isti Saluatores, qui in monte Sion, aut de illo monte profecti, Idumæorum prouinciam iudicabunt. Si enim historicum sequaris sensum, quem proximè sonat litera, consentaneè dicendum est esse Iudæos, qui post exilij sordes, & ærumnas, eò potentiæ & splendoris accedent, vt in suam sibi redigant potestatem. & hæc cum Hieronymo probant plures alij, in quibus sunt Theodoretus, & Cyrillus, tametsi hi duo posteriores cum Septuaginta legant, *qui saluati fuerunt*, scilicet, ab exilio, nempe Iudæi armis sibi Idumæos subiugabunt, aut pœnas sument de illis; id enim est Idumæos iudicare. 83.

Neque huic cogitationi incõmodat Saluatoris nomen, quod datum est antea sæpe his qui ab hostibus, humanáque vexatione ac cæde gentem suam liberarunt. Iudic. *cap. 3. vers. 9.* Othoniel appellatur Saluator Israel, & *vers. 15.* Aod, 84.

Saluator etiam de hominibus dicitur.

&

& omnes qui aut liberarunt patriam ab aliorum tyrannide, aut à dura aliqua vexatione, qualis fuit ille de quo lib.4. Reg. cap.13. vers.4. *Vidit, (Dominus) angustiam Israel, quia attriuerat eos, rex Syriæ, & dedit Dominus Saluatorem Israeli, & liberatus est de manu regis Syriæ.* Hi verò & alij, qui populo suo saluti fuerunt, Saluatores appellantur. Esdræ lib.2. cap.9. vers.27. *In tempore tribulationis suæ clamauerunt ad te, & tu de cælo audisti, & secundum miserationes tuas multas, dedisti eis Saluatores, qui saluarent eos de manu hostium suorum.* Obseruat autem August. *tom.4. in caput 3. Iud. quæst.* 18. Saluatoris nomen in homines etiam conuenire. Tales autem fuerunt Zorobabel, Esdras, Nehemias, Machabæi, quibus non minus illustris ille titulus conuenit, quàm Othonieli, & Aod, & aliis, qui in Scriptura sacra Saluatores appellati sunt.

85. Quàm aptè hæc in Apostolos, Euangeliique præcones cadant, nemo non videt. Quia ex Sion illi progressi sunt, vbi in die Pentecostes acceperunt virtutē ex alto, & eo sunt ad illud ministerium induti: hi ab Ecclesia, id est, Sione mystica, in varias terræ partes Euangelicam lucem intulerunt.

86. *Et erit Domino regnum.*] Ad illud vsque tempus, ex quo ab Israelitis atque Iudæis deserta fuit terra promissionis, non tam Deo regio illa, quàm Gentium idolis seruire videbatur: quia, aut a populo colebatur gentilico, aut ab his, qui à gentilicis moribus non longè aberant. At vbi rediit populus, & exacti sunt ab Israeliticis finibus alieni, Deus quoque suum sibi regnum, cousque sublatum recuperauit. Idem, opinor, dixit Ezechiel in extremis verbis suæ prophetiæ, sicut etiam nunc Abdias. *Et nomen ciuitatis ex die illa, Dominus ibidem*, id est, Deus in Ierusalem, tanquam Dominus illius, & sicut antea beneuolus habitabit. Idem Zacharias cap.9. vers.16. *Saluabit eos Dominus Deus eorum in die illa, & gregem populi sui, quia lapides sancti eleuabuntur super terrā eius.* Quòd vt nos in eum Zachariæ locum diximus, significat excitandos esse lapides, quos inde Gentes sustulerunt, quibus consignabatur illa regio, & Deo, quasi terminali saxo consecrata, & propria videbatur, vt rursus illam sibi quasi postliminio vendicet Deus, & certa nota suum esse regnum ostendat. Vide quæ nos eo loco.

87. Sed cùm præcesserint Idumæi à Iudæis subiugandi, & Iudæi ipsi atque Israelitæ in antiquam hæreditatem reuersi, dubium esse poterat, quinam horum Deo futuri esse dicantur regnum. Mihi quod modò attigi, videtur esse verisimilius, nempe regnaturum esse Deum aspectabili quodam, & illustri signo in regno, quod abiecisse & deseruisse videri poterat: quia ex eo pelletur idolorum cultus, & legitimus sacrificiorum ritus, & veræ religionis forma reuocabitur. Neque tamen displiceret, si quis affirmaret ad Idumæos etiam vaticinium illud pertinere: quia hi quoque, abiecto instituto antiquo, admissa circumcisione, quam ex sua carne sui generis, & nominis auctor deleuerat, Iudæorum more sacrificarunt, vt auctor est Iosephus *lib.13. Antiq. cap.17.* vbi sic de Hircano. *Subiugatis omnibus Idumæis, edixit, vt circumciderentur, nisi mallent è propriis pelli sedibus. At illi amore patriæ admiserunt, & circumcisionem, & reliquam, iuxta Iudaicos ritus, viuendi formulam. Atque ex eo primùm tempore inter Iudæos censeri cœpti sunt.* Hoc autem est iuxta exteriorem saltem speciem, Dei esse regnum: quia alteri, quàm Deo, exteriorem cultum impendere non poterant, sine patriæ vitæve discrimine. Hæc multo magis ad Ecclesiæ tempus accommodantur, quia hæc regna, & multo plura domuit Euangelium, & crux Christi, quasi legitimum signum, illa vtpote iam Christi subiecta nomini consignauit, quæ lustrarunt non passibus solùm, sed victoriis, & cælesti luce Euangelij præcones, qui vtpote Saluatoris IESV ministri, & instrumenta vocari potuerunt *Saluatores.*

Pro moribus ad extremum obserua, si qui vocari velint, aut esse Saluatores, illos progressuros esse è Sion. Sion verò speculam significat, quæ symbolum est orationis: quia illa à terra suspensa ad cælum attollitur: ibi Apostolicum imbuitur, & inflammatur pectus, inde promuntur fulgurantes hastæ, & ignea tela, quæ vibrantur in corda inimicorum regis, quæ iaculatur magis Deus ex ore, quod instruit, & informat, quam vir ipse Apostolicus, cuius vox non tam ab humano, quàm à diuino Spiritu animari, atque spirare debet: sicut tubæ terrificæ clangor, aut canorus tibiæ sonus, non tam est ab ære, siue buxo, quàm à tibicinis inflatu. Ascendant ergo Saluatores isti in montem Sion, si iudicare volunt montem Esau, id est, facere, vt barbarum, & belluinum ingenium Euangelica doctrina mansuescat, séque totum à seipso retexat, & qui veros insectabatur Israelitas, verus ipse Israelita fiat, sitque Domino regnum ille, qui priùs regnum Domini odiis insectabatur hostilibus. Hæc Ecclesiæ correctioni subiecta sunto. 88.

Oratio viro Apostolico necessaria.

IN IONAM PROPHETAM COMMENTARII.

PROLEGOMENON I.

De patria, & genere Ionæ.

1. *Ionæ patria.* DE patria nihil è sacris literis habemus. Dicunt communiter Patres,& interpretes Gethæum esse, non quidem è Geth, quæ vrbs est Palæstinæ nobilis, sed de viculo quodam eiusdem nominis, in tribu Iuda, vt Cyrillus docet *in proœmio Ionæ.* Idem videtur sentire Hieronymus, qui ideo dicit *lib.4.Reg.cap.*14 vocari Geth, quæ est in Ophir, vt à Geth distinguatur, quæ est in Palæstina. Epiphanius in terra Cariathamaum ortum esse dicit, quæ non procul distat ab Azoto, cum quo sentit Dorotheus *in Synopsi*, & Chronicon Alexandrinum. Alij Zabulonitem esse putant, eo adducti argumento, quòd Opher *Iosue cap.12. vers.17.* in Zabulonis sorte constituitur. Alij ex tribu Asser. Sanè res est obscura: & in hac rerũ varietate, placet quod postremo loco putabamus, Ionam esse de tribu Zabulon, quod Hieronymus indicat, dum ait esse inter Sephorim, & Tyberiadem, iuxta Eleutheropolin, seu Diospolin. Sed nihil est certum. Qui dicunt filium esse Sarephtanæ viduæ, iidem Gentilem fuisse significant, aut certè habitasse in vrbe Gentibus vicina.Sarephta enim,vt diximus proximè in Abdia, ad Sidonios pertinet, & terminos Israeliticos, Sidoniósque discriminat. Fortasse ad Israelis pertinet sortem,& ideo Sarephta dicitur Sidoniorũ, cùm tamen Sidoniis finibus contributa nõ sit: quia Sidonios attingit fines, vt distinguatur ab altera eiusdem nominis,quæ alicubi terrarum sita est.

2. *Ionæ genus.* Hæc vtcunque de patria. De genere nihil habemus aliud, quàm esse filium Amathi. Quis tamen hic,aut vnde sit,incertum. Communis est Hebræorum sententia, filium fuisse Sarephtanæ viduæ: quod etiam

A ex nostris aliqui non improbant. Quod si ita est,fateri etiam debent, qui illius viduæ coniugem esse dicũt Abdiam, Abdia quoque parente natum esse Ionam. Qua de re nihil est ab auctoribus certò definitũ. Sed ex hac opinatione illud dubium non est, Ionam illum esse puerum, qui ab Elia suscitatus: neque enim alium ediderat filium Sarephtana vidua. Ita tenet exprefsè Epiphan. & Doroth. *in Synopsi.* & Chronicum Alexandr. Neque parentis nomen incommodo est, quo minus filius dicatur Abdiæ: impositum est enim post Ionam ab Elia suscitatum à mortuis.

B Audi Hieronymum in proœmio Ionæ. *Tradunt Hebræi hunc esse filium viduæ Sarephtanæ, quem Elias Propheta mortuum suscitauit, matre postea dicente ad eũ: Nunc cognoui, quia vir Dei es tu, & verbum Dei in ore tuo est veritas. & ob hanc causam, puerum sic vocatum: Amathi enim in nostra lingua veritatem sonat: & ex eo quod verũ Elias locutus est,ille qui suscitatus est,filius esse dicitur veritatis,*id est,filius Amathi.

PROLEGOMENON II.

C *Quo tempore prophetauit.*

COmmunis est Hebræorum sententia σύγχρονον esse Ionam Oseę,Ioeli,Amos, 3. *Ionas, quo tẽpore prophetauit.* Isaiæ,& aliis pluribus, qui sub illa tempora prophetarunt: quorum sententiam Interpretum plerique secuti & complexi sunt. Et præter hos Euseb. *in Chron. & lib.*10. *de praeparat.cap.vltimo,*Clemens Alexand.*lib.*1. *strom.* August. *de ciuit.* 18. *cap.*27. Ioseph. *lib.*9. *cap.*11. Et colligitur non obscurè ex

D *lib.*4. *Regum,cap.*14.*vers.*25.vbi sub Ieroboã filio Ioas prophetasse dicuntur. Et ne quis ambigeret, de quo Iona loqueretur Scriptura,filius ibi vocatur Amathi. *Ipse* (nempe Ieroboam, filius Ioas) *restituit terminos Israel,ab introitu Emath,vsque ad mare solitudinis,iuxta sermonem Domini Dei Israel, quem locutus est per seruum suum Ionam filium Amathi Prophetam, qui erat de Geth, quæ est Onipher.*

PRO

PROLEGOMENON III.

Contra quos, aut de quibus prophetauit Ionas.

4. *Cōtra quos prophetauit.* IPſe docet Ionas, quò à Domino miſſus fuerit, prophetandi gratia, & quæ ab illo acceperit oracula. Miſſus eſt ad Niniuitas; quem verò ſucceſſum habuerit illa legatio, ſatis ipſe diligenter prodidit. Deinde ad Ieroboam, vt paulo antè diximus, & expreſſè docuit Ioſephus lib. 9. cap. 11. *Ei*, inquit, (id eſt, Ieroboam filio Ioas) *Propheta Ionas prædixit, quòd deuictis Syris, ditionem ſuam eſſet ampliaturus, prolatis eius terminis ad Septentrionem, vſque Amatham vrbem, ad meridiem verò vſque ad Aſphaltidem lacum: his enim olim terminis Chananæa terra finiebatur, iuxta Ioſue imperatoris definitionem. Quo oraculo excitatus Ieroboamus, totos eos tractus ademptos Syris, ad ſuum regnum addidit, nihil fallente Ionæ vaticinio.*

5. *Ionæ prophetia de Romanis.* Aliam Ionæ prophetiam adducit Epiphanius, Dorotheus *in Synop.* & Chronic. Alexand. de aduentu Romanorũ, & ab illis euertenda funditus Hieroſolyma. Sic autẽ Epiphanius, *Prophetauit Ionas, quòd vbi conſpicerent olim in Ieruſalem innumeras gentes ab occaſu, tunc radicitus popularetur illa ciuitas, & euerteretur funditus.* Aliud quoque vaticinium Ionæ tradunt Dorotheus, & Chrõ. Alexãdrinum de eodẽ Hieroſolymæ excidio. *Idē de Hieroſolymæ excidio.* Tunc enim dixit futurum eſſe nobiliſſimæ illius ciuitatis interitum, quando viſus eſſet lapis miſerabiliter. Hic verò lapis exiſtimatur eſſe Chriſtus, qui tunc clamauit flebili voce, cùm videns ciuitatem, fleuit ſuper illam, dicens, *Quia ſi cognouiſſes & tu?* Luc. cap. 19.

PROLEGOMENON IV.

De vita & morte Ionæ.

6. *Ionæ vita, & mors.* OBſcura ſunt, & dubiis innixa coniecturis, quæ de hac re à nobis non aliter, quàm diuinando dici poſſunt: neque aliter, vt opinor, alij, niſi diuinando locuti ſunt: ſine vllo certè à Scriptura ſacra fundamento. Dicam igitur quod proditum lego ab Epiphanio, & à Dorotheo, & in Alexandrino Chronico. Audi nunc pro omnibus Epiphanium. *Vbi ad iuſtam prouectus eſſet ætatem Ionas, ablegatus eſt in Niniuen ad Aſſyrios, &c. Tunc reſipuere Niniuitæ coram Deo, & reddiderunt Deum ſibi propitium. Mærore autem affectus Ionas, natale ſolum repetit, neque domi permanendum ducebat. Verùm aſſumpta parente ſua, in Sur peregrinatus eſt, regionem alienigenarum. Inquit enim: Ne fortè exprobretur, vanam exiſtere meam prophetiam contra Niniuem. Cùm frequentaret itaque terram Saar, vita ibidem functus, in ſpecu Cenezæi Iudicis humatus eſt.* Hæc habemus ex ſcriptoribus quos antè nominaui, quorum aliqua videntur aliquantulum dura. Quæ illuſtriora ſunt, & ſuo genere valde admirabilia, habemus ex ſacris literis ipſo auctore cui talia contigerunt.

PROLEGOMENON V.

An Ionas Chriſti fuerit typus.

7. *Ionas Chriſti typus.* QVòd Ionas Chriſti typus fuerit, ab ipſo Chriſto diſcimus Matth. cap. 12. *Sicut fuit Ionas in ventre ceti, tribus diebus, & tribus noctibus, ſic erit filius hominis in corde terræ, tribus diebus, & tribus noctibus.* Sed ſicut qui Chriſti fuerunt vmbræ, in vno tantùm aut altero facto illum adumbrarunt: ita non oportet ad Chriſtum omnia illorum facta accommodare. Multa habuit Ionas admirabilia, non tamen in omnibus Chriſti vitam, & inſtitutum, aut expreſſit, aut ſaltem adumbrauit obſcurè. *REGVLA. Qui Chriſti fuerunt typus, non in omni facto fuerunt, ſed in vno, aut altero.* De quo Hieronym. ad Chromatium in proœmio Ionæ. *Non ignoramus ſudoris eſſe vel maximi, totum Prophetam referre ad intelligentiam Saluatoris quòd fugerit, quòd dormierit, quòd præcipitatus ſit in mare, quòd ſuſceptus à ceto, quòd eiectus in littus pœnitentiam prædicarit, quòd contriſtatus ob ſalutem vrbis innumeræ cucurbitæ ſit delectatus vmbraculo, quòd reprehenſus à Deo, cur maiorem curam habuerit herbæ virentis, & extemplò aridæ, quàm tanta hominum multitudinis*, &c. In his omnibus Ionas vmbra Chriſti non fuit, ſed in eo quòd Chriſtus magiſter veritatis edocuit. Egit ea de re latè & optimè Theophylactus, in præfatione commentariorum in Ionam ſub finem, vbi optimè produxit exempla. Eſt autem pulchrum, & neceſſarium documentũ ad allegoricos, & myſticos ſenſus, quod tradit Chryſoſtom. homil. 65. in Matth. *REGVLA. In parabolis non omnia accommodanda.* *In parabolis*, inquit, *non oportet nimia in ſingulis verbis cura angi, ſed cùm quid per parabolam intenderit didicerimus, inde vtilitate collecta, nihil vlterius anxio eſt conatu inueſtigandum.* Quod optima ſimilitudine Auguſt. explicuit lib. 16. de ciuitate, cap. 2. *Non omnia*, inquit, *quæ geſta narrantur, aliquid ſignificare putanda ſunt; propter illa, quæ aliquid ſignificant, etiam ea quæ nihil ſignificant attexuntur. Solo enim vomere terra proſcinditur, ſed vt hoc fieri poſſit, etiam cætera aratri membra ſunt neceſſaria.* Quod item Hieronym. docuit *in cap. 1. Ionæ*, ad illud, *Et deſcendit in Ioppem. Prudens*, inquit, *rogandus eſt lector, ne eundem velit ordinem tropologiæ, quem & hiſtoria quærere: nam & Apoſtolus Agar, & Saram ad duo teſtamenta refert, & tamen non omnia quæ in hiſtoria illa narrantur, tropologicè interpretari poſſumus:*

Digitized by Google

possimus : quod ad finem vsque paragraphi latè & bellè persequitur. Est ergo Ionas Christi typus, non tamen in omnibus, sed in aliquibus : maximè in triduano secessu in ventre ceti, quod Christus ipse dixit *Matth. cap.* 12. Vide S. Petrum Chrysologum *homil.* 37. vbi pluribus docet, Ionam in seipso expressisse Christi seruatoris imaginem, & Augustinum *lib.* 4. *de symbolo ad Catechumenos*, *cap.* 6. cuius huc libuit verba transcribere. *Ipsam*, inquit, *figuram propheticam comparando breuiter percurramus. Missus Ionas ad ciuitatem Niniue, vt eius finem prædicaret : missus est Christus à Patre vt finem mundi omnibus demonstraret. Fugit Ionas in Tharsis à facie Domini. Fuga Ionæ velox transitus Christi, de quo dixit Propheta : Exultauit vt gigas ad currendam viam. Ascendit nauem Propheta fugiens : lignum Christus ascendit per mare huius sæculi transiens. Irruit tempestas*

A *magna in mari. Perturbatio maris perfidia Iudæorum. Data est sors, vt Propheta fugitiuus in mare mitteretur : sors data est super Christi vestimenta, vt vnitas in omni mundo prædicaretur. Proiectus est è naui in mare Ionas : mors Christi in cordibus Gentium collocata est. Susceptus est à bestia Propheta, custodiendus, non comedendus. Audi hic ipsius vocem Christi per sanctum Dauid : Non derelinques animam meam apud inferos, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. In ventre bestiæ marinæ positus orauit Ionas sanctus : in inferno Christus descendens, mortuos suscitauit. Tertio die Propheta littori incolumis est redditus : die tertio Christus de sepulcro surgens, super cælos est exaltatus. Ad prædicationem Ionæ Prophetæ per pœnitentiam saluata est ciuitas : per Christi prædicationem sancta Ierusalem redempta est ciuitas.* Idem penè *tomo* 2. *ep.* 49. & Hieronymus & Theophylactus, & alij ex interpretibus multi.

IN

Digitized by Google

IN CAPVT PRIMVM.

ARGVMENTVM.

MITTIT Deus Ionam in Niniuen, vt durum illi à Domino vaticinium denuntiet: quod ille mandatum vt à seipso declinaret (ne si Deus mitior Niniuitis ignosceret, nugator haberetur, & fallax) fugere voluit in Tharsis. Cùm verò nauem conscendisset, subitò mare vehementi tempestate cohorruit, cui, cùm nihil nautæ obtendere possent opportunum, ad preces confugiunt, & sortes, quibus tandem vt sceleris reus, sic etiam tempestatis causâ deprehenditur Ionas. Quem, cùm omni studio à morte liberare cuperent, ipso hortante in pelagus è nauigio deturbant. Extemplò consedit tempestas: & admirati nautæ Deum verum agnoscunt, illique grati pro beneficio, & vota nuncupant, & victimas immolant.

CAPVT I.

1. *ET factum est verbum Domini ad Ionam filium Amathi, dicens:* A

2. *Surge, & vade in Niniuen ciuitatẽ grandem, & prædica in ea: quia ascendit malitia eius coram me.*

3. *Et surrexit Ionas, vt fugeret in Tharsis à facie Domini, & descendit in Ioppen, & inuenit nauem euntem in Tharsis: & dedit naulum eius, & descendit in eam vt iret cũ eis in Tharsis à facie Domini.* B

4. *Dominus autem misit ventum magnum in mare: & facta est tempestas magna in mari, & nauis periclitabatur conteri.*

5. *Et timuerunt nautæ, & clamauerunt viri ad Deum suum: & miserunt vasa, quæ erant in naui, in mare, vt alleuiaretur ab eis: & Ionas descendit ad interiora nauis, & dormiebat sopore graui.* C

6. *Et accessit ad eum gubernator, & dixit ei: Quid tu sopore deprimeris? surge, inuoca Deum*

PARAPHRASIS.

1. ACcepit Ionas, filius Amathi, à Domino verbum, in hanc sententiam:

2. Agedum, ô Iona, proficiscere in Niniuen, vrbem & latam spatiis, & ciuium multitudine copiosam, & (quod Prophetici ministerij est) sermonem ad illam exhortatorium habe. Neque enim iam amplius differri potest, quod iam pridem ab illis supplicium suspendo: cùm illorum malitia iam apud me clamet, & meum in illos furorem instimulet.

3. Surrexit autem Ionas, non quidem Niniuen versùs, vt diuinum exequeretur imperium, sed quàm longissimè aliorsum à Niniue, vt datum sibi negotium declinaret. Fugit igitur à Deo in Tharsis, & ideo concessit in Ioppen, vbi nauem reperit, quæ suum in Tharsis maritimum cursum destinarat, solutóque vecturæ pretio conscendit nauem, vt simul cum conuectoribus aliis ad designatã animo prouinciam appelleret.

4. Tunc verò Deus euocauit ventum, qui vehementem in mari tempestatem cõmouit, quæ sic afflixit nauem, vt parum abfuerit, quin absorberetur fluctibus, aut illisa scopulis frangeretur.

5. Inuasit tunc conuectores & nautas ingens horror. Quare suorũ quisque deorum patrocinium implorat, & quo nauis leuior sæuientem illam tempestatem effugeret, merces, & omnia quæ impedimento, atque oneri esse poterant, in mare proiiciunt. Interim verò, dum alij de naui vitáque solliciti tumultuantur, & omnia aduocant artis adiumenta, Ionas in ima naui, ad quam antè descenderat, alto sopore correptus tenebatur.

6. Ad quem gubernator, cuius fidei & omnium salus, & nauis fuerat commissa culto

Digitized by Google

Deum tuum, si fortè recogitet Deus de nobis, & non pereamus.

A custodia, subiratus ait: Quid tu in hoc rerum articulo, tam profundè dormis, tam securus stertis? Surge, & sicut alij suos, sic tu Deum tuum, ad ferendam nauigantibus opem, precibus sollicita. Fieri enim potest; vt mitioribus nos oculis respiciat, & ab eo periculo, in quod salus nostra deducitur, expediat.

7. Et dixit vir ad collegam suum: Venite, & mittamus sortes, & sciamus quare hoc malum sit nobis. Et miserunt sortes: & cecidit sors super Ionam.

7. Rem videbatur, non naturæ vis, ac potestas, sed diuinus furor propter peccata alicuius, moderari ac regere. Quare omnibus visum est oportere, vt illius tempestatis causam sortibus explorandam cō-
B mitterent. Cùm autem omnia legitimè fierent, ac ritè ex Ethnica disciplina, exiit sors, quæ Ionam vnum ex omnibus designauit tempestatis auctorem.

8. Et dixerunt ad eum: Indica nobis cuius causa malum istud sit nobis: quod est opus tuum? qua terra tua, & quò vadis? vel ex quo populo es tu?

8. Vbi sors prodidit sceleris reum, quem tam dira petebat, & diuinitùs immissa tempestas, ab illo omnes & familiariter exquirunt, ecquid admiserit, propter quod omnes tam dura iactatione vexentur, quod illi ministerium, aut vitæ modus, ex qua gente, atque natione ortus, quò iter institueret, ex quo populo aut natus, aut
C profectus.

9. Et dixit ad eos: Hebræus ego sum, & Dominum Deum cæli ego timeo, qui fecit mare & aridam.

9. Ad hæc Ionas, ex Hebræorum gente se natum esse dixit, neque alium à se Deum agnosci, & coli, præter illum, qui terræ, ex qua proximè soluerant, & maris, in quo variis tunc agitabantur fluctibus, conditor est.

10. Et timuerunt viri timore magno, & dixerunt ad eum: Quid hoc fecisti? (cognouerunt enim viri quòd à facie Domini fugeret, quia indicauerat eis.)

10. Audito Dei nomine, quem Ionas grauiter offendisse deprehensus fuerat, magno perturbationis, ac timoris æstu concussi sunt nautæ, & causam rogarunt, cur
D indignum illud facinus esset aggressus, jam enim ab ipso didicerant, fuga se à Domino subducere voluisse.

11. Et dixerunt ad eum: Quid faciemus tibi, & cessabit mare à nobis? quia mare ibat, & intumescebat.

11. Et cùm adhuc mare magis atque magis intumesceret, ab ipso Iona (vt qui meliùs nosset, quomodo placandus esset Hebræorum Deus) rogant, quid facto opus esset, vt Deo iam propitio, illa maris tempestas sedaretur.

12. Et dixit ad eos: Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis: scio enim ego quoniam propter me tempestas hæc grandis venit super vos.

12. Ad quos ille: Hinc me quàm primùm sublatum accipite, & in mare proiicite, quod tam videtis ab æstu turbari?
E neque ampliùs erit vobis à tempestate metuendum. Mihi enim compertum est, hos tantos motus, qui vobis mortis periculum intentant, mea causa fuisse concitatos.

13. Et remigabant viri vt reuerterentur ad aridam, & non valebant: quia mare ibat, & intumescebat super eos.

13. Ad hunc autem nautæ, conuectorésque reliqui Ionæ vicem, & casum miserati, totis connixi viribus, ad littus vnde soluerant, remigio redire conabantur, sed irrito planè conatu: quia mare sæuiebat magis, atque magis, ita vt absorbendi viderentur à gurgite, aut ab elatis fluctibus obruendi.

Digitized by Google

14. *Et clamauerunt ad Dominum & dixerunt: Quæsumus Domine, ne pereamus in anima viri istius, & ne des super nos sanguinem innocentem: quia tu Domine, sicut voluisti, fecisti.*

A 14. Cùm verò nihil conatu illo pio atque operoso proficerent, iam certi de proiiciendo Propheta, priùs tamen vt omne à suo capite scelus atque periculum auerterent, in hunc modum orant: Quæsumus, Domine, ne hominis huius interitum nostro nos interitu luamus, neque sanguinem huius, à quo nihil accepimus mali, in nostrum caput exitiúmque conuertas: scimus enim facere te facile posse, quodcunque animo collibuerit.

15. *Et tulerunt Ionam, & miserunt in mare: & stetit mare à feruore suo.*

15. Hoc præfati, sublatum Ionam in mare proiiciunt: confestim verò ab illo æstu, quo immoderatè feruebat, sedatum est.

16. *Et timuerunt viri timore magno Dominum, & immolauerunt hostias Domino, & vouerunt vota.*

16. Ex illa tanta, ac tam subita rerum mutatione cognouerunt nautæ verum esse Deum, cui venti, marecque paruerant. Quare præcipua quadam religionis obseruantia immolarunt hostias, & in reliquum, quod facere solent nauigantes, cùm in portum emerserunt incolumes, vota nuncuparunt.

Vers.1. *Et factum est verbum Domini ad Ionam filium Amathi, dicens.*]

1. NIHIL hîc habemus noui, quod non sit antè in prolegomenis expositum. Quomodo vaticinium istud à coniunctione inceperit, contra Latinorum consuetudinem, diximus in nostris Commentariis super Ezechielem, à quo in exordio non discessit Ionas.

2. Vers.2. *Surge, vade in Niniuen, ciuitatem grandem, & predica in ea.*] Hoc est verbum quod Ionas accepit à Domino, vt ad populum proficisceretur gentilicum, ad ciuitatem videlicet amplissimam, vbi regia erat sedes, neque Assyrij tantùm imperij, sed totius orbis, tum ciuium numero, tum loci amplitudine, tum rebus omnibus, quibus ornari ac commendari ciuitas solet, sub illam tempestatem nobilissima. Quod, credo, significat hîc Propheta, dum grandem esse dicit ciuitatem: grandem, inquam, & sede, quam sua mole occupat, capitum frequentia, gloria, atque opibus. Sed hîc de soli amplitudine, aut tantùm, aut præcipuè sermo est. Hæc porrò ciuitas, interdum ab scriptoribus Ninus, nonnunquam Nina, in Scriptura Niniue nominatur. Hanc ad Tigrin fluuium cõdidit Assur filius Sem, & Noe nepos: de quo Genes. 10. vers. 11. *De terra illa egressus est Assur, & ædificauit Niniuen.* Hanc tradit Iosephus supra alias omnes ciuitates opibus floruisse, *lib.* 1. *Antiquit. cap.* 7. De hac August. *lib.* 17. *de ciuitat. cap.* 3. vbi probat Assur, qui & Ninus, filium esse Sem. De huius ciuitatis magnitudine, vide Diodorum Siculum *lib.* 3. *rerum antiquarum, cap.* 1. vbi sic de Nino. *Cùm superiores omnes gloria, & rebus gestis superasset, vrbem quoque ingentem condere statuit, cui par magnitudine, neque fuisset antè, neque esset futura. Ipse coactis vndique viribus, & his quæ ad tantum opus spectarent paratis, supra Euphratem vrbem condidit, non æqua laterum dimensione: nam duæ muri partes longiores erant reliquis. Horum latus quodlibet longitudine est stadiorum centum quinquaginta, breuiores*

Niniue cõditor & amplitudo.

B *verò stadiis nonaginta. Quæ muri dimensione ambitus stadia complectitur quadraginta octoginta. Et sanè spe sua nequaquam frustratus est, nulla enim postmodum vrbs tanto ambitu, tantáve mœnium magnificentia constructa est. Altitudo murorum pedum est centum, latitudo qua tres currus simul perambularent, turres mille, & quingentæ, quarum altitudo pedum est ducentorum.* Hæc Diodorus, qui in eo dissentit à pluribus aliis, quòd hîc ad Euphratem, alij ad Tigrin sitam esse dicant. Quanta fuerit vrbis magnitudo, à meliori magistro docemur, Ionæ *cap.* 3. *vers.* 3. tantum spatij occupare dicitur, quantum non minus tribus diebus traiici possit.

Et predica in ea.] Hîc multa occurrunt obserua- 3.
tione dignissima. Primum hominem peregrinum, ignobilem, nulla aut nominis, aut generis commendatione notum, ad ciuitatem mitti nobilissimam, in qua, & potestas esset summa, & vis, atque iniuria, quæ à potestate simili abesse non solent. Et mitti cum his mandatis, quæ hominibus otio, luxúque dissolutis, non poterant non esse molesta. Quódnam futurum esset clamoris, aut prædicationis argumentum, non C exponit Propheta. Sed est verisimile nihil continere aliud, præter minas, sine vlla conditione, aut promissione de venia, si de fruge meliori cogitarent, tametsi illud esset Dei consilium, qui non tam stragem expetebat, quàm Niniuitarum pœnitentiam, & vitam. Quod ex eo colligere posse videor: quia Ionas ea denunciauit, quæ à Domino in mandatis acceperat, at illud tantum audimus in prædicatione Ionæ, *Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur.* Neque vllum de pœnitentia verbum. Deinde quia si conditionatas illas minas accepisset Propheta, non esset cur doleret, cùm constaret de ciuium pœnitentia, quæ eiusmodi fuit, vt nemini videretur ignorari potuisse. Quòd si ad pœnitendum hortaretur, aut eius aliquò modo meminisset, non existimaretur

nugator

Digitized by Google

nugator & impoſtor: cùm illæ propheticæ minæ, non tam in pœnitentes, quàm in peccatores, & obſtinatos eſſent intentæ. Id verò illi maximè indignationis, atque doloris materia fuit, quòd contra, quam ipſe prædicarat, Dominus ciuitati pepercit.

4. *Quia aſcendit malitia eius coram me.*] Cùm nullum peccatum diuinos lateat oculos, atque ideo neceſſarium non ſit, vt aſcendant ſurſum, vt ſeſe coram Domino ſiſtant, tamen aliqua peccata dicuntur ad Deum, ſeu ad diuinum aſcendere tribunal, quia aliquid habent, quod præcipuè diuinum furorem aduocet, & inſtimulet. Vnde quædam dicuntur peccata clamantia in cælum, quibus omnibus exuberaſſe Niniuem veriſimile eſt. B Clamare dicuntur in cælum, ſeu, quod idem eſt, aſcendere in cælum, ſeu coram Domino, peccata, quando publicè, inuerecúdè, atque impunè committuntur: quæ cùm homines, qui præſunt reipub. aut non explorant, aut cùm vident, ſupplicio reſecare, ac prohibere negligunt, imò & ipſi cum latronibus currunt, & ſuam cum adulteris portionem ponunt. De his Auguſt. in Enchiridio ad Laurentium, cap. 80. *Peccata*, inquit, *quamuis magna, & horrenda, cùm in conſuetudinem venerint, aut parua, aut nulla eſſe creduntur, vſque adeò vt non ſolùm non occultãda, verumetiã iam prædicanda ac diffamãda videantur. Quando ſicut ſcriptum eſt, laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ, & qui iniqua gerit, benedicitur,* &c. C Vnde eſt illud in Geneſi cap. 18. *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus eſt: quia non ſolùm iam apud eos non puniebantur illa flagitia, verùm etiam publica velut lege frequentabantur.* Idem lib. Annotat. in Iob, ſuper cap. 30. *Pleriſque*, inquit, *locis, pro manifeſtis peccatis clamorem ponit Scriptura; vt verbum ſit, quicquid corde concipitur, clamor, cùm procedit in factum.* Et *lib. 1. locutionis de Geneſi, cap.* 60. clamorem ſæpe Scriptura ſolet ponere, pro tanta impudentia, & libertate iniquitatis, vt nec verecundia, aut timore abſcondatur. Idem Gregor. 3. part. Paſtor. admon. 32. *Peccatum cum voce eſt, culpa cum actione: peccatum cum clamore eſt, culpa cum libertate.* Idem in Pſalm. 2. pœnit.

Quando peccata in cælũ clamant.

5. D Cùm autem omnis culpa clamor appelletur, iuxta illud Iſai. 5. *Expectaui vt faceret iudicium, & ecce iniquitas: & iuſtitiam, & ecce clamor.* Quædam dicuntur peccata in cælum clamantia: illa verò ſunt, quæ proximorum, & præſertim pauperum iura peruertunt. In his numeratur vis, & cædes eorum, quos non ſolùm ſanguinis, ſed etiam generis communitas ſociauit. Geneſ. 3. dictum eſt ad fratricidam Caim, *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Item oppreſſio pauperum, pupillorum, viduarum, aduenarum. De paupere Deuteron. cap. 15. *Caue ne auertas oculos tuos à paupere fratre tuo, nolens quod poſtulat commodare mutuum, ne clamet contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum.* E De aduena, pupillo, & vidua Deuteron. 22. *Si læſeris eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum.* Clamor etiam dicitur operariorum defraudata merces. Deuteron. cap. 24. & Epiſt. Iacobi cap. 5. *Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth.* His adde peccatum, quod eſt à Veneris intemperantia, & illud maximè flagitiũ, quod eſt à maſcula ſiue præpoſtera libidine, quod à Sodomæis, qui in illam furioſiſſimè atque impudentiſſimè ferebantur, appellationem ſumpſit, & hominum vulgò vocatur Sodomiticum, Geneſ. cap. 19. *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus eſt.* In quam

Quæ peccata in cælum clamantia.

Pauperum patronus Deus.

Luxuries quàm ingrata Deo.

A ſententiam optimè Saluianus lib. 1. de prouidentia, non longe poſt medium. *Grauis*, inquit, *proculdubio clamor eſt, qui a terris aſcendit ad cælum. Quare autem peccata hominum, quaſi clamare teſtatur? Scilicet, quia cadi aures ſuas Deus dicit clamoribus peccatorum, vt non differatur pœna peccãtium. Et verè clamor, & grandis clamor eſt, quãdo pietas Dei peccatorum clamoribus vincitur, vt peccatores punire cogatur. Oſtẽdit ergo Dominus, quàm inuitus puniat etiã grauiſſimos peccatores dicens quòd clamor Sodomorum ad ſe aſcenderit. Hoc eſt dicere: Miſericordia quidem mea mihi ſuadet, vt parcam, ſed tamen peccatorum clamor cogit, vt puniam, quamuis idipſum quod ibi actum eſt, plus habuit miſericordiæ, quàm ſeueritatis. Quòd enim pœnam eorum tamdiu diſtulit, miſericordiæ fuit, iuſtitiæ quòd aliquando puniuit.*

Hæc omnia peccata Niniuitis arbitror fuiſſe familiaria: quæ licèt, & dictu horrida, & aſpectu fœda, publicè tamen, & liberè ſic admittebãtur, vt neque humanitas ab iniuria, neque pudor à fœdiſſimis impuræ vitæ flagitiis cohiberet. Et ideo illorum hominum malitia aſcendit ad Dominum, ſeu clamauit, quia in ampliſſima illa ciuitate reperiebatur nullus, qui aut poſſet, aut vellet illam morum intemperantiam, aut ſermonis grauitate comprimere, aut reſecare legitima ſeueritate ſupplicij. Quare, cùm terra non videretur ferre poſſe tantum peccatorum pondus, poſt breuiſſimum ſpatium, id eſt, poſt quadraginta dies ſubuertenda dicitur, aut dehiſcente ſolo, & ſuperba illa mole ad inferos vſque depreſſa, aut vibrato cælitùs igne, à quo non aliter, quàm olim Sodoma abſumeretur. In quem ſtatum defluxiſſe videbatur Ieruſalem, quo tempore obſeſſa fuit à Romanis atque ſubuerſa: de quo ſic Ioſephus oculatus teſtis, lib. 6. de bello, cap. 16. *Non equidem recuſabo dicere quæ dolor iubet. Puto ſi Romani contra noxios venire tardaſſent, aut hiatu terræ deuorandam fuiſſe ciuitatem, aut diluuio perituram, aut fulmine, ac Sodomæ incendia paſſuram. Multo enim magis impiam progeniem tulit quàm quæ illa protulerat.* Hoc opinor dici potuiſſe de Niniue, niſi imminentem gladium aut fulmen auertiſſet, aut vaſtum terræ hiatum obſtruxiſſet opportuna pœnitentia. Quanta verò apud Niniuitas fuerit morũ corruptela, & libera ad omne flagitiorum genus procacitas, indicat Nahum *cap. 3.* vbi vocat Niniuen meretricem ſpecioſam, & habentem maleficia. Sanè idolorum cultum Ninus eius conditor omnium primus in orbem inuexit, qui Belo patri diuinos honores haberi iuſſit. Vide Hieronym. *in cap. 2. Oſee.*

6. *Niniuitarũ peccata.*

Sunt qui putent illud, *Quia aſcendit malitia eius coram me*, eſſe propheticæ concionis argumentum. ita Cyrillus ad illud cap. 3. *Abiit in Niniuen iuxta verbum Domini.* Quod item ſenſiſſe videtur Origen. *homil. 16. in Numer.* vbi negat illud, *adhuc quadraginta dies*, accepiſſe Prophetam à Deo, ſed addidiſſe de ſuo. Quaſi Deus iubeat, vt admoneantur Niniuitæ ipſorum peccata otioſa nõ eſſe, ſed ſtare ante Dei tribunal, ibique accuſare ſcelerum auctores, & contra illos aſſiduis acutiſque clamoribus diuini furoris aculeos ad vindictam acuere. Neque hæc mihi cogitatio diſplicet. Plurimi enim refert peccatorem noſſe habere ſe apud Deum peccata clamantia, quorum audiuntur voces à Deo, quas ſequi ſolent gladius, peſtis, fulmina, & æterna damnatio. Hoc deberet eſſe familiare concionatorum argumentum, vt obſtruantur ſcelerum fauces, & tam frequentibus iuſtiſque clamoribus indicatur ſilentium, &

7. *Peccata accuſant auctorẽ ſuum apud Deum.*

& aperiant peccatoris aures ad scelerum voces, vt in illis resonet iusta querela, quæ ad diuinum tribunal continenter auditur.

8. Vers. 3. *Et surrexit Ionas vt fugeret in Tharsis à facie Domini.*] Iussus est Ionas surgere vt adiret Niniuen, ibique data sibi à Domino mandata perageret; ille verò surrexit non quidem Niniuen versus, vt diuinum exequeretur imperium, sed quàm longissimè aliorsum à Niniue, quo datum sibi negotium declinaret. Cur autem fugere voluerit, variæ à variis afferuntur causæ. Hieronym. *hic*, Greg. Mag. *lib. 6. Moral. cap. 13.* Nazianz. *in Apologetico*, & cum his alij non pauci, ex patriæ charitate hanc fugam ortam esse putant. Audi Hieronym. & in ipso alios. *Scit, inquit, Propheta sancto sibi Spiritu suggerente, quòd pœnitentia Gentium sit ruina Iudæorum, idcirco amator patriæ suæ non tam saluti inuidet Niniuæ, quàm non vult perire populum suum.* Id etiam opinantur Hebræi, qui censent Ionam rationem habuisse dignitatis gentis suæ, quã sciebat esse peruicacem, neque facilè ab impietate deduci, cùm vrgerent quotidie Prophetarum minæ: cui non poterat esse non ignominiosum, si Gentes ad Prophetæ exhortationem tam conuerterẽtur prompto animo ac docili. A qua sententia Theodoretus non abhorret. Aliter etiã exponit Nazianz. ex alterius sententia, quem Elias eius Scholiastes putat esse Methodium, qui hic non tam historiam quam allegoriam agnoscit.

Ionas cur fugerit.

9. Sed est alia verior proculdubio causa propheticæ fugæ, quam cum Theodoreto, Cyrillo, ac Theophylacto tenent complures alij, & in his Athanasius *in sermone de passione, & cruce Domini*, imò & ipse Ionas de se quam apertissimè docet. Eo nempe consilio legationem illam à Iona declinatam, quia Dei ingenium ad misericordiam pronum multis exemplis antè cognouerat, timebàtque, ne si populus ille per pœnitentiam, à vitæ turpitudine, atque insania veteri resipisceret, Deus vindicem a plaga dexteram cohiberet, & ipse nugator videretur & impostor, cùm exitus à minis abfuisset. Ille ergo metus ignominiæ fecit, vt tantopere vaticinium illud perhorresceret, quod sibi putabat futurum esse ludibrio, neque iam ampliùs siue apud suos, siue apud alienos vllum se honestum locum habiturum. Sic sanè docet non obscurè Ionas cap. 4. *Nunquid non hoc est verbum meum, cum adhuc essem in terra mea? Propter hoc preoccupaui vt fugerem in Tharsis. Scio enim, quia tu Deus clemens, & misericors es, patiens, & multæ miserationis, & ignoscens super malitia.*

10. *In Tharsis.*] De hac siue regione, siue ciuitate multiplex est inter auctores, & graue dissidiũ: alij mare esse putant, alij Tharsum Ciliciæ, alij Carthaginem, seu Tunetum, alij aliam mundi plagam esse coniectant. Ego ab hac disputatione, quæ dubiis nititur coniecturis, lubens abstineo, quia ea de re pluribus in Cõmentariis super Isaiã egi, ad illud cap. 2. *Et super omnes naues Tharsis*, neque nunc ex ea cogitatione quicquam muto.

11. *A facie Domini.*] Multa hic Patres de hoc Ionæ, siue stulto, siue temerario consilio. Alij ab ignoratione, atque errore liberant, sed planè frustrà: neque enim, vt se in omnem partem, & cogitationem vertant, efficient, vt ab illo culpã, aut errorem remoueant. Hebræorum aliqui obseruant non dici Hebraicè מפני יהוה mipene Adonai, id est, *a facie Domini*, sed מלפני יהוה *mi liphne Adonai*, id est, ne esset coram Domino, id est, ne esset Propheta: Prophetarum enim proprium esse putant esse coram Domino. Sic sanè indicat Elias, qui

Prophetæ ... coram Domino.

A dixit lib. 3. Regum cap. 17. *Viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto.* Et 4. Reg. cap. 3. Eliseus, *Viuit Dominus exercituum, in cuius conspectu sto.* Cur autem timeret tunc Ionas Prophetæ nomen & officium, ea ratio est: quia coniectabat, vt suprà dicebamus, ignoscendum esse pœnitenti populo, vnde ipse recusare non posset, quo minus tanquam nugator, & delirus, non ab alienis solùm, sed etiã à domesticis tractaretur. Aut quod putarunt Rab. Dauid, & Isidorus timebat vaticinium istud durum denunciare regi, & populo gentili ac barbaro, a quo quiduis in suum caput, non sine causa formidare poterat: cùm non facile ad hæc voluptuarij homines, aut dociles animos, aut aures præbeant obsequentes. Quam ob

B causam querebatur Ieremias, quòd sibi multorũ odia subeunda forent, quia duris hominẽs vaticiniis vrebat. Atque ideo clamabat dolens cap. 5. vers. 10. *Væ mihi, mater mea, quare genuisti me virum rixæ, virum discordiæ in vniuersa terra?*

Deinde, quia existimare potuit extra terram promissionis nulli hominum datum esse spiritũ propheticum, & hanc causam adducunt Hebræi, qui hodie extra terram promissionis negant esse, aut fuisse aliquo tempore Prophetam. Sed errant illi, sicut innumeris aliis locis, infantiliter, neque ignorare poterant prophetasse olim in Ægypto Iosephum, deinde Ieremiam, Moysen in deserto, Balaam in regione Moabitide, Ezechielẽ & Danielem in Babylonia, & ipsum etiam Ionã, postquam illum cetus ad littus euomuit, in Niniue, quæ nullo modo pertinebat ad sortem Israel. 12.

Extra terrã promissionis fuerunt prophetæ.

C

Hic pro moribus multa obseruatione digna. Fugit Ionas à facie Domini, id est, ne esset in conspectu Domini, quasi vspiam locorum effugere posset diuinos oculos. Quod cogitarũt illi, qui ex opinione planè stolida sibi quiduis licere existimarunt, quasi nullum haberent iudicem, aut testem, à quibus, aut arguerentur sceleris, aut duro plecterentur supplicio. Sic sanè putabant illi, de quibus Ezechiel *cap. 8. vers. 12.* qui impiæ se religioni impensè tradunt, dum putant se à Deo non videri. *Dicunt enim, non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram.* Vide quid nos in nostris Commentariis, super Ezechielẽm ad hunc locum, & super Isaiam ad illud cap. 29. vers. 15. *Et dicunt, quis videt nos?* Sanè peccator occultare vellet sua scelera, & eò interdum stuporis adducitur, vt latere existimet, ex quo ad peccandum excitatur, & alitur impudens audacia. 13.

Stulti putant se fugere posse à Deo.

D

Fugit ne sit coram Deo, id est, ne sit eius minister: qui enim alicuius imperio deesse nõ vult, ille assiduus est in domini conspectu, & totus ab illius nutu, & voluntate pendet. At Ionas quia durum putabat Dei imperium, cum tamen plenum esset dignitatis, tanquam a Domino seuero fugit, & aliorum se tutelæ ac fidei commisit: sed 14.

Periculosum est à Deo recedere.

E breui tristi experimento cognouit, quam acerba fuit illa dominorum stulta permutatio. Reliquit Deum, à quo mandatum, & legationem acceperat, quæ illi foret honesta: & quia Deum habebat illius auspicem, & auctorem aut nullum haberet, aut certè exiguum & nobile periculũ. Sed credidit vitam suam ventis: qui neque semper aspirant, neque semper secundos habent, atque fauentes flatus. Credidit fluctibus, qui sæpe exagitati ab aduersis, aut concursantibus ventis, aut saxis allidunt nauem, aut Syrtibus impediunt, & dubiam trahunt, & variè afficiunt sollicitam spẽ. Credidit naui, quæ non tam a prudentia, quàm à ventis regitur, & ab aquis, quæ Lunæ subsunt mutationibus variis, & vt instabilis est, sic etiam il-

Digitized by Google

guratè potius, quàm de propriè Iudæis sumendum esse vaticinium. Sed ego Samariam terramque Ephraimitidem à Machabæis occupatam inuenio. Narrat hoc sacra historia, licèt obscurè, & Iosephus vsqueadeo expressè, vt nihil dici poterit apertius. *lib. 1. Machabæorum, cap. 5. vers. 66.* Iudas dicitur perambulasse Samariam, quo loco significatur obscurè aut tunc subactam a Machabæo Samariam, aut certè ante hoc tempus in eius fuisse potestate: neque enim perambularet cum exercitu, nisi aut illam subiugare vellet, aut haberet antea suæ potestati subiectam. *Et mouit castra, vt iret in terram alienigenarum, & perambulabat Samariam.* Obscurè hæc, fateor, sed quod Iosephus docet *lib. 13. Antiquitat. cap. 18.* luce clarius. Cùm enim de obsessa Samaria sermo esset, quam princeps Iudæorum Hircanus obsidionis angustiis diu vexarat, addit tandem. Atque ita Hircanus, integro anno in oppugnatione exacto, non contentus vrbem carpere, etiam solo eam æquauit, ductis eò torrentibus, quorum eluuie ita cuncta fœdata sunt, vt ne vestigium quidem superesset eius oppidi. Debellauit item ciuitates alias Samariæ subiectas, & gentē Chaldæorum, quam Assyrij Israelitarum loco suffecerant, quos inde auectos in suam ditionem regnúmque transtulerant. Sic autem de illo Iosephus lib. 13. Antiquitat. cap. 17. *Caeterùm Hircanus audita morte Antiochi confestim ad vrbes Syriæ duxit exercitum, ratus, id quod erat, inuenturum se eas vacuas propugnatoribus,* &c. Et insuper Sichimam, atque Garizim cum gente Cuthæorum, qui accolebant templum, instar Hierosolymitani instructum, permissu Alexandri, & Sanaballete duce. Quare hæc sententia, quam alij stylo compũgunt plus satis acuto, eámque tragicum in modum exagitant, non videtur, cur existimari debeat improbabilis.

Samaria à Machabæis occupata.

57. Nihilominus placet tertia sententia, quæ magnos auctores inter se nō ita consentientes aptè conciliat. Quæ sic affirmat, hæc esse de Iudæorum statu, post solutam captiuitatem à Cyro, déque Idumæorum excidio intelligenda historicè, vt tamen typicè Euangelium, id est, meliora tempora respiciant. Ita apertè Theodoretus, qui sic explicat omnia de Idumæorum casu, Iudæorúmque meliori fortuna, vt tamen dicat aliquid ibi ad spiritualem salutē, & Euangelij tempora portendi. Cùm enim dixisset loquens cum Idumæis: Vos, ô Idumæi, pœnā dabitis eorum, quæ in fratres vestros cōmisistis: statim subdit illorū verborum explicationem. *In monte autem Sion erit saluatio, & erit sanctum.* Et ait, *Reducam eos ex captiuitate, & sanctum templum readificabo.* Prænunciat saluationem omnibus exortam in Sion, & sanctificationem inde, in omnem orbem terrarum profusam, per crucem Saluatoris. Deinde, quod reliquum est capitis, de Idumæis, atque Iudæis, in significatione interpretatur propria. Eadem sententia adscribi potest Hieronymo, licèt quid ipse sentiat, non obscurè doceat: qui cùm hæc omnia, de Iudæis victoribus, Idumæísque subiugatis esset interpretatus, respectat tamen Euangelij tempus, quo tempore significat aliquid horum simpliciter, & ante omnia alia fore perfectè complenda. *Idumæa,* inquit, *subuersa, & ab inimicis gentibus, cum quibus priùs contra Iacob fœdus inierat, deuorata, in monte Sion, erunt reliquiæ, eritque saluatio, & erit sanctus, hoc est, vel ipse Dominus reuertetur ad templum, quod propter peccata dimiserat, vel erit absolutè sanctum, id est, sanctum sanctorum. Et possidebit*

A *domus Iacob, sub Zorobabel, vel Esdra, & Nehemia, eos, qui se hæreditate possederant. Et erit domus Iacob, id est, Iuda, ignis: & domus Ioseph, id est, decem tribuum flamma.* Vide quàm non obscurè de restitutis ab exilio Iudæis loquatur Hieronymus. Sed postea explicationem inducit mysticam. *Destructis,* inquit, *carnis operibus, & terreno imperio desolato, erit in Ecclesia saluatio eorum, qui à matre non exierint.* Et iterum, cùm explicaret illud, *Et hæreditabunt hi, qui ad Austrum,* &c. ait, *Reuerso in regnum suum Iuda, qui habitauit in meridie, & possedit omnem regionem, iuxta diuisionem Iesu filij Naue. Qui priùs terminis arctabantur angustis, possidebunt montem Esau, id est, montes Seir, & montana, quæ Edom ante possederat.* B Sed aliquanto pòst addit: *Hoc verùm tantum sit, Deus viderit, potest enim ex parte per annos quingentos, vsque ad aduentum Christi esse completum.* Ex his non dubium est, quid Hieronymus sentiat. Idem etiam censent illorum multi, qui Hieronymo plerumque subscribunt, Dionysius, qui tamen magis probat mysticū sensum, Remigius, Albertus, Hugo, Ribera, Robertus, & Castrus. Quæ sententia nihil derogat Euangelio, quando illi concedit allegoricè, quod historicè ac propriè Iudæorum captiuitati restitutæ, neque contorquet literam, quæ nihil aliud sonat, quàm Idumæam subrutam, & euersam, & gloriosum Iudæorum reditum; & illustres victorias, quales de Gentibus, C & de his, quorum erant studia & mores à pietate alieni, tulit Ecclesia, quos adumbrabat Idumæorum & pertinax in Israelitas odium, & crudele ac barbarum ingenium. Nunc exploremus singula.

Vers. 17. *Et in monte Sion erit saluatio, & erit sanctus.*] Gratulabantur sibi, opinor, Idumæi, quod ipsius regioni, nihil à Babyloniis accidisset aduersi, & ipsi, grassantibus quacunque Chaldæis, euasissent incolumes: cùm tamen Iudæi, aduersùs quos immortales aluerant inimicitias, captiui ab hostibus essent abducti, & ipsorum templum, quod maximum erat ornamentum illius populi, incendio conflagrasset. In quo sibiipsis maximè D placebant, quod ipsorum manibus, vt liquet ex *lib. 3. Esdræ, cap. 4. vers. 45.* faces essent in templum illatæ. His ergo edicit Propheta futuram rerum vicissitudinem, & qui è Sion extorres excesserunt, eosdem cum gloria eòdem redituros, & instaurandum esse templum, quod ignis absumpsit, reuocanda sacrificia, & ibi Dominum, tanquam in suo, sicut antea sacrario, domicilium esse locaturum. Vbi vulgatus *sanctus*, Hebr. est קדש *kodes*, quod *sanctitatem* significat, aut in genere neutro *sanctum*. Intelligitur autem templum, quod Sanctum appellatur, in quo habitat Deus, & præcipua quadam religione colitur, aut certè Deus ipse in solio gloriæ suæ, qui populi iam sui, E quem priùs abiecisse videri potuit, patronus erit, & custos. 58.

Et possidebit domus Iacob eos, qui se possederant.] Hæc eadem dixit, aliquot pòst sæculis, Zacharias cap. 2. vers. 8. *Post gloriam, misit me ad Gentes, quæ spoliauerunt vos. Quia ecce ego leuo manum meam super eos, & erunt præda his, qui seruiebant sibi.* Et paulo pòst addit, quod proximè dicebamus, Deum rursus ad templum rediturum. *Et possidebit Dominus Iudam, partem suam, in terra sanctificata.* Qui autem futuri sint illi, qui venturi dicuntur in Iudæorum potestatem, statim declarat. Et primùm agit de Idumæis. 59.

Et erit domus Iacob ignis, & domus Ioseph flamma, & domus Esau stipula.] Hæc a nobis suprà explica- 60.

REGVLA.

ta

ta sunt, cùm diximus, quas Iudæi victricibus armis, in Idumæos, strages ediderint: neque est, cur illa rursus iteremus. Comparatur autem domus Iacob flammæ, quia hæc, vbi materiam aridam apprehenderit, qualis est stupa, aut stipula, momento temporis inflammat, & perdit: quia nihil est, quod illius vim retardet, aut debilitet, neque illius aliquid relinquit, quo quis stupam fuisse, aut stipulam agnoscat.

Hyperbolici dicendi modi maximè in exprimenda vastitate.

Et non erunt reliquiæ domus Esau.] Ex hoc loco
6. non nemo colligebat, hæc non de proprio Esau, sed de figurato esse capienda: quia eò redacti non fuerint Idumæi, vt non fuerint relicti, ex ipsorum contritione, quamplurimi. Quare non aptè citra figuram, Idumæi cum stipula, & Iudæi cum flamma comparantur. Sed hæc cogitatio, aut nullum habet, aut non nisi pertenue fundamentum, quæ non considerat in Scriptura sacra hyperbolicas esse locutiones, maximè cùm alicuius ciuitatis significatur exitium durum, & horribile. Quale est, non esse relinquendum lapidem super lapidem, quod dixit Christus de Ierusalem, aut quod de Babylonia dixit Isaias cap.14. vers.22. *Et scopabo eam scopa terens*, quasi dicat, ex tanta mole, & tam ampla ciuitate, neque puluisculum esse relinquendum, quod faciunt scopæ, quando domus accuratè verritur. Eodem modo Ezechiel de Tyro, cap.26. vers.4. *Dissipabunt muros Tyri, & destruent turres eius, & radent puluerem eius de ea, & dabo eam in limpidissimam petram.* Ierem. *cap.*49. *vers.*18. qui pleraque eorum, quæ de Idumæa vaticinatus est, sumpsit ex Abdia, sic de Idumæa. *Et erit Idumæa deserta*, &c. *Sicut subuersa est Sodoma, & Gomorrha, & viciniæ eius.* Neque tamen Idumæa, de qua, omnium concessu, ibi Ieremias loquitur, talia passa est, qualia olim Sodoma. Et Babylonem, sicut Sodomam euertendam dixit Ierem. *cap.*50. *vers.*40. & Isaias *cap.*13. *vers.*19. & tamen Babylon stetit semper, & fuit caput, & prima sedes Syriæ, licèt non eodem statu, atque splendore, quo priùs. Hoc idem dixit Amos *cap.*4. *vers.*11. de Israel, cùm adhuc, aut integra esset, aut non admodum attenuata ab Assyriis. *Subuerti*, inquit Deus, *vos, sicut subuertit Dominus Sodomam.* Vt ergo verum fuit Ieremiæ vaticinium, licèt longè abessent Idumæi à Sodomæorum incendio, sicut etiam nunc, quamuis longè absint ab eo, quod verba propriè sonant, quia magna fuit strages, quod prouerbialis illa atque hyperbolica dicendi forma significat, verum erit Abdiæ vaticinium.

Sodoma prouerbialiter pro magna vastitate.

62. *Quia Dominus locutus est.*] A diuini verbi firmitate fidem accipit, & pondus prophetia. Quidam ex Hebræis non malè huc aduocat illud lib. Numer. cap.24. vers. 18. *Erit Idumæa possessio eius* (nempe Iacob) *hæreditas Seir, cedet inimicis suis, Israel vltrò fortiter aget.* Sed claudit hìc, opinor, Propheta suum vaticiniū, & quasi consignat illa familiari ac legitima clausula, *Dicit Dominus.* Illud enim valet, Dominus locutus est. Nam particula, *quia*, vt sæpissimè aliàs, sic fortasse nunc, otiosè ponitur, iuxta Hebræorum idioma.

63. Vers.19. *Et hæreditabunt hi, qui ad Austrum sunt, montem Esau.*] Quomodo Idumæi subacti fuerant à Machabæis, & ad circuncisionem vsque compulsi, dictum est suprà. Porrò duæ tribus, quarum caput fuit Hierosolymá, habitare dicuntur in Austro, quia ad Australem partem terræ promissionis sors illa pertinet, in qua templum est, & prima regni sedes.

64. *Et qui in campestribus Philistiim.*] Hoc idem Isaias

A cap.11. vers.14. *Ephraim non æmulabitur Iudas, & Iudas non pugnabit contra Ephraim. Et volabunt in humeros Philistiim per mare, simul prædabuntur filios Orientis, Idumæa*, &c. Et Ezechiel *cap.*25. *vers.*15. vbi Idumæos cum Palæstinis coniungit, & idem minatur, quod nunc Abdias. Et adhuc clariùs Sophonias cap.2. vers.4. *Quia Gaza destructa est, & Ascalon in desertum, Azotum in meridie eiicient, & Accaron eradicabitur. Væ qui habitatis funiculum maris, gens perditorum. Verbum Domini super vos, Chanaan, terra Philistinorum, & disperdam te, itaut non sit inhabitator. Et erit funiculus maris, requies pastorum, & caula pecorum.* Et ne quis dubitaret de Iudæis à captiuitate reuocatis esse sermonem, addidit,
B *Et erit funiculus* (nempe maris, seu Palæstinæ) *eius qui remanserit de domo Iuda, ibi pascentur in domibus Aquilonis, ad vesperam requiescent* (nempe Iudæi à captiuitate reuersi) *quia visitabit eos Dominus Deus eorum, & auertet captiuitatem eorum.* Quid clariùs? Neque obscuriùs Isaias suprà, dum ait, Philistinos, & Idumæos subiugandos ab Ephraim, & Iuda, cùm iam studiis animísque conuenerint. Obscuriùs Ezechiel: sed mihi non est dubium ibi etiam loqui de Palæstinis ab Israele subiugatis. Eodem enim modo de illis videtur loqui; quo proximè de Idumæis: at ibi per manum Israel, dixit fore vastandos. *Dabo*, inquit, *vltionem meam super Idumæam, per manum populi mei Israel.*
C Hoc verò post exilium, id est, Machabæorum tempore, impletum est. Habes hoc ex lib.1. Machab. cap.5. *Declinauit Iudas in Azotum terram alienigenarum*, (sic appellabantur Palæstini) *& diruit aras eorum, & sculptilia deorum ipsorum succendit igne, & cepit spolia ciuitatum, & reuersus est in terram Iuda.* Quod ad Grammaticam attinet, sic literam ordino. *Hæreditabunt montem Esau, & Philistiim, qui habitant in campestribus.* Nam tractus Palæstinus littoralis est, & campestris, & planus.

Et possidebunt regionem Ephraim, & regionem Samariæ.] De hac re egimus suprà, vbi diximus ab 65.
Hircano dirutam esse Samariam, quod docuit Iosephus *lib.*15. *Antiquitat. cap.*18. & ciuitates
D aliquas Ephraimitidas *ibid. cap.*17.

Et Beniamin possidebit Galaad.] Hoc etiam accidit post solutam captiuitatem 1. Machab. cap.5. 66.
vers.38. *Inde perrexit Iudas, & cepit Casbon, & Mageth, & Bosor, & reliquas ciuitates Galaaditidis.* Cur verò id hoc loco consecutus dicatur Beniamin, cùm Iudas Machabæus rem illam tentauerit, perfeceritque, non aliam causam esse puto, quàm vt ostendatur, quantum habitura sit virium illa tribus, quæ ad paucos redacta, in bello quod gestum est ad Gabaa, de quo Iudicum *cap.*20. & 21. in nullo priùs habebatur numero. Ex magno enim numero, tantùm sexcenti viri reliqui fuerunt, & omnes ciuitates, & viculi incendio con-
E flagrarunt. Quare paulo ante ætatem Abdiæ, si modò vixit sub regnum Achab, vt magis putabamus probabile, vsqueadeo existimabatur vilis, & infirma, vt cùm duæ tribus secutæ fuerint Roboam, reliquis decem dilapsis ad Ieroboam, vna tantùm tribus dicatur secuta Roboam, quasi Beniamin eo tempore nullo esset in numero. 3. Reg. cap.11. vers.32. sic Aias Propheta ad Ieroboam. *Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus, porrò vna tribus remanebit ei, propter seruum meum David.* Et lib.4. Regum cap.17. vers.18. *Iratúsque est Dominus vehementer Israeli, & abstulit eos à conspectu suo, & non remansit, nisi tribus Iuda tantummodo.* Hæc, puto, tribus ab Idumæis ita putabatur vilis, vt nihil

Tribus Beniamin olim exigua, & vilis.

ab illa magnum sperari posset. Ab hac igitur dicit Abdias expugnandum esse Galaad, vt doceat illud quod magis putabatur infirmum, multò, postquam solutus esset ad patriam reditus, futurum esse potentius, quàm Galaad, in quo ciuitates erant munitæ, & homines militari gloria præstantes: cùm tamen alij eò etiam incubuerint, Machabæo duce, qui Beniaminita non erat, sed Leuita, aut, vt aliqui volunt, ex materno genere Iudæus.

67. Vers. 20. *Et transmigratio exercitus huius filiorum Israel, omnia loca Chananæorum, vsque ad Sarephtam.*] Hîc nobis sumendus est labor non tam difficilis, quàm molestus: quia discedendum est, meo iudicio, necessariò ab illis, quorum studio plurimum debet Hispania, quo nomine, vtpote Hispanus, non possum illos non amare, & habere gratias, pro pio in patriam amore, & conatu, quem ad illius nomen amplificandum, & ornandum adhibuerunt. Sed sanè illi, qui historicum agit, aut interpretem, & patria, & amicis, quantumcunque prolixè, atque officiosè meritis, magis esse debet amica veritas, quam nisi quis exploret, ac sequatur, longè erit vt historicus haberi debeat, aut interpres. Iure enim optimo de se audiet, quod acutè quidam in eum, qui elatus patriæ desiderio simulabat quædam, dissimulabat alia, cecinit,

Nec malus es ciuis, nec bonus historicus.

Non, puto, illi, quicunque sunt, plus amant patriam, quàm ego, neque plus sumpserunt laboris, ad illam exornandam, aut vindicãdam, siue à calumnia, siue à suspicione. Neque tamẽ tunc quicquam spectaui magis, quàm veritatem, quam deserere, cùm omni hominum conditioni turpe sit, tum maximè illi, qui historiæ aut sacrarum literarum cõmentationi dat operã, eamque prælo studet latè diffundere. Disceptaui ego in Commentariis super Acta Apostolorum, quàm potui diligenter, atque vtinam cum aliquo studij mei, atque operæ pretio, de aduentu S. Iacobi, & eius prædicatione in Hispania, quam gloriam quidam ex externis nobis eripere tentarunt. Quod item feci, dum à Petro, & Paulo lustratam esse Hispaniam probare conatus sum. Defendi Isidorum nostrum multis in locis, propter quæ malè à nonnullis accipiebatur eius, vel ingenium, vel doctrina: neque, si qua ad Hispaniæ laudem occurrit occasio, illam prætermisi, neque prætermittam vnquam: tamen nunquam me, aut patriæ studium, aut cuiusquam gratia ab eo, quod speciem putauero habere veritatis, abducet. Non ideo hæc dixerim, quòd quæ visa sunt aliis, falsitatis arguam: fieri enim potest, vt ego fallar, sed causam reddo, cur ab illis recedam: quia nulla ratio, aut species veritatis adducit, vt cum illis sentiam.

68. Non hîc improbo, quòd aliquid hîc spirituale vident: nam & ego hîc etiam agnosco fundatam, & amplificatam Ecclesiam, maximè populi accessione gentilici: sed quòd nihil hîc historicum esse putant, in statu Iudæorum, cùm ab exilij sordibus ad templi ac patriæ splendorem redierunt, quod sentiunt communiter interpretes. Et putant frequentes Patres, & scriptores ferè omnes, tam noui, quàm antiqui restitutam Hierosolymam typum esse Ecclesiæ humilis priùs, & afflictæ, deinde verò splendentis gloria, & amplificatæ multitudine Gentium. Auctores numerauimus, tum in principio *cap. 2. Zachariæ*, tum in præfatione quadam *ad cap. Isaiæ* 40. Neque

A video, quomodo tot loca, tam certis notata signis, tam distincta terminis, tam accommodata Israelitis, atque Iudæis, accommodari possint iuxta sonum literarum Ecclesiæ, aut à Iudæorum statu separari.

69. *Et transmigratio exercitus huius filiorum Israel, omnia loca Chananæorum, vsque ad Sarephtam.*] Qui hæc historicè de Gentium conuersione, sine vlla ad Hierosolymam restitutam comparatione sumunt, in transmigratione filiorum Israel, Apostolos intelligunt, aut viros Apostolicos, qui rei Euangelicæ student, & in Sarephta Galliam vident, ad quam vsque sese diffudit Euangelij prædicatio. Multa hîc video, quæ, non nisi contortè, in hanc cogitationem trahuntur. Primùm, quia transmigratio non conuenit, nisi in eos, qui ex aliquo loco commigrarunt, & si textum accuratè expendas, qui ab eo loco, vbi agebant, extorres in patriam redierunt. At hoc in Apostolos, quàm difficile aptari possit, quis non videt? Maximè cùm illorum, qui Chananæorum fines, vsque ad Sarephtam obtinebant, habituri dicantur exercitum. Id verò in Israelitas optimè, in Euangelij præcones durè admodum cadit. Deinde, vt verum sit, in Sarephta Galliam significari (neque enim ea de re nunc laboro, licèt fortasse possem) cùm tamen Sarephtam esse terminum Chananæorum, id est, terræ promissæ, constet, cur potius de illa, quàm de hac vaticinium istud interpretabimur? Præterea quid tantum est ad Galliam vsque perlatam esse Euangelij lucem, cùm non procul absit à Iudæa? Dicunt Galliam sumi pro tota Occidentali plaga, quia his qui è Iudæa sollunt, Occasum versùs, vltima omnium occurrit Gallia. Quàm id verum sit, viderint Cosmographi. Sanè Hispania propiùs spectat occidentem solem.

Sarephta Gallia esse existimatur.

70. Ego in *Sarephta* nihil aliud intelligo, quã quod Scriptura sacra, dum ea vtitur voce: hæc verò ad Sidonios pertinet, vt docet Sarephtana vidua, ad quam missus est Elias 3. *Regum cap.* 17. Vade in Sarephta Sidoniorũ, & manebis ibi. Quod repetitur *Lucæ cap.* 4. Notum præterea est, cùm duæ tribus ad Austrum pertineant, in terra promissionis, decem alias, quæ vocantur Israel, magna ex parte pertinere ad regionẽ illam, quæ ad Tyrios vergit, & Sidonios, vbi est Sarephta, de qua nunc. Dum igitur Israel possessurus dicitur Chananæorum loca, vsque ad Sarephtam, nihil, opinor, dicit aliud, quàm recuperaturos esse decem tribus sortes suas, quas habitarunt antequam pellerentur ab Assyriis, neque futurum esse quicquam, quod è suis funiculis alieni possideant. Quod sanè ita cõtigit: nam & regiones suas rursus occuparunt, imò & latiores habuerunt terminos, quàm olim, dum res Israelitica esset integra, subactis vicinis regionibus, quas hostes priùs habitarunt. De Samaria, de qua solum dubium esse poterat, dictum est suprà quomodo victa fuerit ab Hircano, & de Cuthæis, quos in ea loca induxerunt Assyrij, quomodo Hircanus idem Israeliticum iugum subire compulerit.

Sarephta terminus terræ promissionis.

71. *Et transmigratio Ierusalem, quæ in Bosphoro est, possidebit ciuitates Austri.*] Hîc maior oritur concertatio cum his, qui acri studio, pro Hispaniæ gloria, studiosè laborant, & illam hoc loco ab Abdia prædictum esse contendunt, quorum studium laudo: vtinam assequi possent, quod sequũtur, habuissent me quoque asseclam, neque in illam sententiam traherer inuitus. Hi igitur vaticinium hoc de Hispanis interpretantur, qui feлici

Sepharad existimatur Hispania.

lici nauigatione Euangelicam lucem in transmarinas regiones intulerunt. Putant autem vocem ספרד *sepharad*, pro qua vulgatus reddidit *Bosphorū* significare Hispaniam, vnde egressi, qui postea dicuntur *Saluatores*, occupabunt ciuitates Austri, id est, quæ trans Oceanum sunt, ad eam regionem, quæ ad polum pertinet Australem. Hæc summa est illorum sententiæ, qui gloriæ fauent Hispanicæ, quæ nobis exploranda est, & quod magis facere videatur ad textum explicandum.

Bosphorus existimatur Hispania.

72. Quod Hispania à recentioribus Hebræis appelletur Bosphorus, nemo dubitat, qui modò illorum scripta videre potuit. Antiquissimus omnium, qui docuit ספרד *sepharad*, Hispaniam nominari, fuit Chaldaicus Paraphrastes Ionathan Ben Vziel, qui hoc loco transmigrationem posuit in Hispania: quem deinde alij secuti sunt. Neque ego dubito, hoc tempore ab Hebræis ita Hispaniam vocari. An verò hoc nomen aliis etiam prouinciis conueniat, & quæ sit nominis ratio, explorandum est. Hoc nomen, vt Hieronymus docet, terminum significat; quod non est Hebræum, sed Assyrium. Et si etymologiam scruteris, finem significat descensus, id est, profectionis, aut viæ: quod conuenire potest cuicunque loco, qui terminus sit terræ, qualis est littoralis, aut qui prouinciam aliquam definit. Hoc porrò nomen, quia Assyrium est, haud dubito, quin primò sit impositum regioni, quæ ad Assyrios pertinet. Quomodo neque malè in rebus aliis coniectamus ex nomine, quod vernaculū est

REGVLA. *Nomen alicui regioni vernaculū de illa regione indicat sermonē fieri.*

73. illi regioni, de qua controuersia est. Quam regulā tradit Hieronymus ad hunc Abdiæ locum. *Consuetudinis*, inquit, *Prophetarum est, quando loquuntur contra Babylonem, Ammonitas, Moabitas, Philistiim, & cæteras nationes, multis sermonibus lingua eorum abuti, & seruare idiomata prouinciarum.* Quod item docuit Rab. Dauid *in Commentar. Psalm.* 2. Nemo dubitabit Philippos Romanorū esse coloniam, quia *Actor. cap.* 16. *vers.* 12. vox Latina *colonia*, in textu originali, & Græco reperitur. Neque dubitamus cohortem, quam ad templi custodiam, seu ad alios vsus habuerunt sacerdotes, esse è Romano milite, quandoquidem in Græco textu Latino significatur vocabulo Matth. cap. 27. vers. 66. *ἔχετε κουστωδίαν*, *habetis custodiam*: & à Romanis militibus, aut Romano more fuisse flagellatum Christum, quando verbum Latinum *flagello*, inter Græca vocabula reperitur, apud Matth. suprà *vers.* 27. Eodem modo iudicem intelligeremus esse Romanum, à quo Christus condemnatus est, quia locus vbi iudex sedebat Romano nomine, in Græco etiam textu, *prætorium* appellatur. Et in Commentariis nostris, *in cap.* 3. *Danielis*, ex instrumentorum Musicorum nominibus coniectabamus, instrumenta illa è Græcia deportata. Cùm ergo, *Sepharad*, vox sit Assyria, hauddubiè, quin locus ille sit inter Assyrios, siue proprium illud sit, siue commune nomen. Ego commune puto, sicut etiā existimauit Hieronymus, quod significat id, quod quàm longissimè abest à nobis, & quo in suo genere atque ordine nihil est vlterius. Quod optimè cadit in Bosphorum, quia ille Assyrij imperij pars est extrema, vt transtulit Hieronymus, ex sententia illius Iudæi, quem habuit præceptorem. Inde factum est, vt cùm recētiores Iudæi, aut nō haberent, aut ignorarent nomen, quod habuit Hispania, commune illi nomen attribuerent: quia ipsa quoque, finis est terræ, cùm maiori ex parte mari, tum Oceano, tum Mediterraneo circumfundatur. Quod no-

REGVLA. *Multa nomina Latina aut peregrina in textu Græco, aut Hebraico.*

A men, vt puto, tunc illi datum est, quando Iudæi, quò longius summouerētur à patria, ab Hadriano translati fuerunt in Hispaniam. Atqui dices, 74.
anta Hadrianum, & transmigrationem illam Iudæorum, in Hispaniam fuisse Ionathan Ben Vziel, à quo extat Paraphrasis in Prophetas, qui vocem illam Assyriam, *Sepharad*, Hispaniam reddidit. Primùm nego, Paraphrastem Hispaniam reddidisse, sed *Spamiam*, Chald. אספמיא, quæ vox, quantùm ab Hispania differat, nemo non videt. Deinde incertum est, quo tempore Chaldæus iste Paraphrastes vixerit. Et vt ille Christi aduentum antecesserit, vt nonnulli volunt, & fortasse verè, attamen quàm hic fideliter ac verè transtulerit, non constat. Certè in ea Paraphrasi, quam nunc super Prophetas habemus, passim occurrunt, quæ limam desiderant, eámque seueram; quia absurda sunt, & Scripturæ sacræ non solùm non consentanea, sed etiam maximè contraria. Vnde in Scripturam illam, illa tot absurda repetiantur, an ab ipso Actore, & Paraphraste, vel ab imperito & parùm attento Notario (neque hoc improbabile, cùm per multas manus, & sæcula, ad nostram vsque ætatem, Paraphrasis illa peruenit) vel certè à Iudæorum callida, ac perfida malitia sensim irrepserint, incertum est: certum tamen, errores esse multos.

Chaldæus non dicit Sepharad esse Hispaniam.

In paraphrasi Chaldaica multa absurda.

Ego id suspicabar, cùm in Hispania viderem, 75.
C ab Hadriani tempore, Iudæorum commigrasse quamplurimos, & inter illos fuisse viros illius gentis peritissimos, qualis fuit Iosephus pater, & Rab. Dauid Kimhi filius, & Abraham filius Esdræ, qui aliter appellatur Aben Ezra. Eodem loco numero Rab. Salomonem, qui vixit in Gallia: qui, dum Iudæis Hispanis fauet, suum quoque exilium consolatur, cùm æqua videretur Gallorum, Hispanorúmque conditio. Hi igitur, vt sibi ac posteris aliquod quærerent ex Scriptura sacra solatiū, pro Bosphoro, aut alio nomine, quod primùm adhibuit Paraphrastes, aut certè pro *Spamia*, quæ vox tacitè videbatur posse corrumpi propter literarum similitudinem, Hispaniam D suppofuerunt: quia illa finis est terræ, & sibi ex illo nomine futurum ad ciuitates Austri, id est, in Iudæam, & Hierosolymam reditum pollicebantur.

Cur Iudæi Sepharad appellarunt Hispaniam.

Quod verò in Sepharad olim non intelligeretur Hispania, argumento est, quòd ex antiquis nemo ad hunc Abdiæ locum meminit Hispaniæ. An ignorabant Hispaniam esse prouinciam, tum lautam, & nobilem, tum latis spatiosam finibus, ex qua sciebant à Romanis pretiosa comportari metalla? At quis credat, si Sepharad significaret Hispaniam, nomen illud tot sæculis fuisse obscurandum silentio? Omnes interpretes, Hieronymo teste, nomen retinuerunt Assyrium. Se- 76.
E ptuaginta autem nō mutarunt nomen, aut aliud supposuerunt quod aliquid sonet ab Hispania diuersum.

Sepharad non videtur esse Hispania.

Hæc de nomine Hispaniæ, quod viros illos 77.
extremis hisce temporibus, in illam cogitationem adduxit. Nunc dicam, quid in illa sententia minus mihi probetur. Primùm quoniam id quod studet maximè, nō assequitur: illam enim gloriam non attribuit his, qui propriè appellati potuerunt Hispani, sed his, qui ex Iudæorum genere, in Hispaniam commigrarunt: quicquid enim præclarum illa sententia, aut agnoscit, aut fingit, illis adscribit, de quibus Abdias ait, *Et transmigratio Ierusalem*, nēpe Iudæi, qui è Hierosolyma profecti) *quæ in Bosphoro est, possidebit ciuitates*

Austri. Quàm autem illi parùm idonei fuerunt, vt Euangelij, ac Christi caussam religiosè susciperent, euentus ipse docuit: sic enim in sua perfidia hæsere pertinaciter, vt ex vsu rei Hispanicæ iudicauerint reges Catholici, Ferdinandus, & Elisabeth, illos quàm longissimè ab Hispaniæ finibus amandare.

78. Illa porrò ratio, quam nonnullis probari video, quantum habeat firmitatis, quilibet intelliget. Illam adduxit primus omnium Montanus, à quo acceperunt alij. *Eandem,* inquit, *esse Hispaniam, quæ Sepharad olim dicta fuerat, illud argumento nobis est, quod antiqui Græcorum auctores prouinciam hanc, antiquo atque illustri vocabulo, Sperida nominarunt.* Vis autem rationis, & coniectura tota in eo est, quod in Sperida tot reperiuntur cōsonantes, quot in Sepharad. Ego hîc vellem à Montano nominari, quinam sint illi Græcorum antiqui, à quibus illustri vocabulo Sperida vocatur Hispania. Ego enim neminem inuenio, licèt multos consuluerim. Sed vidit fortasse Montanus (neque enim credendum est, virum tantum aliquid confinxisse) in aliquo auctore, quem credo nominasset, si aut incorruptum putaret, aut dignum cui in eo scribendi genere fides haberetur. Norunt autem qui in Græcis versati sunt, quàm Græci codices inueniantur corrupti, in nominibus præsertim propriis, quod fecit illius linguæ ignoratio, quæ tanta fuit olim, hodiéque, vt vix vllus inueniatur idoneus, qui mandandis prælo scriptoribus Græcis præponi possit.

Hispania non appellatur Sperida.

79. Mea verò sententia est, quam Hieronymus tenuit, & cum eo frequentes alij, tam antiqui, quàm recentes, si modò pauculos excipias, qui nostra ætate aliter existimarunt, hîc literali sensu, de duabus tribubus esse sermonem, quæ à Bosphoro, id est, ab vltimis vsque terræ finibus vbicunque peregrinari aut exulare contigerit, ad ciuitates Austri, id est, ad Iudæam & Hierosolymam, quæ ad partem Australem promissæ terræ pertinent, aliquando remigrabunt, ita Hieronymus docet, qui pro Sepharad conuertit Bosphorum, & hoc perquàm optimè, & in Bosphoro prouerbiali forma, quamcumque intellige regionem, quæ longe dissita est, sicut Bosphorus procul aberat à terra promissionis: aut quæ regionem aliquam definit, vltra quam nō est, quò cursum, & progressum extendas. Hoc idem captiuo populo promisit Deus per Ieremiā cap. 13. vers. 7. *Exultate in lætitia Iacob, & hinnite contra caput gentium, &c. Ecce ego adducam eos de terra Aquilonis, & congregabo eos ab extremis terræ.* Et hoc ipsum visum est Hieronymo hîc. *Transmigratio,* inquit, *in Ierusalem, quæ in cunctis terminis regionibúsque diuisa est, vrbes Austri, id est, tribus sua recipiet.*

Bosphorus pro quacūque regione longinqua.

80. Quòd si hæc de eo, quod proximè sonat litera, explicari possunt, sine vlla, aut veritatis, aut piarum aurium offensione non est, cur, ex Augustini sententia, alium sensum inuestigemus historicum. At inficiabitur nemo, ciuitates Austri occupatas iterum à duabus tribubus, quæ iuxta Ieremiam, de quo proximè, à Bosphoro, id est, ab extremis terræ redierunt. Sanè eo maximè argumento nituntur, qui contrà sentiunt, quia ea, quæ hîc prædicta fuerunt ab Abdia, in Gentium conuersione completa cernimus, sed non minus eadem in restituto populo impleta videmus, cùm Israel Chananæorū loca Sarephtā vsque possederit, & Iuda rursus Australē regionē occupauerit.

81. Hæc historicè: mysticè verò aliquid aliud, tāquam in vmbra significari, iam antea diximus: A sicut alibi sæpius, in restituta atque iterum habitata Hierosolyma, Ecclesiā constitutam, & amplificatam esse probauimus, ex communi Patrum, auctorúmque sententia. Et quidē tanti momenti est nouum orbem, ad fidem, & Euangelium esse traductum, vt mirari nemo debeat, insignem illam accessionem ad Ecclesiam, ab aliquo Propheta aliquo modo siue historico, siue etiam typico fuisse prædictum. Quod visum est etiam Iosepho Acostæ è nostra Societate, qui cùm hunc Abdiæ locum tractaret, *lib. 1. Indica historiæ, cap. 15.* dixit non esse improbandos illos, qui hunc Abdiæ locum de Americæ conuersione interpretantur, & maximè videri consentaneū, vt rei tantæ aliquod in sacris literis monimentum extaret.

Reditus, & gloria captiui populi typus Ecclesiæ.

B De Bosphoro multa dicunt historici, qui à bouis traiectu dictus est, aut ab aliquo euentu, qualis fuit illa transmissio Ius, quæ in vaccam conuersa, per illud maris fretū ex Europa in Asiā tranauisse fingitur: de qua Valer. Flacc. l. 4. Argonaut. 82.

Bosphorus unde dictus.

Linque dies, atque auræ vocant, rursúsque capessunt
Æquora, quo rigidos eructat Bosphorus amnes.
Illos, Nile, tuis nondum dea gentibus Io
Transierat fluctus, vnde hæc data nomina Ponto.

Seu certè quia spatium illud, quod Asiam ab Europa discludit, adeò angustum est, vt à boue animali graui, ac tardo traiici natando possit. Hanc nominis rationem adducit Plin. *lib. 6. cap. 1.* Duo C à Cosmographis cōstituuntur Bosphori, Cymerius, & Thracius, de quibus Plin. *lib. 4. cap. 12.* quē tu lege. Dē quo Bosphoro Propheta loquatur incertum. Imò, vt diximus, propriè de illorum neutro: cùm Bosphorus prouerbiali figura sumatur pro quocunque loco, qui procul abest. Sed Hieronym. *in cap. 10. Zachariæ* ex Hebræorum sententia Thracium putat, ad illud, *Et transibit in maris freto. Narrant,* inquit, *Hebræi captiuum populum Iudæorum non solum in Medos, & Persas, sed in Bosphorum quoque, & septentrionalem plagam ab Assyriis, atque Chaldæis esse translatum, & postea eos ex parte reuocatos, Dei ad eos se conuertente clementia. Et* D *hoc esse quod nunc dicitur, transibunt in mari angusto Propontidis angustias quæ Chalcedonem, & quondam Bizantium breui freto diuidunt.* Hæc verò descriptio quædam est Bosphori Thracij. Et addit ex eorum item sententia, ad illud quod proximè sequitur, *Et percutiet in mari fluctus,* iterum diuidendum esse mare, vt olim mare rubrum, & sicco vestigio captiuos reuersuros in patrias: sed istæ nugæ sunt meræ è Rabbinorum cerebro, de quibus nos in nostris Comment. *super Zachar.* ad hunc locum.

Bosphori duo.

Vers. 21. *Et ascendent Saluatores in montem Sion, iudicare montem Esau*] Ex his difficile non est coniectare, quinam sint isti Saluatores, qui in monte Sion, aut de illo monte profecti, Idumæorum prouinciam iudicabunt. Si enim historicum se- E quaris sensum, quem proximè sonat litera, consentaneè dicendum est esse Iudæos, qui post exilij sordes, & ærumnas, eò potentiæ & splendoris accedent, vt in suam sibi redigant potestatem. & hæc cum Hieronymo probant plures alij, in quibus sunt Theodoretus, & Cyrillus, tametsi hi duo posteriores cum Septuaginta legant, *qui saluati fuerint,* scilicet, ab exilio, nempe Iudæi armis sibi Idumæos subiugabunt, aut pœnas sument de illis, id enim est Idumæos iudicare. 83.

Neque huic cogitationi incōmodat Saluatoris nomen, quod datum est antea sæpe his qui ab hostibus, humanáque vexatione ac cæde gentem suam liberarunt. Iudic. *cap. 3. vers. 9.* Othoniel appellatur Saluator Israel, & *vers. 15.* Aod, 84.

Saluator etiam de hominibus dicitur.

&

& omnes qui aut liberarunt patriam ab aliorum tyrannide, aut à dura aliqua vexatione, qualis fuit ille de quo lib.4. Reg. cap.13. verſ.4. *Vidit, (Dominus) anguſtiam Iſrael, quia attriuerat eos, rex Syriæ, & dedit Dominus Saluatorem Iſraeli. & liberatus eſt de manu regis Syriæ.* Hi verò & alij, qui populo ſuo ſaluti fuerunt, Saluatores appellantur. Eſdræ lib.2. cap.9. verſ.27. *In tempore tribulationis ſuæ clamauerunt ad te, & tu de cælo audiſti, & ſecundum miſerationes tuas multas, dediſti eis Saluatores, qui ſaluarent eos de manu hoſtium ſuorum.* Obſeruat autem Auguſt. *tom.4. in caput 3. Iud. quæſt.* 18. Saluatoris nomen in homines etiam conuenire. Tales autem fuerunt Zorobabel, Eſdras, Nehemias, Machabæi, quibus non minus illuſtris ille titulus conuenit, quàm Othonieli, & Aod, & aliis, qui in Scriptura ſacra Saluatores appellati ſunt.

85. Quàm aptè hæc in Apoſtolos, Euangeliíque præcones cadant, nemo non videt. Quia ex Sion illi progreſſi ſunt, vbi in die Pentecoſtes acceperunt virtutē ex alto, & eo ſunt ad illud miniſterium induti: hi ab Eccleſia, id eſt, Sione myſtica, in varias terræ partes Euangelicam lucem intulerunt.

86. *Et erit Domino regnum.*] Ad illud vſque tempus, ex quo ab Iſraelitis atque Iudæis deſerta fuit terra promiſſionis, non tam Deo regio illa, quam Gentium idolis ſeruire videbatur: quia, aut à populo colebatur gentilico, aut ab his, qui à gentilicis moribus non longè aberant. At vbi rediit populus, & exacti ſunt ab Iſraeliticis finibus alieni, Deus quoque ſuum ſibi regnum, eouſque ſublatum recuperauit. Idem, opinor, dixit Ezechiel in extremis verbis ſuæ prophetiæ, ſicut etiam nunc Abdias. *Et nomen ciuitatis ex die illa, Dominus ibidem,* id eſt, Deus in Ieruſalem, tanquam Dominus illius, & ſicut antea beneuolus habitabit. Idem Zacharias cap.9. verſ.16. *Saluabit eos Dominus Deus eorum in die illa, & gregem populi ſui, quia lapides ſancti eleuabuntur ſuper terrā eius.* Quòd vt nos in eum Zachariæ locum diximus, ſignificat excitandos eſſe lapides, quos inde Gentes ſuſtulerunt, quibus conſignabatur illa regio, & Deo, quaſi terminali ſaxo conſecrata, & propria videbatur, vt rurſus illam ſibi quaſi poſtliminio vendicet Deus, & certa nota ſuum eſſe regnum oſtendat. Vide quæ nos eo loco.

87. Sed cùm præceſſerint Idumæi à Iudæis ſubiugandi, & Iudæi ipſi atque Iſraelitæ in antiquam hæreditatem reuerſi, dubium eſſe poterat, quinam horum Deo futuri eſſe dicantur regnum. Mihi quod modò attigi, videtur eſſe veriſimilius, nempe regnaturum eſſe Deum aſpectabili quodam, & illuſtri ſigno in regno, quod abiecisſe & deſeruiſſe videri poterat: quia ex eo pelletur idolorum cultus, & legitimus ſacrificiorum ritus, & veræ religionis forma reuocabitur. Neque tamen diſpliceret, ſi quis affirmaret ad Idumæos etiam vaticinium iſtud pertinere: quia hi quoque, abiecto inſtituto antiquo, admiſſa circumciſione, quam ex ſua carne ſui generis, & nominis auctor deleuerat, Iudæorum more ſacrificarunt, vt auctor eſt Ioſephus *lib.13. Antiq. cap.17.* vbi ſic de Hircano. *Subiugatis omnibus Idumæis, edixit, vt circumciderentur, niſi mallent è propriis pelli ſedibus. At illi amore patriæ admiſerunt, & circumciſionem, & reliquam, iuxta Iudaicos ritus, viuendi formulam. Atque ex eo primùm tempore inter Iudæos cenſeri cœpti ſunt.* Hoc autem eſt iuxta exteriorem ſaltem ſpeciem, Dei eſſe regnum: quia alteri, quàm Deo, exteriorem cultum impendere non poterant, ſine patriæ vitæve diſcrimine. Hæc multo magis ad Eccleſiæ tempus accommodantur, quia hæc regna, & multo plura domuit Euangelium, & crux Chriſti, quaſi legitimum ſignum, illa vtpote iam Chriſti ſubiecta nomini conſignauit, quæ luſtrarunt non paſſibus ſolùm, ſed victoriis, & cæleſti luce Euangelij præcones, qui vtpote Saluatoris IESV miniſtri, & inſtrumenta vocari potuerunt *Saluatores.*

Pro moribus ad extremum obſerua, ſi qui vocari velint, aut eſſe Saluatores, illos progreſſuros eſſe è Sion. Sion verò ſpeculam ſignificat, quæ ſymbolum eſt orationis: quia illa à terra ſuſpenſa ad cælum attollitur: ibi Apoſtolicum imbuitur, & inflammatur pectus, inde promuntur fulgurantes haſtæ, & ignea tela, quæ vibrantur in corda inimicorum regis, quæ iaculatur magis Deus ex ore, quod inſtruit, & informat, quam vir ipſe Apoſtolicus, cuius vox non tam ab humano, quàm à diuino Spiritu animari, atque ſpirare debet: ſicut tubæ terrificæ clangor, aut canorus tibiæ ſonus, non tam eſt ab ære, ſiue buxo, quàm à tibicinis inflatu. Aſcendant ergo Saluatores iſti in montem Sion, ſi iudicare volunt montem Eſau, id eſt, facere, vt barbarum, & belluinum ingenium Euangelica doctrina manſueſcat, ſéque totum à ſeipſo retexat, & qui veros inſectabatur Iſraelitas, verus ipſe Iſraelita fiat, ſitque Domino regnum ille, qui priùs regnum Domini odiis inſectabatur hoſtilibus. Hæc Eccleſiæ correctioni ſubiecta ſunto.

88. *Oratio viro Apoſtolico neceſſaria.*

IN IONAM PROPHETAM COMMENTARII.

PROLEGOMENON I.

De patria, & genere Ionæ.

1. *Ionæ patria.* DE patria nihil è sacris literis habemus. Dicunt communiter Patres, & interpretes Gethæum esse, non quidem è Geth, quæ vrbs est Palæstinæ nobilis, sed de viculo quodam eiusdem nominis, in tribu Iuda, vt Cyrillus docet *in proœmio Ionæ.* Idem videtur sentire Hieronymus, qui ideo dicit *lib.* 4. *Reg. cap.* 14 vocari Geth, quæ est in Ophir, vt à Geth distinguatur, quæ est in Palæstina. Epiphanius in terra Cariathamaum ortum esse dicit, quæ non procul distat ab Azoto, cum quo sentit Dorotheus *in Synopsi*, & Chronicon Alexandrinum. Alij Zabulonitem esse putant, eo adducti argumento, quòd Opher *Iosue cap.* 12. *vers.* 17. in Zabulonis sorte constituitur. Alij ex tribu Asser. Sanè res est obscura: & in hac rerũ varietate, placet quod postremo loco putabamus, Ionam esse de tribu Zabulon, quod Hieronymus indicat, dum ait esse inter Sephorim, & Tyberiadem, iuxta Eleutheropolin, seu Diospolin. Sed nihil est certum. Qui dicunt filium esse Sarephtanæ viduæ, iidem Gentilem fuisse significant, aut certè habitasse in vrbe Gentibus vicina. Sarephta enim, vt diximus proximè in Abdia, ad Sidonios pertinet, & terminos Israeliticos, Sidoniósque discriminat. Fortasse ad Israelis pertinet sortem, & ideo Sarephta dicitur Sidoniorũ, cùm tamen Sidoniis finibus contributa nõ sit: quia Sidonios attingit fines, vt distinguatur ab altera eiusdem nominis, quæ alicubi terrarum sita est.

2. *Ionæ genus.* Hæc vtcunque de patria. De genere nihil habemus aliud, quàm esse filium Amathi. Quis tamen hic, aut vnde sit, incertum. Communis est Hebræorum sententia, filium fuisse Sarephtanæ viduæ: quod etiam ex nostris aliqui non improbant. Quod si ita est, fateri etiam debent, qui illius viduæ coniugem esse dicũt Abdiam, Abdia quoque parente natum esse Ionam. Qua de re nihil est ab auctoribus certò definitũ. Sed ex hac opinatione illud dubium non est, Ionam illum esse puerum, qui ab Elia suscitatus: neque enim alium ediderat filium Sarephtana vidua. Ita tenet expresse Epiphan. & Doroth. *in Synopsi.* & Chronicum Alexandr. Neque parentis nomen incommodo est, quo minus filius dicatur Abdiæ: impositum est enim post Ionam ab Elia suscitatum à mortuis. Audi Hieronymum in proœmio Ionæ. *Tradunt Hebræi hunc esse filium viduæ Sarephtanæ, quem Elias Propheta mortuum suscitauit, matre postea dicente ad eũ: Nunc cognoui, quia vir Dei es tu, & verbum Dei in ore tuo est veritas. & ob hanc causam, puerum sic vocatum: Amathi enim in nostra lingua veritatem sonat: & ex eo quod verũ Elias locutus est, ille qui suscitatus est, filius esse dicitur veritatis*, id est, filius Amathi.

PROLEGOMENON II.

Quo tempore prophetauit.

3. *Ionas, quo tempore prophetauit.* COmmunis est Hebræorum sententia σύγχρονον esse Ionam Oseę, Ioeli, Amos, Isaiæ, & aliis pluribus, qui sub illa tempora prophetarunt: quorum sententiam Interpretum plerique secuti & complexi sunt. Et præter hos Euseb. *in Chron. & lib.* 10. *de præparat. cap. vltimo*, Clemens Alexand. *lib.* 1. *strom.* August. *de ciuit.* 18. *cap.* 27. Ioseph. *lib.* 9. *cap.* 11. Et colligitur non obscurè ex *lib.* 4. *Regum, cap.* 14. *vers.* 25. vbi sub Ieroboã filio Ioas prophetasse dicuntur. Et ne quis ambigeret, de quo Iona loqueretur Scriptura, filius ibi vocatur Amathi. *Ipse* (nempe Ieroboam, filius Ioas) *restituit terminos Israel, ab introitu Emath, vsque ad mare solitudinis, iuxta sermonem Domini Dei Israel, quem locutus est per seruum suum Ionam filium Amathi Prophetam, qui erat de Geth, quæ est Onipher.*

PRO

PROLEGOMENON III.

Contra quos, aut de quibus prophetauit Ionas.

4. *Cōtra quos prophetauit.* IPse docet Ionas, quò à Domino missus fuerit, prophetandi gratia, & quæ ab illo acceperit oracula. Missus est ad Niniuitas; quem verò successum habuerit illa legatio, satis ipse diligenter prodidit. Deinde ad Ieroboam, vt paulo antè diximus, & expressè docuit Iosephus lib. 9. cap. 11. *Ei*, inquit, (id est, Ieroboam filio Ioas) *Propheta Ionas prædixit, quòd deuictis Syris, ditionem suam esset ampliaturus, prolatis eius terminis ad Septentrionem, vsque Amatham vrbem, ad meridiem verò vsque ad Asphaltidem lacum: his enim olim terminis Chananæa terra finiebatur, iuxta Iosue imperatoris definitionem. Quo oraculo excitatus Ieroboamus, totos eos tractus ademptos Syris, ad suum regnum addidit, nihil fallente Ionæ vaticinio.*

5. *Ionæ prophetia de Romanis.* Aliam Ionæ prophetiam adducit Epiphanius, Dorotheus *in Synop.* & Chronic. Alexand. de aduentu Romanorũ, & ab illis euertenda funditus Hierosolyma. Sic autẽ Epiphanius, *Prophetauit Ionas, quòd vbi conspicerent olim in Ierusalem innumeras gentes ab occasu, tunc radicitus popularetur illa ciuitas, & euerteretur funditus.* Aliud quoque vaticinium Ionæ tradunt Dorotheus, & Chrõ. *Id. de Hierosolymæ excidio.* Alexãdrinum de eodẽ Hierosolymæ excidio. Tunc enim dixit futurum esse nobilissimæ illius ciuitatis interitum, quando visus esset lapis miserabiliter. Hic verò lapis existimatur esse Christus, qui tunc clamauit flebili voce, cùm videns ciuitatem, fleuit super illam, dicens, *Quia si cognouisses & tu?* Luc. cap. 19.

PROLEGOMENON IV.

De vita & morte Ionæ.

6. *Ionæ vita, & mors.* OBscura sunt, & dubiis innixa coniecturis, quæ de hac re à nobis non aliter, quàm diuinando dici possunt: neque aliter, vt opinor, alij, nisi diuinando locuti sunt: sine vllo certe à Scriptura sacra fundamento. Dicam igitur quod proditum lego ab Epiphanio, & à Dorotheo, & in Alexandrino Chronico. Audi nunc pro omnibus Epiphanium. *Vbi ad iustam prouectus esset ætatem Ionas, ablegatus est in Niniuen ad Assyrios, &c. Tunc resipuere Niniuitæ coram Deo, & reddiderunt Deum sibi propitium. Mærore autem affectus Ionas, natale solum repetit, neque domi permanendum ducebat. Verùm assumpta parente sua, in Sur peregrinatus est, regionem alienigenarum. Inquit enim: Ne fortè exprobretur, vanam existere meam prophetiam contra Niniuem. Cùm frequentaret itaque terram Saar, vita ibidem functus, in specu Cenezæi Iudicis humatus est.* Hæc habemus ex scriptoribus quos antè nominaui, quorum aliqua videntur aliquantulum dura. Quæ illustriora sunt, & suo genere valde admirabilia, habemus ex sacris literis ipso auctore cui talia contigerunt.

PROLEGOMENON V.

An Ionas Christi fuerit typus.

QVòd Ionas Christi typus fuerit, ab ipso Christo discimus Matth. cap. 12. 7. *Ionas Christi typus.* *Sicut fuit Ionas in ventre ceti, tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ, tribus diebus, & tribus noctibus.* Sed sicut qui Christi fuerunt vmbræ, in vno tantùm aut altero facto illum adumbrarunt: ita non oportet ad Christum omnia illorum facta accommodare. Multa habuit Ionas admirabilia, non tamen in omnibus Christi vitam, & institutum, aut expressit, aut saltem adumbrauit obscurè. *REGVLA. Qui Christi fuerunt typus, non in omni facto fuerunt, sed in vno, aut altero.* De quo Hieronym. ad Chromatium in prœmio Ionæ. *Non ignoramus sudoris esse vel maximi, totum Prophetam referre ad intelligentiam Saluatoris quòd fugerit, quòd dormierit, quòd præcipitatus sit in mare, quòd susceptus à ceto, quòd eiectus in littus pœnitentiam prædicarit, quòd contristatus ob salutem vrbis innumeræ cucurbitæ sit delectatus vmbraculo, quòd reprehensus à Deo, cur maiorem curam habuerit herbæ virentis, & extemplò aridæ, quàm tantæ hominum multitudinis, &c.* In his omnibus Ionas vmbra Christi non fuit, sed in eo quòd Christus magister veritatis edocuit. Egit ea de re latè & optimè Theophylactus, in præfatione commentariorum in Ionam sub finem, vbi optimè produxit exempla. Est autem pulchrum, & necessarium documentũ ad allegoricos, & mysticos sensus, quod tradit Chrysostom. homil. 65. in Matth. *REGVLA. In parabolis non omnia accommodanda.* *In parabolis*, inquit, *non oportet nimia in singulis verbis cura angi, sed cùm quid per parabolam intenderit didicerimus, inde vtilitate collecta, nihil vlteriùs anxio est conatu inuestigandum.* Quod optima similitudine August. explicuit lib. 16. de ciuitate, cap. 2. *Non omnia*, inquit, *quæ gesta narrantur, aliquid significare putanda sunt; propter illa, quæ aliquid significant, etiam ea quæ nihil significant attexuntur. Solo enim vomere terra proscinditur, sed vt hoc fieri possit, etiam cætera aratri membra sunt necessaria.* Quod item Hieronym. docuit *in cap. 1. Ionæ*, ad illud, *Et descendit in Ioppem. Prudens*, inquit, *rogandus est lector, ne eundem velit ordinem tropologiæ, quem & historia quærere: nam & Apostolus Agar, & Saram ad duo testamenta refert, & tamen non omnia quæ in historia illa narrantur, tropologicè interpretari possumus:*

Digitized by Google

possumus : quod ad finem vsque paragraphi latè & bellè persequitur. Est ergo Ionas Christi typus , non tamen in omnibus , sed in aliquibus : maximè in triduano secessu in ventre ceti , quod Christus ipse dixit *Matth. cap.* 12. Vide S. Petrum Chrysologum *homil.* 37. vbi pluribus docet , Ionam in seipso expressisse Christi seruatoris imaginem , & Augustinum *lib.* 4. *de symbolo ad Catechumenos* , *cap.* 6. cuius huc libuit verba transcribere. *Ipsam* , inquit , *figuram propheticam comparando breuiter percurramus. Missus Ionas ad ciuitatem Niniue, vt eius finem prædicaret : missus est Christus à Patre vt finem mundi omnibus demonstraret. Fugit Ionas in Tharsis à facie Domini. Fuga Ionæ velox transitus Christi , de quo dixit Propheta : Exultauit vt gigas ad currendam viam. Ascendit nauem Propheta fugiens : lignum Christus ascendit per mare huius sæculi transiens. Irruit tempestas*

A *magna in mari. Perturbatio maris perfidia Iudæorum. Data est sors , vt Propheta fugitiuus in mare mitteretur : sors data est super Christi vestimenta, vt vnitas in omni mundo prædicaretur. Proiectus est è naui in mare Ionas : mors Christi in cordibus Gentium collocata est. Susceptus est à bestia Propheta , custodiendus , non comedendus. Audi hic ipsius vocem Christi per sanctum David : Non derelinques animam meam apud inferos , nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. In ventre bestiæ marinæ positus orauit Ionas sanctus : in inferno Christus descendens , mortuos suscitauit. Tertio die Propheta littori incolumis est redditus : die tertia Christus de sepulcro surgens , super cælos est exaltatus. Ad prædicationem Ionæ Prophetæ per pœnitentiam saluata est ciuitas : per Christi prædicationem sancta Ierusalem redempta est ciuitas.* Idem penè *tomo 2. ep.* 49. & Hieronymus & Theophylactus , & alij ex interpretibus multi.

IN

Digitized by Google

IN CAPVT PRIMVM.

ARGVMENTVM.

MITTIT Deus Ionam in Niniuen, vt durum illi à Domino vaticinium denunciet: quod ille mandatum vt à seipso declinaret (ne si Deus mitior Niniuitis ignosceret, nugator haberetur, & fallax) fugere voluit in Tharsis. Cùm verò nauem conscendisset, subitò mare vehementi tempestate cohorruit, cui, cùm nihil nautæ obtendere possent opportunum, ad preces confugiunt, & sortes, quibus tandem vt sceleris reus, sic etiam tempestatis causa deprehenditur Ionas. Quem, cùm omni studio à morte liberare cuperent, ipso hortante in pelagus è nauigio deturbant. Extemplò consedit tempestas: & admirati nautæ Deum verum agnoscunt, illique grati pro beneficio, & vota nuncupant, & victimas immolant.

CAPVT I.

A 1. *ET factum est verbum Domini ad Ionam filium Amathi, dicens:*

2. *Surge, & vade in Niniuen ciuitatẽ grandem, & prædica in ea: quia ascendit malitia eius coram me.*

B 3. *Et surrexit Ionas, vt fugeret in Tharsis à facie Domini, & descendit in Ioppen, & inuenit nauem euntem in Tharsis: & dedit naulum eius, & descendit in eam vt iret cũ eis in Tharsis à facie Domini.*

4. *Dominus autem misit ventum magnum in mare: & facta est tempestas magna in mari, & nauis periclitabatur conteri.*

C 5. *Et timuerunt nautæ, & clamauerunt viri ad Deum suum: & miserunt vasa, quæ erant in naui, in mare, vt alleuiaretur ab eis: & Ionas descendit ad interiora nauis, & dormiebat sopore graui.*

6. *Et accessit ad eum gubernator, & dixit ei: Quid tu sopore deprimeris? surge, inuoca Deum*

PARAPHRASIS.

1. ACcepit Ionas, filius Amathi, à Domino verbum, in hanc sententiam:

2. Agedum, ô Iona, proficiscere in Niniuen, vrbem & latam spatiis, & ciuium multitudine copiosam, & (quod Prophetici ministerij est) sermonem ad illam exhortatorium habe. Neque enim iam amplius differri potest, quod iam pridem ab illis supplicium suspendo: cùm illorum malitia iam apud me clamet, & meum in illos furorem instimulet.

3. Surrexit autem Ionas, non quidem Niniuen versùs, vt diuinum exequeretur imperium, sed quàm longissimè aliorsum à Niniue, vt datum sibi negotium declinaret. Fugit igitur à Deo in Tharsis, & ideo concessit in Ioppen, vbi nauem reperit, quæ suum in Tharsis maritimum cursum destinarat, solutóque vecturæ pretio conscendit nauem, vt simul cum conuectoribus aliis ad designatã animo prouinciam appelleret.

4. Tunc verò Deus euocauit ventum, qui vehementem in mari tempestatem cõmouit, quæ sic afflixit nauem, vt parum abfuerit, quin absorberetur fluctibus, aut illisa scopulis frangeretur.

5. Inuasit tunc conuectores & nautas ingens horror. Quare suorũ quisque deorum patrocinium implorat, & quo nauis leuior sæuientem illam tempestatem effugeret, merces, & omnia quæ impedimento, atque oneri esse poterant, in mare proiiciunt. Interim verò, dum alij de naui vitáque solliciti tumultuantur, & omnia aduocant artis adiumenta, Ionas in ima naui, ad quam antè descenderat, alto sopore correptus tenebatur.

6. Ad quem gubernator, cuius fidei & omnium salus, & nauis fuerat commissa

custo

Digitized by Google

Deum tuum, si fortè recogitet Deus de nobis, & non pereamus.

7. *Et dixit vir ad collegam suum: Venite, & mittamus sortes, & sciamus quare hoc malum sit nobis. Et miserunt sortes: & cecidit sors super Ionam.*

8. *Et dixerunt ad eum: Indica nobis cuius causa malum istud sit nobis: quod est opus tuum? qua terra tua, & quò vadis? vel ex quo populo es tu?*

9. *Et dixit ad eos: Hebraus ego sum, & Dominum Deum cæli ego timeo, qui fecit mare & aridam.*

10. *Et timuerunt viri timore magno, & dixerunt ad eum: Quid hoc fecisti? (cognouerunt enim viri quod à facie Domini fugeret, quia indicauerat eis.)*

11. *Et dixerunt ad eum: Quid faciemus tibi, & cessabit mare à nobis? quia mare ibat, & intumescebat.*

12. *Et dixit ad eos: Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis: scio enim ego quoniam propter me tempestas hæc grandis venit super vos.*

13. *Et remigabant viri vt reuerterentur ad aridam, & non valebant: quia mare ibat, & intumescebat super eos.*

14. *Et*

A custodia, subiratus ait: Quid tu in hoc rerum articulo, tam profundè dormis, tam securus stertis? Surge, & sicut alij suos, sic tu Deum tuum, ad ferendam nauigantibus opem, precibus sollicita. Fieri enim potest; vt mitioribus nos oculis respiciat, & ab eo periculo, in quod salus nostra deducitur, expediat.

7. Rem videbatur, non naturæ vis, ac potestas, sed diuinus furor propter peccata alicuius, moderari ac regere. Quare omnibus visum est oportere, vt illius tempestatis causam sortibus explorandam cō-

B mitterent. Cùm autem omnia legitimè fierent, ac ritè ex Ethnica disciplina, exiit sors, quæ Ionam vnum ex omnibus designauit tempestatis auctorem.

8. Vbi sors prodidit sceleris reum, quem tam dira petebat, & diuinitùs immissa tempestas, ab illo omnes & familiariter exquirunt, ecquid admiserit, propter quod omnes tam dura iactatione vexentur, quod illi ministerium, aut vitæ modus, ex qua gente, atque natione ortus, quò iter instituerit, ex quo populo aut natus, aut

C profectus.

9. Ad hæc Ionas, ex Hebræorum gente se natum esse dixit, neque alium à se Deum agnosci, & coli, præter illum, qui terræ, ex quâ proximè soluerant, & maris, in quo variis tunc agitabantur fluctibus, conditor est.

10. Audito Dei nomine, quem Ionas grauiter offendisse deprehensus fuerat, magno perturbationis, ac timoris æstu concussi sunt nautæ, & causam rogarunt, cur

D indignum illud facinus esset aggressus, iam enim ab ipso didicerant, fuga se à Domino subducere voluisse.

11. Et cùm adhuc mare magis atque magis intumesceret, ab ipso Iona (vt qui meliùs nosset, quomodo placandus esset Hebræorum Deus) rogant, quid facto opus esset, vt Deo iam propitio, illa maris tempestas sedaretur.

12. Ad quos ille: Hinc me quàm primùm sublatum accipite, & in mare proiicite, quod tam videtis ab æstu turbari?

E neque ampliùs erit vobis à tempestate metuendum. Mihi enim compertum est, hos tantos motus, qui vobis mortis periculum intentant, mea causa fuisse concitatos.

13. Ad hunc autem nautæ, conuectorésque reliqui Ionæ vicem, & casum miserati, totis conixi viribus, ad littus vnde soluerant, remigio redire conabantur, sed irrito planè conatu: quia mare sæuiebat magis, atque magis, ita vt absorbendi viderentur à gurgite, aut ab elatis fluctibus obruendi.

14. Cùm

Digitized by Google

14. *Et clamauerunt ad Dominum & dixerunt: Quæsumus Domine, ne pereamus in anima viri istius, & ne des super nos sanguinem innocentem: quia tu Domine, sicut voluisti, fecisti.*

A 14. Cùm verò nihil conatu illo pio atque operoso proficerent, iam certi de proiiciendo Propheta, priùs tamen vt omne à suo capite scelus atque periculum auerterent, in hunc modum orant: Quæsumus, Domine, ne hominis huius interitum nostro nos interitu luamus, neque sanguinem huius, à quo nihil accepimus mali, in nostrum caput exitiúmque conuertas: scimus enim facere te facile posse, quodcunque animo collibuerit.

15. *Et tulerunt Ionam, & miserunt in mare: & stetit mare à feruore suo.*

15. Hoc præfati, sublatum Ionam in mare proiiciunt: confestim verò ab illo æstu, quo immoderatè feruebat, sedatum est.

16. *Et timuerunt viri timore magno Dominum, & immolauerunt hostias Domino, & vouerunt vota.*

16. Ex illa tanta, ac tam subita rerum mutatione cognouerunt nautæ verum esse Deum, cui venti, mareque paruerant. Quare præcipua quadam religionis obseruantia immolarunt hostias, & in reliquum, quod facere solent nauigantes, cùm in portum emerserunt incolumes, vota nuncuparunt.

Vers. 1. *Et factum est verbum Domini ad Ionam filium Amathi, dicens.*]

1. NIHIL hîc habemus noui, quod non sit antè in prolegomenis expositum. Quomodo vaticinium istud à coniunctione inceperit, contra Latinorum consuetudinem, diximus in nostris Commentariis super Ezechielem, à quo in exordio non discessit Ionas.

2. Vers. 2. *Surge, vade in Niniuen ciuitatem grandem, & prædica in ea.*] Hoc est verbum quod Ionas accepit à Domino, vt ad populum proficisceretur gentilicum, ad ciuitatem videlicet amplissimam, vbi regia erat sedes, neque Assyrij tantùm imperij, sed totius orbis, tum ciuium numero, tum loci amplitudine, tum rebus omnibus, quibus ornari ac commendari ciuitas solet, sub illam tempestatem nobilissima. Quod, credo, significat hîc Propheta, dum grandem esse dicit ciuitatem: grandem, inquam, & sede, quam sua mole occupat, capitum frequentia, gloria, atque opibus. Sed hîc de soli amplitudine, aut tantùm, aut præcipuè sermo est. Hæc porrò ciuitas, interdum ab scriptoribus Ninus, nonnunquam Nina, in Scriptura Niniue nominatur. Hanc ad Tigrin fluuium cōdidit Assur filius Sem, & Noe nepos: de quo Genes. 10. vers. 11. *De terra illa egressus est Assur, & ædificauit Niniuen.* Hanc tradit Iosephus supra alias omnes ciuitates opibus floruisse, *lib. 1. Antiquit. cap. 7.* De hac August. *lib. 17. de ciuitat. cap. 3.* vbi probat Assur, qui & Ninus, filium esse Sem. De huius ciuitatis magnitudine, vide Diodorum Siculum *lib. 3. rerum antiquarum, cap. 1.* vbi sic de Nino. *Cum superiores omnes gloria, & rebus gestis superasset, vrbem quoque ingentem condere statuit, cui par magnitudine, neque fuisset ante, neque esset futura. Ipse coactis vndique viribus, & his quæ ad tantum opus spectarent paratis, supra Euphratem vrbem condidit, non æqua laterum dimensione: nam duæ muri partes longiores erant reliquis. Horum latus quodlibet longitudine est stadiorum centum quinquaginta, breuiores*

Niniue conditor & amplitudo.

B *verò stadiis nonaginta. Qua muri dimensione ambitus stadia complectitur quadraginta octoginta. Et sanè spe sua nequaquam frustratus est, nulla enim postmodum vrbs tanto ambitu, tantáve mœnium magnificentia constructa est. Altitudo murorum pedum est centum, latitudo qua tres currus simul perambularent, turres mille, & quingentæ, quarum altitudo pedum est ducentorum.* Hæc Diodorus, qui in eo dissentit à pluribus aliis, quòd hîc ad Euphratem, alij ad Tigrin sitam esse dicant. Quanta fuerit vrbis magnitudo, à meliori magistro docemur, Ionæ *cap. 3. vers. 3.* tantum spatij occupare dicitur, quantum non minus tribus diebus traiici possit.

Et prædica in ea.] Hîc multa occurrunt obseruatione dignissima. Primum hominem peregrinum, ignobilem, nulla aut nominis, aut generis commendatione notum, ad ciuitatem mitti nobilissimam, in qua, & potestas esset summa, & vis, atque iniuria, quæ à potestate simili abesse non solent. Et mitti cum his mandatis, quæ hominibus otio, luxúque dissolutis, non poterant C non esse molesta. Quódnam futurum esset clamoris, aut prædicationis argumentum, non exponit Propheta. Sed est verisimile nihil continere aliud, præter minas, sine vlla conditione, aut promissione de venia, si de fruge meliori cogitarent, tametsi illud esset Dei consilium, qui non tam stragem expetebat, quàm Niniuitarum pœnitentiam, & vitam. Quod ex eo colligere posse videor: quia Ionas ea denunciauit, quæ à Domino in mandatis acceperat, at illud tantùm audimus in prædicatione Ionæ, *Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur.* Neque vllum de pœnitentia verbum. Deinde quia si conditionatas illas minas accepisset Propheta, non esset cur doleret, cùm constaret de ciuium pœnitentia, quæ eiusmodi fuit, vt nemini videretur ignorari potuisse. Quòd si ad pœnitendum hortaretur, aut eius aliquo modo meminisset, non existimaretur

nugator

Digitized by Google

nugator & impostor: cùm illæ propheticæ minæ, non tam in pœnitentes, quàm in peccatores, & obstinatos essent intentæ. Id verò illi maximè indignationis, atque doloris materia fuit, quòd contra, quàm ipse prædicarat, Dominus ciuitati pepercisset.

4. *Quia ascendit malitia eius coram me.*] Cùm nullum peccatum diuinos lateat oculos, atque ideo necessarium non sit, vt ascendant sursum, vt sese coram Domino sistant, tamen aliqua peccata dicuntur ad Deum, seu ad diuinum ascendere tribunal, quia aliquid habent, quod præcipuè diuinum furorem aduocet, & instimulet. Vnde quædam dicuntur peccata clamantia in cælum, quibus omnibus exuberasse Niniuem verisimile est. Clamare dicuntur in cælum, seu, quod idem est, ascendere in cælum, seu coram Domino, peccata, quando publicè, inuerecundè, atque impunè committuntur: quæ cùm homines, qui præsunt reipub. aut non explorant, aut cùm vident, supplicio resecare, ac prohibere negligunt, imò & ipsi cum latronibus currunt, & suam cum adulteris portionem ponunt. De his August. in Enchiridio ad Laurentium, cap. 80. *Peccata*, inquit, *quamuis magna, & horrenda, cùm in consuetudinem venerint, aut parua, aut nulla esse creduntur, vsque adeò vt non solùm non occultāda, verumetiā iam prædicanda ac diffamāda videantur. Quando sicut scriptum est, laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & qui iniqua gerit, benedicitur*, &c. Vnde est illud in Genesi cap. 18. *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus est: quia non solùm iam apud eos non puniebantur illa flagitia, verùm etiam publica velut lege frequentabantur.* Idem lib. Annotat. in Iob, super cap. 30. *Plerisque*, inquit, *locis, pro manifestis peccatis clamorem ponit Scriptura; vt verbum sit, quicquid corde concipitur, clamor, cùm procedit in factum.* Et *lib. 1. locutionis de Genesi, cap.* 60. clamorem sæpe Scriptura solet ponere, pro tanta impudentia, & libertate iniquitatis, vt nec verecundia, aut timore abscondatur. Idem Gregor. 3. part. Pastor. admon. 32. *Peccatum cum voce est, culpa cum actione: peccatum cum clamore est, culpa cum libertate.* Idem in Psalm. 2. pœnit.

Quãdo peccata in cælũ clamant.

5. Cùm autem omnis culpa clamor appelletur, iuxta illud Isai. 5. *Expectaui vt faceret iudicium, & ecce iniquitas: & iustitiam, & ecce clamor.* Quædam dicuntur peccata in cælum clamantia: illa verò sunt, quæ proximorum, & præsertim pauperum iura peruertunt. In his numeratur vis, & cædes eorum, quos non solùm sanguinis, sed etiam generis communitas sociauit. Genes. 3. dictum est ad fratricidam Caim, *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Item oppressio pauperum, pupillorum, viduarum, aduenarum. De paupere Deuteron. cap. 15. *Caue ne auertas oculos tuos à paupere fratre tuo, nolens quod postulat commodare mutuum, ne clamet contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum.* De aduena, pupillo, & vidua Deuteron. 22. *Si læseris eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum.* Clamor etiam dicitur operariorum defraudata merces. Deuteron. cap. 24. & Epist. Iacobi cap. 5. *Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth.* His adde peccatum, quod est à Veneris intemperantia, & illud maximè flagitiũ, quod est à mascula siue præpostera libidine, quod à Sodomæis, qui in illam furiosissimè atque impudentissimè ferebantur, appellationem sumpsit, & hominum vulgo vocatur Sodomiticum, Genes. cap. 19. *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus est.* In quam

Quæ peccata in cælum clamantia.

Pauperum patronus Deus.

Luxuries quàm ingrata Deo.

A sententiam optimè Saluianus lib. 1. de prouidentia, non longè post medium. *Grauis*, inquit, *proculdubio clamor est, qui à terris ascendit ad cælum. Quare autem peccata hominum, quasi clamare testatur? Scilicet, quia cedi aures suas Deus dicit clamoribus peccatorum, vt non differatur pœna peccātium. Et verè clamor, & grandis clamor est, quādo pietas Dei peccatorum clamoribus vincitur, vt peccatores punire cogatur. Ostēdit ergo Dominus, quàm inuitus puniat etiā grauissimos peccatores dicens quòd clamor Sodomorum ad se ascenderit. Hoc est dicere: Misericordia quidem mea mihi suadet, vt parcam, sed tamen peccatorum clamor cogit, vt puniam, quamuis idipsum quod ibi actum est, plus habuit misericordiæ, quàm seueritatis. Quòd enim pœnam eorum*
B *tamdiu distulit, misericordia fuit, iustitiæ quòd aliquando puniuit.*

Hæc omnia peccata Niniuitis arbitror fuisse familiaria: quæ licèt, & dictu horrida, & aspectu fœda, publicè tamen, & liberè sic admittebātur, vt neque humanitas ab iniuria, neque pudor à fœdissimis impuræ vitæ flagitiis cohiberet. Et ideo illorum hominum malitia ascendit ad Dominum, seu clamauit, quia in amplissima illa ciuitate reperiebatur nullus, qui aut posset, aut vellet illam morum intemperantiam, aut sermonis grauitate comprimere, aut resecare legitima seueritate supplicij. Quare, cùm terra non videretur ferre posse tantum peccatorum pondus, post breuissimum spatium, id est, post qua-
C draginta dies subuertenda dicitur, aut dehiscente solo, & superba illa mole ad inferos vsque depressa, aut vibrato cælitùs igne, à quo non aliter, quàm olim Sodoma absumeretur. In quem statum defluxisse videbatur Ierusalem, quo tempore obsessa fuit à Romanis atque subuersa: de quo sic Iosephus oculatus testis, lib. 6. de bello, cap. 16. *Non equidem recusabo dicere quæ dolor iubet. Puto si Romani contra noxios venire tardassent, aut hiatu terræ deuorandam fuisse ciuitatem, aut diluuio perituram, aut fulmine, ac Sodomæ incendia passuram. Multo enim magis impiam progeniem tulit quàm quæ illa protulerat.* Hoc opinor dici potuisse de Niniue,
D nisi imminentem gladium aut fulmen auertisset, aut vastum terræ hiatum obstruxisset opportuna pœnitentia. Quanta verò apud Niniuitas fuerit morũ corruptela, & libera ad omne flagitiorum genus procacitas, indicat Nahum *cap.* 3. vbi vocat Niniuen meretricem speciosam, & habentem maleficia. Sanè idolorum cultum Ninus eius conditor omnium primus in orbem inuexit, qui Belo patri diuinos honores haberi iussit. Vide Hieronym. *in cap. 2. Oseæ.*

6. *Niniuitarũ peccata.*

Sunt qui putent illud, *Quia ascendit malitia eius coram me*, esse propheticæ concionis argumentum. ita Cyrillus ad illud cap. 3. *Abiit in Niniuen iuxta verbum Domini.* Quod item sensisse videtur Origen. *homil. 16. in Numer.* vbi negat illud, *adhuc quadraginta dies*, accepisse Prophetam à Deo,
E sed addidisse de suo. Quasi Deus iubeat, vt admoneantur Niniuitæ ipsorum peccata otiosa nō esse, sed stare ante Dei tribunal, ibique accusare scelerum auctores, & contra illos assiduis acutisque clamoribus diuini furoris aculeos ad vindictam acuere. Neque hæc mihi cogitatio displicet. Plurimi enim refert peccatorem nosse habere se apud Deum peccata clamantia, quorum audiuntur voces à Deo, quas sequi solent gladius, pestis, fulmina, & æterna damnatio. Hoc deberet esse familiare concionatorum argumentum, vt obstruantur scelerum fauces, & tam frequentibus iustisque clamoribus indicatur silentium, &

7. *Peccata accusant auctorẽ suum apud Deum.*

& aperiant peccatoris aures ad scelerum voces, vt in illis resonet iusta querela, quæ ad diuinum tribunal continenter auditur.

8. Vers. 3. *Et surrexit Ionas vt fugeret in Tharsis à facie Domini.*] Iussus est Ionas surgere vt adiret Niniuen, ibique data sibi à Domino mandata perageret; ille verò surrexit non quidem Niniuen versus, vt diuinum exequeretur imperium, sed quàm longissimè aliorsum à Niniue, quo datum sibi negotium declinaret. Cur autem fugere voluerit, variæ à variis afferuntur causæ. Hieronym. *hîc*, Greg. Mag. *lib. 6. Moral. cap. 13.* Nazianz. *in Apologetico*, & cum his alij non pauci, ex patriæ charitate hanc fugam ortam esse putant. Audi Hieronym. & in ipso alios. *Scit*, inquit, *Propheta sancto sibi spiritu suggerente, quòd pœnitentia Gentium sit ruina Iudæorum, idcirco amator patriæ suæ non tam saluti inuidet Niniuæ, quam non vult perire populum suum.* Id etiam opinantur Hebræi, qui censent Ionam rationem habuisse dignitatis gentis suæ, quā sciebat esse pertinacem, neque facilè ab impietate deduci, cùm vrgerent quotidie Prophetarum minæ: cui non poterat esse non ignominiosum, si Gentes ad Prophetæ exhortationem tam conuerterētur prompto animo ac docili. A qua sententia Theodoretus non abhorret. Aliter etiā exponit Nazianz. ex alterius sententia, quem Elias eius Scholiastes putat esse Methodium, qui hic non tam historiam quàm allegoriam agnoscit.

Ionas cur fugerit.

9. Sed est alia verior procuidubio causa propheticæ fugæ, quam cum Theodoreto, Cyrillo, ac Theophylacto tenent complures alij, & in his Athanasius *in sermone de passione, & cruce Domini*, imò & ipse Ionas de se quàm apertissimè docet. Eo nempe consilio legationem illam à Iona declinatam, quia Dei ingenium ad misericordiam pronum multis exempls antè cognouerat, timebátque, ne si populus ille per pœnitentiam, à vitæ turpitudine, atque insania veteri resipisceret, Deus vindicem à plaga dexteram cohiberet, & ipse nugator videretur & impostor, cùm exitus à minis abfuisset. Ille ergo metus ignominiæ fecit, vt tantopere vaticinium illud perhorresceret, quod sibi putabat futurum esse ludibrio, neque iam ampliùs siue apud suos, siue apud alienos vllum se honestum locum habiturum. Sic sanè docet non obscurè Ionas cap. 4. *Nunquid non hoc est verbum meum, cùm adhuc essem in terra mea? Propter hoc præoccupauī vt fugerem in Tharsis. Scio enim, quia tu Deus clemens, & misericors es, patiens, & multæ miserationis, & ignoscens super malitia.*

10. *In Tharsis.*] De hac siue regione, siue ciuitate multiplex est inter auctores, & graue dissidiū: alij mare esse putant, alij Tharsum Ciliciæ, alij Carthaginem, seu Tunetum, alij aliam mundi plagam esse coniectant. Ego ab hac disputatione, quæ dubiis nititur coniecturis, lubens abstineo, quia ea de re pluribus in Cōmentariis super Isaiā egi ad illud cap. 2. *Et super omnes naues Tharsis*, neque nunc ex ea cogitatione quicquam muto.

11. *A facie Domini.*] Multa hîc Patres de hoc Ionæ, siue stulto, siue temerario consilio. Alij ab ignoratione, atque errore liberant, sed planè frustra: neque enim, vt se in omnem partem, & cogitationem vertant, efficient, vt ab illo culpā, aut errorem remoueant. Hebræorum aliqui obseruant non dici Hebraicè מפני יהוה *mipene Adonai*, id est, *à facie Domini*, sed מלפני יהוה *mi liphne Adonai*, id est, ne esset coram Domino, id est, ne esset Propheta. Prophetarum enim proprium esse putant esse coram Domino. Sic sanè indicat Elias, qui

Propheta dicuntur stare coram Domino.

A dixit lib. 3. Regum cap. 17. *Viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto.* Et 4. Reg. cap. 5. Eliseus, *Viuit Dominus exercituum, in cuius conspectu sto.* Cur autem timeret tunc Ionas Prophetæ nomen & officium, ea ratio est: quia coniectabat, vt suprà dicebamus, ignoscendum esse pœnitenti populo, vnde ipse recusare non posset, quo minus tanquam nugator, & delirus, non ab alienis solùm, sed etiā à domesticis tractaretur. Aut quod putarunt Rab. Dauid, & Isidorus timebat vaticinium istud durum denunciare regi, & populo gentili ac barbaro, à quo quiduis in suum caput, non sine causa formidare poterat: cùm non facile ad hæc voluptuarij homines, aut dociles animos, aut aures præbeant obsequentes. Quam ob B causam querebatur Ieremias, quòd sibi multorū odia subeunda forent, quia duris homines vaticiniis vrgebat. Atque ideo clamabat dolens cap. 5. vers. 10. *Væ mihi, mater mea, quare genuisti me virum rixæ, virum discordiæ in vniuersa terra?*

Deinde, quia existimare potuit extra terram promissionis nulli hominum datum esse spiritū propheticum, & hanc causam adducunt Hebræi, qui hodie extra terram promissionis negant esse, aut fuisse aliquo tempore Prophetam. Sed errant illi, sicut innumeris aliis locis, infantiliter, neque ignorare poterant prophetasse olim in Ægypto Iosephum, deinde Ieremiam, Moysen in deserto, Balaam in regione Moabitide, Ezechielē & Danielem in Babylonia, & ipsum etiam Ionā, postquam illum cetus ad littus euomuit, in Niniue, C quæ nullo modo pertinebat ad sortem Israel. 12.

Extra terrā promissionis fuerūt prophetæ.

Hic pro moribus multa obseruatione dignā. Fugit Ionas à facie Domini, id est, ne esset in conspectu Domini, quasi vspiam locorum effugere posset diuinos oculos. Quod cogitarūt illi, qui ex opinione planè stolida sibi quiduis licere existimarunt, quasi nullum haberent iudicem, aut testem, à quibus, aut arguerentur sceleris, aut duro plecterentur supplicio. Sic sanè putabant illi, de quibus Ezechiel *cap. 8. vers. 12.* qui impiæ se religioni impensè tradunt, dum putant se à Deo non videri. *Dicunt enim, non videt Dominus nos, dereliquit* D *Dominus terram.* Vide quid nos in nostris Commentariis, super Ezechielem ad hunc locum, & super Isaiam ad illud cap. 29. vers. 15. *Et dicunt, quis videt nos?* Sanè peccator occultare vellet sua scelera, & eò interdum stuporis adducitur, vt latere existimet, ex quo ad peccandum excitatur, & alitur impudens audacia. 13.

Stultè putant fugere posse à Deo.

Fugit ne sit coram Deo, id est, ne sit eius minister: qui enim alicuius imperio deesse nō vult, ille assiduus est in domini conspectu, & totus ab illius nutu, & voluntate pendet. At Ionas quia durum putabat Dei imperium, cum tamen plenum esset dignitatis, tanquam à Domino seuero fugit, & aliorum se tutelæ ac fidei committit: sed E breui tristi experimento cognouit, quàm acerba fuit illa dominorum stulta permutatio. Reliquit Deum, à quo mandatum, & legationem acceperat, quæ illi foret honesta: & quia Deum habebat illius auspicem, & auctorem aut nullum haberet, aut certè exiguum & nobile periculū. Sed credidit vitam suam ventis: qui neque semper aspirant, neque semper secundos habent, atque fauentes flatus. Credidit fluctibus, qui sæpe exagitati ab aduersis, aut concursantibus ventis, aut saxis allidunt nauem, aut Syrtibus impediunt, & dubiam trahunt, & variè afficiunt sollicitam spē. Credidit naui, quæ non tam à prudentia, quàm à vētis regitur, & ab aquis, quæ Lunæ subsunt mutationibus variis, & vt mutabilis est, sic etiam il- 14.

Periculosū est à Deo recedere.

lius imperium constans esse non potest. Neque longius nauis, & qui in illa vehuntur, à morte distant, quàm est illa tabularum crassities, ex quibus compacta est, iuxta illud Satyrici,

I nunc, & ventis animam committe, dolato
Confisus ligno, digitis à morte remotus
Quattuor, aut septem, si sit latissima tæda.

15\. Credidit nautis, a quibus in mare deiectus est; & tandem credidit immani ceto, à quo fuisset miserè consumptus, nisi ad Deum iterum, à quo antè defecerat, meliori consilio rediisset. Vide quanti fuerit Ionæ, reliquisse Deum, & in alia omnia spē libertatis, & salutis contulisse: in quibus nihil aliud inuenies, quàm ventum procellosum, turbidum mare, nauem infirmam, infideles nautas, & marina monstra, quæ hiantibus faucibus exciperent fugitiuum Prophetam, & in stomacho tanquam in feruenti lebete naturali calore coquerent, atque conficerent. Hæc ad omnes accommodari possunt, qui a Dei familiari consuetudine recesserunt, & sæcularibus studiis addicti alios agnoscunt dominos, & excusso leui onere, atque suaui iugo, duro iugo, & oneri prorsus importabili ceruices, humerósque supponunt. Quales sunt religiosi, & qui sacram viuendi formam complexi sunt.

16\. *Concionatores sui ingenij theatrii, & laudatores quærentes debent.* Fugit Ionas, vt putat Hieronymus, quia dedecori sibi fore arbitrabatur, cùm alij Prophetæ in terra Israelitide sua detonarent oracula, vbi propheticum nomen esset in honore, si ipse ad alienas regiones, & barbaros populos mitteretur: vbi neque Deus, à quo legationem illam acceperat, esset notus, & vile prorsus haberetur, & veteratorium propheticum nomen. *Videns*, ait Hieronymus, *Ionas comprophetas suos mitti ad oues perditas domus Israel, vt ad pœnitentiam populum prouocarent, Baalam quoque diuinum de salute Israelitici populi prophetasse, dolet se solum electum, qui mitteretur ad Assyrios, inimicos Israel, & ad ciuitatem hostium maximam, vbi idololatria, vbi ignoratio Dei.* Quod si ita

17\. est, vt Hieronymus hoc loco meditatur, non tam Dei gloriam Ionas, atque hominum salutem quærebat, quàm suæ studebat gloriæ, & ex illa nonnullam voluptatem, atque commoditatem captabat. Quod sanè faciunt, proh dedecus & pudor! ex Christianis concionatoribus non pauci, qui cùm videri velint, & haberi Euangelij præcones, sui tamen ingenij laudem captant, & quos eructat vanissima vanitas, fumos vendunt tam longè, vt Christum prædicent crucifixum, quàm proximè suæ gloriæ ac vanitati seruiunt. Hi nobiliorum amant, & doctorum conuentus, à quibus & quæ ipsi magno elaborarunt studio probentur, & à quibus audiant assentatoria blandimenta: horrent rusticam & ignobilem turbam, quæ concionatorum maximo zelo indigebat, atque doctrina, gentilicos populos, & transmarinas prouincias auersantur: quia nullum putant esse theatrum, vbi ipsorum resonent laudes, quasi ab ingenio acuto, à doctrina singulari, & aliis animi atque naturæ dotibus, quas ipsi sibi somniant ac fingunt eximias. Hi verè fugiunt à Domino, quando illius detrectant imperia, & mari se ac tempestati committunt, & dum gloriam captant, quam luculentam haberent, si diuino parere voluissent imperio, marinæ se belluæ faucibus immergunt.

18\. *Si homo fugiat Deum, non tamen effugiet.* Ad extremum pro moribus obseruа, fugisse quidem Prophetam, non tamen effugisse, quod horrebat maximè periculum: fugit à Deo beneuolo, atque fauente, sed non effugit iratum, &

A seuerum inobedientiæ vindicem. Nimis est cæcus, qui alicubi se futurum putat, quo non perueniat diuinus aspectus, ac potestas, aut vbi non sit immensitas, quæ complet omnia. Sed quod in hominum mentem cadere non potuit, id cecidit in peccatoris amentiam, qui stultior est boue, & asino, vt Isaias cecinit *cap. 1.* illius stuporem admiratus. Sanè id nouere Gentiles, quorum vnus sic alloquitur quendam, qui fuga se putabat cælestes diras euasurum.

Quò fugis Encelade, quascunque ascenderis oras,
Sub Ioue semper eris.

Vsurpant sæpe Patres hunc locū, admirantúrque tantam in viro, qui aliquando cum Deo sermonē aut consuetudinē habuisset, amentiā inueniri, vt mutato loco existimauerit se fore tutum ab eo, quod Deus in fugitiuum caput decreuisset. Quæ opinio, seu potius error, vt putat Cyrillus multis superioris ætatis hominibus cōmunis fuit. *Censebant, inquit, nonnulli potentiā & imperium Dei vniuersorum, solis Iudææ finibus circumscribi, & in ipsam quasi compactum, ab aliis regionibus excludi. Quapropter diuinus Iacob olim à paternis penatibus discedens, & ad Laban in Mesopotamiam contendens, atque in loco quodam pernoctans, & lapide capiti supposito consueto modo dormiens, scalámque à terra in cælum pertingentem, ac per eam Angelos Dei ascendentes ac descendentes, Dominum vero illi innitentem videns, vbi surrexit, Dominus, inquit, est in loco isto, & ego nesciebam. Opinor itaque etiam beatum hunc Prophetam tale quidpiam secum cogitantem, à Iudæa ad vrbes Græcas discessisse.* Hæc Cyrillus. Paulo acerbiùs Chrysostom. tom. 1. homil. de Iona. *Quò fugis*, inquit, *Propheta? Non audisti, quod David ait Psalm. 138. Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? In terram? sed Domini est terra, & plenitudo eius. Ad inferos? Et ibi virtus tua non deerit. Ad cælum? Ibi quoque te esse cognosco. Et in mare? & ibi tendit dextera tua. Hoc & circa istum factum est, qui potestatem Domini posse se declinare arbitratus est. Nam sicut hi, quos nimia ebrietate confusos, ad præcipitium casus aliquis attulerit, cæca quadam caligine deferuntur, nec pedis tentatione suo gressui prospiciunt, potus nimietate turbati: sic & hi, qui peccatorum mole opprimuntur, improuisa cupiditate, propria præcipitantur insania. Nunquid à Domino fugis, Iona? & eius iussa quadam putas tergiuersatione posse contemni?* Idem penè Gregor. *lib. 6. Moral. cap. 13.* In his duobus aliorum te sententias vidisse puta. 20.

Et descendit in Ioppen, & inuenit nauem euntē Tharsis.] Ioppe, quæ nunc vulgò appellatur *Iaffa*, portus est Mediterranei maris, ad eam Palæstinæ partē, quæ pertinet ad Dan, quæ quadraginta sex passuum millibus, id est, vndecim leucis cum dimidia distat à Bethleem, vt auctor est Hieronymus ad Dardanum. Ciuitas antiquissima existimatur omniū, & ante diluuium ædificata, vt docet Plin. *lib. 5. cap. 13.* & Solinus Polyhist. cap. 13. *Ioppe, inquit, oppidum antiquissimum orbe toto, vtpote ante inundationem terrarum conditum.* Idem Pompon. Mela *lib. 1. cap. 11.* Est autem illa ciuitas adeò sublimis, vt cùm longissimè absit, prospectet tamen Hierosolymam. Insidet saxo, vt auctor est Plin. suprà, cui portus subiicitur. Illud hîc non omittendum, quod Solin. Mela, & Plin. proximè citati tradunt, ostendi ab habitatoribus saxum, vbi alligata fingitur Andromeda, vt à marina bellua voraretur, quam tamen Perseus interfecta bellua ab imminente iam fato liberauit. Hæc Poetæ pluribus. Vide Ouid. *lib. Metamorphos. 4. ad finem.* Hanc fabulā confictam esse arbitror à profanis, ex vera hac, & sacra histo- 21.

19\. *Peccator se à Deo videri non putat.*

Ioppe ædificata creditur ante diluuium.

Fabula plu-

Digitized by Google

rima confi-cta & vera, & sacris historiis. ria, quæ docet eodem loco coniectum esse Ionam in mare, & exceptum ac deuoratum à marina bellua. Neque nouum est, vt veras historias profani non solum Poetæ, qui nihil non audent simulare ac fingere, sed etiam Philosophi in suas fabulas & moralia documenta concluserint. Hoc obseruarunt & notarunt antiqui Patres, & aptis ad eam cogitationem exemplis confirmarunt. Iustinus Martyr Deucalionis cataclysmum à diluuio Noetico docet habuisse principium, *in Apologia contra Gentiles.* Augustin. *lib.* 18. *de ciuitate cap.* 19. illum Herculem, quem ambitioso mendacio fortitudinis laude Græcia commendat, Samsonem esse putat Iudicem Israel. Origenes contra Celsum *lib.* 4. fabulas, quas in suo Symposio Plato de hortis, de formatione hominis, & de serpente posuit ex libris Moysis, quos sine dubio vidit Plato, sumptos esse tradit. Quomodo Gentiles historias sacras anili semper aliquo figmento corruptas, ad suas fabulas transtulerint, docet Clem. Alexandr. *lib.* 2. *stromat.* vbi adducit illud Græcorum commentum, de legislatore Minoe, quem dicunt nouem annis cum Ioue familiariter esse versatum, quod sumpserunt ex legislatore Moyse, quem accepisse à Deo legem audierant, & cum illo sæpe ac diu fuisse collocutum. Longum esset recensere, quas fabulas ex historia sacra attexuerit audax, & ambitiosa gentilitas: quæ vbi aliquid inuenit speciosum, & ad populi plausum, neque dubitat vendicare sibi, neque verecundatur, aut stulto, aut impio corrumpere mendacio. Audierat Apostatam Angelum depulsum è cælo, & hominibus plurima

22. inuexisse mala: & Aten finxit à Ioue depulsam, quæ res humanas turbaret, & euerteret. Historiam Sennacherib, cuius exercitum Angelus miraculosa plaga deleuit, corruptam aliquantulum in librum quem inscripsit *Euterpen*, transtulit Herodotus. Vnus Noe trium fabularum argumentum præbuit: seu potiùs à Noe confingendarum fabularum occasiones sumpserunt scriptores Græci. Hinc accepere Deucalionis diluuium: hinc Bacchi studium de plantanda vinea, & exprimendo vino: hinc accepere Ianum bicipitem, qui duo vidit sæcula, & propè dixerim duos mundos. Ex Samsone sumpserunt grandia illa, quæ de suo Hercule fabulosè prædicant. Hinc fatalem crinem, in quo regni stabile fundamentum situm erat, quem filia Scylla dormienti patri Niso sustulit, & cum eo regnum ereptum patri, ad Minoem patris, & patriæ hostem detulit. Hinc illud festum apud Romanos Aprili mense, in quo ligatæ vulpes ardentes ferebant faces, quibus tandem cremabantur. Ouid Fastor. lib. 4.

Noë tribus fabulis occasionem dedit.

Samson totidem.

Tertia post Hyadas cum lux erit orta remotas,
Carcere partitos circus habebit equos.
Cur igitur missæ iunctis ardentia tedis
Terga ferant vulpes, causa docenda mihi est.

Causam vero perfrigidam adducit, illámque à rustico acceptam, sed illius altius videtur fuisse principium. Quod indicat statim Ouidius, dum ait à vulpe succensas esse messes tam falci maturas.

Qua fugit incendit vestitos messibus agros,
Damnosis vires ignibus aura dabat.

23. Hoc porro, licèt obscurè, indicari videtur *lib.* 1. *Machabæor. cap.* 3. *vers.* 48. vbi ex sacris libris, Gentes dicuntur, aut dici videntur sumpsisse Deorum simulacra, quia in illis aliquid inuene-

A runt antiqui, quod fabuloso mendacio corruptum, falsis expresserunt imaginibus. Sic igitur eo loco, *Induerunt se ciliciis, & cinerem imposuerunt capiti suo, & disciderunt vestimenta sua, & expanderunt libros legis, de quibus scrutabantur Gentes similitudines simulacrorum suorum.* Scio alias ab aliis explicationes adhiberi: sed quam adduxi modò, videtur inter alias habere posse non alienum locum.

Cùm ergo ex veris, & sacris historiis commenti fuerint Gentiles fabulas, mihi plus est quàm verisimile, ex historia Ionæ excogitasse illam, quam de Andromeda in illorum commentariis, aut figmentis habemus. Quod mul-

24. Ex historia Ionæ confi-cta fabula Andromedæ.

B tæ mihi suadent coniecturæ. In primis locus ipse communis, & Andromedæ fabulæ, & Ionæ naufragio: vtrunque enim accidit in portu, aut ad portum Ioppæ, vt vidimus nuper ex Plinio, Solino, & Mela. Deinde, quia sicuti Ionas, sic etiam Andromeda, propter peccatum, illud periculum subiisse traduntur. Adde vtrique paratum esse cetum, qui à peccati reis pœnas exigerent, & vtrunque à ceto liberatum. Quare, cùm multa in vtraque narratione conueniant, non est incredibile, fabulosam narrationem, ab historia vera traxisse principium. Ex hac etiam historia expresserunt Poetæ illam Herculis fabulam, quam ex Lycophrone refert

Ex eadem historia orta fabula de Hercule à marina bellua deuorato.

C Cyrill. infrà *cap.* 2. quæ dicit à marina bellua deuoratum Herculem, neque aliquam ibi iacturam fecisse, nisi capillorum, qui propter belluæ calorem defluxerunt è capite. Idem eodem loco refert Theophylactus. Accipe ad extremum, quid de Ioppe dicat Pomponius Mela lib. 1. cap. 11. *Est (Ioppe) ante diluuium, vt ferunt, condita, vbi Cephea regnasse eo signo accolæ affirmant, quod titulum eius, fratrisque Phinei veteres quadam aræ cum religione plurima retinent. Quin etiam rei celebratæ carminibus, aut fabulis, seruatæque à Perseo Andromedæ clarum vestigium belluæ marinæ ossa immania ostentant.* Idem docuit Hegesippus *lib.* 3. *de bello Iudaico, cap.* 20. vbi etiam Ioppæ situm, & formam eleganter describit.

D *Et dedit naulum, & descendit in eam.*] Naulum 25.
est id, quod à vectoribus pro traiectione soluitur. Cùm autem homines cùm ingrediuntur naues, ascendere dicantur potius quàm descendere, hîc tamen contra communem loquendi consuetudinem, descendere Ionas dicitur in nauem: cuius triplex reddi potest, & illa non inepta ratio. Aut enim descendere dicitur, quia iuxta Hebræorum idioma, tam ascendere, quàm descendere idem est, quod venire, aut gradum facere, siue id accliui via, siue in decliui fieri contingat: vt docuimus in nostris Commentariis, in Ieremiam *cap.* 22. *num.* 2. Hebraicè

Ascendo, & descendo, idem quod venio.

E וירד *vaiered*, quod modò per ascensum, modò per descensum exponitur. Aut certè accommodatè ad loci naturam, descendisse in nauim dicitur Ionas, quia, vt hîc obseruat Hieronymus, de montanis & arduis, ad demissa atque campestria loca discedebat. Quod facile intelliget, qui formam ciuitatis & littoris agnouerit, quam Hegesippus *lib.* 3. *cap.* 20. hoc modo depingit. *In portu est ciuitas, cuius ab ora maris littus asperum directúmque, sed cornibus vtrinque leuiter inflexum, in quibus profunda rupes, saxaque ingentia, quæ mari prominent: & cùm de maris imo surgant, in mare excurrunt tamen. Vnde etiam Andromedam illic fuisse, cùm ceto obiectaretur, forma locorum atque ipsæ rerum species prodere videntur.* Aut denique descen-

Ioppe, illiusque portus descriptio.

Digitized by Google

disse existimari potuit, quia cùm priùs ascendisset, postea tamen sese ad nauis inferiora demisit, quo magis se humanis atque diuinis oculis occultaret. Quod significari videtur statim *vers.5.* Ex tribus causis, quam voles elige: mihi postrema hæc non displicet.

26. Vers. 4. *Dominus autem misit ventum magnum in mare, & facta est tempestas magna.*] Pulchrè hæc Chrysostom. ad mores exponit, tomo 1. homil. de Iona. *Cùm nauim*, inquit, *fuit ingressus, turbantur maria, fluctus eleuantur, & profundi pelagi arcana monstrantur. Et sicut fidele mancipium, cùm seruum fuga lapsum, nonnullis etiam communi Domino pretiosis ablatis, omni animositate contra eius retentores insistit, neque antè derelinquit, nisi eum præsentauerit Domino: sic & mare conseruum agnitum non alieno patrocinio, nullius postulato subsidio, sed propria virtute commotum, vt sibi redderetur exposcit.* Quo in loco orta sit tempestas, in portúne, an cùm in altum nauis esset prouecta, incertum est, quia nihil ea de re sacra prodit historia. Sanè in ipso portu grauiorem esse tempestatem, maiúsque periculum, quàm in alto, docet Hegesippus suprà. *Cadentibus*, inquit, *littus aduersis Boreæ flatibus immane quantum vndæ attolluntur, quæ scopulis illisæ fragorem ingentem excitant, atque in fluctus relapsæ, inquietum illum maris sinum reddunt, vt plus periculi in portu, quàm in deserto sit.* Nihilo tamen minus excitatam arbitror tempestatem, postquam aliquantulum nauis à portu recesserat: quia *vers.* 13. in aridam, ad littus videlicet, vnde soluerant, retrahere nautæ contendebant nauem, sed omninò frustrà.

28. Vers. 5. *Et clamauerunt viri ad Deum suum.*] Cùm iam eò sæuientibus ventis res esset deducta, vt nihil esset propius, quàm vt obrueretur à fluctibus, neque ars & industria quicquam tempestati opportunum obtenderent, ad preces, quæ instar habent anchoræ sacræ, confugiunt conuectores, & nautæ. Vt autem illorum varia erat religio, sic etiam ad nauis subsidium suos quique Deos aduocabant. Illud, *viri*, iuxta Hebræorum idioma, aliquid significat vniuersale, & valet idem quod *omnes*, aut *quilibet*.

29. *Et miserunt vasa, quæ erant in naui, vt alleuiaretur ab eis.*] Cùm de vita agitur, facilè contemnuntur omnia, quantocunque in pretio habita, quantocumque comparata studio atque labore, & dummodo vitæ iactura non fiat, nulla rerum iactura facta existimatur. Quàm multa significet vas, nemo nescit, & nos vocis illius vim non semel explicuimus. Hîc vasa sarcinulæ sunt, sacci videlicet, in quibus portantur merces, & quæ sunt ad domesticos, & familiares vsus necessaria. Quem etiam in vsum accipiunt interdum Latini, qui dum expeditos omnes ab viam esse iubent, & sarcinulas colligere, hoc ferè modo explicare solent: *conclamare vasa*, nempe vt illa colligantur, ne quod profecturis impedimentum sit. Hispanus dicit, *enfardelar*. Simili consilio in tempestate non dissimili fecerunt illi nautæ, de quibus Actor. cap. 27. vers. 18. *Valde autem nobis tempestate iactatis, sequenti die iactum fecerunt, & tertia die suis manibus armamenta nauis proiecerunt.* Et vers. 38. *Alleuiabant nauem, iactantes triticum in mare.* Sed planè quandiu peccator, & perfuga mansit in mari, neque venti à vehementi flatu, neque fluctus à suo feruore, atque æstu consederunt: neque quicquam contulit exonerasse à mercibus, & aliis impedimentis nauem, cùm grauius esset atque molestius peccatoris onus. Chrysost. homil. de Iona. *Nautæ nondum agnita causa naufragij, nauim aliquantarum rerum iactatione subleuari arbitrabantur, & nihilominus nauigium turbabatur: apud se enim periculi sarcinam retinebant, & magis magisque Propheta corpore grauabantur, non corporis magnitudine, sed peccati. Nihil enim graue æquè & onerosum inuenies, quàm peccatum.* Idem penè hîc Hieronym. Idem de alia tempestate, quam subierunt Apostoli, docet Ambros. quam propter Iudam excitatam dicit in sermone in cathedra S. Petri. *Tranquillitas*, inquit, *est, vbi solus Petrus nauigat: tempestas, vbi Iudas adiungitur: licèt esset Petrus firmus suis meritis, perturbatur tamen criminibus proditoris. Vnius igitur delicto cunctorum merita quassabantur.* Idem ferè super Lucam, lib. 4. ad finem. *Non turbatur nauis, quæ Petrum habet, turbatur illa, quæ Iudam habet. Etsi multa ibi discipulorum merita nauigabant, tamen eam adhuc perfidia proditoris agitabat. Caueamus igitur perfidum, caueamus proditorem, ne per vnum plurimi fluctuemus.* Sanè metuenda est improborum societas, sanctorum autem expetenda maximè. Adducit Ionas, & Iudas in periculum vitæ conuectores: liberat naufragantes à periculo Paulus, nauigationis socius, *Actor. cap.* 27.

Vasis significatio multiplex.

Periculosa malorum societas.

Graue peccati onus.

Lubet huc adiicere, quod nostra ætate accidit viro sanctissimo Iosepho Anchietæ, è nostra Societate, quem Deus tam mortuum quàm viuum innumeris nobilitauit miraculis, itaut verissimè possis appellare θαυματουργόν, cuius vita planè admirabilis typis excusa, in omnium visum, atque oculos prodiit. Qui cùm rebus aliis fuerit illustris, spiritu prophetico illustrissimus fuit. Vehebatur Iosephus in naui cum aliis pluribus. *Et cùm portum iam essent intueri* (verbis vtor Beretarij qui historiam conscripsit) *repentè aduersa vis venti coorta, nauim ab ipsis faucibus portus longè asportauit. Tunc Iosephus magna voce edixit: Aliquis ab Ecclesiæ communione seclusus, hac naui vehitur. Is ad me adeat, potestatem habeo ipsum à censura absoluendi. Tunc è vectoribus vnus ad ipsum accessit, & rem totam confessus, & à censura impedimento liberatus est, statimque sedata tempestate, secundo vento portum ingressi sunt.* 31.

Et Ionas descendit ad interiora nauis, & dormiebat sopore graui.] Illud *descendit*, vt pluribus aliis locis, pro *descenderat* ponitur. Vna est enim vox apud Hebræos, quæ tempori seruit tam perfecto, quàm plus quàm perfecto. Quare arbitror, antequam exorta foret tempestas, ad interiora nauis descendisse Ionam, & ibi graui correptum esse somno. Qui somnus aut ex lassitudine prouenit, cùm verisimile sit veloci cursu, vt à facie Domini quàm longissimè abiret, magna locorum spatia percurrisse, & in his vastos illos, & præruptos scopulos, quibus insidebat Ioppe: aut certè, vt cum Hieronymo, Chrysost. & plures alij sentiunt, præ angore & tristitia. Neque enim poterat non timere, aut mœrere grauiter, qui fugiebat à Deo, séque manifesto committebat periculo: præsertim si ab æstuante pelago iam admonitus sceleris sui magnitudinem, fœditatémque cognouerat. Pro *sopore* Hebraicè est תרדמה 32.
33.
tardemah, quæ vox non quemcunque somnum significat, sed grauem, qui sensus omnes arctè ligat, quem verè possis mortis appellare viuam effigiem. Talis erat ille, qui corripuit protoplastum hominem, à quo, cùm esset à Deo costa detracta, excitatus non est. Talis est ille, quem veternum, siue lethargum appellamus, à quo homines sæpe neque admoto fumo, neque adactis stimulis, neque aliis ab arte medica cruciamentis soluuntur. Quo videntur esse colligati, qui Dei ac suiipsorum

Sopor grauissimus est somnus.

Digitized by Google

rum prorsus immemores, in peccatis hærent obstinati, qui Lethæo rore videntur irrorati: neque enim nisi ab inferno profundus ille sopor videtur immitti. Ab inferno certè, aut aqua, aut pestilenti vi dicuntur inspersi, aut intincti, qui altè & periculosè dormiunt. Sic sanè Virgilius fingit Palinurum, qui cùm clauum teneret, & inter medios fluctus nauem ageret, rore soporatus Lethæo, siue Stygio in mare demersus est. Sic ille Æneid. 5.

Ecce Deus(somnus) *ramum Lethæo rore madentem,*
Vique soporatum Stygia, super vtraque quassat
Tempora, cunctantique natantia lumina soluit.

34. *Sopor à diabolo missus.*

Quòd si, vt nonnulli putant, ideo se in somnum dedit Propheta, vt se à molestis curis ac cogitationibus exolueret, & violati atque contempti diuini præcepti obliuisceretur, verè sopor ille à Lethæo rore immissus est, qui obliuionem inducit,& neque spiritum altiùs attolli sinit. Tunc autem profundior est sopor, cùm periculum est propius, & cùm magis oportebat peccatorem hominem agere excubias. Dormiebat Ionas suiipsius immemor, cùm grauior erat maris æstus, & mors antè oculos. Dormiebat Sisara, cùm vrgerent hostes in alieno atque infideli tabernaculo, plenus lactis, quem mulier inimica porrexerat, vbi soporem morte socians non prius se occidi, quàm occisum agnouit. Dormiebat Holophernes, cùm armata mulier districtum iugulo ferrum intentabat. En symbolum optimum hominis amentis, & stupidi, qui in peccatis obstinauit animum, & cùm ad alia perpetuas agat, & vigiles excubias, in animæ tamen suæ custodia totus torpet, & dormit. Porrò in somno peccatum adumbrari docuit Gregor. lib. 8. Moral. cap. 10. *Dormire,inquit, est in peccatis iacere. Si enim somni appellatione culpa designata non esset,nequaquam Paulus discipulis diceret: Euigilate iusti, & nolite peccare. Unde & auditorem suum admonet, dicens: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Et rursus:Hora est iam nos de somno surgere. Vnde Salomon peccantem increpat,dicens:Usquequo piger dormis?* Vide reliqua.

Peccatoris obstinati symbolum.

Sopor peccati vmbra.

35. Vers. 6. *Et accessit ad eum gubernator, & dixit ei: Quid tu sopore deprimeris: Surge, & inuoca Deum tuum, si forte.* &c.] Idem, credo, gubernator, qui naui præerat, cuique conuectorum fuerat commissa salus, cum aliis egerat, vt in communi periculo suos quisque deos in auxilium vocarent,& vota facerent, quæ in eo rerum articulo fieri à naufragantibus solent. Et cùm alij solliciti ac supplices auertere à se diuinam iram niterentur, & omnium vnus, quasi nihil referret sua, dormiret Ionas, illum etiam excitat, vt à Deo suo veniam oraret, & pacem, neque ex eo numero quenquam otiosum esse vult, cùm non tantùm de naui, sed de capite omnium ageretur. In quo optimi gubernatoris forma proponitur, qui & ipse vigilat, & orat, & alios omnes quiescere non sinit, sed ad preces excitat, & vota.

36. *Si fortè recogitet Deus de nobis, & non pereamus.*] Ex Gentium errore locutus videtur Gentilis, qui omnia putant à naturalibus causis prouenire, neque Deum curare, quid rerum fiat, aut quid hominibus accidat iucundum, aut graue. Quare id agit iste gubernator, vt Deus, qui quasi dormiret, aut non cogitaret, aut videret quo in discrimine versaretur nauis, & nauigantium vita, excitaretur, sedaretque mare, quod ven-

Quæ Gentilium de Deo [illegible].

A ti, ignorante Deo (quod de suo Æolo fabulatus est Poeta) tam periculosè turbauerant. Quòd si *recogitare* esset cogitationem mutare, aut rem iterum, atque iterum attentè considerare, quod præpositio *re* verbis præposita aliquando valet, Ethnici illius gubernatoris hic videtur sensus: Deum (quicunque is esset, nam Deorum ab omnibus implorabatur auxilium) aut cogitasse parum attentè de illorum meritis ac supplicio, quos in præsens illud periculum coniecerat, aut certè neque cogitare tunc, neque cogitasse priùs de duro nauigantium discrimine, sed fortuna & casu ferri, atque agitari omnia. Quæ tamen impediri posse à Deo censebat Gentilis ille gubernator, quando illius benignitatem precibus ac
B votis sollicitari vult. Hæc Ethnici: longè alia Christianorum cogitatio est.

Vers. 7. *Et dixit vir ad collegam suum: Venite mittamus sortes, & sciamus, quare hoc malum sit nobis.*] Immissam à Deo putabant conuectores, & nautæ tempestatem illam: tum quia grauissima,qualis fortasse eo in loco ante illud tempus nunquam antea visa, tum quia aliquid ibi obseruarunt, quod non putabant posse è naturali aliqua facultate contingere, atque ideo non physicam, sed moralem causam esse coniectabant. Dicunt autem Hebræi, vt docet Lyra, neque improbat Theophylactus, & Theodoretus, eo tempore, quo nauis illa periclitabatur eodem loco, aliàs
C tranquillo mari, nauigare placidè, & totum æstuantis pelagi pondus in vnius nauis exitium incumbere. Quare diuinam esse putabant offensionem, non naturæ vim, quæ non solet sic suos dispensare ac moderari impetus, vt illic sæuiat, hìc faueat, cùm idem sit spatium, eadem, siue ad patiendum, siue ad resistendum, dispositio. Sic sanè Deus Gedeoni significauit à se esse datū negotium cōtra Madianitas,& ab eius conatu non abfuturam esse victoriam: quia cùm circumiectus locus siccus esset à rore, vellus tamen in area solùm commaduisset. Et Amos *cap.4. vers.7.* hoc ipsum probauit, quia vna pars, aliis à cælesti pluuia sitientibus, tantùm esset compluta.
D Qua de re aliquam esse putant hoc ipso in loco coniecturam, nam *vers.* 13. dicitur, *Mare ibat, & intumescebat super eos*, quasi non super alios. Hæc cogitatio fortasse vera, licèt non videretur à sacro historico prætermittenda. Aliam adducit Hieronymus. *Nouerant,* inquit, *nautæ naturam maris, & tanto tempore nauigantes sciebant tempestatum ventorùmque rationes, & vtique si solitos, & quos aliquando experti essent fluctus, vidissent consurgere, nunquam forte auctorem naufragij quærerent.* Porrò in suis fabulosis historiis,non semel audierant subiisse scelerum reos pœnas diuinitùs immissas(multa horum exempla adducit Valer. Maxim. *l.1.cap.* 1.)& interdum ob aliquod flagitium perisse nau-
E fragio. Sic Virgilius 1. Æneidos,

37. *Miraculosa Ionæ tempestas.*

38. *Peccata etiam inter Gentiles diuinitus punita.*

——Pallásne exurere classem
Argiuûm, atque ipsos potuit submergere Ponto,
Vnius ob noxam, & furias Aiacis Oilei?

Et ex hac opinione dixit apud eundem Dido *lib.* 4. *Æneidos.* Ænean naufragum daturum esse pœnas violati hospitij, ac proditæ fidei.

I, sequere Italiam ventis, pete regna per vndas:
Spero equidem mediis (si quid pia numina possunt)
Supplicia hausurum scopulis.

Ex hac ergo opinione suspicantur nautæ, aliquem esse sibi nauigationis socium, à quo Deus

Digitized by Google

sceleram vindex, cōcitatis vehementer fluctibus, pœnas expeteret: quis autem è multis ille sit, sorte tentant.

Sortes vsitatæ.

De sortibus alij accuratiùs & pluribus, de quibus disputatio multiplex. Quando videlicet per religionem liceat sortes consulere, quot sortium aut diuinationum genera. Ego ab his quæstionibus supersedere posse videor. Tantum dico, id non apud profanos solùm, sed etiam apud sacros fuisse in vsu, qui ductis sortibus, aut de futurorum euentu coniectant, aut explorant, & inquirunt occulta, aut de diuina voluntate cognoscenda deliberant. Vide quæ nos pluribus ad illud Actor. 1. *Et dederunt sortes eis.* Et in nostris Commentariis ad illud Ezech. cap. 21. vers. 42. *Et manu capiet coniecturam.*

39. *Et cecidit sors super Ionam.*] Quia multa sunt sortium seu diuinationum genera, neque Scriptura docet quænā illorum à nautis ad cognoscendum sceleris reum, & tempestatis causam adhibita fuerit, ideo neque quomodo sors illa quæcunque fuerit, Ionam designauerit prodideritque, intelligere possumus. Illud videtur certum, excitatum à Deo gubernatorem fuisse, vt ad interiora nauigij descenderet, & Ionam agnosceret, vt ea ratione proditus talia pateretur, quaiā statim ab ipso Propheta commemorátur. Certe dubitari non debet, sortes in sinum, aut in vrnam cōiectas, sic fuisse a Domino temperatas, vt Ionæ exiret nomen. & conuictus sceleris, & in mare proiectus, conuectores suos à periculo solueret, iuxta illud Prouerb. 16. *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.*

40. Vers. 8. *Indica nobis, cuius causa malum istud sit nobis.*] Agnoscit hic Theophylactus, tam gubernatoris, quàm aliorum, quorum in discrimine vita versabatur, æquitatem, & in iudicando aut supplicio sumendo lenitatem, ac prudentiam. Possent enim, cùm sors illum & diuinatio sceleris reum prodidisset, statim de Iona statuere, & expiato scelere præsens declinare periculum. In sorte enim, in qua aliquid existimabant inesse diuinum, nihil credebant esse dubium. Nihilominus ab ipso familiariter exquirunt, ecquid egerit impiè, quod Deus naufragio punire voluerit, & vbi ad sortis religionem rei accederet, aut spontanea, aut extorta confessio, ipsi sine metu violatæ legis, aut iustæ consuetudinis, ad id quod erat consequens, audacter incumberent.

41. *Quod est opus tuum, quæ terra tua? quò vadis? vel ex quo populo es tu?*] Hæc omnia, quæ à Iona vectores interrogant, grauia sunt ad sceleris, siue explorādi, siue amplificādi coniecturā. *Opus* fortasse peccatum significat, cuius reus arguebatur Ionas, & quod grauem illam tempestatem inuexerat. Sed credo hoc loco artem significare, seu ministerium, cui consuetam & familiarem operam Ionas impenderet. Est enim vsitatum, vt actio, aut, vt loquuntur Logici, actus secundus pro facultate, atque arte, aut actu primo frequenter vsurpetur. Quomodo dicimus, *Ego non doceo, non iudico,* id est, non habeo docendi iudicandive facultatē, aut munus. Et id mihi certum est, quia de peccato proximè quæsierant, cùm dixerunt, *Indica nobis, cuius causa malum istud sit nobis.*

Actio pro opere, aut facultate, quæ arte.

42. Natale alicuius solum plurimum etiam facit ad coniecturā: quia, vt aliis regionibus plantæ ac fructus, sic etiam alij atque alij quasi naturales sunt, & vernaculi mores. Vnde alia Cretensibus, alia Cypriis, alia Phrygibus, Lydiis, Syris, atque Atheniensibus studia placent, aliis alia à patrio cælo naturæ pronitas. Ex patria igitur coniectare possunt nautæ, an aliquid Ionas fateretur verisimile, si illud quicquid esset patriæ moribus videretur affine. Neque otiosum est, quod statim addunt de populo: nam in eadem natione, non omnes populi iisdem affecti sunt, aut infecti moribus: aut quia disciplina abest, quæ mores corrigit, & informat, aut quia diuersa, licèt exigua, cælorum inclinatio, aut terræ non eadem proprietas, ingenia faciunt esse diuersa. Cuius rei nobis argumento sunt duodecim familiæ filiorum Israel, qui cùm ex eodem essent prognati parente, neque illorum admodum essent separati funiculi, tamen non omnino inter se, aut sermonis dialecto, aut studiis, aut moribus conueniebant. Deinde, quia in eadem prouincia populi varij variis etiam religionibus addicti sunt, vt satis ex profana liquet historia. Cùm enim innumeri sint Gentilium dij, alia ciuitas alios sibi deos tutelares elegit. Ex quo coniectare possent, qui ea de re deliberabant, quem offendisset Deum Ionas, vt illum votis, aut alia religiosa expiatione placarent. Ita indicat Theophylact. *Vt Deum,* inquit, *placarent, in quem impegerant. Existimabant enim quod si turbatum ab ipso numen marinum fortasse reconciliassent, hanc tempestatis ipsi noxam effugere possent.*

Alia aliis nationibus peccata vernacula.

43. Ex his iisdem locis amplificari potest, & solet peccati grauitas, quam spirituales viri, si quid deliquerint, hinc expendunt. Rogant enim à seipsis, *Quod opus est tuum?* Ecquid præstare debes religiosus, & sacerdos, qui totum te Deo consecrasti, quem tam Deus ornauit quotidianis beneficiis? qui tam cum Deo familiariter agis? *Quod est opus tuum?* Nempe vni vacare Deo, sæcularia despicere, spectare cælestia, & curare sedulò, ne qua ab aliorum intemperantia diuinum nomen afficiatur iniuria. Neque præterea locus ipse exiguum addit offensioni cumulum, si quis, exempli gratia, in claustro peccet, in templo, locisque diuino cultui, & religioni consecratis. Illud, *Quo vadis?* scelus etiam non leuiter auget, si quis à templo discedat ad lupanar, ad idolium, ad ebriosorum, & ganeonum diuerticula, & sacra cum obscœnis putidisque permutet, grauior est & minus toleranda contumelia. Quemadmodum si quis à fonte iugis atque viuentis aquæ, ad cisternas confugiat dissipatas, quæ cùm aquam non possint continere, nihil ex ipsis haurias, præter limum, & cœnum, aut si Deum relinquat, & tam parui faciat, vt ab illius se subducat imperio, propter pugillum hordei, aut fragmen panis. Hinc sese latè ad amplificandum peccatum aperit campus.

Status, & ministeria peccatum aggrauant.

Item locus.

44. Vers. 9. *Et dixit ad eos, Hebræus ego sum.*] Multa rogarant gubernator, & nautæ, sed ad illorum vnum respondet Propheta. Neque enim aliud dicit quàm se esse Hebræum. Ex quo alij facilè cognoscerent quem ex omnibus Deum Propheta coleret, & quem oporteret omninò fore placatum, si vim illam tempestatis horribilis declinare vellent. Sed confessus est, opinor, se à Deo, quem coleret, esse perfugam, licèt hoc loco sacer scriptor omiserit. Neque enim semper scriptores sacri omnia narrant illis in locis, vbi commodè commemorari potuissent, ex aliis tamen locis illa contigisse cognoscimus, vt diximus in Amos *cap.* 1. cùm ageremus de terræ motu qui accidit Ozia regnante. Hoc verò habemus ex hoc ipso capite, cùm dicitur: Cognouerunt enim viri, quòd à facie Domini fugerat, quia indicauerat eis Hieronymus in Hebræi nomine

fugam

Google

fugam illam aut ſignificari, aut indicari innuit. A
עבר *abar* enim, vnde vocatus eſt Hebræus, tranſ-
ire valet. Vnde Hebræi dicti quaſi tranſeuntes.
Non dixit, Iudæus ego ſum, ſed Hebræus, id eſt,
περάτης, tranſiens. Alij tunc putant ſignificatam
eſſe Prophetæ fugam, cùm dixit, *Dominum cæli*
ego timeo. Seruus enim qui Dominum timet, fu-
ga ſolet declinare ſupplicium: ſed reuera aliud
his verbis ſibi Propheta vult, vt dicemus ſtatim.
Et quidem fugitiuus Propheta, ſi timeret Deum,
à quo mare, & aridam dicit eſſe creatam, potiùs
illius imperata faceret, neque cùm noſſet aridæ
& maris eſſe Dominum, vt ab illo fugeret, aut
in mare ſe coniiceret, aut patrium verteret ſo-
lum, & in alienas regiones ſe corriperet. Cùm B
verò timeri à ſe dicit Deum, ſimul etiam addit,
ab illo fuiſſe conditam aridam, & mare.

45. *Dominum Deum cæli ego timeo.*] Timere in ſacris
Timor *vox religioſa.* literis idem valet quod colere, & religioſa qua-
dam obſeruantia ſuſpicere, vt diximus in noſtris
Commentariis Iſaiæ *cap.8. num.28.* Vnde vt ibi
obſeruauimus, Deus pauor dicitur, & timor: &
fortaſſe ideo dicitur Deus à Græca voce *δέος*,
quæ timorem ſignificat.

46. *Qui fecit mare, & aridam.*] Didicerat iam Pro-
pheta Deum vniuerſorum eſſe Dominum, & v-
bique illius offenſionem eſſe timendam. Dedit
enim intellectum dura vexatio, cùm videret fu-
gitiuum à terra, in qua dominari Deum, aut ſo- C
lum, aut præcipuè crediderat à mari ſæuiente,
quaſi à tanti criminis vltore periculosè iactari.
Atque ideo dicit illum à ſe Deum religiosè co-
li, à cuius potentia nulla pars eſt exors, ſiue in
terra, ſiue in mari: quaſi iam damnaret ſociorum
vanam religionem, & deos alios, quos illa nauta-
rum confuſa turba placare ſibi ſtudebat.

47. Verſ.10. *Et timuerunt tunc viri timore magno.*] Ti-
muerant antè, cùm excitari viderent fluctus, &
turbari omnia: nunc verò timere dicuntur ve-
hementiùs, id enim valet *timore magno.* Eius
rei à nobis exploranda cauſa. Duæ in præſentia
Suſcipere, aut fauere peccatori periculoſũ. occurrunt. Altera eſt, quia tempeſtatem illam à
Dei offenſione, non à vi aliqua naturali immiſ- D
ſam eſſe vident: naturalis enim vis domari in-
terdum ab arte poteſt, & euitari, diuina verò,
neque frænari, neque eleuari poteſt à mortali
ſolertia. Deinde, quia magnus eſſe cognoſceba-
tur Hebræorum Deus, quem ipſi aliorum deo-
rum religione capti, aut vilem eſſe crediderant,
aut etiam aliquando fuerant inſectati conuitiis:
quare ab illo non immeritò aliquid horribile
metuebant. Altera eſt, quam indicant duo ma-
gni Doctores, *hic* Hieronymus, & Chryſoſt.
hom. de Iona tomo.1. quia Dei apud ſe inimicum
habebant, in quem diuinas viderant diras inten-
di, verebantur ne in ipſos quoque diuinus in-
flammaretur furor, qui fugitiuum recepiſſent.
Sic nautæ apud Hieronym. ad Ionam, poſtquam
48. à Deo fugerē cognoſcunt. Ex eo quòd contra
Creatura [illegible] nos ſurgit mare, intelligimus iram eſſe ſuſceptio-
nis tuæ, ſi culpa eſt quod ſuſcepimus: quid face-
re poſſumus, ne Dominus iraſcatur. Chryſo-
ſtom. ventum & fluctus dicit eſſe ſatellites, qui
fugitiuum ſeruum reſtituere, & illum ad Domi-
num reuocare conantur. *Cùm nauem*, inquit,
fuit ingreſſus (Ionas) *turbantur maria, fluctus eleuan-*
tur, & profundi pelagi arena manifeſtatur. Et ſicut fidele
mancipium, cùm ſeruum fuga lapſum, nonnullis etiam
communi Domino pretioſis ablatis, omni animoſitate con-
tra eius receptores inſiſtit, neque ante derelinquit, niſi an-
te præſentauerit Domino: ſic exemplo conſeruum agni-
A *tum non alieno patrocinio, nullius poſtulato ſubſidio, ſed*
propria virtute commotum, vt ſibi redderetur expoſcit.
Hæc igitur grauis videtur eſſe cauſa, cur tantus
timor nautarum animos inceſſerit, cùm exolue-
re ſe putarent pœnas fugitiui recepti, & adhuc
manere ſecum in naui, inter tot æſtus concitati
pelagi.

Quid hoc feciſti? cognouerunt enim viri, quòd à facie 49.
Domini fugeret.] Audierant iam quid ſceleris ad-
miſiſſet Ionas, quod Deus ſtatuiſſet tã horribili
tempeſtate mulctare. Et admirati tantam, ſiue
proteruiam, ſiue ſtuporem hominis, qui Deum,
quem terræ & maris Dominum audierant, ſpe-
raret ſe poſſe aſpectum, aut potentiam effugere,
B rogant, vndenam tanta confidentia nata, vt ten-
taret quod nemo cogitare ſanus poſſet. Sed ille
cauſam ſilet, fugam tantùm aperire contentus:
ſiue quia iniquitas oppilauit os, ſiue quia pu-
duit, cùm propheticum accepiſſet ſpiritum, igno-
miniam ſuam, aut ingrati ac pauidi animi cri-
men confiteri. Siue fortaſſe ne de Deo Genti-
les illi minùs honeſtè iudicarent, qui homini
ſpiritum illum induliſſet, qui ingrato eſſet, at-
que infideli pectore. Quod ſi cognita fuga tan-
topere Gentiles admirantur, quid ſi Prophetam
eſſe noſſent, & magis ambitioni ſuæ, quàm diui-
næ gloriæ, & Niniue conuerſioni conſulere?

Verſ.11. *Quid faciemus tibi, & ceſſabit mare à no-* 50.
C *bis?*] Poſtquam ſibi iam nautæ perſuaſerant à
Deo turbatum eſſe mare, & ab illo Deo, quem
Ionas coleret, cuius illi ſacra, & expiandi ſce-
leris formam ignorabant, Ionam conſulunt, qui
veri Dei melius noſſet leges & ingenium. Cùm-
que in Ionam aliquid ſuſpicarentur capien-
dum eſſe ſeuerioris conſilij, quia ille fuerat tem-
peſtatis illius deprehenſus auctor, ab illo ſciſci-
tantur, quid facto opus eſſet, ne quid in eius ca-
put contra legem, & religionem auderent, ne
grauius ipſi in ſumendo ſupplicio, aut expiando
ſcelere, quàm Ionas priùs in fugiendo peccarent.
Placandum autem, vt dixi, putabant non ſuos,
ſed Hebræorum Deum.

D Vbi vulgatus *ceſſabit*, Hebraicè eſt ישתק *iiſtok*, 51.
quæ vox ſilere ſignificat. Sed *ſileo* ex vſu Scri- Sileo *idem quod ceſſo.*
pturæ ceſſare ſignificat, vt docuimus *in cap.7.*
Iſai. num.7. ad illud. *Vide vt ſileas, noli timere.* Et in
hac ipſa materia exemplum habemus Pſalm.106.
Statuit procellam eius in auram, & ſiluerunt fluctus
eius. Et Mar. cap.4. verſ.39. his verbis Chriſtus
mare à tempeſtate ſedauit, *Comminatus eſt vento,*
& dixit mari: Tace, obmuteſce, & ceſſauit ventus.
Ceſſare autem, ſeu ſilere ab aliquo, id eſt, quod
nihil in alterius ſiue commodum, ſiue damnum
moliri. Pſalm.27. *Domine ne ſileas à me.*

Quia mare ibat, & tumeſcebat ſuper eos.] Ex hoc 52.
loco coniectabant illi, de quibus ſuprà illam tan-
tùm nauem iactari in æſtuante pelago, cùm eo-
E dem loco reliquæ naues rectum haberent, atque
tranquillum curſum: quia ſuper eos mare tu-
meſcebat, quaſi ſuper alios ſedatum eſſet atque
tranquillum. Illud *mare ibat & tumeſcebat*, phraſis Ibat *proficiens phraſis Hebraica, & Hiſpanica.*
eſt Hebraica, vt Geneſ.8. verſ.3. *Aquæ ibant, &*
decreſcebant. & Geneſ.26. verſ.13. *Iſaac ibat profi-*
ciens atque ſuccreſcēs: quæ continuationem impor-
tat, ſiue cùm remittitur, ſiue cùm intenditur aut
opus, aut qualitas: quem dicendi modum ex-
preſſit Hiſpanus, cùm dicit, *Va creciendo, vaſe* *Peccator eiiciendus ex aliorum cœtu.*
diſminuyendo, vaſe calentando, &c. Non ceſſat tem-
peſtas, quia peccator viuit, & quieſcit, donec ille
iactetur, & abſorbeatur à marina bellua. Opti-
mum documentum pro his qui præſunt, qui eò

vel maximè debent incumbere, ne quenquam sceleratum in commissa sibi ciuitate viuere patiantur, si Rempub. velint esse fortunatam, atque tranquillam.

53. Vers. 12. *Tollite me, & mittite in mare.*] Satis videbatur naui fore consultum, si ex illa peccator excessisset, cuius causa tam grauis ille motus esset excitatus. Sed cùm magis atque magis intumesceret mare, neque ad portu vllus sese receptus aperiret, quia à portu vehemens aura perflabat, & nihil iam esset propius, quàm vt omnes omninò tempestas obrueret, maluit Propheta mortem oppetere, quam euadere se posse non putabat, quàm alios omnes in apertum vitæ periculum coniicere, quos, se sospite, sospites futuros esse non arbitrabatur. Hîc Hieronym. in Iona aliquid agnoscit, & laudat à constanti atque magnanimo pectore profectum. *Animaduertenda*, inquit, *fugitiui nostri magnanimitas: non tergiuersatur, non dissimulat, non negat: qui confessus fuerat de fuga, pœnam libenter assumit, se cupiens perire, ne propter se, & cæteri pereant, & ad peccatum fugæ aliena quoque periculum addatur necis.*

54. Sed quærat hîc curiosus aliquis, cur si adeò Ionas cupit sociorum neminem perire sua causa, & quandiu ipse maneret in naui, tamdiu aliorum periclitari vitam, non seipsum proiecit in mare: quando ad illud supplicium, aut cognoscebat, aut cognoscere poterat se iam à diuina iustitia fuisse destinatum, neque pateretur morari necessariam illam iacturam, interim dum nautæ de proiiciendo deliberarent, aut mortis reos faceret nautas, si ab illis esset præcipitatus in mare. Respondet huic cogitationi Hieronymus. *Non est*, inquit, *nostri mortem arripere, sed illatam ab aliis libenter excipere. Vnde in persecutionibus, non licet propria perire manu, sed percutienti colla submittere.* Hæc Hieronym. quæ sanè vera sunt, & communiter ab Scholasticis probata, qui docent neminem posse sibi mortem inferre, quamuis possit, imò aliquando debeat ab aliis illatam sustinere.

Nemini licet sua se manu interimere.

Quòd autem seipsum Samson occiderit, idque sanctè, quia in Sanctorum censum relatus est à Paulo ad Hebr. cap. 11. variè excusatur a Patribus. Alias rationes omitto. Illam adducam ex August. lib. 1. de ciuit. cap. 21. *Nec Samson aliter excusatur, quòd seipsum cum hostibus ruina domus oppressit, nisi quia spiritus latenter hoc iusserat, qui per illum miracula faciebat.* Quod verò Hieronymus addit, *Absque eo, vbi castitas periclitatur:* quo significat fas esse seipsum occidere, si aliter purum ab alterius libidine corpus seruari non potest, neque ab omnibus admittitur, neque sine grano, vt dicitur, salis legi debet. Qua de re Scholastici pluribus *in 2.2. S. Thomæ quæst. 64. art. 5.* Quòd verò alij Ionam proiicere potuerint in mare, nemo dubitat, cum ex illius morte suam viderent pendere vitam: neque de eo dubitare iam possent, cùm insolita illa & inaudita tempestas sortis iudicium, & Ionæ non expressa tormento ac minis, sed spontanea confessio non obscurè manifestassent. Maximè, cùm Ionas ipse, qui eo temporis articulo diuinæ legis ac voluntatis accersebatur interpres, hoc ipsum admoneret. Neque quòd in se aliorum manus prouocaret, & vltrò in mare coniici voluerit, vnde emergendum sibi non putabat, peccatum est à Iona, cùm hoc ipsum credatur dixisse spiritu afflatus prophetico, vt euentus ipse confirmauit: neque debuerit, quo vitam suam conseruaret, si quomodo posset copiosam illam turbam, à qua ad illam fugam nihil esset admissum, in præsens illud periculum coniicere.

Samson quomodo se occidendo non peccauerit.

Scio enim ego, quia propter me tempestas hæc grandis est super vos.] Scrupulum eximit Propheta ne alij existimarent aliquid se contra quàm lex ipsa atque ratio suadet admissuros, si tanti sceleris reũ è naue deturbassent. Ait enim sibi certum esse non alium à tempestate peti quàm seipsum, & in nauticam turbam periculum à naufragio grande redũdare, nisi ab importabili peccatoris pondere releuetur nauis. 56.

Vers. 13. *Et remigabant viri, vt reuerterentur.*] Satis videbantur nautæ habere legitimæ causæ, vt fugitiuum Prophetam procul à se depellerent, absorbendum fluctibus, cùm ipsemet vrgeret Ionas, & omnem ab irato Deo metum, & à cõscientiæ angore scrupulum eximeret. Sed adhuc nautæ pergunt experiri omnia, si quomodo, saluo Iona, ipsi quoque seipsos, & nauem à naufragio redimerent. Quare remis nituntur, & velis, & omnia in eam curam aduocant artis subsidia. Neque tamen obniti possunt æstuanti pelago, & cõcursantibus fluctibus ad portum appellere. Quare, cùm nullum superesset vitæ subsidium, statuunt, vt vnius periculo, vniuersorum vitam tueantur. Neque tamen id ante faciunt, quàm oratione sibi placent Deum, & à seipsis diuinas diras, & furorem auertant. 57.

Vers. 14. *Quæsumus, Domine, ne pereamus in anima viri istius, & ne des super nos sanguinem innocentẽ.*] Hæc est nautarum breuis, sed opportuna & efficax oratio, habita non ad inanes deos, quos antè coluerant, sed ad verum Deum, quem obseruabat Ionas, & cuius proximè in puniendo perfuga, & in commouendo pelago potentiam agnouerant. Atque ideo inuocant, non Iouem, aut Mercurium, seu Neptunum, atque alios marinos deos, sed יהוה *Iehouah*, quod veri Dei nomen est, quódque à Iona paulo antè didicerant, cùm dixit, *Dominum cœli ego timeo:* ibi enim Iudæorum Deum audierant esse *Iehouah*. Illud *in anima* idem est, quod propter animam, nempe arreptam ab alio: præpositio etenim *in* idem sæpe valet, quod *propter*, vt diximus ad illud Ierem. cap. 15. vers. 13. *In omnibus peccatis tuis.* Porrò nautæ Ionam innocentem appellant, non quòd ignorarent esse peccatorem, sed quòd ab illo antè nihil esset acceptum, aut intentatum mali, id est, qui nihil illis antè nocuisset, ille enim propriè appellatur innocens. Non enim, opinor, dubitarent nautæ homines occidere, qui piraticam exercerent, aut qui infensa atque hostili classe maria turbarent: in hos namque leges, imò & natura ipsa gladium porrigit, cùm vi repellere vim liceat, & quod in nos alij iniustè machinantur malum, in eorum caput, quando aliter declinari non potest, retorquere. 58.

In id est quod propter.

Vers. 15. *Et tulerunt eum, & miserunt in mare.*] Hîc Montanus ex Eleazaro quodam scriptore antiquissimo refert, in hac etiam iactatione nautas adhibuisse lenitatem, & illum timore potius mortis concutere, quàm fluctibus voluisse demergere. Demittebant enim Ionam delapsum nempe funibus vsque ad aquam, deinde verò eleuatum è gurgite ad nauem referebant, quod cùm sæpe tentassent, reipsa compererunt, placere Deo, illius fugæ ac sceleris vindici: vt Ionas omnino mandaretur gurgiti. Quoties enim è naui demittebatur in pelagus, mare quiescebat, quasi nullo fuisset agitatum motu: cùm autem referebatur è gurgite, fremebat rursus mare, & 59.

attolle

attollebat fluctus, donec tandem demissus imo, atque demersus fuit. Tunc enim consedit tempestas, & comparata est nautis facilis, atque tranquilla nauigatio. Hæc auctor ille vetustus: fidem ipse suam liberet, mihi hæc omnia, quæ ad plausum Hebræorum Magistri, non tam ex Scriptura sacra depromunt, quàm è suo confingunt cerebro, leuissima sunt.

60. *Et stetit mare à feruore suo.*] Feruere dicitur, & æstuare pelagus, cùm variis exagitatur motibus, vnde feruor, & æstus, pro tempestate sumitur: quia non aliter à perflante vento, quàm ab igne supposito aqua ebullit, ac feruet. *Stetit*, inquit Hieronymus, *mare, quia inuenerat quod quærebat: velut si quis persequatur fugitiuum, & concito pergat gradu, postquam fuerit consecutus, desistit currere, & stat, ac tenet quem apprehenderit: ita & mare, quod absente Iona irascebatur, in visceribus suis desideratum tenens gaudet, & confouet, & ex gaudio tranquillitas redit.*

61. Vers. 16. *Et timuerunt viri timore magno Dominum.*] Timere non solùm valet, quod propriè sonat, sed etiam admirationem & obseruantiam, vt diximus nuper, ad illud, *Dominum Deum cæli ego timeo.* De admiratione diximus *ad cap. Actor. 2. num.* 48. Quare hoc loco non sunt dicendi nautæ timuisse, sed noua quadam admiratione obstupuisse, cùm viderent deturbato è naui transfuga, consedisse mare, & cepisse deinde venerari, & colere, quem antè non agnouerant. Neque enim inducta tranquillitate timendum fuit, sed

A potiùs exultandum.

Immolauerunt hostias Domino.] Nempe vero, quem iam nouerant terræ marique dominari, & à quo vno, sicut tempestatem timere, sic etiam sperare tranquillitatem possent. Non verò diis aliis marinis, quos fingebat stolida delusa gentilitas, quales fuerunt Neptunus, Thetis, Tritones, & Nereides. & illi de quibus Maro lib. 1. Georg. 62. *Vota nuncupant, & soluunt, qui è naufragio liberantur.*

Votaque seruati soluent in littore nautæ,
Glauco, & Panopeæ, & Inoo Melicertæ.

Offerri autem victimas, & nuncupari vota, illaque solui notarique in tabulis, si quando liberari contigisset ab inflato atque furente mari, multa docent. Primùm hic locus, quem modò ex Marone produximus, & rursus lib. 3.

Quin vbi transmissæ steterint trans æquora classes,
B *Et positis aris iam vota in littore solues.*

Cicero lib. 3. de natura Deorum, id vsitatum esse docet. *Tu qui Deos putas humana negligere, nónne animaduertis, ex tot tabellis, quam multi votis vim tempestatis effugerint, in portúmque salui peruenerint.* Siue ergo ex hac Gentilium consuetudine, hi nautæ vero Deo, & vota nuncupant, & victimas immolant: seu certè edocti à Iona, qui nouerat post vniuersale naufragium, oblatas esse victimas à Noe, quas probauit Deus, & accepit, *Genes. cap.* 8. *vers.* 21. tale, vbi primùm in portum euaserunt incolumes, sacrificium obtulerũt quale olim, in causa non dissimili, in gratiarum actionem immolauit Noe.

IN CAPVT SECVNDVM

ARGVMENTVM.

DETVRBATVM è naui Jonam piscis grandis excepit, in cuius stomacho orauit, & quod optabat, exorauit à Domino. Quod verò reliquum est à versu 3. ad octauum vsque exclusiuè, narrationem continet eorum, quæ Propheta pertulit eiectus è naui, antequam esset exceptus à marina bellua. Deinde Propheta ipse docet, quid in angusto illo ac sordido conclaui, in stomacho videlicet ceti cogitauerit, feceritve, ac tandem quomodo à vomente ceto fuerit in aridam eiectus.

CAPVT II.

1. *ET præparauit Dominus piscem grãdem vt deglutiret Ionam: & erat Ionas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus.*

2. *Et orauit Ionas ad Dominum Deum suum de ventre piscis.*

3. *Et dixit: Clamaui de tribulatione mea ad Dominum, & exaudiuit me: de ventre inferi clamaui, & exaudisti vocem meam.*

4. Et

PARAPHRASIS.

C 1. PRæparauerat autem Deus piscem grandem, ex genere cetaceo, qui eiectum è nauigio Ionam deuoraret: in cuius stomacho tribus diebus, ac totidem noctibus delituit.

2. In illo autem angusto, obscœno, & horribili ventris secessu orauit Ionas ad Dominum.

3. Narrauit autem Ionas, postquam à vomente bellua expositus est in littore, quid sibi tam in ceti stomacho, quàm antè, quando deturbatus è naui, à fluctibus
D iactatus, ad imum vsque gurgitem demersus est. Et priùs illa commemorans, quæ passus est in mari, antequam exciperetur à bellua, in hunc modum ait: Cùm in eam tribulationem essem deductus, vt iam existimarem actum esse de me, cùm in gurgite non aliter iacerem, quàm in sepulcro,

clamaui

A clamaui tamen ad te, Domine, & preces meas ad aures, & ad animum tuum propitius admisisti.

4. Et proiecisti me in profundum in corde maris, & flumen circumdedit me: omnes gurgites tui, & fluctus tui super me transierunt.

4. Proiecisti me in aquarum abyssum, itaut vndecunque me aquarum immensa moles circunfunderet. Omnes fluctus occultósque gurgites æstuantis pelagi, in meum caput tumentes induxisti.

5. Et ego dixi: Abiectus sum à conspectu oculorum tuorum: verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum.

5. Cùm viderem ex illa pelagi profunda voragine, nullum patere ad salutem effugium, mecum ipse in summa desperatione dicebam: Auertit iam à me Deus misericordes oculos, paternam de me sollicitudinem abiecit. Post verò, cùm diutius traherem anhelantem spiritum, quàm de illo rerum conflictu sperari poterat, confirmaui me, ac dixi adeundum esse iterum templum Domini, vbi gratias pro liberatione debitas agerem, & concepta pro salute vota persoluerem.

B

6. Circundederunt me aquæ vsque ad animam: abyssus vallauit me, pelagus operuit caput meum.

6. Iam actum putabam de mea vita, cùm eò me fluctus adegissent, vt respirandi tolleretur facultas, & iam propè essem, vt exhalarem animam: circumuallabat enim me immensa gurgitis altitudo, & in caput meum totũ omninò pelagus incumbebat.

C

7. Ad extrema montium descendi: terræ vectes concluserunt me in æternum: & subleuabis de corruptione vitam meam, Domine Deus meus.

7. Impellentibus hinc inde fluctibus, ad illum locum appuli, vnde præalti attolluntur scopuli, qui erant quasi vectes, & claustra pelagi, quæ nauigantibus, aut naufragantibus opposita, illos ex alto enatare non sinunt. Descendi igitur ad illorum scopulorum radices, & fundamenta, vbi æternum mihi domicilium, atque sepulcrum futurum existimabam. Inde tamen, ô Domine, quod sperari posse non videbatur, subleuasti me, ne eo in loco demersus extinguerer, immisso ceto, qui me excepit, & quasi nauigio vectum in littus eduxit.

D

8. Cùm angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum: vt veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum.

8. Cùm verò in illo marinæ belluæ angusto, sordido, ac viuo hospitio diuersarer, & in statu longè miserrimo supra modum affligerer, me aliquantulum ex perturbatione pauoréque recipiens, recordatus sum Dei, ac speraui fore, idque ipsum à te Domine precatus sum, mihi vt liceret tuum obire templum, & tuam ibi potentiam agnoscere, & orando eximiam commendare clementiam.

E

9. Qui custodiunt vanitates frustrà, misericordiam suam derelinquunt.

9. Qui diis supplicant peregrinis, & frustrà post religiones vanas abducuntur, illi quod abs te clementer acceperint, neque curant, neque recordantur.

10 Ego autem in voce laudis immolabo tibi: quæcumque voui, reddam pro salute Domino.

10. Ego autem acceptæ abs te vitæ memoriam non deponam: sed lubens, & gratus, alacriter & promptè immolabo & soluam, quæ tibi pro salute mea vota nuncupaui.

11. Et dixit Dominus pisci: & euomuit Ionam in aridam.

11. Cùm illa Ionas maris, & ceti subiisset incommoda, præcepit Dominus pisci,

Digitized by Google

ci, vt creditum sibi Prophetam, tanquam depositum, integrum redderet. Ille verò nihil cunctatus, ex pelago in aridam ripam incolumem euomuit.

Verſ.1. *Et præparauit Dominus piſcem grandem, vt deglutiret Ionam.*]

Historia Ionæ a quibus iudicata fabuloſa.

1. HÆc historia variè à Gentilibus accipitur, variè exponitur, & à variis vario exagitatur conuitio: dum alij rem putant indignam Propheta, & reipſa indecoram, alij impoſſibilem: cùm non videant, quomodo integrum hominem, eundémque, vt apparet, non nudum à veſtibus piſcis vnus, quantumcunque grandis deuorare potuerit, neque triduano calore, quem feruentiſſimum eſſe oportuit, non ſuffocarit & extinxerit. Maxime cùm etiamſi abfuiſſent cætera, non tamen in ſtomacho marinæ belluæ, atque in profundo maris gurgite reſpirare potuerit. Neque præterea vident, ſi hoc quiſquam ſymbolum eſſe, aut parabolam vult, quidnam adumbret, quod ad mores formandos, vel ad aliquid occultum, & myſticum exprimendum conferat. Tractauit hanc quæſtionem Auguſtin. *tomo 2. epiſtol.49.* & Cyrill. *hic*, vbi multis docet, quæ hîc curioſa gentilitas, aut deridet, aut factu iudicat impoſſibile, celare in ſe auguſtiſſima, & maximè arcana ſacramenta, & habere vt fieri poſſint partim à natura, partim à Deo. Qui vt alia plurima ſupra naturæ vires operatus eſt, ſic etiam hæc non repugnante, ſed obſequente natura eadem, qua alia, facultate perfecit. Quare, aut reliqua omnia damnent, & reſpuant neceſſe eſt, in quibus audiant interceſſiſſe miracula, aut ſi illa probant, quod certe faciunt, non eſt cur iſta, à quibus vis quædam miraculoſa non abeſt, contemnenda, atque irridenda putent. Hæc tu apud Auguſtinum vide. Ego hîc addo, hæc vſqueadeo non diſplicuiſſe Gentilibus, vt illa ad ſuam fabuloſam Theologiam, & ſacra tranſtulerint. Nam, vt paulo antè *cap. antecedente* obſeruauimus, fabula Andromedæ & Perſei, ab hac hiſtoria vera & ſacra principium habuit. Quod verò de Hercule tradunt à piſce deuorato, qui ab illius ſtomacho nil paſſus eſt mali, præter capillorum aliqualem iacturam, quis dubitet ab hiſtoria Ionæ deriuatam. Hanc Herculis fabulam refert Lycophron, vt ait Cyrillus, cujus etiam meminit Theophylactus. Quare nó eſt, cur noſtra rideant, cùm non ipſi admodum diſſimilia à noſtris expreſſa quotidie legant.

2. Quis fuerit hic piſcis, Scriptura ſacra non explicat, tantùm dicit piſcem grandem: Septuaginta cetum eſſe dicunt, & Chriſtus apud Matth. cap. 12. *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus.* Sed cetus non eſt proprium alicuius generis nomen, ſed commune illorum, quorum magna eſt moles. Horum autem cum variæ ſint ſpecies, non eſt facile ſtatuere, ex qua fuerit ille, qui Ionam excepit, & vorauit. Sunt ſanè plurimi eius magnitudinis, vt longè maiora, quàm humana corpora deglutire poſſint, ac ſoleant. Vide Plinium *lib. 9. à capite 2.* in quo cùm ageret de piſcibus, quos Indicum alit mare, illis ineſſe dicit incredibilem magnitudinem. Auguſt. *epiſtola 49.* de qua proximè, Carthagine ſeruari ſuo tempore affirmat oſſa, ex quibus ille videbatur fuiſſe oris hiatus, quantus ſpeluncæ ſufficeret. De piſcium magnitudine alij ſatis multa, qui non ſingularem hominem ſolùm, ſed binos, ac ternos deuorare poſſent. Sanè ætate noſtra, in piſcium quorundam ventre inuenti ſunt homines integri, atque veſtiti, neque id rarò. Rondeletius balænam eſſe negat: quia, vt ex eius anatomia, ſeu diſſectione conſtat, illius fauces adeò ſunt anguſtæ, vt hominem capere non poſſint: imò, vt vulgus hominum putat, vnius tantùm mænidis capaces ſint. Putant autē piſcē illùm fuiſſe lamiam, cuius ea eſt capacitas, vt in eius ſtomacho loricati homines inuenti tradantur. Sed de hac re tam, opinor, Rondeletius, quàm alij diuinant: neque enim aliud habemus ex Scriptura, quàm piſcem eſſe grandem, aut, quod idem valet, eſſe cetum.

Cetus non proprium alicuius ſpeciei, ſed commune nomē multis.

Quis piſcis, qui deuorauit Ionam.

3. Illud hîc obſeruant Hebræi, piſcem illum grandem ab initio mundi fuiſſe creatum, vt eo articulo Prophetam exciperet, & in ventre ſeruaret, ac tandem triduanum in littus euomeret incolumem. Quaſi aut non eſſent plures aliæ cetorum formæ, quæ idipſum præſtare poſſent, aut Deus tunc non poſſet creare eius naturæ piſcem, per quem illud tantæ pietatis, atque iuſtitiæ negotium impleret. An in illud opus, a mundo conſtituto, marinum illud monſtrum conſeruandum fuit? Simile aliud figmentum planè delirum ſomniatunt, cùm penè à conſtitutione mundi, ſaltem ab Abrahami memoria, ſeruatum eſſe dicunt aſinum, qui portaturus eſſe dicitur Meſſiam, de quo Zacharias *cap. 9.* ita Abulenſis *in cap. 22. Geneſ.* Hieronymus ait præparatum eſſe piſcem, vel ab initio cùm conderet, nempe piſcem illum biennio, puta, antequam Prophetam deuoraret, quaſi illum, cùm primùm natus eſt, excipiendo, atque euomendo Prophetæ deſtinaſſet. Vel certè iuxta nauem fecit venire, vt præcipitem Ionam in ſuos reciperet ſinus, & pro morte præberet habitaculum: vt qui in mari ſenſerat Deum, propitium in morte ſentiret. Et hanc poſteriorem Hieronymi cogitationem magis probo.

Hebræorum fabula de ceto Ionæ.

4. Illud verò planè ridiculum, & dignum Rabbinorum cerebro, quod Rab. Salomon fabularum nugarúmque commentor excogitauit, vt apud ſuos aut gratiā, propter nouitatis ſtudium, aut doctrinæ, atque ingenij nomen, & opinionem iniret. Audi nunc, & ride pe[r]acre & dignum tanto auctore iudicium. *Prius*, inquit, *abſorptus fuit Ionas à piſce maſculo, in quo, cùm magis habitaret laxè, & minus incommodè, neque oraret, cùm minus illum vteri vrgerent anguſtiæ, iuſſit Dominus piſci maſculo, vt Ionam euomeret in os piſcis feminæ prægnantis, in quo locum inuenit anguſtiorem, vtpote occupatum à fœtu, & idcirco clamare cœpit ad Dominum, & orare.* En laudatiſſimi Hebræorum magiſtri explicationem, quæ neque in Scriptura, neque in Philoſophia, neque in mediocri aliqua coniectura fundamentum habet. Quis vnquam audiuit, in ſtomacho animalis concipi, aut contineri fœtum, vt propterea in fœta femina minus, quàm in viro ſit laxa ſtomachi capacitas. At eſt ratio me-

Hebræorum fabula de duobus piſcibus, qui Ionam deuorarunt.

lior. Priori loco, inquit, est דג *dag* generis masculini, quando dicitur fuisse in ventre piscis, posteriori verò דגה *dagah*, generis feminini, quando de ventre piscis orasse dicitur Deum. Sed non vidit Rabbinus iste דגה, vt mille constat locis, nomen esse vtrique generi commune. Sic sanè ex eadem gente sensit Rab. Dauid. Vnde Exod. 7. dicitur, *Et piscis, qui est in fluuio, moriatur.* vbi omne genus, & sexus piscium intelligitur: ibi verò est דגה. Adde quòd in fine capitis, piscis qui Ionam euomuit in aridam, non est דגה in terminatione feminina, sed דג in masculina. Eo autem tempore, iam in ventre piscis Ionas orarat. Quis non miratur in hoc Iudæo, cùm tanta incuria taceam audaciam, & tantum in eius sectatoribus stuporem, vt illius sapientiam tanquam diuinum aliquid admirentur?

5\. *Et erat Ionas in ventre piscis, tribus diebus, & tribus noctibus.*] Iam antè *prolegom.* 5. diximus, Ionam in multis typum esse Christi, sed in eo præcipuè, quòd tribus diebus, ac totidem noctibus in ventre ceti latuit, neque passus corruptionis aliquid integer ac vegetus in lucem rediit. An Ionas triduum totum, atque trinoctium, in ventre ceti, tanquam in quodam sepulcro fuerit, non constat. Sed hoc est magis verisimile: quia id sonat ipsa sacri textus litera, neque aliud apparet ex historia, quod huic cogitationi quicquam incommo-
C det. Solùm videtur obscurum, quòd Christus, cuius erat typus Ionas, non videtur tres integros dies, & totidem noctes integras fuisse in corde terræ, id est, in sepulcro, aut in Abrahæ sinu, vnde patres euocauit in lucem, quibuscum ad tem-
6\. pus vsque resurrectionis commoratus est. Omnes triduum istud, atque trinoctiũ Christi synecdochicõs accipiunt, ita ut partes dierum ac noctiũ, pro diebus ac noctibus integris vsurpentur. Et ita fortasse computandum est spatium illud, quod in magni piscis stomacho posuit Propheta. Quomodo dies isti ex suis cõpleantur, & numerentur partibus, vide *hic* Hieronymum, & Augustinum *lib. 1. quæstion. Euangelicarum, cap. 7. & epistola* 49.

Quomodo Ionas in ventre ceti, & Christus in corde terræ fuerint tribus diebus, & tribus noctibus.

D de qua suprà. Vide prætereà interpretes omnes in Matthæum, ad illud cap. 12. *Sicut fuit Ionas in ventre ceti, tribus diebus, & tribus noctibus: sic erit filius hominis in corde terræ, tribus diebus, & tribus noctibus.* Varij à variis adducuntur modi, quibus nodus dissoluatur longè difficillimus, quomodo in eo spatio, quod Christi corpus in sepulcro, & anima in veterum patrum sinu posuit, quorum vtrumuis appellari cor terræ potuit, tres numerari possint dies, & totidem noctes. lege Franciscum Suarez *tomo 2. in 3. part.* S. Thom. *quæst. 53. art. 2. disputat. 46. sect. 3.* vbi varias adducit expositiones, quarum illa mihi probatur maximè, quam ipse probat, cui ego aliquid addam, quod
E in re vsque adeò obscura tentare, neque audacis est ingenij, cùm id nemini persuadeam, sed tantùm aliis examinandum proponam, neque aliquid aggrediar, à meo instituto alienum. Et in re tanta, aliquid inuenisse verisimile, nonnullum habeat piæ operæ pretium.

7\. Putabam ego, cùm in hunc locum inciderem, quem ab aliis non ita videbam expeditum, vt in eo curiosus animus acquiesceret, aliter noctium & dierum spatia accipienda esse, atque numeranda, quàm communiter homines incipere solent, atque constituere. Quare neque diem putabam illud spatium, quod sol ad motum primi mobilis peragrat, & lustrat, cùm ad illud punctum vnde discesserat, vigintiquatuor horarum dimensione

A reuertitur, neque spatium illud, quod sol occasu suo, atque exortu definit. Vtroque enim modo non inueniebam, quomodo 36. horis quibus Christi corpus in sepulcro iacuit, aut quadraginta, quibus ipsius anima in limbo fuit, tres dies & totidem noctes impleri potuerint, aut imperfectè etiam notari, per synecdochen, cùm à parasceue ad Dominicam vsque Resurrectionis, duæ tantùm noctes numerentur.

8\. Quare mihi videbatur, ita esse dierum ac noctium spatia dispensanda, vt vnus dies à media nocte ad medium vsque diem produceretur, ita ut in spatio vigintiquatuor horarum, vna videlicet lustratione solari, duo essent dies, & toti-
B dem noctes. Quod ita colligo. Ab hora nona, in qua Christus est mortuus, ad Solis occasum, vnus est dies, licèt non integer, numerari tamen potest dies vnus per synecdochen. inde ad dimidiam noctem, vna nox est. inde ad meridiẽ Sabbati, vna dies, & vna nox: ab eo tempore ad mediã vsque noctem, quæ Dominicam diem, in qua Christus resurrexit, præcessit, dies altera, & nox ex quibus tres colligo dies, & totidem noctes. Nam ad mediam noctem, aut certè non multo pòst resurrexisse Christus existimatur. Hæc mea computatio est, & meo iudicio non difficilis. Nunc quæ me ratio in eam cogitationem adduxerit, paucis exponam.

C Primùm videbam ab antiquis solarẽ annum, quem sol, dum zodiacum lustrat, 360. diebus absoluit, & complet, in duos esse diuisum, ita Plin. *lib. 7. cap. 48.* vbi causam reddit, cur ex antiquis aliqui plurimos annos vixisse dicantur, quos nostræ ætatis homines longissimo spatio assecuti non sunt, & illam esse dicit, quòd aliter ac nos, annos ac tempora digesserunt. Alij enim, pro varia temporum inclinatione, trimestres, alij quadrimestres, alij semestres annos constituerunt. Et hi ex vno duos fecerunt annos. *Alij,* inquit, *annum æstate vnum determinabant, & alterum hyeme.* Quia videlicèt hisce temporibus magna fiebat, & Solis conuersio, & temporum inclina-
D tio. Ab eo enim tempore, in quo hyems incipit, id est, à bruma, quæ nunc in diem 21. aut 22. Decembris incurrit, à tropico videlicet Capricorni, reuertitur ad nos sol, ad æstatem vsque, id est, ad diem Iunij 21. aut 22. Et hæc Solis accessio vnum facit semestrem annum: cùm verò sol recedere à nobis incipit, & à Cancri rursus ad Capricorni circulum reuerti, alius constituitur semestris annus. 9.

Annus olim semestris.

10\. Ad hunc ego modum arbitrabar, ex vno die, quem efficit Solis vna conuersio, in quo 24. horæ numerantur, duos effici dies: vt enim sol accedens ad tropicum nostrum, vnum complet semestrem annum, & idem recedens ad oppo-
E situm axem semestrem alterum: sic idem sol diem vnum efficit, cùm à nostro meridiano circulo elongari incipit, donec longissimè à nobis circulum attingat illum, nempe qui directè meridiano nostro respondet, & noctem in spatia partitur æqualia, & diem alterum, quando ab eo circulo ad nos sensim incipit accedere, donec rursus ad meridianum vsque reuertatur. Porrò sicut naturalis dies, quam vna Solis ad idem punctum conuersio definit, noctem complectitur, & diem: sic etiam dies isti, quos accessus Solis, atque recessus partiuntur, suas quoque continent noctes, & dies: quia à meridie ad occasum, & inde ad mediam noctem, sol recedit, & à media nocte ad Solis ortum, & inde ad meridiem

Quomodo ex vno die fiant duo.

ridiem sol ad nostram regionem appropinquat.

11. Hæc mihi probabilia sunt, & fauet Ecclesiæ consuetudo, quæ priorem partem noctis præcedenti, posteriorem subsequenti diei, quasi propriam annumerat. Sic vigiliarum ieiunia, & festorum dierum celebritates ad mediam vsque noctem extendit: quia tunc præcedens desinit dies, & sequens incipit. Plura vide apud Franciscum Suarez suprà, qui non multum à nostra sententia atque explicatione dissentit. Hæc nos obiter pro nostro instituto. Illud addimus, nobis videri valde probabile, eodem modo numerandos esse dies, quibus in ventre ceti delituit, quasi sepultus Ionas, vt typus æquè rei significatæ respondeat. Imò & eodem tempore absorptum esse Ionam à ceto, quo Christus à morte, neque alio in aridam eiectum, quàm quo Christus fuit excitatus à mortuis: quo verò tempore resurrexerit, incertum est, alij enim media nocte putant, alij sub lucem: & hoc apparet verius, quia sic Ecclesia canit in quodam hymno illius festi. Illud omninò certum, eo surrexisse tempore, quod ad diem pertineret Dominicum: quare ante mediam noctem excitatus non est.

12. Vers. 2. *Et orauit Ionas ad Dominum Deum suum, de ventre piscis.*] Admirandum planè opus in eo periculo, atque in tam horribili secessu, non excidisse mentem Prophetæ, sed sui adhuc compotem orare potuisse. Quæ Dei singularis benignitas fuit, qui orandi non abstulit facultatem, & patientia, qui grauissimi sceleris reum non modò non demersit, sed etiam in marinæ bestiæ sinu, inter medios fluctus conseruauit incolumem, & quasi exceptum naui, tranquillo pelago deduxit in portum. An clamauerit Propheta sonante voce, aut tantùm affectu quodam ex dolore, ac perturbatione erumpente, dubitari solet. Hoc posterius videtur non improbabile, quia ex sacræ Scripturæ vsu, ille clamare dicitur, qui desiderat, aut tacitè secum efferuescit, & spiritu ad Deum, aut ad aliquem, à quo salutem, aut commodum sperat, attollitur. Affectu clamare dicuntur illi, ad quos Paulus Rom. 8. *Clamantes in cordibus vestris, Abba Pater.* Et Moyses *Exod. 14. vers. 15.* clamasse dicitur ad Deum, cùm tamen nullum illius verbum Scriptura aut dicat, aut indicet. *Dixitque Dominus ad Moysem: Quid clamas ad me?*

Vox interdū affectum significat.

13. Veruntamen verum esse clamorem arbitror, quia id litera sonat, & quominus clamare Propheta potuerit, nullum apparet impedimentum. Nam neque excidit Prophetæ mens: alioqui neque affectu & spiritu clamare potuisset. Neque defuerunt, quæ ad formandam vocem natura desiderat. Quis enim in stomacho, qui complexus est Prophetam, aërem fuisse neget, cuius spiratione sonus elicitur? aut alia in Propheta instrumenta naturæ, quibus finguntur soni, & animi sensus expressi panduntur.

14. Dixit quidem Ionas hæc, quæ nunc audimus, & illustrare commentatione contendimus: non tamen, opinor, eadem figura, aut genere orationis: neque enim hæc tam est oratio, prout primùm à Propheta habita, quàm narratio quædam historica, quæ qualis oratio fuerit, diuersa verborum forma demonstrat. Aliter enim aliquis orat, aut sermonem habet, aliter sermo ille, seu oratio narratur ab historico. Agit hic Ionas historicum, dum suam legationem, & naufragium narrat, & non solùm quid egerit, subieritque, sed etiam quid dixerit, exactè commemorat. Atque ideo rem narrat, quasi iam præteritam: quod licèt aliquando Prophetæ faciant, cùm de futuris rerum euentibus vaticinantur: at hìc duriusculè fit, vt vides, neque in alia cogitatione aliquid apparet durum, aut alienum.

Vers. 3. *Et dixit: Clamaui de tribulatione mea ad Dominū, & exaudiuit me.*] Hæc verba historico potius, quàm oratorio, seu precatorio modo repetita sunt à Propheta, postquam eiectus fuit à ceto, & in littore expositus. Cùm autem plurima obierit pericula, vt illa declinaret, sæpius in preces incumbendum fuit. Primum periculum fuit, cùm è naui deturbatus est: tunc verò clamasse videtur primùm, & huc spectant, opinor, prima hæc verba, quæ non tam orationem continent, vt vides, quàm orationem intercessisse significant. Deinde opinor iactatum aliquandiu fluctibus, & in profunda pelagi demersum: quò spectant eorum plurima, quæ in hac repetitione commemorantur. Ad extremum cùm iam à gurgite interitus immineret immissum esse piscem, quem Dominus in eum vsum præparauerat, est illi iamiam agenti animam fidelem in stomacho præbuisse custodiam. Hæc non difficile ex ipsa Prophetæ narratione intelliguntur, & optimè expediunt, quæ toto hoc capite videntur implexa. Quòd verò hæc verba dicta fuerint à Propheta, cùm è naui proiectus est in mare, antequam absorberetur à ceto, tenet hìc Hieronymus, & cum eo plures alij, Haymo, Remigius, Dionysius, Hugo, Ribera. Audi Hieronymum, & in eo hos, quos citaui modò, & alios, quos prudens omitto. *Indicans*, inquit, *nobis, quòd ex eo tempore, quo præcipitatus est in mare, vidisset cetum, & tantam corporis molem, & immanes rictus aperto se ore absorbere, Domini recordatus sit, & clamauerit, vel aquis cedentibus & clamore inuenienti locum, vel toto cordis affectu.* 15.

Commemoratio eorū, quæ propheta subiit antequam absorberetur à ceto.

Sed obstrepet aliquis, ac dicet, hæc omnia videri dicta fuisse priùs in ventre ceti, licèt postea, cùm emersisset, inde repeterentur à Propheta: quia id verbis expressis ab ipso Propheta videtur fuisse significatum, cùm ait: *Orauit Ionas ad Dominum Deum suum, de ventre piscis, & ait.* Ego ad hæc respondeo, primùm, quæ dicuntur in toto hoc capite, non esse orationem, vt cuilibet est promptum videre. Neque enim aliquid petit à Domino, aut dicit, quod aliquo modo ad orationem pertineat, sed totum narrat, quod ipse aut subierit, aut cogitauerit in illo suo horribili, & multis modis mirabili naufragio: aut certè pro beneficiis acceptis gratias agit, quòd oratio seu precatio propriè non est. Deinde illud *orauit* sumi potest pro plusquamperfecto, id est, orauerat, quod in Scriptura sacra sæpius occurrit, quasi dicas: Orauerat Propheta priùs in ventre ceti, petens videlicet liberationem ab impendente periculo, & deinde expositus in arida clamauit, & quid ipsi acciderit, in illo suo naufragio, confessus est. Adde quòd ex vsu Scripturæ, extrema tantùm commemorari solent, in quibus comprehenduntur, quæ illius sunt generis, etsi loco aut tempore diuersa. Quam regulam ex Augustino colligo lib. 16. de ciuitate, cap. 24. *Quod dictum est,* inquit, 16.

17.

REGVLA. *Scriptura extrema cōmemorare solet, in quibus continentur, quæ illius sunt generis, etiā si loco, aut tempore diuersa.*

inquit, *ad Abraham, sciendo scies, quia peregrinum erit semen tuum, in terra non propria, & in seruitutem redigent eos, & affligent eos quadringentis annis de populo Israel, qui erat in Ægypto seruiturus, apertissime prophetatum est. Non quod in eadem seruitute, sub Ægyptiis affligentibus, quadringentos annos ille populus fuerat peracturus, sed in ipsis quadringentis annis prænunciatum est hoc futurum. Quemadmodum enim scriptum est de Thara patre Abraha: Et fuerunt dies Thara in Charra* (sequitur hîc Augustinus L X X. versionem) *quinque & ducenti anni: non quia ibi omnes acti sunt, sed quia ibi completi sunt. Ita & hoc propterea interpositum est. Et in seruitutem redigent eos, & affligent eos quadringentis annis: quoniam iste numerus in eadem afflictione completus est, non quia ibi vniuersus peractus est.* Ad duo hæc Augustini exempla, addo ego tertium ex *lib. Iudicum cap.* 14. vbi cùm sponsa Samson in septendiali conuiuio, quatuor summùm diebus, cum lacrymis extorquere vellet problematis solutionem: neque enim prius sollicitare cœpit sponsum, quàm tres conuiuij dies essent transacti, tamen septem conuiuij diebus fleuisse dicitur, quia dum illa fleret, tempus illud septendiale completum est. Eodem, opinor, modo orasse dicitur Ionas in ventre ceti, cùm tamen aliquandiu extra ventrem orauerit: quia illius oratio, quæ propriè appellari potuit oratio, quæ ab afflicto animo nascebatur, in ventre vastissimæ illius belluæ completa est. Illud autem *& dixit* non refertur ad orationem, quam habuit Ionas in stomacho ceti, sed ad illa, quæ cùm ex illis angustiis emersisset, narrauit contigisse sibi, antequam deuoratus esset à ceto. Hæc ego putabam dici posse non inepte. Melius, opinor, alij: licèt minus, ni fallor, expeditè.

18.

19. *De ventre inferi clamaui, & exaudisti vocem meam.*] Infernus pro morte sumitur, & pro sepultura שאול *seol.* Hîc verò pro summo periculo adhibetur, & omittitur similitudinis nota. Quare sensus est: cùm in eo essem rerum articulo, vt actum iam putarem esse de me, quasi iam essem in sepulcro, aut in inferno loco, siue ille esset Abrahæ sinus, & iustorum hospitium, siue æternus damnatorum carcer, aut certè de ventre ceti, quem sic intuebar, atque si sarcophagus foret, aut sepulcrum, tunc clamaui: neque irritæ fuerunt preces meæ, aut inutiles lacrymæ. Venter in Scriptura pro sinu ponitur, pro loco videlicet occulto, in quo aliquis clauditur, qualis est fouea, vbi quis latet, aut locus quocunque modo clausus, qui communiter appellatur medius, qualis est abyssus, aut centrum in circulo. Ad hæc omnia patet hic locus, neque promptum est coniectare quid maximè designet.

Ventris varia significatio.

20. Vers. 4. *Et proiecisti me in profundum, in corde maris.*] Illud *&* causaliter accipio, sicut alibi in Scriptura millies. Quod si ita est, rationem reddit Propheta, cur de fati faucibus ereptus, aut de sepulcro videri potuerit extractus, quia in profundum pelagi coniectus est, vnde nullum omnino apparebat effugium, quare iam in mortuis numerari poterat. Cor quia medium est in animali, pro ea parte metaphoricè ponitur, quæ in quocunque corpore eo loco ponitur, vnde ad extrema quoquò versus æquale spatium est, sicut eandem ob causam à Græcis ὄμφαλος, & à Latinis *vmbilicus* id significat, quod simpliciter appellatur medium, quales sunt in sphæra poli, aut in circulo centrum. Nihilominus cor in Scriptura aliquando ponitur pro re interna, quæ

Cor pro medio, aut pro eo, quod interius est.

A vndecunque clauditur, tametsi procul absit à centro. Quomodo *Ezechiel. cap. 27. vers. 4.* Tyrus in corde maris dicitur sita, cùm tamen esset adiuncta littori, & aliquando industria hominum facta peninsula, quia vndique tunc cingebatur à mari. Porrò cor cum mari sæpe coniungitur, & illius profunditatem significat, atque complexum, quocunque in loco sit. Quare cùm in cor maris transferendi dicuntur esse montes *Psalm.* 45. non dicuntur in eam partem esse coniiciendi à qua æqualiter distant extrema, sed simpliciter obruendi fluctibus. Hæc verò spectare videntur tempus illud, quod intercessit inter expulsionem è naui, & deuorationem à ceto, vt indicant non
B obscuræ, quæ proximè succedunt.

Et flumen circumdedit me: omnes gurgites tui, & fluctus tui super me transierunt.] Tametsi hæc frequentes alij de Iona in ceti stomacho concluso interpretentur, à quorum ego sensu non abhorreo, tamen multa in eam sententiam non tam veniunt vltrò, quàm trahuntur inuita. Neque enim à flumine dici potest circũfusus ille, qui à belluæ potiùs circunfunditur stomacho, neque trãsisse fluctus super eum, quẽ nullo modo potuerũt attingere, vtpote optimè à firmissimo quodam aggere vallatum. In eum verò, qui in mari est, & à fluctibus exagitatur, bellè hæc omnia, & aptissimè conueniunt, dum à flumine circundatus Propheta dicitur, iuxta littus iactatus existimatur, in
C quo flumen erat. Sed vbi flumen prope Ioppen, qui in pelagus influat, & in profunda demersum Prophetam circundet? Sed flumen, aut idem est quod fluctus, aut locus aliquis in mari, qui more fluminis decurrit, qui Euripi dicuntur, & ab illis qui Mediterraneum, & Boreale nauigant mare, multis in locis deprehenduntur. Est autem Euripus: vnde alij aquarum decursus, atque impetus, & ea pars maris, quæ instar torrentis præceps euoluitur, nomen sumpsere, de quo Pompon. Mela lib. 2 cap. 7. *Euripum vocant rapidum mare, & alterno cursu septies die, ac septies nocte fluctibus inuicem versis adeò immodicè fluens, vt ventos etiam ac plenis velis nauigia frustretur.* 21.

Euripus quid.

D Vers. 5. *Et ego dixi: Abiectus sum à conspectu oculorum tuorum.*] Explicat quo animo fuerit, quo tempore in mare deiectus est, cùm fluctus videret, & cetum, & altam pelagi voraginem, vnde videbat omnes sibi ad salutem aditus occludi. Tunc autem illa subiit cogitatio, desertum se à Deo, & traditum esse mari procelloso, atque immani ceto, à quibus sperare nihil poterat, præter infaustam mortem, illámque certissimam. *Abiici à conspectu Domini,* idem est, atque à Domino deseri, & ab eius beneuola prouidentia destitui. Sicut videre aliquem, aut ponere super illum oculos, aut faciem, animum significat infensum, qui alium aut contemnit, aut certè veluti alienum, neque curat, neque dolet, si quicquam illi
E contingat aduersi, imò de illius exultat, atque triumphat infortuniis. De priori est illud Psalmi 79. *Manifestare coram Ephraim,* &c. Alij legunt, *Appare coram.* Quid verò sit apparere, seu manifestare se alicui, statim explicuit, dum ait: *Excita potentiam tuam, & veni, vt saluos facias nos.* Et rursus ibidem, *Deus conuerte nos, & ostende faciem tuã, & salui erimus.* Eodem sensu dicitur Psal. 66. *Illuminet vultum suum super nos.* & Psal. 118. vers. 135. *Faciem tuam illumina super seruum tuum.* De priori est illud Deuteron. 32. vers. 19. *Abscondam faciem meam ab eis.* Iob 30. vers. 24. *Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum?* Idem est prorsus 22.

Abiici à conspectu alicuius, id est, deseri.

tized by Google

prorsus ab oculis, seu à conspectu suo quenquam proiicere. Idem quod nunc de seipso meditabatur Ionas, cogitabat olim Cain Genes. cap.4. *A facie tua abscondar, & ero vagus, & profugus.* quasi desertus à Deo, & traditus belluis, aut hominibus infestis, & fraternæ cædis vltoribus.

23. *Verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum.*] Hic per zeugma subauditum est *dixi.* Dixerat priùs, cùm mare videret altitudinis immensæ, & à tempestate horridum, iam Deo de sua salute nullam esse curam, postea verò cùm reipsa experiretur mare magis esse beneuolum, & in ceti stomacho fidele potius hospitiũ inuenisse, quàm immane barathrum, concepta iam spe libertatis, & ab illo metu, atque angore recreatus dixit, *Verumtamen videbo sanctum tuum,* nempe templum, à quo in æternum ex illa die existimabat exclusus. Fortasse in his verbis aliquod Propheta nuncupat votum, quod in templo persolueret, si ex illo periculo liberari contingeret, quod esse nauigantibus vsitatum valde, iam à nobis declaratum est. Quasi diceret: Videbo templum, sed non vacuus, sed oneratus donis, quibus debere me tibi vitam meam, publica & legitima quadam forma profitear.

24. Vers.6. *Circumdederunt me aquæ vsque ad animam.*] Hæc non bene conueniunt in Ionam, quando clausus in vtero belluæ tenebatur: neque enim tunc illi præclusuræ videbantur animam, & allaturæ mortem, cùm ab illis esset vasta belluæ mole, tanquam opposito aggere defensus. Perire quidem posse videbatur à calore belluæ, aut quia vitalem aut frigidum aërem attrahere aspirando non posset, non obrutus aut suffocatus ab aquis, quas ea copia non exorberet cetus, vt totam stomachi cauitatem implerent. Illud *vsque ad animam* idem est, quod vsque ad mortem, supplendum tamen, agendam, aut efflandam, aut quid simile. Eodem dicendi genere vsus est Dauid, in Christi tamen persona, Psalm.68. *Saluum me fac, Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.*

25. *Abyssus vallauit me, pelagus operuit caput meum.*] Licèt abyssus maris profunditatem, immensámque voraginem significet, tamen interdum ipsam gurgitis molem, quæ vastos pelagi sinus implet, significat. Ingens itaque aquarum moles, & impermeabilis abyssus circumuallauit Ionam, vt quamcunque in partem niti vellet, moles occurreret ingens aquarum, quæ aut spiritum negaret, aut locum securum, & solidum, vbi in illa iactatione subsisteret.

26. Vbi vulgatus, *pelagus operuit caput meum,* Hebraicè est, סוף חבוש לראשי *suph chabus lerosi.* quod variè à variis redditur. Tigurina, *carectum implicitum erat capiti meo,* Septuaginta, *intrauit caput meum in scissuras montium,* Chaldæus, *Mare & carectum suspensum est super caput meum:* aliter, *Mare carectosum suspensum est super caput meum.* Ex his translationibus multiplex est ab aliis informata sententia. Vox Hebræa סוף apud quosdam alga, apud alios carectum, aut iuncus, quæ herbæ sunt palustres, & in littore plerunque, aut in ipso aquarum alueo nascuntur. Qui ita indicant, caput Ionæ obuolutum esse dicunt, & opertum carice, aut alga, aut quia, cùm esset ad fundum vsque pelagi demersus, inde traxit marinam algam, qua seipsum obuoluit, dum in illo herboso maris fundo luctabundus huc se, atque illuc assiduè conuertit. Aut certè si id accidit, quo tempore in marinæ belluæ stomacho claudebatur

A Ionas, ibi multam reperit algam, aut marinam herbam, quibus caput suum obuoluit & impediit. Si algam esse aut palustrem herbam fateamur, ego potius crederem, algam illam collegisse Ionam ex maris fundo, vbi cum morte colluctatus seipsum variè volutabat, quàm ex ceti stomacho: licèt hoc posterius non videatur incredibile, cùm pisces pascantur etiam herbis, & magnum in huius stomacho aceruum fuisse verisimile sit.

Alij in סוף mare rubrum accipiunt, quod *ἀντονομαστικῶς* mare suph appellatur, id est, carectosum, quia carecto abundat, & marino siue frutice, siue herba. Sic sanè docet Plin. lib.2. cap.53. 27.

In mari rubro varij frutices.

In rubro, inquit, *mari olea, virentésque frutices enascuntur.* Et latiùs lib.13. cap.25. sed non video
B quomodo, aut tempestate Ionas, aut in ventre ceti, tam breui spatio, triduano videlicet, deferri potuerit, præsertim si verum statuamus, quod suprà nobis verisimile visum est, tres illos dies & totidem noctes integros non esse, sed dimidio minores, itaut non fuerit Ionas in ceti stomacho diutius, quàm Christus in corde terræ. Cùm enim à ceto totum Mediterraneum pelagus esset peragrandum, & per Gaditanum fretum in Oceanum erumpendum, & tandem longè capto circuitu per Atlanticum pelagus vastissimi Oceani spatia superanda, incredibile videtur omninò, eo vsque tardum, & vastum animal, spatio vsque adeo breui penetrare potuisse.

C Quare aliter ego hunc locum accipio, etiamsi mare suph, aut carectosum illud esse putem, in quo Ionas, aut iactatus est fluctibus, aut in vêtre ceti nauigauit. Primùm, quia licèt mare rubrum *ἀντονομαστικῶς* mare dicatur suph, aut carectosum, non tamen ideo alia maria ea compellatione priuanda sunt, cùm ipsa etiam carectum alant, & marinas herbas, vt vident quotidie, qui descendunt mare in nauibus facientes operationes in aquis multis. Certè Plin. *lib.13. cap.25.* plurima enumerat maria, vbi prata sint, & syluæ. *Nascuntur,* inquit, *& in mari frutices, arborésque minores in nostro. Rubrum enim, & totus Orientis Oceanus refertus est syluis.* lege totum caput. Quare alia etiam 28.

Maria syluas alunt occultas.

D maria vocari possunt carectosa. Neque Aristoteles ita sibi Philosophi nomen vendicauit, aut Paulus Apostoli, vt non etiam alij Apostoli dicantur, & Philosophi.

Sed placet magis illa explicatio, quam adduxi priùs in meis commentariis ad illud Zachar. 29. cap.10. vers.11. *Et transiet in maris freto.* vbi dixi transitum sicco vestigio filiorum Israel per mare rubrum, prouerbiali specie sumi pro maximo beneficio, & contra Pharaonis exercitum in eodem mari fluctibus obrutum, pro maximo periculo: &, vt in prouerbiis, quæ à similitudine, siue exemplo deriuata sunt, subaudiri solet simi-
E litudinis forma, sic eo etiam loco subaudiri oportere. Quare tunc ita Ionæ locum exposui, Ionas non aliter demersus fuit in mari Mediterraneo, quàm olim Pharao, & illius exercitus in mari rubro.

Hæc iuxta translationes alias. Noster *Pelagus* 30. transtulit, aut quia sententiam magis spectauit, quàm verba, quod sæpe facit, sicut etiam alij interpretes boni, cùm alga, & marini iunci, aut palustres herbæ in ipso maris fundo reperiantur, atque ideo ligare, aut operire caput nequeunt herbæ illæ marinæ, nisi ipsum mare caput operiat. Aut certè per metonymiam, species pro genere posita fuit, vnum videlicet certum ac no-

Digitized by Google

tum mare, pro mari simpliciter. Quomodo Horatius *lib. 1. ode 1.* Mirtoum mare, & iterum Icarium, pro mari absolute posuit.

31. *Hebræorum fabula de ceto Ionæ.* Hîc Rab. Salomon aliquid suo more nugatur, dicitque Deum ostendisse Prophetæ, cùm adhuc clauderetur in ceto mare rubrum, & quomodo illud Hebræi quondam transmisissent incolumes, eo fortasse consilio, vt concepta ex parentum exemplo liberationis spes, mœrentem solaretur animum, & in illo præsenti periculo sustentaret. *Habuit*, inquit, *piscis ille septem oculos, qui Ionæ totidem fenestrarum vsum præbuerunt, & per illos contemplatus est, quicquid erat in mari.* Quis non miretur à quoquam tam ineptam fabulam potuisse confingi, & esse aliquos, qui hæc somnia amplectantur, & probent, & aliis tanquam oracula quædam fidei indubitatæ commendent?

32. Vers. 7. *Ad extrema montium descendi, terræ vectes concluserunt me in æternum.*] Adhuc, opinor, iactabatur fluctibus, aut naufragabatur Propheta nequedum absorptus à pisce, quasi scapham inuenerat, quæ ad portum deduceret. Orta fuit tempestas non procul ab Ioppe, vnde nauis soluerat. *Ioppe, portus que descriptio.* Ioppe porrò & littus illud, quod latè in vtrunque latus Ioppe despectat, horret prominentibus rupibus, ad quas naufragi tutò enatare non possunt. Quod tradidit Hegesippus de bello Hierosolym. lib. 3. cap. 20. *Res*, inquit, *postulare videtur, situm littoris eius, quo prætexitur Ioppe, breuiter exponere: vt quemadmodum sine vllo prælio prædictæ vrbi secunda clades fuerit, liquidò manifestetur. In portu est... ciuitas, cuius ab ora maris littus asperum directúmque, sed cornibus vtrinque leniter inflexum, in quibus profundæ rupes, saxaque ingentia, quæ mari prominent: & cùm de uno mari surgant, in mare excurrunt tamen: vnde etiam Andromedam illic fuisse, cùm ceto obiectaretur, formæ locorum, atque ipsa rerum species prodere videntur, non mediocrem vetustis fabulis fidem accommodantes.*

33. *Ionæ historia postquã est in mare deturbatus.* Ex his aliqua lux affulget historiæ, non leuiter obscuræ. Cùm cecidit è naui Ionas, antequã exciperetur à pisce luctatus aliquandiu cum fluctibus, ad abyssum descendit, ad illam videlicet partem, vnde erumpunt & attolluntur scopuli, qui littus illud inaccessum reddunt, vt modò dicebamus. Illa verò profunditas extrema montium appellantur, quia fundamenta, siue radices sunt illorum montium, seu scopulorum, qui littus reddunt intractabile, & asperum. Qui etiam dicuntur vectes maris, aut repagula, quæ marinas cohibent aquas, neque exundare sinunt: sicut etiam vectes & ianuæ in claustris cohibent homines, neque inde in publicam ac liberam lucem exire patiuntur. Descendit ergo ad illas scopulorum radices, & sedes, id est, venit ad littus, à quo sperari poterat salus è naufragio: sed ibi occurrerunt scopuli acuti, atque asperi, qui quasi vectes forent, aut claustra maris, non permiserunt illum enatare è pelago: vnde coniectabat Propheta eo in loco omnino sibi fore pereundum, atque adeò ibi habiturum esse sepulcrum. Quæ æterna vocatur domus, aut certè *domus æternitatis*, vt Eccles. cap. 12. vers. 5. Aut quia quæ diuturna sunt, ex vsu Scripturæ appellantur æterna, quale est sepulcrum, quod mortuus ad finem vsque mundi non deseret: aut quia eiusmodi est, vt si naturæ facultatem consideres, æternum sit futurum habitaculum: quia homo seipsum ex illo suscitare non poterit. Miserabile planè spectaculum hominem videre, qui postquam ad portum appulit, longè iactatus atque

A fractus conflictu, aut scopulorum opposito, clausum adhuc inuenit mare, aut à portu ab hostili manu ad fluctus iterum, & ad ea quæ declinasse videbatur pericula repellitur. Ex hoc loco *πάθος* quæsiuit Maro lib. 6. Æneid. vbi in hunc modum Palinurum loquentem inducit.

Treis Notus hibernas, immensa per æquora, noctes
Vexit me violentus aqua, vix lumine quarto
Prospexi Italiam, summa sublimis ab vnda
Paulatim adnabam terræ, & iam tuta tenebam:
Ni gens crudelis madida cum veste grauatum,
Prensantémque vncis manibus capita aspera montis,
Ferro inuasisset.

Et sublenabis de corruptione vitam meam, Domine 34.
B *Deus meus.*] Vbi vulgatus *subleuabis*, Hebr. est ותעל *vataal*, quæ vox licèt sit in futuro, tamen propter vau cõuersiuum tempus designat præteritum, itaut subleuatum se à Deo Propheta referat: & ita interpretes alij, per præteritum vertunt subleuasti, eduxisti, emergere fecisti. Hoc verò tunc accidisse arbitror, cùm piscis ille cetaceus Ionam absorbuit, eo videlicet tempore, cùm demersus in profundum, ad radices scopulorum delatus est, qui vasta atque aspera mole, quasi aggere posito, spem illi omnem eripuerunt emergendi. Fuit autem piscis ille Ionæ, quod natator strenuus, aut vrinator illi, qui in mare decidit, imperitus natandi, quíque iam eò ad-
C ductus est, vt nisi opportunus ille auxiliator accurreret, statim esset occlusis faucibus animam acturus: quem apprehensum, vi ad summas aquas euocat, & in littus educit. Sic sanè Deus, in angustissimo illo rerũ articulo, misit piscem, non tam vt voraret, atque torqueret Prophetam, quàm vt eriperet ex corruptione, & morte, quam vitare non poterat, & in stomacho laxo & spiritum præberet vitalem, & spirandi facultatem. Hæc mihi minus videntur impedita, quàm quæ ab aliis afferuntur, fortasse fallor: & probat quod sequitur statim.

Vers. 8. *Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum.*] Hîc iam significat, opinor, 35.
D quid Propheta passus est, postquam deuoratus à ceto, & in illas stomachi sordidas angustias exceptus est. Tunc enim respirare cœpit, ita tamen vt angeretur animo, cùm videret angustum esse viuum, & sordidum hospitium, possideri se à bellua, nequedum esse extra pelagus, aut extra naufragij mortísque periculum. Quare cùm se nonnihil ex priori perturbatione recepisset, orauit ad Dominũ, sicut suprà anticipata per prolepsin narratione dixerat, *vers. 2.* Quid autẽ orauerit, non dicit Propheta, neque explicare admodũ necessarium fuit, cùm ex circunstantiis & statu illo longè miserrimo, cuilibet coniectare difficile
E non sit. Orasse verò toto illo tempore, quo fuit in ventre ceti, ipsa mœrentis ac trepidantis animi necessitas suadet, quæ elingues & stolidos disertos facit, & oratores, & compungit, ac sollicitat illos, qui nullam antè suæ ipsorum salutis curam habuerunt.

Vt veniat ad te oratio mea, ad templum sanctum tuum.] Vbi vulgatus, *vt veniat*, Hebr. est ותבוא *vatabo*, quod alij per præteritum explicant, *& venit.* 36.
Est autem hoc hemistichium explicatio prioris. Recordari enim Domini idem est, atque orare ad Dominum. Hæc porrò oratio facta fuisse dicitur ad templum Domini, siue per templum cælum intelligas, quæ illustrissima Domini sedes est, siue templum Solymitanum, ad quod animo se ac spiritu conuertebat Ionas, quando aliter *Iudæi orantes ad templum conuersi.*

non

non poterat; quia ibi quasi legitimè orare consueuere Iudæi, aut si quãdo ab Hierosolymis abesse contingeret, ad templum faciem conuertebant. Quod certè ex illius gentis, vt arbitror, more faciebat Daniel, qui *cap.6. vers.10.* ingressus domum suam,& fenestris apertis in cœnaculo suo, contra Ierusalẽ, tribus temporibus in die flectebat genua, & adorabat. Tunc verò cùm oraret,aliqua etiam nuncupasse vota,quod nauigantes solent,cùm ante oculos obuersatur mors, ex his quæ mox succedunt, manifestè liquet.

37. Vers. 9. *Qui custodiunt vanitates frustrà, misericordiam suam derelinquunt.*] A comparatione dissimili probat Propheta,se nunquam, aut acceptæ misericordiæ, aut nuncupati voti futurum immemorem, sicut faciunt, qui idola colunt, & illis in periculis supplicant: qui cùm in promittendo prolixi sint,& liberales,in exoluendis tamen votis parci sunt, imò illorum omninò religionem & curam abiiciunt. Custodire vanitatem, nihil est aliud, quàm diuinos honores idolis, id est, ligneis, marmoreisue simulacris impendere,quæ in Scriptura sæpe mendacium, & vanitas appellantur. Misericordiam hic si actiuè sumas, sensus erit. Obliuiscuntur Gentes misericordiæ, id est, voti, quod pro accepta misericordia soluere debuerunt. Quod fortasse fecere Gentiles illi nautæ, qui proiecto in pelagus Iona, mare habuerunt à Domino tranquillum: si verò passiuè, quod fortasse verius, significantur Gentiles obliuisci soliti eius misericordiæ, quam acceperе: atque ideo de agendis pro misericordia gratiis, aut nihil, aut parum laborare.

38. Vers. 10. *Ego autem in voce laudis immolabo tibi quæcunque voui.*] Hæc aperta sunt. Dicit enim Propheta, longè aliter se facturum: neque enim contemnet vota, neque illa pigritanter, aut dolenter exoluet, sed alacriter, & promptè. quod, vt opinor, indicat vox laudis:quæ enim laudando, aut cantando facimus, illa aut facimus, aut significamus nos facere non illibenter. Sic sanè Hispanus,cùm significat se aliquid facturum,sine vlla molestia, hoc ferme modo explicare solet, *cantando faciam.*

39. Vers. 11. *Et dixit Dominus pisci, & euomuit Ionam in aridam.*] Hactenus narratum est à Propheta, quid acciderit toto trinoctio, ac triduo, id est, toto tempore, ex quo eiectus fuit è naui, donec à ceto expositus fuit in arido littore. Nunc addit, quid in illa, siue nauigatione, siue naufragio ad extremum contigit; nempe à ceto bona fide seruatum esse Prophetam, & redditum sartum, & tectum illi, à quo creditum accepit depositum illud. Quem in locum Ionas fuerit eiectus, incertum est. Quidam expositum esse dicunt, in maris rubri littore. Sed id mihi probari nunquam potuit. Alia mihi magis videntur ad veri speciem, & similitudinem accedere, licèt non omnino placeant. Iosephus *lib. 9. Antiquitat. cap. 11.* ad Euxinum pontum dicit esse deductum: cuius sententiam probat Sigonius, in commentariis sacræ historiæ Seueri Sulpitij,& Isidorus.Seuerus autem Sulpitius, ad littus Niniuæ dicit eiectum. Sed vbi littus Niniuæ, cùm longissimè absit à Mediterraneo vbi nauigabat cetus? Vbicumque Ionas vomitione redditus, non potuit non habere spatij plurimum, quod ad Niniuen vsque peragraret,cùm à mari abesset quàm longissimè. Verisimilius est, delatum esse Prophetam à ceto, tanquam à naui quadam, in illud littus, quod propiùs abesset à Niniue, vt minus esset laboris sumendum à Propheta, in conficienda via. Neque est improbabile ad Palæstinæ littora fuisse reuocatum,non longè ab eo loco, vbi deuoratus est à ceto: neque enim est verisimile, discessurum esse piscem procul ab ea statione, quam sibi habuerat familiarem, & notam. Fortasse relatus est ad illum locum, vnde in nauim ascenderat, vt eòdem retraheretur à tempestate, & ceto fidelibus Dei lictoribus, ac ministris, vnde ipse à communis Domini imperio & domo fugitiuus abierat. Neque magis certum quota hora de ventre ceti, quasi rediuiuus exierit:mihi rationi videtur consentaneum vt figura cum veritate conueniat, ea hora emersisse è suo quasi sepulcro Ionam, qua Christus à mortuis excitatus est: sub mediam videlicet noctem aut non longè ante lucem: de hoc enim inter doctiores controuersia est, & nos aliquid diximus suprà *vers.1.num.4.*

In quem locum eiectus Ionas à ceto.

Quota hora redditus à ceto.

40. Illud pro moribus obseruandum. Quæ nobis videntur instar esse mortis, esse ad vitam, aut vnicum, aut singulare subsidium: qualis est carcer,qui manus à rapina, & pedes retardat, & cohibet ab incessu turpi. Et Regularum claustra, quæ sæcularibus instar videntur habere mortis, perfugium sunt, & portus, in quibus ipsi religiosi securi, in æstu ac salo alios naufragantes aspiciunt. Fuerunt in arca animalia conclusa, paulò antequam generale diluuium terram inundaret. Quis cum illis animantibus non putaret actum esse durius, cùm alia libero fruerentur spiritu, & incessu vago, ipsa verò angusto tabulato conclusa, vitam actura viderentur captiuam, & tristem? At illa, quæ videri captiuitas potuit,& angusta custodia, vitam conseruauit extra fluctus, quam alia in mediis fluctibus amiserunt. Periisset Ionas, dum vagus erraret inter vndas, sed belluæ stomachus, quasi carcer, & claustrum vendicauit à morte. Subduxisset se Deo, si tranquillum habuisset mare, & nauigatione secunda venisset in Tharsis:at vehemens tempestas illum reuocauit ad Deum. Planè melior, & longè optabilior tẽpestas dura, quàm mollis atque sedata tranquillitas. Quæ sententia non solùm apud sacros, sed etiam apud profanos frequenter occurrit. Pro omnibus, vnum accipe Senecam, qui periculosam interdum tranquillitatem esse putat. Sic enim ep. 63. *Occurrit*, inquit, *mihi Demetrius noster, qui vitam securam, & sine vllis fortunæ incursionibus, mare mortuum vocat. Nihil habere,ad quod exciteris, ad quod, cuius denunciatione, ac incursu firmitatem animi tui tentes,sed in otio inconcusso iacere,non est tranquillitas, malacia est.*

Quæ angusta videtur & dura, idonea sunt salutis nostra subsidia.

41. Aliud ex historia morale documentum habes apud Chrysost. *tom. 4. homil. 25. de amore proximi:* vbi quid spectare debeat Propheta, aut vir Apostolicus,egregiè docet. *Tu igitur*, inquit, *mi frater quamuis fame cõficiaris, quãuis semper lacrymis madeas, & nihil cuiquã proficias,nihil magnum facis. Etenim antiquitus magnis,& generosis illis viris, hac maxima cura erat, vt summa cum diligẽtia,aliorum vitam disquireret, & manifestè cognosces, nullum eorum ad suam vnquam respexisse vtilitatem,sed proximi vnumquemque. Quamobrem maiorem in modum claruerunt.* Et adducit exẽplum magni Prophetæ, ac ducis Moysis, cuius dicit maiorem fuisse gloriam ab ea voce,qua deleri dixit velle se de libro viuentium, pro populi salute, quàm ab illis omnibus, quæ prodigiosè, tam in Ægypto,quàm in deserto patrauit.Et Dauidis, qui à populo in seipsum supplicium auertit,2. Regum,cap... & aliorum. Pòst verò addit,

Neque charitas, neque vir Apostolicus, sua quærit commoda, sed proximorũ salutem.

Qui autem sibi tantùm consulunt, considera quantum acceperint detrimentum. Fratris Abrahæ filius Loth, cùm audiuit: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam, optione accepta suam quæsiuit vtilitatem, quam non modò non inuenit, sed ipsa quoque regio est incensa. Quæ autem Abrahæ obtigit, incolumis seruata est. Adhæc Ionas, non aliis, sed sibipsi prospiciens, penè periclitatus est, & ciuitas conseruata: ipse verò agitatus, iactatus, & obrutus est fluctibus: sed cùm multitudinis saluti inuigilauit, suam inuenit. A

Malè mulctati, qui aliorum cõtemptis, sua quærunt cõmoda.

43. *Nõn temere in alios animaduertẽdum.*

Aliud adhibet documentum, quod à profanis accipere debet vir Apostolicus: nam illi nautæ, ne Ionam occiderent, sed à tempestate liberarent, vitam suam certissimo obiiciunt periculo, & nauem iamiam impendenti naufragio. At Ionas, cùm iuberetur amplissimæ ciuitatis innumeram multitudinem à morte seruare, ne molestiã aliquam ex eo ministerio subiret, aut falsus haberetur Propheta; si propheticæ minæ prædictum exitum non haberent, suæ consuluit commoditati, ac famæ, & alienam prodidit, neque vnus pro multis subire voluit, quod non recusarunt sustinere multi Gentiles, pro vnius anima, quem tamen fugitiuum agnouerant. Sed cùm vitam suam obtulit fluctibus, & ne perirent cõuectores sui, perire ipse voluit, tum Prophetæ personam egit, antè verò hominis: imò aliquid tunc infra hominem ausus est. Sic autem de illo Chrysostom. homil. 1. de patientia, tom. 5. *Tu autem quemadmodum fugientem vidisti Prophetam, audi eum & confitentem, &c. Illud quidem veluti homo passus est, hoc verò quasi Propheta ostendit.* Lege totam homiliam, in qua Chrysostomus hoc tradit documentum egregium.

IN CAPVT TERTIVM

ARGVMENTVM.

MITTITVR *Jonas secundò in Niniuen, neque datum sibi negotium, sicut antea, detrectat. Qui cùm exactis diebus quadraginta euertendam esse Niniuen prædicasset, ea consecuta est & conturbatio vrbis, & vitæ mutatio, & pœnitentis populi inaudita species edicto regio, ac publico promulgata, vt paratum ab offenso Domino supplicium à suo capite depulerint.*

CAPVT III. — PARAPHRASIS.

A

1. *ET factum est verbum Domini ad Ionam secundò, dicens:*

1. LOcutus est autem secundò Dominus Ionæ, dixitque ad illum:

2. *Surge, & vade in Niniuen ciuitatem magnam: & prædica in ea prædicationem, quam ego loquor ad te.*

2. Age, ô Iona, & in Niniuen ciuitatem copiosam, & lautam proficiscere, & illi denuncia quodcunque à me verbum, & mãdatum acceperis.

3. *Et surrexit Ionas, & abiit in Niniuen iuxta verbum Domini: & Niniue erat ciuitas magna itinere trium dierum.*

3. Paruit Propheta statim verbo Dei, & in ciuitatem suæ prædicationi destinatam iter arripuit. Erat autem Niniue ciuitas amplissima, quanta non minus triduano itinere, ab altero in alterum extremum, permeari posset.

4. *Et cœpit Ionas introire in ciuitatem itinere diei vnius, & clamauit, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.*

4. Cùm autem tantum ciuitatis spatiũ percurrisset, quantum vno die posset à viatore percurri, clamare cœpit, ac denũciare populo, exactis quadraginta diebus, impendere extremum ciuitatis exitium. B

5. *Et crediderunt viri Niniuitæ in Deum: & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis à maiore vsque ad minorem.*

5. Tunc verò concionante Iona, & Dei nomine cælestes iras denunciante, conterriti Niniuitæ crediderunt in Deum, & præconis voce publicum ciuibus indixere ieiunium: qui mandatum illud libenter amplexi, à maximo & summo, ad minimum atque postremum, induti sacco acceptum à Senatu ieiunandi præceptum obierunt.

6. *Et peruenit verbum ad regem Niniue: & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere.*

6. Peruenerunt autẽ minaces illæ Prophetæ voces ad aures vsque regias, qui desiliit confestim è solio, & cùm regni abiecisset insigne, & vestimentum delicatum, & molle, saccum assumpsit asperum, & in quo iaceret pauimentũ, cinere constrauit.

7. Et — 7. Tum

Digitized by Google

A

7. *Et clamauit, & dixit in Niniue ex ore regis & principum eius, dicens: Homines, & iumenta, & boues, & pecora non guſtent quidquam: nec paſcantur, & aquam non bibant.*

7. Tum etiam ex ſuo principúmque nomine publicè edixit, vt neque homines quicquam poculentum aut eſculentum guſtent, & omnes pecudes atque armenta à pabulo & potu prorſus arceantur.

8. *Et operiantur ſaccis homines, & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine, & conuertatur vir à via ſua mala, & ab iniquitate quæ eſt in manibus eorum.*

8. Neque tantùm à cibo & potu hominibus, atque armentis abſtinendum indicit, ſed etiam addit, vt quo maior & frequentior excitetur clamor, tam homines, quàm animantia muta ſaccis operiantur cilicinis, atque aſperis, & omnes melioris vitæ modum amplexati, antiquum vitæ genus deteſtentur, & à vi atque rapina rapaces manus, ac violentas abſtineant.

B

9. *Quis ſcit ſi conuertatur & ignoſcat Deus: & reuertatur à furore iræ ſuæ, & non peribimus?*

9. Sperabat etenim fore, vt Deus in tot gemitus, & lacrymas intentus, mutaret animum, & ignoſceret illis, & ab intentato ſupplicio liberaret, quos tam dura comminatione concuſſerat.

10. *Et vidit Deus opera eorum, quia conuerſi ſunt de via ſua mala: & miſertus eſt Deus ſuper malitiam, quam locutus fuerat vt faceret eis, & non fecit.*

10. Cùm autem videret Deus illorum opera, quæ à delicatis aut mollibus extorſiſſet, aut ſupplicij metus, aut conceptus è peccatorum turpitudine dolor, quódque mores abieciſſet antiquos, & de meliore viuendi fruge cogitarent, miſertus eſt illorum, & ab inferendo ſupplicio, quod minatus fuerat, manus abſtinuit.

Verſ.1. *Et factum eſt verbum Domini ad Ionam ſecundò, dicens.*]

1. INDIENVS videri potuit Ionas, quem Dominus iterum prophetico afflaret ſpiritu, cùm datum ſibi mandatum vſqueadeò pertinaciter recuſauerit, vt à Palæſtino ſolo abire voluerit procul, ad gentilicam regionem, & ſe à diuino quodammodo dominatu ſubducere. Sed perfecerunt lacrymæ, & noua inobedientiæ cognitio, ac deteſtatio ex illo horribili, & inaudito naufragio, quæ Deo fugitiuum Prophetam reddiderunt, conciliarúntque, vt neque Deus ſupplicem reſpueret, neque ſpiritum, quo illum afflarat prius, in poſterum negaret. Sanè diſciplina dura, qualem accepit Ionas, à pelago, & ceto, & flagelli vis, & aſſiduitas, rebellē antea animum, ad magnos titulos, & grandia beneficia diſponunt. Licet timidum & refractarium Prophetam Dominus eſſet expertus, cùm iam tamen vexatione dura, in alterum virum euaſiſſe cognoſceret, eadem iniungit mandata, ad eoſdem adigit labores, quos vt declinaret, mari ſe priùs & tempeſtati crediderat. Quódnam fuerit hoc verbum, non explicat hic Propheta: fuit tamen proculdubio illud idem, quod in priori legatione audierat, quod poſtea verbis expreſſit non obſcuris, cùm dixit, *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur.* Niſi quòd in hac iterata legatione, vt reor, aliquid eſt de dierum numero reciſum. Nam, cùm dies eſſet definitus à Deo ciuitatis excidio, neque tempus illud videatur fuiſſe mutatum, ex eo numero deducendi fuerunt tot dies, quot in naufragio, ac fuga Propheta conſumpſit. Quare, ſi cùm primùm datum eſt, ſtatim mandatum illud obiiſſet, dixiſſet opinor: Adhuc quinquaginta dies, exempli gratia, non

C

adhuc quadraginta dies: quia inter primum, ac ſecundum mandatum, decem, v.g. dies intercecti ſunt.

Verſ.2. *Surge, & vade in Niniuen ciuitatem magnam.*] Illud *ſurge*, idem valet quod *agedum*, ſicut alia verba plurima, quæ loco ponuntur aduerbiorum. Neque alio ſenſu explicanda ſunt verba quædam, quæ motum ſignificant: maximè cùm verbis adiunguntur: vt, *Surge, illuminare, venite adoremus.* 2.

Verſ.3. *Niniue erat ciuitas magna, itinere trium dierum.*] Mirum eſt, &, vt opinor, nuſquam gentium auditum, tantum loci occupare ciuitatem, vt non niſi triduo traiici à viatore poſſit: quare viginti leucas habeat oportet, imò aliquid amplius. Scimus hac noſtra tempeſtate ciuitates eſſe apud Sinas, aliáſque prouincias, ab Hiſpanis felici nauigatione repertas, quæ ſede occupant quatuor leucas, & eo amplius, quales ſunt duæ illæ ciuitates, quæ regiæ dicuntur, Nanquinam, & Panchinum, ſed quid ſunt quatuor Hiſpanicæ leucæ, ſi cum viginti, aut etiam plurium leucarum numero componas? 3.

D

Duplicem eſſe Niniuem tradit Hieronym. *de locis Hebraicis*, alteram, quæ caput fuit imperij Aſſyriorum, vbi diu vixit captiuus Tobias: alteram in angulo Arabiæ, quæ ſua adhuc ſtabat ætate, quámque Iudæi corrupto vocabulo *Neneuen* vocabant. Non eſt dubium, quin de illa Niniue ſermo ſit, in qua ſedes erat Aſſyriorum imperij, de cuius magnitudine egimus *cap.*1. ad eadem propè verba, quæ nunc interpretamur. Quomodo intelligendum ſit ſpatium illud ciuitatis, non niſi triduo traiici, aut obiri poſſe, certant interpretes, variáſque ſententias, & expo- 4. *Niniue duplex.* *Quanta Niniue longitudo.*

Digitized by Google

sitiones adducunt. Quidam tantum spatij ambitu colligere arbitrantur, quantum non nisi triduano decursu peragrari possit. Quod si ita est, tantum habebat ciuitas latitudinis, quãtum vna die percurri posset: linea enim, quæ medium intersecat circulum, quam nos diametrum appellamus, tertiam fermè partem adæquat circularis lineæ. Quòd si ita statuas, non multum excedit Niniue ciuitates alias, quæ nostra adhuc ætate extant, in quibus rectà traiiciendis diei vnicus spatium consumitur. Ita putat Hieronymus, Remigius, Haymo, Dionysius, & alij, quod ex Hebræis docuit Rab. Abraham. Quæ sententia ideo non probatur Lyræ, quia, cùm Babylon, vt Scriptura sacra aut docet, aut indicat, omnium esset maxima, non tamen tantum spatij complectabatur ambitu, vt tres requireret dietas: habuit enim, inquit Lyra, triginta duas leucas. Ego hîc non inuenio, quod Hieronymi sententiam magnopere premat. Nam si omnium maxima dicatur in Scriptura Babylon, ideo est, quia quo tempore de illa Scriptura loquebatur, aut iam erat euersa Niniue, quæ multo erat aut sede amplior, aut ciuium multitudine frequentior, aut certè illud spectabat tempus, in quo Babylon rerum erat domina, & Chaldæorum sedes, quo tempore Niniue multùm de sua gloria, atque amplitudine perdiderat.

Babylon existimata Niniue.

Quòd si Niniue eadé est quæ Babylon, vt nonnulli putant, in quibus est Suidas, verbo *Semiramis*, vbi dicit Niniuen cinctam esse mœnibus à Semiramide, & ex eo tempore relicto priori nomine, vocatam esse Babylonem. Si, inquam, Babylon est Niniue, eaque leucas in circuitu colligit triginta duas, non est cur dubitet Lyra circularem illam viam, quæ Babylonem, seu Niniuen circumscribit, trium dierum desiderare cursum.

Babylonis magnitudo.

Sed fortasse Babylon maior erat, quàm ab ipso Lyra significatur, si Aristoteli credimus, qui *lib. 3. Politicor. cap. 2.* tradit cùm capta esset ab hostibus Babylon, illud ipsum aliquam eius ciuitatis partem ad tertium vsque diem ignorasse. Et ibidem indicat, aliquas ciuitates eius esse magnitudinis, vt non tam dici debeant ciuitates, quàm gentes, aut regiones murorum ambitu circumscriptæ. Sanè Niniue multo maiorem esse Babylone, docet Strabo *lib. 6.* statim in principio, quam ibi à conditore Ninum appellat.

5. Lyra aliter putat illud trium dierum spatium esse considerandum, non vt tribus diebus rectà, ab vno extremo ad alterum traiicienda esset Niniue, aut certè circulari lustratione ambienda, sed tantùm percurrenda vicatim, itaut quot sunt compita, & calles, toties sit conuersionibus & anfractibus, eo modo quo ab aratore sulcorum fit iterata versura lustranda, ac percurrenda ciuitas: quomodo lustrare Propheta potuit, qui legationis suæ mandata in singulis tam plateis, quàm compitis ciuitatis euulgauit. Cum Lyra sentiunt alij non pauci.

6. Ego, vt paucis meam explicem sententiam, non puto recedendum à litera, neque à familiari, atque communi loquendi consuetudine. Litera, vt vides, itineris trium dierum dicit esse Niniuen, latam videlicet: sic enim interpretatur vulgaris loquendi consuetudo, quæ vt homines non iter faciunt circulari via, sic ipsa cùm ea vtitur locorum mensura, rectum considerat, non circulare incessum. Quare inter duo ciuitatis extrema tantum spatij fuisse existimo, quantũ non possit, nisi triduano itinere percurri. Hoc obuium est

A & pronum à litera. Sed illud sententiam hanc reddit difficilem, quod non videtur, quando ciuitas vna tantum spatij occupatura sit constructione, ac sede, aut complexura mœnibus, quantum vix, aut tota aliqua prouincia, aut regnum integrum occuparet. Hoc ergo, quod magnum videtur esse telum, & ineluctabile argumentum, à nostra sententia summoueamus.

7. Et primùm ex Aristotelis sententia *lib. 3. Politicor. cap. 2.* ciuitas dicitur illorum multitudo, & cœtus, qui eundem habitant locum, licèt iisdem mœnibus circumscripti non sint: & talem esse putat Babylonem, quam triduano itinere, aut longam, aut latam esse docet. Videmus autem

B ciuitates, quarum murorum ambitus non est admodum capax, habere pomœria, ac suburbanas domus ad multarum leucarum spatia diffusas, quæ tamen ad ciuitatem pertinent: quomodo in Sicilia Messanæ suburbia, ad sex passuum millia dilatari audio.

Niniue antiquissimi imperij sedes.

Sic opinor contigisse Niniue, cùm iuxta sui nominis notationem, speciosa esset ciuitas, eadémque maximi imperij caput, regio salubris, & amœna, quæ ad se vndecunque terrarum habitatores, aut commoditate, aut sui admiratione pelliceret. Cùm verò imperium illud, à tempore Nini conditoris, id est, ab anno ante ortum Abrahæ 43. vt auctor est Eusebius in Chronico, ad tempus vsque Nabuchodonosoris

C productum fuerit, ad annum videlicet à sui constitutione 1440. cùm noua quotidie incolarum accessione cresceret, non est incredibile, ad eam magnitudinem excreuisse, quam nunc audimus à Propheta. Sanè audimus non solùm, in antiquo orbe, sed etiam nouo, nostra ætate ab Hispanis aperto, ciuitates priùs exiguas, aut etiam tunc primùm conditas, vbi reges in illis primùm consedere, ac stabile voluerunt maiestatis regiæ fore domicilium, eò breui peruenisse incrementi, vt cum ciuitatibus amplissimis, & ciuium numero, & ornamentorum gloria conferri possint. Vnum afferam exemplum, in transmarinis insulis, ex quo tute alia coniectare poteris. Ac-

D cepi à Patre Petro Morejon, è nostra Societate, qui triginta annos apud Iaponias, in re Christiana procuranda consumpsit, Ozacham ciuitatem olim exiguam, vtpote, quæ mille tantùm domus numerasset, ex quo regiam ibi sedem Taycosama Iaponiorum imperator constituit, sic auctam fuisse populi frequentia, vt breui tempore ad octuaginta millia domorum excreuerit. Totidem nunc domiciliis habitatur ciuitas Yendo, ex quo facta fuit regni caput, cum vigesimo abhinc anno tercentas tantùm domus numeraret.

8. Et ne longiùs abeamus, fuit Babylon, antequam Chaldæorum trãslatum esset imperium ab Assyriis, ciuitas magna, & postquam ibi Chalda-

Babylō magnum accepit incrementum, ex quo facta imperij sedes.

E ici imperij sedes cõstituta est, sic est amplificata, vt noua videretur esse ciuitas, & tantum habuisse antea posterioris magnitudinis, & gloriæ fundamentum. Sic sanè visum est Nabuchodonosori, qui *Daniel. cap. 4.* ædificatam à se dicit Babylonem. *Nónne, inquit, hæc est Babylon, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Ex eo credo tempore, quo Babylon Assyrij, ac Chaldæi imperij sedes fuit, ea ex Niniue aliisque ciuitatibus videtur ciuium multitudo commigrasse, vt sicut antea Niniue trium dierum iter habuit magnitudinis, sic ex Assyrij imperij spoliis, atque reliquiis spatij tantundem occuparit, vt nuper ex Aristotele diximus.

Adde

9. Adde his, quòd domus eo fortasse tempore, non erant multis contignationibus constructæ: quare laxas fuisse oportuit, itaut domus vna plus spatij sibi sumeret, quàm ex nostris decem, sicut apud Sinas: ex quo fit vt ciuitates plurimæ reperiantur, quæ multis patent passuum millibus, imò quæ duobus diebus ambiri non possint, festinato gressu, quales sunt Panquinum, & Nanquinum, quæ tamen si more nostro essent ædificatæ, non essent ampliores, quàm Madritum nostrum, Vlyssipo, aut Hispalis.

10. Quòd verò ciuitatis longitudo tantum spatij contineat, quantum litera sonat, ipse vehementer insinuat. Docet enim vers. 4. cùm intra ciuitatem vnius diei iter confecisset, cœpisse ingredi ciuitatem, quasi adhuc in ipso esset ciuitatis ingressu. *Et cœpit Ionas introire ciuitatem itinere diei vnius.*

Sin itinera hæc non metiatur festinatus viatoris cursus, sed regius incessus, qui tardior, mollior, & plenus dignitatis est, aut militaris, qualem moliri solet ordinatus exercitus, qui multo est, quàm viatoris impeditior, & tardior: tunc multo erit minor vrbis ab vtroque extremo interiecta capedo. Sed est alius dicendi modus magis, & sermonis consuetudini, & rationi memoriæ accommodatus.

11. Illud ad extremum addo, grauissimam mihi videri Aristotelis auctoritatem, qui non ita vixit longè à Babylonis excidio, vt quid in eo contigerit, ignorare potuerit: neque enim fama ad illius aures obscura peruenit, quæ trium dierum itinere Babylonis amplitudinem metitur, quod non ex vnius, aut alterius incerto rumore collegit, quod vir tantus, opinor, non scripsisset, si incertum, aut fabulosum putasset. *Liceret*, inquit, *Peloponesum totam mœnibus circundare. Talis fortasse est Babylon, quæ capta cùm esset ab hostibus, ferunt partem aliquam eius ciuitatis tertia die nondum aliquid sensisse.*

Babylon à Niniue diuersa.

12. Non erit abs re, antequam hinc emergamus, ostendere, cótra quàm putabat suprà Suidas verbo *Semiramis*, & cum eo alij non pauci, diuersam esse Babylonem à Niniue. Quod tam profani docent, quàm sacri scriptores. Nam primùm profani Niniuen ad Tigrim fluuium, Babylonem ad Euphratem sitam esse dicunt. Deinde Ptolomæus *lib. 5. cap. vltimo*, affirmat Babylonem distare ab æquinoctiali 35. gradibus: *libro* verò 6. *cap.* 1. Niniuen gradibus 46. & 40. minutis. Sed Scriptura sacra hoc apertè docet, quæ eodem tempore duos fuisse reges tradit, alterum Babylonis, nempe Merodach, qui nuncios è Babylone misit, qui recreato ex morbo Ezechiæ gratularentur, alterum Senacherib, qui sub idem tempus oppugnarat Iudæam, & toto penè exercitu ab Angelo conciso, in Niniuen ciuitatem regiam fuga se recepit. Vtrunque habes apud Isaiam: de Sennacherib quidem, *cap.* 37. *vers.* 37. de Merodach, *cap.* 39.

13. Vers. 4. *Et cœpit Ionas introire ciuitatem itinere diei vnius.*] Edoctus vexatione Ionas, non audet contra diuinum imperium quicquam mutire. Neque illum deterret à dato sibi negotio, neque quòd homo esset peregrinus, & ignobilis, neque quòd sibi cum ingeniis duris confligendum esset: & quæ iam pridem molliores blanditiæ ad omnem morum intemperantiam eneruassent, quod denique nuncium allaturus esset, ex quo sperare nihil poterat, nisi runchos, & sannas, & plagas, & mortem. Sed norat iam magno suo periculo, omnia subesse Deo, neque vllum, qui contrà nitatur, futurum esse saluum, neque sibi quicquam, nisi permittente Deo, ab humana potentia fore metuendum. Atque ideo audacter ad tertiam vsque partem ciuitatis penetrat, quantum alius vno die viatorio incessu metiri posset. Neque, credo, spatium illud silentio confecit, sed clamans & creditum sibi verbum identidem ingeminans, *Adhuc quadraginta dies*, &c. Quare cùm tardiùs ille gradum faceret, concionando, & clamando, & frequentioribus locis interdum subsistendo, non puto tertiam partem vrbis, quæ vno ab aliis die decurri solet, ab illo vno tantùm die fuisse peragratam. Imaginem quandam Ionæ videre videor in rustico quodam homine, qui Iesus vocabatur, qui, vt prodit Ioseph. *lib.* 7. *de bello*, antequam vrbs excinderetur à Romanis, qui interdiu noctúque omnes ciuitatis vicos circuibat, clamabátque modò: *Væ, væ Hierosolymis*, modò: *Væ, væ ciuitati ac fano, ac populo*, & similia, cum aliorum indignatione, aliorum admiratione, & metu.

Vers. 5. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.*] Non dubium, quin hæc verba Ionas acceperit à Domino. Quomodo enim id asseuerare tanto conatu posset, ac toties, nisi Deum illius legationis, ac nuncij habuisset auctorem. Neque mihi dubium est, additum illud legitimum, & familiare Prophetis, *Hæc dicit Dominus*. Neque enim omnia hæc, quæ communia sunt, & facile nota possunt esse lectori, & referri solent ab historicis. Cùm omnes Interpretes, quadraginta legant dies, tam antiqui ante Hieronymi ætatem, quàm recentiores, solùm ex omnibus septuaginta tres habent dies. Cur ita conuerterint, variæ à variis rationes afferuntur, quæ sanè omnes infirmæ sunt, & ideo ab illis commemorandis abstineo, ne aliquid in confutandis operæ consumam. Illud placet, quod visum est Theodoreto, & Theophylacto, Septuaginta priùs quadraginta transtulisse, vt habent Hebraici codices, & antiquissimi reddiderunt interpretes, deinde aliquem parum attentum, exscripsisse tres, & illum deinceps errorem in alios codices sensim irrepsisse. 14.

Vt Prophetam, & Deum à mendacio liberent, aliqui varios excogitarunt modos. Cùm statim atque quadraginta dies exacti sunt à prædicatione Ionæ, Niniue neque subuersa sit, neque aliquid grauiter passa ab vltore Deo. Origen. *homil.* 16. *in Numeros*, numerum illum dictum additum esse dicit à Propheta, non definitum à Deo. Alij subuersam esse dicunt Niniuen, intra spatium à Deo atque Propheta definitum, non tamen ea subuersione, quæ consumit, & perdit, sed illâ perficit, instaurat, & in meliorem formam adducit. Subuertit quidem non domos, & quæ oculos hominum oblectant, & capiunt, sed peccata, & quæ deformant animam, & corrumpunt mores, & reddunt animos speciosos, & mundos, itaut prior intereat status, & inchoetur nouus. Ita August. *in Psalm.* 50. & clariùs de ciuitate lib. 21. cap. 24. *Niniuitæ*, inquit, *in hac vita egerunt pœnitentiam, & ideo fructuosam, velut in hoc agro seminantes, in quo Deus voluit cum lacrymis seminari, quod postea cum lætitia meteretur. Et tamen quis negabit, quod Dominus prædixit, in eis fuisse completum, nisi parum aduertat, quemadmodum peccatores Deus non solùm iratus, verùm etiam miseratus euertat. Euertuntur enim peccatores duobus modis: aut sicut Sodomitæ, vt pro peccatis suis ipsi homines puniantur: aut sicut Niniuitæ, vt ipsa hominum peccata pœnitendo destruantur. Factum est* 15.

Niniue spiritualiter subuersa.

erga

ergo quod prædixit Deus: euersa est enim Niniue, quæ mala erat, & bona ædificata est, quæ non erat. Stantibus enim mœnibus, atque domibus euersa est ciuitas, in perditis moribus, ac sic quamuis Propheta fuerit contristatus, quia non est factum, quod illi homines timuerunt, illo prophetante venturum, factum est tamen, quod fuerat Deo præsciente prædictum. Quoniam nouerat qui prædixit, quomodo in melius esset implendum. Idem Gaudentius *tom. 6. Bibliotheca, tractatu 3. in Dominicam 1. Paschæ.*

16. Est qui putet Ionam, in sua instituenda concione, vsum esse verbo quodam amphibologico, quod in vtramque partem explicationem inflecteret. Verbum enim *subuerto*, Hebr. הפך *haphac*, propriè vertere, aut conuertere significat: siue id in melius, siue in deterius fieri contingat, dummodo res nouam aliquam speciem, ac statum assumat. Quare, siue per pœnitentiam ad meliorem formam, siue per obstinationem, ad seruitutem, siue interitum conuerteretur Niniue, certam fuisse constaret prophetiæ fidem, & certum euentum à Iona prænunciatum. Quæ sententia non multum ab Augustini discrepat: & præterea indicat, quod omninò cum Scholasticorum plerisque dicendum est, minas illas propheticas esse conditionatas, nimirum subuertendam esse Niniuen, nisi priùs viuendi flagitiosa forma subuertatur. Ita putat Montanus, cuius ego cogitationem probarem, nisi viderem id maximè horruisse Prophetam, ne nugator haberetur, & fallax: & vt hanc à se ignominiam auerteret, in Tharsis intendisse superiorem fugam. Quod sanè non subiret opprobrium, si verbum illud morum indifferenter, aut status mutationem importaret. Respondere etenim honestè poterat, si quis falsitatis, aut nugacitatis accusationem obtenderet, veram omninò fuisse prædictionem, quandoquidem supplicij metus, & pœnitentiæ rigor nemini obscurus tantam

17. morum vitæque conuersionem induxerant. Mihi &, vt opinor, cuicunque pio dubium non est, id voluisse Deum, vt minas illas propheticas sequeretur detestatio vitæ superioris, mutatio morum, & deinde peccatorum venia. Sed non puto illud dictum, aut etiam cognitum à Propheta: alioquin non tam doleret, quod liberatis à subuersione Niniuitis, & sua fides vocaretur in dubium, & suum nomen ludibriis hominũ, & fabulis pateret. Neque, si id audiissent à Iona Niniuitæ, dixissent, quasi dubitabundi daturum esse Dominum veniam, si ipsi pœnitentiam agerent, cùm vltro ipsis pœnitentibus, venia foret oblata. Id enim valet illud vers. 9. *Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus, & reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus.* Fuerunt itaque coditionatæ minæ, non tamen à Propheta sub illa conditione prædictæ.

Minæ Ionæ conditionatæ.

18. Vers. 5. *Et crediderunt viri Niniuitæ in Deum.*] Erat Niniue multiplici inanium deorum superstitioni dedita: vt enim ibi idololatria nata primùm, ita ibidem fuit aucta vehementer. Sed fecit Prophetæ vox diuino animata ac roborata spiritu, vt nugaces haberentur tot illi dij, & sibi persuaderent omnes ab vno Deo, à quo tunc Ionas legationem obibat, timenda esse aut speranda omnia. Narrauit opinor, Propheta, quemadmodum ipse priùs legationem illam horruisset, & ea de causa in mare deiectus, & exceptus à ceto, ac tandem post triduanum naufragium, seu iactationem in stomacho belluæ vomitione expositus esset in littore, & fortasse iã à conue-

Cur Niniuitæ in Deũ crediderũt.

A ctoribus, & nautis, dissipatus ad Niniuitas vsque fuerat rumor, de excitata ac sedata rursus tempestate propter ipsius inobœdientiam & fugam. Cùm verò hæc omnia grauia sint diuinæ potentiæ testimonia, quæ eò spectabant, vt Niniuitas, aut à vita scelerata conuerterent, aut si minus à veteri insania resipiscerent, interirent, facilè in eam cogitationem venire potuerunt, vt crederent vnum esse Deum; qui fluctibus imperaret, & marinis belluis, quæ in suo regno liberæ videbantur, ab aliorum dominatu. Qui vt nauem demergere, ac liberare potuit, sic etiam ciuitatem suam subuertere si vellet, aut conseruare posset.

B *Et prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis à maiori vsque ad minorem.*] Qualis esset Iudæorum pœnitentia, diximus *in cap. 1. Ioel.* An ille idem modus seruari solitus fuerit à Gentibus, vel certè hanc ieiunij, ac pœnitentiæ formam didicerint à Iona Niniuitæ, incertum est. Sanè non aliter Gentiles isti, quàm Iudæi ieiunio, ac sacco carnem antè deliciis atque otio diffluentem macerarunt. Hinc duo colligo: & grauiter concussos prædicatione Ionæ Niniuitarum animos, quando neque decernente, imò neque conscio rege, hoc populis, edicto publico, ac præconis voce, ieiunium indicitur, tum etiam, quàm longissimè abesse regem, quando in re tam graui ac C publica, illius voluntas atque consensio expectari non potuit. Vnde etiam colligo trium dierum itinere patere in longitudinem ciuitatem: neque enim verisimile est, in extrema ciuitatis ora suum sibi domicilium habuisse regem, qui in medio quasi in corde ciuitatis residere debet, at cùm facta fuit hæc cibi vestitúsque mutatio, iam Ionas ad tertiam ciuitatis partem penetrarat, cùm iter vnius diei in illa confecisset. 19.

Vers. 6. *Et peruenit verbum ad regem Niniue.*] *Verbum* in Scriptura multa significat, sicut apud Latinos *res*: nec enim tantùm est sermo, sed etiam quicunque successus, aut factum. Peruenit igitur ad regem, qui licèt in eadem ciuitate, procul tamen D aberat, non solùm quid à Deo populo denunciasset Ionas, sed etiam quid populus ea denunciatione deterritus facere decreuisset. Qui tam longè fuit vt illius damnauerit consilia, vt ipse eadẽ fecerit, & edicto cauerit, vt omnes eadem, & alia etiam maiora mœrentis animi signa, & naturæ detrimenta susciperent. Neque solùm edicto publico, aut voce præconis edixit, vt nemo se ab illo mœrore, ac sordibus deputaret eximendum, sed ipse suo exemplo aliis quid facere debeant, documento fuit. 20.

Surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere.] De hoc pœnitentis habitu egimus suprà *ad 1. cap. Ioel.* ne- 21.
E que est quod ad illa addere magnopere intersit. Idem fecit Achab, cùm ab Elia durum accepisset vaticinium. Hîc verò obseruandum, sic regem, cùm auertere à se regnóque suo voluit cælestem iram, habitum mutasse, aut viuendi modum, vt nihil reliquum fecerit, aut deliciarum, quas ante articulum illum studiosè captauerat, aut maiestatis, quam cum tanto subditorum dispendio retinere voluit. Quare desiliit è regio throno, quem supra cæteros sublimé habuit, & regia vestimenta, auro & gemmis exculta deposuit, quorum loco saccum sumpsit cilicinum, & in puluere sedit, quem priùs non eleganti, atque pretioso stragulo constrauerat, sed cinere & sordibus, quæ non tam amat, quàm auersatur, & horret regum

Veræ pœnitentiæ species.

Digitized by Google

regum delicatorúmque munditiis.

22. Vers. 7. *Ex ore regis, & principum eius.*] Non temere rex, aut in deliberando præceps edictum, de quo mox, euulgari fecit: sed aduocatis priùs in consilium illis, quorum grauis auctoritas, & iamdiu satis explorata in iudicando prudentia. Ex eo igitur senatusconsulto hæc populis facienda denunciat.

23. *Homines, & iumenta, & boues, & pecora, non gustent quicquam, nec pascantur, & aquā non bibant.*] Inauditum, opinor, ante hoc tēpus præceptum, cùm nō solùm homines, quorū scelera Deus punire vult, sed etiam irrationales naturæ, quæ vt rationis, sic etiam culpæ sunt expertes, ad ieiunium, ciliciúmque vocentur. Sed fuit planè consilium nō ineptum, nec ad extorquendā à Deo misericordiā importunum. Cùm enim rex senatúsque cognoscerent, ita ciuitatem esse contaminatam, vt vix, imò fortasse ne vix quisquā hominum esset immunis à culpa, prudenter intento in se furori diuinorum illorum animantium ieiunium, & afflictionem opponunt: quæ, cùm nihil vnquam in Deum peccauissent, illius auerterent furorem, & in homines scelerum reos diuinam misericordiam prouocarent. Quomodo enim cùm præ fame ac siti balantes pecudes, mugientes boues, & vt sua cuiusque natura ferebat, gementes animantes audiret, qui omne animal benedictione implet, & qui coruorum miseretur, & de esca prouidet opportuna, cùm debitum à parentibus alimentum negatur, quod cecinit Dauid Dei prouidentiam admiratus, cùm dixit Psalm. 149. vers. 9. *Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* & Iob 39. vers. 3. *Quis preparat coruo escam suam, quando pulli eius clamant ad Deum vagantes, eo quòd non habeant escam.* Clamant autem ad Dominum belluæ etiamsi Deum non cognoscant, quando aliquod subsidium illis est necessarium, neque ab alio, nisi ab auctore naturæ prouideri potest. Sic Ioel cap. 1. vers. 20. *Sed & bestia agri, quasi area sitiens imbrem suspexerunt ad te.* Sic ergo iumenta, & compuncta à saccorum asperitate, & fame, dum rugiunt, ad Deum clamant, & creatoris sui prouidentiam implorant.

Ergo animantia muta Deus misericors.

24. Eodem, opinor, consilio fecerunt, vt infantes, qui nihil contra Deum admisissent, à materno lacte, aut cibis infantilibus abstinerent. Quod licèt Scriptura non dicat, dicunt tamen communiter Patres. Vnum accipe Ambrosium *sermone* 40. vbi optimè de Niniuitarum pœnitentia. *In tali,* inquit, *deuotione etiam infantia militare compellitur. Pietas enim esse creditur in tali causa, paruulis quoque cibi substantiam denegare: non enim sufficiebat ad placandum Deum peccantium satisfactio, nisi seniorum quoque peccata paruulorum innocentia deploraret.* Vt & ipsi clamarent, vrgente fame, & illorum matres, filiorum mœrentes inedia, eiulatu acuto, & continenti, infensum Deum sollicitarent ad veniam. Quomodo in grauissimo quoque periculo infantes proponerentur, qui in publicis locis, nempe in templo, ac locis orationi destinatis, lugerent, diximus ad illud Ioelis cap. 2. vers. 16. *Congregate paruulos & sugentes vbera.* Inde pete, quæ huc quoque faciunt.

Infantes ad publicas preces, & planctum adhiberi soliti.

25. Vers. 8. *Et operiantur saccis homines, & iumenta, & clament ad Deū in fortitudine.*] Satis homines cuiuscunque sexus, & ætatis adigebantur ad clamores & lacrymas, vrgente fame, & pungente cilicio. Vrgebantur etiam alimento sublato irrationales naturæ, vt mugitu, balatu, atque rugitu lugubri suam Domino famem, & dolorem ostenderent. Sed quisnam potuerit esse saccus ille, quo iumenta, pecudes, & armenta operirentur, non video: quia si quod illa integumentū habēt, illud aut cilicinum est, aut non procul abest à cilicio. Ego aliquid esse asperum arbitror, præter illum modum, quo operiri atque insterni solent animantes mutæ. Integumentum puto ex spatto nondum aqua macerato, atque contuso, aut contextum ex spinosa planta, quod pungeret belluas, & adactis aculeis multo quàm antea frequentiùs, & acutiùs suo quamque modo clamare cogeret. Ita videtur verisimile: neque omninò alienum est à disciplina rusticorum, qui pigros aut asinos, aut boues insertis clitellis, aut oneri sentibus exagitant, & ad celeritatem instimulant. Ex qua consuetudine in sua Metamorphosi Apuleius *lib.* 7. additas esse dicit spinas asino, vt illius aceruerent tarditatem. Hic ad extremum addo, in dolore ac luctu non solùm homines mutare vestes, & aliis sordibus atque cruciatibus animi mœrorem, ac sollicitudinem prodere, sed etiam belluis adimere ornamenta omnia, & detracta etiam naturali aut fœdata specie, aut publicum, aut domesticum dolorem ostendere. Quod docuit Plutarchus in vita Pelopidæ, ad finem, vbi tradit Thebanos Imperatori suo Pelopidæ hoc modo parentasse. *Traditur,* inquit, *quicunque ei rei adfuerunt, neque deposuisse arma, neque equis extraxisse frana,* (en equorum ieiunium) *neque vulnus vllum ligauisse.* Et statim, *equos, ac seipsos, præter consuetudinem, comis concidisse.* Et idem tradit ibidem fecisse Alexandrum, in Ephestionis funere. Neque aliud significare voluit Virgil. *Ecloga* 5. cùm in morte Iulij Cæsaris ieiunasse dicit quadrupedes, & boues, & flebilem edidisse clamorem. Vt enim, qui Cæsari fauebant, ostenderent Cæsaris mortem toti naturæ accidisse luctuosam, & tristem, artificio quodam, subtracto videlicet pabulo perfecerunt, vt ipsæ quoque belluæ lugere viderentur. Sic autem ibi Maro. 26.

Belluæ in dolore fœdari, ac conciari solitæ.

Non vlli pastos illis egere diebus
Frigida, Daphni, boues ad flumina, nulla neque amnē
Libauit quadrupes, neque fluminis attigit vndam:
Daphni, tuum Pœnos etiam ingemuisse leones
Interitum, montésque feri, syluæque loquuntur.

Multa de Niniuitarum pœnitentia Patres. Ex omnibus vnum accipe Basilium, qui *homil.* 8. *in auaros,* quæ inscribitur *in fame & squalore,* elegãter illam & copiosè scribit. *O tempestiuam,* inquit, *pœnitentiam! ô sapientiam! ô officiosum luctum! Nam neque ratione carentia à tristitia immunia esse permiserunt, sed ipsa bruta ieiunare, ac questus edere coëgerunt. Vitulus enim à bucula separatus dulci caruit vbere. Agnus paruulus iam sub vlnis maternis non erat. Matres alia, alia fœtus stabula tenebant. Voces inter se miserabiles edebant. Matres verò naturali quadam pietate, misericordiáque commota, natos mugitu vocitabant. Infantes vicissim esurientes, & sitientes vehementissimo eiulatu propè rumpebantur. Grauida naturalibus doloribus stimulabantur, & hac ratione pœnitentiā illorum, ad communem vitæ doctrinam diuinus sermo scriptis mandauit. Senex apud illos lamentabatur, & caniciem suam vellicabat: adolescens, & iuuenis vehementer plorabat, pauper ingemiscebat, diues oblitus deliciarum, afflictionem aliam castigationis loco exercebat. Rex ipse Niniuitarum splendorem, ac gloriam suam in pudorem mutauit, purpura coronáque positis, saccum sumpsit, cinere caput inuoluit, throno relicto humi consedit, peculiari ac regali relicta lautitia, vnà cum populo lamentabatur, quasi vnus è numero multorum factus, quoniam*

Niniuitarū qualis pœnitentia.

commu-

communem omnium Dominum iratum conſpexit. Idem penè *oratione 4. de pœnit.*

27. *Et conuertatur vir à via ſua mala, & ab iniquitate, quæ eſt in manibus eorum.*] Non ſolùm externam pœnitentiam præcipit, quæ aſpectabilis eſt, & aliquod, licèt fallax, & dubium aliquando interioris ſignum. Qualis eſt ſaccus, cinis, ieiunium, & expreſſus interdum non tam à dolore & pœnitentia, quàm ab artificio clamor, & lacrymæ. Iubet ergo, vt omnes illum vitæ modum atque inſtitutum abiiciant, quod aberrat ab æquo & iuſto, propter quod videt à diuino furore intentum eſſe fulmen. Sed ſignatè iubet, vt ſi qua eſt in manibus iniquitas, illam quicunque à ſe procul abiiciat. In iniquitate hoc loco rapinam intelligo, aut quicquid opum fraudulenter, & callide congeſtum eſt. Vox etenim Hebræa **חמס** *chamas*, pro qua vulgatus *iniquitatem* reddidit, aut ſolùm ſignificat rapinam, aut hoc præcipuè. Quandiu verò aliena bona furto, aut artificio ſublata, quæ plerunque potentiores ab illis abſtulerunt, quorum eſt tenuis & deſpecta fortuna, in aliena manu, ac poteſtate ſunt, tandiu clamant, & vindicem Deum contra iniquos poſſeſſores inſtimulant. Vide quæ diximus ſuprà *cap.* 1. ad illud, *Quia aſcendit malitia eius coram me.*

28. Verſ. 9. *Quis ſcit, ſi conuertatur, & ignoſcat Deus, & reuertatur à furore iræ ſuæ?*] Hinc mihi fit veriſimile, nihil dictum à Propheta de venia, ſi Niniuitæ à prioris vitæ conſuetudine deſciſcerent. Quandoquidem tam rex, quàm qui illi fuerunt à conſilio, dubitant, an ſi ipſi mutatis animis conuerterentur à culpa, Deus quoque mutaret animum, & illum ab inferendę pœnæ cogitatione conuerteret. Ita apertè Chryſoſtom. tomo 5. homil. 10. de pœnitent. *Niniuitarum*, inquit, *vrbs omnis ſaluata eſt, & illos certè lata iam ſententia à ſpe depulerat. Non enim dixit, ſi pœnitentiam egerint, ſaluabuntur: ſed ſolùm tres adhuc dies, & Niniue ſubuertetur.* Lege reliqua, quæ grauia ſunt, ad excitandam hominum ſpem. Quia tamen ſciebant, peccata eſſe facem quandam ardentem, à qua ingens ſolet incendium excitari, fore putabant prudenti adducti coniectura, ſi fax de medio foret ablata, vel extincta, aut non excitandum, aut facile fore comprimendum incendium. Id verò dubitanter aſſerunt, quia nihil videbant Dei nomine à Propheta promitti.

29. Verſ. 10. *Et vidit Deus opera eorum, quòd conuerſi ſunt de via ſua mala: & miſertus eſt Deus ſuper malitia, quam locutus fuerat.*] Niniuitæ regis edicto, licèt vſqueadeo ſeuero, obſecuti ſunt: ſpecies au-

A tem illa pœnitentis vrbis ſic permouit Deum, cuius erát oculi in præclarum illud ſpectaculum intenti, vt, quod iam diſtrinxiſſe videbatur, ferrum ad vaginam reduxerit. Eſt autem malitia, idem quod ſupplicium malitiæ decretum: quæ loquendi forma in Scriptura ſacra familiaris eſt, quæ ſæpe *peccatum, iniquitatem,* & ſimilia pro peccati, aut iniquitatis ſupplicio ponit. Miſertus itaque eſt Deus ſuper malitia, quia brachium, quod iam in Niniuitarum caput indignatus extenderat, iam lenior factus à vulnere contraxit. Vbi vulgatus *miſertus eſt*, Hebraicè eſt **וינחם** *vaiinachem*, quod idem valet atque pœnituit Deum: quod aptè conuenit in illud tempus, in quo Niniuitas ſuperioris vitæ pœnituit. Quaſi dicas, Niniuitarum pœnitentiæ Dei quoque pœniten- *Pœnitentia vis.*

B tia reſpondit. Quam ſententiam iiſdem propè verbis Ieremias expreſſit, cap. 18. verſ. 6. *Si pœnitentiam, inquit Dominus, egerit gens à malo ſuo, quod locutus ſum aduerſùs eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malum, quod cogitaui, vt facerem ei.*

30. Antequam ab hoc capite commentationem exoluo, exploremus oportet, an vera fuerit hæc Niniuitarum pœnitentia, de qua non dubitant antiqui Patres, neque meo iudicio, quiſquam ſanus, & pius dubitare poteſt, cùm hîc legamus Niniuitas à via ſua mala fuiſſe conuerſos. Et Chriſtus, qui non ſimulatam, ſed veram & ex animo pœnitentiam probat, hanc Niniuitarum pœnitentiam commendat, eámque ſimulatæ Iudæorum ſanctitati, ſeu vmbræ vanæ ſanctitatis opponit Matth. cap. 12. verſ. 41. *Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam, quia pœnitẽtiam egerunt in prædicatione Ionæ.* *Niniuitarũ pœnitentia vera.*

C Illud tenet Chryſoſt. tomo 1. homil. 27. in cap. 9. Geneſ. *Niniuitæ*, inquit, *tanta peccatorum multitudine aggrauati, quia magnam & veram pœnitentiam egerunt, non indigebant ampliori, quàm trium dierum tempore* (ſic ille legit, cum aliis plurimis, iuxta Septuaginta) *ad prouocandam Dei bonitatem, & irritandam, quæ aduerſùs ſe erat, ſententiam. Et quid dico à Niniuitis? Latro in cruce, neque vno die opus habebat. Nam vbi viderit voluntatis noſtræ firmum propoſitum, & feruenti nos deſiderio ad ſe accedere, non tardat,* &c. Et clariùs tom. 5. ſerm. de ieiunio. *Adhibitum eſt à Niniuitis ieiunium, vt reuocaretur Dei ſententia. Erat autem ieiunium non vulgare, ſed abſtinentia quidem à cibis, & abſtinentia à peccatis.* Quàm verò ſe prudenter geſſerit rex Niniue, aut cùm ipſe regis perſonam exuit, vt ſuppliciis indueret, aut cùm edicto cauit, ne quis à ieiunio & ſacco eſſet immunis, vide apud Ambroſ. *ſerm.* 40. vbi ea de rę eleganter, & latè.

IN CAPVT QVARTVM

ARGVMENTVM.

DOLET Ionas, & queritur, quòd ad illam ciuitatem, concionandi gratia, miſſus ſit, cum ſeuero minacique mandato, cui vt ex ciuium pœnitentia coniectabat, à miſericorde Deo ignoſcendum credebat. Quare, vt ſuſpicionem euitet Prophetæ falſi, aut hominis amentis, & deliri, mortem optat. Cùmque ex ciuitate in proximum locum, quaſi in ſpeculam eſſet egreſſus, vt Niniuitarum pœnitentiæ, & vaticinij minacis euentum ſpectaret, vmbraculum ſibi contra orientalem ciuitatis plagam excitauit, iuxta quam Dominus incremento ſubito præparauit hederam, quæ opacaret locum,

&

Digitized by Google

& Prophetæ caput, à Solis inclementia defenderet. Quæ res Prophetam incredibili affecit voluptate. Sed cùm subito corrosa à verme exaruisset hedera, & periisset illa repentina commoditas, rursus indignatur Ionas, rursus incessit mortis desiderium. Vnde occasionem sumit Deus, vt Ionæ suam in Niniuitas clementiam probet. Cur enim non doleat Deus, & parcat ciuitati, tam antiquæ, atque amplæ, cùm doleat Ionas, quòd res tam vilis, támque momentanea perierit?

CAPVT IV.

1. *ET afflictus est Ionas afflictione magna & iratus est.* A

2. *Et orauit ad Dominum, & dixit: Obsecro Domine, numquid non hoc est verbum meum, cùm adhuc essem in terra mea? propter hoc præoccupaui vt fugerē in Tharsis. scio enim quia tu Deus clemens & misericors es, patiens & multæ miserationis, & ignoscens super malitia.* B

3. *Et nunc Domine, tolle quæso animam meam à me: quia melior est mihi mors, quàm vita.*

C

4. *Et dixit Dominus: Putásne bene irasceris tu?*

5. *Et egressus est Ionas de ciuitate, & sedit contra Orientem ciuitatis: & fecit sibimet vmbraculum ibi, & sedebat subter illud in vmbra, donec videret quid accideret ciuitati.*

6. *Et præparauit Dominus Deus hederam, & ascendit super caput Ionæ, vt esset vmbra super caput eius, & protegeret eum (laborauerat enim) & lætatus est Ionas super hedera, lætitia magna.* D

7. *Et parauit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum: & percussit hederam, & exaruit.*

8. *Et cùm ortus fuisset sol, præcepit Dominus*

PARAPHRASIS.

1. CVm videret Ionas, in ciuitate tota nouam illam pœnitentiæ formam, fierique suspicaretur, vt misertus Deus supplicium indictum, aut temperaret, aut omitteret, timerétque, ne ipse ideo negator existimaretur, & fallax, afflictus est vehementer, & graui quadam indignatione condoluit.

2. Tunc verò conuersus ad Dominum, in hunc modum orauit: Obsecro, Domine, liceat mihi de te paulisper queri. Nunquid non prudenter, vt declinarem ignominiam, quam antè præuideram, fugiendum mihi putaram in Tharsis? Sciebam enim te Deum esse misericordem, & clementem, qui neque festinus es, neque præceps in sumendo supplicio, sed peccatoris pœnitentiam patienter expectas? cuius misericordiam nulla vincet criminum multitudo, nulla scelerum exhauriet immanitas.

3. Et nunc, Domine, quando ita de meo nomine, & de Niniuitarum salute statuisti, quam illis minatus fueras mortem, in me conuerte. Optabilius enim mihi est mortem oppetere, quàm plenam ignominiæ vitam sustinere.

4. Ad quem Deus: Nunquid, ô Iona, iustam tibi causam putas esse irascendi?

5. Cogitabat hæc Ionas, querebatúrque, cùm adhuc esset in vrbe, & præsens spectaret Niniuitarum pœnitentiam. Egressus tamen, inde in ciuitatis regione consedit, quæ spectat orientem solem. Ibi raptim sibi construxit vmbraculum, vbi in opaco loco captaret vmbram, & quasi in specula, quid eueniret ciuitati, prospiceret.

6. Tunc verò effecit Dominus, vt subitò nasceretur & cresceret herba, quæ illud operiret vmbraculum, & Prophetæ caput ab illa caloris inclementia defenderet, nimio etenim æstu laborabat: ex quo tam insperato atque opportuno subsidio, magnam Ionas cepit voluptatem.

7. Cùm autem gaudio Ionas exultaret ingenti, iam Dominus præparauerat vermem, sub matutinum crepusculum, qui percussa arrosáque radice fecit, vt exaresceret hedera, & tota illa viriditas, atque luxuries ambitiosa deflueret.

8. Cum sole autem oriente, excitatus

Digitized by Google

vento calido & vrenti: & percussit sol super caput Ionæ, & æstuabat: & petiuit anima sua vt moreretur, & dixit: Melius est mihi mori, quàm viuere.

A est ventus vehementer calidus, quem Dominus contra Prophetam euocauit, cui cùm se Solis magnus ardor adiungeret, & vterque simul Ionæ caput impeteret, vehementi ipse afflictabatur molestia, neque vim poterat caloris sustinere. Quare mortem iterum optat, & precatur à Deo, dicitque doloris impatiens: Melius est mihi animam iam tandem agere, quàm spiritum ducere laborantem, & ægrum.

9. Et dixit Dominus ad Ionam: Putásne bene irasceris tu super hedera? Et dixit: Bene irascor ego vsque ad mortem.

9. Ad quem Dominus: Iustam ne causam habere te putas, ô Iona, vt propter hederam tibi efferuescat ira? Ad hæc Ionas: Iustissimam omninò, & ita grauem, vt ad mortem vsque adigat me.

B

10. Et dixit Dominus: Tu doles super hederam, in qua non laborasti, neque fecisti vt cresceret quæ sub vna nocte nata est, & sub vna nocte periit.

10. Rursus ad Ionam Dominus: Tu doles, ô Iona, propter hederam, quæ neque abs te plantata est, neque tua, vt vides, adoleuit industria, quæ vsqueadeo futilis est, vt vna nocte nata sit, & eadem nocte viriditatem omnem, imò & vitam amisit.

11. Et ego non parcam Niniue ciuitati magnæ, in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dexteram, & sinistram suam, & iumenta multa?

11. Et ego non doleam de tantæ ciuitatis interitu? Non parcam Niniuæ antiquissimo, amplissimo, ac nobilissimo populo: in quo, vt aliam innumerabilem hominum multitudinem omittam, plura sunt, quàm centum ac viginti paruulorum millia, qui nihil admisere, cur perire debeant, quique adeò rerum ignari sunt, vt nullum habeant dextræ, sinistræque discrimẽ; multa denique iumenta, quibus, vrbe cadente, simul cum hominibus pereundum esset.

Vers. 1. *Et afflictus est Ionas afflictione magna, & iratus est.*]

1. COGNOVIT Ionas, mutato per pœnitentiam, qualem nunquam futuram existimabat, Niniuitarum animo, aut mutasse Deum animum suum, aut certè ita mutatum, vt supplicium quod comminatus fuerat, aut auerteret mitiori consilio, aut aliqua ratione temperaret. Quare, quia de sua existimatione laborabat, quam videbat in suspicionẽ vocari leuitatis, & fraudis, afflictus est vehementer, atque ita cõmotus, vt aduersùs Deum in grauem etiam indignationem eruperit. Alij alias causas afferunt, quas nos adduximus suprà *cap.* 1. quando de fuga Ionæ disputauimus. Sed hanc, quam modò produximus, & probauimus tunc, & nunc etiam amplectimur.

2. Sed hìc admiror, quod etiam fecerunt ante me alij, neque sine graui causa: cùm Dei misericordiam expertus esset Ionas, cùm non procul esset ab interitu, imò cùm iam penè lateret in sepulcro, cùm consecutus esset veniam, cuius prorsus videbatur indignus, cùm tanto studio refugisset à Domino, nunc tamen doleat, quòd Dominus pœnitenti populo peccata dimiserit, & ab intentato supplicio manum cohibuerit. Mirum planè est, quòd vir familiaris Deo, à quo diuino fuerat spiritu ornatus, & institutus, aliis salutem & peccatorum veniam inuideat, quæ ipse à liberali ac misericorde Domino consecutus est.

C Hìc mihi, si vsquam, videre videor, quàm sit vehemens ambitionis studium, quàm præceps æstus, quo neque in animis minorem excitat tempestatem, quàm in mari, aut Aquilo, aut Notus, aut ventorum omnium conspirans furor, neque minus excæcat mentem, quàm profundæ noctis offusa caligo. Agebatur hìc Dei gloria, quam rebus omnibus præferre Propheta debuit, à quo tot fuerat beneficiis cumulatus. Agebatur corporalis vita tam amplæ atque frequentis ciuitatis, quantam in terris, ab orbe constituto, fuisse non legimus. Agebatur spiritualis salus infinitæ propè multitudinis. Huic opponebatur metus leuissimæ cuiusdam ignominiæ, ne videretur ab D spiritu potius aut malo, aut suo, quàm inspiratus à diuino, quẽ metum fingebat potius sibi, quàm mera adfuturus erat, vel à contribulibus, vel à Niniuitarum vulgo, cùm omnibus de illius Gentis pœnitentia constaret, quam sciebant tantum apud Deum habere momenti, vt gladium eximat è manibus, & indignationis æstu feruentem animum ad tranquillitatem & clementiam traducat. Hic igitur metus, non tam verus, quàm falsa existimatione conceptus, tantum valuit apud infirmum, & ambitiosum Prophetæ animum, vt longè posthabuerit diuinam voluntatẽ, & gloriã, & tot hominũ spiritualem, & animalem vitã, leuissimæ cuiusdam ignominiæ timori. Emeret, opinor, veri Prophetæ opinionem & nomen,

Ambitio præceps, & cæca.

Digitized by Google

nomen, tam amplæ ciuitatis ruina, & infinitæ propè multitudinis interitu. Planè cæca est, & amens ambitio, quæ vbi hominum animos occupauit, omnem prudentiam, & humanitatem expectorat. Cùm de aliorum miserijs dolere debea-
3. mus, & quoad nostra tulerit facultas illorum inopiæ subuenire, maximè cùm in eodem statu atque discrimine aliquãdo fuimus. Quare Deus Israelitis commẽdat, vt peregrinos ament, id est, illis bene cupiant, & faciant: quia etiã ipsi in terra Ægypti peregrini fuerunt, & aduenæ. Deuter. 10. vers. 19. *Vos ergo amate peregrinos, quia & ipsi fuistis aduenæ in terra Ægypti.* Imò hanc esse communem vocem, & legem expressam à natura, docet Cicero pro Muræna. *Natura*, inquit, *affert, vt eis faueamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti sumus, ingrediuntur.* A qua lege ortum est illud Virgilianum *lib. 1. Æneid.* vbi sic Dido ad Ænean, quem in illis periculis videbat, in quibus ipsa aliquando fuerat.

Eorum maximè miserentur, qui talia patiũtur, qualia nos antea.

Quare agite, ò tectis iuuenes, succedite nostris:
Me quoque per multos similis fortuna labores
Iactatam, hac demum voluit consistere terra.
Non ignara mali miseris succurrere disco.

4. Vers. 2. *Et orauit ad Dominũ, & dixit: Obsecro, Domine, nunquid non hoc est verbum meũ, cùm adhuc essem in terra mea?*] Non audiuimus, cùm de Ionæ fuga superior esset sermo, huiusmodi verbum excidisse Prophetæ. Sed est certum, hoc ab illo fuisse dictũ, vt præsens docet locus. Est autem in Scriptura vsitatum, vt quod eo in loco, vbi tractari aliquid commodiùs posse videbatur, omissum est, alio deinceps loco, per occasionem explicetur, vt diximus *in cap. 1. Amos*, cùm sermo esset de terræ motu sub Ozia. Tunc autem verisimile est, cùm mãdatum accepisset à Domino, hoc ipsum opposuisse, Deum esse mitẽ lacrymis, & pœnitẽtium facilè furorem, & minas in misericordiam, & verba consolatoria conuertere. Atque ideo sibi maculam esse leuitatis, & vanissimæ cuiusdam nugacitatis inurendam: quam ne subiret, libentiùs excederet è patria, imò & è vita, quò grauissimam illam ignominiam, tam dura permutatione redimeret.

REGVLA. Aliquid in Scriptura suo loco omissũ, quod alibi per occasionẽ explicatur.

5. Cùm autem Dominus vrgeret tunc consilium iniisse fugæ, quæ non minus peruicaciæ haberet, quàm amentiæ; Hieronymus & cum eo plures alij Ionam defendunt, quasi dolor ille, siue indignatio Ionæ orta fuerit ex amore populi sui, quem videlicet condemnandum à Niniuitis, quòd illi ad vnius hominis incogniti, atque humilis vocẽ, à peccandi inueterata consuetudine tã citò recessissent, & populus Dei ad religionem, & sanctitatem tot modis, & legibus excultus, cùm assiduas acciperent Prophetarum voces, in peccatis tamẽ hærerent obstinati. Et cùm Deum nosset esse clementem, verebatur mandatum ad barbaros eiusmodi deferre, ex quo in Deo aliquid esse truculentum, & barbarum suspicari possent: & cùm minis absuturum putaret esse pondus, metuebat ne leuis putaretur diuina fides. Illud *obsecro* interiectio est, quæ affectum aliquo modo lenit immoderatiùs erumpentem. Oratio eò spectat, vt mortem inueniat, quam sustinebit libentiùs, quàm vitam obscuram, & indecoram. Docet autem non esse leuem dolendi, aut mortis optandæ causam, aut tunc primùm oblatam, cùm multo antè præuiderit, & illam ignominiam fugiendo declinare tentauerit.

Ionas à quibusdam à culpa defenditur.

6. *Deus clemens, & misericors es, patiens, & multæ miserationis, & ignoscẽs super malitia.*] Hæc eadem propè verba habuimus apud Ioelem *cap. 2. vers. 13.* inde explicationem pete.

Vers. 3. *Et nunc, Domine, tolle quæso animam meam à me: quia melior est mihi mors, quam vita.*] Vehemẽs planè ambitionis æstus, grauissimus ex violento nomine aut obscurata existimatione dolor. Tolerandam mortem putat Propheta, neque tolerandam putat ignominiam. Quod licèt animi sit infirmi, tamen constantissimi animi è Gentilibus multi egregium iudicarunt argumentum, & generosi pectoris illustre testimonium. Hic laudari Cato Vticensis, Brutus, Lucretia, & complures alij, qui mortem subire maluerunt, quàm seruitutem, & infamiam. Sed reuera aberrarunt quàm longissimè ab omni recta, & prudenti cogitatione: cùm illud animi sit languidi ac mollis, qui obniti non possit contra aduersantis fortunæ, aut luxuriantis ludibria, non eius, qui se prudenter & fortiter ad omnes euentus, & aleas cõparauit. *Melior est*, inquit, *mihi mors, quàm vita.* Cur ita? Quia vita ærumnosa, & tristis, longa mors est, imò & quotidiana. Iuxta illud Senecæ, 7.

Seipsum occidere infirmitatis potius est, quã fortitudinis.

—— mortis habet vices
Cùm lentis trahitur vita doloribus.

Quemadmodum multi, vt grauia & lenta declinarent incommoda, mortem optauerint, diximus in nostris Commentarijs super Ieremia, *ad cap. 20. vers. 14. & cap. 32. vers. 5.* vbi exemplorum satis ex vtraque Scriptura, tam sacra, quàm externa.

Vers. 4. *Et dixit Dominus: Putásne bene irasceris tu?*] Non reprehendit Dominus Prophetam, cùm de ventre ceti, quasi de naufragio in aridam emersit incolumis: quia aspexit humilem, & ipsa vexatio dura id præstitit in animo immutato, quod præstare potuit dura reprehensio. Ita Hieronym. in principio cap. 3. *Non dicitur Propheta (cùm secundò mittitur in Niniuen) Quare non fecisti, quod tibi fuerat imperatum? sed sufficit ei naufragij, & deuorationis sola correptio, vt qui imperantem non senserat Dominum, intelligeret liberantem. Alioquin superfluum est delinquenti seruo, post plagas velle imputare quod fecit, cùm huiuscemodi correptio, non tam emendatio sit, quam exprobratio.* At hìc reprehendit, neque vt ipsa indicat verborum forma non leuiter postquam datum sibi negotium diligenter obierat, & eius laborem tãtæ multitudinis conuersio consecuta fuerat: quod vnum ex Prophetæ ministerio spectabat Dominus: quia in illo mutatum videbat affectum, & redisse ambitionis spiritum, qui illum priùs à diuino profugum imperio in mare coniecerat, & ceti ventrem. Frangit Dei furorem humilitatis spiritus, acuit ambitiosus & insolens. Missi fuerãt Euangelij gratia à Christo discipuli, qui cùm sibi immoderatiùs placuissent, inflati secundo rerum euentu, dixissentque Lucæ cap. 10. vers. 18. *Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis, in nomine tuo.* Illis respondit Christus, *Videbam Satanam, quasi fulgur de cælo cadentem.* Quam seueram esse reprehensionem putant quidam ex Patribus, quasi Deus dixerit similes esse discipulos illos, dum se in re feliciter gesta amant immoderatè, Satanæ, qui dum vana de suis donis cogitatione superbit, sicut fulgur de cælo cecidit, quam ruinam illis quoque minatur, si ambitioso insolescant spiritu. Sic Gregor. lib. 23. cap. 7. Moral. *Mirè*, inquit, *Dominus, vt in discipulorum cordibus elationem premeret, iudicium ruinæ retulit, quòd ipse magister elationis accepit, vt in auctore superbiæ discerent, quid de elationis vitio formidarent.* Probat in Catena S. Thom. idem Cyprian. *sermone de ieiunio, & tentationibus.* Hieronym. *in cap. 3. Isaiæ*, ad illud, 8. 9.

Frangit Dei iram humilis spiritus, acuit superbus.

Superbi etiã post vtiles labores odiosi Deo.

Et dabo pueros principes eorum. Vbi, ex sententia Apostoli, dicit prohiberi Neophytum ne Episcopus sit, ne insolescat, & pereat. *Apostolus*, inquit, *prohibet Episcopum fieri Neophytum, quia paruulus in fide est, ne elatus in superbiam incidat in iudiciũ diaboli. Iudicium autem diaboli nullum est aliud nisi superbia eius, propter quam de cælestibus cecidit: vnde Saluator loquitur: Videbam satanã, quasi fulgur de cælo cadentem.*

10. Ad interrogationem illam, quid responderit Ionas, si tamen aliquid respondit, Scriptura silet: quid tamen responsurus fuerit, ipse significat, cùm *vers. 9.* ad eandem interrogationem responderit, *Bene irascor ego vsque ad mortem.* De cuius significatione postea.

11. Vers. 5. *Et egressus est Ionas de ciuitate, & sedit contra orientem ciuitatis.*] Quæ proximè diximus, in ciuitate contigerunt, cùm maximè opus ferueret pœnitentiæ, ex quo quid futurum esset, ex Dei mitissima natura coniectabat Propheta. Quare indignatus, excedit ex vrbe, quo tempore, vt seriò atque constanter in illud opus incumberent, Niniuitas exhortari debuit, & confirmare mœrentes, atque languentes animos, ne in eo ardore ac contentione deficerent. Egressus est autem, vt contemplaretur rerum euentum, an videlicet homines ieiunij ac saccorum tædio, ad pristinas delicias & scelera redirent, & intra definitum quadraginta dierum spatium, rursus diuinus furor efferuesceret, & propheticas minas non excidisse vanas & nugaces ostenderet.

12. *Et fecit sibimet vmbraculum ibi.*] Longè erat Ionas, vt cinerem amaret, & saccum quando vmbraculum sibi quærit, & quietem, & à ieiunantium & sagatorum societate discedit. Egressus autem videtur in proximum locum, & præaltum, tum vt commodiùs spectare posset ciuitatem, illustre videlicet lugentium, ac pœnitentium theatrum: tum præterea ne si quid à diuino furore accideret ciuitati, ad ipsum propter loci communitatem aliquid duriùs perueniret. Meminerat fortasse illarum ciuitatum, quas & mare mortuum oppleuit pestilenti influxu, & cæleste omninò deleuit incendium, quarum commune supplicium effugit Loth *Gen.* 19. ad montem egressus, qui proximè incumbebat ciuitati. Neque minus fortasse, aut spectabat, aut timebat Propheta, cùm Sodomæorum, ac Niniuitarum mores videret non esse dissimiles.

13. Vers. 6. *Et præparauit Dominus Deus hederam, & ascendit super caput Ionæ.*] Clementis est, & prudentis medici, tale adhibere remediũ, quale exigit & morbi natura, & ægrotantis affectus, & sic ad vtrunque attemperare medicinam, vt neque otiosa sit, neque cruciet vehementer, aut ita conficere, vt ad illam, cùm sumit, non nauseet ægrotus, & tamen postea dum ab humore noxio liberat, torqueat viscera, moueat nauseam, & seipsum tunc prodat, quando ab ægroto euitari non potest. Eo modo Dauid reprehensus à Nathan inducta ouis similitudine, qui si aliter rem non obliquè, sed directò foret aggressus, irritasset regem, neque ab illo aliquid extorsisset, præter iniuriam. Illa verò reprehensione artificiosa, id consecutus est, vt & rex suum agnosceret peccatum, & vocẽ ederet doloris ac pœnitentiæ testem, cùm dixit, *Peccaui Domino.* Eodem nunc Deus vsus est artificio, qui crescente ac subitò marcescente hedera, suum Prophetæ stultitiam & crudelitatem exprobrauit, & eò adduxit, vt est verisimile, licèt Scriptura sileat, Prophetam, vt suum ipse peccatum agnosceret, & sicut Niniuitæ de aliis, sic ipse de suo pœnitentiam ageret. Quomodo iracundi, & commoti grauiter animi reprehendendi sint; docet optimè Gregor. 3. *parte Pastoral. cap.* 17.

Correctio ad peccatoris ingenium, & affectum attemperãda.

Correctio artificiosa.

Quo igitur tempore egressus est Propheta, 14.
quod fuisse æstiuum verisimile est ex Solis æstu feruentissimo, cùm extruxisset vmbraculum, siue ex stipulis, seu virgultis obuiis, tumultario opere contextis, fecit Dominus, vt subitò nasceretur & cresceret hedera, quæ illud rude operiret vmbraculum, & Prophetæ caput ab illa caloris inclementia defenderet.

Vbi vulgatus *hedera*, Hebr. est קיקיון *kikaion*, 15.
cuius significatio obscura est, sicut & aliarum plantarum, quas ipsi etiam Hebræorum Magistri ignorant. Septuaginta conuerterunt *cucurbitam*, quæ lectio, cùm ad tempus vsque Hieronymi inueterasset in Ecclesia, cùm hi, qui aures dudum habuissent antiquæ lectioni assuetas, duriùs tulerunt, cùm in sua translatione Hieronymus reddidit *hederam.* Qua de re, cùm Augustinus familiariter Hieronymum admoneret, ipse quid de voce Hebraica קיקיון sentiret, pluribus explicuit. Sic autem Augustin. ad Hieronym. Epist. 10. *Quidam frater noster Episcopus, cùm lectitare instituisset in Ecclesia, cui præest, interpretationem tuam, mouit quiddam longè aliter abs te positum, apud Ionam Prophetam, quàm erat omnium sensibus memoriaque inueteratum, & tot ætatum successionibus decantatũ: factus est tantus tumultus in plebe, maximè Græcis arguentibus, & inflammantibus calumniam falsitatis, vt cogeretur Episcopus* (ea quippe ciuitas erat) *Iudæorum testimonium flagitare.* Huic reprehensioni respondet Hieronymus, in quadam epistola, quæ proximè superiori subiicitur, & est inter Augustini epistolas vndecima. In qua idem penè dicit, quod in Commentariis, vbi etiam respondet alteri obtrectatori, qui eandem illi translationem obiecerat. Sic autem in Commentariis Hieronymus, *In hoc loco quidam Canthelius Romæ dicitur me accusasse sacrilegij quod pro cucurbita hederam transtulerim, &c. Pro cucurbita siue hedera Hebr. legitur קיקיון quæ etiam lingua Syra, & Punica Elceroa dicitur. Est autem genus arbusculæ, vel virgulti lata habens folia in modum pampini, & vmbram densissimam, suo trunco se sustinens, quæ in Palæstina creberrime nascitur, & maximè in arenosis locis, mirúmque in modum si sementem in terram ieceris, citò confota consurgit in arborem, & intra paucos dies, quàm hederam videras, arbusculam suspicis. Vnde & nos eodem tempore, quo interpretabamur Prophetas, voluimus idipsum Hebrææ linguæ nomen exprimere, quia sermo Latinus hanc speciem arboris non habebat. sed timuimus Grammaticos, ne inuenirent licentiam commentandi, & vel bestias Indiæ, vel montes Bœotiæ, aut istiusmodi quædam portenta confingerent, secutique sumus veteres translatores, qui & ipsi hederam interpretati sunt, quæ Græcè κισσὸς: aliud enim quid dicerem non habebam.* Hæc Hieron.

De hedera magna contra Hieronymum excitata turba.

Coniectat autem optimè hîc Ribera קיקיון 16.
nomen esse commune illis arbustis, quæ & breui crescunt, & accommodatas habent frondes, ad opacandum locum: atque ideo alij alios frutices huic generi subiectos reddiderunt: vt Septuaginta cucurbitam, quos secuti sunt nonnulli Hebræorum, & quidem Abenezra Iudæis Hispanis id placuisse affirmat: sed planè non omnibus, nam in manuscriptis codicibus, quos apud me habeo, ab antiquissimis Iudæis Hispanè translatos, non est cucurbita, sed platanus. Alij cucumerem vertunt, alij rhicinum, quam Hispani *higuera de el infierno* vocant: alij nomen ipsum Hebrai

Pro hedera variæ aliorum translationes.

REGVLA. *Commune nomen variè à variis redditur.*

Hebraicum reliquerunt, dum reddunt *kicaion*. Cuius rei alia nos habemus exempla. סוף *suph* herbam significat marinam, & palustrem, quam alij caricem, alij iuncum, algam alij, alij papyrum reddiderunt. אשישות *asisoth*, vt pluribus super Cantica diximus, ad illud cap. 2. *Fulcite me floribus*, id propriè significat, quod exhilarare conuiuia solet. vnde quidam flores, alij similam, alij lagenas, alij popana, alij pemmata transtulerunt: quia hæc iucunda faciunt, & splendida conuiuia.

17. *Et lætatus est Ionas super hederam lætitia magna.*] Mirum hoc est, quod in conspectu ciuitatis iamiam aut cælesti incendio flagraturæ, aut vasto absorbendæ terræ hiatu, vt spetabat, aut cupiebat, exultet gaudio Ionas, quia à cucurbita, aut hedera vmbram habet exiguam. Gaudebat quidem Ionas, quòd vmbram capiti suo opponeret à sole, sed gaudebat etiam quòd putaret voto suo responsurum esse Deum, quod coniectabat ex eo non fuisse repudiatum, quòd ipsi tam promptum, támque opportunum vmbraculum, præter omnem expectationem, & naturæ vires præbuisset. Quantum porrò lætitiæ cepit, quòd subitò nasceretur, & adolesceret hedera, tantum postea, quòd aruisset, hausit doloris, quia signum exciderat, quo excitati ac confirmari credebat vaticinij fidem.

18. Vers. 7. *Et parauit Deus vermem, in ascensu diluculi in crastinum, & percussit hederam, & exaruit.*] Magnum sibi putabat Propheta, aduersùs Solis æstum, paratum esse ab hedera subsidium: neque, opinor, existimabat aliquid sibi fore ab ardore molestiæ, cùm Deus tam opportunum obtendisset vmbraculum. Sed antequam Sol exoriretur, sub ipsum matutinum crepusculum, misit Dominus vermem, qui arbusculæ radicem eroderet, & spem omnem oblatæ commoditatis eluderet. Cùm autem Sol primùm emersit, iam illa foliorum luxuries emarcuerat, neque minus videtur esse miraculum, tam citò arefactam, quàm breui priùs in eam altitudinem elatam fuisse hederam, & laxis ramis sic esse diffusam, vt vmbram præbere potuerit æstuanti Prophetæ.

19. Vers. 8. *Et cùm ortus esset sol, præcepit Dominus vento calido, & vrenti.*] Cùm iã Ionas esset nudus ab hederę præsidio, duos Deus misit sæuissimos hostes, qui grauiùs afficerent Prophetam, & illius patientiam magnopere tentarent, solem videlicet, qui in æstate, & terra alioquin calidissima vehementer vrit, tum deinde ventum calidissimum, qui alio etiam tempore molestissimus esset. Sanè hæc est animi constantis, & bene constitui legitima probatio, cùm maximè incurrunt aduersa, cùm maximè absunt, quæ nobis aut firmamento, aut lenimento esse potuerunt. Tunc Deus, vt magis probetur Iob inuictus animus, duriùs illum afficit, cùm ab omni humano subsidio, ac medicina destitutus nihil haberet, quo morbum depelleret, aut leuaret. Hìc Ionas exhibere potuit graue de sua virtute documentum, cùm nudus & inermis à duplici ardore grauiter æstuaret, sed contra accidit: nam hìc, si vspiam, grauis erupit impetus impatientis animi.

Patientia probatio.

20. *Et petiuit animæ suæ, vt moreretur.*] Præparauit Dominus antè piscem, in cuius stomacho grauiùs vrebatur, & coquebatur, quàm nunc à sole, atque vrente vento, & tamen tunc orabat pro vita: nunc, quia æstum illum ferre non potest, mortem optat, dum ab ea molestia liberari contingat. Sed cur doleat de æstu, cùm illum ea ratione vi-

Gasp. Sanctij Com. in Ionam.

tarent Niniuitæ, quam ipse habuit, neque magis impeditam, neque minus promptam? Cur arefacta hedera, non subit speluncam, aut vrbem ingreditur, vbi ad calorem euitandum, magis erant apta diuerticula? Non, credo, eripi tibi vitam & lucem postularet, si tantum pateretur à vento vrente, nisi intus multo grauiùs vreret ambitionis æstus, aut ignominiæ timor. Ferebat enim iniquissimè, eò existimationem suam esse deductam, vt vanus haberetur Propheta, atque delirus vates. Quod faciant hodieque quamplurimi, qui vt ignominiam à se depellant, mortem oppetunt interdum sempiternam, & si quid ignominiosum patiuntur, aut timent, fulmen optant in caput suum vibrari, aut terram dehiscere cupiunt, & precantur. Illud *petiuit animæ suæ vt moreretur*, phrasis est Hebraica: anima enim alicuius idem est, quod aliquis: anima mea, idem quod ego. Quare dum Propheta dicit, *petiuit animæ suæ*, nihil est aliud quàm sibi optasse, aut petiisse mortem. Eodem dicendi genere vsus est Elias 3. *Reg. cap.* 19.

Ignominia durum tormentum.

21. Vers. 9. *Putásne bene irasceris tu super hederam.*] *Putásne* idem valet quod *numquid*. Licèt *bene* idem interdum valeat, quod *satis*, aut *valde*. Vnde qui valde doctus, aut sanus est, *bene sanus*, aut *bene doctus* dicitur: & *bona pars hominũ* pro magna parte, aut multitudine hominum vsurpatur: tamen hìc, vt reor, *bene* idem est, quod iustè, aut meritò. Quare sensus est, nũquid existimas te iustè nunc irasci, aut tuam esse iustam iracundiam?

Bene idem quod valde.

22. *Bene irascor ego vsque ad mortem.*] Satis grauem, & iustã dicit esse iracundiæ causam, & ita grauẽ, vt mirum videri non debeat, si furor illi & ex eo dolor vitam eripiat. Quasi magna foret iactura amisisse arbusculam vsqueadeò infirmam, vt vna nocte creuerit, vsqueadeò futilem, vt temporis momento, ab vno vermiculo succidi, ac labefactari potuerit. En cur doleat, & irascatur Propheta Domini: en cur morte illum animi angorem redimere voluerit. Illud *vsque ad mortem*, ex Hebræorum idiomate, idem valet quod vehementissimè, itaut mortis habeat vicem, neque segniùs declinandum sit quàm mors. Vnde ægrotare aliquis dicitur vsque ad mortem, vt Ezechias Isai. cap. 38. & Matth. 26. *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Neque aliud fortasse valet illud Ioan. cap. 13. *in finem dilexit eos*, id est, ad mortem vsque, nempe amore feruentissimo: finis enim est mors.

Vsque ad mortẽ, idem quod valde.

Vers. 10. *Tu doles super hederam, in qua non laborasti.*] Huc spectat illius hederæ subitus exortus, & incrementum, & deinde repentinus interitus, vt ex dolore immoderato, atque stulto Prophetæ, pro re leuissima ostendat Deus, sibi esse grauissimam dolendi causam tantæ ciuitatis miserandum exitium. Ac si dicat Deus: Doles quòd herba exaruerit: quid si arbor procera, atque robusta, & nobilium pomorum ferax; quid si à te plantata; quid si multis annis, magno studio, atque opere exculta; quid si ex illa futura tibi non ad cibum solùm, sed ad vmbram, & mille alias delicias futura commoditas? Atqui ego plantaui Niniuen, illam tot iam sæculis conseruaui, & colui, & ad eam amplitudinem prouexi, ad quam, aut nullus, aut paucissimi conuentus hominum peruenere. Quæ licèt nunc spinis horreat, & aridæ ac mortuæ videatur esse similis, ex illa tamen & capiam postea, & nunc etiam capio cum voluptate pœnitentiæ fructus. 23.

Vers. 11. *Qui nesciunt, quid sit inter dexteram, & sini-* 24.

sinistram suam.] Prouerbialis figura, qua summa significatur ignorantia, qualis esse solet in infantibus. Latini aliis modis explicant, sed quidam illorum indigni sunt, quos pudicus lector à religioso audiat. Tale est illud Horatianum,

15. *Nec tamen ignorat quid distent æra lupinis.*

Hic tu considera, quanta sit in diuino pectore clementia, quanta ad ignoscendũ pronitas: quàm facilè si verus adsit de pecatis dolor, & non fucata pœnitentia, leniatur animus, iustissima priùs indignatione commotus. Infantium adhuc intaminati mores, & simplex ingenium, & ipsa etiam muta animantia furorem excusserunt è pectore: quorum illis præ lactis desiderio adhæsit palato lingua, & ex aridis faucibus vagitus auditus est exanimatus, & aridus: his verò & negata pabula, & addita aspera spinosaque cilicia, & assiduos rugitus expresserunt.

16. Ignouit Dominus Niniuitis, quia ipsi diuer- A sum inierunt vitæ modum: quia tamen non longè pòst redierunt ad vomitum, non longè post hæc tempora subuersi sunt. De quorum interitu pluribus agemus, cùm, fauente Deo, ad Nahum prophetiam illustrandam commentatione venerimus, quæ maxima ex parte Niniuitas petit. De Iona nihil habemus aliud, quàm quod ipse de se scriptum prodidit, & quod præterea nos in huius commentationis prolegomena contulimus. Est autem verisimile post hanc admonitionem, mutasse Prophetam animum, & deinceps seipsum diuinæ voluntati præstitisse morigerum. Quod negare esset omninò impium, cùm id fidelibus in suo Martyrologio proponat Ecclesia: neque contrà pugnat veterum Patrum, aut Scriptorum auctoritas. Sic autem Romanum Martyrologium ad diem vigesimum primum Septembris: *In terra Saar, sancti Iona Prophetæ, qui sepultus est in Geth.*

IN

IN MICHÆAM PROPHETAM COMMENTARII.

A

PROLEGOMENON I.

De patria, & genere Michæa.

1. *Michaa genus, & patria.* MICHÆAS Morasthites appellatur, an à patria, vel à parente, incertum, plerique à patria existimãt, & hoc verius. Quidam Michææ patriam Maresam esse credunt, de qua *Iosue cap.* 15. ita cum Chaldæo sentiunt è recentioribus multi, in quibus sunt Vatablus, Mõtanus, Isidorus, Masius in citatum locum Iosue. Sed Hieronymus, cuius sententiam amplectuntur frequentes alij, Morasthi Michææ patriam esse affirmant, eamque à Maresa & situ, & nomine secernit. Cùm enim in locis Hebraicis dixisset priùs Maresam ad Iudæ pertinere funiculum, secundo ab Eutheropoli lapide, mox subiicit, *Morasthi, unde fuit Michaas propheta, est vicus contra Orientem Eleutheropoleos.* Morasthi verò ad Iudam pertinet, vt ipse indicat Propheta, *cap.* 1. *v.* 9. vbi ait, *Veni vsque ad Iudam, tetigi portam populi mei, vsque ad Ierusalem.* Siue autem Michææ patria fuerit Morasthi, siue Maresa, mihi maximè videtur esse probabile genere esse Iudæum, id est, è tribu Iuda. Nam Maresa *Iosue cap.* 15. *v.* 44. in Iudæ sortem contributa est, eodem modo Morasthi, quæ cùm ad Eutheropolim, vt docet Hieronymus *in prologo*, pertineat, quæ à Maresa secundo tantùm distat lapide, probabile, & penè necessarium est, ad Iudam pertinere, sicut etiam Maresam. Sunt qui Ephraimitam Michæam esse sentiant, in quibus sunt Epiphanius, Isidorus, Dorotheus *in Synopsi*, Chronicum Alexandrinum. Sed quod diximus ex Hieronymo, magis est, & veritati, & aliorum opinioni consentaneum.

PROLEGOMENON II.

Quo tempore prophetauerit.

PRophetauit Michæas, quo tempore Oseas, Amos, & Isaias, nempe sub Ioatham, Achaz, & Ezequia, vt ipse docet statim in principio, sed non attigit Ozie tempora, sicut alij, vt docet Hieronymus *cap.* 1. & Augustinus *lib.* 18. *de Ciuit. cap.* 23. Ex quo colligo primùm non prophetasse sub Iosia, vt existimauit Isidorus: quia non videtur ad illam ætatem peruenire potuisse, cùm inter Ioatham, & Iosiam centum atque viginti anni intercesserint, & est satis verisimile quando prophetare cœpit sub Ioatham, ætate iam fuisse matura, & grandi. Ego crederem scriptorum hîc esse errorem, & incuriam, nisi viderẽ eo Isidori loco cum Iosiæ nomine, Sophoniam quoque fuisse coniunctum, qui sub Iosia prophetauit, ac floruit: duo autem nomina fuisse corrupta non videtur ita facile. Neque magis verisimile videtur, quòd quidam communi nomine decepti existimarunt hunc nostrum Michæam, in cuius nunc commentationem incumbimus, illum esse, qui in tempus Achab, & Iosaphat incidit, quorum ille Israelis, hic verò Iudæ principatum obtinuit. Cùm inter hos duos reges & Ezechiam, ad cuius vsque tempus prophetiam produxit, ducenti, & eo plures intercesserint anni. Ita tenent Athanasius *in Synopsi*, Epiphanius *libro de vita, atque obitu Prophetarum*, Dorotheus *in Synopsi*, Eusebius *in Chronico*, & Chronicum Alexandrinum. Prophetauit quidem Michæas tempore Achab, cui dirum denunciauit bellorum exitum, & à quo eam ob rem coniici iussus est in vincula, & sustentari pane tribulationis, & aqua angustiæ, 3. *Reg. cap.* 22. sed ille fuit alius ab hoc nostro, qui vocatur *ibid. v.* 9. filius Iemla.

Quo tempore prophetauit. 1.

Duo propheta dicti Michaa.

B

C

Nn 4 PROLE

Digitized by Google

PROLEGOMENON III.

De vita, & morte Michææ.

3. Michææ vita, & mors.

DE vita nihil habemus aliud, quàm quod nobis ipsius prophetia obscurè suppeditat. Quòd videlicet durum intorserit vaticinium contra Ierusalem, & Samariam. De morte illi iidem, qui sub Achab vaticinatum esse putant, multa dicunt, sed quæ, si vera sunt, magis in alium conueniant Michæam, quàm in nostrum. A Audi nunc in Epiphanio plures alios. *Michæas*, inquit, *cùm plurima designasset Achab regi Iuda, ab eiusdem filio Ioram præcipitatus occubuit, eo quòd de iniquitatibus suis, progenitorúmque suorum, quas perpetrauerant, redarguisset. Is mortis carcere liberatus in Marathi propria terra planè solitarius tumulum iuxta Polyandrum, Dorotheus addit Enakim, Chronicum Alexandrinum, Akim sortitus est. Et est quidem monumentum ipsius vsque ad hodiernum tempus nobilissimum.* Hæc cum Epiphanio alij, sed, vt dixi, à nostro Michæa longè aberrant.

IN

Digitized by Google

IN CAPVT PRIMVM

ARGVMENTVM.

GRAVE Samariæ, & in ea decem tribubus exitium denunciat Propheta, & illud accommodata similitudine declarat. Quæ res clementem eius animum sic compungit, & afficit, vt dicat deponenda sibi fore vestimenta, & draconis atque struthionis more, lugubre sumendum esse lamentum. Cúmque Samaria ignominiosè & crudeliter ab hoste barbaro, ad alienum solum traducenda sit, non tamen inquit à tribu sibi vicina atque cognata, vllum exhibendum aut doloris signum, aut humanitatis officium: quia Judæa idem suo capiti periculum metuet, & illud reuera experietur ex parte, quod ab Assyriis cognatis sibi tribubus imponi videt.

CAPVT I.

1. *VErbum Domini, quod factum est ad Michæam Morasthiten, in diebus Ioathan, Achaz, & Ezechiæ, regum Iuda: quod vidit super Samariam, & Ierusalem.*

2. *Audite populi omnes, & attendat terra, & plenitudo eius: & sit Dominus Deus vobis in testem, Dominus de templo sancto suo.*

3. *Quia ecce Dominus egredietur de loco suo: & descendet, & calcabit super excelsa terræ.*

4. *Et consumentur montes subtus eum: & valles scindentur sicut cera à facie ignis, & sicut aquæ, quæ decurrunt in præceps.*

5. *In scelere Iacob omne istud, & in peccatis domus Israel, quod scelus Iacob? nonne Samaria? & quæ excelsa Iudæ? nónne Ierusalem.*

6. Et

PARAPHRASIS.

A 1. HOc verbum accepit à Domino Michæas Morasthites, contra Samariam & Ierusalem, id est, duodecim tribus, in duos populos ordinésque distinctas: quo tempore Iudaicarum rerum potiebantur Ioatham, Achaz, & Ezechias.

2. Audite populi, tribus, & gentes: audi tu præsertim, ô terra, quam Deus Israeliticæ gentis habitationi destinauit, & quicquid illam habitat, & complet. Sit mihi testis Deus, qui de cælo, tanquam de templo suo, cuncta latè longéque prospectat, qui vbique præsens est, & cuius oculos nihil omninò latet, quemadmodum ad

B vos acceptum ab ipso mandatum, fideli denunciatione pertulerim.

3. Hoc verò vaticinium est, & quod ad vos perfero à Domino mandatum. Ecce instat vobis à Domino supplicium: iam enim armatus egreditur è loco, vbi quietus adhuc, atque pacatus esse videbatur; descendet enim quasi alius à seipso, & quæ in promissa terra excelsa, atque eximia esse existimantur, conculcabit, ac sternet.

4. Principes qui in montibus, & inferior alia multitudo quæ significatur in vallibus, sic tabescent, cùm Dominus vltor & iratus descenderit, sicut cera solet ab incendio. Neque plus habebunt principes

C in suo fastigio firmitatis, quàm aqua, quæ in decliui stare nescit, sed præcipiti quodam impetu ad inferiora delabitur. Sed neque alij, quos vallium alta profunditas adumbrat, immunes erunt à communi malo: deprimentur enim multo magis, quemadmodum si in profundam altitudinem depressæ valles, vasto aliquo ac repentino hiatu, ad ima terræ viscera dehiscant.

5. Hanc porrò labem atque ruinam inuehent peccata, quæ in Deum admisit Israel, cùm à patria, & verà religione ad impia idolorum simulacra defecit. Tanti verò sceleris causa, & quasi semen quod-

dam

Digitized by Google

A dam fuit Samaria, cùm aureos conflauit vitulos, & Ierusalem ciuitas regia, vbi sapientiæ ac religionis sedes. Quæ etiam ipsa sua habet excelsa, vbi scelerata obeat sacrificia: quæ vsqueadeò serpentem idololatriæ labem non resecat, vt impiorum prouocet & alat audaciam.

6. Et ponam Samariam quasi aceruum lapidum in agro cùm plantatur vinea: & detraham in vallem lapides eius, & fundamenta eius reuelabo.

6. Quod ad Samariam attinet, de qua nunc sermo, eò illam redigam, vt euersis funditùs ædificiis, nihil in ea supersit, præter aceruos lapidum, quales in vineis spectari solent, quos vinitor congregat, cùm B ad commodam vitium plantationem agrũ elapidat. In subiectam quoque vallem, è subuersis ædificiis saxa deuoluam, & vrbem ipsam, ab imis vsque fundamentis excindam.

7. Et omnia sculptilia eius concidentur, & omnes mercedes eius comburentur igne, & omnia idola eius ponam in perditionem, quia de mercedibus meretricis congregata sunt, & vsque ad mercedem meretricis reuertentur.

7. Omnia simulacra, quæ in idolorum cultum Samaria conflauit, conterentur, & donaria omnia, quæ ad illorum instructum & ornatum luxuriosè contulit, tradentur incendio. Idola quoque cuncta disperdam, quæ ex meretricio quæstu fabrefecit execranda luxuries. Et dona, quæ diis à Samaria C fabricatis, & cultis, erepta fuerint ab Assyriis, illa eadem ad Assyrios deos, quasi ab vno prostibulo in aliud transferentur.

8. Super hoc plangam, & vlulabo: vadam spoliatus, & nudus: faciam planctum velut draconum, & luctum quasi struthionum.

8. Cùm ergo tot Israelitidi genti immineant infortunia, plangam, & vlulabo: quid enim faciam, vbi sic à barbaris contribulium meorum fortuna, statúsque conuellitur? Discindam, quod in planctu atque mœrore solet, vestimenta, & ciuitatis compita nudus, atque spoliatus obibo. Sic autem vlulabo, sicut draco, quando graui elephanti pondere oppressus extinguitur, D aut sicut struthio, cùm paratam à venatore cædem, filiis suis auertere non potest.

9. Quia desperata est plaga eius, quia venit vsque ad Iudam, tetigit portam populi mei vsque ad Ierusalem.

9. Vlulabo, inquam, quia spem nullam video instaurandæ plagæ, quam iamiam accipiet Israeliticus populus ab Assyriis, quæ sic latè vniuerséque grassabitur, vt ad Iudam, & ipsas quoque portas Hierosolymæ perueniat.

10. In Geth nolite annunciare, lacrymis ne ploretis, in domo pulueris puluere vos conspergite.

10. Facite, ô viri Israelitæ, ne quisquam ex Gethæis aut Israelitici populi hostibus plagam vestram aut dolorem intelligat. E Quare cohibete in lacrymando erumpentes gemitus, & omnem planctum, vlulatúmque comprimite. Plorare itaque desinite, & quando pulueris, & cineris abundè est, in patriæ siue ruina, siue busto, puluere vos ac cinere conspergite, ac tacitè regionis vestræ fortunam deplorate.

11. Et transite vobis habitatio Pulcra, confusa ignominia: non est egressa quæ habitat in exitu: planctum domus vicina accipiet ex vobis, quæ stetit sibimet.

11. Transibis, ô Samaria, ciuitas vbertatis atque amœnitatis eximiæ, ignominiosè traducta, neque egredietur vicina prouincia Iuda, quæ te videbit à tuis finibus extorrem abduci, vt tecum fleat, & familiari lamentatione consoletur: quia ipsa

12. Quia

Digitized by Google

A ipsa licèt nihil ab hoste passa fuerit, tamen in tuo exitu ac capite discit, quid suo sibi capiti timendum sit.

11. *Quia infirmata est in bonum, quæ habitat in amaritudinibus: quia descendit malum à Domino in portam Ierusalem.*

12. Neque mirum est, si suis lacrymis Israelis lacrymas non comitetur vicina, atque cognata Iuda, cùm sortem suam, quam adhuc illibatam videt, diu futuram esse firmam atque incolumem non speret. Quare in angore viuit & metu, dum occursat sæpe oculis species labentis, atque gementis patriæ, quin malum hoc, quod tibi ab Assyriis contigisse cernet, ad portam

B vsque Ierusalem aliquando perueniet.

13. *Tumultus quadrigæ stuporis habitanti Lachis principium peccati est filiæ Sion, quia in te inuenta sunt scelera Israel.*

13. Ex ciuitatibus Iudæ prima omnium quadrigarum sonitum, & ex eo stuporem ab Assyriorũ castris excipiet Lachis. Quæ Ephraimiticos attingit fines, quæ ex noxia illa & pestilenti vicinitate, corruptos Samariæ, & quasi gentilicos mores contraxit, vnde ad reliquas ciuitates Iudæ, & ad ipsam filiam Sion, & ciuitatem sanctam contagio serpsit.

14. *Propterea dabit emissarios super hereditatem Geth domus mendacij in deceptionem regibus Israel.*

14. Quia à Senacherib Assyriorum re-

C ge, post direptam euersámque Samariam, capta est Lachis, ex ea emissarios sumet, & expeditos milites, quibus contra Gethæos auxiliatoribus vtatur. Qui domos mendaces & vanæ religioni deditas, quíque exemplo pessimo, & pestilenti contagione vicinos sibi populos corruperunt, graui aliquo afficient detrimento.

15. *Adhuc heredem adducam tibi quæ habitas in Maresa: vsque ad Odollam veniet gloria Israel.*

15. Et in tuos fines, ô Maresa, iuxta tui nominis notationem, hæredem inducam, regem videlicet Assyriorum, qui illas non aliter adibit libero, atque sedato gres-

D su, quàm si hæreditario iure legitimus hæres accepisset. Et inde ad Odollam quoque progredietur pondus, & ignominia, quæ oppressit priùs, & pudefecit Israel.

16. *Decaluare, & tondere super filios deliciarum tuarum: dilata caluitium tuum sicut aquila, quoniam captiui ducti sunt ex te.*

16. Nunc ergo abrade tibi, lugentium more, è capite cæsariem, & indue tibi pro filiis, quos molliter antè ac delicatè nutrieras, deforme caluitium. Imò maius aliquod exhibe non tantùm deformitatis, sed etiam doloris argumentum. Neque enim satis est, totondisse ac rasisse caput, talem in te speciem assume, euulsis radicitus pilis, qualem aquila, cui ita plumæ deflu-

E xerunt è toto corpore, vt nulla sit reliqua stirps & radix, ex qua deciduæ pennæ iteratò repullulent. Neque multum abs te exegisse videor, cùm non vnus tibi, sed omnes filij lugendi sint, quos captiuos complexu tuo Assyrius abducet.

Vers. 1.

Verſ.1. *Verbum Domini quod factum eſt ad Michæam Moraſthitem in diebus Joathan, Achaz, & Ezechiæ regum Iuda, quod vidit ſuper Samariam, & Ieruſalem.*]

Prophetat contra Ieruſalem, & Samariam.

1. HORVM regnum tēpora ſexaginta & vnum annos cōplent: an verò toto hoc ſpatio Michæas prophetarit, incertum eſt. Illud certum ſub hiſce tribus regibus afflictum eſſe valde, & tandem extinctum ab Aſſyriis Iſraelis, id eſt, decem tribuum illuſtre quondam, & antiquum imperium, & licèt Iudæorum ſteterit, durè tamen fuiſſe vexatum. Qua de re vide *lib.4.Reg. à capite 15.* Quem verò populum Michææ prophetia deſignet, & petat, ipſe docet, dum ait vidiſſe ſe verbum ſuper Samariam, & Ieruſalem, vbi *verbum* commune eſt tam ſermoni, ſeu voci, quàm viſioni: ſicut etiam *video*, quæ cognitionem ſignificat, quocunque illa ſenſu capiatur. Verbum enim apud Hebræos multo plura ſignificat, quàm apud Latinos, tam enim latè patet, quàm *res*. Et quod ad hunc locum pertinet, verbum id valet, quod propheticis, ſiue auribus, ſiue oculis obiicitur. Et cùm verbum *video* propriè ſignificet oculorum opus, frequenter tamen ad aliorum ſenſuum opera traducitur, vnde in omni lingua vſitatum, & frequens. *Vide quod ille dicat, quàm ſuauiter canat, quàm dulce, quàm durum, quàm odoriferum ſit*, & ſimilia. Quare *videre* verbum idem eſt quod audire, ſeu verbum auribus, ſeu rem oblatam alio quouis ſenſu.

Verbi ſignificatio latè patet.

Video multa ſignificat.

A

B

2. Verſ. 2. *Audite populi omnes, & attendat terra, & plenitudo eius.*] Magnum aliquid indicat hic abruptus exordiendi modus, vt etiam obſeruarunt rhetores, qui nō ſolet niſi ab incitato ſpiritu prodire; imò ſi ſpiritus dolore, aut zelo, aut alio quouis affectu vehementer æſtuet, non ſolet aliter orationi exordium inſtituere. Sic ſanè ex profanis Cicero contra Catilinam, ſic Perſius ſatyra prima; ſic millies aut in comœdiis vulgaris turba, aut in tragœdiis reges, & heroës. Sed neque id in ſacris voluminibus infrequens. Hoc incepit modo Iſaias ſub hæc eadem tempora. *Audite cæli, auribus percipe terra: quoniam Dominus locutus eſt.* Item multo antea Moyſes Deut. 32. *Audite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei.* Eſt autem hæc aptiſſima captandæ attentionis, & prophetica forma; cùm teſtes aduocantur, res etiam interdum inanimatæ, vel obiti à prophetis fideliter traditi miniſterij, vel diuinæ admonitionis, qua peccator obſtinatus, & dormiens, aut deterretur à peccando, aut excitatur à veterno mortifero.

Forma prophetica attentionis captandæ.

C

3. In *populis, & terra*, aliqui intelligunt omnes populos, & terram vniuerſam, quam Dominus teſtem eſſe vult, quod fuerit locutus, aut certè Propheta, quòd Dei mandata, quaſi miniſter fidelis ad populum detulerit. Sed eſt mihi veriſimilius in *populis, & terra* regionem intelligi Iſraelitidem, id eſt, terram promiſſionis, iuxta regulam illam Hieronymi *in cap.13. Iſaiæ*, quæ tradit *omnem terram* appellari prouinciam illam, de qua ſermo eſt. Ita cum Theodoreto, & Cyrillo tenent plures alij. Dicuntur autem populi tribus duodecim, quia illæ, quaſi populi forent diuerſi, ſuis quæque finibus diſcretæ ſunt. Sic ſanè vocantur *Gen.35.v.11.* vbi ſic Deus ad Iacob. *Creſce, & multiplicare. Gentes, & populi nationum ex te erunt.* & *cap.43.v.19.* ſic Iacob de Ephraim, & Manaſſe. *Iſte quidem erit in populos, & multiplicabitur, ſed frater eius minor, maior erit illo, & ſemen eius creſcet in gentes.*

D

4. Cùm præceſſit terra, aut locus aliquis, adiungi ſolet *plenitudo*, quæ plerunque ſumitur actiuè; & id ſignificat, quod locum aliquem complet, quomodo Iſaias inſulas vocat plenitudinem maris *cap. 42. v. 10.* & terræ plenitudo dicuntur ciuitates, & qui terram incolunt, & plenitudo palæ aut cauitatis annuli vocatur gemma, vt diximus ad illud Cant. 5. *Sicut fluenta pleniſſima.*

Plenitudo in ſcriptura quid.

5. *Et ſit Dominus Deus vobis in teſtem.*] Non eodem omnes explicant modo, quid ſit hoc loco teſtis, aut cur diuinum Propheta teſtimonium imploret. Chaldæus, cuius ſententiam probat Ribera, dum vertit, *ſitque Domini Dei verbum contra vos in teſtem*, indicat Deum aduocari teſtem, contra populum illum toties admonitum, quod ad illum Propheta, acceptum à Domino mandatum fideli denuntiatione detulerit, ne quis cauſetur ſibi non prædictum, cùm diuini furoris pondus aduenerit. Quaſi dicat Propheta: Ille qui vbique præſens eſt, cuius oculos nihil omnino latet, nouit quemadmodum datas mihi partes expleuerim, & ad vos pertulerim, quæ ſaluo capite ſilere non potui. Quod fecit Paulus multo pòſt *Actor. cap. 20.* qui profecturus ad illud vitæ periculum quod futurum ſibi extremum ſuſpicari poterat, tanquam vigil ſpeculator, à quo ſi taceret, ſciebat requirendum eſſe ſanguinem, teſtes aduocat, quòd munus legitimè obierit ſuum, neque pepercerit labori, ac vitæ quo datum ſibi Euangelij miniſterium impleret. *Conteſtor vos hodierna die, quia mundus ſum à ſanguine omnium. Non enim ſubterfugi, quominus annunciarem omne conſilium Dei vobis.* Neque aliud fortaſſe eſt, quod ſignificare Moyſes voluit, *Deut.* 32. quando obteſtatus cælum, & terram, ſicut modò Michæas, addidit, *Quia nomen Domini inuocabo.*

Deus omnium teſtis.

Prælatus ſpeculator, & reus alieni ſanguinis.

6. Hieronymus, & Theodoretus, quos plures alij ſequuntur, *teſtem* hîc pro vade ſumunt, quaſi Deus ratas facturus ſit propheticas minas, & euentu ipſo oſtenſurus non eſſe verba hæc hominum commenta, ſed accepta diuinitus oracula. Tunc enim homines, quos interdum non tam verba, quàm ſtimuli erudiunt, compuncti diſcent, & quid ipſi admiſerint ſupplicio dignum, & quid habuerint ponderis propheticæ minæ. Vtraque expoſitio, neque aliena, neque improbabilis eſt, in priorem magis inclinat animus.

Deus propheticæ denunciationis vas.

7. Vbi vulgatus *vobis*, Hebr. eſt בכם *bachem*, id eſt, in vobis, ſeu veriùs contra vos. ב *beth* enim interdum idem valet, quod *contra*. Et eſt ſenſus aptus, Dominus teſtis contra vos, quia cùm ipſius mandata accepiſſetis à me, non tamen illis eſtis obſecuti. Iuxta poſteriorem ſententiam, Deus contra vos præſtabit, quod per me comminatus eſt, & propheticam fidem ſecuto fideliter exitu liberabit.

8. *Dominus de templo ſancto ſuo.*] Albertus, & Montanus cum ſequentibus iſta in hanc ſententiam coniungunt. Teſtis erit Deus eorum, quæ nunc vobis euentura prædico: quia exitu fidem faciet non tam verbis meis, quàm oraculis ſuis. Neque enim hæc tam à meo halitu, quàm à Domino afflatu verba formantur. Cùm egreſſus è templo ſancto ſuo, vbi propitiatorium habuit

buit, & mitem se populo quondam suo, & beneuolum exhibuit, hostiles conscribet acies, illisque se ducem,& auspicem præbebit. A

9. Alij cum Theodoreto, & Cyrillo cum præcedentibus ita consociant. Quasi Deus de templo sancto suo populum suum admoneat, & Prophetæ suo verba definita præscribat, quæ deferat ad populum, edocéatque quod ab vltrice dextera,& infenso Deo supplicium impendeat. Aut etiam quomodo de templo suo spectet, quomodo Propheta datum sibi negotium fideliter impleuerit.

10. Templum autem vocatur aut illud, quod excitatum a Salomone fuerat, vbi Deus stabile,& proprium domicilium habere censebatur, aut certè cælum, quod templum dicitur Dei, quia ibi Deus habitare existimatur; & præcipua quadam obseruatione coli. Cælum verò templum quoddam esse ipsi etiam existimarunt Gentiles. Ita sanè Cicero in somnio Scipionis. De Solymitano templo accipiunt Theodoretus,& Hugo, quod mihi non displicet, & probat quod statim additur, *Quia ecce Dominus egredietur.* Sed placet magis templum pro cælo sumi, quia magis est opportunus locus, si rei naturam spectes, & de Deo secundùm humanum sensum cogites, quod Scriptura facit non infrequenter, cui hic dicendi modus familiaris est. Ps. 32. v. 13. *De cælo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum, de praeparato habitaculo respexit super omnes, qui habitant terram.* & Psal. 101. v. 20. *Quia prospexit de excelso sancto suo, Dominus de cælo in terram aspexit.* Ex loco enim sublimi vt commodè homines inferiora despectant, sic Deus ex cælo, tanquam ex specula terrena, atque sublunaria omnia latè despectare existimatur. Quod de suis diis, maximè de Ioue, qui omnium summus putabatur, finxerunt olim delusi Gentiles. Audi Virg. lib. 1. Æneid.

Templum pro cælo.

Deus omnia spectat.

Et iam finis erat cùm Iuppiter æthere summo
Despiciens mare velivolum, terrásque iacentes,
Littoraque, & latos populos, sic vertice cæli
Constitit, & Libyæ defixit lumina regis.

Deus ergo, qui in cælis est, vnde omnia prospectat, testis aduocatur à Michæa, quomodo Iob cap. 16. v. 20. *Ecce,* inquit, *in cælo testis, & conscius meus in excelsis.* Neque aliam ob causam arbitror in iuramento concipiendo, quasi legitima formula manus in cælum tolli; quasi diuinum imploretur testimonium, & fides. D

11. Vers. 3. *Quia ecce Dominus egredietur de loco suo.*] Hæc verba nonnihil faciunt ad explicationem priorem, quæ templum hic Solymitanum agnoscit. Sanè cùm Ezechieli obiectum fuit quoddam siue symbolum, siue prognosticum euertendæ ciuitatis *cap. 3. v. 12.* egressus de templo dicitur Deus. *Audiui,* inquit, *post me vocem commotionis magnæ. Benedicta gloria Domini de loco sancto suo.* Quasi nudum locum à suo præsidio, atque præsentia relinqueret, expositúmque Chaldæorum prædationi, atque ludibrio. Hoc ipsum tunc accidisse, quando à Romanis funditus excisum est templum, prodit Iosephus lib. 7. de bello, cap. 12. *Festo,* inquit, *die, quam Pentecostem vocant, noctu sacerdotes intimum templum more suo ad diuinas res celebrandas ingressi primum quidem motum, strepitúmque senserunt, postea verò subitam vocem audierunt, quæ diceret: Migremus hinc.* Quod alij etiam ex profanis scriptis prodiderunt: vt Apollonius *lib. 1. excid. Hier.* Cornelius Tacitus *lib. 21. Annal.* Quæ Gentilium antiqua, & communis cogitatio fuit, qui tandiu ciuitatem aliquam incolumem fore sibi persuasere, quandiu dij quidam certi, ac tutela- E

Egressus Dei ex aliquo loco prognosticũ est, & initiũ ruinæ.

Dij tutelares euocari soliti à locorũ præsidio.

res, quibus publica credebatur custodia, manerent in templo. Actúmque tunc fore de communi salute, quando illi, aut vltro excederent è templis, aut aliorum manibus tollerentur. Quare, vt tradit Macrobius *lib. 3. Saturnal. cap. 9.* cùm propè esset, vt caperetur ciuitas, certo carmine ab hostibus euocabantur tutelares dij, quia aliter vrbem expugnari posse desperabant. Hinc illud Virgilianum *lib. 2. Æneid.* in extrema desperatione defendendæ vrbis.

Excessere omnes adytis, arisque relictis
Dij, quibus imperium hoc steterat.

Sed nihil, opinor, hæc nostræ sententiæ officiunt; non enim tam hæc ad superiora, id est, ad vaticinij procœmium spectant, quàm ad illius initium. Hinc etenim incipit prophetia, in superioribus autem testis aduocatur Deus, vt humano modo præsens adsit, spectétque quemadmodum data sibi à Domino mandata fideli legatione deferat ad populum, quo suo caueat capiti, & omnem aliis suorum peccatorum honestam excusationem præcidat. Illud autem *quia* otiosum est apud Latinos, vt alibi millies, non tamen apud Hebræos, quorum in sermone proprietas longè diuersa est. Quare rationem nullam reddit præteritorum; sed aliquid à superioribus separatum aggreditur. Erit igitur hoc totius vaticinij principium, *Ecce Dominus egredietur,* &c. 12.

Quia interdum otiosũ.

Quid sit *de loco egredi,* explicare non est admodum promptum, cùm Deus, qui complet omnia, locum deserere non possit, atque ideo, neque de loco egredi. Dicitur autem de loco egredi, aut ingredi in locum, cùm aliquid operatur singulare, atque aliqua ratione notabile in loco, aut in eo desinit operari. Vnde opus Dei appellatur *via.* Iob cap. 40. de Behemoth, *Ipse est principium viarum Domini.* Et Prouerb. cap. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* & Ps. 67. *Deus cùm egredereris in conspectu populi tui, cùm pertransires in deserto.* Egressus tunc dicitur, quia mirabilia ibi in populi fauorem operatus est. Accommodat se Scriptura sacra hominum cogitationi, ac sensui. Latet aliquis domi, cùm non apparet, apparet cùm egreditur, & se aliorum oculis videndum ostentat. In operibus suis cognoscitur Deus, tunc verò maximè cùm operatur aliquid, quod efficere nequeũt humanæ vires; aut cùm aliquid apparet admirabile. Tunc verò egreditur, quia in suis cognoscitur operibus, sicut in Scriptura, aut imagine artificis penicillus, & manus. Sin autem nihil operatur, ab ignobili saltem, rudique plebecula non agnoscitur. Immisit Dominus plagas in Ægyptios, & illorum sapientes egressum esse Dominum cognouerunt, dixerúntque, *Digitus Dei est hic.* Vidit Centurio admirabilem Christi patientiam, & clamorem audiuit validum, qualis exanguibus, ac morientibus accidere nõ solet, & clamauit ipse quoque, dixitque, *Verè filius Dei erat iste.* Tunc egressus est Deus, è silentio videlicet suo, & quasi ex secessu, & latebris, & cognitus est ab illis, qui tantam eo vsque lucem non aspexerant, neque tantam agnouerãt maiestatem. Quemadmodum ille, qui cùm nihil hostile in alios meditatur, quieto est animo, & domi se continet, at cùm aliorum prouocatur iniuriis, dolens, & furens armatus prodit domo, vindictam anhelans, & cædem, scintillantibus oculis, incessu, aspectúque terribilis: sic Deus ex loco vbi se iniuriarum patiens ad illud vsque tempus continuerat, egreditur eo habitu, vt ex toto ore emicet inflammatus furor. Quod statim explicat 13. 14.

Quomodo Deus ingredi dicatur in locũ, aut de loco egredi.

Via idem quod opus.

Oo aliquan

aliquanto magis, dum ait, *Descendet, & calcabit,* A
&c.

15. Hieronymus tunc Deum è loco suo arbitratur excedere, cùm à suo ingenio, naturáque ad benefaciendum prona ad puniendum hominẽ egreditur. Tunc verò locus pro eo statu ponitur, in quo quis diu, & propè continenter hæret, quomodo in castris miles, & in claustris plerunque religiosus moratur, quia alter silentio, & orationi, alter studio militari vacat. Cùm autem ille ad forenses, & publicas curas, alter ad pacem, & otiũ à militari strepitu traducitur, à seipsis abire existimantur. Dei proprium est misereri semper, & parcere; tunc in suo loco, ac statu esse videtur, cùm beneficia præstat, cùm mitem se, & liberalem ostendit. A loco suo, & statu tunc cẽsetur excedere, cùm vrgente peccatorum insania fulmen capit & arma, quæ in illorum capita iaculetur, & vibret. Audi Hieronymum. *Egredietur de loco suo: qui enim mitis est, & benignus, & cuius natura clementia est, vestri causa cogitur personam, quam non habet, crudelitatis assumere.* Cum Hieronymo sentiunt Remigius, Haymo, Albertus, & qui ab illo, nisi admodum rarò, discedere non solent.

Deus cùm punit, à seipso videtur egressus.

16. *Et descendet, & calcabit super excelsa terræ.*] Hieronymus iuxta sententiam suam, de qua proximè, bellè locum istum interpretatur, *Descensio,* inquit, *Dei est, & ad inferiora decursus calcare terram, & potentes quosque conterere.* Cùm enim Deus calcat homines, & à seipso quodammodo discedit, è loco descendit, in quo ipse videtur esse sublimior. Sanè misericordia excelsum obtinet locũ. A qua si quando ad supplicium de peccatore sumẽdum egreditur, descendere existimatur, non secus atque is, qui è montis fastigio ad infima vsque illius fundamenta deuoluitur. Psal. 104. *Miserationes eius super omnia opera eius.* Gen. cap. 11. cùm genus hominum superbum, qui Gigantum more excitata Babylonica turri, pugnare cum domina voluerunt, aut, quod idem fermè est, ab illius se vindice potentia subducere, dixit Dominus: *Venite, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* Idem de Sodomæis cap. 18. *Descendam, & videbo.* Et Psal. 17. vbi Deus vindex describitur seuerus, & durus, *Inclinauit cælos, & descendit, & caligo sub pedibus eius.*

Deus descẽdere existimatur, & locũ excelsũ relinquere cùm punit.

Misericordia locus excelsus Dei, & ipsius veluti maiestas.

17. Quare sicut vir bonus exaltat Deum, dum ab illo misericordiæ opus, & vim clementiæ inexhaustam promeretur, & prouocat, sic etiam contrà vir improbus, quantum in se est, Deum à sua maiestate quodammodo deturbat, dum vlciscendi quãdam veluti necessitatem imponit. De prioribus dixit Deus Psal. 49. v. 17. *Inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me.* De posterioribus Deus ipse indicat, dum clamat Isai. cap. 1. v. 14. *Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Et Gen. 6. v. 6. dolore tangitur cordis, cùm ad arma decretoria, & mortifera tela cogi se videt. Qui ad lacrymas & gemitus suam maiestatem, & potentiam inflectit, is planè descendere se ex sua celsitudine, aut docet, aut indicat.

Iustus Deũ exaltat, dũ misericordiam prouocat, improbus deprimit, quantum in se est, dum prouocat ad iram.

18. Sed iuxta sententiam, quam suprà magis probabamus, descendere nihil est aliud, quàm egredi ex eo loco, vbi quietus agebat, & hominum impudentem insaniam patienter tolerabat, & tandem armatum ad perdendum hominem iniurium, & insolentem erumpere. Descendit autem è cælo, quia ibi vulgo hominum esse existimatur, qui Deum in vno loco, sicut in corporatis naturis experiuntur, esse credunt. E cælo verò, ex loco nempe sublimi Deus descendit, vt humana sternat, atque conculcet, sicut è cælo vibratur fulmen, & alia, quæ tela dicuntur esse Dei, ex terræ halitu, atque humore concreta, quæ humana commoda debilitant, & perdunt. Hoc planè sentit Augustinus *lib. 16. ciuit. cap. 5.* explicans illud Gen. 11. *Venite, descendamus.* Ait enim, *Non loco mouetur Deus, qui semper vbique est totus. Sed descendere dicitur cùm aliquid facit in terra, quod præter vsitatum naturæ cursum mirabiliter factum præsentia quodammodo eius ostendat.*

Excelsa terræ aut loca dicuntur, vbi impiæ 19.
visebantur aræ, quæ quia in montium iugis excitabantur, communi iam vocabulo dicebantur excelsa. Aut certè excelsa dicuntur, quæ magno hominibus habentur in pretio, ad quæ superborum hominum aspirat ambitio: quales sunt opes, magistratus, tituli, & grandia, atque superba magnorum hominum insignia. Hæc igitur omnia, & eos, qui inflati superbis illis titulis incedunt, conculcabit Deus, in terra nempe promissionis, quam occuparunt Ierusalem, & Samaria, eóque rediget, vt appareant deinceps antiquæ gloriæ nulla vestigia. Aut fortasse excelsa vocantur Samaria, & Ierusalem, quæ in locis sitæ sunt sublimibus, in quas præcipuè detonat Michæas.

Vers. 4. *Et consumentur montes subtus eum: & valles* 20.
scindentur sicut cera à facie ignis.] Modus iste hyperbolicus est, & prouerbialis, & vsitatus Prophetis, quo magna significatur rerum turbatio, & strages. Quocirca necessarium non est, vt hæc ita contigerint, vt ipsa litera materialiter sonat, vt in prouerbialibus, atque hyperbolicis locutionibus obseruamus. Satis enim est, si quæ dicuntur, talia sint, qualia communiter illa dicendi forma significat, nempe magna, horribilia, & qualia rarò, & cum ingenti hominum stupore contingunt. Longum esset numerare quoties hac metaphora magnos motus, & inopinatas rerum conuersiones prædixerint Prophetæ. Isaias cap. 64. *Vtinam dirumperes cælos, & descenderes, à facie tua montes defluerent.* & Psal. 17. *Commota est, & contremuit terra, & fundamenta montium conturbata sunt.*

In montibus significari principes, res est fa- 21.
tis nota, & metaphora neque obscura, neque difficilis: vt enim montes è plano tument, & extuberant, & inferiora omnia latè despectant, sic principes vulgarem aliam, atque ignobilem turbam. Hi montes vbi Dominus vltor, & infensus descenderit, sic tabescent, sicut cera solet ab incendio. Neque plus habebunt in suo fastigio firmitatis, quàm aqua, quæ in decliui loco stare nescit, sed præcipiti quodam impetu decurrit. Hæc porrò similitudo liquefactæ ceræ, & decurrentis aquæ, frequens est, &, vt dixi, prouerbialis; quæ tunc adhibetur, quando aliquid magnam aliquam, & subitam mutationem patitur. Sic Psal. 67. *Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.* Et Psal. 21. *Factum est cor meum tanquam cera liquescens.*

In montibus significati principes.

Et quidem si Deus in hosce montes descende- 22.
rit (moralem nunc cogitationem accipe) si descenderit, inquam, mitis, atque beneuolus, qualis in oratione frequenter assolet, non aliter liquefacit animũ, quàm ignis cerã, aut materiam aliã, quæ facilè à flamma calefaciente dissoluitur.

Deus cùm in animas descendit, illam liquefacit, & mutat.

Vt

Digitized by Google

A Vt autem expressæ imagines ex liquefacta cera, aut è metallo vanescunt omnino, & cum reliquo metallo confusæ, neque minimum sui vestigium relinquunt, sic in liquefactis mentibus, in quas cælestis incidit flamma, exuri debent antiquæ formæ, quas inussit furor, cupiditas, voluptas, & ambitio. Quòd si hæc adhuc inhæreant, & dominentur in animis, nemo mihi persuaserit, ita Deum aduenisse, vt tanquam Dominus mentibus insideat, cùm nulla inter Christum, & Belial, inter lucem, & tenebras possit esse communitas. Hoc ipsum indicauit Isaias cap. 64. *Vtinam dirumperes cælos, & descenderes, à facie tua montes defluerent, sicut exustio ignis tabescerent.* Idem
B Gregorius in illud Cant. 1. *Osculetur me osculo oris sui.* Cùm de hoc ardore, atque illapsu cælestis ignis loquitur, sic sponsam loquentem facit. *Cum eius* (nempe sponsi) *osculum sentio, subita mutatione me derelinquo, & in eius similitudinem illico liquefacta transformor.*

23. *Valles scindentur.*] In vallibus popularis intelligitur turba, quæ sic summittitur principum imperio, sicut excelsis montibus depressæ subiiciuntur valles. Tam autem montibus, quàm vallibus, summis videlicet, atque infimis ex vtroque populo Israelitico, & Iudæo propheticæ intenduntur minæ. Montium altitudo ita deprimetur, vt nihil habeat, quod supra ignobilem aliam multitudinem emineat. Sed neque alij, quos vallium profunditas adumbrat, immunes erunt
C à communi malo. Licet enim satis illi fuerint à tenui, ac sordida fortuna depressi, deprimentur tamen multo magis, & amissa libertate, & patria, seruitutem duram, sub crudeli, ac barbaro dominatu sustinebunt. Illud enim valet *scindi valles.* quæ cùm antè in profunditatem altam essent demissæ, discedent tamen, & vasto hiatu ad ima terræ viscera descendent. Qui dicendi modus hyperbolica specie extremam indicat conditionem. Talia sibi timere debent, qui valles hìc esse voluerunt, qui tam sunt longè, vt sese ad cælestia sustollant, vt sua potiùs in terra viscera diffundant, terrena meditentur, & ament, & cælestium immemores oculos suos statuant de-
D clinare in terram. Hos ergo vastus terræ, quam dilexerunt, absorbebit hiatus, his discissa vallis sepulcrum aperiet sempiternum, neque illos, cùm semel exceperit, à suo complexu vnquam dimittet.

In vallibus significata ignobilis turba.

Illorum, qui terrena sapiunt, periculum.

24. Vers. 5. *In scelere Iacob omne istud, & in peccatis domus Israel.*] Non sine causa, & magno suo merito talia Israeli, id est, decem tribubus denunciantur incommoda, quia id admiserunt, quod non nisi ingenti aliquo incendio expiari potuit. Quid verò illud sit, statim aperiet. Illud hìc notandum *in* iuxta Hebræorum idioma idem significare quod *propter.* Oseæ cap. 5. *Israel, & Ephraim ruent in iniquitate sua.* & cap. 12. *Seruiuit Israel in vxore.* & ipse Michæas ite-
E rum cap. 3. *Principes eius in muneribus iudicabant.* Sic etiam hoc loco propter peccata Israel, hæc tot infortunia impendere dicuntur.

In idē quod propter.

25. Deinde idem valere domum Iacob, & domum Israel, & per epexegesin in vtroque hemistichio eandem iterari sententiam. Cur verò decem illæ tribus Iacob dicantur, aut Israel, cùm duæ reliquæ non ab alio fuerint parente prognatæ, ea causa est quòd maior populi pars, cùm ab vna tribu nominari non potuerit, commune nomen habuit à parente

Decē tribus vocata domus Israel.

desumptum. At duabus aliis vna tribus Iuda nomen dare perquam commode potuit, cùm illa esset nobilissima, vtpote regia, & Beniaminica tribus eò redacta propter scelus Gabaa, de quo *Iudic. cap.* 20. *&* 21. vt nullo penè haberetur loco. Quare cùm ex ea sexcenti tantùm viri reliqui fuerint, & omnes ciuitates, & vici incendio conflagrarint, exiguæ illæ reliquiæ adscriptæ sunt, & quasi agnatæ tribui Iuda, vsque adeò, vt cùm duæ tribus secutæ fuissent Roboam, Beniamin, & Iuda, vt liquet ex *libro 3. Reg. cap.* 12. *v.* 21. & cùm ibi dicatur Beniaminitas, & Iudæos adhæsisse Roboamo, tamen ibi vna tantùm tribus Iuda illius imperio dicitur fuisse subiecta. *Neque secutus est quisquam domum Dauid, præter domum Iuda solam.* Et lib. 4. Reg. cap. 17. *Iratúsque est Dominus vehementer Israeli, & abstulit eos à conspectu suo, & non remansit nisi tribus Iuda tantummodo.* Alij alias rationes adducunt, hæc mihi videtur non infirma. Addo quòd vt sæpe decem tribus appellantur Ephraim, quia ex ea tribu fuit Ieroboam, quia in eo populo iam distracto regnum regum omnium primus obtinuit; sic etiam, quia ex tribu Iuda fuerunt, qui in tribubus duabus deinceps dominati sunt, à Iuda sibi compellationem acceperunt.

Tribus Beniamin asscripta tribui Iuda.

Quod scelus Iacob? nónne Samaria? & quæ excelsa Iuda? nónne Ierusalem] *Scelus* interdum per 26.
metonymiam ponitur pro sceleris causa, sicut *labes, pestis, calamitas, fax*, pro eo qui labem, pestem, calamitatem, & incendium inuexit. Et ita hunc locum exponunt Hebræi, qui de scelerum auctore quæri putant, quos è recentioribus non pauci sequuntur. Pagninus, Vatablus, Isidorus, Lyra. Et fauet huic cogitationi, quod Hebr. vox adhibetur masculina, quæ personam significat, *mi.* quasi dicat, *quis scelus?* id est, quis sceleris auctor, & artifex: Neque alio sensu videntur, quæ proximè sequuntur, explicari posse. Erit ergo sensus Samariam esse causam sceleris, quod decem tribus Israelis euertit: siue scelus pro peccato sumas, siue, quod frequenter accidit, pro sceleris supplicio. Nam Samaria Israelitici imperij caput vitulos conflauit, & coluit, & in aliis locis suæ ditioni subiectis illam aluit impietatem, auxítque vehementer. Habet enim regium nomen, & caput vim in omnem partem grauissimam, siue ad inducendam, fouendámque pietatem, siue ad morum corruptelam & labem. Et hoc modo faciles habet explicatus, quod mox de Hierosolyma subiicitur.

Exempla Principum grauissima in omnem partem.

Et quæ excelsa Iuda? nónne Ierusalem?] Quasi 27.
dicat quòd in Iuda aræ excitentur impiæ, & idolorum fana passim occursent, in causa est Ierusalem, quia & ipsa excelsa habet, vbi scelerata obeat sacrificia, & ad aliorum impietatem conniuet: & vsque adeò serpentem idololatriæ labem non resecat, & cohibet, vt impiorum prouocet, & alat audaciam. Excelsa igitur Iuda est Ierusalem, quia sacerdotes, & scribæ, qui scientiam existimantur habere legis, & principes, qui legum, ac religionis custodes esse debent, & vindices, dum silent, & sua taciturnitate, atque socordia aliorum iniquè facta probant, id efficiunt, vt quilibet è plebe audacter, & liberè, non solùm clandestina

Qui religionis habent opinionem, & doctrina malo exemplo vehementer nocent.

sacra, quæ lex abominatur, & recta ratio, sed publicè in media luce, & in ipso etiam templo in omnium oculis aperte defigat. Ex quo discent, qui aliis præsunt, & qui doctrinæ habent, aut sanctitatis opinionem, quàm sint illorum in omnem partem exempla grauia, siue ad excitandam in aliorum animis pietatem, siue ad alendam, & confirmandam in omni genere impietatis audaciam. Tanta est in doctrinæ ac sanctitatis opinione vis, tanta in Principum vmbra, & in scelerum impunitate potentia.

28. Non longè hinc abeunt Hieronymus, Theodoretus, Cyrillus, Remigius, Rupertus, & alij cum Chaldæo, qui ideo putant ciuitates alias, quæ tam Hierosolymæ, quàm Samariæ parabant, non horruisse Gentilium sordes, & insanias, quia ciuitates illas regias non in latebris, non in angulis, sed publice, quàm religionem probarent, cui sanctæ maximè studerent, profitebantur.

29. Vers. 6. *Et ponam Samariam quasi aceruum lapidum in agro cùm plantatur vinea.*] Hactenus de Samaria, & Ierusalem, id est, de duodecim tribubus, quas duro concutit vaticinio, & illarum promerita declarat. Nunc iam seorsum de Samaria Israelitici imperij capite dicere aggreditur, & quale illius futurum sit supplicium edocet. Terra promissionis maxima ex parte confragosa est, & lapidibus aspera, Ierusalem præsertim, & Samaria, quæ in montibus sitæ sunt. Quare cùm vineæ, quæ, vt docent, qui de re rustica præcepta tradiderunt, colles ament, & in saxetis plerunque plantandæ sint, necesse est, nisi suam operam vinitor perire velit, vt saxa colligat, & plantationis locum diligenter elapidet. Sic sanè peritus ille, & sedulus agricola fecisse traditur cum sua metaphorica vinea Isai. cap. 5. *sepiuit eam, & lapides elegit ex illa.* hunc agrum à lapide purgatum, exossatum arbitror appellari à Persio satyr. vltima. Cùm autem saxosum est solum, multis locis lapidum acerui congeruntur, qui speciem referunt domorum, ex quarum ruina congregati lapides reliqui sunt, quasi quoddam ædificatæ ibi ciuitatis argumentum. Quare sensus erit, eò redigam Samariam ciuitatem copiosam, & lautam, vt excisis funditus ædificiis, nihil in ea supersit præter aceruos lapidum, quales in vineis spectari solent, quos congregare rusticus solet, cùm ad commodam vitium plantationem agrum elapidat.

Euersa ciuitatis species.

In vinearũ plantatione agri elapidantur.

30. Alij putant Samariam purgatam non ab ædificiis solùm, sed etiam à saxis conserendam esse vitibus, in quibus acerui quoque visuntur lapidum, siue ex quibus ad vinearum sepimentum materia construitur, siue qui ab expurgato solo in aceruos sine vllo ordine confusi, & congregati sunt, vtcunque sumas, idem est sensus, certè non admodum diuersus, & commoda metaphora, quæ nihil agnoscit in Samaria præter informes ruinas, & triste quoddam antiquæ maiestatis monumentum.

31. Septuaginta paulo aliter exponunt, secuti, vt arbitror, non tam literam, quàm sententiam; vtraque enim similitudo excisam indicat ciuitatem, & eò redactam, vt nihil in ea, nisi obscuram vmbram, & inane quoddam melioris fortunæ simulacrum inuenias. Pro *in aceruum lapidum* ipsi legunt, *εἰς ὀπωροφυλάκιον*, quod etiam fecerunt aliis in locis, vt Ps. 78. vbi Latinus reddit, *in pomorum custodiam*, quæ sic exponit Euthymius, vt in excisa vrbe inane quoddam bustum, aut simulacrum agnoscas. Quemadmodum tugurium (illud enim esse putat pomorum custodiam) domus quidem apparet, sed non tam domus est, quàm domus futilis imago. Theodoretus aliter, qui delendos, & dispergendos dicit esse lapides, futurúmque, vt domorum loco iam omnino habitatoribus vacuo vineta succedant. Eadem similitudine vsus est Isaias *cap. 1. v. 7.* vt Hierosolymæ vastitatem exprimeret. *Derelinquetur filia Sion vt vmbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario, & sicut ciuitas, quæ vastatur.* Super quem locum nos plura in eandem sententiam.

Custodia pomorum.

Et detraham in vallem lapides eius, & fundamenta eius reuelabo.] Samariam esse in montibus sitam multa docent, & Samariæ mons in Scriptura non semel auditur: quare sine vlla molestia prædatores, & expugnatores Assyrij in subiectam vallem deiicere saxa potuerunt, quæ leui pulsu per decliuem locum sua grauitate deuoluuntur. Reuelare fundamentum nihil est aliud, quam vrbem, ab imis vsque fundamentis excindere. Quod aduersùs Hierosolymam clamabant Idumæi, dum dicebant Ps. 136. *Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea.* 32.

Vers. 7. *Et omnia sculptilia eius concidentur.*] Quomodo aurei vituli, quos conflarat, coluerátque Samaria, abducti fuerint ab Assyriis, atque confracti, diximus in nostris commentariis *ad cap. 10. Oseæ*, maximè ad illud, *Et æditui eius super eum exultauerunt.* inde pete. 33.

Et omnes mercedes eius comburentur igne.] Propria est Scripturæ sacræ illa metaphora, quæ idololatram meretricem, adulteram, seu fornicariam vocat. Quia cùm sæpe se Deus sponsum vocet illius animæ, quam fidei suæ quasi nuptiali thalamo sociauit, consequens est, vt anima, quæ ab illa fide, seu thalamo defecit, fornicaria dicatur, seu adultera. Illæ tamen mercedes, quæ sine dubio meretriciæ sunt, & quasi pretium nefarij concubitus, vel datæ existimari possunt ab idolis, quemadmodum meretricibus, quasi pretium prostituti corporis datur ab amasiis, vel à meretricibus, quæ amasios suos donis, & illecebris in amore, & fide, si qua tamen in eo turpi commercio fides esse potest, retinere student, vtrunque admittit litera, & historiæ fides. De donis à Samaria in idolorũ honorem, & cultum in templis, sacrariisque suspensis accipiunt cum Theodoreto Vatablus, Montanus, Isidorus, ex quibus donis, aut conflabantur deorum simulacra, aut ad templorum instructum sacra supellex parabatur. Hæc porrò dona simul cum simulacris, aut prædabitur hostis, aut absumet incendium. 34.

Magni ab idololatris sumptus in deos suos.

Alij dona esse putant ab idolis tanquam ab amasiis data ipsorum cultoribus quasi ad meretricium quæstum prostitutis. Sanè ita sibi persuaserant idololatræ, qui quod à Deo vero, qui bonorum omnium auctor est, beneficium habebant, acceptum referebant idolis, quasi illa, aut possent, aut vellent tam grandia, & quotidiana beneficia conferre. Sic sanè dicebant apud Oseam cap. 2. *Vadam*, inquit adultera sponsa, *post amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum meum, & potum meum.* Et paulo pòst, *Corrumpam vineam eius, & ficum eius. De quibus dixit, mercedes hæ meæ sunt.* 35.

Digitized by Google

funt, quas dederunt mihi amatores mei. Posteriorem hanc explicationem cum Hieronymo tenent Cyrillus, Rupertus, Haymo, & alij non pauci. Vtraque expositio mihi difficilis non est, in priorem magis inclinat animus, cui fauent illa, quæ proximè succedunt.

36. *Quia de mercedibus meretricis congregata sunt.*] Ex donis, quæ metaphoricæ meretrices, & adulteræ contulerunt, conflata sunt idola, & omnia tam templorum, quàm idolorum ornamenta. Neque enim à seipsis speciem habuissent inanimata, ac muta simulacra, nisi materiam accepissent ab hominum impensis, & formam, & splendorem ab artifice. Hæc mihi potiora sunt; sed fortasse tam simulacra, quàm templorum sacra, ac splendida supellex ex meretricio quæstu non metaphorico, sed proprio comparata sunt. Notum est enim quemadmodum meretrices, & quæ sponsos stolida, atque obscœna religione quærebant, prostarent in templis, & quicquid ex venali pudore lucri compararent, aut in templorum execrabiles sumptus, aut in conflanda, seu ornanda deorum simulacra conferrent. Sic sanè fecisse Babylonios docet Herodotus *lib.* 1. idem de Phœnicibus tradit Augustinus *lib.* 4. *de ciuit. cap.* 10. Vide in illum locum Ludouicum Viues, vbi plura adducit exempla. Vide Cœlium Rhodiginum *lib.* 8. *cap.* 11. Quod ex Scriptura sacra non obscurè colligitur. Sic enim Baruch *cap.* 6. *v.* 9. de idolorum sacerdotibus, & diis illorum studio, & religione coronatis. *Coronas aureas habent super capita sua dij eorum, vnde subtrahunt sacerdotes ab eis aurum, & argentum, & erogant illud in semetipsos. Dant autem & ex ipso prostitutis, & meretrices ornant, & iterum cùm receperint illud à meretricibus, ornant deos suos.* Quibus verbis indicatur, licèt aliquantulum obscurè, sacerdotes in templis cum meretricibus solere concumbere; quasi opus illud foret religiosum, & pecuniam ex nefario concubitu collectam esse sacram, neque posse nisi in sacros vsus licitè conferri. Idem etiam significatur obscuriùs *eodem cap. v.* 42. Quod esse apud Gentiles vsitatum, facit admodum verisimile, quod Deus *Deut. cap.* 23. seuerè præcipit ne in templum suum merces inferatur prostibuli; quasi id vt religiosum aliquid, vsitatum esset, & sacrum apud Gentes.

Idola ex meretricio quæstu conflata.

37. *Et vsque ad mercedes meretricis reuertentur.*] Ex meretricio sumptu illa templorum donaria congregata sunt; eadem, cùm Assyriorum acies quasi quædam tempestas ingruerit, ad meretrices etiam deuoluentur: ad Niniuitas videlicet, qui principes sunt inter Assyrios, & quia idolis adhæsere, meretrices quoque nominari possunt. Quæ igitur obtulerunt meretrices dona, à diis ablata Gentilibus ad meretrices rursus reuertentur, ad alias tamen, quæ licèt genere, locóque dissideant, vitæ tamen instituto, ac nomine consentiunt. Impenderunt illa Israelitides meretrices, recipient Assyriæ, & illæ præsertim quæ in Niniue regia sede commorantur. Sanè Niniue *Nahum cap.* 3. meretrix appellatur speciosa, & grata, illis fortasse exuuiis, quas ex direpta Samaria reportauit.

38. Quærit hîc Ribera, quomodo si mercedes illæ, quas à meretricibus acceperunt idola, igne sunt consumendæ, nunc eædem dicantur ad meretrices alias reuersuræ, nempe Niniuitas, aut Assyrios. Et nodum istum ingeniosè dissoluit, iuxta illam regulam, quæ vera est, & in Scriptura sacra non infrequens, quam sic ipse proponit, & exemplis confirmat accommodatis. *Solet Scriptura quasi*

REGVLA. *Cùm omnia videntur ex dicendi modo fuisse sublata, aliquid interdum additur, quo non omnia periisse constat.*

A *omnia tollere, & sequentibus tamen verbis ostendit se non omnia sustulisse.* Inter alia exempla adducit illud Ioan. 1. *In propria venit, & sui eum non receperunt.* vbi cùm significatur Christus ab omnium hospitio fuisse repulsus, postea aliquid additur, quo docetur ab aliquibus fuisse susceptus. *Quotquot autem receperunt*, &c. illis exemplis adde tu aliud, quod hoc ipsum maximè declaret. Ieremiæ cap. 45. v. 27. sic Deus ad Iudæos, *Ecce ego vigilabo super eos in malum, & non in bonum, & consumentur omnes viri Iuda, qui sunt in terra Ægypti gladio, & fame, donec penitus consumantur.* Quo dicendi genere aptiùs significari posset omnium omnino Iudæorum extrema clades? sed statim aliquid subditur, B ex quo intelligitur aliquos ex illa clade futuros esse reliquos. *Et qui fugerint gladium, reuertentur de terra Ægypti in terram Iuda viri pauci.* Sic etiam ex modo loquendi ait Ribera significari eas diuitias, ad meretrices Assyrias esse reuersuras, quæ incendium, & vastitatem effugerint.

39. Ego aliter puto expediri posse nodum, dissoluíque commodiùs ex illa linguarum omnium consuetudine, quæ in igne omne suppliciorum genus, omnem vastitatis modum intelligit. Quare dum omnes mercedes igne dicuntur esse comburendæ, euertendæ, diripiendæ, & aliò transferendæ significantur. Quomodo in igne omnis vastitas, aut omnis exprimatur acerbitas, diximus C in nostris commentariis super Ieremiam *cap.* 29. *num.* 23.

Ignis omne infortunium & genus vastitatis significat.

40. Vers. 8. *Super hoc plangam, & vlulabo: vadam spoliatus, & nudus.*] Solebant Prophetæ non verbis solùm, sed etiam symbolis, signísque hieroglyphicis futura portendere, vt in Osea diximus, qui ex nuptiis, filiísque ex noua nupta susceptis, quid postea populo euenturum esset significauit. Sic Ezechiel vasa transmigrationis assumpsit, vt in illis populus suæ peregrinationis imaginem aspiceret. Sic Ieremias aliquandiu catenis oneratus ciuitatem obiuit. Sic Isaias discalceatus, & nudus captiuorum statum, & ærumnas expressit. Sic fortasse Michæas ad diuinum imperium spoliatus, & nudus sese Israelitarum oculis spectandum obtulit. Cui corporis habitui D planctum quoque, atque vlulatum adiecit; quia vtrunque paulo pòst ab Assyrio dominatu futurum impendebat.

Prophetæ aliquando signis, & factis prophetari soliti.

41. Neque tamen existimandum est, etiamsi demus spoliatum, & nudum prodiisse Michæam, omnia illi tegumenta fuisse detracta. Vt enim de Isaia diximus in nostris commentariis *cap.* 20. ille nudus vocatur, qui aut malè vestitus est, aut cui detractum est honestum indumentum, & suæ dignitatis, aut muneris insigne. Sanè Dauid nudus non erat cùm saltauit ante arcam 2. *Reg. cap.* 6. cùm dicatur habuisse ephod lineum: neque Saul 1. *Reg. v.* 19. cùm cecinit tota die ac nocte inter Prophetas, & tamen ille saltasse, & hic cecinisse E nudus perhibetur. Seneca certè *de Beneficiis lib.* 5. *cap.* 13. hanc esse vulgi in loquendo consuetudinem docet. *Quædam*, inquit, *etiamsi vera non sint, propter similitudinem eodem vocabulo comprehensa sunt. Sic illiteratum non ex toto rudem, sed ad literas altiores non perductum; sic qui malè vestitum, & pannosum vidit, nudum se vidisse dixit.*

Nudus non semper significat vestimentorum omnium spoliationem.

REGVLA. *Quædam etsi vera non sint, propter similitudinem eodem comprehenduntur vocabulo.*

42. Hæc mihi difficilia non sunt, sed fortasse in planctu, atque spoliatione Prophetæ non tam futura portenditur calamitas, quàm Prophetæ significatur dolor. In summo enim dolore scinduntur vestes, vt docuerunt Ezechiæ legati,

In summo dolore discissa vestes.

cum eo infecta redierunt ad dominum suũ *Isaiæ cap.*36. *num.*21. & Achab 3. *Reg.*21. Quod esse familiare Hebræis, & quasi legitimum, docet illud Ieremiæ *cap.* 36. *v.*24. vbi reprehenduntur quidam quòd in casu, in quo dolere omnes docuerunt, nemo scidit vestimenta sua, & cùm à Ioel lugens significatur perturbatio, & dolor, edicitur quasi hoc esset in dolore legitimum, atque perpetuum, vt omnes non tam scindant vestimenta sua, quod de more faciunt, quàm corda. *Scindite,* inquit, *corda vestra, & non vestimenta vestra,* Ioel *cap.*2. Quod etiam fecere in dolore, & luctu Gentiles. vide quid nos ad hunc locum Ioelis, vbi ea de re pluribus.

43. De calceis in dolore depositis docuit Dauid cùm fugeret Absalon 2. *Reg.cap.*15.*v.* 30. & Miphiboseth, qui nudis, atque illotis pedibus occurrit Dauid. Hinc orta sunt illa sacra, quæ vocantur *Nudipedalia,* quæ ideo obiri solita, quia mœrentes homines placare sibi student iratum Deum.

Calcei in dolore depositi.

44. *Faciam planctum velut draconum, & luctum quasi struthionum.*] Hic locus obscurus est, quia similitudo ducitur à re obscura valde, & quæ ab his, qui de animalium naturis scripserunt, vix aliquid certum desumi potest, quod planctum ostendat draconis, aut struthionis, & aliquid lucis afferat huic loco, in cuius commentatione nobis laborandum est. De luctu draconis id ferme habemus quod docet hoc loco Hieronymus, draconem nempe, cùm ab elephanto superatur, horribili resonare sibilo, quod sumpsisse se dicit ab illis, qui de re naturali historias prodiderunt. Ego apud auctores de historia animalium luctam lego, & odium inter elephantem, & draconem; luctum verò non lego. Est tamen verisimile horribiles illos ciere sonos, cùm ab Elephanti pondere opprimitur, quem ipse priùs spiris implicuerat, & sanguinem exuxerat. De qua lucta Plinius *lib.*8. *cap.*11. & Ælianus *lib.*6. *cap.*20. Cyrillus ex aliorum sententia refert, si percutiatur draco, tunc demum eiulare, doloremque suum cauda terram verberando declarare solitum, nec mediocrem clamorem emittere. Res est incerta, fortasse aliquo draconum genere hoc affirmant scriptores nobis ignoto. Nam cùm innumeræ draconum inueniantur formæ, non est improbabile ab illarum aliqua eos edi eiulatus, vt in clamoris ingentis comparationem adhiberi possit, quique eius sit naturæ, vt non solùm perterreat, sed etiam exanimet audientes; vt dicit Albertus *lib.* 26. *de animalibus.* Illud certũ struthionum, & draconum planctum prouerbiali specie pro ingenti, & admodum tristi lamentatione sumi. Sic Iob in suo dolore dixit cap. 5. *Frater fui draconum, & socius struthionum*; id est, planxi sicut dracones, & struthiones solent.

Draconis vlulatus.

Draconis cum elephanto pugna.

45. De struthionibus res est adhuc obscura magis, neque habeo aliquid certum, quod probem aliis, aut in quo mihi ipsi satisfaciam. Montanus tunc gemere struthiones putat vehementer, cùm ab æstu, & siti vehementer vrgentur. Si verum esset, quod de struthionibus prodit Ælianus *lib.*14. *histor. cap.* 6. aliqua sese ostendet causa cur struthio, & dolere grauiter, & vlulare debeat. *Nam venator, qui struthionibus insidiatur, vbi struthionis nidum deprehendit, peracutas ex ferro cuspides spiculorum more rectas circa nidum defigit, & alicubi prope in occulto latens ex insidiis rei euentum spectat. Struthio verò quoniam amore, quem erga fœtus suos acerrimum habet, flagrans sitienter cum eis versari cupiat, ex inquisitione pastus reuertitur, ac nimirum priusquam in nidum introeat, huc illuc versans oculos circumspectat, quod metuat, ne quis sese speculetur, deinde ardentissimo pullorum studio victa, & si ferrum splendescit, ita tamen alis passis tanquam velis contento fune explicatis intra nidum miserabiliter ingreditur: nam cuspidato ferro transfixa acerba morte afficitur.* Hæc Ælianus. Quæ sanè, si vera sunt, satis grauem vlulandi causam habet struthio: cùm saucium se videat, intentúmque venatorem filiorum prædæ, quibus nullo modo possit esse subsidio. Sicut etiam draco, cùm victor in elephanti congressu, insperato casu mortui pondere oppressus rumpitur.

Struthionis gemitus, & ea plici amor.

Verùm, vt hæc ita sint, non tamen existimo in eo positam esse similitudinem, quòd magnos, longéque sonantes clamores edant struthiones, ac dracones, sed quòd tristes, quales ciere solent moribundi, & quibus exanimatus est spiritus, & angor grauis. Quales sunt singultus, & suspiria, & voces à deficiente halitu exanimatæ & obscuræ. Has inesse potius crediderim draconibus, atque struthionibus, quàm acutas. Et tales ederet Propheta cùm gemeret, quam impendere videbat populo calamitatem. Aut certè in draconis, struthionísque eiulatu non tam clamorem intuetur Propheta, quàm clamandi causam. Clamat struthio, quia comprehendi videt à venatore pullos suos; clamat Propheta, quia instare videt barbarum exercitum, qui non mitiùs tractet genus Israeliticum, quàm struthionum pullos infensus venator. Clamat draco, quia immani succubuit ponderi, iam moriturus: clamat Propheta, quia immane pondus super populum incumbere præsentit. 46.

Vbi vulgatus *struthiones*, Septuaginta transtulere, *Syrenas*, de quibus varia, atque incredibilia fabulantur poëtæ, plorare quidem miserabiliter, alioqui vocales docent, qui fabulosa scripsere. Sanè Seneca in Hercule OEtæo planctus Syrenum inter mœstissimos numerat. 47.

Syrenum planctus.

------ Digna sonent
Verbera planctu: me vel Sipyli
Flebile saxum finge superi,
Vel in Eridani ponite ripis:
Vbi mœsta sonat Phaetontiadum
Turba sororum: me vel Siculis
Addite saxis, vbi fata gemit
Thessala Syren.

Cyrillus aues esse putat vocales, & canoras, quales sunt lusciniæ, quæ vt suauissimè cantillant, cùm nihil illis accidit aduersum, sic triste aliquid, & miserabile modulantur, si quid illis lamentabile contingat. Putat autem Cyrillus luscinias nidos suos iuxta maris littora construere, & ibi incubare ouis, quod ita fortasse est, tametsi ego neque legerim apud probatum aliquem auctorem, neque audiuerim. *Diuinitus*, ait Cyrillus, *inspirata Scriptura syrenas vocat passerculorum loquacissimos, & suauem sonum edere solitos: aut interdum ipsas luscinias, quæ in finibus marinis ouis incubant. Deinde nido à fluctibus abrepto, lugubre melos fundunt, partus sui damna quodammodo lamentantes.* Hæc in halcyones aptiùs cadunt, quæ iuxta littora nidificant, & ablatos pullos miserabiliter lugent. Lugubrem esse lusciniæ, siue philomelæ cantum, cùm pulli vel capiuntur ab aucupe, vel deuorantur à colubro, cecinit Maro lib. 4. Georgic. vbi sic de Orpheo Euridices exitium deplorante.

Lusciniis nõ solũ dulcis, sed etiam lugubris cantus.

Qualis

Qualis populea mœrens philomela sub vmbra
Amissos queritur fœtus, quos durus arator
Obseruans nido implumes detraxit: at illa
Flet noctem, ramóque sedens miserabile carmen
Integrat, & mœstis latè loca questibus implet.

48\. Vers.9. *Quia desperata est plaga eius, quia venit vsque ad Iudam.*] Cum non omnia, quæ ad familiam siue prouinciam pertinent, extincta fuerint, spes est aliqua fore, vt instaurentur, & in priorem statum reuocentur collapsa. Vnus Fabius, qui trecentis extinctis ex ea familia reliquus fuit, Fabiorum gloriam, & amplitudinem instaurauit. Extinxit Athalia omne semen regium, sed paruulus Ioas ex illius manibus ereptus in paterna domo regnum conseruauit Dauidicum. Si ex vastata prouincia vna superstit ciuitas incolumis, si ex succisa vinea vna superstit vitis, ex qua palmites ad sationem, & propagationem sumi possint, non omnino actum existimatur de prouincia ac vinea. At si nihil ex alterutro reliquum est, nihil iam superest nisi de instauranda plaga desperatio. Hoc planè Propheta hoc in loco significat sic esse Israeliticum regnum vastandum ab Assyriis, vt pars ex illo supersit nulla, quæ futura sit quasi semen quoddam excitandæ, ac propagandæ prouinciæ. Et ideo subditur,

Desperata plaga quæ.

49\. *Quia venit vsque ad Iudam, & tetigit portas populi mei.*] Vsque adeò bacchatus est hostiliter, & latè Assyriorum exercitus, vt non solùm Israelitici imperij ciuitates, vicósque subuerterit, sed ex illius finibus populabundus egressus vicinas etiam sedes aut occuparit, aut afflixerit. Sanè Senacherib, vt habes *lib.4. Reg. cap.18. & Isaiæ cap.36.* cùm plurimas ciuitates ex Iudæorum sorte victor obtinuisset, ad portas Hierosolymæ progressus eò adegit desperationis Solymitanos ciues, vt de se réque tota publica actum existimarent. Sed cùm Hierosolymæ extrema minaretur omnia, eodem in loco, vbi spiritus imbiberat insolentes, certáque spe victoriam, prædámque deuorarat, strato temporis momento diuinitus exercitu ignobilem ipse fugam cum paucis à cæde reliquis arripuit. Ex hoc loco colligunt aliqui, neque immeritò ex tribu Iuda natum esse Michæam, quando portas Ierusalem, ad quas progressus est Assyrius, portas appellat populi sui.

50\. Vers.10. *In Geth nolite annunciare.*] Hic Hieronymus ad finem vsque capitis impeditus inuenit nexus, & tenebras vsque adeò crassas, & obscuras, vt ad illas discutiendas adesse sibi postulet Spiritus sancti lucem. Quare sic commentationem aggreditur. *Multum Hebraicum à L X X. interpretatione discordat, & tantis tam mea, quàm illorum translatio difficultatibus inuoluta est, vt si quando indigeimus Spiritu Dei (semper autem in exponendis Scripturis illius indigemus aduentu) nunc vel maximè eum adesse cupiamus, & quæ in prophetia locutus est pandere, vt de nobis quoque possit intelligi, quod ipse alibi pollicere dignatur: Aperi os tuum, & implebo illud.* Et longiuscule post hæc. *Hucusque secundùm Hebraicum, vt potuimus, & vt nobis visum est (certè vt ab Hebræis audiuimus) quasi inter saxa, & acutissimos scopulos nauiculam nostram reximus. Quæ vtrùm intrauerit portum, an adhuc in salo fluctuet, lectoris erit prudentiæ iudicare. Nunc orationibus vestris pergamus ad alios fluctus, & imminente expositionis hinc inde naufragio, si possumus, euadamus.*

51\. Ex quo David, cùm Sauli, & Ionathæ parentauit, hæc vsurpauit verba, videntur quasi legitima forma in luctu, ac funere adhiberi solita. Neque enim videtur cur Michæas Israelis cladem Gethæis potius, quàm aliis Israelitici nominis inimicis occultari voluerit, nisi ad Dauidis illud ferale canticum esset allusum. Sic autem Dauid lib.2. Reg. cap.1. v.20. *Nolite annunciare in Geth, neque annuncietis in compitis Ascalonis.* Est autem magna doloris pars, si quispiam in nostris exultet, atque triumphet infortuniis, & dum nos lacrymis mœrentes, & squalidi vacamus, exultantes alij, ac nitidi festiuo carmini tempus indulgeant. Hoc viri etiam pij in precibus sibi à Deo concedi postulant; hoc horrent vehementer Psal 24. *Neque irrideant me inimici mei.* Quod item Psal.88. quasi acerbum aliquid queritur Dauid, *Lætificasti omnes inimicos eius.* & Thren.2. v.17. *Lætificauit super te inimicum.*

PROVERB. Nolite annunciare in Geth.

Lacrymis ne ploretis.] Eódem hæc spectant, vt taciti lugeant, & alia edant animi mœrentis indicia, ne ploratu, atque eiulatu, in quo clamor est, & gemitus, externi, atque inimici populi Israelitidis Gentis calamitatem intelligant. 52.

In domo pulueris puluere vos conspergite.] Hæc multi è recentioribus nomina propria esse putant, & Hieronymum non æquis accipiunt animis, quòd ita transtulerit, quasi forent communia. Sed sanè si communem vocem propriis subiecisset nominibus, neque nouum aliquid egisset Hieronymus, cùm id sæpe alibi fecerit, neque sine causa, aut sine exemplo. Fecerunt enim id sæpe prophani, & antiqui sacrarum literarum interpretes. Et in hoc loco, quæ recentiores isti nomina putant esse propria, septuaginta Interpretes, & Chaldæus Paraphrastes, sicut Hieronymus, communi significatione transtulerunt. Certè si propria forent ciuitatum nomina, res esset multo minus impedita; verùm vt rectus teneatur sensus, non est necesse ad illam recentium auctorum, & interpretum cogitationem confugere. Defendit perquam optimè Ribera noster Hieronymum ab hac obtrectatorum opposita calumnia. A quo ego negotio supersedeo, ne actum agam, & accommodatè ad communem nominum significationem, quam adhibuit Hieronymus, commentationem attemperabo. 53.

Domus pulueris, vt reor, illa dicitur, quæ redacta est in puluerem à catapulta, vel ariete, seu in cinerem ab incendio. Monet ergo Propheta, vt quando pulueris, ac cineris abundè est, in patriæ siue ruina, siue busto, puluere se, ac cinere conspergant, & clamare, atque vlulare desinant, ne Gethæi, in quibus Iudaici nominis hostes intelliguntur, in afflicta Israelitarum fortuna, & gemitu triumphent, & exultent. Porrò in mœrore, ac luctu solere fœdari capita, cinere, ac puluere, docuimus in nostris commentariis super Ezechielem cap.27. ad illud, *Et superiacient puluerem capitibus suis, & cinere conspergentur.* quod etiam Gentilibus in vsu fuisse docuimus. inde pete. Dixit hoc apertè Chaldæus, cùm ita reddit paraphrasticè. *Qui habitatis in domibus puluerulentis, cinere operite capita vestra.* 54.

Vers.11. *Et transite vobis habitatio Pulcra, confusa ignominia.*] Familiare est Prophetis imperatiuum adhibere pro futuris; in quo nonnulla est epitasis, quæ celeritatem indicat, & certissimum rerum euentum. Quomodo in prædictione non dissimili dixit Isaias Babyloni cap.47. *Nuda crura, transi flumina, tolle molam*, &c. Habitatio pulcra dicitur Samaria, quia ædificiis erat illustris, & vineis, oliuetísque conspicua. Quam Oseas *cap.10.* frondosam appellauit, & luxuriantem vitem, & Isaias *cap.28.* verticem vallis pinguissimæ. Illa 55.

igitur ciuitas opulenta prius, & decora, cùm ad A Assyriam potestatem venerit spoliata, & nuda (qualem præ se imaginem tulerat Propheta spoliatus, & nudus, vt paulo ante putabamus verisimile) ad alienam regionem captiua traducetur. Illud *vobis* otiosum est apud Latinos, secus apud Hebræos, apud quos ille dicendi modus ex linguæ proprietate nonnihil habet elegantiæ: solent enim datiuum addere paragogicum, vt nos pluribus docuimus ad illud Cant. 1. *Si ignoras te.*

56. Vbi vulgatus, *confusa ignominia*, Hebræi legunt, *nuda turpitudinem.* Quomodo nuper Isaias de Babylone cecinit. Ille autem ancillaris est habitus, qui ad vilia domus ministeria longum syrma, & fluentes lacinias non admittit. Cur nudari B ancillarum turpitudo dicatur, dixi in citatum proximè Isaiæ locum, & Isaiæ cap. 3. ad illud *crinem nudabit.* Loquitur autem de Samaria, quasi de fœmina, cui dedecus istud, atque ludibrium magis est quàm viris familiare. Hieronymus ita hunc locum exponit. *Transite vobis habitatio* שפיר, *quod Syro, Hebræóque sermone dicitur pulcra. Samaria quippe in pulcerrimo Iuda, & vberrimo loco sita nunc quoque ostenditur. Dicitur ergo ad eam: O tu quæ habitas in regione vberrima, quæ confusa es ignominia, sic transi, sic ad captiuitatem deducere, vt præ doloris magnitudine, nec vicinus quidem Allophylus audiat vocem tuam.*

57. *Non est egressa, quæ habitat in exitu.*] Hæc Hieronymus, & cum eo complures alij ad Samariam C referunt. *Samaria*, inquit, *quæ habitat in exitu, id est, quæ est in ipsis Assyria captiuitatis foribus, & statim, vt mota fuerit de finibus suis, in hostilem terram ingreditur, non est egressa propria voluntate, sed vi ducta in Assyrios.* Et quidem verbum *egredior*, non tam coactum, quàm voluntarium exitum importat. Alij de alia quauis ciuitate capiunt, quæ sit iuxta exitum, id est, iuxta viam, per quam ad Assyrios Samariæ captiui traducentur. Cuius ciues cùm sibi exitum imminere putent non dissimilem, non occurrent vt humanitatis, & officij ratio postulabat, sordidati, ac mœsti, vt miserorum dolorem consolentur: quia neque audebunt, cùm Assyriorum sibi potentiam timeant, victricem, & armatam, & in aliorum capite coniecturam sumant D non obscuram de suo. Sed huic cogitationi obstat, quòd Samaria ciuitatum omnium vltima capta est, & in illa finitum Israelis imperium. Quare nulla tunc erat ciuitas incolumis, quæ in exitu videret traduci Samariam, & suo sibi capiti, eandem calamitatem, & exitum metueret.

58. Quare placet quod visum est Ruperto, Alberto, Montano, qui habitantem in exitu Iudæam esse statuunt, seu quia prope Samariam sita est, & videre potuit exeuntem, & vlulantem populum; seu potius, vt Rupertus vult, quia Ierusalem, quæ habitat in exitu, id est, cuius transmigratio iam est in procinctu, licèt tecum egressa E non sit, non tamen longè abest, vt egrediatur. Quæ expositio ideo magis probatur mihi, quia in hoc capite sic agit Propheta de Samaria, vt tamen interdum respectet Hierosolymam. Deinde quia quæ proximè succedunt, tam Hieronymus, quàm alij, qui hæc de Samaria intelligenda putant, de Hierosolyma interpretantur; hæc autem ab illis nullo modo videntur distrahenda. Hæc igitur non est egressa vel vt consolaretur abeuntem, vel vt auxiliaretur obsessæ, quia ipsa idem sibi metuit infortunium, neque procul est ab exitu non dissimili.

Planctum domus vicina accipiet ex vobis, quæ stat sibimet.] Stabat Hierosolyma, immo, & Iudææ regnum, quo tempore migrauit ad Assyrios captiua Samaria, & stetit diu, ab anno nempe Ezechiæ 6. ad annum Sedeciæ vndecimum, id est, annos 134. Illa tamen suæ calamitatis exemplum vidit in Samaria, & ab illa accepit & plangendi modum, quam plangentem audiuit, & dolendi argumentum non dissimile. Dicitur autem Iuda vicina domus, quia Samariæ, id est, Ephraimiticæ tribus fines attingit. Illud porrò *sibimet* paragogicum est, neque aliquid addit ad orationis sensum; addit autem ex Hebræorum idiomate aliquid ad ornatum. 59.

Vers. 12. *Quia infirmata est in bono, quæ habitat in amaritudinibus.*] Duas ego hîc explicationes subodoror. Altera est accepisse Iudam plorandi formam ab Israele, seu Samaria: quia vt illa subuersa est, & ruinam suam captiua lamentatur; sic etiam sortem suam in bono firmatam esse non putat, id est, non habere se bonum, quo nunc fruitur diuturnum, sed instabile, quia ab illo excidet breui ad eum modum, quo cognatæ sibi tribus exciderunt. Bonum autem est patria, libertas, opes, honor, & alia, quæ apud homines numerantur in bonis. Quare habitat in amaritudinibus, nempe in angore, perturbatione, ac metu, dum occursat sæpe ante oculos species labentis, & gementis patriæ. 60.

Altera est si in amaritudinibus intelligas peccata, quæ sic appellari possunt ab effectu, sicut vocantur dolores, stimuli, ignominia, pudor, & opprobium. Sanè peccatum absinthium nominatur Amos cap. 5. & Oseæ 12. *amaritudines. Ad iracundiam me prouocauit Ephraim in amaritudinibus.* Nutare autem, & ad ruinam esse prona illa, in quibus inueniuntur peccata, sæpe in diuinis monumentis audimus: quia nihil tunc habere firmitatis possunt, cùm offensum habent, & iratum Deum. Hanc Ieremias *Thren. cap. 1. v. 8.* instabilitatis Ierusalem clamat esse causam. *Peccatum peccauit Ierusalem, propterea instabilis facta est.* Plura in hanc sententiam habes in nostris commentariis ad hunc locum. In priorem explicationem magis inclinat animus; & ad illam sequentium explicationem accommodo. 61.

Quia descendit malum à Domino in portam Ierusalem.] Hinc planè liquet, quæ antecesserunt proximè de Ierusalem esse capienda. Tunc autem malum ad portas vsque peruenit Ierusalem, quando non longè post excidium, exiliúmque Samariæ victrices Assyriorum copias Senacherib ad duas tribus, id est, ad Israelitici generis reliquias reuocauit. Id verò accidit anno Ezechiæ 14. vt habes 4. *Reg.* 18. *v.* 13. cùm anno eius sexto expugnata fuerit, & captiua Samaria, *ibid. v.* 10. Quemadmodum Senacherib, plurimas Iudææ ciuitates occuparit, & se in Hierosolymæ conspectum dederit, illámque vehementi quodam angore, pauoréque concusserit, habes *lib. 4. Reg. cap.* 18. & *Isaiæ cap.* 36. Quas verò nunc portas vocat Ierusalem, *Isai. cap. 8. vers.* 8. collum appellat. *Ibit per Iudam inundans, & transiens, vsque ad collum veniet.* 62.

Vers. 13. *Tumultus quadrigæ stuporis habitanti Lachis.*] Quomodo Lachis obtinuerit Assyrius, & primo loco, quia Israelitici imperij fines attingebat, docet Isaias *suprà, & lib. 4. Reg. cap.* 18. Huic ergo ciuitati omnium primæ stuporem, & tumultum Propheta minatur ab Assyriis: quam non tam cepisse videri potuit Senacherib, quàm quadrigarum 63.

Digitized by Google

drigarum suarum strepitu terruisse. Cùm enim non diu in Assyriorum potestate fuerit, cùm diuina manus tantam potentiam, tam insolentes spiritus temporis momento compresserit, perinde censeri potuit, ac si tantum foret quadrigarum strepitu perterrita, & ab illis nihil sustinuisset aduersi.

64. Hebræi aliter legunt. *Liga quadrigam, seu currum equo habitatrix Lachis.* quomodo etiam Chaldæus reddidit, quam lectionem si quis admiserit, ita hunc locum interpretabitur idoneè. Iunge currus, & equos, siue vt te opponas hosti, qui exciso Israele, in tuos fines quamprimum erumpet, siue vt fugias, & impendentem tibi calamitatem declines.

65. *Principium peccati est filiæ Sion: in te inuenta sunt scelera Israel.*] Cùm Lachis proxime Ephraimiticos attingeret fines, facile corruptos illius, & quasi gentilicos mores à noxia illa, & pestilenti vicinitate contraxit, vnde ad reliquas ciuitates Iudæ, & ad ipsam filiam Sion, & ciuitatem sanctam contagio serpsit. Non habemus, quod ego viderim, ex alio loco Lachis omnium primam labe illa gentilica fuisse deformatam; sed adeò hîc Propheta loquitur apertè, vt dubitare non liceat.

66. Vers. 14. *Propterea dabit emissarios super hæreditatem Geth.*] Pro emissariis Hebr. est שלוחים *siluhim*, quam vocem Hebræi munera interpretantur, sicut etiam Chaldæus: quæ missa existimantur ad Gethæos, vt subsidio veniant Lachis, quam oppugnauit omnium primam Assyrius. Qui tamen mendaci, atque fallaci spe lactauerunt infelicem illam ciuitatem, & in fraudem inductam perdiderunt. Quod antè iam facere instituerant, cùm peregrinis moribus, & religione gentilica fœdarunt. Tunc enim Lachis ruinæ, ac prædæ patere cœpit. Hunc sensum carptim colligo ex variis Hebræorum expositionibus. Quòd verò שלוחים dona significent, probat illud 3. *Reg. 9. vers.* 16. vbi Pharao dicitur dedisse ciuitatem Gazer filiæ suæ ad dotem. Hebr. שלוחים Hieronymus

67. conuertit *emissarios*: hi verò sunt aut exploratores, aut qui præmittuntur vt alios bello lacessant, vt prædas agant, aut qui in Scriptura sacra sæpe latrunculi vocantur. Si nuncij sint, idem quoque sensus est, qui superior Hebræorum: hi enim cùm pacis, & societatis initur fœdus, aut cùm auxiliares euocantur copiæ, cum muneribus mittuntur, quæ emolliunt, & conciliant animos, & obuias quasque difficultates exuperant.

68. Vaticinium hoc minax pertinere Hieronymus putat ad Gethæos, in quibus etiam Palæstinos alios intelligo. *Non solùm,* inquit, *super Lachis tumultus veniet, & quadriga, sed & super Geth metropolim Palæstinæ, de qua supra dixeram, in Geth nolite annunciare. Mittet enim Assyrius latrunculos suos, quos vocat emissarios, & possidebit domos idololatriæ.* Sed nescio quomodo hæc minus instituto Prophetæ conueniunt, qui contra Iudam & Israel durum istud vaticinium intorquet. Palæstinorum autem communis interitus non tam Israelitas dolore compungeret, quàm de patriæ calamitate mœrentes solaretur. Quare minus mihi impedita videtur Theodoreti sententia, à qua non longè abit Cyrillus, qui emissarios captiuos esse dicit, id est, vt ego interpretor, milites expeditos, & promptos sumptos è Lachis, quos contra Palæstinos communes hostes emisit Senacherib. Cùm enim Lachis in Assyrij potestatem venisset, ab illius ciuibus nauari sibi militarem operam coegit: quam ipsi non grauatè præstiterunt, quia non contra cognatos, & contribules populos, sed contra Allophylos, & iam pridem iuratos hostes dimicandum erat. Ex captiuis igitur milites assumet emissarios, qui domos mendaces, & vanæ religioni deditas, quæque exemplo pessimo, & pestilenti contagione confines sibi regiones corruperunt, graui aliquo afficiant detrimento. Cyrillus emissarios captiuos esse putat à Lachis; sed ideo à Septuaginta appellari ἀποστελλομένους, quia extorres emittuntur a patria. Res est sanè obscura, & quæ in varios sensus, & cogitationes patet.

69. Vers. 15. *Adhuc hæredem adducam tibi, quæ habitas in Maresa.*] Hæc Maresa, vt Hebræi, & è recentioribus nonnulli volunt, patria fuit Michææ, à qua ipse Morasthites vocatus est. Quod si ita est, nonnulla causa fuit, cur pluribus aliis omissis ciuitatibus, Maresæ, id est, patriæ suæ Propheta meminerit. Est autem, vt hoc loco Hieronymus obseruat, elegans quædam paranomasia. Maresa namque à radice ירש *iaras*, hæreditatem sonat. Quare optimè illi iuxta nominis vim, & notationem hæres attribuitur, nempe Assyrius, qui ciuitatem illam non aliter adibit libero, atque sedato gressu, quàm si hæreditario iure legitimus hæres accepisset.

70. *Vsque ad Odollam veniet gloria Israel.*] Hæc ciuitas ad Iudæ funiculum spectat *Iosue cap.* 15. quæ vsque hodie, Hieronymo teste, vicus est non paruus ad Orientem, decimo ab Eleutheropoli milliario. Ad hanc vrbem venturus esse dicitur Assyriorum exercitus, furor, & potentia, & gloria, quæ, vt vult Hieronymus, per Ironiam, seu antiphrasim pro ignominia ponitur, & clade, quam accipiet breui ab hoste victore. Alij hîc relatiuum subaudiendum existimant, quod frequenter accidit iuxta Hebræorum idioma, vt docet Pagninus *lib. 1. instit. cap.* 25. in hunc sensum. Perueniet victor Assyrius vsque ad Odollam, quæ est gloria Israel.

71. Quòd si legas *gloriæ*, in genitiuo, vt reddidit apud Hieronymum Symmachus, sensus quidem erit idem, sed expeditus magis. Vsque ad Odollam vrbem Iudæ veniet gloriæ Israel, nempe hæres. Quæ vox hîc per zeugma repetenda est. Hîc tamen adde pro *gloria* Hebr. esse כבוד *cabod*, quæ vox ambigua est, & tam dignitatem, & gloriam valet, quàm grauitatem, pondus, & molestiam. Quod si ita accipias, satis ad rem aptè interpretaberis, si dicas vsque ad Odollam ciuitatem Iuda peruenturum esse pondus, & ignominiam quæ pudefecerat priùs, & oppresserat Israel. Neque hic sensus iuxta Hieronymi mentem alienus est à translatione vulgatæ, qui per antiphrasim in gloria cladem, & ignominiam agnoscit.

72. Vers. 16. *Decaluare, & tondere super filios deliciarum tuarum.*] Tonderi in luctu, atque dolore capita docuimus super Ezechielem *cap. 24. num.* 43. & super Amos *cap.* 8. ad illud, *Et super omne caput caluitium.* Neque quicquam est aliud, quod addi posse ex vsu fore videatur. Filij deliciarum filij dicuntur delicati, ex quibus suas sibi delicias capiebat Samaria. Cui sine dubio hoc loco tonsionem, & caluitium indicit, propter filiorum, aut exilium, aut funus. Vt autem ciuitas appellatur mater, quæ in suo sinu ciues amplectitur, & fouet, sic etiam ciues sub eadem metaphora filij nominantur.

Cæsaries in luctu, atque dolore deposita.

73. *Dilata caluitium tuum sicut aquila.*] Aquilæ plurimum est à plumis non ornamenti solùm, sed celeri

celeritatis, & roboris. Non enim tam esset potens, vel ad capiendam prædam, vel ad sui, filiorumque custodiam, si pennarum subsidia defuissent. Quare si aquilæ plumas detrahes, deformem illam, & infirmam relinques. De Aquila tradit Theodoretus defluere aliquando plumas, tunc autem sic esse languidam, & inermem, vt neque venari possit, neque audeat. Tam enim est longè vt aliis terrori sit, vt potiùs ipsa sibi ab omnibus timere possit, cùm nuda sit, & exposita tam prædæ, quàm vulneri. Sic ergo Samaria nuda armis, & suorum præsidio quasi implumis aquila, quæ neque impetum habet, neque effugium, aut capietur, & abducetur extorris, aut malè concidetur ab Assyriis. Quomodo verò aquila pennas exuat veteres, vt nouas assumat, & suam renouet iuuentutem, diximus ad illud Isaiæ cap. 41. *Assument pennas sicut aquilæ.* Vide Hieronymum *hic, & epist. 29. ad Dardanum*, & Ambrosium *serm. 54.* Quòd si hanc explicationem admittas, & quæ proximè sequuntur, ad illam attemperare volueris, particulæ *quoniam* vim rationalem auferes, & vt aliis locis frequenter, otiosam esse facies, in hanc sententiam. Nudaberis omnino, ô Samaria, præsidio militari, sicut aquila defluentibus pennis nuda, atque inermis manet. Ex quo fiet, vt filij tui inter alienos, & barbaros, aut animam agant, aut vitam ærumnosam & duram.

Aquilæ quomodo pennæ defluant.

74. Verùm illa sententia magis est ad textum, quæ iubet Samariam in filiorum exilio, ac cæde tondere caput, & lugubre assumere tegumentum, & habitum, & spoliare se pilis sicut aquila, quæ ex toto corpore pennas excutit, & manet à priori maiestate nuda, & pilos auferat, non leui manu, &, vt aiunt, per pectinem, sed radices etiam capillorum euellat, quod facit aquila, quæ neque radices, & fundamenta capillorum relinquit. Sanè in graui aliquo mœrore, non spectant, qui dolent tonsorios cultros, aut artificis manum, vt caput aut tondeant, aut radant; sed vnguibus, aut lacerant genas, aut euellunt crines, aut suos cùm verè dolent, (vt faciunt in parentis funere filij, aut defuncto coniuge fidelis vxor) aut alienos, & emptos, quod faciunt præficæ, quæ lacrymas, & planctus venales habent. Quod vsqueadeò frequens olim fuit, vt nihil in funere, ac luctu frequentius audiamus, quàm scindi, velli, & lacerari comas. Sic apud Virgilium lib. 9. Æneid. Euriali mater.

Capilli in dolore euulsi apud Gentes.

Euolat infelix, & fœmineo vlulatu
Scissa comam.

Et lib. 9. Lauinia audito matris infelici suspendio.

Filia prima manu flauos Lauinia crines
Et roseas laniata comas.

Huius generis inuenies plurima. Sit vnus pro omnibus Cicero lib. 3. Tuscul. quæst. *Sunt varia, & detestabilia genera lugendi, pædores, muliebres lacerationes genarum, pectoris, feminum, capitis percussiones. Hinc ille Agamemnon Homericus, & idem Accianus.*

Scindens dolore identidem intonsam comam.

In quo facetum illud Bionis, perinde stultissimum regem in luctu capillum sibi euellere, quasi caluitio mœror leuaretur.

75. Hoc idem vsitatum inter Iudæos, multa Scripturæ sacræ testimonia docent. Esther cùm Iudæorum populum deuotum esse cædi didicisset, vt habes cap. 14. *Omnia loca, in quibus antè lætari consueuerat, crinium lacerationc compleuit.* Idem fecit Esdras *lib. 1. cap. 9.* cùm populum suum audisset

Item apud Hebræos.

cum Gentili populo miscuisse connubia. *Cùm audissem*, inquit, *sermonem istum, scidi pallium meum, & tunicam, & euelli capillos capitis mei, & barbæ; & sedi mœrens.* Quam consuetudinem ad extrema vsque tempora Iudaicæ reipublicæ perseuerasse tradit Iosephus *lib. 16. Ant. cap. 11.* nam cum Salome Herodis soror graui afficeretur dolore, ex Gentium credo consuetudine vellebat sibi crines, & plangebat pectus.

Cùm ergo in capillis auferendis è capite duo sint doloris argumenta, alterum mitius cum leni, & amica manu sine vllo furore, atque cruciatu capillus aut tondetur forfice, aut tonsoriis cultris ad cutim vsque raditur: alterum crudelius cùm furor accedit ex doloris impatientia conceptus, quod sine magno cruciatu contingere non potest. Neque adhiberi solet nisi quando grauissimus est dolor, quique mœrentem hominem in insaniam adigit. Ex his ego figuram illam Rhetoricam agnosco, quam Græci ἐπανόρθωσιν, Latini correctionem appellant, cùm aliquid dixisse videmur minus ad rerum naturam, aut conditionem accommodatè, & illud voce alia magis significante corrigimus. Qualia tam in sacris, quàm in prophanis scriptis frequenter occurrunt, vnum afferam, quod optimè huius figuræ proprietatem explicat. Ex Petrarcha, qui hoc pueri cuiusdam tumulo epitaphium incidit. 76.

Vix mundi nouus hospes eram, vitæque volantis
Obuia mors (fallor) obuia vita fuit.

Dixerat Propheta priùs, *Decaluare, & tondere super filios deliciarum tuarum.* Hic dicendi modus vnam tantùm corporis partem decaluandam dicit, nempe caput, quod caluitij genus lene est, quale videlicet esse solet à nouacula, & forfice, quæ capiti cùm aliquid deformitatis afferant, nihil tamen infligunt doloris. Quare cùm parum aliquid sibiipsi Propheta dixisse videatur, corrigit sese, & totum corpus dicit esse, non tondendum, sed depilandum, ita vt detracti pili non iterum renascantur. Quod docet aquilæ similitudine, cuius caluitium est in toto corpore, cùm omnes ex illo plumæ defluant, & ita defluant, vt nulla sit reliqua stirps, & radix, ex qua deciduæ pennæ iteratò repullulent. Quasi dicat Propheta: Tonde, ô Samaria, & rade caput, parum dixi pro rei magnitudine; cùm filios omnes, quibus cædes pepercerit, exilium longum, & ærumnosa seruitus expetet. Quare talem in te speciem repræsenta, qualem aquila toto nudata corpore à pennarum vestitu, cuique ereptæ sunt plumæ, simul cum stirpe. Et fac vt non solùm caput, sed totum etiam corpus fiat capillorum euulsione glabrum. 77.

Hæc mihi non videntur aliena; sed quando res est difficilis, & illustris, licebit illam aliter tentare, vtinam ad rem. Consueuerunt olim gentilici populi ablatam à capite cæsariem in cognatorum, atque amicorum sepulcrum inferre. Sic enim putabant piè defunctorum manibus parentare. Quod à Gentibus sumpsisse Israelitas non est incredibile, cùm alia plurima ab Ethnica religione didicerint; licèt essent iam olim à patria lege, ac religione prohibita. Exemplo nobis est hoc ipsum caluitium de quo modò nostra commentatio. Cùm enim prohibitum esset Deut. cap. 14. vers. 1. *Non vos incidetis, nec facietis caluitium super mortuo.* Id tamen fecerunt Israelitæ non semel, neque nunc credo meminisset Propheta caluitij, illúdque Samariæ commendasset, (ironicè fortasse, nisi illa in eo populo foret vsitata, & quasi 78.

In amicorum sepulcrum capilli coniecti.

Digitized by Google

quasi legitima lugendi forma. Quod autem Gentes in suorum funere detonsam sibi comam in sepulcrum intulerint, tam apud Græcos, quàm apud Latinos scriptores frequenter audimus. Homerus *lib. 23. Iliadis* à Mirmydonibus, & Achille detonsam comam in Patrocli rogum coniectam esse scribit. Catullus in Argonautis.

Illius egregias virtutes claraque facta
Sæpe fatebuntur natorum in funere matres,
Cum in cinerem canos soluent à vertice crines.

Ouid. epist... Canaces.

Non mihi te licuit lacrymis perfundere iustis.
In tua non tonsas (sed euulsas) ferre sepulcra comas.

Seneca in Phædra act. 5. scen. 1.

Placemus umbras capitis exuuias cape:
Laceræque frontis accipe abscissam comam.

Diony. Halicarnassæus loquens de funere Virginiæ. *Exiliebant*, inquit, *ex ædibus mulieres, & virgines deflentes hunc casum, floresque aliqua, & coronas aduersùs lectulum inijcientes, aliæ zonas, & balteas, aliæque vittas virginalis comæ, & quædam etiam retortos crinium detondentes capillos.* Ad hanc fortasse consuetudinem allusum est à Propheta, qui ita iubet parentari his, qui aut morientur hostili ferro, aut eò redigantur, vt haberi pro mortuis possint; (cùm exules, & qui vitam agunt ærumnosam &

A sordidam, censeri debeant pro mortuis) vt singulorum exequiis capillorum aliquam partem impendant. Quod si ita est, cùm sit mortuorum infinitus numerus, vt singulis pars aliqua exigua capillorum impendatur, magna sit capillorum quantitas oportet. Atque ideo iubet, vt quicquid in toto corpore capillorum est, ad ipsas etiam radices euellantur, sicut quicquid est in aquila plumarum, cum ipsis etiam radicibus effluit. Neque aliquid videtur nouum, atque insuitatum edicere, cùm omnibus summis, infimisque, aut mors immineat, aut illa calamitas, quæ non procul abest ab interitu: omnes enim aut à vita euellentur, aut à natali, siue vitali solo, si omnes euellantur pili, tam qui in capite, quibus principum significatur sublimis, & honesta conditio, quàm qui in aliis partibus corporis, in quibus ignobilioris turbæ status exprimitur. Facit ad hoc, quod sub hæc ipsa tempora prædixit Isaias cap. 7. v. 20.

B *In die illa radet Dominus in nouacula cõducta in his, qui trans flumen sunt, in rege Assyriorum caput, & pilos pedum, & barbam vniuersam*, quia videlicet eò adducentur ab Assyriis, vt si velint occisis parentare, non satis capillorum habeant, si caput tantùm radant, aut euellant, sed necesse sit barbam, & si quid est pilorum in corpore, id totum auferri.

IN CAPVT SECVNDVM
ARGVMENTVM.

VATICINIVM hoc est contra Samariam, seu decem tribus Israel, quarum ingentia commemorat flagitia, maximè quæ constat, & exequitur auara crudelitas. Quibus ideo seruitutem edicit duram, & ab omnibus gentibus libera conuitia. Et illam præterea iubet cogitationem deponant, qua sibi persuaserant, nihil à Dei benignissima natura prouenire posse non benignum. Quia verò aliquis suspicari posset, Israelis incommodis oblectari Prophetam, affirmat vsque adeò sibi illius infortunia non placere, vt dum propositæ minæ successu carent, impostor & fallax Propheta haberi non recuset. Deinde qualis sit illius populi futura clades ostendit, seu, vt alij volunt, quanta illos Euangelij tempore felicitas expectet.

CAPVT II.

1. *VAe qui cogitatis inutile, & operamini malum in cubilibus vestris: in luce matutina faciunt illud, quoniam contra Deum est manus eorum.*

2. *Et concupierunt agros, & violenter tulerunt, & rapuerunt domos: & calumniabantur virum, & domum eius; virum, & hereditatem eius.*

3. *Idcirco*

PARAPHRASIS.

C 1. VÆ vobis, quorum cogitationes sunt ad omne peccatorum genus intentæ. Qui fraudes architectantur, & instruunt in cubili, & tunc præclarè putant transactam esse noctem, licèt insomnem duxerint, cùm longo peruigilio ad iniqua consilia expeditum aliquem aditum aperiunt. Et cùm primùm illuxit, adeò cupidè atque sollicitè complent, vt huic curæ nihil sibi omnino præmittendum putent: quia vt intentus est ad malum animus, sic contra Deum armata manus est, & ad omne flagitium expedita atque audax.

2. Qui cùm primùm ad alienos agros adiecerunt oculos auaros, aut ad splendidas aliorum domos, in illorum possessionem inuolarunt, non secus atque si hæreditario iure obuenisset à parentibus, aut sua sibi pecunia

Digitized by Google

A pecunia comparaſsent. Neque calumniæ deſunt, aut ſimulata iura, quæ viris quos oppugnant, aut hæreditati quam ambiunt, inſtruant & opponant.

3. Idcirco hæc dicit Dominus: Ecce ego cogito ſuper familiam iſtam malum: vnde non auferetis colla veſtra, & non ambulabitis ſuperbi, quoniam tempus peſsimum eſt.

3. Eapropter, ait Dominus: Ecce ego qui pauperum ſum patronus & vindex, & ſpiritus inſolentes humilio, talia in vos familiámque veſtram, ô viri violenti & auari, conſilia meditor, qualia vos in aliorum tenuem humilémque fortunam. Imponam enim vobis durum, atque ſeruile iugum, ex quo ſublime antea & erectum collum non exoluetis, vſque adeò dura ſuccedet
B ſtatus, vitæque conditio.

4. In die illa ſumetur ſuper vos parabola, & cantabitur canticum cum ſuauitate, dicentium: Depopulatione vaſtati ſumus: pars populi mei commutata eſt: quomodo recedet à me, cùm reuertatur, qui regiones noſtras diuidat?

4. Illo porrò tēpore, quo mutata fortuna collum habebitis ſeruilis iugi pondere depreſſum, ſumetur vulgare de veſtra calamitate prouerbium, & occinetur vobis cum voluptate ac riſu à procaci ac petulante turba irriſorium iſtud, & conuitiale canticum, per mimeſin in veſtra perſona frequenter iteratum. Audietis enim ab hoſte victore id, quod vos cùm extremam timeretis fortunam, vobiſcum dicebatis: Actum eſt iam de nobis, quia populi pars magna
C commutata fortuna è ſuis ſedibus captiua migrauit, neque eſt cur nobis meliora ſperemus. Heu quomodo noſtra etiam ſors nobis ablata tranſibit ad Aſſyrios, cùm repetent iterum Iſraeliticos fines, & ſubactas bello regiones ſortitò diſtribuent.

5. Propter hoc non erit tibi mittens funiculum ſortis in cœtu Domini.

5. Propter hoc (ſic dicebant antè, cùm forent in metu Iſraelitæ, & hæc eadem oggerunt victores Aſſyrij) iam omnino deſpero futurum eſſe funiculum, atque hæreditatem in ea regione, quam
D Deus electo ſibi populo habitandam attribuit.

6. Ne loquamini loquentes: Non ſtillabit ſuper iſtos, non comprehendet confuſio.

6. Quare deſinite iā, ô viri Iſraelitæ, fallaci Pſeudoprophetarum vaticinio deluſi contemnere Prophetarum voces, quaſi ſomnia forent delirantium, & meræ nugæ, quaſi nullum eſſent habituræ pondus, neque vobis pudorem, & ignominiam allaturæ.

7. Dicit Domus Iacob: Numquid abbreuiatus eſt ſpiritus Domini, aut tales ſunt cogitationes eius? Nónne verba mea bona ſunt cum eo qui rectè graditur.

7. Hîc ſe veſanus populus cōtra Prophetarum ſtimulos armabat, hîc minaces illorum prædictiones eludebat. Nunquid abbreuiatus eſt, & coarctatus ſpiritus Domini, aut illius iam exhauſta benignitas, &
E larga ad benefaciendum dextera contracta, vt pro beneficiis, quæ plurima olim promiſit, & contulit, nunc in populum ſuum, quem paterno complexus eſt animo, fulmina intorqueat? Aut in eius animum tales potuerint cogitationes incidere, quæ toto cælo ab illius clementia prorſus abhorrent. Cui reſpondit Dominus, eſſe quidem nunc, & fuiſſe olim verba ſua bona, & promiſſa iocunda, non tamen ad omnes, ſed

8. Et

Digitized by Google

A ſed ad illos, qui à recta mandatorum ſemita non declinant.

8. *Et econtrario populus meus in aduerſarium conſurrexit: deſuper tunica pallium ſuſtuliſtis: & eos, qui tranſibant ſimpliciter, conuertiſtis in bellum.*

8. Tam autem fuiſtis longè, vt meis obſecuti mandatis recta incederetis via, vt in meipſum, ait Dominus, tanquam in aduerſarium inſurrexiſſe videamini, dum datas à me leges & mandata contemnitis, qui ad alia quæ contra me flagitia commiſiſtis, in proximos quoque veſtros fuiſtis iniurij. Cùm ab illis auferatis pallium, quod inductum eſt tunicæ, & contra illos, qui ſimpliciter & ſecurè tranſeunt, ſic irruatis tumultuosè atque crudeliter, quaſi bellum vobis B foret cum hoſte collatum.

9. *Mulieres populi mei eieciſtis de domo deliciarum ſuarum: à paruulis earum tuliſtis laudem meam in perpetuum.*

9. Neque ſatis vobis fuit, in viros armaſſe manus violẽtas & auaras: in mulieres etiam, & paruulos, à quibus ipſi etiam hoſtes abſtinere ſolent, ſæuitum eſt: eieciſtis enim fœminas ab eo loco, vbi otium ſuum, atque delicias collocarant, & earum paruulos eò deduxiſtis, vt ſuperſtitioſam & vanã complexi, veram abiiciant religionem, & à ſuis faucibus atque conuentibus, diuinæ laudis officium exterminent.

10. *Surgite, & ite, quia non habetis hic requiem: propter immunditiam eius corrumpetur putredine peſſima.*

10. Quare, vt pœnas veſtræ iniquitati C debitas exoluatis, hinc vobis procul in exilium abeundum eſt, neque diu in regione veſtra trãquillum ducetis, & ſecurũ otium. Illum namque locum quietis veſtræ, quem habuiſtis hactenus, auferent ingruentes hoſtes, fœdabúntque ſtratis vbique cadaueribus, ex quibus erumpet fœtor, qui regionẽ veſtram fœda exhalatione contaminet.

11. *Vtinã non eſſem vir habens ſpiritum, & mendacium potiùs loquerer: ſtillabo tibi in vinum, & in ebrietatem: & erit ſuper quem ſtillatur populus iſte.*

11. Ne exiſtimetis, ô viri Iſraelitæ, optare me calamitatem, quam denũcio, aut ex denunciatione aliquid me capere voluptatis, D optabilius enim mihi eſt ſpiritu carere prophetico, quàm ab eodẽ cogi animos veſtros tam duro vaticinio verberare. Vtinam, quæ vobis nunc à Deo proponuntur oracula, eo ſucceſſu careant, quem deſignant. Et dum vobis nihil accidat aduerſi, ego impoſtor haberi, & fallax Propheta non recuſo. Sed heu: quàm nimium verax, ô Iſrael, tibi nuncius ſum: qui nunc tibi denuncio calamitatem, & afflictionem ingentem, quam ſignificat vinum & ebrietas: tibi, inquam, denuncio, ô popule Iſraelitice, & non aliis.

De Iſraelitica cade.

12. *Congregatione congregabo Iacob totum te: in vnum conducam reliquias Iſrael, pariter ponam illum quaſi gregem in ouili, quaſi pecus in medio caularum, tumultuabuntur à multitudine hominum.*

12. Diſperdam te omnino ô Iſrael, neque E vllus effugiet vniuerſam illam & horribilẽ cladẽ, neque vllas patiar ſupereſſe reliquias adigam te quaſi greges ad caulã, vbi ſe cõpriment, & tumultuabuntur homines, quia anguſtus erit præ multitudine locus.

De Eccleſia.

Bono tamen eſto animo, ô Iſrael: nam licèt hæc, quæ tibi nunc minaci vaticinio portendo, perferenda ſint: aderit tamen tempus, cùm te ad Eccleſiam, ad cœtum videlicet ſecurum, & ſplendidum ita

A colligam, sicut greges ad caulas. Tunc autem tumultuabitur Israel, quia præ hominum multitudine, angusta videbunt Ecclesiæ claustra, quantumcunque laxentur.

13. *Ascendet enim pandens iter ante eos: divident, & transibunt portam, & ingredientur per eam: & transibit rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum.*

De Israelitica cæde.

13. Præcedet Deus, tanquam dux, & imperator Assyriorum agmen, quod conscripsit ad Israelis exitium: illo verò auspice ac duce, Assyriorũ rex aut primus omniũ, aut inter primos per diuisum murum in ciuitatem irrumpet: quod ideo facile, feliciterque præstabit, quia Deus illius agminis princeps, & caput est.

De Ecclesia.

Congregabuntur autem in Ecclesia, quia Deus illis iter expeditum aperiet, &
B ipse ducem se, ac principem præbebit. Quare illo fauente, quicquid se difficultatis obiecerit, facilè perrumpent: neque illorum conatus aut oppositi muri, aut portarum claustra morabuntur: quia rex illorum ante ipsos præcedet; Deus videlicet, qui illorum caput est.

Vers.1. *Væ qui cogitatis inutile, & operamini malum in cubilibus vestris.*]

1. HÆ ad decem tribus spectant, de quibus proximè in extrema parte cap.1. ostendit autem in toto hoc capite Propheta cur Deus in genus hoc Israeliticum tantopere sæuiat. Et primùm Israelitarum animum incitatum, & pronũ ad omne impietatis genus esse demonstrat; quasi nihil aliud aut curet, aut cogitet, quàm quod horret, & execratur Deus. Quare dũ in plateis sunt, & publicos, atque otiosos conuentus obeunt, nihil aliud agunt, aut secum, aut cum aliis, quibus suas curas, & cogitationes impertiunt, nisi quod est inutile: peccatum nempe, ex quo nihil homo nisi pudorem, si sapiat, atque ignominiam colliget. Idipsum operatur in nocte, id est, vt opere cogitata compleat, rationes secum quærit, & modum: fraudes instruit, consilia architectatur, & tunc præclare putat transactam esse noctem, licèt insomnem illam habuerit, cùm longo peruigilio ad iniqua consilia expeditum aliquem aditũ aperuit. Id enim, opinor, valet illud, *& operamini malum in cubilibus vestris.* Quasi dicat: In eo ponitis aut diurnas curas, aut nocturnas excubias, vt consiliũ aliquod fraudulentum meditemini, & vt optatos scelerata consilia exitus inueniant. Hæc ita amplectitur Hieronymus, vt etiam de adulteriis, & impudicitiis intelligat, quibus frequenter cubilia, & tori polluuntur. *Cubilia*, inquit, *ad quiescendũ data, stupris polluitis, & quicquid iniquitatis nocte tractatis, quasi differre non liceat, statim, vt dies claruerit, festinatis implere.*

2. Pro *inutili*, Heb. est און *auen*. quod aliquid sonat vanum, & inutile, & quia eiusmodi sunt peccata, mendacium, & idolum, fit, vt hoc tam idola, quàm peccatum significentur vocabulo. Hic sine dubio de peccatis est sermo: est enim quoddam quasi proœmium eorum, quæ statim à Propheta subiiciuntur, quo significatur studium, & ardor, quo populus ille sic lymphatico, atque væsano rapitur spiritu in omnem intemperantiam, vt nullum neque diurnum, neque nocturnum tempus velit

Peccatum inutile.

esse ab hoc studio, vel cogitatione vacuum.

3. *In luce matutina faciunt illud: quoniam contra Deum est manus eorum.*] Quod nocte in cubilibus meditati sunt mali, id cùm primùm illuxit adeò cupidè, atque sollicitè complent, vt huic curæ nihil sibi omnino præuertendum putent. Quòd verò in ea
C cura nihil intercedat moræ, in causa est, quia vt intentus est animus in malum, sic contra Deum armata manus est, & ad omne flagitium expedita, & audax; quod mens à recta ratione deuia designauit. Et quæ ad diuina præcepta seruanda torperent, ac deficerent manus, eædem contra Deum nihil non aggrediuntur, in quibus esse putes aut igneam vim, aut giganteum robur, & audaciam.

Peccatoris contra Deũ audacia.

Porrò prouerbiali forma *mane facere*, aut *diluculo*, aut *in matutino*, & similia magnam aliquam contentionem aut ardorem significant. Neque enim quæ pungunt, ac sollicitant animũ, languere nos, aut dormire, aut in opere faciundo procrastinare sinunt. Sic Dauid, qui regnum ab iniquis purga-
D tum esse cupiebat, *in matutino* (id est, quamprimum poterat) *interficiebat omnes peccatores terræ.* Sic qui grauibus conflictantur incommodis, vt ab eis se quàm ocyssimè expediant, *manè consurgunt*, id est, hanc primam habent curam, & penè solum negotium. *In tribulatione sua manè consurgent ad me,* Oseæ cap.6. 4.

Mane, diluculo, & similia prouerbiali specie, pro magno studio.

Quidam è recentioribus paulo aliter vertunt. 5. *Quoniam facultas in manu eorum*, nempe ad opprimendum, & spoliandum infirmũ, & pauperem, & illa tentanda, quæ statim Deus reprehendit. Et quidem verba similia eo sæpe modo conuertit vulgatus. Sed nostra translatio non minus est Hebraico textui consentanea, & quæ magis studium
E amplificat animi, ad designatum iam, & conceptũ propositum, inflammati, & prompti, quique primum quodque tempus, atque occasionem captat, vt diuinæ se voluntati in omnibus opponat. Hieronymus in commentariis horum cogitationi aliquantulum fauet. *Non considerastis*, inquit, *quod auersiis Dominum fortis est manus vestra?*

Vers.2.

Digitized by Google

6. Verſ.2. *Et concupierunt agros, & violenter tulerunt.*] Iam incipit explicare, quò ſpectent illæ nocturnæ excubiæ, & matutina celeritas, nempe vt in poſſeſſiones illas, ad quas adiecerant oculos, & cōſilium noctu veteratorium inuenerant, violenter irrumpant. Tale fuit illud Achab, & Iezabel, de aliena poſſeſſione conſilium, ad quod alluſum videtur à Propheta (erat etenim recens illud exemplum.) Adiecit rex ille nimium vxorius oculos priùs, deinde auarum animum ad vineam Naboth, conſilio fortaſſe priùs cum Iezabele communicato nocte, in cubili multorum ſcelerum, & barbarę illius cogitationis conſcio. Et cùm primùm per lucem licuit matutinam armata contra Deum, & legem iniqua manu, cogitata perfecit, & oppreſſo contra pudorem, & fas legitimo poſſeſſore, alienum agrum ſibi vendicauit. Ad hunc modum videntur fuiſſe complures, qui ſibi ad alienas poſſeſſiones, non per ius, & leges, ſed per vim, & iniuriam aditum aperuerunt.

Achab. & Iezabelis fraus, & vis prouerbialis.

7. *Et calumniabantur virum, & domum eius, virum, & hæreditatem eius.*] Hæc optimè conueniunt in Achab, & vxorem illius impiam Iezabel, qui condemnato Naboth, & oppreſſo lapidibus per ſummam iniquitatem, & calumniam illius hæreditatem adierunt, tanquam ſuo ſibi pretio comparatam. Quod, vt dixi, eorum, quæ tunc in Iſraele impudenter, atque iniquè fiebant, exemplum proponitur, prouerbialem in modum, accommodatum, & recens.

8. Verſ.3. *Ecce ego cogito ſuper familiam iſtam malum.*] Videbat Dominus homines illos ſuperbos, doloſos, & auaros alienis opibus luculentos, ſpiritus alere inſolentes, & inter cōmunes turbas, quibus illi domos, & agros eripuerant, ambitioſiùs incedere. Et contra plures alios ſpoliatos, & mœſtos, qui neque ſua poterant repetere, cùm maximè cuperent, neque contra illorum iniuriam quicquam mutire. At cùm ille cauſam tueretur tenuium, & pauperum, & qui ſuis, & alienis interdum opibus inflatos è ſolio maieſtatis exturbat, turbabit hæc iniqua conſilia, efficiétque, vt genus illud hominum iniquum, & crudele ſuperbæ conuerſione fortunæ ſortem experiatur duram, & ignobilem. Et ideo ſtatim accommodatis ad illorum arrogantiam minis ait:

9. *Vnde non auferetis colla veſtra, & non ambulabitis ſuperbi.*] Malum quod cogitat Dominus contra ſuperborum ſublime caput, & inhumana conſilia, iugi, vt apparet, ſignificatur nomine. Quod ita ſeruilis conditionis ſymbolum eſt, vt etiam pondus ſecum importet graue, quo erectæ deprimantur, frangantúrque ceruices. Dum ergo Dominus ait non eſſe ex illo malo auferenda colla, iugi ſpectat metaphoram, quod colla ligat, neque ex illo continget libertas, niſi illa exoluantur à iugali loro. Ambulabant viri illi aliorũ iniuria potentes erecto collo, addentes, quod rerum natura vetat, ad ſtaturam ſuam cubitũ vnum. Sed illis edicit Deus, quod ſub hæc eadem tempora filiabus Sion per Iſaiam c.3.v.16. *Pro eo quòd eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo*, &c. *decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit.* Hoc poſtremum ſupplicium indicat ſeruile, ac ſordidum, quale apud Aſſyrios Iſraelitæ ſuperbi pertulerunt.

10. Verſ.4. *In die illa ſumetur ſuper vos parabola & cantabitur canticum cum ſuauitate dicentium.*] Hic Hieronymus nodum offendit impeditũ, quem ſic expedit, vt in eo ſibi non ſatisfaciat; & diſcere dicat ſe malle ab aliis quàm alios docere. Parabola He-

A braica משל maſal, aut prouerbium eſt, aut prouerbialis ſententia, quæ frequenti hominũ ſermone vſurpatur, & teritur: ſiue illa triſte aliquid, & inauſpicatum occinat, ſiue ſecũdum, & lætum. Triſte aliquid canebat Iſaias c.14. cui dixit Deus, ſumes parabolã iſtam contra regem Babylonis. *Quomodo ceſſauit exactor, quieuit tributum? contriuit Dominus baculum impiorum*, &c. & cùm Dauid Pſ.68. dicebat, *Et factus ſum illis in parabolam*, id ſignificabat in otioſorum hominum conuentibus nugarum, & irriſionũ ſe fuiſſe materiam. quod item expreſſit in eodem Pſalmo, *Et in me pſallebant, qui bibebant vinũ.* Scio parabolam eſſe obſcurã aliquam, vulgarémque ſententiam, in qua plerunque eſt aliqua ſimilitudo; ſed latiùs, vt vides, patet, & vox Hebræa משל, & Latina *parabola*.

B Eſt igitur hîc parabola canticum quoddam irriſorium, ſeu frequens prouerbialeque conuitiũ, quod occinebant Aſſyrij victores Iſraeli captiuo: aut alij certè Iſraelitici nominis inimici. Cantabant autem illi ſuauiter; quia depreſſam videbãt, & alligatam ſeruituti illorũ potẽtiam, quos antè norant elatos ſuperbè, & aliis, quàm diu licuit, acres, & infenſos. Hæc porrò verba, quæ parabolæ, ſeu irriſorij cantici argumenta ſunt, dixere priùs Iſraelitæ, aut qui captiui fuerunt primo Aſſyriorũ appulſu, & à ſua gloria, & libertate depulſi, aut qui tunc nihil ab illis hoſtile paſſi ſunt, erant tamen in metu ne eandem ipſi fortunam experirẽtur, qua videbant contribules ſuos fuiſſe perfunctos. Ab illorum tamen ore ſumpſerunt Aſſyrij, & ſub amara quadam mimeſi occinebãt frequenter, vt acceptam ante plagam refricarent, & lacrymas excuterent, & gemitus, quæ tantum ipſis voluptatis, quantum aliis doloris afferebant. 11.

C Alij hæc verba exulibus attribuũt, quibus hoc canticum ideo iucundum appellari cenſent, quia dulce interdum eſt lugere, quia profuſis lacrymis, & ingeminatis liberè ſingultibus, ex animo aliquãtula ægritudo detergitur. Et quidem non diſpliceret iſta ſententia, ſi, quod alij faciunt, & in his è recentioribus plerique, pro *cantabitur canticum cum ſuauitate*, legas, *lamentabitur lamentũ lamẽti.* Sanè viri, neque pauci, neque ignobiles, carmen iſtud lugubre captiuorum eſſe putant, ita Theodoretus, & Cyrillus: ſed hi Septuaginta ſequuntur tranſlationem, in quibus nihil legimus iucundum, & gratum, dicunt etiam Rupertus, & D Vatablus. 12.

Lugere interdum dulce eſt.

Montanus canticum iſtud illorum eſſe putat, quos ſuis ſpoliauit ornamentis potentiorum iniuria; ſed cùm illi communis illius cladis nõ fuerint expertes, non videntur ex aliorũ incommodis tantum voluptatis eſſe capturi. Quare placet magis prima ſententia, quam tenẽt Albertus, Lyra, Ribera, Figuerius, neque abhorrent ab illa Hieronymus, Cyrillus, Remigius, & Haymo. 13.

Depopulatione vaſtati ſumus: pars populi mei commutata eſt.] Hæc eſt parabola, ſeu lugubre canticum, quod ab Iſraelitarum ore ſumpſerunt Aſſyrij; & mœrentibus poſtea cum riſu, & ſanna inſultantes obiecerunt. Hoc porrò canticum videntur illi cecin iſſe priùs, quos nondum exegiſſet è patria, aut E etiam bello tentaſſet hoſtilis furor: qui tamen cõtribules ſuos, atque cognatos aut viderant ab hoſtibus abduci, aut abductos audierant. Hi verò ſũt maximè Samaritæ, qui omniũ vltimi ſuperati ſũt, & in Aſſyriorum terminos abacti. Illi ergo quaſi iam præſagirent, impendere ſibi idem infortuniũ, dicebant aut ſecum taciti, aut etiam publicè clara voce: Actum eſt iam de nobis, quia populi 14.

zed by Google

pars magna commutata fortuna è suis populis captiua migrauit. Hæc opinor Samaria, & aliæ fortasse tribus, quæ secundo & tertio Assyriorum aduentu à patrio solo depulsæ sunt. Sunt autem vsæ tempore præterito, cùm tamen duram illam fortunam non essent expertæ, quia quod breuiter timetur esse futurum, perinde existimatur ac si iam accidisset. Notum est illud tritum,

Tunc tua res agitur, paries cùm proximus ardet. Aut certè pars populi illa dicitur regio, quæ deserta à suis antiquis possessoribus, translata est ad alienos. Quasi dicant, qui à clade, & exilio reliqui sunt: Nihilo nobiscum agetur melius, quàm cum illis, quorum sortem, & funiculum iam alieni possident. Et hæc posterior expositio magis mihi probatur, cui consentaneè subditur:

15. *Quomodo recedet à me cùm reuertatur, qui regiones nostras diuidat.*] Non videbatur hostis Assyrius diu cessaturus à bello, & præda, quam è regione Israelitide optimam retulerat. Quare non sine causa timent, & dolent, qui è suis finibus nondum abierant extorres, & dicunt: Heu quo modo mea etiam sors recedet, & auferetur à me, & migrabit ad Assyrios, cùm repetent iterum Israeliticos fines, & subactas bello regiones sortitò distribuent. Hæc explicatio nihil habere videtur offensionis.

16. Vers. 5. *Propter hoc non erit tibi mittens funiculum sortis in cœtu Domini.*] Hæc verba sine dubio extrema sunt parabolæ, seu irrisionis, ac lugubris cantici, quæ negant futurum, vt aliquando extorres à patria ablatam sibi sortem ab Assyrio dominatu recuperent. Sed obscurum est, cuius ista sint verba, Israelitarum ne, qui de restituenda sibi hæreditate desperant, aut qui de sua possessione actum esse putant? aut inimicorum, qui verba hæc sumentes à turba desperante, ac querula, subamara quadam repetitione occinunt, aut certè ipsi, vt captiuo populo dolorem faciant, non ab alio sumunt, sed ipsi confingunt: vtcunque accipias, eadem est sententia, quæ negat in cœtu Domini, id est, in loca, vbi Deus locarat, subiectum sibi populum futurum esse funiculum sortis illis, qui subiugati ab hostibus ex patriis finibus excessissent. Ego eò magis inclino, vt credam & dixisse illa populum de duro, atque irreparabili successu timidum, & eadem postea in conuitio ab hostibus obiecta.

17. Vers. 6. *Ne loquamini loquentes, non stillabit super istos, non comprehendet confusio.*] Hæc iam extra parabolam sunt, & conuitiale canticum. Sunt autem verba Dei, qui populum reprehẽdit, & admonet, ne contemnant propheticas minas, quasi nugæ forent, & vacui sine mente sonitus. Aut ne prohibeant Prophetas loqui, quæcunque à Deo acceperunt oracula. Cùm enim Prophetæ grauia semper, & iniucunda prædicarent, ipsi sibi ominati meliora dicebant, neque imminere mala, quorũ metu concutiebantur animi, neque timendam esse, quam denunciabant propheticæ voces ignominiam. *Stillare* verbum est ambiguũ, modò enim aliquid significat ab offensione, modò aliquid à beneuolentia profectum, vt pluribus docuimus in nostris commentariis super Ezechielem *cap.* 10. *n.* 104. Est enim à pluuia deducta translatio, quæ aliquando mollis est, & benigna, quæ agros fœcũdat, & exhilarat; aliquando verò horribilis, quæ procellosa est, & fulgura fecũ, grandinem, & fulmina iaculatur. De hac sine dubio hic sermo est, quomodo etiam apud Ezechielem suprà. *Stilla ad Africum.* Dan. c. 9. *Stillabit super nos maledictio & detestatio, quæ scripta est in libro Moysis serui tui, quia peccauimus.* Amos c. 7. *Et non stillabis super domum idoli.*

Stillo verbum ambiguum, quod durum, & molle significat.

Vers. 7. *Dicit domus Iacob, nunquid abbreuiatus est spiritus Domini, aut tales sunt cogitationes eius.*] Hæc verba sunt illorum, qui suorum scelerum grauitatem non agnoscunt, aut nimium de Dei bonitate atque clementia confidunt: aut certè in Deo sic mellis suauitatem considerant, quasi ab illo nil aloes timeri possit, aut fellis. Quare his se rationibus solabantur, & Prophetarũ minaces clamores eludebant. Nunquid sic est coangustatus Dei spiritus, vt nostris peccatis quasi obstructis faucibus inclusus suffocetur? Nunquid sic oppressus nostrorum scelerum immani pondere, vt non possit nobis aliquid annunciare lætum, & quæ contra nos si quid atrocius fulminare voluerit, aut retractare mitiori vaticinio, aut aliqua ratione temperare? Aut quod verius reor, magísque orationis filo consentaneum: Nunquid abbreuiatus est, & coarctatus spiritus Domini? aut illius iã exhausta benignitas, & larga ad benefaciendum contracta dextera? vt pro beneficiis, quæ plurima olim promisit, & contulit, nunc in populum suũ, quem paterno complexus est animo, fulmina intorqueat? aut in eius animum tales incidere potuerunt cogitationes, quæ toto cælo ab illius clementia, & benignitate abhorreant? à quo verba bona, & suauitatem stillantia tam nostra, quàm parentum memoria sæpius audiuimus? Huc cum Hieronymo inclinant complures alij, in quibus sunt Remigius, Haymo, Ribera. pro omnibus audi Hieronymum. *Nolite vos decipere ô domus Iacob, & in consolationem mutuam dicere, Deus bonus est, non veniet captiuitas, quam timemus. Num larga eius misericordia, & clementissimus spiritus, qui latè, & abundanter ortus est omnibus, tantum in nobis abbreuiabitur, & seuerus erit, aut huiuscemodi sunt cogitationes eius, quales in hominibus cernimus, vt antiquã teneat iracundiam, & ad vindictam furore subito concitetur.* Aliæ sunt tã Rabbinorũ, quàm nostrorũ explicationes, quas omitto, quia contortulæ videntur, neque textũ implent. 18.

Impij nimium de Dei misericordia confidunt.

Nónne verba mea bona sunt cũ eo, qui rectè graditur?] 19.
Huic populi væsanæ confidentiæ respondet Dominus fuisse quidem in Israelitidem Gentem collata beneficia plurima, tunc tamen cùm se diuinis legibus obsequentẽ præbuit. Neque alia lege aut pacto factas esse olim Israelitico populo promissiones, nisi ipsi quoque promissa præstarẽt, id est, nisi seruarent fidem, quam Dei mandatis quondã obligarant. Lege Leuitici *c.* 26. & Deut. *cap.* 28. quæ nõ minus aspirant minas contra legis violatores, & transfugas à vero Dei cultu, quàm indulgẽt, & promittunt bona his, qui datam antea fidem obsequio fideli, atque constanti præstiterunt. Ait igitur Deus verba sua esse bona, id est, promissa, seu oracula iucunda, & ad hominum vota, non tamen omnium, sed illorum, qui rectè gradiuntur, id est, qui a recta mandatorum semita non declinant. Nam in eos qui contrà faxint, & non tam ducuntur à lege, quàm à suis abducũtur affectibus, verba sunt non lenia, nó consolatoria, ac stillãtia melle, sed dura, minantia, quæquæ cædem, & ignominiã aspirant. Hæc breuiter Hieronymus. *Bonus*, inquit Deus, *sum, & verba mea sonant clementiam, sed ad eos, qui recto itinere gradiuntur.*

Qui à Deo benignitatẽ sperare debeant.

Septuaginta pro eo, quod vulgatus legit, *Ne loquamini, &c. Nũquid abbreuiatus est spiritus Domini, &c.* ipsi reddiderunt. *In Ecclesia Domini ne flete lacrymis, neque ploret super his; neque enim abiiciet opprobriũ, qui dicit: Domus Iacob prouocauit Spiritũ Domini, si hæc aduentiones eius sunt.* Quã expositionem nõ probat 20.

Vera pœnitentia in mutatione vitæ.

Hierony

Hieronymus, est tamen ad moralem sensum opportuna maxime; quæ optime ostendit, in quo vera pœnitentia consistat, quæque animam ad Dei beneficia promerenda, atque recipienda disponat. Sic autem Cyrillus iuxta hanc LXX. trāslationem. *Consuetudo quibusdam est, si cùm peccauerint ab aliquo sapiente forsitan reprehendantur, pœnitentiæ modum in lacrymis ponere, erratúmque suum confiteri: atque hoc & solo expiationem peccatorum quærere, non etiam obiecta flagitia omittere*, &c. *Quoniam igitur solas lacrymas profundunt, & bona simulatè loquuntur, & interim proprias voluntates non deserunt, ideo non eos beneuolum, & mitem sibi reddere iudicem docet, dicens; In Ecclesia ne flete lacrymis. Dei templum inquit, nolite facere domum luctus, neque idcirco lacrymas fundite, vt dicatis tantummodo vos in domo Domini fleuisse. Istud namque vtilitate vacat omnino.*

21. Vers. 8. *Et e contrario populus meus in aduersarium consurrexit.*] Hæc variè à variis exponuntur, neque admodum inter se consentaneè. Rab. Abraham sic exponit, *Verba mea bona sunt bonis, non his, qui sunt ex aduerso; qualis est populus meus, qui tanquam hostis insurgit vnusquisque in proximum suum.* Quem ex Hebræis sequuntur alij, & ex nostris non pauci, Vatablus, Montanus, & indicat Pagnini, & Tigurina translatio, ita vt aduersarius sit quilibet e populo, cui perinde, atque si foret inimicus, vestes, & ornamenta detrahuntur. Chaldæus longè aliter. Sic enim reddit, *Propter peccata populi mei hosti traditi sunt, è regione eorum populi insurgentes possident eos.*

22. *Peccator bellum indicit Deo.* Alij in *aduersario* Deum intelligunt, in quem videntur Israelitæ consurrexisse, dum illius mandata iam olim scripta, & nunc recentia Prophetarū oracula contemnunt. Ita cum Hieronymo Remigius, Haymo, Albertus, Hugo, & e recentioribus nonnulli. Audi Hieronymum, *In contumeliam meam veneratus est idola, & quantum in ipso fuit, tyrannica aduersum me arma corripuit.* Et hanc ego sententiam potiorem habeo.

23. Plurimi è recentioribus cum Hebræis, vbi vulgatus *è contrario*, reddunt *heri, paulo ante*, aut simili alio modo; quod etiam, Hieronymo teste, fecit Symmachus. Neque ipse Hieronymus improbat, qui in commentariis secutus videtur Symmachi versionem, aut saltem illam admiscuisse suæ. *Qui autem, inquit, non dico olim, sed hesterno die in contumeliam meam veneratus est idola.* Tunc verò respondet Deus antiquæ populi querimoniæ, qui luere se dicebat non tam sua, quàm parentum errata, & ex vna acerba, quam patres comederunt, dentium se stuporem contraxisse: recentia enim peccata punit, quæque hesterno die patrata sunt. Symmachus, vt ait Hieronymus, aperte transtulit, vt diceret, *Ante vnam diem populus meus, quasi inimicus restitit, vt solueret quæstionem, quòd Deus non præterita vitia imputaret populo, sed recentia, & quasi quæ commissa die viderentur hesterno.*

24. *Deum expoliat, qui pauperem nudat.* *Desuper tunicam pallium sustulistis*] Hic ego duas inuenio sententias. Altera peccatis contra Deum peccata contra proximos admixit, quæ Deus impunita esse non vult. Altera explicat in quo populus ille Deum habuerit aduersarium, in quem impias ac violentas manus intulerit, quia pauperum opes quasi suam sibi prædam inuasit, quos pallio nudauit, & necessariis ad domesticos vsus commodis detraxit. Ea est enim Dei clementia, ac pietas, vt pauperum, ac miserorum iniurias suas esse deputet, & qui pauperi palliū, aut tunicam eripuit, hæc eadem censeatur eripuisse Deo. Quemadmodum qui pallium porrexit pauperi, is Christo dedisse existimatur. Nota est S. Martini Turonensis historia, a quo Christus dimidiato pallio contectum se esse testatus est. Docuit hoc ipsum apertè Christus, cùm in extremo iudicij die dicturum se ait, *Nudus eram, & operuistis me*, Mat. 25. Priorem explicationem magis probo, in quam abeunt frequentes alij; sed neque displicet posterior, quæ valde explicat mitissimum Dei ingenium, & quàm ferat grauiter pauperum iniurias.

Dum pallium desuper tunicam sublatum esse 25.
dicit, id significat Propheta, quod à prædonibus vsu venit, concursationibus maximè nocturnis, in publicis, atque vrbanis locis. Cùm enim pallium, id est, vestis extima, quæ tunicis inducitur, commodius auferri possit, quàm interiora alia, & magis astricta tegumenta, in illud rapaces iniiciunt manus homines violenti. Quod Hispanorum vulgo dicitur *capear*. Aut certè barbara quædā significatur inhumanitas, quæ id ab homine detrahit, quod illi vel ad honestatem, vel ad valetudinem maximè censetur necessarium. Non enim tam videtur inhumanum aut fructus ex agro, aut è lecto stragula, quàm pallium ex humeris violenter abstulisse.

Et eos, qui transibant simpliciter, conuertistis in bellū.] 26.
Illi dicūtur transire simpliciter, qui incautè procedunt, quia nocuerunt nemini, neque vident cur ab aliis sibi timendum sit. Hos ergo prædones isti hostiliter inuadunt, & ita tractant inhumaniter, ac si hostes forent, quos legitimo bello domuissent. Relinquunt enim non solùm ab omni ornamento nudos, sed etiam corpore malè vexato cōfractos, ac debiles. Hebr. *Et transeuntes securè, redeuntes è bello.* Quod optimè nostram cogitationem explicat. Sic enim ab horum cōgressu redeunt innocentes homines, & incauti, quasi ex hostili cōflictu emergerent spoliati; ac saucij, & tantum nō extremam passi belli fortunam. Hic porrò subaudienda est similitudinis forma in hunc modum, *Transeuntes securè quasi redeuntes è bello.*

Vers. 9. *Mulieres populi mei eiecistis de domo deliciarum suarum.*] En alterum profligatæ clementiæ, ac 27.
pietatis exemplum. Est sanè durū innocentes spoliare vestimento, & vulnere, aut etiam colapho deformare; sed nescio quomodo magis videtur ab omni humanitate alienū, si quispiam in fœminas sæuiat, & multo magis in paruulos, à quibus nullam potuerunt accipere molestiam. De hac re egimus pluribus in nostris commentariis super Amos *cap. 1. num.* 68. Eiicere porrò de domo deliciarum nihil est aliud, quam ex eo loco pellere, vbi suam sibi quietem, & otium collocarunt; quod fœminis, quæ quietem amant, atque secessum, nō potest esse non molestum. Aut certè sic mulieres afficiunt inclementer, & durè, vt pro deliciis ament secessum, & tenebras, atque ibi se luctu, & squalore conficiant.

A paruulis eorum tulistis laudem meam in perpetuū.] 28.
Hic locus non vnam habet explicationem. Hieronymus ablatam esse dicit à paruulis laudem, quia cum vita erepta est lingua, quæ in diuinas laudes tota debuit impendi. Albertus, Montanus, & Lyra sublatam esse dicunt à paruulis laudem, *Paruulorum cura est Deo.* quia sublatis possessionibus, quarum fructibus annuis, atque perpetuis, perpetuò etiam in diuinas laudes attollebatur animus, sublata quoque perpetuò videbatur diuina laus; laudarent enim paruuli illi, vbi plusculum accessisset ætatis, Deum, & quòd ab eo possessiones illas accepissent, & quòd ab eius liberali prouidentia ex fœcūdo solo, & cœlesti [illegible] vberes

Digitized by Google

vberes quotannis prouentus accepissent. Addo ego cùm paruuli, vbi iam cum annis consilium aduenisset, & mens, superborum hominum iniuria duris conflictarentur incommodis, vt est hominum natura malorum impatiens, magis excitaretur vrgentibus malis, vt de diuina prouidentia quererentur, quàm vt ex rerum abundantia in diuinæ bonitatis prædicationem assurgeret.

29. Seu certè à paruulis sublata est diuina laus, quia à religione vera, quæ verum Deum obseruat, & laudat, ab ipsis matrum vberibus ad impiã idolorum insaniam traducti sunt. Quare cùm Deus frequens esse deberet in paruulorum ore, nihil in illo, nisi vitulorum, aut Gentilium deorum nomen audiebatur.

30. Hieronymus præter illam, de qua suprà, aliam etiam expositionem adducit, & ait mulieres è deliciarum sedibus esse depulsas, quia captiuæ, & barbaro addictæ dominatui delicias omnes, & muliebrem luxum abiecerunt. Et eadem ratione ablatam esse laudem à paruulis, quia illi dũ propria deplorant infortunia, nil habent temporis vacui, quod ad laudes, & festiuum canticum impendant. Laus verò, vt alibi sæpe, carmen significat, quale homines læti aut audiunt, aut cantant, quod nullo modo concessum videtur esse captiuis, & his qui procul exulant à patria. Sic sanè iudicabant illi, qui in statu simili suspensis è salicibus organis, æternum illis indixere silentium: qui iussi canere imperium illud tyrannicum detestati responderunt, *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Ita penè Hieronymus, cuius sententia eo mihi probatur minus, quòd hîc peccata Deus videtur obiicere violentis, & barbaris hominibus, quæ tamen non sunt illa, quæ modò numerat Hieronymus. Neque minus ab his, qui adulta sunt ætate, sublata est in exilio, siue voluntas, siue copia cantandi, quàm à paruulis. Quare in paruulorum laude aliquid aliud intelligamus necesse est.

Ex his sententiis illa mihi probatur maximè, quæ censet à teneris annis sic esse paruulos institutos, vt superstitiosam, & vanam complexi veram abiiciãt religionem, & à suis faucibus, atque conuentibus diuinæ laudis officium exterminent.

31. Vers. 10. *Surgite, & ite, quia non habetis hîc requiem, propter immunditiam eius corrumpetur putredine pessima.*] Hoc est supplicium, quod sustinebunt illi, quos hoc loco Deus sceleris, & impietatis accersit: minatur enim exilium, edicitque quamprimum esse subeundum, neque deliciarum domos, quas ab imbelli fœminarũ sexu sibi vẽdicarunt, quicquam illis commodaturas ad requiẽ. Vagi enim errabunt, ac profugi, aut apud alienos seruile iugum sustinebunt. Sumitur autem hîc imperatiuus pro futuro, quod celerem indicat, & indubitatum euentum. Ac si dicat, surgetis, & ibitis, neque diu in patriis finibus commorari licebit.

32. REGVLA. *Actio pro loco, vbi exercetur actio.* *Requies* pro regione sumitur, vbi aliquis longũ ponit, securum, & quietum otium: quia sæpe actionis nomen pro eo loco ponitur, vbi exercetur, aut spectatur actio. Quomodo *oratio* pro templo sumitur, vbi homines orant, sicut Græcum nomen προσευχή, *cœnatio*, vbi cœnant, *deambulatio*, *mansio*, vbi deambulant, & manent: sic etiam *quies*, vbi quiescunt. Sic sanè Isaias *cap. 11. v. 8.* quietem posuit pro mortuorum sepulcro. *Et erit*, inquit, *sepulcrum eius gloriosum.* Hebr. מנוחה *menuchah*, id est, *quies*. *Et* Sophon. c. 2. *requies pastorum, & caula pecorum*, id est, pascua, & aprica loca,

A vbi stabulantur pastores. Psal. 131. vers. 8. *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca*, &c. id est, templum, & ibid. vers. 14. *Hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo.* Neque Latini abhorrent ab hoc loquendi genere. Virg. lib. 8.

Hic locus vrbis erit, requies ea certa laborum.

Lucretius lib. 1. quietes vocat ferarum cubilia.

Namque canes, & montiuaga persæpe feras
Naribus inueniunt intectas fronde quietes.

Ait ergo Propheta *requiem*, id est, regionem Israelitarum, *propter incolarum immunditiam, & sordes*, id est, propter peccata, de quibus nuper, esse corrumpendam, hoc est, vastandam ab hostibus. *putredine pessima*, ea nimirum vastitate, & clade, quæ nihil de splendore antiquo reliqui faciat. Putredinem appellat, quia vel è stratis cadaueribus erũpet fœtor, siue quia hostes quasi locustæ existimantur, quæ detruncant, aut arrodunt segetes, faciúntque vt illæ succisæ putrescant.

B Vers. 11. *Vtinam non essem vir habens spiritum.*] 33.
Audiebant viri Israelitæ cum offensione Prophetarum minas, quas esse nugaces aut sibi persuaserant, aut aliis certè persuadere studebant; & esse verè impostores illos, qui duros populo successus, qui exilium, cædémque portenderent. Illos verò, qui nimis mollibus, ac delicatis auribus seruirent; qui vocem suam, quam venditabant sacram, atque propheticam ad stultorum attemperarent vota, veros prædicabant Prophetas, & diuinæ voluntatis interpretes. Imò & putabant Michæam, & Prophetas alios inuidia, aut odio in cognatum sibi populum inflammatos vaticinia fingere minacia tam odij plena, quàm à veritate, & sana mente vacua. Quod aliquanto C pòst obiecerunt Ieremiæ, eóque modo hostilem in modum vexauere. Horum cogitationi Propheta respondet, & optat carere se potius spiritu prophetico, quàm ab eo instimulari, & cogi populo sibi cognato tam acerba nunciare: & malle se fallacem prophetam existimari, saluo suorum contribulium honore, & capite, quàm malè mulctato populo nomen se, & honorem obtinere Prophetæ; vsque adeò ab Israelitarum salute non abhorret. Dixit idem penè Ieremias *cap. 28.* qui cùm durus esset vates in suos, & à Domino acerba plurima prædixisset; contráque Hananias omnia promitteret secunda, & summoueret capti- D uitatis metum, immo & promitteret futurum, vt quæ ablata fuerant è templo, restituerentur, & omnes captiui in patriam ab exilio remigrarent, respondit Ieremias, idipsum optare se vehementer, etiamsi fieri non posset, quin ipsius ideo nomen veteratorium haberetur, & vile. *Et ait Ieremias Propheta, Amẽ, sic faciat Dominus, suscitet Dominus verba tua, quæ prophetasti, vt referantur vasa in domum Domini, & omnis transmigratio de Babylone ad locum istum, veruntamen audi verbum hoc, quod ego loquor.*

Est hic vsitatus dicendi modus, cùm significare volumus rem aliquam magno nobis esse do- 34. *Modus dicendi, quo magnum significatur rei alicuius odium.*
lori, & carere nos velle profiteamur illis rebus, quæ magnæ ipsæ sunt, & magno apud homines habentur in pretio. Sic virgo pudica, & pul- E cra, quam propter venustatem leuium adolescentulorum preces, & munera sollicitant, dum suam dolet, & lamentatur vicem, dicere solet, vtinam rusticam haberet, & distortam faciem; ne illa cuiusquam oculi caperentur; & literatus homo, cuius quietem molesti, atque importuni litigantium clamores interpellant, cum fastidio, atque offensione dicit, vtinam rusticus essem, & imperitus, neque cum literis

graues

Digitized by Google

graues hasce molestias quotidie deuorarem; immo & regibus, magnisque principibus id est familiare, cum aliquid occurrit molestum, ad quos regium nomen, & regni status cogit, quale est damnare quem amat capitali supplicio, aut noctes traducere sollicitas, & insomnes. Tunc clamant & ex animo sæpe, vtinam nunquam essem rex. Simile aliquid refert de Nerone Seneca *lib. 2. de clementia cap. 1.* Sic autem ille ad Neronem, *Animaduersurus in latrones duos Burrus præfectus tuus, exigebat à te scriberes in quos, & ex qua causa animaduerti velles. Hoc sæpe dilatum, vt aliquando fieret, instabat. Cùm chartam protulisset, traderétque, exclamasti, vellem nescire literas.* Quæ dicendi forma magnum dolorem indicat ex re graui, atque odiosa conceptum. Sic ergo Propheta cùm ex illa acerba denunciatione magnam caperet animo molestiam, & depellere à se vellet suspicionem illam, quam de animo ipsius hostiliter affecto cõtribules imbiberant, significat optabilius sibi esse spiritu carere prophetico, quàm ab eodem cogi, suorum animos tam duro vaticinio verberare.

35\. *Et mendacium potiùs loquerer.*] Longè abest Propheta vt verbis velit vti mẽdacibus, neque enim vnquam mentiri licet, sed ostendit cupere se ne tam esset certum quod afflatus à Deo vaticinium denunciat, quod non potest non habere successum, cùm non humana nitatur, sed diuina fide. Dicit autem hæc consentanea, ad votum aliud, de quo proximè, nã si à suo potiùs spiritu, & humana coniectura, ac scientia loqueretur, & non afflante, atque vrgente diuino, fieri posset, cùm fallax sit, & incerta humana cogitatio, vt exitus nullam faciat prædictioni fidem: atque ideo mẽdacium loquatur, qui futura prænunciat. Non quidem sciens, & volens, sed à sua coniectura deceptus; quare propriè mendax non est, cùm contrà quàm sentit, & cogitat, nihil affirmet. Illud Scholastici mendacium vocant materiale; quod errorem potiùs, aut deceptionem appelles, quod Theologi frequentes liberant à culpa. Loquitur autem Propheta iuxta hominum consuetudinem, qui cùm aliquid coniectant, aut suspicantur aduersum, illud addunt familiare: *Vtinam mea me coniectura fallat, Deus hoc omen obruat, meliora Deus,* & similia: aut alio quouis modo ab his, quos saluos esse cupiunt, malum omen auertunt. Quod fecit Daniel, qui cùm *cap. 4.* aliquid iniucundum nunciaturus esset Nabuchodonosori, præmisit, *Domine mi, somnium his, qui te oderunt, & interpretatio eius hostibus tuis sit.*

Quo sensu optari mendaciũ possit.

36\. Quòd si aliquid aduersum quispiam nunciet iis, quos habet sibi, aut cognatione, aut aliqua necessitudine deuinctos, illud addant quasi solemne, *Vtinam ego fallar*, aut *mentiar, vtinam falsus sim nuncius*, quo significant illud quicquid est, maximopere sibi fuisse molestum. Sic apud Lucanum *lib. 1.* cùm ex hostiarum extis aliquid inauspicatum præsagiret aruspex, vt cum minore molestia alij vaticinium acciperent, dixit,

——Dij fata secundent
Et fibris sit nulla fides: sed conditor artis
Finxerit ista Tages.

37\. Quidam ex Hebræis, quos ex nostris nonnulli sequuntur, in quibus sunt Pagninus, Montanus, Isidorus, Vatablus, & Paulus Burgensis, aliter hunc locum interpretantur, & accipiunt. Putant enim particulam לו *lu*, pro qua vulgatus reddidit *vtinam*, particulam esse conditionalem, & idem valere quod *si*, & hanc habere significationem probant ex illo Psal. 80. *Si populus meus audisset me.* Sed reuera in eo etiam Ps. particula לו *vtinã* valet. His videtur subscribere Chaldæus, dum ita vertit, *Propterea quod errauerunt pseudoprophetas sequẽdo, qui prophetabant eis spiritu mendaci, & docebant eos vinum, & ebrietatem.* Hi igitur omnes verba Hebraica sic reddunt. *Si vir essem, ambulans post ventum, & falsitatem mendacij, prophetaréque tibi de vino, & sicera, propheta essem pro hoc populo.* Ex quibus verbis hanc sententiam informant. Si ego ad Israelitarum vota prophetarem, & nimium delicatis, atque curiosis auribus obsequeretur, si placentia loquerer, & quæ animos non tam compungunt, & exulcerant, quam oblectant, & mulcent; susciperent me, & verum esse prophetam faterentur. Si vinum, & siceram, & omnium rerum vbertatem permitterem, nemo me delirum appellaret vatem, & odiosum; sed omnes vltro accerserent, & non tantùm oratione beneuola, sed etiam donis prosequerentur, & officiis. Sed quia dura prænuncio, à quibus abhorret maximè natura mortalium, omnes me inuisum habent, & quasi malum omen propellunt, & exibilant. Non procul ab his abeunt Cyrillus, & Theodoretus, qui accõmodatè ad L X X. translationem, quæ sic habet, *Spiritus statuit mendacium, stillabit tibi vinum, & ebrietatem*, adulatores dicunt esse prophetas, & ad voluntatem loqui delicatorum hominum. Audi Cyrillum. *Idolorum fanis quidam Samaritanorum assidẽtes vaticinabantur multis modis, & futurorum plenam cogitationem se habere fingentes, grata, & iucunda accedentibus nunciabant. Et spiritum malignum Ephraimo tanquam laqueum posuisse mendacium; & tanquam venenatorum pharmacorum quippiam instillasse vino.* Sed vulgata translatio magis est ad textum Hebraicum, &, quem habeat Propheta sensum doloris, optime declarat.

Stillabo tibi in vinum, & in ebrietatem; & erit super quem stillatur populus iste.] Quamuis *stillo* verbum sit significationis ambiguæ, significétque modò aliquid benignum, & molle, modò aliquid inimicum, & asperum, tamen apud Prophetas aliquid frequentius horribile portendit. In vino, atque ebrietate ex vsu, opinor, linguæ sanctæ supplicium significatur graue, aut quodlibet infortunium, vndecunque proueniat. Psal. 74. *Quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto, & inclinabit ex hoc in hoc, verumtamen fex eius non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ.* Apocal. cap. 1. *Et hic bibet de vino iræ Dei.* Vide quæ diximus in nostris commentariis super Ieremiam ad illud cap. 25. *Sume calicem vini furoris huius de manu mea.* Cur verò calix pro supplicio sumatur, diximus in citatum Ieremiæ locum. Quia verò ebrietas vinum significat largè potatum, magnam significat afflictionem. vide quæ diximus ad illud Isaiæ cap. 51. v. 17. *Quæ bibisti de manu Domini calicem iræ eius vsque ad fundum.* Et paulo pòst v. 21. *Audi hoc paupercula, & ebria, & non à vino.* & ad illud cap. 19. v. 9. *Obstupescite, & admiramini: fluctuate, & vacillate, inebriamini, & non à vino.* Stillare porrò in vinum, & ebrietatem nihil est aliud, quam prædicere ebrietatem, & vinum. quomodo dicimus prophetare alicui in malum, seu in bonum, quasi stillatio, seu prophetia in vinum sit, & ebrietatem intenta. id est, in eiusmodi afflictionem, quæ mentem adimat, & omne consilium, sicut facere solet vinum, & ebrietas. 38.

Vinum, & ebrietas pro supplicio, aut infortunio graui.

Et erit super quem stillatur populus iste.] Nimbus ille procellosus fulgore, grandineque terribilis in populum illum ingruet, ex cuius halitu, atque vapore pestilenti, ac noxio tempestas illa consta- 39.

ta est, quæ ad punienda illius quotidiana flagitia Dominus armauit. Est autem hic *stillare* valde accommodatum ad metaphoram, de qua proximè, ebrietatis, & vini. Nam cùm hoc liquidum sit, bellè cum illo facit stillationis nomen.

40. Vers. 12. *Congregatione congregabo Iacob totum te: in vnum reducam reliquias Israel.*] Mirum est quàm in huius loci explicatione dissecti sint interpretes. Plerique hæc de Christo capiunt, varie tamen. Et obseruant illorum aliqui solere Prophetas cùm durum aliquid denuntiarunt, & horribile, vt mœstos, & desperantes animos aliqua ratione consolentur, subiicere aliquid lætum, quale esse putant id, quod nunc commentatione illustrare contendimus. Quidam de Christo capiunt, ac de illo temporis articulo, in quo Christus ad sinum Abrahæ descendit, & inde patres à mundi exordio congregatos ad lucem, libertatémque restituit. ita quidam ex Hebræis quos refert Galatinus, & sequitur *lib. 8. cap. 25.* quibus etiam subscribit Lyra. Alij de illo tempore vaticinium exponunt, quo Israel in Ecclesiæ septa congregabitur, & in vnum ouile. Tunc autem tumultuabitur Israel, quia illa erit hominũ multitudo, vt angusta videri possint Ecclesiæ claustra, quæ quantuncunque laxentur, tumultuabitur, tamen & comprimetur frequens illa turba, vt fieri videmus, cùm densatis ordinibus, maior, quàm loci patitur amplitudo, hominum frequentia coarctatur. Tunc verò in Israele illorum nonnulli Gentiles quoque intelligunt, qui licèt genere, & nomine Israelitæ non sint, sunt tamen sanctitate, ac fide, qui a Christo veri dicuntur Israelitæ, quos ex lapidibus excitauit Dominus, fecitque vt melius, quam illi, qui genus duxerunt ab Abrahamo, appellari possunt filij Abrahæ. Ita Euseb. *lib. 2. de demonstr. cap.* 50. Hieronymus hic, quem sequuntur Haymo, Remigius, Rupertus, Albertus, Hugo, Ribera, Montanus, & alij non pauci. Hieronymus, & cùm eo Haymo, Remigius, Hugo tam de primo, quam de secundo Christi aduentu interpretantur.

41. Hæc posterior sententia, quæ hic Christi beneuolentiam, & veram populi libertatem agnoscit, quia patronos habet multos, & graues, mihi potior est. Habet tamen aliquid, quod minus facit ad literam, & filum orationis. Primum, quòd totus Israel congregandus esse dicitur, cum tamen illius pars minima, neque tunc in Ecclesiæ gremium ingressa sit. & nunc illorum pars maxima ab Ecclesiæ septis aliena vagetur. Deinde quia modus ipse dicendi, si rectè illum expendas, nihil significat, nisi admodum obscure a beneuolentia profectum; imò apertè indicat impressionem hostilem, & congregati populi cladem, & exilium, qui ad nitiorem sensum nisi admodum contortus trahi non potest.

42. Alij, quos tacito nomine refert Hugo, de temporaria Israelitarum libertate sermonem esse censent, qui congregati sunt, postquam fuit à Cyro debellata Babylon; & sub rege Zorobabele ad priorem sedem, & gradum restituti. Sed hæc sententia eodem laborat incommodo, quo superior, neque totius capitis filum aptè contexit.

43. Alij nihil hic mite, ac beneuolum agnoscunt, sed durum, & minax, sicut alia, quæ antecessere proximè, & quæ nunc etiam proximè succedunt, licèt neque de loco inter se, ac tempore consentiant. Alij enim de Ierusalem accipiunt, quando afflicta fuit grauiter à Senacherib; alij quando illa sub Sedecia cepere, atque vastauere Chaldæi. Sanè hic seuerũ aliquid denunciari putant Theodoretus, Cyrillus, Vatablus, Robertus, & ex Hebræis Rab. Dauid, cui Figuerius subscribit, & tenet Paulus & Palacios.

Ego primùm existimo, si quidpiam hic edicitur 44.
aduersum, sermonem esse non de Ierusalem, aut duabus tribubus, quæ Samariæ obsequebantur imperio. Quod ideo mihi persuadeo, quia, vt principio huius capitis obseruauimus, totum hoc caput, & plurima eorum, quæ deinde succedunt, sibi appropiat, vendicátque Samaria. Ita expresse Cyrillus, cuius mihi sententia præter cæteras placet.

Secundò puto hic nihil audiri quod Samari- 45.
tanorum cõsolari possit animos; aut in spem adducere, à qua illos vaticinij pars maxima deiecerat. Id verò tunc constabit cùm singulis partibus totum, quod reliquum est capitis, ad illam sententiam accommodauero, quod sanè difficile non est. Sed priùs audi quid de hoc loco iudicet Cyrillus. *A stilla*, inquit, *quam ipsis stillabit mendaciloquorum prophetarum sermo (quamplurimi quippe apud Ephraim hanc consuetudinem habebant) congregabitur vniuersus Iacob. hoc est, in vnam sententiam adducetur, & morbus omnia occupabit. Ego vero ipsos ab hoc non sigillatim puniam, sed expectare malo eos, qui iam corruptis accesserint, & tunc simul ab omnibus auertatur.* Nunc ad singula.

Congregatione congregabo Iacob.] *Congrego*, ex idio- 46. Congrego *idem quod* occido.
mate linguæ sanctæ idem est quod *interimo*, vt multis ostendimus in nostris Commentariis super Isaiam ad illud cap. 27. *Percutiet Dominus ab alueo fluminis, vsque ad torrentem Ægypti, & vos congregabimini vnus, & vnus filij Israel.* Et ad illud Ieremiæ cap. 13. *Idcirco cadent inter corruentes, in tempore visitationis suæ corruent, dicit Dominus: congregans congregabo eos.* Hunc esse vsum verbi *congrego*, multa docent. Vide quæ nos pluribus ad illud Oseæ cap. 4. *Et pisces maris congregabuntur.* Vbi illius vsus rationem adduximus.

Totum te.] Hoc sæpe audiuit de se Samaria, & 47.
decem tribus ab Amos, & ab aliis, neque si pauci de Israele cladem, vel captiuitatem effugerint, ideo veritas huic vaticinio deficit, aut fides. Nam ex vsu Scripturæ tunc ab omnibus aliquid factum, aut toleratum esse dicitur, quando e magno numero pauci sunt reliqui, qui id non fecerint, pertulerintve. Id verò dici quàm verissimè potest de filiis Israel aut cæsis, aut captiuis, non verò de iisdem aut restitutis in patriam, aut aggregatis ad Ecclesiam.

In vnum conducam reliquias Israel.] Reliquiæ hoc 48.
loco illæ dicuntur, quæ neque gladio occisæ sunt in acie, neque fame, aut peste in obsidione extinctæ. Illæ ergo reliquiæ conducentur in vnum, nempe locum, aut sortem, omnes enim extorres agentur ad Assyrios, & ibi seruitutem subibunt ærumnosam, & vilem. Id indicant Theodoretus, & Cyrillus.

Ponam illum quasi gregem in ouili, quasi pecus in me- 49.
dio caularum.] Quia pecudes macello, atque aræ frequentius destinantur, fit vt ex illis ad explicandam hominum cædem sumatur comparatio; quare sicut grex, aut sicut pecudes esse dicuntur, qui deuoti sunt cultro. Et qui obsessi sunt ab hostibus, perinde clauduntur, aut vallo, aut mœnibus, sicut in septis clauduntur oues, aut vituli, quamprimum excepturi iugulo ferrum in macello, aut iuxta aras victima futuri. Sic Isai. cap. 34. v. 6. *Gladius Domini incrassatus est adipe, de sanguine agnorum, & hircorum, de sanguine medullatorum*

arietum

arietum victimarum Domini in Bosra, & interfectio magna in terra Edom. Qua similitudine agnorum, & victimæ, cædes magna describitur gẽtis Idumææ, eadem similitudine Ieremias *cap.* 46. *v.* 10. Babylonicam cladem eleganter expressit. *Deuorabit gladius, & saturabitur, & inebriabitur sanguine eorum: victima enim Domini Dei exercituum in terra Aquilonis.* Plura tibi occurrent exempla, à quibus ego referendis abstineo, in quibus pecudum cæde, hominum significatur interitus.

50. *Tumultuabuntur à multitudine hominum.*] Tumultus perturbationem sonat, & confusionem, cùm in subito casu consilium abest ab hominibus, aut facultas, qualis esse solet in naui, quando tempestas exuperat, & hominum vires, & nautarum artem, & industriam, neque spes vlla apparet, aut liberandæ nauis, aut seruandæ vitæ. Tunc igitur cùm bellorum ingruerit tempestas, & hostes innumeri tanquam incitati fluctus ciuitatem inuaserint, quid superest, nisi, vt errent huc illúcque incerti miseri ciues, & consilij omnis, atque rationis impotes, aut collo iugum, aut ferrum iugulo recipiant. Quod tunc accidit Samariæ, quãdo post obsidionem longam anno Ezechiæ 6. & Oseæ nono capta fuit à Salmanassar. Quid sit tumultuari, explicuit optimè Cyrillus. *Michaas,* inquit, *futurum in ciuitatibus Samaria tumultum, consternatósque iam complures, alios fugientes, murósque, ac fossas transilientes, & ipsos hostium globos portam perrumpentes cum ipsis ducibus se infundentes, tantum non Deo pro illis propugnante, & aduersos Israelitas, vt ex acerbato eos acuente quodammodo aspicere videtur. Itaque sic panescent, veluti, si grex cubaret in locis suis, deinde quidam vellet eum abducere, sursum, & deorsum exilientes pecudes cerneret. & si fieret dimisio, si daretur transitus, per ipsum incedentes.*

Tumultuari quid.

51. Vers. 13. *Ascendet enim pãdens iter ante eos.*] Sicut Deus ducem se præbuit Chaldæorum agmini, quando excindere Hierosolymam voluit, & illius populi peccata punire, & Cyro Persarum regi, quando subuertere voluit Babylonis imperium, sic etiam ipse contra Israelitas conscripsit, & armauit Assyrios, quando ab illis tam longæ, obstinatæque perfidiæ pœnas exegit. Aperuit Cyro portas, & effregit Babylonicos vectes, ac denique hostes subito Persarum ingressu perturbatos, & tumultuantes, quasi constrictos tradidit hostili ferro. De quo Deus apud Isaiam cap. 45. *Hæc dicit Dominus christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, &c. & aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo, portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam.* Idem videtur fecisse Dominus cum Assyriis, quibus aperuit portas, diuisit muros, & ad intimos vsque ciuitatis recessus iter expediuit. Id enim valet, quod proximè subiicitur. *Diuident* (nempe Assyrij) *& transibunt portam, & ingredientur per eam.*

52. *Et transibit rex eorum coram eis.*] Hic rex est Salmanassar, qui Samariam cepit, & Israelis extinxit imperium. Qui cùm tumultuantes videret obsessos, & sic à fame, atque obsidione confectos, vt nil ab illis timendum existimaret, aut primus omnium, aut certè inter primos per diuisum murum in ciuitatem irrupit. Id enim valet, *coram eis.*

53. *Et Dominus in eorum capite.*] Nihil magnum efficient Assyrij, si impressione felici intra hostiles muros insiliant, cùm bellum illud Deo volente, atque auspice tentauerint: eundémque habuerint non adiutorem modò, sed etiam imperatorem, & ducem. Id enim valet illud, *& Dominus in capite eorum.* Fortasse illud *&*, non tam est coniunctiua, quàm rationalis particula; quæ causam reddit cur copiosam illam, egregiéque munitam ciuitatem, in suam Assyrius potestatem redegerit, & hostibus defuerit, aut in deliberando consilium, aut in propugnãdo constantia. Deus etenim qui exercitum illum instruxit, & in Samaritanos terminos inuexit, Assyriis addidit ardorem, & vires ad pugnandum, Samaritanis ad resistendum ademit. Hæc mihi facillima sunt, quæque Cyrilli, ac Theodoreti sententiam satis, supérque communiunt, & ideo in hanc ego cogitationem multo magis propendeo. Qui alia de Christi altero, seu vtroque aduentu magis probauerit, quod sanè piè, & non sine patronorum auctoritate, atque præsidio fecerit; habet apud Hieronymum, & alios illius sententiæ sectatores rationes, quibus illam sibi sententiam probet, & aliis persuadeat, à quibus ego in præsentia abstinere posse videor, ne actum agam; cùm nihil in eius confirmationem adducturus sim noui, & illi satis in ea corroboranda piè, atque studiosè laborarint.

IN CAPVT TERTIVM

ARGVMENTVM.

ACRITER inuehitur Propheta in magistratus, ac principes, qui iudicia peruertunt, & iudiciis iniquis pauperes homines callidè ac violenter expoliant. Neque mitiùs Prophetas exagitat, qui nugas suas venales habent, & falsa spe delusum populum in grauissima rerum incommoda coniiciunt. Ad extremum debitum Prophetarum fallaci vaticinio supplicium, & euersæ ciuitatis horribilem speciem mirificè describit.

CAPVT III.

1. ET dixi: *Audite principes Iacob, & duces domus Israel: Numquid non vestrum est scire iudicium.*

PARAPHRASIS.

1. AD principes præterea Israel, hunc à Domino sermonem accepi. Audite, ô principes Iacob, & vos, qui in Israelitica familia principem locum obtinetis. Nunquid non vestrarum est partium, nosse quid

2. *Qui*

A quid iustum sit, & æquum, & ex æquo & iusto publicum exercere iudicium.

2. Qui odio habetis bonum: & diligitis malum: qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, & carnem eorum desuper ossibus eorum?

2. Atqui sic animos vestros induxistis, eò vestra videntur intenta iudicia, vt à bono toto cælo abhorreant, & malo totis adhæreant viribus. Quare pro malo contra bonum susceptum est à vobis patrocinium. Ab illis enim, quos fouere deberetis, & tegere, sic spoliatis violenter & callidè, vt non solùm pellem, quanquam idipsum crudelis animi immane documentum est, sed etiam ex ossibus carnes detraxisse vi-
B deamini, non aliter ac lanius ouem excoriat, exossat, & in frusta concerpit.

3. Qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoriauerunt: & ossa eorum confregerunt & conciderunt sicut in lebete, & quasi carnem in medio ollæ.

3. Neque hæc crudelitatis barbaræ exaggeratio, aliena est à principum, & ducum moribus, atque iudiciis: cùm sic imbellem, atque inopem turbam bonis euertant, & necessariis naturæ commodis expolient, vt pellem abstulisse, excussisse carnes, confregisse ossa, & omnia in frusta concidisse videantur, non aliter quàm à lanio, aut coquo in lebetem, & ollam congeruntur.

4. Tunc clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos: & abscondet faciem suam ab eis in tempore illo, sicut nequiter egerunt in adinuentionibus suis.

C 4. Quemadmodum clamabant pauperes, cùm vrgeret & vreret potentiorum hominum barbara crudelitas, neque tamen ab inclemente pectore misericordiam extorquebant: sic cùm ipsi vrgentibus vndecunque malis clament ad Dominum, ipse qui pauperum est patronus, & vindex, parem illis referet vicem. Obsurdescet enim ad illorum voces, neque placatam faciem ad illorum preces, lacrymásque conuertet.

5. Hæc dicit Dominus super prophetas, qui seducunt populum meum: qui mordent dentibus suis, & prædicant pacem: & si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium.

5. Hæc Dominus ad Prophetas, qui sacrosanctum Dei nomen fallaci vaticinio
D prætendunt, & eo artificio nimis crudelem populum, in fraudem & exitium trahunt. Qui pacem illis felicitatémque prænunciant, à quibus aliquid acceperunt in cibum, quo vescantur, illis verò à quibus nihil acceperunt, aut sperant, bellum calamitatémque denunciant.

6. Propterea nox vobis pro visione erit, & tenebræ vobis pro diuinatione: & occumbet sol super prophetas, & obtenebrabitur super eos dies.

6. Idcirco pro visione, quam inspiratam vobis dicebatis à Deo, quæ reuera potiùs fuit cæcitas, & delira mens, tenebræ vobis erunt, & profundæ noctis offusa caligo. Et pro diuinatione, qua nihil ipsi dicebant certius & illustrius, obscurabitur
E dies, & occidet sol, & talis ipsis eueniet & vitæ, & prophetiæ simulatæ ac delirantis exitus, vt propter ærumnas, ignominiam, & sordes, cum morte à prudentibus commutari possit.

7. Et confundentur qui vident visiones, & confundentur diuini: & operient omnes vultus suos, quia non est responsum Dei.

7. Cùm autem diuini, & qui somniis suis diuinam ab aliis fidem postulabant, cum ipso rerum euentu deprehensi fuerint, meras nugas ac fumos habuisse venales, neque aliorum ideo conuitia ac maledi

8. Verum

Digitized by Google

A maledicta sustinere possint, præ pudore operient faciem suam, quæ quia ipsa maximè ab ignominia patitur, ideo sanguine ac pudore suffundetur.

8. *Verumtamen ego repletus sum fortitudine spiritus Domini, iudicio, & virtute: vt annunciem Iacob scelus suum, & Israel peccatum suum.*

8. At mihi, ait Michæas, alia mens est, quàm illis, quibus est adulatorius sermo, & diuinatio quæstuosa. Est enim mihi datum ab afflatu diuino spiritus robur, & iudicium, vt nihil audeam adulatorium, & fallax, & nihil non audeam, ad quod idem me spiritus instruit, & impellit. Quare non dubitabo Iacob obiicere, neque Israe-
B li exprobrare, quod sceleratè, aut insipienter gessit.

9. *Audite hoc principes domus Iacob, & iudices domus Israel: qui abominamini iudicium, & omnia recta peruertitis.*

9. Audite igitur, & reipsa cognoscite, instinctum esse me spiritu diuino, ô principes, qui in Israele publica iudicia disceptatis, qui in iudicia & leges sic estis animati, qui iura violatis atque peruertitis, siue quæ à natura & Deo, siue quæ à consuetudine parta, & ab humana lege constituta sunt.

10. *Qui ædificatis Sion in sanguinibus, & Ierusalem in iniquitate.*

10. Qui in Sion, seu Hierosolyma ciuitate lauta ac regia, ex pauperum opibus domos vobis splendidas extruitis, iniquis
C videlicet sumptibus, quod perinde est, atque si eas miserorum ædificetis sanguine, quem alunt & sustentant, & in eo vitam, exiguæ illæ facultates, quas vos per calumniam, & fraudem ab illis extorquetis.

11. *Principes eius in muneribus iudicabant, & sacerdotes eius in mercede docebant, & propheta eius in pecunia diuinabant: & super Dominum requiescebant, dicentes: Nunquid non Dominus in medio nostrum? non venient super nos mala.*

11. Principes, nisi spes affulserit lucri, iudicia non exercent: Sacerdotes, si merces absit, abstinent à doctrina: Prophetæ falsi illas suas qualescunque diuinationes venales habent. Alij verò Prophetarum fallaci blandimento læti, quia templum apud se & stabile Domini domi-
D cilium habent, hoc ipsum apud se identidem repetentes, quietos se, & incolumes futuros existimant.

12. *Propter hoc, causa vestri, Sion quasi ager arabitur, & Ierusalem quasi aceruus lapidum erit, & mons templi in excelsa siluarum.*

12. Propter hæc igitur peccata, quæ ciuitati ex pauperum sanguine constructæ, fraudi fuerunt atque exitio, eò redigetur ciuitas habitatoribus olim frequens, & ædificiis nobilis, vt non aliter, quàm arabilis ager subigatur aratro, & pro ædibus superbè, & ambitiosè constructis, tantùm appareant ex vrbis ruina saxorum cumuli, & mons vbi templum antè fuerat, syluestri frutice syluarum in modum inhorrescat.

Vers. 1. *Audite principes Iacob, & duces domus Israel.*]

1. HÆc verba tam ad duas tribus pertinent, quàm ad decem, vt putant Hugo, Albertus, & Lyra, licèt aliter sentiant. Neque enim minus Hierosolymam, quàm Samariam compungunt. Quare, scelera, quæ nunc accusat,
E & exprobrat Propheta, vtrique populo fuere communia. In *Israel & Iacob*, totum illud genus intelligit, quod est ab Israele propagatum, licèt, vt alibi sæpius obseruauimus, *Israel & Iacob*, post distractum genus illud Israeliticum pro decem tribubus frequenter vsurpentur, quæ à Dauidico dominatu

Digitized by Google

dominatu ad Ieroboamum, & vitulos aureos defecerunt. Loquitur autem ad vtriusque populi principes & duces, quorum iniuria, vel inertia, aut corrupti sunt mores, aut malè vexata,& spoliata bonis tenuiorum fortuna. Quòd extrema pars capitis ad Iudam pertineat, nefas est dubitare, cùm id apertè constet ex Ieremia *cap. 26. n. 18.* vbi verba illa dicta fuisse dicuntur à Michæa, quo tempore regnabat Ezechias, ad populum Iuda.

2. *Nunquid non vestrum est scire iudicium.*] *Scire* in Scriptura non solùm cognitionem, & scientiam, sed etiam opus, & actionem significat. Cognitionem videlicet, quam logici practicam appellant, vt diximus in nostris commentariis ad illud Ierem. cap. 9. v. 24. *In hoc glorietur, qui gloriatur scire, & nosse me.* Vnde scire dicitur Deum, qui illius obsequitur voluntati. Cùm igitur principes, & duces, qui reipublicæ præsunt, creditum sibi populum in vigilãdo,& legitimis iudiciis, in officio, & religione continere deberent, neque alios continuerunt ab iniuria, & ipsi per vim, & fraudes ab imbelli turba, quæ contra maiorem potentiam obniti nõ auderet, facultates, & opes extorserunt. Qui vsque adeò non amant, quod rectum est, aut quod ab æquitate, ac religione recessit, non oderunt, vt bonum potiùs execrentur, & respuant, & ad id quod malum est, totis corporis, atque animi neruis impotenter aspirent.

Scio aliquid significat practicum.

3. Vers. 2. *Qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, & carnes eorum desuper ossibus eorum.*] Qui nuper principes & duces appellabantur, hos arbitror nunc, licèt obscurè, appellari pastores. Sic sanè non ab Hebræis solùm, sed etiam à Græcis appellantur illi, quorum tutelæ, ac fidei publica salus commendata est. Deberẽt hi, si modò quòd à se pastorale nomen exigeret, meditari, atque præstare voluissent, immemores suæ, alienæ commoditati seruire, eòque incumbere constanter, ac seriò, ne quid grex à lupo, aut externa violentia, ac fraude detrimenti caperet. Sed habuere principes illi pastorum potius personam, & inanem vmbram, quàm curam, & officium. Quorum optimum exemplar, & symbolum fuit stultus ille pastor, quem, iubente Domino, in seipso Zacharias expressit cap. 11. v. 15. *Dixit Dominus ad me. Adhuc sume tibi vasa pastoris stulti: quia ecce ego suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non visitabit, dispersum non quæret, & contritum non sanabit, & id, quod stat, non enutriet, & carnes pinguium comedet, & vngulas eorum dissoluet.* Talis pastor vasa portat, & instrumenta, quæ non tam sunt ad vsum,& commoditatem gregis, quàm ad suam: fert enim gladium ad detrahendam pellem, & mactandum, fistulam ad canendum, & si quod aliud instrumentum est non tam ad vsum alendarum pecudum, quàm ad inertem voluptatem, & inanem potestatis ostentationem. Contra hos Ierem. cap. 23. v. 1. *Væ pastoribus, qui disperdunt, & dilacerant gregem pascuæ meæ.* Et pluribus Ezechiel *cap. 34. vers. 2.*

Pastor malus quis.

4. Vers. 3. Sed omnium grauissimè hoc loco Michæas docet quod miserum pecus ab stulto, atque inimici pastore detrimentum accipiat: in quod non aliter sæuit, quàm aut in macello lanio, aut in syluis leo. Tollit enim pellem, nudatis a naturali teguméto carnibus, vt inde sibi villosum paret indumẽtũ, vt calefacto corpusculo aut pellat, aut frangat frigoris iniuriã. Deinde neque parcit carnibus, quas ab ossibus detrahit, & minutim

A concisas in lebetem congerit. Et adhuc, ne quid maneat ex toto corpore intaminatum, & integrum, ossa etiam comminuit, & medullam extrahit, & perinde atque si carnes forent molles, & esculentæ, in ollam simul cum carnibus immittit.

Litera, vt apparet, obscura non est, & applicatio non difficilis. In oue quatuor reperimus, ex quibus ad hominum vsum expectari aliqua commoditas potest. Lana, quæ pecori ornamento est, quam si tollas, inornatum manet, atque deforme. Iuxta illud Ouidij, 5.

Quæ ab ouibus cõmoda.

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus,
Et sine fronde frutex,& sine crine caput.

Et idem lib. 13. Metam. apud quem ita Polyphemus,

B *Pluma tegit volucres, ouibus sua lana decori est.*

Calefacit præterea lana hyemali tempore pecudes; quare qui sub hybernum frigus vellera detraheret, aut vitam eriperet, aut vitæ periculum pararet nudato gregi. Quare qui benè gregi cupiunt, & eius commoditati sapienter inuigilant, tondendis gregibus tunc putant esse tempus opportunum, quando ver intepuit, neque aliquid timetur incommodi ab inclemente cælo. At isti iniqui, atque barbari tonsores ista non curant, quia de sua tantùm commoditate laborant: & dum ipsi alienis se velleribus foueant, quid alij patiantur, nihil habent pensi.

Principes in suos inhumani.

C Pellis maximum animalis ornamentum, adeóque necessarium, vt sine illa durare diu non possit animalis vita: illam autem aufert, qui aut fustibus agit in homines, redditque cicatricosam, & instar cribri multis perforatam locis: aut qui vestimenta detrahit, quæ homini præstant, quod animali pellis. Fortasse hoc idem est quod præcedenti cap. v. 8. *Desuper tunicam pallium sustulistis.* Nisi mauis in vellere significari pallium, quod extimum tegumentum est; in pelle verò tunicam, quæ pallio supponitur, quam qui detrahit, hominem relinquit omninò nudum. 6.

Carnes aufert, qui hominibus subtrahit alimenta; tunc enim homo sanguinem amittit, & carnes, neque aliquid habet reliquum præter pellem, & ossa. Qui dicendi modus hyperbolicus

D frequentissimus est. Quo vsus est Virgil. *eclog. 3.* dum dixit agnos vix ossibus hærere. Et Persius Satyra vltima, dum ait, ex tota figura sibi tantùm relictam esse tramam, id est, ossa nuda, quæ instar obtinent tramæ, quæ nullis sunt constipata carnibus: hoc facit fames, & inedia, quæ homines sic extenuat, & afficit, vt faciat esse monogrammos. Expressit optimè eam imaginem, quam nos in homine extenuato longa inedia, nunc existimamus à Propheta describi, Ouidius *lib. 8. Metam.* vbi sic de fame, 7.

Dura cutis, per quam spectari viscera possent,
Ossa sub incuruis extabant arida lumbis.
Ventris erat pro ventre locus: pendere putares
Pectus,& à spina tantummodo crate teneri.

E Hoc etiam in sacris literis non inusitatum, quæ extremam maciem hoc ferè modo significant. Iob cap. 19. v. 20. *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum.* Ps. 101. v. 6. *Adhæsit os meum carni meæ,* vbi *caro* ex multorum sententia pellis est. Thren. 4. v. 8. *Adhæsit cutis eorum ossibus.*

Extremum, quod consumptis aliis manet in homine, crates sunt, & statumina corporis; ossa videlicet, quæ totum hominem confirmant, & sustinent, quibus in sepultura parcunt vermes, & tabes. At ea est principum, & ducum inclemen- 8.

Ossa quid allegoricè.

tia,

tia, & feritas, vt neque parcant oſſibus, & in illis aliquid inueniant, quod arrodant: ſicut canes, qui fame quadam rabida dentibus frangunt oſſa, neque ab illis abſtinent, & ſi dentes ipſi in illa canina contentione frangantur. Tunc verò oſſa frangunt inferioris turbæ, cùm aut fuſtibus in inferiorum corpora deſæuiunt, aut cùm grauiora imponunt onera, quàm quæ ab illorum viribus ſuſtineri poſſint. Sic Ierem. Thren. 1. v. 13. *De excelſo miſit ignem in oſſibus meis, & erudiuit me.* detraxerunt Iſraelitico generi pellem, & carnes Aſſyrij, reliquerunt tamen oſſa, quia Hieroſolymæ pepercerunt, & templo: cùm tamen ad extremum venit Nabuchodonoſor, extremam attulit vaſtitatem, & oſſa demum confregit, & abſtulit. Ierem. 50. v. 17. *Primus comedit eum rex Aſſur: nouiſſimè exoſſauit eum Nabuchodonoſor.* dixit, quod nunc Michæas, aliquanto poſtea Ezechiel cap. 24. v. 4. *Pone ollam, pone, inquam, & mitte in eam aquam: congere fruſta eius in eam, omnem partem bonam, femur, & armum, electa, & oſſibus plena. Pinguiſſimum pecus aſſume, cõpone quoque ſtrues oſſiũ ſub ea. Efferbuit coctio eius, & diſcocta ſunt oſſa illius in medio eius.* Et idem repetit *v. 9.* quem tu locũ vide, quia nõnihil facit ad plenam huius loci explicationẽ.

9\. Verſ. 4. *Tunc clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos: & abſcondet faciem ſuam ab eis in tempore illo.*] Pauperum Dominus cauſam, & patrocinium ſuſcipit, & quo magis illi clamant à potentioribus oppreſſi, eo ſe vindicem offert ſeuerum magis, & exorabilem minùs. Clamabant, opinor, pauperes, cùm inclementer vrgeret, & vreret potentiorum hominum barbara crudelitas, neque illorum clamor miſericordiam exorauit ab immiti pectore. Parẽ illis Deus referet vicẽ: neque enim clamãtes exaudiet ad veniã, neque faciem ad illorum preces, lacrymáſq; cõuertet, cùm tumultuentur ad appulſum hoſtium, & res tã publica, quàm priuata ad extremum adducatur diſcrimen.

10\. Verſ. 5. *Hæc dicit Dominus ſuper Prophetas, qui ſeducunt populum meum.*] Erant in Iſrael, id eſt, apud tribus, decem pſeudoprophetæ (vt conſtat ex *lib. 2. Paralip. cap.* 18. item apud duas alias tribus, vt ſæpe veri clamant Prophetæ) quorum vaticiniis adulatoriis, & fallacibus aſcribit Ieremias ſuæ gẽtis interitum Thren. cap. 2. v. 14. *Prophetæ tui viderunt tibi falſa, & ſtulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent: viderunt autem tibi aſſumptiones falſas.* Contra hos igitur nunc Propheta verum vaticinium intorquet; quia viſi ſunt cum principibus, ducibúſque reipublicæ in commune damnum conſpiraſſe.

11\. *Qui mordent dentibus ſuis, & prædicant pacem.*] Duas hic præcipuas explicationes video, ex duabus verbi *mordeo* ſignificationibus. Mordere idem eſt quod lacerare, ſumptum à feris, quæ morſu lacerant. Ab hac ſignificatione mendaces hi Prophetæ dicuntur mordere, ſeu lacerare: aut quia dum enunciant pacem, & contribules ſuos à perturbatione, & bello otioſos eſſe iubent, populum ſtultum, & ipſorum oraculis nimiùm credulum lacerant, dum in illud periculum, quod aut non præuiderant, aut ab illo non putabant eſſe cauendum, coniecerunt: ex quo non emerſere, niſi grauiter ſaucij, mulctati libertate, ac patria, vt excogitari nil poſſet acerbius. Mordebant igitur alios dentibus, quia vt ab aliis morderentur, in cauſa fuerunt, fallaci, & aſſentatorio vaticinio. Hæc opinio aliquid accipit probabilitatis, ac fidei ex ſuperioribus verbis, quibus ſeducti dicuntur Iſraelitæ ab his, qui ſibi Prophetarum nomen [illegible] arro-

gabant: quam tenent, aut indicãt Cyrillus, Theodoretus, & è recentioribus aliqui.

Alij offenſionem, aut furorem, quæ morſus ſignificantur nomine, illam eſſe putant, quam in veros Prophetas prætulerunt falſi: nam cùm ipſi pacata omnia, atque ſecunda promitterent; contrà verò alij diuino afflati Spiritu illorũ ſomnia, & blandimenta refellerent, & cladem minarentur, exilium, & quidquid natura horret; illos mordebant, & lacerabant conuitiis (id enim figuratè ſignificat *mordeo*) imò & plagis interdum & colaphis ignominioſè verberabant. Quod expertus Michæas alter filius Iemla *lib. 3. Reg. cap.* 22. quem Sedecias pſeudopropheta in maxilla percuſſit: & Ieremias percuſſus à Phaſur *cap. 20.* & iterum ab Anania *cap. 28.* ignominioſè tractatus. Ita putant ex Hebræis aliqui, quibus ſubſcribit Lyra. 12.

Mordere item, quia neceſſariò ciborum vſum antecedit, idem eſt quod epulari, aut veſci. Sic Perſius ſatyra 4.

——Hoc bene ſit tunicatum cum ſale mordens
Cepe, & farrata pueris plaudentibus olla.

Quare hic *mordere*, idẽ eſt quod *comedere*, aut certè artificio aliquo ſibi victũ parare. Quo modo explicuimus illud Amos cap. 7. v. 12. *Fuge in terrã Iudam, & comede ibi panem, & prophetabis ibi.* Iuxta hãc verbi ſignificationẽ, hi Prophetæ lucrũ captabãt, & quaſi quæſtum inſtituebant ex falſo vaticinio, quaſi quæſtuariũ foret artificiũ: & illis annunciabãt, quaſi Dei forẽt interpretes, ac nũtij, læta, quò aliquid porrigerẽt quaſi vaticinij mercedẽ; ſin autẽ porrigerẽt nihil, aut parcè; prædicabãt inauſpicata, & dura. Et hoc mihi videtur magis ad textũ: quod non obſcurè probat, quod proximè ſequitur. Quod cum Hieronymo, & Chaldæo aut ſentiunt, aut indicant frequentes alij. 13.

Si quis non dederit in ore eorum quidpiam, ſanctificant ſuper eũ præliũ.] Ex hac antitheſi colligitur, quæ ſit ſuperioris clauſulæ vera ſentẽtia. Annũciãt enim pacẽ illis, qui pro venali vaticinio aliquid dederũt pro victu, quo veſcãtur; illis verò bellũ, & infortunia, à quibus nullũ habuerint in prophetando cõpẽdiũ. Illud *in ore*, explicari poteſt per accuſatiuum; eſt enim Heb. על פיהם *alphihem*. Tũnc autem ſenſus videtur nõ alienus, ſi ſic interpretere, *in os*, id eſt, quod ore mordeãt, conficiãt, & glutiãt. Aut in ablatiuo, vt noſter reddidit interpres, & tũc *in ore* idẽ eſt quod *pro ore*, vel *propter os*. Vtrumq; enim valet interdũ apud Hebræos præpoſitio על *al*, & apud Latinos *in*. Exẽpla occurrẽt plurima. Duo accipe ex hoc Propheta. cap. 1. v. 5. *In ſcelere Iacob, omne iſtud*, id eſt, propter ſcelus. & infrà v. 11. *Principes eius in muneribus iudicabãt, & ſacerdotes eius in mercede docebant, & Prophetæ eius in pecunia diuinabant.* Et hoc poſterius mihi probatur magis. Neque aliud ſibi vult locus, quẽ produxi modò ex *v. 11.* quàm quod hîc Propheta ſignificat de venali Prophetarũ voce. Quòd autem *os* idẽ valeat quod id, quod egreditur ex ore, quale eſt præceptum, vaticiniũ, & quicunque ſermo, res eſt ſatis frequẽs, & nota. Sic paſſim, *Ex ore tuo te condẽno*, id eſt, tuo teſtimonio. & Ionæ 3. v. 7. os regis pro verbo, ſeu mãdato illius vſurpatur. *Et clamauit, & dixit in Niniue, ex ore regis, & principum eius*, id eſt, mandato, vel edicto. 14.

In idẽ quod propter.

Os idem quod verbũ, aut præceptum.

Sanctificare prælium eſt bellum indicere, ſeu denũciare ſolenni aliqua, atque legitima forma, captatis auſpiciis, & adactis militari ſacramento illis, qui ad aciem, & arma conſcripti ſunt. Qua de re pluribus egimus *Ieremiæ cap. 6. v. 4.* ad illud, *Sanctificate ſuper eam bellum.* & ad illud Ioelis. cap. 3. v. 9. *Sanctificate bellum, ſuſcitate robuſtos.* 15.

Sanctificare præliũ quid.

Non sanctificant mendaces isti prophetæ prælium, ita vt ipsi cogant milites, & militari initiēt sacramento, ita vt salua religione militiam deserere non liceat. Sed clamant contra illos, à quibus nihil pro venali vaticinio mercedis extorserint, sanctificandum esse prælium, ab Assyriis nempe, aut ab aliis Iudaici nominis inimicis. Est enim vsitatum, vt talia facere dicantur Prophetæ, qualia ipsi ab aliis facienda prædicunt. Quo modo Isaias excæcaturus dicitur cor populi, & aggrauaturus aures, quia vtrumque prædicere iubetur aliquando futurum. cap. 6. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude.* Et Ieremias *cap.* 1. iubetur à Domino, vt euellat, & plantet, disperdat, & ædificet, id est, vt talia vel à Deo, vel ab hoste futura prænunciet.

Regvla. Talia prophetæ facere dicuntur, qualia facienda prædicunt.

16\. Vers. 6. *Propterea nox vobis pro visione erit: & tenebræ vobis pro diuinatione. & occumbet sol super Prophetas.*] Duplicem significationem habere possunt, *nox, tenebræ, obscuratus sol,* & vtramque metaphoricam: sunt enim vox, & tenebræ mentis, quæ consilium eripiunt, & rerum omnium ignorationem inducunt: qualem habent amentes, lymphatici, & qui profundo aliquo veterno grauantur, qui nihil sani sapiunt, & à recta coniectura, & veritatis scopo quàm longissimè aberrant, quasi qui versantur in tenebris, qui vident nihil, neque seipsos quidem. Tales videntur hi Prophetæ, qui à suo excæcantur spiritu, non afflantur, aut illuminantur à diuino. In hunc sensum accipiunt hoc loco mentem, & tenebras Albertus, & Hugo: quasi prophetæ illi tam absint à vero, quàm à diuina absunt illustratione: quos rerum, quas prædixere, confundet exitus longè ab illorum diuinatione diuersus.

Nox, & tenebræ pro cæcitate, & amentia.

17\. Sumuntur præterea nox, & tenebræ, & sol obscuratus pro vita ærumnosa, & tristi, qualem subeunt captiui, atque exules, quibus quotidie occurrit noua causa, cur vitam infelicem, & ægram cum morte commutare desiderent. Tractauimus nos hæc pluribus ad illud Amos cap. 8. *Occidet sol in meridie: & tenebrescere faciam terram in die luminis.* & super Ieremiam ad eadem propè verba *cap.* 15. *v.* 9. Ita de hac cæcitate accipiunt Theodoretus, Figuerius, & Ribera. Mihi placet, quod visum est Hieronymo, Cyrillo, Haymoni, Remigio, qui vtrumque coniungunt; quasi cæci futuri sint, & miseri prophetæ illi mēdaces, cùm euentus futuri sint longe dissimiles, quàm ipsi mentiebantur; & conditio misera, cùm tamen sibiipsis sperarent optata, & aliis omnibus secunda promitterent. Aberat illis iam antea mens, & consilium, cùm aruspicum modo deliri diuinarent: sed eadem etiam postea cæcitas erit, & amentia, quam inducet & vitæ nouum genus, & animi perturbatio, & dolor. Fieri enim solet, vt in tristissimarum rerum concursu mens eripiatur, & consilium. Sicut illis accidit, de quibus Psal. 106. v. 26. *Ascendunt vsque ad cælos, & descendunt vsque ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat. Turbati, & moti sunt, sicut ebrius: & omnis sapientia eorum deuorata est.* Quod perquam bellè exposuit Cyrillus. *Nox* (inquit) *superueniet vobis, & tenebræ, quantumuis videntium personam induatis,* &c. *Occidet enim vobis sol, & ipsum diei lumen contenebrescet. Non quòd reuerà sol super ipsis radios suos contraxerit, aut aurora lumen contenebratum sit: sed quia calamitatis acerbitas ipsis instar tenebrarum, & obscuræ noctis, & radij solaris occasus, & lucis contractio: & quid non huiusmodi tandem fieri contigit? dira enim, & immensa mala mentem inebriant, & turbulentum reddunt cor, & tenebris implent.*

Item pro vita ærumnosa, & tristi.

Vers. 7. *Et confundentur, qui viderunt visionem: & confundentur diuini, & operient omnes vultus suos.*] Hæc pars est tenebrarum, & obscurati, aut ablati Solis: quòd illi diuini, qui somnia sua quasi quædam oracula vendebant, cum ipso rerum euentu deprehensi fuerint meras nugas, & fumos vendidisse. Quare ab aliis conuitiis excipientur, & opprobriis, quæ quoniam præ pudore sustinere non poterunt, operient vultum, qui maximè ab ignominia patitur, atque ideo à pudore suffunditur. Tunc enim audient à subsannante turba, commenta esse cerebri delirantis, & vacui, quæ ipsi clamabant diuina fuisse responsa. In grauissima ignominia, qualem ille patitur, qui damnatus est capitis, solere caput, & faciem obnubi, idque fuisse legitimum, docuimus ad illud Isaiæ cap. 22. *& quasi amictum sic subleuabit te.* & ad illud Thren. cap. 3. v. 43. *Operuisti in furore, & percussisti nos.* Quod probat Aman, cui, cùm damnatus esset, obuelata est facies *Esther cap.* 7. & hoc ipsum de Sedecia à Babyloniis excæcato scribit Ezechiel *cap.* 12. Quod etiam eam ob causam aduenisse Christo Domino, valde mihi verisimile est. Cùm enim Romani damnatis morte faciem obnuberent, vt probat illud tritum, atque legitimum, *I lictor, colliga manus, caput obnubito, arbori infelici suspendito.* Vbi primùm audierunt in Sacerdotum, Scribarúmque concilio *Marci* 14. *v.* 65. illum damnatum esse morte: *cœperunt quid am conspuere eum, & velare faciem eius, & colaphis eum cædere.* Hoc ipsum fieri in dolore (qualia sustinuisse videntur hi pseudoprophetæ) docuimus in citatum locum ex Threnis, & in illud Ezech. cap. 24. v. 17. *Nec amictu ora velabis.* 18.

In graui dolore, atque ignominia caput obnubitur.

Vers. 8. *Veruntamen ego repletus sum fortitudine Spiritus Domini.*] Opponit se Michæas Prophetis illis, quorum est adulatorius sermo, & vaticinium, seu diuinatio quæstuosa: qui aut suo loquebantur spiritu, aut à diabolico instigabantur. At Michæas, quia spiritu agitur Domini, ab illo robur accipit, atque constantiam, vt regibus exprobret, quæcunque contra religionem, & legem designauerint, etiamsi videat proponi sibi capitis periculum, neque quæstum vllum captet à prophetica voce; quod abesse longè debet ab his, quos diuinus afflat, & moderatur spiritus. Sanè ille testimonium habet, quod Dei in se spiritum habeat, si nihil audeat adulatorium, & fallax; si nihil non audeat quantumuis arduum, ad quod aut recta ratio, aut diuinum imperium instituat, & impellat. Opus est (inquit Cyrillus) audacia virili his, quibus cum regibus, & cum populo aliquo toto confligandum est: quorum seuerè carpendi sunt mores, & studia, & illa exprobranda, quæ illi sine offensione, ac perturbatione graui accipere non solent. Quare Prophetæ veri vexati sunt durè ab his, quos graui aliquo vaticinio, aut reprehensione seuera percusserunt. Quod expertus est sæpe Ieremias, Isaias, Amos, & alij plures, quorum sanguis variis temporibus, ac locis effusus est, propter inuictam in prophetando constantiam. 19.

Viro Apostolico quale robur esse debeat, & constantia.

Vers. 9. *Audite hoc principes domus Iacob.*] Probat iam reipsa ab spiritu diuino sibi adesse afflatum, atque constantiam, cùm principes, & iudices 20.

dices eorum scelerum arguat, idque cum libertate prophetica, quæ ipsis non poterant non esse pudori, atque offensioni. Deinde quia Hierosolymæ id minatur, quo nihil timeri poterat horribilius. Quæ verò sint illa crimina, verbis neque tectis, neque lenibus proponit, & amplificat.

21. *Qui abominamini iudicium, & omnia recta peruertitis.*] Nihil grauius audire de se poterant ij, qui custodes sunt, & vindices legum, quàm id, quod amare, ac custodire deberent, à se & infideliter prodi, & haberi odio, imò & videri illis prorsus abominabile. Quod autem eiusmodi est, sic auersantur homines, & horrent, vt neque dignum iudicent non solùm conuictu, sed etiam neque aspectu. Peruerti autem recta nihil est aliud, quam violari iura, siue quæ à natura, siue quæ à Deo, seu quæ à prudenti consuetudine, aut etiam ab humana lege constituta sunt. Hoc verò tunc maximè iudices faciunt, cùm sontes absoluunt, & liberant, damnant insontes. Quod facit plerumque pecunia, quam si in iudiciis, publicisque conuentibus versari contigerit, corrumpit iura, & iudices aut cæcos reddit, aut agit præcipites. Quod mox adducit explicatiùs, dum ait omnia obedire pecuniæ; neque quicquam suscipi, aut administrari, nisi mercede aliqua cõpensetur labor, & officium. Principes enim, nisi spes affulserit lucri, iudicia non exercent: sacerdotes, si merces absit, abstinent à doctrina: prophetæ falsi illas suas qualescunque diuinationes, & nugas venales habent. Eo verò fit, vt neque iudicia sint integra, neque vera legis expositio, neque diuinatio non fallax: quia hæc omnia ad hominum voluntatem, & fraudes transuertit & detorquet pecunia. Hæc eadem sæpe clamant Prophetæ. Isaias cap. 56. *Omnes in viam suam declinauerunt, vnusquisque ad auaritiam suam, à summo vsque ad nouissimum.* Idem Ieremias cap. 8. *A minimo vsque ad maximum omnes auaritiam sequuntur: à Propheta vsque ad sacerdotem omnes faciunt mendacium.*

22. Vers. 10. *Qui ædificatis Sion in sanguinibus, & Ierusalem in iniquitate.*] Hieronymus, cui frequentes alij subscribunt, in Sione ædificata domos intelligunt, quas sibi, ac suis principes, & iudices luculentas ædificant. Quo etiam vitio nostra sæcula vehementer laborant. Videmus ab his; qui præsunt, aut publica tractant negotia, excitare insanas ædificiorum moles, quas non immeritò basilicas appelles, id est, regias domos. Quòd si vnde tot sumptus emanauerint, quæras, non aliunde quàm ex tenuiorum sanguinibus inuenies, id est, ex bonis, quibus vtcumque parcè, & exiliter suam, suorúmque vitam sustentare debuerant. Quare qui bona eripit ad victum, & indumenta corporis necessaria, ille sanguinem exugit, & ex illo suam sibi habitationem ædificat. Quod in posteriori hemistichio magis expressit, dum subiecit: *Et Ierusalem in iniquitate*, id est, pecuniis iniquè, & fraudulenter extortis. Quòd verò sanguis dicatur, aut vita pauperum alimentum: & illos, qui ab auaris, & barbaris hominibus eo spoliati fuerint, exangues dici possint, & exanimes, discimus ab Ecclesiastico cap. 34. vers. 24. *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui* (quia perinde facit, atque si filios occideret.) *Panis egentium vita pauperum est: qui defraudat illum, homo sanguinum est. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. Qui effundit sanguinem, &*

Substantia pauperum sanguis illorum est, & vita.

A *qui fraudem facit mercenario, fratres sunt.* Illi igitur, qui alieno siue labore, siue impendio domos ædificant superbas, in sanguinibus illas extruxisse, & instruxisse existimantur. Talem domum ædificasse videtur Ioacim apud Ieremiam *cap. 22. à versu 13.*

Ego hic aliquid aliud videre videor, quod tam 23.
acerbe Propheta reprehendat. Certum est postrema hæc verba dicta fuisse ad Iudæos sub Ezechia rege, vt habes *Ieremiæ cap. 26. v. 18.* quo tempore, quia Assyriorum arma iam toties assueta victoriis timebantur, ædificata est, id est, munita Sion, & Ierusalem, quò minor esset hosti facultas ingrediendi ciuitatem. De Ezechia sic Ecclesiasticus cap. 48. v. 19. *Ezechias muniuit ciuitatem*
B *suam, & induxit in medium ipsius aquam, & fodit ferro rupem, & ædificauit ad aquam puteum.* De quo est illud Isaiæ sub idem tempus cap. 22. v. 10. *Congregastis aquas piscinæ inferioris, & domos Ierusalem numerastis, & destruxistis domos ad muniendum murum.* Hîc ego opera video publica, & aquam in ciuitatem inductam, quod sine magnis sumptibus fieri non potuit: video dirutas domos, quæ sine dubio mœnibus erant proximæ, &, vt ego opinor, extra muros, vt ex illarũ rediuiua materia aut construerentur, aut instaurarentur muri. Porrò prope muros, præsertim extrorsum, pauperum esse domicilia, & multarum ciuitatum exempla, & ipsa docet rerum natura. Potentes enim plerumque interiora ciuitatum occupant, vtpote magis
C tuta. Et quidem sub mœnibus meretricum plerumque prostibula sunt: vnde illæ Summœnianæ dicuntur, quod vilissimum est mulierecularum genus. Neque viri potentes, si modò illis aliquid insit pudoris honesti, paterentur prope se habitare fœtidum illud mulierculárum cœnum. Quare vt ædificarentur muri, atque adeò Sion, cùm illa priuata non esset, sed publica substructio, pauperum exturbatæ sunt domus, & ad publicos vsus accommodatæ.

Publica opera à pauperum plerumque bonis.

Addo præterea magistratus esse in quacunque 24.
bene constituta republica, quibus illud datum esset negotij, vt opera curarẽt publica. De quibus Aristoteles in Politicis lib. 6. c. 3. *Altera* (inquit) *cu-*
ratio est operum in vrbe tum publicorum, tum priuatorum,
D *vt cum decoro ornatu ædificia, & viæ conseruentur, & collapsa restituantur.* Hi verò à Græcis ἀστυνόμοι vocantur. Alij sunt, quos idem Aristoteles τειχοποιοὺς appellat, id est, murorum constructores, qui id curant, vt muri ruinosi, ac veteres restituantur. His, credo, mandauit Ezechias, vt renouatis mœnibus munirent ciuitatem, id est, ædificarent Sion. Quod illi fecerunt in sanguinibus, labore videlicet tenuiorum, & ex domibus violenter ereptis, & excisis; cùm tamen id è pecunia publica, quam ad suos vsus traducebant, moliri debuissent. Hæc mihi videntur neque à tempore, neque à principum consuetudine, aut magistratuum abhorrere. lector, vt volet, accipiet.

Vers. 11. *Super Dominum requiescebant, dicentes:* 25.
E *Nunquid non Dominus in medio nostrum?*] Alebat spem, & confidentiam Iudæorum (de his enim sine dubio est hæc pars extrema capitis) quod templum haberent Hierosolymæ, in quo Deus quasi contribulis, & conciuis, in ipsorum conuẽtu moraretur. Atque ideo, vt est apud Ieremiam *cap. 7. v. 4.* frequens erat illis in ore templi nomen, *Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini.* Hæc autem verba ideo videntur dici mendacij, quia à mendacibus prophetis iterabantur

Digitized by Google

ſæpe, cùm ad falſam ſecuritatem, & pacem populum nimis credulum allectabant. Dicebant enim fieri non poſſe, vt ſtante templo rueret Iudæorum fortuna, neque Deum vnquam defuturum illis, qui in ipſius cultum quotidianas in templo victimas immolarent: atque ideo quieſcebant ſuper Dominum, quaſi qui in ſponſi ſinu recumberent, & à quo haberentur eo loco, quem in ſponſi delitiis habet ſponſa, quæ amatur vnicè, & quæ ab illius indulgentia nihil non ſperat.

26. Verſ.12. *Propter hoc cauſa veſtri Sion quaſi ager arabitur, & Ieruſalem quaſi aceruus lapidum erit, & mons templi in excelſa ſyluarum.*] Hæc verba repetunt viri quidam pij, qui pro Ieremiæ cauſa, & capite laborabant *Ierem. cap.26.v.18.* Ex quo loco duo colligo. Primum, hæc fuiſſe dicta ſub Ezechia: id enim expreſsè dicunt ſeniores illi, qui ſic agunt ad populum. *Michæas de Moraſthi fuit Propheta in diebus Ezechiæ regis Iuda,& ait ad omnem populum Iuda, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum, Sion quaſi ager arabitur, & Ieruſalem,* &c. Deinde ſcripta hæc religiosè ſeruari, aut magno habita fuiſſe in pretio, quando ſeniores illi verba Michææ ad vnum exprimunt è verbo. Nam licèt hîc dicatur *mons templi*,& apud Ieremiam *mons domus*: tamen vtrobique in Hebræo eſt הבית *ha baith*, quæ tam domum ſignificat, quàm templum. Explicatur autem hoc dicendi modo extrema Hieroſolymæ ſolitudo, & vaſtitas, vt explicuimus ſuprà cap.1. ad illud v.6. *Ponam Samariam quaſi aceruum lapidũ in agro cùm plantatur vinea.* Et ſanè ita contigit, poſtquam ciuitas fuit à Chaldæis exciſa, de qua Thren. 5. *Propter montem Sion, quia diſperiit, vulpes ambulauerunt in eo.* Hoc verò eſt, locum illum antè hominibus, domibúſque copioſum ſic eſſe in ſyluarum modum efferatum, vt ferarum latebris magis ſit opportunus, quàm hominum domicilio.

Atqui dices ſaxoſum eſſe locum, vbi ſita Solymitana ciuitas; atque ideo quantumuis ab habitatoribus vacuum neque arari poſſe, quia ſaxis non facilè vomer imprimitur: imò neque eſſe ſylueſtri frutici ſatis idoneum, cùm ibi non poſſit radices agere, quas nullo amplectitur modo ſaxorum durities. De aratro non laboro, cùm prouerbiali forma, arari aliquid idem ſit quod eſſe vaſtatum, & magis aptum eſſe locum ruſticæ culturæ, quàm hominum frequentiæ. Neque dubitaret, credo, Virgilius, etiamſi Troianum ſolum arabile non eſſet, dicere, 27. *Euerſa ciuitatis deſcriptio.*

Thraces arant, vbi Troia fuit.

Maximè cùm *arare* latè pateat, ſignificétque agrũ quoquo modo ſubigi, ac findi, quod ſarculo fieri poteſt, aut ligone. Sanè vox Heb. חרש *charas*, pro qua vulgatus *arare* reddidit, plura alia ſignificat. חורש *chores* ab ea radice ſyluam ſignificat, quæ plerumque montoſa eſt,& aratro inepta. Neque ſaxoſus locus ineptus eſt fruticibus, aut ſylueſtribus plantis: maximè in Palæſtina, quæ regio eſt fœcundo, atque feraci ſolo, etiam in ſaxetis. Neque verò Hieroſolyma in puro, ac ſolido ſaxo fundata eſt: ſed in ea plures ſunt & montes, & valles, vbi commodè germinari poſſint,& augeri ſylueſtres arbores. Pauci tranſierant dies, ex quo captum fuerat, & prophanatum templum,& tamen atria ſylueſtri frutice horrebant. 1. *Mach.* 4.v.38. *Viderunt ſanctificationem deſertam, & in atriis virgulta nata, ſicut in ſaltu, aut in montibus.* Locum hunc totum pluribus explicuimus in noſtris Commentariis ſuper Ieremiam *cap.*26. ad eadem omninò verba. inde pete.

IN CAPVT QVARTVM

ARGVMENTVM.

Temperat Deus ſuperiores minas, & populum ſuperiori vaticinio percuſſum, expectatione melioris fortunæ conſolatur. Agit autem de Eccleſia, tum è Iudæorum reliquiis, tum ex Gentilium multitudine congregata, ad quam vndecunque terrarum magna populorum frequentia concurret. Quæ noua ſpiritualiſque reſpublica, ſua quaſi incunabula conſtituet in Sion, vbi Chriſtus regnabit primùm,& vnde ad regiones alias, quædam quaſi coloniæ deducentur. Deinde hortatur populum, vt obduret aliquandiu,& ſe ad meliora tempora reſeruet. Excutiet enim è ſuis ceruicibus hoſtile iugum, & quorum armis ſubiectus,& in ſeruilem conditionem compactus eſt, eoſdem ſibi ferreo cornu ſubiiciet,& ſubire coget ſeruile iugum, quod antè Iudæorum ceruicibus illigarant.

CAPVT IV.

1. *ET erit: In nouiſſimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium,& ſublimis ſuper colles: & fluent ad eum populi.*

PARAPHRASIS.

1. AVdiſtis, ô filij Iſrael, quæ ad veſtræ Ieruſalem terrenæ ſiue gloriam, ſiue exitium comparata ſunt: nunc ad ampliorem magíſque glorioſam aliam Ieruſalem contemplandam, animos excitate. In extremis namque diebus veſtræ ciuitatis præparabit, fundabítque Dominus ciuitatem aliam, quæ ſeſe attollet longè ſupra verticem montium, ad quam magni vndique omnium gentium concurſus fiant.

Digitized by Google

2. Et properabunt gentes multæ, & dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad Domum Dei Iacob; & docebit nos de viis suis, & ibimus in semitis eius: quia de Sion egredietur lex, & verbum Domini de Ierusalem.

A 2. Et ascendent festinato cursu ad illam nouam Ierusalem populi frequentes, & mutuò se ad illius sinum, atque complexum cohortati dicent: Agitedum, venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum, quam sibi nobisque omnibus excitauit Dominus Deus Israel, & ibi ab eo nouis instituti legibus, in eius semitis, quæ rectæ sunt, & securæ, gradiemur. Quoniam de Sion exibit illa, quæ verè dici potest lex, & de Ierusalem verbum, quod dignum est Deo. Hactenus enim legem habuimus, B quæ sui auctoris fallax & veteratorium ingenium ostendebat, & oracula prorsus vana, à quibus nos in fraudem & mortem trahebamur.

3. Et iudicabit inter populos multos, & corripiet gentes fortes vsque in longinquum: & concident gladios suos in vomeres, & hastas suas in ligones: non sumet gens aduersus gentem gladium: & non discent vltrà belligerare.

3. Magnus ille legislator Deus gubernabit deinceps, iudicabitque gentes idolorum antea fraude, superstitionéque delusas, coarguétque erroris, in quo antea vixerunt. Erit autem rerum tanta mutatio, vt qui antea assiduis motibus turbabantur, & arma nunquam deponebant è manibus; illi iam affulgente pace, quam status adducet C Euangelicus, rei rusticæ vacent potius, quàm militari. Quare gladios in vomeres, & hastas commutabunt in falces: neque alter alteri ferrum intentabit aut plagam, neque ab ipso ætatis tyrocinio, militaribus studiis dura se, atque infelici palæstra comparabit ad prælium.

4. Et sedebit vir subtus vitem suam, & subtus ficum suam, & non erit qui deterreat: quia os Domini exercituum locutum est.

4. Erit eo tempore rerũ tanta tranquillitas, tam securum otium, vt quilibet extra ciuitatis mœnia sedeat, dormiátque pacificè sub vite, ac ficu. Neque vllus erit qui quietem & somnum interpellet, & turbet. Huic porrò promissioni pondus inerit, quæ D non ab humano spiritu, sed à diuino afflatu profecta est.

5. Quia omnes populi ambulabunt vnusquisque in nomine Dei sui: nos autem ambulabimus in nomine Domini Dei nostri in æternum & vltrà.

5. Sequentur alij vesano consilio gentilicos Deos, alij alios pro suo quisque studio ac religione, nos autem nunquam committemus, vt à Deo, quem experti sumus fidelem, & verum, vnquam recedamus.

6. In die illa, dicit Dominus, congregabo claudicantem: & eam, quam eieceram, colligam, & quam afflixeram.

6. Illis autẽ diebus, dicit Dominus, adducã ad me claudicantẽ & abiectum populũ, qui variè modò ad hanc, modò ad illã religionẽ instabili gressu claudicabat, & quem abieci priùs, iterum colligam, & iactatum E atque afflictum diu non vt alienum, sed vt domesticum & familiarem amplectar.

7. Et ponam claudicantem in reliquias: & eam, quæ laborauerat, in gentem robustam: & regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc & vsque in æternum.

7. Congregabo claudicantẽ populũ, non tamen totũ, sed exiguum ex eo populo numerũ, itaut nõ tã populus, quàm populi reliquiæ vocari possint. Illis tamen reliquiis, quæ priùs infirmæ erant & debiles, quæque claudicantẽ moliebantur incessum, robur addam virile, & constantes spiritus, super quas Dominus regnabit in Siõ; ex eo tempore ad moram sæculorum sempiternam.

Digitized by Google

8. Et tu turris gregis nebulosa filia Sion vsque ad te veniet: & veniet potestas prima, regnum filiæ Ierusalem.

9. Nunc quare mœrore contraheris? numquid rex non est tibi, aut consiliarius tuus periit, quia comprehendit te dolor sicut parturientem?

10. Dole, & satage filia Sion quasi parturiens: quia nunc egredieris de ciuitate, & habitabis in regione, & venies vsque ad Babylonem, ibi liberaberis, ibi redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum.

11. Et nunc congregatæ sunt super te gentes multæ, quæ dicunt: Lapidetur: & aspiciat in Sion oculus noster.

12. Ipsi autem non cognouerunt cogitationes Domini, & non intellexerunt consilium eius: quia congregauit eos quasi fœnum areæ.

13. Surge, & tritura filia Sion: quia cornu tuum ponam ferreum, & vngulas tuas ponam æreas: & comminues populos multos & interficies Domino rapinas eorum, & fortitudinem eorum Domino vniuersæ terræ.

A 8. Et tu, ô Ierusalem, quæ propter conditionem duram & abiectam, circumfusa tenebris meritò vocari potes, ad spem meliorem exuito languentem animum: ad te enim veniet secura illa quies, & tranquillum otium, de quo proximè. In te regnabit primùm legislator Christus, & ex te ad alia loca potestas prima deriuabitur.

9. Cur igitur nunc graui percussa vaticinio, tam te miserabiliter affligas? Cur te eo dolore atque mœrore discrucias, quo fœmina disrumpitur, cùm difficili ac dubio B puerperio laborat? Nunquid rex non est tibi, ad quem in rebus dubiis perplexísque confugias?

10. Obdura nunc, ô filia Sion, & dole. Aduenict enim in præsentia tibi dolendi causa non leuior, quàm puerperæ. Quia ex tuis finibus extorris in alienos abibis, & longa atque difficili via in Babylonem tandem captiua peruenies. Neque in patria, dum vrget obsidionem hostis Babylonius, libertatem aut salutem expectes, vbi aliquandiu egeris in Babylone: ibi te Dominus ac filios tuos de inimicorum suorum C manibus expediet.

11. Interim tamen, cùm duris conflictaberis ingeniis, assidua te iactabunt infortunia. Congregabuntur enim populi in tuum exitium coniurati, qui eo studio ad tuum interitum anhelabũt, quo populus in adulteram, quam lex publicæ lapidationi submittit. Quare omnes vno ore clamabunt, dicéntque: Lapidetur, & pereat: & interim, dum illa casu corruit horribili, oculos nostros & animos oblectemus.

12. Illi verò, qui tam auidè in exitium D tuum, ô Sion, & cladem ferebantur, non cognouerunt, quidnam de ipsorum capite statuisset Dominus: sic enim illos congregauit ad subitum, & festinatum interitum, quomodo ad tribulam & ventilabrum fœnum in rusticorum area congregatur.

13. Quare, ô filia Sion, exurge ex puluere, in quo mœsta atque exanimata iaces, & spiritus assume viriles, & alacres, & populos quos tibi sicut fœnum substernam, nihilo leuius aut mitius contere, quàm messes equorum vngulis, aut dentata tribula conteruntur. Dabit nanque tibi robur, quale esse solet à ferreo cornu, & æ- E reas vngulas, quibus nulla poterit resistere durities. His populos, qui in tuum exitium coniurarunt, comminues, & euertes, & illorum opes, quas duce atque auspice Domino diripies, & erepta arma, quibus tuam antea salutem oppugnarunt, gratulationis ergò, victori atque triumphatori Deo consecrabis.

Vers. 1.

Digitized by Google

Verſ.1. *Et erit in nouiſſimo dierum.*]

Iſaia & Michæa eadem verba.

1\. HÆc eadem verba legimus apud Iſaiam *cap.2.* quæ Hebraicè ad vnum ſunt omninò eadem, licèt tranſlatio aliquantulum diuerſa: diuerſa, inquam, quoad verba tantùm, in quo momenti nihil eſt, cùm eadem omninò maneat ſententia. Vter ab altero acceperit, quærunt aliqui curioſè magis, quàm neceſſariò, cùm vterque acceperit ab Spiritu ſancto: & licèt Iſaias hæc nunquam prædixiſſet, hæc eadem tamen dicturus fuerit Michæas. Sed ſi curioſo lectoris ſtudio ſeruiendum eſt, magis videretur ab Iſaja Michæas, quàm à Michæa Iſaias ſumpſiſſe. Nam cùm ſub iiſdem regibus prophetauerint hi duo, ſub Ioatham videlicet, Achaz, & Ezechia: non tamen ſingulæ prophetiarum vtriuſque partes in idem tempus inciderunt. Dixit illa verba Iſaias, vt apparet, ſub Ozia, id eſt, ad quadraginta annos ante Ezechiæ regnum, cùm inter Oziam, & Ezechiam duo fuerint interiecti reges, Ioatham, & Achaz, & vterque ſedecim in regno vixerint annos. Quantum itaque inter Oziam, & Ezechiam interceſſit temporis, tantum ſpatij fuit inter hæc verba ab Iſaia primùm, deinde a Michæa repetita: hæc enim dixiſſe Michæam ſub Ezechia, habemus ex Ieremia *cap.26.v.38.*

2\. Illud certum, eodem ſpiritu, atque conſilio ab vtroque Propheta hæc fuiſſe propoſita. Vterque enim præcedentibus capitibus grauia fuerat Hieroſolymæ minatus; imò eodem, licèt & diuerſis nominibus, & non eadem figura dicendi, vterque minarum acerbitatem melioris fortunæ mutatione lenit, & mœrentes animos illorum bonorum expectatione conſolatur. Quod facere ſolitum diuinum Spiritum, qui benignus eſt, docuimus ſuper Ezechielem ad illud cap.16. *Et conuertam refluentem eam.* Agit autem hic de aduentu Meſſiæ, vt eſt noſtrorum, & Hebræorum communis, ac vera ſententia: & montem, quem antè deſertum, & magis ferarum latibulis, quàm hominum cœtibus opportunum fore dixerat, vtpote ſylueſtrem, & horridum, modò ſic ornat, & amplificat, vt videatur nihil aut ſpectari pulchrius, aut cogitari poſſe ſublimius. Explicuimus hæc ſuper Iſaiam *cap.2.* Cùm autem verba ſint eadem, eadem ſententia, idem ſpiritus, eadem etiam ſit commentatio, neceſſarium eſt. Atque ideo illorum aut omnia, aut pleraque in hos Michææ commentarios noſtro iure, non inuito lectore, tranſcribemus.

Nouiſſimi dies qui.

3\. *In nouiſſimo dierum.*] Iſaias, *In nouiſſimis diebus.* Hebr. vtroque loco הימים באחרית *be acharith haiamim.* quod idem valet atque poſt hos dies, vel tempora, vt explicuimus pluribus *in cap.2.* *Actuum*, ad illud, *Et erit in nouiſſimis diebus.* & in illud Ioel.2. *Et erit poſt hæc.* vbi perſpicuè ex eiuſdem loci tranſlatione diuerſa liquet idem valere *in nouiſſimis diebus*, & *poſt hos dies.* Ibi probauimus non dici ſemper *nouiſſimum* de temporibus Meſſiæ; ſed interdum idem valere quod *poſtea.* Quare qui hæc ad rempublicam Hebræorum poſt exilium inſtauratam, auctamque gentibus eò confluentibus referret, neque premeretur huius vocis vi, neque puto vim magnam adhiberet textui, vt in ſimili diximus *ad cap.10. Zachariæ.* Sed ſunt alia, quæ omninò ſuadent priorem capitis partem ad tempus pertinere Euangelij. Quia venera quæ in principio dicuntur, altiora ſunt, quàm vt inueniri poſſint in Iudaica republica quantumlibet aucta quotidianis gentium acceſſionibus. Sunt autem extrema tempora ſeu ciuitatis, quæ à Romanis exciſa fuit: ſeu antiquæ legis, cui noua, id eſt, Euangelium ſucceſſit. Ex his conſtat, quam leue ſit Iudæorum firmamentum, quo ſibi perſuadent Meſſiam nondum veniſſe, quia nondum aduenit nouiſſimum tempus: cùm poſt Chriſti ortum multi tranſierint, & multi præterea ſuperſint dies. Vide Finum *lib.7. oppoſ.5.* & Galatinum *lib.5.cap.2.*

4\. *Erit mons domus Domini preparatus in vertice montium, & ſublimis ſuper colles.*] Iſaias, *Præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles.* Egit priùs de monte Sion, & de monte Moria, is enim vocatur mons templi. Hos duos montes ambitu murorum amplectebatur Hieroſolyma, quæ eo nomine illuſtris erat, & excelſa, quia illi etiam illuſtres ſunt, & excelſi; alter arce, & ciuitate Dauid; alter impoſita mole templi Salomonij. Nunc montem alium Domini futurum eſſe dicit in horum montium vertice; ſeu quia eſt his longè ſuperior, ſeu quia duo illi montes, quia figura huius montis illi ſubſunt, qua ratione ædificij ichnographia, ſeu exemplar rei, cuius gratia deſcripta ſunt. Mons verò Domini dicitur accommodatè ad Ieruſalem, quæ mons quidam eſt; & quod adumbratur, nomen ſolet retinere vmbræ. Quo modo Chriſtus agnus dicitur, leo, ſponſus, quia ab his Chriſti mores, & officia deſcribuntur. Aut certè quia olim ab Hebræis in montibus immolabatur, non ſolùm dijs falſis, ſed etiam vero, antequam constructum eſſet à Salomone templum. Vnde frequens in Scripturis nomen excelſorum. 1. Reg.9. de Samuele. *Hodie enim venit in ciuitatem, quia ſacrificium eſt hodie populi in excelſo.* & 1. Paralip.2. *Salomon abiit in excelſum Gabaon, vbi erat tabernaculum fœderis.* & 3. Reg. cap.3. *Attamen populus immolabat in excelſis: non enim ædificatum erat templum nomini Domini.* Mons ergo, id eſt, excelſum, ſeu altare Domini, quod eſt Eccleſia, longè ſeſe attollet ſupra aliorum excelſorum cacumina. Illud *preparatus* Heb. נכון *nachon*, idem eſt quod *fundatus*, aut *ſtabilitus.* Quo ſenſu dicitur Prouerb.8. *Quando præparabat cælos, aderam; quando certa lege, & gyro vallabat abyſſos; quando æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum.* Vbi ſine dubio eadem ſententia iterum explicatur; ſicut de aquis ibidem conſtat. & ideo eodem ſenſu dixit: *Et firmatum æthera, & preparatos cælos.* Et Pſal.23. per eandem figuram dictum eſt: *Quia ipſe ſuper maria fundauit eam, & ſuper flumina præparauit eam.* vbi liquet *præparare* idem eſſe quod *fundare.* — *Præparo idē quod fundo.*

Fabula Hebræorum de monte Domini.

5\. Ridiculum planè eſt, & dignum Rabbinorum cerebro, quod, vt tradit Galatinus *lib.5.cap.3.* dixit Rab. Pinhas ex ſententia Rab. Ruben, tempore Meſſiæ adducendos eſſe montes Thabor, & Carmelum ad eum locum, in quo nunc eſt Ieruſalem, & ſupra illos eleuandam eſſe ciuitatem. Quod ex hoc Iſaiæ loco confirmat. Quod quia impletum non vident, Meſſiam nondum aduenisse putant. Quis non doleat tam cæcam, & delicatam mentem?

6\. *Et fluent ad eum omnes populi.*] Iſaias, *omnes gentes.* Mira commendatio Eccleſiæ, & virtutis Chriſti, qui ad montem illum excelſum, & arduum,

 cuiuſ

cuiusque amplexum, & aridam viam, quæ ducit ad vitam, quæ sine molestia non est, eo impetu trahit vndecunque populos (ad quæ vix ægro, atque anhelato spiritu, & titubante gradu enititur prona in præceps hominum natura) quo per decliuia, atque prærupta montium incitati sese præcipitant torrentes. Mirum sanè si aqua suo se nutu referat ad caput fontis, a quo profluxit, maximè ascensu arduo (nam alieno motu, ac sudore in vrna conclusam quotidie reportari videmus.) Quare cùm aliquid fieri non posse significamus, prius aquam retrò, aut sursum relapsuram dicimus. Ouidius in epistola Oenones,

Cùm Paris Oenone poterit spirare relicta,
Ad fontem Xanthi versa recurret aqua.

Et Propertius,

Flumina que ad caput incipiam reuocare liquores.

7. Sed nimirum, id est, earum aquarum, quæ vt à terra fluunt, sic etiam aut absorbentur à terra, aut in vapores tandem, & ventos abeunt: non verò earum, quæ à sacris fontibus longè alio fluxu deriuatæ sunt: de quibus, vt ab humana literatura non discedam, dici opportunè, licèt alio sensu, potest illud Euripidis in Medæa.

Ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι παγαί.
Sursum sacrorum fluuiorum feruntur fontes.

Sanè sursum saliunt aquæ illæ sacræ, quas Christus *Ioan.4.* promisit mulieri Samaritanæ, quia saliunt in vitam æternam. Quia ergo iam illi, quos Christus ad sublimem illum montem vocarat, alij à seipsis fiunt; quia olim ad terrena fluxi, ac proni, post verò ad cælestia erecti, feruntur sursum non inuiti, sed faciles; molestum antea pondus interno quodam pulsu sursum agente. Quod Christus planè satis docuit Ioan.12. *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Huc facit quod Zacharias dixit cap.14. *Et reuertetur omnis terra vsque ad desertum*, iuxta explicationem eorum, qui ita vertunt, *Redigetur in planiciem*, id

8. est, quidquid erat impedimenti auferetur. Ex hoc loco Iudæi sibi persuadent Christum Iesum non fuisse Messiam: quia ad illum omnes gentes non confluxerunt. Sed non vident signum vniuersale *omnes* pro *multis* in Scriptura sumi, sicut *nullum* pro *paucis*. Exemplis abundamus, vt pluribus ostendimus super Acta *cap.1.n.5.* Sanè Absalon 2. *Reg.16.* ingressus esse dicitur ad concubinas patris sui coram vniuerso Israel, & *cap.17.* ab omni viro Israel probatum esse dicitur consilium Chusai. Sed quis dubitet abfuisse tunc multos ex Israel.

REGVLA. Omnes *pro multis, & nullus pro paucis, in Scriptura frequens.*

9. Vers.2. *Et properabunt gentes multæ, & dicent.*] Isaias, *Et ibunt populi multi.* Qui priùs *omnes populi*, nunc *gentes* appellantur *multæ*, iuxta illam regulam à nobis traditam alibi. Nam vbi ex aliquo numero non multi desunt, omnes dicuntur adfuisse ex vsu Scripturæ. Cæterùm illud *&*, expositiuam particulam esse puto, non coniunctiuam. Quod in Scriptura esse frequentissimum ostendimus *Isaiæ cap.57. num.63.* in hunc sensum, *Fluent ad eum omnes gentes*, id est, populi multi.

10. *Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob.*] Eodem modo Isaias. Verba hæc sunt populorum mutuò se adhortantium. Est mimesis similis Zachariæ cap.8. *Eamus & deprecemur faciem Domini.* Solent autem homines, vbi suauitatem gustarunt rei alicuius, amicos hortari, atque etiam vrgere, vt eundem secum fructum capiant quod ingenui, atque officiosi animi proprium est, qualem in suis filiis alit Ecclesia.

Ex hoc loco Iudæi argumentum ducunt suo

A iudicio non infirmum, vt probent nondum venisse Christum, quia nondum homines dixerunt: Venite, ascendamus ad domum Dei Iacob, sed ad domum Iesu, ad domum Petri, aut Pauli. Ita Galatinus *lib.5. cap.5.* vbi hanc Iudæorum cogitationem infirmat.

Et docebit nos de viis suis, & ibimus in semitis eius.] 11.
Isaias, *Et docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius.* Sicut è montibus fontes ad decliuiora decurrunt: sic è sublimi monte, & ex mystica Sion ædificata super firmam petram doctrinæ veræ, atque catholicæ riui deriuantur. Quæ sanè doctrina infirma esse non debet, quæ lucis tantum offerat menti; sed acris, & ignea, quæ à veteri viuendi ratione, id est, à sæculi viis latis, & heu nimium tritis ad angustas Euangelij, id est, vitæ semitas deducat. Et ideo subdit: *Et ambulabimus in*
B *semitis.* Vtriusque partis eandem, aut non admodum diuersam sententiam puto. Quia Ecclesiæ doctrina otiosa non est, aut ignaua; sic enim erudit, vt etiam acuat, & inflammet. Quare qui ab Ecclesia docetur viam Domini, ad illam se quamprimùm accingit.

Quia de Sion egreditur lex, & verbum Domini de Ierusalem.] Data olim fuerat lex in Sinai, sed vni 12.
populo Hebræo: in Sion verò omnibus omninò gentibus. Quare ad id, quod suum est, vndecumque gentes aduolant. Data verò lex est à Christo, qui, quam à patre acceperat doctrinam, impertitus est; data à diuino Spiritu, inustaque discipulorum animis in Sion in die Pentecostes eodem die, quo vetus in monte Sinai. Inde per Apostolos fons ille viuentium aquarum tanquam per suas fistulas in totum orbem deriuatus est. Quæ
C doctrina sic est probata gentibus aliis legibus, atque alia religione delusis, vt præ hac lege reliquas aut à Philosophis institutas, aut obtrusas à dæmone, nihil legitimum habere dicant præter nudum nomen, atque vmbram. Id enim sonat: *Quia de Sion exibit lex*, id est, quæ hoc nomine digna sit: & verbum, quod à Deo profectum videri possit. Reliquæ leges satis suos produnt authores. Cæterùm vt superior sententia, sic etiam hæc bis explicata est.

Legis euangelica dignitas.

Vers.3. *Et iudicabit inter populos multos.*] Isaias, *Et iudicabit gentes. Iudicare* apud Hebræos plura significat, quàm apud Latinos; neque enim
D tantum est disceptare aliorum causas, dissidentes componere, & ius suum cuique seruare, quod proprium est illorum, qui vocantur iudices: sed etiam tueri, ac moderari rempublicam, & id præstare, quod duces solent, & reges, qui non seruandis tantùm legibus, sed tractandis etiam armis homines in pace, atque in officio continent. Sic Iudices, qui Iudicum libro nomen indiderunt, duces fuerunt, & rempublicam armata manu ab hoste vindicarunt. Quales fuerunt Balac, Gedeon, Iephthe, Samson. Sic Salomon 3. *Reg.3.* orat Dominum, *Dabis seruo tuo cor docile, vt populum suum iudicare possit*, id est, moderari. Et hoc ipsum Salomoni filio optat Dauid Psal.71. *Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis.* Indicare ergo in-
E ter populos multos, seu quod idem est apud Isaiam, *iudicare gentes*, nihil est aliud quàm moderari, & instituere populos, legibus nimirum euangelicis.

13. Iudico *id est quod administro, & moderor.*

Et corripiet gentes fortes vsque in longinquum.] Isaias, 14.
Et arguet populos multos, id est, ostendet populos in longinquum, id est, ad vltimos vsque terræ fines, qui alias leges, & iudicia subierant, in errore fuisse; cùm cognoscant leges alias, quæ ab auaritia, siue

Digitized by Google

siue ab ambitione nascuntur, excitare inter mortales, atque fouere odia, quæ comprimit omninò euangelica lex. Illi ergo populi, qui homicidæ priùs diabolo paruerant, bene secum actum esse existimabunt, cùm repudiata lege, cui ante suberant, euangelicam colent; quia hæc amore constringit, illa verò odio distrahit sectatores suos.

15. *Et concident gladios suos in vomeres, & hastas suas in ligones.*] Isaias, *Et conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces.* Hinc se iam prodit vis illius iudicij, quod gentes à longissimis vsque regionibus vocabat. Quid enim ab Euangelio pacis, nisi suauissimus pacis fructus sperari potuit? Huius exemplum statim apparuit, vbi primùm in Pentecoste lex euulgari cœpit. Venerunt etenim tunc plurimi in montem Dei, quia primùm concionante Petro *Actorum* 2. tria animarum millia ad Ecclesiam venere, & inde quotidie fiebat grandis accessio. Eorum tamen licèt locis essent antea, professionéque diuersi, sic erat ad omnia conspirans animus, vt haberent omnia communia.

16. Conflatos esse gladios in vomeres, id est, arma, & odia non exerceri, non tam credo pertinere ad pacem, quæ fuit sub Augusto, quando natus est Christus, quàm ad illam, quæ consequuta est legem, de qua nunc Isaias, vt textus ipse capitis non obscurè docet. Est autem elegans descriptio pacis ab euentu. Nam vt belli tempore agri vastantur, agricultura cessat, & rustica instrumenta in arma bellica conuertuntur: sic regnante pace, contraria vigent studia, & quæ Martis antea, Cereris postea ministeriis arma seruiunt. Vtraque dicendi figura valde familiaris est. De rusticis in bellica conflatis bellè Maro 1. Georg.

Pacis descriptio.

——— Non vllus aratro
Dignus honor, squallent abductis arua colonis:
Et curuæ rigidum falces conflantur in ensem.

Et lib. 7. Æneid. cùm de bellico agit instructu,

Vomeris huc, & falcis honos, huc omnis aratri
Cessit amor, recoquunt patrios fornacibus enses.

Ouidius 1. Fastorum,

Sarcula cessabant, versique in pila ligones,
Factaque de rastri pondere cassis erat.

Hoc idem Ioel. cap. 3. *Ascendant omnes viri bellatores, concidite aratra vestra in gladios, & ligones vestros in lanceas: infirmus dicat, quia ego fortis sum.* De militaribus armis in rustica translatis, Martialis lib. 14. epigr. 34. cuius titulus: *Falx ex ense.*

Pax me certa ducis placidos conflauit in vsus,
Agricola nunc sum, militis antè fui.

Sed multo elegantiùs noster explicuit Propheta hanc temporis conuersionem, & vicissitudinem: à quo fortasse sicut alia pleraque prophani poëtæ hæc acceperunt. Neque sanè mirum si hæc accidant euangelicæ legis tempore, cùm ea omnia seditionum, & bellorum semina extinguant. Iacob 4. *Vnde bella, & lites in vobis? nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris: concupiscitis, & non habetis: occiditis, & celatis, & non potestis adipisci; litigatis, & belligeratis.*

17. Hic locus persuasit Iudæis, vt inquit Galatinus *lib. 5. cap. 6.* & Finus *lib. 7. oppos. 5.* Iesum non fuisse Messiam in lege promissum: quia cùm ab Isaia in illius aduentu dicantur non iam amplius futura bella, neque bellorum instrumenta, post Christi tamen aduentum neque depositas esse seditiones, neque ab armorum vsu, néque bellica cessatum videmus. Respondent aliqui, quo tempore Christus in mundum venit, pacem fuisse in vniuerso mundo: quod reuera ita contigit sub Augusto, vt prophani tradunt scriptores, & in Romano Martyrologio in die natalitio Domini legitur, *toto orbe in pace composito.* Quo tempore clausæ sunt Iani, id est, belli portæ: vt de Augusti tempore cecinit Maro lib. 1.

Aspera tunc positis mitescent sæcula bellis.
——— Diræ ferro compagibus arctis
Claudentur belli portæ: furor impius intus.
Sæua sedens super arma, & centum vinctus ahenis
Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento.

Neque si hanc explicationem admittas, obstat 18.
valde illud, *nec vltrà exercebuntur ad prælium*: quia ex Scripturæ vsu, *non vltrà, non amplius*, & similia, non significant semper *aliquid perpetuum*, vt ostendimus *cap. 23. num. 19. & cap. 6. num. 79.* sed *longum tempus*. Deinde quia quæ rarò facienda, aut minus quàm antea frequenter, non vltrà facienda, aut futura dicuntur, iuxta communem hominum vsum, cui sæpe Scriptura sermonem attemperat. Syri 4. *Regum cap. 6.* dicuntur non vltrà venisse in fines Israel, & tamen, vt constat, post illud tempus aliquando venerunt. Et *Genes. 35.* dictum est Iacob à Deo, *Non vocaberis vltrà Iacob, sed Israel erit nomen tuum:* & tamen, vt constat, sæpe post hæc vocatus est Iacob. Sed verè Syri dicti sunt non venturi; & Iacob non vltrà vocandus antiquo nomine: quia illud minùs sæpe fiebat, quàm priùs. Sic ergo, quia post Christi tempora minùs sæpe quàm antea exarserunt bella, vt latè probat Paulus Orosius, non vltrà Messiæ tempore bella fore traduntur.

REGVLA. Non vltra, nō amplius *& similia non significant semper aliquid perpetuum.*

REGVLA. *Quæ rarò facienda, aut minus quā antea frequenter, non vltra facienda, aut futura dicuntur.*

Sed ego, vt suprà dixi, alium esse credo pro- 19.
phetiæ sensum, vt etiam alij putant; nempe illam futuram Christi œconomiam, & illam Euangelij legem, vt homines non ad bellum inflamment, sed ad pacem adducant. Quod sanè durum non videbitur ei, qui nouerit Scripturæ morem esse, vt illa ab aliquo fieri dicantur, ad quæ, vt legitimè faciat, naturam, & facultatem habet. Qua ratione docere dicitur, qui doctor est, etiam dum silet. Vide quæ diximus *Isaia cap. 3. n. 11. & cap. 48. n. 22.* Cùm ergo euangelica lex, quæ non deficiet vnquam, ad pacem instituat, & illius sanctitas id mereatur, vt bella ex hominum societate depellat; ideo Christi, & Euangelij tempore, non vltrà homines dicuntur ad prælium exercendi.

Hunc locum Tertullianus bellè ad Paulum accommodat, qui persecutionis gladium in vomerem, & aratrum conuertit. Et cùm esset lupus, agni mores, & spiritus induit. Sic ille apud Gnosticos cap. 13. *Paulus Apostolus de persecutore, qui priùs Ecclesiæ sanguinem fudit, postea gladium stylo mutans, & conuertens macharam in aratrum: lupus rapax Beniamin, deinde afferens ipse etiam escam.* Posterius hoc agni est, qui suis alios carnibus pascit.

Pauli conuersio.

Non sumet gens aduersùs gentem gladium, & non di- 20.
scent vltrà belligerare.] Isaias, *Non leuabit gens contra gentem gladium, aut exercebuntur vltra ad prælium.* Hæc iam suprà à nobis exposita sunt; quæ id significant, pacifica fore Euangelij tempora, quæ pacem secum, & concordiam animorum adportant: quæ eò spectant, vt omnia seditionum extinguant semina. Quare homines euangelica institutione formati, si quod ipsorum institutum docet, præstare voluerint, neque arma capessent, neque militaribus se dedent disciplinis, neque aliud meditabuntur, nisi quod euangelica forma præscribit.

Vers. 4.

Digitized by Google

21. Vers.4. *Et sedebit vir subter vineam suam, & subtus ficum suam, & non erit qui deterreat.*] Prouerbialis forma apud Hebræos, quorum regio vite abundat, & ficu. Eodem vsus est prouerbio Zacharias cap.3. v.10. *In die illa vocabit vir amicum suum subter vineam & subter ficum.* Machab. 1. cap. 14. v.12. *Et sedit vnusquisque sub vite sua, & sub ficulnea sua, & non erat, qui eos terreret.* Hæc autem dicendi forma securam indicat quietem: nam vbi infensi sunt hostes, aut latrones vicini, nihil in agris tutum, nihil sine metu: atque ideo omnes intra ciuitatis mœnia sibi perfugium parant. A quo dicendi modo non abhorrent externi, qui otium, & pacem arborum vmbra, & syluestri meridiatione significant. Sic sanè Mantuanus Tityrus securus fingitur sub tegmine recubans fagi. Sic ab Horatio homo beatus, qui liber à forensi turba, & bellico tumultu *iacet, modò sub antiqua ilice, modò in tenaci gramine.* & Hieronymus ad Heliodorum illum reprehendit, qui cùm vndecunque hostilis circumstrepat tumultus, sub arbore requiescit otiosus. *Aduersarius* (inquit) *noster tanquam leo rugiens aliquem deuorare quærens circumit, & tu pacem putas? Sedet in insidiis cum diuitibus, vt in occultis interficiat innocentem, oculi eius in pauperem respiciunt, insidiatur in occulto, vt rapiat pauperem, & tu frondosæ arboris tectus vmbraculo molles somnos futurus præda carpis?* Hîc obiter nota, vites in Palæstina eo modo disponi, quo olim, & nunc etiam plurimis locis in Italia, quæ aut maritantur arboribus, aut suspenduntur iugis, ita vt non aliter sub illarum vmbra iaceant, quàm sub aliarum arborum, quæ truncis attolluntur proceris, & latè explicant ramos: alioqui quomodo opportunam præbere possent vmbram delicatis, & mollibus?

PROVER. *Sub vite & ficu.*

A

B

22. *Quia os Domini exercituum locutum est.*] Pondus addit promissis ab authoritate diuina: neque enim ipse à suo loquitur seductus spiritu, sed afflatus, & instructus à diuino: ideo dicit Deum esse locutum, quia Deus in ore Prophetæ vocem formauit, & expressit. Fortassè hîc illud *quia* otiosum est, vt aliis locis non infrequenter: & idem valet quod illud tritum, quo Prophetæ sua solent oracula consignare, *dicit Dominus*, & similia: talem enim sententiam continent hæc verba, sublato *quia*.

23. Vers.5. *Quia omnes populi ambulabunt vnusquisque in nomine Dei sui: nos autem ambulabimus in nomine Dei nostri.*] Si illud *quia*, particula sit rationalis, sensus erit, non esse mirum, si tuti sunt ab omni periculo, securique somnos captare possint otiosos, & longos sub vite, & ficu; quandoquidem patronum habent verum Deum, cui fideliter seruiunt: contra quem nihil virtutis habent aut hostes, aut alieni dij, quorum illi nomen, & auxilium implorant. Quòd si particula illa otiosa sit, sicut proximè putabamus videri verisimile, sensus erit non valde dissimilis, dissimilis tamen, quasi dicant, quibus à Deo paratum est otium, & quies, feliciter actum esse secum, quòd talem nacti sint Deum; illos verò planè miserabiles, qui diis nugacibus, & vanis Deorum simulacris adhæserunt. Quasi dicant, sequantur alij væsano consilio gentilicos Deos; nos verò nunquam committemus, vt à Deo, quem experti sumus fidelem, & verum, vnquam recedamus. Quod dixit Dauid Psal.113. *Simulacra gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum. Domus Israel sperauit in Domino: adiutor eorum, & protector eorum est.*

C

D

E

24. *In æternum, & vltrà.*] Hyperbolica locutio est, qua summa significatur duratio: neque enim vltra *æternum* aliquid est. Quæ dicendi forma aliquando in sacris literis occurrit, vt Exod. cap.15. *Dominus regnabit in æternum, & vltra.* Quod vulgatus sæpe hoc modo conuertit: *in sæculum sæculi.* Est enim Hebraice ל עולם ו עד *la olam, ve ad*, id est, *in æternum & adhuc*, nempe amplius. Hanc dicendi formam expressit Hispanus, qui summam durationem hoc ferme explicat modo, *para siempre iamas.* nam illud *iamas* idem est quod *y aun mas*, quasi dicerent *semper & vltra.*

Æternû & vltra, quid.

25. Vers.6. *In die illa dicit Dominus, congregabo claudicantem.*] Hebræi Doctores hæc de Israele restituto ab exilio, & in antiquum gradum vindicato interpretantur: & claudicantem appellant populum illum tunc fractum, & debilem, quando alienæ suberat potestati, neque vires habebat, quibus à se propelleret iniuriam; neque pedes, quibus ad reditum, & fugam niteretur. Et quidem hoc nomine significari solet infirmitas. Sæpe autem cæci coniunguntur, & claudi, in quibus miserorum status optimè describitur. Illi enim quò progrediantur, ignorant; hi etiamsi norint, quia pedes habent debiles, & ad incessum ineptos, quò destinarunt animo, progredi non possunt. Ieremias cap.6. v.8. cùm de hoc ipso populo, ac tempore loqueretur, ait, *Ecce ego adducam eos de terra Aquilonis, & congregabo eos ab extremis terræ: inter quos erant cæcus, & claudus.* & Psal.34. v.25. vbi vulgatus, *Aduersum me lætati sunt*, Hebr. est, *In claudicatione mea lætati sunt.* Ad quam sententiam è sequentibus plurima accommodari possent, à quibus ego abstineo, quia longè sum, vt Hebræorum opinioni subscribam meam. Et hæc, quæ præcesserunt, & quæ sequuntur multa, meliora tempora respiciunt, à quibus hæc distrahere non licet. Et sanè eò conspirant quotquot ex nostris in hunc Prophetam commentarios ediderunt.

Claudus pro debili & miserabili.

Est ergo hoc de Ecclesiæ temporibus illustre vaticinium, quod superiori continenter appenditur, quod docet gentem claudicantem, & eiectam vexatam durè, & quasi derelictam aduocandam esse ad mysticam Sionem. Quidam hæc ad Gentiles populos spectare putant, in quibus est Theodoretus. Hi verò claudicare existimandi sunt, quia neque certo, neque firmo gradu ingrediuntur, cùm neque rectam tenuerint viam, quia à vero Deo recesserunt: & cùm plures Deos multiplici religione coluerint, non poterant non claudicare, cùm ab hac in illam variato gressu subinde transirent. 26.

Sed est communis sententia, quæ hæc de gente exponit Israelitide, quam cum Cyrillo, ac Hieronymo tenent frequentes alij. Dicuntur autem Israelitæ claudicantes, & eiecti, aut quia durè vexati, & ita aliorum alligati imperio, vt ambulare non possint, nisi violento, ac tortuoso gradu. Aut quia sic fuerunt in religione instabiles, ac varij, vt à vero Deo, quem venerati fuerunt parentes, ad vicinarum regionum idolorum monstra quotidie transfugerint. Ad quos Elias 3. Reg.18. v.21. *Vsquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini illum.* Hanc igitur gentem claudicantem, & eiectam, id est, quam propter peccata è suis exturbauit finibus, & ad aliorum regionem, & dominatum ablegauit Dominus, congregauit postea, & in regnum longè præstantius, & ad Regem Christum, quasi rediuiuam adducet. De qua hoc loco optimè Hieronymus in Domini persona. *Congregabo* (inquit) *claudicantem, id est, eam, quæ malè ambulauerat, & ad quam Elias dixerat: Vsquequo claudicatis.* 27.

Israelitæ cur dicti claudicantes.

Quam

Quam eieceram, & cui dederam libellum repudij, colligam, & quam afflixeram captiuitatibus variis, vel tradideram diabolo, & angelis eius. Et statim addit, *Hæc de prima dicit Ecclesia, quæ credidit ex Iudæis, de qua fuerant & Apostoli: super qua in Actibus Apostolorum Lucas describit, quod in vna die crediderunt tria millia, etiam alibi quinque millia. Et de quibus Iacobus loquitur ad Paulum. Vides frater Paule, quanta millia sunt de Iudæis credentium, & omnes hi æmulatores legis sunt.*

28. Vers.7. *Et ponam claudicantem in reliquias.*] Superiora verba totum Israeliticum populum, aut certè Iudaicum conuertendum esse significare videbantur: cùm verò ex eo populo, aliorum comparatione, conuertendi non essent nisi admodum pauci, suum Propheta exponit vaticinium, & docet non totam illam gentem fore saluandam, sed illius reliquias, id est, ex magno numero perpaucos. Hieronymus, *Significantiam* (inquit) *considera propheticam. Non dixit, ponam claudicantem totam saluam, sed ponam claudicantem in reliquias, vt reliquiæ, & electio salua fiant.* Porrò reliquiæ ex magno numero exiguum aliquid sonant, quales sunt racemi, qui peracta vindemia, in vite relinquuntur; & quod è cibis superest, quando sese conuiuæ affatim expleuerint: qui ex ingenti Troianorum strage secuti sunt Æneam, reliquiæ sæpe vocantur à Marone. Est ergo sensus, claudicantem populum eo numero fore congregandum, vt appellari reliquiæ possint. Quod dixisse videtur Paulus ad Rom. cap.9. *Si fuerit numerus filiorum Israel quasi arena maris, reliquiæ saluæ erunt.*

Reliquiæ exiguum numerum significant.

29. *Et eam quæ laborauerat, in gentem robustam.*] Quam priùs claudicantem vocauerat, nunc laborantem dicit, id est, fractam & languidam. Hieronymus hîc Christianos intelligit, & cum eo interpretum plerique. *In gentem robustam, in nomen videlicet Christianum; quod non gladius, non ignes, non tormenta superabunt. Vide fidem, & passionem Martyrum, & de robusta gente non ambiges.* Sed non puto de omnibus Christianis hæc intelligere Hieronymum, qui superiora de illis tantùm accipit, qui e genere Israelitico Christiana sacra susceperunt: & plurima, quæ in toto capite dicuntur, non nisi in illud genus conuenire possunt.

30. *Et regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc, & vsque in æternum.*] Allusio est ad statum miserum, quem subiere Iudæi ex propriis finibus expulsi, & alienorum regum imperio subiecti. Contraria omnia promittit Dominus, perpetuam videlicet sedem, & quietem in Sion; non tamen in propria, ac materiali (ab hac enim tam qui propriè, quàm qui figuratè Israelitæ vocantur, iam olim exciderunt) sed figurata, & mystica, id est, in Ecclesia, in qua verus, & proprius Dominus regnabit in æternum. Sicut postea bonus sacrarũ literarum interpres Archangelus Gabriel exposuit apud Lucam cap.1. *Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.*

31. Vers.8. *Et tu turris gregis nebulosa filia Sion, vsque ad te veniet.*] Hic multi multa dicunt: & sanè locus est eiusmodi, vt ad varias cogitationes aditum aperiat. Quidam turrim gregis illam esse putant, in qua excubabant pastores illi, quos Angeli ad Bethleem deduxere, vt natum ea nocte seruatorem Christum inuiserent. Hieronymus hanc sententiam obscuriùs indicat in traditionibus Hebraicis ad illum locum Genes. cap.35. *Profectus est Israel, & extendit tabernaculum suum trans turrim Ader,* (id est, gregis.) *Si sequamur* (inquit) *ordinem viæ* (quam videlicet tenuit Iacob) *pastorum iuxta Bethleem locus est, vbi vel Angelorum grex in ortu Domini cecinit, vel Iacob pecora sua pauit, loco nomen imponens.* Tenent hoc apertè Remigius, & Haymo, iisdem vterque verbis, & Beda *in cap.2. Lucæ.* Haymonem audi. *Turrem gregis nebulosam locum dicit, qui ab conuentu pastorum Ader (id est, turris gregis) dicitur. Distat enim vno milliario à Bethleem ad Occidentem. In hoc loco tribus pastoribus Angelus apparuit, & natum Deum nuntiauit, quique ibidem venerabiliter conditi requiescunt.* Hoc etiam de pastorum numero tradunt *Vir* Remigius, & Beda *lib. de locis sanctis cap.8.* Neque nomen turris huic cogitationi quicquam obstat: nam licèt pastores in tabernaculis potius, & tuguriis, quam in turribus habitare soleant: tamen locus ille appellari potuit turris gregis, licèt tunc temporis turris esset nulla; quia aut tunc erat, quando eò cum gregibus appulit Iacob; aut quia Iacob ipse turrim eo in loco, pro gregum, suorúmque commoditate construxit. Deinde quia vulgus hominum domus in agris, locisque desertis ædificatas, licèt rudi opere, & malè materiatas turres vocat. Certè turris vocatur domus rustica, quam Dominus in sua vinea construxit, cùm illa tantùm esset ad vineæ cõmodiorem vsum, & vinitoris operam excitata. De qua Isaias cap.5. *Plantauit vineam electam, & ædificauit turrim in medio eius: & torcular extruxit in ea.* Idem penè Christus *Matth.21.* Neque meliorem aut operam, aut materiam puto habuisse turrim illam, quæ *Genes. cap.35.* turris vocatur gregis.

Turris gregis in qua pastores vigilabant.

Turris nomẽ ad multa patet.

Turris gregis nebulosa.

Verùm communis est tam Hebræorum, quàm nostrorum sententia, turrim hîc gregis esse aut Ierusalem, aut templum, in quo ex Israele toto magnis aliquibus præsertim temporibus fiebat populorum conuentus. De Hebræis docet Hieronymus in traditionibus Hebraicis in Genesim, vbi cùm adduxisset Gen.35. *Profectus est Israel, & extendit tabernaculum suum trans turrim Ader,* id est, gregis, addit: *Hunc locum Hebræi esse volunt, vbi postea templum ædificatum est, & turrim Ader turrim gregis significari, hoc est, congregationis & cœtus. Quod & Michæas Propheta testatur, dicens: Et tu turris gregis nebulosa filia Sion, &c. Illóque tempore Iacob trans locum, vbi postea templum ædificatum est, habuisse tentoria.* Hanc verò sententiam ipse, licèt paulo obscuriùs, probat, & sequitur in Commentariis super hunc locum: quod item faciunt Theodoretus, & Cyrillus, Hugo, Ribera, Dionysius, & plures alij. 32.

Turris gregis templũ, aut Ierusalem.

Quod ex eo fit valde verisimile, quia vbi vulgatus legit, *nebulosa*, Hebr. est עפל *Ophel*, quod nomen est cuiusdam turris, quæ est in ciuitate nobilis, quam Hieronymus ita prorsus aliis locis reliquit, sicut erat in Hebræo. Erat autem turris illa in ipsa murorum constructione ita ampla, & illustris, vt nomen dederit illi murorum parti, vbi excitata erat; imò vt ex hoc loco nonnulla sumitur coniectura, ciuitati toti; sicut Sion. lib.2. Paralip. cap.27. v.3. de rege Ioatham. *Ipse ædificauit portam domus Domini excelsam, & in muro Ophel multa construxit.* Hoc idem nomen in eadem significatione inuenies *2. Paral. cap.33. v.14. & 2. Esdræ 3. v.26.27.* & Hieronymus super illud Isaiæ cap.32. v.14. *Tenebræ, & palpatio factæ sunt super speluncas.* vbi Hebræi legunt, *Ophel*, & *Bachan erit in speluncas*; dicit, *Hebræi duas turres in Hierusalem esse arbitrantur, quæ his appellantur nominibus: quarum prior interpretatur tenebra, siue nubilum, quod vsque ad nubes erigeret caput: altera probamentum, & firmitas, siue vt Symmachus vertit, inquisitio, eo quod in contemplando* 33.

à culmine eius homines fallerentur.

Turris cur nebulosa.

34. Dicitur autem turris illa nebulosa, seu Ophel, aut quia quo tempore hæc audiebat, tristis erat propter minas, quæ paulo ante præcessere: mœrorem autem, & quicquid est aduersum, & animos contrahit, tenebrarum, ac nebulæ significamus vocabulo. Quomodo tempus vocamus nubilum, in quo aliquid nostris votis, aut fortunæ contrarium aduenit: & cùm duris vrgemur incommodis, solem nobis illuxisse negamus. Et hæc ratio omnium mihi maximè placeret, cùm qua bellè facit quod statim additur, *Quare mœrore contraheris?* nisi nomen illud esset antiquum, & impositum ante turbidum hoc, & ærumnosum tempus, quod sibi impendere aut timebat, aut certè audiebat à Propheta. Quare alia nobis quærenda ratio est, quæ turri gregis in omni tempore, ac conditione conueniat. Qui in turri templum intelligunt, nebulosam turrim appellari existimant, quia templum propter continentia penè sacrificia perpetuò fumat, atque ideo nebulosum habet, & crassum circumfusum aërem. Alij nebulosam putant esse turrim, quia vsqueadeò sursum attollit sublime fastigium, vt condat inter nubila, neque videri possit ab his, qui ex inferiori loco illud intuentur. Ita Hieronymus ex Hebræorum sententia, eo loco, quem ex traditionibus Hebraicis nuper adduximus. Alij nebulas esse censent peccata, quibus erat tunc obscura Hierosolyma. Hæ ab aliis rationes adducuntur nominis: mihi nulla alia melior occurrit, neque in ea re sine fundamento diuinare libet.

35. Illud mihi videtur dici posse cum aliqua verisimilitudine hunc esse metaphoricum dicendi modum, spectarique id, quod pecudum caulis euenire solet. Quò etiam pertinere arbitror id, quod audiebamus paulo antè de claudicante, & eiecta: quæ duæ voces conuenire possunt ouibus, quæ infirmæ sunt, scabiosæ, ac debiles, quæ cùm claudicare cœperunt, neque gregem potuerunt subsequi, relinquuntur à pastore. Turris itaque gregis ideo vocatur Hierosolyma, quia vt in gregis turre stabulantur pecudes: sic in Hierosolyma, ac templo congregabantur homines, quasi intra communia, atque legitima septa, præsertim certis anni temporibus, in quibus ad sacra quædam solemnia Israelitæ ex omnibus vndecunque locis euocantur à lege. Ita docent quidam ex Hebræis, & ex nostris indicant Hieronymus, Dionysius, Hugo.

36. *Vsque ad te veniet, & veniet potestas prima: regnum filiæ Ierusalem.*] Consolatur Ierusalem Propheta, quæ animum contraxisse videbatur minaci vaticinio, quod exilium, cædem, & vastitatem denunciabat. Nunc ergo in spem erigit fortunæ melioris, quam afferet Christus, qui ex Dauidica stirpe prognatus est. Ille enim regnabit primùm in Ierusalem, ibi regnum constituet, de quo priùs; inde lex egredietur euangelica, & postea per Apostolos in mundum vniuersum propagabitur. Hieronymus in potestate prima Deum intelligit, à quo omnis potestas in cælo, & in terra. *Veniet* (inquit) *ad hanc turrim prima potestas, siue principatus primus, ille qui dixerat: Ego sum α & ω, principium, & finis, primus, & nouissimus.*

37. Vers. 9. *Nunc quare mœrore contraheris?*] Grauis tunc dolor, & omninò sine vllo leuamento animum excruciat, quando nulla apparet libertatis spes, aut ægritudinis medicina. At si magno aliquo gaudio recreatur afflictio, & si quod accidit detrimentum, cumulato aliquo compensatur augmento, sustentatur animus spe fortunæ melioris, & omnis ab animo mœrente ægritudo detergitur. Cum ergo multo maiora spectaret Ierusalem, quam Babylonica potentia detraxerat, maiorem libertatem, nobiliorem regem, & regnum illustrius, ostendit Propheta iam non esse cur se ingruentibus malis in posterum affligeret.

Nunquid rex non est tibi, aut consiliarius tuus per- 38.
iit; quia comprehendit te dolor quasi parturientis?] Dolere poterat iure suo atque optimo Ierusalem, quòd rege careret, qui salutem curaret publicam, & creditum suæ tutelæ populum ab hoste defenderet: neque haberet prudentem aliquem consiliarium, ad quem, si quid incideret dubij, causam suam, aut controuersiam deferret. Eo nomine Dauid luctum indixit, & commune lamentum Israeli toti, quia rex ille interiit, qui hostilem frænabat impetum, & audaciam. Nunc iam lugentem populum meliori esse animo iubet, cùm neque rex defuturus sit, neque consiliarius, qui prudenter moderetur, & fortiter ab omni vindicet iniuria gentem sibi commissam. Hic autem est regum maximus, & immortalis Christus, quem sub hæc eadem tempora Isaias *cap. 9.* consiliarium appellauit, fortem, & principem pacis, illúmque, à quo sperari possent plura, atque maiora, quàm humana, possit non solùm præstare, sed neque promittere potentia. Dolor parturientis in Scriptura sacra prouerbiali specie pro dolore sumitur acerbissimo, qui non solet esse sine eiulatu. Qualem habuerunt Iudæi, cùm extrema patiebantur ab hoste Babylonio. De quibus Ieremias cap. 30. v. 3. cùm illam ægritudinem vellet, sicut nunc Michæas, ab illorum animo detergere. *Ecce enim dies venient dicit Dominus, & conuertam eos ad terram, quam dedi patribus eorum, & possidebunt eam, &c. Interrogate, & videte, si generat masculus: quare ergo vidi omnis viri manum super lumbum suum, quasi parturientis?*

Dolor parturientis pro maximo.

Vers. 10. *Dole, & satage filia Sion, quasi parturiens,* 39.
quia nunc egredieris de ciuitate, & habitabis in regione, & venies vsque Babylonem.] Hæc omnes fermè authores de populi captiuitate accipiunt, & migratione in Babylonem: & meritò, neque enim ad alium sensum nisi admodum inuita trahi possunt. Præcedente capite vastitatem proposuit Hierosolymæ, quam sic expressit apta ad commiserationem descriptione, vt nihil dici posse videretur acerbiùs. Dixit enim in fine capitis talem futuram Hierosolymæ speciem, qualis est syluarum, vbi ferarum cubilia, & saxorum acerui. Deinde talem proposuit ciuitatis formam sub nouo Rege Christo, vt nihil excogitari potuerit illustrius. Statum verò felicem, & euangelici temporis splendorem, & gloriam ad hunc vsque locum commemorando produxit. Nunc autem ad interrupta reuertitur, & docet adesse iam tempora, in quibus non desit idonea satis lamentandi materies. Quare dolendum esse annunciat Hierosolymæ, aut dolorem, sollicitudinem, & lacrymas indicit, neque causam silet: quia videlicet egredietur ex antiqua sede, & Babylonem vsque pertrahetur.

Si *dole*, & *satage*, per imperandi modum, vt 40.
exigit verborum forma, interpreteris, edicit, vt doleat Hierosolyma, neque securum agat, & otiosum tempus, ita tamen vt sese ad meliora tempora reseruet: neque enim diu durabit ærumnosa captiuitas, aut diuturna erit patriæ ciuitatis solitudo & vastitas. Quasi dicat, perfer nunc, & obdura, postea mutata rerum forma lætaberis, cùm exacto

Digitized by Google

exacto septuaginta annorum curriculo reuerteris in patriam, & ad statum superiori non dissimilem. Sic Cyrillus, cùm iuxta translationem Septuaginta explicuisset illud, *Dole igitur, & viriliter age filia Sion*, ait: *O bona filia, patiens esto ad dolores, obdura ad molestias, appropinqua ad partum. Sed enim non penitus consolatione destitutam relinquit: addit enim in patriam suam iri reuocatam.* Simile aliquid habes apud Maronem *lib.* 1. *Æneid.* & si nomina mutes propria, fermè idem. Sic enim Æneas ad socios naufragos, quique viam videbant neque expeditam, neque à periculo vacuam.

Per varios casus, per tot discrimina rerum
Tendimus in Latium, sedes vbi fata quietas
Ostendunt, illic fas regna resurgere Troiæ.
Durate, & vosmet rebus seruate secundis.

Sed arbitror hîc imperatiuam formam significationem habere futuri temporis, quod apud Prophetas frequentissimum est. Tunc verò nullus alius erit sensus, quam dolendum esse priùs Israelitico, seu Iudaico populo; deinde verò soluta captiuitate, quasi transacta hyeme, tempus futurum esse mitius, & in fortunata republica omnia futura esse meliora.

41. Illud *in regione*, obscurum est, quia nomen *regio* commune est, neque aliquid habet, quod illud ad certam aliquam prouinciam coarctet. Quare non magis ad Chaldæos pertinere potest, quàm ad Assyrios, Ægyptios, aut nationes alias, quarum olim Iudæi imperio paruerunt. Quòd de Babyloniis sermo sit, nemo dubitat, quia id apertè consequentia declarant. Quid tamen propriè hoc loco regio sit, hoc paulo obscurius. Hebr. est בשדה *basadeh*, quæ vox agrum significat, aut locum apertum, & subdialem. Quare alij vertunt, *in agro*. Sed de quo tempore loquatur Propheta, adhuc incertum. Hieronymus putat habitasse magnum illum populum extorrem à patria in campo Senahar, vbi erat Babylon, in loco videlicet aperto, qualem habitare solent, qui viles sunt, & indigni habiti, qui cum frequenti habitent, & politiori turba. Quo modo cùm capti essent à Romanis, extra mœnia ciuitatis, imò vltra Tiberim reiecti sunt; vnde Transtiberini vocati. Et facit ad hæc, quod *Psalm.* 136. iuxta flumina Babylonis consedisse dicuntur, & cùm Ezechiel adiret contribules suos, qui erant Babylone, profectus dicitur ad fluuium Chobar, vbi illi videntur habuisse aut domos, aut tentoria. Sic autem ille cap. 3. vers. 15. *Veni ad transmigrationem, ad aceruum nouarum frugum, ad eos, qui habitabant iuxta fluuium Chobar, & sedi, vbi illi sedebant.* Sed eo hæc expositio incommodo laborat, quòd in regione, id est, in campo, dicuntur habitasse exules Iudæi, donec venirent Babylonem: quare cùm eò essent ab hoste deducti, non negantur habituri domos, quarum parietibus, ac tectis à cælorum se inclementia defendant. Quare mihi potior est Theodoreti sententia, qui tamdiu habitaturos dicit extorres in regione, quandiu fuerint in via, neque aliud habebunt diuersorium, quàm quod casus obtulerit; neque commodum habebunt hospitium, cùm victores hostes, qui vnà cum illis viam carpent, sibiipsis, si quid est in via commoditatis, assumant.

Casp. Sanctij Com. in Michæam.

A *Ibi liberaberis, ibi redimet te Dominus de manu inimicorum.*] Hæc est mœrentis animi consolatio, 42.
cùm audiunt Solymitani exules futurum aliquando seruitutis modum. Sed obliquè Propheta ab spe deiicit libertatis contribules suos in patria, ad quam externi populi conuenient, ibi enim iactabuntur malè, & tandem spoliati libertate, & necessariis vitæ subsidiis, vitam agent Babylone, aut potiùs animam ærumnosam, & ægram. Babylone tamen post annos septuaginta mitiorem experientur dominum, qui illos de manu extrahet hostili, ac dominatu barbaro, & sibiipsis, patriæque restituet.

Vers. 11. *Et nunc congregatæ sunt super te gentes* 43.
B *multæ: dicunt, lapidetur, & aspiciat in Sion oculus noster.*] Tunc cùm aliquando agaris apud Babylonios captiua, ô filia Sion, respirabis à seruitute, & vitam ages vitalem, & ingenuam: nunc autem cum multis ac duris conflictaberis incommodis. Congregabuntur enim contra te populi in tuum exitium coniurati, qui eo studio ad tuum interitum anhelabunt, quo populus in adulteram, quam lex publicæ, ac frequenti lapidationi subdit. Quare omnes clamabunt, lapidetur, & in illud opus mutuis se cohortationibus excitabunt. Dispereat Sion, & illius nos expleamus sanguine, & interim dum illa casu corruit horribili, oculos nostros, & animos oblectemus. In hanc sententiam interpretum plerique conspirant: sed in eo dissident, quòd quidam hæc de Assyriis, qui subactis decem tribubus, in alias duas aciem in-
C struxerunt, prædici iudicant, nempe de Senacherib, qui rem Iudaicam vehementer afflixit sub Ezechia. Alij de vicinis populis, qui variis temporibus bella gesserunt cum Iudæis, neque successu prorsus infelici.

Ego potiùs crediderim hîc agi de Chaldæis, 44.
qui paulo post hæc tempora bello tentarunt Hierosolymam, eámque iterum & tertiò malè mulctarunt, eóque adegere, vt nullum, aut non nisi pertenue antiquæ maiestatis argumentum reliquerint. Ita putat Dionysius, & Ribera. Et licèt obscurè loquatur, huc tamen videtur inclinare Hieronymus, Remigius, &
D Haymo. Quasi dicat: Nunc gentes illæ, quæ ad cædem tuam toto inhiant spiritu, suo sibi studio satisfacient, cùm te deiectam videant, & exanimem: sed aderit tempus aliquando, in quo in suo ipsæ capite experiantur, quæ tibi infortunia perpererunt.

Aspiciet in Sion oculus noster.] Phrasis est 45. Video cum epitasi.
Hebraica: verba enim, quæ ad oculos, & visum pertinent, præpositionem *in* amant adiunctam nomini. Vnde frequens apud Hebræos *videre in bono*, aut *in bonitate*, id est, bonitatem, & bonum. Deinde *videre* voluptatem importat; quam quis ex eo capit, quod succedit ex voto, vt diximus ad illud Isaiæ 60. *Tunc videbis, & afflues.* & cap. 66. *Videbit, & gaude-*
E *bit cor vestrum.* & cap. 53. *Videbit, & saturabitur.* Quare cùm hostes dicunt oculum suum aspecturum esse Sionem, ostendunt primùm eò spectare consilia sua, vt Sionem oppugnent, atque disperdant, & ex illius exitio mirificam esse capiendam voluptatem. Eodem opinor sensu dixit Dauid Psal. 53. v. 9. *Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me, & super omnes inimicos meos despexit oculus meus.* & Psalm. 34. *Dilatauerunt*

Digitized by Google

super me os suum, dixerunt: Euge, euge, viderunt oculi nostri.

46. Vers. 12. *Ipsi autem non cognouerunt cogitationes Domini, & non intellexerunt consilium eius, qui congregauit eos, vt fœnum areæ.*] Si sermo hîc esset de Senacherib, non esset expositio difficilis: qui enim sub Ezechia quasi ad certam victoriam, & paratam prædam conuenerunt, illi eo videntur consilio à Domino congregati, vt cæleste ibi paterentur incendium, & eodem temporis momento, eodem omnes impetu perirent. Sed huic cogitationi obstat, quòd hæc dicuntur à Iudæorum populo perfectum iri: quare illi traduntur cornua ferrea, & vngulæ æreæ, quibus populos illos congregatos ventilet, & trituret quasi fœnum in area: quod nunquam fecit Israeliticum genus in Assyrios. Cùm enim ab exilio rediit, & cornibus armatum est ferreis, & æreis vngulis, iam extinctum erat Assyriorum imperium, & à Chaldæorum cornibus,& vngulis attritum:quare nil erat,cur in illud hostium genus manus, & pedes armaret Israel.

47. Ego hîc Chaldæos intelligo, & populos alios, qui cum Chaldæis aduersùs Hierosolymam odia primùm, deinde vires, & arma coniunxerunt: conuenisse autem cum Chaldæo vicinos populos, aut quia Chaldæorum potentiam timebant, & ab illis studebant quoquo modo inire aliquid gratiæ, quo à suo capite periculum auerterent; aut certè antiquo, atque hæreditario in genus Israeliticum odio. Quare non dubito illis adfuisse Palæstinos: de Idumæis res est certa, cùm expressè doceat Dauid Psal. 136. *Memor es Domine filiorum Edom in die Ierusalem, qui dicunt, exinanite, exinanite.* Qui fortasse addiderunt quod nunc audimus à Propheta de populis, qui bellum intulere Hierosolymæ, *Lapidetur, & aspiciat in Sion oculus noster.* Conspirasse quoque Ammonitas, & Moabitas, coniectura sumitur ex c. 5. *Iudith*, vbi adhæsisse dicuntur Holopherni. *Qui exarsit in iracundia magna, vocauitque omnes principes Moab, & duces Ammon*, &c. Tam autem Chaldæi, quàm auxiliares populi, qui victoriam de Iudæis, & imperium illorum accessione confirmatum, & auctum futurum putabant sempiternum, ignorabant quid Deus de ipsorum fortuna, ac capite statuisset. Congregauit enim eos Dominus, sicut fœnum in area, qui breui tempore perierunt omnes: vicini nempe populi quinto anno ab excisa Hierosolyma, ab illo, cui militarem nauarant operam, subacti, vt author est Iosephus *lib. 10. Antiquitatum, cap. 11. ad medium*: & Chaldæi à Persis eo ipso anno, qui finem imposuit Iudæorum exilio. Tunc verò cornua sumpserunt, & vngulas Iudæi iam sui, iam hostibus, à quibus concisi antè armis,atque conuitiis fuerant, formidabiles: vt docent Machabæorum gesta, qui metaphorico cornu finitimos sibi populos ventilarunt.

Varij populi cum Chaldæis contra Ierusalem congregati.

48. *Vt fœnum areæ.*] Prouerbialis videtur esse species, quæ significat subiectum esse populum, aut exercitum, & eò redactum, vt extremam expectet calamitatem, neque vllam habeat resistendi vim: quomodo fruges iam demessæ, atque aridæ, dum sternuntur in area, & tribulam expectant, aut vngulas, facilè conteruntur: neque quicquam habent, quod equorum vngulis, aut plaustris serrantibus opponant.

49. Vers. 13. *Surge, & tritura filia Sion: quia cornu tuum ponam ferreum, & vngulas tuas ponam æreas.*] Qui aduersa vrgetur fortuna, qui in sordibus est, & luctu, sedere dicitur: quo modo de hac ipsa ciuitate, cùm esset in exilio, dixit Ieremias Thren. 1. *Quomodo sedet sola ciuitas.* & de principibus, & senioribus Threnorum cap. 2. vers. 10. *Sederunt in terra, conticuerunt senes filiæ Sion.* Cùm igitur surgere iubetur, id audit, vt puluerem excutiat, mœrorem deponat, & se quamprimum ad spem libertatis, & fortunæ melioris attollat. In tritura vis significatur maior, cui se alij ita summittunt,vt mutire non audeant: sed perferant omne siue ignominiæ, siue acerbitatis genus. Sicut fœnum in area sternitur, & patitur omnia, neque quicquam contra calcantes vngulas, aut tribulam molitur. Porrò *tritura*, & quæ huic sunt affinia, pro hostium strage, familiari sacrarum literarum metaphora, frequenter vsurpatur. Isaiæ 25. *Triturabitur Moab sub eo, sicut teruntur paleæ in plaustro.* & cap. 41. *Ego posui te quasi plaustrum triturans nouum, habens rostra serrantia.* Vide quæ nos ibi pluribus.

Tritura pro strage.

In cornu potentia significatur, & vires, sumpta metaphora à tauro, seu rhinocerote, quibus aut tota, aut maior nocendi facultas est in cornibus, & est etiam frequens in Scriptura translatio. Ieremiæ cap. 48. vers. 25. *Abscissum est cornu Moab, & brachium eius contritum est.* Amos cap. 6. vers. 14. *Nunquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua?* libro 3. Regum cap. 22. Pseudopropheta Sedecias, vt regibus Iuda, & Israel victoriam ab hostibus paratam ostenderet, fecit sibi cornua ferrea, & dixit, *His ventilabis Syriam, donec deleas eam.* Quæ nunc cornua promittit ferrea Michæas populo, vbi primùm se à Babylonicis vinculis exoluerit, illa iam offeruntur populo restituto apud Zachariam *cap. 1. vers. 20.* vt confringant cornua, quæ ventilauerunt Iudam, Ierusalem, & Israel. 50.

Cornu pro potentia.

Et vngulas tuas ponam æreas.] Hæc ad trituram pertinent, & aream, in qua fœnum sternitur. Teritur enim fœnum non tantùm tribulis, serrantibúsque carpentis, sed equorum vngulis ferratis, quæ multo meliùs terunt, & attenuant paleas, & fœnum, reddúntque magis apta iumentorum pabulo. Hieronymus vngulas non putat esse equorum, aut boum, quia modum illum terendi fruges Iudæa non agnoscit; sed rotatum, quæ quia paleas conculcant, & terunt, facili translatione appellantur vngulæ. Sic autem ille ad illud Isaiæ caput 28. *Non in perpetuum triturans triturabit illum, neque vexabit eum rota plaustri, neque vngulis suis comminuet eum. Quidam (inquit) volunt, ex eo quod vngulas, & equos nominauit, ostendi equorum greges, qui ad terenda frumenta areis immitti solent: sed non poterat Scriptura dicere, quod Iudæa prouincia non habebat.* Mihi dubium non est Hieronymi tempore tribulis potiùs, aut bobus, quàm equorum vngulis frumenta teri: sed quid prohibet, quo tempore hæc scripta fuerunt à Michæa, & Isaia, ab equorum vngulis excuti grana, & attenuari paleas. Sed quidquid sit de equis, certè à bobus fruges in area calcari ex Scriptura habemus. Oseæ cap. 10. *Ephraim vitula docta diligere trituram.* & Paulus 1. *Corinth 9.* ex *Deuteron. cap. 25.* dicit non esse os alligandum boui trituranti. Bobus autem, si quando per aspera, & saxosa loca agendi sunt, soleas 51.

Fruges quomodo in Palæstina teri solita.

soleas induci ferreas alicubi in Hispania consuetudo est, & sic puto in nationibus aliis & nostra, & antiqua memoria fieri solitum.

52. *Et comminues populos multos.*] Prius genus Israeliticum multorum populorum prædationibus patuit, & iniuriis. Hinc Ægyptij, hinc Assyrij, hinc tandem Babylonij prædas egerunt frequentes, & opimas. Neque sperare poterat populus ille, attritis iam viribus, futurum, vt hostibus suis redderet vices; imò neque impositum sibi ferreum iugum excuteret. Armauit tamen illum Deus cornibus ferreis, & vngulis ex ære rigentibus, & populos sibi quondam horribiles subegit bello, comminuitque, non aliter quàm fœnum in area à ferratis vngulis atteritur. Illi porrò populi fuerunt, quos aliquanto post reditum domuerunt Machabæi, nempe Palæstini, Idumæi, Moabitæ, Ammonitæ, & si qui alij aut inflammarunt in gentem Israelitidem Chaldæorum odia, aut illis operam præstitere militarem. Quibus eripuerunt spolia, sicut illi non semel in Israeliticis finibus hostiliter grassati redierunt in patriam onusti miserorum exuuiis.

53. *Et interficies Domino rapinas eorum.*] *Interficere* idem est quod mactare, seu sacrificare victimas. Vnde propter oblationum affinitatem opinor idem esse interficere, atque offerre, quia aliquod oblationis genus non fit sine sanguine, & cæde. Ait ergo Propheta hostium diuitias siue restitutas, siue ablatas consecrandas esse Deo, & adducendas in templum in eius cultum, cuius auspiciis, & auxilio comparatæ fuere victoriæ, & spolia detracta. Id fecit olim Saul, licèt illius victimæ, quia non ex obedientia, reprobatæ fuerint: fecit tamen ex principum, & ducum consuetudine, cùm ad sacrificia ex præda Amalec meliora seruauit 1. *Reg. cap.* 15. Sic Dauid gladium Goliath, sic Iudith conopæum Holophernis, sic alij alia ornamenta, aut spolia ab hoste sublata bonorum omnium authori consecrarunt. Et in hanc sententiam explicuimus illud Psal. 67. vers. 32. *A templo tuo in Ierusalem tibi offerent reges munera.* id est, si virtutem tuam nobis auxilio mittas, reges nempe Israelis, qui per te victoriam consecuti fuerint, ereptam ex hostibus prædam ad templi tui fabricam, & sacrificiorum sumptus vltrò consecrabunt. Quod fecerunt etiam prophani, qui Deos suos noluerunt esse exuuiarum expertes. Liuius *lib.* 10. cùm loqueretur de

Interficere idem quod sacrificare.

Spolia offerri Deo solita.

A æde quadam sacra, quam hostium spoliis exornauit Papyrij Consulis filius, ait, *Exornauit hostium spoliis ædem, quorum tanta multitudo fuit, vt non templum tantùm, forùmque his ornaretur, sed sociis etiam, coloniisque finitimis ad templorum, locorúmque publicorum ornatum diuideretur.* Et ex hac gentium religiosa consuetudine dixit Persius *Satyra* 6. parari hostium exuuias, quæ affigerentur, ac sacrarentur in templis,

——— Missa est à Cæsare laurus
Insignem ob cladem Germanæ pubis, & aris
Frigidus excutitur cinis, ac iam postibus arma,
Iam chlamydas regum, iam lutea gausapa captis,
Essedaque, ingentésque vocat Cæsonia Rhenos.

Et omnium optimè Virgilius libro 7. Æneidos,

B *Multaque præterea sacris in postibus arma,*
Captiui pendent currus, curuæque secures,
Et cristæ capitum, & portarum ingentia claustra,
Spiculaque, clypeique, ereptaque rostra carinis.

Hæc igitur, quæ ab omnibus ipsa religionis natura exigit, populo suo iam victori, & hostium suorum spoliis onusto commendat Deus.

Et fortitudinem eorum Domino vniuersæ terræ.] 54.
Fortitudo hoc loco, sicut aliis multis, diuitias significat, vt alibi sæpe, quemadmodum probauimus ad illud Isaiæ 61. *Fortitudinem gentium comedetis.* Sic sanè explicuimus illud eiusdem cap. 60. vers. 5. *Fortitudo gentium venerit tibi.* & ibidem vers. 11. *Et afferatur ad te fortitudo gentium.* Ezech. cap. 28. vers. 4. & 5. *In negotiatione multasti tibi fortitudinem.* Et reuera principes ideo existimantur
C fortes, quia abundant opibus, quas belli neruos appellat Cicero: illis enim conscribuntur milites, instruuntur acies, & comparantur omnia, quibus aut propriæ muniuntur, & defenduntur arces, aut debilitantur, & expugnantur alienæ. Sanè Philippus Macedo facilè putabat euerti posse ciuitates, si modò ad illas auro onustus asellus aditum inueniret. Hanc igitur fortitudinem sibi Dominus consecrari vult, neque iniusta petit, aut indebita, cùm vniuersorum sit Dominus. Adde & tu, quoniam ipse author fuit, dominúsque victoriæ, & eorum omnium, quæ debellatis hostibus, in Iudæorum manus peruenere.

Diuitiæ bellorum fortitudo.

IN CAPVT QVINTVM

ARGVMENTVM.

PRINCIPIO prædictam populo suo vastitatem, minaci vaticinio persequitur. Deinde se per apostrophen conuertit ad Christum seruatorem, à quo salutem illam sperat, quam alij duces Israel afflicto & laboranti populo afferre non poterant, quem quia nascentem primùm complexura esset Bethleem, exigua ciuitas, & cum reliquis ciuitatibus Iudæ, neque ciuium numero, neque ornamentis aliis comparanda, eo tamen nomine, quòd illi primùm obtulit incunabula, cum ornatissima quaque ciuitate conferendam dicit. Deinde redit ad interrupta, & aliquandiu populum grauibus dicit exagitandum incommodis, donec illum Deus à captiuitate solutum restituat in patriam, quo tempore illis abundè promittit subsidia vitæ, & pacis ornamenta. Promittit denique pacem, quam non solùm in suis regionibus habebunt, sed etiam in alienas inducent: nisi quis fortasse datas

Digitized by Google

à Domino leges non admittat. Ad extremum vanam Gentilium religionem perituram ostendit. Hæc verò omnia typus quidam sunt illius felicitatis & pacis, quam aureis Euangelij sæculis inducet per viros Apostolicos disciplina cælestis.

CAPVT V.

1. *NVnc vastaberis filia latronis: obsidionem posuerunt super nos, in virga percutient maxillam iudicis Israel.*

2. *Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, & egressus eius ab initio, à diebus æternitatis.*

3. *Propter hoc dabit eos vsque ad tempus, in quo parturiens pariet: & reliquiæ fratrum eius conuertentur ad filios Israel.*

4. *Et stabit, & pascet in fortitudine Domini, in sublimitate nominis Domini Dei sui: & conuertentur, quia nunc magnificabitur vsque ad terminos terræ.*

5. *Et erit iste pax: cùm venerit Assyrius in terram nostram, & quando calcauerit in domibus nostris: & suscitabimus super eum septem pastores, & octo primates homines.*

6. *Et*

PARAPHRASIS.

A 1. EXpecta, ô Ierusalem, sæculum illud felix, & aureum, quod tibi afferet Christus, de quo tibi proximè facta promissio. Interim tamen perfer, & obdura aduersùs mala, quæ tibi à Chaldæorum exercitu propter vim, & rapinas, & varia peccatorũ genera comparata sunt: vrgebunt te hostes obsidione longa, & eousque crudelitatis barbaræ procedent, vt faciem principis Israel, non minori deforment ignominia, quàm si illã virga percussissent, aut pugno.

2. Et tu Bethleem, quæ etiam diceris Ephrata, & in Iudæ funiculo contineris, vbi nascetur verus Rex, & Iudex Israel, quique
B cædetur in maxilla grauius, quàm vllus alius, qui in Israelitide gente principatum obtinuit, nequaquam vltimo loco, licèt numero exiguo, inter Iudææ ciuitates alias principes numeraberis: quia ex te dux egredietur, qui regat Israelem, cuius ortum non certa aliqua, & definita temporum mensura, sed ipsa tantùm, quæ nullo circunscribitur termino, intuetur æternitas.

3. Nunc redeo ad Ierusalem, cui ab hostibus dura impendent incommoda, quæ barbaræ suberit potestati, & quasi parturiens grauibus afficietur incommodis, donec tandem pariat, & à difficili puerperij
C labore soluatur: quod tandem continget, cùm à captiuitate soluta libertatem accipiat (in quo species quædam apparet, & typus afflictæ priùs, deinde gloriosæ atque quiescentis Ecclesiæ) sed ex magna multitudine, non admodũ multi reuertentur in patriam, quod typus est illorum paucitatis, qui ex genere Israelitico, ad Ecclesiã accedent.

4. Tunc verò Deus populi sui causam & salutẽ, vindex patronúsque suscipiet: stabit enim pro gente sua, & pascet illam abundãter, & molliter, prout ipsius fortitudinem & maiestatem decet. Et ad patriam, vnde eiectus fuerat, reuocato populo, ad vltimos vsque terræ fines sui nominis gloriam lon-
D gè latéque diffundet.

5. Hic nobis omnia non solùm præsidia, sed etiam ornamenta præstabit: ab hoc solo pax, libertas, & otium sperari possunt: quæ multo meliùs sperare de se, & prædicare poterit Ecclesia (cui à Christo de rebus omnibus prouisum est abundè) quare (inquit cõtribulium suorum nomine Michæas) si quando hostes aduenerint, quales fuerunt qui Israeliticos inuaserunt fines Assyrij, nihil ab illis fauente Deo, periculum timen

A timendum est, quia si regionem nostram incessu militari calcauerint, inuenient illam, non sicut antea principibus, atque ducibus vacuam, sed pastoribus & optimatibus abundantem, non modò ad propulsandum, sed etiam ad inferendum bellum egregiè paratos.

6. Et pascent terram Assur in gladio, & terram Nemrod in lanceis eius: & liberabit ab Assur cùm venerit in terram nostram, & cùm calcauerit in finibus nostris.

6. Propulsabuntur enim, vastabuntúrque gladio, atque hasta regiones, quibus olim præfuerunt Assur, & Nemrod, quæ sub Assyriorum imperio continentur. Et si quando Assur, aut ad eius exemplar hostis quicunque alius terram nostram inuaserit, calcaueritque, illo fugato aut domito, B incolumem ab omni vastatione atque iniuria præstabit.

7. Et erunt reliquiæ Iacob in medio populorum multorum quasi ros à Domino, & quasi stillæ super herbam, quæ non expectat virum, & non præstolatur filios hominum.

7. Pauci verò illi, qui è Iudæis in patriam reuertentur, & veriùs in Ecclesia, qui Apostolico spiritu acceptam à Christo lucem per gentilicos populos latè diffundent, id præstabunt gentibus, quas Euangelicis instituent disciplinis, quod ros aut imber demissus à Domino, qui vbi in arentem herbam, aut agrum sitientem inciderit, qui non nouit vllam agricolarum industriam, viriditatem tamen assumunt, & vitam.

8. Et erunt reliquiæ Iacob in Gentibus in medio populorum multorum, quasi leo in iumentis siluarum, & quasi catulus leonis in gregibus pecorum: qui cùm transierit, & conculcauerit, & ceperit, non est qui eruat.

C 8. Vt autem exiguus ille populus his, qui amico erant ingenio ac docili, instar erunt roris ac pluuiæ, sic aliis qui in odio atque consilio veteri hærere voluerunt, obstinato consilio, talem stragem afferent, & interitum, qualem leo iumento ac pecori in syluestribus locis, in quæ cùm inciderit, lacerat, & conficit: neque vllus est tam robustus, & audax, qui prædam ex illius vnguibus extorqueat.

9. Exaltabitur manus tua super hostes tuos, & omnes inimici tui interibunt.

9. Exaltabis manus tuas, ô Domine, contra eos, qui tibi ac populo tuo aduersati fuerint, & eos qui pertinaci consilio D stare contrà voluerint, victrici, atque omnipotenti dextera disperdes.

10. Et erit in die illa, dicit Dominus: Auferam equos tuos de medio tui, & disperdam quadrigas tuas.

10. Illo porrò tempore, dicit Dominus, cùm princeps & auctor pacis nouum quoddam regnum Euangelica disciplina formatum instituero, auferam equos, & quadrigas, & cætera bellorum instrumenta, cùm affulgente iam pace, necessaria non erunt.

11. Et perdam ciuitates terræ tuæ, & destruam omnes munitiones tuas, & auferam maleficia de manu tua, & diuinationes non erunt in te.

11. Quia verò tunc nullus erit hostis, qui ad aliorum cædes, aut ciuitatum direptionem aspiret, ita etiam necessariæ non E erunt munitæ vrbes, neque murorum propugnacula ad arcendos hostes. Quare cùm illorum ampliùs vsus futurus non sit, perinde censebuntur, ac si dissipata iam essent, aut certè nunquam ædificata. Neque iam ampliùs erunt in te diuinationes, & auguria, & artes maleficæ, quæ alienæ religionis deliramenta & fraudes inuexerunt.

Digitized by Google

12. Et perire faciam sculptilia tua, & statuas tuas de medio tui: & non adorabis vltrà opera manuum tuarum.

A 12. Disperdam quæcunque tibi simulacra conflasti, & inanium deorum imagines, & monimenta demoliar, neque operibus, quæ tibi tuæ elaborarunt manus, diuinum vlteriùs cultum exhibebis.

13. Et euellam lucos tuos de medio tui: & conteram ciuitates tuas.

13. Succidam lucos, in quibus impiæ visebantur aræ, & nefariæ immolabantur victimæ, faciámque ne ciuitates, quæ impuræ atque impiæ religioni seruiebant, illa nefaria sacra magis obeant, atque si nunquam forent excitatæ.

14. Et faciam in furore & in indignatione vltionem in omnibus gentibus, quæ non audierunt.

14. In illos autem grauiter animaduertam, quicunque illi sint, qui datis à me mandatis obsecuti non fuerint.

Vers. 1. *Nunc vastaberis filia latronis.*]

1. QVIDAM hoc, quod capitis quinti principium est, fini superioris capitis attexunt. Qua in re non multum arbitror esse momenti, cùm nihil de sententia mutetur, &, vt sæpe diximus, capitum distinctio non sit à librorum authoribus, aut ab aliquo scriptore Canonico, sed inuentum recens. Ita sanè distinguit Pagninus, & habent aliqui codices Hebraici. Translatio varia est. Septuaginta ita conuertunt. *Nunc circumsepietur filia septo.* Aliter, *Obstrueris obstructione.* Chaldæus. *Nunc congregaberis per turmas ciuitas.* Tigurina, *Accingere nunc & tu filia latronis.* Vatablus, *Nunc congregabis te turmatim filia turmæ.* Pagninus, *Nunc turmis cingeris filia turmæ.* Hispanica translatio antiqua, *Agora te acabdillaras gente de cabdillo.* Vide quanta sit in transferendo diuersitas. Sed nostra translatio omnium est aptissima, neque ab Hebraico textu prorsus aliena, si attentè Hebraica verba consideres.

2. Sed est adhuc dubium, quænam sit hæc latronis filia, & cur nomen istud ignobile nacta sit. Quidam Romanam ciuitatem esse putant, quæ duce Vespasio obsedit Hierosolymam, & tandem excidit (ita putat Vatablus, & quidam ex Hebræis) quæ dici potuit filia latronis, quia qui Romam primùm incoluerunt, latrones fuere, & qui propter scelera illum locum elegerunt, tanquam asylum, & sceleratorum commune perfugium. Fuit autem asylum ibi institutum à Romulo amplissimæ illius vrbis seminarium. Cui Iuuenalis acutè parentum obiicit sordes, & damnatum genus, Satyra 8.

Romana ciuitatis ignobilis origo.

——Ut longè repetas, longéque reuoluas
Nomen, ab infami gentem deducis asylo.
Maiorum primus quisquis fuit ille tuorum,
Aut pastor fuit, aut illud quod dicere nolo.

Non vult autem Satyricus dicere parentes ciuitatis illius fuisse latrones, sicarios, aut quibus à lege impositum est capitale supplicium.

3. Sed est communis sententia filiam latronis esse Hierosolymam, quæ dici potest à latronibus duxisse genus: quia iam pridem qui ciuitatem illam regiam habitabant, studebant auaritiæ, & alienis impendiis ædificabant sibi domus, & rem augebant familiarem. Et ipsa etiam ciuitas vocari latro potuit, vsitata Scripturæ sacræ phrasi, quæ multa filiarum, ac filiorum nomine circumscribit. Quomodo *filij arietum*, atque *taurorum* dicuntur arietes, & tauri: *filia Babylonis, Ægypti, Tyri*, Babylon, Ægyptus, Tyrus. Sic fortasse filia latronis idem quod latro. Et quidem, vt vidimus suprà *cap.3.* tota ciuitas plena erat latrociniis. Sed fortasse *latro* hoc loco non tam significat, qui aliena furatur, quàm qui opus exercet militare: latro enim militem significat, vt multis docuimus ad illud Ieremiæ cap.18. vers.22. *Adduces enim super eos latronem repentè.* Quod indicat vox Hebraica גדוד *ghdud*, in qua aliqui interpretes aliquid agnoscunt militare. Iuxta hanc acceptionem filia latronis nominatur Ierusalem; aut quia ipsa bellatrix est, & militibus, instrumentísque bellicis instructa; aut quia latronum externorum, id est, Chaldæorum militum prædationi, seu furori patet. Quomodo aliquis dicitur *filius doloris, filius mortis, confusionis*, cui dolor, mors, aut confusio impendent, aut certè iam infliguntur. Sic etiam videtur appellari posse Hierosolyma filia latronis, cui iam ab hoste Chaldæo, qui ad cædem, & vastitatem anhelat, extrema vastitas, & exitium impendet.

Latro idem quod miles.

Nunc iam ad propriam huius loci sententiam 4.
accedamus. Dixerat suprà *cap.3.* eò redigendam Ierusalem, vt non tam videretur hominum habitatio, quàm ferarum lustra. Deinde consolatus est Propheta ciuitatem proposita spe fortunæ melioris, quam accipiet & à rege Christo, & ab aliis, qui ab exilio reduces non solùm collapsa restituent, sed etiam populos sibi quondam aduersos debellabunt. Nunc verò monet, vt obduret, & perferat, quia primùm illa subeunda sunt incommoda, quæ paulo antè prædixit: aderit tamen postea rerum vicissitudo, quæ non solùm integret, quæ hostilis furor deiecit, & perdidit, sed magnis etiam augeat incrementis.

Obsidionem posuerunt super nos, in virga percu- 5.
tient maxillam iudicis Israel.] Docet à quibus sit vastanda filia latronis, nempe Ierusalem; cuius explicatio difficilis non est, modò statuamus sermonem hîc esse de Chaldæis, à quibus obsessa est, & vastata ciuitas. Neque enim hîc sermo est de Romanis, qui longè post hæc tempora circunsederunt, & exciderunt vrbem. Neque si in iudice Israel virga percusso Christum intelligas, quod nonnulli faciunt, Romani Christum, cùm obsedo

Digitized by Google

obſederunt vrbem, percuſſere, cùm ab eius morte multi eſſent anni iá exacti. Neque tam illi bellū illud Solymitanis intulere, vt Chriſtum inſectarentur, & illius nomen delerent de terra, quàm vt pœnas ab homicida populo repeterent. Neque de Senacherib, quia licèt ille exercitum ad vrbem appulerit, non tamen obſedit: & tam longè fuit, vt illam vaſtauerit, vt neque ſagittam intra muros ſit iaculatus. De quo Iſaias cap. 37. v. 33. *Hæc dicit Dominus de rege Aſſyriorum* (hic erat Senacherib) *non intrabit ciuitatem hanc, & non iaciet ibi ſagittam, & non occupabit eam clypeus, & non mittet in circuitu eius aggerem.* Vide quomodo illam non obſederit. At Chaldæi obſederunt, & vaſtarunt, & impleuerunt ad vnum omnia, quæ nunc prædicuntur à Propheta.

6. *In virga percutient maxillā iudicis Iſrael.*] Non audimus alicuius iudicis, aut principis Iſrael virga percuſſam eſſe faciem, deformatam quidem audimus Sedeciæ faciem effoſſis oculis, virgæ tamē inflictum interceſſiſſe non audimus: quare neceſſe eſt, vt diuinemus, aut figuratum dicamus eſſe ſermonem. Percuſſam eſſe Martyrum faciem, & oculos fuſte, alicubi legiſſe me memini. Neque eſt improbabile, ſi verum eſt quod de ſuppliciis militum tradit Modeſtinus, reuera aliquem iudicem Iſrael, imò multos (nam ſingularis numerus per ſynecdochem pro plurali ſumitur non infrequenter) accepiſſe in facie plagas à fuſte. Sic autem Modeſtinus, *Accepto fuſte tribunus vix tantum attingit damnatum; quod vbi factum eſt, omnes, qui in caſtris ſunt, cadentes fuſtibus, lapidibúſque plerumque in ipſis caſtris conficiunt.* In hoc verò tanto, támque confuſo fuſtuario veriſimile eſt in facie deſignatos à tribuno fuiſſe vulneratos. Cùm autem hoc ſupplicium adhiberi ſoleret in caſtris, non eſt incredibile principes illos, qui *Ieremiæ cap. 57. & 4. Reg.* 25. ducti ſunt ad Nabuchodonoſoris caſtra, qui erat in Reblatha, hoc genere mortis à barbara, atque infenſa multitudine fuiſſe confectos. Deinde quia à Romanis audimus tribunos habuiſſe virgas è materia vitili, quibus impunè, imò legitimè poterat, cùm eſſet in caſtris, in militum caput animaduertere. De hoc Plinius *lib. 14. cap. 1.* Vide Rhodiginum *lib. 26. cap. 33.* & Alexandrum Neapolitanum *lib. 6. cap. 18.* In caſtris verò ignauos milites, aut qui coërcendi viderentur familiari ſupplicio, in capite, ac perinde in facie verberari, ac vulnerari ſolitos indicat Iuuenalis *ſatyra* 8. qui ſic de Mario quodam tribuno:

Fuſtuarium militum ſupplicium.

Virgis milites à Tribuno cadūtur.

Nodoſam poſt hæc frangebat vertice vitem,
Si lentus pigra muniret caſtra dolabra.

Hæc coniectura non eſſet infirma, ſi conſtaret idem, quod apud Romanos, eſſe etiam apud Babylonios ſupplicij genus: veruntamen Romanorum exemplum oſtendit non improbabile eſſe in facie fuiſſe percuſſos principes, & iudices, qui in Reblatha, id eſt, in Chaldæorum caſtris quaſi violati fœderis rei occiſi dicuntur à Nabuchodonoſor.

7. Veruntamen eò magis inclinat animus, vt exiſtimem figuratè hæc potius eſſe intelligenda, quàm propriè. Tunc autem virga pro ſceptro ſumi poteſt, ac regia poteſtate; quod in Scriptura ſacra nouum non eſt: imò id valet non minus ſæpe, quàm fuſtem, aut baculum: neque enim aliud erat olim ſceptrum, quàm virga ſumpta ex arbore. Sic ex Marone ſumo *lib. 12. Æneid.* vbi ſic Latinus rex in concipiendo iureiurando,

Sceptrū olim virga.

Vt ſceptrum hoc (dextra ſceptrum nam fortè gerebat)
Nunquam fronde leui fundet virgulta, nec vmbras,
Cùm ſemel in ſyluis ima de ſtirpe reciſum
Matre caret, poſuitque comas, & brachia ferrò
Olim arbos.

Quod multo antè dixerat Homerus *lib. 1. Iliad.* vnde ſumpſit Maro. Tunc verò hunc ego ſenſum non inuitus admitterem, à rege Chaldæorum, qui cùm virga eſſet, id eſt, poteſtate, vtpote iam victor, & qui rebellem Iudæorum populum ſibi ſubiugaſſet, percutiendum eſſe in maxilla iudicem Iſrael, id eſt, Sedeciam, cui effoſſi ſunt oculi, & fœdo illo vulnere deformata facies. Aut ſi de multis iudicibus, atque principibus ſermo eſt, deformatos dicemus, aut virga percuſſos, quia rex ille barbarus victoria inſolens, & pro ſua in captiuos homines poteſtate, quaſi viri quondam nobiles futuri eſſent deinceps ignobiles ſerui, ſtigmate compunxit, & inuſtis ori ſeruilibus notis, operibus deſtinauit ſordidis, quæ minimè decebāt antiquam conditionem, & ingenuos natales. Huc videtur alluſiſſe Ieremias Thren. 5. v. 12. *Facies ſenum non erubuerunt*, quia nimirum illos venerabilis quondam facies non deterruit, quominus illi candenti ferro ſeruiles imprimerent notas. 8.

Fuit autem hoc olim vſitatum valde, vt ſeruulorum frontibus, aut eorum, quibus grauis quæreretur ignominia, ſtigmata inurerentur. Seruorum faciem olim, ſicut etiam noſtra ætate, notis inſcribi obſeruauit Plinius *lib. 18. cap. 3.* Tum præterea alios ignominiæ gratia tradit Suetonius in Caio, cap. 27. *Multos* (inquit) *honeſti ordinis deformatos priùs ſtigmatum notis ad metalla, & munitiones viarum, aut ad beſtias condemnauit.* Vnde ſerui illi vocati ſunt, *inſcripti, literati, ſtigmatici.* Sic fortaſſe Nabuchodonoſor viris primariis ex Iſraelitico genere ſtigmate compunctis faciem ignominia, atque pudore confudit. 9.

Stigmata ori ſeruis, aut aliis ad ignominiam inuſta.

Sed eſt mihi veriſimilius alio ſenſu, licèt figuratè, vocari percuſſam iudicis vnius, aut etiam plurimorum faciem. Inſtrumentum præcipuum, magiſque familiare, ac commune pro quocunque illius ordinis inſtrumento vſurpari ſolet. Sic penicillus vocatur pictorium inſtrumentum, licèt non fiat ex animalium caudis, quia ex cauda quæ penis dicitur, penicillus fit. Quia ex argento præcipuè cudebatur pecunia, ex quacunque illa materia confletur, argentum dicitur. Et equitare dicuntur homines, etiam quando mulo, aut aſino vehuntur, quia illum vſum habet equus frequentiùs, vnde verbum *equito* deductum eſt. Sic etiam verberatio, aut percuſſio quæcunque, ſiue à flagello, ſiue à ſcorpionibus, ſiue à plumbatis fiat, à virga eſſe dicitur, quia illa ad infligenda vulnera frequentiùs adhibetur. Vnde hæc vox in Scripturis obuia, cùm de ſuppliciis agitur. Sic *Iſai. cap. 10.* Aſſur dicitur virga furoris Dei, quia per illum Deus populum verberauit, in quem fuerat vehementer iratus. Et Nahum 1. *Non affligam te vltrà, & nunc conteram virgam eius de dorſo tuo*, id eſt, efficiam, ne inſtrumentum habeant vllum, quo in te deſæuiant, quodcunque illud ſit. Sic de patre dicitur Prouerb. 13. *Qui parcit virgæ, odit filium.* & iterum *v.* 23. at patres flagellis potiùs in pueros teneros vtuntur, quàm virga. Ergo ſignificat hîc Propheta, niſi fallor, percutiendum eſſe iudicem in maxilla, non tamen ab illa, quæ propriè dicitur virga, ſed pugno, aut palma, aut ſi quod aliud eſt doloris, aut ignominiæ genus, quod faciem pudefacit, aut vulnerat. 10.

Virga pro quocunque inſtrumento ad plagam.

Imò fortaſſe neque colaphus ſignificatur, qui à pugno; neque alapa, quæ manu faciem detur- 11.

 par,

Facies percussa proverbiali specie pro grauissima ignominia.

par, aut sauciat: sed tantùm sic tractari iudicem Israel ab hoste victore, vt magnam inde subeat ignominiam. Vt enim pluribus ostendimus ad illud Isaiæ cap.3. *Et faciem pauperum commolitis.* Cùm aliquis propter grauem aliquam ignominiam pudefit, licèt vis omnis absit, & plaga, verberari dicitur in maxilla. Hoc ipsum de se Iob queritur cap.6. *Aperuerunt* (inquit) *super me ora sua, & exprobrantes percusserunt maxillam meam.* Vbi illud, *exprobrantes*, indicat, qualis fuerit maxillæ percussio. Neque aliud significat Paulus 2. *Corinth.* 12. cùm ait, *Datus est mihi Angelus Satanæ, qui me colaphizet*; quàm se illa pati, propter quæ vir castissimus erubesceret. Aut cùm dicit 1. Cor.3. *Colaphis cadimur.* & cùm Corinthios laudat, dum ait 2. *Cor.* 11. illos ferre patienter, si quis eos in faciem cæderet, de quacunque contumelia loquitur.

12. Et eò spectat Christi præceptum, cùm iubet *Matth.5. & Lucæ* 6. vt si quis in vna maxilla percussus fuerit, præbeat alteram: iubet enim, ne ignominiam horreat, sed potiùs appetat. Et verò Hispani his verbis insignem aliquam contumeliam explicant, quæcumque illa sit: *dio me vna bofetada.* Hæc mihi explicatio placet omnium maximè: tum quia à dicendi modo Scripturæ sacræ familiari non abhorret: tum quia est magis rerum naturæ consentanea. Non enim viri principes, quales sunt iudices, percuti solent in facie: solent tamen audire conuitia, quibus vulnerari dicitur facies, quia illa maximè à contumelia patitur, & pudore suffunditur.

13. Vers. 2. *Et tu, Bethleem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda.*] Locum ingredimur multis modis difficilem, in quo laborarunt diu, multúmque plurima, eaque præclara ingenia: tum ad hunc Michææ locum, tum ad illius verba à Matthæo citata *cap.* 2. paulo aliter quàm nunc apud Prophetam legimus. Nos omissis pluribus, quæ alij hic piè, atque eruditè congerunt, ea adducemus, quæ ad verum, germanúmque sensum magis accommodata nobis videbuntur. Et primùm explorandum, cur hæc à Propheta hoc loco producta, cùm neque præcedẽtibus apta, neque cum consequentibus opportunè contexta videantur.

REGVLA. *A typo sæpe ad Christũ seu Euãgelij tempus sermo conuertitur.*

Hæc ego vt exponam, obseruo, quod in simili dixi ad illud Isaiæ cap.45. *Rorate cæli desuper*, à typo sæpè ad Christum, seu tempus Euangelij sermonem conuerti, ídque plerumque per apostrophem: deinde verò vaticinium ad interrupta reuocari. Exempla sunt illustria, eaque non pauca. *Genes.*49. cùm Iacob in filio suo Dan, ex quo natus est Samson, vmbram Christi Seruatoris agnosceret, dixisséque, *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita*, conuersus per apostrophem ad Deum, à quo Christus, id est, vera salus sperabatur, ait, *Salutare tuũ expectabo Domine.* Zacharias *cap.*9. cùm sese Christi species obtulisset, ad illius triumphum vaticinium traducit, *Exulta satis filia Sion, ecce Rex tuus venit.* Et *cap.*13. cùm obscura quædam vmbra Christi pastoris esset oblata, gradum inde faciens ad Christum ait, *Framea suscitare super pastorem meum.* Et iterum, *Percute pastorem.* In quibus locis, vt vides, semper est apostrophe, id est, sermo ad absentem.

14. Præcessit proximè plaga, quam iudex Israel accepit in maxilla, siue ille fuerit Sedecias, siue aliquis alius ex eius gentis principibus, qui grauem in maxilla, quo sensu nuper explicuimus, plagam acceperunt. Hic verò ignominiosè percussus, ad cogitationem similis, atque etiam maioris ignominiæ excitat Prophetam, quam Christus accepit index Israelis; qui neque minor est Sedecia, aut quocunque alio principe, cuius fuit à colapho deformata facies; neque leuiore colapho pudefactus. Atque ideo vt illum magnum esse principem probet, à generis illum antiquitate commendat, dum ait non esse natum heri, aut nudiustertius, aut recenti memoria, sicut principes alij, qui dominati sunt in Israel; sed egressum esse à diebus æternitatis, quia qui homo est, & quatenus homo, faciem habuit deformatam à colapho: veruntamen ille idem est Deus, cuius ætatem non definit tempus, sed tempore superior metitur æternitas.

15. Sed quia posset aliquis nonnihil obscuritatis tanti ducis splendori ex natalis loci angustiis obtendere, ideo nunc tacitæ horum hominum cogitationi occurrit, & docet non esse admodum ad veram laudem laborandum, quo quisque loco natus fuerit: illud verò potiùs cogitandum, non quid homo à patria, sed quid ab homine patria dignitatis acceperit. Erat quidem Bethleem ciuitas exigua, neque si cum Hierosolyma vicina cõferas, admodum nobilis: sed tantum splendoris consequetur à Christo, cuius ibi erit ortus, & incunabula, vt cum maxima ciuitatum omnium, quæ sunt in Iudæa tota, comparari possit. Seu certè ostenditur quisnam, & vnde futurus sit ille, qui populo salutem illam afferet, de qua præcedenti capite: qui Bethleemites fore dicitur, quia in Bethleem nasciturus, & verus Messias, quia ab æterno genitus. Huc videtur spectare locus iste variè à variis tentatus, & expositus, quid alij sentiant, promptum est videre: ego nullam ad has salebras viam magis aptam, aut expeditam inuenio. Sed sunt adhuc implexa plurima, quæ euoluamus, & extricemus necesse est.

16. *Et tu Bethleem Ephrata.*] Principes sacerdotum, & Scribæ populi vocati ab Herode, pro *Ephrata* responderunt *terra Iuda*: sed nihil mutauerunt de sensu, licèt verba diuersa.

Bethleem duplex.

Nam cùm duæ sint ciuitates eiusdem nominis, altera in tribu Zabulon, cuius meminit Iosue *cap.*19. altera in funiculo Iudæ, quæ, vt Hieronymus docet in locis Hebraicis, sexto ab Hierosolyma distat milliario, vnde ortus est Dauid, de qua frequens in Scriptura mentio, cùm hæc vocetur Ephrata, vt constat *Genes.*35. & 48. Qui Bethleem dicit Ephrata, seu Ephratæam, ille planè de Bethleem loquitur, quæ est in terra Iuda: atque ideo Sacerdotum, atque Scribarum sensus *Matth. cap.* 2. à nostra translatione non discrepat.

17. *Paruulus es in millibus Iuda.*] Multo aliter Iudæorum Magistri apud Matthæum, *Nequaquam minima es in principibus Iuda.* Hic Osiander multa cõtra Hieronymum, & nostram vulgatam translationem, contra quam Ribera noster eruditè, grauiter, ac piè. Quare ego ne actum agam, ab eo negotio libens abstineo. Sed si docuero bene hæc conuertisse Hieronymum, neque alium esse sensum apud Matthæum, satis videbor Osiandri confutasse impudentem insipientiam. Affirmant magistri illi Bethleem non esse minimam: negare videtur vulgata translatio, dum ait, *Paruulus es in millibus Iuda.*

18. Quidam putant Euangelistam retulisse fideliter, quod ab Scribis, Sacerdotúmque principibus responsum est Herodi: illos verò ex Scriptura non expressisse fideliter. Ita Hieronymus *hic*, & glossa ordinaria. Idem putat S.Thomas *in Matth.* & Anselmus, Canus *lib.* 2. *de locis, cap.*14. quod non semel in Scriptura sacra reperimus: vt ab his,

REGVLA. *Multa Scriptura sacra recitat ab aliis dicta quæ nõ probat.*

his, qui Spiritu sancto afflati non sunt, res è Scriptura sacra recitentur secus, quam in illa sapientes, & pij veritatis indagatores inueniunt. Quorum tamen verba à Canonicis scriptoribus referuntur, dum historicos agunt, qui non tam probant, quid alij dicant, quàm dicta ab aliis fuisse commemorant. Exemplum adducit Canus suprà Stephani *cap.7. Actuum*, & hoc ipsum Michææ, & *Iudicum cap.* 11. vbi dictum fuit à Iephthe trecentos annos ab Israele terram esse possessam, cùm aliter se res haberet. Quod narratum est à Scriptura fideliter, etiamsi id Iephthe parum fideliter expressisset. An vera fuerint exépla, quæ Canus adducit, non disputo. Dixit Achior multa de rebus, quæ à sui generis primordio ab Israele gestæ sunt, *Iudith cap.5.* quæ omnia sacer scriptor in historiam contulit: ibi tamen aliquid est, quod nisi figuratè accipias, verum non est. Sic ergo Euangelista fideliter scripsit, quid à Iudæis sapientibus responsum sit Herodi: cùm tamen illi parum fideliter verba retulerint Prophetæ. Ita hîc Hieronymus.

19. Alij hæc ironicè, seu interrogatiuè exponunt, ita vt contrarius sit sensus, quàm verba sonant considerata simpliciter. Tunc autem nulla est inter prophetica verba, & scribarum expositionem discrepantia. Ita Albertus, Iansenius, & Isidorus Brixiensis, & liber Gothicus, qui in Bibliotheca Toletana seruatur, ita legit, *Et tu Bethleem Ephrata nunquid paruula es?*

20. Sed est expositio alia commodior, magísque communis, quam cum Hieronymo tenent frequentes alij, duas hîc esse comparationes; alteram Bethleem Ephratæ cum aliis ciuitatibus de murorum ambitu, & ciuium multitudine. Secundùm hanc paruula est Bethleem, quæque cum millibus Iuda comparari non potest, id est, cum ciuitatibus copiosis, in quibus duces sunt, & principes, qui mille præsunt militibus, atque ideo χιλίαρχοι dicuntur. Altera est dignitate, & tunc quidem inter principes ciuitates, aut principem obtinet, aut certè non postremum locum. Sapientes Iudæorum non explicant totam Michææ prophetiam, licet illam non ignorauerint: sed ex illa sumpserunt, quæ satisfacere poterant Herodis interrogationi, ac voto: & verisimile facere id, quod de Iudæorum rege euulgarunt Magi. Quare alteram tantùm sumunt comparationem de ciuitatis dignitate, quam habuit ex felici ortu Christi Seruatoris: quia hæc Regis Iudæorum potentiam, & maiestatem commendabat, quæ exiguo cuidam oppidulo nomen conciliauit, & pondus amplissimæ, atque nobilissimæ ciuitatis. Ita videtur sensisse S. Thomas in Matth. cap. 2. *Isti (inquit) vsi sunt scienter aliis verbis, & dicunt sententiam. Quia cùm Herodes esset alienigena, non intellexisset authoritatem Prophetæ.*

REGVLA. *Interpretes sæpe ex Scriptura sumũt quæ ad rem faciunt suam, & omittunt alia.*

21. Neque inusitatum est, aut infrequens in Scriptura, vt ex testimoniis referentur multa, & tantùm sumantur, quæ ad rem faciunt, de qua sermo, vel controuersia est. Quod fecerunt nunc sapientes isti cum Herode, fecerunt multis antè sæculis cum Ptolomæo septuaginta seniores, qui in transferendis Scripturis omiserunt multa, aut certè mutato aliquantulum orationis genere moderati sunt, quia videbant non satis in Ptolomæo esse doctrinæ, ac pietatis, vt verum caperet Scripturæ sensum, aut sine offensione, atque irrisione legeret. Ita putant Iudæi, vt refert, & probat Hieronymus *in prologo Pentateuchi.* Quod item fecit Iosephus *Antiquit. lib.10. cap.11.* qui cùm alia omnia retulisset, quæ in statua ex variis composita metallis oblata fuerant Nabuchodonosori, omisit illa, quæ in pedibus partim fictilibus, partim ferreis significari dixit Daniel, ne quid de Romanis diceret ignominiosum, & inauspicatum, ad quos pars illa portenti pertinebat, & quos sibi studebat habere beneuolos. Neque est cur plus authoritatis his scribis, ac Sacerdotibus tribuamus, aut fidei, quàm Iosepho, qui eodem, quo illi, ordine Sacerdos fuit; aut septuaginta Interpretibus, qui interpretationem suam ad externi hominis captum, & ingenium attemperarunt.

Paruulus es.] Hîc hærent multi, cùm non videant, quomodo cum Bethleem, quæ generis est fœminei, possit aptè congruere *paruulus* in terminatione masculina. Sed iidem etiam in Hebraica voce hærere possent, cùm apud Hebræos, quemadmodum apud Latinos, nomina ciuitatum genus ament fœmineum. Quidam in masculina terminatione genus agnoscunt neutrale; quod in Hebraicô idiomate infrequens non est. Verùm id mihi difficile est, quia vox צעיר *sahhir* in neutrali forma difficilè trahitur ad significationem, quam ipsi captant, & ad aptam aliquam sententiam non facilè adducitur. Ego primùm existimo, sicut apud Latinos ciuitatum, aut insularum nomina genus sibi asciscunt, non quod significatio, sed quod terminatio postulat: sic etiam apud Hebræos ciuitatum, aut insularum nomina genus habere masculinum. De Latinis res est certa, nam nomina in *um*, vt Brundusium, Toletum, neutrius sunt generis: & quæ in numero tantùm plurali reperiuntur terminata in *i*, vt Parisij, Burgi, generis sunt masculini. Neque quisquam damnat Ouidium, qui secutus nominis terminationem Lesbum extulit in genere masculino lib.11. Metamorph. 22.

REGVLA. *Ciuitatis genus interdum sumũt, non quod significatio, sed quod terminatio exigit.*

Et Mytilinei tentantur littora Lesbi.

Et Virgil. lib.1. Georgic.

Pontus & ostriferi fauces tentantur Abydi.

Quare cùm Bethleem בית לחם terminationem habeat masculinam, quid mirum si adiectiuum nomen masculinum illi Propheta dederit Hebraicè, & vulgatus interpres illum secutus, Latinè. Quod fieri in Scriptura sacra frequentissimè docet, probátque multis Pagninus *lib.2. institut. cap.4.*

Illæ tamen vrbes suo quasi iure genus seruare possunt eorum, à quibus initium, & nomen acceperunt, aut qui illas inhabitant. Quomodo Ninus ciuitas (hæc est Niniue) à Nino condita, & Sichem à patre Hemor, qui etiam dicebatur Sichem, non difficilè, quando idem est nomen, authorum suorum sibi vindicarent nomina; sic etiam Bethleem, & Ephrata suum sibi nomen à suis conditoribus accepere, qui eisdem afficiebantur nominibus, vt constat Paralip. lib. 1. cap.4. v.4. *Isti sunt filij Hur primogeniti Ephrata patris Bethleem.* Et hinc traxisse originem nomen Bethleem, & Ephrata, ostendit non obscurè Septuaginta translatio, quæ sic reddit: Καὶ σὺ οἶκος τοῦ Βιθλεεμ τοῦ εὐφρατὰ. quod propter articulos vtrique voci præpositos sic est conuertendum: *Et tu domus Bethleemi filij Euphrata.* Hinc, credo, constabit nostrum interpretem neque malè, neque sine exemplo voci *Bethleem* adhibuisse *paruulum.* 23.

24. Quid si hoc loco dicamus Bethleem nomen esse viri, qui sui nominis ciuitatem extruxit; & per metonymiam vsurpari pro ciuitate à se habitata, & condita. Quomodo Vcalegon pro domo sumitur

Vnde Bethleem datum nomen.

sumitur Vcalegontis, & ideo illius domo genus accommodatur masculinum.

——Iam Deiphobi dedit ampla ruinam
Vulcano superante domus. Iam proximus ardet
Vcalegon.

Quæ cogitatio suo fundamento non caret: nam, vt proximè vidimus, Septuaginta tam *Bethleem*, quàm *Ephrata* articulum præposuerunt masculinum in Bibliis Complutensibus, ac regiis: quod non leue argumentum est, aut nomen esse proprium hominis, aut si vrbis sit, illud esse masculini generis. Vtroque modo responderi potest Osiandro, qui in sua sibi cogitatione vehementer placet, & eo nomine malè vulgatum accipit, quod *paruulus transtulerit.*

Mille *in Scriptura interdum quod* omnia.

25. *In millibus Iuda.*] Hebræorum sapientes apud Matthæum, *in principibus Iuda.* Mille in Scriptura sacra multitudinem significat, eamque perfectam interdum, id est, quæ omnia omninò complectitur, quæ illo significantur numero. Ita Gregorius *lib. 9. Moral. cap.* 1. exponens illud Iob; *Non poterit respondere ei vnum pro mille. In Scriptura* (inquit) *sancta millenarius numerus pro vniuersitate solet intelligi. Hinc etenim Psalmista ait: Verbi, quod mandauit in mille generationes, cùm profectò constet, quod ab ipso mundi exordio vsque ad Redemptoris aduentum per Euangelistam non amplius quàm septuaginta septem propagines numerentur. Quid ergo in millenarii numero, nisi ad proferendam nouam sobolem perfecta vniuersitas præscita generationis exprimitur. Hinc & per Ioannem dicitur Apocal.* 20. *Regnabunt cum eo mille annis: quia videlicet regnum sanctæ Ecclesiæ vniuersitatis perfectione solidatur.* Et illud *pro mille*, idem esse dicit, quod *pro omnibus. Qui enim cum authore contendit, vnum pro mille respondere non sufficit: quia qui de perfectione se erigit, habere se benè viuendi neque initium ostendit.* Idem docet *lib.* 18. *Moral. cap.* 27. exponens illud Apocal. 20. *Ligauit Satanam per annos mille, & misit in abyssum, & clausit, & signauit super illud, vt non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni.* Idem August. *lib.* 20. *de ciuit. cap.* 7.

26. Si hoc modo accipias *mille* hoc in loco, sensus erit, inter omnes ciuitates Iudæ omnium minimam esse Bethleem, quam tamen sic illustrabit aduentu suo Christus, vt inter principes totius Iudææ ciuitates numerari possit. Cui explicationi fauet Septuaginta translatio, quæ vocem hîc valdè diminutiuam habet, ὀλιγοστὸς, id est, *minima, paucissima.* Neque fortasse aliud significat vox Hebraica צעיר *sahhir*, quæ non tam *paruulum* valet, quàm cum comparatione minorem, aut minimum, seu postremum. Genes. 25. 23. *Maior seruiet minori.* Hebraicè צעיר *sahhir*, quam vocem Paulus *ad Rom.* 9. per comparatiuum ἐλάσσονι exposuit. Et quidem apud Hispanos ab Hebraica voce צעיר, qui in aliquo ordine postremus est, *Zaguero* dicitur. Deinde illud *in millibus*, qui *inter millia* exponeret, nihil diceret alienum à Scripturæ sacræ, Hebraicique sermonis consuetudine: *in* enim idem sæpe valet, quod *inter*. Exempla sunt obuia, vnum, aut alterum accipe. Et primùm huic quamsimillimum est illud lib. 1. Reg. cap. 23. v. 23. de Saul. *Quòd si in terram se abstruserit* (Dauid) *perscrutabor eum in cunctis millibus Iuda.* Sanè non alio sensu dictum est Mariæ ab Angelo: *Benedicta tu in mulieribus.* Qui loquendi modus non est apud Latinos insolens. Virgil. lib. 1. Æneid.

In idē aliquādo quod inter.

Pentesilea furens, mediisque in millibus ardet.

id est, inter multa millia. & illud tritum, *in primis doctus, in his est Plato*, id est, *inter primos, inter hos.* Hæc mihi sententia placeret omnium maxi-

A mè, si patronos haberet: in qua nihil inuenio difficile, aut alienum à sacri sermonis consuetudine, aut à filo distortum.

Alij in *millibus* familias intelligunt. Et quidem id interdum significat אלף *eleph.* Deuteron. 33. v. 27.
17. *Hæ sunt multitudines Ephraim, & hæc millia Manasse.* Iudic. 6. vbi apud vulgatum dicit Gedeon, *Ecce familia mea infima est in Manasse*, Heb. est אלפי *alpi.* & tunc sensus erit, paruula es ô Bethleem, aut minor quàm vt computari debeas inter familias Iudæ. Quasi dicat Propheta, nullo esse in numero inter ciuitates alias; adeò vt non maior, aut illustrior futura fuerit Iuda stante Bethleem, quàm si excisa foret, aut nunquam ædificata. ita ex Hebræorum magistris nonnulli.

B Alij ciuitates intelligunt copiosas, & illustres, 28.
in qua sint mille ciues, qui tractare possint arma per ætatem, quibus præficiatur aliquis princeps, qui, quia chiliadi, id est, millenario, præficitur, Chiliarchus, id est, millenarius, appellatur. Quod nomen, aut ministerium in Scriptura sacra sæpiùs auditur. Sanè Dauid à Saule *lib.* 1. *Reg. cap.* 18. *v.* 13. præpositus fuit mille viris, id est, Chiliarchus. Putant igitur hi significari à Propheta in Bethleem non esse illam ciuium multitudinem, ex qua posset vna conscribi Chiliarchia. Quasi dicas, paruula es ô Bethleem, aut minor quàm vt ex te mille viri possint censeri.

Ego illā sententiam libenter amplector, quam 29.
probat Hieronymus, & cum eo frequentes alij,
C quam nos suprà breuiter explicuimus; & à qua illa, quam nobis placere diximus, non admodum abhorret: nempe inter mille ciuitates, id est, quamplurimas, Bethleem non posse numerari, & instar tantùm obtinere vici cuiusdam, aut vilis oppiduli; futurum tamen vt à duce Christo, qui ibi nasciturus, tantum accipiat dignitatis, vt cum clarissima quaque conferri possit.

Ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel.] 30.
Causa ostenditur, cur vicus antè ignobilis eò sit dignitatis peruenturus, vt inter principes ciuitates locum obtineat non postremum: quia ex eo egressurus dux est, qui regat Israel, à quo plus exiguus ille vicus accipiat, quo nobilitetur, &
D fulgeat, quàm ciuitates aliæ ab insana ædificiorum mole, & principum præclarè gestis, ciuium frequentia, & quæ aliæ de se gloriosè cantant, & se beatas esse ambitiosa prædicatione clamant. Notum est ciuitates ignobiles, quæque in obliuionis tenebris perpetuò laterent, felici aliquo partu id esse consecutas, vt fuerint olim in omniū ore celebres, & nunc post infinita penè sæcula in antiquis annalibus, & posterorum memoria perpetuò viuant. Quis Stagiris excepisset, seruasſetque memoriam, nisi felici partu Philosophorum principem Aristotelem edidisset. Arpinates duo, Marius, & Cicero, gloriosum patriæ nomen conciliarunt. Atqui sunt hi homunculi, multis aliis nominibus ignobiles, si cum eo fi-
E lio, quem ex B. Virgine natum vidit Bethleem, & illi prima dedit incunabula, comparemus?

Hîc ego aliquid video à Propheta artificiosius 31.
indicari, vt magis amplificet ciuitatem, vnde egressus Seruator Christus. Dixerat Bethleem vsque adeò esse exiguam, vt inter mille, id est, omnes ciuitates Iudæ neque locū habere videatur, neque nomen: nunc indicat non solùm inter ciuitates Iudæ, sed etiam inter omnes, quæ sunt in Israel, id est, inter tribus duodecim, habituram esse principem locum: quia in illa nascetur,

tur, qui dominabitur, ac reget non solùm vnam tribum Iuda, sed duodecim tribus, id est, totum Israelem. Imò arbitror hîc Israelem sumi pro vniuerso mundo, quia Christus non Israeli solùm, sed etiam vniuerso mundo dominabitur. Sanè Israel aliquid amplius significat, quàm quod duodecim tribuum sortes definiunt. Nam *Matth. cap.* 19. Apostoli iudicaturi dicuntur duodecim tribus Israel: at nemo negabit vniuersum hominum genus ab Apostolis fore iudicandum. Et *Apocal. cap.* 7. qui consignati sunt ab Angelo, ex duodecim tribubus sumpti esse dicuntur. Sed est communis interpretum sententia, gentilicos populos inde non excludi. Quemadmodum terra promissionis pro toto orbe sumitur, cuius finibus contineri dicitur Christi potestas, & imperium. Zachar. cap. 9. *Potestas eius à mari vsque ad mare, & à fluminibus vsque ad fines terræ.* Hi verò fines sunt terræ promissionis, vt nos eo loco pluribus. Et in hoc postremum vehementer inclino.

Israel pro toto mundo.

32. *Et egressus eius ab initio à diebus æternitatis.*] *Egressus* est in numero plurali, qui huic loco aliquid tenebrarum offundit. Iudæorum sapientes hanc partem ex Michææ testimonio truncarunt: aut quia existimabant ab Herode, cùm Idumæus esset, & Hebraicarum rerum ignarus, capi non posse, & visum iri ridiculum, quòd aliquis diceretur egressurus è Bethleem, & tamen eius ortum futurum ab æterno. Aut quia ipsi non intelligebant, cùm putarent Messiæ, seu dominatoris Israel terrenum fore, ac temporarium regnum.

33. In explicatione harum egressionum varia tam nostri, quàm externi meditantur. Dicam tamen, omissis aliis, quid Patrum, atque interpretum communior probet sententia, & quid minùs videatur esse difficile. Ex interpretibus plerique cum Hieronymo, Theodoreto, ac Cyrillo de æterna Christi generatione locum istum accipiunt. Ex Patribus Origenes *lib. 1. contra Celsum, ad finem.* Euseb. *lib. 2. demonstrat. Euangel. cap. 2.* Chrysostom. *in lib. Quòd Christus sit Deus.* & in illud Ps. 44. *Sedes tua Deus in sæculum sæculi.* Cyrillus *lib. 2. de Trinit. ad finem.* & omnes Scholastici. Probat autem Chrysostomus de sola Christi æterna generatione loqui Prophetam, quia iam de humana, ac temporaria egerat, cùm meminit Bethleem, ex qua egressus est natus e Maria.

34. Atqui dices egressiones dici in plurali, non egressionem, atque ideo non de vna tantùm, sed de generatione duplici sermonem esse. Respondet Salmeron *tom. 3. in Euangelia, tract. 50.* generationem æternam in multitudinis numero significari, quoniam filius non ex vna tantùm diuinæ essentiæ cognitione egressus est; sed etiam ex cognitione bonitatis, sapientiæ, potentiæ, & aliarum proprietatum, quas Deo attribuerũt Theologi: vel certe, quia iuxta hominum sensum iudicari possunt plures. Quia cùm à Patre sit æterna quædam, & iugis emanatio, apprehendit illam homo (quia diuina interdum ad humanarum rerum exempla considerat) & præteritam, præsentem, & futuram: & ideo cùm vna sit, & simplex emanatio; plures tamen aut vocat, aut existimat. Seu certe emanatio illa plurali significatur numero propter nobilitatem: quæ enim magna sunt, & obseruantia digna, illa pluraliter explicantur. Id constat in salutationibus eorum, in quibus aliquid agnoscimus, profitemúrque singulare. Sic diuina sapientia *Prouerb. 1.* in plurali dicitur [illegible] *chacmoth. Sapientia foris prædicat*, Heb. *sapientiæ.* Deus vocatur in plurali *Elohim.* Et cùm quilibet hebdomadæ dies dicatur sabbatum, septimus tamen dies propter excellentiam sabbata vocatur in plurali, vt habes 1. *Machab. cap. 1.* quater, & alibi sæpe. Plura exempla reperies apud Pagninum *lib. 2. institut. cap. 4.* vtraque ratio videtur non inepta, neque mihi grauior alia succurrit.

Quæ nobilia sunt, plurali numero explicantur.

Quidam in egressibus non agnoscunt æternam Christi generationem, sed operationes, quæ à Theologis dicuntur *ad extra.* Deus autem dicitur in locum aliquem egredi, cùm vbique sit, cùm in illo aliquid operatur. Cùm igitur ab initio, & à diebus æternitatis, id est, à rerum prima constitutione, Deus sit egressus, cùm varias variis in locis formas creauit, egressiones illius ab æterno dicuntur esse plurimæ. Ita Hieronymus, qui egressiones dicit fuisse Prophetarum voces, per quos Deus locutus est. Hæc sententia placet Riberæ, quam etiam probat Figuerius. Ex qua explicatione, vt notauit Ribera, facile constat Christum esse Deum, cùm homo ab initio, æternitatisque diebus per externa opera egredi non possit. 35.

Illud *ab initio* non significat *à patre*; sed est idem omninò quod *ab æterno*, ita vt nihil generationem, seu egressionem æternam antecesserit. Est etenim aliquod neque leue discrimen inter *principium, & initium*, vt docet Gabriel Vasquez *tom. 2. in 1. p.* S. Thom. *disp. 139. cap. 1.* & Salmeron *tom. 2. tract. 4.* Est autem exemplum accommodatum, & optimum Prouerb. cap. 8. *Dominus possedit me ab initio viarum suarum.* Et quasi exponeret quid sit illud *ab initio*, subdidit, *Ab æterno ordinata sum.* Neque aliud sibi vult illud Eccli. 24. *Ab initio, & ante sæcula creata sum.* 36.

Inter principium, & initium discrimen.

Vers. 3. *Propter hoc dabit eos vsque ad tempus, in quo parturiens pariet.*] Hæc, & quæ sequuntur ad finem vsque capitis, obscura sunt, & variè ab interpretibus exposita. Plerique omnia ad tempus referunt Euangelij, & statum Ecclesiæ, sed sanè variè; neque explicandi modus adeò est expeditus, vt in eo curiosus, & attentus lector acquiescat. Quidam pacatum fore dicunt genus Israeliticũ, donec virgo pariat, & nascatur in Bethleem ille, qui Rex futurus est, & Dominus. Alij futuros in libertate, & pace Iudæos à Babylone restitutos, donec pariat, quæ dudum antè parturiebat Romana potentia, sub Vespasiano, & Tito, & turbet otium, & quietem, & tandem excisa Hierosolyma, Solymitanos ciues extinguat, aut dissipet. Quæ sententia parum differt a superiore: nam inter Christi ortum, & aduentum exercitus Romani non longum intercessit tempus. De partu Virginis accipiunt Euseb. *lib. 7. de demonstrat. cap. 1.* Hieronymus *explicatione secunda*, & cum eo Haymo, Remigius, & Hugo. De Romanorum exercitu quidam ex Hebræis apud Galatinum *lib. 4. cap. 11. & 12.* 37.

Alij partum intelligunt Ecclesiæ, quæ diu parturiet in principio, vrgente barbara Gentilium principum tyrannide: atque ideo in labore erit, & luctu, donec tandem pariat numerosam videlicet, & nobilem prolem, quæ pacem inducat rebus antè turbatis, & viri fideles à dura illa vexatione respirent. Ita Montanus. Alij contrà Iudæos habituros esse pacem existimant à reditu in patriam è Babylone, donec Ecclesia pariat, & numerosa suscepta prole confirmetur: tunc enim grauissima perferent infortunia, & tandem opprimentur à Romanorum armis. ita Lyra, Dionysius, & Vatablus aut tenent, aut insinuant. 38.

Quis

Digitized by Google

Quis tot, ac tanta interpretum dissidia conciliet?

39. Ego hic quid statuam, nihil certi habeo. Illud mihi probatur magis, quod paulo ante dixeram: nempe quæ de Christi ortu in Bethleem, & quæ de æterna illius generatione dicuntur à Propheta, esse includenda parenthesi; deinde quæ interrupta fuerant per apostrophen, esse pertexenda; ita vt idem nunc futurum sit argumentum prophetiæ, quod fuerat antè in capitis exordio. At, vt diximus, iuxta communem aliorum sententiam, illa de strage, atque de exilio Iudaici populi instituta sunt. Neque tamen ideo arbitror sermonem hîc non esse de Ecclesia à Christo Seruatore fundata, quæ varie affecta fuit, afflicta priùs, deinde corroborata multorum filiorum generosa sobole. Qualiter Iudæorum gens, quæ à Chaldæis vehementer oppressa obsidione longa, deinde dominatu barbaro captiua, & extortis continentibus penè laboribus perfuncta erat: pòst verò soluta captiuitate vitam egit in patria quietam, splendidam, & rebus omnibus non modò ad necessarios vsus, sed etiam ad delitias affluentem. Porrò Ierusalem à seruitute liberam, & gloriosam in patria typum esse Ecclesiæ, satis, opinor luculenter probauimus in quadam præfatione *ad cap.40. Isaiæ.* Quare in explicatione capitis ostendimus prius historicè quædam conuenire Hierosolymæ captiuæ, & squalidæ: quædam deinde iam liberæ, & gloriosæ, & in ea typicè viuam quandam speciem apparere squalentis priùs, & afflictæ, deinde verò pacatæ, atque fulgentis Ecclesiæ.

40. De Iudæorum statu non est explicatio difficilis, si statuamus in parturitione significari dolores, & fastidia, qualia subire solent puerperæ, dum vterum gerunt, aut in ipso pariendi nixu. Quare Hebræi dum explicare volût dolorem ingentem, dolorem esse dicunt parturientis. Parturiit Hierosolyma, dum variis excursionibus tentata fuit à Chaldæorum exercitu; dum à suis sedibus expulsa seruitutem pertulit Babylonicam. Tunc verò peperit, id est, leuata partu statum obtinuit mitiorem, quando solo restituta natali, excusso alieno iugo solutam egit, & ingenuam vitam. Idem dixerat Propheta sub eadem metaphora præcedenti capite, ad quod his verbis videtur allusum. Sic enim v. 10. *Dole, & satage filia Sion quasi parturiens, quia nunc egrederis de ciuitate, & habitabis in regione, & venies vsque Babylonem.* Nunc parturiens describitur: quæ proximè succedunt, leuatam iam indicant partu, & solutam ab vteri molestiis. *Ibi liberaberis, ibi redimet te Deus de manu inimicorum tuorum.* Quòd verò profecta fuerit Hierosolyma in exilium mœrens, & lugens, redierit autem ingenti delibuta gaudio, quasi aucta generoso, & masculo fœtu, passim in Scriptura sacra legimus. Baruch cap.5. v.5. *Exurge Ierusalem, & sta in excelso, & circumspice ad Orientem, & vide collectos filios tuos ab oriente sole vsque ad occidentem in verbo sancti gaudentes Dei memoria. Exierunt enim abs te pedibus ducti ab inimicis; adducit autem illos Dominus ad te portatos in honorem sicut filios regni.* Quem locum plerique literali sensu exponunt de vtroque Iudæorum statu. De eodem statu est illud Psal.125. *Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.*

41. In duplici hoc statu Hierosolymæ, duplicem etiam statum Ecclesiæ adumbrari arbitror, & de hoc posteriori præcipuum esse sermonem, vt A in simili diximus ad illud Isaiæ cap.6. *Surge, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est*, vt expressè docent S. Thomas, & Hugo. Quòd si quæ contigere, aut quæ præscripta sunt Iudæis, teste Paulo 1. *Corinth. cap.10.* contigerunt in figuris, quia aliquid semper portendebant in posterum; quid quæso durum, aut alienum existimabimus, si tam excelsum opus, quod iam antè Deus meditabatur, & temporibus postea euangelicis impleri voluit, in successu maximè illustri, ac nationibus aliis non abscondito adumbrari voluerit. Cúmque multa in Ecclesia, atque aureis Euangelij sæculis agnoscût alij, quæ ego non improbo; ego illud specto, quod hîc B præcipuè Hieronymus videt, & cum eo Theodoretus, & Cyrillus: nempe gentes aggregatas Ecclesiæ, & ex eo partu, copioso fœtu, ac nobili cumulatam Ecclesiam, quæ ad illud vsque tempus non tam peperisse cum lætitia, quàm cum dolore parturire videri poterat. Quare *dabit eos*, nempe primogenitos filios, Apostolos videlicet, quique primo illo sæculo nascentis Ecclesiæ Christiana sacra susceperunt, in ludibrium, spoliationem, & mortem, quæ Ecclesiæ quædam est quasi parturitio. Donec tandem pariat, & Gentiles populos Christianis sacris initiet, & iuxta Isaiæ vaticinium *cap.60. v.16.* suget lac gentium, & regum mamilla lactabitur. Tunc inducta pax est temporibus Ecclesiæ non omninò pacatis, & C quæ pretiosa fuerunt in regum opibus, atque deliciis, ad templorum ornamenta, & religiosos sumptus translata sunt.

Reliquiæ fratrum eius conuertentur ad filios Israel.] 42.
Reliquiæ ex magno numero aliquid sonant exiguum. Si hæc de illis, qui excisa Hierosolyma Babylonem captiui commigrarunt, accipias, necesse est illos fuisse paucissimos, cùm septuaginta annorum fuerit illa captiuitas, quantum vix eo tempore assequebatur hominum ætas, & vita ærumnosa, & quotidianis attrita molestiis, quantumuis robustum hominem frangat, atque conficiat. Sed etiamsi de illis hominibus intelligas, qui in peregrino solo captiuis parentibus nati sunt; nihilo tamen secius appellari reliquiæ possunt, si cum illa multitudine conferantur, quæ D tunc habitabat Hierosolymam, Iudæamque regionem, quando eò appulit Chaldæorum exercitus. Nam, vt habes *Ezech. cap.5.* ex ea multitudine, *Pauci è captiuitate reuersi.* quæ superarat post varias clades è Iudæis Ezechielis tempore, tertia pars periit intra muros peste, & fame; pars alia tertia hostili ferro cecidit; ex alia tertia, quæ superarat, plurimi variè dissipati in omnem ventum dispersi sunt. Quare non nisi admodum pauci à ferro, & peste liberi, à Babyloniis abiacti sunt captiui. Sanè liberandos esse admodum paucos, significauit Deus, cùm dixit Ezechieli v.3. *Sumes inde*, nempe ex vltima parte, *paruum numerum, & ligabis eos in summitate pallij tui.*

E Cùm autem comparatione superiorum temporum pauci numerarentur apud Babylonios captiui, eorum tamen multi, etiam facta redeundi facultate, redire noluerunt. Aut quia vxores relinquere, quas è Babylonico genere duxerant, & susceptos ex illis liberos durum existimarunt: aut capti illius regionis delitiis, & barbarorum exemplo, & consuetudine corrupti remigrare noluerunt, vbi seuerior esset viuẽdi ratio, & sanctior disciplina. Certè illi dicuntur ad regium edictum è Babylone profecti, quorum Dominus spiritum excitauit; vt liquet ex *lib.1. Esdræ cap.1. v.5.* 43. *Multi ex Babylone redire noluerunt.*

Digitized by Google

v. 5. Imò multi ex his, qui in patriam fuerant reuersi, cùm viderent noua quotidie occurrere à vicinis gentibus impedimenta, repetiere rursus Babylonem, vbi, quod reliquum esset vitæ, transigerent. Quòd si nos non fallunt Hebræorum annales, ipse etiam Zorobabel, quem ducem habuerunt captiui reduces, ædificato templo Babylonem rediit, vbi mortuus est. Ita habet Seder holam Zuta *in decuria 6.* Quare qui ad fratres suos filios Israel conuersi sunt, quia pauci fuere, appellari meritò potuerunt reliquiæ.

44. Illud hîc obseruandum, vbi vulgatus legit *ad filios*, pro *ad*, Hebr. esse על *al.* quæ præpositio idem sæpe valet, quod *cum*, vt notauit Rabbi Dauid in hoc loco, & probat Pagninus, qui illud multis exemplis in Thesauro confirmat. Quare cum filiis Israel pauci dicuntur conuertendi, id est, è Babylone in patriam redituri.

45. Hæc multo cadunt aptiùs in tempus euangelicum, & in veram libertatem ab antiquæ legis oneroso iugo, aut à diaboli intolerabili seruitute. Cùm enim è gentibus plurimus se Ecclesiæ cœtus aggregauerit, ex Israelitico populo non nisi pauci Christiana sacra, & euangelicæ vitæ studium amplectentur. Quod significauit Isaias *cap. 54.* cùm dixit, *Lætare sterilis, quæ non paris: erumpe, & clama, quæ nunc parturis: quoniam multa filia deserta magis, quàm eius, quæ habet virum.* vbi sermonem esse de gente aliena quondam sterili, & quasi vidua, cum Hieronymo censent complures alij. Quod Christus videbatur dolere apud patrem, & quodammodo queri, quòd ex tanto labore, in quo diu, multúmque sudauerat, tam exiguos ex gente Israelitide fructus retulisset. Isaiæ 49. datum Christo fuerat à patre mandatum, vt Iacob, id est, gentem ab ipso prognatam, ad viam veritatis adduceret: Id enim valet illud, *Et nunc hæc dicit Dominus, formans me ex vtero seruum sibi, vt reducam Iacob ad eum, & Israel non congregabitur.* Cùm verò in ea gente instituenda parum videretur Christus profecisse, dixissétque ad Patrem, *In vacuum laboraui, sine causa, & vanè fortitudinem meam consumpsi*; vt Christi dolorem solaretur pater, gentilium quoque populorum conuersionem tam ardentis studij, atque laboris materiam esse voluit, dixitque, *Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium.* Ait igitur Dominus reliquias, id est, paucos ex Israelitico genere adiungendos esse illis, qui quasi veri Israelitæ sese euangelicis institutis informandos tradent.

46. Vers. 4. *Et stabit, & pascet in fortitudine Domini, in sublimitate nominis Domini Dei sui.*] Audimus sæpe à Prophetis, quàm indulgenter populus restitutus tractandus sit à Domino: quare hoc loco non est, cur in huius indulgentiæ confirmatione laboremus. Multa habemus apud Isaiam *cap. 60.* apud Zachariam *cap. 9.* Baruch *cap. 5.* quæ hîc repetere necesse non est. Quanta fuerit Iudæorum laxata captiuitate felicitas, & quomodo hæc typus fuerit incrementi, ac felicitatis Ecclesiæ, diximus in nostris Commentariis super Ezechielem *cap. 47.* statim à principio.

47. *Regula. Antecedens pro suo relatiuo.* Hîc duo nobis Hebraismi notandi. Alter est antecedens poni pro suo relatiuo, quod est in Scriptura sacra frequentissimum. In Deo plurima sunt exempla. Genes. 1. *Creauit Deus hominem, &c. ad imaginem Dei creauit illum*, id est, ipsius. Et Deuteron. 9. *Dedit mihi Dominus duas tabulas lapideas scriptas digito Dei*, id est, digito suo. Quare

A hoc loco sensus est, vt opinor, stabit Dominus pro populo suo, illúmque pascet, ac tuebitur fortitudine sua, quasi dicat, constanter, ac seriò, ita vt hostiles conatus omnipotente sua virtute retundat, & frangat.

Alter *nomen alicuius* sumi pro eo, cuius est nomen, vnde in Scriptura obuium *nomen Domini*, pro *Domino*, vt pluribus docuimus ad illud Cant. 1. *Oleum effusum nomen tuum*, id est, tu es oleum effusum. Iuxta hæc sensus erit, in sublimitate suænam in hoc etiam loco *Domini Dei sui*, pro relatiuo ponitur. Sic ergo totum locum expono. Stabit Dominus pro populo suo, & pascet illum, prout ipsius fortitudinem, & maiestatem, seu B sublimitatē decet, fortiter nimirum, & magnificè. 48. *Nomen alicuius pro aliquo.*

Hæc nón difficilè cadunt in Iudæos antiquæ patriæ, & auitæ religioni restitutos, quos Deus, vt aliis locis sæpe fuerat pollicitus, ab hoste defendit; imò & populi sui fines sic amplificauit, vt vicinæ etiam regiones ad illius possessionem accesserint. Qua de re nos super Zachariam *cap. 9. n. 23.* Quanta verò, domitis hostibus, futura sit in Ecclesia tranquillitas, diximus cap. 4. ad illud, *Sedebit vir subtus vineam suam, & subtus ficum suam, & non erit qui deterreat.* Vbi hæc multo magis, imò fortasse solùm conuenire diximus in Ecclesiam. Quod pluribus ostendimus illo *cap. 4.* à principio, inde pete, quæ huc transcribi poterant. Ex quibus disces, quàm Deus amanter po- C pulum illum post exilium amplexus fuerit, quàm indulgenter, ac prouidè de rebus omnibus commodauerit: quæ omnia obscura quædam fuerunt vmbra eorum, quibus suam postea cumulauit Ecclesiam. Fortasse illud, *in sublimitate nominis sui*, quod idem diximus suprà, quod *in sublimitate sua*, allusum est ad montem, qui tam apud hanc Prophetam *cap. 4.* quàm apud Isaiam *cap. 2.* dicitur domus Domini, in vertice montium, & eleuatus super colles. 49.

Et conuertentur, quia nunc magnificabitur vsque ad terminos terræ.] Putabant gentes Iudæorum Deum aut ita esse infirmum, vt cultores suos tueri non posset; aut ita infidelem, & immemorem, vt, cùm posset, asserere tamen noluerit ab iniuria, D & à Gentilium dominatu vendicare. Insultari solitum à gentibus diuino nomini, maximè ab Assyriis, atque Chaldæis ob eas, quas modò commemoraui, causas, diximus ad illud Isaiæ cap. 52. *Iugiter tota die nomen meum blasphematur.* Et super illud Ezech. cap. 36. *Ingressi sunt ad gentes, ad quas introierunt, & polluerunt nomen sanctum meum.* 50.

Cùm viderent viri pij, & diuinæ gloriæ studiosi eas ob causas Dei nomen à gentibus lacerari, vt auxilium ab eo, & misericordiam impetrarét, diuini nominis gloriam obtendebant, quod vile putabatur à gentibus, quod tunc ab iniuria vindicari posse iudicabant, cùm aliquod Deus illustre suæ virtutis documentum edidisset. Sic Ps. 78. v. 9. *Propter gloriam nominis tui Domine libera nos.* Daniel. 3. v. 43. *Erue nos in mirabilibus tuis, & da gloriam no-* E *mini tuo.* Iudith *cap. 7. v. 24.* his verbis consolatur qui de sua libertate desperabant. *Forsitan indignationem suam abscondet* (Deus) *& dabit gloriā nomini suo.* Deus igitur extincto Babylonis imperio, & populo ad antiquam dignitatem, & ordinem reuocato, magnificatus est vsque ad terminos terræ. Quis enim ignoraret Dei Hebræorum magnam esse potentiam, cùm populum videret eò priùs abiectum, vt nulla se ostenderet libertatis, aut fortunæ melioris spes, rediisse cum tāta gloria, ac principum cōmēdatione, & studio in antiquas sedes, 51.

instaurarique ciuitatem, & templum, quorum vix supererant obscura vestigia.

52. Hæc facilè accommodabit quisque ad Euangelij tempus, vt faciunt alij. Cùm enim gentes ab idolorum cultu ad Christi sacra, & Ecclesiæ meliora septa transfugerint, magnificabitur Christus, assequeturque hæreditatem illam, quam promisit Deus Christo viatori. Psal. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* & rursus Isaiæ cap. 54. *Ad dexteram, & ad lauam penetrabis, & semen tuum gentes hæreditabit: & ciuitates desertas inhabitabit.*

53. Vers. 5. *Et erit iste pax.*] In pace, iuxta Hebraici nominis proprietatem, omne significatur bonum, non solùm quod in quiete, atque otio cóntinetur, sed quod à rerum omnium abundantia, atque bonitate expectari solet: qualis est salus, libertas, gratia, & quodcunque optari potest, aut solet à prudentibus. Hæc omnia Deus præstitit Iudæis, cum iis infortuniis, quibus diu perfuncti sunt in exilio, contraria contulit non solùm commoda, sed etiam ornamenta, qualia à Prophetis sæpe, sed præcipuè ab Isaia describuntur.

54. *Christus quid Ecclesiæ contulerit.* De Christo, & vera libertate, ac pace, res est multo magis luculenta, ac nota. Qualia Ecclesia consecuta sit ornamenta, numeroso Gentilium incremento, expressit Isaias *cap. 60.* Quomodo Christo auspice, duo populi, Iudæus, & gentilicus, inter quos magnum fuerat antè dissidium, in vnam fidem, & corpus coaluerint, docuit Apostolus *ad Ephes. cap. 2.* vbi à Paulo, cum allusione fortasse ad hunc locum pax nostra dicitur. Sic autem ille ad Ephesios, populum nempe gentilicum. *Nunc autem in Christo Iesu, vos, qui aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra qui fecit vtraque vnum.* Quanta fuerit Ecclesiæ felicitas, quanta gloria, diximus super Ezechielem *cap. 47. à num. 4.*

55. *Cùm venerit Assyrius in terram nostram: & quando calcauerit in domibus nostris: & suscitabimus super eum septem pastores, & octo primates homines.*] Quo tempore hæc à Michæa prædicta, nihil Iudaicæ res detrimenti ceperant à Chaldæis; acceperant autem maximum ab Assyriis: quia aut iam abduxerant secum decem tribus, & syluarum in modum numerosas antè ciuitates redegerant: aut certè primo iam appulsu Transiordanas tribus ad loca peregrina transtulerant. Quare verisimile est Assyrium nomē apud reliquas è decem tribubus primùm, deinde apud Iudæos prouerbiali specie sumptum esse pro re admodum odiosa, atque infensa per synecdochem. Quale fuit Romanis quondam Punicum, & Atheniensibus Syracusanum nomen. Quare nullum alium arbitror esse sensum, quàm nullum post Iudæorum reditum ab exilio timendum esse inimicorum impetum: quia aut nullus audebit illos bello lacessere; aut si illorum fines incessu militari calcauerint, inuenient non modò ad sustinendum, sed etiam ad faciendum impetum egregiè paratos, multo aliter quàm cùm antè regionem totam Israeliticam acie subiugarunt. Nec enim erit regio illa vt ante à pastoribus vacua, aut à viris primatibus nuda, qui sese infensis inimicorum viribus opponant; in quibus neque desit in deliberando consilium, neque in dimicando constantia, neque in victoria aut obtinendā, aut persequenda felicitas. Quæ omnia experti sunt restituti Iudæi Machabæorum tempore: fuerunt enim plurimi primates, & pastores, viri nempe patriæ religionis amantes, & strenui duces, qui patriam non solùm tuerentur ab hostibus, sed etiam vicinarum regionum accessione propagarint. Septem isti pastores, & octo primates ex sententia Lyræ, atque Vatabli, duces sunt Persarum, & Medorum, qui Assyriam, Babylonicámque potentiam extinxerunt. Nam cùm rex Babylonius superatus est à Persis, iam ille Assyriorum quoque dominabatur.

Porrò in septem, & octo, vulgari Scripturæ sacræ sermone, numerus significatur magnus. De septenario numero nemo dubitat, quo vtuntur scriptores sacri, cùm magnum aliquid significare volunt. Prouerb. 24. *Septies in die cadit iustus*, id est, sæpe. Psal. 118. *Septies in die laudem dixi tibi.* & Psal. 11. *Argentum purgatum septuplum*, id est, multipliciter. Quòd si huic numero octonarium addideris, ingentem exprimes, & infinitam propè magnitudinem. Qualis significatur Eccles. cap. 11. *Da partem septem, nec non & octo.* Cuius (licèt alia fortasse sententia sit) iuxta multorum expositionem sensus est, largiendum esse multis, imò plurimis, imò omnibus. De septenario numero vide Philonem *lib. 1. Allegoriarum*, & Hieronymum ad illud Amos cap. 5. *vrbs, de qua egrediebantur mille*, vbi de hoc numero multa grauiter. 56. *Septenarius & octonarius numerus pro magna multitudine.*

In sensu mystico communiter interpretes, vt in Assyrio diabolum agnoscunt, aut qui diaboli in euertendis animis causam aguntisic in septem pastoribus, & primatibus octo illos agnoscunt, qui eorum se conatibus opponunt: quales sunt Apostoli, & qui Apostolico funguntur munere, qui sanè in Ecclesia fuerunt septem, nec non & octo, id est, infinita propè multitudo, cuius feracissimus fuit Ecclesiæ campus à Christo primùm nouatus, deinde Apostolorum vomere proscissus. Neque defuerunt vnquam, aut deficient, qui Assyrij, id est, diaboli, aut hæreticorum, aliorúmque, qui fidem veram, & rem Christianam, & ecclesiasticam oppugnant, sceleratis consiliis, & studiis ardentibus occurrant. 57.

Vers. 6. *Et pascent terram Assur in gladio, & terram Nemrod in lanceis eius.*] Paulo antè diximus Assyrium per synecdochem quemcumque significare hostem, odiosum, infensum, & horribilem; quod ex eo fit maximè probabile, quia neque post captiuitatem Iudæorum pastores, & primates cum Assyriis materiali ferro conflixerunt (nisi in Assyriis Syros intelligas, quorum est Antiochus dominatus, de quibus sanè Michæas non loquitur, vt statim videbimus.) Neque Apostoli, atque Apostolici viri magis spiritali gladio cum Assyriis, quàm cum alio quouis Gentilium populo congressi sunt. Terra Assur Assyria est, cuius caput Niniue, de qua satis multa in nostris Commentariis super Ionam. Terra Nemrod est Babylonia, quam omnium primus ædificauit Nemrod. Genes. 10. v. 8. *Porrò Chus genuit Nemrod, ipse cœpit esse potens in terra, &c. Fuit autem principium regni eius Babylon.* Quo verò tempore hæc à Michæa dicebantur, centum circiter annos ante captam Hierosolymam Assyriis parebat Babylon, neque plures erant vtriusque domini. Aut certè si quis erat rex Babylonis, ille Assyriorum suberat imperio. Sanè ex Scriptura sacra constat sub hæc tēpora Chaldæos, Persas, & Medos Assyriorū imperio fuisse subiectos. 4. *Reg. cap. 17. v. 6.* 58. *Chaldæi, Persæ, ac Medi olim subditi Assyriis.*

Anno

Anno autem 9. Oseæ cepit *Rex Assyriorum Samariam, & transtulit Israel in Assyrios, posuitque eos in Hala, & in Habor iuxta fluuium Gozam, in ciuitatibus Medorum.* De Chaldæis, quorum caput Babylon, eodem cap. v. 24. *translatus est Israel de terra sua in Assyrios vsque in diem hanc. Adduxit autem rex Assyriorum de Babylone, & de Cutha, & de Ana, & de Emath, & de Sepharuaim, & collocauit eos in ciuitatibus Samariæ pro filiis Israel.* Et quidem ex genere Nemrod, qui Babyloniam condidit, ortus est Assur, qui & Ninus, qui ciuitatem extruxit, & à suo nomine Niniuem appellauit. Genes. 10. v. 11. *De terra illa* (nempe Senaar, aut Babylone) *egressus est Assur, & ædificauit Niniuem.* Non dubito regem sub hæc tempora habuisse Babylonem. Quod apertè docet Isaias *cap.* 39. Nam cùm à graui morbo confirmatus esset Ezechias, eo ipso tempore, quo rex Assyriorum Senacherib vehementer oppugnaret Iudæam, misit rex Babylonis ad Ezechiam munera, & nuntios, gratulatum regi de morbo depulso: at rex ille, & quicumque aut præcesserunt, aut successerunt proximè, vt ex dictis suprà constat, Assyriorum regem superiorem agnoscebant.

59. Ex his colligo eandem esse terram Assur, & terram Nemrod, nempe in qua dominati sunt duo isti principes, quorum alter Babylonem, alter Niniuem ædificauit: licèt enim ciuitates sint diuersæ, in Assyria tamen constructæ sunt, in qua vnus imperauit Dominus. Et ideo arbitror per epexegesim in altero hemistichio eâdem iterari sententiam. Neque enim tunc aliquid durum Israeliticus populus acceperat à Chaldæis, siue Babyloniis, vt illorum nomen pro infensis, atque odiosis inimicorum aut armis, aut animis vsurpari debuerit.

60. Quod ad loquendi modum attinet, *pascere* cùm benignam indicet pastoris, ac sedulam curam, interdum tamen aliquid indicat noxium, & aduersum. Dicuntur pastores greges pascere, cùm illos ad opportuna pabula deducunt: quod opus est curæ, atque amoris eximij. Dicuntur greges pascere campos, & tunc illos ab vbertate, & specie, tam morsu, quàm pedibus expoliant. In qua significatione vsurpant etiam prophani. Sic Ouid. lib. 2. Fastor.

Pauit ouis pratum, verbenas improba carpsit.

Vt ergo armenta, quæ pascunt agros, illos conculcant, & proterunt, & ab omni priuant non solùm venustate, sed etiam expectatione fructus: sic pastores illi septem, de quibus nuper, agmina mittent non pecudum, sed armatorum hominum, qui pascant, & populentur terram Assur, & terram Nemrod, lanceis nempe, & gladiis. Quo modo Virgil. *lib.* 1. *Georg.* inducendos esse dicit greges in nimium exuberantes, & luxuriantes segetes, vt illas depascant, & ab vbertate noxia denudent.

Quid, qui ne grauidis procumbat culmus aristis,
Luxuriem segetum tenera depascit in herba.

Quo sensu dixit Dauid Psal. 48. v. 15. *Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos.* Ad quam allegoriam respexisse videntur Septuaginta, qui quos vulgatus *octo primates* reddidit, ipsi transtulerunt *octo morsus*, qui non tam hominibus conueniunt, qui gladio, & hasta, quàm armentorum gregibus, qui morsu, quod pingue est in agris, & arboribus, populantur, & fœdant.

61. Si hæc ad Iudæos referas, inuenies Iudaici, atque Israelitici nominis inimicos populos, quos in Assyriis significari diximus, Machabæorum gladio, ac lanceis esse depastos. Subacti quippe sunt ab illis Palæstini, Ammonitæ, Moabitæ, & coacti subire Iudæorum iugum: subacti item Idumæi, & coacti circuncisionem admittere, vt refert Iosephus *lib.* 13. *Antiquit. cap.* 17. quam illi vehementer horrebant, & execrabantur, cùm videri nollent Israelitæ, quia pater ipsorum Esau immortales cum Israele fratre inimicitias gesserat. Neque terra Assur, atque Nemrod expers fuit à Machabæorum plaga: nam grauibus aliquot affecta fuit detrimentis, quo tempore Antiochus, & illius posteri in Babylone, & Syria dominati sunt. Quòd verò Hircanus è Machabæorum genere plurimas ciuitates è Syria subiugauerit, docet Iosephus loco nuper citato.

Iudæi post exilium infensos sibi populos subiugarunt.

62. Vbi vulgatus, *in lanceis eius*, Hebraicè est בפתחיה *biphtachcha.* quod aliqui vertunt, *in portis eius.* Est autem illud *eius*, fœminei generis; quare refertur ad terram, nempe Assur, seu Nemrod, quæ à pastoribus septem euertenda dicitur. Tunc verò commodus est sensus, euertendam esse terram non aliis armis, quàm illis, quæ terra ipsa hostilis septem pastoribus contra seipsam porrexit, vt nonnulli putant: seu, vt ego potiùs interpretor, terram cum suis portis, id est, suis munitionibus, atque arcibus esse vastandam. Est enim in Scriptura sacra familiare, vt præpositio *in*, idem valeat quod *cum*, vt alibi à nobis dictum est, & confirmatum exemplis.

63. In Euangelico sæculo multo hæc cumulatiùs impleta sunt. Septem pastores, & octo primates, seu octo morsus Assyrios populos, id est, gentilicos à sana, & vera religione alienos subiugarunt Ecclesiæ, non quidem ferro, aut hasta in sua proprietate; sed verbo Dei, quod ferro est, & omni armorum genere potentius. De quo Paulus ad Hebr. cap. 4. *Viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ.* Et idem *Ierem. cap.* 23. v. 29. igni dicitur, & malleo similis. *Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus conterens petras?* Et quidem sapientum verba, qualia sunt, quæ Dominus impertit, & aspirat, lethale carni vulnus infligunt. Eccles. 12. v. 11. *Verba sapientum quasi stimuli, & quasi claui in altum defixi.* Hoc se gladio armarunt fortes illi, qui Salomonis ferculum, id est, Ecclesiam à nocturno periculo custodiunt, de quibus Cant. 3. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel: omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi.*

Externi, atque inimici populi Ecclesiæ subiecti.

Verbi Dei potentia.

64. Verbum item Dei lancea est, & sagitta, quæ non solùm cominùs, vt gladius, sed etiam eminùs vulnerat, & conficit. De his sagittis Augustinus in illud Psal. 119. *Sagitta potentis acuta cum carbonibus desolatoriis. Sagitta* (inquit) *potentis acuta verba Dei sunt. Ecce iaciuntur, & transfigunt corda; sed cùm transfixa fuerint corda sagittis verbi Dei, amor excitatur, non interitus comparatur. Nouit Dominus sagittare ad amorem*, &c. Sed si lanceæ inimicorum sunt munitiones, aut arma, vt textus indicat Hebraicus, alius erit sensus, nempe euertendam esse terram Nemrod, neque illis futurum esse munimentum aliquod, quo se à potentia euangelici verbi defendant,

Digitized by

cùm omnia arma ad repugnandum tantæ potentiæ sint infirma. Sed quando alij gladium, & lanceas Ecclesiæ fore dicunt, cum illis nos quoque sentiamus. Hi gladij, hæ lanceæ eripient Assur, & Nemrod Babylonis, ac Niniuæ fundatoribus (licèt robusti sint venatores, & prædones, in quibus diabolus tenebrarum princeps significatur) terram, in qua dominati sunt, & à nefaria religione ad Christi castra, & Ecclesiæ sinum delusos populos traducent. Quod factum esse sacri produnt Annales, & ipsa etiam Gentilium monumenta testantur. Hi porrò Euangelij præcones, pastores, & primates in ipsis etiam Ecclesiæ primordiis adduxerunt ad Christum Babylonios, & Assyrios, in quorum fines duo magni duces, Simon, & Iudas, vexillum Christi, & euangelicam lucem intulerunt.

65. *Et liberabit ab Assur, cùm venerit in terram nostram.*] Non redijt Assur, postquam spoliatus exercitu Senacherib ignobili fuga se in patriam corripuit, in Israeliticos fines, neque soluta captiuitate (nisi Assur vocemus Antiochum, qui in illis regionibus dominatus est, quas priùs cum imperio tenuerunt Assyrij) neque Euangelij tempore, cùm iam Assyriam, & Babyloniam suo sibi imperio adiunxissent Romani: dicuntur tamen Assyrij quicumque hostes, qui Assyriorum instar Israeliticos fines aut vastare, aut certè conturbare tentabunt. Ab his igitur, siue de statu Iudæorum post exilium, siue de aureis Euangelij sæculis intelligas, liberabit Dominus populum, & Ecclesiam, de qua præcipuè locum istum accipio, si quando hostes, quicumque illi fuere, aut religioni, & fidei, aut humanis commodis bellum intulerint.

66. Vers.7. *Et erunt reliquiæ Iacob in medio populorum multorum quasi ros à Domino, & quasi stillæ super herbam, &c.*] Duabus comparationibus explicat Propheta quanta futura sit virtus, quanta gloria aut Iudaicæ gentis, vbi se exoluerit è dominatu barbaro; aut veriùs Apostolorum, seu Apostolicorum hominum, cùm acceptam à Christo lucem per gentilicos populos latè diffuderint: Mortua videtur herba in arente solo, vsque adeò illi species abest, & illa viriditas, quæ spem nonnullam fructus in posterum ostendit: at vbi stillæ de cælo cadunt, aut ros benignior, quæ interiisse, aut consenuisse videbantur, reuiuiscunt statim, & noua quadam foliorum ambitione luxuriant. Est hæc similitudo in Scriptura frequens, qua significatur id, quod maximè hominibus est in votis, & quod desperatis rebus existimatur vnicum, & singulare remedium: maximè in terra promissionis, quæ cùm non sit irriguo solo, de cælo expectat pluuiam, qua deficiente, fames timetur, & extrema macies. Tale videtur opportunum auxilium, cùm aliquis inimicum audacem, & fortem; & ipse ab omni præsidio nudus nihil habet, quod intentis ad cædem viribus opponat. Tales visi fuerunt Machabæi, quorum societatem ambiere finitimi populi, admisere libenter Lacedæmones, & Romani. Sed multo hæc magis conueniunt Apostolis, Apostolicisque viris, quorũ doctrina instar cadentis de cælo roris exhilarauit mœrentes animos, suscitauit mortuos, & agris spinosis, & aridis speciem, & fertilitatem induxit. Hoc loquendi genere vsus est Dauid *Psal.71.* vbi sic de Christo, *Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram.* Vsus item Moyses Deuteron. 32. v. 2. *Concrescat in pluuiam doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum: quasi imber super herbam, & quasi stilla super gramina.* Sic Oseas 6. *Veniet quasi imber nobis, temporaneus, & serotinus terræ.* & cap. 14. v. 6. *Ego ero quasi ros Israel, germinabit sicut lilium.* Et Ioel. cap. 3. v. 18. *Fons de Domino egredietur, & irrigabit torrentem spinarum.* Sed explicuit optimè tum hanc metaphoram, tum vim, atque influxum Apostolicæ doctrinæ Isaias *cap. 26. v. 20.* vbi mortuorum resurrectionem arentis herbæ & infusi roris similitudine declarauit. *Viuent* (inquit) *mortui tui, interfecti mei resurgent. Expergiscimini, & laudate, qui habitatis in puluere: quia ros lucis, ros tuus.*

Ros, & stilla pro auxilio in re desperata.

Euangelica doctrina vis & fœcunditas.

67. Hoc sanè Apostolorum institutum est cælestem doctrinam animis aliena imbutis religione, & quasi mortuis infundere, & euocare ad spiritualem vitam; non secùs atque ros è cælo lapsus morientibus herbis vitam, viriditatémque largitur. Id præstitere olim in ipsis Ecclesiæ nascentis incunabulis Apostoli, & nostra tempestate viri non pauci, qui Apostolicum imbiberunt spiritum, & vrentes gentilitatis campos inductis ex Euangelio riuis irrigarunt. Vt omittam alios, sanè ex nostra Societate prodiere viri, qui spe contra spem illorum, qui terrena sapiunt, regiones adierunt à nostris toto interfuso Oceano diuisas. Lustrauere passibus, & illustrauere doctrinis regiones illas, quibus sol intelligentiæ sanæ, atque viuificæ non videbatur illuxisse, & agros illos reddidere fœcundos, quibus hyemalis rigor, & diuturna sitis steriles reddiderant. De quibus vere spirituali sensu dicas, quod historico de Boreali quadam regione tradit Solinus cap. 20. *Damnata* (inquit) *pars mundi, & à rerum natura in nubem æternæ caliginis mersa, ipsisque prorsus Aquilonis conceptaculis rigentissima. Sola terrarum non nouit vices temporum, nec de cælo aliquid accipit quàm hyemem sempiternam.* Tales omninò videbantur regiones illæ transoceanitides, quæ tamen postquam eò, aspirante diuino flatu, Apostolicæ nubes conuolarunt, eam acceperunt fœcunditatem, ac speciem; vt de illis dici quàm verissimè possit, quod de terra horroris, & vastæ solitudinis Propheta cecinit Psal. 106. vers.35. *Posuit desertum in stagna aquarum, & terram sine aqua in exitus aquarum, & seminauerunt agros, & plantauerunt vineas.* Et clariùs Isaias cap. 35. vers.6. *Scissæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine. Et quæ erat arida in stagnum, & sitiens in fontes aquarum. In cubilibus, vbi priùs dracones habitabant, orietur viror calami, & iunci.* Hæc olim vidit Ecclesia primogenita, & eadem nos cum voluptate cernimus in regionibus felici Hispanorum nauigatione nuper apertis.

Apostolici viri institutum.

Indici populi euangelica luce illustrati.

68. *Quæ non expectat virum, & non præstolatur filios hominum.*] Descriptio est, opinor, herbæ, quæ in desertis nascitur locis, neque aquam habet familiarem, & suam, qua rigari possit, quemadmodum quæ in agris nascuntur irriguis. Illa, quæ inductis riuis irrigantur, expectant hominum operam, & industriam, qui opportunam aquam è fonte deriuent; neque è cælo rorem, aut pluuiam desiderant, quia satis putant à terræ scatebris esse prouisum. At quæ in desertis nascuntur, & aridis locis, è cælo expectant rorem, & stillas quarum defectum nulla agricolarum ars, & sedulitas supplere potest; atque ideo non habent, quid ab homine præstolari possint,

Et at,

Erat, credo, hic loquendi modus familiaris his, qui promissam à Domino terram habitabant. Quæ, si cælestis defuisset imber, squalorem contrahebat, & maciem: neque vlla res erat Palæstinis maiori timori, ac curæ, quàm si temporanea pluuia, ac serotina defuisset; tunc enim de re tota rustica actum esse censebant. Secùs Ægyptij, qui cùm a Nilo aquas haberent familiares, & iuges, de cælesti pluuia non admodum laborabant. Hoc facit illud Deuter. 11. v. 10. *Terra* (inquit Dominus ad Israel) *ad quam ingrederis possidendam, non est sicut terra Ægypti, de qua existi, vbi iacto semine, in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ, sed montuosa est, & campestris, de cælo expectans pluuias.*

Terra promissionis grauis à cælo sitis.

69. Vers. 8. *Et erunt reliquiæ Iacob in gentibus in medio populorum multorum, quasi leo in iumentis syluarum.*] Duo hic notantur populorum genera, in quos variè afficientur illi, de quibus nunc est propheticus sermo. Alterum eorum, qui amicitiam, & societatem inibunt cum gente illa felici atque strenua; aut eorum, qui se doctrinæ sanæ humiles, dociles que subiicient. Alterum aliorum, qui aliter animati in odio veteri hærere volent obstinato consilio. Illis tale afferent commodum, quale ros herbæ in arido solo marcidæ: his talem stragem, & exitium afferent, quale leo iumento, ac pecori in syluestribus locis, in quæ cùm inciderit, lacerat, & conficit; neque vllus est tam robustus, qui prædam ex illius vnguibus extorqueat.

70. Hæc si quis Machabæis attribuat saltem in vmbra, nihil dixerit alienum ab historica fide, vt ex illorum gestis liquidò constat. Et sanè leoni comparatur Iudas Machab. lib. 1. cap. 3. v. 4. *Similis factus est leoni in operibus suis, & sicut catulus leonis rugiens in venatione. Et persecutus est iniquos, perscrutans eos, & qui conturbabant populum suum, eos succendit flammis.* Et de omnibus Machabæis dicitur lib. 2. cap. 11. *Leonum more impetu irruentes in hostes prostrauerunt ex eis vndecim millia peditum, & equitum mille sexcentos, vniuersos autem in fugam verterunt.*

Machabæorum vis & audacia.

71. Sed hæc multo meliùs de Apostolis, reliquisque Euangelij ministris affirmari possunt, quorum virtutem, atque constantiam obstupuerunt superiora sæcula, & nunc vel tantùm audita posteris admirationem afferunt, & ardorem iniiciunt. De leone est illud Prouerb. 30. v. 30. *Leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum.* Sanè leo erat Paulus, cui cum quotidie mille occurrerent pericula, quæ ille de se 2. *Corinth.* 11. 26. singulatim, iucundéque commemorat, non tamen expauit, aut aliquo modo spiritus fregit Apostolicos. Leo planè fuit, cùm dixit ad Rom. cap. 8. v. 35. *Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* &c.

Viri Apostolici instar leonis constantes, & intrepidi.

Pauli constantia.

72. Huius exemplum, & spirantem effigiem videre videor in B. Francisco Xauerio e nostra Societate, quem in præclaro, indefessóque conatu lustrandi barbaros, & gentilicos populos, eósque ad septa summi pastoris adducendi, non retardarunt ingenia planè belluina, quæ ad cædem aspirare, & sanguinem; non interfusus Oceanus, non intentatum sæpe iugulo ferrum, non tribulatio, non angustia, non fames, non nuditas, & gladius, non denique iterum & tertiò crudele naufragium. Hæc autem neque impedimento fuerunt generoso catulo Apostolicæ scholæ, quominus au-

Pauli imitator B. Xauerius.

dacter raperetur ad prædam, neque quam antè ceperat, ex ipsius manibus extraxerunt. Exprimit optimè leonis huius Apostolici studium, & ardorem leo ille, cuius generosam audaciam descripsit Maro lib. 9. Æneid.

Vt fera, quæ densa venantum septa corona
Contra tela furit, seséque haud nescia morti
Iniicit, & saltu supra venabula fertur.

Quod magis ad nostrum institutum accommodate, expressit Silius Italicus lib. 12.

Paulus vt aduersam videt increbescere pugnam,
Ceu fera, quæ telis circumcingentibus vltro
Assilit in ferrum, & per vulnera colligit hostem,
In medios fert arma globos.

Vers. 9. *Exaltabitur manus tua super hostes tuos: & omnes inimici tui interibunt.*] Hæc de Deo communiter interpretes, & verè qui illis aderit, de quorum felicitate, & gloria; & eos, qui contrà steterint, victrici manu sternet, atque disperdet. 73.

Vers. 10. *Auferam equos tuos de medio tui, & disperdam quadrigas tuas.*] Hæc sine dubio de 74.
Euangelij sæculo intelligenda sunt, sicut alia omnia; sed in his multo se ostentat magis euangelica pax, quàm princeps pacis Christus secum inducet. Apparet tamen aliqua licèt pertenuis vmbra in populo, qui excusso seruili iugo ingenuam libertatem consecutus est. Est autem hic loquendi modus in Scriptura frequens, vt pax significetur illarum rerum aut obliuione, aut remotione, quæ bellum plerumque comitantur: qualia sunt, quæ bellum instruunt, aut inferunt, aut quæ illud propulsant, & auertunt. In priori loco sunt gladij, arcus, equi, quadrigæ, & similia: in posteriori clypei, muri, seræ, & quæ hostilem impetum frangunt, aut retardant. Dixit hoc idem, quod hoc loco Michæas, Zacharias *cap. 9. v. 10.* cùm enim præcessisset venturum esse Christum pauperem, atque humilem in asina & eius pullo desultoriè sedentem, addidit, *Et disperdam quadrigam ex Ephraim, & equum de Ierusalem, & dissipabitur arcus belli.* Quia cùm hæc non sint iam ampliùs futura necessaria ad bellicos vsus, non est cur in illis fabricandis, aut tuendis immanes sumptus fiant. Dixit hoc idem, cùm ageret de hoc ipso tempore, Isaias cap. 2. v. 4. *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non leuabit gens contra gentem gladium, neque exercebuntur vltra ad prælium.* Hæc eadem suprà cap. 4. dixit Michæas. Hoc ego sensu arbitror hæc à Propheta nunc proferri, qui de tempore loquitur, in quo nascente pacis principe, pax dicitur inducenda terris. *Auferam equos tuos de medio tui, & disperdam quadrigas tuas.* Huc etiam sine dubio spectat, quod proximè subiicitur.

Pacem in mundum inducet Euangelium.

Vers. 11. *Et perdam ciuitates terræ tuæ, & destruam omnes munitiones tuas.*] Ciuitates illæ di- 75.
cuntur, vt est vulgaris Iurisconsultorum sensus, quæ murorum ambitu continentur. Quare quod proximè sequitur, nihil videtur esse aliud, quàm expositio prioris hemistichij. Appellari namque munitiones possunt ciuitates, quia ipsæ prætentis mœnibus arcent hostes, & claudunt, atque tuentur ciues. Perire autem vulgi consuetudine dicuntur illa, quæ aut necessaria non sunt, aut illorum vsus nullus, aut rarus est. Cùm ergo pacis tempore, qualis erit in regno Christi, neque necessaria sint arma, quia nullus erit, qui ad aliorum cædem, aut prædam aspiret; aut arces, ac murorum propugnacula ad

Perire illa existimantur, quorum nõ est vsus.

ad arcendos hostes, illa omnia periisse dicenda sunt, quia illorum vsus omnis interiit; quia non minus tuti eo tempore ciues in agro sub vite, & ficu requiescent, quàm intra mœnia quantumcumque fortia ciuitatis.

76. Hic nobis obiiciunt Iudæi, neque nunc esse, neque olim fuisse talem pacem, qualis Messiæ tempore futura dicitur: neque enim vllum tempus fuit, aut certè nunc non est à belli incommodis, aut metu vacuum; ita vt conflari possint in vomeres gladij, aut in ligones hastæ. Vnde ipsi colligunt nondum venisse Messiam, quando toties prædicatum illius signum nusquam apparet. Huic Iudæorum oppositioni respondimus suprà *cap.4.* & super Isaiam *cap.2. à n.8.*

77. Cyrillus existimat hæc, quæ modò de equorum, quadrigarúmque interitu, & de ciuitatum, ac munitionum ruina dicebamus, profecta esse non à pace per Christum Seruatorem inducta, sed à Dei offensione inflammata vehementer. Atque ideo hæc cum illis contexit, quæ antecesserunt suprà de prædatione filiæ latronis, & de percussa facie iudicis Israel. *Redit* (inquit) *sermo ad tristia, & continuantur hæc antecedentibus, & quæ ex ira diuina profectura sunt, ante oculos ponunt. Dixit igitur: Quoniam & tu turris gregis squalidi, filia Sion, super te veniet, & ingredietur principatus primus, regnum Babylonis. Tunc ergo, tunc, inquam, peribit equitatus tuus, & simul cum eo peribit curruum superbia: deuastabuntur quoque vrbes, & manibus ipsis destruentur. Babylonij quippe vnà cum incolis vrbes inflammarunt.* Hæc mihi Cyrilli cogitatio non displicet: feror tamen libentiùs in illam, quam priori loco posui.

78. *Et auferam maleficia de manu tua, & diuinationes non erunt in te.*] Cyrillus iuxta superiora hæc etiam de vastitate Iudæorum per Babylonios interpretatur. *Commentationis* (inquit) *tuæ studia, incantationes, & ementita vaticinia, & ipsa fallaciarum officina, fana simul cum idolis funditus euertentur, atque ab ipsis fundamentis luci eruentur.* Et quidem fuisse ante Solymitanæ ciuitatis excidium diuinationes, & auguria, non est dubium, cùm fuerint eo tempore Pythones, & nefariæ idolorum aræ in ipso Hierosolymæ templo omnium augustissimo. Neque maleficia, atque incantationes defuisse credendum est, quando ibi diabolus maleficiorum omnium suasor, & artifex colebatur. Hæc omnia intelliges ex variis Scripturæ locis. Vide *lib.4. Reg. cap.23.* vbi hæc omnia Iosias dicitur de toto suo regno, & de Solymitano templo sustulisse. Sanè Ioacim, quem omnium primum ex regibus Iuda tentauit, atque subegit bello Nabuchodonosor, stigmata quædam habuit inusta corpori, & idoli nomen, quod colebat, cuius erat nomen Codonazer, vt refert historia scholastica *in lib.4. Reg. cap.39.* Quod admittit Abulensis *in cap.25. lib.4. Regum, q.39.* Quod signum erat aut abiuratæ patriæ religionis, aut certum aliquod maleficij genus. Neque est creditu difficile, quod ausus est rex Ioacim, id quoque ignobilem aliam turbam non horruisse. Ad regios enim mores, tanquam ad commune, & publicum exemplar popularium animus, & vita componitur.

Incantationes & maleficia visitata Iudæis.

Ioacim corpus impio stigmate notatum.

79. Ego hæc, sicut reliqua, benigniùs interpretor, & à Dei beneuolentia profecta censeo, cum aliis penè omnibus, qui in his Euangelij tempora considerant. Et puto significari in Ecclesia à Christo constituta, & tam à gentilico, quàm à Iudæo populo congregata nulla futura maleficia, non diuinationes, & auguria, quæ familiaria priùs fuere Gentilibus, neque Iudæis incognita, hoc præsertim tempore, vsque ad solutam captiuitatem. Nam ab eo tempore Iudaicus populus gentilicus hasce spurcitias exhorruit. Christus igitur sic ab Ecclesia, quam ipse congregabit, & instituet, exterminabit nefarias, & gentilicas sordes, vt de illa verè dici possit, quod olim Balaam Num.c.23.v.23. *Non est augurium in Iacob, neque diuinatio in Israel.*

80. Sed licèt idololatria non esset inter Iudæos, ex quo è Babylone redierunt in patriam; fuerunt tamen diuinationes, & auguria, à quibus Christus suam Ecclesiam puram esse voluit. Nam quemadmodum Iosiæ tempore, corruptis Hebræorum moribus, diuini, atque arioli sine vllo metu, imò cum honore frequentes visebantur, sic etiam Christi temporibus. Nam agente Herode, externi mores in vrbem introducti sunt. Vt enim tradit Iosephus *lib.19. Antiquit. cap.10.* theatra, amphitheatra, & gymnasia Hierosolymis cōstituit, magnísque propositis præmiis externos populos ad theatralia, & gymnica certamina prouocauit; & eo consilio peregrinarum gētium proluuiem innexit Hierosolymæ. Certè sub id tempus fuit Theudas, de quo *Actor. cap.5.* & Simon Magus in Samaria, & Elimas, qui & Barieu, qui Iudæus esse dicitur *Actor.13.* Sanè diuinationem quandam familiarem esse Iudæis primis Ecclesiæ temporibus, docent ipsi Gentiles, qui Iudæos numerāt inter aruspices, genethliacos, diuinos, & huiusmodi farinæ deliros alios. De quibus Iuuenalis Sat.6.

Sub aduentum Christi diuinationes, & maleficia fuerunt inter Hebræos.

Arcanam Iudæa tremens mendicat in aurem
Interpres legum Solymarum, & magna sacerdos
Arboris, ac summi fida internuncia cœli
Qualiacumque voles Iudæi somnia vendunt.

81. Neque solùm Christus ex Iudæis, Gentilibúsque ad Ecclesiæ sinū aggregatis oracula hæc falsa, & diuinationes sustulit; sed etiam magna ex parte Gentilium populis, indicto diabolo silētio. Vide Theodoretum *lib. de veris, & falsis oraculis*, statim in principio. Plutarchus de oraculorū silentio librum edidit. Quod adeò certum erat, & notū, vt poëta Satyricus Iuuenalis, qui propior fuit Apostolico sæculo, imò Apostolis coæuus, sic *Satyra 6.* cecinerit, Chaldæos à Gentilibus, & Astrologos consuli, quia iam obmutuere dæmones, à quibus expectari non possunt oracula.

Christo nato dæmonū oracula siluerunt.

Chaldæis sed maior erit fiducia: quidquid
Dixerit Astrologus, credam à fonte relatum
Hammonis, quoniam Delphis oracula cessant:
Et genus humanum damnat caligo futuri.

Quasi dicat, oracula iā nulla sunt, quæ nobis futurarum rerū euenta prænuncient; & ideo iā nobis omnia incerta sunt, & in profunda quadam demersa caligine. Quomodo artis magicæ libros sustulerint, & cōbusserint Apostoli, habemus *Actor. cap.19.* quos sanè fuisse plurimos ex eo cōstat, quia computatis illorum pretiis, redigi pecunia poterat denariorum quinquaginta millium.

82. Vers.12. *Et perire faciā sculptilia tua, &c.*] Hæc obscura nō sunt. Quo tēpore hæc à Michæa dicebātur, frequētes erant in Israele toto dæmonū simulacra; frequētes aræ, atque delubra, non solùm in mōtibus, & lucis, sed etiā in templis; &, quod mirere magis, in Solymitano, quo nihil vniuersum habuit sanctius, & augustius, vt ex *lib.4. Reg. cap.23.* cōstat. At vt cōmunis est, & vera sentētia; post captiuitatem solutam nūquam irrepsit in Iudæorum sedes impia, & peregrina religio; nisi quòd Machabæorum tempore nonnulli coacti sunt ab Antiocho ab auita religione ad Græcam, & barbaram

Idololatria inter Iudæos à soluta captiuitate non fuit.

baram deficere; quod fecere perbreui tempore, neque libenter. At nemo postea publicè fecit, & impunè. Sed veriùs hæc de Ecclesiastico sæculo dicuntur, & de Ecclesia, ad quam sese adiungent plurimi, qui licèt simulacris priùs abundauerint, & cum nutricis lacte gentilicos mores, & impiam religionem imbiberint; abiicient tamen simulacra Deorum, & illorum aliqua abolebunt incendio, alia confringent, & ex illis ad domesticos vsus vasa conflabunt. Nulla denique supererunt superstitionis antiquæ, aut dæmoniacæ seruitutis obscura vestigia.

83. Vers. 13. *Et conteram ciuitates tuas.*] Hæc videri possunt dicta Iudæis, quorum ciuitates Deus euocatis è Babylone copiis euertit. Quod fecisse existimari potuit, ne quis maneret locus immunis à ruina, & strage, quem sordidæ, atque fœtentes idolorum obscœnæ sordes imbuissent. Sed ne hæc ab euangelico sæculo auocemus, illud *conteram* sic interpretemur, quo modo illud *perdam* suprà *vers.* 11. id est, faciam, ne ciuitates, aut templa illi iam ampliùs deuota sint cultui, cuius gratia extructa sunt, & consecrata à Gentili populo; vel à Iudæis, cùm alias ob causas essent instituta, A vesano postea, & scelerato consilio translata. Illud enim, vt eo loco diximus, perire existimatur, quod ab illo excidit vsu, cuius præsertim gratia institutum est.

Vers. 14. *Et faciam in furore, & in indignatione vltionem in omnibus gentibus, quæ non audierunt.*] Idem dixit aliquandiu postea Zacharias *cap.* 14. *à v.* 12. vbi nos in eam sententiam plurima, quæ tu vide. *Audire* hoc loco, sicut pluribus aliis, idem est, quod audita opere complere. In illos igitur grauiter animaduertit Deus, qui septem pastorum, & primatum octo, id est, virorum, qui Apostolico spiritu diuinam voluntatem, & euangelicam legem annunciant, mandata contempserint, hæreque voluerint obstinato consilio, aut in corruptæ vitæ sordibus, aut in execrabili semper, tunc verò apertiùs damnata religione. Hoc idem dixit tempore à Propheta designato Christus his, quos suæ voluntatis, ac legis voluit esse præcones. Matth. cap. 10. *Quicunque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo, vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm illi ciuitati.* 84. Audio idem quod obedio.

IN CAPVT SEXTVM

ARGVMENTVM.

ADVOCAT Dominus ad familiarem quandam iudicij formulam, populum ingratum, & eos præcipuè, qui publicam in eo personam sustinent, quos commemoratis beneficiis, quæ in populum olim largè contulerat, stuporis & ingratitudinis coarguit. Deinde ostendit, quo præcipuè modo, offensum Dei animum placare possint. Tandem, cùm varia commemorasset peccata, maximè quæ à fraude & auaritia nascuntur, graue denunciat ab hoste victore, & barbaro supplicium.

CAPVT VI.

1. *AVdite quæ Dominus loquitur: Surge, contende iudicio aduersum montes, & audiant colles vocem tuam.*

2. *Audiant montes iudicium Domini, & fortia fundamenta terræ: quia iudicium Domini cum populo suo, & cum Israel diiudicabitur.*

3. *Popule meus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? responde mihi.*

4. *Quia eduxi te de Terra Ægypti, & de domo seruientium liberaui te: & misi ante faciem tuam*

PARAPHRASIS.

B 1. AVdite, quæ per me vobis Dominus denunciari vult, ô principes Israel. Surge, inquit mihi Dominus, ô Michæa, & causam meam, cum his, qui inter cæteros eminent, sicut è terra montes, iudicialem in modum discepta. Discepta, inquam: & audiant, qui tanquam colles sublimes sunt in populo, vocem tuam, imò & meam, quam per te in illorum auribus resonare volo.

2. Audiant igitur, qui eo sunt loco ac munere, vt non solùm excelsi montes, sed terræ fundamenta firma vocari possint, quæ Deus in iudicium ac disceptationem, contra Israelem, & cum ipso etiam Israele C conuenire vult.

3. Ecquid fuit, ô popule, in quo tibi vnquam molestiam attulerim. Edissere iam, an aliquod fuerit tempus, vel occasio, in quo aut paterni animi prouidentiam in me, aut fraterni beneuolentiam, aut studium desideraueris.

4. Nunquid in eo me, aut incuriæ, aut crudelitatis accusas, quia olim te ex Ægy-

 ptiis

Digitized by Google

tuam Moysen, & Aaron, & Mariam?

A ptiis sordibus, & seruitutis incommodis eduxi, & in longa atque difficili via, duces tibi Moysem, & Aaron, & illorum sororem Mariam esse volui.

5. Popule meus memento quæso quid cogitauerit Balach rex Moab, & quid responderit ei Balaam filius Beor, de Setim vsque ad Galgalam, vt cognosceres iustitias Domini.

5. Renoua, ô popule, memoriam antiquam, & recognosce quidnam consilij ceperit contra te Balach Moabitarum rex, & quod à Balaam Propheta filio Beor responsum habuerit. Recognosce quod à Setim vsque ad Galgala beneficia acceperis, quo tempore abs te grauiter peccatum est; & quàm fuerit in te Deus iustus, & benignus intelliges.

6. Quid dignum offeram Domino? curuabo genu Deo excelso? nunquid offeram ei holocautomata, & vitulos anniculos?

B 6. Videre te videor, ô popule, quasi conuictum atque compunctum in hoc iudicio, deliberantem quomodo offensum tibi Deum, & iratum placare possis. Quare sic tecum tacitè meditantem intueor. Quid dignum, & gratum offeram Deo? curuatísne genibus Deum excelsum adorabo supplex, aut holocausta pinguia, & anniculos vitulos immolabo?

7. Numquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ?

7. Nunquid placabitur mihi Deus, si multa hircorum atque arietum pinguium millia, ad diuinam aram cultro subiiciam?
C Nunquid illi filium consecrabo primogenitum, vt illius sanguine peccatum meum expietur, & quem ex meis visceribus genui, pro victima supponam: vt quod pro scelere meo subire debeo, mortis periculum, ac supplicium effugiam?

8. Indicabo tibi ô homo quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: Vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo.

8. Ostendam tibi, ô homo, qui placare tibi Dominum studes, quod gratum Deo sacrificium, & quid à te maximè requirat. Nempe, vt tribuas cuique quod suum est, quódque ipsa ratio, & æquitas præscribit, téque omnibus præbeas æ-
D quum, & innoxium: miserationibus assuescas, & aliorum bene merendo miseriam leues, diuinam explores voluntatem, illique quàm potes diligentissimè obsequare.

9. Vox Domini ad ciuitatem clamat, & salus erit timentibus nomen tuum: Audite tribus, & quis approbabit illud?

9. Hæc vox est Domini, quæ in ciuitate clamat, & quid Deo maximè placeat, vniuersis ostendit: quæ simul salutem, libertatem, & pacem promittit iis, qui diuinam timuerint maiestatem, & ipsius mandata humili atque alacri voluntate susceperint. Audite hæc, ô tribus,
E quia magni refert hæc vobis esse nota. Sed hei mihi, quia ad surdas aures loquor, & obduratos animos: quis enim è tanto numero, aut audiet, aut audita præstabit, probabítve, quæ per me Deus ingrato, ac peruicaci populo denunciat?

10. Adhuc ignis in domo impij thesauri iniquitatis, & mensura minor iræ plena.

10. Quare domi adhuc rapina est, & thesauri fraude atque violentia congesti. Intus est mensura minor, & infidelis, familiare iniquæ negotiationis instrumentum, quæ diuini furoris plena est. Quare intus

11. Num

Digitized by Google

A intus est ignis, qui domum inflammat, & ab ipsis vsque fundamentis euertat.

11. *Numquid iustificabo stateram impiam, & sacelli pondera dolosa?*

11. Nunquid is ego sum, dicit Dominus, quem negotiatores isti fraudulenti decipiant, quíque stateram infidelem & dolosam, & inæquale pondus, quod gestat in sacculo mercator iniquus, aut ignorem, aut probare videar, dum abire patior impunita?

12. *In quibus diuites eius repleti sunt iniquitate, & habitantes in ea loquebantur mendacium, & lingua eorum fraudulenta in ore eorum.*

12. Horum ponderum inæqualitate, & statera iniusta, negotiatores isti variis se rapinis & sceleribus onerarunt. Accedit lingua veteratoria, & mendax, quæ nihil B meditatur aut loquitur, quod non sonet fraudulentum aliquid, & iniquum.

13. *Et ego ergo cœpi percutere te perditione super peccatis tuis.*

13. Ergóne tibi, in eo vitæ fraudulento ac scelerato consilio, innoxius videaris, ô popule veterator atque improbe, supplicio, quod de te exigere aggressus sum: iam ostendere cœpi mihi institutum viuendi modum non probari.

14. *Tu comedes, & non saturaberis: & humiliatio tua in medio tui: & apprehendes, & non saluabis: & quos saluaueris, in gladium dabo.*

14. Ad supplicium, quod iam experiri cœpisti, hoc etiam addam, vt hinc discas, quàm mihi tua scelera displiceant. Erit tibi tam parcus, & angustus cibus, vt famem non solùm non expleat, aut obtundat, sed potiùs excitet, & acuat. In C ipsa ciuitate variis modis humiliaberis, & opprimeris ab hostibus. Quòd si apprehenderis filias tuas, aut filios, vt à militum stupro ac petulantia defendas, non vindicabis illos ab iniuria: quòd si tunc ab illorum manibus expedias, diu tamen non erunt incolumes, quia vis iterum redibit hostilis, & nihil relinquet liberum à cæde, vel infamia.

15. *Tu seminabis, & non metes: tu calcabis oliuam, & non vngeris oleo; & mustum, & non bibes vinum.*

15. Seminabis agros, neque tamen ex illis quicquam condes in horrea, calcabis oliuam atque vindemiam, neque tamen aut olei lenitatem experieris, D néque vini suauitate animum tuum exhilarabis.

16. *Et custodisti præcepta Amri, & omne opus domus Achab, & ambulasti in voluntatibus eorum, vt darem te in perditionem, & habitantes in ea in sibilum: & opprobrium populi mei portabitis.*

16. Hæc te porrò incommoda corripient, & vrgebunt, ô stolide ac scelerate popule, quia non ab optimis regibus Iuda, sed impiis regibus Israel, Achab, & Amri, viuendi formam expressisti, & quæ fecerunt ipsi, id tibi ex vsu tuo fore existimasti. Eo verò vitæ instituto id consecutus es, vt iam statuerim te delere funditùs, & deridendum aliis atque exsibilandum exponere. Portabis denique in-E fortunium illud & opprobrium, quod iam olim à me transgressori populo denunciatum est.

Vers. 1.

Digitized by Google

Vers. 1. *Audite quæ Dominus loquitur.*]

1. Grandibus olim beneficiis prosecutus fuerat Deus populum suum, quæ statim Propheta commemorat: maiora multo promittit in posterum, vt proxime vidimus, quando Messias natus in Bethleem candidiora sæcula, & verè aurea tristibus illatenus sæculis induxerit. Neque stolidus ille, atque ingratus populus mores superiores abiecit, aut secutus Deum, ad eius se voluntatem, & legem attemperauit. Nunc Propheta, qui captare potuisse videbatur promissione illa illustri Israelitarum animos, attentionem captat magnarum rerum expectatione, quam ille loquendi modus excitauit. Loquitur autem cum populi principibus, quorum exemplo, aut monitis aut corrumpuntur sæpiùs inferiorum mores, aut corriguntur.

2. *Surge, contende iudicio aduersus montes, & audiant colles vocem tuam.*] Verba hæc Domini sunt, qui præscribit Prophetæ quid contra populum in iudiciali congressu proferre debeat. Montes, & colles hoc loco dicuntur illi, qui reipublicæ præsunt, qui supra reliquam turbam sic extulerunt caput, sicut montes, & colles è plano tument. Sanè montes appellari principes in Scriptura sacra obuium est. Psal. 71. vers. 3. *Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam.* Isaiæ 2. vers. 11. *Quia dies Domini exercituum super omnem superbum, & excelsum, & super omnem arrogantem, & humiliabitur; & super omnes montes excelsos, & super omnes colles eleuatos.* Abacuc 3. vers. 6. *Contriti sunt montes sæculi, incuruati sunt colles mundi.* Isaiæ 40. *Omnis mons, & collis humiliabitur.* & rex Babylonis mons pestifer appellatur *Ieremiæ* 51. Neque deest ratio, cur cum montibus præsertim, & collibus disceptandum sit; tum quia viri principes totius populi sustinent causam, & nomen; tum etiam quia dum ipsi minùs conscientiæ, atque pudori consulunt, inferiorem turbam secum in vitiorum omnium profunda præcipitant. Ita cum Cyrillo plures alij, Albertus, Haymo, Ribera, & hoc mihi potiùs.

In montibus & collibus significati principes.

3. Sunt qui montes hîc eo consilio aduocari putant, vt testes sint & Iudæorum stuporis, atque perfidiæ, qui à Deo tam de se merito impudenter abeunt, & propheticæ admonitionis, qua gens illa rebellis ad pietatem, & officium vocatur. Quemadmodum Moyses Deuter. cap. 32. *Audite cæli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei.* & Isaiæ cap. 1. *Audite cæli, & auribus percipe terra.* Ita putat Theodoretus, & Montanus, & Chrysostomus *orat. 5. de prouidentia.*

4. Hieronymus, & alij, qui ab eo perquam rarò dissentiunt, quibus adde etiam Cyrillum, in montibus, & collibus Angelos intelligunt, qui homines gubernant, atque custodiunt, quibuscũ disceptat Deus, exploratque seuero, ac iudiciali examine, an suo munere in hominum tutela fideli, atque constanti perfuncti fuerint. Hæc autem eò spectant, vt cùm in eo iudicio liquidò constet nullam in Deo in præponendis custodibus Angelis esse incuriam, neque in dato sibi negotio obliuionem, aut inertiam in Angelis, relinquatur ex ea disceptatione putum, hærere totam culpam in homine, atque illum iure plusquam optimo, exilio, cædéque mulctari. Et quidem agendi modus ab hac Hieronymi sententia non multùm abhorret, vt statim Deus ipse docet, qui suam ab homine causam diiudicari vult. Audi Hieronymum. *Iudicio* (inquit) *contende aduersus montes, quos non alios significari puto, quàm Angelos, quibus rerum humanarum commissa est procuratio,* &c. *Et contende iudicio, vt siue montes, siue colles reperti fuerint, non dignè populos procurasse; vel meum videatur esse* (crimen) *qui tales præposui; vel culpa tollatur à populo, & referatur ad principes. Legamus Apocalypsim Ioannis Apostoli, in qua laudantur, accusanturque Angeli Ecclesiarum pro virtutibus, vitiisque eorum, quibus præesse dicuntur. Sicut enim interdum Episcopi culpa est, interdum plebis, & sæpè magister peccat, sæpe discipulus; & nonnunquam patris vitium est, nonnunquam filij, vt vel benè, vel malè erudiantur. Ita in iudicio Dei vel ad Angelos crimen refertur, si non egerint cuncta, quæ ad suum officium pertinebant; vel ad populum, si illis vniuersa facientibus, ipsi audire contempserint.* Hæc Hieronymus. Cyrillus, vt diximus, in eam quoque sententiam inclinat, vt in montibus arbitretur exprimi angelicam naturam; quæ cùm probè norit, quid fecerit Deus, quidve homo peccauerit, illa iudex constituetur, vt causam Dei, hominúmque diiudicet.

Angeli custodes cõtra homines in iudicio testes.

Iudicium seuerum cũ his, qui præsunt, etiam cum Angelis hominũ custodibus.

5. Hic afferre libet, quod Chrysostomus de Dei iudiciis scribit oratione 5. de prouidentia. *Nos* (inquit) *cùm aliquem punimus, vix dignamur causam dicere; Deus nisi prius te docuerit, nisi tuum ipsius acceperit suffragium ipsum te iudice iustum iudicium inferre, non punit eos, qui iam diu animaduersione digni erant. Et rationem sæpè reddere paratus est, & cùm accusatur abs te, in iudicium etiam venire non grauatur,* &c. *Vnde ipsos iniuriosos sæpè, vt causam indicent, aduocat, sæpè creaturam ad suffragium ferendum conuocat, iudiciorum suorum splendorem demonstrans. Neque aduersarium suum, neque res sensus expertes repudiat Deus, quin causam iudicent. Quod nobis quoque in consuetudine est positum, quando causa iusta freti sumus. Vnde apud Michæam: Audite valles fundamenta terræ, quoniam causa quædam Domino est.* Quod item obseruauit Basilius ad illud Isaiæ cap. 1. *Venite, & arguite me, dicit Dominus. Multis* (inquit) *Scripturæ locis tales nobis se offerunt dicendi formulæ, quasi Deus se demittat ad hominum iudicium,* &c. Tale est illud Michææ, *Audite quæ Dominus loquitur,* &c. Et post pauca addit, *Decet Dei iudicium nihil habere confine tyrannidi, sed iudicum more, qui inter homines familiarem ineunt communicationem: quæ fit, vt locum exhibeant sui purgandi iis, qui ad causam dicendam sistuntur in iudicio.* Vide reliqua. Idem penè Theodoretus ad illud Ierem. cap. 2. *Quid inuenerunt parentes vestri in me.*

Dei in iudicando æquitas & humanitas.

6. Hæc Hieronymi explicatio grauissima est ad mores, quæ eò redigit hominum iudicium, vt nullam possint habere excusationem, cùm ab illis proueniat, quidquid est desidiæ, ac culpæ: neque in Deo, aut Angelis quicquam possit à summa etiam solertia deprehendi, quo eleuari possint hominum peccata. Verùm placet magis prima sententia, quæ in montibus, & collibus eos agnoscit, qui principem in hominum conuentu locum obtinent. Ad quos etiam pertinere arbitror, quod statim additur, *Et fortia fundamenta terræ. Vt per colles* (inquit Cyrillus) *principes populorum quasi in fastigio locatos aliis eminere, eosdem quoque fundamenta intelligamus. Qui enim regionibus, aut præsunt, siunt sunt gloria alacres, & in honorum culmen*

Principes sunt populi fundamenta.

men sublatis; sic etiam sunt fundamenta, hoc est, firmamentum, & basis quadam rerum: aliorum namque res ipsis fulciuntur, atque innituntur.

7. Vers.2. *Quia iudicium Domini cum populo suo.*] Non malè cum his facit explicatio Theodoreti, quæ huc aduocari dicit testes, qui norunt, quidnam à Dei benignitate in populum illum beneficiorum manarit, & quomodo à populo vecorde & ingrato pro gratiarum actione, & obsequio debito relata sit iniuria. Hi verò testes res sunt inanimatæ, montes videlicet, & colles, quibus plus videtur esse mentis, & officij, quàm Iudæorum genti. Item Angeli, vt dicebamus ex Cyrillo, qui norunt, quàm iustè queratur de malè repensa sibi gratia, & quàm sit non iniquum, quod sumpsit de Iudæorum improbitate supplicium. Placet nihilominus explicatio prima, & in montibus Israelitidis gentis principes intelligo, qui & meliùs literis sacris instructi sunt, & quia mores aliorum cognoscere potuere pleniùs, sic etiam meliùs de diuinorum iudiciorum æquitate iudicare potuere sapientiùs.

Testes in iudicio sancti, à quibus accepimus viuendi formam.

8. Quòd si in montibus, vt etiam putabat Hieronymus, & cum eo nonnulli alij, quorum ipse suppressis nominibus sententiam allegat, neque improbat, intelligantur antiqui Patres, Abraham, Isaac, Iacob, & viri sancti, qui posteris esse debuerant exemplum, & forma viuendi, graue apparet hoc iudicium degeneris familiæ, quam parentes, pietas, & religio condemnat. Neque leue à viris spiritualibus existimatur esse remedium ad excutiendum è vita spirituali torporem, proponere sibi ante oculos, quasi suæ desidiæ testes, qui in religioso stadio strenuè se gesserunt, neque ab illis vnquam cogitationem auertere. Sic sanè homo gentilis Seneca aut faciebat ipse, aut faciendum monebat lib.2. epist.11. *Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat. Aliquid habeat animus, quem vereatur, cuius authoritate etiam secretum suum sanctius faciat*, &c. *Elige eum, cuius tibi placuit & vita, & oratio: & ipsius animum ante te ferens, & vultus, illum semper tibi ostende vel custodem, vel exemplum. Opus est, inquam, aliquo, ad quem mores nostri se ipsi erigant, nisi ad regulam praua non corriges.*

Sine teste vir spiritualis nunquam esse debet.

9. Vers.3. *Popule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? Responde mihi.*] Iam se Deus hominum iudicio iudicandum summittit, & rogat, an aliquid habeant, quod in ipsius natura, ac moribus accusandum putent: an aliquod fuerit tempus, in quo aut paterni animi prouidentiam, aut fraterni beneuolentiam, ac studium desiderarint. Vt autem probet nihil in administrando quondam populo à se commissum, in quo illi molestiam attulerit, de quo iure cum ipso expostulare debuerit, nihil denique in suis moribus dignum esse censura: commemorat aliqua, quæ in longa peregrinatione præstitit ab eo tempore, quo excessit ex Ægypto, ad illud vsque, quo in terram promissionis intulit pedem, Ab Ægypto nempe ad Galgala; & docet, nunquam illi defuisse prouidentiam, quam ab imperatore exercitus, & à parente filij sperare, aut optare poterant.

10. Quod modò facit Deus, atque exprobrat ingrato populo, fecit alibi sæpè, vt Ierem. cap.2. vers.5. *Quid inuenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongauerunt à me, & ambulauerunt post vanitatem & vani facti sunt. Et non dixerunt: Vbi est Dominus, qui ascendere nos fecit de terra Ægypti, qui traduxit nos per desertum*, &c. *Et induxi vos in terram Carmeli.* Isaiæ cap.5. vers.3. *Nunc ergo habitatores Ierusalem, & viri Iuda, iudicate inter me, & vineam meam. Quid est, quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci?* & cap.43. vers.26. *Reduc me in memoriam, vt iudicemur simul: narra, si quid habes, vt iustificeris.* Fecit idem antea Samuel 1. *Reg.*12. cum populi eiusdem iudicium subiit, & ex innocentia iam explorata spiritus assumpsit, & vires; vt in populum illum insanum, & furentem audaciùs stringeret reprehensionis aculeos.

Deus ab hominibus iudicari vult.

Vers.4. *Quia eduxi te de terra Ægypti, & de domo seruitutis liberaui te.*] Illustre hoc fuit, & latè patens beneficium, in quo vno continentur plurima. Qui enim alterius voluntati mancipatus est, mortuus censetur; aut etiam infra mortuos, si barbaro domino seruire contingat: quare qui libertatem dedit, ille censetur vitam fuisse largitus. Erat tunc Hebræus populus in Ægyptio solo, vbi dominis seruiebat inclementibus, addictus fingendis laterculis, subigendo luto, & vitæ vsque adeò duræ, vt instar obtineret mortis: atque ideo ex eo loco asseruisse populum illum, perinde fuit, atque ex tumulo rediuiuum extraxisse. Sanè exules *Ezechielis cap.*37. dicuntur mortui; & exilium sepulcrum, quale censeri debet illud, in quo quasi vile cadauer computrescerent Hebræi. 11.

Domus seruitutis, aut seruientium illa dicitur, in qua constricti tenentur aut serui, aut qui capitalis sceleris pœnas expendunt; sicut magnorum scelerum rei alligantur remis, aut in publicis operibus seruire coguntur. Hæc autem dicuntur ergastula, vbi serui, aut damnati sontes, ne otiosam agant, & inertem vitam, sic constricti libertatis expertes sunt, vt tamen expertes esse laboris, & molestiæ non sinantur. Ergastula fuerunt arenariæ cryptæ, vnde aut serui, aut damnati ad publica opera, arenam effodiebant. Ergastula latumiæ, seu lapidicinæ, vnde excisi lapides, in quibus tyrannorum inaudita crudelitas excruciauit diu, atque confecit quamplurima sanctorum Martyrum millia. De his ergastulis multa prophani, qui sæpe meminere seruorum, qui vincti compedibus, & operibus alligati rusticis agros colebant. Martialis lib.8. epigr.23. 12.

Ergastula laborantium carcer.

Vt setina meos consumat gleba ligones,
Vt sonet innumera compede Tuscus ager.

Bellum seruile, quod aliquandiu Romanos exercuit, ex seruis conflatum est, qui quasi per familias constricti vinculis, magno numero rem curabant rusticam. De quibus Florus *lib.*3. *cap.*19. sic ille de Sicilia. *Terra frugum ferax, & quodammodo suburbana prouincia latifundiis ciuium Latinorum tenebatur. Hic ad cultum agri frequentia ergastula, catenatique cultores materiam bello præbuere.* De ergastulis Isidorus. *Ergastula* (inquit) *vbi deputantur noxij ad aliquod opus faciendum, vt solent gladiatores & exules, qui marmora secant, & tamen vinculorum custodiis alligati sunt.* Hæc ergastula domus seruientium appellari possunt, in quibus licèt non tenerentur alligati vinculis Hebræi; at sic erant addicti dominorum imperio, vt non haberent, quò vellent, abeundi facultatem, neque minùs exercebantur durè, quàm si latumiis, aut metallorum fodinis essent alligati. 13.

Illud, *quia eduxi*, quidam ex Hebræis non putant rationalem esse particulam, sed aduersatiuam, hoc sensu. Non fui tibi molestus, imò magna te molestia liberaui, cùm eduxi de ergastulo, aut domo seruitutis, in qua libertatis expers seruilem operam nauabas Ægyptiis. Ego rationalem 14.

vocem

itized by Google

vocem interpretor, & in hunc ſenſum aſſumo. Nunquid ideo tibi moleſtus fui, quia ex ſeruitute dura in libertatem inſperatam aſſerui. Et quidem ex Hebræis aliqui grauiter ferebant exceſſiſſe ex Ægypto, & in terram ſterilem, & vaſtam eſſe deductos, clamanteſque inflammato in ſuæ peregrinationis duces odio dixerunt Exod. 16. verſ. 3. *Vtinam mortui eſſemus per manum Domini in terra Ægypti, quando ſedebamus ſuper ollas carnium, & comedebamus panem in ſaturitate. Cur induxiſtis nos in deſertum iſtud, vt occideretis omnem multitudinem fame?*

15. *Et miſi ante faciem tuam Moyſem, Aaron, & Mariam.*] Magni beneficij loco numerat Deus, quod in deſerto loco duces præpoſuerit Moyſem, & Aaron; quorum alter familiari cum Deo ſermone illuſtratus, per loca tuta, & à Deo deſignata traduceret, & legibus informaret ſcriptis à diuino digito; alter legitima obiret ſacra, & iratum Deũ & ſibi, & populo placaret. Sed quod tantum beneficium fuit, datam eſſe cum fratribus Mariam, de qua nihil in toto illo progreſſu amplius audimus, quam ſumpſiſſe tympanum, cùm in mari rubro demerſus eſt Pharao, & præiſſe in puellari choro cæteras pſaltrias, cecinisſeque illud: *Cantemus Domino, glorioſe enim magnificatus eſt*, Exod. 15. & cap. 12. Num. ſimul cum fratre obmurmuraſſe contra Moyſem, & ideo ſubita quadam lepra fuiſſe percuſſam. & *Exod. cap. 2.* curaſſe, vt frater Moyſes in fiſcella relictus matri traderetur educandus. Atqui hoc beneficium non eſt eiuſmodi, vt inter maxima connumerari debuerit.

16. *Maria præfuiſſe creditur fœminis ſicut viris Moyſes.*

Communis eſt tam Hebræorum, quàm noſtrorum ſententia, vt Moyſes viris, ſic etiam Mariam fœminis eſſe præpoſitam, quas doceret: neque videbatur ſatis conſultum eſſe fœminis, ſi doctore carerent, & duce; neque ſeruum Dei Moyſem decebat, vt ſicut ad virorum concilia, ſic etiam ad fœminarum cœtus familiariter ageret, cùm fœminarum tabernacula à virorum tentoriis eſſent ex Hebræorum aut lege, aut conſuetudine diſcreta. Habitaſſe apud Hebræos fœminas ſeorſum à viris, multa probant, & aliquid nos in eam ſententiam adduximus in noſtris Commentariis ſuper Cantica ad illud cap. 3. *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam eum in domum matris meæ.*

Fœminæ à viris ſeparatæ etiam in via.

Neque in peregrinatione (quando non erat domicilium ſtabile, ſed noua quotidie ſtatio mutabatur, qualis erat Hebræorum, cùm ad promiſſam ſibi regionem contenderent) ſimul aut fœminæ cum viris incedebant, aut iiſdem cum illis tentoriis morabantur. Id mihi valde ſit veriſimile, quia cùm Iacob à Meſopotamia in Chanaanitida, id eſt, ſuam regionem, remigraret, diuerſa dicuntur ipſius vxores habuiſſe tentoria. Gen. 31. v. 33.

Fœminarũ, ac virorum diuerſa tabernacula.

Ingreſſus itaque Laban tabernaculum Iacob, & Liæ, & vtriuſque familiæ, non inuenit. Cùmque intraſſet tentorium Rachelis, illa feſtinans abſcondit idola. Et cùm Abraham, & Iſaac, peregrinam, & vagam vitam agerent, ita vt neque paſſum pedis proprium accepeꝛint à Deo, *Actor. cap. 7.* tamen diuerſa vxores habuere tabernacula Geneſ. 24. verſ. 67. *Introduxit* (nempe Iſaac Rebeccam) *in tabernaculum Saræ matris ſuæ, & accepit eam vxorem.* Cùm ergo fœminæ ſeorſum habitarent à viris, & ſuos item cœtus haberent à virili turba diſcretos, neceſſarium fuit, vt ex ſuo ſexu aliquam haberent, à qua docerentur, & cui in generali rerum adminiſtratione obſequerentur.

17. Adde quod Maria, vt eſt communis Hebræorum, imò & noſtrorum opinio, Prophetiſſa fuit, cum qua Dominus eo quo cum aliis modo familiariter egit.

Maria prophetiſſa.

Sanè *Exod. cap. 15.* Prophetiſſa dicitur verſ. 20. *Sumpſit ergo Maria prophetiſſa ſoror Aaron tympanum in manu ſua.* Cùm verò tam Prophetæ, quàm Prophetiſſæ nomen multa ſignificet, nempe eos, qui canunt diuinas laudes, aut Scripturas ſacras interpretantur; hîc tamen vero, proprio, ac magis communi ſenſu Maria prophetiſſa dicitur, quam videlicet diuinus Spiritus ad occultarum rerum cognitionem afflabat. Ita ipſa videtur affirmaſſe *Numer. cap. 12.* quæ in murmure contra Moyſem ſic ad Aaron fratrem locuta eſt, *Num per ſolum Moyſem locutus eſt Dominus? Nónne & nobis ſimiliter eſt locutus?* Cuius veram fuiſſe vocem videtur Dominus ipſe confirmaſſe, dum non negat illam eſſe prophetidem, ſed nobiliori inſtinctu dicit eſſe Moyſem. Quare non negat prophetiæ donum; ſed illud *ſimiliter*, quo ſe Maria fratri ſuo Moyſi in prophetando ſimilem eſſe prædicabat. *Si quis* (ait Dominus) *fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum: at non talis ſeruus meus Moyſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt. Ore enim ad os loquar ei, & palàm, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.* Quare magnum beneficium fuit habuiſſe fœminam è ſuo ſexu, ac genere prophetidem, quæ illarum animos in tractu illo difficili ſolaretur, & ſpem quotidianis oppugnatam incommodis erigeret.

18. *Magni Maria à Deo, & à populo Hebræorum habita.*

Magni habitam à Deo Mariam multa probant. Primùm, quia cùm reprehendere illam, & Aaronem fratrem voluit, ſeorſum à reliqua turba ſegregauit, ne illam coram omnibus pudefaceret, & illa deinceps vilior haberetur. Numer. 12. v. 4. *Egredimini* (inquit Deus) *vos tantùm tres ad tabernaculum fœderis.* Deinde quia quo tempore percuſſa lepra morata eſt extra caſtra ſeptem diebus, non fuit interim datum à Deo proficiſcendi ſignum. verſ. 15. *Excluſa eſt itaque Maria extra caſtra ſeptem diebus: & populus non eſt motus de loco illo, donec reuocata eſt Maria.* Addunt Hebræi, qua fide ipſi viderint tria maxima beneficia propter trium fratrum merita, aut in illorum honorem, & gratiam fuiſſe conceſſa.

Tria beneficia data exiſtimantur propter Moyſem, Aaron, & Mariam.

Datum (inquiunt) *de cælo cibum propter Moyſem; nubem, & columnam igneam propter Aaron; aquam iugiter manantem è petra, & quocumque pergerent, conſequentem Hebræorum caſtra propter Mariam.* Quod inde ſibi perſuadent, quia, vt ex *cap. 20. Numer.* conſtat, quo tempore deceſſit Maria, aqua, quæ ad illud vſque tempus durauerat, repentè defecit. Sed hoc vnum eſt de multis Hebræorum ſomniis. Vide Abul. *q. 2. in c. 20. Num.* Adducit ergo Deus tres hoſce fratres, à quibus populus varia habuit & laboris leuamẽta, & vitæ ſubſidia. Moyſes docebat, iudicabátque populum; Aaron ſacerdos expiabat, ſi quando maculam aliquando contraheret; & quod Moyſes inter viros, idem inter fœminas Maria præſtabat officium.

Verſ. 5. *Memento quæſo, quid cogitaueris Balach rex Moab: & quid reſponderit Balaam filius Beor.*] 19.
Magnum aliquid ſignificat Deus in hoc beneficio; ſed quid illud ſit, non omninò facile. Neque enim magnum apparet cogitaſſe Balach aliquid hoſtile contra filios Iſrael, cùm illud idem fecerint omnes penè, quorum regiones inuaſerunt Hebræi: neque videtur tantum eſſe momenti in erepta Balaamo gentium Prophetæ loquendi facultate, vt hoc beneficium inter maxima recenſeri antea, & nunc à Deo prædicari debuerit. Nota eſt hiſtoria ex *lib. Num. cap. 22. 23. 24.* Ego, licèt magnum

Digitized by Google

magnum non esset impij prophetæ constrinxisse linguam, illamque ad benedicendum potiùs adegisse, magnum tamen in eo significari puto beneficium. Sunt quædam natura leuissima, quæ tamen non leuem indicant prouidentiam, & amorem: qualia in parentibus erga filios familiaris quotidie docet experientia. Quid tantum est alicuius obturbari somnum ab obstrepente turba? At eo ostendit sponsus quanti faceret, & quàm amaret impensè coniugem suam Cant. 2. *Adiuro vos filiæ Ierusalem, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam.* Quid mali accideret Iacob, si duriùs ad illum socer loqueretur? At dum infensam, atque maledicam linguam comprimit Deus, suæ in Iacob beneuolentiæ argumentum præbet magnum, & illustre. G. 31. v. 24. *Viditque* (Laban) *in somnis dicentem sibi Dominum: Caue nequicquam asperè loquaris cõtra Iacob.*

Multa natura leuia, magni tamē amoris argumenta sunt.

20\. Sanè nihil sibi timere posset Israel à Balaam arioli maledica lingua; sed Deus tam diligit populum, sic illius incolumitati cauet, vt neque illum ab impia lingua patiatur, vel inani susurro, aut magico sermone perstringi. Et quod mirere magis, cùm contrà starent ingentia, & iterata sæpiùs regis promissa; sic tamen auarus arioli animus cõcussus est metu, vt neque hiscere durū aliquid sit ausus contra Israel. Imò sic Deus affecit hominis animum, vt pro maledictione, ad quam prono ipse studio ferebatur, benedictionem adiecerit, atque ita fuerit de populo sibi contrario locutus, vt nihil de se Israel vnquam audierit illustrius. Neque minus est ex maledica lingua, atque venali verba bona, quàm ex duro saxo fontem excussisse viuentis aquæ.

Magnum fuit Balaam à maledicēdo fuisse prohibitum.

21\. Qua in re emicuit maximè & diuinus amor in suos, & patientia in perferendis iniuriis singularis. Nam cùm eodem tempore populus ille ingratus, & amens malè de Deo loqueretur, mereretúrque non tam à Deo patentis officium, & amorē, quàm seueri iudicis supplicium capitale: tamen nō patitur ab ariolo vel verbo tantùm violari, aut nominari maleuolo. Hoc ipsum videtur obseruasse Dauid *Psal. 77. v. 19.* cùm enim dixisset malè gētem illam fuisse locutam, subiicit tunc Deum magnis cumulasse beneficiis, *Et malè locuti sunt de Deo, dixerunt: Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ.*

Deus etiam cùm offenditur, liberalis, & mitis.

22\. *De Setim vsque ad Galgala.*] Locus hic variè tam à nostris, quàm ab Hebræis tentatus est. Quidam hæc pertinere putant ad verbum illud *responderit*, quasi Balaam inter Setim, & Galgala multa sit locutus, & sæpè, cùm à diuersis locis exercitum Israelis esset intuitus. *Recordare* (inquit Hieronymus) *quomodo contra voluntatem suam ariolus tibi benedixerit de Setim vsque ad Galgala totum exercitum Israel oculis lustrans, & mutans loca.* Cuius sententiam optimè Ribera confutat, qui aliam addit expositionem, in qua aliquid est, quod aliis non omninò satisfaciat. Putat enim non hîc agi de verbis, quibus Israeli benedixit Balaam; sed potiùs de illis, quibus extremam cladem populo, cui antè benè precatus fuerat, machinatus est. Dedit enim consilium pessimum Balach regi Moabitarum, quo Dei populum faciliùs sterneret, quam armata manu. Illud verò fuit, vt in Israëlitarum castra fœminas mitteret eleganti forma, quæ ad sui amorem illos fallaci blandimento pellicerent, & tandem à vera religione ad Deorū suorum sacra abominanda traducerent. Vide Iosephum *lib. 4. Ant. c. 6.* Quod item indicat non obscurè illud Apoc. cap. 2. *Sed habeo aduersum te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balach mittere scandalum coram filiis Israel, edere, & fornicari,* &c. Quod ipse etiam Balaam, licèt obscuriùs, indicat Numer. cap. 24. v. 14. *Verumtamen pergens ad populum meum dabo consilium, quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore.* Et expressè *Num. 31. v. 16.* vbi sic Moyses ad populum, *Cur fœminas reseruastis? Nónne istæ sunt, quæ deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam?* Beneficium autem illud fuisse dicit, quod cum toto illo spatio, quod inter Setim, & Galgala interiectum est, statuisset Balach genus illud insidiarum perniciosum, & molle in Israelitarum exercitum instruere, Deus tamen sumpto de fornicariis grauissimo supplicio, malum, quod iam paulatim serpere videbatur, maturè præcidit. Sed hæc explicatio eo laborat incommodo, quod aliquid habuit molestum, quale fuit multa Hebræorum millia ea de causa ferro fuisse sublata; & Deus nihil hic memorat populo suo se intulisse molestiæ.

Hieronymus aliam adducit Hebræorum sui temporis explicationem. *De Setim* (inquiunt) *id est, ab eo tempore, quo fornicati estis in Madiam, vsque ad tempus, quo Saul in Galgala est vnctus in regem, repetite memoria, quæ malè operati estis, & quanta vobis bona fecerim, & meam in vos misericordiam cognoscetis.* 23.

Mihi minùs videtur habere difficultatis Hebræorum sententia, quam ex nostris sequuntur Vatablus, Montanus, Isidorus, Robertus, & Castrus, qui putant hîc repetendum esse verbum *memento*, quod paulo antè præcesserat. Sed non eo sensu, quo ipsorum plerique existimant. Ego hūc puto esse facilem, & nisi meipsum fallo, sine vlla offensione: quem priusquam ostendo, obseruo Galgala locum esse, qui transmisso Iordane primus occurrit in terra promissionis, vt constat Iosue cap. 4. v. 19. *Populus autem ascendens de Iordane decimo die mensis primi, & castrametati sunt in Galgalis contra orientalem plagam vrbis Iericho.* Obseruandum item Setim abesse à Galgalis spatio breuissimo. Iosue 3. v. 1. *Igitur Iosue de nocte consurgens mouit castra, egredientésque de Setim venerunt ad Iordanem.* Galgala porrò, vt proximè diximus, statim occurrunt Iordane transmisso. 24.

Hinc iam apparet, quantum à Deo beneficium populus acceperit eo spatio, quod inter Setim, & Galgala interiectum est. Peccarat populus in Setim, & ibi Deum grauissimè ad furorem, & cædē inflammarat; quia deceptus eo cōsilio, quod Moabitarum regi præbuit Balaam, cum fœminis è Moabitico genere fornicatus est, & illarum suasu ad vana gentium simulacra traductus. Numer. 25. v. 1. *Morabatur autem eo tempore in Setim: & fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt, & adorauerunt Deos earum.* Cùm ergo tam grauia populus ille è promissæ terræ regione commisisset, dignus erat, quē Deus ad illam seruitutem, & quasi pistrinum iterum compingeret, vnde anno iam antè quadragesimo euocarat. At ea fuit in suos lenitate, sic est humaniter amplexus, vt ad Galgala, id est, in terram promissionis induxerit: & vt priùs mare rubrum aperuit; sic tunc Iordanem, quo tempore ripas aquarum incrementis impleuerat, ita diuisit, vt populus vestigio sicco sine vlla difficultate transierit. Hoc verò beneficium exiguum non est, si diuisum fluuium, & aditam terram tamdiu quæsitam, cum proxima impietate, & abiuratæ religionis impudentia componas. Hæc igitur Deus populum considerare iubet, vt quàm ipse iustus fuerit, & mitis, ex ista rerum concursione cognoscat. 25.

26\. Vers.6. *Quid dignum offeram Domino?*] Inducit Propheta populum hoc Dei iudicio iusto, & acerba reprehensione compunctum, deliberantem secum, quo sacrificij genere, aut quo obsequio iratum sibi Dominum conciliet. In hac verò deliberatione, quam, vt opinor, non tam conuicti, & à sua conscientia exagitati peccatores instituunt, quàm à se conceptam, & omninò simulatam Michaeas inducit; in qua aliquid admixtum esse puto irrisionis ironicae. Quasi dicat Propheta non minùs stolidos esse Iudaeos in adhibendo placationis genere, quàm impios in deserenda religione patria, & amplexanda peregrina. Neque enim externa tantùm, & fucata sanctitas, & sacrificia, quaecumque illa sint, grata sunt Domino, si absit animus, & interna religio, à qua caetera habent, vt grata sint, & offensum Deum peccatori conciliant. Quod mille Scriptura sacra locis inculcat, neque vulgari, aut vsitato dicendi modo Isaias 1. *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus. Plenus sum. Holocausta arietũ, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui.* Et plura deinde grauiter Psal.49. *Non in sacrificiis tuis arguam te: holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper. Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos.* Et 1. Regum cap.15. *Nunquid vult Deus holocausta, & victimas.*

27\. Caetera holocaustorum, & sacrificiorum genera nota sunt, neque interpretis egent explicatione. Illud tamen obseruandũ, vbi vulgatus, *in multis millibus hircorum*, Hebraicè esse נחלי שמן *nachale samen*, quod idem valet, quod valles, seu torrentes pinguedinis, vnguenti, aut olei: & ita vertũt Chaldaeus, & Hebraei, & ex nostris Pagninus, & Tigurina, omnes denique praeter vulgatum, & Septuaginta. Qui torrentes legunt adipis, aut olei, hyperbolicam putant esse sententiam; quasi promittant peccatores illi Deo torrentes olei, id est, eam abundantiam, quantum torrentes secum aquarum euoluunt; aut certè tantum olei pro quotidianis in templo libationibus, quantum ferre possint laxissimae, atque vberrimae valles. Sed multo noster interpres meliùs, sicut etiam Septuaginta, qui *millia hircorum pinguia* conuerterunt, explicarunt videlicet, quod obscuriùs latebat in tropo.

28\. *Locus pro his, quae loco continentur aut nascuntur.* Notum est per metonymiam vsurpari locum pro his, quae continentur in loco, idque non solùm propter necessitatem, sed etiam propter decorum, & elegantem vsum. Sic Anticyra pro helleboro sumitur; quia illius herbae in ea regione magna vis. De qua Persius Satyra 4.

Anticyras melior sorbere meracas.

Et hellebori multitudinem, cuius succus insaniae medetur, in plurali Anticyrarum numero expressit Horatius de Arte poëtica ad Pisones.

Si tribus Anticyris caput insanabile nunquam
Tonsori Licino commiserit.

Eodem modo palus pro iunco, & carice ponitur, quia in palude nascuntur. Sic Martialis *lib.14. epigr.38.* cuius titulus, *Fascis calamorum.*

Dat chartis habiles calamos Memphitica tellus,
Texantur reliqua tecta palude tibi.

Et eodem loquendi genere *lib.11. epigr.33. & lib.12. epigr.57.* materiam aliquam palustrem ex Hispania aduectam, quae magno videtur in pretio fuisse apud Romanos, paludis nomine significauit. Fortasse linum est, aut cannabis, quae in locis palustribus, atque humidis plerumque nascuntur.

Illic paludis malleator Hispanae
Tritum nitente fuste verberat saxum.

Neque malè, aut durè videretur locutus, qui translatum in aliquem locum diceret Pangaeum, si eò vis auri maxima esset comportata: aut inmigrasse Hyblam, & Hymettum in eam prouinciam, in quam ex illis locis essent apes inuectae, aut curari coeptum mellificium: aut venisse Seplasiam eò, vbi pulcritudinis conciliandae medicamenta venũ essent proposita. Sic puto hoc loco torrentes, aut valles pinguedinis, seu, quod idem est, pinguium, sumi pro pabulis, seu stabulis pecorum, pro quibus in vallibus & pascua plena sunt, & opportuna statio. Pascua verò, stabula, & si qua sunt huius generis, pro gregibus sumi difficile non est. Sic sane sumpsit Martialis *lib.8. epigr.28.* Iberum stabulum pro Beticis gregibus, quorum lana commendata maximè.

An Tartesiacus stabuli nutritor Iberi
Betis in Hesperia te quoque lauit aqua?

Nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo.] 29.
Sacrificauit olim Abraham filium suum Isaac, quod ex Israelitico genere nemo ignorabat Deo fuisse gratissimum: quare hi viri, quos Deus sceleris arguerat, quósque ipsa malefactorum conscientia instimulabat, gratum se Deo sacrificium oblaturos putabant, si filios Deo, illósque primogenitos immolarent, qui chariores plerumque sunt, & aliis vt aetate, sic etiam dignitate praepositi. Neque mirum, aut indebitum existimabant, si Deo, à quo tot erant beneficiis affecti, deuouerent primogenitos filios, quos antè daemoni animo non tardo, aut illibenti deuouissent. Fecerant sanè saepiùs in Tophet, vnde illi infantium carnificinae datum est nomen, vt enim filiorum eiulatus ad impias aras immolatorum, parentum animos ad misericordiam non inflecterent, adhibebatur tympanorum strepitus, qui gemitus opprimeret eiulantium. Sane consecratos esse filios daemoni, cecinit Dauid Psal.105. *Et immolauerunt filios suos, & filias suas daemoniis: & effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaam.* Verùm haec omninò externa sunt, neque placent Deo, si interna absit sanctitas, & mens diuinae subdita voluntati. Quare Propheta huic hominum cogitationi respondens docet in quo praecipuè spectari debeat vera propitiatio. *Filij daemonibus immolati.*

Vers.8. *Indicabo tibi homo quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te, vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.*] Haec Dominus exigit pro hircorum, ac vitulorum sanguine, & pro filij primogeniti caede: quae Deus vacua interpretatur sacrificia; quaeque magis cum fastidio, quàm cum voluptate, atque approbatione spectat. Id enim valet illud *Isai. cap. 1. v.14.* vbi Deus sic de eiusmodi sacrificiis externa tantùm oblatis ceremonia, *Kalendas vestras, & solennitates vestras, odiuit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens.* Quae Deus hîc postulat, non obscura sunt, facere iudicium est tribuere cuique quod suum est, neminem laedere, sese omnibus praebere aequum, & innoxium. Diligere misericordiam, id est, bene aliis facere, & aliorum bene merendo leuare miseriam. Hoc magnum esse sacrificium docuit Deus ipse Oseae cap.6. vers.6. *Quia misericordiam volui, & non sacrificium.* Vide quid nos ibi. Idem Isaias *cap. 1. vers.17.* Ille sollicitus ambulat coram Deo, qui in rebus omnibus diuinam explorat voluntatem, illique quàm potest diligenter obsequitur. 30. *Quod Deo gratum sacrificium.*

Haec

Digitized by Google

Hæc Deus exigit ab eis, qui placere ipsi volunt, & gratiam inire, quam amiserunt. Quod multo ante docuerat per Samuelem 1. Regum cap. 15. *Nunquid vult Dominus holocausta, & victimas, & non potius vt obediatur voci Domini? melior est enim obedientia, quàm victima.*

31. Vers. 9. *Vox Domini ad ciuitatem clamat, & salus erit timentibus nomen tuum.*] Illud *sollicitum ambulare coram Deo tuo*, timorem significat, & obseruantiam; & idem esse arbitror quod nomen Domini timere. His igitur, qui Deum timent, aut qui solliciti ambulant coram Deo, salus promittitur, id est, libertas, fortuna bona, & quæ in bonis ab hominibus numerari solent. Hæc porrò clamare iubetur Propheta, & ciuitati, nempe Hierosolymæ, denunciare: & quò pondus addatur orationi, vox dicitur esse Domini, quam Deus per os Prophetæ, quasi per tubam resonare facit in hominum auribus, vt inde ad animos transmissa perueniat.

32. *Audite tribus; & quis approbabit illud?*] Attendere iubet Propheta documentum illud præclarum, quod à Domino tribubus annunciat: nempe vt ab externis sacrificiis auertant cogitationem, & studium, & de interna potiùs sanctitate cogitent, id est, seipsos potius, quàm sua offerant Deo: si enim suiipsorum velint esse domini, quæcumque alia deferant ad aram, & cultum, repellet vt aliena. Augustinus *sermone 236. de tempore*, tractat hunc Michææ locum perquam optimè ad mores, vbi docet, quid Dominus maximè, & quid solùm requirat ab homine. *Quærebas* (inquit) *quid offerres pro te, offer te. Quid enim Dominus quærit à te, nisi te? Qui in omni creatura terrena nihil melius fecit te. Quærit te à te, quia tu perdideras te: si autem facias, quod iussit, inuenit in te iudicium, & iustitiam.* Vide reliqua. Sua offerre non magnum putabat Gregorius *homil. 32. in Euang.* seipsum, magnum, & difficile: *Fortasse* (inquit) *laboriosum non est homini relinquere sua; sed valde laboriosum est relinquere semetipsum. Minus quippe est abnegare quod habet; valde enim multum est abnegare quod est.* Quare viro pauperi nunquam deerit, quid magnum, atque præclarum offerre possit Deo, cùm seipsum habeat, quem emancipatum à seipso, mancipet Deo.

Deus te magis amat, quàm tua.

Animus gratum Domino sacrificium.

Pauperi nunquam deerit quid offerat Deo.

33. Expressit hoc, & docuit Seneca *lib. 1. de beneficiis cap. 8.* in quodam Æschine. *Socrati* (inquit) *cùm multa multi pro suis quisque facultatibus offerrent, Æschines pauper auditor nihil, inquit, dignum te, quod dare tibi possim, inuenio, & hoc modo pauperem me esse sentio. Itaque dono tibi, quod vnum habeo, meipsum. Hoc munus, rogo, qualecumque est, boni consulas; cogitésque alios, cùm multum tibi darent, plus sibi reliquisse. Cui Socrates: Quidni tu, inquit, mihi magnum munus dederis, nisi forte paruo te æstimas?* Et statim, *Videtur mihi dixisse* (Æschines) *nihil egisti fortuna, quod me pauperem esse voluisti. Expediam nihilominus dignum huic viro munus: & quia de tuo non possum, de meo dabo.* Sed planè, vt diximus, id difficile est, quenquam sibiipsi, de seipso nihil velle relinquere. Quare cùm hanc legem tribubus edixisset Propheta, quasi desperaret hoc se impetrare posse à populo nimis voluptuario, quique assuetus esset suæ potius libidini, quàm alterius voluptati parere, subiecit: *Et quis probabit illud?* Quasi diceret, ecquis suis affectibus imperabit adeò constanter, & seuerè, vt voluntatem suam alligare meditetur alienæ, velitque sollicitum ambulare cum Deo suo, id est, ab illius nutu omninò pendere. Quod Septuaginta sic expresserunt, *Et paratus sis ad ambulandum post Dominum Deum tuum*, id est, quocunque te vocet Deus: quæ vera abnegatio, & suiipsius emancipatio est.

Vers. 10. *Adhuc ignis in domo impij, thesauri iniquitatis, & mensura minor iræ plena.*] Non auertunt diuinam iram hircorum, aut vitulorum millia, aut aræ primogeniti filij cruore respersæ; neque placant Deum holocausta, quando iustitia proditur, & iudicium corrumpitur; & suæ potiùs homo cupiditati, quàm diuino obsequitur imperio. Quandiu enim domi thesauri clauduntur, quos iniquæ pactiones, corrupta iudicia, fraudes, & iniuria congregarunt, tamdiu in mediis penetralibus ignis est, qui domos iniquas, id est, multorum scelerum officinas, quantumcumque firmas, in fauillas rediget. Quare iniqua pecunia non firmat domum, sed euertit; non auget, aut nobilitat, sed potiùs attenuat, & conficit familias. Dixit hoc idem Iacobus cap. 5. *Argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras, sicut ignis.* Significauit hoc ipsum Zacharias *cap. 5.* in volumine volante, siue, vt legunt Septuaginta, in volante falce. *Veniet* (inquit volumen) *ad domum furis, &c. & commorabitur in medio domus eius, & consumet eam, & ligna eius, & lapides eius.* 34.

Rapina in domo ignis est, qui illã absumit.

Cùm innumeræ sint fraudes, & modi, quibus ad iniquum lucrum abutuntur homines, meminit tamen mensuræ minoris, quia illa quasi hamo alienas opes captant negotiatores, qui hoc maximè in genere, & hoc præsertim artificio peccant. Quibus alia, atque alia solet esse mensura; aliud atque aliud pondus, maiori pondere, atque mensura alienas sibi comparant merces, & minori vendunt, & distrahunt suas. De his Amos cap. 8. vers. 4. *Audite hoc qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ, dicentes: Quando transibit mensis, & venundabimus merces, & aperiemus frumentum, vt minuamus mensuram, & augeamus siclum, & supponamus stateras dolosas?* nempe vt in coëmendis mercibus grauiora, in diuendendis leuiora adhibeamus. Quod genus infidele, ac turpe abominabile dicitur apud Deum Prouerb. 20. vers. 10. *Pondus & pondus, mensura & mensura, vtrumque abominabile est apud Deum.* Quare Deus *Deuter. cap. 25. vers. 13.* seuerè cauet, ne illa mensuratum, ac ponderum inæqualitas in Hebræorum domibus reperiatur. *Non habebis in sacculo diuersa pondera; maius, & minus: nec erit in domo tua modius maior, & minor.* Quale verò pondus sit iustum, ac iusta mensura, docuit Deus *Ezech. cap. 45.* vbi præceptum iterat redituris in patriam, quod *Deuter. cap. 25.* ingressuris illam antè tradiderat. 35.

Odibilis Deo fraus in negotiatione.

Mensura minor iræ dicitur plena: quia tantum additur diuini furoris, quantum iustæ quantitatis mensuræ detrahitur. Fac tantum è mensura iusta vacuum esse, quantũ minus à iusto habet, quæ infidelis est, & iniusta. Deus, qui custos est, & vindex iustitiæ, vt nihil patitur in natura vacuũ, sic etiam neque in moribus: quod tu vacuum relinquis, ipse magno tuo malo compensat, & complet. Partem relinquis vacuam è mensura legitima, illam Deus complet ira sua. In illa vacuitate concrescunt grandines, conflantur fulmina, quæ in die belli Deus in tuum caput eiaculetur. Denique quæ malè sunt parta, sint licèt eiusmodi, vt contractura nullam videantur æruginem, quale est aurum, & argentum; æruginabunt tamen, & putrescent, vt de malè parta pecunia dixit Iacobus *cap. 5.* 36.

Fraus quomodo puniatur.

37. Verſ.11. *Nunquid iuſtificabo ſtateram impiam,& ſacculi pondera doloſa?*]Princeps,aut iudex tunc dicuntur iuſtificare,id eſt,iuſta oſtendere aliorum errata,quando impunita relinquunt,cùm punire poſſint; neque agere contra legem illum cuius ſanguine non imbuit gladium, quem lex ipſa porrigit.Deus igitur, qui princeps eſt, & iudex, ſi impunè abire pateretur mercatorum fraudes, & doloſa pondera, cùm tam poſſit facile punire, iuſtificare videretur illorum callida conſilia, & fraudulenta commercia. Atque ideo ſubiicit poſtea, quódnam ab illis ſumendum ſit ſupplicium. Id probat, aut iudicat Deus ipſe, qui ideo dicit *Ierem.cap.*30.v.11. caſtigatum eſſe populum,ne exiſtimaret ſe in eo,quod iniquè geſſiſſet, culpa vacaſſe. *Caſtigabo te in iudicio, vt non videaris tibi innoxius.*& iterum *cap.*46.v.28. hoc idem repetit. Dicuntur autem *ſacculi pondera*;quia mercatores,ſiue qui domi manent, vbi habent apothecas, aut tabernas luculenter inſtructas, & emptores non tã quærunt foris, quàm expectant, aut qui ciuitatem luſtrant,& ſiſtro, ac voce emptores quærũt, & inuitant, quos *circitores* dicimus, hi omnes in fiſco, aut ſacculo pondera aut ſuſpendunt domi, aut cum bilance ſecum per compita circumferũt. Quæ cùm in ſacculo confuſa geſtentur,ignota aliis, & ipſis tantùm mercatoribus cognita,facilè poſſunt in emendo grauiora, & in vendendo leuiora producere. Aut certè in ſacculo ideo ſeruantur;quia fortaſſe è ſaxo erant, & non è ferro illa formata pondera, quæ ſi humi eſſent, & non potiùs in ſacculo concluſa,iactarentur pedibus,& huc,atque illuc ſubinde verſata,atque detrita,aliquid legitimi ponderis amitterent. Quod ideo mihi perſuadeo, quia vbi vulgatus tum hîc, tum alibi ſæpè pondus reddit, Hebr.eſt אבן *eben*, quæ vox lapidem ſonat. & eſt ſatis veriſimile primis ſaltem temporibus aut in deſerto, quando data lex eſt de ponderum æqualitate, aut in terra promiſſionis,cùm nondum eſſet omninò res Iſraelitica compoſita, pro ferro adhibitum eſſe lapidem in rerum permutatione, aut venditione;& poſterioribus ſæculis, licèt foret mutata materies, rerum tamen nomina fuiſſe ſeruata,ita vt mercatorium pondus diceretur lapis.

Mercatorũ pondera lapides vocãtur.

38. Verſ.12. *In quibus diuites eius repleti ſunt iniquitate, &c.*] Hæc obſcura non ſunt; tantùm ſignificant quo artificio, & fraudibus in euertendis aliorum bonis vſi fuerint aut auari principes, aut mercatores callidi.

39. Verſ.13. *Et ego ergo cœpi percutere te perditione ſuper peccatis tuis.*] Innoxius ſibi videretur fraudulentus ille populus, qui inſtar Chananæi ſtateram habebat doloſam, & iniqua pondera:ne tamen eo ſibi nomine blandiretur,& Deus ad illius veteratoriã artem conniuere,& ſcelerata probare conſilia videretur,cœpit populum illum graui plaga percutere. Illud *ergo* cauſam oſtendit inflictæ plagæ, ne videlicet quiſquam cogitaret Deum probare ſtateram falſam, & iniqua pondera, ſi illa relinqueret impunita.

40. Verſ.14. *Tu comedes,& non ſaturaberis.*] Incipit iã exponere quódnam ſit futurum ſupplicium,quod impiam illam hominum, & fraudulentam auaritiam expectat;& quod iam à Deo,qui vt prudens medicus à mitioribus incipit, experiri cœperat. Primùm minatur famem,aut illam ciborum qualitatem, & modum,vt famem non exſaturet: aut quia parcus erit cibus,qualis in lõga,atque anguſta obſidione præberi ſolet;quod contigit priùs in obſidione Samariæ,& poſtea cùm fuit à Chaldæis

A obſeſſa Hieroſolyma:aut quia cibo Deus abſtulit nutriendi,atque roborandi facultatẽ. Quo modo quidam explicant illud Iſaiæ c.3.v.1. *Auferet Dominus à Ieruſalem,& à Iuda omne robur panis,& omne robur aquæ.* Priorem explicationem magis probo: neque ille Iſaiæ locus,vt in noſtris Commentariis diximus, vim ſignificat ablatam eſſe pani,ſed panis inopiam.Erit ergo ſenſus tam parcum futurũ eſſe cibum,vt famem non ſolùm non expleat, aut obtundat,ſed potiùs excitet,& acuat.

Et humiliatio tua in medio tui.] Humiliari in Scriptura ſacra multa ſignificat.Primùm affligi,& opprimi, quomodo à dominis mancipia ſolent, & ſubacti milites ab hoſte victore. Deinde pati id, quod minimè honeſtos, & ingenuos decet: quomodo humiliatæ dicuntur eſſe virgines,quæ alio-
B rum libidini ſuccubuerunt violentæ. Id verò paſſi ſunt Iudæi in medio ſui,id eſt,intra ciuitatis mœnia,cùm primùm illa capta ſũt à Chaldæis.Quot autẽ modis humiliati Iudæi fuerint à Chaldæis, expreſſit Ieremias Thren.c.5. *Mulieres in Sion humiliauerunt, & virgines in ciuitatibus Iuda. Principes manu ſuſpenſi ſunt:facies ſenum non erubuerunt. Adoleſcentibus impudicè abuſi ſunt,& pueri in ligno corruerũt.* 41. *Humiliationis varia ſignificatio.*

Et apprehendes,& non ſaluabis, & quos ſaluaueris,in gladium dabo.] Non dubium,quin parentes, atque cognati grauiter ferãt humiliari virgines, & pueros ad nefariam libidinem ab hoſte capi, & viros ſenes haberi ludibrio,& principes ad ſuſpendium
C adigi. Quare dolore, ac furiis agitatus amor illos impellet,vt ſuorum vitæ,atque pudori conſulant, & per hoſtium tela audaces irrumpãt. Fruſtrà tamen, quia aut non apprehendent,quos ſaluos eſſe volent,quia vis hoſtium maior procul arcebit; aut ſi quos in eo rerũ articulo ſaluari contingat, non diu tamen gladium, & ſeruitutem effugient. Incident enim in illud infortuniũ,quod ſeſe ſuorũ ſtudio declinaſſe arbitrabantur. Quod ſanè ita accidit;nam qui è communi cæde ſuperſtites fugerunt in Ægyptum,aut ibi fame,& ferro ſublati ſunt,aut à Chaldæis in illam ſeruitutem abducti, in quam non multo antea priores abierant.Quod
D ex Ieremia perſpicuè conſtat c.44.v.27.*Ecce ego vigilabo ſuper eos in malum,& non in bonum:& conſumentur omnes viri Iuda, qui ſunt in terra Ægypti,gladio,& fame,donec penitus conſumantur.*Subaudienda eſt hîc, opinor, conditionalis particula, ſicut frequenter alibi,in hunc ſenſum.Si apprehenderis,nempe filias virgines, vt à ſtupro vendices; & filios, vt à Chaldæorum petulantia defendas, non ſaluabis: quod ſi tunc ex illorum manibus expedias,diu tamen non erunt incolumes; quia vis iterum redibit hoſtilis,& nihil relinquet liberum à cæde, vel infamia. 42.

Verſ.15. *Tu ſeminabis, & non metes: tu calcabis oliuam, & non vngeris oleo; muſtum, & non bibes vinum.*] Grauis eſt dolor, cùm labores noſtros prædantur alieni; & vbi nos eſurimus, alij de manuum noſtrarum labore ſaturantur.Sanè qua-
E ſi grauiſſimum malum id ſibi imprecatur Iob, niſi verum ſit,quod ipſe de ſe prædicat,cap.31. v. 8. *Si in manibus meis adhæſit macula, feram, & alius comedat.* & in ſummo dolore, vel iniuria id Iſaias numerat cap.1. verſ.7. *Regionem veſtram coram vobis alieni deuorant.*Spectabat ſine dubio Propheta ad illas minas, quas peccatori populo denunciauit Dominus *Deuter.c.*28. vbi ex labore longo, & plantatione multiplici, aut nullum, aut exiguum fructum carpendum eſſe dicit v.32. *Filij tui, & filiæ tuæ tradentur alteri populo, videntibus oculis tuis, & deficientibus ad conſpectum eorum tota die,* 43.

Digitized by Google

die, & non sit fortitudo in manu tua. Fructus terræ tuæ, & omnes labores tuos comedat populus, quem ignoras. Et verſ.38. *Sementem multam iacies in terram, & modicum congregabis, quia locustæ deuorabunt omnia. Vineam plantabis, & fodies, & vinum non bibes,* &c. *Oliuas habebis in omnibus terminis tuis, & non vngeris oleo.* Et Leuit.cap.26.verſ.16. *Frustrà feretis ſementem,quæ ab hoſtibus deuorabitur.*

44. Sed dicet hîc aliquis, quomodo in obſidione non bibent vinum, aut oleo non vngentur obſeſſi, cùm ab ipſis vuæ calcatæ eſſe dicantur, & oleum ex oliuis expreſſum. *Tu calcabis oliuam,* &c. Oleum autem, & vinum in vrbe ſeruantur, in qua cùm tamdiu duraret obſidio, illis frui potuerunt obſeſſi. Propter hæc quidam putant hîc loqui Prophetam de Iudæis, quo tempore exularunt apud Babylonios; vbi cùm ſererent, & ſubigerent agros, & calcarent vuas, non tamen ſibi, ſed dominis laborem illum moleſtum, & ſordidum aſſumebant. Calcabant exules generoſum vinum, quod flaueſceret in dominorum menſis; ipſi tamen aut potabant aquam, aut cùm optimè cum illis ageretur, quod eſſet è dolio fæculentum, & vapidum. Sed credo priorem ſententiam magis eſſe veram: quod vt ex eo mihi perſuadeo, quia id, vt proximè vidimus, minatus eſt Dominus; neque ſi de exilij tempore foret hîc ſermo, tanquam aliquid durum diceretur exulibus ſerendos quidem, non tamen metendos agros, cùm non minor eſſet in metendo, quàm in ſerendo labor. Porrò metere idem eſt quod fructum capere, tam apud ſacros, quàm apud prophanos ſcriptores. Sic Paulus 1.Cor.9. *Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt, ſi carnalia veſtra metamus.* Neque oppoſita ratio huic cogitationi vehementer incommodat. Vt enim extra ciuitatem olіueta ſunt, & vineæ: ſic etiam ibi cellaria ſunt,in quibus oleum, & vinum recondantur. Sanè Iſaias *cap.5.* ex Hebræorum, vt apparet,conſuetudine, in vinea turrim ædificauit, & torcular, vbi premeretur, & ſeruaretur vinum. Quod etiam expreſſit Chriſtus *Matth.cap.21. verſ.33.* Et idem, opinor, factum eſt in oliuetis, in quibus trapetum fuiſſe videtur, quod exprimeret, & olearia vaſa, quæ continerent oleum. Quæ diripuere Chaldæi irruptione inopinata, antequam in tutum aliquem locum Solymitani ciues intra mœnia recondèrent.

45. Verſ.16. *Et cuſtodiſti præcepta Amri, & omne opus domus Achab.*] Ex hoc loco nonnulli colligunt hoc vaticinium eſſe contra decem tribus, quibus præfuerunt Amri, & filius eius Achab, qui vt regni Ieroboam, ſic etiam illius impietatis hæredes extiterunt. De Amri ſcrib tur 3.Reg. cap.16. *Fecit autem Amri malum in conſpectu Domini: & operatus eſt nequiter ſupra omnes, qui fuerunt ante eum.* Eadem traduntur de Achab *cap.*28. Sed non minùs viget iſta ratio. Tantùm enim dicuntur Iudæi duorum peſſimorum regum imitati corruptos mores, ſicut etiam aliquando dicuntur Gentilium mores expreſſiſſe: & vt nemo ex eo probaret Iudæos eſſe Gentiles, ſic etiam nemo ex hoc dicendi genere colligeret illos in tribubus decem eſſe numerandos.

Et ambulaſti in voluntatibus eorum.] Actio ſæpè in Scriptura obiectum ſignificat, aut terminum actionis: quo modo *viſio* ponitur pro ſpectro, *auditio* pro ſermone, *timor* pro re horribili, ac timenda: ſic nunc voluntas ponitur pro voluntatis, ſeu volitionis obiecto. Voluntates itaque Amri, & Achab, ſunt vitulorum ſacrificia, & Gentilium Deorum nefaria ſacra, à quibus non abhorruerunt Iudæi,qui non ſolùm in montibus, & lucis, ſed etiam in templo omnium auguſtiſſimo impuras aras excitarunt. Porrò *ambulare in aliquo*, Hebraica phraſi idem eſt quod verſari, aut exerceri in aliquo opere. Quod expreſſit Hiſpanus forſitan ab Hebræis, qui occupationem, aut negotium hoc ferè modo ſignificat, *anda en negocios,en pretenſiones.* 46.

Vt darem te in perditionem, & habitantes in ea in ſibilum.] Populus quia in terminatione ſingulari multitudinem importat, modò pluralem, modò ſingularem numerum admittit: vt eſt illud Iſaiæ cap.29.13. *Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè eſt à me.* Vbi *hic*, & *eorum* eidem nomini conueniunt. Illud *te* de populo, ac ciuitate dicitur, quam Dominus Chaldæorum armis omninò ſubuertit. Illud *vt* non tam cauſam importat finalem, quàm rerum indicat conſecutionem. Quaſi dicat, eò rem deduxiſti, ô ingrate, ac ſcelerate popule, ſeu ó ſtulta, atque proterua ciuitas, vt iam ſtatuerim te funditùs delere, & tradere in perditionem, ac deſolationem: & omnes, qui in ea deſolatione, id eſt, deſolata ciuitate priùs habitauerant, excluſos à patria, atque à Iudææ finibus, irridendos aliis, atque exſibilandos tradere. Quod planè factum eſt: non enim ſolùm duram, ſed etiam ignobilem ſeruitutem, expoſitámque populari conuitio ſubierunt Iudæi, vt millies & audierant antè, & audierunt poſtea à Prophetis aliis. 47.

Et opprobrium populi mei portabitis.] Hæc fortaſſe ad illos referuntur, qui priùs appellati ſunt montes, & colles, qui ſiue potentia, ſiue artificio, inferioris plebeculæ facultates, & opes ſibi vindicarunt. Quibus edicit Dominus talia eſſe ab aliis inferenda detrimenta, atque opprobria, qualia ipſi inferioribus intulerunt: aderit enim maior vis, quæ illis non ſolùm dignitatis eripiat ornamenta, ſed etiam neceſſaria vitæ ſubſidia. Seu certè vt ipſi conuitiis inferiorem turbam exagitarunt, quaſi putarent ſibi in illam quiduis licere: ſic etiam turba eadem inferior iuſtiſſimis odiis inſtimulata vicem referet, & iiſdem, aut etiam grauioribus contumeliis inſurget. Sed non videtur improbabile iterari hîc minas, quas Dominus multo antè denunciarat populo, ſi quando à ſua voluntate defeciſſet. De quibus Deuter.cap.28.verſ.37. *Eris perditus in prouerbium, ac fabulam omnibus populis, ad quos te introduxerit Dominus.* Quod ſi hoc modo accipias, graue hoc, & importabile ſupplicium eſt, quod viri iſti, aut principes, aut callidi portabunt,cum illa, quæ dicta ſunt à Deo ſiue *Deuteronomij cap.28.* ſiue *Leuitici cap.26* grauiora ſint, quàm quæ à natura mortali ſuſtineri poſſe videantur. 48.

Digitized by Google

IN CAPVT SEPTIMVM

ARGVMENTVM.

DOLET, queritúrque Propheta, quòd nullum ex longo studio, atque opera fructum retulerit, cùm suorum contribulium mores ita sint corrupti, vsque adeò profligatus pudor, & naturæ leges, vt non vendicet ab iniuria, aut publicum nomen, quale habent magistratus, & principes, aut familiæ sanguinisque communio. Cúmque in hominibus nihil esse videat, aut constans, aut fidele, à Deo solùm sperandum esse dicit, quod ex voto atque vsu futurum sit. Deinde Babyloni talem predicit ignominiam & cladem, qualem ipsa priùs Iudæis intulerat. Commendat ad extremum Dei clementiam, orátque, vt quæ benignè promisit olim Abrahamo, antiquísque Israelitici generis parentibus, id in eorum posteris fideliter impleat.

CAPVT VII.

1. *VAE mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ: non est botrus ad comedendum, præcoquas ficus desiderauit anima mea.*

2. *Periit sanctus de terra, & rectus in hominibus non est: omnes in sanguine insidiantur, vir fratrem suum ad mortem venatur.*

3. *Malum manuum suarum dicunt bonum: princeps postulat, & iudex in reddendo est: & magnus locutus est desiderium animæ suæ, & conturbauerunt eam.*

4. *Qui optimus in eis est, quasi paliurus: & qui rectus, quasi spina de sepe. Dies speculationis tuæ, visitatio tua venit: nunc erit vastitas eorum.*

5. Noli

PARAPHRASIS.

A 1. HEi mihi, ait Propheta, quia in excolendo populo, tanquam vinea operam prorsus vacuam, & inutilem sumpsi. Accidit enim mihi, quod in autumno vinitori, absoluta vindemia, qui relictos scrutatur racemos, neque tamen aliquid inuenit opportunum esui. Desideraui in populo meo virum aliquem iustum ea auiditate, qua famelicus homo ficus temporaneas, & præcoquas desiderat.

2. Sed planè iustus in terra nullus inuenitur: omnes eò intentum habent animum, atque consilia, vt aliorum bona captent, quod perinde est atque aliorum insidiari sanguini, neque vlla colitur aut habetur domesticæ consuetudinis aut cognationis ratio. Frater enim immemor
B generis & naturæ, quæ id execratur & horret, ad fraternum sanguinem anhelat.

3. Cúmque omnia, quæ meditantur aut faciunt, iniquissima sint, bona tamen esse clamant, & iusta, quasi à puris manibus, & religioso pectore profecta. Princeps, qui iudicio forum vendit, & iudicandi facultatem, pecuniam postulat à iudice, cum quo tacita pactione de pecunia transegit. Iudex ne excidat à principis gratia, & à tradito sibi magistratu extorquet iniquè pecuniam, quam ex pactione debet: quia vir ille magnus, atque
C potentior suam illi voluntatem aperuit; atque ita illi rem totam conturbant, & peruertunt, & tamen suæ calliditati atque rapinæ aliquam prætendunt honestatis speciem.

4. Cùm principes, quíque publicos obeunt magistratus, miserorum perfugium esse debeant, & quasi vmbraculum in æstu, potiùs absterrent in tantis quasi spinosæ plantæ aculeis, quàm diffusis ad opacandum locum frondentibus ramis, ad vmbrã

&

A & quaſi gremium alliciunt. Qui enim inter illos optimus eſt, nihilo eſt paliuro melior, atque benignior: & qui rectus exiſtimatur, eos habet ſtimulos, quos ſenticoſus frutex, qui à vinitore ad vinearum & hortorum cuſtodiam obſeritur. Sed aderit vaſtitas iam antè prædicta, & ex illa diſces, ô popule, Pſeudoprophetarum blandimento lactare, qualis ſit illa ſpeculatio, aut vaticinatio, quæ ſecuritatem tibi atque otium promittit.

5. Nolite credere amico: & nolite confidere in duce: ab ea, quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui.

5. Quare ſi veſtris commodis conſultum eſſe vultis, nolite Prophetis mendaci-B bus, qui ſuam vobis beneuolentiam venditant, aures præbere dociles, aut ducibus atque principibus confidentes, ac obſequentes animos. Quin potiùs nolite vxoribus ipſis, quibus maxima debet ineſſe fidelitas, quáſque fouetis in ſinu molliter, aperire mentis arcana, aut oris, quod obſeratum eſſe oportet, clauſtra reuellere.

6. Quia filius contumeliam facit patri, & filia conſurgit aduerſus matrem ſuam, nurus aduerſus ſocrum ſuam: & inimici hominis domeſtici eius.

6. Nulla etenim tanta erunt officiorum naturæque vincula, quæ non perrumpat priuata vniuſcuiuſque commoditas. Patri namque ſuo inſidiabitur filius, neque ma-C ior erit filiarum in matrem, aut nurus in ſocrum amor, atque fidelitas. Denique à domeſticis, quaſi ab inteſtinis hoſtibus, cauendum eſt.

7. Ego autem ad Dominum aſpiciam, expectabo Deum ſaluatorem meum: audiet me Deus meus.

7. Ego autem, ait Propheta, in vno Deo fiduciam collocabo, in quo vno & ſecura eſt fides, & inconcuſſa conſtantia: qui exaudiet me, & quæ prolixè promiſit, ea omnia cumulatè præſtabit.

8. Ne læteris inimica mea ſuper me, quia cecidi: conſurgam, cùm ſedero in tenebris, Dominus lux mea eſt.

8. Et tu, ô Babylon (inſultat Propheta, populi nomine, Babyloni, quam in Iudæorum cæde exultantem videbat) quæ D infenſas mihi atque armatas manus intuliſti, ne vſque adeò tibi placeas, aut triumphes, quia tuis oppreſſa viribus corrui; quia Deo duce, atque auſpice, quem meis rebus iam propitium adfuturum ſpero, à ſeruili & miſera conditione conſurgam.

9. Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei, donec cauſam meam iudicet, & faciat iudicium meum: educet me in lucem, videbo iuſtitiam eius.

9. Interim dum lux mihi à Domino vitalis affulſerit, qui vltus iniurias meas, ſuam in me iuſtitiam & fidelitatem oſtendat, ſubibo ſupplicium, quod iuſtiſſimè mihi, quia peccaui, Deus vltor impoſuit. Neque id ſuſtinere recuſabo, quia fruſtrà con-E tendet, qui obluctari Domino voluerit.

10. Et aſpiciet inimica mea, & operietur confuſione, quæ dicit ad me: Vbi eſt Dominus Deus tuus? Oculi mei videbunt in eam: nunc erit in conculcationem vt lutum platearum.

10. Tunc Babylon tantarum rerum viciſſitudinem contemplata, ingenti quodam pudore confundetur, quæ nunc inſultans mihi dicit: Vbi eſt Deus tuus, quem omnipotentem prædicabas, à quo ſperabas omnia? Tunc deſpiciemus Babylonem, ſicut antea nos Babylon, cùm eo ſit loco, ac pretio apud nos, & victores hoſtes, quo lutum,

A lutum, quod in plateis ab omnibus, cum nausea atque fastidio calcatur.

11. Dies, vt ædificentur maceriæ tuæ: in die illa longè fiet lex.

11. Aderit tempus, Ierusalem, cùm diruta à Babyloniis instauretur maceries, & cesset lex illa, quam barbarus dominus imposuit tibi, siue vt ancillæ, vt vilia subires ministeria, siue vt captiuæ, vt dura & supra vires vectigalia penderes.

12. In die illa & vsque ad te veniet de Assur, & vsque ad ciuitates munitas: & à ciuitatibus munitis vsque ad flumen, & ad mare de mari, & ad montem de monte.

12. In die illa reuertentur ad te exules Iudæi ex Assyriis, vbi dispersi morabantur, & à ciuitatibus munitis à mari, & fluminibus, & montibus, quæ erant inter hostes in peregrino solo, ad maria, ad flumina, ad montes & ciuitates munitas, quæ reliquerunt in Israelitide terra reuertentur.

B

13. Et terra erit in desolationem propter habitatores suos, & propter fructum cogitationum eorum.

13. Longè aliter sub idem tempus accidet Babyloniis, quorum regio propter habitatorum scelera, & propter studiorum ac cogitationum iniquarum sceleratos fœtus, deserta & vacua ab incolarum frequentia remanebit.

14. Pasce populum tuum in virga tua, gregem hereditatis tuæ, habitantes solos in saltu, in medio Carmeli: pascentur Basan & Galaad iuxta dies antiquos.

14. Pascebas antè, ô captiue popule, alienum gregem, aliena virga, & alieno populo: quare si quis capiebatur è grege fructus, totus ille pertinebat ad alienum dominum. At postea gregem pasces tuum, non aliena, sed tua virga, in vberrimis pascuis Libani, atque Basan, vbi solùm pasces tuos, neque alienos tuis gregibus admiscebis. Quare quicquid inde capietur fructus, id ad tuos tantùm vsus pertinebit, non aliter, atque antiquis & felicioribus sæculis.

C

15. Secundùm dies egressionis tuæ de Terra Ægypti ostendam ei mirabilia.

15. Talia ostendam, cùm te è Babylonica exemero seruitute, prodigia, qualia cùm te ex Ægyptio iugo liberaui.

16. Videbunt gentes, & confundentur super omni fortitudine sua: ponent manum super os, aures eorum surdæ erunt.

D 16. Cùm autem gentes illæ quondam variis elatæ victoriis, fortitudinem suam fractam, & subactam esse viderint, confundentur pudore vehementi, neque hiscere audebunt in dominorum conspectu, sed digito labella compescent, neque aliter se habebunt, cùm indigni aliquid de se aut contra se durum aliquid audiant, quàm si nullas haberent aures, quæ audirent quid esset sibi in maledictis obiectum.

17. Lingent puluerem sicut serpentes, velut reptilia terræ perturbabuntur in ædibus suis: Dominum Deum nostrum formidabunt, & timebunt te.

17. Sicut serpentes toto reptant corpore, & terram tangunt: sic illi coram hoste victore humi toto sternentur corpore, & è suis ædibus non aliter extrahentur, quàm è cauerna coluber, aut quoduis aliud reptile, non quidem compulsus egredi suis pedibus, sed totius corporis tractu, sicut reptatu serpens è cauernis extruditur. Tunc verò temporis, edocti rerum exitu, quàm essent dij mendaces, & vani, quanta in Deo fidelitas, & virtus, timebunt illi, & omni studio desiderabunt, & amplectentur.

E

18. Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem

18. O igitur Deus, à quo facta est tanta

tatem, & transis peccatum reliquiarum hereditatis tuæ? non immittet vltrà furorem suum, quoniam volens misericordiam est. A

ta rerum mutatio: quem inueniemus tibi similem, cuius clementiam nulla exhaurit peccatorum improbitas, nulla multitudo: qui non solùm moderaris, & temperas, quicquid in suppliciis videbatur acerbum, sed etiam aufers, atque condonas his, quos ex multis reliquos fecit tam longi exilij, tam ærumnosa conditio. Non iam Deus amplius in populi reliquias furoris sui acerbitatem effundet, quia patiens, & misericors est, neque suas ad summum persequitur iniurias.

19. *Reuertetur, & miserebitur nostri: deponet iniquitates nostras, & proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* B

19. Abiecit nos Deus ab humanitate, qua nos antea parentum memoria complexus fuerat: nunc ad animum verè clementem & paternum reuersus, nostram miseriam misericors leuabit, qui nostra peccata & quod illis debetur supplicium, sic aspicit, ac si nunquam illa forent admissa, & hoc esset indebitum: neque magis illorum recordatur, quàm si in profundum maris essent demersa.

20. *Dabis veritatem Iacob, misericordiam Abraham: quæ iurasti patribus nostris à diebus antiquis.*

20. Dabis igitur, ô Domine, fideliter Iacobi filiis, quod misericorditer Abrahamo, & antiquis Patribus iuramento firmasti.

Vers.1. *Væ mihi, quia factus sum veluti qui colligit in autumno racemos vindemiæ.*]

1. VERBA sunt Prophetæ, qui dolet populum post tantam Dei benignitatem, & tot Prophetarum minas, promissaque ingentia tam esse corruptum, vt nihil in eo inuenire queat, quod sit ad votum, neque vllus appareat tam sedulæ, piæ, atque constantis operæ fructus, aut pretium. Quod duplici similitudine declarat. Durum est agricolæ, si post grauem, diuturnúmque laborem, post sumptus magnos, quos in plantanda vinea, atque colenda posuit, nullum ex illa tādem referat fructum; vel quia exustus in principio flos omnem vbertatis expectationem ademit; aut quia eruca, & bruchus germinantem vineam populatus est; aut quia occupauit alius ante vindemiam; & quid dominus, aut vinitor inde colligeret, nihil inuenit reliquum. Et hoc potiùs. In autumno compensat vinea laborem à vinitore impensum, redditque cum vsura quod accepit. Quare sicut fœnerator Kalendas expectat, vt locatæ pecuniæ lucrum accipiat: sic agricola præstolatur autumnum, qui reddat pro fœnore maturam vindemiam. Sed Propheta, aut Dominus potiùs per Prophetam, dum vindemiam quærit, quam ex tanto studio copiosam esse oportuit, neque racemum inuenit, quia iam alius aut germinantem extinxit, aut collectionem anteuertit. Idem de sua vinea querebatur Deus *Isaia cap.5.* qui postquam multùm, ac diu in excolenda vinea sudatum est, cùm expectaret vuas, labruscas inuenit, vuas videlicet fœtentes, & inutiles.

Durum est homini opera sua pretio priuari.

Racemi vindemiæ, aut post vindemiam illi sunt, qui à vinitore peracta vindemia relinquuntur; aut quia illius oculos effugerunt; aut quia contempti sunt, quia nondum illis aduenerat tempestiua maturitas. Ab Hispanis *agraZones* dicuntur, aut *rebusca*.

Non est botrus ad comedendum.] Quemadmodum si quis vineam ingrediatur occupatam ab alio, & spoliatam fructibus, non inuenit botrum, qui cibui sit idoneus, quia si quid reliquum est in vitibus, illud immaturum est, & peracerbum gustu. Sic Deus quantumcumque esuriens in illo Iudæorum populo nihil inuenit, ex quo voluptatem illam caperet, quam vinitor, aut alius quicumque à racemo maturo. Aut enim vinea illa mystica fructum attulit nullum, aut certè eiusmodi, vt offenderet magis, quàm mulceret palatum. 2.

Si textum consulas Hebraicum, paulo aliter leges, nempe, *Sicut collectiones autumni, seu potius æstatis, sicut racemi vindemiæ.* & ita penè exponunt recentiores interpretes. Septuaginta, *Sicut colligens stipulam in messe, & sicut racemos in vindemia.* Quod ad sententiam attinet, aut nullum est, aut perquam leue discrimen. Fructus æstatis fructus sunt æstiui, qui seruantur in annum, sicut etiam fructus autumni. Vtrorumlibet autem collectione, seu vindemia absoluta, aut nullæ sunt, aut exiguæ reliquiæ; maximè cùm auarus est dominus, & minùs obsequens legi, quæ in vsum pauperum remanentes spicas, & fructuum reliquias seruari voluit. Hieronymus autumnum tantùm posuit, quia in ea parte autumni colliguntur arborum fructus, aut vitium, quæ proxima est æstati; & quia racemorum ibi mentio est, quorum collectio, & quasi legitima vindemia 3.

vindemia in autumno fit. Sumi autem æstatem, seu autumnum per metonymiam pro æstiuis, seu autumnalibus fructibus, vsitatum est tam apud sacros, quam apud profanos scriptores, qui sicut locum adhibent pro his, quæ in loco fiunt; sic tempus pro his, quæ fiunt in tempore. Sanè Martialis autumnum posuit pro autumnalibus fructibus lib. 12. epigr. 57.

Nec in Falerno colle maior autumnus.

4. *Præcoquas ficus desiderauit anima mea.*] Hieronymus in præcoquis ficubus cibos intelligit insuaues, & rusticos, quia & ipsæ agrestes sunt, & insulsæ, & quia nondum maturæ, multo minùs opportunæ mensis. Quasi dicat Deus, aut Propheta: quia panem non inueni, volui quisquilias, & furfures manducare, vrgente fame. Cum Hieronymo sentiūt Remigius, Albertus, & Haymo. Sed si reliqua Scripturæ sacræ loca diligenter attendas, vbi grossorum, aut præcoquarum ficuum facta mentio, inuenies ficus esse gratissimi saporis, & expetitas lautioribus mensis. Vbi vulgatus *præcoquas ficus*, Hebr. habet בכורה *bicurah.* quod alicubi in Hispania Punico vocabulo dicūtur *albacoras*, communiter Hispanorum vulgo *breuas.* Vocem illam aliquando vulgatus transfert *grossos*, aliquando *prima poma ficulnea*, interdum *temporaneum.* Esse verò בכורה suauissimum aliquid, indicat Isaias cap. 28. v. 4. *Quasi temporaneum ante maturitatem autumni, quod cùm aspexerit videns statim ac manu tenuerit, deuorabit illud.* Hic nihil apparet insuaue. Oseæ cap. 9. *Quasi vuas in deserto inueni Israel, quasi prima poma ficulnea.* Qui dubitauerit suaues esse in deserto vuas, ille poterit & dubitare dulces esse præcoquas ficus, aut prima poma ficulneæ. Quare huius Michææ loci hanc arbitror esse sententiam. Desiderauit anima mea virum aliquem iustum ea auiditate, qua famelicus homo ficus desiderat temporaneas, & præcoquas, quasi dicat vehementer.

Grossi alicubi gratissimi saporis.

5. Scio aliquibus visum esse grossos esse insulsos, & inhabiles esui. Ita certè putant cum Hieronymo hìc Nyssenus *orat. 5. in Cantica.* Ambrosius *lib. 7. in Lucam, cap. 3.* qui defluere dicunt grossos, neque vnquam tempestiuam habere maturitatem. Quod verum est fortasse sub alio cælo: at certè in Palæstina esse maximè dulces, expetique adeò vt illorum suauitas, & auiditas in prouerbium abierit, docent citata ex Scriptura testimonia. Et in Hispanico solo multis in locis suam habent maturitatem, & gustum non ingratum; qui etiam, sicut ficus, in totius anni vsum aridi seruantur, quas vulgus Hispanorum *macocas* appellat.

6. Vers. 2. *Periit sanctus de terra, & rectus in hominibus non est.*] Explicatio est superioris similitudinis. In botris, ac præcoquis ficubus iusti significantur, qui Deo non minùs grati sunt, quàm botri, aut grossi homini famelico. Eo verò tempore tam erant rari viri sancti, quàm botri peracta vindemia ab auaro, atque solerti vinitore. Atque ideo dicit sanctum omninò periisse de terra, neque inter homines reperiri vnum, qui rectam, ac puram viuendi rationem amplectatur.

7. *Omnes in sanguine insidiantur.*] Omnes eo infenso sunt animo, vt aliorum sanguini insidientur; siue propriè, ita vt illum hostilem in modum effundant; siue figuratè, ita vt aliorum bona fraudulenter captent; quæ hominum dicuntur sanguis, & vita, quia sanguinis sunt, & vitæ nutrimentum. Ego vtrumque coniungo; quia vt sub hæc tempora clamabant Prophetæ, rapinis, ac cædibus tota scatebat ciuitas, imò & tota regio. Oseæ cap. 4. v. 2. *Homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit.* Quàm latè sanguinis significatio pateat, diximus in hunc Oseæ locum.

Vir fratrem suum ad mortem venatur.] Hoc dicendi modo vis significatur, & calumnia, seu callida, & fraudulenta consilia, quibus infideles homines aliorum saluti, ac vitæ laqueos obtendūt, & necessaria vitæ cōmoda aut turbant, aut euertunt. Sicut venatores, vnde ducta est similitudo, ad vim, & audaciam fraudes adhibent, quibus magnas sæpè, & generosas feras impediunt primùm, deinde audaciùs venabulo conficiunt. Porrò *vir*, vt aliis sæpè locis, idem valet quod *quilibet*; quare omnibus dicit hanc vim, & artificium esse commune. 8.

Licèt apud Hebræos *frater* idem sit qui *proximus*: tamen hìc puto aliquid significari propinquius, vt docent exempla, quibus hanc suam querimoniam Propheta confirmat: quæ ab his sunt pleraque petita, quos aut sanguinis communitas, aut aliqua affinitatis ratio coniunxit. Quorum animos vbi primùm auaritia corripuit, aut ambitio, omnia cognationis, & humanitatis iura peruertit. Dixerunt hæc sæpè, & acutè Gentiles, quia grauia quotidie occursabant exempla. Quale est illud Ouidij 1. Metamorph. 9.

Viuitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus,

Non socer à genero, fratrum quoque gratia rara est.

Sed nemo Propheta nostro meliùs expressit, vt in consequentibus magis apparebit.

Vers. 3. *Malum manuum suarum dicunt bonum.*] 10.
Sicut quæ ab aliis benè gesta sunt, ipsi damnant, vt ex eorum corrupto iudicio, cui honestatis speciem magno quodam artificio prætendunt, compendium captent: sic quæ ab ipsis admissa sunt audacter contra ius, & fas, sancta esse clamant, quasi à puris manibus, & religioso pectore profecta.

Princeps postulat, & iudex in reddendo est.] Hæc 11.
verba latè patent, & in varias sententias à variis trahuntur. Hìc iam variæ ostenduntur fraudes, quibus ad aliena bona principes inhiant, illaque ad suos vsus callidè conuertunt. Postulat princeps, aut extorquet potiùs ab inferiori, ita tamen vt suum nomen à fraudis suspicione, & à publica reprehensione tueatur. Notum est illud, regibus longas esse manus, & multas: manus verò regum vocantur, quotquot regiæ voluntati, atque auaritiæ seruiunt; quos alij canes appellant venaticos, quorum sagacitate reges prædam explorant, & tandem assequuntur. In his numerari possunt iudices, quos iudicandis causis rex ipse præfecit, aut qui reipublicæ administrationi præsunt, quibus ea lege tradita est à rege administratio publica, vt regio fisco non minùs quàm publicæ vtilitati seruiant. Et illud fortasse est, postulare nempe principem ab vrbis præfecto, vel à iudice id, quod ex iniqua, atque tyrannica pactione debet, ex subditorum bonis: & iudicem, seu præfectum in eo esse, vt promissa reddat quantumcumque iniqua, ne ex arrepto ad iudicandum solio deturbetur.

Quo artificio Principes bona aliorum extorqueant.

Hieronymus putat inter iniquos iudices conuenisse, vt mutuò sibi forenses operas, & iudicia præstent. *Iudex* (inquit) *in reddendo est sic aliam iudicans, quomodo ipse ab alio iudicatur: vt præstent sceleribus suis mutuum fauorem, & in alterius crimine se defendant.* Et quidem hoc corruptissimi iudicij genus 12.

Iudices mutuas sibi præstant operas.

genus in quauis ætate vsitatissimum fuit, vt iudices sibi mutuò patrocinentur, & in illorum foro nemo sit nocens, si modò ipsius causa in alterius foro disceptetur. Reddit enim infidelis iudex alteri iudici fidelem operam, si modò in violata fide aliqua potest esse fidelitas. Illud vitium familiare fuisse videtur Græcis, qui mutuò sibi dant; si iudicent, indicium; si testes aduocentur, testimonium. De quibus sic Cicero pro Flacco. *Testimoniorum religionem, & fidem nunquam ista natio coluit: totiusque huiusce rei quæ sit vis, quæ authoritas, quod pondus, ignorat. Vnde illud est: Da mihi testimonium.* hoc est, da mihi testimonium tuum, accepturus bona fide meum, si quando illo tibi fuerit opus. Hoc est, quod vulgi sermone assiduè teritur, *Mutuum muli scabunt*, id est, mutuò se fouent, mutuò sibi suffragantur. Et illud, quod ex Epicharmo recitat in Axiocho Plato.

Græcorum iudicum in iudicando fides.

ἁδε χεὶρ τὰν χεῖρα νίζει, δός τι καὶ λάβε τι.

Abluit manus manum, da aliquid, & aliquid accipe.

Hæc mihi de iudicibus explicatio non displicet. Sed est mihi longè potior altera, cui valde allubescit, quod proximè succedit.

13. *Et magnus locutus est desiderium animæ suæ.*] Qui hoc loco dicitur magnus, princeps est; aut qui iudicem causis præficit disceptandis; aut qui causam habet iniquam, illámque, quando iure non potest, corrupto muneribus iudice tueri vult, vt placet Cyrillo. Vtrique enim respondet iudex, aut absoluendo principem reum, aut locupletando principem extortis iniuria miserorum bonis. Neque, vt vtrumlibet faciat, alia causa est, nisi quia sic placuit principi, qui suum iudici animum aperuit. Cui repugnare crimen esse duxit capitale, vtpote læsæ maiestatis, contra quam quicquam moliri scelus esse existimatur inexpiabile. Illud & particulam esse credo rationalem, in hanc sententiam. Statuit iudex reddere, quod gratum est principi, aut ab eo definitum, quia vir ille magnus, atque potentior suam illi voluntatem expressit.

14. *Et conturbauerunt eam.*] Hebr. **ויעבתוה** *va icabtuba*, à radice **עבת**, quæ intricare significat, atque confusum reddere, atque perplexum: quod proprium est illorum, qui veritatem intelligere nolunt; sed illam aliis, atque aliis cauillis, & integumentis obnubilant. Illi, qui conturbant veritatem, aut causam, princeps est, qui iudicum manibus ex corrupto iudicio compendium captat; & iudex, qui dum seruit principis cupiditati, leges prodit, & iudicia peruertit. Illud *eam* non habet antecedens aliquid expressum, quod referat; ex adiunctis tamen sumendum est aliquid accommodatum, causa videlicet, quæ disceptatur, aut iniquitas, quam obscurant, & implicant: aut quia genus fœmineum vsurpatur pro neutro, id videtur significare posse, quod quoquo modo versatur in iudiciis, siue priuatas alicuius rationes, siue publicas vniuersorum spectes.

15. Vers. 4. *Qui optimus in eis est, quasi paliurus: & qui rectus, quasi spina de sepe.*] Tam iudex, quam princeps perfugium esse debent miserorum, & quasi vmbra in æstu: sed contrà isti faciunt. Nam qui molliter alios tractare, & suscipere benignè debuerunt, quasi arbores, quæ explicatis, atque diffusis ramis locum opacant, & apricum offerunt gremium contra frigus, & pluuiam, aut gratam vmbram ad declinandum æstum, illi spinis horrent, quæ pungunt, & lacerant; neque magis ad illos receptum habent commodum exiles, atque inopes, quàm si ad rubos accederent, quos subire non possunt, nisi conscissis vestibus, & laceris carnibus. Sic autem erat publicus ille status corruptus, & perditus, vt eorum optimus, qui in iudicio, & foro, atque adeò qui in solio cum dignitate sederet, similis esset paliuro, aut spinosæ sepi, quæ quia eo consilio horto prætenditur, vt latrones ab ingressu summoueat, spinas habet præduras, & acutas, quæ multo magis arcent ab introitu, quàm structa maceries e quadrato lapide.

Hic de illa sepe similitudinem sumptam esse 16.
puto, quam viuam appellamus, quia è planta constat spinosa, & viua, de qua Varro lib. 1. de re rustica cap. 14. *Naturale (inquit) sepimentum est, quod obseri solet virgultis, ac spinis, quod habet radices viua sepis, ac prætereuntis viatoris lasciui non metuit facem ardentem.* Pluribus de hoc sepimenti genere Columella *lib.* 11. *cap.* 3. vbi modum tradit, quo obseri debeant spinæ, quæ viuis aculeis hortos, aut agros circumfundunt. Dicit autem in eum vsum opportunam esse plantam paliurum, rubum, & spinam illam, quam Græci *κυνόσβατον*, Latini rubum canis appellant. Hispani è rhamno plerumque septum illud viuum, & naturale circumserunt. Paliurus planta est, quæ si alia vspiam, spinis horret, de qua Dioscorides *lib.* 1. *cap.* 103. Virgilius ipso loquendi modo herbam esse significat, aut fruticem. Sic enim Eclog. 5.

Quæ sepes viua.

Paliurus quid.

Pro molli viola, pro purpureo narcisso
Carduus, & spinis surgit paliurus acutis.

Sed absque dubio robustior est planta, quæque durare potest diu, & hortum munire. Solere autem sepe viua apud Hebræos hortos, aut vineas circumdari, indicat Isaias cap. 7. v. 25. *Et omnes montes, qui in sarculo sarrientur, non veniet illuc terror spinarum, & veprium, & erit in pascua bouis, & in conculcationem pecoris.*

Dies speculationis tuæ, visitatio tua venit: nunc erit 17.
vastitas eorum.] In optima quaque, & prudenter constituta republica id fieri quasi legitimè solet, vt qui publicæ præsunt administrationi, defuncti iam suo munere rationem aliis reddant rei benè, aut secùs administratæ, exoluántque pœnas aut proditi, aut negligenter obiti magistratus. Hanc forensi vocabulo *residentiam* vocamus. Quare illis edicitur, quorum proximè meminit, quósque similes dixit spinosæ plantæ, adfuturam perbreui speculationem, & visitationem, quæ illorum iudicia, ac merita accuratè discutiat, & talia rependat, qualia ipsi priùs impenderunt inferiori, atque infelici turbæ. Hæc mihi explicatio difficilis non est.

Alij in *speculatione* speculatores intelligunt, 18.
atque eos esse putant, qui spectare procul, & præuidere debent, quid mali rebus communibus impendeat. Hi verò sunt principes, sacerdotes, Prophetæ, quorum illi falsorum prophetarum promissione decepti, nullum ab hoste imminere periculum sibi blandiebantur: hi verò securo animo illos esse iubebant, quibus à Deo omnis esset promissa, atque parata felicitas. Vtrisque verò ait iam visitationem, id est, cædem, & exilium instare: id enim sæpè in Scriptura valet *visitatio.* Si hic in *speculatione* veros Prophetas agnoscas, sensus est, aduenire populo calamitatem, & excidium iam sæpè à Prophetis antè prædicta; sin autem falsos, quod Hieronymus indicat, Remigius, & Haymo, & docet cum Chaldæo Paraphraste Ribera, hic aliquid apparet ironicum.

nicorum. Quasi dicat Deus: En qualis erat illa promissio, qua vos vestrorum Prophetarum blandimenta lactabant: en securitas, en otium, & quies, pro quibus aduenit strages, & interitus. Et hæc postrema sententia mihi potior, in qua bellè consentiunt, quæ deinde sequuntur.

19. Vers. 5. *Nolite credere amico, & nolite confidere in duce.*] Amicos puto hîc appellari prophetas falsos, qui tales se aliis simulabant, vel vt ab illis aliquod captarent emolumentum, & gratiam; vel vt falsa adducti misericordia omnem ab illorum animis metum, & molestiam detergerent. Duces illi dicuntur, qui populo præsunt; qui dum suam aut prudentiam in deliberando, aut in præliando virtutem ostendunt, & venditant, in securitatem falsam, & exitium verum populum coniecerunt. Monet igitur Deus ne aures prophetis illis dociles præbeant, neque ducibus obsequentes animos; quando illi nil habent, quod annuncient, nisi veteratorium, & falsum; hi verò præstare nihil possint, nisi ignauum, & quod à muliebri consilio, ac mollitie expectari possit.

Neque amicis, neque domesticis, neque vxori fidendum.

20. *Ab ea, quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui.*] Argumentatur Propheta, vt Hieronymus, & cum eo plures alij putant, à comparatione minorum: ait enim neque prophetis falsis credi oportere, qui præter inanem diuinationis vmbram nihil quærunt, aut certè aliquod ex veniali diuinatione compendium; neque fiduciam in ducibus collocari, siue illi externi, siue domestici fuerint, quando illi, quicumque sint, spes tantùm excitant, & fouent inutiles. *Quia si inter chara nomina* (inquit Hieronymus) *& consanguinitatis affectus rara est fides; quanto magis in his, qui adulantes vobis mentiuntur pro præda sua, & quasi ægrotantibus non quid vtile sit, sed quid delectabile, & placens imperant.* Inter eos autem, quos sanguinis, ac cognationis affectus, aut certè naturalis, & legitimus amor arctiùs agglutinat, nihil viro vxore coniunctius, quorum cùm licèt non à natura, à nuptiali tamen fœdere vna sit caro, maior esse debet in vxore, quàm in aliis omnibus è cognato genere fidelitas. Ab hac igitur cauendum esse dicit, neque illi reuelandum, quid in animo lateat. Est autem hîc obseruandus loquendi modus, in quo aliquid nobis ostenditur in celando animorum arcano singulare. Non enim dicit custodiendam simpliciter ab vxore linguam, sed oris claustra. Vsque adeò enim periculosum est vxori cordis impertiri secreta, vt non illa solùm ab ore, & lingua, sed ab illorum claustris arceri debeat, id est, ab obserato ore, & à frænata lingua. Quemadmodum si quis potentissimum, aut callidissimum hostem esse putet, non tantùm illi non credit apertam arcem, sed neque tutam esse putat, etiamsi firmissimis sit obserata claustris.

Oris claustra.

Quid sit vxorem in sinu dormire.

21. Porrò illis verbis, *quæ dormit in sinu tuo*, vxoris natura, & consuetudo describitur: neque hoc tantùm loco Scriptura sacra hoc vtitur dicendi genere. Deut. 13. v. 6. *Vxor, quæ est in sinu tuo.* Et cap. 28. v. 54. *& vxori, quæ cubat in sinu suo.* & Ecclesiast. *cap.* 9. vxor vocatur *mulier sinus viri sui.* Et ideo 2. Reg. 12. Nathan cùm significare vellet vxorem Vriæ, ouiculam induxit, quæ in heri sui sinu dormierat. Hic, credo, dicendi modus ex eo natus est, quia in nuptialibus sacris sponsa in coniugis sinu dormiens inducitur. Id enim valet, *læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Qua de re nos pluribus in nostris Commentariis super Cantica ad hunc locum. Si ergo neque vxori, quæ est alter tu, aperienda sunt animi consilia, neque illius fides sit accipienda, quasi aliquid ab omni suspicione liberum, quo animo in illos esse debes, quibuscum non ita sunt arcta necessitudinis vincula?

Vers. 6. *Quia filius contumeliam facit patri, & filia consurgit aduersus matrem.*] Quemadmodum 22.
quo tempore hæc dicebantur à Michæa, prophetæ falsi, & corrupti iudices populum decipiebant, tradebántque securos hostili ferro: sic, credo, eodem tempore filius in patrem aliquid moliebatur indignum, & in matrem filia; neque pudor, aut pietas degeneres animos, aut immoderatos affectus arcebant ab iniuria. Quid autem illud sit, Propheta non indicat: quare quiduis hîc suspicari licet, neque in tam perdita, ac profligata republica quicquam apparet adeò indignum, & fœdum, quod ab illorum moribus abhorreat. Existimare posset aliquis, neque, meo iudicio, malè, patri contumeliam fecisse filium, quia vxori patris, nempe nouercæ, aut concubinæ incesto se concubitu commiscuit: (quod fecit aliquando Ruben *Genes.* 35. *v.* 22.) & filiam matri, quia illius fuit pellex, dum victrici sui libidini succubuit. Quod idem existimari posset de nuru, ac socru, quæ sibiipsis vicissim pellices esse consueuerunt. Quod seuerè Dominus prohibuit *Leuit. cap.* 18. quod eo tempore, quo data lex est, familiare fortasse peccatum fuit.

Veruntamen magis mihi placet communior 23.
illa cogitatio, quæ statuit hæc spectare aliud iniuriæ genus; quia nimirum contra pietatem, & fidem inimicitias inter se gerent hostiles filij cõtra patres, & illi, qui hoc loco præterea commemorantur; ita vt alij aliorum commodis insidientur, & vitæ. Aut certè angustum illud, & ærumnosum tempus, quo eò adducentur homines vrgente hoste, vt de sua quisque salute tantùm curet, neque alterius incommodis in communi necessitate subueniat. Non itaque filio præ fame agenti animam prouidebit famelicus pater, non patri filius; non mater filiæ, non filia matri necessaria quæret vitæ subsidia: quia sic illos vret edendi rabies, vt potiùs ex aliorum faucibus extrahant cibos, quàm illis indulgeant. Imò quod ipsa magis horret natura, & filios parentes, & parentes filij in cibos assument. Quod sanè accidisse, dum Hierosolyma obsideretur ab hoste Babylonio, docet Ezechiel cap. 5. *Patres comedent filios in medio tui, & filij comedent patres suos.* Quod etiam fecisse matres habes à Ieremia Thren. cap. 2. & Baruch cap. 2. *Vt adduceret Dominus super nos mala, quæ non sunt facta sub cælo,* &c. *vt manducaret homo carnes filij sui, & carnes filiæ suæ.* Huc inclinat Theodoretus, qui optimè turbatum populum in obsidione describit, & quemadmodum quisque dum suæ saluti consulit, alienam contemnat. Cui Ribera subscribit.

Cognatorũ in cognatos nulla pietas.

Sed est, meo iudicio, probabilius, quod priori loco dicebamus, sic esse distractos Iudæorum animos, vt neque in illos conueniret, inter quos magna esse debuerat & animorum consensio, & officiorum concertatio. Huc inclinat Hieronymus, adducitque exempla eorum, qui propinquorum vitam odio prorsus hostili insectati sint; cùm tamen ipsa naturæ necessitudo ad omne discrimen, & aleam conglutinare debuisset. *Nolite* (inquit)

Digitized by Google

Cognatorum domesticorúmque perfidia.

24. (inquit) *credere amico, Achitophel quippe consurrexit aduersus Dauid: & verus Achitophel Iudas aduersus Christum. Et nolite confidere in duce, vt viri Sichem in Abimelech: ipsi enim eum fecerunt regem, & oppressi sunt. Ab ea, quæ dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui, ne patiaris quod Samson à Dalila perpessus est. Quia filius contumeliam facit patri: Absalon videlicet Dauid non solùm regnum, sed etiam concubinas patris incesto coitu maculauit. Filia consurget contra matrem suam: cuius rei cùm interim in Scripturis sanctis testimonium non reperiamus, tanta exempla sunt quotidianæ vitæ: vt magis lugere, quòd tanta sint, quàm quærere debeamus. Nurus contra socrum suam, vt vxor Esau consurrexit contra Rebeccam* (hoc ego exemplum in sacris literis non inuenio) *inimici hominis viri domestici eius. Hic exempla non quæro, cùm plura sint, quàm vt testimoniis indigeamus.* Idem, quod nunc Michæas, dixit postea Ieremias cap. 9. *Vnusquisque se à proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantator supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet.*

25. Sed huic expositioni videtur incommodare non parum quod Christus cum respectu, vt apparet, ad hunc Michææ locum dixit Matth. 10. *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram, sed gladium: veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & nurum aduersus socrum suam: & inimici hominis domestici eius.* Et Lucæ cap. 12. *Putatis, quia pacem veni dare in terram? Non dico vobis; sed separationem. Erunt enim ex hoc quinque in domo vna diuisi, tres in duos, & duo in tres. Diuidetur pater in filium, & filius in patrem suum: mater in filiam, & filia in matrem: socrus in nurum suam, & nurus in socrum suam.* Sed est longè alia ratio illius separationis quam Dominus induxit, & commendat, atque illa, quæ filios à parentibus, & parentes à filiis, & domesticos à seipsis vicissim distraxit. Illi enim, quos hîc Propheta tantopere impietatis, & sceleris incusat, aut odio exagitabantur, & inuidia, aut aliqua humana necessitate, vel affectu, vt humanitatē proderent, & officium. At posterior illa separatio pietatis erat, quæ Deū quærit, & illi adhærere studet, neque quicquā contra parentum, ac filiorum vitam, & commoda meditatur. Quòd si in hac euangelica separatione aut inflammatur odium, aut ferrum distringitur, non fit ab eo, quem Christi doctrina excitat, & informat; sed ab illis, qui in sua impietate obstinatò hærent, & ægrè ferunt alios ad melioris vitæ instituta traduci. Quod idem Christus docuit Lucæ 21. *Trademini* (inquit) *à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis; & morte afficient ex vobis, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.* Et Ioan. 16. *Absque Synagogis facient vos. Sed venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.*

Quo sensu parentes deserendi, aut etiam odio habendi.

26. Adde quòd Christus sicut venit, vt pacem conciliaret inter homines: sic etiam venit, vt malè conciliatam inter homines pacem, & commercia dissolueret. Dedit quidem pacem, non tamen illam, quam deceptum hominum vulgus pacem appellat. Ioan. 14. v. 27. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Pacem esse putant homines inter eos, qui in aliquod flagitium magna animorum consensione coniurant. Quales sunt latrones, hostes patriæ, & qui in negotiatione turpi societatem aliquam inierunt. Hanc Christus dissociat, in hanc euangelicus gladius seuerè distringitur. Ita Gregor. 3. *p. pastor. admon.* 23. Theophylactus, & Beda *in illum locum Matth.* Chrysostomus *homil.* 36. *in Matthæum*, qui docent omnem pacem, & amicitiam debere discindi, quæ nos à Dei gratia, & seruitute disiungit; & opus esse sanctum iniquas peccatorū non tam societates, quam factiones, si necesse fuerit, gladio distrahere. Vide Gregorium *suprà*, vbi optima adducit exempla, & ex Scriptura sacra testimonia. Complexus est id totum Theophylactus in Matthæum. *Non* (inquit) *vbique bona est concordia, sed bonum quandoque est, & dissidium. Gladius igitur est sermo fidei, qui nos auellit à consuetudine familiarium, & cognatorum ad pietatem impedientium. Non enim simpliciter dicit, vt ab his sequestremur, & dissideamus, sed dum non conducunt, sed impediunt ad salutem.*

Sanctum est aliquorum societates dissoluere.

27. Hic igitur duo nobis pacis, ac consensionis genera consideranda sunt. Alterum, quod malus animus, & in opus aliquod nefarium intentus adglutinat, aut etiam quod aliquod publicum, aut proprium emolumentum euertit, aut impedit; & hoc Deus euangelica doctrina, & Apostolico gladio discindit. Alterum est, quod recta ratio, aut naturæ necessitudo consociat: qualis esse debet inter eos, quibus est à natura generis, sanguinísque communio, aut à republica, seu instituto religioso tradita certa viuendi, seu agendi ratio, quam tuetur & morum similitudo, & animorum consensio. Hanc distrahebant illi, quorum scelerata consilia Propheta reprehendit, dum ait inter filios, & patres, inter affines, & domesticos ardere dissidia. Magnum hoc est odium, quod tot disrumpit vincula. Neque minus esse debet illud aliud laudabile, quod homines etiam à parentibus, & liberis separare debet. Christus ergo respexit ad hunc Michææ locum, non vt probet id, quod Propheta vehementer incusat; sed vt ostendat non minori studio id esse præstandum ab his, qui ad vitam meliorem aspirant, quàm ab illis, qui furore, ac scelere in alios inflammantur. Vt enim hi neque à parentibus, aut liberis temperant, in quos graue est naturæ, ac necessitudinis imperium; quia aliò abripit iniuriis, aut dolore instimulatus furor: sic qui ad vexillum Christi properat, contemnit omnia, quæ incitatum illum cursum aut morantur aut impediunt. Quare verus Dei, atque crucis amator, neque quid sanguis, & caro postulat, considerat, neque magis id curat, quàm si nulla ad se ratione pertineret. Et quemadmodum strenuus, & animosus miles per strata inimicorum cadauera celeri gressu victoriam persequitur: sic religiosus miles, cùm videt ad se inclinari victoriam, per omnia vitæ subsidia, & dignitatis ornamenta: imò per patrem, & matrem, quasi per hostium calcata cadauera alacer ingreditur. Qua de re est illud præclarum Hieronymi ad Heliodorum epist. 1. *Audi edictum Regis tui. Qui non est mecum, contra me est, & qui mecum non colligit, spargit. Recordare tyrocinij tui diem, quo Christo in baptismate consepultus in sacramenti verba iurasti, pro nomine eius non te patri parciturum esse, non matri. Ecce aduersarius in pectore tuo Christum conatur occidere: ecce donatiuum, quod militaturus acceperas, hostilia castra suspirant. Licèt paruulus ex collo pendeat nepos; licèt sparso crine, & scissis vestibus vbera, quibus te nutrierat, mater ostendat; licèt in limine pater iaceat, per calcatum perge patrem siccis oculis ad vexillum crucis euola. Solum pietatis genus est in hac re esse crudelem.*

Quo studio aggredienda religionis vita.

28. Sed est adhuc aliquid difficile; quia cùm Christus de hac separatione loquitur, illam odij nomine explicat; quod tamen in parentes, & co-

gnatos, imò & in externos à cognatione, & sanguine nullo modo licet. Sic autem ille *Matth.* 10. postquam Michææ verba produxit. *Qui amat patrem, aut matrem plus quàm me, non est me dignus: & qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus.* Quæ Lucas *cap.* 14. sic exponit. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Sed modus iste loquendi nostræ cogitationi, imò & communi sententiæ nihil incommodat. Ex vsu etenim Scripturæ sacræ aliquid factum dicitur eo consilio, atque affectu, quo plerunque fieri solet id, quod similes sortitur exitus, licèt longè alio, atque contrario modo se habeat. Qui non curat, quid sensitiui postulent motus, odisse dicitur animam suam, cùm tamen animus quàm longissimè abfit ab odio: quia despectus ille ab odio plerunque proficiscitur. Sic Ieremias *cap.* 20. seductum se dicit à Deo, quia talia pertulit, dum eius obsequitur imperio, qualia, qui ab alio in insidias inducitur, sustinere solet. Sic Christus *ad Galat. cap.* 3. maledictus dicitur, quia talia passus est, qualia patiuntur illi, qui dicuntur à Domino maledicti. Sic ergo filius odisse dicitur patrem, quia dum Christum sequitur, cui obsequi potius quàm parentibus debet, non attendit, aut curat, quid pater imperio, aut etiam precibus, & lacrymis obtinere contendat: quod plerunque non facit nisi ille, qui in alium hostiliter animatus est. Quid sit autem parentes odisse, explicuit Matthæus suprà, cùm ait, *Qui amat patrem, aut matrem plusquàm me, non est me dignus.*

Quid sit in parentes odium.

REGVLA. *Aliquid factum dicitur eo consilio, quo plerunque fieri solet, cùm tamen longè aliter se habeat.*

29. Christus igitur hoc loco non significat id, quod in Iudæis Michæas reprehendit, nempe hostile in parentes concipiendum odium; sed non curandum quid ipsi aut velint, aut orent, cùm contrà stat diuina voluntas, & imperium. Sanè alio sensu Christum adduxisse Michææ testimonium, nempe modo tantùm accommodatitio, seu allegorico, communis Patrum, interpretúmque sententia est. Chrysostomus *homil.* 36. *in Matthæum*, cùm hunc Christi locum explicaret, adduxisétque hæc ipsa Michææ verba, quæ nunc præ manibus habemus, ad quæ Christus sine dubio respexit, ait, *Prophetiæ mentionem fecit, quæ quamuis ad hoc propositum dicta non sit, hoc ipsum tamen signanter expressit. Sed quænam est hæc prophetia? Michææ 7. Inimici hominis domestici eius.* Idem in hæc eadem verba Euthymius. *Hoc* (inquit) *propheticum est verbum dictum olim aduersus Iudæos, quando contra se inuicem dissensionem habeant. Christus autem opportunè aptauit his, quæ dicta sunt, significans quòd omnes domestici eius, qui crediturus est, inimici eius efficientur.* Idem sentiunt Iansenius, Maldonatus, & Burgensis. Vide huius loci Michææ pulcram explicationem apud Chrysostomum loco proximè citato.

30. Quærit hîc Hieronymus, cur quasi aliquid admirandum, & rarum ponatur odium inter socerum, & nurum, cùm nihil videamus accidere frequentiùs, iuxta illud Terentianum in Hecyra, actu 2. scena 1.

Inter socerum, & nurum quis amor, quæ odium.

Proh Deum, atque hominum fidem! quod hoc genus est, quæ coniuratio?
Vt omnes mulieres eadem æquè studeant, nolintque omnia:
Neque declinatam quidquam ab aliarum ingenio vllam reperias.
Itaque adeò vno animo omnes socrus oderunt nurus.

Quod Hieronymus ait esse propè naturale. Rationes adducit Petrus Marsus ad hunc locum Terentij, quas hîc referre necessarium non est.

Ego de animo socruũ in nurus nihil dico. In aliis, credo, nationibus hoc odium plura fortasse habuit, & minùs obscura documenta sui: at inter Hebræos credo aut amantiùs esse affectas socrus in nurus suas; aut certè si durius essent animatæ, dolorem illum, aut offensionem compressisse in animo constantiùs, & maiori artificio curasse, ne quod odij, aut offensionis signum foras erumperet. Quod hic locus non obscurè docet; & apud Hebræos nurus filiarum loco habebantur apud socrus, cùm illæ abiurata parentum domo, atque familia, in mariti domum, & familiam concederent. Atque ideo mutato gentilitio nomine, nomen sibi sumebant à maritis, & sponsos suos appellabant *fratres*; sicut ipsæ ab illis *sorores* vocabantur, & socrus appellabant *matres suas*, & ipsæ apud illas suauissimum filiarum nomen obtinebant. Qua de re nos plura in nostris Commentariis super Cantica, quæ hic repetere necesse non est. Atque ideo si apud alios minùs accommodata videretur antithesis: at apud Hebræos non minus esset idonea, quàm illa, quæ proximè antecesserat inter matrem, & filiam, cùm hic quoque maternum esset officium, & nomen, sicut etiam à nuribus in socrus filiarum amor, & obseruantia. 31.

Inter socrus & nurus apud Hebræos maxima coniunctio.

Vers. 7. *Ego autem ad Dominum.*] Edoctus à sacris literis Propheta, quæ hoc ipsum frequenter inculcant, & ab hac illustratione, qua cognouit nihil esse in hominum fide immutabile, ac tutum, ait in vno Deo sibi statuendam esse fiduciam, in quo vno & secura est fides, & inconcussa constantia: qui neminem seducit, neque fallaci prolectat spe, neque minùs est in præstando fidelis, quàm fuerat in promittendo liberalis. Hæc sententia in Scriptura sacra frequenter occursat. 32.

Vers. 8. *Ne læteris inimica mea super me, quia cecidi: consurgam. Cùm sedero in tenebris, Dominus lux mea est.*] Non est hîc curandum quid de Romana ciuitate somniarint Iudæi, qui vt Christi hostes infensissimi sunt; sic & Christi Ecclesiam, vtpote suæ Synagogæ contrariam vehementer oppugnant. Quod nõ puto sensisse Chaldaicũ Paraphrastem, apud quem Romam hîc inuenimus; sed illud nomen callidè à Iudæis in illum locum irrepsisse. Est igitur hîc sermo de Babylone, quæ Iudæorum illustre nomen obscurauit, ciuitatem excidit, inflammauit templum, & pro tam eximia victoria geniales habuit, atque festiuos dies. Hæc est communis, & vera omnium penè interpretum explicatio. Loquitur autẽ Propheta totius populi nomine, cuius causa dolet, & laborat; exultans quòd tam ruinam suæ gentis, quàm Babylonici populi lætitiam inspirante Domino cognouit non futuram esse diuturnam. Vbi vulgatus *consurgam*, Hebr. est *surrexi*, prophetico more: quæ enim certò futura esse intelliguntur, perinde habent, ac si præuisum exitum habuissent. Tunc autem Propheta sui populi nomine insultat Babyloni, cùm Deum suarum rerum patronum, & auspicem intueri cœpit; neque externorum auxiliares aduocauit copias, neque fiduciam posuit in mortali manu. 33.

Esse in tenebris in omni fermè lingua idem est,

34. est, quod ærumnosam vitam agere, & in luctu, aut mœrore esse: cui lux opponitur, qua & animi profusa lætitia significatur, & fortuna melior. Hic tamen tenebras vsurpari potiùs censeo pro sepulcro, quod mortuorum cubile est, & lucem pro vita. Sanè *exules* mortuos, & *exilium* sepulcrum appellat Ezechiel cap. 37. v. 12. *Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulcris vestris populus meus, & inducam vos in terram Israel.* Lege totum caput. Quòd verò lux pro vita sumatur, maxime pro illa, quæ morti succedit, aut restauratur resurgendo, indicat illud Isaiæ 26. v. 6. *Viuent mortui tui, interfecti mei resurgent. Expergiscimini, & laudate qui habitatis in puluere; quia ros lucis ros tuus.* Vide quæ nos in hunc locum pluribus, in nostris Commentariis.

Tenebræ pro re tristi, ac misera.

Lux pro vita.

35. Vers. 9. *Iram Domini portabo, quoniàm peccaui ei.*] Sicut *charitas*, aut *benignitas* pro dono sumitur, aut officio, quod à charitate, aut benignitate prouenit: sic etiam *ira*, *furor*, & *offensio*, pro supplicio, ac plaga, quæ ab ira, & offensione nascuntur. Sic Baruch *cap. 4. v. 9.* hoc ipsum supplicium iram Domini vocat. & v. 25. *Filij patienter sustinete iram, quæ superuenit vobis: persecutus est enim te inimicus tuus; sed citò videbis perditionem ipsius.* & Lucæ cap. 21. v. 23. *Erit enim pressura magna super terram, & ira populo huic.* Apocal. cap. 14. v. 19. gehenna lacus dicitur iræ Dei, id est, carcer æterno supplicio destinatus. Ait ergo captiuus, & ærumnosus populus, seu illius nomine Michæas, supplicium illud sibi fore subeundum, quod iustissimè impositum est ab offenso Deo. Neque id esse recusandum; quia frustrà contendet, qui obluctari Domino voluerit. Est autem documentum optimum his, qui se à Deo vexari vident, & ita tractari, quemadmodum extorres Iudæi ab hoste Babylonio; si considerent aliquid habere se, in quod diuinus sæuiat, & inflammetur furor, quódque maximo ipsis futurum sit ex vsu, si in fornace illa expiatoria purgetur.

Ira pro supplicio.

36. His porrò verbis respondet Michæas Babyloni eo sibi nomine blandienti, quòd subiectum sibi ad seruile ministeriũ habeat Iudæorum illustre quoddam genus, & in bellicis rebus formidabile, quasi illud suis armis, atque industria subegerit. Ait enim opus illud fuisse non Babylonicæ virtutis, quæ nihil omninò præstitisset eximium contra gentem diuinæ fidei, ac protectioni creditam; sed diuinæ iustitiæ, quæ populi punire peccata voluit: atque ideo constrictum tradidit, & ab omni consilio, atque virtute vacuum inimicis.

37. Quod ad moralem sensum attinet, præclarè Basilius *interrog.* 55. ex fusioribus docet quamplurima, quæ hominibus iudicantur incommoda prouenire, non ex naturali causa, atque ideo non illis quærendum esse naturale remedium; sed ex peccatis, quæ Deus ira sua, id est, aliquo supplicio expiare vult; atque ideo non à medicis, sed à Deo petendam esse medicinam. Quæ etenim in natura tanta vis, quæ frangere possit, aut leuiter obtundere eos, qui à Dei vltrice, atque seuera manu exeruntur aculei? Basilium audi. *Porrò haud mediocre periculum est, ne à recto animus aberrans vanas quasdam opiniones concipiat, quippe quasi ægrotatio omnis petitis à medicina remediis curanda sit. Neque enim semper morbi omnes à natura, aut vitiosa victus ratione, aliisve quibusdam sitis in corpore nostro causis, ad quæ vtilem interdum medicorum artem videmus, ortum ducunt. Quandoquidem morbi sæpenumero quasi quædam peccatorum flagella sunt; quibus nihil aliud agitur, nisi vt vitam nostram in melius commutemus. Et ideo multi in vobis infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. Quamobrẽ qui eiusmodi sunt, hi omissis medicorum auxiliis inuectas sibi acerbitates ferre silentio debent, quandocunque se peccasse animaduerterint, atque illum imitari, qui dixit: Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei; nec non vitæ suæ praua studia emendare, & dignos pœnitentiæ fructus edere, & verborum Domini illorum meminisse. Ecce iam sanus factus es, noli peccare, ne deterius aliquid contingat.*

Morbi interdum non à naturali causa, sed à Deo, & ab illo speranda medicina.

38. Quòd si iram ita accipias, non vt supplicium, sed offensionem animi significet, alium ad mores sensum grauissimum hunc in modum institues. Interim dum de mea causa nihil à Deo definitum est, neque aliquod mihi à Domino supplicium pro peccatis impositum, cùm sciam me peccasse, & meis in Deum offensionibus supplicium deberi, illius iram, quæ omni supplicio horribilior est, interea sustinebo, ac mihi proponam quidquid à Deo grauissimum hominum erratis infligi solet; quia nescio quod à Deo capiti meo propter violatæ legis iniuriam supplicium immineat. Hoc sanè Dauidis animum pungebat assiduè, neque vllam patiatur habere quietem, & otium dum iratum sciebat esse Dominum, & inesse sibi quid diuinus furor acerbè mulctaret. Psal. 37. v. 4. *Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.* In hanc sententiam grauiter Chrysostomus homil. 27. ad populum. *Multa perpetrantes, nec dantes pœnas terreri magis, & timere debent: augebuntur enim eis supplicia propter iniquitatem, & Dei longanimitatem. Dic mihi si quem habeas seruum, & illi tantùm mineris, & verbera non infligas, quando magis timet? quando fugit? quando pedibus elabitur? Nónne quando duntaxat minaris? Vnde & alter alterum admonemus non continuò minari, ne timor magis animam conturbet, & plusquam plagæ dissipet: illic enim ad tempus est vltio, hîc autem continua. Ne igitur quòd nunc mala patiatur nemo, respicias, sed illud cogita, si talia facit; quoniam multa nunc fiunt, qualia in diluuio, sed diluuium factum non est, gehenna enim, & vltio promissa est. Multi perpetrant qualia Sodomorum ciues, sed ignis pluuia non descendit, igneus enim paratus est fluuius. Multi Pharaonis scelera commiserunt, sed Pharaonis pœnas non dederunt, nec in mari rubro sunt summersi, quoniam pelagus eos expectat abyssi, vbi non cum insensibilitate supplicium, nec licet suffocari, sed ampliùs est necesse torqueri, assari, strangulari, consumi. Multi Israelitica sunt aggressi, sed eos serpentes non momorderunt; manet autem eos vermis, qui non moritur.* Alia adducit exempla, quæ tu lege.

Nunquam peccator esse debet sine metu.

Aliorũ supplicia timori aliis esse debent.

39. *Donec causam meam iudicet, & faciat iudicium meum.*] Diximus iram pro supplicio sumi, quod apud Babylonios substinebat populus captiuus. Illud igitur subeundum dicit esse Propheta, donec Deum populi sui misereścat, & in aduersarios illa conuertat arma, quæ in suorum caput antè distrinxerat. Porrò causam alicuius iudicare, aut alicuius facere iudicium, idem est quod alicuius suscipere patrocinium, & iniurias vlcisci. Hoc sensu dixit Dauid Psal. 41. *Iudica me Deus, & discerne causam meam. De gente non sancta, ab homine iniquo, & doloso erue me.* & Psal. 19. *De vultu tuo iudicium meum prodeat.* Psal. 9. *Quoniam fecisti iudicium meum, & causam meam.*

40. *Educet me in lucem, videbo iustitiam eius.*] In tenebris erat populus, cùm vitam agebat captiuam, & miseram apud Babylonios: inde eduxit illum Deus, vt lucem, & fructum libertatis aspireret. Tum vidit illius iustitiam, aut quia expertus est illius fidelitatem in promissis, aut quia vidit de sua causa fieri iudicium, atque iustitiam, quod, vt proximè diximus, nihil est aliud, quàm damnatis Babyloniis, iniurias populi sui tam graues, & diuturnas vlcisci.

41. Vers. 10. *Et aspiciet inimica mea, & operietur confusione.*] Cùm sordidus esset populus illuuie, & confectus macie, quasi nauseabunda Babylon, non dignabatur gentem illam abiectam congressu, atque conuictu, imò neque aspectu. At aderit aliquando tempus, cùm ea fiet rerum fortunæque conuersio, vt quæ modò potens erat, & domina, ad seruilem conditionem delapsa confusionem subeat, & pudorem, quam ambitioso fastu aliis iniecerat; & quæ paulo antè conuictu, atque conspectu videbatur indigna, sic extollatur, vt spectari cum admiratione possit, & inuidia. Id nunc occinit Propheta Babyloni, & ait: Tunc ô Babylon inimica mea, quæ me à conspectu tuo priùs repellebas, aspicies me, & meæ fortunæ inferior inuidebis: quando ambitiosæ gloriæ, quæ te priùs insolenter inflabat, verecundia succedat, & ignominia: quando nulla iam erit in me seruitus, quam despicias; non squalor, & illuuies, quæ tibi nauseam moueat, atque fastidium.

42. *Verbum video, aspicio & similia cum epitasi.* Hæc fortasse vera; sed placet magis alia explicatio iuxta alium vsum verbi *aspicio*, seu *video*, & aliorum similium, qui apud Hebræos frequentissimus est. Habent enim auxesim hæc verba, quæ iuxta materiæ qualitatem, & modum, aut grauem significat dolorem, & molestiam, aut voluptatem ingentem ex rei alicuius contemplatione conceptam. De molestia est illud Isaiæ cap. 26. v. 12. *Videant, & confundantur zelantes populi.* Cui quamsimillimus est locus, quem nunc explicamus, cuius sensus est: vehementer confunderis ô inimica mea, cùm tantam fieri videas fortunæ mutationem. De auxesi in voluptate, quæ ex re feliciter gesta, aut vehementer optata prouenit, exempla sunt plura. Isaias cap. 60. v. 5. *Tunc videbis, & afflues.* & cap. 66. v. 14. *Videbitis, & gaudebit cor vestrum.* & cap. 53. *Videbit, & saturabitur.* Quibus locis verbum *video* idem valet, opinor, quod vehementer. Ex hoc vsu lucem accipiet locus, qui proximè succedit. *Oculi mei videbunt in eam.* quod nihil aliud significat, vt reor, quàm magnam ex eius conculcatione voluptatem capiam; qualem illa videlicet ex meo priùs infortunio ceperat. Vide, quæ diximus suprà *cap. 4. v. 45.*

43. *Quæ dicit ad me, vbi est Dominus Deus tuus.*] Insultabat Iudæorum fortunæ plus satis continenti victoriarum cursu superba Babylon, & patrios, atque domesticos deos vero Deo, quem venerabantur Iudæi, longè præponebant; quasi ab illis esset subactus Iudæorum populus, imò & Deus, cuius apud Iudæos sanctum, & religiosum nomen. Atque ideo Babyloniis multum erat in ore, cùm abiectos viderent, & sordidos Solymitanos exules, vbi est Deus tuus? Deus, inquam, ille, cuius Hierosolymæ templum erat, cui nullum in toto mundo visebatur simile, in cuius cultum ingens quotidie victimarum numerus mactabatur. Vbi est illa potentia tot à vobis celebrata A carminibus? En iam turpiter deorum nostrorum inuictissimæ potentiæ succubuit. Cùm autem illi domesticos deos victos esse videant, & in vilissimi ministerij instrumenta conflatos, & Iudæos in priorem gloriam restitutos; operientur pudore, neque spectare poterunt sine grauissima oculorum molestia illorum amplam, lautámque libertatem, quos antè sine nausea spectare non poterant.

Oculi mei videbunt in eam.] Hebraismus est: verba enim, quæ ad visum pertinent, accusatiuo præpositionem adiungunt. Quemadmodum *video*, & similia epitasim habeant, & vehementem significent affectum, siue doloris, siue voluptatis, B proximè diximus. 44.

Nunc erit in conculcationem, vt lutum platearum.] Prouerbialis ista comparatio est, qua res quasque vilissimas explicare solemus. Isaiæ cap. 10. v. 4. *Et ponam eum in conculcationem, quasi lutum platearum.* Psal. 17. vers. 43. *Vt lutum platearum delebo eos.* 45.

Vers. 11. *Dies vt ædificentur maceriæ tuæ, in die illa longè fiet lex.*] Locus iste variè à variis exponitur. Mihi placet quod cum Hieronymo plures alij iudicant, nempe sermonem esse de instauranda Hierosolymæ gloria, & statu Israelitico in suum gradum, atque ordinem postliminio reuocando. Tunc quasi dicat, ô Hierosolyma, C quando dies ille desideratus affulserit, cùm, fauente Cyro, maceriæ, ac mœnia, quæ Chaldæorum armis ceciderunt, excitentur, tunc conculcabitur Babylon sicut lutum; tunc aspiciet te non squalidam, & lugentem vt antea, sed hilarem oblata libertatis luce, & excusso ferreo seruitutis iugo. Tunc enim longè aberit abs te lex illa, quam tibi crudelis hostis, & barbarus dominus imposuit; siue vt ancillæ, vt vilia subires domus ministeria; siue vt captiuæ, & subditæ, vt dura, & supra vires tuas vectigalia penderes. De hoc tempore locutus videtur Isaias cap. 14. v. 4. *Sumes* (ait Dominus ad Isaiam) *parabolam istam contra regem Babylonis, & dices: Quomodo cessa-* D *sauit exactor, quieuit tributum? Contriuit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium.* Hæc omnia paucis complexus est Hieronymus. *In die* (inquit) *illa longè fiet lex, siue præceptum, & iussio, id est, ἐπιταγὴ καὶ πρόσταγμα, vt Symmachus, & Theodotio interpretati sunt. Et est sensus: Nequaquam Babyloniorum imperio subiacebis.* 46.

Vers. 12. *In die illa, & vsque ad te veniet Assur.*] 47.
In Assur Hieronymus illos agnoscit, qui ex Israelitide gente abacti fuerant ab Assyriis; aut qui à Chaldæis in exilium abducti, inter Assyrios, qui iam ad Chaldæorum imperium pertinebant, dispersi morabantur. *Veniens* (inquit Hieronymus) *ad te de Assur, & de ciuitatibus munitis:* E *à ciuitatibus, inquam, munitis vsque ad Iordanem, & à mari rubro, & cunctis gentibus vsque ad mare mortuum, quod vicinum est terræ tuæ; & ad montem Sion de montibus Persarum, atque Medorum, in quos translati priùs fuerant.* Hæc Hieronymus, cui in eo, quod de captiuis in patriam restitutis hæc intelligit, subscribunt alij non pauci: neque ego aliter existimo. Quam ad rem obseruandum est id, quod satis, vt opinor, ostendimus ad illud Oseæ cap. 1. *Et congregabuntur filij Iuda, & filij Israel pariter:* non solùm duas tribus, quæ apud Chaldæos exulabant, rediisse in patrios fines; sed è decem tribubus non paucos, qui in alias ab Assyriis regiones abducti sunt. Hoc

Hoc autem loco tam decem, quàm duæ tribus appellátur Assur, siue Assyrij; quoniam quo tempore soluta captiuitas est, & facta à Cyro redeundi facultas, vnum erat ex Assyriis, atque Chaldæis, imò & ex Persis, ac Medis conflatum imperium. Quare exules omnes ex Israelitico semine vocari potuerunt Assyrij ab illa imperij parte, quæ nobilissima fuit, & quæ diutissimè imperij nomen, quod omnium prima tenuit, per sæcula propè infinita conseruauit. Hinc fit, vt Nabuchodonosor vocetur aliquando Assur, quia in Assyria regione sui imperij amplissima, atque nobilissima dominatus est. Sophon. cap. 2. v. 13. *Et extendet manum suam super Aquilonem, & perdet Assur, & ponet speciosam in solitudinem.* Vbi Assur non potest esse is, qui Assyriorum obtinuit imperium, illud enim imperium iam erat extinctum, quo tempore prophetabat Sophonias, qui in idem cum Ieremia tempus incurrit.

Nabuchodonosor aliquando vocatus Assur, & Chaldæi Assyrij.

48. Sanè Zacharias *cap. 10. v. 11.* Assur pro Babylonio sumpsit, aut pro eo, ad quem Assyriorum potentia defluxit. *Humiliabitur* (inquit) *superbia Assur, & sceptrum Ægypti recedet.* Et *eodem cap. v. 10.* exules Iudæos ex Ægypto, & Assyria reuocandos esse dicit, cùm tamen eorum plurimi apud Babylonios exularent. *Reducam* (inquit) *eos de terra Ægypti, & de Assyriis congregabo eos, & ad terram Galaad, & Libani adducam eos, & non inuenietur eis locus.* Neque aliud opinor sibi voluisse Michæam, quàm quod hoc loco expressum est à Zacharia. Adde quòd cùm hæ regiones vicinæ sibi sint, & vnius hominis imperio subiectæ, non est mirandum, neque inusitatum, vt vna interdum prouincia pro alia vsurpetur. Exẽplum habemus optimum *lib. 2. Machab. cap. 1. v. 19.* Nam cùm duæ tribus traductæ fuerint Babylonem, abductæ tamen dicuntur in Persidem, quia prouincia illa vicina est, & à Persarum regibus occupata. *Cùm in Persidem ducerentur patres nostri sacerdotes, qui tunc cultores Dei erant, &c.*

REGVLA. *Prouinciæ nomen interdum sumunt à prouinciis vicinis.*

49. Secundò obseruandum homines, licèt alibi nati, atque educati sint, nomen tamen interdum assumere ab his prouinciis, vbi aliquandiu in quacunque fortuna morati sunt: quod cùm in omni lingua vsitatum sit, maximè inter Hebræos, quibus ab alienis regionibus datum esse nomen constat ex *Actor. cap. 2.* vbi Iudæi dicuntur Græci, Parthi, Elamitæ, Libyes, Cyrenenses, &c. Cùm tamen illi omnes forent Iudæi. Et quidem Iudæos accepisse nomen ab illis regionibus quantumcunque alienis, in quibus dissipati degerent, tradit Iosephus contra Appionem. *Qui Antiochiam* (inquit) *habitant Iudei, Antiocheni nominantur: similiter & qui in Epheso commorantur, & Ionia, cum ciuibus inde natis eandem appellationem habent.* Sic ergo nunc Iudæi vocantur Assyrij; & dum Assur, siue Assyrij dicuntur reuersi Hierosolymam, Iudæi intelliguntur eò rediisse. Hæc eò dixi, quia olim communiter legebatur, *Veniet Assur.* Cùm tamen in Bibliis Sixtianis legatur, *Veniet de Assur,* minus erat hæc obseruatio necessaria.

50. *Vsque ad ciuitates munitas, & à ciuitatibus munitis vsque ad flumen.*] Multa hîc alij, & varia Hieronymus, *Venient ad te de Assur, & de ciuitatibus munitis; à ciuitatibus, inquam, munitis vsque ad Iordanem, & à mari rubro & cunctis gentibus vsque ad mare mortuum, quod vicinum est terræ tuæ, & ad montem Sion de montibus Persarum.* Hic locus obscurus, fortasan ex variis translationibus aliquod accipiet lucis. Tigurina sic reddit, *Ad te veniet ab Assyria, & ciuitatibus munitis, à munitione ad flumen vsque, à mari ad mare, & à monte ad montem.* Pagninus, *Vsque ad te veniet de Assur, & ad ciuitates munitas: & à ciuitate munita vsque ad flumen, & à mari vsque ad mare, & à monte ad montem.* Chaldæus, *Congregabuntur exules de Assyria, & ciuitatibus firmis eius, & ex Armenia magna, & ciuitatibus munitis, & vsque ad Euphratem, & mare occidentale, & montes montis.* Septuaginta, *Vrbes tuæ venient in æqualitatem, & in diuisionem Assyriorum: & ciuitates tuæ munitæ in diuisionem à Tyro vsque ad flumen, & à mari vsque ad mare, & à monte vsque ad montem.* Vide quanta sit inter expositores, multiplexque varietas. Vnde illa sit orta non moror, quia neque longus esse velim, & facilè mihi curiosus lector veniam dabit, cùm is, qui Hebraica nouit, facilè possit coniectare; alij verò neque curabunt, neque intelligent minutas hasce Hebræorum argutias.

Ego ex his omnibus duas posse videor informare sententias. Altera est, mutandas esse sedes captiuo populo, quarum inter se illa conferuntur, quæ in qualibet regione præcipua sunt. Relinquent enim exules ciuitates munitàs, quæ erant in Assyria, siue Chaldæa, & ad ciuitates alias munitas, quæ sunt in patriis finibus, traducentur. Relinquet flumina, & montes, quæ habuere exilij sui tempore sibi familiaria; & illos montes, fluminaque conspicient, quæ à patriis abducti sedibus antè reliquerant. Huc inclinat Hieronymus, dum ait: *Ad montem Sion de mõtibus Persarum atque Medorum.* In hanc sententiam omnium maximè inclinat vulgata translatio, vt vides. In hac verò rerum, & locorum antithesi commendari videtur Iudæorum fortuna posterior, cùm nihil videatur esse tam eximium, & lautum apud Babylonios, & Assyrios, cui in terra Israelitide non aliquid æquè bonum, aut certè magis fœcundum, & illustre respondeat. Sunt in Assyria munitæ ciuitates; sunt item in terra promissionis, vbi aliquid ego occultius subodorari videor. Munitæ ciuitates & ciues tuentur ab hostili vi, sic etiam exules quasi opposita claustra, ne possint ad libertatem euolare, coërcent. Ab illis igitur munitionibus, & claustris emergent captiui, & ad alias munitiones, & claustra transferentur, vbi & vitam ducant ab hoste sécuram, & optatum habeant, atque tranquillum otium. Erant in Assyria montes, qui regioni erant pro munimentis, & claustris, milleque ad delitias opportunitates tribuebant. Sed sunt in terra promissionis montes, à quibus magna ex parte concluditur, & qui externas acies ab ingressu coercent, quique pretiosam materiam ad nobilem structuram suppeditant, & ad regias delitias balsamo stillant, & aromate vario. Idem de fluminibus dicendum est. Illi igitur, quibus modò Propheta felicem exitum à fortuna dura pollicetur, ciuitates cum ciuitatibus, cum montibus montes, & cum fluminibus flumina commutabunt. Hæc mihi explicatio potior est; sed addam alteram, quam lector expendat, & de illa, vt volet, statuat. 51.

Certum est quosdam à natura constitutos esse terminos constantes, & notos, quibus prouinciæ distinguuntur & regna, quales sunt montes, flumina, maria, quæ vbique penè gentium, ipsa præscribente rerum natura, regna, regionésque definiunt. Testis in præsentia sit Hispania, quam ab aliis regionibus maria, à Septentrione Pyrenæi montes à Gallia secernunt. Idẽ de Gallia dici potest, 52.

Regiones montibus inter se, fluminibúsque discreta.

test, quã ab Italia, atque Hispania Pyrenæi, atque Alpes, ab aliis Oceanus, & flumina distinguunt. Et Italia ipsa, quæ Alpibus à Gallia, ab aliis Mediterraneo, atque Adriatico pelago diuiditur. Eadem de aliis nationibus non excultis disciplina, & legibus, sed etiã incultis, & barbaris affirmare possumus. Quare dum totam aliquam prouinciã abundare significamus, aut terræ frugibus, aut aquarum inundationibus, plenam esse dicimus *è mari ad mare*. Sic sanè loquitur Hispanus, *de mar à mar*, & Lusitanus, *de monte à monte*: quia nimirum his finibus tota prouincia continetur. His vtcunque positis, nõ videtur huius loci sensus esse difficilis, si dicas terrã multis annis in solitudinem redactam ea remigrantium ciuium multitudine repletum iri, vt nulla pars illius relinquatur ab habitatoribus vacua.

53. Et quidem minus videbitur hæc explicatio difficilis, atque contorta, si consideres terram promissionis à mari triplici, à montibus, & flumine esse definitam: claudunt enim illam montes Libanus, Bassan, & Galaad; mare mortuum, mediterraneum, & Tiberiadis, seu Genesareth; & duo flumina, Iordanis, qui ab Aquilone, & Rhinocorura, quæ à meridie Israeliticæ terræ spatia describit. Hanc explicationem verisimilem faciunt alia promissa varia, quæ bono esse animo iubent populum, vel cùm adhuc inter gentes ageret inimicas, & barbaras; vel cùm illud sibi timeret infortunium à Prophetarum oraculis. Quale est illud Isaiæ c.49.n.19. *Quia deserta tua, & solitudines tuæ, & terra ruinæ tuæ nunc angusta erunt præ habitatoribus, & longè fugabuntur, qui absorbebant te. Adhuc dicent in auribus tuis filij sterilitatis tuæ, angustus est mihi locus, fac spatium mihi, vt habitem.* Et Zachar. cap. 10. v.11. *Reducam eos de terra Ægypti, & de Assyriis congregabo eos, & ad terram Galaad, & Libani adducam eos, & non inuenietur eis locus*: qui nempe tantam multitudinem capiat.

Terra promissionis fines.

54. *Et terra erit in desolationem propter habitatores suos.*] Hæc erit Iudæorum fortuna, atque felicitas, postquam defuncti ærumnosæ vitæ sordibus ad patrios lares ex exilio redierint. Longè tamen aliter accidet Babyloniis, & Assyriis eodem tempore, quo primùm exules Iudæi lucem libertatis aspicient. Eorum quippe regio adeò non abundabit habitatoribus antiquis, vt potiùs relinquatur vacua, nempe ab illis: neque enim illorum peccata, & in Dei populum immoderata crudelitas diu stare rempublicam illam incolumem in dominorum veterum potestate permiserunt.

55. Dicitur regio illa Babylonica in desolationem data, eo videlicet tempore, quo capta fuit à Persis; non quia tota perierit, nam ibi Persarum reges aliquandiu vixerunt, vt constat ex *Dan.cap.* 14. Periisse tamen dicitur, quia fortunam subiit ex eo tempore miserrimam. Quod è suo statu decidit, maximè si magna fuerit vitæ, fortunæque conuersio, periisse dicitur: quemadmodum scholæ, cùm studia frigent, & minor est auditorum frequentia. & leges, cùm minùs obseruantur religiosè; & religio, si viri religiosi sunt pauci, & qui statũ, aut mores religiosos amplectuntur, & colunt, nullo sunt in pretio, licèt multi sint. Sic periisse dicitur illa regio, aut Chaldæorum nomen, quia illorum extinctũ est imperium; & qui priùs aliis leges præscribebant, & iura, imponebántque immane vectigalium pondus, iam illi ab aliis leges accipiunt, & quæ à subditis populis exigebant tributa, ea ipsi iam subditi aliis depen-

Quomodo desolata Babylon.

REGVLA. *Periisse dicitur quod magnum est passum detrimentum.*

dere coguntur. Desolata itaque Babylon videri potuit, cuius sic est fœdata, atque mutata forma, & nulla fortunæ prioris species relicta. Quomodo Babylon fuerit euersa, diximus pluribus in nostris Commentariis ad illud Isaiæ cap.13. *Erit Babylon*, &c. *Sicut subuertit Dominus Sodomam, & Gomorrham.*

Vers.14. *Pasce populum tuum in virga tua, gregem hæreditatis tuæ habitantes solos in saltu in medio Carmeli.*] Pascebat olim populus, cùm ignobilem aliis, atque seruilem operam nauaret, alienum gregem aliena virga, quam a Domino acceperat, & in aliena hæreditate. Quare si quis erat fructus ex grege, is totus pertinebat ad Dominum; neque seruus habebat aliud, quàm laborem, qui in pascendo grege molestissimus est. Qualem describit bonus pastor Iacob Genes. 31. *Arietes gregis tui non comedi, nec captum à bestia ostendi tibi, ego damnum omne reddebam: quidquid furtim peribat, à me exigebas. Die, noctúque æstu vrgebar, & gelu, fugiebátque somnus ab oculis meis.* Hæc erat vita illorum, qui alienæ voluntati, & commodis seruiebant. At tempore, de quo nunc Propheta, in regione sua greges suos pascent, neque vllus deinceps externus ex alienis laboribus fructum sibi capiet. Dum autem Carmeli meminit, & Bassan, vberrima dicit pabula, in quibus greges illi pascantur, quos alit populus iam à Babylonica seruitute liber. Hi porrò duo montes prouerbiali specie pro re sumuntur amœnissima. Hoc idem, quod nunc Michæas, dixit aliquandiu postea Ieremias cap. 50.v.18. *Ecce ego visitabo regem Babylonis, & terram eius, sicut visitaui terram Assur. Et reducam Israel ad habitaculum suum: & pascetur Carmelum, & Bassan, & in monte Ephraim, & Galaad saturabitur anima eius.* *Pasce* consueto Prophetarum more pro futuro ponitur, ac si dicat Propheta à populo iam in paternam hæreditatem reuocato pascendum esse gregem nobili, atque fœcundo pàbulo. 56.

Vers.15. *Secundùm dies egressionis tuæ de terra Ægypti ostendam ei mirabilia.*] Non semel id aut prædixerunt, aut cecinerunt Prophetæ non minùs admirabilem futurum esse reditum è Babylone, quàm fuit superioribus sæculis exitus parentum ex Ægyptio iugo; quem Dominus multis nobilitauit prodigiis. De hoc Zacharias *cap.*10. *v.*11. vbi multa narrat admirabilia, quæ in egressu è Babylone experti sunt Iudæi, qualia olim in exitu ex Ægypto; qualia fuerunt transmissum esse priùs mare rubrum, deinde Iordanem sicco vestigio. *Transibit*, inquit, *in maris freto, & percutiet in mari fluctus, & confundentur omnia profunda fluminis.* Isaiæ cap. 11. v.15. *Leuabit manum suam super flumen in fortitudine Spiritus sui, & percutiet eum in septem riuis* (nempe Euphratem) *ita vt transeant per eum calceati. Et erit via residua populo meo, qui relinquetur ab Assyriis, sicut fuit Israeli in die illa, qua ascendit de terra Ægypti.* Et clariùs *cap.*43. vbi omnia penè miracula commemorat, quæ in progressu ad terram promissionis cõtigerunt. *Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini. Ecce ego facio noua, & nunc orientur; vtique cognoscetis ea. Ponam in deserto viam, & in inuio flumina. Glorificabit me bestia agri, dracones, & struthiones, quia dedi in deserto aquas, flumina in inuio, vt darem potum populo meo, electo meo.* Quo verò sensu dici possint innouata in reditu è Babylone miracula, quæ olim in exitu ex Ægypto contigerunt, explicuimus in nostris Commentariis super Isaiam ad locum, de quo proximè, quæ omninò vide; & quæ item adduximus ad locum proximè è Zacharia citatum. 57.

Exitus è Babylone nõ minùs admirabilis, quàm ex Ægypto.

Vers.16.

58. Verſ.16. *Videbunt gentes, & confundentur ſuper omni fortitudine ſua.*] Gentes illæ, quæ prius ſubiugarant Aſſyrios; & poſtea, Hieroſolyma exciſa, Iſraeliticam fregerant potentiam; & Ægyptum, & Tyrum, vicináſque prouincias continenti victoriarum curſu ſubegerant; quæque ſuis viribus nihil putabant non eſſe ſuperabile, vbi cognouerint, quem in ſtatum ipſorum fortuna defluxerit, & quomodo poſteriora ſæcula Iudæorum tandem votis arriſerint, confundentur vehementer. Quod vſu venit his, qui ex ſublimi loco ceciderunt, maximè cùm ſublatos in altum eſſe vident illos, quorum ipſi ſordibus inſultarát. Illud *videbunt*, vt nuper diximus, epitaſim habet, & idem valet, quod vehementer.

59. *Silentium ſignum ſeruitutis duræ.* *Ponent manum ſuper os, aures eorum ſurdæ erunt.*] Commune eſt his, qui victi ſunt, aut qui abiectã, & ſordidam ſeruitutem ſubeunt, vt coram victoribus, ac dominis mutire non audeant: quod etiam faciunt, qui graui aliqua, & repentina plaga percuſſi ſunt. Sic terra ſiluiſſe dicitur in conſpectu Alexandri, 1. *Machab.* 1. Conticuit Tyrus à Chaldæis ſubacta, Ezech. cap. 17. *Quæ eſt vt Tyrus, quæ obmutuit in medio maris.* Et de eadem Iſaias cap. 23. *Tacete, qui habitatis in inſula.* Idem de Moab *Iſai. cap.* 15. & de Aſcalon *Ierem. cap.* 47. Hoc igitur facient Chaldæi à Perſis ſuperati, quod Iudæi, Moabitæ, ac Tyrij fecerunt, cùm Chaldæorum ſuccubuere potentiæ: poſuerunt enim ſibi manum ſuper os, quaſi illud obſerarent clauſtris, & loquendi ſibi facultatem præciderent. Illud verò, quod ſtatim additur, magnam addit vim huic ſeruili ſilentio, vbi ſine dubio ſubaudienda eſt ſimilitudinis nota, in hunc ſenſum. Perinde ſe habebunt, cùm indigna de ſe audient, & cùm hoſtes aut maledicta congerant, aut minas intentent, ac ſi nullas haberent aures, quæ audirent, aut mentem, quæ intelligeret, quid ab aliis indignum, aut maledicum obſtreperet. Simile eſt illud Ierem. cap. 11. v. 18. *Et ego ſicut agnus manſuetus, qui portatur ad victimã, & non cognoui, &c.* Quod nos ibi in hanc ſententiam explicuimus. Ductus ſum ad morté ſicut mutus, ac lubens, quaſi ignorarem trahi me ad aram, ſeu ſecurim: quemadmodum agnus, quia ignorat duci ſe ad macellum, neque obluctatur, neque vllam edit renitentis animi ſignificationem.

60. *Manus ſuper os pro ſilentio.* Ponere digitum, aut manum ſuper os, phraſis eſt Hebræis vſitata. Iob cap. 21. v. 5. *Superponite digitum ori veſtro.* Idem cap. 29. v. 9. Eccleſ. 5. *Si eſt tibi intellectus, reſponde proximo; ſin autem, pone manum tuam ſuper os tuum.* Qui dicendi modus prouerbialis eſt etiam apud Latinos, quibus illud tritum, *Digito compeſce labellum*, & ſimilia. Notum eſt quid de Harpocrate ſilentij Deo prodiderit antiquitas, qui impreſſo labiis digito ſilentium indicebat. Quod autem hîc obſcuriùs Michæas, multo clariùs expreſſum eſt à Dauid Pſal 37. *Ego autem tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus nõ aperiens os ſuum. Et factus ſum ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones.* Quaſi dicat, ſic tacebam, cùm me alij ſannis, maledictíſque conciderent, quaſi aut non audirem, aut nulla mihi eſſet aut verborum, quibus à me calumnias depellerem, aut certè nulla loquendi facultas.

61. Verſ.17. *Lingent puluerem, ſicut ſerpentes.*] Hic habitus eſt illorum, qui ſe victos fatentur, & à ſe verbera, & plagas, aut grauem aliquam ignominiam deprecantur, aut certè humillimum aliis, & abiectiſſimum deferunt, & profitentur obſequium. Hi enim abiiciunt ſe quam maximè poſſunt, ita vt ſtrati humi toto terram corpore contingant. Quod faciunt ſerpentes, quæ humi reptant, neque ſe à terra vel modicè attollunt. Hæc fortaſſe cæremonia vſitata inter Hebræos, dum ſe fatentur victos, & quidlibet ab hoſte victore ſubire paratos ſe eſſe fatentur. Hinc illud frequens, in faciem cadere, & terram exoſculari, aut lingere. Pſal. 71. *Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent.* Iſai. 49. *Vultu in terram demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.* Thren. 3. *Ponent in puluere os ſuum, ſi fortè ſit ſpes.* Plura de his ad illud Iſaiæ, de quo proximè, in noſtris Commentariis. Id verò fecerunt ſuperati Chaldæi, quia illud obſequij genus ſolebat Perſarum regibus impendi. Ita Valerius *lib.* 7. *cap.* 3. §. 2. audito hinnitu, quo Darius Perſarum declarabatur Rex. *Sex* (inquit) *reliqui candidati continuò equis delapſi, vt eſt mos Perſarum, humi proſtratis corporibus Darium regem ſalutauerunt.* *Terram lingere humillimum obſequium.*

Lingere terram non eſt quod propriè ſonat, ſed ponere in terra os ſuum, aut ſuper faciem cadere, & terram tangere ore: id enim aliquando valet lingere, aut lambere. Sic nauis oram dicitur lambere, cùm iuxta littus nauigat; & fluuius orã lambere, quam alluit. Horat. lib. 1. Carm. Ode 22. 62. *Lambere, aut lingere idem interdum quod tangere.*

Siue facturus (iter) per inhoſpitalem
Caucaſum, vel quæ loca fabuloſus
Lambit Hydaſpes.

Sic flamma loca dicitur lambere, quæ attingit, aut afflat. Virgilius lib. 2. Æneid.

Ecce leuis ſummo de vertice viſus Iuli
Fundere lumen apex, tactúque innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora paſci.

Velut reptilia terræ perturbabuntur de ædibus ſuis.] 63. Ea facilitate è domibus ſuis extrahentur, qua colubri de cauernis, aut alia animantia, quæ humi reptant, & ſibi ſubterranea parant diuerticula. Hæc obſcura non ſunt; ſed ego ex hoc dicendi genere aliquid ſubodoror occultius. Fortaſſe Chaldæi, & qui regiones illas Aquilonares, vt ſe profiterentur victos, neque iam amplius velle repugnare, ſternebantur humi, quaſi ſubire parati quidquid hoſti victori colliberet. Quemadmodum noſtra ætate qui ſupplices ab irato ſiue hoſte, ſiue domino extorquere volunt miſericordiam, in genua procumbunt. Cuius rei nonnulla in Scriptura ſacra apparent veſtigia. Nam ſicut alij innixi genibus ſupplicant, & adorant; ſic alij dicuntur in faciem cadere, & os ponere in puluere, & ſe victoribus calcandos ſummittere. Victoris eſt illa vox Iſaiæ 51. v. 23. *Incuruare, vt tranſeamus.* Quid verò illud ſit, explicat quod mox additur. *Et poſuiſti vt terram corpus tuum, & quaſi viam tranſeuntibus.* Quomodo homines ante Perſarum reges ſternerentur, diximus paulo antè. Chaldæi igitur iam ſtrati ſic à victore Perſa extrahebantur è domibus, ſicut è cauerna coluber, aut quoduis aliud reptile; non quidem compulſus egredi ſuis pedibus, ſed totius corporis tractu, ſicut raptatus ſerpens ex cauernis extruditur, quod eſt ignominioſum, & miſerum.

Hic ego aliquid video maximè ad Chaldæorum ignominiam ſumptum ex quadam ſerpentis proprietate, quæ non maiori quadam vi, qualis eſt à laqueo, vel vnco, ſed halitu tantùm, licet renitatur, & hærere contendat, à ſuo latibulo foras extrahitur. Hoc ſanè, ſi Plinio credimus, elephãtus facit, & ceruus. Sic enim ille lib. 11. cap. 53. *Elephantorum* (inquit) *anima ſerpentes extrahit, ceruorum item vrit.* De ceruis produnt rei naturalis ſcriptores multi, Oppianus lib. 2. Kyn. 64. *Ceruus halitu ſerpentem ex cauernis extrahit, item elephantus.*

Verùm vbi viderit voluminibus contortum longis
Vestigium anguinum, admodum exultans propinquat
Prope lustrum, naréſque applicat latibulo
Flatibus violentis attrahens.

Idem tradit Ælianus *lib.2. histor. cap.19.* Ex hac ceruorum proprietate latronis cuiuſdam ingenium expreſſit Martial.lib.12. epigr.29.

Ceruinus gelidum ſorbet ſic halitus anguem,
Caſuras altè ſic rapit iris aquas.

Plura inuenies non apud prophanos ſolùm, ſed etiam ſacros Scriptores. Sic Hieronymus ad illud Pſal.41. *Quemadmodum deſiderat ceruus*; & indicant ibi alij, licèt ſubobſcurè. Ab extrahendis datum eſſe exiſtimatur ceruo Græcum nomen, dicitur enim ἔλαφος ἀπὸ τοῦ ἕλκειν ὄφεις.

65. Hæc mihi viſa ſunt non extorta aut ab hiſtoriæ filo, aut à ſignificatione verborum. Alij aliter, fortaſſe meliùs. Illud *lingere* quidam non ſumunt metaphoricè, ſed propriè, vt quemadmodum ſerpentes terram comedunt, iuxta illud *Geneſ.cap.3.* vbi duæ ſerpentum proprietates traduntur, quas hoc loco in Chaldæis à Perſa ſubactis Michæas agnoſcit. *Super pectus tuum gradieris, & terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ.*

66. *Dominum Deum noſtrum formidabunt & timebunt.*] Cùm Chaldæi ex ipſo rerum euentu didiciſſent quàm eſſent vani, atque fallaces dij, quorum ipſi ſe fidei, atque tutelæ crediderant; quàm potens, & verus Deus, quem colebant Hebræi, cuius videbant fidem, & promiſſa cumulata fuiſſe completa, ac liberata; mutabunt animũ, damnabúntque religionem, quam antè probauerant, & illam amplectentur, cui inſultarant priùs procaci, liberóque conuitio. Quod ſanè ita fuiſſe factum ex Scriptura ſacra promptum habemus. Eſdræ lib.1.cap.6.v.21. *Comederunt* (ſcilicet Paſcha) *filij Iſrael, qui reuerſi fuerant de tranſmigratione, & omnes, qui ſe ſeparauerant à coinquinatione gentium terræ ad eos, vt quærerent Dominũ Deum Iſrael.* Et *Eſther cap.8.* extincto Aman, & illius loco ad gloriam Mardocheo ſublato regiæ proximam, ſcribitur: *Plures alterius gentis & ſectæ Iudæorũ religioni Iudæorum iungebãtur: grandis enim cunctos Iudaici nominis terror inuaſerat.* Illa duo, *deſiderabunt, & timebunt,* cùm videantur ſibiipſis viciſſim aduerſari, tamen iuxta Hebræoiũ idioma contraria non ſunt; *timor* enim religionem ſignificat, & obſeruantiã, & *timeo* venerari, ac colere, vt ſæpius à nobis obſeruatũ eſt. Quare nihil aliud ſibi locus iſte vult, quàm futurum eſſe poſt illam rerum mutationem, vt gentes ament Deum, quem tam potentem, ac fidelem inueniunt, & illi meliore mente cultum impendant, quem ab iiſdem antè dæmones abſtulerant.

Ex Chaldæis aliqui conuerſi.

67. Hæc multi de Euangelij ſæculo interpretantur; neque ego abnuo, quia in aureum illud ſæculum perquam bellè conueniunt, in quo Gentilium plurimi ad laxiſſimos Eccleſiæ ſinus aggregati ſunt. Sed illi ipſi, certè illorum plurimi, & complures alij de Iudæorum reditu, & Chaldæorum clade hæc interpretantur, in quod tempus hæc omnia optimè cadunt, & ab his temporibus Babylonicis iſta nonniſi duriuſculè ſeparantur. Sed eſt in hoc reditu ſpecies quædam, & typus Eccleſiæ, quæ idem propè primordium habuit, quod Eccleſia, quæ in ſuis incunabulis durè iactata eſt: & tamen ad ſe poſtea tranſtulit ex Gentili populo iam Chriſtiano ampliſſimum ſplendorem, & gloriam. Hæc nos ex omniũ penè Patrum ſententia vera eſſe probauimus in quadam præfatione *ad cap.40. Iſaiæ, & ad cap.2.*

A *Zachariæ,* ſtatim à principio. Ita certè tenent hîc Theodoretus, Dionyſius, Lyra, Vatablus, Robertus, Caſtrus, & Ribera: neque credo negarẽt hæc typicè de inſtaurata Iudæorum republica intelligenda, qui ad Eccleſiam referunt, gentiúmque conuerſionem.

Verſ.18. *Quis Deus ſimilis tui, qui aufers iniquitatem, & tranſis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ.*] 68.
Concepto ex hac rerum tam inopinata mutatione ſtupore, quantam mortalium nemo, ſi rerum naturam tantùm ſpectaret, futuram exiſtimaret, excitatur Prophetæ animus ad diuinas laudes; ita tamen vt populi ſui peccatum agnoſcat dignum, quod longiori adhuc ſupplicio plecteretur. Sed
B fecit in Deo infinita clementia, quam nulla exhaurit peccatorum improbitas, aut multitudo, vt non modò temperaret, quidquid in ſupplicio videbatur acerbum, ſed etiam auferret; & cum gloria, & exultatione referret in patriam, quos cum ignominia, & luctu in exilium abduxerat. Aufert autem peccati pœnam ab his, qui ex tanto captiuorum numero reliqui fuerant; nam alios iam dura, atque prolixa ſeruitus extinxerat.

Hîc quatuor nobis voces expendẽdæ ſunt. *Iniquitas, & peccatum,* vt aliis locis frequentiſſimè, peccatorum, & iniquitatum ſupplicia ſignificant: & auferre, ſeu tranſire peccatum, & iniquitatem, idem eſt quod à ſupplicio iniquitatibus de- 69.
C bito liberare. Quare ſenſus eſt ſingularem eſſe Dei beneuolentiam, & humanitatem, qui Iudæorum reliquias ab vlteriore pœna immunes eſſe voluit. Vbi vulgatus *tranſis,* Hebr. eſt עבר על פשע *ober al peſahhi,* id eſt, tranſiens ſuper iniquitatem, id eſt, omittens, ſeu condonans ſupplicium, quaſi non curans, aut aduertens, quid exigat peccati grauitas. Hiſpanus vim Hebraicæ phraſis expreſſit, cùm ad ſignificandum aliquid eſſe omiſſum, ſiue id incuria, ſiue accuratè fieri contingat, his fermè modis vtitur, *paſo por eſto.* Aut, *paſo eſto por alto.*

Non immittet vltrà furorem ſuum, quoniam volens 70.
miſericordiam eſt.] Non iã amplius Deus in populi
D reliquias furoris ſui, atque offenſionis acerbitatẽ effundet, quas ſatis exiſtimabit pro ſua lenitate expendiſſe pœnarum. Non quia populus adhuc plura non mereatur, ſed quia Deus patiens, & miſericors eſt: neque ſuas ad ſummum perſequitur iniurias, ſed quia ad miſerendum magna animi propenſione fertur, plurimùm remittit de iuſti, ac debiti ſeueritate ſupplicij. Quare bono deinceps erimus animo, vbi dura iſthæc Babylonici exilij tempeſtas exceſſerit.

Verſ.19. *Reuertetur, & miſerebitur noſtri.*] *Reuertor,* 71.
conuertor, & ſimilia iterationem ſignificant, & per aduerbium explicantur plerunque, vt Iob 7. *Non*
E *reuertetur oculus meus videre bonum,* id eſt, non iterum videbit bonum. Pſal.85. *Tu conuerſus viuificabis nos.* Pſal.73. *Conuerſi ſunt, & tentauerunt Deum,* id eſt, iterum viuificabis, iterum tentauerunt. Sic igitur hoc loco; *Reuertetur, & miſerebitur,* idem eſt atque iterum miſerebitur. Miſertus autem Dominus fuerat aliàs ſæpè, & è grauiſſimis exemerat incommodis, vt ex Moabitarum, & Palæſtinorum duriſſimo iugo; ſed præcipuè ex longa Ægyptiorum ſeruitute, à qua non longè aberat Babylonica: nunc ſimilem Propheta à Domino miſericordiam expectat. Hæc expoſitio nihil, opinor, habet offenſionis. Sed eſt alia ſententia, meo iudicio, minus impedita, quæ vtrumque ſignificat, & quo Deus paterno fuit in populum animo, & quo in illum hoſtilem in modum bacchatus

Reuertor, & ſimilia per aduerbium iterum explicanda.

chatus est. Fuit Dominus auersus à populo, quem
Babylonico alligauit imperio, & quasi alienum
à sua familia in peregrinam regionem ablegauit.
Nunc ergo ait Propheta reuersurum esse Domi-
num ad ingenium suum, ad animum videlicet
paternum, & mitem, vsurúmque misericordia in
illum, quem tamdiu à sua exclusum indulgentia
inclementer acceperat.

71. *Depones iniquitates nostras, & proiiciet in profun-
dum maris omnia peccata nostra.*] Eundem arbitror
esse sensum aliter atque aliter explicatum; quod
indicat id, quod sibi, ac populo promittit Pro-
pheta, futurum esse certissimum. Quasi dicat,
quòd laxetur tam longa, atque molesta captiui-
tas, & populus cum exultatione, & gloria reuer-
tatur ad patriam, statuatúrque tandem supplicio
modus, id non esse tribuendum populi innocen-
tiæ; nam adhuc aliquid supererat, quod suppli-
cij seueritatem exigeret; sed Dei clementiæ, qui
perinde habuit iniquitates nostras, ac si nun-
quam illarum meminisset, aut quasi nunquam
forent admissæ: aut illarum memoriam sic abie-
cit, quasi in profundum maris essent demersæ.
Loquitur autem Propheta de Deo, sicut alij fre-
quenter, humano modo, ac sensu: quæ enim in
maris abyssum subsederunt, illi humanos effu-
giunt oculos, & omninò inscrutabilia cen-
sentur.

73. Qui loquendi modus vsitatus est tam apud
Cuius in æternum memoria periit, proiectum dicitur in mare.
nostros, quàm apud externos, qui cùm aliquid
significare volunt ita fore occultum, vt nunquam
emergat, aut prodeat in lucem, in mare proie-
ctum esse dicunt, & ad imam vsque abyssum esse
delapsum. Quod tunc maximè verum esse existi-
matur, cùm graue est id, quod ad gurgitis pro-
funda proiicitur: id enim sursum enatare non
potest. Cùm Phocenses fœdus inirent inter se,
quod æternum esse voluerunt, ferream massam
proiecerunt in pelagus, cum graui execratione,
qua sibi mala precabantur ingentia, si priùs re-
uerterentur in patriam, quàm pondus illud gra-
ue ad summas vsque aquas sponte prosiliret. Ita
Herodotus lib. 1. *Ferream (inquit) massam in ma-
re demerserunt, & iurarunt non priùs se in Phocæam re-
uersuros, quàm hæc massa è fundo maris emergeret, atque
in summa aqua extaret.* Quod iuramentum, atque
execrationem, quasi æternæ alicuius durationis
firmamentũ adhibet Horatius in Epodo, Ode 16.

Sed iuremus in hæc. Simul imis saxa renarint
Vadis leuata, ne redire sit nefas.

Dubium esse posset, an in mare supplicium pro-
iiciendum dicatur, quasi nunquam resumendum
sit id, quod supplicij amplioris reis condonatum
est; vel proiicienda peccata, quia illis nihil præ-
terea imponendum est supplicij. Ego, quocun-
que modo sumas, eandem arbitror esse senten-
tiam; nempe illa peccata, quorum remissa est pœ-
na, non esse iam ampliùs punienda, eo nimirum
supplicij genere, quo aut punita sunt, aut expia-
ta exilio, quasi in quadam fornace Babylonica.
Sed eò magis inclinat assensio, vt putem hîc de
peccatis propriè, quàm de peccatorum pœnis
esse sermonem. Tum quia eò inclinant commu-
niter interpretes; tum quia huc spectant similes
in Scriptura sacra locutiones. Isaiæ cap. 38. v. 17.
*Eruisti animam meam, vt non periret: proiecisti post ter-
gum tuum omnia peccata mea.* Ierem. cap. 50. v. 20.
de hoc ipso tempore, & de Iudæorum reliquiis.
*In tempore illo, ait Dominus, quæretur iniquitas Israel,
& non erit, & peccatum Iuda, & non inuenietur, quo-
niam propitius ero eis, quos reliquero.* Eodem omnino

A sensu, quo Michæas: quo loco, vt in nostris
Commentariis in Ieremiam exposuimus, *peccatum
& iniquitas* figuratè pro peccatorum supplicio po-
sita sunt.

Adducit hîc Montanus ex libro Misnaioth 74.
Peccata in mare expiationis ergò proiici solita.
cap. de Phase, vsitatum esse inter Israelitas, vt si
qua essent abominanda, dira, atque nefasta, illa
in mare salsissimum, quod non procul aberat ab
Hierosolymis, proiicerent, quibus fortasse per-
suasum erat ea ratione, si quid foret immundum
expiatum iri. Hæc Rabbini Thalmudistæ, quo-
rum mihi fides leuissima est, neque quicquam
habet ponderis, nisi id ex sacris Scripturarum o-
raculis accipiat. Illud magis certum, à Barbaris
B quibusdam, qui regiones vltra Oceanum nuper
ab Hispanis apertas habitant, aut scripta peccata,
aut certè aliqua peccatorum symbola in flumina
iactari solita, vt illa ad mare secum deferant, vbi
æterna premantur obliuione. Ita Iosephus Aco-
sta *lib. 5. de historia naturali, ac morali noui orbis, cap. 25.*

Vers. 20. *Dabis veritatem Iacob, misericordiam A- 75.
braham, quæ iurasti.*] Hîc multa interpretes, cur
omissus hîc Isaac, qui medius fuit inter duos Pa-
triarchas; cur Abrahæ misericordia, Iacob verò
attributa veritas. Mihi in his examinandis diu
hærendum non est. Et primùm de Isaac non la-
boro; tum quia non est necesse totam iustorum
seriem commemorari; tum etiam quia Isaac se-
C mel, quod ego viderim, accepit à Deo promissio-
nem, cuius hîc meminit Propheta *Genes. 26. v. 4.*
Abraham verò & Iacob sæpiùs. Aut quia de Is-
raelitico populo tantùm laborabat Propheta,
qui maiorem in modum ab stirpe Iacob propa-
gatus est, & ab illo vocatus Israel, ideo omisso
Isaac, Iacobi tantùm meminit, cuius nomen
in populo illo frequens, & gratum. De veri-
tate, ac misericordia minùs arbitror esse labo-
randum, cùm hoc loco, sicut aliis plurimis,
idem sit veritas, & promissa, seu iurata miseri-
cordia. Quia Dei promissa verissima sunt, & ista
maximè, quorum nunc Propheta excitat memo-
riam, propter ipsum affirmationis modum. Adhi-
D buit enim Dominus ad maiorem dicti firmita-
tem iuramentum, maximè cùm ageret cum Abra-
ham. Sic autem Deus *Genes. 26.* ad Isaac de A-
braham. *Tibi, & semini tuo dabo vniuersas regiones
has, complens iuramentum, quod spopondi Abraham
patri tuo.* In Testamento nouo iurasse dicitur
Deus Abrahamo; de aliis dobus nihil audimus.
Sic sanè *Lucæ 1.* cecinit Zacharias. *Iusiurandum,
quod iurauit Abraham.* An verò hoc ipsum, cùm
ageret Deus cum Isaac, & Iacob, iuramento fir-
mauerit, mihi non constat; iuramento verò Isaac,
& Iacob promissum esse dandam esse terram pro-
missionis, id est, Abrahami posteris, nemo pius
dubitare potest. Et id fortasse tantùm significat
illud Deut. cap. 34. v. 4. *Hæc est terra, pro qua iuraui
Abraham, Isaac, & Iacob, dicens: Semini tuo dabo eam.*
E Sicut etiam quod nunc à Propheta dicitur, *Quæ
iurasti patribus nostris à diebus antiquis.* Iurauit enim
Dominus Abrahamo, daturum se illius posteris
terram, non tamen posteris iurauit; sed quia illa
præsertim promissio ad Abrahami posteros per-
tinebat, perinde fuit, atque si illis cum iuramen-
to Deus possessionem illam promisisset.

Est autem hîc, vt opinor, *veritas* nihil aliud, 76.
Veritas idē interdum quod promissa, aut iurata misericordia.
quàm iureiurando firmata, aut, quod idem est,
iurata misericordia; quæ ex eo fortasse nomen
accepit, quod hæc vox, *Amen*, in concipiendo
iuramento sæpiùs adhibebatur: quæ vox idem
valet, quod *verè*, aut *veritas*. Iurauit itaque Deus
mise-

misericordiam Abrahamo, quam misericordiam A iuratam, id est, veritatem orat Propheta, vt præstet Israeli, id est, Israelitico semini. Quòd verò *veritas* aliquid interdum iuratum, aut iuramentum significet, facilè sibi persuadebit, qui norit veritatem, & Hebræis familiare iuramentum, ab eadem omninò radice deriuari. A radice enim אמן *aman* deducitur אמת *emeth* veritas, & אמן *amen*, quod in iureiurando concipiendo frequenter occurrit. Neque sine causa sæpè veritas cum misericordia coniungitur, quasi ostendatur Deus misericorditer promisisse, & verè, atque fideliter impleuisse promissa. *Psal.*83. septies misericordia cum veritate, seu quod idem est, cum fidelitate coniuncta reperitur; in eo porrò Psalmo magna Dei promissa continentur. Et in principio ostendit Propheta aut idem esse misericordiam & veritatem; aut illud esse discrimen, quod nuper ostendimus: nempe veritatem esse promissæ misericordiæ complementum. Cùm enim *v.*1. cecinisset Psaltes, *Misericordias Domini in æternum cantabo*; statim per epexegesim *v.* 2. eodem sensu dixit, *Annunciabo veritatem tuam in ore meo.* Quare, vt iam tandem dicam, quod mihi apparet hoc loco verisimile magis, puto optare hîc, atque orare Prophetam, vt appareant promissa, & illorum certa probetur fides, quæ promisit Deus, idque iuramento firmauit Abrahamo: nempe vt possideant illius posteri terram, ex qua per Chaldæos expulsi sunt. Id enim valet, *Dabis veritatem Iacob*, id est, implebis in Iacob fideliter, quod Abrahamo misericorditer promisisti.

Veritas sæpè cum misericordia coniuncta.

Sunt qui ideo putant attribui Abrahamo mi- 77.
sericordiam, quia Deus adductus tantùm misericordia pollicitus est Abrahamo & redemptorem ex suo genere, & terram promissionis eius posteritati. At quæ in Abrahamo misericordia fuit, in Iacob existimari veritas debuit; quia illi se Deus promissione facta Abrahamo parenti, priùs obligauerat. Ita putant ex Hebræis Rabbi Dauid, ex nostris Burgensis, neque abnuit Ribera, & Rupertus, qui tamen addunt ideo misericordiam Abrahamo tribui, quia multarum gentium pater est, & populorum etiam Gentilium, vt indicat nomen *Abraham*, quod sonat patrem multarum Gentium, cùm priùs *Abram* diceretur, id est, pater excelsus. Gentibus autem nihil ex iustitia, & veritate debebatur, cùm illis nulla foret facta promisso; secus Iacob, id est, Israelitis, quibus facta fuerat iurata promissio. Hæc sententia fortasse potior; superior mihi magis probatur.

IN

Digitized by Google

IN NAHVM PROPHETAM COMMENTARII.

PROLEGOMENON I.

De patria, & genere Nahum.

1. *Nahum genus, & patria.*

DE genere nihil aliud habemus, quàm quod ex quorundam sententia tradit Hieronymus in prologo Nahum ad Paulum, & Eustochiũ: vbi scribit quosdam existimasse Helkesæum patrem fuisse Nahum, & sicut filium, spiritu afflatum esse prophetico. Quod neque Hieronymus probat, neque vllus alius, qui de Prophetarum vita, atque natalibus aliquid prodiderunt: quales sunt Epiphanius, Isidorus, Dorotheus *in Synopsi*, Chronicon Alexandrinum. Sanè Helkesæis, Hieronymus, & alij patriam esse dicunt, non patrem Nahum. De quo sic Hieronymus citatus nuper. *Helkesæis vsque hodie in Galilæa viculus est, paruus quidem, & vix ruinis veterum ædificiorum indicans vestigia, sed tamen notus Iudæis, & mihi quoque à circumducente monstratus.* Omnes penè qui de Nahum aliquid memoriæ prodiderunt, ex tribu Simeon esse tradunt: quòd si illius patria (vt modò ex Hieronymo dicebamus) fuit in Galilæa, siue illa superior sit, siue inferior, nullo modo ad Simeonis tribum pertinere potest: Galilæa namque, quæ Zabulon, Nephthalim, Asser, & Isachar aut continet, aut tangit, longè abest à Simeonis tribu. Kalendarium Romanum eius patriam indicat esse Begabar, quod alij etiam sentiũt, de quo *prolegom.* 5. Planè hac de re definiri nihil potest, sed communis sententia magnum habet momentum ad fidem.

PROLEGOMENON II.

Quo tempore prophetauerit.

2. *Nahum quando prophetauit.*

DE tempore, in quo prophetauerit Nahum, nihil habemus certũ, cùm ipse nihil dixerit, vt fecerunt aliorum Prophetarum plerique, neque ex eius scriptis aliqua duci possit coniectura grauior. Hiero-
A nymus *in prologo* sub Ezechia prophetasse affirmat, cùm iam decem tribus traductæ forent ad Assyrios. Hebræorum Chronicon, quod Seder-olam inscribitur, *cap.* 20. σύγχρονον illum facit Ioeli, & Abacuc, quos vaticinia sua texuisse scribit sub Manasse, longè post illa tempora, quæ Hieronymus putat. *Ioel* (inquit) *Nahum, & Abacuc vaticinabantur tempestate Manasses. At quoniam improbus erat Manasses, subticuerunt eius nomen, neque se appellarunt de eius vocabulo.*
B Huic sententiæ subscribunt quidam è recentioribus. Sixtus Senẽsis *lib.* 1. *Bibliorum*, Vatablus, Montanus, Robertus, Genebrardus *in Chronico*. Iosephus *lib.* 9. *cap.* 11. sub Ioatham tradit fuisse vaticinatum, quo tẽpore decem tribus nondum erant captæ. Sanè res est incerta: illud certum, ante subactam à Babylonio Niniuen, hanc contigisse prophetiam: neque aliud fortasse certum.

PROLEGOMENON III.

C *Contra quos prophetauerit.*

DE hac re dubitare potest nemo, cùm ipse in ipso statim titulo proponat. 3. *Contra quos prophetauit.*
Mutarãt Niniuitæ mores, & inaudito quodam pœnitentiæ genere diuinum à suo capite furorem auerterant, vt diximus pluribus in nostris Commentariis super Ionam. Non tamen diu continuerunt ingenium ad omnem intemperantiam assuetum, & pronum: atque ideo iterum in se diuinum furorem inflammarunt, & suspensam aliquã-
D diu iram rursus ad minas, & cædem conuerterunt. Misit igitur Deus secundò Nahum, sicut aliquot antea annis miserat Ionam, qui Niniuitis Dei iudicium seuerum, & horribile, & ciuitatis interitum ediceret. An verò Niniuem sit ingressus Propheta, sicut Ionas, & ibi minaces intonuerit voces, sicut fecit Ionas, non constat: perlatum tamen esse vaticinium ad Niniuitas, & Assyrios, mihi omninò certum: tum quia res erat grauis, neque longè aberant ab Israëlis finibus Assyrij; & Assyriorum plurimi in terra promissionis recèns subacta, tanquam

Digitized by Google

Non prophetauit in Niniue. quam in sua prouincia consederant. Sanè in Samariam ciuitatem regiam, & Israëlitici imperij primam sedem, & in illius vrbes translati sunt plurimi ex ciuitatibus, quæ Assyriorum parebant imperio. 4. Reg. cap. 17. v. 24. *Adduxit autem rex Assyriorum de Babylone; & de Cutha, & de Aua, & de Emath, & de Sepharuaim, & collocauit eos in ciuitatibus Samariæ pro filiis Israël: qui possederunt Samariam, habitaueruntque in vrbibus eius.* Quòd si defuissent alij, certè ad suos scripsissent, quod sine dubio multorum sermonibus frequens erat de Assyriorum interitu triste vaticinium. Sanè non ignorabat Tobias, qui sub hæc tempora captiuus agebat inter Assyrios in hac ipsa ciuitate, in quam tam graues intorquentur minæ. Sic enim Tob. cap. vlt. v. 5. *In hora autem mortis suæ vocauit ad se Tobiam filium suum, & septem iuuenes filios eius nepotes suos, dixitque eis: Propè erit interitus Niniue; non enim excidit verbum Domini.* Verbum autem hoc ego crederem esse non Ionæ, sed Nahum: illud enim excidisse videri potuit, quia Deus Niniuitis pœnitentibus ignouit (quanquã venia cõditionata videri potuit, quia eæ minæ conditionatæ fuerunt, quasi Deus sub ea lege supplicium sustulerit, aut certè distulerit, si ipsi nunquã reuerterẽtur ad ingeniũ, & vomitum.) Vtrumque vaticinium notum esse arbitror Tobiæ. Ego in illam cogitationem adducebar, neque nisi meipsum fallit, sine causa, vt credo, ad vaticinium Nahum respexisse Tobiam, nisi in textu Græco viderem expressum fuisse Ionæ nomen. Quod etiam probat Hieronymus *in prologo Ionæ*: vbi enim vulgatus habet cap. 14. v. 6. *Propè erit interitus Niniue; non enim excidit verbum Domini.* Græcè est, *Credidi quæ locutus est Ionas Propheta ad Niniuem, quoniam subuertetur.* Et infrà, *Et nunc excede fili à Niniue: quia omninò erunt, quæ locutus est Propheta Ionas.*

PROLEGOMENON IV.

De euersione Niniue.

5. *A quo excisa Niniue.* EVerterunt Niniuem non tam externi, quàm domestici hostes, peccata videlicet, quæ vbi in vrbe liberè, atque impunè grassantur, nihil est tam munitum siue à natura, siue ab arte, quod non expugnet vis quamlibet debilis, & exigua. A quo fuerit excisa Niniue, & extinctum Assyriorum imperium, inter authores non leue dissidium est. Iosephus *lib. 10. cap. 3.* à Medis putat, & Chaldæis. Idẽ indicat Strabo *lib. 16. in principio.* Neque dissentit Beda *de temporibus cap. 20.* Paulus Orosius *lib. 1. cap. 19. & lib. 2. cap. 2.* Sed est communis sententia à Chaldæorum rege Nabuchodonosor deletam esse Niniuem, & translatum imperium. Ita tenent Hieronymus *in cap. 2. Nahum, & ibidem* Rupertus. Quod etiam senserunt Hebræi in Seder olam *lib. 1. cap. 24.* quod textus Græcus expressè docet *Tobiæ cap. 14. in fine*, licèt subobscurè, propter illud, *quem in vrbis oppugnatione socium adiungit*, ait enim à Nabuchodonosor, & Assuero Niniuem esse subuersam.

Addũt aliqui percussam esse Niniuem, & euersam diuinitus, non tam conspirantibus hominum animis, quàm coniuratis in illius ruinam elementis. Audi Epiphanium de vita, & interitu Prophetarum in Nahum. *Hic est* (inquit) *Propheta ille, qui post Ionam ostentum, ac prodigium dedit super Niniue, quod ab aquis dulcibus, ignéque terreno olim vastaretur. Id quod tandem contigit: quippe eam ex terræ motu, igne vndique ambiente, mox etiam aqua de solitudine superueniens sublimiores etiam omnes vrbis locos occupauit.* Huic subscribit Dorotheus *in synopsi*, & Chronicon Alexandrinum, nisi quòd id præterea addunt, à palude, quæ vrbem cingebat, in terræ motu vrbem inundatam, atque oppressam fuisse: & flammam erupisse de deserto, & in ciuitatem inuolasse. De hac re iterum ad *cap. 2. v. 6.* vnde hæc ab authoribus videntur esse desumpta. 6. *Quomodo subuersa Niniue.*

PROLEGOMENON V.

De vita, & morte Nahum.

DE vita nihil habemus aliud, quàm quod ex illius vaticinio constat. De morte tradunt iidem authores, qui suprà, in patria sua sortitum esse sepulturam. De tempore nihil habemus aliud, quàm quod Kalendarium Romanum tradit, à quo habemus eius memoriam kalendis Decembris celebrari, quod etiam tradit Græcorum Menologium. ex quo verisimile est eo die è viuis excessisse Nahum: sanctorum enim celebrari solet, non dies in quo ingressi, sed ille, in quo egressi sunt de vita, qui dies illis verè natalitius fuit. Addit Kalendarium quiescere, id est, sepultum esse in Begabar, quam fuisse illius patriam docent illi, qui suprà à nobis adducti sunt; licèt nonnihil in nomine dissentiant. Isidorus enim patriam, ac sepulturæ locum vocat Bathasarim, Chronicon Alexandrinum Bethabaram, eodẽ modo Dorotheus. Epiphanius, vnde sumpsit Romanum Martyrologium, Begabar. Sed hi posteriores patriam esse dicunt Elcesa, quam proximam esse dicunt Bethabaræ: dicunt tamẽ in patria fuisse tumulatum. Vnde cùm Kalendarium illius sepulcrũ dicat esse in Begabar, illam quis non immeritò iudicare possit patriam esse Nahum. Res est planè incerta, & coniecturæ dubiæ. 7. *Mors, & sepultura Nahum.*

Google

IN CAPVT PRIMVM.

ARGVMENTVM.

HOC durum, & minax vaticinium in Niniuitas præsertim intorquetur, qui ad easdem sordes iteratò redierant, vnde antea per Ionæ prædicationem emerserant. Minatur igitur grauissima rerum, salutis, & libertatis incommoda, amplificans tum Dei inflammatum animum, qui velit illius gentis scelera punire; & potentiam, qua possit, quidquid designarit animo, facilè perficere. Deinde consolatur Iudæorum animos, qui timebant, ne id sibi contingeret à Senacherib Assyriorum principe, quod decem tribubus accidisse cognouerant. Et illius docet interitum futurum esse breui, neque quicquam ab Assyriis deinceps fore metuendum.

CAPVT I.

1. *ONus Niniue: Liber visionis Nahum Elcesæi.*

2. *Deus æmulator, & vlciscens Dominus, vlciscens Dominus, & habens furorem: vlciscens Dominus in hostes suos, & irascens ipse inimicis suis.*

3. *Dominus patiens, & magnus fortitudine, & mundus non faciet innocentem. Dominus in tempestate, & turbine via eius, & nebulæ puluis pedum eius.*

4. *Increpans mare, & exiccans illud: & omnia flumina ad desertum deducens infirmatus est Basan, & Carmelus: & flos Libani elanguit.*

5. *Montes commoti sunt ab eo, & colles desolati sunt: & contremuit terra à facie eius, & orbis, & omnes habitantes in eo.*

6. *Ante faciem indignationis eius quis stabit? & quis resistet in ira furoris eius? indignatio eius effusa est vt ignis, & petræ dissolutæ sunt ab eo.*

7. *Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis: & sciens sperantes in se.*

PARAPHRASIS.

A 1. LIber Nahum Elcesæi; in quo durum continetur, & minax vaticinium contra Niniuem.

2. Deus zelotypus est, & vltor: vltor, inquam, est Deus, & furore plenus, qui vindictam expetet de hostibus suis, & quem iampridem furorem concepit, in suos euomet inimicos.

3. Est quidē patiens Deus, quisque, quam habet infinitam fortitudinem, maximè in tolerando manifestat: veruntamē qui priùs, prædicante Iona, Niniuitis pepercit, idem quia animum obstinarunt in peccādo, non ampliùs ignoscet. Ad sumendam verò de Niniue vindictam, ea Dominus celeritate, atque impetu veniet, quasi turbo illum deferret, aut præceps, rapidaque tempestas. Ex B cuius incessu tantus excitabitur puluis, vt densissimæ nubis instar obtineat.

4. Neque difficile erit Deo Niniuem copiosam, & lautam ciuitatem excindere, cui facile fuit imperio minaci exsiccare pelagus, & loca fluminibus irrigua, imò & ipsa flumina in desertum redigere, quæ sicco pateant viatorū vestigio. Quòd si quicquam fuerit sic speciosum, & cultum, vt cum Basan, Carmelo, ac Libano comparari possit, id totum prosternet, atque fœdabit tempestas, quam Dominus inuehet in Assyriorum fines.

5. Ad ingressum illius graui montes, & colles motu contremiscent, & cadent; neque minùs acriter terram, illiúsque habitatores turbo concutiet.

C 6. Ecquis erit vsque adeò strenuus, atque audax, qui Deo indignato, atque ad vindictam æstuanti possit occurrere. Quis, inquam, erit vsque adeò amens, & impauidus, qui se illius indignationi temerarius opponat? Illius etenim furor non aliter erumpit, quàm ignis violentus, qui ipsa etiam saxa exurit, ac soluit.

7. Vt autem Deus seuerus est in eos, qui & ipsi in populum suum immisericordes extiterūt: sic contrà, propitius est, & libera-

A lis in suos, quos in ipso tribulationis æstu nouis semper beneficiis confortat, & recreat. Amat autem illos, & agnoscit vt suos, qui ab ipsa sperant omnia, & ad se in rerum aduersitate confugiunt.

8. *Et in diluuio prætereunte, consummationem faciet loci eius: & inimicos eius persequentur tenebræ.*

8. Inuehet autẽ Dominus hostiles acies, quibus quasi illuuione quadam opplebit, oblimabit, & sternet ciuitatem illam inimicam: vt neque illius supersit vllum ex tanta maiestate vestigium. Inimicos verò Dei, quocumque se verterint, assidua persequẽtur incommoda, & horrentes tenebræ: si enim declinare contingat hostile ferrum,
B non tamen Dei vindicem furorẽ effugient.

9. *Quid cogitatis contra Dominum? consummationem ipse faciet: non consurget duplex tribulatio.*

9. Quid spiritus, ô Assyrij, contra Dominum arrogantes alitis, cogitatísque ab illius potentia nullum vobis posse prouenire periculum? Ipse, cuius vos iram, potẽtiámque contemnitis, rem vestram communem, & publicam funditùs euertet. Et vos ô Solymitani ciues, qui idem, quod decem tribubus aduenit, ab Assyriis infortunium timetis, facite, vt bono sitis animo. Neque enim id vnquam assequetur Assyrius, vt duplicem Israëlitico generi inferat plagam.

10. *Quia sicut spinæ se inuicem complectuntur, sic conuiuium eorum pariter potantium: consumentur quasi stipula ariditate plena.*

C 10. Vt enim spinæ, quo meliùs ab igne consumantur, constringuntur in fasces: sic illi, qui spe victoriæ insolenter elati lautis se oblectant epulis, & frequentibus poculis; non secùs atque aridæ stipulæ in vnum congregati locum incendio conflagrabũt.

11. *Ex te exibit cogitans contra Dominum malitiam: mente pertractans præuaricationem.*

11. Et ille, qui priùs Iudæã est ingressus, multa contra Dominũ inuerecũda cogitãs, secúmque meditans, quomodo à sacro, & religioso cultu populum auerteret, exiuit à tuis finibus, ab illa sua expectatione deiectus, non auctus, noua subactæ regionis accessione: sed profugus, pudibundus, & nu-
D dus, & odiosus nõ alienis solũ, sed etiã suis.

12. *Hæc dicit Dominus: Si perfecti fuerint, & ita plures, sic quoque attondentur, & pertransibit: afflixi te, & non affligam te vltrà.*

12. Quantúcumque hostes Assyrij copiis abundent, & omni instructu militari, peribũt tamen breui, nihilo difficilius quàm ab armẽtis detondentur herbæ, aut à tonsorio cultro capilli raduntur. Ille verò, qui contra Deum maligna cogitabat, ignominiosè, ac breui imperiũ pariter, & vitã amittet. Afflixi te, ô Iudæa, per Assyrios; sed nil iam ampliùs ab illis patieris incommodi.

13. *Et nunc conteram virgam eius de dorso tuo, & vincula tua disrumpam.*

13. Nunc iam virgã Assyrij, ac potestatẽ conteram, ne, quod optabat, herili imperio in tuum dorsum liberè sæuiat: & lora, quæ
E iam ceruicibus tuis, iugóque parauerat, antequam sui studij, ac voti compos fiat, rumpam, atque confringam.

14. *Et præcipiet super te Dominus, non seminabitur ex nomine tuo ampliùs: de domo Dei tui interficiam sculptile: & conflatile, ponam sepulchrum tuum, quia inhonoratus es.*

14. Nunc audi tu, ô Senacherib, quid de te Dominus statuit, & per me tibi denunciari velit. Extinguetur iam imperium tuum, neque ex subditorum labore in regium horreum inferentur frumenta. Neque in honore ampliùs erunt illi dij, quorum

15. Ecce

Digitized by Google

A rum tu ad aram pronus supplicabas. Neque enim vllum erit simulacrum aut dolatum è ligno, aut exculptum è marmore, aut conflatum ex ære, quod non prorsus intereat. Tam autem erit longè, vt à diis, quos humili venerabaris obsequio, salutem consequatis, vt in illorum conspectu, ac templo inhonoratus, & vilis mortem, & sepulturam inuenias.

15\. *Ecce super montes pedes euangelizantis, & annunciantis pacem: celebra Iuda festiuitates tuas, & redde vota tua: quia non adiiciet vltrà vt pertranseat in te Belial: vniuersus interiit.*

15\. Videre te puta, ô Ierusalem, properantes nuntios, & audire voces, quibus in montium fastigiis, occiso implacabili Iudæorum hoste Senacherib, pacem annuntiant, & securum otium. Secura iam poteris & celebrare quæ religioni, & consuetudini, atque adeò votis legitimè conceptis debes sacrificia, diésque obire solemnes, & sacros. Quia iam totus interiit vir audax, & exlex Senacherib, qui non sinebat pauidos animos illa præstare, quæ religio iubet.

Vers.1. *Onus Niniue.*]

1\. *Onus quid.* SÆpe à nobis, & ab aliis, qui in Prophetas commentarios edidere, obseruatum est, quódnam sit illud vaticinij genus, quod *onus* transferre plerumque vulgatus. Septuaginta *λῆμμα*, nempe illud, quod aliquid importat molestum, & graue. Hebraicè dicitur משא *masa*, quod alij ex antiquis cum Hieronymo *pondus*, aut *onus* transtulerunt. Hæc porrò verba huiusce prophetiæ videntur esse titulus. Et fortasse licèt alij alias afferant causas, cur quod à Hieronymo *onus*, hoc à Septuaginta dicatur *letra*, quas ego potiores omninò puto, maximè illam, quæ *lemma*, id est, assumptum, idē esse existimat, quod *onus*: quia onus assumi debet, & dorso, capiti, aut humeris imponi, vt propriè possit onus appellari. Sed fortasse lemma dicitur, quia titulus est, & quædam breuis totius in Niniuitas prophetiæ comprehensio. Quòd verò *lemma* titulum significet, aut breuem quandam summam eorum, quæ longiori tractu continentur, docet illud Martialis lib. 14. vbi singulis distichis titulum præponit, & argumenti summam.

Lemmata si quæris cur sint adscripta, docebo,
Vt si malueris, lemmata sola legas.

Et iuxta hanc cogitationem sensus erit. Libri visionis Nahum Elcesæi argumentum totum est contra Niniuem.

2\. Sed est expositio communis, & magis expedita, si dicas totum húc librum nihil continere aliud, quàm durum, mináxque vaticinium contra Niniuitas. Cur Nahum vocetur Elcesæus, docuimus *proleg.* 1. Liber dicitur visionū, quia visiones scriptæ sunt: liber enim scriptura dicitur, licèt illius volumen exiguū sit. Certè sæpe in Scriptura epistola ספר *Sepher* vocatur, quam hoc loco vulgatus *librum* reddidit 4. Reg. 5. v. 5. *Vade, & mittam litteras ad regem Israel.* Et iterum 4. Reg. 21. v. 12. *Misit Merodach Baladan rex Babyloniorum literas, & munera ad Ezechiam.* Quod idem Isai. 39. cap. 1. sic expressit Isaias *Misit Merodach Baladam libros, & munera ad Ezechiam.* Quare nil mirum, si exiguam hanc prophetiam, *librum* transtulerit vulgatus, quæ … cótinet visiones, cùm vel exigua char- *Epistola vocata liber.*

C ta hoc sibi nomen sæpe vendicarit.

Vers.2. *Deus æmulator, & vlciscens Dominus, & habens furorem: vlciscens Dominus in hostes suos, & irascens ipse inimicis suis.*] Accommodatum principium vaticinij minacis, & duri, in quo & causa ostenditur, cur indignari debeat Dominus, & quàm illi sit facile sumere durū de inimico suppliciū. Duos hîc ego populos aspicio: alterum, de cuius calamitate dolet Deus, & cuius vlcisci vult iniurias: alterum, contra quem ipsius inflammatur zelus, & furor, vbi vulgatus *æmulator*, Hebr. קנא *cano*, Græcè *ζηλωτής*. quæ vox interdum valet offensionem, & iracundiam, quæ ab amore, & odio, & offensione prouenit. Est enim zelus dolor, seu offēsio, quæ ex amore nascitur; aut quia in re amata, qualis est sponsa, fides desideratur; aut quia de fide violata orta est suspicio. Hic verò dolor grauissimus, qua- 3. *Zelus quid & qualis eius vis.*
D lis est, qui aut cruciat in gehēna, aut mortē inducit: de quo Cant. 8. *Dura sicut infernus æmulatio.* Vbi *æmulatio* zelus est, sicut hic *æmulator* zelator, seu zelotes. Ex hoc zelo implacabilis nascitur furor, qui omnino sedari non potest. De quo Prouerb. 6. v. 24. *Quia zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ.* De hoc zelo Chrysostomus de Virginitate, *Morbus iste non tristitiam solùm, sed iram intolerabilem ingenerare solet.* Dixerat autem priùs de zelotypo. *Cum verò ex furore corripitur, nihilo melius afficitur, quàm qui à dæmonibus agitantur, aut mente capiuntur.*

Hic autē zelus, vt dixi, ab amore nascitur, qui 4.
in eos hostiliter, & impotenter inuehitur, qui rem amatam acceperunt malè, aut grauiter offenderunt. Ex hoc zelo, id est, ex amore Dei ab impiorum iniuriis violari, tabescebat animus Dauidis
E Ps. 118. *Tabescere me fecit zelus meus: quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Ex hoc zelo sic in peccatores inuehebatur, vt quo ab illis violatæ diuinæ legis pœnas expeteret, matutinam lucem anteuerterat. Psal. 100. v. 8. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ.* Hoc eodem zelo Elias 3. Reg. cap. 8. interfecit sacerdotes Baal, vbi sic de seipso, *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum: quia dereliquerunt pactum Domini filij Israel.* Hoc zelo Phinees virum Israelitam cum scorto Madianitide pugione confodit. *Num.* 25. Hoc Ma-

 thatias

thatias eum, qui legem violauit, & ad impias sacrificauit aras, simul cum Antiochi legato peremit *lib.2. Machab. cap.2.* Hoc zelo afficiebatur Dominus in populum suum, quia licèt illum expulisset è terra promissionis, & alienatum gentium imperio subiecisset, tractatus tamen ab illis inclementius fuit, quàm ipse vellet: atque ideo in gentes illas alienas grauiter succensuit. Et quod hîc de Assyriis, & de eorum capite, & regina Niniue dicit Propheta, hoc ipsum de Babylone dixit postea per Zachariam cap.1. *Zelatus sum Hierusalem, & Sion Zelo magno, & ira magna ego irascor super gentes opulentas, quia ego iratus sum parum; ipsi verò adiuuerunt in malum.* Vide quæ nos in nostris Commentariis ad hunc Zachariæ locum.

5. Cùm ergo Assyrij, & hi præsertim, qui regnarunt in Niniue, decem tribus crudeliter afflixissent, vt ex libro Tobiæ non obscurè constat, & deinde sub Senacherib duas alias sub Ezechia, tulit Dominus grauiter, & vt populi sui vlcisceretur iniurias, in illos per Prophetam durum istud vaticinium intorquet, vbi docet se zelotem esse, quem nimirum tangit populi vexatio, & dolor; & illius vindicem, dum Assyriis, & Niniuæ extrema minatur. Et ideo postquam sese æmulatorem appellauit, vltorem se vocat, & in hostes populi sui, quos suos hostes esse dicit, ingentem concepisse furoris æstum. Porrò hoc ipsum maximè ingenuũ animum instimulare ad vindictam, & quælibet adeunda pericula, ipsi etiam docent prophani, qui furorem ex rei amatæ vulnere, vel iniuria, magnũ esse dicunt. Quare nihil horret, aut declinat pater, si filium ab aliis durè, atque iniuriosè tractari videt: nihil sponsus, si sponsæ vitam, aut honorem in periculum deduci sentit; quod etiam in mutis animantibus natura docuit. Sic Virgil. de Mezentio lib.10. Æneid.

——— Æstuat ingens
Imo in corde pudor, mistóque insania luctu,
Et furiis agitatus amor, & conscia virtus.

Quanto porrò zelo Deus afficiatur in suos, quàm filiorum vulnera, contumelias, & damna pro suis deputet, docuit ipse per Zachariam luculenter *cap.2.* vbi sic ad populum suum contumeliosè, ac durè ab hoste vexatum. *Qui tetigit vos, tangit pupillam oculi mei.*

6. Vers.3. *Dominus patiens, & magnus fortitudine.*] Putabat stolidus Assyriorum populus, tot iam victoriis insolens, in Hebræorum Deo nullam esse potentiam, quia illos tot annis videbant alieno alligatos imperio: quorum siue cogitationibus, siue sermonibus impiis respondet Deus, quod diu Assyriorum iniurias impunè abiisse voluerit, id non ex eo prouenire, quòd in ipso debilitas esset, aut facultas ad vindicandum infirma, cùm sit magnus fortitudine, cuique nihil foret insuperabile: sed quia patiens est, & tempus expectat vt homo vitæ mutatione supplicium, quod impendet, aut auertat, aut temperet: aut grauiùs puniat, si in vitæ sordibus obstinato consilio perseueret. Notum est illud Valerij *lib.1.cap.1.* lentis passibus diuinam iram procedere; sed lentam illam moram supplicij magnitudine compensari. Quod docuit multo meliùs Apostolus ad Rom. cap.2. v.4. *Sin diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & iusti iudicij Dei.* Quo enim magis Deus expectat, & illius patientia, ac lenitate peccator abutitur, eo magis in se vltricẽ Dei iram cumulat, armat, & instimulat. Qua de

Deus patiens vltor.

Deus quo diutius expectat, durius punit.

re optimè Augustinus *lib.1. contra aduersarium legis, & prophetarum*, vbi hunc locum Pauli eleganter tractat. *Ille* (Deus) *auget longanimitatem, & tu auges iniquitatem. Erit illius thesaurus in sempiterna misericordia, sed in eos, qui non contempserunt misericordiam: tuus autem thesaurus in ira inuenietur, & quod ponis quotidie per modicum, ingentem postea massam inuenturus es. Tu minutatim imponis, sed postea cumulum inuenies. Noli attendere minuta peccata tua quotidiana; de minutissimis enim guttis flumina implentur.* Ex his, quæ videntur guttæ, quas peccator impœnitens neque metuit, neque curat, fluuius ille igneus, rapidúsque conflatur, & crescit, de quo *Daniel. cap.7.* qui iudicaturum Dominum antegreditur, quasi diuini furoris administer. Quia hic locus de patientia Dei, grauis est ad mores, addam hîc quod magni Ecclesiæ Patres, atque Doctores sentiunt, & dicunt, quia valde sunt ad concutiendum peccatoris animum opportuna. 7.

Gregorius homil.11. in Ezechielem. *Misericors Deus tempus nobis ad misericordiam relaxat: sed cum eius gratia patientiam in augmentum vertimus culpæ, hoc ipsum tempus, quod ad parcendum piè disposuit, districtius ad feriendum vertit: vt quia reuerti quis etiam spatio temporis accepto noluit, per hoc mala sua ad reatum augeat, per quod ea diluere potuit, si conuerti voluisset. Vnde scriptum est: Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit: tu autem secundùm duritiam tuam, & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram, &c. Vnde omnipotens Deus, quia collata remedia conspicit ad culpæ incrementum trahi, ipsam benignitatem, quam contulit, in iudicij districtionem vertit, vt inde plus amplius feriat, vnde nunc amplius expectat.* Hæc eadem propè Augustinus in illud Psal.102. *Miserator, & misericors Dominus: longanimis, & multùm misericors.* Et ad Assyriorum cogitationem, qui in Deo aut prouidentiam, aut potentiam negare videbantur: quod neque ipsorum puniisset peccata, neque populum suum ab exilio, & potentiorum iniuriis vindicaret, dixit optimè alibi Augustinus, vt refert Prosper *in lib. sententiarum eius.* Plura in hanc sententiam inuenies apud Patres, quæ prudens omitto, ne longior sim, quàm velim. 8.

Illud non omittam, in hac Dei patientia maximè illius significari, & apparere fortitudinem. Homo, quia suorum affectuum, & suiipsius impos est, non potest cohibere iram, quæ statim efferuescit, & in plagas, & vindictam erumpit: hoc verò muliebris est, aut infantilis animi. At Deus pectus habet vsque adeò capax, & patiens, vt igneum iracundiæ flumen, quod aliquando in peccatorum exitium euomet, longo cohibeat tempore. Notum est illud Prou.16.v.32. *Melior est patiens viro forti; & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.* Septuaginta, *Melior est vir longanimis forti: & qui continet iracundiam, melior, quàm qui vrbem capit.* Quæ sententia ab humana etiam philosophia commendatur, & millies repetitur. Dixit hoc ipsum quidam ex profanis. 9.

9. In patientia Dei magna apparet illius fortitudo.

Fortior est qui se, quàm qui fortissima vincit
Agmina, nec virtus altiùs ire potest.

Tullius non tantum esse existimabat domare gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, quàm erumpentes iracundiæ motus, æstúsque comprimere: illud enim humanarum est virium, & ingenij; hoc verò diuinæ patientiæ videtur esse concessum, eiusmodi certè est, vt nos Deo similes esse faciat. *Animum* (inquit) *vincere, iracundiam cohibere, &c. Hæc qui faciat, non ego eum summis viris comparo, sed simillimum Deo indico.*

Vbi vulgatus *patiens*, Hebr. est ארך אפים *erech hapaiim*

hapaim, id est, qui nares habet longas, ac latas. Qui dicendi modus prouerbialis est, quo spiritus significatur patiens, quique non statim præceps furore rapitur. Sicut contrà qui festiuus est, & præceps ad iram, & vindictam, Prouerb. 14. קצר אפים *kesar hapaim* dicitur, id est, qui breuibus est, aut contractis naribus, à vulgato vocatur *impatiens. Vir* (inquit) *impatiens operabitur stultitiam.* De hoc dicendi genere egimus pluribus ad illud Isaiæ cap. 2. v. 22. *Cuius spiritus in naribus eius.*

Lata nares pro patientia, contracta pro ira.

11\. *Et mundans non faciet innocentem.*] Modus dicendi obscurus est, sententia non admodum obscura, quæ nil aliud significat, quàm non esse ignoscédum populo, qui tam obfirmauit animum in peccando. Liberarat iam Dominus semel Niniuitas ab eo supplicio, quod per Ionam non antea dudum denunciarat: nunc verò significat non iam iterum eximendos à pœna, quam per hunc nostrum Prophetam iterum indicit. Hæc mihi videtur facilis, & expedita sententia. In dicendi modo nunc nobis laborandum. Verbum Hebraicum נקה significat aliquem mundum, immunem, aut innocentem esse. Propheta Hebraico idiomate geminauit vocem, non sine epitasi Hebræis vsitata, in hunc modum נקה לא ינקה *nakeh lo ienakeh*, quod iuxta tres Hebraicæ vocis significationes tripliciter potest explicari. *Mundans non mundabit*, seu absoluens non absoluet, aut eximens non eximet à pœna, aut (quod doctrinæ gratia fingere liceat) innocentans non innocentabit, id est, ignoscens non ostendet illos esse innocentes, aut innoxios: quia reuera neque immunes habebit, neque mundos esse, aut liberos à culpa significabit. Hieronymus priori loco verbum נקה in vna significatione sumpsit, posteriori autem in altera. *Mundans non faciet innocentem*, cuius translationis hæc videtur commoda sententia: mundans, id est, liberans illos à pœna, non indicabit innocentes esse, & liberos à culpa. Quomodo fecit non multo antè, cùm prædicante Iona, vitæ mutatione intentam iram declinauit: túc enim Deus abstinens ab intentata pœna, innocentes esse declarabit. Aut, quod idem propè est, vt ipse exponit Hieronymus, *Qui ante patiens fuit, nequaquam eos tanquam mundos, & innocentes inultos abire patietur.*

Obstinationis pœna.

12\. Septuaginta in magis correctis codicibus habent, καὶ ἀθῷον οὐκ ἀθῳώσει. quod Latinus vertit, *Et innocentem non faciet innocentem.* Hieronymus legit ἀθῷων, sicut etiam legisse videtur Theodoretus, qui eodem modo, quo Hieronymus reddidit: atque ideo quasi prior pars esset participium, reddidit *mundans*. Sed si legas, vt communiter habent Septuaginta, & nunc ad extremum Sixtiani codices: *Innocentem non faciet innocentem*, hæc videtur accommodata sententia. Populum, quem priùs innocentem ostendit, quia ad prædicationem Ionæ per pœnitentiam mores deposuit veteres, & nouos induit: ille non ostendet ignoscendo iterum eundem populum tanquam innocentem indignum esse pœna: illos porrò, quos Deus impunitos relinquit, innocentes existimari docuit Ieremias cap. 30. v. 11. *Castigabo te in iudicio, vt non videaris tibi innoxius.*

13\. *Dominus in tempestate, & turbine viæ eius.*] Sicut Dominus ducē se præbuit Chaldæis contra Hierusalem: sic etiam eisdem contra Assyrios. Quare sicut à Chaldæis non tam fuit excisa Hierosolyma, quàm à Domino, qui copias illas conscripsit, & armauit: sic Niniue à Domino potius, quàm à Chaldæorum exercitu subuersa fuit. Quare hic vis describitur, & hostilis impetus, nō qualis ab humana potentia, sed qualis à diuina comparari, atque inferri potuit. In turbine, & tempestate duo consideramus, & vim quandam incredibilem, quæ non solùm mare exagitat, & turbat, & quæ in eo sunt, dissipat, & mergit: sed etiā quæ eius sunt naturæ, vt nulla vi, aut machinis cōmoueri posse videantur. Côcutiunt namque stirpitus arbores, diruunt arces, concutiunt montes, tremefaciunt terram, & vastis illam hiatibus aperiunt. Mitto plura, quæ profana docet historia: vnū afferam exemplum sub Ozia, cuius statim *in* 1. *cap.* meminit Amos, & Zacharias *cap.* 14. de quo Iosephus lib. 9. Antiq. cap. 11. *Ecce ibi terra vehementer concutitur, fissóque superne templo, radius Solis oí regis improbum ferit, quod è vestigio lepra contactum est. Accessit huc & aliud prodigium, quod eodem terra motu ante vrbem in loco, qui dicitur Erase, dimidium montis ad Occidentem vergentis reuulsum, & per quatuor stadia volutum: obiectu demum orientalis montis constitit, obstructa via publica, & oppressis ruina hortis regiis.*

Tempestatis, & turbinis vis.

Consideratur itē in procella, ac turbine, præceps, & inopinata celeritas cum fragore, ac strepitu. Vnde hæ voces pro subito, & vehementi motu, calamitate, & seditione per translationem vsurpātur. Quare dum Deus in tempestate, & turbine venturus esse dicitur, hauddubiè significatur cum horribili fragore, vique acerrima ad conuellenda fortissima quæque propugnacula, cum celeritate incredibili, eaque inopinata fore venturus. Subauditur autem hîc similitudinis nota. Quasi dicat: ea Dominus celeritate, atque impetu veniet, quasi illum turbo deferret, aut præceps, rapidaque tempestas. Eodé loquendi modo vsus Zacharias cap. 9. v. 14. *Dominus Deus super eos videbitur, & exibit vt fulgur iaculum eius, & Dominus Deus in tuba canet, & vadet in turbine Austri.* Eadem figura dicitur Psal. 103. *Qui ambulas super pennas ventorum*, id est, qui ita velox es, ac si ventorum alis portareris. 14.

15\. *Et nebulæ puluis pedum eius.*] Ex celeritate, & impetu exercitus copiosi necesse est excitetur puluis, qui sic esse solet sublatus, & densus, vt instar interdum nubis obtineat. Nubes certè nonnunquam appellari solet. Sic sane Virgil. lib. 8. Æneid.

Puluis exercitus properantis signum.

Stant pauidæ in muris matres, oculisque sequuntur
Puluream nubem, & fulgentes ære cateruas.

Et idem lib. 9.

Hic subitam nigro glomerari puluere nubem
Prospiciunt Teucri, & tenebras insurgere campis.
Primus ab aduersa conclamat mole Caicus:
Quis globus, ô ciues, caligine voluitur atra?
Hostis adest.

Illud non omittam, excitatum puluerem à Vegetio *lib.* 3. *cap.* 5. mutum vocari signum, quod admonet propiùs inimicas acies admoueri. Quia verò maxima est inter nubem (si tamen non procul sese tollat à terra) & inter fumum similitudo, interdum puluis equorum vngulis excitatus vocatur fumus. Sic idem Virgil. lib. 11.

Puluis mutum signū.

Sic ambo ad muros rapidi, totóque feruntur
Agmine, nec longè inter se passibus absunt.
Ac simul Æneas fumantes puluere campos
Prospexit longè, Laurentiaque agmina vidit.

Hæc historicè de Niniues interitu esse capienda nemo dubitat. Allegoricè Hieronymus, & qui cum eo plerumque sentiunt, de extremo sæculorum omnium, id est, de iudicij tempore interpretantur. Tunc enim tempestas erit, & turbo, qui mundum latè populetur, & per 16.

& perdat, non aliter quàm alia tempestas Niniuem. Et facit ad hanc allegoriam, quod Niniue (vt in prologo obseruauit Hieronymus) speciosam significat, & pulchram: mundus autem à specie, ac pulchritudine nomen assumpsit, dicitur enim Græcè κόσμος, quæ vox ornatum, & speciem valet.

In illo, *Dominus in tempestate, & turbine via eius*, Hebraismus est, & nominatiuus *Dominus* absolutè ponitur, qui locari debuisset iuxta Latinorum Grammaticam in casum pronominis, hoc modo, *Domini via in tempestate, & turbine.* De hoc Hebraismo nos pluribus super Isaiam *cap. 11. n. 16.* & in Zachariam *cap. 7. n. 17.*

17. Vers. 4. *Increpans mare, & exsiccans illud: & omnia flumina ad desertum deducens.*] Hoc verborum genere explicari solet diuina potentia, cui nihil est in natura rerum insuperabile: quæ suo imperio immensos aquarum gurgites exsiccat, & loca fluminibus irrigua in desertum redigit aridum, atque calcabile. Hoc idem dixit Deus Isaiæ cap. 50. v. 3. *Ecce in increpatione mea desertum faciam mare: ponam flumina in siccum.* Et Psal. 105. v. 9. *Et increpuit mare rubrum, & exsiccatum est.* Non dubium est quin Deus ad illa respiciat miracula, quæ post Ægyptiam libertatem, aut in egressu ex Ægypto, aut in ingressu terræ promissionis edidit; siccauit enim mare rubrum, & per arentem alueum populum traiecit: & iterum siccato Iordane, qui terminus erat terræ promissæ, fecit vt in ea tanquam in sua possessione pedem poneret. Cúmque de hac virtute decesserit nihil, haud dubium quin possit Niniuitarum frangere potentiam, & ciuitatem copiosam, & lautam in solitudinis vastitatem redigere. Cùm auté vnum tantùm in Scriptura sacra siccatum esse flumen audiamus, nempe Iordanem, dicit tamen Deus omnia à se flumina in desertum deduci. Qui dicendi modus in Scriptura sacra infrequens non est, quæ actum (vt Logici dicunt) secundum pro primo adhibet, dicitque illud ab aliquo fieri, quod vt faciat, munus, aut facultatem habet. Quomodo de Deo dicitur Iob cap. 9. v. 6. *Qui commouet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur: qui præcipit Soli, & non oritur: & stellas claudit quasi sub signaculo*, id est, cuius tanta est potentia, vt possit de loco suo commouere terram, & in alium traducere: & facere ne sol oriatur, aut occidat. Sic dicimus, ego doceo, id est, mihi docendi munus, aut facultas est. Sic etiam Deus flumina dicitur in desertum deducere, quia si velit, id faciet, quia id potest.

18. *Increpare* idem esse puto quod præcipere, minacibus tamen verbis, quomodo fieri solet in exorcismis. Et id significat verbum Hebr. גער *gaar*, quod Septuaginta modò reddunt per ἐπιτιμάω, vt Zachar. cap. 4. vbi vulgatus, *Increpat Dominus in te*, modò per ἀπειλῶ, sicut hoc loco. Eodem verbo vsus est Christus Marci cap. 4. *Et exurgens comminatus est vento, & dixit mari: Tace, obmutesce.*

19. *Infirmatus est Basan, & Carmelus: & flos Libani elanguit*] Hæc tria prouerbiali specie pro rebus vberrimis, atque speciosissimis vsurpantur, quocunque in loco sint: sicut apud profanos Hesperidum, siue Alcynoi horti, aut Thessala Tempe. Quare dum hæc, quæ aut in terra promissionis sunt, aut in regionibus vicinis, infirmanda, aut exsiccáda fore dicuntur, his omnibus, quæ apud Assyrios illustria sunt, & ad vsum, & aspectum eximia, extrema macies, & ariditas adfuturæ significantur. Quasi dicat Propheta, si quid in Niniue, totáque Assyria sic excultum fuerit, atq; speciosum, vt cum Libano, Basan, atq; Carmelo cóparari possit, id totú prosternet, & fœdabit tempestas, & turbo, quæ Dominus inuehet in Assyriorú fines. Porrò in his tribus môtibus tria sunt, diuersa quidem inter se, in suo tamen genere quodlibet egregium. In Basan quercus sunt, in quibus firmitas est, & robur: quæ iam apud Hebræos prouerbiali forma in vulgus abiere. Cúmq; Basan procul absit ab Hierosolyma, Iudææq; funiculo, cùm Iudæorum regioni munitissimæ vastitas indicitur, hoc ipsum regioni denunciatur Basanitidi. Isaiæ cap. 2. v. 13. *Quia dies Domini exercituum super omnẽ superbum, & excelsum, &c. & super omnes cedros Libani sublimes, & erectas, & super omnes quercus Basan.* Ieremiæ *cap. 22.* cùm de eadem ciuitate, atq; regione foret sermo, Basan tamen meminit Propheta. *Ascende Libanum, & clama in Basan, da vocem tuam.* vbi Hieronymus prouerbialem speciem agnoscit. De Libano, & Carmelo minùs est dubitandum, qui passim in Scriptura adagialem habent vsum, & formam: in quorum altero species est, & à flore, atq; aromate mira suauitas: in altero singularis vbertas, est enim mons ille à vite, atq; oliua fœcundus. Illud ad extremum addo, hosce tres montes Isaiá pro regionibus, quę apud Assyrios amœnissimæ, atq; vberrimæ sunt, adhibuisse cap. 33. v. 9. *Luxit, & elanguit terra, confusus est Libanus, & obsorduit: & factus est Saron sicut desertum: & concussa est Basan, & Carmelus.*

Carmelus, Libanus, Basan pro uerbiali specie pro locis speciosis, & pinguibus.

20. *Basan pro regione munita.*

21. Vers. 5. *Montes commoti sunt ab eo, & colles desolati sunt.*] Prouerbialis hæc videtur hyperbole, vsitata in Scriptura, qua magnus significatur motus, & ingens turbatio. Sic Ezech. cap. 26. *A sonitu equitum, & rotarum, & curruum mouebuntur muri tui.* Et sæpe audimus, *Concussa est, & contremuit terra, contremuerunt montes*, & similia. Aut quia reuera commoti sunt, & disrupti montes: aut quia tales apparuerunt hominibus, quibus subita perturbatio, atq; horror, aut mentem ademit, aut liberum in iudicando sensum. Si Propheta tempora respicit superiora, vnde argumentum sumat, vt diuinæ potentiæ exprimat magnitudinem, montes reuera commoti sunt, & colles desolati, vt pluribus

22. ostendimus in explicatione Psal. 67. quam Canticorum Cómentariis attexuimus. Sed est lógè verisimile magis, non tam hîc à superioribus argumenta sumi, quàm quid futurum sit in Assyriorú vastatione significari. An verò commoti fuerint montes, & desolati colles, nihil habemus ex Scriptura: quia tantùm legimus quid de Niniue priùs Ionas, deinde Nahum, ad extremum Tobias vaticinati sunt. Fieri autem ista potuisse non est difficile aut factu, aut creditu, cùm similia antea primis reipublicæ Israeliticæ sæculis facta audiamus. Iudic. 5. v. 4. *Domine cùm exires de Seir, & transires per regiones Edom, terra mota est.* & Psal. 67. & iterum Psal. 113. hoc ipsum repetitur. De hoc clariùs Numer. cap. 21. *Sicut fecit in mari rubro, sic faciet in torrentibus Arnon, scopuli torrentium inclinati sunt.*

Montes reuera aliquando commoti.

23. Vtuntur hoc dicendi genere profani, figura (vt opinor) hyperbolica: aut certè quia in pauore, & aliqua alia animorum perturbatione graui, quæ quieta sunt, nutare, atq; moueri existimantur. Sic fulgurante, atque tonante cælo, cælum ipsum videtur ruere. Virgil. lib. 8. Æneid.

Namque improuiso vibratus ab æthere fulgor
Cum sonitu venit, & ruere omnia visa repentè.

Et libro 3.

Vix ea fatus erat tremere omnia visa repentè

Limi

Digitized by Google

Liminaque, laurúsque Dei, totúsque moueri
Mons circum.

Cùm agmen concitato graditur passu, terra dicitur, aut etiam videtur commoueri, quasi ferre non possit impetum, & pondus tantæ, tamq; concitatæ molis. Sic dixit quidam ex profanis,

Ecce pedum pulsu visa est mihi terra moueri.

Et alius,

——*Pulsúque pedum tremit excita tellus.*

Et hoc postremum videtur mihi non improbabile, significari videlicet castrorum multitudinem, & impetum, quæ Dominus coget, & inuehet in Assyrios: sub cuius pondere, ac concitato gradu, terra motibus concutietur ingentibus. Quod ideo mihi minus videtur esse difficile, quia similis præcesserat, & ab eadem translatione sententia. Dixerat, *Nebula pulueris pedum eius*, quæ metaphora incessum indicat castrorum, cui sæpe hyperbolica translatione terræ tremor adiungitur. Nisi mauis quod nonnullis placuit, *in montibus*, & *collibus* illos designari, quorum maior est gloria, & publica potestas.

24. *Et contremuit terra à facie eius, & orbis, & omnes habitantes in eo.*] Quod de præcedenti clausula dictum est, idem etiam totum in præsentem conuenit. Contremuit namque terra, cùm Dominus dux, & author Chaldæorum agmen antecederet: aut quia reuera commota est, sicut primis antea sæculis: seu quia ab hominibus pauore consternatis nutare visa: aut quia sicut in *montibus*, & *collibus* Principes, sic in *terra* cætera multitudo, & turba popularis intelligitur. Porrò terra hoc loco regio est, in qua late dominabatur Assyrij: iuxta regulam illam, quam adducit Hieronymus ad illud Isaiæ cap. 13. *Vt disperdam omnem terram.* De qua nos pluribus ad illud Act. cap. 2. *Ab omni natione, quæ sub cælo est.* & idem dicendum est de eo, quod sequitur, *Et orbis, & omnes habitantes in eo.* Neque enim aliud est *omnis terra*, de qua Hieronymus loquebatur, quam orbis, & illius habitatores. Nisi mauis totum reuera orbem cohorruisse ad tanti imperij, támque antiqui subitum, atque inopinatum exitium. Non enim ignotum erat, quam esset gloriosum, & amplum Assyriorum imperium: neque obscurum esse poterat, quàm facili, atque horribili casu corruisset.

25. Vers. 6. *Ante faciem indignationis eius quis stabit.*] *Ante faciem*, iuxta proprietatem linguæ sanctæ idem valet quod *ante*. Quare *ante faciem indignationis*, nihil est aliud, quam *ante indignationem.* & vox *facies* aliis compluribus propositionibus addita habet quidem aliquid ad ornatum, ad significationem nihil. Dicit igitur Propheta neminem fore tam strenuum, & audacem, qui Deo indignato, & ad vindictam inhianti possit occurrere. In eodem fermè sensu dixit Psal. 147. *Ante faciem frigoris eius quis sustinebit?* id est, ante frigus.

Et quis resistet in ira furoris eius?] Idem est sensus per epexegesim iteratus: neminem videlicet fore, qui sese impunè illius opponat indignationi.

26. *Indignatio eius effusa est vt ignis: & petræ dissolutæ sunt ab eo.*] Ira igneam habet naturam, neque minus animum furentis inflammat, quàm ignis appositam sibi materiam. Quare tritum est in omni lingua, *efferuere aliquem, atque inflammari ira*: & ab igne ad exprimendos animi indignantis affectus mille sunt translationes. Sicut igitur ignis si in aridam materiam inciderit; facilè illam apprehendit, & soluit in cineres: sic ira vbi diu compressa est, si tandem effundat, omnia latè populatur, & perdit. Quod si illa grauior est, nihil non conficit, quantumcumque durum, & adamantinum: sicut ignis vbi à ventilante aura, aut ab idonea materia vires accepit, saxa etiam dissoluit, & in calcem redigit, & superbas, atque saxeas domus incendio vastat. Hac nunc Propheta similitudine docet nihil fore in Niniue tam durum, & saxeum, quod non dissoluat, atque conficiat ignis ille metaphoricus, qui iam dudum alitur in diuino pectore. Vbi vulgatus *effusa est*, Hebr. est נתכה *nitechah*, id est, stillauit: quæ metaphora grauis est ad exprimendam diuini furoris vim, & naturam. Sic enim stillat è cælo, seu vibratur ignis, fulgur videlicet, & fulmen, vt non minus frequenter cadant de cælo fulmina, aut fulgura scintillent, quàm grandines, aut pluuiales guttæ. Hæc verò dicuntur arma Dei, quæ in inimicorum suorum caput iaculatur. Abacuc cap. 3. *In luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ.* Sagittæ autem, & hastæ fulgura sunt, & fulmina. Psal. 17. vers. 15. *Misit sagittas suas, & dissipauit eos.* (& statim hoc ipsum repetit, & exponit) *fulgura multiplicauit, & conturbauit eos.* Sap. cap. 5. v. 18. *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos: ibunt directè emissiones fulgurum: & tanquam à bene curuato arcu nubium exterminabuntur.* Hoc modo pugnatum esse de cælo contra Sisaram arbitror, de quo Iudic. cap. 5. vers. 20. *De cælo dimicatum est contra eos, stellæ manentes in ordine, & cursu suo aduersus Sisaram pugnauerunt.* Quæ autem hic dicuntur stellæ, aliqui fulgura esse, atque cometas arbitrantur. Cùm autem frequenter de cælo aut cometæ discurrunt, aut torquentur fulmina, aut fulgura scintillant, virorum etiam fortium aut languent spiritus, aut animi cadunt. Id sanè de suo Ænea Maro, quem contra omnia temporum, ac fortunæ tela constantem fingit, & infractum, cecinit lib. 1. Æneid.

Intonuere poli, & crebris micat ignibus æther:
Præsentémque viris intentant omnia mortem,
Extemplo Æneæ soluuntur frigore membra.

Porrò fulmina, grandines, & similia, vocari Dei indignationem, & iram, non est in Scriptura nouum, quæ effectum adhibet frequenter pro causa. Quo modo in manu Assur dicitur esse Dei indignatio, quia in illo fuerunt arma, quibus mulctauit peccatores Isaia cap. 10. & ita Dei vocantur fames, pestis, mors, & similia. Psal. 77. *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.*

Vers. 7. *Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis, & sciens sperantes in se.*] Duos populos agnoscit hic Propheta, Assyrium, quem hoc minaci vaticinio concutit; & Hebræum, in quem Assyrius suas exeruit vires. Hunc Propheta vt sit quod audit, Nahum, id est, *consolator* (id enim valet Nahum) consolatur, quia quæ Assyriis dura, illa aut captiuis, aut oppressis obsidione angustiæ consolationi, ac leuamento sunt. Vt verò de aliis sileam, quis non videt, quanta lætitia sit perfusus Solymitanus populus, quàm ab ipso penè interitu recreatus, ac propè dixerim rediuiuus, cùm ab Angelo Senacherib exercitus deletus fuit, à quo sibi extrema omnia metuebat. Sanè ex misericordia, atque amore in gentem Israeliticam orta sunt illa omnia, quæ Ægyptiorum vires exhauserunt, & fregere potentiam. Qualia fuerunt primogenitorum cædes, in rubro mari repentina submersio: periisse reges, qui Israelitas in promissæ terræ possessione morabantur. Hæc enim à Dei in suos bonitate, ac misericordia prouenerunt.

Furoris diuini quanta vis. (26)

27. Fulmen, & fulgur arma Dei.

28. Fulmina, & fulgura Dei indignatio.

29. Beneficium interdum nostrû est aliorum calamitas.

Digitized by Google

Sic sanè canit David Psal. 135. *Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum, quoniam in æternum misericordia eius. Et excussit Pharaonem, & virtutem eius in mari rubro. Qui percussit reges magnos, &c. quoniam in æternum misericordia eius.* Est igitur Deus bonus, id est, propitius, & liberalis in suos, quos in ipso tribulationis æstu nouis semper beneficiis confortat, & recreat.

30. *Et sciens sperantes in se.*] Nouit omnia Deus, illos verò dicitur ignorare, quorum acta non probat, aut quos tanquam alienos reputat, & arcet ab amplexu. Quare virgines fatuas sibi dicit ignotas, quia neque illarum probauit somnum, & inertiam; neque statuerat illas ad nuptiarum plausum, & lætitiam admittere. Norat paterfamilias, qui Dei referebat personam apud Lucam *cap. 13. v. 26.* eos, quos domi aluerat, & quibuscum familiariter egerat: & qui verè dicere potuerunt, *Manducauimus coram te, & bibimus.* Illis tamen respondit, cùm aperiri sibi ostium postularent. *Nescio vos vnde sitis, discedite à me omnes operarij iniquitatis.* Quare scire Deum, aut cognoscere est affici in aliquem animo paterno, & de illius salute, atque commoditate esse sollicitum. Plura in hanc sententiam diximus ad illud Amos cap. 3. vers. 2. *Tantummodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ,* inde pete. Vt autem Deus execratur illos, qui in idolorum, aut etiam hominum auxilio fiduciam ita collocarunt, vt de se nihil aut curent, aut sperent: sic illos amat, & ornat beneficiis, qui ad se in rerum aduersitate confugiunt.

Deus illa scire dicitur quæ probat, illa ignorare, quæ damnat, aut improbat.

31. Vers. 8. *Et in diluuio prætereunte consummationem faciet loci eius.*] Meminisse hîc oportet, quod suprà de Niniues excidio diximus *prolegom. 4.* quomodo exundans è solitudine diluuium ciuitatem oppleuerit, deleueritque. Sed hæc valde sunt incerta, neque graue aliquod habent à Scriptura sacra fundamentum.

32. Aliter alij, & fortasse meliùs. Ego cum quibusdam ex Hebræis, quos sequuntur ex nostris Vatablus, Montanus, Foreirus, & Castrus, in diluuio prætereunte exercitum Chaldæorum intelligo, qui sic subuertit Niniuem Assyriorum caput, vt neque reliquerit antiquæ nobilitatis, atque amplitudinis monumentum aliquod, sed tantùm immane quoddam bustum, in quo obscœnum clauditur, & deforme ciuitatis cadauer. Diluuium verò, aut inundans flumen, & similia, pro exercitu accommodata translatione sumi, multa probant exempla. Isaiæ cap. 8. vers. 7. *Propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes, & multas, regem Assyriorum & omnem gloriam eius.* Ierem. cap. 46. vers. 7. de Ægyptiorum exercitu, *Quis est iste qui quasi flumen ascendit, & velut fluuiorum intumescunt gurgites eius? Ægyptus fluminis instar ascendit.* Sic igitur Deus Chaldæorum exercitu, qui instar diluuij, id est, inundantis fluminis terram obtinet, & diripit, euertet Niniuem, eóque rediget, vt omnino intereat. Quódnam illud esse potuerit, dicemus *cap. 2. v. 6.*

33. *Et inimicos eius persequentur tenebræ.*] Qualis futurus sit ciuitatis exitus, ostendit. Sicut splendere dicitur ciuitas opulenta, & lauta: sic eadem, si ex splendore illo cadere contingat, obscurari dicitur, & in tenebris esse. Tenebræ autem dicuntur sordes, quæ ex graui ruina relinquuntur: aut certè obliuio, in qua sepulta iacet tanti imperij maiestas, & ciuitatis longè maximæ tam illustris, atque antiqua memoria. Inimicos verò Dei, quocunque se terrarum vertant, tenebræ persequentur: quia licet ferrum Chaldæorum effugiant, nõ tamen Dei vindicem furorem effugient; aderunt enim vltrices iræ, quæ Dei inimicos nullibi gentium quietos esse patiantur. Sicut Iudæis accidit, qui cùm declinassent Chaldæorum vim armatam, & immitem; in omni tamen loco, quò sese fuga receperunt, æquè excepti sunt inclementer, atque si in medias Chaldæorum acies incidissent.

Vers. 9. *Quid cogitatis contra Dominum?*] Loqui hîc Prophetam quidam existimant cum Assyriis, quorum vult deprimere insolentes spiritus minarum intentu. Quod sanè valde videtur verisimile. Cogitabant fortasse Assyriorum reges, vt erant spiritu insolenti, ac stolido, nullam esse potentiam etiam in Deo, quam non ipsi possent superare, ac frangere. Atque ideo quiduis de se prædicabant insolenter, & impiè, neque minùs aggrediebantur audacter, & temerè. Sanè Senacherib, qui Assyriis sub hæc tempora dominatus, ita loquebatur, non solùm de ludicris Gentilium diis, sed de vero Hebræorum Deo, vt se longè statueret superiorem. Sic ille Isaiæ cap. 36. v. 18. & cap. 37. v. 10. *Hæc dicetis* (ait Senacherib per legatos ad Ezechiam) *Ezechiæ regi loquentes: Non te decipiat Deus tuus, in quo tu confidis, dicens: Non dabitur Ierusalem in manu regis Assyriorum. Ecce tu audisti omnia, quæ fecerunt reges Assyriorum omnibus terris, quas subuerterunt, & tu poteris liberari? Nunquid eruerunt eos dij Gentium?* &c. & vers. 23. sic Isaias ad Senacherib. *Cui exprobrasti, & quem blasphemasti, & super quem exaltasti vocem, & leuasti altitudinem oculorum tuorum? Ad sanctum Israel, in manu seruorum tuorum exprobrasti Domino.* Similia (credo) dixerunt reges alij, contra quos hoc loco Propheta. Neque est incredibile malè ab illis acceptum esse regem illum, qui ad prædicationem Ionæ mutauit vestem, descendit è solio, & reliquis sordes, atque ieiunium indixit; quasi angusti esset animi, quique facilè credidisset, succubuissétque inanibus Prophetæ minis. 34.

Assyriorum arrogantia.

Sed est mihi longè probabilius loqui Dominum cum Iudæis. Qui cùm propiùs spectarent Assyriorum copias, quas iam Senacherib Hierosolymæ muris applicuerat, id sibi timebant quod paulo antè decem aliis tribubus acciderat mali, deque Deo ita cogitabant, atque si repulisset omnino populum suum, datámque fidem de illius tutela prodidisset.

Consummationem ipse faciet: non consurget duplex tribulatio.] Locus hic grauissimus est, & variè tentatus à Patribus, & Scholasticis, & expositus variè. Hæc, vt dixi, quidam ad Assyrios referunt, qui cogitabant contra Dominum, quasi infirmus esset, neque populum suum tueri posset à seruitutis iniuriis, & tam ignominiosè, ac durè tractari pateretur. Quibus respondet instare Niniuæ, & Assyriorum imperio consummationem, illique plagam vsque adeò validam inflictum iri, vt ad illius consummatum interitum non sit necesse secundam adhiberi. Ita Theodoretus, Theophylactus, Hugo, Figuerius, & Castrus. Qui dicendi modus ab Scripturæ sacræ vsu non abhorret, quem etiam profani admittunt: apud quos *semel* idem valet quod omninò, aut funditus. Quare apud illos frequens, *vt semel dicam,* id est, ne sit opus ampliùs repetere: *vt semel complectar omnia,* & similia. Sic Virgil. lib. 11. Æneid. 35.

—— Qui ne quid tale timeret,
Procubuit moriens, & humum semel ore momordit.

Ouidius epist. 5.

Nulla

——— *Nulla reparabilis arte*
Læſa pudicitia eſt,deperit illa ſemel.

36. Similes occurrũt locutiones in Scriptura, vbi *ſemel* idem ſignificat, quod omninò, funditùs. 1. Reg.26.ſic Abiſai de Saul, *Perfodiam eum lancea in terra ſemel, & ſecundò opus non erit.* Pſal.61.verſ.12. *Semel locutus eſt Deus,duo hæc audiui.*& Pſal.88.v.36. *Semel iuraui in ſancto meo,* id eſt,irreuocabiliter. Vide quæ nos ſuper Ezechielem ad illud cap.7. *Afflictio vna,afflictio ecce venit.*Dum ergo Propheta ait non futuram tribulationem duplicem,vna tribulatione dicit rem totam fore peragendam.

37. Hieronymus,cui alij non pauci ſubſcribunt, in quibus ſunt Remigius, & Haymo, ſic accipiunt hæc verba, vt putent à Propheta dici peccatum idem non eſſe duplici plaga puniendum. Cui ſententiæ fauet Septuaginta tranſlatio, quæ ſic habet: *Non iudicabit bis in idipſum in tribulatione.* & Symmachus apertiùs, *Non ſuſtinebit impetum ſecundæ anguſtia.* Theodotion, *Non conſurget ſecunda tribulatio.* Ex hoc loco Hieronymus iuxta Septuaginta verſionem coniectat Ægyptios, quos mare rubrum abſorbuit; & Sodomæos, quos cæleſte conſumpſit incendium; & Iſraelitas, qui in ſolitudine à Domino percuſſi perierunt, non ſubiiſſe pœnam æternam:quia Deus idem peccatum ſupplicio duplici non punit. Qui tamen ſtatim ſuam ipſe ſententiam moderatur. Nam ſi ita accipias aut Septuaginta verba, aut Hieronymi ſenſum, vt ſimpliciter ſonant, ſequerentur plurima, quæ nemo pius,aut ſanctus admittet. Ait ergo Hieronymus tunc peccatum duplici ſupplicio non puniri, cùm plenam antè ſubiit, & adæquatam pœnam, qualem exiſtimat ſubiiſſe illum, qui ligna collegit in Sabbato *Num.cap.*15. & blaſphemus *Leuit.*24. vterque enim lapidibus oppreſſus eſt. *Quia culpa* (inquit) *leuis præſenti ſupplicio compenſata ſit.*

38. S.Thomas 1.*p.q.*59. *art.*5. in argumento ſecundo, cùm hunc ipſum locum iuxta Septuaginta verſionem adduxiſſet,ait non iudicare Dominum bis in idipſum,id eſt, ſecundùm idem; ſecundùm tamen diuerſa iudicare nihil habere incommodi. Quare benè, ac iuſtè homo & particulari, & generali iudicio, de eodem omninò peccato iudicatur, quia ratio eadem non eſt. Quomodo Hieronymi ſententiam explicet Gregorius Magnus,dicemus infrà.

39. Alij, qui hæc ſpectare credunt ad Iudæos, Solymitanóſque ciues, aliter exponunt. Cyrillus hanc eſſe conſolationem putat ſolliciti, atque mœrentis populi, qui iam cœperat affligi, quia grauius aliquid timebat ab Aſſyriis. Monet igitur vt abſtineant à peccando, ſi placare ſibi velint iratum Deum, & quod timent exitium, procul auertere. Neque enim Deus ſecundam addet plagam,niſi ipſi peccare pergant.

40. Mihi adlubeſcit magis, quod Hieronymus ait viſum eſſe quibuſdam ex Hebræis, quibus ſubſcribunt Theophylactus in explicatione ſecunda,Hugo, Dionyſius,Ribera. Hi verò putant hæc verba reſpondere Iudæorum ſollicitudini, ac metui, qui talia ſibi formidabant ab Aſſyriis, qualia ab iiſdem decem tribus aliæ pertulerant, cùm à patriis ſedibus ad alienum ſolum abierunt. Quod quidem tunc non ſine cauſa timere potuerunt, cùm Senacherib aſſuetas victoriis acies in Iudæam inuexit, ſubegitque ſibi ciuitates plurimas; neque propius quicquam fuit, quàm vt regum caput Hieroſolymam ſuo ſibi adiiceret imperio. Eſſet autem duplex tribulatio, & plaga,

A quæ generis Iſraelitici conſummationem faceret, ſi poſtquam decem tribus captæ ſunt, duæ aliæ,quæ ex eodem genere reliquæ fuerant, eandem ſubirent fortunam. Ait igitur Propheta vanam eſſe ſollicitudinem illam, & inanem metum:neque enim id vnquam aſſequetur Aſſyrius, vt duplicem inferat plagam generi Iſraelitico. Quod ſanè ita accidit: nam cùm iam ſpe victoriam deuoraret, putarétque actum de re Iudaica, deletus fuit exercitus ab Angelo: & non multo pòſt extinctum Aſſyriorum nomen, & imperium illud tam antiquũ, & nobile tranſlatum ad Chaldæos. In hanc ego cogitationem eo feror libentiùs, quia video aliter vehementer aut torqueri, aut incidi vaticinij filum. In hanc porrò explicationem bellè conueniunt omnia ab illis verbis:
B *Bonus Dominus, & confortans*, &c. ad finem vſque capitis, vt cuique promptum erit animaduertere.

Addo ad extremum quod Gregorius docet *lib.* 41.
18.*cap.*12. vbi oſtendit quomodo quæ duplex videri potuit vnius peccati pœna, vna ſit: ait enim ad illa verba Iob cap.23. *Emittet ſuper eum, & non parcet. De his,quos damnant flagella, & non liberant, dicitur:Percuſſiſti eos,nec doluerunt;attriuiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam. His flagella ab hac vita inchoant,& in æterna percuſſione perdurant.Vnde per Moyſem Dominus dicit: Ignis exarſit ab ira mea, & ardebit vſque ad inferos deorſum. Quantum ad præſentem etenim percuſſionem ſpectat,rectè dicitur,ignis exarſit ab ira mea;*
C *quantum verò ad æternam damnationem, aptè mox ſubditur, & ardebit vſque ad inferos deorſum. Licèt à quibuſdam dici ſoleat illud, quod ſcriptum Nahum cap.*1. *Non iudicat Deus bis in idipſum. Qui tamen hoc, quod per Prophetam de iniquis dicitur,non attendunt:& duplici contritione contere eos,& quod alias ſcriptum eſt, Ieſus populum de terra Ægypti ſaluans: ſecundò eos, qui non crediderunt, perdidit. Quibus tamen ſi conſenſum præbemus, quamlibet culpam bis ferire non poſſe;hoc ex peccato percuſſis, atque in peccato ſuo morientibus debet æſtimari: quia eorum percuſſio hic cœpta illic perficitur: vt incorrectis vnum flagellum ſit,quod temporaliter incipit,ſed in æ-*
D *ternis ſuppliciis conſummatur. Quatenus eis, qui omninò corrigi renuunt,iam præſentium flagellorum percuſſio, ſequentium ſit initium tormentorum.*

Flagella, quæ vitam non emandant, initiũ ſunt æternæ pœnæ.

Verſ.10. *Quia ſicut ſpinæ ſe inuicem complectuntur,* 42.
ſic conuiuium eorum pariter potantium.] Edocet Propheta, vt metum, quem de Aſſyriorum exercitu conceperant,eximat Iudæis,facilè illorum potentiam eſſe frangendam,immiſſo deſuper igne, qui non aliter collectas Aſſyriorum copias exurat, & perdat, quàm ſi in aridam materiam incideret. Adducit autem perbellam comparationem ſumptam ab ſpinis, quæ ex variis locis in vnum aceruum colliguntur: illud enim eſt complecti ſe inuicem,id eſt,in faſciculum cogi.In ſpinis duo cõſideramus,& ſtimulos, qui compungunt, & lacerant;& materiam ad incendium idoneam. In altero Aſſyriorum exprimitur vis inimica,& noxia,
E qua nationes alias contriuere, ſibique reddidere vectigales, & ſubditas: in altero exhauſtam iam eſſe ſpinarum viriditatem, & ſuccum, & concipiendæ flammæ iamiam eſſe diſpoſitas.Eſt autem mihi penè certum, exercitum Senacherib tactum, atque conſumptum eſſe de cælo,vt indicat hic Nahum, & dicit apertiùs Iſaias c.10.v.12. vbi cùm ſermo eſſet de Senacherib,ait:*Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus eius tenuitatem: & ſubtus gloriam eius ſuccenſa ardebit quaſi combuſtio ignis.* Vbi Hieronymus,& S.Thomas Hebræorum dicunt eſſe ſententiam, quam non improbant,

Senacherib exercitus ab igne cõſumptus.

probant, occulto igne sic fuisse cremata, Assyriorum corpora, vt vestes, atque ornamenta alia intacta fuerint, atque ab incendio pura. Quo populus non solùm ab hoste liberatus est, sed etiam opimis locupletatus spoliis: quo loco Assyrij combusti etiam dicuntur sicut spinæ. v. 13. *Et succendetur, & deuorabunt spina eius, & vepres in die vna.*

43. *Sic conuiuium eorum pariter potantium.*] Verisimile mihi est, quo tempore ab Angelo, siue igne, siue alio modo percussa fuerunt Assyriorum castra, datam esse operam nimis intemperantem, & effusam geniali conuiuio, & inter nocturnas epulas stragem illam horribilem contigisse. Sic enim fieri solet, vt profani homines, vel spem certam alicuius euētus nimis expetiti, vel successum ipsum ex votis, symposiis celebrent, & lætitia publica. Sic Chaldæi sub Balthasare conuiuium instruxere, vt nonnulli putant, quia hostem abiisse putabant obsidione soluta; quod tamen nos non probabamus in nostris Commentariis in cap. 5. Danielis. Hoc idem fecisse Niniuitas paulò antequam caperetur ciuitas, cùm nihil esse timendum ab hostibus putarent, author est Diodorus Siculus *lib. 3.* Ex communi gentium consuetudine induxit Virgilius *lib. 2. Æneid.* Troianos, cùm existimassent abiisse Græcos, essétque ciuitas soluta ab obsidione, & metu, epulis, ac vino indulsisse liberiùs.

Felices euentus conuiuiis celebrari soliti.

Inuadunt vrbem somno, vinóque sepultam.

Exempla occurrent plura in vtraque literatura, à quibus ego commemorandis abstineo.

44. Illud hîc notandum, *potum*, seu *poculum* sumi pro conuiuio, & *bibere* pro conuiuari, seu assidere mēsis. Græci sanè conuiuium συμπόσιον vocant, quod compotationem sonat, potius valet quàm comessationem. De Hebræis est illud Isaiæ cap. 5. n. 11. *Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperam.* Vide plura in nostris Commentariis in Danielem ad illud cap. 5. *Vnusquisque secundum suam bibat ætatem.*

Potus, pro conuiuio, & bibere pro conuiuari.

45. *Consummentur quasi stipula ariditate plena.*] Explicatio est superioris clausulæ; neque aliud sibi volunt spinæ in fasciculos coactæ, quàm arentes stipulæ.

46. Vers. 11. *Ex te exiuit cogitans contra Dominum malitiam, mente pertractans præuaricationem.*] Quidam hæc putant ad Niniuem referri, ad quam Dominus, aut Propheta per apostrophem orationem conuertit. Et in eo, qui contra Dominum aliquid machinatur, aut cogitat, Senacherib intelligunt, qui ex Niniue cum exercitu exiuit copioso, ac valido, quem aduersùs Iudæos inuexit, illúmque à Dei religione abducere tentauit; dum in illo dicit parum esse potentiæ contra Assyriorum toties iam victrices copias. Hieronymus Rabsacem esse existimat, per quem Senacherib exprobrauit Deo Israel, de quo Isaias *cap. 37. v. 23.* Mihi valde placet, quod Ribera censuit, non mutandam esse personam; sed illud *ex te* ad Iudæam pertinere, cum qua priùs loquebatur ab illis verbis: *Bonus Dominus, & confortans*, &c. Tunc autem sensus est, Assyrium exercitum esse consumendum sicut arentem stipulam ab igne; & exiturum Senacherib ex Iudæa nō onustum spoliis, aut auctum noua subactæ regionis accessione; sed profugum, nudum ab exercitu, pudibundum, odiosum non alienis solùm, sed etiam suis. Contra quam sibi, cùm inflatos imbibisset spiritus, blandiebatur.

47. Illud porrò, *cogitans, & mente pertractans*, aut per tempus præteritum exponendum est; quod in Scriptura frequens, vt docuimus pluribus ad illud Actor. 1. *Vsque in diem, qua præcipiens Apostolis*, id est, cùm præcepisset, vbi exemplorum satis. Tunc verò sensus est, exiisse turpi, & ignominiosa fuga ex Iudæa Senacherib, qui prius in illam esset ingressus, multa cogitans contra Deum, secúmque mente præuaricationes pertractans, quomodo à Dei veri religioso cultu populum auerteret. Si verò tempus indicet præsens, animus ostenditur superbi regis, quem non correxit, ac docuit horribilis ille successus, & suorum strages repentina verum esse Deum, quem venerabatur Iudæorum religio, vt illum timeret, & ex animo coleret. Sed potiùs ex eo vulnere irritatus multo, quàm antea, magis, nouis consiliis & Iudæorum salutem, & illorum religionem acriùs oppugnabat. Id indicatur *Tobiæ cap. 1. v. 18.* vbi mortuo Salmanasare, eius filius Senacherib exosos dicitur habuisse filios Israel, & durè tractauisse. Quod verò post fugam molitus est in captiuorum caput, id verisimile est comminatum esse, & secum apud animum suum tacitè pertractasse, cùm accepta diuinitùs clade, fuga se ex Iudæa in Assyriam corripuit.

Vers. 12. *Si perfecti fuerint, & ita plures, sic quoque attondentur, & pertransibit.*] Perfecti hoc loco illi 48.
dicuntur, qui rebus omnibus instructi, qui robusti viribus, quieto sunt animo, quia nihil timent; & læto, atque alacri, quia nihil non sperant. Ait ergo Propheta ad illorum solatium, qui ab Assyriorum armis aliquid existimabant sibi impendere mali: Quantumcumque hostes Assyrij copiis abundent, & omni instructu militari, breui tamen esse perituros, nihilo difficiliùs quàm ab armentis detondentur herbæ, aut à tonsorio cultro capilli resecantur. Hic sensus apparet expeditus, & obuius. Illud *attondemur*, Hebr. est נגזו *megozu*, quod est in præterito, ac si dicas, attonsi sunt, quod ab vsu Scripturæ alienum non est, quæ pro futuro præteritum vsurpat. Sumi verò potest metaphora vel à forfice, quæ pilos detondet, vel ab hominum capite, vel ab ouibus: & hoc fortasse verum. Sanè in huius tonsione cædem significari docemur ab Isaia cap. 7. qui cædem illatam ab Assyriis tonsionem appellat, dum Assyrios dicit esse nouaculam, cuius opus est pilos radere. *In die (inquit) illa radet Dominus in nouacula conducta in his, qui trans flumen sunt, in rege Assyriorum caput, & pilos pedum, & barbam vniuersam.* Seu certè ab ouibus, vel armentis, quæ herbas sine vllo labore, imò cum voluptate pascantur. Pasci verò pro conficere, ac perdere aliquando sumi, docet illud Psal. 47. v. 15. *Mors depascet eos.* Tondere autem pro *pasci* frequens est. Virgil. 1. Georg.

Tercentum niues tondent dumeta iuuenci.

Et eodem libro pro resecare, ac metere,

——— *Nocte arida prata*
Tondentur, noctis lentus non deficit humor.

Vtrouis accipi potest modo, idque venustè, ac facilè, neque multum refert quam sequaris metaphoram, cùm eadem sit vtriusque vis, atque sententia.

Et pertransibit, id est, peribit, ille nempe, qui contra Deum malitiam cogitabat, scilicet Senacherib.

Afflixi te, & non affligam te vltrà.] Hæc ad Iu- 49.
dæam pertinent, cuius aliquot ciuitates cepit, & euertit Assyrius: quod neque faciet, imò neque tentare poterit deinceps, cùm deleto exercitu, & domesticorum intestinis odiis impeditus, neque suæ possit incolumitati cōsulere. Liberat Propheta Iudæam ab Assyriorum metu, non tamen ab aliorum, quia grauia postea passa fuit à Chaldæis.

Vers. 13. *Et nunc conteram virgam eius de dorso* 50.
tuo,

Digitized by Google

tuo, & vincula tua disrumpam.] Sensus est expeditu facilis, metaphora à seruili conditione ducitur. Notum est enim vinculis solere mancipia constringi, ne fugiant; & in ergastulis catenis illigata dare assiduam, atque molestam operam aut rei rusticæ, aut tundendo ferro, aut cædendo lapidi, aut vili alicui, ac sordido ministerio. Tum etiam illorum dorsa flagellis tundi, ac virgis, notum est ex antiquis comœdiis, vbi seruulorum cicatricosa dicuntur esse terga, & dorsis semper esse à fuste, flagellóve timendum. Vbi vulgatus *de dorso tuo*, Hebr. est מעליך *me alaich.* id est, desuper te, id est, efficiam, ne illi tanquam subditus obsequaris; virgam enim pro sceptro sumi vulgare est, quæ tunc alterius imponitur dorso, cùm illum duro premit imperio. Et hæc explicatio mihi potior est. Tyrannorum enim imperium alieno plerumque dorso, atque humeris imponitur, & cum aliena molestia, atque sudore sustentatur. Cui imperio opposuit Isaias *cap.* 9. Emanuelis regnũ, quod ipsius potius quàm subditorum humeris incumbit. *Factus est principatus super humerum eius.* De hoc onere, quod ab Assyriis sustinuit Israel, dixit Isaias cap. 10. vers. 27. *Auferetur onus eius de humero tuo, & iugum eius de collo tuo.*

51. Vers. 14. *Et præcipiet super te Dominus.*] Hîc iam per apostrophem ad Senacherib sermo conuertitur, cui & cædes denunciatur, & omnia post mortem indecora. Illud *præcipiet*, verbum est militare, quod mandatum importat ab Imperatore datum inferioribus ordinibus. Ne quis putaret temerè, ac casu aut extinctam esse gloriam Senacherib, aut translatum aliò Assyriorum imperium. Quid autem Dominus præceperit, aut quò spectet imperatorium mandatum, statim exponit.

52. *Non seminabitur ex nomine tuo amplius.*] Communiter alij cum Hieronymo hæc accipiunt de Senacherib, cui nulla dicitur futura proles, quæ regno succedat, saltem diu: quoniam non longè post hæc tempora extinctum est Assyriorum regium nomen, & ablatum imperium. Quia verò ex semine Senacherib in regno successit Assaradon, vt habes *Isaiæ* 37. *v.* 38. ideo Hieronymus, & cum eo plures alij in seminatione sui nominis, generationem intelligit nouam, quasi post cladẽ cælitus acceptam, nullum iam amplius esset filium suscepturus. Et ita reuera accidit: nam simul atque Niniuem rediit, extinctus est à filiis quadragesimo quinto, vt apparet, die, ex quo eò appulit. Tob. cap. 1. v. 24. *Post dies verò quadraginta quinque occiderunt regem* (Senacherib) *filij ipsius.* Et hoc meritò magis probat Ribera, neque ego improbo; tum quia magnis placet authoribus; tum quia facile est, & historiæ fidei iuxta rerum naturam consentaneum.

53. Veruntamen aliquid ego hîc addam, quod displiceret minus si ab aliis accepissem, in quibus aliquid esset authoritatis, quos tanti nominis authoribus opponerem. Figuerius id aliquibus placuisse dicit, quos tamen non nominat. Indicat Dionysius. Notum est subditorum labore, ac sumptibus ali, sustentaríque principum fastus: quare illos grauibus onerant tributis, & tantum non exhauriunt sanguinem: quare non tam sibi arant, & occant, quod liberæ, atque ingenuæ conditionis est, quàm dominis, quibus illorum seruit sudor, & industria. Quocirca dominorum nomine subigunt, & seminant agros, non suo. Sanè qui alteri seruit, prouerbiali specie alij arare dicitur, & seminare, seu quod idem est alterius nomine. Sic Plautus in Epidico scena *st*. *tacete. Mihi istic nec seritur, nec metitur, nisi ea, quæ tu vis, volo.* Contrà, qui dominus est, & fructum sibi expectat ex labore, sibi, aut suo nomine seminare dicitur. Idem in Mercatore scena, *Duas res,*

Tibi aras, tibi occas, tibi seris, tibi eidem metis,
Tibi denique iste pariet lætitiam labor.

Aut certè quo impositum sibi tributum in regium horreum conferant, aliquem fundum destinatum seminant, ex quo nihil ad sumptus domesticos expectant. Quod cùm in omni fermè natione principes faciant, videtur Senacherib, & alij, qui Assyriorum imperium tenuere, fecisse præter alios inclementiùs, & duriùs. Cùm ergo dicat Propheta actum iam esse, aut fore propediem de vita Senacherib, & de illius tam amplo, atque antiquo dominatu, signum adhibet, & quasi certam notam imperij, & eius præcipuè, quod ad illud vsque tempus tenuerunt Assyrij. Cùm enim negatur regio Assyriorum nomine seminandos agros, quorum fructus in regium horreum comportentur; negatur planè diu duraturam aut regis vitam, aut Assyrium dominatum.

De domo Dei tui interficiam sculptile, atque conflatile.] Blasphemarat Senacherib nomen Dei Israel, quasi nihil posset contra Assyriorum deos, atque potentiam, vt habes *Isaiæ cap.* 37. *v.* 23. Huic ergo minatur Deus & imperij iacturam, vt proximè vidimus, & ignobilem mortem, vt statim docet: nunc quanta sit illorum deorum futilitas, ostendit, cùm breui quidquid sit sculptum ex ligno, aut marmore, aut ex metallo quocunque conflatum, periturum sit, neque iam ampliùs tanquam religiosum aliquid colendum in templo. Quod enim fecerunt Persæ in Babylonicos deos, quos confregerunt, & in domesticos vsus, & vilia ministeria conflarunt, vt constat ex Isai. cap. 46. v. 1. *Confractus est Bel, contritus est Nabor.* & clariùs Ieremias cap. 50. v. 2. *Capta est Babylon, confusus est Bel, victus & Merodach: confusa sunt sculptilia eius, superata sunt idola eorum.* Vt ergo Persæ Babylonicos deos, sic etiam Babylonij rerum potiti Assyrios subuertent. 54.

Ponam sepulcrum tuum, quia inhonoratus es.] Ignobilem mortem regi denunciat, & sepulcrum aut nullum, aut pro regia dignitate parum honestum. Fabricarat, credo, Senacherib gloriosum sepulcrum, sicut & principes alij, qui à saxo, & mole nomini suo æternitatem captant; quomodo Ægyptiorum nónnulli reges, qui pro Mausoleo insanas pyramidum moles excitarunt: quale sibi sepulcrum excitarat Sobna *Isaiæ cap.* 22. At Deus non sinet superbum illum regem inferri sepulcro, in quo memoriam sui studebat perpetuò viuere. Tale enim voluit esse genus mortis, tale sepulcrum, qualis eius fuerat vitæ modus. Vt enim in templo à duobus filiis interfectus est, cum aliorum ciuium non solùm consensu, sed etiam plausu, quorum cognatos, ac liberos in Iudæa reliquerat diuina indignatione consumptos: sic etiam in eodem loco aut sepultus est cum reliqua turba populari, si modò apud Assyrios in templis sepeliri fas fuit; aut certè in templo, eodem quo cecidit loco, insepultus extabuit: quod ignominiæ summæ censebatur. Quod non videtur incredibile; tum quia nemo auderet, sepulto patre Senacherib, duorum filiorum damnare consilia, qui patrem occiderunt; tum quia odio apud omnes labora 55.

56. *Infelix putabatur insepultus.*

laborabat ingenti, quod exsaturabant insepulti cadaueris aspectu. Certè Mezentius apud. Virgilium *lib.10.* cùm odiosus esset apud suos, meritò timebat, ne relinqueretur insepultus: & ideo orat iam moriturus ab Ænea, vt hanc à suo cadauere ignominiam depellat.

Vnum hoc per-si qua est victis venia hostibus oro,
Corpus humo patiare tegi: scio acerba meorum
Circumstare odia. Hunc oro defende furorem,
Et me consortem nati concede sepulcro.

57. Seu certè per synecdochem sepulcrum pro morte ponitur, res nimirum consequens pro antecedente, sicut millies funus. Tunc autem sensus erit & facilis, & verus, tam esse longè vt ab Assyriorum diis salutem consequeretur, & gloriam Senacherib, vt cùm illis preces offerret, sacrificia, & vota, eo ipso in loco, ac tempore inhonoratus, & vilis occisus sit à filiis; & pro votis, quæ salutem orabant, & vitam gloriosam, & pacatam, sepulcrum inuenerit, id est, mortem, cui sepulturæ honor, aut officium plerumque succedit. Hugo ideo dicit Senacherib in Niniue, & inter deos suos fuisse sepultum, quia noluit illum Deus honorare data in terra promissionis sepultura. Atque ideo cùm per Angelum tot Assyriorum millia deleuisset, qui aut sepulti, aut certè inhumati in terra promissionis in Topheth prope Hierosolymam extabuerunt: ipsum tamen ignobiliori morti, quam nempe duo attulerunt filij, & viliori terræ reseruauit, vt in hac vita superbiæ suæ pœnas daret acerbas.

58. Vbi vulgatus, *Ponam sepulcrum tuum*, Hebr. est אשים קברך *asim kirbecha.* Quòd si quis putet illud אשים deduci à radice ישם *iasam*, aut שמם *samam*, (quod licèt duriuscule ab his formari posset, quæ duo verba desolare significant, & euertere) sensus esset percommodus: nempe quia inhonoratus es ô Senacherib, & indignus, qui extremum regiæ sepulturæ honorem consequaris, diruam sepulcrum, quod tibi sumptibus extruxisti maximis, & nullam, aut vilem, & plebeiam sepulturam inuenies. Sed quia iuxta Grammatica præcepta à radice שום *sum*, meliùs deducitur, atque formatur, quæ *ponere* significat, vt transtulit vulgatus: ideo explicationes alias libentiùs amplector.

59. Vers. 15. *Ecce super montes pedes euangelizantis, & annunciantis pacem.*] Hæc sine dubio ad Iudæam pertinent, ex qua quidquid est sollicitudinis, ac mœroris, detergit Propheta. Sed dubium esse alicui posset, an bonum istud nuntium de cæde sit Senacherib, quam à filiis pertulit, cùm ad impias aras supplex procumberet: an verò potiùs cùm illius exercitus ab Angelo repentina plaga percussus est. Ego eò magis inclino, vt credam nuntium hoc bonum esse non de exercitu ab Angelo vindice deleto, sed de cæso Senacherib: quia, vt pluribus ostendimus ad illud Isaiæ cap. 30. *Præparata est ab heri Topheth.* in Topheth, id est, iuxta Hierosolymam contigit illa Assyriorum strages: quare necesse non erat, vt per montium iuga transmissæ nuntiorum voces certam facerent Hierosolymam de Assyriorum cæde. Nisi dicamus nuntium illud non ad vrbem regiam, cui adiuncta erant Assyriorum castra, per montium fastigia fuisse perlatum; sed ad ciuitates alias, quas antè ceperat, aut quibus extrema omnia minabatur Assyrius. Quod sanè improbabile non est: quis enim dubitet bonum regem Ezechiam misisse, cùm primùm agnouit beneficium illud profectum à diuina manu, cursores, & nuntios,

A qui sollicitudinem, & metum detergerent è mœrentium animis, & ad agendas pro tanto beneficio grates hortarentur. Neque ab hac cogitatione ego multum absum: in quam inclinant aliqui, qui apertè de exercitu deleto hæc sumunt, in quibus est Dionysius, & Lyra: aut vtrumque coniungunt, stragem videlicet exercitus in Iudæa, & regis interitum in Assyria.

Sed plerique cum Hieronymo, nuntio huic 60.
materiam esse dicunt regis cædem, quæ valde exhilarauit Iudæorum animos: nam licèt à metu recreati viderentur attritis magna ex parte Assyriorum viribus, non tamen omninò: cùm enim magna adhuc esset illorum potentia, comparari rursus poterat exercitus, & à rege superbo, &
B indignato grauiter, quique ignominiam illam præclaro aliquo facto vellet à suo nomine depellere, aliqui motus timeri poterant. Et iam suæ offensionis, atque animi aliqua post fugam documenta dederat. Vt enim habes *Tob. cap. 1.* grauis illa tribulatio, quæ Tobiæ tempore Israelitas iactauit Niniue, à Senacherib excitata est: quæ sanè foret multo grauior, nisi impia, barbaraque consilia inopinatus, atque opportunus interitus occupasset. Quare cùm tantus, támque infensus hostis foret morte sublatus, causa non defuit, cur ab his, qui primùm acceperunt ab Assyriis, nuntij transmissi fuerint, qui Iudæorum omnium sollicitudinem leuarent. Aut certè ab Ezechia, qui vt per nuntios, quid actum esset de Assyriorum exercitu, significauit: sic etiam populis suæ
C potestati subiectis regiam cædem ignotam esse noluit.

Docet hoc loco Montanus ex *lib. Misnaioth,* 61.
moris esse apud Hebræos, vt, si quid publicè cognosci oporteret, id ex altis montium iugis per præcones denuntiaretur. Qualia sunt indicta ieiunia, neomeniæ, læti, aut tristes nuntij: si quid denique in publicum vsum notum esse expediret. Cùm enim regio illa cliuosa esset, & ex vno monte in alium vox produci posset, facilè mandatum quasi per manus eo modo transmissum per totam prouinciam vulgabatur. Fides sit penes Montanum, neque enim librum Misnaioth mihi videre licuit. Sed faciunt id verisimile aliqua Scripturæ testimonia. Primum locus iste Na-
D hum. Deinde Isaiæ 25. *Quàm pulcri super montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem*, & similia. Faciebant puto præconum vocibus Iudæi, quod nunc regiones aliquæ, quibus à vicino hoste aliquid semper aut imminet, aut timetur periculi; quæ ex speculis vario, opportunóque loco dispositis, nocte flamma, diu fumo, si qua se ostentet periculi species, quàm celerrimè significant.

Euangelium iuxta nominis rationem bonum 62.
nuntium est, & valet interdum mercedem, aut donum, quod pro læto nuntio rependi solet, quod Hispanus vocat *albricias*, seu *aguinaldo*, ea figura, qua opus aliquod pro operis mercede sumitur. Quomodo aliquis sudorem suum, aut la-
E borem manducare dicitur, quia laboris sui mercede sustentatur. Sic Leuit. cap. 19. dicitur, *Non morabitur opus mercenarij tui vsque manè*, id est, merces operis. Sic igitur Euangelium pro boni nuntij mercede, seu gratulatorio sacrificio ponitur. Pro mercede sæpe vsurpant Græci, & ex illis nonnunquam Latini. Cicero ad Attic. epist. 12. lib. 2. *O suaues duas epistolas, quibus εὐαγγέλια deberi fateor.* Hinc ortum credo illud iam pridem vsitatum inter Hispanos, vt pueri in natalitiis Christi feriis annun

Euangelij significatio multiplex.

REGVLA. Opus *pro operis mercede.*

Vnde orta consuetudo Hispanis in natalitiis feriis petendi Aguinaldum.

annuncient Christi suauissimum ortum, & pro lęto nuntio poscant *εὐαγγέλια*, id est, pretium, quod Hispani vocant *aguinaldo*. Agunt, opinor, Angeli personam, qui dixit Pastoribus: *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum.* Quia verò gratiarum actio, aut sacrificium, aut quæuis alia animi grati significatio, merces quædam est aut boni nuntij, aut accepti beneficij, fit vt supplicatio solennis, quæ diuinum beneficium agnoscit, & prædicat, & sacrificium in gratiarum actionem dicatur Euangelium. Illi porrò nuntij, qui super montes lætum aliquem successum annunciant, dum euangelizare dicuntur pacem, aut aliquid aliud ex voto, eo dicendi modo compensari suum studium, ac festinationem aliqua mercede postulare, non est improbabile. Nam licèt ingenuus animus magis alterius voluptati, quàm mercedi seruiat: quia tamen speculatores, & qui eiusmodi nuntia veloci cursu deferre solent, è media plebe sunt, non tam ex felici euentu aliorum lætitiam, quàm ex oblata lætitiæ causa cõpendium captãt.

63. *Celebra Iuda festiuitates tuas, & redde vota tua.*] Quo tempore imminebat Hierosolymæ Assyriorum exercitus, non poterant Iudæi aliqua sacrificia, & festa ritè celebrare, qualia fuerunt scenopegia, quæ extra mœnia fixis in agro tabernaculis obibant: neque ex aliis oppidis, cùm omnes vias, atque aditus obsiderent Assyrij, frequentes fieri possent aduenarum conuentus. Quare eorum multa sub hoc Assyriorum tempus omissa videntur, vt indicant hæc verba: neque leuis sumitur coniectura ex *lib. 2. Paralip. cap. 32. v. 23.* vbi cùm præcessisset strages Assyriorum, & regia cædes, additur: *Multi deferebant sacrificia, & hostias Domino in Hierusalem*; quasi priùs exclusi metu, atque armis inimicorum deferre non potuerint. Vota verò dicuntur sacrificia, quæ ex voto præstari solent; siue quæ nuncupatunt Iudæi, si ex Assyriorum armis eximi contigisset; siue quæ aliis de causis, vt omni tempore frequentes occurrebant, antè conceperant.

64. Hæc porrò verba aut Prophetæ sunt, qui prædicit nullum iam ab Assyriis impedimentum fore, quominus statim in templo legitimo ritu peragi possit res sacrificalis, aut certè nuntij euangelizantis pacem, qui monet, vt pro tam singulari beneficio reddantur Euangelia, id est, sacrificia, siue solita, siue concepta vota, quæ dicuntur pacifica. Aut certè docet eo in statu esse rem Assyriam, vt sine vlla perturbatione, ac metu obiri possint, ac peragi, quæ Iudæorum pietas, ac religio iubet. Ad vtramque sententiam patet litera, neque in re est aliquid incommodi, vtcumque capias.

Quia non adiiciet vltrà, vt pertranseat in te Belial.] 65.
Nihil timendum est à Belial, id est, à Senacherib, qui dum sæpe bello tentat Iudæorum fines, quietem turbat, & otium, neque sinit pauidos animos illa præstare, quæ religiosi debent. Vocatur autem Senacherib Belial, quod nomen idem valet, quod *sine iugo*: quem videlicet neque lex corrigit, aut moderatur, sed affectus agit sine fræno præcipitem. *Belial quid.* Quod nomen licèt in omnem hominem conueniat, qui se à diuinis legibus, & ab eo, quod recta ratio præscribit, exemit, & exoluit: qui rupit vincula, confregit iugum, & libera, ac petulante voce dixit, non seruiam; tamen aliquando accommodatur diabolo, quia hic omnium primus iugum excussit, & aliis instigator est, vt pro iugo, ac lege, propriam sequantur voluntatem, & quidquid libet, illud sibi licere apud se statuant. Sanè pro diabolo sumi docet Hieronymus ad illud Isaiæ cap. 27. *Super Leuiathan serpentem. Appellatur* (inquit) *Satan Belial, id est, apostata, præuaricator, & absque iugo. Vnde & Apostolus 1. Corinth. 6. Quæ communicatio Christi ad Belial.* Hinc tu pro moribus obserua illum, qui ceruicem habere studet à iugo liberam, nihil habere commune cum Christo, neque enim vlla est Christi cum Belial communicatio: Christus enim factus est obediens vsque ad mortem, Belial procul à se iugum, & obedientiam excutit. Filij Belial dicuntur in Scriptura sæpe viri iniqui, quos Septuaginta plerumque *pestilentes* reddunt. Vt verò homo filius dicatur esse Dei, & Christo similis, iugum Christi iubetur assumere. Matth. cap. 11. *Tollite iugum meum super vos.* quasi diceret, filij estote Dei, & nomen perhorrescite Belial. 66. *Nihil habet cum Christo commune qui iugum non admittit.*

Vniuersus interiit.] Interiisse videri potuit Senacherib, cùm vires perdidit, id est, copias, quas secundo successu per Palæstinam, Ægyptúmque ductauerat: non tamen totus, quia adhuc retinebat vitam, neque deerat, vnde rursus cogeret exercitum. Et adhuc spiritus alebat hostiles in Israelitas, vt ostendit, cùm primùm in patriam est reuersus, vt legis apud Tobiam *cap. 1. v. 21.* Nunc verò totus periit, quia vitam amisit filiorum manibus. Quare nihil est, quod sibi deinde metuant Iudæi, quominus possint in posterum sacris, ac religioni liberè vacare. 67.

IN CAPVT SECVNDVM

ARGVMENTVM.

CONFIRMAT Iudæorum animos, qui talia sibi ab Assyriis metuebant, qualia videbant cognatas sibi decem tribus ab eadem gente pertulisse. Ait enim venturos esse Chaldæos, qui Assyriorum vires frangant, & imperium extinguant: quorum eleganter describit & apparatum bellicum, & in pugnando ardorem, atque constantiam. Quomodo deinde languentibus Assyriorum animis capta sit Niniue, & inde erepta copiosissima præda, & ad Babylonios vsque transmissa. Pòst verò conuerso ad Assyrios sermone, illorum superbiæ iam depressæ, & duris rerum successibus insultat.

CAPVT II.

1. *ASCENDIT qui dispergat coram te, qui custodiat obsidionem: contemplare viã, confortа*

PARAPHRASIS.

1. ASCENDIT, ô Iuda, contra te Senacherib, vt te dissiparet, ac perderet,

conforta lumbos, robora virtutem valde.

A ret, & ciuitatem tuam obsideret angustè. Sed ecce furor ille tantus, & exercitus tam ferus, ac copiosus extabuit. Contemplare viam, per quam regem, castrorúmque reliquias fugientes aspicies: recipe animos, quos desponderas, conforta lumbos, quos parturientis in modum antè contrineras.

2. Quia reddidit Dominus superbiam Iacob, sicut superbiam Israël: quia vastatores dissipauerunt eos, & propagines eorum corruperunt.

2. Est autem tibi, ô Iuda, cur animo esse debeas erecto, atque alacri, ratio non leuis: nam sicut Iacob quondam afflicto, atque humili, quando vocatus est Iacob, cùm assumptus est ad gloriosum nomen Israelis, datum est robur excellentia, & gloB ria; sic etiam tibi priùs infirmæ, & ad extremam desperationem adductæ status adueniet fortunatus, & splendidus. Quia Chaldæi venient, qui vastatores tuos ipsi vastabunt, & illorum stirpem sic excindent, vt nulla sit spes reliqua fortunæ prioris.

3. Clypeus fortium eius ignitus, viri exercitus in coccineis: igneæ habenæ currus in die preparationis eius, & agitatores consopiti sunt.

3. Nunc accipe qualis militum apparatus, qualis in dimicando ardor, atque constantia. Illorum clypeus sic erit tersus, ac nitidus, vt igneos ex sese radios videatur
C euomere. Vestibus in castris vtuntur coccineis: & in phaleris, atque habenis, quæ ad bella comparant, tantum ponunt gemmarum, & auri, vt igneum ex se splendorem emittant. Quod verò ad militares spiritus ardorémque pugnandi spectat, talis illis inerit animus, tam præceps, ac violentus furor, qualis in temulentis spectari solet, quibus vinum nihil omninò mentis ac consilij reliquit.

4. In itineribus conturbati sunt: quadrigæ collisæ sunt in plateis: aspectus eorum quasi lampades, quasi fulgura discurrentia.

4. In itinere, atque incessu tam erit incitata festinatio, vt ordo nullus ex disci-
D plina militari seruetur; ita vt non in viis solùm angustis, sed in plateis, locísque patentibus, quadrigæ, quæ ardentes incredibili celeritate confusæ voluuntur, in seipsas impingant, & incuitabili congressu collidantur. Aspectus illorum sic erit inflammatus, vt ex toto ore emicet crudelitas, & furor, non aliter quàm ex ardente nube fulgura discurrunt.

5. Recordabitur fortium suorum, ruent in itineribus suis: velociter ascendent muros eius, & praparabitur vmbraculum.

5. Hic erit Chaldæorum ardor, & impetus. Tunc verò Assyriorum imperator,
E cùm rem ad extremam aleam deductam esse viderit, aduocabit strenuos quosque duces, qui in data sibi statione, aut in congressu militari deficient. At meliori consilio, atque animo Chaldæi, quorum alij ad muros aduolabunt, & illos ascendent; alij sibi totique exercitui ad ferendas diuturnæ obsidionis molestias, tentoria præparabunt.

6. Portæ fluuiorum apertæ sunt, & templum ad solum dirutum.

6. Tandem dirutus est murus, & apertæ ciuitatis portæ, per quas exercitus, quasi disiecta mole fluuius, irrupit, & templum, quod vrbis erat, ornamentum, atque præsidium funditùs excisum est.

7. Et 7. Hæc

Digitized by Google

7. Et miles captiuus abductus est: & ancillæ eius minabantur gementes vt columba, murmurantes in cordibus suis.

A

7. Hæc de ciuitatis ruina. Quod ad milites attinet, & ciuitatis incolas, non minus miserabilis species. Milites enim, qui præsidio ciuitati fuerant, in alienum solum captiui commigrarunt. Fœminæ verò, siue ancillæ, siue ingenuæ, ac dominæ, iam tamen ad ancillarem conditionem abiectæ, ab hoste victore, non secus atque à pastore pecudes, abigentur; quæ cùm non audeant suam coram hoste præferoce, ac barbaro lamentari fortunam, secum ipsæ columbarum instar illam rerum conuersionem tacitæ ingemiscent.

B

8. Et Niniue quasi piscina aquarum aqua eius: ipsi verò fugerunt: state, state: & non est qui reuertatur.

8. Porrò Chaldæorum exercitus, quem exundanti flumini similem esse diximus, vbi ciuitatem obtinuerit, in illa, quasi stagnantes aquæ, subsidebit. Fugient autem propugnatores, & ciues, ea ex pauore celeritate suscepta, vt nullo modo, licèt principum vrgerent adhortationes, & preces, ad stationem reuocari, aut à fugiendo retardari potuerint.

9. Diripite argentum, diripite aurum: & non est finis diuitiarum ex omnibus vasis desiderabilibus.

C

9. Quare agite iam, ô Babylonij (inquit Propheta) quando capta est ciuitas, & à propagnatoribus vacua, ex omni thesaurorum custodia reconditas scrutamini, & auferte diuitias, quorum tanta est copia, tam luculenta præda, vt nulla hominum quantumcumque inflammata sitis exhaurire queat.

10. Dissipata est, & scissa, & dilacerata: & cor tabescens, & dissolutio geniculorum, & defectio in cunctis renibus: & facies omnium eorum sicut nigredo ollæ.

10. Ad prædam, ô Babylonij, quamprimùm properate: neque enim quicquam est, quod studium vestrum, & sitim remoretur. En patet iam omnibus diuisa, ac dissipata ciuitas. Neque ab illis, qui in vrbe remanserunt, timeri potest aliquid periculi. Sic enim sunt animo languido, vt cor in illis extabuisse videatur: vires ita fractæ, vt dissoluta genua corporis molem sustinere non possint. Neque minùs laborant, aut languent, quàm fœminæ, quibus grauis accidit in puerperio lumborum labor, atque contritio. Ex quo illum contraxerunt colorē, quo ex igne supposito nigrescit olla.

D

11. Vbi est habitaculum leonum, & pascua catulorum leonum, ad quam iuit leo vt ingrederetur illuc, catulus leonis, & non est qui exterreat?

11. Vbi sunt, ô Niniue, lustra illa, atque habitacula leonum, ad quæ magnam vndecumque terrarum prædam comportabant? vbi illa pascua omni ex parte pinguissima, quæ leunculorum rabiem ad satietatem vsque, & vomitum explebant? Ad quæ sic leo prædator maximus, & illius catuli sic ingrediebantur, vt nullus illos timor, aut pudor arceret.

E

12. Leo cepit sufficienter catulis suis, & necauit leænis suis: & impleuit præda speluncas suas, & cubile suum rapina.

12. Leo ille maximas egit prædas, vt abundè catulis, leænísque cibus ex rapina suppeteret, quibus sua sibi latibula, & speluncas impleuit.

13. Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, & succendam vsque ad fumum quadrigas tuas, & leunculos tuos comedet gladius: & exter

13. Iam verò, ô leo truculente, & ferox, non tibi cum infirma, ac timida plebecula futura res est: sed mecum, qui ideo Deus

Digitized by Google

exterminabo de terra prædam tuam, & non audietur vltrà vox nunciorum tuorum.

A Deus exercituum appellor, quia in manu mea omnium exercituum vis est, & fortunatus exitus. Quare quadrigas tuas, in quibus præcipuum spectatur militiæ robur, sic incendio tradam, vt in fumos abeant: leunculos, quos ex aliena præda tam delicatè, ac molliter alueras, ferrum conficiet. Et omnem prædam, quam tanto studio, ardoréque collegeras, ad aliorum vsum, & regionem traducam. Neque audietur amplius vox superba, atque impia, quam per nuntios tuos in Iudæa resonare fecisti.

Vers. 1. *Ascendit, qui dispergat coram te: qui custodiat obsidionem.*]

1. SI constaret, ad quam ciuitatem, seu prouinciam hæc verba pertinerent, minus esset commentatio difficilis: sed neque authores in ea re côueniunt, & est admodum obscura coniectatio. Hieronymus, Haymo, Albertus, Remigius, Dionysius, Lyra, Ribera, & alij non pauci sermonem putant ad Niniuem conferri. Contrà verò Theodoretus, Theophylactus, Rupertus, Robertus, & Vatablus ad Iudam. In re non multum video interesse discriminis, cùm hîc denuncietur Assyriorum, & præcipuè Niniue durum exitium: quod genti Iudææ atque Israelitidi, maximæ futurum est consolationi. Probo quod visum est Hieronymo, neque in illa explicatione video, quod valde sit violentum, atque distortum. Neque tamen ideo deserendam puto aliorum cogitationem, qui partem hanc capitis referendam putant ad Iudæam. In quorum ego sententiam magis inclino, quia facilior est, & continens seruat, & interruptum orationis filum. Nam in fine proximi capitis loquebatur cum Iudæa, seu Hierosolyma Propheta: eorum verò, quæ sequuntur, si sermonem à Iudæa non distrahas, facilis est & apta consecutio. Ad hanc ergo cogitationem commentationem attempero.

2. Dixit Propheta in fine capitis affulsisse iam pacem Hierosolymæ, & liberè iam, ac sine metu posse religioni, ac sacris operam sicut antea piam, ac sedulam nauare, quia vniuersus periit Belial: in quo licèt præcipuè intelligatur Senacherib, vt diximus, tamen etiam intelligi videtur Assyrius, quicumque ille sit, qui non iam ampliùs copias in Iudæorum fines reuocabit. Et reuera alio etiam sensu, & fortasse huic loco magis accommodato totus dicitur extabuisse Belial. Nam primùm illius potentia fracta est ab Angelo, cùm obsideret Hierosolymam; deinde cæsus est à filiis: & filij, qui pars quædam videntur esse patris, quibúsque viuentibus superstes quodammodo videtur esse pater, ipsi quoque periisse existimari possunt. Quando duo filij, à quibus fuit occisus Abimelec, & Serasar, excesserunt è patria, & fugerunt in Ararat, quod perinde est atque si excessissent è viuis: exules enim numerantur in mortuis, sicut sepulcrum dicitur exilij locus. Ad extremum breui periit Assaradom, qui successit in regno; denique euersa est Niniue, & extinctum omninò Assyriorum illustre nomen, & antiquum imperium. Statim autem ostendit quisnam fuerit ille qui vniuersus dicitur periturus: ille nem-
B pe, qui ascendit paulo antè, vt dissiparet terram, nempe Iudam, (id enim valet *coram te*, id est, contra te, Hebr. מפיץ *mepis*, id est, dissipans, aut confripgens instar mallei.) & qui ciuitatem tuam obsideret angustè. Sed videbis, ô Iuda, illius elusam spem, fractam audaciam, & turpem fugam.

Contemplare viam, conforta lumbos, robora virtutem valde.] Quàm inflatos spiritus ad obsidionem attulerit Senacherib, habes *Isaiæ cap.* 37. *& lib.* 4. *Reg. cap.* 19. & ibidem legimus quanta fuerit regis Ezechiæ, & reliquorum ciuium animorum consternatio, lumborum infirmitas. Id enim significat scidisse legatos vestimenta sua ad verba Rabsacis: quod etiam fecit Ezechias, quasi actum iam esset de re tota Iudaica. Infirmos esse lumbos qui maximè in puerperio laborant, ipse significa-
C uit Ezechias, cùm dixit 4. Reg. 19. v. 3. *Venerunt filij vsque ad partum, & vires non habet parturiens.* Cùm autem deleto iam exercitu, & sublato rege regiâque sobole, subuersa Niniue, cesset omnis desperandi, atque mœrendi causa: iubet Dominus Iudæ, vt confortet lumbos, quos antè parturientis in modum contriuerat, accipiat vires, atque animum, quem ad hostis Assyrij aspectum desponderat: & viam contempletur, per quam regem, exercitúsque reliquias fugientes aspiciet, vnde sequetur & confortatio lumborum, & virium roboratio. Hæc mihi maximè videntur soluta, ac vera: neque (vt dixi) aliorum sententias improbo, quas confirmarem, & explicarem pluribus, nisi id à suis authoribus factum esset strenuè: & ego in his commentationibus longus esse nollem. 3.

D Vers. 2. *Quia reddidit Dominus superbiam Iacob, sicut superbiam Israel.*] Hîc multum sudant interpretes, dum quærunt quæ sit ista superbia Iacob, & Israelis: & quò spectet hæc vocabulorum differentia. De quibus mihi agendum non est nisi admodum parcè, quia alij in eorum explicatione satis posuerunt ingenij, atque operæ: quæ videre apud suos authores promptum est. 4.

Ego in Iacob duo tempora, duos status, duo nomina, & duas personas in vna, eadémque persona considero. Quo tempore fuit Iacob, id est, vsque ad illum diem, quo egressus è Mesopotamia in patriam suam reuersus est, miseram egit, & ærumnosam vitam, profugus à natali solo, alienæ addictus voluntati, pastoritiæ intentus curæ, in qua æstu vrebatur, & gelu, à cuius oculis fugiebat somnus, expositus ludibrio, ac fraudi, quíque vbique terrarum haberet non leuem timendi 5.

Digitized by Google

timendi causam. Nam etiam in terra Chanaanitide habebat infensum fratrem Esau, quem vt audiuit ad se cum quadringentis viris properare *Genes.*32. non minus expauit, quàm Hierosolyma ad aduentum Senacherib. At verò postquam Iacob esse desiit, & cœpit esse Israel, id est, præualens contra Deum, post luctam videlicet cum Angelo, longè alius fuit à seipso, demeruit enim sibi fratrē, quem priùs offenderat, exēptus à soceri seruitute, neque iam luctator dici potuit, quod sonat *Iacob*, sed victor, & potens, quod valet *Israel.*

6. Sic ergo in Iuda, aut Hierosolyma duo tempora, & duas quasi personas intueor: fuit enim Hierosolyma priùs, cùm extrema omnia minarentur Assyrij, neque vllam vellent pacis conditionem accipere, misera, ac pauida, sicut fuerat priori tempore Iacob: pòst verò opulenta, alacris, & robusta debellatis Assyriis, qualis fuit idem Iacob, ex quo vocari cœpit Israel. Iubet ergo Propheta Hierosolymæ tunc afflictæ, sicut antea Iacob, vt bono sit animo, & tale sibi robur, & statum promittat, quale habuit Israel. Literam autem sic ordino. Sicut Iacob afflicto, & humili, assumpto Israelis nomine, datum est robur, excellentia, & gloria: sic etiam tibi priùs infirmæ, & ad extremam desperationem adductæ status adueniet fortunatus, & splendidus. Est autem notum similitudinis formam nonnunquam ab Hebræis omitti, quam si hîc adiungas, facilis est, & apta cōstructio, in hunc modū: Sicut Iacob afflicto dedit superbiā Israelis gloriosi, sic tibi, &c.

7. *Superbia* hîc non significat aliquid immoderatum, qualis est affectus insolentis, ac desipientis animi: sed gloriam, & excellentiam, fortunatum statum, & quæ sine vllo vitio homo prudens, ac sedulus, aut industria consequitur sua, aut accipit à Domini liberali manu. Superbus enim tam apud sacros, quàm apud profanos scriptores aliquid interdum sonat speciosum, & inclytum. Isai. *cap.*60. de hac ipsa Ierusalem, idem quod nunc Nahum. *Pro eo quod fuisti derelicta, &c. ponam te in superbiam sæculorum.* Prouerb.8. n.18. *Mecum sunt diuitiæ, & gloria, opes superbæ.* Ex profanis vnus Virgilius multa nobis suppeditabit exempla lib.1. Æneid.

Superbia pro excellentia.

Hinc populum latè, regem belloque superbum
Venturum exidio Libyæ.

Et lib.3.

Barbarico vestes auro, spolisque superbi.

8. *Quia vastatores dissipauerunt eos.*] Ex Assyriorum interitu prouenit Hierosolymæ & fortunæ splendor, & animorum alacritas. Hi verò à Chaldæis subacti sunt, & euersi, qui hoc loco *vastatores* dicuntur, fortasse cum allusione ad Chaldæorum nomen, qui iuxta sui nominis notationem iidem qui vastatores sunt.

9. *Et propagines eorum corruperunt.*] Non solùm extinxere Chaldæi eos, qui sub id tempus Assyriarum rerum potiebantur; sed fecerunt ne vlla foret in posterum spes prioris recuperandi nominis, aut fortunæ. Est enim illorum stirps funditùs excisa, ne qua sese vlla hominum memoria propago diffunderet. Quia aut omnis Senacheribi familia periit; aut certè si qua fuit ex tanta clade reliqua posteritas, illa sic remansit fracta, atque ignobilis, vt ad auitam gloriam, & Assyrium solium aspirare non posset.

10. Vers.3. *Clypeus fortium eius ignitus.*] Describit militarem instructum, qui in Chaldæorum exercitu ardorem indicat animorum, & in re bellica studium singulare. Qui enim strenui in acie

A videri student, non satis sibi habent, si se in pugnando gerant strenuè, nisi id etiam faciant eleganter, ita vt in omni petitione tam inferenda, quàm declinanda appareat palæstra. Sed in eo sibi maximè placent, si arma sint pretiosa, ac lucida, neque solùm arte, sed etiam materia conspicua. Quod ad materiam attinet, notum est olim quidquid pretiosum esset, & illustre, ad armorum ornamenta conferri. Iuuenal. Sat.5.

———*Virro gemmas ad pocula transfert*
A digitis, quas in vagina fronte solebas
Ponere zelotypo iuuenis prælatus Iarbæ.

Hic autē erat Æneas, de quo Virgil. lib.4. Æneid.

———*Atque illi stellatus iaspide fulua*
B *Ensis erat.*

Iuuenal. iterum Sat.11.

Argenti quod erat solis fulgebat in armis.
Magnorum artificum frangebat pocula miles,
Vt phaleris gauderet equus.

Vide hac de re plura in nostris Commentariis in Zachariam ad illud cap.14. *Et erit quod super frenum equi est sanctum Domino.*

Quod ad splendorem attinet, quem in suis armis milites plurimùm amant, est illud militis gloriosi apud Plautum, qui planè ex vsu, disciplináque militari locutus est, 11.

Curate vt splendor meo sit clypeo clarior,
Quam Solis radij esse olim, cum sudum est, solent.

C Et quidem id datum esse negotij Centurionibus vt curarent quòd arma essent splendentia, & nitida, docet Vegetius *lib.*2. *cap.*14. quod etiam de decurionibus tradit. De Centurione ait illi inuigilandum esse, *vt arma omnium defricentur, & splendeant.* De decurione, *vt cogat milites, loricas, vel cataphractas, contos, & cassides frequenter tergere: plurimum enim terroris hostibus armorum splendor importat.* Ex sacris vnus nobis sit pro multis Ezechiel, qui cùm hoc ipso Chaldæorum exercitu loqueretur, ait v. 9. *Gladius, gladius exacutus est, & limatus; vt cadat victimas, exacutus est; vt splendeat, limatus est.* Idem refert de eodē exercitu contra Ammonitas v.28.

Dicitur autem Chaldæorum clypeus ignitus, 12.
D quia inauratus est, & tersus; dum autem splendet aurum, igneos aliquos videtur vibrare radios. Sanè quod aureum est, flammas euomere, aut aliquid simile dicūt sæpe profani. Virg. lib.8. Æneid.

Terribilem cristis galeam, flammásque vomentem.

Et lib.10,

Stans celsa in puppi, clypeum tum deinde sinistra
Extulit ardentem.

Et iterum ibidem,

Ardet apex capiti, cristisque à vertice flamma
Funditur: & vastos vmbo vomit aureus ignes,
Non secus ac liquida si quando nocte cometæ
Sanguinei lugubre rubent.

Viri exercitus in coccineis.] An color coccineus, 13.
siue purpureus familiaris fuerit Chaldæis incertum: illud mihi certum est ex hoc loco, saltem in acie Chaldæos vsos esse coccineis. Quòd enim
E alius in foro, & pace, alius in acie probetur color, & docet communis omnium penè gentium consuetudo, & ex antiquis historiis affatim docemur. Quæ enim vno in loco indecora, in alio perquam honesta iudicantur. Quæ infecta sunt alieno colore, indecora dicit esse Cicero nisi in acie. Martialis colorem rufum gratum dicit esse militibus in Apophoretis *epigr.* 129. In castris multos vsos esse veste coccinea, quam alibi nullo fortasse modo gestarent, antiqua produnt monumenta. Lacedæmones, vt author est Ælianus *de var. hist, lib.*6. *cap.*6. & Valerius *lib.*2. *cap.*6.

quod eo consilio ab illis factum esse dicit, vt dissimularent, & occultarent vulnerum cruorem; ne hostibus audaciam, commilitonibus consternationem præberent. Eodem colore in castris vtebantur Persæ, vt author est Xenophon lib.3. statim in principio. *Erant* (inquit) *milites armati omnes armis iisdem, quibus Cyrus, puniceis tunicis.* Idē Plutarchus *in vita Artaxerxis.* Cùm autem Persis vicini essent Babylonij, credibile est eandem in castris seruasse consuetudinem.

In frænis maxima antiquorum cura.

14. *Ignea habenæ currus in die præparationis eius.*] Eodem sensu, quo clypeus dicitur ignitus, aut etiam igneus, igneæ quoque dicuntur habenæ, seu lora, quibus trahuntur, aut illigantur currus, aut quæ curules equos moderantur. Diximus nuper quidquid pretiosum esset, & illustre, illud ad armorum speciem, & splendorem adhiberi, quia arma, & equi sunt maxima ingenuorum virorum ornamenta: puto autem per synecdochem habenas vsurpari pro frænis. In frænis verò illigari, atque inseri id, quod maiori numeratur in pretio, certum est, & multis in locis docent profani. Virgil. *lib.*8 aurea fuisse dicit Pallantis fræna.

Frænaque bina meus quæ nunc habet aurea Pallas.

Et idem *lib.*7. satis ostendit quantum antiqui in equorum stragulis, frænisque posuerint: sic enim ille de equis, quos dono misit Latinus Rex Æneæ.

——— Teucris iubet ordine duci
Instratos ostro alipedes, pictisque tapetis
Aurea pectoribus demissa monilia pendent,
Tecti auro fuluum mandunt sub dentibus aurum.

15. Hoc idem vsitatum esse Chaldæis illa satis indicat grauis coniectura, quòd Persis vicinis magna cura fuit in ornandis, atque illuminandis equorum frænis. De Dario sic Curtius lib.3. *Iacebant toto campo opes regiæ, aurea vasa, aurei fræni.* Idem de Cyro Xenophon *lib.*1. Neque Constantinus pius & religiosus Imperator clauum refixum è Christi cruce in fræno posuisset, nisi locus ille soleret rebus pretiosissimis illustrari. Hæc autem omnia præparabit hostis, cùm acies ad bellum inferendum instruxerit: quia hoc existimatur ad excitandum militum animos, & ad terrendum hostem non leue subsidium.

16. Vbi vulgatus, *Ignea habenæ currus.* Hebr. פלדות באש *ke es peladoth.* quasi ignis facularum, aut lampadum. Qui dicendi modus hyperbolicus aut impetum indicat curruum, qui instar fulgurum, aut fulminum præcipites feruntur: aut splendorem eximium, qui ex auro, & lapide pretioso radiat; qualis Solis currus à Poëtis fingitur: seu certè quia ferratæ rotæ incitato cursu ex silicibus, quos calcauerint, ignem excutiunt. Sed optimè vulgatus habenas transtulit, sicut etiam fecerunt Septuaginta, qui reddidere pro פלדות *inias.*

17. *Et agitatores consopiti sunt.*] Hebr. pro agitatoribus הברשים *berosim,* quæ vox abietem significat, cedrum, & ex sententia Rabbi Dauid, buxum. Cùm autem hæ arbores proceræ sint, & pulcræ, pro principibus nonnunquam vsurpantur. Sed dubium esse posset, an principes hi, seu agitatores Assyrij sint, seu Babylonij, id est, qui patiantur, aut qui inferant terrorem, & cladem. Quidam Babylonios esse putant, qui eo ardore pugnabant, vt neque proposito vitæ periculo moueantur: quare in medios hostium cuneos inuolabunt intrepidi, ipsas subibunt hastas, & quasi generosi leonum catuli ipsa vltrò appetent venabula. Non secus atque si mentem illis eripuisset ebrietas, quæ vsque adeò vim addit ab omni metu liberam, vt etiam inermem, & nudum in medias inimicorum acies protrudat. Agitatores igitur aut curruum, aut exercitus, quales sunt imperatores, & duces, sic bella aggredientur audacter, vt non tam à consilio duci, quàm à furore, & vino rapi videantur.

Sed plerique hos agitatores, seu duces Assyrios esse censent, quos vehemens Chaldæorum impetus, & incredibilis animorum ardor sic afficiet, vt mentem excutiat; non secus atque si à vino forent temulenti. Ita Hieronymus, Theodoretus, & cum illis complures alij. Et quidem vox Hebr. הרעלו *orbhalu,* pro qua vulgatus transtulit *sopitos, trementes* significat, quæ magis in Assyrios, quàm in Babylonios quadrat. 18.

Ego admitto libenter posteriorem hanc explicationem, quia multis placet, neque aliquid habet aut valde contortum à litera, aut alienum ab historia. Sed nescio quomodo quæ succedunt malè, à Chaldæis distrahuntur. Et videtur duriusculum, si quod necesse est in Hieronymi sententia, vt ipse etiā fatetur, sæpe fiat ordinis, ac personarum mutatio. Quare placebat mihi magis explicatio prior, quæ sic in pugnando, aut gradiendo Chaldæos considerabat ardentes, atque præcipites, quasi furor illis, & vinum nihil omninò mentis, atque consilij reliquisset. Et iuxta hanc sententiam quæ sequuntur continuato narrationis ordine contexam. 19.

Vers.4. *In itineribus conturbati sunt: quadrigæ collisæ sunt in plateis.*] Hæc Hieronymus Chaldæis attribuit, quorum eam esse dicit multitudinem, vt confusis ordinibus agmina internosci non possint. Et in plateis, id est, in locis expeditis, latéque patentibus, ipsæ etiam quadrigæ coangustatæ, arctéque compressæ collidantur. Quæ explicatio mihi potior est. Tu vide, an hoc dicendi modo significetur tanta contentio, & incitata festinatio, vt ordo nullus ex militari disciplina seruari potuerit. Est enim perdifficile magnam, eandémque incitatam multitudinem sic cogere ad certum aliquem ordinem, vt sine vlla perturbatione incedat, ac sibiipsi interdum impedimento non sit. Vbi autem quadrigarum ardentes voluuntur rotæ, & confusæ feruntur, quid mirum si in seipsas impingant, & ineuitabili congressu collidantur, etiam in plateis, vbi explicare se possint, & latiùs incedere. 20.

Aspectus eorum quasi lampades, quasi fulgura discurrentia.] Descriptio est hominis iracundi, & ad sanguinem, atque vindictam anhelantis, qui terrorem incutit, etiamsi nihil audiatur minax, & absint arma. Est autem frequens hæc, aut similis furentis hominis hypotyposis. Sic Cicero de Verre; Inflammatus scelere & furore in forum venit, ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emicabat. Seneca in OEdip. 21.

Ardent minaces igne truculento genæ,
Oculique vix se sedibus retinent suis.

Virgil. lib.10. Æneid.

His agitur furiis, totóque ardentis ab ore
Scintillæ absistunt, oculis micat acribus ignis.

His non absimile est illud Psal.17. *Ascendit fumus in ira eius: & ignis à facie eius exarsit.*

Vers.5. *Recordabitur fortium suorum, ruent in itineribus suis.*] Hæc quidam, & quæ sequuntur proximè, ad Chaldæos referunt: in quibus sunt Hebræi, quibus subscribit Vatablus, licèt aliam expositionem probet. Tunc autem Vatablus hanc sententiam informat. Recordabitur Nabuchodonosor fortium suorum, *quos, ad mœnia* 22.

Digitized by Google

nia capienda mittat: illi autem ea auiditate, ac festinatione datum sibi negotium aggredientur, vt impingant, & corruant, nimirum a seipsis celeri concursatione compressi. Sed hæc alij communiter cum Hieronymo, Assyrio tribuunt, qui cùm videret hostem instare, & rem ad extremam aleam esse deductam, aduocabit strenuos quosque duces, quibus murorum custodiam committat; qui tamen omnes in viis suis, id est, in statione sua defendenda corruent.

23. *Velociter ascendent muros eius, & preparabitur vmbraculum.*] Hæc Hieronymus ad obsessos refert; quasi muros ascenderint propugnandi gratia, ibique vmbraculum sibi, & tegumenta construant contra vim hostilem, quasi futura sit ibi commoratio diuturna. Hæc mihi non videntur aliena; quibus non parum conciliat momenti multorum authoritas. Sed magis feror in eam sententiam, quæ Babyloniis hanc murorum ascensionem attribuit; quia magis est expeditus orationis cursus. Cùm igitur primùm ventum est ad ciuitatem, & castra disposita, alij tentatoria excitarunt, vbi excubarent, & pernoctarent, quandiu duraret ciuitatis obsidio: alij ad muros aduolarunt, in quibus plus erat roboris & audaciæ. Chaldæus pro vmbraculis turres adhibet, quas hostes interdum ex asseribus, interdum è laterculo compingunt: quales Cæsar in vrbium obsidione construxisse traditur, quas ipse non semel accuratè describit. Alij in vmbraculis plateas intelligunt, ac vineas, quibus milites, qui ad muros subruendos accedunt, contra inimicorum tela sese communiunt. Sanè vox Hebr. סוכך *sokech*, ad omnia patet, & horú quidlibet ad murorum oppugnationem, & vrbis obsidionem opportunum est.

24 Vers. 6. *Portæ fluuiorum apertæ sunt.*] In nodum incidimus non admodum extricatu facilem: admittit enim locus iste explicationes varias, ex quibus propriam, ac veram eligere promptum non est. Primùm exercitum, qualis iste Babylonicus fuit, fluuium appellari iam antè docuimus *cap.* 1. *v.* 8. vbi diluuij nomine explicatur exercitus. Quod etiam apud profanos non infrequés. Certè Virgilius tempestati, atque diluuio, quæ latè exundant, populantúrque, & agros, & syluas, & magnas etiam moles sternunt, exercitum dicit esse similem *lib.* 7. *Æneid.* vbi copias è Græco milite vndecunque collectas tempestatem appellat, & diluuium.

Exercitus fluuio ac tempestati comparatus.

Quanta per Idæos sæuis effusa Mycenis
Tempestas ierit campos, quibus actus vterque
Europæ, atque Asiæ fatis concurreret orbis, &c.
Diluuio ex illo tot vasta per æquora vecti
Dis sedem exiguam patriis, littúsque rogamus.

25. Vt autem fluuius opposita mole cohibetur, ne excedat ex alueo, & circumiectos agros oblimet, & sternat; sic exercitus, quem fluuio alluuionibus aucto, ac rapido similem esse diximus, oppositis mœnibus, quasi obiecta mole cohibetur, ne in ciuitatem influat, & quæ murorum complexu claudebantur, latè disturbet. Hac sanè similitudine vsus est Virgilius *lib.* 2. *Æneidos*, cùm Græcorum impetum, & ciuitatis ruinam expressit, quam intulerunt, vbi primùm apertis mœnibus liberum in ciuitatem ingressum nacti sunt: sed maxime vbi aditum sibi in regiam Priami domum aperuerunt.

Fit via vi, rumpunt aditus, primósque trucidant
Immissi Danai, & latè loca milite complent.
Non sic aggeribus ruptis cùm spumeus amnis
Exiit, oppositásque euicit gurgite moles,
Fertur in arua furens cumulo, campósque per omnes
Cum stabulis armenta trahit.

Diuisiones igitur murorum, quas fecerunt catapultæ, & arietes, aut aliud quoduis murale tormentum, portæ dicuntur fluuiorum: quia per illas Chaldæi, quasi erumpentes fluuij, in vrbem populabundi sunt ingressi. Hæc explicatio mihi omnium videtur expedita maximè: in aliis multa aut fingenda sunt, aut supplenda; alia non parum à litera contorta.

Alij hæc propriè accipiunt, & citra vllam figuratæ locutionis speciem: quasi reuerà exundantes fluuij ciuitatem oppleuerint, demerserintque. 26.
Id spectasse, ac omninò statuisse videntur illi, quorum *prolegom.* 4. meminimus, qui dicunt aquarum inundatione vrbem esse demersam, quæ ex solitudine erumpentes, ex occulta aliqua abysso in ciuitatem influxere. Illi verò hiatus, per quos se foras extulit, qui latebat intra terræ viscera, aquarum gurges, appellari possunt fluuiorum portæ, quas Hispani fluuiorum oculos appellant. Sic sanè vocat illas terræ voragines, per quas Anas, qui per occultos terræ meatus subterfluebat, foras prorumpit. Huic cogitationi fauent plurimùm profana monumenta, quæ quo tempore ab hoste oppugnabatur Niniue, excreuisse dicunt fluuium, & deiecisse muros, per quos aditus hosti ab interiori patuit. Ita sanè Diodores Siculus libro 3. *Erat* (inquit) *responsum progenitoribus datum, nunquam Ninum capi posse, nisi cùm fluuius Ninæ hostis fieret*, &c. *Cùm duobus annis obsidio perseuerasset per summum otium obsessorum, tertio continuis imbribus excrescens supra modum fluuius, cùm partem vrbis inundasset, muros deiecit ad stadia viginti*, &c. *Hostes per eam, quæ ab oraculo prædicta erat, muri partem, vrbem ingressi*, &c.

Niniue quando capta.

Alij portas fluminum vocari putant, quia per 27.
ciuitatis portas innumera ingrediebatur, egrediebatúrque hominum multitudo. In aquis verò ingentes exprimi populorum turbas non est obscurum. Ita cum Hieronymo sentiunt frequentes alij. Alij portas fluuiorum illas esse dicunt, quæ spectant ad fluuium, qui muros alluit ciuitatis. Ita Dionysius, Vatablus, Isidorus & ex Hebræorum magistris aliqui. Ego ex tot sententiis primam opinor esse magis solutam: neque secunda displicet, cui suffragatur vltima, quæ per portas quæ deducunt ad fluuium captam esse dicit ciuitatem. Nam si ab exundante flumine diruta sunt mœnia, illa vtrique diruta videntur, quæ propiùs spectat fluuius, aut etiam alluit.

Et templum ad solum dirutum.] Sicut Hierosolymæ templum præcipuum erat non solùm ornamentum, & sacrarium, sed etiam munimentum ciuitatis: sic etiam verisimile in vrbe omnium antiquissima, & maxima fuisse templum, quod illam non solùm ornaret, sed etiam muniret. Quod ideo fit magis verisimile, quòd ciuitas illa prima fuit, quæ idololatriæ studuit, & fuit idolorum illustris officina. Vt ergo Babylone templum fuit arte, ac mole conspicuum, in quo thesauri condebantur ingentes, & omnino supra fidem in honorem Baal, vt latè nos ad illud Isaiæ cap. 45. *Et dabo tibi thesauros absconditos.* (vide Diodorum Siculum lib. 3. cap. 4.) ita etiam non est incredibile templum aliquod constructum esse Niniue multorum imperatorum impensis, vbi præcipuum Assyriorum numen coleretur. Videtur autem primus inter Assyrios deos fuisse Nesroch, ad cuius aram à suis filiis occisus fuit 28.

Templum Babylone, & Niniue insculentum.

Senacherib, vt habes *lib. 4. Reg. cap.* 19. Alij vocem היכל *becal*, pro qua vulgatus reddidit *templum*, palatium esse putant, aut regiam domum, quam ἀπὸ τοῦ βασιλέως, basilicam appellant, id est, regiam: quæ vox ad templa etiam iam pridem translata est. Regia porrò domus magnum esse solet vrbium propugnaculum. Sed quoniam templum frequentiùs valet, quod neque minùs forte, neque minus instructum esse solet, non est cur à vulgati translatione, & magis propria Hebraicæ vocis significatione recedamus.

29. Vers. 7. *Et miles captiuus abductus est, & ancillæ eius minabantur.*] Hebræi hîc multa dicunt, quæ licèt aliquibus ex nostris non displiceant, ego non admodum curo; tum quia aliquantulum dura, tum etiam quia à vulgata translatione aliena, à qua me religio, ac pietas recedere non sinit. Vbi capta fuit ciuitas, milites inde abducti in alienum solum captiui migrarunt, quod etiam accidit ancillis, quas victores Chaldæi non aliter agebant, quàm pastor gregem mutum, & obsequentem. Est autem *minor* vox è rure, ac pascuis petita: pastor enim *minari* dicitur gregem, aut etiam *minare* in actiua voce, & hoc in Scriptura frequentius, & hoc vsu, ac sensu sumitur hoc loco; neque enim tam ancillæ agunt alios, quàm aguntur ab aliis.

30. De captiuo milite non est res admodum difficilis, cùm id fieri plerumque soleat. De ancillis res videtur magis impedita, maximè quia non apparet, quò illud *eius* referri debeat. Ego tam milites, quàm ancillas templo custodiendo, aut ornando, aut curando destinatos esse arbitrabar, cuius proximè nomen antecesserat. Quasi dicat Propheta euertendum esse templũ, & omnia, quæ ad ipsius custodiam, & ministerium pertinent fore siue perdenda, siue dissipanda. Esse porrò tanti, támque opulenti templi militum custodiam, res videtur valde consentanea, cùm tam splendida supellex aliter non videretur tuta à latronum manu, quibus nihil est tam religiosum, & clausum, ad quod non aspiret illorum auaritia. Sanè Solymitanum templum ad sui custodiam habuisse militum cohortem Romanorum tẽpore, pluribus ostendimus in nostris Commentariis super Acta Apostolorum ad illud cap. 4. *& magistratus templi*, vbi Græcè pro magistratu est στρατηγὸς, quæ vox est militaris.

In templis militum custodia.

31. Quod verò in templis religiosæ quædam fœminæ sint, quæ sacra curent, illorúmque munditiæ studeant, aliorum templorum exempla docent: quæ quia illi curæ perpetuò alligari solent, ancillæ vocantur. Sic Erycinæ Veneris templo dicatas esse fœminas, quæ Venereæ dicuntur, docet Cicero in diuinatione contra Verrem, vbi Agonidem quandam addictam esse tradit Erycinæ Veneri. Quomodo apud Babylonios fœminæ versarentur ac degerent, ibíque obscœno ministerio impurum Veneris numen ritè colerent, prodit Herodotus in Clio. In templo sacrísque Priapi dari aliquam operam à fœminis nefario ministerio consecratis, habemus ex sacris literis, *lib. 3. Reg. cap. 15. v.* 13. vbi mater regis Assam Priapi sacris præfuisse dicitur. Certè in Solymitano templo esse mulieres templo dedicatas, quæque ancillæ illius appellari potuerint, docemur *Exod. cap.* 37. *v.* 8. vbi labrum æneum conflatum esse scribitur ex speculis mulierum, quæ excubabant ad ostium tabernaculi. & 1. *Reg.* 2. *v.* 22. mulieres ad ostium tabernaculi obseruasse dicuntur: neque enim credibile est in templo defuisse, quod Moysis tempore in tabernaculo visebatur. Sanè fuisse virgines in templo conclusas, communis est opinio ex illo 2. Machab. 3. n. 19. *Virgines, quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam.* Ex his mihi valde fit probabile, ancillas hasce esse consecratas templo, quod à Chaldæis dicitur esse excisum funditùs: de illis enim loquitur, quæ quasi aliquid sacrum, & templi pars quædam esset non ignobilis. Alioqui quid magnum dixisset Propheta, si captæ essent ancillæ, nisi quæ ancillæ vocantur, magno essent in loco apud Assyrios, vtpote religiosæ; quales fortassè fuerunt apud Romanos Virgines Vestales, aut in Salomonis templo virgines, quarum erat sacerdotibus commissa cura, è quarum numero fuisse existimatur Maria virgo, quæ inde ad Ioseph nuptias assumpta fuit.

In templis consecratæ fœminæ

Hæc mihi non displicebant: sed quominùs hæc 32.
omninò probem, facit tum quia aliò interpretes frequentes abeunt; tum quia affixum *eius*, fœminei generis est, & ideo referri non potest ad היכל *echol*, quod est templum, & est generis masculini. Quare ancillæ, aut vrbes sunt minores, quas suo sibi imperio subiecit Niniue, vt putant cum Hieronymo Theodoretus, Theophylactus, & alij: aut certè fœminæ delicatæ, ac nobiles, iam tamen ad ancillarem statum deuolutæ, quæ secum tacitæ tantam fortunæ mutationem deplorant: quod item Hieronymus opinatur cum aliis.

Gementes vt columbæ, murmurantes in cordibus suis.] 33.
Qui in magno sunt metu, & sub barbaro dominatu, etiam in dolore summo, & grauibus affecti iniuriis hiscere non audent, vt pluribus ostendimus ad illud Ezech. 24. *Coronas habebitis in capitibus vestris.* & ad illud Thren. 1. *Plorans plorauit in nocte.* Quare gemunt taciti, non vlulant: quales sunt columbarum gemitus, qui vix ab illis, qui proximè astant, audiuntur.

Vers. 8. *Et Niniue quasi piscina aquarum, aquæ* 34.
eius.] Hæc valde faciunt verisimile, quod quidam existimabant ab aquarum inundatione oppletam esse Niniuem, atque summersam. In quo quædã apparet species quinque ciuitatum, quas mare mortuum sic operuit, vt illarum sedes quondam amœnitatis eximiæ piscina quædam sit stagnantis aquæ. Et facit ad hanc cogitationem, quod aquæ Niniueæ, nempe fluuiales, & fluentes (alluit enim fluuius Tigri ciuitatem illam) quasi piscina fuisse dicuntur: quod tunc accidit, quando aquæ, quæ excesserunt ex alueo, eodem refluere non possunt, atque ideo in depressis, atque impeditis locis subsederunt. Impeditam verò fuisse, vbi ædificata Niniue, nemo dubitabit, cùm prælatę domus, & diruta mœnia quasi aggeres fuerint, quæ conclusas, & restagnantes aquas relabi non sinant.

Nihilominus explicatio, quam priori loco su- 35.
prà magis placere nobis dicebamus, adhuc etiam placet, & probatur magis, quòd in aquis, atque diluuio Chaldæorum exprimatur exercitus, qui murorum oppositu, quasi fluuius obiecta mole, retardabatur: seruata verò metaphora, piscina dicitur Niniue. Qui priùs contra ciuitatem illam tãquam rapidum flumen incitato cursu ferebantur, vbi subacta ciuitas est, in illius sede tanquam stagnantes aquæ consederunt. Aut certè hoc dicendi modo execrabilis dicitur, & odiosa, quæ priùs habebatur speciosa ciuitas. Erant aquæ Niniues dulces atque crystallinæ, à quibus ciuitas illa mille habuit priùs commoditates,

Digitized by Google

tates,& nonnullum nomen: ſed illæ delitiæ,quas præbebat quotidie familiare flumen, verſæ ſunt in piſcinam, cuius aquæ graues ſunt, & fœtidæ; & qui ex illa efflatur,intolerabilis anhelitus: adeò vt piſcinæ fœtor prouerbij ſpeciem obtinuerit. Sic Martialis lib. 4. epigr. 4. in Baſſam graueolentem.

Quod ſicca redolet palus lacuna,
Nudarum nebula quod Albularum
Piſcina vetus aura quod marina.

Aliquid ſimile dixit Iſaias *cap.* 15. de Moab, cuius aquæ dicuntur Nemrim, id eſt, amaræ: quia cùm dulces eſſent, & ad delicias idoneæ, Moabitarum mores corruperunt. Vide quæ nos in illum Iſaiæ locum diximus. Et clariùs hoc ipſum ſignificauit Ieremias cap. 48. *Aquæ Nemrim peſſimæ erant.*

36. Porrò *Niniue* nominatiuus eſt abſolutus, qui apud Hebræos infrequens non eſt, vt à nobis ſæpiùs obſeruatum. Collocari autem debet in caſu relatiui pronominis, quod iuxta Hebraici ſermonis idioma interdum adhibetur ornatus tantùm gratia, in hunc modum. *Et aquæ Niniue quaſi piſcina aquarum.*

37. *Ipſi verò fugerunt.*] Fœminæ, quæ propter tardum, & impeditum inceſſum effugere non potuere velocem Chaldæorum impetum, captæ ſunt; ſiue illæ profanæ ſunt, quarum infinitus videtur eſſe numerus; ſiue ſacris addictæ miniſteriis, quarum etſi minor numerus, maior tamen propter religioſi inſtituti venerationem erat authoritas. Alij verò quia minus erant ad fugam impediti, cùm viderent maius ab hoſte inſtare periculum, quàm vt poſſent declinare, à fuga ſuæ ſaluti quærendum eſſe ſubſidium putauerunt: quod fecerunt vſque adeò timidè, & ea ex pauore celeritate concepta, vt nullo modo ad ſtationem reuocari, aut à fugiendo retardari potuerint. Et ideo ad illorum metum, ac deſperationem commodè ſubiicitur.

38. *State, ſtate, & non eſt qui reuertetur.*] Hæc mimeſis eſt, qua Propheta indicat, quàm omnes contra bellicæ diſciplinæ religionem, ac legem ſe in fugam dederint infidam, & ignobilem. Hæc porrò verba ſunt imperatoris, ac ducum, qui continere in fide atque in officio audent, quos ſacramento adegerant militari; reuocantes credo in memoriam, quid patriæ debeant, quid iuramento, quod ad præſtandam patriæ, atque imperatori fidem interpoſuerant. Atque ideo clamant: ſtate, ſtate, id eſt, ſtationem veſtræ commiſſam fidei, atque cuſtodiæ tenete. Sed is erat pugnantium ardor, & tanta ad repugnandum infirmitas, vt nemo potuerit aut animum, quem iam deſponderat, recipere; aut quid vis, & religio poſceret, conſiderare.

39. Verſ. 9. *Diripite argentum, diripite aurum, & non eſt finis diuitiarum ex omnibus vaſis deſiderabilibus.*] Hæc itē per mimeſim ad Babylonios, quos hortatur, vt vacuam à propugnatoribus ingrediantur ciuitatem, & opimam inde referant prædam, quæ tanta eſt vt nulla hominum auaritia exhaurire queat. Vaſa deſiderabilia ſunt inſtrumenta omnia, quæ ad vſum, ſiue ornamenta, tam ædium profanarum, quàm templorum comparata ſunt. Eſt autem in ciuitate lauta, in qua homines ſunt opulenti, ac molles, pretioſa ſupellex, in qua ſpectari ſolet quidquid ſplendoris eſt, ac pretij. Vaſis porrò vocabulo non ſolùm illa intelliguntur inſtrumenta, quæ quia aliquid cauum habent, & capax, à Latinis propriè dicuntur va-

Vas omne inſtrumentum ſignificat.

A ſa; qualia ſunt ſcyphi, lebetes, & phialæ: ſed etiam inſtrumenta alia, cuiuſcunque ſint generis; vt gladij, ſagittæ, arcus, lyræ, libri, & denique quæcunque cuiuſuis generis inſtrumenta, quæ nullo modo Latinus vaſis nomine vocaret. In huiuſmodi igitur vaſis immenſi erant repoſiti theſauri, ad quorum prædam Chaldæorum incitatur exercitus. Sed vocari etiam poſſunt vaſa arculæ, fiſci, & quæcumque aliæ theſaurorum cuſtodiæ.

Verſ. 10. *Diſſipata eſt, & ſciſſa, & dilacerata, & contabeſcens, & diſſolutio geniculorum.*] Oſtendit cur Babylonij ad prædam aduolare poſſint: quia nihil eſt in vrbe iam dilacerata, & ſciſſa, quia aperti ſunt muri, & diſiecta moles, quod militum ingreſſum, atque impetum retardare poſſit. Tum præterea, quia qui fuga ex vrbe non exceſſerant, animo erant timido, ac languido, ita vt cor extabuiſſe videretur, & vires ita fractæ, vt diſſoluta, & labefactata genua corporis molem ſuſtinere non valeant. Hæc aperta ſunt. *Diſſolutio geniculorum.* Familiaris eſt loquendi modus, & quaſi prouerbialis apud Hebræos, quo ſignificant aliquem ſic eſſe affectum, vt neque ſe commouere, imò neque pedibus niti poſſit, quem vires iam, imò ſpiritus ipſe deſeruit. Iſaias cap. 35. *Confortate manus diſſolutas, & genua debilia roborate.* Iob cap. 4. *& genua trementia confortaſti.* Pſal. 108. *Genua mea infirmata ſunt à ieiunio.* Neque hic dicēdi modus alienus eſt à profanis. Sanè hoc Homerus frequenter vtitur, cui ad ſignificandum animi languorem, & deficientem ſpiritum familiare eſt λύσε γύνατα, id eſt, *genua ſoluere.* A quo ſumpſit Virgil. lib. 5. Æneid. de Entello, 40.

Genua infirma, aut genua confirmari, quid.

——Sed tarda trementi
Genua labant, vaſtos quatit æger anhelitus artus.

Et lib. 12. de Turno,

Genua labant, gladius concreuit frigore ſanguis.

Ouid. lib. 10. Met. de Myrrha,

——At illi
Poplite ſuccidua genua intremuere.

Cor item tabeſcere in affectu ſimili frequens apud Hebræos. Ioſue 7. *Pertimuit cor populi, & ad inſtar aquæ liquefactum eſt.* 2. Reg. 17. *Et fortiſſimus quiſque, cuius cor eſt quaſi leonis, pauore ſoluetur.* Iſaiæ 13. *Omnes manus diſſoluentur, & omne cor hominis contabeſcet.*

Cor ſolui, aut tabeſcere, quid.

Et defectio in cunctis renibus.] In lumbis, & renibus vigor eſt; aut in illis certè animi vigor, & corporis conſtantia, & robur oſtenditur. Vnde qui languido eſt corpore, neque ſeſe ad magnam contentionem, & nixum poteſt erigere, elumbis dicitur, aut delumbatus: & qui ad arduum aliquod opus excitatur, corrobare iubetur, aut confortare lumbos. Et quia in ſenibus virilis deficit vigor, atque conſtantia, demiſſo incedunt, & incuruo corpore. Quod quidam ſignificari putant in illo Eccl. 12. *Antequam rumpatur funiculus argēteus.* Ego hunc locum aliter accipio, & puto in lumborum, ſeu renum defectione grauiſſimum ſignificari dolorem, qualis eſt parturientium, qui prouerbiali forma pro maximo vſurpatur. Vnde ſæpe auditur confractio, aut contritio lumborum, aut renum. In quo duo ſignificari, aut indicari ſuſpicor: alterum eſt, dolorem eſſe grauiſſimum, qualis fœminis in difficili puerperio contingit: alterum, dolorem hunc, aut languorem aliquid olere mollius, atque muliebre, cùm dolor iſte non niſi fœminis in partu contingat. Hanc mihi ſententiam offert, ac penè perſuadet Ieremias *cap.* 30. *v.* 6. vbi duo coniungit, 41.

Dolor parturientis, grauis, & fœmineus.

quæ

quæ hoc loco Nahum; nempe lumborum contritionem, & dolorem; & facies in ollæ nigredinem, aut quod idem est, aut certè non admodum diuersum, in auruginem versas. *Interrogate* (inquit) *& videte, si generat masculus; quare ergo vidi omnis viri manum super lumbum suum, quasi parturientis, & conuersæ sunt facies in auruginem.* Videtur autem Ieremias hîc spectasse verba Nahum; si tamen quod est valde probabile, Ieremias fuit in prophetando posterior.

42. Alia mihi occurrebat huius loci sententia, quæ nisi meipsum fallo sua probabilitate non caret. Putabam nil fortasse significari hîc à Propheta, quàm quod in affectu, atque statu simili dixit Ezechiel cap. 7. v. 17. *Omnes manus dissoluentur, & omnia genua fluent aquis.* Illa iterum referre non libet, tu inde pete.

43. *Et facies omnes sicut nigredo ollæ.*] Hunc locum satis opinor explicuimus super caput 2. Ioel. v. 6. ad illud, *Omnes vultus redigentur in ollam.* & ad illud Isaiæ cap. 13. v. 8. *Facies combusta vultus eorum.* Neque est quod præterea addi videatur esse necessarium.

44. Vers. 11. *Vbi est habitaculum leonum, & pascua catulorũ leonum.*] Insultat iam Niniuæ à Babyloniis captæ, & spoliatæ thesauris, quos tot iam sæculis ex vicinis regionibus in illud quasi commune totius mundi ærarium incredibili auiditate congessit. Appellat autem ciuitatem illam regiam cubile leonum, in quam Assyrij principes vndecunque terrarum quasi leones comportabant prædam, qua suos catulos abundanter alerent. Optima verò translatione Assyrij principes appellantur leones; tum quia fortes sunt, & ad nullius pauent occursum; tum etiam quia ad prædam inhiant, & aliorum animalium carnibus suam sibi famem, aut suam sibi rabiem, & furorem exsaturant. Sic reges, qui suum tyrannicè exercent imperium, leones appellantur: vt de quibusdam regibus Iuda, quibus alia omnia magis fuere cordi, quàm religio, sub eadem metaphora loquitur Ezechiel *cap. 19.* Leunculorum porrò pascua dicitur Niniue, quia filij satis ibi paratum habuerunt ex parentum præda, quo vescerentur. De mystico sensu leonum, leunculorum, & eorum cubilium, pascuorúmque satis copiosè, ac grauiter Gregor. *lib. 5. Moral. cap. 15.* ad illud Iob, *Rugitus leonis, & vox leænæ,* qui hunc locum Nahum morali sensu tractat homil. 18. super Ezech. *An* (inquit) *duces, ac principes leones non erant, qui per diuersas mundi prouincias discurrentes prædam sæuiendo, & interficiendo rapiebant? Hic leonum catuli inueniebant pascua, quia pueri, adolescentes, iuuenes, sæculares, & sæcularium filij huc vndique concurrebant, cùm proficere in hoc mundo voluissent.*

45. Est autem hæc species quædam irrisionis, qua subsannat Propheta antiquam Assyriorum superbiam, quam abiectam videt; & opum abundantiam iam aliò translatam, quam diripuerunt hostes victores: quæ tanta fuit, vt filiis, vxoribus, pellicibus, & gnathonum, ac helluonum, inutili multitudine largissimè suppeteret. Huiusmodi irrisionum varia in Scriptura sacra occurrunt exempla. Tale est illud Isaiæ cap. 14. de rege Babylonis, *Quomodo cecidisti Lucifer, qui manè oriebaris,* &c. & Deut. 32. *Vbi sunt dij eorum, in quibus habebant fiduciam.* & mille alia.

46. *Ad quam iuit leo, vt ingrederetur illuc, catulus leonis, & non est, qui exterreat.*] Incertum est quisnam sit iste leo, catulúsque leonis, qui pascua ingreditur, neque alicuius timet vires, & occursum. Plerique cum Hieronymo existimant esse Nabuchodonosor, qui ingressus est Assyrij leonis latibula, id est, loca, vbi præda tot aucta direptionibus seruabatur: quem Assyria potentia non exterruit, aut ab expugnatione, atque rapina remorata est. Et hoc est mihi valde probabile. Sed neque displicet, quod visum est Riberæ, cui subscribit Castrus, qui hic quoque de prædatore Assyrio sermonem esse censet, quasi ad vrbem illam regiam, quasi ad cubile suum ierit leo, & eius catuli, vbi ad satietatem vsque fruantur præda, quam ex alienis syluis, & gregibus eò comportarunt. Quod ideo mihi fit verisimile, quia non aptè comminatio succederet, quæ cœpit à vers. 13. nisi proximè antecessisset vis, furor, & culpa illorum, quibus illæ proponuntur minæ; cùm eo præsertim intendantur modo, qui proximè peccatorum commemorationem consequitur. Illud enim, *Ecce ego ad te,* nunquam quod ego viderim, adhibetur in minis, nisi post aliorum commemorata flagitia, aut vbi proximè antecessit nomen eius, cui mala denunciantur, vt facile probat exemplorum inductio. Vnus Ezechiel non pauca nobis suppeditabit exempla. cap. 26. v. 3. *Ego ego super te Tyre.* & cap. 28. v. 22. *Ecce ego ad te Sidon.* cap. 29. v. 3. *Ecce ego ad te Pharao rex Ægypti.* & statim iterum Nahum cap. 3. v. 5. At si ab hoc loco vsque ad comminationem, id est, à versu 11. vsque ad 13. sermo esset de Chaldæorum rege, nimis adueniret sera comminatio contra leonem Assyrium, qui tam se, catulósque suos alieno sanguine sitienter expleuerat. In hanc ego sententiam magis inclino, & ad illa, quæ proximè consequuntur, accommodo.

Vers. 12. *Leo cepit sufficienter catulis suis, & necauit leænis suis, & impleuit præda speluncas suas.*] Hæc, vt dixi, de Assyriorum rege interpretor, qui catulis suis, id est, liberis; & leænis, id est, vxoribus, & concubinis prædas rapuit, & obtulit opimas, quas ingentes esse oportuit, quandoquidem plurimæ Assyriorum regibus fuerunt vxores, & pellices, & consequens est, ex tanta vxorum, ac pellicum colluuie magnam futuram esse filiorum syluam. Quantos verò sumptus Assyrij in vxorem regio luxu, atque ornamento fecerint, docet ex profanis Cicero *actione 5. in Verrem,* vbi tradit Persarum reges, ac Syrorum immanos sumptus in vxorem ambitioso cultu. *Solere,* inquit, *Barbaros reges Persarum, ac Syrorum plures vxores habere; iis autem vxoribus ciuitates attribuere hoc modo. Hæc ciuitas mulieri in redimiculum præbeat, hæc in collum, hæc in crines. Ita populos habent vniuersos non solùm conscios libidinis suæ, verumetiam administros.* In Syria verò Assyria continetur, vbi Niniue; & Chaldæa, vbi Babylon. Quod esse in vsu ad extremum vsque imperij tempus tam Assyrij, quàm Persici indicat *lib. 2. Machab. cap. 4. v. 30.* vbi Antiochus Syriæ rex duas nobilissimas Ciliciæ ciuitates dono dedisse traditur suæ concubinæ. Quòd si eiusmodi sumptus in vxorem luxu fecit Assyrius iste, quem seuera reprehensio pungit, facilè intelligitur quàm opimas prædas facturus fuerit in ciuitatibus alienis, aut è suis extorserit, ne quid deesset tot vxorum ambitiosæ elegantiæ. 47.

Sumptus regũ ingentes in vxorum cultu.

Vers. 13. *Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum.*] Hæc iam nobis explicata proximè. Illud *te* generis est fœminei, & ideo ad Niniuem refertur: sed quia rex ciuitatis sustinet personam, hæc quoque pertinent ad regem. Rex ille barbarus, & potens verebatur neminem, quia nemo erat, qui se 48.

Digitized by Google

se illius præferoci ingenio, & viribus opponeret. Cui Deus ait, non iam ampliùs cum hominibus, qui facilè cedunt furori regio, quique malunt fortunarum, quàm vitæ sustinere iacturam, futurum esse congressum; sed secum agendum, cui promptum est regios spiritus, & potentiam deprimere: illud enim aut dicit, aut indicat, *Ecce ego ad te.* & confirmat quod additur, *Dominus exercituum,* quod docet Deum esse potentissimum, in cuius potestate sunt exercitus, qui ipsius imperio subditi sunt; neque ipso aduersante quidquam posse, aut ipso propitio illis quicquam esse superatu difficile.

49. *Et succendam vsque ad fumum quadrigas tuas.*]Hyperbolicus videtur dicendi modus, quo significatur nihil ex Assyriorum potentia instructúque militari futurum esse reliqui. Prouerbiali hyperbole, quod leue est, ac futile, somnium, ac fumum appellamus; quia vtrunque momento temporis sic euanescit, vt nullum sui relinquat vestigium. Talia Deus minatur Assyriorum quadrigis, in quibus per synecdochem omnis intelligitur castrorum apparatus. Est autem, vt dixi, hyperbolicus sermo: neque quadrigæ, quantumcumque comburantur ab igne, in fumos abeunt: sed vbi summas experiuntur incendij vires, rediguntur in fauillam, & cineres.

50. *Et leunculos tuos comedet gladius.*] Leunculi dicuntur aut ciues, si sermo sit ad Niniuem: aut regis, & procerum filij, qui rem administrabant Assyriam, & ciuitatis nomen sustinebant. Hi

A igitur ferro dicuntur perituri, quos paterna indulgentia ex aliena præda tam delicate, ac molliter aluerat.

Et exterminabo de terra prædam tuam.] Terra hîc pro Assyria ponitur, & Niniue prima Assyriorum sede, vbi præda asseruabatur, quam vndecunque terrarum, Assyriorum vis, & auaritia conuexerant. 51.

Et non audietur vltrà vox nuntiorum tuorum.]Hæc videntur spectare regem Senacherib, qui sub hæc tempora aut grassabatur prædabundus per Iudæam, aut nudatus exercitu, & militari gloria ab Angelo vindice, in Niniuem indecorè, & Deo, hominibúsque odiosus reuersus fuerat. Ille cùm exercitum appulisset Hierosolymæ, nuntios misit, qui regio nomine Ezechiæ regi, imò & Deo ipsi aliquid obiicerent indecorum (de quo Isaiæ B *cap.* 37.) dum dicunt maiores esse Assyriorum vires, quàm vt ab Hebræorum Deo sustineri possint. Cui eo loco respondit Isaias v. 23. *Cui exprobrasti, & quem blasphemasti, & super quem exaltasti vocem, & leuasti altitudinem oculorum tuorum? Ad sanctum Israel. In manu seruorum tuorum exprobrasti Domino.* Ait igitur Deus non ampliùs audiendas voces inflatæ plenas insipientiæ; quales per Rabsacem sui arrogantissimi spiritus nuntium effutiit: quia non iam aut erit in viuis, aut quia sic concisus cæde miserabili, ac turpi, vt si sapiat, rectè possit agnoscere quàm sit infirmus, & deinceps contra Deum mutire nihil audeat aut possit. 52.

IN CAPVT TERTIVM

ARGVMENTVM.

RVINAM grauem, & turpem Assyriorum denunciat, & quæ fuerint huius faces incendij edocet. Illæ videlicet, quæ tam huic, quàm ciuitatibus aliis exitium attulerunt, turpitudo, violentia, fraus, quæ tunc reuelanda fore affirmat, cùm fucatæ honestatis speciem, seu laruam à facie verè meretricia remouerit. Facilè autem euerti posse Niniuem probat, quia Alexandria, quæ magis erat ad resistendum instructa, ab eodem hoste, cuius ipsa viribus corruit, euersa est. Deinde quod reliquum est capitis, in describenda Niniues calamitate, atque ignominia consumitur.

CAPVT III.

1. *VAE ciuitas sanguinum, vniuersa mendacij dilaceratione plena: non recedet à te rapina.*

PARAPHRASIS.

C 1. VÆ tibi, ô Niniue, ciuitas, quæ non solùm ferro, sed etiam fallaci, ac fraudulento iudicio (quod nihilo mitius quàm ferrum pungit, & perimit) sinus tuos sanguine, & membrorum laceratione complesti: neque eo es ingenio, aut iis instituta moribus, vt vnquam à calumnia, aut rapina desistas.

2. *Vox flagelli, & vox impetus rotæ, & equi frementis, & quadrigæ feruentis, & equitis ascendentis:*

2. Audire iam videor flagelli sonitum, quo aurigæ Babylonij quadrigarum equos moderantur: rotarum, quæ incredibili celeritate voluuntur, horribilem strepitum, equorum fremitum, & ardentium quadrigarum fragorem, & illorum, qui in illas ascenderunt, minaces sonitus, & bellicum celeuma.

3. *Et micantis gladij, & fulgurantis hastæ, &*

3. Iamiam oculis meis splendentis, atque

& multitudinis interfectæ, & grauis ruina: nec est finis cadauerum, & corruent in corporibus suis.

A que micantis gladij fulgor, & hastæ fulgurantis ignis, & ex vtriusque collisione sonitus auribus obiicitur, morientium etiam clamor, & gemitus, & à ruente domo fragor auditur. Cadauerum porrò infinitus est numerus, in quæ quia Chaldæi propugnatores impingent, magno erunt ad bellicos vsus contribulibus suis impedimento.

4. Propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ, & gratæ, & habentis maleficia, quæ vendidit gentes in fornicationibus suis, & familias in maleficiis suis.

4. Hanc verò ruinam magno suo merito patietur Niniue, quia fucatâ beneuolentiæ, ac religionis species plurimos ad se populos fallaci blandimento pertraxit. Ad
B quæ venefica meretrix quasi amoris conciliandi philtra magicas illecebras adiunxit, quibus gentibus, ac tribubus non solùm libertatem, & alia naturæ commoda, sed etiam mentis facultatem ademit.

5. Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, & reuelabo pudenda tua in facie tua, & ostendam Gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.

5. Et nunc, ô Niniue, futura tibi mecum concertatio est. Deformitatem tuam, & ignominiam artificiosè celabas, eâque ratione honesta videbaris, & pulcra. Nunc autem efficiam, vt & tute ipsa, quæ tibi futura sunt pudori, ante oculos habeas: & gentes aliæ, ac regna, quæ fallaci pulcritu-
C dinis fuco decepisti, ignominiam tuam vt sordes agnoscant.

6. Et proiiciam super te abominationes, & contumeliis te afficiam, & ponam te in exemplum.

6. Faciam enim vt quæ tibi futura sunt pudori, aliis verò abominationi, & nauseæ, quasi tuarum sordium, ac scelerum documenta manifestè circunferas. Efficiam denique vt in tuo capite ediscant alij, quo sint supplicio digna, qua acerbitate plectenda peccata, quæ tam in te seuerè castigari vident, vt hoc exemplo eiusdem generis errata perhorrescant.

7. Et erit, omnis, qui viderit te, resiliet à te, & dicet: Vastata est Niniue: quis commouebit super te caput? vnde quæram consolatorem tibi?

7. Omnes porrò, qui viderint te tam
D graui ruina fuisse collapsam, ne ex vicino malo aliquid mali contrahant, à te quàm longissimè recedent: & caput ad te in sua fuga sæpe retorquentes dicent: Actum est de te, ô Niniue, ecquis erit, qui moto misericorditer capite tuam consoletur ægritudinem? Vndénam gentium consolatorem aduocabo, cùm nulla sit regio, quam aut dolo, aut bello non offenderis?

8. Nunquid melior es Alexandria populorũ, quæ habitat in fluminibus? aqua in circuitu eius: cuius diuitiæ, mare: aquæ, muri eius.

8. Periit Alexandria Ægypti, quam vndique flumina, paludésque circundant, ad quam per mare tanquam ad commune to-
E tius orbis emporium omnium diuitiarum genus abundanter influit: quàm marinæ, fluuiales, & palustres aquæ pro muris atque aggeribus obiectæ muniméto sunt, hostémque procul abigunt: & te ab eiusmodi casu futuram esse liberam existimabis?

9. AEthiopia, fortitudo eius, & AEgyptus, & non est finis: Aphrica, & Libyes fuerunt in auxilio tuo.

9. Accedebat ad Alexandriæ proprium, ac naturale munimentum, aliarum nationum non vulgare subsidium. Adfuit Æthiopia, adfuit Ægyptus. Quid in commemorandis auxiliaribus copiis moror? si singula persequar, nullum est finem habitura

10. *Sed*

Digitized by Google

A bitura narratio. Vt autem summatim omnia complectar, subsidio tibi fuerunt, ô Alexandria, Africa, & Libyes, in quibus plurimæ continentur prouinciæ.

10. *Sed & ipsa in transmigrationem ducta est in captiuitatẽ: paruuli eius elisi sunt in capite omnium viarum, & super inclytos eius miserunt sortem, & omnes optimates eius confixi sunt in compedibus.*

10. Nihilominus ipsa in alienum solum extorris, & captiua trãslata est: neque ab infantium, ac paruulorum cæde temperatum fuit. Illorum namque corpora allisa saxis, & excerebrata capita ciuitatis compita, & viarum diuortia constrauere. Viri inter Alexãdrinos primates & inclyti variis sortitò dominis addicti sunt: & qui cum magistratu, ac potestate vixerunt, seruilibus alligati B compedibus aliorum seruiunt voluntati.

11. *Et tu ergo inebriaberis, & eris despecta: & tu quæres auxilium ab inimico.*

11. Similia tibi, ô Niniue, accident ab hoste Chaldæo. Sic te mala assiduè, ac sibi cohærentia vexabunt, vt vilis sis apud omnes, & quasi felle, atque absynthio inebriata. Neque habebis vllum cognatum, aut beneuolum, ad quem in illa misera conditione confugias: sed eò te adigent infortunia, vt ab hoste cogaris misericordiam implorare.

12. *Omnes munitiones tuæ sicut ficus cum grossis suis: si concussæ fuerint, cadent in os comedentis.*

12. Omnes munitiones, quas contra inimicorum tormenta comparasti, tam facilè corruent ad hostilẽ appulsum, quàm facilè grossi, vbi maturuerunt, in terram decidunt C vel leuiter arbore concussa. Spolia autem sic venient in Chaldæorum sinus sine vllo prædatorum labore, sicut grossi illi non iam in sinus, sed etiam in os comedentis sponte defluxere.

13. *Ecce populus tuus mulieres in medio tui: inimicis tuis adapertione pandentur portæ terræ tuæ, deuorabit ignis vectes tuos.*

13. Neque id mirum, cùm omne ciuitatis futile sit, & inane præsidiũ. Et quidem quod ad duces, & propugnatores attinet, siue robur in pugnando, siue consilium in deliberando consideres, nihilo infirmo atque imprudenti fœminarum sexu meliores sunt. Quare ad primum Chaldæorum impetum facilè, ac latè ciuitatis portæ, & claustra pandentur, & ignis quæcumque possent esse D impedimento, comburet.

14. *Aquam propter obsidionem hauri tibi, extrue munitiones tuas: intra in lutum, & calca, subigens tene laterem.*

14. Quocirca adhibe quicquid animo, siue arte vales, vt mœnibus addatur firmitas, & si quid est rimosum, ac debile, nouis operibus obstruatur. Hauri aquam, subige lutum, lateres finge, & coque, & si quid est ruinosum, & malè materiatum, confirma.

15. *Ibi comedet te ignis: peribis gladio: deuorabit te vt bruchus: congregare vt bruchus: multiplicare vt locusta.*

15. Sed nihilominus promouebis nihil: quantũ enim cumque moliaris, non tamen gladium, aut incendium auertes. Ad bruchi enim similitudinem hostilis te furor absumet: licèt tantam euoces, aut mercede con- E ducas hostium multitudinem, vt locustarũ, ac bruchorum exsuperent agmina, quæ nubium instar terram opacant, & obumbrant.

16. *Plures fecisti negotiationes tuas quàm stellæ sint cæli: bruchus expansus est, & auolauit.*

16. Negotiatione, ac studio sedulo, atque anxio plures tibi milites aduocasti, quàm in cælis stellæ numerantur. Sed illi milites quos nuper locustis, & bruchis assimilauimus, expansi quidem sunt, & diffusi per plateas, ac mœnia ciuitatis; cùm pri-

A mùm tamen ingruit Chaldæorum exercitus, aliò atque aliò omnes dilapsi sunt.

17. *Custodes tui quasi locustæ: & paruuli tui quasi locustæ locustarum, quæ consident in sepibus in die frigoris: sol ortus est, & auolauerunt, & non est cognitus locus earum vbi fuerint.*

17. Hæc quidem externi negotiatione, seu mercede conducti: neque magis constantes, atque fideles fuere domestici. Tam enim principes, qui locustis, quàm popularis turba, quæ locustarum filiis assimilantur, qui diu sese in vrbe, cùm pacata essent, & secunda tempora, continuerunt, vbi tubarum, atque armorum clamor increpuit, quamprimùm à datis sibi stationibus auolarunt: non secus atque ipsæ locustæ, ac bruchi, qui in arbustis, ac sepibus nocturno, ac frigido tempore consederunt; cùm
B tamen primùm sol exoritur, aliò se statim volando corripiunt, neque in loco, vbi priùs constiterant, inueniuntur ampliùs.

18. *Dormitauerunt pastores tui, rex Assur: sepelientur principes tui: latitauit populus tuus in montibus, & non est qui congreget.*

18. Quos tu, ô rex Assur, quasi pastores gregi præposuisti, cùm excubare maximè debuissent, inerti se otio, ac somno tradiderunt. Ideo cecidere, ac tumulati sunt principes, & qui se à præsenti subduxere periculo, latuerunt in montibus: neque vllus fuit, qui pallantes reuocaret in ordines, & ad nauãdam patriæ militarem operam accenderet.

19. *Non est obscura contritio tua, pessima est plaga tua: omnes qui audierunt auditionem tuam, compresserunt manum super te: quia super quem non transiit malitia tua semper?*

19. Hæc porrò plaga, quæ te omninò
C conteret, atque conficiet, sic erit manifesta, vt neminem lateat; sic grauis, vt neque vllam admittat medicinam; neque vllo possit modo leuari. Omnes illi, quorum aures de tua subita, atque insperata ruina rumor afflauerit, sui animi lætitiam festiuo manuum plausu significabunt. Neque id mirum cuiquam videri debet, cùm nulla gens fuerit, quæ abs te aliquid non sustinuerit ignominiosum, aut durum.

Vers. 1. *Væ ciuitas sanguinum vniuersa mendacij dilaceratione plena, non recedet à te rapina.*]

1. COMMEMORAT summatim Niniue flagitia, quæ tunc maximè in vrbe vigebant, in quibus alia etiam intelliguntur scelera, quæ aut his affinia sunt, aut ab his, nisi admodũ rarò, separari non solent, vt hinc quiuis intelligat, quàm sint non crudeles, aut iniustæ minæ, quæ succedunt illicò. In sanguine crudelitas intelligitur, quæ fecit, vt tam lata ciuitatis spatia tenuium atque innocentium sanguine redundarint: quem effudit crudelitas, & potentia vindictæ appetens, aut insana cupiditas, quæ, quò diuitias, ad quas aspirat, tandem obtineat, omnes adhibet artes, neque à ferro, seu veneno temperat, aut etiam à mendaci testimonio, quo nihilo mitius quàm ferro contribulium suorum non solùm opes, sed etiam corpora dilacerat.

2. Vbi vulgatus, *mendacij laceratione plena*, Hebraicè est כחש פרק מלאה *kachas perek meleah.* quod verti etiam posset, mendacio, ac laceratione plena. Sed vis est eadem, & multo etiam in nostra translatione grauior. Ideo enim ciuitas dicitur

D plena laceratione mendacij, quia mendacium, & calũnia plurimos occidit. Vt enim Achab occiso Naboth, quem priùs falso testimonio lapidibus obiecerat, in illius vineá tanquam vacuam à possessore securus irrupit: sic inter Assyrios fuere nõ pauci, qui falso testimonio, aut iniquo iudicio tanquam gladio confecere quamplurimos, quorum, quasi iusti forẽt possessores, adiere bona. Pro laceratione, vt obseruauit Hieronymus, transtulit Aquila ἐξ αὐχενισμοῦ πλήρης, id est, *excernicatione plena*; quæ vox supplicium indicat capitale, aut mortem. Non qualem vis affert, & furor; sed qualem damnatis imponit lex, atque legitima potestas: hæc enim aut ceruices frangit informi nodo, aut abscisso capite. Symmachus verò μελοκοπίας πλήρης. id est, *plena sectionibus carnium*, & frustis per membra concisis. Vbi vulgatus, *Non recedet à te rapina*, Hieronymus optimus suæ translationis interpres exposuit, *Vbi indesinens præda est.* Quæ explicatio placet omninò: neque rarum est in Scriptura, vt per futurum consuetudo, aut debitum significetur, quod à Latinis communiter per nomina in *bilis* explicari solet,

vt

Digitized by Google

vt *hoc non fiet*, id est, aut non solet, aut non debet fieri: sic etiam *non recedet rapina*, id est, non eo es ingenio, aut iis instituta moribus, ó Niniue, vt vnquam à rapina, aut à calumnia recedas.

3. Vers. 2. *Vox flagelli, & vox impetus rotæ*, &c.] Hæc pulcra quædam hypotyposis exercitus, qui alacri, atque incitato cursu properat ad sumendum de Niniue supplicium, aspirans cædem, & sanguinem, & ad paratam sibi prædam anhelans. Quàm autem sit elegans, aptaque descriptio, explicuit Hieronymus, dum ait se illius splendorem non posse scribendo assequi; & suum omninò sermonem fore vilem, si ad Hebraica Prophetæ verba conferatur. Vocis significatio apud Hebræos latissimè patet, & idem est quod sonus, vndecumque proueniat: quare *tonitru aquarum strepitus*, & similia voces appellantur. Quare iuxta Hebraici nominis proprietatem, vox dicitur sonus, qui auditur à flagello aurigæ, qui Babylonij exercitus quadrigas moderatur: vox rotæ, cum præcipiti celeritate voluitur: vox item hinnitus equorum: quæcunque denique à corporum collisione audiendi sensum tangunt, & mouent. Cætera obscura non sunt. Illud obseruandum, quadrigas, cùm celeri rapiuntur cursu, etiam à prophanis dici feruere, aut ardere. Sic sanè Horatius lib. 1. Ode 1.

Sunt quos curriculo puluerem olympicum
Collegisse iuuat: metaque feruidis
Euitata rotis.

Sic Virgilius lib. 11. Aneid.

Frenaque ferueniésque rotas.

Et Georgic. 3. talem describit quadrigarum celeritatem, qualem hoc loco Propheta, vbi feruorem curribus attribuit, & illa propè omnia, quæ non minùs hîc eleganter audimus à Propheta.

——Illi instant verbere torto,
Et proni dant lora: volat vi feruidus axis,
Iámque humiles, iámque elati sublime videntur
Aera per vacuum ferri, atque assurgere in auras.

Micantes porrò dicuntur gladij, & hastæ fulgurantes: quia, vt diximus *cap. 2. ad vers. 3.* magna cura militibus fuit, vt arma tersa essent, & splendida, quæ à solaribus percussa radiis fulgoris in modum collucerent.

4. *Nec est finis cadauerum, & corruent in corporibus suis.*] Exercitus ille Chaldæorum ea alacritate, atque impetu cum hoste congredietur Assyrio, vt latè vias, atque plateas cadaueribus compleat: ita vt ciuibus expeditè discurrere, ac pugnare non liceat, cùm in ipsa cadauera passim offendant, & corruant; & non solùm ab externis hostibus; sed etiam à domesticis, & cognatis iam occisis vitæ passim periculum incurrant. Hæc quidam de Chaldæis accipiunt, quorum progressum in vrbe iam capta, strata Assyriorum cadauera morabuntur. Sed illud *suis* corporibus adiunctum, huic cogitationi non parum incommodat: qui enim corruebant, in suorum impingebant cadauera: atqui Chaldæorum illa cadauera non erant. Illud *suis* apud Hebræos, & Græcos non multum haberet momenti in sententiam vtramuis, quia apud vtrosque pronomen illud tam est reciprocum, quàm absolutum; apud Latinos tamen haberet plurimum.

5. Vers. 4. *Propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ, & gratæ.*] Mores describit, & ingenium Niniue, qui non alij fuerunt, quàm meretricis, quæ fucata pulcritudine, & blandimentis instructa fallacibus stultos allicit ad se, quorum corrumpit mores, debilitat vires, & opes exhaurit: & vt aliorum dominetur animis, multa promittit, neque tamen illorum præstat, aut curat aliquid. Quod sæpe experti fuerunt reges Iuda, qui cùm auxilium se habere existimarent in Assyriorum fide, in suos fines bellum, & pestem induxerunt: quos Isaias *cap. 7.* conductam nouaculam appellat. Et quidem cùm Ezechias oblatis è templo donis accepta fide summouisse se crederet Senacherib à Iudæa, repentè fide prodita, quam sartam tueri debuisset, infideles acies, & periura signa iterum reuocauit 4. *Reg. cap. 18. v. 14.*

Dicitur præterea Niniue speciosa meretrix 6.
iuxta familiarem Scripturæ metaphoram, quæ idololatriam fornicationis, adulterij, aut scortationis nomine significat. Fuit autem Niniue in eo genere speciosa meretrix, & multis, atque diuturnis nobilitata in venali corpore flagitiis. Ibi enim primam habuit sedem idolorum insania: imò ex quo fundata est, nunquam non fuit idolorum sordibus addicta. Qui enim fundauit Ninus, à quo Niniue nomenclaturam accepit, quæ etiam à prophanis Ninus, ac Nina nominatur, Belo parenti templum, & aram consecrauit, à quo Bel deorum plerisque commune nomen fuit. Fuit autem speciosa, & grata, quia opibus abundabat, & his erat insignita titulis, qui rebus etiam vilissimis, longéque fœdissimis conciliare solent authoritatem, & formam. Quare alliciebat vndecunque terrarum amatores fucata illa specie ad metaphoricum illum congressum: sicut ad verum, & proprium è tota Græcia Laïs euocabat Corinthum. Neque putabant esse turpe nationes aliæ, quod videbant in ampla, atque opulenta ciuitate, quæque iam pridem caput erat imperij, tanto coli studio, tanto esse in pretio, tam effuso, atque communi præconio celebrari. Vnde factum est, vt in illa ciuitate idolorum, atque idololatrarum, id est, meretricantium, spectaretur immensa, atque abominanda colluuies.

Et habentis maleficia.] Non solùm meretrices 7.
formam sibi ascito medicamento conciliant, sed etiam ad hæc magicas adhibent artes, & veneficia, quæ philtra quædam sunt, & ad Veneris furta irritamenta maxima. Hæc autem & olim frequenti fuerunt in vsu, vt docet Virgiliana pharmaceutria, quam expressit ex Theocrito, & exempla varia, quæ apud antiquos passim obuia. Eo artificio capta esse traditur Dido amore Æneæ *lib. 1. Æneid.* & eodem simulat velle se in sui amorem Æneam pellicere, quem videbat alienum. & nostris etiam temporibus sunt, quàm vellemus, vsitata magis: quorum exempla horribilia, ac miseranda audimus quotidie. Vide Martinum del Rio *lib. 3. Magic. disquis. quæst. 3.* Hæc etiam philtra Niniue ad simulatam venustatem adiecit. Veneficia autem voco, quæ homines ad hoc scortationis metaphoricæ genus quasi inuitos, & repugnantes alliciunt: qualia sunt promissa, & dona, quæ corda etiam sapientium conturbant, & excæcant: & terrores, & minæ, quæ homines à mente deducunt, eóque pertrahunt, quod ipsi interdum non oderunt solùm, sed etiam perhorrescunt.

Philtra, & maleficia ad conciliandū amorem vsitata.

Digitized by Google

8. *Quæ vendidit gentes in fornicationibus suis, & familias in maleficiis suis.*] *Vendo* aliquid significat extremum, quod pati solet, qui ab alio bello subactus est: ille enim abductus à sua, aliorum addicitur voluntati. Quomodo verò fornicatio, ac maleficium, alienis gentibus, atque familiis libertatem ademerint, nuper ostendimus. Quibus adde ideo à fornicante Niniue videri gentes esse venditas, quia ad idolorum suorum cultum attraxit: illis verò tam impendebatur dura, ac quotidiana seruitus, qualem nunquam subiret pecunia emptum, ac vile mancipium. Quis enim vnquam seruus quantumcumque sordidus, ac vilis sanguinem suum, & liberos dominorum obsequio consecraret? Atqui hoc à religione barbara coguntur subire miseri, qui se Assyriorum Deorum sacris deuouerunt. Belum esse Assyriorum Deum, & Nini patrem, à quo primùm appellatus est Deus, docent aut veræ, aut fabulosæ antiquorum historiæ. Quòd si hic fuit, qui alibi dicitur Baal, & apud Babylonios Bel, satis constat seruitutem, quæ Belo impenditur, fuisse grauissimam. Nam Baali sacerdotes suiipsorum sanguine litabant, vt constat 3.Reg. cap. 18.vers.28. *Clamabant ergo voce magna* (Sacerdotes Baal) *& incidebant se iuxta ritum suum cultris, & lanceolis, donec perfunderentur sanguine.* De Bel, aliisque Chaldæorum diis, qui eiusdem absque dubio fuere crudelitatis, ac genij, dixit Ieremias cap.16. vers.13. *Eiiciam vos de terra hac in terram, quam ignoratis vos, & patres vestri, & seruietis ibi diis alienis die, ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.* Hic labor, hæc seruitus eorum planè est, in quos summam alij potestatem habent, quasi in sua non mancipia solùm, sed etiam pecora.

Gentiles idolorum suorum vendita mancipia.

Belus deorũ antiquissimus.

9. Aut etiam gentes alio modo vendit, quia ab aliis pecunias redigit, non secus atque si à vendito pecore pecuniam coegisset. Quod meretricium artificium est, quo fœminæ, quæ turpem illum quæstum instituerunt, vsitato sibi, atque fallaci blandimento deceptos exspoliant bonis arbitratu suo, deglubunt, & exhauriunt: & quo earum commodis, atque rationibus seruiant, suam à seipsis miselli libertatem abdicant.

10. Hæc mihi difficilia non sunt, & eo magis huc inclino, quòd cum Hieronymo hoc ipsum sentiunt, aut indicant complures alij. Sed sunt, qui sermonem hic esse putant de ciuitatibus Assyriorum imperio subiectis, quas Niniue dum metaphorico prostibulo dat continentem operam, Chaldæis vendidit, dum illorum seruituti subiecit. Huc propendent Cyrillus, Theophylactus, Vatablus, & Ribera. Quomodo verò Niniue gentes, familiasque vendiderit, explicant Cyrillus, & Theophylactus, qui eadem ratione de fornicatione, ac maleficiis iudicant. Audi Cyrillum. *Solebant* (inquit) *quidam Niniuitarum gentes, & regiones vendere in veneficiis suis. Qua via, & quánam ratione, vt possumus, explanabimus. Assyriis bellum gerere, & aliis arma mouere volentibus mos fuit priùs ex Magorum artibus conari euentum discere. Qui honoribus à rege habendis irrepentes bello quouis superiores, & sua opera, industriaque hostes priùs eneruaturos mentiebantur. Quale quidam Moabitarum rex Balac facere accepit. Balaam quippe sceleratum pretio conducebat, & in mentem adducto dicebat: Agedum execrare mihi Israëlem. Credebant enim Magorum detestationes res ipsas securas. Fornicationem verò hoc loco artem Magicam appellat, per quam eius gnari gentes, & tribus vendebant, dum semper mercedem offerentibus voti compotes fore pollicerentur.* Hæc Cyrillus, & eadem propè Theophylactus.

11. Ego hæc ita probo, vt tamen non improbem cogitationem illam quam primo loco posui: puto enim Niniuem variis tum opibus, tum artibus, ac dolis aliis fuisse frandi, eóque adduxisse, dum nimium se credulos præbent, atque morigeros, vt amissa libertate, vitam agant ærumnosam, & turpem. Vt autem meretrix, quæ speciem habet renidentem, & pulcram, siue illa talis sit à natura, siue ab aliquo artis pigmentariæ lenocinio, potens est ad decipiendos aliorum animos: quòd si ad hæc accedat magicæ artis, ac veneficiorum vis, potentissima; qualis fuisse dicitur in fabulis Circe, atque Medæa. Sic Niniue vt in meretricio quæstu dicatur esse potentissima, non modò dicitur fuisse grata, ac speciosa meretrix, sed etiam venefica: ita vt specie capiat, & alliciat amatores, & veneficiis nolentes, imò neque sentientes pertrahat.

Vers.5. *Ecce ego ad te.*] Hæc à nobis suprà explicata sunt *cap.2.vers.13.* inde pete.

12. *Reuelabo pudẽda tua in facie tua*] Hæc à nobis explicata sunt ad illud Isaiæ 3. vers. 17. *Crinem earum nudabit.* & cap.20. ad illud, *Nudam & discalceatam, discoopertis natibus ad ignominiam.* Vbi diximus hanc apud barbaros dominos ancillas ignominiam subire, vt vestibus magis quàm fœminarum pudor patiatur, decurtatis, ac breuibus, illa pateant curiosis, & petulantibus oculis, quæ maximè deberent esse celata. Hæc fortasse Niniuæ minatur Propheta, quia futurum est, vt quæ domina priùs gentium dicebatur, longis laciniis, & ambitioso syrmate conspicua, ancillarem in modum ad vulgaria, & sordida domus ministeria decurtatis vestibus expedita, ignominiam suam & ipsa cognoscat, & aliis ostendat. Hæc ego satis opinor ad literam, & quæ sequuntur proximè, quæ eodem spectant. Cui sententiæ fauet Septuaginta translatio. Sed alia mihi potior explicatio, quam ideo minùs improbo, quia magis video ad meretricios mores, & ingenium accommodatam. Neque enim meretrici, quæ pudorem aliis vltrò prostituit, neque admodum curat, quæ natura celauit, aliorum oculis esse nudata, valde molestum est talem ignominiam subire, qualem modò descripsimus. Est autem meretrici longe molestum, non quidem indecoram, aut lasciuam censeri; id enim nomen ipsum meretricium aut præsefert, aut prædicat: sed videri deformem, aut sordidam, aut eiusmodi vt magis nauseam moueat, atque fastidium, quàm sui admirationem, aut desiderium. Hoc igitur minatur Deus huic superbæ, ac veneficæ meretrici: eò videlicet iri redactum, vt appareant sordes illæ, atque deformitas, quæ illa tanto studio, atque artificio celauerat.

Ancillarum qualis habitus.

Meretricis studium & vota.

13. Vt splendidæ vestes, & regius cultus in cicatricoso, atque vlceroso corpore saniosas plagas tegunt, & notas interdum seruiles, & si quid est à natura fœdum, atque distortum: sic fucus, & venustatis medicamenta, quæ à Græcis καλλωπίσματα vocantur, multa tegunt in facie naturæ vitia, quales sunt næui, rugæ, pallor. Tunc verò, quam deformem fecit natura, ætas, aut morbus, aut vitæ modus magis austerus, & sordidus, quàm conciliandæ pulcritudinis studium

dium postulabat, sublato fuco deformem agnoscent, qui esse pulcram, & amabilem antè crediderant. Id ergo, vt opinor, significat Deus, dum ait in facie meretricis reuelanda fore pudenda, id est, illa, quæ fœda sunt in facie: quæ valde pudefacerent illam, quæ pulcra videri vult, & amabilis, quæque nullum ex illo instituto meretricio lucrum esset habitura, cùm sublata laruata pulcritudine, vera deformitas arceret potius, & deterreret, quàm alliceret amatorum animos.

14. Hæc mihi simplicissima videtur expositio. Sed addo secundam, literalem fortasse, certè satis ad mores. Magnæ sapientiæ est nosse seipsum. Quæ sententia vsque adeò probata fuit antiquæ Philosophiæ, vt aureis esset descripta literis pro foribus templi Delphici. Quod in infinita hominum multitudine perquam pauci aut assequuntur, aut curant: vsque adeò sibiipsis blandiuntur, aut se videre dissimulant, & negant vitia, quæ vltrò ipsis etiam nolentibus occurrunt. Quare cùm sibiipsis displicere nolint, sua accuratè examinare negligunt, neque quæ ipsis turpia sunt, suis sibi oculis spectanda proponunt. His Deus sic obiiciet apertè, quæ ipsi aut propter mentis stuporem non sentiunt, aut aliis esse occulta omni artificio student, vt non possint non videre. Abiecerant seipsos post tergum, quasi nihil haberent seipsis vilius: Deus autem statuet ante faciem, vt seipsos aliquando intueantur, & horreant. Psal. 41. v. 21. *Arguam te, & statuam contra faciem tuam.*

Neglecta peccatori sui ipsius cognitio.

15. Vbi vulgatus, *Reuelabo pudenda tua in facie tua,* Hebr. est, Reuelabo fimbriam, siue inferiorem partem vestimenti tui super faciem tuam, efficiámque vt laciniis ad faciem vsque indecorè sublatis, nuditas tua aliorum oculis tota pateat. Septuaginta, *Discooperiam posteriora tua super faciem tuam.* Quæ lectio plurimùm fauet explicationi primæ, quam nobis non improbari diximus.

16. *Et ostendam in gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.*] Hæc fermè nuper à nobis explicata sunt. Placet quod secundo loco nobis verisimilius videbatur: agi videlicet de sordibus, & ignominiis, quas venefica hæc meretrix artificiosè tegebat; quæ vbi detracto fuco, in aliorum aspectum venerint, eo loco habebunt simulatam illam pulcritudinem, quo vilissimum scortum, quod Ecclesiastici *cap. 9. vers.* 10. quasi stercus dicitur in via, quod ab omnibus prætereuntibus conculcatur.

17. Capit aliorum oculos, & oculorum quodam quasi nuntio animos fucata meretricis species: quòd si alia omnia spectare posset stultus amator, imò & faciem ipsam detracta larua, illam contemneret, & ad illius sordes, & graueolentiam nausearet. Quare Terentianus Parmeno rectè coniectabat adolescenti quantumcumque lasciuo odiosas futuras esse meretrices, si auerteret oculos ab externa, & plerumque fucata forma, & quæ intus patiuntur, aut faciunt, accuratè dispiceret. Sic autem ille in Eunucho actio. 4. scen. 4.

Meretricis sordes.

——Quomodo adolescentulus
Meretricum ingenia, & mores posset noscere,
Mature vt cum cognouerit, perpetuo oderit.
Quæ dum foris sunt, nihil videtur mundius,
Nec magis compositum quicquam, nec magis elegans,
Quæ cum amatore suo cum cœnant, ligurriunt.
Harum videre ingluuiem, sordes, inopiam,
Quàm inhonestæ solæ sint domi, atque auidæ cibi,
Quo pacto ex iure hesterno panem atrum vorant.
Nosse omnia hæc salus est adolescentulis.

His valde erat similis Niniue, atque ideo non minùs vilis, atque odiosa fuit ciuibus, postquam externum cultum, & laruatæ formæ medicamenta deposuit, quàm ante illam metamorphosim admirationi, ac venerationi fuerat. Cùm igitur Chaldæorum victrices copiæ diuitias, & opes à Niniue meretrice sustulerint, & ornamenta alia, quæ genus, & formam deformi, atque ignobili conditioni conciliant, apparuit gentibus nuditas, & ignominia, quam vestitum illud, & ornatum corpus occultabat. Idem, quod nunc Niniuæ, minatus est Deus Hierosolymæ Ezech. cap. 16. v. 37. *Ecce ego congregabo omnes amatores tuos, quibus commixta es; & omnes, quos dilexisti, cum vniuersis, quos oderas. Et congregabo eos super te vndique, & nudabo ignominiam tuam super eis, & videbunt omnem turpitudinem tuam.* Et statim, *Et denudabunt te vestimentis tuis, & auferent vasa decoris tui, & derelinquent te nudam, plenamque ignominia.* 18.

Vers. 6. *Et proiiciam super te abominationes, & contumeliis te afficiam.*] Abominatio dicitur quicquid execrabile est, siue ad corpus, aut corporis tegumenta pertineat, siue ad animum. Quare si quis in alium sordidum aliquid coniiciat, vt lutum, stercus, & quæ in sterquilinium, aut fimetum abiicimus, ille abominationes in alium proiecisse dicitur. Proiiciuntur etiam animi sordes, atque abominationes, cùm vitiorum notas, & scelerum insignia aliquis circumferre cogitur: quo modo qui fidem abiurauit, perfidiæ signa circumfert aut in infami mitra, aut in amiculo, quod desertæ, aut violatæ religionis documentum est. Sic scorta alicubi, sic Iudæi, sic fugitiui serui suorum secum scelerum gestant insignia. Talia, teste Philone in Flaccum, proiecta sunt in Carabam quendam amentem, & stolidum, qui Agrippæ personam subire iussus est: in quo Agrippa illas sustinuit abominationes, quas illius vita, & malè parta dignitas merebatur. 19.

Scelerum insignia gestari solita.

Huius Ægyptij (ait Philon) *capiti diadema imponunt papyraceum, pro paludamento corpori stoream induunt, pro sceptro frustum arundinis humi sublatum quidam ei dedit in manum.*] Si quæ quasi in scena gesta, in sua persona tulisset Agrippa, in illum dicerentur abominationes esse proiectæ. Sic puto Niniuem abominationes secum circumtulisse palàm, quia suarum fraudum, & veneficiorum, tum prætereà effusi sanguinis, & opimæ prædæ, & vitæ in omnem turpitudinem proiectæ documenta gestabat. Abominationes item super se proiectas habere potuit, si seruata meretricis metaphora, illa palàm gestet, quæ fuerunt ascitæ foris pulcritudinis adminicula. Veluti si crines ostentet alienos, quos habuit pro suis, si dentes emptos & exemptiles, si lecythos, & pyxides, in quibus purpurissum seruatur, sandix, & cerussa, & alia asciti medicamenta candoris. Item vestes & vsu laceras, & illuuie fœdas, quas sub extima, atque eleganti cyclade tegebat, quas horrent, atque fastidiunt elegantes oculi. Hoc sanè magnæ illius meretricis graue supplicium fuit, cùm nihil in illa gloriosum appareat, nihil quod non fastidium, & nauseam moueat. 20.

Agrippa rex in Caraba persona ignominiosè traductus.

Hæc grauia sunt ad mores pro finali iudicio, vbi nullus erit fucus, qui scelerum turpitudinem aut occultet, aut minuat: non opes, non tituli, non regia, aut pontificia compellatio faciunt, vt leuior videatur culpa, aut sicut in humano 21.

Qualiter in iudicio reuelanda peccata.

mano iudicio impunitatem obtineat. Denudatur enim opera ab eo fuco, quem adducit non tā propria, quàm aliena nobilitas: ab opibus, quæ neque raro, neque occultè iudicia corrumpunt, & sapientium oculos impudenter excæcant. Nuda tunc à gratia potentum, nuda ab omni patronorum, rhetorúmque subsidio subeunt incorrupti iudicis perspicaces oculos: iuxta illud Ecclesi. 11. v. 29. *In fine hominis denudatio operis illius.*

22. *Et ponam te in exemplum.*] In exemplum poni significat supplicium alicui eiusmodi imponere, vt alij perterriti illud horreant scelus, quod tam seuerè mulctatum esse vident; & discant in alieno capite non esse leue, in quod tam grauiter sæuiit legitima potestas. Vnde apud Latinos tritum, *edere exemplum*, & similia, quod Hispanus dicit, *hazer castigo exemplar en que otros escarmienten.* Terentius in Adelphis, act. 5. scen. 1. *Exemplum omnibus curarem vt esses.* & in Eunucho actu 5. scen. 5. *Quæ futura exempla dicunt in eum indigna.* & iterum scen. 7. *Vterque in te exempla edent.* Vbi Donatus, *Noua, ac mira tormenta, quæ pro exemplis narrentur, aut quæ documenta sint cæteris, ne delinquant, exempla dicuntur.* Talia sunt, quæ Deus minatur Numer. cap. 5. *Det te Dominus in maledictionem, exemplúmque cunctorum in populo tuo.* & Ierem. cap. 48. *Erítque Moab in derisum, & in exemplum omnibus in circuitu suo.* Quæ enim magna sunt in quocunque genere, prouerbiali forma in exemplum adducuntur, vt homines vel ad præclarum aliquod opus instimulent, vel vt deterreant à peccando. Deterrebit igitur Niniuæ supplicium alios ab his sceleribus, propter quæ pœnas tam acerbas dedit; & in exécutione audietur sæpe prouerbiali specie: *Faciat tibi Dominus sicut fecit Niniue*, aut similia.

Exemplum pro supplicio.

23. Vers. 7. *Et erit, omnis, qui viderit te, resiliet à te.*] Amabant antè plurimi Niniuem, & illius admirabantur gloriam, cùm instructu ornatu meretricio vicinarum regionum capiebat oculos, & ad sui amorem incautos animos magicis quibusdam illecebris rapiebat: eo videlicet tempore cùm vocari potuit speciosa, & grata. At quando cecidit, neque aliquid aliud ex tanta gloria, ac maiestate superfuit præter immane quoddam, & informe bustum, id est, vile, ac fœtidum ex eximia pulcritudine cadauer; omnes refugiunt sicut à putri, & grauiter olenti corpore, quod tamen, cùm spiritu esset animatum vitali, amabant, & colebant. Resilient igitur omnes, qui graui ruina collapsam viderint ciuitatem, tanti caput imperij; vel quia verebuntur ne quid mali contrahant è vicino malo; vel quia moles tanta subuersa, in qua sua sibi lustra locabant feræ, & inauspicatæ volucres; vel tanti cadaueris horribilis forma, etiamsi nihil aliud adsit horrendum, timorem incutiet. Non audimus de Niniue, quod de Babylone dixit Isaias *cap. 13.* & de Idumæa *cap. 34.* Veruntamen non est incredibile talia fuisse monstra in Niniue, qualia fuerunt in Babylonis, atque Idumææ ruinis, cùm in speluncis, quæ in vrbium ruinis non possunt esse non frequentes, commoda sint illorum habitacula. Vbi autem illa habitare existimantur, quid mirum si homines cohabitare recusent, imò si inde aliò se quàm longissimè corripiant. De Babylone sic Isaias cap. 13. *Requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt illic.* De Idumæis cap. 34. *Et erit cubile draconum, & pascua struthionum: & occurrent dæmonia onocentauris, & pilosus clamabit alter ad alterum.* Vide plura in nostris Commentariis super Isaiam ad hunc locum.

24. *Et dicet, vastata est Niniue: quis commouebit super te caput?*] Verba sunt illius, qui admirabundus intuetur ingentem illam molem tam subita, & tam horribili ruina collapsam. Ac si dicat: Quomodo cecidisti, ô ciuitas, quæ tam tibi in tua gloria, atque amplitudine placebas; quæ tibi videbaris in omnem æternitatem fore duratura; quæ cùm sis misera, nulli tamen mortalium miserabilis es. Quis tuam tecum vicem deplorabit? Quis inclinato, & amicè commoto capite dolorem tuum secum dicet esse communem? Vndenam tibi ex tot gentibus, quas tuo nuper premebas imperio, aliquem aduocabo, qui tuum siue collacrymando, siue consolando, dolorem aut detergat ex animo, aut aliqua saltem ex parte moderetur? Quibus verbis significatur, aut esse nullam consolationem, quæ tantum dolorem possit; aut certè nullum, qui, cùm possit, velit tam altè defixam ex animo ægritudinem leuare. Sic enim erat immanis, ac barbarus Assyriorum dominatus, vt nemo futurus videretur, qui se in ea calamitate adiutorem, aut consolatorem exhiberet.

25. *Commouere caput* vox est ambigua, quæ modò benè cupientis, & amantis animi, modò offensi, atque despicientis affectum significat. Quod ex vario capitis motu, qui variis etiam seruit animi motibus, profectum est. Aliud enim significat, si antrorsum inclinetur; aliud, si oculi sursum eleuentur supini; aliud, si modò in dexteram, in sinistram modò partem flectatur. Alio motu annuimus, alio negamus. Sic etiam alio motu despicimus, subsannamúsque, in quos duriùs sumus animati: alio consolamur, & dolorem alterius significamus nobis esse dolori. Despiciebant, subsannabántque illi, de quibus Psalm. 43. *Posuisti nos in similitudinem gentibus: commotionem capitis in populos.* & Matth. 27. *Prætereuntes autem blasphemabant eum, mouentes capita sua.* Consolabantur autem, & beneuolum ostendebant animum illi, de quibus Iob cap. vlt. *Et mouerunt super eum caput, & consolati sunt eum.* & cap. 16. *Consolarer & ego vos sermonibus, & mouerem caput meum super vos.* In hunc sensum sumendus est hoc loco capitis motus; vt liquet. Similia dici possunt de motu, aut complosione pedum, qui vt varius est, sic etiam varios indicat animi sensus. De varia manuum significatione, pro varia etiam illarum conuersione, ac plausu, diximus ad illud Ezech. cap. 21. *Ego plaudam manu ad manum, & implebo indignationem meam.*

Varius capitis, ac manuū motus varios affectus indicant.

26. Vers. 8. *Nunquid melior es Alexandria populorum?*] Pro Alexandria populorum, Hebraicè est נא אמון *no amon*, de quo nos pluribus ad illud Ieremiæ 46. vers. 25. *Super tumultum Alexandriæ*, vbi nomen est idem, sed compositionis partes commutatæ; quia ibi *Amon* præcedit, *no* subsequitur. Ibi vulgatus exposuit *tumultum Alexandriæ*; hîc *Alexandriam populorum*. In hac duorum nominum coniunctione, atque explicatione authores sunt varij. Ego quid sentiam,

27. paucis expediam: & primùm obseruo vsitatum esse apud nostrum interpretem, vt in dictionibus compositis alteram interdum partem Latinè conuertat, alteram relinquat in sua prorsus originali lingua. Filius Isaiæ, vt communis est Doctorum sententia, dicebatur *Sear Iasub*, at Isaiæ 7. vocatur *derelictus Iasub*, vbi prior pars Latinè redditur,

REGVLA. *Ex nominibus propriis altera tantùm pars interdum conuersa.*

ditur, nempe *Sear*, quæ *derelictū* valet. Similiter qui Beniaminita dici debuit, vtpote natus ex tribu Beniamin, ille sæpius dicitur *filius Iemini*; in quo pars illa prior *Ben* conuersa fuit. Sic etiam a nostro Propheta in Hebraica voce נא אמון *no amon*, posterioris partis compositionis significatio posita est, nempe *populorum*, quæ aliquid importat commune; pars verò prior relicta est, sicut apud Ieremiam, licèt hic pro *populorum, tumultum* adhibuerit.

REGVLA. Nomina composita nō ab omnibus eodem modo conuersa.

28. Obseruo secundò vnum nomen esse ciuitatis *No amon*, siue *Amon no*. Quod non obscurè indicant aliqua loca, in quibus hæc duo coniuncta reperiuntur, vt *Ieremiæ c.46. & Ezech.30. v.15.* sed quia in duorum nominum cōiunctione varij occurrunt modi: nunc enim *Amon* præcedit, nunc *no*: interdum posteriori voci præpositio additur, vt Ieremiæ c.46. *Amon de no*: nonnunquam *no* solum reperitur, vt *Ezech.30.v.14. & v.16.* Suspicor *Amon* nomen esse cum aliis ciuitatibus commune, determinari tamē à posteriori parte *no*. Quemadmodum in omni fermè natione multæ sunt ciuitates, quibus commune nomen est, internosci tamen ab aliis solent, à loco, in quo sitæ sunt, à conditore, aut ab aliqua certa, & pecúliari nota. Quo modo dicitur Gabaa Beniamin, vt distinguatur ab alia eiusdem nominis ciuitate. Et apud Latinos passim, vt Augusta Emerita, Augusta Actia, Thebæ Macedoniæ, Thebæ Ægypti; & in hoc ipso vocabulo est accommodatum exēplum: est enim Alexandria duplex; altera dicitur Alexandria Syriæ, altera Ægypti. Quia verò *no* aliquid est speciale magis, ideo vox illa sola aliquádo ponitur, quia commune nihil, aut confusum importat; aut certè cum præpositione, quæ aut locum indicat, aut conditorem, aut aliquid aliud proprium, de quo nihil mihi constat: neque ab aliis aliquid afferri video, preter coniecturas, cásque admodum obscuras, & incertas. Hanc verò ciuitatem fuisse illam, quá Alexander postea seu amplificauit, seu restituit, quámque à suo nomine vocauit Alexandriam, translatio nostra vulgata docet. Quid alij transferant, neque enim omnes alij cum vulgato sentiunt, in præsentia non laboro, quia res est longa, neque magnum esse video studij, atque operæ pretium.

29. Ad extremum obseruo, quod notauit Hieronymus, quo tempore hæc dicta fuerunt à Nahum, nondum ciuitatem illam Alexandriam fuisse vocatam, sed *No amon*. Quia verò Hieronymi tempore Alexandria dicebatur, ideo nomen illud magis tunc temporis vsitatum adhibuit. Quod etiam per prolepsim faciunt aliquando prophani.

Prolepsis in Scriptura vsitata.

Sanè cùm Æneæ ætate nōdum essent portus Velini, cùm Velia oppidum Lucaniæ, à quo Velini portus nomen accepere, conditum fuerit regnáte Seruio Tullo, anno nimirum sexcentesimo antequam in Italiam appelleret Æneas: tamen Virgilius Palinurum inducit, qui deferri se petit ad Velinos portus, lib.6. Æneid.

——————*Tu mihi terram*

Iniice, namque potes, portúsque require Velinos.

Quo loco interpretes multa de prolepsi, quæ hîc adducere, longi esset, ac permolesti negotij.

30. *Nunquid melior es Alexandria?*] Argumentum sumit ab Alexandria, quam cùm longè maiora propugnacula, atque impedimenta munirent, tamen à Chaldæis euersa est. Vnde Niniue timere saltem non immeritò posset excidium sibi non dissimile impendere à Chaldæis. Si constaret ante Niniuem, & ante hoc vaticinium, Alexandriam fuisse subuersam, vim haberet comparatio maximam, quæque Niniuitarum maximè concutere debuisset animos. At contrarium est certum, nam Ieremias, qui longè post hæc tempora prophetauit, hanc à Nabuchodonosor Alexandriæ vastitatem prædixit. Sic autem Ieremias cap.46. v.25. *Ecce ego visitabo super tumultum Alexandriæ, & super Pharaonem, &c. Et dabo eos in manum Nabuchodonosoris regis Babylonis.* Idem Ezech.cap.30. v.14. Quo anno hæc acciderit Alexandriæ calamitas, ex Scriptura sacra, quod ego viderim, non constat. Docet tamen Iosephus *lib.10. Ant.cap.11.* vastatam Ægyptum, & in ea, vt est verisimile, simul Alexandriam anno quinto ab excisa Hierosolyma. Quare argumentum istud à re iam præterita non sumitur, sed ab excidio vrbis munitissimæ, quod futurum prædicitur: ita vt hoc vaticinium simul, & argumentum sit. In hác sententiam: Si Alexandriam euertet Chaldæorum exercitus, quæ multo est, quàm Niniue, munitior; cur speret Niniue Chaldæorum se posse repugnare potentiæ. Ita putat Hieronymus.

Alexandria quando euersa.

Hanc porrò ciuitatem, quam, vt sæpe prædixerunt Prophetæ, subuerterunt Chaldæi, instaurauit Alexander Macedo, illique de suo nomine nomen imposuit, & Alexandriam vocauit, vt tradunt omnes fermè, quotquot de re Geographica scripsere. Quot autem sint commoditates ex ea vrbe, quàm expugnatu difficilis, docet Strabo *lib.17.* Solinus *cap.35.* cuius hîc verba subiiciam. *Alexandria insidioso accessu aditur, fallacibus vadis, cæco mari, tribúsque tantùm canalibus admittit nauigantes.* Ex quo constat quàm sit periculosa nauigatio, & quàm ex illa parte ciuitas expugnari non possit. Descriptionem eius vide apud Strabonem vbi proximè. 31.

Quæ habitat in fluminibus, aquæ in circuitu eius.] De Alexandriæ munimento, ac situ vide Strabonem, & Hegesippum *lib.4.cap.27.* Cæsar *lib.1. de bello Alexandrino.* vnde disces quantum sit negotij ciuitatem illam non solùm oppugnari, sed etiam adiri; cùm vndique illam aut maxima ex parte aquæ circunfundant. Iosephus lib.2. de bello. cap.16. *Munitur autem vndique aut incommeabili solitudine, aut importuoso mari, aut fluminibus, aut cœnosis paludibus.* Hieronymus hîc, *Describitur situs Alexandriæ, quòd sit super Nilum, & super mare posita, hinc inde aquis, & fluminibus ambiatur. Hinc à riuo Nili, inde lacu Mareotico, ex alia parte mari cingitur.* Sed iuuat descriptionem adducere, quam tradit Cyrillus in hunc locum, qui cùm Alexandrinus esset Patriarcha, non potuit non & vidisse sæpe, & cùm hæc scriberet, diligenter notasse, quæ in suos retulit Commentarios. Ait enim, *Alexandria super alias Ægypti vrbes plurimùm excellebat, tuta à prædonibus, & securum perfugium, quod aquis vndique ambiatur, & versùs Aquilonem mari alluatur; versùs Austrum verò latam, & longam, & velut alterum mare, paludem inquam Mareotidem habeat: munita sit insuper aliis fluminibus, & lacubus cingatur.* Et ideo statim additur, *Aquæ muri eius*, seu vt alij legunt, *antemurale*. Ex quo quiuis intelliget non hîc Alexandriam cum Niniue amplitudine, aut ciuium numero comparari, aut illi certè præponi; sed munitionibus, ac robore, quæ aut habet à natura loci, aut quæ hominum addidit labor, & industria. 32.

Alexandria descriptio.

Cuius diuitiæ mare.] Tyrus, licèt sterili in saxo, propter maris opportunitatem rebus omnibus ad domesticos vsus, atque delitias abundabat; quia eò, vtpote ad commune totius Orientis 33.

Digitized by Google

emporium vndecumque terrarum merces adue- A
hebantur: quare iure vicinum mare appellari poterat Tyri diuitiæ. Sic puto, cùm littoralis esset Alexandria, & in eo Mediterranei maris tractu, ad quem ex regionibus, quæ aromate, auro, ac aliis pretiosis mercibus abundant, fieri poterant frequentes, maximique conuentus: non dubium est, quin illi à mari aduenire possent ingentes, multiplicésque diuitiæ. Sanè ab omni maiorum nostrorum memoria ad nostram vsque ætatem celebre habitum est, & commune totius orbis emporium.

34. Vers. 9. *Æthiopia fortitudo eius, & Aegyptus, & non est finis. Africa, & Libyes fuerunt in auxilio* B
suo.] Hæc de Alexandria capiunt omnes ferè interpretes, cui ad naturale munimentum, quod habuit ab aquis, & artificum manu additur aliud, quod habuit à vicinarum, fœderatarúmque gentium aut oblato sponte, aut conducto mercede subsidio. Adfuit enim Æthiopia, quæ eodem cum Ægypto, atque Alexandria impetu subacta est: vt pluribus ostendimus in nostris Commentariis in Isaiam *cap.* 18. *&* 20. quia vires suas cum Ægyptiis copiis iampridem sociali, & quasi cognato fœdere coniunxit. Adfuit Ægyptus, totisque imperij viribus in illius ciuitatis defensione pugnauit. Illud, *& non est finis*, variè à variis exponitur. Illa mihi videtur expositio germana, atque obuia, quæ innumeros dicit esse populos, qui subsidio venerunt Alexandriæ à Chaldæis obsessæ. Quasi dicat, venit C
subsidio Æthiopia, venit Ægyptus. Quid in commemorandis auxiliaribus copiis diutiùs moror? si singula persequar, nullum est finem habitura narratio. Aut quæ mora, ac lingua tot gentium auxiliis commemorandis sufficeret? Deinde quasi summatim dicit Africã, & Libyam tulisse suppetias, in quibus plurimæ continentur prouinciæ, quas singulatim recensere longum esset, aut sicut loquendi modus hyperbolicus indicat, non esset finis.

35. Vers. 10. *Sed & ipsa in transmigrationem deducta est in captiuitatem.*] Cùm tantum sibi contra Chaldæorum exercitum præsidium comparasset Alexandria, & aditum omnem natura ipsa loci, & hominum industria hostibus obstruxissent: ta- D
men capta est, & ad peregrinum solum abire compulsa. Quo tempore non cum vna ciuitate, ac regno à Chaldæis pugnatum est, sed cum Ægypto, Libya, Æthiopia, atque Africa, in quibus plures aliæ prouinciæ continentur. Quid tibi spei oboritur, ô Niniue, cui neque oppositæ sunt tantæ ad resistendum moles, neque aderit tot populorum, ac gentium tam acris, ac prompta conspiratio.

36. *Paruuli eius elisi sunt in capite omnium viarum.*] Barbarus quidem furor est, & inaudita crudelitas sæuire in paruulos, à quibus neque acceperis, neque accipere potueris aliquid mali. Tum præterea, quia infantilis species ipsis etiam feris E
non ingrata, & illi ætatulæ cognata simplicitas potius lenit, quàm acuit, & exagitat furoris aculeos. At ille erit Chaldæorum in Alexandrinos furor, vt neque ab illorum infantium cædibus abstinendum putent. Quorum corpora allisa saxis, & capita excerebrata, ciuitatis compita, & viarum diuortia miserabili planè spectaculo consternent. Fecerunt hoc iterum eadem feritate Chaldæi, cùm in ipsorum potestatem peruenit Hierosolyma, vt ex *Psal.* 136. non difficili coniectura colligitur. Nam talia ab hostibus optat, aut

Infantes in vrbium expugnatione saxis allisi.

prædicit Babyloniis Dauid, qualia ipsi Hierosolymitanis intulerunt vulnera: optat autem, vt ab hoste victore ipsorum paruuli ad petram allidantur; vnde quiuis intelliget idem Solymitanos à Babyloniis pertulisse. *Filia Babylonis misera; beatus, qui retribuet tibi retributionem, quam retribuisti nobis: beatus, qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram.* Quòd verò eandem vicem Babyloniis rependerint Persæ, docet Isaias *cap.* 13. *v.* 16. vbi cùm ageret de Persarum in Babylonios pugna, atque victoria, ait: *Infantes eorum allidentur in oculis eorum.*

Et super inclytos eius miserunt sortem.] Vsitatum esse, vt victores diuisionem prædæ sorti committerent, tam sacræ, quàm prophanæ docent historiæ. Vide quæ diximus ad illud Ioëlis cap. 3. v. 3. *Et super populum meum miserunt sortem.* vbi sermo etiam est de Chaldæis. 37.

Confixi sunt in compedibus, id est, constricti vinculis ita arctè, vt inde se non possint eximere. 38.
Erat autem vsitatum, vt colligati serui compedibus seorsum, aut in eandem catenam plurimi coniecti operam dominis suis nauarent seruilem, & duram. Horum autem seruorum carcer, siue conclusus esset, qualis est, qui sontes plerumque cohibet: aut apertus, qualis est ager, vbi labore rustico exercentur serui, ergastulum vocatur, quia non ita capti tenentur pedes, aut cohibentur dominorum custodia, vt ab opere cessent. De his ergastulis egimus suprà pluribus.

Vers. 11. *Et tu ergo inebriaberis, & eris despecta.*] 39.
Ebrietas, vinum, & calix, & similia, aliquid in Hebræorum idiomate sonant prouerbiale, in quo explicatur extrema calamitas: quia vinum certa quadam ratione conditum morituris porrigitur, vt stupefacta, atque sopita membra minùs doloris acerbitatem sentiant. Qua de re nos pluribus ad illud Isaiæ cap. 51. *Calicem soporis bibisti.* Et in illud Amos cap. 2. *Vinum damnatorum bibebant.* Hæc credo potiora. Sed vide an aliò spectare possit hæc ebrietas. Diximus in nostris Commentariis super Ieremiam ad finem *cap.* 52. vsitatum esse Babyloniis, vt in conuiuiis, quasi hæc foret magna, atque legitima splendidi symposij pars, his, quos aut nullo, aut visi haberent in pretio, vinum porrigerent, quod turbaret mentem, & ebrietatem induceret, vt nuditatem suam ostenderent lasciuis conuiuarum oculis. Quod ignominiæ genus subiisse dicitur Sedecias in conuiuio, quod suis luculentum instruxit Nabuchodonosor. Quod vsque adeò tulit ægro animo rex ille captiuus, vt ad suam mentem ex ebrietate receptus, præ dolore nimio è viuis excesserit. Id cum Abulensi *lib.* 4. *Reg. cap.* 25. *q.* 38. tenent alij quidam, probarique posse putant ex eo Abac. 2. v. 15. *Væ qui potum dat amico suo, mittens fel suum, & inebrians, vt aspiciat nuditatem eius.* De hac fortasse ebrietate loquitur Propheta, & probat quod proximè succedit, *& eris despecta*, id est, exposita lasciuis oculis, ea specie, qua nihil possit excogitari turpius, præsertim pudicis, & ingenuis.

Et tu quæres auxilium ab inimico.] Is erit status 40.
opulentæ quondam, nunc autem captiuæ ciuitatis, vt cùm aut dura patiatur incommoda, aut cùm intolerabilem subeat ignominiam, non habeat vllum beneuolentia, aut sanguine coniunctum, ad quem in illa misera conditione confugiat, aut cuius auxilio, quod molitur hostis, dedecus declinet: sed accedat supplex ad inimicum, ab eoque studeat extorquere humanitatem:

Durum est supplicem ad hostem accedere.

nitatem: quod perinde est ac velle extorquere à leone prædam, & è silice aquam. Magna est illa [illegible], quæ nos abiicit ad inimicorum pedes, cum impendentem illorum gladium à iugulo repellimus: neque tunc viribus agimus, quas amisimus, sed precibus, quæ apud superbum hostem infirmæ sunt, & ignominiæ plenæ. In eo statu fuit Sisara, cùm ad Iahelis tabernacula confugit. In eo Semei, cùm supplicium deprecatur à Dauid, contra quem paulo antè verba contumeliosa iactauerat. In eo, vt ad humaniora descendam, Achæmenides, qui cogente extrema necessitate, ac fame, ad Troianorum genua, in quos diu hostiles armauerat manus, supplex accessit. De quo Virgil. *lib. 3. Æneid.* In eodem fuit Turnus, qui victus vitam ab Ænea orat, neque exorat tamen, *lib. Æneid.* 12. Id, credo, passi sunt Assyrij, cùm subacti fuerunt à Chaldæis, qui tamen inter preces, & lacrymas hostile ferrum iugulo receperunt. Id Chaldæi passi sunt à Persis, vt probat illud Isaiæ cap. 13. v. 12. *Arrogantiam fortium humiliabo: pretiosior erit vir auro, & homo mundo obryzo.* Quasi dicat, is erit Persarum ardor in euertenda vrbe, id in ciues Babylonios odium, vt si ad preces humiles aurum etiam offerant, non tamen vitam à morte redimant.

41. Vers. 12. *Omnes munitiones tuæ sicut ficus cum grossis suis.*] Summa ostenditur in diruendis Assyriorum mœnibus facilitas, apta similitudine grossorum, seu præcoquarum ficuum, quæ vbi iam maturuerunt, si leuiter tantùm concutiantur rami, continuò defluunt. Nihilo difficiliùs concident Assyrij muri Chaldæorum verberati tormentis: neque difficiliùs capientur homines, quos murorum ambitus in vrbe complectitur: aut præda, quam tot annis collegit auara, ac violenta ciuitas; quàm grossi iam maturi, qui vltrò in os inciderunt: neque necesse est labor vllus, atque conatus adhibeatur, vt inferantur ori. Quæ enim in terram deciderunt, si inde ad os, aut mensam eleuanda sunt, necesse est, vt flexo corpore sese, qui vesci voluerit, pronum demittat: quo labore, ac molestia liberatur, qui prius os, quàm manu impleuerit fructu illo deciduo. Sic planè Assyrij vltrò venient à Domino constricti ad Chaldæorum vota: & præda ipsa in illarum sinus non inuita descendet. Quid sit grossus, aut præcoqua ficus, diximus ad illud Michææ 7. *Præcoquas ficus desiderauit anima mea.*

42. Vers. 13. *Ecce populus tuus mulieres in medio tui.*] Rationem reddit, cur tam sit futura futilis munitionum custodia, in quibus non solùm muri, & aliæ moles, quæ obiiciuntur hostibus, sed etiam principes, duces, & propugnatores intelliguntur: quibus in pugnando deficient vires, & prudens in deliberando consilium, ita vt in virili corpore muliebres alant spiritus, & vires, & ingenium. Quomodo mulierum nomine viri significentur imbelles, diximus pluribus Isaiæ cap. 3. ad illud, *Propterea quòd eleuatæ sunt filiæ Sion.* Quod nomen sæpe à prophanis ignauis obiicitur. Sicut à Numano Troianis lib. 9. Æneid. *O verè Phrygiæ, neque enim Phryges.*

Qui ignaui sunt, & imbelles, mulieres vocantur.

43. *Inimicis tuis adapertione pandentur portæ*, id est, statim, & ita apertæ vt excludant neminem: quia neque obiicientur claustra, nec erit custos, qui ingressuros exterreat. Id enim valet *apertione pandi*, quod idem est atque *apertione aperiri*; quæ vocum ab eadem origine coniugatio nunquam [illegible] sine epitasi: sicut *morte morieris*, *memoria memor ero.* Pandentur præterea portæ, quia vis inimica fores effringet, & vectes reuellet: & immissis facibus, & tædis, omnique incendiaria materia postes exuret. Id enim est quod statim subditur, *deuorabit ignis vectes tuos.*

44. Vers. 14. *Aquam propter obsidionem hauri tibi.*] Amplificat studium, quod ad arcendos hostes adhibuerunt Assyrij: & nihil eorum, quæ in illam curam comparata sunt, successum habuerunt. Hæc verò omnia eò spectant, vt mœnibus addatur firmitas, & si quid rimosum est, aut debile, nouis operibus obstruatur, solideturque. Quare iubet Propheta, vt hauriatur aqua, subigatur lutum, formentur lateres, & si quid ruinosum, malève materiatum est, contra catapultarum verbera firmetur. Hæc aperta sunt. Cur verò neque saxorum meminit, neque instrumentorum, quibus secantur, atque poliuntur saxa, ea ratio est, quia regio illa plana est, neque lapideæ excitantur moles, quia lapides eo loco petrari. Quare opus omne, aut maior operum pars lateritia est. Sic turris, quam statim à diluuio construere voluerunt insani homines in Babylonia, lateritia fuit: & muros deinde eiusdem ciuitatis Semiramis fecit è laterculo. Sic Ouid. lib. 4. Met.

In Chaldæa, & Niniue ædificia è laterculo magis quàm è saxo.

——— *Vbi dicitur altam*
Coctilibus muris cinxisse Semiramis vrbem.

Et Iuuenalis satyra 10. de Alexandro ingressuro Babylonem,

Cum tamen à figulis munitam intrauerit vrbem.

Idem quoque contigisse Niniuæ verisimile facit & natura loci, & locus iste, qui de Niniues fabrica non obscurè loquitur.

45. Vers. 15. *Ibi comedet te ignis, peribis gladio.*] Quantumcumque te contra inimicorum arma, impetúmque communias, non tamen gladium, aut incendium auertes: licèt enim eiusmodi munitiones instituas, in quas incendium nihil videtur habere potestatis; te tamen comburet ignis, & gladius intra munitionum ambitum libere grassabitur.

46. *Deuorabit te vt bruchus.*] Bruchus è genere est locustarum; quod quia pennatum non est, vt nonnulli fortassè falsò putant, neque aliò, atque aliò commeare potest, regionem, quam semel insedit, populatur, & vrit. Quare speciem adimit, & spem omnem fructus in ipso plantarum flore debilitat. De brucho, atque locusta satis opinor diximus ad illud Ioëlis cap. 1. *Residuum erucæ comedit locusta.* inde pete.

47. *Congregare ergo vt bruchus: multiplicare vt locusta.*] Locusta, & bruchus prouerbiali specie multitudinem significant, vt pluribus ostendimus ad illud Ioëlis, de quo nuper. Quare de locusta, & bruchis sub alia metaphora prouerbiali loquitur Propheta, quàm priori loco. Duæ quippe sunt in Scriptura sumptæ bruchorum, locustarúmque metaphoræ, & duplex vsus. Alter pro vi aliqua pestilenti, ac noxia, qualis afferri solet ab hostili exercitu. Alter pro multitudine; ea namque est horum animalculorum aliquando copia, vt instar oppansæ nubis eripiat oculis solem, & vmbram inducat. In priori significatione sumpsit proximè Propheta bruchum; nunc verò sumit in posteriori. Ait igitur Propheta nulli vsui futuram quantamcumque propugnatorum multitudinem, licèt locustarum exsuperent agmina, ac nubes. Neque enim quantumcumque externorum militum mercede conducat, aut subditorum, ac fœderatorum asciscat, decli

Bruchi, & locusta pro ingenti multitudine.

Digitized by Google

declinabit, quod à Chaldæis imminet exitium.

48. Verſ. 16. *Plures feciſti negotiationes tuas, quam ſtellæ ſunt cæli.*] Alij fermè à vulgato, & Septuaginta *negotiatores* reddunt. Sed eſt idem, aut certe non admodum diuerſus ſenſus. Interpretum pleríque in negotiationibus, ſeu negotiatoribus mercatores, ſeu diuitias intelligunt, quibus ad miraculum vſque ciuitas abundabat, quas tamen temporis momento ſecum abduxere Chaldæi. Comparantur autem ſtellis cæli: nam quamuis negotiationes illæ longè plures ſint, quàm ſydera (neque enim illa tot numero ſunt, quot hominum vulgus eſſe putat) tamen Scriptura, quæ ſe hominum cogitationibus interdum accommodat, quaſi aliquid eſſe ſignificat, quod nullo poteſt numero comprehendi, quia ſic cenſent communiter homines. De mercatoribus,aut opibus negotiatione quæſitis accipit Hieronymus, Theodoretus, Haymo, & complures alij. Quod mihi etiam placet.

49. Veruntamen non diſplicet Cyrilli, Theophylactique ſententia, qui in negotiationibus gentes intelligunt, quæ aut mercede conductæ, aut alia quauis ratione congregatæ ſubſidio venerunt ciuitati ab hoſtibus obſeſſæ. Dicuntur verò negotiationes, quia ſtudio, & cura coactæ, aut pretio conductæ veluti mercenarij milites: non aliter quàm merces, quæ negotiatione conuehuntur, ad vrbis præſidium conueniunt. Quæ cùm ciuitatem non aliter compleuiſſent, quàm agros bruchorum, ac locuſtarum agmina:tamen cumprimum ingruit Chaldæorum exercitus, aufugerunt omnes, deſeruerúntque ciuitatem, cuius defendendæ gratia fuerant aſcitæ: non ſecus atque locuſtæ, & bruchi, qui in ſepibus, & arbuſtis conſedere, cùm humidum eſt, & friget tempus; ſed poſtquam ortus eſt ſol, & tempus incaluit, aliò ſe volando repentè corripiunt. Hæc mihi Cyrilli, Theophylactique ſententia minus videtur impedita: & accommodatè ad hanc explicationem ſtatim attexitur.

50. *Bruchus expanſus eſt, & auolauit.*] Quia vbi primùm ſtationes ſuas agnouerunt, ac tenuerunt, ad primum armorum ſtrepitum, ſeu litui clangorem exterriti fuga ſuo ſibi capiti cauerunt.

51. Verſ. 17. *Cuſtodes tui quaſi locuſtæ, & paruuli tui quaſi locuſtæ locuſtarum, quæ conſidunt in ſepibus in die frigoris, ſol ortus eſt, & auolarunt.*] Superiora de externis, auxiliaribúſque copiis intelligenda ſunt: hæc de domeſticis, qui in vrbe nati, atque educati pro patriæ ſalute caput offerre debuerunt. In his porrò duos ciuium, aut propugnatorum ordines conſidero. Quidam enim principes ſunt, qui magiſtratum obeunt, & cæteris præſunt, ſiue in adminiſtranda republica, ſiue defendenda, cùm tempora incurrunt periculoſa, & turbida. Hi à Propheta vocantur locuſtæ, quæ maiores ſunt. Heb. מנזרים *minzarim*, id eſt, coronati, quia fortaſſe qui magiſtratum gerebant, aliquo capitis ornamento à reliqua turba diſtinguebantur. De hac Aſſyriorum conſuetudine nihil habemus: mitratos tamen eſſe duces, quíque bello præerant, veriſimile eſt. Sanè apud Babylonios, qui publicum aliquod munus adminiſtrabant, mitrati fuiſſe dicuntur. Tres enim pueri, qui *Danielis cap. 3.* in fornacem miſſi ſunt, cùm tiaris dicuntur in ignem eſſe coniecti. At Aſſyriorum à Babyloniis non admodum inſtituta diſtabant.

52. Paruuli non dicuntur qui ætate ſunt non ita prouecta, ſed qui inferiores ſunt dignitate, atque ordine: quales ſunt, qui priuatam agunt, & po-

A pularem vitam. Hi verò dicuntur locuſtæ locuſtarum, non quia præcipuæ ſint locuſtæ, vt in aliis ſignificat hoc loquendi genus: ſed quia locuſtis aliis, id eſt, magiſtratibus adiuncti ſunt, & vt illis aſſeruiunt, ſic etiam ab illis accipiunt viuendi modum. Quo modo hirci, aut hædi caprarum appellantur qui teneri adhuc ſunt, & materno adhuc egent adminiculo: ſic pulli aſinorum, agni ouium, & mille alia, quorum exempla in Scripturis ſacris obuia.

Tam igitur locuſtæ, id eſt, magiſtratus, & duces, quàm locuſtæ locuſtarum, id eſt, plebs copioſior, & infirmior, cùm in ciuitate aliquandiu conſederint, quo tempore nullum proponebatur ab hoſte periculum: quando tamen pro patriæ ſalute dimicandum fuit, è patria, & commendata ſibi ſtatione quamprimum auolarunt. 53.

B Hîc verò obſeruant cum Hieronymo complures alij, eam eſſe locuſtarum naturam, vt tempore frigoris, & roris in ſepibus, arbuſtiſque inſideant, tum quia frigore torpent, & roſcidæ pennæ minùs ad volatum ſunt idoneæ. At cùm ſol exoritur, & incaleſcente die, ipſæ quoque incaluere, excuſſo rore, & à torpore ſolutæ aliò ſtatim ſe volando corripiunt. Id ſonat planè quod mox ſubiicitur, *Quæ conſidunt in ſepibus in die frigoris: ſol ortus eſt, & auolauerunt.* In vltimis verbis aliquid neceſſariò ſupplendum eſt, nempe *quando*, aut

C conditionalis aliqua particula. In hanc ſententiam, *Quando ortus eſt ſol, auolauerunt.* Simile eſt illud Pſal. 103. *Ortus eſt ſol, & congregati ſunt.*

Et non eſt cognitus locus earum vbi fuerint.] Hypallage hæc eſt familiaris Hebræis. Cuius ſenſus eſt, in eo loco vbi eo vſque locuſtæ conſediſſent, non eſſe ampliùs inuentas: nam quî difficile eſſe poterat inueniri locum, à quo ipſæ volando diſceſſerant? Plura nos exempla produximus ad illud Dan. 2. *Nullúſque locus inuentus eſt.* Pſal. 36. *Quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius.* 54.

Verſ. 18. *Dormitauerunt paſtores tui, &c.*] Deſcribitur modus acceptæ cladis, & quænam fuerit tantæ ruinæ cauſa. Primùm, quia qui excubias agere pro communi ſalute debuerunt, in da- 55.

D to ſibi negotio nimiùm fuerunt inertes, & ignaui: dormitarunt namque paſtores, cùm à prædatore lupo maximè timendum fuit; vnde grex totus laceratus eſt, & vbi cum illo actû eſt commodiſſimè, variè à ſuo loco, & ordine diſſipatus. Ceciderunt principes, & reliqui, qui ſe à præſenti periculo ſubduxere, latuerunt in montibus, locíſque deſertis. Neque vllus fuit, qui pallentes, & exanimatos reuocaret in ordines, & ad nauandam patriæ militarem operam accenderet.

Verſ. 19. *Non eſt obſcura contritio tua, peſſima eſt plaga tua.*] Vt fuerat antè omnibus populis longè cognita Aſſyriorum gloria, & illorum formidabilis potentia: ſic etiam illius interitus non po- 56.

E tuit eſſe gentibus obſcurus. Quod ingenuis ipſa interdum ruina moleſtius eſſe ſolet. Plaga illa dicitur peſſima, quæ illius eſt naturæ, vt nullam admittat medicinam, aut nullo modo reſecari, ſeu leuari poſſit. Quale eſt carcinoma, ſacer ignis, rabies, & ſimilia. Talis fuit, quam à Chaldæis acceperunt Aſſyrij: neque enim tanti imperij ruina tot ſæculis ab eius interitu inſtaurari potuit. Peſſimam Ieremias *Thren. cap. 2.* putabat Hieroſolymæ plagam non diſſimilem, cui nullam videbat ab humana potentia adhiberi poſſe medicinam. *Magna eſt* (inquit) *velut mare contritio tua: quis medebitur tui?*

Omnes,

57. *Omnes, qui audierant auditionem tuam compresserunt manum super te.*] Sicut nullus fuit populus, nullus ordo, quem non tyrannico Niniue oppresserit imperio: sic nullus fuit populus, nullus ordo, aut ætas, quæ non cum lætitia, ac plausu rumorem exceperit de Niniues interitu. Quare plauserunt manibus, & alia etiam exhibuerunt documenta lætitiæ, quæ exultantem animum, & plaudentes manus plerumque comitantur. Vbi vulgatus *compresserunt*, Hebr. est, תקעו *taxehhu.* quam vocem sæpe vulgatus per clangorem exponit: sed hîc adiunctum manibus hauddubiè plausum significat, neque enim alio modo manus clangere, aut concrepare solent. Comprimimus quidem, ac distorquemus manus in dolore: at hîc in com- A pressione, seu collisione manuum plausum intelligi docuerunt Septuaginta, qui hîc per *κροτέω* reddiderunt. Et ipsa cogit ratio: neque enim qui affecti sunt iniuriis ab aliis, dolere solent in illorum incommodis; sed potiùs exultare, & plaudere. At qui hîc manus compressisse dicuntur, iidem ab Assyriis affecti commemorantur iniuriis. Ideo enim additur, *Quia super quem non transiit malitia tua semper?* Plausus autem in lætitia, quia naturale quoddam est signum, omnibus gentibus communis est. Idem in suo casu huic quàm simillimo passam esse Hierosolymam, docet Ieremias Thren. cap. 2. v. 15. *Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam: sibilauerunt, & mouerunt caput.*

Manuum varij motus variarum affectionum indices.

IN

IN HABACVC PROPHETAM COMMENTARII.

PROLEGOMENON I.

De genere, & patria Habacuc.

1. *Habacuc genus, & patria.* FVISSE de tribu Simeon, & ex agro Bethsacar, communis est sententia: quam ex antiquis tenent Epiphanius, Isidorus, Dorotheus *in Synopsi*, Chronicon Alexandrinum; quibus è recentioribus plerique consentiunt. Ex illius prophetia nulla de genere, ac patria sumi potest coniectura. In exemplaribus Chaldaicis, quæ manu scripta seruantur in Bibliotheca Complutensi, Habacuc filius esse dicitur Sunamitidis, quem à mortuis excitauit Elisæus. Quod mihi videtur non immeritò in Bibliis regiis esse sublatū, sicut alia plurima, quæ ad historiam pertinent sacrā.

PROLEGOMENON II.

De vita, & morte Habacuc.

2. *Habacuc ab eo, qui prandium attulit Danieli, diuersus.* HAc de re nihil ex illius prophetia certum habemus; quia neque certum est, neque mihi verisimile, illum Habacuc, qui messorum prandium Babylonem ad Danielem attulit, esse hunc, cuius prophetiam explicandam aggredior, vt pluribus docui in Prolegomenis super Danielem. Et probat mihi satis illa ratio, quia Habacuc ante duarum tribuum captiuitatem sua detonuit vaticinia, vt apparet statim *cap. 1. v. 6.* Est autem ridiculum existimare de præteritis, quasi de rebus, quæ nondum aduenere, institutum esse vaticinium; sicut in suis commentis nugantur Poëtæ. Daniel porrò Darij tempore, id est, aliquandiu post solutam captiuitatem, missus est in lacum leonum, ad quem Habacuc ille, qui discophorus dicitur, messorum prandium attulisse scribitur, septuaginta videlicet annis, & eo ampliùs, postquam populus abductus fuit Babylonem. *Quando cœpit prophetare.* Quo cœperit ætatis suæ anno prophetare incertum est. Ante ætatem perfectam datum esse propheticum spiritum, negat Gregorius *homil 2. in Ezechielem*, & in miraculis esse numerandum, A quòd ante hoc tempus Ieremias, & Daniel spiritu fuerint afflati prophetico. Quòd si hac cœpit ætate (quod non est improbabile) incredibile videtur post captiuitatem solutam his valuisse viribus, vt operam potuerit nauare rusticam, & feruenti sole sub æstate suum prandium afferre messoribus.

3. Adde quòd Hebræi in antiquo Chronico, quod ipsi Sederolam, id est, temporum ordinem, appellant, sub Manasse dicunt floruisse; quibus ex nostris subscripsere neque pauci, neque indocti. Alij σύγχρονον esse dicunt Ieremiæ, & vtrumque sub B Iosia, & Ioacim ad tempus vsque Sedeciæ prophetasse. Ita Clemens Alex. *lib. 1. strom.* Theodoretus *in prologo duodecim Prophetarum.* Quòd si sub hæc tempora prophetauit Habacuc, planè efficitur, vt illa ferebant sæcula, quibus hominum ætas magis erat angusta, ad illud Danielis tempus non peruenisse corpore ita affecto, vt molestiam illam rusticam sustinere potuerit. Adde quod antiquorum est opinio, Habacuc biennio ante solutam captiuitatem decessisse. Ita putat Epiphanius, Isidorus, Dorotheus, & C Chronicon Alexandrinum. Quare non potuit post captiuitatē iam solutam officium illud discophori præstare Danieli.

4. Mihi idem nunc videtur, quod antè in Commentariis Danielis, tum *Prolegom. 8.* tum *ad cap. 14.* magis probatū, licèt plerisque Patrum contraria placuerit sententia: nempe Habacuc discophorum, id est, qui panes intriuit in alueolo, fuisse ab hoc nostro, in quo nunc nostra laborat commentatio, diuersū. Ita putat Ribera *præludio 2. in Habacuc*, & Genebrardus *in Chronicis*, qui duo esse dicunt eiusdē quidē nominis, sed D ætatis diuersæ; vtrumque Prophetam, non tamen eiusdem vtrumque tribus.

5. *Quo tēpore mortuus Habacuc.* De vita, & morte nihil habemus ampliùs, nisi fuisse mortuum biennio antequam duæ tribus redirent ab exilio. Illud habemus à Kalēdario Romano, cuius apud me, vt par est, grauis est authoritas, eius festum, siue memoriā recoli ad diē 15. Ianuarij; quo die verisimile est decessisse Habacucū: Sanctorum plerumque non tā natalitij dies, quam extremi vitæ celebrantur. Eodem

d by Google

A Eodē etiā die memoria recolitur Michææ Prophetæ, qui si non eodē cum Habacuc tumulo, at certè proximo videtur fuisse tumulatus: nā ibidem duorū Prophetarū corpora dicuntur fuisse translata. Sic autē Kalendarium ad 15. Ianuarij. *In Iudæa sanctorū Habacuc, & Michææ Prophetarū, quorum corpora sub Theodosio seniore diuina reuelatione reperta sunt.* Hos tamen Græcorū Menologium tēpore discludit, dum Habacuc die 2. Decēbris, Michææ die 24. Ianuarij tradit memoriam renouari. Porrò quod de translatione duorum Prophetarum tradit Kalendariū, refert Sozomenus lib. 7. Histor. Eccles. cap. vltimo. *Atqui* (inquit) *non hæc sola religionē cohonestabant, verùm etiam Habacuc, & post eum non longo internallo Michæas inter Prophetas primi circa hoc tempus apparuerunt. Amborum autem corpora, vt intellexi, per diuinam in somnis visionem indicata sunt Sebeno tunc temporis Eleutheropolis Episcopo. Erat autem nomen eius ciuitatis Cela, quæ antè Ceila vocabatur, in qua repertus fuit Habacuc. At Baratsatia locus est circiter decem stadiis ab ea ciuitate distans, in quo Michææ sepulcrum erat. Quod monumentum fidele vocabant indigenæ, ignari quid dicerent.* Eadem Nicephorus *lib. 12. cap. 48.*

Quādo Habacuc reliquiæ trāslatæ.

PROLEGOMENON III.

De nomine Habacuc.

Varia nomina Habacuc.

6. HAbacuc, Hebr. חבקוק, quam vocem sic recentiores vertunt *Chabbacuc*, alij *Habacuc*, Septuaginta *Ambacum*. Ego cum aliis pluribus *Habacuc* lego, licèt Hebraicæ notæ *Chabbacuc* potiùs dicendū esse persuadeant. Sed non est in Scriptura infrequens, vt loco ח cui Latinè respondet *ch*, ponatur *h*. vt *Hebron, Hiram, Holda, Hazael, Hesrom, Hermō, Hessebon*, & aliæ voces plurimæ, quæ initiū acceperunt à ח. Et interdū quæ ab illo ducuntur principio, abiecerūt aspirationis notā. Vt Aggæus, Ezechias, Anna, Oronaim, Ophni. Ego in his Commentariis nominabo semper *Habacuc*, licèt non improbem, si quis *Abacuc* statuat esse legendū, quia vtrūque video à viris doctis vsurpari solitum.

7. Vnde tamen hoc habuerit nomē, incertum est: ego credo alias ob causas impositū à parentibus nomen; sed nō est incredibile datum illi nomen ab euentu. Vt enim Hieronymus docet in Prologo, *Habacuc* amplexum significat, & luctatorē. Amplexus autem congressum quendā significat, vel quo lacertis se mutuò implicant, qui mutuo se amore prosequūtur; aut quo luctatores, seu palæstritæ, se vicissim innectunt, atque constringunt, vt alter alterum è statu deiiciat. Ab vtraque significatione appellari potuit Habacuc: vel quia dilectus erat Domino, atque ideo illum beneuolè, atque indulgēter amplexatus est; vel quia in suę prophetiæ principio cum Deo videtur fuisse colluctatus, dū verbis, vt apparet, pugnacibus cum illo congreditur, & iustorū causā audacius tuetur, quā patiebatur eius, quo cū agebat, diuina maiestas. Et huc videtur inclinare Hieronymus, cuius alij coniecturā sequuntur. *Habacuc* (inquit) *vel ex eo quod amabilis Domini est, vocatur amplexatio; vel quòd in certamē, & luctā, & vt ita dicā, amplexum cum Deo congreditur, amplexantis, id est luctātis, sortitus est nomen. Nullus enim tam audaci voce ausus est* B *Deum in disceptationem iustitiæ prouocare, & dicere ei: Cur in rebus humanis, & in mundi istius* πολιτείᾳ *tanta rerū versatur iniquitas? Vsquequo Domine clamabo, & non exaudies*, &c.

PROLEGOMENON IV.

Quò spectat prophetia hæc, & quod illius filum.

Quò spectat prophetia.

COmmuniter alij cū Hieronymo totū hoc vaticiniū ad Chaldęos cōtorqueri putāt, sicut quod modò præcessit, ad Assyrios. Quod etiam ideo mihi placet, quia probatur interpretū plerisque; tū etiā quia pleraque cōtra Chaldæos instructa sūt. Veruntamē C magis patere arbitror hāc prophetiā, & contra illos conferri, qui aut iniquis cōsiliis, corruptisque iudiciis, aut absque vlla simulatione, aperta vi, iustorum, aut inopū opes, & salutē oppugnant. Id enim Propheta in principio duriùs videbatur accipere, & ea de re cum Deo expostulare liberiùs. Quasi iustorū, & pauperum abiecisset curam, & illorum res, & causas iniquorum libidini permisisset. Cui respōdet Dominus sibi curæ esse iustorum salutē, neque viros D illos iniustos, & violentos iniquitatē, & audaciam laturos impunè. Aderit enim Chaldæorū exercitus, cui ipse ducē se præbebit, & auspicē; quo in horum hominum cōsilia animaduertet seuerè, & ab illis extorquebit opes, & sanguinē exprimet, quæ è pauperū vsu, ac vita in suā sibi vitam, & vsus trāstulerunt. Sed quia ipsi quoque Chaldæi iniquiùs se gerent in alios, & immitius, quàm Deus ipsis in populum Iudaicum cōcesserat, aduersùs illos dicit paratū etiā esse supplicium, in quo describendo multus est, & E mirificus Propheta. Cùm autē à Chaldæis populus ille diu captiuus grauiter esset, & ignominiosè vexādus, ne putaret Propheta fuisse Deum afflictorum, & pauperū immemorem, addit ad extremum singulare illud beneficium, quo tum illi populo, tum orbi vniuerso præstitit, cùm assumpta carne inter homines illorum naturæ socius cōuersari voluit. Cùm autē iam Propheta clariùs intelligeret, quàm Deus curaret omnia, & quā in humanum genus esset munificus, beneficiū illud agnoscit, & prædicat, & in illo sibi gaudendū, atque in extremo rerum discrimine sperādum esse subsidiū cōfitetur. 8.

IN CAPVT PRIMVM

ARGVMENTVM.

QVERITVR primùm Propheta, & quodammodo expostulat cum Deo, quod à potentioribus, quique in vrbe cum magistratu viuunt, publica causa, & infirmior turba impunè lacerentur. Quem solatur Dominus, dum ait venturum esse Chaldæorum regem, qui tam de his, quàm de vicinis populis, qui Iudæorum rebus, atque consiliis fuerunt infensi, graues exigat pœnas. Quorum in re bellica strenuam virtutem, & ingenium ad omnem crudelitatem promptum, & incitatum amplificat. Cúmque Propheta, quid à Chaldæis Iudæorum populus passurus esset, iam inde ab eo tempore cognosceret, queritur iterum, licèt magis, quàm antea, modestè, quàm ab impio Chaldæorum genere, minùs impium Iudæorum genus barbarum in modum tractaretur. Cùm verò illius quoque interitum, magnámque rerum mutationem oculis intueretur propheticis, meliori est animo, & sibi, ac genti suæ libertatem, & pacem à Dei benigna liberalitate promittit.

CAPVT I.

1. *ONus, quod vidit Habacuc propheta.*

2. *Vsquequò Domine clambo, & non exaudies? vociferabor ad te vim patiens; & non saluabis?*

3. *Quare ostendisti mihi iniquitatem, & laborem, videre prædam, & iniustitiam contra me? & factum est iudicium, & contradictio potentior.*

4. *Propter hoc lacerata est lex, & non peruenit vsque ad finem iudicium: quia impius præualet aduersus iustum, propterea egreditur iudicium peruersum.*

5. *Aspicite in gentibus, & videte: admiramini, & obstupescite: quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet cùm narrabitur.*

6. *Quia ecce ego suscitabo Chaldæos, gentem*

PARAPHRASIS.

A 1. PRophetia dura, quam accepit à Deo Habacuc Propheta.

2. Quandiu, Domine, clamabo ad te, & aures à meis clamoribus auertes? Quandiu oppressus ab iniqua Iudicum, & corrupta vi, patronum te, & vindicem aduocabo, neque tamen à calumnia, & fraude potentiorum eripies?

3. Cur eò me, ô Domine, deduxisti, vt quotidie illa oculis occursent, quæ animũ grauissimo dolore consauciant. Prædam dico, corrupta iudicia, venale forum, in quo iustitia, & æquitas potentiorum calumniæ,
B & contradictioni succumbunt.

4. Quia ergo scelerata isthæc iudicum, principúmque consilia abire finis impunita, ideo leges, & iura non solùm frigent, sed etiam lacerantur: neque id obtinent, qui sua repetunt, aut tuentur iure, quorum gratia iudicium, id est, commune pauperum perfugium institutum est. Et cùm ab impiis traducatur, & opprimatur iustus, prodit tandem iudicium à lege, rectáque ratione distortum.

5. Desinite, ô vos (ait Dominus ad eos, qui Deum humanarum rerum curam abiecisse querebantur) desinite, inquam, existimare casu fieri omnia, & scelerata homi-
C num consilia non curare Deum, neque de illorum supplicio cogitare. Aspicite iam quas gentes aduocẽ, per quas ab illis, quos liberos existimatis à metu, seueras exigam pœnas. Neque minor vos stupor, atque admiratio capiet, cùm illorum afflictam, & sordidam conditionem spectare dabitur, quàm cùm illos exultantes, & lætos, & vestris spoliis onustos videbatis. Talia enim in illorum caput edentur suppliciorum exempla, vt nemo, cùm audierit, fieri potuisse sibi persuadeat.

6. Neque diu differetur hoc debitum, & insigne

Digitized by Google

tem amaram & velocem, ambulantem super latitudinem terræ, vt possideat tabernacula non sua.

A insigne supplicium adest iam pro foribus. Ecce ego è Chaldæa gentem euocabo vsque adeò ferino ingenio, vt illam nullius calamitas, aut preces ad misericordiam inflectat; quæ vt velox est ad cursum, sic etiã rem agit festinatò: quæ vsque adeò imperij propagandi auida est, & ad res aggrediẽdas intrepida, vt latè peragret terras, vt aliena tabernacula suo sibi dominatui subiiciat.

7. *Horribilis, & terribilis est: ex semetipsa iudicium, & onus eius egredietur.*

7. Ad hæc accedit species quædam horribilis, quæ scintillantibus oculis ferinum aliquid, & truculentum spirat. Ex hac gẽte, B quam modò descripsi, exibit illud onus, ô Hierosolyma, quod tibi denuncio; & illud iudiciũ, quod tuis peccatis consentaneũ est.

8. *Leuiores pardis equi eius, & velociores lupis vespertinis; & diffundentur equites eius: equites namque eius de longè venient, volabunt quasi aquila festinans ad comedendum.*

8. Illius gentis equi pardorum cursum celeritate præuertent; neque cedent lupis, dum diurnam famem nocturna præda exsaturare student. Equites verò, quos magno vndecunque numero coget Babylonius, è longinquo ea celeritate ad direptionem aduolabunt, qua esuriens aquila sibi, pullísque suis ad prædandum aduolat.

9. *Omnes ad prædam venient, facies eorum ventus vrens: & congregabit quasi arenam captiuitatem.*

C 9. Quorum ingressus sic erit truculentus, & noxius, vt peruasisse videatur ventus vrens, & noxius; & ex suis sedibus tantam captiuorum multitudinẽ abducet, vt cum arena maris conferri possit.

10. *Et ipse de regibus triumphabit, & tyranni ridiculi eius erunt: ipse super omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem, & capiet eam.*

10. Ipse porrò Nabuchodonosor sic erit superbus, & potens, vt reges à sua virtute subiugatos ducat in triumpho, & omnem tyrannorum potentiam superbè despiciat, habeátque ludibrio. Neque vlla erit tam firma munitio, quam vallis, aggeribúsque compositis non euertat, & capiat.

11. *Tunc mutabitur spiritus, & pertransibit, & corruet, hæc est fortitudo eius dei sui.*

D 11. At postquam omnia sibi subiecta cognouerit, mutabit spiritum, nempe humanum, & sibi fatua cogitatione diuinum attribuet. Tunc verò finietur eatenus formidata maiestas, & omninò concidet. Illa nãque fortuna, quæ illi spiritus arrogauit diuinos, in statum longè infra humanum, & belluino proximum euasit.

12. *Numquid non tu à principio Domine Deus meus, sancte meus, & non moriemur? Domine in iudicium posuisti eum: & fortem vt corriperes, fundasti eum.*

12. Benè nobiscum actum est, ô Domine, quod à principio electi, & constituti populi, tu nobis es Deus. Quare te bonorum omnium authorem, & malorum depulsorẽ E habemus. Te solum, contempta omnium deorum fallaci turba Deum sanctum, & religioso cultu dignum agnoscimus. Hoc animos nostros spe certa confirmat, & vitæ nobis verè vitalis vsurã promittit. Si enim hactenus corripuisti, & afflixisti nos, fecisti vt pater, qui de filij salute sollicitus est; aut sicut iudex, qui iudicio suo id meditatur, & agit, vt errantem corrigat. Ideo spiritus dedisti bellaces Chaldęorum regi, vt auderet; & robur, vt posset cogitata perficere. Neque enim quicquam posset, nisi te fauente, quem in illam curam ex nihilo, & quasi à fundamentis excitasti.

Digitized by Google

13. *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum: & respicere ad iniquitatem non poteris, quare respicis super iniqua agentes, & taces deuorante impio iustiorem se?*

A 13. Loquor ad te, Domine, non vt in te aliquid non probem, aut admirer; sed vt tuam ad populum clementiam sollicitem. Scio oculis tuis nihil placuisse iniquum, & turpe, neque abs te probari, aut foueri, quæ iniusta sunt. Quare, Domine, causam videris, & patrocinium suscepisse eorum, quorũ iniqua mens est, & peruersa consilia? Quare pateris iustiores ab hominibus minùs probis, & iustis lacerari?

14. *Et facies homines quasi pisces maris, & quasi reptile non habens principem.*

14. Cur populus tuus sic à te deseritur, vt neque principem habeat, à quo regatur; B neque patronum, ad quem in aduersa, afflictáque fortuna confugiat: sed similis est marinis piscibus, quorum nullus est dominus; quos piscator exagitat, & in sagenam, ac rete nullo impediente concludit.

15. *Totum in hamo subleuauit, traxit illud in sagena sua, & congregauit in rete suum. Super hoc lætabitur & exultabit.*

15. Vt totum Nabuchodonosor, quasi piscator mare, Iudæorum regnum ciuibus exhauriat, omne admouebit bellicum instrumentum, sicut piscator admouere solet piscatorium, nẽpe hamum, rete, sagenam. Tantum porrò aberit, vt regium animum de aliena calamitate tangat dolor, vt potiùs C exultet, & de felici sagenæ suæ iactu gratuletur.

16. *Propterea immolabit sagenæ suæ, & sacrificabit reti suo: quia in ipsis incrassata est pars eius, & cibus eius electus.*

16. Quia suam industriam, atque consilia successisse feliciter videt, ideo sagenæ suæ, ac reti, omníque tot victoriarum instrumento honores impendet diuinos: quia illis rem suam vehementer auxit, & electos cibos sibi conquisiuit.

17. *Propter hoc ergo expandit sagenam suam, & semper interficere Gentes non parcet.*

17. Idcirco quia hoc piscationis genus quæstuosum esse vidit, nunquam ab expandendo reti manus, aut à gentium cæde gladium continebit.

Vers. 1. *Onus, quod vidit Habacuc Propheta.*]

1. DE onere, & visione sæpe à nobis actum est, & nunc proximè super Nahum, cuius exordium non est huic valde dissimile.

2. Vers. 2. *Vsquequò Domine clamabo, & non exaudies?*] Hoc loco Hieronymus impatiẽtis animi, & nimium queruli affectum significari putat; imò & grauius aliud fert de nostri Prophetæ libertate iudicium. Sic enim in Prologo ad hunc Prophetam: *Vides quòd temeraria vox sit, & quodammodo blasphemantis creatorem suum ad iudicium prouocare; & vas fragile aduersùs figulum, cur tale, vel tale factum sit, disputare.* Et ideo, inquit idem Hieronymus, quasi pœnitentia ductus quòd tam esset locutus liberè, & dicta, animúmque retractans, modestiùs de Deo, atque sublimiùs loquitur postea *cap.* 3. cui titulum *pro ignorantiis* præfixit. *Quia suprà temerè dixerat: Vsquequò Domine clamabo, & non exaudies? nunc agit pœnitentiam, & plangit, quod temerè sit locutus, petitque veniam, vt misericordiam consequatur, quia ignorans fecit.*

3. Sed licèt dolor aliquando si diuturnus sit, & vehemens, in verba cogat erumpere turbidioris affectus plena, etiam in eos, quos amamus, & D reueremur: tamen non puto neque apud nostrum Prophetam, neque apud alios, qui eadem sunt vsi loquendi libertate, quicquam dici liberiùs, & audaciùs, in quo aliquis modestiam, seu obseruantiam desideret. Est autem hoc orandi genus vsitatum, quod affectum indicat non tam indignantis, & offensi, quàm æstuantis animi, & desiderantis illa, propter quæ instituitur ea, quæ iudicari posset, querimonia; cùm tamen non sit nisi ardens, & humilis oratio. Sic Psal. 12. *Vsquequò Domine obliuisceris me in finem? vsquequò auertis faciem tuam à me? Quandiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem? Vsquequò exaltabitur inimicus meus super me?* Et quidem quando E oratio hæc non spectat propriam, aut priuatam causam, sed communem optat iniuriam propulsare, si reprehensibilis est, multo minus habet reprehensionis, cùm ex misericordia nata sit, non ex vindictæ, aut propriæ commoditatis desiderio.

Vehemens exordiendi orationem modus.

4. Hîc Patres ad mores multa. Primùm hoc orandi genus, quando ex Dei clementia fiducia nascitur, & audacia, quia nimirum Deum nouimus nobis bene cupere, & illi voluptati esse, atque

Libertas in oratione Deo aliquando grata.

ized by Goog

quæ adeò gloriæ nostras miserando leuare miserias. Sicut neque est illi orandi intempestiua constantia, qua amicus nocturnæ quietis tempore tres panes impetrauit ab amico; quod licèt dormienti amico molestum fuit, Deo tamen nullo modo molestum est, quando ad illam orandi constantiam, quæ videre poterat importuna, homines hortatur, & tandem, quod flagitant, exorant. Vt documento nobis est Habacuc, qui hoc illustre à Domino oraculum accepit post illa verba, quæ rusticæ cuiusdam aut illiberalis querelæ plena videbantur. Est (inquit Cyrillus) interdum infirmorum hoc orandi genus, Deo tamen non ingratum, & pondus interdum habet ad impetrandum maximum. Sic autem lib. 3. in Ioan. cap. 12. *Modesta (inquit) per orationem petitio perfectorum est, cui exæquatur imbecillium, ac infirmorum obiurgatio & murmuratio. Nec molestè ullo modo Saluator tulit.* (est autem ibi sermo de petitione illa, qua populus *Numer.* 11. cibos petiit.) *Nam quemadmodum ploratu necessaria sibi alimenta infantes flagitant, & hoc modo mater ad fouendos filios suos prouocatur; sic conquestus suus, obiurgationisque plenus clamor petitionis* (si ab infirmis adhuc, & infantibus in habitu virtutis sit) *locum retinet.*

Cur Deus postulata differat.

5. Secundò obseruant Deum multis de causis difficilem se ad aliorum postulata præbere, differreque diu aliorum vota. Quæ verò sint illæ causæ diximus in nostris Commentariis super Cantica, ad illud cap. 5. *At ille declinauerat.* Vide August. *de scala paradisi cap.* 8. Gregor. *lib.* 8. *moral. cap.* 20. Laurent. Iustin. *de connubio verbi cap.* 15. Addo ego aliam, quam adducit in hunc locum Hieronymus, *Quomodo si ægrotus & æstuans febribus aquam frigidam postulet, & dicat ad medicum: Vim patior, crucior, exanimor: vsquequò, medice, clamabo, & non exaudies? Et respondeat ei sapientissimus, & clementissimus medicus: Scio quo tempore debeam dare quod postulas, non misereor modò, quia misericordia ista crudelitas est, & voluntas tua contra te petit. Ita & Dominus noster sciens clementiæ suæ pondera, atque mensuras, interdum non exaudit clamantem, vt eum probet, & magis prouocet ad rogandum, & quasi igne excoctum ipsiorem, & puriorem faciat.*

6. Alij ab inurbanitate, & rustica quadam intemperie sic Prophetam vendicant, vt in eo plus laudis, & obseruantiæ in hoc libero agendi genere deprehendant. Dicunt enim non in sua loqui, sed in afflicti, & iniquè vexati populi persona. Ita hîc etiam indicat Hieronymus, quem alij non pauci, vt assolent, sequuntur, Haymo, Rensigius, Hugo. Quare non hîc obiicit, quid ipse sentiat, neque ex suo sensu verba hæc promit parùm ad maiestatem audientis accommodata; sed verba hæc reperit è populari sensu, aut certè quæ à populo in ea iniqua iactatione solitus esset audire. Id verò obiectum esse à populo cum aliqua offensionis significatione, nó infrequenter ex Isaia discimus *cap.* 58. vbi hanc querelam docet esse huic populo nimiùm querulo familiarem. *Me etenim de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt, quasi gens, quæ iustitiam fecerit, & iudicium Dei sui non dereliquerit. Rogant me iudicia iustitiæ; appropinquare Deo volunt. Quare ieiunauimus, & non aspexisti? humiliauimus animas nostras, & nescisti.* Quod si ita esset, minùs hîc audax, & illiberalis esset querela, quia non tam author est Propheta personæ suæ, quàm actor alienæ.

7. Sed est, opinor, verior explicatio prior, quæ ... agere Prophetam apud Deum populi cau... & dolere, quod illum male iactari videat;

& licèt populo illiberalis illa oratio fuerit plurimùm in ore, tamen Prophetæ fuisse cum populo communem. Sed poterit nihilominus rusticitatis nota, aut illiberalis audacia à nostro Propheta honesta defensione depelli, si dicamus illú referre hîc tantùm non quid ipse indignetur, & obiiciat, sed quod cogitarat antea, & nunc in seipso reprehedat, cùm ab illo errore diuino respó so liberatus sit. Est illiberale minùs referre quod antea senseris, vbi sensum illum abieceris, quàm sentire eadem, & profiteri publicè, aut exprobrare alteri. Sic Dauid *Psal.* 72. honestè refert se talia cogitasse, qualia nunc Habacuc, quæ tamen tunc sentire & exprobrare Deo non esset honestum. *Mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei; quia zelaui super iniquos pacem peccatorum, videns, &c. Et dixi, ergo sine causa iustificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas, &c.* Et hinc opinor accidere, vt non præmiserit Propheta modestum illud, & humile verbum, quod lenire solet si quid est in sermone illiberale, & rusticum; quod ab aliis viris sanctis prætendi solet. Quale est illud Abrahæ Genes. 18. *Absit à te, vt hanc rem facias, & occidas iustum cum impio, fiatque iustus sicut impius: non est hoc tuum, qui iudicas omnem terram: nequaquam facies iudicium hoc.* Sed his verbis, in quibus dici aliquid videtur audacius, reperitur illud, quod omnem orationis acerbitatem temperat. *Loquar ad te, cùm sim puluis, & cinis.* In argumento simili, & eodem fortasse tempore dixit Ieremias cap. 12. *Quare via impiorum prosperatur, benè est omnibus, qui præuaricantur, & iniquè agunt?* Verùm ante hæc præcesserat illud, *Iustus quidem tu es Domine, verumtamen iusta loquar ad te.* Horum verò nihil videmus in Habacuc.

Vociferabor ad te vim patiens, & non saluabis.] 8.
Hæc eodem, quo superiora, sensu dicta sunt. Illud hîc tantùm explicandum, quid sit *vim pati.* Mihi placet quod etiam visum est in Commentatiis super Isaiam ad illud cap. 38. *Domine vim patior, responde pro me.* Vbi diximus *vim pati*, verbum esse forense, quo significatur aliquem calumniis opprimi; & cùm æquitate causæ sit superior, iniquitate iudicis, & inimicorum fraudibus, & corruptis largitione iudiciis inferiorem esse. Quod indicat illud verbum *responde*, quo patroni significatur munus; & fauet plurimùm Septuaginta translatio, quæ sic habet *ἀδικούμενος*, id est, *affectus iniuria*: & multo magis vox Hebraica חמס *chamas*, quæ conuitia significat, sed præcipuè vim illam, quæ in iudiciis æquitati affertur, aut legi. Quare licèt de quacunque alia vi, aut iniuria, quam pauper à potenti, & iustus patitur ab impio, sermo sit: tamen de illa præcipuus est sermo, quam ab iniquo magistratu, ac iudice patitur iustus. Hanc porrò vim illatam à Chaldæis, & contra illos hanc esse institutam querimoniam, tenent cum Hieronymo plures alij. Sed placet magis quod omnes penè Græci Patres sentiunt, designari illos, qui inter Iudæos per vim, & iniuriam ad suos vsus tenuiorum, & iustorum commoda detorquent. Ita Theodoretus, Cyrillus, Theophylactus, Gregorius Nazianzenus orat. 1. Apologetica. *Quid autem, inquit, Habacuc? Hic quidem acriori etiam oratione vtitur, atque aduersus Deum ipsum stomachatur, ac benignum Dominum propter iudicium iniquitatem velut clamoribus insequitur, dicens: Vsquequò Domine clamabo?* Vbi obiter nota, quàm sit Gregorij de Habacuc querelis seuera censura, neque leuior est Eliæ in hunc Gregorij locum, vbi idem

 fertur,

Digitized by Google

sentit, quod Gregorius, sed grauiùs iudicat de Propheta. *Habacuc* (inquit) *aduersus ipsummet Deum stomachatur, & indignatur, atque incalescit, magnis clamoribus in bonum illum Dominum inuehens.*

9. Vers. 3. *Quare ostendisti mihi iniquitatem, & laborem videre prædam, & iniustitiam contra me.*] Tritum est illud, *Quod non videt oculus, cor non dolet.* Minùs enim afficiunt, quæ auribus, quàm quæ oculis transmittuntur ad animum. Dolere sanè poterat Habacuc, cùm audiret, quàm sine pudore, ac metu contribules sui omni vitiorum generi immoderatè indulgerent. Sicut qui audiunt in vltimis etiam terræ finibus diuinam prodi legem, & externæ, atque impiæ religioni honorem impendi, quem sibi verus, & vnus Deus exigebat. At hoc ipsum quemquam præsentem intueri, atque ita frequenter, vt nunquam non occurset oculis, quantus dolor? Quare qui propriis, aut suorum incommodis interesse contigit, beatos appellant illos, quibus immaturè sublatæ vitæ vsura talia videre, aut audire non permisit. Sic Mathathias Machab. lib. 1. cap. 2. *Væ mihi, vt quid natus sum videre contritionem populi mei, & contritionem ciuitatis sanctæ.* Sic euersa ciuitate in maxima doloris sui parte ponebat Ieremias, quod ipse suis oculis cadentem ciuitatem, & malè iactatum populum aspexisset. Thren. 3. *Ego vir videns paupertatẽ meam in virga indignationis eius.* In quam sententiam explicuimus illud eiusdẽ capitis, *Oculus meus deprædatus est animam meam.* Quæ sententia apud profanos frequens. Vnũ accipe pro innumeris aliis testimonium. Virgil. *lib.* 11. *Æneid.* vbi sic Euandrum in Pallantis funere loquentem inducit,

Grauius mouent quæ oculis, quàm quæ auribus capiuntur.

——— *Tùque ô sanctissima coniux*
Felix morte tua, neque in hunc seruata dolorem,
Contrà ego viuendo vici mea fata superstes
Restarem vt genitor.

Illud *contra me*, idem est atque *in oculis meis.* Sicut illud Psal. 50. *Peccatum meum contra me est semper.* Ac si dicat, quocunque oculos conuerto, occurrunt præda, vis, & iniquitas.

10. *Factum est iudicium, & contradictio potentior.*] Hæc mihi persuadent illud esse verum, quod paulo antè dicebamus, illud *vim patiens*, verbum esse forense, ac iudiciale, quod tunc habet locum, quando aliquis vrgetur criminationibus, & corruptis opprimitur iudiciis. Hoc verò satis, opinor, explicatur in *iudicio, & contradictione*, quæ non tam significant armatam manum, quàm instructam iniquè criminationem; non tam illos, qui conserti lacertis, ac ferro, quàm qui consersi iure, ac legibus rem suam aut repetunt ablatam, aut auferre student alienam. Ait ergo Propheta in eo rerum conflictu, accusatorum, & iudicum, quos largitio, aut aliqua alia corrupit iniqua ratio, contradictionem semper æquitate, atque iustitia esse superiorem.

Vim pati verbum forense.

11. Vers. 4. *Propter hoc lacerata est lex, & non peruenit vsque ad finem iudicium.*] Sunt qui putant hîc à Propheta significari ideo prodi ab iniquo iudice æquitatem, & quiduis criminatorem audere, si modò ad corrumpenda iudicia adsit pecuniarum facultas; quia Deus non statim sumit aut de corrupto iudice, aut de corrumpente accusatore supplicium. Iuxta illud Eccl. 8. v. 11. *Etenim quia non profertur citò contra malos sententia absque timore vllo filij hominum perpetrant mala.* In his est Vatablus. Et reuera vulgares animos hæc cogitatio adducit vehementer, vt aut in veteri peccato obstinatò hæreant, aut aliquid noui semper audeant; quia vt alios vident peccare impunè, sic

Impunitas peccata fouet.

A etiam impunita sibi putant fore peccata.

Sed placet magis quod cum Hieronymo sentiunt frequentes alij; ideo lacerari legem, frigere iura, & pro libidine omnia geri potius, quam diuinæ legis vllam haberi rationem, quia iniusti viuunt, regnántque in iudiciis; contra verò iusti in omni iudicio, ac foro conculcantur. Illi constituuntur custodes, & vindices legum, qui nihil magis oderunt, & horrent, quàm æquitatem, & legem; neque tam curant, vt cuique suum ius, & ex iure postulata tribuant, quàm vt gratiam ab aliis ineant, aut rependant; aut vt suas, conculcatis pudore, ac lege, facultates augeant. 12.

Et non peruenit vsque ad finem iudicium.] Peruenire ad finem iudicium, idem est atque obtinere id, cuius causa fuit à Deo, aut ab aliqua alia superiore, atque legitima causa constitutum: nempe vt in iudicio quis obtineat, quod alio modo neque legitimè, neque vi, si vis ab aduersario foret oblata, obtinere poterat. Cùm verò pauper vi non possit propulsare vim, hoc illi datum est à republica contra vim, & iniuriam fidele perfugium, à quo si excidat, à suo etiam iure, & commodis cadat necesse est. In hanc fermè sententiam accipiunt omnes alij. Chaldæus, *Neque procedit vnquam ius.* Tigurina, *Nec habet efficacem executionem iudicium.* Pagninus, *Et non egredietur in seculum iudicium.* Hieronymus idem esse censet, non peruenire ad finem iudicium, atque nullum iudicium esse iustum: finis enim iudicij iustitia est, quæ à iudicibus, id est, à legum interpretibus, declaratur. Sed cùm leges inter arma, atque munera iaceant, non exit è iudiciis, quod lex, & æquitas, sed quod armata vis, aut quod pecuniarum ineluctabilis potestas extorquet. 13.

Aut etiam non peruenire in finem, idem valet quod nunquam ad finem peruenire. *In finem* namque idem est quod *perpetuò: non in finem* idem quod *nunquam.* Psal. 12. *Vsquequò Domine oblimsceris me in finem?* id est, perpetuò. & Psal. 9. *Patientia pauperum non peribit in finem*, id est, nunquam peribit. Hanc ego explicationem, aut nihil, aut parùm arbitror à superiore differre. Posterior autem explicandi modus magis mihi videtur accommodatus. Quare hîc obseruo quod in iudiciis, ac re forensi, & nostra ætate fieri videmus, & superiori memoria factum esse audimus. Neque enim cum æquitate sic est profligatus iudicum pudor, vt non aliqua appareat licèt fucata species æquitatis. Quare aliqua proponitur iudicialis formæ futilis vmbra: fiunt destinatis à lege seu consuetudine temporibus legitimi consessus: præseferunt iudices & zelum legis, & ardens quoddam æquitatis seruandæ desiderium. Quod fecerunt quondam senes illi, qui Susannæ primùm pudori, deinde vitæ insidiati sunt. At citò illa honestatis species deflorescit, & laruatus ille zelus sese prodit. Nam vbi id sedulò, atque integrè factum oportuit, in quo tota continetur controuersiæ vis; mutatur agendi modus, & sensim eò res tota defluit, vt vincat violentus, & latro; & eò adducatur innocens, & iustus, aut qui sua repetit ab aliis ablata, aut qui sua ab aliis defendit, vt non solùm non obtineat illud, quod ius ipsum, & natura concedit; sed vt discedat insuper aut percussus pugno, aut grauibus oneratus iniuriis. Qua de re graues audimus in Scriptura sacra querimonias, Isaias cap. 3. v. 15. *Et faciem pauperum commolitis.* & cap. 58. v. 4. *Percutitis pugno impiè.* Vide quid nos in ea loca pluribus. Quod etiam frequens esse apud Romanos docet Iuuenal. 14.

In finem quid.

Æquitas in iudiciis violata.

Sat. 3.

Digitized by Google

Sat. 3. vbi de congressu pauperis cum potente, ac A diuite etiam in iudiciis agit; vbi siue pauper loquatur, siue taceat, quocunque se modo ad diuitem habeat, malè acceptus ad iudicium rapitur, & violenter opprimitur.

Dicere si tentes aliquid, tacitúsve recedas,
Tantundem est: feriunt pariter. Vadimonia deinde
Irati faciunt. Libertas pauperis hæc est.
Pulsatus rogat, & pugnis concisus adorat.

15. Non ergo peruenit ad finem iudicium; quia nihil tandem prouenit ex iudicio æquum, ac legitimum, cùm ex iudicio nihil consequatur pauper nisi plagam, atque ignominiam. Aut certè nunquam peruenit ad finem, quia licèt principio causa videatur legitimè tractari, & rectà ad finem, B id est, ad æquitatem, deduci; occurrunt tamen quædam impedimenta, & salebræ, quæ hærere cogunt iudicia, & retrorsum agi. Sicut viator retrò se nonnunquam agit, cùm inaccessi occurrunt scopuli, & insuperabiles salebræ. Sic si quãdo rectà in causis ingreditur iudex, occurrunt potentiorum promissa, & dona, metus, & minæ, & priuata interdum aut oblata, aut sperata commoditas; quæ transuertunt iudicia, & longissimè reuocant à fine.

16. *Quia impius præualet aduersùs iustum, propterea egreditur iudicium peruersum.*] Explicatio est superioris clausulæ; quæ rationem reddit, cur iudicium ad finem vsque non perueniat. Quia videlicet improbitas potens in timidis, aut cupidis iudicum animis longè fortior est inermi, & sola pauperum iustitia. Iudicium peruersum illud est, quod non æquitas moderatur, sed cupiditas, ambitio, odium, aut gratia, aut quæuis alia iniqua cogitatio à lege, & omni recta ratione distorta.

17. Vers. 5. *Aspicite in gentibus, & videte, & admiramini, & obstupescite.*] Hinc incipit prophetia; nam hactenus nihil accepit diuinitus Habacuc, sed id reperit dolens, aut, vt alij putant, subindignans, quod ipsa experientia nouerat, vt liquet. Cui nũc respondet Dominus, & de futuris rebus edocet, vt mirari desinat, ac existimare Deum humanarũ rerum curã abiecisse; & sciat nihil aut casu fieri, aut abiturũ impunè. Sed est huius loci varia pro variis cogitationibus explicatio. Hieronymus, qui hæc à Propheta ideo obiecta dicit, quia malè populus à Chaldæorum siue armis, siue dominatu iactaretur, ita sensum informat. Non esse cur secum iniquiùs, aut potiùs duriùs actum esse queratur; cùm nihilo mitiùs nationes alias vicinas acceperit Nabuchodonosor, in quas Prophetam, aut contribules, quorum agit causam, intueri iubet. Quarum cùm inopiam, sordes, & exitium attentè contemplati fuerint, non poterunt non admirari, atque obstupescere, cùm tantam videant rerum vicissitudinem. Porrò nationes alias, quæ Israelitarum attingunt fines, subactas fuisse à Nabuchodonosor, docuerunt Prophetæ alij, & expressiùs Ieremias *cap.* 25. Quo verò tempore nationes aliæ subactæ fuerint à Chaldæis, docuit Iosephus *lib.* 10. *cap.* 11. anno videlicet 5. ab excisa Hierosolyma.

18. Sed nos, qui suprà hasce Prophetæ querimonias non esse putamus contra Nabuchodonosor, sed contra iniquos magistratus, & iudices, eos denique Solymitanos ciues, qui siue dolo, siue vi, iustorum, atque inopum causam oppugnabant, opprimebántque; quod, meo iudicio, quæ præcesserunt, omnia non obscurè probant, aliter hunc locum exponamus oportet.

Querebatur Propheta, quod in ciuitate quidquis auderent, quorum maior esset vis, & potestas, idque omninò impunè; quare iustorum causa sic erat vilis, & oppressa, vt nihil æquum sperarent à potestate publica, & nihil non timerent ab inexhausta potentiorum auaritia. Quare respondet Dominus Prophetæ iustorúmque querimoniis, & docet tyrannicæ illi potentiæ imminere iam proximè ab hoste potentiori supplicium. Hostis autem ille est Nabuchodonosor, cui præter Chaldæos accedent complures alij, quos ipse aut mercede conduxit, aut imperio coëgit. In his fuere nationes variæ, quibus antea dominabatur, & quas subiugato Assyriorum imperio operam sibi iussit nauare militarem. Tum etiam vicinæ aliæ gentes, quæ aut Iudæorum antiquo, & propè naturali odio; tum etiam metu, ne quid ab hoste potẽtissimo paterentur incommodi, auxiliares illi manus admouerunt. Quales fuere Ammonitæ, Moabitæ, Idumæi, quibuscum Israelitæ, graues, ac penè continentes inimicitias aluerunt. In has gentes Dominus Prophetam, & alios, qui de diuina prouidentia queri videbantur, intueri iubet, quasi iam ingruerent armatæ, & ab illis duras expeterent pœnas, quas neque pudebat, neque pœnitebat suas sibi familias alienis spoliis exornasse. Id enim valet, *Aspicite in gentibus, & videte, & admiramini, & obstupescite.* Id est, ô vos, qui improborum fortunam liberam C existimatis à metu, eóque nomine aut inuidetis illi, aut etiam in me iustorum curam, & prouidentiam desideratis; aspicite quas gentes aduocem, per quas ab eis seueras exigam pœnas; neque minor vos stupor, atque admiratio capiet, cùm illorum afflictam, & sordidam conditionem intueri dabitur, quàm cùm illos exultantes, & lætos, & in vestris spoliis atque adeò in vestro sanguine triumphantes spectabitis. 19.

Porrò illud, *in gentibus*, idioma est Hebræorum, qui præpositionem interdum adhibent redundantem, & otiosam, & frequentissimè ב *beth*, id est, *in*, vt docet Pagninus *lib.* 4. *Instit. cap.* 22. vbi sat exemplorum. Sed hoc fit legitimè cum verbis, D quæ ad sensum pertinent oculorum. Vnde sæpè audimus, *Respice in me.* Psal. 105. v. 5. *Ad videndum in bonitate electorum tuorum*, id est, bonitatem. 20. REGVLA. *Præpositio aliquando redundat.*

Hæc mihi difficilia non sunt. Sed penè cogit me Paulus *Actor.* 13. vt verba hæc non tam ad iustos referam, quos viri improbi superbè, ac barbarè tractabant, quàm ad viros ipsos violentos, & improbos, quibus similes minatur exitus, & extremum exitium. Ita sanè videtur exposuisse Paulus Prophetæ verba, quæ non videntur accommodari posse, nisi ad eos, in quos magis inflammatur animus propter intemperantes mores, & barbarum ingenium, quàm inflectitur propter afflictam, vexatámque fortunam ad misericordiam. Sic igitur Paulus ad Iudæos, quos E minùs euangelicæ voci obsequentes habebat. *Videte (inquit) ne superueniat vobis, quod dictum est in Prophetis. Videte contemptores, & admiramini, & disperdimini, quia opus operor ego in diebus vestris; opus quod non credetis, si quis enarrauerit vobis.* Hæc Paulus, qui secutus est translationem Septuaginta, quam nos in illum locum *Actor.* 13. cum translatione vulgata conciliare tentauimus: neque in ea re ineruditè Ribera, neque negligenter laborauit, quem tu vide. Quod si ita est, vt profectò videtur esse dicendum, apostrophen hîc agnoscamus necesse est, per quam Deus ad illos con- 21.

 uertit

uertit minas, de quorum impunita improbitate querebatur Propheta.

22. Cur verò vulgatus *in gentibus*, Septuaginta verò *contemptores* conuerterint, ex literarum similitudine prouenit. Legit sine dubio vulgatus interpres *bagoiim*. Legerunt Septuaginta *boghedim*. Neque nouum est vt literarum leuissima mutatio, ac flexus in varias lectiones adducat interpretes.

23. *Quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet, cum narrabitur.*]Præteritum tempus pro futuro ponitur, quod Prophetis familiare est. Neque enim quo tempore hæc dicebantur, talia passi fuerant Iudæi, qualia nunc audiunt à Propheta. Illud verò eiusmodi futurum esse dicitur, vt supra fidem fore videatur. Quis enim credat templum omnium, quæ mundus norat, augustissimum, quodque Deo tantæ curæ fuerat, ab eodem Deo æquandum esse solo, & tradendum Chaldæorum incendio? Quis ciuitatem tam egregiè ab arte, naturáque munitam venturam aliquando in hostiles manus? & eò redigendos miseros ciues, vt parentes filiorum carnibus, & filij parentum, extrema vrgente fame, vescerentur? Sanè hæc incredibilia sunt, sed & illa stuporem etiam adducent his, qui audierint gentem olim luculentam, & strenuam, & tam vicinis, quàm remotis nationibus formidabilem ad seruilem conditionem abiectam, & vitam vsque adeò ærumnosam, & vilem, vt nihil videatur excogitari posse miserius, nihil luctuosius. Hoc idem dixit post excisam vrbem, & abductum populum Ieremias Thren. cap. 4. v. 12. *Non crediderunt reges terræ, & vniuersi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hostis, & inimicus per portas Ierusalem.* Tantum verò, cùm ciuitas adhuc minùs esset munita, Iebusæi siue naturali, siue ab arte quæsito munimento tribuebant, vt à claudis, & cæcis defendi posse à quantocumque inimicorum exercitu confiderent.

24. Vers. 6. *Quia ecce ego suscitabo Chaldæos Gentem amaram, & velocem.*] Si, quemadmodum Prophetis est familiare, pro futuro vsurpare præteritum, sic etiam foret vsitatum pro præterito adhibere futurum, minùs esset difficilis illorum sententia, qui queri opinantur Prophetam de iniuriis, quas Iudæorum genti intulere Chaldæi. Sed locus iste, qui rem omnino futuram esse indicat, dubitare non sinit. Docet igitur Deus lituros esse pœnas Iudæorum magistratus, & principes, quas dabunt Chaldæis diuinæ seueritatis administris; seu potiùs Deo, qui pœnas repetet per Chaldæos. Quorum ingenium, & mores, & militarem apparatum non tam accuratè describeret, si iam Iudæis nota forent; quod quidem videbatur necessarium, si iam ab illis post obsidionem longam expugnata esset Hierosolyma. Describit autem Chaldæorum tā mores, quam spiritus admodum pugnaces, & illa, quæ ad felicem rerum euentum magno solent esse præsidio. Primùm gentem appellat *amaram*, id est, immitem, quam nullius calamitas, aut preces ad misericordiam inflectant, aut quæ studio sibi, ac voluptati esse ducat aliis esse molestam. Mezentius accepturus iugulo hostile ferrum, imminentem hostem amarum appellat. *Hostis*, inquit, *amare quid increpitas?* Deinde *velocem*, aut quia citò aderit, aut quia festinatò rem agit, & moras omnes rumpit quantumcunque graues. Seu quia quemadmodum, vt statim dicemus, equi, qui ad Euphratem aluntur, velocissimi

Chaldæorum descriptio.

sunt; sic etiam Chaldæi, quorum Euphrates fines interluit, pedum pernicitate pollent; quæ in eo, qui militarem sequitur gloriam, non exigua commendatio est. Quo nomine sæpè commendatur Achilles ab Homero, à quo vocatur πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς.

Ambulantem super latitudinem terræ, vt possideat tabernacula non sua.] Si hæc eo tempore dicta sunt, in quo Assyriorum imperium aut translatum fuerat ad Chaldæos, aut in eo debellando Chaldæorum studia, & arma laborabant (quod mihi videtur non improbabile) non est obscura huius loci sententia. Ambulabat enim tunc super latitudinem terræ, id est, super terram spatiosam, & latam, vt suo sibi subiugaret imperio, & tabernacula non sua, iam tamen armis superata, tanquam dominus iam sua possideret. Quòd si nondum ad Chaldæorum ditionem Assyriorum imperium accesserat, illud *ambulantem*, qui secundus videtur esse actus, vt Logici dicunt, pro primo sumitur, id est, pro illius gentis inclinatione, ac genio, qui ad aliarum gentium ruinam, & suorum finium amplificationem sponte rapitur. Quare parata est eò ferri, per summas etiam difficultates, & salebras, vnde se aliqua spes commoditatis ostentet. 25.

Vers. 7. *Horribilis, & terribilis est.*] Ad ambitiosos, & pugnaces spiritus accedit quædam horribilis species, quæ scintillantibus oculis furorem aspirat, & vox ipsa truculentum aliquid, & ferinum sonat. 26.

Ex semetipsa iudicium, & onus eius egredietur.]Obscura translatio difficilem reddit huius loci sententiam. Sed est non difficilis, si pronomen reciprocum in absolutum mutes; quod in Scriptura sacra frequens est. Quod inde nascitur, quia Hebraicum pronomen affixum tertiæ personæ ad reciproci, atque absoluti pronominis vsum patet. Quare non semel cum reciproca est significatio absolutum, & cum absoluta reciprocum pronomen adhibetur. Absolutum posuit Zacharias cap. 12. v. 10. *Plangent eum planctu, quasi super vnigenitum*, pro plangent se. Quomodo ad illum locum respectans dixit Ioannes Apocal. 1. *plangent se.* In hunc sensum explicuimus illud Isaiæ 25. de Moab. *Humiliabit gloriam eius, cum allisione manuum eius.* id est, *gloriam suam, & manuum suarum.* Contrà verò reciprocum pro absoluto. Genes. 2. *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi.* id est, simile ei. Iuxta hæc explicuimus illud Isaiæ 59. *Saluabit sibi brachium suum.* Vbi vtrumque reciprocum sumitur non reciprocè. Sic hoc loco, si illud *ex semet* sumas non reciprocè, sensus erit facilis. *Ex ipsamet gente Chaldæorum, quam modo descripsi, exibit illud onus, quod tibi denuncio, & illud iudicium, quod subire tua merentur peccata.* Hanc lectionem aut expressè tenent, aut non obscurè indicant communiter interpretes cum Hieronymo, qui in Commentariis legit non reciprocè. Cuius explicationem expeditam, & facilem illam esse arbitror, quam nunc adduxi. Variæ adducuntur ab aliis, quas hic breuiter adducam, vt ex omnibus lector, quam volet, eligat. 27.

Regula. Pronomen tertiæ personæ interdum reciprocum, aliquando secus.

Quidam vsque adeò crudele, ac barbarum, seu tyrannicum futurum esse dicunt Chaldæorum genus, siue in administrando bello, siue in ferendo iudicio, vt omni se lege liberos esse statuant. Neque alias vllibi sequantur leges, nisi quas illis auaritia, ambitio, aut etiam animi libido præscripsit, aut certe victoriæ obtinendæ 28.

quarum

d by Google

quæcunque ratio. Ita ferè Theodoretus, qui in suam sententiam adducit Symmachi translationem. *Hoc*, inquit, *explicatius Symmachus posuit. Ipsa sibi iudicabit, & decretum suum exequetur.* Idem fermè Cyrillus, & Ribera, Dionysius, Hugo, Glossa, Haymo, Remigius, & Figuerius tres adducunt explicationes, quæ sumptæ dicuntur ex Hieronymo, apud quem ego non inuenio, neque facilè assequor quid ipse sentiat. Verba hæc sunt, quæ alij repetunt, quæque Hieronymi esse dicuntur. *Ipsa gens Chaldæorum ex semetipsa constituet principes; & potestas eius, & gladius eius aliarum gentium satellites non habebit. Vel certè quomodo fecit, fiet ei.* Hoc postremum etiam approbat Lyra.

29. Sed vt verum fatear, aliquid in his expositionibus occurrit, à quo nescio quomodo abhorret assensio. Illud prius minùs mihi videtur esse difficile: quod videlicet id facient Chaldæi, quod ipsis libuerit; neque alia lege suam vel cupiditatem, vel iram moderabuntur, quàm victoriæ, vel prædæ opportunitate. Quod faciunt illi, qui suis obsequuntur affectibus, neque Deum timent, neque quicquam habent pensi, quid homines sentiant, aut loquantur. De quibus est illud tritum, *Sit pro ratione voluntas.* Tales erant illi, de quibus est illud Ennianum,

Tollitur è medio sapientia, vi geritur res.
Non ex iure manu consertum, sed mage ferro
Rem repetunt.

Horum ingenium expressit Seneca in Hercule furente,

Ius est in armis, opprimit leges timor.

30. Quòd verò dicunt quidam ex Hieronymo, quod non credo, gentem illam ex seipsa conscripsisse copias, nec alienos aduocasse, aut còduxisse milites, nullo mihi modo probari potest. Quoniam lego nationes alias suas vires, atque consilia cum Chaldæis coniunxisse ad Solymitanæ ciuitatis exitium. Ita Ieremias cap. 1. v. 15. *Quia ecce ego conuocabo omnes cognationes regnorum Aquilonis.* De Idumæis constat ex Psal. 136. *Memor esto Domine filiorum Edom in die Ierusalem.* & Thren. cap. 4. v. 21. de Ælamitis, id est, de Persis docuit Isaias cap. 22. vers. 6. *Et Ælam sumpsit pharetram.*

31. Illud tertium, quod ex seipsa gens Chaldæa iudicium sibi sumet, & onus, id est, patietur talem, qualem Hierosolymis intulit cladem; licèt verum sit, vt etiam ante hoc tempus prædixerat Dauid Psal. 136. *Filia Babylonis misera: beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis.* Verùm neque necessarium videtur, cùm hac ipsa de re satis postea luculenter, & grauiter, neque videatur admodum cum textu cohærere; in quo, quæ consequuntur, & præcedunt, furorem, & spiritus proponunt insolentes, & truces, & ad bella conficienda militarem instructum: quare ægrè admodum ab hoc argumento separatur, nempe ab Hierosolymæ clade, id quod modò explicare contendimus. Mihi, vt dixi, illa videtur explicatio soluta, quam primo loco produxi, quæ docet à gente Chaldæa egressurum illud onus, quod Solymitanis Propheta denunciat; & iudicium, quod Deus summus rerum, & æquissimus iudex faciet de peccatis, quorum tantam viderat in ciuitate proluuiem.

32. *Chaldæorum equi velocissimi.* Vers. 8. *Leuiores pardis equi eius.*] Velocissimos esse Chaldæorum equos, tam sacræ, quàm prophanæ literæ testantur, vt nos pluribus docuimus ad illud Ieremiæ cap. 4. v. 13. *Quasi tempestas currus eius, velociores aquilis equi illius.* & Thren. cap. 4. v. 19. *Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cæli.* Ex prophanis aliquid nos adduximus suprà ad cap. 4. Ieremiæ. Sanè Oppianus equos, qui ad Euphratem pascuntur, velocissimos esse dicit, & ita audaces, & ad insequendum strenuos, vt ipsos etiam intrepidi aggrediantur leones. De quibus sic Oppianus,

Qui habitant virides Euphratis ad vndas,
Magnanimis vtuntur equis in bella leonum,
Accedit leuitas cursus, quòdque ora leonis
Intrepidi perferre valent, vocésque superbas,
Cùm reliqui fremitus nequeant tolerare minaces.

Pardis comparantur Chaldæorum equi, tum quia sæui sunt, vt modò vidimus ex Oppiano, tum quia velocissimi. Quàm porrò sit pardus velox, docet Plinius *lib. 10. cap. 73.* vbi ostendit quo artificio in prædam insiliat, quóve modo illam captet, atque conficiat. *Insidunt* (inquit) *in Africa pardi condensa arborum, occultatique earum ramis in prætereuntia desiliunt, atque è volucrum sede grassantur.* *Pardorum velocitas.*

Et velociores lupis vespertinis.] Lupi dicuntur vespertini, aut nocturni, tunc verò maximè cùm fame crucientur, & acerrimè sæuiunt. Quidam genus quoddam luporum esse opinantur, quorum velocitas magis est nota, & crudelitas maior; quales esse credũtur in Arabia. Et ita Septuaginta conuerterunt, *Velociores super lupos Arabiæ.* Iuxta quam translationem sic Cyrillus, *Equos*, inquit, *pardalibus comparat, subsultans admodum animal est pardalis, & leuitate mira præditum ad insiliendum in eos, quos insequitur. Item lupis Arabicis, quos ferunt aliis sæuitia multis partibus antecellere, celeritérque facto impetu, in quos voluerint, incurrere.* 33. *Lupi vespertini.*

Ego primùm lupos hosce non puto pertinere ad Arabiam, licèt in Arabia fortasse lupi sint veloces, & feri, quique optimè equorum, qui ad Euphratem aluntur, naturam, & celeritatem exprimant. Sed arbitror potiùs luporum exprimi celeritatem, & rabiem, quæ tunc apparet maximè, quando tempus aduenit nocturnum, seu, quod idem est hoc loco, vespertinum. Tunc enim cùm fames vrgeat in ieiuno ventre, quia interdiu lupi, cùm prædari non audeant, totum diem transigunt per inediam; vbi primùm obrepsit nox, ex suis lustris ad prædam egrediuntur. Quod etiam aliis feris vsitatum esse, & norunt magno suo incommodo armentarij omnes, & traditur apertè Psal. 103. *Posuisti tenebras, & facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluæ. Catuli leonum rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi. Ortus est sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur.* Huc inclinant interpretum plerique; Græcos excipe, & qui Septuaginta interpretum translationem sequuntur. Hanc porrò luporum celeritatem, & rabiem nocturno tempore etiam agnouere prophani, adduxereque in magni alicuius, & rapidi furoris comparationem. Qua de re nos ad illud Ieremiæ cap. 5. *Lupus ad vesperam vastauit eos.* Est accommodatum exemplum illud Virgilianum ex lib. 7. Æneidos, 34.

Ac veluti pleno lupus insidiatus ouili
Nocte super media, tuti sub matribus agni
Balatum exercent, ille asper, & improbus ira
Sæuit in absentes, collecta fatigat edendi
Ex longo rabies, & sicca sanguine fauces.

Et magis accommodatè lib. 2. Æneidos,

——— Inde lupi ceu
Raptores atra in nebula, quos improba ventris
Exegit cæcos rabies, catulique relicti
Faucibus expectant siccis, per tela, per hostes
Vadimus haud dubiam in mortem.

Accedit

35. Accedit quòd quemadmodum feles noctu venantur, quia noctu vident, atque ideo nocturni prædones vocari possunt: sic etiam lupi, quia nullæ illis tenebræ videndi facultatem aut eripiunt, aut hebetant, nocturni, seu vespertini appellari possunt. De quibus Ælianus lib. 10. cap. 17. *Acerrimis, atque acutissimis* (lupus) *præditus est oculis. Enimuero intempesta nocte, vel luna ipsa silente, lucis vsura perfruitur, & tametsi omnibus tenebræ offunduntur, non huic tamen lux eripitur.* Hinc, opinor, matutinum crepusculum à Græcis λύκη, seu λυκαῖον, id est, *lupina lux* dicitur; quia hæc prima lux est, quam nocturnus lupus aspicit, & quam solum sustinet, ex quo familiare sibi cubile deseruit: nam statim se in tenebras abdit, & opaca syluarum.

Lupi noctu videant.

36. Neque huic cogitationi officit Septuaginta translatio, quæ pro *vespertinis* reddidit *Arabia*. Nam vox Hebr. ערב *ereb. vesperum* significat, & *occasum*. Vnde Arabia nomen accepit, quæ ad occasum spectat. Hæc porrò vocis communitas fecit, vt ערב interdum pro vespere, seu occasu sumatur, interdum pro Arabia. Nonnunquam verò pro vna significatione sumitur altera, quæ illi proxima est, licèt minùs propria, vt pluribus ostendimus in nostris Commentariis in Psal. 67. ad illud, *Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum.* Et in hoc ipso nomine habemus illustre exemplum in hoc Psal. v. 4. vbi cùm sermo esset de Arabia, in qua mons est Sina, de quo ibi multus sermo pro Arabia, *occasus*, id est, vesper, adhibitus est. Sic etiam nunc cùm sermo fit de vespere, aut occasu, propter communem significationem Septuaginta transtulerunt Arabiam, quod etiam fecerunt Sophon. cap. 3.

Arabia pro occasu.

37. *Vespertinus* autem pro *nocturno* ponitur, sicut etiam *vesper* pro *nocte*, vt communiter accipiunt interpretes illud Genes. 1. *Factúmque est vespere, & mane, dies vnus*, id est, dies & nox. Porrò *vespertinum, nocturnum, matutinum*, & similia sumi non solùm pro temporibus, sed etiam pro personis, quæ temporibus illis aliquid moliuntur, in omni lingua vsitatum est. Sic nocturnus dicitur fur, adulter, insidiator; matutinus, qui mane venit. Virgil. lib. 8.

Nec minùs Æneas se matutinus agebat.

Et vespertinus hospes. Horatius lib. 2. Sat. 4.

Si vespertinus subitò te oppresserit hospes.

38. *Et diffundentur equites eius.*] Descripsit equorum velocitatem, nunc addit, quò se explicet, atque diffundat illa tanta celeritas: tam videlicet latè, quàm latè Chaldæorum patet ambitio, & iam antea animo concepta multiplex victoria. Quare varias peragrabunt prouincias equites Chaldæi; neque enim viæ erunt vllæ vsque adeò latæ, neque prouincia vna quantumcumque diffusa spatiis, quæ tantam capiat multitudinem. Quocirca quasi coangustati limitibus, & angustiarum impatientes ad nouas se prouincias acquirendas effundent. Vbi vulgatus *diffundentur*, Chaldæus legit *multiplicabuntur*. Quo verbo causa ostenditur, cur diffundendæ sint Chaldæorum acies. Tantam enim multitudinem neque locus vnus capere, neque alere commodè sufficiet: atque ideo illis necessarium erit nouas sibi asciscere regiones, vt actis hinc inde prædis delicatam famem, & ambitiosam cupiditatem exsaturent.

39. *Equites enim eius de longè venient.*] Explicat cur tanta futura sit equitum multitudo, quia de longissimis regionibus cogentur milites, vel euocati imperio, vel mercede conducti. Quomodo autem sub Chaldæorum signis diuersa regna fuerint, diximus paulo antea: & docet satis illud Ieremiæ cap. 1. *Ecce ego euocabo omnes nationes regnorum Aquilonis, &c.*

Volabunt sicut aquila festinans ad comedendum.] 40.
Non semel Nabuchodonosor, & Chaldæorum exercitus comparantur aquilæ, tum ob robur, quo aggreditur magna, tum ob velocitatem, qua assequitur alta, & ardua superat; tum vel maximè quia rapto viuit, & præda delectatur, & sanguine, ad quæ præcipiti se volatu, neque exitu prorsus inani demittit. Sic *Ierem. cap. 48. v. 40. & cap. 49. v. 22. & Ezechiel. cap.* 17. Hîc verò comparatur Chaldæorum robur, & ingenium aquilæ, qui ad prædam aspirat, & aduolat, & quia id agit festinatò. De velocitate aquilarum ad prædam Isidorus lib. 12. cap. 7. *Tanti enim contuitus esse dicitur, vt cùm super maria immobili penna feratur, nec humanis pateat obtutibus, de tanta sublimitate pisciculos natare videat, ac tormenti instar descendens raptum prædam pennis ad littus pertrahat.* Illud, *tormenti instar*, magnum habet ad celeritatis amplificationem pondus. Perinde enim est ac si dicat aquilam ad prædam non minore celeritate ferri, quàm ab arcu sagitta excutitur, aut à bombarda plumbeus globus exploditur. Eadem similitudine vsus est Ieremias cap. 4. *Velociores aquilis equi illius.* & Thren. 4. *Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cæli.* Et magis ad hunc locum Deut. 28. v. 49. *Adducet Dominus super te gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus in similitudinem aquilæ volantis cum impetu.*

Aquilæ ad prædam magna velocitas.

Vers. 9. *Omnes ad prædam venient: facies eorum ventus vrẽs.*] Omnes illi ea celeritate, qua pardus, aut aquila ad prædam aduolabunt, neque magis mites, neque minus horribiles, aut sitientes sanguinis. Quorum ingressus sic erit truculentus, & noxius, vt quacunque pergant, peruasisse videatur aut ventus vrens, ac pestilens, aut locustarum agmina, aut grandinis vis inimica, & rapida, quæ stratis segetum calamis: neque antiquæ fœcunditatis vestigium relinquit. Vbi vulgatus *ventus vrens*, Hebr. est קדימה *kedimah.* quod aliquid significat orientale, qualis est ventus, qui perflat ab Oriente. Qui ventus Solymitanis grauis est, & pestilens; atque ideo prouerbiali forma pro re sumitur, quæ valde noxia est, & quæ magna sunt, & speciosa, momento temporis sternit, & exurit. Sicut etiam ignis, qui munus breui peragit suum, & grassante flamma obuium quodque apprehendit, & conficit. Sic Ezech. 17. v. 10. de Hierusalem. *Nónne cùm tetigerit eam ventus vrens siccabitur?* Et iterum cap. 19. v. 12. de eadem, *ventus eius siccauit fructum eius, marcuerunt, & arefactæ sunt virgæ roboris eius.* Idẽ *Ierem. cap. 4. v. 11. & cap. 18. v. 17. Iob c. 27. v. 21.* Plura de hoc vento, & de illius vsu prouerbiali, ad illud Oseæ cap. 13. v. 1. *Et adducet ventum vrentem Dominus.* Quare non laboro, an Babylon, seu Assyria ad partem orientem Hierosolymæ pertineant, satis enim est si Babylon id faciat, quod ventus vrens: neque in prouerbiis aliquid aliud expectamus. Est autem hoc in Scriptura frequens, vt cum vrente vento comparetur exercitus, quia non lentè, sed violenter, & vno impetu concutit, & prosternit omnia. 41.

PROVER. Ventus vrẽs pro re pestilenti & noxia.

Facies eorum.] Grauis est hæc amplificatio, quæ ostendit, quantum insit terroris in vultu, quantum in oculis minarũ, cum ipso aspectu, si absint cætera bellorum instrumenta, obuios quosque prosternant viri Chaldæi. Barbarum illis ingenium, & truculentos spiritus tribuerat; nunc autem 42.

Chaldæorum vis, & feritas.

Digitized by

autem maius aliquid messe demonstrat. Quare confert cũ his feris, quibus ea vis est in oculis, is in vultu terror, vt vel ipso tãtùm intuitu conficiant, aut exanimenr. Tale est illud vulgatum satis siue fabulosè, siue historicè de lupo, qui eis, quos primùm aspexerit, adimere dicitur loquendi facultatem. Et nonnullis vsque adeò noxij spiritus dicuntur ex oculis vibrari, vt vires adimant, & florentibus annis senilem inducant maciem, & luridú aspectum; de quo plura qui de fascino disputant. Sed tribuit quoque quod ignobilium ferarum proprium est, & animæ pessimæ documentum clarum, nempe illos exanimari quamprimùm, quos ab illis belluis videri contigerit. Quod de Amphisbæna docet Georgius Pictorius in Lerna κακῶν.

Oculorum in quibus noxia vis.

Est grauis in gemino surgens caput Amphisbæna
Serpens, qui visu pernecat, & sibilo.

43. Idem de Catoblepis tradit Plinius, & de Basilisco, de quo plura qui de re naturali disputãt. Hæc pro illorum sententia, qui de vultu hæc atque aspectu Chaldæorum accipiunt. Cui fauet vulgo familiaris locutio, qui dum hominem truculentum, & barbarum exprimere volunt, hoc fermè modo significare solent. *Non possum sustinere oculos, vultum subire, ipse me oculorum coniectu frangit, & exanimat.* & in hunc modum mille alia.

Amphisbæna, Catoblepis, & Basilisco vis in oculis noxia.

44. Ego hæc probo, neque tamen improbarem, si quis diceret, in Chaldæorum faciebus, Chaldæos ipsos intelligi, vulgato Scripturæ sacræ more, quæ aliquid per faciem illius circumscribit. Quare *facies hominis*, seu *vultus hominis*, idem est quod *homo*. Vnde placare alicuius faciem, aut deprecari alicuius vultum, idem est quod placare, seu deprecari aliquem. *Facies gladij, frigoris, famis, arcus,* nihil est aliud quàm *gladius, frigus, fames, arcus.* Sic ergo dum Propheta dicit Chaldæorum faciem esse ventum vrentem, nihil aliud significat, opinor, quàm Chaldæos, quacunque ingressi fuerint, instar vrentis venti vastaturos omnia.

Facies pro eo cuius est facies.

45. *Et congregabit quasi arenam captiuitatem.*] Hic erit effectus vrentis venti, quem appellari diximus *kedimah*, seu *kadim*, qui non solùm halitum habet vrentem, & noxium, sed etiam vehementem, & rapidum; qualis est, qui *typhon* dicitur, aut *turbo*. Vt pluribus ostendimus ad illud Oseæ cap. 13. *Adducet ventum vrentem Dominus de deserto.* Et quidem vtrumque dedit huic vento Iob cap. 27. v. 21. *Tollet eum ventus vrens, & auferet: & velut turbo rapiet eum de loco suo.* In vtroque hemistichio eadem est sententia; nisi quòd in priori similitudinis exprimitur forma, in posteriori subauditur. Vrit ventus ille, quod proprium spiritus ignei; & rapit, atque dispergit, quod proprium est turbinis. Priorem induxit calamitatem, seu incendium, quando exussit quidquid erat frugiferum, & pulcrum in Iudæorum finibus, atque ita reliquit deformatum, & horridum, vt nihil fuerit ex tanta specie, ac maiestate reliquum præter illius aut informe cadauer, aut immane bustum. Posteriorem verò cùm ciues, & ciuium, ac ciuitatum ornamenta aliò traduxit ea celeritate, atque impetu, quo à turbine rapiuntur stipulæ. Adhibuit autem Propheta pro captiuis *captiuitatem*; quod in Scriptura frequens est, quæ abstractum vsurpat pro concreto. Ponitur autem prouerbiali specie arena maris pro ingenti multitudine; quæ hyperbole Scripturæ sacræ familiaris est. Exẽpla occurrent passim mediocriter attento.

46. Vers. 10. *Et ipse de regibus triumphabit, & tyranni ridiculi eius erunt.*] Eadem est vtriusque hemi-

A stichij sententia: nempe reges omnes, quicunque Nabuchodonosoris consilijs aduersari voluerint, ab illo habendos esse ludibrio; vel quia illorum arma, atque munimenta contemnet, & quasi per iocum, & ludum, quidquid habuerint virium, franget, & euertet; & hoc potiùs: vel quia illos sic versabit pro suo arbitratu, sicut Dominus seuerus, & potens abiectum, & debile mancipium. Quod sanè fecit Nabuchodonosor in perturbanda, ac componenda iterum, & sæpiùs Iudæorum republica; & in aliis fortasse prouinciis, quas suo sibi subiugauit imperio: tametsi de his nihil in Scriptura sacra certum habeamus.

Nabuchodonosoris potentia, & aliorum contemptus.

B Ademit regnum Ioachimo, & paulo pòst restituit; & rursùs debellauit, & occidit, vt diximus super Ieremiam *cap. 22. num. 24.* Ereptum à parente regnum dedit illius filio Iechoniæ, quem statim post tres menses ab inito regno è solio deposuit. An non est hoc Nabuchodonosori reges esse ridiculos, & illos habere dignos, in quibus iocandi, atque irridendi idoneam haberet, paratámque materiam? Neque minùs ridiculum habuit, & quasi iocularem Sedeciam, cui post regnum effodit oculos, & cum insigni illius ignominia, atque ludibrio lasciuos conuiuarum oculos oblectare voluit. Historiam habes in nostris Commentariis super Ieremiam *cap. vltimo, in fine.* Quod etiam nobis necessariò

C repetendum est statim *cap. 2. v. 15.* ad illud, *Væ qui potum dat amico suo mittens fel suum, & inebrians, vt aspiciat nuditatem eius.*

47. Vbi vulgatus, *triumphabit*, Hebr. est יתקלס *ithcalas.* id est, subsannabit, irridebit, contemnet. Quomodo omnes penè alij transtulerunt. Sed qualis sit hęc subsannatio, seu irrisio, aut etiam vt Septuaginta conuerterunt, παίγνια, id est, ludibria, non omninò certum. Mihi, quod nuper dixi, non admodum displicet, præsertim in explicatione prima. Hieronymo hæc à nonnullis explicatio tribuitur, quam tamen ego apud illum non inuenio, non tamen ab illius translatione dissentit: & tenent illi, qui ab Hieronymi

D sententia non nisi rarò dissentire solent, Haymo, Remigius, Dionysius, & Lyra. Quòd nempe Nabuchodonosor reges deducet in triumpho constrictos, videlicet ante currum, & habebit irrisui. Ita fortasse, neque forsitan aliter, quàm ante hæc tempora fecisse traditur Sesestris Ægypti rex, qui eò processit insolentiæ, vt reges forte ductos singulis annis ad currum iungeret, vt ea inusitata pompa supra reges esse, atque adeò supra homines videretur. Cuius insolentiæ planè insanæ, ac barbaræ meminit Plinius *lib. 33. cap. 2.* Diodorus Siculus *lib. 2. cap. 1.* De quo etiam Lucanus *lib. 10.*

Sesestris insolentia barbara.

Venit ad occasum, mundique extrema Sesestris,

E *Qui Pharios currus regum ceruicibus egit.*

48. Quomodo tyranni vox olim odiosa non fuerit, sed idem tyranni audierint quod reges, aut principes, satis est notum. Et quidem apud Danielem *cap. 3.* imperij proceres tyranni dicuntur, neque hoc loco dubitare licet, cùm vox Hebraica רזנים *rozenim* principes, aut reges significet. Eodẽ modo accepere prophani. Virgil. lib. 7. de Ænea,

Tyranni olim nomen honestum.

Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni,

Et paulo pòst de Latino rege,

Principio Latium, & Laurentis tecta tyranni
Celsa petit, tacitúmque obsedit limen Amatha.

49. *Ipse super omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem, & capiet eã.*] Hic locus mihi persuadet veram esse explicationem illam, quam priori loco posui,

Digitized by Google

posui, mihique præter cæteras probari dixi; nempe reges omnes Nabuchodonosori fore ridiculos, & illorum vires quasi per ludum, & iocum fore frangendas. Ridebit enim contemnetque munitiones omnes, & vrbium propugnacula, quantumuis ab humana potentia videantur superari non posse. Quia & ipse machinamenta inueniet, quæ & mœnia disiiciant, & fossas compleant; peruium denique, atque expeditum reddant, quidquid hominum ars, & industria, & ipsa natura impedimentorum opposuit. Comportabit enim aggerem, excitabit vallum, pluteos aget, & vineas, vim admouebit militum incredibilem, cui impar sit omnis munimentorum comparata firmitas, & propugnatorum virtus, atque contentio. Vt autem reges omnes Chaldæorum regi dixit futuros esse ridiculos; sic etiam omnem munitionem à quocunque rege, seu ciuitate comparatam affirmat eidem futuram esse ludibrio.

Nabuchodonosoris ad oppugnandũ machina.

50. Sanè non videbatur vlla hominum industria, aut pertinaci potentia expugnari posse Hierosolymam: at illa ciuitatis munimenta Chaldæorum succubuere constantiæ; contra quæ talia comparauit Chaldæorum rex, qualia in latere describere iussus est Ezechiel cap. 4. v. 1. *Sume tibi laterem, & pones eum coram te, & describes in eos ciuitatem Ierusalem. Et ordinabis aduersus eam obsidionem, & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem, & dabis contra eam castra, & pones arietes in gyro.* Idem fermè *cap.* 21. *vers.* 22. Quod quàm accuratè præstiterint Chaldæi, docet Iosephus lib. 10. Antiq. cap. 11. in principio. *Interea* (inquit) *Babylonius pergebat in expugnandis acriter Hierosolymis, extructis aggeribus, & erectis turribus, ex quibus arcebat propugnatores stantes in mœnibus: multos enim aggeres circumquaque excitauerat vrbis muro altitudine pares.* Nunquam sibi persuaserant Tyrij futurum, vt ciuitatem suam, quam mare vndecunque circundabat, & alia tum artis, tum naturæ præsidia hostilis caperet, aut etiam aggrederetur manus; illam tamen aggressus est, & cepit Nabuchodonosor, constrato aggeribus freto, quod vrbem à continente separabat: ita vt non maiori difficultate ad equites irrumperent, & quadrigæ, quam si nullum ante fretum intercessisset. Ezech. *cap.* 26. *v.* 10. sic de Tyro à Nabuchodonosor expugnata: *Inundatione equorum eius operiet te puluis eorum, à sonitu equitum, & rotarum, & curruum mouebuntur muri tui, cùm egressus fuerit portas tuas, quasi per introitum vrbis dissipatæ. Vngulis equorum suorum conculcabit omnes plateas tuas.* Lege quæ nos in illud Ezechielis caput pluribus adduximus. Verè igitur dicitur super omnem omnium ciuitatum munitionem risisse Nabuchodonosor, quando nihil potuit illius resistere potentiæ, & cædem, aut seruitutem declinare; imò & ipse quasi ludibundus omnia subuertit.

51. Vers. 11. *Tunc mutabitur spiritus, & pertransibit, & corruet.*] Ad illud vsque tempus, in quo capta fuit Hierosolyma, & aliæ prouinciæ ad Chaldæorum dominatum adiunctæ, humanos Nabuchodonosor retinebat spiritus, quia aliquid videbat extra imperij sui fines excessisse: at postquam omnia sibi subiecta fuisse aut verè nouit, aut ambitiosè somniauit, mutauit spiritum, humanum videlicet, & sibi attribuit stolida planè cogitatione diuinum. Quare erecta statua materia, altitudineque mirabili (erat enim ex auro altitudine cubitorum 60. latitudine 6. in ea sibi voluit religiosum cultum, & diuinos honores impendi, denunciato, si quis contra faceret, capitali supplicio. Hanc porrò mutationem alia rursus mutatio consecuta est; de qua *Daniel cap,* 4. In qua pertransiisse, & corruisse videri potuit tanti Imperatoris ad illum vsque articulum eximia gloria, & inuicta potentia. Cùm eò abiectus est, vt belluarum in morem nudus in syluis ageret, vesceretur fœno; & sola externa specie, & ratione, ac mente, quam tamen habuit alligatam, secerneretur à belluis. Quid ex eo tempore magnifecerit, nihil habemus; nihil verò fecisse magni, satis est ex illa tanta metamorphosi verisimile.

Hæc eò pertinere arbitror, vt Prophetæ querimoniæ satisfiat, qui aut suo, aut populi nomine videbatur in Deo desiderare, aut in munerandis hominum meritis æquitatem, aut in rerum dispensatione prouidentiam; cùm impij vigeant, regnéntque; opprimantur iusti, & in populorum ignobili turba numerentur. Duo autem hominum genera hîc inueniuntur, quorum videri potuit manifesta vis, & iniuria, & impunitus furor, & audacia. Alterum eorum, qui cum potestate præerant Iudæorum reipublicæ, quales sunt principes, duces, iudices, qui nouis semper fraudibus, atque consiliis expoliatis aliis suas domos, atque fortunas ornatas esse volunt. Contra hos Deus iustorum, & inopum patronus, & vindex, quique mala hominum facta impunita non vult, euocauit Chaldæos, & per hos viros illos violentos, & callidos ita mulctauit, vt quosdam vita, alios patria, ac libertate priuauerit. Sed quia non minùs crudeliter, ac barbarè Nabuchodonosor, quos armis subegit, in captiuitate tractauit, ideo desiderare quis posset in Deo pium, integrúmque iudicium, cùm rex ille viueret fortunatus, & potens, neque vllus esset, qui pœnas ex tam barbara immanitate repeteret. Huic ergo cogitationi tacitæ occurrit Deus, & ait venturum quoque tempus, quando hic quoque acerbas insanæ suæ crudelitatis pœnas luat. In quibus describendis multus est, atque mirificus Propheta ad finem fermè capitis secundi. 52.

Hac est fortitudo eius Dei sui.] Hic locus paulo est implicatior; sed aliquid accipiet lucis, si è duobus pronominibus alterum excludas è Latino textu, in quo planè videri potest otiosum; quod tamen non est apud Hebræos, quibus elegans, ac familiare est hoc loquendi genus. Quale est illud Psal. 32. *Beata gens, cuius est Dominus Deus eius.* & Psal. 39. *Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius.* Mille alia occurrēt huius generis, quorum sensus difficilis non est, si pronomen *eius* inde remoueas in hunc modum. *Beata gens cuius est Dominus Deus. Beatus vir cuius est nomen Domini spes.* Sic ergo nunc ad horum exemplum lego, *Hac est fortitudo Dei.* Sed est dubium, qui sit iste Deus, cui adscribenda sit regis, & Chaldaici populi ruina. 53.

REGVLA. *Pronomen aliquando otiosum.*

Duos ergo hîc deos agnosco, à quibus præcipitatus videri potuit Nabuchodonosor, nempe Belus, aut Deus alius Babylonicus, cui eo tempore supplicauere Chaldæi; qualis fuit Merodach, aut Nabo, aut fortasse serpens ille, quem postea offa ex adipe, & pice, suffocauit Daniel. Ab hoc omne sperabat rex ille barbarus salutis, dignitatisque subsidium, neque tamen ab eo aliquid assecutus est præter exitium. Quare hîc aliquid est irrisorium, quo Chaldæis vanam improperat Deus & stolidam fiduciam. 54.

55. *Arrogantes homines suis viribus aut armis aliquid attribuunt diuinum.*

Alius Deus esse potuit Nabuchodonosori, aut suus genius, seu ingenium, robur, aut militaris industria, quibus inflati, atque vecordes homines aliquid tribuebant diuinum, quasi ab illis

spera

sperarent omnia, tanquam à Deo, & præ illis cætera contemnerét numina. Hoc porrò ex vulgari superborum ingenio, antiqui hominibus nimis aut rerum successibus ætatis, aut suæ virtuti aliquid instatiùs arrogantibus tribuebant; nempe vt suam dexteram Deum esse dicerent; aut hastam, & gladium precarentur, ac si Deus foret, vt felices præstarent rerum euentus. Sic à Virgilio *lib.*12. Turnus inducitur, qui hastæ suæ supplicat, vt, sicut alibi sæpè, supplicem exaudiat.

——————Validam vi corripit hastam
Vociferans. Nunc ô nunquam frustrata vocatus
Hasta meos, nunc tempus adest: da sternere corpus,
Loricamque manu valida lacerare reuulsam
Semiuiri Phrygis, & fœdare in puluere crines.

Et *lib.*10. Mezentius dextræ suæ, & telo diuinitatem arrogat.

Dextera mihi Deus, & telum, quod missile libro,
Nunc adsint.

Statius lib. 2. Thebaidos de Capaneo,

——————Virtus mihi numen, & ensis.

Et idem iterum de Capaneo lib. 10.

——————Ades ô mihi dextera tantùm:
Tu præses belli, & ineuitabile numen,
Te voco, te solum superûm contemptor adoro.

56. In horum numero Propheta statuit Nabuchodonosorem, quem rerum potitū sub piscatoris metaphora pronunciat; qui non aliter reti suo, seu sagenæ diuinos attribuit honores, quàm alij aut dexteræ, aut gladio. Sic autem Propheta statim v. 16. *Propterea immolabit sagenæ suæ, & sacrificabit reti suo.* Hic locus suadet mihi vehementer Deum hunc, à quo deceptus est Nabuchodonosor, nō esse aliū præter ipsum regem, qui aut præter se nullū putabat esse Deum, aut certè deberi sibi locum inter Deos putabat. Vt ostendit postea non obscurè, cùm in aurea statua, & procera magis, quàm hominum statura patiebatur, adorari voluit. Quare sensus erit, & facilis, & ad mores accommodatus valdè, tunc cogniturum esse regem, quàm abesset longè à diuina natura; imò quàm esset infimus, & futilis, cùm ab illa fortuna, quæ ipsi spiritus arrogantes, & ventosos attulerat, in statum longè infra humanum, & belluino proximum exciderit.

57. Antequam hinc emergo, obseruo aliter transtulisse Septuaginta, & iuxta illorum versionem aliam authores Græcos informasse sententiam. legunt autem illi, *Hæc fortitudo Deo meo*, minùs quidem consentaneè ad textum, quem nunc habemus. Authores autem Græci, Cyrillus, Theodoretus, Theophylactus hæc verba adimunt Deo, & tribuunt Prophetæ; quasi admiretur diuinam potentiam, cui nihil est insuperabile; & gratias agat, quod populum suum diutiùs à rege truculento, & impio vexari non sinat. Vnus pro omnibus loquatur Cyrillus. *Cùm nunciasset Deus se ipsorum misereri, tristiùmque in meliora mutationem prædixisset, præ incredibili gaudio Propheta propemodum exilit, dicens nullum alium decere Israelem reducere, vinculisque, & seruitute expedire, nisi solum Deum, qui omnia nullo labore rectè administrare potest, quique aspera lenit, & excelsa, atque ardua sternit.*

58. Vers. 12. *Nunquid non tu à principio Domine Deus meus, sancte meus? & non moriemur.*] Excitat spem suam Propheta, antiquam repetens memoriam eorum, quæ Deus populo aut præstitit, aut promisit beneficia, ex quibus argumētum sumit, vt speret non ita fore populum premendum à Chaldæorum rege, vt opprimatur; ferendam quidem aliquandiu, non tamen æternam futuram esse captiuitatem. Et licèt de promissione non dubitet, de interitu videlicet Nabuchodonosoris, populique libertate, de quo proximè horribile aliquid audierat; quia tamen causam agit populi, & de illius incolumitate laborat, orat adhuc, ne barbarum illum regem diu in Iudæorum gentem tyrannicum imperium exercere permittat. Norat enim vim inesse maximam orationi, neque ingratū esse Deo, vt ab ipso obtineat, & (vt ita loquar) penè extorqueat oratio, quod ipse alioqui etiam non oratus concedere paratus erat. Quod docuit postea Gregor. *lib.* 1. *Dialog. cap.* 8. probátque exemplo Isaac, qui precibus obtinuit, ne sterilis maneret Rebecca, cùm tamen Deus iam antè statuisset multiplicare eius posteritatem supra cæli stellas, & arenam maris. Vide Augustinum *de Ecclesiasticis dogmatibus cap.* 46. Tu inquit Propheta à principio, nempe electi, ac constituti populi Israelitici, nobis es Deus; quia tu nos in populum ex omnibus elegisti, sicut etiam te nos ex omnibus Deum amplexi sumus: quare te & bonorum omniū authorem, & malorum depulsorem habemus, & agnoscimus. Tu nobis sanctus es, ab omni Deorū turba separatus, cui nihil est fallax, nihil non purum, cuique ab omnibus purum debetur obsequium, & obseruantia religiosa. Hæc grauia sunt ad confirmandum desperantem animum, & excitandam spem contrariarum rerum conflictione languentem.

Deus orari se vult etiā pro illis, quæ aliàs concedere statuerat.

Et non moriemur.] Hic loquendi modus eius est, 59.
qui de rerum euentu, & voti complemento non dubitat. Neque enim dicit, *vt non moriamur*, sed *& non moriemur*. Illud *&*, vt aliis locis sæpè, particula est rationalis, seu causalis. Quasi dicas: Tu es ô Domine Deus noster, & sanctus noster, ergo non moriemur; aut propterea nō moriemur. Sic accipio illud Genes. 49. v. 15. de Issachar. *Vidit requiem quòd esset bona, & supposuit humerum suum ad portandum*, id est, propterea, aut ideo supposuit. Iob 19. v. 25. *Scio enim quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum*, id est, ergo resurgā ego, quando redēptor meus resurrexit. Quo argumento vsus est Apostolus 1. Cor. 15. v. 12. *Si autem Christus prædicatur, quòd resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?*

Et particula rationalis, & causalis.

Domine in iudicium posuisti eum; & fortem vt corriperes, fundasti eum.] Agnoscit hic Propheta in vexando, & corripiendo populo diuinam clementiam, & paternum animum; tum etiam prouidentiam, & curam, qua nihil vult impunitum esse, nihil non correctum, & licèt crebro flagellorum inflictu ad officium, & frugem meliorem nihil non aduocatum. Quare fatetur ab æquissimo, & vigilantissimo iudice euocatum, atque instructū esse Nabuchodonosorem, tanquam lictorem, & ministrum, per quem pœnas exigeret à rebelli, atque ingrato populo, quem magnorum scelerū æquo, legitimóque iudicio reum esse conuicerat. Cui, cùm alioqui inualidus, & ad tanta rerum molimina minùs esset idoneus, fortitudinem contulit, & audaciam, vt non timeret aggredi, & conficere posset strenuè datum sibi negotium. Quòd autem ad tantum illud opus nihil Nabuchodonosor haberet à seipso, aut ab imperij viribus; sed pugnacem spiritum, & robur, & felicem rerum omnium euentum accepisset à Domino, explicat optimè Propheta, dum addit illud, *fundasti eum*, id est, à fundamentis excitasti, cùm ante illum rerum articulum nihil omninò foret. 60.

Considerate Deus, & amanter castigat.

61. Quid sit in iudicio corripere, aut ad iudicandum assumi, diximus pluribus in nostris Commentariis super Ieremiam cap.10. v.14. ad illud, *Corripe me Domine, veruntamen in iudicio, & non in furore.* Et iterum ad illud cap.30. v.11. *Castigabo te in iudicio.* Vbi priori loco idem orat Ieremias, quod nunc Habacuc, nempe vt in corripiendo manum admoueat iudicis, aut patris, temperet ab hostili. Afficit iudex sontes pœna, infert dolorem hostis: sed diuerso vterque consilio; hostis, vt perimat; iudex, vt errantem corrigat; hostis alterius appetit exitium; iudex hominis, reique publicæ incolumitatem. Ita Aristoteles *lib.1. Rhetor. cap.10.* pœnam, quam imponit iudex, ab vltione, quam expetit inimicus, discernit. *Differunt (inquit) pœna, & vltio; nam pœna eius, qui patitur, gratia fit; vltio verò eius, qui facit, vt expleatur.* Punit in iudicio iudex, hostis in furore. Qui in iudicio, seueritatē attemperat ad peccatorum merita; quia sanare studet, & præuaricatorem legi reddere morigerum: qui in furore, ad cædem aspirat, quam vbi consecutus est, suis votis satisfactum esse putat. Chirurgus secat, & vrit, quod item hostis facit, & tyrannus, sed non eodem omnes spiritu, ac modo. Chirurgus ex alieno dolore dolorem capit, eòque refert acutum, seu candens ferrum, vt mortis præcidat, non vt inferat causas. Atque ideo in iudicio, id est, cū magna attentione, circūspectioneque aut tractat, & fricat, aut etiam infligit, & renouat vulnera. At tyrannus, & hostis nihil spectat in inferenda plaga nisi dolorem, aut exitium alterius.

Aliter pater, & iudex, aliter hostis cadit.

62. Deus igitur, qui salutem spectabat, & emendationem populi, castigat in iudicio, atque ideo sicut chirurgus cultrum, aut ignem adhibet, vt à sanie purget, aut carcinoma serpens vrat, atque coërceat. Sic ipse Nabuchodonosorem assumpsit tanquam cultrum; sed ille tanquam acuta nouacula fecit dolum; & quasi non tam ad sanandum, quàm ad lacerandum, & perdendum foret assumptus, eò suas cogitationes, & arma retulit, vt funditùs extingueret Iudæorum gētem. Quod de Assur, qui fuit eodem loco contra decem tribus, quo Nabuchodonosor cōtra duas, dixit Isaias cap.10. v.5. *Væ Assur, virga furoris mei, & baculus ipse est: in manu eorum indignatio mea,* &c. *Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor eius non ita existimabit, sed ad conterendum erit cor eius.* Idem de Nabuchodonosor, & Chaldæorum gente queritur Deus apud Zachariam cap.1. v.15. *Zelatus sum Ierusalem, & Sion zelo magno. Et ira magna ego irascor super gentes opulentas* (de Chaldæis ibi sermo) *quia ego iratus sum parùm, ipsi verò adiuuerunt in malum.* Vide quæ nos ibi, quæ valdè faciunt ad hunc locum. Idem Dominus de Babylone queritur apud Isaiam cap.47. v.6. *Iratus sum super populum meum, contaminaui hereditatē meam, & tradidi eos in manu tua. Non posuisti eis misericordiam: super senem aggrauasti iugum tuum valde: & dixisti, in sempiternum ero domina.*

Malorū iudicum est non tam cōmendare quam perdere.

Nabuchodonosor sua potestate abusus.

63. Eò igitur spectat Habacuc oratio, non vt queratur de populi afflictione, quam à iusto Dei iudicio profectam esse videt; sed vt exoret, ne permittat Chaldæos ab eo, quod ipsis concessum est, exorbitare; & furori suo, aut cupiditati largiri, quod à Dei æquitate clementi negatum est. Quare quod proximè sequitur, totum in amplificanda Nabuchodonosoris, & Chaldæorum gentis auaritia, & feritate consumitur.

64. Vers.13. *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum: & respicere ad iniquitatem non poteris.*] Captatio hæc est beneuolentiæ, quæ etiam emollit si quid in oratione videtur esse durius, & contra Dei maiestatem sonare liberius. Nimirum iam edoctus à Domino Propheta nihil esse nouerat, quod in Dei siue æquitate, siue prouidentia requireret. Atque ideo cùm secundò sermonem cum Deo esset habiturus, longè aliter agit, quàm cùm primùm cum eodem agere instituit. Ibi enim, vt vidimus, sine illa præmunitione querelam aggreditur, si modò illa querela est, vt plerique interpretum existimant: hìc verò antequam quicquā oret, aut queratur, Deum ab omni vendicat incuriæ, aut iniquitatis suspicione, dum ait illi nequaquam placere, quæ impiè gerūtur ab hominibus, neque vllam ex aliorum spectandis calumniis, aut miseriis capere voluptatem. Respicere autem ad iniquitatem hoc loco idem quod probare, quòd alij iniquè fecerint, & eorum aspectu, & contemplatione delectari. Sicut contrà oculos euertere est obiecta respuere, & illa prorsus improbare.

Mundi dicuntur oculi, quibus nihil adhæsit immundi. Cùm autem peccatum immunditia vocetur, immunda dicuntur illa omnia, quæ peccatorum instrumenta sunt, aut alienis delectantur peccatis. Sic impuræ dicuntur aures, quibus suauiter assonat cantilena turpis; impuræ manus, quæ immunda, atque indecora tractant; impura lingua, quæ obscœna, & flagitiosa loquitur. Sic etiam impuri, aut immundi dicuntur oculi, qui se rerum illatum contemplatione delectant, quæ sine pudore, ac bonorum offensione fieri nō possunt. Porrò illa respicere dicimur, quibus fauemus, aut quibus delectamur. Vnde hoc apud Hispanos, cùm significare volūt sibi aliquid esse vehementer ingratum, familiare est, *No le puedo ver de mis ojos.* Cùm Deum oramus, vt sese nobis benignum, ac propitium ostendat, his fermè verbis vtimur, *Respice me*, aut similibus. 3. Reg.8. v.19. *Sint oculi tui aperti super domum hanc, vt exaudias orationem.* Et rursus, *Respice ad orationem serui tui, & ad preces eius.* Et Genes.4. v.4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Qui loquendi modus vulgaris est in eadem significatione etiam profanis. Terentius in Andria, *Charine me & te imprudens, nisi quid dij respiciunt, perdidi,* id est, *si no nos fauorezen.* Et idem in Phormione, *Dij nos respiciunt, nos son propicios, y miran con buenos ojos.* Sic Cicero sæpè, *Nisi nos Deus respiciat.* Quare illud, *respicere ad iniquitatem,* nihil est aliud, quàm iniquis, aut iniquitati fauere, aut cum voluptate prospicere. 65.

Respicio idem quod faueo.

Quare respicis super iniqua agentes, & taces deuorante impio iustiorem se.] Huc spectabat illa Prophetæ præmunitio, ne quis putaret argui hoc loco Deū siue incogitantiæ, siue iniquitatis; cùm mūdos illius oculos confessus est, quibus videlicet nihil placuit impurum. Quare Deum potiùs interrogat, aut òrat interrogando, quàm accersat. Videbat Habacuc prophetiçis, id est, quàm longissimè perspicacibus oculis, quid à Chaldæis passurus esset Iudæorum populus, quorum mores & antè cognouerat, & tunc prophetico prospectabat intuitu. Quorum comparatione Iudæi eo maximè tempore, quo extorres aberant, & aliorum seruituti subiecti, licèt variis infecti peccatorum sordibus, iusti tamē existimari poterāt. Quo sensu dixit Ezechiel *cap.16. v.51.* gentes maximè peccatrices esse iustas, si cum Hierosolymæ flagitiis comparentur. *Visitasti eas* (Sodomam, & Samariam) *sceleribus tuis: & iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es.* *Deuorare* frequens est metaphora; quæ vox à feris ad homines translata diripere significat, lacerare, ac perdere. Psal.13. v.4. *Qui deuorant plebem meam,* 66.

meam, sicut escam panis. Cúmque vox ista crudelibus omnibus, barbarisque conueniat, quorum est belluinum ingenium; præcipuè tamen conuenit in Chaldæorum mores, qui sæpe similes esse dicuntur ferinis, quando cum leonibus, pardis, & aquilis comparantur.

67. Vers. 14. *Et facies homines quasi pisces maris, & quasi reptile non habens principem.*] Hæc admiratur Propheta, quæritque cur homines (vtique innocentes, & iusti: de his enim, vt apparet, institutus est familiaris hic sermo, seu humilis querela) sic relinquantur à Deo, vt neque principem habeant, à quo regantur; neque patronum, ad quem in potentiorum iniuria, & vexatione confugiant; sed permittantur aliorum siue ambitiosæ, siue furiosæ libidini, vt in illos, quàm voluerint liberè, ac superbè grassentur. Non secùs ac pisces maris, quos piscator exagitat, & in sagenam, ac rete nullo impediente proturbat. Hæc breuiter. Nunc duo nobis consideranda sunt.

68. Primùm, quænam hoc loco reptilia vocentur. *Serpēs quid.* Non dubium, quin reptilia eadem sint, quæ serpentes. Nam licèt inter *repo*, & *serpo* aliquid deprehendamus esse discriminis, illud tamen perexiguum est, & vicissim sibi significationé præstant, & vsum. Sunt autem serpentes, qui sine pedibus sunt, & tractu potius corporis, quàm incessu feruntur. Dicuntur nihilominus serpentes, seu reptilia, quæ exiguos habent pedes, quales sunt lacerti, scorpiones, & similia. Item quæ in aquis degunt, nó solùm qui dicuntur angues: nam hi proprij aquarũ sunt, vt dicit Seruius *in lib. 2. Ennead.* sicut terrestres vocantur serpentes; & dracones, qui commorantur in templis, eodem authore; sed etiam genus omne natantium, & commorantium in aquis. *Serpens pro piscibus.* Sic sanè appellantur Ps. 103. v. 25. *Hoc mare magnum, & spatiosum manibus: illic reptilia, quorũ non est numerus; animalia pusilla cũ magnis.* Et Leuiathan, qui sine dubio piscis est, serpens appellatur vectis & tortuosus *Isaiæ cap. 27. v. 1. Genes. 1. v. 20.* ex aquis creatum esse dicitur reptile animæ viuẽtis; vbi de piscibus esse sermonem ex eo constat, quia statim *v. 24.* reptilia alia producta dicuntur esse de terra. Hìc autem dubium est, an hìc ducatur similitudo à piscibus tantùm, id est, à reptilibus, quæ natant in aquis; an ab aliis etiam reptilibus, quæ serpunt in terra. Cui dubitationi satis, opinor, facit textus ipse, dum adhibet illa, quæ non nisi aquatilibus, & piscatori conueniunt, qualia sunt rete, sagena, hamus. Et quidem quid sit hoc loco reptile, satis, meo iudicio, explicat, quod proximè antecesserat, *quasi pisces maris*; per epexegesim namque Hebræis familiarem posterius hemistichium superioris explicatio est. Est itaque à reptilibus, quæ mouentur in aquis, non ab aliis terrestribus ducta comparatio.

69. Deinde considerandum est, in quo maximè spectari debeat hæc similitudo. Hieronymus, quem ex antiquis plerique sequũtur, in eo putat homines piscibus esse similes; quia sicut minores escæ sunt maioribus, sic homines, quibus minus est authoritatis, & virium, potentioribus ludibrio sunt, & prædæ. *Pisces, volucres, & animalia terrestria ex suo genere infirmiora deuorant.* Quæ similitudo illius videtur esse confirmatio, quod præcesserat proximè, *Et iaces deuorante impio iustiorem se.* Et quidem sicut in aëre videmus volucribus volucres esse prædã, & potentiores, qualis est aquila, & accipiter, in infirmum aliud volucrum genus violenter irruere: & in terra leones, tygres, lupos in imbellem terrestrium ordinem crudeliter, & impunè grassari: sic etiam in aquatilibus eandem esse legem, vt minora, minúsque pugnacia potentiorum expleant famem, & gulæ minus interdum delicatæ seruiant. Licet id nobis minùs experientia constet, qui quid in aquarum gurgite rerum fiat, spectare non possumus: non tamen minùs certum est. Sane Clemens Alex. *lib. 1. Strom.* id docet ex Hesiodo, cuius hæc adducit carmina:

Pisces, atque feræ, volucrésque per aëra nantes
Sese edunt.

Et docent qui de natura rerum disputãt. Ælianus *lib. 4. cap. 8.* de historia animalium, polypum, pagurum, & astacum pisciculorum dicit esse perniciẽ. Et de omnibus, qui viribus valent, docet Chrysostomus ad illud Ps. 103. *Illic reptilia, quorum non est numerus. Populi* (inquit) *innumeri in mari sunt piscium alij maiores, alij minores: cibúsque maiorum sunt minores; & tamen genus eorum non consumitur.* Basilius homil. 7. Hexaëmer. *Plurimi* (inquit) *piscium deuoratione satiantur alterna, sempé que qui minor est inter eos, maiori fit cibus. Et si quando contigerit eum, qui minorem ceperat, morsu validioris absumi, in unam vterque aluum posterioris iniicitur.* Hoc idem sumptum, credo, ex Basilio repetit, & eleganter amplificat Ambrosius *lib. 5. Hexaëm. cap. 5.*

Sed placet mihi multo magis ideo comparationem sumptã esse à piscibus, quia pisces omniũ prædæ patent; neque ducem habent vllum in suo ordine, & quasi republica, qui illos tueatur, & regat. Quare comparatio non sumitur ex illa violentia, quam infirmiores à potentioribus, quorum explent ingluuiem, patiuntur; sed ab illa sine iniuria, siue fraude, qua piscatorum prædæ propositi sunt. Illud inprimis mihi persuadeo, quia statim explicatur, vndénam infirmo pisciculorum generi illud accidat infortunium. Ex quo similitudinem sumpsit Propheta, vt sui populi calamitatem exprimeret. Meminit enim sagenæ, retis, hami, quæ piscatorum insignia, atque instrumẽta sunt. Deinde quia apertè dicit marinum illud reptile non esse à cognato genere deuorandum, sed subleuandum hamo. Vnde etiam necessariò colligere posse videor, non tam hoc loco de Iudæorũ principibus, qui popularem turbam spoliarunt, laceraruntque, quàm de Nabuchodonosore, aut Chaldæorum populo esse sermoné, qui quasi piscatores sagena sua, ac reti pisces ex suis extraxere viuariis; & quod extrahere, atque expiscari potuerint, suæ fortunæ gratulabantur. Quod nunquam fecissent Iudæorum magistratus, & iudices, qui licèt essent scelerati, atque impij, iusti tamen, & patriæ patres videri cupiebant. Quod etiã probat modus loquendi, quo vsus est Ezechiel, de quo statim. Cùm igitur constet à piscibus, ac piscatoribus sumptam esse metaphoram, illam singulatim explicemus eo ordine, quo est à Propheta sumpta similitudo. 70.

Et facies homines quasi pisces maris.] Viuunt in mari, quasi in sua republica, atque natali solo pisces; qui licèt inter se intestinis bellis, & quasi ciuilibus motibus exagitentur, nunquam tamen extrahuntur inde, nisi foris piscator aduenerit, qui reti producat ad littus, & ex eo postea ad macellum, & potentiorum fercula. Sic etiam Solymitani ciues, licet ciuilibus inter se odiis dissiderẽt, & alij alios in suis quasi viuariis, vt de piscibus nuper, lacerarent, tamen in sua ciuitate manserunt, donec illos Nabuchodonosor subleuatos hamo, id est, instructu bellico, ad alienũ solũ, & lõgè diuersa ministeria traduxit. Hanc verò metaphorã adhibuit Ezechiel, cùm de eadem ciuitate, ac gente, & de eodẽ Nabuchodonosore piscatore loqueretur: vbi ci- 71.

ues piscibus, ciuitatem viuariis, vbi pisces innatant, comparauit; exercitum verò sagenæ, ac reti. Sic autem ille cap. 12. v. 13. *Et extendam rete meum super eum,* (nempe ducem Sedeciam) *& capietur in sagena mea, & adducam eum in Babylonem, in terram Chaldæorum,* &c. *Et omnes, qui circa eum sunt, præsidium eius, & agmina eius dispergam in omnem ventum.* Idem repetit postea *cap. 17. v. 20.* Quod non leue argumentum est, vt quiuis sibi persuadeat veram esse cogitationem nostram, quæ similitudinem à piscatore sumit. Quam tenuerunt aliqui è recentioribus, Ribera, Vatablus, Isidorus, Robertus, & Emanuel Sà.

Reptilia, & pisces, neque dominos habent, neque duces.

72. *Et quasi reptile non habent principem.*] Reptilia hæc siue terrestria sint, siue aquatilia, principem non habent; siue in principe dominum intelligas, cui illa definitè seruiant; siue aliquem ex suo genere, quem sequantur. Quod in aliis animantibus vsu euenire frequenter videmus. Alunt ouium, caprarum, porcorum, taurorum, & camelorum greges, quibus pascendis, & tuendis inuigilant; & si quid ex illis vi, aut furto fuerit à quoquam ablatum, iure, aut armis repetunt. Idem dicendum de quibusdam auibus, quas cicurant, & alunt; quales sunt anseres, gallinæ, columbæ. At quis vnquam vidit aut serpentes ab aliquo nutriri, aut illorum dominum quemquam appellari? De piscibus, qui in stagnis nutriuntur, alia ratio est; de piscibus tamen maris nulli certa possessio, cuilibet vbiuis piscari licet; nisi in aliquo fortasse sinu, quem sibi aliquis à communi vsu, aliquo merito, aut consuetudine vendicauit. Quare si quis in altum mare aut hamum demittat, aut rete expandat, nemo queritur, nemo prohibet, quia nemo sibi inferri putat iniuriam.

Animalia quædam suos habent duces.

73. Deinde animantium quædam ex suo genere duces habent, quos sequantur, & quasi gregis principes. De taurorum gregibus dixit Virgilius iuxta naturam vtique horum animalium *lib. 12.* vbi postquam duorum taurorum pugnam descripsit, subdidit,

Stat pecus omne metu mutum, mussántque iuuencæ
Quis pecori imperitet, quem tota armenta sequantur.

Hoc idem de arietibus, & hircis docet Aristoteles de historia animalium lib. 6. cap. 19. *Singulis* (inquit) *ouibus singuli duces constituuntur, qui quoties eo nomine à pastore vocentur, antecedunt, quod ab ineunte ætate facere assuescunt.*

74. His igitur reptilibus, quibus neque ex suo genere dux est, aut princeps, neque ex alieno dominus, qui illa ab aliorum iniuria tueatur, aut repetat, si per vim, aut fraudem ablata fuerint; comparantur Iudæi, quos Deus ita videtur deseruisse, & Chaldæorum exposuisse telis, ac si ad se nullo pertinerent modo. Quare abigi patitur, & lacerari ab hostibus, & tanquam venenatam feram, aut illaqueatum orygem trucidari.

75. Vers. 15. *Totum in hamo subleuauit, traxit illud in sagena sua, & congregauit in rete suum.*] Metaphoram persequitur piscatoris. Cùm populus ille destitutus esset à rectore, & duce, pateretque omnium cupiditati, ac prædæ, adfuit piscator maximus Nabuchodonosor illis instructus piscatoriis instrumentis, quibus conueheret quidquid esset in illo metaphorico mari, & ad littus, seu forum Babylonicum extraheret. Instrumēta porrò piscatoria iuxta hanc translationem sunt arcus, gladij, arietes, quadrigæ, & quidquid hostiles manus armat ad exitiū. Hieronymus in his piscatoris armis aliquid deprehendit discriminis. *Quomodo* (inquit) *piscator mittit hamum, & rete, & sagenam, vt quod hamus non potuit, rete comprehendat, quod euaserit rete, sagenæ latioribus circūdetur. Ita & rex Babylonis cuncta vastauerit, & vniuersum hominum genus suam prædam fecerit.* Hamus vnum tantum piscem esca deceptum extrahit e faucibus suspensum: rete aliquid est maius, quod pisces capit plures: sagena rete omnium maximum, quod etiam Latini verriculum, siue euerriculum appellant. Quod illa euangelica parabola indicat, dum ait omne piscium genus à sagena congregari.

Super hoc lætabitur, & exultabit.] Tantum aberit, 76. vt regium animum de aliorum calamitate tangat dolor, vt potiùs exultet, sibique ipsi de felici sagenæ suæ iactu gratuletur.

Vers. 16. *Propterea immolabit sagenæ suæ, & sacrificabit reti suo.*] 77. Hieronymus in sagena idolum intelligit, cui victorias tot, ac tam illustres ascribebat rex, siue illud sit Beli, seu Beel, quod præcipua quadam religione coluere Chaldæi; siue illud, quodcunque fuerit, quod *Dan. cap. 3.* excitauit in campo Duram. Sed est illa sententia minùs impedita, quæ in sagena, & reti industriam intelligit, & robur, quibus excisæ sunt vrbes, domitæ prouinciæ, & Chaldæorum imperio subiugatæ: quibus secundos bellorum exitus attribuit rex ille superbus, & barbarus, non Deo, cuius auspiciis res tota confecta est. Immolat igitur, & sacrificat hastæ suæ, aut sagenæ, quasi Deus esset, quia tantum in seipso virtutis habere videbatur, vt externo, aut etiam diuino non egeret auxilio. Imò & deos omnes præ seipso cōtemneret; quod sub illud tempus alij etiam homines sibiipsis de sua virtute inflatiùs assentati fecisse narrantur. Huc faciunt, quæ suprà obseruauimus ad illud: *Hæc est fortitudo eius Dei sui.* Et sanè multos suis ar- 78.
mis honores diuinos impendisse, non solùm in fabulis, sed etiam in historiis veris inuenimus. Mezentius, & Capaneus, vt suprà diximus, præter suum robur nullum aliud numen agnoscebāt. Cæneus hastam suam inter deos numerare iussit, & per illam concipi iuramentum; vnde prouerbium, *Cenei hasta.* Apud Plutarchum in Pelopida Alexander tyrannus hastam, qua Polyphronem interfecerat, sacram habuit, coronis ornauit, & tanquam Deus esset, illam sacrificiis, id est, diuinis honoribus, prosecutus est. Ad hunc ego modum arbitror Chaldæorum regem suæ sacrificasse sagenæ, id est, suis armis, quæ in metaphora piscatoris, in sagena, & reti significari diximus. Quod nihil videtur esse aliud, quàm sibiipsi diuinos assumpsisse honores tanquam inuicto, & multarum prouinciarum expugnatori. Et ea fortasse cogitatio impulit, vt statuam excitaret in cāpo Duram; cui illum titulum forsitan inscripsit, quem videbat in statua Martis, quem bellorum Deum finxit antiquitas, publicè legi, ac coli. Qualis est, *Diuus Nabuchodonosor bellorum Deus;* aut *gētium, regnorúmque domitor inuictissimus;* aut alium, quem excogitare potuit spiritus superbus, & fatuus. Quomodo verò tam hic Nabuchodonosor, quàm alij Chaldæorum, atque Assyriorum reges Deorum sibi nomen, & honorem assumpserint, diximus in nostris Commentariis in Danielem *ad cap. 1.*

Qui suis armis honores exhibuere diuinos.

Quia in ipsis incrassata est pars eius, & cibus eius electus.] 79. Perstat adhuc in metaphora piscatoris. Qui *incrassari* audit, & *electum cibum*, aliquid audit geniale, ac pingue, quod ad lautas principum mensas adhiberi solet. Sed reuera hic prouinciæ intelliguntur, & opes, quas metaphorico reti, id est, virtute bellica sibi comparauit Nabuchodonosor. Cùm ergo videret conatum illum piscatorium

Digitized by Google

tortum sibi contigisse feliciter, perseuerauit in arte illa planè quæstuaria, neque cessare voluit rete illud iam sæpiùs ad illud genus piscationis expansum. Et ideo subditur,

80. Vers. 17. *Propter hoc ergo expandit sagenam suam, & semper interficere gentes non cessat.*] Hìc iam clariùs euoluit, quod verbis alienis, & metaphoricis implicuerat; dum ait non contineri regios spiritus ab ambitioso conatu propagandi imperij Babylonici fines, neque ferrum crudele, ac barbarum ab effundendo sanguine. Quàm latè variéque grassata fuerint sub hoc rege Chaldæorum A arma, docet Iosephus *lib. 10. Antiq. ad finem.* Vbi ex sententia Megasthenis tradit longè à Nabuchodonosore rerum gestarum magnitudine superatum fuisse Herculem. An verò ad Hispaniam vsque progressus fuerit, quod apud Iosephum putat Megasthenes, longa quæstio est, quam excogitarunt alij neque pauci, neque ineruditè in hac nostra ætate. Quid verò in hac disceptatione tenendum sit, non definio: cur magis inclinet animus in oppositum, ostendi super Isaiam ad illud cap. 23. v. 4. *Non parturiui, & non peperi.* Hæc de capite primo.

IN CAPVT SECVNDVM

ARGVMENTVM.

EXPECTABAT Propheta quasi ex specula eorum responsum, quæ à Domino quæsierat; cui Deus respondet breui Iudæorum populo à Chaldæorum rege venturum excidium: & illum superbiæ suæ, ac tyrannicæ crudelitatis daturum esse pœnas, quas eleganter statim, latéque describit. Quas vt ostendat iniustas non fuisse, grauia tum regis, tum populi Chaldaici scelera proponit. Cùm autem quæ à v. 3. proximè succedunt, multi de Christi aduentu, siue primo, siue secundo capiant (nam ea de re non satis inter Patres, & interpretes conuenit) nos tamen historicè de Nabuchodonosoris aduentu exposuimus in Paraphrasi, cùm tamen in Commentariis de Christo siue nascente, siue iudicante typicè sumamus; quia illud primum litera sonat: neque difficile est ingenioso lectori ad Christi tempus accommodare.

CAPVT II.

1. *SVper custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem: & contemplabor, vt videam quid dicatur mihi, & quid respondeam ad arguentem me.*

PARAPHRASIS.

B 1. STabo gradu constanti, ac firmo in ea statione, ac specula, quam à me Deus seruari, ac teneri voluit. Atque ibi, intento ad diuinam illustrationem animo, contemplabor, expectabóque, quid per me Deus dictum, ac factum velit; quidve de me, ac populo meo constituat; ac tandem quid querulo, atque oblatranti populo respondere possim.

2. *Et respondit mihi Dominus, & dixit: Scribe visum, & explana eum super tabulas, vt percurrat qui legerit eum.*

2. Deus autem non diu expectationem meam moratus respondit, & dixit; Scribe quodcúque videris, audierísve in tabulis, ita distinctè, & clarè, vt à prætereunte, ac festinante viatore legi percommodè potest, & C intelligi.

3. *Quia adhuc visus procul, & apparebit in finem, & non mentietur: si moram fecerit, expecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit.*

3. Cur autē hæc describi, ac seruari iubeā in tabulis, ea causa est, quia quæ nunc tibi videnda propono, longa post tempora successum habebunt, suámque posteris fidē probabunt. Quare etiāsi lētior videatur esse mora, euentum expecta, quia dubio procul adueniet, neque diu erit expectatio suspēsa.

4. *Ecce qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso: iustus autem in fide sua viuet.*

4. Qui huic sermoni fidem habuerit, illique se præbuerit obsequentem, vitam viuet securam, & lætam; qui contrà fecerit, aut duram subibit, atque ignobilem mortem, aut vitam aget nullo modo vitalem.

5. *Et quomodo vinum potantem decipit: sic erit vir superbus, & non decorabitur: qui dilatauit quasi infernus animam suam, & ipse quasi mors*

D 5. Vt autem qui vino, & crapulæ immoderatè indulsit, à mente solet cum ignominia deturbari: sic etiā vir potēs, & superbus à men

Digitized by Google

19. Væ qui dicit ligno: Expergiscere: Surge, lapidi tacenti: nunquid ipse docere poterit? Ecce iste coopertus est auro, & argento: & omnis spiritus non est in visceribus eius. A

19. Væ illis, qui à saxo, & ligno, & inanimata materia in dubiis consilium, & in rebus angustis, & arduis auxilium implorant. Quibus illud familiare est, quia suos putant iacentes, aut soporatos deos, dicere: Surge, expergiscere; nunquid vllum ab eo potest sperari consilium, quod neque spiritum habet, neque linguam? Intectum quidem est argento, & auro, & eo colore, quem artifex induxit, & neque in visceribus spiritus, aut sensus est.

20. Dominus autem in templo sancto suo: sileat à facie eius omnis terra.

20. At Dominus noster in cælo est, & in templo sancto suo, vnde audire potest supplicantium vota, & optata concedere. Quare sileat, ac timeat ante Dei conspectum mortalis omnis, & humana caro, à quo vt sperare omnia, sic etiam omnia formidare potest.

Vers. 1. *Super custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem.*]

1. HACTENVS quærere, aut queri videbatur Propheta; quærere quidem à Deo quid futurum esset de afflicto Iudæorum populo, & de superbo, & barbaro Chaldæorum rege; aut queri quòd cùm rex ille tam esset crudelis, auarus, & impius, & in quodcumque mare suum vellet expandere piscatorium rete, neque infelici iactu; illum tamen vsque adeò non puniret, vt nouis quotidie illius imperium incrementis augeret. Hic porrò locus vt in varias patet metaphoras, sic etiam varias videtur admittere sententias.

2. *Custodia*, atque *munitio* voces videntur esse militares. Solent enim militibus custodiæ, id est, certa loca custodienda, committi, quas stationes vocamus; quas etiam arbitror munitiones vocari, quia illa propugnatorum arma, atque vigiliæ communiunt. Custodiam porrò vocari passiua significatione id. quod custoditur, quodcunque illud sit, in Scriptura sacra non est inusitatum. Sanè loca, quæ custodienda alicuius fidei, atque tutelæ permittuntur, appellari custodias illa docent, quæ sæpiùs audimus in lib. Leuit. Numer. vbi in custodiis excubare aliqui dicuntur, id est, in datis sibi stationibus. Lex præterea custodia vocatur, quia illa ab omnibus diligenter custodiri debet. Zacharias cap. 3. vers. 7. *Et custodiam meam custodieris*, id est, præcepta mea. Leuit. 22. v. 31. vbi vulgatus habet, *Custodite mea mandata*. Hebr. est, *Custodite custodiam meam*. Et Numer. 18. vers. 3. vbi in vulgato legis, *Excubabunt Leuitæ ad præcepta tua*. Hebræi habent, & Septuaginta conuertunt, *Custodient custodias tuas*. Qui constricti sunt vinculis in carcere *custodia* vocantur; quia ideo compacti sunt in vincula, vt ibi possint custodiri commodiùs. Actor. 27. vers. 1. *Vt autem iudicatum est nauigare nos in Italiam, & tradi Paulum cum reliquis custodiis centurioni*. Et infrà vers. 42. *Militum autem consilium fuit, vt custodias occiderent, ne quis cùm enatasset, effugeret*.

Custodia pro eo, quod custoditur.

Custodia pro lege.

Custodia pro vinctis.

3. Ad hunc modum custodiam hic appellare quis posset locum illum, aut studium, quem seruare, aut quod obire debuit, non aliter atque miles stationem sibi ab imperatore destinatam ita tenet, seruatque con- B stanter, vt à vita potius malit, quàm ab illa discedere. Hæc autem metaphora satis est accommodata tempori, atque articulo, in quo nunc videtur agere Propheta. Contendebat etenim cum Deo, ab illóque exprimere conabatur, aut quid statueret de populo afflicto, & de Chaldæorum rege, quem ad nouas prædas, & continentia bella ambitiosus, & auarus spiritus vrgebat; aut certè illum erga populum studebat ad misericordiam inflectere; aut contra regem, & populum plus satis appetentem sanguinis, ad furorem accendere. Significat ergo hac metaphora, si fortè è re militari sumpta est, in eo studio nullum futurum esse desidiæ locum, neque ab ea contentione, qua cœpit, aliquid esse remittendum. Propheta verò stationem illam sibi assumit, aut ab imperatore summo custodiendam accipit, in qua periculi plus est; quia & illa minùs est munita, & C in eam maius inimicorum pondus incumbit. Sic sanè fecit Moyses, qui vim repulit hostilem, cùm staret in confractione muri iam quassati, atque aperti. De quo Psal. 105. vers. 23. *Et dixit vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius, vt auerteret iram eius*. Confractio autem est pars interrupta muri.

Custodia pro statione, aut cura imposita.

Duci item posset metaphora ab excubitore, seu speculatore, qui in eo totus est, vt prospectet vigilantibus oculis, quid immineat aut mali ab hostibus; aut ab amicis, & auxiliaribus, boni: illudque statim populo denunciat, vt maturè norit, quid facto opus sit. Quod autem *custodia* pro specula sumatur, docuit apertè Isaias, qui in custodia speculatorem locat, *cap. 21. vers. 8.* vbi cùm seipsum speculatorem fecisset, addidit, *Super speculam Domini ego sum stans iugiter per diem: & super* D *custodiam meam ego sum stans totis noctibus*. Vbi quam priùs speculam, statim appellauit custodiam. Et hanc Hieronymus metaphoram agnoscit tum Cyrillo, Theodoreto, Theophylacto, quos sequuntur frequentes alij. Et quidem speculatores esse Prophetas docuit Isaias nuper, & Ezechiel *cap. 3. vers. 17.* & iterum *cap. 33. vers. 7.* longiùs, & expressiùs. Quid verò sit Prophetam esse in custodia, aut specula, & super munitionem, explicat Hieronymus, & dicit esse prophetiæ sublimitatem. 4.

Custodia pro specula.

Digitized by Google

tatem. Sed adhuc explicatiùs Theodoretus, Theophylactus, Cyrillus, & Nicetas *ad orat. 2. Nazianzeni in Pascha.* Pro omnibus vnum audi Cyrillum. *In exercitatione & consuetudine mea excubabo, animum rursus purgabo, curis mundanis exoluam, sursum quodammodo volabo, vt in petram, hoc est, in stabilitatem quandam, & velut in sublimi situm securitatem cogitationum. Illic ceu ex iugo montis speculabor secundùm intellectum, qua Deus mihi locutus fuerit, &c.* Hoc idem optimè Bernardus in homilia quadam in hæc ipsa verba Habacuc. *Et nos ergo fratres obsecro super custodiam nostram stemus, quoniam tempus militia est. Neque in sterquilinio huius miseri corporis, sed in corde, vbi Christus habitat, in iudicio, & consilio rationis sit conuersatio nostra: ita sanè vt non in ipsa habeamus fiduciam, aut fragili innitamur custodia; sed figamus gradum in munitione firmissima petra, Christo totis viribus innitentes, sicut scriptum est: Qui statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos.* Et quidem qui superiora speculari voluerit, & se regionibus inserere cælestibus, quod pura, & constans assequitur oratio, necesse est, vt se à terrenis cogitationibus exoluat, & licèt in carne, carnis blandimenta; imò de carne curam omnem abiiciat. Quàm verò assidua, & constans debeat esse custodia, ostendunt aliorum translationes variæ. Vocem namque מצור *massor*, pro qua noster reddidit *munitionem*, Symmachus, Hieronymo teste, *conclusum* transtulit, Theodotio *gyrum*, Aquila, & quinta editio *circinum*. Hæc autem omnia non obscurè significant sic in illam suam considerationem, & curam abdendum esse Prophetam, vt sibi illinc ad alia omnia curanda facultatem præciderit. Sic legimus in sacris annalibus multos, ne sibi ad alia disgredi, ac vagari liceret, angustos sibi circumscripsisse terminos, quos transgredi nefas esse putabant. Imò in angusto domicilio, & quasi in æterna quadam custodia iniecisse sibi vincula, ne, etiamsi maximè cuperent, illuc emergerent, vbi multa occurrerent, quæ intentam Deo cogitationem abstraherent.

Orationi, & illustrationi à Deo, quis locus aptus.

5\. *Orationi secessus clausus opportunus.*

6\. Pro re verò morali obserua expectari ibi perquam opportunè, atque optimè oraculum, aut illustrationem à Deo, vbi quis à Deo constitutus est; hanc verò stationem, seu custodiam appello. Educit Deus sponsam in desertum, quam illius esse stationem voluit, & ibi locutus est ad cor eius; neque cum verè amatorium sermonem ad illam habuisset, si ad aliam vellet stationem diuertere. Illustrare voluit Deus Ezechielem cælesti visione, atque ideo illum iubet in agrum secedere. cap. 3. vers. 22. *Facta est super me manus Domini, & dixit ad me: Surge, egredere in campum, & ibi loquar tecum, & surgens egressus sum in campum, & ecce ibi gloria Domini stabat.* Absque dubio in statione alia nunquam Domini gloriam vidisset Propheta. Et cùm vellet Dominus Moysi gloriam suam ostendere, locum illi certum definiuit, illùmque arctum, atque conclusum; extra quem nunquam foret illud tam grande beneficium consecutus. Exod. 33. vers. 21. *Ecce (inquit Deus) est locus apud me, & stabis supra petram; cùmque transibit gloria mea, ponam te in foramine petra, & protegam dextera mea, donec transeam. Tollámque manum meam, & videbis posteriora mea.* Norunt id experientia magistra viri religiosi, quorum illud est graue, ac familiare documentum, non esse magnum aliquid expectandum à Deo extra locum, aut munus, ab obedientia, id est, ab ipso Deo destinatum. Quare si quispiam Deum quærat, aut oret, dum locum, aut occupationem suo sibi sumit arbitratu, & illum

Nullus locus aptior eo, in quo quis à Deo constituitur, siue ad orationem, siue contra diaboli insidias.

A deserit, quem diuinæ voluntatis interpres superior designat, sanè infirmam adhibet orationem; quem Deus tanquam alienum, & transfugam aspernabitur. Sicut enim obedientiæ fauet, & blanditur Deus; sic etiam amat, & fauet muneri, ac loco ab obedientia destinato. Plura hac de re occurrent apud Patres. Ad hanc cogitationem faciunt plurimùm quædam Scripturæ sacræ loca. Ecclesi. 10. vers. 4. *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te* (id est, si tentatio vehementior ingruerit) *locum tuum ne dimiseris.* Et Ecclesi. 11. v. 22. *Confide in Deo, & mane in loco tuo.* Quasi dicat, nil magnum sperandum à Deo, si à loco tibi dato recesseris. Et Prouerb. 27. vers. 8. *Sicut auis transmigrans de nido suo; sic vir, qui derelinquit locum suum.* Auis, quæ excessit è nido, è loco nimirum, vbi
B posita est à parentibus, non est cur ab illis in summa etiam fame escam expectet.

Et figam gradum super munitionem meam.] Eadem repetitur per epexegesim sententia. Neque enim aliud est munitio, quàm custodia; neque stare, quàm gradum figere; vtrumque enim in loco sublimi, aut clauso assiduitatem, & constantiam significat. 7.

Et contemplabor, vt videam quid dicatur mihi] Cùm de iudicum, & principum iniuriis quereretur Propheta, respondit illi Deus iniurias illas, fraudes, atque calumnias non abituras impunè; quia vltor aderit, seu potiùs diuinæ vltionis administer Nabuchodonosor, qui pro scelerum modo suppliciorum grauitatem attemperet. Cuius cru- 8.
C delitatem, & ambitiosos spiritus, inexplebilem sanguinis, & diuitiarum sitim oculis iam intuebatur propheticis. Et de his omnibus, vt vidimus, ad finem vsque capitis conquestus est: neque tamē vllum à Domino responsum acceperat. Nunc autem locum eligit aptum ad audiendum diuinum responsum, quem custodiam, & munitionem vocat; vbi ab omni terrenæ, aut certè alienæ curæ cogitatione solutus, & intento in illam tantùm speculationem animo, excipiat, si quid Dominus ad illius studium, ac votum respondere voluerit. Quid videlicet statuat de Nabuchodonosor, cuius non videbatur tyrannicus furor impunitatem habiturus; & de populo, quem ab illo barbarè vexari ex sua specula prophetice videbat.

D Vbi vulgatus, *Quid dicatur mihi*, Hebr. est בי *bi*, id est, *in me*, vt etiam reddidere Septuaginta. Obseruat autem ex hac locutione Hieronymus, propheticam visionem, & eloquium Dei non extrinsecus ad Prophetas fieri, sed intrinsecus, & interiori homini respondere. Et adducit illud Psal. 84. v. 9. *Audiam quid loquatur in me Dominus.* & illud Zachariæ cap. 1. *Angelus qui loquebatur in me.* Illud idem, quod hîc paucis dixit Hieronymus, pluribus explicuit ad illud Psal. 84. de quo modò. *Multi (inquit) putant, quando loquitur Moyses, & dicit: Hac dicit Dominus, & cùm dicitur, factum est verbum Domini ad Isaiam, siue ad Ezechiel prophetam, quod forinsecus sermo fiat, & per istas aures audiat Propheta,*
E *quod loquitur à Domino. Non est ita. Nam & Dominus noster quid loquitur ad Phariseos? Qui habet aures audiendi audiat. Et Isaias ait, Dominus addidit mihi auriculam. Videte quid dicat, Dominus addidit mihi auriculam. Quoniam non habebam illam auriculam, qua in corde est, addidit mihi, vt Dei possim audire sermones. Et nunc ergo Propheta quodcunque audit, audit in corde.* Hæc Hieronymus. Eadem Gregorius *lib 28. Moral. cap. 1.* Bernardus *sermon. 45. in Cantica*, & optimè Basilius ad illud Isaiæ capite 7. 9.

Ego

13. *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum: & respicere ad iniquitatem non poteris, quare respicis super iniqua agentes, & taces deuorante impio iustiorem se?*

13. Loquor ad te, Domine, non vt in te aliquid non probem, aut admirer; sed vt tuam ad populum clementiam sollicitem. Scio oculis tuis nihil placuisse iniquum, & turpe, neque abs te probari, aut foueri, quæ iniusta sunt. Quare, Domine, causam videris, & patrocinium suscepisse eorum, quorũ iniqua mens est, & peruersa consilia? Quare pateris iustiores ab hominibus minùs probis, & iustis lacerari?

14. *Et facies homines quasi pisces maris, & quasi reptile non habens principem.*

14. Cur populus tuus sic à te deseritur, vt neque principem habeat, à quo regatur; neque patronum, ad quem in aduersa, afflictàque fortuna confugiat: sed similis est marinis piscibus, quorum nullus est dominus; quos piscator exagitat, & in sagenam, ac rete nullo impediente concludit.

15. *Totum in hamo subleuauit, traxit illud in sagena sua, & congregauit in rete suum. Super hoc letabitur & exultabit.*

15. Vt totum Nabuchodonosor, quasi piscator mare, Iudæorum regnum ciuibus exhauriat, omne admouebit bellicum instrumentum, sicut piscator admouere solet piscatorium, nẽpe hamum, rete, sagenam. Tantum porrò aberit, vt regium animum de aliena calamitate tangat dolor, vt potiùs exultet, & de felici sagenæ suæ iactu gratuletur.

16. *Propterea immolabit sagenæ suæ, & sacrificabit reti suo: quia in ipsis incrassata est pars eius, & cibus eius electus.*

16. Quia suam industriam, atque consilia successisse feliciter videt, ideo sagenæ suæ, ac reti, omníque tot victoriarum instrumento honores impendet diuinos: quia illis rem suam vehementer auxit, & electos cibos sibi conquisiuit.

17. *Propter hoc ergo expandit sagenam suam, & semper interficere Gentes non parcet.*

17. Idcirco quia hoc piscationis genus quæstuosum esse vidit, nunquam ab expandendo reti manus, aut à gentium cæde gladium continebit.

Vers. 1. *Onus, quod vidit Habacuc Propheta.*]

1. DE onere, & visione sæpe à nobis actum est, & nunc proximè super Nahum, cuius exordium non est huic valde dissimile.

2. Vers. 2. *Vsquequò Domine clamabo, & non exaudies?*] Hoc loco Hieronymus impatiẽtis animi, & nimium queruli affectum significari putat; imò & grauius aliud fert de nostri Prophetæ libertate iudicium. Sic enim in Prologo ad hunc Prophetam: *Vides quòd temeraria vox sit, & quodammodo blasphemantis creatorem suum ad iudicium prouocare; & vas fragile aduersùs figulum, cur tale, vel tale factum sit, disputare.* Et ideo, inquit idem Hieronymus, quasi pœnitentia ductus quòd tam esset locutus liberè, & dicta, animúmque retractans, modestiùs de Deo, atque sublimiùs loquitur postea *cap.* 3. cui titulum *pro ignorantiis* præfixit. *Quia suprà temerè dixerat: Vsquequò Domine clamabo, & non exaudies? nunc agit pœnitentiam, & plangit, quod temerè sit locutus, petitque veniam, vt misericordiam consequatur, quia ignorans fecit.*

3. Sed licèt dolor aliquando si diuturnus sit, & vehemens, in verba cogat erumpere turbidioris affectus plena, etiam in eos, quos amamus, & reueremur: tamen non puto neque apud nostrum Prophetam, neque apud alios, qui eadem sunt vsi loquendi libertate, quicquam dici liberiùs, & audaciùs, in quo aliquis modestiam, seu obseruantiam desideret. Est autem hoc orandi genus vsitatum, quod affectum indicat non tam indignantis, & offensi, quàm æstuantis animi, & desiderantis illa, propter quæ instituitur ea, quæ iudicari posset, querimonia; cùm tamen non sit nisi ardens, & humilis oratio. Sic Psal. 12. *Vsquequò Domine obliuisceris me in finem? vsquequò auertis faciem tuam à me? Quandiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem? Vsquequò exaltabitur inimicus meus super me?* Et quidem quando oratio hæc non spectat propriam, aut priuatam causam, sed communem optat iniuriam propulsare, si reprehensibilis est, multo minus habet reprehensionis, cùm ex misericordia nata sit, non ex vindictæ, aut propriæ commoditatis desiderio.

Vehemens exordiendi orationem modus.

Hic Patres ad mores multa. Primùm hoc orandi genus, quando ex Dei clementia fiducia nascitur, & audacia, quia nimirum Deum nouimus nobis bene cupere, & illi voluptati esse, at- 4.

Libertas in oratione Deo aliquando grata.

que

Digitized by Google

que adeò gloriæ nostras miserando leuare miserias. Sicut neque est illi orandi intempestiua constantia, qua amicus nocturnæ quietis tempore tres panes impetrauit ab amico; quod licèt dormienti amico molestum fuit, Deo tamen nullo modo molestum est, quando ad illam orandi constantiam, quæ videre poterat importuna, homines hortatur, & tandem, quod flagitant, exorant. Vt documento nobis est Habacuc, qui hoc illustre à Domino oraculum accepit post illa verba, quæ rusticæ cuiusdam aut illiberalis querelæ plena videbantur. Est (inquit Cyrillus) interdum infirmorum hoc orandi genus, Deo tamen non ingratum, & pondus interdum habet ad impetrandum maximum. Sic autem lib. 3. in Ioan. cap. 12. *Modesta (inquit) per orationem petitio perfectorum est, cui exequatur imbecillium, ac infirmorum obiurgatio & murmuratio. Nec molestè vllo modo Saluator tulit.* (est autem ibi sermo de petitione illa, qua populus *Numer.* 11. cibos petiit.) *Nam quemadmodum ploratu necessaria sibi alimenta infantes flagitant, & hoc modo mater ad fouendos filios suos prouocatur; sic conquestiuus, obiurgationisque plenus clamor petitionis* (si ab infirmis adhuc, & infantibus in habitu virtutis sit) *locum retinet.*

5\. *Cur Deus postulata differat.* Secundò obseruant Deum multis de causis difficilem se ad aliorum postulata præbere, differreque diu aliorum vota. Quæ verò sint illæ causæ diximus in nostris Commentariis super Cantica, ad illud cap. 5. *At ille declinauerat.* Vide August. *de scala paradisi cap.* 8. Gregor. *lib.* 8. *moral. cap.* 20. Laurent. Iustin. *de connubio verbi cap.* 15. Addo ego aliam, quam adducit in hunc locum Hieronymus, *Quomodo si ægrotus, & æstuans febribus aquam frigidam postulet, & dicat ad medicum: Vim patior, crucior, exanimor: vsquequò, medice, clamabo, & non exaudies? Et respondeat ei sapientissimus, & clementissimus medicus: Scio quo tempore debeam dare quod postulas, non misereor modo, quia misericordia ista crudelitas est, & voluntas tua contra te petit. Ita & Dominus noster sciens clementiæ suæ pondera, atque mensuras, interdum non exaudit clamantem, vt eum probet, & magis prouocet ad rogandum, & quasi igni excoctum iustiorem, & puriorem faciat.*

6\. Alij ab iourbanitate, & rustica quadam intemperie sic Prophetam vendicant, vt in eo plus laudis, & obseruantiæ in hoc libero agendi genere deprehendant. Dicunt enim non in sua loqui, sed in afflicti, & iniquè vexati populi persona. Ita hîc etiam indicat Hieronymus, quem alij non pauci, vt assolent, sequuntur, Haymo, Rensigius, Hugo. Quare non hic obiicit, quid ipse sentiat, neque ex suo sensu verba hæc promit parùm ad maiestatem audientis accommodata; sed verba hæc reperit è populari sensu, aut certè quæ à populo in ea iniqua iactatione solitus esset audire. Id verò obiectum esse à populo cum aliqua offensionis significatione, nó infrequenter ex Isaia discimus *cap.* 58. vbi hanc querelam docet esse huic populo nimiùm querulo familiarem. *Me etenim de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt, quasi gens, quæ iustitiam fecerit, & iudicium Dei sui non dereliquerit. Rogant me iudicia iustitiæ, appropinquare Deo volunt. Quare ieiunauimus, & non aspexisti? humiliauimus animas nostras, & nescisti.* Quod si ita esset, minùs hîc audax, & illiberalis esset querela, quia non tam author est Propheta personæ suæ, quàm actor alienæ.

Sed est, opinor, verior explicatio prior, quæ asserit agere Prophetam apud Deum populi causam, & dolere, quod illum male iactari videat; & licèt populo illiberalis illa oratio fuerit plurimùm in ore, tamen Prophetæ fuisse cum populo communem. Sed poterit nihilominus rusticitatis nota, aut illiberalis audacia à nostro Propheta honesta defensione depelli, si dicamus illū referre hic tantùm non quid ipse indignetur, & obiiciat, sed quod cogitarat antea, & nunc in seipso reprehēdat, cùm ab illo errore diuino respōso liberatus sit. Est illiberale minùs referre quod antea senseris, vbi sensum illum abieceris, quàm sentire eadem, & profiteri publicè, aut exprobrare alteri. Sic Dauid *Psal.* 72. honestè refert se talia cogitasse, qualia nunc Habacuc, quæ tamen tunc sentire & exprobrare Deo non esset honestum. *Mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei; quia Zelaui super iniquos pacem peccatorum, videns,* &c. *Et dixi, ergo sine causa iustificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas,* &c. Et hinc opinor accidere, vt non præmiserit Propheta modestum illud, & humile verbum, quod lenire solet si quid est in sermone illiberale, & rusticum; quod ab aliis viris sanctis prætendi solet. Quale est illud Abrahæ Genes. 18. *Absit à te, vt hanc rem facias, & occidas iustum cum impio, fiátque iustus sicut impius: non est hoc tuum, qui iudicas omnem terram: nequaquam facies iudicium hoc.* Sed his verbis, in quibus dici aliquid videtur audacius, reperitur illud, quod omnem orationis acerbitatem temperat. *Loquar ad te, cùm sim puluis, & cinis.* In argumento simili, & eodem fortasse tempore dixit Ieremias cap. 12. *Quare via impiorum prosperatur, benè est omnibus, qui præuaricantur, & iniquè agunt?* Verùm ante hæc præcesserat illud, *Iustus quidem tu es Domine, veruntamen iusta loquar ad te.* Horum verò nihil videmus in Habacuc.

Vociferabor ad te vim patiens, & non saluabis.] 8.
Hæc eodem, quo superiora, sensu dicta sunt. Illud hic tantùm explicandum, quid sit *vim pati.* Mihi placet quod etiam visum est in Commentariis super Isaiam ad illud cap. 38. *Domine vim patior, responde pro me.* Vbi diximus *vim pati*, verbum esse forense, quo significatur aliquem calumniis opprimi; & cùm æquitate causæ sit superior, iniquitate iudicis, & inimicorum fraudibus, & corruptis largitione iudiciis inferiorem esse. Quod indicat illud verbum *respondeo*, quo patroni significatur munus; & fauet plurimùm Septuaginta translatio, quæ sic habet ἀδικούμενος, id est, *affectus iniuria*: & multo magis vox Hebraica חמס *chamas*, quæ conuitia significat, sed præcipuè vim illam, quæ in iudiciis æquitati affertur, aut legi. Quare licèt de quacunque alia vi, aut iniuria, quam pauper à potenti, & iustus patitur ab impio, sermo sit: tamen de illa præcipuus est sermo, quam ab iniquo magistratu, ac iudice patitur iustus. Hanc porrò vim illatam à Chaldæis, & contra illos hanc esse institutam querimoniam, tenent cum Hieronymo plures alij. Sed placet magis quod omnes penè Græci Patres sentiunt, designari illos, qui inter Iudæos per vim, & iniuriam ad suos vsus tenuiorum, & iustorum commoda detorquent. Ita Theodoretus, Cyrillus, Theophylactus, Gregorius Nazianzenus orat. 1. Apologetica. *Quid autem, inquit, Habacuc? Hic quidem acriori etiam oratione vtitur, atque aduersùs Deum ipsum stomachatur, ac benignum Dominum propter iudicium iniquitatem velut clamoribus insequatur, dicens: Vsquequò Domine clamabo?* Vbi obiter nota, quàm sit Gregorij de Habacuc querelis seuera censura, neque leuior est Eliæ in hunc Gregorij locum, vbi idem sentit,

A sentit, quod Gregorius, sed grauiùs iudicat de Propheta. *Habacuc* (inquit) *aduersùs ipsummet Deum stomachatur, & indignatur, atque incalescit, magnis clamoribus in bonum illum Dominum inuehens.*

9. Vers. 3. *Quare ostendisti mihi iniquitatem, & laborem videre prædam, & iniustitiam contra me.*] Tritum est illud, *Quod non videt oculus, cor non dolet.* Minùs enim afficiunt, quæ auribus, quàm quæ oculis transmittuntur ad animum. Dolere sanè poterat Habacuc, cùm audiret, quàm sine pudore, ac metu contribules sui omni vitiorum generi immoderatè indulgerent. Sicut qui audiunt in vltimis etiam terræ finibus diuinam prodi legem, & externæ, atque impiæ religioni honorem impendi, quem sibi verus, & vnus Deus exigebat. At hoc B ipsum quemquam præsentem intueri, atque ita frequenter, vt nunquam non occurset oculis, quantus dolor? Quare qui propriis, aut suorum incommodis interesse contigit, beatos appellant illos, quibus immaturè sublatæ vitæ vsura talia videre, aut audire non permisit. Sic Mathathias Machab. lib. 1. cap. 2. *Væ mihi, vt quid natus sum videre contritionem populi mei, & contritionem ciuitatis sanctæ.* Sic euersa ciuitate in maxima doloris sui parte ponebat Ieremias, quod ipse suis oculis cadentem ciuitatem, & malè iactatum populum aspexisset. Thren. 3. *Ego vir videns paupertatē meam in virga indignationis eius.* In quam sententiam explicuimus illud eiusdē capitis, *Oculus meus deprædatus est animam meam.* Quæ sententia apud profanos frequens. Vnū accipe pro innumeris aliis testimonium. Virgil. *lib.* 11. *Æneid.* vbi sic Euandrum in Pallantis funere loquentem inducit,

Grauius mouent quæ oculis, quàm quæ auribus percipiuntur.

——————*Tuque ô sanctissima coniux*
Felix morte tua, neque in hunc seruata dolorem.
Contrà ego viuendo vici mea fata superstes
Restarem vt genitor.

Illud *contra me*, idem est atque *in oculis meis.* Sicut illud Psal. 50. *Peccatum meum contra me est semper.* Ac si dicat, quocunque oculos conuerto, occurrunt præda, vis, & iniquitas.

10. *Factum est iudicium, & contradictio potentior.*] Hæc mihi persuadent illud esse verum, quod D paulo antè dicebamus, illud *vim patiens*, verbum esse forense, ac iudiciale, quod tunc habet locum, quando aliquis vrgetur criminationibus, & corruptis opprimitur iudiciis. Hoc verò satis, opinor, explicatur in *iudicio, & contradictione,* quæ non tam significant armatam manum, quàm instructam iniquè criminationem; non tam illos, qui conserti lacertis, ac ferro, quàm qui conserti iure, ac legibus rem suam aut repetunt ablatam, aut auferre student alienam. Ait ergo Propheta in eo rerum conflictu, accusatorum, & iudicum, quos largitio, aut aliqua alia corrupit iniqua ratio, contradictionem semper æquitate, atque iustitia esse superiorem.

Vim pati verbum forense.

11. Vers. 4. *Propter hoc lacerata est lex, & non peruenit vsque ad finem iudicium.*] Sunt qui putant hìc à E Propheta significari ideo prodi ab iniquo iudice æquitatem, & quiduis criminatorem audere, si modò ad corrumpenda iudicia adsit pecuniarum facultas; quia Deus non statim sumit aut de corrupto iudice, aut de corrumpente accusatore supplicium. Iuxta illud Eccl. 8. v. 11. *Etenim quia non profertur citò contra malos sententia absque timore vllo filij hominum perpetrant mala.* In his est Vatablus. Et reuera vulgares animos hæc cogitatio adducit vehementer, vt aut in veteri peccato obstinatò hæreant, aut aliquid noui semper audeant; quia vt alios vident peccare impunè, sic etiam impunita sibi putant fore peccata.

Impunitas peccata fouet.

Sed placet magis quod cum Hieronymo sentiunt frequentes alij; ideo lacerari legem, frigere iura, & pro libidine omnia geri potius, quam diuinæ legis vllam haberi rationem, quia iniusti viuunt, regnántque in iudiciis; contra verò iusti in omni iudicio, ac foro conculcantur. Illi constituuntur custodes, & vindices legum, qui nihil magis oderunt, & horrent, quàm æquitatem, & legem; neque tam curant, vt cuique suum ius, & ex iure postulata tribuant, quàm vt gratiam ab aliis ineant, aut rependant; aut vt suas, conculcatis pudore, ac lege, facultates augeant. 12.

Et non peruenit vsque ad finem iudicium.] Peruenire ad finem iudicium, idem est atque obtinere id, cuius causa fuit à Deo, aut ab aliqua alia superiore, atque legitima causa constitutum: nempe vt in iudicio quis obtineat, quod alio modo neque legitimè, neque vi, si vis ab aduersario foret oblata, obtinere poterat. Cùm verò pauper vi non possit propulsare vim, hoc illi datum est à republica contra vim, & iniuriam fidele perfugium, à quo si excidat, à suo etiam iure, & commodis cadat necesse est. In hanc fermè sententiam accipiunt omnes alij. Chaldæus, *Neque procedit vnquam ius.* Tigurina, *Nec habet efficacem executionem iudicium.* Pagninus, *Et non egreditur in sæculum iudicium.* Hieronymus idem esse censet, non peruenire ad finem iudicium, atque nullum iudicium esse iustum: finis enim iudicij iustitia est, quæ à iudicibus, id est, à legum interpretibus, declaratur. Sed cùm leges inter arma, atque munera iaceant, non exit è iudiciis, quod lex, & æquitas, sed quod armata vis, aut quod pecuniarum ineluctabilis potestas extorquet. 13.

Aut etiam non peruenire in finem, idem valet quod nunquam ad finem peruenire. *In finem* namque idem est quod *perpetuò: non in finem* idem quod *nunquam.* Psal. 12. *Vsquequò Domine obliuisceris me in finem?* id est, perpetuò. & Psal. 9. *Patientia pauperum non peribit in finem*, id est, nunquam peribit. Hanc ego explicationem, aut nihil, aut parùm arbitror à superiore differre. Posterior autem explicandi modus magis mihi videtur accommodatus. Quare hìc obseruo quod in iudiciis, ac re forensi, & nostra ætate fieri videmus, & superiori memoria factum esse audimus. Neque enim cum æquitate sic est profligatus iudicum pudor, vt non aliqua appareat licèt fucata species æquitatis. Quare aliqua proponitur iudicialis formæ futilis vmbra: fiunt destinatis à lege seu consuetudine temporibus legitimi consessus: præseferunt iudices & zelum legis, & ardens quoddam æquitatis seruandæ desiderium. Quod fecerunt quondam senes illi, qui Susannæ primùm pudori, deinde vitæ insidiati sunt. At citò illa honestatis species deflorescit, & laruatus ille zelus sese prodit. Nam vbi id sedulò, atque integrè factum oportuit, in quo tota continetur controuersiæ vis; mutatur agendi modus, & sensim eò res tota defluit, vt vincat violentus, & latro; & eò adducatur innocens, & iustus, aut qui sua repetit ab aliis ablata, aut qui sua ab aliis defendit, vt non solùm non obtineat illud, quod ius ipsum, & natura concedit; sed vt discedat insuper aut percussus pugno, aut grauibus oneratus iniuriis. Qua de re graues audimus in Scriptura sacra querimonias, Isaias cap. 3. v. 15. *Et faciem pauperum commolitis.* & cap. 58. v. 4. *Percutitis pugno impiè.* Vide quid nos in ea loca pluribus. Quod etiam frequens esse apud Romanos docet Iuuenal. 14.

In finem quid.

Æquitas in iudiciis violata.

Sat. 3.

Sat.3. vbi de congressu pauperis cum potente, ac diuite etiam in iudiciis agit; vbi siue pauper loquatur, siue taceat, quocunque se modo ad diuitem habeat, malè acceptus ad iudicium rapitur, & violenter opprimitur.

Dicere si temtes aliquid, tacitúsve recedas,
Tantundem est: feriunt pariter. Vadimonia deinde
Irati faciunt. Libertas pauperis hæc est.
Pulsatus rogat, & pugnis concisus adorat.

15. Non ergo peruenit ad finem iudicium; quia nihil tandem prouenit ex iudicio æquum, ac legitimum, cùm ex iudicio nihil consequatur pauper nisi plagam, atque ignominiam. Aut certè nunquam peruenit ad finem, quia licèt principio causa videatur legitimè tractari, & rectà ad finem, id est, ad æquitatem, deduci; occurrunt tamen quædam impedimenta, & salebræ, quæ hærere cogunt iudicia, & retrorsum agi. Sicut viator retrò se nonnunquam agit, cùm inaccessi occurrunt scopuli, & insuperabiles salebræ. Sic si quãdo rectà in causis ingreditur iudex, occurrunt potentiorum promissa, & dona, metus, & minæ, & priuata interdum aut oblata, aut sperata commoditas; quæ transuertunt iudicia, & longissimè reuocant à fine.

16. *Quia impius preualet aduersus iustum, propterea egreditur iudicium peruersum.*] Explicatio est superioris clausulæ; quæ rationem reddit, cur iudicium ad finem vsque non perueniat. Quia videlicet improbitas potens in timidis, aut cupidis iudicum animis longè fortior est inermi, & sola pauperum iustitia. Iudicium peruersum illud est, quod non æquitas moderatur, sed cupiditas, ambitio, odium, aut gratia, aut quæuis alia iniqua cogitatio à lege, & omni recta ratione distorta.

17. Vers.5. *Aspicite in gentibus, & videte, & admiramini, & obstupescite.*] Hinc incipit prophetia; nam hactenus nihil accepit diuinitus Habacuc, sed id repetit dolens, aut, vt alij putant, subindignans, quod ipsa experientia nouerat, vt liquet. Cui nũc respondet Dominus, & de futuris rebus edocet, vt mirari desinat, ac existimare Deum humanarũ rerum curã abiecisse; & sciat nihil aut casu fieri, aut abiturũ impunè. Sed est huius loci varia pro variis cogitationibus explicatio. Hieronymus, qui hæc à Propheta ideo obiecta dicit, quia malè populus à Chaldæorum siue armis, siue dominatu iactaretur, ita sensum informat. Non esse cur secum iniquiùs, aut potiùs duriùs actum esse queratur; cùm nihilo mitiùs nationes alias vicinas acceperit Nabuchodonosor, in quas Prophetam, aut contribules, quorum agit causam, intueri iubet. Quarum cùm inopiam, sordes, & exitium attente contemplati fuerint, non poterunt non admirari, atque obstupescere, cùm tantam videant rerum vicissitudinem. Porrò nationes alias, quæ Israelitarum attingunt fines, subactas fuisse à Nabuchodonosor, docuerunt Prophetæ alij, & expressiùs Ieremias *cap.25.* Quo verò tempore nationes aliæ subactæ fuerint à Chaldæis, docuit Iosephus *lib.10. cap.11.* anno videlicet 5. ab excisa Hierosolyma.

18. Sed nos, qui suprà hasce Prophetæ querimonias non esse putamus contra Nabuchodonosor, sed contra iniquos magistratus, & iudices, eos denique Solymitanos ciues, qui siue dolo, siue vi, iustorum, atque inopum causam oppugnabant, opprimebántque; quod, meo iudicio, quæ præcesserunt, omnia non obscurè probant, aliter hunc locum exponamus oportet.

Querebatur Propheta, quod in ciuitate quidquis auderent, quorum maior esset vis, & potestas, idque omninò impunè; quare iustorum causa sic erat vilis, & oppressa, vt nihil æquum sperarent à potestate publica, & nihil non timerent ab inexhausta potentiorum auaritia. Quare respondet Dominus Prophetæ iustorúmque querimoniis, & docet tyrannicæ illi potentiæ imminere iam proximè ab hoste potentiori supplicium. Hostis autem ille est Nabuchodonosor, cui præter Chaldæos accedent complures alij, quos ipse aut mercede conduxit, aut imperio coëgit. In his fuere nationes variæ, quibus antea dominabatur, & quas subiugato Assyriorum imperio operam sibi iussit nauare militarem. Tum etiam vicinæ aliæ gentes, quæ aut Iudæorum antiquo, & propè naturali odio; tum etiam metu, ne quid ab hoste potẽtissimo paterentur incommodi, auxiliares illi manus admouerunt. Quales fuere Ammonitæ, Moabitæ, Idumæi, quibuscum Israelitæ, graues, ac penè continentes inimicitias aluerunt. In has gentes Dominus Prophetam, & alios, qui de diuina prouidentia queri videbantur, intueri iubet, quasi iam ingruerent armatæ, & ab illis duras expeterent pœnas, quas neque pudebat, neque pœnitebat suas sibi familias alienis spoliis exornasse. Id enim valet, *Aspicite in gentibus, & videte, & admiramini, & obstupescite.* Id est, ô vos, qui improborum fortunam liberam existimatis à metu, eóque nomine aut inuidetis illi, aut etiam in me iustorum curam, & prouidentiam desideratis; aspicite quas gentes aduocem, per quas ab eis seueras exigam pœnas; neque minor vos stupor, atque admiratio capiet, cùm illorum afflictam, & sordidam conditionem intueri dabitur, quàm cùm illos exultantes, & lætos, & in vestris spoliis atque adeò in vestro sanguine triumphantes spectabitis. 19.

Porrò illud, *in gentibus*, idioma est Hebræorum, qui præpositionem interdum adhibent redundantem, & otiosam, & frequentissimè ב *beth*, id est, *in*, vt docet Pagninus *lib.4. Instit. cap.22.* vbi sat exemplorum. Sed hoc fit legitimè cum verbis, quæ ad sensum pertinent oculorum. Vnde sæpè audimus, *Respice in me.* Psal.105. v.5. *Ad videndum in bonitate electorum tuorum*, id est, bonitatem. 20. REGVLA. *Præpositio aliquando redundat.*

Hæc mihi difficilia non sunt. Sed penè cogit me Paulus *Actor.13.* vt verba hæc non tam ad iustos referam, quos viri improbi superbè, ac barbarè tractabant, quàm ad viros ipsos violentos, & improbos, quibus similes minatur exitus, & extremum exitium. Ita sanè videtur exposuisse Paulus Prophetæ verba, quæ non videntur accommodari posse, nisi ad eos, in quos magis inflammatur animus propter intemperantes mores, & barbarum ingenium, quàm inflectitur propter afflictam, vexatámque fortunam ad misericordiam. Sic igitur Paulus ad Iudæos, quos minùs euangelicæ voci obsequentes habebat, *Videte* (inquit) *ne superueniat vobis, quod dictum est in Prophetis. Videte contemptores, & admiramini, & disperdimini, quia opus operor ego in diebus vestris; opus quod non credetis, si quis enarrauerit vobis.* Hæc Paulus, qui secutus est translationem Septuaginta, quam nos in illum locum *Actor.13.* cum translatione vulgata conciliare tentauimus: neque in ea re ineruditè Ribera, neque negligenter laborauit, quem tu vide. Quod si ita est, vt profectò videtur esse dicendum, apostrophen hîc agnoscamus necesse est, per quam Deus ad illos con- 21.

uertit

uerint minas, de quorum impunita improbitate querebatur Propheta.

22. Cur verò vulgatus *in gentibus*, Septuaginta verò *contemptores* conuerterint, ex literarum similitudine prouenit. Legit sine dubio vulgatus interpres בגוים *bagoim*. Legerunt Septuaginta בוגדים *boghedim*. Neque nouum est vt literarum leuissima mutatio, ac flexus in varias lectiones adducat interpretes.

23. *Quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet, cum narrabitur.*]Præteritum tempus pro futuro ponitur, quod Prophetis familiare est. Neque enim quo tempore hæc dicebantur, talia passi fuerant Iudæi, qualia nunc audiunt à Propheta. Illud verò eiusmodi futurum esse dicitur, vt supra fidem fore videatur. Quis enim credat templum omnium, quæ mundus norat, augustissimum, quódque Deo tantæ curæ fuerat, ab eodem Deo æquandum esse solo, & tradendum Chaldæorum incendio? Quis ciuitatem tam egregiè ab arte, naturáque munitam venturam aliquando in hostiles manus? & eò redigendos miseros ciues, vt parentes filiorum carnibus, & filij parentum, extrema vrgente fame, vescerentur? Sanè hæc incredibilia sunt, sed & illa stuporem etiam adducent his, qui audierint gentem olim luculentam, & strenuam, & tam vicinis, quàm remotis nationibus formidabilem ad seruilem conditionem abiectam, & vitam vsque adeò ærumnosam, & vilem, vt nihil videatur excogitari posse miserius, nihil luctuosius. Hoc idem dixit post excisam vrbem, & abductum populum Ieremias Thren. cap. 4. v. 12. *Non crediderunt reges terræ, & vniuersi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hostis, & inimicus per portas Ierusalem.* Tantum verò, cùm ciuitas adhuc minùs esset munita, Iebusæi siue naturali, siue ab arte quæsito munimento tribuebant, vt à claudis, & cæcis defendi posse à quantocumque inimicorum exercitu confiderent.

24. Vers. 6. *Quia ecce ego suscitabo Chaldæos Gentem amaram, & velocem.*] Si, quemadmodum Prophetis est familiare, pro futuro vsurpare præteritum, sic etiam foret vsitatum pro præterito adhibere futurum, minùs esset difficilis illorum sententia, qui queri opinantur Prophetam de iniuriis, quas Iudæorum genti intulere Chaldæi. Sed locus iste, qui rem omnino futuram esse indicat, dubitare non sinit. Docet igitur Deus luituros esse pœnas Iudæorum magistratus, & principes, quas dabunt Chaldæis diuinæ seueritatis administris; seu potiùs Deo, qui pœnas repetet per Chaldæos. Quorum ingenium, & mores, & militarem apparatum non tam accuratè describeret, si iam Iudæis nota forent; quod quidem videbatur necessarium, si iam ab illis post obsidionem longam expugnata esset Hierosolyma. Describit autem Chaldæorum tã mores, quàm spiritus admodum pugnaces, & illa, quæ ad felicem rerum euentum magno solent esse præsidio. Primùm gentem appellat *amaram*, id est, immitem, quam nullius calamitas, aut preces ad misericordiam inflectant, aut quæ studio sibi, ac voluptati esse ducat aliis esse molestam. Mezentius accepturus iugulo hostile ferrum, imminentem hostem amarum appellat. *Hostis*, inquit, *amare quid increpitas?* Deinde *velocem*, aut quia citò aderit, aut quia festinatò rem agit, & moras omnes rumpit quantumcunque graues. Seu quia quemadmodum, vt statim dicemus, equi, qui ad Euphratem aluntur, velocissimi

Chaldæorum descriptio.

sunt; sic etiam Chaldæi, quorum Euphrates fines interluit, pedum pernicitate pollent; quæ in eo, qui militarem sequitur gloriam, non exigua commendatio est. Quo nomine sæpè commendatur Achilles ad Homero, à quo vocatur πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς.

Ambulantem super latitudinem terræ, vt possideat tabernacula non sua.] Si hæc eo tempore dicta sunt, in quo Assyriorum imperium aut translatum fuerat ad Chaldæos, aut in eo debellando Chaldæorum studia, & arma laborabant (quod mihi videtur non improbabile) non est obscura huius loci sententia. Ambulabat enim tunc super latitudinem terræ, id est, super terram spatiosam, & latam, vt suo sibi subiugaret imperio, & tabernacula non sua, iam tamen armis superata, tanquam dominus iam sua possideret. Quòd si nondum ad Chaldæorum ditionem Assyriorum imperium accesserat, illud *ambulantem*, qui secundus videtur esse actus, vt Logici dicunt, pro primo sumitur, id est, pro illius gentis inclinatione, ac genio, qui ad aliarum gentium ruinam, & suorum finium amplificationem sponte rapitur. Quare parata est eò ferri, per summas etiam difficultates, & salebras, vnde se aliqua spes commoditatis ostentet. 25.

Vers. 7. *Horribilis, & terribilis est.*] Ad ambitiosos, & pugnaces spiritus accedit quædam horribilis species, quæ scintillantibus oculis furorem aspirat, & vox ipsa truculentum aliquid, & ferinum sonat. 26.

Ex semetipsa iudicium, & onus eius egredietur.]Obscura translatio difficilem reddit huius loci sententiam. Sed est non difficilis, si pronomen reciprocum in absolutum mutes; quod in Scriptura sacra frequens est. Quod inde nascitur, quia Hebraicum pronomen affixum tertiæ personæ ad reciproci, atque absoluti pronominis vsum patet. Quare non semel cum reciproca est significatio absolutum, & cum absoluta reciprocum pronomen adhibetur. Absolutum posuit Zacharias cap. 12. v. 10. *Plangent eum planctu, quasi super vnigenitum,* pro plangent se. Quomodo ad illum locum respectans dixit Ioannes Apocal. 1. *plangent se.* In hunc sensum explicuimus illud Isaiæ 25. de Moab. *Humiliabit gloriam eius, cum allisione manuum eius.* id est, *gloriam suam, & manuum suarum.* Contrà verò reciprocum pro absoluto. Genes. 2. *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi.* id est, simile ei. Iuxta hæc explicuimus illud Isaiæ 59. *Saluabit sibi brachium suum.* Vbi vtrumque reciprocum sumitur non reciprocè. Sic hoc loco, si illud *ex semet* sumas non reciprocè, sensus erit facilis. *Ex ipsamet gente Chaldæorum, quam modò descripsi, exibit illud onus, quod tibi denuncio, & illud iudicium, quod subire tua merentur peccata.* Hanc lectionem aut expresè tenent, aut non obscurè indicant communiter interpretes cum Hieronymo, qui in Commentariis legit non reciprocè. Cuius explicationem expeditam, & facilem illam esse arbitror, quam nunc adduxi. Variæ adducuntur ab aliis, quas hic breuiter adducam, vt ex omnibus lector, quam volet, eligat. 27.

REGVLA. *Pronomen tertiæ personæ interdum reciprocum, aliquando secus.*

Quidam vsque adeò crudele, ac barbarum, seu tyrannicum futurum esse dicunt Chaldæorum genus, siue in administrando bello, siue in ferendo iudicio, vt omni se lege liberos esse statuant. Neque alias vllibi sequantur leges, nisi quas illis auaritia, ambitio, aut etiam animi libido præscripsit, aut certè victoriæ obtinendæ quæcun- 28.

Digitized by Google

quæcunque ratio. Ita ferè Theodoretus, qui in suam sententiam adducit Symmachi translationem. *Hoc, inquit, explicauit Symmachus posuit. Ipsa sibi iudicabit, & decretum suum exequetur.* Idem fermè Cyrillus, & Ribera, Dionysius, Hugo, Glossa, Haymo, Remigius, & Figuerius tres adducunt explicationes, quæ sumptæ dicuntur ex Hieronymo, apud quem ego non inuenio, neque facile assequor quid ipse sentiat. Verba hæc sunt, quæ alij repetunt, quæque Hieronymi esse dicuntur. *Ipsa gens Chaldæorum ex semetipsa constituet principes; & potestas eius, & gladius eius aliarum gentium satellites non habebit. Vel certè quomodo fecit, fiet ei.* Hoc postremum etiam approbat Lyra.

29. Sed vt verum fatear, aliquid in his expositionibus occurrit, à quo nescio quomodo abhorret assensio. Illud prius minùs mihi videtur esse difficile: quod videlicet id facient Chaldæi, quod ipsis libuerit; neque alia lege suam vel cupiditatem, vel iram moderabuntur, quàm victoriæ, vel prædæ opportunitate. Quod faciunt illi, qui suis obsequuntur affectibus, neque Deum timent, neque quicquam habent pensi, quid homines sentiant, aut loquantur. De quibus est illud tritum, *Sit pro ratione voluntas.* Tales erant illi, de quibus est illud Ennianum,

Tollitur è medio sapientia, vi geritur res.
Non ex iure manu consertum, sed mage ferro
Rem repetunt.

Horum ingenium expressit Seneca in Hercule furente,

Ius est in armis, opprimit leges timor.

30. Quòd verò dicunt quidam ex Hieronymo, quod non credo, gentem illam ex seipsa conscripsisse copias, nec alienos aduocasse, aut còduxisse milites, nullo mihi modo probari potest. Quoniam lego nationes alias suas vires, atque consilia cum Chaldæis coniunxisse ad Solymitanæ ciuitatis exitium. Ita Ieremias cap. 1. v. 15. *Quia ecce ego conuocabo omnes cognationes regnorum Aquilonis.* De Idumæis constat ex Psal. 136. *Memor esto Domine filiorum Edom in die Ierusalem.* & Thren. cap. 4. v. 21. de Ælamitis, id est, de Persis docuit Isaias cap. 22. vers. 6. *Et Ælam sumpsit pharetram.*

31. Illud tertium, quod ex seipsa gens Chaldæa iudicium sibi sumet, & onus, id est, patietur talem, qualem Hierosolymis intulit cladem; licèt verum sit, vt etiam ante hoc tempus prædixerat Dauid Psal. 136. *Filia Babylonis misera: beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis.* Verùm neque necessarium videtur, cùm hac ipsa de re satis postea luculenter, & grauiter, neque videatur admodum cum textu cohærere; in quo, quæ consequuntur, & præcedunt, furorem, & spiritus proponunt insolentes, & truces, & ad bella conficienda militarem instructum: quare ægrè admodum ab hoc argumento separatur, nempe ab Hierosolymæ clade, id quod modò explicare contendimus. Mihi, vt dixi, illa videtur explicatio soluta, quam primo loco produxi, quæ docet à gente Chaldæa egressurum illud onus, quod Solymitanis Propheta denunciat; & iudicium, quod Deus summus rerum, & æquissimus iudex faciet de peccatis, quorum tantam viderat in ciuitate proluuiem.

32. *Chaldæorum equi velocissimi.* Vers. 8. *Leuiores pardis equi eius.*] Velocissimos esse Chaldæorum equos, tam sacræ, quàm prophanæ literæ testantur, vt nos pluribus docuimus ad illud Ieremiæ cap. 4. v. 13. *Quasi tempestas currus eius, velociores aquilis equi illius.* & Thren. cap. 4. v. 19. *Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cæli.* Ex prophanis aliquid nos adduximus suprà ad cap. 4. Ieremiæ. Sanè Oppianus equos, qui ad Euphratem pascuntur, velocissimos esse dicit, & ita audaces, & ad insequendum strenuos, vt ipsos etiam intrepidi aggrediantur leones. De quibus sic Oppianus,

Qui habitant virides Euphratis ad vndas,
Magnanimis vtuntur equis in bella leonum,
Accedit leuitas cursus, quódque ora leonis
Intrepidi perferre valent, vocésque superbas,
Cùm reliqui fremitus nequeant tolerare minaces.

Pardorum velocitas. Pardis comparantur Chaldæorum equi, tum quia sæui sunt, vt modò vidimus ex Oppiano, tum quia velocissimi. Quàm porrò sit pardus velox, B docet Plinius *lib. 10. cap. 73.* vbi ostendit quo artificio in prædam insiliat, quóve modo illam capiat, atque conficiat. *Insidunt (inquit) in Africa pardi condensa arborum, occultatique earum ramis in prætereuntia desiliunt, atque è volucrum sede grassantur.*

33. *Lupi vespertini.* *Et velociores lupis vespertinis.*] Lupi dicuntur vespertini, aut nocturni, tunc verò maximè cùm fame cruciantur, & acerrimè sæuiunt. Quidam genus quoddam luporum esse opinantur, quorum velocitas magis est nota, & crudelitas maior; quales esse credũtur in Arabia. Et ita Septuaginta conuerterunt, *Velociores super lupos Arabiæ.* Iuxta quam translationem sic Cyrillus, *Equos, inquit,* C *pardalibus comparat, subsultans admodum animal est pardalis, & leuitate mira præditum ad insiliendum in eos, quos insequitur. Item lupis Arabicis, quos ferunt aliis sæuitia multis partibus antecellere, celeritérque facto impetu, in quos voluerint, incurrere.*

34. Ego primùm lupos hosce non puto pertinere ad Arabiam, licèt in Arabia fortasse lupi sint veloces, & feri, quíque optimè equorum, qui ad Euphratem aluntur, naturam, & celeritatem exprimant. Sed arbitror potiùs luporum exprimi celeritatem, & rabiem, quæ tunc apparet maximè, quando tempus aduenit nocturnum, seu, quod idem est hoc loco, vespertinum. Tunc enim cùm fames vrgeat in ieiuno ventre, quia interdiu lupi, D cùm prædari non audeant, totum diem transigunt per inediam; vbi primùm obrepsit nox, ex suis lustris ad prædam egrediuntur. Quod etiam aliis feris vsitatum esse, & norunt magno suo incommodo armentarij omnes, & traditur apertè Psal. 103. *Posuisti tenebras, & facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluæ. Catuli leonum rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi. Ortus est sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur.* Huc inclinant interpretum plerique; Græcos excipe, & qui Septuaginta interpretum translationem sequuntur. Hanc porrò luporum celeritatem, & rabiem nocturno tempore etiam agnouere prophani, adduxereque in magni alicuius, & E rapidi furoris comparationem. Qua de re nos ad illud Ieremiæ cap. 5. *Lupus ad vesperam vastauit eos.* Est accommodatum exemplum illud Virgilianum ex lib. 7. Æneidos,

Ac veluti pleno lupus insidiatus ouili
Nocte super media, tuti sub matribus agni
Balatum exercent, ille asper, & improbus ira
Sæuit in absentes, collecta fatigat edendi
Ex longo rabies, & sicca sanguine fauces.

Et magis accommodatè lib. 2. Æneidos,

———*Inde lupi ceu*
Raptores atra in nebula, quos improba ventris
Exegit cæcos rabies, catulique relicti
Faucibus expectant siccis, per tela, per hostes
Vadimus haud dubiam in mortem.

Accedit

35\. Accedit quòd quemadmodum feles noctu venantur, quia noctu vident, atque ideo nocturni prædones vocari possunt: sic etiam lupi, quia nullæ illis tenebræ videndi facultatem aut eripiunt, aut hebetant, nocturni, seu vespertini appellari possint. De quibus Ælianus lib. 10. cap. 17. *Acerrimis, atque acutissimis* (lupus) *præditus est oculis. Enimuero intempesta nocte, vel luna ipsa silente, lucis vsura perfruitur, & tametsi omnibus tenebræ offunduntur, non huic tamen lux eripitur.* Hinc, opinor, matutinum crepusculum à Græcis λύκη, seu λυκόφως, id est, *lupina lux* dicitur; quia hæc prima lux est, quam nocturnus lupus aspicit, & quam solum sustinet, ex quo familiare sibi cubile deseruit: nam statim se in tenebras abdit, & opaca syluarum.

Lupi noctu vident.

36\. Neque huic cogitationi officit Septuaginta translatio, quæ pro *vespertinis* reddidit *Arabia*. Nam vox Hebr. ערב *ereb. vesperum* significat, & *occasum.* Vnde Arabia nomen accepit, quæ ad occasum spectat. Hæc porrò vocis communitas fecit, vt ערב interdum pro vespere, seu occasu sumatur, interdum pro Arabia. Nonnunquam verò pro vna significatione sumitur altera, quæ illi proxima est, licèt minùs propria, vt pluribus ostendimus in nostris Commentariis in Psal. 67. ad illud, *Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum.* Et in hoc ipso nomine habemus illustre exemplum in hoc Psal. v. 4. vbi cùm sermo esset de Arabia, in qua mons est Sina, de quo ibi multus sermo pro Arabia, *occasus*, id est, vesper, adhibitus est. Sic etiam nunc cùm sermo sit de vespere, aut occasu, propter communem significationem Septuaginta transtulerunt Arabiam, quod etiam fecerunt Sophon. cap. 3.

Arabia pro occasu.

37\. *Vespertinus* autem pro *nocturno* ponitur, sicut etiam *vesper* pro *nocte*, vt cõmuniter accipiunt interpretes illud Genes. 1. *Factúmque est vespere, & mane, dies vnus*, id est, dies & nox. Porrò *vespertinum, nocturnum, matutinum*, & similia sumi non solùm pro temporibus, sed etiam pro personis, quæ temporibus illis aliquid moliuntur, in omni lingua vsitatum est. Sic nocturnus dicitur fur, adulter, insidiator; matutinus, qui mane venit. Virgil. lib. 8.

Nec minus Æneas se matutinus agebat.

Et vespertinus hospes. Horatius lib. 2. Sat. 4.

Si vespertinus subitò te oppresserit hostis.

38\. *Et diffundentur equites eius.*] Descripsit equorum velocitatem, nunc addit, quò se explicet, atque diffundat illa tanta celeritas: tam videlicet latè, quàm latè Chaldæorum patet ambitio, & iam antea animo concepta multiplex victoria. Quare varias peragrabunt prouincias equites Chaldæi; neque enim viæ erunt vllæ vsque adeò latæ, neque prouincia vna quantumcunque diffusa spatiis, quæ tantam capiat multitudinem. Quocirca quasi coangustati limitibus, & angustiarum impatientes ad nouas se prouincias acquirendas effundent. Vbi vulgatus *diffundentur*, Chaldæus legit *multiplicabuntur.* Quo verbo causa ostenditur, cur diffundendæ sint Chaldæorum acies. Tantam enim multitudinem neque locus vnus capere, neque alere commodè sufficiet: atque ideo illis necessarium erit nouas sibi asciscere regiones, vt actis hinc inde prædis delicatam famem, & ambitiosam cupiditatem exsaturent.

39\. *Equites enim eius de longè venient.*] Explicat cur tanta futura sit equitum multitudo, quia de longissimis regionibus cogentur milites, vel euocati imperio, vel mercede conducti. Quomodo autem sub Chaldæorum signis diuersa regna fuerint, diximus paulo antea: & docet satis illud Ieremiæ cap. 1. *Ecce ego euocabo omnes nationes regnorum Aquilonis*, &c.

Volabunt sicut aquila festinans ad comedendum.] 40.
Non semel Nabuchodonosor, & Chaldæorum exercitus comparantur aquilæ, tum ob robur, quo aggreditur magna, tum ob velocitatem, qua assequitur alta, & ardua superat; tum vel maximè quia rapto viuit, & præda delectatur, & sanguine, ad quæ præcipiti se volatu, neque exitu prorsus inani demittit. Sic *Ierem. cap. 48. v. 40. & cap. 49. v. 22. & Ezechiel. cap. 17.* Hîc verò comparatur Chaldæorum robur, & ingenium aquilæ, qui ad prædam aspirat, & aduolat, & quia id agit festinatò. De velocitate aquilarum ad prædam Isidorus lib. 12. cap. 7. *Tanti enim contuitus esse dicitur, vt cùm super maria immobili penna feratur, nec humanis pateat obtutibus, de tanta sublimitate pisciculos natare videat, ac tormenti instar descendens raptam prædam pennis ad littus pertrahat.* Illud, *tormenti instar*, magnum habet ad celeritatis amplificationem pondus. Perinde enim est ac si dicat aquilam ad prædam non minore celeritate ferri, quàm ab arcu sagitta excutitur, aut à bombarda plumbeus globus exploditur. Eadem similitudine vsus est Ieremias cap. 4. *Velociores aquilis equi illius.* & Thren. 4. *Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cæli.* Et magis ad hunc locum Deut. 28. v. 49. *Adducet Dominus super te gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus in similitudinem aquilæ volantis cum impetu.*

Aquilæ ad prædam magna velocitas.

Vers. 9. *Omnes ad prædam venient: facies eorum ventus vrẽs.*] Omnes illi ea celeritate, qua pardus, aut aquila ad prædam aduolabunt, neque magis mites, neque minus horribiles, aut sitientes sanguinis. Quorum ingressus sic erit truculentus, & noxius, vt quacunque pergant, peruasisse videatur aut ventus vrens, ac pestilens, aut locustarum agmina, aut grandinis vis inimica, & rapida, quæ stratis segetum calamis: neque antiquæ fœcunditatis vestigium relinquit. Vbi vulgatus *ventus vrens*, Hebr. est קדימה *kedimah.* quod aliquid significat orientale, qualis est ventus, qui perflat ab Oriente. Qui ventus Solymitanis grauis est, & pestilens; atque ideo prouerbiali forma pro re sumitur, quæ valde noxia est, & quæ magna sunt, & speciosa, momento temporis sternit, & exurit. Sicut etiam ignis, qui munus breui peragit suum, & grassante flamma obuium quodque apprehendit, & conficit. Sic Ezech. 17. v. 10. de Hierusalem. *Nũnne cùm tetigerit eam ventus vrens siccabitur?* Et iterum cap. 19. v. 12. de eadem, *ventus eius siccauit fructum eius, marcuerunt, & arefacta sunt virgæ roboris eius.* Idẽ *Ierem. cap. 4. v. 11. & cap. 18. v. 17. Iob c. 27. v. 21.* Plura de hoc vento, & de illius vsu prouerbiali, ad illud Oseæ cap. 13. v. 1. *Et adducet ventum vrentem Dominus.* Quare non laboro, an Babylon, seu Assyria ad partem orientem Hierosolymæ pertineant, satis enim est si Babylon id faciat, quod ventus vrens: neque in prouerbiis aliquid aliud expectamus. Est autem hoc in Scriptura frequens, vt cum vrente vento comparetur exercitus, quia non lentè, sed violenter, & vno impetu concutit, & prosternit omnia. 41.

PROVER. *Ventus vrẽs pro re pestilenti & noxia.*

Facies eorum.] Grauis est hæc amplificatio, quæ ostendit, quantum insit terroris in vultu, quantum in oculis minarũ, cùm ipso aspectu, si absint cætera bellorum instrumenta, obuios quosque prosternant viri Chaldæi. Barbarum illis ingenium, & truculentos spiritus tribuerat; nunc autem 42.

Chaldæorum vis, & feritas.

autem maius aliquid inesse demonstrat. Quare confert cũ his feris, quibus ea vis est in oculis, is in vultu terror, vt vel ipso tãtùm intuitu conficiant, aut exanimenr. Tale est illud vulgatum satis siue fabulosè, siue historicè de lupo, qui eis, quos primùm aspexerit, adimere dicitur loquendi facultatem. Et nonnullis vsque adeò noxij spiritus dicuntur ex oculis vibrari, vt vires adimant, & florentibus annis senilem inducant maciem, & luridũ aspectum; de quo plura qui de fascino disputant. Sed tribuit quoque quod ignobilium ferarum proprium est, & animæ pessimæ documentum clarum, nempe illos exanimari quamprimùm, quos ab illis belluis videri contigerit. Quod de Amphisbæna docet Georgius Pictorius in Lerna κακῶν.

Oculorum aliquibus noxia vis.

Est grauis in gemino surgens caput Amphisbena
Serpens, qui visu pernecat, & sibilo.

43. Idem de Catoblepis tradit Plinius, & de Basilisco; de quo plura qui de re naturali disputãt. Hæc pro illorum sententia, qui de vultu hæc atque aspectu Chaldæorum accipiunt. Cui fauet vulgo familiaris locutio, qui dum hominem truculentum, & barbarum exprimere volunt, hoc fermè modo significare solent. *Non possum sustinere oculos, vultum subire, ipse me oculorum coniectu frangit, & exanimat.* & in hunc modum mille alia.

Amphisbæna, Catoblepis, & Basilisco vis in oculis noxia.

44. Ego hæc probo, neque tamen improbarem, si quis diceret, in Chaldæorum faciebus, Chaldæos ipsos intelligi, vulgato Scripturæ sacræ more, quæ aliquid per faciem illius circumscribit. Quare *facies hominis*, seu *vultus hominis*, idem est quod *homo*. Vnde placare alicuius faciem, aut deprecari alicuius vultum, idem est quod placare, seu deprecari aliquem. *Facies gladij, frigoris, famis, arcus,* nihil est aliud quàm *gladius, frigus, fames, arcus.* Sic ergo dum Propheta dicit Chaldæorum faciem esse ventum vrentem, nihil aliud significat, opinor, quàm Chaldæos, quacunque ingressi fuerint, instar vrentis venti vastaturos omnia.

Facies pro eo cuius est facies.

45. *Et congregabit quasi arenam captiuitatem.*] Hic erit effectus vrentis venti, quem appellari diximus *kedimah*, seu *kadim*, qui non solùm halitum habet vrentem, & noxium, sed etiam vehementem, & rapidum; qualis est, qui *typhon* dicitur, aut *turbo*. Vt pluribus ostendimus ad illud Oseæ cap. 13. *Adducet ventum vrentem Dominus de deserto.* Et quidem vtrumque dedit huic vento Iob cap. 27. v. 21. *Tollet eum ventus vrens, & auferet: & velut turbo rapiet eum de loco suo.* In vtroque hemistichio eadem est sententia; nisi quòd in priori similitudinis exprimitur forma, in posteriori subauditur. Vrit ventus ille, quod proprium spiritus ignei; & rapit, atque dispergit, quod proprium est turbinis. Priorem induxit calamitatem, seu incendium, quando exussit quidquid erat frugiferum, & pulcrum in Iudæorum finibus, atque ita reliquit deformatum, & horridum, vt nihil fuerit ex tanta specie, ac maiestate reliquum præter illius aut informe cadauer, aut immane bustum. Posteriorem verò cùm ciues, & ciuium, ac ciuitatum ornamenta aliò traduxit ea celeritate, atque impetu, quo à turbine rapiuntur stipulæ. Adhibuit autem Propheta pro captiuis *captiuitatem*; quod in Scriptura frequens est, quæ abstractum vsurpat pro concreto. Ponitur autem prouerbiali specie arena maris pro ingenti multitudine; quæ hyperbole Scripturæ sacræ familiaris est. Exẽpla occurrent passim mediocriter attento.

46. Vers. 10. *Et ipse de regibus triumphabit, & tyranni ridiculi eius erunt.*] Eadem est vtriusque hemi-

A stichij sententia: nempe reges omnes, quicunque Nabuchodonosoris consiliis aduersari voluerint, ab illo habendos esse ludibrio; vel quia illorum arma, atque munimenta contemnet, & quasi per iocum, & ludum, quidquid habuerint virium, franget, & euertet; & hoc potiùs: vel quia illos sic versabit pro suo arbitratu, sicut Dominus seuerus, & potens abiectum, & debile mancipium. Quod sanè fecit Nabuchodonosor in perturbanda, ac componenda iterum, & sæpiùs Iudæorum republica; & in aliis fortasse prouinciis, quas suo sibi subiugauit imperio: tametsi de his nihil in Scriptura sacra certum habeamus.

Nabuchodonosoris potentia, & aliorum contemptus.

B Ademit regnum Ioachimo, & paulo pòst restituit; & rursus debellauit, & occidit, vt diximus super Ieremiam *cap. 22. num. 24.* Ereptum à parente regnum dedit illius filio Iechoniæ, quem statim post tres menses ab inito regno è solio deposuit. An non est hoc Nabuchodonosori reges esse ridiculos, & illos habere dignos, in quibus iocandi, atque irridendi idoneam haberet, paratámque materiam? Neque minùs ridiculum habuit, & quasi iocularem Sedeciam, cui post regnum effodit oculos, & cum insigni illius ignominia, atque ludibrio lasciuos conuiuarum oculos oblectare voluit. Historiam habes in nostris Commentariis super Ieremiam *cap. vltimo, in fine.* Quod etiam nobis necessariò

C repetendum est statim *cap. 2. v. 15.* ad illud, *Væ qui potum dat amico suo mittens fel suum, & inebrians, vt aspiciat nuditatem eius.*

Vbi vulgatus, *triumphabit*, Hebr. est יתקלס *ithcalas*. id est, subsannabit, irridebit, contemnet. 47.
Quomodo omnes penè alij transtulerunt. Sed qualis sit hęc subsannatio, seu irrisio, aut etiam vt Septuaginta conuerterunt, ἐμπαίξει, id est, ludibria, non omninò certum. Mihi, quod nuper dixi, non admodum displicet, præsertim in explicatione prima. Hieronymo hæc à nonnullis explicatio tribuitur, quam tamen ego apud illum non inuenio, non tamen ab illius translatione dissentit: & tenent illi, qui ab Hieronymi

D sententia non nisi rarò dissentire solent, Haymo, Remigius, Dionysius, & Lyra. Quòd nempe Nabuchodonosor reges deducet in triumpho constrictos, videlicet ante currum, & habebit irrisui. Ita fortasse, neque forsitan aliter, quàm ante hæc tempora fecisse traditur Sesestris Ægypti rex, qui eò processit insolentiæ, vt reges sorte ductos singulis annis ad currum iungeret, vt ea inusitata pompa supra reges esse, atque adeò supra homines videretur. Cuius insolentiæ planè insanæ, ac barbaræ meminit Plinius *lib. 33. cap. 2.* Diodorus Siculus *lib. 1. cap. 1.* De quo etiam Lucanus *lib. 10.*

Sesestris insolentia barbara.

Venit ad occasum, mundique extrema Sesestris,

E *Qui Pharios currus regum ceruicibus egit.*

Quomodo tyranni vox olim odiosa non fuerit, sed idem tyranni audierint quod reges, aut principes, satis est notum. Et quidem apud Danielem *cap. 3.* imperij proceres tyranni dicuntur. neque hoc loco dubitare licet, cùm vox Hebraica רזנים *rozenim* principes, aut reges significet. Eodẽ modo accepere prophani. Virgil lib. 7. de Ænea, 48.

Tyranni olim nomen honestum.

Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni,

Et paulo pòst de Latino rege,

Principio Latium, & Laurentis tecta tyranni
Celsa petit iacitùmque obsedit limen Amathæ.

Ipse super omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem, & capiet eã.] Hic locus mihi persuadet veram esse explicationem illam, quam priori loco 49.
posui,

posui, mihíque præter cæteras probari dixi; nempe reges omnes Nabuchodonosori fore ridiculos, & illorum vires quasi per ludum, & iocum fore frangendas. Ridebit enim contemnétque munitiones omnes, & vrbium propugnacula, quantumuis ab humana potentia videantur superari non posse. Quia & ipse machinamenta inueniet, quæ & mœnia disiiciant, & fossas compleant; peruium denique, atque expeditum reddant, quidquid hominum ars, & industria, & ipsa natura impedimentorum opposuit. Comportabit enim aggerem, excitabit vallum, pluteos aget, & vineas, vim admouebit militum incredibilem, cui impar sit omnis monimentorum comparata firmitas, & propugnatorum virtus, atque contentio. Vt autem reges omnes Chaldæorum regi dixit futuros esse ridiculos; sic etiam omnem munitionem à quocunque rege, seu ciuitate comparatam affirmat eidem futuram esse ludibrio.

Nabuchodonosoris ad oppugnandũ machina.

50\. Sanè non videbatur vlla hominum industria, aut pertinaci potentia expugnari posse Hierosolymam: at illa ciuitatis munimenta Chaldæorum succubuere constantiæ; contra quæ talia comparauit Chaldæorum rex, qualia in latere describere iussus est Ezechiel cap. 4. v. 1. *Sume tibi laterem, & pones eum coram te, & describes in eos ciuitatem Ierusalem. Et ordinabis aduersus eam obsidionem, & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem, & dabis contra eam castra, & pones arietes in gyro.* Idem fermè *cap.* 21. *vers.* 22. Quod quàm accuratè præstiterint Chaldæi, docet Iosephus lib. 10. Antiq. cap. 11. in principio. *Interea* (inquit) *Babylonius pergebat in expugnandis acriter Hierosolymis, extructis aggeribus, & erectis turribus, ex quibus arcebat propugnatores stantes in mœnibus: multos enim aggeres circumquaque excitauerat vrbis muro altitudine pares.* Nunquam sibi persuaserant Tyrij futurum, vt ciuitatem suam, quam mare vndecunque circundabat, & alia tum artis, tum naturæ præsidia hostilis caperet, aut etiam aggrederetur manus; illam tamen aggressus est, & cepit Nabuchodonosor, constrato aggeribus freto, quod vrbem à continente separabat: ita vt non maiori difficultate ad equites irrumperent, & quadrigæ, quàm si nullum ante fretum intercessisset. Ezech. *cap.* 26. *v.* 10. sic de Tyro à Nabuchodonosor expugnata: *Inundatione equorum eius operiet te puluis eorum, à sonitu equitum, & rotarum, & curruum mouebuntur muri tui, cùm egressus fuerit portas tuas, quasi per introitum vrbis dissipatæ. Vngulis equorum suorum conculcabit omnes plateas tuas.* Lege quæ nos in illud Ezechielis caput pluribus adduximus. Verè igitur dicitur super omnem omnium ciuitatum munitionem risisse Nabuchodonosor, quando nihil potuit illius resistere potentiæ, & cædem, aut seruitutem declinare; imò & ipse quasi ludibundus omnia subuertit.

51\. Vers. 11. *Tunc mutabitur spiritus, & pertransibit, & corruet.*] Ad illud vsque tempus, in quo capta fuit Hierosolyma, & aliæ prouinciæ ad Chaldæorum dominatum adiunctæ, humanos Nabuchodonosor retinebat spiritus, quia aliquid videbat extra imperij sui fines excessisse: at postquam omnia sibi subiecta fuisse aut verè nouit, aut ambitiosè somniauit, mutauit spiritum, humanum videlicet, & sibi attribuit stolida planè cogitatione diuinum. Quare erecta statua materia, altitudineque mirabili (erat enim ex auro altitudine cubitorum 60. latitudine 6. in ea sibi voluit religiosum cultum, & diuinos honores impendi, denunciato, si quis contra faceret, capitali suppli-

A cio. Hanc porrò mutationem alia rursus mutatio consecuta est; de qua *Daniel cap.* 4. In qua pertransiisse, & corruisse videri potuit tanti Imperatoris ad illum vsque articulum eximia gloria, & inuicta potentia. Cùm eò abiectus est, vt belluarum in morem nudus in syluis ageret, vesceretur fœno; & sola externa specie, & ratione, ac mente, quam tamen habuit alligatam, secerneretur à belluis. Quid ex eo tempore magnifecerit, nihil habemus; nihil verò fecisse magni, satis est ex illa tanta metamorphosi verisimile.

Hæc eò pertinere arbitror, vt Prophetæ querimoniæ satisfiat, qui aut suo, aut populi nomine videbatur in Deo desiderare, aut in munerandis 52.
B hominum meritis æquitatem, aut in rerum dispensatione prouidentiam; cùm impij vigeant, regnéntque; opprimantur iusti, & in populorum ignobili turba numerentur. Duo autem hominum genera hîc inueniuntur, quorum videri potuit manifesta vis, & iniuria, & impunitus furor, & audacia. Alterum eorum, qui cum potestate præerant Iudæorum reipublicæ, quales sunt principes, duces, iudices, qui nouis semper fraudibus, atque consiliis expoliatis aliis suas domos, atque fortunas ornatas esse volunt. Contra hos Deus iustorum, & inopum patronus, & vindex, quique mala hominum facta impunita non vult, euocauit Chaldæos, & per hos viros illos vio-
C lentos, & callidos ita mulctauit, vt quosdam vita, alios patria, ac libertate priuauerit. Sed quia non minùs crudeliter, ac barbarè Nabuchodonosor, quos armis subegit, in captiuitate tractauit, ideo desiderare quis posset in Deo pium, integrúmque iudicium, cùm rex ille viueret fortunatus, & potens, neque vllus esset, qui pœnas ex tam barbara immanitate repeteret. Huic ergo cogitationi tacitæ occurrit Deus, & ait venturum quoque tempus, quando hic quoque acerbas insanæ suæ crudelitatis pœnas luat. In quibus describendis multus est, atque mirificus Propheta ad finem fermè capitis secundi.

Hæc est fortitudo eius Dei sui.] Hic locus paulo est 53.
D implicatior; sed aliquid accipiet lucis, si è duobus pronominibus alterum excludas è Latino textu, in quo planè videri potest otiosum; quod tamen non est apud Hebræos, quibus elegans, ac familiare est hoc loquendi genus. Quale est illud Psal. 32. *Beata gens, cuius est Dominus Deus eius.* & Psal. 39. *Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius.* Mille alia occurrẽt huius generis, quorum sensus difficilis non est, si pronomen *eius* inde remoueas in hunc modum. *Beata gens cuius est Dominus Deus. Beatus vir cuius est nomen Domini spes.* Sic ergo nunc ad horum exemplum lego, *Hæc est fortitudo Dei.* Sed est dubium, qui sit iste Deus, cui adscribenda sit regis, & Chaldaici populi ruina.

REGVLA. Pronomen aliquando otiosum.

Duos ergo hîc deos agnosco, à quibus præcipitatus videri potuit Nabuchodonosor, nempe 54.
E Belus, aut Deus alius Babylonicus, cui eo tempore supplicauere Chaldæi; qualis fuit Merodach, aut Nabo, aut fortasse serpens ille, quem postea offa ex adipe, & pice, suffocauit Daniel. Ab hoc omne sperabat rex ille barbarus salutis, dignitatísque subsidium, neque tamen ab eo aliquid assecutus est præter exitium. Quare hîc aliquid est irrisorium, quo Chaldæis vanam improperat Deus & stolidam fiduciam.

Alius Deus esse potuit Nabuchodonosori, aut suus genius, seu ingenium, robur, aut militaris industria, quibus inflati, atque vecordes homines aliquid tribuebant diuinum, quasi ab illis spera

55\. *Arrogantes homines suis viribus aut armis aliquid attribuunt diuinum.*

sperarent omnia, tanquam à Deo, & præ illis cætera contemnerét numina. Hoc porrò ex vulgari superborum ingenio, antiqui hominibus nimis aut rerum successibus æratis, aut suæ virtuti aliquid instatiùs arrogantibus tribuebant; nempe vt suam dexteram Deum esse dicerent; aut hastam, & gladium precarentur, ac si Deus foret, vt felices præstarent rerum euentus. Sic à Virgilio *lib.* 12. Turnus inducitur, qui hastæ suæ supplicat, vt, sicut alibi sæpè, supplicem exaudiat.

———*Validam vi corripit hastam*
Vociferans. Nunc ô nunquam frustrata vocatus
Hasta meos, nunc tempus adest: da sternere corpus,
Loricámque manu valida lacerare reuulsam
Semiuiri Phrygis & fœdare in puluere crines.

Et *lib.* 10. Mezentius dextræ suæ, & telo diuinitatem arrogat.

Dextera mihi Deus, & telum, quod missile libro,
Nunc adsint.

Statius lib. 2. Thebaidos de Capaneo,

———*Virtus mihi numen, & ensis.*

Et idem iterum de Capaneo lib. 10.

———*Ades ô mihi dextera tantùm:*
Tu præses belli, & inenutabile numen,
Te voco, te solum superûm contemptor adoro.

56. In horum numero Propheta statuit Nabuchodonosorem, quem rerum potitú sub piscatoris metaphora pronunciat; qui non aliter reti suo, seu sagenæ diuinos attribuit honores, quàm alij aut dexteræ, aut gladio. Sic autem Propheta statim v. 16. *Propterea immolabis sagenæ suæ, & sacrificabit reti suo.* Hic locus suadet mihi vehementer Deum hunc, à quo deceptus est Nabuchodonosor, nó esse aliú præter ipsum regem, qui aut præter se nullú putabat esse Deum, aut certè deberi sibi locum inter Deos putabat. Vt ostendit postea non obscurè, cùm in aurea statua, & procera magis, quàm hominum statura patiebatur, adorari voluit. Quare sensus erit, & facilis, & ad mores accommodatus valdè, tunc cogniturum esse regem, quàm abesset longè à diuina natura; imò quàm esset infimus, & futilis, cùm ab illa fortuna, quæ ipsi spiritus arrogantes, & ventosos attulerat, in statum longè infra humanum, & belluino proximum exciderit.

57. Antequam hinc emergo, obseruo aliter transtulisse Septuaginta, & iuxta illorum versionem aliam authores Græcos informasse sententiam. legunt autem illi, *Hæc fortitudo Deo meo*, minùs quidem consentaneè ad textum, quem nunc habemus. Authores autem Græci, Cyrillus, Theodoretus, Theophylactus hæc verba adimunt Deo, & tribuunt Prophetæ; quasi admiretur diuinam potentiam, cui nihil est insuperabile; & gratias agat, quod populum suum diutiùs à rege truculento, & impio vexari non sinat. Vnus pro omnibus loquatur Cyrillus. *Cùm nunciasset Deus se ipsorum misereri, tristiámque in meliora mutationem prædixisset, præ incredibili gaudio Propheta propemodum exilit, dicens nullum alium decere Israelem reducere, vinculisque, & seruitute expedire, nisi solum Deum, qui omnia nullo labore rectè administrare potest, quique aspera lenit, & excelsa, atque ardua sternit.*

58. Vers. 12. *Nunquid non tu à principio Domine Deus meus, sancte meus? & non moriemur.*] Excitat spem suam Propheta, antiquam repetens memoriam eorum, quæ Deus populo aut præstitit, aut promisit beneficia, ex quibus arguméntum sumit, vt speret non ita fore populum premendum à Chaldæorum rege, vt opprimatur; ferendam quidem aliquandiu, non tamen æternam futuram esse captiuitatem. Et licèt de promissione non dubitet, de interitu videlicet Nabuchodonosoris, populique libertate, de quo proximè horribile aliquid audierat; quia tamen causam agit populi, & de illius incolumitate laborat, orat adhuc, ne barbarum illum regem diu in Iudæorum gentem tyrannicum imperium exercere permittat. Norat enim vim inesse maximam orationi, neque ingratú esse Deo, vt ab ipso obtineat, & (vt ita loquar) penè extorqueat oratio, quod ipse alioqui etiam non oratus concedere paratus erat. Quod docuit postea Gregor. *lib.* 1. *Dialog. cap.* 8. probátque exemplo Isaac, qui precibus obtinuit, ne sterilis maneret Rebecca, cùm tamen Deus iam antè statuisset multiplicare eius posteritatem supra cæli stellas, & arenam maris. Vide Augustinum *de Ecclesiasticis dogmatibus cap.* 46. Tu inquit Propheta à principio, nempe electi, ac constituti populi Israelitici, nobis es Deus; quia tu nos in populum ex omnibus elegisti, sicut etiam te nos ex omnibus Deum amplexi sumus: quare te & bonorum omniú authorem, & malorum depulsorem habemus, & agnoscimus. Tu nobis sanctus es, ab omni Deorú turba separatus, cui nihil est fallax, nihil non purum, cuique ab omnibus purum debetur obsequium, & obseruantia religiosa. Hæc grauia sunt ad confirmandum desperantem animum, & excitandam spem contrariarum rerum conflictione languentem.

Deus orari se vult etiā pro illis, quæ aliàs concedere statuerat.

Et non moriemur.] Hic loquendi modus eius est, qui de rerum euentu, & voti complemento non dubitat. Neque enim dicit, *vt non moriamur*, sed *& non moriemur.* Illud *&*, vt aliis locis sæpè, particula est rationalis, seu causalis. Quasi dicas: Tu es ô Domine Deus noster, & sanctus noster, ergo non moriemur; aut propterea nó moriemur. Sic accipio illud Genes. 49. v. 15. de Issachar. *Vidit requiem quòd esset bona, & supposuit humerum suum ad portandum.* id est, propterea, aut ideo supposuit. Iob 19. v. 25. *Scio enim quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum*, id est, ergo resurgá ego, quando redéptor meus resurrexit. Quo argumento vsus est Apostolus 1. Cor. 15. v. 12. *Si autem Christus prædicatur, quòd resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est.* 59.

Et particula rationalis, & causalis.

Domine in iudicium posuisti eum; & fortem vt corriperes, fundasti eum.] Agnoscit hîc Propheta in vexando, & corripiendo populo diuinam clementiam, & paternum animum; tum etiam prouidentiam, & curam, qua nihil vult impunitum esse, nihil non correctum, & licèt crebro flagellorum inflictu ad officium, & frugem meliorem nihil non aduocatum. Quare fatetur ab æquissimo, & vigilantissimo iudice euocatum, atque instructú esse Nabuchodonosorem, tanquam lictorem, & ministrum, per quem pœnas exigeret à rebelli, atque ingrato populo, quem magnorum scelerú æquo, legitimóque iudicio reum esse conuicerat. Cui, cùm alioqui inualidus, & ad tanta rerum molimina minùs esset idoneus, fortitudinem contulit, & audaciam, vt non timeret aggredi, & conficere posset strenuè datum sibi negotium. Quòd autem ad tantum illud opus nihil Nabuchodonosor haberet à seipso, aut ab imperij viribus; sed pugnacem spiritum, & robur, & felicem rerum omnium euentum accepisset à Domino, explicat optimè Propheta, dum addit illud, *fundasti eum*, id est, à fundamentis excitasti, cùm ante illum rerum articulum nihil omninò foret. 60.

Considerat Deum, & amanter castigat.

Digitized by Google

61. Quid sit in iudicio corripere, aut ad iudicandum assumi, diximus pluribus in nostris Commentariis super Ieremiam cap. 10. v. 24. ad illud, *Corripe me Domine, verumtamen in iudicio, & non in furore.* Et iterum ad illud cap. 30. v. 11. *Castigabo te in iudicio.* Vbi priori loco idem orat Ieremias, quod nunc Habacuc, nempe vt in corripiendo manum admoueat iudicis, aut patris, temperet ab hostili. Affìcit iudex sontes pœna, infert dolorem hostis: sed diuerso vterque consilio; hostis, vt perimat; iudex, vt errantem corrigat; hostis alterius appetit exitium; iudex hominis, reique publicæ incolumitatem. Ita Aristoteles *lib. 1. Rhetor. cap.* 10. pœnam, quam imponit iudex, ab vltione, quam expetit inimicus, discernit. *Differunt* (inquit) *pœna, & vltio; nam pœna eius, qui patitur, gratia fit; vltio verò eius, qui facit, vt expleatur.* Punit in iudicio iudex, hostis in furore. Qui in iudicio, seueritatẽ attemperat ad peccatorum merita; quia sanare studet, & præuaricatorem legi reddere morigerum: qui in furore, ad cædem aspirat, quam vbi consecutus est, suis votis satisfactum esse putat. Chirurgus secat, & vrit, quod item hostis facit, & tyrannus, sed non eodem omnes spiritu, ac modo. Chirurgus ex alieno dolore dolorem capit, eóque refert acutum, seu candens ferrum, vt mortis præcidat, non vt inferat causas. Atque ideo in iudicio, id est, cũ magna attentione, circũspectioneque aut tractat, & fricat, aut etiam infligit, & renouat vulnera. At tyrannus, & hostis nihil spectat in inferenda plaga nisi dolorem, aut exitium alterius.

Aliter pater, & iudex, aliter hostis cædit.

62. Deus igitur, qui salutem spectabat, & emendationem populi, castigat in iudicio, atque ideo sicut chirurgus cultrum, aut ignem adhibet, vt à sanie purget, aut carcinoma serpens vrat, atque coërceat. Sic ipse Nabuchodonosorem assumpsit tanquam cultrum; sed ille tanquam acuta nouacula fecit dolum; & quasi non tam ad sanandum, quàm ad lacerandum, & perdendum foret assumptus, eò suas cogitationes, & arma retulit, vt funditùs extingueret Iudæorum gẽtem. Quod de Assur, qui fuit eodem loco contra decem tribus, quo Nabuchodonosor cõtra duas, dixit Isaias cap. 10. v. 5. *Væ Assur, virga furoris mei, & baculus ipse est: in manu eorum indignatio mea, &c. Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor eius non ita existimabit, sed ad conterendum erit cor eius.* Idem de Nabuchodonosor, & Chaldæorum gente queritur Deus apud Zachariam cap. 1. v. 15. *Zelatus sum Ierusalem, & Sion zelo magno. Et ira magna ego irascor super gentes opulentas* (de Chaldæis ibi sermo) *quia ego iratus sum parùm, ipsi verò adiuuerunt in malum.* Vide quæ nos ibi, quæ valdè faciunt ad hunc locum. Idem Dominus de Babylone queritur apud Isaiam cap. 47. v. 6. *Iratus sum super populum meum, contaminaui hæreditatẽ meam, & tradidi eos in manu tua. Non posuisti eis misericordiam: super senem aggrauasti iugum tuum valde: & dixisti, in sempiternum ero domina.*

Malorũ iudicum est non tam emendare quàm perdere.

Nabuchodonosor sua potestate abusus.

63. Eò igitur spectat Habacuc oratio, non vt queratur de populi afflictione, quam à iusto Dei iudicio profectam esse videt; sed vt exoret, ne permittat Chaldæos ab eo, quod ipsis concessum est, exorbitare; & furori suo, aut cupiditati largiri, quod à Dei æquitate clementi negatum est. Quare quod proximè sequitur, totum in amplificanda Nabuchodonosoris, & Chaldæorum gentis auaritia, & feritate consumitur.

64. Vers. 13. *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum: & respicere ad iniquitatem non poteris.*] Captatio hæc est beneuolentiæ, quæ etiam emollit si quid in oratione videtur esse durius, & contra Dei maiestatem sonare liberius. Nimirum iam edoctus à Domino Propheta nihil esse nouerat, quod in Dei siue æquitate, siue prouidentia requireret. Atque ideo cùm secundò sermonem cum Deo esset habiturus, longè aliter agit, quàm cùm primùm cum eodem agere instituit. Ibi enim, vt vidimus, sine illa præmunitione querelam aggreditur, si modò illa querela est, vt plerique interpretum existimant: hìc verò antequam quicquã oret, aut queratur, Deum ab omni vendicat incuriæ, aut iniquitatis suspicione, dum ait illi nequaquam placere, quæ impiè gerũtur ab hominibus, neque vllam ex aliorum spectandis calumniis, aut miseriis capere voluptatem. Respicere autem ad iniquitatem hoc loco idem quod probare, quòd alij iniquè fecerint, & eorum aspectu, & contemplatione delectari. Sicut contrà oculos euertere est obiecta respuere, & illa prorsus improbare.

Mundi dicuntur oculi, quibus nihil adhæsit immundi. Cùm autem peccatum immunditia vocetur, immunda dicuntur illa omnia, quæ peccatorum instrumenta sunt, aut alienis delectantur peccatis. Sic impuræ dicuntur aures, quibus suauiter assonat cantilena turpis; impuræ manus, quæ immunda, atque indecora tractant; impura lingua, quæ obscœna, & flagitiosa loquitur. Sic etiam impuri, aut immundi dicuntur oculi, qui se rerum illarum contemplatione delectant, quæ sine pudore, ac bonorum offensione fieri nõ possunt. Porrò illa respicere dicimur, quibus fauemus, aut quibus delectamur. Vnde hoc apud Hispanos, cùm significare volũt sibi aliquid esse vehementer ingratum, familiare est, *No le puedo ver de mis ojos.* Cùm Deum oramus, vt sese nobis benignum, ac propitium ostendat, his fermè verbis vtimur, *Respice me*, aut similibus. 3. Reg. 8. v. 29. *Sint oculi tui aperti super domum hanc, vt exaudias orationem.* Et rursus, *Respice ad orationem serui tui, & ad preces eius.* Et Genes. 4. v. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Qui loquendi modus vulgaris est in eadem significatione etiam profanis. Terentius in Andria, *Charine me & te imprudens, nisi quid dij respiciunt, perdidi*, id est, *si no nos fauorezen.* Et idem in Phormione, *Dij nos respiciunt, nos son propicios, y miran con buenos ojos.* Sic Cicero sæpè, *Nisi nos Deus respiciat.* Quare illud, *respicere ad iniquitatem*, nihil est aliud, quàm iniquis, aut iniquitati fauere, aut cum voluptate prospicere. 65.

Respicio idem quod faueo.

Quare respicis super iniqua agentes, & taces deuorante impio iustiorem se.] Huc spectabat illa Prophetæ præmunitio, ne quis putaret argui hoc loco Deũ siue incogitantiæ, siue iniquitatis; cùm mũdos illius oculos confessus est, quibus videlicet nihil placuit impurum. Quare Deum potiùs interrogat, aut òrat interrogando, quàm accersat. Videbat Habacuc propheticis, id est, quàm longissimè perspicacibus oculis, quid à Chaldæis passurus esset Iudæorum populus, quorum mores & antè cognouerat, & tunc prophetico prospectabat intuitu. Quorum comparatione Iudæi eo maximè tempore, quo extorres aberant, & aliorum seruituti subiecti, licèt variis infecti peccatorum sordibus, iusti tamẽ existimari poterãt. Quo sensu dixit Ezechiel *cap.* 16. *v.* 51. gentes maximè peccatrices esse iustas, si cum Hierosolymæ flagitiis comparentur. *Vicisti eas* (Sodomam, & Samariam) *sceleribus tuis: & iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es.* *Deuorare* frequens est metaphora; quæ vox à feris ad homines translata diripere significat, lacerare, ac perdere. Psal. 13. v. 4. *Qui deuorant plebem* 66.

meam,

meam, sicut escam panis. Cúmque vox ista crudelibus omnibus, barbarisque conueniat, quorum est belluinum ingenium; præcipue tamen conuenit in Chaldæorum mores, qui sæpe similes esse dicuntur ferinis, quando cum leonibus, pardis, & aquilis comparantur.

67. Verſ. 14. *Et facies homines quasi pisces maris, & quasi reptile non habens principem.*] Hæc admiratur Propheta, quæritque cur homines (vtique innocentes, & iusti: de his enim, vt apparet, institutus est familiaris hic sermo, seu humilis querela) sic relinquantur à Deo, vt neque principem habeant, à quo regantur; neque patronum, ad quem in potentiorum iniuria, & vexatione confugiant; sed permittantur aliorum siue ambitiosæ, siue furiosæ libidini, vt in illos, quàm voluerint liberè, ac superbè grassentur. Non secùs ac pisces maris, quos piscator exagitat, & in sagenam, ac rete nullo impediente proturbat. Hæc breuiter. Nunc duo nobis consideranda sunt.

Serpēs quid.

68. Primùm, quænam hoc loco reptilia vocentur. Non dubium, quin reptilia eadem sint, quæ serpentes. Nam licèt inter *repo*, & *serpo* aliquid deprehendamus esse discriminis, illud tamen perexiguum est, & vicissim sibi significationē præstant, & vsum. Sunt autem serpentes, qui sine pedibus sunt, & tractu potius corporis, quàm incessu feruntur. Dicuntur nihilominus serpentes, seu reptilia, quæ exiguos habent pedes, quales sunt lacerti, scorpiones, & similia. Item quæ in aquis degunt, nō solùm qui dicuntur angues: nam hi proprij aquarū sunt, vt dicit Seruius *in lib. 2. Ennead.* sicut terrestres vocantur serpentes; & dracones, qui commorantur in templis, eodem authore; sed etiam genus omne natantium, & commorantium in aquis. Sic sanè appellantur Ps. 103. v. 25. *Hoc mare magnum, & spatiosum manibus: illic reptilia, quorū non est numerus; animalia pusilla cū magnis.* Et Leuiathan, qui sine dubio piscis est, serpens appellatur vectis & tortuosus *Isaiæ cap. 27. v. 1. Genes. 1. v. 20.* ex aquis creatum esse dicitur reptile animæ viuētis; vbi de piscibus esse sermonem ex eo constat, quia statim *v. 24.* reptilia alia producta dicuntur esse de terra. Hìc autem dubium est, an hic ducatur similitudo à piscibus tantùm, id est, à reptilibus, quæ natant in aquis; an ab aliis etiam reptilibus, quæ serpunt in terra. Cui dubitationi satis, opinor, facit textus ipse, dum adhibet illa, quæ non nisi aquatilibus, & piscatori conueniunt, qualia sunt rete, sagena, hamus. Et quidem quid sit hoc loco reptile, satis, meo iudicio, explicat, quod proximè antecesserat, *quasi pisces maris*; per epexegesim namque Hebræis familiarem posterius hemistichium superioris explicatio est. Est itaque à reptilibus, quæ mouentur in aquis, non ab aliis terrestribus ducta comparatio.

Serpens pro piscibus.

69. Deinde considerandum est, in quo maximè spectari debeat hæc similitudo. Hieronymus, quem ex antiquis plerique sequūtur, in eo putat homines piscibus esse similes; quia sicut minores escæ sunt maioribus, sic homines, quibus minus est authoritatis, & virium, potentioribus ludibrio sunt, & prædæ. Quæ similitudo illius videtur esse confirmatio, quod præcesserat proximè, *Et taces deuorante impio iustiorem se.* Et quidem sicut in aëre videmus volucribus volucres esse prædā, & potentiores, qualis est aquila, & accipiter, in minimum aliud volucrum genus violenter irruere: & in terra leones, tygres, lupos in imbellem terrestrium ordinem crudeliter, & impunè grassari; sic etiam in aquatilibus eandem esse legem, vt minora, minúsque pugnacia potentiorum expleant famem, & gulæ nimis interdum delicatæ seruiant. Licet id nobis minùs experientia constet, qui quid in aquarum gurgite rerum fiat, spectare non possumus: non tamen minùs certum est. Sanè Clemens Alex. *lib. 1. Strom.* id docet ex Hesiodo, cuius hæc adducit carmina:

Pisces, atque feræ, volucrésque per aëra nantes
Sese edunt.

Pisces, volucres, & animalia terrestria ex suo genere infirmiora deuorant.

Et docent qui de natura rerum disputāt. Ælianus *lib. 4. cap.* 8. de historia animalium, polypum, pagurum, & astacum pisciculorum dicit esse perniciē. Et de omnibus, qui viribus valent, docet Chrysostomus ad illud Ps. 103. *Illic reptilia, quorum non est numerus. Populi* (inquit) *innumeri in mari sunt piscium, alij maiores, alij minores: cibúsque maiorum sunt minores; & tamen genus eorum non consumitur.* Basilius homil. 7. Hexaëmer. *Plurimi* (inquit) *piscium deuoratione sustētur alterna, sempérque qui minor est inter eos, maioris fit cibus. Et si quando contigerit eum, qui minorem ceperat, morsu validioris absumi, in vnam vterque aluum posterioris iniicitur.* Hoc idem sumptum, credo, ex Basilio repetit, & eleganter amplificat Ambrosius *lib. 5. Hexaëm. cap. 5.*

Sed placet mihi multo magis ideo comparationem sumptā esse à piscibus, quia pisces omniū prædæ patent; neque ducem habent vllum in suo ordine, & quasi republica, qui illos tueatur, & regat. Quare comparatio non sumitur ex illa violentia, quam infirmiores à potentioribus, quorum explent ingluuiem, patiuntur; sed ab illa siue iniuria, siue fraude, qua piscatorum prædæ propositi sunt. Illud imprimis mihi persuadeo, quia statim explicatur, vndénam infirmo pisciculorum generi illud accidat infortunium. Ex quo similitudinem sumpsit Propheta, vt sui populi calamitatem exprimeret. Meminit enim sagenæ, retis, hami, quæ piscatorum insignia, atque instrumēta sunt. Deinde quia apertè dicit marinum illud reptile non esse à cognato genere deuorandum, sed subleuandum hamo. Vnde etiam necessariò colligere posse videor, non tam hoc loco de Iudæorū principibus, qui popularem turbam spoliarunt, laceraruntque, quàm de Nabuchodonosore, aut Chaldæorum populo esse sermonē, qui quasi piscatores sagena sua, ac reti pisces ex suis extraxere viuariis; & quod extrahere, atque expiscari potuerint, suæ fortunæ gratulabantur. Quod nunquam fecissent Iudæorum magistratus, & iudices, qui licèt essent scelerati, atque impij, iusti tamen, & patriæ patres videri cupiebant. Quod etiā probat modus loquendi, quo vsus est Ezechiel, de quo statim. Cùm igitur constet à piscibus, ac piscatoribus sumptam esse metaphoram, illam singulatim explicemus eo ordine, quo est à Propheta sumpta similitudo. 70.

Et facies homines quasi pisces maris.] Viuunt in mari, quasi in sua republica, atque natali solo pisces; qui licèt inter se intestinis bellis, & quasi ciuilibus motibus exagitentur, nunquam tamen extrahuntur inde, nisi foris piscator aduenerit, qui reti producat ad littus, & ex eo postea ad macellum, & potentiorum fercula. Sic etiam Solymitani ciues, licet ciuilibus inter se odiis dissiderēt, & alij alios in suis quasi viuariis, vt de piscibus nuper, lacerarent, tamen in sua ciuitate manserunt, donec illos Nabuchodonosor subleuatos hamo, id est, instructu bellico, ad alienū solū, & lōgè diuersa ministeria traduxit. Hanc verò metaphorā adhibuit Ezechiel, cùm de eadem ciuitate, ac gente, & de eodē Nabuchodonosore piscatore loqueretur: vbi ci- 71.

ues piscibus, ciuitatem viuariis, vbi pisces innatant, comparauit; exercitum verò sagenæ, ac reti. Sic autem ille cap. 12. v. 13. *Et extendam rete meum super eum,* (nempe ducem Sedeciam) *& capietur in sagena mea, & adducam eum in Babylonem, in terram Chaldæorum,* &c. *Et omnes, qui circa eum sunt, præsidium eius, & agmina eius dispergam in omnem ventum.* Idem repetit postea *cap.* 17. *v.* 20. Quod non leue argumentum est, vt quiuis sibi persuadeat veram esse cogitationem nostram, quæ similitudinem à piscatore sumit. Quam tenuerunt aliqui è recentioribus, Ribera, Vatablus, Isidorus, Robertus, & Emanuel Sà.

72. *Et quasi reptile non habens principem.*] Reptilia hæc siue terrestria sint, siue aquatilia, principem non habent; siue in principe dominum intelligas, cui illa definitè seruiant; siue aliquem ex suo genere, quem sequantur. Quod in aliis animantibus vsu euenire frequenter videmus. Alunt ouium, caprarum, porcorum, taurorum, & camelorum greges, quibus pascendis, & tuendis inuigilant; & si quid ex illis vi, aut furto fuerit à quoquam ablatum, iure, aut armis repetunt. Idem dicendum de quibusdam auibus, quas cicurant, & alunt; quales sunt anseres, gallinæ, columbæ. At quis vnquam vidit aut serpentes ab aliquo nutriri, aut illorum dominum quemquam appellari? De piscibus, qui in stagnis nutriuntur, alia ratio est; de piscibus tamen maris nulli certa possessio, cuilibet vbiuis piscari licet; nisi in aliquo fortasse sinu, quem sibi aliquis à communi vsu, aliquo merito, aut consuetudine vendicauit. Quare si quis in altum mare aut hamum demittat, aut rete expandat, nemo queritur, nemo prohibet, quia nemo sibi inferri putat iniuriam.

Reptilia, & pisces, neque dominos habent, neque duces.

73. Deinde animantium quædam ex suo genere duces habent, quos sequantur, & quasi gregis principes. De taurorum gregibus dixit Virgilius iuxta naturam vtique horum animalium *lib.* 12. vbi postquam duorum taurorum pugnam descripsit, subdidit,

Animalia quædam suos habent duces.

Stat pecus omne metu mutum, mussántque iuuencæ
Quis pecori imperitet, quem tota armenta sequantur.

Hoc idem de arietibus, & hircis docet Aristoteles de historia animalium lib. 6. cap. 19. *Singulis* (inquit) *ouibus singuli duces constituuntur, qui quoties eo nomine à pastore vocentur, antecedunt, quod ab ineunte ætate facere assuescunt.*

74. His igitur reptilibus, quibus neque ex suo genere dux est, aut princeps, neque ex alieno dominus, qui illa ab aliorum iniuria tueatur, aut repetat, si per vim, aut fraudem ablata fuerint; comparantur Iudæi, quos Deus ita videtur deseruisse, & Chaldæorum exposuisse telis, ac si ad se nullo pertinerent modo. Quare abigi patitur, & lacerari ab hostibus, & tanquam venenatam feram, aut illaqueatum orygem trucidari.

75. Vers. 15. *Totum in hamo subleuauit, traxit illud in sagena sua, & congregauit in rete suum.*] Metaphoram persequitur piscatoris. Cùm populus ille destitutus esset à rectore, & duce, paterétque omnium cupiditati, ac prædæ, adfuit piscator maximus Nabuchodonosor illis instructus piscatoriis instrumentis, quibus conueheret quidquid esset in illo metaphorico mari, & ad littus, seu forum Babylonicum extraheret. Instrumēta porrò piscatoria iuxta hanc translationem sunt arcus, gladij, arietes, quadrigæ, & quidquid hostiles manus armat ad exitiū. Hieronymus in his piscatoriis armis aliquid deprehendit discriminis. *Quomodo* (inquit) *piscator mittit hamum, & rete, & sagenam, vt quod hamus non potuit, rete comprehendat, quod euaserit rete, sagenæ latioribus circūdetur. Ita & rex Babylonius cuncta vastauerit, & vniuersum hominum genus suam prædam fecerit.* Hamus vnum tantum piscem esca deceptum extrahit e faucibus suspensum: rete aliquid est maius, quod pisces capit plures: sagena rete omnium maximum, quod etiam Latini verriculum, siue euerriculum appellant. Quod illa euangelica parabola indicat, dum ait omne piscium genus à sagena congregari.

Super hoc lætabitur, & exultabit.] Tantum aberit, 76.
vt regium animum de aliorum calamitate tangat dolor, vt potiùs exultet, sibique ipsi de felici sagenæ suæ iactu gratuletur.

Vers. 16. *Propterea immolabit sagenæ suæ, & sacrifi-* 77.
cabit reti suo.] Hieronymus in sagena idolum intelligit, cui victorias tot, ac tam illustres ascribebat rex, siue illud sit Bel, seu Beel, quod præcipua quadam religione coluere Chaldæi; siue illud, quodcunque fuerit, quod *Dan. cap.* 3. excitauit in campo Duram. Sed est illa sententia minùs impedita, quæ in sagena, & reti industriam intelligit, & robur, quibus excisæ sunt vrbes, domitæ prouinciæ, & Chaldæorum imperio subiugatæ: quibus secundos bellorum exitus attribuit rex ille superbus, & barbarus, non Deo, cuius auspiciis res tota confecta est. Immolat igitur, & sacrificat hastæ suæ, aut sagenæ, quasi Deus esset, quia tantum in seipso virtutis habere videbatur, vt externo, aut etiam diuino non egeret auxilio. Imò & deos omnes præ seipso cōtemneret; quod sub illud tempus alij etiam homines sibiipsis de sua virtute insatiùs assentati fecisse narrantur. Huc faciunt, quæ suprà obseruauimus ad illud: *Hæc est fortitudo eius Dei sui.* Et sanè multos suis ar- 78.
mis honores diuinos impendisse, non solùm in fabulis, sed etiam in historiis veris inuenimus. Mezentius, & Capaneus, vt suprà diximus, præter suum robur nullum aliud numen agnoscebāt. Cæneus hastam suam inter deos numerare iussit, & per illam concipi iuramentum; vnde prouerbium, *Cænei hasta.* Apud Plutarchum in Pelopida Alexander tyrannus hastam, qua Polyphronem interfecerat, sacram habuit, coronis ornauit, & tanquam Deus esset, illam sacrificiis, id est, diuinis honoribus, prosecutus est. Ad hunc ego modum arbitror Chaldæorum regem suæ sacrificasse sagenæ, id est, suis armis, quæ in metaphora piscatoris, in sagena, & reti significari diximus. Quod nihil videtur esse aliud, quàm sibiipsi diuinos assumpsisse honores tanquam inuicto, & multarum prouinciarum expugnatori. Et ea fortasse cogitatio impulit, vt statuam excitaret in cāpo Duram; cui illum titulum forsitan inscripsit, quem videbat in statua Martis, quem bellorum Deum finxit antiquitas, publicè legi, ac coli. Qualis est, *Dinum Nabuchodonosor bellorum Deus;* aut *gētium, regnorúmque domitor inuictissimus;* aut alium, quem excogitare potuit spiritus superbus, & fatuus. Quomodo verò tam hic Nabuchodonosor, quàm alij Chaldæorum, atque Assyriorum reges Deorum sibi nomen, & honorem assumpserint, diximus in nostris Commentariis in Danielem *ad cap.* 1.

Qui suis armis honores exhibuere diuinos.

Quia in ipsis incrassata est pars eius, & cibus eius ele- 79.
ctus.] Perstat adhuc in metaphora piscatoris. Qui *incrassari* audit, & *electum cibum,* aliquid audit geniale, ac pingue, quod ad lautas principum mensas adhiberi solet. Sed reuera hîc prouinciæ intelliguntur, & opes, quas metaphorico reti, id est, virtute bellica sibi comparauit Nabuchodonosor. Cùm ergo videret conatum illum piscatorium

tortum sibi contigisse feliciter, perseuerauit in A arte illa planè quæstuaria, neque cessare voluit rete illud iam sæpiùs ad illud genus piscationis expansum. Et ideo subditur,

80. Vers. 17. *Propter hoc ergo expandit sagenam suam, & semper interficere gentes non cessat.*] Hîc iam clariùs euoluit, quod verbis alienis, & metaphoricis implicuerat; dum ait non contineri regios spiritus ab ambitioso conatu propagandi imperij Babylonici fines, neque ferrum crudele, ac barbarum ab effundendo sanguine. Quàm latè variéque grassata fuerint sub hoc rege Chaldæorum arma, docet Iosephus *lib. 10. Antiq. ad finem.* Vbi ex sententia Megasthenis tradit longè à Nabuchodonosore rerum gestarum magnitudine superatum fuisse Herculem. An verò ad Hispaniam vsque progressus fuerit, quod apud Iosephum putat Megasthenes, longa quæstio est, quam excogitarunt alij neque pauci, neque ineruditè in hac nostra ætate. Quid verò in hac disceptatione tenendum sit, non definio: cur magis inclinet animus in oppositum, ostendi super Isaiam ad illud cap. 23. v. 4. *Non parturiui, & non peperi.* Hæc de capite primo.

IN CAPVT SECVNDVM

ARGVMENTVM.

EXPECTABAT Propheta quasi ex specula eorum responsum, quæ à Domino quæsierat; cui Deus respondet breui Iudæorum populo à Chaldæorum rege venturum excidium: & illum superbiæ suæ, ac tyrannicæ crudelitatis daturum esse pœnas, quas eleganter statim, latéque describit. Quas vt ostendat iniustas non fuisse, grauia tum regis, tum populi Chaldaici scelera proponit. Cùm autem quæ à v. 3. proximè succedunt, multi de Christi aduentu, siue primo, siue secundo capiant (nam ea de re non satis inter Patres, & interpretes conuenit) nos tamen historicè de Nabuchodonosoris aduentu exposuimus in Paraphrasi, cùm tamen in Commentariis de Christo siue nascente, siue iudicante typicè sumamus; quia illud primum litera sonat: neque difficile est ingenioso lectori ad Christi tempus accommodare.

CAPVT II.

1. *SVper custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem: & contemplabor, vt videam quid dicatur mihi, & quid respondeam ad arguentem me.*

2. *Et respondit mihi Dominus, & dixit: Scribe visum, & explana eum super tabulas, vt percurrat qui legerit eum.*

3. *Quia adhuc visus procul, & apparebit in finem, & non mentietur: si moram fecerit, expecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit.*

4. *Ecce qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso: iustus autem in fide sua viuet.*

5. *Et quomodo vinum potantem decipit: sic erit vir superbus, & non decorabitur: qui dilatauit quasi infernus animam suam, & ipse quasi*

PARAPHRASIS.

B 1. STabo gradu constanti, ac firmo in ea statione, ac specula, quam à me Deus seruari, ac teneri voluit. Atque ibi, intento ad diuinam illustrationem animo, contemplabor, expectabóque, quid per me Deus dictum, ac factum velit; quidve de me, ac populo meo constituat; ac tandem quid querulo, atque oblatranti populo respondere possim.

2. Deus autem non diu expectationem meam moratus respondit, & dixit; Scribe quodcũque videris, audierisve in tabulis, ita distinctè, & clarè, vt à prætereunte, ac festinante viatore legi percommodè potest, &

C intelligi.

3. Cur autẽ hæc describi, ac seruari iubeã in tabulis, ea causa est, quia quæ nunc tibi videnda propono, longa post tempora successum habebunt, suámque posteris fidẽ probabunt. Quare etiãsi lentior videatur esse mora, euentum expecta, quia dubio procul adueniet, neque diu erit expectatio suspẽsa.

4. Qui huic sermoni fidem habuerit, illique se præbuerit obsequentem, vitam viuet securam, & lætam; qui contrà fecerit, aut duram subibit, atque ignobilem mortem, aut vitam aget nullo modo vitalem.

D 5. Vt autem qui vino, & crapulæ immoderatè indulsit, à mente solet cum ignominia deturbari: sic etiã vir potẽs, & superbus

mors, & non adimpletur: & cõgregabit ad se omnes gentes, & coaceruabit ad se omnes populos.

A à mente, & statu ignominiosè cadet. Qui non magis expletur honoribus, atque opibus, quas ad insaniam expetit, & exsorbet, quàm mors, & infernus, quæ cùm ab initio mundi vorarint, voréntque quotidie multitudinem infinitam, non tamen extincta est illorum, aut sedata fames. Sic ergo Nabuchodonosor omnes gentes, & linguas potestati suæ deberi persuadebit sibi; atque ideo ad eorum direptionem, & subiectionem anhelabit.

6. Numquid non omnes isti super eum parabolam sument, & loquelam ænigmatum eius: & dicetur: Væ ei, qui multiplicat non sua? vsquequò & aggrauat contra se densum lutum?

B 6. Aderit tamen aliquando tempus, cùm populi, & gentes, quibus rex iste superbissimus iugum imposuit Babylonicum, vbi iam ipse de sublimi illo statu ignominiosè ceciderit, assument super illum prouerbiale conuitium, quod in omnium ore, atque conuentu familiare sit, & frequens. Væ, dicent illi, qui alienas opes suam duxit esse prædam: in quas quasi in possessionem propriam victor irrupit, qui cùm diuitias, quæ nihilo meliores sunt, quàm lutum coactum, & densum, vndecunque congesserit; non tamen latos animi sinus, & immensam auiditatem expleuit.

C

7. Numquid non repentè consurgent qui mordeant te: & suscitabuntur lacerantes te, & eris in rapinam eis?

7. Nunquid dicent viri malè à Chaldæorum regibus vexati, aberunt, ô Chaldæi omnium gentium vexatores, & prædones, qui paria vobis referant incommoda? Vt enim vos luporum, atque leonum more alios mordebatis, lacerabatísque, & ex illis vobis, catulísque vestris cibum quærebatis; sic consurgent alij, qui vicem rependant, neque minùs lacerent crudeliter, & auidè, quàm vos antè fecistis.

8. Quia tu spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes, qui reliqui fuerint de populis propter sanguinem hominis, & iniquitatem terræ ciuitatis, & omnium habitantium in ea.

D 8. Quia tu, ô Nabuchodonosor, plurimas gentes & vitæ subsidiis, & pacis ornamento nudasti; qui reliqui fuerint à communi cæde, exigent à te pœnas effusi sanguinis, & ciuitatis Solymitanæ subuersæ, quæ terræ promissæ caput, & princeps fuit. Et habitatorum eius duræ iactationis seueri vindices, omni te præsidio, atque ornamento nudabunt.

9. Væ qui congregat auaritiam malam domui suæ, vt sit in excelso nidus eius, & liberari se putat de manu mali.

9. Væ illi, qui iniquis consiliis diuitias sibi congerit: neque enim aliud sibi moliri, ac cogitare videtur, quàm vt domui suæ extremum afferat exitium; dum habitationem suam in alto construit, sicut in præruptis rupibus aquila nidum suum, cogitabat supra omne malum, & fortunæ aleam erectam esse domum; sed planè frustrà.

10. Cogitasti confusionem domui tuæ, concidisti populos multos, & peccauit anima tua.

10. Cùm prædam meditabaris, & cædem, in domum tuam grauem videbaris perniciem meditatus; quia inde domui tuæ grauis accidit labes. Neque enim tunc tam in alienum, quàm in tuum caput, atque fortunas peccasse videbaris.

11. *Quia lapis de pariete clamabit: & lignum, quod inter iuncturas ædificiorum est, respondebit.*

11. Lapides enim, quos ex dirutis aliorum ædibus ad domum tuam ædificandam transtulisti, tuam tyrannicam inclementiam, & rapinam accusabunt; & ligna, quæ parietes sustentant, & alligant, cum lapidum clamoribus suas quoque voces, & querelas coniungent.

12. *Væ qui ædificat ciuitatem in sanguinibus, & præparat vrbem in iniquitate:*

12. Væ illi, qui alieno sumptu, atque alimento, quæ hominibus instar sanguinis sunt, suam ædificat ciuitatem, illamque communit, & ornat pecuniis iniquè, & violenter extortis.

13. *Nunquid non hæc sunt à Domino exercituum? Laborabunt enim populi in multo igne, & gentes in vacuum, & deficient.*

13. Hæc contra te, ô rex superbissime Chaldæorum, à domino Deo exercituum definita sunt. Laborabunt quidem multi populi, vt vrbem tibi construant, & amplificent; sed immanes illæ moles conflagrabunt incendio, & abibunt in nihilum.

14. *Quia replebitur terra, vt cognoscant gloriam Domini, quasi aquæ operientes mare.*

14. Tunc verò vastata priùs à Chaldæis Iudæorum regio, exulibus è Babylone redeuntibus implebitur. Ex illa verò rerum mutatione omnes latè regiones Dei gloriam agnoscent, quæ tam erit illustris, & copiosa, vt instar maris exundantis obtineat, & Deum potentem esse, atque fidelem experti, ad illius religionem alacres accedent.

15. *Væ qui potum dat amico suo mittens fel suum, & inebrians, vt aspiciat nuditatem eius.*

15. Væ illi, qui ei, quem amicum, & fœderatum habuit, vinum felle conditum propinauit, id est, ad vitam adegit ærumnosam, & tristem, & ad statum compulit seruilem, quem nuditas, & ignominia comitatur.

16. *Repletus es ignominia pro gloria. bibe tu quoque, & consopire, circumdabit te calix dexteræ Domini, & vomitus ignominiæ super gloriam tuam.*

16. Tu quoque, Nabuchodonosor, eximiam gloriam cum ignominia fœda commutabis. Tibi enim diuina manus circumductum poculum porriget, quale nationibus aliis propinauit, quod te turpiter inebriet, atque consopiat. Tunc euomes, quod immoderatè hausisti; & turpis ille vomitus, qui nunquam contingit sine nausea, splendorem tuum ignominiosè, & putidè fœdabit.

17. *Quia iniquitas Libani operiet te, & vastitas animalium deterrebit eos de sanguinibus hominum, & iniquitate terræ, & ciuitatis, & omnium habitantium in ea.*

17. Ierusalem, & templum; quæ instar Libani fuerunt speciosa, & pulcra, oppriment te. Quia pœnas ex te repetet Deus eorum, quæ tu in illorum ignominiam, & exitium molitus es. Deinde ferina crudelitas, & belluina vastitas, qua depopulati sunt Chaldæi Iudæorum regionem, fuderuntque sanguinem habitantium in ea, magno illos terrore, atque plaga percutiet.

18. *Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus, conflatile, & imaginem falsam? quia sperauit in figmento fictor eius, vt faceret simulachra muta.*

18. Tunc experimento discent Babylonij, quàm fuerint infirmi, ac futiles illi dij, quos suis sibi manibus conflauerunt; & quàm errauerint infantiliter, qui à mutis manuum suarum, inanimatisque figmentis aut sperarunt, aut orarunt libertatem, & vitam.

Digitized by Google

19. Væ qui dicit ligno: Expergiscere: Surge, lapidi tacenti: numquid ipse docere poterit? Ecce iste coopertus est auro, & argento: & omnis spiritus non est in visceribus eius. A

19. Væ illis, qui à saxo, & ligno, & inanimata materia in dubiis consilium, & in rebus angustis, & arduis auxilium implorant. Quibus illud familiare est, quia suos putant iacentes, aut soporatos deos, dicere: Surge, expergiscere; numquid vllum ab eo potest sperari consilium, quod neque spiritum habet, neque linguam? Intectum quidem est argento, & auro, & eo colore, quem artifex induxit, & neque in visceribus spiritus, aut sensus est.

20. Dominus autem in templo sancto suo: sileat à facie eius omnis terra.

20. At Dominus noster in cælo est, & in templo sancto suo, vnde audire potest supplicantium vota, & optata concedere. Quare sileat, ac timeat ante Dei conspectum mortalis omnis, & humana caro, à quo vt sperare omnia, sic etiam omnia formidare potest.

Vers.1. *Super custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem.*]

1. HACTENUS quærere, aut queri videbatur Propheta; quærere quidem à Deo quid futurum esset de afflicto Iudæorum populo, & de superbo, & barbaro Chaldæorum rege; aut queri quòd cùm rex ille tam esset crudelis, auarus, & impius, & in quodcumque mare suum vellet expandere piscatorium rete, neque infelici iactu; illum tamen vsque adeò non puniret, vt nouis quotidie illius imperium incrementis augeret. Hic porrò locus vt in varias patet metaphoras, sic etiam varias videtur admittere sententias.

2. *Custodia*, atque *munitio* voces videntur esse militares. Solent enim militibus custodiæ, id est, certa loca custodienda, committi, quas stationes vocamus; quas etiam arbitror munitiones vocari, quia illa propugnatorum arma, atque vigiliæ communiunt. Custodiam porrò vocari passiua significatione id, quod custoditur, quodcumque illud sit, in Scriptura sacra non est inusitatum. Sanè loca, quæ custodienda alicuius fidei, atque tutelæ permittuntur, appellari custodias illa docent, quæ sæpiùs audimus in lib. Leuit. Numer. vbi in custodiis excubare aliqui dicuntur, id est, in datis sibi stationibus. Lex præterea custodia vocatur, quia illa ab omnibus diligenter custodiri debet. Zacharias cap.3. vers.7. *Et custodiam meam custodieris.* id est, præcepta mea. Leuit.22. v.31. vbi vulgatus habet, *Custodite mandata mea.* Hebr. est, *Custodite custodiam meam.* Et Numer.18. vers.3. vbi in vulgato legis, *Excubabunt Leuitæ ad præcepta tua.* Hebræi habent, & Septuaginta conuertunt, *Custodient custodias tuas.* Qui constricti sunt vinculis in carcere *custodia* vocantur; quia ideo compacti sunt in vincula, vt ibi possint custodiri commodiùs. Actor.17. vers.1. *Vt autem iudicatum est nauigare nos in Italiam, & tradi Paulum cum reliquis custodiis centurioni.* Et infrà vers.52. *Militum autem consilium fuit, vt custodias occiderent, ne quis cùm enatasset, effugeret.*

3. Ad hunc modum custodiam hic appellare quis posset locum illum, aut studium, quem seruare, aut quod obire debuit, non aliter atque miles stationem sibi ab imperatore destinatam ita tenet, seruatque constanter, vt à vita potiùs malit, quàm ab illa discedere. Hæc autem metaphora satis est accommodata tempori, atque articulo, in quo nunc videtur agere Propheta. Contendebat etenim cum Deo, ab illóque exprimere conabatur, aut quid statueret de populo afflicto, & de Chaldæorum rege, quem ad nouas prædas, & continentia bella ambitiosus, & auarus spiritus vrgebat; aut certè illum erga populum studebat ad misericordiam inflectere; aut contra regem, & populum plus satis appetentem sanguinis, ad furorem accendere. Significat ergo hac metaphora, si fortè è re militari sumpta est, in eo studio nullum futurum esse desidiæ locum, neque ab ea contentione, qua cœpit, aliquid esse remittendum. Propheta verò stationem illam sibi assumit, aut ab imperatore summo custodiendam accipit, in qua periculi plus est; quia & illa minùs est munita, & in eam maius inimicorum pondus incumbit. Sic sanè fecit Moyses, qui vim repulit hostilem, cùm staret in confractione muri iam quassati, atque aperti. De quo Psal.105. vers.23. *Et dixit vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius, vt auerteret iram eius.* Confractio autem est pars interrupta muri.

Duci item posset metaphora ab excubitore, seu speculatore, qui in eo totus est, vt prospectet vigilantibus oculis, quid immineat aut mali ab hostibus; aut ab amicis, & auxiliaribus, boni: illúdque statim populo denunciat, vt maturè norit, quid facto opus sit. Quod autem *custodia* pro specula sumatur, docuit apertè Isaias, qui in custodia speculatorem locat, *cap.21. vers.8.* vbi cùm seipsum speculatorem fecisset, addidit, *Super speculam Domini ego sum stans iugiter per diem: & super custodiam meam ego sum stans totis noctibus.* Vbi quam priùs speculam, statim appellauit custodiam. Et hanc Hieronymus metaphoram agnoscit tum Cyrillo, Theodoreto, Theophylacto, quos sequuntur frequentes alij. Et quidem speculatores esse Prophetas docuit Isaias nuper, & Ezechiel *cap.3. vers.17.* & iterum *cap.33. vers.7.* longiùs, & expressiùs. Quid verò sit Prophetam esse in custodia, aut specula, & super munitionem, explicat Hieronymus, & dicit esse prophetiæ sublimitatem. 4.

Custodia pro eo, quod custoditur.

Custodia pro lege.

Custodia pro vinctis.

Custodia pro statione, aut cura imposita.

Custodia pro specula.

Digitized by Google

tatem. Sed adhuc explicatiùs Theodoretus, A Theophylactus, Cyrillus, & Nicetas *ad orat.2. Nazianzeni in Pascha.* Pro omnibus vnum audi Cyrillum. *In exercitatione & consuetudine mea excubabo, animum rursus purgabo, curis mundanis exoluam, sursum quodammodo volabo, vt in petram, hoc est, in stabilitatem quandam, & velut in sublimi situm securitatem cogitationum. Illic ceu ex iugo montis speculabor secundum intellectum, quæ Deus mihi locutus fuerit*, &c. Hoc idem optimè Bernardus in homilia quadam in hæc ipsa verba Habacuc. *Et nos ergo fratres obsecro super custodiam nostram stemus, quoniam tempus militiæ est. Neque in sterquilinio huius miseri corporis, sed in corde, vbi Christus habitat, in iudicio, & consilio rationis sit conuersatio nostra: ita sanè vt non in ipsa habeamus fiduciam, aut fragili innitamur custodiæ; sed figamus gradum in munitione firmissima petra, Christo* B *totis viribus innitentes, sicut scriptum est: Qui statuit su-*

Orationi, & illustrationi à Deo, quis locus aptus.

5. *pra petram pedes meos, & direxit gressus meos.* Et quidem qui superiora speculari voluerit, & se regionibus inferre cælestibus, quod pura, & constans assequitur oratio, necesse est, vt se à terrenis cogitationibus exoluat, & licèt in carne, carnis blandimenta; imò de carne curam omnem abiiciat. Quàm verò assidua, & constans debeat esse custodia, ostendunt aliorum translationes variæ. Vocem namque מצור *matsor*, pro qua noster reddidit *munitionem*, Symmachus, Hieronymo teste, *conclusum* transtulit, Theodotio *gyrum*, Aquila, & quinta editio *circinum*. Hæc autem omnia non obscurè significant sic in illam suam considerationem, & curam abdendum esse Prophetam, vt C sibi illinc ad alia omnia curanda facultatem præciderit. Sic legimus in sacris annalibus multos, ne sibi ad alia disgredi, ac vagari liceret, angustos sibi circumscripsisse terminos, quos transgredi nefas esse putabant. Imò in angusto domicilio, & quasi in æterna quadam custodia iniecisse sibi vincula, ne, etiamsi maximè cuperent, illuc emergerent, vbi multa occurrerent, quæ intentam Deo cogitationem abstraherent.

Orationi secessus clausus opportunus.

6. Pro re verò morali obserua expectari ibi perquam opportunè, atque optimè oraculum, aut illustrationem à Deo, vbi quis à Deo constitutus est; hanc verò stationem, seu custodiam appello. Educit Deus sponsam in desertum, quam illius esse stationem voluit, & ibi locutus est ad D cor eius; neque cum verè amatorium sermonem ad illam habuisset, si ad aliam vellet stationem diuertere. Illustrare voluit Deus Ezechielem cælesti visione, atque ideo illum iubet in agrum secedere. cap.3. vers.22. *Facta est super me manus Domini, & dixit ad me: Surge, egredere in campum, & ibi loquar tecum, & surgens egressus sum in campum, & ecce ibi gloria Domini stabat.* Absque dubio in statione alia nunquam Domini gloriam vidisset Propheta. Et cùm vellet Dominus Moysi gloriam suam ostendere, locum illi certum definiuit, illúmque arctum, atque conclusum; extra quem nunquam foret illud tam grande beneficium consecutus. Exod.33. vers.21. *Ecce* (inquit Deus) *est locus apud me, & stabis supra petram; cùmque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea,* E *donec transeam. Tollámque manum meam, & videbis posteriora mea.* Norunt id experientia magistra viri religiosi, quorum illud est graue, ac familiare documentum, non esse magnum aliquid expectandum à Deo extra locum, aut munus, ab obedientia, id est, ab ipso Deo destinatum. Quare si quispiam Deum quærat, aut oret, dum locum, aut occupationem suo sibi sumit arbitratu, & illum

Nullus locus aptior est, in quo quis à Deo cõstituitur, siue ad orationem, siue contra diaboli insidias.

A deserit, quem diuinæ voluntatis interpres superior designat, sanè infirmam adhibet orationem; quem Deus tanquam alienum, & transfugam aspernabitur. Sicut enim obedientiæ fauet, & blanditur Deus; sic etiam amat, & fauet muneri, ac loco ab obedientia destinato. Plura hac de re occurrent apud Patres. Ad hanc cogitationem faciunt plurimùm quædam Scripturæ sacræ loca. Ecclesi.10. vers.4. *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te* (id est, si tentatio vehementior ingruerit) *locum tuum ne dimiseris.* Et Ecclesi.11. v.22. *Confide in Deo, & mane in loco tuo.* Quasi dicat, nil magnum sperandum à Deo, si à loco tibi dato recesseris. Et Prouerb.27. vers.8. *Sicut auis transmigrans de nido suo; sic vir, qui derelinquit locum suum.* Auis, quæ excessit è nido, è loco nimirum, vbi B posita est à parentibus, non est cur ab illis in summa etiam fame escam expectet.

Et figam gradum super munitionem meam.] Eadem 7.
repetitur per epexegesim sententia. Neque enim aliud est munitio, quàm custodia; neque stare, quàm gradum figere; vtrumque enim in loco sublimi, aut clauso assiduitatem, & constantiam significat.

Et contemplabor, vt videam quid dicatur mihi] Cùm 8.
de iudicum, & principum iniuriis quereretur Propheta, respondit illi Deus iniurias illas, fraudes, atque calumnias non abituras impunè; quia vltor aderit, seu potiùs diuinæ vltionis administer Nabuchodonosor, qui pro scelerum modo suppliciorum grauitatem attemperet. Cuius cru- C delitatem, & ambitiosos spiritus, inexplebilem sanguinis, & diuitiarum sitim oculis iam intuebatur propheticis. Et de his omnibus, vt vidimus, ad finem vsque capitis conquestus est: neque tamē vllum à Domino responsum acceperat. Nunc autem locum eligit aptum ad audiendum diuinum responsum, quem custodiam, & munitionem vocat; vbi ab omni terrenæ, aut certè alienæ curæ cogitatione solutus, & intento in illam tantùm speculationem animo, excipiat, si quid Dominus ad illius studium, ac votum respondere voluerit. Quid videlicet statuat de Nabuchodonosor, cuius non videbatur tyrannicus furor impunitatem habiturus; & de populo, quem ab illo barbarè vexari ex sua specula prophetice videbat. D

Vbi vulgatus, *Quid dicatur mihi*, Hebr. est בי *bi*, 9.
id est, *in me*, vt etiam reddidere Septuaginta. Obseruat autem ex hac locutione Hieronymus, propheticam visionem, & eloquium Dei non extrinsecus ad Prophetas fieri, sed intrinsecus, & interiori homini respondere. Et adducit illud Psal. 84. v.9. *Audiam quid loquatur in me Dominus.* & illud Zachariæ cap. 1. *Angelus qui loquebatur in me.* Illud idem, quod hîc paucis dixit Hieronymus, pluribus explicuit ad illud Psal.84. de quo modò, *Multi* (inquit) *putant, quando loquitur Moyses, & dicit: Hæc dicit Dominus. & cùm dicitur, factum est verbum Domini ad Isaiam, siue ad Ezechiel prophetam, quod forinsecus sermo fiat, & per istas aures audiat Propheta, quod loquitur à Domino. Non est ita. Nam & Domi-* E *nus noster quid loquitur ad Pharisæos? Qui habet aures audiendi audiat. Et Isaias ait, Dominus addidit mihi auriculam. Videte quid dicat, Dominus addidit mihi auriculam. Quoniam non habebam illam auriculam, quæ in corde est, addidit mihi, vt Dei possim audire sermones. Et nunc ergo Propheta quodcunque audit, audit in corde.* Hæc Hieronymus. Eadem Gregorius *lib 18. Moral. cap.1.* Bernardus *sermon.45. in Cantica*, & optimè Basilius ad illud Isaiæ capite 7.

Ego

Egredere in occursum Achaz.

10. Mihi in illa locutione Hebraica,& Septuaginta translatione alia occurrebat huius loci sententia; quam omninò probarem, si grauem aliquem & idoneum authorem haberem, vnus, quem ego viderim, indicat Figuerius. Quam sententiam priusquam explico, obseruo Prophetam hoc loco speculatorem esse, cuius præcipuum est negotium non sibi, sed populo videre; ideo enim speculatur, ac videt, vt populum admoneat, illiusque saluti maturè caueat. Quare si quod ab aliis proponitur signum (quod plerumque ab amicis fit, his maximè regionibus, quas vexare aut solent, aut possunt inimici) illud non tam speculatori proponitur, de cuius vita alij non admodum curant, quàm aliis per speculatorem. Quocirca speculator quædam quasi lingua est illorum, qui aut per signa loquuntur, quasi elingues, & muti, per fumum videlicet interdiu, & per flammas noctu; aut certè qui ita absunt longè, aut ita sunt absconditi, vt ab aliis neque videri possint, neque audiri.

Propheta aliis plerũque videt, & per illos alij.

11. Secundò obseruandum præpositionem ב, quæ Latinè sonat *in* vim habere instrumenti. Quocirca quia Prophetæ instrumenta quædam sunt, & internuncij Dei, per hos ad homines sua oracula, seu mandata transmittit. Ideo ב *beth*, Prophetis ad vsum instrumenti frequenter adiungitur: sæpe enim audimus, *in manu Prophetarum*, *in manu Aggæi*, & similia, id est, per Prophetas. Et Oseæ 6. ver.6. *dolaui eos in Prophetis*, id est, erudiui, & expoliui per Prophetas. Est optimum exemplum lib.2. Reg. cap.23. vers.2. *Spiritus Domini locutus est per me* (Hebr. בי *bi*, id est, *in me.*) Quid autem sit illud *in me*, statim per epexegesim explicuit, dum addidit, *Et sermo eius per linguam meam.*

In vim habet instrumenti.

12. Ex his ego hanc sententiam informo. In custodia mea stabo, & ibi speculabor attentè, quid per me Deus populo denunciatum velit. Quod ad rem attinet, exiguum est discrimen, siue legas *mihi*, siue *in me*, seu *per me*. Nam cùm Prophetæ non sibi tantùm audiant, sed aliis, imò aliis præcipuè, quia per illos Deus aliis sua manifestat oracula. Non multum interest, quod ad sententiam attinet, hoc ne, an illo modo loquaris; interest tamen ad facile consequentium filum, & ad illam cogitationem, quam ego magis probo, de qua iam.

13. *Et quid respondeam ad arguentem me.*] Dubium est, quis sit iste argumentator, aut accusans, ad cuius obiecta, seu criminationem sese Propheta maturè comparare studet. Hieronymus, quem alij ex Latinis plurimi sequuntur, Deum esse putat; cuius grauem obiurgationem ideo timebat Habacuc, quòd minùs videbatur cum Deo expostulasse immodestè. Quare in sua custodia, atque secessu meditari vult, quid honestè obiurgatori suo respondere possit. Cum Hieronymo sentiunt Cyrillus, Hugo, Dionysius, Albertus, & Haymo. Hic libet adiicere, quod documentum disputantibus dederit, seu quid potiùs in illis reprehendat Hieronymus. *Eleganter* (inquit) *& miro sensu humanam describit impatientiam, quam in disceptationibus semper habere consueuimus, vt antequam nobis ex aduerso aliquis respondeat, & sciamus in quo nos arguerit, ad respondendum paremur. Ex quo ostenditur responsionem non rationis esse, sed contentionis. Si enim esset ratio, responsum deberet expectari, & sic videre, vtrum respondere deberet, an consentire rationabili responsioni.*

Modestia atque patientia in disputationibus.

A Placet tamen magis illorum sententia, qui in arguente populum agnoscunt, ad quem diuinum est perferendum oraculum. Cùm enim odiosa esset, & vilis eo tempore Prophetarum vox, quæ non semper annunciabat aliquid è popularium voto, cum stomacho audiebatur, & sibilo, neque deerat, quid diuinis oraculis aut occinerent, aut opponerent. Quare duo à Domino speculatur, & expectat Propheta, & quid Deus ad populum peruicacem, & incredulum prædictum velit; & quid illius obtrectationi liberæ respondere possit. Vtrumque verò accepit à Deo, vt suo loco videbimus. Huc spectat id, quod dicebamus nuper, illud nempe *in me*, seu *per me*, indicare hæc ideo dicta esse Prophetæ, vt B ea statim ad populum deferret. Neque dubitare poterat idem sibi subeundum esse conuitium, quod omnes, aut plerique Prophetarum antè subierant; qui vocati sunt seditiosi, amentes, & qui sua pro diuinis oraculis somnia venderent. Quare contra horum voculas, & sannas seipsum comparare vult, & à Deo, cuius authoritatem tueri desiderat, quid responderi vtiliter posset, edoceri. Quod commendat Petrus *epist.1. cap.3. vers.15.* his, qui rem tractant euangelicam, & Christi causam. *Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe: sed cum modestia, & timore conscientiam habentes bonam,* C *vt in eo, quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur.* Arguentem hunc non esse Deum, sed populum, tenent cum Theodoreto, & Theophylacto, Ribera, Vatablus, Isidorus, Robertus, Figuerius, & quidam è Iudæorum magistris. 14

Ratio reddẽda interrogantibus de doctrina.

Vers.2. *Et respondit mihi Dominus, & dixit.*] Non diu expectationem Prophetæ suspendit Dominus; quia nimirum datam sibi custodiam, & munitionem non deseruit. Respondit autem, & quid Propheta de Chaldæorum successu scire cupiebat, & quibus verbis os imputum, & procax obstrepentium obstrueret. 15.

Scribe visum, & explana eum super tabulas, vt percurrat qui legerit eum.] Magnum aliquid sit oportet, quod tã accuratè Deus in tabulis exarari vult: D quid autem illud sit, statim pluribus nobis explicandum est. Quid sit in tabulis scribere, docuimus in nostris Commentariis super Isaiam ad illud cap.8. *Sume tibi librum grandem.* & latiùs ad illud c.30. *Scribe ei super buxum, & in libro diligenter exara illud.* Scribebatur olim in ceratis tabulis stylo, seu graphio, vnde natum, vt epistola vocaretur cera; & prima pars epistolæ prima cera; & extrema, extrema cera. Scribebatur item in tabulis buxeis, quia hæ facilè accipiunt literas, cásque propter colorem longè dissimilem oculis obiiciunt legere volentium. Sic Propertius lib.3. eleg.3. 16.

In tabulis olim scribi solitum.

Tabulæ buxea.

Vulgari buxo sordida cera fuit.

E Et quia materia citrea non multum dissidet à buxea, ex ea ad scribendum tabulæ dolantur idoneæ: ex ea sanè pugillares fiunt, id est, tabellæ ad vsum scribentium familiarem. Martialis *lib.14. disticho 3.* cuius titulus est, *Pugillares citrei.*

Tabulæ citrea.

Secta nisi in tenues essemus ligna tabellas,
Essemus Libyci nobile dentis onus.

Hæ porrò tabellæ multo commodiùs poliuntur ex ebore; quia cùm candidæ sint, nigros characteres facilè ostendunt, & offerunt legenti. Quod præstare nequeunt ceratæ tabellæ, quæ literas habent concolores. De quibus Martialis idem disticho 5. cuius titulus, *Pugillares eburnei.*

Tabulæ eborea.

Languida ne tristes obscurent lumina ceræ,

Nigra

Digitized by Google

Nigra tibi niueum litera pingat ebur.

18. Has verò tabulas, quas sumere iubetur Propheta, non puto fuisse oblitas cera, & exaratas stylo; quia ibi literæ obscuræ sunt, & vix à concolore materia discerni possunt, etiamsi propiùs oculos admoueas: & à properante, aut transeunte internosci non nisi quàm difficillimè possunt. Quare potiùs arbitror esse è buxo, quemadmodum reddiderunt Septuaginta, vel citro, aut cerussatas ex quacunque alia firma materia; qualia sunt illa, quæ vocantur palimpsesta, quorum vsus apud antiquos frequens.

19. *Vt percurrat, qui legerit eum.*]. Mos fuit antiquus apud nationes alias, vt decreta publica, quæque omnibus esse nota ex vsu ferè publico putabatur, suspenderentur in tabulis, idque in locis maximè frequentibus. Id sanè apud Hebræos esse aliquando in vsu probat illud Iob cap. 19. vers. 24. *Quis mihi tribuat, vt scribantur sermones mei? Quis mihi det, vt exarentur in libro stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice?* Et *Isai cap.* 30. quædam iubentur in buxo describi. Cur verò hoc in mandatis acceperit Propheta, vt non in volumine, sed in tabulis exaret visionem, ea ratio est, quia omnibus vult esse manifestam, & semper explicatam. Charta enim aliquando plicatur, & quod exaratum est, inuoluit, & celat; quod non facit tabula. Iubetur præterea, vt explanet, id est, dilucidè scribat, grandibus videlicet literis, neque obscuratis aut inusitata forma, aut breuiori compendio. Tū præterea vsitato, familiarique sermone, non prophetico, qui interdum non longè abest ab ænigmate, vt legi possit, & omninò capi à prætereunte: & ipsa tum literarum, tum etiam verborum perspicuitas, atque distinctio lectorem inuitet, vt qui legere inceperit, ad finem vsque non grauatè percurrat. Contingit enim aliquando, vt auidum, curiosúmque lectorem vel literarum impediti nexus, vel decurtatæ voces, aut orationis obscuritas à legendo deterreat.

20. Vers. 3. *Quia adhuc visus procul, & apparebit in finem, & non mentietur.*] Rationem reddit Dominus, cur visionem illam in tabulis exarari velit; quia nempe multum superest temporis, donec illa impleatur. Rationem hanc pluribus explicuimus in nostris Commentariis super Danielem ad illud cap. 8. *Tu ergo visionem signa, quia post multos dies erit.* Nunc breuiter dico eam mihi videri præcipuam, quia cùm hæc implenda non sint, saltem eorum pleraque, illorum ætate, qui tunc erant in viuis, & audire poterant, sed longè pòst: non satis videbatur hæc voce proferri, quæ non potest ad posteros transmitti, nisi per manus, inter quas multa deteruntur, multa affinguntur veritati; ideo iubentur tabulis mandari, quæ fideliter, quod accepere, seruant, & ad plurima etiam sæcula transmittunt. Sed licèt plurimi intercedant dies, tamē pondus habebit visio, & definito tempore suam probabit fidem. Id planè significat illud, *Apparebit in finem*, id est, licet serò, tandem implebitur: quod Hispanus *al fin se descubrira*: accommodatè ad Hebraicum idioma.

Scribi iubentur, & obsignari, quæ longa post tempora implenda sunt.

21. *Si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit.*] Hic locus difficillimus est, quia valdè obscurum, & incertum est, de quo sit nobis intelligenda pars hæc prophetiæ, de quo si nobis aliqua ratione certò constaret, minus esset nobis laborandum. De Christi aduentu accipiunt multi, neque illi vulgaris notæ interpretes, quorum antesignanus est magnus Doctor Hieronymus, Eusebius *lib. 6. de demonst. cap.* 14. Theophylactus, Rupertus, Haymo, Remigius, Hugo, Dionysius, & Ribera. Cúmque duo sint aduentus Christi, de secundo intelligunt cum Hieronymo horum plerique. Neque deest ex hoc capite aliqua coniectura: nam cùm conquestus esset Propheta, quod benè esset, ac iucundè impiis, & ab illis iniustè vexarentur viri religiosi, atque inopes, accommodatè ad Prophetæ querimoniam videbatur Deus responsurus, si futurum diceret generale quoddam examen, & iudicium à supremo, atque incorrupto iudice, qui superbos deprimeret, spoliarétque; iustos verò, atque inopes exaltaret, & ab omni vendicaret infamia. Accedit quòd Paulus ad Heb. cap. 10. v. 37. ad hunc locum videtur allusisse; & tamen de primo Christi aduentu, qui iam præcesserat, intelligi non possunt, quæ ibi dicuntur. *Patientia* (inquit) *vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes reportetis repromissionem. Adhuc enim modicum, aliquantulùmque, qui venturus est, veniet, & non tardabit.* Et quidem expositorum plerique hunc Pauli locum de extremo iudicij tempore interpretantur.

Alij de primo etiam Christi aduentu hîc agi putant. Ita Salmeron *proleg.* 8. & Ribera *hic*, & in locum Pauli ad Hebræos, de quo nuper: quia tunc cœpit exemplo, atque sermone insolentes deprimere, exultantes confundere, spoliare diuites; & contrà ornare pauperes, oppressos reficere, humiles attollere, contraria denique vtrinque contrariis rependere. Hoc (inquit Ribera in locum Pauli) facere incepit Christus in primo aduentu, cùm dixit, *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent, quoniam sibi consolabuntur. Beati, qui persecutionem patiuntur*, &c. De superbis autem, & oppressoribus pauperum longè aliter statuit. *Væ vobis, qui saturati estis; quia esurietis. Væ vobis qui ridetis nunc; quia lugebitis.* 22.

Alij hæc ad tempora Iudæorum referunt, de quibus Propheta proximè; quando videlicet opprimebantur à Chaldæis exilio longo, & seruitute sordida. Tempus autem, quod expectare iubetur Propheta, est illud, quod exactis septuaginta annis proximè succedet; quando finito Chaldæorum imperio, Iudæorum quoque finietur lenta captiuitas. Ita Theodoretus, Cyrillus Alex. neque respuit Theophylactus, tametsi in priorem sententiam magis inclinet. Tenet Albertus, Montanus, Isidorus, Robertus, Gueuara, Castrus, & Adamus ad illud Roman. 1. *Iustus autem ex fide viuit.* & ibidem noster Cornelius à Lapide. Ex his tamen nonnulli sic hæc de temporibus accipiunt Babylonicis, vt tamen mysticè hîc humanæ libertatis vindicem agnoscant Christum. Imò tradit Gueuara idem etiam sensisse S. Thomam, qui ait hunc locum per accommodationem Paulum accepisse de Christo: quod ego tamen, cùm maximè cuperem, apud Thomam reperire non potui. Tenent tamen hæc mysticè de Christo esse intelligenda Cyrillus, Albertus, Adamus. 23.

Ego quid hîc statuam, quidve magis probem, hæreo, nec sine causa; cùm res sit grauis, & à tantorum virorum opinione recedere molestum. Inclino tamen magis in posteriorem sententiā; quæ hæc omnia, quæ exarari iubentur in tabulis, historicè capit de seruitute Babylonica, mysticè de Christo. In quam sententiam his maximè rationibus adducor. Quia Propheta scire studebat, quénnam habituræ essent euentum res illæ, quas proximè audierat præcedenti capite: quando videlicet aut comprimenda esset magistratuum, & principum vis, & arrogantia; aut tandem sumendum 24.

mondum de Chaldæorum regis tyrannica crude-
litate supplicium. Huius Prophetæ siue studio,
siue querimoniæ non videbatur aptè responderi,
si à re Solymitana, ac Babylonica sermo esset a-
uersus. Deinde quia, vt est communis omnium
sententia, apertè hic, atque dilucidè omnia iu-
bentur in tabula describi: at nihil hic videmus, si
ad Christi tempora, atque œconomiã referamus
saltem historicè non obscurum; secùs autem si de
temporibus agatur, de quibus tunc erat Prophe-
ta sollicitus. Denique si de Christo saltem in cor-
tice foret vaticinium, illud *expecta illum*, non vi-
detur nisi admodum obscurè, atque ænigmaticè
in Christum cõuenire, idque omninò diuinando.
Illud enim relatiuum antecedens aliquod desi-
derat, quod intueatur: at Christi nomẽ, aut, quod
idem valet, Seruatoris, aut à gentibus desiderati,
hactenus in nostro Propheta non est auditum.
Ad extremum, insolitatum videtur, & durum, vt
cùm omnia, quæ hunc rerum articulum præces-
sere, quæque consequuntur proximè, de re Soly-
mitana, ac Babylonica instituta sint, hæc ex ab-
rupto auocentur alio, & mox etiam ad idem re-
uocentur. Scio hoc aliquando fieri solitum, &
nos hoc modo aliquot Scripturæ sacræ loca de-
clarauimus; sed hoc perquam rarum est, & ad hoc
exponendi genus non nisi necessitate cogente
confugiendum est; cuius hîc locum nullum esse
video.
25. Neque Pauli locus nimis in oppositum vrget;
neque enim tam adducitur, vt Prophetæ verba
dicantur tunc impleri, & eò spectare directè, &
propriè, quàm adducuntur tanquam exemplum,
quo excitentur ad benè sperandum illi, quorum
tunc animi contrariarum rerum conflictu labo-
rabant. Quasi dicat Apostolus: Quemadmodum
modicum tempus expectari iussit Deus, & post il-
lud certam promisit libertatem his, quos Baby-
lonica malè vexabat iam pridem tolerata serui-
tus; sic etiam illis obdurandum in laborum tole-
rantia tantisper, & sperandum fore, vt aliquando
ex illis rerum angustiis, ac difficultatibus emer-
gant. Quàm verò accommodatus sensus in Scri-
ptura sacra frequens sit, docet Gabriel Vasquez
1. *p. disp.* 18. *n.* 9. Acosta de Christo reuelato *lib.* 1.
cap. 5. Ab exemplis abstineo, quæ passim occur-
26. rent attento lectori. Quòd verò hæc mysticè de
Christo seruatore, ac vindice intelligenda sint,
mihi difficile non est: vt enim Babylonica serui-
tus sub crudelissimo tyranno typus fuit illius ser-
uitutis, quæ à maiore tyranno genus oppressit
humanum: sic etiam Cyrus illius libertatis vin-
dex, Christi seruatoris, ac vindicis typus fuit. Vide
quæ diximus ad illud Isaiæ c. 45. *Rorate cæli desuper.*
27. *Expecta illum.*] Duo expectare poterat Prophe-
ta, illum videlicet, qui contra principes, & magi-
stratus miserorum causam tueretur, & vicem re-
penderet hominum generi insolenti, ac barbaro:
& illum, qui Nabuchodonosoris, aut potiùs eius
nepotis Balthasaris, & Chaldæorum imperij po-
tentiam contunderet, & obscuraret gloriam; nem-
pe Cyrum, qui primus omnium, debellatis Chal-
dæis, illorum imperium traduxit ad Persas. Hoc
videtur non difficile, tum quia ad sensum mysti-
cum de Christo redemptore expeditior est via;
tum præterea, quia hæc verba non tam videntur
ad contrahendum, quàm ad diffundendum, & ex-
hilarandum Prophetæ animum comparata. Qua-
re meliùs videntur in Cyrum seruatorem, quàm
in Chaldæorum regem vastatorem, & sanguina-
rium conuenire. Neque verbũ *expecta* tam aptè in

A hostem, quàm in conseruatorem, & amicũ cadit.
Nihilominus magis eò feror, vt credam hunc 28.
esse Nabuchodonosorem. Vt enim vidimus, duo
quærebat à Domino, seu duo cum Domino ex-
postulabat Propheta: alterum, quòd iusti, atque
inopes grauibus à potentiorum insolentia affice-
rentur incommodis: alterum, quòd qui datus es-
set à Deo iniuriarum vltor, idem multo grauius
vexaret iustiores se, quàm antè forent à suis gene-
ris hominibus iactati. In hoc ergo capite de vtro-
rumque agit supplicio, & primum de illorum, qui
iniurij fuerant, & inclementes in suos. Quare
prior pars de Nabuchodonosore, qui Iudæorum
principum; posterior de Cyro, qui Nabuchodo-
nosoris vltus est iniurias, & captiuorum libertati
seruiuit.
B Neque rationes nuper adductæ contrà premũt: 29.
sunt enim verba sic accepta verè consolatoria:
quia per Nabuchodonosorem pœnas dabunt Iu-
dæorum principes, quod optabat Propheta; & per
Cyrum Nabuchodonosor, quod non minùs erat
eidem in votis. Verbum præterea *expecto* non ma-
le in hanc cogitationem quadrat; quia etiam con-
sultum esse iustorum causæ, & sumi de impiorum
crudelitate supplicium cupiebat Propheta. Ne-
que verbum *expecto* tantùm importat desiderium, Expecto, & spero *de rebus etiam aduersis.*
interdum rebus accommodatur, quas vehemen-
ter horremus. Expectamus amicũ, quem excipia-
mus hospitio, & ex cuius congressu aliquem ca-
piamus suauitatis fructum: expectamus hostem,
cuius neque vultum aspicere, neque nomen audi-
C re vllo modo vellemus; vt illum procul à nostris
finibus arceamus. Sanè improperium, & miseria
amabilia non sunt, illa tamen expectari dicuntur.
Isaiæ 68. v. 21. *In conspectu sunt omnes, qui tribulant me,
improperium expectauit cor meum, & miseriam.* Et *expe-
ctatio* cum timore coniungitur, & idem propè si-
gnificat Lucæ 21. v. 26. *Arescentibus hominibus præ ti-
more, & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi.* Ne-
que hic verbi vsus insolens est prophanis. Nihil
sanum, aut vtile reipublicæ facturus videbatur C.
Gracchus; tamen sic de illo Cicero ad Atticum.
De C. Gracchi tribunatu, quid expectem (id est, quid me-
tuam) *non libet augurari.* Idem de *spero* duxit Maro
lib. 1. Æneid.
At sperate deos memores fandi atque nefandi.
D id est, timere. & lib. 4.
Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.
Sed illud adhuc difficile, quia non satis in Na- 30.
buchodonosor apparet Christi imago, quæ ser-
monem ad illum rerum similitudinem significa-
tione mystica traducat. Respondeo hîc nihil vi-
deri, cur lector hærere debeat. Nam si mores spe-
ctes, non minùs sanguinarius Cyrus fuit; & ta-
men Christi fuisse typum omnes ferè putant. De-
inde quia non dubium est hominem malum in re
etiam mala Dei interdum figuram esse, vt pluri-
bus ostendimus ex Augustino, Gregorio, & Hie-
ronymo ad illud Zachariæ 13. v. 6. *Quid sunt plagæ
istæ in medio manuum tuarum.* Quòd si hîc de aduen-
tu agitur Christi secundo, quando iusto impro-
bos afficiet supplicio, magna erit similitudo inter
E Christum, & Chaldæorum regem, cùm vterque
potens, & seuerus ad iudicandũ veniat. De secun-
do porrò aduentu Christi plerique cũ Hieronymo
capiunt. His ergo positis explicationẽ aggredior.
Si moram fecerit, expecta eum.] Familiare erat 31.
Israelitidi genti excipere cum risu, ac sibilo, si *Prophetæ habiti ludibrio.*
quid grauius audirent à Prophetis, idque nimis
vesano consilio conuertebant in prouerbium, &
canticum. Quod faciebant tunc inuerecundiùs,
&

& audaciùs, cùm non statim viderent habuisse pondus Prophetarum minas. Quare cùm audirẽt sæpè à Prophetis, *Hæc mãdat Dominus: expectate hoc à Domino supplicium: adhuc modicum, & consummabitur indignatio,* & similia, ipsi occinebant eadem repetentes verba. *Manda, remanda; expecta, reexpecta; modicum ibi, modicum ibi.* Vt habes Isaiæ cap. 28. v. 13. Imò vsque adeò nugaces existimabant Prophetas, & vana vaticinia, vt vltrò ipsum tempus ciuitati, ac ciuium vastitati designatum accerserent. Sic Ierem. cap. 17. *Ecce ipsi dicunt ad me: Vbi est verbũ Domini? veniat.* Isaiæ cap. 5. v. 19. dicebant: *Festinet, & citò veniat opus eius, vt videamus: & appropiet, & veniat consilium sancti Israel, & sciemus illud.* Id fortasse de se ac de suis oraculis sæpiùs audierat Habacuc; aut certè ideo videbat aliorum vaticinia contemni, quia non statim illorum apparebat euentus. Huius ergo aut cogitationi tacitæ, aut etiam querelæ occurrit Deus. Licèt aliquid (inquit) interponatur moræ, aliquando apparebit vaticinij fides, quod non mentietur, id est, non erit nugatorium, & fallax. Veniet enim sine dubio Nabuchodonosor, & illa patrabit horribilia, de quibus proximè capite præcedenti.

32. Vers. 4. *Ecce qui incredulus est, non erit recta anima illius in semetipso.*] Iuxta hæc, quæ à nobis dicta proximè, non est difficilis huius loci sententia, quam millies idem populus à Prophetis audierat. Sanè Ieremias sæpè admonuerat contribules suos, ne quid contra Chaldæorum regem hostile molirentur; sed se illi omninò traderent, si saluti suæ, ac publicæ consultum esse vellent. Sic ille cap. 27. v. 2. *Quicunque manserit in ciuitate hac, morietur gladio, & fame, & peste; qui autem profugerit ad Chaldæos, viuet, & erit anima eius sospes, & viuens.* Et cap. 27. v. 8. *Gens, & regnum, quod non seruierit Nabuchodonosor regi Babylonis, & quicunque non curuauerit collum suum sub iugo regis Babylonis, in gladio, & in fame, & in peste visitabo super gentem illam, ait Dominus, donec consumam eos in manu eius.* Et statim v. 11. *Porrò gens, quæ subiecerit ceruicem suam sub iugo regis Babylonis, & seruierit ei, dimittam eam in terra sua, dicit Dominus, & colet eam, & habitabit in ea.* Hæc eadem nunc prædici arbitror à Propheta nostro: eos nimirum, qui crediderint, & obsecuti fuerint Prophetarum vocibus, vitam habituros securam, & lætam; qui verò illorum monita fuerint auersati, & collum Babylonico iugo summittere noluerint, aut morituros esse ignobili, atque ignominiosa morte, aut acturos esse vitam non vitalem.

33. Id enim valet, *Anima illius non erit recta,* id est, ipse non prosperabitur, aut nihil illi succedet ex voto, sed omnia potiùs succedent aduersa. Porrò notum est *animam alicuius* idem esse quod *aliquẽ*, vt modò in priori Ieremiæ testimonio manifestè liquet; in quo idem omninò significatur, quod in verbis, in quorum nunc commentatione versamur. *Erit anima eius sospes, & viuens,* id est, ipse viuet. Deinde *incredulus* ille est, qui practicè non credit, id est, qui ad illa præstanda, quæ audiuit, aut credidit, animum non adhibet. Quod explicuit Paulus *ad Hebr. cap. 10.* dum legit iuxta Septuaginta, *Quod si subtraxerit se,* nempe ab eo, quod præceptum est.

Anima pro eo, cuius est anima.

34. Paulus aliter legit. Nam vbi vulgatus, *Non erit recta anima illius in semetipso.* ille habet, *Non placebit animæ meæ.* Septuaginta paulo aliter, *Non placet animæ meæ in eo.* In modo dicendi aliquid est discriminis; in reipsa parum, ponitur enim causa pro effectu. Ex eo enim prouenit, vt homo sibi non placeat, id est, vt plurima illius votis non accidant opportuna, quia ipse Deo non placet, à quo vno secundi rerum euentus sperari possunt.

Iustus autem ex fide sua viuet.] Fides incredulitati opponitur, quæ hoc loco significat affectum credentis, atque obsequentis animi. Vt autem increduli, qui iuxta Prophetarum, imò Dei potiùs monita, Nabuchodonosoris iugo ceruicem subiicere noluerunt, aut mortem subierunt, aut extorres à patria seruitutem ignobilem. Sic qui crediderunt monenti Domino per Prophetas, vitam habuerunt iucundam, & quæ verè posset appellari vitalis. Ex fide itaque viuet, quia credulitas, & obseruantia fecerunt, vt illa declinarent incommoda, quibus alij ab hoste subacti miserandum in modum vexati sunt. Porrò *viuere* ex vulgari etiam loquendi consuetudine, idem est quod lætam agere, & genialem vitam, sine molestia. Sicut contrà ille mori dicitur, cui vita contigit tristis, & angusta. Sic Seneca, 35.

Viuere idẽ quod iucundè agere.

——— *Mortis habet vices,*
Cùm lentis trahitur vita gemitibus.

Contrà ille viuere existimatur, cui nihil accidit aduersum, & omnia suppetunt ad vitam necessaria. De quibus Martialis lib. 6. epigr. 49.

Non est viuere, sed valere vita.

Eodem sensu dixit Dauid Psal. 37. *Ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper. Inimici autem mei viuunt.* id est, læti sunt, & abundantes, & ab omni metu vacui.

Ad hunc locum respexit Apostolus *ad Rom. cap. 1. ad Gal. cap. 3. & ad Heb. cap. 10.* vbi dicit iustum ex fide viuere. 36. Et licèt ibi non de vna tantùm materia loquatur Apostolus, sed in vniuersum de fide: sumpsit tamen argumentum efficax ex verbis Prophetæ, qui ideo Iudæos mulctandos esse dicit morte, vel exilio, quia Deo per Prophetas loquenti habere fidem noluerunt. Quomodo iustus ex fide viuat, & quæ sit illa fides, disputant pluribus Theologi scholastici, quorum hîc percensere, aut explicare placita longum esset opus, & pro nostro instituto non necessarium. Videat qui volet, expositores Pauli, quorum maximè interest hæc disputare diligentiùs, quia ibi etiam Paulus de fide disputat accuratè. Mihi satis erit ostendere, cur ex hoc loco Paulus testimonium, siue argumentum sumpsisse videatur. Nam quemadmodum qui crediderunt Deo, & illius verbis obsecuti sunt, vitam suam ab inimicorum ferro, vel iniuria conseruarunt; alij verò increduli, & suo sensui nimis addicti perierunt: sic qui Deo in aliis credere, & illius imperio parere noluerint, non est cur sibi vitam, aut incolumitatem sperent; illam, inquam, vitam, cui nihil iam à morte timendum est mali.

Illud tamen non omittam, quia tam ex hoc loco Habacuc, quàm ex testimoniis Pauli, quæ sine dubio ab illo desumpsit, tantum hæretici attribuunt fidei, vt nihil præterea necessarium putent ad salutem, non ita vitam à fide nostra pendere, vt non etiam alia sint necessaria, quibus sublatis, mors omninò sequatur, necesse sit. 37. Non liberarentur Iudæi à Chaldæorum ferro, vel exilio, nisi crederent admonenti Deo; quia aliter nunquam ceruicem antea liberam Chaldæorum iugo supposuissent: sed si persuasi sibi omninò esse moriendum, nisi se Chaldæorum potestati traderent, & tamen patriæ, ac libertatis amantes, neque patriam deserere, neque libertatem amittere voluissent, nihil prorsus afferret vtilitatis illa prior, & necessaria credulitas, quia illa infirma fuit, neque id præstitit, quod vitam

Sola fides nõ sufficit ad salutem.

Digitized by Google

vendicare potuit ab interitu. Sic planè infirma est illa fides, neque ad vitam à seipsa satis potens, & efficax, nisi quod fide didicisti, opere exequaris. Procedit quidem animalis vita ex corde, iuxta illud, quod allegoricè legis Prouerb. 4. v. 23. *Omni custodia serua cor tuum, quia ex ipso vita procedit.* Procedit quidem ex corde animantium vita, quia vitæ radix est, & vt primum formatur, & viuit, sic omnium moritur extremum. Tamen si cerebrum, pulmonem, stomachum, & alia tollas, quorum maximè indiget, & in quibus continetur vita, intereat statim animal necesse est. Ita etiam qui iustum dixit ex fide viuere, non exclusit virtutes alias, quæ vitam inducunt, alunt, atque conseruant; qualis est charitas, & spes: maximè quia fides neque otiosa debet esse, nec languida. Sicut neque credulitas illa, cui Deus iustis per Prophetam hoc loco vitam promisit; quæ quidem esset ad vitam prorsus inutilis, nisi à patria deduceret Iudæos, & ad Chaldæorum iugum adegisset.

38. Hîc porrò meminisse oportet, duo in principio capitis optasse, aut etiam petiisse Prophetam; alterum, quod futurum esset de Iudæorum principum in pauperes iniuriis, atque etiam de Nabuchodonosoris crudelitate supplicium. Alterum, quid respondere posset his, qui malè acciperent durum istud oraculum, quod ciuibus cladem, & ciuitati casum, & exitium denunciat; aut qui vana esse putant, & occinunt somniantium commenta, & ex vacuo cerebro meras nugas. Quid euenturum sit tam regi Chaldæorum, quàm ciuitati, aperuit Deus satis explicatè, ac longè toto capite. Quid responderi incredulo, atque infideli populo possit vtiliter, docuit, opinor, his verbis, quæ proximè explicuimus. In quibus paucis exposuit, quantum inesset ponderis, cùm ex illis expectari posset credentium vita, & incredulorum timeri exilium, & mors. Hæc verò his, qui delirum iudicabant Prophetam, & illius voces, vacuos esse, & sine mente sonos, idonea videtur esse responsio, quæ vitam promittit, qua nihil in humanis optabilius est; & mortem minatur, qua nihil homines habent horribilius.

39. Vers. 5. *Et quomodo vinum potantem decipit, sic erit vir superbus, & non decorabitur.*] Hinc iam Deus satisfacere aggreditur Prophetæ votis, & explicat verbis adeò non obscuris, vt quiuis intelligat etiam ex imperito vulgo, quis maneat exitus Chaldæorum regem, qui Iudæorum gentem tam durè, atque superbè conciderer. Hæc autem sunt, quæ in tabulis explanare, id est, latè scribere, atque distinctè iubetur Propheta, ita vt qui legere inceperit, ad finem vsque sine vlla offensione percurrat. Ex quo constat non paucis verbis scriptam esse tabulam; scripsit autem, opinor, quidquid ad finem capitis continetur: quod totum in describendo Babylonis casu, & regis interitu consumitur.

40. Adducit autem similitudinem optimam, qua exprimit, quomodo potentiæ, & felicitatis penè continentis immane pondus sustinere non possit, & quod illi dulce fuit, immoderatè haustum, commouit mentem, deiecit è statu, & ad extremam nuditatem, & ignominiam abiecit. Multa mala secum adducit vinum, siue hominis interna incommoda consideres, siue quæ in temulento aliorum oculi vident, aut cogitatio meditatur, & damnat. De internis ebriosorum incommodis est illud Prouerb. cap. 23. v. 29. *Cui væ?*

Ebrietatis, & vini damna.

A *Cuius patri væ? cui rixæ? cui foueæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? Nónne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis? Ne intuearis vinum, quando flauescit, cùm splenduerit in vitro color eius. Ingreditur blandè, sed in nouissimo mordebit, vt coluber, & sicut regulus venena diffundet.* Quàm verò multa sint, quæ aliorum capiunt, & auersantur oculi; quæ damnant, & execrantur alij, quis non videt? Expressit optimè Lucretius, spectandámque tradidit temulenti ignominiosam, & indecoram speciem.

——————Cùm vini vis penetrauit
Acris, & in venas discessit diditus ardor,
Consequitur grauitas membrorum, præpediuntur
B *Crura vacillanti, tardescit lingua, madet mens,*
Nant oculi, clamor, singultus, iurgia gliscunt.

Accedunt & alia indecora valdè, auditu, spectatúque fœda, obscœna corporis nuditas, & illa naturæ munia, quæ non aliorum aspectum, sed tenebras, & secessum amant. Vnde fit, vt qui hanc vini potestatem subierit, quantumcumque ingenio, sanguine, & rerum omnium abundantia polleat, contemnatur ab omnibus, neque alio habeatur loco, quàm quiuis alius nebulo; imò, vt vulgari vtar ebriosorum conuitio, quàm vter vini plenus.

Hoc idem, quod in ebrioso vinum sine mensura, ac modo, faciunt in homine potestas, & 41.
diuitiæ, quas qui immoderatè acquisiuit, & sine C modo seipsum expleuit, non minus æstuat, ac furit insania, quàm qui bibendo lagenam exsiccauit. Neque minus est difficile à mente non excedere, si eo sis loco, vt ab aliis tanquam diuinum aliquid suspiciaris, quàm si incalescas vino. Multos sanè vidimus, quos commendauit tenuis, atque frugalis vita, quos tamen potentia, atque opes eò deiecerunt, vt fuerint aliis ludibrio, ac fabulæ. Dixit sanè præclarè, quicunque dixit diuitiis homines non superbos solùm, sed etiam fieri dementes, & fatuos.

Potentia, atque superbia idem facit interdum, quod ebrietas.

Est igitur perbella comparatio potentiæ, atque superbiæ cum vino, à quo non est ebrietas 42.
maior, quàm ab inflato spiritu: neque ebrius minùs est decori, atque legitimi memor, quàm D superbus. Quocirca qui rectè sapiunt, non magis ebriosos viles habent, & sordidos, quàm eos, qui vana de se cogitatione tument: à quo non minus absurda, & indecora dicuntur, ac fiunt, quàm ab eo, cui vinum mentis, atque rationis facultatem ademit.

Hoc idem accidit Nabuchodonosori primùm, 43.
deinde illius nepoti Balthasari, qui inflati potentia, & ebrij opibus, atque victoriis nihil sibi non arrogabant. Sanè consilium fuit eius, quem omninò dementauit ebrietas, statuam erigere tantæ molis, cùm tamen imago esset hominis pusilli; ac denique proposito capitis periculo edicere, vt diuinus illi impenderetur honor. Neque E ab alio quàm ab ebrio proferri potuit illud superbum, atque impudens verbum Daniel. cap. 4. v. 27. *Nónne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Cùm tamen multis antè sæculis aliorum opera illa foret ædificata ciuitas. Sed ebrietas illa nudauit regem, & ita deformauit, vt abiiceret ad ferinum cultum, vt inter belluas ageret, fœnum comederet, & cælesti nudus perfunderetur rore. Quid nónne Balthasaris consilium à temulento fuit, qui cùm adesset pro foribus hostis, ipse tamen securus conuiuium instruxit, & vt priùs ab insolenti spiritu ebrius, sic etiam à vino

Chaldæorum reges quid fecerint indecorum, & stultum.

Digitized by Google

à vino temulentus multa fecit regio nomine indigna. Sed statim metaphoricæ ebrietatis pœnas dedit, spoliatus, cùm plenus adhuc esset vino, non imperio solùm, sed etiam vita. A

44. *Calix, vinum, ebrietas pro calamitate.* Hæc mihi potiora; sed fortasse hoc loco vinum, & ebrietas calamitatem ingentem significant, quam à Persarum exercitu subiere Chaldæi. Notum est enim in Scriptura sacra vinum, ebrietatem,& calicem aliquid significare durum. Isaiæ 29.v.9. *Obstupescite, & admiramini, fluctuate, & vacillate: inebriamini, & non à vino: mouemini, & non ab ebrietate.* Et cap.63.v.6. *Inebriaui eos in indignatione mea.* & cap.51. *Audi paupercula ebria, & non à vino.* Ierem. cap.25. v.15. *Sume calicem vini furoris huius de manu mea, & propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te. Et bibent, & turbabuntur à facie gladij.* Plura occurrent in hanc sententiam, quæ non omninò contemnenda est. B

45. *Magnum in potestate & felicitate periculum.* Hîc tu pro moribus obserua periculosum esse aut fortunam aliquam sortitum esse magnam; aut præter cæteros splendere honoribus, aut abundare diuitiis. Magnarum etenim vitium est non succumbere felicitatis, aut dignitatis ponderi, quod humeros exigit planè giganteos; aut non insolescere, & sibi diuinum honorem expetere, aut diuino similem. De quibus Aristoteles lib.4. Ethic. cap.3. *Non est facile sine virtute res moderatè ferre secundas. Atque cùm æqualiter ferre non possint, putántque se cæteris antecellere, illos quidem despiciunt.* Quod docuit optimè Hieronymus ad illud Ezechielis 16. v.49. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia. Superbia (inquit) seminarium est saturitas panum, & rerum omnium abundantia, & otium; propter quas sequitur Dei obliuio, quæ præsentia bona putat esse perpetua; & nunquam sibi necessariis indigendum.* Hæc porrò nota est, qua Deus ab homine secernitur, quare superbus diuinas sibi partes arrogat. Hac certè nota Dauid Psal.15. *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Deinde adducit Hieronymus satis accommodatè illud Prouerb. 30.v.8. *Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi; tribue tantùm victui meo necessaria: ne fortè satiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus.* C D

46. *Infernus pro sepultura, morte, & damnatorũ carcere.* *Qui dilatauit quasi infernus animam suam.*] Alias adducit similitudines, quibus regis Chaldæorum exprimit inexplebilem sitim. Vbi vulgatus *infernus*, Hebr. est שאול *seol*, quod multa significat. Valet etenim sæpe idem quod sepulcrum; sed quia sepulcrum per synecdochen pro morte sumitur, sicut & funus, fit vt non rarò mortem etiam significet. Valet etiam idem quod locus infernus, id est, subterraneus sinus, seu carcer, qui solutas à corporibus animas excipit, & cohibet: quem locum prophani Orcum appellant. Ego quid horum esse statuam, nihil habeo certum; quidquid verò sit, graue est ad explicandam sitim illam ingentem, quam explere non potest quantauis rerum omnium affluentia. Omnibus enim proprium est, vt nunquam exsaturent, sedéntque famem, quam habent semper acutam, & hiantem. Ab initio mundi vorauit mors homines, & adhuc vorat, neque post tot epulas extincta est, ac sedata fames. Vorauit infernus, vorátque quotidie, sed integer adhuc est, & ardens ciborum appetitus. Ego vtrumque arbitror in comparationem adduci, mortem videlicet, & subterraneos sinus. Et huc magis inclinat ille loquendi modus, quem adhibuit Propheta: qui ostendit infernum à morte aliquid esse diuer- E

sum. Quæ comparatio prouerbialis esse videtur apud Hebræos. Prouerb.30.v.16. *Tria sunt insaturabilia, & quartum, quod nunquam dicit, sufficit. Infernus*, &c.

Dilatare animam, aut est dilatare seipsum, & sinus expandere, quasi velit excipere, atque exsorbere omnia; aut certè appetere omnia. Priorem cogitationem probat Scripturæ consuetudo, vbi personam per ipsius animam circumscribit: quare idem est *anima alicuius*, quod *aliquis*; & *anima inferni*, quod *infernus*. Anima præterea desiderium significat. Psal.40.v.30. *Non tradat eum in animam inimicorum eius.* id est, non permittet illorum voluntati. Iob cap. 39. v.1. *Nunquid capies leænæ prædam, & animam catulorum eius implebis.* Et in hac ego cogitatione potiùs animam capio. Quare dilatare animam nihil opinor significare aliud, quàm ad omnia animum, & cupiditatem adiicere. Sumitur autem hoc loco metaphora ab eo, qui magno studio, atque conatu ad rem aliquam captandam enititur: à cane puta, qui aperto, atque hianti rictu leporem insequitur; cuius anima, id est, anhelitus dilatatur, quia ex ea contentione necessarium est, vt creber sit spiritus, & laxatæ fauces. Neque fortasse aliud indicat animæ dilatatio, quàm oris hiatum, per quem expiratur anima, quæ idem est quod spiritus, aut flatus. Vtrumque coniunxit Isaias cap.5.v.14. *Propterea dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum absque vllo termino.* 47. *Anima pro desiderio.*

Est autem superbus, quicunque ille sit, inferno, ac morti quàm simillimus, qui nunquam honoribus, ac diuitiis expletur, semper aliquid abesse queritur quod appetit; neque vnquam habet aut sedatum animum, aut expletam famem. Vsque adeò sinum laxauit, sic æstuat rabida diuitiarum, aut titulorum siti, vt si totus influat Oceanus, extinguere non possit. De Alexandro, qui quòd plures essent mundi, audisset, quos sub suam potestatem venturos non sperabat, dixit Satyricus satyra 10. sic dolere angusta totius mundi possessione, ac si angustis terminis, & quasi circulo quodam concluderetur: tanta erat superbi animi capacitas, tanta dominandi sitis. 48. *Superbia nunquam satiatur honoribus.*

Vnus Pellæo iuueni (Alexandro) *non sufficit orbis.*
Æstuat infelix angusto limite mundi,
Vt Gyaræ clausus scopulis paruáque Seripho.

Aptè ad hunc locum duo ista coniunguntur Psal. 100.v.8. *Superbo oculo, & insatiabili corde, cum hoc non edebam. Oculus autem superbus, oculus sublimis, & oculorum exaltatio* pro superbia sumuntur; quia superbus sublimia semper spectat, & grandia, neque oculos ad humilia demittit. Superbo autem oculo, aut exaltato cordis latitudinem tribuit Salomon Prouerb.21. v.4. *Exaltatio oculorum est dilatatio cordis.* Hac de re optimè, ac sæpe Patres. Pro omnibus vnum accipe Gregorium *lib.15. Mor.cap.12.* vbi docet auaritiam, quæ assidua superbiæ comes est, semper habere inhiantem animam. *Auaritia* (inquit) *desideratis rebus non extinguitur, sed augetur: nam more ignis, cùm ligna, quæ consumat, acceperit, accrescit; & vnde videtur ad momentum flamma comprimi, inde paulo pòst cernitur dilatari.* 49. *Auaritia inexplebilis sitis.*

Et congregabit ad se omnes gentes, & coaceruabit ad se omnes populos.] Accommodatio est similitudinis. Vt enim infernus, & mors omnia congregant, neque aliquod hominum genus, aut ordinem à sua potestate exemptum esse putant: sic 50.

etiam Nabuchodonosor omnes gentes, & linguas ditioni suæ deberi arbitrabatur; atque ideo ad omnium direptionem, & cladem anhelabat. De his vide Iosephum *lib.1. contra Appionem, & lib.10. Antiq. cap.11. in fine.*

51. Vers.6. *Nunquid non omnes isti super eum parabolam sument, & loquelam ænigmatum eius.*] Populi, & gentes, quibus iugum imposuit Babylonicum rex iste superbissimus, vbi iam è sublimi illo statu ignominiosè ceciderit, parabolam assument, id est, prouerbiale conuitium, quod in omnium ore, atque conuentu familiare sit, & frequens. Id verò aut tunc accidit, quando vitam egit syluestrem, & vagam, & victum sibi ferinum, non secùs ac fera, capiebat in montibus: aut certè cùm eius nepos Balthasar cum regno quoque vitam amisit inopinata Persarum irruptione. Neque enim hæc tantùm Nabuchodonosorem designant, sed etiam reges Chaldæorum, quorum imperium non longe pòst interiit. Maximè cùm filiorum dedecus,& interitus ad parentum dedecus, & interitum pertineat; parentum namque gloria in filiorum gloria quodammodo viuit.

52. Quid sit parabola, & ænigma, diximus in nostris Commentariis super Ezechielem ad illud cap. 17. in principio. *Fili hominis propone ænigma,& narra parabolam.* Est autem parabola, vt ibi diximus, obscura quædam sententia, quæ id habet commodi sua obscuritate, vt attentionẽ exciter, & studium acuat indagandæ veritatis, quæ dum maiori enucleatur labore, eo etiam firmiùs infigitur memoriæ, & nescio quid altius expectare nos iubet. Eundem etiam vsum habet ænigma, quæ obscura quædam est allegoria, id est,sententia alienis verbis,idque non obuiis, aut expeditis inclusa; quæ etiam interdum appellatur parabola. Talis fuit illa, quæ in aquila grandi magnarum alarum, quæ ex Libano tulit medullam cedri, aduentum Nabuchodonosoris adumbrat, & Solymitani regis interitum.

Parabola, & ænigma quid, & eorum vsus.

53. *Væ ei, qui multiplicat non sua.*] Hæc est parabola, id est, allegoricum, ac prouerbiale quasi conuitium, quo insultant gentes, & populi Chaldæorum regi, quos ipse per summam crudelitatem, & auaritiam omnibus spoliarat & vitæ subsidiis, & pacis ornamentis. Similis fuit alia parabola apud Isaiam *cap.* 14. quam eidem regi, vt putant interpretum plerique, seu Balthasari nepoti, vt nos ad illum locum putabamus, occinuerunt reges ab illo subacti, quibus ille quasi immortalis esset, & Deorum aliquis videri voluit, & religiosè coli. Illi igitur ab Isaia finguntur iam vita functi occurrere regi iam tunc etiam mortuo, & ad inferos inter turbam aliorum ignobilem detruso verbis insultare procacibus, & amaris. Præcesserat autem v. 4. *Sumes parabolam istam contra regem Babylonis. Quomodo cessauit exactor, quieuit tributum,* &c. Deinde v. 9. *Omnes principes terræ surrexerunt de soliis suis, omnes principes nationum. Vniuersi respondebunt, & dicent tibi: Et tu vulneratus es, sicut & nos: nostri similis effectus es: detracta est ad inferos superbia tua. concidit cadauer tuum.* Quæ parabola longa est, & qua nihil excogitari potest elegantius, & huic nostræ quàm simillima. Sed in eo discrimen est, quia ibi mortuo iam regi insultant manes, id est, mortuorum principum solutæ iam è corporibus animæ; hîc verò Propheta idipsum euenturum esse regi prædicit. Et primùm dolorem illi, & planctum denunciat, qui magnas ex alienis bonis diuitias congregauit.

A Illud enim, *qui multiplicat non sua,* quasi dicat, qui alienis opibus superbos alit fastus.

Vsquequo & aggrauat contra se densum lutum.] Aurum vocarant populi subacti Chaldæorum regem, cùm in aliorum bona tam inuerecundè, ac violenter irruat: nunc stultum appellant, cùm tantum studij, atque operæ ponendum esse putauerit in congerendo argento, atque auro, quod eiusdem est naturæ cum luto: neque ab eo magis differt, quàm quod aurum densum est; lutum verò molle, atque dilutum. Neque viri prudentes, quorum oculis fucatus splendor non illudit, inter lutum, & aurum aliud interesse putant, nisi quòd hoc admirantur, amántque vulgò homines, illúdque conculcant. At viri, quibus data est à Deo altior de rerum natura cognitio, æquè horrent, aut etiam multo magis aurum, quàm lutum, vtpote hominum vitæ, & communibus rationibus nocentissimum. Quod plura hominibus importauit incommoda, quàm pestis,& gladius, aut vlla alia siue à natura oblata, siue ab hominibus inuenta pernicies. Sanè quidam ex prophanis acutè, & verè dixit ferro aurum esse nocentius, & opes malorum irritamenta. 54.

Diuitiæ viles, quæ potiùs impediũt, quàm iuuant.

Dicitur etiam aurum lutum esse densum, atque coactum, non solùm quia vilissimum, & terræ filius, imò terra pallida; sed etiam quia nihil habet firmitatis. Facile enim, si quid ex luto construas, aut aqua diluitur, aut leui dissipatur impulsu. Et illud præterea habet incommodi, quod incessum moratur, neque facilè se exoluit ex eo qui semel incedit, & vt multùm se huc, illúcque conuertat, non tamen effugiet, quominus aliquid secum trahat è luto, quod adhæsit. Ad hunc planè modum qui alienas opes iniustè possidet, difficilè se ab illis extricat; & si ex eo luto emerserit,aliquid tamen sibi plerumque retinet, quia densum est lutum, atque viscosum, vt potius carnem perdas, quàm quod carnibus adhæsit ex luto. 55.

Nulla in diuitiis firmitas.

Gueuara referri luti comparationem putat, non ad vilitatem, sed ad copiam, & multitudinem. Vt enim multitudo cum terræ puluere, & arena maris; sic etiam cum luto conferri solet. Iob *cap.27.v.16.* cùm de eodem fermè argumento loqueretur. *Si comportauerit quasi terram argentum, & sicut lutum præparauerit vestimenta; præparabit quidem, sed iustus vestietur illis, & argentum innocens diuidet.* Itẽ Zacharias cap.9. v.3. *Ædificauit Tyrus munitionem suam, & coaceruauit argentum quasi humũ, & aurũ vt lutum platearum.* Est ita fortasse vt Gueuara coniectat, quia reuerà diuitias vndecunque plurimas conuertunt Chaldæi. Sed illud *densum* aliquid aliud indicat, quasi aurum nihil maius,& pretiosius quàm lutum, si modò densum sit, id est, coactum, non verò solutum, & liquidius. Et non minus frequenter *lutum* pro re vili, ac despicabili, quàm pro rerum multitudine sumitur. Sic accepit Isaias *cap.10. v.6.* & Michæas *cap.7. v.10.* Vterque, *Erit in conculcationem quasi lutum platearum.* Psalm. 17. v.43. *vt lutum platearum delebo eos.* 56.

Vbi vulgatus *densum lutum*, Septuaginta reddiderunt, *Torquem suam grauiter.* Quæ metaphora optimè explicat, quantum alienæ diuitiæ ponderis, atque impedimenti afferant iniusto possessori. Iniicit enim sibi durum iugum, quod ceruicem onerat, & incuruat;& quam putat esse torquem ad honorem, experitur tandem esse la- 57.

Diuitiæ iniusto possessori laqueus sunt, & pondus.

queum

quum ad suspendium. Quare incedit prægrauatus onere, si tamen id aliquando contingat, segniter, & lentè: neque ad cælum se possunt attollere animæ oneratæ auro, quas Satyricus incuruas appellauit, & cælestium inanes. Et si quando tempestas ingruerit, aut subitus casus, ex quo nemo nisi fugiendo queat emergere, premente pondere neque intendet, neque meditabitur fugam. Neque enim ab aureo vinculo leuiùs esse putat exolui, quàm à vita. Porrò ex fluctibus nihilo quis melius enatat oneratus auro, quàm oneratus plumbo, aut denso luto. Quare Iob *cap.21. v.13.* cùm sermonem antè de impiorum diuitum prosperitate fecisset, subdidit, *Et in puncto ad inferna descendunt*, id est, in instanti. Quod si vllo modo fieri potest, non nisi ab infinita grauitate fit. Notum est illud philosophicum placitum, quo maior est grauitas, eo velociorem esse descensum. Ergo vbi tanta grauitas onerat diuites, quid mirum, si in puncto ad infernum descendant deprimente pondere.

58. *Diuitiũ periculum & impedimentum.* Gregorius horum hominum non collo, sed pedibus innectit vincula: quod sanè quàm verissimum est. Qui enim opibus abundant, præsertim si illas congesserunt iniustè (vt qui tenebrarum alligati vinculis ex suo se loco non commouerunt *Sap. cap.17. v.18.*) aut tardum, aut nullum moliuntur gressum; & vt vixerunt aureis illigati compedibus, sic etiam auro alieno constricti moriuntur: neque ex diluuio aquarum multarum, id est, à morte, in portum enatant, sed occisorum morte moriuntur in corde maris. Sic autem Gregorius ad illud Iob cap.18. *Immisit in rete pedem suum, & in maculis eius ambulat.* Vbi licèt de omni peccatore loquatur, omnium tamen optimè, quod dicit, in illum hominem cadit, quem Propheta designat. *Qui pedes* (inquit) *in rete mittit, non, cùm voluerit, eiicit. Sic qui in peccatis se deiicit, & qui in maculis retis ambulat, gressus suos ambulandos implicat. & cùm expedire ad ambulandum nititur, ne ambulet, obligatur.* Væ igitur iterum atque iterum illi, qui auream catenam collo suo, & aureos compedes pedibus iniecit: quid à tyranno grauius, imò quid à dæmone metuat horribilius?

59. Vers.7. *Nunquid non repentè consurgent, qui mordeant te; & suscitabuntur lacerantes te; & eris in rapinam eis.*] Sententia facilis, & accommodatæ metaphoræ. Ostendit Propheta talia passuros esse Chaldæos, qualia ipsi gentibus, ac populis intulerunt incommoda. Vt autem Chaldæi leonum instar, & luporum mordebant, lacerabántque, & animalia, quæ repugnare neque audebant, neque poterant, ad cibum sibi, & catulis seruabant: sic consurgent alij, qui vicem rependant, neque minus lacerent crudeliter, & auidè, quàm ipsi antè fecerunt.

60. **REGVLA.** *Multa denunciata parentibus quæ in posteris completa sunt.* Quia hîc de direptione Babylonis, & de Persarum armis, & extincto imperio sermo est, neque tamen hæc Nabuchodonosore regnante contigerunt, sed anno tertio, ex quo nepos illius Balthasar regnum iniit: obseruare oportet comminationes, aut promissiones multas non in eis, quibus annunciantur, sed in eorum posteris esse completas. Multa prænunciata sunt à Iacob iam moribundo filiis, quæ tamen illi non viderunt, sed illorum filij. Genes.26. dixit Isaac Iacob, *Esto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ.* & tamen Iacob neque fratres habuit, cùm vnus illi frater esset Esau: neque ante ipsum frater incuruatus est, sed ipse contrà supplex fratrem adorauit: quod fecerunt similiter vxores, & filij. Genes.33. v.3. *Et ipse* (Iacob) *progrediens adorauit pronus in terram septies, donec appropinquaret frater eius.* Sed impletum est in filiis Iacob, qui Idumæos, id est, filios Esau, suo sibi imperio subiecerunt. De suppliciis, atque comminationibus eadem est ratio Genes.49. v.7. ait Iacob de Simeone, & Leui, *Diuidam eos in Iacob, & dispergam in Israel.* quod in eorum posteris Dominus impleuit. Neque enim Leuitæ sortem aliquam habuerunt in Israel. Et de Simeone dicitur *Iosue cap.19.* nullum proprium habuisse funiculum, sed de tribu Iuda partem aliquam accepisse. Vide Salmeronem *Proleg. 10. quinquag.1. Can.47.* & Chrysostomum *homil.8. in Matth.* Sic ergo quæ nunc Propheta minatur Nabuchodonosori, partim in eius posteris, imò eorum pleraque completa sunt.

Si verum esset, & non omninò natum ex vacuo Rabbinorum cerebro, quod nos adduximus ex illorum mente, Nabuchodonosorem exhumatum esse à filio ipsius Euilmerodach, & in tercentas partes esse dissectum, & totidem vulturibus traditum, qui aliò, atque aliò auolantes in partes diuersas dissiparunt: non malè hæc verba in illud tempus, & lanienam conuenirent. Nam habuerunt vultures laceratas illas partes regij cadaueris, quas morderent, ferréntque secum tanquam opportunam vulturino stomacho rapinam. Sed quis non videat hoc esse merè somnium, aut delirium vigilantium. 62.

Vers.8. *Quia tu spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes, qui reliqui fuerint de populis.*] Non minùs duras, atque inexorabiles habuerunt Chaldæi gentes alias communium iniuriarum vltrices, quàm ipsi sese aliis, cùm res forent magis secundæ, duros, atque inexorabiles præbuerunt. Quocirca sicut alios omnibus spoliarunt ornamentis, naturæque subsidiis; sic ipsi ornamentis naturæque subsidiis, imò ipsa vita spoliati, & suæ inhumanitatis, & diuinæ vindictæ documentum præbuerunt illustre. Qui reliqui fuerunt de populis, absque dubio Persæ fuerunt, & Medi, & qui cum illis fœderati, aut mercede conducti vires atque consilia coniunxere. Nauarunt quidem Persæ Nabuchodonosori contra Iudæos socialem operam, vt docuit Isaias cap.22. v.6. *Et Ælam* (sic vocantur Persæ) *sumpsit pharetram, currum hominis equitis, & parietem nudauit clypeus* & cap.21. v.2. *Ascende Ælam, obside Mede.* Sed non puto Persas, ac Medos à Chaldæorum regibus vnquam fuisse subactos: vt ex his verbis colligere posse videor; licèt id fortasse aliquando tentauerit. Sanè ita scribit Xenophon *lib.1. Cyropædiæ.* Quod verò Persæ, ac Medi non paruerint sub illud tempus Chaldæorum imperio, docet Herodotus *in Clio*, vbi tradit Crœsum contra Cyrum auxilium à Babylonis petere statuisse. 63.

Propter sanguinem hominis, & iniquitatem terræ ciuitatis.] Hæc causa redditur, cur ex Nabuchodonosor, genteque Chaldæa repetendæ sint pœnæ, quia plurimum effuderunt humani sanguinis. Quod statim additur, *de iniquitate terræ ciuitatis*, explicationem habet dubiam, & incertam: neque enim certum est sumine actiuè possit, an passiuè, id est, an sit terræ Chaldææ, & ciuitatis Babylonicæ, quæ iniquitatem, id est, rapinam intulerunt (vbi enim vulgatus *iniquitatem*, Hebr. est חמס *chamas*, quæ rapinam valet) vel terræ, quæ passa est vim illam, & rapinam iniustam, & Hierosolymæ, & habitatorum eius: quibus Nabu- 64.

chodonosor, & gens Chaldæa extremam attulit vastitatem. Vtraque expositio non difficilis; eò tamen libentiùs inclino, quò omnium penè interpretum incubuit sententia, in *terra* intelligendam esse aut Iudæam, aut alias prouincias, quas Chaldæorum exercitus, quasi flamma quædam vastè, lateque peruasit; & in *ciuitate*, Hierosolymam, ad quam illius cladis pars maxima pertinuit. In quam ego sententiam ideo magis adducor, quia illa non semel causa producitur euersæ ciuitatis, & extincti Chaldæorum imperij, quod Dei populum, & ciuitatem, ac cultum diuino cultui præcipua quadam religione consecratum, & vexauerunt crudelius, & exciderunt hostilius, quàm illis a Deo concessum fuit. Ita sanè Ieremias cap.51. v.11. *Suscitabit Dominus spiritum regum Medorum, & contra Babylonem mens eius, vt perdat eam, quoniam vltio Domini est vltio templi sui. Et reddam Babyloni, & cunctis habitatoribus Chaldææ omne malum suum, quod fecerunt in Sion in oculis vestris, ait Dominus.* Huic Ieremiæ testimonio alia occurrent quàm simillima.

Ierusalem antonomasticè vocata vrbs.

55. Porrò quod per antonomasiam Ierusalem dicatur vrbs, aut ciuitas, sicut inter Latinos Roma, multa persuadent. Primùm, quia in illa summa sunt omnia, siue populi frequentiam consideres, siue illa omnia, quæ in hominum cœtibus commendari solent: vt quòd regia sit sedes, bonarum disciplinarum emporium, religionis antiquum, & quasi naturale domicilium, vt templum habeat totius orbis singulare miraculum; quod denique vnam ex omnibus Dominus elegerit, in qua suum sibi domicilium locaret. Deinde quia de illius gloria, ac pulcritudine illustrissima sunt tum in Scriptura sacra, tum apud profanos scriptores præconia. De sacris satis nos ad illud *Thren. cap.2. v.15.* quod exteri de Hierosolymæ splendore prædicabant. *Haeccine est vrbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ?* De laudibus Ierusalem est totus Psalmus 47. cuius summam continet versus 6. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* Et Cant.6. cùm Salomon sponsæ pulcritudinem, & gloriam explicare vellet, ex Hierosolyma sumpsit similitudinem, & exemplar. *Pulcra es amica mea, suauis, & decora sicut Ierusalem.* Quare optimè Ierusalem appellari potuit *ciuitas terræ*, si distinctionem nullam statuas inter *ciuitatem*, & *terram*; quod fortasse meliùs, quia illa inter omnes ciuitates suo iure ciuitas appellari potuit. Hæc enim quod de sua Roma cecinit Maro,

——*Tantum alias inter caput extulit vrbes,*
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Aut certè hic terra pro illo mundi tractu ponitur, quem ex omnibus Israelitidi genti Deus assignauit; quem nos communiter terram promissionis appellamus. Huius verò terræ absque dubio ciuitas vocari Hierosolyma potuit; quia caput fuit illius, & grauibus etiam ab Abrahami tempore nobilitata prodigiis.

Auaritia domui exitium parat.

56. Vers.9. *Væ qui congregat auaritiam malam domui suæ.*] Adhuc continuatur parabola, & conuiuiale ænigma, quod populi malè vexati occinunt Chaldæorum regi. Significant autem coactas auarè diuitias regiæ domui, reique Chaldaicæ extremam attulisse perniciem: illud enim est auaritiam esse malam domui, id est, pestilentem. Porrò auaritia pro diuitiis sumitur auarè conquisitis per metonymiam, quæ causam adhibet pro effectu. Auaritia namque semper aliquid appetit, & plerumque aliquid adquirit, sed iniustè. Hæc autem sententia frequens est tum apud sacros, tum apud externos scriptores, qui docent, quæ malè sunt parta, aut iniquè comparata, non posse esse admodum diuturna. Sic sanè Eccles. 21. v.9. *Qui ædificat domum suam impendiis alienis, quasi qui colligit lapides suos in hyeme.* Cuius testimonij hic videtur esse non incommodus sensus. Qui alienis, id est, furto sublatis opibus domum ædificat, perinde facit, atque si in hyemali tēpore, cùm maximè est domus necessaria, illam dissolueret, & lapides antè in ædificando ex arte compositos dissiparet, & in aceruos sine vllo prorsus ordine colligeret. Quæ expositio mihi non videtur à litera admodum extorta; sequar tamen libenter communem aliam, quæ censet domum in hyeme constructam non fore diuturnam, cùm eo tempore, vt experientia docet, non benè coagmentetur, solidetúrque constructio. Sed est aptissima
Septuaginta lectio, quam in codice habemus 57.
Complutensi, quæ optimè declarat, quem habeat vsum furto, aut fraude conquisita pecunia. *Qui ædificat domum impendiis alienis, quasi qui colligit lapides ad sui sepulcri tumulum.* Expressit hoc idem Iob *cap.27. v.18.* cùm de impiorum, & violentorū possessionibus ageret. *Ædificauit sicut tinea domum suam, & sicut custos fecit vmbraculum.* Dum in veste domum sibi ædificat tinea, vestem ipsam corrodit, & debilitat, atque adeò destruit; quare non potest domus illa durare diu. Et qui tabernaculum ædificat ad pomorum custodiam, ille quamprimum disiicit, & aliò comportat; neque vsquam apparet hyemali tempore tugurium: sic qui ad domum ædificandam alienas iniustè pecunias congerit, ædificabit quidem non tam domum è firmo lapide, quàm è cespite, atque ramalibus vmbraculum: quod non tam domus est, quàm fictilis quædam effigies simulatæ domus, cuius in hyeme, id est, necessitatis tempore, nullum apparet vel tenue vestigium. Est autem hic domus non tantùm quod propriè sonat, sed etiam familia: quomodo domus Dauid, & domus Israel pro Dauidis, atque Israelis posteritate sumitur. Id agunt auari, atque ambitiosi parentes, vt opibus, ac titulis familiam suam, genúsque nobilitent, faciántque quoad eius fieri potest sempiternum. Sed est omninò fundamentum exile; neque potest conceptam animo molem sustinere, quod ex alieno aut ære, aut sanguine iactum est.

Fur non sibi ex alieno domum, quàm sepulcrum ædificat.

Vt sit in excelso nidus eius, & liberari se putat de 58.
manu mali.] Longè aliter accidet auaris, & rapacibus, quàm ipsi cogitarant: id enim agebant, vt sublimem sibi nidum extruerent in montium iugis, aquilarum superbiam imitati, quò non aspirarent neque inimicorum arma, neque alluuiones, aut tempestates, neque vlla aut cælorum vis tanta, aut terræ violentus motus, qui domus illis excelsæ fundamenta conuelleret. Tentarunt nimirum, quod aggressi sunt illi, qui paulo post generale diluuium turrem excitare tentarunt Babylonicam, aut quod in cælites, vt est in fabulis, moliti sunt gigantes. Hoc, vt dixi, fecerunt homines æquè ambitiosi, ac fatui, vt eum locum obtinerent inter suos, quem inter volucres aquila, quæ illarum existimatur regina. De qua Iob cap.39. v.30. *Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum? In petris manet, in præruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus.* Tutos se putabant Idumæi, quòd in locis habitarent præruptis, & arduis; inde tamen deiecti, atque subacti sunt. Vide

Digitized by Google

Vide quæ nos adduximus ad illud Abdiæ, *Superbia cordis tui extulit te habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum.* Et ad illud Ierem. cap. 49. *Cum exaltaueris sicut aquila nidum tuum inde extraham te.* A

59. Vers. 10. *Cogitasti confusionem domui tuæ.*] Id dicimur velle, licet horreamus & auersemur valdè, quod studium nostrum, atque conatus consecutú est; quia caussam amauimus, vnde illud odiosum, & horribile profectú est: quomodo naufragium ille optare dicitur, qui se committit mari eo maximè tempore, quo timetur tempestas; & suspendium cupere qui incautè exercet latrocinia; spoliari denique, qui thesauros portat in via. Sic quia Nabuchodonosor prædas meditabatur, & cædes, vnde familiæ suæ extrema labes accidit, & manifesta confusio, confusionem cogitasse traditur. B

60. *Et peccauit anima tua.*] Hebr. חוטא נפשך *chote naphschecha.* vbi notandæ sunt duæ doces חוטא quod in terminatione masculina est, & נפשך, quæ generis plerumque fœminei est. Illud autem verbum, pro quo vulgatus transtulit *peccauit*, non solùm peccare significat, id est, sceleratum aliquid admittere, quod labes sit animi, quódque communiter appellatur culpa; sed etiam, vt benè apud Pagninum Mercerus, aberrare à via, vel à scopo deflectere. Deinde *anima*, vt paulo antè diximus, non tantùm significat spiritum, quo viuimus, sed etiam desiderium. Quare cùm illud חוטא sit masculini generis; & in Bennoni, id est, participio temporis præsentis, non malè coniectaret, qui hanc putaret esse sententiam. *Cogitasti confusionem domui tuæ concidendo* (sic enim legendum iuxta Hebraicum textum, qui modum adhibet infinitum) *populos multos; & desiderium tuum, ac studium sic instituendo, vt omnino aberrares à scopo, quem tibi proposuisti.* Et reuerà ita accidit; nam cùm congerendis hinc inde opibus stabile putaret futurum esse regnum, qui cogitationum ipsius erat scopus, aberrauit, quia scopum illum nunquã attigit, imò potiùs omnes suas cogitationes euertit. Porrò *errare* idem esse, quod à via, à recto, ab instituto deflectere, etiam vbi nulla intercedit culpa, nemo nescit. C D

61. Hæc mihi expositio difficilis non est; sed placet magis, quod alij communiter existimant cum Hieronymo, & indicat Pagnini, & Tigurina translatio, tunc cùm populos alios aut vastabat, aut nudabat opibus, in suam animam peccasse: neque enim tam aliis deprædando nocuit, quàm sibiipsi, cùm in suam gentem, atque familiam, pestilentiam, & labem vltimam inuexerit. Illud porrò *anima tua*, pro te ponitur, hoc sensu, peccasti in teipsum. Neque ab hoc sensu aberrat vulgati translatio; dum enim dicit peccasse animam, dicit planè errasse Nabuchodonosorem, & suis omninò periisse consiliis. E

62. Vers. 11. *Quia lapis de pariete clamabit.*] Persequitur, opinor, metaphoram, & de regno, familiáque loquitur, quasi de domo construenda. Et docet nihil esse iniquis artibus congregatum, quod non pugnet, aut clamet contra iniquum, & violentum possessorem. Constat domus lapidibus, & lignis, quæ domum instruunt, atque sustentant: suas quoque trabes, ac marmora habet imperium, ac familia, quæ fulta sunt, & splendent, tum pecuniis, quæ nerui sunt, & fundamenta regnorum; tum maiestate, & titulis, a quibus splendet; atque suspicitur principum potentia. Quia verò hæc omnia Chaldæorum rex per vim acquisiuit, & iniuriam; ideo hæc omnia ipsum impietatis accusabunt, & pœnas exposcent in illius caput.

Sed loquamur, quando ita volunt interpretum plerique, de materiali, aut materiata domo, quam vt construxerunt sibi, aut aliis euerterunt Chaldæi. Sed priùs explorandum, an hic clamare dicantur euersæ aliorum domus, an constructæ ex aliarum rediuiua materia principum iniuria. Hieronymus clamorem esse indicat illarum domorum, quas Chaldæorum excidit auarus, & truculentus furor. *In tantum* (inquit Hieronymus) *debacchatus bacchatus es, vt si dici potest, lapides caementa, & ligna parietum, quos subuertisti, tuam ferociam clament.* Sed est mihi verisimilius de his lignis, atque lapidibus esse sermonem, quæ ablata ex aliorum iam euersis ædibus, ad nouarum constructionem, seu ornamétum comportata sunt, eò magis propendet textus, qui non tam dissipatas trabes, & disturbata saxa, quàm in noua fabrica constituta considerat. 63.

Est autem hic loquendi modus, in quo inanimata clamant, in primis grauis, & vsitatus non solùm apud profanos, sed etiam apud sacros scriptores. Lucæ cap. 19. dixit Christus, si taceant pueri, clamaturos tamen esse lapides: & passim in Psalmis audimus clamare cælos, exultare montes, & diuinas laudes celebrare. 64.

Dicunt quidam ex Hebræis, ex lautis, ac splendidis aliorum domibus detraxisse lapides, ac ligna Chaldæorum regem, illaque ad regiam domum siue extruendam, siue exornandam transtulisse; cùmque in illis fortasse aliqua forent insculpta alienæ nobilitatis emblemata, facilè, quicunque videret, agnosceret illa aut furto fuisse, aut bello sublata. Illud autem clamare de pariete lapidem, idem est atque tyrannicæ esse testem iniuriæ. Est autem valdè in omni literatura frequens, vt rerum inanimatarum imploremus testimonium, aut ipsæ etiam testimonium nobis vltrò perhibeant. Quare dicimus testes esse syluas, saxa, littus, veteres imagines, & illa tandem omnia, vnde sumi potest aliqua coniectura. Hæc quidem optimè; sed fortasse alia significatio est, de qua statim. 65.

Et lignum, quod inter iuncturas ædificiorum est, respondebit.] Hoc vèrbum mihi persuadet, non tam hoc esse lapidum, lignorúmque testimonium, quàm accusationem. Clamabit enim lapis, ac dicet, ego fui olim in illa, vel illa domo alieno labore, atque impendiis exculptus; nunc verò huc translatus sum, & raptoris hominis oculis, atque visibus inseruio. Respondebit huic lignum, & accusatione consentiéte dicet: Et ego in alia domo quondam positum fui, & huc à violento prædatore transportatum sum. Seu extrè dicet vtrumque (nam verba in vtrumque sensum commodè patent.) Ecce pauperum manus poliuerunt, & insculpserunt nos; neque tamen longi, molestique laboris mercedem vllam retulerunt. Quòd speciosi sumus, & affabrè dolati, ab artificum, pauperum videlicet hominum, manibus accepimus: sed dum ambitiosus, & impius in lauta, ac splendenti domo fulget, & suspicitur, alius labore fractus & sordet inopia, & fame, squaleréque consumitur. Est porrò hæc cogitatio ad mores grauissima, contra illos, qui alienis ornantur, & aluntur impendiis. Tot enim habent contra se non testes solùm, sed accusatores, quot habent domi sublata violenter, & callidè pauperum ornamenta, quæ clamant assiduè ad Deum patronum 66.

Opes alienæ contra iniustum possessorem clamant.

Digitized by Google

nem miserorum, & vindicem; & ab illo tandem, quod flagitant, exorant. Quæ sententia grauis est, & à Patribus sæpius vsurpata. Dixit hoc idem Iacobus cap. 5. v. 4. *Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.* Idem habemus Deuter. cap. 24.

67. Quod verò sit lignum inter iuncturas, obscurum est, & multiplex Doctorum cogitatio. Hebr. pro *iuncturis* est כפיס *caphis*, quæ vox tantùm reperitur hoc loco. Quidam lignum esse putant, & quod subditur עץ *ets*, arborem esse credunt, vnde decisum est lignum. Quasi dicas, sicut lapis de pariete, sic etiam lignum sumptum ex arbore clamauit. Hieronymus illud putat esse lignum, quod ad continendos parietes in media structura ponitur, & vulgò apud Græcos vocatur ἱμάντωσις. Sed est adhuc obscurú, quid propriè sit apud Græcos vox illa: sanè apud Latinos funem significat, quo extrema vinciuntur, qualis est calceamentorum corrigia. Potest autem esse lignum inclusum in parietum angulis, quod duos ligat, continétque parietes, aut certè quod duas partes parietis ligat, atque sustentat; qualia sunt illa in cratitio pariete, quem Hispanorum vulgus vocat *tabique*; quæ ex interuallo disposita statu recto fabricam sustinent, quæ commodè possis statumina, aut costas appellare. Hieronymi cogitationi, ac sensui fauent antiquæ translationes, quæ omnes tale lignū σύνδεσμον. id est, *vinculum*, appellant. Quare optimè conuertit Hieronymus, *Lignum, quod inter iuncturas est.* Est autem in hoc ligno, quod occultum est, vtpote in ipsa ædificij constructione conclusum, vis maxima ad amplificationem accusationis illius, quæ perpetuò sonat in impiorum ædibus aduersum habitatorum caput. Nam si occulta ligna, quorum non videbatur audiri posse vox inclusa parietibus, clamant tamen, & audiuntur; quanto magis quæ patent oculis, neque obscurè indicant aut ex alienis esse sublata domibus, aut aliorum dolata, aut composita manibus.

Occulta etiam rapina clamant.

68. Hieronymus duas alias translationes antiquas se vidisse ait, in quarum altera erat, *Lapis de pariete clamabit, quasi vermis de ligno loquens.* Altera, *Lapis de pariete vociferabitur, & σκώληξ de ligno loquetur.* Est autem σκώληξ genus quoddam vermiculi, quod intestinis molestum est. Quæ translationes egregium habent sensum, & ad mores grauem: significant enim neque die, neque nocte intermitti voces, quæ clamant, & accusant possessorem iniustum; sicut vermis, qui lignum corrodit, nocte ac die sonum quendā edit sanè molestum. Qui ergo somnos ducere pacatos poterit, cui obstrepunt assiduè tot accusatorū acutæ, & inimicæ voces? Vt autem ligna alieno tempore succisa tineas alunt, & vermes, qui illa rodunt, & omninò perdunt, quique molesto stridore somnos adimunt, & quietem turbant: sic opes furto, aut vi, id est, immaturo tempore sublatæ tineas secum afferunt, quæ ruinas minantur, & conscientiæ morsus, ac mentis angorem.

Perpetuus contra fures, & violentos clamor.

69. Ex his ego translationibus, maximè si addas Septuaginta versionem, duo mihi colligere posse videor. Alterum est, olim in textu Hebraico non fuisse כפיס *caphis*, sed כפים *caphim*. Alterum, illud כ, saltem in his versionibus non esse radicalem literam, sed valere idem quod *sicut*, aut *quasi*. Neque enim aliter vox erit vlla, quæ vermem significet, quem duæ illæ translationes agnoscunt. Et, nisi ego fallor, Septuaginta etiam translatio, quæ pro verme reddidit scarabæum. פיס enim, cui præponitur כ, non significat vermem, aut σκώληκα, significat autem פים; potuit autem facilè propter formæ similitudinem, ם finale, mutari in ס.

Ex his mihi verisimile est illud כפים *caphim* propriè significare *manus*, aut *palmas*: & ita legisse Symmachum, Theodotionem, & editionem quintá, qui σύνδεσμον cóuerterunt, id est *iuncturas*, aut *vincula*; quos secutus est Hieronymus, cùm reddidit, *Lignum, quod inter iuncturas est.* Quia manus aliquid apprehendit, quasi harpago, aut vncinus sumitur apud Latinos, sicut etiam χεὶρ apud Græcos pro *harpagine*. Sic Lucanus lib. 3. 70.

Manus pro vinculo, aut vncino.

Ferrea dum puppis rapidos manus inserit vncos.

Et Plinius manum vtique ferream instrumentum dicit esse nauale, quo naues ad bellicum congressum conseruntur, ac retinentur, cuius inuentorem dicit esse Anacharsim, *lib. 7. cap. 56.* Huius sæpe meminere Cæsar, & Liuius. Manus præterea dicimus, quibus extremæ librorum tabellæ coniunguntur. Ad horum similitudinem manus etiam appellari possunt trabes illæ, quæ duos parietes coniungunt, & continent, ne alij aliò incumbentes dissoluantur: quæ dici possunt *ligna iunctura*, aut *ligna inter iuncturas*, quia aut ipsa iungunt parietes, aut eo in loco collocantur, vbi parietes duo ex diuerso ad angulos concurrunt. Cui cogitationi, quæ, meo iudicio, vera est, aut certè à veritate non procul aberrat, fauent plurimùm Hebraicæ voces, quæ sic habent כפים מעץ *caphaim meets*, sic enim lego, id est, manus ex ligno, nempe factæ, vt parietes coagmentent, & solident. Neque hoc leue est ad moralem sensum: nam si gemunt domus firmamenta, & quasi nutant, quia ægrè ferunt seruire hominibus, qui alienis opibus fastus alunt ingentes, & iniquos; quid non timeat subitam ruinam, qui in illa domo vitam agit iucundam, & somnos carpit sedatos, & longos?

Septuaginta aliter conuerterunt. *Scarabæus de ligno loquetur*, Græcè κάνθαρος. 71. quæ vox multa significat. Ego nihil aliud esse puto, quam vermē, seu tineam, quæ ligna corrodit. Ita putat Cyrillus, qui paruos esse dicit scarabæos, seu tineas; & Theophylactus: quæ est, meo iudicio explicatio simplicissima, & vera. Alij multa hoc loco meditantur, à quibus ego prudens abstineo.

Vers. 12. *Væ, qui ædificat ciuitatem in sanguinibus,* 72. *& præparat vrbem in iniquitate.*] Iterat sæpius illud *væ*, quod minas continet, & ferale canticum. Cùm in Scriptura multa significet sanguis, vt diximus *ad 3. cap. Nahum, in principio*; hic tamen arbitror eo nomine pauperum præcipuè significari rapinas, quibus Nabuchodonosor ciuitatem aut ædificauit, aut fecit, vt nouis incrementis augesceret. Quam autem Babylonem ornauerit, amplificauerítque, docuit Iosephus *lib. 10. Ant. cap. 11. & lib. 1. contra Appionem.* Vsque adeò verò sibi placebat in ciuitate illa, quam alienis opibus tantopere locupletarat, vt sibi ipse ambitiosè blanditus dixerit Dan. 4. *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei.* Non dubium quin ex multorum cæde magnam collegerit pecuniarum vim; atque ideo dici figuratè posse in sanguinibus ædificatam esse ciuitatem; sed alio sensu credo videri ciuitatem in sanguinibus fuisse constructam. Sanguis enim pro pecunia sumitur, & victu, quibus hominum vita sustentatur. Vt enim sanguis vita vocatur, quia in illo anima

Nabuchodonosor in ornanda Babylone magnificentius.

Digitized by Google

animalis vita continetur, vt habes *Leuit. cap.* 17.v.14. sic etiam subsidia omnia vitæ necessaria sanguis dicuntur, & vita. Quare non solùm qui ferro vitam, sed etiam, qui dolo, aut vi auferunt fratribus suis alimenta, Scriptura sacra viros sanguinum, aut sanguinarios appellat. Neque sanè multùm refert, ferróne aliquem, an inedia conficias: nisi quòd grauior est mors illis, qui fame, quàm qui hostili ferro pereunt. Iuxta illud Thren. cap. 4. v. 9. *Melius fuit occisis gladio, quàm interfectis fame: quoniam isti extabuerunt consumpti à sterilitate terræ.* Et verò Scriptura sanguinarium vocat, & homicidam illum, qui proximum aut defraudat, aut spoliat alimento. Eccli. 34. v. 25. *Panis egentium vita pauperum est: qui defraudat illum, homo sanguinis est. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt.*

Sanguis pro alimento atque opibus.

73. *Et præparat vrbem in iniquitate.*] Expositio est, aut explicatio superioris sententiæ. Ædificauit quidem in sanguinibus, id est, ex aliorum præda, ciuitatem Nabuchodonosor, non solùm vt ornaret, ac splendidã redderet; sed etiam vt aduersùs incursiones hostiles communiret. Illud enim valet *præparare vrbem.* Verbum enim Hebr. כון *cun* confirmare significat, & stabilire. Vnde sæpè in Scriptura *præparo* idem est quod *confirmo*, aut *firmum reddo.* Vide quæ adduximus ad illud Isaiæ cap. 2. *Præparatus mons domus Domini in vertice montium.* Quomodo verò Nabuchodonosor ciuitatẽ præparauerit, munieritque, docuit Iosephus *lib.* 10. *cap.* 11. vbi post alia ciuitatis ornamenta addit, *Auxit etiam, & reparauit antiqua vrbis ædificia, munito etiam fluminis alueo, ita ne hostes eo possent vti ad ciuitatis incommodum. Tres quoque murorum ambitus intra vrbem extruxit, & totidem foris circumdedit, omnibus è coctilibus laterculis.* Præparauit autem vrbem in iniquitate, quia bona eò contulit aliena, spoliatis præsertim, aut interfectis illis, ex quibus videbat opimam posse prædam extorqueri.

Præparo idem quod confirmo.

74. Vers. 13. *Nunquid non hæc sunt à Domino exercituum?*] Aliquid hîc supplendum, quod quidem obscurum non est, nempe dicta, aut decreta, vt alij cum Hieronymo subaudiunt. Illa verò sunt, quæ deinde ad finem vsque capitis producuntur; quæ omnia spectant ad Babylonis, & Babylonici imperij ruinam, & Iudæorum exulum libertatem. Quasi dicat Propheta: Hæc tu meditaris, ô vanissime, atque confidentissime rex, vt amplifices, æternúmque reddas Chaldæorum imperium: at Dominus contrà meditatur, vt illud funditùs euertat.

75. *Laborabunt enim populi in multo igne: & gentes in vacuum, & deficient.*] Si vertisset vulgatus, *in multum ignem*, esset expedita magis expositio; quod sanè salua re grammatica fieri potuit: neque est maior vlla ratio, cur *vacuum*, quod in posteriori parte ponitur, in accusatiuo ponatur, quam *ignis*, cùm vtrique præponatur vox eadem ביד *bede*, quæ *in manum* significat; & si ad verbum interpretere, valet, in manum ignis, & in manum vacuitatis, quod idem est, atque conflagrabunt, & redigentur in nihilum. Et quidem si posterior clausula expolitio est, aut expositio prioris, quod mihi videtur certum, ita omninò dicendum est. Aliter non mihi videretur alienum neque ab historia, neque ab orationis textu, si laborasse dicuntur Babylonij in multo igne, quia coctis laterculis extructi sunt tres murorum ambitus extra vrbem, & totidem intra, vt nuper dicebamus ex Iosepho, quod sine multis fornacibus, vbi coquerentur lateres, fieri non potuit: ibi verò laboris plurimum sumptum oportuit. Sed est sine dubio explicatio prior multo facilior. Neque hic laboro, quòd non constet fuisse Babylonem traditam incendio; cùm ignis figuratè pro vastitate, atque excidio sumatur, quacunque illud ratione contingat: tametsi non dubitem in euertenda Babylone grassatum incendium. Ita Ieremias cap. 51. v. 58. *Murus Babylonis ille latissimus suffossione suffodietur: & portæ eius excelsæ igne comburentur, & labores populorum ad nihilum, & gentium in ignem erunt, & disperibunt.* Quæ verba optimè, quem nunc versamus locum, interpretantur. Lege quæ nos pluribus ad hunc locum in nostris super Ieremiam Commentariis.

Vers. 14. *Quia replebitur terra, vt cognoscat gloriam Domini.*] Quo tempore floruere Babylonij, & afflicta videbatur, & vilis Iudæorum fortuna, insultabant gentes Iudæorum Deo, infirmúmque, atque infidelem prædicabant, quasi non posset, aut certè nollet creditum sibi populum liberare. 76.
Quare sæpè audimus apud Prophetas voluisse Deum propter honorem nominis sui, quod ab aliis contemni, ac violari videbat, ex suorum ceruicibus iugum excutere Babylonicum. Pro omnibus vnum accipe Ezechielem cap. 36. v. 20. *Ingressi sunt ad gentes, ad quas introierunt: & polluerunt nomen sanctum meum, cùm diceretur de eis: Populus Domini iste est, & de terra eius egressi sunt. Et peperci nomini sancto meo, quod polluerat domus Israel in gentibus, ad quas ingressi sunt. Idcirco dices domui Israel: Hæc dicit Dominus Deus: Non propter vos ego faciã domus Israel, sed propter nomen sanctum meum, quod polluistis.* Cùm autem vastata est Babylon, & populus in suas sibi sedes ab exilio, ac seruitute reuersus, omnes latè regiones cognouerunt fidelem esse Deum, atque potentem: imò & ex eo tempore plurimi ad Iudæorum religionem accesserunt, quod antè propter exilij sordes, & ignobile Iudæorum nomen non auderent. De quibus lib. 3. Esdræ cap. 5. v. 50. *Et conuenerunt ibi ex aliis nationibus terræ, & erexerunt sacrarium in loco suo omnes gentes terræ, & offerebant hostias & holocaustomata Domino matutina.* Id nobis indicat Propheta, futurum nẽpe, vt populus, qui ignorarat antè Dominum, deinceps cognoscat, & terra plena priùs ignoratione, postea cognitione diuina repleatur. Vide quæ diximus ad illud Zachariæ cap. 8. *Vsquequò veniant populi, & habitent in ciuitatibus multis.*

Modus loquendi obscurus est, licèt sententia non obscura. Illud *quia* apud Hebræos eleganter ponitur, apud Latinos redundat, vt alibi sæpè, vt probauimus in nostris Commentaris super Ezechielem *cap.* 24. *n.* 31. licèt sententia ea sit, quam dixi, quámque cũ Hieronymo plures alij sequuntur; ea videlicet, quam Isaias priùs explicuerat cap. 11. v. 9. *Quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes.* Tamen aliquid præterea aliud insinuat, venturas nimirum gentes in terram promissionis, vt cognoscant Deum, nempe practicè, & illum adorent, & colant; ea multitudine, vt conferri possint cum aquis maris. Venerunt olim populi ad euertendam Hierosolymam, eo numero vt viderentur aquæ inundantes terram; qua similitudine sæpe vtuntur Prophetæ: sed venient postea non minori numero, sicut aquæ videlicet maris, longè alio consilio atque studio populi, vt Deum cognoscant verum, & illum venerentur. Aquæ maris, aut etiam mare, in magnarum rerum amplificationem adduci solent. Vide quæ diximus ad illud Thren. 2. *Magna* 77.

gna est velut mare contritio tua.

78. Vers. 15. *Væ qui potum dat amico suo, mittens fel suum, & inebrians, vt aspiciat nuditatem eius.*] Obscurus est hic locus, neque parum vexauit doctorum ingenia. Quidam ita planè rem contigisse putant, sicut sonat litera: reges etenim, quæ est illius conditionis regiæ licentia, ex aliorum ignominia, atque pudore voluptatem ipsi & sibi captant, & aliis exhibent. Quare in conuiuiis propinare solent conuiuarum alicui vinum ea ratione conditum, vt mentem illi, atque pudorem excutiant, eóque adigunt, vt ipse sibi vestimenta deponat; aut certè illi nescienti detrahunt, vt illius illudant nuditati, & ex alieno dedecore extremum porrigat, & suo iudicio non insuaue, aut illiberale ferculum. Vsque adeò & illa, & posteriora sæcula omnem profligauerunt verecundiam. Quod vitium vtinam hoc nostro æuo, hoc nomine planè infelici, in nonnullas nationes non irrepsisset. Hoc modo Nabuchodonosor Sedeciæ regi illusisse traditur, quem cùm ad geniale quoddam conuiuium inuitasset, vinum propinauit ita conditum, vt statim illum temulentum reddiderit; & nudatis partibus, quas natura, & pudor reuelari non sinit, lasciuis aliorum oculis irridendum, & contemnendum præbuerit. Egimus de hac Sedeciæ iniuria, & quomodo hæc illi confusio mortem attulerit, in nostris Commentariis super Ieremiam *ad cap. 52. in fine.*

Sedecias à Nabuchodonosor ludibrio habitus.

79. Sed placet magis, quod visum est Hieronymo, in calice tribulationem intelligi, vt nos pluribus ostendimus ad illud Ieremiæ cap. 13. v. 12. *Omnis lagunculа implebitur vino.* & proximè ad v. 5. *Et quomodo vinum potantem decipit.* Et addit ad calamitatem, & acerbitatem plurimum illud, *mittens fel,* in quo significatur dolorum acerbitas. Neque aliud est, opinor, potare, aut inebriare aliquem absynthio, aut aqua fellis, vt pluribus nos ad illud Ieremiæ cap. 8. v. 14. *Et potum dedit nobis aquam fellis.* Potauit itaque Nabuchodonosor amicos, id est, reges, & principes alios, quibuscum fœdus inierat sociale, aut quos fallaci promissione lactauerat, vino felle condito, amaro videlicet, & quod torqueret, ac disrumperet viscera: quia spoliauit bonis, compegit in vincula, ac tandem fecit, vt vitam agerent priuatam, & ignobilem. Id enim fortasse est aspicere illorum nuditatem. His enim verbis, aut similibus explicari solet seruilis, & abiecta conditio. Sic sanè de Ægypto Isai. cap. 20. *Nudam, & discalceatam, discoopertis natibus ad ignominiam Ægypti.* Plura diximus ad illud Isaiæ cap. 3. *Crinem earum nudabit.* & cap. 47. n. 6. ad illud, *Tolle molam, & mole farinam, denuda turpitudinem tuam.* & proximè ad illud Nahum cap. 3. *Reuelabo pudenda tua à facie tua.*

80. Vers. 16. *Repletus es ignominia pro gloria: bibe tu quoque, & consopire.*] Idem Dominus minatur Babylonis poculum, quod ipsi gentibus aliis perfidiosè, & acerbè propinarunt; quo hausto eò etiam adducentur, vt eorum sordes, & nuditatem alij non iniucundè conspiciant, quia quas hauserant antè diuitias, euoment; & seruitutem apud alios subibunt, quam aliis imposuerant: & ex eo gradu, qui in terris censebatur amplissimus, ad statum planè abiectum, & sordidum deuoluentur. Hoc idem, quod nunc Habacuc, dixit etiam Ieremias *cap. 25.* vbi cùm calicem, quem gerebat in manu, regibus omnibus propinaret per manum Nabuchodonosoris, statim addit calicem illum à rege etiam Babylonis esse potan-

A dum v. 26. *Et rex Sesach bibet post eos.* Est autem Sesach idem quod Babylon, vt eo loco docuimus Isai. cap. 47. de Babylone, *Descende, sede in puluere, filia Babylon sede in terra; non est solium filiæ Chaldæorum; quia vltra non vocaberis mollis, & tenera. Tolle molam, & mole farinam: denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum, reuela crura, transi flumina. Reuelabitur ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum.* Illud *consopire,* idem esse puto quod *inebriare.* Nam qui temulentus est, omnes videtur amisisse sensus; saltem ita stupent, & torpent, vt censeri possint excidisse.

81. Fortasse allusum est ad illam consuetudinem, cuius meminimus ad illud Isaiæ cap. 51. *Quæ bibisti de manu Domini calicem iræ eius.* His enim, quibus B iam impenderet capitale supplicium, siue à cruce, siue à laceratione, & rota, vinum propinabatur eo medicamento conditum, vt confirmaret, aut sopiret patientem, ita vt nullam sentiret doloris acerbitatem. Eo consilio datum esse Christo vinum cum felle mixtum, aut myrrhatum vinum, vt sopiret membra, & doloris sensum aut tolleret aut obtunderet. Hoc autem habuisse in mandatis Hebræos, docet Lyra in illud Matth. 27. *Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum.* Vbi hoc relatum esse dicit in librum quendam, qui inscribitur, *Iudicum ordinariorum.* Galatinus *lib. 8. cap. 19.* docet id negotij datum esse honestis quibusdam C fœminis, quæ vltrò morituris medicatū hoc poculum porrigebant. Huc porrò vinū myrrhatum, seu felle mixtum datum esse Christo, idque ab humanitate potius, quàm à sæuitia, ortum tenent Baronius 1. *tom. Annal. anno Christi* 34. Maldonatus *in illum locum Matthæi,* Franciscus Suarez 1. *tomo in 3. p. S. Thomæ disp. 36. sect.* 3. Salmeron *tom. 1. tract.* 35. vbi dicit id Hebræos in mandatis habuisse, vt leuior esset doloris sensus inducto à medicato vino sensuū stupore. Cùm igitur dicit Propheta Babyloni, *Bibe tu quoque, & sopire.* statum indicat Babylonis longè miserrimum; qualis est illorum, qui iam sunt morti destinati, & carnificem iamiam ad futurum expectant: tunc enim D bibunt, & sopiuntur, quæ legitima quædam mortis præparatio est. Ex hac, credo, consuetudine ortum est, vt calix pro morte, aut graui aliqua tribulatione sumatur; quia illorum legitima potio est illorum, qui ferrum, aut suspendium expectant.

Vinum porrigi solitum morte damnatis.

82. *Circumdabit te calix dexteræ Domini.*] Hic varia à variis, quæ longum esset recensere. Duas tantùm explicationes adducam, in quibus plus mihi videtur esse, quod probem. Altera est Hieronymi, & aliorum, qui ab eius sententia recedere non solent; qui ingentia hîc significari putant infortunia, quæ Nabuchodonosorem, & Chaldæorum gentem circundabunt, & obruent. Nam eadem est hoc loco calicis significatio, quæ paulo antea. Quæ sententia mihi omninò vera est. A E manu autem Dei propinatus dicitur ille calix; quia sicut ille tam in Iudæam, quàm in prouincias alias Nabuchodonosorem vindicem inuexit; sic Persarum, atque Medorum vires ad regis interitum, & imperij Babylonici excidium inducet.

83. Altera est Theophylacti, quam alij etiam è recentioribus probant, qui in circundante, aut in circumeunte calice consuetudinem illam agnoscit, quam habuere tum alij populi, tum etiam Hebræi familiarem. Circunducebant etenim in conuiuio calicem vnum, ex quo potabant omnes, quod amicitiæ, ac fidei vinculum quoddam, & symbolum putabatur. Illud autem conuiuium erat

Calix in conuiuiis circumferri solitus.

Digitized by Google

erat inter æquales, aut inter eos, in quibus aut intercedebat, aut intercedere poſſe videbatur neceſſitudo. Atque ideo Nabuchodonoſor nuper potum dediſſe dicitur non tam conditum, quàm corruptum felle amico ſuo. Conſiderat igitur Propheta adhuc in illo conuiuio Dominum, & in eius dextera calicem cum vino, & felle, quem propinauit priùs Iudæis, deinde aliis populis, quos ad nuditatem vſque mente commouit; id eſt, redegit ad nudam, ſordidámque fortunam, qualis in homine ſignificatur nudo, cui ad cætera æſtus, ac frigoris incommoda, accedit etiam à nuditate verecundia; ad extremum Chaldæorum regi, quem ad ebrietatem, & nuditatem potauit.

84. Quòd verò calix circumferatur, & à primo ad extremum conuiuarum perueniat, eſt in Scriptura frequens, & ad illam conſuetudinem alluſiones multæ. Et vel in hac ipſa materia, & aliorum regum, & tandem Nabuchodonoſoris interitu habemus exemplum optimum apud Ieremiam cap. 25. v. 17. *Accepi calicem de manu Domini, & propinaui cunctis gentibus, ad quas miſit me Deus*, &c. v. 26. *Et omnibus regnis terræ, quæ ſuper faciem eius ſunt: & rex Seſach bibet poſt eos.* Huc alluſit idem Thren. 4. v. 21. *Gaude, & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus: ad te quoque perueniet calix: inebriaberis, atque nudaberis.* Pſal. 74. v. 9. *Quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto: & inclinabit ex hoc in hoc; veruntamen fæx eius non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terræ.* Quam conſuetudinem ſeruauit etiam Chriſtus in poſtrema cœna, quæ vocari potuit amicorum, ſeu potiùs charitatis conuiuium, vbi idem omnibus calix propinatus eſt.

85. *Et vomitus ignominiæ ſuper gloriam tuam.*] Vomitus quidam eſt, qui ab ægro prouenit, & nauſeante ſtomacho, qui licèt cum dolore contingat, ab ignominia tamen alienus eſt. Alius contingit ab intemperantia, cùm quis cibo, aut potu magis ſtomachum onerat, quàm ferre poſſit, atque concoquere. Cúmque omnis vomitio turpis ſit, quæ ab immoderata gula prouenit; tamen quæ eſt à vino, longè turpiſſima. Quare vomere ſuper gloriam ſuam, vomitu videlicet ignominiæ, qualis eſt à vino, vel ingluuie, nihil eſt aliud quàm obſcurare gloriam ſuam, quæ nullo modo fulgere poteſt, aut illuſtris videri, ſi illam vomitus è crapula aut attingat, aut afflet. Sicut illud quicquid in cibis, aut ornamentis pretioſum eſt, non poteſt non ad nauſeam eſſe, atque faſtidium graue, ſi vomitu illud fœdari, aut leuiter aſpergi contingat. Porrò quia vomitus ille accidere non ſolet, niſi quis ſupra modum largè potauerit, dum hic ad potum vomitus adiungitur, magnum poculum exhauſtum eſſe ſignificatur; atque adeò multum ſubeundum eſſe ignominiæ, doloris, & infamiæ. Coniunxit ad doloris amplificationem cum vino vomitum Iſaias cap. 19. v. 10. *Errare fecerunt Ægyptum in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius, & vomens.* Et Ierem. cap. 25. v. 27. *Bibite & inebriamini, & vomite, & cadite.*

Vomitus pro turpi abundantia, & ignominia.

86. Verſ. 17. *Quia iniquitas Libani operiet te: & vaſtitas animalium deterrebit eos.*] De Libano ſæpe à nobis variis in locis actum eſt, cuius ſplendor, vbertas, & rerum omnium abundantia fecerunt, vt prouerbiali ſpecie in rerum pulcerrimarum amplificationem adducatur. Sumitur autem figuratè Libanus pro Ieruſalem, vt pluribus oſtendimus in noſtris Commentariis ſuper Ezechielem ad illud cap. 17. *Venit ad Libanum, & tulit medullam cedri.* Sumitur præterea, pro templo, vt multi putant ad illud cap. 11. Zachariæ, *Aperi Libane portas tuas.* Neque ratio deeſt, cur templum Solymitanum vocari poſſit Libanus, cùm ex materia recta, & cæſa illius conſtructum ſit; & quicquid aromatum in eo conſumitur, ex eo præcipuè mõte comportetur. Iniquitas ergo Libani (id eſt, iniuria, ſeu rapina; id enim valet vox Hebr. [illegible] *chamas*, paſſiua videlicet) quàm illi, ô Nabuchodonoſor, intuliſti, opprimet te; quia pœnas ex te repetet Deus eorum, quibus ſiue ciuitatem, ſiue templum non minus auara, atque impia, quàm crudeli, & obſtinata manu perdidiſti.

Et vaſtitas animalium deterrebit eos.] Quid exprimi in animalibus poſſit, incertum eſt. Primùm, quia metaphoricè Ieruſalem, aut templum appellatur Libanus, ſi eandem velis ſeruare metaphoram, animalia dicentur aut ciues, qui Hieroſolymam habitant; aut ſacerdotes, & miniſtri, qui templo, altarique deſeruiunt. Hi ergo vaſtati vaſtabunt Chaldæorum regem, quia illorum clamabit ſanguis, & exorabit à Domino vindictam in eos, à quibus eſt effuſus. Ita Hieronymus, Hugo, Ribera. Alij ex his, qui in Libano templum agnoſcunt, de illis animalibus hæc accipiunt, quæ in templo mactabantur; quaſi Nabuchodonoſor è templo ſacrificia ſuſtulerit. Ita Haymo, Remigius, Dionyſius, & Lyra. 87.

Alij in animalibus Perſas intelligunt, qui duce Cyro ſubiugarunt, ſtrauerúntque Babylonem. Qui animalia meritò vocari poſſunt, quia ferarum inſtar conculcarunt, lacerarúntque omnia. Tunc autem vaſtitas ſumitur actiuè, quia non tam eſt Chaldæorum, qui paſſi ſunt, quàm Perſarum, qui illam intulerant. Ita putant Græci Patres, Theodoretus, Cyrillus, Theophylactus. 88.

Hæc ego ita probo, vt probem non minùs ſententiam aliam, quam indicat nonæ tranſlationes, neque vulgata reſpuit: ita vt animalia ſint ipſi Chaldæi, qui dum alios lacerant, & vaſtant, ſibiipſis vaſtitatem, & exitium pariant. Quem ſenſum ex Hebraico textu non difficile colligo. Illud enim *eos* ab animalibus ſeparari non poteſt: nam in terminatione ponitur fœminea; ſicut etiam apud Hebræos, animalia generis ſunt fœminei. Quare dicendum eſſet vaſtitas animalium (aliis videlicet illata) ipſis animalibus erit terrori. Sententia eſt facilis, & apta textui. Neque illud plurimùm incommodat, quod apud vulgatum *eos* eſt, non *ea*: ſatis enim eſt notum apud Latinos ſpectari non ſemper vocem, aut genus, ſed aliquando ſignificationem. Quomodo dicimus, *vbi eſt ſcelus, qui me perdidit*; quia in ſcelere ſceleratus intelligitur. Et illud, *Pars maxima vulnerati, aut occiſi*; quia in *parte* plurimi ſignificantur milites. Hæc ſententia non diſplicet Riberæ, & mihi omnium maximè placet. Quod ad extremum attinet, *de ſanguinibus*, idem eſt, quod propter ſãguinem; quod apud Latinos non infrequens, quibus illud tritum, *hac de cauſa*, id eſt, propter hanc cauſam: & præpoſitio [illegible] *min* vtrunque valet apud Hebræos. 89.

REGVLA. *Spectatur aliquando non vox aut genus, ſed vocis ſignificatio.*

Verſ. 18. *Quid prodeſt ſculptile, quia ſculpſit illud fictor ſuus conflatile, & imaginem falſam?*] Solent Chaldæi, vt paulo antè dicebamus, exprobrare captiuis, quòd Deum colerent, à quo liberari non potuerint; & ſuis diis aſcribere, quòd eorum auxiliis ſubiugaſſent populos, & nihil vnquam illis cõtigiſſet aduerſum. Hæc credo ſæpe in ore fuiſſe Babyloniis. Nunc ergo ait Deus tunc cognituros eſſe Babylonios, quàm infirmi fuerint illi dij, quos ſuis 90.

Digitized by Google

suis sibi manibus conflauerunt; & quàm errauerit infantiliter ille, qui ab operibus manuu suarum aut sperauit, aut orauit libertatem, & vitam. Hæc omnia obscura non sunt. Cùm Cyrus ciuitatem obsideret, & vrgeret angustiùs, ait Theophylactus ad deos suos, incantationes, & præstigias confugisse Chaldæos, & ideo illorum à Propheta derideri dementiam.

91. Vers. 19. *Væ qui dicit ligno, expergiscere; & surge, lapidi tacenti.*] Duæ istæ voces *expergiscere*, & *surge*, animi sunt solliciti, quem præsentia premunt incommoda, & ab illis optat, atque orat liberari. Tunc enim qui nobis auxilium videntur præstare posse, nisi id faciant, aut dormire existimantur, nisi præsenti nobis auxilio fuerint, aut aliò auertisse animos, neque nostra curare. Sic Dauid *Psal.* 43. licèt alio spiritu, ac sensu, *Exurge, quare obdormis Domine.* id est, quare talem te nobis exhibes, quasi dormites, aut nostra te incommoda lateant. Duo autem videntur à lapide, & ligno postulasse Chaldæi, auxilium in necessitatibus, & in dubiis consilium: neutrum illorum ab inanimata materia sperari potest, quia neque sentiunt, atque ideo neque audire, neque excitari possunt, neque consilium præbere percontantibus, etiamsi illis sensus inesset, cùm nullam habeant loquendi facultatem. Reliqua commentatione non egent.

92. Illud hîc fortasse non abs re, ad quod videtur allusum à Propheta. Moris enim fuit apud Gentiles, vt suos Deos quasi sopori deditos ad certas horas, seu vigilias excitarét; quasi tunc esset orationis tempus, neque soporati excipere possent orantium preces, aut admittere, quæ tunc offerebantur vota, aut immolabantur sacrificia. Quod fortasse spectabat Elias, cùm dixit 3. *Reg.* 18. *v.* 27. ad sacerdotes Baal, *Clamate voce maiori, Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere, aut certè dormit, vt excitetur.* Sanè id Gentilibus esse religiosum, & vsitatum docuit ex nostris Arnobius lib. 7. *Quid sibi volunt excitationes illæ, quas canitis matutini, collatis ad tibiam vocibus? Obdormiscunt enim superi remeare vt ad vigilias debeant.* Ex profanis Apuleius lib. 11. Milesiæ fabulæ, *Inchoatæ lucis salutationibus religiosi primam nunciantes horam perstrepunt.* Nunciantes intelligit diis ipsis, quasi admoneant tempus iam esse euigilandi. Quod clariùs expressit Seneca *lib.* 1. *superst. apud Augustinum lib.* 6. *de Ciuit. cap.* 10. vbi irridet varia ministeria, quæ diis suis præstabat olim delusa gentilitas. *Alius* (inquit) *Ioui nunciat, alius vnctor est, qui vano motu brachiorum imitatur vngentem.* Vide Lipsium 2. *Electorum, cap.* 18.

Dij à Gentilibus excitari soliti.

93. Vers. 20. *Dominus autem templo sancto suo.*] Discrimen statuit inter Deum verum, quem colebant Iudæi, & inter vana, ac ludicra idolorum monstra. Hæc enim eiusmodi sunt, vt neque ab illis sperare quicquam, aut timere possis, non magis quàm à trunco, ac lapide. Primùm, quia Gentilium dij manibus tractantur, & poliuntur

A hominum, & eisdem, quibus homines, locantur sedibus: at Deus altius habitat, quàm vt ab hominibus tangi, aut tractari possit; habitat enim in templo sancto suo. Est autem hoc loco templum idem quod cælum, vt tenet hic Hieronymus, & plures alij, qui ab ipso nisi rarò discedere non solent, & Græci Patres Cyrillus, Theodoretus, Theophylactus. Nam licèt Deus nusquam absit, in cælo tamen esse dicitur, quia illic illustriora præbet sapientiæ suæ, ac potestatis documenta. Cælum verò templum appellari, & sedem Dei, dixit Dauid *Psal.* 10. cui cùm amici consulerent, vt se inimicorum telis, ac furori subduceret, intenta in montes fuga; respondit sperare se

Templum pro cælo.

B in Domino, cui consilia, atque arma inimicorum dissoluere promptum est. Et argumentum sumit, sicut etiam modò Propheta noster, à sede sublimi, nempe cælesti, vnde vibrare potest fulmina ciere tempestates, & quæ maximè videntur firma, momento temporis cuncta disiicere. *Dominus in templo sancto suo, Dominus in cælo sedes eius.* vbi secundum hemistichium prioris explicatio est; & quod priùs templum, statim appellat cælum. Deinde docet, cur à Deo, qui in cælis habitat, sperari possint, & timeri omnia. Quia è cælo *pluet super peccatores laqueos, ignis, & sulphur, & spiritus procellarum.* Quare commodè subditur,

Sileat à facie eius omnis terra.] Duos nobis hæc 94.

C litera sensus offert, vtrumque facilem. Alter est, comprimendam esse impiorum linguam, qui de Deo non solùm liberè, sed etiam inuerecundè loquebantur, dum illum infirmum appellabant, aut infidelem. Quare cùm è cælo tonet, fulminet, atque illas commoueat tempestates, quas neque euitare, neque sustinere quisquam posset, stultus esset, & omninò præceps, qui blasphemam in illum linguam exereret. Alter est, & meo iudicio magis proprius, certè magis communis, timendum, atque obseruandum esse Deum, qui superiorem in cælis locum obtinet. Silentium porrò pro obseruantia sumi pluribus à nobis ostensum est in nostris Commentariis ad illud Ezechielis

Silentium pro reuerentia.

D cap. 27. *Quæ est vt Tyrus, quæ obmutuit in medio maris.* Septuaginta, vbi noster, *sileat*, reddiderunt, *reuereatur.* Est enim silentium reuerentiæ, atque timoris signum. Iob 29. v. 8. *Videbant me iuuenes, & abscondebantur, & senes assurgentes stabant. Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo.* Et de Alexandro terrarum Domino lib. 1. Machab. cap. 1. *Accepit spolia multitudinis gentium: & siluit omnis terra in conspectu eius.* Libet ad extremum addere, quod in Iacobi Liturgia lectores populum his verbis ad timorem, & reuerentiam exhortantur, *Sileat omnis humana, ac mortalis caro, stetque cum metu, ac tremore, ac nihil terrestre apud seipsam cogitet.*

In Missarum sacris silentium indici solitum.

E *Rex enim regnantium, & Dominus dominantium Christus Deus noster progreditur, vt immoletur, ac detur in cibum fidelibus. Ipsum autem antecedunt Angelorum chori cum omni imperio, & potentia.* Hæc de cap. 2.

IN

Digitized by Google

IN CAPVT TERTIVM

ARGVMENTVM.

IN hoc Cantico, quod illustrissimum, ac suauissimum est, mira apparet varietas, quæ multiplices prodit, & amplificat affectus. Quod sic tractat euangelicum tempus, & Christi victorias, vt tamen eorum imaginem in Chaldæorum interitu, & Iudæorum libertate proponat. Quia verò hæc commodè separari non possunt, ideo totius ferme Cantici duas explicationes adhibui; alteram historicam de re Babylonica, atque Iudaica; alteram de Christo, & spirituali libertate mysticam. In Paraphrasi verò historicam tantùm adduxi, quia illa longè difficilior est, & ad mysticam facili negotio accommodari potest. Orat in principio Propheta, vt libertatem, quam suo populo pollicitus est Deus, tempore certo, ac definito præstet. Deinde Chaldæorum aduentum, & consilia describit; & quomodo sic se Deus illis ducem præbebit, sicut olim dux idem & author populum Hebræum ex Ægyptia seruitute eripuit, & in terram promissionis induxit. Quod etiam contra Chaldæos fecit, cùm Persicum conscripsit, ac ductauit exercitum, vt captiuum populum destinato tempore libertati, patriæque restitueret. Cùm autem ex hoc euentu, quem optabat maximè, fidele Dei promissum, & paternam prouidentiam agnosceret, nullum recusat laborem, nullum horret siue naturæ, siue fortunæ naufragium; nihil affirmat sibi futurum esse molestum, dummodo à suo latere Iesus seruator, & vindex non recedat.

CAPVT III.

1. *ORatio Habacuc prophetæ pro ignorantiis.*

2. *Domine audiui auditionem tuam; & timui.*

Domine opus tuum, in medio annorum viuifica illud.

In medio annorum notum facies: cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis.

3. *Deus ab Austro veniet, & sanctus de monte Pharan:*

Operuit cælos gloria eius: & laudis eius plena est terra.

PARAPHRASIS.

A 1. ORatio Habacuc numerosè composita, in qua suam fatetur ignorantiam; & quæ priùs paulo liberiùs dixisse videbatur, retractat, & emendat.

2. Putabam te, Domine, neque de pauperum, neque de Iudæorum iniuriis vlciscendis curare; & ideo liberius, quàm pateretur religio, de tua prouidentia locutus sum. Nunc autem cùm audio qualiter à Chaldæis accipiendi sint, qui pauperũ fortunas exhauriunt; & deinde Chaldæi, à quibus Iudæi grauibus quotidie vexabuntur incommodis, vehementer cohorrui. Quare obsecro, vt definito tempore opus verè tuũ, qui misericors es, cumulatè cõpleas; & populum tuum, qui sepultus videri potest in exilio, oblata libertate viuifices. Noui enim Domine, ingenium tuum, cui ita proprium
B est misereri, vt in summa etiam indignatione misericordiæ recorderis.

3. Eo contra te, ô Hierosolyma, horrore, atque impetu adueniet, agente Deo, Chaldæorum exercitus, quo tempestates, & turbines ab Austro veniunt, & à monte Pharan. Dei verò gloria sic tunc apparebit horribilis, quomodo olim in monte Sinai, quando fulgente, ac fulminante cælo, prodigiis cælestibus terra cohorruit, quam Deus admirandis rerum euentibus impleuit.

Digitized by Google

4. Splendor eius vt lux erit: cornua in manibus eius:

A 4. Sicut antè Deus debellaturus Chananæos, horribilem se præbuit in scintillante nube, & fumante monte: sic etiam cùm eodem splendore, atque habitu debellaturus Iudæorum populum adueniet, inferet in illos manus potentia, & cornibus armatas; Chaldæorum, inquam, manus, in quibus suam fortitudinem, & potentiã abscondet.

5. Ibi abscondita est fortitudo eius: ante faciem eius ibit mors.

Et egredietur diabolus ante pedes eius.

5. Sicut Deus olim ante populum suum crabrones præmisit, mortem, & pestem, diabolum denique, qui ad Chananitidem terram aditum aperiret. Sic etiam antè Chaldæorum faciem mors antecedet, & diabolus, qui omnem ad victoriam aditum expediat, & impedimenta remoueat. B

6. Stetit, & mensus est terram.

Aspexit, & dissoluit Gentes: & contriti sunt montes sæculi.

Incuruati sunt colles mundi, ab itineribus æternitatis eius.

6. Quemadmodum Deus tanquam dux agmen antecessit Israeliticum, donec illi Chananæorum terram subiugaret; tunc verò stetit, & subditam regionem sorte distribuit: sic etiam Chaldæorum antecedet exercitum, & Iudæorum suo arbitratu diuidendam tradet. Et sicut olim suo aspectu Deus Chananæorum dissoluit neruos, & fregit animos: sic etiam cùm infensis oculis Iudæos aspexerit, illorum dissoluet vires, C & ad aduentum Chaldæorum reddet exanimes. Et quod antea fecit, nunc etiam montes, & colles, qui stabilem à constitutione mundi sedem habent, vt aditum Chaldæis expeditum aperiant, à fundamentis concutiet.

7. Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.

7. Propter Æthiopum iniquitatem illorũ euerti tentoria; euerti, inquam, & disturbaui tabernacula Madian. Sic etiam nunc Iudæorum domus, & tabernacula subuertam.

8. Numquid in fluminibus iratus es Domine? aut in fluminibus furor tuus? vel in mari indignatio tua?

Qui ascendes super equos tuos: & quadrigæ tuæ saluatio.

8. Cùm mare, & fluuium aperires, Domine, D neque fluminibus eras infensus, neque in aquas maris inflammabatur furor: sed eò spectabat illa, quæ videri poterat indignatio, vt populi tui libertati, atque commoditati consuleres. Cùm hæc edebas inaudita prodigia, & illustria tuæ virtutis documenta, id agebas, quod strenuus imperator, qui equos, & quadrigas ascendit, quò populum fidei commissum imperatoriæ ab omni periculo præstet incolumem, & suum nomen ab ignominia vindicet.

9. Suscitans suscitabis arcum tuum, iuramenta tribubus quæ locutus es.

9. Age igitur, Domine, & arcum intende, quem videris deposuisse contra tui populi, ac nominis inimicos, & excita iura- E menta, quoniam fidem olim obligasti de tuendo populo, cui huius terræ possessionem olim promisisti.

10. Fluuios scindes terræ: viderunt te, & doluerunt montes; gurges aquarum transiit.

Dedit abyssus vocem suam: altitudo manus suas leuauit.

10. Renoua Domine superiorum temporum memoriam, & talia nunc populo tuo ostende, qualia quondam pro ipsius parentibus edidisti prodigia. Diuisisti olim marinas, & fluuiales vndas. Diuisi sunt, & complanati mõtes: defluxerũt Iordanis inferiores aquæ superioribus à suo fluxu cõpressis,

11. Sol &

Digitized by Google

A & molis ad instar saxeæ quasi stabili aliquo
fundamento firmatis. Tunc verò gurges
diuisus, & abyssus exsiccata, & aquarum
immensa profunditas; dum aliquid, quo tuo
obsequantur imperio, contrarium naturæ
suæ patiuntur, tuam potentiam, quo pos-
sunt modo, & vocum contentione, & ma-
nuum eleuatione commendant, & prædi-
cant.

11. Sol & luna steterunt in habitaculo suo, in luce sagittarum tuarum, ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ.

11. Cælestibus prodigiis olim tuam in
populum tuum beneuolentiam, & adiutri-
cem manum ostendisti. Fecisti enim, vt vi-
ctoriam Israeli præberes multis nominibus
B illustrē, vt sub Iosue duce sol, & luna cursū
inhiberent, vt dies esset longè quàm antea
productior. Vt autē de cælo tonante, ac ful-
gurante aduersùs Sisaram, & ad mare Ru-
brum pugnatum est, & hostes aut occisi,
aut fugati: sic nunc hostes excusso de cælo
fulmine, & exploso tonitru, quæ tibi pro te-
lis, atque sagittis sunt, in fugam vertentur
inimici.

12. In fremitu conculcabis terram: in furore obstupefacies Gentes.

12. Quadrigarum tuarum sonitu, &
horribili fulminum, ac tonitruorum fremi-
tu hostilem regionem conculcabis, & fu-
riosa, ac truculenta specie omnibus genti-
bus stuporem incuties.

13. Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum christo tuo.

Percußisti caput de domo impij: denudasti fundamentum eius vsque ad collum.

C 13. Egredieris, vt populo captiuo salu-
tem, & libertatem afferas, cum Cyro chri-
sto tuo, cuius ad populi libertatem, & Chal-
dæorum exitium manum apprehendes. Et
Babylonis, id est, iniquę domus impium ca-
put, regem videlicet, elides, & à pedibus ad
collum vsque nudum relinques.

14. Maledixisti sceptris eius, capiti bellatorum eius, venientibus vt turbo ad dispergendum me.

Exultatio eorum, sicut eius qui deuorat pauperem in abscondito.

14. Maledices Chaldæorum sceptro, ita
vt infeliciter, & ignominiosè pereat; & bel-
latorum capiti, ita vt animos despondeant,
& vires amittant, neque aliquid illis succe-
dat ex voto. Qui turbinis instar in meos fi-
nes irruperunt, vt meos contribules, quos
D æquè, ac meipsum curo, aliò atque aliò la-
tè ventilarant; qui sic exultabant, quasi iam
accepissent Iudæorum exuuias; neque ma-
gis timebant, quàm si in occulto, ac tene-
bris pauperum diriperent fortunas, quibus
nullus esse poterat in illa nocturna vexa-
tione subsidio.

15. Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.

15. Sicut populo tuo quondam in me-
diis fluctibus aperuisti viam, & limosum al-
ueum ita siccasti, vt in maris, fluuiique
transmissione nihil è cœno calceis adhære-
sceret: sic tuis equis, quibus vltores Persæ
E vehebantur, mari patenti, atque arido ad
liberandos tuos, & debellandos Baby-
lonios, fluminis alueum peruium reddi-
disti.

16. Audiui, & conturbatus est venter meus: à voce contremuerunt labia mea.

Ingrediatur putredo in oßibus meis, & subter me scateat.

16. Sanè cùm audirem quid populo meo
à Chaldæis immineret incommodi, co-
horruerunt mihi viscera. Et labia, ac reli-
qua vocis instrumenta ita contremuere, vt

Vt requiescam in die tribulationis: vt ascendam ad populum accinctum nostrum.

A nihil haberent facultatis ad formandam vocem. Cùm autem accepi quid à Deo de populi libertate decretum sit, & illius fidele promissum, & paternam prouidentiam agnosco, meliori sunt animo, & in summis rerum angustiis erecto, atquo alacri. Quare si tabes adueniat, quæ corpus attenuet, & exulceret, ita vt totus vermibus scateam, feram non solùm patienti, sed etiam libenti animo, dum à tribulatione futura sit requies, & leuatio; & à seruili, timidáque fortuna, eò deducar, vt accingar gladio; quod conditionis est liberalis, & ingenuæ, &, quod ingenuos decet, aliquid strenuum mediter, & moliar.

17. *Ficus enim non florebit: & non erit germen in vineis.*

Mentietur opus oliuæ: & arua non afferent cibum.

Abscindetur de ouili pecus: & non erit armentum in præsepibus.

B 17. Si ficus nullam mihi spem ostendat futuri prouentus; si vineæ florem, & germen aut glaciés excoquat, aut ventus exurat; si labor in oliueto colendo positus expectationem hiantem eludat; si aborsu mortui nascantur fœtus; si ab ouibus caulæ, si præsepia vacent ab armentis.

18. *Ego autem in Domino gaudebo: & exultabo in Deo Iesu meo.*

18. Ego autem vbi omnia naturæ, atque fortunæ commoda defuerint, si Deus, & saluator meus à me steterit, gaudebo, atque exultabo seriò; quia fiducia ex eius fidelitate concepta instar erit mihi rerum omnium, quas sperare posset, aut optare
C humana necessitas.

19. *Deus Dominus fortitudo mea: & ponet pedes meos quasi ceruorum.*

Et super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem.

19. Dominus Deus fortitudo mea est, qui vires dabit ad pugnandum, & ceruorum pedes ad declinandum malum. Qui tandem post exilium longum triumphator, & victor de Chaldæorum potentia in patriam excelsam, vnde nos dura Chaldæorum manus abduxerat, cum festiuo plausu, & triumphali iubilo reducet.

---

1. CAPVT hoc Canticum quoddam est, quod Ecclesiæ antiquissimus vsus satis confirmat, quæ in Canticis numerat, canitque in feria sexta ad laudes, tum ex ipso dicendi
D charactere, qui planè numerosú aliquid sonat, & aptum lyræ. Neque titulus præfigi solet nisi Psalmis; & vox סלה *selah*, quã Septuaginta conuertere διάψαλμα, tantùm in Psalmis reperitur. Est autem Psalmus iste, seu canticum valde difficile, siue singulas consideres partes, siue totius Psalmi continens filum, quod pertexere magni negotij est. Sed est illud longè difficillimum, quia non constat, quódnam sit literale, ac proximum capitis argumentum. Quare id primum a nobis exploratum, & constitutum oportet.

2. Communis est Patrum antiquorum sententia, totum hoc caput esse de Christo, licèt de quo Christi tempore, atque mysterio, non eodem omnes modo sentiant. Ita Cyprianus *lib.2. contra Iudæos, cap.21. & serm. de Passione Domini*. Eusebius *lib.6. de demonstr. cap.15.* Augustinus *lib.18. de Trin. cap.31.* Athanasius *in Synopsi.* Hieronymus, Theodoretus, Cyrillus, Theophylactus, Rupertus, Euthymius, & ex recentioribus alij non pauci. Neque rationes desunt, quæ huic antiquorum sententiæ suffragentur: quarum illa grauissima est; quia ex hoc cantico multa sumpsit Ecclesia ad Christi mysteria celebranda: vt illud de duobus animalibus in quarto Responsorio Natalis Domini, & Responsorio sexto in festo Circuncisionis.

Alij hæc de Iudæorum republica intelligunt, 3.
& libertate è Babylonica seruitute; licèt aliquid, imò & plurimum admisceri puteut eorum, quæ in deserto, postquam populus excessit ex Ægypto, contigerunt. Ex his nonnulli ita hæc historicè de temporibus Babylonicis accipiunt, vt tamen mysticè de Christo, humanique generis salute interpretentur. Hanc primùm ex antiquis Patribus tenent aliqui, quos pro priori sententia paulo antè produximus: nempe Theodoretus, & Theophylactus, qui in fine Commentariorum in hoc Canticum probabile putant historiam esse de libertate à seruitute Babylonica; mysterium verò de Christo seruatore: in quam ipsi sententiam non parum inclinant. Sane Theophylactus, cum

Digitized by Google

cùm dixisset placuisse pluribus Canticum istud de temporibus Babyloniis esse intelligendum, addidit, *Cæterum de his, qui volet pro suo arbitratu iudicet, istud verò cunctis est perspicuū, qui Scripturas locutus est, per omnia omnes iuuare vult, & per ea, quæ historicè dicuntur, & per ea quæ spiritualiter intelliguntur.* Idem penè Theodoretus. Neque Hieronymus alienus est ab hac sententia, qui ab illis verbis, *Maledixisti sceptris eius*, multa de libertate à Babylonico iugo interpretatur; & hunc, cuius Dominus sceptro maledixit, Nabuchodonosorem esse dicit, aut alium inimicum Israelitici populi. Et pugnam, de qua ibidem, illam esse dicit, qua inimici populi à Deo debellati sunt. Denique quicquid reliquum est capitis, de re historicè Babylonica exponit: imò & caput totum historicè de eodem argumento institutum indicat, licèt obscurè. Sic enim in fine, *Hæc vsque ne historiam prætermittere omninò videremur, quodammodo vim fecimus intellectui.* Et clariùs postea ad hæc eadem verba in quæstionibus super Habacuc ait, *Secundùm literam autem intelligimus impium Nabuchodonosor, vel omnes aduersarios, qui venerunt vt turbo, vt dispergerent me, id est, vt subuerterent Israel.* Et vers. 8. illud *in fluminibus iratus es.* & v. 9. *Fluuios scindes terræ.* de Iudæorum populo explicari posse dicit.

4. Sed tenent apertè alij, qui Babylonicam hîc seruitutem, & libertatem agnoscunt, & in ea typicè seruatorem Christum, & spiritualem salutem intelligunt. Ita Hebræorum magistrorum plerique, quorum apud me, maximè vbi de Christo disputatio incidit, leuis est authoritas. Tenet Chaldæus Paraphrastes, Hugo, Lyra, Dionysius, Vatablus, Isidorus, Albertus, Iansenius, & Castrus; & nunc ad extremum Ioannes Mariana *in hunc locum*, & Cosmas Magallanes *lib. 1. in Cant. Moysis n. 108.* vterque è nostra Societate. Quam ego sententiam omnium maximè probo. Neque aliud argumentum necessarium arbitror, quàm quod quæcunque dicuntur, bellè conueniunt in tempus illud Babylonicum; & hoc extremum caput iuxta hanc explicationem cum duobus præcedentibus aptè contexitur.

5. Neque contra hanc explicationem aliquid video, quod admodū premat. Quod enim in Christi Natiuitate Ecclesia aliquid recitet ex hoc Cātico, infirmum est telum. Satis enim omnibus cōpertum est aliquid sæpè non solùm mystico, sed etiam accommodato sensu ad huiusmodi solemnitates adhiberi solitum. Solet namque Ecclesia alienam historiam propter similitudinem ad aliquod traducere mysterium, aut euentum significandum; vbi intelligi solet aliqua similitudo, quæ ibi non exprimitur. Vt illud Ionathæ, & Saulis, quod cecinit Dauid 2. Reg. cap. 1. *In morte quoque non sunt separati*, ad duos Ecclesiæ principes Petrum, & Paulum accommodatum est. Et duas lucernas, & duas oliuas, de quibus Zacharias *cap. 4.* ad duos fratres Ioannem, & Paulum, accommodauit Ecclesia. *Isti* (inquit) *sunt duæ oliuæ, & duo candelabra lucentia ante Dominum.* In Missa vigiliæ Ioannis Baptistæ lectio sumitur ex *cap. 1. Ieremiæ*, quæ tamen tota de Ieremia est. In die item eiusdem ex *cap. 49. Isaiæ*, quæ verba sine dubio de Christo sunt. Et in festis B. Virginis multa dicuntur, quæ in Sapientiam scripta sunt: & in Assumptione ipsius, historia proponitur Marthæ, & Magdalenæ. Quis autem ideo sibi persuadeat illam historiam aut de Ioanne, & Petro, aut de B. Virgine esse intelligendam?

Regvla. Ecclesia sæpe alienam historiā ad mysteria, quæ celebrat, accommodat.

6. Sed adhuc est difficile, an omnia, quæ in Cantico continentur, in captiuitate, ac libertate populi contigerint. Nam plerique horum plurima de illo sumunt tempore, quod filij Israel habuerunt, ex quo egressi ex seruitute Ægyptia, in promissam terram ingressi sunt. Vnde ab exemplo Propheta sumpsit argumentum, vt probaret facilem futurum esse reditum è Babylone; cùm non leuior fuerit seruitus Ægyptia, neque minora in transmissione, & via impedimenta occurrerint. Ego ita sentio, nullum directò fieri sermonem de Ægyptiis temporibus; sed ad illa fieri talem allusionem, qualis fieri solet in re prouerbiali; in qua plerumque allegoria est, quæ historiam aliquam, aut euentum spectat, vnde sumptum est prouerbium. Quomodo si quis mercedem operis, aut in labore aliquid exigat leuamenti, & dicat, *Non alligabis os boui trituranti.* ille nihil cogitaret de boue (sicut etiam cùm Deus præceptum illud tradidit, de quo Paulus, *Nunquid de bobus cura est Deo.*) sed tantùm diceret non esse mercedem negandam laboranti, sicut neque laboranti boui pabulum negatur; atque ideo os capistro non obstruitur, cùm fruges triturantur in area.

7. Quòd multa prouerbiali specie in Scriptura sacra frequenter vsurpentur ex Ægyptia seruitute, ac deinde libertate multis nobilitata prodigiis sumpta, probauimus multis ad illud Zachar. cap. 10. *Et transibit in maris freto.* vbi sermo est de reditu filiorum Israel è Babylone; & tamen omnia verba aliquid sonant Ægyptium. *Et transibit in maris freto, & percutiet in mari fluctus, & confundentur omnia profunda fluminis.* id est, si occurrant impedimenta grauia egressuris è Babylone, quale fuit mare rubrum in egressu ex Ægypto, aut Iordanis in ingressu terræ promissionis, percutiam iterum marinos fluctus, & fluminis fluenta siccabo, & viam ad velocem remigrantium cursum expediam. Hæc eadem, aut his valdè affinia dixit Isaias *cap. 11.* cùm de hoc ipso è Babylone reditu loqueretur. *Desolabit Dominus linguam maris Ægypti, & leuabit manum suam super flumen in fortitudine spiritus sui, & percutiet eum in septem riuis; ita vt transeant cum calceati.* Quid verò prouerbiali hoc dicendi genere exprimere voluerit, subaudita nempe similitudinis nota, statim ostendit, cùm dixit, *Et erit via populo meo, qui relinquetur ab Assyriis, sicut fuit Israel in die illa, qua ascendit de terra Ægypti.*

Regvla. Multa prouerbia ex Ægyptia libertate, ac seruitute sumpta.

8. Quòd autem hîc argumentum non sit sumendum ab exemplo, sed prouerbiali specie res Ægyptiæ sumendæ sint pro rebus Babylonicis oratione figurata, persuadet mihi modus ipse loquēdi: adhibentur enim futura tempora, quæ non benè conueniunt in res Ægyptias, quæ iam dudum præterierunt; bene autem in res Babylonicas, quarum adhuc sperabatur euentus. Licèt enim apud Prophetas non rarò tempus præteritum pro futuro sumatur, futurum sumi pro præterito aut nunquam, aut non nisi perrarò reperitur.

9. Totum autem Canticum in tres partes hac ratione distribuo. In prima Propheta suum timorem ostendit ex diuino sermone conceptum; quia grauia Deus Israelitico populo, grauiora genti Babylonicæ minatus est incommoda. Orat autem vt libertatem, quam captiuo populo promisit, suo tempore præstet. In secunda aduentum describit Chaldæorū, quos Deus in Iudæorum regionem immisit, vt illorum deprimeret insolentes spiritus, & fraudes, atque calumnias in gubernando, atque iudicando mulctaret. Describit autem Deū sic

sic incitatum, atque instructum ad delendam Iudæorum rempublicam, & nomen obscurandum, & quasi ducem in Chaldæorum castris; quemadmodum præfuit olim Hebræis, cùm illos in Chananæorum regionem introduxit. Quibus omnia sustulit impedimenta, quæ aut retardare illorum cursum, aut debilitare possent conatus, & vires. Hic porrò hostilis furor, & habitus contra Iudæos, & Chaldæorum progressus, & perpetuus victoriarum cursus ad versum vsque 12. producitur. Inde incipit conuerti Chaldæorum fortuna, & qui priùs subiugarant prouincias, ex illisque opimas retulerant prædas, illi à Persis, Deo imperatore, atque auspice, suam rempublicam extinctam aspicient; & confecti ferro, aut in seruitutem adducti extremam experientur fortunam. Ad extremum ostendit ex hac Dei fideli promissione nunquam sibi despondendum animum, etiamsi omnia videantur aduersa; cùm videat ex eo statu, quo nihil videbatur accidere posse calamitosius, magisque ad spem libertatis impeditum, emersisse captiuum populum non solùm in patriam, sed etiam in statum, fortunámque priorem, ad quam omnes aditus videbantur obstructi. His vtcumque positis, Cantici huius illustrissimi commentationem aggredior.

10. Vers. 1. *Oratio Habacuc.*] Oratio dicitur, & Canticum. Canticum quidem, quia stylus ipse paulùm se attollit suprà quotidianum, & familiarem, & supra illum, quem Propheta ipse in duobus antea capitibus adhibuit: & materia ipsa valdè est poeticis numeris idonea. Et illud סלה *sela*, quod vulgatus *semper*, & Septuaginta reddidere διάψαλμα, certam in cantando eleuationem, aut mutationem indicat; quod in orationem solutam, & familiarem non aptè cadit. Cur verò dicatur oratio, præter alia plurima, hæc videtur neque aliena, neque inepta ratio, quod orando Propheta orditur, & orando terminare videtur cantilenam. Illa etenim verba, *Domine opus tuum, in medio annorum viuifica illud*, orantis sunt; & extrema non longe absunt à precatione, *Deus Dominus fortitudo mea*.

Hebræorum libri ab initio titulum assumunt. Notum est autem à prioribus verbis, maximè in sacris literis, non solùm capitibus, & titulis, sed libris etiam integris nomen imponi. Quomodo à prima voce liber Genesis dicitur בראשית *beresith*, & liber Exodi ואלה שמות *ve elle semoth*, quia illorum librorum ab illis verbis ducitur exordium; quod in pluribus aliis Scripturæ sacræ libris obseruamus.

11. *Pro ignorantiis.*] Hebr. שגינות *sigionoth*, quam vocem alij *ignorantias*, alij *peccata*, quidam *delicias*, Septuaginta *canticum* exponunt. Huius tituli caussa alia ab aliis adducitur. Quidam nil aliud significari putant, quàm hoc canticum ad illos numeros esse cantandum, ad quod certum aliquod carmen esset cantari solitum; cuius esset initium *sigionoth*, sicut etiam de multorum Psalmorum titulis meditantur. Alii *sigionoth* instrumentum putant esse musicum; cum quo bene conueniret huius cantici rhythmus: atque ideo à Propheta fuisse præscriptum, cui instrumento, quibúsque modulis aptari vellet hoc illustre canticum. Sed placet quod alij putant, hunc titulum aliquid importare magis arcanum & proprium, quique aliquid afferat lucis ad explorandum carminis argumentum. Deducitur autem *sigionoth* à radice שגה *sagah*, quæ errare, & ignorare valet: vnde peccatum, & ignorantiam significat. *Ignorantia pro peccato.* Quare propter vocis communitatem videmus ignorantiam sæpe sumi pro peccato: vt Psal. 25. *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Et in Scriptura millies peccator dicitur stultus, amens, ignarus, cæcus, & insipiens. Neque à peccato, Aristotele teste, abesse potest moralis ignorantia; ille enim omnem peccantem ignorantem appellat. Neque sine caussa omnes ferè antiqui, quos secutus est Hyeronymus, *pro ignorantiis*, transtulerunt.

Sed quid ignorantiis, seu peccatis commune cum cantico? Hieronymus putat agere nunc Prophetam pœnitentiam, quòd ignoranter priùs de Deo aut senserit, aut locutus fuerit. *Est* (inquit) *sensus, quia suprà temerè dixerat: Vsquequo Domine clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, & non saluabis? Ac deinde in secũda querimonia, Quare non respicis super iniqua agentes, & taces, deuorante impio iustiorem se?* Scio aliquibus videri hanc Hieronymi sententiam alienam à Prophetæ sensu, quia hîc non vident quam siue ignorantiam, siue peccatũ fateatur Propheta. Sed ego nullum video huic cantico titulum præfigi potuisse meliorem, quàm qui à Propheta positus, iuxta expositionẽ Hieronymi, qui Hebraicam vocẽ *pro ignorantiis* reddidit: & ignorantias putat, quia de Deo malè cogitasse, aut locutus esse videbatur, cùm illa dixit, quæ proximè à Hieronymo producta sunt. Quod etiã peccatum dici potest, quia etiam quo sensũ paulo antè diximus, ignorantia peccatum est. Pro ignorantiis itaque videtur esse canticum, quia in eo pœnitentia ductus, quòd talia de Deo cogitarit, retractat sentẽtiam, & inducta palinodia fatetur, & commendat in Deo, quod antè ignorans desiderabat. Dixerat, vt vidimus, exultare, & dominari impios; iustos autem à superbis, ac violẽtis opprimi: quare in illo aut paternum animum, aut Domini prouidentiam requirebat. Nunc verò ignorasse se dicit, & errasse omninò; atque ideo prædicat Dei curam, & prouidentiam vigilantem, dũ ait venturum esse Chaldæorum regem diuinæ seueritatis administrum, qui pœnas sumat de Iudæorum crudelitate, & ambitioso fastu; & postea Persarum copias ab imperatore Deo ad Chaldæorum potentiam extinguendam instructas, & ardentes. Hoc retractare est sententiam, & mutare verba; & apertè profiteri in Deo esse prouidentiam, & curam, vt velit; & potentiam, vt possit excitare humiles, & oppressos; & potentes, atque superbos animos deprimere.

Vers. 2. *Domine audiui auditionem tuam, & timui.*] 13.
Hæc est ignorantiæ prima confessio, & quæ summam continet totius ignorantiæ, quam retractat, & damnat. Accusare priùs videbatur Dei, vt ipse putarat, nimis securum, & pacatum animũ in iustorum iniuriis vindicandis: nunc horret, & expauescit, dum audit, quàm durus exitus, & horribilis casus maneat tam Iudæorum principes, qui inferiorem turbam lacerabant, quàm Chaldæorum regẽ, qui pro sua potentia, imò & pro sua libidine in populum captiuum grassabatur; quasi concessũ ipsi foret à Deo quicquid in illius populi fortunas, & vitam colliberet. Quòd autem dicenti Domino crediderit, argumento est, quòd nunc ipsius animum horror inuaserit, qui fere incredulos animos non solet, aut certè nõ nisi leuiter, occupare. Quibus verbis tacitè fatetur esse in Deo fidem in promissis, & vires ad promissa præstanda. Hoc est ergo, quod audiuit Dominus, hoc quod horret, quia iam reipsa completum propheticis oculis intuetur. Septuaginta addiderunt, *Consideraui opera tua, & expaui*, quod in Hebræo non est; sed adhibitum est ab illis claritatis gratia.

Domine

Digitized by

14. *Domine opus tuum, in medio annorum viuifica illud.*] Antequam vulgatam lectionem aggredior, quid Septuaginta aut transtulerint, aut sibi in ea translatione voluerint, expediam. Reddiderunt ipsi, *In medio duorum animalium cognosceris.* Quam lectionem non videtur Ecclesia respuere, cùm illam adhibuerit in quarto respõsorio in Natalitiis Christi feriis; & in festo Circuncisionis responsorio 6. & clariùs in Missa Parasceues in tractu post prophetiam primam. Cur ita verterint, diuinare promptum non est. Vbi vulgatus *annorum*, Hebr. est שנים, quod aliis atque aliis notatum punctis, aut *annos* significat, aut *duo*. Si שָׁנִים *sanim* legas, vt cum vulgato legunt frequentes alij, significantur *anni*: si שְׁנַיִם *senaim*, *duo*. Deinde à radice חיה *chaiah*, quæ viuere significat, deducitur nomen חיה *chaiah*, & aliud plurale nomen חיות *chaioth*, quorum illud vitam, hoc autem *vitas*, vel *animalia* valet. Videntur autem Septuaginta, & vulgatus, atque interpretes alij, codices habuisse diuersos, & ita alij annos, alij animalia transtulisse. Sed adhuc in Septuaginta translatione illorum asseclæ non consentiunt. Quidam enim legunt ζωῶν vltima circumflexa, & exponunt *in medio vitarum*: sic Eusebius *lib.6. demonstr.* Theodoretus, & Theophylactus *hic*. Alij ferme omnes ζώων legũt acuta priori, & explicant, *in medio duorum animalium*. & est verisimilius a Septuaginta fuisse translatum, quando plures ita sentiunt, & ea lectione in quibusdam solemnitatibus vtitur Ecclesia.

15. *Animalia, in quorum medio Christus cognoscitur, quæ.* De illis duobus animalibus varia est interpretum cogitatio. Cyrillus postquam illorum cogitationem improbauit, qui Deum Patrem inter Filium, & Spiritum sanctum cognoscendum esse putant; & ad illam non est difficilis, quæ duo animalia testamentum intelligit vetus, & nouũ. Tandem duo animalia duos existimat esse Cherubinos, qui medium continẽt propitiatorium, id est, Christum. Quasi dicat Propheta (ait Cyrillus) *Cognosceris, ò Domine, quod eris nostrũm similis factus, nempe propitiatorium, vt ex paradigmate, seu exemplari in sancto tabernaculo perspicuè cognosceris. Stas enim in medio duorum animalium, hoc est, Cherubim, & nomen tibi propitiatorium.* Theodoretus aliorum recitat sententias, qui putant duo animalia homines esse, atque Angelos, seu duas naturas diuinæ gloriç vicinas, nempe Cherubim, ac Seraphim; aut certè Iudæos, & Babylonios. Sed quia ipse non tã probat versionem, quæ *animalia*, quàm quæ *vitas* legit; ideo duas intelligit vitas, præsentem, & futuram, quarum medius iudex iustus existet. Augustinus lib. 18. de Ciuit. cap. 32. *In medio* (inquit) *duorum animalium cognosceris. quid est, nisi in medio duorum Testamentorum, aut in medio duorum Latronum, aut in medio Moysi, & Eliæ cum eo in monte sermocinantium.* Hoc postremum de Moyse, & Elia placuit Tertulliano *lib.4. contra Marcionem*. Hieronymus illam de duobus testamentis non improbat, secundam de duobus latronibus dicit valde esse accommodatã ad vulgi opinionem; & addit illam, quam suprà Cyrillus improbauit, quòd in medio Filij, atque Spiritus sancti Pater cognoscatur; & illam, quam probabat Cyrillus de duobus Cherubinis, & propitiatorio; denique illam omnium maximè probat, quæ gentilicum populum, & Iudæum agnoscit in animalibus. *Qui autem* (inquit) *meliùs hoc dicunt, quod in prima Ecclesia, quæ de circuncisione fuit, & de præputio congregata, duobus populis se hinc inde cingentibus, intellectus sit saluator, & creditus.* Theophylactus illa fermè eadem, quæ Theodoretus, & Cyrillus; & plures alias cogitationes esse insinuat, dum ait, *Nonnullas & alias allusiones, à quibus ob saturitatem abstinebimus.*

16. Quando aliis suas cogitationes proferre licuit, & vagari liberè, quia coniecturæ dubiæ, & ad diuersa patent; licebit, credo, etiam nobis, quid occurrat non omninò alienum, in medium adducere. Si pro *animalibus*, *vitas* legas, quod visum est Theodoreto, Eusebio, & Theophylacto, non malè accommodaueris temporibus, quibus, viuente Chaldæorum imperio, vixisse quoque videbatur Chaldæorũ rex: viuere enim ille dicitur, qui fortunatus est, & quietam agit, atque florentem vitam. Inter duas itaque vitas cognitus est Deus iniuriarum vltor, & iudex; quia dum Chaldæorum floreret imperium, illorum viribus vltus est violentiam, & fraudes, quibus à Iudæorum principibus conculcabantur inopes. Hæc fuit altera vita. Altera fuit Cyri Persarum principis, qui tunc florere cępit, quando extinctum est Chaldæorum imperium, & translatum ad Persas. Quo etiam tempore respirare, imò & viuere cœperunt Iudæi, libertatem, imò & vitam consecuti, quam amisisse videbantur. Exules enim mortui dicuntur, & exilium nomen sibi vendicat sepulturæ, apud Ezechielem *cap.37. v.12.*

17. *Chaldæi, & Persæ in animalibus expressi.* Si tamen, vt plerique alij, *animalia* legas, eadem erit, aut non admodum diuersa sententia. Animalibus enim comparatur Chaldæorum rex: modò enim dicitur aquila, *Ezech. cap.17. Ierem. cap. 48. & cap.49. & Habac. cap.1.* Et *Ierem. cap.49.* leo vocatur. *Ecce quasi leo ascendet.* Cyrus item in fero quodam animali apud Danielem adumbratur, in ariete videlicet bicorni. Inter hæc igitur animalia duo cognitus est Deus, quia hoc tempore suam ostendit fidem, iustitiam, & potentiam in deprimendis superbis, & exaltanda exagitata, ac sordida pauperum fortuna.

18. *Item duo reges Persarũ & Medorum.* Sed credo esse magis ad rem, atque Prophetæ votum, si in duobus animalibus, duos Persarum, ac Medorum reges intelligas, qui oppressorum Chaldæorum potentiam, & captiuum populum iam excusso seruitutis iugo, libertati, & patriæ reddiderunt. Sanè in his duobus duo item animalia videbat Isaias *cap.21. v.9.* Nam cùm duos Persici, ac Medici exercitus imperatores videret, qui contra Babylonios militarem incessum moliebantur, duo animalia vidisse se affirmat. *Et vidit (nempe speculator Isaias) currum duorum equitum, ascensorem asini, & ascensorem cameli, & contemplatus est diligenter multo intuitu.* Vide quæ nos in eum locum pluribus.

19. *Cyrus cur dictus animal biforme.* Seu etiam, vt eodem loco probabile putabamus, in duobus animalibus vnus Cyrus exprimitur, qui cùm ex Persis, ac Medis genus duceret, ab his maternum, paternum ab illis, duas in se animalium formas continebat; sicut animalia, quæ ex diuersorum generum commixtione formantur. Qualis in fabulis Minotaurus fuit, & in rerum natura sunt lycisce, quæ ex cane, & lupo; & muli, qui ex equo, & asino; & hybrides, quæ ex apro, & sue domestica, ac cicure generantur; *Animalia biformia, quæ.* vnde sumpsere nomen, qui ex diuerso semine, aut valde dispare coaluerunt, quos Hispani *mestizos* vocant. Et verò Cyrus mulus eam ob caussam dicebatur, quia natus è Persico satu, Medicóque conceptu. Quare cùm oraculum accepissent, Babylonem tamdiu duraturam, dum regnaret mulus, cùm nunquam illud futurum esse crederent, æternam putabant. Hoc idem prædixit Nabuchodonosor, vbi ad mentem, & regnum est reuersus, vt tradit Eusebius *lib.9. de præpar.*

Euangel. cap. vlt. ex Alphæo scriptore Græco, qui etiam in illam sententiam Megalthenem citat. *Futuram (inquit) vobis, ô Babylonij, calamitatem prænuncio, quam nec Belus ipse, nec vlla vis deorum auertet. Veniet Persa mulus, qui vobis afferat seruitutem.* Licet autem Deus in Cyro esset absconditus, qui in eo, seu per eum, cuius apprehenderat manum, Chaldæos euertisset, liberasset Iudæos; de quo Isaias cap. 45. v. 15. *Verè tu es Deus absconditus,* Tamen in Cyro Deum agnouit Isaias, dum populi libertatem non Cyro, sed Domino reddit acceptam; vt nos ad eum locum pluribus.

Christus cur inter duo animalia natus fingatur.

20. Ex hoc, opinor, loco occasionem sumpsit Christiana pietas, vt Christum existimaret inter animalia duo fuisse natum, idque ab vltima vsque memoria pictura testatum esse voluerit. Vnde id sumpserit, ego non video, nisi ex traditione, quæ magnæ cuiusdam authoritatis pondus habet; imò quæ publica videtur, & communis authoritas. Certè ex hoc loco vis est admodum infirma, & leue fundamentum; nam, vt vides, nemo veterum Patrum, aut interpretum Habacuc, meminerunt bouis, & asini, inter quos Christus natus esse dicitur; sed duorum Cherubinorum, vtriusque Testamenti, duorum latronum, Moysis, & Eliæ, populi gentilici, ac Iudaici, & aliorum omnium magis quàm bouis, & asini. Neque plus facit ad huius sententiæ fundamentum illud Isaiæ *cap. 1.* quod in hanc sententiam adduci solet. *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui.* Aliam enim esse sententiam nemo non videt; vt videre apud interpretes omnes promptum est. Et si qui sunt, qui in Christi natali huius Isaiæ loci, & illius Habacuc meminere, qui pauci non sunt, id sanè faciunt accommodato, non proprio, ac literali sensu. Augustinus *contra Iudæos cap. 13.* Ambr. *lib. 2. in Lucam c. 2.* Origenes *ibid. homil. 13.* Gregor. Nazianzenus *oratione de Christi Natiuitate.* Hieronymus *in epitaphio Paulæ cap. 4.*

Christus natus inter illos animalia.

21. Ego quid de ea re sentiam, paucis expediam; alij agunt fusiùs, quia id exigit illorum institutum. Puto igitur verum esse, inter duo animalia fuisse prima Christi nascentis incunabula; cum nimirum iaceret in præsepi. Cui cogitationi satis affert fidei antiqua traditio, quæ, vt dixi, publicæ authoritatis momentum habet. Neque antiquissima, communisque pictura tamdiu inueterasset in Ecclesia, nisi causa fuisset grauis, & illa primis Euangelij temporibus explorata. Neque ad coniectandum momentum habet leue, quod hoc in Christi Natalitiis canit Ecclesia. Neque desunt ex antiquis Patribus, qui id apertè doceant. Tenet Cyrillus Hierosolymitanus Cateches. 12. *Audistis (inquit) Habacuc dicentem ad Dominum, cùm appropinquabunt gentes, agnosceris. Et quod signum est, ô Propheta, venturi Domini. Ille autem dicit deinde, in medio duorum animalium cognosceris; hoc ad Dominum dicens manifestè.* Gregor. Nys. orat. de Natiuitate. *Medium in præsepi se inter bouem, & asinum vtriusque Dominus locat, vt medium parietem maceriæ soluens duos condat in semetipso in vnum nouum hominem: ab altero graue legis iugum eripiens, alterum simulacrorum cultus onere liberans.* Idem Chrysologus *serm. 156.* Paulinus *epist. 11. ad Seuerum.* Ad extremum Hormisda epist. 1. decretali sic de Christo. *Iacens in præsepio videbatur in cælo; inuolutus pannis adorabatur à Magis; inter animalia editus ab Angelis nunciatur.*

Duo animalia vnde adducta.

22. Hic quærunt aliqui, vnde in illum locum adducti bos, & asinus. Sunt qui adductos esse putant a Iosepho. In his sunt duo viri maximè pij, Bonauentura, & Vincentius, & Magister historiæ scholasticæ. Addit Lyra asino vectam esse B. Virginem; bouem autem ideo asportatum à Iosepho, vt ex eius pretio alimentum, & ad viam necessaria pararet. Chrysosthomus *homil. de Natiuitate*, nullum putat sanctos illos peregrinos habuisse iumentum, sed pedibus totum illud spatium confecisse, & multo minùs seruum, & ancillam. Verisimilius est in illo animalium diuersorio inuentum esse bouem, & asinum, quos alius ibi fortè reliquerat, stabuli videlicet dominus, aut pauper aliquis, qui locum illum vacuum nactus est. Hæc de Septuaginta translatione, in qua paulo diutiùs commoratus sum, quia locus est illustris, & rei in Ecclesia maxime celebratæ, vt nonnulli existimant, non leue fundamentum. Nunc ad vulgatam translationem accedo.

Domine opus tuum, in medio annorum viuifica illud.] 23.
In primis obseruo nomē *illud* in Latino textu redundare; cùm tamen illud loquendi modum admittat, & probet Hebraica proprietas. Quod verò sit illud opus, quod vt viuificetur, orat Propheta, obscurum est. Neque nunc agimus de mystico, aut allegorico sensu, de quo statim; sed de historico, de re nimirum Babylonica, & libertate populi captiui. Opus illud, si ad Babylonios referas, supplicium est illud, quod de eorum inclementia barbara sumpsit Deus: nisi mauis illud intelligere suppliciū, quod per Chaldæorum manus vltori Domino dependerunt Iudæi. Nam vtrumque optabat priùs Habacuc, qui dolebat viros iustos, & inopes spoliari, atque opprimi ab his, qui inter Iudæos publicam sustinebant personam, & miserorum causas tueri debuerant: & gentem Iudæam à Chaldæis, qui nihilo videbantur esse meliores, supra quàm humanitas, & ratio patiebatur, durè vexari. Atque ideo tam in hos, quàm in illos seueram Dei & vindicem manum sollicitabat. Et quidem opus Dei sumi aliquando pro suppliciis, ostēdimus ad illud Isaiæ cap. 5. *Et opus Domini non respicitis.* Agebat tunc Isaias contra Iudæos, qui genialibus se conuiuiis oblectabant, vbi citharæ, ac tympani audiebatur lasciuus sonus; neque putabant, quid sibi propediem ab irato Deo calamitatis impenderet. Quod constat multo clariùs ex eo, quod paulo pòst dixerunt, quasi insanire existimarent Prophetas, & illorum minas vacuos esse, & sine mente sonitus. *Festinet, & citò veniat opus,* id est, exitium, & clades, quorum denunciatione concutiebant Prophetæ proteruos, & confidentes animos. Iuxta hanc expositionem orare videtur Propheta, vt hoc supplicium, quod aut somno, aut morte sepultum esse videri potest, cùm tamdiu cesset, exsuscitet, aut viuificet, ne impunita sit impiorum hominum dira crudelitas, & auaritia; & tandem minarum, quæ vanæ existimantur, pondus appareat.

Sed credo hîc aliquid aliud sibi velle *opus*, quod 24.
licèt ad alia plura pateat, opus tamen Dei illud plerunque dicitur, quod à clementia, & lenitate ducitur, cui nimirum proprium est misereri semper, & parcere. Sanè si quando Deus in aliquem animum imbibit hostilem, & pœnis excruciat, licèt non indebitis, aliquid dicitur tentare alienum à seipso, cuius ingenium liberale est, mitis natura, & ad veniam prona. Isai. cap. 28. v. 21. *Sicut in valle, quæ est in Gabaon, irascetur, vt faciat opus suum, alienum opus eius: vt operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo.* Vide quæ nos in illum locum.

Opus igitur erit populi libertas. Cùm autem 25.
exules

exules mortui dicantur, & exilium ſepulcrum, vt paulo antè dicebamus ex Ezechiele *cap.*37. optimè ſubdidit Propheta, *viuifica illud*; quod in illud propriè conuenit, quod mortuum eſt, & ad vitam reuocari iubetur, aut exigitur. Sed quia non aliter reuocandus erat populus ad libertatem, ſeu ad ciuilem vitam, niſi extincto Chaldæorum imperio, & Nabuchodonoſoris progenie (vt Ieremias docuit *cap.*27.*v.*7. vbi idem tempus imperij Babylonici termino, & Iudæorum libertati conſignatum eſt) ideo etiam orat Deum Propheta, vt opus ſuum compleat, & potentiam euertat Babylonicam, quando aliter viuificari non poteſt, id eſt, ſolutus eſſe, ac liber Iudæorum populus. Hoc autem eſt viuificare opus ſuum. Opus verò Dei vocatur populus ille, quem Deus elegit ſibi ex omnibus, inſtituit legibus, ornauit ſingularibus, & penè perpetuis beneficiis, & certo charactere à reliqua hominum turba diſtinxit. Ita vocat Iſaias cap.45.v.11. *Hæc dicit Dominus ſanctus Iſrael plaſtes eius. Ventura interrogate me ſuper filios meos, & ſuper opus manuum mearum.* Quare opus ſuum viuificat Deus, cùm opus ſuum eximit ſeruituti, id eſt, ciuili morti.

26. *In medio annorum.*] Hic varij ſunt authores, neque omnium referre ſententias magnum habet impenſi laboris pretium. Duas tantùm adducam. Et primùm obſeruo, vt alibi à me ſæpiùs dictum eſt, *medium*, maximè vbi præpoſitionem habet adiunctam, apud Latinos habere nullum vſum; ſed *medium* cum præpoſitione nil ſignificare amplius, quàm ſola præpoſitio. Quare idem eſt *in medio populi, in medio terræ*, quod *in populo, & in terra*; *de medio gregis*, quod *de grege*. Quare *in medio annorum* nil erat aliud quàm *in annis*.

27. His poſitis, ſententia prior eſt, vt oret Propheta, quando recuſari non poteſt, quin ad ſeptuageſimum protrahatur Iudæorum exilium; vt eo ſaltem tempore ne ſic ab hoſte barbaro iactari permittat, vt non aliquando recreentur, confirmentúrque, ne deſperatione concidat animus, aut dolori, aut multiplici tentationi ſuccumbat. Quæ quidem pia eſt, & Deo non ingrata poſtulatio: cui Deus ipſe annuiſſe videtur, cùm Prophetas dedit, cùm maximè ferueret perſecutio; quales fuere Daniel, Ezechiel, Zacharias, Aggæus, & ex ſuo genere principes, qui ſua authoritate, & nomine exules tuerentur ab iniuria; quales fuerunt Daniel, & tres alij adoleſcentes, Ananias, Azarias, Miſael, quos, vt habemus *Dan. cap.*2. *v.*48. grauiſſimis rebus adminiſtrandis præfecit. *Tunc rex Danielem in ſublime extulit, & munera multa, & magna dedit ei: & conſtituit eum principem ſuper omnes prouincias Babylonis, & præfectum magiſtratuum ſuper omnes ſapientes Babylonis. Daniel autem poſtulauit à rege, & conſtituit ſuper opera prouinciæ Babylonis Sidrach, Miſach, & Abdenago; ipſe autem Daniel erat in foribus regis.* Et cùm iam ab Aman extrema, atque vniuerſa clades immineret Iudæorum populo, excitauit ad regium nomen Eſther ex Iudæorum ſemine, & Mardochæum ad dignitatem, & locum regio proximum promouit, cuius authoritate fracta fuit inimicorum potentia, & ornata, atque amplificata Iudæorum fortuna. Hæc mihi ſententia grauis eſt, & Prophetæ verbis, & hiſtoriæ veritati conſentiens. Hanc tenent ex Hebræis Rabbi Dauid; ex noſtris Vatablus, & Ianſenius.

28. Alij in annis tempus à Deo definitum intelligunt: quod quia Propheta, an conditionatum ſit, vel abſolutum ab omni conditione, neſcit, orat,

A vt illius temporis, atque promiſſi memor, opus ſuum viuificet, id eſt, euocet ad lucem, & quaſi ad vitam: nam interim donec non completur, quaſi mortuum cenſetur, & obliuione ſepultum. Ita Hieronymus, Burgenſis, Titelmanus, Montanus, & Ribera, Remigius, Haymo. Solet autem in ſpatio temporis, cùm illius pars nulla deſignatur, illius plenitudo, ſeu complementum intelligi. Ita putat Auguſtinus *de Ciuit. lib.*16. *cap.*24. vbi ait commorationem filiorum Iſrael in Ægypto dici 400. annorum; non quia in Ægypto totum illud tempus poſuerint, ſed quia ibi quater centum annorum ſpatium completum eſt, à promiſſione facta Abrahæ terræ Chanaam. Qui ad huius ſententiæ confirmationem exemplum adducit ex *cap.*11. *Geneſ.* iuxta verſionem Septuaginta.
B *Et fuerunt dies Thare in Charram* 205. *anni*; non quia in Charram omnes conſumpti, ſed quia fuerunt ibi completi. Neque alio ſenſu *Iudic.*14. dicitur Samſonis ſponſa ſeptem fleuiſſe conuiuij dies, cùm tamen ſub finem tantum hebdomadis fleuiſſe dicatur, *ibid.v.*15. niſi quòd eo tempore fleuit, quo ſeptem conuiuij dies impleti ſunt. Ad hunc modum opinor dici in medio annorum, id eſt, in annis, id eſt, in annorum plenitudine viuificandum opus Domini, eo ſenſu, quem adduximus ſuprà.

REGVLA. *Toto aliquo tempore dicitur aliquid factū, quod temporis numerum, aut menſurā impleuit.*

29. *Viuifica illud.*] Mori dicitur id, quod in eo ſtatu eſt, vt parum habeat viriditatis, & ſplendoris, quod aut iam amiſit, cùm haberet, aut nunquam
C acquiſiuit; quomodo mortuæ vocantur arbores in autumno, aut hyeme, quia illam venuſtatem amiſere, quam habuerunt à foliorum luxuria, & florum vbertate. Sic à Iuda *v.*12. quædam arbores dicuntur autumnales bis mortuæ. Et moriens à Poeta dicitur herba, quæ ſiti aret. Mortua imago dicitur, cuius diluti ſunt colores, & forma nondum ad viuum expreſſa. Quare qui inductis viuis faceret, vt virerent herbæ, aut fronderent arbores, aut imagini viuidos induceret colores, & aboleret, aut obliteraret marcentes, & flaccidos, viuificare diceretur colores, & imaginem, & vitam plantis reddere, quam amiſiſſe videbantur. Et quidem imagines ſuis abſolutæ numeris, & quæ optimè referunt alicuius formam, viuere
D dicuntur. Virgilius lib.6. Æneidos.

Mortua dicuntur, quæ languent, aut quæ vigorem amiſerunt.

Excudent alij ſpirantia molliùs æra,
Credo equidem, viuos ducent de marmore vultus.

Et de lacerta expreſſa ad viuum ex argento dixit Martialis lib.5. epigram.88.

Inſerta phialæ Mentoris manu ducta
Lacerta viuit, & timetur argentum.

His omnibus comparantur miſeri, in quibus aut exhauſto corpore, aut colore emarcido aridi ligni ſpecies apparet; aut imago animati cadaueris, in quibus obſcura quædam apparent lineamenta vitæ, potius quàm vitæ ſpiritus. Erat quidem Iechonias captiuus Babylone inſtar aridi ligni, à quo neque viror expectabatur, neque fructus; de hoc tamen dixit Ezech. cap.17. *Frondere* 30.
E *feci lignum aridum.* In Iudæis captiuis nulla apparebat antiquæ gloriæ, ac dignitatis effigies; cùm ita eſſet mutatus color optimus, ſic defloruiſſet dignitas oris, vt neque in plateis ab illis, quos habuere priùs familiares, agnoſcerentur. Sanè Nazaræi candidiores niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, eam ſubierunt formæ mutationem, vt denigrata fuerit ſuper carbones illorum facies, & cutis ſicut lignum aruerit. Qui hos ad priſtinam gloriam, & formam reuocaret, viuificaſſe diceretur aut aridum lignum, aut imaginem

ginem decolorem, & perditam, aut certè informe animalis cadauer. Quàm verò id definito tempore Deus cumulatè præstiterit, docet sæpe Isaias, maximè *cap.6.* & Baruch *cap.5.*

31. *In medio annorum notum facies.*] Nempe aut opus, aut promissum, quia reducet è captiuitate populum sic splendidum, & ornatum, vt è sepulcro, vbi tanquam exangue quoddam, & exanimatum corpus extabuisse videbatur, emergat spirans, & viuus, florenti specie, deposita illuuie, eo tandem instructu, quem habet sponsa, cùm ad sponsi thalamum, & complexum admittitur. De quo statu est illud Baruch cap.5. *Exue te Ierusalem stola luctus, & vexationis tuæ: & indue te decore, & honore eius, quæ à Deo tibi est sempiterna gloria.*

32. *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.*] Verba hæc, *recordor, obliuiscor, cognosco, ignoro, audio, aspicio,* & similia practicum aliquid significant, & opus indicant, quod ab horum verborum vsu proficiscitur. Quare obliuisci dicitur, quantumuis assiduè aliquid memoria verset, qui alicuius merita non compensat, aut miserias, & infortunia non leuat: & tunc dicitur recordari, cùm aliquod apparet animi memoris argumentum. Quocirca recordabitur Deus misericordiæ, licèt ab animo ad miserendum prono illius memoria nunquam exciderit, quando miseriam populi miserando leuauerit; pro qua nunc Propheta pietate tam sedulò, ac studiosè laborat. Optimè verò misericordiam cũ indignatione coniungit, quia in Deo nũquam misericordia ab indignatione separatur. Quod experientia edoctus cecinit Dauid Ps. 76. v.7. *Nunquid in æternum proiiciet Deus, aut non apponet, vt complacitior sit adhuc? Aut in finem misericordiam suam abscindet à generatione in generationem? Aut obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas?* Deus ita de pœna cogitat, vt tamen de salute curam non abiiciat. Facit quod in afflicto corpore chirurgus, qui ita vrit, & secat, vt tamen dolenti condoleat, & id spectet maximè, imò & solum, vt ægrotum à morbo, atque à morte liberet. Quod item facit pater, aut qui parentis vices sustinet, pædagogus, cùm puerum verberat, cùm renitentem adhuc, ac lacrymantem domi continet alligatum occupationi ætati puerili odiosæ, neque liberum illi relinquit exitum, aut lucem: illa etenim, quæ videri seueritas, aut crudelitas poterat, longè plus habet amoris, & clementiæ, quia maiora spectat bona, quæ puer ille flagellorum impatiens non agnoscit. Amplificat hæc optimè Cyrillus in hunc locum, à quo sumpsisse videtur Theophylactus.

Deus cùm indignatur, misericordiæ memor.

De Christo, & tempore Euangelico.

33. Hæc omnia facilè ad Euangelij tempus, & spiritualem œconomiam accõmodari possunt; quod faciunt Patrum, interpretúmque plerique. Sed priùs considerato opus est, quod latè ex Patrum, Sanctorúmque sententia latiùs ostendimus super Isaiam in præfatiuncula quadam *ad cap.* 40. & in Commentariis super Zachariam *ad cap.2. in principio*; reditum Iudæorum è Babylone gloriosum, qualem Isaias *cap.60.* & Baruch *cap.5.* describunt, typum esse illorum, qui ex diaboli, id est, crudeliore seruitute liberati ad Ecclesiæ complexum admissi sunt, sicut etiam instaurata Hierosolyma, iam libera, & luculentiùs instructa, typus est Ecclesiæ. Quare non malè captiuorum libertatem, & rediuiuam Hierosolymam præmittimus, in qua fidelium cœtus, & nascentis Ecclesiæ exemplar quoddam, & vmbram intuemur; vmbram tamen, quæ exiguum aliquid est, & informe, si corpus ipsum, & veritatem aspicias. In hoc verò allegorico sensu minus erimus, quàm in historico, diffusi; quia cùm in illum Patres fuerint præsertim intenti, longósque in eam curam commentarios ediderint, minùs erunt labor noster, & cura necessaria.

Instaurata Ierusalem Ecclesiæ typus.

Exules è Babylone restituti fidelium typus.

Domine audiui auditionem tuam, & timui.] Audiuit Propheta, atque cognouit in hieroglyphico Iudæorum reditu, & horribili Chaldæorum, atque etiam Iudaici generis principum interitu, qualis foret status hominum, quos humani generis hostis imperio plusquam tyrannico premebat: & quid remedij ad illius tanti mali leuamentum meditaretur diuina clementia. Atque ideo cùm audiisset vtrumque verbum, timuit, & expauit, id est, admiratus est, aut tantum esse in peccato fœditatis, & ponderis, aut tantum in Deo benignitatis. Est autem in Scriptura frequens, vt in *timore* significetur admiratio, & stupor: quare *timere* idem erit hoc loco quod *admirari*. Lucæ cap.7. suscitato filio viduæ dicitur, *Timor omnes accepit*, id est, admiratio. & Lucæ 1. nato Ioanne, *Factus est timor super omnes vicinos*. 3. Reg.3. perspecta sapientia Salomonis, populus dicitur timuisse, id est, admiratus esse. Et clariùs Matth. cap.9. sanato paralytico, *videntes turba timuerunt*. Græcè ἐθαύμασαν, id est, *admirata sunt*. Sic hoc timuit Propheta, id est, admiratus est, cùm vidit eò diuinam pietatem esse progressam, vt mortalem sibi carnem indueret, vt è mortalium ceruicibus diabolicum excuteret iugum. 34.

Timor pro admiratione.

Domine opus tuum, in medio annorum viuifica illud.] 35.
Opus Dei ἀντονομαστικῶς pro incarnatione sumitur, aut pro redemptione humani generis. Vtrumque petit Propheta, quia nisi illud prius intercederet, non videbat futurum esse posterius. Si illud *opus* ad genus humanum referas, cùm illud eo esset loco, vt censeri potuerit pro mortuo, optimè dicitur à Deo futurum esse rediuiuum, seu viuificandum. Neque alio sensu dicitur mors à Christo moriente destructa, nisi quia spiritualem mortem, id est, peccatum morte corporali deleuit. Si verò ad Christum, optimè dicitur viuificandus à patre, quia antequam ad nostrum genus incarnatus descenderet, quodammodo erat mortuus, ad illum modum, quo paulo antè imago illa vocabatur mortua, in qua color non esset viuidus, sed dilutus, aut flaccidus; aut certè vsque adeò imperfecta, vt vix in ea apparerent obscura quædam prototypi vestigia. Fuit quidem imago Christi paschalis agnus, æneus serpens, vacca rufa, iuge sacrificium, & alia plurima, quæ in veteri lege obseruarunt, & coluerunt antiqui; sed erant imagines informes, & rudes, quorum sensus obscurus, imò communiter ignotus, donec, quod latebat in illo hieroglyphico symbolo, & ænigmate, Christus aduenicns ostendisset: vt Irenæus optimè lib.4. cap. 43. *Thesaurus* (inquit) *absconsus in Scripturis, quoniam per typos, & parabolas significabatur. vnde poterat hoc, quod secundum hominem est, intelligi, priusquam consummatio eorum, quæ consummata sunt, veniret; quæ est aduentus Christi?* Et paulo infrà, *Omnis enim prophetia* (& idem multo magis de typis & vmbris dicendum est) *priusquam habeat efficaciam, ænigmata, & ambiguitas sunt hominibus.* Illa igitur obscura rudimenta, in quibus vix aliquid, nisi lux aliqua cælitùs affulsisset, videbant sapientium oculi, viuificanit Christus; quia sic dum nobiscum ageret in terris, obscuras illas lineas illustrauit

Christi imago in scriptura typis.

Digitized by Google

strauit coloribus floridis,& viuis, vt in illis, qui paulo hæc contemplaretur attentiùs, expressam videret nascentis, laborantis, morientis,& resurgentis effigiem. Sanè legem antiquam, in qua intelliguntur sacramenta, ceremoniæ, sacrificia, tabernaculum, & templum, vmbram dicit esse Paulus, id est, obscuram,& tenebrosam imaginem futurorum bonorum, *ad Hebr. cap.10.v.1.*

Explicatio historica.

36. Vers.3. *Deus ab Austro veniet, & sanctus de monte Pharan.*] Diximus paulo antè *num.* 7. plurima eorum, quæ contigerant in egressu de terra Ægypti, & in progressu longo per desertum, prouerbiali forma adhiberi ad significanda aut singularia Domini beneficia, aut grauia quædam infortunia, aut horribiles plagas: vtriusque enim rei toto illo tempore fuerunt documenta plurima. Hic ego ex eo tempore (nam sine dubio ad illa sæcula respectat Propheta) illud sumo, quod est horribile, nempe quod contra antiquos regionis Chanaanitidis habitores fecit Deus, vt in eorum locum gens Israelitica succederet. Hæc itaque cõmemoratio tota confertur contra Iudæos, quorum arrogantem,& auaram audaciam eo modo Deus punire vult, & à patriis finibus in alienos abigere; quo modo multis antè sæculis è suis sedibus Chananæos expulit, vt vacuum Hebræis locum habitandum relinquerent. Quòd verò eo se modo Deus habuerit contra Iudæos, vt in illorum sedes regem Chaldæorum induceret, quomodo se quondam habuit contra Chananæos, vt in eorum sedibus Hebræorum gentem collocaret, indicat Isaias *cap.17. v.9.* licèt ibi de decem tribubus sermo sit, quas expugnauerunt Assyrij; sed est eadem ratio. Vt enim, agente Deo, decem tribus ab Assyrio, sic duæ reliquæ subactæ fuerunt à Chaldæo. *In die illa erunt ciuitates fortitudinis eius derelictæ, sicut aratra, & segetes, quæ derelicta sunt à facie filiorum Israel.*

37. Hic igitur progressus ille describitur, quem, ducente Deo, tenuere Chaldæi, sicut tenuerunt quondam Israelitæ, quando Chananæorum regiones possederunt. Nam vt hi, quia Dominus pro illis stabat in acie, pro illis pugnabat, illorum confirmabat animos, & aliorum frangebat militares spiritus, & vires debilitabat: sic etiam Chaldæi, quia illorum exercitum conscripserat, eundémque moderabatur Deus, facillimas habuerunt de tota gẽte Solymitana victorias. Cùm ergo dicitur, *Deus ab Austro veniet, & sanctus de monte Pharan*, subaudienda est similitudinis nota, id est, sicut olim Deus ab Austro venit, sic etiam modò veniet. Et ita exponendum esse locum non obscurè colligitur ex eo, quod cum Austro, & Pharan tempus futurum ponitur, non præteritũ. Quare de aliquo aduentu vaticinium texitur adhuc futuro; de illo videlicet, quo Chaldæi in Iudæorum fines irruperunt. Est autem allusum ad illud Deut.33. *Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus est nobis: apparuit de monte Pharan, & cum eo sanctorum millia.* Est autem Auster ventus, qui flat à regione meridionali, id est, à deserto, & Ægypto; qui ventus etiam appellatur Theman, siue Africus. Pharan locus est vicinus monti Sinai, vt docet hic Hieronymus, & super cap.13. Oseæ ad finem. Quo loco Deus horribilem se præbuit. Nã, vt legimus *Exod.cap.19.v.16.* tertio ex quo illuc ventum est die, *cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissimæ operire montem, clangórque buccinæ vehementiùs perstrepebat.* Et statim, *Totus autem mons Sinai fumabat, eo quòd descendisset Dominus Deus super eum in igne, & ascenderet fumus ex eo, quasi de fornace: eratque omnis mons terribilis.* Hinc fortasse nomen accepit mons Pharan, quem Septuaginta verterunt densum, & vmbrosum; quia illum eo tempore nubes obumbrauit obscura, & obtexit fumus, qui ex illo tunc tanquam è fornace egrediebatur. Deus igitur Iudæis, quos per Chaldæorum exercitum debellaturus adueniet tam apparebit horribilis, quàm olim cùm tonabat, fulminabat, & totum in circuitu montem nube, ac fumo, & densa caligine complebat.

Hæc mihi potiora sunt, quia meliùs antiquos 38.
peregrinantium euentus, & admiranda Domini in eo tractu prodigia pertexunt. Sed est fortasse sensus alius, qui à propheticis minis, & ab ipsius loci natura alienus non est. Nam à meridie, austro, deserto, & Pharan Hierosolymam versùs horribiles solent ingruere tẽpestates,& turbines. Atque ideo cùm similis vastitas à Persis Babyloni, qualis à Babyloniis nunc Hierosolymæ nunciatur, illi comparatur tempestati, quæ ab Africo, atque deserto venit. Isai. cap.21.v.1. *Sicut turbines ab Africo veniunt, de deserto venit* (nempe tempestas) *de terra horribili.* Cuius nos eo loco hanc putabamus esse sententiam. Non aliter vastitas contra Babylonem veniet, quàm à deserto, ac plaga meridionali venire solent rapidissimi turbines. Sanè ab Australi regione tempestates excitari, & motus horribiles, satis indicat Iob *cap.9.* vbi cum Arcturo, Orione,& Hyadibus turbidis, atque procellosis signis coniungit interiora Austri; siue vt Septuaginta transtulerunt, *promptuaria Austri*: vnde nimirum, tanquam ex suis cõceptaculis, tempestates erumpunt; sicut de rupe Æolia fabulantur Poëtæ. Sic autem ibi Iob, *Qui facis Arcturum, & Oriona, & Hyadas, & interiora Austri.* Cui si adiungas quod ipse ait *cap.37.* non inuita occurret hæc sententia. *Ab interioribus* (nempe Austri) *egredietur tempestas: & ab Arcturo frigus.* Erit igitur sensus iuxta hæc: Eo contra te, o Hierosolyma, horrore, atque impetu adueniet, ducente Deo, Chaldæorum exercitus, quo tempestates, & turbines ab Austro veniunt, & à monte Pharan.

Explicatio allegorica.

Allegoricus sensus varius est, quia tam ab A- 39.
REGVLA. *Hierosolyma comparatione regiones aliæ dicuntur Aquilonares, Australes, &c.*
frico, quàm à monte Pharan variæ duci possunt similitudines. Adducam tamen duas, quas esse puto magis ad rem; abstinebo à reliquis, ne longius, quàm velim, diffluat commentatio. Communior est illa sententia, quæ in Austro agnoscit Bethleẽ, vnde Christus iam homo factus primùm humanis oculis oblatus est. Dicitur autem Auster, quia ab Australi plaga Bethleem respicit Hierosolymam. Hierosolymæ porrò respectu, vt docet Hieronymus ad illud Zachar.2. *O, ô fugite de terra Aquilonis*, regiones aliæ & situm,& nomẽ accepêrunt. Vnde illa dicitur Aquilonaris ciuitas, quæ ab Aquilone; illa occidentalis, quæ ab Occasu; illa meridionalis, quæ à Meridie Hierosolymam respicit. Ita tenet hic Hieronymus ex mente cuiusdam Hebræi; qui sanè non Hebræorum more, id est, non malitiosè, atque inuidè hunc locum de Christo interpretatus est. Sed dixit non tam alieno, quàm suo nomine idem Hieronymus in Psal.106. ad illud v.3. *Ab Aquilone, & mari.* Tenent Patres Græci, Theodoretus, Cyrillus, Theophyla

phylactus, Euthymius, Irenæus *lib.3. cap.23. & lib.4. cap.66.* & recentiorum plurimi. Qui in Pharan Hierosolymam intelligunt, quæ, vt dicit Theodoretus, & Theophylactus, mons vmbrosus est, id est, omni diffluens genere gratiarum, obûbratus nebula, id est, Dei protectione. Ideo verò dicitur egressus de Pharan, quia in Hierosolyma primùm doctrinæ cælestis radios effudit, quam deinde in regiones alias latè dispersit. Addo hic ego Hierosolymam appellari posse Pharan, id est, vmbrosam, & condensam, vt transtulere Septuaginta, eo sensu, quo vocata fuit à Michæa nebulosa, cap.4. v.8. *Et tu turris gregis nebulosa filia Sion, vsque ad te veniet, & veniet potestas prima.* Vide quæ nos eo loco pluribus.

40. Cyrillus Pharan à Bethleem non disiungit, sed aliquid ibi agnoscit, quod ad Christi sacra natalitia pertineat. Vt enim in Austro Bethleem intuetur, id est, locum, vbi natus est Christus; sic etiam in Pharan populum, & gentem, vnde mortale traxit genus. Audi Cyrillum. *Quia diuina Scriptura interdum insignioribus montibus Iudæorum Synagogam, siue populum comparare consueuit, quod plurimus, longeque celeberrimis viris, quasi arboribus, densa videatur; idcirco nunc cum monte Pharan illam componit, dicens è monte vmbroso, & condenso venturum. Vmbrosum autem, & condensum montem nominat propter Patres, ex quibus Christus secundùm carnem prognatus dicitur,* &c. Ego si communem hanc sententiam probem, quod certè facio, sentio, quod Cyrillus; nempe Bethleem, & montem Pharan non esse in hac cogitatione separandos; sicut neque in literali sensu Africum à Pharan disiungendum esse indicabam. Cùm idem sit ab Austro venire, & à monte Pharan, per epexegesim, quæ in Scriptura sacra frequentissima est, & sententiam præcedentem iterat, & exponit. Quare, vt ibi sensus est, Deus ab Austro veniet, seu à regione Australi; ab ea, inquam, regione Australi, vbi mons est Pharan. Sic etiam nunc in allegorico sensu natus dicitur Deus in Bethleem; in illa, inquam, parte Bethleem, vbi est Pharan, id est, locus vmbrosus, & caliginosus. Hic autẽ est ille, in quo fuit olim turris gregis, ad quam vigilabant pastores illi, quibus ab Angelo primùm annunciatus est seruatoris ortus. Illam enim esse turrem nebulosam, de qua Michæas proximè, docet Hieronymus in traditionibus Hebraicis ad illud Genes. 35. *Profectus est Israel, & extendit tabernaculum suum trans turrem Ader,* id est, gregis. Tenent apertè Remigius, & Haymo super Michæam, & Beda *in cap.2. Lucæ.*

41. *Auster pro loco beatorum.* Ego allegoricum sensum aliter putabam informari posse commodiùs, si non ostenderetur, quò seruator Christus, de quo hic allegoricus sermo est, sed vnde venisset, ad asserendam humani generis libertatem. Venit namque de cælo, de sinu patris; quò aspirare non poterat labor, & dolor, neque aliquid eorum, quibus obnoxia est humana mortalitas. Est autem cælestis beatitudinis Auster perquam optimum symbolum. Sicut etiã Aquilo ventus procellosus, & frigidus statum adumbrat ærumnosum, & tristem; adeò vt ea regio, vbi Aquilo dominatur, & viget, pars dicatur mundi infelix, & damnata. *Aquilo pro damnatorũ carcere.* Ita Solinus cap.20. de Boristhene. *Damnata pars mundi, & à rerum natura in nubem æternæ caliginis mersa, ipsisque prorsus Aquilonis conceptaculis rigentissima. Sola terrarum non nouit vices temporum, nec de cælo aliud accepit, quàm hyemem sempiternam.* Quo alio modo describi posset elegantiùs æternus damnatorum carcer? At contrà Auster benignus est ventus, quo hyemis asperitas frangitur, qui vernum inducit teporem, qui terram fœcundat, atque exhilarat. Atque ideo ad mysticas nuptias, genialesque dies aduocatur Auster, & Aquilo procul secedere iubetur; hic enim frigidum quid aspirat, & ingratum: at Auster reficit, & fouet, quæ glacies, & pruina decoxerant; laxat plantas, quæ contraxerat Aquilo; stillareque facit odoriferos succos. Cant.4. *Surge Aquilo, & veni Auster, & perfla hortum meum, & fluant aromata illius.* Neque hic laboro, an alicubi noxius 42. existimetur Auster, & plantis, ac floribus inimicus. *Venti à locis, quæ perflãt, qualitates sumunt.* Venti enim pro situ, qualitateque regionum, quas spirando permeant, vim sumunt in omnem partem potentissimam: & quicquid sit de regionibus aliis; Palæstinæ tamen placidus est, & salubris, quia à mari perflat, vnde teporem habet humidum, & mitem auram. Comparationes autem in Scriptura ex eo sumuntur plerumque, quod est illi regioni familiare. Illud præterea aliquid habet, quod nobis cælestis beatitudinis naturam adumbrat, quod tradit Iob cap.39. *Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter expandens alas suas ad Austrum.* Sanè in cælo alæ defluunt deformes, & veteres, & nouo succedunt nitentes, & robustæ. In quem locum Gregorius *lib 31. Moral. cap. 18.* in Austro, quo perflante, senectus exuitur, fitque tanta virium, ac formæ mutatio, Spiritum sanctum adumbrari putat.

Neque mons Pharan minus est, quàm Auster, 43. accommodatus ad explicandam regionem illam, *Pharã beatitudinis typus.* ex qua Christus ad humani generis libertatem descendit. Pharan namque, vt docet hîc Hieronymus, os significat videntis; quæ beatæ animæ, cui se Deus in cælo videndum præbet, optima descriptio est. Quòd si à radice פאר *paar* deducas, vt deducunt alij, & in his Pagninus, aptè etiam exprimit beatitudinem: significat enim aliquid etiam speciosum, aspectúque iucundum. Neque ad eam rem parum facit explicatio nominis, quam adhibuere Septuaginta, dum montem nominant vmbrosum, & densum: quæ explicatio sic ostendit illius montis pulcritudinem, quæ ab vmbra, & plantarum densitate gratissima est; vt tamen significetur illius aditus esse difficilis. Neque enim aliquis nisi magno labore densam, atque perplexam syluam ingreditur; & si quando in illam ingredi contingat, tardum tamen, & impeditum molitur incessum. Est namque arcta via, quæ ducit ad vitam, in quam, teste Christo, pauci ingrediuntur. Rupertus aliam adducit causam; quia incomprehensibilia sunt iudicia Dei, & inuestigabiles viæ eius; & immensa est altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei.

Semper. Post *Pharan* in Hebraico textu reperi- 44. tur סלה *sela.* *Sela quid.* Cuius significatio, atque vsus diu torsit magnorum interpretum ingenia: neque ego quid in præsentia dicam, certi aliquid habeo. Quare quod in re dubia, & cuius nulla, aut maximè incerta coniectura est, fieri solet, referam quid alij aut sentiant, aut dicant. Vide interim Hieronymum *in epistola ad Marcellam*, Augustinum *in Psal.* 4. Toletum *in Psal.33. ser.1.* Riberam *hic.* Pagninus latè in radice סל *sal.* & nos nonnihil diximus super *Psal.76. ad v.8.* Hanc vocem, quæ tantùm reperitur in Psalmis, & in hoc Cantico, Hieronymus conuertit *semper*, sicut & Aquila; Septuaginta, Theodotio, & Symmachus διάψαλμα. Quid porrò significet, incertum est. Quidam nihil putant addere ad orationis sensum, sed tantùm signum propositum cantoribus, vt vel eo loco mutent numeros musicos, contendant, remittant,

mittant, aut intermittant vocem; denique ibi aliquid adhibeatur à continuata modulatione diuersum. Et id significat vox Græca *διάψαλμα*, quam posuerunt Septuaginta, quos verisimile est iuxta hanc legem sæpe Psalmos cecinisse Dauidicos. Hieronymus in hunc locum, quid de hac voce senserit, ait se tradidisse in commentatione Psalmorum. In Psalmo 4. omnes ferè antiquorum sententias complexus est; cuius ego verba si recitauero, satis videbor fecisse lectorum studio: neque quidquam aliud inuenio, quod magni referre putem, adduxisse. Sic igitur ibi Hieronymus. *Verbum* סלה *sela, Septuaginta interpretes, Symmachus, & Theodotio διάψαλμα transtulerunt; Aquila verò* semper. *Et puto aut musici cuiusdam soni signaculum, aut certè perpetuitatem eorum, quæ prædicta sunt indicari. Vt vbicumque Sela, hoc est, διάψαλμα, fine* semper *apponitur, ibi sciamus non tantùm ad præsens tempus, verùm ad æternum, vel quæ sequuntur, vel quæ præcesserunt, pertinere.* Hæc ibi Hieronymus. Qui etiam addit *in epistola ad Marcellam tom.* 3. quibusdam videri *sela*, aut *semper* esse alterius sensus exordium. Et ad epistolæ medium ait: *Scire autem debemus apud Hebræos in fine librorum vnum è tribus solere subnecti: vt aut* Amen *scribant, aut* Sela סלה, *aut* Salom שלום *quod exprimit pacem. Igitur vt solemus nos completis opusculis, ad distinctionem rei alterius medium interponere* Explicit, *aut* Feliciter, *aut aliquid istiusmodi: ita & Hebræi, vt quæ scripta sunt roborent, facere solent, vt dicant* Amen, *aut* in sempiternum: *aut scribenda commemorant, vt ponant* Sela; *aut transacta feliciter protestantur,* Pacem *subnotantes. Hæc nos de intimo Hebræorum fonte libauimus,* &c.

Explicatio historica.

45. *Operuit cælos gloria eius.*] Allusio est ad illud tépus, in quo Deus ad montem Sinai suam populo maiestatem ostendit. Tunc autem Dei gloria operti sunt cæli; quia tantus fuit illius splendor, vt intuentibus videndi cælum facultatem eriperet. Sic sanè videtur ex eo posse colligi, quod scribitur Exod. cap. 20. v. 18. *Cunctus autem populus videbat voces & lampades & sonitum buccinæ, montémque fumantem, & perterriti, ac pauore concussi steterunt procul.* Et cap. 24. v. 15. *Cùmque ascendisset Moyses, operuit nubes montem: & habitauit gloria Domini super Sinai, tegens illum nube sex diebus.* Et v. 17. *Erat autem species gloriæ Domini quasi ignis ardens super verticem montis in conspectu filiorum Israel.* Vt autem nubes, in qua Deus apparere solet, quasi in suo vehiculo, quæ quoddam est cæli symbolum, vt docet Chrysostomus *homil. 2. in Acta*; sic illa, quæ non potest esse non illustris, & pulcra, quia Dei gloriosi splendorem aut continet, aut ostendit, Dei gloria vocatur, per metonymiam. Sanè *Exod. cap. 16. v. 10.* Dei gloria in nube apparuisse dicitur. Et in Transfiguratione *Matth. cap. 17.* de nube lucida audita esse scribitur vox Patris, qui dixit: *Hic est filius meus dilectus.* In nube denique sedere, & equitare dicitur Deus Psal. 103. *Qui ponis nubem ascensum tuum.*

46. *Et laudis eius plena est terra.*] Cùm habitatores terræ Chanaan accepissent, quanta Deus contra Ægyptios edidisset prodigia, vt aperuerit mare, vt riuum viuentis aquæ excussisset è petra, vt infinitam hominum multitudinem tam copiosè, ac splendidè cælesti pauisset alimento; & alia ipsi in suis finibus erga gentem He-

A bræam experti forent diuinæ virtutis documenta: cognouerunt magnum esse Deum; & licèt non admodum libentes, coacti tamen illius fortitudinem, & gloriam prædicarunt. Hæc vera, neque fortasse alia est huius loci sententia. Sed credo laudem hoc loco pro rebus laudabilibus sumi. Est enim vsitatum, vt actio pro ipsius sumatur obiecto, vel materia: quomodo *timor* sumitur pro re timenda, pro armis puta, pro minis; & nuper *auditio* pro verbis sumpta est: *Domine audiui auditionem tuam, & timui.* Sic etiam in Scriptura obuium, celebrare laudes, & similia, quod nihil est aliud, quàm celebrare gesta, merita, ea denique, quæ alicui contigerunt illustria. Quod non apud sacros solùm scriptores, sed etiam apud profanos vsitatum est. Sic sanè Virgilius *lib. 1. Æneid. de Priamo*, cuius videbat merita præclara penicillo descripta.

Laus pro re laudabili.

B

En Priamus, sunt hîc etiam sua præmia laudi.

id est, meritis, & virtutibus. Sic etiam arbitror laudem hoc loco pro factis sumi, & prodigiis ingentibus, & omnium sermone celebrari dignis. Neque enim vlla fuit pars regionum, vbi aut habitarunt, aut peregrinati sunt Hebræi, in qua non extet insigne aliquod diuinæ virtutis documentum. De Ægy-

C pto res est satis nota, quæ plena est prodigiis, neque tamen in ea diuinæ laudes audiuntur; imò potiùs quia diris plagis concisi fuerunt Ægyptij, grauiter tum in Hebræos, tum in illorum Deum fuerunt animati. Plenum fuit desertum, imò tota Hebræorum peregrinatio singularibus à diuina manu beneficiis; neque tamen mare Rubrum, aut vasta illa solitudo magna ex parte ab habitatoribus vacua diuinis personant laudibus. Idem de tota regione Chanaanitide dicendum, quæ innumeris consignata portentis; de diuinis tamen laudibus celebrandis, quo tempore hæc à Propheta dicebantur, mirum silentium.

D Vers. 4. *Splendor eius, & lux erit.*] In præcedenti versu tempus adhibuit præteritum: *Operuit cælos*, &c. nunc futurum adhibet: in quo ego aliquid inuenio, quod magis in mea me cogitatione confirmat. Sicut antè Deus debellaturus Chananæos, horribilem se præbuit in scintillante nube, & fumante monte Sinai: sic etiam cum eodem spiritu, atque furore debellaturus veniet Iudæorum gentem per Chaldæos, non dissimilem ad opus illud bellicum habitum, aut splendorem adducet. Splendor gloriam significat, & claritatem; qualem afferre solet, qui margaritis, & pretiosis lapidibus fulget; aut armis tersis, atque ni- 47.

E tentibus induitur. Lux aliquid maius est, nimirum splendor ille, qui est ab igne, aut à sole. Quare cùm metallum valde esse nitidum significare volumus, à sole, vel igne similitudinem ducimus. De armis satis produximus exemplorum ad illud Nahum cap. 2. *Clypeus eius ignitus.* quæ huic loco accommodata sunt; quia fortasse hîc de Deo tanquam de bellatore, & ad dimicandum armato sermo est. Sed si de lapidibus pretiosis sermo sit, quibus pretiosæ ornantur, & excoluntur vestes; illæ quoque similitudinem sumunt à sole, & igne. Exempla occurrunt apud profanos plurima, tu pauca excipe. Sillius Ital. lib. 15.

Ardebat gemma Garamantide cærula vestis,
Vt cum sparsa micant stellarum lumina cælo.

Claudianus lib. 1. in 4. consul. Honorij.

———Et fulgor Iberus
Temperat arcanis Hiacinthi cærula flammis.

Et idem iterum lib. 3.

Quis iunxit lapides ostro, quis miscuit ignes
Sidonij, Rubrique maris?

Sed mihi verisimilius est sermonem esse de Deo, qui & ipse quasi magni agminis imperator instructus aderit splendentibus, & ardentibus armis, & agmen aget armorum nitidissimo, ac fulgentissimo læuore radians.

48. *Cornua in manibus eius.*] Vt varij sunt cornuum in animalibus vsus; sic etiã variæ sunt, quæ à cornibus sumuntur, translationes. Cornibus pugnant, & feriunt animalia; atque ideo sumuntur pro armis, & potentia. Quod videbat propheta quidam falsus, qui assumptis ferreis cornibus dixit 3. Reg. 22. ad Achab. *His ventilabis Syriam, donec deleas eam.* Iuxta hunc vsum Deus dicitur armatus esse venturus, vt disperdat, & ventilet Iudæorum populum. Cornua verò sunt Chaldæorum acies, quæ ventilarunt è suis finibus, dispersèruntque latè gentem illam.

Cornua pro armis, & potentia.

49. Quia verò cornua in latissima animalium parte, id est, in capite sita sunt, pro regno, aut dignitate regia frequenter vsurpantur, vt notat hîc Hieronymus Psal. 74. *Dixi iniquis, nolite iniquè agere; & delinquentibus, nolite exaltare cornu, nolite extollere in altum cornu vestrum.* Et 1. Reg. 2. v. 10. *Sublimabit cornu Christi sui.* Hinc Dan. cap. 7. & 8. sæpè regna, & reges adumbrantur in cornibus. In manibus ergo Dei sunt cornua, vt sentit hîc Cyrillus, & Euthymius, & omnia cornua, quia in sua potestate habet omnia regna, de quibus, vt ipse voluerit, statuat; ita vt his adimat, illis tribuat; illa debilitet, hæc stabiliat, atque confirmet. Dedit quondam regna Hebræo populo, quæ genti ademit Chananææ: deinde hæc eadem abstulit Israeli, & ad Chaldæos, & Assyrios transcripsit, hos tandem ex suis expulit sedibus, & Persarum regibus exauctoratos subdidit. Cùm ergo Deus gloriosus venerit, ideo veniet, vt Iudæorum regnum ad Chaldæos transferat.

Cornu pro regno.

50. Cornua etiam pro buccinis, aut lituis sumuntur, quia olim è cornea materia fiebant; vnde tubæ dicuntur corneæ, imò & cornua, vt in profanis, ac sacris scriptis sæpiùs audimus: hæc verò milites & vocant ad arma, & accèdunt ad pugnam. Quare sententia, quæ ex hac cornuum proprietate sumitur, parùm differt ab illa, quæ Deum facit esse bellatorem, & ducem. Et est fortasse allusio ad locum illum Exodi cap. 20. *Cunctus autem populus videbat voces, & lampades, & sonitum buccinæ.* Nam vt splendoris suprà meminit, sic etiam cornu resonantis, & clangentis buccinæ videtur meminisse.

Cornu pro buccina.

51. Addo præterea visum esse nonnullis pro *cornibus*, vertendum esse *splendores.* Vox etenim קרן *keren*, non solùm cornua, licèt hoc frequentius, sed etiam splendorem significat. Quare facies Moysis, quæ splendida erat, cornuta fuisse dicitur. Deinde in Hebraico textu non esse *in manibus*, sed in singulari *de manu*, Hebr. מידו *miiado.* iuxta quam lectionem splendores dicuntur aut

A egressi quondam contra Chananæos, aut egressuri contra Iudæos de manu Domini; quia nunc consequetur victorias per Babylonios contra Iudæos; sicut per hoc antea contra Chananæos consecutus est. Sed reuera splendores illi, id est, euentus prodigiosi non tam olim ex Hebræorum, & postea ex Chaldæorum manu, quàm ex diuina prodierunt. Quòd si hîc respectum esse putemus ad montem Sinai, splendores fuerunt in manibus, aut de manu Domini, quia in illis fuit lex, quæ ignea vocatur. Deut. 33. v. 2. *Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus est nobis, apparuit de monte Pharan, & cum eo sanctorum millia. In dextera eius ignea lex.*

B Vers. 5. *Ibi abscondita est fortitudo.*] Cùm cornua multa significent, tamen in illis adumbrari præcipuè diximus Dei potentiam, & Chaldæorum exercitum, quo Deus tanquam cornibus Iudæorum gentem ventilauit. Et ad hanc præcipuè translationem, quoad fieri poterit, sensum attemperabimus historicum. Videbantur Chaldæi suis viribus grandia illa facinora edidisse, quæ in debellanda Iudæa legimus, & illa præsertim ciuitate subiugãda, quæ non videbatur expugnari posse à mortali manu: sed reuera id non perfecere Chaldæi, sed diuina manus, quæ res Chaldæorum administrabat; & vt illorum confirmabat animos, & vires, sic etiam Iudæorum exturbabat C consilia, & frangebat spiritus. Pugnabat igitur Deus in Chaldæis, quod tamen ignorabant alij, imò & ipsi Chaldæi non cognoscebant. Quare in Chaldæis pugnantibus, quasi in cornibus abscondita erat Domini fortitudo. Sic sanè de Assyriis dixit Deus *Isaiæ cap.* 10. *v.* 5. in cuius manu fuisse dicitur virga furoris Dei, id est, Dei sæuientis fortitudo, quod tamen ipsi in optato rerum euentu non cognoscebant. *Assur virga furoris mei, & baculus ipse: in manu eorum indignatio mea.* Ipse tamen Assur dixit *v.* 13. cùm gloriosæ præcessissent victoriæ, *In fortitudine manus meæ feci, & in sapientia mea intellexi, & abstuli terminos populorum, & principes eorum deprædatus sum.* Sed D *v.* 15. vbi libertatem Iudæorum non adscribit Cyro, de quo ibi mulhæc clariùs expressit hoc ipsum in Cyro *cap.* 45. tus sermo; sed Deo, qui pugnabat in Cyro, & in quo erat absconditus. *Verè (inquit) tu es Deus absconditus, Deus Israel saluator.* De quo dixerat antè v. 5. *Accinxi te, & non cognouisti me.* Vide quid nos in Commentariis Isaiæ ad illa loca. Ad hunc modum etiam in Nabuchodonosor absconditus Deus dici potuit, quia in eo pugnabat Deus, cùm Iudæorum frangebat vires, & ex ciuitate copiosa, & lauta opimas reportabat exuuias. Sanè in Chaldæorum castris pugnabat Domini fortitudo, quæ in illis vulgares oculos abscondita latebat. 52.

Deus in suis ministris pugnat.

E

Explicatio allegorica.

Varias hîc alij allegorias inueniunt, quas ego non solùm probo, ac laudo, sed etiam amplector. Neque tamen omnes persequar; esset enim res longior, quàm lector fortasse vellet. *Operuit cælos gloria eius, & laudis eius plena est terra.* Hæc ad Christi primum aduentum plerique referunt; quia cum instituit viuendi modum, vt rerum gestarum gloria cælos, & terram impleuerit. Quæ facilè cognoscet habuisse fidem quicunque euangelicam historiam, & Apostolorum 53.

Splendore Christus terram impleuit.

Acta

Digitized by Google

Acta mediocri attentione perlegerit. Cælos igitur, & terram impleuit, quia latè illius gloria diffusa est. De terra satis illud sit, quod refert Matthæus cap. 4. v. 23. *Et circumibat Iesus totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. Et abiit opinio eius in totam Syriam.* Neque parùm ad hæc facit Pharisæorum testimonium, qui *Ioan. cap.* 12. *v.* 19. dixerunt de Christo, *Ecce mundus totus post eum abit.*

54. *Cælorum graue testimonium de Christo.*

Operuit illius gloria cælos.] Quia è cælo habuit suæ maiestatis, atque naturæ illustre testimonium. Nam cùm primùm è virginis vtero in hanc communem lucem exceptus est, *Facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altissimis Deo.* Lucæ *cap.* 2. *v.* 13. *& cap.* 3. *v.* 22. baptizato Christo apertum est cælum, & ex eo vox audita, *Tu es filius meus dilectus, in quo complacui mihi.* Et hoc idem de cælo testimonium habuit in Transfiguratione *Matth. cap.* 17. Quòd si defuncti gloriæ seruiunt ferales vestes, lugentium multitudo, communis dolor, funeris honestas; qui non censetur in mortuis minor honor, quàm in viuis triumphalis plausus, & acclamatio popularis: sanè sua gloria Christus cælos impleuit, cùm illi morienti, cæli inaudito quondam funere parentarunt; quibus in illo luctu, atque ferali pompa sociam se terra præbuit. Quare tunc dici Christus potuit sua gloria cælos, & terram operuisse, veste nimirum luctuosa, & funebri, & totius naturæ lugubri lamento. Sol enim ferrugineum sibi colorem induit, & quidquid habebat splendoris, amisit, & orbem totum occupauit caligo. Matth. 26. v. 45. *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam.* Et v. 51. vbi primùm Christus expirauit, *Velum templi scissum est in duas partes, à summo vsque deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt.* Quòd si qui à victore, ac triumphatore redempti sunt, magnam victori, ac redemptori gloriam, noménque conciliant; quanta gloria Christus cælos impleuit, cùm peracto peregrinationis suæ laborioso curriculo, ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem. Operuit sanè tunc cælos gloria, operítque quotidie, cùm propter suam mortem, & crucem magna fit quotidie beatorum ordinibus accessio.

55. *Christus quanta ex gloria in terram descendit.*

Hæc ego ita probo, vt non improbem, imò vt probem magis, quod in præcedenti versiculo dicebam mihi magis videri verisimile; videlicet non explicari gloriam, quam Christus in terra, ac cælo consecutus est; sed illam, quam ante incarnationem habuit in cælo, & in terra. Vt ex eo cognosceret mortalis homo, quem sæuissimi tyranni premebat ignominiosa seruitus, quantum debeat vindici suo, ac redemptori Christo, qui ex ea gloria, qua cælos operiebat, eò se abiecerit, vt inter duo iaceret animalia, & cruci suffixus mortem subiret ad ignominiam grauem, ac dolorem acerbam. Sanè hoc Propheta noster sæpiùs audierat. Isaiæ *cap.* 6. cecinerunt duo Seraphin, sibi fortasse familiare canticum, *Plena est omnis terra gloria eius.* Vt igitur in Austro, atque monte Pharan cælestem esse sedem putabamus, vnde Christus descendit; sic etiam de illa gloria nunc sermonem putamus esse propheticum, quam habuit in cælo, & qua totam terram prorsus impleuit.

Splendor eius vt lux erit.] Hinc iam, opinor, splendor ille describitur, quem Christus in terris habuit, quem consecutus est eo viuendi instituto, quod hominibus plenum videbatur ignominiæ. Videmus, inquit Paulus *ad Hebr.* 2. *v.* 9. propter passionem mortis, gloria, & honore coronatum. Ille porrò splendor vt lux erit, nempe solaris; vt enim sol radiis suis omnia complet, & lustrat, sic etiam nihil fuit, quod non seruator Christus euangelico splendore lustrauerit. De quo, ac de illius præconibus dictum est, *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Et quidem ipse Christus de seipso dixit, *Ego sum lux mundi.* id est, ego sum sol, tale quippe nomen sibi ὀνομαστικῶς nobile illud astrum vendicauit.

Christi in terris splendor.

Cornua in manibus eius.] Vt in sensu historico cornua in manibus ad varios vsus translationes habere diximus; sic etiam ad allegoricos sensus arbitramur. Si cornua splendores significent, maximè si iuxta Hebraicos codices legamus: *Splendores de manu eius*, non est difficilis allegoria: significatur enim magnus fore splendor in Christo, quia ipsius opera erunt splendidissima. Quod enim de manu exit, opus est; opera autem Christi eiusmodi fuerunt, vt nomen illi conciliarint admirabile. 57.

Sed placet in cornibus significari arma, quibus subiugauit sibi mundum, & mortis, atque inferni vires confregit. Quæ porrò fuerint hæc arma, non est coniectare difficile. Arma fuerunt, quæ naturam mortalem consecuta sunt, fames, defatigatio, dolor, & quæ ad hæc Christus ipse Seruator vltrò assumpsit humanitatis incommoda; qualis inaudita paupertas, qualem nemo mortalium expertus est; crucis acerbitas, & ignominia, vitæ genus seuerum, & alia, quæ historiæ produnt euangelicæ. Sed Patrum plerique cornua hæc dominicam crucem esse putant, cui tribuunt mundi, infernique victoriam; de cuius virtute in eorum scriptis mirifica sunt, & frequentissima præconia. Ita putat Cyprianus *lib.* 2. *contra Iudæos cap.* 21. *& serm. de Passione Domini.* August. *lib.* 18. *de Ciuit. cap.* 32. Tertullianus *aduersus Iudæos cap.* 20. Hieronymus, & Theophylactus *in hunc locum*; & iterum Hieronymus *in epistola ad Paulinum*, cuius hæc ibi verba sunt: *Habacuc luctator fortis, & rigidus stat super custodiam suam, & figit gradum super munitionem, vt Christum in cruce contempletur, & dicat: Operuit cælos gloria eius, &c. Cornua in manibus.* Et quidem quæ nos in cruce brachia vocamus, vocari posse cornua docuerunt quidam ex Patribus in illud *Deut. cap.* 33. *v.* 17. de Ioseph, qui Christi typus fuit. *Quasi primogeniti tauri pulcritudo eius: cornua Rhinocerotis cornua illius.* In quæ verba Augustinus q. 57. *Propter crucis cornua de Domino intelligitur figuratum.* Idem Iustinus *contra Tryphonem.* & Tertullianus *contra Marcionem, cap.* 10. *Christus*, inquit, *in illo* (nempe Iosepho) *signabatur, taurus ob vtramque dispositionem, aliis ferus vt iudex, aliis mansuetus vt saluator: cuius cornua essent crucis extima. Nam & in antenna nauis, quæ crucis pars est, hac extremitates eius cornua vocantur.* Sanè antennarum extrema, quæ affixæ malo crucis formant imaginem, cornua vocantur, vt liquet ex illo Maroniano lib. 3. Æneidos, 78.

Quibus armis Christus vicit mundum.

Cruce Christus mūdum subiecit.

Cornua velatarum obuertimus antennarum.

At obstrepet hìc curiosus aliquis, & dicet parùm accommodatam videri figuram, cùm non tam Christus in manibus habeat illa, quæ vocamus crucis cornua, vt illa tanquam arma verset, 59.

ac libret, quàm à crucis cornibus manus Christi teneri, cùm illic affixæ sint; neque moueri possint, nisi dum crucem aliquem in locum moueri contingat. Huic ego sic respondeo, aut in hoc loco hypallagem videri, in Scriptura sacra non infrequentem; ita vt commutatæ voces hunc sensum reddant. *Manus eius in cornibus crucis.* Quomodo *Iudic.* 1. *v.* 8. vbi vulgatus, *Tradentes cunctam incendio ciuitatem*, Hebr. *Ciuitatem miserunt in ignem*; pro *miserunt ignem in ciuitatem*. Et accommodatiùs *lib.* 4. *Reg. cap.* 9. *v.* 30. vbi vulgatus de Iezabel, *Depinxit oculos suos stibio*, Hebr. *Posuit oculos suos in stibio*; pro *posuit stibium in oculis suis.*

Hypallage in Scriptura frequens.

60. Sed est alius tenendi modus huic loco non ineptus, non quidem physicus, sed moralis, qui non tam est à viribus, & lacertis, quàm ab affectu, & amore. Quomodo dicitur quis ab ambitione, aut cupiditate pecuniarum teneri alligatū arti sellulariæ, aut libris euoluendis, aut tractandis causis: quare ille non tenet honorem, aut diuitias; sed honor potiùs illum, atque diuitiæ tenent. Tenet quidem physicè filium infantem in complexu mater; sed tenet illam infantis amor domi, aut ducit, quocunque pueri amor, aut libido fertur. Capiebant Paulum vincula physicè; sed Paulus affectu sic tenebat vincula, vt ipse se in illa vltrò compingeret, neque se ab illis diuelli pateretur. Sanè Andreas magis propter amorem, studiúmque patiendi sibi crucem affixerat, quàm tyranni sæuitia Andræam cruci alligauit. Ad hunc modum Christus quo erat incēsus crucis desiderio, & humanæ libertatis studio, tenuit potiùs crucem, quàm à cruce tenebatur. Vltrò illam subiit, vltrò sustinuit, neque, cùm posset, ab illa diuelli voluit, nisi mortuus; viuus enim nunquam desereret, sicut neque sponsus fidelem sponsam, quam multo antè studio, atque impendio quæsierat.

Christus crucis amator.

61. *Ibi abscondita est fortitudo eius.*] Absconditum illud appellamus, quod eo in loco conditum est, vbi nullo modo futurum esse videbatur; quomodo si in stercore gemmæ, aut in syluestribus, atque inaccessis locis aurum sepeliatur; aut sub palliolo lacerato, & sordido philosophia; aut sub persona despicabili, ac fœda regius lateat splendor, atque maiestas. Quis vnquam, quem humana tantùm adduceret ratio, existimaret in cornibus crucis, id est, in Christo crucifixo, in confixis manibus, ac pedibus; quod perinde est, ac si truncæ essent manus, ac pedes; in contuso flagris, atque exangui corpore illam futuram esse virtutem, quæ subiugaret orbem, quæ infernas potestates euerteret, quæ fauces obstrueret inferni, cælorum claustra reseraret? Hoc tantum opus manus exigebat solutas, velocésque pedes, & expeditos ad cursum, robustum corpus, & contraria omnia, quàm spectamus in crucifixo. Sed in illa specie, in illis cornibus crucis Christus habuit giganteam fortitudinem absconditam.

In cruce quanta Christi potentia.

Explicatio historica.

62. *Ante faciem eius ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius.*] Quo tempore Deus peregrinum populum in terram promissam introduxit, antecedebat illum; & sic locum expediuit ad cursum, vt omne submouerit impedimētum, ad quod pedes offendere posse videbantur. De quo vide *Iosue caput vltimum, & Deuter. cap.* 32. *& cap.* 7. Præmittebat enim Deus mortem, quæ exanimaret, & deleret, aut abigeret aduersarios, vt vacuam

Quibus armis Deus Chananæos expulit.

A Hebræis possessionem relinquerent. Misit crabrones, qui instar erant mortis, ac diaboli, à quibus exagitati sunt, & pulsi Chananæi. Misit terrorem, qui non minùs debilitauit inimicorum vires, quàm pestis, & gladius. Exod. 23. v. 27. *Terrorem meum mittam in precursum tuum, & occidam omnem populum, ad quem ingredieris: cunctorúmque inimicorum tuorum coram te terga vertam, emittens crabrones priùs, qui fugabunt Heueum, &c. antequam introeas.* Iosue suprà v. 12. *Misi ante vos crabrones, & eieci eos de locis suis, non in gladio, & arcu tuo.* Et clariùs *Deut. cap.* 7. *à v.* 19. Ad hunc ergo modum complanabit Dominus Nabuchodonosori viam aduersùs Iudæorum populum, efficiétque, vt illorum regionem sine vlla graui offensione possideat. Hæc de re summa; nunc explicemus singula secundùm historiam.

Per crabrones expulsi è suis finibus Chananæi.

Ego in vtroque hemistichio eandem arbitror esse sententiam, neque aliud esse egredi ante pedes diabolum, quàm ire mortem ante faciem. Vbi vulgatus *mors*, Hebr. est דבר, quæ vox si gemino notetur chamez, & legatur דָּבָר *dabar*, verbum significat, & ita transtulere Septuaginta, & Theodotio; si cum gemino segol דֶּבֶר *deber*, significat pestem, aut mortem, quomodo transtulerunt Aquila, Symmachus, & quinta editio, quos secutus est vulgatus. Vbi in vulgato *diabolus*, Hebr. est רשף *reseph*, cuius significatio varia; significat enim aliquid, quod velociter vrit, quales sunt scintillæ, aut prunæ, & iuxta Rabbi Dauid morbus quidam vrens, qui ossium etiam medullas penitus absumit, qui etiam vocatur ignis ossium: aut etiam auem, quia fortasse morbus ille sic vrit, serpítque velociter, quomodo volucres pernici volatu aera permeant. Nisi mauis genus esse auium, cuius ea proprietas est, vt vrat, & perimat. Hieronymus indicat significare etiam serpentem; fortasse ille est, qui in Scriptura ignitus appellatur. His omnibus optimè adumbratur diaboli natura. Est enim ignis, qui medullas ipsas intimas inflammat; neque auis, aut serpens celeriùs volat, aut serpit magis insidiosè, quàm dæmon, cuius morsus pestilens est. Hieronymus diabolum reddidit; & ex Hebræorum sententia docet hoc nomine רשף *reseph*, dæmonum significari principem; quomodo in Euangelio dæmoniorum princeps vocatur Beelzebub. *Tradunt* (*inquit*) *Hebræi Reseph dæmonis esse nomen, qui principatum teneat inter alios, & propter nimiam velocitatem, atque in diuersa discursum auis & volatile nuncupatur: ipsúmque esse, qui in paradiso sub figura serpentis mulieri sit locutus; & ex maledictione, qua à Deo condemnatus est, accepisse nomen: siquidem reseph reptans ventre interpretatur.* Cùm ergo Hieronymus mysticum intueretur sensum, diabolum conuertit, cuius ingenium videbat in prunis, & scintillis, in rapaci volucre, in serpente ignito præcipuè figurari. 63.

Reseph dæmonis nomē qui Euam decepit.

Ego, vt dixi, in vtroque hemistichio idem intelligo; licèt in posteriori magis obscurè. Reseph enim siue prunam significet, siue rapacem volucrem, siue serpentem, aut diabolum, cùm id sonet, à quo sperari nihil possit præter exitium, aut mortem, pro morte sumuntur, quia mortis sunt causæ. Et quidem diabolum pro aduersario, aut pro morte sumi non est insuetum. 3. Reg. 5. 4. *Nunc autem requiem dedit Deus meus mihi, & non est Satan, neque occursus malus.* Et Orcus, qui apud profanos Deus est inferni, id est, diabolus, pro morte sumitur. Porrò quòd mors ante faciem eat, & egrediatur ante pedes diabolus, 64.

las, non laboro, cùm vtrumque Deum antecedat; quod vastet omnia, & in vastatam, desertámque regionem Chaldæos introducat. Hic verò dicendi modus in argumento simili non est nouus. Vide quæ diximus ad illud Ioelis cap. 2. *Ante faciem eius ignis vorans.* Vbi docuimus in Chaldæorum castris ignem antecedere. Quidam in morte, ac diabolo Nabuchodonosorem intelligunt,
65. qui à Deo missus est, vt res euerteret Iudaicas. Ita putat Hugo. Alij Cyrum, & Darium, qui hoc de Babylonis excidio vaticinium sumunt. In his sunt Albertus, & Lyra. Neque mihi displicet, quod nonnulli putant in diabolo intelligi id, quod vox ipsa sonat, nempe Angelum malum; huius enim ministerio aliquando Deus vtitur ad impiorum punienda peccata. Ita Iansenius, & Lyra. Per hunc enim multa perfecit olim Deus ad malorum stragem. Imò Isidorus *lib.* 1. *sent. cap.* 12. & ex eo Burcardus *lib.* 20. *cap.* 54. putat per spiritus malos Deum tantummodo solere sumere supplicia. Quod tamen falsum esse diximus in nostris Commentariis in Danielē *cap.* 3. *n.* 93. Sed siue diabolus sit Nabuchodonosor, siue spiritus malus diuini furoris administer, nobis in præsentia satis erit, si de re Babylonica præsens intelligatur locus. Illud hîc obseruandum, diabolum dici ante Domini pedes esse missum, quia à Domino conculcatus, non nisi pedibus, id est, ab humili loco mitti debuit, quasi minister abiectus, & sordidus.

Diabolus ad punienda peccata Dei minister.

66. Vbi vulgatus, *Egredietur diabolus ante pedes eius,* Septuaginta reddidere, *Egredientur in campos pedes eius.* Cur ita conuerterint, non laboro. Est tamen satis ad institutum horum verborum accommodata sententia: significatur enim nihil Deo futurum esse arduum, nihil accessu, factúque difficile; nam campi, id est, æquatæ planícies, quæ neque in tumulos assurgunt, nec deprimuntur in valles, nullam siue equestri, siue pedestri viæ offensionem obiiciunt. Est autem hic subaudienda similitudinis nota, in hunc modum. Deus, & illo duce Chaldæorum exercitus Iudæorum fines expedito percurrent ingressu, quomodo si in planiciem equi incitati discurrant.

Nihil Deo accessu difficile.

67. Alius sese mihi sensus offert, qui non longè abest à Septuaginta versione, si mortem, & diabolum sumamus pro his incommodis, quæ prælium inituris occurrunt. Est enim ab aduersariis, qui sese hostibus opponunt armati, cædes, & mors; est item, vbi aliæ desint bellorum offensiones, impedimentum, & mora. Vtrumque Deus defuturum esse dicit, vbi Chaldæi Iudæorum fines bello tentauerit: neque enim à Iudæis vllam accipient plagam, quam hîc mortem appellat; quia illam Deus ante suam, & Chaldæorum faciem procul arcebit. Nullum diabolus opponet impedimentum, aut moram, quæ retardare possit Chaldæorum cursum, atque victoriam. Diabolus autem dicitur, sicut *lib. Reg.* 4. *cap.* 5. malus occursus. Idoneè autem diabolus egredi dicitur ante pedes; quia nullum offendiculum pedibus obiiciet, quod properantes remoretur. Quare omnia Chaldæi inuenient, ad cursum & victoriam expedita; quomodo si incitatos, & ardentes equos excipiat spatiosa, & æquata planicies.

68. Vers. 6. *Stetit, & mensus est terram.*] Non cohibuit Deus cursum velocem, neque victoriæ modum ad illud vsque tempus penè perpetuum, donec terram Chananitidem populo subiecit Israelitico. Tunc verò stetit victoriarum, licèt non beneficiorum continens cursus. Fecit autem tunc Deus, quod mortalis solet imperator, vbi alienam aliquam regionem suo sibi subiugauit imperio; vt inter suos aut sorte, aut pro cuiusque meritis fines distribuat, quorum facta est noua ad regnum accessio. Quod fecere millies Romani, & hæc fuere præcipua victoribus militibus præmia, vt docuit, licèt paulo obscuriùs, in suo Melibæo Virgilius. Stetit igitur Deus, & mensus est terram, cuius diuidendæ Iosue, ac Moysi certam formam, mensurámque præscripsi. Vt habes *Num. cap.* 34. *& Iosue cap.* 13. Tunc autem stetit, quia pugnare desiit, & Hebræis ad habitandum regionem reliquit. Stare enim, vt docet hoc loco Cyrillus, est opus aliquod, aut datum sibi negotium absoluere. Hoc idem fecit postea, cùm Nabuchodonosorem in eosdem fines introduxit; cùm enim rerum esset potitus, de Iudæorum bonis suo, vt libuit, arbitrio disposuit.

Iudæa Chaldæis in possessionem data.

Explicatio allegorica.

69. *Ante faciem eius ibit mors.*] Hæc Patres communiter de Christi victoria, qua mortem vicit, & inferum, id est, diabolum. Diximus nuper in Christi ignominia in exanimato, atque fœdato corpore absconditam esse Christi fortitudinem; nunc illius documenta præbet, cùm dicit ab confixo clauis, imò & mortuo superatas fuisse potestates duas, quæ tunc dominabantur in terra, mortis nimirum, & diaboli, siue peccati. De quibus Oseas cap. 13. v. 14. *Ero mors tua, ô mors; morsus tuus ero inferne.* Et quidem de diabolo Christus ipse dixit iam morti proximus Ioan. 12. v. 31. *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Apparuit etiam maxima Christi fortitudo; quia & ipse, dum viueret, ex obsessis corporibus eiecit dæmonia, & functos iam vita excitauit à mortuis, morbos depulit; qui quia corpus sic afficiunt, vt ad mortem deducant, in morbis depulsis mortem quoque fuisse superatam existimandum est. Quare hoc etiam modo mors ante faciem Domini, & diabolus ante pedes aufugisse censeri possunt. Expulit etiam diabolum, quia omnia dæmonum oracula silere fecit, vt diximus super Zachariam *cap.* 13. *n.* 8.

Christus diaboli, & mortis victor.

70. *Stetit, & mensus est terram.*] Metiri, atque diuidere terram eius est, qui summam habet potestatem; quod tunc maximè præstat, cùm nouam illam possessionem acquisiuit. Hæc potestas data est Christo, vt ipse docuit iam de morte atque inferno victor Matth. 28. v. 19. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* Quod Pater illi promiserat Psal. 2. v. 8. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Ex eo factum est, vt datam sibi terram distribueret; quod sanè fecit. Nam vbi primùm dixit Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas,* subdidit, *Euntes ergo docete omnes gentes.* Tunc autem discipulis acquisitos sibi nouo quodam iure terminos terræ distribuit, vt alij in alios digressi euangelicam lucem in omnes terræ fines inueherent. Mensum porrò fuisse Christum vniuersam terram, & Apostolos suos ad certas illius partes destinasse, mihi improbabile non est; & docent Iacobi verba in testimonio Ramiri regis; vbi ab ipso Christo Iacobus Zebedæi filius Hispaniæ tutelæ destinatus dicitur, sicut alij Apostoli in aliarum prouinciarum custodiam patroni, atque doctores destinati sunt. Sic autem in eo testimonio Iacobus ad Ramirum. *Nunquid ignoras, quod Dominus*

Christi in terram potestas.

noster Iesus Christus alias prouincias aliis fratribus meis Apostolis distribuens, totam Hispaniam mea tutela per sortem deputasset? De quo testimonio nos plura ad eum tractatum, quem de Iacobi in Hispania prædicatione Apostolicorum Actuum commentariis adiunximus.

Expositio historica.

71. *Aspexit, & dissoluit gentes, & contriti sunt montes sæculi.*] Prouerbialis hyperbole est, qua significamus aliquid à nobis nullo, aut facili negotio præstari posse. Sic dicunt profani omnia ex alicuius nictu pendere, id est, aliquem solo oculorum coniectu, siue aspectu posse constituere, ac labefactare omnia. Hoc suo Ioui tribuit cæca, delusaque gentilitas. De quo Horatius lib. 1. ode 3. *Cuncta supercilio mouentis.* Sic Catullus de nuptiis Pelei, annuenti Ioui, seu, quod idem est, illius nictui attribuit vniuersi tremorem, atque concussum.

Deus solo nutu gentes dissoluit.

Annuit inuicto cælestum numine Rector,
Quo tunc & tellus, atque horrida contremuerunt
Æquora, concussitque micantia sydera mundus.

Qui dicendi modus familiaris est Homero, ex quo sumpsit Virgilius, qui iisdem verbis *lib.* 9. & 10. hoc ipsum expressit.

Annuit & totum nutu tremefecit olympum.

72. Hoc idem, quod fabulosè, & hyperbolico loquendi genere de suo Ioue dixerunt antiqui, id de Deo quàm verissimè dicit Propheta; quod alij etiam dixerunt, cùm nihil esse Deo difficile significare volunt. Sic Dauid Psal. 103. v. 32. *Qui respicit terram, & facit eam tremere, qui tangit montes, & fumigant.* Et Eccli. cap. 16. v. 18. *Ecce cælum, & cæli cælorum, abyssus, & vniuersa terra, & quæ in eis sunt, in conspectu illius commouebuntur, montes simul, & colles, & fundamenta terræ. Et cùm conspexerit illa Deus, tremore concutientur.* Vtrunque verò contigisse, quo tempore Hebræi, duce, atque auspice Deo, terram promissionis ingressi sunt; imò cùm ad illam cursum instituerunt, multa docent. Exod. cap 15. v. 14. *Dolores obtinuerunt habitatores Philisthim: tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan.* Idem de habitatoribus Iericho dixit Rahab meretrix Iosue cap. 2. v. 11. *Elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus ad introitum vestrum.* Quod etiam accidisse toti regioni Chananitidi constat ex Iosue *cap.* 5. *v.* 1. vbi omnium regum Chananæorum dicitur dissolutum esse cor, neque in illis remansisse spiritum. Idem verò accidisse Iudæis, ad aduentum regis Nabuchodonosor, colligitur ex Ezech. cap. 7. v. 17. *Omnes manus dissoluentur, & omnia genua fluent aquis: & accingent se ciliciis, & operiet eos formido.* & cap. 21. v. 7. *Tabescet omne cor, & dissoluentur vniuersæ manus, & infirmabitur omnis spiritus, & per cuncta genua fluent aquæ.* Est ergo sensus. Sicut olim aspiciente Deo, offensis nimirum oculis, Chananæos, eorum dissoluit neruos, & fregit animos: sic etiam cùm eodem modo Iudæos aspexerit, illorum debilitabit vires, & aduentu Chaldæorum reddet exanimes. Neque aliis ad debellendum machinis opus erit; satis erit ad totum illud opus peragendum intentus diuinorum oculorum obtutus.

Chananæorum animi Hebræorum aduentu dissoluti.

Item Iudæorum ad Chaldæorum ingressum.

73. *Et contriti sunt montes sæculi.*] In montibus adumbrari principes, & qui excelso sunt loco, ipsa montium natura satis ostendit; nam è plano tument, & magna mole in altum attolluntur. Et quidem rex Babylonis mons pestifer appellatur

Principes in montibus expressi.

A Ieremiæ cap. 51. & diabolus, cuius spiritus arrogantissimus est, mons vocatur magnus Zachariæ *cap.* 4. Denique potentes, & superbi montium significantur nomine Isaiæ cap. 4. *Omnis vallis implebitur, omnis mons, & collis humiliabitur.* Hos verò montes contriuit Deus, adæquauit vallibus, & redegit in planum; quod seruatori Christo promisit Pater, Isaiæ cap. 41. v. 15. *Ego posui te quasi plaustrum triturans nouum, habens rostra serrantia: triturabis montes, & comminues, & colles quasi puluerem pones.* Qui locus cum hoc nostro mirè ex omni parte colludit. Montes porrò sæculi dicuntur, sicut statim iidem per expexegesim *colles mundi* vocantur, qui nempe manu facti non sunt, sicut alicubi B gentium facti narrantur. Sicut de Nabuchodonosore diximus ad illud Ieremiæ cap. 13. *Ad montes caliginosos*; qui montes excitauit in Babylone, vt docet Iosephus *lib.* 10. *cap.* 11. sicut *sæculum* pro mundi primordiis aliquando ponitur. Vnde frequens est: *à sæculo non est auditum*, id est, à mundi constitutione. Et Genes. cap. 6. n. 4. *Isti sunt potentes à sæculo.* Sic etiam montes sæculi illi vocantur, qui cum ipso mundo, aut non longè post mundum creatum excitati sunt, quique propter grauem molem nunquam sunt mutati, neque videtur futurum, vt aliquando mutentur. Quos Baruch *cap.* 5. *v.* 7. rupes vocat perennes. Ait igitur Propheta illos, qui propter magnitudinem C vocantur *montes*, & propter generis antiquitatem, & diuturnam amplissimi tituli possessionem *montes sæculi*, esse tamen à Domino conterendos; ita vt nullum supersit tantæ, ac tam diuturnæ gloriæ, tantæ celsitudinis argumentum. An verò id etiam propriè aliquando contigerit, id est, an reuera contriti fuerint, atque incuruati montes, dicemus statim.

Montes sæculi, & colles mundi, qui.

Incuruati sunt colles mundi.] Eadem est sententia aliter expressa. Nunc videndum an verè contriti fuerint montes, & depressi, aut incuruati colles: vel potiùs hæc tantùm allegoricè sint intelligenda; quasi viri potentes sint oppressi, qui à sæculo, id est, iampridem regnum obtinuerunt: aut D certè via Israelitis sic fuerit ad cursum expedita, vt interiecti montes nullum gradientibus impedimentum obtéderint. Hoc potiùs plerique interpretum existimant tum ad hunc locum, tum ad alia plurima, quæ huic sunt in Psalmis, & Prophetis affinia: quos hîc referre necesse non est, ne longi simus, ac ne omnes propemodum numeremus. Et vt paucis referam, quid mihi magis videatur verisimile, dico id mihi nunc etiam videri, quod existimabam in expositione *Psal.* 67. reuera montes fuisse contritos, & colles incuruatos, vt iter Hebræi haberent expeditum, & planum. Id mihi verisimile facit, quòd sæpe montes, & colles dicuntur commoti, aut liquefacti, aut talia passi, qualia sine conuulsione, ac motu fieri non solent. Iob cap. 9. v. 5. *Qui transtulit* E *montes, & nescierunt hi quos subuertit in furore suo.* Psal. 96. v. 5. *Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini.* 75.
Sed persuadet hæc omninò, quòd *Psal.* 113. commota terra, & montes è suis commoti sedibus simul cum diuiso mari rubro, & aperto Iordane, & petra aquis scaturiente coniunguntur. Cùm autem ibi propriè, & non figuratè mare retrò fugisse, & retrorsum abiisse Iordanis, & petra in aquarum stagna conuersa esse dicantur; sic etiam propriè dicenda est terra commota, & montes sicut arietes exultasse. Exultare autem hoc loco non significat lætari, sed extra situm suum, & sedem salire. Hoc nos pluribus ostendimus

74. (margin, beside "Incuruati sunt colles mundi")

Montes ad ingressũ Israel verè, ac propriè commoti.

dimus in explicatione *Psal.* 67. vnde huc pleraque transcribemus. Quod item sentit Caietanus in Psal. 103. Inclinat Magister historiæ Scholasticæ. & Lyra *in cap.* 20. *Numerorum*. Idem etiam sumi posse videtur ex *Psal.* 103. qui terræ tremorem cum monte fumigante coniungit. *Qui respicit terram, & facit eam tremere. qui tangit montes, & fumigant*. Vt autem hoc posterius propriè contigit; sic etiam propriè videtur contigisse prius. Et sanè *Numer.* 21. scopuli inclinati dicuntur, vt Israëlitæ acquiescerent in Arnon. Porrò in Arnon terram esse commotam, habes Iud. cap. 5. n. 4. *Domine, cùm exires de Seir, & transires per regiones Edom, terra mota est.*

76. Quòd verò propriè sit intelligenda illa scopulorum inclinatio, argumento est, quia ibidem id scopulis, & torrentibus accidisse dicitur, quòd olim mari rubro. *Sicut fecit in mari rubro, sic faciet in torrentibus Arnon: scopuli torrentium inclinati sunt.* &c. Vt ergo propriè mare diuisum est, & via Hebræis ad transitum expedita: sic diuisi, aut inclinati montes clausam antè viam Israëlitis aperuerunt. Et ita sentit Abul. *in cap.* 5. *Iud.*

77. *q.* 2. Accedit, quòd ibi meminit Moyses libri bellorum Domini, in quo hæc contineri commemorantur; sed in his Domini bellis id contigisse, vt terra sit concussa, atque disrupta, satis indicat Zachar. cap. 14. *Egredietur*, inquit, *Dominus, & prœliabitur contra gentes illas, sicut prœliatus est in die certaminis*. id est, in egressu ex Ægypto, vt communiter sentiunt interpretes cum Hieronymo, vel cùm Deus ante populum suum egrediebatur, de quo nobis sermo. *Et stabunt pedes eius in die illa super montem oliuarum, qui est contra Ierusalem ad Orientem, & scindetur mons oliuarum ex media parte sui ad Orientem, & Occidentem prærupto grandi valde.* Id verò contigisse propriè, & non figuratè liquet ex eo quod statim subditur, *Et fugietis sicut fugistis à facie terræmotus in diebus Osiæ regis Iuda.* Terræmotum verò illum propriè contigisse nemo negat, & tanquam à re omnino certa, ab eo tempus ostenditur prophetiæ Amos *cap.* 1. Vide de hoc terræmotu Ioseph. *lib.* 9. *Antiq. cap.* 11. Quare similia in die certaminis Domini facta narrantur his, quæ postea accidêre tempore Osiæ; & his, quæ à Zacharia *cap.* 14. impendere prædicantur.

78. *Ab itineribus æternitatis eius.*] Deus tunc egredi dicitur, quando aliquid producit extrà, quod homines capere sensu possunt; qualis est aspectabilis vniuersi moles, & quæ in illo continentur omnia. Quare itinera, aut viæ Domini, illius opera sunt. Vnde *Prou.* 8. *v.* 12. Sapientia dicit de se, *Dominus possedit me in initio viarum suarum*. Et *Iob c.* 40. Behemot fuisse dicitur principium viarum Domini, id est, præcipuum opus. Sic etiam montes appellari possunt æterni, id est, qui primùm in ipsa mundi constitutione creati: æternum verò appellari primum illud tempus, sicut etiam sæculum vocari iam antè diximus. Sanè *Psal.* 75. *v.* 4. montes dicuntur æterni: & *Genes.* 49. æterni colles. Et cùm aliquid ab antiquitate laudatur, ante montes, & colles creatum esse dicitur. Sic Iob cap. 15. v. 7. *Nunquid tu primus homo natus es, & ante colles formatus?* Et Prouerb. 8. v. 26. *Ante omnes colles ego parturiebar*. Quod ideo videtur de præaltis potius montibus, quàm de terra dici; quia primi, postquam ab aquis aquæ sunt diuisæ, montes apparuerunt, atque ideo existimari potuere vniuersarum terræ partium antiquissimi.

Deus egredi dicitur quando aliquid ad extra producit.

Montes cur vocati æterni.

79. Cur verò montes isti, de quibus loquitur Pro-
A pheta, dicantur *æterni*, seu, quod idem est, *ab itineribus æternitatis*, iam suprà modicè tetigimus. Duo etenim montium genera spectare licet. Alij æterni sunt eo, quem diximus, sensu; qui etiam montes dicuntur *sæculi*, & *mundi*, quia mundo, & sæculo coæui; quorum ea est firmitas, vt sicut à creato mundo ad nostram vsque ætatem permanserunt immoti, sic etiam videntur in omnia sæculorum sæcula permansuri. Alij sunt aut casu, aut hominum industria facti, qui facilè dissolui possunt, imò qui iam dissoluti sunt, & dissoluentur postea facilè, si qui manent, si vis aliqua naturæ violentior ingruerit. Quales fuerunt quos Nabuchodonosor excitauit, de quibus Io-
B sephus *lib.* 10. *cap.* 11. & qui Romæ testaceus appellatur; & quos aggerant commoti fluctus ex arena, ex qua magni excitantur cumuli, quos Syrtes appellamus. Qui etiam, Solino teste, inueniuntur in Africa, in locis æstuosis, & siccis; qui licèt vasti sint, vt facilè à vento acriùs perflante congregantur, sic etiam ab eodem vento eadem facilitate dissoluuntur, aut transferuntur aliò. Cùm igitur conterendi dicuntur montes, sæculi, & mundi colles incuruandi, id est, æterni montes, & colles; de illis Propheta loquitur qui in exordio mundi creati sunt; non de his, qui casu, aut opera hominum excitati.

Montes quidam manu facti.

Quod verò ad rem grammaticam pertinet, or- 80.
C dinémque literæ, obseruo relatiuum solere frequenter omitti, vt *Psal.* 7. vbi vulgatus, *In præcepto, quod mandasti.* Hebr. *In præcepto mandasti.* & *Psal.* 9. *v.* 16. vbi noster, *In interitu, quem fecerunt*; & statim *In laqueo isto, quem absconderunt*, Hebr est, *In interitu fecerunt, & in laqueo absconderunt.* & Psal. 117. vulgatus, *Hæc dies, quam fecit Dominus. Hæc dies fecit Dominus.* vbi, vt vides, nomen desideratur relatiuum. Eodem modo *Iosue cap.* 10. *v.* 20. vbi nos legimus, *Hi, qui Israel effugere potuerunt, ingressi sunt ciuitates munitas.* Hebr. *Superstites superfuerunt, venerunt.* Alia exempla occurrent passim mediocriter attento. Iuxta hæc ego sic literam ordino, *Contriti sunt montes sæculi, & incuruati sunt colles mundi;*
D *illi nempe montes, & colles, qui ex illorum operum numero sunt, quæ Deus ab æternitate, id est, à sæculo condidit, id est, in mundi primordio.*

REGVLA. *Relatiuum ab Hebræis interdum omissum.*

Expositio allegorica

Allegoria adeò facilis est, vt in ea tractanda 81.
otiosus videri possit interpretis labor; maximè cùm hæc fermè sola ab auctorum plerisque tentata sit. Montes sæculi, & colles mundi, superbi sunt, atque potentes, qui appellari etiam possunt æterni; vel quia iamdudum imperium obtinent, & gloriam, quæ in ipsis alunt arrogantes spiritus, & sibi statum illum gloriosum, quo sunt ani-
E mi stupore, æternum futurum esse blandiuntur. Hos igitur Deus vel solo oculorum nutu disperdet; quantumuis in stabiliendo aut regno, aut nomine laborent, vt antiqua docent Chananæorum exempla, & noua etiam in omni sæculorum memoria recordamur. Hoc de Christi tempore cecinit Isaias *cap.* 40. & præcursor Ioannes ex illius ore, præsente iam Christo, repetiuit. Lucæ cap. 3. v. 5. *Omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur.* Theophylactus hîc agnoscit montes, & saxa, quæ à mundi constitutione integra, atque inconcussa manserunt, in Christi morte, id est, aspectu Christi morientis fuisse disrupta. Idem sentit itinera æternitatis esse legem euangelicam, quæ crucem sonat, & illa maximè

Digitized by Google

commendat, quæ magis horret malesana hominum cupido, & corrupta natura. Hæc enim mótes conterit, & valles incuruat; quia nullam patitur ceruicem insolenter attolli. Quod item indicat Cyrillus, qui æternitatis itinera, seu semitas legem esse putat diuinam, & maximè euangelicam, & adducit illud Ieremiæ cap.6. iuxta Septuaginta lectionem, *State super vias, & videte, & interrogate semitas Domini æternas.* Idem Theophylactus, & Theodoretus in montibus, & collibus cultum idolorum intelligunt; quoniam in præaltis montibus idolorum extruebantur aræ, & illis impiæ immolabantur victimæ: quod quia apud Iudæos erat frequentissimum, fiebat, vt execranda fana, vbi nefarius cultus impendebatur dæmoni, excelsa vocarentur.

Explicatio historica.

82. Vers.7. *Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.*] Hæc, vt reor, commoda est superiorum explicatio, vnde habemus ab aspectu Domini dissolutas esse gentes, & montes sæculi contritos. Quod probatur Æthiopum, qui etiam Madianitæ nominantur, exemplo. Duo sunt populi, qui cùm appellatione conueniant, longe tamen differunt & locorum situ, & corporis habitu, & animi moribus. Sunt enim Æthiopes quidam orientales, vt docet Homerus, & tradit Strabo *lib.1.* & Plinius *lib. 5. cap.7.* qui Syris, & Palæstinis vicini sunt. Quod expressum habes lib.2. Paralip. cap.21. *Suscitauit Dominus contra Ioram spiritum Philisthinorum, qui confines sunt Æthiopibus.* Madianitas porrò Æthiopes esse docet Sephora Moysis vxor, quæ filia fuit Ietro Madianitæ, & tamen Æthiopissa dicitur *Numer. cap.12.* Et *Psal.71.* Æthiopes, Arabes, & Sabæi, quasi sibiipsis vicini commemorantur. Et Iethro Madianita, cuius oues pascebat Moyses, prope Sinai Arabiæ montem habitabat. Quare de his

Æthiopia duplex.

83. Æthiopibus sermo est, quorum Deus spiritus aliquando fregit, non tam Hebræorum armis, quàm aspectu suo, id est, facili, atque miraculoso successu. Quòd verò Deus Æthiopes, qui & Madianitæ, solo tantùm aspectu, id est, sine vlla, aut non nisi leui Israelitarum opera superarit, docet casus Gedeonis, cui Deus edixit, vt exiguam secum militum manum adduceret, ne humanis viribus, atque consiliis nobilem de Madianitis victoriam ascriberet. Quare totum illud opus Domini fuit. Vt enim habes Iudic. cap.7. v. 23. *Immisit Dominus gladium in omnibus castris, & mutua se cæde truncabant.* De Æthiopibus aliquid etiam habemus admirabile *lib. 2. Paralip. cap.14. n. 9.* Repetam autem verba licet paulo longiora, quia apertè docent eosdem esse cum Madianitis Æthiopes. Nam & caulas dicuntur habuisse pecudum, quod & Madianitarum præcipuum negotium, qui re abundant pecuaria; & ciuitates, quæ sunt in circuitu Geraræ, dicuntur esse captæ. Gerara autem aut est in regione Madianitide, aut certè vicina, vt constat ex *Gen. cap.20.* ibi enim peregrinatus dicitur Abraham, nempe inter Cades, & Sur. Ita sentit Augustinus in quæst. super Numer. cap.12. q. 20. *De vxore* (inquit) *Moysi Æthiopissa quæri solet, vtrum ipsa erat filia Iethro, an alteram duxerit, vel superduxerit, sed ipsam esse credibile est. De Madianitis quippe erat, qui reperiuntur in Paralipomenon Æthiopes dici, quando contra eos pugnauit Iosaphat* (ita legit Augustinus, cùm sit Assa.) *Nam in his locis dicitur eos persecutus populus Israel, vbi Madianitæ habitant, qui nunc Saraceni appellantur. Sed nunc eos Æthiopes nemo fere appellat, sicut solent locorum, & gentium nomina plerumque vetustate mutari.* Sic autem ille locus Paralip. *Egressus est autem contra eos* (nēpe rege Assa, & Iuda, & Beniamin) *Zara Æthiops cum exercitu suo decies centena millia, & curribus trecentis, & venit vsque Maresa. Porrò Assa perrexit obuiam ei, & instruxit aciem ad bellum in valle Sephata, quæ est iuxta Maresa. Et inuocauit Dominum,* &c. *Exterruit itaque Dominus Æthiopes coram Assa, & Iuda, fugeruntque Æthiopes, & persecutus est eos Assa, & populus, qui cum eo erat, vsque Gerara: & ruerunt Æthiopes vsque ad internecionem, quia Domino cædente contriti sunt, & exercitu illius præliante. Tulerunt ergo spolia multa, & percusserunt ciuitates omnes per circuitum Gerara: grandis quippe cunctos terror inuaserat. & diripuerunt vrbes, & multam prædam asportauerunt. Sed & caulas ouium destruentes tulerunt pecorum infinitam multitudinem, & camelorum, & reuersi sunt in Ierusalem.*

Madianitæ, qui & Æthiopes à Deo superati.

Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ.] Illud *pro* idem valet quod *propter*, sicut etiam apud Latinos sæpe. Comicus in Eunucho, *Ego pol te pro istis factis, & dictis, scelus, vlciscar.* Sic dicimus, *pro hac re te diligo. pro nostra amicitia hæc curabo*, & similia Quare sensus est, propter Æthiopum iniquitatem illorum euerti tentoria; euerti, inquam, tabernacula Madian. Vbi in primo hemistichio tempus posuit præteritum, in secundo futurum; cùm tamen eadem sit vtrobique sententia. In quo ego aliquid animaduerto, quod ad meam cogitationem non parum facit: sic enim præteritorum meminit, vt tamen futurum aliquid respiciat, cuius in præteritis vmbra præcessit; nempe Chaldæorum appulsum in terram promissionis, quibus adfuit Deus contra Iudæorum rebellem, atque infidelem populum. 84.

Pro idem quod propter.

Tentoria, & pelles, quæ idem valent, nam ex pellibus tabernacula fiunt, accommodatè dicuntur de Æthiopibus, seu Madianitis: qui cùm plerumque in campis agant, quia nomades sunt, & vni rei armentariæ, ac pecuariæ vacant, domos stabiles non habent; quia eò feruntur, quò vocat pecorum commoditas; sed tabernacula, quæ sæpè mutant pro pascuorum opportunitate. Vnde nationes istæ etiam à profanis scenitæ vocantur, quia in scenis, id est, tuguriis habitant. Ita Plinius *lib.5. cap.12.* Quare qui Madianitis tabernacula disturbare voluerit, illis nihil è re, supellectilique domestica reliquerit. Et id credo nūc à Deo esse significatum, dum videnda dicuntur oculis nempe infensis Æthiopum tentoria, & pelles Madian; neque enim pastoribus disturbato tentorio quicquam erit reliqui. Tunc autem dissipatum dici potest, quando ablati sunt greges, quorum causa pastoritiæ casæ construuntur. Imò etiamsi tentoriis vis nulla sit illata, si tamen sint abacti greges, disiecta dicuntur tabernacula; sicut domus periisse, quando illi, quorum causa fabricatæ fuerant, extincti sunt. 85.

Madianitarum viuendi ratio.

Quomodo hoc in tempus Babylonicum, extremámque Iudæorum cladem aptari possit, quiuis, vt reor, facilè coniectabit. Neque enim aliquid hîc nobis quærendum est, quàm Dei inimicos, in quos nimirum oculos coniecerit infensos, quales tunc erant Iudæi, nullo negotio fore superandos. Et ita planè accidit. Deus enim Iudæos quondam acres in bello sic horrore perculit, exanimauitque, vt penè constrictos tradiderit, & vrbem illam arte, atque natura munitam, quæque nulla hostium aut contentione, aut in- 86.

dustria

Digitized by Goo

dustria expugnari posse videbatur, sic excidit; A quomodo dissipari solent pastorum tabernacula, quæ ex pellibus, aut cespite, aut palustri materia contexuntur. Sed si dicamus, quæ de Madianitis, Orientalibúsque Æthiopibus dicuntur, illa etiam hoc ipso Chaldæorum tempore contigisse, non credo ab historica fide aberrabit commentatio. Nam hos etiam populos, quos antè subiugauere Israelitæ, aut potiùs Deus, vt Israelitarum causæ commodaret, eodem agente Deo, postea expugnauere Chaldæi. Ita Iosephus lib. 10. Antiq. cap. 11. *Quinto* (inquit) *post excidium Solymitanum anno, qui fuit regni ipsius Nabuchodonosoris vigesimus tertius, cum magnis copiis inuasit Calesyriam; qua subacta bellum gessit contra Ammonitas, & Moabuas,* B &c. Sed docuit hoc expresse magis Ieremias *cap.* 25. vbi regionibus, quæ sunt in circuitu Iudææ, inter quas numerat Arabiam, Dedan, Theman, & Buz, quæ ad Ismaelitas, & Madianitas pertinent, quæ omnes subiugandæ dicuntur à Nabuchodonosor *eodem capite v.9.*

87. Vers. 8. *Nunquid in fluminibus iratus es, Domine, &c. aut in mari indignatio tua?*] Alia prodigia adducit Propheta, quibus Deus olim suam in populum benignitatem ostenderat. Iratus videbatur Dominus in flumina, cùm illa percussit virga in manu Moysis, & aquas Nili conuertit in sanguinem, & pisces illius computruerunt, *Exod. cap.* 7. *v.* 20. Siccauit præterea Iordanem, & priùs mare C rubrum, ita vt sicco vestigio egrederentur ex Ægypto Israelitæ per mare diuisum; & per diuisum Iordanem sicco item vestigio in terram promissionis ingrederentur. Hic tamen furor, qui videbatur vehemens, non petebat tumentes maris fluctus, aut fluminum torrentes aquas; sed Ægyptios, à quibus captiui tenebantur Hebræi, & Chananæos, qui promissam Hebræis possessionem occupabant.

88. Hoc ipsum rogauit olim Dauid Psal. 113. *Quid est tibi mare quod fugisti, & tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum? Montes exultastis sicut arietes, & colles sicut agni ouium?* Et docet regius Vates ex illa tanta naturæ mutatione id spectasse Deum, vt sui D nominis dignitati consuleret. Huc fortasse spectant hoc loco Prophetæ verba, quæ id exigunt à Deo, vt suo nomini consulat, quod à Babyloniis conuitiis lacerari videbat, dum vident populum, quem sibi ex omnibus vnum adoptarat ipsorum seruituti fuisse subiectum. Et quemadmodum tunc Dauid non sibi, sed diuino nomini gloriam optabat; sic modò Propheta id videtur à Domino precari. Dixit ibi Dauid, *Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Sic modò Habacuc, *Suscitans suscitabis*, &c. Fuisset quidem Domino non ita gloriosum increpuisse mare, & exsiccasse illud, aut aquas diuisisse E Iordanis; si postea deseruisset in deserto populum, illúmque aut fame, aut aliis naturæ incommodis confecisset; aut si Iordanis alueo siccato, citra Iordanem tamen consenescere, atque interire permisisset gentem, quam post tot labores, atque molestias ad ripas vsque fluminis adduxisset.

89. Indignatus dicitur aliquis, licèt illius animus quàm longissimè absit ab omni motu, qui mentem turbat, aut exagitat; cùm aliquid facit, quod ab offenso, atque iracundo animo fieri solet. Quod tunc plerunque fieri existimatur, quando aliquid fit, quod alicuius naturam minimè decet, aut aliquid eius perfectioni detrahitur. Quomodo quis iratus dicitur domui, quam demolitur; aut arbori, à qua aut frondes excutit, aut ramos amputat. Sic Deus iratus videri potuit in Nilum, cùm aquam illimem, & salubrem conuertit in sanguinem; & pisces putrefecit, qui fluminis videbantur filij, & non exiguum illius ornamentum. Iratus item in mare rubrum, & Iordanem, cùm aquas nunquam antè diuisas, quæque id à natura habent, vt decliui, ac continenti fluxu pronæ ferantur, diuisit, ac suspendit. Vnde hoc opus tam maris, fluminísque naturæ contrarium, per verbum expressit Dauid, à quo abesse non solet indignatio. Psal. 105. v. 9. *Et increpuit mare rubrum, & exsiccatum est.* Si hîc constitisset ea, quæ videri potuit ira, neque aliquis inde hominibus proueniret vsus, esset fortasse, quod audax hominum ingenium, licèt immeritò, in Deo non probaret. Sicut iure homines magnum illum hominum opinione Xerxem conuitiis liberioribus exagitant, quòd in mare sæuierit, in quo ingentem classem cum graui Persici nominis ignominia perdiderat; illique impegerit colaphos, compedes iniecerit, & seruiles inusserit notas. Quis enim vsus ex tam barbara, ac stolida sæuitia? vide quæ nos de Xerxe in Commentariis in Danielem *cap.* 11. *n.* 12. Idem ait Augustinus *epist.* 15. *ad Nebridium* accidere multis, qui insano, ac stolido furore sæuiunt in ea, à quibus nulla sperari potest vtilitas. *Non hominibus* (inquit) *tantum, sed calamo irascimur in scribendo, eumque collidimus, atque frangimus: & aleatores tesseris, & pictores penicillo, & cuicumque instrumento quilibet, ex quo difficultatem se pati arbitratur.*

Ira metaphorica in res inanimatas.

Stulta iracundia in res inanimatas.

Videtur autem, vt dixi, idem velle, quod 90.
olim Dauid, cùm hæc eadem prodigia, & diuinæ potentiæ documenta produxisset, vt pergat esse beneuolus in populum suum. *Nequando dicant gentes, vbi est Deus eorum?* Eò enim spectabant subitæ aquarum scatebræ de petra, eò diuisæ marinæ, ac fluuiales aquæ, eò contriti atque inclinati colles, vt prædicaret populus tot ornatus beneficiis, & cantaret, *Deus noster in cælo, omnia quæcunque voluit, fecit.* Et gentes à vera religione alienæ reipsa cognoscerent, & dicerent, *Simulacra gentium, argentum, & aurum, opera manuum hominum: os habent, & non loquentur.* Sic igitur nunc Propheta noster orat Deum, quando suum nomen apud gentes Babylonicas (de quarum victoriis contra Iudæos proximè diximus actum videri) laborare videt, vt in eodem populo liberando à seruitute non dissimili, similia edat suæ virtutis, ac fidelitatis argumenta, quæ primis Israeliticæ reipublicæ temporibus cognouerunt, & horruere Gentiles. Et quando in priori populi libertate inclinauit montes, & per medios fluctus alueum siccum aperuit; id etiam nunc faciat, si necessarium sit, & agmen rursus instruat, quandoquidem pronior est ad saluandum, quàm ad perdendum animus, quo tamdiu despectum populum à seruitute vendicet, & Chaldæorum deprimat barbaros, & insolentes spiritus. Hæc ego putabam contexi posse consequenter; neque alius modus occurrebat, quo ista, quæ maximè videntur dissoluta, cum toto capite, & cum tota prophetia consentiant. Quare ad hanc cogitationem, quod reliquum est capitis, attemperabo, rationem aliam ab aliis expectans perquam auidè, qua hæc omnia inter se magis aptè, & verè consentiant.

Nunquid

91. *Nunquid in fluminibus iratus es, Domine?* Non siccauit, aut corrupit aquas Dominus, quia illis esset indignatus, aut in illis aliquam deprehenderet culpam, quam puniret; sed vt populo suo benefaceret, & eos, qui aduersa moliebantur, corriperet; & inde sibi apud omnes gentes potentiæ, ac fidelitatis nomen obtineret. Id verò consecutum esse Deum, ipsorum etiam hostium testimonia clamant; quorum animi, accepto illo in omnibus sæculis inaudito prodigio, dissoluti sunt. Cùm apertum est mare, cecinerunt Israelitici chori, Exod. cap.5. n.15. *Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor; obriguerunt omnes habitatores Chanaan.* Quod item confessa est Raab meretrix Iosue cap.2. v.9. *Irruit in nos terror vester, & elanguerunt omnes habitatores terræ. Audiuimus quod siccauerit Dominus aquas maris rubri.* Idem iterum terror, & languor occupauit Chananæos, cùm sese Iordanis, imperante Domino, Hebræorum gressibus aperuit, *Iosue cap.5.v.1.* Et ideo commodè subiecit,

92. *Quia ascendes super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio.*] Sic se Deus habuit, dum aperuit mare, & traiecit exercitum, quomodo strenuus imperator, qui exercitum exponit in vlteriori fluminis ripa, aut superare facit, quæ inaccessa videbantur montium iuga, vt deinde bello sibi subiiciat, quæ interpositis aut fluminum, aut saxorum impedimentis, tuta videbantur. Sic Deus quasi quadrigis inuectus, & ab equitatu luculenter instructus bellatoris in modum iter est aggressus, quod variis, admirandisque victoriis consignatum reliquit. Atque ideo illi Propheta tribuit equos, atque quadrigas, quæ dicuntur *saluatio,* quia salutem, & incolumitatem, & gloriosam victoriam afferunt his, quorum causa comparata sunt. Dicitur autem Deus equos ascendere, & insidere quadrigis, non quia his indigeat, aut vtatur Deus; sed quia non aliter commodè explicari poterat imperatoris, aut strenui ducis allegoria. Nihilominus exploremus necesse est, quænam in hac populi Hebraici prodigiosa transmissione vocari possint quadrigæ, aut equi. Notum est nubes esse Dei quasi quoddam cæleste vehiculum, & in illis Deus tanquam in equis inequitare. Quare cùm dimicaturus, & debellaturus Ægyptios ingressus est, ascendisse dicitur super nubem leuem, Isaiæ 19. & Psal. 103. *Qui ponis nubem ascensum tuum,* Hebr. רכובו *rechubo,* currum, aut equitatum. Et quidem Deum, cùm maris rubri fluctus ad Hebræorum laxauit ingressum, vectum esse in nube liquet ex cap.14. v.24. *Ecce respiciens Dominus supra castra Ægyptiorum per columnam ignis, & nubis interfecit exercitum eorum.*

93. Vers. 9. *Suscitans suscitabis arcum tuum iuramenta tribubus, quæ locutus es.*] Hinc iam sese aperit secunda pars Cantici. Vbi enim iam actum est de illorum supplicio, qui violentia, aut fraude inopes, & iustos oppresserunt, quos Chaldæi, agente Domino, aut confecerunt ferro, aut Babylonem abegere captiuos, agere aggreditur de Chaldæorum interitu; ex quo etiam pendet captiuorum libertas. De Chaldæorum namque crudelitate barbara questus fuerat antè Propheta; & illius dolorem, proposito Chaldæorum interitu, consolatus est Deus. Orat igitur, vt assumat, & intendat arcum, quem in Israelitici nominis hostes olim tetenderat, quem iam dudum abiecisse videbatur; & impleat illa, quæ populo quondam suo, quem iam quasi alienum reputat, iuramento promisit. Promisit autè Deus tribubus terrã illam, ex qua depulsi fuerunt à Babyloniis; promisit tutelam, si modò in data fide, & legis obseruantia manerent. Hoc igitur orat Propheta, vt suscitet arcum, qui alto sepultus somno dormire videbatur; & suscitet iuramentum, id est, promissionem, quam confirmauit graue iurisiurandi vinculum. Tunc verò suscitari videtur iuramentum, cùm illius suscitatur obligatio. Cùm autem diuinum istud iusiurandum obliget, cùm Iudæi à data fide, & legis custodia non deficiant; id etiam Propheta videtur postulare, vt talem captiuo populo mentem tribuat, vt Deus ad benè de illo merendum iuramento se obligatum agnoscat.

Semper. Non sine causa hic secundò ponitur hæc vox, quæ Hebr. dicitur סלה *sela*. Græcè, vt transtulere Septuaginta, διάψαλμα, de qua suprà pluribus. Quæ si idem valet quod *Amen,* aut *fiat,* votum, & studium significatur Prophetæ, quo id optat populo vere, atque in perpetuum concedi. Sin verò, vt cum Hieronymo sentiunt frequentes alij, & sonat vox Græca διάψαλμα, distinctionem indicat sententiæ, aut mutationem toni, satis indicatur quod dicebamus nuper magnam in Cantico fieri mutationem. Præcesserunt etenim hactenus tristia, nunc lætiora succedunt: illa videlicet, quæ ad Chaldæorum interitum, & populi libertatem spectant. 94.

Explicatio allegorica.

Nunquid in fluminibus, &c.] Hîc Hieronymus non de seruatore Christo, sed de Hebræorum republica literalem sensum esse putat. Allegorici sensus varij à variis adducti, quos cuiuis apud suos authores inuenire promptum est. Ribera hîc odoratur extremi iudicij tempus, vbi inter alias naturæ mutationes, plurimæ apparebunt in aquis. Sic Lucas cap.21. *Et in terra pressura gentium præ confusione sonitus maris, & fluctuum.* Et *Apoc. l. cap.8.* corruptæ dicuntur aquæ, & in absynthium versæ. & *cap.16.* aquæ maris, & fluminum mutatæ dicuntur in sanguinem, & non solùm piscibus, sed etiam hominibus attulisse mortem. 95. *Iudicij vniuersalis signa.*

Hîc ego aliquid ad mores opportunum inuenio. Primùm, nullum Dei opus otiosum esse, sed spectare semper aliquid, quod ad suam gloriam, & hominum salutem pertineat, siue effundat, quod aliqui existimare possint vsum habere nullum. Quomodo si copiosos emittat imbres in mare, & agros relinquat sitientes, & aridos; siue dissoluat illa, quæ nunquam peccauerunt, neque humanis vsibus incommodare possunt. Quomodo videmus terrarum motibus discindi saxa, tangi de cælo montes, & arbores à fulmine senescere, diuidi mare, ac flumina, & in aluco sicco pisces interire. Sibiipsi attribuit Dominus, *Datum esse vehementissimo imbri cursum, & viam sonantis tonitrui; vt plueret super terram absque homine in deserto, vbi nullus mortalium commoratur.* Hæc, inquam, quæ temerarium, atque audax alicuius ingenium incogitantiæ, atque imprudentiæ forsan argueret, à magna, atque inscrutabili prouidentia proueniunt. 96. *Dei nullum otiosũ opus etiamsi inutile videatur hominibus.*

Pluit Dominus super desertum, & mare, vt norit homo, cùm agri sitiunt, 97.

Digitized by Google

Cur Deus in mari, atque in deserto pluat, vbi nulla videtur esse commoditas.

tiuit, & extrema timetur fames, non deesse Deo copiosa aquarum fluenta, quibus riget, & exhilaret segetes, quando illa in maria, ac solitudines effundit; sed esse in ipsis peccata, quæ aut æreos reddunt cælos, ne pluuiam concipiant; aut imbre grauidas nubes aliò abigunt, & in mare, ac solitudinem, vbi nullus commoratur homo, largè dispergunt. Quid peccant ilices, aut syluestres arbores è cælo fulminatæ? Sanè si ad illarum vmbram excitatæ sunt aræ gentium simulacris, & nefaria obita sacrificia, satis grauis videtur causa, vt à cælesti consumantur, aut deformentur igne, ne plantarum opaca commoditas ad opus illud nefarium iterum inuitet. Sed habent alium præclarum vsum aut disrupta saxa terræ concussu, aut fulminatæ quercus; vt scilicet intelligat peccator non esse Dei iustitiam nudam ab armis; quæ vt in corpora inanimata torquet, sic etiam vibrare potest in peccatorum caput. *Leo*, inquit Amos, *rugit, quis non timebit?* Sic rugiente leone, id est, Deo in syluis, quis non formidabit?

Cur Deus in res inanimatas sæuire videatur.

98. Et vt ad diuisum mare rubrum, & apertum Iordanis alueum veniamus, nihil commeruit vtrumque, cur grauem illam plagam acciperet: at interfuit plurimùm siccatum esse fluuium, & mare diuisum; aliter enim neque ex Ægyptia potestate emergerent Hebræi, neque in terram promissionis essent ingressi. Siccari aquas, aut fluuium diuidi, nihil est aliud, si ad rem moralem referas, quàm voluptates molliores, & diuitias, quæ illarum alimenta sunt, aut interrumpi, aut tolli: continens enim voluptatum, & luxuriantis fortunæ cursus confidentiam alit, & obstinatam in peccando licentiam. Cui Deus tanquam sapiens, & misericors medicus ita medetur, vt delicias, opésque submoueat, quæ luxuriam illam, & impudentiam fouent, atque sustentant.

Deus cur hominibus commoditates auferat.

99. *Quia ascendis super equos tuos; & quadriga tua saluatio.*] Sicut proximè de siccatis, aut apertis aquarum alueis dicebamus, in quo id Deum spectare diximus, quod nobis ad salutem aperiret aditum; sic etiam nobis idem de quadrigis, & equis dicendum est. Quæ ideo à Propheta *saluatio* esse dicuntur, quia salutem spectant; & si quid moliri videntur aduersi, id tandem ad alicuius salutem collatum esse deprehenditur. Has verò quadrigas & equos semper habet Deus, quibus suorum incolumitati prouidet; illorum maximè, quos ipse quasi dux, & author ad aliquem locum, aut opus destinauit. Quæ licèt humanis oculis non intueamur, quia id nequit mortalium oculorum coniectus assequi; experimur tamen non infrequenter, dum animo fideli, ac puro ad diuina mandata complenda hilares accingimur. Sic sanè millies cecinit Dauid; sic Machabæi sæpè & multo sæpiùs post euangelicum tempus, vt sacri, & ecclesiastici testantur annales. Turbabatur, & suo sibi capiti timebat Elisæi seruus, cùm ciuitatem obsideri cernebat à numeroso Syrorum exercitu: atque ideo clamabat 4.Reg.cap.6.v.15. *Heu, heu, heu, domine mi, quid faciemus? At ille* (Elisæus) *respondit, noli timere, plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis.* Et cùm oratione sua oculos aperuisset trepidantis serauli. *Vidit, & ecce mons plenus equorum, & curruum ignеorum in circuitu Elisei.* Obseruat autem hic Hieronymus, cùm exercitus Dei tot habeat quadrigas, & equos, vnum tamen habere sessorem, & illum esse Deum, qui dux est, & auriga: & ideo dicitur, *Qui ascendis equos tuos.* Et quidem si quispiam vnum Deum sibi ducem præponat, nusquam offendet. Quod experti fuerunt illi iidem, de quibus nunc nobis sermo; quandiu enim Deum solum auspicem, ac ducem habuerunt, neque morbo tentati sunt, neque lacerata habuerunt indumenta. Sic sanè Moyses, qui & testis fuit, & ex diuino præscripto moderabatur exercitum. Deut.32. v.12. *Dominus solus dux eius fuit, & non erat in tribubus eorum infirmus.* Ex quo orta sunt illa omnia, quæ in hoc Cantico commemorat Moyses, & Dauid sæpe: & illud notabile Psal.104 v.36. *Et non erat in tribubus eorum infirmus.*

Deus ad suorum custodiam semper accinctus.

Quantum expediat vnum Deum habere ducem.

In quadrigis, & equis Hieronymus, Cyrillus, & alij Apostolos intelligunt, & viros Apostolicos, quos Deus ad opus euangelicum in diuersa loca destinauit. Vt enim sessorem equi, aut quadrigæ vehunt cum dignitate, & gloria; &, vt est in fabulis, Solis equi solem ipsum circumferunt, vt orbem totum suis radiis collustret, & compleat: sic etiam Apostolici viri Christum, qui lux est mundi, ad vltimos vsque terræ fines, ad expellendas infidelitatis tenebras inuexere. His inequitat Christus, hos regit facilè parentes fræno; neque vt generosi equi ignobilem patiuntur sessorem, quem statim excutiunt è dorso, quod vni Deo suo, & vniuersorum Domino substernunt. Dixit hoc idem Zacharias *cap.* 10. vbi equos hos metaphoricos gloriosos vocat, quales tantum imperatorem decent, qui Christum per omnes mundi plagas tam bellantem, quàm triumphantem cum dignitate portant. Neque labore immodico, aut cursu veloci, & nunquam intermisso languescunt; neque ascensu arduo, aut armorum strepitu, aut quocunque obiecto periculo terrentur. Sed est illi generoso equo persimilis, quem descripsit Iob cap.39. *Exultat audacter, in occursum pergit armatis, & contemnit pauorem, nec cedit gladio.* De hoc igitur suprà Zacharias, *Et posuit eos quasi equos gloriæ suæ.* 100.

Viri Apostolici quadrigæ & equi Dei.

Suscitans suscitabis arcum tuum.] Vt Christus dicitur brachium Patris, quia per illum admiranda edidit suæ virtutis documenta; sic etiam idem Patris appellari potest arcus, quasi accommodatum ad illustre certamen, & gloriosam victoriam instrumentum. Sanè sagitta vocatur electa ab Isaia c.49.v.2. Ex hoc arcu adducto vehementer neruo sagittam excussit, quæ mortem occidit, & ad ipsos quoque inferni sinus penetrauit. Neque huic cogitationi parùm fauet, quod statim orat Propheta, vt iuramentum suscitet, quod tribubus promisit. Iuratæ verò promissiones de Christo in testamento fuere non paucæ. Pro omnibus accipe illam ex Psal.88. v.35. *Semel iuraui in sancto meo, si Dauid mentiar, semen eius in æternum manebit: & thronus eius sicut sol.* Sed est explicatio communis in arcu exprimi viros Apostolicos, per quos Deus spicula contorquet in corda inimicorum regis. Accommodatio difficilis non est. 102. Sed notandum maximè quantumcumque sagitta apta sit, & acuta ad attingendum destinatum scopum; si tamen neruus laxus sit, & remissus, emissiones habet nullas, aut infirmas. Quare ad hominum corda, quæ Deus esse confixa vult, spicula inde excussa aut non perueniunt, aut ita tangunt leuiter, vt non compungant. De arcu prauo, aut doloso, de illo nempe, qui aliò mittit sagittam, quàm quò fuerat à sagittario destinata,

101. *Christus arcus Dei.*

Promissiones de Christo à Deo iuratæ.

Viri Apostolici Dei arcus.

stinata, aut eum consauciat, à quo vires ad feriendum acceperat, diximus plura & ad hunc locum accommodata in Commentariis super Oseam ad illud cap.7. *Facti sunt quasi arcus dolosus. Sagitta autem* (ait Augustinus ad illud Psal. 119. *Sagittæ potentis acutæ) verba Dei sunt, ecce iaciuntur, & transfigũt corda; sed cùm transfixa fuerint corda sagittis verbi Dei, amor excitatur, non interitus comparatur.*

Explicatio historica.

103. Vers.10. *Fluuios scindes terræ.*] Hæc Cyrillus literali sensu de re Babylonica explicari posse dicit. Et Hieronymus de his, qui Dei populo aduersabantur. Hinc iam, vt dixi, de libertate à seruitute Babylonica sermo est. Est autem hîc obseruandum magnopere, illa, quæ in egressu de terra Ægypti contigerunt in superandis præcipuè difficultatibus, quæ progressum Hebræorum retardare poterant, prouerbiali specie sumi pro omnibus impedimentis, quæ magnis conatibus occurrunt, etiamsi quàm longissimè fuerint loco, atque natura diuersa. Quare non admodum nobis laborandum, an diuisum sit mare, aut fluuius; inclinati colles, excussa è saxo aqua, dummodo constet magna aliqua impedimenta fuisse superata in reditu filiorum Israel ex Babylone. Et sanè illa omnia, aut illorum pleraque, sensu videlicet prouerbiali tunc accidisse docet Isaias, cùm de hoc Babylonico reditu prophetaret, cap.50. vers.3. *Ecce in increpatione mea desertum faciam mare; ponam flumina in siccum; computrescent pisces sine aqua, & morientur in siti.* Et cap.43. vers.18. *Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini. Ecce ego facio noua, & nunc orientur, vtique cognoscetis ea. Ponam in deserto viam, & in inuio flumina: glorificabit me bestia agri, dracones, & struthiones, quia dedi in deserto aquas, flumina in inuio, vt darem potum populo meo.* Quasi dicat, quod feci olim, faciam etiam modò. Plura in hanc sententiam adduximus in principio commentationis in hoc caput. Vide quæ diximus ad illud Ieremiæ *cap.*43. *num.*19.

REGVLA. *Magna siue impedimenta siue beneficia prouerbiali formà in egressu ex Ægypto significata.*

104. Sed nihilominus posset hic non otiosè quæri, an reuera ad reditum è Babylone, aut in fauorem captiuorum diuisus fuerit magnus Euphrates, qui Babylonem partim alluit, partim etiam interluit: nam & hic non minus afferebat impedimenti egressuris è Babylone Iudæis, quàm Iordanis olim in terram promissionis ingressuris, cùm Euphratis profundissimus gurges magnum Persis expugnandæ ciuitatis, quasi agger oppositus, impedimentum obiiceret. Siccatum esse Euphratem à Cyro, & in plures alueos esse deriuatum, ita vt se hostibus permeabilem præbuerit, tradunt Herodotus *lib.*1. Xenophon *in Cyroped. lib.*7. Orosius *lib.*2. *cap.*6. quo commento, irruptione insperata, & subita per vadabilem fluuium capta est ciuitas. Diuisum prætereà Euphratem ab Ezechiele, sicut olim mare Rubrum à Moyse, vt populus captiuus hostium barbaram crudelitatem effugeret, tradunt Epiphanius *lib. de vita, interituque Prophetarum*, & ex eo Dorotheus *in Synopsi*, Isidorus, Chronicon Alexandrinum, omnes verbo *Ezechiel.* Dicunt enim apertum ab Ezechiele fluuium, quo suos ad vlteriorem ripam traduceret, & in mediis fluctibus demersos fuisse Chaldæos, qui eodem alueo illos insequeban-

Euphrates quando siccatus, ac diuisus.

A tur. Licèt hæc vera fuerint, vt fortasse sunt, non puto ad hunc locum respexisse Prophetam nostrum, sed ad aliam diuisionem, transmissionémque prouerbialem, de qua priùs; cùm hæc fluminis scissio locis nuper ab Isaia citatis cum aliis coniungatur, quæ non potuerunt esse nisi cum allusione prouerbiali.

105. *Viderunt te, & doluerunt montes.*] Dolere illa dicuntur, aut turbari, licèt omni sensu careant, quibus aliquid accidit suæ naturæ, sine instituto contrarium: quomodo *Thren. cap.* 1. lugere dicuntur viæ Sion, quia nemo per illas ingreditur; & *Isai.*3. mœrere, atque lugere portæ propter ciuium solitudinem; & agri, B cùm deficiente pluuia squalent, & arescunt. Sicut etiam ridere, atque exultare campi, aut cùm viriditate luxuriant, aut cùm arborum fructus, & terræ fruges maturuerunt. Contrarium est montibus, quidquid in illis efficit, ne montes sint; vt si in planitiem abeant, aut peruium fiat, quod arduum antè fuerat, & inaccessum. Quod accidisse filiis Israel, cùm ventum est ad scopulos, & torrentem Arnon, paulo antè diximus valde nobis videri probabile. Sanè inter Ierusalem, & Babyloniam, id est, eo spatio, quod remigrando permeasere Iudæi, montes esse traiectu difficiles, res est nota: an in illis aliquid in reditu prodigiosum acciderit, non C constat. Verùm, vt dixi, quia prouerbialis est forma, satis est, si impedimenta aliqua maxima superata fuerint; vt quòd victi fuerint Chaldæi, & eò inclinati Persarum animi, alioqui feroces, vt de Iudæorum libertate, quasi de magno victoriæ suæ fructu laborarint: vt in suo edicto docuit Cyrus *lib.*1. *Esdræ cap.*1. Et quidem montes, quia excelsi sunt, & ascensu ardui, prouerbiali figura pro re sumuntur, in qua non parum inest difficultatis.

Lugere illa dicuntur, quibus aliquid accidit suæ natura contrarium.

Gurges aquarum transiit.] Sicut ascensu superari montes, sic etiam traiecta profundi gurgitis altitudo exsiccato alueo. Hîc etiam superata ostenditur difficultas maxima, quæ obiiciebatur à profundo gurgite, de quo proximè. Gur- D ges porrò aquarum transiisse dicitur, quia compressa superiori Iordanis parte, & in montis similitudinem excitata, inferior transiit, & ad mortuum vsque mare defluxit, ita vt omninò deficeret, *Iosue cap.*3. Nisi mauis ideo aquas transiisse existimari, quia labores, & ærumnæ, quæ in aquis non semel adumbrantur, soluta captiuitate, excesserunt. 106.

Dedit abyssus vocem suam: altitudo manus suas leuauit.] Tria hæc membra eandem credo continere sententiam: sunt *gurges, abyssus, & altitudo* significationis eiusdē. Tunc autem res inanimatæ dicuntur laudare Deum, cùm illius obsequuntur imperio, maximè cùm illarum natura id videtur respuere, aut certè non admittere E facilè, quod imperatum est. Quomodo sol laudauit Deum, cùm ad imperium hominis Deo chari, aspirante Domino, cursum inhibuit: & aquæ Iordanis, cùm in decliui loco, quasi saxea quædam natura substiterunt. Laudant autem Deum creaturæ, vt ait Augustinus ad illud Psal.144. *Confiteantur tibi Domine omnia opera tua.* Cùm creaturæ obedientes Deo pulcritudinem, quam acceperunt à Deo, hominibus ostendunt, illos ad Dei bonitatem, atque sapientiam commendandam inuitant. *Hoc quod in illis inuenisti, vox confessionis ipsarum est, vt laudes creatorem.* 107.

Creaturæ Deum tunc maximè laudant, dû maximè ad eius imperium natura sua obliuiscuntur.

Idem

Digitized by Google

Idem docet Iſidorus lib. 1. ſent. cap. 4. *Intelligibilia*, inquit, *per ſe collaudant Deum; irrationabilia, & inſenſibilia non per ſe, ſed per nos, dum ea conſiderantes Deum laudamus.* Quare dum maiora in illis videmus ornamenta, aut incitamenta naturæ, aut vim ad Dei obſequium magis incitatam, & promptam, magis ad diuinas laudes incitamur. Quare, vt obſeruauit Chryſoſtomus *homil. 19. in epiſt. 1. ad Cor. cap. 6.* ex eo homo impius, & barbarus Nabuchodonoſor laudauit Deum, cui ſe excitata aurea ſtatua præferri voluit; quia vidit ignem ad diuinum imperium non ſolùm amiſiſſe vrendi facultatem, ſed etiam vim accepiſſe contra naturam ſuam refrigerandi. *Iniecit*, inquit, *Nabuchodonoſor tres pueros in fornacem: inde cùm eos igne non conſumi videret, erumpens ait: Benedictus Deus eorum Sidrac, Miſach*, &c. Et ad illud Pſ. 110. *Exquiſita in omnes voluntates eius.* Cùm dixiſſet oſtendere, ac prædicare creaturas Dei potentiam, cùm obediunt; addit magnam eſſe obedientiam, atque adeò Dei maiorem laudem, cùm Deus illarum inclinationi contraria præceperit. Et adducit exemplum maris Rubri, quod ſicco veſtigio traiecit Hebræos; & ignis Babylonici, de quo proximè; & leonum, qui non ſolùm non deuorarunt Danielem, ſed etiam fuerunt illi loco ſatellitum.

108. *Leuare manus pro laudare.* Abyſſus itaque dedit vocem ſuam, cùm pars antea altis operta fluctibus, iam tamen arida, atque calcanda ſicco hominum veſtigio, inſuper germinans ſicut campus, magnam eſſe Domini potentiam apertè prædicat. Leuare porrò manus eius eſt, qui Dominum laudat, & eius potentiam admiratur. In hac ſignificatione ſumpſit Dauid *Pſal. 62.* vbi tria adhibuit Propheta omninò ſynonyma, quæ aut propriè, aut figuratè laudationem ſignificant. *Labia mea laudabunt te. Sic benedicam te in vita mea: & in nomine tuo leuabo manus meas.* Quod metaphora non diſſimili etiam explicuit Pſal. 33. verſ. 2. *Ecce nunc benedicite Dominum*, &c. *In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum.* Et *Pſal. 97.* cùm omnia ad laudandum Deum inuitaſſet, & in his ſpeciatim maris, & fluminum meminiſſet; fluminibus in laudatione, ſicut Habacuc hoc loco, manus attribuit. *Flumina plaudent manu, ſimul montes exultabunt à conſpectu Domini.* Hæc nemo dubitat dicta per onomatopœiam; ſed in fluminibus apparet ad illum dicendi modum aliquod fundamentum. Vt enim homo in laudatione, atque triumphali plauſu manus eleuat; ſic etiam flumina eleuauerunt fluctus ſuos, quos habent pro manibus. Sanè Iordanis aquæ ſuperiores ſic intumuerunt, vt ſeſe in montis altitudinem attollerent, adeò vt è loco longè diſtante videri potuerint. Ioſue 3. verſ. 16. *Steterunt aquæ deſcendentes in loco vno, & ad inſtar montis intumeſcentes apparebant procul ab vrbe, quæ vocatur Edom, vſque ad locum Sarthan.*

109. Verſ. 11. *Sol, & luna ſteterunt in habitaculo ſuo.*] Reſpexit hoc loco ſine dubio Propheta ad tempus Ioſue, vbi, quo laxior eſſet dies, ad inſequendum hoſtem, inhibitus eſt Soli curſus; neque luna ſe aliquandiu è ſuo loco commouit, Ioſue cap. 10. verſ. 12. *Sol contra Gabaon ne mouearis, & luna contra vallem Aialon: ſteteruntque ſol, & luna, donec vlciſceretur gens de inimicis ſuis.* Non audimus ſtetiſſe ſolem, aut lunam, cùm è Babylonica rediere Iudæi; neque alio vnquam tempore: niſi quis dicat, orante Elimelech, aliquando ſtetiſſe, vt indicat illud 1. Paralip. cap. 4. verſ. 22. *Et qui ſtare fecit ſolem.* Sed locus ille aliud ſibi vult longè diuerſum: nam *qui ſtare fecit ſolem*, explicatio eſt nominis proprij: ſicut tria alia nomina, quæ ſequuntur, nempe *viri mendacij, ſecurus, incedens*, longè magis eſt probabile ſtetiſſe ſolem, & lunam, quo tempore ægrotauit ad mortem Ezechias. Qua de re nos longam quæſtionem inſtituimus ſuper Iſaiam *ad cap. 39.*

Ego in ſole, ac luna, quæ ſteterunt in tabernaculo ſuo (quia nimirum fecit Deus, ne cælum moueretur, in quo Soli, ac lunæ ſua locarat tabernacula) illuſtre aliquod beneficium intueor. Notum eſt enim, ſicut in tenebris vita ſignificatur ærumnoſa, & triſtis, ſic etiam in luce, ac die felicem rerum ſtatum ſignificari. Et quemadmodum cùm breue ſignificatur fore gaudium, & ſubitum, atque inſperatum infortunium futurum Solis occaſum in meridie dicimus, vt Amos cap. 8. v. 9. *Occidet ſol in meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis.* Et Iſaias cap. 15. v. 9. *Occidit ei ſol cùm adhuc eſſet dies.* Super quæ loca nos in hanc ſententiam pluribus egimus. Sic etiam cùm fortunam lætam, & ſtabilem explicare volumus, lunam, & ſolem dicimus immota futura in ordine ſuo, ne videlicet vnquam luci tenebræ ſuccedant. Hanc rerum felicitatem ſtabilem, & diuturnam gloriam, cùm ageret de hoc ipſo Iudæorum tempore, maiori lunæ, ac Solis ſplendore declarauit. *Et erit lux lunæ ſicut lux Solis, & lux Solis erit ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum, in die quo alligauerit Dominus vulnus populi ſui, & percuſſuram plagæ eius ſanauerit.* Et *cap. 60. v. 20.* de Eccleſia dicitur, & fortaſſe hiſtoricè de reſtituta Hieroſolyma, vt putant S. Thomas, & Hugo, id eſt, de eodem ſtatu, de quo loquitur Habacuc, *Non occidet vltrà ſol tuus, & luna tua non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & complebuntur dies luctus tui.* 110. *Sol, & luna pro ſtatu felici.*

In luce ſagittarum tuarum ibunt, in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ.] Alluſum puto ad bellum, quod Iahel, & Barac inſtruxere contra Siſaram; de quo *Iudic. cap. 5.* ibi enim *verſ. 20.* de cælo dicitur fuiſſe dimicatum; quaſi inde veluti ex ordinata acie vibrata fuerint tela, quæ inimicorum caſtra confecerunt. *De cælo dimicatum eſt contra eos: ſtellæ manentes in ordine, & curſu ſuo aduerſùs Siſaram pugnauerunt.* Quæ fuerint ſagittæ iſtæ lucentes, & fulgurantes haſtæ, incertum eſt; ſicut etiam quomodo à ſtellis de cælo aduerſùs Siſaram dimicatum. Multa hìc meditantur tum noſtri, tum Hebræorum Magiſtri. Illud magis pleriſque probatum, audita fuiſſe de cælo tonitrua, micuiſſe fulgura, vibrata fulmina, diſcurriſſe cometas: quod indicat illud Iudic. cap. 4. v. 15. *Perterruit Dominus Siſaram, & omnes currus eius.* Ille verò terror ab aliqua cæleſti vi, aut impreſſione meteora contigiſſe veriſimile eſt. 111. *De cælo dimicatum contra Siſaram.*

Sed puto hoc magis pertinere ad tempus illud, in quo tranſmiſſis ad ripam maris vlteriorem Hebræis, in mediis fluctibus demerſi ſunt Ægyptij. Tunc enim licèt in Exodo de huiuſmodi pugna nihil audiamus; docet tamen Dauid, qui dum de hoc rerum articulo verba facit, hæc omnia contigiſſe aut expreſsè docet, aut obſcuriùs inſinuat Pſalm. 76. *Viderunt te aquæ, Deus, viderunt* 112. *De cælo dimicatum ad mare rubrum.*

runt te aquæ, & timuerunt, & turbatæ sunt abyssi. Multitudo sonitus aquarum, voces dederunt nubes: etenim sagitta tua transeunt. Vox tonitrui in rota: illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ: commota est, & contremuit terra. Non admodum curo, an hæc tunc de cælo contigerint, quando victis Chaldæis, captiuo Iudæorum populo affulsit libertatis tamdiu desiderata lux: id enim in prouerbiali dicendi modo necessarium non est. Satis enim habeo, si Persis Deus contra Babylonios pugnaturis adfuerit; quod negabit nemo, cùm Deus ipse verbis maximè perspicuis affirmauerit. Isaiæ cap. 45. *Hæc dicit Dominus christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subiiciam ante faciem eius gentes, & dorsa regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo, portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam.*

113. *Fulgura, & fulmina Dei sagittæ.* Appellari porrò fulgura, & fulmina Dei sagittas, docet non semel Scriptura sacra. Psal. 17. vers. 15. *Misit sagittas suas, & dissipauit eos, fulgura multiplicauit, & conturbauit eos.* Vbi posterior pars explicatio prioris est. Et Sap. 5. vers. 18. *Pugnauit cum illo orbis terrarum contra insensatos: ibunt directè emissiones fulgurum, & tanquam à bene curuato arcu nubium exterminabuntur.* Est autem omninò idem sagittarum lux, & splendor fulgurantis hastæ, per epexegesim, quæ in Hebræorum Canticis frequentissima est.

114. Vers. 12. *In fremitu conculcabis terram: & in furore obstupefacies gentes.*] Hæc videtur summa præteritorum complexio. Neque enim illa tanta, quæ præcesserunt, fieri sine fremitu vllo modo possunt: quomodo illa antiquissima, ad quæ respectat Propheta, vbicumque terrarum patrata sunt, fremitus habuerunt ingentes. Hæc autem omnia gentibus olim, tam Ægyptiis, quàm quæ regionem incoluerunt Chananitidem, stuporem induxerunt, vt suprà non semel obseruauimus.

Expositio allegorica.

115. *Christus montes facile nobis reddidit cruci, pondus.* *Fluuios scindes terræ.*] Multa fuerunt impedimenta, quæ natura corrupta, & inueterata hominum consuetudo, & lex, quam mundus à sensibus, & diabolo iampridem accepit, opposuit Euangelio. Neque magis horribile Israeli, cùm excessit ex Ægypto, vt ad terram promissionis ascenderet, videbatur mare Rubrum, maximè cùm instaret à tergo Pharaonis exercitus, quàm illi, qui sæculo renunciare vult, Euangelij lex tantopere naturæ sensitiuæ contraria. Sed fluuium, ac pelagus, quæ peregrinantium aut terrebant animos, aut morabantur gressus, diuisit Christus, qui tanquam alter Moyses, virga, quam gestabat manibus, aut in qua potiùs confixæ gestabantur manus, fluuios diuisit; & primus omnium sic se in profundum tribulationum mare demersit, vt dicere potuerit: Intrauerunt aquæ vsque ad animam meam; infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Ex eo tempore Israelitæ veri, qui relicta Ægypto, ad terram promissionis aspirant, non horrent mare, quod Deus ingressu suo ita reddidit peruium, vt sicco vestigio ab infantili etiam ætate traiiciatur.

Si illud *terræ* sit in datiuo, vt in Complutensi editione apud Septuaginta, à qua non longè abest Theodoretus, imò & Græci Patres, & ex Latinis Tertullianus *libr. 4. contra Marcionem*, Augustinus *de Ciuit. lib. 18. cap. 18.* qui legunt, *Fluuiis scindetur terra.* id est, rigabitur fluuiis, qui erumpent è terra; allusio est non ad mare, seu Iordanem diuisum, sed ad petram, vnde eruperunt aquæ quæ rigauerunt agros, & diuiserunt illos. Riui etenim terram diuidunt quibusdam quasi sulcis, aut tæniis. In illis porrò riuis, qui eruperunt è terra, id est, è nostro genere, intelliguntur Apostoli, qui euangelica doctrina, quasi fluentis cælestibus terram irrigarunt. De quibus est illud Isaiæ 41. v. 18. *Aperiam in supinis collibus flumina, & in medio camporum fontes: ponam desertum in stagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum.* 116. *Apostoli riui, qui terram irrigant.*

Viderunt te, & doluerunt montes.] Vt in expositione historica paulo antè diximus, illa dolere, aut lugere dicuntur, quæ patiuntur aliquid suæ naturæ contrarium: quomodo si montes redigantur in planum, aut aqua in ipso descensu, vbi maiori defluebat impetu, consistere cogatur. Montes vt sunt tumentes è plano, & excelsis elati iugis, atque fastigiis; sic etiam illorum adumbrant statum, qui supra alios eminent, quales sunt principes, quique nobilitatis, aut doctrinæ gloria reliquos antecellunt. Hi igitur Euangelij tempore doluerunt, quia cùm Euangelium spiritus deiiciat inflatos, quia humilitatem, & humanarum rerum abiectionem commendat, tumorem illum deiicit, quem vanitas inflabat, & humana potentia; & tunc in animo iam de se saniora, ac meliora cogitante cadunt, vt Logici dicunt, formaliter metaphorici montes; quia reges iam non reges, sed serui Christi; & Philosophi non iam Philosophi, sed humiles discipuli elatas antè, liberásque ceruices euangelico iugo subiecerunt. Quòd si in montibus intelligantur dæmones, quia illorum superior est natura (& quidem illi montes dicuntur, vt diximus ad illud Zachar. cap. 4. vers. 7. *Quis tu mons magne?*) illi sanè doluerunt, cùm vires suas à Christi cruce debilitatas esse cognouerunt. Doluisse item reges, & tyranni ideo dici possunt; quia cùm totis viribus oppugnarent Euangelium, & omnes expromerent machinas contra Christianæ fidei professores, quas armatus potentia furor inuenerat; non tamen puellarum teneram ætatem, aut infantiles annos expugnare potuerunt. 117. *Euangelium superbos spiritus humiliat.* 118. *Dæmon, & tyranni à Christo victi.*

Gurges aquarum transiit.] Inundare videbantur, & obruere persecutionum vndæ nascentem Ecclesiam, quæ timidos retardabant animos eorum, qui de suscipienda Christiana religione cogitabant; sicut Iordanis interpositi fluctus illos, qui ad promissionis terram lacte, & melle manantem, gradum moliebantur. Sed vicit Euangelium oppositas illas montium, atque aquarum moles: montes enim inclinati sunt, & complanati, ita vt ab illis nihil iam occurreret offensionis; & gurges exsiccatus, & factus iam non impermeabilis abyssus; sed campus germinans in profundo nimio, quem calceati infantes, & virgunculæ teneræ transmittunt. 119. *Ardua omnia mollia reddit Euangelium.*

Dedit abyssus vocem suam: altitudo manus suas leuauit.] Moralem sensum iam priùs explicuimus. Hieronymus hîc duo tempora, & duo item loca considerat: cùm post mortem Christus 120. *Christi post crucem triumphus.*

Digitized by Google

Christus ad abyssum, id est, ad infernum descendit, vt inde eximeret, quos infernus ille carcer seruabat, qui subita coorta luce dederunt vocem exultationis, & laudis: & cùm ascendit in cælum, vbi altitudo, id est, cælestes spiritus eleuatione manuum, id est, triumphali laude ascendentem è terra Christum prosecuti sunt. Theodoretus, & Theophylactus, quibus etiam Hieronymus in explicatione Septuaginta subscribit, in abysso hominum potentiam agnoscunt, quæ est veluti mare quoddam, & abyssus immensa, in quod si fluuius velit influere, & impetu altiùs collecto violenter fluctus intersecare marinos, strepitus excitat ex contrariorum fluctuum collisione. Fluuij autem Apostoli sunt, qui erumpentes è terra terram ipsam perfluunt, & ipsum etiam mare amarum, & salsum, salubri euangelici fontis influxu sanare student. In mari porrò intelliguntur gentes, quæ impatientes iugi, sese opposuerunt Euangelio, aduersùm quod dederunt vocem, seu potiùs fremitum; & suam opposuerunt altitudinem, id est, potentiam, quam habere se maximam stulta assentatione sibi blandiebantur. Sed aduersùs Deum futilis est, & instar nihili potentia mortalis: atque ideo Septuaginta hoc loco *phantasiam* interposuerunt. *Dedit abyssus vocem suã, altitudo phantasiæ eius*, id est, vt exponunt Græci Patres, & Hieronymus, *altitudo cogitationis*: quasi ipsi sua opinione sint excelsi, re tamen vera abiecti, & sordidi, & aliquid & pluma leuius, & spuma gracili longè gracilius: quare tantùm est phantastica, & somniata magnitudo. Ego aliam hîc inuenio affinem huic Græcorum Patrum expositioni sententiam, quæ vocem hîc accipit pro clamore hostili, pro fremitu, & minis, non pro laude, ac plausu. Tunc autem in abysso dæmones intelligo, qui *in abysso*, id est, in infernis habitant; in *altitudine* humanam potentiam, quæ Ecclesiam in ipso partu elidere, aut cùm iam adolesceret, opprimere tentauit.

Principum futilis, & tantù phantastica potentia.

121. *Sol, & luna steterunt in habitaculo suo.*] Multorum est sententia sermonem hîc esse de extremo sæculorum tempore, quod multa tum in cælo, tum in elementis omnibus signa faciunt horribile. Sed placet quod visum est Hieronymo, Augustino, Theophylacto, Haymoni, & aliis pluribus, in sole Christum, in luna intelligendam esse Ecclesiam: licèt non omnes in huius sententiæ explicatione conueniant. Augustinus *lib.* 18. *de Ciuit. cap.* 28. iuxta lectionem Septuaginta, *Eleuatus est sol, & luna stetit in ordine suo. Hoc est* (inquit) *ascendit Christus in cælum, & ordinata est Ecclesia sub Rege suo. Nam cùm ascendisset in altum, dedit dona hominibus diuersa, vt ecclesiastici corporis plenitudo perfecta sit, & pro diuersitate membrorum varia sint distincta munera.* Hieronymus paulo aliter in expositione translationis Septuaginta.

Sol Christi, luna Ecclesia typus.

122. Ego aliam addo, omissis aliis, quia apud suos authores facile est cuiuis inuenire. In luna Ecclesia, in sole, vt diximus, Christus exprimitur. In eo sol cum Christo, & cum Ecclesia luna conueniunt, quod vt à sole luna, sic à Christo lumen accipit Ecclesia. In eo tamen differunt, quòd quia non eodem semper modo luna à sole respicitur, non idem semper est lunæ vultus, & splendor: at cùm Christus eodem semper modo intueatur Ecclesiam, eandem semper speciem Ecclesia habet. Id videtur omninò velle sibi hic locus, in quo dicitur tam solem, quàm lunam stetisse in tabernaculo suo; atque ideo nullam esse causam, cur luna aliam atque aliam subinde speciem assumat, quæ à vario prouenit vtriusque motu. Sic Hieronymus ad illud Isaiæ 66. *Et erit mensis ex mense. Aiunt* (inquit) *Physici, & quorum cura est de cælestibus disputare, lunam non habere proprium lumen, sed Solis radiis illustrari: ab ea enim orbis parte completur, & fulget, à qua Soli vicinior est, nec vmbra terræ obscuratur.* Quòd verò Ecclesia, quam etiam cum luna composuit Isaias, non sit vnquam splendorem amissura, quia non talem habebit solem, à quo illuminetur, qualem habet luna, quæ quotidianis incrementis, ac decrementis laborat. Dixit idem Isaias cap. 60. vers. 20. *Non occidet vltrà sol tuus, & luna tua non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam.* Quæ verba Doctorum plerique de Ecclesia sumunt; in quibus sunt sanctus Thomas, & Hugo. Vide quæ nos in illum locum.

Ecclesia perpetuus splendor, secus atque luna.

In luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ.] Hæc multi de extremo iudicio accipiunt, vbi hæc signa futura traduntur. Ita Tertul. *lib.* 4. *contra Marcionem cap.* 39. quem Ribera sequitur. Tunc autem de cælo contortæ dicuntur esse sagittæ, & fulgurantes hastæ. Sagittæ verò vocari cometæ possunt, & de cælo vibrari; quia Scriptura sacra hominum se in loquendo sensibus, & opinionibus accommodat: vulgus autem hominum cometas stellas esse putat. Sic certè Virgilius 1. Georg. 123.

123. Cometa sagitta Dei.

Cometa stella existimati.

Sæpe etiam stellas cælo impendente videbis
Præcipites cælo labi, noctisque per vmbras
Flammarum longos à tergo albescere tractus.

Et quidem species quædam cometarum *iacula* vocantur, & *lanceæ*. Talia verò futura ad extremi iudicij tempus dixit Matth. 24. vers. 29. *Stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur.* Plures sagittas hasce, & hastas splendentes Apostolos esse, aut viros Apostolicos opinantur. Ita Patres Græci Theodoretus, Cyrillus, Theophylactus; & Remigius, & Haymo, & è recentioribus multi. Optimè autem in sagittis, & lanceis splendentibus, siue in fulgurum, fulminúmque ardore, ac sonitu, Apostolorum explicatur natura: nam vt in illis lux est, quæ illuminet, ita tamen vt non tam recreet, quemadmodum in conuiuiis lucernæ, aut in epithalamiis nuptiales tædæ; sed vt terreant, sicut fulguris lucem sonitus comitatur horribilis, & fulmen ex ipsa luce violenter excussum. Fremitus sit oportet, & tonitru, concionatoris Apostolici vox, qualis fuit Baptistæ. Ideo enim, vt ait Hieronymus *lib. de prascrip. hæretic.* Marco Euangelistæ facies tribuitur leonis, quia à rugitu leonis, id est, à voce Ioannis de pœnitentia ortus est Euangelium. Et quidem duo ex præcipuis Christi discipulis vocati sunt Boanerges, id est, filij tonitrui, nempe duo fulmina Euangelij. Sicut ille profanus de duobus Scipionibus dixit. *Duo fulmina belli.* Quare dum metu Deus populum in sua insania iampridem obstinatum terrere vult, & ad meliorem mentem inducere, Prophetæ iubet, vt vocem sumat non à tibia, quæ tenet, & mulcet aures delicatas, & molles, sed è tuba, quæ militares excitat spiritus, & bellum immoderatis animi passionibus indicit. Isai. cap. 58. *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam,* &

Apostoli sicut fulmē & fulgur.

Qualis concionatoris vox.

& annuncia populo meo scelera eorum. Et ad Oseam cap. 8. *In gutture tuo sit tuba.*

124. *In armis splendor, & munditiies commendatur.* Aut certè Apostoli lucentes dicuntur sagittæ, & hastæ splendentes, & fulgurantes: quia iuxta disciplinam militarem arma tersa esse debent, & lucida, non exesa situ, aut obducta rubigine, quia hæc minùs sunt ad vulnus infligendum idonea. Quare Deus in gladio suo non tantùm exigit, vt acutus sit, sed etiam splendeat. Ezech. cap. 21. v. 9. *Gladius, gladius exacutus est, & limatus: vt cædat victimas, exacutus est; vt splendeat, limatus est.* Vide quid nos eo loco de studio antiquorum in poliendis, atque tergendis armis. Et ibidem v. 28. *Mucro, mucro, euagina te ad occidendum; lima te, vt interficias, & fulgeas.* Et quidem si vir, qui videri studet Apostolicus, morum sanctitate non fulgeat, longè aberit vt occidat, & tela eiaculetur acuta in corda inimicorum regis. Ideo Christus iubet, vt talium virorum lux coram hominibus luceat, *Mat. cap. 5.*

125. *In fremitu conculcabis terram, & in furore obstupefacies gentes.*] Hæc nobis satis proximè explicata sunt; & est quædam præteritorum summa conclusio: nimirum concutiendos esse, & à suo errore abducendos hominum animos non cantillante, ac suauiter inflexa ad musicos, aut poëticos numeros, sed frement concionatorum voce, cui furoris plus insit, & ardoris bellici, quàm artificij, modulationis, & ingenij.

Expositio historica.

126. Vers. 13. *Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo.*] Quod ad historicum sensum spectat, explicatio difficilis non est. Audierat, opinor, Habacuc, aut legerat illud Isaiæ c. 45. in quo de captiui populi libertate illustre legitur vaticinium. Ibi verò Deus apprehensurus dicitur Cyri manum, quem ibi Christum appellat; ac tandem eò deducturus, vt subacto Chaldæorum imperio in libertatem asserat Iudæorum populum addictum iamdudum alienæ voluntati. *Hæc* (inquit Isaias) *dicit Dominus christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subiiciam ante faciem eius gentes,* &c. *Propter seruum meum Iacob, & Israel electum meum,* &c. Hoc est igitur Deum cum christo suo Cyro in salutem populi prodiisse: quomodo duo amici, atque in eandem curam intenti, cõiunctis manibus sociale inter se fœdus ineunt. Ita putant Lyra, & Hugo. Chaldæus, Albertus, Iansenius, & Robertus in Christo Moysem, & Aaron intelligunt, quibuscum Deus egressus est. Sed illud de Cyro certius, magísque, consentaneum.

127. *Percussisti caput de domo impij.*] Domus impij, seu domus impietatis fuit Babylonia, cuius tunc Dominus per manus christi sui, id est, Cyri, percussit caput, cùm de medio sustulit imperatorem Balthasarem, & imperium inde ad Persicum nomen, & potentiam transtulit. Ita cum Hugone, & Lyra tenent Castrus, & Mariana. Alij Pharaonem intelligunt, de quibus proximè.

128. *Denudasti fundamentum eius vsque ad collum.*] Duas hîc ego metaphoras agnosco, aut prouerbiales dicendi modos. Altera est denudare fundamentum, quæ ab ædificiis sumitur, quæ funditùs euertuntur, ita vt illorum sit reliquum nihil: nam si fundamentales eruuntur lapides, & nudantur fossæ, in quas primùm iacta sunt fundamenta, consequens est, vt tota corruat moles, quæ pri-

PROVER. *Vsque ad collum pro maximis rerum angustiis.*

A mis illis saxis insidebat. Altera, vt opinor, sumpta est ab his, qui in aquis demersi sunt, quorum tunc vita in grauissimo censetur esse periculo, cùm tantum ex aquis extat caput, aut, quod idem est, cùm aquæ ad summas vsque fauces peruenere, & iam propè est, vt omninò eripiatur libera respirandi facultas. Hinc sanè metaphoram sumpsit Isaias cap. 8. vers. 7. *Ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes, & multas, regem Assyriorum,* &c. *Et ibit per Iudam inundans, & transiens, vsque ad collum veniet.* Et idem cap. 30. v. 28. *Spiritus eius velut torrens inundans vsque ad medium colli.*

Si pronomen *eius* non referatur ad domum, sed ad regem, & primum caput imperij: ita vt 129.
B fundamentum idem sit, quod pedes, quibus totum hominis corpus non aliter innititur, quàm columna basi, alia posset diuersa translatione informari sententia. Ita vt omninò dicatur spoliandum Babylonis caput, id est, rex, à fundamentis videlicet, id est, à pedibus vsque ad collum, ita vt toto corpore futurus sit nudus. Sed obstrepet aliquis, & dicet, si ad collum vsque nudandus rex, ergo non erit omninò nudus, quando è capite, quod supra collum est, nihil dicitur esse detrahendum: at ibi ornamentum maximum est, & regiæ dignitatis insigne. Respondeo apud Hebræos nihil solere in capite gestari; vt latè probauimus in nostris Commentariis super Acta *cap. 19. n. 8.* Et licèt alia fortasse apud Chaldæos

Hebræorum caput nudũ.

C esset consuetudo; & rex (de quo non dubito) pretiosum aliquid gestaret in capite; tamen prouerbialem illum sermonem, *à fundamento ad collum,* ab eo sumpserunt Hebræi, quod in suo genere plerumque visebatur. Neque præterea erat, cur de capite aliquid significaret Propheta, cùm proximè dixerit iam fuisse percussum. Cùm verò de eo agitur, cuius Hebræorum caput capax est, vt de plaga, pulcritudine, & aliis eiusmodi; tum non *à pedibus ad collum*, sed *à pedibus ad caput*, dicunt parœmiali specie. Vt Isai. cap. 1. v. 6. *A planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas.* Et de Absalon lib. 2. Reg. cap. 14. v. 25. *Sicut Absalon vir non erat pulcer in omni Israel, & decorus nimis. A vestigio pedis vsque ad verticem non erat in eo vlla macula.*

D Alia mihi occurrebat ratio, fortasse ad illum temporis articulum, de quo Propheta loquitur, non inepta. Cùm summa incidit rerum desperatio, & casus ita durus, vt sapienter, vt vulgus hominum insipienter iudicat, vita possit cum morte commutari; tum dicitur res ad restim, seu ad laqueum adducta, quia homines plerumque, cùm eò necessitatis adiguntur, laqueo sibi fauces stringunt, & spiritum præcludunt. Sanè hoc apud Latinos prouerbij vsum habet. Terentius in Phormione,

130. *Ad collum vsque pro desperatione.*

Opera tua ad restim, mihi res rediit planissimè.

Et Iuuenalis Satyra 6.

Ferre potes dominam, saluis tot restibus, vllam?

E Cùm autem restis, aut laqueus, quo sensu loquimur, aptentur collo, vsitato omnium penè linguarum more per metonymiam, idem est rem esse redactam ad collum, & ad restim, id est, ad eam fortunã, ex qua vel aduocata morte emergere optabile sit. Sed placet ex omnibus illa maximè cogitatio, quæ ab aquarum profunditate metaphoram sumptam esse putat.

Libet ad extremum addere Augustini explicationem *lib. 18. de Ciuit. cap. 28.* accommodatè ad translationẽ Septuaginta, qui ita legũt, *Suscitasti*

vincula

vincula vsque ad collum. Ait enim his verbis significari grauem seruitutem; & in *fundamento* indicat significari pedes; quod etiam nos suprà putabamus, ita vt compedibus constringantur pedes, & collum catena. *Excitasti*, inquit, *vincula vsque ad collum, vt vinciantur pedes in compedibus, & collum in torquibus.*

Semper. Iam tertiò ponitur *sela*, quod Septuaginta conuertere διάψαλμα. quæ vox indicat magnam ex hoc loco fieri aut modulationis, aut argumenti, aut vtriusque simul mutationem. Sanè Hieronymus aliquid hîc nouum agnoscit; quando de Nabuchodonosore, réque Babylonica, quod reliquum est capitis, exponit.

Expositio allegorica.

133. *Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo.*] Tertullianus loco sæpiùs citato hæc de secundo Christi aduentu accipit. Egreditur autem Deus cum Christo quà homo est, & illum ad iudicandos homines deducit ad illum modum, quo christum Cyrum à Deo deductum fuisse diximus, vt Chaldæorum arrogantiam deprimeret, & diuinas vlcisceretur iniurias. De se enim dicit Christus Ioan. cap. 14. vers. 10. *Verba, quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor, pater autem in me manens ipse facit opera.* Hieronymus cùm translationes alias adduxisset, ad extremum sextam produxit editionem, quam ipse ita probat, vt in ea manifestissimè dicat sacramentum, quod in illis occultabatur verbis, explicari. Sic autem editio sexta, *Egressus es, vt saluares populum tuum*
134. *per Iesum Christum tuum.* Quod Græcè dicitur, ἐξῆλθες τοῦ σῶσαι τὸν λαόν σου διὰ Ἰησοῦν τὸν χριστόν σου. Egredi autem Deus tunc dicitur, cùm operatur, & tunc præcipuè cùm illius opera eiusmodi sunt, vt ab hominibus cognosci possint. Qualis fuit vniuersi creatio, incarnatio Verbi, & opera prodigiosa, quæ sapientes homines à nemine nisi à Deo existimabāt prouenire posse. Talis fuit ex Ægyptia seruitute populi libertas, quam Deus per Christum operatus est, vt habes in epistola Iudæ v. 5. *Commonere autem vos volo scientes semel omnia, quoniam Iesus populum de terra Ægypti saluans, secundò eos, qui non crediderunt, perdidit.* Egressus itaque est Deus tunc cum Christo suo, tum vt saluaret captiuos, tum vt rebelles puniret, & incredulos. Quòd si hæc ad captiuitatem Babylonicam referas, libertatémque vsque adeò prodigiosam, vt ex ea Dominus verum se esse Deum probare voluerit; egressus est etiam Deus cum Christo suo, iuxta Theologorum dogma, qui Christo tribuunt, quod ad hominum salutem pertinet.

Deus quādo dicitur egredi.

135. *Percussisti caput de domo impij, denudasti fundamentum eius vsque ad collum.*] Hieronymus in secunda expositione, & Lyra in morali sensu, tum è recentioribus aliqui hunc impium Antichristum esse credunt, cuius caput percussit Christus, postquam tres menses, & dimidium crudelissimè vexauit Ecclesiam. Nudauit autem fundamentum eius vsque ad collum, quocumque modo hæc accipias, quia illius nomen prorsus extinxit, neque aliquod reliquit nisi suæ impietatis deforme monumentum. Alij diabolum intelligunt, cuius Dominus extinxit imperium, & alligatum vinculis infirmis etiam infantibus illudendum tradidit; ita vt sine metu in eius pestilentissimi draconis, & aspidis nocentissimæ foramina ludibundi pueri manus intromittant.

Expositio historica.

Vers. 14. *Maledixisti sceptris eius, capiti bellatorum eius.*] Ex hoc loco Hieronymus ad finem capitis de Nabuchodonosoris, & Babylonis interitu explicari posse putat literali sensu. Quod etiam putant, qui ab eo recedere non solent, Remigius, Haymo, Hugo, Lyra, & Pagninus. Alij de Pharaone, vt Albertus. Sed est sine dubio de Chaldæis sermo; neque sensus est obscurus, sed est nonnihil obscura translatio. Significatur enim debiles futuras esse vires, & stulta Chaldæorum consilia, vbi Deus contra illos Persarum exercitum armauerit, illique se ducem, & auspicem præbuerit. In maledictione porrò omnia intelliguntur horribilia, atque aspera, quæ vexare solent, & vrgere miserorum fortunam. Quare si Dei onerati maledictione in aciem prodierint, licèt luculenter ad dimicandum instructi Chaldæi, nihil tamen illis succedet ex voto. 136.

Horribilis est diuina maledictio.

Vbi vulgatus, *Maledixisti sceptris eius*, Hebr. 137.
est נקבת במטיו *nacabta ve matau.* quod ad verbum sonat, *Perforasti in virgis eius caput bellatorum eius*, vt vertit Pagninus. Seu vt Tigurina reddidit, *Perforasti cum baculis suis caput paganorum eius.* Septuaginta, *diuisisti in stupore capita potentium commouebuntur in ea.* Ex his verbis aduersa omnia proponuntur Chaldæis, quæ vulgatus per maledicendi verbum expressit; sed verba illa definitè significant suis ipsorum armis, atque consiliis periisse; aut quia arma futilia fuerunt, & ad vulnerandum, & resistendum infirma; seu quia ita comparata, vt suis authoribus aut noceant, aut incommodent: quomodo suprà de arcu doloso, & prauo dicebamus. Sed id omne verbum *maledico* omninò complectitur; maledictio enim omnia peruertit, omnia debilitat, omnia reddit inauspicata, & quasi cædi, ruinæque deuota. Sed libet nunc singula paulo accuratiùs explorare.

Vbi vulgatus *sceptrum*, Hebr. מטה *mateh*, quæ 138.
virgam valet, baculum, sceptrum, & quodcunque sustentaculum, quod nos, aut nostra fulcit, atque confirmat. Si pro sceptro sumas, quod etiam sæpè in Scriptura sacra dicitur virga, sensus est facilis; nempe imperium Chaldæorum, vtpote diuina maledictione confixum, breui ruiturum. Si sustentaculum; qualis est baculus, qui stantem; aut lectulus, qui iacentem sustentat, perquam bella translatione imperij Babylonij fatilitas, & casus exprimitur. Quæ enim perfossa sunt, aut perforata, cùm secundùm externam speciem firma videantur, quæque grauem molem, & appulsus sustinere possint, tamen quia perforata sunt siue à tinea, quæ, quicquid habuit intus firmitatis, arrosit; siue ab hominum calliditate, quæ perfossione, aut pertusione occulta firmamenta debilitat, vt impulsu leui moles tota corruat; non possunt diu sustinere, quod ipsorum firmitati, ac fidei creditum est. Dicitur item aliquid perforatum, siue pertusum, licèt neque tinearum accesserit corrosio, neque hominum iniuria, cùm talis est ligni natura, vt solidum non sit, neque vbique firmum; sed aliquid habeat concauum in medio, aut eius naturæ, vt molle sit, & nihil ad firmitatem habeat; quales sunt arundines, quæ pro corde nihil; aut ficulneæ, quæ molle aliquid, & laneum, seu medullaceum habent.

Perforatum pro debili, ac futili.

qui morbum illum patitur, extrema omnia patiatur necesse est; nam exulcerato, & verminante corpore non potest non esse grauissimus dolor, & species prorsus horribilis, & fœda. Tum præterea, quia grauis est odor, omnes abigit, etiamsi priùs animorum, studiorúmque necessitudine coniunctos; ex quo doloris non minimo leuamento priuari oportebat. Quare morbus iste, quem optare videtur Propheta, multa secum trahit incommoda, inopiam, ignominiam, solitudinem, dolorem, halitum tam sibi, quàm aliis intolerabilem. Quæ tamen omnia sibi futura dicit non molesta; cùm speret, fauente, atque annuente Iesu, cuius curam, & fidelitatem agnouerat, futurum, vt ex illo fœdo, ac misero rerum statu tandem emergat, & non solùm amissa, sed etiam plura, ac meliora accipiat. Facit itaque pluris spem in Iesu seruatore collocatam, quàm omnia, quæ homines deputant commoda; quam si emat, atque retineat rerum omnium iactura, quæ numerantur in bonis, præclarè secum, atque benignè actum esse iudicat.

Spes in Christo omni possessione pluris facienda.

151. *Vt requiescam in die tribulationis.*] Promittebat Iesus seruator, cùm mare magis fluctuum æstu ferueret, tranquillitatem, & portum; & in dura, multiplicique iactatione securitatem, & requiem. Hæc certa spes dolorem solabatur, & omnem pellebat angorem, & metum ex animo Prophetæ; quia videbat illa omnia, quæ natura deprecatur, & horret, non fore perpetua, sed finem habitura, illúmque secundum, & breuem.

152. *Et ascendam ad populum accinctum nostrum.*] Intuebatur Propheta captiuorum miserum, & ignobilem statum, quibus sub dominatu barbaro non licebat ministerium aliquod obire liberale, atque ingenuum; neque accinctos esse ferro, quod liberorum hominum insigne est, & eorum, quibus credita est patriæ, religionisque custodia. Neque nunc in omni, vt reor, natione captiuis siue à lege, siue à consuetudine permittitur, vt ferrum secum, aut telum gestent; tum ne illo liberali habitu insolescant; tum ne quid insidiosum, & hostile in dominorum caput moliantur. Deinde cùm homines, qui conditione sunt, aut statu serui, seruiles aiant spiritus, abiectos videlicet, & timidos; cùm ad libertatem redeunt, sicut accinguntur ferro, sic etiam animos sumunt militares & strenuos; & prorsus à seipsis in aliam quasi naturam degenerant. Dum ergo Propheta dicit, ascendendum esse ad populum accinctum, populum intelligit iam liberum, & nobilem, qualis tunc erat, antequam seruile subiret ministerium, & nomen; tunc præterea ad omnes bellicas contentiones strenuum. Nam illum proximè discinctum viderat; cui insultabant dominantes heri, & colaphum infligebant neque repugnanti, neque audenti in illo tam ignominioso dolore vel leuiter mutire.

Serui gladium gestare prohibiti.

153. *Ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis, mentietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum.*] Alia nunc incommoda proponit, quæ auersatur, & odit vita mortalium; cùm illi deficiunt terræ, arborúmque prouentus, sine quibus vita non potest esse vitalis, imò neque omninò vita. Percenset autem illa, quæ Palæstino solo familiaria sunt, ficum nimirum, oliuam, & vitem; quarum sæpe in Scriptura sacra nomen auditur, & ex quibus familiare Palæstinis paratur alimentum. Quare ager dicatur mendax, aut arua mentiri, diximus pluribus ad illud Oseæ cap. 9. vers. 2. *Et vinum mentietur eis.* Hæc porrò frumenti, vini, & olei inopia aut ideo prouenet, quia ex æreo cælo nulla stillabit pluuia, quæ campos irriget, & à qua plantæ vim fertilitatis accipiant; aut quia vbi iam aduenerit tempestiua maturitas, messis tota, atque vindemia ad hostes pertinebit, qui falcem mittent in alienam messem, & expectatum diu fructum dolentibus agricolarum oculis eripient. Quod prædixit Isaias cap. 1. vers. 7. *Regionem vestram coram vobis alieni deuorant.* Quod suo fortasse tempore non semel Propheta noster contigisse viderat. Sanè id accidisse Israelitico populo frequenter, habemus Iud. 6. vers. 3. *Cùmque seuisset Israel, ascendebat Madian, & Amalec, cæterique Orientalium nationum, & apud eos figentes tentoria, sicut erant in herbis, cuncta vastabant, vsque ad introitum Gazæ. Nihilque omnino ad vitam pertinens relinquebant in Israel, non boues, non oues, non asinos.* Quocunque verò modo calamitas ista contingat, gaudendum tamen sibi esse dicit in Iesu suo; quia scit ab illius fideli prouidentia paratum esse & doloris solatium, & inopiæ subsidium opportunum.

Nulla timenda rerum inopia fauente Deo.

Abscindetur de ouili pecus, & non erit armentum in 154.
præsepibus.] Sicut proximè diximus, duplici ex causa prouenire potuit eorum, quæ nascuntur è terra, fames, & egestas; aut quia terræ à cælo succus defuit; aut quia erumpentes iam, seu maturos fructus aut hostilis perdidit inuidia, aut inordinata cupiditas abstulit. Sic etiam armentorum, pecudúmque inopia aut ideo accidit, quia deficit herba in arido, atque sitienti solo; aut quia infelici abortu mortui nascuntur fœtus; aut certè quia, vt nuper dicebamus, hostes ab ouilibus pecudes, & à præsepibus boues abigebant. Si ergo ab ouibus caulæ, aut ab armentis præsepia vacent, *gaudebo* (inquit Propheta) *in Deo Iesu meo.* quia fiducia ex eius fidelitate concepta instar erit mihi rerum omnium, quas sperare possunt, aut optare humanæ delitiæ.

Ego autem in Domino gaudebo: & exultabo in Deo 155.
Iesu meo.] Mœrent alij, vbi spem omnem agrorum perire vident, abigi pecora, & humanæ vitæ siue ornamenta, siue præsidia diripi; quia in illis spem omnem, & salutem locatam habent. At ego, cui ab vno Deo spes tota, atque commoditas pendet, etiamsi omnia tam à natura inimica, & parca, quàm ab inimicorum iniuria aduersa sustineam; gaudebo tamen in ipso naturæ, fortunæque ludibrio, cùm Deus à me steterit, cui facile est subitò honestare pauperem. Cuius iam & potentiam summam, & singularem prouidentiam experior; dum compressam video Chaldæorum audaciam, abiectam insolentiam, & Iudæorum fortunam ærumnosam & tristem ad gloriosum statum, & priori similem reuocatam. Quam libertatem à Iesu seruatore sperabat Propheta, vt Augustinus indicat, de quo statim in expositione allegorica.

Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos 156.
quasi ceruorum.] Allusio est ad illud Psal. 17. v. 34. *Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum, & super excelsa statuens me.* Hinc additus animus Prophetæ, hinc in perferendis naturæ, fortunæque naufragiis alacritas; quia si vires adimit aduersa valetudo, si carnes exedit, & tabefacit sacer ignis, aut quæcunque lues, si ipsas etiam ossium medullas occupet putredo; fortitudo tamen nunquam deerit, quia neque deesse poterit Deus, qui seruorum fidelium robur est. Quo præsente timendum non est, quicquid natura coniurata

rata contrà moliatur, aut hostiles meditentur animi; quia si consistunt aduersùs illum castra, illa Deus vel solo spiritu dissabit.

157. *Deus suorũ fortitudo.* Timeri Chaldæi poterant, tum ob alia bellorum adminicula, quorum ipsorum abundabant castra; ardorémque pugnandi, quem, vt habes Isaia cap.5. ad finem, nullus frangit, aut debilitat labor: tum quia equos habuerunt tantæ pernicitatis, vt non solùm cum pardis, vespertinisque lupis, sed etiam cum aquilis compatentur, vt vidimus suprà *cap.1. vers.* 8. vbi nos ea de re pluribus. Contra horum velocitatem, & impetum, data est Prophetæ, & populo, qui se totum diuinæ tutelæ concredidit, ceruorum celeritas, quam non assequitur Chaldæorum cursus; & ea etiam parte melior, quod ad alta etiam montium iuga, per scopulos, & salebras enititur, quò aspirare non potest equorum quantacunque pernicitas. Data porrò dicitur ceruorum velocitas ad declinandum hostilem impetum, quam non habuerunt tunc Iudæi, quando capti fuerunt à Chaldæis. Vt enim metus animum, sic etiam ad fugam velocitatem, & constantiam ademit: ita vt languerent in cursu, aut lubrico titubarent, ruerentque vestigio. Sic sanè meditabatur Ieremias Thren. cap.4. vers.18. *Lubricauerunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum.* Et dum Prophetæ hanc Iudæorum calamitatem prædicunt, vacillantium, atque languentium genuum meminerunt, *Isai. cap.35. Ezech. cap.7. & cap.21.* Ceruorum autem pedes sibi optat, ac sperat Propheta; quia ceruorum similes antè viderat Chaldæorum pedes. De quibus Ierem. suprà vers.19. *Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli: super montes persecuti sunt nos: in deserto insidiati sunt nobis.* Tum etiam quia reditus ceruorum exigebat pedes, cùm montes essent superandi, qui inter Babyloniam, & Hierosolymam interiecti sunt.

158. *Et super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem.*] Excelsa sua Hierosolymam vocat, aut Iudæam, quia regio montosa est, & idonea ceruorum habitatio, quorum pedes sibi, ac populo sperabat Propheta. Deducet autem Iesus victor, in quo gaudendum sibi esse Propheta cecinerat: licèt enim Cyrus arma tractarit manu, illius tamen dextram Deus apprehenderat, in quo Isaias absconditum Deum intuebatur *cap.45.* Ea porrò lætitia populus *Iudæi cum iubilo, & plausu ab exilio reuersi.* è Babylonia reuertetur, vt sicut in exitu è patria, quàm longa est via, querelis, ac planctu personabat; sic etiam in reditu tota iubilantium choris, & quodam quasi hymenæo plausu compleatur. Quare in Psalmis canentem deducendum dicit fore populum à Deo victore. Quod sæpiùs audimus à Prophetis, qui sic describunt reditum in patriam, vt triumphalem potius, aut nuptialem pompam esse putes, quàm peregrinantium, aut viatorum laboriosum iter. Sic sanè Baruch *cap.5.* & Isaias *capite 52. vers.1. & cap.61. vers.3. & cap.66. vers.20.*

159. Vbi vulgatus *victor*, Hebr. est למנצח *lamnaseach*, quæ vox persæpe Psalmorum præfigitur exordiis. Neque aliud fortasse sibi vult in hoc Cantico, seu Psalmo Habacuc, quàm in omnibus Dauidicis Psalmis, qui sanè multi sunt eo notati titulo. Vocem illam Septuaginta sic vertunt, *Vt vincam in cantico eius.* At in Psalmis *in finem.* Hieronymus tam hîc, quàm in Psalmis *victori*, & ita esse legendum probat multis Ribera. Neque parùm ad hanc cogitionem facit, quòd voci נצח præfigitur ל *lamed.* Neque alienus esset, aut extortus sensus; nempe, Deus deducet me (id est, populum, populi quippe personam Propheta sustinet) in Psalmis canentem, aut citharizantem sibi victori, aut Christo seruatori, cuius fortitudini, ac bonitati id acceptum refero. Alij aliter vertunt. Aquila, sicut Hieronymus, τῷ νικοποιῷ, id est, *vincenti*, seu *authori victoriæ.* Symmachus ἐπινίκιον ᾠδή, hoc est, *epinicion*, seu *triumphale carmen.* Theodotio εἰς τὸ νῖκος, hoc est, *ad victoriam.* Sed vulgatus, sicut modò legimus, & iam pridem concinit Ecclesia, & habent Sixtiani codices, habet, *Deducet me victor.* Neque est explicatio difficilis: scilicet Deus, qui vicit, reducet me in patriam illius singularem virtutem triumphali cantico celebrantem. Vbi vulgatus, *In Psalmis canentem.* Hebr. est נגינות *neguinoth.* quod genus instrumenti est: quod tamen illud sit, incertum est, sicut pleraque alia, imò & penè omnia musicorum organa. Quare quod duabus vocibus vulgatus explicuit, vna tantùm nos hoc modo non ineptè complecti possumus, *citharizantem*, aut *tympanizantem*, aut quid simile. Quid porrò sit in psalterio למנצח, non est nostrum opus id pluribus explicare. Qua de re Psalmorum interpretes satis, imò fortasse plus satis.

Illud ad extremum addendum, Psalmum hunc, quem sibi cantandum esse dicit Propheta, esse eius, in quo laudatur Dei potentia, qui è summis periculis liberat afflictos, & abiectos, & gloria cumulat, & insperato triumpho; quem in euentibus huiusmodi quasi legitimè solitum esse cantari persuadent aliquot Scripturæ sacræ loca, quæ huius Psalmi, dum agerentur gratiæ in euentu simili, meminerunt. Sic sanè tres pueri *Daniel.3.* in fine Cantici, cùm erepti fuerunt è fornace. Sic 2. Paralipomenon 5. vers.13. *Ita vt cùm Deum laudare cœpissent, & dicere: Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius, impleretur domus Dei nube.* Et hi ipsi, de quibus nunc Propheta, Esdræ 1. cap.3. v.11. *Concinebant in hymnis, & confessione Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.* 160. *Psalmus 119. in gratiarum actione cantari solitus.*

Explicatio allegorica.

Allegoricum sensum non est informari difficile ex his, quæ diximus; quare videbat mihi ab eo negotio abstinere posse absque vlla commentationis iniuria, aut offensione, atque reprehensione lectoris. Quid enim tanti laboris, aut ingenij est, quæ in soluenda Iudæorum captiuitate gloriosè proponuntur, illa eadem ad spiritualem verámque libertatem à diaboli seruitute transferri? Aut cur aliquis durum esse putet in saniem liquescere, scatere vermibus, doloribus vri, omnibus vitæ subsidiis spoliari, cùm contra hæc stet diuina promissio, à qua abesse non potest pondus, & fides? Quem retardet locorum asperitas, montium ardua, & in speciem inaccessa fastigia, ad quæ aspirare debet, qui se ex Babylonico iugo solutum 161.

noster Iesus Christus alias prouincias aliis fratribus meis Apostolis distribuens, totam Hispaniam meæ tutelæ per sortem deputasset? De quo testimonio nos plura ad eum tractatum, quem de Iacobi in Hispania prædicatione Apostolicorum Actuum commentariis adiunximus.

Expositio historica.

71. *Deus solo nutu gentes dissoluit.* *Aspexit, & dissoluit gentes, & contriti sunt montes sæculi.*] Prouerbialis hyperbole est, qua significamus aliquid à nobis nullo, aut facili negotio præstari posse. Sic dicunt profani omnia ex alicuius nictu pendere, id est, aliquem solo oculorum coniectu, siue aspectu posse constituere, ac labefactare omnia. Hoc suo Ioui tribuit cæca, delusaque gentilitas. De quo Horatius lib. 1. ode 3. *Cuncta supercilio mouentis.* Sic Catullus de nuptiis Pelei, annuenti Ioui, seu, quod idem est, illius nictui attribuit vniuersi tremorem, atque concussum.

Annuit inuicto cælestum numine Rector,
Quo tunc & tellus, atque humida contremuerunt
Æquora, concussitque micantia sydera mundus.

Qui dicendi modus familiaris est Homero, ex quo sumpsit Virgilius, qui iisdem verbis *lib. 9. & 10.* hoc ipsum expressit.

Annuit & totum nutu tremefecit olympum.

72. Hoc idem, quod fabulosè, & hyperbolico loquendi genere de suo Ioue dixerunt antiqui, id de Deo quàm verissimè dicit Propheta; quod alij etiam dixerunt, cùm nihil esse Deo difficile significare volunt. Sic Dauid Psal. 103. v. 32. *Qui respicit terram, & facit eam tremere, qui tangit montes, & fumigant.* Et Eccli. cap. 16. v. 18. *Ecce cælum, & cæli cælorum, abyssus, & vniuersa terra, & quæ in eis sunt, in conspectu illius commouebuntur; montes simul & colles, & fundamenta terræ. Et cùm conspexerit illa Deus, tremore concutientur.* Vtrunque verò contigisse, quo tempore Hebræi, duce, atque auspice Deo, terram promissionis ingressi sunt; imò cùm ad illam cursum instituerunt, multa docent. Exod. cap 15. v. 14. *Dolores obtinuerunt habitatores Philisthim: tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan.* Idem de habitatoribus Iericho dixit Rahab meretrix Iosue cap. 2. v. 11. *Elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus ad introitum vestrum.* Quod etiam accidisse toti regioni Chananitidi constat ex Iosue *cap. 5. v. 1.* vbi omnium regum Chananæorum dicitur dissolutum esse cor, neque in illis remansisse spiritum. Idem verò accidisse Iudæis, ad aduentum regis Nabuchodonosor, colligitur ex Ezech. cap. 7. v. 17. *Omnes manus dissoluentur, & omnia genua fluent aquis: & accingent se ciliciis, & operiet eos formido.* & cap. 21. v. 7. *Tabescet omne cor, & dissoluentur vniuersæ manus, & infirmabitur omnis spiritus, & per cuncta genua fluent aquæ.* Est ergo sensus. Sicut olim aspiciente Deo, offensis nimirum oculis, Chananæos, eorum dissoluit neruos, & fregit animos: sic etiam cùm eodem modo Iudæos aspexerit, illorum debilitabit vires, & aduentu Chaldæorum reddet exanimes. Neque aliis ad debellendum machinis opus erit; satis erit ad totum illud opus peragendum intentus diuinorum oculorum obtutus.

Chananæorum animi Hebræorum aduêtu dissoluti.

Item Iudæorum ad Chaldæorum ingressum.

73. *Principes in montibus expressi.* *Et contriti sunt montes sæculi.*] In montibus adumbrari principes, & qui excelso sunt loco, ipsa montium natura satis ostendit; nam è plano tument, & magna mole in altum attolluntur. Et quidem rex Babylonis mons pestifer appellatur Ieremiæ cap. 51. & diabolus, cuius spiritus arrogantissimus est, mons vocatur magnus Zachariæ cap. 4. Denique potentes, & superbi montium significantur nomine Isaiæ cap. 4. *Omnis vallis implebitur, omnis mons, & collis humiliabitur.* Hos verò montes contriuit Deus, adæquauit vallibus, & redegit in planum; quod seruatori Christo promisit Pater, Isaiæ cap. 41. v. 15. *Ego posui te quasi plaustrum triturans nouum, habens rostra serrantia: triturabis montes, & comminues, & colles quasi puluerem pones.* Qui locus cum hoc nostro mire ex omni parte colludit. Montes porrò sæculi dicuntur, sicut statim iidem per expexegesim *colles mundi* vocantur, qui nempe manu facti non sunt, sicut alicubi gentium facti narrantur. Sicut de Nabuchodonosore diximus ad illud Ieremiæ cap. 13. *Ad montes caliginosos*; qui montes excitauit in Babylone, vt docet Iosephus *lib. 10. cap. 11.* sicut *sæculum* pro mundi primordiis aliquando ponitur. Vnde frequens est: *à sæculo non est auditum*, id est, à mundi constitutione. Et Genes. cap. 6. n. 4. *Isti sunt potentes à sæculo.* Sic etiam montes sæculi illi vocantur, qui cum ipso mundo, aut non longè post mundum creatum excitati sunt, quique propter grauem molem nunquam sunt mutati, neque videtur futurum, vt aliquando mutentur. Quos Baruch *cap. 5. v. 7.* rupes vocat perennes. Ait igitur Propheta illos, qui propter magnitudinem vocantur *montes*, & propter generis antiquitatem, & diuturnam amplissimi tituli possessionem *montes sæculi*, esse tamen à Domino conterendos; ita vt nullum supersit tantæ, ac tam diuturnæ gloriæ, tantæ celsitudinis argumentum. An verò id etiam propriè aliquando contigerit, id est, an reuera contriti fuerint, atque incuruati montes, dicemus statim.

Montes sæculi, & colles mundi, qui.

Incuruati sunt colles mundi.] Eadem est sententia aliter expressa. Nunc videndum an verè contriti fuerint montes, & depressi, aut incuruati colles: vel potiùs hæc tantùm allegoricè sint intelligenda; quasi viri potentes sint oppressi, qui à sæculo, id est, iampridem regnum obtinuerunt: aut certè via Israelitis sic fuerit ad cursum expedita, vt interiecti montes nullum gradientibus impedimentum obtêderint. Hoc potiùs plerique interpretum existimant tum ad hunc locum, tum ad alia plurima, quæ huic sunt in Psalmis, & Prophetis affinia: quos hîc referre necesse non est, ne longi simus, ac ne omnes propemodum numeremus. Et vt paucis referam, quid mihi magis videatur verisimile, dico id mihi nunc etiam videri, quod existimabam in expositione *Psal. 67.* reuera montes fuisse contritos, & colles incuruatos, vt iter Hebræi haberent expeditum, & planum. Id mihi verisimile facit, quòd sæpe montes, & colles dicuntur commoti, aut liquefacti, aut talia passi, qualia sine conuulsione, ac motu fieri non solent. Iob cap. 9. v. 5. *Qui transtulit montes, & nescierunt hi quos subuertit in furore suo.* Psal. 96. v. 5. *Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini.* 75.
Sed persuadet hæc omninò, quòd *Psal. 113.* commota terra, & montes è suis commoti sedibus simul cum diuiso mari rubro, & aperto Iordane, & petra aquis scaturiente coniunguntur. Cùm autem ibi propriè, & non figuratè mare retrò fugisse, & retrorsum abiisse Iordanis, & petra in aquarum stagna conuersa esse dicantur; sic etiam propriè dicenda est terra commota, & montes sicut arietes exultasse. Exultare autem hoc loco non significat lætari, sed extra situm suum, & sedem salire. Hoc nos pluribus ostendimus

Montes ad ingressũ Israel verè, ac propriè commoti.

dimus in explicatione *Psal.* 67. vnde huc pleraque transcribemus. Quod item sentit Caietanus in Psal. 103. Inclinat Magister historiæ Scholasticæ. & Lyra *in cap.* 20. *Numerorum*. Idem etiam sumi posse videtur ex *Psal.* 103. qui terræ tremorem cum monte fumigante coniungit. *Qui respicit terram, & facit eam tremere, qui tangit montes, & fumigant.* Vt autem hoc posterius propriè contigit; sic etiam propriè videtur contigisse prius. Et sanè *Numer.* 21. scopuli inclinari dicuntur, vt Israëlitæ acquiescerent in Arnon. Porrò in Arnon terram esse commotam, habes Iud. cap. 5. n. 4. *Domine, cùm exires de Seir, & transires per regiones Edom, terra mota est.*

76. Quòd verò propriè sit intelligenda illa scopulorum inclinatio, argumento est, quia ibidem id scopulis, & torrentibus accidisse dicitur, quòd olim mari rubro. *Sicut fecit in mari rubro, sic faciet in torrentibus Arnon: scopuli torrentium inclinati sunt*, &c. Vt ergo propriè mare diuisum est, & via Hebræis ad transitum expedita: sic diuisi, aut inclinati montes clausam antè viam Israëlitis aperuerunt. Et ita sentit Abul. *in cap.* 5. *Iud.* q. 2.

77. Accedit, quòd ibi meminit Moyses libri bellorum Domini, in quo hæc contineri commemorantur; sed in his Domini bellis id contigisse, vt terra sit concussa, atque disrupta, satis indicat Zachar. cap. 14. *Egredietur*, inquit, *Dominus, & prœliabitur contra gentes illas, sicut prœliatus est in die certaminis.* id est, in egressu ex Ægypto, vt communiter sentiunt interpretes cum Hieronymo, vel cùm Deus ante populum suum egrediebatur, de quo nobis sermo. *Et stabunt pedes eius in die illa super montem oliuarum, qui est contra Ierusalem ad Orientem, & scindetur mons oliuarum ex media parte sui ad Orientem, & Occidentem prœrupto grandi valde.* Id verò contigisse propriè, & non figuratè liquet ex eo quod statim subditur, *Et fugietis sicut fugistis à facie terræmotus in diebus Osiæ regis Iuda.* Terræmotum verò illum propriè contigisse nemo negat, & tanquam à re omnino certa, ab eo tempus ostenditur prophetiæ Amos *cap.* 1. Vide de hoc terræmotu Ioseph. *lib.* 9. *Antiq. cap.* 11. Quare similia in die certaminis Domini facta narrantur his, quæ postea accidère tempore Osiæ; & his, quæ à Zacharia *cap.* 14. impendere prædicantur.

78. *Ab itineribus æternitatis eius.*] Deus tunc egredi dicitur, quando aliquid producit extrà, quod homines capere sensu possunt; qualis est aspectabilis vniuersi moles, & quæ in illo continentur omnia. Quare itinera, aut viæ Domini, illius opera sunt. Vnde *Prou.* 8. v. 12. Sapientia dicit de se, *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Et *Iob c.* 40. Behemot fuisse dicitur principium viarum Domini, id est, præcipuum opus. Sic etiam montes appellari possunt æterni, id est, qui primùm in ipsa mundi constitutione creati: æternum verò appellari primum illud tempus, sicut etiam sæculum vocari iam antè diximus. Sanè *Psal.* 75. v. 4. montes dicuntur æterni: & *Genes.* 49. æterni colles. Et cùm aliquid ab antiquitate laudatur, ante montes, & colles creatum esse dicitur. Sic Iob cap. 15. v. 7. *Nunquid tu primus homo natus es, & ante colles formatus?* Et Prouerb. 8. v. 26. *Ante omnes colles ego parturiebar.* Quod ideo videtur de præaltis potius montibus, quàm de terra dici; quia primi, postquam ab aquis aquæ sunt diuisæ, montes apparuerunt, atque ideo existimari potuere vniuersarum terræ partium antiquissimi.

Deus egredi dicitur quando aliquid ad extra producit.

Montes cur vocati æterni.

79. Cur verò montes isti, de quibus loquitur Propheta, dicantur *æterni*, seu, quod idem est, *ab itineribus æternitatis*, iam suprà modicè tetigimus. Duo etenim montium genera spectare licet. Alij æterni sunt eo, quem diximus, sensu; qui etiam montes dicuntur *sæculi*, & *mundi*, quia mundo, & sæculo coæui; quorum ea est firmitas, vt sicut à creato mundo ad nostram vsque ætatem permanserunt immoti, sic etiam videntur in omnia sæculorum sæcula permansuri. Alij sunt aut casu, aut hominum industria facti, qui facilè dissolui possunt, imò qui iam dissoluti sunt, & dissoluentur postea facilè, si qui manent, si vis aliqua naturæ violentior ingruerit. Quales fuerunt quos Nabuchodonosor excitauit, de quibus Iosephus *lib.* 10. *cap.* 11. & qui Romæ testaceus appellatur; & quos aggerant commoti fluctus ex arena, ex qua magni excitantur cumuli, quos Syrtes appellamus. Qui etiam, Solino teste, inueniuntur in Africa, in locis æstuosis, & siccis; qui licèt vasti sint, vt facilè à vento acriùs perflante congregantur, sic etiam ab eodem vento eadem facilitate dissoluuntur, aut transferuntur aliò. Cùm igitur conterendi dicuntur montes, sæculi, & mundi colles incuruandi, id est, æterni montes, & colles; de illis Propheta loquitur qui in exordio mundi creati sunt; non de his, qui casu, aut opera hominum excitati.

Montes quidam manu facti.

Quod verò ad rem grammaticam pertinet, ordinémque literæ, obseruo relatiuum solere frequenter omitti, vt *Psal.* 7. vbi vulgatus, *In præcepto, quod mandasti.* Hebr. *In præcepto mandasti.* & *Psal.* 9. v. 16. vbi noster, *In interitu, quem fecerunt*; & statim *In laqueo isto, quem absconderunt*, Hebr est, *In interitu fecerunt, & in laqueo absconderunt.* & Psal. 117. vulgatus, *Hæc dies, quam fecit Dominus. Hæc dies fecit Dominus.* vbi, vt vides, nomen desideratur relatiuum. Eodem modo *Iosue cap.* 10. v. 20. vbi nos legimus, *Hi, qui Israel effugere potuerunt, ingressi sunt ciuitates munitas*, Hebr. *Superstites superfuerunt, venerunt.* Alia exempla occurrent passim mediocriter attento. Iuxta hæc ego sic literam ordino, *Contriti sunt montes sæculi, & incuruati sunt colles mundi, illi nempe montes, & colles, qui ex illorum operum numero sunt, quæ Deus ab æternitate, id est, à sæculo condidit, id est, in mundi primordio.* 80.

80. REGVLA. *Relatiuum ab Hebræis interdum omissum.*

Expositio allegorica

Allegoria adeò facilis est, vt in ea tractanda otiosus videri possit interpretis labor; maximè cùm hæc fermè sola ab auctorum plerisque tentata sit. Montes sæculi, & colles mundi, superbi sunt, atque potentes, qui appellari etiam possunt æterni; vel quia iamdudum imperium obtinent, & gloriam, quæ in ipsis alunt arrogantes spiritus, & sibi statum illum gloriosum, quo sunt animi stupore, æternum futurum esse blandiuntur. Hos igitur Deus vel solo oculorum nutu disperdet; quantumuis in stabiliendo aut regno, aut nomine laborent, vt antiqua docent Chananæorum exempla, & noua etiam in omni sæculorum memoria recordamur. Hoc de Christi tempore cecinit Isaias *cap.* 40. & præcursor Ioannes ex illius ore, præsente iam Christo, repetiuit. Lucæ cap. 3. v. 5. *Omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur.* Theophylactus hîc agnoscit montes, & saxa, quæ à mundi constitutione integra, atque inconcussa manserunt, in Christi morte, id est, aspectu Christi morientis fuisse disrupta. Idem sentit itinera æternitatis esse legem euangelicam, quæ crucem sonat, & illa maximè commen- 81.

commendat, quæ magis horret malesana hominum cupido, & corrupta natura. Hæc enim mõtes conterit, & valles incuruat; quia nullam patitur ceruicem insolenter attolli. Quod item indicat Cyrillus, qui æternitatis itinera, seu semitas legem esse putat diuinam, & maximè euangelicam, & adducit illud Ieremiæ cap.6. iuxta Septuaginta lectionem, *State super vias, & videte, & interrogate semitas Domini æternas.* Idem Theophylactus, & Theodoretus in montibus, & collibus cultum idolorum intelligunt; quoniam in præaltis montibus idolorum extruebantur aræ, & illis impiæ immolabantur victimæ: quod quia apud Iudæos erat frequentissimum, fiebat, vt execranda fana, vbi nefarius cultus impendebatur dæmoni, excelsa vocarentur.

Explicatio historica.

82. Vers. 7. *Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.*] Hæc, vt reor, commoda est superiorum explicatio, vnde habemus ab aspectu Domini dissolutas esse gentes, & montes sæculi contritos. Quod probatur Æthiopum, qui etiam Madianitæ nominantur, exemplo. Duo sunt populi, qui cùm appellatione conueniant, longè tamen differunt & locorum situ, & corporis habitu, & animi moribus. Sunt enim Æthiopes quidam orientales, vt docet Homerus, & tradit Strabo *lib.1.* & Plinius *lib. 5. cap.7.* qui Syris, & Palæstinis vicini sunt. Quod expressum habes lib.2. Paralip. cap.21. *Suscitauit Dominus contra Ioram spiritum Philisthinorum, qui confines sunt Æthiopibus.* Madianitas porrò Æthiopes esse docet Sephora Moysis vxor, quæ filia fuit Ietro Madianitæ, & tamen Æthiopissa dicitur *Numer. cap.12.* Et *Psal.71.* Æthiopes, Arabes, & Sabæi, quasi sibiipsis vicini commemorantur. Et Iethro Madianita, cuius oues pascebat Moyses, prope Sinai Arabiæ montem habitabat. Quare de his

Æthiopia duplex.

83. Æthiopibus sermo est, quorum Deus spiritus aliquando fregit, non tam Hebræorum armis, quàm aspectu suo, id est, facili, atque miraculoso successu. Quòd verò Deus Æthiopes, qui & Madianitæ, solo tantùm aspectu, id est, sine vlla, aut non nisi leui Israelitarum opera superarit, docet casus Gedeonis, cui Deus edixit, vt exiguam secum militum manum adduceret, ne humanis viribus, atque consiliis nobilem de Madianitis victoriam ascriberet. Quare totum illud opus Domini fuit. Vt enim habes Iudic. cap.7. v.23. *Immisit Dominus gladium in omnibus castris, & mutua se cæde truncabant.* De Æthiopibus aliquid etiam habemus admirabile *lib.2. Paralip. cap.14. n. 9.* Repetam autem verba licet paulo longiora, quia apertè docent eosdem esse cum Madianitis Æthiopes. Nam & caulas dicuntur habuisse pecudum, quod & Madianitarum præcipuum negotium, qui re abundant pecuaria; & ciuitates, quæ sunt in circuitu Geraræ, dicuntur esse captæ. Gerara autem aut est in regione Madianitide, aut certè vicina, vt constat ex *Gen. cap.20.* ibi enim peregrinatus dicitur Abraham, nempe inter Cades, & Sur. Ita sentit Augustinus in quæst. super Numer. cap.12. q.20. *De vxore* (inquit) *Moysi Æthiopissa quæri solet, vtrum ipsa erat filia Iethro, an alteram duxerit, vel superduxerit, sed ipsam esse credibile est. De Madianitis quippe erat, qui reperiuntur in Paralipomeno Æthiopes dici, quando contra eos pugnauit Iosaphat* (ita legit Augustinus, cùm sit Assa.) *Nam in his locis dicitur eos persecutus populus Israel, vbi Madianitæ habitant, qui nunc Saraceni appellantur. Sed nunc eos Æthiopes nemo fere appellat, sicut solent locorum, & gentium nomina plerumque vetustate mutari.* Sic autem ille locus Paralip. *Egressus est autem contra eos* (nẽpe rege Assa, & Iuda, & Beniamin) *Zara Æthiops cum exercitu suo decies centena millia, & curribus trecentis, & venit vsque Maresa. Porrò Assa perrexit obuiam ei, & instruxit aciem ad bellum in valle Sephata, quæ est iuxta Maresa. Et inuocauit Dominum,* &c. *Exterruit itaque Dominus Æthiopes coram Assa, & Iuda, fugeruntque Æthiopes, & persecutus est eos Assa, & populus, qui cum eo erat, vsque Geraræ: & ruerunt Æthiopes vsque ad internecionem, quia Domino cædente contriti sunt, & exercitu illius præliante. Tulerunt ergo spolia multa, & percusserunt ciuitates omnes per circuitum Geraræ: grandis quippe cunctos terror inuaserat, & diripuerunt vrbes, & multam prædam asportauerunt. Sed & caulas ouium destruentes tulerunt pecorum infinitam multitudinem, & camelorum, & reuersi sunt in Ierusalem.*

Madianitæ, qui & Æthiopes à Deo superati.

Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ.] Illud *pro* idem valet quod *propter*, sicut etiam apud Latinos sæpe. Comicus in Eunucho, *Ego pol te pro istis factis, & dictis, scelus, vlciscar.* Sic dicimus, *pro hac re te diligo, pro nostra amicitia hæc curabo*, & similia. Quare sensus est, propter Æthiopum iniquitatem illorum euerti tentoria; euerti, inquam, tabernacula Madian. Vbi in primo hemistichio tempus posuit præteritum, in secundo futurum; cùm tamen eadem sit vtrobique sententia. In quo ego aliquid animaduerto, quod ad meam cogitationem non parum facit: sic enim præteritorum meminit, vt tamen futurum aliquid respiciat, cuius in præteritis vmbra præcessit; nempe Chaldæorum appulsum in terram promissionis, quibus adfuit Deus contra Iudæorum rebellem, atque infidelem populum. 84.

Pro idem quod propter.

Tentoria, & pelles, quæ idem valent, nam ex pellibus tabernacula fiunt, accommodatè dicuntur de Æthiopibus, seu Madianitis: qui cùm plerumque in campis agant, quia nomades sunt, & vni rei armentariæ, ac pecuariæ vacant, domos stabiles non habent; quia eò feruntur, quò vocat pecorum commoditas; sed tabernacula, quæ sæpè mutant pro pascuorum opportunitate. Vnde nationes istæ etiam à profanis scenitæ vocantur, quia in scenis, id est, tuguriis habitant. Ita Plinius *lib.5. cap.12.* Quare qui Madianitis tabernacula disturbare voluerit, illis nihil è re, supellectilique domestica reliquerit. Et id credo nũc à Deo esse significatum, dum videnda dicuntur oculis nempe infensis Æthiopum tentoria, & pelles Madian; neque enim pastoribus disturbato tentorio quicquam erit reliqui. Tunc autem dissipatum dici potest, quando ablati sunt greges, quorum causa pastoritiæ casæ construuntur. Imò etiamsi tentoriis vis nulla sit illata, si tamen sint abacti greges, disiecta dicuntur tabernacula; sicut domus periisse, quando illi, quorum causa fabricatæ fuerant, extincti sunt. 85.

Madianitarum viuendi ratio.

Quomodo hoc in tempus Babylonicum, extremámque Iudæorum cladem aptari possit, quiuis, vt reor, facilè coniectabit. Neque enim aliquid hîc nobis quærendum est, quàm Dei inimicos, in quos nimirum oculos coniecerit infensos, quales tunc erant Iudæi, nullo negotio fore superandos. Et ita planè accidit. Deus enim Iudæos quondam acres in bello sic horrore perculit, exanimauitque, vt penè constrictos tradiderit, & vrbem illam arte, atque natura munitam, quæque nulla hostium aut contentione, aut industria 86.

Digitized by Google

dustria expugnari posse videbatur, sic excidit; quomodo dissipari solent pastorum tabernacula, quæ ex pellibus, aut cespite, aut palustri materia contexuntur. Sed si dicamus, quæ de Madianitis, Orientalibúsque Æthiopibus dicuntur, illa etiam hoc ipso Chaldæorum tempore contigisse, non credo ab historica fide aberrabit commentatio. Nam hos etiam populos, quos antè subiugauere Israelitæ, aut potiùs Deus, vt Israelitarum causæ commodaret, eodem agente Deo, postea expugnauere Chaldæi. Ita Iosephus lib. 10. Antiq. cap. 11. *Quinto* (inquit) *post excidium Solymitanum anno, qui fuit regni ipsius Nabuchodonosoris vigesimus tertius, cum magnis copiis inuasit Celesyriam; qua subacta bellum gessit contra Ammonitas, & Moabitas,* &c. Sed docuit hoc expresè magis Ieremias *cap.* 25. vbi regionibus, quæ sunt in circuitu Iudææ, inter quas numerat Arabiam, Dedan, Theman, & Buz, quæ ad Ismaelitas, & Madianitas pertinent, quæ omnes subiugandæ dicuntur à Nabuchodonosor *eodem capite v. 9.*

87. Vers. 8. *Nunquid in fluminibus iratus es, Domine, &c. aut in mari indignatio tua?*] Alia prodigia adducit Propheta, quibus Deus olim suam in populum benignitatem ostenderat. Iratus videbatur Dominus in flumina, cùm illa percussit virga in manu Moysis, & aquas Nili conuertit in sanguinem, & pisces illius computruerunt, *Exod. cap. 7. v. 20.* Siccauit prætereà Iordanem, & priùs mare rubrum, ita vt sicco vestigio egrederentur ex Ægypto Israelitæ per mare diuisum; & per diuisum Iordanem sicco item vestigio in terram promissionis ingrederentur. Hic tamen furor, qui videbatur vehemens, non petebat tumentes maris fluctus, aut fluminum torrentes aquas; sed Ægyptios, à quibus captiui tenebantur Hebræi, & Chananæos, qui promissam Hebræis possessionem occupabant.

88. Hoc ipsum rogauit olim Dauid Psal. 113. *Quid est tibi mare quod fugisti, & tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum? Montes exultastis sicut arietes, & colles sicut agni ouium?* Et docet regius Vates ex illa tanta naturæ mutatione id spectasse Deum, vt sui nominis dignitati consuleret. Huc fortasse spectant hoc loco Prophetæ verba, quæ id exigunt à Deo, vt suo nomini consulat, quod à Babyloniis conuitiis lacerari videbat, dum vident populum, quem sibi ex omnibus vnum adoptarat ipsorum seruituti fuisse subiectum. Et quemadmodum tunc Dauid non sibi, sed diuino nomini gloriam optabat; sic modò Propheta id videtur à Domino precari. Dixit ibi Dauid, *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Sic modò Habacuc, *Suscitans suscitabis*, &c. Fuisset quidem Domino non ita gloriosum increpuisse mare, & exsiccasse illud, aut aquas diuisisse Iordanis; si postea deseruisset in deserto populum, illúmque aut fame, aut aliis naturæ incommodis confecisset; aut si Iordanis alueo siccato, citra Iordanem tamen consenescere, atque interire permisisset gentem, quam post tot labores, atque molestias ad ripas vsque fluminis adduxisset.

89. *Ira metaphorica in res inanimatas.* Indignatus dicitur aliquis, licèt illius animus quàm longissimè absit ab omni motu, qui mentem turbat, aut exagitat; cùm aliquid facit, quod ab offenso, atque iracundo animo fieri solet. Quod tunc plerunque fieri existimatur, quando aliquid fit, quod alicuius naturam minimè decet, aut aliquid eius perfectioni detrahitur. Quomodo quis iratus dicitur domui, quam demolitur; aut arbori, à qua aut frondes excutit, aut ramos amputat. Sic Deus iratus videri potuit in Nilum, cùm aquam illimem, & salubrem conuertit in sanguinem; & pisces putrefecit, qui fluminis videbantur filij, & non exiguum illius ornamentum. Iratus item in mare rubrum, & Iordanem, cùm aquas nunquam antè diuisas, quæque id à natura habent, vt decliui, ac continenti fluxu pronæ ferantur, diuisit, ac suspendit. Vnde hoc opus tam maris, fluminísque naturæ contrarium, per verbum expressit Dauid, à quo abesse non solet indignatio. Psal. 105. v. 9. *Et increpuit mare rubrum, & exsiccatum est.* Si hîc constitisset ea, quæ videri potuit ira, neque aliquis inde hominibus proueniret vsus, esset fortasse, quod audax hominum ingenium, licèt immeritò, in Deo non probaret. *Stulta iracundia in res inanimatas.* Sicut iure homines magnum illum hominum opinione Xerxem conuitiis liberioribus exagitant, quòd in mare sæuierit, in quo ingentem classem cum graui Persici nominis ignominia perdiderat; illíque impegerit colaphos, compedes iniecerit, & seruiles inusserit notas. Quis enim vsus ex tam barbara, ac stolida sæuitia? vide quæ nos de Xerxe in Commentariis in Danielem *cap. 11. n. 12.* Idem ait Augustinus *epist. 15. ad Nebridium* accidere multis, qui insano, ac stolido furore sæuiunt in ea, à quibus nulla sperari potest vtilitas. *Non hominibus* (inquit) *tantum, sed calamo irascimur in scribendo, eúmque collidimus, atque frangimus: & aleatores tesseris, & pictores penicillo, & cuicumque instrumento quolibet, ex quo difficultatem se pati arbitratur.*

Videtur autem, vt dixi, idem velle, quod 90.
olim Dauid, cùm hæc eadem prodigia, & diuinæ potentiæ documenta produxisset, vt pergat esse beneuolus in populum suum. *Nequando dicant gentes, vbi est Deus eorum?* Eò enim spectabant subitæ aquarum scatebræ de petra, eò diuisæ marinæ, ac fluuiales aquæ, eò contriti atque inclinati colles, vt prædicaret populus tot ornatus beneficiis, & cantaret, *Deus noster in cælo, omnia quæcunque voluit, fecit.* Et gentes à vera religione alienæ reipsa cognoscerent, & dicerent, *Simulacra gentium, argentum, & aurum, opera manuum hominum: os habent, & non loquentur.* Sic igitur nunc Propheta noster orat Deum, quando suum nomen apud gentes Babylonicas (de quarum victoriis contra Iudæos proximè diximus actum videri) laborare videt, vt in eodem populo liberando à seruitute non dissimili, similia edat suæ virtutis, ac fidelitatis argumenta, quæ primis Israeliticæ reipublicæ temporibus cognouerunt, & horruere Gentiles. Et quando in priori populi libertate inclinauit montes, & per medios fluctus alueum siccum aperuit; id etiam nunc faciat, si necessarium sit, & agmen rursus instruat, quandoquidem pronior est ad saluandum, quàm ad perdendum animus, quo tamdiu despectum populum à seruitute vendicet, & Chaldæorum deprimat barbaros, & insolentes spiritus. Hæc ego putabam contexi posse consequenter; neque alius modus occurrebat, quo ista, quæ maximè videntur dissoluta, cum toto capite, & cum tota prophetia consentiant. Quare ad hanc cogitationem, quod reliquum est capitis, attemperabo, rationem aliam ab aliis expectans perquam auidè, qua hæc omnia inter se magis aptè, & verè consentiant.

Nunquid

91. *Nunquid in fluminibus iratus es, Domine?* Non A siccauit, aut corrupit aquas Dominus, quia illis esset indignatus, aut in illis aliquam deprehenderet culpam, quam puniret; sed vt populo suo benefaceret, & eos, qui aduersa moliebantur, corriperet; & inde sibi apud omnes gentes potentiæ, ac fidelitatis nomen obtineret. Id verò consecutum esse Deum, ipsorum etiam hostium testimonia clamant; quorum animi, accepto illo in omnibus sæculis inaudito prodigio, dissoluti sunt. Cùm apertum est mare, cecinerunt Israelitici chori, Exod. cap. 5. n. 15. *Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor; obriguerunt omnes habitatores Chanaan.* Quod item confessa est Raab meretrix Iosue cap. 2. v. 9. *Irruit in nos terror vester, &* B *elanguerunt omnes habitatores terræ. Audiuimus quòd siccauerit Dominus aquas maris rubri.* Idem iterum terror, & languor occupauit Chananæos, cùm sese Iordanis, imperante Domino, Hebræorum gressibus aperuit, *Iosue cap. 5. v. 1.* Et ideo commodè subiecit,

92. *Quia ascendes super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio.*] Sic se Deus habuit, dum aperuit mare, & traiecit exercitum, quomodo strenuus imperator, qui exercitum exponit in vlteriori fluminis ripa, aut superare facit, quæ inaccessa videbantur montium iuga, vt deinde bello sibi subiiciat, quæ interpositis aut fluminum, aut sa- C xorum impedimentis, tuta videbantur. Sic Deus quasi quadrigis inuectus, & ab equitatu luculenter instructus bellatoris in modum iter est aggressus, quod variis, admirandisque victoriis consignatum reliquit. Atque ideo illi Propheta tribuit equos, atque quadrigas, quæ dicuntur *saluatio*, quia salutem, & incolumitatem, & gloriosam victoriam afferunt his, quorum causa comparata sunt. Dicitur autem Deus equos ascendere, & insidere quadrigis, non quia his indigeat, aut vtatur Deus; sed quia non aliter commodè explicari poterat imperatoris, aut strenui ducis allegoria. Nihilominus exploremus necesse est, quænam in hac populi Hebraici D prodigiosa transmissione vocari possint quadrigæ, aut equi. Notum est nubes esse Dei quasi quoddam cæleste vehiculum, & in illis Deus tanquam in equis inequitare. Quare cùm dimicaturus, & debellaturus Ægyptios ingressus est, ascendisse dicitur super nubem leuem, Isaiæ 19. & Psal. 103. *Qui ponis nubem ascensum tuum*, Hebr. רכובו *rechubo*, currum, aut equitatum. Et quidem Deum, cùm maris rubri fluctus ad Hebræorum laxauit ingressum, vectum esse in nube liquet ex cap. 14. v. 24. *Ecce respiciens Dominus supra castra Ægyptiorum per columnam ignis, & nubis interfecit exercitum eorum.*

93. Vers. 9. *Suscitans suscitabis arcum tuum iura-* E *menta tribubus, quæ locutus es.*] Hinc iam sese aperit secunda pars Cantici. Vbi enim iam actum est de illorum supplicio, qui violentia, aut fraude inopes, & iustos oppresserunt, quos Chaldæi, agente Domino, aut confecerunt ferro, aut Babylonem abegere captiuos, agere aggreditur de Chaldæorum interitu; ex quo etiam pendet captiuorum libertas. De Chaldæorum namque crudelitate barbara questus fuerat antè Propheta; & illius dolorem, proposito Chaldæorum interitu, consolatus est Deus. Orat igitur, vt assumat, & intendat arcum, quem in Israelitici nominis hostes olim tetenderat, quem iam dudum abiecisse videbatur; & impleat illa, quæ populo quondam suo, quem iam quasi alienum reputat, iuramento promisit. Promisit autē Deus tribubus terrā illam, ex qua depulsi fuerunt à Babyloniis; promisit tutelam, si modò in data fide, & legis obseruantia manerent. Hoc igitur orat Propheta, vt suscitet arcum, qui alto sepultus somno dormire videbatur; & suscitet iuramentum, id est, promissionem, quam confirmauit graue iurisiurandi vinculum. Tunc verò suscitari videtur iuramentum, cùm illius suscitatur obligatio. Cùm autem diuinum istud iusiurandum obliget, cùm Iudæi à data fide, & legis custodia non deficiant; id etiam Propheta videtur postulare, vt talem captiuo populo mentem tribuat, vt Deus ad bene de illo merendum iuramento se obligatum agnoscat.

Semper. Non sine causa hîc secundò ponitur 94. hæc vox, quæ Hebr. dicitur סלה *sela*. Græcè, vt transtulere Septuaginta, διάψαλμα, de qua suprà pluribus. Quæ si idem valet quod *Amen*, aut *fiat*, votum, & studium significatur Prophetæ, quo id optat populo verè, atque in perpetuum concedi. Sin verò, vt cum Hieronymo sentiunt frequentes alij, & sonat vox Græca διάψαλμα, distinctionem indicat sententiæ, aut mutationem toni, satis indicatur quod dicebamus nuper magnam in Cantico fieri mutationem. Præcesserunt etenim hactenus tristia, nunc lætiora succedunt: illa videlicet, quæ ad Chaldæorum interitum, & populi libertatem spectant.

Explicatio allegorica.

Nunquid in fluminibus, &c.] Hîc Hieronymus 95. non de seruatore Christo, sed de Hebræorum republica literalem sensum esse putat. Allegorici sensus varij à variis adducti, quos cuiuis apud suos authores inuenire promptum est. Ribera hîc odoratur extremi iudicij tempus, vbi inter alias naturæ mutationes, plurimæ apparebunt in aquis. Sic Lucas cap. 21. *Et in terra pressura gentium præ confusione sonitus maris, & fluctuum.* Et *Apoc. l. cap. 8.* corruptæ dicuntur aquæ, & in absynthium versæ. & *cap. 16.* aquæ maris, & fluminum mutatæ dicuntur in sanguinem, & non solùm piscibus, sed etiam hominibus attulisse mortem.

Iudicij vniuersalis signa.

Hîc ego aliquid ad mores opportunum inue- 96. nio. Primùm, nullum Dei opus otiosum esse, sed spectare semper aliquid, quod ad suam gloriam, & hominum salutem pertineat, siue effundat, quod aliqui existimare possint vsum habere nullum. Quomodo si copiosos emittat imbres in mare, & agros relinquat sitientes, & aridos; siue dissoluat illa, quæ nunquam peccauerunt, neque humanis vsibus incommodare possunt. Quomodo videmus terrarum motibus discindi saxa, tangi de cælo montes, & arbores à fulmine senescere, diuidi mare, ac flumina, & in alueo sicco pisces interire. Sibiipsi attribuit Dominus, *Datum esse vehementissimo imbri cursum, & viam sonantis tonitrui; vt plueret super terram absque homine in deserto, vbi nullus mortalium commoratur.* Hæc, inquam, quæ temerarium, atque audax alicuius ingenium incogitantiæ, atque imprudentiæ forsan argueret, à magna, atque inscrutabili prouidentia proueniunt. Pluit Dominus super de- 97. sertum, & mare, vt norit homo, cùm agri sitiunt,

Dei nullum otiosū opus etiamsi inutile videatur hominibus.

Digitized by Google

Cur Deus in mari, atque in deserto pluat, vbi nulla videtur esse commoditas.

tiunt, & extrema timetur fames, non deesse Deo copiosa aquarum fluenta, quibus riget, & exhilaret segetes, quando illa in maria, ac solitudines effundit; sed esse in ipsis peccata, quæ aut æreos reddunt cælos, ne pluuiam concipiant; aut imbre grauidas nubes aliò abigunt, & in mare, ac solitudinem, vbi nullus commoratur homo, largè dispergunt. Quid peccant ilices, aut syluestres arbores è cælo fulminatæ? Sanè si ad illarum vmbram excitatæ sunt aræ gentium simulacris, & nefaria obita sacrificia, satis grauis videtur causa, vt à cælesti consumantur, aut desormentur igne, ne plantatum opaca commoditas ad opus illud nefarium iterum inuitet. Sed habent alium præclarum vsum aut disrupta saxa terræ concussu, aut fulminatæ quercus; vt scilicet intelligat peccator non esse Dei iustitiam nudam ab armis; quæ vt in corpora inanimata torquet, sic etiam vibrare potest in peccatorum caput. *Leo*, inquit Amos, *rugit, quis non timebit?* Sic rugiente leone, id est, Deo in syluis, quis non formidabit?

Cur Deus in res inanimatas sæuire videatur.

98. Et vt ad diuisum mare rubrum, & apertum Iordanis alueum veniamus, nihil commeruit vtrumque, cur grauem illam plagam acciperet: at interfuit plurimùm siccatum esse fluuium, & mare diuisum; aliter enim neque ex Ægyptia potestate emergerent Hebræi, neque in terram promissionis essent ingressi. Siccari aquas, aut fluuium diuidi, nihil est aliud, si ad rem moralem referas, quàm voluptates molliores, & diuitias, quæ illarum alimenta sunt, aut interrumpi, aut tolli: continens enim voluptatum, & luxuriantis fortunæ cursus confidentiam alit, & obstinatam in peccando licentiam. Cui Deus tanquam sapiens, & misericors medicus ita medetur, vt delicias, opésque submoueat, quæ luxuriam illam, & impudentiam fouent, atque sustentant.

Deus cur hominibus commoditates auferat.

99. *Quia ascendis super equos tuos; & quadriga tua saluatio.*] Sicut proximè de siccatis, aut apertis aquarum alueis dicebamus, in quo id Deum spectare diximus, quod nobis ad salutem aperiret aditum; sic etiam nobis idem de quadrigis, & equis dicendum est. Quæ ideo à Propheta *saluatio* esse dicuntur, quia salutem spectant; & si quid moliri videntur aduersi, id tandem ad alicuius salutem collatum esse deprehenditur. Has verò quadrigas & equos semper habet Deus, quibus suorum incolumitati prouidet; illorum maximè, quos ipse quasi dux, & author ad aliquem locum, aut opus destinauit. Quæ licèt humanis oculis non intueamur, quia id nequit mortalium oculorum coniectus assequi; experimur tamen non infrequenter, dum animo fideli, ac puro ad diuina mandata complenda hilares accingimur. Sic sanè millies cecinit Dauid; sic Machabæi sæpè & multo sæpiùs post euangelicum tempus, vt sacri, & ecclesiastici testantur annales. Turbabatur, & suo sibi capiti timebat Elisæi seruus, cùm ciuitatem obsideri cernebat à numeroso Syrorum exercitu: atque ideo clamabat 4.Reg.cap.6.v.15. *Heu, heu, heu, domine mi, quid faciemus? At ille* (Elisæus) *respondit, noli timere, plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis.* Et cùm oratione sua oculos aperuisset trepidantis serTuli. *Vidit, & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisei.* Obseruat autem hîc Hieronymus, cùm exercitus Dei tot habeat quadrigas, & equos, vnum tamen habere ses-

Deus ad suorum custodiã semper accinctus.

A sorem, & illum esse Deum, qui dux est, & auriga: & ideo dicitur, *Qui ascendis equos tuos.* Et quidem si quispiam vnum Deum sibi ducem præponat, nusquam offendet. Quod experti fuerunt illi iidem, de quibus nunc nobis sermo; quandiu enim Deum solum auspicem, ac ducem habuerunt, neque morbo tentati sunt, neque lacerata habuerunt indumenta. Sic sanè Moyses, qui & testis fuit, & ex diuino præscripto moderabatur exercitum. Deut.32. v.12. *Dominus solus dux eius fuit, & non erat in tribubus eorum infirmus.* Ex quo orta sunt illa omnia, quæ in hoc Cantico commemorat Moyses, & Dauid sæpe: & illud notabile Psal.104 v.36. *Et non erat in tribubus eorum infirmus.*

Quantum expediat vnum Deum habere ducem.

B In quadrigis, & equis Hieronymus, Cyrillus, & alij Apostolos intelligunt, & viros Apostolicos, quos Deus ad opus euangelicum in diuersa loca destinauit. Vt enim sessorem equi, aut quadrigæ vehunt cum dignitate, & gloria; &, vt est in fabulis, Solis equi solem ipsum circumferunt, vt orbem totum suis radiis collustret, & compleat: sic etiam Apostolici viri Christum, qui lux est mundi, ad vltimos vsque terræ fines, ad expellendas infidelitatis tenebras inuexere. His inequitat Christus, hos regit facilè parentes fræno; neque vt generosi equi ignobilem patiuntur sessorem, quem statim excutiunt è dorso, quod C vni Deo suo, & vniuersorum Domino substernunt. Dixit hoc idem Zacharias *cap.* 10. vbi equos hos metaphoricos gloriosos vocat, quales tantum imperatorem decent, qui Christum per omnes mundi plagas tam bellantem, quàm triumphantem cum dignitate portant. Neque labore immodico, aut cursu veloci, & nunquam intermisso languescunt; neque ascensu arduo, aut armorum strepitu, aut quocunque obiecto periculo terrentur. Sed est illi generoso equo persimilis, quem descripsit Iob cap.39. *Exultat audacter, in occursum pergit armatis, & contemnit pauorem, nec cedit gladio.* De hoc igitur suprà Zacharias, *Et posuit eos quasi equos gloriæ suæ.* 100.

Viri Apostolici quadrigæ & equi Dei.

D *Suscitans suscitabis arcum tuum.*] Vt Christus dicitur brachium Patris, quia per illum admiranda edidit suæ virtutis documenta; sic etiam idem Patris appellari potest arcus, quasi accommodatum ad illustre certamen, & gloriosam victoriam instrumentum. Sanè sagitta vocatur electa ab Isaia c.49.v.2. Ex hoc arcu adducto vehementer neruo sagittam excussit, quæ mortem occidit, & ad ipsos quoque inferni sinus penetrauit. Neque huic cogitationi parùm fauet, quod statim orat Propheta, vt iuramentum suscitet, quod tribubus promisit. Iuratæ verò promissiones de Christo in testamento fuere non paucæ. Pro omnibus accipe illam ex Psal.88. v.35. *Semel iuraE bo in sancto meo, si Dauid mentiar, semen eius in æternum manebit: & thronus eius sicut sol.* Sed est explicatio communis in arcu exprimi viros Apostolicos, per quos Deus spicula contorquet in corda inimicorum regis. Accommodatio difficilis non est. Sed notandum maximè quantumcumque sagitta apta sit, & acuta ad attingendum destinatum scopum; si tamen neruus laxus sit, & remissus, emissiones habet nullas, aut infirmas. Quare ad hominum corda, quæ Deus esse confixa vult, spicula inde excussa aut non perueniunt, aut ita tangunt leuiter, vt non compungant. De arcu prauo, aut doloso, de illo nempe, qui aliò mittit sagittam, quàm quò fuerat à sagittario destinata, 101.

Christus arcus Dei.

Promissiones de Christo à Deo iuratæ.

102.

Viri Apostolici Dei arcus.

by Google

ſtinata, aut eum conſauciat, à quo vires ad feriendum acceperat, diximus plura & ad hunc locum accommodata in Commentariis ſuper Oſeam ad illud cap.7. *Facti ſunt quaſi arcus doloſus. Sagitta autem* (ait Auguſtinus ad illud Pſal. 119. *Sagitta potentis acuta) verba Dei ſunt, ecce iaciuntur, & transfigũt corda; ſed cùm transfixa fuerint corda ſagittis verbi Dei, amor excitatur, non interitus comparatur.*

Explicatio hiſtorica.

103. Verſ.10. *Fluuios ſcindes terra.*] Hæc Cyrillus literali ſenſu de re Babylonica explicari poſſe dicit. Et Hieronymus de his, qui Dei populo aduerſabantur. Hinc iam, vt dixi, de libertate à ſeruitute Babylonica ſermo eſt. Eſt autem hìc obſeruandum magnopere, illa, quæ in egreſſu de terra Ægypti contigerunt in ſuperandis præcipuè difficultatibus, quæ progreſſum Hebræorum retardare poterant, prouerbiali ſpecie ſumi pro omnibus impedimentis, quæ magnis conatibus occurrunt, etiamſi quàm longiſſimè fuerint loco, atque natura diuerſa. Quare non admodum nobis laborandum, an diuiſum ſit mare, aut fluuius; inclinati colles, excuſſa è ſaxo aqua, dummodo conſtet magna aliqua impedimenta fuiſſe ſuperata in reditu filiorum Iſrael ex Babylone. Et ſanè illa omnia, aut illorum pleraque, ſenſu videlicet prouerbiali tunc accidiſſe docet Iſaias, cùm de hoc Babylonico reditu prophetaret, cap.50. verſ.3. *Ecce in increpatione mea deſertum faciam mare; ponam flumina in ſiccum; computreſcent piſces ſine aqua, & morientur in ſiti.* Et cap.43. verſ.18. *Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini. Ecce ego facio noua, & nunc orientur, vtique cognoſcetis ea. Ponam in deſerto viam, & in inuio flumina: glorificabit me beſtia agri, dracones, & ſtruthiones, quia dedi in deſerto aquas, flumina in inuio, vt darem potum populo meo.* Quaſi dicat, quod feci olim, faciam etiam modò. Plura in hanc ſententiam adduximus in principio commentationis in hoc caput. Vide quæ diximus ad illud Ieremiæ *cap.*43. *num.*19.

REGVLA. Magna ſiue impedimenta ſiue beneficia prouerbiali formâ in egreſſu ex Ægypto ſignificata.

104. Sed nihilominus poſſet hìc non otioſè quæri, an reuera ad reditum è Babylone, aut in fauorem captiuorum diuiſus fuerit magnus Euphrates, qui Babylonem partim alluit, partim etiam interluit: nam & hic non minus afferebat impedimenti egreſſuris è Babylone Iudæis, quàm Iordanis olim in terram promiſſionis ingreſſuris, cùm Euphratis profundiſſimus gurges magnum Perſis expugnandæ ciuitatis, quaſi agger oppoſitus, impedimentum obiiceret. Siccatum eſſe Euphratem à Cyro, & in plures alueos eſſe deriuatum, ita vt ſe hoſtibus permeabilem præbuerit, tradunt Herodotus *lib.*1. Xenophon *in Cyropæd. lib.*7. Oroſius *lib.*2. *cap.*6. quo commento, irruptione inſperata, & ſubita per vadabilem fluuium capta eſt ciuitas. Diuiſum præterea Euphratem ab Ezechiele, ſicut olim mare Rubrum à Moyſe, vt populus captiuus hoſtium barbaram crudelitatem effugeret, tradunt Epiphanius *lib. de vita, interituque Prophetarum,* & ex eo Dorotheus *in Synopſi,* Iſidorus, Chronicon Alexandrinum, omnes verbo *Ezechiel.* Dicunt enim apertum ab Ezechiele fluuium, quo ſuos ad vlteriorem ripam traduceret, & in mediis fluctibus demerſos fuiſſe Chaldæos, qui eodem alueo illos inſequebantur. Licèt hæc vera fuerint, vt fortaſſe ſunt, non puto ad hunc locum reſpexiſſe Prophetam noſtrum, ſed ad aliam diuiſionem, transmiſſionémque prouerbialem, de qua priùs; cùm hæc fluminis ſciſſio locis nuper ab Iſaia citatis cum aliis coniungatur, quæ non potuerunt eſſe niſi cum alluſione prouerbiali.

Euphrates quando ſiccatus, ac diuiſus.

105. *Viderunt te, & doluerunt montes.*] Dolere illa dicuntur, aut turbari, licèt omni ſenſu careant, quibus aliquid accidit ſuæ naturæ, ſine inſtituto contrarium: quomodo *Thren. cap.* 1. lugere dicuntur viæ Sion, quia nemo per illas ingreditur; & *Iſai.*3. mœrere, atque lugere portæ propter ciuium ſolitudinem; & agri, cùm deficiente pluuia ſqualent, & areſcunt. Sicut etiam ridere, atque exultare campi, aut cùm viriditate luxuriant, aut cùm arborum fructus, & terræ fruges maturuerunt. Contrarium eſt montibus, quidquid in illis efficit, ne montes ſint; vt ſi in planitiem abeant, aut peruium fiat, quod arduum antè fuerat, & inacceſſum. Quod accidiſſe filiis Iſrael, cùm ventum eſt ad ſcopulos, & torrentem Arnon, paulo antè diximus valde nobis videri probabile. Sanè inter Ieruſalem, & Babyloniam, id eſt, eo ſpatio, quod remigrando peruaſere Iudæi, montes eſſe traiectu difficiles, res eſt nota: an in illis aliquid in reditu prodigioſum acciderit, non conſtat. Verùm, vt dixi, quia prouerbialis eſt forma, ſatis eſt, ſi impedimenta aliqua maxima ſuperata fuerint; vt quòd victi fuerint Chaldæi, & eò inclinati Perſarum animi, alioqui feroces, vt de Iudæorum libertate, quaſi de magno victoriæ ſuæ fructu laborarint: vt in ſuo edicto docuit Cyrus *lib.*1. *Eſdræ cap.*1. Et quidem montes, quia excelſi ſunt, & aſcenſu ardui, prouerbiali figura pro re ſumuntur, in qua non parum ineſt difficultatis.

Lugere illa dicũtur, quibus aliquid accidit ſuæ naturæ contrarium.

106. *Gurges aquarum tranſiit.*] Sicut aſcenſu ſuperati montes, ſic etiam traiecta profundi gurgitis altitudo exſiccato alueo. Hic etiam ſuperata oſtenditur difficultas maxima, quæ obiiciebatur à profundo gurgite, de quo proximè. Gurges porrò aquarum tranſiiſſe dicitur, quia compreſſa ſuperiori Iordanis parte, & in montis ſimilitudinem excitata, inferior tranſiit, & ad mortuum vſque mare defluxit, ita vt omninò deficeret, *Ioſue cap.*3. Niſi mauis ideo aquas tranſiiſſe exiſtimari, quia labores, & ærumnæ, quæ in aquis non ſemel adumbrantur, ſoluta captiuitate, exceſſerunt.

107. *Dedit abyſſus vocem ſuam: altitudo manus ſuas leuauit.*] Tria hæc membra eandem credo continere ſententiam: ſunt *gurges, abyſſus,* & *altitudo* ſignificationis eiuſdẽ. Tunc autem res inanimatæ dicuntur laudare Deum, cùm illius obſequuntur imperio, maximè cùm illarum natura id videtur reſpuere, aut certè non admittere facilè, quod imperatum eſt. Quomodo ſol laudauit Deum, cùm ad imperium hominis Deo chari, aſpirante Domino, curſum inhibuit: & aquæ Iordanis, cùm in decliui loco, quaſi ſaxea quædam natura ſubſtiterunt. Laudant autem Deum creaturæ, vt ait Auguſtinus ad illud Pſal.144. *Confiteantur tibi Domine omnia opera tua:* Cùm creaturæ obedientes Deo pulcritudinem, quam acceperunt à Deo, hominibus oſtendunt, illos ad Dei bonitatem, atque ſapientiam commendandam inuitant. *Hoc quod in illis inueniſti, vox confeſſionis ipſarum eſt, vt laudes creatorem.* Idem

Creaturæ Deum tunc maximè laudant, cùm maximè ad eius imperium naturæ ſuæ obliuiſcuntur.

Idem docet Iſidorus lib. 1. ſent. cap. 4. *Intelligibilia*, inquit, *per ſe collaudant Deum; irrationabilia, & inſenſibilia non per ſe, ſed per nos, dum ea conſiderantes Deum laudamus.* Quare dum maiora in illis videmus ornamenta, aut incitamenta naturæ, aut vim ad Dei obſequium magis incitatam, & promptam, magis ad diuinas laudes incitamur. Quare, vt obſeruauit Chryſoſtomus *homil. 19. in epiſt. 1. ad Cor. cap. 6.* ex eo homo impius, & barbarus Nabuchodonoſor laudauit Deum, cui ſe excitata aurea ſtatua præferri voluit; quia vidit ignem ad diuinum imperium non ſolùm amiſiſſe vrendi facultatem, ſed etiam vim accepiſſe contra naturam ſuam refrigerandi. *Iniecit*, inquit, *Nabuchodonoſor tres pueros in fornacem: inde cùm eos igne non conſumi videret, erumpens ait: Benedictus Deus eorum Sidrac, Miſach*, &c. Et ad illud Pſ. 110. *Exquiſita in omnes voluntates eius.* Cùm dixiſſet oſtendere, ac prædicare creaturas Dei potentiam, cùm obediunt; addit magnam eſſe obedientiam, atque adeò Dei maiorem laudem, cùm Deus illarum inclinationi contraria præceperit. Et adducit exemplum maris Rubri, quod ſicco veſtigio traiecit Hebræos; & ignis Babylonici, de quo proximè; & leonum, qui non ſolùm non deuorarunt Danielem, ſed etiam fuerunt illi loco ſatellitum.

108. *Leuare manus pro laudare.* Abyſſus itaque dedit vocem ſuam, cùm pars antea altis operta fluctibus, iam tamen arida, atque calcanda ſicco hominum veſtigio, inſuper germinans ſicut campus, magnam eſſe Domini potentiam apertè prædicat. Leuare porrò manus eius eſt, qui Dominum laudat, & eius potentiam admiratur. In hac ſignificatione ſumpſit Dauid *Pſal. 62.* vbi tria adhibuit Propheta omninò ſynonyma, quæ aut propriè, aut figuratè laudationem ſignificant. *Labia mea laudabunt te. Sic benedicam te in vita mea: & in nomine tuo leuabo manus meas.* Quod metaphora non diſſimili etiam explicuit Pſal. 33. verſ. 2. *Ecce nunc benedicite Dominum*, &c. *In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum.* Et *Pſal. 97.* cùm omnia ad laudandum Deum inuitaſſet, & in his ſpeciatim maris, & fluminum meminiſſet; fluminibus in laudatione, ſicut Habacuc hoc loco, manus attribuit. *Flumina plaudent manu, ſimul montes exultabunt à conſpectu Domini.* Hæc nemo dubitat dicta per onomatopœiam; ſed in fluminibus apparet ad illum dicendi modum aliquod fundamentum. Vt enim homo in laudatione, atque triumphali plauſu manus eleuat; ſic etiam flumina eleuauerunt fluctus ſuos, quos habent pro manibus. Sanè Iordanis aquæ ſuperiores ſic intumuerunt, vt ſeſe in montis altitudinem attollerent, adeò vt è loco longè diſtante videri potuerint. Ioſue 3. verſ. 16. *Steterunt aquæ deſcendentes in loco vno, & ad inſtar montis intumeſcentes apparebant procul ab vrbe, quæ vocatur Edem, vſque ad locum Sarthan.*

109. Verſ. 11. *Sol, & luna ſteterunt in habitaculo ſuo.*] Reſpexit hoc loco ſine dubio Propheta ad tempus Ioſue; vbi, quo laxior eſſet dies, ad inſequendum hoſtem, inhibitus eſt Soli curſus; neque luna ſe aliquandiu è ſuo loco commouit, Ioſue cap. 10. verſ. 12. *Sol contra Gabaon ne mouearis, & luna contra vallem Aialon: ſteteruntque ſol, & luna, donec vlciſceretur gens de inimicis ſuis.* Non audimus ſtetiſſe ſolem, aut lu-

A nam, cùm è Babylonica rediere Iudæi; neque alio vnquam tempore: niſi quis dicat, orante Elimelech, aliquando ſtetiſſe, vt indicat illud 1. Paralip. cap. 4. verſ. 22. *Et qui ſtare fecit ſolem.* Sed locus ille aliud ſibi vult longè diuerſum: nam *qui ſtare fecit ſolem*, explicatio eſt nominis proprij: ſicut tria alia nomina, quæ ſequuntur, nempe *viri mendacij, ſecurus, incedens*, longè magis eſt probabile ſtetiſſe ſolem, & lunam, quo tempore ægrotauit ad mortem Ezechias. Qua de re nos longam quæſtionem inſtituimus ſuper Iſaiam *ad cap. 39.*

Ego in ſole, ac luna, quæ ſteterunt in tabernaculo ſuo (quia nimirum fecit Deus, ne cælum moueretur, in quo Soli, ac lunæ ſua 110. *Sol, & luna pro ſtatu felici.*
B locarat tabernacula) illuſtre aliquod beneficium intueor. Notum eſt enim, ſicut in tenebris vita ſignificatur ærumnoſa, & triſtis, ſic etiam in luce, ac die felicem rerum ſtatum ſignificari. Et quemadmodum cùm breue ſignificatur fore gaudium, & ſubitum, atque inſperatum infortunium futurum Solis occaſum in meridie dicimus, vt Amos cap. 8. v. 9. *Occidet ſol in meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis.* Et Iſaias cap. 15. v. 9. *Occidit ei ſol cùm adhuc eſſet dies.* Super quæ loca nos in hanc ſententiam pluribus egimus. Sic etiam cùm fortunam lætam, & ſtabilem explicare volumus, lunam, & ſolem dicimus immota futura in ordine ſuo, ne videlicet vnquam luci tenebræ
C ſuccedant. Hanc rerum felicitatem ſtabilem, & diuturnam gloriam, cùm ageret de hoc ipſo Iudæorum tempore, maiori lunæ, ac Solis ſplendore declarauit. *Et erit lux lunæ ſicut lux Solis, & lux Solis erit ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum, in die quo alligauerit Dominus vulnus populi ſui, & percuſſuram plagæ eius ſanauerit.* Et *cap. 60. v. 20.* de Eccleſia dicitur, & fortaſſe hiſtoricè de reſtituta Hieroſolyma, vt putant S. Thomas, & Hugo, id eſt, de eodem ſtatu, de quo loquitur Habacuc, *Non occidet vltrà ſol tuus, & luna tua non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & complebuntur dies luctus tui.*

In luce ſagittarum tuarum ibunt, in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ.] Alluſum puto ad bellum, 111. *De cælo dimicatum contra Siſaram.*
D quod Iahel, & Barac inſtruxere contra Siſaram; de quo *Iudic. cap. 5.* ibi enim *verſ. 20.* de cælo dicitur fuiſſe dimicatum; quaſi inde veluti ex ordinata acie vibrata fuerint tela, quæ inimicorum caſtra confecerunt. *De cælo dimicatum eſt contra eos: ſtellæ manentes in ordine, & curſu ſuo aduerſus Siſaram pugnauerunt.* Quæ fuerint ſagittæ iſtæ lucentes, & fulgurantes haſtæ, incertum eſt; ſicut etiam quomodo à ſtellis de cælo aduerſùs Siſaram dimicatum. Multa hîc meditantur tum noſtri, tum Hebræorum Magiſtri. Illud magis pleriſque probatum, audita fuiſſe de cælo tonitrua, micuiſſe fulgura, vibrata fulmina, diſcurriſſe cometas: quod indicat illud Iudic. cap. 4. v. 15. *Perterruit Dominus Siſaram, & omnes currus eius.* Ille verò terror ab aliqua cæleſti vi, aut impreſſione meteora contigiſſe veriſimile eſt.

Sed puto hoc magis pertinere ad tempus illud, in quo tranſmiſſis ad ripam maris vlteriorem Hebræis, in medijs fluctibus demerſi ſunt Ægyptij. Tunc enim licèt in Exodo de huiuſmodi pugna nihil audiamus; docet tamen Dauid, qui dum de hoc rerum articulo verba facit, hæc omnia côtigiſſe aut expreſsè docet, aut obſcuriùs inſinuat Pſalm. 76. *Viderunt te aquæ, Deus, vide-* 112. *De cælo dimicatum ad mare rubrū.*

runt te aquæ, & timuerunt, & turbatæ sunt abyssi. Multitudo sonitus aquarum, voces dederunt nubes: etenim sagittæ tuæ transeunt. Vox tonitrui tui in rota: illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ: commota est, & contremuit terra. Non admodum curo, an hæc tunc de cælo contigerint, quando victis Chaldæis, captiuo Iudæorum populo affulsit libertatis tamdiu desiderata lux: id enim in prouerbiali dicendi modo necessarium non est. Satis enim habeo, si Persis Deus contra Babylonios pugnaturis adfuerit; quod negabit nemo, cùm Deus ipse verbis maximè perspicuis affirmauerit. Isaiæ cap. 45. *Hæc dicit Dominus christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subiiciam ante faciem eius gentes, & dorsa regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo, portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam.*

113. *Fulgura, & fulmina Dei sagittæ.* Appellari porrò fulgura, & fulmina Dei sagittas, docet non semel Scriptura sacra. Psal. 17. vers. 15. *Misit sagittas suas, & dissipauit eos, fulgura multiplicauit, & conturbauit eos.* Vbi posterior pars explicatio prioris est. Et Sap. 5. vers. 18. *Pugnauit cum illo orbis terrarum contra insensatos: ibunt directè emissiones fulgurum, & tanquam à bene curuato arcu nubium exterminabuntur.* Est autem omninò idem sagittarum lux, & splendor fulgurantis hastæ, per epexegesim, quæ in Hebræorum Canticis frequentissima est.

114. Vers. 12. *In fremitu conculcabis terram: & in furore obstupefacies gentes.*] Hæc videtur summa præteritorum complexio. Neque enim illa tanta, quæ præcesserunt, fieri sine fremitu vllo modo possunt: quomodo illa antiquissima, ad quæ respectat Propheta, vbicumque terrarum patrata sunt, fremitus habuerunt ingentes. Hæc autem omnia gentibus olim, tam Ægyptiis, quàm quæ regionem incoluerunt Chananitidem, stuporem induxerunt, vt suprà non semel obseruauimus.

Expositio allegorica.

115. *Christus montes facile nobis reddidit cruci, pondus.* *Fluuios scindes terræ.*] Multa fuerunt impedimenta, quæ natura corrupta, & inueterata hominum consuetudo, & lex, quam mundus à sensibus, & diabolo iampridem accepit, opposuit Euangelio. Neque magis horribile Israeli, cùm excessit ex Ægypto, vt ad terram promissionis ascenderet, videbatur mare Rubrum, maximè cùm instaret à tergo Pharaonis exercitus, quàm illi, qui sæculo renunciare vult, Euangelij lex tantopere naturæ sensitiuæ contraria. Sed fluuium, ac pelagus, quæ peregrinantium aut terrebant animos, aut morabantur gressus, diuisit Christus, qui tanquam alter Moyses, virga, quam gestabat manibus, aut in qua potiùs confixæ gestabantur manus, fluuios diuisit; & primus omnium sic se in profundum tribulationum mare demersit, vt dicere potuerit: Intrauerunt aquæ vsque ad animam meam; infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Ex eo tempore Israelitæ veri, qui relicta Ægypto, ad terram promissionis aspirant, non horrent mare, quod Deus ingressu suo ita reddidit peruium, vt sicco vestigio ab infantili etiam ætate traiiciatur.

116. *Apostoli riui, qui terram irrigant.* Si illud *terræ* sit in datiuo, vt in Complutensi editione apud Septuaginta, à qua non longè abest Theodoretus, imò & Græci Patres, & ex Latinis Tertullianus *libr. 4. contra Marcionem.* Augustinus *de Ciuit. lib. 18. cap. 18.* qui legunt, *Fluuiis scindetur terra.* id est, rigabitur fluuiis, qui erumpent è terra; allusio est non ad mare, seu Iordanem diuisum, sed ad petram, vnde eruperunt aquæ quæ rigauerunt agros, & diuiserunt illos. Riui etenim terram diuidunt quibusdam quasi sulcis, aut tæniis. In illis porrò riuis, qui eruperunt è terra, id est, è nostro genere, intelliguntur Apostoli, qui euangelica doctrina, quasi fluentis cælestibus terram irrigarunt. De quibus est illud Isaiæ 41. v. 18. *Aperiam in supinis collibus flumina, & in medio camporum fontes: ponam desertum in stagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum.*

117. *Euangelium superbos spiritus humiliat.* *Viderunt te, & doluerunt montes.*] Vt in expositione historica paulo antè diximus, illa dolere, aut lugere dicuntur, quæ patiuntur aliquid suæ naturæ contrarium: quomodo si montes redigantur in planum, aut aqua in ipso descensu, vbi maiori defluebat impetu, consistere cogatur. Montes vt sunt tumentes è plano, & excelsis elati iugis, atque fastigiis; sic etiam illorum adumbrant statum, qui supra alios eminent, quales sunt principes, quique nobilitatis, aut doctrinæ gloria reliquos antecellunt. Hi igitur Euangelij tempore doluerunt, quia cùm Euangelium spiritus deiiciat inflatos, quia humilitatem, & humanarum rerum abiectionem commendat, tumorem illum deiicit, quem vanitas inflabat, & humana potentia; & tunc in animo iam de se saniora, ac meliora cogitante cadunt, vt Logici dicunt, formaliter metaphorici montes; quia reges iam non reges, sed serui Christi; & Philosophi non iam Philosophi, sed humiles discipuli elatas antè, liberásque ceruices euangelico iugo subiecerunt. Quòd si in montibus intelligantur dæmones, quia illorum superior est natura (& quidem illi montes dicuntur, vt diximus ad illud Zachar. cap. 4. vers. 7. *Quis tu mons magne?*) illi sanè doluerunt, cùm
118. *Dæmon, & tyranni à Christo victi.* vires suas à Christi cruce debilitatas esse cognouerunt. Doluisse item reges, & tyranni ideo dici possunt; quia cùm totis viribus oppugnarent Euangelium, & omnes expromerent machinas contra Christianæ fidei professores, quas armatus potentia furor inuenerat; non tamen puellarum teneram ætatem, aut infantiles annos expugnare potuerunt.

119. *Ardua omnia mollia reddit Euangelium.* *Gurges aquarum transiit.*] Inundare videbantur, & obruere persecutionum vndæ nascentem Ecclesiam, quæ timidos retardabant animos eorum, qui de suscipienda Christiana religione cogitabant; sicut Iordanis interpositi fluctus illos, qui ad promissionis terram lacte, & melle manantem, gradum moliebantur. Sed vicit Euangelium oppositas illas montium, atque aquarum moles: montes enim inclinati sunt, & complanati, ita vt ab illis nihil iam occurreret offensionis; & gurges exsiccatus, & factus iam non impermeabilis abyssus; sed campus germinans in profundo nimio, quem calceati infantes, & virgunculæ teneræ transmittunt.

120. *Christi post crucē triumphus.* *Dedit abyssus vocem suam: altitudo manus suas leuauit.*] Moralem sensum iam priùs explicuimus. Hieronymus hic duo tempora, & duo item loca considerat: cùm post mortem Christus

Christus ad abyssum, id est, ad infernum descendit, vt inde eximeret, quos infernus ille carcer seruabat, qui subita coorta luce dederunt vocem exultationis, & laudis: & cùm ascendit in cælum, vbi altitudo, id est, cælestes spiritus eleuatione manuum, id est, triumphali laude ascendentem è terra Christum prosecuti sunt. Theodoretus, & Theophylactus, quibus etiam Hieronymus in explicatione Septuaginta subscribit, in abysso hominum potentiam agnoscunt, quæ est veluti mare quoddam, & abyssus immensa, in quod si fluuius velit influere, & impetu altiùs collecto violenter fluctus intersecare marinos, strepitus excitat ex contrariorum fluctuum collisione. Fluuij autem Apostoli sunt, qui erumpentes è terra terram ipsam perfluunt, & ipsum etiam mare amarum, & salsum, salubri euangelici fontis influxu sanare student. In mari porrò intelliguntur gentes, quæ impatientes iugi, sese opposuerunt Euangelio, aduersùm quod dederunt vocem, seu potiùs fremitus; & suam opposuerunt altitudinem, id est, potentiam, quam habere se maximam stulta assentatione sibi blandiebantur. Sed aduersùs Deum futilis est, & instar nihili potentia mortalis: atque ideo Septuaginta hoc loco *phantasiam* interposuerunt. *Dedit abyssus vocem suã, altitudo phantasia eius*, id est, vt exponunt Græci Patres, & Hieronymus, *altitudo cogitationis*: quasi ipsi sua opinione sint excelsi, re tamen vera abiecti, & sordidi, & aliquid & pluma leuius, & spuma gracili longè gracilius: quare tantùm est phantastica, & somniata magnitudo. Ego aliam hic inuenio affinem huic Græcorum Patrum expositioni sententiam, quæ vocem hìc accipit pro clamore hostili, pro fremitu, & minis, non pro laude, ac plausu. Tunc autem in abysso dæmones intelligo, qui *in abysso*, id est, in infernis habitant; in *altitudine* humanam potentiam, quæ Ecclesiam in ipso partu elidere, aut cùm iam adolesceret, opprimere tentauit.

Principum futilis, & tantù phantastica potentia.

121. *Sol, & luna steterunt in habitaculo suo.*] Multorum est sententia sermonem hic esse de extremo sæculorum tempore, quod multa tum in cælo, tum in elementis omnibus signa faciunt horribile. Sed placet quod visum est Hieronymo, Augustino, Theophylacto, Haymoni, & aliis pluribus, in sole Christum, in luna intelligendam esse Ecclesiam: licèt non omnes in huius sententiæ explicatione conueniant. Augustinus *lib.* 18. *de ciuit. cap.* 28. iuxta lectionem Septuaginta, *Eleuatus est sol, & luna stetit in ordine suo. Hoc est* (inquit) *ascendit Christus in cælum, & ordinata est Ecclesia sub Rege suo. Nam cùm ascendisset in altum, dedit dona hominibus diuersa, vt ecclesiastici corporis plenitudo perfecta sit, & pro diuersitate membrorum varia sint distincta munera.* Hieronymus paulo aliter in expositione translationis Septuaginta.

Sol Christi, luna Ecclesiæ typus.

122. Ego aliam addo, omissis aliis, quia apud suos authores facile est cuiuis inuenire. In luna Ecclesia, in sole, vt diximus, Christus exprimitur. In eo sol cum Christo, & cum Ecclesia luna conueniunt, quod vt à sole luna, sic à Christo lumen accipit Ecclesia. In eo tamen differunt, quòd quia non eodem semper modo luna à sole respicitur, non idem semper est lunæ vultus, & splendor: at cùm Christus eodem semper modo intueatur Ecclesiam, eandem semper speciem Ecclesia habet. Id videtur omninò velle sibi hic locus, in quo dicitur tam solem, quàm lunam stetisse in tabernaculo suo; atque ideo nullam esse causam, cur luna aliam atque aliam subinde speciem assumat, quæ à vario prouenit vtriusque motu. Sic Hieronymus ad illud Isaiæ 66. *Et erit mensis ex mense. Aiunt* (inquit) *Physici, & quorum cura est de cælestibus disputare, lunam non habere proprium lumen, sed Solis radiis illustrari: ab ea enim orbis parte completur, & fulget, à qua Soli vicinior est, nec vmbra terræ obscuratur.* Quòd verò Ecclesia, quam etiam cum luna composuit Isaias, non sit vnquam splendorem amissura, quia non talem habebit solem, à quo illuminetur, qualem habet luna, quæ quotidianis incrementis, ac decrementis laborat. Dixit idem Isaias cap. 60. vers. 20. *Non occidet vltrà sol tuus, & luna tua non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam.* Quæ verba Doctorum plerique de Ecclesia sumunt; in quibus sunt sanctus Thomas, & Hugo. Vide quæ nos in illum locum.

Ecclesiæ perpetuus splendor, secus atque lunæ.

In luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ.] Hæc multi de extremo iudicio accipiunt, vbi hæc signa futura traduntur. Ita Tertul. *lib.* 4. *contra Marcionem cap.* 39. quem Ribera sequitur. Tunc autem de cælo contortæ dicuntur esse sagittæ, & fulgurantes hastæ. Sagittæ verò vocari cometæ possunt, & de cælo vibrari; quia Scriptura sacra hominum se in loquendo sensibus, & opinionibus accommodat: vulgus autem hominum cometas stellas esse putat. Sic certè Virgilius 1. Georg. 123.

Cometa sagitta Dei.

Cometa stella existimati.

Sæpe etiam stellas cælo impendente videbis
Præcipites cælo labi, noctisque per vmbras
Flammarum longos à tergo albescere tractus.

Et quidem species quædam cometarum *iacula* vocantur, & *lanceæ*. Talia verò futura ad extremi iudicij tempus dixit Matth. 24. vers. 29. *Stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur.* Plures sagittas hasce, & hastas splendentes Apostolos esse, aut viros Apostolicos opinantur. Ita Patres Græci Theodoretus, Cyrillus, Theophylactus; & Remigius, & Haymo, & è recentioribus multi. Optimè autem in sagittis, & lanceis splendentibus, siue in fulgurum, fulminúmque ardore, ac sonitu, Apostolorum explicatur natura: nam vt in illis lux est, quæ illuminet, ita tamen vt non tam recreet, quemadmodum in conuiuiis lucernæ, aut in epithalamiis nuptiales tædæ; sed vt terreant, sicut fulguris lucem sonitus comitatur horribilis, & fulmen ex ipsa luce violenter excussum. Fremitus sit oportet, & tonitru, concionatoris Apostolici vox, qualis fuit Baptistæ. Ideo enim, vt ait Hieronymus *lib. de præscript. hæretic.* Marco Euangelistæ facies tribuitur leonis, quia à rugitu leonis, id est, à voce Ioannis de pœnitentia ortus est Euangelium. Et quidem duo ex præcipuis Christi discipulis vocati sunt Boanerges, id est, filij tonitrui, nempe duo fulmina Euangelij. Sicut ille profanus de duobus Scipionibus dixit, *Duo fulmina belli.* Quare dum metu Deus populum in sua insania iampridem obstinatum terrere vult, & ad meliorem mentem inducere, Prophetæ iubet, vt vocem sumat non à tibia, quæ tenet, & mulcet aures delicatas, & molles, sed è tuba, quæ militares excitat spiritus, & bellum immoderatis animi passionibus indicit. Isai. cap. 18. *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam,*

Apostoli sicut fulmĩ & fulgur.

Qualis concionatoris vox.

& annuncia populo meo scelera eorum. Et ad Oseam cap.8. *In gutture tuo sit tuba.*

124. Aut certè Apostoli lucentes dicuntur sagittæ, & hastæ splendentes, & fulgurantes: quia iuxta disciplinam militarem arma tersa esse debent, & lucida, non exesa situ, aut obducta rubigine, quia hæc minùs sunt ad vulnus infligendum idonea. Quare Deus in gladio suo non tantùm exigit, vt acutus sit, sed etiam splendeat. Ezech. cap.21. v.9. *Gladius, gladius exacutus est, & limatus: vt cadat victimas, exacutus est; vt splendeat, limatus est.* Vide quid nos eo loco de studio antiquorum in poliendis, atque tergendis armis. Et ibidem v.28. *Mucro, mucro, euagina te ad occidendum; lima te, vt interficias, & fulgeas.* Et quidem si vir, qui videri studet Apostolicus, morum sanctitate non fulgeat, longè aberit vt occidat, & tela eiaculetur acuta in corda inimicorum regis. Ideo Christus iubet, vt talium virorum lux coram hominibus luceat, *Mat. cap.5.*

In armis splendor, & mundities commendatur.

125. *In fremitu conculcabis terram, & in furore obstupefacies gentes.*] Hæc nobis satis proximè explicata sunt; & est quædam præteritorum summa conclusio: nimirum concutiendos esse,& à suo errore abducendos hominum animos non cantillante, ac suauiter inflexa ad musicos, aut poëticos numeros, sed fremente concionatorum voce, cui furoris plus insit, & ardoris bellici, quàm artificij, modulationis, & ingenij.

Expositio historica.

126. Vers. 13. *Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo.*] Quod ad historicum sensum spectat, explicatio difficilis non est. Audierat, opinor, Habacuc, aut legerat illud Isaiæ c. 45. in quo de captiui populi libertate illustre legitur vaticinium. Ibi verò Deus apprehensurus dicitur Cyri manum, quem ibi Christum appellat; ac tandem eò deducturus, vt subacto Chaldæorum imperio in libertatem asserat Iudæorum populum addictum iamdudum alienæ voluntati. *Hæc* (inquit Isaias) *dicit Dominus christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subiiciam ante faciem eius gentes,* &c. *Propter seruum meum Iacob, & Israel electum meum,* &c. Hoc est igitur Deum cum christo suo Cyro in salutem populi prodiisse: quomodo duo amici, atque in eandem curam intenti, coniunctis manibus sociale inter se fœdus ineunt. Ita putant Lyra, & Hugo. Chaldæus, Albertus, Iansenius, & Robertus in Christo Moysem, & Aaron intelligunt, quibuscum Deus egressus est. Sed illud de Cyro certius, magisque, consentaneum.

127. *Percussisti caput de domo impij.*] Domus impij, seu domus impietatis fuit Babylonia, cuius tunc Dominus per manus christi sui, id est, Cyri, percussit caput, cùm de medio sustulit imperatorem Balthasarem, & imperium inde ad Persicum nomen,& potentiam transtulit. Ita cum Hugone,& Lyra tenent Castrus, & Mariana. Alij Pharaonem intelligunt, de quibus proximè.

128. *Denudasti fundamentum eius vsque ad collum.*] Duas hîc ego metaphoras agnosco, aut prouerbiales dicendi modos. Altera est denudare fundamentum, quæ ab ædificiis sumitur, quæ funditùs euertuntur, ita vt illorum sit reliquum nihil: nam si fundamentales eruuntur lapides, & nudantur fossæ, in quas primùm iacta sunt fundamenta, consequens est, vt tota corruat moles, quæ primis illis saxis insidebat. Altera, vt opinor, sumpta est ab his, qui in aquis demersi sunt, quorum tunc vita in grauissimo censetur esse periculo, cùm tantum ex aquis extat caput, aut, quod idem est, cùm aquæ ad summas vsque fauces peruenere, & iam propè est, vt omninò eripiatur libera respirandi facultas. Hinc sanè metaphoram sumpsit Isaias cap.8. vers.7. *Ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes, & multas, regem Assyriorum,* &c. *Et ibit per Iudam inundans, & transiens, vsque ad collum veniet.* Et idem cap.30. v.28. *Spiritus eius velut torrens inundans vsque ad medium colli.*

PROVER. *Vsque ad collum pro maximis rerum angustiis.*

Si pronomen *eius* non referatur ad domum, sed ad regem, & primum caput imperij: ita vt fundamentum idem sit, quod pedes, quibus totum hominis corpus non aliter innititur, quàm columna basi, alia posset diuersa translatione informari sententia. Ita vt omninò dicatur spoliandum Babylonis caput, id est, rex, à fundamentis videlicet, id est, à pedibus vsque ad collum, ita vt toto corpore futurus sit nudus. Sed obstrepet aliquis, & dicet, si ad collum vsque nudandus rex, ergo non erit omninò nudus, quando è capite, quod supra collum est, nihil dicitur esse detrahendum: at ibi ornamentum maximum est, & regiæ dignitatis insigne. Respondeo apud Hebræos nihil solere in capite gestari; vt latè probauimus in nostris Commentariis super Acta *cap.19. n.8.* Et licèt alia fortasse apud Chaldæos esset consuetudo; & rex (de quo non dubito) pretiosum aliquid gestaret in capite; tamen prouerbialem illum sermonem, *à fundamento ad collum,* ab eo sumpserunt Hebræi, quod in suo genere plerumque visebatur. Neque præterea erat, cur de capite aliquid significaret Propheta, cùm proximè dixerit iam fuisse percussum. Cùm verò de eo agitur, cuius Hebræorum caput capax est, vt de plaga, pulcritudine, & aliis eiusmodi; tum non *à pedibus ad collum,* sed *à pedibus ad caput,* dicunt parœmiali specie. Vt Isai. cap.1. v.6. *A planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas.* Et de Absalon lib.2. Reg. cap.14. v.25. *Sicut Absalon vir non erat pulcer in omni Israel, & decorus nimis. A vestigio pedis vsque ad verticem non erat in eo vlla macula.* 129.

Hebræorum caput nudū.

130. Alia mihi occurrebat ratio, fortasse ad illum temporis articulum, de quo Propheta loquitur, non inepta. Cùm summa incidit rerum desperatio, & casus ita durus, vt sapienter, vt vulgus hominum insipienter iudicat, vita possit cum morte commutari; tum dicitur res ad restim, seu ad laqueum adducta, quia homines plerumque, cùm eò necessitatis adiguntur, laqueo sibi fauces stringunt, & spiritum præcludunt. Sanè hoc apud Latinos prouerbij vsum habet. Terentius in Phormione,

Opera tua ad restim, mihi res rediit planissimè.

Et Iuuenalis Satyra 6.

Ferre potes dominam, saluis tot restibus, vllam?

Ad collum vsque pro desperatione.

Cùm autem restis, aut laqueus, quo sensu loquimur, aptentur collo, vsitato omnium penè linguarum more per metonymiam, idem est rem esse redactam ad collum,& ad restim, id est, ad eam fortunā, ex qua vel aduocata morte emergere optabile sit. Sed placet ex omnibus illa maximè cogitatio, quæ ab aquarum profunditate metaphoram sumptam esse putat.

Libet ad extremum addere Augustini explicationem *lib.18. de Ciuit. cap.28.* accommodatè ad translationē Septuaginta, qui ita legūt, *Suscitasti vincula*

vincula vsque ad collum. Ait enim his verbis si- A
gnificari grauem seruitutem; & in *fundamento* indicat significari pedes; quod etiam nos suprà putabamus, ita vt compedibus constringantur pedes, & collum catena. *Excrasti*, inquit, *vincula vsque ad collum, vt vinciantur pedes in compedibus, & collum in torquibus.*

Semper. Iam tertiò ponitur *sela*, quod Septuaginta conuertere διάψαλμα. quæ vox indicat magnam ex hoc loco fieri aut modulationis, aut argumenti, aut vtriusque simul mutationem. Sanè Hieronymus aliquid hic nouum agnoscit; quando de Nabuchodonosore, réque Babylonica, quod reliquum est capitis, exponit.

B

Expositio allegorica.

133. *Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo suo.*] Tertullianus loco sæpiùs citato hæc de secundo Christi aduentu accipit. Egreditur autem Deus cum Christo quà homo est, & illum ad iudicandos homines deducit ad illum modum, quo christum Cyrum à Deo deductum fuisse diximus, vt Chaldæorum arrogantiam deprimeret, & diuinas vlcisceretur iniurias. De se enim dicit Christus Ioan. cap. 14. vers. 10. *Verba, quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor, pater autem in me manens ipse facit opera.* Hieronymus cùm translationes alias adduxisset, ad extremum sextam produxit editionem, quam ipse ita probat, C vt in ea manifestissimè dicat sacramentum, quod in illis occultabatur verbis, explicari. Sic autem editio sexta, *Egressus es, vt saluares populum tuum*

134. *per Iesum Christum tuum.* Quod Græcè dicitur, ἐξῆλθες τῦ σῶσαι τὸν λαόν σου διὰ ἰησοῦ τὸν χριστόν σου. Egredi autem Deus tunc dicitur, cùm operatur, & tunc præcipuè cùm illius opera eiusmodi sunt, vt ab hominibus cognosci possint. Qualis fuit vniuersi creatio, incarnatio Verbi, & opera prodigiosa, quæ sapientes homines à nemine nisi à Deo exilt imabât prouenire posse. Talis fuit ex Ægyptia seruitute populi libertas, quam Deus per Christum operatus est, vt habes in epistola Iudæ v. 5. *Commonere autem vos volo scientes semel omnia, quoniam Iesus populum de terra Ægypti saluans, secundò eos, qui non crediderunt, perdidit.* Egressus itaque est Deus tunc cum Christo suo, tum vt saluaret captiuos, tum vt rebelles puniret, & incredulos. Quòd si hæc ad captiuitatem Babylonicam referas, libertatémque vsque adeò prodigiosam, vt ex ea Dominus verum se esse Deum probare voluerit; egressus est etiam Deus cum Christo suo, iuxta Theologorum dogma, qui Christo tribuunt, quod ad hominum salutem pertinet.

Deus quando dicitur egredi.

135. *Percussisti caput de domo impij, denudasti fundamentum eius vsque ad collum.*] Hieronymus in secunda expositione, & Lyra in morali sensu, tum è recentioribus aliqui hunc impium Antichristum esse credunt, cuius caput percussit Christus, postquam tres menses, & dimidium crudelissimè vexauit Ecclesiam. Nudauit autem fundamentum eius vsque ad collum, quocumque modo hæc accipias, quia illius nomen prorsus extinxit, neque aliquod reliquit nisi suæ impietatis deforme monumentum. Alij diabolum intelligunt, cuius Dominus extinxit imperium, & alligatum vinculis infirmis etiam infantibus illudendum tradidit; ita vt sine metu in eius pestilentissimi draconis, & aspidis nocentissimæ foramina ludibundi pueri manus intromittant.

Cast. Sanchij Com. in Habacuc.

Expositio historica.

Vers. 14. *Maledixisti sceptris eius, capiti bellatorum eius.*] Ex hoc loco Hieronymus ad finem capitis de Nabuchodonosoris, & Babylonis interitu explicari posse putat literali sensu. Quod etiam putant, qui ab eo recedere non solent, Remigius, Haymo, Hugo, Lyra, & Pagninus. Alij de Pharaone, vt Albertus. Sed est sine dubio de Chaldæis sermo; neque sensus est obscurus, sed est nonnihil obscura translatio. Significatur enim debiles futuras esse vires, & stulta Chaldæorum consilia, vbi Deus contra illos Persarum exercitum armauerit, illique se ducem, & auspicem præbuerit. In maledictione porrò omnia intelliguntur horribilia, atque aspera, quæ vexare solent, & vrgere miserorum fortunam. Quare si Dei onerati maledictione in aciem prodierint, licèt luculenter ad dimicandum instructi Chaldæi, nihil tamen illis succedet ex voto. 136.

Horribilis est diuina maledictio.

Vbi vulgatus, *Maledixisti sceptris eius*, Hebr. est נקבת במטיו *nacabta ve matau.* quod ad verbum sonat, *Perforasti in virgis eius caput bellatorum eius*, vt vertit Pagninus. Seu vt Tigurina reddidit, *Perforasti cum baculis suis caput paganorum eius.* Septuaginta, *diuisisti in stupore capita potentium commouebuntur in ea.* Ex his verbis aduersa omnia proponuntur Chaldæis, quæ vulgatus per maledicendi verbum expressit; sed verba illa definitè significant suis ipsorum armis, atque consiliis periisse; aut quia arma futilia fuerunt, & ad vulnerandum, & resistendum infirma; seu quia ita comparata, vt suis authoribus aut noceant, aut incommodent: quomodo suprà de arcu doloso, & prauo dicebamus. Sed id omne verbum *maledico* omninò complectitur; maledictio enim omnia peruertit, omnia debilitat, omnia reddit inauspicata, & quasi cædi, ruinæque deuota. Sed libet nunc singula paulo accuratiùs explorare. 137.

Vbi vulgatus *sceptrum*, Hebr. מטה *match*, quæ virgam valet, baculum, sceptrum, & quodcumque sustentaculum, quod nos, aut nostra fulcit, D atque confirmat. Si pro sceptro sumas, quod etiam sæpè in Scriptura sacra dicitur virga, sensus est facilis; nempe imperium Chaldæorum, vtpote diuina maledictione confixum, breui ruiturum. Si sustentaculum; qualis est baculus, qui stantem; aut lectulus, qui iacentem sustentat, per quam bella translatione imperij Babylonij fatilitas, & casus exprimitur. Quæ enim perfossa sunt, aut perforata, cùm secundùm externam speciem firma videantur, quæque grauem molem, & appulsus sustinere possint, tamen quia perforata sunt siue à tinea, quæ, quicquid habuit intus firmitatis, arrosit; siue ab hominum calliditate, quæ perfossione, aut pertusione occulta firmamenta debilitat, vt impulsu leui moles tota corruat; non possunt diu sustinere, quod E ipsorum firmitati, ac fidei creditum est. Dicitur item aliquid perforatum, siue pertusum, licèt neque tinearum accesserit corrosio, neque hominum iniuria, cùm talis est ligni natura, vt solidum non sit, neque vbique firmum; sed aliquid habeat concauum in medio, aut eius naturæ, vt molle sit, & nihil ad firmitatem habeat; quales sunt arundines, quæ pro corde nihil; aut ficulneæ, quæ molle aliquid, & laneum, seu medullaceum habent. 138.

Perforatum pro debili, ac futili.

FFf 5 Vnde

Digitized by Google

Vnde factum est, vt aut auxilium, aut munimentum infirmum, & infidele baculus dicatur arundineus, quasi dicas baculum perforatum. Quale vocatur sæpe Ægyptiorum auxilium, quod nulli vnquam Iudæis vsui fuit contra Babylonios. Sic sanè Isai. cap.6. v.6. *Ecce confidis super baculum arundineum, confractum istum super Ægyptum: cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum eius, & perforabit eam.* Et Ezech. cap.29. v.6. vide quæ nos in hunc Ezechielis locum adduximus, quæ valde huc faciunt. A

139. Deinde quia ficulneæ lignum perforatum est, cùm pro corde medullā tantùm habeat, aut fungosum aliquid, fit vt prouerbiali specie, quicquid debile est, & inutile, ficulneum vocemus. Vnde σύκινοι ἄνδρες, vocantur molles, & inutiles; ficulneum auxilium, pro infideli, & tenui; ficulneus gladius, qui neque graues habet impetus, & est ad omnia inutilis. Quare significat hoc loco Propheta nihil fore in Chaldæorum rege, & in toto illius exercitu non perforatum, ac molle; cùm supra se portent Dei maledictionem, quæ frangit vires, mentem euertit, & omnia perforat, ac reddit euanida; à quibus omnia sibi secunda homines væsano consilio promittebant. B

Ficulneum pro molli, & vano.

140. *Venientibus vt turbo ad dispergendum me.*] Assumit sibi totius populi partes, imò & personam Propheta; & quod contra contribules suos moliti sunt Chaldæi, quorum sceptris, & capiti maledixit Deus, id contra seipsum dicit esse comparatum. Neque leuis ex hoc loco coniectura sumitur, vt existimemus historicum sensum esse de re, casúque Babylonico. In turbine vis significatur ingens, & violenter incitata; neque aliter in Iudæorum fines irrupere Babylonij, vt verbis expressit grauissimis Propheta noster *cap.1. vers.7.* licèt, cùm vehementiùs incubuit turbo, à fundamentis interdum conuellat ædificia, & à radicibus arbores; tamen illius præcipua vis est ad dispergendum. Neque minùs Iudæi in varias mundi plagas dispersi fuerunt à Chaldæis, quàm leues stipulæ, & aridæ frondes à turbine rotatæ. C

141. *Exultatio eorum sicut eius, qui deuorat pauperem in abscondito.*] Exultabant hostes Babylonij, cùm gradum in Iudæorum fines in turbinis modum præcipitem moliebantur; quasi ad prædam properarent, quam iam spe certissima deuorarant; non ad bellum, aut negotium aliud, in quo subeundum esset laboris aliquid, aut periculi. Est autem exultatio magna illorum, qui oblatas habent inimicorum exuuias, & sortibus, quid cuique debeatur, de more committunt; quod in lætitiæ magnæ amplificationem adducitur ab Isaia cap.9. v.3. *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe: sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia.* Sed lætitiam illam turbare solet aut potentia illius, à quo spolia illa diripiuntur, ne fortè confirmet se, & à fuga recipiat, & quam deuorasse videbatur prædam, ex faucibus extrahat; quod fecit Dauid, & Abraham, cùm prædam ex hostium manibus extorserunt, ille ablatam à Sicaleg, hic à Sodomis viciniśque ciuitatibus. Ideo quò maior exprimeretur Chaldæorum alacritas, & exultatio, prædæ meminit ab illo sublatæ, qui pauper est, & qui spoliatur in abscondito; cui videlicet nemo in illis rerum angustiis contra illam violentam iniuriam esse posset auxilio. Tunc enim quia nemo potest conatus illos, & prædam interuertere, sic etiā nemo potest efficere, quin gaudium illud sit omninò solidum. D E

Vers.15. *Viam fecisti in mari equis tuis in luto aquarum multarum.*] Allusio est, vt liquet, ad traiectum maris Rubri, atque Iordanis, vbi duæ occurrebant Hebræis difficultates; altera ab aquarum profundo gurgite; altera à limo, qui summotis aquis remansit in alueo. Vtramque sustulit Deus; nam viam aperuit tam in mari, quàm in flumine, fluctibus hinc inde disclusis; & humidum solum, vbi non poterat non esse luti plurimum, aridum reddidit: ita vt in vtraque transmissione nihil cœnosum calceis adhæresceret. In aperto, ac sicco alueo, vt dixi, maxima intelliguntur impedimenta sublata, quæcunque illa sint; neque enim aliud requirit prouerbialis forma. Equi dicuntur Dei, quibus insidebant Persæ, quos Dominus quasi ad auspicatum illud bellum conscripserat, euocaueratque. Dicitur autem via aperta in luto, non quod tunc erat, quia illud iam Dominus siccarat; sed quod antè fuerat, cùm spatium illud aquæ multæ complerent. 142.

Expositio allegorica.

Maledixisti sceptris eius, capiti bellatorum eius.] 143.
Sensus allegoricus promptus est ex his, quæ à nobis in historico sensu proposita sunt. Quare non multum nobis in eo ponendum est operæ, si quæcunque de hoste Babylonico, seu, vt alij voluerunt, Ægyptio dicta sunt, ad diabolum, seu ad religionis Christianæ hostes traducamus, quorum Deus attenuauit vires, & omne siue firmamentum, siue dignitatem perforauit, dum dira maledictione confixit.

Exultatio eorum, sicut eius, qui deuorat pauperem in abscondito.] Exultabant dæmones, & humanæ salutis inimici, qui quotidie nouas agebant prædas è Domini gregibus; neque illorum turbabat gaudium timor, qui obtendi posset ex potentia maiori, vel ex studio proprium defendendi peculium, quasi illorum bonorum non esset dominus, quem illa tangeret bonorum iactura; sicut ideo homines pisces maris sine vllo metu, ac perturbatione piscantur, quia ἀδέσποτοι vagantur, neque certum habent dominum, cuius vsui, ac commoditati seruiant. Aut certè quia se tutò prædari putant, quia id aliorum oculos latere sibi persuadent, quia id occultis exercent latrociniis. Sed errant toto cælo; est enim qui videat, & doleat quemquam tam liberè, ac barbarè in suas possessiones irrumpere; & qui velit, ac possit iure, ac bello ablatam sibi possessionem repetere. Cui facile est omnia, quæ contra Deum comparauere subsidia, aut infirmare, aut tollere; cui neque apparatus deficit militaris, neque milites, qui licèt natura imbelles sint, & languidi; illos tamen ipse reddit audaces, & strenuos. Vt fecit priùs, cùm Persas ad Chaldæorum interitum instruxit, quibus se ducem, & authorem præbuit euertendæ Babyloniæ. Et postea cùm Apostolos genus quoddam hominum imperitum, & timidum sic confirmauit, vt nihil non auderent; sic instituit, vt omnia cum cælesti sapientia susciperent, & singulari constantia consummarent. Et ideo accommodatè subditur, 144.

Deus rerum suarum satagit.

Viam fecisti in mari equis tuis.] Equos Dei viros esse, quibus id datum est negotij, vt sicut cæli solem, sic ipsi lucem vbicumque terrarū spargerent euangelicam, satis supra ostendimus ad illud vers.8. 145.

Digitized by Google

vers.8. *Qui ascendis super equos tuos*, in expositione allegorica. Occurrebant quidem Apostolis, sicut etiam modò illis, qui Apostolica sectantur vestigia, inaccessæ viæ, tumentes fluctus, à regum, ac tyrannorum minis, quos adire temerarij esse animi, ac desperationis plenum esse consilium putabant illi, qui vt cælestia non cogitant, humanis rationibus sua consilia metiuntur. Sed Deus dissoluit tumentes illos fluctus, & viam aperuit non minùs securam, & facilem inter principum minas, & horribiles tormentorum machinas, quam in loco arenti, ac plano, vbi nihil est cœnosum vbi labantur, aut contaminentur vestigia; aut asperum, ad quod offendant, & lædantur pedes. Nimis hæc sunt testata, & nota; & ideo à longiore commentatione prudens abstineo.

Expositio historica.

146. Vers.16. *Audiui, & conturbatus est venter meus: à voce contremuerunt labia mea.*] Duo tempora hic, & duos Prophetæ status agnosco, alterum quod habuit priusquam hoc a Deo responsum acciperet de iustorum, ac pauperum vindicata causa. Tunc autem conturbatus est, & expauit, vt in huius capitis exordio professus est; maximè cùm audiuit quàm barbare, ac crudeliter vexandi essent à Babylonis contribules sui extorres à patria. Hoc itaque nunc significat, dum ait, accepto illo diuinitùs oraculo, nempe de Iudæorum seruitute, cohorruisse non animo solùm, quod in ventris, id est, viscerum conturbatione significatur; sed etiam corpore, quod indicat labiorum tremor. Alterum tempus est illud, in quo compressa Chaldæorum arrogantia, & translato ad Persas imperio, lux oborietur libertatis populo captiuo. De qua est quicquid est reliquum ad finem vsque capitis.

147. De priori tempore, atque statu tam Prophetæ, quàm populi contribulis, satis credo dictum est. Illud tantùm obseruandum, in Scriptura sacra ventrem idem esse, quod viscera; quare dolor, aut conturbatio ventris idem est quod dolor, seu tremor viscerum, aut cordis. Secundò obseruandum, vt Aristoteles docet *sectione* 27. *Problem. q.*6. & 7. in metu labium inferius tremere, cuius causam ipse eo loco reddit; quem tu vide. Quare si Propheta severa illa denunciatione cohorruit, verisimile est illius tunc temporis contremuisse labia; aut saltem illud commune tremoris, ac naturale signum pro ipso tremore adhibuisse; quod in omni literatura tam sacra, quàm profana frequenter occurrit. Sed credo ideo dici contremuisse labia, quia id facit metus, ne vocis instrumenta suis idoneè fungantur officiis. Fauces enim angustè obstruuntur, lingua constringitur, spiritus laborat, neque dentes, neque labia formandis vocibus satis sunt idoneè comparata. Vnde videmus vocem in metu tremulam, exilem, interruptam; audimúsque frequenter illud, *Lingua hæret meis: metus fecit mutum, & elinguem*, & similia. Illud autem *à voce*, idem esse reor, quod ne possim vocem emittere. Vbi enim vulgatus *à voce*. Hebr. est לְקוֹל *lecol*. id est, ad vocem nempe formandam, atque exprimendam. Quasi diceret, labia mea, & reliqua vocis instrumenta ita contremuerunt, vt nihil haberent facultatis ad formandam vocem.

Venter pro visceribus.

Labia in timore tremiscia.

148. *Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat.*] Hic multi multa dicunt; neque mihi nunc

A satis est otij, vt omnia commemorem, maximè si qua mihi refellenda sunt; quod licèt aliquando necessariò facio, tamen interdum non libenter. Quare multa omittam, quæ apud suos authores videre promptum est; & illa dicam, quæ mihi verè dici posse videntur, & consequenter. Puto igitur Prophetam ex hoc loco non agere Prophetam, quia nihil prædicit futurum, quod Prophetarum præcipuum, & penè solum opus est; sed asserere in Deo locandam esse spem, idque sibi persuasisse ex illa prouidentia singulari, qua curat pauperum, atque iustorum causas; & principum, qui e pauperum bonis ambitiosos sustentant spiritus, & fastus, arrogantiam deprimit; & eò deuoluit, quò alios ipsi crudeliter abiecerunt; & ex fidelitate, quam in Deo cognouit esse sum-

B mam, cùm populum suum, quo tempore angustiùs premebatur, neque vllus apparebat ad libertatem aditus; in libertatem tamen asseruerit, & in illum locum, & ordinem reduxerit, ex quo priùs exciderat. Ait igitur, cùm exploratum habeat Dei ingenium, qui causam tuetur miserorum, & ex statu longè miserrimo, & ex ipso penè tumulo euocat ad vitam; non iam despondendum esse animum, etiamsi omnia in humanis accidant aduersa: dum talia post tempestatem, aut naufragium speret, qualia cognato sibi populo futura, diuina illustratione præsenserat. Illa verò, quæ in humanis summa existimantur infortunia, illa sunt; quæ deinde commemorantur: duris tentari morbis, & saniosis vlceribus tabescere,

C deesse ad vitam agendam necessaria subsidia, qualia sunt, quæ à vite, oliua, & agrorum satione proueniunt; quæ denique pariunt fœcundi pecudum, atque armentorum greges. Hæc enim omnia non patienter solùm, sed etiam iucundè perferet, cùm talem sit habiturus seruatorem Christum, qualem captiuus Iudæorum populus expertus est.

Sed antequam ad singulorum explicationem descendo, obseruato opus est, particulam *si*, conditionalem in Scriptura sacra sæpiùs omitti, & subaudiri oportere. Quod à nobis sæpe, sed nunc necessariò dicendum est. Sic Iob cap.9. vers.7. *Qui præcepit Soli, & non oritur.* id est, si Soli præceperit, ne oriatur, non orietur. Et Psal.67. vers.10. 149.

D *Infirmata est, tu verò perfecisti eam.* id est, si infirmata fuerit hæreditas, tu perficies. Et Psal.4. vers.6. *Irascimini, & nolite peccare.* id est, si irasci contingat, cauete à peccato. Vide quæ diximus ad illud *Psal.*67. de quo proximè: & ad illud Ierem. cap. 50. vers.20. *Quæretur iniquitas Israel, & non erit.* Nunc ad singulæ.

Si conditionalis particula sæpe subaudienda.

Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat.] Hæc est grauissima plaga, quam solent mortè peiùs horrere mortales, cùm lenta tabe consumuntur homines, & viua corpora talia patiuntur, qualia exanimata cadauera, quæ sanie fluũt, & vermibus scatent. Quod nonnulli putant accidisse Iob, cuius grauem anhelitum, qui siue ab ore, siue ab vlceribus aspirabat, ferre non poterat vxor; in cuius exulceratis, & corrosis mem- 150.

E bris ebulliisse existimantur vermes: quod Iob ipse non obscurè docet, cùm sibi vermes, & putredinem attribuit, cap.17. vers.14. *Putredini dixi, pater meus es, mater mea, & soror mea vermibus.* Quo morbi genere Herodes *Actor. cap.*13. & Antiochus Epiphanes, de quo *lib.*2. *Machab. cap.*19. *vers.*9. sic est affectus, *vt de corpore impij vermes scaturirent, ac viuentes in doloribus carnes eius effluerent; odore etiam illius, & fœtore exercitus grauaretur.* Porrò qui

Putredo, & tabes, qua vermes generati, dira plaga.

qui morbum illum patitur, extrema omnia patiatur necesse est; nam exulcerato, & verminante corpore non potest non esse grauissimus dolor, & species prorsus horribilis, & fœda. Tum præterea, quia grauis est odor, omnes abigit, etiamsi priùs animorum, studiorúmque necessitudine coniunctos; ex quo doloris non minimo leuamento priuari oportebat. Quare morbus iste, quem optare videtur Propheta, multa secum trahit incommoda, inopiam, ignominiam, solitudinem, dolorem, halitum tam sibi, quàm aliis intolerabilem. Quæ tamen omnia sibi futura dicit non molesta; cùm speret, fauente, atque annuente Iesu, cuius curam, & fidelitatem agnouerat, futurum, vt ex illo fœdo, ac misero rerum statu tandem emergat, & non solùm amissa, sed etiam plura, ac meliora accipiat. Facit itaque pluris spem in Iesu seruatore collocatam, quam omnia, quæ homines deputant commoda; quam si emat, atque retineat rerum omnium iactura, quæ numerantur in bonis, præclarè secum, atque benignè actum esse iudicat.

Spes in Christo omni possessione pluris facienda.

151. *Vt requiescam in die tribulationis.*] Promittebat Iesus seruator, cùm mare magis fluctuum æstu ferueret, tranquillitatem, & portum; & in dura, multiplicique iactatione securitatem, & requiem. Hæc certa spes dolorem solabatur, & omnem pellebat angorem, & metum ex animo Prophetæ; quia videbat illa omnia, quæ natura deprecatur, & horret, non fore perpetua, sed finem habitura, illúmque secundum, & breuem.

152. *Et ascendam ad populum accinctum nostrum.*] Intuebatur Propheta captiuorum miserum, & ignobilem statum, quibus sub dominatu barbaro non licebat ministerium aliquod obire liberale, atque ingenuum; neque accinctos esse ferro, quod liberorum hominum insigne est, & eorum, quibus credita est patriæ, religionísque custodia. Neque nunc in omni, vt reor, natione captiuis siue à lege, siue à consuetudine permittitur, vt ferrum secum, aut telum gestent; tum ne illo liberali habitu insolescant; tum ne quid insidiosum, & hostile in dominorum caput moliantur. Deinde cùm homines, qui conditione sunt, aut statu serui, seruiles aiant spiritus, abiectos videlicet, & timidos; cùm ad libertatem redeunt, sicut accinguntur ferro, sic etiam animos sumunt militares & strenuos; & prorsus à seipsis in aliam quasi naturam degenerant. Dum ergo Propheta dicit, ascendendum esse ad populum accinctum, populum intelligit iam liberum, & nobilem, qualis tunc erat, antequam seruile subiret ministerium, & nomen; tunc præterea ad omnes bellicas contentiones strenuum. Nam illum proximè discinctum viderat; cui insultabant dominantes heri, & colaphum infligebant neque repugnanti, neque audenti in illo tam ignominioso dolore vel leuiter mutire.

Serui gladium gestare prohibiti.

153. *Ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis, mentietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum.*] Alia nunc incommoda proponit, quæ auersatur, & odit vita mortalium; cùm illi deficiunt terræ, arborúmque prouentus, sine quibus vita non potest esse vitalis, imò neque omninò vita. Percenset autem illa, quæ Palæstino solo familiaria sunt, ficum nimirum, oliuam, & vitem; quarum sæpe in Scriptura sacra nomen auditur, & ex quibus familiare Palæstinis paratur alimentum. Quare ager dicatur mendax, aut arua mentiri, diximus pluribus ad illud Oseæ cap.9. vers.2. *Et vinum mentietur eis.* Hæc porrò frumenti, vini, & olei inopia aut ideo proueniet, quia ex æreo cælo nulla stillabit pluuia, quæ campos irriget, & à qua plantæ vim fertilitatis accipiant; aut quia vbi iam aduenerit tempestiua maturitas, messis tota, atque vindemia ad hostes pertinebit, qui falcem mittent in alienam messem, & expectatum diu fructum dolentibus agricolarum oculis eripient. Quod prædixit Isaias cap.1. vers.7. *Regionem vestram coram vobis alieni deuorant.* Quod suo fortasse tempore non semel Propheta noster contigisse viderat. Sanè id accidisse Israelitico populo frequenter, habemus Iud.6. vers.3. *Cùmque seuisset Israel, ascendebat Madian, & Amalec, cæterique Orientalium nationum, & apud eos figentes tentoria, sicut erant in herbis, cuncta vastabant, vsque ad introitum Gazæ. Nihilque omnino ad vitam pertinens relinquebant in Israel, non boues, non oues, non asinos.* Quocunque verò modo calamitas ista contingat, gaudendum tamen sibi esse dicit in Iesu suo; quia scit ab illius fideli prouidentia paratum esse & doloris solatium, & inopiæ subsidium opportunum.

Nulla timenda rerum inopia fauente Deo.

Abscindetur de ouili pecus, & non erit armentum in 154.
præsepibus.] Sicut proximè diximus, duplici ex causa prouenire potuit eorum, quæ nascuntur è terra, fames, & egestas; aut quia terræ à cælo succus defuit; aut quia erumpentes iam, seu maturos fructus aut hostilis perdidit inuidia, aut inordinata cupiditas abstulit. Sic etiam armentorum, pecudúmque inopia aut ideo accidit, quia deficit herba in arido, atque sitienti solo; aut quia infelici abortu mortui nascuntur fœtus; aut certè quia, vt nuper dicebamus, hostes ab ouilibus pecudes, & à præsepibus boues abigebant. Si ergo ab ouibus caulæ, aut ab armentis præsepia vacent, *gaudebo* (inquit Propheta) *in Deo Iesu meo.* quia fiducia ex eius fidelitate concepta instar erit mihi rerum omnium, quas sperare possunt, aut optare humanæ delitiæ.

Ego autem in Domino gaudebo: & exultabo in Deo 155.
Iesu meo.] Mœrent alij, vbi spem omnem agrorum perire vident, abigi pecora, & humanæ vitæ siue ornamenta, siue præsidia diripi; quia in illis spem omnem, & salutem locatam habent. Ast ego, cui ab vno Deo spes tota, atque commoditas pendet, etiamsi omnia tam à natura inimica, & parca, quàm ab inimicorum iniuria aduersa sustineam; gaudebo tamen in ipso naturæ, fortunæque ludibrio, cùm Deus à me steterit, cui facile est subitò honestare pauperem. Cuius iam & potentiam summam, & singularem prouidentiam experior; dum compressam video Chaldæorum audaciam, abiectam insolentiam, & Iudæorum fortunam ærumnosam & tristem ad gloriosum statum, & priori similem reuocatam. Quam libertatem à Iesu seruatore sperabat Propheta, vt Augustinus indicat, de quo statim in expositione allegorica.

Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos 156.
quasi ceruorum.] Allusio est ad illud Psal.17. v.34. *Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum, & super excelsa statuens me.* Hinc additus animus Prophetæ, hinc in perferendis naturæ, fortunæque naufragiis alacritas; quia si vires adimit aduersa valetudo, si carnes exedit, & tabefacit sacer ignis, aut quæcunque lues, si ipsas etiam ossium medullas occupet putredo; fortitudo tamen nunquam deerit, quia neque deesse poterit Deus, qui seruorum fidelium robur est. Quo præsente timendum non est, quicquid natura coniurata

Digitized by Google

rata contrà moliatur, aut hostiles meditentur animi; quia si consistunt aduersùs illum castra, illa Deus vel solo spiritu dissilabit.

157. *Deus fuerit fortitudo.* Timeri Chaldæi poterant, tum ob alia bellorum adminicula, quorum ipsorum abundabant castra; ardorémque pugnandi, quem, vt habes *Isaia cap. 5. ad finem*, nullus frangit, aut debilitat labor: tum quia equos habuerunt tantæ pernicitatis, vt non solùm cum pardis, vespertinísque lupis, sed etiam cum aquilis comparentur, vt vidimus suprà *cap. 1. vers. 8.* vbi nos ea de re pluribus. Contra horum velocitatem, & impetum, data est Prophetæ, & populo, qui se totum diuinæ tutelæ concredidit, ceruorum celeritas, quam non assequitur Chaldæorum cursus; & ea etiam parte melior, quod ad alta etiam montium iuga, per scopulos, & salebras enititur, quò aspirare non potest equorum quantacunque pernicitas. Data porrò dicitur ceruorum velocitas ad declinandum hostilem impetum, quam non habuerunt tunc Iudæi, quando capti fuerunt à Chaldæis. Vt enim metus animum, sic etiam ad fugam velocitatem, & constantiam ademit: ita vt languerent in cursu, aut lubrico titubarent, ruerëntque vestigio. Sic sanè meditabatur Ieremias Thren. cap. 4. vers. 18. *Lubricauerunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum.* Et dum Prophetæ hanc Iudæorum calamitatem prædicunt, vacillantium, atque languentium genuum meminerunt, *Isai. cap. 35. Ezech. cap. 7. & cap. 21.* Ceruorum autem pedes sibi optat, ac sperat Propheta; quia ceruorum similes antè viderat Chaldæorum pedes. De quibus Ierem. suprà vers. 19. *Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cæli: super montes persecuti sunt nos: in deserto insidiati sunt nobis.* Tum etiam quia reditus ceruorum exigebat pedes, cùm montes essent superandi, qui inter Babyloniam, & Hierosolymam interiecti sunt.

158. *Et super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem.*] Excelsa sua Hierosolymam vocat, aut Iudæam, quia regio montosa est, & idonea ceruorum habitatio, quorum pedes sibi, ac populo sperabat Propheta. Deducet autem Iesus victor, in quo gaudendum sibi esse Propheta cecinerat: licèt enim Cyrus arma tractarit manu, illius tamen dextram Deus apprehenderat, in quo Isaias absconditum Deum intuebatur *cap. 45.* Ea porrò lætitia populus è Babylonia reuertetur, vt sicut in exitu è patria, quàm longa est via, querelis, ac planctu personabat; sic etiam in reditu tota iubilantium choris, & quodam quasi hymenæo plausu compleatur. *Iudæi cum iubilo, & plausu ab exilio reuersi.* Quare in Psalmis canentem deducendum dicit fore populum à Deo victore. Quod sæpiùs audimus à Prophetis, qui sic describunt reditum in patriam, vt triumphalem potius, aut nuptialem pompam esse putes, quàm peregrinantium, aut viatorum laboriosum iter. Sic sanè Baruch *cap. 5.* & Isaias *capite 52. vers. 1. & cap. 61. vers. 3. & cap. 66. vers. 20.*

159. Vbi vulgatus *victor*, Hebr. est למנצח *lamnaseach*, quæ vox persæpe Psalmorum præfigitur exordiis. Neque aliud fortasse sibi vult in hoc Cantico, seu Psalmo Habacuc, quàm in omnibus Dauidicis Psalmis, qui sanè multi sunt eo notati titulo. Vocem illam Septuaginta sic vertunt, *Vt vincam in cantico eius.* At in Psal-

A mis *in finem.* Hieronymus tam hîc, quàm in Psalmis *victori*, & ita esse legendum probat multis Ribera. Neque parùm ad hanc cogitionem facit, quòd voci מנצח præfigitur ל *lamed.* Neque alienus esset, aut extortus sensus; nempe, Deus deducet me (id est, populum, populi quippe personam Propheta sustinet) in Psalmis canentem, aut citharizantem sibi victori, aut Christo seruatori, cuius fortitudini, ac bonitati id acceptum refero. Alij aliter vertunt. Aquila, sicut Hieronymus, τῷ νικοποιῷ, id est, *vincenti*, seu *authori victoriæ.* Symmachus ἐπινίκιος ᾠδὴ, hoc est, *epinicion*, seu *triumphale carmen.* Theodotio εἰς τὸ νῖκος, hoc est, *ad victoriam.* Sed vulgatus, sicut modò le-
B gimus, & iam pridem concinit Ecclesia, & habent Sixtiani codices, habet, *Deducet me victor.* Neque est explicatio difficilis: scilicet Deus, qui vicit, reducet me in patriam illius singularem virtutem triumphali cantico celebrantem. Vbi vulgatus, *In Psalmis canentem.* Hebr. est נגינות *neguinoth.* quod genus instrumenti est: quod tamen illud sit, incertum est, sicut pleraque alia, imò & penè omnia musicorum organa. Quare quod duabus vocibus vulgatus explicuit, vna tantùm nos hoc modo non ineptè complecti possumus, *citharizantem*, aut *tympanizantem*, aut quid simile. Quid porrò sit in psalterio למנצח, non est nostrum opus
C id pluribus explicare. Qua de re Psalmorum interpretes satis, imò fortasse plus satis.

Illud ad extremum addendum, Psalmum hunc, quem sibi cantandum esse dicit Propheta, esse eius, in quo laudatur Dei potentia, qui è summis periculis liberat afflictos, & abiectos, & gloria cumulat, & insperato triumpho; quem in euentibus huiusmodi quasi legitimè solitum esse cantari persuadent aliquot Scripturæ sacræ loca, quæ huius Psalmi, dum agerentur gratiæ in euentu simili, meminerunt. Sic sanè tres pueri *Daniel. 3.* in fine Cantici, cùm erepti fuerunt è fornace. Sic 2. Paralipomenon 5. vers. 13. *Ita vt cùm Deum* 160. *Psalmus 119. in gratiarum actione cantari solitus.*
D *laudare cœpissent, & dicere: Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius, impleretur domus Dei nube.* Et hi ipsi, de quibus nunc Propheta, Esdræ 1. cap. 3. v. 11. *Concinebant in hymnis, & confessione Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.*

Explicatio allegorica.

Allegoricum sensum non est informari difficile ex his, quæ diximus; quare videbar mihi ab eo negotio abstinere posse absque vlla commentationis iniuria, aut offensione, at- 161.
E que reprehensione lectoris. Quid enim tanti laboris, aut ingenij est, quæ in soluenda Iudæorum captiuitate gloriosè proponuntur, illa eadem ad spiritualem verámque libertatem à diaboli seruitute transferri? Aut cur aliquis durum esse putet in saniem liquescere, scatere vermibus, doloribus vri, omnibus vitæ subsidiis spoliari, cùm contra hæc stet diuina promissio, à qua abesse non potest pondus, & fides? Quem retardet locorum asperitas, montium ardua, & in speciem inaccessa fastigia, ad quæ aspirare debet, qui se ex Babylonico iugo solutum

Digitized by Google

Religiosa vita facilitas suauis.

ſolutum eſſe cupit; cùm ceruorum Deus velocitatem promittat, cui expeditus, ac penè decliuis eſt ille, qui tardis videtur, & ignauis inſuperabilis aſcenſus? Quare qui iam è ſolo Babylonico liberos cœpit efferre pedes, & ad cæleſtem Hieroſolymam anhelat; quales ſunt viri religioſi, qui renunciato ſæculo, à quo tanquam à facie colubri refugerunt, vni ſe Deo conſecrarunt, alacri animo ſint oportet, cùm complanatam habeant, & apertam viam, quam A viri ſæculares ſcopuloſam habent, & implexam. Quare cantent oportet in Pſalmis, celebréntque aſſiduè diuinam bonitatem, quæ in ipſis vicit mundum, & de Babylonica tyrannide triumphat. Et iugi penè concentu, ac ſpiritu illud ſolemne in gratiarum actione modulari repetant: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius.* Cui ego pro ſingulari hoc beneficio gratias ago, & vt agere poſſim ſempiternas, oro.

IN

Digitized by Google

IN SOPHONIAM PROPHETAM COMMENTARII.

PROLEGOMENON I.

De patria, & genere Sophoniæ.

1. *Sophoniæ genus, & patria.*

GENVS suum Propheta statim in exordio prodit, & ad quartam vsque generationē ascendit, à Chusi parente per Godoliam, & Amariam, ad Ezechiā vsque. Docet autem Hieronymus in Prologo Sophoniæ Hebræorum sententiam, qui dicunt eos omnes progenitores, qui in Prophetæ titulo ponuntur, spiritu afflatos esse prophetico: quod si verum esset, quasi hæreditarium esset in Sophoniæ familia prophetieum nomen. Quorum sententiæ è nostris subscripsere non pauci. Hieronymus ita loquitur de hac Hebræorum sententia, vt non omninò respuat. Tractauimus id latiùs in nostris Commentariis super Zachariam ad verba his quàm similia, vbi diximus cogitationem illam nobis non probari. Et quidem mirum est, si parentes illi, seu maiores, quorum nomina in prophetiarum titulis leguntur, Prophetæ fuerunt, illorum nomen in Scriptura sacra nusquam audiri.

2. De tribu, & patria nihil habemus à Propheta; omnes tamen quotquot generis, & patriæ meminerunt, de Simeonis familia fuisse tradunt. Ita Isidorus *de vita, & morte sanctorum cap.* 48. Epiphanius *de vita, & interitu Prophetarum, cap.* 19. Dorotheus *in Synopsi cap.* 9. Chronicon Alexandrinum. Patria fuit Sarabathides, vt hi omnes docent. Neque de genere, ac patria quicquam habemus aliud.

PROLEGOMENON II.

Quo tempore prophetauerit.

PRophetauit sub Iosia rege Inda, quod ab ipso discimus statim in principio. Quare σύγχρονος fuit Ieremiæ. Ex quo constat ante inchoatam duarum tribuum captiuitatem iniisse prophetale munus. Nam ante regnum illius filij Ioacim nunquam in Iudæorum fines irrupere Chaldæi. Quo tamen anno Iosiæ, qui triginta & vnum annos regnauit, exorsus fuerit, quóve desierit prophetare, incertum est. 3. *Quo tēpore prophetauit.*

PROLEGOMENON III.

Contra quos prophetarit.

ARgumentum prophetiæ paucis complexus est Athanasius in Synopsi. *Prophetauit* (inquit) *Sophonias in Ierusalem, & in vniuersa Iudæa, prædixitque diem, in quo demolienda essent omnia idola, & nemora, futurúsque esset fletus multus, ac planctus. Prophetat autem & de Seruatore, & de resurrectione eius, quam nostra gratia fecit. Deinde contra Gazam, Ascalon, & Azotum, & Accaron, & Ammon, & Damascum, & Niniuem, & AEthiopas.* Hæc Athanasius. Illud de resurrectione suo loco nos explicabimus. 4. *Contra quos prophetauit.*

PROLEGOMENON IV.

De vita, & morte Sophoniæ.

DE vita nihil habemus neque ab Scriptura sacra, neque à sacris vel interpretibus, vel authoribus; nisi fortè ex nomine illius de vitæ, ac prophetiæ modo aliquid coniectare liceat. Sophonias enim, vt Hieronymus putat *epist. ad Paulinum*, & in commentationis exordio, speculatorem, aut arcanorum cognitorem sonat. Quòd si hoc illi non à parentibus, sed ab euentu datum est nomen (quod 5. *De vita, & morte Sophoniæ.*

sæpe

ſæpe in Scriptura ſacra fieri videmus) ea compellatione magnus ſignificatur eſſe Propheta; quia hæc duo nomina Prophetæ munus continent, & oſtendunt. Speculator enim nomen eſt Prophetæ; quo à Domino ſæpè vocatus eſt Ezechiel. Et ille idem arcanorum vocatur cognitor; quia illa propheticis intuetur oculis, quæ nemo non niſi diuina illuſtratione cognoſceret. Hoc verò commune Prophetis nomen accommodatum eſſe Sophoniæ, nonnulla coniectura eſt cum eximium in illo

A prophetali munere fuiſſe. Notum eſt enim aliquem ὀνομαστικῶς propter excellentiam commune nomen ſibi vendicare, quaſi proprium foret. De morte illius nihil habemus aliud, quàm in agro ſuo fuiſſe ſepultum, vt docet Epiphanius, Iſidorus, Dorotheus, & Chronicon Alexandrinum. Obiiſſe die 3. Decembris, ex eo fit veriſimile, quia eo die illius renouatur, & colitur memoria in Kalendario Romano, & Græcorum Menologio.

IN

IN CAPVT PRIMVM

ARGVMENTVM.

TOTVM hoc caput exitium extremum minatur Hierosolymæ, & toti Iudææ, ita vt ibi nihil sit futurum reliquum à cæde, non homo, non pecora, non volucres; neque denique ipsis marinis piscibus esse parcendum. Commemorat deinde quædam scelerum genera, quæ stragem illam in Iudæorum fines inuexerunt. Quod reliquum est capitis in describendo Chaldæorum furore, atque ardore pugnandi; ciuium angore, atque æstu; totius denique prouinciæ miserabili casu consumitur.

CAPVT I.

1. *VErbum Domini, quod factum est ad Sophoniam filium Chusi, filij Godoliæ, filij Amariæ, filij Ezeciæ, in diebus Iosiæ filij Amon regis Iudæ.*

2. *Congregans congregabo omnia à facie terræ, dicit Dominus:*

3. *Congregans hominem & pecus, congregans volatilia cæli, & pisces maris: & ruinæ impiorum erunt: & disperdam homines à facie terræ, dicit Dominus.*

4. *Et extendam manum meam super Iudam, & super omnes habitantes Ierusalem: & disperdam de loco hoc reliquias Baal, & nomina æditu orum cum sacerdotibus:*

5. *Et eos qui adorant super tecta militiam cæli, & adorant, & iurant in Domino, & iurant in Melchom.*

6. *Et qui auertuntur de post tergum Domini, & qui non quæsierunt Dominum, nec inuestigauerunt eum.*

7. *Silete à facie Domini Dei, quia iuxta est*

 dies

PARAPHRASIS.

A 1. HOc verbum accepit à Domino cōtra Iudam in diebus Iosię filij Ammon regis Iuda Sophonias filius Chusi, Godoliæ nepos, & pronepos Ezechiæ.

2. Auferam proculdubio, inquit Dominus, omnia de terra, in qua nunc Iudæi antiqui illius habitatores commorantur.

3. Auferam, inquam, inde homines, & omne pecus, tam quod ad mensam, quàm quod ad rusticum, atque domesticum ministerium alitur. Neque parcam volucribus, quæ cæli aërei ingentes tractus permeant; aut piscibus qui marino celantur
B gurgite: ex quorum interitu magna sequetur impiorum ruina, qui communia hæc bona propriis sibi vsibus accommodant. Ac tandem sic homines disperdam, vt ne vnus quidem sit reliquus in tota terra à duabus antea tribubus habitata.

4. Clariùs hæc accipe, Sophonia, quæ obscuriùs hactenus. Infensam manum, & vindicem scelerum leuabo contra Iudam; sed præcipuè contra Ierusalem. Vnde quod reliquum est superstitionis impiæ, Baalis videlicet, & aliorum idolorum, ita delebo,
C vt ne nomen quidem illorum in Iudæa, ac Hierosolyma supersit. Faciam denique, ne sacerdotum, ac æditu orum, qui nefariis operantur sacris, nomen deinceps audiatur.

5. Neque mitiùs agetur cum illis, qui tecta conscendunt, vt propiùs ibi, atque commodiùs omnem cæli ornatum, ac militiam adorent, qui non plus honoris nomini meo, quàm Melchonis impendunt; tam enim per meum, quàm per Melchonis nomen iuramenta concipiunt.

D 6. Idem manet exitus illos, qui cùm priùs ad diuinam legem se totos informare statuissent; idque fecissent aliquandiu, pòst verò bene viuendo satiati, se totos à Deo, quem à tergo sequebantur, auerterunt. Neque alia sors erit illorum, qui neque quæsierunt vnquam Dominum: neque de illius vero cultu, atque adeò neque de cognitione laborarunt.

7. Quocirca vos, qui veræ religionis

 immo

Digitized by Google

dies Domini, quia praeparauit Dominus hostiam, sanctificauit vocatos suos.

A immemores per deos iuratis alienos, & cæli militiam adoratis, timete non quidem solem, & lunam, in quibus diuinum nihil est; sed verum Deum, cuius religionem, & nomen, aut ignoratis, aut despicitis. Iam enim stat pro foribus dies, in quo Dominus sumpto de peccatoribus supplicio suã potentiam, & maiestatem ostendet: dies, inquam, horribilis, in qua non aliter mactabuntur homines, quàm in templo frequẽter, ac iugiter immolãtur hostiæ. Quam ad rem sicut consecrati sunt sacerdotes,
B sic Deus pro sacerdotibus ad illud munus quasi sanctificatos Babylonios adducet.

8. *Et erit: in die hostiæ Domini visitabo super principes, & super filios regis, & super omnes, qui induti sunt veste peregrina:*

8. Eo verò tempore, in quo victima illa, seu strages fiet, non erunt eximij ab hostili cultro reges, aut principes ciuitatis, quorũ vita magis ab iniuria, & cæde videbatur aliena. Neque illi, qui vestibus vtuntur, quæ proditam indicant religionem; aut qui aliud moribus, aliud habitu, & cultu viuendi genus profitentur.

9. *Et visitabo super omnem, qui arroganter ingreditur super limen in die illa: qui complent domum Domini Dei sui iniquitate & dolo.*

9. Neque ignoscam illis, qui templi limen superbo calcant, & ambitioso vesti-
C gio, non tanquam supplices à Domino oraturi veniam, sed ea specie, vt aliis concessuri viderentur. Qui non tam in templo supplicant, quàm illud complent, atque contaminant iniquitate, & dolo.

10. *Et erit in die illa, dicit Dominus, vox clamoris à porta piscium, & vlulatus à secunda, & contritio magna à collibus.*

10. Cùm huius visitationis, atque iudicij tempus aduenerit, is erit in ciuitate vlulatus, & fletus, vt nullus sit locus à porta piscium ad portam vsque secundam, id est, in toto ciuitatis ambitu, in quo non audiatur confusus à promiscua multitudine gemitus; aut nulla pars inter duos colles, Sio-
D nem videlicet, & Moriam, in qua non grassetur, & vulneret hostile ferrum.

11. *Vlulate habitatores Pilæ: conticuit omnis populus Chanaan, disperierunt omnes inuoluti argento.*

11. Vlulate ergo habitatores Ierusalẽ, quæ vobis perinde erit, atque mortarium, aut pila. Neque aliter ibi concidendi sunt, & cõterendi ciues ab hoste Chaldęo, quàm in area teruntur fruges, aut in mortario ptisanæ. Cùm reliqui habitatores terræ Chanaam, id est, terræ promissionis casum viderint Hierosolymæ, quam munitissimam agnouerant, magno ipsi concutientur metu. Et illi omninò peribunt, qui diuitiis abundant, & vestes gestant distinctas, at-
E que illuminatas argento.

12. *Et erit in tempore illo: scrutabor Ierusalem in lucernis: & visitabo super viros defixos in fæcibus suis: qui dicunt in cordibus suis: Non faciet bene Dominus, & non faciet malẽ.*

12. Nemo tunc Chaldæorum, aut potiùs meam sedulitatem effugiet: si enim ciues in cryptas se, & cloacas abdiderint, in loca illa sordida, & obscura cum lucernis ingrediar, & quid ibi lateat, diligenter inquiram, neque parcam illis, quos ibi in cœno, ac fæcibus demersos inuenero. Qui ante hunc rerum articulum & cogitabant apud se, & oratione dicebant procaci, ac libera, nihil à Deo aut sperandũ boni, aut mali metuẽdũ.

13. Et 13. Quid

A 13. *Et erit fortitudo eorum in direptionem, & domus eorum in desertum: & ædificabunt domos, & non habitabunt: & plantabunt vineas, & non bibent vinum earum.*

13. Quidquid apud illos eo fuerit loco, vt non videatur expugnari posse, quantocunque illud artificio munierint, diripietur ab hoste. Domus illorum eò redigentur, vt tantùm ibi appareat solitudinis species. Ædificabunt quidem domus, quas hostile ferrum ab illis habitari non sinet. Plantabunt vineas, neque ex illarum fructibus vinum expriment, quod illis vsui futurum sit: extranei quippe illud auferent, & bibēt.

14. *Iuxtà est dies Domini magnus, iuxtà est & velox nimis: vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis.*

14. Adest iam Domini magnus, atque horribilis dies, qui accelerat cursum incitatum, & rapidum; vox Dei incitantis, &
B inducentis hostiles acies, sic est terrifica, sic tristis & amara, vt fortium quoque pectora concutiat, & exanimet.

15. *Dies iræ dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis,*

15. Illo die sese latè effundet, qui in diuino pectore diu comprimebatur furor; ex quo sequetur, vt ciuium corpora tribulatio; & animos angor, & mœror vehementer excruciet. Erit dies ille verè calamitosus, & ater, in quo nihil videas præter caliginem, solicitudinem, turbationem, & æstum.

16. *Dies tubæ & clangoris super ciuitates munitas, & super angulos excelsos.*

16. Nulla erit ciuitas vsque adeò diligenter, atque artificiosè septa mœnibus, &
C præsidio munita militari, vbi non audiatur clangor ab hostili tuba, qui militares accendat spiritus, & excidium minetur extremum.

17. *Et tribulabo homines, & ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt: & effundetur sanguis eorum sicut humus, & corpora eorum sicut stercora.*

17. Quia verò peccando recesserunt à Domino, grauibus homines afficientur incommodis, & sicut cæci mentis atque consilij inopes per plateas errabunt. Effundetur verò sanguis ea abundantia, vt cum terræ puluere comparari possit; quia vt vbique puluis, sic etiam vbique sanguis occurret. Neque strata, & insepulta ciuium
D cadauera meliori erunt, aut honestiori loco, quàm stercus graue olens, & putre.

18. *Sed & argentum eorum, & aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini: in igne zeli eius deuorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram.*

18. Vsque adeò grauis erit Chaldæorum furor, adeò sanguinis sitiens vindicta, vt oblatum aurum, & argentum non vendicet iugulum ab hostili ferro. Igneus autem furor, qui à diuino zelo propter scelus violatæ fidei coniugalis exarsit, totam inflammabit, & deuorabit terram. Hæc porrò strages, quæ consummabit omnia, non diu tardabit, ecce iam præceps, & festinarò venit.

Vers. 1. *Verbum Domini, quod factum est ad Sophoniam filium Chusi,* &c.]

1. CVR parentum nomina in Prophetarum titulis præfigi soleant, diximus in nostris Commentariis super Zachariam, quæ hic repetere necessarium non est. Neque de his Sophoniæ parentibus aliud habemus, quàm quod nunc audimus à Sophonia.

2. Vers. 2. *Congregans congregabo omnia à facie terræ.*]

E Hæc prophetia est contra Iudam, & summa quædam complexio est eorum omnium, quæ passa fuit pars illa Israelitici populi, quæ reliqua fuerat in terra promissionis, quæque deinceps pluribus Propheta persequitur. Est autem *congregare* ex vsu Scripturæ, & Hebraici sermonis proprietate, idem quod occidere, aut auferre, ita vt nihil omninò maneat; aut eo certè modo, vt nulli iam

Congrego *idem quod occido, aut aufero.*

ampliùs futurum sit vsui. Quomodo homini captiuo periisse dicuntur patria, opes, amici; quia reuera illa neque tunc habet, neque quandiu durauerit ea vitæ conditio, vnquam est habiturus. Illa præterea ablata dicuntur, quæ cùm nulla externa vis auferre possit, illorum tamen captiuo vsus, atque commoditas periit: quales quædam ingenij facultates, aut artes, quibus vti potest nemo alienæ voluntati subiectus; vt ars musica, aut tympanistica illi, cui nunquam erit organorum copia, & semper aderit lugendi materies; puta captiuis, qui ad Babylonij fluminis ripas suspenderunt organa, &, vt putant ex Hebræis aliqui, pollices sibi præciderunt, ne, etiamsi vellent, tractare possent instrumenta illa, quorum solemnis erat, & familiaris vsus in Sion. Aut veriùs illis hæc omnia perierunt, licèt ars, & ingenium non excesserit, qui æterno damnatorum carceri addicti sunt, quibus in sempiternum copia non erit, aut voluntas cantandi. Hoc modo captiuis Iudæis occisi sunt pisces maris siue Mediterranei, siue Tiberiadis; neque enim illos deinceps aut captare, aut ad mensas adhibere poterunt. Ac tandem Dominus compilabit, atque conuerret omnia, & transferet ad solum vsque Babylonicum, vbi illa frequenter occurrent captiuorum oculis, vt magis doleant renouata sæpè superioris fortunæ dulci quondam, nunc autem acerbissima memoria. Illud porrò *à facie terræ*, non de vniuersa terra, sed de terra Iuda intelligendum est, iuxta illam regulam Hieronymi, de qua nos super Isaiam *cap.* 10. *n.* 33.

Periisse dicunturque rum non est vsus.

3. Vers. 3. *Congregans hominem, & pecus: congregans volatilia cæli, & pisces maris.*] Hæc nobis satis explicata sunt *Michea cap.* 2. ad illud, *Congregatione congregabo Iacob.* Et multo magis ad illud Osee cap. 4. v. 3. *Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in ea in bestia agri, & in volucre cæli, sed & pisces maris congregabuntur.* Quem locum omninò vide, quia huic nostro quamsimillimus est. Et sanè animalia hæc, quæ vsui esse possunt, & voluptati, de quorum fuga dolere possent homines, non, nisi vbi hominum est frequentia, communiter viuunt, vt experientia docet; & vbi homines aliò commearunt, ipsa quoque aliò se corripiunt. Ita Hieronymus indicat in hunc locum. *Vastatis* (inquit) *vrbibus, hominibúsque interfectis solitudinem, & raritatem bestiarum quoque fieri, & volatilium, pisciúmque. Testis Illyricum est, testis Thracia, testis, in quo ortus sum, solum; vbi præter cælum, & terram, & crescentes vepres, & condensa syluarum cuncta perierunt.* Hoc etiam de decem tribubus dixit Oseas *cap.* 4. *v.* 3. de quo proximè. Vbi sic Hieronymus. *Cùm captiuitas decem tribuum venerit, habitatore sublato, bestia quoque, & volucres cæli, & pisces maris deficient, vtrámque Domini etiam muta elementa sentient. Hoc qui non credit accidisse populo Israel, cernat Illyricum, cernat Thracias, & Macedoniã, atque Pannonias, omnémque terrã, quæ à Propontide, & Bosphoro vsque ad Alpes Iulias tendit, & probabit cum hominibus & animãlia cuncta deficere, quæ in vsus hominum à creatore priùs alebantur.* Cyrillus hîc figuratam agnoscit locutioné, & omnium genera designari putat: in iumentis, tardæ mentis homines, & quos ignorantiæ cæcitas offuscat; in volatilibus eos, qui elatam, ac veluti sublimem possident mentem, & quorum animi excelsa semper meditantur, & humilibus consentire detrectant: in piscibus inconsuetam multitudinem intuetur, qui ad alia stuporis argumenta, accedit quoque quòd muti sunt. Tale videtur esse vulgus hominum, quod

Vbi regio aliqua ab hominibus deseritur, inde quoque belluæ diffugiunt.

A vitæ huius tumultibus, tanquam mari aliquo circumfusum, & actionum eius falsa voluptate pastum retibus mortis seruatur, & vitam in exitium claudit. Hoc idem putat Hieronymus in Oseam suprà. Ego, vt paulo antè obseruaui, plurima horum, vt sunt pisces, & animalia quædam syluestria; & volucres, quæ nulla hominum industria cicurantur, ideo occisa dici crediderim, cùm tamen multo ipsa iucundiùs viuant (vtpote ab hominum laqueis, & insidiis secura; quia nulli ibi homines erunt, qui aucupio, venationi, aut piscationi studeant) quia hominibus nullum vsum afferent, sicut antea, neque prædæ patebunt, & venatorum oculos iucundo aspectu, &
B stomachum ferino victu pascent. Neque tamen ideo superiora non probo, quia illa magnos habent patronos, & plurimum accipiunt fidei ab Hieronymi præclaro testimonio.

Et ruinæ impiorum erunt.] Ruinæ dicuntur impiorum, licèt nonnulli fuerint in tanta ciuium multitudine viri pij, sicut fuerunt Prophetæ, qui eodem, quo Sophonias, tempore vixerunt. Hæc tamen ruina impiorum esse dicitur, quia viri pij tam fuere pauci, vt pro impiorum multitudine nullo fuisse in numero existimentur. Qui dicendi modus in Scriptura sacra frequentissimus est, in qua vbi plurimi aliquid fecere, omnes fecisse; & vbi ex magno numero pauci, nulli fecisse exi-
C stimantur. Vnde cùm aliqui essent sancti tempore Dauid, tamen *Psal.* 52. *v.* 4. dicitur neque vnum esse in ciuitate, qui faciat bonum. Et cùm hoc ipso in tempore cum Sophonia sancto sanctus quoque viueret Ieremias, nihilominus *Ierem. cap.* 5. neque vnus esse dicitur vir iustus. *Circuite*, inquit Dominus, *vias Ierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei*, nempe ciuitati: est enim in textu Hebraico לה *la*, in genere fœminino. Vide quæ nos in illum locum. 4.

REGVLA. Vbi plurimi aliquid fecere, omnes fecisse, & vbi ex magno numero pauci, nulli fecisse existimantur.

Aut certè quia viri impij sic dominabantur in populo, vt publica bona sua esse dicerent; aut
D perinde ac si forent propria, ad priuatos vsus, commoditatémque transuerterent. Quare illis seruiebant flumina, stagnaque piscosa, volucrum aucupia, ferarum venatio; denique quicquid lex aut consuetudo gentium, omnibus voluit esse commune. Quod malum omnibus, credo, sæculis commune fuit, vt potentibus omnia sint aperta, pauperibus autem omnia conclusa; ita vt è communi sylua non aliter ligna cædere fas sit, nisi pretio coëmpta; neque aquam è fonte bibere nisi venalem. Si feram venentur, & diuitum cupiditate præripiant, capitale facinus. Quare piscatio sublata, erepta venatio, interdictum au-
E cupium, & quæcunque alia publica commoditas, impiorum est ruina, quibus in illa per vim, & iniuriam ius, & potestas; non piorum, quibus ad illa omnia interclusus aditus. 5.

Potentes, quæ communia sunt propria sibi esse putant.

Et disperdam homines à facie terræ.] Conclusio est summa eorum, quæ dicta sunt. Quasi dicat: Denique quotquot nunc habitant terram promissionis, aut exterminabo de terra, quia aut gladio, aut fame, aut alio quouis mortis genere peribunt; aut si in patriis sedibus manere contigerit, sic omnia inuenient natiuis, atque vernaculis spoliata commodis, vt vitam ibi viuant non vitalé: quare ipsi quoque interiisse censendi sunt. Aut si illa tibi placeat expositio, quæ putat, sublatis hominibus, volucres quoque, & muta animalia mutare sedes; illa nempe, quæ homi- 6.

hominibus voluptati, atque vsui esse solent: tunc illud &, causalis est, non coniunctiua particula, in hanc sententiam. Congregabo, & perdam omnes volucres, & omne pecus, quia homines de terra disperdam.

7. Vers.4. *Et extendam manum meam super Iudam.*] Placet quod Cyrillo visum est, & sequitur Ribera, nempe illud &, expositiuam esse particulam, & idem valere, quod *id est*, quod vsu in Scriptura non rarò venit. Egerat hactenus paulo obscuriùs, nunc clariùs exponit, cùm Iudam nominat, & Ierusalem. Porrò manum extendere, signum est hominis irati, quique vulnus aut intentat, aut infligit Isaiæ 5. *Iratus est furor Domini in populum suum, & extendit manum suam super eum, & percussit eum.* Et statim, *adhuc manus eius extenta,* nempe ad plagam.

8. *Et disperdam de loco hoc reliquias Baal.*] Coluerunt decem tribus Baal. Deum Sydoniorum, maximè tempore Achab, à quo reliqui reges impiam illam religionem susceperunt. Cùm autem è suis finibus decem illæ tribus essent abductæ, ex tota illa Israelitide regione Baalis nomen relegatum est. Quare si quæ illius impuræ religionis manserunt reliquiæ in terra promissionis, manserunt non alibi quàm in duabus tribubus Beniamin, & Iuda: nam ad has quoque tribus serpsit illa contagio, ita vt in ipso templo sub hæc Sophoniæ tempora, sicut aliorum deorum, sic etiam Baal excitarentur aræ, & sacra instituerentur Gentilium ritu. Quod habemus ex *lib.4. Reg. cap.23. v.4. & 5.* vbi Iosias dicitur sustulisse de templo omnia vasa, quæ facta fuerant Baal; & deleuisse eos, qui Baal incensum adoleuerant. Quæ tamen omnia, vbi primùm vita functus fuit Iosias, illius posteri, qui regnum susceperunt, non minus quàm alij scelerati reges, & instaurauerunt auidè, & coluerunt impiè, vt habes 4. *Reg. cap.23. & 24.* Has ergo reliquias deleuit Deus, & quotquot religionis impiæ in ciuitate, ac templo mansere vestigia.

Baal à Iudæis cultus.

9. Sed fortasse aliquid aliud in reliquiarum nomine significatum est. Reliquiæ illæ vocantur, quæ ex aliquo integro, ac solido supersunt, qualia sunt ex euersa domo rudera, parietinæ, aut aliqua regij operis, aut magnificæ molis argumenta; & qualia videri possent excisi luci, aut euersæ aræ, vbi Baali diuinus impendebatur honor, relicta vestigia. Sed hæc interdum ita delentur, vt vix appareat, quòd deinde rei suo iam fato functæ possit excitare memoriam. Quomodo scimus floruisse quondam ciuitates & numero ciuium, & splendore eximias; quarum tamen nihil iam habemus præter nomen: & hoc extremum sublatis aliis superesse solet. Quomodo nunc Thebarum, & Troiæ nomen audimus: at vbi olim sitæ fuerint, forsan ignoratur. Hoc igitur videtur Deus significare voluisse, sic esse è Ierusalem, & Iuda exterminandum Baal, in quo reliqua intelliguntur idola, vt neque supersint nomina. Quod sanè intellexerunt Septuaginta, qui ita reddiderunt, *Et auferam de loco hoc nomina Baal.* Quomodo verò nomen Baal pellendum sit è Iuda, diximus pluribus ad illud Oseæ cap.2. v.16. *Non vocabis me vltrà Baal.* Vide quæ nos in eo loco, quæ huc valde faciunt.

10. *Et nomina adituorum cum sacerdotibus.*] Sicut è templo, totáque Iudæa exterminanda sunt idolorum sacra, & illorum nomina ex hominum memoria ad æternam obliuionem transferenda:

A sic etiam munera, & nomina eorum, qui nefariis idolorum sacris nefariam nauabant, & legitimam operam; quales sunt sacrificuli, popæ, æditui, & qui in re sacrificali sacerdoti deseruiunt.

11. *Æditui qui.*

Æditui Hebr. dicuntur כמרים *kemarim*, quasi qui nigris vtantur vestibus. Cur ita dicantur, non laboro, neque moror quid Hebræi suo more fingant. Existimo ita nominari, quia non sicut sacerdotes proximè sacra tractant; sed templorum tantùm curam gerunt, sacram seruant curántque supellectilem, aditus custodiunt; & licèt inter sacra morentur, sacra tamen ministeria non obeunt. Hi etiam appellantur æditimi, B Græcè νεωκόροι, quasi curatores, siue custodes templi. Hi verò, qui inter laicam, atque prophanam turbam contributi sunt, nigris vtuntur vestibus, ne è sacro sacerdotum collegio, atque ordine esse existimentur. Sacerdotes enim sicut apud Hebræos, ita etiam apud alias fermè nationes, & in omni propè religione candidati sacrificant. Qua de re vide Lilium Giraldum *Syntagmate 17. de diis,* vbi docet Ægyptios sacerdotes, vnde vicinos populos sumpsisse verisimile est, laneas vestes in deorum templa nunquam induxisse, sed lineas; & inde appellatos esse linigeros. Idem habemus ex Herodoto *in Euterpe,* & Plinio *lib.19. cap.1.* Tertullianus *lib. de Pallio* ait C sacerdotes candidis vti vestibus in sacris Eleusinæ deæ.

Sacerdotes in sacrificando candidis vtūtur vestibus.

12. *Quæ cæli militia.*

Vers.5. *Et eos, qui adorant super tecta militiam cæli.*] Cæli militiam astra vocamus, quia eo modo in cælo videntur esse disposita, quo in acie milites eleganter instructa. Illa verò à Gentibus in deorum numerum censeri in sacris literis sæpiùs audimus, quorum impietatem Iudæi, vt erant nouarum religionum studiosi, amplexi sunt; qui aras habuerunt in eius, quam cæli militiam dicimus, honorem excitatas, tam in templis, quàm in aliis locis religioni consecratis. Vt constat ex *lib. 4. Reg. cap. 23. v.4. & 5.* vbi deleti dicuntur aruspices, qui adolebant incensum Baal, D & Soli, & lunæ, & duodecim signis, & omni militiæ cæli. & *v.11.* Solis currus igne traduntur esse consumpti. Erant etiam super tecta domorum aræ constructæ non solùm diis aliis, quos artificum manus ferro dolauerant; sed etiam Soli, & lunæ, & reliquis, quibus aliquid inesse diuinum sibi persuaserant, vt statim *eodem cap. v.12.* Nihilominus credo frequentiùs ascendisse tecta superstitiosos tuos Iudæos, vt spectarent cæli militiam, eámque supplices adorarent, & lucem ipsam Solis anteuerterent, vt nascentem solem intentis oculis, & obuiis manibus exciperent. Sic sanè Iob indicat fecisse Gentiles, qui ad aspectum orientis Solis manus osculabantur, *cap.31. v.27.* Et *Ezech. cap.8. v.16.* viginti quinque viri fuisse dicuntur, quorum fa- E cies erant ad Orientem, *vt adorarent ad ortum Solis.*

13. *Tecta in Palæstina plana.*

Super tecta autem adorabant, quia tecta erant in tota Palæstina ad illam fabricata formam, vt in illis quiuis posset commodè discurrere, & hominum haberi conuentus: quomodo illa, quæ Hispanorum vulgo dicuntur *terrados,* de quibus Hieronymus epist. 135. ad Suniam, & Fratellam. *In Palæstina* (inquit) *& Ægypto, & vbi scripti sunt diuini libri, vel interpretati sunt, non habent in tectis culmina, sed domata, quæ Romæ vel solaria, vel Meniana vocant, id est, plana tecta, quæ transuersis trabibus sustentantur.* Quod multis

ibi exemplis confirmat. Qua de re nos pluribus ad illud Actor. 10. *Ascendit in superiora, vt oraret.* Sic ego arbitror Iudæos illos idololatras, contra quos nunc Propheta, ascendere in illa tecta seu domata plana consueuisse, vt è sublimi loco spectarent propiùs, atque commodiùs orientem solem, illumque de more supplices adorarent. Præcipuum autem honorem haberi Soli eo præsertim tempore, quo sese nobis ex alio orbe primùm ostentat, multa docent tam ex sacris, quàm ex prophanis petita testimonia. Ezech. cap. 8. v. 16. senes quidam idololatræ dicuntur facies ad orientem solem habuisse conuersas. & Iob hoc esse Gentilibus legitimum indicat, vt orientem venerabundi solem exciperent, cap. 31. v. 26. *Si vidi solem, cùm fulgeret.* Virgilius lib. 8. clariùs,

Solis qualis adoratio.

Surgit, & ætherei spectans orientia Solis
Lumina, ritè cauis vndam de flumine palmis
Sustulit, ac tales effudit ad æthera voces.

Et lib. 12.

Illi ad surgentem conuersi lumina solem
Dant fruges manibus salsas, & tempora ferro
Summa notant pecudum, paterisque altaria libant.

Hanc consuetudinem suo etiam sæculo viguisse dolet Leo Papa serm. 7. de Natiuitate. *De talibus* (inquit) *institutis illa generatur impietas, vt sol inchoatione diurnæ lucis exurgens à quibusdam insipientibus de locis eminentioribus adoretur.*

14. *Et adorant, & iurant in Domino, & iurant in Melchon.*] Imitabantur duæ tribus aliarum decem impietatem, & lubricum in religione studium, cùm gradu prorsus instabili modò in hanc, modò in illam religionem incumberent. De quibus Elias lib. 3. Reg. cap. 18. v. 21. *Vsquequò claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini illum.* Ad horum igitur exemplar Iudæi sic verum amplectebātur Deum, vt alia non excluderent idolorum monstra. Quare vicinarū gentium simulacra non solùm in suos fines, sed in religiosissimum Salomonis templum inferebāt, & per illa iureiurando concepto, quod inconcussæ fidei pondus habere putabatur, inesse illis diuinum aliquid profitebantur. Notum est iuramentum sanctè, ritèque conceptum opus esse religionis; neque minùs aliquē existimari Deum adoratione, quàm interposita per illius nomen iurisiurandi religione. Tria posuit Deus *Deut. cap. 6.* quæ vni debentur Deo, quæque religiosi cultus signa sunt. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies, & in nomine eius iurabis.* Ponitur autem, opinor, per synecdochem Melchon pro aliis diis, quos à Gentilibus accepere Iudæi. Nam plures Deos in templo, atque animis Iudæorum habuisse locum, satis probat *caput 23. ex lib. 4. Reg.* vbi plurima gentium simulacra à Iosia fuisse sublata de templo legimus, & *cap. 8. Ezechielis.* Est autem Melchon Deus Ammonitarum, vt ex Ieremia *cap. 49.* liquet. Vide quæ diximus ad illud Amos cap. 1. *Ibit Melchon in captiuitatem.*

Iuramentum actus religionis.

15. Sed quis sit iste Deus Melchon, incertum est; neque aliquid de illo afferre possumus, nisi coniectando. Placet mihi, quod etiam probaui in Commentariis in Ieremiam ad illud cap. 7. *Vt faciant placentas Reginæ cæli.* Melchon, seu Moloch (nam eiusdem idoli nomina sunt, vt Beda putat, & OEcumenius ad illud Actor cap. 7. *Suscepistis tabernaculum Moloch.*) nomen esse Solis: tum quia cæli præcesserat militia, cuius sol Rex esse dicitur, sicut luna dicitur מלכה *malcha.* id est, Re-

Melchon, & Moloch idē qui Sol.

A gina; sic sol מלכם seu מלך *Melchon*, seu *Moloch*, id est, *Rex.* Vide quæ diximus in nostris Commentariis ad duo loca *Ieremiæ cap. 7. & Actor. item cap. 7.* vbi hæc latiùs explicantur.

Vers. 6. *Et qui auertuntur de post tergum Domini.*] 16.
Id est, qui Deum non sequuntur. Auerti enim de post tergum, quod Hebraicum redolet idioma, nihil est aliud quàm Deum præcedentem, aut viam ostendentem non sequi; quasi aliis velint subesse legibus, quas insana idolorum monstra præscribunt.

Et qui non quæsierunt Dominum, neque inuestigauerunt eum.] Quidam cùm adhæsissent Deo, & ad 17.
illius placita vitam suam, & mores attemperare
B statuissent, bene viuendo satiati, quia non facilè à carnis, sensuúmque blandimentis abstrahuntur, totos se à Deo, quem à tergo sequebantur, auerterunt; & in hos Propheta proximè intentum minatur Domini brachium. Alij vsque adeò fuerunt stolidi, ac cæci, vt cùm facilè potuerint animaduertere viam, quam ingressi fuerant, erroris esse, ac periculi plenam, & alienam prorsus à sana mente, rectáque ratione: tamen verum Deum, ad quem multæ ducebant coniecturæ, & signa quasi constituta in viarum diuortiis, quæ errantes dirigerent, tamen maluerunt aut per inertiam, aut obstinatò cæcis errare vestigiis, quàm se ad cognoscendæ veritatis stu-
C dium, & laborem accingere. Tales fuerunt, qui cùm solem, & lunam fulgere cernerent, & nonnulla etiam commoda præstare mortalibus, illos esse Deos existimarunt. Neque considerarunt miselli illos interdum ab oculis vanescere, neque ab illis tunc aut orari, aut sperari quicquam posse, neque illis esse liberum mutare ratos, atque perpetuos motus, quos maior aliqua potestas gubernat, & regit; & non solùm lunam, sed etiam solem à suo interdum lumine destitui. Alij verò, qui à cæcis hominibus existimantur dij, quàm absint longè ab eo nomine, & à numinis opinione, illud satis poterat argumento esse, quòd neque illis aliquid inest sensus,
D ac motus, vt audire possint preces, & vota, & postulata concedere: neque aliquid habent dignitatis, aut formæ, quod ab artificis manu non accipiant. Cùm ergo his diuinitatis inesset nihil, quod ipsi, si sanam mentem adhiberent, si minùs cognoscere, dubitare tamen potuissent; tamen neque verum quæsierunt Deum, neque de vera religione cogitarunt, cùm tamen in hominum oculos veri Dei vestigia passim incurrant. De quibus nos plura in Commentariis super Acta ad illud cap. 17. v. 27. *Quærere eum, si fortè attrectent eum*, & deinceps.

Error Gentilium in deorum opinione.

Inuestigare verbum est venatorium, quo ex- 18.
plicatur studium, quo prædam venatores inda-
E gant. Sequuntur enim vestigia, quæ ad ferarum cubilia deducunt, vbi deprehenduntur, & mactantur. Sic etiam si quis Deum inuenire studeat, illius vestigia obseruare, magnum erit illius operæ venatoriæ pretium: vestigia autem Dei creaturæ sunt. De quo studio latè Sap. cap. 13. *Vani* (inquit) *sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei: & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est: neque operibus attendentes agnouerunt, quis esset artifex. Sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem, & lunam rectores orbis terrarum Deos putauerunt: Quorum si specie delectati deos putauerunt, sciant quanto his dominator eorum speciosior est.*

Inuestigo verbum venatorium.

Vers. 7.

19\. Vers. 7. *Silete à facie Domini Dei: quia iuxtà est dies Domini.*] Quid sit *silere*, diximus super Habacuc *cap. 2.* ab illud *sileat à facie eius omnis terra.* Significat autem metum, qui plerumque cum obseruantia coniungitur. Quod optimè explicuit verbum εὐλαβεῖσθε, quod hoc loco adhibuere Septuaginta. Alloquitur autem Propheta illos, qui veræ religionis immemores per deos iurabant alienos, & cæli militiam; & quasi res moderarentur humanas, & verum essent numen, adorabant. Hos igitur timere iubet, non quidem à facie Solis, & lunæ, in quibus diuinum nihil est; sed à facie veri Dei, cuius prodiderant religionem, & nomen. Timoris autem causam illam adducit, quia iam dies imminet Domini: dies, inquam, horribilis, in qua, qui priùs fuerant increduli, vel inuiti cognoscent, vrgentibus malis, verum esse Deum, quem antè despexerant, vbi illius experti fuerint vltricem, & seueram manum. Iuxtà porrò dies esse dicitur, à diebus namque Iosiæ, quo regnante hæc à Sophonia dicebantur, ad tempus vsque primi Chaldæorum appulsus dies intercessere pauci. Quarto etenim anno, ex quo regnum iniit filius eius Ioacim, tentata est à Chaldæis, & magna ex parte concisa res Iudaica. *Dies Domini* illa dicitur maximè apud Prophetas, in qua Deus, sumpto de peccatoribus supplicio, suam potentiam, & maiestatem ostendet; & nomini suo illam conciliabit gloriam, quam blasphema peccatorum lingua detraxerat. Isaiæ cap. 2. *Dies Domini exercituum super omnem superbum, & excelsum.* Ioel cap. 2. *Quia venit dies Domini, quia propè est dies Domini, dies tenebrarum, & caliginis.*

Sileo idem est quod obseruo, ac metuo.

Dies Domini quis.

20\. *Quia praeparauit Dominus hostiam.*] Prouerbialem hanc esse puto dicendi formam, qua magna significetur hominum cædes. Sumpta, vt reor, ab eo, quod in Salomonis templo quotidie spectare potuerunt Iudæi. Vt enim in templo nunquam cessabat sacrificalis culter, nunquam non audiebatur victimarum balatus, ac mugitus; & altare holocausti stratis vndique cadaueribus vallabatur: sic etiam ciuitas, quæ instar altaris erat holocausti, complenda erat prostratis ciuium corporibus, & occisorũ redundatura sanguine. Sanè eandem stragem, de qua nunc Sophonias, Arielis, id est, altaris holocausti similitudine explicuit Isaias cap. 29. *Et circumuallabo Ariel: & erit tristis, & mærens, & erit mihi quasi Ariel.* Vide quæ nos in illum locum. Hinc ortum est, opinor, vt victimarum nomine ingens significetur cædes. Vt Isai cap. 34. *Victima Domini de Bosra, & interfectio magna de terra Edom.* Vbi posterius hemistichium explicatio est prioris. Et Ierem. cap. 46. *Victima Domini Dei exercituum in terra Aquilonis,* Vide in nostris Commentariis vtrumque locum.

Hostia, aut victima pro cæde.

21\. *Sanctificauit vocatos suos.*] Hi sunt Chaldæi, quorum Deus excitauit bellaces spiritus, & armauit manus suæ seueritatis administras, vt pœnas à Iudæorum populo repeteret, & nomen suum ab infidelium iniuria vindicaret. Id sæpè Deus per Prophetas multo antè prædixit. Vnum accipe Ieremiam, qui hoc ipso tempore, & de eadem materia cap. 25. *Ecce ego mittam, & assumam vniuersas cognationes Aquilonis, ait Dominus, & Nabuchodonosor regem Aquilonis seruum meum: & adducam eos super terram istam, & super habitatores eius & interficiam eos.* Cur Deus sanctificasse dicatur homines istos alioqui sceleratos, cùm impiam colerent religionem, & sanguinis essent sitientissimi, quorum sæpè barbarum reprehenditur ingenium, & ferina crudelitas, diximus ad illud Isaiæ cap. 13. *Ego mandaui sanctificatis meis.* Dicuntur enim sanctificati, qui ad sanctum aliquod opus destinantur, ad quod euocati sunt à Deo, quantumcumque illi malo suscipiant, & persequantur animo; quia finis, quem dum agmen conscribit, & cogit Deus, intuetur, sanctus est, peccatorum scilicet vindicta, & sui nominis exaltatio. Quare vt nunc sanctificati dicuntur Babylonij milites, qui arma sumpsere contra Iudæos: sic *Isaia cap.* 13. de quo proximè, sanctificati vocantur Persæ, qui Babyloniis bellum intulerunt, & illorum extinxerunt nomen, & imperium. Vide quid nos in hunc Isaiæ locum, & in cap. 1. Ioel. Hoc nomine sanctificati vocari possunt Babylonij, quia illorum opus, vt ita dicam, materiale sanctum est: & quia ipsi ex disciplina patria bellum auspicantur militari sacramento, & certa aliqua ceremonia legitimè coactum. Sed credo aliam hîc esse nominis rationem institutæ accommodatam allegoriæ, quam priùs intuebatur Propheta. Vt enim Iudæorum stragem, sumpta ex re sacrificali metaphora, hostiam appellauit: sic etiam Chaldæos sanctificatos esse dicit, id est, esse quasi sacerdotes, à quibus mactantur, & immolantur hostiæ. Quam rationem probat noster Ribera.

Quid bellum sanctificatum, aut milites.

Vers. 8. *In die hostiæ Domini visitabo super principes, & super filios regis, & super omnes, qui induti sunt veste peregrina.*] Filij regis, aut verè sunt & propriè, aut etiam forsitan figuratè alieno hîc nomine compellantur. Si propriè sumas, quatuor reuera filij regis Iosiæ, qui & ipsi loco patris aliquandiu regnarunt, aut cæsi sunt hostili ferro, aut è regno depulsi in alienum solum abducti sunt captiui. Nam Ioachaz, qui primus omnium patri successit, victus fuit à Pharaone Nachab post tertium mensem ab inito regno, & in Ægyptum ablegatus, *lib. 4. Regum cap. 24. v. 33.* Deinde Heliachim, qui etiam vocatus est Ioacim, vinctus primùm, deinde occisus fuit à Nabuchodonosor 4. *Reg.* 25. Ibidem Ioachim, seu Iechonias à regno, quod tribus tantùm mensibus obtinuit, Babylonem captiuus transmigrauit. Neque mitiùs actum est cum Sedecia, cui effossi sunt oculi, & pro honore regio datum est longum, & ærumnosum exilium, 4. *Reg. cap.* 24. v. 25. Quod verò additur de visitatione, id est, de vexatione principum; eorum nempe, qui à regio latere non recedebant; aut quorum apud regem erat, & in republica primus locus, non fuit ludicrum, aut inane vaticinium. Plurimi enim ante extremam reipublicæ cladem occisi sunt; multi cum regibus abacti Babylonem. Sanè cum Ioacim, cùm primùm subactus est ab hoste Chaldæo, abierunt Daniel, & alij iuuenes ex regni, & tyrannorum stirpe, *Dan. cap.* 1. Cum Ioachim, qui & Iechonias, multa virorum millia à præcipua nobilitate capta sunt. 4. *Reg.* 24. v. 14. Quomodo verò captus fuerit Sedecias, & orbatus oculis in Reblatha; & omne ibidem regium genus extinctum; & omnes, quorum erat clarum in ciuitate nomen, interfecti, habemus *ibidem cap. 25. à versu 7.* Quare omnes filij regis, & in Iudæorum genere proceres seuerum à Domino examen, atque iudicium subierunt. Si verò in filiis regum viros intelligas nobiles, iuxta Hebræorum idioma, eadem est sententia: nam reuera qui in sua quique ciuitate reges appellari potuerunt, aut occisi sunt, aut in vltimas vsque terras amandati. 22.

Iosiæ filij omnes aut cæsi, aut capti.

23. *Vestis peregrina quæ.*

Et super omnes, qui induti sunt veste peregrina.] Quinam hi fuerint, qui vestibus se peregrinis induerunt, aut quæ sint hæ peregrinæ vestes, incertum est. Quidam illos esse putant, qui vestes, quas ab infima plebe detraxerunt, sibiipsis accommodant, suósque fastus ambitiosos, & molles, aliena supellectili sustentant: quæ peregrina vestis vocari potest, quia domestica non est. Rupertus illam peregrinam esse vestem putat, quæ non aptè cum moribus conuenit, vt si quis religioso amictu sæculares induat mores; & habitu se patrem, aut patronum ostendat, & spiritus intus alat hostiles. Hypocrisis denique vestis est peregrina. *Putásne* (ait Rupertus) *hypocrisis vestis est peregrina? vtique nimis peregrina. Quid enim in vestibus magis est peregrinum, quàm sunt lupis rapacibus vestimenta ouium? Quid, inquam, magis peregrinum, quàm ei, qui intus est plenus iniquitatis, foris hominibus iustum apparere?* Alij contra eos hæc edicta putant; qui suo sexui contraria vestimenta portant: vt si mulier virili, vir autem muliebri vtatur indumento. Quod seuerè prohibuit Deus *Deut. cap.* 22. & sacri canones, imò & antiquæ leges; quia hic vestimentorum alienus vsus mille potest admittere, & celare turpitudines. Quod prohibuit Gangrensis Synodus sub anathemate; vt habes *dist.* 30. *cap. si qua mulier.* 6. Vide Tiraquellum *lib.* 2. *connubiali.* Hanc sententiam quibusdam placuisse dicit Theodoretus. Alij in peregrina veste alienam intelligunt religionem: & præcipuè hi de sacerdotibus sermonem esse censent, qui vt diuersa obeunt, & peregrina sacra; sic etiam secundùm illorum dissimiles ritus in veste peregrina sacrificant. Id videtur velle Chaldæus Paraphrastes, qui ita reddit, *Et super omnes, qui congregantur ad colendum idola.* Quem secutus est Hieronymus, & eum Haymo, Remigius, & Lyra, in quem inclinat Cyrillus. Sunt qui illos hîc notari, atque accusari arbitrantur, qui vestes sibi applicuere varias, & artificio peregrino contextas, contra legem, quam in Deuteronomio proposuit Deus cap. 22. v. 11. *Non indueris vestimento, quod ex lana, linóque contextum est.* Et Leuit. 19. v. 19. *Veste, quæ ex duobus texta est, non indueris.* Ita Theodoretus, Albertus, Vatablus.

Viri, & fœmina alterius sexus vestimenta ferre prohibentur.

24. *Vestis aliena ab instituto, turpis.*

Quæ sententia mihi difficilis non est, quia reuera diuersa vestimentorum forma diuersam ostendit religionem: maximè vbi religioni certa quædam vestimentorum species decreta est, quæ vnam religionem ab alia, aut vnum ordinem ab alio discriminat. Quomodo si monachus sæcularis status habitum assumat, ille reum se facit contempti voti, & religionis desertæ. Aut certè si in ipso habitu aliquid gestet eorum, quæ viri sæculares, & elegantes captant, & probant. Quomodo si Monachus sericum addat sacco, & illas adhibeat in religiosæ vitæ professione delicias, à quibus status ille vehementer abhorret. Quas in hoc loco commemorat Albertus, quasi tunc quibusdam hominibus familiares; qui vsque adeò perfricuissent frontem, vt illius ignominiosi cultus non puderet. Certè Bernardus id sæpè clamat aduersùs clericos, qui degunt extra claustra; & illos etiam, qui cùm sese abdiderint in claustra, nulla tamen minus vitam agunt, quàm claustralem. In quibus delitias illas, & munditiem obserues, atque fastidias, si te religionis tangat amor, & dolor, quas ægrè admodum ferres in instituto sæculari. Qua de re præclarè Bernardus contra Clericos *serm.* 23. *in Cant.* & contra Monachos in Apologia ad Guilielmum Abbatem.

Elegantia in religioso indecora.

Habebant autem Israelitæ peculiares vestes, quæ illius gentis religionem ostendebant. Num. 15. v. 38. *Loquere filiis Israel, & dices ad eos, vt faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas: quas cùm viderint, recordentur omnium mandatorum Domini.* Sed vt erant Iudæi in religione suscepta instabiles, sic etiam in retinendis vestibus, quæ erant susceptæ religionis insignia, & publica quædam Iudaicæ vitæ, & quasi legitima professio. Quare cùm Gentilium sacra susciperent, vt nullus maneret Israelitici generis character, adductis præputiis, impressum antea carni signum deleuerunt: vt habes *lib. Machab.* 1. *cap.* 1. Sic etiam ne ab illis aliquo modo dissiderent, eodem prorsus indumento vestiti sunt. Sic sanè 2. Machab. cap. 4. v. 13. *Erat autem hoc non initium, sed incrementum quoddam, & profectus Gentilis, & alienigenæ conuersationis propter impij, & non sacerdotis Iasonis nefarium & inauditum scelus. Ita vt sacerdotes non iam circa altaris officia dediti essent,* &c. *Et patrios quidem honores nihil habentes, Græcas glorias optimas arbitrabantur: quarum gratia periculosa eos contentio habebat, & eorum instituta æmulabantur, ac per omnia his consimiles esse cupiebant.* 25.

Vestis Hebræis certa ex lege.

Iudæi in vestibus imitati Gentiles.

Quis verò dubitet illos, qui aut Gentiles ipsi videri, aut placare sibi Gentiles voluerunt, vestes non deposuisse patrias, & sumpsisse gentilicas? Præsertim cùm tam aut horrerent, aut celare cuperent Iudæorum nomen, vt cùm Gentilium ritu nudi essent, Gentilium inituri palæstram, ne genus proderet circuncisa caro, præputium adducerent; quod sine cruciatu maximo fieri non poterat. Quod indicat locus *lib.* 1. *Machab.* de quo proximè, & docet Iosephus lib. 12. Ant. cap. 6. *Adduxerunt* (inquit) *sibi præputia, vt nudi quoque non essent Græcis dissimiles: & contemptis omnibus patriis ritibus imitabantur mores externorum gentium.* Quare hæc mihi expositio non displicet, quæ peregrinas vestes illas esse dicit, quas, propriis abiectis, assumpserunt Iudæi; aut quia ad religionem diffluxerunt alienam; aut quia aliquam gratiam ab externis populis inire voluerunt. Aliæ plures sunt sententiæ, quas prudens omitto, aut quia aliis probantur minùs, & ne longior sim, quàm velim; & quidem plus hîc solito commoratus sum. 26.

Iudæi ne essent gentibus dissimiles adduxere præputia.

Vers. 9. *Et visitabo super eum, qui arroganter ingreditur super limen.*] Fortasse Propheta illos compungit, quos proximè propter indumenta peregrina perstrinxerat. Si enim vestem gestant variam gentilico schemate contextam; quid mirum si arroganter incedant, cùm illud quasi iure suo postulent, aut vestium pretiosa materia, aut plus satis ambitiosæ laciniæ. Ita Hieronymus. *Hæc* (inquit) *aduersùs superbos, qui cum quodam fastu, & dignitatis supercilio gradus templi, & sanctuarij limen ascendunt.* Cum Hieronymo sentiunt complures alij. 27.

In templo odiosus superbus habitus.

Vbi vulgatus, *arroganter ingreditur,* Hebr. est, vt Hieronymus obseruat, & conuertunt omnes penè recentiores cum Chaldæo: *qui transiliunt limen.* Neque tamen qui ita conuertunt, eodem omnes modo interpretantur. Rabbi Dauid, quem sequitur Robertus, hæc ad furta refert, ex quibus violenti homines, atque superbi sublatis furto, aut vi tenuiorum vestibus induuntur: serui etenim illorum ingrediuntur limen infirmorum, & inde vi rapiunt, si quid est ornamentorum; adducúntque ad dominos, vt illi peregrinis, id est, alienis 28.

alienis vestibus induantur.

29. Aliis magis placet, iuxta hanc translationem ferè aliis à vulgato communem, peregrinam religionem, aut ceremoniam indicari, quam à vicinis, & gentilicis populis assumpsere Iudæi. Maximè à Palæstinis, quibus solemne fuit templum non æquabili, aut securo, seu fortuito passu templum intrare, sed saltu superare, & transilire limen: neque enim religiosum esse putabant locum illum calcare vestigio, vbi ipsorum Deus cóminutus, & deiectus ab altari iacuerat. Sic habemus lib. 1. Reg. cap. 5. *Inuenerunt* (Philistæi) *Dagon iacentem super faciem suam in terra coram arca Domini: caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abscissæ erant super limen. Porrò Dagon solus truncus remanserat in loco suo. Propter hanc causam non calcant sacerdotes Dagon, & omnes, qui ingrediuntur templum, super limen Dagon in Azoto.* Ita Hieronymus, & alij plurimi, qui ab eo non nisi perquam rarò discedunt. Et quidem licèt in Azoto tantùm ceremonia illa religiosa videri poterat, quia non nisi in Azoto tẽpli limen Dagonis fragmina consträuerant: inde consuetudo in alias ciuitates Palestinæ manare potuit; vt non nisi saltu ostium intrarent, quasi limina Dagonis contactu consecrata nefas esset calcare.

30. Sed vulgata translatio maius aliquid indicat, magisque Iudæis familiare, qui cùm templum supplices, atque humiles intrare debuissent oraturi veniam; sic tamen intrabant arroganti specie, vt non tam ipsi sibi petere à Deo, quàm aliis veniam concessuri videntur. Superbum autem hunc incessum execratur Dominus quocunque in loco, sed multo magis in templis. Vide quæ nos ad illud Amos cap. 6. *Væ qui opulenti estis*, &c. *Ingredientes pompaticè domum Israel.*

31. *Qui complent domum Domini Dei sui iniquitate, & dolo.*] Iuxta varias translationes, atque sententias superioris clausulæ, variè etiam hîc explicari possunt dolus, & iniquitas. Implent domum Dei iniquitate, qui gentilicæ religionis habitum, & sordes in templum inuexere. Quod Sophoniæ ætate erat in Solymitano templo frequentissimum, vt docet Iosiæ zelus *lib.* 4. *Regum cap.* 43. Et qui vestem afferant peregrinam, id est, non suam; quam nimirum ab aliis, quasi pellem à carnibus abstraxerunt. De quibus Michæas cap. 3. v. 2. *Qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis*, &c. Aut certè qui sacrificia offerunt ex rapina; quæ Deus vsque adeò non probat, vt dolum, & iniquitatem appellet, imò verbis aliis grauioribus, quàm ipse odiosè fastidiat, ostendit. Eccli. 34. v. 24. *Qui offert sacrificium ex substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.* Et Prouerb. cap. 21. vers. 27. *Hostiæ impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex scelere.*

32. Vers. 10. *Et erit in die illa, dicit Dominus, vox clamoris à porta piscium, & vlulatus à secunda, & contritio magna à collibus.*] His verbis nil aliud significari puto, quàm nullum locum fore à clamore, & gemitu, siue à cæde vacuum. Quænam fuerint hæ portæ, quo inter se dissitæ spatio, quam spectent cæli regionem, incertum est; neque id explorare admodum necessarium, dum constat his portis, ac collibus totum significari ciuitatis ambitum. Hieronymus duos ait ciuitatis esse muros, in cuius extremo porta erat piscium, quæ sic est appellata, quia Diospolim, & Ioppem respicit, & illam maris mediterranei partem, quæ propior est vrbi, per quam pisces inferebantur in illam: cuius nomen iterum audimus *Nehemiæ cap.* 3. *v.* 3. Quæ verò porta secunda dicitur, in secundo muro constructa fuit, è regione illius portæ, de qua proximè. Harum autem præcipuè meminisse videtur Propheta, quia in illam partem belli pondus incubuit; & per illas portas maiori ex parte ingressus est Chaldæorum exercitus. Ita indicat Ieremias *cap.* 39. *v.* 3. vbi dicit hostes, cùm ciuitatem fuerunt ingressi, in media porta constitisse. In collibus duos præcipuè montes intelligo, qui erant in ipso interioris muri complexu; montem Sion, in quo ciuitas Dauid; & montem Moria, in quo Salomonis templum visebatur. De quibus Zachariæ cap. 14. v. 5. *Et fugietis ad vallem montium meorum.*

Vers. 11. *Vlulate habitatores pilæ.*] *Pila* vox est πολύσημα, quæ varias habet significationes; si priorem habeat correptam, sphærulam valet, qua sese ingenuo ludo iuuenes exercent reciproco expulsu. Habet præterea penultimam productam, & tunc vas significat cócauum, familiare coquorum, & pharmacopolarum instrumentum, in quo teruntur, quæ integra neque ad mensam, neque ad rem medicam vllum haberent vsum; quod nos aliter mortarium appellamus. Quomodo verò pila in euertenda Hierosolyma locum habere possit, obscurum est. Quidam cum Hieronymo Siloem esse putant, quorum ea videtur assignari posse ratio, quia populus, qui aut ibi habitabat, extra muros videlicet, aut eò se præsidij causa receperat, non aliter contusus est Chaldæorum armis, quàm fruges contundi pistillo solent in mortario. Alij nomen esse proprium arbitrantur alicuius fori, aut publici loci, qui Hierosolymæ fuit, in quo conuentus esse solerent frequentes; in quo videlicet aut causæ tractarentur legitimè, aut prostarent merces, aut aliquid tandem esset aut spectabile, aut vtile, quod hominum ad se curiosos oculos, aut studia traheret. Rabbi Abraham sic de Pila. *Via strata erat in Ierusalem mercatorum, & permutantium, dicta pila, seu mortarium: quoniam omnes plateæ ciuitatis habent nomen notum omnibus ciuibus.* Rabbi Salomon, vt refert Lyra, ciuitatẽ Tiberiadem esse credit, quia est in loco totius Israelis profundissimo. Nomen verò Hebr. מכתש *macles*, aliquid sonat profundum, quale esse solet in fundo mortarij. Pagninus, Vatablus, Ribera, Figuerius in ea sunt sententia, vt putent nomen esse proprium alicuius loci; quod fortasse verum. Ego quid magis videatur mihi probabile paucis expediam. 33. *Ierusalem cur dicta pila.*

Et primùm puto sermonem hîc esse de tota Hierosolyma, in qua non aliter contundendi sunt ciues ab hoste fortiori, & vehementer infenso, quàm in area teruntur fruges, aut in mortario ptisanæ. Esse autem pilam, seu mortarium (id enim valet pila, pro qua Aquila ὅλμον reddidit) instrumentum aliquod, in quo torquentur homines, qualis est equuleus, catasta, rota, fornax, & similia, nemo credo dubitabit, qui Anaxarchi semel historiam audierit. De quo Cicero *lib.* 2. *Tuscul. quæst.* & eadem Diogenes Laertius in eius vita, qui, quam alij pilam, ipse ὅλμον vocat. Tertullianus in Apologetico contra gentes ptisanæ pilo contusum esse dicit. Ouidius in Ibim cauum illud saxum pilam vocat, & illam planè mortarium esse indicat, 34.

Aut

Aut vt Anaxarchus pila minuaris in alta,
Lectaque pro solitis frugibus ossa sonent.

35. Iuxta hæc ego Hierosolymam pilam vocari arbitror, quia ibi ciues extrema patientur, sicut in sua pila quondam Anaxarchus. Quam cogitationem mihi facit verisimilem valdè, quòd aliis nominibus huic valdè similibus eadem sæpè ciuitas appellatur. Vocatur enim *Ezech. cap.* 24. *v.* 3. olla, cui subiectus est ignis, quia in illa ciues ita torrebuntur, sicut in illa carnes. & *cap.* 11. *v.* 3. propter eandem causam dicitur lebes. Neque fortasse aliud significat Ezechiel *cap.* 4. *v.* 3. cùm iussus est ferream sumere sartaginem. Sartaginem autem idem fermè valere, quod pilam, aut lebetem, nemo dubitabit: qui nouit sæpè Martyres, aut qui propter graue aliquod facinus capitalis supplicij iudicantur rei, in ferrea sartagine iussos esse torreri. Hæc mihi sententia omnium videtur expedita maximè; neque tamen alias, vt testatus sum, improbo.

36. *Conticuit omnis populus Chanaan.*] Si *pila*, quod alij censuerunt, & in his Vatablus, significaret locum nundinis, & distrahendis mercibus destinatum, non esset explicatio difficilis. Cùm enim Chanaam mercatorem significet, aut quod ad negotiationem pertinet, habitatores pilæ mercatores sunt; atque ideò iure optimo Chanaam, siue Chananæi silere iubentur, quia aut diripientur ex eo loco merces, quæ prostabant venales; aut certè in posterum negotiatio cessabit. Nihilo tamen seciùs mea mihi coniectura non displicet: neque ratio deest, cur ab hoste vastata, aut angustiùs obsessa Hierosolyma lugere debeat, aut silere Chanaan. Chanaanitis enim regio, ex qua Chananæorum quondam septem nationes expulsæ sunt, eadem est, quæ postea vocata fuit aut terra promissionis, aut regnum Israel. Quare mirandum non est, si excisa Hierosolyma lugeant, & sileant ciuitates reliquæ ex terra Chananitide, aut quas habitarunt antè decem tribus, aut quas duæ aliæ postea tenuerunt, cum sublato præcipuo totius Israeliticæ gentis propugnaculo, nihil sibi sperare possint aut fortunatum magis, aut minùs odiosum. Sin verò silentium à metu nasci statuas, quod in Scriptura sæpiùs occurrit, vnde etiam *silentium* pro pauore sumitur; sanè conticuit populus Chanaan, quia graui timore concussus est, cùm suam rem tunc agi existimaret, cùm videret parietem proximum ardere, vt est in prouerbio. Credo hîc ad illum locum esse parodem, in quo demerso Pharaone, & illius exercitu in mari rubro, cecinerunt Hebræi. Exod. 15. v. 15. *Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan.*

37. *Disperierunt omnes inuoluti argento.*] Quidam hos mercatores esse putant, qui ad pilam, id est, ad locum nundinis destinatum argentum portabant, id est, pecuniam, vt inde sibi merces coëmerent, quas cum aliquo compendio distraherent: quod faciunt illi, qui institores, seu dardanarij dicuntur. Aut certè qui argentum cælatum eò comportant, vnde sibi magno auctario compendium redigant. Ita illi, quos suprà diximus existimare pilam esse forum institorum; quales sunt Hebræi doctores Rabbi Salomon, & Abenezra, & ex nostris Isidorus, & Vatablus. Quod si ita est, orationem hîc figuratam esse video, & in ea synecdochen grammaticam. Vt enim dicimus, *homo niger oculis, albus dentes, percussus caput*; & *fœmina laniata crines, nuda sinus*, id est, homo habens nigros oculos, & dentes albos, caput percussum, & fœmina habens laniatos crines, nudos sinus. Sic etiam mercatores illi dicuntur inuoluti argento; quia aut illi argentum ferunt inuolutum ad nundinas, aut certè referunt ex nundinis ex venditis mercibus argentum inuolutum.

Sed latiùs hæc patent sine dubio; & ad illos spectant, qui opibus in ciuitate, & authoritate præstant. Hi verò argento sunt inuoluti; vel quia diuitiis abundant, vel quia vestes habent, seu stragulas, siue pro ornando corpore distinctas, atque illuminatas argento. Visos verò Iudæorum nobiles, & elegantes vestibus argenti, aut auri illuminatas ramentis, aut crustis, satis ex Scriptura constat. Vnum nobis pro multis sit Ieremiæ testimonium de eodem argumento, & tempore Thren. 4. v. 2. *Filij Sion incly ti, & amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli?* Quin etiam capillos ipsos, quos de more Iudæi apertos gestabant, aureis inspergebant ramentis, quos ita ferebant splendentes, vt verè aurei existimari potuerint. Ita Iosephus lib. 8. Antiq. cap. 7. *Equis* (inquit) *optimis Salomonis insidebant equites, flos iuuentutis procera statura, prolixóque capillitio: ad hæc ramentis auri capillos quotidie spargebant, vt ad solarium radiorum contactum fulgor à capitibus eorum reflecteretur.* Hæc penè Hieronymus, & qui plerumque illius sequuntur sententiam, qui putant hæc esse de diuitibus explicanda, qui sibi ab argento satis præsidij paratum esse putant. 38.

Vestes Iudæorum & crines illuminati argento.

Vers. 12. *Scrutabor Ierusalem in lucernis.*] Figura hæc absque dubio prouerbialis est, quæ accuratam diligentiam indicat eius, qui suos oculos nihil latere vult. Quamuis autem lucerna adhiberi tunc tantùm soleat, quando tenebricosus est locus, vt ab illo exigatur obscuritas; in prouerbiali tamen specie non est necesse hæc de nocturno tempore intelligamus. Quomodo mulier illa, de qua Lucas *cap.* 15. *v.* 8. cùm perdidisset drachmam, *accendit lucernam, & euerrit domum.* Sumitur itaque hoc loco lucerna pro sedulitate, ac studio. Nihilominus arbitror, quo tempore capta fuit, atque expugnata Hierosolyma, necessarias fuisse Chaldæis lucernas, quæ explorarent Iudæorum cryptas, in quas in extrema fortuna ipsi sese trepidantes abdiderant. Quod Chaldæus indicat, qui hoc loco supplendam indicat similitudinis notam, dum ita conuertit, *Præcipiam scrutatoribus* (nempe Chaldæis) *& scrutabantur Ierusalem, quemadmodum scrutari solent; qui rem ad lucernam quærunt.* Quod autem ita factum sit, probat Iosephus *lib.* 14. *Antiquit. cap.* 26. *& lib.* 1. *de bello cap.* 12. vbi tradit fuisse speluncas, ad quas Iudæi in extrema necessitate confugerent. Quod indicat Isaias *cap.* 2. vbi cùm de hoc ipso tempore loqueretur, ait: *Ingredere in petra, & abscondere in fossa humo à facie timoris Domini.* Huc facit, quod Iosephus idem *lib.* 7. *de bello cap.* 16. 20. 26. multos dicit Iudæorum in speluncis, & cloacis inuentos, & inde extractos à Romanis. Quare qui latebras omnes scrutatur, etiamsi interdiu id faciat, lucernas adhibet, quia aliter latentes intus non deprehenderet. Ex quo etiam intelligitur facilè, quod proximè sequitur. 39.

Iudæi in cloacis, & cryptis latere soliti.

Et visitabo super viros defixos in fæcibus suis.] Qui sese in domesticis cryptis, aut etiam cloacis aut priuatis, aut publicis absconderet, necesse est hæreret in luto, aut in eo, quod luto est, ac cœno sordidius. 40.

sordidius. Neque sanè loquitur impropriè, ac falsò, qui illud *in fecibus suis*, proprie sumeret pro illis fæcibus, quæ ex ventre in secessum, & foricas emittuntur. Eò enim adigit interdum homines necessitas, vt vitæ cõseruandæ causa illa non horreant, quæ temporibus aliis fastidium mouerent, & nauseam. Notum est quomodo Marius functus antè consulatu, in cœno demersus aliquandiu latuerit. Et hoc ipso loco, atque anno, in quo hæc scribo, homo quidam, qui ad cædem à ministerio forensi quærebatur, in foricis toto die latuit, magnúmque putauit esse beneficium, in tetrum illum odorem habuisse receptum. In hunc ego sensum locum istum interpretor, & nisi meipsum fallo, non abs re. In hanc sententiam explicat Hieronymus, Haymo, Lyra, Remigius, & complures alij. *In tempore, & in die captiuitatis Ierusalem, vel à Babyloniis, vel à Romanis, quia dereliquit legem Domini, & impiè egit in Dominum creatorem suum, scrutabitur Dominus cùm lucerna omnia abscondita Ierusalem, & nullum inultum patietur effugere. Legamus Iosephi historias, & ibi reperiemus scriptum de cloacis quoque speluncis, & antris, & sepulcris extractos principes, & reges, & potentes, & sacerdotes, qui se in eis metu mortis absconderant.* Hæc Hieronymus. qui etiam in fæcibus peccata intelligit, in quibus homo defixus manet, cùm in illis hæret obstinatus. Placet sensus, qui valdè est accommodatus ad mores.

41. Neque displiceret ille, quem Hebræorum magistri probant, quibus subscribunt Vatablus, Montanus, Isidorus, nisi lucernarum nomen obstitisset, quod in illorum cogitationem non aptè cadit. Putant autem à vino sumi translationem, quod ex vno vase in aliud transfusum non est, sed adhuc in suis fæcibus acquiescit, neque mouetur ab aliquo, neque à sua quiete fæculenta turbatur. Similitudo verò in eo spectatur, quia vt vinum quietum antè, in aliud dolium eliquatur, & transmittitur: sic etiam populus, qui diu pacificus consedit Hierosolymæ, ab hoste Chaldæo, tanquam à vinitore, ad Babylonicum solum transuasabitur. Iuuat autem hanc coniecturam, quod eadem allegoria vsus est Ieremias contra Moab *cap.* 48. *v.* 11. cùm eadem minaretur Moabitis, quæ nunc Solymitanis Sophonias. *Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, & requieuit in facibus suis; neque transfusus est de vase in vas, & in transmigrationem non abiit.* Sed sanè, vt dixi, non bellè cùm hac cogitatione facit lucernarum nomen.

42. *Qui dicunt in cordibus suis, non faciet benè Dominus, & non faciet malè.*] Hi homines, qui nihil sibi à Deo timendum putabant, quia videlicet vesano consilio sibi persuaserant, neque vllam in Deo esse potentiam, vt quemquam perderet, aut à periculo præstare posset incolumem, eò adigentur à Deo, vt cloacas subeant, & immunda loca, vt gladium effugiant impendentem. Neque tamen in illis sordibus, quas pro delitiis sibi computabunt, diu latere sinet inimicorum rabies, atque sedulitas. Cùm enim notum sit in eo necessitatis articulo, in quo de vita res est, nullum locum quantumuis tetrum, & sordidum, importunum videri; loca etiam scrutabuntur immunda, & prælucente face in illud miserorum perfugium insilient, extrahéntque de cœno, ac fimo, tanquam latentes feras è cubilibus.

43. Vers. 13. *Et erit fortitudo eorum in direptionem.*] Hæc aperta sunt. Neque significatur aliud, quàm omnia munimenta, atque ornamenta ciuitatis esse perdenda; & abigendum ab hoste victore quidquid commodorum referri posset ex agrorum cultu. Longè aberant, vt hortos, & vineas, & ciuitatis propugnacula defenderent, qui in cœno, & fimo, & tenebricosis, ac subterraneis sordium emissariis latuissent.

Vers. 14. *Iuxtà est dies Domini magnus.*] Hæc 44.
item obscura non sunt. Dies porrò Dei magnus ille dicitur, in quo Deus aliquod eximium suæ siue benignitatis, siue maiestatis, aut seueritatis argumentum ostendit. Qualis est dies sæculorum extremus, in quo vniuersale Dominus iudicium exercebit, & in quo Deus à mortuis resurrexit, & alij, in quibus ea à Deo patrata sunt, ex quibus homines Deum aut obseruandum, & amandum valdè, aut certè metuendum agnoscunt. Hic verò dies ideo vocatur magnus Dei, quia Deus se horribilem peccatoribus præbebit. Qua de re nos plura ad eadem propè verba Ioelis *cap.* 2. in principio, vbi etiam quæ sequuntur illius diei magni prodigia explicata sunt; neque est cur ad illa aliquid addamus.

Vers. 15. *Dies iræ dies illa.*] Quæ hîc dici poterant, iam à nobis suprà *ad cap.* 2. *Ioelis* dicta sunt.

Vers. 16. *Dies tubæ, & clangoris super ciuitates* 45.
munitas, & super angulos excelsos.] Superiora aliquid significant aduersum, & triste, sicut alibi millies; nempe tenebræ, caligo nebulæ, & turbo: hîc iam ostendit, vndénam illa calamitas, atque animorum æstus, atque contractio oritura sint. Quia nempe nulla erit ciuitas vsque adeò diligenter, ac prouidè septa mœnibus, aut præsidio munita militari, vbi non resonet hostilis clangor, qui militares excitet spiritus, & excidium minetur extremum.

Qui sint anguli excelsi, aut anguli populo- 46.
rum, docuimus pluribus ad illud Zachar. 10. *Ex ipso angulus.* & Isai. 19. *Deceperunt Ægyptum angulum populorum.* Cùm autem angulus sit ea pars domus, quæ duos parietes è diuerso coëuntes astringit, & continet, necesse est, vt pars sit omnium omninò firmissima, quando ab illa domus firmitatem accipit. Quare in regia aliqua, ac nobili structura angulos omnes muniunt, & continent turres. Hinc fit, vt munimenta omnia, atque præsidia siue regnorum, siue ciuitatum, siue homines sint, siue saxeæ, aut lateritiæ moles, dicantur anguli; quia non aliter quàm angulorum firmæ constructiones, ciuitates, ac regna tuentur, ac muniunt. Hieronymus in illum locum Isaiæ, de quo proximè. *Idioma* (inquit) *Scripturarum est, vt angulum pro regno ponant, eo quòd populos contineant, & quasi in tota domo fortissimum sit. Vnde & Christus duorum populorum parietes continens lapis dicitur angularis.*

Angulus pro turre, aut munimento ciuitatum.

Vers. 17. *Et tribulabo homines, & ambulabunt,* 47.
vt cæci, quia Domino peccauerunt.] Cæci dicuntur illi, qui aut præ mentis stupore, aut quia vndique circumfusi sunt malis, ex quibus extricare se non possunt consilij inopes, huc, & illuc vagantur incerti. Quales sunt, qui in medio mari variis iactantur fluctibus, neque habent quid virium, aut artis aquarum æstibus, aut ventorum flatibus opponant. Psalm. 106. v. 25. *Exaltati sunt fluctus eius: ascendunt vsque ad cælos, & descendunt vsque ad abyssos, anima eorum in malis tabescebat. Turbati sunt, & moti sunt, sicut ebrius: & omnis sapientia eorum deuorata est.* Hoc idem accidisse, cùm

cùm Hierosolyma in Chaldæorum potestatem venisset, id est, hoc ipso tempore, quod hic à Sophonia designatur, indicat Ieremias Thren. 4. v. 14. *Propter peccata Prophetarum*, &c. *errauerunt cæci in plateis, polluti sunt sanguine.* Cæci porrò errarunt, quia angor, & turbatio omnem illis deliberandi facultatem eripuit. Aut quia Deus fecit, ne in tanta multitudine, quanta tunc in amplissima illa ciuitate morabatur, vllus esset homo prudens, aut tantæ apud alios authoritatis, vt regere illos posset, aut in officio, & data sibi statione continere. Quod Isaias antè minatus fuerat cap. 3. *Dominus exercituum auferet à Ierusalem, & Iuda iudicem, & prophetam, & ariolum, & senem, & consiliarium, & sapientem.* Hi porrò oculi vocantur populi; quare qui his caruerit, in rebus præsertim dubiis, & angustis, ille cæcus erret, necesse est. Hæc porrò propter peccatum accidisse docet Propheta, quod alij quoque sæpè dixerunt. Multa habemus in Scripturis exempla illorum, qui propter peccata non solùm in bello nihil administrarunt opportunum, sed etiam in seipsos arma conuerterunt: vt habes *Iudic. cap.* 7. sub Gedeone, & *Paralip. cap.* 20. sub Iosaphat.

Viri prudentes ciuitatum oculi.

48. *Et effundetur sanguis eorum sicut humus, & corpora eorum sicut stercora.*] *Humus, puluis, arena*, & similia in multitudinis magnæ comparationem adducuntur; quia & ipsa vbique terrarum multa sunt, & numerari non possunt: quare vt vbique humus, & puluis occurrit, sic etiam Iudæorum effusus sanguis. Cadauera verò cum stercore comparantur, quia & plurima sternentur in viis, & ipsa nihil differunt à stercore: grauem enim exhalant odorem, siue cùm ceciderunt in terram, & extabescere cœperunt, siue cùm in saniem, & vermes resoluta formam deposuerunt antiquam. Mansisse porrò Iudæorum inhumata corpora, ipsa docet bellorum consuetudo, maximè apud barbaros, quos non admodum tangit illa cadauerum religio: tum quia id sæpe à Prophetis denunciatum est Iudæis. Psalm. 78. *Effuderunt sanguinem eorum in circuitu Ierusalem; & non erat qui sepeliret.* & Psalm. 82. *Disperierunt in Endor, facti sunt vt stercus terræ.* Et clariùs Ieremias hoc ipsum contigisse affirmat Thren. 4. v. 5. *Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* Quia nimirum sicut canis, aut asinus, sic illorum cadauera in sterquiliniis abiecta extabuerunt. Et quidem si Ioacim *Ieremiæ cap.* 22. sepultura asini sepeliendus esse dicitur, id est, futurus prorsus insepultus; quid de cætera Iudæorum turba existimandum est? Minatur hoc ipsum, quod modò Sophonias, Ieremias cap. 7. v. 33. *Et erit morticinum populi huius in cibos volucribus.*

Iudæorum inhumata cadauera.

49. Vers. 18. *Sed & argentum eorum, & aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini.*] Vsque adeò infensos animos, & inflammatos odiis afferent

Chaldæorum implacabilis ira.

A in Iudæos hostes Babylonij, vt nullo artificio, nullo pretio placari possint, nullo tandem modo exsaturari vindicta. Quare licet instanti hosti vim offerant maximam argenti, atque auri; non tamen hostile ferrū arcebunt à iugulo. Dixit hoc idem Isaias *cap.* 13. *v.* 12. de Persis contra Babylonios. *Pretiosior* (inquit) *erit vir auro, & homo mundo obryzo.* Quod statim v. 17. declaratur magis. *Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint; sed sagittis paruulos interficient, & lactantibus vteri non miserebuntur.* Neque Gabaonitæ aurum postulant, & argentum, sed capita illorum, quos genuit Saul, quem vehementer oderant. 2. Reg. 21. *Non est nobis super argento, & auro quæstio, sed contra Saul, & contra domum eius.*

B Simili auri, argentique contemptu explicuit Virgilius *lib.* 10. quanto odio Æneas in hostes arderet, cùm oblatum ab hoste thesaurum, quo vitæ, quam iure belli amisisse videbatur, periculum redimeret, his verbis respuit:

Argenti, atque auri memoras, quæ multa talenta
Gnatis parce tuis.

In igne Zeli eius deuorabitur omnis terra.] Zelus 50.
varia significat; sed præcipuè affectum illum igneum, quo sponsus excandescit in sponsam adulteram, aut in eos, qui contra rem amatam aliquid meditantur hostile. In igne significari furorem nemo nescit. Sic Psalm. 38. v. 4. *In meditatione mea exardescit ignis.* Furorem, quem zelotypus habet, esse vehementem, neque vllo modo restingui posse, diximus pluribus ad illud Cant. 8. *Dura sicut infernus æmulatio.* De hoc zelo legimus Prouerb. 6. *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, neque acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* Huc, credo, spectant hæc Prophetæ verba, quæ & vim diuini furoris ostendunt, & fore negant oblato auro, atque argento placabilem; & vnde prouenerit hic furor, nempe ab animo beneficiorum immemore, & à violata, & prodita coniugali fide. Accommodatè verò ad zeli naturam dicit omnem terram esse deuorandam: cùm enim zeli ignea sit vis, vt alibi sæpe ab igne, sic nunc ab igne zeli, seu ab igneo zelo deuoranda dicitur.

Zelotypia vis, & dolor.

Quia consummationem cum festinatione faciet.] Con- 51.
summatio non ideo dicitur, quia ex tanta Iudæorum multitudine nullus futurus sit à cæde reliquus; sed quia id patietur Iudæorum status, atque fortuna, quod censeri solet in duro bellorum euentu postremum. Quid enim durius, quàm excindi vrbem, abigi ciues ab hoste insolente, & barbaro; illudi virginum pudori, & principi, ac seni inter senes, & principes nullum esse locum. Quod festinatò futurum esse dicit, quia id in Iosiæ filiorum regnis huic vaticinio proximis impletum est.

IN CAPVT SECVNDVM

ARGVMENTVM.

CVM præcedenti capite, quis expectaret exitus Hierosolymæ profligatos mores, docuisset, nunc hortatur, vt vitæ mutatione impendentem diuinæ seueritatis gladium à suis iugulis remoueant: deinde illarum prouinciarum interitum denunciat, qui Iudæorum populo hostile aliquid aut moliti sunt antea, aut etiam nunc secum tacitè meditantur. In his sunt Palæstini, Moabitæ, Ammonitæ, Æthiopes, & ad extremum Assyrij, quorum peccata, quæ illam ruinam induxere, commemorat. In describendo verò Niniues excidio, quod postremo loco facit, multus, & mirificus Propheta.

CAPVT II.

1. *Conuenite, congregamini gens non amabilis:*

2. *Priusquam pariat iussio quasi puluerem transeuntem diem, antequam veniat super vos ira furoris Domini, antequam veniat super vos dies indignationis Domini.*

3. *Quærite Dominum omnes mansueti terræ, qui iudicium eius estis operati: quærite iustum, quærite mansuetum: si quomodo abscondamini in die furoris Domini.*

4. *Quia Gaza destructa erit, & Ascalon in desertum, Azotum in meridie eiicient, & Accaron eradicabitur.*

5. *Væ qui habitatis funiculum maris, gens perditorum: verbum Domini super vos Chanaan terra Philistinorum, & disperdam te, ita*

PARAPHRASIS.

A 1. O Igitur viri Iudæi, in quorum vita, ac moribus nihil video, quod amem, aut probem: conuenite, ac tandem cogitate, quomodo meum possitis animum placare, quem vestra in peccando obstinata voluntas ad vindictam inflammat.

2. Conuenite, inquam, & dum per tempus licet reputate, quomodo impendentem iam cladem euitetis, antequam Deus, quod iamdiu parturit, denique pariat; antequam captiuitas adueniat iam sæpè vobis antè prædicta; antequam Iudæorum populus ex suis finibus exul abducatur, qui sic auferetur, ac præteribit, sicut à vento stipula, aut puluis à turbine dispergitur. B

3. Sed quando frequentes alij vocationi, & hortationi meæ rebelles sunt, & ingrati beneficiis; & idcirco intentam plagam non effugient; vos saltem mansueti, obsequentes, & humiles, qui iustitiæ, ac pietati seruitis, Dominum quærite. Et sic ad diuinam normam vitam informate, vt illum inueniatis mansuetum, & iustum, sic demum in causam vestram clementer affectum, vt illius à vestro capite furorem arceatis.

C 4. Neque est, ô Hierosolyma, cur speres te à Chaldæorum viribus iri liberatum. Nam si ciuitates Palæstinæ Gaza, Ascalon, & Azotum, & Accarum, quibuscum successu sæpè aduerso congressa es, superandæ sunt, & euertendæ, idque non ex insidiis, aut nocturno congressu, sed aperto Marte, & ipsa meridiana luce; quam tibi salutem, victoriámque promittis, contra quam multo potentior insurget inimicus?

5. Nunc ad vos, ô Palæstini, vaticinium durum conuerto. Væ vobis hominum genus robustum, & ferum, qui littoralem plagam

vt non sit inhabitator.

A gam habitatis. Verbum Dominus locutus est contra vos, qui ex omnibus, præcipuè à Chanaanitide regione nomen accepistis, quod illam vobis vastitatem indicit, vt ex multis, qui plagam illam incolunt littoralem, nullus futurus sit à cæde reliquus.

6. Et erit funiculus maris requies pastorum, & caula pecorum:

6. Et erit littoralis illa regio, vrbibus olim, & ciuibus frequens, ita deserta, vt in ea stabulentur armenta, & sua figant tabernacula pastores.

7. Et erit funiculus eius, qui remanserit de domo Iuda: ibi pascentur, in domibus Ascalonis ad vesperam requiescent: quia visitabit eos Dominus Deus eorum, & auertet captiuitatem eorum.

B 7. Qui redierint è Iudæorum genere ab exilio, Palæstinum tractum sibi vendicabunt, illum eligent vtpote pascendis gregibus opportunum. Quæ priùs erant speciosæ domus, & principum deliciæ in terra Ascalonitide, erunt quasi maceriæ rudes, aut contexta è virgultis, ac ramalibus septa, vbi stabulentur, & sub vesperum cogantur pecudes. Quia Dominus visitabit populum suum, & ab exilio liberum, in antiquos fines, & gloriam reuocabit.

8. Audiui opprobrium Moab, & blasphemias filiorum Ammon: quæ exprobrauerunt populo meo, & magnificati sunt super terminos eorum.

C 8. Nunc ad Moabitas, & Ammonitas vaticinium conuerto. Non me latent, dicit Dominus, opprobria, quæ in populum meum, & blasphemiæ, quæ in meipsum iactauerunt duo & mihi, & Israelitidi genti inimici populi Ammonitarum, & Moabitarum; qui cum adiectis ad suos illorum terminis, quos à possessoribus vacuos reliquerunt Assyrij, magno bonorum incremento, magnos ipsi spiritus assumpserunt.

9. Propterea viuo ego, dicit Dominus exercituum Deus Israel, quia Moab vt Sodoma erit, & filij Ammon quasi Gomorrha, siccitas spinarum, & acerui salis, & desertum vsque in æternum: reliquiæ populi mei diripient eos, & residui gentis meæ possidebunt illos.

D 9. Per memetipsum iuro, dicit Dominus, quem colit Israel, quique Dominus sum exercituum, in quem vos blasphemi linguam acuistis; quia Moabitæ non meliorem habebunt exitum, quàm Sodomæi; neque Ammonitis melior erit, quàm Gomorrhæis status, atque conditio. Regiones enim illorum syluarum in modum inhorrescent spinis, & quasi conspersæ sale steriles erunt, atque desertæ in æternum; quam tamen, postquam populus meus ab exilio redierit, victor diripiet, & quasi verus, atque legitimus hæres occupabit.

10. Hoc eis eueniet pro superbia sua: quia blasphemauerunt, & magnificati sunt super populum Domini exercituum.

E 10. Hanc porrò vastitatem, & cladem afferet illis spiritus arroganter inflatus, quo blasphemam exeruerunt linguam, & præ se populum illum longè posteriorem habuerunt, quem Dominus exercituum suum sibi ex omnibus elegit.

11. Horribilis Dominus super eos, & attenuabit omnes deos terræ: & adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulæ Gentium.

11. Ille verò Deus, cui duo illi populi infirmitatem exprobrabant, & præ diis suis nullo futurum in pretio arbitrabantur, in vanos deos, quibus ipsi tantum honoris tribuebant, sic erit horribilis, vt omnem illis dignitatem adimat, & eò redigat,

12. Sed

Digitized by Google

A digat, vt ex illis ad ſordidum, & vile miniſterium vaſa conſlentur. Tunc omnes gentes ſuo quæque loco, etiam inſulæ procul hinc remotæ, vbicunque locorum hæc audierint, verum amplexabuntur, & adorabunt Deum, cuius ex eo tempore cognouere potentiam.

12. Sed & vos AEthiopes interfecti gladio meo eritis.

12. Neque vos, ô Æthiopes, contra quos hic ſermo propheticus eſt, à meo gladio, quem vibrabunt Chaldæorum manus, eritis immunes.

13. Et extendet manum ſuam ſuper Aquilonem, & perdet Aſſur: & ponet ſpecioſam in ſolitudinem, & in inuium, & quaſi deſertum.

13. Et tendet etiam infenſam manum B contra Aſſyriam, quæ Aquilonaris eſt regio, & illam funditùs euertet: faciétque vt Niniue ſpecioſa ciuitas, & Aſſyrij imperij prima ſedes, eò redigatur, vt nihil ex tanta maieſtate appareat præter ſolitudinem inuiam, quaſi eo loco nihil vnquam fuiſſet, niſi ſylua, & locus ab habitatore deſertus.

14. Et accubabunt in medio eius greges, omnes beſtiæ Gentium: & onocrotalus, & ericius in liminibus eius morabuntur: vox cantantis in feneſtra, coruus in ſuperliminari, quoniam attenuabo robur eius.

14. Eo in loco priùs ædificiis, ciuibúſque frequenti paſcentur greges, & omnia vicinarum gentium armenta ſuam ſibi ſtabulationem habebunt. In liminibus, lo-C cíſque illuſtribus, vbi præclara notabantur inſignia, erunt obſcœnarum volucrum impura cubilia, onocrotali ſcilicet inauſpicatæ volucres, & ericij, ſordidæ, atque aculeatæ belluæ. In feneſtris, vbi dominorum laſciua curioſitas, & ambitioſa ornamentorum oſtentatio, erunt feralium volucrum inauſpicatæ voces: & in ſuperliminari crocitabit coruus. Hæc porrò ideo euenient ciuitati, quia ego, dicit Dominus, illius vires, & potentiam infringam, ne poſſit antiquam dignitatem, & vrbis amplitudinem tueri.

15. Hæc eſt ciuitas glorioſa habitans in confidentia: quæ dicebat in corde ſuo: Ego ſum, & extra me non eſt alia ampliùs: quomodo facta eſt in deſertum cubile beſtiæ? omnis qui tranſit per eam, ſibilabit & mouebit manum ſuam.

D 15. Omnis, qui iuxta ciuitatem illam tranſierit, non iam ciuitatem, ſed ciuitatis informe quoddam buſtum, cum irriſorio ſibilo, & manuum comploſione dicet: Hæccine eſt illa ciuitas, cui ad felicitatem, & gloriam nihil deeſſe videbatur; quæ ſuis freta viribus nihil à quoquam formidandum putabat; quæ ſibi tacitè, blandiùs aſſentata dicebat: Ego ſum, cui vni ex omnibus ſumma debetur gloria; cuius comparatione, ſi quid eſt in terra egregium, & illuſtre, inſtar habet nihili. Quo-E modo iam in illius ruinis nihil apparet niſi vaſta ſolitudo, & mille immanium belluarum obſcœna cubilia.

Digitized by Google

Vers.1. *Conuenite, congregamini gens non amabilis.*]

1. DIXIT proximè in extrema parte capitis rem festinatò fore peragendam. Nunc Deus, vt est ad miserandum pronus, hortatur Iudæos, vt impendentem ab vltrice dextera calamitatem interposita pœnitentia aut arceant, aut morentur. Vrget autem eos, & instimulat eo dicendi genere, quod nihil cunctandum esse indicat. Id enim præsefert modus imperandi, quo ad acuendos animos ad festinatum opus vtuntur scriptores tam sacri, quàm profani. Ab exemplis abstineo, quia obuia sunt. Porrò gentem illam ingratam, sceleratam, perfidam, de qua pœnas acerbas exigere statuerat, per figuram litotem gentem appellat non amabilem. Est autem *litote* figura, quæ leuius, & benignius loquitur, quàm rei ipsius natura, ac merita postulabant. Quod plerumque fit detractis vitiis, seu virtutibus, & adhibitis cum negatione contrariis: quod faciunt sæpè profani. Sic Poëtæ Phlegetontem inamœnum vocant, & Cocytum; cùm horribilem, tetrum, & execrabilem dicere debuissent. Sic Claud. 2.*Ruff.* & Papinius 1.*Thebaid.* Sic Virgilius 3.*Georg.* Busiridem *illaudatum* appellat, cùm parùm idoneum verbum esse videatur, ad scelerati hominis detestationem. Quod dicendi genus in sacris literis infrequens non est. Sap.1.vers.11. *Custodite vos à murmuratione, quæ nihil prodest.* id est, quæ perniciosissima est. Et Prouerb.6.12. *Homo apostata vir inutilis.* id est, pestilens, quique graui aliis nocumento est.

Litote figura in Scriptura vsitata.

2. Sic ergo gens Chaldæorum dicitur non amabilis, id est, odiosa, horribilis. Quod etiam nomen profani authores Cocyto tribuunt, aut Stygi, quo nihil tamen dicunt esse molestius, nihil odiosum magis. Sic sanè Ouid. *lib.4. Metam.* infernas sedes regnum vocauit inamabile. Sic Virgilius, vt legit Aulus Gellius *lib.2.cap.6.*

Quos circum limus niger, & deformis arundo
Cocyti tardaque palus inamabilis vnda.

Et lib.6. Æneid.

Fata obstant, tristique palus inamabilis vnda
Alligat, & nouies Styx interfusa coërcet.

3. Vtitur porrò Deus voce mitiori, quæ non totam explicat populi indignitatem; dum non appellat gentem stultam, impiam, odiosam, & quæ ferro, ac pesti, aut saltem exilio destinata est: nam hæc non facilem, & promptam ab irato iudice veniam promittunt, sed vocat gentem non amabilem. Quasi dicat optare se aliquid, quod in illo populo possit amare, vt aut omninò, aut aliqua ex parte remittatur furor, qui exæstuat in diuino pectore, & in oculis, atque in tota facie rubente scintillat; & potius habeat quod diligat, & muneret, quàm quod oderit, & puniat. Sanè vbique sese etiam in sceleratos, omnique supplicio dignos prodit diuina clementia, quæ erumpere gestit; & quòd homo mutum obstinationis opponat, non solùm ægrè, sed etiam quodammodo impatienter fert. Quare hæc, aut his similia sæpè clamat, & dolere se dicit, quòd homines videt recipiendis beneficiis parùm idoneos. Psal.80. *Si populus meus audisset me, Israel si in viis meis ambulasset, pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem, &c.*

Dei clementia singularis.

4. Vers.2. *Priusquam pariat iussio, quasi puluerem transeuntem diem.*] Modus iste loquendi subob- A scurus est, & planè figuratus, in quo multi multa supplent: ego si figuram euoluam, nihil opinor esse supplẽdum. Notum est per metonymiam sicut locus sumitur pro illis, quæ in loco continentur; sic etiam tempus pro his, quæ fiunt in tempore. Quomodo dicimus, hic dies mihi grauem inussit ignominiam, quia in illo aliquid accidit mihi ignominiosum, & turpe. Hæc nox me spoliauit; quia nocturnus latro omnes mihi facultates eripuit. Sic puto diem hìc sumi pro his calamitatibus, quæ alibi sæpè per Prophetas, & per Sophoniam præcedenti capite prædictæ sunt: inter quas sæpiùs est, & grauiùs pronunciata ca- B ptiuitas. Quare arbitror *diem* hoc loco pro captiuitate sumi μετωνυμικῶς. & ideo hic erit sensus, neque à textu, neque à dicendi modo violenter extortus. Adducet Deus diem illum, id est, captiuitatem, quæ in illo die lugubri continget, quæ sic præteribit, id est, auferetur ab hoste Babylonio, sicut à vento palea, aut puluis à turbine. Quod videtur omnino voluisse Chaldæus, dum ita conuertit. *Quandò eritis similes glumæ, quam exsufflat ventus.* Festinationem illam non tam exilio celeri attribuit Hieronymus, & cum illo complures alij, quàm diei, quam dicit aduenturam esse quàm celerrimè. Sic autem ille: *Antequam fiat quod prophetatum est: antequam præceptum sequatur ef-* C *fectus, quod ita facilè veniet, sicut puluis pertransiens.* Sed eò libentiùs inclino, vt putem de captiuitate potiùs esse sermonem; quia puluis à vento iactatus, à quo nunc similitudo petitur, non tam alia omnia, quàm exilium, & captiuitatem adumbrat: neque enim puluis, aut stipula tam assumuntur, vt celeritatem, quàm vt facilitatem in migrando significet. Sicut enim puluis, aut palea vẽto non resistit: sic etiam neque gens Iudæa Chaldæorum viribus, à quibus, sicut puluis à vento, sic illa à Chaldæorum rapietur exercitu. Ita Theodoretus, Cyrillus, Lyra, Vatablus, Robertus, Isidorus.

D Porrò vt in natura rerum priùs conceptus est 5.
animalis, deinde pariendi desiderium, & vis quædam, & nixus naturalis ad edendum fœtum: sic etiam in rebus agendis priùs animo concipitur quid factum esse velimus, deinde conatus est, & appetitus ad opus; quasi quæ parturit, ad partum connititur. Iussio Dei, & vaticinia à Prophetis sæpiùs decantata, dolor quidem erat quasi parturientis Dei, & gemitus, qualem ante partum solet emittere puerpera. Quia verò partus ille, id est, Iudæis aut inflicta calamitas, aut adducta captiuitas, sine graui Dei dolore contingere nõ poterat: differebatur quotidie, quia Deus & dolo- E rem suum in pariendo, & populi cladem euitare cupiebat. Quo modo Echinus, vt est in prouerbiis, partum procrastinat, quia timet ne viscera ab spinoso fœtu lacerentur. Sed si antequam iussio pariat, id est, interitæ minæ sortiantur euentum, non se peccator pœnitendo à scelere conuertat, serò postea consilium adueniet, & sapientia; neque vllum erit exilij, aut calamitatis effugium.

Deus ad puniendum difficilis.

Sera pœnitentia.

Vers. 3. *Quærite Dominum omnes mansueti terræ,* 6.
qui iudicium eius estis operati. Quærite iustum, quærite mansuetum.] Loquebatur Dominus ad omnem turbam, quam tamen videbat & rebellem futuram esse vocationi, & beneficiis ingratam. Quare sermo

sermonem ad pauculos conuertit, qui in illa tanta multitudine adhæsere Deo, & illius leges, & sacra coluerunt; quos sciebat audientes fore admonitioni diuinæ.

7. Vbi vulgatus *mansueti*, Hebr. est ענוים *anauim*: quæ vox variè ab aliis, & à nostro vulgato non eodem modo vbique conuertitur. Interdum enim dicuntur humiles, interdum modesti, nonnunquam mansueti, ac mites. Sed sanè hæc ita sunt affinia, vt non nisi rarò alia separentur ab aliis. Hi facilè se præbent obsequentes, facilè ab auaritia oculos, & manus continent ab iniuria. His ergo edicitur, vt quando alij illud instituerunt viuendi genus, vt habituri sint Deum seuerum, & durum; illi vitam suam, & mores sic ad diuinam legem, & voluntatem attemperent, vt illum inueniant mansuetum, & iustum; sic denique in ipsorum causam clementer affectum, vt ab illius furore nihil timeant. Vt enim ipsi mansueti fuerunt, & iusti (nam iudicia dicuntur operati;) sic etiam iustum Deum habebunt, & mansuetum, quare similes habebunt sibi. Similes autem non solent insectari, aut vexare similes, sed potiùs amare, & quo maximè possunt modo, ornare beneficiis. Tritum est illud Arist. *lib. Mor.*8. ὅμοιον ὁμοίῳ φίλον. id est, *à simili amari simile:* & idem exemplis docuit satis ad rem accommodatis *lib.*2. *Rhetor.*

Deus in sui similes non irascitur.

8. Vers. 4. *Quia Gaza destructa erit, & Ascalon in desertum, Azotum in meridie eicient, & Accaron eradicabitur.*] Laborant hîc interpretes, dum causam quærunt, cur modò inducatur Palæstinarum ciuitatum inopinata vastitas, & quasi ἀπροσδιόνυσον assuta Iudæorum cladi. Quidam ideo proponi existimant harum ciuitatum, aliarúmque regionum, de quibus statim, horribilem cladem; vt spem abiiciant Solymitani principes auxilij contra Chaldæos à vicinis regionibus aduocandi, cùm non minor calamitas regiones illas maneat, quàm Iudæam. Ita ex Hebræis Rab. Dauid. Alij hæc verba consolatoria esse interpretantur. Cùm enim commune malum aliquod esse soleat doloris leuamentum, maximè apud animos illiberales, & rusticos, & ab illudente turba conuitia timentur, delectantur illi, quibus aliquid accidit aduersum, si eo in statu sint aliorum negotia, vt ab illis nihil possit acerbum, aut contumeliosum audiri. Sanè timebat Dauid *lib.*2. *Reg. cap.*1. ne Gethæi, aut Ascalonitæ nossent, quam cladem accepisset Israel: atque ideo cecinit, *Nolite annunciare in Geth, neque annuncietis in compitis Ascalonis, ne fortè lætentur filiæ Philisthim, ne exultent filiæ incircuncisorum.* Et Psal. 24. v. 2. *Neque irrideant me inimici mei.* Ita Rab. Dauid. Cyrillus hæc addita censet ad leniendum dolorem, alio tamen sensu longè dissimili. Ait enim Palæstinos, qui Iudæorum vbique casibus insultabant, à Iudæis tunc fore subiugandos, quando beneficio Cyri rursus in patrios fines remigrarint. Quod sanè ita accidit, vt constat ex Machabæorum libris. Theodoretus sic accipit: Si Iudæi mores mutent, séque, vt debent, ad Domini præcepta seruanda conuertant, totum belli pondus, quod ex patrio, ac peregrino milite conscripsere Chaldæi, auertendum esse à Iudæorum finibus, & ad prouincias finitimas esse conuertendum.

9. Hæc quidem omnia & textus admittit, & ab historica fide non videntur aliena. Sed placet quod visum est Hieronymo, cui Haymo, Remigius, Lyra, Hugo, Dionysius, & Ribera subscribunt; ita vt argumentum sumatur ab exem-

A plo. Nam si ciuitates illæ Palæstinæ, quibuscum successu planè aduerso pugnatum est, quæque res Iudaicas & sæpe, & grauiter attriuerunt, euertendæ sunt à Babyloniis; quid sperare potest Hierosolyma, contra quam multo potentior inimicus maiores instruxit copias, cui animus est longè pugnacior, & ex comparatis alibi victoriis alacer, & promptus.

Cæterùm in quibusdam vocibus apta quædam est, & pulcra agnominatio; cuiusmodi in Scriptura inueniuntur multæ, vt diximus in nostris Commentariis super Ieremiam ad illud cap. 1. *Virgam vigilantem ego video*; quas nunc euoluamus, & expediamus, necesse est. Illud primum, *Quia Gaza destructa erit*, עזה עזובה כי *Azah azuba. Accaron eradicabitur* עקרון תעקר *ecron teaker.* Est 10.

Agnominationes in Scriptura frequentes.

B autem עקר *acar*, vnde deducitur Accaron, idem quod eradicare. Quare sensus erit, erunt Gaza, & Accaron id, quod sonant; altera destructa, altera eradicata, id est, ab vltimis vsque fundamentis excisa. Azotum in meridie eiiciendum dicitur, vt putat Hieronymus, quia ea erit hostium virtus, & audacia, vt non sit necesse nocturnas moliri insidias ad capiendam vrbem; sed in ipsa meridiana luce rem aggredientur, atque perficient.

Vers. 5. *Væ qui habitatis funiculum maris, gens perditorum.*] Vbi vulgatus *perditorum*, Hebr. est 11.
C כרתים *cerethim.* Potest autem illud *perditorum*, actiuè exponi, & passiuè: ita vt dicantur esse perdendi, aut iam hostili ferro destinati, aut certè qui viri sint robusti, ac barbari, qui alios occidant, ac perdant. Actiuè videntur accepisse, Hieronymo teste, Aquila, & Quinta editio, qui transtulerunt γένος ὀλέθριον, id est, *perniciosum, & mortiferum.* Et Symmachus γένος ὀλεθρευόμενον. Theodotio ὀλέθριας. In hunc sensum planè Hieronymus accepit, cùm ipse dicat horum translationem cum sua facere: & apertiùs *in cap.*25. *Ezechielis*, vbi antiquorum interpretum verba exponit actiuè. Passiuè exponunt Chaldæus, Albertus, Hugo, Dionysius.

D Mihi magis videtur verisimile illud, *perditorum*, actiuè sumi, & genitiuum illum multitudinis, non tam à *perdito*, quàm à *perditore* deriuari. Id verò propterea mihi persuadeo, quia vocem כרתי *Cerethi* in Scriptura sacra actiuè semper significare video. Cùm enim de regij lateris custodia, prætorianísve militibus sermo est, illi millies vocantur Cerethi, & phelethi, quos occisores, percussores, aut liberatores appellamus. Vnde verò appellati fuerint Cerethi, dubium est. Quidam à כרת putant esse deductos; quod cædere, aut occidere valet: & quia eos, quibus regij corporis custodia credita est, robustos esse oportet, & strenuos; ideo credunt Cerethi, seu Cerethæos appellatos. 12.

Cerethi quod hominum genus.

Alij nomen esse putant deductum à ciuitate quadam Palæstinæ, quæ dicebatur Cerethi: idque probant ex *lib.*1. *Reg. cap.*30. *v.* 14. de quo statim: qui sanè locus eorum sententiam non tam confirmat, quàm euertit. Sic autem adolescens quidam Ægyptius ad Dauid, *Erupimus ad Australem plagam Cerethi, & contra Iudam, & ad meridiem Caleb, & Siceleg succendimus igne.* Quæ verba nil aliud sonant, quàm expugnatam esse partem Australem Palæstinæ. Mihi illorum magis probatur sententia, qui totam Palæstinam vocari putant Cerethi; quod mihi suadet locus, de quo proximè, & alius Ezechielis 25. versu 16. *Ecce ego extendam manum meam super* 13.
E

Cerethi dicta Palæstina.

Palæstinos, & interficiam inte fectores, & perdam reliquias maritimæ regionis. Vbi, nisi fallor, tribus nominibus res explicatur eadem: quod in Scriptura sacra fit non infrequenter, cùm aut rei magnitudinem, aut eius certitudinem significare vult. Quod sanè putat Hieronymus super citatum Ezechielis locum, vbi vox est in Hebræo codice *Cerethim*, pro qua Hieronymus *interfectores* transtulit. Quam sententiam tenet, & optimè confirmat Ribera. Abulensis, qui Cerethi certam quandam ciuitatem esse putat, eo vtitur argumento, quia si Cerethi totam significaret Palæstinam, frustrà seorsum numeraretur Siceleg, quæ ad illam pertinet prouinciam, cùm iam foret vniuersali nomine comprehensa. Sed leue planè argumentum est. Tunc autem valeret, si Palæstina tota conflagrasset incendio: at quid obstat vnam ex omnibus ciuitatibus Siceleg incendio fuisse vastatam? Dixit ergo Ægyptius ille seruus inuasisse Amalecitas Australem Palæstinæ regionem, & in ea ciuitatem vnam igni tradidisse.

14. Hoc verò nomen datum est Palæstinis, quia illi crudeles fuerunt, & armis tractandis assueti: quique vocari suo quasi iure possent Cerethæi, id est, occisores; sicut nationes aliæ ex ingenio, aut artibus certo aliquo cognomẽto notati sunt, Sicut Rhodij, & Phœnices dicuntur nautæ, seu nauicularij, Tyrij mercatores, Chaldæi astrologi; & colophonij, qui illi factioni, cui sese auxiliares addidissent, victoriam adducerent. Et nostro etiam tempore, sicut antiquis, quidam populi à crudelitate, & lacertorum vi, ignobile reuera, at sua opinione gloriosum sibi nomen pepererunt. Vnde quidam populi vocati Anthropophagi: & fortasse Pygmæi illi, qui *Ezech.27.* dicuntur fuisse in turribus Tyri, populi sunt dicti Pygmæi, quia pugillatu valent. A similitudine ergo Palæstinorum, qui audaces erant, & in tractandis armis acres, & strenui, vocati sunt Cerethi, seu Cerethæi, qui ex tota multitudine ad regij corporis tutelam eligebantur, quos oportebat præstare viribus, & ad omnes euentus animo esse impauido.

REGVLA. *Quadam nationes ex ingenio, aut artibus nomen sortita.*

15. Dicitur autem Palæstina funiculus maris, quia tota secundùm mediterranei maris ripam porrigitur: est enim regio littoralis. Quia verò sortes, aut agri funiculis distribuuntur; fit vt pro sorte, aut agro ea ratione dimenso funiculus ponatur; sicut etiam ager, qui alicui sortitò contigit, sors vocatur. Quare sæpè audimus *funiculum Iuda, funiculum Ephraim*, & similia. Distributam esse funiculo terram promissionis, habes apud Iosue: & dixit vno verbo Dauid Psalm.77. vers.55. *Sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis.*

16. *Verbum Domini super vos Chanaan, terra Philisthinorum, vt disperdam te.*] Magna significatur aut Dei offensio contra Palæstinos, aut clades, quæ gentem illam barbaram, & arrogantem conficiet, quando tot nominibus illam appellat; sicut apud Ezechielem *cap.25.* sub tribus nominibus, tertio illi denunciatur vastitas. Esse autem Palæstinam in regione Chanaanitide multa docent; vnum autem sat fuerit attulisse pro multis. Iosue 13. vers.3. *A fluuio turbido, qui irrigat Ægyptum, vsque ad terminos Accaron contra Aquilonem, terra Chanaan, quæ in quinque Regulos Philisthim diuiditur, Gazæos, & Azotios, Ascalonitas, Gethæos, & Accaronitas.* Et licèt tota terra promissionis dicatur terra Chanaan; illa tamen regio, quæ est ad mare mediterraneum, id est, Palæstina, commune sibi nomen vendicauit. Numer.13. v.30. *Chananæus moratur iuxta mare, & circa fluenta Iordanis.* Si nomen illud, quasi proprium foret, assumpsit sibi Palæstina, nihil nunc audit nouum, si vocatur à Propheta terra Chanaan. Quod si commune nomen est, vt profectò est, hunc habebit sensum verum, & facilem. Verbum Domini contra illam partem regionis Chanaanitidis, quæ littoralis est, & Palæstina dicitur.

Palæstina vocata terra Chanaan.

Vers.6. *Et erit funiculus maris requies pastorum, & caulæ pecorum.*] Cùm ciuitatem aliquam omninò euersam esse dicimus, hoc fermè modo, aut alio non dissimili significamus. Sic Isaias *cap.34. à vers. 11. & cap.13. vers.20. & cap.1. vers.8.* Hoc etiam familiare est profanis. Horatius lib.3. Car. Ode 3. 17.

——— Priami, Paridisque busto
Insultent armenta, & catulos feræ
Celent inulta.

Vide quæ nos ad loca citata ex Isaia, & Michææ *cap.3.* ad illud, *Sion quasi ager arabitur.* & statim plura ad v.14. Est hac de re elegia pulcra apud Sanazarium *lib.2.* de Cumarum ruinis. Requies pro stabulatione sumitur, aut certè pro stabulis gregum. Notum est, actionem, aut quod actionis loco ponitur, sumi pro loco, vbi eiusmodi exercetur actio; quomodo *oratio* Latinè, & *προσευχὴ* Græcè pro oratorio, seu templo ponitur: *cœnatio, deambulatio, commoratio, mansio*, pro locis vbi cœnamus, deambulamus, aut habitamus, adhibentur. Eodem modo *requies*, siue *quies* locum significant, vbi stabulantur, siue quiescunt greges. Vt diximus ad illud Isaiæ cap.11. vers.10. *Et erit sepulcrum eius gloriosum.* Vbi pro sepulcro Hebr. est מנחה *menuchah.* quæ vox quietem significat. Sic Virgilius *lib.8.* Italiam futuram esse dixit requiem Troianis.

REGVLA. *Actio pro loco vbi exercetur.*

Hic locus vrbis erit, requies ea certa laborum.

Et ante ipsum Lucretius *lib.1.* quietem posuit pro ferarum latibulis.

Namque canes, vt montiuagæ persæpe feræ
Naribus inueniunt intectas fronde quietes.

Vers.7. *Et erit funiculus eius, qui remanserit de domo Iuda.*] Idem Nabuchonosor, qui Iudæam, expugnauit quoque Palæstinam, quam ita reliquit ab habitatore, atque cultore vacuam, vt tantùm ferarum lustris, aut armentorum stabulis videretur idonea. Postquam verò captiuitate soluta in patriam remigrauere Iudæi, illam regionem sibi subiecerunt; cúmque plana esset, ac littoralis regio, & alendis gregibus opportuna, ibi sua sibi tabernacula, & armentorum pabula constituerunt, vbi maior antè fuerat ciuium frequentia, & principum gloria; nempe in ciuitate, ac ditione Ascalonitide. Quomodo Iudæi ab exillo reduces Palæstinorum prouinciam subiugarint, habes *lib.1. Machab. cap.5. & lib.2. cap.10.* Qua de re nos pluribus in nostris Commentariis in Zachariam ad illud cap.9. *Videbit Ascalon, & timebit*, & deinceps. 18.

Ibi pascentur in domibus Ascalonis: ad vesperam requiescent, quia visitabit Dominus Deus eorum.] Quæ priùs erant lautæ, atque speciosæ domus, principúmque deliciæ, erunt tanquam maceriæ rudes, aut ex virgultis contexta septa, vbi stabulentur, & sub vesperum cogantur pecudes. Agit verò de tempore, quod solutam captiuitatem consecutum est, vt apertè docet, quod statim subditur, *Quia visitabit eos Dominus Deus eorum, & auertet captiuitatem eorum.* Notum est vagari interdiu solitas esse pecudes; & nocte, vbi à leone, & lupo, timentur insidiæ, 19.

insidiæ, ad caulas cogi, ad apricum videlicet locum, vbi commodiùs vigilare potest canum, pastorúmque custodia.

20. Vers. 8. *Audiui opprobrium Moab, & blasphemias filiorum Ammon, quæ exprobrauerunt populo meo.*] Nationibus aliis Iudææ finitimis eadem penè, quæ Palæstinæ, denunciat, sicut sub idem tempus prædixit Ieremias *cap.* 25. Cùm verò alia plurima fuerint tam Moabitarum, quàm Ammonitarum flagitia, illa tamen Dominus proponit, quæ contra Israelitas priùs, pòst verò contra duas tribus admiserunt, quo tempore ad earum exitium Chaldæorum exercitus incubuit. Cùm enim duarum illarum gentium antiquum esset odium in genus Iacob, si quid grauius illi contigisset, cum plausu excipiebat, & sibilo: & quasi alienum malum in suo deputaret lucro, sibi de alienis gratulabatur incommodis. Cùm autem directò Israelitas peterent irrisoriæ voces, atque conuitia; tamen in Deum, quem Iudæorum intuebatur religio, obliquè ferebantur, cùm dicerent aut infidelem esse Deum, qui noluerit, aut infirmum, qui nequierit populum, cui talia iam olim promisisset, à Chaldæorum exercitu defendere. Sanè verisimile est, ea libera, ac petulante lingua euomuisse hos duos populos, quæ iactasse dicuntur Idumæi, cùm viderent Solymitanam vrbem ab hoste captam, domestico sanguine fœdari. Sic porrò hi Ps. 136. *Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea.* Quòd autem Ammonitæ, & Moabitæ operam nauarint militarem Nabuchodonosori, cùm oppugnaret Hierosolymam, argumento est, quòd iidem in Holophernis castris esse memorantur, qui res oppugnabat Iudaicas; cuique id datum erat negotij, vt Nabuchodonosoris propagaret imperium. Iudith *cap.* 5. *v.* 2. aduocati dicuntur ab Holopherne principes Moab, & duces Ammon, quos in suis castris habebat, vt ab illis disceret de Iudæorum statu.

Ammonitæ, & Moabitæ auxilio fuerunt Nabuchodonosori.

21. Quid duo hi populi exprobrarint Iudæis, aut cùm angusta premerentur obsidione, aut cùm Babylonem abducerentur captiui, diuinare possumus ex statu rerum, & ex maligno, atque inuido hominum ingenio, sed diuinare tantùm. At Rabbini ea sunt in dicendo confidentia, ea libertate, vt sua somnia nobis pro oraculis venditent; neque quicquam quantumcumque dubium dubitanter affirment. Sic autem Rab. Salomon, vt ait Lyra. *Quando Chaldæi Iudæos ducebant in captiuitatem Babyloniam, ac per terram Ammonitarum, & Moabitarum transibant flentes, contristabant & affligebant eos, dicentes: Quid maliem vos affligitis Iudæi? Quid ploratis? Nónne in domum istis patris vestri?* Nam Abraham in Chaldæa natus est, & trans flumen habitauit. Verisimile est hæc dixisse derisores illos populos; sed non est minùs verisimile dixisse alia quamplurima, quæ quiuis pro illo rerum vestigio excogitare potest. Et sanè alia sunt, quæ duriùs possent exulcerare Iudæorum animos.

Ammonitarum, & Moabitarū quæ in Iudæos conuitia.

Magnificati sunt super terminos eorum.] Eò, credo, hæc spectant, quæ de Ammonitis scribit Ieremias *cap.* 49. in principio, vbi grauia minatur Ammonitis, quod in possessiones Gaditarum, quos è suis finibus expulerunt Assyrij, quasi legitimi hæredes, & possessores irruperint. Vide quæ nos eo loco pluribus. Neque est improbabile idem, quod Ammonitæ, tentasse, atque adeò obtinuisse Moabitas, qui cùm fines attingerent illarum tribuum, quæ vltra Iordanem consedis-

A sent, earum possessiones quasi caducas, vtpote à dominis, atque cultoribus vacuas, adierunt. Quare magna illa agrorum, ac pabulorum accessione, magnos ipsi sumpserunt spiritus; ex quibus non poterant eximios quotidie non percipere prouentus: cùm res non solùm rustica, sed etiam pecuaria magnum accepisset incrementum. Illud porrò *eorum*, ad Moabitas, & Ammonitas refero: nam affixum ם *mem*, etiam reciprocum est; quare sic expono, *super terminos suos.*

Vers. 9. *Propterea viuo ego, dicit Dominus Deus exercituum, Deus Israel, quia Moab vt Sodoma erit, & filij Ammon quasi Gomorrha.*] Impiè, atque contumeliosè locuti fuerant duo illi populi de Deo Israël, quem aut infidelem vocarant, aut infir- 22.

B mum: & hoc potiùs, cùm existimarent non potuisse à Chaldæorum armis eximere populum suæ iampridem tutelæ concreditum. Quorum vocem vt stultam esse probet, & mendacij coarguat, ait se, Deum nimirum Israël, cui ipsi libero conuitio exprobrarant, Deum esse exercituum, id est, virtutum; nempe fortissimum, & à quo alij quicquid constantiæ habent, & virtutis, accipiunt. Cuius rei tunc habebunt argumentum illustre, cùm eò se redactos viderint Moabitæ, vt Sodomæis, & Ammonitæ, vt Gomorrhæis videantur esse quamsimillimi. Cur verò Sodomæorum, & Gomorrhæorum adducatur exemplum, ea causa est, quia duo hi populi iuxta mare mortuum habitabant: atque ideo spectabant quotidie triste illud monumentum, &

Ammonitæ, & Moabitæ prope mare mortuum.

C bustum pulcerrimarum antè ciuitatum, quas lacus ille mortuus oppleuerat. Quare recusare non poterant, quominus occursarent oculis etiam securis, & inuitis in fœtore intolerabili, in pestilenti habitu, in ambustis saxis, pomísque non tam suaui succo, quàm suligine, ac cinere repletis, vestigia quædam non obscura cælestis incendij. Notum est Moab, & Ammon filios esse Loth susceptos è duarum filiarum incesto concubitu; qui eam regionem occuparunt, quam extincti viri scelerati, qui Pentapolim priùs habitarant, vacuam reliquerunt. Eam verò regionem similem antea paradiso Dei, Deus Israel, cuius ipsi nomini, atque potentiæ petulanter illuserant, eò adduxit, vt nihil iam rerum natura tetrius, nihil horribilius agnoscat.

D *Siccitas spinarum, & aceruus salis, & desertum vsque in æternum.*] Hæc tria extremam significant ciuitatis cladem, prouerbiali, vt arbitror, figura. Quare necessarium non est, vt horum singula regioni Ammonitidi, atque Moabitidi contigerint, dummodo aliquid illæ passæ fuerint præter modum acerbum; sicut neque vtraque regio experta fuit à vindice Dei manu; qualia ab eadem dextera pertulere Sodoma, & Gomorrha, quas cæleste absumpsit incendium, & lacus teter, & obscœnus oppleuit. Cæterùm cùm ciuitas euersa significatur, in illa dicuntur nasci vepres, & agrestes herbæ, quæ non tam gratum reddunt, quàm asperum, odiosum, & syluestre solum. 23.

Ciuitatis vastata descriptio.

E Sic sanè in Scriptura sæpe grandis exaggeratur ciuitatum solitudo, & vastitas. Vide quæ nos suprà *v.* 6. ad illud, *Requies pastorum, & caula pecorum.* Et *Isaiæ cap.* 34. *v.* 13. ad illud, *Et orietur in domibus eius spina, & vrtica, & paliurus in munitionibus eius, & erit cubile draconum, & pascua struthionum.* Quod etiam apud profanos vsitatum. Ouid. epist. 1. Heroid.

Semisepulta virum curuis feriuntur aratris
Ossa, ruinosas occulit herba domos.

24. *Et aceruí salis.*] Locus, vbi sitæ quondam fuerant Sodoma, & Gomorrha, vallis appellabatur salis, seu salinarum: & lacus, qui vallem illam ante speciosissimam operuit, qui Asphaltites dicitur, seu mare mortuum, mare salis, seu mare salsissimum appellatur: quare necesse est, vt ibi aceruí sint salis. Vt autem paulo antè duos illos populos, quia vicini erant Sodomæ, & Gomorrhæ, easque quotidie habuerunt ob oculos, illis ciuitatibus dixerat futuros esse similes: sic modò, quia regionem antea amœnam, & vberem videbant esse, aut aceruis salis opertam, aut albentem salsugine, talem fore minatur regionem suam amœnam tunc, & fertilem, ex qua & fructus capiebant eximios, & molles, quotidianásque voluptates. Vastatas porrò esse duas illas ciuitates non solùm sulfureis flammis, sed etiam inducto sale, aut aqua nitrosa indicat Deus ipse *Deuter.29. v.23.* vbi talem peccatori populo minatur plagam, qualem duabus illis vrbibus inflixit. Tunc verò meminit salis, & ignis, qui sterilitatem, & vastitatem attulerunt regioni luculentæ, & vberi. Affliget enim Dominus terram illam *sulfure, & salis ardore comburens, ita vt vltrà non seratur, nec virens quicquam germinet in exemplum subuersionis Sodomæ*, id est, vt ibi appareat species subuersæ Sodomæ, & sale conspersæ.

Mare mortuum dictū mare salis.

25. Nihilominus eò magis propendet animus, vt credam in sale ciuitatis significari stragem; quod natum est ex illa consuetudine, quam ab antiquissimis vsque sæculis seruauerunt Hebræi, qui vt indicarent in loco antea ciuibus frequenti æternam futuram esse solitudinem, illum de more sale seminabant; qui sicut herbas germinare non sinit, sic etiam videretur non permissurus, vt diruta ciuitas è rediuiua materia germinaret. Sic sanè fecit Abimelech Iud.9. v.45. *Oppugnabat vrbem, quam cepit, interfectis habitatoribus eius, ipsáque destructa, ita vt sal in ea dispergeret.* Illud *ita vt sal*, aliquid indicat fieri solitum. Certè hoc apud Hispanos vsitatum est, qui eorum domus, qui læsæ maiestatis conuincuntur rei, sale conspergunt; quod aliis etiam nationibus insolens non est. Sanè Sigonius de regno Italiæ *lib. 13.* exaratum olim Mediolanum, & sale conspersum esse tradit.

26. *Et desertum vsque in æternum.*] Hæc nostram cogitationem confirmant. Vt enim sal damnatis agris germen futurum esse negat; sic duabus illis prouinciis æternam minatur solitudinem. Neque tamen obstat, quòd iterum regiones illæ ædificatæ, atque habitatæ fuerint. Nam, vt aliis sæpè locis ostendimus, *æternum, sempiternum*, & similia non semper valent id, quod nullo definitur tempore, sed aliquando, idque non infrequenter quod diuturnum est.

27. *Reliquiæ populi mei diripient eos: residui gentis meæ possidebunt illas.*] Idem nunc dicit de regione Moabitide, atque Ammonitide, quod de Palæstina nuper: nempe subiugandas esse à Iudæis, quorum fortunæ priùs insultarant, cùm ab exilio reuocati repetierint patrias sedes glorioso reditu, ex quibus ignominioso discessu, & cùm vicinarum nationū subamaro sibilo depulsi sunt. Quomodo verò nationes illæ in Iudæorum potestatem venerint, indicat Scriptura sacra 1. *Machab. cap.5. v. 6.* vbi sic de Iuda. *Et transiit ad filios Ammon, & inuenit manum fortem, & populum copiosum, & Timotheum ducem ipsorum, & commisit cum eis prælia multa, & contriti sunt in conspectu eorum.* Iosephus lib.13. Antiq. cap. 21. *Deuictis deinde Arabibus, tributa Moabitis, & Galaaditis imperauit.* Loquebatur de Alexandro, qui genus suum de Machabæorum semine ducebat. & *cap. 22.* scribit illum in regione Moabitide aliquot ciuitates possedisse.

Vers. 10. *Hoc eis eueniet pro superbia sua*, &c.] Hæc aperta sunt. Tantùm enim ostendunt, vndénam Moabitici, atque Ammonitici fundi aduenerit tam atrox, ac dira calamitas; nempe ex superbia, qua sibi duo illi populi plus arrogabant, quàm ipsorum ferrent facultas, & merita. Neque hoc tantùm loco superbi dicuntur Moabitæ, eóque nomine malè accipiuntur à Prophetis. Isaias cap. 16.v.6. *Audiuimus superbiam Moab, superbus est valde: superbia eius, & arrogantia eius, & indignatio eius plusquam fortitudo eius.* Eadem Ieremias *cap.48. v.29.* Ex qua superbia prouenit, vt populum Dei, & ipsum quoque Deum contemneret, & maiora tentaret, quàm perficere, aut sustinere posset. 28.

Ammonitæ & Moabitæ superbi.

Vers. 11. *Horribilis Dominus super eos, & attenuabit omnes deos terræ.*] Duo peccata grandia admisisse videbantur duo illi populi, quos Deus seuera hac denunciatione concutit, & quod magnificè de se loquerentur, & saperent, cæterósque præ se superbè contemnerent; & quod ore blasphemo Dei Israel nomini inuerecundè detraherent, diis suis aliquid maius, atque diuinius arrogantes. Vtrique siue iniuriæ, siue philautiæ iustum Deus, atque consentaneum supplicium imponet. Erit enim terribilis in hoc hominum genus, quos aut hostili conficiet ferro, aut Chaldæorum ludibrio, atque furori irridendos, ac deglubendos tradet. Deos autem, qui illarum nationum patroni, ac tutelares putabantur, & aliquid posse supra verum Deum, sic attenuabit, vt nullo habeantur in pretio. Quia aut liquefacti igne, sicut quæcunque alia sordida, atque ignobilis massa, in vasa conflabuntur ministerij vilis; aut certè cum suis cultoribus abducentur captiui, vnde quiuis, modò tantillùm mentis habeat, intelliget, quale illorum censeri debeat patrocinium, cùm neque sibiipsis saluti esse potuerint. Ablatum esse de suo 30. sacrario Chamos præcipuum Moabitarum numen, & inde cum suis sacerdotibus abductum in exilium, dixit Ieremias cap.48. v.7. *Et ibit Chamos in transmigrationem, sacerdotes eius, & principes eius simul.* Idem de Melchon Ammonitarum Deo dixit Ieremias cap.49. v.3. *Melchon in transmigrationem ducetur, sacerdotes eius, & principes eius simul.* Quod item ante hæc tēpora prædixit Amos *cap. 1. v.15.* cùm ageret contra Ammonitas, *Et ibit Melchon in captiuitatem.* Hoc ipsum minatur Deus Ægyptiorum diis *Ierem.cap.43. v.12.* Quod item accidit diis, quos coluerunt Babylonij, de quibus nos ad illud Isaiæ cap.46. *Anima eorum in captiuitatem ibit.* Et aureis vitulis conflatis à Ieroboam. Qua de re nos ad illud Oseæ cap.10. *Siquidem ipse in Assur delatus est.* 29.

Dij gentium captiui.

Et adorabunt eum viri de loco suo.] Cùm omnium gentium idola ex suo loco, atque ordine ignominiosè ceciderint, & ad illum vsum abiiciantur, quem subeunt culinaria, vasa, scaphia, lasana, matella, & alia, quæ vesicæ onus, aut ventris excipiunt, omnes suo quique loco, vbicunque gentium isthæc audierint, verum amplexabuntur, & adorabunt Deum, cuius ex eo tempore cœperunt agnoscere potentiam. Quis enim tam stupidus, qui non videat in illo metallo, aut marmore nihil esse diuinum, quod vident culinæ, aut foricis vsum præstare sane vilem; quod nemo paulo 31.

Digitized

paulo honestior non sine magno pudore, & ignominia subiret.

32. Quod verò ex gentibus plurimi ad Iudæorum religionem accesserint, postquam illi a Domino exaltati sunt, & idolorum obscurata religio, audimus sæpè in Scriptura sacra. Vnum adducam testimonium ex Zacharia cap. 8. vers. 28. *Et venient populi multi, & gentes robustæ ad quærendum Dominum exercituum in Ierusalem.* Vide locum illum, & nostros ibi Commentarios; vbi diximus plurimos ex gentibus ad Iudæorum religionem accessisse: quæ valdè ad hunc locum faciunt. Illud non omittam, quod sub hæc tempora, quæ Sophoniæ vaticinium designat, multi dicuntur ex Gentibus adhæsisse Iudæorum sacris. Esdræ lib. 3. cap. 5. *Et conuenerunt ibi ex aliis nationibus terræ, & erexerunt sacrarium in loco suo omnes gentes terræ: & offerebant hostias, & holocaustomata Domino matutina.* Et quidem cùm excitata fuit ad regnum Esther, & ad statum regio proximum Mardochæus, post illam rerum vicissitudinem multi dicuntur Iudæorum religionem, & instituta complexi. Esther cap. 8. vers. 17. *Plures alterius gentis, & sectæ Iudæorum religioni, & ceremoniis iungebantur: grandis enim cunctos Iudaici nominis terror inuaserat.* Porrò illud *viri*, iuxta Hebræorum idioma, aliquid valet indefinitum, & est idem quod *quicunque*, in hunc sensum. Quicunque de loco suo diuinam potentiam admiratus, abiecta religione patria, Deum verum adorabit.

Multi ex gentibus ad Iudæorum religionem accesserunt.

33. *Omnes insulæ gentium.*] Id est, etiam illæ, quæ procul sunt ab Hierosolyma remotæ: populos enim, qui procul absunt, insularum nomine significari notum est. Quod nos pluribus ostendimus ad illud Ieremiæ, *Et regibus terræ insularum, qui sunt trans mare.* Vbi rationem reddidimus, cur regiones, quæ longè à nostro regno submotæ sunt, nominentur insulæ. Neque parum ad hanc sententiam facit, quòd insularum reges dicantur esse trans mare, vbi nimirum erant, quæ à Propheta nominantur insulæ. Et *Ierem. cap. 47. v. 4.* ciuitates, aut prouinciæ Cappadociæ insulæ dicuntur, cùm tamen extra mare sint. Cur ita vocentur, eo etiam loco diximus, quæ tu vide, neque enim iterato opus est.

Regiones longinquæ dicuntur insulæ.

34. Vers. 12. *Sed & vos Æthiopes interfecti gladio meo eritis.*] Postquam egit de Palæstinorum, Moabitarum, & Ammonitarum clade, quos suis Iudæi rationibus habuerunt infensos; nunc agit de Æthiopum simili ruina, à quibus Iudæorum respublica non leue detrimentum accepit. Hanc eandem Æthiopum ruinam prædixit Ieremias *cap. 25. v. 19.* vbi agit de Ægypto, cui adiuncta est, & subiecta, aut fœderata Æthiopia. Et clariùs Isaias *cap. 20.* licèt de plaga Ægypti, atque Æthiopiæ loquatur, non quam Nabuchodonosor, sed quam Sennacherib Assyrius inflixit. Refert autẽ Iosephus *lib. 10. Ant. cap. 11.* has regiones, de quibus aut expresse nũc, aut implicitè Sophonias, subactas fuisse à Nabuchodonosore paulo post excisam Hierosolymam. *Quinto* (inquit) *post excidium Hierosolymitanum anno, qui fuit regni ipsius Nabuchodonosoris vigesimus tertius, cum magnis copiis inuasit Cœlen Syriam. Qua subacta, bellum gessit contra Ammonitas, & Moabitas: & his quoque perdomitis, Ægyptum hostiliter est ingressus.* Cùm verò Ammonitæ, Moabitæ, & Palæstini ab exilio rediissent, eodem, vt verisimile putabamus, decreto, quo captiuitas est laxata Iudæis, iterum sunt à Iudæis subiugati; qua de re satis in hoc capite multis. Egimus de hac populorum libertate à Babyloni-

Æthiopia à Nabuchodonosore subacta.

A ca seruitute, in nostris Commentariis in Ieremiam *cap. 25. vers. 11.* ad illud, *Et seruient omnes gẽtes istæ regi Babylonis septuaginta annis.* Vide omninò hunc locum. Suum autem Deus gladium vocat, quem in hos populos distrinxere Babylonij; quia huius belli, quod sæpe sanctificatum appellatur, Deus author, & imperator fuit. Neque dubium est ascribi solere imperatori, quæ à toto exercitu gesta sunt; & ducis gladio cecidisse eos, quos militum arma sustulere.

Vers. 13. *Et extendet manum suam super Aquilonem, & perdet Assur.*] Non est in Scriptura sacra, & apud Prophetas maximè, insuetum, vt ab vna persona migratio fiat in aliam. Quare cùm in B Dei persona locutus Propheta fuerit, nunc in sua loquitur, & quid Dominus in Assyrios, Aquilonarem videlicet plagam, designarit, ostendit. Quàm infensi fuerint Assyrij Israelitidi genti, nemo nescit. Ab his, abductis decem tribubus in exilium, magna pars terræ promissionis vastata est. Deinde à Sennacherib, Ezechia regnante, reliquarum vires attritæ sunt: & Hierosolyma eò deducta, vt actum iam de se crederet, & ad supplices se preces, & extremas conditiones abiiceret. Contra quos Deus Babylonios armauit, fecitque, vt qui suo alios imperio, iugóque summiserant, aliorum ipsi iugum, & imperium subirent. 35.

Et ponet speciosam in solitudinem.] Explicatio- 36.
C nem nominis pro nomine ipso proprio adhibuit interpres, quod facit in vertendo non rarò. Est enim in Hebraico textu נינוה *Nineueh*, quæ ciuitas Assyriæ metropolis est, & speciosum aliquid, & amœnum sonat. Est autem hoc familiare Prophetis, vt cùm in prouincias graue aliquod vaticinium intorquent, illarum caput, & regiam sedem præcipuè appetant; quia ibi quodammodo ciuitates reliquæ continentur. Quare cùm Ægyptiis aliquid edicitur seuerum & atrox, Taphneos, ac Mempheos sæpè nomen auditur; cùm aduersùs Edom, Bosræ; cùm aduersùs decem tribus, Samariæ; cùm aduersùs duas, Hierosolymæ; & cùm Chaldæi durum aliquid de se audiũt, Babylonis passim nomen auditur. Cùm ergo D nunc diræ minæ denuncientur Assyriis, de Niniue multus est, & grauis sermo; nec valdè dissimilis ei, quem duæ ciuitates nobilissimæ, Hierosolyma, & Babylon, ab aliis Prophetis audierunt. Quàm ampla, diues, & speciosa fuerit Niniue, satis credo multis docuimus in nostris Commẽtariis super Ionam, quæ hîc repetere eius esset, qui abundaret otio, & assumere vellet opus non necessarium. Hanc tantam ciuitatem, tam ciuibus frequentem, tam lautam ædificiis, tam omnibus aut naturæ subsidiis, aut dignitatis ornamentis instructam, rediget in solitudinem Deus; & illam inducet speciem, sublatis gloriæ, antiquitatísque vestigiis, vt eo loco non tam ciuitas, E quàm æterna solitudo fuisse videatur. Sic enim interpretor illud, *& quasi desertum*; proprium nempe, &, vt ita dicam, naturale desertum.

Regula. Cũ aliquid contra prouinciã edicitur, eius caput nominari solet.

Vers. 14. *Et accubabunt in medio eius greges, omnes bestiæ gentium.*] Hæc ferme audierat de se Idumæa *Isaiæ cap. 34. à vers. 11.* vbi hæc omnia singulatim audies. Item Babylonia *cap. 13. à vers. 19.* Neque valde dissimilia Hierosolyma, *cap. 7.* Quæ verò fuerint hæ belluæ, nemo definitè docet, sed omnes dubitanter, ac timidè. Neque ego aliquid habeo certum, quod adducam, neque ab aliquo, vt sunt hæc belluarum obscura nomina, & notiones incertæ, aliquid certum spero. Quod 37.

dant

dant alij, accipimus, maximè quod habemus à vulgato; licet hic quoque hæc nomina non eodem semper modo conuertat. Quare de horum animalium propria significatione non laboro. Latinæ voces obscuræ non sunt, & à rerum naturalium scriptoribus satis multa de illorum natura, ac proprietatibus prodita: ab illis tu pete, quod promptum est. De aliis tamen aliquid nobis obseruandum.

38. *Onocrotalus, & ericius in liminibus eius morabuntur.*] Superbæ erant in ciuitate illa regia ædificiorum moles; in quibus illud esse solet magis illustre, ac varium, quod spectantium, ac prætereuntium oculis primum occurrit: qualia sunt limina, fenestræ, & quæ publicam spectant viam, aut externorum frequentiam. Quare in portis describuntur præclara artificum commenta, gentilitia stemmata, & si qua domus illius habitatorem ornare, ac commendare possunt. Sanè ex Hebræis, qui à patria religione defecerant, in ianuis peregrinæ sectæ monumenta, aut phylacteria quædam statuebant. Isaiæ cap. 57. *Post ostium, & retro postem posuisti memoriale tuum.* Quod ideo illi fecisse videntur, vt imagines illæ, siue egrederentur, siue exirent, aut in quamcumque partem aspicerent, in oculos incurrerent. Quo Deus consilio *Deut. cap. 6.* præcepit, vt diuina præcepta in limine, atque in ostiis domus scriberentur. Sanè *Ezech. cap. 8. v. 6.* iuxta ostium templi idolum zeli visebatur. Augustum Cæsarem in foribus posuisse coronam querneam, & lauream, cum inscriptione seruatorum ciuium, author est Ouidius *lib. 3. de Tristibus Eleg. 1.* Vide quæ nos ad illud Zachar. cap. 11. *Superliminare crapulæ*, n. 10. Ait Propheta in illis locis, vbi gloriosa erant, & mirifico artificio elaborata generis insignia, futura esse obscœnorum animaliū impura cubilia, onocrotali scilicet inauspicatæ volucris, & ericij sordidæ, atque aculeatæ belluæ. Pro *liminibus*, Hebr. כפתורים *caphtorim*, quæ vox poma significat, aut quod instar pomi eminet in coronarum torulis. Hoc verò nomen limen accepit, quia in eo variæ rerum, seu frugum imagines insculpi solent.

In liminibus, aliisque locis illustribus maiorum insignia describi solita.

39. *Vox cantantis in fenestra.*] Sicut in liminibus varia solent anaglypha describi, quæ sunt exterioris domus ornamenta: sic etiam per fenestras, quæ sint in domo interiori, studia, seu delitiæ produntur casu, aut nonnulla etiam adhibita diligentia. Quare quæ in fucanda facie, & ornando capite, & collo longam operam posuit, suam, aut veram, aut fucatam pulcritudinem per fenestram ostentat, aut etiam interdum venalem proponit. Quomodo fecisse dicitur Iezabel 4. Reg. cap. 9. v. 30. *Quæ depinxit oculos suos stibio, & ornauit caput suum, & respexit per fenestram.* Et qui sibi de vocis suauitate, aut numeris musicis blandiuntur, in fenestris cantant, vt, quæ ipsi probant, & superbè iactant, ab aliis probentur. Et in posteriorem hunc sensum accipiunt aliqui illud, *vox cantantis in fenestra.* In quibus est Ribera. Nisi fortè mauis vocem esse auicularum vocalium, quæ ad lautorum delitias cantillant in caueis è fenestra suspensis. Certè qui pudicis sunt oculis, & animo honesto, non habent omninò apertas, sed cancellatas fenestras. Sic Sapientia *Prouerb. 7. v. 6.* spectabat studia hominum vesana, & delitas adolescentum curas, ita tamen vt eorum nihil per fenestras, quibus cancellos opposuerat, in domum irrumperet. *De fenestra* (inquit) *domus meæ per cancellos prospexi, & video paruulos, considero*

Quis fenestrarū vsus.

A *vecordem iuuenem, qui transit per plateas.*

Sed interpretum plerique hîc agnoscunt infaustas, & lugubres voces, quæ in tantæ ciuitatis ruinis, in locis præcipuè, vbi plurimum erat dignitatis, audientur; quales sunt coruorum, bubonum, strigum, & earum, ex quibus triste sumitur, & inauspicatum augurium. Quare omnia accidēt Niniuitarum votis, & consuetudini contraria. Vt enim prope fenestram, vbi se ad inanem ostentationem alienissimo tempore ornarat Iezabel, apparuerunt tantùm summæ manus, & pedes, & deformis ex tanta pulcritudine relicta caluaria; sic ex tanta ciuitatis amplitudine, & gloria nihil relinquetur præter immane quoddam bustum, nihil præter obscœnas, atque ferales volucres. 50.

B *Coruus in superliminari.*] Explicat in coruo, qualesnam sint volucres in fenestra cantantes, nempe inauspicatæ, & funereæ. Multi è recentioribus, & omnes penè antiqui, Hieronymo teste, pro *coruo*, *solitudinem*, *vastitatem*, *desolationem*, *siccitatem*, aut etiam *gladium* transtulerunt. Et quidem Hebr. vox est חרב *choreb.* quod has potiùs habet significationes. Coruus verò Hebr. est ערב *oreb.* Sed quia inter ע, & ח, maxima est tum in sono, tum in literarum similitudine cognatio, Hieronymus, & Septuaginta, qui eodem modo conuerterunt, vtrique reddidere coruum: quod etiam, Hieronymo teste, valet חרב. Quòd si coruus hîc pro diabolo ponitur, quod putat interlinearis glossa, & probat Hieronymus, optimus sese hîc explicat campus ad moralem sensum. 51.

C Canit enim quotidie diabolus in fenestris, nimirum animæ, quales sunt sensus; aut rationales potentiæ, coruinum illud *cras*, *cras*, quasi securos nos reddat futuræ conuersionis, vt interim carnis intemperantiæ dediti, & de animorum nostrorum libertate securi, incauti tandem prolabamur in præceps. Prouerbialis est cornina vox, quæ semper procrastinat, neque de felici dubitat rerum euentu, nunquam aliquid esse, sed futurum canit. Cui voci qui obsecuti sunt, & perierunt malè, & à sapientibus etiam ex Gentilibus reprehensi sunt, neque multùm refert, quo id spiritu dicant. Martialis lib. 5. epigr. 59.

Cras cornina vox familiaris vox diaboli.

D *Cras viues? hodie iam viuere Posthume serum est,*
Ille sapit, quisquis, Posthume, vixit heri.

Et iterum lib. 1. epigr. 16.

Non est, crede mihi, sapientis dicere, viuam.
Sera nimis vita est crastina, viue hodie.

Illud porrò cras nunquam procrastinanti oritur, sed quicunque dies aduenerit, semper nobis iterat, atque occinit cras. De quo bellè Persius Satyra 5.

Cras hoc fiet, idem cras fiet. quid? quasi magnum
Nempe diem donas? sed cùm lux altera venit,
Iam cras hesternum consumpsimus. Ecce aliud cras
Egerit hos annos, & semper paulùm erit vltrà.

Est illud Senecæ præclarum *epist. 12.* quod iubet nos nihil in crastinum producere, sed existimare hodiernum diem futurum esse vitæ postremum. *Sic* (inquit) *ordinandus est dies omnis, tanquam cogat agmen, & consumat, atque expleat vitam. Pacuuius, qui Syriam vsu suam fecit, cum vino, & illis funebribus epulis sibi parentauerat, sic in cubiculum ferebatur à cœna, vt inter plausus exoletorum, hoc ad symphoniam caneretur, βεβίωκε βεβίωκε* (id est, *vixit vixit*, quod est parentale carmen) *nullo non se die extulit. Hoc, quod ille ex mala conscientia faciebat, nos* 52.

E

Pœnitentia non differēda in crastinum.

&

ex bonis faciamus, & in somnum ituri, læti, hilarésque dicamus:

Vixi, & quem dederat cursum fortuna, peregi.

Crastinum si adiecerit Deus, læti recipiamus. Ille beatissimus est, & securus sui possessor, qui crastinum sine sollicitudine expectat. Quisquis dixit, vixi, quotidie ad lucrum surgit. Hæc Seneca. Sed claudat hunc locum Augustinus *serm. 16. de verbis Domini*, vbi corninum istum cantum dicit exitio fuisse quamplurimis. *Ipsa* (inquit) *res est, quæ multos occidit, cum dicunt cras, cras, & subitò ostium clauditur. Remansit foris cum voce coruina, quia non habuit gemitum columbinum. Cras, cras, corui vox est.* Columba non procrastinat, sed prima illius vox gemitus est, neque dicit, cras gemam, sed gemendo loquitur; neq; in fenestris ambitiosè, & pleno gutture canit, sicut coruus; sed in cauerna maceriæ supplex aliquid, & obscurú murmurat, & gemit.

53. *Quoniam attenuabo robur eius.*] Ostendit caussam, cur eò sit redacta Niniue, vt nullum sit reliquum vestigium ciuitatis; sed potiùs in ea appareat species quædam inamœna syluarum: quia Deus illius fregit vires, quibus ad illud vsque tempus domuerat, conseruarátque ab antiquissimis vsque sæculis orbis imperium. Neque cùm tam esset frequens ciuibus, & armis potens, habuit opportunum aliquid, quod Chaldæorum viribus opponeret.

54. Vers. 15. *Hæc est ciuitas gloriosa habitans in confidentia, quæ dicebat in corde suo: Ego sum, & extra me non est alia amplius.*] Cùm amplificare volumus alicuius ruinam, illius antiquæ fortunæ, ac maiestatis recordamur, quæ quo altiores fuere, eo grauior apparet, & miserabilior ruina. Egimus ea de re in nostris Commentariis *in cap. 1. Thren.* ad illa verba, *Quomodo sedet sola ciuitas.*] Vbi rhetoricum præceptum tradidimus, quod docet ex hac rerum commutatione commiserationem excitari. Hoc eodem orationis genere insectatus est Isaias Babylonem, quæ non inferiora de se, quàm Niniue cogitabat. cap. 7. à v. 7. *Dixisti, in sempiternum ero domina, &c. Quæ dicis in corde tuo, ego sum, & non est præter me amplius: non sedebo vidua, & ignorabo sterilitatem, venient tibi duo hæc subitò.* His affinia dicit de rege Babylonis *cap. 14.* Ezechiel *cap. 28.* de rege Tyri. Illud, *Extra me non est alia amplius;* arrogantissimi spiritus vox est, quasi eo loco à se cætera ponat, vt instar obtineant nihili. Quare suæ superbiæ dignissimum à Deo supplicium accepit: nempe vt quæ alia præ se nihil esse putabat, illa eadem aliis a suo statu ignominiose deturbata foret ludibrio, & instar obtineret nihili, aut certè mandaretur infra nihilum.

Quomodo facta es in desertum cubile bestiæ.] Quando grauis admiratio, & stupor significatur, ab huiusmodi interrogatione plerumque sermo ducitur; vt docet ipse in Threnis Ieremias. Quasi homo his verbis affirmet ignorare se, quomodo fieri potuerit tam grauis, & subita mutatio. Quomodo, inquit, fieri potuit, vt tanta modò ciuitas in squalentem syluam, & ferarum cubilia fuerit repentè conuersa; magnam profectò potentiam fuisse oportet, à qua prouenit tam subita, & inopinata mutatio. 55.

Omnis, qui transibit per eam, sibilabit.] Hoc proprium est, & penè naturale omnibus ciuitatibus, quæ alias sibi prouincias subiectas habuere, vt sua ruina aliis ciuitatibus, atque prouinciis voluptati sint; cùm eo ipso, quòd opibus abundent, & authoritate præstent, odiosæ sint: præcipuè si, quod vsu plerunque venit, spiritus alant arrogantes, quos sanè neque ipsa saxa perferre possunt. Adde quòd fastus illos superbos ex aliorum bonis siue callidè, siue violenter ereptis plurimum sustentant magnatum ciuitatum viri potentes, ac nobiles; quare eo nomine non possunt esse inferiori turbæ non odiosi. Et ideo in illorum ruina suas vlciscuntur iniurias, & animi dolorem consolantur irridendo, & sibilante lingua, ac plaudente manu; quod hominibus, qui aliquando in dignitate fuerunt, ipsa rerum, honorúmque iactura accidere solet aliquando molestiùs. Vide quæ nos pluribus ad illud Thren. cap. 2. vers. 15. *Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam, sibilauerunt, & mouerunt caput.* 56.

IN CAPVT TERTIVM

ARGVMENTVM.

INVEHITVR primùm Deus in obstinatam Iudæorum impudentiam, quos neque toties intentæ minæ, neque hortationes frequentes, & graues, neque vicinarum gentium infelices casus, quas aut deleuerat priùs, aut durum supplicium expectabat, à vita turpitudine potuerunt abducere. Nihilominus quo est Deus animo ad miserandum prono, post infortunia grauia, quæ ab hoste diu siue in obsidione, siue deinde in longa seruitute perferet, libertatem promittit, & gloriam non dissimilem illi, quam integra re Iudaica superioribus sæculis obtinuit. Cùm autem capitis huius extremam partem interpretum plerique de Ecclesiæ fundatione, & gloria, conuersione gentium, de tempore denique euangelico accipiant, quod mihi quoque visum est: tamen quia illius aurei sæculi, in Hierosolyma ad priorem statum restitutis typus quidam ostenditur, vt visum est antiquorum Patrum, & recentiorum interpretum plerisque, quorum nos catalogum in Præfatione ad cap. Isaiæ 40. *texuimus: statuimus duas ad extremam illam partem, à versu videlicet 8. explicationes adhibere; alteram historicam de Iudæorum tempore à captiuitate soluta; alteram de Ecclesia à Christo fundata, in qua multo magis apparent diuina pro*

Digitized by Google

promissa. Cúmque vtramque explicationem non posset paraphrasis vna commodè complecti, alteram adhibui, historicam nempe, quæ longè est obscurior; quia videbam, supposito, atque explicato typo, facilè à quolibet posse mysticam informari paraphrasim: maximè cùm in Commentariis satis à nobis in mystico sensu laboratum sit.

CAPVT III. PARAPHRASIS.

1. *VAe prouocatrix, & redempta ciuitas, columba.* A

1. VÆ Hierosolymæ ciuitati, quæ suis peccatis diuinam excitat, & instimulat iram; quam Deus tanquam sponsam coëmit, & quasi columbam (sic enim appellatur sponsa) ad coniugalem thalamum asciuit.

2. *Non audiuit vocem, & non suscepit disciplinam: in Domino non est confisa; ad Deum suum non appropinquauit.*

2. Non audiuit vocem, quam nuptiali ritu ab sponso accipere solet noua coniux, quæ præceptis illam informat nuptialibus; nec traditam ab illo disciplinam seruauit. Cúmque illi vni placere debuisset, & ab ipso potius quàm ab alieno quiduis sperare; non tamen illius se credidit fidei, neque habuit cum eo familiare commercium; neque magis cum illo rem, animúmque coniunxit, quàm si foret alienus.

3. *Principes eius in medio eius quasi leones rugientes: iudices eius lupi vespere, non relinquebant in mane.* B

3. Quia Deo appropinquare noluerunt, neque ab illo recipere disciplinam, vitam egerunt ferinam potius quàm humanam. Principes enim, quos Deus patriæ, pauperúmque custodes esse voluit, leoninum in modum feritate, fremitúque terribiles grassabantur. Iudices verò, qui legum atque iustitiæ vindices, id in alienis corporibus, atque opibus faciunt, quod in alieno grege lupi vespertini. Sic enim ad alienas opes deuorandas anhelant, vt nihil in crastinum ad domesticos vsus, aut sibi ad vlteriorem prædam ampliùs relinquant.

4. *Propheta eius vesani, viri infideles: sacerdotes eius polluerunt sanctum, iniustè egerunt contra legem.* C

4. Neque magis fideles, ac veri fuerunt Prophetæ, qui dum suis seruiunt commodis, somnia sua, atque figmenta vana pro veris ivenditant oraculis. Sacerdotes autem non aliter sacra tractant, quàm prophana, neque in suarum rerum, aut publicarum administratione, de vlla re minus, quàm de lege, atque æquitate meditantur.

5. *Dominus iustus in medio eius non faciet iniquitatem: mane mane iudicium suum dabit in lucem, & non abscondetur: nesciuit autem iniquus confusionem.* D

5. Longè aliter Deus, qui inter ipsos habitat, iudicabit, qui cùm iustus sit, ita se in iudicando geret, vt in eius iudiciis nihil inueniat quisquam ab æquitate distortum. Edentur autem ab æquissimo iudice diebus singulis dura, ac manifesta suppliciorum exempla. Iniquus autem sic assiduitate peccandi frontem perfricuit, vt sicut antè inuerecundè peccauerat; sic nunc in sustinendo supplicio nullo perfundatur pudore.

6. *Disperdidi Gentes, & dissipati sunt anguli earum: desertas feci vias eorum, dum non est qui transeat: desolata sunt ciuitates eorum, non*

6. Cùm euertissem gentes, & regna, & ciuitates egregiè munitas, & regnorum propugnacula dissipassem, eóque adduxissem

Digitized by Google

non remanente viro, neque vllo habitatore.

A xissem ciuitates luculentas, & amplas, vt per illarum vias nemo transiret, & à suis relinquerem habitatoribus vacuas.

7. *Dixi: Attamen timebis me, suscipies disciplinam: & non peribit habitaculum eius propter omnia, in quibus visitaui eam: veruntamen diluculo surgentes corruperunt omnes cogitationes suas.*

7. Sic mecum ipse cogitabam. Timebit iam populus meus, & datam à me viuendi normam auidè suscipiet. Quo id à mea benignitate consequetur, ne ciuitas ipsius excindatur ab hoste Babylonio; neque templum à prophano pede conculcatum incendio vastatur. Quod sanè meritissimè patietur propter illa scelera, quæ dixi à me seuero fore mulctanda supplicio.
B Homines tamen quasi nihil haberent suis moribus opportunum magis, summo consurgunt manè, non vt mores, cogitationésque melioribus informent disciplinis, sed vt magis corrumpant.

8. *Quapropter expecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum, quia iudicium meum vt congregem Gentes, & colligam regna: & effundam super eos indignationem meam, omnem iram furoris mei: in igne enim zeli mei deuorabitur omnis terra.*

8. Sed quando tu, ô Ierusalem, in tuæ vitæ turpitudine obstinatò hæres, recusare non potes, quin exul ad alienos fines abducaris: tamen à meipso libertatem, & melioris vitæ conditionem expecta. Ego resurgam, qui tui oblitus aliquando obdormiisse videri poteram: statui enim gentes disperdere, subuertere regna, & compres-
C sum in illa furorem tandem euomere. Ignis enim, qui ab animo zelotypo scintillat, omnem inimicorum tuorum terrã absumet.

9. *Quia tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & seruiant ei humero vno.*

9. Tunc verò cùm populus in patriam ab exilio redierit, dabo tam illi, quàm his, qui ad illius religionem accedent, puram, & electam linguam; ita vt in illorum ore nullæ resonent laudes, nisi diuinæ; nullæ audiantur preces, nisi ad Deum, in cuius obsequium, & laudes omnes eodem sensu, atque animorum conatu conspirabunt.

10. *Vltra flumina Aethiopiæ, inde supplices mei, filij dispersorum meorum deferent munus mihi.*

10. Qui ex Iudæis trans Æthiopiæ flu-
D mina dispersi exulant, qui aliquando ad me supplices extenderunt manus, remigrabunt in patriam, & vt antea soliti munus mihi deferent ad altare.

11. *In die illa non confunderis super cunctis adinuentionibus tuis, quibus prænaricata es in me: quia tunc auferam de medio tui magniloquos superbiæ tuæ, & non adiicies exaltari ampliùs in monte sancto meo.*

11. Eo tempore nullam subibis confusionem, & notam, quam antè ex morum turpitudine, & ex omnibus peccatis, quæ in meum nomen admisisti, contraxeras. Quia non erunt in te superbi homines, atque magniloqui, qui & de seipsis magnificè sentiunt, & de suis rebus superbè, & ambitiosè loquuntur. His verò sublatis, non
E erit, qui seipsum ampliùs in monte sancto meo, id est, ciuitate sancta, seipsum insolenter exaltet.

12. *Et derelinquam in medio tui populum pauperem & egenum: & sperabunt in nomine Domini.*

12. Huius rei ea erit causa, quia in ciuitate relinquam non opulentos, & lautos, qui à suis opibus vitæ subsidia, & libertatis, ac felicitatis adiumenta petant; sed pauperes, & egenos, qui quia à se, rebúsque suis sperant nihil, suam in Deo fiduciam collocabunt.

13. *Reliquiæ Israel non facient iniquitatem,*

13. Adde quòd illi, qui ab exilio reli- qui

Digitized by Google

tem, nec loquentur mendacium, & non inuenietur in ore eorum lingua dolosa: quoniam ipsi pascentur, & accubabunt, & non erit qui exterreat.

A qui ex domo Israël in patrios fines remigrarint, ab illis se vitiis abstinebunt, propter quæ patriæ accidit tam dira calamitas. Nō enim erit in eorum ore quidquam dolosum, & mendax; quia nullo egebunt artificio, & dolo, vt de vitæ sibi necessariis prouideant. Ego enim sicut prouidus pastor pascua illis quæram opportuna, & plena, & stabulationem commodam, & ne illis quicquam timorem, aut periculum pariat, perpetuas agam excubias.

14. *Lauda filia Sion: iubila Israel: lætare, & exulta in omni corde filia Ierusalem.*

B 14. Quare, ô filia Sion, ad diuinas laudes extollendas spiritum, & vocem gratulabundam excita. Iubila Israel, & tu Ierusalem ex animo, ac seriò læta, atque alacris triumpha.

15. *Abstulit Dominus iudicium tuum, auertit inimicos tuos; rex Israel Dominus in medio tui, non timebis malum vltrà.*

15. Quia satis iam pœnarum exhaustum est, finitū supplicium, extincti hostes, sub quorum dominatu vitam traxisti ærumnosam, & ægram. Et rex, qui abs te quōdam excessisse videbatur, iam tecum habitat; quo præsente nihil est, quod iam ampliùs formidare debeas.

16. *In die illa dicetur Ierusalem: Noli timere: Sion, non dissoluantur manus tuæ.*

C 16. Illo verò tempore sic erunt illa Dei beneficia, & tam prouida, atque effusa benignitas manifesta, vt omnes etiam externi populi, siue admirabundi, siue gratulabundi clament, dicántque Hierosolymæ, & illius acropoli Sioni, vt metum procul, & solicitudinem abiiciant, bono sint, atque erecto animo: neque manus habeant, vt antè solutas, & infirmas.

17. *Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse saluabit: gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione sua, exultabit super te in laude.*

17. Habebunt enim secum Dominum bellatorem, & fortem, qui seruet, & protegat. Quo seruatore, atque auspice, inanis erit humana sedulitas, & potentia futilis.
D Tunc verò temporis, quia Deus Hierosolymam amat, & eius animum, & sacrificia probat, in illius lætitia ipse quoque lætabitur, & in illius amore acquiescet; & illius laudes libens, & alacer admittet.

18. *Nugas, qui à lege recesserunt, congregabo, quia ex te erant: vt non vltrà habeas super eis opprobrium.*

18. Illos, inquit Dominus, homines occidam, aut ita tractabo, vt in mortuorum censu numerari possint; ita vt nunquā Hierosolymam cernat rediuiuam, qui inutiles sunt, neque hominum digni compellatione, cùm meræ sint nugæ, & hominum tantùm fucatæ laruæ; qui cùm ex tuo essent
E ordine, & sanguine, ô Hierosolyma, à lege tamen longè declinarunt; atque ita fiet, vt non ampliùs illam sustineas ignominiam, quam propter similium hominum corruptos mores olim pertulisti.

19. *Ecce ego interficiam omnes qui afflixerunt te in tempore illo: & saluabo claudicantem: & eam, quæ eiecta fuerat, congregabo: & ponam eos in laudem, & in nomen, in omni terra confusionis eorum:*

19. Ab his itaque, quorum improbitas tibi calamitatem peperit, non iam ampliùs imminebit opprobrium: sed neque ab externis hostibus, à quibus variis es incommodis affecta. Illos enim omnes ego delebo, ne in te aliquid simile moliantur in posterum. Et eos, qui tardis erant, constrictis, &

20. In

Digitized by Google

A & claudicantibus pedibus, ita vt ad patriã non viderentur reseruari, seruabo à Chaldæorum barbaro dominatu; & qui eiecti fuerunt, in patrias sedes restituti commoda consequentur antiqua, & in locis omnibus, vbi vitam egerunt duram, & ignobilem aliorum expositi ludibrio, gloriosum nomen obtinebunt.

20. *In tempore illo, quo adducam vos: & in tempore, quo congregabo vos: dabo enim vos in nomen, & in laudem omnibus populis terræ, cùm conuertero captiuitatem vestram coram oculis vestris, dicit Dominus.*

20. Illo, inquam, tempore, in quo vos è captiuitate conuertero, efficiam, vti apud omnes populos clarum obtineatis, atque gloriosum nomen. Neque diu hoc gloriosi nominis beneficium differam, dicit Dominus. Illi iidem, qui ab exilio redierint, oculis suis exhiberi conspicient.

Vers.1. *Væ prouocatrix, & redempta ciuitas columba.*]

1. *Ingratitudo odiosa.*

REDIT Propheta ad Ierusalem, à qua sermonem paulisper auerterat, dum ad ciuitates alias opportunè digreditur. Hanc alloquitur, coarguitque animi ingrati beneficiis; propter quod antiquas iterat, & amplificat minas, & nouas intendit. Appellat prouocatricem, quia licèt omne peccatum diuinam prouocet iracundiam; illa tamen maximè, quæ ab animis oriuntur, quos Deus pluribus ornauit beneficiis. Quod humana probant exempla: videmus enim inflãmari animos vehementiùs, in illos qui nostris in nos officiis abutuntur. Ita Chrysologus: *Nihil est, quod adeò indignationem prouocet Altissimi, sicut ingratitudo. Ipsa est malorum prouocatio, beneficiorum exinanitio, meritorum exterminatio.* Zelotypiæ dolor implacabilis dicitur Prouerb.6. *Zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ, neque acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* Huius verò ea videtur esse ratio, quia sponsa multis à coniuge ornari solet beneficiis, multis ad constantem, & fidelem amorem obligari muneribus: quæ si contra matrimonij fidem, contra beneficiorum pondus, torum prodat adultero, instimulat contra se coniugis animum, & ad quoduis prouocat supplicij genus.

2. *Sponsa empta ab sponso.*

Sub hac, opinor, metaphora loquitur Propheta de Ierusalem, quam redemptam vocat; quod nomen omnium maximè conuenit in nuptiale fœdus. Notum est enim sponsam emi ab sponso; quomodo Dauid centum Philistinorum præputiis Saülis filiam sibi sponsam coëmit; & Iacob dira septem annorum seruitute: & Christus Ecclesiam sponsam suo acquisiuit sanguine, *Actor. cap.*20. Vide quæ diximus ad illud Cant.1. *Vineam meam non custodiui.* & ad illud Oseæ cap.3. *Et fodi eam mihi quindecim argenteis, & coro hordei.* vbi ea de re latè. Sic ergo populum illum, cuius caput est Hierosolyma, desponsauit sibi Deus, vnde cùm de populo agitur Israelitico, sponsæ nomen sæpiùs auditur. Et si quando populus ille ad idola defluxit, peccatum illud adulterium vocatur. Vide Prolegomenon tertium in Cantica. Quo verò pretio Deus sponsam illam metaphoricam coëmerit, docet Oseas pluribus *cap.* 2. & Moyses *Deut.*32. *à v.*9. & Ezechiel *cap.* 16. Vt autem in Canticis sponsa empta dicitur, aut redempta dotali vinea, de qua *cap.*1. & 8. sic Ierusalem, aut populus Hebræus illius terræ possessione, quæ lacte manabat, & melle; & qua nihil

B in terra tunc erat pulcrius, & vberius. Vt habes Ezech.cap.20.v.6. *Quæ est egregia inter omnes terras.*

3. *Columba sponsæ nomen.*

Consentaneè ad hanc metaphoram vocatur etiam *columba*; quod nomen de se in Canticis sæpiùs audit sponsa. Cur verò sponsa columbæ sibi vendicet nomen, ostendimus multis in nostris Commentariis super Cantica ad illud cap.2. *Propera amica mea, columba mea.* Vnum tantùm dicam, quod est in columbis præcipuum symbolum honesti coniugij, ex Plinio lib.10. cap.34. *Primo* (inquit) *illis pudicitia, & neutri nota adulteria. Coniugis fidem non violant, communémque seruant domum; amor vtrique sobolis æqualis.* Vide plura de columba, qualis C hoc tempore erat Hierosolyma, in nostris Commentariis super Oseam ad illud cap.7. *Factus est Ephraim quasi columba seducta, non habens cor.*

4. Vers.2. *Non audiuit vocem, & non suscepit disciplinam.*] Coarguit Hierosolymam ceruicis duræ, & animi proterui, & recusantis imperium: quod illi à sæculo, id est, ab electo, & constituto populo familiare, & quasi naturale fuit. De quo Ieremias cap.2.v.20. *A sæculo confregisti iugum meum, rupisti vincula mea, & dixisti, non seruiam.* Ego hic arbitror allusum esse ad redemptæ, & columbæ, id est, ad sponsæ nomen, & nuptialem adhuc continuari metaphoram. Notum est in nuptiali- D bus sacris esse legitimum, vt sponsa ab sponso suo leges accipiat, & viuendi formam, non secùs ac filius à parente. Qua de re nos pluribus egimus in nostris Commentariis super Cantica, *in proleg.3.n.15. & in cap.*8. ad illud, *Ibi me docebis.* Quod etiam hoc tempore apud Iudæos seruari, docet ipsorum Rituale, quod Latinum reddidit Genebrardus. Præcepta verò fuerunt illa, quæ sponsa audit Psal.44. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.* Aut illa, quæ Cantic.8. dicit sponsus, *Sub arbore malo excitaui te,* &c. Quo loco nos in E hanc sententiam pluribus, quæ hic iterare necessarium non est. Tu inde pete. Illud tantùm obseruo, in illis verbis, *Ibi me docebis.* rogare sponsam à sponso, sibi vt tradat præcepta coniugalia: quod nuptialis ritus legitimè præscribit. Quæ deinde sponsus ritè facit ab illis verbis, *Pone me vt signaculum,* &c. Illam ergo vocem, & disciplinam, quam à legislatore sponso audiuit, populus, qui quasi sponsa tanto principi legitimè fuerat copulata coniugio, contempsit, & abieci fregitque iugum, quod suis ceruicibus vltrò antè subierat.

Sponsa connubialibus præceptis informatur à sponso.

5. *In Domino non est confisa, ad Deum suum non appropinquauit.*] Sponsa fidelis, quæque virum experta est fidelem, & munificum, neque alium amat, neque alij placere vult, aut ab alio auxilium, aut protectionem sperat. At Ierusalem, quæ tot à Deo fuerat ornata beneficiis, & à quo experientia edocta, si saperet, quod erat reliquum sperare potuisset, spem suam à Deo traduxit ad idola, siue ad reges externos, quorum vt promissio fuit frequens, atque prolixa, sic etiam auxilium aut nullum fuit, aut adeò certè futile, vt nullum existimari potuerit. Miserunt Solymitani reges legatos ad Assyrios; miserunt item ad Ægyptios auxilij gratia, quos vt sibi aliquo modo, atque officio demererent, omnes thesauros è regia domo, & sacram è templo gazam exhauserunt. Præstiterunt ad hæc regibus tanquam sponsis illud officium, quod sponso Deo, cuius thalamum adultero prodiderant, præstare debuissent. Quod Deus dolenter, ac grauiter queritur per Isaiam cap. 57. v. 9. *Ornasti te regi vnguento, & multiplicasti pigmenta tua. Misisti legatos tuos procul, & humiliata es vsque ad inferos.* Vide quid nos in illum locum. Ad Deum non appropinquare, nihil est aliud hoc loco, quàm cum Deo nihil habere negotij, neque vllum illi honorem impendere; neque ab illo quicquam sperare, ac petere, sed illum omninò tanquam alienum aliquid intueri. Scio *appropinquare* interdum idem esse quod cum alio congredi siue lacertis, siue legibus, atque iudiciis. *Rogant me iudicia iustitiæ, & appropinquare Deo volunt. Quare ieiunauimus, & non aspexisti, &c.*

6. Vers. 3. *Principes eius in medio eius, quasi leones rugientes.*] Quia Deo non appropinquauerunt, neque voluerunt recipere viuendi modum, vitam egerunt ferinam potius quàm humanam; quam ad diabolicam magis, quàm ad diuinam legem informarunt. Principes enim, quos Deus patriæ, pauperúmque parentes esse voluit, leoninum in modum in ciuitate grassabantur, suóque rugitu tenuioris plebeculæ pectora terrebant. Iudices porrò, qui legum erant, atque iustitiæ vindices, vsque adeò leges, atque iustitiam prodiderunt, vt quod in alieno grege lupi, id ipsi in alienis opibus, atque corporibus facere tentauerint. Neque magis fideles, ac veri fuerunt Prophetæ, qui dum suis seruiunt commodis, somnia sua, atque figmenta vana pro veris venditarunt oraculis. Sacerdotes autem non aliter sacra tractarunt, quàm profana: neque in suarum rerum administratione de vlla re minus cogitarunt, quàm de lege. Hæc omnia obscura non sunt, quæ sæpè Deus populo suo per Prophetas exprobrat: neque semel à nobis explicata sunt.

7. Qui sint lupi vespertini, quibuscum iudices impij comparantur, diximus in nostris Commentariis super Ieremiam *cap. 5. v. 6.* & super Habacuc *cap. 1. v. 8.* illud, *Non relinquebant in mane,* magnam indicat famem, & rabiem edendi. Qui modicè esurit, ita cibis vescitur oblatis, vt aliquid ex illis relinquat in crastinum: at acuta fames omnia deuorat, neque de matutino tempore, aut de necessitate crastina laborat. Sic isti iudices vsque adeò rabidi ad aliorum opes deuorandas anhelant, vt nihil aliis ad domesticos vsus, aut sibi ad vlteriorem prædam amplius relinquant; sed totum, quod casus, aut auida calliditas offert, abripiunt, & vorant: quasi lux crastina totam esset ablatura rapiendi facultatem.

Rabida famis proprietas.

8. Vers. 5. *Dominus iustus in medio eius non faciet iniquitatem.*] Opponit horum hominum iudiciis diuina iudicia, quæ multo aliter de rebus statuunt; neque enim iniquè iudicant, sicut illi, qui in iudiciis nihil spectant aliud quàm vt compendium quærant; quibus nempe forum quæstui, aut venationi est, vel vt proprias vlciscantur iniurias, nihil interea de æquitate, aut legum sanctitate solliciti. At Deus iustus est, in cuius iudiciis nihil inueniet quisquam ab æquitate distortum, qui leuabit iustorum causas à calumnia, & vi, & iniquorum scelerata consilia, atque rationes euertet: quem neque franget principum potentia, neque in iudicando gratia, aut largitio transuertet, vt si quid fuerit à quocumque peccatum, impunitum relinquat.

Manè, manè iudicium suum dabit in lucem, & non absconderur.] Illud *manè* geminatum aut significat idem quod *manifestissimè*, vt putat Hieronymus: quod enim exactis iam nocturnis tenebris matutino fit tempore, manifestè fit, sole iam exorto, & omnia diffusa luce collustrante; geminatio porrò epitasim habet. Quare ex Hieronymi sententia sensus erit, quæ clandestinis agitant consiliis scelerati principes, & iniqui iudices, illa reuocanda esse in matutinã lucem, & in hominum oculos ventura; neque vllis iam tenebris, aut simulatione celanda ea, quibus ipsi obtenderunt religionis speciem, cùm tamen abessent à religione longissimè. Cum Hieronymo sentiunt Remigius, & Haymo, neque Riberæ displicet, & indicat Cyrillus. 9.

Theodoretus, Cyrillus, Albertus, Hugo, Dionysius, in *manè* iterato celeritatem agnoscunt. Et quidem celeritatem, & studium incitatum, & ingens hoc sæpe nomine significant Hebræi, aut illis verbis, quæ huic affinia sunt, vt *diluculo matutinum*. Quare frequens est, *manè consurgere*, & similia, pro opere festinato. Cùm enim nox rebus agendis importuna sit, illud dicitur celeriter fieri, quod summo fit mane, quod primum est negotiorum omnium. Et quidem cùm Dauid Psal. 100. dicebat, *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ.* nil fortasse significabat aliud, quàm primo quoque tẽpore eò se incumbere, ne quod peccatum impunitum abiret. 10.

Manè, diluculo, & similia celeritatem indicant.

Alij in *manè* geminato distributionem agnoscunt. Quasi dicat Propheta singulis diebus ad matutinam lucem noua Dei spectanda iudicia, quibus hominum peccata assiduè, atque seuerè puniat. Ita Montanus putat, Pagninus, Isidorus, Vatablus, Robertus, & Castrus. Et huc magis propendet animus, quia grauior est minarum acerbitas, & vox illa geminata distributionem vniuersalem frequentiùs importat. Sic *die die* idẽ valet quod *diebus singulis.* quod *Psal. 67.* vulgatus reddit *die quotidie.* Sed est exemplum magis accommodatum apud Ezechielem *cap. 46. v. 4.* vbi vox est eadem geminata, quæ hîc apud Sophoniam בבקר בבקר *babeker babeker*, quam noster interpres maioris explicationis gratia ita conuertit, *Faciet holocaustum quotidie Domino, semper mane faciet illud.* & v. 14. & 15. cùm nulla forte in Hebraico textu præpositio; addidit tamen præpositionem Græcam κατὰ, quæ distributionem importat, vt καθ' ἡμέραν, κατ' ἐνιαυτὰ. id est, *per singulos dies, per singulas noctes.* Sic autem Ezechiel v. 14. *Faciet sacrificium super eo cata mane mane.* & v. 15. *Et oleum cata mane.* vnde Hispanus sumpsit vulgarem illum dicendi modum, *cada dia, cada hora.* Eodem modo puto explicandum hunc Sophoniæ locum; singulis nempe diebus edenda esse à Deo iudice æquissimo seuera iudiciorum exempla, 11.

pla, id est, assiduè Solymitanos principes, & iudices esse puniendos, qui assiduè pauperes, & innocentes propter priuata commoda, aut certè pro sua libidine vexabant. Neque tamen ideo duas alias explicationes excludo, sic enim singulis diebus in vrbe exercebuntur dora in principum capita iudicia, vt manè fiant, id est, non occultè, & nocturnis occlusa tenebris, sed lucente, & omnium oculis offerente sole: & quàm ocyssimè, nempe manè, cùm prima sumendi supplicij fuerit oblata commoditas.

12. *Nesciuit autem iniquus confusionem.*] Pudorem affert hominibus quæcunque turpitudo, aut vilitas, si tamen illius testes habeant alienos oculos. Imò hæc grauiora accidunt animis, in quibus aliquid est ingenuum, & honestum, quàm omnis, quantacũque fuerit doloris acerbitas. Hi tamen sic assiduitate peccandi perfricuerũt frontem, vt sicut antè inuerecundè peccauerant, sic nunc in sustinendo publico supplicio, nullo perfundantur pudore. Vnde non apparet quid de illorum correctione sperari debeat magnum, cùm iam pridem Dei timorem & obseruantiam abiecerint; nunc autem neque hominum iudicia, aut oculos curent: in quem statum vbi primùm homo deflexerit, iam de illius salute desperari potest. Hoc certè Bernardus extremum posuit, & maximum obstinationis argumentum, *lib. 5. de consideratione,* vbi cùm ageret de corde duro, illud esse dixit, *quòd nec Deum timet, nec homines reueretur.*

13. Vers. 6. *Disperdidi gentes, & dissipati sunt anguli earum.*] Explicat nunc quale futurum sit illud supplicium, quod iudex iustus Deus peccatorum capitibus infliget: quale videlicet gentibus imposuit, quarum exemplo studet à peccando deterrere Hierosolymam. Sed quæ sint illæ gentes quas Deus disperdit, obscurum. Si illud *disperdidi*, in præteriti significatione sumas, aut sunt nationes illæ, quas Deus expulit è regione Chananitide; vt in earum sedes Hebræos induceret; aut certè Assyrij, quorum deleuit exercitum sub Senacherib, & postea Niniuem illorum caput, ac metropolim euertit, de qua *cap. 2.* & tandem imperium, quod tamdiu apud Assyrios inueterarat, ad Babylonios transtulit. Aut certè decem tribus Israel, quæ iam pridem apud Assyrios exulabant: quas gentes vocat, quia gentium more vitam agebant, paternæ religionis immemores. Quòd si præteritum pro futuro sumas, quod est apud Prophetas familiare, in gentibus intelligi possunt Moabitæ, Palæstini, Æthiopes, & Ammonitæ, de quibus superiori capite, quas Iudæis fore aliquando subiectas dixerat. Quo beneficio, si quid in illis esset ingenui pudoris, mutare debuerunt ingenia, & mores, & tot bonorum largitori Deo verè, atque toto ex animo seruire. Et ideo accomodatè subditur,

14. Vers. 7. *Dixi: Attamen timebis me, suscipies disciplinam, & non peribit habitaculum eius, propter omnia, in quibus visitaui eam.*] Humano modo loquitur Deus, sicut alibi millies: solent autem homines ex signis, & caussis coniectare futura. Quomodo si quis seuerè puniat adulterium, aut furtum, prudenter coniectabit cohibendos esse ab illis flagitiis latrones, & adulteros. Aut si quis aliquem assiduis ornet, magnisque beneficiis, illum totum fore in hominis de se tam prolixè meriti potestate. Sic igitur Deus, cùm reges potentissimos, qui gentem Israeliticam magnis antea detrimentis affecerant, extinxisset; cùm rerum momenta, atque naturam expenderet, dixit

apud se humano, vt dixi, sensu: forsan timebit me Ierusalem, ne illud à me detrimentum patiatur, quod nationes aliæ, quarum est imitata consuetudinem, subierunt. Et tandem vel concussa metu, vel onerata beneficiis admittet disciplinam, quam vesana contempsit; & suscipiet iugum, cuius abrupit vincula, & excussit à collo. Et hoc modo effugiet cladem, quam iampridem aduocat morum intemperantia; neque ciuitas excindetur ab hoste Chaldæo, neque templum à profano pede conculcatum incendio conflagrabit. Quod sanè, nisi meliora cogitent, funditùs peribit propter illa scelera, quæ commemoraui suprà, quæque à me seuero dixi punienda supplicio. Hæc à me paraphrasticè explicata fuisse sat sit: nec enim aliquid aliud explorata claritas ab interprete requirit.

Verumtamen diluculo surgentes corruperunt omnes cogitationes suas.] Verè tam exaltantur ab humanis cogitationes diuinæ, sicut cæli exaltantur à terra. Sanè id Deus studet, vt ab intenta plaga populum remoueat, quem sine graui animi dolore percutere non potest, vt est leni corde, & ad miserandum prono. Homo tamen religionis, & officij, imò & suipsius immemor, eò totus videtur incumbere, vt addito quotidie peccatorum cumulo, diuinum in se furorem instimulet. Quocirca quasi nihil haberent priùs, aut suis vsibus opportunum magis, summo consurgunt manè; quia huic curæ nihil putant esse præuertendum, non vt mores corrigant, séque Deo gratos, & obsequentes præbeant; sed vt magis corrumpant, & vt in caput suum diuinum animum magis reddant infensum. Quare venale magis habent iudicium, & multo, quàm antea, crudeliùs armatam potentiam spoliãtur pauperes, opprimuntur iusti, & inter leonum horribiles fremitus, & luporum vespertinam famem friget misericordia, frigent iura; iacet iampridem exanimis, & tumulata religio. Scilicet id ab insano populo obtinuit Dei tam frequens, tam beneuola, támque prolixa liberalitas. Corruptas dicit esse cogitationes, atque consilia; vnde corrupta sint opera necessarium est, quæ ab ipsis oriuntur: sicut corrupto, seu turbato fonte necesse est corrumpantur, aut turbentur riui, qui ex eo profluxerunt. 15.

Vers. 8. *Quapropter expecta me dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum: quia iudicium meum, vt congregem gentes, & colligam regna.*] In hoc loco maximè laborant interpretes, dum quærunt, de quo tempore hæc sint intelligenda: quo primùm constituto, facilè possent expediri reliqua. Qua de re sic loquuntur variè, vt tot penè sint expositiones, quot capita; sic dubitanter, vt in nulla videantur acquiescere sententia; sic interdum obscurè, vt quid illi cogitarint, ac velint, non facilè capias. Ego quid alij aut dicant aut insinuent primùm; deinde quid mihi magis verisimile videatur, adducam. Hieronymus in priori explicatione aliquid tantùm mysticum agnoscit, & resurrectionem illam esse putat, quæ fit, cùm homo resurgit à peccato: tunc enim etiam in nobis resurgit Dominus, qui in peccatrice anima priùs interierat. Hieronymi sententiam, verbis paululum immutatis, sic explicat Haymo. *Expecta (inquit) me in die resurrectionis meæ. id est, prepara te ad tempus resurrectionis meæ. Cùm enim post peccata, & vitia, quæ sunt mors animæ, ad bonam vitam preparamur, resurgit in nobis Christus. Quia enim ipse caput, & omnes electi membra sunt, rectè & commori, & conresurgere* 16.

Christus cum peccatore moriente commoritur, & cum resurgente conresurgit.

gere dicitur membris suis, sicut & consedere ei in throno eius, iuxta quod in Apocalypsi promisit: Qui vicerit, faciam illum sedere in throno meo. Et Apostolus ad Ephes.2. Conuiuificauit, & consedere nos fecit in calestibus. Eodem modo, & iisdem verbis Remigius Altisiodorensis.

Hieronymus in secunda expositione hæc accipere videtur de secundo Christi aduentu; cui subscribunt Remigius, & Haymo, Albertus, Lyra, Vatablus, Isidorus. Ribera ad tempus Romanorum hæc refert; à quibus excisa fuit Hierosolyma, & obscuratum Iudæorum nomen.

17. Communior est illa sententia, quæ hîc priorem aduentum Christi considerat; quam in expositione tertia amplectitur Hieronymus, sequitur in expositione mystica Cyrillus, Eusebius *lib.2. de demonst. cap.*17. Augustinus *lib. 18. de Ciuit. cap.*33. Hugo, Dionysius Montanus. In quam ego libentius, quàm in superiores inclino. Sed illud minùs ad hanc sententiam facit, quòd verba, quæ planè misericordia stillant, non aptè conueniunt cum superioribus minis; neque cum verbis, quæ præcessere proximè, quæ animum indicant, qui peccatis hæret obstinatò, & contra diuinas voces impudenter obduruit. Cùm enim Deus adhibuisset illa, quæ saxeum pectus ad pietatem, & officium emollire possent. *Illi tamen diluculo surgentes corruperunt omnes cogitationes suas.* Sed est quid huic obiectioni, quæ sanè leuis non est, responderi possit.

18. Notum est iis, qui in Prophetarum oraculis mediocriter versati sunt, à Deo tristibus læta solere subiungi: atque ideo illi familiare esse, vt postquam de exilio, statúque infelici, ac sordido aliquid denunciatum est atrocius, statim eodem penè filo, de restitutione ad priorem statum sermo succedat. Exempla habes apud Isaiam non pauca. Vide quæ diximus ad illud Isaiæ cap.1. *Et conuertam manum meam ad te.* & ad illud Ieremiæ cap.16. *Propterea ecce dies veniunt, dicit Dominus.* Deinde illud certum, & sæpiùs apud Prophetas obseruatum, ab statu, temporeque Iudaicæ reipublicæ ad euangelicum tempus fieri progressum; vt ad locum Isaiæ citatum ostendimus, & ad illud Zachariæ cap.13. *Framea suscitare super pastorem meum.* Quare cùm præcessissent minæ & infelicis, ac sordidæ vitæ seuera denunciatio, aliquid Deus suo more iucundum, & optabile promittit; & cùm libertas è Babylonico iugo, quædam sit vmbra illius libertatis, quam per Christum à diaboli tyrannide consecuti sumus; optimè ab illa vmbra licèt obscura, de qua statim, ad Christi primum aduentum, qui nostræ libertatis causa fuit, sermo traducitur propheticus.

19. Alia sententia est, quam ego omnium maximè probo; nempe hîc sensu literali, atque historico agi de exilio Babylonico, & strage tam ciuium, quàm ciuitatis Solymitanæ: de cuius postea libertate, vt alibi sæpiùs, vaticinium inducitur. In hanc sententiam inclinat apertè Cyrillus, & Albertus, quam tenuit ante illos Chaldæus Paraphrastes: &, meo iudicio, ita sentiunt aut sentire debent, quotquot in Hierosolyma restituta vmbram quandam intuentur Ecclesiæ; quorum magnus est tam veterum interpretum, & Patrum, quàm recentiorum numerus, quos nos adduximus in præfatione quadam *ad cap. Isaiæ 40. & ad cap.2. Zachariæ in principio.*

20. REGVLA. Et antequam sententiam meam explico, obseruo, in omni fermè lingua id esse vsitatum, maximè apud vrbanos, & ingenuos, vt si quid est dictu turpe, aut auditu graue, id verbis significetur alienis, aut oratione figurata: aut certe illud adhibeatur orationis genus, quod cùm honestum sit, & iucundum auditu; aliquid tamen ex eo intelligitur præcessisse, quod neque decorum est, neque audiri sine molestia potest. Exemplis illud illustremus. Durum est aliquem ab hoste captum, & ignobili addictum esse seruituti; at iucundum est redimi: hoc tamen necessariò indicat præcessisse in homine, redempto seruitutem. Qui aliquem captiuum fore dicere formidaret, quia id durum est, & aures ingenuæ vehementer respuunt, diceret minùs inhonestè ac durè illum fore redimendum. Quod fecit Cicero, qui in oratione pro lege Manilia, ne diceret consulares fasces esse captos, dixit esse redemptos. Sic qui honestè significare vellet turpem alicuius innuptæ concubitum, honestiùs diceret ex illa filios esse natos. Sic sanatum esse vulnus libentius auditur, quàm illatum; instauratam, quàm dirutam domum; supplemento nouo refectas esse legiones potius, quàm occisis militibus immunitas: & nihilominus aliquid durum lenior hæc oratio præcessisse docet. Huius rei gratia inuenta est illa figurata dicendi species, quæ Euphemismus vocatur.

Si quid est dictu turpe aut auditu graue, id figurata oratione honestari, ac leniri solet.

Hoc dicendi modo nunc videtur significasse Dominus supplicium, quod à Chaldæis imminet Solymitano populo; exilium videlicet, & sordes alias, & ignominiam, quæ consequuntur exilium. Sed quo est animo ad contristandos homines difficili, hanc denunciationem mitiori loquendi modo temperare voluit, & redemptionem, ac libertatem pro captiuitate posuit. Id enim significat opinor, illud, *Expecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum.* Ac si dicat: Quando tu in tuæ vitæ turpitudine obstinatò hæres, recusare non potes, quin exul ad alienos fines abducaris: tamen à meipso libertatem, & meliorem vitæ conditionem expecta. Ego consurgam, aut resurgam, qui tui oblitus aliquandiu obdormiisse videri poteram, & deletis populis, qui tibi tantæ cladis, atque ignominiæ authores extiterunt. Tibiipsi te, ac patriæ restituam. 21.

Resurgo, exurgo, surgo, & similia studium indicant eius, qui se ad aliquid virili, atque strenuo pectore suscipiendum accingit, & quietis impatiens, aut immemor, nullum sibi laborem, aut periculum declinandum putat. Exempla sunt obuia: pauca excipe ex Psalmis. Psal.7. *Exurge Domine in ira tua, & exaltare in finibus inimicorum meorum.* Psal.67. *Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius.* Psal.11. *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus.* Psal.43. *Exurge, quare obdormis Domine, exurge, & ne repellas in finem.* Idem sentiendum de verbo *resurgo*, hoc maximè loco, & rerum articulo, in quo Deus dum populum tamdiu in hostis potestate esse sinit, abiecisse videtur antiquam curam conseruandi populi, & quasi obdormiisse. Quare cùm se ad illius custodiam iterum accingit, resurgere potius dicendus est, quàm surgere. Et quidem hoc loco idem est verbum, nempe קום *kum*, quod alibi sæpè reddit vulgatus, *surgo, exurgo, consurgo.* Sic sanè hoc loco vertunt recentiores interpretes, Pagninus *consurgam*, Tigurina *insurgam*. 22.

Surgo, consurgo, & similia studium significant & vigilantiam.

Vbi vulgatus *in futurum*, Hebr. est לעד *le ad*, quod ad verbum sonat *in adhuc*, quod vulgatus commodè vertit *in futurum.* Alij nomen esse putant à verbo עדה *anad*, quod spoliare, aut prædari 23.

signi

significat. Quare quidam vertunt *ad spolia*, vel *prædam*. Ita Pagninus, Vatablus, Isidorus, Robertus. Sed est eadem, aut non admodum diuersa sententia. Ná in futurum Deus surrecturus dicitur contra populi sui prædatores, & hostes, népe vt illos à tyrannica potentia deiiciat, & spolia detrahat opima, quæ ipsi priùs è Hierosolyma, templóque sustulerant. Hunc verò esse historicum huius loci sensum, facilè, quæ succedunt proximè, testantur. Placet tamen allegoricum esse de Christo; quod putat Cyrillus, & Albertus, in priori tamen aduentu, vt Hieronymus censet: tunc enim surrexit humanæ libertatis assertor, & vindex, & fractis inimici viribus prædam eripuit, quam antè detraxerat, & ne tam liberè prædas ageret in posterum, neruos incidit, & repressit audaciam.

24. *Quia iudicium meum, vt congregem gentes, & colligam regna.*] Congregare, & colligere, idem esse quod occidere, sæpe à nobis traditum est. Vide quæ diximus suprà *cap. 1. in principio.* Porrò gentes, quæ congregandæ dicuntur, illæ sunt, quæ populum Dei tyrannide barbara vexarunt. Contra illas exacta septuaginta annorum captiuitate surrexit Deus, & furorem iampridem animo conceptum tandem euomuit; cùm Chaldæorum gentem Persarum potestati permisit, & imperio mutato, captiuo populo ad libertatem, & patriam aditum aperuit.

25. *In igne enim zeli mei deuorabitur omnis terra.*] Adhuc populus ille captiuus sponsæ apud Deum locum, & nomen retinebat, licèt propter ingratum, & infidelem animum ab illo excidere iure plusquam optimo debuisset. Veruntamen nunquam dimissa est tam inuerecunda, atque infidelis spósa cum libello repudij, vt Deus ipse apud Isaiam cap. 50. v. 1. *Quis est hic liber repudij matris vestræ, quo dimisi eam?* Et Paulus *ad Rom.* 11. suo etiam tempore ait Iudæorum populum nódum accepisse libellum repudij. *Nunquid* (inquit) *Deus repulit populum suum? Absit: nam ego Israelita sum ex semine Abrahã de tribu Beniamin.* Quare sicut sponsus propter coniugale fœdus grauiter fert, si quidquam sponsa durum, aut indecorum patitur ab alio, quia suam dignitatem, & nomen læsum putat: sic Deus ægrè fert sponsam suam, gentem videlicet Iudaicam à barbaris gentibus haberi ludibrio, & seruilem in modum ignominiosè vexari. Atque ideo zeli meminit, qui propriè coniuges lacerat, & vrit: cuius igne consumptum iri dicit terram illam, à qua nouæ quotidie in captiuam sponsam oriebantur iniuriæ. Quia verò zelus non secus atque ignis inflammat, & conficit animum zelotypi, ideo illi accommodatur ignis, & incendium tam *hic*, quàm *Cant.* 8. vbi sic de zelo sub æmulationis vocabulo. *Dura sicut infernus æmulatio, lampades ignis, atque flammarum.*

Deus captiui etiam populi sponsus.

Eodem nomine vsus est Deus *Zachariæ cap. 1. v. 15.* cùm significaret dolere se, quòd tam essent grauiter Iudæi apud externos populos afflicti, quibus ideo Deus cladem, & exitium minatur, quia in sponsam suam tam fuerunt inclementes, & barbari. Sic autem sponsus vrente zelo: *Zelo zelatus sum Ierusalem, & Sion zelo magno: & ira magna ego irascor super gentes opulentas, quia ego iratus sum parum, ipsi verò adiuuerunt in malum.* Quo loco ostendit Deus, cur tam seuerè animaduertat in eos, quos ipse conscripsit, & armauit contra Ierusalem; quia videlicet plus sibi assumpserunt iuris, & furoris, quàm datum fuit à Deo. Deus enim sic fuit in Iudæorum populum iratus, vt illius sanitatem quæreret, adhibito inimicorum gladio, quasi chirurgi ferro siue ad secandum acuto, siue ad vrendum candenti: at hostis totus incumbebat ad cædem, quare ille mulctari debuit seuera manu; qui cùm ad sanandum ægrotum corpus esset ascitus, ipse tamen lethale inflixit vulnus; non tam ad sanitatem, quàm ad mortem intentus. Hoc idem dixit Isaias cap. 10. *Væ Assur virga furoris mei, & baculus ipse est. In manu eius indignatio mea.* Et post pauca: *Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor eius non ita æstimabit, sed ad conterendum erit cor eius.* Vide in hanc sententiam plura ad locum Zachariæ citatum.

Babylonius in Iudæos plus sibi iuris sumpsit quàm à Deo datum.

Vers. 9. *Quia tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini.*] Illud *quia*, sicut multis aliis locis, ex Hebræorum idiomate redundat: quare non est cur ab illo hîc quæramus aliquid causale. Quinam sint illi populi, quibus labium electum Dominus promittit, obscurum est. Quidam, qui hæc historicè sumunt de Euangelij sæculo, Gentilium hîc conuersionem tuentur; quibus ideo labium electum futurum esse dicitur, quia non iam ampliùs impura, & sordida idolorum nomina sonabunt, neque stridebunt obscœno murmure nocturnis sacris accommodata verba, sed pura; qualia decent Christiana sacra, & qualia præscribit, atque commendat euangelica religio. Quod, vt dixi, mihi non improbatur in sensu saltem allegorico, sed etiamsi de meliori Iudæorum fortuna hæc accipias, non deerit his verbis sensus idoneus. Nam primùm ipsi Iudæi cùm inter Babylonios agerent, non exiguam labem ex eorum moribus contraxerunt; quorum etiam coluerunt idola, vt constat ex *Ieremiæ cap. 16.* Neque difficile creditu est, Chaldæorum idolis supplicasse captiuos, cùm illud idem fecerint eodem tempore alij, qui è cæde superstites petierunt Ægyptum; de quibus Ieremias *cap. 44.* Imò ipsi quoque Iudæi, qui Hierosolymæ remanserunt cum Sedecia, eodem tempore in ipso etiam templo coluerunt idola, *Ezech. cap. 8.* 26.

Quòd si mores placuerunt Babylonij, neque Babylonica religio displicuit, quis dubitet captiuorum labia fuisse non pura cùm lingua plerumque religionem sequatur, & mores. Adde, quòd non omnes, qui captiui apud Babylonios tenebantur, redierunt in patriam; sed viri probi, qui aut verum Deum in exilio coluerant, aut sic erant temperanter affecti, vt facilè ad patrias leges, & religionem reuerterentur. Quod pluribus ostendimus ad illud Isaiæ cap. 1. *Sion in iudicio redimetur, & reducent eam in iustitia.* Neque sine causa dictum est *lib. 1. Esdræ cap. 1.* post Cyri edictum illos ab exilio fuisse reuersos, quorum Dominus tetigerat cor. Quod item Tobias dixit iã moriturus. *Domus Dei, quæ incensa est, iterum reædificabitur, ibique reuertentur omnes timentes Deum.* Post illud verò tempus vnum verum Deum esse colendum, & labium futurũ electum, & purum, multa docent, quæ illorum hominum sanctitatem commendãt. Isai. cap. 1. v. 25. *Excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum, &c. Post hæc vocaberis ciuitas iusti, vrbs fidelis.* Zachar. cap. 8. de Hierosolyma restituta, *Vocabitur Ierusalem ciuitas veritatis.* Ezech. cap. 48. in fine, *Et nomen ciuitatis ex illa die Dominus ibidẽ.* Horum igitur labium erit electum, quia in illorum ore nullæ personabunt laudes, nisi diuinę; nullæ audientur preces, nisi ad Deum; & vt populus ille fuit electus ex omnibus, sic etiam illius labium erit electum, vt in illo nihil 27.

Ex captiuis viri tantùm probi redierunt in patriam.

audiatur, quod gentilicam oleat impietatem; sed quasi Deo consecratum, Dei totum religioni seruiet.

28. Sed dicet hîc aliquis hæc minùs aptè cadere in Iudæorum gentem, cùm huius populus vnus sit; at verò populis, nempe multis, reddendum esse dicatur labium electum. Respondeo sic gentem Israeliticam dispersam esse variè, vt plures populi vocari potuerint: neque enim omnes capti sunt primùm ab Assyriis, deinde à Babyloniis, cùm constet multos ad Ægyptios, alios ad alias prouincias fuisse delapsos. Indicat Ieremias cap. 40. v. 11. *Sed & omnes Iudæi, qui erant in Moab, & in filiis Ammon, & in Idumæa, & in vniuersis regionibus, audito quòd dedisset rex Babylonis reliquias in Iudæa, & quòd præposuisset super eos Godoliam, &c.* Et quidem decem tribus, quæ captæ fuerunt ab Assyriis, populi vocari potuere diuersi, quia iampridem sese à duarum tribuum societate distraxerant. At ex illis plurimi redierunt permixti Iudæis, vt pluribus ostendimus super Oseam ad illud cap. 1. *Quia non addam vltrò misereri domui Israel.* quibus etiam labium Deus reddidit electum. Adde præterea huic cogitationi, quod verbum *reddo* aliquid importat datum, quod antè exciderat, aut amissum fuit; at labium illud electum Gentili populo datum antè non fuerat, quare de illo nō videtur datum hoc vaticinium.

29. *Multi ex gentibus ad Iudæos aggregati.* Quòd si de gentibus velis hæc accipere, quæ sub hæc ipsa tempora Babylonici exilij ad Iudæorum religionem aggregatæ sunt, non erit explicatio difficilis. Multos autem tunc fuisse proselytos, indicat Zacharias *cap. 8.* ad illud, *Vsquequò veniant populi, & habitent in ciuitatibus multis,* & deinceps. Vide quæ nos ibi. De quibus etiam proximè *cap. 2.* ad illud, *Et adorabunt eum viri de loco suo.* Tunc verò illi populi, qui Iudæorum sacra complexi sunt, labium habebunt, non profanum, vt antea, atque gentilicum, sed religiosum, & electum, in quibus non sonet Mercurius, Mars, Venus, Moloch, Bel, Priapus; sed verus Deus, cuius imploratum nomen labia non inficit, sed purificat. Quod præterea sit labium electum Deus ipse declarat, cùm subdit: *Vt inuocent omnes in nomine Domini.* id est, vt in eorum precibus nomen audiatur Dei, cuius imploratur auxilium; non inanium deorum, quos iam non deos, sed meras nugas esse cognoscent.

30. PROVER. *Humero vno.* *Et seruient ei humero vno.*] Translatio est ab eo studio, quo multi vires colligunt, vt magnam aliquam molem promoueant, v. g. saxum, aut nauem. Tunc enim adnixi humeris, vno conatu, atque impetu in vnum, & certum aliquem locum saxum impellunt; aut certè à bobus, siue equis, qui totis connixi humeris plaustrum trahunt, & in eo pondus interdum importabile. Quare si qui in aliquod consilium, aut studium conspirant, eòque aut vires, aut sumptus conferunt, illi humero vno conniti, aut collaborare dicuntur. Sunt in Scriptura alij dicendi modi prouerbiales huic persimiles, quales sunt, *vna voce, vno animo, quasi vir vnus.* Hic verò significatur, vt reor, nihil aliud, quàm populos multos consentientibus animis, atque studiis conspiraturos in illa, quæ ad diuinum cultum, & honorem spectant. Quod fecerunt tam Iudæi, & Israelitæ, quos in patriam ab exilio, aut dispersione reuocari contigit, quàm etiam Gentiles, qui eandem cum Iudæis religionem amplexi sunt; aut etiam alij, qui cùm nihil de sua religione mutarent, ad ciuitatis tamen, & templi instaurationem magno Iudæis fuere subsidio, & ad pium illud opus suos cum Iudæorum humeris applicuerunt humeros. Quales fuerunt Cyrus, de quo *Esdræ lib. 1. cap. 1.* qui non solùm remigrandi fecit facultatem, sed etiam vasa omnia sacra restituit, quæ rex Chaldæorum de templo sustulerat. Multa præterea contulit Darius, vt habes ibid. *cap. 6.* & Artaxerxes *cap. 7.* Quare licèt hîc nihil de tempore euangelico spectes, saluari hæc possunt historico sensu in Iudæorum populo ad patriam iam, & auita sacra restituto.

Vers. 10. *Vltra flumina Æthiopiæ, inde supplices mei, filij dispersorum meorum deferent munus mihi.*] 31.
Hæc verba nostram cogitationē aliquantulū firmāt. Neque enim Gentiles filij dispersorū Dei nisi duriusculè vocantur, neque præterea illi dicuntur dispersi, quia à suis finibus expulsi non fuerant, Gentiles porrò nescimus hoc tempore fuisse dispersos, imò fortasse neque alio, nisi de illis tantùm populis intelligas, qui vicini erant terræ promissionis, quos quinto post excisam Hierosolymam anno captiuos abduxit Nabuchodonosor. Sed reuerà nimis Propheta loqueretur angustè, si cùm de euangelica lege, ac luce ageret, Moabitarum, & Idumæorum, Palæstinorum, & Ammonitarum tantùm meminisset. Vltra flumina porrò Æthiopiæ (id est, vltra Nilum, qui cùm vnus sit fluuius, in plurali tamen numero flumina vocatur, propter septem ostia, per quæ se in mare mediterraneum exonerat) dispersi fuere Iudæi, quorum magnus numerus ad Ægyptios diffugit, vt habes apud Ieremiam *à cap. 43.* Neque illud *supplices mei*, aptè cadit in Gentilium mores, qui suis antè idolis, non Deo vero supplicarant. Quæ sit ista Æthiopia, ex qua venturi dicuntur, qui dona ad Deum deferant, mihi dubium non est, licèt alij dubitent. Cùm enim duæ sint Æthiopiæ, vt alibi sæpiùs à nobis dictum est, sermonem hîc esse de illa, quæ ad Ægyptum spectat, satis indicant flumina, vnde munera dicuntur esse deferenda. Hanc enim irrigat, atque fœcundat Nilus, qui vnus cùm sit, multorum instar obtinet fluminum, quia in septem se ostia grandia diuertit, quorum singula magnorum fluminum gurgiti non cedunt. At alia Æthiopia, quæ ad Madianitas pertinet, non ita iugibus abundat aquis, vt dici possit habitare trans flumina. Quomodo Æthiopia alia notissima, quæque hoc sibi nomen vendicauit, trans flumina sit, ostendimus pluribus ad illud Isaiæ cap. 18. *Væ terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumina Æthiopiæ, quæ mittit in mare legatos.*

Veruntamen mihi non displicet, quod Cyrillo placuit, allegorico sensu hæc esse accipienda de Christo, & Euangelio, quod frequentes alij simpliciter putant. Quare sicut superiora, sic etiam ista de Gentilium conuersione allegoricè sumo; qui supplices dicūtur Dei, quia aliquando in aureo Euangelij sæculo Deo supplicabunt, & illi soli seruient. Dicuntur item filij dispersi, quia futuri aliquando filij; licèt aliena sectentur pabula, & septis includantur alienis, adducendi tamen sunt ad Christi caulas, vt vnum ouile fiat, & vnus pastor. Neque Deus nigros repellet Æthiopes: nam sicut Moyses Æthiopissam duxit; & sponsus sacer eam, quam solis æstus antè fuscauerat, *Cantic. 1.* sic Christus non horruit Æthiopes, sed illos quoque ad Ecclesiæ complexum lubens asciuit. De quibus est illud Psal. 67. *Æthiopia præueniet manus eius Deo.* & Psal. 71. *Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent.* 32.

Vers.

33. Vers. 11. *In die illa non confunderis super cunctis adinuentionibus tuis, quibus praeuaricata es in me.*] Confusio hic, vt opinor, sumitur pro peccati pœna, pro sordibus videlicet, pro seruili statu, pro ignominioso viuendi genere, quale è suis eiecti sedibus obierunt exules in alieno solo. Neque enim homines illi quondam ingenui, ac liberi sine confusione perferre poterant conditionem illam sordidam, ac vilem, in qua ad res indignissimas, longéque turpissimas obsequi cogentur barbarorum hominum non solùm voluntati iustæ, sed etiam libidini. At postquam patrios repetiere fines, iam liberi, iam ingenui, & illis ornati aut opibus, aut titulis, quos antè perdiderant, nullum iam neque apud suos, neque apud alienos subiere dedecus, cùm referrent nullam seruitutis notam. Illas porrò sordes vnde tam grauis orta confusio, fructus esse dicit adinuentionum illarum, id est, operũ, quæ suos authores abduxerunt à Deo; qualia fuerunt vis, calumnia, iudicia corrupta, & tandem idolorum execranda seruitus.

34. Hæc non improbabilia; sed puto hic confusionem vocari aut ipsa peccata ab effectu, quia authori suo ignominiam pariunt, & confusionem; aut certe ignominiam illam, quam affert secum vitæ turpitudo, licèt exilij non sint, aut seruitutis incommoda. Neque id obscurè indicant, quæ proximè succedunt, quæ peccata remouent à populo, aut quod à peccatis proximè redundat in authorem; vt est malum nomen, pessimum exemplum, indecens vita, grauis ex morum turpitudine, & ingratus odor. Ex illa moru corruptela confundi posset Hierosolyma, sicut ex mala filiorum indole, & corruptis moribus confunduntur parentes.

Quia tunc auferam de medio tui magniloquos superbiæ tuæ, & non adiicies exultari amplius in monte sancto
35. *meo.*] Non erit in Ierusalem restituta confusio, quia non erunt illæ adinuentiones, & peccata, quæ confusionem patriæ, atque ignominiam afferunt. Causam autem status illius melioris adducit, quia non erunt amplius in ciuitate tales viri, qui & ipsi in se alant, & in aliis ingenerent, & foueant insolentes spiritus: quos hic vocat *magniloquos Solymitanæ superbiæ*, qui & de seipsis magnificè sentiunt, & de suis rebus superbè, & ambitiosè loquuntur. His verò sublatis, ampliùs in sancto monte, id est, in vrbe sancta, non erit, qui seipsum insolenter attollat, & exaltet, saltem impunè. Ex quo multa sequebantur tam singulorum ciuium, quàm rei totius publicæ pestes, & incommoda; nempe spolia, cædes, contentiones iniustæ, corrupta iudicia: neque enim aliter viri illi magniloqui sustentare possunt excelsum nomen, & ambitiosos fastus. Indicat autem his verbis Dominus molestum esse sibi, quemquam eo præsertim in loco superbire, vbi ipse præcipua quadam religione colitur, & regnat: & ideo effecit vexatione, ac purgatione longa, ne iterum de se ita superbè cogitent, ac sapiant, vt in ciuitate Dei, vbi solium sibi elegit stabile, deberi sibi putent gloriosum nomen, & honorem aliquem diuino similem. Hîc ego meditor odiosum quidem esse Deo superbum animum quocunque in loco; sed multo magis vbi ipse sedem sibi propriã ex multis aliis segregatam assumpsit: veluti si quis in Ecclesiis, aut religiosis claustris de primatu certet, & vbi Deus præcipuè obseruatur, & colitur, ibidem coli se, atque obseruari studeat.

Deus ægrè fert quemquam in templo, aut loco sacro superbire.

36. Hoc verò præstitit Deus vexatione longa, qua

A purgauit quidquid ab ambitione adhæserat Iudæorum moribus; & ex tanta multitudine, quanta à Babylonis abducta fuit, quæque tot annis in exilio propagata est, illi tantùm redierunt, qui timebant Deum, & qui mores in instauratam Hierosolymam, ac templum induxerunt auitos: vt paulo antè dicebamus ad illud, *Reddam populis labium electum.* In hunc ego sensum accipiebam illud *Isaiæ cap. 1. v. 26.* vbi de hoc ipso tempore videtur locutus esse Propheta, *Restituam iudices tuos, vt fuerunt priùs, & consiliarios tuos, sicut antiquitùs, post hæc vocaberis ciuitas iusti, vrbs fidelis.* Quem locum commmuniter Patres, & interpretes de Ecclesia capiunt: quod mihi tunc verisimilius
B visum est, sicut & modò indico: nihilominus sunt, qui illa de tempore Babylonico interpretentur. Sanè Hieronymus sic illud amplectitur, vt hoc non improbet; qui dum explicat illud Isaiæ, *restituam*, &c. ait, *Restituet iudicum similitudinem, vel post captiuitatem Babylonicam, vt Iudæi volunt, Zorobabel, Esdram, & Nehemiam, & cæteros principes, qui vsque ad Hircanum populo præfuerunt*, &c. Idem Haymo, Lyranus, Hugo, & Chrysostomus, omnes in hunc locum. Vide quæ nos pluribus in hunc Isaiæ locum. Vt autem antiquioribus sæculis iudices sancti rei præfuerunt Israeliticæ; quales fuerunt Moyses, Iosue, Gedeon, Dauid, &c. Sic post captiuitatem præpositi fuerunt iudices
C longa vexatione purgati, illis prioribus non absimiles, Esdras, Nehemias, Zorobabel, Machabæi. Non viri magniloqui, qui se in monte sancto Dei arrogantiùs extollerent; sed qui suis diffisi viribus à Dei benignitate penderent, illámque student demereri precibus. Cùm igitur à principibus omnis abesset ambitio, omnis magniloquentia, aberat etiam rapina, vis, & omnis iniuria, quæ à morum arrogantia, & superbo spiritu separari non solent.

A viris sanctis post exilium administrata Hierosolyma.

Sed dicet aliquis non benè hæc conuenire in omne tempus, quod Iudæorum libertatem consecutum est, cùm videamus etiam ante Hircani tempora fuisse in restituta Hierosolyma magniloquos, & superbos; quales fuerunt Iason, & Menelaus, qui dum ambitioni suæ immoderatiùs indulgerent, rem turbarunt Iudaicam, & in ciuitatem sanctam sordes inuexere gentilicas. Huic obiectioni, quæ non videtur esse leuis, satis, opinor, faciet Hebraici idiomatis consuetudo, in quo harum vocum, *non ampliùs, non vltrà*, alios habent vsus, quàm apud Latinos. Neque enim semper negant aliquid futurum in posterum; sed spatium indicant longum, in quo aliquod opus intermittendum est: vt diximus ad illud Isaiæ 2. *Conflabunt gladios suos in vomeres.* In quem sensum explicuimus illud, *Neque exercebuntur vltrà ad prælium.* & cap. 23. v. 12. *Non adiicies vltrà, vt glorieris.* & super Ezechielem ad illud cap. 26. v. 13. *Sonitus cithararum tuarum non audietur ampliùs.* & v. 14. *Nec ædificaberis vltra:* cùm tamen Tyrus ædificata fuerit, & ad priorem mercaturam, & gloriam venerit. Quare sensus erit, multi agentur anni, antequam magniloqui sint, qui in monte sancto meo superbiant. Præterea, vt ibidem docuimus, id dicitur non ampliùs futurum, quod rarò fit, aut minus frequenter, quàm antea; quod exemplis ibi confirmauimus. 37.

D E

Non ampliùs, non vltrà, interdum tantùm temporis dilationem significant.

Hæc multo conueniunt meliùs in Ecclesiam, cuius typus, vt sæpè diximus, fuit restituta Hierosolyma. Neque enim qui Ecclesiæ præfuerunt, magniloquos se præbuere; aut inflato spiritu ad illustre nomen, & gloriosos titulos aspirarunt: 38.

Ecclesiæ prælati humiles.

sed

sed haberi potiùs voluere nouissimi, tam longè vt gloriam venarentur inanem, aut sæculi delicias; vt habiti fuerint non inuiti omnium peripsema, & tanquam malū aliquod omen horrerent, aut execrandū scelus existimarint, si delicias sibi aut gloriam quærerent, nisi à cruce Domini nostri Iesu Cristi. Hæc pluribus persequi non est huius loci. Satis hæc constant ex Apostolicis Actis, & Ecclesiasticis annalibus, vbi legimus, quàm Apostoli, & qui illis successerunt Apostolici viri, vanas hominum cogitationes, & spiritus arrogantes abiecerint, & pro deliciis, & ambitiosis titulis sibi esse duxerint configi Christo in cruce, & à mundo habere nihil nisi contemptum, contumelias, opprobria.

39. Vers. 12. *Et derelinquam in medio tui populum pauperem, & egenum, & sperabunt in nomine Domini.*] Rationem reddit, cur nemo deinceps futurus sit in ciuitate magniloquus, nemo superbus; quia nemo secum habebit opes, quæ superbiam alant, quæque suo quasi iure, licet non optimo, linguam ad quiduis loquendum altè, atque immoderatè procudant. Dixit sanè optimè Augustinus *sermone 5. de verbis Domini.* vbi cùm adduxisset illud Pauli ad Timoth. 1. cap. 6. *Præcipe diuitibus huius sæculi ante omnia non superbè sapere* (sic legit Augustinus, iam in vulgato communiter, *non sublimè sapere*) addit: *Nihil est enim, quod sic generent diuitiæ, quomodo superbiam. Omne pomum, omne granum, omne lignum habet vermem suum: & alius vermis mali, alius pyri, alius fabæ, alius tritici; vermis diuitiarum superbia. Ergo præcipe diuitibus huius mundi non superbè sapere.*

Diuitiarum vermis, & fructus superbia.

40. Hi porrò diuites in suis diuitiis spem collocant, rariùs in Deo. Quare Paulus suprà admoneri diuites iubet *non sperare in incertum diuitiarum, sed in Deo viuo, qui præstat nobis omnia.* Quod item hoc loco Propheta dicit facturos esse pauperes. *Et sperabunt*, inquit, *in nomine Domini.* Illos autem, qui redierunt ab exilio, pauperes fuisse, atque egenos, constat: nam licèt vasa attulerint plurima argentea, & aurea, & alia præterea ornamenta non pauca; at illorum pleraque sacra fuerunt, & ad vsum templi consecrata. Scio multos, qui reuersi sunt è Babylone, non omninò rediisse nudos, sed rem secum non mediocrem attulisse, vt constat *lib. 1. Esdræ cap. 2. v. 68.* vbi quidam dicuntur pro viribus suis ad templi fabricam vltrò contulisse pecuniam. Sed illud aliquid erat exiguum, quale nimirum à captiuis, & seruis cōparari poterat: neque ex eo attolli poterant arrogantes animi, vt superbè de se aut loquerentur, aut saperent, nisi cum pudore mentem quoque sanam abiecissent. Hæc aptè cadunt in Iudæos patriæ restitutos; sed multo magis in Apostolos, virósque Apostolicos, qui magis quàm illi fuerunt egeni, quique felicem rerum euentum ab vna Dei benignitate, & paterna cura sibi promittebant.

Diuites non tam in Deo, quàm in suis opibus confidere soliti.

41. Vers. 13. *Reliquiæ Israel non facient iniquitatem, nec loquentur mendacium, &c.*] Reliquiæ Israel illi dicuntur, qui superstites fuerunt è cæde, vel exilio, quæ multo maximam Israelitidis gentis partem consumpserunt. Hi verò ab illis abstinebunt vitiis, propter quæ alij ferro, fame, ac peste, ac longo tandem exilio periere. Quæ verò fuerint illa vitia, & sæpe tam ab hoc, quàm ab illis Prophetis repetita sunt, & nunc etiam audimus, iniquitas, mendacium, dolos, quibus præcipuè morbis ministerium omne forense laborat.

42. *Quoniam ipsi pascentur, & accubabunt, & non erit,*

A *qui exterreat.*] Si illud *quoniam*, rationalis sit particula, sensus erit satis accommodatus textui, & grauis ad mores. Solent homines, qui à suis opibus, & industria necessaria petunt vitæ subsidia, ne quid suis commodis, atque vsibus desit, rationes inire, & studium adhibere quotidianum, & sedulum, vt facultates, & opes augeantur; rectè ne hoc, ac legitimè fiat, an secùs, non laborant. Quare iniqua meditantur consilia, fallacibus vtuntur verbis, dolosa tendunt retia, & ne abeat animo designata præda, occultas vbique moliuntur insidias. Non sic qui Deum in rebus omnibus intuentur, & ab illo sperant escam in tēpore opportuno. Cùm enim illum beneuolum sibi, atque

Fiducia non in Deo multorum vitiorum seminarium.

B propitium facere studeāt, ab his animi, ac linguæ vitiis abstinent, quæ separant à Deo. Cúmque experientia norint, omnia se à diuina prouidentia habere parata, humana omnia, quæ à recta ratione non fuerint, consilia contemnunt, & satis sibi habent, quod totam de se curam diuinæ prouidētiæ permiserint. Quoniam itaque hi pascuntur à Deo tanquam à pastore prouido, & pasti ad suas coguntur caulas, & intra secura septa ad quietem, & otium includuntur; cóque adducuntur, vbi nullus à bellua timor, nulla à cælorum inclementia iniuria timeatur: neque dolos ipsi, ac fallacias intendunt, quia neque à quoquam fallacias, ac dolos reformidant. Hæc secum reputare

Fiducia in Deo à multis vitiis liberat.

C etiam atque etiam debent, qui in claustris viuunt, aut Ecclesiarum, id est, Christi bonis, & patrimonio sustentantur, vt quando ipsi tam habent Deum liberalem, & promptum, nihil ipsi audeant, quod ipse reprehendat, & damnet.

Sin autem illud *quoniam* rationem non reddat, 43.
quod sæpe in Scriptura ex Hebræorum idiomate contingit, & quod mihi valde videtur probabile; ostendit Deus, qua in suos futurus sit indulgentia, vbi iam excocta in fornace tribulationis vitiorum scoria, ad patrias sedes, & quasi ad antiqua pabula redierint. Vt enim pastor prouidus, suique gregis studiosus, & amans pascua quærit opportuna, & plena, & stabulationem commodam,

D & apricam; & quo luporum arceat rabidam famem, & insidiis occurrat, perpetuas agit excubias: sic Deus rebus commodabit omnibus populo reuerso, efficiétque, ne metus ab hostilibus armis, seu insidiis quietem, & otium interturbet. Quasi dicat Deus, illi deinceps ab illis rebus abstinebunt, qui meum in ipsos furorem acuebant: & ego curabo, ne quicquam illi siue ad commoditatem, & vsum, siue ad otium, & tranquillitatem desiderent. Hoc idem reuerso populo Deus sæpè promisit *Zachar. 3. in fine*, & Michææ 4. *Sedebit vir subtus vineam suam, & subtus ficum suam, & non erit qui deterreat.* Et hoc Machabæorum tempore fuisse completum, habemus Machab. lib. 1. cap. 14. v. 8. *Vnusquisque colebat terram suam cum pace: & terra Iuda dabat fru-*

Dei in suos amor, & prouidentia.

E *ctus suos, & ligna camporum fructum suum.* Ecce pascua à Domino præparata restituto populo. Et statim docet idem de accubatione secura, & otio sine metu. *Et sedit vnusquisque sub vite sua, & sub ficulnea sua, & non erat, qui eos terreret.*

Hæc in Ecclesiæ lætum, abundans, atque pa- 44.
catum tempus multo aptius, iustiúsque conueniunt, in quo veri Dei cultores euangelicis instituti documentis ab omni dolo se atque mendacio continebunt. Quos Deus pastor bonus, qui animam pro gregibus tam libenter, ac liberaliter dedit, pascit in opimis pabulis, ducit ad salutatarem, & iugiter manantem aquam; & ne quid à diabolis

diabolicis patiantur insidiis, ipse perpetuò excubat. Sanè de Ecclesiæ capite pastor ipse Christus affirmat Lucæ cap. 22. v. 31. *Simon Simon, ecce satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.*

45. Vers. 14. *Lauda filia Sion, Iubila Israel, lætare, & exulta filia Ierusalem, abstulit Dominus iudicium tuum,* &c.] Hæc non obscurè indicant sermonem historicum esse de Ierusalem iam restituta, & libera, quæ tot hîc nominibus exprimitur; vt docet expresse Cyrillus, & Albertus, qui in Ierusalem duas, in Israel decem tribus intelligunt. Neque promptum est statuere, quódnam sit illud iudicium, quod Deus de Ecclesia sustulit, aut de Apostolis: cùm *iudicium* sæpè, & apud Prophetas sæpissimè supplicium sit pro peccatis. Quæ verò in Ecclesia peccata puniri debeant, eo præsertim tempore, quo recens fundata est, non video. At ablatum fuisse iudicium, id est, exilium, ignominiam, & sordes, quæ Deus Iudæorum populo pro peccatis inflixit, satis est exploratum. Quare lætari Propheta iubet Ierusalem, & vehementer; id enim valet verborum idem significantium triplex repetitio: quia satis iam ab illa pœnarum exhaustum est, finitum iudicium, extincti hostes, sub quorum dominatu barbaro vitam duxerat infelicem, & ægram, seu mortem potiùs longam protraxerat.

46. Vers. 15. *Rex Israel dominans in medio tui, non timebis malum vltrà.*] Excessisse videbatur Deus de Ierusalem, cùm illam Chaldæorum potestati permisit, cùm excisum est templum, in quo sibi Deus quasi stabile quoddam domicilium locarat. Vnde id consecuta est ciuitas olim opulenta, & nobilis, vt in ferarum cubilia conuersa sit, & ex tanta gloria nihil reliquum fuerit præter bustum, & cineres. Postquam verò Deus eò reuersus est, vnde antè discesserat, sic est Hierosolymæ mutata conditio, vt regnet iterum, & pastorem, ac ducem Dominum habeat, à quo talia accipiet, qualia proximè vidimus. Quomodo *non vltrà, non ampliùs,* non vbique significent aliquid perpetuum, diximus nuper ad illud v. 11. *Non adiicies exaltari ampliùs.*

47. Hæc de Hierosolyma; multo tamen illustriùs de Ecclesiæ tempore dicuntur: vbi exultare iubetur mystica Sion, cuius vmbra fuit illa, quam ab exilio reduces habitarunt Iudæi. Congregabit Deus in illam non solùm ex Israelis genere, sed ex Gentili populo quamplurimos, qui cum principio in ipsis Ecclesiæ cunabilis grauiter ab humana potentia, instigante Satana, premerentur (quod hominum iudicio, cui se in loquendo Scriptura frequenter accommodat, supplicium aliquod certè mali aliquid existimari solet) iudicium illud cùm à vexatione respirare cœpit, sublatum est. Cùm auersi sint inimici, qui illius pacem, & otium turbabant; aut quia extincti, vt Iulianus; aut quia ad meliorem frugem, & saniora consilia mentem mutarunt, vt Constantinus, & Philosophi, qui cùm priùs Christianam religionem oppugnarent acerrimè; pòst verò multo acriùs, atque constantiùs defenderunt. Habet autem in medio sui Dominum, quem præsentem in Eucharistia veneratur; qui cùm ad finem vsque sæculorum cum illa sit futurus, non est cur vltrà, hoc patrono, atque auspice, aliquid timeat.

48. Vers. 16. *In die illa dicetur Ierusalem: Noli timere Sion, ne dissoluantur manus tuæ. Dominus Deus tuus in medio tui.*] Lætari Propheta iusserat Ierusalem, & Israelem, tam videlicet duas, quàm decem tribus, vt putat Albertus (nam ex decem tribubus, cum duabus aliis plurimi redierunt, vt pluribus ostendimus super *cap. 1. Oseæ*) quia omnium inimicorum vires, & insidiæ cessabunt. Hoc verò ipsum tam erit omnibus etiam externis manifestum, vt gratulabundi de tanto bono, aut certè admirabundi clament, dicántque Hierosolymæ, atque Israeli restitutis, vt metum procul, & solicitudinem abiiciant, bono sint, atque erecto animo; cùm secum habituri sint Deum, qui seruet, & protegat; quo seruatore, atque auspice futilis erit humana potentia. Porrò manus in timore dissolui, neruorum omnium inducta paralysi, ita vt suum munus obire non possint, satis in Scriptura sacra tritum est. Isaiæ 13. v. 7. *Propter hoc omnes dissoluentur.* Et cap. 35. v. 3. *Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate.* Ezech. c. 21. v. 7. *Dissoluentur vniuersæ manus, & infirmabitur omnis spiritus.* Quare dum confirmandæ dicuntur manus, aut non dissoluendæ, omnis dicitur abiiciendus metus, cuius effectus est manuum dissolutio, ac torpor.

PROVER. *Manus dissoluta.*

49. Vers. 17. *Gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione tua, & exultabit super te in laude.*] Quàm Deo fuerint grati Iudæi, & qui ex decem tribubus in patriam redierunt, postquam longa vexatione purgati reuersi sunt in patriam, docent locutiones illæ, quæ ciuitati iam ab exulibus instauratæ, nomina attribuunt, quæ non ab offensione, vt antea, sed à charitate profecta sunt; vt *Dominus ibidem, voluntas mea in ea,* & similia. Quàm verò grata fuerint sacrificia post exilium oblata, docet Ezechiel cap. 20. à v. 40. *In monte sancto meo, in monte excelso Israel, ait Dominus Deus, ibi seruiet mihi omnis domus Israel. Omnes, inquam, in terra, in qua placebunt mihi: & ibi quæram primitias vestras, & initium decimarum vestrarum in omnibus sanctificationibus vestris. In odorem suauitatis suscipiam vos, cùm eduxero vos de populis, & congregauero vos de terris, in quas dispersi estis.* Nullam aliam expositionem meliorem mihi videre videor huius loci Sophoniæ, quàm quæ nunc ab Ezechiele producta; qui de eodem omninò temporis articulo loquitur, de quo nunc Sophonias. Omnia verò, quæ multis explicuit Sophonias, illo verbo videtur complexus Ezechiel. *In odorem suauitatis suscipiam vos.* Non enim aliter in populo purgato, ac reduce sibi placebit Deus, quàm homo se aromate suauiter fragrante oblectare solet. Nunc explicemus singula.

Gaudebit super te in lætitia.] Hæc coniugatorum copulatio epitasim habet, neque eam vulgarem: atque ideo gaudium hîc significatur ingens, vt illud Matth. cap. 2. *Gauisi sunt gaudio magno; vita viues, morte morieris,* & similia. Quòd si illud, *in lætitia,* non ad Deum referas, sed ad populum, qui iam purgatus à vitiorum sordibus sacrificium offert in odorem suauitatis, in eóque loco lætatur & exultat; magna quædam apparet pœnitentis animi, Deóque grati commendatio. Dolet quidem pater, cùm ridentem videt delirum filium, phrenesi captum, & spiritum agentem extremum; quia tunc maximè miserrimus est, cùm maximè se fortunatum somniat. At si cum corpore valentē, & sanum mente videt, ridere contingat, ipse quoque cum risu ridentē excipit. Ita planè Deus ferebat grauiter, & nauseabūdus spectabat improborum hominum, & delirantiū vota, in quibus sibi magis, quàm Deo placebant; vt satis Deus ipse ostendit *Isaia cap.* 1. quia reuera cogitatio

Quæ hominum lætitia grata, & quæ odiosa.

tatio illa non ab alio est, quàm ab animo delirante, atque ægro. At postquam tam purus, & puris manibus, lætus, & alacer sacrificium offert, in illius lætitia Deus quoque lætatur, quia factũ probat; & oblatio pura odorem suauitatis inhalat. Huic vni permittuur lætari; aliis, & temporarius hìc, & postea luctus sempiternus indicitur.

Silentij significatio multiplex.

51. *Silebit in dilectione sua.*] *Silere* multa significat, quamcumque in partem sumas, magnopere proditur status, ac pretium pœnitentis, & meliora cogitantis animi. Significat quiescere, vt Exod. cap. 14. v. 14. *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* id est, quiescetis. Silebit itaque Dominus in dilectione, vel qua eum diligis, ita vt dilectio passiuè sumatur, vel qua te ipse diligit. Si priori modo accipias, sensus est, acquiescet in dilectione sua, id est, sibi cõplacebit in amore tuo, & tecum libenter commorabitur, tanquam cum amico, à quo se amari videt. Si posteriori, quiescet tecum, & nunquam abs te aberit, sicut amans ab amato nunquam recedit; quia amantis anima in eo potius est, quem amat, quàm in corpore, quod informat & animat. Est item *silere* quod propriè sonat, vocem nempe continere. Loqui verò duplice ex causa prouenire solet, siue ex ira atque odio: tunc enim aut intendimus minas, aut conuitiis lacessimus, aut animorum nostrorum sensum, & dolorem exprimimus. Et hoc modo silendum esse Domino dicitur in peccatoris causa; quia pœnitentia sicut delet peccata, sic etiam Dei vocem infensam obstruit; & quem habiturus esset iudicem, reddit patronum. Sic Cassiodorus illud Psal. 33. *Beati quorum remissa. O ingeniosa (inquit) simplicitas, & nulla tergiuersatione cautior puritas manifestare delictum. Illis non iudex, sed aduocatus est Christus, qui se propria confessione damnarunt.*

Pœnitentiæ fructus, & laus.

52. Alio modo silemus, cùm nulli patrocinari volumus, aut illius præclarè gestis acclamare; neque gratulari de felici rerum euentu, aut prædicare quod publico videtur dignum esse præconio. Hoc verò negatur de Deo, qui vsque adeò iustos, & pœnitentes amat, vt illo nemo libentiùs res Sanctorum gestas commendet, aut prædicet; dum Prophetarum, aut etiã infantium in illam curam voces elicit, aut in rebus inanimatis, ac mutis illa edit signa, quæ multo interdum clarius loquũtur, quàm humanæ voces. Quod fortasse Deus ipse significat verbis, quæ proximè succedunt.

Deus iustorum hominum laudator.

53. *Et exultabit super te in laude.*] Exultabit Deus, ô Hierosolyma, super te cùm legitimo ritu, & manibus puris destinatas à lege victimas exsoluas, seu cum pias offeras preces, aut in ore religioso, ac puro diuina resonent præconia. Exultabit super te in laude: neque enim quemadmodum continebit vocem indignationis, ac furoris plenam; sic etiam vocem suam amicam, & placidam cohibebit à laude. Quia enim in illius tu laudem tam impensè, atque constanter incumbis; sic ipse te laudibus prosequetur eximiis, & quanti tuas laudes, atque studia faciat, omnibus declarabit. Hoc ipsum confessus est Christus Matth. cap. 10. v. 32. *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cælis est.* Et Lucæ cap. 12. v. 8. *Omnis quicunque confessus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei.* Hæc satis videntur expedita ad mores grauia, & ad textũ idonea.

Grata Deo iustorum laudes.

54. Sed si illud, *in laude tua*, actiuè sumas, id est, in laude, qua tu, ô Hierosolyma, laudas Deum; quod non videtur alienum à veritate, & textu, sensus est ad mores grauis, & in Scriptura sacra sæpè repertus, vbi Deus dicitur libenter audire

A iustorum laudes de se: & iusti ipsi id sæpè orant, vt gratæ, & acceptæ sint laudes. Sane rectos decere laudem, & hymnum, cecinit Dauid Psal. 32. v. 1. *Rectos (inquit) decet collaudatio.* Et quidem viri de sæculo prudentes dedecori sibi esse ducunt, si sordidorum, ac sceleratorum hominum sermone laudentur.

Certè Deus id sibi gratum non esse significauit Psalm. 49. v. 16. *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas? & assumis testamentum meum per os tuum?* Et Eccli. cap. 15. v. 9. *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Non quòd diuina laus ex seipsa speciosa non sit; sed quia illi ex ore impuro nescio quid indignum, atque odiosum B adhæsit, propter quod non ita suauiter resonat, sicut in Sanctorum ore. Ita Basilius in locum nuper citatum ex Psalmo, *Quemadmodum pedi obtorto, atque obliquo calceus rectus non admodum probe aptatur; sic obtortis cordibus minimè conuenit diuina laus.* Aureus sanè circulus pulcher; pulcritudo item in fœmina speciosa est. At vtrumque omninò despicabile, ac turpe in locis tanto splendori, ac nitori indecentibus, si aurum nimirum sit in ore porci, & pulchritudo in muliere desipiente, & fatua. Prouerb. 11. v. 22. *Circulus aureus in naribus suis mulier pulcra, & fatua.* 55.

Iniustorum ingrata.

Parabola grauis est sententia, & digna, quæ familiari hominum sermone teratur: at in ore stulti C vim totam, & dignitatem amittit. Prouerb. 28. *Indecens est in ore stultorum parabola.* Notum est illud præclarum Lacedæmonij senatus iudicium: nam cùm de re grauissima incidisset deliberatio, opportunam valde, vir vitæ, linguæque turpissimæ sententiam adduxisset, quam laudabant reliqui, non tamen priùs illam probarunt, & amplexi sunt, quàm illa eadem ab honesto, probatæque vitæ viro pronunciata fuit; vt probum virum videretur authorem habuisse. Nam ante hoc tempus indigna videbatur, quæ probaretur, cùm authorem non haberet nisi improbum. Ita Aulus Gellius *lib. 18. cap. 3.* 56.

Vers. 18. *Nugas, qui à lege recesserant, congregabo,* D *quia ex te erant, vt non vltrà habeas super eis opprobriũ.*] Hinc, meo iudicio, non obscurè colligitur sermonem saltem historicum esse de re Iudaica, solutáque captiuitate. Item illud, quod paulo antè diximus, ex exulibus non rediisse omnes, sed illos tantùm, qui timuerunt Deum, quíque suis moribus honestam redderẽt, & amabilem instauratam vrbem. Alios autem viros, qui ad alia omnia proiecti, de veris animorũ ornamentis, diuinæque legis obseruantia non laborant, nugas appellat; ac si dicas homines nauci, futiles, quisquilias, vmbras hominum inanes, & telluris (vt dixit Satyricus) pondus inutile. Hos itaque Deus congregabit, id est, occidet, aut, quod idem censetur, E in exilio sinet inueterascere (nam exules in mortuis numerantur, sicut etiam exilij locus dicitur sepulcrum, *Ezech. cap. 37.*) ne quemadmodum propter improbos ciues euersa est Hierosolyma, & opprobrium subiit apud nationes alias indignissimam; sic etiam iterum propter similes mores, & ingenium, ignominiam subeat nõ dissimilem. *Congregare* significare interdum interire, diximus sæpè, & nunc proximè cap. 1. v. 2. *Nugæ* prouerbiali specie pro re sumuntur friuola, leuicula, sicut apud Græcos λῆροι. Quæ vox licèt plerumque rebus futilibus, interdum tamẽ personis accõmodatur, in quibus nihil est ponderis, ac mẽtis. Sic Cicero lib. 6. ad Atticũ epist. 33. *Amicos habet meras nugas.* Sic igitur illi, qui à Deo, siue à lege recesserunt, suis siue cõmodis, siue studiis ineptis obsẽ 57.

Peccatoris vilitas.

Peccator reipublicæ noxius.

obſecuti, nugæ vocantur, ſiue illi principes fuerint, ſiue iudices populi, ſiue propheticũ ſibi nomen aſſumpſerint. Quia qui humanis ſe rationibus abduci ſinunt, diuinarum immemores, meræ ſunt nugæ, merum delirium, & viuentis hominis fœneum ſimulacrum.

58. Hæc ad Eccleſiæ tempus accommodantur ab aliis, non tamen eodem modo. Quid omnes ea de re cogitent, dicere longum eſſet opus; facilè eſt cuilibet quiduis cogitare, nam ad allegoricos ſenſus varie patet litera. Tunc autem pleriſque illud *congrego* in magis communi, ac propria ſignificatione capiunt, & de his ſermonem eſſe putãt, qui ad Eccleſiam aggregati ſunt. Vocem Hebr. נוגי *nuge.* (pro qua Hieronymus *nugas* vertit, ratus tam Latinis, quàm Hebræis idẽ eſſe vocabulum) à radice יגה *iagah.* deduci, ſignificareque gẽtem afflictam, & ſqualidam, è recentioribus nonnulli putant. Alij à הגה *bagah.* quod remouere, ſeu abſtrahere valet; & in his Tigurina cum Pagnino. Neque in Hebræo vox eſt *lex*, à qua illi, qui dicuntur nugæ, receſſiſſe dicuntur; ſed מועד *moad,* quod tempus, ſeu, vt verterunt Septuaginta, ſolemnitatem valet. Quare hæc aptè cadunt in Gẽtiles, qui à Iudæorum ſolemnitate, & ſacris, ſeu etiam à lege, nempe data per Moyſem à Deo, receſſerant, id eſt, erant remoti, quia aliis ſe legibus addixerant. Hos igitur coget Dominus in idem ouile, qui ex eo erant, licèt aliquando ſeparati, quia ex illorum numero, quos Dominus ſuo iam antea ouili deſtinarat. Tunc verò ceſſabit opprobrium, quod audiebat Eccleſia quotidie à Gentili populo, qui euangelicam legem ſtultitiam vocabat, vt ait Paulus 1. Cor. 1. v. 23. *Gentibus autem ſtultitiam.* Ceſſabit, inquam, quia illi euangelicam legem ex animo complexi àdeò non contemnẽt, vt etiam ament, laudent, & dato ſecuri iugulo ab aliorum calumniis, & reprehenſione defendant.

Eccleſia gentium acceſſione illuſtrata.

59. Si verò *nuga* legas, quod neceſſe eſt, quæ vox aliquid ſignificat deſpectum, & vile; ad Gentilem etiam populum accommodari poteſt vaticinium. Fuerunt namque ante euangelicum tempus deſpecti Gentiles, Iudæorum comparatione, quos Dominus legibus inſtituit, & innumeris ornauit beneficiis. Sanè Gentiles dimiſſi dicuntur à Deo. Actor. cap. 14. v. 15. *Qui in præteritis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas.* Et cap. 17. v. 30. *Tempora quidem huius ignorantiæ deſpiciens Deus.* Hi à lege receſſerant, id eſt, aberant, ſeu remoti erant. Recedere enim non ſemper ſignificat relinquere aliquem locum, in quo quis antea fuerat; ſed ſimpliciter abeſſe ab aliquo loco, in quo nunquam fuit, imò neque eſſe potuit. Quomodo dicimus longè ciuitatẽ aliquam receſſiſſe à mari, Antichthones à noſtro vrbe, Apenninum à Caucaſo, id eſt, vtrũlibet horũ ſitũ eſſe procul ab altero. Sic Maro *lib. 1. Æneid.* cũ ſignificare vellet abeſſe lõgè domũ Anchiſę, hoc verbo vſus eſt;

Et magis, atque magis (quamuis ſecreta parentis
Anchiſæ domus, arboribuſque obtecta receſſit)
Clareſcunt ſonitus.

Ait igitur Deus Gentiles, qui procul antea fuerant à lege, quoſque ipſe tanquam nugas deſpexiſſe videbatur, congregandos eſſe ad euangelicũ ouile, quia ex ipſo erant, & ceſſaturum opprobrium, quo ſenſu in priori explicatione diximus.

60. Hieronymus de illis accipit, qui cùm euangelicam legem eſſent profeſſi, vitam tamen ſuam peccatorum frequentia corruperunt. *Nugas* (inquit) *ſeu, vt Aquila interpretatus eſt, tranſlatos, qui à te receſſerunt, congregabo, quia ex te erant, hoc eſt, ij, qui per vitia, atque peccata de tuo ſinu fugerunt, & fa-*

A *cti erant ſub dæmonum poteſtate, reintegrato omnium ſtatu venient ad te: & nequaquam vltra ſuper perditis filiis patieris opprobria.* Hæc ex multis, quæ tu apud authores ſuos facilè inuenies. Et ſanè ex litera ad allegoricos, & myſticos ſenſus latè patet area.

Verſ. 19. *Ecce ego interficiam omnes, qui afflixerunt te in tempore illo.*] Loquitur cum Hieruſalem, quã conſolatur, atque confirmat non ſolùm promiſſa libertate, ſed cæde illorum, à quibus ipſa fuerat ſeruitute, opprobriis, & omni ærumnarũ genere variè vexata. Id quod reipſa experti fuerunt Babylonij, cũ captiuis oboriri cœpit lux libertatis. 61.

Et ſaluabo claudicantem, & eam, quæ eiecta fuerat, congregabo.] Claudicare quid ſit, nemini obſcurum B eſt, metaphoræ inde deductæ non adeò faciles. Claudicare dicitur, qui ſic vni adhæret diſciplinæ, vt in alteram interea prolabatur, quia dubio eſt animo, & in lubrico vagum poſuit veſtigium: quare non rectum molitur inceſſum, ſed illũ variis flexibus modò huc, modò illuc indecorè, & titubanter intorquet. Tales erant illi, de quibus *lib. 3. Reg. cap. 18. v. 21.* Elias, *Vſquequò claudicatis in duas partes? Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum; ſi autem Baal, ſequimini illum.* Et Pſ. 17. v. 46. *Filij alieni inueterati ſunt, claudicauerunt à ſemitis ſuis.* Si in hunc ſenſum hæc accipias, non incõmodè hæc in Hieroſolymam conueniunt, quæ reuerà in religione ſæpe claudicauit, quæ coniungere voluit cum tenebris lucem, & cum Chriſto Belial. Nam ſub C hæc tempora in templo non ſolùm viſebantur aræ, quas ad ſuum cultum Deus excitari voluit; ſed quamplurimæ aliæ, vbi Gentilium non tam diis, quàm immanibus monſtris diuini impendebantur honores; vt conſtat ex *lib. 4. Reg. cap. 23.* vbi à Ioſia ſimilia monſtra dicuntur eſſe ſublata. Et quia in ſemitis ſuis, id eſt, in viuendi modo claudicauit, eiecta fuit, à ſuis nempe ſedibus, & in alienum ſolum procul ablegata. 62.

A claudico varia tranſlationes.

Claudicare præterea aliquid indicat infirmum; nam ex debilitato crure naſcitur inceſſus ille turpis, & tardus, quo ſeriùs aliquis, & non ſine dolore, aut impedimento progreditur: quare qui claudum dixit, miſerum dixit; qui eodem propemodum loco ponitur, quo cæcus. Vnde *Reg. lib. 2. cap. 5. v. 8.* Iebuſæi iactabant arcem Ieruſalem D à cæcis, & claudis poſſe defendi, id eſt, ab infirmo, & inutili hominum genere. Et ibidem cæcis, & claudis dicuntur templi fores obſtructæ. Et ex exilio Babylonico cæci, & claudi reuocandi dicuntur Ierem. 31. v. 8. *Ecce ego adducam eos de terra Aquilonis, & congregabo eos ab extremis terræ, inter quos erunt cæcus, & claudus.* Quare ſenſus erit iuxta poſteriorem trãſlationem non ineptus, ſi dicas Hieroſolymam, quæ ab hoſtibus malè fuerat iactata, & ita luxata, vt incedere non potuerit, niſi tardè, ac fœdè, id eſt, vitam habuerit infelicem, & ſordidam, ac denique eiecta fuerit ad alienũ ſolum; fore tandem in patrias ſedes reuocandam, ita vt neque viuat exul apud alienos, neque claudi in E morem inceſſum moliatur tardum, & moleſtum, qualis eſt illorum, qui compedibus habent conſtrictos pedes; quod illis frequenter accidit, qui bello capti apud alios ſeruitutem ſeruiunt duram, & ignobilem. 63.

Et ponam eos in laudem, & in nomen in omni terra confuſionis eorum.] Hæc aperta ſunt, & millies repetita. Terra verò confuſionis dicitur, vbi populus ille aliquid pertulit ignominioſum, & turpe. Primum in obſidione, quandiu anguſtè vrgebat Babylonius: & poſtea cùm capta eſt ciuitas, multa acciderunt ad dolorem acerba, ad ignominiam grauia Iudæorũ populo. In via contigerunt alia 64.

In omnibus locis ignominiæ in decorem se soluet, vbi antè confusi.

iis, quę minùs molesta, neque magis decora, cùm totus ille tractus, quem captiui lustrarunt, ab Hierusolyma Babylonem vsque personuerit exulum multiplici, ac continenti gemitu; & stratus fuerit illorum cadaueribus, quos fames, onus, & lassitudo confecit. Denique apud Babylonios multa tulerunt indigna, & ingenuis animis longe turpissima, quæ in Threnis, multis deplorat Ieremias. In illis ergo locis ait populum, cùm tempus libertatis aduenerit, venturum in honorem, & laudem; ita vt qui priùs illorum ignominiæ testis fuit, ille idem locus singularis gloriæ, & laudis longe iucundissimæ testis fiat.

65. *Hierosolymæ restituta gloria.*

De Hierosolyma multa probant, quæ hîc repetere necessarium non est, cùm hoc ipso in capite non semel audiamus; cùm videamus renouatam ciuitatem, & templum instaurata sacrificia, & magno apud omnes gentes loco fuisse Iudæos. De via cecinit Dauid *Ps.125.* vbi ait viam, quæ est ad Babylonem à Hierosolyma personuisse in migratione fletu; in reditu tamen festiua iubilatione, ac plausu. *Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione.* Baruc cap.4. v.23. *Emisi vos cum luctu, & ploratu; reducet autem vos mihi Dominus cum gaudio, & iucunditate in sempiternum. Sicut enim viderunt vicinæ Sion captiuitatem vestram à Deo; sic videbunt,* &c. & cap. 5.v.6. *Exierunt abs te* (o Ierusalem) *pedibus ducti ab inimicis; adducet autem illos Dominus ad te portatos in honorem, sicut filios regni.* Vide quæ nos de hac re pluribus ad illud Isaiæ cap.49.v.22. *Ecce leuabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum: & afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas super humeros portabunt.* Similis locus *Isaiæ 66.v.20.* vbi reducendi dicuntur captiui. *In equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis.* De his lib. 3. Esdræ cap.5.v.2. *Et Darius rex misit cum eis* (nempe Iudæis) *equites mille, donec deducerent eos in Ierusalem cum pace, & cum musicis, & cum tympanis, & tibiis.* Hoc idem refert Iosephus *lib.11. Ant. cap.3.* Neque suus Iudæis honor defuit in exilij, ac captiuitatis loco, tunc cùm à Cyro laxata fuit captiuitas, & data aurea, atque argentea vasa non exiguo numero, cùm Mardochæus ad regiæ dignitati proximum gradum, & Esther ad regium nomen è Iudæorum genere prouecta fuit. Quare si singula consideres, inuenies in omni loco, vbi pudorem, & ignominiam subiit gens Israelitica, postea eximiam gloriam fuisse consecutam.

Vers.20. *In tempore illo, quo adducam vos,* &c.] Nihil dicit nouum, sed quæ dicta fuerunt proximè, confirmat; quod ad maiorem fidem in Scriptura sacra frequenter fit. Tantùm addit non solùm gloriosum fore genus Israeliticum in populis, vbi antea aliorum ludibrio, atque conuitio patuit; sed omnibus vbique populis: quod alibi sæpè ab aliis audimus. Hæc omnia facilè ad Ecclesiam transferuntur, quæ claudicantem populum, & abiectum amplexa est, siue ille ex Iudæorum, siue ex Gentilium genere collectus fuerit. Vterque enim populus claudus fuit; ille, quia vestigio vago, & parùm firmo, vt ferebat non tam voluntas, quàm libido, ad varias se religiones applicabat; hic verò, quia nunquam rectam, & sanam ingressus est viam. Vterque item abiectus videri potuit. Iudæus quidem, quia sub hæc tempora Babylonica variè vexatus est, è patriis finibus extorris; & postea variis successibus in Romanorum potestatem adductus, & tantùm non omninò deletus. Gentilicus, quia, quo sensu paulo antè docuimus, abiectus est, & despectus à Deo. Vterque tamen adductus est in honorem, & nomen, ad Ecclesiæ videlicet sinum, id est, ad Dei complexum, atque familiam. De allegorico huius loci sensu plura nos ad similem locum Malachiæ cap.4. *In die* (inquit) *illa, dicit Dominus, congregabo claudicantem, & eam, quam eieceram, colligam.* Quæ hîc repetere necessarium non est. 66.

IN

Digitized by Google

IN AGGÆVM PROPHETAM COMMENTARII.

PROLEGOMENON I.

De genere, & patria Aggæi.

1\. *Aggæi genus & patria.* DE genere, & patria Aggæi nihil habemus, neque ab ipso Propheta; qui genus siluit suum; neque ab Esdra, qui cùm *lib.* 1. *cap.* 5. Aggæi, & Zachariæ meminisset, huius parentis nomen expressit, illius tacuit. *Prophetauerunt*, inquit, *Aggæus Propheta, & Zacharias filius Addo.* Sed neque scriptores, qui de vita, atque obitu Prophetarum texuerunt historiam, vllum addiderunt verbum de Aggæi natalibus; quia id neque diuinando facere potuerunt. Quare neque ego ea de re quicquam, quia neque ab aliis habeo quid dicam, neque diuinare sine fundamento libet. Tantùm lego apud Epiphanium apud sacerdotes cum honore, & gloria fuisse sepultum: & addit Dorotheus *in Synopsi* cum honore etiam sacerdotali, vnde videtur sacerdos fuisse, & de tribu Leuitica.

PROLEGOMENON II.

De vita, & morte Aggæi.

2\. *Aggæi vita, & mors.* IDem nobis dicendum de vita, & morte, quod de genere, & patria: mirum est enim quantum scriptorum de tanto Propheta silentium. De vita hoc solum habemus à Hieronymo, vocatum Aggæum, quia re, & nomine festiuus fuit: & in epistola ad Paulinum, festiuum appellat, & lætum. Quòd si nomen ab ingenio illi impositum D fuit, vt in Scriptura non inusitatum, credibile est illum moribus fuisse festiuis, & ingenuis. Quàm verò constanti animo fuerit, & contra difficultates omnes intrepi-

A do, inde colligit Hieronymus in prologo commentariorum in hunc Prophetam, quòd *aduersùs Artaxerxis regis edictum, & Samaritanos, gentésque cunctas per circuitum ædificationem templi impedientes iuberet templum extrui.*

De morte hoc vnum habemus è Romano Kalendario, eius memoriam renouari quarto Nonas Iulij: ex vsu autem Ecclesiæ dies celebratur non natiuitatis, sed obitus, quia hic verè Sanctorum natalitius est dies; Græci verò in suo Menologia memoriam illius in diem 17. Ka- 3.
B lendarum Ianuarij coniiciunt. Sepultus verò dicitur Hierosolymæ ab Epiphanio; qui etiam addit ab Aggæo omnium primo *Alleluia* fuisse cantatum; item *Amen*, quod *fiat* significat. Epiphanio credamus. *Alleluia à quo primum cantatum.* Sed mihi admodum videtur esse difficile, cùm ante illius ætatem in Psalmis Dauidicis millies legamus *Alleluia.* Nisi dicamus psalmis, & canticis ab Aggæo primùm additum *Alleluia*, & post orationem quasi legitimè positum *Amen*, quod etiam modò facit Ecclesia, sicut faciebat olim ætate Pauli, vt constat 1. Cor. 14. vers. 16. *Quomodo dicet Amen super tuam benedictionem.*

C

PROLEGOMENON III.

Quo tempore prophetauit.

PRophetauit anno secundo Darij filij Histaspis mense sexto, duobus nempe mensibus antequam prophetare cœpit Zacharias. Secundus autem annus huius Darij fuit decimusseptimus, aut decimusoctauus ab edicto Cyri, quo facta est Iudæis facultas in patriam redeundi; rediit autem Aggæus iuuenis, vt author est Epiphanius, & Dorotheus. 4. *Aggæus quo tempore prophetauit.*

PROLEGOMENON IV.

Ad quos prophetauerit.

5. *Ad quos prophetauit.* PRophetauit ad Solymitanos ciues, postquam ab exilio remigrarunt in patriam; sed præcipuè ad Zorobabelem, & Iesum filium Iosedec, quibus id datum erat negotij, vt templum instaurarent. Verùm cùm altare iam esset extructum, & iacta templi fundamenta, *Esdræ lib. 1. cap. 3.* ad mandatum Artaxerxis, cuius animum finitimi populi ad odium, & inuidiam Iudai- A ci nominis inflammabant, intermissum est opus vsque ad annum Darij Histaspis secundum, *Esdr. cap. 4.* Hoc anno prophetare cœperunt Aggæus, & Zacharias, vt habes in principio vtriusque prophetiæ; quorum eò spectabat præcipuè vaticinium, vt templi molitionem, quæ iampridem intermissa fuerat, vrgeret. Et id maximè contendit Aggæus, cuius constantiam, vt dicebamus suprà, commendat Hieronymus, quem ab hac publica, & prophetica voce neque regium edictum, quod erat contrà seuerum, & graue, neque vicinarum gentium coniuratio deterruit.

IN

Digitized by Google

IN CAPVT PRIMVM

ARGVMENTVM.

INTERMISERAT populus inchoatam iampridem templi fabricam, depellebátque à seipso impietatis, atque inertiæ suspicionem, & crimen, quòd nondum aduenisset templi ædificandi maturitas; cùm contrà staret Persarum regis seuerum decretum, & à finitimis populis aduersa voluntas. Primùm ergo Propheta remouet, & diluit stultam illam excusationem; cùm obnitente regis edicto, & vicinarum gentium studiis, in suas quisque domos ædificandas incumberet, quas non ad vsus tantùm opportunos, sed etiam ad ambitiosum luxum extruebat, cùm non minus hoc, quàm illud cautum foret regis edicto, & vicinarum gentium odia retardarent. Deinde quàm id Deo acciderit ingratum, ex eo probat, quòd ab eo tempore, in quo à pio illo opere cessatum est, exiguus fuit ex copioso semine prouentus, neque ager quicquam attulit, quod aut expleret famem, aut sitim extingueret, malè denique cederet res pecuaria, ac rustica. Et tandem hortatur, vt interruptam templi fabricam studiosè pertexant; pollicetúrque populi conatibus Deum non defuturum: qua promissione confirmati omnes se ad reuocandum opus alacriter accingunt.

CAPVT I.

1. *IN anno secundo Darij regis, in mense sexto, in die vna mensis, factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ ad Zorobabel filium Salatiel, ducem Iuda, & ad Iesum, filium Iosedec, sacerdotem magnum, dicens:* A

2. *Hæc ait Dominus exercituum, dicens: Populus iste dicit: Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ.*

3. *Et factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, dicens:*

4. *Nunquid tempus vobis est vt habitetis in domibus laqueatis; & domus ista deserta?* B

5. *Et nunc hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda vestra super vias vestras.*

C

6. *Seminastis multum, & intulistis parum: comedistis, & non estis satiati: bibistis, & non estis inebriati: operuistis vos, & non estis calefacti: & qui mercedes congregauit, misit eas in sacculum pertusum.*

PARAPHRASIS.

1. IN anno secundo regni Darij filij Histaspis, mense sexto, & die illius prima, hoc à Domino verbum accepit Aggæus propheta, quod perferret ad Zorobabelem ducem, Salatielis filium; & ad Iesum filium Iosedec, sacerdotem magnum.

2. Sic ad vos, ô magni populi principes, ait Dominus Deus exercituum; sæpe populus iste, & secum tacitus, & publicè clamat, nōdum esse ædificandi templi tempus opportunum.

3. Hoc rursus verbum accepit Aggæus à Domino, quod referret ad populum.

4. Cùm non minùs seuerè cautum sit, ne priuatæ ædificentur domus, quàm ædis Deo sacra; quid vos Dei contempto publico, ac religioso sacrario, quasi nondum illius ædificandæ aduenisset opportuna maturitas; tam audacter, & auidè in priuatarum ædium non solùm commodam, sed ambitiosam etiam fabricam incumbitis?

5. Nunc ergo audite, quid per me vobis Deus nunciari velit. Reputate, ait Dominus, apud vos, quò cogitationes vestræ, ac studia spectarint, & quis illa exitus, ac prouentus exceperit; & ex illis, si modò in vobis aliquid est consilij, cognoscetis, quàm vester Domino labor fuerit acceptus.

6. Cogitate, quàm vobis ager exiguum fructum ex copioso semine retulerit; neque enim cibus famem, neque potus sitim explere potuit; neque vestis, quam ex ouiū vellere texuistis, vestrum fouit, ac calefecit corpus: & quidquid ex mercatura, ac negotiatione lucri reportastis, perinde fuit, atque si illud in perforatum saccum missum fo-

Digitized by Google

A ret; neque enim vobis vsus aliquid attulit.

7. Hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda vestra super vias vestras:

7. Iubet Dominus iterum, vt studia vestra, & eorum euentus recognoscatis.

8. Ascendite in montem, portate ligna, & ædificate domum: & acceptabilis mihi erit, & glorificabor, dicit Dominus.

8. Si ergo vultis, dicit Dominus, gratum aliquod opus excitare, ascendite libanum, & inde ad templi fabricam pretiosa ligna comportate. Hoc ego studium lubens accipiam, quia in eo meæ mihi gloriæ seruietis.

9. Respexistis ad amplius, & ecce factum est minus: & intulistis in domum, & exufflaui illud: quam ob causam, dicit Dominus exercituum? quia domus mea deserta est, & vos festinatis vnusquisque in domum suam.

9. Cùm magnos expectaretis ex copioso semine prouentus, multo tamen minus, quàm sperabatis, retulistis; & exiguum illud, quod intulistis in horrea, pertenuem B vobis vsum attulit: ego enim feci, vt messis tota in spicas euanidas, aut inanes stipulas abierit. Huius verò laboris inutilis, & cassi, ea causa est; quia quilibet è populo suam potius commoditatem captat, quàm gloriæ meæ seruit. domui enim suæ exædificādæ assiduam nauat, & hilarem operam; interim domus mea, quasi vile aliquid foret, deserta relinquitur.

10. Propter hoc super vos prohibiti sunt cæli ne darent rorem, & terra prohibita est ne daret germen suum:

10. Propter hoc cohibitus est benignus cælorum influxus, ne terram irrigaret, quo C homo ex agro colligeret, quo familiam aleret; néve campus herbesceret, quo pecudi, atque armento pabula præberet.

11. Et vocaui siccitatem super terram, & super montes, & super triticum, & super vinum, & super oleum, & quæcunque profert humus, & super homines, & super iumenta, & super omnem laborem manuum.

11. Hanc igitur ob causam siccitatem, ac sterilitatem induxi terræ, quæ homines; & montibus, qui pecudes pascunt, & armenta; ne terra frumentum, vinum, oleúmque produceret; ne denique quicquam eorum, quæ ex terræ sinu homines ad suum vsum, vel iumenta capiunt; denique feci, vt omnis manuum vestrarum labor esset inutilis.

12. Et audiuit Zorobabel filius Salatiel, & Iesus filius Iosedec sacerdos magnus, & omnes reliquiæ populi, vocem Domini Dei sui, & verba Aggæi prophetæ, sicut misit eum Dominus Deus eorum ad eos: & timuit populus à facie Domini.

D 12. Audierunt hæc Aggæi Prophetæ verba, atque mandata, quæ à Deo ad ipsos Propheta pertulerat, Zorobabel filius Salatielis, & Iesus sacerdos, & qui cùm ipsis erant è plebe reliqua. Tunc verò populus concussus est timore, ne à Domino grauius aliquod infortunium accideret.

13. Et dixit Aggæus nuncius Domini de nunciis Domini, populo dicens: Ego vobiscum sum, dicit Dominus.

13. Aggæus Domini legatus de nunciis, atque mandatis multis, quæ acceperat à Domino, hoc ad populum pertulit, quo Deus dicebat se in templi fabrica cum populo patronum, & auspicem futurum.

14. Et suscitauit Dominus spiritum Zorobabel filij Salatiel, ducis Iuda, & spiritum Iesu filij Iosedec sacerdotis magni, & spiritum reliquorum de omni populo: & ingressi sunt, & faciebant opus in domo Domini exercituum Dei sui.

14. Hac tam graui, ac grata promissione, excitauit Dominus, confirmauítque E animos Zorobabelis ducis, & Iesu Sacerdotis, totius denique Iudæorum populi. Quare accinxerunt se ad præclari operis celerem molitionem; & cùm mense sexto, & eius prima die ad studium illud populum esset hortatus, eiusdem mensis die vigesima quarta interruptum iampridem opus absoluere tentarunt.

Digitized by Google

Verſ.1. *In anno ſecundo Darij regis, in menſe ſexto, in die vna menſis factum eſt verbum Domini in manu Aggæi.*]

1. *Magnum beneficium eſt Dei verbum.* MAGNVM ſanè beneficium eſt miſſum eſſe ad homines Prophetam Dei nuncium, & illius voluntatis interpretem, qui mandata perferat diuina, & noſtri nos officij, atque incolumitatis admoneat: quando annus notatur, menſis, & dies, quo nobis aliquid eſt indictum, ſeu inſpiratum à Deo, vt ratio tota conſtat accepti, quæ nos mandati contempti, & immemoris animi coarguat, & damnet. Mittitur Aggæus ad Solymitanos ciues, qui cùm priùs ſtudio magno templi molitionem eſſent aggreſſi, oblatis abducti difficultatibus, ſic à templi fabrica ceſſarunt, quaſi nihil ad ipſos de inſtaurando Dei, ac religionis domicilio pertineret. Quia verò vox iſta prophetica magnum habet pondus, tempus accuratè notatur, in quo primùm in Solymitanorum conuentu perſonuit.

2. Ponitur autem Darij regnum, quia nullus tunc erat rex Iſraelis, ac Iudæ. quod certum definiret temporum ſpatium. Hic porrò Darius fuit filius Hiſtaſpis, qui quartus regnauit ab illo Dario, qui ſimul cum Cyro Babylonicum extinxit imperium; de quo multa, qui de rebus Perſicis, ac Babylonicis hiſtoriam texuerunt. Vide Herodotum, & Iuſtinum, & quæ nos *in cap.1. Zachar.n.7.* Secundo igitur anno poſtquam Darius iſte regnum iniit, menſe ſexto, & eius prima die hoc à Deo per Aggæum Prophetam verbum acceperunt duo Hieroſolymæ principes, Zorobabel dux reſtituti populi ex regio ſanguine, & Ieſus filius Ioſedec è ſacerdotali ſemine, & magnus idem Sacerdos. Menſis autem ſextus eſt ille, quem Hebræi vocant Elul, qui Auguſtus eſt; licèt Hebræorum menſes, qui cum luna incipiunt, in duos plerumque menſes Latinorum incurrant. *Duo apud Hebræos anni, vulgaris, & ſacer.* Cùm duo præterea apud Hebræos reperiantur anni, vulgaris, & ſacer, ille ab Septembri incipit, hic à Martio. De ſacro anno hæc ſunt intelligenda; quia vulgaris, & ciuilis anni nullus eſt in Scriptura ſacra vſus. Vt pluribus oſtendimus in noſtris Commentariis in Zachariam ſtatim in principio; quæ valde faciunt ad ea, quæ in huius vaticinij principio ponuntur; & deinde conſtabit magis ex *cap.2. ad finem.*

3. *In manu Aggæi.*] Hebraiſmus eſt, id eſt, *per Aggæum.* Nam cùm manus ſit multorum operum adminiſtra, fit vt pro omni ſimpliciter inſtrumento ſumatur, ſiue manus propriè ſit, ſiue lingua, ſiue quidvis aliud, quod ad operis molitionem aſſumitur. Vnde ſæpe Deus locutus dicitur, aut monuiſſe populum *in manu Prophetarum*, id eſt, per illorum ſermonem, & linguam. Et *Numer. 31.v.1.* egreſſi dicuntur filij Iſrael de terra Ægypti, *in manu Moyſis, & Aaron*, id eſt, illorum miniſterio. Porrò *in* ſumi pro *per*, nimis eſt rudis qui neſciat.

4. *Ad Zorobabel filium Salatiel ducem Iuda.*] Magnam huic loco difficultatem affert, quod *lib.1. Paralip. cap.3. v.17.* Zorobabel filius eſſe dicitur non Salatielis, ſed Phadaiæ, qui Iechoniæ quoque filius fuit. *Filij*, inquit, *Iechoniæ fuerunt Aſir, Salatiel, Melchiram, Phadaia.* Et ſtatim v.19. *De Phadaia orti ſunt Zorobabel, & Semei.* Variè huic difficultati occurrunt tam Hebræi, quàm noſtri

A Doctores, quorum referre, atque infirmare ſententias opus eſſet moleſtum, & longum. Mihi ſemper viſum eſt Phadaiam, & Salatielem diuerſos eſſe Iechoniæ filios (nam quidam eundem eſſe putant) vt non obſcurè textus ipſe docet; & duos eſſe Zorobabeles, alterum Salatielis, alterum Phadaiæ filium. *Duo Zorobabeles Iechoniæ nepotes.* Quod ſanè mirandum non eſt, cùm duo fratres non ſemel duos eiuſdem nominis filios genuiſſe dicantur. Sic ſanè duæ ſorores vocatæ Mariæ duos eiuſdem nominis filios ediderunt, alterum Alphæi, alterum Zebedæi filium. Et cur duo illi filij vocati fuerint Zorobabel, cauſa eſt neque ea vulgaris. Solebant Hebræi ex aliquo euentu nomen ſuſceptæ ſoboli

B tribuere: vt videmus in Geneſi non rarò; & probat tota Iacobi Patriarchæ poſteritas. Cùm ergo tota Iechoniæ poſteritas nata fuerit Babylone, quid mirum, ſi filiorum, aut nepotum plurimi nomen à Babylone ſuſceperint? Imò & multos arbitror eodem eſſe nomine compellatos, cùm Zorobabel, vt Hieronymus hîc vult, hominem ſignificet Babyloniæ natum. Quòd verò duo fuerint eiuſdem nominis, putat Caietanus in dictum locum Paralip. & ipſa ratio non ſolùm ſuadet, ſed etiam cogit. Nam alia eſt poſteritas illius, qui à Phadaia; alia eius, qui à Salatiele natus eſt. Ille enim *Paral.p.1. cap.3. v.19.* genuiſſe dicitur *Moſollam, & Ananiam, & Solomith*, &c. Hic Matth.cap.

C 1.v.13. *Abiud, Eliacim, Azor*, &c. Adde quòd aliis ſæpe locis Zorobabel filius eſſe dicitur Salatielis, vt *Matth. cap.1. lib.1. Eſdræ cap.3. v.2. & 8. & cap.5.v.2.* Quare nemo pius negare poſſet Zorobabelem à Salatiele fuiſſe generatum.

Et ad Ieſum filium Ioſedec.] De hoc ſacerdote 5.
vide quæ nos diximus ſuper Zachariam *cap.3.* Hic verò Ioſedec filius fuit Saraiæ, quem occidit Nabuchodonoſor in Reblatha; cuius filius Ioſedec ab eodem rege captiuus abductus eſt Babylonem lib.1.Paral. cap.6.v.14. *Saraias genuit Ioſedec: porrò Ioſed egreſſus eſt quando tranſtulit Dominus Iudam, & Ieruſalem per manus Nabuchodonoſor.*

D Huius filius Ieſus natus eſt in Babylonia, cui ſimul cum Zorobabele datum eſt negotium reædificandi templi, & inſtaurandæ religionis. Huius porrò Ioſedec frater fuit Eſdras, & Ieſus patruus. Sic ipſe Eſdras apertè lib.1.cap.7.v.1. *Eſdras filius Saraiæ filij Azariæ filij Helciæ*, &c.

Verſ.2. *Hæc ait Dominus exercituum, dicens.*] Vbi 6.
vulgatus *dicens*, Hebr. eſt לאמר *lemor.* quod habitudinem habet gerundij accuſatiui. Quaſi dicat Propheta, hoc à Domino mandatum habeo, quod ad vos perferam. Vbi obſeruandum diligenter in ſingulis propè verbis afferri à Propheta diuini teſtimonij fidem, ne quis exiſtimaret

E vel vnum tantùm verbum proferre ſacrum vatem à ſuo, humano videlicet ſpiritu, & non omnia à diuino fuiſſe priùs inſpirata. Quare ſæpiùs iteratur illud, *Hæc dicit Dominus.* Quod illi maximè neceſſarium fuit, cùm eſſet tunc iuuenis, vt ſuprà ex Epiphanio, ac Dorotheo dicebamus, neque enim iuuenem decet ſuo nomine ad multitudinem loqui; id verò tanquam legatum agere alieno nomine indecorum non eſt.

Populus iſte dicit, nondum venit tempus domus Do- 7.
mini ædificandæ.] Loquitur ad Zorobabel, & Ie-

 ſum

sum filium Iosedec, & vocem populi frequentis reprehendit, qui rationes prætendebat inanes, ac futiles, cur à templi molitione & cessarit diu, & nunc illius curam prorsus abiecisse videatur. Suæ verò siue impietati, siue inertiæ speciem prætexebat, vt ipse arbitrabatur, honestam; quod nondum extruendi templi aduenisset opportuna maturitas. Id verò ex eo coniectare cum aliqua verisimilitudine poterat, quòd noua quotidie, & grauia orirentur impedimenta; primùm à Samaritanis, populisque finitimis; deinde ab Artaxerxe Persarum principe, vt habes *lib.5. Esdra cap.4.* Si verò tempus aduenisset, in quo Deus vellet suum sibi ædificari templum, illa vtique impedimenta remoueret. Sic Iudæi secum ratiocinabantur, seu ea excusatione suam ab impietatis suspicione vindicabant inertiam. Aut certè cogitabant nondum impletum septuagesimum annum, quem libertati Iudæorum, & instaurandæ ciuitati, ac templo per Ieremiam Deus definiisset. Hæc populi vox; neque tamen ad populum Propheta loquitur, qui ideo directò, ac primò reprehendendus fuit; sed ad sacerdotem, & ducem, quorum intererat gubernare populum, & in officio, ac pietate continere. Quare in illis non leuis hærebat culpa, qui primum illum sermonem non compresserunt: & ipsi fortasse idem cum aliis cogitabant, & illam in populo diffidentiam alebant, dum quid ipsi sentirent, non obscurè significarent. Principum autem sensus, ac voluntas facilè in aliis sensum, ac studium ingenerant.

8. Vers.4. *Nunquid tempus vobis est, vt habitetis in domibus laqueatis, & domus ista deserta?*] Non minus laborabant vicini, atque inimici populi, ne ciuitas, priuatæque domus, quàm ne templum Domini in antiquum splendorem, & firmitatem instaurarentur, & vtrumque Artaxerxis edictum prohibuerat. De vicinis populis satis liquet ex *lib. 1. Esdra cap.4. v.12.* vbi apud regem queruntur, quòd ædificetur ciuitas, id est, quòd domus, & muri construantur. Id verò ne fieret, edicto suo cauit Artaxerxes *ibid. v.21.* Quare optimè Propheta populum impiæ cuiusdam diffidentiæ coarguit: cùm enim à Persarum principe non minus esset cautum priuatas domus, quam sacrum, & publicum Domini domicilium moliri, ab hoc abstinebant manus, & tempus causabantur immaturum; & in illarum fabricam non solùm commodam, sed etiam ambitiosam, & splendidam audacter incumbebant. Credo conuentos fuisse duos illos principes à Propheta eo in loco, vbi excitatum fuerat altare, & templi tantùm iacta fundamenta, & intento ad opus interruptum digito, demonstratam esse domum Domini desertam, eadem propè specie, quam habuerat, antequam populus esset ab exilio reuersus. Id enim hauddubiè indicat illud, *Et domus ista deserta?*

9. Vbi vulgatus *domus laqueatas*, Hebr. ספונים *sephunim*, quam vocem Chaldæus transtulit *in tabulatis cedrinis*. Septuaginta *in domibus κοιλόσταθμοις*, id est, *concauis*, seu *fornicatis*, aut *testudinatis*, aut sicut Cyrillus exponit: *Quarum antepagmenta, siue postes portarum ferro sculpti opificum solertia circumcirca emblematis mira varietate, & artificio elaboratis exornantur.* Hieronymus domos interpretatur, quæ in vallibus sitæ sunt, quæ valdè plerunque sunt ad vsus, & delitias. *Ergóne*, inquit, *tempus est, vt vos habitetis in domibus deorsum sitis, & in conualle positis, & mea domus, quæ in monte est, deserta erit?* Sed idem Hieronymus magis probat translationem

Laquear, & lacunar quid.

A suam, vtpote magis ad textum Hebraicum; quod etiam faciunt recentiores, Pagninus, & Tigurina, qui *domos* vertunt *laqueatas*, id est, ornatas, quæ non tam sunt ad vsum, quam ad delicias. Laqueatæ porrò domus sunt variis artificum commentis illustratæ à lineis, quæ in laqueorum modum variis se voluminibus implicant. Vnde fit, vt quæcunque elegantem in numerum, & speciem disponuntur, laqueata dicantur. Sic de cælo variis illuminato syderibus Manilius lib.1.

Hæc igitur texunt æqualia sydera tractu.
Ignibus in varias cælum laqueantia formas.

Vnde fit, vt summæ partes interioris tecti laquearia dicantur, quia illæ plerumque in magnificis ædibus variis sculpturis, & emblematis laqueantur. B Quæ etiam lacunaria vocantur, quia ibi fluctus, & lacunæ, Euripi, atque Meandri describuntur. Hæc porrò laquearia, siue lacunaria splendere solent siue à materia, ex qua fiunt, siue ab auro, quod illis inducitur. Quare è cedro fiunt, vt transtulit hoc loco Chaldæus Paraphrastes: aut è cupresso, qualia fuisse dicuntur in sponsi domo, de qua Cant.1. *Laquearia nostra cupressina*; aut vermiculata ex ebore, aut ebeno. Sic sanè Horat.lib. 2.Carm.

Non ebur, neque aureum
Mea renidet in domo lacunar.

Hæc laqueata tecta videtur descripsisse Ieremias, cùm dixit cap.22.v.14. *Qui aperit sibi fenestras, & facit* C *laquearia cedrina, pingitque sinopide.*

Libet hìc Septuaginta cum vulgati translatione componere: reddiderunt illi *κοιλόσταθμοι*, 10.
quod aliquid concauum significare diximus, qualis in ædificiis est fornix, & testudo. Hieronymus *laqueatum* conuertit, quod non solùm valet, quod propriè sonat, sed etiam, vt opinor, foueam, aut fossam, quæ arboris truncum circundat. Vnde vites ablaqueari dicuntur à rusticis, quando fossæ circum earum caudices aperiuntur, quæ excipiunt, & continent aquam, & alios habent vsus rei arborariæ maximè opportunos. Idem ergo significasse videntur Septuaginta, & vulgatus: vtrique enim aliquid indicant in ædificio fornicatum, & concauum. Et fortasse illud valet nomen D *lacunar*, quod à lacu seu lacuna nomen habet, quæ depressum aliquid, & excauatum importat. Erit ergo sensus iuxta hæc; tecta esse ablaqueata, id est, quibusdam foueis, siue canalibus varia; quod indicat Septuaginta translatio. Hæc ego cogitabam, nescio an verè, lector, vt volet, accipiat.

Vers.5. *Ponite corda vestra super vias vestras.*] 11.
Aliud argumentum adducit Propheta, quo probet ingratum esse Deo, quod tamdiu frigeat templi molitio, qua nihil potius, aut prius Iudæis esse debuit. Iubet enim, vt reputent apud se quid cogitent, & velint; quibus rebus ex quo redierunt ab exilio, operam nauarint, & inuenient nihil E illis ex voto, atque vsu contigisse. Quod argumentum est illis Deum non satis esse placatũ; cùm illis adimat, quod suis amicis antiquo illo sæculo largiri consueuerat. Hæc aperta sunt. Et fortè, vt putat hic Cyrillus, ideo populus dicebat nondum aduenisse tempus ædificandi templi, quia ad tantum opus nondum congesti fuerant necessarij sumptus. Quare vacandum sibi priùs esse dicebant rei pecuariæ, ac rusticæ, tum etiam mercaturæ, vt postquam inde aliquod lucrum paulo copiosius collegissent, in templi fabricam impensiùs incumberent. Id verò totum quàm acciderit secùs quàm sibiipsis aut promittebant,

Agrorum sterilitas propter peccata.

Digitized by Google

tebant, aut optabant, docent quæ statim audimus à Propheta.

12. Vers.6. *Seminastis multum, & intulistis parum*] Solet ager colono cum fœnore reddere, quod accepit; & labor, qui in agris colendis ponitur, magnum solet dominis afferre quæstum. At irato Deo dum obsequitur ager, agricolarum studio, atque operæ non respondet; imò neque tantum reddit, quantum accepit. Quos nos sæpe infelicibus annis experti sumus, in quibus prouentus non assequitur semina. In hunc ego sensum locum istum accipio cum Hieronymo. Quod genus supplicij iampridem audierant Hebræi à Deo Deut.28.v.38. *Sementem multam iacies in terra, & modicum congregabis. Vineam plantabis, & fodies, & vinum non bibes, nec colliges ex ea quippiam.* Quod contingere potest, quia Deus rubiginem, aut locustam mittet, aut quia agri siti laborabunt; vt ex hoc Deut. loco constat, vbi vtrumque minatus est Deus; & Aggæus ipse indicat *cap. 2. ad finem.* Plurimum refert vt Deus semina tua oblata benedictione fœcundet; vt ipso prius propitio atque placato in opus, aut negotiationem incumbas. *Melius erat,* inquit Cyrillus hîc, *Deo benedicente seminare pauca, & colligere multa. Sed quia defuit quod necessarium erat, multi quidem labores, perexigui autem fructus.* Hæc eadem Zacharias *cap.8. v.10.* de quibus suo loco.

13. *Comedistis, & non estis satiati: bibistis, & non estis inebriati.*] Accidere hoc potuit, quia pani ac vino Dominus abstulit alendi, ac confirmandi vim: quemadmodu quidam interpretantur illud Isaiæ cap.3. *Dominus exercituum auferet à Ierusalem, & Iuda omne robur panis, & omne robur aquæ.* Quod nos ibi in aliam sententiam interpretati sumus. Sed credo id non tam panis euanidi vitio, quàm illius inopiæ esse tribuendum: qui sic à Domino parcè atque anguste datus est, vt acuerit potius, quàm obtuderit, nedum sedarit famem; & vinum bibentis necessitati, ac siti non plene satisfecerit: id enim est in Scriptura persæpe inebriari; quod non deformitatem, quæ est a crapula, sed abundantiam significat. Quare sensus est, cùm exiguus esset agri prouentus, sic parcè à vobis cibus sumebatur, & potus, vt neque hic sitim extingueret, neque ille expleret famem.

14. *Operuistis vos, & non estis calefacti.*] Hactenus de re rustica, quæ sic erat angusta, vt ieiunum, & arentem reliquerit agricolam. Nunc, opinor, ad rem descendit pecuariam; cuius cùm varij sint fructus, de illo tãtùm agit, qui est à lanificio: vt illa omnia paucis cõprehendat, quibus alendæ ac sustentandæ vitæ facultas continetur; sustentãt autem, ac fouent vitam nostram cibus, potus, atque vestitus. Res ergo pecuaria sic cessit infeliciter, aut quia deficiente pluuia aruerunt siti pabula, & fœtus siccis matrum vberibus fame perierunt. Quod de ceruis in siccitate non dissimili dixit Ieremias cap.14.v.5. *Cerua in agro peperit, & reliquit, quia non erat herba.* Aut quia morbus gregem inuasit pestilens, & fœdus, qui etiam lanam infecit, & corrupit. Quare lana vsque adeò vitiosa fuit, & modica, vt præ tenuitate corpus, quod tetigit, non calefecerit; quod etiam à lanæ vitio prouenire potuit. Hæc communiter interpretes, qui maiori explicatione non indigent. De morali sensu statim.

15. *Quæcunque negotiatio infelix si Deus est offensus.*

Et qui mercedes congregauit, misit eas in sacculum pertusum.] Iam ad negotiationem sermonem traducit, & ad illos fructus, qui non tam ex agris, arboribúsque capiuntur, quàm ex hominum labore, atque solertia; quales sunt mercatorum, & illorum, qui manus suas, & operas aliis locatunt. Horum igitur lucra non alios habebunt vsus, quam pecunia, quæ naufragio perit, aut quæ sublata fuit a furibus, quæ plus doloris attulit, cùm periit, quam voluptatis cum accepta est. Vsus est Propheta prouerbiali similitudine, quæ etiam profanis scriptoribus familiaris est. Vide apud Erasmum adagium, *Aquam haurire cribro.* Nota est Danaidum fabula de perforato dolio, ad quod a profanis allusiones crebræ. Plautus in Pseudolo,

In pertusum ingerimus dicta dolium, operam ludimus.

Ait ergo inutiles fuisse Iudæorum mercedes siue ex labore, siue ex industria collatas, neque magis esse ad augendam rem, leuandámque miseriam, quam si in pertusum, aut perforatum sacculum essent coniectæ.

16. *Pereunt omnia, quæ Deo offenso captat humana sedulitas.*

Hæc verba sæpè à Patribus ad tropologicos sensus adducuntur, ad quos sane accommodatissima sunt. Nam qui sua prius captant commoda, quàm Dei honorem intueantur, neque de illius voluntate præstanda deliberant; neque in serendo vim afferunt seminalem in semine; neque vim habent fœcunditatis in gregibus; neque aliquid ad vsus domesticos opportunum in his, quæ in rebus humanis censentur vtilissima; ac denique neque fundum habent in sacculo nisi pertusum, aut dolium, aut quodcunque vas aliud nisi perforatum. Quare relinquent bona solida, quæ à Deo tantùm sperari possunt; & vmbras captabunt inanes; aquam fastidient iugis, atque viuentis aquæ, & cisternas sibi fodient dissipatas, & rimosas, in quas si quid aquarum influxerit, illud non possunt continere. Ex multis, qui locum istum ad mores adhibuerunt, vnum, aut alterum accipe. Omitto plures, ne longus sim.

17. *Quod studium concionatorum inane.*

Haymo sic in hunc locum. *Multum seminat, sed parum colligit, qui in prædicationis opere assiduè laborat, sed minimum ex auditorum fide, & operatione fructum percipit, dum eos verbo, & exemplo scandalizatos ostendit. Comedit, & non saturatur: bibit, & non inebriatur, qui recta, quæ nouit, non operatur. Congregatas mercedes in pertusum sacculum mittit, qui virtutum opera propter ostentationem vanæ gloriæ peragit; vel qui de rapinis eleemosynas indigentibus tribuit. Operitur autem, & ex calore non fouetur, qui diuinam sapientiam, qua ornetur, & à malitiæ frigore defendatur, accipit; sed tepidè, & desidiosè eam exequendo caloris illius gratia priuatur.* Sic Haymo. Aliter Gregorius homil.10. in Ezechielem. *Multum,* inquit, *corde suo seminat, sed parum infert, qui de mandatis cælestibus vel legendo, vel etiam audiendo multa cognoscit, sed negligenter operando pauca fructificat. Comedit, & non satiatur, qui verba Dei audiens, lucra, vel gloriam sæculi concupiscit. Bene autem non satiari dicitur, qui aliud mandit, aliud esurit. Bibit, & non inebriatur, qui ad vocem prædicationis aurem inclinat, sed mentem non mutat: solet enim per ebrietatem bibentium sensus mutari. Qui ergo ad cognoscendum Dei verbum deuotus est, sed ea, quæ sunt huius sæculi, adipisci desiderat, bibit, & inebriatus non est: si enim inebriatus esset, procul dubio mentem mutasset, vt iam terrena non quæreret, iam vana, & transitoria, quæ amauerat, non amaret.*

Ambitiosus non percipit fructum verbi Dei.

18. Vers.8. *Ascendite in montem, portate ligna, & ædificate domum, & acceptabilis mihi erit, & glorificabor, dicit Dominus.*] Dubium est, quis sit mons iste, ad quem ascendere iubentur Iudæi, & comportare ligna; Moria ne, vbi priùs constructum erat templum,

plum, vt ibidem rurſus excitaretur; an Libanus, vt ibi cæderent materiam, quam in Hieroſolymam adducerent, ſicut fecit antè Salomon? Illud prius putat Montanus, & Albertus: Poſterius probant Hieronymus, Theodoretus, Remigius, Haymo, quibus ſubſcribunt frequentes alij. Quod probat textus ipſe Hebraicus, & tranſlationes aliæ nouæ. Hebraicus ſic habet, *Aſcendite in montem, & adducite ligna, & ædificate domum.* Septuaginta, *Aſcendite ſuper montem & præcidite ligna.* Chaldæus, *Conſcendite montes, & afferte ligna.* Et ſanè ita factum eſt, vt conſtat ex lib. 1. Eſdræ cap. 3. verſ. 7. *Dederunt*, inquit, *pecunias latomis, & cæmentarijs, cibum quoque, potum, & oleum Sidonijs, Tyriiſque, vt deferrent ligna cedrina de Libano ad mare Ioppe.*

19. Quærent hic fortaſſe aliqui, cur ligna iubentur comportari de Libano, nullaque fiat lapidum mentio, cùm non minus hi, quàm illa, ſint ad templi fabricam neceſſarij. Reſpondent Hebræi, vt dicit hic Hieronymus, exuſta fuiſſe ligna in priori templo, non verò antiquos cecidiſſe parietes; quare cùm illos excitare neceſſarium non eſſet, de ſaxis mentionem fieri non oportuiſſe. Hæc illi, qui ſatis hic, ſicut alibi millies, probant, quàm in ſuis rebus, & hiſtoriis, quarum videri volunt ſcientiſſimi, hoſpites ſint, & peregrini. Quis enim ignoret ſecundum templum à fundamentis eſſe excitatum; cùm id paſſim audiamus ab Eſdra *lib. 1. cap. 3. v. 6.* dicitur nondum templum fuiſſe fundatum; & *v. 10.* fundatum iam eſſe traditur: deinde *cap. 6.* refertur edictum Cyri, vbi cauetur, ne maiora aperiantur fundamenta, quàm quæ ſupportare poſſint altitudinem cubitorum 60. Et cùm templum prius ex ſectis, dolatiſque lapidibus fuerit à Salomone conſtructum; poſterius, de quo nunc Aggæus, ex impolito lapide ædificatum eſſe dicitur *cap. 5. v. 8.* Hæc omnia ſatis coarguunt ignorantiæ Hebræorum magiſtros.

Antiqui templi non reliſti parietes.

20. Ego aliam rationem eſſe puto, cur non iubeantur ex Libano excindi, & comportari ſaxa, ſicut antè Salomone regnante: tum quia Cyrus edixerat, vt ex lapidibus impolitis ædificaretur templum, *cap. 6.* & ex impolito lapide conſtructum eſſe traditur *cap. 5.* Atque ideo opus non fuit, vt pretioſa ſaxa, quibus ars attentior latomorum illuſtrem ſpeciem allatura non erat, adducerentur è Libano. Et quia cùm ſaxa ſupereſſent ex priori templo, ex rediuiua illa materia, quam ad manum habere potuerunt artifices, excitari potuit domus illa poſterior; ſanè lapides ſanctuarij *diſperſi dicuntur per capita omnium platearum*, Thren. 4. v. 1. & Ieruſalem fuiſſe quaſi *aceruus lapidum*, Michææ cap. 3. v. 12. Quare ad templi molem non deerat, neque ex aliis domibus euerſis impolita, & rudis; neque ex templi ruinis pretioſa, atque dolata materia. De lignis longè alia ratio eſt, quæ conſumpſit ignis, aut corrupit ſitus, & temporis diuturnitas.

21. *Et acceptabilis mihi erit, & glorificabor.*] Cæteras immanes ſubſtructiones, & laqueatas domus adeò Deus non probabat, vt faſtidiret potiùs, & damnaret; cùm ſibi præripuiſſent tempus, & ſumptus, quæ conſtruendo templo potiùs debuiſſent impendi. Nunc dicit illam domum ædificatam in monte fore acceptabilem, & gratam; indicátque ſibi acceptabile futurum eſſe nihil, donec opera nauetur conſtans, & pia fabricandæ domui; vt locus ſit honeſtus, & ſacer, religioni, & diuino cultui conſecratus. Hic eſt facilis, atque germanus ſenſus. Quidam in illo, *glorificabor*, magna

A gna vident, aut, vt ego arbitror, ſomniant myſteria. Cùm enim legendum eſſet אכבדה *ecabed*, in textu Hebraico legitur אכבד *ecabda*, ſine ה in fine. Vide Galatinum *lib. 4. de Arcanis cap. 9.* Porchetum *1. p. victoriæ aduerſus Hebræos cap. 7.* Genebrardum *in Chronic. ad annum* 3640. Ego hæc omitto, quia punctorum inuentio res eſt non admodum antiqua: quare viri docti non magnum in punctis momentum eſſe putant. Neque fortaſſe hic aliud eſt, quam ſcriptorum priùs, deinde typographorum incuria.

Ad mores hîc multa ſe oſtentant grauia. Ego pauca ex multis adducam. Primum quærendum eſſe nobis regnum Dei, & reliqua, quæ humana 22.
B putantur commoda, corollarij loco eſſe adiicienda; quod poſtea pluribus docet, & amplificat. Ideo enim ex labore magno exigui, atque euanidi relati ſunt fructus, quia regni Dei, & templi fabricæ cura omnis abiecta. Aliud hic conſiderat Hieronymus, aſcendendum eſſe ad montem è vallibus (loquitur enim iuxta Septuaginta tranſlationem) id eſt, auocandum eſſe à terreſtribus animum, ſi modò Dei templum in nobis ædificare volumus. Dixit hoc idem Ambroſius *epiſt. 12. ad Ireneum tom. 3.* vbi etiam ſequitur Septuaginta verſionem, qui pro laqueatis domibus concauas tranſtulerunt, quaſi ædificatæ forent in concauis, ac profundis vallibus, & ad captandas delicias

Dei regnum quærendũ, & humana adiicientur commoda.

C opportunis. *Quid ergo*, inquit, *iſtud eſt, niſi in ſuperioribus habitandum, non in valleſtribus, & ſubterraneis habitaculis? Qui enim infra terram habitant, non poſſunt ædificare templum Dei, & dicunt: Non venit tempus, vt ædificetur domus Domini. Simul quia luxurioſorum eſt hypogea quærere captantium frigus æſtiuum, eo quòd reſoluti delitiis æſtus aliter ferre, ac tolerare nequeant, & ideo requirant vmbroſa penetralia: vel quòd deſidioſi ignaua ſub terris agant otia. Deinde quòd tenebroſa illos, & opaca delectent magis, quibus operiri flagitia ſua quærunt.* Vide reliqua. Deinde in eadem epiſtola ad medium ait: *Surgite de cælatis, & depreſſis malitiæ domibus, & aſcendite in montem Scripturarum cæleſtium: & cædite lignum ſapientiæ, lignum vitæ.* &c. *Nam ſi non feceritis, nec cælum dabit rorem*

Qui humanis ſeruit commodis, & deliciis, non cõſtruit Deo domũ.

D *ſuum; id eſt, ſermo cæleſtis, qui ſicut ros deſcendit ſuper fœnum, non temperabit feruidos corporalium motus paſſionum, nec ignita reſtinguet diuerſarum ſpicula cupiditatum.* Aliquid ſimile dicit hic Hieronymus.

Verſ. 9. *Reſpexiſtis ad amplius, & ecce factum eſt minus: & intuliſtis in domum, & exſufflaui illud.*] 23.
Redit ad idem argumentum, quod ideo iterat, vt magis expendatur; non tamen ſine aliqua ſuperiorum explicatione, ac pondere. Magnos ſibi ex copioſa ſemente prouentus promittebant Iudæi; & cùm iam ſpe opimum aliquid deuoraſſent, exiguum tamen ex tanto labore retulerunt; ídque eiuſmodi, vt nullum, aut non niſi exiguum vſum habuerint. Cùm autem exiguum illud, quantumcumque fuit, domum intuliſſetis, ego

Inanis labor, niſi priùs curetur, quæ Dei ſunt.

E feci, vt meſſis tota in ſpicas euanidas, & ſtipulas inutiles abierit: quare ex magno cumulo non niſi pauca, eaque non ſatis plena grana excuſſa ſunt. Ex hoc dicendi modo non videtur ineptè colligi frumenta in ſpicis, ſicut fuerunt in agro demeſſa, in horrea fuiſſe comportata; ſicut Ioſephus in Pharaonis horrea traditur comportaſſe manipulos; Geneſ. 41. v. 47. *In manipulos redactæ ſegetes congregatæ ſunt in horrea Pharaonis.* Ibi verò exſufflati ſunt, quia folliculi, qui videbantur pleni, tandem à granis inuenti ſunt vacui.

Exſufflare duo ſignificat; alterum eſt diſpergere, quomodo à vento diſperguntur ſtipulæ, aut 24.

Exſufflo quid.

puluis,

puluis; quæ quia inuito domino, & plerumque A
nescientes fiunt, omninò pereunt. Et eo modo per-
iisse videri possunt quæcumque fuerant in hor-
rea comportata, quæ sic fuerunt variè dispersa,
siue ab externis, siue à domesticis furibus, siue à
creditoribus, vt nulla ex illis ad dominum vtili-
tas peruenerit. Alterum est vanum reddere, id est,
facere ne grana sint in spicis, aut non nisi vana;
quod quotidie magno suo dolore, ac damno ex-
periuntur agricolæ. Et hoc est, quod Oseæ cap. 8.
dicitur, *Germen non faciens farinam.* Vide quid de
his corruptis, vanisque seminibus diximus ad lo-
cum citatum Oseæ, vbi eiusmodi grana à Se-
ptuaginta dicuntur ἀνεμόφθορα, id est, *à vento cor-
rupta.* Sed metaphorice illa etiam dicuntur ex-
sufflata, quæ quouis modo redduntur inutilia, si- B
ue ab humore terræ, quo putrescunt; siue à be-
stiolis, quæ vacuos à farina folliculos relinquunt;
siue ab aliis mille pestibus, quæ conditis etiam in
horrea agricolarum frugibus insultant. Illæ verò
plurimæ sunt, quæ fruges siue in area, siue in
horreis corrodunt, & perdunt. De quibus Virgil.
lib. 1. Georg.

Tum variæ illudunt pestes: sæpe exiguus mus
Sub terris posuitque domos, & horrea fecit:
Aut oculis capti fodere cubilia talpæ:
Inuentúsque cauis bufo, & quæ plurima terræ
Monstra ferunt: populátque ingentem farris aceruum
Curculio, atque inopi metuens formica senectæ.

Hoc autem totum ideo accidit, quia quid diui- C
num cultum deceat, Iudæi non curant.

25. Vers. 10. *Propter hoc super vos prohibiti sunt cæli, ne
darent rorem.*] Hæc aperta sunt, & iam suprà à no-
bis explicata. Tantum enim significant cohibi-
tam esse pluuiam de cælo, ne homo ex suis agris
colligeret, quo familiam aleret, quo pasceret ar-
menta, & pecudes, quo suis denique commodis
aliqua ratione frueretur. Explicationem moralem
adducit Ambrosius epistola ad Irenæum, de qua
suprà. Hæc omnia minatus est Deus iis, qui diui-
na mandata contempserint, *Deut. cap. 28. & Le-
uit. 26.* Obseruat autem hoc loco Hieronymus
vsque adeò a Dei offensione æreos fuisse cælos,
vt non solùm non stillarint pluuiam, sed neque
rorem. *Non solùm*, inquit, *cæli pluuiam non dede- D
runt, quibus irrigata humus fruges facit, sed ne rorem
quidem matutinum, atque nocturnum, vt arentes agri
saltem humore modico temperarentur.* Quod spiritua-
liter interdum accidit his, qui de diuino cultu
non laborant. O infelicem peccatorum statum!

26. Vers. 12. *Et audiuit Zorobabel, &c. & timuit po-
pulus à facie Domini.*] Loquebatur Propheta, vt
principio diximus, ad Zorobabel populi ducem,
& ad Iesum sacerdotem, & tamen populus ti-
muisse dicitur, aut quia multi cum his duobus
populi principibus erant, & quid a Propheta di-
uinorum consiliorum interprete diceretur, au-
dierant; aut certè quia principes illi pro sua in
populum authoritate hominum conuentus ad- E
uocarũt, & quid dictum esset à Propheta, quidve
ipsis opus esset facto, retulerunt. Cùm verò po-
pulus, quem tot annorum fames exhauserat, tan-
ti mali causam ex ore prophetico cognouisset, &
nisi meliora cogitaret, grauiora in singulos annos
incommoda metueret, concussus est pauore gra-
ui; & quomodo à suis finibus diuinam propulsa-
ret irã, publico cũ principibus consilio deliberat.

A Vers. 13. *Et dixit Aggæus nuncius Domini de nun- 27.
ciis Domini.*] Nuncius Domini vocatur Propheta,
quia legatione pro Domino fungitur ad homi-
nes, ad quos diuina perferet mandata. Illud *de
nunciis*, Hebr. במלאכות *be malacuth*, in genere est
fœmineo singularis numeri, & significat legatio-
nem; tunc verò hæc esset sententia: Aggæus le-
gatus Domini de legatione, id est, de mandatis,
quæ à Deo acceperat, hæc dixit ad populum, no-
mine Domini: *Ego vobiscum sum.* siue Aggæus le-
gatus in legatione, id est, dum legatione fungitur:
vtrumque enim valet ב *beth.* alij *in*, vulgatus *de*,
reddidit. Hieronymus legisse videtur מלאכות *ma-
lacoth*, in plurali generis fœminei: & ideo reddi-
dit, nuncia de nunciis in genere neutro: & tunc
B hic videtur expeditus, atque germanus sensus. De
nunciis, atque mandatis multis, quæ à Domino
acceperat Aggæus, hoc pertulit ad populum, &c.
Hieronymus in *nunciis* Prophetas alios intelligit,
quasi dicas: Aggæus Propheta de Prophetarum
numero. Sed illud *de nunciis*, non est masculini ge-
neris; atque ideo hæc magis est obuia, & soluta
explicatio. Scio esse, qui aliquid mysticum in illo
fœmineo genere latere putant; sed vt ingenij mei
imbecillitatem confitear, ego nihil inuenio; ne-
que, quæ ibi adducuntur exempla, admodum vi-
dentur illorum cogitationi fauere.

Refert hîc Hieronymus quorundam senten- 28.
tiam, qui Aggæum, Malachiam, & Ioannem Ba- *Quidam*
C ptistam esse verè Angelos, id est, spirituales sub- *Aggæum,*
stantias, ad Dei tamen imperium humana sum- *Malachiã,*
psisse corpora, & inter homines humano modo, *& Baptistã*
ac specie fuisse commoratos; quia hi in Scriptura *Angelos*
sacra nominantur Angeli: quorum cogitationem *fuisse falsò*
sanctus Doctor non probat. Et quidem si quot- *putant.*
quot in Scriptura vocantur Hebr. מלאך *malach*,
aut Græcè ἄγγελοι, spiritus essent assumpta ho-
minum imagine, quamplurimis id esset tribuen-
dum, quod ipsi de sanctissimis hisce viris nobis
persuadere volunt. Fuerunt igitur hi, & complu-
res alij, non Angeli natura, sed nuncij; hoc enim
duæ illæ voces tam Græcè, quàm Latinè signi-
ficant.

Vers. 14. *Et suscitauit Dominus spiritum Zoroba- 29.
D bel, &c.*] Obdormiisse videbatur spiritus princi-
pum, quorum intererat promouere inchoatam
templi fabricam, & publicæ religioni consulere.
Neque enim magis de illa cura, quæ in illorum
animis debuit esse præcipua, laborabant, quàm
si illorum spiritum altus aliquis, & lethens so-
por occupasset. Excitauit tamen soporatum spiri-
tum tam principum, quàm populi Propheta, per-
fecitque ea denunciatione, quæ vulgaribus ani-
mis solet esse grauissima, vt omnes statim sese
ad præclari operis celerem molitionem accin-
gerent. Et cùm mense sexto, & eius prima die ad
studium illud populum & metu, & inertia lan-
guidum esset hortatus, eiusdem mensis die vi-
E gesima quarta interruptum iam pridem opus ab-
soluere tentarunt. Magnum enim illis animum
attulit pars illa legationis, seu mandatorum, in
qua Propheta dixit adfuturum Deum populi
conatibus, & quidquid impedimenti occurreret
depulsurum (id enim Dominus præsens facit,
& fauens) si construendi domui, quam sibi pro-
priam esse voluit, sumptus, & manus adiuo-
nerent.

IN CAPVT SECVNDVM
ARGVMENTVM.

ÆGRO erant animo, qui interruptam templi fabricam pertexere, atque promouere studebant, cùm viderent, quanto secundum illud templum, quod moliebantur, Salomonis opere foret inferius. Hos consolatur, confirmátque Propheta, dum ait à Christi seruatoris in sacram illam ædem ingressu, maiorem in illo templo futuram esse gloriam, quàm habuit quondam domus à Salomone constructa. Deinde ostendit, cur toto tempore, quo cessatum est ab opere, exiguus captus fuerit ex labore molesto, ac longo, & ex copioso semine prouentus: quia priuatis commodis intenti, abiecerunt illud publicum, sacrúmque negotium, ad quod pietas, & religio cogebat. Ad extremum illorum studium, ardorémque in extruendo templo compensaturum se dicit & rerum omnium exitu felici, & agrorum in posterum vbertate; habiturúmque se Zorobabelem populi ducem eo loco, quo habentur amici, quorum in signatorio annulo insculpantur imagines. Cùm autem quæ reliqua sunt à v. 20. ad finem vsque capitis, quidam ad Christum referant, alij ad Zorobabelem: nos duas explicationes adhibuimus; quarum altera in Zorobabele Christi typum, altera Christum ipsum seruatorem agnoscit. Quia verò litera Zorobabelem tantùm sonat; ideo in paraphrasi de Zorobabele tantùm locuti sumus; quia quæ de Christo sunt, facilè à quouis intelligi, atque accommodari possunt ad illius vmbram.

CAPVT II.

1. *IN septimo mense, vigesima & prima mensis, factum est verbum Domini in manu Aggei prophetæ, dicens:*

2. *Loquere ad Zorobabel filium Salatiel ducem Iuda, & ad Iesum filium Iosedec sacerdotem magnum, & ad reliquos populi, dicens:*

3. *Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? & quid vos videtis hanc nunc? nunquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris?*

4. *Et nunc confortare Zorobabel, dicit Dominus: & confortare Iesu fili Iosedec sacerdos magne, & confortare omnis populus terræ, dicit Dominus exercituum: & facite (quoniam ego vobiscum sum, dicit Dominus exercituum)*

5 *Verbum quod pepigi vobiscum cùm egrederemini de Terra AEgypti: & spiritus meus erit in medio vestrum, nolite timere.*

6. *Quia*

PARAPHRASIS.

A 1. IN septimo mense, qui est September, & die illius vigesima prima, hoc verbum ad populum accepit Aggæus à Domino.

2. Loquere, ait Dominus ad Aggæum, & meo nomine dic Zorobabeli, Salatielis filio, Iudæorum duci, & Iesu sacerdoti magno, & populo reliquo in hæc verba.

3. Quis est inter vos ex illa captiuorum multitudine reliquus, qui ex hac vrbe abducti fuerunt à Chaldæis: quis, inquam, est, cui domum istam Dei à Salomone priùs ædificatam in sua maiestate, atque

B splendore intueri licuit? Et qualem nunc vos præsentem intuemini? Nónne eiusmodi est, vt cum superiori composita instar videatur obtinere nihili?

4. Veruntamen macti estote animis, ô Zorobabel dux, & princeps populi, & tu Iesu fili Iosedec, sacerdos magne; & vos denique quotquot estis è populari multitudine, etiã in opus hoc sacrum constanter incumbite; res vobis succedet ex votis. Ego enim, qui Dominus sum exercituum, bellator, & fortis, nusquam abero, cuius consiliis nulla hominum audacia impunè re-

C pugnauerit.

5. Macti iterum animis: ego enim implebo promissum, quod à me tunc temporis accepistis, cùm excusso Ægyptiorum iugo, & de illorum finibus egressi, viæ me ducem, & auspicem habuistis. Ego, inquam, ero vobiscum; neque à vobis, dum templi mei fabricam vrgetis, studium, &

cogita

Digitized by Google

6. Quia hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc vnum modicum est, & ego commouebo cælum, & terram, & mare, & aridam.

7. Et mouebo omnes Gentes: & veniet desideratus cunctis Gentibus: & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum.

8. Meum est argentum, & meum est aurum, dicit Dominus exercituum.

9. Magna erit gloria domus istius nouissimæ plus quàm primæ, dicit Dominus exercituum: & in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.

10. In vigesima & quarta noni mensis, in anno secundo Darij regis, factum est verbum Domini ad Aggæum prophetam, dicens:

11. Hæc dicit Dominus exercituum: Interroga sacerdotes legem, dicens:

12. Si tulerit homo carnem sanctificatam in ora vestimenti sui, & tetigerit de summitate eius panem, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum: numquid sanctificabitur? Respondentes autē sacerdotes, dixerunt: Non.

13. Et dixit Aggæus: Si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his, numquid contaminabitur? Et responderunt sacerdotes, & dixerunt: Contaminabitur.

14. Et respondit Aggæus, & dixit: Sic populus iste, & sic gens ista ante faciem meam, dicit Dominus, & sic omne opus manuum eorum: & omnia quæ obtulerunt ibi, contaminata erunt.

15. Et nunc ponite corda vestra à die hac & supra,

A cogitationem auertam. Timorem igitur omnem procul abiicite.

6. Adhuc ego semel, idque breuiter, dicit Dominus, efficiam, vt in cælo, & in terra graues sint rerū motus; & in mari, locísque, quæ extant è pelago, magna mutatio.

7. Tunc verò cùm magna præcesserit omnium gentium, populorúmque commotio, veniet ille, quem omnium vota, precésque desiderant. Et domus ista, quæ nūc vobis exigua existimatur, & vilis, propter eius præsentiam singulari gloria, atque
B splendore replebitur. Hæc dicit Dominus, cuius verbis pondus deesse non potest.

8. Neque est quod vos conturbet, quod non satis vobis ad tanti operis sumptus argenti, atque auri sit: nam præterquā quòd maiora sunt templorum ornamenta, quàm quæ ab argento, & auro receperunt; ad præclaram huius templi fabricam, ad reliquósque sumptus, & ornamenta horum quoque vobis copia non deerit. Quicquid enim est auri, quicquid argenti, quicquid denique in opibus, aut ornamentis nume-
C ratur, id totum meum est, & illud liberè pro mea voluntate dispenso.

9. Neque minor erit secundi templi gloria, quàm eius, quod tanto artificio, & tam profusis sumptibus Salomon extruxit: imò multo erit illustrior, quia desideratus gentibus illud ingredietur. Neque est cur quicquam ab infensis vicinorum odiis aduersum timeatis, qui moram priùs ædificationi, & impedimentum attulerunt: ego enim vobis pacem indulgebo, ne quis Satan, aut malus occursus fabricam, vt antè
D remoretur.

10. Rursus anno secundo Darij filij Histaspis, in mense nono, qui Nouember est, & illius die vigesima quarta, hoc Aggæus, propheta à Domino mandatum accepit.

11. Sic Dominus ad Prophetam: Interroga, ô Aggæe, sacerdotes de lege, & illos hunc in modum alloquere.

12. Si in vestis lacinia homo sanctificatas exceperit carnes; & deinde extrema vestimenti ora esculentum aliquid, poculen-
E túmve tetigerit, nunquid ex illo attactu sāctum iudicabitur? Negarunt sacerdotes.

13. Ad quos rursus Aggæus. Si pollutus horum aliquid tetigerit, num illud contactu suo contaminabit?

14. Cùm autem sacerdotes affirmassent; addidit Propheta. Eodem, inquit Dominus, modo in conspectu meo populus iste contaminatus est, & manuum suarum opus omne contaminat; illa etiam sacrificia, ac dona, quæ offert, atque immolat ad altare.

15. Qualia verò dona vestra fuerint, ac victimæ,

Digitized by Google

suprà, antequam poneretur lapis super lapidem in templo Domini.

A victimæ, hinc facilè colligere licebit. Renouate superiorem memoriam ab illo die, ex quo interrupta est templi constructio, ad illud vsque tempus, in quo constructum est opus: & inuenietis nihil vobis ex votis contigisse.

16. *Cùm accederetis ad aceruum viginti modiorum, & fierent decem: & intraretis ad torcular, vt exprimeretis quinquaginta lagenas, & fiebant viginti.*

16. An non ex aceruo frugum, ex quo viginti expectabatis modios, decem retulistis? Et cùm ex torculari exprimẽdum tantum putaretur, quantum quinquaginta lagenas implere posset, nihilo plus inde percepistis, quàm quod pro viginti lagenarum B mensura sufficeret?

17. *Percussi vos vento vrente, & aurugine, & grandine omnia opera manuum vestrarum: & non fuit in vobis, qui reuerteretur ad me, dicit Dominus.*

17. Cúmque percussissem vos inopia, & fame, dum agros magno labore, atque impendio satos vento vehementer noxio, quique vim vrendi haberet potẽtissimam, deinde grandine, & aurugine corrumperem: cúmque tandiu vestra, ac vos assiduis incommodis attriuissem, nemo tamen animo ad meliora mutato, cõuersus est ad me.

18. *Ponite corda vestra ex die ista, & in futurum, à die vigesima & quarta noni mensis: à die, qua fundamenta iacta sunt templi Domini, ponite super cor vestrum.*

18. Nunc verò à die hac, qua continuari cœpit intermissum opus, à die nempe noni mensis vigesima, rerum vestrarum, C atque laborum futuros exitus considerate: & ex dissimili prouentu cognoscetis, quænam fuerit sterilitatis præteritæ vera causa.

19. *Nunquid iam semen in germine est: & adhuc vinea, & ficus, & malogranatum, & lignum oliuæ non floruit? ex die ista benedicam.*

19. Vt autem vos de construendo templo sedulam, & piam curam suscepistis, sic ego quoque ero de vestra commoditate sollicitus. Et licèt nullum appareat tam in frugibus, quàm in arboribus futuræ fertilitatis indicium; quia neque frumenta germinant, neque arbores florent, ex quo sumi de prouentu coniectura solet. Tamen ex hac die in posterum fœcunditatem la- D bori vestro dabit mea benedictio.

20. *Et factum est verbum Domini secundò ad Aggæum in vigesima & quarta mensis, dicens:*

21. *Loquere ad Zorobabel ducem Iuda, dicens: Ego mouebo cælum pariter & terram.*

20. Et rursus eadem die vigesima quarta noni mensis, locutus est Dominus ad Prophetam in hunc modum:

21. Loquere, ô Aggæe, ad Zorobabel ducem Iuda, & à me hoc illi mandatum perfer. Ecce omnia, ô Zorobabel, ego cælo, terráque turbabo.

22. *Et subuertam solium regnorum, & conteram fortitudinem regni Gentium: & subuertam quadrigam, & ascensorem eius: & descendent equi, & ascensores eorum: vir in gladio fratris sui.*

22. Tunc regum thronos, sceptraque subuertam, & illorum atteram spiritus, & vires: perdam currus, & qui eos cõscendit: perdam equos, & qui in illis inequitat. Et E eò adducetur animorum discordia, vt ipsi etiam fratres mutuo se vulnere conficiant.

23. *In die illa, dicit Dominus exercituum, assumam te Zorobabel fili Salatiel serue meus, dicit Dominus: & ponam te quasi signaculum, quia te elegi, dicit Dominus exercituum.*

23. Quo tempore varij casus exagitabunt, atque conuellent gentium imperia: te tamen ô Zorobabel, communis illa calamitas non attinget: assumam enim te, & eximam à communi plaga, atque fortunæ mutatione. Neque à me aliter accipieris, dicit Dominus, quàm illi solent, quorum ab amicis in signatorio annulo exprimuntur imagines.

Vers. 1.

Digitized by

Verſ.1. *In ſeptimo menſe, vigeſima & prima menſis factum eſt verbum Domini,&c.*]

1. VNVS ferme menſis fuerat elapſus, ex quo populus ad pertexendam templi fabricam animum adiecerat, in quam incubuiſſe videbatur ſtrenuè, & res ex illis voto contra ſpem dubiam feliciter ſuccedere. Et rurſus aliud mandatum perfert à Domino Propheta, quo magis accendat, atque confirmet laborantium animos, quos ab opere moleſta aliqua cogitatio tardabat. Primùm languebant animi, cùm viderent opus illud, quod reuocato ſtudio moliebantur, abeſſe quàm longiſſimè ab eo, quod Salomon multis antea ſæculis regiis planè ſumptibus excitarat; quorum poſterius hoc collatum, ſi aut quod Cyri præſcribebat edictum, aut exulum facultates conſideres, inſtar videbatur habiturum nihili. Quare veriſimile eſt ſæpe inter ædificandum fleuiſſe, cùm ſuperioris templi, & illius collapſæ gloriæ meminiſſent. Sanè paulo antè cùm cœptum eſſet ædificari templum, multi, qui antiquum ſpectare potuerunt, cùm noui contemplarentur anguſtias, non potuerunt ortas ex illa recordatione cohibere lacrymas. Eſdræ lib.1. cap.3.v.12. *Plurimi de ſacerdotibus, & leuitis, & principes patrum, & ſeniores, qui viderant templum priùs, cùm fundatum eſſet & hoc templum in oculis eorum, flebant voce magna.* Hoc nunc etiam fecisse veriſimile eſt, vt Prophetæ verba non obſcurè docent, qui intermiſſum opus aggrediuntur. Neque id ſanè mirum, cùm lapides adhiberentur impoliti, ac rudes, & nihil magnum ex tenui ædificantium fortuna expectari poſſet.

Iudæorum lacrymæ in ſecundi templi fabrica.

2. Verſ.4. *Quis in vobis eſt derelictus, qui vidit domum iſtam in gloria ſua prima? & quid vos videtis hanc nunc? Nunquid non ita eſt quaſi non ſit in oculis veſtris.*] Huc ſpectat hoc verbum Domini, vt ſoletur, atque confirmet laborantium animos, qui ideo languebant in opere faciendo, quia nihil ſe magnum facturos eſſe arbitrabátur. Ait igitur templum illud, cuius fabricam Zorobabel vrgebat, & Ieſus ſacerdos, multo futurum Salomonio glorioſius. Rationem huius poſtea reddet, & nos ſuo loco pluribus explicabimus. Porrò fuiſſe non paucos, qui antiquum Salomonis templum agnouere, habemus ex *cap.3. Eſdra* nuper adducti. Neque mirum eſt, cùm poſt ſeptuaginta annos ab exciſo templo captiui redierint, fuiſſe non paucos, qui extrema ſuperioris, & prima poſterioris templi tempora cognouerint. Vidit, aut ſaltem videre potuit Mardochæus, qui, vt habes *Eſther cap.2.v.6.* tranſlatus eſt in Babylonem cum Iechonia, & ad tempus vſque Aſſueri, qui & Artaxerxes dicitur, ætatem produxit. Item Daniel, qui in primo Chaldæorum appulſu ductus eſt captiuus, vt ipſe de ſe docuit *cap.1.* & aliquandiu poſt captiuitatem ſub Perſarum imperio vixiſſe conſtat. Hoc ſanè de Eſdra certum eſt, qui captiuus abductus cum Sedecia; qui filius fuit Saratæ ſacerdotis magni, quem occidit Nabuchodonoſor in Reblatha; vt ipſe verbis docet disertis *lib.1. Eſdra cap.7. v.1.* adiuncto *cap.7. à v. 11.* ex *lib.1. Paral.* Hic autem abſolutum vidit templum ſecundum; cuius in eo fuit nec leuis, nec inutilis opera.

Rediere è captiuitate aliqui, qui templum Salomonis agnouerunt.

Eſdras filius Saraiæ ſacerdotis.

3. Verſ.5. *Et nunc confortare Zorobabel*, &c.] Promittit Dominus, quod grauiſſimum eſt ad confirmandos animos, etiam cùm omnia videntur anguſta, & vndecunque difficultates obtenduntur;

A diuinum nempe auxilium eſſe paratum, cuius antè ſæpe vim potentiſſimam, atque fidelem fuerãt experti. Illud enim valet: Facite, quoniam ego vobiſcum ſum. Ac ſi dicat, me fauente, atque auſpice, exitus ille nuſquam aberit, quem optatis.

Verſ.6. *Verbum, quod pepigi vobiſcum, cùm egrediremini de terra Ægypti, & Spiritus meus erit in medio veſtrûm.*] Quidam illud *verbum* ad ſuperius verbum *facite* referunt, & eo ducuntur argumento, quòd adiunctum habet את *eth*, quæ nota eſt accuſatiui caſus. Et hunc putant eſſe ſenſum. *Facite verbum, quod pepigi vobiſcum,&c. & Spiritus meus erit in medio veſtrûm.* Verbum autem fuit illud Deut. 26.v.17. *Dominum elegiſti hodie, vt ſit tibi Deus, & ambules in viis eius, & cuſtodias ceremonias eius, & mandata,&c.* aut aliud ſimile. Ita quidem ex Hebræis, quos Montanus ſequitur, & Figuerius, & indicat non obſcurè Septuaginta tranſlatio, quæ τὸν λόγον in accuſatiuo poſuit. Sed plerique alij *verbum*, & quæ ſequuntur, in nominatiuo ſtatuunt, & ad verbum, quod deinde ſuccedit, referri putant. Ita Hieronymus, & alij fermè omnes, cui fauent tranſlationes aliæ nouæ cum Chaldaica. Neque illud את admodum vrget, quia alios vſus habet non paucos, & aliquando cum nominatiuo coniungitur. Vt Exod. 10. v. 8. ויושב את משה אל פרעה. vbi vulgatus, *Reuocauerunt Moyſem.* Hebr. eſt, *reuocatus eſt Moyſes ad Pharaonem.* Et Nehemiæ 9. v.34. ante illud, *Reges noſtri non fecerunt*, ponitur את *eth.* & Reg.17. vbi dicitur, *Veniebat leo, vel vrſus.* & 4.Reg.6. *Caderet ferrum ſecuris in aquam.* ante nominatiuos illos *vrſus*, & *ferrum* eſt את.

4.

B

C

את eth. aliquando nominatiuo præponitur.

Ait igitur Deus verbum ſuum futurum eſſe cum illis, id eſt, promiſſionem; eſt enim vſitatum in Scriptura, vt *verbum* ponatur pro iis, quæ verbis ſignificantur. Vnde verbum ponitur pro *mandatis, minis, edictis.* Sic ergo nunc pro aliqua promiſſione Dei, quæ facta eſt non longè ab eo tempore, in quo Hebræorum populus ab Ægyptio iugo ſolutus eſt. Fuit autem illa, de qua Leuit. 26. v. 11. *Ponam tabernaculum meum in medio veſtri, & non abiiciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, & ero Deus veſter, voſque eritis populus meus.* Quæ verba cum tabernaculo, & templo diuinam tutelam, paternum ſtudium, & ſedulitatem adiungunt. Quocirca ſi reuocati exules intermiſſam templi fabricam abſoluant, promittit Deus, iuxta antiquam promiſſionem, ſe ab illis non eſſe receſſurum. Hoc credo eſſe verbum, de quo nunc Propheta; aut aliud huic ſimile. Niſi dicamus promiſſionem eſſe de Chriſto venturo, quæ facta eſt tum aliis antè ſæculis, tum etiam poſt Ægyptiam ſeruitutem. Deut.18. v.15. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies.* Qui locus ſæpe in Teſtamento nouo de Chriſto exponitur, *Ioan.1. v.45. Actor.3.22. & 7.37.*

5.

Verbum pro iis, quæ verbo ſignificantur.

D

E

Et Spiritus meus erit in medio veſtri: nolite timere.] Spiritus multa ſignificat: inter alia *ſtudium, conatum*, atque *affectum*, ſeu *impetum animi, animum, & mentem.* Quomodo dicimus ſpiritum alicuius eſſe in aliquo negotio, id eſt, illud curare, & de re nulla magis aut cogitare ſæpiùs, aut laborare vehementiùs. Quod ſi ita accipias, conſentaneè ad ſuperiora dicendum eſt Deum futurum eſſe cum his, qui templi fabricam promouere ſtudent, & de felici illorum ſtatu futurum eſſe ſollicitum. Sicut facit paterfamilias prouidus, & vigil, qui non

6.

Spiritus multa ſignificat.

Digitized by Google

nunquam à domesticis rebus procurandis studium,& cogitationem auertit: aut cuius spiritus in domo, atque familia est, vt illam ornet, tueatur,& quotidie magis atque magis amplificet.

Frequentes eò abeunt, vt Spiritum sanctum hîc agnoscant, licèt non eodem omnes modo de spiritu loquantur. Quòd si per metonymiam aliquos Spiritus sancti effectus intelligant; nempe amorem,prouidentiam,patrocinium, tutelam,& reliqua huius generis, quæ multiplicia sunt, & Spiritus sancti magna beneficia,idem erit sensus, qui à nobis proximè propositus est.

7. Albertus spiritum illum intelligit, quem Dominus septuaginta viris de Moysi spiritu impertitus est *Num.*11. vt videlicet ibi sint, qui scientiam legis habeant, & legitima possint obire iudicia. Chaldæus spiritum intelligit propheticum,quem non defuturum dicit in templo à Zorobabele constructo; quo cum sentiunt nonnulli ex Hebræorum magistris.

Trinitatis mysterium ex Aggæo qui probant.

8. Quidam simpliciter Spiritum sanctum esse putant; & ex hoc loco deducunt in Deo plures esse personas, cùm Dei loquentis, id est, Patris, deinde Verbi, pòst spiritus Dei voces audiantur. In his sunt Athanasius *epist.ad Serapionem*, Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi* 13. Nyssenus *lib. Testimoniorum aduersus Iudæos de sancta Trinitate*, Theodoretus, & Cyrillus *hîc*. Hieronymus hîc. *Repromittit*, inquit, *Deus his, qui faciunt opera in domo eius,& implent, quem accepere, sermonem, spiritum suum,dicens: Et spiritus meus erit in medio vestrum.Sacramentum cernite Trinitatis. Ego sum vobiscum, & spiritus meus. & verbum, in quo posui testamentum, cum egrederemini de Ægypto.* Cum Hieronymo sentiunt Haymo, Remigius,Hugo,Dionysius; quorum apud me grauis est authoritas: licèt hic locus alias possit explicationes habere. Et quidem si locus iste grauiter Iudæos premeret, non esset, opinor,à scholasticis Doctoribus omissus.

9. Quòd si ita cum tot Patribus accipias, quod ego non abnuo, sic superiora accommodatè exponere licebit, vt dicat Pater habitaturum verbum suum, nempe incarnatum, cum Iudæis, in eorum templo,vt statim magis explicat, cùm ait venturum esse desideratum gentibus. Quod verbum tunc Deus post Ægyptiam libertatem cum populo pepigit, quando dixit Deut.18. v.18. ad Moysem, *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui. & ponam verba mea in ore eius.* Hunc verò esse Christum, ipse docuit Christus *Ioan.*1.*v.*45. & Petrus *Actor.*3.*v.*22. & Stephanus *Actor.*7.37.

10. Vers.7. *Adhuc vnum modicum est,& ego commouebo cælum,& terram,& mare, & aridam.*] Hunc locũ sanè illustrem de Christi seruatoris aduentu primo accipiunt præter omnes Catholicos interpretes plurimi ex Patribus. Ambrosius *lib.*3.*epist.*12. Cyrillus Alexand. *lib.*5.*in Genes.* August. *lib.*18. *de ciuitate cap.*35. Galatinus *lib.*4. *de arcanis,cap.*9. & 10. Porchetus 1. *p. victoriæ cap.*7. Adrianus Finus *lib.* 5. *cap.*2. Et est sine dubio allusio ad tempus illud,quo lata est lex ad montem Sinai,vbi cælum, & terra dicuntur fuisse commota. Neque enim minor esse debuit in noua lege ferenda per Christum, cælorum atque elementorum omnium significatio, quàm in veteri, quam Iudæorum populo Dominus per Moysem indixit. Totum verò tempus ferendæ nouæ legis existimari potuit,ex quo conceptus est Christus,donec peracto suæ vitæ circulo, & nostræ redemptionis negotio ad cælum ascendit. Nam licèt non nisi sub

Cælum, & terra commota in primo Christi aduentu.

A vitæ finem Christus legem tulerit, illius tamen ortus in tempore perfrigido, & loco humili, atque incommodo, & in summa rerum inopia, quædam apud ingenuos, & pios animos quasi euangelicæ legis institutio fuit. Tunc autem omnis natura rerum videtur commota: cælum quidem, cùm delapsi sunt inde cælestes spiritus, qui iacenti in præsepi Domino cecinerunt, *Gloria in excelsis Deo.* Et baptizato Christo aperti dicuntur esse cæli, & ex eis audita vox, quæ Christum dilectum Dei filium esse testata est. Tunc verò maximè commoti sunt, quando sua morte Christus legem nouam, seu testamentum nouum confirmauit. *Tunc enim à sexta hora tenebræ* B *factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam*, Matth.27.v.45. Terra quoque commota fuit. v. 51. *Et terra mota est, & petræ scissæ sunt.* De mari idem dicendum, quod commotum est, & præsente Domino sedata tempestas. Quòd si commoueri, figuratè sumas, vt alibi sæpè, pro admirari, stupere, aut horrere (quomodo commota dicitur terra Chanaan ad ingressum filiorum Israel) quis non videt, quàm ad Christi doctrinam, & quotidiana miracula mundus obstupuerit;& magno numero populi per desertum etiam locum secuti sint; quanta in aduentu Spiritus sancti, & ad primas Apostolorum conciones facta animorum,studiorúmque commotio.

C Alij commotiones illas in cælo, & terra quasi dispositiones esse putant, & quasi præambula illius pacis, quam Christus induxit; qui tunc ex Virgine natus est, cùm orbis esset totus in pace cõpositus. Præcesserant quamplurima bella,quibus res Iudaica à Romanis tentata,atque subacta est. Deinde bella ciuilia,quæ totum fermè terrarum orbem in varia studia, atque factiones distecuerunt. Deinde bella inter Octauianum, & Antonium,quæ non solùm aridam,sed etiam maria nauali expeditione turbarunt. Tum etiam cælum turbatum est, & durè. & sæpe. Vide Orosium *lib.*5. *cap.*18. qui paulo ante Christi aduentum sub Iulij,atque Augusti Cæsaris ætatem hæc D docet de cælo contigisse prodigia. *Sub ortu*, inquit, *Solis globus ignis è regione Septentrionis cum maximo cæli fragore emicuit. Præterea per septem continuos dies grando lapidum, immixtis etiam testarum fragmentis, terram latissimè verberauit. Complures præterea in itinere videre Romani globum coloris aurei cælo ad terram deuolui, maioremque factum rursus à terra in sublime ad orientem solem ferri, ac magnitudine sua ipsum solem obtexisse.* Et idem *lib.*6. *cap.*20. refert *Augusto ex Apollonia redeunti, & vrbem ingredienti repentè liquido, ac puro, serenoque die circulum ad speciem calestis arcus orbem Solis ambiisse.* Hæc omnia quocunque modo interpretere,satis explent textum Aggæi, & vaticinij pondus. 11.

Christi aduentum primum bella, & multa signa præcesserunt.

E Illud *modicum* non parum habet difficultatis, cùm *ad Hebr.* 12. *v.* 25. Paulus secutus Septuaginta, pro *modicum, semel* adhibuerit. *Adhuc*, inquit, *semel & ego mouebo non solùm terram, sed & cælum.* Si *modicum* legas sine vlla relatione ad Septuaginta translationem, & Pauli verba, res esset non difficilis; cùm ab eo tempore, quo Christus seruator est promissus, atque desideratus, quicquid ab hoc vaticinio ad Christi seruatoris aduentum interiectum est temporis, modicum aliquid sit. Promissus est enim statim post naturam lapsam in parente primo, à quo tempore illum mundus expectare, ac desiderare cœpit. Vt indicat Iacob, qui *Genes.*49.*v.*26. illum *desiderium collium æternorum* appellat. Ab illa ergo expectatione 12.

tione, seu desiderio collium æternorum ad annum secundum Darij, anni intercessere 3462. inde ad Christum restabant 526. qui aliorum, qui præcessere, comparatione aliquid sunt exiguum.

13\. Nunc superest, vt Septuaginta translationem, lectionémque Pauli cum vulgata lectione componamus; quod alij aliter faciunt. Ego hanc video opportunam, & simplicem componendi rationem. Vbi vulgatus *vnum modicum*, & Paulus *semel*, Hebr. est אחת *achath*. quod vtrumque valet; & quidem alibi vulgatus, sicut modò Septuaginta, *semel* conuertit. Est autem אחת terminatio fœminea, quæ sola, vt notauit Mercerus apud Pagninum, in radice אחד *achad*. substantiuè ponitur, & valet idem quod *vna vice*, siue, quod idem est, *semel*. Qualia multa sunt apud Græcos, qui terminationem adhibent adiectiui nominis fœmineam, & substantiua nomina subaudiunt. Sic apud illos frequens est ἐν ἡμετέρᾳ, ἐν ἀλλοτρίᾳ, *in nostra, siue aliena*, nempe regione, ac domo. Neque exempla desunt apud Latinos, quibus tritum est, *recta ingredi*, supple via, *hac eundum est*, & similia. Septuaginta, vt opinor, tantùm habuerunt אחת, quæ *vnum* significat, & nomen suppleuerunt, quasi dicturi fuissent *vna vice*; quod per aduerbiũ ἅπαξ Græci, per *semel* expresserunt Latini. Adde quòd cùm genere neutro careant Hebræi, illius loco veuntur genere fœmineo: terminationes verò neutras aduerbiorum loco poni, satis est notum. Sic dicimus *dulce, suaue, graue*, pro dulciter, &c. *primùm, summùm, tantùm, solùm*, & similia. Sic אחת idem est quod (si nobis doctrinæ gratia licet fingere) *vniter*, aut *vnicè*, id est, *vna vice*, quod vsitato in eam significationem aduerbio Latini dicunt *semel*. Vulgatus noster legit, vt habemus modò in Hebraico codice אחת מעט היא *achath meath hi*. Quod ad verbum sic conuerti potest, sicut habet Tigurina, *Adhuc semel, idque breui*. Ita vt illa, *vnam*, & *modicum* explicentur aduerbialiter, hoc modo, *semel*, & *breuiter*. Quare vulgatus non est contrarius, aut diuersus ab Apostolo; sed aliquid addidit, quod Apostolo necessarium non fuit, cùm iam Christus seruator aduenisset, ad cuius legem Hebræos hortabatur: quare de modico illo spatio Apostolo laborandum non fuit. Neque nouum est Paulo testimonium sumptum ex Testamento veteri accommodare nouo; mutaréque quod in nouo, quia iam erant impleta promissa, necessarium non fuit. Psal. 67. cùm dixisset Dauid, *Accepisti dona in hominibus*; dixit Paulus ad Ephes. 4. *Dedit dona hominibus*. vbi obseruat Hieronymus, quæ in Psalmo dicuntur accepta, dici à Paulo data; quia Dauidis tempore tantùm promissa; quo tempore autem hæc scribebantur à Paulo, iam erant Apostolis data Spiritus sancti dona.

Regvla. Terminatio fœminea pro substantiuo nomine.

14\. Ex Paulo duo habemus, quæ valde faciunt ad explorandam huius loci sententiam. Alterum est, quod suprà dicebamus, spectari hoc loco à Propheta tempus illud, quo lata lex est in monte Sinai, vbi commoti sunt cæli, & terra, & cum allusione ad ea, quæ tunc in illa lege ferenda contigerunt addúxisse hoc in loco non dissimilia. Sic autem Apostolus ad Hebr. cap. 12. v. 25. *Videte ne recusetis loquentem: si enim illi non effugerunt recusantes eum, qui super terram loquebatur* (id est, Moyses) *multo magis nos, qui de cælo loquentes magis auertimus. Cuius vox mouit terram tunc, nunc autem repromittit, dicens: Adhuc semel, & ego mouebo non solùm terram, sed & cælum.* Deinde explicat quid sibi velit illud *semel*. *Quod autem adhuc semel dicit, declarat mobilium translationem, tanquam factorum, vt maneant ea, quæ sunt immobilia.* Mobilem appellat antiquam legem; quia illa, cùm successit noua, translata, id est, defuncta est. Semel porrò dicitur commouendum cælum & terra, cùm nimirum in mundum esset inducenda lex noua; quia hæc erit in æternum immobilis, cui nimirum succedet nulla. His porrò verbis significatur, in promulganda lege, in cælo, ac terra futura esse prodigia, quæ nouam legem, quasi nouam totius mundi formam antecelleret. Quemadmodum nunc in bene constituta republica cùm lex aliqua populis noua proponitur, tubarum intercedit clangor, & frequens aliorum instrumentorũ clarè, suauitérque sonantium inflatus, & pulsus.

Lex noua non mutanda.

Alterum est, expectari, ac desiderari Christum non vt seruatorem solùm, sed etiam vt legislatorem; quia ideo, inquit Apostolus, turbandum est cælum, & terra semel, quia non iterum alia lex ferenda, quæ legem illam abroget, cùm non sit futura mobilis, sicut illa prior; quæ etiam turbato cælo, ac terra internuncio Moyse, promulgata est. Mobilis verò vocatur lex, aut in numero plurali mobilia; quia multa continebat, in quibus vetus illa Iudæorum lex magna ex parte versabatur; qualis erat tabernaculum, arca, Cherubim, cæteraque vasa sanctuarij, sacrificia, & ceremoniæ, quæ Christum venturum esse significabant. Hæc omnia mobilia dicuntur, quia Christo iam præsente, cuius erant vmbræ, sicut vmbræ præsente sole, euanuerunt. Aut etiam aliam ob causam vocari potuere mobilia, quia dum essent in deserto cum castris simul mouebantur: neque in terra promissionis stabilem sedem habuere, donec templum à Salomone constructum est. 15.

Lex vetus cur dicta mobilis.

16\. Ad extremum obseruo ex Gregorio Nazianz. *in oratione de laudibus Athanasij; & orat. 5. de Theologia*, tres fuisse cæli, terræque motus, quæ totidem significant statuum, legúmque mutationes. *Duæ*, inquit, *ex omni æuo illustres vitæ mutationes extiterunt, quæ & duo testamenta, atque ob rei celebritatem terræ motus vocantur. Altera à simulacrorum cultu ad legem, altera à lege ad Euangelium; ac tertiũ etiam terræ motum Scriptura nobis annunciat, nempe migrationem ab hac vita ad alteram illam motus omnis, & iactationis expertem.*

17\. Vers. 8. *Et mouebo omnes gentes.*] Id euangelico tempore contigisse, & viderunt bona ex parte superiora sæcula, & nostra hæc omnium maximè vident, in quibus vltra Oceanum occultas antea terras, & latè ad omnes cæli cardines, longéque dispersas lux euangelica lustrauit. Tunc verò omnes gentes moueri dicuntur, quia magnam in lege, ac religione subiere vitæ mutationem. Sed iam explicuimus alio etiam modo gentes esse commotas; quia paulo ante quàm Christus nasceretur, multo quàm superioribus sæculis frequentiùs, & grauiùs exarserunt bella, à quibus nulla fermè regio, quæ tunc esset nobis explorata, & nota, immunis fuit.

18\. *Et veniet desideratus cunctis gentibus.*] Hic locus illustrissimus est, & ineluctabile contra Iudæos vaticinium continet. Quare in eo nobis plusculũ immorandum est. Non hîc solùm Christus desideratus dicitur gentibus, seu, quod idem est, desiderium, aut expectatio. Nam *Genes. 49. v. 10.* de Christo planè dicitur, *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Et ibidem v. 26. *Desiderium collium æternorum.* Sed hunc locum Iudæi, qui eò videntur intenti, vt pellucidos fontes

Locus illustris contra Iudæos.

tes nobis obturbent, variis non tam expositionibus, quàm commentis nobis eripere conantur. In primis nobis obiiciunt, quod Hebraicè non est *desideratus gentibus*, sed חמדת *chemdath*, id est, *desiderium gentium*. Quasi nouum in Scriptura sit adhibere abstractum pro concreto, sicut *amor* pro re amata, *odiū* pro re odiosa, *scelus* pro re scelerata. Et in hoc ipso nomine non vnum est exemplum. Isaiæ 32. v. 12. *Super regione desiderabili*. Ierem. 3. v. 19. *Terram desiderabilem*. & alibi millies, vbi Hebraicè nomen est abstractum, quod desiderium valet. Psal. 20. v. 3. *Desiderium cordis eorum tribuisti eis*. Et Psal. 77. v. 29. *Desiderium eorum attulit eis, non sunt fraudati à desiderio suo*. Quare hunc locum si ad Hebraici idiomatis vim interpretere, sonat: *Veniet desiderium gentium*. quod idem valet quod à gentibus desideratum. Quod etiam apud Latinos vsitatum, qui quos amant, & absentes videre desiderant, suum desiderium appellant. Sic Cicero *lib.* 14. *epist.* 2. vbi in fine ad vxorem, & filiam, *Valete mea desideria*. & paulo antè ad Terentiam, *Meum desiderium*. Quare vox ista non admodum premit.

Desiderium pro re desiderata.

19. Plus habet difficultatis Septuaginta trāslatio, qui pro *desideratus cunctis gentibus*, transtulere, *Venient electa omnium gentium*. Quæ Iudæi sic interpretantur, vt in templum secundum plurima, splendidissimaque à gentibus dona dicantur esse conferenda. Sumpserunt inde occasionem Septuaginta, quia verbum videbant esse in numero multitudinis. vbi enim vulgatus, *veniet desideratus*, Hebr. est ובאו חמדת *vbau chemdath*. id est, venient desiderium. Et quidem negari non potest magna ab externis regibus munera ad Solymitani templi instructum, sacrósque altaris sumptus esse collata. Machab. 2. v. 2. *Fiebat vt ipsi reges & principes locum summo honore dignum ducerent, & templum maximis honoribus illustrarent: ita vt Seleucus Asiæ rex de reddutibus suis præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes*. Non tamen hæc dona eiusmodi fuerunt, vt propter illa templum hoc secundum maiorem dici debeat gloriam & splendorem consecutum. Sed de hac vtriusque templi comparatione statim.

In templum Solymitanū multa ab externis collata.

20. Quod attinet ad Septuaginta translationem, & Hebraicum textum, obseruandum est vsitatum esse apud Hebræos, vt substantiuum nomen singulare adiectiuo, aut verbo pluralis numeri adiungatur; quod interdum dignitatis est, & personæ, quomodo reges, & Pontifices dicunt, *nos rex*, *nos Pontifex*. Exemplorum satis apud Pagninum *lib.* 2. *cap.* 4. *Instit.* Et de Deo sunt exempla plura: duo adducam; tu plura inuenies. Psal. 149. *Lætetur Israel in eo, qui fecit eum*. Hebr. בעשיו *be osau*. id est, *in factoribus suis*. Et *Isaiæ cap.* 42. *v.* 5. vbi vulgatus, *Extendens eos* (nempe cælos) Hebr. est נוטיהם *notehem*, *extendentes eos*. Quare nil mirum, si cùm *desiderium gentium* Christi nomen sit, verbum illi plurale coniungatur. Interdum & sæpiùs cum distributione. Vt docet Pagninus lib. 4. Instit. cap. 15. Genes. 26. 35. *Fuerunt exacerbans spiritum*. id est, quælibet exacerbauit. Vulgatus habet, *Ambæ offenderant animum Isaac*. Plura ibi adducuntur exempla. Quare sic expono illud *venient* cum distributione, *Veniet cuilibet genti suum desiderium*: desiderium autem omnium erat Christus, qui cùm vnus esset, & vnū desideriū, à multis tamen gentibus expetebatur. Quomodo si vnus desideretur à multis, communi hominum loquendi consuetudine vnum vocatur desiderium. Vnde hoc frequens in adulatione, appellare omnium desiderium, amor, aut etiam odium. Hoc porrò desiderium licet ratione obiecti vnum sit; ratione tamen subiecti, vt loquuntur Logici, plura sunt. Et hoc posterius spectasse videntur Septuaginta, dum reddiderunt *electa*, id est, desideria, aut amabilia; qui loquendi modus vsitatus est apud profanos. Sanè vnus erat Cæsar patriæ desiderium, quem optabant omnes ciues; & tamen Horatius desideria appellat ciuitatis lib. 4. Carm. ode 5.

REGVLA. *Numerus pluralis ad significandū dignitatem pro singulari positus.*

REGVLA. *Item cum distributione.*

Sic desideriis icta fidelibus
Quærit patria Cæsarem.

21. His adde tertiam causam, cur nomen singulare verbum sibi multitudinis exigat. Quando nomen est in statu regiminis, id est, quando habet post se genitiuum possessionis, & quasi possessionis, etiamsi in obliquo sit, tunc verbum aliquando conuenit cum posteriori, id est, cum genitiuo. Iob *cap.* 15. *v.* 20. מספר שנים נצפנו *misper sanim nitspenu*. Ad verbum numerus annorum numerati sunt, vbi verbum cum *annis* conuenit, non cum *numero*. Eccl. 10. v. 1. זבובי מות יבאיש *Zebube maueth iebis*. ad verbum, *muscæ mortis fœtere facit* (nempe suauitatem vnguenti) vbi *facit* cum *morte* conuenit, non cum *muscis*. Sic cùm dicitur, *venient desiderium gentium*. illud *venient* cum *gentium* conuenit numero, non cum desiderio. Neque multum refert, an verbum propius sit obliquo, quàm recto, nam multi hîc hærent; quia situs, maximè cùm voces nō sunt admodum separatæ, non valde facit ad syntaxim, & ordinem orationis. Et *Isai. cap.* 28. *v.* 3. verbum cum consequenti, & remotiori nomine coniunxit, quod erat in obliquo: vbi enim vulgatus habet, *Pedibus conculcabitur corona superbiæ ebriorum Ephraim*. Hebraicè legitur, *Pedibus conculcabuntur*. &c. En quàm graue sit illud argumentum, quod nobis ab aduersariis obiicitur: quod tot modis infirmari potest.

REGVLA. *Verbum aliquando non cum recto, sed cū obliquo iungitur quocunque loco sit.*

22. Neque grauius est illud, quod ab aliis obiicitur, videlicet illum desideratum, seu illud desiderium non posse ad Christum seruatorem referri; cùm desiderari non potuerit à cunctis gentibus, cùm de illo nihil acceperint. Huic obiectioni duobus modis potest occurri. Vel quia *desideratus* pro desiderabili ponitur; quod apud sacros, atque profanos scriptores non rarò reperitur, qui præteritum perfectum pro nominibus in *bilis* vsurpant: vt *inaccessus*, *inuictus*, *incorruptus*, pro *inaccessibili*, *inuincibili*, *incorruptibili*. Quod Logici dicunt actum secundum pro primo. Et ita Christus dicitur omnibus gentibus desiderabilis, quia habet cur à gentibus desiderari possit. Aut certè quia id desiderare dicuntur res etiam inanimatæ, cuius indigent, etiamsi illud nulla ratione cognoscant, neque suam necessitatem doleant, aut sentiant. Quomodo *Iob* 37. *v.* 11. frumentum dicitur desiderari nubes; qui dicendi modus familiaris est profanis. Plinius *lib.* 22. *cap.* 24. de melle dixit, *desiderari à faucibus, tonsillis*, &c. quia eo earum partium incommoda leuantur: *Faucibus, tonsillis, angine, omnibúsque oris desideriis vtilissimum*. Et lib. 11. cap. 50. *Cauda præter hominem, ac simias omnibus ferè animalibus, & oua gignentibus, pro desiderio corporum* (id est, pro necessitate, atque exigentia) *nuda, parua, setosa*, &c. Vide quomodo desiderium sumitur pro necessitate, ac exigentia. Hinc constat, quàm leue sit fundamentum illorum, qui ideo hæc implenda putant in secundo Christi aduentu; vt gentes dicantur desiderare Christum.

REGVLA. *Præteritum perfectum pro nomine in bilis.*

REGVLA. *Id dicitur aliquis desiderare, cuius indiget.*

Et

Digitized by Google

23. *Et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum.*] Hæc verba eò spectant, vt confirment languentes, & mœrentes animos illorum, qui memoria superioris templi, & posterioris tenuitate commoti minùs alacriter in datum sibi negotium incumbebant. Domus etenim illa, quæ inornata, & tenuis futura videbatur, non erit minus, quàm superior, gloriosa, imò & plena futura dicitur gloriæ. Quomodo verò id sit intelligendum, dicemus statim. Iudæi gloriam ab auro sumunt, & argento, & ab aliis speciebus, quibus Salomonis templum erat toto orbe celeberrimum. Quod probant, quia aliter non aptè cadunt, quæ mox dicuntur.

24. Vers. 9. *Meum est argentum, & meum est aurum.*] Hoc Iudæi sic interpretantur, vt Deus, qui thesaurorum omnium Dominus est, tantum argenti, & auri collaturus sit in templum secundum, vt ea in re sit multo magis futurum illustre, quàm quod olim excisum est à Chaldæis. Sed est alius sensus multo magis & promissioni à Deo factæ, & Dei voluntati, ac desiderio accommodatus, Ac si dicat, si vellem templum ornatum esse pretiosa, ac varia supellectili, mihi difficile non foret, cùm meum sit argentum, & aurum, magis quàm Salomonis: sed habeo aliquod aliud ornamentum illustre magis, quod maiori erit splendori, ac gloriæ, quàm habuit illud, quod euersum doletis. Ingredietur enim ille, quem omnes gentes, & sæcula desiderant, in hoc templum; cuius reliqua omnia comparatione instar habent aut minuti pulueris, aut leuissimæ stipulæ. Quare ad huius templi maiestatem, & gloriam, non est cur quisquam Salomonis opes, & ornamenta quærat.

25. *Templorum quod præcipuum ornamentum.*

Aut quod putat Cyrillus, significat Deus parum se curare argentum, & aurum, quod in templis ornandis expenditur. Alia sunt Deo speciosa magis, quæ in templis magis amat, & probat, quæ habebit supra Salomonis opes, & artificium secundum templum, quod à Zorobabele construitur. Audi Cyrillum, *Ne inglorium*, inquit, *fore existimetis templum, quoniam auro, & argento splendidisque donis fortasse carebit. Non indigeo his: meũ est enim argentum, & aurum omne. Potiùs germanos, ac synceros adoratores requiro: horum fulgore templum meũ inaurabo. Quemadmodum enim quãdo sacrificiis secundùm legem Israelem absoluit, dixit, vt debebat: Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos: mea sunt enim omnes bestiæ agri, iumenta in montibus, & boues. Ita etiam hic ornatum ex materia repudians, & quem mens aspicit, potius desiderans, meum est, inquit, argentum, & aurum. Hoc est, sufficit, & plenus sum, & nullo horum opus habeo.* Hæc Cyrillus.

26. Quòd si ad confirmandos ædificantium animos, Deus auri, atque argenti meminit; illa ratio videtur non leuis, quam indicant Hieronymus, Haymo, & alij, qui raro à Hieronymi sententia recedunt. Nam cùm duo deterrerent à templi molitione Iudæos, & quod non satis esset facultatum ad sumptus tantæ molis, & quòd imminerent hostes, qui turbarent omnia, nec liberum ad ædificandum, & securum otium relinquerent. Vtrique impedimento Deus satis à se dicit esse prouisum. Primùm, quia idem, qui hortatur ad pium illud, & religiosum opus, Dominus est argenti, atque auri; quare deesse non poterit, illo auspice, ac duce, ad construendum, & instruendum templum, aurum, & argentum. Quod verò impedimentum timetur ab hoste vicino, non esse cur cuiusquam animum metus ille conturbet. Ipse enim efficiet, vt pax sit omnibus optata, tam a Persarum regibus, quàm ab illis, quos suis antè rationibus habuerunt infensos. Id enim valet, quod mox subditur, *Et in loco isto dabo pacem.*

Vers. 10. *Magna erit gloria domus istius nouissimæ plusquam primæ.*] Maior dicitur futura gloria posterioris templi, quàm prioris; quia desideratus gentibus Christus ingredietur, & vacuas illas vmbras, & figuras implebit, quæ ipsius aduentum in mundum, & sacram œconomiam adumbrabant. Quare tanto erit posterior hæc domus priore luculentior, atque gloriosior; quanto melius est nobile corpus, quàm vmbra, quæ à corpore proiicitur; & viuum atque elegans prototypum, rudi, atque inanimata imagine, quæ illud obscurè repræsentat. Hæc est sententia, quam veterum Patrum, & recentiorum interpretum plerique sequuntur. Sed est aliquid, quod contra hãc piam, verámque cogitationem Iudæi obtendant; à quorum calumnia hoc illustre de Christo testimonium vendicemus necesse est. 27.

Et primùm dubitare potest nemo in templum istud secundum ingressum esse Christum à primis annis: nam quadragesimo ab ortu die præsentatus est, & à Simeone in vlnas exceptus, *Lucæ* 2. Deinde docuisse eo in loco frequenter ipse docuit Christus Ioan. 18. v. 10. *Ego semper docui in Synagoga, & in templo.* & cap. 14. v. 49. *Quotidie eram apud vos in templo docens.* Lucæ 21. v. 37. *Erat autem* (Iesus) *diebus docens in templo, noctibus verò exiens morabatur in monte, qui vocatur Oliueti. Et omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum.* Illud igitur templum familiare sibi Christus habuit, quasi proprium ipsius domicilium; quare suo sæpe conspectu illustrauit; illáque cumulauit gloria, cui nulla in priori templo similis fuit. 28. *Christus in templo frequens.*

Contra hanc explicationem obiiciunt primùm Rabbini prius illud templum multis modis fuisse ab hoc posteriori templo superatum, tum magnitudine, tum duratione; & quia ornamentorum, & gloriæ plus habuit, quàm quod à Salomone ædificatum est. De quo sic Rab. Dauid, cuius Figuerius adducit verba. *Discordant Rabbini; nostri in hoc. Quidam dicunt in annis, alij in ædificio, sed vtrunque fuit. Quoniam domus prior stetit annis decem, & quadringentis; domus autem posterior viginti & quadringentis. Fuit item maior in ædificio, sicut scriptum est in sermonibus Rabbinorum nostrorum, & in libro Iosephi filij Gorionis, quod ædificij, quod ædificauit Herodes in domo sanctuarij, tale fuit, vt non visum fuerit eiusmodi à sæculo, neque tam bonum, ac speciosum.* Hæc penè dicunt, aut paulo aliter mutata alij Rabbini, qui maiorem gloriam esse dicunt, posterioris, quàm prioris templi. 29. *Templum secundum creditum à nonnullis priori ornatius, sed falsò.*

De duratione vtriusque templi non omnes conueniunt. Rab. Dauid, vt vides, annos viginti putat posterius durasse supra prius; Rab. Salomon decem, Lyra duos. Et omnes dissentiunt à Iosepho, qui *lib.* 10. *Ant. cap.* 11. durasse tradit Salomonis templum 470. annos; constructum autem à Zorobabele annos 639. *lib.* 7. *de bello cap.* 10. Sed si chronologicum ordinem attentiùs consideres, deprehendes prius templum durasse annos 442. posterius 591. Ita Eusebius *in Chronicis.* Sed non video quid duratio ad dignitatem, atque splendorem faciat; cùm viliora interdum soleant esse diuturniora, quàm quæ magno artificio, & sumptibus constructa sunt. Sanè speluncæ in saxis excauatæ, eremitarum quondam, & nunc fe- 30. *Posterius tẽplum diuturnius quàm prius.*

tarum fortasse cubilia iampridem à mundi penè constitutione durant; collapsæ tamen superbæ moles sunt, & regum domus, & quæ vocata sunt orbis miracula. At quis dicat in speluncis plus esse dignitatis, & splendoris, quàm in regiis deliciis, quàm in pyramidibus, theatris, mausoleis? Quis dicat nobiliores esse coruos aquilis, quia illis contigit vitæ vsura diuturnior? Quare hæc ratio ab omnibus penè, qui Iudæi non sunt, tanquam inanis, & futilis irridetur.

31. Neque illa plus habet ponderis, quàm de splendore, ac maiestate templi posterioris adducunt. Neque enim si materiam, artémque desideres, ipsúmque spatium areæ, quam templi prioris moles occupauit, inuenies vllo modo Zorobabelis cum Salomonis templo esse comparandum. Lege *lib.* 3. *Reg. cap.* 6. inuenies tantum in Salomonis templo esse auri, quantum vix, nisi hoc doceret Scriptura sacra, videbatur esse credibile. *Pauimentum*, inquit, *domus texit Salomon auro intrinsecus, & extrinsecus. Operuit, atque vestiuit oraculum auro purissimo: domum quoque ante oraculum operuit auro purissimo, & affixit laminas clauis aureis.* Et 2. Paralip. 3. *Porrò aurum erat probatissimum, de cuius laminis texit domum, & trabes eius, & postes, & parietes, & ostia, & clauos fecit aureos, ita vt singuli claui siclos quinquagenos appenderent.* Sed dicant Iudæi, quando templum secundum tantum splendoris habuerit. Faciem quidem coronis aureis ornatam audimus lib. 1. Machab. cap. 4. *Ornauerunt faciem templi coronis aureis, & scutulis.* Neque est credibile, si laminis aureis interiora templi forent obducta, cohibiturum esse ab illis manus Antiochum, qui ex templo, quicquid inuenit aureum, secum abduxit. Cùm enim *lib.* 1. *Machab. cap.* 1. abstulisse dicatur vasa, mensam, & reliquam aliam supellectibilem; quæ omnia singulatim numerat: nihil tamen dicitur de aureis clauis, ac laminis; sed tantùm diripuisse traditur ornamentum aureum, quod erat in facie templi. Neque Herodianum templum aliquid videtur inauratum habuisse, quàm quod Machabæorum tempore abstulit Antiochus. De quo Iosephus *lib.* 6. *de bello cap.* 6.

32. Neque quicquam facit contra nostram sententiam vtriusque Iosephi, tam Flauij, quàm filij Gorionis authoritas, qui Herodianum templum multo dicunt splendidius fuisse Salomonio; hic *lib.* 5. *cap.* 25. ille *lib.* 15. *cap.* 14. Nã vt demus ab Herode constructum esse templum; aut, quod potiùs reor, tantùm ornatum, & amplificatum; quod non nemo negat: at in eam amplitudinem, quam Iosephus tradit, & ab illo quotquot ita senserunt, nemo mihi persuaserit. At dices, Iosephus sacerdos fuit, in templo diu commoratus est; res erat recens, celeberrima, quæque sui temporis hominibus, qui adhuc in viuis erant, non poterat esse non explorata: qui igitur falsum aliquid affingere potuit apud illos, à quibus coargui mendacij poterat, si contrà aliquid affirmaret, quàm ipsi vidissent? Ad hæc ego primòm responderem, Iosephum nunquam Salomonis templum spectare potuisse; atque ideo neque debuisse, neque potuisse illud cum Herodiano comparare. Vt enim nos, licèt legamus millies, quæ in historia sacra de Salomonis templo prodita sunt, non nisi imperfectam, & rudem informamus imaginem, si modò aliquam; neque ille plus habuit lucis, quàm nos habemus.

33. Deinde vt in multis aliis, quæ apertè pugnant

A cum Scriptura, desideratur fides in Iosepho; sic etiam hic, vbi nullam habuit à Scriptura sacra lucem, quam intueretur. Docuit Scriptura sacra duos tantùm ex genere Nabuchodonosoris Babylone regnaturos, *Ierem. cap.* 27. Iosephus plures addidit *lib.* 10. *Ant. cap.* 12. Longum esset illius errores, eósque grauissimos numerare. Vide Baronium 1. *tom. Annalium*, vbi multos agnoscit; neque pauci sunt, qui in Iosepho errata plurima, eaque infantilia, & fœda deprehendunt. Vide Baronium præcipuè in apparatu *ad* 1. *tom. Canum de locis lib.* 11. *cap. vltimo.* Posseuinum *lib.* 2. *Bibliotheca selecta cap.* 25. & in apparatu ad omnium gentium historiam *sect.* 2. *cap.* 14. Et latissimè in

Iosephi in historia leuis aliquando fides.

B apparatu sacro v. *Iosephus*: vbi plurimi numerantur errores, neque illi leues, quos hic transcribere non libet. Tu lege, & dices quàm magno suo merito suspecta esse debet Iosephi fides. Quam Hegesippus accusat in prologo suæ historiæ, qui idem cum illo tractauit argumentum, qui sic de Iosepho. *Vtinam tam religioni, & veritati attentus, quàm rerum indagini, & sermonum proprietati fuisset. Consortem enim perfidiæ Iudæorum etiam in ipso sermone se exhibuit, quem de eorum supplicio manifestauit: & quorum arma deseruit, eorum tamen sacrilegia non dereliquit.* Ecquis ergo nos cogat, vt illius verbis sacram habeamus fidem, imò aut humanam? Quomodo ille, vbi nullam habet sacram historiam, à

C qua mendacij reus accusetur, non finget quicquid collibuerit, aut ex vsu fuerit, cùm toties aliquid audeat contra historiæ sacræ diuinam fidem? Quomodo illi credendum, dum historicum agit, qui gratiam ab aliquo, vel commodum captat? Quemadmodum in describenda Danielis statua, dum de illius pedibus ageret, adulatus fuerit Romanis, diximus in nostris Commentariis in Danielem.

Et ne hinc longiùs abeamus, in hoc ipso Herodiano templo videtur Iosephus aut mentitus, aut falsus. Dicit enim *lib.* 15. *cap.* 14. à fundamentis euersum esse templum à Zorobabele constructũ, & eodem loco amplioribus spatiis aliud ab Herode excitatum; idémque octauo postquam ædificari cœptum est, anno absolutum esse. At templũ illud, in quod ingressus est Christus, quadragintasex annis ædificatũ esse dicitur *Ioan.* 2. Tantum verò tẽporis in illa templi molitione ponere non potuit Herodes, qui 37. annos tantùm regnauit, ex eodem Iosepho *lib.* 17. *cap.* 10. & cogitationẽ de templo ædificando suscepit anno 18. postquam regnum iniit, ex eodem *lib.* 17. *cap.* 14. Post absolutum verò templum multa ab Herode facta narrantur, quæ non breue exigunt temporis spatium. Qui verò templum illud ædificatum esse dicebant annis quadraginta sex, non minoris erant authoritatis, quàm Iosephus; quia illorum multi Herodem nouerant; & templum ipsum, dum ædificaretur, aut ornaretur, viderant: quare ignorare non poterant, quantum in eius fabrica temporis esset consumptum. Quomodo verò quadraginta sex anni positi fuerint in secundo illo templo, diximus in nostris Commentariis in Zachariam, ad illud cap. 1. *Iste septuagesimus annus est.* 34.

Iosephi errores de templo secundo.

D (section mark beside "rode excitatum")

E (section mark beside "re ignorare")

Deinde capite eodem 15. inducit Herodem dicentem templum, quod esset diruendum, vt excitaretur nouum, altum esse 60. cubitos, & illi deesse totidem, vt ad Salomonij templi mensuram ascenderet: cùm tantùm haberet sexaginta cubitos altitudinis, iuxta quod esset à Cyro præscriptum, qui, vt constat ex *lib.* 1. *Esdra cap.* 6. permisit- 35.

mitic vt *ponerentur fundamenta supportantia altitudinem cubitorum sexaginta.* Sed Iosephus non vidit templum illud secundum, quod initio 60. cubitos altitudinis habuit, postea prioris templi altitudinem æquasse. Nec animaduertit, dum stylo magis, quàm veritati studet, vt dicebat Hegesippus, à Simone Pontifice templum illud altitudinis duplicasse mensuram. De quo Eccli. cap. 50. *Simon Oniæ filius sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum; templi etiam altitudo ab ipso fundata est, duplex ædificatio, & excelsi parietes templi.* Quæ verba aut duplicatam significant parietum altitudinem, aut magnum aliquod incrementum accessisse templo. Ex his tu plura de Iosephi historica fide coniecta.

36. Neque est cur quemquam commoueat, vt sibi persuadeat euersum esse templum Zorobabelis, & aliud à fundamentis ab Herode constructum; quia illud ædificatum erat ex impolito lapide. Vt habes *lib. 1. Esdræ cap. 3.* Et hoc, in quod ingressus est Christus, pulcerrimum erat, & a lapide accuratè elaborato compositum: vt constat *Marci cap. 13.* vbi vnus è discipulis dixit Christo de templo, *Magister aspice quales lapides & quales structuræ.* Non, inquam, id multum vrget; quia templum illud variis temporibus à Simone Oniæ filio, & à Machabæis ornatum est; qui vt domum amplificarunt, sic etiam illam addiderunt speciem, quam admirabantur Apostoli.

37. Scio esse aliquos ex nostris, qui non obscurè indicant, quod Iosephus hîc prodit de secundi templi maiestate, quod ornamento, atque splendore non modò æquale esse dicunt, sed etiam gloriosius priore. Ita indicat Chrysostomus *tom. 5.* in demonstratione quòd Christus sit Deus; & *homil. 34. in 1. Cor.* & Hieronymus *in hunc locum Aggæi*; sed hi inducti sunt in eam opinionem à Iosepho. Neque mirum, si viri tanti Iosepho crediderunt, qui omnium primus, & penè solus de temporibus illis historiam texuit; cùm neque illi tunc ea de re ex instituto disputarent; & quàm laboret Iosephi fides, nó animaduertissent. Quod in Iosepho vbique maximè obseruandum est, tum verò præcipuè, quando Scripturam sacram non habet, quam sequatur (licèt ab hac, vt dixi, aliquando recedat.) Cùm enim nullam tunc habeat canonicam fidem, à qua possit accusari mendacij, non sanè plus in sua historia fidei meretur, quam quicunque alius profanus scriptor; cui à nemine, cui aliquid insit prudentiæ, haberi fides solet, cùm contra stat grauior aliqua authoritas; aut à maiori fide ortæ coniecturæ. Quales hîc à Scriptura sacra contra Iosephi de Herodiano templo sententiam habemus.

38. *In loco isto dabo pacem.*] Iam suprà explicuimus, quænam sit futura pax hæc, & quem in vsum à Domino promissa. Retardabant vicini populi studia Iudæorum, dum noua quotidie obiiciunt impedimenta. Quare nullum habebant liberum, & securum otium, quod extruendo templo, aut muris instaurandis impenderent. Fecit tamen Deus, vt motus illi, fauente Dario filio Histaspis, ita considerent, vt qui hostes antè fuerant, & molitionem illam sacram omni studio, & artificio morabantur, illi deinde vel inuiti fauerent, vt habes *lib. 1. Esdræ cap. 4. & 5.* Cùm ergo pacificum tempus, & à molestis interpellatoribus vacuum magnorum operum fabricis opportunum sit, pacem Dominus in posterum promittit, ne bellorum metu ædificantium animi frangantur. Certè Salomon tunc existimauit ædificandi templi maturitatem aduenisse, cùm omnes bellorum motus consedisse cognouit. *3. Reg. cap. 5.* sic Salomon ad Hiram. *Nunc requiem dedit Deus meus mihi per circuitum; & non est Satan, neque occursus malus. Quamobrem cogito ædificare templum nomini Domini.* Et si Iosepho credimus *lib. 15. Ant. cap. 14. in fine*, quandiu Herodiano templo data est opera, non solùm ab hostibus, aut interpellatoribus otium fuit, sed etiam à cælo. *Fertur*, inquit, *toto tempore, quo templum struebatur, nunquam interdiu pluisse, noctu tantùm imbribus descendentibus, ne interrumperetur ædificatio.* Vt ergo aliis ædificatoribus Deus, sic etiam Zorobabeli pacem, & otium dedit. Et hac oblata commoditate incubuerunt omnes in sacrum illud opus, vt scribit Esdras lib. 1. cap. 6. v. 14. *Seniores autem Iudæorum ædificabant, & prosperabantur, iuxta prophetiam Aggæi prophetæ.*

Pro ædificando templo data pax.

39. Vers. 11. *In vigesima & quarta noni mensis, in anno secundo Darij.*] Prophetia proxima contigit septimo mense, & eius die vigesima prima; hæc verò, quam nunc explicandam aggredimur, mense nono, & die vigesima quarta; duobus nempe mensibus, & tribus diebus postea. Quo tempore iam Zacharias prophetare cœperat; vno nimirum mense ante hanc prophetiam. Hic verò mensis ab Hebræis Casleu, à Latinis Nouember appellatur.

40. Vers. 12. *Interroga sacerdotes legem, dicens.*] Similitudine quadam ex lege petita, ostendit Dominus quàm ipsi parum grata fuerint sacrificia ante templi molitionem oblata; quámque iustè illa patiantur incommoda, quæ fames, siccitas, & agrorum sterilitas adduxerunt. Sed priusquam similitudinem propono, obseruo, cùm primùm ab exilio ventum est Hierosolymam, ædificatum esse altare subdiale, in area exposita omnĩ cælorum, atque elementorum iniuriæ; neque tectum erat, aut parietes, qui altare tegerent, essénque illius aut munimentum, aut decus. In quo tamen frequentes immolarunt victimas ad hoc vsque tempus, in quo hæc ad populum, & sacerdotes mandata perfert Propheta, vt habes *lib. 1. Esdræ cap. 3.* Putabat autem populus satis se fecisse pietati, licèt foret à templi constructione cessatum; cùm altare iam haberet in legitimo loco, & solemni ritu stata obiret, & à lege præscripta sacrificia. Cùm tamen in Dei opere, nimirum in templo construendo forent inertes; atque adeò à culpa non immunes. Quod quidem eo grauiori erat reprehensione dignum, quo in suas domos ædificandas, non solùm ad commoditatem, & vsum, sed etiam ad delicias magis erant intenti.

41. His positis, non videtur explicatu difficile, quod duabus quæstionibus obtinere Propheta vult à sacerdotibus, & populo: mittitur autem ad sacerdotes, quia illis ex sui nominis, atque ordinis instituto notior esse debuit diuina lex, & auita religio. Tametsi fieri tum poterat, vt sicut aliorum, sic legum memoria post longam exilij moram excidisset. Iubet ergo Dominus Prophetæ, vt sacerdotes adeat, eósque de lege consulat, vt suo illos testimonio conuincat. Erant autem, vt apparet, sacerdotes operi faciundo intenti, seu vrgentes ad opus cæmentarios, & latomos; sicut fuerunt antea, cùm primùm cœpta est sacræ molis ædificatio, *Esdræ 1. cap. 3. v. 8.*

42. Vers. 13. *Si tulerit homo carnem sanctificatam in ora vestimenti sui, & tetigerit de summitate eius panem, &c.*

&c. *nunquid sanctificabitur.*] Id agit Propheta priori A
hac quæstione, vt doceat non ideo sanctificari
Iudæos, quia sacrificia obirent quotidiana; cùm
id ab illis interea esset omissum, ad quod pietas,
atque religio cogebat. Quod multis antea locis
eidem populo exprobratum fuerat à Prophetis,
qui dicunt internas animorum sordes non posse
à fucata sanctitatis specie, externisque sacrificiis
expiari. Atque ideo rogat, an vestimentum à carne
sanctificatum, quæ nimirum ritè oblata est in
altari, sanctificet quicquid esculentum, poculentúmque
tetigerit. Quod negant sacerdotes, &
rectè; sicut antea de carne ipsa dixerat Ieremias
cap. 11. v. 15. *Nunquid carnes sanctæ auferent à te
malitias tuas?* Vnde efficere potuit Propheta, licèt B
id, quia obscurum non erat, omiserit, à sacrificiis
alioqui sanctis, atque legitimis non mundari
illos, qui externis sacrificiis contenti illud præstare
contempsissent, quod religio postulabat, &
pietas. Ponit autem Propheta carnem sanctificatam
in ora vestimenti, seu, vt est in Hebræo, in
ala vestimenti; quia in ea homines excipere
solent, atque portare domum esculentum omne.

43. *Quomodo vestes rei sacræ contactu sanctificantur.*
Sanctificari porrò vestimenta, aut vasa sacrificij
contactu, habemus ex *Leuit. cap. 6. v. 18.* vbi
de sanctificata simila. *Omnis, qui tetigerit illam,
sanctificabitur.* & *v. 27.* de sacrificio pro peccato. C
*Quicquid tetigerit carnes eius, sanctificabitur. Si de sanguine
illius vestis fuerit aspersa, lauabitur in loco sancto.*
Quare vestimentum illud, quod carnes tetigere
sanctificatæ, aliquo modo sanctificatum est; non
tamen eo modo, vt redire nequeat ad profanos
vsus. Quare si lota vestis fuerit, & quod è victima
adhæserat, elutum; & si vas ita mundatum, vt
nihil retineat sacrum, tale omninò censetur, sicut
antea. Et ideo vas fictile, in quo sanctificatæ coquuntur
victimæ, confringi iubetur; quia fieri
non potest, vt omninò deponat, quod ab illis accepit,
quia luteæ materiæ non solùm adiungitur,
sed etiam inolescit. Quod quia ænea vasa non patiuntur,
quibus in intima superficie hæsit, quod
accepit à victimis, non confringuntur, sed lauantur, D
& ad vsus reuocantur domesticos. Et ideo
dicitur v. 28. *Vas autem fictile, in quo cocta est* (nempe
caro sanctificata) *confringetur; quod si vas æneum
fuerit, defricabitur, & lauabitur aqua.*

44. Vnde hoc habemus, meo iudicio, certum, propriè
non sanctificari attactu rei sacræ, vestimenta,
aut vasa; sed tantùm illis aliquid adhæsisse sacrum,
quod si lotione defrices, aut eluas, ipsa
omninò manebunt sicut antea profana. Quare
simpliciter dici sanctificata non possunt, sed cum
hac adiectione; vt quandiu sacrum illud non
fuerit detersum, ad vulgares vsus adhiberi non
possint.

45. Erit hoc igitur argumentum. Sicut carnes sanctæ E
non sanctificant vestimenta, quæ tangunt (nisi
admodum impropriè, quia illis aliquid adhæsit
sanctum) sic neque sacrificia externa sanctificant
homines. Aut si de vestimentis sermo sit, quæ
tetigit sanctificata caro (quod magis indicat
modus ipse dicendi) hæc videtur non inepta sententia.
Sicut vestis sanctificata à carnibus sanctis
non potest, quod deinde attigerit, sanctificare:
Qua sanctitas adueniat homini ex rei sacræ contactu.
sic etiam neque vos, quos tangunt aliquo modo
sacrificia, poteritis operibus vestris, quæ, dum
illa facitis, attingitis, sanctitatem addere. Neque
tunc homines sacrificiorum attactu, aut aspersione,
v. g. sanguinis, dicuntur sancti, sed habere
secum aliquid sanctum, quod aduenit extrinsecus,
perinde atque si impius secum habeat vestem
aliquam sacram, sacrum amuletum, & religiosum
aliquod sanctitatis insigne; non ideo liberatur
à culpa, aut censetur sanctus, quia externa
illa sanctitatis signa in hominibus etiam
peccatoribus reperiuntur: sicut de Pharisæis in
Euangelio sæpiùs audimus. Quare si quidpiam
faciant, non erit illud magis sanctum, aut malum
minus, quàm si fecissent illud, qui externum
illud signum nunquam habuissent.

Vers. 14. *Si tetigerit pollutus in anima ex omnibus 46.
his, nunquid contaminabitur? Et responderunt sacerdotes,
& dixerunt, contaminabitur.*] Aliam rursus quæstionem
de lege Sacerdotes interrogat, quæ cùm superiori
videatur esse contraria; eodem tamen
spectat. Vt enim sancta, quo sensu nuper explicuimus,
non tribuunt illis, quæ tetigerunt, sanctitatem,
nisi extrinsecam, & quodammodo alienam:
sic contrà quæ polluta sunt, attactu suo, *Quis pollutus in anima.*
quæ tetigerunt, polluunt, atque contaminant.
Quis hoc loco sit in anima pollutus, explorandum
est. Omnes conueniunt cum Hieronymo, illum
vocari pollutum in anima, qui tetigit mortuum:
probátque ex *Leuit. 21. v. 1.* vbi iuxta textum
Hebraicum, qui mortuum tangit, contaminatus
dicitur in anima. Vbi enim vulgatus, *Ne
contaminetur sacerdos in mortibus ciuium suorum*, Hebr.
est נפש *lanephes.* id est, *in anima.* Et similiter *v.
11.* vbi vulgatus, *Et ad omnem mortuum non ingredietur*,
Hebr. *Et super omnes animas mortui non ingredietur.*
Et *cap. 19. v. 28.* vbi noster, *Super mortuos non
incidetis carnes vestras*, Hebraicè, *Incisionem ob animam
non facietis in carne vestra.*

Sed est difficile causam assignare, cur anima 47. *Mortuus cur interdum dicatur anima.*
tam sæpe in Scriptura pro cadauere, aut mortuo
adhibeatur. Quidam hìc antiphrasim agnoscunt,
quæ contrariis cótraria explicat: sicut Parcas appellamus,
quia non parcunt. Augustinus *q. 81. in
Leuit.* aliam adducit causam. *Nomen*, inquit, *retinet
anima etiam corpus accipit anima destitutum, quoniam
reddendum illi est in resurrectione. Sicut adificium,
quod appellatur Ecclesia, etiam cùm inde exierit Ecclesia,
qui homines sunt, nihilominus Ecclesia dicitur*,
nempe per metonymiam. Et quidem cùm apud
Hebræos passim anima sumatur pro homine, mirandum
non est (cùm cadauer dicatur homo,
quia paulo antè cadauer illud homo fuit) si etiam
cùm homo dicatur anima, cadauer illud anima
vocetur. Lorinus in priorem locum, quem nunc
ex Leuitico produximus, putat pollui in anima
alicuius, non esse simpliciter quodcunque tangere
cadauer, sed cùm funeri datur opera; quod opus
non tam fit propter defuncti corpus, licèt
circa illud fiant illa sacra parentalia, quàm propter
animam, pro qua piæ ad Dominum funduntur
preces. Et quidem omnes penè loci, in quibus
pro cadauere ponitur *anima*, de funere agunt aut
humatione mortuorum. Quæ explicatio mihi
non displicet. Et hanc ego in re adeò incerta
interea non improbo dum aliam meliorem non
inuenio.

Et quidem quoad exempla, quæ nunc adduximus, 48.
mihi videtur esse valde probabile, quod
putat Lorinus. Sed vereor, ne hæc Hieronymi,
& aliorum communis explicatio optimè conueniat
in hunc Aggæi locum; & de illo sint hæc
intelligenda tantùm, qui mortuum tetigit. Primùm,
quia de hoc nihil video specialiter in lege *Quis pollutus polluit quæ tangit.*
constitutum. Nam licèt immundus sit, qui mortuum
tetigit, non tamen inuenio ea, quæ ab illo
contacta fuerint, contaminari; nisi tabernaculum,

lû. Num.19.v.13. *Omnis,qui tetigerit humanæ animæ morticinium, & aspersus hac commixtione non fuerit, polluet tabernaculum Domini.* De omni verò immundo, quocunque modo immunditiam contraxerit, dicitur eodem capite v. 22. *Quidquid tetigerit immundus, immundum faciet.* Imò quicunque tangeret, ea quæ ex immundi contactu immunditiam contraxerant, ipse quoque fiebat immundus. Id indicat quod proximè sequitur, *Et anima, quæ horum quidpiam tetigerit* (quæ immundus tetigit) *immunda erit vsque ad vesperum.* Et ita hunc locum exponit Lyra. Cùm ergo nihil habeamus specialiter à lege de cibis pollutis illius attactu, qui mortuum tetigit; imò fortasse verum sit, quod in hunc locum putat Abulensis, nihil esse immundum quod tetigit, qui immunditiam tantùm habet legalem; sed illud tantùm, quod tactum est ab eo, qui naturalem habet immunditiam, qualis est leprosus, seminifluus, menstruata, verisimilius puto de quocunque immundo fuisse hanc Aggæi quæstionem, tam de his, qui hoc *Numer.*19. *cap.* continentur, quàm de aliis: qui in lege iudicantur immundi, vt sunt leprosi, seminiflui, menstruatæ, de quibus *Leuit.* 15.

49. *Quis pollutus in anima.* Quis ergo nunc dicetur *pollutus in anima.* Si textum intuearis Hebraicum, non est difficilis quæstionis definitio. Neque enim habet, vt *cap.* 21. *Leuit.v.*1. לנפש *lanephes.* id est, *in anima,* seu *ad animam.* sicut *Leuit.cap.*19.*v.*28. aut *Leuit.*21. *v.* 11. לנפשת *ob animas,* sed simpliciter טמא נפש *teme nephes.* quæ nil aliud sonat, quàm *anima immunda.* Quare sensus est facilis, & obuius. Si anima immunda, id est, homo immundus aliquid horum tetigerit, illud erit immūdum. Quòd verò anima sumatur pro homine, iam à nobis suprà dictū est. Et hoc sensu sumitur *Numer.cap.*16.*v.*22. de quo proximè. *Anima, quæ horum quidpiam tetigerit, immunda erit.* Neque aliquid nobis incommodi est à nomine טמא, quod est masculini generis: nam nomē נפש licèt in genere fœmineo sæpiùs reperiatur, nonnunquam tamen in genere reperitur masculino, vt multis exemplis probat Pagninus. Sed quid nos ad vulgatum, qui non transtulit *pollutam animam,* sed *pollutum in anima?* Fateor hoc mihi aliquantum visum esse durum, quia translationem vulgatam vbique suspicio. Sed est quod respondeam, salua omninò translatione vulgati. Iam sæpiùs audiuimus *animam* significare illum, cuius est anima: quomodo dicimus, *qui odit animam suam,* id est, se, & *iurare in anima sua,* id est, in seipso. Sic ergo *pollutus in anima* ille vocatur, qui in seipso pollutus est.

50. Ex his duabus Prophetæ quæstionibus, hanc ego cum Hieronymo conclusionem efficio, non sanctificari populum sacrificiis; sed potiùs, quia ipse immundus est, polluere omnia, quæ tetigerit, id est, omnia opera sua. Quod deinde probat exemplis ad hanc conclusionem accommodatis. Ab immundis illa etiam, quæ sacra sunt, quodammodo contaminari dixit ante hoc tempus Isaias cap. 1. v. 11. *Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum,* &c. & v. 16. *Manus enim vestra sanguine plenæ sunt. Lauamini, mundi estote,* &c. vide quæ nos ibi. Hinc Gregorius Nazian. *orat.* 1. *Apologetica* collegit vitiosa facilius hominum animis inolescere, quàm quæ proba sunt; & facilius proba ab improbis corrūpi, quàm à probis emendari vitiosa. Cùm enim hæc Aggæi verba recitasset, addidit: *Quibus verbis mea quidem sententia hoc significat Propheta, hanc virtutis naturam esse, vt eam homines non facili negotio consequi possint. Quemadmodum*

Facilius ab improborum consuetudine labes, quàm à sanctorum puritas adhæret.

A *dum nec humida materia ignem facilè excipere solet. Contra ad vitium contrahendum homines maxima ex parte promptos, & idoneos, non secus, vt opinor, quàm stipula quædam ad scintillam, & ventum ob naturæ siccitatem facilè accenditur, atque consumitur. Cuius enim exiguum vitium vberrimè, largissiméque quispiam perceperit, quàm ingentem, ac copiosam virtutem largè, ac tenuiter. Nam & parùm absynthij amaritudinem suam melli celerrimè impertit; cùm contrà mel nec dupla quidem parte copiosius dulcedinem suam absynthio infundat. Ac paruo quidem lapide summoto flumen totum in pronum trahitur: eiusdem autem impetus firmissimo etiam aggere cohiberi, reprimique vix potest.* Idem penè Augustinus contra Fulgentium Donatistam *cap.* 16.
B Quibuscum sentit Chrysostomus homilia quadam in Matth. *Rerum natura sic est, vt quoties bonus malo coniungitur, non ex bono malus melioretur; sed ex malo bonus contaminetur. Diuersitas enim rerum nunquam potest habere concordiam, & multos sollicitat societas nefanda.*

Vers. 15. *Sic populus iste,* &c.] Accommodat similitudinem ad populum contaminatum, & immundum; & docet, sicut quæ ab immundo continguntur, immunditiam contrahunt: sic opera, quæ ab immundis, & peccatoribus fiunt, esse polluta; atque ideo vacua, & mutila censeri. 51.

Vers.16. *Et nunc ponite corda vestra à die hac, & suprà, antequam poneretur lapis super lapidem in templo* 52.
C *Domini.*] Exemplis docet omnia Iudæorum opera ab immundis authoribus esse polluta: & ideo iubet superiorem repetere memoriam ab illo die, ex quo intermissa est templi constructio, ad illud vsque tempus, in quo continuatum est opus; ad diem videlicet vigesimam sexti mensis. Tunc enim, vt suprà vidimus, reuocatum studium, & interrupta constructio renouata est. Totum autem illud tempus sterile fuit, & prorsus infelix; cùm nihil eorum, quæ populus tentaret, ac cuperet, succederet ex voto. Aut enim parcè reddebat ager, quod acceperat, deficiente pluuia: aut vbi magna spes frugum appareret in spicis, aut herba, aut bestiolæ variæ inimicæ frugibus, aut aliæ
D temporum iniuriæ corrumperent; quæ statim enumerat. Porrò hæc eadem antè dixerat cap. 1. vers. 6. *Seminastis multum, & intulistis parum,* &c. Quæ verò sint illæ bestiolæ, aut frugum morbi, diximus super Amos *cap.* 4. *à v.* 9. & super Ioel *cap.* 1. *à vers.*4. & suprà *cap.* 1. ad illud, *exsufflaui illud,* inde pete; neque enim repetere necessarium est.

Vers. 19. *Ponite corda vestra ex die ista, & in futurum; à die vicesima & quarta noni mensis, à die, qua fundamenta iacta sunt.*] Hactenus ostendit, quàm omnia Iudæis acciderint aduersa toto tempore quo cessatum est ab opere; quia data fuit opera 53.
E priuatis domibus construendis, & quod summum esse debuerat, ædificandi templi studium elanguit. Nunc quia ad Prophetæ verba renouatus est ardor, & labor tēpli fabricæ alacriter impensus; iubet, vt ex eo tempore, à die videlicet vigesimaquarta noni mensis, laborum suorum exitus considerent; & ex dissimili prouentu cognoscent, quænam fuerit sterilitatis calamitatisque præteritæ vera causa.

Sed hîc occurrit aliquid, quod expedire oportet. Primùm, quia *lib.* 1. *Esdræ cap.* 3. *v.* 10. fundatum dicitur templum anno 2. postquam ventum est in patriam. Quòd si dicas de iterata, aut continuata templi fundatione loqui Prophetam, quæ accidit anno Darij secundo, contrà stat; quia 54.

quia suprà *cap. 1. in fine, & cap. 2. in principio*, reuocatum dicitur opus vicesimaquarta die sexti mensis. Sed est solutio facilis; nam anno illo secundo, de quo Esdras, aperta tantùm videntur fundamenta; & si qua iacta moles, non tamen eiusmodi, vt spatium illud effossum, & vacuum fuerit impletum. Quare adhuc aliquid supererat operis, vt iacta fundamenta dici possint: neque nunc *cap. 1.* dicuntur mense sexto iacta fundamenta, sed opus fieri in domo Domini; id est, vt ego interpretor, perpurgatum esse locum, vbi ponenda fundamenta, quod iam ruderibus esset oppletum; comportatam materiam; denique præparata alia ad illam templi fabricam necessaria: ita vt ad nonum vsque mensem non fuerit positus lapis super lapidem. Id verò non obscurè indicatur suprà v. 16. *A die hac, & suprà, antequam poneretur lapis super lapidem in domo Domini.*

55. Vers. 20. *Nunquid iam semen in germine est? Et adhuc vinea, & ficus, & malogranatum, & lignum oliuæ non floruit. Ex die ista benedicam.*] Promittit Deus, ex quo populus sollicitus esse cœpit de construendo templo, se quoque de illorum commodis futurum esse sollicitum. Et licèt nullum tunc appareat tam in frugibus, quàm in arboribus futuræ fertilitatis indicium; quia neque frumenta germinarant, neque arbores floruerant; ex quo de prouentu sumi coniectura solet: tamen omnem illius anni, & aliorum in posterum vbertatem promittit. Pro *germine*, Hebraicè est מגורה *megurah*, quod variè à variis redditur. Quidam esse putant folliculos, aut thecam, vbi in spicis continentur grana; quò vbi primùm fruges peruenerint, non procul censetur messis esse maturitas. Alij putant esse horreum, in quod vbi frumenta fuerint recondita, nullus de prouentu superest metus. Ego hîc cum Hieronymo folliculum intelligo, aut spicam, cùm in vagina latet, aut cùm ex illa primùm erupit. Hæc autem prior pars efferenda est cum interrogatione, ita vt neget germinasse semina; secunda verò sine illa, quæ negat floruisse plantas, & ostendisse aliquod vbertatis futuræ prognosticon. Et quidem mense nono, qui noster Nouember est, & partem aliquando Decembris assumit; licèt in herba sint segetes, nondum tamen germinarunt; quo sensu nuper explicuimus: neque flores emisere plantæ; quod tunc accidit, quando adueniente vere cælum intepuit.

56. Hinc constat quod in principio notabamus, sacrum annum respexisse Prophetam, non vulgarem, aut ciuilem, cuius September initium est. Nam si vulgaris esset, cùm à Septembri nonus mensis esset Maius, iam germinarant segetes, imò essent iam maturæ falci; & arbores non solùm flores, sed etiam fructus peperissent. Quod autem nunc Deus per Aggæum, idem per Zachariam promisit *cap. 8. v. 9.* anno ab hac prophetia secundo; nempe quarto anno Darij, & die quarta mensis noni.

Annus apud Prophetas sacer, nõ vulgaris.

57. Vers. 22. & 23. *Ego commouebò cælum pariter, & terram, & subuertam solium regnorum.*] Eadem die verbum accepit Aggæus à Domino ad Zorobabel, quod eodem spectat; nempe vt ad inchoatum opus ardorem addat, & animos confirmet. Quid sit, cælum, & terram commoueri, explicuimus suprà hoc ipso capite. Quo dicendi genere ingens significatur rerum mutatio. Sed est grauis hîc inter authores concertatio, de quo hæc Zorobabele sint intelligenda; de proprióne, & qui verè fuit filius Salatielis; aut de figurato, id est, de Christo, qui humanum genus sumpsit ex Zorobabele. Hoc posterius tenent interpretum plerique, qui hæc omninò sumenda putant de Christo. In his est Hieronymus, & qui ab illo perquam rarò discedunt; sed non eodem omnes modo interpretantur. Quidam de secundo Christi aduentu, vt Hieronymus, Hugo, Haymo. Alij de primo, vt Cyrillus, Lyra, Remigius, Dionysius, Vatablus, & Ribera, qui variis cogitationem suam rationibus confirmant. Alij hæc de Zorobabele propriè capiunt. Theodoretus, & Iansen. *super cap. 49. Eccli.*

Ego vtranque sententiam ita compono, vt de Zorobabele accipimus historicè, typicè de Christo: ita vt in Zorobabele, qui templi fabricam reuocauit, & absoluit, quique exulantem populum reduxit in patriam, Christi seruatoris imaginem intueat. Quòd verò hæc aliquomodo ad Zorobabelem spectent, probat, meo iudicio, manifestè illud *Eccli. 49. v. 13.* Nam cùm de ducibus, ac principibus populi sermo esset non figuratus, sed proprius, vt apparet, de Zorobabele dictum est. *Quomodo amplificemus Zorobabel; nam & ipse quasi signum in dextera manu.* Quæ verba hîc ab Aggæo de Zorobabele dicuntur, vtique non figuratè, sed propriè: neque enim alio sensu dicta sunt ab Aggæo, quàm ab Ecclesiastico; quod optimè Iansenius probat ad illum locum Eccli. de quo proximè. 58.

Sed dices, quomodo probabis, quo tempore populo præfuit Zorobabel, commotum esse cælum, & terram, subuersa regna, & quæ deinde numerantur. Respondeo hæc esse implenda in Zorobabelis posteris; quod in Scriptura frequens est, in qua multa promissa sunt parentibus, quæ non nisi in liberis, ac sera posteritate completa sunt. Vt quæ promissa fuerunt Abrahamo, & Iacob; & quæ filiis suis *Gen. 49.* Iacob iamiam moriturus prædixit. Et verò ita contigit; nam licèt imperium Persicum, & Græcũ dissoluta fuerint, & alia regna varios casus, mutationésque subierint; stetit tamen post illorum ruinam templum, & regnum à Zorobabele fundatum. 59.

Aut certè quod in simili dicendi genere sæpiùs audimus, hîc subauditur conditionale signum, *si*, aut aliud simile, in hunc sensum. Si cælum terraque turbetur, id est, si magna vbique locorum mutatio fiat; si regna conuellantur alia; perstabit tamen, me patrono, atque auspice, regnum à Zorobabele fundatum. Similis est loquendi modus apud Isaiam cap. 51. *Quia cæli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur, & habitatores eius sicut hæc interibunt; salus autem mea in sempiternum erit.* Et cap. 54. *Montes commouebuntur; & colles contremiscent; misericordia autem mea non recedet à te.* Quorum eam puto esse sententiam. Si cæli liquescant, salus mea erit sempiterna, id est, facilius erit cælum liquescere, quàm salutem meam deficere. Et hunc arbitror esse sensum illorum verborum Matth. 24. *Cæli, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Quorum explicationem habemus à Luca cap. 16. *Facilius est cælum, & terram præterire, quàm à lege vnum iota cadere.* Quomodo *si*, conditionalis particula subaudiri soleat, diximus ad locum nuper citatum ex cap. 54. Isaiæ. 60.

REGVLA. *Si conditionale sæpe subauditur.*

Quod si de Christo mysticè capias, non erit difficilis interpretatio; non enim obstat nomen Zorobabelis; nam in Scriptura infrequens non est, vt parentum nomen sine vlla mutatione patronymicè pro illorum posteris vsurpetur. Quomodo *Dauid* Ezech. cap. 37. pro Christo sumitur. Item 61.

REGVLA. *Nomen parentum sine vlla mutatione patronymicè sumitur.*

by Goo

Item *Israel* Isai.49. *Seruus meus es tu Israel, quia in te gloriabor.* Et B. Virgo *Luca* 2. filium suum appellat Israel. *Suscepit Israel puerum suum.* Sic nos hunc locum exposuimus super Isaiam *cap.*42. *n.*24. Sic ergo nunc Zorobabel pro Christo ponitur, qui à Zorobabele genus ducit maternum, patronymicè Zorobabelides appellari posset. Reliqua de cæli, terræque motu, de regnorum mutatione, de varia rerum vicissitudine, quæ in aduentu Christi contigerunt, satis à nobis multa dicta sunt suprà ad illud, *Ego commouebo cælum, & terram, &c.*

62. Vers.24. *In die illa, dicit Dominus exercituum, assumam te Zorobabel.*] Quo tempore nempe varij casus exagitabunt, atque conuellent gentium imperia, quo sensu nuper explicuimus; aut quia reuera varias mutationes subierunt; aut si conditionaliter accipias, si omnia misceantur, concutiantúrque, te tamen, ô Zorobabel, communis illa calamitas, & casus non attinget: assumam enim te, & eximam à communi siue plaga, siue fortuna.

63. *Et ponam te quasi signaculum, quia te elegi.*] Hic locus nos dubitare non sinit hæc verba de Zorobabele propriè esse capienda, quando propriè cepit Ecclesiasticus *c.*49. quod nemo dubitat. Quid sit aliquem esse signaculum, obscurum est; neque pauci sunt apud interpretes exponendi modi. Mihi ille maximè placet, quem probaui ad similem locum Ieremiæ *cap.*22. *v.*24. vbi sic Deus de Iechonia. *Viuo ego, dicit Dominus, quia si fuerit Iechonias filius Ioacim regis Iuda annulus in manu dextera mea, inde euellam eum.* Quo loco cùm varios adduxissem annulorum vsus, illum ad extremum magis probabam, qui amorem indicat alicuius, cuius in annulo gestamus effigiem. Est enim non solùm apud externos, sed etiam apud sacros scriptores vsitatum, vt eorum, quos in pretio, aut in amoribus habemus, imagines exprimamus in annulis, vt nunquam non occursent oculis. Quare *gestari in annulis*, atque *vnicè, ac vehementer amari*, idem est. Cicero de finibus, cùm ageret de Epicuro. *Eius, inquit, imaginem non modò in tabulis nostri familiares, sed etiam in poculis, & in annulis habent.* In sacris plura sunt exempla, quæ nos adduximus *Prolegom.*10. *super Cant.* & super Isaiam ad illud cap.44. *Et hic scribet in manu sua Domino.* Ex his pauca accipe. Gestabant exules Babylonici in manibus, id est, in annulis descriptam Hierosolymæ imaginem: quare *Psal.*136. dicunt nunquam futuram sibi obliuionem patriæ, nisi suarum ipsi manuum obliuiscantur. *Si oblitus fuero tui Hierusa-*

Amicorum imagines in annulis insculpta.

A *lem, obliuioni detur dextera mea.* Et *Isaiæ* 49. Deus ait nunquam se fore Hierosolymæ immemorem. *Ego non obliuiscar tui, ecce in manibus meis descripsi te: muri tui coram oculis meis semper.* Quasi dicat, vt manus meæ præsentes mihi sunt, sic Ierusalem, quam in manuum mearum annulis inscripsi.

Est autem hîc *signaculum* idem quod annulus signatorius, Græcè σφραγὶς, quæ sanè amoris magni amplificatio est. Neque tantùm qui insculptus est in annulo, præsens est illius oculis, à quo gestatur, sed est quasi alter ipse. Notum est enim annuli signum impressum ceræ tantundem valere, quantùm ille, cuius est stemma, siue nota: quare quiuis factam sibi interpretatur iniuriam, quam inferri videt suo, aut parentum familiari signo. Atque ideo significare videtur Christus eo loco apud se esse Zorobabelem, vt sibi factum putet, siue beneuolè, siue odiosè, quod aliquo modo ad illum spectat. Quomodo dixit eodem pro-
B pè tempore, & in eodem argumento, Zachar.cap. 2.v.8. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* 64.

Annuli qualis authoritas, aut gentilitij stemmatis.

De Christo multo hæc meliùs affirmari possunt, qui fuit quasi quidam signatorius annulus, quo Pater consignat, quæ sua sunt. Qui enim sunt Dei, Christi secum imaginem gerant oportet. Huc facit quod de signatorio annulo narrat antiquitas, quem habebat secum materfamilias, vt à seruulorum manibus vendicaret, quæ ad suum, ac domini vsum seruare studebat: quare lagenas obsignabat, panem, salinum, omnia denique, quæ
C ad Domini mensam afferri volebat. Ita Plinius lib.33.cap.1. *Cibi, ac potus annulo vindicantur à rapina.* Et apud Plautum in Casina. Act.2.scen.1. materfamilias loquitur, 65.

Christo tanquam annulo consignati sancti.

Obsignate cellas, referte annulum ad me.

Et Clemens Alex. *lib.*3. *cap.*11. *Pædag.* annulum matrifamilias tribuit signatorium, non tam ornatus, quàm custodiæ gratia. Sic Deus, atque Ecclesia magnæ familiæ mater Christi charactere consignat, quos Deus suos esse vult. Quemadmodum *Ezech. cap.*9. *& Apoc. cap.*7. suo consignat chara-
D ctere, atque annulo, quos à cæde, & gladio seruatos esse voluit. Plura de hoc nobilissimo signaculo inuenies apud Hieronymum, & alios sacros interpretes, quos videre promptum est. Tantùm dicam quod de hoc sacro signaculo dicit Cyrillus. *Filius, inquit, Dei, & Patris signaculum est, totam eius, & perfectam similitudinem continens, & in proprio nitore genitoris natura coruscans. In ipso porrò quoque ad similitudinem suam nos signat Deus: siquidem in Christum transformati, velut imaginem Dei acquirimus.*

Digitized by Google

IN ZACHARIAM PROPHETAM COMMENTARII.

A

PROLEGOMENON I.

De genere, & patria Zacharia.

1. *Zacharia genus.* GENVS suum Zacharias ipse prodit statim in principio, dum patrem suum Barachiam appellat, & auum Addo, qui nullo modo fuit Propheta ille, qui, vt habes *lib.3. Reg. cap.13.* Ieroboamo exprobrauit, quòd impium altare pro vitulorum cultu construxerit. Qui *Paralip. lib.2. cap.9. vers.29.* vocatur Addo. Ita putat Hieronymus. Rationes, quibus nos hanc sententiam explosimus, habes infrà *cap.1. num.24.*

B

Ex qua tribu fuerit, non constat; ex Leuitica fuisse familia, docet Dorotheus *in synopsi*, vbi ait functum esse Hierosolymæ sacerdotio. Et quidem Sozomenus *lib. 9. cap. vltim.* Nicephorus *lib.14. cap.8.* inuentum esse tradunt Prophetæ corpus sacerdotali indutum stola, eo videlicet habitu, quem in vita familiarem habuit.

C

2. *Eius patria.* De patria nihil tradunt historici, neque de illa nobis laborandum est, cùm constet illum natum Babylone, & ibidem ad ætatem vsque senilem commoratum esse. Quod reliquum fuit ætatis, postquam è Babylone remigrauit in patriam, id totum in Iudæa, imò in vrbe Solymitana posuisse videtur, vbi & templi fabricam vrgebat, & prophetico afflatus spiritu vocabat homines ad officium, & de futuris rerum euentibus admonebat. Sanè in Iudæa fuisse sepultum, tradit Epiphanius, & Chronicum Alexandrinum; & addit Dorotheus iacuisse in Batharia, quæ 150. stadiis distat à Hierosolyma.

PROLEGOMENON II.

Vbi prophetauerit.

NOn dubium, quin ea, quæ nunc habemus, in Iudæa fuerit prolocutus Zacharias. Quod facilè quiuis sibi persuadebit, si prima Zachariæ verba cum verbis Esdræ *lib.1. cap.5.* componat. Nam anno 2. Darij prophetasse dicitur Zacharias *cap.1. vers.1.* prophetasse autem in Iudæa, & Ierusalem, docet suprà Esdras *vers.1.* Neque obstat, quòd visiones aliquot Prophetæ oblatæ fuerint in Babylone, qualis fuit equestris illa visio, quæ inter myrteta ad ripam magni fluminis apparuit; nam, vt dicemus infrà *cap.1. num.53.* cùm esset Hierosolymæ Propheta, spectrum sibi Babylone videre visus est; cui nempe eodem tempore fuit non equorum solùm, sed etiam Babylonis species oblata. 3. *Zacharias vbi prophetauit.*

Si verum est quod cum Epiphanio sentit Dorotheus, & Chronicon Alexandrinum, præter has prophetias, quas nunc habemus, alias quoque ad alios fuisse à Zacharia traditas; non dubium est, quin ante hoc tempus Babylone prophetauerit, cùm Iudæam nullus illorum viderit, ad quos sua Propheta vaticinia produxit. Sic autem de illo scribit Epiphanius. Nam cùm dixisset, cùm reditum è Babylone moliretur, plurima in via vaticinatum esse Zachariam, illaque miraculis confirmasse, addidit prædixisse Salatieli, nasciturum ex eo Zorobabelem; & Cyro plura alia de felici bellorum exitu contra Crœsum Lydorum, & Astiagem Medorum regem. Sanè improbabile non est, antequam Hierosolymam videret, in Babylone, finitimísque locis aliquid annunciasse propheticum, quia ætate iam senili reuersus est in patriam, vt docent Patres communiter, & Kalendarium Romanum ad diem 6. Septembris,

Digitized

ptembris, cuius apud me grauissima est authoritas.

PROLEGOMENON. III.

De vita, & morte Zachariæ.

4 DE vita nihil habemus aliud, quàm quod proximè dictum est. Quòd si valde senex Hierosolymam rediit cum aliis captiuis, verisimile est in Iudæa fuisse natum, abductúmque puerum cum aliis pluribus, & ad grauem vsque ætatem vixisse Babylone. Nam aliquot ex his, qui Salomonis templum viderunt, ab exilio rediisse, habemus *lib. 1. Esdræ cap. 3. v. 12.* vbi multi esse dicuntur de sacerdotali, atque Leuitico ordine, qualem suprà Zachariam nostrum putabamus.

Zachariæ vita, & mors.

De morte nil habemus certum. Quidam illum ferro, aut externa vi, alij morbo, aut alia quauis naturæ necessitate extinctum arbitrantur: nos ferro sublatum esse credimus, aut lapidibus, sicut alij ex Prophetarum numero non pauci perierunt; & esse Zachariam illum, qui inter templum, & altare à contribulibus suis interfectus est. De quo Christus apud Matthæum *cap. 23.* Quæstionem hanc satis, vt credo, diligenter disceptaui *cap. 1. à num. 9.* inde pete.

Digitized by Google

IN CAPVT PRIMVM

ARGVMENTVM.

ID agit per Prophetam Dominus, vt populum à captiuitate reducem ad se conuertat, quem alia studia ad alias cogitationes abduxerant. Proponitque non dissimiles parentum mores, qui cùm Prophetarum monita respuissent, in grauia lapsi fuerunt infortunia. Deinde duobus spectris; altero equitum in myrteto; altero fabrorum cum ferreis cornibus, instaurationem vrbis, ac templi, & omnium bonorum abundantiam promittit.

CAPVT I.

1. *IN mense octauo, in anno secundo Darij Regis, factum est verbum Domini ad Zachariam, filium Barachia, filij Addo, Prophetam, dicens;*

2. *Iratus est Dominus super patres vestros iracundia. Et dices ad eos; Hæc dicit Dominus exercituum.*

3. *Conuertimini ad me, ait Dominus exercituum: & conuertar ad vos, dicit Dominus exercituum.*

4. *Ne sitis sicut Patres vestri, ad quos clamabant Prophetæ priores, dicentes; Hæc dicit Dominus exercituum. Conuertimini de viis vestris malis, & de cogitationibus vestris pessimis: & non audierunt, neque attenderunt ad me, dicit Dominus.*

5. *Patres vestri vbi sunt? & Prophetæ nunquid in sempiternum viuent?*

6. *Veruntamen verba mea, & legitima mea, quæ mandaui seruis meis Prophetis, nunquid non comprehenderunt patres vestros, & conuersi sunt, & dixerunt: Sicut cogitauit Dominus exercituum facere secundùm vias nostras; & secundùm adinuentiones nostras fecit nobis?*

7. *In die vigesimaquarta vndecimi mensis Sabath, in anno secundo Darij, factum est verbum*

PARAPHRASIS.

A 1. IN mense octauo, qui & Marchesuan, anno secundo Darij Histaspis Regis Persarum, audiuit Zacharias filius Barachiæ, & nepos Addo, Dominum ad se his verbis loquentem.

2. Grauiter ego Dominus in patres vestros indignatus sum. Hæc ergo meo nomine, ô Zacharia, dices ad eorum filios.

3. Conuertimini ad me, dicit potens, & bellator Deus: & ego conuertar ad vos, dicit idem Dominus bellator, & potens.

4. Cauete ne parentum vestrorum mores, & insaniam sequamini, ad quos eadem
B fiebant Prophetarum verba; qui in nomine Dei exercituum, in eundem omnino modum sic clamabant. Relinquite, quam ingressi estis sceleratam viam: & meliùs iam cogitate, quàm fecistis hactenus. Neque tamen audierunt me admonentem benignè, aut dignum existimarunt, ad quem mentem, oculósque conuerterent, dicit Dominus.

5. Sed vbi sunt stulti illi parentes vestri, qui cum sibilo, & risu excipiebant verba mea, neque ad se pertinere arbitrabantur propheticas minas? vbi sunt Prophetæ,
C qui vera vobis, licèt dura, prædixere? nunquid hi in æternum viuent, vt vos quotidie moneant? non sanè: sed iam tempus aduenit, in quo Prophetia vera per longa temporum spátia silebit. Quare dum licet, audite nunc Prophetarum oracula.

6. Defecerunt iam parentes vestri, qui nullum inesse pondus arbitrabantur Prophetarum oraculis; experti iam magno suo malo esse quàm verissima, quæ à me ipsis minaci Prophetarum voce prædicta sunt. Et iam in mediis malis deprehensi, qui cæci in prosperitate fuerunt, ad meliorem
D mentem vexatione traducti dixerunt, heu nimis serò! En iustè à Domino sæuiente patimur, quod iuxta nostra merita, vesanaque consilia in nostrum caput facienda decreuerat.

7. In die vigesimaquarta mensis vndecimi, qui & Sabath; tertio nimirum mense post

Digitized by Google

bum Domini ad Zachariam filium Barachiæ, filij Addo, Prophetam, dicens.

8. *Vidi per noctem, & ecce vir ascendens super equum rufum, & ipse stabat inter myrteta quæ erant in profundo: & post eum equi rufi, varij, & albi.*

9. *Et dixi: Quid sunt isti Domine mi? Et dixit ad me Angelus Domini qui loquebatur in me; Ego ostendam tibi quid sint hæc.*

10. *Et respondit vir qui stabat inter myrteta, & dixit: Isti sunt quos misit Dominus, vt perambulent terram.*

11. *Et responderunt Angelo Domini, qui stabat inter myrteta, & dixerunt: Perambulauimus terram, & ecce omnis terra habitatur, & quiescit.*

12. *Et respondit Angelus Domini, & dixit: Domine exercituum vsquequò tu non misereberis Ierusalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es? Iste iam septuagesimus annus est.*

13. *Et respondit Dominus Angelo, qui loquebatur in me, verba bona, verba consolatoria. Et dixit ad me Angelus, qui loquebatur in me, Clama, dicens:*

A post priorem visionem, anno secundo Darij, de quo priùs, factum est verbum Domini instruens Zachariam filium Barachiæ, filij Addo.

8. Quasi in Babylone degerem, vt antea captiuus, per noctem videbar mihi videre virum equo insidentem rufo, in profundo fluminis inter myrtos, quæ vtramque fluminis ripam coronabant: & eodem in loco post illum alios, qui equis rufis, maculosis, & albis vehebantur.

9. Tunc ad Angelum dixi, qui in me loquebatur, quique dux mihi futurus erat, &
B magister: Domine mi, isti, qui equestres veniunt, quinam sunt? Dixit autem mihi non eques ille primus, sed Angelus prophetalis, qui intra me erat, & à quo, vt illam visionẽ intelligerem, eram illuminandus? Nihil te ista cura, ô Zacharia, conturbet; audi tu attentè, ac vide quæ dicuntur, ac fiunt, mei erit muneris præstare, vt tu hæc clarè, & sine errore cognoscas.

10. Tunc verò, qui inter myrteta primus mihi apparuerat, respondit satis quidẽ obscurè, ita vt necessaria mihi fuerit postea
C lux ab Angelo, qui familiaris erat mihi, quique loquebatur in me, dixítque: Isti, quos rufis, versicoloribus, albísque equis insidere conspicis, sunt, quibus Dominus id negotij dedit, vt vniuersam lustrarent terram.

11. Illi verò equites, quibus mandatum erat, vt terram obirent, dixerunt Angelo, qui se mihi inter myrtos obtulerat, præstitisse se quod ipsis à Deo datum esset negotij: quare lustratam esse terram, omnémque sine vllo bellorũ motu pacatè inhabitari: neque iã amplius contra Iudæos regio-
D nes illas quondam infesas quicquã moliri.

12. Vbi autem Angelus, qui in me, & pro me loquebatur, habitari omnia, & esse pacata, ab equitibus cognouit, recordatus rem Iudaicam nondum esse constitutam, sed multis modis vbicunque turbari, aut impediri; sic est ad Dominum locutus (nam iam equestris visio recesserat.) Domine exercituum, si pacata sunt omnia, si alij populi quieti, & sine metu viuunt, cur te non miseret Ierusalem, & aliarum ciuitatum Iuda, quæ desertæ sunt, & à vicinis
E hostibus quotidie tentantur? Ecce septuagesimus agitur annus, ex quo vrbe iam omnino, & Templo caremus, quæ exusta, atque euersa fuere sub Sedecia Rege decimonono anno postquam vastari, atque perire cœpit res Iudaica.

13. Respondit verò Dominus Angelo, qui intra me loquebatur, verba ad leniendum Iudaicæ Gentis dolorem opportuna. Quæ vt ego ad populum voce clara referrem, Angelus imperauit.

Digitized by Google

14. 15. *Hæc dicit Dominus exercituum; Zelatus sum Ierusalem, & Sion zelo magno. Et ira magna ego irascor super gentes opulentas: quia ego iratus sum parum, ipsi verò adiuuerunt in malum.*

14. 15. Verba consolatoria hæc sunt, quibus Dominus mœrentem populum reficit, ac confirmat. Vehementer me populi mei dolor tangit, & ad furorem inflammat contra gentes, quæ sibi in illum, plusquam à me concessum est, iuris, & seueritatis assumpserunt. Ego enim, vt pater, licèt seuerè, modicè tamen pro meritis populo meo succensui: neque quicquam meæ seueritati proposui tanquam optimus medicus, nisi vt inueterato morbo commodam adhiberem medicinam. At illi, qui mihi benigni consilij ministri, atque adiutores esse debuerunt, hostili prorsus animo, ad ea incommoda, quæ ego inflixi, plurima addiderunt alia, eaque acerbissima, à quibus abstinuisset paternus animus, & qui mei consilij minister esse vellet, potius quàm suo furori satisfacere.

16. *Propterea hæc dicit Dominus: Reuertar ad Ierusalem in misericordiis; & domus mea ædificabitur in ea, ait Dominus exercituum: & perpendiculum extendetur super Ierusalem.*

16. Quia ergo populus vexatus est durè, propterea hæc dicit Dominus. Sicut offensus recedere visus sum à Ierusalem, sic etiam misericors ad illam reuertar: efficiámque vt domus mea in ipsa rursus instauretur, extendatúrque perpendiculum super Ierusalem, vt non temere, & raptim, sed ex arte, atque quietè exædificetur.

17. *Adhuc clama, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc affluent ciuitates meæ bonis, & consolabitur adhuc Dominus Sion, & eliget adhuc Ierusalem.*

17. Iussus sum ab Angelo præterea nomine Domini exercituum sic clamare. Vt ante excidium Ierusalem, populique captiuitatem ciuitates omnium rerum abundantia affluebant, vtpote à Domino electæ; sic etiam rursus Dominus, affluentibus omnium rerum abundantia ciuitatibus, consolabitur Sion, & eliget adhuc Ierusalem ad illum decorem, & gloriam, quam in priori obtinuerat statu.

18. *Et leuaui oculos meos, & vidi: & ecce quatuor cornua.*

18. Iterum, cùm oculos eleuarem, oblata est mihi species altera plena consolationis. Videre enim videbar quatuor cornua.

19. *Et dixi ad Angelum, qui loquebatur in me: Quid sunt hæc? & dixit ad me: Hæc sunt cornua, quæ ventilauerunt Iudam, & Israel, & Ierusalem.*

19. Quæ interrogatus Angelus dixit quatuor esse nationes, quæ ad illum vsque articulum variè, ac durè populum Dei insectatæ sunt.

20. 21. *Et ostendit mihi Dominus quatuor fabros, & dixi: Quid isti veniunt facere? Qui ait, dicens: Hæc sunt cornua, quæ ventilauerunt Iudam per singulos viros, & nemo eorum leuauit caput suum: & venerunt isti deterrere ea, vt deiiciant cornua gentium, quæ leuauerunt cornu super terram Iuda, vt dispergerent eam.*

20. 21. Postquam mihi obiectum est spectrum illud quatuor cornuum, occurrit statim alterum totidem fabrorum. Tunc verò Angelus interrogatus respondit mihi: à quatuor cornibus sic esse ventilatum Iudam, vt quantùm ab hostibus afferri incommodi potuit, tantùm quisque pertulerit, ita vt nemo his vrgentibus, ac ventilantibus cornibus caput leuauerit. Nunc verò à Domino missos esse fabros, qui cornibus illis vim ac potestatem adimant, & conterant gentes, quæ vt dispergerent populum, cornu leuauerunt.

Digitized by Google

Zacharias omnium Prophetarũ obscurissimus.

1\. AGGREDIMVR difficillimi operis explicationem, id est, Zachariæ obscurissimi Prophetarum omnium oracula: siue materiam ipsam intueare, siue orationis genus. Materia varia est, ita vt in hunc librum bona ex parte congesta videantur, quæ dispersa sunt in aliorum Prophetarum oraculis. Dicendi genus omnino Propheticum, id est, obscurum, interruptum, varium. Adde in hoc Propheta etiam symbolicum, & vt ita dicam, hieroglyphicum. Ex quo, meo iudicio, fiet, vt qui hunc Prophetam probè cognouerit, faciles habeat, & explicatos aditus ad abdita reliquorum Prophetarum arcana. Ex quibus omnibus consequens est, vt opus hoc non possit non esse, & implexum valdè, & vehementer obscurum. Quare magnus Doctor Hieronymus, & ad eruendos ex sacris Scripturis abditos sensus omni literarum, atque ingenij subsidio, & multorum annorum labore, atque experientia instructus, vbi in Prophetas alios luculentissima scripsisset Commentaria, perfunctus iam longis, impeditisque laboribus, in extremo penè omnium Prophetarũ, quasi in portu hæsit, & admiratus operis difficultatẽ, & ipsa obscuritate deterritus, sic in secundo libro Commentariorũ in hunc Prophetam, id est, post cap. 6. Exuperium alloquitur, cuius rogatu id negotij susceperat. *Ab obscuris ad obscuriora transimus, & cum Moyse ingredimur in nubem, & caliginem. Abyssus abyssum inuocat in voce cataractarum Dei; labyrintheos patimur errores, & Christi cæca regimus filo vestigia.* Quare iuuari se postulat Exuperij orationibus, vt ex ea caligine illustratus, & ex labyrintho plusquam Dedalæo feliciter emergat. In illum nos ingredimur labyrinthum, quem Hieronymus horruit, eosdem explicare tentamus nodos, quos tantus Doctor impeditos inuenit. Precor igitur diuinum Spiritum, cuius afflatu diuinus hic vates locutus est, vt lucem mihi præferat, & ad tantum splendorem conniuenti, & tantæ caliginis abyssum cæcis penè vestigiis ingressuro.

2\. Vers. 1. *In mense octauo, in anno secundo Darij Regis, factum est verbum Domini ad Zachariam filium Barachiæ, filij Addo, Prophetam.*] In ipso Prophetiæ exordio morari parumper libet, & inuestigare nonnulla, quæ nisi priùs expediamus, hærendum nobis sæpius est in salebra. Multa hîc video statim in ipsum Prophetiæ aditum à Propheta congeri, & tempus in quo hæc prædicta; & genus ipsius. Et primùm, vt quo ordine à Zacharia digesta, eodem à nobis explicentur, videndum est quo tempore hoc Dei verbum factum fuerit. *Mense*, inquit, *octauo, anno secundo Darij.* Quis octauus sit iste mensis obscurum est, quia non apud omnes constitutum, vndenam menses ab Hebræis inchoandi. Sed, vt omittam, quæ ab aliis de annorum ratione, atque ordine obseruari solent, mihi certum est virum hunc sanctum, cùm ad Iudæos scriberet, qui à captiuitate soluti Hierosolymis agebant, non curasse, quod aliqui existimarunt, de mensium ordine, qui inchoari potuit ab Imperio Darij, cuius auspicium, siue principium, principium anni feliciter auspicari censeri potuit. Et primùm quod ad annum pertinet, obseruandum, quemadmodum apud nos multiplex est annus; vulgaris, qui incipit à Kalendis Ianuarij; Astrologicus, qui ab æquinoctio verno; Ecclesiasticus, qui ab Aduentu; Scholaris, qui apud Hispanos à die Lucæ sacro ducitur: sic apud Hebræos duplex annus fuit, sacer, & vulgaris. Vulgarem ab Ægyptiis, vt reor, acceperunt Hebræi, apud quos diu inueterarunt; sicut & mẽsium nomina à Chaldæis, quia lõgam etiam moram apud ipsos traxerunt. Hic verò vulgaris annus à Septembri incipiebat, sicut & nunc seruant Hebræi, vt ex eorum Kalendario constat; licèt Hieron. in c. 1. Ezech. prope initium ab Octobri putet; vbi docet illud esse toti Orienti commune principium. Sed non multum ab Hebræis diuersus est Hieronymus: nam cùm Hebræi à Neomenia, id est, à primo die Lunæ ducant mensium initia: contingit plerunque, vt in vnam Lunam duo illi menses incurrant, qui à nobis dicuntur September, & October.

Mensium ordo quis apud Hebræos.

Annus duplex, vulgaris & sacer, & vnde vtriusque initium.

3\. Alter annus est sacer, qui non tam negotiorum rationem considerat, quàm festorum, & sacrorum dierum, & huius initium sumitur à Luna propiori æquinoctio verno. Quare necesse est, vt primus mensis partem occupet Martij, atque Aprilis. Ita Iosephus *lib. 1. Ant. c. 4.* Sumpsit verò annus hic sacer exordium ex Dei præcepto Exod. 12. *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni.* Neque existimo tunc primùm nominari cœptum: sed cùm iam pridem Hebræi apud Ægyptios essent commorati, illorum fastos, & ordinem temporum imitati, antiquissimam temporum rationem, quam ab Adam reliqui susceperant, obliti sunt, aut indulgentes peregrinis dominis abiecerunt. Quare cùm liberi iam essent, & sui potiùs, quàm Ægyptij iuris, ne quid hæreret ex antiqua seruitute, iussi sunt ad antiquam rationem temporis reuerti. Nihilominus, vt dicit Iosephus suprà, Moyses de antiqua anni, ac mensium dispositione quoad res alias non sacras nihil mutauit, nempe quoad pacta, nundinas, & res alias forenses: sicut apud nos, vt dixi, alia est ratio sacri, atque Ecclesiastici anni, qui ab Aduentu ducitur, alia vulgaris, & ciuilis, qui à Kalendis Ianuarij.

Anni vulgaris olim idem initiũ quod sacri.

4\. Hinc ergo quæstio oritur, verùm mensis iste octauus, de quo Zacharias, ad vulgaris, vel ad sacri anni legem exigendus sit? Sed quæstionem totam soluit facilè Propheta noster, si illum propiùs, & attentiùs intueamur. Nam p..ulo pòst ita mensium numerum, & ordinem designat, vt dubitare iam possit nemo: hoc ipso capite. *In die*, inquit, *vigesimaquarta vndecimi mensis Sabbath*: & cap. 7. *Factum est verbum Domini ad Zachariam, in quarta mensis noni, qui est Casleu.* Sed hi menses in eo sunt ordine iuxta rationem anni sacri incipiendo à Nisan. id est, Aprili, seu Martio: nam in illos duos menses, vt diximus, incurrere solet æquinoctialis Luna: non à Septembri, id est, in anno vulgari, iuxta quem Casleu esset secundus, & Sabbath quartus. Et eundem ordinem secuti sunt, opinor, scriptores omnes sacri. Quare in Scriptura sacra laborandum non est de anno vulgari etiam dum sermo est de re politica, atque profana; nam exempla occurrunt non pauca, in quibus & ordo mensium notatur, & numerus, de rebus omnino non sacris, quæ de anno sacro esse intelligenda nemo, credo, dubitabit. 1. Machab. cap. 4. *Et ante matutinum surrexerunt quinta, & vicesima die mensis noni; hic est mensis Casleu.* Esther 3. *Hic est mensis primus, cuius vocabulum est Nisan*: & c. 8. *Erat autem tempus tertij mensis, qui appellatur Siuan*: & cap. 2. *Ducta est itaque ad cubiculum Regis Assueri mense decimo, qui vocatur Tebeth.* Chaldæus etiã in re prophana, cùm agit de agrorum satu, & crebro, &

Sacri anni ratio seruata à Zacharia.

Nunquam S. Scriptura anni vulgaris rationem habuit.

opportuno faciendo, sic exponit illud Eccles. cap. 11. *Da partem septem, nec non & octo, optimam partem seminis confer mense Thisri in agrum tuum: neque tamen & mense Casleu à seminando auoceris.* Vbi agit de mense Septembri, & Octobri, qui à Nisan deducti septimus sunt, & octauus; qui idonei sunt sementi faciendæ. Si verò à mense Septembri ducerentur, septimus esset Martius, & octauus Aprilis, qui menses inepti sunt sementi faciendæ; quia tunc metuntur fruges in Iudæa, & messis hordeaceæ manipuli offeruntur. Vbi notandum obiter, Chaldæum pro Marchesuan, qui octauus mensis est, posuisse Casleu, qui in S. Scriptura sæpe nonus vocatur.

Nisan, seu Martius ab initio mũdi primus mensis anni.

Eodem modo existimo à sacris Scriptoribus habitam esse rationem anni sacri non solùm ab Exodo, vbi eius anni exordium indicatum est, sed etiam in Genesi, tum quia longè probabilius est primum mensem mũdi fuisse ab æquinoctio verno: tum quia Moyses, qui à Domino populo indixerat mensem illum futurum esse anni principium, illa tempora videtur notare debuisse, quæ maximè nota, atque vsurpata populo esse cupiebat. Atque ideo non solùm tempora, quæ Ægyptiacam captiuitatem, sed etiam quæ diluuium antecesserunt, illo numero, atque ordine notabat, qui iam apud Hebræos, & familiarior, & notior esse cœperat. Cuius sententiæ est Ribera in cap. 2. Aggæi.

5. *Quæ mensiũ nomina, & vnde.*

Hæc de annis. Quod verò ad menses attinet, certum inprimis est apud Hebræos menses à numero, atque ordine notari: quare dicuntur *primus, secundus*, &c. Hîc autem aliquis rogare posset, cur apud Hebræos plerunque menses ab ordine numerentur, cùm propria etiam occurrant nomina, quibus inter se commodè discerni possint, vt Nisan, Iiar, Siuan, Thamnuz, Ab, Elul, Thisri, Marchesuan, Casleu, Tebeth, Sebat, Adar? Solutio difficilis non est: nam, vt fatentur omnes, & ipsa nominum notatio declarat, hæc Chaldaica sunt nomina: quare à sacris Scriptoribus non nisi post Babylonicam captiuitatem vsurpantur. Vbi hoc obiter notandum, interdum in Scriptura menses duobus nominibus notari; altero Chaldaico, & proprio, altero à numero, atque ordine, idque, vt reor, eam ob causam, quia quemadmodum aliis locis, vbi aliqua duo habent nomina in S. Scriptura, neque omnibus nota, vtrunque nomen explicari solet; de Thoma Ioan. 21. *Thomas, qui dicitur Didymus*: de Thaddæo Matth. 10. vt habent Græca exemplaria, & plurima ex Latinis, & legit sine dubio Hieronymus. *Thaddæus, qui cognominatus Lebbæus.* Quorum prius Chaldaicum, posterius Hebraicum nomen est eiusdem significationis. Act. 1. *Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus*: & Act. 9. *Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas*; & huius generis complura alia occurrent exempla. Ponuntur autem duo nomina idiomatis diuersi, vt diuersis etiam nationibus res esset nota. Sic ergo, quia menses & ab ordine dicuntur *primi, secundi*, &c. & ab Hebræis, & à Chaldæis appellantur *Nisan, Adar*, &c. vt omnibus esset notum quid quoque tempore fieret, cùm non omnes Hebræorum, aut Chaldæorum notas intelligerent, vtrumque nomen adhibitum est ab his, qui in Babylonico exilio, aut qui non longè pòst soluta iam captiuitate scripserunt. Sic Zacharias *cap. 1. & cap. 7.* quia recens à captiuitate reuersi adhuc Chaldaicam rationem temporis retinebãt. Sic in captiuitate sæpius Mardochæus, qui author esse existimatur libri Esther: quia historiam illam tam Hebræis, quàm Chaldæis cognitam esse cupiebat.

REGVLA. Vbi aliqua duo habet nomina, vtrunque solet S. Scriptura exprimere.

Sed est adhuc dubium, quia ante tempora Babylonica videmus nomina aliquorum mensium fuisse propria. Nam 3. *Reg. cap.* 6. inueniuntur menses Zio, & Bul, quorum alter secundus dicitur, alter octauus: & *cap.* 8. Ethanim, qui etiam dicitur septimus: & ipsius Moysis tempore mensis primus dicebatur Abib, sic enim Hebraicè, quem noster vertit Exod. 13. & Exod. 23. *mensis nouorum*, vel *nouarum frugum*. Respondeo, mihi esse verisimile, quod placet Prado in cap. 1. Ezechielis, olim Hebræos nomina omnium mẽsium habuisse propria: sed ex quo Deus *Exod.* 12. præcepit, vt mensis, qui postea vocatus est Nisan, primus esset in mensibus anni, hinc ab eo mense reliqui *primus, secundus, tertius* dicti sunt. Cùm verò ante Moysen, qui primus hoc accepit præceptum, nullus scriptor inter Hebræos fuerit, factũ est, vt reliqua mensium nomina, vtpote nunquam mandata literis, exciderint. Aut fortasse quemadmodum in mense tres notati dies Calẽdarum, Nonarum, atque Iduum nominibus, reliqui à numero prout longiùs, aut propiùs ab his remoti, & in die quatuor horæ notissimæ, quia in his magnæ fiunt temporum, aut negotiorum mutationes, & in nocte quatuor notantur spatia vigiliarum nomine distincta, sic etiam verisimile est in anno certos quosdam terminos fuisse consignatos propriis nominibus, reliquos à numero vocatos *secundum, tertium*, &c. quemadmodum olim apud Romanos quidam menses propriis nominibus, alij communi, id est, ordine, & numero notabantur. Ouid. 10. Fast.

6. *Ante captiuitatem Hebræi aliqua habuerunt propria nomina mensium.*

Martis erat primus mensis, Venerisque secundus:
Hæc generis Princeps, ipsius ipse pater.
Tertius à senibus, iuuenum de nomine quartus,
Quæ sequitur numero turba notata fuit.

Darij Regis.] Hîc iam videndum cur Darij, id est, externi Regis anni meminerit, sicut fecit Aggæus; cùm tamen alij ex Prophetis domesticorum Principum tempora notauerint. Sed est obuia ratio; tum quia ex domesticis Hebræi Regem habebant nullum, tum etiam, quia, si cuipiam, Persarum Regibus seruiebant, quorum auctoritate, & inchoata priùs Templi constructio, & interrupta postea, & tandem post longum tempus reuocata. Oportebat præterea, vt quando voluit Deus, vt legati à se Prophetæ monumentum extaret, tanti beneficij tempus amplissimi alicuius, atque potissimi Regis ætate notaretur. Quod etiam accidit quando ab eodem maior Propheta Ioannes missus est. Nam cùm Rex non esset è Iudæorum semine, peregrinorum Principum, Tiberij, Herodis, &c. & nomina, & tempora Ioannis prædicationi præfixa sunt. Sed quis fuerit Darius iste, obscurum est. Primùm, certum est hunc esse Darium, de quo Esdras *lib. 1. cap. 4. & 5.* nam huius imperio instaurata est templi fabrica, & ibidem sub eodem prophetasse traduntur Aggæus, & Zacharias. Hunc quidam ex Hebræis putant fuisse filium Esther, & addunt hunc ab Alexandro victum. Illud videtur non pugnare cum tempore, in quo nunc versamur, quia historia Esther contigit ante hoc tempus: quod ex eo fit planum, quia Mardochæus ductus fuit in Babyloniam cum Iechonia, vt liquet ex *cap. 2. Esther*, & clariùs *cap. 11.* Contigit verò inter captiuitatem primò solutam à Cyro Rege; & secundò nunc à Dario, ex quo mihi fit verisimile Assuerum istum, qui duxit Esther, & à quo susceptus

7. *Tempora Principum nominib. notari solita.*

Darius iste non fuit filius Esther, vt volunt Hebræi.

ptus traditur fuisse Darius, fuisse Cambysem Cyri filium, qui alio nomine Artaxerxes, & Assuerus dicitur 1. *Esd.c.4.* qui facultatem à Cyro factam ædificandi ciuitatem, & templũ reuocauit. An verò Darius iste filius Esther fuerit, non constat; neque est verisimile, quia non esset necessarium ab his qui prohibebantur in Ierusalem instaurare ciuitatem, & templum suppliciter literas dare ad Regem pro pertexendo opere: neque facultas esset ad secundum vsque annum dilata, cùm vrgere possent communem causam Mardochæus, & Esther, quorum neque Prophetæ, neque Esdras meminerunt. Sed neque Assueri, siue Cambysis filius fuit iste Darius, vt facilè patet ex profana historia, sed alius qui duobus Magis, qui Imperium occuparant, interfectis, quartus à Cyro Babylonicam sedem occupauit. Illud verò quod addunt Hebræi, Darium istum victum ab Alexandro, omnino incredibile, nisi dicamus Babylonicam Monarchiam statim in suo principio defecisse. Et sanè hoc Hebræorum somnium non solùm cum tota profana historia pugnat, sed etiam cum diuina. Nam constat Alexandrum non longo spatio antecessisse Machabæorum tempora 1. *Machab. cap.* 1. Sed longè ante illa Alexandri, Machabæorúmque tempora instauratum est templum, cuius ædificandi facultatem fecit iste Darius. Fuit ergo hic cuius anno secundo facta est secunda continuandæ fabricæ facultas, Darius Histaspis, quartus à Cyro, qui primus Iudæis facultatem fecit redeundi Ierusalem. Quod necessariò dicendum est, cùm statim dicatur hic annus septuagesimus ab vrbis excidio.

Assuerus, cui nupsit Esther videtur fuisse Artaxerxes qui & Cambyses.

8\. Incidit autem hic annus secundus, vt Eusebius tradit in Chronicis, in vltima tempora Regum Romanorum, id est, in Regnum Tarquinij superbi, in Olympiadam 64. Cùm autem Christi natiuitas inciderit in Olympiadam 194. vt tradit Eusebius, & Kalendarium Romanum, & communiter alij, fit à Zachariæ Prophetia vsque ad augustissimum Christi ortum annos intercessisse 20. supra 500.

Quo tempore soluta captiuitas.

9\. *Factum est verbum Domini ad Zachariam filium Barachiæ, filij Addo.*] Hic excutienda nobis est quæstio ab aliis neque paucis, neque ignobilibus auctoribus disceptata; An hic Zacharias, de quo nobis sermo, ille sit qui à Domino *Mat.*23. occisus dicitur inter templum, & altare, de quo sententiæ variæ. Omitto hîc Rupertum, qui hunc Zachariam Iacobum fratrem Domini putat, quia hic omnium nouissimus in templo occisus est, non procul à ciuitatis excidio; nam etiamsi Zachariæ nomen conueniret, non tamen mortis tempus: Christus enim de occisis ante se Prophetis loquebatur; Iacobus multo pòst interfectus est.

Quis Zacharias qui occisus inter templum & altare.

Alij Zachariam esse putant Baptistæ patrem; ita Orig. *tractatu* 19. *in Mat.* Bas. *Orat. de humana Christi generatione.* Greg. Nyss. *Orat. in die natiuitatis Christi.* Cyril. Alex. *aduersus Anthropomorphitas cap.* 2. Epiph. *lib. de vita, & interitu Prophetarum.* Theophylactus *in Matth.* Ex recentioribus tenet Baronius 1. *tom. Annal.* 1. *anno Christi,* Toletus *in Lucam cap.*11. *annot.*10. & Christophorus Castro *de Deipara cap.*11. *num.*11

Prima sententia quòd fuerit pater Ioannis Baptista.

10\. Alij credunt fuisse Zachariam filium Ioiadæ, de quo *lib.*2. *Paralip.cap.*24. vbi lapidatus esse dicitur in atrio domus Domini. Ita sentit Hieronymus, quem sequuntur alij pene omnes e recentioribus Iansenius *cap.*84. *concor.* Gagneius, Abul. Maior, Albertus, S. Thom. & ex nostris Salmeron, Maldonatus, Barradas, Emanuel Sa, & Viegas. Pro qua sententia rationes hæ sunt præcipuæ. Primò, quia peculiaris ratio fuit, cur illius Zachariæ Christus meminisse deberet: nam sicut sanguis Abel de terra clamauit, *Gen.*4. sic etiam clamauit, expetiuítque vindictam Zacharias iste moriturus. 2. Paralip. 24. *Videat,* inquit, *Dominus, & requirat.* Secunda ratio est, quia templum non extabat Zachariæ Prophetæ temporibus; quare in eo perimi non potuit. Tertia, quia non erat Sacerdos, atque adeò inter templum, & altare esse non poterat. Quarta, quia non constat ex sacra Scriptura, vbi Zacharias Propheta occisus fuerit.

Secunda, quòd filius Ioiada.

11\. Alij nostrum hunc Prophetam esse putant. Ita Chrysost. *homil. de Ioanne Baptista tom* 2. Tertul. *in Scorp.c.*8. & Theophylactus *in Matth. supra,* aliquos dicit ita sensisse, Ribera, Montanus, Vatablus, Zunniga, & Glossa ordinaria *hîc.* Et hæc mihi sententia multo probabilior; tum quia Christus *Matth.*23. de Prophetis loquitur, quos dicit à se missos, & aperte *Luc.cap.* 11. dicit omniũ Prophetarum sanguinem exquirendum esse ab Abel, &c. Loquebatur autem de eo, vt apparet, qui notus erat Iudæis illius temporis. Alij verò præter hunc nostrum, neque numerabantur in Prophetis, neque ita vocabantur. Secundò, quia ibi Prophetæ pater exprimitur Barachias, quod aliis ab hoc Propheta non conuenit. Neque satisfacit, quod Hieronymus dicit, Barachiam sonare *benedictum Domini,* atque adeò Ioiadam Zachariæ patrem, de quo 2. *Paralip. cap.*24. dici posse Barachiam; quod etiam dici posset de auo Ioannis Baptistæ: nam cùm multi essent Zachariæ, Christus aliquid addidit, & proprium, & notum, quo illum, cuius sanguis erat effusus, ab aliis distingueret. At nulli pater Barachias fuit nisi huic nostro: quòd si aliis eiusdem nominis parentes contigissent, non sanè parentis nomen apte esset à Christo additum, cùm nominis communitas potiùs confunderet personas, quàm distingueret. Nostri verò Zachariæ pater, cui poterat ignotus esse, cui modò notus esset Zacharias, cùm statim eius nomen in Prophetiæ principio legatur? Ab alio verò Zacharia Barachiæ filio, de quo Isaias *c.*8. satis distinguitur nomine Prophetæ. Neque (vt Hebraici docent codices) idem est nomen illius Barachiæ, de quo Isaias *cap.*8. & patris Zachariæ Prophetæ. Ille enim dicitur יברכיהו *Iberciahu,* hic verò ברכיהו *Bereciahu,* vna minùs litera. Neque admodùm refert, quòd Hieronymus dicit vidisse se in Euangelio Nazaræorum, *filium Ioiada:* nam illius Euangelij auctoritas aut nulla est, aut certè perquam tenuis: at Euangelij Matthæi, in quo est *filius Barachia,* perquam maxima. Scio à Nicephoro ex sententia Hippolyti Martyris tradi patrem Ioannis fuisse filium Barachiæ. Sed hoc mihi propter rationem allatam difficillimum est: neque enim communem notam Christus adduceret, vt vnum Zachariam ab alio secerneret.

Verior sententia, quòd hic Propheta.

Reliquum est, vt satisfaciamus his, quæ ab Hieronymo, atque ab aliis contrà obiiciuntur. 12.
Nam ex his, puto, magis erit probabilis nostra sententia. Obiicit Hieronymus nostri Prophetæ tempore vix reliquas esse templi ruinas, atque ideo non potuisse in templo occisum esse. In templo antiquo, & à Salomone constructo nemo dubitat; at potuit in eo, quod à captiuitate excitatum fuit à Zorobabel. Qui quo tempore prophetari cœpit, id est, anno secundo Darij, bona pars tem-

templi ædificata fuerat, vt constat ex lib. 1. *Esdræ capite* 5. & anno 6. Darij absolutum est templum. 1. *Esdræ capite* 6. id est, anno 4. postquam Zacharias prophetare cœpit: sed prophetauit etiam anno 4. Darij, vt ipse scribit *cap.* 7. Quare si duos tantum addideris annos illius ætati, quod non est difficile creditu, cùm multa deinde prophetauerit, quæ breui tempore non videntur contingere potuisse, planè absolutum vidit templum secundum. Sed absolutum esse templum ipse planè Zacharias indicat *c.* 15. dum ait se in domum Domini proiecisse 30. argenteos, quam domum esse templum Domini, omnes penè Interpretes docent, & res ipsa declarat. Neque si adhuc imperfectum esset templum, durum esset si inter templum, & altare dicatur occisus: nam per prolepsin satis vsitatam in Scriptura, inter templum, & altare occisus dici potuit, quia eo loco occisus est, vbi postea ædificata sunt ista, aut vbi tunc inchoata, & bona ex parte perfecta. Certè ædificatum iam altare fuerat. 1. *Esdræ cap.* 3. sicut *Gen.* 12. & 13. aliqua contigisse traduntur in Bethel, cùm tamen multo pòst *cap.* 28. appellatus fuerit locus ille Bethel, qui priùs Luza vocabatur.

Quãdo prophetauit Zacharias, templum secundũ aut omnino, aut magna ex parte perfectum erat.

13. Ex quo etiam occurritur obiectioni Toleti, qui ideo negat cædem inter templum, & altare conuenire posse huic Zachariæ, quia Sacerdos non erat, atque adeò in locum illum arcanum intrare non poterat. Nam cùm eo tempore nondum esset absolutum omnino, atque adeò neque dedicatum templum, liberum erat cuilibet illuc ingredi, & locus satis erat opportunus, vt ibi acceptum à Domino verbum populo annunciaret. Vnde verisimile fit, cùm duriùs interdum ageret cum populo, & conflatum fuisse odium, & illatam cædem. Sed neque difficile est creditu, etiamsi perfectum, dedicatúmque esset templum illud, tamen Zachariam in illis rerum angustiis, mortisque articulo in arcanum illum locum introiisse. Sanè Sacerdos non erat Adonias. 3. *Reg.* 1. & mortis, quam à fratre Salomone timebat, declinandæ causa, eò vsque irrupit. *Adonias autem timens Salomonem, surrexit, & abiit in tabernaculum Domini, tenuitque cornu altaris.* Et eandem ob causam ad eundem vsque locum penetrauit Ioab *cap.* 2. Imò ex his locis non obscurè colligitur illud fuisse commune miserorum asylum, à quo Zacharias, etiamsi Sacerdos non esset, prohiberi non debuit, aut religione loci deterreri. Sed sunt qui putent fuisse Sacerdotem, & in his Dorotheus in synopsi, & Sozomenus *lib.* 9. *cap. vltimo*, Nicephorus *lib.* 14. *cap.* 8. Cedrenus in Honorio anno 11. qui dum agunt de ipsius inuentione, tradunt inuentum fuisse in arca Sacerdotali indutum stola; eo nimirum habitu, quem in vita gestauit.

Ad altare in magna angustia accessus erat etiam non Sacerdotibus.

14. At dices non constare alio in loco de huius Prophetæ cæde. Respondeo, non esse nouum in sacra Scriptura, vt quæ in aliquo loco, eóque maximè proprio sunt omissa, ea alibi ab aliquo alio auctore sacro tradantur, vt pluribus docuimus *Act.* 1. ad illud, *Quia Ioannes quidem baptizauit aqua:* maximè quia illorum temporum historia, in quibus occisus Zacharias esse potuit, ad tempus vsque Machabæorum interrupta est.

REGVLA. *Multa in suis locis omissa, & alibi narrata.*

15. Quòd ille qui occisus fuit inter templum, & altare, non fuerit Zacharias filius Ioiadæ, satis, opinor, efficaciter probat Toletus; tum quia Christus *Matth.* 23. locutus videtur de sanguine impiè profuso & primi, & vltimi Prophetarum: sed vt ille Zacharias filius Ioiadæ Propheta fuerit, quod non puto, non tamen Prophetarum vltimus interfectus est. Post illum enim interfecti fuerunt Isaias, & Ieremias, Amos, & alij, vt est communis Hebræorum, nostrorúmque traditio, & habet Kalendarium Romanum. Zacharias verò vltimus omnium occisus fuit, quia etiam fuit Prophetarum veteris testamenti penè postremus. Quod si quis probauerit, nihil, credo, erit quod huic sententiæ aliquis obiiciat. Et quidem ita sentiunt Hebræi in libro Cosræ, id est, abbreuiationis Seder Holam: & in lib. Baba Batra *cap.* 1. & Iosephus lib. 1. contra Appionem. *Ab Artaxerxe*, inquit, *vsque ad nostra tempora singula quidem descripta sunt, verùm non pari fide digna censentur apud nos; quòd non fuerit Prophetarum exacta successio.* Sed est hoc ex sacra Scriptura penè certum. 1. *Machab. cap.* 9. vbi simul atque soluta captiuitas est, defecisse dicuntur Prophetæ. Nam mortuo Iuda ea consecuta est populi Hebræorum tribulatio à Bachide, qualis non fuit ex quo ex grauissima Chaldæorum tyrannide emerserunt Hebræi; illa verò temporum calamitas Prophetarum defectu notatur. *Et facta est*, inquit, *tribulatio magna in Israël, qualis non fuit ex die, qua non est visus Propheta in Israël.* Quod etiam indicasse videtur Zacharias hoc capite, vbi dicit; *Propheta nunquid in æternum viuent?* indicans deinceps cessaturam esse Prophetiam.

Non ille de quo Matthæus Zacharias filius Ioiadæ.

Zacharias fuit penè vltimus Prophetarũ veteris testamenti.

16. Neque admodùm vrget, quod nonnullos adduxit in Hieronymi sententiam, quia nempe Christus de his locutus videtur, qui sui sanguinis vindictam à Deo expetierunt, quis sanguis Abel contra fratrem clamauit, *Gen.* 4. & Zacharias filius Ioiadæ clamauit in morte, *Videat Dominus, & requirat.* 2. Paralip. 24. Nam aliorum iustorum sanguis impiè profusus etiam clamat, vindictámque expetit. Apoc. 6. *Vidi*, inquit Ioannes, *animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant, & clamabant voce magna, dicentes: Vsquequò Domine sanctus, & verus, non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra?*

Sanguis iustorum vindictam clamat.

Adde etiam quòd Zacharias filius Ioiadæ in atrio lapidatus dicitur, non inter templum, & altare, vbi etiam Iudæi Christum lapidare tentarunt. *Ioan.* 8.

17. Quòd verò Zacharias iste non fuerit Baptistæ pater, ex eo videtur posse suaderi, quia Christus vt magni alicuius sceleris Iudæos argueret, magni nominis viros ab illis occisos proposuit, qualis fuit Abel, vel ipsa antiquitate notissimus: & similiter aliquis è recentioribus adduci debuit, qui impiè esset interfectus. Sed Ioannis pater, etsi sanctissimus, minùs tamen illis erat commendatus, & quia recens eius memoria, & quia non adeò illis venerabilis. Sed noster hic Zacharias notissimus erat, quia è Prophetarum numero, & pater eius ignorari non poterat, quia in ipso statim exordio Prophetiæ, Barachiæ filius appellatur.

18. Neque video quantum momenti habeat ista sententia, ab illis verbis, *quem occidistis*, vt hinc efficiatur id, quod Græci putant de patre Ioannis, quasi illi, qui tunc aderant, Zachariam illum interfecerint, de quo nobis quæstio. Quia satis vsitatum est in omni lingua, atque natione, vt filiis tribuantur, quæ facta sunt

Non fuit Zacharias pater Baptistæ, de quo Matthæus.

sunt à patribus. Nam si quis v.g. Græcos reprehendat, vt fecit Cicero pro Flacco, etiamsi cum præsentibus ageret, à quibus nihil accepisset mali res Italica, vsitato tamen modo loquendi aptè diceret. *Vos in Italiam, regionem antea duram, & bellicosam delicias molles, & effœminatos mores induxistis.* Aut si Italos laudet, aut Hispanos præsentes, ad illos dicat. *Vos olim orbem armis subegistis*; ad hos verò: *Vos regiones incognitas vltra Oceanum aperuistis*; cùm tamen, qui talia de se audiunt, nihil horum fecerint, aut tentauerint. Sed est hoc in sacra Scriptura frequentissimum. *Ose.cap.* 13. cùm ageret cum sui temporis hominibus Deus, *Ego*, inquit, *cognoui te in deserto, in terra solitudinis*: & Micheæ cap. 6. *Popule meus quid feci tibi; aut quid molestus fui tibi? responde mihi; qui eduxi te de terra Ægypti, & de domo seruientium liberaui te*, &c. Sed ij quibuscum tunc loquebatur Deus, neque in deserto fuerant, neque ex Ægypto liberati. Sic omnino hoc loco cùm dicit, *quem occidistis*, non significat Christus ab illis fuisse Zachariam occisum, sed ab eorum parentibus; maximè quia illi dici posse videntur interemisse, qui cædem factam esse probant: id quod Christus proximè iisdem obiecerat Iudæis Matth.23. *Profectò testificamini quòd consentitis operibus patrum vestrorum.*

19. Addo ex Græcis Patribus, non omnes, qui citantur, de patre Ioannis ita sentire, sed tantùm dicere sic ab aliis tradi, neque quicquam afferunt præter traditionem. Et in his sunt Basilius, Cyrillus, Alex. Euthymius, imò omnino videntur negare plurimi eorum, qui cum Græcis sentire dicuntur, dum dicunt interfectum quidem esse Zachariam, non tamen à Iudæis, sed ab Herode: eo quòd filium suum Ioannem, quem ipse cum aliis infantibus extinguere cupiebat, de quo admiranda audierat, futurúmque Iudæorum Regem suspicabatur, satellitum suorum gladio subtraxerit. Quare non erat, cur Christus Iudæis obiiceret illam Zachariæ cædem. In his est Epiphan. *lib. de Prophetarum vita, & interitu*, Cedrenus *in compendio historiarum.* Metaphrastes *in Commentario de S. Ioanne Baptista.* Petrus Alexandrinus *in regulis Ecclesiasticis, can.* 1. quas recepit sexta Synodus apud Theodorum Balsam.

20. Neque vlla ex rationibus, propter quas interfectus esse traditur (nam non omnibus est eadem) satis est aut firma aut grauis. Non illa quæ à pluribus affertur, quòd Virginem defendere voluerit ab his, qui postquam iam enixa filium in loco destinato virginibus sedere vellet, illam inde exturbare conati sunt, virginem esse affirmans, neque eo loco, & ordine indignam. Nam primùm quis credat B. Virginem tam humilem, ac modestam, quæque tantopere celarat mysterium incarnati Verbi, & seruato adeò religiosè purificationis præcepto matrem se professa fuerat, quasi mater non esset, in illud virginum conclaue concessuram? Deinde verisimile non est, aut adeò præfractè Zachariam illorum studiis obluctaturum, qui contrà nitebantur, aut alios ita futuros infensos Sacerdoti sibi aliàs non inimico, vt temerare eam ob causam manus Sacerdotali sanguine voluerint; idque in loco sacro.

21. Neque illa grauior est ratio, quam ex antiqua traditione adducit Cyrillus. *Nam cùm audissent*, inquit, *Iudæi Regem totius creationis ad humanam natiuitatem diuino consilio procedere, veriti ne*

A *in eius Regis potestatem, & imperium venirent, eum, qui hæc de partu testificatus erat, interficiunt Sacerdotem sacrificantes.* Quasi Iudæi, cum hæc à Zacharia dici potuerunt, liberi essent à Regia potestate, & mallent peregrinis seruire dominis, quam proprio, atque domestico, & quem omnium maximè communibus votis, atque studiis desiderabant. Quare non sine causa hæc de Ioannis parente Zacharia apocrypha esse, & sine vllo fundamento putat Hieronymus.

Sed concedamus antiquæ traditioni, vt interfectus fuerit tam hic Zacharias, quàm alius filius Ioiadæ, concedamus etiam iis, qui pro illis sentiunt, fuisse etiam Prophetas; tamen adhuc nostræ sententiæ suum quoque pódus inest, & maior apparet ratio, cur Christus Barachiæ nomen interposuerit. Certum est enim, vsúque Scripturæ frequentissimum, vt qui nomine, aut munere conueniunt, parentum nominibus distinguantur. Quare qui dicti sunt Ieroboam, eiusdem regni principes, nempe reges Israël, parentum nominibus internoscuntur, & alter dicitur filius Nabath, alter filius Ioas: duo item discipuli vocati Iacobi, eodem modo distinguuntur, quia alter Zebedæi filius, alter Alphæi dicitur. Sic etiam vt hi tres Zachariæ, vè mortis genere conuenerint, & vitæ instituto, & Prophetiæ dono, sicut etiam illi de quibus modò, & regio, & Apostolico nomine, & munere consensère, tamen aliquo modo distinguendi fuerunt; neque aliquid apparet aliud præter parentum nomen. Quare verborum Christi sensus erit; vt cætera gratis concedamus; ex tribus illis Prophetis, quos occidistis inter templum, & altare, qui vocati sunt Zachariæ, illius, cuius pater fuit Barachias, sanguis descendet super vos. Illud verò de Prophetiæ dono gratis omnino concedo superiori sententiæ; nam de Zacharia filio Ioiadæ, vnde vel tenue Prophetiæ vestigium? Alter verò Ioannis pater, licet Propheta fuerit, quia de Christo prophetauit *Luc* 2. non tamen habebatur Propheta, quia de Christo egerat, quem Iudæi Seruatorem, aut Messiam non agnoscebant: atque ideo etiamsi ad eorum aures Zachariæ vaticinium aduenisset, pseudoprophetam existimassent potiùs quàm Prophetam, quia etiam Christum seductorem putabant. 22. REGVLA. *Parentum nominibus interdum homines ab aliis distinguuntur.*

B

C

D

Et vt tandem hinc abeamus, occurramus ad extremum rationi, quæ alicui fortasse grauis videri posset: nam non tam ferro, ac vi Zacharias sublatus videri potest, quàm morbo, aut etiam naturæ necessitate; nam valdè senex obiisse traditur, & cum Aggæo Propheta sepultus. Ita Epiphanius *lib. de vita, & interitu Prophetarum*, & Dorotheus *in synopsi.* Hoc tamen argumentum ab ætate Zachariæ sumptum nullum omnino est; nam, vt idem Doroth. scribit, & Isidor. *lib. de vita, atque obitu Sanctorum*, valdè senex rediit è Babylone Zacharias, & ita docet Kalendarium Romanum die 6. Septembris. Neque de genere mortis quicquam ab his auctoribus dicitur. 23. *Zacharias senex è Babylonia reuersus.*

E

Filij Addo, Prophetam.] Hieronymus putat hunc Addo esse Prophetam illum, qui locutus est ad Ieroboam 3. *Reg.*13. nam 2. *Paralip.*9. dicitur. *Reliqua autem opera Salomonis scripta sunt in verbis Nathan Prophetæ: in visione quoque Addo Videntis contra Ieroboam filium Nabath.* Sed non est grauis admodùm coniectura; tum quia qui hìc Addo dicitur, Heb. scribitur עדו *Ghido*: in Paralipomen. 24. *Addo Zacharia auus alius ab eo de quo 3. Reg.* 13.

verò

verò יהדי *Iehdi*. Deinde quia inter illum Addo, & Zachariam intercesserunt 480. anni, & eo plus, quod spatium eo sæculo duæ hominum ætates non implerent. Neque hic locum habet illa communis ratio, quòd longè post illud tépus in quo Ieroboam ab Addo Propheta admonitus est, susceptus fuerit ab Addo Zachariæ pater; nam eodem tempore à leone interfectus est Addo, quo vaticinatus est contra Ieroboam.

25. *Non ideo Propheta parentes iudicandi, quia in titulo Prophetia cum Propheta ponuntur. Amos Propheta non fuit Isaia pater.* Hîc obseruandum, à nonnullis existimari ex Hebræorum sententia, quotiescunque Prophetæ pater, aut auus ponitur in titulo, ipsos quoque fuisse Prophetas. Quare Amos vnus de duodecim Prophetis, qui dixerat; *Non sum Propheta, nec filius Prophetæ: sed pastor caprarum, vellicans sycomoros*; patris nomen in titulo non habet. Ita Hieronymus in Commentariis Sophoniæ in principio, qui non tam probat, quàm refert Hebræorum sententiam. Eádem sententiam ex Hieronymo tradit S. Thom. in Isaiam, & in Ieremiam iterum in principio: & Rupertus in Sophoniam. Quam etiam regulam tradit Lyra in principio Sophoniæ, & Zachariæ, dicitque non solùm Hebræorum esse, sed etiam quorundam Catholicorum. Neque Basilius negat in 1. cap. Isaiæ. *Patris*, inquit, *nomen qua ex causa attexuit? vt ostenderet donum prophetalis gratiæ patri prærogatum, ad se etiam nunc velut per manus peruenisse.*

26. Sed sanè hæc Hebræorum traditio suspecta est: neque illam tam probat Hieronymus, quàm recenset. Et Burgensis *prima additione in cap. 1. Zachariæ*, & alibi sæpe hanc traditionem grauiter incusat, & Hebræorum esse negat: & Abenezra in principio Ioëlis docet à Prophetis parentum suorum nomina proponi, quia ab illis nobilitati sunt. Quam etiam rationem adduxit Basil. suprà, quam videtur probasse magis. Et quidem mirum esset, si tot essent Prophetæ, quot Prophetarum maiores in vaticiniorum initiis commemorantur, aliis in locis Scripturæ nullam illorum factam esse mentionem. Neque admodùm verisimile est, tot prophetali dono præditos, quot à Baruch, & Sophonia in principio positi sunt: sic enim ille. *Hæc verba libri quæ scripsit Baruch filius Neriæ, filij Maasiæ, filij Sedeciæ, filij Sedei, filij Helciæ.* Hic verò: *Verbum Domini, quod factum est ad Sophoniam filium Chusi, filij Godoliæ, filij Amariæ, filij Ezechiæ.* An tam longa Prophetarum series à tot sacris scriptoribus omissa? Tractauit hanc quæstionem pluribus Ribera præludio 4. in Prophetas minores.

27. *Cur parentes in principio Prophetiæ nominati.* Causam verò cur in Prophetarum libris parentum nomina præfigantur, non propriam esse puto, quod etiam censuit Ribera, sed communem cum iis, qui nomen habuerunt cum aliis commune; à quibus vt distingui possent, propriam illorum notam adhiberi oportuit. Quare à Christo Simon appellatur filius Ioannis, vt ab altero secernatur Simone, qui vocatur Chananæus, neque alia nota Iacobus Alphæi à Iacobo Zebedæi filio, & Ieroboam filius Nabath ab alio sibi cognomini filio Ioas, nisi parentum nominibus separantur. Quòd verò pater Amos, qui in minorum Prophetarum ordine tertius numeratur, non ponatur in Prophetiæ ingressu, ideo est, vel quia non erat tunc alius, qui eodem cum Propheta nomine vocaretur, vel certè quia ex ignobili parente, qualem esse oportebat illum, qui caprarium, & rusticum hominem genuisset, nihil commendationis addi poterat Prophetæ vaticinio.

Vers. 2. *Iratus est Dominus super patres vestros iracundia.*] Id agit Dominus per Prophetam, vt populum ad se trahat, quem aliena studia ad alias cogitationes abripuerant, adducitque antiquam parentum vesaniam, qui cùm similia documenta à prioribus Prophetis tradita respuissent, in grauia, atque diuturna incommoda lapsi sunt. Quid verò valeat coniugatarum vocum copulatio, *iratus iracundia*, docuimus pluribus ad illud Cant. 1. *Osculetur me osculo.* 28.

Vers. 3. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.*] Hæc verba sæpe audiuit populus antiquus à Prophetis. Ioël. cap. 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro.* Sed hîc breuiter quærenda duo; alterum, cur hoc loco præcedere dicatur Dei conuersionem hominis conuersio; cùm communiter Theologi tradant à Dei conuersione præcurrente, habere hominem vt conuerti possit ad Deum: & ideo Thren. vltimo dicitur. *Conuerte nos Domine, & conuertemur*? Alterum est, cùm Propheta loquatur ad eos qui iam ex captiuitate redierant in Ierusalem, operámque dabant instaurando templo; cur monet vt conuertantur, quasi tunc desides inueterascerent in peregrino solo, & de templo, sacrisque curam prorsus abiecissent? Alteri dubio respondet Tridentinum sess. 6. cap. 5. his verbis. *Cum dicitur in sacris literis; conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, libertatis nostræ admonemur* (quia nimirum possemus non conuerti, sicut statim dicitur de his, qui vocati sunt; *& non audierunt, neque attenderunt ad me, dicit Dominus.*) *Cùm respondemus, conuerte nos Domine ad te, & conuertemur, Dei nos gratia præueniri confitemur.* Et sanè hoc loco illud *conuertimini*, vox est Dei ad homines iam conuersos, mouentísque ad studium salutis: hortatur tamen homines vt se quoque ad ipsum conuertant, quo plura in eos, ac maiora conferat beneficia. 29. *Dei conuersio ad nos, præcedit nostrā conuersionē ad Deum.*

Alteri dubio dupliciter occurri potest: nam populus ille, etiamsi iam reuocatus in patriam, & segniter se gerebat in rerum sacrarum instauratione, vt colligitur ex *Aggæi cap. 1.* & id, quod ex Babylonicis moribus peregrinum contraxerat, nondum omnino deposuerat; atque adeò conuersus ad Dominum omnino, id est, ex toto corde non fuerat. Iubet ergo Dominus, vt vetera deponat, noua meditetur, & vnum in omnibus intueatur Deum, si modò velit illum habere rerum suarum custodem, & curatorem. 30.

Siue quia, vt diximus ad illud Act. 10. *in veritate comperi*, ex Scripturæ consuetudine cùm actio noua, ac prima significari videtur, illa noua non est, sed veteris continuatio, confirmatio, aut augmentum. Vide Salmeronem *Proleg. 15. Regula 30.* quomodo Ioan. 2. Discipuli credidisse dicuntur in Cana Galilææ, quia ibi nouo miraculo confirmata est fides; iam enim antè crediderant, neque enim aliter illum essent secuti. Et Genes. 15. *Credidit Abraham Deo*, &c. quando sperauit ex mortuis membris nasciturum filium; crediderat tamen multo antè, quando exiuit è patria; ad Hebr. 11. *Fide obediuit Abraham in locum exire, quem ignorabat.* Sic illud Eccles. 18. *Ne verearis vsque ad mortem iustificari:* & Apoc. vltim. *Qui iustus est, iustificetur adhuc.* Sic ergo hoc loco id sibi videtur velle illud, *& ego conuertar*, id est, perseuerabo in benefaciendo, & pluribus cumulabo donis, si vos conuertimini, id est, perseueratis in officio, aut etiam crescitis. 31. REGVLA. *Interdum videtur actio noua, quæ veteris continuatio, aut augmentum est.*

Vers. 4. *Ne sitis sicut patres vestri, ad quos clamabant* 32.

rant

runt Prophetæ priores.] Quàm ſæpe Prophetæ clamauerint futurúmque prædixerint & vrbis excidium, & populi captiuitatem, videbit facilè qui vel leuiter attigerit Prophetas, qui ærumnoſum illud tempus anteceſſerunt. Qui verò increduli diuinis oraculis non ſolùm in ſua ſibi impietate obſtinatò perſtiterunt, ſed etiam cæleſtium minarum præcones malè mulctarunt, ſuis tandem infortuniis edocti cognouerunt Prophetarum voces pondus habuiſſe diuinæ auctoritatis. Vide caput extremum 2. lib. Paralip. vbi oſtenditur quæ pœna ſit conſecuta antiquorum inſaniam, qui Prophetarum verba cum ſanna, & ſibilo excipiebant.

33. Verſ. 5. *Patres veſtri vbi ſunt? & Prophetæ nunquid in æternum viuent?*] Quantum referat hócne, an illo modo diſtinguantur voces, vide Salmeronem *Proleg. 9. quinq. 1. can.* 26. Hîc ego ſic orationem diſtinguo, vt non eodem *patres*, & *Prophetæ* pertineant. Quare interrogationis notam pono poſt, *vbi ſunt*, iuxta diſtinctionem Hebræorum, qui ibidem adhibent *Athna*. Deterret autem Zacharias ſui temporis Hebræos parentum exemplo, qui cum magno numero ſeptuageſimo ante reditum anno in captiuitatem, & prædam eſſent abducti Babylonem, ibi omnes poſt variam, & in ſingulos dies deteriorem fortunam in exilio extincti; & procul à parentum ſepulchris in alieno ſolo computruerunt, fortè, vt de illorum duce Ioachim dicitur *Ieremiæ* 22. ſepultura aſini ſepulti. Quaſi dicat: vbi ſunt patres veſtri, qui inania putabant Prophetarum verba; nempe in Babylonia conſumpti, quò ſe venturos non putabant. Eſt autem veriſimile ex tanta multitudine quæ in prædam auecta eſt, paucos admodum patriam rediiſſe, cùm longum ſeptuaginta annorum ſpatium, & dura apud Barbaros miniſteria, vel ferrea pectora frangere potuerint. Rediiſſe tamen aliquos certum eſt ex Aggæo c. 2. *Quis ex vobis*, inquit, *eſt derelictus, qui vidit domum iſtā in gloria ſua prima; & quid vos videtis hanc nunc? nunquid non ita eſt, quaſi non ſit in oculis veſtris?* Et clariùs lib. 1. Eſdræ cap. 3. *plurimi etiam de Sacerdotibus, & Leuitis, & Principes patrum & ſeniores qui viderant templum prius, cùm fundatum eſſet, & hoc templum in oculis eorum, flebant voce magna.* Hos verò non fuiſſe in magno numero indicat Propheta cum dicit; *Patres veſtri vbi ſunt?* quaſi iam non ſint. Et Aggæus ſuprà, *Quis ex vobis eſt derelictus?* nam cùm pauci ſunt, reliqui ex Scripturæ more nulli exiſtimantur.

Pauci ex his qui abducti ſunt ex Ieruſalem, ex captiuitate redierunt.

34. Secundò, deterret Iudæos, comminatus eis defuturos eſſe Prophetas, qui Dei mandata ad ipſos perferant; quod ſanè grauiſſimi doloris cauſam, & maximi ſupplicij momentum habet. Et ſanè, vt ſuprà diximus n. 15. ab hoc tempore vſque ad Ioannem, id eſt, ad Noui Teſtamenti Prophetas fuerunt ſupra 500. annos. Certè non fuiſſe Prophetas Machabæorum tempore conſtat 1. *Mach. c. 4.* vbi de altaris profanati lapidibus nihil ſtatuunt donec veniret Propheta, quem de re conſulerent.

A tempore Zachariæ defecit Prophetia vſque ad Euangelij tempora.

35. Hic dubitare non nemo poſſet, an hoc loco ſermo ſit de Prophetis falſis, qui fraudi fuerunt populo nimiùm credulo, dicentes nunquam futurum, vt Hebræi à Chaldæorum Rege abducerentur captiui. Ita vt ſenſus ſit, falſos eſſe Prophetas, qui & ipſi iam perierunt, neque viuunt adhuc parentes, quos ipſi inani ſpe, & promiſſione lactabant. Quare cùm in vita ſua id, quod ab eiuſmodi Prophetis promiſſum erat, non acceperint, neque victuri ſint, vt aliquando accipiant, conſequens eſt, vt falſos illos fuiſſe fateamur. Et in hanc partem magis inclinat Ribera, & tenet Hieronymus, Interlinearis, & Lyra: ſed placet magis, vt de veris Prophetis ſermo ſit. Et ita tenet Theodoretus, Montanus, Palacios vterque, & probat Hebræorum interpunctio, vt diximus; maximè quia de falſis Prophetis in hoc capite ſermo nullus, de veris multus. Et eſt ſenſus ſatis accommodatus perſonæ loquentis: ac ſi admonitus à Deo Zacharias inſtare iam tempus, in quo defutura eſſet Prophetia, admoneat alios, vt nunc audiant Dei oraculum ex ore ſuo, quod iam penè futurum eſſet poſtremum: quia multis pòſt annis longum erit Prophetarum ſilentium. Vide infrà cap. 6. vbi dicitur requieuiſſe ſpiritus Prophetalis ſuper Chaldæos, id eſt, ceſſaſſe.

Graue damnum ſi deſit Dei verbum.

Poteſt etiam aliter locus hic exponi, ſi de veris Prophetis accipias. Obiêre iam Prophetæ, per quos parentibus veſtris illa denunciaui quæ apud Babylonios captiui pertulerunt; ſed viuunt verba mea, quorum nec apex vnus inanis excidit. Quia licèt extincti iam Prophetæ minùs comprehendere potuerint parentes veſtros; comprehenderunt tamen illos, & mea decreta, & intentatæ per Prophetarum ora veraces minæ. Quod ipſi vel inuiti fateri coacti ſunt: & ideo ſtatim dicunt. *Sicut cogitauit Dominus exercituum facere nobiſcum*, &c. 36.

Verſ. 6. *Veruntamen verba mea, & legitima mea, quæ mandaui ſeruis meis Prophetis, nunquid non comprehenderunt patres veſtros?*] Vox *veruntamen*, Heb. אך non ſolùm aduerſatiua eſt, ſed etiam continuatiua, & affirmatiua. Sed etiamſi aduerſatiuè ſumatur, commodum habet ſenſum, illum nempe, quem extremum adduximus. 37.

Hîc obſerua, iiſdem verbis denunciare Zachariam ſui temporis Hebræis diuina præcepta, quibus antiquiores Prophetæ parentibus denunciarunt. Vt enim Zacharias ſæpius vſurpat, *dicit Dominus exercituum*: ſic Prophetæ priores, vt Zacharias ipſe docet; *clamabant*, inquit, *Prophetæ priores, dicentes: Hæc dicit Dominus exercituum*; & parentes ipſi iam comminationis diuinæ pondus experti dicunt. *Sicut cogitauit Dominus exercituum facere nobiſcum*, &c. Vt hinc diſcant poſteri eadem ſibi cum parentibus infortunia ſubeunda, quando iiſdem verbis & mandata tradita, & minæ propoſitæ ſunt. 38.

Neque vacat myſterio, quòd toties Propheta eum à quo mandata denunciat, vocat Dominum exercituum. Vt enim obſeruauit Chryſoſt. *hom. 1. in epiſt. 2. ad Corint.* & OEcumenius *in cap. 1. ad Epheſ.* attribui Deo ſolent varia nomina iuxta id quod exigit materia, cuius gratiâ diuinum auxilium imploratur. Nam quemadmodum Gentiles, qui ex variis effectibus varios ſibi Deos finxerunt, eóſque implorant ad ea, ad quæ exiſtimantur aliquid habere numinis; Martem ad bellum, Apollinem, & Æſculapium ad valetudinem, Cererem, & Bacchum ad victum, &c. ſic Deum, qui omnia iſta obit munera, & multo plura, quàm excogitare potuit Gentilium cæcitas, eo imploramus nomine, quod noſtro maximè vſui, & tempori accommodatum eſt. Modò appellatur *lux, & ſalus*, Pſ. 26. *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea*: modò *virtus, & fortitudo*, modò *Deus miſericors, clemens, & Pater totius conſolationis*, modò *petra, & refugium*: qui conuenienter his nominibus pro rerum opportunitate alia, atque alia obit miniſteria. Sic ergo in Aggæo ſingulis propè prædictionibus, in Zacharia ſæpiſſimè Deus vocatur exercituum. 39.

Nomina Deo variè accommodata pro rerum opportunitate.

tuum, quia excitabant populum hi Prophetæ ad instaurandum, & moliendum opus à potentissimis hostibus impeditum; quare bellator nominatur, & potens, cuius virtuti omnis succumbat potentia mortalium. Vel certè cùm minetur Prophetas his quibuscum loquebatur grauia incommoda, qualia parentes olim passi fuerant, vt ostendat hæc posse inferre Deum contra omniũ gentium potentiam, atque conatus, Deum appellat exercituum.

40. Vers. 7. *In die vigesima, & quarta vndecimi mensis Sabath.*] Eodem nempe anno, mense ab eadem visione tertio. Certum est solere Deum, & verbis loqui, & rebus: sicut Ægyptij signis quibusdam hieroglyphicis suas cogitationes obscurè quidem, significanter tamen expromunt. Quæ signa, quia verborum sustinent pondus, & vices, verbum etiam vocantur: sicut etiam propter communem vsum verba ipsa vocantur visiones, quod non tam verborum, quàm imaginum est. Vide Isaiam *cap.* 1. 2. *&* 13. vbi diuina oracula verbis proposita *visiones* appellantur.

41. *Ad Zachariam filium Barachiæ filij Addo, dicens.*] Participium hoc difficilem reddit huius loci sententiam, neque enim conuenire potest cum Zacharia, quia in diuerso casu est, neque cum verbo Dei: quia diuinum verbum non dixit quod proximè adiungitur. *Vidi per noctem*, &c. Sed sunt omnino verba non Dei loquentis, sed Prophetæ narrantis, quo tempore, & loco obscurum illud spectrum viderit. Quare alij aliter vertunt. Pagninus *dicendo*: sed est æquè obscurum. Vatablus; *in hunc modum*: sed non satis exprimit vim, atque vsum vocis Hebraicæ לאמר *Lemor*. Ego verò accommodatè ad phrasim Hebraicam, eodem omnino sensu cum vulgata, sed fortasse clariùs, ita puto conuerti posse; *ad dicendum*, vel, *vt diceret*: quia illud לאמר non tam infinitiuus est, quàm gerundium accusatiui, quod satis ostendit *Lamed* verbo præpositum; licèt terminatio illa alios etiam vsus habeat in Hebraica lingua, hoc sensu: Visionem vidit, aut verbum audiuit Zacharias, vt eo doctus, vel instructus diceret ad alios. Nisi mauis, illud *dicens*, sic accipere, vt sit idem quod *destinatum*, seu, *derelictum*; & tunc quæ proximè succedunt non sint quasi persona patiens (vt grammatici loquuntur) illius participij *dicens*, sed aliquid ab eo separatum, in hanc sententiam: *Factum est verbum ad Zachariam directum*: deinde explicat quodnam fuerit verbum illud, seu visio; nam visionem dici posse verbum nuper diximus.

42. Vers. 8. *Vidi per noctem.*] Quia obscura est hæc visio, ideo quibusdam videtur oblata fuisse per noctem, a cuius tenebris aliquid etiam caliginis assumeret hæc visio. Sed coniectura leuis; multa enim per noctem oblata sunt, quæ tamen nihil habuerunt obscurum, vt de Iosepho Virginis sponso liquet, qui bis noctu admonitus est verbis ipsa pomeridiana luce clarioribus. Accepêre item noctu responsum Laban, & Abimelec: alter vt mitiùs ageret cum Iacob, alter vt vxorem redderet Abrahamo. Verisimilius longè est, vt putat Hieronymus, Theodoretus, Haymo, & Ribera; nocturno tempore significari ærumnosum statum Hebræorum, qui vel apud Chaldæos relegati morabantur, vel qui ad patrios fines reuocati, a finitimis tamen hostibus bello lacessiti, & nouo Regis Persarum decreto ab ædificando prohibiti, nihilo tutiùs, aut liberiùs in suo, quàm alij in peregrino solo degebant. Vt enim hieroglyphicæ notæ alia designabant, sic etiam nocturnum ipsum tempus, suas quoque partes agebat in hac visione hieroglyphica. Est autem vtratum, vt tempus, & locus rerum per speciem, atque visionem significandarum, naturis, atque statibus accommodentur. Quare qui nunc apparet inter myrteta noctu, quia iam ex parte respirabat populus à Babylonica seruitute, ille idẽ in Sina, aspero ac senticoso monte in spinoso rubo, eodémque ardenti visus est; quia tunc populus idẽ in Ægypto sub duro Pharaonis imperio pungebatur spinis, & vrebatur tribulationum igne.

REGVLA. *Visio non ideo obscura est, quia in nocte oblata.*

REGVLA. *Tempus, & locus in quo oblata visio, aliquid designat.*

Greg. 2. *lib. Mor. cap.* 2. aliam indicat causam, dum docet per *noctem* significari prosperitatem, quæ non est diu duratura. Quare 3. *Reg.* 3. Salomoni noctu data est sapientia, quia citò illam, vel amissurus erat, vel peccatis obscuraturus grauissimis. Sic etiam in nocte hic promittitur Hebræis felicitas, vel libertas, quæ non esset in longa sæcula duratura. Nam illa eadem gens quæ tunc ex dispersione collecta diuturnæ seruitutis iugum excusserat, grauiùs à Romanis, & inclementiùs accepta multas orbis regiones ereptis ex incendio reliquiis constrauit: & templum illud secundum, ad cuius molitionem tanta animi auiditate ferebantur, multo maiori ruina per Romanos, quàm per Chaldæos antea primum excisum est. 43.

Et ecce vir ascendens super equum rufum.] Communis est Hebræorum sententia, vt inquit Hieronymus, cum quo omnes penè alij consentiunt; virum hunc esse Michaëlem, qui custos olim Synagogæ fuit. *Dan.* 10. sicut nunc est Ecclesiæ. Nam statim, qui modò dicitur *vir*, *Angelus* vocatur, qui etiam orat pro populo Dei. Tam verò equus, quàm myrtis peramœnus locus, & præsentem populi statum, & affulgentem felicitatem portendunt. Equus quidem, quia velox est, velocitatem indicat imminentis iam à Deo, & à Rege Persarum beneficij: & idem vltionem designat, quam Deus iam in Chaldæos moliebatur. Sicut etiam Apoc. 6. *insidenti in equo rufo datum est, vt sumeret pacem de terra, & vt inuicem se interficiant.* Et in hoc Propheta *cap.* 6. Chaldæos adumbrant equi rufi, sanguinarios vtique, & bellatores, vt ibi explicat Hieronymus. Et Dominus *Isai.* 63. tinctis vestibus, & rubris venisse dicitur de Bosra, qui populos in furore suo calcauerat. 44.

Michael Synagogæ custos.

Arias Montanus virum equo insidentem rufo, Alexandrum Magnum esse putat, qui Babylonicas vires fregit, & subiugauit; & illos, qui aliorum colorum equos conscenderunt, opinatus est esse reges, qui Alexandro sublato, alias, atque alias tam ampli Imperij partes susceperunt. Sed singularis est ista sententia, neque Iudæorum temporibus, aut argumento capitis huius accommodata. Agitur enim hic de libertate, atque splẽdore Iudæorum, cui nihil opis attulit Alexander, quia quo tempore florere cœpit, iam res Iudaica non instaurata solùm, sed etiam aucta, atque ornata erat: neque quicquam à Chaldæorum potentia offensionis imminebat Iudæis, cui occurrere debuerit Alexander, qui suo etiam tempore nihil attulit aut opis, aut solatij. Est ergo aliquid aliud, quod statim magis aperiemus. 45.

Alexander parum Iudæis fauit.

Et ipse stabat inter myrteta.] Heb. הדסים *Chadasim.* L X X. transferunt, *inter duos montes vmbrosos*, id est, habentes vmbrosas arbores, id est, densarum frondium; hoc enim modo describitur myrtus. Et sanè Leuit. 23. *myrtum* vertit Chaldæus, vbi vulgatus vertit, *lignum densarum frondium.* 46.

Esther vocata Edissa à myrto.

dum. Ab hac arbore creditur vocata fuisse Edissa Regina Esther, a pulchritudine, quia myrtus arbor est pulchra, & ideo à gentibus Veneri consecrata, & ab ea Myrtea, seu Murtia vocata, id est, formosa, seu Edissa. Porrò myrti in profundo erant, siue sit aquarum profunditas, vt communiter omnes accipiunt, & explicant vocem מצלה *Mesulah*, siue depressa vallis, quod videntur voluisse Septuaginta, qui vertunt, *inter duos montes*. Vallem autem illam humidam, & palustrem fuisse oportet: nam eiusmodi plerunque prouenire solent myrti. Isai. 41. *Ponam desertum in stagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum: dabo in solitudinem cedrum, & spinam, & myrtum.* Chaldæus transfert, *in Babylonem.* Et reuera Babylon depressior est, & quasi in profundo: vt docuimus in Comment. super Isai. in illud cap. 13. *super montem caliginosum.* Maximè si editiorem locum, vbi sita est Ierusalem, intueare. Et ideo ascendisse dicuntur Hebræi ex captiuitate. Oblata est ergo Prophetæ in hac visione Babylon in loco profundo, quia & ipsa profunda est, & palustris, quippe quam influit, & circunfundit Euphrates. Quo situ status ærumnosus ostendebatur eorum qui reliqui erant in Babylonico tractu. Sed oblata visio est inter myrteta, vel quia viri erant non pauci sancti, ac nobiles, qui solari poterant afflicti populi mœrorem, vt dicit Hieronymus; vel quia iam sese ostentabat ab exilio liber, & expeditus reditus in patriam.

47. *Angelus Prophetæ familiaris, siue qui illi vt Propheta aderat.*

Et post eum equi rufi, varij, atque albi.] Multa in hac visione obiecta fuere Zachariæ, quæ impediunt maximè, & obscurant huius loci sententiam. Obiectus est qui primus equum rufum ascenderat, quem esse Michaëlem ex omnium penè sententia iam antea diximus. Fuit etiam Angelus alius, qui in Zacharia loquebatur, qui videtur fuisse Angelus Zachariæ familiaris, qui occulta illi, atque obscura reuelabat, quémque vocare possumus spiritum Prophetæ, seu Prophetiæ, vt Hieronymus putat, & Athanas. *epist. ad Serapionem.* Nam hic, vt statim subditur, suggerebat Prophetæ, quid esset populo dicturus. Neque aliter accipiunt hunc locum Aug. *tom.* 3. *in Enchiridio capite* 59. & Greg. *libro* 28. *Moral. capite* 6. imò ex hoc loco quidam colligunt, intra Prophetam fuisse ipsius Angeli substantiam, qui interiùs loquebatur. Quod non obscurè indicat Gregorius suprà, & illud, *in me*, satis declarat: neque enim est in accusatiuo, vt putauit Albertus; nã Hebraicè est בי. L X X. vertunt ἐν ἐμοί, quod omnino aliquid sonat non allapsum foris, sed inclusum interiùs. Erat igitur Angelus bonus in Zacharia ad illum modum, quo malus esse solet in obsessis corporibus. Nam quòd Angeli tam boni, quàm mali illabantur in humana corpora, docet S. Th. 2. *d.* 8. *art.* 5. quod sanè dicendum necessariò, iuxta illorum sententiam, qui Angelorum operationem coniunctam esse censent cum illorum substantia.

48. *In equis Imperia significata.*

Qui verò sint equi rufi, albi ac varij, non omnes eodem explicant modo. Arias Montanus qui primum equitem putabat esse Alexandrum, hos existimat esse Reges illos, qui extincto Alexandro in variis tanti Imperij partibus successêre. Sed communiter alij quatuor orbis Imperia designari putant, quorum ingenia optimè diuersis equorum coloribus adumbrantur: licèt in explicandis Regnis, accommodandisque coloribus non omnes consentiant. Hieronymus refert Hebræorum sententiam, qui commutato ordine à

A Zacharia proposito, in albis equis Medos intelligunt, & Persas, qui posteriores Assyriis Iudaicum populum humaniùs tractauerunt, quia sub ipsis fuit soluta captiuitas, & instaurata Ierusalem cum templo. In variis autem Macedones, quia ex illis quidam beneuoli, atque benefici, quidam infensissimi fuerunt. In rufis Romanos, qui omnino sanguinarij deleuerunt cum ipsa ciuitate ac templo genus quoque antiquissimum Iudæorum. Sed Hieronymus aliter accipit: ita vt in rufis Assyrios, & Chaldæos agnoscat, quorum alteri decem tribus, alteri deinde reliquas duas egêre captiuas. In albis autem, & variis Medos, & Persas, quorum aliqui clementes fuerunt, vt B Cyrus, & Darius, alij crudeles, vt Cambyses, qui & Artaxerxes. Et in hunc ferme modum accipiunt Haymo, Dionysius, Albertus, & alij. Neque de Romanis existimo in hac, equorum varietate quicquam adumbratum, neque enim tunc admodùm erant potentes, quia quo tempore oblata est Zachariæ harum rerum species, adhuc sub Regibus erat Romana potentia: neque præterea ab illis quicquam metuebant ij, quos perturbatione, & metu vacuos esse iubebat Propheta. Et eandem ob causam existimo nihil hic agi de Macedonum potentia, quia eo tempore nec dum erat nata, imò neque cognita: quia cum Philippo pene nata, & cum Alexandro filio aucta quidem ad mi- C raculum, sed cum ipso breuiter extincta est.

Veri mihi similius videtur, hoc equorum spectro designari populos, qui vel antea populum è patriis actum sedibus oppresserant, vel nunc etiam à seruitute respirare non patiebantur. Nam licèt Cyri edicto in vrbem redierint, vt dicit Esdras lib. 1. cap. 2. *quadraginta duo millia trecenti sexaginta exceptis seruis eorum, & ancillis;* adhuc autem multi erant reliqui in Babylone, quos vel itineris molestia, vel res auctior in externa regione, vt obseruauit Bonauentura de processu religionis *cap.* 30. a redeundo retardarunt. Quorum multi deinde vario successu cum Esdra *cap.* 8. *lib.* 1. & cum Nehemia *cap.* 1. eiusdem reuersi sunt. Hi D verò qui erant Hierosolymis quo tempore hæc à Zacharia dicebantur, non erant neque metu, neque periculo liberi: nam extincto alienissimo tempore Cyro, suffectus eius loco Cambyses, sublata facultate ædificandi templi à parente concessa, res rationésque Iudæorum omnino turbauit; neque dum renouata fuerat à Dario, vt liquet ex *Esdra lib.* 1. *cap.* 5. *&* 6. Quare omnes Iudæi sub huius Prophetiæ tempus aliquid durum patiebantur, quidam in Babylone captiui, alij iam in patriam reuocati nihilo mitiùs à Samaritis, & à finitimis populis vexabantur. 49. *Equi regna designant Iudæis infensa.*

Quamuis ergo, vt plerique putant, verisimile sit in equis quatuor notari gentes, de quibus suprà Hieronymus: tamen, vt dixi, verisimilius mihi est, quod etiam placuit magis Riberæ, notari E gentes, quæ aliquo modo in Iudæorum genus afficiebantur, quarum aliquæ pacatæ erant, atque beneuolæ; aliquæ verò contra Iudæos, vt de Samaritis diximus, adhuc aliquid hostile tentabant. Cùm enim in varias Persarum, Medorúmque prouincias essent dispersi, fortasse in 129. nam tot in imperio suo continebat Assuerus, *Esther c.* 1. & ad Bosphorum vsque ablegati, vt est in Abdia, verisimile est in tanta gentium locorúmque diuersitate plurimos esse, qui Iudæorum vicem miserati, illos amplecterentur humaniùs, & hi equorum candore designantur. Plurimos item, qui illorum commodis inuiderent, & duriùs accipe- 50. *Verisimilius est designari populos varie in Iudæos aff[ectos].*

rent, quos adûbrat rubeus, atque sanguineus color: & in his erant Samaritæ, qui eo tempore acerrimè aduersabantur Iudæis in murorum fabricam intentis. In variis autem designari opinor eos populos, in quibus homines non omnes beneuoli, aut secus, sed quod in magna multitudine vsu plerunque euenit, partim amico, partim infenso animo afficiebantur. Quòd verò non vnum Regnum in vno colore significetur, eo mihi persuadeo præter alia; quia non vnus, aut alter equus rufus, aut albus visi commemorantur; sed vnius coloris multi. *Et post eum*, inquit, *equi rufi varij, & albi*. Deinde qui illis insidebant, dicuntur perambulasse terram, & respondisse omnē terram habitari, & quiescere; vnde inferri optimè potest, adfuisse tunc coram Michaële cælestis militiæ Principe multarum prouinciarum Angelos custodes, quibus id negotij datum, vt suam quisque prouinciam beneuolam reddat genti Iudææ.

Michael strenuus in defendendo populo.

51. Hinc colligo quàm aptè Michaël sedeat super equum rufum, quasi pugnaturus contra gentes, quæ populo sibi in tutelam dato aduersabantur; neque minùs rufus, id est, acer Michaël ad propugnandum, quàm alij ad oppugnandum, extinguendúmque populum. Pacatæ verò dicuntur omnes gentes, quia iā illas ita fregerat Michaël, vt nihil contra Iudæos amplius mutirent, vel quia iuxta Scripturæ morem id factum esse dicitur, quod propè est vt fiat, vt diximus *Cant.* 1.*n.* 14. Et hoc videtur mihi probabilius: quia nondum erat pacatus Rex Persarum Darius, quando hæc obiecta fuère Zachariæ: vt facilè colligitur ex Esdra, qui *cap.* 5. prophetasse tradit Zachariam quando impeditum opus fuerat à finitimis hostibus: *cap.* verò 6. pacatus fuisse dicitur; imò impensè benignus. Ex quo fit verisimile nationes alias Persarum Regi subiectas, in quibus agebat captiuus populus, mutato iam animo, atque studio Darij, ipsas quoque ad Regis imitationem, cuius ad exemplum totus componitur orbis, mutasse quoque consilia, meliúsque deinceps de Iudæorum salute cogitare cœpisse. Accedit quòd Angelus orat Deum, vt tranquillitatem afferat afflictæ populi fortunæ: cui si omnia expedita forent, aut pacata, non erat cur tanto opere contenderet orando.

Angeli prouinciarum tutelares.

52. Hinc obserua, vt iam tandem ex hoc profundo myrteto emergamus, illos qui equis insidebant, Angelos esse illarum prouinciarum tutelares, qui equorum coloribus notabantur. Nam prouinciis singulis suos præesse custodes docent Theologi ex Daniele *cap.* 10. Ideò verò sedentes videntur inducti, quia quemadmodum strenuus, atque robustus eques, reique equestris non imperitus equum præferocem, & indomitum, cui insidet, mansuefacit tandem, & reluctantem cogit parere frænis: sic etiam Angeli, qui præsunt, & quasi insident regionibus cruentis, & immitibus, illas, & domant, & leniunt, obsequentésque reddunt diuinæ voluntati.

53. Deinde obseruandum, licèt hæc quasi in Babylone oblata fuerint Zachariæ, vt ex Chaldæo diximus, qui pro eo, quod vulgatus habet, *in profundo*, ipse vertit, *in Babylone*, quem è recentioribus multi sequuntur; non tamen tunc Zachariam fuisse in Babylone, sed in illam spiritu potiùs, quàm corpore fuisse deductum: sicut contrà Ezechiel spiritu è Babylone in Hierosolymam abreptus est. Spectabat itaque in Ierusalem Propheta, quod in Babylone geri videbatur: sicut etiam in Tragœdiis plerunque accidit, quæ ita exhibentur, exempli gratiâ, in Romano theatro, vt Athenis, vel Troiæ spectari fingantur. Quòd enim Zacharias fuerit in Ierusalem, ex ipso docemus, qui sæpe ad Zorobabel loquitur, & ad Iesum filium Iosedech, & dicit expresè Esdras *lib.* 1. *cap.* 5. Visi sunt autem Angeli, qui Iudæorum causâ laborabant, in profundo, siue fluminis, quod ad vtramque oram pulcherrimis vestiebatur myrtis, siue vallis, iuxta L X X. versionem, qui vertunt, *inter duos montes vmbrosos*. Quo spectro optimè declarabatur præsens Iudæorum status: nam sic erant in profundum depressi, vt illis suaue aliquid aspiraret, & amœnum obtenderet myrtorum species, atque fragrantia. Erant enim in alienis sedibus, sed inter myrtos, id est, inter Prophetas, virósque sanctos, puta Nehemiam, & Esdram, qui pro ipsis apud Deum, & terræ Principes satagebant, vt multi volunt; vel certè inter Principes ipsos terræ, qui iam faciles, atque beneuoli suæ benignitatis mitiorem auram afflabant.

Myrtetum in profundo optimè explicat statum Iudæorum.

Ad extremum obserua, quando à Hierosolymis Iudæi propter immania scelera abducti sunt Babylonem, in fluminum Babylonis littore fuisse salices, steriles nempe arbores, quæ ideo à Græcis *ὠλεσίκαρποι*, id est, *frugiperdæ* dicuntur. Psalm. 136. *In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra*. Post peccatum enim pœnitentia & opportunum, & salubre medicamentum est; cuius optimum symbolum, & organorum silentium, & aquarum profunditas, & diuturnæ lacrymæ: hoc enim indicat illud, *ibi sedimus, & fleuimus*: & salicum natura, nam aspectu inamœnæ sunt; & gustatu amaræ, vt notauit Virgil. Ecloga 1. 54.

Pœnitentia ad lætitiam adducit peccatorem, qui in mœrore fuit.

Salices carpetis amaras. ——

Quare in pœnitentia nihil est dulce præter lacrymas, neque memoria aliquid versat præter Sionis amissæ lugubrem historiam. Sed vbi iam peracta pœnitentia est, emergenti è fluminis profundo alueo occurrunt non iam frugiperdæ, atque amaræ salices, sed myrti speciosæ ac lætæ, quæ antiquam sterilitatem, & squallorem satis cumulatè compensant.

Vers. 9. *Et dixi: Quid sunt isti Domine mi.*] Verba sunt Prophetæ ad Angelum, qui in ipso loquebatur; non cum eo, qui visus fuerat inter myrteta, nam si cum isto, non sanè dixisset: *Quid sunt isti*; sed, *qui estis*? Neque enim minùs erat obscurum, quis esset primus ille, quàm alij, qui statim cum illo equestres aduenère, & rogatus familiaris Angelus statim respondit. 55.

Ego tibi ostendam.] Existimat Dionysius Carthusianus ab Angelo, cuius ministerio Deus Zachariæ futura ministrabat, formari in spiritu, & imaginatiua facultate Zachariæ imagines quasdam, & species rerum futurarum. Quare licèt Angelus, qui inter myrtetos erat, Zachariæ respōderit, aperueritque quod scire vehementer studebat, & deinde alij qui rufis, albis atque variis equis insidere videbantur, nihilominus præstitit familiaris ille Angelus, quod promiserat, quando per illas imagines, quibus voces etiam dedit, reuelauit quod opertum fuerat Zachariæ. Hæc mihi neque satis aptè, neque admodùm expeditè dici videntur; & aduersantur communi ferè aliorum Interpretum sententiæ, qui in primo Michaëlem, 56.

in

in aliis diuersarum gentium Principes, & custodes agnoscunt. Neque hæc sententia videtur omnino probari ipsi Dionysio, qui statim de spectris illis, quasi de Michaële, & custodibus Angelis verba facit. Dicendum ergo est, Angelum siue custodem, siue, vt ita dicam, prophetalem (nam sicut Principibus, qui non solùm sibi, sed commissis etiam suæ fidei prouinciis viuunt, duo tribuuntur Angeli: sic etiam verisimile est Prophetis, quia ad aliorum quoque salutem dati sunt, duos item assignatos esse spiritus) præstitisse optimè, quod promiserat, quia quæ obscurè dicta sunt ab aliis Angelis, ipse declarauit.

57. Vers. 10. *Et respondit vir, qui stabat inter myrteta.*] Angelus hic non respondet ad interrogata Zachariæ, sed simpliciter loquitur. *Respondere* enim in Scriptura non semper est interrogatis satisfacere, vt fert Latinorum vsus, sed interdum sermonem ordiri nemine percontante. Exempla sunt plurima; Matth. 11. *Respondens Iesus dixit; confiteor tibi pater:* & cap. 12. *Responderunt ei quidam de Scribis,* &c. *Domine volumus à te signum videre.* cap. 17. *Respondens autem Petrus dixit ad Iesum: Domine bonũ est nos hic esse.* Et statim sine dubio illud, *Responderunt*, nihil aliud est, quàm *dixerunt*, quia Angeli cùm locuti sunt interrogati non fuerant ab Angelo Domini, id est, à Michaële; & in hoc capite plura sunt exempla. Vel certè dici posset cum Ribera, respondisse Michaelem alteri Angelo, qui signis ostendebat cupere se visionem intelligere. Sed placet prior explicatio, iuxta quam historia quædam proponitur obscura, quæ deinde ab Angelo familiari clariùs exponitur, vt constat.

Regula. *Respondeo idem quod dico.*

58. *Isti sunt, quos misit Dominus, vt perambulent terram.*] Id videtur agere Michaël, vt auctoritatem conciliet aliis spiritibus: nam ipsi de se statim locuti sunt vt magis persuadeatur, confirmetúrque ad optimè sperandum animus Zachariæ, dum testimonium audit illorum, qui à Domino missi fuisse dicuntur.

59. Vers. 11. *Et responderunt Angeli Domini.*] Hic *respondere*, pro *loqui* simpliciter vsurpatur: neque enim vlla præcesserat interrogatio. Dixerunt itaque Michaëli peragrasse se omnem terram, illámque pacatam esse, & omnino quiescere. Ex his Zachariæ verbis quidam existimant, quo tempore hæc Prophetæ oblata sunt, communem fuisse pacem in toto terrarum orbe. Quod sanè verum non est; nam vt Orosius *lib. 4. cap.* 8. aliquos motus & bella cõmemorat, quæ in hoc tempus inciderunt, id est, in extrema regum Romanorum tempora. Neque à bellis otiosus fuit Darius Histaspis, cuius anno secundo auditum fuit hoc Zachariæ vaticinium, vt refert Iustinus *lib. 2. in fine.* Quare verius puto, ideo dici vniuersam terram esse pacatam, non quidem in omnes, sed in Iudæos, quorũ causa laborabat Zacharias, & Michaël Synagogæ custos, & quò spectabat tota visio. Neque vniuersam omnino terram, sed illam, quæ illorum Angelorum curæ, atque tutelæ credita erat, & in qua dispersi morabantur Iudæi, iuxta ea, quæ diximus Act. 2. ad illud, *ab omni natione, quæ sub cælo est.* Vt enim docet Hieronymus in illud Isai. c. 13. [*Disperdam omnem terram.*] *Idioma est*, inquit, *Scripturæ sacræ, vt omnem terram illius significet prouinciam, de qua sermo est.* Exempla sunt obuia; præter hæc duo Actuum, & Isaiæ accipe, aliud Lucæ 2. *Exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis,* nempe subiectus Cæsari. Aliud habes infrà c.5. *Maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ,* nempe Palæstinæ. Seu certè adeò

Michael dux aliorum Angelorum tutelarium.

A esse propè, vt res Iudæorũ turpidæ componerentur, vt iam pro pacatis, & tranquillis haberi potuerint, iuxta dicta nuper *num.* 52. Ex quo apparet Michaëlem Ducem esse & principem aliorum tutelarium Angelorum, cui nempe generalis hominum custodia credita est, quandoquidem ad illum referunt alij custodes Angeli quid in variis prouinciis rerum fiat. Et ita canit Ecclesia in eius festo; dum vocat *Principem militiæ Angelorum, & animarum suscipiendarum præfectum.*

Vers. 12. *Et respondit Angelus Domini, & dixit: Domine exercituum vsquequò tuo non misereberis Ierusalem?*] Hic quoque, *respondit*, idem significat, quod *dixit*: neque enim vlla præcesserat interrogatio 60.
B eius, cui respondere potuerit. Videtur autem iam abiisse equestris illa visio, quæ erat in myrteto, quia iam tantùm audiuntur verba Angeli, qui in Zacharia loquebatur; neque hæc verba ad Angelos, sed ad Dominum exercituum referuntur. Occasionem verò sumpsit ex pace, & tranquillitate regionum illarum, quæ propediem futura sperabatur, intentis in eam curam Angelis, vt si quid oriretur impedimenti, remouerent, vt populo turbato, atque oppresso pacem, & veniam peteret.

Iste iam septuagesimus annus est.] Incidimus in nodum, in quo expediendo illustrium Doctorum ingenia laborarunt; quo nempe tempore impleti fuerint 70. anni, quibus duraturam Hebræorum captiuitatem prædixit Ieremias cap. 25. & cap. 29. *Cùm cœperint*, inquit, *impleri in Babylone 70. anni, visitabo vos,* &c. *& reducam vos ad locum istum.* Fatentur communiter Doctores impletum esse spatium à Domino definitum anno primo Cyri, quia tunc soluta captiuitas est, & facta est Iudæis reuertendi facultas. Quod facilè comperies si tempora Chaldæorum Regum accuratè dinumeres. Anno primo Nabuchodonosor, abduxit captiuum Regem Ioacim, & cum eo Danielem, & plures alios; quod liquet ex Ieremia cap. 25. *Verbum*, inquit, *quod factum est ad Ieremiam de omni populo Iuda in anno 4. Ioacim filij Iosiæ Regis Iuda; ipse est annus primus Nabuchodonosor Regis Babylonis.*
D Sed *Danielis cap.* 1. captus fuisse dicitur Ioacim anno primo Nabuchodonosor. *Anno*, inquit, *tertio regni Ioacim regis Iuda venit Nabuchodonosor rex Babylonis in Ierusalem, & obsedit eam, & tradidit Dominus in manum eius Ioacim regem Iuda.* Ex quib. locis simul compositis palàm fit anno primo Nabuchodonosor cœptam esse Iudæorum captiuitatem. Neque est cur quemquam commoueat, quòd primus annus Nabuchodonosor incidisse dicatur in quartum Ioacim *Ierem.* 25. *& Dan.* 1. tertio anno regni sui dicatur Ioacim traditus in manus Nabuchodonosor; ex quo videri posset Nabuchodonosor nondum iniisse regnum: id
E enim nasci potuit ex Scripturæ consuetudine, quæ annos nondum completos solet præterire, & interdum numerare pro integris. Vide Salmeronem *Proleg. 9. quinquag. 1. can.* 30. & vt omittam exempla alia, hoc vnum sit pro multis. Regnasse dicitur David 2. *Reg.* 5. septem annis, & sex mensibus in Hebron super Iudam, & triginta tribus annis super omnem Israel, & Iudam: & tamen ibidem regnasse traditur 40. annis, à quo numero sine dubio exclusi sunt sex menses, qui priùs cum 7. annis computati fuerant: & 3. *Reg.* 2. vbi etiam 40. annis regnasse scribitur in Hebron, dicitur obtinuisse regnum 7. annis, vbi sex menses omittuntur, qui priùs fuerant expressi. Vide infrà n. 66.

61. *Quo tempore impleti 70. anni captiuitatis.*

Regula. *Anni nondum completi omitti solent interdum, interdum pro integris numerantur.*

Iuxta hanc regulam non est difficile conciliare Ieremiam, qui quarto anno Ioacim, cum Daniele, qui eiusdem regis anno tertio obsessam fuisse dicit Ierusalem: nam secundus annus inceptus Nabuchodonosor; qui non est à Ieremia numeratus, concurrere potuit cum anno quarto Ioacim tantùm inchoato, qui à Daniele præteritus, quia non integer, & à Ieremia quasi esset integer, numeratus est. Nam Prophetis ex Scripturæ consuetudine liberum fuit aliter, atque aliter numerare.

62. Cœpit ergo captiuitas anno primo Nabuchodonosor, quem in regno vixisse 45. annos satis ex Scriptura constat: quia anno 8. Regni sui obsedit iterum Ierusalem, & secum abduxit in Babylonem Ioachim filium Ioacim. *4. Reg. 24.* Mortuus est autem anno 37. post transmigrationem Ioacim. *4. Reg. 25.* Nam eo anno Euilmerodach subleuauit Ioacim è carcere, *anno quo regnare cœperat*, id est, primo, eodem nempe, quo pater mortuus est. Ex quo fit omnino planum à prima captiuitate, de qua sine dubio loquebatur Ieremias, ad mortem Nabuchodonosor intercessisse 45. annos. Quot annos regnauerit Euilmerodach, nihil ex Scriptura certum. Hebræi 23. existimant in Seder Holam, quos communiter sequuntur recentiores. Balthasar autem 2. regnauit annos, vt scribit Dan. *cap. 8.* Quòd si hos omnes ad summam vnam colligas, plenum deprehendes septuagenarium annorum numerum. Quod verò vnus redundet annus, ex eo accidit, quia imperfecti aliqui anni in tot regum temporibus pro integris adhibiti sunt.

Captiuitas cœpit primo anno Nabuchodonosor.

63. Quòd verò exactis tribus his regibus soluta sit captiuitas, primo videlicet anno Cyri, probatur liquidò ex Ieremia cap. 27. *Et seruient ei* (Nabuchodonosor) *omnes gentes, & filio eius, & filio filij eius, donec veniat tempus terræ eius*, id est, donec Babylon capiatur, quod accidit tempore Balthasaris, qui filius fuit filij Nabuchodonosoris. Quare audiendi non sunt externi aliqui historici, qui reges alios obtrudunt ante Persarum imperium, in quibus est Metasthenes, & Iosephus *lib. 10. Antiq. cap. 12. & lib. 1. contra Appionem*. & Berosus, quem ibidem citat, & complures alij. Neque horum opinioni, aut errori potiùs fauet Hieronymus *in cap. 5. Danielis*, vbi aliorum sententias recitat potiùs, quàm probat. Nam ibi non semel Nabuchodonosor proauum fuisse dicit Balthasaris: at *in cap. 27. Ierem.* apertè dicit Balthasarem nepotem esse Nabuchodonosor. Et sanè Commentarios in Ieremiam scriptos esse post operam datam Danieli, ipse fatetur Hieronymus *in Prologo super Ieremiam.* Quare si priùs secus sentire visus est, postea sententiam mutauit.

Accedit quòd iisdem verbis quibus à Ieremia prædictus est captiuitatis terminus, prædictus quoque fuit Babylonici Imperij finis. Ierem. 25. *Seruient*, inquit, *omnes gentes istæ regi Babylonis 70. annis; cùmque impleti fuerint 70. anni, visitabo super regem Babylonis. &c. & super terram Chaldæorum, & ponam illam in solitudinem sempiternam.* Quod verò idem fuerit Cyri regni apud Babylonios exordium, & captiuitatis dimissio, præter Ieremiæ vaticinium liquet apertè *Esdr. 1. cap. 1. 2. Paralip. cap. vltimo, & Dan. c. 9.* qui anno primo Darij impletum esse scribit 70. annorum spatium a Ieremia prædictum. Darius autem ille cum Cyro simul regnauit, cuius erat auunculus.

Iisdem verbis tradita captiuitatis solutio & finis imperij Babylonici.

64. Est tamen hîc difficultas maxima, cùm iam pridem deletum esset Chaldæorum imperium, & tertius à Cyro regnaret Darius filius Histaspis, sub quo hæc Zacharias vaticinatus est, quo modo nunc ab eodem dicatur annus esse septuagesimus? Variè ab auctoribus tentatus hic nodus. Quidam illud, *iste septuagesimus annus est*, cum interrogatione legunt, hoc sensu. Istene est septuagesimus annus, tandiu nobis speratus? Siccine promissa comples, quæ in hunc annum nobis reseruasti? Quid prodest laxata captiuitas? quid facta templi instaurandi facultas, si templum adhuc exustum perseuerat? Et hoc satis dici videtur verisimiliter. Fortasse septuagesimus annus apud Hebræos in prouerbium abierat, qui tantum sibi felicitatis ab eo anno pollicebantur, & pro libertate sumebatur; sicut tempus seruili operæ constitutum, & emeritæ mercedis terminus à seruis pro libertate ponitur. Quare qui ad festum S. Petri, vt in Hispania plerunque fit, annuam operam locaret alteri, non incongruè sanctum Petrum, aut eius festum libertatem vocaret suam; & ita dicitur vulgo seruulorũ quocunque tempore finiatur opera locata. *Oy h. Zemos san Pedro o san Iuan.* Et tunc sensus est idem qui superior, nempe; hæccine est promissa nobis libertas? Aliæ sunt siue solutiones, siue fugæ huius difficultatis: sed placet vehementer sententia Riberæ, quam immeritò nobilis quidam scriptor nostri temporis duriùs accipit, quæ sanè difficilis non est, si accuratè diuersa tempora captiuitatis obserues.

65. Primo anno Regni sui Nabuchodonosor obsedit Ierusalem, vt vidimus ex *4 Reg. 24. & Dan. 1.* & ab eo tempore numerari diximus annos 70. captiuitatis. Tunc verò desolata non est Ierusalem, imò relictus est Ioacim, tributarius tamen à Nabuchodonosor. Anno deinde octauo nõdum tamen perfecto, vt apparet, quia, qui octauus vocatur *4. Reg. 24.* idem septimus dicitur *Ieremiæ cap. 25.* quia cùm imperfectus esset postremus annus, ex vsu Scripturæ vel omitti, vel numerari potuit, iuxta ea, quæ diximus suprà *n. 61.* Anno itaque octauo, nondum tamen completo, rediit Nabuchodonosor in Ierusalem iterum post 3. menses, abduxitque secum Ioachim. neque tunc vrbs est excisa, aut templum exustum; quin relictus est Sedechias Regis captiui patruus eius loco. Anno verò nono Sedechiæ, & 17. Imperij sui rediit Nabuchodonosor, & secundo deinde anno, id est, 11. Sedechiæ, & 19. sui Imperij cepit, vastauitque Ierusalem, & templum succendit, vt constat *4. Reg. 25. & Ierem. 52.* Hoc ergo anno dici potest desolata ciuitas; nã ante illud tempus erepta erat ciuitati præda, ac splendor potiùs, quàm ipsa incendio tradita. De hac vltima vastitate, & captiuitate loquitur hoc loco Zacharias, vt tradit Theodoretus in capite nono Danielis, vbi conciliat Ieremiam, & Esdrã cum Zacharia, dum dicit illos à primæ captiuitatis initio ducere 70. annos; nunc à nouissima obsidione, qua funditùs ciuitas, & tẽplum deleta sunt. Eusebius in Chronico sub Olympiade 58. duplicem etiam distinguit septuagenarium numerum, & captiuitatis primæ, qui sub Cyro, & desolationis extremæ, qui sub Dario finitus est. Quam etiam distinctionem adducunt Hebræorum magistri, & expressè traditur in Chronico abbreuiato Hebræorum, vbi anno septuagesimo Imperij Babylonici rediisse dicitur Zorobabel, id est, solutam esse captiuitatem, & septuagesimo anno ab exciso templo, id est, decimo octauo anno Imperij Medorum ascendisse Esdram. Neque aliter concilia-

Septuagesimus annus non ab aduentu Nabuchodonosor, sed ab excisa vrbe hoc loco numerandus.

Aliter 70. anni Ieremiæ, aliter septuagesimus Zachariæ numerantur.

A ri possunt illi, qui modò anno primo Cyri completos esse tradunt annos 70. modò anno secundo Darij; vt est Hieronymus, qui in Prooemio Commentarij super Aggæum,& *in cap.4. Ezechielis* terminum statuit sub Dario: vbi apertè dicit ab excidio templi ad secundum annum Darij produci annos 70. At verò super Ieremiam *cap. 25. & cap.29.* ineunte Cyri Imperio annos illos definit. Quam etiam sententiam ostendere videtur Zacharias ipse, aut Angelus, qui in ipso loquebatur. Nam quasi admonitus ab illis qui dixerant, omnia Regna terræ habitari, & esse in pace dixit, *Vsquequò tu non misereberis Ierusalem, & vrbiū Iuda,quibus iratus es? Iste septuagesimus annus est.* Ac si diceret: cùm reliquæ ciuitates habitentur, B pacatæque sint, cur pateris tamdiu ciuitatem hanc nostram esse deletam? vsquequò non misereberis Ierusalem? nempe vt ædificetur, ecce septuagesimus annus est,ex quo deleta est. Et quasi ad Angeli votum respondeat Dominus, statim subdit. *Domus mea ædificabitur in ea,&c. & perpendiculum extendetur super Ierusalem.* De vno itaque tempore agit Ieremias, quod impletum est anno primo Cyri; de altero verò Zacharias, cui finem attulit secundus annus Darij.

66. *Quandiu regnauit Cyrus.*

Nunc videndum quomodo à templi, vrbisque desolatione ad annum secundum Darij interiecti fuerint anni 70. Alij aliter computant hæc tempora, sed iuxta ea, quæ suprà dicta sunt, non C est difficilis explicatio, si à 70. annis detrahas 19. Nam anno primo Nabuchodonosor primùm capta est ciuitas: deinde anno eiusdem 19. funditùs euersa. Si totidē annos à primo anno Cyri ad secundū Darij deprehendas, totum negotium peractū est.Et primùm statuo postquā Cyrus Imperium Babylonicū ad Persas transtulit, non diu vixisse. Nam qui regnasse tradunt annos 30. hi etiam de tempore Regni ante captam Babyloniam loquuntur. Herodotus lib.1. ad finem. Iustinus lib.1. Eusebius in Chronicis. Hieronymus *in cap.7. Danielis.* Quantùm verò temporis Babylonico præfuerit Imperio incertum est. Hebræorum Magistri præfuisse tradunt annos tres in Se- D der Holam *cap.29.* coniectura satis infirma, quia à cap.10. Danielis, vbi annus Cyri tertius numeratur, de eo vlteriùs nulla mentio fit, quasi Scriptura historiam Cyri contexere debuerit. Alij 30. annos vixisse putant cum Imperio Chaldæorum: sed hoc videtur nullo modo admitti posse; quia necesse est multos annos posuisse in debellandis aliis prouinciis. Idque omnino indicant auctores, qui res à Cyro gestas describunt, qui ita loquuntur, vt non ita diu commoratus fuisse videatur in Babylone. Et cùm bellicosus esset, & audax, & dominandi cupidus, bellum ad Scythas transtulit, vbi extinctus est. Quare E Xenophon *lib.8. Cyropædiæ* septimo anno Imperij sui obijsse tradit, quod sanè de Monarchia intelligit. Quod etiam ex eo fit maximè verisimile, quia cùm tam impensè faueret Iudæis, sanè illi à vicinis gentibus impediti ad Cyrum libertatis auctorem propulsandæ iniuriæ gratiâ confugerent, si esset in Babylone. Sed erat tunc in Massagetico bello distractus, vbi occisus est, vt prodit Iosephus *lib. 11. Ant. c.2. & c.3.* scribit impeditum esse opus templi per annos 9. vsque ad Darium. Quæ omnia satis indicant non diu fuisse Cyrum cum Imperio Babylonico. Credamus ergo Xenophonti, qui illius Monarchiæ annos attribuit septē. Nunc reliquos inuestigemus vsque ad annos 19. vt 70. à tēpli desolatione cōpleamus.

Huic successit Cambyses, cuius Imperio Herodotus suprà annos 8. annumerat: Item Eusebius *in Chronicis*, & Hieronymus *in c.1. Zachariæ*, & alij ferme omnes. Nam qui illum censent regnasse annos 14. computant etiam annos illos, quos cum parente simul in imperio fuit. Ex annis ergo Cyri, atq; Cambysis quindecim fiunt, quibus si rursus addas aliquot menses, quibus regnarunt duo Magi fratres,& duos annos Darij, fiunt anni 18. aut eo circiter. Neque est cur quemquam conturbet, quòd non 19. anni, quos quærebamus, sed 17. aut 18. deprehendantur: nam iuxta ea, quæ suprà adduximus numero 61. quia imperfecti anni interdum numerantur, interdum omittuntur, aut plures hîc anni sunt quàm decem octo, aut pauciores quàm decem & nouem inter primam captiuitatem, & templi, ac ciuitatis excidium intercesserunt. Quòd enim non fuerint quatuor anni quibus regnauit Ioacim integri, dicendum est omnino, quia Daniel tres numerat. Et rursus qui primus annus est Sedechiæ, ille octauus est Ioacim; nam eodem anno, & expulsus regno fuit Ioacim, & Sedechias in regnum introductus, & ita annus ille non est bis numerandus (nihil hîc dico de tribus mensibus Iechoniæ.) Quare si ex regibus Iuda annorum summam colligas, non est necesse, vt decem & nouem compleas annorum numerum. Et eodem modo si ex imperio Nabuchodonosor: nam licèt primo anno imperij sui ciuitatem obsederit, non id tamen in principio illius anni facere potuit, sed potiùs in fine. Quis enim dubitet aliquid temporis, imò multùm temporis esse positum in componendis noui Imperij rebus, quod ab Assyriis ad Babylonios transtulerat? Quis non videat noui belli comparationem aliquid moræ desiderare; & obsidionem, expugnationémque vrbis ex eo anno bonam partem decerpere? Quare optimè videor ex eo numero posse annum vnum detrahere. Quòd si ineunte decimo nono anno imperij tertiò reuersus vrbem expugnauit, quod satis dici potest verisimiliter, non est quòd amplius laboremus in quærendo à primo anno Cyri, vsque ad secundum Darij tempus quod implere possit illud spatium, quod à prima captiuitate ad euersam vrbem intercessit.

67. *Cambysis Imperium.*

68. Sed supersunt hîc duo, quæ huic explicationi nonnihil incommodant. Alterum est, quòd Daniel c. 9. ait, tempore Darij Medi filij Assueri, qui fuit Cyri auunculus, & eius in regno socius, completos esse 70. annos à Ieremiā prædictos desolationi Ierusalem. Et Ieremias ipse cap.25. *Erit vniuersa terra hæc in solitudinem, & stuporem, & seruient omnes gentes istæ Regi Babylonis 70. annis.* Adde quòd Iosephus, & Berosus, ab eo citatus *lib.1. contra Appionem*, computare videntur 70. annos à desolatione vrbis, vsque ad Cyri tempora. Huic verò obiectioni satis occurrit Scripturæ consuetudo, quæ fieri tunc dicit aliquid, cùm fieri incipit, vt aliquot exemplis probat Ribera *super caput 2. Michææ,n.60.* Quare desolata dici potuit ciuitas primo Nabuchodonosoris aduentu, quia spoliari cœpit & vastari, sublata cum magno nobilium numero, magnâ etiam sacrorum vasorum parte. Et circa hanc ipsam materiam sunt exempla clara. Oseæ cap.3. *Dies multos sedebunt filij Israel sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, &c. & post hæc reuertentur filij Israels* id est, incipient reuerti: quia non simul atque reges,& principes habuerunt,omnes reuersi sunt,

REGVLA. *Tunc aliquid factum dicitur aliquando, cùm fieri incipit.*

Eodem locutionis genere vsus est Ieremias, cùm post annos 70. futurum esse dixerit reditum, cùm tamen plurimi in Babylone relicti sint, quia eo anno inchoata remigratio est. Sic etiam desolatio dici potuit, quæ fieri cœpta est sub rege Ioacim.

Quomodo templum secundum ædificatum esse dicatur 46. annis Ioan. 2.

69. Alterum dubium est ex *Ioann. cap.2.* vbi templum (nimirum quod tunc extabat, id est, quod tempore Cyri, atque Darij constructum est) ædificatum esse dicitur 46. annis. Quare necesse est, vt plures anni inter Cyrum, & Darium intercesserint, quàm qui à nobis numerati sunt; cùm constet anno 6. Darij templum esse perfectum. Tractauit quæstionem hanc latissimè Toletus, & Maldonatus, & alij penè omnes
B Euangeliorum Interpretes in illum locum Ioannis, qui ex re admodum obscura aliis, atq; aliis modis emergunt; ita tamen vt non omnino sibi placeant. Sanè si totos 30. annos, quos Darius regnauit, demus Imperio Babylonico, difficile non erit ad illam moram 46. annorum producere templi constructionem; & ita computant Toletus, Maldonatus, Pereira in Danielem libr. 11. & alij plures. Sed pugnant multa, quæ à nobis suprà posita sunt *numero* 67.

70. Quidam agi putant Ioann. 2. non de templo secundo à Zorobabele constructo, quod, quo tempore hæc dicta sunt à Iudæis, non extabat, sed de eo quod ab Herode constructum est. Et hi putant templi secundi nullas extare
C reliquias, quod docuit Iosephus *lib. 15. Ant. cap.14.* Et sanè si de hoc tertio templo sermo esset, nihil hinc contra nostram sententiam oriretur impedimenti. Sed hoc nullo modo credo verè dici posse, quia vt ex Iosepho constat suprà, templum illud Herodis decem annis absolutum est. Neque quod Iosephus prodit, à fundamentis fuisse secundum templum excisum, & à fundamentis tertium excitatum, credo verum esse. Nam Christus in secundum templum à Zorobabele constructum ingressus est; hac enim ratione Deus per Aggæum *cap.2.* consolatur eos, qui dolebant secundum templum longè distare à gloria, & amplitudine prioris; quia in-
D gressu Messiæ in illud templum multo gloriosius futurum erat, quàm quod tot expensis, atque annis ædificauit Salomon. *Quis in vobis*, inquit, *est derelictus qui vidit domum istam in gloria sua prima? & quid vos videtis hanc nunc? Nunquid non ita est quasi non sit in oculis vestris? Et nunc confortare Zorobabel, dicit Dominus,* &c. *& veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum,* &c. *magna erit gloria domus istius nouissimæ, plusquam primæ.* Quòd si nihil extaret eius templi, quod excitabat Zorobabel, quando Christus templum est ingressus, quid haberet aut momenti, aut consolationis illa ratio ab Aggæo proposita? Et quidem Hegesippus *lib.1. cap. 25.*
E tradit templum ab Herode non tam esse de nouo conditum, quàm ornatum, & immenso sumptu, & exquisito decore. Quare sine dubio Ioan. 2. sermo est de templo hoc Zorobabelis. Neque difficile est in extruendo illo templo, adducendóque in illud ornamentum, & gloriam, quam habuit Christi tempore 46. annos fuisse consumptos. Nam primùm ab anno primo Cyri, vt liquet 1. *Esdræ cap.3.* ædificari cœpit templum, & absolutum est anno Darij 6. *Esdræ cap.6.* Quare ab inchoata fabrica ad ipsius perfectionem anni fluxere 20. vt ex eo patet quod diximus num. 67. Deinde non parum temporis posi-

Non omnino excisum est templum secundum quando constructũ fuit tertium ab Herode.

A tum est à Machabæis in instaurando, ornandóque eodem templo, ad cuius munimentum construxerunt turrim, quæ deinde Antoniana vocata fuit, vt tradit Iosephus *libr. 15. cap. 14.* A Simone verò Oniæ filio, qui octauus Pontifex fuit post captiuitatem, quantum operæ positum sit in ornando, atque amplificando templo tradit Ecclesiasticus cap. 50. *Simon*, inquit, *Oniæ filius Sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroborauit templum; templi etiam altitudo ab ipso fundata est, duplex ædificatio, & excelsi parietes templi.* Videtur autem necesse non paucos annos in hac structura, seu instauratione fuisse consumptos, quia templum prius erat humile,
B *Esdræ 1. cap.5.* nempe cubitorum 60. altitudinis: neq; permissum est, vt maiora fundamenta iacerentur, quàm quæ illius altitudinis molem sustinere possent. Quare & fundamenta corroborauit, ne moli maiori succumberent, & deinde templi duplicauit altitudinem.

Adde his annis tempus quod Herodes in eo- 71.
dem templo illustrando consumpsit; neque enim (vt nuper diximus) tam nouum construxit, quàm instruxit vetus. Consumpsit autem annos 10. auctore Iosepho. Quare difficile non est existimare, in eo templo quod Christus vidit, ædificando, atque illustrando positos esse annos 46.

Ex quibus videtur non admittenda alia so- 72.
C lutio, quæ placuit nonnullis, neque ignobilibus auctoribus. Origeni *tom. 11. in Ioannem*, Ekio in fine capitis primi Aggæi, Lyrano in Ioannem suprà, & Riberæ *hîc*, *& libro 1. de templo cap.26.* qui dicunt non admodum laborandum esse quid vulgus illud hominum ignobilium, qui columbas vendebant, dixerit, rerum etiam suarum ignorantissimum, neque videri mirum, si Iudæorum hæc imperita turba, aut fallatur, aut fallere hoc loco velit, cùm alij magis periti in rebus valdè notis multa falsa dixerint. Hæc itaque solutio, ad quam vltimò, vbi nullum aliud effugium apparet, confugere solemus, necessaria non est, quia, vt
D vidimus, ex variis temporibus, quibus opera data est ornando, atque amplificando templo, totum illud 46. annorum spatium impleri potuit.

Vers.13. *Et respondit Dominus Angelo.*] Hîc 73.
ostenditur diuinæ prouidentiæ modus, quæ per superiorem potestatem alios illuminat, sicut Princeps per legatos sibi subditos homines. Ex quo constat quanti facere debeamus Angelos, qui diuinæ voluntatis nobis nuntij sunt, & interpretes.

Verba bona, verba consolatoria.] Bona, inquit 74.
Hieronymus, de futurorum promissione; consolatoria de præsentium necessitate. Quæ verò illa fuerint, explicatur statim. Porrò in Scriptu-
E ra *verbum bonum* multa significat, eaque ad voluptatem, felicitatémque accommodata, eadem propè, quæ *benedicere*. Quare vsitatum est apud profanos, *dicere bona verba*, id est, bene alicui precari. In Deo autem qui alteri precari nihil potest, cùm bona omnia aliis largiatur, dicere bona verba, est, bona promittere, seu conferre. Porrò *bonum* idem esse quod *gratum*, perspicuum est ex cap.8. Esther, vbi טוב ponitur, vbi vulgatus habet, *si placet Regi*. Et ibidem vbi vulgatus, *si regi placeo*. Hebr. *si bona ego:* & Genes. 19. *Si bonum est in oculis vestris.* E contrà verò *non bonum* significat *graue* & *molestum*, qua ratione etiam

Verbũ bonum quid.

Bonum idẽ quod gratum.

etiam *malum* pro incommodo, atque infortunio sumitur: & in hunc sensum accipiendum illud Ezech. 21. *dedit eis præcepta non bona*, id est, quæ non placuerunt.

75. *Zelus Dei.* Vers. 14. *Zelatus sum Ierusalem, & Sion zelo magno.*] Hæc sunt verba consolatoria, & bona, quibus Dominus dolorem abstergit mœrenti Prophetæ. Hebr. קנא *Kanà*, quod *dolorem* significat; sed *admixtum ira*. Qui n. zelo tangitur, ita dolet alicui accidisse infortunium, vt etiam indignetur ei, à quo profectum est. Dolet ergo Deus tandiu, támque durè vexatum esse populum Hebræorum, succensétque grauiter Chaldæis, quòd tantùm licere sibi putauerint in alienum populum. Porrò illa coniugatorum repetitio, *zelo zelatus sum*, magnam habet epitasim, vt docuimus in illud Cant. 1. *Osculetur me osculo.*

76. Vers. 15. *Super gentes opulentas.*] Hebraicè שאננים *Saananim*. Quæ vox *quietum* sonat, & *pacatum*. L X X. transtulerunt *superpositas*, iuxta illud Psal. 65. *imposuisti homines super capita nostra*. Illæ verò gentes sunt, quæ suprà ab Angelo quiescere dicebantur, in summa nimirum rerum abundantia; quas Dominus populo suo imposuerat, vt per illas quasi per flagella castigatum, ad meliorem mentem reuocaret.

77. *Reges, & potentes instrumenta Dei ad correctionem, non ad exitium.* *Quia ego iratus sum parum, ipsi verò adiuuerunt in malum.*] Causam reddit Dominus, cur ita grauiter gentibus opulentis, pacatísque succenseat: quia cùm non tam hostili, quàm paterno animo ipse rebellem populum castigare voluerit, non vt perderet, sed vt corrigeret; in illúdque consilium quasi administram, & sociam assumeret gentem Chaldæam: ipsa tamen hostili animo adeò durè mulctauit, vt voluisse videatur non tantùm patriam libertatem, & commoda omnia eripere, sed etiam sanguinem, & vitam expetere. Voluit quidem Deus aliquod malum infligere nimiùm iam insolenti, ac lasciuienti populo, atque ideo à patriis eiectum sedibus in seruitutem dedit genti Chaldææ. Et si quid aliud, quod malum videri poterat, cogitauit, eò spectabat, non vt deleret, sed vt seruaret, non vt repelleret, sed vt magis amplecteretur. Adiuuit tamen non piam, paternámque curam Dei opulenta illa, atque effera natio, sed *in malum*, id est, addidit ad ea incommoda, atque infortunia, quæ Deus inflixit, plura alia, à quibus abstinuisset, & animus mitis, & paternus amor, & quasi Deus de illorum tantùm strage, atque exitio cogitaret: sic ipsi ad stragem, & exitium quicquid habuerunt virium contulerunt. *Iudex, & Rector videant quid sibi à Domino permissum.* Quemadmodum, vt dicit Hieronymus, si pater in filium ingenuum pædagogo potestatem dederit, vt illum corrigat, castigétque moderatè, atque opportunè, vt in officio, pudore, atque obseruantia contineat, ipse verò omnibus horis sæuiat, concidat flagris, ac tandem perimat. Aut si sanandus ægrotus commendetur Chirurgo, ipse verò, & arte, & potestate abusus, illum aut plus æquo excruciet, aut omnino mutilet, aut debilitet; is sanè dignissimus est, qui non minore supplicio ab irato parente puniatur. Similis huic querimonia est in eandem Babylonem Isai. 47. *Iratus sum super populum meum, contaminaui hæreditatem meam, & tradidi eos in manu tua, non posuisti eis misericordiam, super senem aggrauasti iugum tuum valdè, & dixisti: In sempiternum ero domina.* Et 2. Paralip. c. 27. Obed Propheta dixit filiis Israel, qui de Iuda prædam magnam asportauerant. *Ecce iratus Deus patrum vestrorum contra* A *Iudam, tradidit eos in manibus vestris, & occidistis eos atrociter, ita vt ad cælum attingeret vestra crudelitas.* Et Psal. 68. *Quem tu percussisti, persecuti sunt.* Percutere paternæ curæ est; persequi hostilis animi. Hunc verò locum optimè explicuit Dominus ipse Isai. cap. 10. *Væ Assur virga furoris mei, & baculus ipse est, in manu eius indignatio mea:* & post pauca. *Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor eius non ita æstimabit, sed ad conterendum erit cor eius,* &c. Locus optimus contra eos, qui cùm sint cum publica potestate, dum suo furori, aut stomacho indulgent, seueriùs animaduertunt in reos, quàm æquitas, aut humanitas patitur.

Vers. 16. *Reuertar ad Ierusalem.*] Quasi iam 78. B pœnarum satis dedisset Ierusalem, consilium iniit Deus de eius instauratione, & ait extendendum esse perpendiculum, id est, ædificandam esse non festinatò, & raptim ex obuia materia: sed ex arte, & per otium.

Vers. 17. *Effluent bonis.*] Ea erit bonorum abun- 79. dantia, vt capere illa nequeat murorum ambitus. Metaphora sumpta est aut à vase, aut stagno: quod vbi plenum est exundat, diffunditque foras quod continere non possunt pro rerum abundantia angusta spatia. Hùc respexit *cap.* 2. vbi dicitur habitatum iri sine muris Ierusalem præ multitudine hominum. In multis codicibus est, *affluent*, & ita habet Sixtianus, eodem quidem C sensu; sed illud videtur dici significantiùs.

Vers. 18. *Et ecce quatuor cornua.*] Hic iam alia 80. se offert species oculis Prophetæ, quatuor nempe cornua, quibus exagitati sunt viri Iuda, & Israel, & è suis regionibus ventilati. Porrò satis *Cornu pro fortitudine, & regno.* notum est in Scriptura *cornua* significare fortitudinem, metaphora sumpta ab animalibus, quæ instructa cornibus terrori aliis, atque exitio sunt. Quare exaltare cornua, est potentiam extollere; contrà verò frangere, est illa minuere, atque debilitare. Psal. 64. *Cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua iusti.* Et quia magna est in regibus potentia, fit vt cornu sumatur pro regno. Eccles. 47. de Dauid. *Exaltauit in æternum* D *cornu eius.* Exempla sunt obuia. Sed obscurum est, quænam sint hæc cornua, quibus exagitatus est, ac ventilatus populus Dei. Multi quatuor esse regna putant, à quibus diuersis temporibus variè tentata est Iudæorum fortuna, putà Chaldæorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum. Veruntamen longè probabilius est, de aliis hic esse sermonem: neque enim quid passus, sed quid passi fuerint Iudæi, ostenditur hîc Zachariæ. Nam de cornibus agitur, quæ ventilarunt iam non de his, quibus permissum est, vt in futurum ventilent. Neque hîc tantùm agitur de duabus tribubus, sed de toto Israel. *Hæc sunt*, inquit, *cornua, quæ ventilauerunt Iudam, & Israel, & Ierusalem;* E sed Israel, id est, decem tribus, nihil passus est à Græcis, & Romanis: item quia illi fabri, de quibus statim, ideo venerunt, ne amplius cornua illa nocere possent; sed Græci, & Romani nocuerunt multo postea Iudæis, & Romani ad extremum multo grauiùs, quàm vnquam Chaldæi. Dicendum ergo videtur cum Theodoreto, *Quatuor cornibus quatuor orbis partes designantur.* ac Cyrillo, quos Ribera sequitur, & tradunt aliqui ex Hebræis, in his quatuor cornibus designari totidē orbis partes, à quibus populus Hebræorum vel tentatus, vel iactatus fuit; nempe à Meridie, Idumæos, & Ægyptios, quorum illi adiuuêre Babylonios contra Ierusalē. Psal. 136. *Memor esto Domine filiorum Edom in die Ierusalem, qui dicunt; Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea.*

Hi

Hi verò paulo ante excidium Ierusalem sub Iosiæ tempus grauiter afflixerunt Iudæos 4. *Reg.*23. & 24. ab Occidente Palestinos, ab Aquilone Assyrios, ab Oriente Ammonitas, & Moabitas. De his agit eodem propè modo, atque ordine Sophonias *cap.*2. vbi ob eandem causam puniendos esse dicit.

81. *Faber communi multis artibus nomen.* Vers. 20. *Quatuor fabros.*] Quinam fuerint hi fabri non explicat textus. Pro *fabro* Hebr. est חרש *charas*: vtraque verò vox *artificem* significat, varium tamen pro materiæ varietate. Apud Isai. cap.44. *ferrarium* sonat, quia adiungitur ברזל *Barzel*, id est, *ferrum*; & paulo pòst *lignarium*, quia subiicitur עצים *Esim*, id est, *lignorum*. Sed hìc ex adiunctis ferrarius intelligitur. Ideo enim venisse dicuntur, vt conterant cornua illa, vtique ferrea, quæ priùs Dei populum ventilarant. Formaturi ergo veniebant alia longe fortiora, quæ priora debilitarent, ac frangerent. Aderant autem cum instrumentis ad opus illud ferrarium accomodatis, malleo purà, incude, lima, &c. Neque enim aliter Propheta cognosceret illos esse fabros. Dura sanè videtur hæc metaphora Hebraicæ consuetudinis ignaris, maximè in Prophetis, qui symbolis sæpe loquebantur: quo altiùs, diutiúsque hærerent in animis oracula, quæ ab oculis transmissa, maiorem vim accipiunt, quàm ab auribus. Cornua, vt diximus nuper, potentiæ, ac roboris sunt signa: illa ex ære fingi ad significandam potentiam, vimque maximam ad profligandas inimicas acies satis exploratum. Michææ 4. *Surge, tritura filia Sion, quia cornu tuum ponam ferreum, &c. & comminues populos multos.* Et 3. Reg.22. pseudopropheta Sedecias, qui vt regibus Iuda, & Israel victoriam ab hostibus paratam ostenderet, fecit sibi cornua ferrea, & ait, *Hæc dicit Dominus: his ventilabis Syriam donec deleas eam.* Quare pro externa vi, quæ vires discussit Israeliticas, cornua obiiciuntur ferrea, quibus indicat Deus futuram iterum in Israele virtutem ad frangendos hostes, idque admodum breui, quod indicant fabri intenti iam operi cudendo. Hi fabri Angeli sunt, vt inquit Hieronymus, Theodoretus, & Cyrillus, illi fortasse qui Ierusalem, & præcipuis ciuitatibus præerant.

82. *Male in auctorem suum versa.* Hæc consentaneè ad textum Hebraicum, vulgatæque versionem. L X X. aliter reddunt, iuxta quorum versionem sensus est paululùm ab hoc diuersus. Si enim illi, ὀξῦναι αὐτὰ εἰς χεῖρας αὐτῶν, id est, *vt exacuant ea in manibus eorum.* Sic vertit Latinus Interpres Græci textus. Ego potiùs verterem, *in manus*, quia ita sensus ibi indicatus meliùs explicatur, & ita exigit ratio grammatica. Theodoretus significat, ab Angelis sic esse externarum nationum rationes turbandas vt illa eadem cornua, id est, arma, quæ ad populi Dei cladem, atque exitium distrinxerant, in se ipsas conuertant; & ea ratione pœnas dent quàm acerbas, & sua immanitate dignissimas: id enim est exacuere cornua, non quidem contra Israel, alioqui verba Angeli non essent bona atque consolatoria: sed in eos, à quibus populo Hebræorum accidit tam longa, duráque calamitas. Porrò *manus*, sumi pro hominibus, satis est notum, aut pro viribus, vt *manus Ioab*, pro ipso Ioab. 2. Reg.12. *Nunquid manus Ioab tecum est?* Sic exacui cornua in manus eorum (vt nos vertebamus) est idem atque contra eos. Cur verò L X X. verterint *in manus*, ea videtur esse causa, quia vbi vulgatus reddidit *per singulos viros*, Hebr. כפי איש *cephi is*. Vbi כ notam similitudinis accepit, & adiunxit פה *peh*, de cuius significatione, atque vsu mox agemus. L X X. putauerunt esse vocem vnam simplicem כף *caph*, quæ *manum* significat, & in statu syntattico, ab alio nomine vno tantùm differt puncto; neque Hieronymi tempore differebant; quia tunc nondum erant excogitata puncta.

Per singulos viros.] Hebr. כפי איש *cephi is*. Phrasis est Hebraica paulo obscurior, quæ variè à variis exponitur. Ribera nimiùm affixus literæ vertit, *secundum os viri*, id est, quantùm quisque voluit. Tanta enim erat illarum gentium potentia, vt Iudæi resistere non valerent. Os verò pro voluntate sumi docuerat *Osee* 10. *n.*37. Sed exempla, quæ ibi adducit, vt cum tanti viri pace mihi liceat, non satis probant, neque fortasse sensus illius loci est, quem ipse adducit. Quem vt tandem ostendam, explicabo duarum illarum vocum proprietatem, & vim איש *is*, id est, *vir*, apud Hebræos indefinitè pro *quolibet*, aut *quocunque*, idque frequentissimè. Cant. 3. *vniuscuiusque gladius*. Hebraicè, *viri gladius*: & cap. 8. *vir afferet pro fructu eius mille argenteos*, id est, *quicunque*. Præterea illud פי *pi*, siue id propriè contingat, siue figuratè, & hoc meliùs, significat *mensuram, proportionem, & modum*, vt 4. Reg. 2. vbi vulgatus, *fiat in me duplex spiritus tuus*, Hebraicè פי שנים ברוחך *pi shnim beruchacha*, id est, *mensura duorum*, vel, *duplex in spiritu tuo*. Eodem sensu ponitur *Deut. cap.* 21. & *infrà cap.*13. *num.*8. interdum verò vsum habet præpositionis, *iuxta*, aut *secundùm*, & plerunque assumit, aut ל *lamed*, aut כ *caph*. Exod. 16. num. 21. pro eo, quod vulgatus habet, *colligebant autem singuli quantum sufficere poterat ad vescendum*. Hebr. לפי אכלו *lepi oclo*, id est, *iuxta comedere cuiuslibet*. Num. 6. n.21. vbi noster, *iuxta quod mente deuouerat*. Hebr. כפי נדרו *chephi nirdo*, id est, *iuxta votum eius*. Exempla alia passim occurrent. 83. *Regula. Vir indefinitè ponitur pro quolibet.*

Ex his, meo iudicio, non obscurè colligitur huius loci sententia. Illud ergo *per singulos viros* sic expono; *pro vniuscuiusque mensura*, aut *facultate*, vel, *iuxta id quod quisque poterat*. Ad verbum, *pro mensura*, siue, *ad mensuram viri*. Non itaque significat fecisse Israeliticæ gentis inimicos quantùm illis libuit; sed quantùm potuerunt; ita vt facultas potiùs defuerit ad nocendum, quàm voluntas. Neque ideo malè vertit Hieronymus, cùm ita reddit. *Hæc sunt cornua, quæ ventilauerunt Iudam per singulos viros*; significat enim Regiones illas per cornua significatas, quantùm potuere iuxta singulorum virorum, vel vniuscujusque viri facultatem ventilasse Iudam. Quomodo hæc L X X. conuerterint, explicuimus num. præcedenti.

Sed est adhuc dubium, an singuli illi viri pro quorum facultate, ac mensura, & vt ita dicam, capacitate, vastata fuit Iudæa, sint Hebræi, hoc sensu, vt quantùm facultatis, aut opum cuilibet eripi potuit, sit ereptum: aut quantùm iniuriæ pro cuiusque conditione inferri potuit, sit illatum. Vel certè sint inimicæ gentes; ita vt ex hostibus quantùm pro sua quisque facultate, ac libidine incommodi, aut iniuriæ afferre potuit, tantùm attulerit: nam vtramque explicationem admittit verborum vis, & ordo. Vtrumque contigisse in captiuitate, atque vrbis excidio satis notum in Scriptura. Sed credo hìc de mensura, & conditione Hebræorum agi potiùs, quàm aliarum gentium, & ita sentit Hieronymus, & in eam partem inclinat Ribera, & indi- 84.

cat

Quid Iudæi à Chaldæis passi fuerint.

cat quod sequitur: *& nemo eorũ leuauit caput suum;* sine dubio Hebræorum; nam illorum calamitas iam præcesserat, aliorum verò futura prædicitur. Quemadmodum verò Hebræorum genti, vel in ciuitatis excidio, vel sub Babylonicæ seruitutis iugo ereptum fuerit, quantùm eripi potuit, docet Ieremias in Threnis, maximè cap. vltimo, vbi significat Iudæos in quolibet statu, ordine, ac sexu subiisse ignominiam, atque iniuriam in eo, quod cuilibet maximè præcipuum, atque decorum fuit. *Mulieres*, inquit, *in Sion humiliauerunt, & virgines in ciuitatibus Iuda. Principes manu suspensi sunt; facies senum non erubuerunt. Adolescentibus impudicè abusi sunt: & pueri in ligno corruerunt, senes defecerunt de portis, iuuenes de choro psallentium.* Neque mortuis honorem sepulturæ exhiberi patiebantur, vt de Assyriis constat *Tob. cap. cap. 1. & 2.* qui ideo sanctus senex vitæ periculum adiit, quòd interfectos fratres sepelisset; & de Baby-

A loniis Ierem. 7. *Et erit morticinium populi huius in cibos volucribus cæli, & bestiis terræ, & non erit qui abigat.* Sed neque mortuorum ossibus, qui iam diu tumulati fuerant, parcitum est: nam illa effossa sunt de sepulcris, & per ludibrium, & ignominiam in loca aperta, & sordida proiecta. Ita prædixerat Ierem. cap. 8. *In illo tempore, ait Dominus, eiicient ossa regum Iuda, & ossa principũ eius, & ossa Sacerdotum, & ossa Prophetarum, & ossa eorum, qui habitauerunt Ierusalem, de sepulcris suis. Et expandent ea ad Solem, & Lunam, &c. non colligentur, non sepelientur, in sterquilinium super faciem terræ erunt.* Et hoc ipsum re ipsa fuisse completum scribit Baruch cap. 2. *Statuisti verba tua, quæ loquutus es in manibus puerorum tuorum Prophetarum, vt transferrentur ossa Regum nostrorum, & patrum nostrorum de loco suo: & ecce proiecta sunt in calore Solis, & in gelu noctis.* Ex quibus constat ab omnium ordinum hominibus siue viuis, siue mortuis non abstinuisse Chaldæos.

IN CAPVT SECVNDVM

ARGVMENTVM.

SICVT præcedenti capite in tertia visione verba audiuit Zacharias consolatoria de instauranda Ierusalem, & templo, perdendisque hostibus, quorum manibus antea afflicta fuerat, atque deleta res Iudaica: nunc id quàm ocyssimè futurum discit Propheta alia visione. Nam vt ostendat Deus nihil iam esse impedimenti ab hostibus, & omnia esse ad fabricam expedita, & prompta, obiicit Propheta speciem cuiusdam præfecti fabrorum cum mensorio funiculo vt metaretur spatia, in quibus esset instauranda ciuitas. Deinde Angelus quidam superior Angelo, qui Zachariæ aderat, edicit, vt de rebus futuris Prophetam instruat, quas ipse deinde populo proponat. Quarum hæc est summa, eam futuram ciuium multitudinem, vt plurimi extra mœnia habitare cogantur: quibus tamen Deus pro mœnibus erit. Quare veniant statim è Babylonia exules, neque metuant futurum sibi ab hostibus impedimentum, quos Dominus malè mulctabit, dabitque prædam iis à quibus antè prædam abstulerant. Denique sanctificaturum Dominum possessionem suam, in eáque sicut priùs habitaturum esse gloriosè.

CAPVT II.

1. *ET leuaui oculos meos, & vidi: & ecce vir: & in manu eius funiculus mensorum.*

2. *Et dixi, quò tu vadis? Et dixit ad me: vt metiar Ierusalem, & videam quanta sit latitudo eius, & quanta longitudo eius.*

3. *Et ecce Angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur, & Angelus alius egrediebatur in occursum eius.*

4. *Et dixit ad eum: curre, & loquere ad puerum istum, dicens: Absque muro habitabitur Ierusalem præ multitudine hominum, & iumentorum in medio eius.*

5. *Et ego ero ei, ait Dominus, murus in circuitu*

PARAPHRASIS.

B 1. STatim sub hæc oblata est mihi species alia consolatoria. Vidi enim quendam quasi magistrum, & præfectum fabrûm cum fune mensorio.

2. Qui à me rogatus quò tenderet, respondit, sibi metiendam esse Ierusalem, explorandúmque funiculo, quanta esset longitudo eius, & latitudo.

3. Ecce autem Angelus mihi familiaris, quique in me loquebatur, egredi visus est. Cui alius occurrit superior Angelus, à

C quo Angelus, qui loquebatur in me, mandatum accepit, vt his me verbis doceret, & instrueret.

4. Adest iam tempus longè benignius Solymitanæ vrbi, quæ sic abundabit ciuibus, ac iumentis, vt cùm tantam multitudinem nequeat continere murorum ambitus, extra mœnia quantumuis lata plurimi habitare cogantur.

5. Neque illis, quibus extra mœnia habitare

Digitized by Google

cultu, & in gloria ero in medio eius.

6. O, ô fugite de terra Aquilonis, dicit Dominus: quoniam in quatuor ventos cœli dispersi vos, dicit Dominus.

7. O Sion fuge, quæ habitas apud filiam Babylonis, quia hæc dicit Dominus exercituum.

8. Post gloriam misit me ad gentes quæ spoliauerunt vos: qui enim tetigit vos, tangit pupillam oculi mei.

9. Quia ecce ego leuo manum meam super eos, & erunt præda iis qui seruiebant sibi; & cognoscetis quia Dominus exercituum misit me.

10. Lauda, & lætare filia Sion: quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus.

11. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui: & scies quia Dominus exercituum misit me ad te.

12. Et possidebit Dominus Iudam partem suam in terra sanctificata: & eliget adhuc Ierusalem.

13. Sileat omnis caro à facie Domini: quia consurrexit de habitaculo sancto suo.

A bitare continget, ab hostium vi, atque insidiis aliquid timendum est: nam ego illis pro muro igneo aduersùs inimicorũ vim, & insidias oppositus, non solùm tutos, sed etiam gloriosos præstabo, & ego in medio populi gloriosus ero.

6. Ergo quando iam omnia expedita sunt ad reditum, & propè est vt in patrio solo habitetis perquàm commodè. O vos, qui in Babylone durum traxistis exilium (neque enim mihi sermo est cum illis, qui aliis in locis extorres habitant; dispersa
B quippe est tribus Iuda in quatuor ventos) vos, inquam, properate iam è Babylone, sic enim Dominus iubet.

7. Propera, inquam, Sion de Babylone, Domino iterum, atque iterum iubente.

8. Dominus exercituum, inquit Angelus mihi familiaris alterius nomine, quem superiorem esse dixi, id mihi negotij dedit, vt postquam te, ô Sion, in tuam sedem rèuocatam gloriosam reddidero, cogitationem meam, atque vires conuertam ad perdendas gentes, à quibus vexata, atque spo-
C liata es. Tam enim amat te Dominus, vt compungi putet pupillam oculi sui ab eo, qui aliqua ratione tetigerit, ac violauerit te.

9. Ecce ego iam leuo manum meam in gentes tibi hactenus infensas; efficiámque breui, vt prædæ tibi sint qui opimam, atque multiplicem abs te prædam abstulerunt. Tunc autem cognosces, ô Sion, missum me à Domino fuisse, cùm proximus rerum prædictarum euentus fidem facturus sit certam promissioni meæ.

10. Lauda ergo Sion diuinam in te be-
D nignitatem, & exulta; quia ecce ego, dicit Dominus, ad te clemens, & misericors redeovt habitem, sicut olim ante captiuitatem in medio tui.

11. Neque erit numerus exiguus in te, sed magni fient ad te vndecumque concursus; quos ego tanquam meum mihi populum amplectar. Et iterum, atque iterum affirmo in medio tui futurum mihi proprium domicilium, & tunc scies, ô Sion, esse me à Domino missum.

E 12. Possidebit Dominus Iudam populum sibi, vt quondam, sic etiam nunc è multis electum. Non vt hactenus in Babylone, regione execrabili cum ignominia: sed in Ierusalem multis à se modis sanctificata, cum gloria.

13. Paueat ergo Dominum omnis caro: quia Deus, qui in medio populi habitat, ex medio populi bellator consurget contra eos, qui aut ipsi, aut eius populo hostes esse volent.

Digitized by Google

Verſ.1. *Et leuaui oculos meos, & vidi.*]

1. LEVARE oculos attentionem ſignificat, maximè vbi res obiecta eſt, non tam oculis, quàm cogitationi, vt in ſomnis vſu euenire ſolet. Sed credo tam hic, quàm ſuperiori capite ſpectra ſic eſſe propoſita Prophetæ, vt videri potuerint, imò & neceſſe fuerit oculos in ea habuiſſe intentos.

2. Antequam capitis explicationem aggredior, explorãdum, atque excutiendum eſt, an hæc Prophetia hiſtorico, ac literali ſenſu intelligenda ſit de Ieruſalem, vel certè de Eccleſia propaganda, atque amplificanda poſterioribus Euangelij temporibus: nam quòd myſtico, & allegorico ſenſu in Eccleſiam ſecundum iſtud caput cõueniat, nemo dubitauit. Res ſanè grauis eſt, explicatúque digniſſima. De Ieruſalem accipiunt Theodoretus, Cyrillus, Albertus Magnus, Dionyſius, Hugo. Et planè idem videntur ſentire qui in ſimili omnino cauſa, id eſt, in Ieruſalem reſtituta ſermonem eſſe putant hiſtoricum de Ieruſalem: myſticum verò de Eccleſia; qua de re nos multis egimus *in Proœmio cap.40. Iſaiæ.* Hi verò ſunt præter illos, de quibus nuper, S.Thomas, Adamus Pintus in Iſaiam ſæpe, Theodoretus in illud Baruch cap.5. *exue te Ieruſalem ſtola luctus.* Ianſenius in concordia *cap.* 8. ad illud, *vox clamantis.* Toletus in illud Lucæ cap. 4. *ſpiritus Domini ſuper me*, annotat. 32. 33. 34. Maldonatus in eadem verba. Gabriel Vaſquez *in annotationibus ad c.9. ad Rom.n.*29. Vide totum Proœmium citatum, vbi de hac re pluribus. De Eccleſia verò Hieronymus. Qui tamen non ſemel indicat hiſtoricum ſenſum eſſe de Ieruſalem. Dicit enim non longè à principio cap.2. *Nos autẽ iuxta ſpiritualem ſenſum omnia interpretamur in Eccleſia.* Et non longè poſt illa, *Fugite de terra Aquilonis.* De Ieruſalem exponit hiſtoricè, & de Eccleſia myſticè. Et idẽ facit ad illud v.10. *Lauda & lætare filia Sion.* Philaſtrius *hæreſi de funiculo menſorio.* Lyranus, & Emanuel Sa: & omniũ acerrimè Ribera, qui ſatis eruditè quæſtioné tractat. Et primùm regulã tradit ſanè optimã ex Auguſtino *li.3. de doctrina Chriſtiana cap.*10. & 11. qui docet quãdo ſenſus aliquis hiſtoricè, quãdo allegoricè ſumendus ſit. *Quãdo ea* (inquit) *quæ dicũtur, propriè accipi poſſunt, vt verba ſonãt, nec quid habẽt abſurdi cõtra veritatẽ, aut cõtra ſanã fidei, morũmve doctrinã, tunc ille ſenſus eſt hiſtoricus, ſin autem maiora ſint, quàm vt poſſint illi rei conuenire, de qua dicuntur, quærendus eſt alius ſenſus occultior, atque ſacratior, qui quamuis ſpiritualis videatur, hiſtoricus tamen ſit. Quare licèt Pſ.71. in titulo præferre videatur argumentum de Salomone; verùm quoniam quædam ſunt quæ propter magnitudinem ſuam in Salomonem conuenire non poſſunt, conſtat de alio Salomone filio Dauid, ſcilicet Chriſto, hiſtoricè eſſe intelligendum. Quare* (inquit) *ſi quis oſtẽdere poterit quæ dicuntur in hoc capite, omnia verè facta eſſe in vrbe Ieruſalem, ſine dubio mihi probabit illum eſſe hiſtoricum ſenſum: ſed quia id oſtendi non poteſt, quia longè grandiora ſunt, ſupereſt, vt de Eccleſia felicitate interpretemur poſt ſalutarem Chriſti aduentum.* Deinde probat multa eorum, quæ dicuntur, non poſſe conuenire in Ieruſalem, licèt plurima cõueniant. Et probat ex quorundam Hebræorum ſententia, qui (vt tradit Hieron.) cùm viderent ſuperioribus ſæculis non fuiſſe completa, quæ hoc Zachariæ vaticinio prædicta ſunt, illa ad Meſſiæ tempora retulerunt. Deinde oſtendens dum totum caput explicando decurrit, multa eſſe, quæ ad terreſtris Ieruſalem

An hæc Prophetia hiſtoricè de Ieruſalem intelligẽda, vel de Eccleſia.

A amplitudinem & ſtructuram aptari non poſſunt.

Diſcedo equidem inuitus ab eo, quem & plurimùm obſeruo, & cuius diligentiam, atque eruditionem magni facio, & puto multo eſſe probabilius hiſtoricum ſenſum de terreſtri Ieruſalem inſtitutum eſſe potiùs, quàm de myſtica; id eſt, de Eccleſia. Quo enim modo verba eſſent bona, & conſolatoria, quæ nunc dicuntur ab Angelo, ſi mœrorem ex animo Prophetæ non eximerent, quo tunc angebatur moleſtiſſimè? At, vt conſtat, non erat tunc Propheta ſollicitus de Eccleſia, cuius fortaſſe cogitatio neque mentem ſubierat, ſed de ſua Ieruſalem, quam euerſam dolebat, & cuius inſtaurandæ tempus adueniſſe dixerat. Septuageſimus enim annus non excitandæ, propagandæque Eccleſiæ deſtinatus erat, ſed ædificandæ, atque habitãdæ Ieruſalem. Rurſus quemadmodum in capitis explicatione Ribera probat eſſe multa, quæ non facilè venient in ſtructurã, maieſtatémque Ieruſalem, ſic nos in capitis decurſu probare conabimur omnia poſſe ad vrbis Solymitanæ molitionem, & dignitatem aptari. Quæ ſi aſſequimur, probabimus Riberæ hunc hiſtoricum eſſe ſenſum: neque enim ille cum Auguſtino quicquam amplius requirit: id ergo ſuis locis agemus. Nunc ad textum. 3.

Et in manu eius funiculus menſorum.] Species hæc eſt ciuitatis ſtruendæ, & habitus architectorum, qui vbi aliquid ex arte politum, ac firmum moliri ſtudent, priùs rem totam per otium metantur, & definiunt. Similis ſpecies, & in idem cõſilium obiecta fuit Ezechieli cap.4. *Ecce vir, &c. & funiculus lineus in manu eius, & calamus menſuræ in manu eius.* 4.

Verſ.3. *Et ecce Angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur, & Angelus alius egrediebatur in occurſum eius, & dixit ad eum.*] Ex hoc loco, aliiſque ſimilibus probant Theologi Angelos inter ſe loqui: quo modo verò id faciant, longa diſputatio eſt. Vide S.Th.1.*p.q.*107. & ibidem Interpretes: neque deſunt alibi etiam exempla manifeſta. Apoc.7. *Angelus vnus clamabat ad quatuor Angelos, dicens: Nolite nocere terræ, & mari*, &c. Et in Prophetiis Danielis, & Michææ Angelorum locutiones occurrent. Porrò tertius ille Angelus, qui egreſſus eſt, vt Angelum Zachariæ familiarẽ illuminaret, ac doceret, ſuperior erat aliis: vt enim ex Dionyſio *cap.5. de cæleſti Hierarchia* docent Theologi, ſuperiores Angeli non illuminantur ab inferioribus. Vide S. Thom.1.p.q.106.art.3.

Angeli inter ſe loquuntur.

Verſ.4. *Loquere ad puerum iſtum.*] Illuminat nunc ſuperior ille ſpiritus Angelum Zachariæ, vt idem poſtea Zachariam illuminet, illuminaturum deinde Iſraëlitas alios. Porrò hic *puerum* non puto eſſe nomen ætatis, ſed miniſterij, quod aliquando in Scriptura reperitur, maximè vbi aliquid adiungitur, cui ſubeſſe videtur ille, qui vocatur puer; vt Lucæ cap.1. *in domo Dauid pueri ſui:* & Act.4. *Aduerſum ſanctum puerum tuum Ieſum.* Et Gen.24. ſeruus Abraham, qui ſenior dicitur, & totiꝰ domui præfectus, puer etiam vocatur; neque verò puerili ætati tantum negotium permitti debuit. Neque hîc deeſt aut nota, aut ratio miniſterij: nam futurus eſt Zacharias miniſter Angeli, per quem diuinum de inſtauranda ciuitate conſilium Iudæis annunciat. Cur ergo vox *puer* Latina, & Hebraica נער *naar, ſeruum* ſignificet, & *miniſtrum*, eã ratio eſt, quia in ea ætate plerunque 5.

Puer non ſemper ætatis nomen, ſed aliquando miniſterij.

REGVLA. *Quãdo ætatis nomina naturam indicant miniſterij.*

 homi

homines subire solent aliorum seruitia, aut ministeria: nam ætas grandior alieno potiùs indiget ministerio, quàm apta sit aliis præstare suum. Sicut Sacerdos, etiamsi iuuenis sit, presbyter dicitur, id est, senex: quia senes vel soliti sunt obire, vel apti sacro illi obeundo ministerio. Hinc ergo fit, vt seruus prouectioris ætatis, quique senex meritò vocari posset, dicatur puer, vt nuper vidimus de seruo Abraham. Exemplum est aptum apud Hispanos, *moço*, quæ vox iam cadit in puerilem ætatem, quàm in senilem, & grauem, modò alterius seruituti sit addicta. Alij ideo putant Zachariam iam senem puerum vocari, quia talis esse videtur cum Angelis, ante quos tunc erat, comparatus, sicut discipulus rudis coram magistris sapiētissimis, aut infirmus, & tener coram robustissimis, aut ætate grandis coram iis qui longissimo æuo maiores sunt, pueri dici solent. Ita Glossa interlinearis, & Hieronymus infrà ad illud, *ô, ô fugite*; quem sequuntur plerique alij ex Interpretibus, Haimo, Hugo, Albertus, Dionysius. Ribera existimat *puerum* hîc ætatis esse nomen: cuius sententiæ alij quoque subscribunt. Sed quod diximus, placet multo magis; tum quia sic satis explicatur aptè vox *puer*; tum quia senem rediisse Zachariam ab exilio docent Dorotheus in synopsi, & Isidorus, & quod magni apud me momenti est, Martyrologium Romanum sexto die Septembris.

6. *Absque muro habitabitur Ierusalem.*] Hunc locum putat Ribera nullo modo in terrenam, id est, typicam Ierusalem conuenire posse: quia ciuitas hæc muro septa fuit ab Esdra; imò (vt tradit Iosephus) triplici. Ex quo concludit de mystica, id est, de Ecclesia esse accipiendum; cuius amplitudo nullis est definita spatiis. Sed nos videamus quemadmodum hoc quoque quadrare possit in Ierusalem. Et sanè si cum LXX. legas: *frugifera habitabitur Ierusalem à multitudine hominum, & iumentorum in medio eius*; nihil hinc oritur difficultatis. Nam Regio illa, quæ propter absentiam, exitiúmque cultorum infrequens erat, ac vasta, propter multitudinem tamen eorum, qui ab exilio redibunt, & iumentorum, quorum opera ad subigendos agros vtilis est, rebus omnibus ad vsum, splendorémque ciuium necessariis abundatura dicitur.

7. Sed neque à translatione vulgati quicquam incommodi est nostræ sententiæ, primò si ita interpretere. Munietur quidem muris Ierusalem, & ideo, vt vides, cum funiculo mensorio visus est tibi Angelus, qui spatia consideret, & metetur, per quæ circumducenda sint mœnia. At sic ego adero custos, & vigil ciuitati, vt etiam sine muris tutò habitari possit. Et ideo subdit: *Et ego ero ei, ait Dominus, murus igneus in circuitu.* Neque sensus iste contortus est, aut expressus vi, si Scripturæ consuetudinem obseruēs; in qua id fieri dicitur, quod aptum est vt fiat, & aliquis id facere, quod vt faciat facultatem, aut auctoritatem habet. Qua ratione dicitur Iob 9. *Qui præcipit Soli, & non oritur*; id est, præcipere potest Soli ne oriatur, & ipse parebit: & Matth. 12. *Viri Niniuitæ venient in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam*; id est, condemnare poterunt. Exempla plura sunt apud Salmeronem *Proleg.* 20. *quinq.* 2. *can.* 12.

REGVLA. *Id fieri dicitur quod aptum est vt fiat, & id facere aliquis, quod vt faciat potestatem habet.*

8. Secundò, obseruandum coniunctionem *&*, non semper coniungere extrema, sed interdum causam reddere, vt docuimus *Act. cap.* 7. ad illud, *& semini eius.* Exempla sunt obuia. Gen. 14. *Melchisedech Rex Salem proferens panem, & vinum; erat enim Sacerdos*

REGVLA. *Et causalis.*

A *Dei.* Heb. *& ipse Sacerdos.* Gen. 20. *Morieris propter mulierem, quam tulisti; habet enim virum.* Hebræi. *& ipsa habet virum.* Isai. 54. *Ecce tu iratus es, & peccauimus*, id est, quia peccauimus. Erit ergo sensus huius loci iuxta hæc: Habitari poterit absque muro ciuitas, quia ego murus in circuitu. Quòd si, *&*, copulatiuam coniunctionem esse velis, sensus est facilis. Habitari sine muro potest Ierusalē, & quia erit multitudo hominum, & iumentorum in ea, vt possit quantamcunque hostium multitudinem sustinere, & frangere; & quia illi ego adero quasi murus igneus.

9. Sed est alia commodior explicatio, ac magis obuia, si dicas tantam futuram ciuium multitudinem, vt, quia tot homines ciuitatis septa capere non poterunt, extra mœnia multis aut domos, aut tabernacula construere necessarium sit. B Sumpserat, credo, metator ille, atque architectus Angelus spatia satis laxa ad ciuitatis fabricam. Ait ergo alter Angelus, tantum illud spatium, quantum quantum esset, futurum tamen angustum pro ciuium multitudine. Quod dixit multo ante Isaias cap. 45. n. 19. *Quia deserta tua, & solitudines tuæ, & terra ruinæ tuæ nunc angusta erunt præ habitatoribus.* Porro illud (*absque*) idem esse aliquando quod *extra*, vel *præter*, satis in Scriptura frequens; neque enim semper negat, seu excludit, sed aliquando aliquid addit ei, quod priùs affirmarat. Iosue 17. *Et ceciderunt funiculi Manasse absque terra Galaad, & Basan trans Iordanem*, id est, præter terram Galaad, quam iam possidebant: & Iud. 8. *Fuit* C *pondus postulatarum inaurium mille septingenti auri sicli absque ornamentis, & monilibus, & præter torques aureas camelorum.* Vbi illud *præter*, quod sequitur, satis indicat quid valeat *absque*, quod antecessit: & vtrobique Heb. est לבד *lebad*: & Cant. 4. *absque eo quod intrinsecus latet*: & Cant. 6. *absque occultis tuis*, non significat abesse à sponsa illud, quod intrinsecus latet, sed vltra illud quod in ipsa erat eximium, adesse etiam alia. Quam etiā dicendi phrasim familiarem habet Hispanus, dum dicit: *Tengo tanta renta sin loque herede, o espero de mi Padre*, & similia. Sic etiam hoc loco dicuntur Iudæi præter illud spatium, quod complexus est murorum ambitus, habituri quoque aliqua domicilia extra mœnia. Non itaque negatur hîc murorum circumscriptio, sed ciuium abundantia prædicitur. D Quod etiam Hebraica vox multo magis ostēdit, quę sic habet פרזות תשב ירושלים *perazoth teseb Ierusalaim*, quæ sic ad verbum reddo: *Ierusalem*, id est, ciues Hierosolymitani, *habitabit*, (nam תשב *teseb*, vox est actiua) *vicos*, vel, *ea, quæ murata non sunt.* Hæc verò sunt, aut illa, quæ ciuitati sunt adiūcta, vt suburbia, vel paululùm ab ea remota, vt quæ *pagi* Latinè, Hispanè dicuntur *aldeas*, quæ filiæ ciuitatis vocantur, & quasi eius membra sunt. Vtrūque habitarunt Solymitani ciues; neque enim tātùm quod erat vastum, vacuúmque ciuibus intra antiqua mœnia, sed etiam proxima ciuitatis loca occuparerunt.

Magnus ciuiū numerus futurus dicitur in Ierusalem.

REGVLA. *Absque non semper excludit, sed aliquando addit.*

Ea enim multitudo è captiuitate rediit, vt cogi 10.
E non potuerit intra mœnia quantumuis laxis spatiis ab Angelo metatore descripta. Nam (vt tradit Iosephus *lib.* 11. *Ant. cap.* 4.) virorum, præter aliam imbellem, atque promiscuam turbam, fuerunt quatuor millia millium, & sexcenta viginti octo millia duntaxat ex tribu Iuda & Beniamin. Quid ergo mirum si Ierusalem, id est, ciues extra mœnia egressi præ multitudine, & suburbia proxima, & pagos etiam remotos impleuerint? Quod apertè docuit Nehemias *cap.* 11. vbi ex eo nume

numero, qui ab exilio rediit, decimam tantùm partem habitasse traditur in Ierusalem: & cùm priùs vno muro clauderetur ciuitas, vt ex Nehemia liquet *cap.2.3.& 4.* deinde alij muri constructi sunt, quibus nempe populus, qui extra mœnia degebat, tutus esset ab inimicorum iniuria. Quare *Machab.1. cap.4.* mons Sion ædificatus dicitur, & in eius circuitu muri alti, atque firmæ turres excitatæ. Denique Iosephus *lib.6. de bello cap.6.* triplici muro circundatam esse ciuitatem scribit, & ibidem docet partem quandam fuisse mœnibus nudam, quia exuberans habitatoribus ciuitas paulatim extra mœnia serpebat. Quare partem illam Agrippa mœnibus cingere aggressus est, & opus ab eo inchoatum Iudæorum studio postea perfectum fuit. Illa verò pars recens tunc mœnibus inclusa *Bezetha* dicta est, id est, *noua ciuitas.* Quia postquam mœnibus septa est, quæque antè optime פרזות *perazoth* dici poterat, id est, *vicus absque muro*, postea ciuitas dicta est; noua tamen, comparata antiquæ ciuitati iam olim mœnibus vallatæ. Ex his habes quomodo locus hic nihil contineat, quod non aptissimè cum Ierusalem terrestri conueniat. *Pre multitudine hominum, & iumentorum.* Alludit ad illud Ierem. cap.31. v.27. *Seminabo domum Israel, & domum Iuda semine hominum, & semine iumentorum.* Sed neque hominem, aut iumentum esse relictum in Ierusalem, constat ex variis Ieremiæ locis, vbi hæc futura prædicuntur cap.32. v.43. *Possidebuntur agri in terra ista, de qua vos dicitis quod deserta sit, eo quod non remanserit homo, & iumentum, & data sit in manus Chaldæorum.* Hæc nemo putabit historicè ad Ecclesiam pertinere. Quis enim in Ecclesia iumentis locus?

Quibus mœnibus cincta Ierusalem.

11. Vers.5. *Et ego ero ei, ait Dominus, murus igneus.*] Ne fortè perturbaret Prophetam, partem aliquam ciuium murorum præsidio nudam obiectam videri inimicorum iniuriæ, ait Dominus se illi ciuitatis parti, & cæteris etiam ciuibus futurum pro muro. Igneum verò dicit, vel quia Angelos præficiet vrbis custodiæ, qui Ps. 103. dicuntur *ignis vrens*: & 4.Reg.6. Samariam igneis curribus esse vallatam, nihil aliud esse existimatur, quàm vigili, & sedula Angelorum custodia esse munitam; de qua Isai.62. *Super muros tuos, Ierusalem posui custodes.* Vel certè in igneo muro singularis indicatur custodia, atque protectio, quæ quamsimillima est illi, qua Deus cauit ne vllus in Paradisum introiret. Nam quemadmodum Deus custodem Cherubim cum igneo gladio in aditu constituit, sic etiam nunc igneum murum promittit. Quòd si, vt Abulensis putat, & Lyra, & historia scholastica, gladius igneus Cherubim, ignis erat instar coronæ Paradisum ambiens, nihilo infirmior custodia Ierusalem promittitur, quàm olim Paradiso data est. Mirus sanè amor Dei in populum suum, mira prouidentia, quam agnoscebat Dauid, cùm canebat Ps.124. *Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui:* ac si diceret, non tam montium ambitu, quàm Domino custode tutam futuram esse Ierusalem. Et Isai.cap.26. *Vrbs fortitudinis nostra Sion, Saluator ponetur in ea murus, & antemurale.*

Deus custos, & defensor Ierusalem.

12. *Et in gloria ero in medio eius.*] Hebr. לכבוד *lecabod.* Fortasse significantiùs, & clariùs, *in gloriam*, id est, ero Hierosolymæ non solùm tutelæ, atque custodiæ, sed etiam honori: reddam enim illã non solùm tutam, sed etiam illustrem. Mihi pene certum est, illud *in gloria*, actiuè sumi, id est, afferam gloriam populo, in cuius medio ego habitauero. Neque aliter intelligunt LXX. qui vertunt εἰς δόξαν, qui loquendi modus actionem indicat. Quomodo sæpe dicimus, *ero tibi in scandalum, fiducam, terrorem*, id est, afferam tibi scandalum, non patiar abs te. Quòd si passiuè sumas, vt magis indicat vulgati translatio, hoc sensu: ero gloriosus, seu glorificatus in medio populi; erit sanè verus sensus, quia instaurato templo, renouatisque sacrificiis glorificatus Dominus fuit in Ierusalem: sed non satis congruit cum toto textu, qui de cõmodis agit Ierusalem, neque cum Hebraica, Græcáque phrasi, quæ significat non tam inde Deũ sibi gloriam accipere, quàm suo populo præstare. Fateor Hieronymum accipere hoc passiuè dum sic exponit; *& Dominus in medio eius versetur in gloria:* & eodem modo accipit Lyranus. Vtramque significationem admittit Dionysius Carthusianus; dicit enim, *glorificabor per latria cultum ab inhabitantibus eam* (Ierusalem) *eroque eis in gloriam corda ipsorum lætificando, & ipsos magnificè exaltando.* Reliqui tamen omnes actiuè accipiunt, Theodoretus, Cyrillus, Haimo, Vatablus, vterque Palacios, Ribera. Neque ab hoc sensu omnino excludimur per illum ablatiuum *in gloria*, qui, licèt rarò, vsum tamen illum interdum habet.

Deus ornamentum populi sui.

Vers.6. *O, ô fugite de terra Aquilonis, quoniam in quatuor ventos cæli dispersi vos.*] Locus hic probat nostro Riberæ historicũ huius capitis sensum esse de Ecclesia. Neque enim Israëlitæ de quatuor orbis partibus, in quas dispersi fuerãt, in suos fines collecti sunt: decem quippe tribuũ exilium solutum fuisse nullibi constat. Sed hic ipse locus contrariũ mihi persuadet: cur enim si Euangelij temporibus omnes vocãdi, quos in alias, atque alias partes egêre varij casus, & rerum discrimina, iubẽtur illi tantùm in patriam redire, qui erant in Babylone? nam hæc Solymitanam vrbem ab Aquilone respicit: aut cuius ratio redditur, cùm adiungitur, *quoniam in quatuor ventos dispersi vos?* Respondet Ribera, *Babylonem* hoc loco pro mundo sumi cũ suis diuitiis, & voluptatibus, qui Sanctos semper insectatur, & vexat. Sed mihi hoc videtur valdè durum, tum quia sæpe in hoc Propheta de Babylone propriè sermo fit, & de Hebræa gente, quæ ex Babylone rediit: quare, nisi causa premat grauior, ad figuratam orationem confugere necesse non est. Adde quòd licèt Euangelij temporibus *Babylõ* pro mũdo sumatur, idque Sanctis frequens in ore sit, tamen Prophetarum tempore in vsu non erat, quod ego viderim. Accedit quòd hic cum Sió loquitur, quæ habitare dicitur apud filiam Babylonis, i. Babylonem. Quod Ribera ipse statim fatetur v. sequenti, sed reliquæ tribus neque in Babylone erant, neque nomine Sion comprehenduntur. 13.

Babylon Prophetarũ tempore non videtur sumpta pro mundo.

Sensus ergo est, meo iudicio, satis expeditus, etiamsi de tribubus omnibus sit intelligenda Prophetia: In quatuor cæli ventos, ô genus Israëliticũ, dispersi vos, sed ex omnibus filiam Sió (in qua etiã intelligitur Benjamin, vt statim dicemus) ad libertatẽ ex Babylone redire iubeo. Sed est mihi verisimile, sermonẽ hîc esse tãtùm de tribu Iuda, & Benjamin, quia hæ quoque variis bellorũ euẽtibus in quatuor mundi partes distractæ sunt. Docet hoc apertissimè Ezechiel *c.5.* qui cùm ageret de tribu Iuda, & Benjamin, illas in tres partes distribuit. *Tertia*, inquit, *pars peste morietur, & fame consumetur in medio tui: & tertia pars tantùm in gladio cadet in circuitu tuo; tertiam verò partem tuam in omnem ventum dispergam.* Omnis autem ventus quatuor venti sunt, de quibus hîc Zacharias, qui ad locum Ezechielis allusisse videtur. 14.

Duæ tribus in quatuor mũdi partes dispersæ.

Porrò hoc impletum esse in obsidione

Ierusalem constat *Ierem. cap.4. & 5. Thren.* vbi pellis exusta fuisse, sicut clibanus à facie tempestatum famis, & quidam fame extabuisse dicuntur; & 4. *Reg.* 25. obsessa ciuitas fuisse duobus annis, & fames præualuisse traditur. De fuga, atque exilio in varias partes constat ex 4. *Reg. suprà*, vbi ab exercitu Chaldæorum dispersi sunt plurimi, qui captum à Babyloniis Sedeciam Regem deseruerunt, in varia nempe loca, quæ Scriptura non nominat. Deinde post vastitatem Ierusalem populus qui reliquus fuerat à cæde, cuique præfectus fuerat Godolias à Nabuzardan, metu Chaldæorum profugit in Ægyptum; & licèt ex Scriptura expresse de aliis regionibus non constet, dubium tamen non est ex Ezechiele suprà, in omnes ventos populum fuisse dilapsum. Neque enim instāte vndique hoste credibile est, Iudæos diu deliberasse de loco perfugij, neque importunam esse visam ad salutem regionem, quæ se primùm aperuisset ad fugam.

15. Ex ea verò multitudine variè dispersa soli redierunt, qui abducti sunt Babylonem, vt sentit Hieronymus in illud Ezech. cap. 11. *Præterea loquere*: dicit enim ex illis, qui dispersi sunt ex Iudæis, non rediisse, qui abierunt in Ægyptum: imò neque eos, qui cum Sedecia capti sunt; id verò prædictum est ab Ezechiele suprà cap. 5. dum iubetur tertiam partem capillorum, qui dispergendi sunt in omnem ventum, ligare in pallio. Nam hi sunt, vt dicit ibi Hieronymus, qui è captiuitate redierunt: reliquos enim difflauit ventus nunquam in suum locum aggregandos.

16. Vers. 7. *O Sion fuge, quæ habitas apud filiam Babylonis.*] Hæc verba per epexegesim visitatam in Scriptura explicant quæ proximè præcesserunt. Hæc Ribera propriè explicanda dicit de Ierusalē. Sed hic explicandum occurrit, quare solùm ab exilio vocetur Sion, id est, Iuda cùm etiam simul reuersa fuerit tribus Benjamin. Et primùm etiā si Sion non pertineret ad Benjamin, de quo statim pluribus; tamen nouum non est, vt in Iuda tribus quoque Benjamin intelligatur: nam 3. *Reg. cap.* 11. dicitur sola tribus Iuda secutura Ieroboam. Sic enim Aias Propheta ad Ieroboam. *Ecce ego scindam Regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus; porro vna tribus remanebit ei propter seruum meum David*: & cap. 12. *Nec secutus est quisquam domum David præter tribum Iuda solam.* Et lib. 4. Reg. cap. 17. *Iratúsque est Dominus vehementer Israeli, & abstulit eos à conspectu suo, & non remansit nisi tribus Iuda tantummodo.* Sed quòd in tribu Iuda etiam intelligatur Benjamin, satis constat 3. *Reg.* 12. nam cùm præcessisset, solam tribum Iuda adhæsisse Roboam, statim subditur. *Venit autem Roboam Ierusalem, & congregauit vniuersam domum Iuda, & tribum Benjamin centum quadraginta millia electorum*: & 2. Par. cap. 11. de Roboam dicitur; *Imperauit super Iudam, & Benjamin.* Et duæ tribus non solùm ante captiuitatem, sed etiam postea sæpissime in Scriptura inueniuntur coniunctæ.

17. Cur verò sola tribus Iuda secuta dicatur Roboam, eam causam esse putat Carthusianus, quia Iuda vltrò, & studiosè amplexa est Roboam contribulem sibi; sed Benjamin non tam ex animo, quam necessariò, quia permixta erat tribui Iuda. Abulensis *q. 14. in cap. 11. libr. 3. Reg.* existimat ideo Benjamin appellari Iuda, quia illi tribui se adiunxit. Interlinearis putat, quia principalis esset tribus Iuda, ideo ad suum nomen traxisse tribus alias, nempe Leuiticam, & Benjaminicam. Ego aliam rationem inuenio, cur Benjamin cum tribu Iuda coaluisse, & ab ea sumpsisse nomen videri potuerit. Nam de tribu Leui, quæ per omnes tribus erat dispersa, & quæ certam in terra promissionis sortem nacta non sit, alia ratio est; sed nūc de Benjamin nobis quæstio est. Notum est ex *libr. Iudic. cap. 20. & 21.* tribum Benjamin sic esse concisam, vt ex ea sexcenti tantùm viri reliqui fuerint, & omnes ciuitates, ac viculos incendio conflagrasse. Quare cùm tribus aliæ & ciuibus abundarēt, & vrbibus, hæc verò his omnibus spoliata, & propter infandum scelus ignobilis; nullo iam numero habebatur. Quare sub id temporis, quo hæc scripta sunt, sic audiebat tribus illa malè, atque ignominiosè, vt eo se nomine 1. *Reg.* 9. Saül Regno iudicaret indignū. *Numquid nō filius Iemini ego sum* (id est, Benjaminita) *de minima tribu Israel, & cognatio mea nouissima inter omnes familias de tribu Benjamin? quare ergo locutus es mihi sermonē istū*: Hinc existimo exiguam illam tunc, & obscuram tribum vulgo Hebræorum amisisse nomen, & sumpsisse à nobilissima tribu, cui se propter vicinitatē adiunxerat, & cui erat ciuitas Regia Ierusalem, quo tēpore hæc scripta sunt, cōmunis, vt mox dicemus. Et licèt tempore Roboam tribus illa frequens esset nō solùm hominibus, sed etiam vrbibus, quia tamen olim eò redacta est, vt tribus dici non debuerit, cum aliis composita, retinebat tamē antiquum nomen, quod in aliis rebus etiam mutato priori statu fieri videmus; vocabatúrque eodē nomine, quo alia nobilior, & copiosior familia. Neque id proprium est tribui Benjamin, vt in sua tenuitate nomen sumeret à potentiore tribu, sed commune cum aliis. Nam cùm ex aliis quoque tribubus plurimi sese adiungerēt ad tribum Iuda ante captiuitatem per Assyrios, & cum eadem tribu plurimi quoque ab exilio rediissent, vt dicemus infrà *cap. 8. n. 27.* omnes tamen vocati sunt Iudæi relicto gentilitio nomine.

Cur tribus Benjamin nomen sumpserit à Iuda.

Tribus Benjamin exigua aliquādo, & ignobilis.

Hæc quidem ratio satis apparebat grauis, cur in Sion quæ vocatur ab exilio, tribus quoque Bējamin intelligatur: sed est alia, meo iudicio, non inepta, quæ ex ipso situ Ierusalem sumpta est, quæ ædificata fuit in ipsis Benjamin, Iudæque confiniis, ita vt ad vtramque tribum pertinuerit. Quare qui Sion ab exilio reuocat, Iudam omnino reuocat, & Benjamin. Quòd enim Ierusalem ad Bējamin pertineat, constat ex *cap. 18. Iosue.* Pertinuisse quoque ad Iudam liquet ex eodem Iosue cap. 15. *Habitabit*, inquit, *Iebusæus cum filiis Iuda in Ierusalem vsque in præsentem diem.* Et iisdem verbis dicitur Iud. cap. 1. *Habitabit Iebusæus cum filiis Benjamin in Ierusalem vsque in præsentem diem.* Quòd verò templum ad Benjamin pertineat, probat illa Hebræorum traditio, vt refert Hieronymus de traditionibus Hebraicis, qui illud Gen. 49. *Benjamin lupus rapax mane comedet prædam, & vespere diuidet spolia*; de templo accipiunt, in quo manè à Sacerdotibus immolantur hostiæ, & vespere distribuuntur. Et ita putat Chaldæus, & fauet benedictio Moysis *Deut.* 33. vbi Benjamin in thalamo Domini futurus esse dicitur, id est, in templo, vt etiam Chaldæus exponit. Quare eodem spectant benedictiones Iacobi, & Moysis, nempe ad id, quod erat in Benjamin maximè pretiosum. Quòd verò templum pertineat etiam ad Iudam indicat Psal. 77. *Repulit tabernaculum Ioseph, & tribum Ephraim non elegit: sed elegit tribum Iuda, montem Sion, quem dilexit, & ædificauit sicut vnicornium sanctificium suum*, id est, templum. Et hoc ipso capite infrà: *Possidebit Dominus Iuda partem suam in terra sanctificata, & eliget adhuc Ierusalem.*

Ierusalem ædificata in confinio duarum tribuum, & ideo ad vtramque pertinet.

Viden

Videntur itaque templum, & ciuitas ad vtramque tribum pertinere, quia pars per synecdochem pro tota ciuitate, ac templo ponitur. Et quemadmodum quia funiculus Iudæ ductus est per fontem Solis; & per fontem Rogel, *Iosue cap.* 15. & per eosdem fontes funiculus Benjamin, *Iosue cap.* 18. verè vterque fons diceretur ad vtramque tribum pertinere. Sic etiam quia linea vtriusque tribus per latus Iebus, & vallis Hennon ducebatur, vt constat ex *cap.* 15. *&* 18. *Iosue*, Ierusalem quoque communis erat vtrique tribui. Existimo autem antiquam Ierusalem quæ parua erat fuisse in tribu Benjamin, sed postea latè amplificatã occupasse partem illam, quæ erat intra funiculũ Iudæ.

Regula. *Vox ter repetita multitudinem magnam, aut studium ingens significat.*

19. Illud deinde obseruandum, ter ex Babylone vocari filiam Sion. Nam priùs dicitur, *O, ô fugite de terra Aquilonis:* deinde, *o Sion fuge.* Geminata vox vim adhibet magnam, & stimulos, cùm vrgemus aliquid; & communiter contentionem, & studiũ significat in quacumque materia; aut alicuius affectus, siue doloris, siue voluptatis pondus importat magnum. Quòd si ter repetatur, maximũ, idque communiter indicat numerus ternarius. Exempla sunt obuia: & valdè accommodatum in multitudine, *Esther cap.* 8. *vers.* 9. nam vbi vulgatus legit. *Centum viginti septem prouinciis*; textus Hebraicus ter repetito nomine habet, *prouinciam, prouinciam, prouinciam.* Et Apoc. 8. magnum dolorem indicat *væ* ter repetitum. *Væ, væ, væ habitantibus in terra.* Et sponsa *Cant.* 4. ter vocatur è Libano. Sic etiam hîc ô, repetitum vrget grauiter Iudæos in exilio desides. Quòd si Babylonia mundi symbolum est, sanè quàm aptissimè ter homines ex illo vocantur, quod per tria Religionis vota fit. Et qui in mundo viuunt, atque ibi inueterascunt, iure plusquam optimo ter lugeri possunt.

20. Vers. 8. *Post gloriam misit me ad gentes.*] Hieronymus hanc vocem Saluatoris esse putat, qui omnipotentem se ab omnipotente Patre missum esse, dicit. Idem Eusebius *de Demonstr. Euang: cap.* 16. & plerique alij. Est quidem hoc satis probabile: neque tamen si loquatur Christus, sermóque sit de gentium conuersione, crediderim ideo sermonem non esse de captiuorum reditu, instaurãdáque Ierusalem. Nam in Scriptura sæpe contingit vt ex historia, quæ typus est, migratio fiat ad veritatem, id est, à litera ad spiritum, ab vmbra, & figura ad Christum. Exempla suppeditabit Isaias non pauca; cap. 7. *Ecce virgo concipiet & pariet:* & cap. 10. *Reliquiæ conuertentur, reliquiæ inquam Iacob ad Deum fortem:* & cap. 11. *Egredietur virga de radice Iesse*; cùm priùs de rebus sui temporis verba faceret, & ad easdem postea referat sermonem; sic etiam nunc agit Propheta de Ierusalem instauranda, & quia illa Ecclesiæ quædam vmbra est, inserit istud de Ecclesia vaticinium. Sed sanè existimo neque hoc modo locum istum de Ecclesia explicari oportere: nam primùm hîc loquitur ille, quem priùs Zacharias appellauit Angelum, & quamuis Angelus sæpe personam Christi repræsentet, vt Theologi docent, & nos pluribus docuimus *in cap.* 7. *Act.* veluti in rubo, in dispositione legis, in lucta cum Iacob, &c. non tamen ideo necesse est, vt quæ hîc dicuntur, omnia ad Ecclesiam referantur. Nam ex Theologorum sententia Christo tribuuntur illa omnia, quæ cùm temporalia sint, ad animæ tamen salutem pertinent, qualia sunt euocatio filiorum Israël ex Ægypto, inductio in terram promissionis; de quibus Iudas Epistola canonica. *Quoniam Iesus populum de terra Ægypti saluans, secundo eos, qui*

Regula. *A typo sæpe ad veritatem translatus sermo.*

Quæ ad salutem animæ pertinêt, Christo tribuenda.

A *non crediderunt perdidit.* Et nunc libertas ex captiuitate Babylonica, & templi, ciuitatisque renouatio, quia hæc maximè iuuare poterant: atque fouere studia pietatis; & ideo meritis Christi, ac curæ tribuenda. Iure ergo Christus dicit se missum, vt hæc præstet; quia hoc suarum partium negotium est.

Hæc mihi difficilia non videntur; sed dicam aliquid audacius, non tamen sine fundamento, nisi mea me fallit coniectura. Nempe illud, *post gloriam misit me*, & reliqua ad finem vsque capitis ab Angelo dici, non à Christo, aut in Christi persona. Quod præterquam quòd expeditum habet sensum, & sine offensione vlla, optimè cum superioribus consequentia componit. Et primùm si Christus, aut in eius persona, aut nomine Angelus loqueretur, non subderet: *quia hæc dicit Dominus exercituum.* Quæ vox non tam est suo nomine dicentis aliquid, aut alienam personam repræsentantis, quàm referentis quid alius, aut velit, aut dicat. Existimo ergo primùm, hæc ab Angelo, Dei scilicet nuncio, esse proposita: deinde illud, *quia hæc dicit Dominus exercituum*, non ad ea, quæ sequuntur, referri, sed ad ea, quæ proximè antecesserunt. Non vt sensus sit, quòd Dominus dixerit se missum à Patre; sed quòd Angelus auctoritate Domini confirmauerit, quod antè prædixerat, hoc sensu. Fuge Sion de Babylonia, quia hæc dicit Dominus exercituum, nempe vt fugias. Sic verò hæc esse accipienda, indicat earum partium, quæ in ipsa denunciatione sunt, similitudo; cuilibet enim parti subiicitur: *dicit Dominus*, vt vides, *ô, ô fugite de terra Aquilonis, dicit Dominus: quoniam in quatuor ventos cæli dispersi vos, dicit Dominus: ô Sion fuge, quæ habitas apud filiã Babylonis, quia hæc dicit Dominus exercituũ.* Et hîc finitur tota clausula. Deinde incipit Angelus de seipso loqui, cùm dicit; *Post gloriã misit me*, &c. quod necessariò dicendum est, si editionem vulgatã, maximè quam nunc emendatam habemus, cum textu Græco, atque Hebraico, & cum aliis etiam Latinis codicibus non paucis componere velimus. Sic enim vulgatus: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Alij verò pronomen habent tertiæ personæ, *oculi sui*, vel, *oculi eius.* Quare si pupilla est oculi Dei, omnino non loquitur Deus, sed Angelus, alioquin non dixisset D עינו *eno*, id est, *oculi eius*, sed עיני *eni*, id est, *oculi mei.* Noster autem interpres, vt alibi sæpe, sensum potiùs secutus est, quàm verba.

B C 21. 22.

Post gloriam misit me ad gentes.] Hæc verba Angeli sunt, qui in sua loquitur, non in Christi persona, qui duplici ratione à Babylone populum in patriam vocat; & quòd gloriosus erit populus ad illud vsque tẽpus desertus, & vacuus, & quòd pericula maxima, & clades imminent Regionibus illis, in quibus captiui degunt: quæ effugere non poterunt, si se cum peregrinis hominibus, Deóque inimicis implicuerint. Illam verò gloriam variè explicant auctores, qui negant hîc esse sermonẽ de Christi gloria excitati à mortuis, & ad cælos assumpti. Hebræi de Romanorũ glo- E ria intelligunt, id est, postquam Romani totius orbis Imperium obtinuerint. Alij de Imperij Persici gloria accipiunt, vt Pagninus. Alij post annunciatam gloriam præstandam populo Dei, de qua priùs dictũ fuerat: *Et in gloria ero in medio eius*, annunciandam esse cladem populis, quibus Iudæi antè seruierant. Ita Hugo, & Arias Montanus. 23.

Mihi hoc loco magis probatur, quod Alberto quoque Magno visum est, gloriam hîc esse illam, qua Deus populum ornauit suũ, instaurata vrbe, 24.

& excitato templo, vbi Deus habitaret in medio populi. Vbi enim hæc essent perfecta, Angelus, quo hortatore hæc suscepta sunt, iturum se dicit ad gentes alias, vt iniuriam, ac vim illatam populo Israëlitico vlcisceretur. Quomodo verò id acciderit, quáve ratione mulctatæ fuerint gentes malè olim in Iudæos animatæ, constat ex libris Machabæorum. Certè contra inimicos populi Dei sæpe dura prædicta sunt à Prophetis. A Ierem. *c.*47. 48. 49. ab Ezech. *cap.*23. *&* 26. & idem nunc facit Zacharias. Porrò illud, *misit me*, pro futuro sumitur, quod apud Prophetas familiare est, maximè cùm aliquid propè est vt fiat, vt diximus ad illud Cant. 1. *Introduxit me*: nisi malis ita interpretari; *misit me*. id est, in mandatis dedit mihi, vt ad gentes eam.

25. *Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.*] Hinc planè, meo iudicio, constat de vltione, ac supplicio illarum gentium potiùs esse sermonem, quàm de conuersione ad fidem. Hanc enim rationem reddit Angelus, quòd grauiter ferat vexari suos non secus atque si quis oculi sui pupillam compugnat. Sed hoc non tam beneuolentiam conciliat ad misericordiam, quàm furorem acuit ad vindictam. Cæterùm vt nuper obseruauimus, in textu Græco, Hebraico, Chaldaico, & nonnullis Latinis codicibus, non est *oculi mei*, sed *ipsius*, aut *sui*. Sed si Angelus in sua persona loquatur, & non repræsentet alienam, sensus est idem, qui à nobis suprà propositus: si hæc verba Christi esse statuamus, alius erit sensus, sed qui plenè indicet non hîc à propitio Deo de conuersione gentium agi, sed ab irato de illarum exitio. Ait enim eos, qui populo suo molestiæ aliquid afferunt, in seipsos graue aliquod infortunium moliri; & quod ipsi vulnus Iudæorum corporibus, aut fortunis infligunt, in rem sibi maximè gratam, qualis est oculorum pupilla, esse conuertendum. Ita Cyrillus. Cæterùm pupillam Prouerbiali specie sumi pro re maximè chara, quæque maiori studio custoditur, constat ex Deut. 32. & Psal. 16. ad quæ loca videtur allusisse Zacharias. Pupilla verò læsa deformitatem affert, & cæcitatem, extremámque miseriam: quale enim gaudium habebit, qui cæli lumen non videt? Tob. c. 2. Tale verò sibi malum struit, qui contra Dei amicos aliquid machinatur mali.

Dei in suos zelus, & indulgentia.

26. Vers. 9. *Quia ecce ego leuo manum meam super eos.*] Leuare manum in Scriptura multa significat, de quibus hîc Ribera: hoc verò loco duo videtur indicare, vel iuramento confirmare non impunitas fore populo Dei inflictas à gentibus contumelias, & plagas, sed sumendum esse supplicium. Nam leuare manum iuramenti signum, & pondus obtinet, *Genes.* 14. *Deut.* 32. *Exod.* 6. vel certè manum extendere idem est quod manum habere armatam, & intentam ad plagam. Et hoc placet magis, quia & frequentius in Scriptura, & rebus accommodatum magis. Ps. 73. *Leua manus tuas in superbias eorum.* 2. Reg. 20. *Homo de monte Ephraim leuauit manum suam contra Regem Dauid.* Porrò non differendas esse illarum gentium pœnas, ostendit illud, *leuo*, in præsenti tempore. Sic enim explicare solemus rem futuram, imminentem iam tamen.

Leuare manũ, iuramẽti signum.

27. *Et cognoscetis, quia Dominus exercituum misit me.*] Hæc etiam verba Angeli sunt, qui ex rerum, quæ prædicuntur euentibus fidem facit Prophetiæ suæ. Ex quo infero hoc loco sermonem non esse de gentium conuersione: nam signa non solùm certa, sed etiam proxima esse debent, ita vt videri possint, aut cognosci ab iis qui ad aliarum rerum expectationem vocantur. Alioqui ab his, qui audituri erant hæc à Zacharia postea, nisi signa apparerent, in dubium meritò vocari poterat Angelica, vel Prophetica fides. At gentium conuersio qui poterat signum esse iis, quibuscum Zacharias loquebatur, qui nunquam illam essent visuri, cùm contigerit supra quingentos annos à tempore Zachariæ?

Vers. 10. *Lauda, & lætare filia Sion.*] Hæc etiam Angeli verba sunt Dei nuntij, atque ipsius promissa referentis, vt docet quod statim subditur: *Dicit Dominus, & applicabuntur gentes multæ ad Dominum.* Neque hoc ad gentium conuersionem pertinere existimo; sed ad multitudinem, quæ ædificato templo, dedicatóque ex Iudæorum gente ad vrbem confluxit, id est, postquam Deus habitare cœpit antiquo suo more in Ierusalem. Quemadmodum verò hoc impletum fuerit, tradit Esdras *lib.* 1. *cap.* 8. Quòd verò hîc de Gentili populo sermo non sit, indicat adiectiuum illud, *multæ*. Nam absolutè nomen, *Gentes*, pro paganis, & his, qui à populo Dei alieni sunt, vsurpatur; si verò aliquid addas, tam de Iudæis, quàm de nationibus aliis intelligitur. Neque si de gentibus externis accipias, necesse est vt de conuersione earum ad fidem intelligas. Nam externi populi, & maiestate templi, in quo Deus præcipuè colebatur editis grauibus ibi suæ præsentiæ testimoniis, & Iudæorum felicitate commoti, & Religionem Iudæorum amplectebantur, quod facturum se profitebatur Antiochus *Machab.* 2. *cap.* 9. & voti, & pietatis ergò templum obibant, & munera deferebant amplissima. Quod Dauid multo antè cecinerat *Ps.* 67. vbi postquam de hostibus debellatis egisset, subiecit: *A templo suo, quod est in Ierusalem, tibi offerent Reges munera.* Vide Commentaria nostra in illum locum. 28.

Regvla. Gentes absolutè pro Gentilibus: cum addito pro aliis etiam populis sumũtur.

Vers. 12. *Et possidebit Dominus Iudam partem suam in terra sanctificata.*] Hîc iam Ribera nobiscum sentit, agique putat non de Ecclesia, sed de Iudæis quod etiam hîc Hieronymo placet. & ita planè videtur esse dicendum: & est sensus facilis; Possidebit Dominus Iudam populum sibi è multis electum, non in execrabili terra Babylonis, vbi antea fuerat in ignominia, sed in terra Iuda multis à se modis illustrata, & sanctificata, maximè templo, id est, habitaculo sanctificationis suæ. Et ideo subditur: *Et eliget adhuc Ierusalem*; quia rursus in Ierusalem constituet sibi domum vbi habitet, sicut antea. Nam illam & spoliatam ciuibus, & exustam incendio Babylonico abiecisse omnino videbatur. Quo modo verò in *Iuda* intelligatur quoque Beniamino, diximus suprà num. 16. 29.

Sileat omnis caro à facie Domini.] Valdè hæc significanter dicuntur à Propheta. Nam silere in Scriptura significat inter alia ita aliquem domitum esse alterius potentia, vt se commouere non audeat, neque contra illum leuiter, aut obscurè quicquam mutire, & ob idipsum return, & colere. Nam huiusmodi silentium obseruantiæ, & timoris significatio est. Iob cap. 29. *Videbant me*, &c. *Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo*: & 1. Machab. 1. de Alexandro. *Et siluit omnis terra in conspectu eius*: & Iudith cap. 11. sic ad Holophernem. *Habebis omnem populum sicut oues, quibus non est pastor; & non latrabit vel vnus canis cõtra te.* Et olim cùm Sacerdos prodibat sacrificaturus, Diaconus præibat dicens, *Sileat omnis humana & mortalis caro, stétque cũ metu, ac tremore.* Habes in Liturgia 30.

Silentium, obseruantiæ, & timoris signum.

gia Iacobi, non longè à principio. Hebr. *en chas*, quod, vt dicit Hieronymus in cap. 1. Sophoniæ, interiectio est silentium imperantis, qualis apud Latinos *st*, & apud Hispanos *Chiton*. Rationem reddit, *quia consurrexit de habitaculo sancto suo*; id est, quia est in medio Ierusalem, quasi Dux in arce, vnde abigat, sternátque insultantes hostes. Quo argumento vsus est Habac. cap. 2. *Dominus in templo sancto suo, sileat à facie eius omnis terra.*

IN CAPVT TERTIVM

ARGVMENTVM.

ALIA nunc obiicitur visio Zachariæ, quæ Iesu Seruatoris passionem, & eius fructum portendit. Visus est enim Iesus Sacerdos filius Iosedech cum veste sordida ante Angelum Iudicem, qui Dei ipsius personam referebat. Qui licèt vehementer obnitente, & accusante Satana, depositis sordibus gloriosam accepit cydarim, & stolam mundam. In qua vmbra illustris quædam lux proponebatur; nempe in Iesu Sacerdote Iesus Seruator. Qui cùm priùs esset instar lapidis rudis, & impoliti, postea tamen à Domino attentissimè cælatus pulcherrimus euasit. Ex qua cælatura id consecuta est terra, vt secura pace, quod antea non poterat, frueretur.

CAPVT III.

1. *ET ostendit mihi Dominus Iesum Sacerdotem magnum stantem coram Angelo Domini: & Satan stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei.*

2. *Et dixit Dominus ad Satan: Increpet Dominus in te Satan: & increpet Dominus in te, qui elegit Ierusalem: nunquid non iste torris est erutus de igne?*

3. *Et Iesus erat indutus vestibus sordidis: & stabat ante faciem Angeli.*

4. *Qui respondit, & ait ad eos, qui stabant coram se, dicens: Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit ad eum: Ecce abstuli à te iniquitatem tuam, & indui te mutatoriis.*

5. *Et dixit: Ponite cydarim mundam super caput eius, & posuerunt cydarim mundam super caput eius, & induerunt eum vestibus.*

6. *Et*

PARAPHRASIS.

A 1. OStendit mihi Dominus visionem aliam consolatoriã, nempe Iesum Sacerdotem filium Iosedech, qui reus astabat coram Angelo, qui diuinam referens personam, iudicem agebat, cui vt aduersaretur, à dextris aderat Satan.

2. Cùm vrgeret causam Satan, & Iesum Sacerdotem vehementer premeret, neque fas esse diceret, cùm peccatum populi, cuius personam sustinebat Sacerdos, nondum esset satis expiatum, instaurari Ierusalem, respondit Angelus: Increpet te Dominus, Satan, quando tam iniquè
B Sacerdotem increpas: te, inquam, Dominus increpet, qui Ierusalem, contra cuius fabricam tantopere niteris, sibi ex omnibus elegit. An aliquid præterea pœnarum expetendum putas ab infelici populo, ac Sacerdote; neque satis arbitraris dedisse supplicij eos, qui quasi vstulatum lignum, & tantùm non redactum in fauillam, sumpti sunt ab incendio?

3. Stabat autem Iesus coram Angelo squalidis amictus vestibus.

4. Tunc Angelus, qui Dei nomine Iudicem agebat, ad eos, qui quasi administri aderant, sic est locutus. Auferte iam quic-
C quid in Sacerdote squaloris est. Et ad Sacerdotem conuersus inquit: Ecce abstuli abs te sordes, quas, quia ex iniquitate adhæserunt tibi, iniquitatem voco, & indui te mutatoriis, id est, lautis, atque pretiosis vestibus.

5. Et iterum ad ministros conuersus ait: Ponite cydarim, Sacerdotalem nempe mitram super caput Iesu Sacerdotis. Illi quamprimùm ad præcipientis imperium,

 cyda

Digitized by Google

A cydarim expediunt, imponúntque capiti, & splendentibus amiciunt ornamentis.

6. Et Angelus Domini stabat, & contestabatur Angelus Domini Iesum, dicens:

6. Neque recessit Angelus donec imperata complerentur; qui denunciauit Sacerdoti solenni formula, ac contestatione dicens:

7. Hæc dicit Dominus exercituum: Si in viis meis ambulaueris, & custodiam meam custodieris, tu quoque iudicabis domum meam, & custodies atria mea, & dabo tibi ambulantes de his qui nunc hic assistunt.

7. Vt custodiret vias Domini, eiúsque præcepta seruaret, si modò vellet dignitatem illam Sacerdotalem sibi esse perpetuam. Cuius id erat proprium, vt domum Dei, id est, populum Israëliticum iudicaret, & custodiret templum, & quæ ad eius sanctitatem, & munus pertinebant, curaret.
B Quæ vt sanctè & ritè, & minori cum molestia fierent, promisit daturum se aliquos, qui ad ea procuranda semper assisterent, ex eorum numero, qui tunc aderant, & quibus ad suprà dicta ministris vtebatur.

8. Audi Iesu Sacerdos magne, tu, & amici tui, qui habitant coram te, quia viri portendentes sunt: ecce enim ego adducam seruum meum Orientem.

8. Audi iam, ô Iesu Sacerdos, tu, & qui tecum sunt, viri Prophetæ, qui huius oraculi futuri sunt annunciatores, & testes, rem omnino magnam, & quam adumbrant ea, quæ in hoc admirabili spectro oblata sunt: ecce enim ego adducam seruum meum, germen electum, nempe Iesum Seruatorem.

9. Quia ecce lapis, quem dedi coram Iesu, super lapidem vnum septem oculi sunt. Et ecce ego calabo sculpturam eius, ait Dominus exercituum, & auferam iniquitatem terræ illius in die vna.

C 9. Sicut tu, ô Iesu Sacerdos, post exilij sordes nunc cum stola, & cydari gloriosè splendes, sic Iesus Seruator, cuius tu typus es, ex alio non dissimili squalore pulcher fiet, atque gloriosus. Viden' vt lapis iste (obiectus erat lapis rudis, scaber, neque dum arte perfectus) impolitus est, & reprobatus ab omnibus? sed hic à Deo artifice summo, magno studio cælabitur. Super illum enim septem oculi sunt, id est, attentio magna in eius cælaturam intenta. Quo verò tempore cælatus fuerit lapis ille, die vna, qua videlicet
D finietur cælatura, auferetur iniquitas terræ; sicut abs te nunc iniquitas ablata est.

10. In die illa dicit Dominus exercituum, vocabit vir amicum suum subter vineam, & subter ficum.

10. Tunc affulgebit terræ pax vsque adeò secura, vt quod antè non licebat, mutuò se amici ad otium, & delicias inuitent, qui tutò sub vite, ac ficu dies festiuos, ac geniales agent.

Vers.1. *Et ostendit mihi Dominus Iesum Sacerdotem magnum stantem coram Angelo Domini.*]

Iesus iste non fuit Seruator noster, sed filius Iosedech.

1. MVLTA sunt in hoc capite obscura, explicatúque difficilia. Inprimis quis sit iste Iesus, cuius ad dexteram aderat infensus Satan: nam sunt qui Christum esse affirment. Orig. *homil.9. in Leuit. & homil.14. in Lucam.* Tertullianus *aduersus Iudæos in fine.* Ambros. *lib.3. de fide cap.4.* Chrysost. *hom.5. ex variis in Matth.* Greg. *lib.2. Mor.c.20.* Lactantius *lib.4. c.14.* Hieronym. in illud Psal.109. *Sede à dextris meis.* Alij Iesum Sacerdotem filium Iosedech; Cyrillus, Theodoretus, Beda in Epistola Iudæ ad illud, *cum Michaël Archangelus.* Euthym. in illud Psalm.103. *Diabolus stat à dextris eius:* & omnes penè Hebræorum

Digitized by Google

rum Magistri, quos Lyranus sequitur, & plerique è recentioribus, Hanno, Hugo, Carthusianus, Albertus. Sed conciliari possunt hi Patres, si dicamus istos fuisse locutos de sensu historico, illos verò de mystico: & ita tradunt aliqui expressè; Eusebius *4. de demonstr. euāg.* Iustin. Martyr *Dialogo cum Tryphone ad finem*, Hieronymus *hic*, & fusius *lib. 2. contra Iouinianum.* Aug. *lib. 12. contra Faustum.* Theodoretus *hic.* Quòd verò hæc de Christo Iesu historicè intelligenda non sint, probant multa, quæ nisi absurdè, atque impiè de Christo cogitari non possunt, vt quòd Angelus à Iesu iniquitatem abstulerit, monueritque vt in viis Domini ambulet; quòd illi promissus sit Seruatoris aduentus, & alia quæ obseruabit facile attentus lector.

2. At, inquiunt aliqui, quo tempore hæc à Zacharia dicebantur, iam erat Iesus filius Iosedech & Sacerdotio, & vita functus. Quod cum aliquibus Hebræorum sentit Montanus, multisque persuadere contendit. Sed rationes non admodùm vrgent, in quibus refellendis, aut infirmandis non moror, ne operam perdam. Satis in præsentia sit, ostendi posse post hæc tempora vixisse Iesum filium Iosedech, quod ex hoc Propheta demonstrari potest non difficilè. Nam cap. 6. Zachariæ dicitur: *Sumes aurum, & argentum, & facies coronas, & pones in capite Iesu filij Iosedech Sacerdotis magni.* Hæc verò dicta sunt quarto anno Darij, secundo, vt reor, anno post hæc tempora, aut non multo minùs: imò & vixisse anno sexto Darij ex eo liquet, quia templum absolutum est eo anno, *Esdra lib. 1. cap. 6.* sed fuisse absolutum à Iesu, & Zorobabel, docet Ecclesiasticus cap. 49. qui de illis ita loquitur. *Qui in diebus suis ædificauerunt domum, & exaltauerunt templum sanctum Domino, paratum in gloriam sempiternam.*

3. *Quæ iniquitas Iesu filij Iosedech.* Sed est adhuc, quod obiiciant: nam non apparet, quænam iniquitas auferri potuerit ab hoc Iesu Sacerdote significata in veste sordida. Si dicamus iniquitatem esse populi, quam portare Sacerdos debet, sicut portat nomina filiorum Israel, & pro illis orare; nihil dicemus alienum ab vsu Scripturæ. Sed erant etiam peccata propria huius Sacerdotis, quia, vt ex Aggæo constat, peccarat populus, neque exigua pars culpæ ad Sacerdotem pertinebat, cùm populum à peccato corrigere debuisset. Accedit quòd *Esdra lib. 1. cap. 10.* filij Iesu Sacerdotis narrantur vxores duxisse alienigenas: imò idem fecisse quoque istum Iesum tradunt non solùm Hebræi, sed etiam Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum; qua in re docet illum typum fuisse Christi. Præter hæc non video quid obiici possit aliud contra nostram sententiam.

4. *Sacerdos populum repræsentat & in eum populi peccata redundant.* Adde huc, quòd Sacerdos, si vllus ex toto populo, personam sustinet maximè publicam, eo præcipuè tempore, in quo Rex non erat inter Iudæos. Atque ideo commodè totius populi status in eo proponitur: vt enim in sacrificio pro peccato Sacerdotis offertur vitulus, quemadmodum pro totius populi peccato *Leuit. cap. 7.* quia quodam modo totus populus in Sacerdote est, & in Sacerdote peccat; aut Sacerdos potiùs in omnib. peccat, quia ipsius peccatum ad aliorum quoque perniciem grassatur; ita etiam si qua persona sordidum populum repræsentare potest, maximè sordidus Sacerdos. Ita indicat Cyrillus. Existimo ergo quod in Sacerdote magno videbat Zacharias, id etiam tūc accidere in Hebræorum populo. Erat enim adhuc sordidus, quia neque dum omnino ex captiuitate erutus; & alia Hebræorum pars, quæ ab exilio redierat, nondum erat à superioribus exilij incommodis renouata, emergebat iam quidem ex afflicta fortuna, neque respirare videbatur solùm ab ignominia, & seruitute, sed etiam aspirabat ad dignitatem, & gloriam, aderat tamen Satan, id est, occursus malus, qui inchoatum, atque incitatum illum morabatur cursum. Nam, vt ex Esdra constat, prima illa tempora à Babylonico reditu, plena fuerunt insidiarum, atque perturbationis, vt necesse fuerit inceptum opus ad secundum annum Darij, in quo nunc res agitur, interrumpi. Aderat enim à dextris populi in templi, atque murorum fabricam incumbentis Satan, id est, Samaritæ, de quibus Esdras *cap. 3. & 4.* qui populum arguerent, inhiberéntque studium gloriosi laboris: sed nihil proficiunt scelerata consilia, & ardens odium in gentem tot iam annis, & incommodis exhaustam. Nam Iesus Sacerdos tandem vestem candidam accipit, & cydarim, & illustria sui muneris ornamenta, id est, populus ad priorem amplitudinem, & splendorem reuocatur. Hanc sententiam indicant Beda in epistolam Iudæ, Albertus, Hugo, & Interlinearis, dum dicunt impediri hic reditum captiuorum. Hæc existimo præcipuè proposita fuisse Zachariæ; sed sunt adhuc multa obscura.

Satan stabat à dextris eius.] Quid sit esse à dextris alicuius, diximus pluribus *in Actis Apost. cap. 2.* hic verò *à dextris* variè exponitur. Hieronymus sententiam refert Hebræorum, qui ideo putant à dextris Iesu stare Satan, quia vera illi crimina obiiciebat, nempe quòd vxorem duxisset alienigenam. Et huius ea videtur esse ratio; quia potiorem partem obtinebat in ea accusatione: nam dextra fortius aliquid, & maius significat, vt dicit Greg. *lib. 20. Mor. cap. 20.* Facit ad hanc sententiam quod Augustinus docet ad illud Psalm. 108. *Et diabolus stet à dextris eius.* vbi diabolum esse à dextris ideo putat, quia peccator opera diaboli habuit dextra, id est, operibus Dei præposuit. Et fauet huic explicationi; quia in iudicio cuius speciem habere videtur hæc Iesu Sacerdotis siue accusatio, siue contradictio, qui à dextris est, superior est. Quod indicatur non obscurè statim cùm dicitur, *constitue super eum peccatorem,* id est, fac vt peccator, id est, Satan in iudicio superiores habeat partes. Quod hemistichio sequenti per epexegesim explicuit suo more Dauid, dum addit, *cum iudicatur, exeat condemnatus.* Hæc quidem expositio vera est: nam siue spectemus tempora ante captiuitatem, condemnari meruit populus, & iure optimo longa seruitute mulctatus est; si verò tempus, quo seruitia dura in exilio subiit, dignissimus fuit, qui nunquam libertatis lucem aspiceret: nam & vxores habuit alienigenas, & alienis etiam moribus vixit: neque multo melior fuit ad patriam reuocatus, quo tempore hæc dicebantur à Zacharia, vt ex Esdra constat, Aggæo, & Malachia, qui, vt putat Hieronymus, sub hæc tempora prophetauit. Dignus ergo erat rebellis ille populus, si merita spectes, qui in alieno solo captiuus moreretur, atque ideo Satan à dextris stabat, id est, superior erat in causa. Sed populus, qui meritis à Dei iustitia exigere non poterat reditum, impetrauit tamen à misericordia; & ita in suo Sacerdote audit ab Angelo, *vt in viis Dei ambulet.* 5.

6. *A dextris est Satā cùm rebus impedimento est.* Sunt sanè ista verissima, & satis consentanea temporis articulo, sed est fortasse magis apta sententia, quam tenet Beda in epistola Iudæ, Alber

Albertus, & Hugo, Interlinearis, & alij. Nempe ideo Satan esse a dextris Sacerdotis, quia Iudæorum felicitati cùm inuideret, Angelorum, & piorum ex eo populo consiliis aduersabatur: nam Satan per impios in Babylone, & per Samaritas in Iudæa Hebræorum consilia, rationésque turbabat; neque quicquam sinebat expeditè, aut cum magno studij, operæque pretio administrari. Vt enim amicus à dextris est, vt iuuet, & protegat, quomodo Psalm. 15. dicitur. *A dextris est mihi ne commouear:* & Psal. 108. *Astitit à dextris pauperis, vt saluam faceret à persequentibus animam meam*; sic inimicus est à dextris, vt quod in nobis firmius est, & magis ad laborem idoneum, turbet, & debilitet. Quod sanè per Samaritas faciebat Satan, qui & manus dissoluebat artificum, & opus inchoatum nouis quotidie rationibus morabatur.

7. Vers. 2. *Et dixit Dominus ad Satan.*] Quidam ex Hebræis Angelum esse putant eum, qui nunc vocatur Dominus, quos è recentioribus aliqui sequuntur, Albertus, Stunica, Montanus, Gabriel Vasquez 1. *tom. in* 3. *p.* S. Thom. *disp.* 112. *cap.* 4. Neque id mihi videbatur difficile, nisi viderem contrà stare omnium ferme Interpretum consensum, quod vt probarem, iis ego rationibus adducebar. Primùm, quia, vt communiter Theologi docent, & nos multis probauimus *in cap.* 7. *Act.* Angelus sæpe in Scriptura Dei personam repræsentat, & eius loquitur nomine. Secundò, quia toto capite, vt constat, loquitur Angelus: quare eidem hæc quoque verba videbantur esse tribuenda. Neque reliqua commodè Deo adscribi posse, & fatentur omnes, & textus non obscurè docet. Neque multùm hæc verba differunt ab eis, quibus apud Iudam Michaël Archangelus diabolum increpuit. Accedit quòd si Deus in ea visione oblatus esset Zachariæ, potiùs Sacerdos coram Deo stare diceretur, quàm coram Angelo: stat enim reus coram Iudice potiùs quàm coram patrono. Neque si loqueretur Deus, videbatur dicturus in tertia persona; *increpet te Dominus.* Sed diceret Propheta potiùs increpatum fuisse à Domino Satan. Adde ad extremum, quòd Angelus in hoc capite multa dicit, quæ non minùs Deo tribui posse videbantur, quàm illa, de quibus nobis modò quæstio.

Hæc mihi grauia videbantur, vt existimarem loqui hæc Angelum populi Iudaici tutelarem; neque occurrebat vlla ratio, quæ in contrariam partem admodùm vrgeret. Sed quando huc inclinat omnium pene Doctorum consensio, nos etiam cum ipsis idem amplectamur. Et sanè nomen יהוה *Iehoua* ineffabile, pro quo hîc *Dominus* ponitur, attribui Angelis non solet. Adde quòd hæc in visione oblata sunt Zachariæ, quasi ita fierent, vnde repræsentatio quædam erat, &, vt ita dicam, figurata actio; neque enim ibi Iesus Sacerdos erat; sed eius species. Quare licèt totum illud Angelorum ministerio peractum sit, fieri potuit vt per Angelos obiiceretur Zachariæ Dei aliqua species, sicut per eosdem proposita est Satanæ, & Sacerdotis. Neque tunc obstare videtur illa ratio, quæ communiter adducitur, quòd diuinam maiestatem non deceat adeò familiariter agere cum hominibus, cùm Angeli sint illi, qui figuratam illam actionem exhibent, in qua etiam imago quædam est Dei loquentis. Idem tenet cum aliis Interpretibus Bellarminus *lib.* 1. *de Christo cap.* 5.

8. Agitur ergo nunc Iesu Sacerdotis causa coram

A indice Deo, & populi, cuius partes Iesus, vtpote Sacerdos sustinebat. Cui aderat Angelus, qui cum illo simul de populi reditu, atque salute laborabat. Pugnabat contrà acerrimè Satanas, ad quem Dominus, qui supplicem, & sordidum Iesum intuebatur, ait, *Increpet Dominus in te.* Qua voce fregit Satanæ vires adeò potenter, vt nullum postea reliquum fuerit impedimentum, quominus inchoatum opus sine offensione ad exitum vsque perduceretur. Quod significat tam subita mutatio in Sacerdote facta; nam qui modò sordidus erat, & sicut torris ab incendio raptus, repentè mundis vestibus splendet cum cydari, ac reliquo ornatu Pontificio.

Increpet Dominus in te.] Qui hîc putant loqui 9.
B Deum, cùm ipsis non admodum faueat tertia persona, respondent interdum Deum de se ipso loqui, quasi de alio à se diuerso loqueretur, ex vsu Scripturæ, iuxta Hebræorum phrasim. Qua ratione *Num. cap.* 24. hæc Balaam de se ipso. *Dixit Balaam filius Beor*, &c. & Salomon de se Eccles. cap. 1. *Dixit Ecclesiastes.* De Deo quamplurima sunt exempla. Gen. 19. ita Deus, *Scio quod præcepturus sit* (Abraham) *filiis suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini*, id est, meam. Num. 12. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini* (i. meus,) *in visione apparebo ei.* Et statim de Moyse. *Ore enim ad os loquor ei, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt*, id est, me. Et sunt hæc omnino certa, & nos pluribus
C docuimus Cant. 2. ad illud, *Adiuro vos.* Erit ergo sensus: Ego Dominus, qui hîc sum, increpabo te. Increpabat, credo, Satan Iesum Sacerdotem, dum accusationem premeret, & ad supplicium poscebat; in illum verò Deus, siue, vt probabile putabamus, Angelus increpationem retorquet, & minas.

Regvla. Interdum aliquis de se tanquam de tertia persona loquitur.

Porrò pro *increpet*, est futurum, quod pro imperatiuo sæpe sumitur, significatque cum potestate, & obiurgatione imperare eo vultu, vocisque seueritate, vt aliquem deterreat, ac præcipitem abigat. Increpare verò in aliquem Hebraismus est, quem sæpe imitatur noster Interpres. 10.
D Iisdem, credo, verbis Hebraicis vsus est Michaël contra diabolum in Epistola Iudæ, cùm dixit: *imperet tibi Deus*; vbi alij legunt, *increpet.* Sed est sensus omnino idem: nam verbum גער *gahhar*, *imperare* significat; sed seuerè & propositis minis, qualiter fieri solet in exorcismis. Et in Græco est ἐπιτιμήσαι, quod *increpare*, vel *comminari* valet.

Qui elegit Ierusalem.] Hinc constat quid Satanæ 11. propositum fuerit, dum staret à dextris Iesu, nempe non tam vt illi aduersaretur, quàm vt ædificationem Ierusalem impediret. Cui Deus dicit frustrà illum allaturum esse moras vrbis, templique ruinis excitandis, quando ipse statuisset electam sibi Ierusalem, ad pristinam gloriam restituere.

Nunquid non iste torris est erutus de igne?] Ratio- 12.
E nem reddit cur malè malum absterreat dæmonem, quia si peccauit Iesus Sacerdos, aut populus in Sacerdote significatus, satis iam pœnarum vterque dedit, cùm ex incendio longo non aliter ereptus sit, quàm lignum, quod ex igne vstulatum euadit. Quæ dicendi forma satis indicat ærumnosam vitam inedia, laboréque confectam, qualem lamentabatur Ieremias Thren. 4. *Denigrata est super carbones facies eorum:* & cap. 5. *Pellis nostra quasi clibanus exusta est à facie tempestatum famis.* Iisdem propè verbis vtitur Amos cap. 4. *Facti estis quasi torris raptus ab incendio.* Dicit ergo Deus satis exhaustum esse pœnarum ab eo populo; neque esse

Ignis pro maxima calamitate.

esse cur Satan diuinam Iustitiam ad durius aliquod supplicium instimulet. Vel certè cùm ipse promiserit *Psal.67.* eis qui inter medios cleros dormierint, vnde contraxerint, & in vestibus sordes, & nigrorem in facie, consequens esse vt veluti nix dealbentur, fiántque similes argenteæ columbæ in pallore auri, quod consecutus est Iesus, qui detractis indumentis squallidis, mundis induitur, & cydari splendet.

Vers.3. *Stabat ante faciem Angeli.*] Implorans, vt videtur, eius opem in eo conflictu: & quia illius preces, & verba præcesserant, commode subditur:

13. *Qui respondit, & ait ad eos, qui stabant coram se.*] Respondit vtique superior ille Angelus, qui causam Iesu, & Iudæorum agebat, qui communiter creditur esse Michaël; & conuersus ad alios inferiores Angelos imperat, vt auferant vestimenta sordida, & iterum ad Iesum conuersus dicit auferendam esse ab eo iniquitatem.

14. *Ecce abstuli à te iniquitatem.*] Satis vsitatum est in Scriptura, vt *peccatum* sumatur pro peccati pœna. 2. Machab. cap.12. *Sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur*, id est, à pœnis pro peccato debitis. 1.Petr.2. *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*: & Zachar. cap.14. *Hoc erit peccatum Ægypti, & hoc peccatum omnium gentium.* Huic affine est, quòd etiam *peccatum* pro sacrificio, aut oblatione pro peccato sumitur: nam illud quodam modo pœna peccati est. Quare Christus peccatum pro nobis factus esse dicitur 1. Cor.5. & Oseæ 4. *Sacerdotes populi peccata comedunt*, id est, oblationes pro peccatis. Cùm ergo sordes illæ, & squallor in captiuitate contracta, quæ ablata sunt per Angelos à Sacerdote Iesu, propter iniquitatem prouenerint, ex vsu Scripturæ ab Angelo vocantur iniquitas.

REGVLA. Peccatum, & iniquitas pro peccatorum pœna, & purgatione.

15. *Et indui te mutatoriis.*] Mutatorias vestes Montanus *Pontificias* interpretatur, quia illæ communes non erant, sed peracto sacrificio deponebantur. Adducitque illud Leuit.16. *Depositisque vestibus, quibus prius indutus erat, cùm intraret in Sanctuarium, relictisque ibi lauabit carnem suam in loco sancto, induetúrque vestibus suis.* Sed licèt Pontificio cultu indutus fuerit Iesus; quod tamen adeò certum non est, non tamen existimo mutatorias vestes esse Pontificias: quia has videtur statim accepisse post cydarim; sed mundas, & pretiosas, quales nobilem iam, & ingenuum tanti populi præsidem decebat. Neque enim mutatoriæ vestes sacræ sunt, sed mundæ, & lautæ, quibus homines in festis vtuntur, deponúntque & mutant, cùm profestis diebus ab otio, atque munditia se rursus ad laborem expediunt. Certè Naaman 4.*Reg.5.* Sacerdotalia vestimenta non tradidit Giezi, cùm vestes mutatorias duplices dedit. Neque Deus cùm à filiabus Sion ablaturum se minatur mutatoria Isai.3. de cultu agit, instructúque Pontificio. Septuaginta pro *mutatoriis* habent *poderem*, id est, vestem ad talos vsque demissam.

Mutatoria quid.

16. Vers.5. *Ponite cydarim mundam super caput eius.*] Cydaris est Sacerdotalis mitra, de cuius forma multis Iosephus *lib. 3. Ant. cap.8.* & Hieronymus *epistola ad Fabiolam de veste Sacerdotali.* Vide etiam Riberum *lib.3. de templo cap.8.*

17. Vers. 6. *Angelus Domini stabat & contestabatur, &c.*] Aderat Angelus donec omnia complerentur, quæ futuram Domini salutem portendebant. Edicebat tamen Sacerdoti publica, atque solenni forma, vt viam Domini custodiret, si modò vellet dignitatem illam sibi esse perpetuam. Quod in Sacerdote, vt diximus, suo quoque modo populo denunciabatur, cuius splendor tandiu stetit, quandiu ipse, neque à data fide, neque à Domini voluntate defecit. Hîc obserua quomodo Angelus in persona Domini loquatur, viásque Domini vias suas esse dicat. Ex quo verisimile fit, quod antea suspicabamur, priora verba Angeli esse, non Dei.

Vers.7. *Et custodiam meam custodieris.*] Vsitatum est apud Hebræos adhibere accusatiuum verbo cognatum, qui plerumque significat id, quod continet, aut indicat, aut circa quod aliquo modo versatur actio. Abac.3. *Audiui auditionem tuam*, id est, vocem, quæ auditur. Gen.8. *Odoratus est Dominus odorem*, id est, rem odoriferam. Isai.8. *timorem eius ne timeatis*, id est, minas, aut arma. Psalm.115. *Laudauerunt laudem eius*, id est, facta laudabilia. Sic hoc loco, custodire custodiam Dei, est Dei obseruare præcepta, quæ ideo tradita sunt, vt obseruentur. Eadem dicendi forma reperitur Leuit.18. Nam vbi vulgatus habet, *custodite mea mandata*, Heb. est, *custodite custodiam meam*, & Num.18. vbi vulgatus, *Excubabunt Leuitæ ad præcepta tua.* Heb. & Septuaginta, *custodient custodias tuas.* 18.

REGVLA. Accusatiuum, verbo cognatum id interdum significat, circa quod aliquo modo versatur actio.

Tu quoque iudicabis domum meam.] Non solùm hæc visio de Iesu Sacerdote, totóque populo oblata est Zachariæ, sed etiam de Iesu Domino nostro Seruatore, vt mox constabit. Monet ergo Angelus Iesum Sacerdotem, vt legem Dei custodiat, cuius obseruantiæ ergo pollicetur iudicaturum illum in domo Domini, & in atriis eius futurum esse custodem. An verò his verbis significetur vniuersalis administratio Reipublicæ Israëliticæ, qualem ante captiuitatem Reges habuerunt, vel tantùm rerum sacrarum, quarum cognitio ad Sacerdotes pertinebat, non facile indicatu est: quia tempora ab hoc Iesu ad Machabæos vsque valdè sunt obscura. Sed est verisimilius à Babylonica libertate summam potestatem penes Sacerdotes fuisse. Ita Iosephus lib. 11. cap. 4. *Penes Pontifices*, inquit, *fuit summa auctoritas, donec Assamonæorum* (id est, Machabæorum) *gens mutato rerum statu Regnum obtinuit.* Fuisse quoque Machabæos Sacerdotes satis constat ex eorum libris. Et lib.20. cap. penultimo idem Iosephus. *Iesu Iosedech filium & eius posteri quindecim vniuersi vsque ad Regem Antiochum Eupatorem statum Reipublicæ popularem rexerunt.* Cuius rei vestigium aliquod est in lib. Iudith, vbi Sacerdos magnus rem videtur administrasse bellicam. Neque contrà facit, quia hîc non populum iudicaturus esse dicitur, sed domum; quia *domus* sumitur pro populo Israël: Num. 2. *At non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est.* & Ierem.12. *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam.* 19.

In Sacerdote à captiuitate summa potestas.

Et dabo tibi ambulantes de his, qui nunc hic assistunt.] 20.
Quidam ita vertunt, *dabo tibi vias inter stantes istos.* Ita R.Dauid, & illum secuti nonnulli ex recentioribus, Pagninus, Vatablus, Montanus: quod etiam sequitur Chaldæus. Qui huius loci talem esse putant sententiam; futurum nempe vt, si legem custodiat, functus iam & munere, & vita ambulaturus sit inter eos; qui ibi aderant; aderant autem Angeli. Ita vt non solùm temporalia bona promittat, id est, summam auctoritatem in Israël, sed etiam æterna. Diuersa translationis causa fuit, varia notatio punctorum: nam eædem literæ aliter, atque aliter notatæ alium, atque alium sensum reddunt. Si ita legas, vt nunc habet textus

textus Hebraicus מהלכים *mahlechim*, ita dicendum esset, vt recentiores illi volunt cum Rab. Dauid. Sed Hieronymus, & L X X. legerunt absque dubio meliùs. מהלכים *mehalechim*: quem nos sequimur, quemque antiqui Patres secuti sunt. Promittit ergo Michaël Angelorum militiæ præfectus Sacerdoti maximo, ex Angelorum numero aliquot, qui illi adsint, tueanturque ab iis incommodis, quæ Principi viro, summámque rerum obtinenti ab externis, atque domesticis hostibus imminere solent. Ex quo constat iis qui præsunt, non vnum Angelum, sed plures in custodiam dari.

Angelus principum aut prouinciarum.

21\. Vers.8. *Audi Iesu Sacerdos magne: tu, & amici tui, qui viri portendentes sunt.*] Hebraicè אנשי מופת *anse mopheth*, id est, *viri portenti*. Quæ verba varias translationes, & sententias admittunt, sicut etiam nostra translatio. Nam viri portenti dici possunt, vel quia ipsi futuris sæculis portento futuri sunt, & typo rei alicuius. Qualis sine dubio fuit Iesus Sacerdos, qui Iesum Seruatorem adumbrabat: vel quia Prophetæ erant portendentes signis, & in typo prædicentes futura. Nam qui Christi typi sunt, qualis hic Iesus, Prophetæ dicuntur: neque aliter à Christo Abel dicitur Propheta Lucæ 8. vbi dicit sanguinem omnium Prophetarum exquirendum esse à sanguine Abel, &c. & ita placet Hieronymo in illud Ezech.4. *Si comedent filij Israel*: & sequitur Haimo, Albertus, Dionysius, & Ribera, sentiunt ergo, vel hos viros dari in signum rerum futurarum, vel his reuelari illa mysteria, de quibus statim, vt illa postmodum futuris sæculis annuncient.

Qui typus fuerunt Christi, Propheta dicuntur, vt Abel.

22\. Alij putant hos vocari viros portenti, seu portendentes, ita vt vox illa *portenti* sumatur passiuè, non tam vt ipsi futuri sint aliis portento, quàm accepturi à Domino portenta, & signa, quæ obseruant, & desiderant. Ita Rab. Dauid, Vatablus, Montanus, & Lyra; & his non valdè dissimilia Cyrillus, & Theodoretus. Et videntur id velle L X X, qui vertunt τερατοσκόποι, id est, *prodigiorum speculatores, & obseruatores.* Quod quidem à Iudæorum ingeniis non abhorret, qui signa quærunt, vt Christus dixit, & Deus accommodatè ad illorum naturam vltrò signa offert Regi Achaz per Isaiam *c.7.* In hāc partē magis inclinabat animus, nisi in aliā conspirasset omniū pene sentētia: & illud *protendētes*, quod vulgatus adhibuit, magis ad edentes signa, aut prædicentes futura, quàm ad instructos de futurorum euentu pertineret.

23\. Erant autem cum Iesu Sacerdote, quo tempore moliebatur vrbis, templique fabricam, aliquot Prophetæ, Aggæus, & Zacharias, vt liquet ex eorum vaticiniis, & *Esdræ 1.cap.5.* Fuit etiam Malachias, vt dicit Hieronymus, & Eusebius *in Chronico*, & Clem. *lib.1. Stromatum*; fuit quoque Iesus ipse, & Zorobabel, qui si minùs verbis, rebus tamen, & typo prophetauerunt. Imò, si credimus Hebræis, vt refert Lyra, etiam aderant tres pueri, qui in fornacem Babylonicam coniecti fuerunt. Neque cū hac expositione Septuaginta seniorum pugnat translatio: nam τερατοσκόποι si accentus est in antepenultima, non tam significat quòd ipsi portenta speculentur, quàm quòd aliis pro portento conspiciendi proponantur. Sicut alia verbalia nomina composita quæ antepenultimam acuunt, quod norunt, qui Græcè mediocriter sciunt. Neque si τερατόσκοποι sint, qui signa capiūt, aut vident, ideo non sunt Prophetæ; ideo enim signa vident, non vt silentio premant, sed vt annūcient aliis. Quare Prophetæ Videntes appellantur, & Prophetia Visio dicitur, & Prophetarum epitheton est.

Hoc tēpore qui Propheta in Ierusalem.

Propheta dicti videntes.

14\. Vers.9. *Ecce ego adducam seruum meum Orientem.*] Ad audienda verba hæc dignissima, quæ gemmis notentur, & lapillis, animo iubetur esse attento Iesus Sacerdos. Quæ miror ab aliquibus erepta Christo ad Zorobabel esse detorta; in quibus sunt Hebræi iuniores, & quidam ex Catholicis, & in his Theodoretus, & Eusebius *lib.4. de demonstr. cap. vltimo.* Cui, si cætera conueniant, quomodo illud, *adducam*, aptè quadrabit, cùm iam adductus fuerit Zorobabel? Quando quæso Zorobabel quasi lapis cælatus à septem oculis? Est ergo hîc sermo de Iesu Seruatore, vt communiter omnes, & Chaldæus apertè, qui vertit *Messiam.* Hoc itaque certum, de nomine plus negotij est. Pro *Oriente* Heb. est צמח *Semach*, quod *germen* significat: quod per (*Oriens*) videtur optimè redditum; quia illa, quæ pullulant, & germinant, oriri dicuntur. Complures metaphoram à Sole: non à plantis petitam esse credunt. Quibus hoc persuadet, & nomen *Orientis*, quod non tam plantis, quàm Soli accommodari videmus: & L X X. vertunt ἀνατολή, quo nomine vsus est Lucas cap.1. *Visitauit nos Oriens ex alto.* Quod de Sole esse intelligendum suadet, quod statim sequitur; *illuminare his, qui in tenebris & in vmbra mortis sedent.*

Christus dictus Oriens.

25\. Multum sanè momenti habet tot Patrum auctoritas, à quibus discedere audacis est animi, non tamen possum non abire in aliorum sententiam, qui à plantis similitudinem ducunt, non à Sole. Quod satis indicat vox Hebr. צמח *simach*, quæ de Sole nullo modo, de plantis optimè, imò solùm dici potest. Et ita omnes, præter Hieronymum, *Germen* interpretantur: imò Hieronymus ipse non rarò. *Isai.4. Ierem. cap.23. & 33.* Quare dubitandum non est apud Hieronymum idem valere (*Germen*, & *Oriens.*) Quod apertè docet infrà cap. 6. ad illud, *Ecce vir, cuius nomen est Oriens.* vbi Heb. צמח *Semach.* Ait enim (*Oriens*) *significare* ἀνατολήν, ἀναφυὴν, βλάστημα, id est, *germen, quia ex se repentè succrescit, & ex radice sua in similitudinem germinis pullulabit.* Verba sunt Hieronymi, vbi tribus nominibus germen significantibus, quid sentiret, expressit. Neque quicquam addidit, quod esset Soli affine, vel claritati.

Orientis metaphora non à Sole, sed à plantis.

26\. Neque vox ἀνατολή, qua L X X. sunt vsi, quicquam incommodat; nam licèt *orientem Solem* sæpe significet, non tamen rarò plantarum ortum, aut germinationem: imò propriè ἀνατέλλειν de plantis dicitur, & per metaphoram ad alia traducitur, vt scribit Suidas. Et, vt omittam externos, Scriptura plurima nobis suppeditabit exempla. Psal.103. vbi nos habemus, *producens fœnum iumentis*: & Hieronymus, *germinans herbam.* L X X. habent ἐξανατέλλων: & Ierem.23. vbi Hieronymus, *suscitabo Dauid germen iustum.* L X X. legunt ἀνατολήν. Quare Ribera putat in illo Lucæ 1. *Visitauit nos Oriens ex alto*, vsurpari (*Oriens*) pro germine, quia putat ad hunc locum allusum esse: neque obstare quod statim subditur id quod proprium est Solis; *illuminare his qui in tenebris*, &c. quia putat ex vna metaphora migrationē factam esse ad aliam; quod in Scriptura est frequēs. Quid dicendum sit de hoc loco Lucæ, nihil hîc moror, sed illud certum esse credo, neque infrà apud Zachariam *c.6.* sermonē esse de Sole, sed de germine. Cuius sententiæ sunt quotquot hîc pro *Oriente*, *Germen* reddunt: sunt autem, vt dixi, omnes præter Hieronymū. Tenēt præter hos Ribera, Montanus, Vatab. Legion. lib. de nominibus Christi, titulo,

Pimpol

Pimpollostunica, Viegas *Apoc.c.1 sect.*8. Quàm verè sæpe Christus *germen* dicatur, vel mediocriter versatis in Scriptura notum est.

27. *Quia ecce lapis, quem dedi coram Iesu.*] Alia nunc vtitur similitudine, qua confirmat animos eorum qui variè iactati excitare languentem spiritum non poterant, vt magnum aliquid sperarent rebus iam pene collapsis. Docuerat venturum esse germen, de quo priùs Isaias cap.11. *Egredietur virga de radice Iesse*, quæ Regem, Ducémque populi designabat ex radice Dauid, quæ variis incommodis videbatur excisa; vnde excitandum toties dicitur germen Dauid; nunc alia similitudine, quia de templo construendo agebatur, ostendit quanta futura sit templi maiestas, & amplitudo, cuius futurus erat Iesus Seruator lapis angularis. Agit verò de Ecclesia ex Iudæis, Gentilibúsque conflata, quos vnus lapis studiis, moribúsque disiunctos arctè copularet. De quo lapide Isaias 28. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum.* Huius autem lapidis typus erat & exemplar Iesus filius Iosedech, priùs quidem in vestibus sordidis: deinde verò cum stola munda, & Pontificia cydari in templi fabricam sedulò incumbens.

28. *Super lapidem vnum septem oculi sunt.*] Incidimus in locum difficillimum, in quo variè auctores, & se ipsos torquent, & à se vicissim variè distrahuntur. Montanus duos hîc lapides videt; alterum de quo priùs, quo significatur eius templi fabrica, atque duratio, quam tunc vrgebant Principes à captiuitate iam reuersi: alterum verò non manu factum, id est, Christum, siue eius Ecclesiam, quæ altiori quodam consilio, & septem oculis in eam intentis constructa est.

29. Alij communiter vnum lapidem esse putant, sed adhuc variè explicant. Quidam illum esse credunt, qui *cap.*4. dicitur stanneus in manu Zorobabel; & illi septem accommodant oculos, de quibus suo loco dicemus. Sed interim si hanc explicationem admittamus, sensus esse posset non ineptus; nempe, lapidem illum stanneum, id est, perpendiculum, aut aliquam regulam, seu mensuram tectonicam habere supra se septem oculos, quia magnus artifex Deus magno consilio, & summa attentione totum opus metatur, atque definit. Sed sunt multa, quæ minùs cum hac expositione congruunt.

30. Alij oculos in lapide statuunt, ita vt lapis oculatus sit; sed hi etiam variè: nam quidam septem Spiritus sancti dona hîc esse putant, & in his est Hieronymus, Rupertus, S. Thom. *in cap.* 5. *Apoc.* & alij non pauci. Alij sepem spiritus, de quibus *Apoc. cap.* 5. *& infrà cap.*4. sed in re obscura, atque impedita dicam quod mihi magis videtur ad veritatem.

31. Et primùm arbitror vnum tantùm esse lapidem, & in eo significari Iesum Seruatorem. Neque quisquam est, qui aliter sentiat præter Montanum. Per *lapidem* verò significari Christum notius est quàm vt multis à nobis probari debeat. Existimo autem ostensum esse Zachariæ ante faciem Iesu Sacerdotis lapidem impolitum, & rudem, qualis erat ille, qui reprobatus sæpius tandem factus est in caput anguli, & qualis ille *Dan.*2. qui excisus sine manibus statuam deiecit. Deinde verò ostensum esse prophetæ lapidem illum futurum esse pretiosum, iuxta illud Isai.28. *Mittam in fundamentis Sion lapidem probatum, angularem, pretiosum.* Roddit deinde rationem quomodo, aut qua specie futurus sit pulcher, atque pretiosus lapis ille, dum dicit; *super lapidem vnum septè oculi sunt.* De quorum oculorum instructu, ac lumine quid statuam, nihil planè compertum est.

Iesus in lapide significatus.

32. Mihi valdè videtur probabile, quod alij sentiunt, oculatum esse lapidem; eósque septem oculos, septem esse Angelos, qui in variis metaphoris dicuntur assidere Christo, tanquam eius voluntatis administri. Facit ad hæc non dissimilis loquendi modus, quo in Apocalypsi Ioannes vsus est, vbi in septem oculis totidem sine dubio intelliguntur Angeli. Crebræ autem sunt allusiones in Apocalypsi ad hunc Prophetam, & dicendi modus non dissimilis. Sed de hac re agemus pluribus sub finem cap.4. ad illud, *Septem isti oculi sunt Domini.* Ex quibus huic sententiæ plus accedet probabilitatis.

33. Sed nunc magis mihi videtur expeditum, si septem oculi pro attentissima consideratione sumantur, magnóque consilio. Septem enim pro multis, & oculos pro attentione vsurpari solere nemini, credo, dubium est. Erit ergo huius loci sententia, summo studio, ac cura cælandum esse rudem illum & impolitum lapidem, qui oblatus est Zachariæ. Quod probat id, quod statim subditur: *Ecce ego cælabo sculpturam eius;* quia Dei oculi pro septè, id est, pro infinitis sunt.

Septem oculi pro attentione.

34. Vsitatum est inter Prophetas, vt in hoc nostro sæpe obseruauimus, & in Isaia sæpissimè, vt quoties in eo quod proponitur, aliqua apparet Christi vmbra, aut temporis Euangelici auocetur sermo ab historia, & typo, & ad Euangelici temporis mysteria traducatur: quod in hoc rerum articulo spectare licet. Obiectus fuerat Iesus Sacerdos squalidis lacerísque vestibus, quales retulisse videri potuit ex longo, duróque seruitio; quibus depositis assumpta Pontificia stola, & veste munda, illustris repentè visus est, & veneratione dignus. Hæc species, & nomen ipsum Sacerdotis satis adumbrabat Seruatorem Iesum. Nam sicut ille sordidus priùs, & abiectus, deinde verò lautus, & gloriosus visus est, sic Christus deposita illa specie, quam è nostro squalore contraxerat, perfunctus iam acerbissima morte gloriosissimus apparuit. Hoc idem alia similitudine ad maiorem rei firmitatem; & lucem iterum exprimitur, in lapide priùs impolito, & rudi, deinde magno studio, & singulari artificio mirificè cælato. Fuit quidem Iesus Seruator lapis ille paruus, quem vidit Daniel cap.2. excisum sine manibus, qui deinde creuit in montem magnum despectus in hominum oculis, quandiu in terris mansit in mortali statu, qui deinde cælatus est à Deo septem oculis, id est, magno studio in eam curam intento. Priùs flagris, spinis, & clauis, sicut etiam lapis qui primùm durè versari, tundi, ac solui videtur ab artifice, qui tunc reprobatus videri potuit hominum iudiciis; deinde ad gloriam, dum illa, quæ priùs videbantur ad ignominiam inflicta decori fuerunt & pulchritudini. Ac tandem ea ratione super lapidem tanto artificio, curáque excultum fundata fuit Ecclesia, id est, templum aliud illustrius eo, in quod tunc Iesu Sacerdotis incumbebat industria. Quod impleuit vniuersam terram; sicut paruulus ille lapis, de quo Daniel, magnum creuit in montem.

Quomodo in lapide adumbratus Christus.

35. Septuaginta vertunt, *Ecce ego fodi foueam.* Aquila, *sculpam aperturam eius.* Eodem ferme modo Symmachus, & Theodotio: & est sensus idem, sed

sed magis explicatus. Nam lapis ille ita priùs videbatur sculptus, vt dissipatus potiùs, & deformatus apparuerit, quàm cælatus, & pulcher. Sed illa vulnerum vestigia, atque foramina, & sinus ex plagis relicti, quæ aperturæ, & foueæ vocari possunt; ita fuerunt à summo artifice,& à septem ipsius oculis illuminata, vt nihil humani oculi vnquam viderint,neque ad aspectum præclarius, neque ad gloriam illustrius. Deus itaque fodit foueam, quia percussit Christum Isai. 53. *propter scelus populi mei percussi eum*: sed cælauit illum,quia excitauit à mortuis, & per Passionem gloria, atque honore coronauit.

36. *Et auferam iniquitatem terræ illius in die vna.*] Dixerat nuper ablatam esse iniquitatẽ à Iesu Sacerdote, id est, à populo in Sacerdote repræsentato; vbi, *iniquitatem* esse diximus sordes illas, quas propter iniquitatem in exilio contraxerat. Quæ tamen à populo non vno, sed multis postea dieb. ablatæ sunt: nam adhuc multi Hierosolymis aberant; neque dum his qui à Babylonia redierant, omnia libera erant ac soluta. Quare in Iesu Seruatore, id est, in huius vmbræ corpore, ac veritate hæc intelligenda sunt, non in Sacerdote filio Iosedech, quia nullus fuit dies, qui simul ab omnibus sordes absterserit. In Iesu verò Seruatore longè secus: nam vbi vltima manus accessit exculpendo lapidi, quod in morte accidit,vnus, atque idem dies & Christo sculpturæ, & vitæ, & mundo iniquitatis, & exilij finem attulit. Qua verò ratione sublata dicatur iniquitas terræ, cum tamen post Christi mortem plurima quotidie flagitia pullulent, disputant Theologi, docéntque sufficienter esse à Christo prouisum, quò omnis deleretur iniquitas, modò homines diuinum illud beneficium diguè velint suscipere, & eo sensu dici posse Christo moriente mortuum quoque fuisse peccatum, & hominem veterem eodem, quo Christus ligno, crucifixum. Neque hic loquendi modus alienus est à Scriptura, quæ id dicit ab aliquo fieri, qui vt faciat, dignus atque idoneus est, vt pluribus ostendimus in illud Act.cap.13.*De spe & resurrectione mortuorum ego iudicor.* Et sunt in Scriptura locutiones aliquot huic non dissimiles. Isai. 33. *populus qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas.* Et Ecclesia canit in vigilia Natiuitatis Domini, *crastina die delebitur iniquitas terræ.*

Quomodo vna die iniquitas terræ à Christo sublata.

Regvla. Id ab aliquo dicitur fieri, qui vt faciat dignus & idoneus est.

Vers.10. *Vocabit vir amicum suum subter vineam.*] 37.
Quanuis populus ille sub hæc tempora pacem nactus fuerit, tutóque potuerit sub vite, & sicut securum otium agere: hæc tamen multo meliùs in tempus conueniunt Euangelij, in quo omnium rerum abundantia, veraque tranquillitas, & nunc maximè, & aliis Scripturæ locis sæpe promittitur. De Euangelio igitur,& spirituali pace præcipuè sermo est: quia à bellis ille populus post hæc verba otiosus omnino non fuit, imò nunquam magis neque maiori cum incommodo vexatus est. Eisdem penè verbis vsus est Michæas cap. 4. *Sedebit vir subtus vineam suam, & subtus ficum suam; & non erit qui deterreat.* De eadem pace loquitur *Isai.*2. *Ose.*2. *Amos cap. vltimo.* Esse autem sub ficu, aut vite, vulgaris est, & prouerbialis Hebræorum forma, quæ securam indicat quietem: nam vbi infensi sunt hostes, aut latrones vicini, nemo per otium, aut quietem audet in agris morari. Prouerbium autem natum est ex Hebræorum consuetudine, quibus vsitatum est vites, & ficus serere, quibus solum Hierosolymitanum, vtpote petrosum, & asperum, aptius est; & arboribus quàm segeti idoneum magis. Porrò quàm totus ille tractus abundet vitibus, docet ipsum vinearum nomen toties repetitum. De ficuum abundantia, ac nobilitate illud argumento est, quod massæ ex illis fiunt in vsum totius anni. Abigail 1.*Reg. cap.* 25. inter alia munera obtulit Dauid ducentas massas caricarum, & eidem Siba seruus Miphiboseth 2. *Reg.* 16. centum massas palatharum, quod est omnino idem. Fructus verò ficuum ibi esse suauissimos, constat ex parabola, seu apologo de oliua, ficu, vite, & rhamno, qui refertur in lib. *Iudic. cap.*9.

Esse sub vite, & ficu, Prouerbiũ.

Ficus in agro Solymitano frequens.

IN CAPVT QVARTVM

ARGVMENTVM.

OBLATO aureo candelabro, cui ex oleario vasculo, quod in summo stipite erat, in septem lucernas per totidem fistulas, seu infusoria oleum infunditur: & quod ex aurea materia duo oliuarum rami à dextra, læuáque amplectuntur, ac cælant, significat Propheta prouenire non à Zorobabel, aut ab alia Iudaici populi virtute, vt templum instauretur Solymitanum, & res Iudaica meliori loco sit. Deinde varia impedimenta, quæ multis ex locis ostendebantur, sublatum iri demonstrat. Tandem, vt breui absoluendam esse templi constructionem significetur, ostenditur Zorobabel cum tectonico perpendiculo, quasi iam vrgeat opus, & formam ædificij cæmentariis præscribat. Ad extremum explicatur quid portendant septem lucernæ, & duæ oliuarum spicæ, quæ obiectæ fuerunt: illæ affixæ; hæ verò insculptæ in candelabro.

CAPVT IV.	PARAPHRASIS.
1. *ET reuersus est Angelus, qui loquebatur in me, & suscitauit me quasi virum, qui suscitatur de somno suo.*	1. CVm ab aliis visionibus aliquid intercessisset moræ, rediit ad me Angelus mihi familiaris, & me attentum, & vigilẽ esse fecit, perinde atque si è somno dormientem excitasset.
2. *Et dixit ad me: Quid tu vides? Et dixi*	2. Rogatus ab eo, quid vidissem, respõdi

xi: Vidi, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius super caput ipsius, & septem lucernæ eius super illud: & septem infusoria lucernis, quæ erant super caput eius.

A di, obiectum mihi esse candelabrum ex auro solido, in cuius fastigio, id est, in lenticula, quæ in summo esset candelabri stipite, lampas erat. In capite verò candelabri, id est, in summa parte scapi, cui erat imposita lenticula cum summa lampade, septem visebantur lucernæ in coronæ modum subiectæ oleario vasi, siue lenticulæ: quibus ex lenticula per septem infusoria, seu canales, qui lucernas cum lenticula coniungebant, oleum influebat.

3. Et duæ oliuæ super illud: vna à dextris lampadis, & vna à sinistris eius.

3. Huic verò lenticulæ cui imposita erat B summa lampas, & quam septem lucernæ, quasi ex eius fundo pullulantes coronabant, insculptæ erant ex auro duæ oliuæ, altera à dextris, altera à sinistris lampadis, quæ lucebat in summo.

4. Et respondi, & aio ad Angelum, qui loquebatur in me, dicens: Quid sunt hæc Domine mi?

4. Tunc ego dubius quid sibi vellet tam illustris, atque argumentosi candelabri species, oraui Angelum, qui mihi loquebatur, me vt de illius artificio, ac significatione doceret.

5. Et respondit Angelus, qui loquebatur in me, & dixit ad me; Nunquid nescis quid sunt hæc? Et dixi: Non Domine mi.

5. Quod ipse fecit postquam intellexit C nihil de candelabri portento mihi esse exploratum.

6. Et respondit, & ait ad me, dicens: Hoc est verbum Domini ad Zorobabel, dicens: Non in exercitu, nec in robore; sed in spiritu meo, dicit Dominus exercituum.

6. Ait igitur ad me: Hoc signo hieroglyphico, quasi sermone suo alloquitur Deus Zorobabelem Ducem populi, cuius hic est sensus. Quemadmodum candelabrum hoc, in quo ciuitatis, & templi vmbra quædam est, oleo abundans quod continet affatim, funditque lenticula, & tot lucernis instructum, tam latè splendet, vt vides, sine vlla Zorobabelis opera, aut populi labore, sed tantùm mea virtute, atque consilio: sic etiam non tam Zorobabelis D opera, ciuitas, & templum, quàm meo consilio, atque virtute instaurabuntur.

7. Quis tu mons magne coram Zorobabel? in planum: & educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ eius.

7. Et nunc agente me, dicit Dominus, ô mons magne, qui te Zorobabelis consiliis, atque studiis opponis (siue Dæmon sit, qui grauiter fert ad Dei gloriam aliquid institui, siue Babylonij, aut Samaritani, qui vrbis, templíque fabricam morantur & impediunt) quantumcunque tumeas, & in altum efferaris, redigeris in planũ. Quare cùm iam, ô mons magne, impedimenti nihil afferre possis, rem Zorobabel eò deE ducet fauentibus iis, qui prius aduersabantur, vt imponat primarium, id est, summum lapidem, qui extremus est in ædificando, & ædificio toti speciem, & firmitatem præbet. Neque minor erit gratia templi à Zorobabele constructi, quàm eius quod à Salomone priùs excitatum est.

8. Et factum est verbum Domini ad me, dicens:

8. Rursus loquutus est Dominus ad me, docuítque futurum, vt domus illa, quæ priori non esset inferior, breui absolueretur.

9. Manus Zorobabel fundauerunt domum istam:

9. Eadem (inquit) manus Zorobabelis,

istam: & manus eius perficient eam: & scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos.

A lis, quæ primum demisit fundamenti lapidem, imponet extremum, & perficiet opus. Tunc verò non erit quòd vllus vestrûm dubitet me missum esse à Domino exercituum.

10. *Quis enim despexit dies paruos? & lætabuntur, & videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel.*

10. Et quis est qui diem illum despexit, in quo templi huius, quod humile, aut quod ignobile futurum videbatur, fundamenta posita sunt? Ecquis qui vndecunque oboriri impedimenta contemplatus, nunquam putabat fore, vt ad summũ hæc perduceretur fabrica? Ecquis acclamationes, quæ in prima magnorum operum molitione esse solent festiuæ, permixtas esse

B videt perturbatione, ac luctu? Ecce illi lætabuntur, & videbunt in manu Zorobabel perpendiculum tectonicum, quo per otium templi fabricam metabitur, atque describet, & quietè, ac securè descripta ingenio, opere perficiet.

Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in vniuersam terram.

Postquam Angelus aperuit mihi, quid in vniuersum sibi vellet candelabrum aureum, iam speciatim explicat alias candelabri siue partes, siue ornamenta. Et inprimis septem lucernas totidem Domini oculos esse dicit; id est, septem Angelos, qui toti mundo præsident, quique propter

C datum sibi à Domino ministerium oculi dicuntur Dei. Et nunc quasi collectis totius mundi viribus adiutores sunt Zorobabeli ad templi molitionem.

11. *Et respondi, & dixi ad eum: Quid sunt duæ oliuæ istæ ad dexteram candelabri, & ad sinistram eius?*

11. Cùm iam doctus essem de toto cãdelabro, & specialiter de septem lucernis, reliquum erat, vt de duobus oliuis, quas cælatas esse dixi in candelabro, ab Angelo doceret.

12. *Et respondi secundò, & dixi ad eum: Quid sunt duæ spicæ oliuarum, quæ sunt iuxta duo rostra aurea, in quibus sunt suffusoria ex auro?*

12. De illis ergo Angelum percontatus, cùm primùm nihil mihi respondisset, iterum vrgeo, ac rogo, quid essent duæ illæ

D spicæ, aut rami oliuarum, qui ex rostris cãdelabri assurgunt, id est, ex ea parte stipitis, quę lenticulam sustinet, & vnde erumpunt suffusoria, seu fistulæ, per quas oleum in lucernas infunditur?

13. *Et ait ad me dicens: Nunquid nescis quid sunt hæc? Et dixi: Non Domine mi.*

13. Cùm omnino negarem nosse me quænam esset duarum oliuarum significatio.

14. *Et dixit: Isti sunt duo filij olei splendoris, qui assistunt Dominatori vniuersæ terræ.*

14. Respondit Angelus, in illis oliuis expressos esse duos ordines, qui vngi oleo, ac designari solent, Regium nimirum, & Sacerdotalem. Qui cùm vni, aut alteri regioni, aut ministerio præsunt, vniuersæ terræ Dominatoris administri sunt.

INCIDIMVS in locum, qui diu optima torsit ingenia, neque tamẽ è multis explicatio est vlla, quæ curioso, ac studioso lectori omnino satisfaciat. Nos ex omnibus aut conflabimus, aut amplectemur vnam, quæ si non vndequaque vera sit, dabimus tamen ope-

E ram, vt proximè ad veritatem accedere videatur.

Vers. 1. *Et reuersus est Angelus, qui loquebatur in* 1.
me.] Apparet ex his aliquid temporis intercessisse inter hanc, & superiorem visionem. Neque si Angelus hic tutelaris est Zachariæ, existimandus est recessisse, sed nouo quodam afflatu ad futuram visionem Prophetæ animum excitauisse.

Neque

REGVLA. *Aliquid fieri dicitur, cùm factum declaratur.*

Neque alienum est à Scripturæ consuetudine, vt aliquid dicatur fieri, cùm factum esse declaratur. Aderat quidem semper cum Zacharia tutelaris Angelus, sed cùm ad illud vsque temporis vestigium præsentiæ suæ non edidisset sensibile aliquod indicium à superiori Prophetia, iuxta communem hominum sensum, & loquendi modum, à quo Scriptura non abhorret, recessisse putabatur: rediit verò cùm certum præbuit suæ præsentiæ testimonium. Si verò Angelus sit alius, qui Zachariæ, quatenus Prophetæ aderat, quique spiritus Prophetiæ dici potest, hic sanè abesse potuit, quia cùm Prophetia habitus non sit, sed Dei donum, quod aliquando abesse à Propheta solet, vt communiter docent Theologi, nihil mirum si à Propheta recesserit, reuersúsque fuerit, cùm adesset iam à Deo noua species, quæ vt Prophetæ cognitionem non effugeret, necessarium erat vt instrueretur, & confirmaretur ab Angelo.

Angelus Prophetiæ non semper adest Prophetæ.

Et suscitauit me quasi virum, qui suscitatur à somno.] A somno suscitari se dicit, vel quia in alta eorum, quæ viderat, contemplatione defixus erat, neque aliter quàm qui alto immersus est somno, à se totus abierat: vel quia præ cælesti, atque prophetico splendore reliqua tenebrarum instar obtinēt, in quibus qui dormit, iacere existimatur.

Vers. 2. *Et ecce candelabrum aureum totum.*] Mirum est quot Doctorum, atque Interpretum oculos istius candelabri splendor perstrinxerit. Adsit vtinam nobis illuminator Spiritus, in cuius ipse imagine proponitur, vt eius nos & formam spectare, & quid portendat cognoscere, ac declarare possimus.

De lampade, quæ supra caput esse dicitur, res est satis obscura, neque admodùm inter se consentiunt Interpretes. Hebr. est גלה *gulah*, quam Pagninus *lenticulam*, Tigurina *discum rotundum* interpretatur. Neque aliter videtur de vocis significatione sentire Hieronymus qui alibi *lenticulam* conuertit, & ita appellari censet columnarum capita (de quo statim.) Si ita statuas in summo candelabro nulla spectatur lampas, sed tantùm rotundum illud, & concauum corpus, quod summum occupat stipitis caput: neque plures erunt, quàm septem lucernæ, ad quas è lenticula per canales oleum deriuatur. Neque admodùm vrget vox (*lampas*) quam pro *lenticula* vulgatus adhibuit, quia sæpe res contenta pro continente sumitur per metonymiam; atque ideo *lampas* pro vase, in quo lucere solet lampas, vsurpatur. Quomodo sæpe apud profanos auditur *ænea lampas, argentea lampas*, & similia. Quare qui ita hunc locum exponeret, nihil diceret aut contra Hebraicum textum, aut contra vulgatam translationem. Et quidem Hispanorum vulgo vas illud, quod pro lucernis comparatum est, *Lampara* vocatur. Sed quoniam in aliam explicationem cum Hieronymo, & Cyrillo incumbunt complures alij, & ita conuertunt LXX. nos quoque cum pluribus sentiamus, & ad 7. lucernas summam adhibeamus lampadem, ad quam ea, quæ deinde sequuntur, attemperemus.

2. *Candelabrũ hoc diuersũ ab eo, de quo Exod. capıas.*

Quod ad candelabri formam spectat, mihi certum est non esse eandem, quæ *Exod. c.* 25. describitur: tum quia ibi multa sunt, quæ in hoc candelabro Propheta non vidit, vt lilia, sphærulæ, & scyphi: tum quia ibi 7. erant lucernæ; hîc verò 8. iuxta translationē vulgatã. Qui præter summam lampadem, quæ est in summo stipitis seu lenticulæ fastigio, de quo statim, septem alias adiungit. Illic sex calami, in quibus totidē lāpades sunt,

A egrediuntur è lateribus candelabri ternæ è quolibet latere: sed in hoc nostro septem lucernæ sic sunt superiori, ac mediæ subiectæ, vt illam ambiant instar coronæ. Ita putat Montanus, & Isidorus Clarius. Reliqua, vt credo, aperta sunt, illud verò probandum coronæ in modū dispositas esse lucernas subiectas priori, & pullulare e lateribus.

In summo stipite, id est, in capite candelabri lāpadem esse dicit vulgatus. Pro *lampade* Hebr. est גלה *gulah*, quam Hieron. multis in locis vertit *lenticulam*, id est, vas sic appellatum à figura rotunda, quod etiam alibi significare putat *capita columnarum*, ab eadem rotunditate. 3. *Reg.* 7. *n.* 41. & 42. Significat etiam *fontem*, 3. *Lucernæ in candelabro instar coronæ.*

B seu, *scaturiginem* Iosue c. 15. & Iud. 1. Nam vbi vulgatus habet: *Da mihi irriguum superius*, in Hebraico textu est גלות *guloth*, id est, *aquarum scaturigines*. Ex his non est difficile coniectare, quid sit lampas illa, seu lenticula, quæ est in capite candelabri, quæ sanè & ad speciem pulchra, & ad vsum commodissima est. Præstat enim candelabro id, quod capitellum columnæ: & quia lenticula vas est, & plenum olei, & quasi scaturigo, & lucernam fouet quam habet supra se, quæque lampas dicitur, & ad septem lucernas, quas habet subiectas, & quasi erumpentes è fundo ipsius, oleum transfundit: & ideo tot habet infusoria, quot sunt lucernæ. Infusoria autem voco non olearia vasa, seu lenticulas olei, quæ sint veluti alligata singulis lucer-

C nis, vt multi volunt; seu foramina, per quæ à vase aliquo supra candelabrum, & ab eo separato oleũ in lucernas influat; sed vel canales, vel fistulas, quæ à lenticulæ fundo, seu à scaturigine ductæ oleum ad lucernas transmittunt, coniungúntque illas cum ipsa lenticula, non secus atque collum alia membra cum capite connectit. Pro *infusoriis* Hebr. est מוצקות quod non tam significat vas, in quo aliquid continetur, quàm id, per quod aliquid communicatur, & transfunditur. Quod nos iuxta vim Hebraicæ vocis vocare possumus *euacuatoria*, seu, *infundibula*.

Neque difficilem facit hanc sententiam, quòd 4.

D tam infusoria, quàm lucernæ, & lampas seu lenticula esse dicuntur non in capite, nempe candelabri, sed super caput: nam siue vocem Hebraicam על *hal*, siue Latinam *super* consideres, vtraque sæpissime ponitur pro *in*, seu *iuxta*. Exod. 16. *Quando sedebamus super ollas carnium.* Num. 26. *Locutus est super Iordanem ad Iericho*: & Psal. 23. *Fundauit terram super aquas*: & Psal. 136. *Super flumina Babylonis ibi sedimus.* In quibus locis *super*, idem est quod *iuxta*. Erant igitur lucernæ super caput candelabri, cui summa lampas, quæ erat in lenticula, seu scaturigine, insederat, sicut sphærulæ, seu capitella esse dicuntur in columnarum capitibus 3. *Reg. cap.* 7. Ex quo apparet illam cande- REGVLA. *Super interdum idem quod iuxta significat.*

E labrorum formam, quæ nostris temporibus frequens esse cœpit, & de quorũ inuentione, atque arte aliqui sibi valdè placent, nouam non esse, sed à Deo summo artifice iamdudum oblatam Zachariæ. Neque enim existimo aliam esse candelabri figuram, de qua nunc laboramus, nisi quòd quæ hoc tēpore lautioribus hominibus in vsu esse cœperunt, vnum aut alterum ellychnium habent, hoc tamen propheticum septem lucernis instruitur, & coronatur, præter illam, quam in summa lenticula fuisse diximus.

Sed obiiciet aliquis plures videri fuisse canales, siue fistulas, quàm lampades, seu lucernas, quæ vt diximus, pullulant ex lenticulæ fundo. Illæ enim septem sunt, infusoria verò, si textũ con-

sulas Hebraicum, multo plura: vbi enim vulgatus legit *septem infusoria*, Hebr. textus habet שבעה ושבעה *sibhah van sibhah*, id est, *septem, & septem*, quæ geminatio, aut numerũ duplicat, ita vt quatuor decem numerentur fistulæ, aut numerum distribuit, ita vt septem, & septem idem sit quod septena. Si priori modo accipias, duæ fistulæ cuilibet attribuuntur lucernæ, quia lucernæ septem sunt; fistulæ verò seu canales quatuordecim. Si posteriori, septem infusoria oleum cuilibet suppeditant lucernæ. Ego primùm opinor nullo modo canales hîc esse quatuordecim, quia, vtcunque sit de alio quouis idiomate, apud Hebræos (quod ego viderim) geminatum nomen siue numerale sit, siue aptum distributioni, nunquam numerum duplicat, sed distribuit: non enim *duo, duo*, siue *duo & duo*, quatuor significant, sed multitudinem in binarios plures distributam; quomodo Marcus cap. 6. vbi vulgatus, *vocauit duodecim, & cœpit eos mittere binos*; Græcè est δύο δύο, i. *duos duos*: at vt vides, plures erant quàm quatuor. Genes. 7. plurima ingressa sunt arcam animalia munda, quæ tamen ingressa sunt septena, id est, in septenarium numerum digesta, quæ Hebraicè dicuntur, *septem septem*, & ex immundis plura quàm quatuor: at ingressa dicuntur, aut ingredi iubentur eodem cap. vers. 2. & 9. *duo & duo*, id est, bina. Neque obstat ad hanc distributionem si media intercedat coniunctio: habemus enim in Scriptura exempla non pauca, in quibus coniunctione media geminatum nomen distributionem ordinatam significat. Facit ad hoc exemplum, quod modò produximus Genes. 7. *duo & duo*. Vide quæ diximus ad illud Isai. cap. 27. *congregabimini vnus & vnus*, id est, singuli.

Sed illud difficilius, quomodo singulis lucernis septena non sint addita rostra, infusoria, seu canales; nam, vt diximus, vox alicuius numeri geminata numerũ illum sæpiùs distribuit: at nemo dixit præter R. Salom. & Mont. tantam vel affingi, vel appendi singulis lucernis canalium multitudinem. Non nemo cogitare posset in antiquis codicibus non fuisse geminatum שבעה *sibhah*: neque id temerè, quando neque à vulgato, neque ab aliquo ex antiquis Interpretibus, quod ego viderim, additum est aliquid, quod vocis geminationi respondeat: qui verò vocem illam in translatione geminant, recentiores sunt. Sed si demus antiquissimis etiam temporibus iteratam esse vocem illam, non tamen inde necessariò fit, numerum illum septenarium ibi distributum esse, quod planè videtur Septuaginta, & vulgatus, qui simpliciter non *septena* reddidêre, sed *septem*. Et hoc mihi omnino videtur esse dicendum cum omnibus aliis, vno aut altero excepto, vt etiam volunt, qui pro *septem, septena* conuertunt. Tunc autem, vt Vatablus putat, affirmationis gratiâ iteratur illud *septem*, in hunc modum. *Septem lucernæ super illud, septem, inquam, sunt, & septem infusoria lucernis ipsis*: ita vt septem secundo loco positum referatur ad lucernas; aut certè sit quædam anadiplosis satis in Scriptura frequens, quæ vocem iterat, aut ornatus tantùm gratiâ, aut cum aliqua etiam epitasi, vt Ier. c. 2. *Foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas*. vbi in cisternis secundo loco positis aliquid proponitur considerandum altiùs. Quasi diceret: non erant cisternæ solitæ, quæ collectam aliunde pluuiam conseruarent; id enim minùs haberet stuporis, sed erant disiectæ, atque rimosæ. Tale est illud Isaiæ c. 40. *consolamini, consolamini*; & illud Psalm. 136. *Exinanite, exinanite*. Sic ergo

A nunc hic erit sensus cum epitasi: *septem sunt lucernæ, septem, inquam, quare satis splendoris erit*. Aut si septem ad infusoria referas, *septem, septem, inquam, sunt infundibula, singula singulis lucernis; quare satis erit olei ad fouendam flammam*. Hæc in re dubia, atque coniecturali dici posse videntur non abs re.

De figura minùs, credo, difficile, de significatione difficillimum explicatu est. Hieronymus sanè ingenuè fatetur in fine capitis non omnino sibi placere, quæ ibidem docuisset. *Hæc*, inquit, *vt quiuimus, & vt nostri ingenioli vires ferre potuerunt, loquuti sumus, & Hebræorum, & nostrorum varias opiniones breuiter perstringentes. Si quis meliùs, imò verius dixerit, & nos libenter melioribus acquiescemus*. Et, vt iam B ad rem accedamus, quidam hîc putant de præsenti rerum Iudaicarum statu esse visionem hanc. Ita Lyra, & Doctores Hebræorum, vt dicit Hieronymus; alij de Ecclesia, & hi sunt ex Catholicis plerique. 5.

Ego hîc cum Theodoreto mihi persuadeo vtrumque significari in candelabro, & statum Iudæorum præsentem, typicè tamen; & Ecclesiæ, quem præsertim intuetur hæc species. Quia verè in templo construendo, atque exornando illa contigerunt, quæ in hoc spectamus candelabro; sed illa eadem multo illustriora contemplari licet in Ecclesia. Vt ergo candelabrum typus est templi, reique publicæ Iudæorum ex captiuitate ad C pristinam gloriam reuocatæ; sic templum, atque Respublica restituta typus est Ecclesiæ. Nunc de Iudaica, pòst verò de Christiana Republica videamus. 6. *Candelabrum typus Reip. Iudaicæ, & Ecclesiæ.*

Dissiparat Dominus nobilissimum templum, sustulerat ex eo aurum, aut obscurarat, iuxta illud Threnor. 4. *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides Sanctuarij?* Extinxerat cãdelabrum, quod instar Solis quoquouersus radios in omnes partes diffũdebat. Quod multo antè qui candelabrum conflauit, Salomon prædixit Prouerb. 23. *Lucerna impiorum extinguetur*: & Ierem. 25. *Perdam ex eis vocem gaudij, & vocem lætitiæ, & lumen lucernæ*. Nunc verò Deus quicquid ob- D scuritatis est, & squaloris in auro, detergit, & ideo ex auro solido producit candelabrum, & accendit lucernam, neque vnam, aut alteram, sed octo, illisque à lenticula, seu scaturigine iugi oleum præbet. 7.

Quod proximùm est vt fiat, significari, aut dici iam esse factum, notum est in Scriptura, & nos multis ostendimus in illud Cant. 2. *Introduxit me Rex*. Cùm ergo propitio iam Deo, & impensè fauente Iudæorum rebus, quamcelerrimè, templi fabrica esset absoluenda, sexto nimirũ anno Darij, proponit iam signum perfecti templi, aureum candelabrum cũ octo lucernis, & suo, & lucerna- E rum lumine longè, latéque collucens. Candelabrum autem non solùm templi omnium nobilissimi, sed totiùs Iudaicæ gẽtis esse signum, docuit Imperator Titus, qui in triumpho de Iudæa capta candelabrum inuexit eius gentis insigne, quod nunc etiam in antiquo fornice Romæ visitur. Et vt suum genus profiterentur Iudæi apud exteras gentes (quod etiam factum puto apud ipsos domi) lucernas habebant liliis insculptas, qualia effecta erant in aureo templi candelabro: sic enim Persius Satyra quinta cùm de festis ageret Iudæorum. 8. *Candelabrum typus templi, & populi Iudaici.*

——— At cùm
Herodis venere dies, vnctáque fenestra
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ
Portantes violas.

Vides

Vides quemadmodum Iudæi candelabro ſibi familiari, violis, id eſt, liliis inſtructo ſuum ſibi genus, & ſacra profitentur.

9. Illa ergo lenticula, quæ ſupra candelabrum eſt, & in medio lucet, ſumma lampas, Deus eſt, à cuius Spiritu, vt ſtatim dicetur, non ab induſtria, aut robore Zorobabelis vim habet ac ſplendorem totum illud opus. Ab eo enim habent, vt ſplendeant ſubiectæ lucernæ, quia ab ipſo oleum habent. Septem verò dicuntur, vel quia in illis adumbratur templum, cuius candelabrum ſeptem tantùm lucernas habuit; aut quia ſeptenarius numerus multitudinem indicat, aut excellentiã. Futurũm autem ſplendorem populi maximum poſt exilij tempora, & ſępe clamarunt ſuperiores Prophetæ, & hic noſter proximè, cùm dixit capite 2. *& in gloria ero in medio eius.*

Hieronymus ex Hebræorum mente alium adducit eius candelabri ſenſum; qui in eo legem intelligunt, quibus etiam lampas, quæ in extremo faſtigio fulget, Chriſtus qui caput eſt legis, & totum illuminat mundum. In ſeptem lucernis totidem Spiritus ſancti dona; in ſeptem infuſoriis ſignificari putant illa dòna per legem ad homines deriuari. Duas autem oliuas legem interpretãtur, & Prophetas.

10. *Candelabrum Eccleſiæ typus.*

Hæc de Iudæorum Republica. De Eccleſia variè interpretes, & Patres accipiunt. Anaſtaſius Epiſcopus Nicenus *in quæſtionibus in Scripturam quæſt. 51.* candelabrum B. Virginem eſſe putat, quoniã materię expertem lucem geſtauit Deum incarnatum. Verùm communiter alij in candelabro Eccleſiã agnoſcunt. Cyrillus, Auguſt. *hom. 8. in Apoc.* (ſi fortè opus illud Auguſtini eſt, & nõ potiùs Tichonij;) & viri Eccleſiaſtici ãtiqui, vt refert, & ſequitur Hieronymus. Lampas media Chriſtus eſſe putatur, ita Hieronymo referente, veteres Eccleſiæ magiſtri, item Hebræorum multi: eodem modo Cyrillus, qui eò refert illud Iſaiæ 62. *Propter Sion non tacebo, & propter Ieruſalem non quieſcam, donec egrediatur vt lumen iuſtitia mea, & ſalutare meum vt lampas accendatur.* Idem Anaſtaſius ſuprà. Dicitur autem perquàm bellè Chriſtus lãpas illa ſublimior, quia & ipſe caput eſt Eccleſiæ, neque infuſorium habet, per quod ab aliis oleum mutuatum accipiat; cùm in ſe habeat, vel potiùs ipſe ſit olei perennis quædam ſcaturigo. Effundit autem in lucernas, quibus vallatur circùm, & coronatur Eccleſia; quia ab ipſo iuſti, vt luceant, habẽt; de cuius plenitudine omnes accipiunt. In ſeptenario numero multi ſignificantur, nẽpe quotquot Dei gratiã, & ſibi ipſis ſplẽdorem accipiunt, & Eccleſiam illuſtrant. Septẽ autem infuſoria, ſeu fiſtulæ, aut canales Sacramenta ſunt, per quæ vis illa viuifica, qua iuſti & viuunt, & lucẽt, ad ipſos illabitur. Hæc quæ à me potiùs cõprehenſa ſunt, ab aliis pluribus explicantur, quæ prudens omitto, quia neque difficilia ſunt, neque obſcura.

11. *Oliuæ non ſeparatæ à candelabro.*

Verſ. 3. *Et duæ oliuæ ſuper illud, vna à dexteris lãpadis, & vna à ſiniſtris.*] Priùs de figura agemus, ſitúque oliuarum, deinde de ſignificatione ipſius. Oliuas non eſſe ſupra candelabrum, vt aliqui volũt, tanquam aliquid ab eo diuerſum, ſicut neque lẽticulam, in cuius ſummo lampas eſt, mihi maximè videtur probabile. Neque contrà facit quòd dicũtur eſſe ſuper illud, id eſt, caput cãdelabri; quia vel *ſuper*, pro *iuxta* ponitur, vt nuper vidimus; vel certè erãt ſuper ſcapo, id eſt, in ſummo ſcapo, aut ſtipite candelabri, qui proximæ erumpebant ſeptẽ lucernæ, quæ ex lenticulæ fundo pullulabãt, inter quas poſitæ eſſe dicuntur oliuæ duæ: deinde lenticulæ hærebãt, in qua erat oleũ pro lucernis omnibus; quod promptum habemus ad ipſo textu: *Et duæ oliuæ ſuper illud, vna à dextris lampadis, & vna à ſiniſtris eius.* Ex quo colligo lenticulam nõ dici caput, ſed extremum illud ſtipitis, in quo lenticula eſt, ſicut capitellum, ſeu epiſtylium in columna.

12. *Veriſimile eſt oliuas non eſſe oblatas Zachariæ in propria ſpecie, ſed expreſſè in cãdelabro ex aurea materia.*

Deinde veriſimilius eſt oliuas nõ eſſe obiectas Zachariæ in propria ac naturali ſpecie cum glauca fronde, cum nigris, aut pallentibus baccis; ſed ex aurea materia, quale totum erat candelabrũ, ita vt pars eſſent ipſius, & ornamentũ: ſicut vaſa pretioſa cælari ſolẽt, aut includi illuſtri aliquo, atque ingenioſo emblemate, quod plerunque vſum oſtẽdit operis cælati. Vt ſi in mulctrali vaſculo capram, aut paſtorale ſignum inſculpas. Quare in poculis, vaſculiſque vinariis cęlari ſolent illa, quę vel vini naturam indicãt, vel quæ ipſius vim frãgũt, & ab ebrietate liberant. Martialis *lib. 8. Epig. 50.* in phiala vitẽ depingit, quæ vinum gignit. Theocritus *Idyl. 1.* hederam, quæ ab ebrietate vendicat, & Baccho ſacra eſt. Anacreon in poculo, abſque dubio ex ſui temporis cõſuetudine, *Ode* 17. cælari iubet vites, & racemos. Vide Gellium *lib. 19. c. 9.* De eodem poculi emblemate eſt Epigramma *in 2. lib. Epig. Græcorum.* Virgilius in poculo vtrumque coniunxit, hederam, & vitem; ſic enim Eclog. 3.

In vaſis illa inſculpi ſolita, quæ vaſorum indicant vſum.

——— Pocula ponam
Fagina, cælatum diuini opus Alcymedontis,
Lenta quibus facili torno ſuperaddita vitis;
Diffuſos hedera veſtit pallente corymbos.

Sanè Trebellius Pollio in Claudio ad finem inter dona numerat vaſcula huiuſmodi emblemate cęlata. *Miſi*, inquit, *ad eum diſcum corymbatum argẽteum liberam 20. lanceam argenteam pampinatam librarum 30. pateram argenteam hederatam librarum* 20. Vaſa autem aquaria piſcibus cælari ſolita probat illud Martialis lib. 3. Epig. 26.

Artis Phidiacæ toreuma clarum
Piſces aſpicis, adde aquam, natabunt.

Legiſſe me memini Sacerdotes Iſidis initiari ſolitos hauſto lacte & poculo mammillato, id eſt, inſtructo, ac cęlato mammillis, quæ illius poculi vſum, & liquorem oſtenderent, vt eſt mihi veriſimile, in quo tamen loco non ſuccurrit. Sic ergo in candelabro lucernis inſtructo, cui neceſſarium oleum, & in lenticula, quæ vas olearium eſt, aptiſſimè expreſſæ ſunt oliuæ, à quibus oleum exprimitur, ſicut vinum à vite. Neque admodùm veriſimile eſt, cùm illud candelabrum, quod Exod. 25. deſcribitur, liliis, ſcyphiſque mirifico opere ſit excultum, item alia vaſa ſacra non pauca, hoc candelabrum in quo & templum & Iudæorum ſtatus iam melior portendebatur, aliquo ornamento, ſiue emblemate caruiſſe. Vocantur verò oliuæ, qua ratione qui mare æneum ſuſtinere videntur, dicuntur boues, & quæ Pontificiæ veſtis fimbrias inſtruunt, malogranata, & quæ parietes templi pingunt, palmæ vocantur; cùm tamen ſint earum rerum imagines.

a. Stipes seu scapus candelabri. *b.* Caput stipitis supra quod est lenticula. *c.* Pars summa lenticulæ, vbi est summa lampas. *d.* Lampas summa. *e.* Septem rostra seu canales ex fundo lenticulæ, per quos ad lampades deriuatur oleum. *f.* Septem lampades. *g.* Duæ oliuæ quæ ex duobus rostris assurgunt, ad vtrumque latus summæ lampadis.

13. *Quid duæ oliuæ significent in populo Iudæorum.* Dicemus hic, licèt ante suum locum, doctrinæ, & claritatis gratià, quid sibi velint hæ duæ oliuæ adiunctæ candelabro; & vt priùs in lampade, atque lucernis fecimus, quid in Iudæorum nouo statu priùs, deinde quid in Ecclesia portendat, exploremus. Sanè rogatus Angelus sic respódit obscurè Zachariæ, vt pertenuem ab eius respósione, seu oraculo lucem habeamus. Ait enim in extrema capitis parte: *Isti sunt duo filij olei, qui assistũt Dominatori vniuersæ terræ.* Et primùm obscurum est, quid hi filij olei; actiuéne sumantur, an passiuè, id est, an ipsi recipiant oleum, & vngantur illo, aut gignant, infundántque aliis: nam vtrumque indicat hæc loquendi forma.

14. Et vt de Hebræorũ Republica priùs agamus, communis est Hebræorum sentẽtia, hic per duas oliuas intelligi Iesum Sacerdotem, & Zorobabel Ducem; alterum ex Leuitico Sacerdotali genere; alterum ex regio; nam vtrumque vngi solere satis in Scriptura frequens. Dicuntur autem oliuæ, aut quia vncti sunt oleo, aut quia ipsorum opera, A ac ministerio Deus splendere fecit populum antè in exilij, atque obliuionis tenebris obscurum. Vt enim lucernæ ab oleo habent, vt luceant, & quodammodo viuant; sic populi splendor in lucernarum corona significatus ab oliuis, ex quibus oleum exprimitur, emicat, & fouetur.

Sed huic expositioni videtur obstare, quòd lenticulam Christum esse diximus, qui in subiectas sibi lucernas oleum infundit: sed oleum priùs in oliuis est, deinde in vasculis oleariis, vnde videri posset à Zorobabele, & Iesu Sacerdote sumpsisse Christum oleum, potiùs quàm eisdem communicasse. Huic difficultati, quæ sanè leuis non est, sic occurri posset; vel à duabus oliuis, quæ genus regium, & Sacerdotale designant, Christum adumbrari, qui rex est, & Sacerdos, & regum, ac Sacerdotum maximus, qui vnctus est ea plenitudine, vt vas dicatur oleo vsquequaque, & quacunque diffluens; septem implens lucernas, id est, infinitas, iuxta septenarij numeri proprietatem; imò totus sit oleum effusum. 15. *Christus à Zorobabel, & Iesu adumbratus.*

Quod,

Digitized by Google

Quod, vt in Canticis diximus, valet illud; *oleum effusum nomen tuum.* Vbi ex Scripturæ consuetudine, sponsi nomen pro sponso vsurpari posse docuimus. Vt autem figura, atque vmbra obscurè aliquid, atque impropriè indicat, sic oleum obscure tectum, atque inclusum in oliuarum baccis, præsertim si in aurea materia figuratæ sunt, pretiosum verè oleum in aureo exundans vasculo significant.

A Christo alÿ Sacerdotes, & Reges oleum accipiunt.

16. Vel sanè oliuæ duæ, quicquid habent olei, à lenticula, cuius fundo affixæ, & quasi radicatæ sunt, per radices hauriunt (sicut naturales plantæ succum trahunt à terra) quasi lenticulæ oleo sint irrigatæ. Neque enim sine causa oblati in ea visione sunt Prophetæ rami, seu stipites oliuarum pullulantes ex ea parte candelabri, vnde prodibant infusoria, per quæ oleum transfundebatur ad lucernas. Sic enim textus: *Quid sunt duæ spicæ oliuarum quæ sunt iuxta duo rostra aurea, in quibus sunt suffusoria ex auro?* Optimè verò in oliua designantur Pontifices, & Reges: vt enim oliua illo nobili, atque dulci succo ita sibi pinguis est, vt tamen aliis quoque suauem illum, ac pinguem liquorem communicet, sicut etiam mater ita plena habet vbera, vt ex illis lac infans exugat: eodem modo Doctores, & qui aliis quoquo modo præsunt, instillare aliis debent, quam accepère à Deo olei pinguedinem.

17. Hi duo filij olei, Iesus Sacerdos, & Dux Zorobabel, assistere dicuntur Dominatori vniuersæ terræ. Vbi videri alicui posset, quod etiam cuidam Hebræorum magistro placebat, Dominatorem vniuersæ terræ esse Persarum Regem. Neque deest aliqua species, quæ Iudæum illum in eam cogitationem, seu errorem potius inducere potuerit: quia Regis Persarum ea erat in reliquas etiam gentes potestas, vt ad illum auxilij gratiâ confugerent, quibus à Potentioribus, aut vis, aut periculum immineret. Quare ab Osea capit. 5. & iterum capite 10. *Rex vltor* vocatur Assur. Quòd si Assyriorum Rex vltor appellatur, multo magis Persarum Rex Darius, qui Assyriorum Imperio non solùm Babylonicas vires, sed etiam Persicas, ac Medicas adiunxit. Sed hoc magis probatur ex verbis Cyri, qui apertè dicit se dominatorem vniuersæ terræ, Esdræ libro primo capite primo. *Omnia, inquit, Regna terræ dedit mihi Dominus.* Accedit quòd pro *Dominatore* non est אדני *Adonai*, quod de Deo dicitur: sed אדן *Adon*, quod tam ad hominé pertinet, quàm ad Deum. Huic ergo Regi, & dominatori terræ assistere dicuntur hi duo, quia apud eum in magno sunt loco, & gratia, atque eius ope aliis esse possunt ornamento, & solatio erecto templo, & instaurata vrbe, & hostibus qui ædificationis opus morabantur, aut deletis, aut submotis, aut tandem ad pacem, fœdúsque traductis.

Rex Persarum dictus vltor.

18. Nihilominus puto in hoc candelabro nullum Regi Persarum esse locum, quia hæc altiora sunt, quam quæ in personam illam conueniant. Quid enim regem illum summam esse lampadem dicamus, quæ à se fouetur, & lucet; & ex qua alia omnia, vt luceant, habent? Maximè quia *Apocal. cap. 11.* vbi sine dubio ad hoc caput allusum est, Princeps, ac Dominator vniuersæ terræ Deus est. Est ergo Dominator iste Christus, cui astant duo illi Hebræorum Principes, tanquam magnorum operum administri. Nam assistere alicui, ex Scripturæ vsu, ministrare est: & *cap. 3.* suprà cùm ad ministros loqueretur Dominus, ad illos dixisse scribitur, *qui stabant coram se.* Reges ergo, & Sacerdotes ministri sunt Dei, per quos diuina potentia maxima quæque præstat in humanis. Hi verò si modò velint sanctè datas sibi partes implere, assistere debent, expectaréque à Domino quid, quove modo aliquid factum esse velit.

Candelabrum Ecclesiæ vmbra.

19. Sed iam ex vmbra ad lucem, & à typo ad veritatem candelabrum vocemus. De Ecclesia hic sermo præcipuus est, quam adumbrat templi, vrbísque instauratio, & de fideli populo ad fidem, & meliorem statum adducto, cuius symbolum est Iudæorum genus à Babylonica seruitute, & sordibus ad antiquam libertatem, & gloriam vocatum. In hoc verò candelabro aureo planè, & mirè quoquouersus lucem diffundente duæ oliuæ sunt, sed non omnibus eædem. Quidam, vt Hieronymus refert, Eliam esse putant, & Moysem, qui Christo in aureo candelabro fulgenti, id est, in transfigurationis gloria astiterunt: alij vtrumque Testamentum; alij Eliam, & Enoch: neque ibi Hieronymus quid sibi magis probetur, ostendit. Cyrillus populos esse putat Gentilem, & Iudaicum ad Ecclesiam aggregatos. Albertus, Petrum, & Paulum, quorum alter circumcisionis, alter præputij minister fuit. Plerique eò inclinant vt Eliam, & Enoch esse statuant, probarique putant liquidò Apocal. c. 11. vbi Ioannes spectasse videtur hunc locum. Cum enim ibi de extremis Ecclesiæ mundíque temporibus ageret, hæc inquit: *Et dabo duobus testibus meis* (supple, spiritum meum) *& prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes.* Græcè pro *candelabris* est λυχνίαι, quæ nõ tam *candelabrum* significat, quàm *lucernam*. Et quamuis neque Ioannes tradat, qui sint testes isti, neque auctores ea de re inter se conueniant, communis tamen opinio est esse Eliam, & Enoch, quos Dominus viuos adhuc ad instaurandam grauem illius sæculi ruinam reseruat. Et nos pluribus ostendimus in caput 3. Actorum, vbi explicuimus cur Iudicij dies dicatur *restitutionis*. Vide Riberam, & Viegas, sanctum Thomam, Aretham, & Bedam, omnes *in caput 11. Apocal.* & Suarez *2. tomo in 3. partem disputatione 55. sectione 2.* Gregorium *homilia 12. in Ezechielem*, & Riberam *hic*. Qui omnes, & cum his è iunioribus alij in oliuis duos illos testes Eliam, & Enoch agnoscunt.

Quidam in duabus oliuis agnoscunt Eliam, & Enoch.

20. Res sanè obscura, & cui conspiciendæ, atque illustrandæ necessaria est aurei candelabri diuina lux; quæ vt mihi adsit, etiam, atque etiam oro. Licèt illud de duobus testibus Elia, atque Enoch non sit improbabile, & si quos speciatim, illos maximè designet oliuarum vmbra; suspicor tamen aliud sibi velle magis commune, quódque non solùm ad postrema Ecclesiæ tempora, sed etiam ad vniuersam, totámque Ecclesiæ administrationem pertineat. Quare existimo in oliuis designari, qui in Scriptura vngi consueuerunt, quibúsque Deus ad suæ Ecclesiæ gubernationem animarúmque bonum præsertim vtitur, quales Reges sunt Sacerdotes, & Prophetæ. Nam & hos quoque vngi in Actis docuimus, vt probat Elias, qui iussus est loco sui Prophetam Elisæum vngere. 3. *Reg.* 19.

Probabilius, in duabus oliuis Reges & Sacerdotes significari.

21. Optimè verò eiusmodi viri oliuis comparantur, quia ab illis nihil nisi oleum exprimitur, quo & leniuntur vulnera, & sanantur. Neque quod habent suauitatis, & succi tam habent sibi, quàm aliis, in quorum vsus libenter effundunt. Quare Dauid optimi Regis præclara forma oliuæ dixit se esse similem *Psalmo* 51. fundunt verò oleum

quia

A quia oleo rigantur, & ideo in cornu filio olei plantati sunt. *Isai.* 5. Qui locus *filius olei* dicitur, quia oleo pinguis, & quasi rigatus est. Mihi hoc loco maximè verisimile est, eandem esse significationem arcæ cum duobus Cherubim ex materia oleagina assistentibus, & lenticulæ cum lampade in eius summitate lucente cum duabus oliuis. Nam sicut Deus ex propitiatorio reddebat oracula, atque adeò inter Cherubim (qui scientiæ multitudinem significant, vt docet Hieronymus in capite 10. Ezechielis ad finem, & epistola 103. ad Paulinum) sedere dicitur, quia ibi oraculis edendis suæ sapientiæ documenta præbet. Et quia hæc doctrina ab eius quoque clementia nascebatur, Cherubim de lignis oliuarum erant B fabrefacti. 3. *Regum capite* 6. Sic etiam quia in lenticula, quæ summo capite ardenti lampade fulgebat, Christus figuratur, qui & ipse fulget, & à sua misericordia alij habent vt fulgeant, inter duas oliuas collocatur, quæ & misericordiæ signa sunt, & vt in aliis splendor foueatur, materiam præbent. Hi verò Sacerdotes sunt, & reges illi quidem, quia eorum *labia custodiunt scientiam*, Malachiæ 2. Hi autem, aut quia leges ferunt, aut ab aliis latæ, vt integrè seruentur, sedulò laborant. Per vtrosque verò Deus alios illuminat, ac regit, instillátque oleum, vt per illos, atque ex illis deinde ad alios transmittat. Hi nempe sunt, qui oleum vendunt, vt dicit Origenes, & auctor C imperfecti in Matthæum *capite* 25. quos quia non inuenerunt virgines fatuæ extinctis lampadibus, à nuptiali conuiuio, atque deliciis repulsæ sunt. Et quia isti interdum neque oleum habent, quia licèt plantati in cornu filio olei, id est, in Ecclesiæ medulla, & proximi lenticulæ oleo redundanti, aliquid magis amant, quàm oleum; ideo, proh dolor! in terra tanta est diuinarum rerum ignoratio, tam ignota misericordia, tam frigida charitas, ne dicam extincta.

Regum & sacerdotum munera.

22. Cùm vbique & semper emicare debeat hæc lux, maximè vbi antecessère tenebræ. Quod ardens hoc candelabrum satis ostendit, quod tunc octo lucernis latè fundit fulgentissimam flam- D mam; quando sublato templo, & extincto candelabro septuaginta annorum interuallo longissimæ noctis tenebras discussit. Et ideo accommodatè ad hunc locum, in quo pene cœcus, & mortuus Hebræorum populus lucem intueri, ac respirare cœpit, Elias, & Enoch duæ oliuæ, & duo candelabra esse dicuntur *Apocal. capite* 11. quia idem pene præstitère mundo magna ex parte ab Antichristo decepto, atque seducto, quod candelabrum hoc aureum populo à Babylonico exilio redeunti. Quod enim Iesus Sacerdos, & Zorobabel præstitère in populo reuocando, id Elias, atque Enoch in restituenda extremi sæculi ruina. Et ita explico Sanctos, qui oliuas in hoc cande- E labro descriptas Eliam esse dicunt, & Enoch: neque enim illos speciatim designari puto, sed cùm optime expleuerint, quod facere debuerunt, qui generatim in oliuis significantur, commune illud symbolum aptè duobus illis testibus accommodant. Qua ratione etiam Ioannes Baptista, sicut lucerna ardens, & lucens dicitur, sic etiam oliua dici non immeritò posset. Sicut etiam qui Euangelicam lucem, & Sacramenta in Regiones barbaras induxerunt, quia & Euangelij lucem circumferunt, & diuinæ misericordiæ oleum instillant. Certè Ecclesia duobus fratribus Ioanni, & Paulo, in Antiphona ad *Magnificat* accommodat. *Isti sunt*, inquit, *duæ oliuæ, & duo candelabra lucentia ante Dominum.*

Quo modo Elias, & Enoch, duæ oliuæ.

Hoc est verbum Domini ad Zorobabel, dicens.] Rogauit Propheta quid portenderet candelabrum antea descriptum. Respondet Angelus verbum esse Domini, qui interdum signis hieroglyphicis loquitur, non aliter quàm verbis. Deinde explicat quis sit illius candelabri, id est, sermonis hieroglyphici sensus.

Non in exercitu, neque in robore.] Quemadmodum candelabrum, & lucem habet, & oleum sine vlla Zorobabelis opera, sic templum, & ciuitas, quæ Babylonicus furor euerterat, cuius symbolum candelabrum est, non tam Zorobabelis robore, ac studio, quàm agente Deo instaurabuntur, & in eam redibunt amplitudinem, à qua priùs exciderant. 23.

Sed in spiritu meo, dicit Dominus exercituum.] *Spiritum* sumi pro voluntate, atque animo siue studio, ac fauore, satis notum est. Ait ergo Dominus per Angelum, illustrem illam tanti operis molitionem non esse virtutis, aut industriæ Zorobabelis, sed fauoris, ac voluntatis diuinæ. Si verò de Ecclesiæ longè admirabiliori fabrica accipias, docet Angelus non esse humanæ artis, aut industriæ, sed bonitatis Dei, qui spiritu suo duas oliuas fœcundas fecit olei, quod in communem vsum effunderet, id est, Apostolos, & Doctores alios Euangelicos animauit. Neque enim opus illud tantùm volentis est, & currentis, sed miserentis, atque agentis Dei. Huc facit illud Iud. 7. *Multus tecum est populus, nec tradetur Madian in manu eius, ne glorietur contra me Israel, & dicat; meis viribus liberatus sum.* 24.

Vers. 7. *Quis tu mons magne coram Zorobabel? in planum.*] Loquitur de Zorobabel afflato iam, atque instructo Spiritu diuino, id est, omnipotenti virtute corroborato, cui nihil est arduum, nihil, quod non statim aut cadat, aut frangatur. Et quidem si de templo sumas, atque vrbe, non restitit mons magnus Darius; imò potiùs suam, eámque non mediocrem opem ad perficiendum contulit. Neque vis illa hostilis, quæ fabricam aut impediebat, aut morabatur, quicquam potuit contra armatam diuinitùs Zorobabelis manum. Si de Ecclesia, neque mons magnus diabolus, neque tyranni rerũ Domini, qui & montes videbantur ita aut sua, aut aliorum opinione sublimes, vt fastigio cælum putarentur attingere, vel habere diuinam aliquam potentiam, seu diuinæ proximam, qui verè portæ sunt inferni, aduersus Ecclesiam præualuerunt; aut contra diuinæ legis præcones, quos cœlestis impleuit, atque legauit Spiritus, quicquam nisi inani conatu sunt moliti. 25.

Contra Ecclesiam vis nulla potens.

Quod ad vsum nominis pertinet, notum est in *monte* intelligi solitos magni nominis Principes, iuxta illud Abacuc 3. *Contriti sunt montes sæculi, incuruati sunt colles mundi:* & Isai. 40. *Omnis mons, & collis humiliabitur.* Et quidem Rex Babylonis mons pestifer vocatur Ierem. cap. 51. Quòd verò etiam diabolus mons dici possit, docet hic Hieron. ex aliorum sententia Matth. 17. *Vnde cùm à lunatico Apostoli dæmonem expellere non possent, causam à Domino sciscitati audiunt. Amen dico vobis si habueritis fidem sicut granum synapis, dicetis monti huic, transi hinc, & transibit: & nihil impossibile erit vobis. Hoc autem genus non eiicitur, nisi per orationem, & ieiunium. Mons ibi diabolus accipitur.* Hæc Hieronymus. Huius verò rei illustre habemus exemplum in eo conflictu, quem iniit Dauid adolescentulus, bellíque rudis cum vastæ molis gigante, & ab adolescentia sua bellatore; 26.

Mons magnum principem indicat.

bellatore; vbi exiguus lapis à funda coniectus vastissimum illum mõtem in planum redegit; quod ita contigit, quia Dauid instar Zorobabelis non in exercitu, neque in robore, sed in spiritu Dei congressus est.

27. Cæterùm cùm addidit, *in planum*; metaphorâ persecutus est: nam cùm sternuntur montes, nihil extuberat, sed omnia sunt plana, nisi mauis hîc *planum* pro valle sumere, quod fecit Chaldæus. *Quale tu,* (inquit) *cum Zorobabele reputaris Regnum stolidum, nónne sicut vallis*; Septuaginta vertunt, *vt corrigas*. Et quidẽ à radice ישר *iasar* vtrumque deduci potest. Neque admodùm diuersus est sensus: nam corrigere non poterit, aut moderari res Iudaicas, qui stratus est virtute diuina, & coæquatus solo. Porrò nota interrogationis ponenda est post *Zorobabel*, hoc sensu: ô mons magne, quid tu coram Zorobabel? Deinde additur, *in planum*, ac si dicat, non eris mons, sed locus planus, & depressa vallis. Et ita nunc distinguunt Biblia à Sixto correcta.

28. *Et educet lapidem primarium.*] Si de statu templi reique publicæ Iudæorum sermo sit, sensus est non difficilis, quem amplectuntur Doctores Hebræorum. Primarius lapis Hebraicè האבן הראשה *eben harosab*, id est, *lapis capitis*, seu *capitalis*: quia caput est totius ædificij, & extremus in opere construendo. Quasi dicat: consummabit Zorobabel nemine impediente inchoatum opus. Sin autem de Ecclesia, sensus est. Imponet Dominus summum angularem lapidem Christum Iesum, super quem cap. 3. septem oculos fuisse dixerat. Dicitur verò Christus lapis primarius, & quia primus in Ecclesiæ fundamento positus est, & quia summus est in opere; quique non solùm ornat, sed etiam munit, & continet totum ædificium. Vtrunque dixit Petrus 1. epist. cap. 2. *Ad quem accedentes* (Christum) *lapidem viuum*, &c. *& ipsi tanquam lapides viui superædificamini.* Ecce fundamentum: deinde. *Ecce pono in Sion lapidem summum angularem, electum, pretiosum.* Ecce caput. Fundamentum est igitur, & fastigium, alpha, & omega, principium, & finis. Vide de hac re plura in cap. 4. Actuum ad illud, *lapidem quem reprobauerunt.*

29. Septuaginta vertunt, *lapidem hæreditatis*; qui sensus paulo diuersus est, non tamen incommodus. Iuxta quam versionem *lapis* pro templo, aut etiam vrbe commodè videtur sumi posse; qui tunc educitur quando excitatur, & erigitur. Dicitur verò lapis hæreditatis Domini, quia illum locum præcipuè ex omnibus elegit sibi in hæreditatem Deus, iuxta illud Psalm. 78. *Venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum.* Porrò iuxta hanc translationem verisimile est, lapidem hæreditatis esse illum, qui excitari solet quasi signum, & titulus, quo ager alicui vindicatur, qui vindiciæ posset appellari, vulgo Hispanorum, *Coto ó mojon*: aut quo ager ab agro discriminatur, quémque non immeritò limitarem, seu terminalem appelles; qualis erat, qui apud Romanos dicebatur terminus. Vide quæ diximus capite 9. ad illud; *Quia lapides sancti leuabuntur super terram eius.* Educi ergo lapidem illum primarium iuxta hæc, erit locum illum, qui desertus videbatur, rursus notari, & designari à Deo terminali, aut vindiciali lapide tanquam maximè propriam Domini possessionem. Sicut locus ille, vbi lapis à Iacob erectus est, *Bethel*, id est, *domus Dei* vocatus fuit Genes. cap. 28. quasi pro cultu Domini destinatus.

30. *Et exæquabit gratiam gratiæ eius.*] Variè locus hic

A exponitur, neque sanè facilis explicatu est. Hebr. pro *exæquabit*, est תשאות *tshuoth*, quod verbum non est, sed nomen in plurali numero, quod à radice שוא *Saua* quidam interpretantur *clamores*, seu *acclamationes*. In his est Rabbi Dauid, Paguinus, Vatablus, Montanus, & alij ex iunioribus, hoc sensu. Cùm Zorobabel primarium summúmque lapidem posuerit, qui totius operis fabricam absoluit, erunt acclamationes lætæ, quales excitari solent in theatris, publicísque conuentibus, cùm aliquid lętum, diúque desideratum excipitur: tunc enim clamare solent spectatores, *feliciter*, aut quid simile. Sic ergo populus, cùm viderit templo sũmam manum, & summum lapidem imponi, clamabit, *Gratia, gratia sit illi lapidi*, id est, feliciter lapis ille sit positus. Est quidem expositio hæc satis accommodata, neque aliena ab Hebraico textu, quem nunc habemus; sed recedendum non est à vulgata quæ habet *exæquabit*, & si magis Grammaticaliter explicare velis, *æqualitates*. Tunc verò non tã deducitur à שוא *Saua*, quod *clamare*, quàm à שוה *Saueh*, quod *æquare* significat. Est autem notũ Hebraicæ linguæ vel mediocriter peritis solere א & ה vicissim inter se cõmutari. Quare L X X. tam hoc loco, quàm *Iob cap. 36.* eandem vocem vertunt *æqualitates*: neque puto, siue hoc, siue illo modo legas, sensum esse admodùm diuersum. Nam ea æqualitas est in gratia, gratia verò est festiua acclamatio.

De Iudæorum statu.

B

C

31. Sed adhuc, si de Iudæorum statu locum interpretemur, sunt expositiones variæ, quæ tamen omnes aliquid inueniunt in hoc tempore simile alicui beneficio, seu gloriæ, quæ ante hunc temporis articulum præcesserunt. Dionysius Carthus. conferri putat hîc cum Cyro Darium, quia non minùs liberaliter, ac benignè hic inchoatum opus absolui iubebit, quàm ille priùs inchoari iusserat. Seu certè dici posset tam liberalem futurum esse Deum in ornandis, fouendísque posteris post exilij Babylonici squalorẽ, quàm fuit in eorum parentibus, quos post longam seruitutem ex Ægypto, quasi in sinu, velut nutrix ad destinatam sedem, id est, ad suam hæreditatem, & templi maiestatem adduxit. Aut certè, quod mihi probatur magis, posterius templum cum prioris amplitudine, & gloria componitur, vt dixit eodem omnino tempore Aggæus capit. 2. *Maior erit gloria domus istius nouissimæ, plusquam primæ.* Qua verò ratione posterius templum prioris amplitudinem exæquet, diximus suprà ad cap. 1. n. 71. Et in locum Aggæi, de quo proximè, pluribus.

D

32. Hæc de præsenti Iudæorum statu. De Ecclesia verò spiritualique templo construendo alia est, neque difficilis magis, neque minùs accommodata significatio. Ribera, qui vt in oliuarum vmbra latere putat Eliam, & Enoch, consequenter putat Prophetam hîc spectare tempora Antichristi, cuius cladem, & vastitatem restitnet Dominus per illos. Vt autem copiosa gratia fuit, quam in principio Deus effudit in gentes, quas ad Ecclesiam collegit; sic in fine non minor erit gratia, quam in Iudæos tunc ad Ecclesiam vocandos effundet. Sed vt dixi plura sæcula, & beneficia respicit illa oliuarum species, & consequenter hæc Prophetia. Quare aliter locus explicandus, & quidem variè.

De Ecclesiæ statu.

E

33. Primùm dici posset, tempore Euangelij exæquandam esse gratiam primarij lapidis gratiæ superiori, quia Christus gratias omnes, id est, Prophetias, & figuras, quarum ipse finis erat, impleuit, sicut vas vacuum æquari dici potest ab eo, quo

Æquat gratia gratiam, quia Christus implet figuras, & prophetias.

quo impletur; & à templo ichnographica deſcriptio, & promiſſio à fide iam præſtita.

34. *Sine beneficia collata in populum Hebræum.*

Deinde dici ſecundò poſſet, æquatam eſſe ſuperiorem gratiam, quia Chriſtus proportione altiori quodam modo ſeruata æquauit in Eccleſia beneficia omnia, quibus Hebræum populum antea complexus eſt. Neque enim aliquid eſt, quod iactare de Dei in ſuã gentem beneuolentia poſſit antiqua Iudæorum familia, quod non in ſuo ordine cumulatum magis commemoret Eccleſia.

35. *Chriſtus ſuo ingreſſu templum abſoluit, & impleuit.*

Quòd ſi de templo ſermo ſit, quod videtur ſatis veriſimile, ſignificat Deus poſterius templum à Zorobabele conſtructum, licèt materia, atque arte multo ſit inferius eo, quod extruxit Salomon, futurum tamen multo glorioſius propter primarium illum lapidem, quem educet Zorobabel, quémque ſeptem oculis in illum intentis Dominus cælauit. Eduxit autem illum Zorobabel, quia ex eius genere natus eſt Chriſtus, & ideo eductus à Zorobabel dici poteſt, forma apud Latinos vſitata, qui eodem pene ſenſu dicunt *natos educere*. Chriſtus ergo templum illud ingreſſus fabricam illam ad eius vſque aduentum ſemper inchoatam, & rudem ſuo ingreſſu compleuit; non alter atque pretioſus liquor vacui vaſis complet ſpatia, aut gemma annuli cauitatem, & ſinum, qui ad gemmam includendam magno conſilio ab artifice relictus eſt. Quod ſatis apertè dixit Aggæus *cap.* 2. qui à Chriſti ingreſſu tantam tribuit gloriam poſteriori templo, vt longè ſit inferius prius à Salomone conſtructum.

36. Quòd ſi pro *exæquabit*, legas, *acclamationes*, optimè illæ in hunc lapidem primarium conuenirunt. Nam cùm primum de monte, id eſt, de Virginis vtero ſine manibus exciſus eſt, id eſt, ſine virili opere feſtiuæ Angelorum voces acclamarunt; *Gloria in excelſis Deo*: & deinde obuiam effuſus Hebræorum populus, cum ipſis etiam infantibus, cum feſtis ramis, ſtratíſque honoris ergò veſtibus triumphalem in modum exceperunt cum hac acclamatione omnium glorioſiſſima; *Oſanna filio David.*

37. Verſ. 9. *Manus Zorobabel fundauerunt domum iſtam, & manus eius perficient eam.*] Non diu differendam eſſe promittit templi conſummationem, neque poſterorum curæ, & pietati relinquendam, ſed ab illo vltimam manum imponendam dicit, qui primam adhibuit. Adhibuerat autem cùm primùm ſub Cyro ab exilio rediit, deinde poſt aliquot annorum ab hoſtibus Iudaici nominis interpoſitam moram, ſexto anno Darij, id eſt, vt putat Ioſephus *lib.* 11. *Antiquit. capit.* 3. anno nono poſtquam intermiſſum eſt opus. Ego diutius puto iuxta ea, quæ diximus *cap.* 1. *numero* 71. Hìc ſine dubio de templo ſermo eſt; quod verum eſt etiam de Eccleſia, quæ à Chriſto, cuius erat vmbra Zorobabel, ædificari cœpta, & conſummata eſt.

38. Verſ. 10. *Quis enim deſpexit dies paruos?*] Ribera *dies paruos*, tempora interpretatur Antichriſti (cuius Regnũ durabit ad tempus, & tempus, & dimidiũ tẽporis, id eſt, ad duos annos cum dimidio) in hunc ſensũ. Quis illorũ quibus eius tẽporis acerbitatem videre contigit, parui fecit, aut non grauiter timuit Antichriſti vires? has tamen comminuet Chriſtus, &c. Sed vt alibi diximus, hæc ſe ad longiora ſæcula diffundunt.

39. Et primùm notandũ eſt, pro *paruos dies*, Heb. eſſe [illegible] *ketanoth*, quod ſonat ad verbum, *diem paruarũ*, puta acclamationum, aut plauſuum. Et videtur alluſum ad [illegible] *Teſuoth*, quod *acclamationes* ſignificat ex Hebræorum, recẽtiorúmque ſententia; & iuxta hæc ſenſus eſt; Quis crederet ad tantam veterum amplitudinem templum, in cuius fundamentis tã tenues fuerunt acclamationes? fuiſſe verò paruos clamores, & exiles, ex eo fit veriſimile, quia res Iudaica nimis erãt anguſta, & tẽpli molitio valdè impedita. Neque templi fundamenta magnam aliquam molem patiebantur iuxta Cyri Edictum *lib.* 1. *Eſdræ cap.* 6. & ideo in his qui antiqui templi gloriæ, & amplitudinis meminerant, largus fletus excitatus eſt. Sic enim Eſdras lib. 1. c. 3. *Omnis quoque populus vociferabatur clamore magno in laudando Dominum, eo quod fundatum eſſet templum. Plurimi etiam de ſacerdotibus, & Leuitis, & Principes patrum, & ſeniores, qui viderant templum prius cùm fundatum eſſet, & hoc templum in oculis eorum, flebant voce magna. Et multi vociferantes in lætitia eleuabant vocem: nec poterat quiſquam agnoſcere vocem clamoris lætantium, & vocem fletus populi.*

Sed quia illud de clamoribus non adeò probabamus, vt amplecteremur verba vulgati, illud *dies paruos*, ſeu, *dies paruarum*, aliquid exile, & tenue eſſe dicamus. Quod ſatis eſt apud Hebræos vſitatum, qui cùm genere neutro careant, pro illo ſubſtantiuè adhibent fœmininum, vt pluribus oſtendimus ad illud Pſalm. 67. *Dum diſcernit cæleſtis Reges ſuper eam*; in hanc ſententiam: Deſpexit dies paruarum rerum, id eſt, in quibus omnia exigua videbantur. Noſter autem interpres paruos dixit dies per metonymiam, quia tempus nomen interdum accipit ab iis, quæ fiunt in tempore; vnde diem lætum, aut triſtem vocamus, aut etiam vacuum, quia in eo triſte aliquid, aut lætum, aut quia in eo nihil omnino factum eſt: ſic diem magnum vocamus extremi Iudicij diem, quia magna ſunt, quæ extremum illum diem manent. Ad hũc ergo modum dies parui vocari poſſunt, in quibus inſtaurari cœpère templi ruinæ; quia quæ illo tempore parata erant, aut expectari poterant tot vrgentibus malis, exilia videbantur.

40.

REGVLA. *Tempus pro his, quæ fiunt in tempore.*

Quæ de templo dicta ſunt, illa eadem accommodatè cadunt in Eccleſiam, quæ à paruis orta principiis, & à piſcatorum primùm ignobili ordine, atque imperito, & exiguo numero congregata totum orbem impleuit; & quod eſt in terra opibus, nobilitate, atque ſapientia eximium, complexa eſt.

Hìc obſerua, quæ magna fuerunt, eorum pleraque in Scriptura exigua priùs fuiſſe, atque contempta; voluit nimirum Deus oſtendere habere à ſua bonitate, vt magna eſſent, quibus, vt ab aliis magni fierent nihil ineſſet proprium. Sic Moyſen ex fiſcella ſcirpea in Nili carectis; ſic Gedeon ex area, ſic Ioſeph è carcere, ſic Saul ab aſinis, ſic Dauid ab ouibus Mardochæũ ab ipſo pene patibulo ad regiam, ſeu regiæ proximam dignitatem euexit. Sic modò è tenui Iudæorum, atque afflicto ſtatu templum in tantam altitudinem ſuſtulit. Sic Eccſiam (quam inſtar illius ſponſæ inuenit, quæ in obſcœno puerperij ſanguine volutabatur, cuique iã morituræ dixit humaniſſimus ſponſus, *Viue*, Ezech. cap. 16 ex Chananæo patre Cethæáque genitrice prognatã, id eſt, ex gentibus maiori ex parte collectam ornauit, atque extulit ad Regiũ nomen. Id enim eſt quod Paulus dixit ad Epheſ. cap. 5. *Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Vbi ſine dubio alluſum eſt ad cap. 16. Ezech. & *verbum vitæ*, reſpicit illud *viue*, quod eſt in Ezechiele.

41. *Quæ magna ſunt ea plerunque è paruis initiis orta.*

Et

42. *Et videbunt lapidem ſtanneum in manu Zorobabel.*] Quo tempore hæc oblata ſunt Prophetæ interruptum fuerat opus: neque enim, vt diximus, à Dario facta facultas erat interrupta pertexendi. Quare ægro erant animo Iudæi, quia & incommode habitabant, & pro anguſtiſſimo templo exigua videbantur non tam fundamenta, quàm vmbra. Hos ergo conſolatur Propheta dum oſtendit Zorobabelem cum ſtanneo lapide, quaſi qui fabris formam præſcriberet, modúmque ædificandi, aut laborantes vrgeret, aut illis certè inſtrumenta porrigeret cæmentaria. Porrò ſtanneum lapidem eſſe perpendiculum, quo fabri altitudinem explorant, & examinant, communis pene ſententia eſt. Neque *lapidis* nomen contrà facit: nam eſſe etiam menſuram architectonicam colligitur non obſcurè ex Iſai.c.38. in quo vbi vulgatus habet; *& extendetur ſuper eam menſura, vt redigatur ad nihilum, & perpendiculum in deſolationem,* Hebr. eſt אבן *eben*, ſicut in hoc capite. Et ſanè *lapidem* pro menſura ſumi, aut pondere. v.g. libra, vncia, &c. quibus rerum grauitatem, aut momenta examinamus, liquet ex Deut.25. nam vbi vulgatus legit. *Non habebis in ſacculo diuerſa pondera, maius, & minus.* Heb. eſt; *Non ſit in ſacculo tuo lapis, & lapis*: & ſtatim vbi vulgatus, *Pondus habebis iuſtum, & verum.* Heb. *lapis integer, & iuſtitia ſit tibi*: & 2.Reg.13. Leuit.19. & Prou.c.20. pro pondere, & bilancibus *lapis* ponitur. Puto autem in Scriptura *lapidem* non ſolùm ſignificare id quod ſonat; ſed etiam pondus ex quacunque materia. Quod ſatis indicant, quæ à me modò dicta ſunt; nam pondera, quæ ad ſtateram adhibemus, ex metallo eſſe ſolent, non ex lapide; quia cùm ex eo aliquid facilè deteratur, iuſta eſſe non poſſent, præſertim in ea Regione vbi ferri magna copia eſt. Deut.8: *Cuius lapides ferrei ſunt, & de montibus eius æris metalla fodiuntur.* Et in cantico Moyſis qui priùs dicitur lapis; *deſcenderunt in profundum quaſi lapis.* ſtatim dicitur plumbum, *demerſi ſunt ſicut plumbum:* & ſtatim cap.5. quod à vulgato dicitur *talentum plumbi.* Hebr. eſt אבן העפרת *eben haephereth*, id eſt, *lapis plumbeus.* Vt ergo *lapis* pro libra ſumitur, quæ rerum pondera indicat, ſic etiam pro libra, aut libella ponitur, quæ pro fabrorum perpendiculo non rarò vſurpantur, maximè quia materia ipſa ſtannea ſatis oſtendit ad alium vſum in re tectonica accomodari non poſſe.

Lapis ſtanneus perpendiculum tectonicum.

Lapis pro pondere cuiuſcunque metalli.

43. Quidam putant ſermonem hîc eſſe de lapide primario, qui futurus eſt caput ædificij, alluſúmque putant ad illud de reprobato lapide, qui deinde factus eſt in caput anguli; quia בדל *badal*, à quo בדיל *bedil*, id eſt, *ſtannum*, deducitur, *ſeparare* ſignificat. Quaſi lapis ſeparatus, & reiectus nobiliſſimum ædificij locum occupaturus ſit. Ita Ribera cum aliis quibuſdam. Arias Montanus putat conſuetudinem eſſe, vt in magnificis ædificiis Principes, & primum lapidem in fundamentis faciant, & ad abſoluendum opus imponant extremum; ex qua conſuetudine natam exiſtimat illam execrationem *Ioſue cap.6.* de inſtauratione Iericho. *In primogenito ſuo fundamentum illius iaciat, & in nouiſſimo liberorum ponat portas eius.* Sed vnde hanc conſuetudinem acceperit, non video, neque adductum teſtimonium admodùm probat. Nam ille facere aliquid exiſtimatur, & communiter dicitur, qui, vt aliquid fiat autor eſt: & qui iacturus dicitur vrbis fundamenta, ille idem dicitur vrbem ædificaturus eodem textu verborum. Non aliter ergo fundamenta iacit, quàm ædificat: ædificat autem non princeps, ſed principis ſumptibus, & imperio cæmentarij. Maximè quia non dicitur princeps ille extremum poſiturus lapidem, ſed portas ciuitatis poſiturus.

44. Sed ſit ſane hoc verũ. At quis in conſtructioné templi antiqui audiuit ſtannei lapidis nomen, ad quem ſit alluſum in nouo? aut quæ ſpecies, aut ſimilitudo in ſtanno, vt tantam molẽ claudat, atque contineat? De perpẽdiculo faciliùs intelligo, quod etſi fabrili potiùs manui, quàm Principis conueniat, tamẽ in Principis manu fabris, ac toti populo proponitur, porrigitúrque, vt intelligant ſublatũ iam eſſe quicquid afferre morã poterat ædificio. Quo ſymbolo ad ſignificandum adeſſe iam ad ædificandum maturitatem, quid poterat eſſe magis idoneum?

45. *Septem iſti oculi ſunt Domini; qui diſcurrunt in vniuerſam terram.*] Qui ſuprà oculatum lapidem eſſe putant, eundem etiam eſſe credunt, qui modò lapis eſſe dicitur ſtãneus. Sed iam probabiliùs oſtẽdimus eſſe perpendiculum. Nihilominus eoſdem hîc, atque illic oculos eſſe puto; ſcilicet oculos Dei vigilantiſſimos, atque attentiſſimos, vt illic cælando lapidi angulari Chriſto, ita hîc regendo perpendiculo in manu Zorobabel: vt quemadmodum prius Salomonis templum ad amuſſim diuinam, id eſt, ad exemplar præſcriptum à Deo conſtructum eſt, ſic etiam hoc poſterius ad exemplar à Deo propoſitũ conſtruatur. Sed adhuc eſt difficile quinam ſint illi oculi ſeptem: nam communiter ſeptem exiſtimantur Angeli, qui Dei mandata ad gentes perferant, & vt impleantur, dent operam. Nam ideo Domino aſſiſtere dicuntur, vt ad eius vigilent voluntatem, & nutum. Quòd verò ſeptẽ Angeli præcipui ſint, quorum ſedulitati, ac fidei rerum humanarum adminiſtrationem commiſerit Deus, & docent Theologi, & ex Scriptura facilè conſtat. Ex *Apoc. c.1.8.15.16.17. & Tobiæ c.12.* vbi dixit Angelus; *Ego ſum Raphaël Angelus, vnus ex ſeptem, qui aſtamus ante Dominum.* Hi ergo ſeptem ſpiritus oculi dicuntur Domini, ſicut Diaconi oculi ſunt Epiſcopi, & exploratores oculi Ducis, & vrbium Præfecti, conſiliarij, & Iudices oculi Regis. Sanè apud Perſas Magiſtratus erant, qui dicebãtur *oculi Regis*; & alij, qui *regis aures.* Vide Heſychium in voce βασιλέως ὀφθαλμὸς; & Suidã in voce ὀφθαλμὸς βασιλέως; qui etiam appellantur Epiſcopi, vt iidem docent. Vt ergo Deus per Angelos loquitur; & verba Angeli, ac facta, verba, & facta dicuntur eſſe Dei, vt pluribus oſtẽdimus in c.7. Actuum, ſic etiam per Angelos videre dicitur Deus, & Angeli Dei dicuntur oculi, qui diſcurrunt per vniuerſam terram. *Et vidi Agnum ſtantem tanquam occiſum habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei miſſi in omnem terram.*

Septem Angeli Principes oculi Domini.

Qui oculi Regum.

46. Siue autẽ hîc ſermo ſit de ſeptenario numero, ſiue de innumera multitudine, quæ in ſeptenario continetur ex Scripturæ conſuetudine, vt volunt aliqui ex Gregorio hom.25. in Euangelia, non incommodat expoſitioni, quam & ſuprà adduximus ad illud, *ſuper lapidem vnum ſeptem oculi*, & quæ magis hîc placet, quæ de ſtudio, ac vigilantia agit, quam Deus adhibet ad templi fabricam. Nam ſiue per ſeptem hos ſpiritus, & lapidem cælet, & perpendiculum moderetur; quia hi oculi Dei ſunt, ſeptem Dei oculi meritò dici poſſunt, intenti vtrique curæ. Hæc verò magna eſſe oſtenditur, quãdo ad vnum opus omnes quaſi vires totius orbis adminiſtrationi deſtinatæ colliguntur: ſicut etiam ad formandum hominem maior quædam attentio collata videtur Gen.1. *Faciamus hominem,* &c. Et ob hanc, puto, cauſam *Eccleſ. cap.* 20. oculi auari dicuntur eſſe ſeptemplices: quia nimis attenti ſunt ad lucrum.

47. Cur eum lapide stanneo septem ponantur oculi, dixi quod mihi visum est vero magis affine; addam tamen explicationem aliam, quæ videri alicui fortasse poterit à sensu, textúque sermonis non aliena, quæque mihi non parum arrideret, si auctorem haberem aliquem, quem sequerer. Puto ergo hos septem oculos non pertinere ad stanneum lapidem, sed ad candelabrum, quod diximus præter summam lampadem, in qua Christus adumbrabatur, septem lucernis fuisse coronatum. Vt enim satis liquet, refert se hîc Angelus ad candelabrum, de quo priùs egerat, in quo lucernas esse diximus, & oliuas. In lucernis docet intelligi septem Angelos, qui totam terram obeunt. Nec aliam ob causam puto à Propheta postea tantùm esse quæsitum de oliuis, nisi quia iam ab Angelo expositum fuerat, quid sibi vellent septem illæ lucernæ. Tunc verò dicendum est septem lucernas esse septem Angelos totius mundi præsides: aut Angelorum nomine intelligi Apostolos, seu Apostolicos viros, quorum copiosus numerus in septenario numero significatur, per quos caput Ecclesiæ Christus suæ familiæ, id est, Ecclesiæ prouidet: quos circum se, & sibi coniunctos habet, quibúsque ad lucendum per infusoria oleum impertit.

Septem oculi videntur ad candelabrum pertinere.

48. Ex hoc mihi valdè probabile est, vt obseruauimus suprà cap. 3. septem oculis instructum esse lapidem, id est, oculatum esse, aut iuxta se septem oculos habuisse. Nam, vt hoc eodem capite diximus num. 4. *super* aliquando *iuxta* significat: quare super lapidem vnum dici possunt esse septem oculi, quia iuxta lapidem illum sunt. Siue ergo septem oculi in ipso lapide inclusi sint, siue circa illum dispositi, in eis septem spiritus significari satis est verisimile, quia aliis in locis, vbi eadem propè est verborum forma, septem omnino spiritus exprimi certum est: nam Christus hîc qui lenticula est, & lampas media ac summa in candelabro, septem habet lucernas, quæ sunt septem Angeli; & Apoc. cap. 1. 2. & 3. in dextera habere dicitur septem stellas, quæ expressè septem Angeli commemorantur. Hæc verò tria *oculi, stellæ, lucernæ*, appositissima Angelorum, atque Doctorum symbola sunt. Hæc mihi de oculato lapide satis videntur probabilia, & haud scio an magis probē; quàm quæ ibi diximus. Sed hæc alij iudicent.

Vers. 11. *Quid sunt duæ oliuæ istæ.*] Quod ad situm, & significationem oliuarum spectat, iam à nobis supra expositum est num. 11.

Quæ sunt iuxta duo rostra aurea.] Cætera quæ supererant ex hoc capite iam sunt explicata; illud superest explicandum, quid sint rostra aurea. Heb. ביד שני צנתרות *byad sene santeroth*; quorum postremum nomen non alibi reperitur. Communiter existimatur esse canalis, seu fistula, per quam oleum defluit in lucernas. Commodè noster vulgatus vertit *rostra*, & Septuaginta μυξωτῆρες, id est, *nares*: nam vtraque prominent, & apta translatione vasis accommodatur. Sunt autem in vasis rostra, vel nasi partes illæ, per quas aliquid effunditur. 49.

In quibus sunt suffusoria ex auro?] Heb. pro *suffusoriis* est מריקים *merikim*, quod participium potiùs est, quàm nomen, conuenitque cum rostris, id est, canalibus. Neque obstat quòd צנתרות *santeroth*, quod canales, vel rostra esse diximus, formam habeat fœmininam, & מריקים *merikim* generis sit masculini: quia non rarò apud Hebræos adiectiuum, aut verbum masculinum generi fœmineo accommodatur, & contrà. Vide Pagninum *in arte lib. 2. cap. 3.* vbi plurima adducit exempla. Immò צנתרות *santeroth* generis esse masculini mihi certum est, quia illud שני *sene*, id est, *duo*, quod adiunctum habet, masculini generis est: alioquin dicendum esse שתי *sithe*. Neque video quo alio ex loco possit suaderi contrarium. Est ergo sensus: oliuæ duæ, siue duæ spicæ, aut rami oliuarum, quod idem est, sunt iuxta duos canales, seu fistulas, ex septem, quæ subiectæ sunt aureæ lenticulæ. Quæ fistulæ euacuant aurum, id est, lenticulam auream, dum ad fouendas lucernas oleum exugunt ex lenticula, transmittúntque ad lucernas. Textus Hebraicus habet מעליהם *mealehem*, id est, *desuper se*. Ex quo intelligitur quo modo canales illi subiecti sint lenticulæ, nempe ex eius fundo pullulantes, quando super se habent oleum, quod euacuant à lenticula, & ad lucernas transfundunt. 50.

Vers. 14. *Isti sunt duo filij olei, qui assistũt dominatori.*] Hæc suprà explicata sunt *numero* 13. & deinceps.

IN CAPVT QVINTVM

ARGVMENTVM.

IN volumine seu longa charta, quam volantem vidit Zacharias, didicit parata esse grauissima supplicia, his præsertim qui furto onerati sunt, aut delibuti periuriis. In altera visione amphora, cuius os obstruitur talento, ostenditur futurum esse tempus, quando impleta à Iudæis impietatis mensura, daturi sint pœnas & duras, & longas in Babylone, id est, in exilio, & carcere, & omni prorsus ærumnarum genere.

CAPVT V.

1. *ET conuersus sum, & leuaui oculos meos: & vidi, & ecce volumen volans.*

2. *Et dixit ad me: Quid tu vides? Et dixi: Ecce ego video volumen volans; longitudo eius viginti cubitorum, & latitudo eius decem cubitorum.*

3. *Et dixit ad me: Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ, quia omnis fur*

PARAPHRASIS.

1. CVm primùm species illa candelabri secessit, ad aliud spectrum oculos conuerti: & vidi volumen volans, id est, explicatam chartam ferri per aërem.

2. Et rogatus ab Angelo, quid viderem, videre me respondi volumen, siue pellem ingentem in aëre volantem, longam viginti cubitis, & latam decem.

3. Cùm ego quid esset in eo volumine scriptum non assequerer, ab Angelo didici conti

fur, sicut ibi scriptum est, iudicabitur: & omnis iurans ex hoc similiter iudicabitur.

A contineri in eo maledictionem, id est, diuinæ seueritatis supplicia, seu potiùs fulmina, quæ in vniuersam terram inuehuntur; in eos præsertim, qui aut furaces habent manus, aut linguam periuram. Qui iuxta ea, quæ in eo volumine notata sunt, iudicium subibunt.

4. Educam illud, dicit Dominus exercituum: & veniet ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter: & commorabitur in medio domus eius, & consumet eam, & ligna eius, & lapides eius.

4. Educam volumen illud, dicit Dominus, oneratum minis, & irruet in eorum domum, qui aut aliena rapiunt, aut mendacio suo diuini nominis sanctitatem prætendũt. Quod sanè citò egressurum non est ab ea B domo, quam furta, atque periuria contaminauerunt: sed in illa sic bacchabitur diu, vt nihil in ea reliquum faciat à vastitate, non ligna, non lapides, non denique prioris status nuda vestigia.

5. Et egressus est Angelus, qui loquebatur in me: & dixit ad me, leua oculos tuos, & vide quid est hoc quod egreditur.

5. Egressus rursus Angelus iussit me oculos iterum ad spectrum aliud cõuertere, contemplaríque quid esset, quod nouum tunc mihi proponebatur.

6. Et dixi: Quidnam est? & ait: Hæc est amphora egrediens.

6. Cúmque rogasset, quidnam illud esset, quod intuebar, respondi amphoram mihi egredientem videri.

Et dixit: Hic est oculus eorum in vniuersa terra.

C Noram quidem ex forma illam esse amphoram, quid tamen portenderet ignorabam: quare Angelus ea me cura, & ignoratione liberauit. Dixit enim amphoram illam oculum esse eorum, id est, Iudæorum, qui morantur in terra: aut quia suppliciorum acerbitas, quibus afficientur aliquãdo Iudæi, tanquam oculus gentibus prodet Iudæorum peccata, quæ aliter in tenebris laterent abstrusa: aut quia eò intentus est Iudæorum oculus, vt amphoram illam, & mensuram peccatorum impleant, cuius cõD plementũ statim vltio consequetur diuina.

7. Et ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier vna sedens in medio amphoræ.

7. Vix dum ab Angelo hæc acceperam, cùm se mihi rursus aliud obiicit visum. Ferebatur enim seorsum ab amphora massa plumbea ingens; visa autem est mihi emergere, extaréque ex medio amphoræ quædam mulier.

8. Et dixit: Hæc est impietas. Et proiecit eam in medio amphoræ, & misit massam plumbeam in os eius.

8. Quam esse impietatem doctus sum ab Angelo. Etiamsi in amphora esset illa mulier, extabat tamen, & eminebat capite: non enim iacebat omnino, sed sedebat intus. At Angelus illam sic intrò proiecit, vt nihil emineret foras. Et ne esset vlla emergendi E facultas, plumbeo talento, quod proximum esse diximus, os eius obstruxit.

9. Et leuaui oculos meos, & vidi: & ecce duæ mulieres egredientes, & spiritus in alis earum, & habebant alas quasi alas milui; & leuauerunt amphoram inter terram, & cælum.

9. Cùm primùm iniquitas in mediã amphorã coniecta est, & occlusa plumbea talento, ne vllum inde pateret effugium; ecce offertur mihi noua visio. Videre quippe visus sum duas mulieres miluinis instructas pennis, quibus inerat spiritus, id est, quę velocissimo volatu ferebantur, quæ corripientes amphoram, inter cælum, & terram sublimem asportauerunt.

Google

10. *Et dixi ad Angelum, qui loquebatur in me. Quò ista deferunt amphoram? & dixit ad me, vt ædificetur ei domus in terra Sennahar, & stabiliatur, & ponatur ibi super basem suam.*

A 10. Tunc ego Angelum, qui loquebatur in me, quémque in rebus obscuris ducem habebam, & magistrum, rogaui quónam gentium à mulieribus aueheretur amphora, in qua latebat impietas: ille verò respondit in Babylonem rapi, id est, in durum, longúmque carcerem. Nam ex proximo Hebræorum exilio Babylon prouerbiali figura carcer appellabatur. Et quia in exilio, & carcere diutissimè quasi in proprio domicilio futura est, ideo ei in Babylone ædificatur domus, & basis extruitur, cui amphora insideat.

Vers.1. *Leuaui oculos meos, & vidi.*]

1. INDICAT Propheta è cælo habuisse oraculum, & non à spiritu Pythonico. Nam spiritus iste, quia terræ immersus, de terra loquitur. Isai.19. *Erit quasi Pythonis de terra vox tua, & de humo eloquium tuum mussitabit.* Spiritus è cælo deterret à peccando, incitat ad instaurãdã Ierusalem, Deíque domiciliũ, spiritus Pythonicus de terrenis loquitur, eóque confert consilia sua.

Quæ peccata in populo Iudaico.

2. *Et ecce volumen volans.*] Non vni tantùm materiæ alligatus est Prophetarum spiritus, sed varia prædicunt eo etiam tempore, cùm ad alia intentos habent & animos, & vocem. Et sanè in aliarum etiam rerum edendis oraculis, ad Christum migrationes interdum fieri docet sæpe hic Propheta, & Isaias quàm sæpissimè. Dictum nuper fuerat de Hebræorum colligenda fuga, instaurandisque damnis, quibus ab hoste Chaldæo obsidionis, & expugnationis tempore, & longo 70. annorum tractu affecti sunt; sed quia in tanta turba, támque nuda ab humanarum rerum subsidio, multi aut nimiùm prouidi, aut parum verecundi, ita studebant auaritiæ, vt ab aliorum opibus non cohiberent furaces manus: qui etiam dum in lucrum habent intentum animum, non admodùm horrerent periurij nomen, ideo Deus illos proposito supplicio à scelere deterret. Neque verò hæc tantùm erant crimina, quæ Dominus populo suo obiiciat, aut puniat, vt ex Aggæo constat, & Malachia, per quos sub id tempus Dominus populum grauiter incusat; sed voluit Deus, vt inquit Hieronymus, per furtum, atque periurium ostendere peccata omnia, quæ sunt contra Deum, & contra proximum. Sed hæc fortasse duo crimina tunc, & immoderatiùs, & inuerecundiùs admittebantur.

Volumen quid.

3. Est autem volumen non liber compactus ex multis paginis, qualis communiter hoc tempore, sed vel multæ chartæ adglutinatæ in longitudinem, quæ instar telæ cuiusdam circum bacillum conuoluuntur; vel pellis oblonga, cuiusmodi vsus nunc apud Sinas, & Iaponios frequens. Aquila, & Theodotio verterunt Græcè *διφθέρα*: de qua multa fabulosè poëtæ, qui ex hoc Zachariæ loco, & ex Ezechiele *cap.2.* videntur expressisse, sicut ex aliis Scripturæ locis non pauca. In illo enim volumine Ezechielis, sicut in hoc Zachariæ, scriptæ sunt *minæ & lamentationes, & carmen, & væ.* Nam in ea diphthera à Ioue esse scripta dicunt & hominum scelera, & eorum destinata supplicia, in quam intuens Iupiter existimabatur

B in scelera ibi notata animaduertere. Vnde natum Prouerbium: ὁ Ζεὺς κατεῖδε χρόνιος εἰς τὰς διφθέρας. i. *Serò Iupiter diphtheram inspexit.* Quod in eos iactatur, qui licèt serò, aliquando dant pœnas admissi sceleris.

Septuaginta pro *volumine*, legunt *falcem*, sicut etiam Græci, vt Chrysostomus, Cyrillus, Theodoretus. Variæ translationi locum dedit vocis Hebraicæ similitudo. Falx enim מגל *maghal* dicitur, volumen autem מגלה *meghilah*, vt reperitur nunc in Hebræo. Porrò מגל *maghal* non tam significat *falcem messoriam*, quàm *putatoriam*, vel, *securim.* Quòd si ad verbum textum Hebraicum interpretere, non admodùm aliena sunt à falce, quæ eo loco dicuntur: nam vbi vulgatus habet *indicabitur*, Hebr. est נקה *nikah*, id est, *succisum est*, quod

Pro volumine, aliqui falcem legunt. 4.

C proprium est falcis, maximè putatoriæ. Neque, credo, alienum erat ab antiquis, sicut nostro etiam tempore aliquando factum, vt in gladio, aut alio bellico instrumento seu apparatu symbola, aut notas inciderent earum rerum, quas, dum bella sumerent, animo designassent. De clypeis notum est. Pausanias *lib.5.* tradit in clypeo Agamemnonis fuisse expressum Leonis caput cum hac inscriptione; *Hic pauor hominum.* Neque longè hinc abludit quod in vita Marij tradit Plutarchus, in bello Cimbrico Marij, & Catulli milites in telis suorum ducum inscripsisse nomina. Inscribi solitos esse gladios tradit Hugo in illud *Isai.49.* in sensu morali. *Posuit os meum quasi gladium acutum*; non tamen probat, quasi res sit certa, & omnibus explorata. Sanè Cedrenus in clypeis militum inscriptum esse dicit nomen ciuitatis, quæ bello petebatur: sic n. ille anno Christi 208. *Amermumnas militibus mandat, vt quiuis scuto suo Amorium inscriberet; quo innuebat se Amorium aggredi velle.* Neque alio sensu accipiendum esse existimo illud Apoc.19. *& in femore eius scriptum Rex Regum,* &c. vbi *femur* sumo aut pro astrictiori veste, quæ femur tegit, aut pro gladio, qui femoris in bellatore viro ornamentum est. Neque enim admo-

Arma inscribi solita.

D dùm apparet verisimile, aut decorum, vt qui eo loco obiiciebatur Ioanni tanquam Dux victor, & expeditus ad pugnam, femur haberet nudùm, & compunctum quibusdam quasi seruilibus notis. Quare potiùs existimo sicut in vestimento, sic etiam in gladio summi Regis habuisse inscriptionem. Sic nos hunc locum Apoc. accipimus in illud Cant.7. *iunctura femorum tuorum.* Et sicut 4. Regem 13. sagitta salutis dicitur contra Syriam, sic puto in aliis telis aliquid simile fuisse scriptũ.

Sicut

Sicut ille, qui Philippo Macedoni oculum exculpsit, sagittæ suæ hoc ipsum inscripsit, vt tradit Solinus *cap.14.* & Plutarchus *in Parul.* Esset exemplum optimum, si modò verum, quod scripsit non tam Philo Iudæus, quàm Pseudophilo, qui optimo auctori falsum partum suppoluit: ille enim in eo libro, qui inscriptus est, *Antiquitates Biblicæ*; tradit Dauidem cùm congressurus esset cum Goliath, in lapidibus, quos è torrente sumpsit, scripsisse nomina Patriarcharum, & Dei. Sed ille non satis suam probat fidem. Idem inuenio in Paraphrasi Chaldaica manuscripta, quæ seruatur in Bibliotheca Complutensi. Ad hunc ergo modum verisimile est, in ea falce inscripta fuisse illa supplicia, atque iudicia quæ refert Propheta. Ad quam existimo in Testamento Nouo allusum esse Matth.3. cùm dicitur. *Iam securis ad radicem arboris posita est*; & Apocal.14. vbi falx pro supplicio ponitur, *Mitte,* inquit, *falcem tuam, & mete, quia venit hora vt metatur.* Græcè δρέπανον; quæ vox, vt ex eodem capite constat, non solùm ad messem pertinet, sed etiam ad vites. Nihilominùs multa alia sunt, quæ magis probant volumen esse, quàm falcem.

6. *Longitudo eius 20. cubitorum: & latitudo eius 10. cubitorum.*] Ex hac proportione satis indicatur non esse falcem. Cur verò volumen eius dicatur esse magnitudinis, variæ à variis afferuntur causæ. Rabbini quidam tantam esse putant magnitudinem, quia ex templo credunt egressum fuisse volumen illud; tantæ enim magnitudinis erat antiqui templi porta. Ita R.Dauid, quem sequitur Lyra, & Sixtus Senensis *libro secundo Biblioth. v. volumen volans*; & indicat Burgensis. Sed ista sunt mera Iudæorum figmenta: nam licèt Zachariæ ætate templum extaret antiquum, vnde constat egressum ex templo volumen? Certè Zachariæ non visum est egressum, sed volans, cùm oculos non in templum, sed in cælum eleuasset. Esset quidem sensus ad mores non inutilis, quia inde Deus indignatus magis ad puniendum exilit, vbi plura extant ad salutem beneficia. Quare volumen de Sanctuario egressum videri potuit, quia iudicium incepit à domo Dei, & supplicium de Sacerdotibus, Deóque maximè coniunctis hominibus sumptum est priùs, deinde volat per vniuersam terram. Sed, vt dixi, etiamsi hæc ad plausum sint, non tamen ad textum.

7. Hieronymus in denario numero prospera nunciari putat; in vicenario, qui ex duobus constat denariis, aduersa. Itaque in his numeris aliquid est γλυκύπικρον, id est, læta sociantur tristibus; quia ad hoc Deus corrigit, vt emendet, & benefaciat. Cur verò his numeris aliquid insit vel prosperum, vel aduersum, rationem hìc non reddit Hieronymus; ostendit tamen (vt notat Ribera) *Ezech. cap.24.* in denario significari clementiam, & causam reddit infrà *cap.8.* ad illud, *apprehendent decem homines*; his verbis. *Iota litera, ex qua sumit exordium Saluatoris nomen, non solùm apud Hebræos, sed etiam apud Græcos denarium numerum significat.* De vicenario, quod triste aliquid, & infaustum indicat, in illud Aggæi 2. *& fiebant viginti*, probat quia Iacob seruiuit viginti annis, & quia Esau hunc numerum amabat; ideo misit ad eum Iacob eo numero munera non pauca. Coniectura satis videtur infirma.

8. *Talmud Hebræorum.* Burgensis volumen illud putat esse Talmud, quod volans dicitur, quia nullum habet stabile fundamentum; & maledictio, quia eius doctrina execrabilis est. Et quia de templo, sacráque doctrina egredi videtur, dicitur habere mensuram longitudinis, & latitudinis templi portæ. Designat tamen domos, ad quas peruenit, quia extremam animabus, corporibúsque cladem affert. Vide quæ ibi adducit Burgensis de inuentione Talmud, & deuterosibus, seu traditionibus, & de lege bis data, semel in lapidibus, iterum voce tantùm, quæ quasi per manus ad posteros tradita fingitur. Quæ lex, seu legis somniata traditio, infinitas pene nugas, & deliramenta excogitandi genti cæcæ, & errandi cupidæ occasionem dedit, vel potiùs hinc gens illa vmbrá quæsiuit, quam suis erroribus prætéderet.

Ribera ideo existimat designari longitudinem, & latitudinem, quia ibi proponitur & peccatorum multitudo, quæ latitudo est: & longitudo, quæ fuit in peccando diuturnitas, & obstinatio. Et similiter in eodem volumine maledictiones scriptæ sunt in eadem mensura: quia supplicia grauissima sunt, & eorum æterna duratio. Mensuram autem in pœnis esse iuxta scelerum modum dicit Isai. cap.28. *Et ponam in pondere iudicium, & iustitiam in mensura:* & Deut.25. *Pro mensura peccati sit & plagarum modus.* Hoc indicant amphora, & talentum, de quibus statim, quorum altera mensura est, alterum pondus. Et hæc mihi sententia probatur magis. Non longè hinc abit Chrysostomus, qui in ea mensura indicari putat malorum magnitudinem, & per volantem falcem (nam sic ille legit cum LXX.) velocissimum vltionis cursum designari hom.15. & 26. ad populum. 9. *Mensura pœnarum.*

Vers.3. *Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ.*] *Maledictio* in Scriptura condemnatio est, siue sententia contra impios lata: nam & Matth.5. damnati *maledicti* vocantur. *Discedite à me maledicti.* In Deo enim idem est maledicere, ac malè alicui facere, vt probat ficus ex maledictione arida. Porrò hìc non credo minas ad vniuersam terram pertinere, sed ad Israëliticam, vt censent Cyrillus, Rupertus, Dionysius, & Ribera; licèt Theodoretus, & è recentioribus quidam aliter sentiant: sed non obscurè indicatur in sequentibus. Nam maledictio contra illos dicitur scripta, qui in Dei nomine iurant mendaciter; at soli sunt Iudæi, qui in Dei nomine iurant, quia hi solùm Deum norunt. Neque huic sententiæ quicquam incommodi est, quòd super faciem omnis terræ dicitur egressa maledictio, quia omnis terra de illa intelligitur, de qua sermo est, vt pluribus docuimus ad illud Actor.2. *Ab omni natione, quæ sub cælo est.* Vide quæ diximus suprà cap.5.n.59. 10. *Maledictio quid.*

Quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, iudicabitur.] 11.
In textu Hebraico ad verbum. *Omnis furans ex hoc sicut ipsum succisus est; & omnis iurans ex hoc sicut ipsum succisus est.* Noster vulgatus eundem sensum clariùs expressit. Hoc volumen scriptum esse existimatur intus, & foris, sicut illud *Ezech.2.* in quo erant lamentationes, & carmen, & væ. In altera facie erant peccata, in altera peccatorum pœna, vt putat Sixtus Senensis libro secundo, verb. *volumen.* Vatablus, & alij in vtraque facie idem scriptum esse existimant, ita vt ab omnibus legi vndecunque possit. Hic liber ex eorum numero esse videtur de quibus Dan cap. septimo. *Iudicium sedit, & throni positi sunt, & libri aperti sunt:* & Apocal.10. *Et libri aperti sunt, & iudicati sunt mortui ex iis, quæ scripta erant in libris, secundùm opera eorum.* Hebr. non est *iudicabitur* in futuro, sed in

præterito נקה *nikah*, id eſt, *ſucciſus*, vel *deletus eſt*. Vnde quidam exiſtimarunt ſermonem hic eſſe de peccatis iam præteritis, & longo ſupplicio mulctatis, in quibus eſt Albertus, & Dionyſius, & alij quorum meminit Burgenſis, qui eorum ſententiam optimè refellit. Sed neque nouum, neque rarum eſt in Scriptura præteritum pro futuro poni, vt latè docuimus ad illud Cantic.1. *Introduxit me*; præſertim vbi quod prædicitur, breui futurum eſt; vt hîc contingit; ideo enim volare fingitur volumen, quia ſupplicium inſtat. Quare noſter Interpres ſecutus Hebræorum conſuetudinem, non malè reddidit, *iudicabitur*.

12. Verſ.4. *Educam illud etiam*, &c. *& commorabitur in medio domus eius, & conſumet eam.*] Affirmat Deus perfecturum ſe, vt periuri, & fures reipſa experiantur, quæ in eo volumine decreta ſunt ſceleribus ſupplicia. Quod ſanè citò tranſiturum non eſt ab ea domo, quam ſibi parauit, periurium & rapina, ſicut hoſpes; ſed tanquam dominus, ſic inueteraſcet diu, vt nihil ibi reliquum faciat à vaſtitate, & incendio; non ligna, non lapides, non denique prioris gloriæ nuda veſtigia. Vide Chryſoſt. *homil.15. & 19. ad populum*. Et eſt ſanè mirifica exaggeratio diuinæ vindictæ, quæ ſic graſſatur in ſceleratorum domo, ſicut ignis in arida materia. Quod etiam Eccleſ. cap.23. ſcribitur, *Vir multùm iurans implebitur iniquitate, & non diſcedet à domo illius plaga*. Accommodat autem ſe diuinus ſpiritus hominum conſuetudini, qui in magnis criminibus, præſertim vbi læſa maieſtas eſt; ita domos ſternunt, complanántque ſolo, vt ex eis nihil ſit reliquum, præter ſcelerum monumenta. Eo conſilio domus impiorum à Domino ſubuerſæ ſunt, & quaſi ſeminatæ ſale, vt patet in Pentapoli, in qua durat adhuc diuina maledictio, à qua ſterilis eſt, & infelicis ſoli regio olim vber, & amœna ſicut Paradiſus Dei. Deleuit Dominus propter peccata hominum mundum totum; eorum nempe domum: & inductis aquis, quaſi inſperſo ſale, ſterilitatem induxit; plurimùm certè ademit vbertatis antiquæ, vt notauit Abul. *in cap.9. Iud. quæſt.45.* & Pſalm.106. *Poſuit terram frugiferam in ſalſuginem à malitia inhabitantium in ea*. Et eodem conſilio ſecutus illorum temporum conſuetudinem Abimelech Iud.9. vrbem Sichimorum, quæ Regium iugum excuſſerat, non ſolùm deleuit, ſed etiam ſeminauit ſale. Quod fieri in criminibus maieſtatis læſæ docuit ibid. Abul. Et, vt propiùs accedamus, domum ſuam Deus, id eſt, quam ſuo nomini, & cultui conſecrarat, propter peccata hominum euertit, &, vt ita dicam, ſeminauit ſale. De Silo conſtat Ierem.7. *Spelunca latronum facta eſt domus iſta, in qua inuocatum eſt nomen meum. Ite ad domum meam in Silo, vbi habitauit nomen meum à principio, & videte quid fecerim ei propter malitiam populi mei Iſrael.* Templum à Salomone conſtructum, vt euerſum fuerit, redactúmque in ſyluam, & vt *Thren. cap.5.* dicatur factum vulpium latibulum, ſatis conſtat. Fuit enim ibi per multos annos commorata Domini maledictio. Thren.2. *Repulit Dominus altare ſuum, maledixit ſanctificationi ſuæ, tradidit in manu inimici muros turrium eius.* Et rurſus cap.4. *Succendit ignem in Sion, & deuorauit fundamenta eius.* Et hoc ipſum templum, de quo nunc Zacharias, in cuius fabricam tantopere omnium pene Iudæorum ſedulitas incumbit, ſic eſt deletum, vt, quod Chriſtus prædixit *Matth.24.* non ſit relictus lapis ſuper lapidem, adeò ſeminatis, vt ita dicam, fundamentis ſale, vt cùm ſæpe improborum impietas templum erigere eo ſitu tentauerit, nihil tamen promouerit; quia in imis etiam fundamentis hærebat diuina maledictio.

Peccati ſupplicium.

Verſ.5. *Vide quid eſt hoc, quod egreditur.*] Obiicitur Prophetæ ſpecies alia, quæ egredi ideo dicitur, quia mouebatur, ſéque ſpectantis oculis offerebat, qua ratione in Dramate de ſcena egredi in poſcenium dicuntur Actores, & mimi ad hominum conſpectum.

Verſ.6. *Hæc eſt amphora egrediens.*] Heb. איפה 13.
Ephah, quæ menſura eſt aridorum capiens modios tres, vt dicit Hieronymus *in cap.5. Iſaiæ*, à qua voce deductum videtur Hiſpanicum nomen *fanega*. Et ita vertit tranſlatio antiqua Hiſpanica. Hic autem generaliter pro quauis menſura ponitur, & ideo L X X. adhibuerunt generale *menſuræ* nomen. Quod aliis ſæpe locis facit vulgatus. Amos 8. *imminuamus menſuram*. Hebr. איפה *Ephah*. Micheæ 6. Ezech.4. & hoc ipſo loco in Commentariis Hieronymus, dum dicit. *Amphora ſeu menſura*. Vt ergo Epha, quia notum eſt menſuræ genus, per ſynecdochem pro menſura ponitur; ſic (vt puto) quia amphora menſura eſt omnium notiſſima, communiſſimáque, pro qualibet menſura tam aridorum, quàm liquidorum vſurpatur.

Amphora quid.

Hæc eſt oculus eorum in vniuerſa terra.] Septua- 14.
ginta tranſtulerunt, *iniquitas eorum*; forſan pro עינם *enam*, id eſt, *oculis*, legerunt עונם *auonam*, quæ *iniquitatem* valet; ſed ſenſus aut idem eſt, aut non multùm diuerſus. Oculus autem hîc variè ſumi poteſt, vel paſſiuè, id eſt, pro ſcopo, in quem intenti ſunt omnium gentium oculi; quia talis eſt iniquitas, &c, quòd de illa ſumetur aliquando ſupplicium; de quibus poſtea, vt omniũ ad ſe cogitationes, atque oculos rapiat. Qua ratione dicimus, *hæc eſt mea mens, cogitatio, conſilium*: quia de ea re curo, cogito, delibero. Sic illa iniquitas erit oculus terræ, quia in illam erunt omnium gentium oculi coniecti. Poteſt etiam hic oculus actiuè ſumi, & hoc dupliciter; vel quia ſicut oculus omnia aperit, quæ alioqui iacerent in tenebris demerſa: qua ratione Sol oculus dicitur mundi, ſic illa amphora gentibus prodit, quæ premebantur domeſticis latebris, Iudæorum flagitia. Quia niſi dura, atque euidens vindicta eſſet, celata eſſent magna ex parte Iudæorum peccata. Ita putat Hieronymus, & ideo infrà amphora, quæ impietatem ſignificat iudicio damnatam, iubetur poni ſuper baſim ſuam, vt ſit in omnium conſpectu. Hæc quidem ſatis probabilia, ſed credo aliam eſſe huius loci ſententiam, nempe omnium oculos, putà Iudæorum, ad malum eſſe intentos; quaſi illis id vnum negotij datum ſit, vt menſuram illam impleant iniquitate, vt Gen.6. dicitur; *Omnis cogitatio ad malum intenta*. Qua de re ſtatim fuſiùs numero vigeſimo tertio.

Oculus quid.

Fortaſſe hic alluſum eſt ad id quod ſuprà cap. 15.
2. dictum eſt. *Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei*: & infrà cap.8. *Deus eſt oculus Iſrael*. Quia Deus in ſuum populum intuetur, vt illi in minimis etiam paterna cura prouideat. Sed ingrato illi, ac ſtolido populo oculus eſt iniquitas, quia illam ſibi propoſitam habet.

Verſ.7. *Et ecce talentum plumbi portabatur.*] Sic- 16.
ut priùs *Epha*, ſiue *amphora* pro menſura ponitur per ſynedochem: ſic nunc *talentum plumbi* pro quolibet pódere. Et ita ſtatim dicitur *maſſa plũbea*,

magis

magis generali vocabulo, & paulo pòst אבן העפרת *Eben hophereth*, id est, *lapis plumbeus*. Hoc verò plumbeum talentum seorsum portabatur ab amphora, vt apparet, quia statim impositum esse dicitur supra os eius.

17. *Et ecce mulier vna sedens in medio amphoræ.*] Ita sedebat hæc mulier, vt cùm pars inferior esset in amphora, superior tamen extaret. Alioqui quomodo sedere videretur in amphora, nisi aliquid illius emineret? Hæc verò mulier, docente Angelo, impietas est, quæ optime, vt inquit Cyrillus, mulieris habitu describitur; typus enim voluptatis est mulier, & infirmitatis. Omne autem peccatum committitur aut voluptate trahente, aut succumbente infirmitate. Idem pæne Theodoretus, qui ideo peccatum existimat speciem mulieris referre, quia ex voluptate plurima nascuntur peccata. Hæc verò non sedebat supra talentum plumbi, vt putat Origen. *hom.6. in Genes.* imò & Hieronymus in illud Matth. 11. *Venite ad me omnes*; & in illud Ezech. 22. *Et factum est verbum Domini*, & alibi sæpe. Qui, vt erant in Scriptura versatissimi, memoriter illa retulerunt potiùs quàm exẽplari consulto. Qui tamen vbi in loca illa inciderunt, expenderúntque attentiùs, aliter existimarunt. Nam Hieronymus hìc aperte dicit sedisse mulierem in amphora, & deinde aduenisse plumbeum talentum. Sicut etiam in epistola ad Paulinum septem lucernas vidit in candelabro Zachariæ; in proprio verò loco Zachariæ, vbi propiùs candelabrum considerauit, octo deprehendit lucernas.

18. Neque est cur miremur in magnis viris, & opere in longo aliquando defecisse memoriam. Neque enim semper, quæ erat illorum sæculorum infelicitas, libris abundabant, quos consulerent, neque infinitam propè rerum copiam memoria contineri facile est. Adducit aliquot exempla Martinus Martinez Cantapetrensis *libro 6. Hypotypos. cap. 1. ad medium*; sed pleraque falsa, vt facilè constabit ei, qui authores consuluerit, qui erroris arguuntur à Cantapetrensi. Sed vt Aristotelem omittam, qui tribuisse dicitur 2. *lib. Ethic.* Calypso verba Circes, cùm tamen aliter se habeat, certè ferendum non est duos errores admodùm pueriles duobus Ecclesiæ luminibus, Augustino, atque Epiphanio adscribi à Cantapetrensi. Dicit enim Augustinum lib. de catechizandis rudibus tribuere natiuitati Iacob, & Esau, id quod Scriptura tradit de natiuitate Phares, & Zaram. Et Epiphanio *lib. 3. hæres.* Messalianorum errorem adhuc magis infantilem inurit: dicit enim Epiphanium tribuisse Mariæ matri Domini illa verba, quæ dicta sunt à Christo Mariæ Magdalenæ; *Noli me tangere*, Ioan. capite 20. quæ sanè longè aliter se habent. Neque video quomodo ex illis Augustini, atque Epiphanij verbis in eam cogitationem venire potuerit Cantapetrensis. Hæc ideo admonui, ne quenquam decipiat Cantapetrensis, sicut me decepit aliquando.

Magnis authoribus aliquando defecit memoria.

19. *Et proiecit eã in medio amphoræ.*] Id est, fecit vt tota includeretur in amphora; neque quicquam extaret eorum, quæ prius eminebant. *Medium* autem significare quod intus est, aut inter alia, satis vulgare in Scriptura; quo sensu dicitur lupus de medio gregis hœdum rapere, cùm extremum potiùs rapiat. Et mulier Sunamitis dicebat habitare se in medio populi sui, id est, inter suos. Sic hoc loco proiecta est mulier in medio amphoræ, quia intus conclusa fuit.

Vers. 8. *Et misit massam plumbeam in os eius.*] Vbi impietas abstrusa fuit in amphoram, & ibi tota condita, massa illa plumbea, quæ priùs vocata est talentum, os obstruxit amphoræ; neque liberum reliquit exitum, quà pateret effugium.

In his, quæ de ordine literæ, descriptionéque visionis dicta sunt, minùs est difficultatis; sed est omnino plurimùm, in hoc cortice inuenire medullam. Id igitur agamus. Mihi primùm videbatur agi hìc non de peccato, aut iniquitate cuiuspiam; sed de pœna, quæ iniquitatem cõsequitur. Quę etiam iniquitas dicitur, vt obseruauimus supra capite 3. vbi à Iesu Sacerdote ablata scribitur iniquitas, id est, sordes propter iniquitatẽ ab exilio, seruilique ministerio contractæ. Hæc verò pœna & magna esse dicitur, quia mensuram complet; & diuturna, quia ore graui plumbi pondere occluso, quà se extricet nihil habet solutum, ac peruium. Quia verò amphora delata est in terram Sennahar, quæ pars est Babylonis, indicari videtur calamitates, & ærumnas graues, atque diuturnas impendere Babyloniis, qui Dei populo tam graues olim, & infensi fuerant. Neque inueniebã quid huic expositioni obiici posset, quod aut veritati repugnaret, aut textui. Sed quia aliò incumbunt aliorum sententiæ, nos quoque aliò cum ipsis abeamus. 20.

Plerique hìc peccata indicari existimant, & eorum supplicia, sed planè variè: neque vllus est ferme, qui in explicando omnino cum alio consentiat. Quidam hìc de peccatis decem tribuum, captiuitatéque longissima, quæ post tot sæcula nondum est soluta, sermonem esse credunt. Sed quominus hæc vera esse putẽ facit, quia amphora delata esse dicitur in terram Sennahar; sed decem tribus eò adductæ non sunt: dicitur enim 4. Reg. cap. 17. *Et transtulit Israël in Assyrios, posuitque eos in Hala, & in Habor iuxta fluuium Gozam in ciuitatibus Medorum.* Tum quia non apparet quid contra decem tribus portendat, aut de illis demonstret extans priùs mulier ab amphora, deinde inclusa opposito ad os plumbeo talento; quia iam decem tribus mensuram impleuerant, & dabant adhuc suæ impietatis pœnas. Quare alij meliùs de duabus tribubus à captiuitate restitutis intelligunt; sed iidem etiam variè. Ego ne longus sim, parcens aliis sententiis, vel commemorandis, vel recẽsendis, dicam quàm potero breuissimè quod sentio. 21.

Superiori visione proposita fuerant populo iã libero peccata, quibus tunc immoderatiùs indulgebat, scilicet periurium, & furtũ; in quibus alia etiam scelera contineri diximus: deinde quibus modis illa in auctorum caput expiaturus esset Deus. Idem penè significat in hac visione. Proponit quidem mensuram quandam, sed nondum plenam peccatorum, quia mulier sedebat, nõ iacebat in amphora, & nobiliori sui parte foras eminebat: neque dum plumbea massa amphoram occluserat, sed adhuc erat nonnihil separata. Postea verò eò progressi sunt impietatis Iudæi, vt mensuram impleuerint iniquitate omnino in amphoram inclusa. Quod accidit quando ad cætera flagitia, Seruatoris quoque acerbissimam mortẽ addiderunt. Tunc verò in obscuram amphoram, id est, obcæcationem coniecti, aut includi permissi opposito plumbeo operculo, neque lucem hauriunt, neque purum spiritum de cælo ducũt. Mittuntur in terram Sennahar, id est, Babylonẽ, non quia in eam tantùm prouinciam amandati: nam cõstat per totum orbem fuisse dispersos; sed quia duæ illæ tribus longum in ea prouincia, & durum 22.

Supplicium ostenditur duarum tribuum.

Babylon pro carcere, aut exilio sumitur.

 exi

exilium traxerant, réque ipsa illis Babylon carcerem, atque infortunium sonabat, du Babyloniam audiunt, in carcerem se terrum, atque a rumnosum mitti putant. Quemadmodum qui ex nostris Argerij, aut Constantinopoli captiui fuerunt, natali solo restituti, cùm Argerium audiunt, vincula audiunt & quandam malorum Lernam; & ad solum nomen eius turbantur, atque horrent. Non aliter atque qui Barathri, aut Tulliani, aut latumiarum nomen accipiunt; nam vt hæc sordes sonant & vincula, sic etiam Sennahar, seu Babylonis appellatio. Hæc mihi expeditior visa est huius nodi solutio: nunc tandem singula accommodemus, quod si assequimur, nihil erit quod curiosus lector à nobis amplius requirat.

23. *Amphora* per synecdochem pro mensura sumitur. Dum adhuc iniquitas sedet, non est plena mensura, neque in Babylonem expulsa; tunc eò adducitur, quando & totam occupat spatij latitudinem, & plumbeo talento conclusa premitur Iudæorum iniquitas, id est, impij Iudæi. Constat ex variis Scripturæ locis, testimoniisque Sãctorum, expectare Deum peccatorem, differréque supplicium, donec certam, atque ipsi peccatori ignotam compleat scelerum mensuram. Ita hîc Theodoretus, qui adducit illud *Gen.* 15. de completis iniquitatibus Amorrhæorum: & *Gen.* 6. vbi definitum est mundo 120. annorum spatium, vt immisso diluuio illum obrueret. Cyrillus eadem latiùs. *Iam quæ mensura sit*, inquit, *videndum est: dicimus itaque natura bonum, & hominum amãtem esse vniuersorum Dominum. Peccantes enim tolerat, & iniquè agentes sustinet, vniuscuiusque pœnitentiam expectans. Quod si quis etiam diu peccando processerit, supremámque Dei patientiam expertus fuerit, tunc denique pœnis subiicietur, & tam diuturna socordia prætexere nihil poterit, nec quisquam illum à pœna commissis eius pari eripiet. Quapropter Christus populo Iudæorum impotenti vesania ac quidam nefarium ruenti inquit; Et vos implete mensuram patrum vestrorum. Mensura igitur, quæ apparebat, peccatorum populi in ipsum cumulatam multitudinem ostendebat.* Hæc Cyrillus. Sed multo eadem clariùs, & significantiùs Augustinus de vita Christiana cap. 4. *Esse certum*, inquit, *peccatorum modum, atque mensuram Dei ipsius testimonio comprobatur, & quia vnusquisque celerius, vel tardius, prout peccatorum suorum modum expleuerit, iudicetur, euidentissimè demonstratur.* Quod postquam aliquot Scripturæ testimoniis, atque exemplis confirmauit, addit. *Quo exemplo manifestissimè instruimur, & docemur singulos secundùm peccatorum suorum plenitudinem consummari, & tandiu, vt conuertantur, sustineri, quandiu cumulum suorum non habuerint delictorum consummatum.* Idem penè Chrysostomus *hom* 4. *in Matth.* & Basilius in illud Isai. c. 1. *Populo graui iniquitate.* Vbi homines peccando eò deduci tradit, vt iam fiant immedicabiles. Vide etiam in eundem Isaiæ locum Cyrillum, vbi hoc etiam Zachariæ testimonium adducit. *Ad aliquod*, inquit, *tempus, & mensuram tulit Deus contemptum delinquentis: cum autem ad plenitudinem, & maturitatem peccati notam sibi, ac perspectam iam peruenerit, supplicium irrogat.*

24. Impleuerunt igitur Iudæi mensurã, cùm Christum abiecerunt, egerúntque in crucem; & ideo Christus cùm dixisset ab ipsorum parentibus occisos esse Prophetas, addidit: *& vos implete mẽsuram patrum vestrorum.* Matth. 23. vbi allusisse videtur ad hunc Zachariæ locum. Ac si dicat: parentes vestri interfectis Prophetis non exiguum peccatorum aceruum in mensuram congesserunt; vos nunc interfecto Prophetarum Principe, imò Prophetarum scopo, mensuram implete. Locus hic admodum illustris est, & vehemens contra obstinatam peccandi consuetudinem.

Et misit massam plumbeam in os eius.] Ferreã portam obiicimus carceri, ne quis inde effractis foribus effugiat. Puteo verò, vel lacui, qui sæpe pro carcere est (vt probant Ieremias, & Daniel in lacum coniecti, & carcer Ioseph qui fouea vocatur *Sap. cap.* 10. *& Gen.* 39. סהר, id est, locus rotundus, qui a nobis, vt reor, communiter appellatur *Mazmorra*) graue imponebatur pondus, ne vllum inde captiuus haberet effugium; vt de se scribit Ieremias Thren. 3. *Lapsa est in lacum vita mea, posuisti lapidem super me.* Sic ergo in amphoram, quæ est instar putei, seu carceris, demersa est iniquitas, id est, gens iniqua, supplicij rea, quæ quia ibi diu futura est, lapide obstruitur, eóque plũbeo. Quare Christus *Matth. cap.* 23. vt significaret cladem, aut dispersionem populi Iudaici futuram esse diuturnã, vbi meminit impletæ mensuræ, subiecit. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Est autem extremæ miseriæ symbolum iniquitas clausa, & quasi obsignata obstinatione, quæ non minùs difficilè submoueri solet, quàm ingens plumbi massa ab ore putei. 25.

Obstinationis symbolũ.

Et ecce duæ mulieres egredientes.] Prodit iã altera quasi scena prioris actus, duæ nempe mulieres, quæ amphoram corripiũt, auehúntque in terram Sennahar. Cætera ex præcedentibus pene explicata sunt; quæ verò sint duæ istæ mulieres inuestigandum. Quidam hîc agi putant tam de duabus quàm de decem tribubus Israël, & fœminas illas esse Oolam, & Oolibam, de quibus Ezechiel *cap.* 23. quæ ipso Propheta exponente Samariam significant, & Ierusalem. Sed hæc explicatio ideo non videtur admittenda, quia duæ istæ mulieres aliquid sunt ab amphora, & ab eo, quod in amphora conclusum est, diuersum. Gens autem Hebræa, vt diximus, in amphora in exilium extruditur; nisi dicamus aliquid à se ipso inuitum trahi. Adde quòd eodem tempore à duabus fœminis corripitur amphora, & in eundem locum deportatur, sed neque eodem tempore, neque in eũdem locum abductæ sunt tribus omnes. Neque erat cur iterum dispergerentur decem tribus, quæ restitutæ non sunt. 26.

Alij dæmones esse putant, qui referunt iniquitatem in Babylonem, vt ibi domum habeat stabilem. Quod ideo futurum sperant, quia inde iam redeunt soluti à captiuitate Iudæi, quorum consuetudine, atque exemplo Babylonij discere potuerunt veram Religionem. Et ideo aiunt à Principe Persarum Dan. cap. 10. Michaëlem prohiberi, ne Iudæos educeret ex Babylonia: quia videbat eorum exemplo repudiatum iri dæmonum cultum in regione suæ tutelæ credita. 27.

Aliis verò placet, quod mihi etiam probatur magis, in mulieribus illis designari dæmones, aut specialia quædam peccata, quæ eò miseriarum infelix Iudæorum genus deduxerunt. Quæ tamen illa sint, prudenti coniectura diuinandum est. Ribera excæcationem putat, & indurationem: quod mihi etiam maximè placet, quia id non obscurè significat occlusa mensura plumbeo talento. Cæcitas quidem, quia vbi os obturatum est, nullum admittit amphora de cælo lumẽ: obduratio verò, quia plumbum graue est, &, quod ab illo prouenit impedimentum, non facilè vincitur. 28.

Neque est quod huic sententiæ obstrepat, quòd in amphora inclusa dicatur impietas, neque videatur consentaneum, vt ab impietate mulctetur impie 19.

impietas, & ab vno, & altero vitio vitiorum vniuersitas rapiatur. Nam propriè in amphora peccata sola non sunt, sed gens peccatrix, quæ satis apertè exprimitur in muliere: neque enim populi Iudaici peccata exularunt in Babyloniam, sed quę peccatis immoderatè se tradidit gẽs Iudaica. *Iniquitatem* autem pro iniquis, & *impietatem* pro impijs vsurpari satis vulgare est. Accedit quod רשעה *risah* non solùm *impietatem* sonat, sed *impietatem iudicio damnatam*, id est, condemnationem, & peccati pœnam. Ezech. cap. 18. *Filius non portabit iniquitatem patris, &c. & impietas impij super eũ*, Heb. רשעה *risah*, vbi sine dubio de peccati pœna sermo est. Quia respondet Dominus antiquæ querimoniæ; *Patres nostri comederunt vuam acerbam, & dentes filiorũ obstupuerũt*. Sed stupor dentium non est impietas, sed eius pœna: & ideo subditur, *impietas impij super eum*, id est, stupor dentium super eum, qui vuam comedit acerbam. Impietatem itaque damnatam, imò gentem impiam addictam longo supplicio trahunt excæcatio, & obduratio; quæ tunc completa est quãdo post tot verborum, exemplorúmque lucem Christum Seruatorem in crucem egit: quia ad illud vsque tempus Deus supplicium distulit, sedereque permisit in amphora, non iacere. Post verò excisa à Vespasiano vrbe iacuit prorsus in sordibus, atque in obliuione, quæ si æterna non est, eius tamen modi est, vt æterna videri potuerit.

Locus iste pro moribus illustris est, & grauis: nam qui sedet in amphora, id est, qui in peccatis pacem habet, propè est vt iaceat, id est, spiritum habeat compunctionis, & soporis; ita vt neque lucem aspiciat, neque ictum sentiat; & oppressus talento plumbeo obdurationis suæ à miluinis pennis rapiatur in terram Sennahar, vbi ad eius supplicium ædificetur stabilis, & æterna domus.

30. *Spiritus furor, & ira.* *Et spiritus in alis earum.*] Potestatem diaboli intelligit Hieronymus, qui instigat, velocitatémque addit pẽnatis mulieribus. Vtitur autem Deus aliquando dæmone suæ seueritatis administro, per quem diu exagitauit Saül; & per eundem verisimile est, quod Hieronymus putat, à Iudaico populo obstinatæ perfidiæ pœnas expetiisse. Et facit huc quòd *spiritus* sæpe pro furore sumitur, vt Ps. 138. *Quò ibo à spiritu tuo?* & Isai. 30. *Spiritus eius velut torrens inundans vsque ad medium colli ad perdendũ gentes*. Quare dici posset spiritum, id est, iram Dei esse in alis mulierum, id est, dæmonũ, quia administri erant irati Dei. Sed mihi verisimilius, atque simplicius videtur, dici posse per spiritum in alis celeritatem maximam indicari; neque spiritum hic aliud esse præter ventum. Erat ergo ventus in alis fœminarum, quia velocissimo volatu ferebā-

A tur. Neque alio sensu credo dici Deum ambulare super pennas ventorum. *Ps. 17. & 103.* nisi quia velocissimè currit, lustratque omnia, accommodatè ad hominum sensum, qui summam velocitatem vento inesse putant. Vnde vulgare illud, *ocyor ventis*. Facit ergo spiritus in alis, quod ventus acer, qui inflat, atque impellit nauigij vela. *Spiritus velocitas.*

Et habebant alas, quasi alas milui.] Pro, *milui*, Heb. est חסידה *chasidah*, quæ vox variè redditur ab Interpretibus. Quidam ex magistris Hebræorum *ciconiam* reddũt, quia hoc nomen *misericordiam* sonat; & ciconia misericordiæ, & pietatis in parentes symbolum est. LXX. hoc loco *vpupam*, alibi *herodium*, vt *Ps.* 103. Hieronymus secutus antiquos 31.
B Hebræos *miluum* transtulit. Idem tamen *Iob* 39. & *Leuit.* 11. vertit *herodium*. Hæ tamen volucres rapidum habent, & sublimem volatum; quod nobis satis est, vt intelligamus quare חסידה *chasidah* pennæ datæ sint mulieribus, nempe vt quàm velocissimè amphoram in Babyloniam corripiant. Neque valdè laborandum est, quænam harum auium sit חסידה *chasidah*, neque puto aliquid certum inueniri posse.

Hoc tamen ad mores valdè notandum, misericordiam Dei contemptam, & beneficia in ingratos collata solere acuere diuinam iram; quæ quo magis se ab vlciscendo cohibet, grauiores postea 32. *Beneficia Dei contempta acuunt diuinam iram.*
C habet emissiones, & impetus. Expectarat diu חסידה *chasidah*, id est, *misericordia* perfidam gentem, vt aliquando resipisceret, sed diuinæ iustitiæ minister, à חסידה *chasidah*, id est, à misericordia contempta alas sumit, vt maiori celeritate supplicium sumat.

Vers. 11. *Vt ædificetur ei domus in terra Sennahar.*] Explicuimus suprà *Babylonem* hic sumi pro carcere, atque supplicij loco: nũc addendum diuturnitatem supplicij indicari cõstructione domus, vbi statuatur tanquam in proprio domicilio amphora impietatis. Cùm enim aliquis non diu futurus est in aliquo loco, sed tanquam hospes breui diuersaturus, domum non construit, sed ad hospi-
D tium commune diuertit, vt inde quamprimùm aliò connolet. Quòd si diu futurus, domicilium sibi stabile parat, vbi non solùm viuat, sed etiam consenescat, ac moriatur. Sic quia in terra Sennahar, id est, in carcere perpetuo habitaturus erat infelix ille populus, ædificatur illi domus, vbi ad finem vsque sæculi non tam viuat, quàm duram, atque ignobilem mortem trahat. Eodem loquendi genere vsus est Ieremias *cap.* 29. ad filios transmigrationis. *Ædificate domos, & habitate, & plantate hortos*, &c. Mitto explicationes alias, quæ duriores mihi videntur: hæc mihi si non omnino soluta, minùs tamen impedita visa est.

IN CAPVT SEXTVM

ARGVMENTVM.

IN quatuor quadrigis, quas diuersorum colorum equi trahunt, quatuor Imperia significantur, quibus Dominus in rerum humanarum conuersionibus administris vtitur. Deinde duabus coronis ex auro, argentóque pro templi sumptibus oblato fabricatis, impositísque Sacerdotis capiti, cui non solùm Sacerdotales partes deinceps, sed etiam Regiæ permissa sunt, Christi futurum in æternum Imperium designatur: & in Sacerdote Iesu, Iesus Seruator sic adumbratur perfectè, vt inter illos consilium pacis tradatur esse futurum: quid sic conueniet inter illos duos, sicut inter exemplar, & id, quod optimè

Digitized by Google

optimè ab eo expressum est, conuenire solet. Ad extremum cùm consultum esset illorum memoriæ, qui aurum pro corona piè, ac liberaliter obtulerunt, aliam similitudinem proponit inter Iesum Pontificem, & Iesum Seruatorem. Nam vt ille templum ædificauit Solymitanum, hominibus vndecunque sumptus, operámque præstantibus, sic Christus templum aliud excellentius construxit hominibus vndecumque gentium eò concurrentibus. Id verò de Solymitano templo tunc futurum promittit, si illi, quorum maximè intererat, diuinis præceptis audientes sint.

CAPVT VI.

1. *ET conuersus sum, & leuaui oculos meos, & vidi: & ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium; & montes, montes ærei.*

2. 3. *In quadriga prima equi rufi, & in quadriga secunda equi nigri: & in quadriga tertia equi albi, & in quadriga quarta equi varij, & fortes.*

4. 5. *Et respondi, & dixi ad Angelum, qui loquebatur in me. Quid sunt hæc Domine mi? Et respondit Angelus, & ait ad me: Isti sunt quatuor venti cæli, qui egrediuntur, vt stent coram Dominatore omnis terræ.*

6. *In qua erant equi nigri, egrediebantur in terram Aquilonis: & albi egressi sunt post eos, & varij egressi sunt ad terram Austri.*

7. *Qui autem erant robustissimi, exierunt, & quærebant ire, & discurrere per omnem terram.*

8. *Et dixit: Ite, perambulate terram, & perambulauerunt terram. Et vocauit me, & locutus est ad me, dicens: Ecce, qui egrediuntur in terram Aquilonis, requiescere fecerunt spiritum meum in terra Aquilonis.*

9. *Et*

PARAPHRASIS.

1. EX illa visione ad aliã me rursus, oculósque cõuerti. Et vidi quatuor quadrigas, in quibus totidem orbis Imperia notabantur, de duobus montibus æreis prodeuntes, intra quos quasi intra claustra, & carceres tenebantur.

2. 3. Quadrigam primam equi trahebant rufi, secundam nigri, tertiã albi; quartã verò maculosi, & fortes. In prima Chaldæorum, in secunda Persarum, in tertia Græcorum, in quarta Romanorum Imperium designabatur.

4. 5. Dubitantem me de quadrigarum sensu sic Angelus affatus est. Istæ quatuor B quadrigæ idem omnino portendunt, quod apud Danielem quatuor vẽti, nempe quatuor Imperia. Egrediuntur autem laxatis suo tempore montium claustris, vt se terrarum Dominatori sistant, eiúsque imperata quàm ocyssimè compleant.

6. De equis rufis nihil dictum ab Angelo; nam cùm Chaldæorum Imperium iam esset deletum, non erat cur de illo docendus esset Propheta: secus de aliis. Equi ergo nigri, id est, Persicum Imperiũ, egressi sunt contra Aquilonem, id est, in Babyloniam, qua expugnata florere cœpit. Albi deinde, id est, Græcorum Imperium, eandem C ingressi sunt viam. Quia debellatis Persis eodem loco, quo priùs Chaldæum, Græcorum Imperium stabilitum est. At varij, id est, Romani, ad Austrum profecti sunt; quia Ægypto occupata, quæ è Græcorum Imperio videbatur esse reliqua, Romanorum Imperium constitutum fuit.

7. Qui à variorum numero erant robustissimi, illi altiora mente complexi, ab aliorum societate diuulsi aliò proficisci, & per omnem terram discurrere moliebantur.

8. Narrauit deinde mihi Angelus, quid D vniuersæ terræ Dominator astantibus ante se quadrigis imperarit. Ite, inquit, & lustrate terram. Quod ipsæ imperium statim amplexæ, terram peruagatæ sunt. Addit deinde Angelus mihi familiaris, vocatum se à Deo, à quo illa audiuit, quæ deinde mihi retulit. Ecce Persæ, ac Medi, qui ad Aquilonem egressi sunt, dolori, atque furori meo satisfecẽre: vlti sunt enim iniurias, quibus populum Iudaicum diu, ac durè vexauẽr e Babylonij.

9. Hæc

Digitiz

9. Et factum est verbũ Domini ad me dicẽs, A

10. Sume à transmigratione ab Holdai, & à Tobia, & ab Idaia: & venies tu in die illa, & intrabis domum Iosiæ filij Sophoniæ, qui venerunt de Babylone.

11. Et sumes aurum, & argentum, & facies coronas, & pones in capite Iesu filij Iosedech Sacerdotis magni, & loqueris ad eum, dicens:

12. Hæc ait Dominus exercituum, dicens: Ecce vir Oriens nomen eius: & subter eum orietur, & ædificabit templum Domino.

13. Et ipse extruet templum Domino; & ipse portabit gloriam, & sedebit, & dominabitur super solio suo, & erit Sacerdos super solio suo, & consilium pacis erit inter illos duos.

14. Et coronæ erunt Helem, & Tobiæ, & Idaiæ, & Hen filio Sophoniæ, memoriale in templo Domini.

15. Et qui procul sunt, venient, & ædificabunt in templo Domini, & scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos. Erit autem hoc, si auditu audieritis vocem Domini Dei vestri.

9. Hæc rursus ad me Dominus:

10. Sume, ò Zacharia, è domo Iosiæ filij Sophoniæ, qui ex captiuitate redierunt, aurum, & argentum, quod ad templi sumptus oblatum est ab Holdai, Tobia, & Idaia.

11. Et conflabis ex eo coronas, quas impones capiti Iesu filij Iosedech Sacerdotis magni, dicésque ei:

12. Hæc dicit Dominus: Ecce iam aderit verus Imperator Christus: cuius nomen erit *Germen*: qui prodibit ab vmbra, & typo Iesu Sacerdotis, qui duabus coronis redimitus, Sacerdotalem, ac Regium Christi
B dominatum ostendit.

13. Vt enim Iesus Sacerdos templum Solymitanum, sic Iesus Christus templum aliud longè nobilius ædificabit. Et sicut ille gloriosus sedebit in solio suo; & Regis, ac Sacerdotis munus obtinebit, ex quo fiet, vt iam Sacerdos à Rege non dissideat, quia vnus, idemque Rex erit, & Sacerdos; sic etiam ad eius exemplar, & typum, Christus Rex simul, & Sacerdos futurus est. Erit præterea consilium pacis inter illos duos, Christum nempe; & Iesum Sacerdotem,
C quia inter vtrumque bene conueniet, sicut inter vmbram, & corpus, inter exemplar, & id, quod expressum est ab illo; quia, quod in vmbra Iesus Sacerdos, id totum Iesus Seruator cumulatè complebit.

14. Neque sua quoque gratia, & honore carebunt illi, ex quorum auro, atque argento conflatæ sunt coronæ pro Pontificio capite. Nam eorum nomina coronis ipsis insculpta, in templo Domini munificentiæ, ac pietatis ipsorum perpetui monumenti pondus obtinebunt.

15. Et vt appareat iterum quàm bene
D inter Iesum Sacerdotem, & Iesum Seruatorem conueniat, id est, inter figuram, & veritatem, quemadmodum qui modò procul sunt, non solùm studiis, atque consiliis, sed locorum etiam spatiis vobiscum manus operámque coniungent ad templi fabricam: vnde etiam cognoscetis hæc à me non meo, sed diuinitùs afflato spiritu prædici: sic etiam ad illud longè diuinius, atque illustrius templum, quod Christus excitabit, magna vndecunque populorum multitudo concurret. Hoc verò quod dixi de externis auxiliis ad Solymitanum tem-
E plum ædificandum, ita demum vobis futurum esse vaticinor, si verbis meis fueritis ex animo audientes.

Digitized by Google

Vers.1. *Et ecce quatuor quadrigæ.*]

1. AVDIERVNT Iudæi futurum, vt A aliquando extorres à patriis sedibus in alieno solo inueterascerent. Quod ne casu, aut temerè euenisse crederent, ostendit Deus multo antè tanquam in vmbra totius orbis ad longa tempora expressam formam, dum quatuor potentissima Imperia describit, & quæ, quóve ordine ab illis Iudaicus populus vel beneficia, vel incommoda habiturus sit. His enim suæ prouidentiæ administris vtitur Deus, qui ideo stare dicuntur coram Dominatore vniuersæ terræ, quia illorum viribus, ac potentia aliter, atque aliter temperatis, & delicta punit, & aliqua etiam ex parte merita compensat.

In quatuor quadrigis quatuor Imperia significata.

2. Communis omnium pene Doctorum sententia est, sicut Danieli *cap.7.* in quatuor bestiis, & B *cap.2.* in statua ex variis metallis composita ostẽsa sunt potentissima quatuor orbis Imperia, sic modò Zachariæ in quatuor quadrigis eorum ordinem, & proprietatẽ ostendi; vno excepto Paulo de Palacios, qui in quadrigis Angelos agnoscit, & Theodoreto, qui putat esse Dei ministros, qui quàm ocyssimè Dei exequuntur mandata. Et quemadmodum post quatuor Imperia non diu permansura oblatum est Danieli Christi Regnum in æternum duraturum; sic nunc Zacharias post hæc Imperia, Christi quoque videt Imperium, non instar quadrigæ confecturum suum curriculum veloci fuga, sed cuius Imperij non esset in æternum futurus finis. Videtur autem ideo quadrigarum oblata species, quia, cùm his olim res ad- C ministraretur bellica, Imperij acquirendi, atque conseruandi præcipua fuerunt instrumenta. Harum Troianis temporibus vsum fuisse liquet ex Homero; & apud Chaldæos multo ante hæc Zachariæ tempora docet Nahum *cap.3.* vbi de Chaldæis loquitur ciuitatem Niniuæ oppugnaturis. *Vox*, inquit, *flagelli, vox impetus rotæ, & equi frementis, & quadrigæ feruentis, & equitis ascendentis.*

Quadrigarum in bello vsus.

3. *Egredientes de medio duorum montium, & montes, montes ærei.*] Hieronymus ideo putat montes æreos vocari, quia insuperabiles sunt, & nulla possunt vetustate consumi. Sed nescio quomodo huic expositioni minùs consonat, quia illa Imperia iam fluxère, & eorum aliqua satis veloci C cursu. Alij ferreos montes dici credunt, quia durum fuit, & omnino ferreum illud genus hominũ, cui cordi erat bellum, & sanguis: neque enim alio modo parta sunt Imperia. Sed fortasse accommodatè magis ad vsum quadrigarum, & naturam ventorum, quibus quatuor hæc imperia assimilantur, per montes æreos explicantur quædam quasi claustra, quibus Deus illarum gentium feroces animos, & ardentes ad bella cohibuit. Nam quemadmodum carceribus in circo sustinentur equi, toto corporis nixu ad cursum gestientes donec signum certum ostendatur ab editore, sic illæ quadrigæ quasi reluctatæ diu, & ruptis repagulis tandem eluctatæ ad Imperij cursum prodierunt. Et de Cyro, qui in secunda quadriga significatur, apertè videtur indicare Isaias D *cap.45.* eadem propè forma verborum. *Aperiam* (inquit Deus de Cyro) *coram eo iannas, & portæ non claudentur*, &c. *portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam.* Et sicut Deus ventos terræ, ac præcipuè montium cauitatibus, & quasi visceribus inclusit, qui deinde magno motu terram quatiunt, & firmæ etiam molis ædificia prosternunt; sic Deus hæc Imperia, quæ deinde ventos vocat, in æneis montibus arctè continuit. Montes præterea cum ventis coniunxit Amos cap.4. *formãs montes, & creans ventum*; & Psalm. 134. & Ierem.10. Deus dicitur *producere ventos de thesauris suis.* Thesauri verò loca significant recondita, vbi inclusa seruãtur, quæ ita in nostra sunt potestate, vt quoties libuerit, vel vsui nobis futura fuerint, proferantur. Quare Deus ventos reconditos habet, quos pro sua voluntate, aut cohibet, aut quasi laxatis habenis in apertum educit, vt perflent, turbéntque, quæ fuerant antè tranquilla. Hinc, credo, sicut alia plurima ex aliis Scripturæ locis, poëtæ occasionem sumpserunt, vt ventos montium latebris abdiderint, præfecerintque Regem, qui illos suo arbitratu, & pro rerum humanarum commoditate regeret; vt ex Homero Odyss. 10. sumpsit Virg. 1. Æneid.

---Huc vasto Rex Æolus antro
Luctantes ventos, tempestatésque sonoras
Imperio premit, ac vinclis, & carcere frenat.
Ni faciat, maria ac terras, cælúmque profundum
Quippe ferant rapidi secum.

Plura de his vbi de ventis statim sermo succedet. Eodem modo Iob *c.38.* inicit claustra mari, ne exundans terram fluctibus obrueret. *Quis conclusit ostiis mare*, &c. *circumdedi illud terminis meis, & posui vectem, & ostia: & dixi; Vsque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Neque aliter cælestibus aquis opposuit cataractas, quibus ruptis, quasi summotis repagulis orbem deleuit.

Et montes, montes ærei.] Geminatio hæc Hebræorum propria est, & familiaris. Latinus diceret; *& montes erant ærei.* Sed in eo repetitionis genere epitasis est, quasi dicat: montes illi, non vt vulgares alij terrei, aut saxei, sed ærei. Similes repetitiones occurrunt in Scriptura sæpe. Ps.44. *Virga directionis, virga Regni tui*: & 67. *Mons Dei, mons pinguis.* Ps.143. *Dextera eorum, dextera iniquitatis.* Ezech.24. *Dentes leonis, dentes eius.* Dan.7. *Potestas eius, potestas æterna.* Amos 2. *Altitudo cedrorum, altitudo eius.* Cant. 8. *Lampades eius, lampades ignis.* 4.

Geminatio propria Hebræorum.

Quadrigæ hæ non erant sine vectoribus, licèt eorum nulla hic mentio, vulgari Hebræorũ phrasi, qui currus, & equos pro eorum ascensoribus vsurpat. Maximè in re bellica, quia hi tunc nunquam ab ascensoribus vacui prodire solent. Quo etiam loquendi genere vtuntur Hispani in re castrensi, qui *hastas* pro hastatis, *equos* pro equitibus, *tubam* pro tubicine communiter vsurpant. Nisi fortè ideo sine viris quadrigę Prophetæ oculis obiiciuntur, quia non tam ab hominibus, quàm à belluis, id est, ab eis, qui ferinis essent moribus, trahebantur; vnde *Dan.* 7. belluis quatuor totidem Regna assimilantur. 5.

Vers. 2. *In quadriga prima equi rufi.*] Antequam ad rationem, colorémque quadrigarum accedo, obseruo, quæcumque hic à Propheta dicuntur, attemperatè ad populum Iudæorum esse intelligẽda. Etenim variæ mundi plagæ ab Hierosolymitano situ ordinem, & nomen assumunt, vt docet *hic* Hieronymus, & *cap.2.* ad illud, *de terra Aquilonis.* Quare Ægyptus, & mare ad Austrum pertinere dicuntur, & Babylon ad Aquilonem, quia Ægyptus 6.

Cõparatione Ierusalẽ regiones aliæ Australes, aut Aquilonares sunt.

gyptus ab Austro, & Babylon ab Aquilone Hierosolymam respicit: sic etiam quatuor orbis Imperia aliter, atque aliter appellari, alio item, atque alio colore notari solent, secundùm quod alio, atque alio modo populũ Hebraicum vel tractarunt humaniùs, vel duriùs. Sub his enim quatuor Imperiis aut fuêre priùs, aut futuri erant aliquando.

7. In quadriga prima Chaldæorum Imperium intelligit Hieronymus, & cum eo alij pene omnes quod à Nino cœpit, & in Balthasare finitum est: quia hoc cruentum fuit, & sitiens sanguinis. Arias Montanus à coloribus, quibus vtebantur nationes hîc adumbratæ, notari dicit quadrigarum equos. Et quidem si hoc satis probari posset, non videbatur aut aliena, aut inepta ratio: sed non video nationes in quadrigas expressas illis, maximè in acie, vsas fuisse coloribus, quibus quadrigarum equi notantur. Chaldæos quidem vsos fuisse puniceo colore, docuit Nahum cap. 2. *Clypeus fortium eius ignitus, viri exercitus in coccineis*; & Dan. cap. 5. *Quicunque legerit scripturam hanc*, &c. *purpura vestietur.* Sed aliæ etiam nationes eodem in acie colore vestiebantur: nam de Cyro primo Persarum Rege tradit Xenophon libro 7. Cyropædiæ statim in principio. *Erant milites armati omnes armis iisdem, quibus Cyrus, puniceis tunicis*, &c. & de Persarum regibus vniuersæ tradit Strabo *lib.* 15. & Q. Curtius *lib.* 3. De Græcis, maximè Lacædemonibus tradit Ælianus *de varia historia lib. 6. cap. 6.* & Plutarchus *de Instit. Lacæde.* Neque color ille puniceus nota erat Assyriorum, quia etiam hyacinthinis vtebantur vestibus, vt ex Ezech. constat *cap.* 23. qui vestiri eos solitos esse hyacintho dicit. *Fornicata est igitur super me Oolla, & insaniuit in amatores suos, in Assyrios propinquantes vestitos hyacintho.* Sed nationes aliæ non habuêre colorem illum familiarem, qui in suis quadrigis propositus est: nam Romanis varius, & maculosus in vsu familiari non erat; neque Persis niger. Græcis fortasse magis communis albus, vt notauit Cyrillus, qui ideo eos in albis equis designari coniectat. Sed nescio an alius color ipsis magis vsitatus. Punicei certè meminit Homerus sæpe.

Imperium Chaldæorum.

Colores quarundam nationum.

8. *In quadriga secunda equi nigri.*] Hieronymus hîc Persas, & Medos intelligit, & cum ipso omnes pene alij, quia eo ordine prodire videntur quadrigæ, quo Imperia. Imperium autem Persicum Babylonico successit. Sed cur in vmbra nigri coloris Persica potentia lateat, obscurum est. Est autem verisimile, ideo Persicum Imperium nigrum vocari potiùs quàm rubrum, quia non tam effudit Iudaicum sanguinem, quod fecerunt Assyrij tot irruptionibus in Palæstinæ fines, tot cladibus in gentem Israëliticam, quàm metum mortis incussit, & aliis etiam modis horrori, atque mœrori fuit. Nam & exultantes gaudio, atque erectos spe excitandi templi, vrbisque instaurandæ, impedito opere à Cambyse, qui & Artaxerxes dicitur, & Assuerus 1. *Esdræ cap.* 4. mœrore contraxit: & Assueri Magni tempore, agente Aman, seuerissimo edicto extingui omnino iussum est Iudæorum genus. Hæc atroris plus habent, quàm ruboris, id est, plus mœroris, quàm sanguinis. Et quidem propter hæc duo Hieronymus, & alij atrum esse dicunt Iudæis Persarum Imperium.

Imperium Persarum.

9. Vers. 3. *In quadriga tertia equi albi.*] Hîc iam sese ostentat Græcorum Imperium, quod Alexander eripuit Dario, & primus omnium inuexit in Europam. Ita Hieronymus, & plerique alij. Hoc ve-

Imperium Græcorum.

A rò imperium album fuit, quia principio beneficium in Iudæos: Alexander enim clementer suscepit Iudæorum genus, templúmque Regia liberalitate ornauit, vt tradit vterque Iosephus; alter 11. *Ant. cap. vltimo:* alter *lib.* 2. *historiæ Iudaicæ c.* 6. Quod item alij Reges fecêre, vt Ptolomæus Philadelphus. Et quanuis sub Antiocho, alijsque Regibus, ad quos Alexãdro sublato pars aliqua pertinuit Græci Imperij, variè iactata sit res Iudaica, illud tamen tempus neque longum fuit, neque admodùm atrum, cùm illustre fuerit; atque planè candidum plurimis, atque eximiis Machabæorum victoriis.

Et in quadriga quarta equi varij, & fortes.] Hîc 10.
B omnium pene consensu exprimitur Romanorum Imperium, à quibus non eodem modo Iudaicus populus acceptus. Nam Imperatorum aliqui non solùm mites, sed etiam benefici, vt Augustus, Tiberius, & Claudius; alij nó alieni solùm, sed etiam admodùm infensi fuerunt, vt Caius Caligula, Vespasianus, & Adrianus. Quare non vno colore, sed diuersis huius quadrigę, equi notati sunt. Heb. [illegible] *berudim*, id est, *grandinati*, seu, *minutis maculis instar grandinis aspersi.* Qua ratione metaphora non admodùm dissimili guttarũ dicimus, quod maculosum, id est, notis guttarum instar distinctum est. Sic Martialis *lib.* 5. *Epig.* 104. aues Numidicas guttatas vocat: & Heb. torquis baccatus, i. instructus gemmis, [illegible] *neciphah* dicitur
C quasi *guttatus*. Qui à vulgato *equi fortes*, & Hebr. [illegible] *Amusim*, à Chaldæo dicuntur [illegible] *kitemanim:* quæ vox *confringentes*, seu, *triturantes* valet, non dissimili sensu. Eodem modo à Daniele *cap.* 2. & 7. Imperium Romanorum forte vocatum est. *Ecce*, inquit, *bestia quarta terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis dentes ferreos habebat, comedens, & comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans.*

Imperium Romanorũ.

Vers. 5. *Isti sunt quatuor venti cæli.*] Difficilis, & 11.
paulo minùs obscura est Angeli interpretatio, quàm fuit species oblata Zachariæ. Nisi fortè, quod mihi maximè visum est probabile, Angelus interpretationem referat ad visionem Danielis c.
D 7. vbi in quatuor ventis ostensa fuerunt totidem Imperia, & res satis exposita fuerat Danieli, & genti Iudæorum, vt credibile est, non ignota. Quare idem videtur velle significare Angelus, qui in Zacharia loquebatur. Ac si dicat: Hæ quadrigæ idem sibi volunt, quod quatuor venti apud Danielem, de quorum significatione non dubitabat Zacharias.

Sed huic explicationi obstat quòd in quatuor 12.
ventis Danielis non videtur quatuor Imperia ostendi, sed in quatuor bestiis, quæ ex mari prodierunt. Vt enim ibi ait Hieronymus, quem plerique sequuntur, in quatuor ventis quatuor intelliguntur Angeli, qui totidem Gentibus præsunt,
E qui inter se se pugnant, dum commissis suæ fidei prouinciis salutem procurant. Nihilominus in ventis Imperia quoque designari existimo, ea loquendi figura, per quam, aut pro consequentibus, antecedentia, aut causæ pro effectibus adhibentur. Imperium antecedunt bella, & varij motus, rerúmque mutationes, ac vicissitudines, quæ optimè cum ventis comparantur, qui modò huc, modò illuc incitati marinos fluctus in diuersa propellunt. Neque sanè Imperia aliud amplitudinis suæ exordium habuerunt. Ita penè Theodoretus, Vatablus, & Pereira in illum locum Danielis. Aptissimè ergo Angelus dicit quadrigas esse ventos, quia sicut ventis turbatum fuit mare, vt bestia prodiret, sic quadrigæ,

quæ bellici furoris instrumenta sunt, terra turbatur. Neque quadrigæ tam Imperia sunt, quam instrumenta imperij comparandi; sicut venti non tam bestiæ sunt, aut Imperatores, siue Imperia in bestiis expressa, quàm id, quod turbato priùs mari ex fluctibus ad Imperium emersit. Hic verò Hebræorum more subauditur similitudinis nota, hoc sensu: istæ quatuor quadrigæ sunt, sicut illi quatuor venti ostensi Danieli. Hæc mihi in re adeò obscura videntur probabiliter dici posse, vt aliquid lucis tribuamus Angeli expositioni, quæ alioqui alicui videri posset otiosa, cùm non minus obscuritatis habeat ventorum, quàm quadrigarum allegoria.

13. *Qui egrediuntur vt stent coram Dominatore omnis terræ.*] Ne quis putet casu contingere, quæ in Regnorum administratione, ac gloria mutationes fiunt, ostenduntur nobilissima illa orbis Imperia astare coram Imperatore summo, & ab eius pendere, vel minimo nutu, vt discant quo loco, tempore, atque ordine progressura sint. Et hoc significat stare coram aliquo, aut alicui assistere, quod ministrorum est. Reges verò, quasi quadrigas falcatas, & præcipites, aut ventos efferos, & vehementes; etiam sceleratos, & impios ministros esse Dei, constat ex Scriptura. De Rege Assyriorum Isai. 10. *Væ Assur virga furoris mei*, &c. *in manu eius indignatio mea, ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, vt auferat spolia, & diripiat prædam*: & Ier. cap. 25. de Nabuchodonosor. *Ecce ego mittam, & assumam vniuersas cognationes Aquilonis, ait Dominus, & Nabuchodonosor Regem Aquilonis, seruum meum.* Ecce quomodo prima quadriga stat coram Imperatore Deo. De secunda quadriga, id est, de Persarum Rege, Isai. c. 45. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cui apprehendi dexteram, vt subiiciam ante faciem eius gentes, & dorsa Regum vertam.* vbi indicat, quod initio capitis dictum est, educendam esse hanc quadrigam de montibus æreis. Addit enim, *& aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudentur*, &c. *portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam.* De Romanis, id est, de quarta quadriga dicitur Matth. 22. *missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitates illorum succendit.* Fuit autem exercitus Romanorum, quo Dominus vsus fuit ad illius populi puniendam perfidiam.

Homines etiam pessimi instrumenta sunt Dei.

14. Neque hic solùm Deus similes facit ventis seruos suos, sed alibi sępe eadem vtitur metaphora. Hoc sensu credo dici Deum ambulare super pennas ventorum *Psalm.* 17. quia per ministros veloces consulta exequitur sua: & apertiùs Psalm. 103. *Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum. Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem.* Vbi ex sententia Hebræorum *spiritus* pro vento ponitur. Sic enim hunc locum accipiunt. *Qui spiritus, seu ventos facis tuos nuncios, eorumque ministerio vteris, vt tibi fuerit volibitum.* Et fauet plurimùm illorum sententiæ, quòd de rerum naturalium opificio, atque vsu ibi sermo est. Quæ sententia nonnullis etiam ex Catholicis placuit, vt Vatablo, & Iansenio. Sed omnino eam conuellit Paulus *ad Hebr.* 1. qui de Angelis hunc locum intelligit: *& ad Angelos* (ait) *quidem dicit: Qui facit Angelos suos spiritus.* Sed nihilominus Paulus nostram sententiam confirmat: quia hîc Angelos suos cum ventis, & ministros comparat cum flamma ignis. Nam licèt Gregor. *homil.* 34. *in Euangelia*, & Augustinus, Haymo, & Primasius *in cap.* 1. *ad Hebr.* ita interpretentur, vt spiritus sit naturæ nomē, Angelus

In ventis significati Dei ministri.

A officij; hoc sensu: qui eos qui natura sunt spiritus, facit Angelos, id est, nuncios suos. Sed communiter alij *spiritus* pro ventis sumunt, Angelósque dicunt ventis esse celeritate similes. Dionys. *de cælesti Hierar. cap.* 15. Damas. *libro secundo de fide capite tertio.* Theodoretus, & Euthymius, Genebrardus *in eundem Psalmum*, Basilius, Ribera, & alij *in Epistol. ad Hebr. capite* 1. Obseruat autem ibi optimè Ribera, cùm dubium est an aliquod nomen vim habeat subiecti, aut prædicati, id facilè apud Græcos ex articulo cognosci posse. Nam illud nomen, cui articulus præponitur, subiectum est; adducitque aliquot exempla accommodata, ex quibus hîc vnum, aut alterum apponam. Ioan. 15.

B 1. *Et Deus erat verbum*, Græcè, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. vbi (*Verbum*) articulum habet: & paulo pòst; *& Verbum caro factum est.* Nam Græcè dubium est, cùm illud ἐγένετο tam carni, quàm Verbo cōuenire possit. Sed articulus præpositus *Verbo* docet illud esse subiectum. In hoc verò Psalmo siue apud L X X. siue apud Paulum articulus non est cum (*spiritus*) sed cum (*Angelos.*) Quare hoc subiectum est, illud prædicatum; vbi etiam obserua hic deesse notam similitudinis hoc sensu: Angelos suos facit sicut ventos.

Regula. Quando in Scriptura nomen locum habeat subiecti, quando prædicati.

Hîc ad rem moralem nota ventis esse comparata maxima imperia, qui fremunt, inflant, turbántque omnia; sed breuissimè considunt, & C euanescunt. Excitant fluctus, naues, & nubes hinc inde propellunt, sed mox vis tota frangitur; neque quicquam à ventis reliquum est, nisi quod eorum strauit violentus furor. Quare stultus est omnino qui ventos sequitur, quos assequi non potest; neque si posset, tenere certè non posset diu. 16.

Humanarum rerum inconstantia.

Qui egrediuntur, vt stent.] Hebr. מהתיצב *mehitiaseb*, varie ab interpretibus redditur. Pagninus, & 17. Vatablus vertunt, *à stando*: vulgatus *vt stent.* Sed est eadem, aut parum diuersa sententia. Illi sumpserunt terminum à quo in hunc sensum: egressi sunt à stando, id est, ab eo loco vbi stabant inclusæ quadrigæ, seu postquam steterant. Vulgatus D autem sumpsit terminum ad quem: ideo enim egressæ sunt quadrigæ, vt se sisterent Deo, & eius imperio in hanc illámve partem huius illiúsve negotij gratiâ proficiscerentur. Et sanè vtraque versio mutuam sibi præstat lucem: & illa quàm Vatablus, & Pagninus sequuntur, indicat satis explicationem, quam initio probauimus; scilicet Imperia illa æreis montibus esse inclusa, veluti si carceribus coërcerentur quadrigæ, quæ è suis locis non simul egressæ sunt, vt statim ostenditur, sed alia post aliam, prout Deus illas ad varia ministeria vocabat. Ribera in voce Hebr. מהתיצב *mehitiaseb*, illud (מ) causam significare putat, & ideo non malè vertisse nostrum Interpretem, cùm dixit, *vt stent.* Est sanè verum (מ) vim habere causæ, non tamen, quod ego viderim, fi-E nalis, qualis hîc videtur esse; sed efficientis, & plerunque instrumentalis: neque alterius generis sunt exempla, quæ ipse adducit *Oseæ cap.* 7. *num.* 71. *Michææ* 2. *n.* 64. vbi hanc regulam tradit.

Vers. 6. *In qua erant equi nigri egrediebantur in terram Aquilonis.*] Quò egressa fuerit quadriga, 18. in qua erant equi rufi, non declarat Angelus, vt bene Hieronymus; quia cùm hæc designet Chaldæos, quorum imperium iam erat extinctum, eorúmque res Prophetæ non essent ignotæ, non erat cur de illorum euentu quicquā esset expectādum. Cyrillus putat ideo Angelū non meminisse Impe

Cur de Chaldæis nihil dicit Propheta.

Imperij Chaldæorum, ne contristaret Hebræos, quibus inuisa erat Chaldæorum memoria: quia tantum illa adducere voluit, quæ exhilarent mœstos Iudæorum animos. Egressi ergo sunt Persæ, & Medi Ducibus Cyro, & eius auunculo Dario in Aquilonem, id est, in Chaldæam, quia illa Hierosolymorum comparatione Aquilonaris est: quam cum imperio suæ sibi potestati subiecerunt.

Non prius Græcorum deletum Imperium, quàm Ægyptus debellata.

Et albi egressi sunt post eos.] De Græcis hîc agitur, qui Duce Alexandro in eandem regionem ingressi sunt, in quam antè Persæ: depressâque Persica arrogantia, tertij Imperij exordia posuerunt, eodem quo Persæ antea loco.

19. *Et varij egressi sunt ad terram Austri.*] Terra Austri dicitur Ægyptus, quia hæc à Meridie respicit Ierusalem. Cur verò Romani, qui in quarta quadriga designantur (vt diximus) in Ægyptum egressi dicantur, cùm alias etiam totius pene orbis prouincias lustrauerint non solùm passibus, sed etiam victoriis, docet optimè Ribera, ex quo pleraque eorum quæ à me hoc loco dicentur, desumpta sunt. Et præcipua ac pene sola ratio est; quia licèt innumeras alias gentes armis subiugarint Romani, non tamen Græcorum deleuerunt Imperium, & ad Romanam gloriam transcripserunt, donec Græci Imperij reliquias, quæ in Ægypto consederant, fractis ab Augusto Antonij, Cleopatræque viribus sustulêre. Nam, vt constat *Machab.* 1. *capit.* 1. cùm Alexander duodecimo anno Regni sui immatura morte decederet; Imperium illis quibuscum ab adolescentia nutritus fuerat, diuisit; qui quandiu regnarunt, Regnum quoque Græcorum stetit: & ideo statim dicitur. *Ex his exiit radix peccati Antiochus illustris filius Antiochi Regis, qui fuerat Romæ obses, & regnauit in anno tricesimo septimo Regni Græcorũ.* Durabat itaque tunc Græcorum Imperium, durauitque donec illa Regna, quæ posteri amicorũ Alexandri tenebant, in Romanorum venêre potestatem. Quod tunc accidit quando Æyptus, quæ Ptolomæo Lagi filio data fuerat ab Alexandro, Augusti Cæsaris armis in prouinciam redacta est. Tunc verò finẽ habuit Græcorum Imperium, & initium Romarum. Quod docet Hieronymus & multi alij ex antiquis, quorũ sententiã idem refert *in cap. 9. Danielis.* Qui dum 70. hebdomadarum tempus computant, finitum esse dicunt Imperium Græcorum morte Cleopatræ, & Romanorum inchoatum in Actiaca Augusti victoria.

20. Adde, non omnia bella quatuor quadrigarum ostensa fuisse Zachariæ, sed illa quæ de Imperij summa decertarunt. Nam Cyrus multa alia priùs bella secunda gessit, sed egressus dicitur in Babylonem, quia ibi Imperij mutatio facta est. Idem de Alexandro dicendum; qui eodem pene loco extincto Dario imperij maiestatem Græco nomini adiunxit. Eodem modo cùm Romani secundo bellorum cursu magnam orbis partem occupauissent, & in his reliquas prouincias ab Alexandro amicis quasi testamento legatas, non tamen Imperium omnino consecuti sunt, donec ad alias Græci imperij regiones, Ægyptum, quæ vna supererat ex tot prouinciis, addiderunt. Tunc verò Augustus Imperator dici potuit: tunc ab illo Edictũ exiit, vt describeretur vniuersus orbis. Hac igitur de causa equi varij dicuntur ad Austrum egressi, quia Ægypto, id est, Australi regione domita, primùm vocari potuit Romanorum Monarchia.

Ostensa sunt extrema bella quibus Imperia translata.

21. Vers. 7. *Qui autem erant robustissimi, exierunt.*]

A Quartam quadrigam trahebant equi varij, & fortes. De variis dictum est ab Angelo exiisse in regionem Australem; de fortibus, qui hoc loc dicuntur *robustissimi*, & vtrobique אמצים *amusim*, qui sine dubio a variis diuersi sunt. Licet communiter Interpretes, dum de his nihil seorsum dicunt, eosdem esse indicent. Tum quia hi non dicuntur egressi in Australem plagam, sicut varij; sed exiisse, & quæsiisse ire, atque discurrere per omnem terram. Deinde illud *autem* aliquid omnino diuersum ostendit. Accedit quòd *Dan. cap.* 2. vbi agit de Romanorum Imperio, in ferreis pedibus distinctum aliquid indicatur, nempe ferrum, & lutum, quæ commisceri non possunt. Tractauit B quæstionem istam Ribera pene solus, & satis eruditè; alij aut omiserunt omnino, aut perstrinxerunt leuiter, & obscurè. Nunc quando constat in equis variis Romanos adumbrari, videndum est qui nam sint illi robusti, qui eandem cum Romanis quadrigam subeunt.

Equi robustissimi à variis diuersi.

R. Dauid Ismaëlitas, seu Mahometanos esse putat, qui latè dominati sunt: cui subscribit Arias Montanus. Sed hoc mihi nullo modo videtur verisimile; quia equi varij, ac fortes eandem traxerunt quadrigam; sed Ismaëlitæ nunquam cum Romanis iniêre Imperij societatem. Præterea Imperium vltimum diuisum iri dixit Daniel *cap.* 2. Sed quî diuidi potuit Ismaëliticum Imperium, C cùm nunquam fuerit cum Romano coniunctum? Et est satis verisimile de iisdem agi à Daniele, & Zacharia, ab illo in pedibus partim ferreis, & partim fictilibus, qui ab eodem plantario nascuntur; ab hoc in equis variis, qui priùs in Austrum, & in robustissimis, qui deinde in omnem terram discurrere gestiebant. 22.

Longè probabilius est, vt optimè côiectat Ribera, in equis robustissimis Gothorum potentiã, & bellicam gloriam adumbratam fuisse. Ad quod persuadendum obseruat hic non agi de tempore, quo Romani nomen, & maiestatem imperij pepererunt; sed de alio, quod postea consecutum est. D Gothos verò à Romanis fuisse victos, & sub eorum signis diu, ac sæpe meruisse, satis exploratum. Certè sub Maximino pugnarunt contra Parthos: sub Constantino contra Liciniũ, & eo propè tẽpore quo capta est Roma à Gothorũ Duce Athanarico, seu Alarico, Honorio Imperatori bellicã operã nauarunt. Hi ergo non exierunt in Austrũ cũ equis variis, id est, Romanis, quando victa fuit Cleopatra, & Græci imperij reliquiæ omnino sublatæ, quia nondũ erant à Romanis subiugati. Postea verò post egregiam operam Romanis Ducibus nauatam, tandẽ sub Honorio, rupto fœdere, populi Romani prouincias inuadunt, & occupant; & ipsam vrbem rerum dominam aliquando diripiunt. Hi in diuersas partes exire moliuntur, E quia pro sua multitudine & bellica virtute angustos fines sibi esse arbitrabantur. Qui tamẽ aspertimis locis, & quasi æreis montibus inclusi à diuina tenebantur potentia:ne, quod fecêre postea, quando audierunt ab Angelo; *Ite, & perambulate terram*, non in finitimas solùm, sed in remotissimas etiam regiones erumperent. Occupauerunt enim Asiæ, Europæ, atque Aphricæ, neque exiguam, neque ignobilem partem. 23.

Equi robustissimi sunt Gothi.

Neque longè erraret ab optima coniectura, qui crederet hanc Prophetiam ad Hispanos quoque pertinere, qui ex Gothico sanguine bona ex parte, & genus deriuant, & gloriam. Hi enim propter maiorum suorum bellicam virtutem ab Imperio Romano iã olim diuisi sunt, cui aliquãdo 24.

Verisimile est in robustissimis intelligi Hispanos.

ante Gothorum tempora seruierant. Hi supra omnium gentium virtutem, & audaciam, imò supra omnem historicam fidem transmisso felici classe ad Ortum, atque Occasum Oceano, non solùm longissimis spatiis dissitas prouincias nauigatione, atque oculis, sed etiam victoriis ad miraculum vsque illustribus obierunt. Neque hoc de Hispanis cogitare ac dicere audacis est ingenij; quando viri docti non pauci in extremis verbis Abdiæ; & Isai. cap. 18. in transmarinas regiones Hispanorum ingressum prædictum esse putant, in quibus est Legionensis, & Montanus, & Rebellus noster *libr. 18. quæst. 23.* Sed vt hoc communiter & meritò ab aliis improbatur, sic puto hoc, etsi parum certum, magis tamen ad rei ipsius veritatem accedere.

25. Vers. 8. *Requiescere fecerunt spiritum meum in terra Aquilonis.*] Agit hìc de Persarum imperio contra Babylonem misso. Et cùm *spiritus* multa significet, hìc tamen vt LXX. interpretantur, & nos *cap. 5.* diximus, furorem significat, hoc sensu: immissis Persis rémque Babylonicam latè vastantibus explebitur, & saturabitur furor meus, quem iam antea grauiter imbiberam in Chaldæos, qui populum meum duriùs vexauerunt, quàm ego præceperam. Iuxta ea, quæ diximus cap. 1. *Ira magna ego irascor super gentes opulentas; quia ego iratus sum parum, ipsi verò adiuuerunt in malum.* Ita exposuit Cyrillus; & est metaphora ab iratis petita, quorum animus dum furit, feruet, atque æstuat, & nunc se huc, nunc illuc incessanter rapit. Cùm autem expleuit se vindicta, quemadmodum si mari inducta esset tranquillitas, deferuescit, considet, & quiescit. Vide quæ diximus in illud Isai. 1. *Heu consolabor super hostibus meis.*

26. Aliam expositionem adducit Hieronymus ex Hebræorum sententia, qui hic spiritum prophetalem accipiunt in hanc sententiam: Requiescere fecerunt spiritum meum prophetalem super Chaldæos, cùm iam sint deleti. Nam ante hoc tempus vrgebat Babylonios Deus frequentibus vaticiniis, a quibus nunc dicit esse cessandum. Et quidem *spiritum* pro dono prophetico sumi constat Michææ 2. *Vtinam non essem vir habens spiritum, sed mendacium potiùs loquerer;* id est, vtinam in hoc non essem verus Propheta. Sed placet magis prior expositio. Hæc tamen ad sensum moralé optima, quæ indicat Deum quasi iam defessum admonendo Chaldæos, velle requiescere ab eo labore frustra suscepto. Quo supplicio sanè grauissimo vlcisci vult populi sui vexationem crudelem, & tot irritas admonitiones. Hoc idem minatus est per Zachariam suprà *cap. 1.* dum dicit; *Conuertimini de viis vestris, &c. Propheta nunquid in sempiternum viuent?* Væ peccatori vbi ab admonendo diuinus quieuerit spiritus. Vide quæ diximus ad illud Cant. 5. *Dilectus meus misit manum suam per foramen.*

Spiritus pro dono Prophetia.

Diuini furoris signum verbū subtrahere.

27. *Sume à transmigratione ab Holdai, & Tobia.*] Sicut Daniel *cap. 2. & 7.* vbi egisset de quatuor Imperiis, sermonem transtulit ad æternum Christi Regnum: sic nunc Zacharias de Christi Regno inducit vaticinium, sic tamen obscurè, vt Hieronymus proposita difficultate deterritus in Prologo secundæ partis huius Prophetæ (nam hìc & librum diuidit, & Commentaria) sic dicat eleganter, & vt aliquando solet in senili ætate iuuenescenti ingenio. *Ab obscuris ad obscura transimus, & cum Moyse ingredimur in nubem, & caliginem; abyssus abyssum inuocat in voce cataractarum Dei, & gyrans gyrando vadit spiritus, & in circulos suos reuertitur,*

A *Labyrinthæos patimur errores, & Christi cæca regimus filo vestigia.* Adsit vtinam Deus, quem iam in nostro Propheta propiùs intuemur, dum eundem cum Hieronymo labyrinthum ingredimur.

Vers. 10. *Sume à transmigratione ab Holdai, & Tobia, & ab Idaia, & venies tu in die illa, & intrabis domum Iosiæ filij Sophoniæ, qui venerunt de Babylone.*] 28.
Constat ex *lib. 1. Esdræ cap. 1. & 2.* plurimùm auri, atque argenti oblatum esse ad ornatum instructúmque templi ab his, qui in patriam ex captiuitate redierunt. Et licèt nihil ea de re ex Scriptura certum habeamus, est tamen probabile, ea omnia munera alicuius viri, cuius esset explorata probitas, & fides, custodiæ esse commissa. Ille verò videtur fuisse Iosias filius Sophoniæ, qui, sicut ex
B sententia Hebræorum refert Hieronymus, fuit æditus, & custos templi. Cyrillus verò putat statutum esse gazophylacium à Iudæis, qui è Babylone venerunt, vbi pro templi instructu dona seruarentur, & eius custodiam esse creditam Iosiæ fidei. Iubet ergo Deus Zachariæ, vt ex Iosiæ domo sumat aurum, & argentum quod oblatum est ab Holdai, & Tobia, &c. qui è Babylonia remearunt, siue tunc primùm, siue multo antè cum Zorobabel: & ex eis coronas conflet, quas in capite ponat Iesu Sacerdotis. Litera valdè confusa, atque implexa est, quam sic ordinat Hieronymus. *Sume tibi ab Holdai, & à Tobia, & ab Idaia*
C *qui venerunt ex Babylone: & sumes ab eis, quæ offeruntur munera, aurum, & argentum, & intrabis in domum Sophoniæ, & ibi facies,* &c. Ego quidem non dubitarem illud, *qui venerunt,* accommodare Iosiæ, & eius patri Sophoniæ, quia vt verba disponit Hieronymus, longum est, & durum hyperbaton, neque quicquá est, quod nos cogat aliter accipere. Esdr. lib. 2. c. vlt. mentio fit cuiusdam Tobiæ, apud quem publica gaza, & sacra seruabatur.

Vers. 11. *Et facies coronas.*] Hebræi quidam ex antiquis, vt refert Hieronymus, & ex iunioribus R. Dauid, & nonnulli etiam ex nostris existimant duas coronas fieri iuberi, alteram Iesu Sacerdoti; alteram Duci Zorobabel. Sed est communis 29.
D omnium antiquorum, recentiorúmque sententia vnum Iesum duabus coronis fuisse coronatum, vt Seruatorem Sacerdotem, & Regem, Pontificia, ac Regia corona figuraret. Neque durum videri debet, si caput vnum gemino diademate onerari videatur potiùs, quàm ornari: quandoquidem necesse non est simul vtrumque gestare: sicut in Imperatoria inauguratione triplicem diuersis temporibus coronam accipit Imperator, ferream, argenteam, auream. Neque si eodem gestaret tempore, quicquam esset incommodi, cùm in Pontifice Christi vicario triplici diademate thiara resplendeat. Scio nonnullos legere *coronam*
E in singulari; in quibus sunt LXX. paulo inferiùs, vbi nos habemus, *& coronæ erunt Helem,* & Chaldæus hìc. Et indicat Hieronymus in Commentariis dum dicit, *Iubetur autem Propheta, vt postquam coronas imposuerit, seu coronam super caput Iesu,* &c. Induxit, credo, hos Interpretes, quia coronis in numero multitudinis adiungitur verbum singulare *erit,* תהיה והעטרת *veha atareth tihieh,* id est, *& corona erit.* Sed satis est notum apud Hebræos nomini plurali verbum adiungi solere singulare, sicut apud Græcos.

Typus Christi in duabus coronis Iesu.

Vers. 12. *Et ecce vir Oriens nomen eius.*] Ponitur hìc relatiuum *eius* sine antecedenti, quod præcesserit. Quod genus quoddam est aposiopesis, de quo pluribus egimus in Commentariis nostris super Cantica ad illud cap. 1. *Osculetur me osculo oris* 30.

Oriens pro germine.

sui

sus. In quo mirifica quædam epitasis est, & significatio animi in alta quadam cogitatione suspensi. De *Orientis* nomine satis multa suprà *cap.* 3. quod *Germen* significare diximus, & sine dubio de Christo intelligendum. Neque obscurè indicat Propheta cùm rationem reddit, cur geminam coronam Iesu Sacerdoti dederit; quia nimirum Iesum Sacerdotem summum, & æternum, qui Rex etiam futurus erat, adumbrabat. Quidam in *Oriente* aut *germine* Zorobabelem intelligunt, & illi è duabus alteram coronam accommodant. Ita nonnulli ex Hebræis, quos sequitur Theodoretus. Sed communis est patrum sententia, & multorum ex Hebræis, quibus accedit Chaldæus, sermonem hîc esse de Messiah. Neque nomen *Orientis*, aut *Germinis* satis aptum est Zorobabeli, & quæ sequuntur omnia non illi valdè consentanea.

51. *Et subter eum orietur.*] Heb. *de sub se*, aut *de sub illo:* nam vtrumque valet affixum *vau*. Pro *orietur*, Heb. est nox *iismach*, id est, *germinabit*. Quod siue actiuè sumas, seu passiuè, optimè cadit in Christum. Passiuè quidem iuxta sententiam Hebræorum, vt refert Hieronymus, qui *à se* conuertunt in hunc sensum. *Ex se repente succrescet; & ex radice sua in similitudinem germinis pullulabit;* id est, habebit à seipso vt crescat, & non ab aliena virtute. Actiuè verò in hanc sententiam. *Producet ex se ramos innumeros, & tanquam stirps nobilis quoquouersùs diffundet.* Iuxta illud Ioan. 15. *Ego sum vitis, vos palmites.* Et idem sensus erit, si *sub illo* interpretère, vt vult, & exponit Hieronymus. *Subter eum orietur multitudo credentium, & ædificabitur Ecclesia.*

Iesus Sacerdos vmbra Iesu Seruatoris.

52. Alius sese mihi sensus offert, quem nemini persuadeo, tantùm aliorum iudicio examinandum relinquo. Sub illo Iesu Sacerdote orietur alius Iesus Seruator, qua ratione aliquid, quod sub vmbra latuerat, in lucem prodire dicitur. Cùm ergo Iesus hic Sacerdos multis modis figura sit, atque vmbra Christi, Christus ab hoc adumbratus prodibit aliquãdo gemina redimitus corona; sicut hic Sacerdos, qui hoc loco, si vnquam, Christi typus fuit. Nam cùm ante hæc tempora Rex esset à Sacerdote diuersus, à captiuitate tamen duæ istæ dignitates, ac tituli in vnam personam coierunt. Neque vnquam inter Hebræos à captiuitate, nisi extremis eius Reipublicæ temporibus, Regium nomen auditum est. Sanè in historia Iudith de rege nihil; de Sacerdote verò Maximo multa, cui cap. 4. Regiæ partes, & imperatoriæ datæ sunt. Nam Eliachim Sacerdos, qui *cap.* 15. Ioachim appellatur; *Scripsit ad vniuersos per quos via transitus esse poterat, vt obtinerent ascensus montium, per quos via esse poterat ad Ierusalem: & illic custodirent, vbi angustum iter esse poterat inter montes. Et fecerunt filij Israel secũdum quod constituerat eis Sacerdos Domini Eliachim.* Atqui istæ Regię partes sunt. Probat hoc historia Machabæorum, vbi quidam Sacerdotes, & Duces esse dicuntur. Mathathias *lib.* 1. *cap.* 2. Ionathas *cap.* 12. Simon *cap.* 13. Quòd verò de hac vmbra Iesu Sacerdotis, id est, ad huius exemplar, & typum Christus exierit, probant ea, quæ sequuntur. Nam quod fecit Iesus Sacerdos typicè, idem altiori quodam modo verè fecit Iesus Seruator. Vnde additur,

Regia dignitas cum Sacerdotali coniuncta.

53. Vers. 13. *Et ædificabit templum Domini, & ipse extruet templum Domino.*] In hoc similis erit Christus Iesu Sacerdoti, quia sicut alter templum Domino, sic alter supra firmam petram templum aliud illustrius, contra quod non præualebunt portæ inferi; Domino item ædificabit. Repetitur autem bis eadem sententia iuxta Hebræorum consuetudinem, ad significandam maiorem vaticinij certitudinem. Iuxta ea, quæ diximus *Cant.* 6. *num.* 7. Quam regulam tradit Hieronymus in illud Iob 3. *& quod verebar, accidit*, & Aug. *Psalm.* 74. prope initium. Nisi mauis, quod mihi valdè videtur verisimile, alteram partem ad Iesum Sacerdotem, alteram ad seruatorem referri in hanc sententiam: Sicut Iesus sacerdos ædificabit templum, ita Christus. vbi satis ostenditur quemadmodum à Iesu sacerdote Seruator prodierit. Siletur autem Hebræorum more nota similitudinis; quam si addideris, nihil erit clarius.

Et ipse portabit gloriam.] Id est, coronam gloriosam, iuxta illud Psalm. 20. *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.* Ecce hic Iesus Sacerdos coronatus quomodo Iesum Seruatorem adumbrat. 54.

Christus Rex, & Sacerdos.

Et sedebit, & dominabitur super solio suo, & erit Sacerdos super solio suo.] Christus verus Rex fuit. Psal. 2. *Ego autem constitutus sum Rex.* & Lucæ 1. *& dabit ei Dominus sedem Dauid.* Item Sacerdos. Psalm. 109. *Tu es sacerdos in æternum.* Ex his fit verisimile, summam potestatem eo tempore fuisse penes Iesum Sacerdotem; vt omnino Christum adumbraret: Zorobabelem autem fuisse ipsius administrũ ad opus templi, résque alias grauioris negotij. Atque ideo *cap.* 3. vidimus sumpsisse cydarim, & vestimenta gloriæ, & nunc coronas geminas. De Zorobabele nihil vidimus, nisi fuisse in eius manu lapidem stanneum, & posuisse primum lapidem in templo instaurando, & impositurum esse postremum. Quod non est summæ potestatis negotium, sed eius cui à potestate summa id negotij datum est. Sed, vt Zorobabel Rex fuerit, certè eius posteri non fuerunt: imò, vt tradunt Hebræi in Seder Holam, Zorobabel ædificato tẽplo in Babyloniam rediit, vbi mortuus est. Ab eo tempore constans, & illustris est Sacerdotum successio tum apud Esdram *lib.* 2. *cap.* 12. tum apud scriptores alios. Neque in fastis, aut ordine temporũ Zorobabelis posteri nominantur, sed Sacerdotũ. Vide Genebrardum in Chronologio anno 3638. Abul. *in c.* 6. *q.* 8. *lib.* 1. *Paral.* Iosephum *lib.* 11. *Ant. c.* 4. qui dicunt à captiuitate potestatem summam fuisse in Pontificibus.

Quæ potestas in Zorobabel.

Et consilium pacis erit inter illos duos.] Fuerant antè 55.
sæpe controuersię inter reges, & Sacerdotes, adeò vt vexati sæpe fuerint, imò & occisi Pontifices à Regibus, vt liquet in Achimelec, quẽ occidit Saul, & in Zacharia, quem occidit Ioas in atrio domus Domini 2. Paral. 24. Ait ergo Dominus futuram esse pacem inter illos duos, non quidem inter duas personas, sed inter duos Magistratus, seu dignitates Personarum. Quia deinceps si non omnino in Iesu Sacerdote, quia de Zorobabele multi dubitant; at in eius posteris item sacerdotibus hærebit vterque titulus. Quare duæ coronæ, postquam Sacerdotis caput attigerint, iubentur deponi, & ad templum transferri, quia in templo habitaturæ sunt, id est, in domo Sacerdotis. Ac si dicat; qui templo præerit Regia, ac Pontificia corona ornato, præerit etiam regno. Hæc mihi satis verisimiliter videntur dici posse.

Potestas Regia diu perseuerauit in Sacerdotibus.

Quidã illos, inter quos futura dicitur esse pax, 56.
Deum intelligunt, & homines, quia Christus Sacerdos, & mediator peccatores cum Deo conciliabit. Alij duos populos Iudaicum, & Gentilem hactenus inimicos, vniendos esse dicunt angulari lapide. Sed vtraque explicatio ideo difficilis est, quia nihil videtur præcessisse,

quod ad homines peccatores, seu duos populos pertineat, ad quod referri possit illud *inter illos duos.*

37. Meliùs fortasse coniectarent iuxta ea, quæ suprà numer. 32. dicebamus, qui consilium pacis futurum esse diceret inter Iesum Sacerdotem, & Iesum Seruatorem; quia magna erit inter vtrumque, id est, inter figuram, & veritatem consensio. Impleuit enim verè Christus omnia, quæ obscurè Sacerdos ille figurabat: nam vt ille post squallorem, & sordes stolam accepit mundam, & cydarim gloriæ; templum construxit, amplexus est dignitatem Pontificiam, & Regiam, sic Christus his tot vmbris, & symbolis verè respondit. Et hoc est pacem esse inter duos, id est, consensionem, qualis est inter exemplar, & id, quod ab exemplari expressum est.

38. Vers. 14. *Et coronæ erunt Helem, & Tobiæ, & Idaiæ, & Hen filio Sophoniæ, memoriale in templo Domini.*] Vbi sacerdos summus gemina corona redimitus, & gemino etiam honore, ac titulo inauguratus fuerit, iubet Deus vt detractæ coronæ in illustri aliquo templi loco reponantur; vt extet propositum aliquod monumentum eorum, quorum ex pietate, ac liberalitate conflatæ sunt. Contulerunt, credo, isti syncerè, atque ex animo dona aurea, atque argentea, & ideo illa præ cæteris eligit Deus, vt sint non solùm Sacerdoti, ac Regi, sed sibi etiam ornamentum, & insigne. Porrò obseruandum est illud *Helem, & Tobiæ*, &c. esse in datiuo, vt probat *Lamed* præfixum: quia coronæ illæ in templo suspensæ id agunt ex Dei instituto, vt recentem semper tueantur apud posteros memoriam eorum, qui obtulerunt.

39. Hebræi, vt sunt ingenio ad fingendum audaci, hos viros quorum liberalitate conflatæ sunt coronæ, Danielem esse fabulantur, & tres alios pueros, qui in Babylonicam fornacem cõiecti sunt; coniecturásque adducunt omnino futiles, quas hîc adducit Hieronymus. Sed sanè si isti à transmigratione vnquam essent reuersi, non tacuisset Esdras, quia aliorum meminit longè inferioris notæ. Neque est admodùm verisimile, eos ad hoc vsque tempus produxisse vitam, essent enim propè centenarij, quia à principio captiuitatis ad annum secundum Darij plures quàm octoginta anni intercesserunt. Sed tres illi pueri abducti sunt in principio trãsmigrationis, vt constat *Daniel c.*1. ætate, vt verisimile est, non infantili, sed ætas cẽtenarij eo sæculo perquam rara. Accedit quòd, vt tradit Isidorus de vita, & morte Sanctorum veteris Test. & Martyrologium Romanum die decimo sexto Decembris, sepulti sunt tres illi pueri in Babylonia, quod sanè non contigisset si cum aliis fuissent in patriam reuersi.

40. Hîc porrò obseruandum, variari nomina, vt cum Hieronymo sentiunt omnes pene interpretes. Nam qui priùs vocatus est Holdai, nunc dicitur Helem: & qui antea Iosias, nunc Hen. Quare dicendum est, eos fuisse binomines. Cur verò tam breui spatio mutata sint nomina, ea ratio ab omnibus communiter affertur, quia quæ secundo loco ponuntur nomina, paucioribus constant literis, atque adeò commodiùs incidi possunt in coronis, & expressiùs, & non decurtata. Sed certè ratio hæc leuis est, & duarum, triúmve literarum detractio non laxabat coronarum spatia. Et sanè alterum nomen eam ob causam mutari non debuit: neque enim, vt patet, plus spatij occuparet vox prior חלדי *choldai*, quàm posterior חלם *chelem.* Potiùs ergo existimo voluisse Dominum, qua est in suos liberalitate, extare memoriam il-

REGVLA. *Nomina varia eiusdem hominis, & sæpe diuersorum idiomatum.*

A lustrem, & omnibus propositam horum virorum. Cùm verò duo haberent nomina, eaque non omnibus nota, quia alia fortasse nota Chaldæis, apud quos diu vixerant, & à quibus acceperant, alia Hebræis, scilicet gentilitia, & patria, voluit Deus tam Hebræis, quàm Chaldæis constare illorum hominum pietatem, & religionem. Quare existimo vsque adeò Deum superioribus literas detrahere noluisse, vt maluerit potiùs vtrumque nomen esse cælatum. Quòd verò multi, qui in captiuitate vixerant, aut qui Regi Babylonis aliqua ratione seruierant, duo nomina habuerint, alterum ab Hebræis parentibus, alterum à Chaldæis dominis, docent primùm tres pueri, quibus Nabu-

Deus suorũ honorator.

B chodonosor nomina indidit Chaldaica *Dan. cap.* 1. & qui priùs dicebatur Mathanias, vbi ab eodem Nabuchodonosor Rex est constitutus, mutato nomine vocatus est Sedecias 4. *Reg.*24. quod etiam in Testamento nouo reperitur, vt aliquis duo habeat nomina à diuersis nationibus imposita. Nam qui Heb. Iudas dicitur, & Lebbæus, idem Chaldaicè Thaddæus appellatur, & qui Græcè Didymus, idem Hebraicè vocatur Thomas. Deinde quò res sit aliqua notior, cùm duo sunt, aut plura nomina, ea in opere aliquo egregio, aut monumento incidi solent, vt ex omnibus pene antiquorum inscriptionibus constat. In his ergo monumentis apparere voluit Deus omnia nomina,

C quibus homines isti erant omnibus gentibus noti. Et sanè in historia sacra ita fit plerunque, & quidem hoc ipso tempore, Esdræ cap. 4. duo nomina Regis Chaldæorum exprimuntur, Assuerus, & Artaxerxes; & Esther cap. 2. vtrumque Reginæ nomen adhibetur Edissa, & Esther, & Daniel sæpe Daniel simul, & Balthasar dicitur, & Simon Petrus, & Thomas Didymus, & Tabitha Dorcas, & alter Simon Chananæus, & Zelotes nominatur. Quod ergo in Scriptura frequenter, atque in humanæ gloriæ monumentis plerumque fit, in aliis monumentis, vbi æterna quæritur memoria, non fieret?

In his nominibus, quæ in coronis notantur, 41.
D aliquid videtur latere mysterij. Nam, vt Hieronymus explicat, *Holdai* est deprecatio Domini: *Tobia*, bonum Domini, seu placens Domino; *Idaia* notus Domini; *Helem*, somnium; *Hen*, gratia. Eis igitur, qui ad Dominum accedunt, & deprecantur, & qui Deo placent, atque eo nomine Deo cogniti tanquam eidem grati ac supplices, datur *Hen*, id est, *gratia*, & dona, quæ gratiæ nomine significantur, & *Helem*, id est, *somniũ*, hoc est, sponsæ deliciæ, ac quies in Domini complexu ac sinu. Notum est enim solenne esse in Hebræorum nuptiis, vt sponsa dormiens inducatur in sponsi sinu, vt plurimis ostendimus in Commentariis nostris in Cantica. Per *somnium* autem blanda quædam, & mollis indulgentia significatur.

Sed est optima, maximéque moralis expositio 41.
E Hieronymi. Nam coronæ istæ fiunt ab iis, qui è Babylonia reuersi sunt in Ierusalem, id est, ab iis, qui per pœnitentiam à peccatorum sordibus emerserunt, & imponuntur capiti Iesu Sacerdotis, qui Christi typus est. Ait ergo Hieronymus. *Quia nobis proficientibus, & reuersis ad meliora, per singulas virtutes nostras Dominus coronatur, imò nobis virtute pœnitentiæ coronatis Saluator in singulis coronam accipit.* Mira sanè commendatio pœnitentiæ, quæ non solum pœnitentem, sed etiam Christum gloriosè coronat. Quemadmodum si studio atque opera Iesu filij Iosedech plurimi laxata captiuitate in patriam rediissent, gloriosum esset

Iusti sunt gloria, & corona Christi quãdo à peccato resipiscunt.

Pœnitentia fructus.

esset illi, & instar coronæ; sic quia per Christum homines consecuti sunt, vt ab iis quibus tenebantur vinculis, soluti aditum habeant expeditum in cælum, quicunque beneficio Christi per pœnitentiam captiuus esse desijt, coronam conflat Christo multo splendidiorem, quàm Holdai, & Tobias. Sanè hos, quos Euangelij luce lustrarat Paulus, coronam sibi esse prædicat ad Philip. 4. *Gaudium meum, & corona mea.* Placent sanè plurimùm eorum dona, qui è Babylonia, id est, è peccatorum vinculis exierunt, quando illa Deus suæ insculpsit coronæ, testimonioque publico fatetur se illis coronari.

43. *Templum Solymitanũ, Ecclesia typus, tum fabrica, tũ concursu nationum.*

Vers. 15. *Et qui procul sunt, venient, & ædificabunt in templo Domini.*] Proponit priùs typum, quia ad templi fabricam plurimi conuenient ex gentibus; deinde veritatem: quia eodem modo postea factus est gentium ad Ecclesiam concursus. Accedent itaque Gentes ad Iudæorum religionem, veniéntque ad templum à Iesu Sacerdote constructum, quia ex hoc tempore multi fuere proselyti, vt in Actis diximus *cap.* 2. Sed hoc multo magis impletum est in templo à Christo constructo; cuius Hierosolymitanum typus erat. Venient sanè qui procul sunt, vbi Christus iuxta huius templi formam, seu vmbram aliud extruxerit longè nobilius, in quo ipsi quoque ædificabuntur facti viui lapides, superædificati super angularem lapidem. Ad quem locum allusisse videtur Paulus ad Ephes. cap. 2. *Nunc autẽ in Christo Iesu vos, qui aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi; ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum.*

44. *Quid externi ad templi fabricam contulerint.*

Et ædificabunt in templo Domini.] Hoc templum, vt dixi, typus est Ecclesiæ, sicut Iesus Sacerdos, qui illud cum Zorobabele construxit, typus est Christi. Atque ideo existimo in templo Hierosolymitano accidisse, quod splendidiùs in Ecclesia postea. Nunc videndum quomodo qui procul sunt, & situ, & animo à Iudæorum consiliis, auxilium illis præstent ad templi fabricam: nam id vnum adduxit nonnullos vt existimarent hîc nullo modo sermonem esse de templo terrestri. Mihi certum est accidisse hoc non in Ecclesia solùm, sed in eius vmbra. Nam qui, dum hæc à Zacharia dicebantur, alieniori erant animo à Iudæis, statim agente Deo ita sunt à se ipsis mutati, vt non solùm facultatem fecerint Iudæis interruptum opus pertexendi, sed etiam ex ærario Regio tantùm decreuerint pecuniarum, quantùm exigeret operosa illa templi moles. Darius enim 1. *Esdræ cap.* 6. vbi confirmauit Cyri decretum, quod ab Artaxerxe, qui Cambyses esse creditur, sublatum fuerat, sic ait ad præpositos, qui sunt trans flumen. *A me præceptum est, vt de arca Regis, id est, de tributis, quæ dantur de regione trans flumen, studiosè sumptus dentur viris illis* (Iesu, & Zorobabeli) *ne impediatur opus.* Deinde iubet vt dentur victimæ, & quæ in templo iuxta legem offerri solent. Quod ita decreuit auidè, vt ad extremum adiecerit: *A me ergo positum est decretum; vt omnis homo qui hanc mutauerit iussionem; tollatur lignum de domo ipsius, & erigatur, & configatur in eo: domus autem eius publicetur.* Et ibid. cap. 7. Artaxerxes non minori studio, ac liberalitate præcepit vt præfecti trans flumen de thesauro Regis expenderent, quantumcumque necesse esset ad domum Dei: & præfecti iidem, qui ad Darium, & Artaxerxem scripserant de impedienda templi, murorúmque fabrica executi Regium imperium, necessaria contulerunt ad illam absoluendam. Adde quod 2. *Esdræ c.* 9. multi ex alienigenis dicuntur esse cum filiis Israel in ciuitate. Ecce qui procul erant, id est, qui maximè oderant Iudæorum nomen, nunc omnium studiosissimè illorum consiliis, atque inceptis fauent. Hoc idem mihi persuadet, vt de templo Solymitano accipiam id quod mox additur.

Et scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos.] Suam propheticam fidem probare vult Zacharias certo signo, quod neque vulgare esse oportuit, neque expectatum diu: alioqui quomodo ex re facili, ac prona alij crederent Spiritu diuino hæc oracula à Zacharia fundi? Est autem magnum, neque expectatum signum, Principem externum sic in populum ærumnosum, contra quem à suis Ducibus, & præfectis quotidie perfidiæ, atque insidiarum noua consilia audiebat, affectum iri, vt non solùm ædificandi copiam, sed etiam ad ædificandum sumptus liberaliter dederit. Hoc signum dat, quod quia eò spectat, vt se esse Prophetam à Deo missum probet, necesse est, vt signa proxima sint, & quæ breui, qui aderant, essent visuri. Sed quis illorum ad quos hoc Zachariæ vaticinium datum est, Ecclesiam vidit ab his, qui procul essent, ædificari, vt ex eo signo discerent afflatum à Deo Zachariam; cùm ante 500. annos Ecclesiæ nomen non nisi figura, ac typo auditum sit? Agit ergo Zacharias hîc de templo Solymitano, sed in vmbra, vt dixi, in quo adumbrat Ecclesiam. Et ex hoc signo, quod iam iam expectatur ex Regis Persarum beneuolentia, probat certum futurum, quod de Ecclesia longè pòst futurum vaticinatur. Quàm verò externi populi copiosè, atque auide ad Ecclesiam concurrerint, vt à Christiana Religione quondam alienissimi illam postea sua voce, & scriptis, ac etiam sanguine ædificauerint, non est huius loci recensere. Probant Paulus, & Augustinus, qui priùs infensi Ecclesiæ hostes, postea verò illius constantissimi propugnatores extiterunt. De hac gentium conuersione, atque frequentia multa occurrunt in Prophetis, & Psalmis, & sub eadem metaphora construendæ domus. Est egregius locus apud Isaiam *cap.* 60. qui cùm de insulis, remotissimísque locis egisset, ait; *& ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & Reges eorum ministrabunt tibi.* Qui sanè locus optimè cum hoc nostro colludit.

45.

Ecclesiam defendunt, & ornant, qui prius eidem fuerant infensi.

46. *Promissio hæc non de Ecclesiæ fundatione, sed externo auxilio.*

Erit autem hoc si auditu, audieritis.] Nota est phrasis Hebræorum, qui repetita eadem voce aut eius coniugato certitudinem, aut perfectionem rerum significant. Hoc itaque loco promittit Propheta futurum, vt externi homines non modò non impediant templi fabricam; sed etiam promoueant, dummodò ipsi ita audiant præcepta Domini, vt etiam impleant. Quod verum esse puto, quoad illam partem, quæ est de signo antè proposito peregrini auxilij: nam quoad illud aliud templum nobilius, non est cur existimemus impeditum iri Iudæis diuino præcepto non obsequentibus. Neque verò obsecuti sunt, vt Christus illis sæpius obiecit: non tamen ideo non est ædificata, & innumera Gentium multitudine amplificata Ecclesia. Agit ergo de obedientia illorum, qui tunc aderant, & de externo auxilio, quod propediem adfuturum esse vaticinabatur. Neque enim tam antiqua ac liberalis promissio de Christo venturo pendere debuit à Iudæorum fide, vel obedien-

tia, vel propter illorum peccata reuocari, qui ideo descendit, vt hominum peccata deleret. Ex quo fit verisimile hîc non tam de Ecclesia, quàm de Solymitano templo sermonem esse.

47. Dicunt aliqui, in quibus est Ribera, & Stunica, prædici hîc Iudæis à Propheta, non fore Ecclesiæ participes nisi diuinis mandatis audientes fuerint; sed illis prætermissis vocandas esse Gentes, At non video vnde hæc colligant; nam tan-

A tùm dixerat Propheta; *Et qui procul sunt, venient:* & deinde subdit; *Erit autem hoc si auditu audieritis.* Vnde contrarium videbatur esse colligendum, quàm ipsi colligunt; nempe, si auditu audieritis, venient qui procul sunt; & vos excludemini. Quo quid alienius, vel à veritate, vel à textu? Quare magis expeditum, ac promptum est, si dicas: Si auditu audieritis, venient externi, qui vobis in extruendo templo adiutores sint.

IN CAPVT SEPTIMVM

ARGVMENTVM.

CVM legatio mitteretur à Iudæis qui procul aberant à Ierusalem, vt discerent an instaurato templo seruandum esset ieiunium, quod propter illius incendium voto concepissent; respondit Deus, illa ieiunia, quæ per totos 70. annos constanter seruauêre, sibi grata non fuisse: quia alia interim ab ipsis admittebantur, quæ non poterant esse non ingrata. Quæ cùm sæpe olim per Prophetas parentibus commendasset, illique contra diuina monita penitus obduruissent, grauia quædam incommoda pertulerunt, qualia posteris etiam minatur, si parentum vestigiis hærere perseuerent.

CAPVT VII.

1. *ET factum est in anno quarto Darij Regis, factum est verbum Domini ad Zachariam in quarta mensis noni, qui est Casleu.*

2. *Et miserunt ad domum Dei Sarasar, & Rogo Melech, & viri, qui erant cum eo, ad deprecandam faciem Domini.*

3. *Vt dicerent Sacerdotibus domus Domini exercituum, & Prophetis, loquentes; Nunquid flendum est mihi in quinto mense, vel sanctificare me debeo, sicut iam feci multis annis?*

4. *Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens.*

5. *Loquere ad omnem populum terræ, & ad Sacerdotes, dicens: Cùm ieiunaretis, & plangeretis in quinto, & septimo per hos 70. annos: nunquid ieiunium ieiunastis mihi?*

6. *Et cùm comedistis, & bibistis; nunquid non vobis comedistis, & vobismetipsis bibistis?*

7. *Nunquid non hæc sunt verba, quæ locutus est Dominus in manu Prophetarum priorum, cùm adhuc Ierusalem habitaretur, & esset opulenta, ipsa, & vrbes in circuitu eius, & ad Austrum, & in campestribus habitaretur?*

PARAPHRASIS.

1. ANno quarto Darij Histaspis regis Persarum, secundo anno post primam visionem, quarta die mensis noni, qui dicitur Casleu.

2. Sarasar, & Rogo Melech, & qui cum eo erant, miserunt nuncios in Ierusalem, vt adorarent ibi Dominum.

3. Et Sacerdotes Domini, atque Prophetas interrogarent, an seruandum esset mense quinto ieiunium, quod post templi incendium publico voto ipsis esset indictum: vel stata, atque solenni forma deinceps adhibendum esset illud sanctificationis genus quod iam à multis annis solitum esset obiri. C

4. Tunc ergo Dominus sic ad Zachariam locutus est.

5. Loquere iam ad omnem populum terræ & ad Sacerdotes meo nomine; dicens, eos cùm ieiunarent, ac plangerent solenni ritu, aut quinto mense pro templi incendio, aut septimo pro cæde Godoliæ totos 70. annos, ad illud nempe tempus, quo missa est legatio, sibi potiùs, quàm mihi ieiunasse.

6. Et similiter cùm comederent, & biberent, bibisse sibi, & comedisse, non mihi. Neque enim tam curabant quid esset mihi gratum, quàm sua sibi infortunia, D & solitudinem lamentabantur.

7. Neque nunc primùm audiunt quid Dominus de eorum planctu, atque ieiunio sentiat. Iam enim dudum hæc eadem per Prophetas priores denunciata sunt ad eorum parentes, cùm adhuc Ierusalem nihil esset passa ab hoste Chaldæo; sed esset florens opibus, & ciuibus frequens; & omnes

8. *Et factum est verbum Domini ad Zachariam, dicens:*

9. *Hæc ait Dominus exercituum, dicens: Iudicium verum iudicate: & misericordiam, & miserationes facite vnusquisque cum fratre suo.*

10. *Et viduam, & pupillum, & aduenam, & pauperem nolite calumniari: & malum vir fratri suo non cogitet in corde suo.*

11. *Et noluerunt attendere, & auerterunt scapulam recedentes: & aures suas aggrauauerunt ne audirent.*

12. *Et cor suum posuerunt vt adamantem, ne audirent legem, & verba, quæ misit Deus exercituum in Spiritu sancto per manum Prophetarum priorum: & facta est indignatio magna à Domino exercituum.*

13. *Et factum est sicut locutus sum, & sicut non audierunt, sic clamabunt, & non exaudiam, dicit Dominus exercituum.*

14. *Et dispersi eos per omnia Regna, quæ nesciunt: & terra desolata est ab eis, eo quòd non esset transiens, & reuertens: & posuerunt terram desiderabilem in desertum.*

A ciuitates eius in circuitu, quà ad Austrum, & quà ad campestria pacatè, & sine bellorum metu habitarentur.

8. Deinde docuit me Dominus.

9. Quid pro ieiunio, ac planctu, aut certè in ieiunio sibi maximè placeret. Iudicium nempe verum, neque largitate corruptum, neque priuata aliqua ratione inflexum; & misericordia ab vnoquoque erga fratres suscepta.

10. Et omnis calumnia, ac vis à vidua, pupillo, aduena, ac paupere longè summota: denique cogitatio, quæ nihil fratri suo meditatur mali. B

11. Hæc inquit Dominus, ego parentibus vestris sæpe commendabam: sed ipsi neque aures ad mea verba, neque ad voluntatem meam animum aduerterunt; sed cum fastidio, atque despectu tergum ad me conuertêre recedentes, & ne audirent post tergum clamantem aures suas obturauerunt.

12. Atque adeò, ne legem audirent, aut verba, quæ meo afflati Spiritu Prophetæ ad illos loquebantur, cor suum adamantis in C modum obdurarunt. Quare Deus contra illos grauiter indignatus est.

13. Idcirco suo magno merito id consecuti sunt, dum mandata mea, & monita impudenter eludunt, vt cùm ipsi vrgentibus malis ad me clamauerint, ego ad illorum clamores, & preces obsurdescam.

14. Dispersi igitur eos per ignotas, barbarásque nationes; & regionem desiderabilem adeò derelictam, & desertam reliquere, vt syluarum in modum inhorruerit; eo quòd nemo sit non solùm qui ad illam reuertatur, sed neque qui in transcursu videat.

Vers.1. *Et factum est in anno quarto Darij Regis. factum est verbum Domini ad Zachariam in quarta mensis noni, qui est Casleu.*]

1. DVo anni intercesſêre inter hanc, & primam Prophetiam, quæ contigit anno secundo Darij. *Casleu* nomen est Chaldaicum, cui respódet noster Nouember. Quare errauit Paraphrastes Chaldæus cùm in cap. 11. Ecclesiastæ octauum mensem, id est, Octobrem vocauit *Casleu*, ad illa verba. *Da partem septem, necnon & octo.* vbi in *septem* septimum mensem intelligit *Tisri*, & in *octo* octauum, quem appellat *Casleu*; cùm nonus sit, vt hinc constat; cùm potiùs *Marchesuan* dicere debuisset.

Casleu mensis nonus.

2. Vers.2. *Miserunt ad domum Dei Sarasar, & Regem Melech.*] Ex quo Iudæi insigni accepta clade, & euerso templo captiui abducti sunt, extinctæ antiquæ gloriæ, & præsentis ærumnæ memores, indictis communi consensu ieiuniis ereptum sibi pristinum splendorem deflebant, & præsentem calamitatem solabantur. Exustum fuerat tem- D plum mense quinto, qui dicitur *Ab*, qui Iulius noster est. 4. *Reg. vltimo*; & ideo eodem mense, die nono ieiuniis suum dolorem, & pietatem testabantur. Eodem anno mense septimo *Tisri* occisus fuit Godolias, quem Rex Babylonis præposuerat his, qui reliqui fuerant ab exilio, & cæde. Et eo subiato aliis in Ægyptum, aliis aliò dilapsis, quod reliquum erat vrbis ab incendio, desertum est. Eius etiam calamitatis gratiâ septimo mense ieiunium indictum est. Hæc omnia constant ex Hebræorum Kalendario. Qui in Babylonia remanserant, ij verò fuêre quamplurimi; nam, vt docet Hieronymus in illud Ezech. cap. 9. *congregabo vos*, non redierunt in Ierusalem qui capti sunt cum Sedecia, & qui in Ægyptum abierunt, quod non obscurè indicat Ierem. cap. 24. dum dicit eos, qui remanserant cum Sedecia in Ierusalem, & qui in Ægypto erant, consumendos fame, & ferro. Fuere præterea complures alij,

Ieiunia Iudæis indicta propter varios euentus.

Multi Iudæorum in Babylonia relicti.

Digitized by Google

alij, qui deinde cum Esdra, atque Nehemia remigrarunt. Illi ergo, qui adhuc erant in Babylonia, cùm viderent templi fabricam sic vrgeri, vt iam non longè esset à fastigio, meritò dubitant an à voto concepto, siue à recepta consuetudine ieiunandi soluti sint. Vel certè an liceat instaurata iam antiqua fortuna, & oblata mirifica gaudendi causa tristari: cùm hoc eius sit potius, qui alterius felicitati inuidet, quàm qui communi, ac suæ gratulatur. Rogant autem de ieiunio quinti mensis tantùm, quia templum iam pene perfectum erat, cuius ob excidium ieiunij illius religio inducta fuerat.

3. Hìc obseruandum aliter legere L X X. aliter Hieronymum. Hieronymus habet; *Miserunt ad domum Dei Sarasar, & regem Melech*, seu, *Rogom Melech*, Septuaginta verò, *& misit in Bethel Sarasar, & Arbath Sugar Rex.* Quos conciliare non leuis est negotij: sed dicendum inprimis, quod obseruauimus in illud Act. 7. *in septuaginta animabus*; esse quidem vera quædam, quæ dicunt L X X. neque illa tradidisse sine instinctu Spiritus sancti, quamuis non è textu Hebraico. Vide infrà num. 10. & deinde.

Multa addita à Septuaginta, quæ licèt in textu Hebraico non sint, vera tamen sunt.

4. Miratur Hieronymus, quòd L X X. transtulerint *Bethel*, cùm eò mitti non potuerint legati, quia iam Bethel cum religione nomen quoque reliquerat. Nam quæ *Bethel* dicebatur olim, id est, *domus Dei*, postea vocata est *Bethauen*, id est, *domus idoli*. Sed hæc ratio non nimis premit versionem L X X. nam sæpe contingit vt rei nomen accõmodetur, quod iam antea mutatum fuerat. Dictum fuerat Iacob Genes. 32. *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum; sed Israel:* & tamen post hæc sæpe vocatus est Iacob. Et Ierusalem, quæ dicta est ab Ælio Adriano Ælia, plerunque meliori, ac notiori vocabulo vocatur Ierusalem: & in hoc ipso nomine *Bethel* vsu aliquando venit. Nam vt Bethel fuerit illa, quæ dicitur Bethauen, quod omnino certum non est, cùm ante aureos vitulos tempore etiam Iosue nomen Bethauen audiatur; tamen sæpissime post illud tempus in Scriptura nomen *Bethel* auditur; imò multo post tempora Zachariæ in libris Machabæorum. Sed hoc loco neque de Bethauen, neque Bethel est sermo; sed de templo Domini, vt habet vulgatus. Neque enim aliud sonat *Bethel* quàm *domum Domini.* Est autem vsitatum apud L X X. vt nomina Hebraica interdum relinquant, ita vt, quæ nomina sunt communia, sonum habeant, & formam propriorum. Cant. 4. vbi vulgatus habet, *cum propugnaculis*; ipsi retinuerunt *Talpijoth*. Iudic. 5. vbi noster, *inter duos terminos.* L X X. *mosphetaim*: & suprà cap. 5. vbi noster, *miluus.* L X X. *Hasidach.* Quod etiam non rarò facit vulgatus, qui Psal. 67. pro vmbra, atque obscuritate posuit *Selmon*, pro locis confragosis, & præruptis retinuit *Bethel.* Cant. 2. & 8. & alia eiusdem generis plurima. Sic etiam pro domo Dei adhibuerunt L X X. eiusdem significationis nomen Hebraicum *Bethel.*

REGVLA. *Nomen quod ablatũ erat postea auditur.*

REGVLA. *Nomen cõmune peregrinũ quod proprium videtur pro eius significatione ponitur.*

5. Hæc minùs difficilia, illud verò valdè difficile, quod in nominibus virorum, à quibus missa est legatio, tam parum conuenit inter Hieronymum, & L X X. nam ille legit *Regem Melech*, vt in Commentariis indicat; & est in Hebr. מלך *regem*, tametsi iam in texto habeamus *regem Melech.* At L X X. legunt *Sugar rex.* Hæc tanta vocum dissimilitudo mihi suspicionem mouit tempore Hieronymi, ac L X X. aliquid fuisse varium in Hebraico textu: neque enim ex textu quem nunc habemus, & quem sine dubio Hieronymus habuit, talia nomina exprimere potuere L X X. Quod verò attinet ad *Regem Melech.* suspicabar, cùm *Regem* & *Melech* idem significent, alterum Latine, alterum Hebraicè: Latinam vocem *Regem*, quæ explicatio est nominis Hebraici, claritatis gratia positam esse in margine, & deinde in textum irrepsisse notis Hebraicis: aut certè ab Hieronymo cum nomine *Melech* explicationis gratia positam esse, quod alibi sæpe ab eodem Hieronymo, aliisque Scripturæ Interpretibus factum est. Adhibetur enim sæpe expositio nominis Hebraici, quod quia in textu originalis linguæ non reperitur, absque dubio Interpretis est, vt *Gen.* 35. de Benoni, *filius doloris*, de Benjamin, *filius dexteræ*, è textu non est, sed additum ab Interprete. *Exod.* 12. illud quod additur Phase, *transitus Domini*; & *Exod.* 16. post Manhu, *Quid est hoc?* addidit sine dubio Interpres. Et facit huc quod ipse sermonis textus satis indicat, *regem* non esse distinctum à *Melech*, dixisset enim aliàs *Sarasar & regẽ, & Melech*; non *Sarasar regem Melech* sine coniunctione. Sed in eo etiam potuit esse deceptio, quia *rex* in recto esse debuit, non *regẽ* in obliquo, quia qui modò nominantur, non mittuntur, sed ipsi potiùs mittunt legatos. Hæc ego coniectabam in hac nominũ perturbatione, neque mea mihi coniectura displicet. Nam licèt videam apud L X X. *regem*, aut aliquid simile reperiri, nempe Rogom in aliquibus codicibus, vt in Complutensi, sed in emendatis à Sixto non est, neque in eo, quem habuerunt Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus.

REGVLA. *Explicatio peregrini nominis sæpe ab Interpretibus adhibetur de suo.*

Quod attinet ad personas, à quibus missa est illa legatio, Hebræi, vt refert Hieronymus, existimant esse Persas Darij regis Duces: neque ipse aliquid aliud probat. Cyrillus legationem missam esse putat ab iis, qui Samariam habitabant, quique ab Assyriis in illum locum translati fuerant. Vtrumque videtur satis difficile: nam fuisse Iudæos, qui per legatos Sacerdotes, & Prophetas consulunt, & ipsa ratio docet, & data responsio. Neque Samaritæ ita erant Religione Iudæorum instituti, aut in eos animati, vt 70. annis toties repetito ieiunio eorum causa ieiunauerint. Quare verisimilius est legationẽ missam fuisse à Iudæis, vt putat Ribera, qui etiam addit missam ab eis, qui in Babylone remanserant. Quod etiam puto valdè probabile. 6.

Sed fortasse improbabile non est legatos non tam ab his, qui erant apud Babylonios, quàm ab aliis, qui ab excidio Solymitano in Regiones finitimas dilapsi sedem ibi suam constituerant: nã remansisse plurimos satis ex Scriptura constat 4. *Reg. cap. vlt.* & clariùs *Ieremiæ cap.* 43. quibus præfectus fuit Godolias. Neque post eius cædem omnes fugerunt in Ægyptum, sed qui ex dispersione ad Godoliam fuerant reuersi. Sic enim Ieremias suprà: *Tollens Iohanan filius Caree, & vniuersi Principes bellatorum vniuersos reliquiarum Iuda, qui reuersi fuerant de cunctis gentibus ad quas fuerant antè dispersi*, &c. Ex quo colligitur non omnes Iudæos in Ægyptum abiisse, sed eos qui ex dispersione ad Godoliã se receperant. Non autem venisse omnes argumento est, quia occiso iam Godolia alij plures ad ipsum sese adiungebãt, qui in ipso conatu ab Ismaële interfecti sunt. Est autem verisimile complures alios, audita Godoliæ cæde in suis se ciuitatibus continuisse. Neque præterea omnes, qui in Ægyptum migrarunt à reditu in Iudæam prohibiti sunt; nam aliqui inde 7.

Legatio videtur missa ab illis, qui erant in Palæstina dispersi.

inde redierunt in Iudæam, vt Ieremias scribit c.44. & Isaias c.7. prædicit post vastitatem relinquendos esse aliquos in Iudæa; ita tamen paucos, vt vna vacca, & oues duæ possint vnam sustentare familiam. Et hoc satis probatur ex Daniele cap. vltimo, vbi Habacuc agros habuisse traditur, & messores, quibus panes intriuerat in alueolo, qui tamen, vt ipse docet, Babylonem non viderat.

8. *Aliqui in reliquiis Iudæorum fuerunt Principes.* Hi ergo, qui in Iudæa remanserunt, licèt initio pauci, credibile est post longum 70. annorum exilium in eam multitudinem propter naturalē illius gentis fœcunditatem excreuisse, vt suam iā Rempublicam habere potuerint, & ad aliquam peruenisse potentiam, ita vt Principes, & Gubernatores inter suos, vt tenuis illa, atque afflicta ferebat fortuna, designati fuerint. Nam, vt dicit Isaias cap.3. dum in hæc tempora intueretur, ab Israëlitis in suo infortunio, ac solitudine Regnū offerebatur vltrò illi, cui pallium, & mediocre vestimentum habere contigisset; vsque adeò populus ille nudus atque abiectus erat. *Vestimentum, inquiunt, tibi est, esto Princeps noster.* Ad hunc ergo modum verisimile est eos, qui in aliquem locum sese receperunt ex fuga, aut quibus pepercit Babylonicus furor, in suo ordine Principem aliquē habere voluisse, & iis credo tantùm indictum esse ieiunium mense septimo, propter cædem Godoliæ, quia pro iis tantùm constitutus erat Princeps Godolias. Quid enim qui iam capti fuerāt, neque à Godolia ad illos aliquid pertinebat, præter generis societatē, tantoperè dolerent de ipsius cæde, vt propterea publicè decreuerint esse ieiunandum? De iis autē, qui captiui ducti non sunt in Babylonem alia ratio est: quia sublato Godolia Principe suo, sublata quoque videbatur spes liberè, ac tutò manendi in patria. Qui ergo erant his temporibus Principes in suo quique loco, miserunt legatos, vt quid de ieiunio quinti, & septimi mensis fieri oporteret, à Sacerdotibus intelligeretur. Huic sententiæ fauet Theodoretus, licèt nihil asserat certum. Sed fauet valdè editio Septuaginta; qui apertè vbi noster *Melech*, ipsi vertunt *βασιλεῖς*. At qui Reges esse poterant, qui neque liberi, ac sui iuris erant in Babylone? Et textus ipse vulgati, dum dicit *Regem Melech, & viri qui erant cum eo*; & clariùs textus Hebræus, *& viri eius*, quæ verba potestatem in alios significant. Nunc accedo ad horum Principum explicanda nomina.

9. *Sarasar.*] Est Princeps Assar: nam שר, id est, *Sar, Princeps* est. Si cum L X X. legas *Arbath Sagar Rex*, nomen proprium viri videtur Arbath; nomen proprium ciuitatis Sagar, cuius erat Rex Arbath. Si verò cum vulgato legas *Regem Melech*, seu *Regem Melech*, siue vt habet editio Complutensis *ῥυζὼρ ὁ βασιλεὺς*, *Regem* nomen proprium esse crediderim, *Melech* commune, quod Regem sonat.

10. Regvla. *LXX. differre solent à vulgato, nō tamen sine causa.* Sed rogabis hîc quomodò L X X. nomen addiderunt, quod in Hebraico textu non inuenitur? Respondeo id in L X X. non esse nouum. Nam Gen. 46. vbi in vulgato, atque Hebraico textu septuaginta animæ dicuntur egressæ de femore Iacob, apud L X X. egressæ traduntur septuaginta quinque: & *Exod. cap.1.* duabus ciuitatibus quas in Ægypto condiderunt Israëlitæ, nēpe Pithon, & Ramesses, LXX. tertiam addiderūt Heliopolim; & eius generis sunt alia plurima. Hac de re egimus pluribus in illud Act. 7. *in animabus septuaginta quinque.* Nunc ad hæc breuiter

A respondendum cum Augustino *lib.15. de Ciuit. Dei cap.14. & lib.18. c.42. & 43.* Irenæo *lib.3. cap.25.* & aliis pluribus, in quibus etiam est Hieronymus, qui minùs fauet L X X. viris in epistola ad Domnionem. L X X. Interpretes diuino Spiritu afflatos in Græcum sermonem Scripturam cōuertisse, & vt idē Augustinus docet lib.2. de doctrina Christiana, cap.14. *Quando aliter in Græcis exemplaribus inuenitur, quàm isti posuerint, cedendum esse arbitror diuinæ dispensationi, quæ per eos facta est: vt libri, quos gens Iudæa cæteris populis vel Religione, vel inuidia prodere nolebat, credituris per Dominum gentibus ministra regis Ptolomæi potestate, tanto antè proderentur. Itaque fieri potest, vt sic illi interpretati sint, quemadmodum congruere Gentibus ille, qui eos regebat, & qui os B vnum omnibus fecerat, Spiritus sanctus iudicauit.*

Iuxta hæc dicendum est quàm verissima esse, quæ LXX. conuerterunt, etiamsi non inueniātur in textu Hebraico: quia alia etiam præterea docere voluit diuinus Spiritus. Quemadmodum ex Scriptura viri sancti citant, quæ in Scriptura nō sunt, vt Paulus, Iudas, Stephanus; quæ tamē sunt verissima. Quare verum est præter Ramessen, & Pithon à filiis Israel ædificatam esse Heliopolim; verum, Principem vnū ex his, à quibus missi sunt legati, esse Arbath, & alia, quæ ad textum Hebraicum addiderunt: verum, ingressas esse cū Iacob animas septuaginta quinque, de quo nemo plus dubitare potest, cùm id quoque dixerit Stepha- C nus *Act.7.* Neque ratio deest optima, quæ LXX. cum vulgato conciliet. Vide quæ diximus ad illum locum *Act.7.* 11. Regvla. *Vera sunt quæ à LXX. transferuntur, etiamsi non sint in textu Hebraico.*

De Heliopoli, quàm extra textum posuerunt, malè accipit Hieronymus L X X. quam putat ab Israëlitis condi non potuisse, cùm ante aduētum Iacob nomen ipsius audiatur *Gen. 41.* vbi Ioseph duxisse traditur filiam Putipharis Sacerdotis Heliopoleos. Sed sanè ratio hæc non admodum granis, quia fieri potuit, vt eo tempore exiguum oppidulū esset Heliopolis, quod postea ab Hebræis amplificatum est, & ad ciuitatis amplitudinem promotum. Quæ ratio satis esse potuit, vt ædificata dicatur ab Hebræis: sicut Romana ciuitas D condita fuisse dicitur à Romulo, quia ab illo amplificata fuit, cùm priùs exigua mole esset ab Euandro constructa. De quo Virgil. lib.8. Æneid. 12. Regvla. *Aliquid factum dicitur ab eo, qui rem antea factam amplificauit, aut ornauit.*

Tunc rex Euandrus Romanæ conditor arcis.

Et eius rei exempla sunt obuia. De Babylonia exemplum graue, quæ proculdubio ædificata fuit multo ante ætatem Nabuchodonosor, siue Nembrot, vt videtur docere Moyses Genesis 10. vbi ita de illo: *Fuit autem principium regni eius Babylon*: & tradit Orosius *lib.2. cap.6.* ita multos sensisse; seu certè à Semiramide, vt est communis Græcorum, Latinorúmque sententia. Tamen Nabuchodonosor *Dan.4.* de seipso prædicat: *Nonne hæc est Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui?* Vide quæ diximus ad illud Isai. 47. *Filia Chaldæorum.* Vel certè E cùm esset priùs euersa Heliopolis, ex antiquis ruinis instaurari potuit ab Hebræis; vbi à vastitate reliquum esse potuit tēplum, aut sacrarium, cuius ante Hebræorum appulsum in Ægyptum, Sacerdos esse potuit Putiphar, sicut Hiel *3. Reg.16.* ædificasse dicitur Iericho, quia illam instaurauit, postquam excisa fuerat à Iosue *cap. 6.* Sed miror cur hîc hæserit Hieronymus, cùm idem dicere potuerit de Ramesse, quæ ædificata dicitur ab iisdem; tamen *Gen. 47.* eius mentio fit. Huc facit quod diximus *c. 1. n. 32.* aliquid fieri dici cùm continuatur actio, aut augetur opus.

Ad deprecandam faciem Domini.] Deprecari faciē 13. alicuius,

Deprecari faciẽ quid.

alicuius, eſt idem quod orare coram, vel ante aliquem, vel ad aliquem: quia facies *coram* ſignificat. Exempla ſunt obuia. Eſt autem mihi valdè veriſimile, per faciem hominem circumſcribi, ita vt facies hominis, idem ſit quod homo: imò id etiam commune eſſe rebus inanimatis, vt *facies gladij, venti, vlceris, aquarum*, pro gladio, vento, vlcere, aquis. Certè in hoc loco, & ſimilibus *facies Domini* pro Domino ſumitur, maxime in orationibus, & ſacrificiis. 1. Reg. 13. *Faciem Domini non placaui*, id eſt, Deum: & 3. Reg. 13. *Et ait Rex ad virum Dei: deprecare faciem Domini Dei tui, & ora pro me, vt reſtituatur manus mea mihi; orauitque vir Dei faciem Domini.* Iob 11. *Deprecabuntur faciem tuam plurimi.* Pſal. 44. *Filij Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur.* Pſal. 118. *Deprecatus ſum faciem tuam in toto corde meo.* Vide quæ diximus ad illud cap. 25. Iſaiæ, *faciem vinculi.*

Fletus pro ieiunio.

14. Verſ. 3. *Nunquid flendum eſt mihi in quinto menſe; vel ſanctificare me debeo, ſicut iam feci multis annis?*] *Fletus* hoc loco pro ieiunio ſumitur, ſicut etiam ſæpe in Scriptura *afflictio animæ.* Quòd *fletus* pro ieiunio ſumatur, facilè ex reſponſione Domini colligitur, cùm enim legati de fletu quæſiiſſent, de ieiunio reſponſum accepere. Vtrumq; verò tã fletus, quàm ieiunium *ſanctificationis* nomine ſignificatur, vt obſeruat hìc Hieronymus. *Fletus*, inquit, *atque ieiunium ſanctificatio dicitur. Vnde in Ioel preceptum eſt Sacerdotibus, vt ſanctificent ieiunium, & prædicent curationem; curat enim vulnera delinquentis abſtinentia, & ieiunium, & curatos, quoſque ſanctificat.* Pro, *ſanctificare*, Hebr. eſt נזר *hinazer*, quod *ſeparare* ſignificat, & *more viuere Nazaræi, ſeparando ſe à turba, & abſtinendo à vino.* Hoc ſenſu: Debeo Nazaræando, aut ſanctificando me, flere, &c. Quomodo votum Nazaræi ad tempus concipi ſoleat, diximus pluribus in Actis Apoſtolorum.

Populus terræ pro multitudine.

15. Verſ. 5. *Loquere ad omnem populũ terræ, & ad Sacerdotes dicens.*] *Populus terræ* pro multitudine ſumitur, quæ à viris in quibus aliquid eſt præcipuum, ac ſingulare ſecernitur. Ierem. 44. *Reges veſtri, & Principes veſtri, & populus terræ*; & cap. 52. *Septem viri de his qui videbant faciem Regis*, &c. *& ſexaginta viros de populo terræ.* Hinc accedit aliquid momenti ad noſtrã ſententiam, quòd ſcilicet non è Babylone miſſi legati, ſed ex aliis regionibus magis finitimis: nam hoc reſponſum redditum videtur his, qui legatos miſerunt; redditum autẽ eſt Sacerdotibus, & populo terræ, vtique Palæſtinæ, nõ Babyloniæ. Arias Montanus putat nihil eſſe dictũ ad legatos, quia indigni videbantur reſponſo; ſed non puto illos ab hoc oraculo fuiſſe præteritos; quia nihil continet ſuaue, nihil quod non ſit plenum acerbitatis. Quare ſi in legatis aliquid peccatum eſt, non alio aut vultu, aut oratione excipi debuerant.

Quod ieiunium gratũ Deo.

16. *Nunquid ieiuniũ ieiunaſtis mihi?*] Meminiſſe oportet eius verbi, quod in ſuis mandatis proponendis adhibuerunt legati; *aut ſanctificare me debeo, ſicut iam feci multis annis?* Succenſet enim grauiter Deus, & quaſi nauſeat ad nomen *ſanctificationis*, quod ſibi arrogat populus ille à ieiunio non tam vero, quòd animum mundat, quàm fucato, ac mendaci, quod inanem obiicit ſpeciem ſanctitatis. Quare reſpondit Dominus ſibi non placere ieiunium illud, quod 70. annis captiuitatis obierunt Iudæi, in quo non tam diuinæ voluntati, quàm ſibi ipſis obſequebantur. Si enim ieiunarent, ac flerent, vt offenſum Deum ſibi placarẽt; aut ſtuderent ex animo placere Deo, id omnino ſubmouerent, quod faſtidit maximè, atque execratur Deus, nempe peccata: ſed iis indulgent intemperantius; cùm ſibi videntur à cibis, & poculis temperare. Quòd autem Deo non ieiunauerint iſti Iudæi, hinc fit omnino planũ: quia poſtquam ſoluta eſt captiuitas, & templum excitatũ, id agunt vt liberi ſint à ieiunij voto. Non tam ergo votum illud concepiſſe videbantur, vt placerent Deo, quàm vt liberarentur ab exilio. Ex quo patet quàm parũ Deo grata ſint illa vota, ac pœnæ ideo obitæ, vt quis effugiat, quæ timet incõmoda; nõ vt Deo, aut pro peccatis pœnas exoluat, aut ipſi placeat: quia eiuſmodi vota nihil ſibi cæleſte, atque æternũ proponunt. Vide eandẽ omnino ſententiã apud Iſaiã *cap. 58.* quã optimè expoſuit Greg. 3. *p. Paſt. admon. 20. & hom. 16 in Euang.* Bernard. *ſermone 38.* Leo PP. *ſermone de ieiunio.*

Vota, quæ Deo grata.

Regvla. Aliquando nominatiuus abſolutè ponitur, maximè in pronominibus.

17. Pro eo, quod vulgatus habet; *Nunquid ieiunium ieiunaſtis mihi?* Hebr. eſt; *Nunquid ieiunium ieiunaſtis mihi ego?* Qui loquendi modus vſitatus eſt apud Hebræos, neque credo ſine epitaſi. Adhibent enim ſæpe abſolutè nominatiuum pronominis, quod deinde in alio caſu poſitum eſt, & quod ſi epitaſim non haberet, videri poſſet otioſũ. Gen. 24. vbi vulgatus; *Recto itinere me perduxit in domum fratris domini mei.* Heb. *Ego in via deduxit me*: & Pſal. 41. vbi vulgatus. *Me autem propter innocentiam ſuſcepiſti.* Heb. *Et ego propter innocentiam ſuſcepiſti me.* Et Eccleſiaſt. 2. vbi noſter; *Si vnus & ſtulti, & meus occaſus erit.* Heb. *Qualis eſt euentus ſtulti, etiam ego eueniet mihi.* & 1. Reg. cap. 25. vbi vulgatus. *In me ſit, Domine mi, hæc iniquitas.* Hebr. *In me ego, Domine mi iniquitas.* & Gen. 27. vbi vulgatus: *benedic etiam, & mihi pater mi.* Hebr. *benedic mihi, & ego pater mi.* Sic hoc loco illud *ego* abſolutè poſitũ, magnam, meo iudicio, epitaſim habet. Videtur autẽ per apoſiopeſim intelligendum. *Egóne admitterem*, ſeu, *Egóne præcepi vobis iſtud ieiunium?* Porrò hanc Hebræorũ phraſim valdè cognitam eſſe oportet, quia illam in aliena etiam lingua ſeruant ſacri, & canonici ſcriptores. Et, vt omittã alia, ſufficiant nobis modò duo exempla, vbi Hebræorum more pronomẽ abſolutè ponitur. Ad Epheſ. 3. *Ego Paulus vinctus Chriſti Ieſu pro vobis Gentibus; ſi tamen audiſtis diſpenſationem gratiæ Dei, quæ data eſt mihi in vobis, quoniam ſecundum reuelationem notum mihi factum eſt ſacramentũ.* vbi priora ſine dubio abſolutè ponuntur. Similiter 1. Theſſal. 3. in principio, & 1. Ioan. c. 2. *& vos vnctionem, quam accepiſtis, maneat in vobis*; illud *vos* abſolutè videtur eſſe poſitum, & Pſal. 68. *Ego verò orationem meam ad tè Domine*, in Hebr. illud *ego* redundat. Quare illud in ſua trãſlatione omiſit Hieronymus, qui ita reddidit; *mea autem oratio ad te Domine.* Vide, quæ diximus ad illud Iſaiæ cap. 11. *in die illa radix Ieſſe.*

Cibus quando gratus Deo.

18. Verſ. 6. *Nunquid non vobis comediſtis.*] Cùm expleto ieiunij tempore comedebat ille populus, non id faciebat, vt aliquid aſſumeret virium, quò Deo conſtantiùs ſeruiret, & diutiùs; ſed vt genio indulgeret ſuo; atq; adeò immodicè ſe in cibum effundebat. Ex quo colligunt viri ſpirituales, non ſolùm placere Deo abſtinentiam à cibis, ſed etiam ciborum vſum; illam, dum carni detrahit, quod addat ſpiritui, hunc dum corporis confirmat vires, vt ſpiritus habeat, quod impendat Deo. Quare Paulus 1. Cor. 10. *Siue ergo manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* At longè aliter hi, quos Deus reprehendit, ſi quid ventri detrahunt, id aut auaritiæ impendunt, aut ambitioni: ſiue comedunt voluptati, & luxui. Ita Theodoretus.

Verſ. 7. *Nunquid non hæc ſunt verba mea.*] *Verbum* 19.

hoc

Verbum pro Prouerbio, aut id, quod vulgò dicitur.

hoc loco idem esse puto, quod Prouerbium; aut id, quod in multorum ore frequens est. Qua ratione 1. *Reg.* 17. dixit Dauid à fratre reprehensus. *Nunquid non verbum est?* id est, quid ego dico, aut rogo, nisi quod omnibus pene in ore est? Et reuera ita paulo ante audierat à multis. Ostendit itaque Deus hæc, quæ modò denunciat Iudæorum populo fuisse priùs, integra adhuc Republica, eorum parentibus prædicta, vt cõstat Isai. 58. quibus denunciata est clades, & exilium, quia dum ieiunarent, rapinis vacabãt, calumniis, atque periuriis. Significarat autem Deus per Prophetas sæpe id, quod per Zachariam modò denunciat; *Iudicium verum iudicate*, &c.

20.

REGVLA. *Transitus à prima persona ad tertiam vsitatus.*

Qui locutus est Dominus.] Hic à prima persona transit ad tertiam, quod est in Scriptura frequens. Gen. 19. *Dixitque Dominus; num celare potero Abraham, quæ gesturus sum*, &c. *scio enim quòd præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini*, i. meam, & Num. 12. *Locutus est Deus ad Aaron*, &c. *Si quis fuerit inter vos. Propheta Domini.* i. meus, & infrà: *ore ad os loquor ei palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt*, i. me. Huiusmodi phrasim olet illud Gen. 19. *Igitur Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem à Domino de cælo*, id est, à se, quasi dicat: non pluit Dominus vt communiter antea è nubibus imbrem, aut grãdinem, aut fulmina, sed à seipso, id est, sua manu vibrauit fulmina, & iniecit sulphureum ignem in illas ciuitates. Est autem vulgare apud Hebræos, vt aliquis de seipso, tanquam de tertia persona loquatur, vt *Gen. c.* 4. sic Lamec dixit ad vxores. *Audite vocem meam vxores Lamec*: & Dauid de se, Ps. 131. *Memento Domine Dauid.* Neque apud profanos infrequens.

In manu Prophetarum priorum.] Heb. ביד *bijad.* Quæ vox transfertur, infrà *per manum.* Formula vsitata Hebræorum, qua ministerium seu instrumentum significatur. Est autem idem, ac si diceret, *per Prophetas.*

21.

Auertere scapulam, *Prouerbialis figura.*

Vers. 11. *Et auerterunt scapulam recedentem.*] In aliquibus codicibus Latinis est *recedentes.* Sed Hieronymus sine dubio *recedentẽ* conuertit, vt ex eius Commentariis constat, consentaneè ad textum Hebraicum, & ita legunt in singulari LXX. quod secuti sunt codices à Sixto correcti. Auertere autẽ scapulam, signum est eius, qui alterius mandata, ac monita contemnit: & est vsitata, ac pene Prouerbialis Hebræorum forma, quæ sumpta est ex habitu illorum, qui dum alios, aut non curãt, aut parui faciunt, faciem auertunt, & conuertunt terga. Ierem. cap. 2. *Verterunt ad me tergum, & non faciem*: super quem locum sic Hieronymus. *Quando magister præcipit, obedientis indicium est, si demisso contrà audiat capite; si autem vertat tergum, contemnentis.* Et in hunc sensum apertè acceperunt hunc locum LXX. dum vertunt νῶτον παραφρονοῦντα, id est, *scapulam contemnentem.*

22. *Et aures suas aggrauauerunt.*] Conatum indicat hæc forma verborum, quo aliquis sibi ipsi eripit audiendi facultatem; & ignorantiam, vt dicunt Theologi, affectat; vt de aspide dicitur Ps. 57. *Sicut aspidis surdæ, & obdurantis aures suas*; & Act. 7. Iudæi contra Stephani verba *continuerunt aures suas, & impetum fecerunt.* Sic, puto, isti de quibus modò Zacharias. Potest fortasse alius esse sensus sumptus ex proprietate vocabuli. *Aggrauari* enim est impediri aliquo graui opere; quominus aliquod membrum suum sibi munus obire possit; vnde pedes aggrauati dicuntur. 2. Reg. 3. *& pedes tui non sunt compedibus aggrauati*; & cor, si occupatum fuerit variis studiis, ac desideriis; & aures si captæ sunt inanibus promissis, & blãdis adulationibus. Et hi dicuntur à Stephano *Act.* 7. habere cor, & aures incircuncisas; quia non remouerunt illa, quæ cordi, & auribus adhæserũt ab ambitione, & auaritia, & ab aliis noxiis animi pestibus. Hi ergo, qui modò à Zacharia reprehenduntur, iam aliis studiis, seu vocibus aures occuparant, quominus illas peruias haberent diuinis admonitionibus.

Aggrauari quid.

Vers. 12. *Et cor suum posuerunt vt adamantem.*] 23.

Obstinatio, & quæ ad illam via.

Ostendit Iudæos sic obduruisse contra diuinas voces, & cælestes impulsus, vt omnino statuerint illis non esse cedendum, neque relinquendum id quod iam animo comprehendissent; sicut adamas naturali sua duritie, ac firmitate, neque frangitur, neque cedit ictibus: sic mentem assuetam malis, eorúmque non solùm desiderio, sed etiam tyrannico dominatu occupatam contra cælestem vim, ac diuinæ bonitatis impulsum obfirmat obstinatio. Hîc obserua, quibus gradibus ad tantum malum, id est, adamantinam obstinationẽ peruẽtum sit. Primùm non audiuntur diuina verba, deinde recedit scapula, id est, diuina contẽnitur admonitio: ad extremum cor instar adamãtis obdurescit.

Vers. 13. *Et non audierunt.*] Hîc (*&*) causalem esse puto, sicut alibi in Scriptura sæpe. Isai. 64. *Iratus es, & peccauimus*, id est, quia peccauimus. Quare ratio hîc redditur, cur populus dispersus, & durè mulctatus sit, quia Deo per Prophetas admonenti audiens non fuit. 24.

Et causalis.

Vers. 14. *Sic clamabunt, & non exaudiã.*] Incertum 25.
est an hæc ad eos pertineant, ad quos olim facta Prophetarũ verba, & qui obdurati animi pœnas, aut iam dederunt, aut modò pendunt in alieno solo: aut certe ad eos tantùm, qui tunc aderant, aut qui sciscitatum, quid factu fas esset, legatos miserunt. Quidam ad antiquos referunt, & in his est Theodoretus, & Cyrillus: & ex his nonnulli tempus futurum pro præterito adhibitũ esse censent. Alij illud, *clamabunt, & non exaudiam*, per mimesim dictũ putant: ita vt repetantur verba, non quæ nunc primùm dicit Deus; sed quæ ad antiquos olim per Prophetas dixerat; in hanc sententiam: Sicut ipsi non audierunt; sic nec in tribulatione clamantes auditi sunt. Quod Deus illis antè minatus fuerat cùm dixit, *clamabunt, & non exaudiam.* Cui expositioni fauet, quòd vbi vulgatus habet, *dicit Dominus exercituum.* Hebr. est אמר *amar*, id est, *dixit*, aut *dicebat.* Et hoc placet Riberæ, & est satis verisimile.

Mihi verisimilius est, ad præsentes has minas 26.
pertinere, id est, ad Sacerdotes, & populum terræ, qui nuper congregari iussi sunt. Adducuntur autem in exemplum antiquorum supplicia, vt ex parentum calamitate discant posteri, quid ipsi passuri quoque sint, si illorum mores, & cõsilia secuti, aures, & corda aggrauent contra Prophetarum voces. Et reuera ita accidit: neque minùs variè, ac duriter dispersi sunt, quàm eorum maiores: neque minùs hostiliter à Vespasiano, quàm parentes olim à Nabuchodonosore vexati sunt. Ab eodem propè argumento, neque oratione admodùm dissimili cap. 1. exorsus est Zacharias suã Prophetiã.

Porrò quia impleta sunt hæc, & interrupta hy- 27.
perbatis, sic videntur aptè posse contexi. Primùm Deus dicit non placere sibi præsentium ieiunia, sicut neque priùs parentũ ieiunia placuere. Quibus hoc ipsum antè significarat integra adhuc, & florente Republica. Deinde præcepit Dominus Zachariæ, vt illa repetat verba, quibus parentes olim allocutus est, nẽpe, *Iudiciũ verum iudicate*, &c.

A Deinde oftendit quomodo illi non paruerunt, fed auerterunt fcapulam recedentem, &c. & aggrauerunt aures, & ideo difperfi, iactatique funt: fic iftos, qui modò in fuis fibi ieiunijs placent, non minoribus afficiendos incommodis, fi iudicium verum non iudicauerint, &c. Et hùc fpectat illud, *clamabunt, & non exaudiam*, nempe qui modò, vt parentes olim, fcapulam recedentem auertunt. Vbi fubaudienda eft fimilitudinis nota, quæ apud Hebræos omitti folet. *Sic clamabunt*, &c. Deinde poftquam interpofitum eft de pofterorum fupplicio vaticinium; videtur redire ad parentum incommoda, quæ interrupiffe videbatur hyperbato. Sed credo potiùs, quæ reliqua funt ad finem vfque capitis, ad pofteros quoque pertinere, quia in Græco textu non eft, *difperfi eos*, fed, *difpergam*, non, *defolata eft*, fed, *defolabitur*. Neque
B Hebraicus textus huic fignificationi repugnat; nam licèt tempori futuro fit præpofitum *Vau*, illud tamen neque femper futurum in præteritum conuertit; neque hîc illo notatur puncto, quod *Vau* habere debet, cùm illud obit munus. Habet enim Sebàh; non Pathach: cum altero puncto copulat, cum altero conuertit. Quod optimè vidit Vatablus, qui per futurum reddidit. *Sic iam clamēt, nec eos exaudiam, dicit Dominus exercituum: quin eos proturbem in omnes gentes.* Neque, fi omnino per præteritum effet conuertendum, vt fecit Vulgatus, quicquam crederem incommodare pofteriori fententiæ: fatis enim notum eft in Scriptura, maximè apud Prophetas, præteritum tempus vfurpari pro futuro, propter rerum certitudinem. Exemplis fuperfedeo commemorandis, quia paffim occurrunt.

Verf. 14. *Et pofuerunt terram defiderabilem in defertum.*] Sæpe terra promiffionis defiderabilis dici- 28.
tur propter pulchritudinem, & abundantiam. Pf. 105. *Pro nihilo habuerunt terram defiderabilem*; de qua multiplex eft commendatio, & frequens in Scriptura. Thren. 2. de Ierufalem: *Haccine eft vrbs perfecti decoris, gaudium vniuerfæ terræ?* Cant. 6. *Pulchra es amica mea, fuauis, & decora, ficut Ierufalem*; & fæpe dicitur manare lacte, & melle. Quàm verò fit vaftata hoftiliter, explicuit Ierem. Thren. 1. Ifai. cap. 1. & maximè intelligitur ex eo, quòd pofita dicitur in defertum, vbi pro hominibus antè Religiofis, & fapientiæ deditis, feræ habitant, ficut in faltu, vt lamentabatur Ierem. Thren. 5. Pofita verò dicitur nobilis, & fpeciofa ciuitas in defertum, non tam priùs à Nabuchodonofor, & poftea à Romanis, quàm à Iudæorū peccatis, quibus prouocatus Dominus hoftiles manus in Ifraëliticæ fortis vaftitatem armauit. Cui accedit quod de eiufdem terræ antiquis habitatoribus multo antè cecinit Dauid Pf. 106. *Pofuit flumina in defertum, & exitus aquarum in fitim; terram frugiferam in falfuginem à malitia inhabitantium in ea.*

Eo quòd non effet tranfiens, nec reuertens.] Hebraica phrafis, qua fignificamus aliquid effe omnino derelictum. Quid enim magis, aut defertū, aut contemptum, quàm illud ad quod nemo reuertitur confultò, aut cafu faltem in tranfcurfu videt?

IN CAPVT OCTAVVM

ARGVMENTVM.

AGIT de fingulari liberalitate, ac indulgentia, qua fuū populū amplexabitur Deus, quem priùs tam diu, ac tam feuerè mulctarat. Quare ait vndecumque terrarū Iudæos ab exilio euocandos in Ierufalem, atque ibi ita pacatè, ac commodè victuros, vt plurimi vtriufque fexus membra iam extremo confecti fenio baculo fuftentent, plateáfque compleant, in quibus frequentes futuri fint infantiū, puellarúmque feftiui chori. Deinde agris, qui priùs exercuerant potiùs agricolarum patientiam, quàm annuo prouentu compenfarant operam, omnem abundantiam, & fertilitatē promittit. Quæ tamen omnia ea lege fperari iubet, fi modò iuftitiam, pacem, ac pietatem colāt. Deinde omnium populorum, atque linguarum futuros effe dicit concurfus magnos in Ierufalem admiratione earum rerum, ex quibus non dubia coniectura cognofcent, cum Iudæis iterū habitare Deum. Quæ omnia cùm hiftoricè in Iudæorū Rempublicā conueniāt, multo tamē cumulatiùs, atque illuftriùs in Ecclefia cōpleta funt.

CAPVT VIII.

C 1. *ET factum eft verbum Domini exercituum, dicens.*

2. *Hæc dicit Dominus exercituum; Zelatus fum Sion zelo magno, & indignatione magna zelatus fum eam.*

3. *Hæc dicit Dominus exercituum: Reuerfus fum ad Sion, & habitabo in medio Ierufalem: & vocabitur Ierufalem ciuitas veritatis, & mons Domini exercituum, mons fanctificatus.*

4. *Hæc*

PARAPHRASIS.

1. HÆc ad me Dominus exercituum.

2. Affecit me grauis zelotypiæ dolor, cùm viderem Sion, quam velut fponfam mihi delegeram, coniugalem fidem prodidiffe; & ideo indignatione graui in illam animaduerti.

3. Hæc iterum ad me Dominus. Vt ante captiuitatem habitabam in Ierufalem in templo ad fpecialem mihi cultū electo: fic modò erecto rurfus domicilio, quod diffipatum fuerat, in eundem locum reuertor: & Ierufalem quondam adultera, fi-
D dem iam colet coniugalem, & erit ciuitas, quæ verè me, & ex animo obferuet:

& mons

4. Hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc habitabunt senes, & anus in plateis Ierusalem: & viri baculus in manu eius præ multitudine dierum.

5. Et plateæ ciuitatis complebuntur infantibus, & puellis ludentibus in plateis eius.

6. Hæc dicit Dominus exercituum: Si videbitur difficile in oculis reliquiarum populi huius in diebus illis, nunquid in oculis meis difficile erit, dicit Dominus exercituum?

7. Hæc dicit Dominus exercituum: Ecce ego saluabo populum meum de terra Orientis, & de terra Occasus Solis.

8. Et adducam eos, & habitabunt in medio Ierusalem: & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum in veritate, & in iustitia.

9. Hæc dicit Dominus exercituum: Confortentur manus vestræ, qui auditis in his diebus sermones istos per os Prophetarum in die, qua fundata est domus Domini exercituum, vt templum ædificaretur.

10. Siquidem ante dies illos merces hominum non erat, nec merces iumentorum erat; neque introeunti, neque exeunti erat pax præ tribulatione: & dimisi omnes homines vnumquemque contra proximum suum.

11. Nũc autẽ non iuxta dies priores ego faciã reliquiis populi huius, dicit Dominus exercituũ.

12. Sed semen pacis erit: vinea dabit fructum suum, & terra dabit germen suum, & cæli dabunt rorem suum: & possidere faciam reliquias populi huius vniuersa hæc.

13. Et erit: sicut eratis maledictio in Gentibus, domus Iuda, & domus Israël; sic saluabo vos, & eritis benedictio: nolite timere, confortentur manus vestræ.

A & mons huc vsque derelictus, ac violatus, sanctitate redidiui templi, & restituta Religione sanctificabitur.

4. Rursus ad me Dominus: Complebunt plateas Ierusalem vtriusque sexus plurimi natu vsque adeò grandes, vt decrepita senectute membra baculo sustentent.

5. Neque deerunt quoque inter senes infantium quoque ac puellarum festiui chori.

6. Hæc iterum Dominus ad me. Quòd si, qui reliqui sunt à cæde, & exilio, id difficile putant: id tamen longè erit apud me
B facile, dicit Dominus.

7. Iterum ad me Dominus: Ecce ego reducam populum meum ab Occasu, & Ortu, id est, ab omnibus locis, in quæ dispersus est.

8. Et faciam vt rursus habitet in Ierusalem. Quem ego, vt populum meum amplexabor iterum: & ipse me verè, iustè, ac seriò obseruabit, & colet.

9. Sic iterum Dominus ad me. O vos, qui auditis his diebus sermones hos per ora Prophetarum, qui fuerunt in die, quo fundata est domus Domini (id est, quo
C soluta captiuitate iacta sunt fundamenta rediuiui templi) confortate manus vestras spe commoditatis, & vbertatis maioris.

10. Nam ante hos dies nõ erat fructus, quem hominum, ac iumentorum operæ sterilis, atque infelix ager rependeret. Neque ex vllo labore, atque studio, quod homo in excolendo agro suscepisset, quicquam percipiebat pacatum, aut prosperum. Idque ideo maximè, quia soluta societate, & animis non bene consentienti-
D bus omnia turbatè, ac trepidè fiebant, neque quicquam erat à metu ac periculo vacuum.

11. Nunc verò longè aliter me geram cum populi reliquiis dicit Dominus.

12. Nam terræ commissum semen cumulatè referet agricolæ fœnus: vinea vindemia, ager germine cultoris operam abundè compensabit, neque enim me iam placato, atque propitio terræ deerit cælestis imber. Hæc omnia affatim à me recipient populi reliquiæ.

13. Et sicut antea omnia vobis infe-
E liciter, sic contrà nunc omnia felicissimè euenient, vt quemadmodum vestra priùs infortunia, in grauis alicuius ærumnæ prouerbiali figura comparationem adhibebantur; sic deinceps vestra felicitas in magnæ alicuius felicitatis amplificationem assumatur. Quare deposito metu meliorem iam animum accipite.

14. Quia hæc dicit Dominus exercituum: Sicut cogitaui, vt affligerem vos, cùm ad iracundiam prouocassent patres vestri me, dicit Dominus.

15. Et non sum misertus: sic conuersus cogitaui in diebus istis, vt benefaciam domui Iuda, & Ierusalem: nolite timere.

16. Hæc sunt ergo verba, quæ facietis. Loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo: veritatem, & iudicium pacis iudicate in portis vestris.

17. Et vnusquisque malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris, & iuramentum mendax ne diligatis: omnia enim hæc sunt quæ odi, dicit Dominus.

18. 19. Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium septimi, & ieiunium decimi erit domui Iuda in gaudium, & lætitiam, & in solennitates præclaras: veritatem tantùm, & pacem diligite.

20. Hæc dicit Dominus exercituum: Vsquequò veniant populi, & habitent in ciuitatibus multis;

21. Et vadant habitatores vnus ad alterum, dicentes: Eamus & deprecemur faciem Domini, & quæramus Dominum exercituum, vadam etiam ego.

22. Et venient populi multi, & Gentes robustæ ad quærendum Dominum exercituum in Ierusalem, & deprecandam faciem Domini.

23. Hæc dicit Dominus exercituum: In diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis Gentium, & apprehendent fimbriam viri Iudæi, dicentes: Ibimus vobiscum, audiuimus enim quoniam Deus vobiscum est.

A 14. Quia hæc dicit Dominus: Sicut parentum vestrorum peccatis ad iracundiam prouocatus de vestra afflictione cogitationem suscepi.

15. Neque diu misertus sum; sic iam ad misericordiam inflexus, beneficus, ac liberalis esse volui in vos, ô Iuda, & Ierusalem. Quare metum deponite.

16. Hæc ergo facietis, si vultis eorum bonorum cõmoditate frui, quæ vobis modò largè polliceor. Non simulatè, ac fraudulenter cum proximis, sed verè agite, atque simpliciter: in iudiciis vestris pacem, ac
B iustitiam seruate.

17. Neque quisquam in fratrem suum aliquid deinceps meditetur mali; neque vobis placeant vltrà iuramenta delibuta mendaciis; hæc enim sunt dicit Dominus, quæ odi, atque detestor.

18. 19. Nunc iam, dicit Dominus, ad legatorum interrogata respondeo; non solùm ieiunium quinti, sed etiam ieiunium quarti, & ieiunium septimi, & ieiunium decimi, de quibus nihil rogatum fuerat, omitti posse; modò, vt antea dixeram, veritas colatur, & pax. Nam ieiunia illa dein-
C ceps populo Iudæo in gaudium, & lætitiam, & solennitates præclaras conuertentur.

20. Et addidit Dominus: Venient vsque adeò alacres populi, vt ciuitates multas Iudæorum inhabitent.

21. Vt se mutuò, auidè, & studiosè cohortentur, dicántque vicissim inter se; Eamus, vt adoremus Dominum: agite, eamus, & quæramus Dominum exercituũ. Cúmque aliqui apud se statuerint, eò omnino esse proficiscendum, alij rursus, atque alij se socios adiungent, dicentes eodem stu-
D dio, atque alacritate; Ibimus & nos vobiscum.

22. Accedent tandem populi multi neque ignobiles, neque infirmi; sed splendidi, atque robusti, vt Dominum exercituum quærant, illúmque venerentur in Ierusalem.

23. Hæc insuper Dominus: Eo tempore ex omnium Gentium linguis decem, (id est, plurimi homines) adhærebunt Iudæis; & apprehensa eorum lacinia dicent: In eandem nos ciuitatem, & religionem socios assumite. Exploratum est enim nobis
E id, quod iam multo populorum accepimus rumore, Deum esse vobiscum.

Verſ.3. *Et factum eſt verbum Domini exercituum ad me, dicens.*]

1. QVæ hoc octauo capite dicuntur, videntur ad ſuperiorem Prophetiam pertinere, in qua peccata populo ſuo exprobrarat Dominus, propter quæ vaſtata fuit ciuitas pulcerrima, & filij quondam chariſſimi in ſeruitutem dati. Nunc Deus vbi homines in ſuorum ſcelerum cognitionem adduxit, & ſi quid erat in eorum animis arrogantiæ, depreſſit, in ſpem excitat, promittitque ea, quæ à placato numine ſperari ſolent. Quo genere ſermonis ſæpiſſime Deus vſus eſt in Prophetis, ne ſuis meritis homines aliquid redditum eſſe ſibi perſuadeat: ſed à diuina liberalitate profectum. Porrò, vt Hieronymus eleganter tradit, probátque exemplis in cap. 5. Amos, mos eſt Scripturæ ſemper aduerſis læta ſubiungere, & poſtquam triſtia Deus fuerit comminatus, ad pœnitentiam eos, quos terruit, prouocat. Idem docet Origenes homil. 1. in Ieremiam.

Deus ſolet aduerſis læta ſubiungere.

2. Verſ.2. *Zelatus ſum Sion Zelo magno, & indignatione magna zelatus ſum eam.*] Idem eſt ſenſus dupliciter explicatus Scripturæ more, quæ ſententiã grauiorem cum epitaſi aliter, atque aliter iterare ſolet. Videtur autem Deus agere cum ſuo populo, quaſi cum ſponſa, quæ fidem prodidit & torum, quam actus zelotypia, quæ dura ſicut infernus eſſe dicitur Cant.8. repulit à ſe, & inueteraſcere fecit captiuam, & ſeruam in aliena domo. Iam verò quaſi furor ille ex amore, zelóque conceptus deferueſceret, redire ſe velle ait in ſponſæ domum, aut potiùs in domum ſuam reuocare fugitiuam ſponſam: & ideo ſubdit. *Reuerſus ſum ad Sion, & habitabo in medio Ieruſalem.* De zelotypia in ſponſam accipiunt Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, Haimo, Hugo, & alij.

Zelus Dei in ſponſam.

3. Pro *zelo*, Heb. eſt קנא *kana*, quod dubiæ ſignificationis eſt, ſicut Latinum verbum *vlciſcor*, quod fauorem ſignificat, & odium. Qua ratione dicimus; *vlciſcor inimicos*, id eſt, pœnàs ſumo: &, *vlciſcor patriam, & parentem*, id eſt, pœnas ſumo ab iis, qui parenti, ac patriæ iniuriam intulerunt. Sic etiam *zelo* fauorem indicat. Quo ſenſu dicimus; *zelare gloriam Dei*. Neque alio ſenſu dicit Zacharias cap. 1. *Zelatus ſum Ieruſalem, & Sion Zelo magno:* & Ioël cap. 2. *zelatus eſt Dominus terrã ſuam*, id eſt, doluit quòd illa eſſet tam grauiter ab hoſtibus afflicta. Significat etiam odium, aut iram, aut ſtudiũ vindictæ. Ezech. 16. *Auferetur Zelus meus à te, & quieſcam, ne iraſcar amplius.* Et poſteriori modo puto ſumendum eſſe hoc loco: neque obſtat quòd verbum קנא *Kana*, quando ſtudium, & fauorem ſignificat, habet poſt ſe *Lamed*, id eſt, notam datiui caſus; quia id perpetuum non eſt, vt conſtat ex *Pſ.* 105. vbi etſi *Lamed* adiunctum habeat, indignationem, & furorem ſignificat; *& irritauerunt Moyſem.* Heb. *Zelati ſunt, affixerunt.*

Zelus odiũ & fauorem ſignificat.

4. Verſ.3. *Et vocabitur Ieruſalem ciuitas veritatis; & mons Domini exercituum, & mons ſanctificatus.*] Continuat, credo, eandem ſponſæ metaphoram: nam Ieruſalem futura dicitur fidelis, & Deo ſponſo ſuo ornatura thalamum, quod *in monte ſanctificato* videtur exprimi. Mons verò ideo videtur appellari ſanctificatus, quia in eo templum Dei inſtaurandum erat, in quo ſicut olim ante captiuitatem, ſtatis ſacrificiis, atque legitimis colebatur Deus. Porrò templum *thalamum* dici, veriſimile fit ex illo *Deut.* 33. vbi Moyſes ſic loquitur de Benjamin, ad cuius ſortem templum pertinebat. *Benjamin amantiſſimus Domino, habitabit confidenter in eo: quaſi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requieſcet.* Quæ ſanè verba thalamum ſonant, & nuptiarum delicias.

5. Cur verò Ieruſalem dicatur *ciuitas veritatis*, quærenda nobis ratio eſt. Heb. eſt אמת *emeth*, quæ vox *veritatem* ſignificat, & *fidelitatem*. Sponſa ergo veritatis, ſeu fidelitatis ea eſt, in qua ſimulatum nil eſt, aut fictum; quæ vt verbis amorem, ac vultu præ ſe fert, ita etiam habet in animo, quæ ita fidem colit coniugalem, vt præter ſponſum nullum non modò ad thalamum, ſed neque ad animum amatorem admittat. Quod ſatis explicuit Deus ipſe Iſai. cap. 1. dum fidelem opponit meretrici. *Quomodo*, inquit, *facta eſt meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij?* & paulo pòſt ordine mutato: ſicut hoc loco Zacharias ait. *Poſt hæc*, (id eſt, poſtquam te tribulatione purgauero & excoxero ad purum ſcoriam tuam) *vocaberis ciuitas iuſti, vrbs fidelis*, ſiue, *vrbs veritatis*.

6. Hîc nobis expendendum eſt, antequàm ad alia gradum faciamus; an hæc intelligenda ſint de Ieruſalem tantùm, an tantùm de Eccleſia, vel de vtraque ſimul, ita vt hiſtoricus ſenſus ſit de Ieruſalem, allegoricus de Eccleſia. Ribera hîc multis probare contendit hæc nullo modo conuenire poſſe in Ieruſalem, atque adeò de Eccleſia tantùm hiſtoricè ſumi oportere. Sicut etiam cap. 2. exiſtimauerat, ea, quæ ibi traduntur, quæ non ſunt valdè ab his diuerſa, impleta eſſe in Eccleſia, non in Ieruſalem. Ratio verò præcipua, imò vnica, quæ in eam cogitationem induxit Riberam, ea eſt, quia quæ hoc capite dicuntur, maiora ſunt atque illuſtriora, quàm quæ terreſtris Ieruſalem anguſtiæ capiant; & quia hæc omnia in illa præſtita non ſunt. Quod etiam cum Ribera ſentiunt ex iunioribus alij. Sed plerique cum Hieronymo, Ruperto, Haimone, Lyra, Theodoreto, ac Cyrillo hiſtoricè hæc intelligunt de Ieruſalem, typicè de Eccleſia. Quæ ſententia placet magis, ſicut alia ſimilis ſuprà *cap.* 2. Hæc verò tunc conſtabunt magis cùm in ſingulis explicandis probauerimus, quæ in hoc capite continentur omnia contigiſſe terreſtri Ieruſalem.

Hæc de terreſtri Ieruſalem hiſtoricè, de Eccleſia typicè dicuntur.

7. Accedit quòd, vt verè contigit Solymitanæ ciuitati, vt ſublato templo Deus inde receſſerit, quoad ſpecialem illum modum, quo populum ſuum ornabat, & fouebat, & abactis ciuibus deſertus locus in ſyluarum modum fruticibus aſper feras aleret, ſic etiam vt aſperis, & duris mitia, atque benigna redderet Deus conſentaneum videbatur: vt veræ, ac propriæ ſolitudini, & vaſtitati veram, ac propriam frequentiam, inopiæ, atque egeſtati veram abundantiam, longæ obſidioni, ac duræ ſeruituti diuturnam pacem, abſentiæ denique ſuæ inſtaurato templo, redintegratóque religioſo cultu aſpectum ſuum verè, & propriè, & non tantùm in typo remetiretur, quæ in hoc capite pollicetur Deus.

8. *Reuerſus ſum ad Sion.*] Vt ante captiuitatem habitabam in Ieruſalem in templo ad ſpecialem ſacrificiorũ cultum electo, ſic modò erecto rurſus domicilio, quod euerſum fuerat ab hoſte Chaldæo, in eundem locum reuertor. Hæc Ribera putat

putat in Ierusalem non posse cadere, quia aliquãdo Deus templum illud, vrbémque deseruit, iuxta illud Matth. c.3. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Quasi Deus hîc promitteret se illam ciuitatem, & templum non abiecturum amplius. Sanè verbis multò grauioribus 3. *Reg.9.* pollicitus est Deus habitaturum se in templo à Salomone constructo; illud tamen deseruit aliquando, vastarique permisit. *Sanctificaui,* inquit, Dominus, *domum hanc, quam ædificasti, vt ponerem nomen meum ibi in sempiternum; & erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.* Fateor multo nobiliùs, atque copiosiùs id esse in Ecclesia completum, non tamen ideo in terrestri Ierusalem impletũ non est. Quomodo in promissionibus subaudiri interdum soleat conditionalis particula, diximus super Acta cap.10.n.34.

9. *Et vocabitur Ierusalem ciuitas veritatis.*] Veritatem Ribera non inuenit in Ierusalem, quæ extremis maximè temporibus plena erat falsis Pharisæorum, Sadducæorúmque traditionibus. Sed vt hîc אמת *emeth veritatem*, id est, veram doctrinam significet, certè ea non caruit illa Respublica, quam accepit ab Esdra, neque perpetuam futuram esse veritatem illam prædicit Zacharias, sed futuram aliquando. Sed, vt diximus hoc loco, *veritas* fidem significat, quam integram, & inuiolatam seruare debet fidelis sponsa. Quam tunc seruare dicitur quando à sponsi fide, id est, à vero cultu non diffluit ad idola colenda. Idololatriam verò *fornicationem,* siue *adulterium* in Scriptura dici satis notum est ex *Ierem. cap.2. Ezech. cap. 16. Osea cap. 2.* & post alios amatores abire nihil est aliud, quàm Gentium ritu inanium Deorum simulachris honorem deferre.

10. *Et mons Domini exercituum, mons sanctificatus.*] De hac geminatione dictum est *cap.6.* ad illud, *& montes, montes ærei.* Hîc nihil video quod non quadret in terrestrem Ierusalem: nam hæc in montibus sita est; & ideo aliis in locis mons etiam dicitur. Psal.67. *Mons Dei, mons pinguis.* Sanctificatus verò est, quia religione sacer, & diuino consecratus cultui, & quia in eo templum, quod alibi *sanctum,* & *sanctificatio* dicitur.

11. Vers.4. *Adhuc habitabunt senes, & anus in plateis Ierusalem.*] Hîc nihil aliud esse puto quàm hypotyposim felicis, amplæ, atque pacatæ ciuitatis, quæ sanè elegantissima est; vbi conuersa fortuna, atque benignior ex aduerso respondet antiquæ calamitati: qua sicut nihil ærumnosius fingi potuit; sic nihil hîc potuit excogitari felicius. Singula oppone singulis, & diuinam quandam eloquentiam intuebere. In Iere. *Thre. capite secundo, & quinto* narrantur senes tacentes, squallidi, & habiti ab hostibus ludibrio; hîc verò quieti inducuntur; annis, & auctoritate graues, & ætatem grandem, & labentia præ senectute membra baculo sustentantes. Illic proponuntur infantes exhalantes animas in materno sinu extrema fame, maciéque confecti; virgines squallidæ, ac gementes, & barbarorum hominum iniuriæ, ac libidini expositæ: iuuenes impudenter vexati, & ante suam maturitatem extincti; cessasse denique dicitur psallentium chorus. Nunc verò commutata fortuna, habitaturi dicuntur senes, & anus in plateis Ierusalem, & in plateis futuri festiui infantium, ac puellarum ludi.

Ierusalem vastata priùs: deinde eadem mensura plenè restituta.

12. *Et viri baculus in manu eius.*] Hebræorum phrasi *vir* sumitur indefinitè pro *vnoquoque.* Qua dicendi forma significatur non vnum, aut alterum futurum esse senem in Ierusalem, sed plurimos propter diuturnam pacem, & rerum abundantiam ad grauem illam ætatem peruenturos.

13. *Ecclesiæ incrementum.* Si hæc ad Ecclesiam referas, quod omnino in allegorico sensu faciendum est, optimè explicant felicissimum eius ortum, & cursum. Augetur enim quotidie noua sobole, adduntur infantes, id est, neophyti, eo studio, ac voluptate, vt in platea illa latissima, atque augustissima Ecclesiæ, in ipsorum etiam tyrannorum conspectu gestire, & choros ducere videantur. Neque desunt viri graues ætate, atque consilio, qui Ecclesiam moderentur, quos animarum Episcopos, & rectores Spiritus sanctus constituit. Quàm læti olim fideles sacra susceperint Christiana in Actis Apostolorum legimus: quàm nostra ætate transmarini populi, & prioribus sæculis ignoti nos ipsi quotidie videmus.

14. Vers.7. *Ecce ego saluabo populum meum de terra Orientis, & de terra Occasus Solis.*] Hic locus maximè persuadet Riberæ, quæ hîc traduntur, nullo modo posse sumi de Ierusalem. Nam Iudæi, sicũde, non ab Ortu, & Occasu Solis, sed ab Aquilone essent reducendi. Cùm enim decem tribus multo antè ad Assyrios, duæ postea ad Babylonios transmigrarint, quæ duæ prouinciæ ad Aquilonem spectant, non sunt ex Hebræorum gente vlli, qui ab aliis regionibus in patrias sedes reuocari potuerint. Sed supponit Ribera in nullum alium locum Iudæos fuisse dispersos: aut hîc tantùm agi de illis, qui bello subacti, & exilio mulctati sunt. Sanè suprà *cap.2.* dispersi dicuntur Hebræi in quatuor ventos, quem locum de duabus tribubus, quæ in patriam redierunt, esse intelligendum probauimus latè ad illa verba eiusdem capitis; *O, ô fugite de terra Aquilonis.* Quæ vide omnino.

15. *Iudæi quam variè dispersi.* Sed quòd præter captiuos alij quoque fuerint in aliis regionibus, non solùm Hierosolymæ vicinis, sed etiam valdè remotis, & probant quæ diximus *cap.7.* & docet Philo Iudæus in legatione ad Caium, Iudæos sua ætate negotiationis gratiâ esse dispersos in omnes orbis partes, vbi bonus esset ager, & se ostentaret spes aliqua lucri. Inter quas prouincias, quas ibi connumerat, quædam ad Orientem, quædam ad Occidentem Solem spectant. Neque verò minùs negotiationi studebant, atque auaritiæ Iudæi ante captiuitatem Babylonicam, & Assyriam, quàm postea Philonis ætate; & eo nomine grauiter reprehenduntur à Prophetis. Certè Salomonis tempore classis mittebatur in Indiam, & 2. *Paral.cap.1.& 9.* negotiatores Regij commemorantur, & negotiatorum nomen inter Iudæos frequens. Quare sicut Philonis ætate Hebræi in varias Asiæ, Aphricæ, atque Europæ prouincias dispersi erant; sic olim quando Palæstina bello ab Assyriis, ac Babyloniis tentata est, plurimos in varias quoque prouincias fuisse disseminatos non est improbabile, ad quos commune suæ gentis exitium non pertinuit. Quare isti in Assyriam, ac Babyloniam abducti non fuerant: atque adeò excitato iam templo ad vrbem, ex aliis regionibus non Aquilonaribus congregati sunt.

16. *Ortu, & Occasu totus orbis significatur.* Sed rogabis cur ab Ortu, Occasúque Solis vocandi esse dicuntur, & non ab Aquilone, & Austro? Hoc idem ego rogarem, cur si de Ecclesia sermo est, prætermissæ sunt Aquilonares, & Australes plagæ; quasi inde ad Ecclesiæ sinũ nullus sit aggregatus? Sed est própta responsio, non solùm ex Hebræorum, sed ex omnium pene

Gen

Gentium modo loquendi, qui Orientis, & Occidentis nomine totum, quàm latè patet, terrarum orbem designant. Psalm. 112. *A Solis ortu, vsque ad Occasum laudabile nomen Domini.* Matth. 12. Luc. 13. *multi ab Oriente, & Occidente venient.* Nunquid ad Aquilonem, & Austrum diuini nominis gloria non diffundetur, aut tantùm ex Occasu, & Ortu ad Ecclesiam fiet externarum Gentium concursus? Significat ergo Deus ex omnibus mundi plagis redituros esse in patriam Iudæos, & ex omnibus locis ad Ecclesiam venturos esse Gentiles.

17. Vers. 8. *Et ero eis in Deum in veritate, & in iustitia.*] Sæpe in Scriptura iungitur cum veritate iustitia. Psal. 84. *Veritas de terra orta est, & iustitia de cælo prospexit.* & Psalm. 14. *operatur iustitiam, & loquitur veritatem.* Sed dubium est an ista iustitia, & veritas Dei sint, an hominum: ita vt Deus promittat futurum se Deum in veritate, vt scilicet promissa compleat: & in iustitia, vt præmiis Iudæorum virtutes, quas commendat, & merita cõpenset. Vel certè homines verè, ac fideliter, & non simulatè, ac perfidiosè, vt antè, Dei voluntati seruituri, & eius mandata, vt decet seruos, ac filios tot ornatos officiis, complexuri sint. Hieronym. hæc hominibus priùs, postea tamen videtur Deo tribuere. Deo item Theodoretus, Haimo, Hugo, Vatablus, Ribera. Alij verò hominibus, in quibus est Cyrillus, Dionysius, Emanuel Sa; quam sententiam magis videtur amplecti Hieronymus; & in hanc ego magis inclino; quia magis cum antecedentibus, & consequentibus congruit. Cum antecedẽtibus quidem, quia quod ad iustitiam pertinet, Iudæorum falsam iustitiam reprehenderat; nam sanctificari se putabant ieiuniis, cùm tamen in Deum, ac proximos interea multa indigna, ac scelerata committerent. Quare addidit Deus cap. 7. *Iudicium verum iudicate, & misericordiam, & miserationes facite;* & statim monet, vt id ipsum faciant, quia talibus obsequiis ab illis coli desiderat. Quod verò ad veritatem attinet, quia paulo ante dixerat vocandam esse Ierusalem ciuitatem veritatis; & rursus hoc capite veritatem commendat. Amplectitur itaque Deum ciuitas in veritate, quia velut sponsa fidelis vnum Deum colit, abiicitque inanium Deorum insanum cultum: hoc enim sensu explicuimus illud suprà, *ciuitas veritatis.* Amplectitur in iustitia, quia illa præstabit, quæ postea commendantur, & superiori capite abfuisse a suo populo Deus questus est. Illa autem esse veram iustitiam multis in locis docet Deus, & iisdem pene verbis, quibus hîc Zacharias, vsus est etiam Isaias *cap.* 1. & Iacobus *cap.* 1.

18. Vers. 9. *Confortentur manus vestræ, qui auditis in his diebus sermones istos per os Prophetarum, in die, qua fundata est domus Domini exercituum, vt templum ædificaretur.*] Hæc satis indicant sermonem esse de vrbe, ac templo Hierosolymitano: erigit enim Dominus languentes animos expectatione hominum; qui ex tot regionibus ad vrbem conuenient; & spe futuræ vbertatis ac pacis, de qua statim, vt iuxta Prophetarum verba in eius, ac templi fabricam constanter incumbant. Constructio verò, atque ordo horum verborum paulo est implicatior; quæ sic videntur ordinari posse. *O vos, qui auditis his diebus sermones hos per ora Prophetarum, qui facti sunt in die, quo fundata est domus Domini* (id est, quo fundamenta iacta sunt templi) *confortentur manus vestræ,* &c. Redolet autem ex hoc loco aliquis Hebraismus: nam relatiuum Hebræorum more omissum est à nostro Interprete, cùm tamen illud habeat Hebraicus textus; qui post (*Prophetarum*) habet (*qui.*) Videri alicui posset huiusmodi verba inculcari solita esse à reditu Iudæorum, templique renouandi principio à Prophetis, nempe Aggæo, & Zacharia, qui, vt dicit Esdras *lib.* 1. *cap.* 5. *&* 6. eo tempore prophetabant, ac prospera omnia pollicebantur. Sic enim Esdras cap. 6. *Seniores autem Iudæorum ædificabant, & prosperabantur iuxta Prophetiam Aggæi Prophetæ, & Zachariæ filij Addo.*

19. Sed credo illa, *in die qua fundata est domus Domini*, non esse intelligenda de primo fundamento templi, quod iussu Cambysis per multos annos interruptum fuit vsque ad annum secundum Darij; sed de fabrica, quæ sub hoc tempus instaurata est. Quæ licèt non tam inchoatio operis sit, quàm continuatio, vulgari tamen Scripturæ more fundari, atque inchoari dici potest: vt enim in illud c. Actuum 10. *in veritate comperi*, pluribus ostendimus, & suprà *cap.* 1. *num.* 32. Scriptura, cùm aliquid fieri pergit, ita enunciat, quasi tunc primùm fieri incipiat; & in hac materia exemplum habemus promptum. Nam *lib.* 1. *Esdræ capite tertio* fundatum est templum: sed capite quinto dicitur ædificari cœptum, vrgentibus, adiuuantibúsque Aggæo, & Zacharia Prophetis. Accedit quòd non apparet quinam Prophetæ esse potuerint in illa priori templi fundatione: neque enim illos Scriptura præteriisset, quæ aliorum longè inferiorum meminerit. Sed Aggæus, & Zacharias longè post priorem illam fundationem prophetasse traduntur regnante iam Dario.

Regula. Continuatio operis, inceptio vocatur.

20. Vers. 10. *Merces hominum non erat, nec merces iumentorum.*] Hæc ab Aggæo commemorata sunt capite secundo, qui ideo sterilitatem, & maciem agrorum, & fraudatam laboris, operæque mercedem esse dicit, quia vnusquisque domum sibi construit, templi fabrica neglecta, quasi illius ædificandi maturitas non esset; quæ hic à nostro Propheta repetuntur. Quæ eò spectant, vt significent inanes fuisse conatus, & labores, quos vel in agris colendis, vel rebus aliis administrandis posuerunt, quia suæ potiùs commoditatis, quàm religionis, ac pietatis causâ susceperunt.

21. *Neque introeunti, neque exeunti erat pax.*] Phrasis Hebraica, quæ in *exitu*, atque *ingressu* omnia complectitur. Vide Commentaria nostra in Acta ad illud capitis primi? *Quo intrauit, & exiuit.* Quanquam aliter etiam exponi potest locus iste: quia reuera cùm eo tempore Iudæi offensas haberent finitimas gentes, securè exire, vel agriculturæ, vel mercaturæ, vel alterius rei gerendæ causâ non poterant. Cùm ergo exirent, exponebantur Iudaici nominis hostibus aut prædæ, aut iniuriæ; cùm autem introirent, à domesticis vim, atque iniuriam patiebantur. Neque id sanè mirum, cùm tot annorum sterilitas, & fames bilem acuant, & manus arment etiam in cognatos, modò aliquid habeant, in quod fames, & egestas irruant. Porrò *pax* ex vsu Scripturæ pro felicitate, atque abundantia sumitur; & ita, meo iudicio, sensus erit huius loci proprius: Nihil eorum, quæ suscepistis, aut tentastis, vobis feliciter, atque ex voto, seu opinione successit.

Exitus, & ingressus omnia significant.

22. *Et dimisi omnes homines, vnumquemque contra proximum suum.*] Cùm laxata captiuitate primùm Iudæi extruendo templo animum verè, ac sedulò applicuerunt; cohibebat Dominus hostilem vim, quæ licèt irritata, & ardens, vel antiquo odio,

Deus adest benignè in sua causa strenuè laborantibus: torpẽtibus & ignauis secus.

odio, vel recenti inuidia opus conaretur aut soluere, aut si id minus posset, saltem morari, nihil tamen perfecit. Hi verò, qui opus moliebantur, sic erant studiis, animisque consentientibus, vt se mutuò fouerent, & priuatas aliorum rationes ad se quoque pertinere arbitrarentur. Vbi verò propositis minis, & edicto Assueri, qui & Artaxerxes dicitur Esdræ capite quarto, (quod contra Domini consilium nihil habuisset roboris) ab opere cessatum est, résque ita neglecta, vt nihil sit tentatum vsque ad Darij Regnum. Eo tempore languentibus studiis, atque opere frigente laxauit Deus eos carceres, quibus antea hostiles vires, & fraudes cohibuerat, vt Iudæorum salutem affligerent, agros vastarent, & mille aliis afficerent incommodis, permisitque vt conspirans illa animorum consensio solueretur, quíque antè fuerant & nomine, & studio fratres, mutuò sibi ipsis essent, & impedimento, & damno. Eò deinde progressa diuini pectoris offensio est, vt quæ antea è cælo copiosè largiri solitus esset Deus placatus, quorum satu terra grauida, fœtus funderet vberes, & opportunos, illa postea negaret offensus. Quare non minùs durè in patrio solo liberi, quàm in Babylonico captiui premebantur Iudæi. Et quod inter hostes videbat, & lamentabatur Ieremias Thren. cap. 5. *in animabus nostris afferebamus panem nostrum à facie gladij in deserto*; idem quoque in Solymitanis agris eueniebat iisdem, qui pauxillum frumenti, quod ex copioso satu longóque labore reddebat sterilis, & infelix ager, capiebant inter hostiles manus, & insidias, quasi prædarentur alienum, non meterent, aut reconderent suum. Vnde discet Christiana pietas, quantùm temporalium etiam rerum ex eo, vel labore, vel sumptu quem in diuinum cultum, & honorem impendimus, nostris commodis accedat. Quare optimè canit Ecclesia: *Sic nos tu visita sicut te colimus.*

23. Vers. 11. *Nunc autem non iuxta dies priores ego faciam reliquiis populi huius.*] Contraria omnia pollicetur Deus, vbertatem videlicet, & pacem, & quæ latè Propheta describit, vbi sese Iudæi ad templi fabricam accinxerint. Incipiet ergo vbertas, & pax à domo Domini, sicut ab eadem domo neglecta, quasi neglectus, & incultus ager nullum reddebat annuæ operæ, & duræ molestiæ pretium.

24. Vers. 12. *Semen pacis.*] Cætera clara sunt, illud solùm notandum, *semen pacis* vocari, quia non erit sterile, atque euanidum, sed fœcundum, & læto, atque vbere prouentu felix: pax enim abundantiam valet. Ante hoc autem tempus, semen non erat pacis; & id credo significatum esse ab Aggæo *cap.* 1. dum dicit, *Intulistis in domum, & exsufflaui illud*, &c. *quia domus mea deserta est.* Exsufflare est euanidum facere, sicut illud semen quod ventus dicitur. *Ventum seminabunt, & turbinem metent.* Quid prodest hominum labor, si in facienda semente, Deus grano vim eripit seminalem, id est, fœcunditatem? Sic isti Iudæi dum Deum habuerunt offensum, seminabant ventum, id est, semen infœcundum, & vanum, & metebant turbinem, id est, odiorum, & seditionum causam.

Euanida sunt, quæ Deum non spectant.

25. Vers. 13. *Et erit, sicut eratis maledictio in Gentibus.*] Vsitatum est apud Hebræos, vt in principio ponatur verbum substantiuum, quod in aliis linguis, quibus ille loquendi modus familiaris non est, videri poterat otiosum. Quare vt multæ clausulæ incipiunt hoc modo: *Et factum est, & fuit*, &c. sic modò hæc incipit, *& erit.* Quem loquendi

REGVLA. *Factum est, fuit, & erit otiosa aliquando in Scriptura.*

A modum imitatur Hispanus dum dicit; *y succedio que vino*: nihil deesset si tantum diceret, *y vino.* Porrò in Scriptura *maledictio* inducit, & sonat quicquid miserum, inauspicatum, atque horribile est: sicut contrà *benedictio*, quicquid lætum est, fœcundum, & optabile. Alterum experti fuerant inter hostes, & paulo antè in suis etiam finibus Iudæi: alterum iam ad futurum ostendebat Prophetarum oracula. Hunc credo esse sensum huius loci. Neque tamen displicet id quod placuit Vatablo, ideo inter Gentes maledictionem fuisse Iudæos, quia illorum ærumnæ, quæ in Prouerbium abierant, in maledictionibus, atque execrationibus assumebantur; sicut *Mysorum calamitas.* Quod Iudæis, qui diuina mandata contemnerent, Deus minatus fuerat Deut. c. 28. num. 37.

Iudæorum calamitas Prouerbialis.

B *Eris in prouerbium & fabulam omnibus populis, ad quos te introduxerit Deus.* Quod, meo iudicio, non obscurè colligitur tum ex aliis, tum ex Ieremia sæpe, maximè cap. 24. *Et dabo* (inquit) *eos in vexationem, afflictionémque omnibus Regnis terræ in opprobrium, in parabolam, & in Prouerbium, & in maledictionem in vniuersis locis, ad quæ eieci eos.* Et cap. 29. cùm ageret de Achab, & Sedecia falsis Prophetis dicit hoc ipsum magis explicatè. *Ecce* (inquit) *ego tradam eos in manu Nabuchodonosor Regis Babylonis, & percutiet eos in oculis vestris, & assumetur ex eis maledictio omni transmigrationi Iuda, quæ est in Babylone, dicentium: Ponat te Dominus sicut Sedeciam, & sicut Achab.* & cap.

C 42. *Eritis in iusiurandum, & in stuporem, & in maledictum, & in opprobrium.* Vbi obserua in iureiurando
adhiberi solitam execrationem, quod indicat il- 26.
la vsitata iurisiurandi formula, *Si introibunt in requiem meam; si dedero somnum oculis meis.* vbi aliquid subauditur execratorium; & cum execratione iusiurandum plerunque coniungitur, vt cùm dicitur: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat.* Sed colligitur, meo iudicio, apertè hæc execrationis, seu maledictionis coniunctio ex *cap.* 24. *Gen.* vbi cùm tantùm præcessisset iuramentum, seu adiuratio; seruus tamen Abraham indicat ibi intercessisse maledictionem. n. 41. Cùm ergo Ieremias dicit futuros esse Iudæos in iusiurandum, omnino significat in concipiendo iureiurando execrationis loco adhibendas esse Iudæorum ærumnas, exempli gratiâ: Nisi hoc fecero, contingat mihi, quod Iudæorum genti: aut, miser, odiosus, aut execrabilis sim, sicut Iudæus. Aut certè sicut nostra ætate Prouerbium est Hispanis, Iudæorum timiditas, & auaritia: sic puto olim Gentibus eorundem ærumnam, ac vilitatem fuisse prouerbio. Et quidem hoc familiare est Mahometanis qui in execrationibus dicunt: *Iudæus sim, si fallo*, &c.

In iuramento sæpe adhibita execratio.

D

Et eritis benedictio.] Vt summa infelicitas, ac vi- 27.
litas Iudæorum in maledictionem, & prouerbium quondam fuit; sic nunc promittit Deus illorum fortunam felicitatis, ac benedictionis futuram esse symbolum. Quod promiserat Deus Sophon. cap. 3. *Dabo vos in nomen, & in laudem omnibus populis terræ cùm conuertero captiuitatem vestram.* Quemadmodum Lia, & Rachel symbolum fuerunt nobilis, & ingenuæ fœcunditatis. Ruth cap. 4. *Faciat Dominus hanc mulierem sicut Rachel, & Liam, quæ ædificauerunt domum Israël.* Quæ videntur esse verba nuptiis familiaria.

E

Domus Iuda & domus Israël, sic saluabo vos.] Hæc 28.
Ribera nullo modo conuenire putat in Ierusalem; & ideo de Ecclesiæ temporibus putat intelligenda, quia nullo Scripturæ loco constat decem tribus, quæ Israëlis nomine explicantur, ab exilio rediisse, ne dum consecutas talem benedictionem,

ctionem, qualem hîc Israëli pollicetur Deus. Imò A apertè ex Scriptura constat illas nunquam in patriam reuersuras. Ose.1. *Voca nomen eius absque misericordia, quia non addam vltrà misereri domui Israel; sed obliuione obliuiscar eorum; & domui Iuda miserebor.* & 4.Reg.17. *Translatúsque est Israel de terra sua in Assyrios vsque in diem hanc*, id est, in perpetuum. Id enim significat ille loquendi modus ex Origene *hom.7. in Iosue.* Et tradit Iosephus *lib.11. Antiq.cap.5.* & Hieronymus *in cap.23. Ezech.* vbi dicit ad suum vsque tempus decem tribus in vrbibus Medorum captiuas teneri. Idem alij ferme omnes; tametsi Cyrillus in Prologo Zachariæ, & Theophylactus, & Theodoretus in illud Oseæ 11. *Quia dies multos sedebunt*, rediisse putent.

29. *Multi ex decem tribubus cum duabus redierunt ab exilio.*

Ego primùm simpliciter rediisse non puto decem tribus, tamen affirmare audeo hunc Zachariæ locum de Iudæorum populo esse intelligendum. Quod sanè verum est, siue hoc de aliquibus à duabus, siue de duabus tantùm tribubus accipias. Priorem partem sic mihi persuadeo, quia ex decem tribubus plurimi captiui abducti non fuerant ab Assyriis, vel quia, vt ex Philone nuper dicebamus, negotiandi causâ in varias mundi plagas erant dispersi; vel quia cùm premerentur ab Assyriis ante extremam pugnam, qua deletum est Israelis Regnum, ad duas alias tribus; quibus cum Assyriis nihil tunc erat offensionis, confugerunt, seu, quod ex ipsa Scriptura constat, integra adhuc re magno numero sæpe ab Israel ad Iudam transmigrarunt. C Iosephus *lib.8. Ant.cap.3.* ab Roboam Hierosolymis degentem è tota Israelitarum ditione confugisse Sacerdotes, & Leuitas, & quotquot è reliqua plebe erant boni, ac iusti, patriam suam deseruisse, scribit vt Hierosolymis Deum colere liceret. Qui eo numero fuerunt, vt illorum accessione Regnum Roboam confirmatum, & corroboratum fuisse tradatur. Certè 2.*Paralip.cap.11. & cap.15.* plurimi ex Israel transfugisse dicuntur ad Asa pronepotem Salomonis; & *cap.30.* alij ex tribu Aser, Zabulon, & Manasse accessisse dicuntur ad Ezechiam. Hi ergo qui se ad duas tribus olim adiunxerant, cum iisdem quoque sine dubio in Babylonem translati sunt.

Multi ex decem tribubus ante captiuitatē se adiunxerunt duabus.

30. *In captiuitate multi ex decem tribubus cū duabus fuere in Babylonia.*

Accedit quod improbabile non est, multos quoque ex Israel, qui capti fuerant multo antè ab Assyriis, in patriam fuisse reuersos. Nam cùm in eiusdem Regis Imperio duodecim tribus captiuæ morarentur (non enim solùm Babyloniis, & Assyriis, sed etiam Persis, & Medis Cyrus, & Darius dominabantur) quis dubitet aliis alios in eadem regione fuisse permixtos? Quod non obscurè colligitur Dan. cap.16. vbi duo senes dicuntur filiabus Israel illusisse, non verò filiabus Iuda; vbi planè significat Israelitidas fœminas, & Iudæas fuisse Babyloniæ. *Sic*, inquit, *faciebatis filiabus Israel, & illæ timentes loquebantur vobis; sed non filia Iuda sustinuit iniquitatem vestram.* Et quidem *Esther cap.3. & cap.8.* traditur Iudæos per 127. prouincias fuisse disseminatos, id est, per totum Regis Assueri Imperium. Cùm ergo facilè inter se potuerint inire commercia, neque Cyrus in suo decreto vllum excepisset à redeundi facultate, quod ipsis ignotum esse non poterat (sic enim Esdras lib.1. cap.1. *Suscitauit Dominus spiritum Cyri Regis Persarum, & traduxit vocem in omni regno suo*) non video cur è decem tribubus multi redire non potuerint. Et ideo fortasse Cyrillus, Theodoretus, & Theophylactus rediisse putarunt decem tribus. Sanè rediisse non paucos de Israel cum duabus tribubus indicat Ierem.c.3.v.18. *Ibit domus Iuda ad domum Israel, & venient simul de terra Aquilonis ad terram, quā dedi patribus vestris.* Et clariùs c.5.n.4.

31. *Cur decem tribus omnino negentur rediisse.*

Neque obstat huic sententiæ quòd aliquibus locis negatur reditus decem tribubus, conceditur duabus: nam quemadmodum quando ex magno numero pauci sunt, qui aliquid non fecerint, omnes fecisse dicuntur; sic quando aliquid ex magno numero fecêre pauci, ex Scripturæ consuetudine, nulli fecisse existimantur. Exempla sunt obuia. Vide quæ diximus ad illud Act.1. *De omnibus ô Theophile.* Et est accommodatum exemplum in materia valdè simili *Iere.42.* nam cùm ageret cum eis, qui reliqui ex clade communi Iudæorum, quasi à belli metu futuri essent B liberi, in Ægyptum ire meditabantur, sic vaticinatur. *Omnes viri, qui posuerunt faciem suam, vt ingrediantur Ægyptum, vt habitent ibi, morientur gladio, & fame, & peste, nullus de eis remanebit, neque fugiet à facie mali, quod ego afferam super eos.* Quid grauius, quid minacius, quid clarius dictum est de decem tribubus captis ab Assyrio? Sed de his, qui ad Ægyptios contra Domini præceptum commigrarunt, aliquos euasisse gladium, & pestem, & in Iudæam remeasse, constat ex ipso Ieremia *cap.44.* vbi cùm eædem propè minæ præcessissent addit; *Et qui fugerint gladium, reuertentur de terra Ægypti in terram Iuda viri pauci.* Vt ergo Iudæi ex Ægypto redituri negantur, tum quia pauci rediere, tum quia non vt populus, qui suis publicè legibus, & in sua Repub. honestè viueret, sed vt inquilini sine Rege, ac duce, quasi in aliena: sic etiam licèt ex decem tribubus multi redierint cum duabus, quia tamen infiniti pene alij remanserunt, neque ex hac, vel illa tribu certi, atque discreti, sed confusi, atque permixti, & inter se, & cum aliis duabus reuersi sunt, negantur rediisse. Quare nullam habent Rempublicam à Iudaica diuersam.

32. Et quemadmodum qui ante captiuitatem ex Israel ad duas alias tribus se applicuerunt, non dicuntur, exempli gratiâ Rubenitæ; aut Ephraimitæ, quia earum tribuum nullus erat definitus locus, sed omnes simpliciter vocantur Iudæi, D quia vna erat Iudæorum Respublica, in qua ipsi viuebant, tanquam in sua; sic etiam, qui modò ex captiuitate rediisse existimantur, Iudæi dicuntur, non Rubenitæ, aut Ephraimitæ. Atque ideo optimè his negatus dicitur reditus, quia non suis ordinibus ac familiis discreti, & cogniti, vt antea, sed confusi, ac veluti Iudæ, ac Benjamin familiis adscripti redierunt. Vide quæ de tribu Benjamin, quæ similem ob causam annumerata fuit tribui Iuda, diximus suprà cap.2. ad illud: *O, ô fugite de terra Aquilonis.* Quod etiam insinuasse videtur Isaias *cap.7.* qui cùm ageret de captiuitate Ephraim, in quo totus intelligitur Israel, non negat illum emersurum ab ea, sed non E futurum esse populum, id est, non habiturum esse Rempublicam. *Ephraim*, inquit, *desinet esse populus.* Et clariùs *Ezech. cap.37. n.16.* vbi sub duorum lignorum metaphora, quæ in vnum coaluerunt, duos populos in vnum redactos significat. Rediisse autem non paucos docent Doctores Hebræorum *lib.1. Esdr. c.2.* vbi cùm eorum qui ex captiuitate ascenderunt, numerus esse dicatur 42000. tamen vbi sigillatim computatio fit ex tribu Iuda, & Benjamin, eorum summam fuisse constat 32000. Respondent ergo Hebræi, rediisse quidem à duabus tribubus 32000. ex aliis verò decem 1000. ex quibus conflatur numerus

ille

ille 42000. Neque obscurè docet Tobias cap. vltimo, vbi loqui videtur de decem tribubus captis ab Assyriis. Nam tunc cùm nondum euersa esset Niniue, neque translatum Imperium ad Chaldæos; duæ aliæ tribus in exilio non erant, quæ a Nabuchodonosor iam rerum potito abductæ sunt. Sic igitur de decem tribubus Tobias. *Propè erit interitus Niniue; non enim excidit verbum Domini: & fratres nostri, qui dispersi sunt de terra Israel, reuertentur ad eam.* Sunt qui putent præteritum hic sumi pro futuro, agique de duabus tribubus quæ post hæc tempora dispersæ sunt. Et fauet valdè quòd ibidem instauranda dicitur domus Dei, quæ eo tempore euersa non erat. Sed sanè modus ipse loquendi satis indicat aut sermonem tantum esse de iis, qui tunc erant dispersi, aut certè si de duabus etiam tribubus vaticinium illud sit, decem non excludi.

33. Iure ergo Propheta dicit non solùm saluandum esse Iudam, sed etiam Israel, quia ex 10. tribubus plurimi erant non captiui extra fines patrios; seu quia in Babylone permixti duabus tribubus. Sed etiamsi nullus è decem tribubus rediturus esset in patriam, credo hunc locum facilè posse historicè sumi de populo Iudaico. Quod vt ostendam, obseruo valdè vsitatam esse inter Hebræos figuram, quæ dicitur epexegesis, in qua posterius hemistichium prioris sententiam explicat, & continet. Quo in genere millies in sacra Scriptura postquam præcessit *Iacob*, statim eodem sensu ponitur *Israël*. Psal. 13. *Exultabit Iacob, & lætabitur Israel.* Vt ergo in hoc dicendi genere idem est Iacob, & Israël; sic etiam per eandem figuram Israel, & Iuda in eadem significatione sumuntur. Et vt omittam alia exempla, adducam pauca, quæ mihi suadent hanc sententiam; quia verba, quæ antecesserunt, satis indicant eodem sensu, quæ consequuntur explicari debere. Psal. 113. cùm præcessisset; *In exitu Israel de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro*: vbi per epexegesim eadem sententia secundo loco repetita est: statim subditur sine dubio cum eadem epexegesi. *Facta est Iudæa sanctificatio eius: Israel potestas eius.* Accedit quòd totus ille Psalmus secundùm Hebræorum distinctionem, aut sicut Latini diuidunt, dimidia illius pars perpetua quadam constat epexegesi: Psalm. 75. *Notus in Iudæa Deus, & in Israel magnum nomen eius.* Deinde subditur epexegesis alia, quæ satis probat in superiori versu fuisse quoque epexegesim; *& factus est in pace* (id est, in Ierusalem: nam pro *pace* Heb. est, *Salem*, id est, Ierusalem) *locus eius, & habitatio eius in Sion.* Isai. 46. *Dabo in Sion salutem, & Israeli gloriam meam.* vbi Israel pro Iuda sumitur, quia quo tempore hæc ab Isaia dicta sunt, iam Israel diuisus; imò & captus erat, & de Iuda sermonem esse, satis indicat tota Prophetia. Et videtur idem Isaias explicare voluisse: nam *cap.* 48. apertè dicit tribum Iuda vocari nomine Israel. *Audite*, inquit, *hæc domus Iacob, qui vocamini nomine Israel, & de aquis Iuda exiistis*, id est, de fonte ac genere Iudæ propagati estis. Ideo autem tribui Iuda nomen Israel datum, quia illa fuit omnium familiarum nobilissima; & tribus Regia. Vt ergo Ioseph, quia nobilissimus fratrum, & eorum quasi Princeps, & pater erat, certe primogeniti ius, & honorem habuit (quia primogenitus Ruben parentis torum violauit. 1. *Paralip. c.* 5.) dictus est Israel. Psalm. 79. *Qui regis Israel, intende qui deducis velut ouem Ioseph.* Vbi omnium pene sententia in hac epexegesi Ioseph ponitur pro Israel: sic etiam, quia Iudas fuit fratrum suorum fortissimus, & de cuius stirpe Principes generati, vt scribitur 1. *Paralip.* 5. Israelis sibi nomen assumpsit, sicut postea Israelitæ omnes Iudæi appellati sunt. Vt ergo suprà dictis locis in Israel intelligitur tribus Iuda, sic in hoc loco Zachariæ per epexegesim in Israel nihil diuersum intelligitur à Iuda.

REGVLA. *Israel sæpe sumitur pro Iuda.*

Ioseph dictus Israel.

Vers. 16. *Hæc sunt ergo verba quæ facietis.*] Satis notum est verba in Scriptura pro rebus sumi.

In portis vestris.] Id est, in iudiciis, quia ad portas ciuitatis fiebant olim iudicia, vt in loco frequenti: vnde sedere in portis, est ius dicere, & de rebus omnibus statuere. Ruth c. 4. *Ascēdit ergo Booz ad portas,* &c. & Prou. vltim. *Nobilis in portis vir eius, cum sederit cum senatoribus terræ.* 34.

Vers. 17. *Contra amicum suum.*] Heb. רעהו *reehu*, 35.
id est, *proximum suum*: & ita reddidere LXX. Hebræis enim idem est *amicus*, & *proximus*; quia omnis proximus nobis amicus esse debet. At ipsi secundum suas deuteroses, seu traditiones abusi ambiguitate vocabuli, aliter interpretabantur Matth. 5. cùm dicebant, *Diliges proximum tuum*, &c. vbi in *proximo* amicum intelligebant. Et qui *Matth.* 5. dicitur *proximus*, Leuit. 19. *amicus* appellatur in vulgato; apud LXX. *proximus*, vbi vox est eadem רעהו *reehu*, quæ, vt dixi, & *amicum*, & *proximum* significat. Christus ergo Matth. 5. sumit verba, non vt sunt in Leuitico; sed vt in Leuitico esse Iudæi interpretabantur. *Dictum est antiquis*, (quemadmodum vos existimatis, ac dicitis) *diliges proximum, & odio habebis inimicum tuum.* Priorem partem sumpsit Christus ex Leuitico iuxta LXX. translationem, qui vocem רעהו *reehu, proximum* conuerterunt; sicut vulgatus *amicum*: posteriorem reprehendit, & damnat, quia illam non è textu, sed è suo capite sumpserant Iudæi.

Proximus idem qui amicus.

Vers. 19. *Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ie-* 36.
iunium septimi, & ieiunium decimi erit domui Iuda in gaudium.] Hucusque dilata fuerat responsio ad legatorum interrogata. Tantùm legationis occasione Propheta reprehenderat aliqua minùs religiosa ac pia, quæ suis fletibus, ac ieiuniis admiscebant Iudæi: docuerátque quid ab eis maximè Deus requireret; & quid propter hæc ab ipsius benignitate expectandum esset. Nunc verò iam respondet non solùm ieiunium quinti, & septimi mensis omitti posse, sed etiam quarti, & decimi, de quibus ipsi nihil interrogant. Quæ autem fuerint hæc ieiunia, & cuius gratiâ instituta, non omnes eodem modo explicant. Hieronymus, quē sequitur Haimo, Rupertus, Hugo, & Dionysius ex Hebræorum sententia, vt ait idem Hieronymus, & constat ex ipsorum Kalendario, ieiunium quarti mensis ideo institutum ait, quia eo die descendens è monte Moyses tabulas fregit. Exod. 32. & quia tunc rupti sunt muri Ierusalem: ieiunium quinti, quia tunc Hebræi iussi sunt montem non ascendere, sed per quadraginta annos longis errare dispendiis, vt morerentur in solitudine. *Num.* 4. & quia eodem mense templum incensum est: ieiunium septimi propter cædem Godoliæ: ieiunium decimi, quia eo mense auditum est ab Ezechiele, & ab aliis captiuis templum fuisse subuersum mense quinto. Ita Hieronymus, qui nonnullis parum placet: quia rationum istarum aliquæ neque accommodatæ sunt, quia de his quæri post tot sæcula non esset necesse, neque ex Scriptura probari pot[illegible] mense quarto fractas esse tabulas, aut [illegible] nunciatum esse diuturnam futuram [illegible]

Quæ Hebræorum ieiunia, & cuius gratia instituta.

in deserto. Sed prior pars nil officit Hieronymo; nam quæstio proposita tantùm est de ieiunio quinti, & septimi mensis: posterior satis à Ribera defenditur, qui ex Scriptura satis confirmat, & quarto mense à Moyse fractas esse tabulas, & quinto terram promissionis per annos quadraginta fuisse interdictam.

37. Nihilominus optimè cum aliis censet Ribera agi hoc loco de ieiuniis propter Hierosolymitanam cladem institutis, & incommoda postremis temporibus accepta: nam cùm instaurato templo, & vrbe, illa essent sublata, consequens etiam erat, vt ieiunia eorum causâ indicta tollerentur. Incommoda verò sunt hæc, quia quarto mense muri Ierusalem diruti sunt à Chaldæis: quia quinto incensum est templum, & ciuitas vastata: quia septimo extinctus est Godolias, & sublata spes vrbis habitandæ: quia decimo obsessa est ciuitas à Nabuchodonosor. *Ezechiel.c.24.* Quæ omnia peti possunt ex *lib.1. Reg. c.vltimo, & Ierem. c.39.& 52.* Ab iis verò ieiuniis an accepto oraculo soluti fuerint Iudæi, mihi incertum est. Sed puto non fuisse: nam adhuc hi ieiuniorum dies notantur in Hebræorum Kalendariis; & seruata videntur ieiunia septimi, aut decimi mensis Apostolorum tempore; sed fortasse alia sunt, & alio nomine concepta. Vide quæ diximus *in c.27. Actuum*, ad illud, *Eo quòd ieiunium præterisset.*

38. *In gaudium, & festiuitates præclaras*] Quia iam tempus instat, in quo redintegrentur rediuiuo templo, atque vrbe, sacra, & festa solemnia Iudæorum; respondet Deus sublatam iam esse ieiunij siue necessitatem, siue causam: cùm redeant dies festiui, ac læti. Ex quo intelligimus hîc tantùm agi de ieiuniis, quæ instituta sunt propter extremam ciuitatis, ac templi vastitatem.

39. *Vsquequò veniant populi, & habitent in ciuitatibus multis.*] Heb. עד אשר *adaser*, quod variè exponitur. In explicatione aliorum pene omnium nihil difficultatis habet propositus locus: nam LXX. Chaldæus, & omnes pene iuniores vertunt *adhuc*, siue *adeò vt*, & ita accipiunt Theodoretus, Haimo, Hugo, Ribera, in hunc sensum: ea erit felicitas Iudæorum, & solemnitates adeò præclaræ, vt populi etiam externi mutuò sese cohortentur, vt in eandem Religionem cum Iudæis, imò in eandem ciuitatem conueniant. Neque ab hac sententia recedit Hieronymus, qui illud *vsquequò*, in Commentariis *in tantum* interpretatur. Et hæc mihi omnino probatur expositio.

40. Alij, qui de Republica Hebræorum nihil hîc agi putant, aliter explicant. Ribera ad superiorem explicationem hanc etiam addit, ieiuniorum loco instituendas esse solemnitates præclaras, donec Christus veniat, qui alias maiores inducat, conuocatis in Ecclesiam hinc inde populis. Michaël de Palacios vult habituros esse Iudæos lætitiam pro ieiuniis, vsquequò veniant populi multi ad fidem, & veram Ierusalem, tempore videlicet Euangelij, quia tunc euerso rursus templo, & vrbe vastata à Vespasiano, redintegrabuntur ieiunia, & fletus. Adde pro hac sententia quod Hieronymus in cap.1. Sophoniæ scribit suo etiam tempore solere Iudæos miserandum in modum templi, atque vrbis ruinas lamentari. *Videas*, ait, *venire populum lugubrem, confluere decrepitas mulierculas, & senes pannis, annisque obsitos, & in corporibus, & habitu suo iram Domini demonstrantes. Adhuc fletus in genis, & liuida brachia, & sparsi crines, & miles mercedem postulat, vt illis flere plus liceat.* Sunt quidem

A hæc vera, quæ à Ribera, & quæ à Palacios dicuntur; sed quia hæc existimamus historice de Republica Hebræorum intelligẽda, minùs placent. Sed laborandum est, vt ostendamus post rediuiuam fortunam, & gloriam Iudæorum multos ex aliis gentibus ad illorum cœtum & sacra conuenisse.

Et quidem si hoc loco per *populos* multitudinem Iudæorum intelligam, qui post tot annorum fugam aut exilium in vrbem remearunt, nihil, credo, dicerem aut improbabile, aut nouum. Sed nunc de gentibus accipio à Iudæorum instituto, ac Religione alienis. Et licèt hæc obscura sint, quia ab hoc tempore vsque ad Machabæos sacra interrupta fuit historia, quo tempore aliarum gentium ad Iudæorum Religionem accessio notari potuit, id est, per 300. fermè annos: tamen eius rei aliqua sunt, neque obscura vestigia. Primùm proselytorum mentio frequens, quos in magno fuisse numero ante publicatum Euangelium colligitur ex *cap.2. Actuum*, vbi ex tot Prouinciis venisse proselytos, id est, viros Religione Iudæos, ex quot conuenerant genere Iudæi, probabile diximus: numerantur autem ibi nationes plurimæ. Et sanè Eunuchus Reginæ Candacis proselytus fuisse communiter existimatur ab his, qui ex gentibus ad fidem primum omnium admissum credunt esse Cornelium. Est autem verisimile plures alios in Æthiopia fuisse proselytos, quando vir potens publicè Iudaicam Religionem profitebatur. Esdræ lib.3.cap.5. postquam ad mensem septimum confluxisse ex aliis locis dicuntur Iudæi, statim additur: *Et conuenerunt ibi ex aliis nationibus terræ, & erexerunt sacrarium in loco suo omnes gentes terræ, & offerebant hostias, & holocaustomata Domino matutina.* Quòd si inchoato templo multæ nationes à genere Iudæorum diuersæ, vt modus ipse loquendi indicat, cum Iudæis conuenerunt, vt sacra Iudæorum obirent, quid facturas fuisse gentes existimandum est absoluto iam templo, & instaurata iam antiqua Iudæorum gloria? Neque difficile creditu est, quo tempore sublato Aman excitatus est ad gloriam Mardochæus, plurimos è Chaldæis, quibus placerent Iudæorum instituta ac Religio, deterreret tamen ab eorum amplexu gentis inuidia, & seruilis, & sordida conditio, nunc mutatione fortunæ, cùm ex eo genere Esther ad Regium nomen, & Mardochæus ad Regio proximum ascendisset, eorum instituta, & sacra fuisse complexos. Quare Esther cap.8. post illam rerum vicissitudinem, scribitur. *Plures alterius gentis, & sectæ Iudæorum Religioni, & cæremoniis iungebantur: grandis enim cunctos Iudaici nominis terror inuaserat.* Adde quòd Danielis tempore multa contigerunt, eáque illustria documenta, quæ probauerunt Babyloniis verum esse Deum, quem colebant Iudæi. Quod apertè confessus est Darius *Dan. cap.6.* decreto suo, in quo illum Deum viuum & æternum vocat. Et idem confessus est Nabuchodonosor *Dan. cap.2.* Quare verisimile est ante Persarum etiam Imperium multos fuisse proselytos è Chaldæis. Non est ergo cur negemus hunc locum sumi posse historice de Iudæis, in quo bellè adumbratur Ecclesiæ progressus, & instauratio: præsertim post Antichristi vastitatem, quæ non minor fuit ea, quam Iudæorum genti inflixit Nabuchodonosor. Et quæ historicè Iudæorum populo contigerunt, hæc multo cumulatiùs, atque illustriùs impleta sunt in Ecclesia. Non ergo negamus hæc conuenire Ecclesiæ,

41. *Multi ex gentibus instaurato templo Iudæorum Religionem complexi sunt.*

clesiæ, sed dicimus in Iudæorum Republica hæc omnia tanquam in typo reperiri.

42. Vers. 21. *Eamus & deprecemur faciem Domini, &c. vadam etiam ego.*] Mimesis hæc est, quæ exprimit modum atque habitum, quo se hortantur, acuúntque siue Iudæi, qui alibi degunt, siue externæ gentes Iudæorum felicitatem admiratæ, vt veniant in Ierusalem. Vbi enim vna ciuitas alteram inuitat ad templum, sacráque Iudaica, illáque annuerit, tertia alia nondum inuitata, permota tantæ felicitatis aut certo, aut dubio rumore dicit, *vadam & ego.* Pulchra repræsentatio eorum, qui magno studio in aliquod consilium, aut negotium conspirant. Dionysius illud, *ego vadam,* ad Deum refert, ita vt Deus polliceatur se quoque cum illis esse venturum, id est, se futurum cum Iudæis, vt olim ante captiuitatem. Sed prior expositio aptiùs cum consequentibus contexitur.

43. Vers. 22. *Et venient populi multi & gentes robustæ.*] Venturi dicuntur non modò ignobiles populi, atque afflictæ fortunæ inermes, ac omnium prædæ & iniuriis expositi, sicut qui priùs cum Zorobabel è captiuitate remigrarunt: sed instructi & armis, & edicto regio, & sumptibus ad reliquam fabricam à Dario decretis; ita vt finitimi populi quondam infensi inchoatum opus impedire neque audeant, neque possint, pœna mortis proposita, si quicquam contra moliantur. Vel certè si de gentibus externis sermo est, venturæ dicuntur gentes, & populi florentes, ac robusti, quos non adducet ad Iudæorum Religionem necessitas, aut infirmitas, sed gloriæ splendor, & rerum præclarè gestarum admiratio, & Dei singularis beneuolentia, quam in illum populum quàm liberalissimè ostendet.

Vers. 23. *Apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium; & apprehendent fimbriam viri Iudæi.*] 44.
Hic iam nemo dubitabit de externis gentibus esse sermonem, quas ex multis linguis accessisse ad Iudæos satis constat ex *cap. 2. Actuum.* vbi ex omni natione quæ sub cælo est, Iudæi, atque proselyti in festum Pentecostes aduenisse dicuntur. Porrò hoc loco decem pro multis sumi certum est. Sic enim fert Scripturæ consuetudo. Gen. 31. *Pater vester mutauit mercedem meam decem vicibus:* & Leuit. 26. *decem mulieres in vno clibano coquent panes.* Iob c. 9. *En decies confunditis me.*

IN CAPVT NONVM

ARGVMENTVM.

PRINCIPIO Propheta grauia quædam denunciat gentibus quæ duræ fuerunt & infensæ populo Iudaico, cui regiones ab alienis possessæ restituendæ dicuntur, defendendæque præcipua quadam custodia. Quæ ita de Iudæorum gente historicè intelligenda sunt, vt typicè in Ecclesia multo cumulatiùs & illustriùs implenda existimentur. Deinde historicè eleganter agit, & grauiter de Christi Regno; quem pauperem, & mansuetum inducit, insidentem asinæ, & eius pullo; cuius Regnum futurum esse dicit adeò pacificum, vt necessarij futuri non fuerint vlli apparatus bellici. Deinde historicè se ad res Iudaicas iterum conuertit, præsentémque promittit rerum felicitatem, & Dei in pugnando præsentiam, de hostibus gloriosam & facilem victoriam: & in agris suo iam quasi terminali lapide definitis vbertatem frumenti, & bonitatem vini; quorum altero robusti iuuenes, altero virgines pulchræ fiant. Quæ tamen omnia mysticè de Ecclesia intelliguntur, & eo sensu ad finem capitis explicantur.

CAPVT IX.	PARAPHRASIS.
1. *ONus verbi Domini in terra Hadrach, & Damasci requiei eius: quia Domini est oculus hominis, & omnium tribuum Israël.*	1. GRauis hæc, & minax Prophetia à Domino graues, atque diuturnas ærumnas portendit terræ Hadrach, & Damasci, quia oculus hominis, & præcipuè tribuum Israël, quem isti populi læserunt, oculus est Dei, atque ideo illis violatis, atque compunctis oculus Dei compunctus esse, atque violatus videtur.
2. *Emath quoque in terminis eius, & Tyrus, & Sidon: assumpserunt quippe sibi sapientiam valdè.*	2. Quo in numero etiam pono Emath, Tyrum, & Sidonem; licèt multa sapientia contra omnia bellorum discrimina munitas se putent: quia vt prouinciarum terminis, sic etiam sceleribus affines sunt.
3. *Et ædificabit Tyrus munitionem suam, & coaceruabit argentum quasi humum, & aurum vt lutum platearum.*	3. Communiet se Tyrus muro, atque aggere contra vim hostilem: & argentum congregabit non aliter quàm humum; & aurum, non secus quàm lutum de

4. Ecce

A de plateis congregari solet.

4. Ecce Dominus possidebit eam, & percutiet in mari fortitudinem eius, & hæc igni deuorabitur.

4. Illam tamen Dominus obtinebit,
& cùm in medio mari sita sit, ibi tamen occupabit illam, & incendio tradet.

5. Videbit Ascalon, & timebit: & Gaza, & dolebit nimis, & Accaron, quoniam confusa est spes eius, & peribit Rex de Gaza, & Ascalon non habitabitur.

5. Cùm autem Ascalon, & Gaza viderint ciuitates vsque adeò munitas cecidisse, dolebunt, timebúntque vehementer.
Quid enim sperent se pene nudas ab omni instructu militari diu posse resistere, cùm captam esse videant ciuitatem,
quam tanto tempore ars & natura tuebantur?
B Peribit ergo Gaza Regni olim caput, & Ascalon aliquando non habitabitur.

6. Et sedebit separator in Azoto: & disperdam superbiam Philisthinorum.

6. Separator, qui & mamzer, id est, Iudæus, sedebit tanquam dominus in Azoto; & opprimetur tandem Philisthinæ gentis superbia & gloria.

7. Et auferam sanguinem eius de ore eius, & abominationes eiusdem de medio dentium eius. Et relinquetur etiam ipse Deo nostro, & erit quasi Dux in Iuda, & Accaron quasi Iebusæus.

7. Dabunt enim pœnas illatæ iniuriæ, & suo sanguine effusi Iudaici sanguinis, & execrandæ audaciæ, atque impietatis supplicium expendent. Denique sicut de Tyro antea dictum est, ipsa quoque subiicie-
C tur Deo. Et erit eius Dux & moderator Iudæus: cui Accaron præstabit illud seruile ministerium, quod eidem olim præstitit Iebusæus.

8. Et circumdabo domum meam ex his qui militant mihi euntes, & reuertentes. Et non transibit super eos vltrà exactor: quia nunc vidi in oculis meis.

8. Et ex his ministris qui mihi astant ad nutum expediti, & prompti in circuitu possessionis meæ, constituam custodes. Neque sicut antea è vicinis populis exactores erunt duri, atque frequentes, qui populo meo vectigalia imponant, & exigant: quia iam benignior illum respexi oculis omnino meis, id est, non graui-
D uibus, ac seueris, sed placidis, ac mitibus.

9. Exulta satis, filia Sion, iubila filia Ierusalem: ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & Saluator: ipse pauper, & ascendens super asinum, & super pullum filium asinæ.

9. Hæc tibi ô filia Sion, ampla sunt à Domino beneficia, humana tamen, & altioris beneficij typus; exultabas earum rerum commutatione, de qua nuper. Nunc multo magis exulta, atque adeò toto præcordiorum affectu iubila: quia Rex tuus Christus veniet tibi, non iniustus, ac violentus, sicut plerique aliorum Regum, qui sibi regnant, non aliis; sed iu-
E stus, & Saluator, qui tuam tibi potiùs, quàm suam sibi commoditatem quæret; non opprimet te, quia pauper est, & mitis, qui non in militari quadriga, sed in asina, & eius pullo desultoriè sedebit.

10. Et disperdam quadrigam ex Ephraim, & equum de Ierusalem; & dissipabitur arcus belli: & loquetur pacem Gentibus, & potestas eius à mari vsque ad mare, & à fluminibus vsque ad fines terræ.

10. Quia Rex pacificus erit Christus, disperdet quadrigas de Ephraim, & equũ de Ierusalem. Neque in eius Regno arcus erit ad bellum, quia iam ad bellicos vsus necessaria non erunt. Cuius imperium à mari vsque ad mare, & à fluminibus ad extremos vsque terræ fines latè se diffundet.

Digitized by Google

11. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos de lacu, in quo non est aqua,*

12. *Conuertimini ad munitionem vincti spei: hodie quoque annuncians duplicia reddam tibi,*

13. *Quoniam extendi mihi Iudam quasi arcum, impleui Ephraim; & suscitabo filios tuos, Sion, super filios tuos, Græcia, & ponam te quasi gladium fortium.*

14. *Et Dominus Deus super eos videbitur; & exibit vt fulgur iaculum eius; & Dominus Deus in tuba canet, & vadet in turbine Austri.*

15. *Dominus exercituum proteget eos: & deuorabunt, & subiicient lapidibus fundæ, & bibentes inebriabuntur quasi à vino: & replebuntur vt phialæ, & quasi cornua altaris.*

16. *Et saluabit eos Dominus Deus eorum in die illa, vt gregem populi sui: quia lapides sancti eleuabuntur super terram eius.*

17. *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius: nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?*

A 11. Tu quoque ô Rex pacifice, & Seruator Christe, non satis habuisti restituisse tuos à Babylonio carcere: sed firmato iam sanguine tuo testamento, eos qui in sinu Abrahæ vincti tenebantur, eduxisti.

12. O vos qui vincti Redemptoris vestri aduentum expectatis, diffundite iam & exhilarate animos: vósque ad libertatis vestræ auctorem ac vindicem conuertite.

Postquam iam de Iesu Seruatore egi, &
B eius Regno, redeo ad te, & tua tempora ô Iuda pollicitus sum plurima, eáque amplissima beneficia Messiæ tempore: nunc verò alia tibi polliceor non diu differenda; sed hodie, id est, non longè post hoc tempus præstanda.

13. Quoniam assumam mihi Iudam, quasi arcum, & Ephraim quasi neruum instructum iaculis adducam vehementer: & ciues tuos ô Sion excitabo, armabóque contra Græcorum vires, & eris mihi ô Sion non vt inutilis, aut plumbeus gladius, sed
C qualis versari ac vibrari solet robustorum lacertis.

14. Aderit Deus pugnantibus Iudæis, qui fulguris in modum vibrabit iacula, & tuba populos ad arma coget, & ad auxiliandum velox accurret: & inter hostes velut turbo ab Australi regione grassabitur.

15. Iudæi ergo protegente Domino, hostes suos sternent lapidibus excussis à funda, quorum carnes vorabunt, bibéntque sanguinem ad ebrietatem vsque:
D quo non aliter replebuntur, quàm altaris cornua imbui sanguine, aut phialæ, quæ victimarum sanguinem excipere solent.

16. Eo verò tempore populum sua benignitate seruatum pascet Deus quasi gregem suum; in pascuis suis signis, & titulis quasi lapide terminali consignatis.

17. O quantum bonitatis ac pulchritudinis habebit ager ille, quem Dominus suo assignabit populo, quémque suis sibi titu-
E lis circumscribet! Afferet enim frumentum, quod iuuenes robustos, & vinum, quod virgines florentes, atque nitentes faciat.

Vers. 1.

by Go

Verſ.1. *Onus verbi Domini in terra Hadrach, & Damaſci requiei eius.*]

1\. *An caput hoc de Eccleſia intelligendum, an de Ieruſalem.*

OBSCVRVM eſt an hæc Prophetia de Eccleſia, Chriſtique victoris ſit intelligenda, vel certe hiſtorice de Regno Iudæorum, typicè de Eccleſia, vt alia quæ ſuperiori capite à nobis expoſita ſunt. Theodoretus, Haimo & Ribera totam hanc Prophetiam ad vocationē Gentium, & Eccleſiæ conſtructionem pertinere putant: alij de temporali Iudæorum Republica interpretantur, Cyrillus, Hugo, vterque Palacios, & inclinat Dionyſius. Hieronym. verò cùm in principio dixiſſet ſermonem eſſe de Eccleſia, ad finem capitis de temporali Republica Iudæorum accipit: quare videtur Hieron. ſentire typicè de Eccleſia, hiſtoricè de Ieruſalem præſens caput inſtitui. Ego, quod mihi videtur vero propius eſſe, oſtendam, caput in duas partes diuido; quarum prior debellandos eſſe Iudaici nominis inimicos prædicit, poſterior docet victoriam illam figuram eſſe Gentium ad Eccleſiam aggregandarum, idque omnino ſecundùm literam. De poſteriori parte nemo credo, dubitabit, in priori probanda laborandum eſt.

2\. *Prior pars capitis intelligitur de Ieruſalem, poſterior de Eccleſia.*

Et primùm fauet ipſa ſuperioris cum præſenti capite compoſitio: nam vbi auctæ dicuntur, tum ex domeſticis, tum ex externis auxilijs Iudæorum vires, non eſt abs re, textúque hiſtoriæ, ſi gentes Iudæis infenſæ, peſſiméque de illis iam olim meritæ, à Iudæis domitæ, ac ſubiugatæ fuerint. Quia ad humanam fœlicitatem non ſatis eſſe exiſtimatur, ſi quiſpiam antiquam fortunam recuperet, niſi etiam illatas priùs iniurias vlciſcatur. Secundò, quia nomen *onus* nihil ſignificat benignum, ac molle, quod præ ſe fert Euangelij prædicatio, ſed durum, & hoſtile, vt communiter docent Patres, & probant illa Prophetarum oracula, quibus *oneris* nomen præfixum eſt. Deinde, quia multa ſunt in prioris capitis parte, quæ niſi violenter contorqueas, ad mitiorem illum ſenſũ trahi non poſſunt. Præterea, quia apta videtur agendi ratio, neque in Scriptura inſolens, vt priùs proponatur aut typus, aut parabola; deinde adhibeatur eius interpretatio; quod, credo, factum eſt toto præcedenti capite, & præſentis parte priori. Deinde in poſteriori parte myſticus atque allegoricus ſenſus inducitur ab illis verbis; *Exulta ſatis filia Sion.* Exploremus iam ſingula.

3\. *In terra Hadrach, & Damaſci requiei eius.*] Hadrach tantùm reperitur hoc loco, quare incertum eſt quid ſignificet. Hieronymus, qui myſtiſticum ſequitur ſenſum, compoſitum nomen exiſtimat ex חד chad quod *acutum*, & רך rach, quod *tenerum, & molle* ſignificat. Quare dicit hanc Prophetiã acerbam eſſe peccatoribus, & mollem iuſtis. Deinde ex aliorum ſententia docet per *Hadrach* Iudaicum populum intelligi, in quem priùs Deus ſe acutum, & acerbum, deinde mollem & benignum oſtendit: per *Damaſcum* verò Gentilem populum, qui ad Eccleſiam vocatus eſt: quaſi Deus in vtroque populo quieturus ſit. Sed quia nos priorem partem aliter accipiendam veriſimile exiſtimamus, aliter hæc interpretemur neceſſe eſt. Communis aliorum ſententia (quam, puto, Hieronym. non negaret, qui non tã ex ſua quàm ex aliorum opinione locutus eſt) Hadrach ciuitatem eſſe Damaſco proximam putat, certè non longè à terra promiſſionis, & Iudæis infenſam. Chaldæus vertit, *in terra Auſtrali.* Cyrillus

A Orientalem regionem eſſe iuxta Emath; Theodoretus ciuitatem eſſe Arabiæ dicit.

Notum eſt Damaſcum caput eſſe Syriæ. Iſai. capite ſeptimo. *Caput Syriæ Damaſcus*: ex qua ſæpe exorta bella, & eruptiones factæ in terram Iſrael; & quæ ſæpe cum Iſraelitis contra Iudam conſpirauit. Ita vt ab Iſaia *cap.* 17. Damaſcus dicatur *adiutorium Ephraim.* Cur verò eius præcipuè mentio fiat, ea fortaſſe ratio eſt, quia cùm Damaſcus proxima eſſet Hebræorum finibus, & eorum rationibus maximè infenſa, iam pro generali hoſtium nomine vulgò accipiebatur: ſicut apud Hiſpanos vulgò *Maurorum* nomen non ſolùm pro Mahometanis omnibus, ſed etiam B pro hoſtibus generaliter vſurpatur. Quare *Cant.* 7. ſponſæ naſus, id eſt, prudentia, vel conſilium reſpicere dicitur contra Damaſcum, id eſt, contra hoſtes: & Chriſtus *Iſai. cap.* 8. vt multi volunt, ſtatim ac natus eſt contra Damaſcum, id eſt, contra ſui nominis hoſtes arcum intendit. *Antequam ſciat puer vocare patrem ſuum, & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci.* Cùm autem captiui ex Iſraelitis ſæpe adducerentur Damaſcum, quia ciuitas erat, & proxima, & munita; ſicut & noſtri plerumque primùm abducuntur Argerium, quod proximum nobis eſt in Africano littore; ſic fiebat, vt peſſimè apud Iudæos audiret Damaſcus, tanquam commune eorum ergaſtu- C lum, ſicut apud nos odioſum eſt Argerij nomen. 4. *Damaſcus pro populo quolibet Iudæis infenſo.*

Hinc apparet, quid ſibi velit locus ille Amos cap. 1. *& transferam vos trans Damaſcum*; nempe non iam captiuos Iſraelitas abducendos eſſe Damaſcum; vbi plerumque illorum extremum erat exilium, ſed longè ab ea relegandos eſſe, nempe ad Aſſyrios. Significare itaque voluit longum exilium, quod omnino expreſſit Stephanus dum *Act. cap.* 7. hunc eundem locum Amos ita conuertit; *Transferam vos trans Babylonem*, ſententiam potiùs ſecutus quàm verba. Significauit enim idem quod Amos, nempe futurum eſſe longum Iſraelis exilium. 5.

Requiei eius.] Septuaginta non legunt *requiei*, D ſed *requies* in recto. Hieronymus legiſſe dicit LXX. *ſacrificium*: & hæc lectio probatur in codicibus nunc à Sixto correctis. Et iuxta hanc lectionem LXX. commodè locus iſte de Eccleſia intelligi poſſet, in qua verum ſacrificium eſt: ſed *requies* magis eſt ad textum Hebraicum, in quo eſt מנחתו *menuchatho.* Porrò illud, *requiei eius*, non refertur ad Deum, ita vt ibi quieturus, & regnaturus ſit tanquam in dilecta ciuitate, aut tanquam in Ieruſalem: neque enim Hadrach, & Damaſcum aliquid videmus habuiſſe præcipuũ, quamobrem in eis quieturus Dominus dicatur. Potiùs refertur ad *onus verbi*, quia diu ac grauiter diuinus furor, quem importat *onus*, in illas ciuitates incumbet. Qua ratione ſuprà c. 6. explicuimus illud; *& requieſcere fecerunt ſpiritum eius in terra Aquilonis.* Cyrillus ad Deum refert, ſed ſenſu non diſſimili huic poſteriori, *In ipſis* (inquit) *fuit requies eius, id eſt, omnĩũ dominantis Dei. Requieuit porrò, quia punitas vidit*; & infrà, *Requieſcit autẽ quodammodo inimica malis ira Domini, cùm, qui eum plurima & effrenatè peccando offenderint, pœnas luerint.* Et quidẽ hic loquendi modus, vt *requies* pro vindicta ſumatur, vſitatus eſt in Scriptura. Ezech. 5. *Complebo furorẽ meum, & requieſcere faciã indignationẽ meã in eis.* Loquitur verò hîc Deus hominũ more, qui 6. *Requies pro vindicta.*

TTt 2 poſt

poſtquam euomuerunt illud acerbitatis virus, quod conceperant, recreari videntur, & requieſcere; quia vindicta acceptæ contumeliæ, vel injuriæ leuamen eſt. Vide quæ diximus in Commentariis ad illud Iſaiæ cap.2. *Conſolabor ſuper hoſtibus meis.* Mira ſignificatio iræ Dei, & grauis peccatoris miſeria, peccatíque acerbitas, quæ ita grauant, & quaſi torquent diuinum ſtomachum, vt tunc requieſcere videatur quando iram illam euomuerit peccatore mulctato.

Ira Dei.

7. *Quia Domini eſt oculus hominis, & omnium tribuum Iſrael.*] Heb. ליהוה in datiuo, id eſt, *Domino*, ſiue *ad Dominum.* Quia nos hic de populo Iudæorum loquimur, non de Eccleſia, niſi in allegorico ſenſu; alias interpretationes omittimus. Si, vt ſimpliciter præ ſe ferre videtur vulgata, oculus hominis, & tribuum Iſraël; aut etiam vt admittere videtur litera Hebraica, homo, & maximè tribus Iſraël, oculus ſint Dei, ſenſus eſt pulcher, qui præclaram rationem continet cur Hadrach, Damaſcus, & aliæ ciuitates euertendæ ſint, quia nimirum grauiter læſerunt Dei populum, quem qui tetigerit, oculum Dei tangit; iuxta id quod dixerat cap.2. *Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Et ſanè in hanc ſententiam valde propendet animus, quia illud idem videtur eſſe propoſitum *cap.2.* vbi minatur Deus leuaturum ſe manum contra omnes gentes, quæ ſpoliauerunt populum ſuum, ac tandem perfecturum, vt prædæ ſint iis, qui ſibi antè ſeruierant. Et rationem reddit: *Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Quare dum Dei populus ab illis gentibus offenditur, diuinorum oculorum pupilla cõpungitur.

Dei ſingularis amor in homines.

8. Sed ſi, vt textus poſtulat Hebraicus, pro, *Domini*, ſit datiuus *Domino*, idem eſt ſenſus. Dicitur enim omnis homo futurus eſſe Deo oculus, ſed præcipue tribus Iſrael. Vbi obiter notandum; quando aliquid, quod in generali nomine, quod præceſſit, continebatur, additur expreſsè, ſingularem aliquam rationem in eo indicari, propter quam ſeorſum nominari debuerit. Hæc nos pluribus oſtendimus in illud Act.1. *cum mulieribus, & Maria matre Ieſu.* vbi Maria ſeorſum nominatur, quia in ea aliquid ſpeciale erat. Illud etiam obſerua (&) aliquando non ſolùm coniungere, ſed in eo quod additur, aliquid deſignare ſingulare, atque in eo genere maius, vt Prou. 30. *Tria ſunt inſaturabilia, & quartum, quod non dicit, ſufficit;* & ſtatim: *Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro.* vbi in illa coniunctione & continetur, & ſubauditur vox *præcipuè*: & Ezech. c.33. *Dixerunt filij populi mei; non eſt æqui ponderis via Domini, & ipſorum via iniuſta eſt,* id eſt, ipſorum potiùs via iniuſta eſt. Pſal.124. *Montes in circuitu eius: & Dominus in circuitu populi ſui.* id eſt, imò & Dominus. Sic præſenti loco & coniunctio addita, & nomen tribuum poſt generale nomen ſeorſum expreſſum aliquid ſingulare, atque præcipuum eſſe cõnotat, cur illarum vexatione offendi magis videatur pupilla diuinorum oculorum.

Deus aliorum iniurias quaſi proprias vlciſcitur.

REGVLA. *Et aliquid præcipuum indicat in eo, quod adiungit.*

9. Hæc mihi genuina videtur loci ſententia, cui nonnihil videtur incommodare verſio vulgatæ, quæ non habet, *Domini oculus eſt homo, & omnes tribus;* ſed *hominis;* nihilo tamen minùs ſententia eadem eſt, aut certè non admodum diuerſa. Nam ſi oculus Domini eſt oculus hominis, profectò iniurias illatas homini pro illatis ſibi reputat Deus; & ideo ſe cæſum putat, & ad vindictam accingitur, quia læſum eſſe videt populum ſuum.

10. Aliter poteſt explicari hic locus, & rei morali ſatis accommodatè, *oculus Domini eſt oculus hominis*, id eſt, homo ſuam iniuriam negligit, neque illam reſpicit, quia Deo permittit, cuius oculis videt eſſe propoſitam. Quare cùm Deus illam videat, commodiſſimum ſibi eſſe arbitratur homo à ſe neque videri, neque curari. Ex quo fit, vt cura aut ſarciendi damni, aut vlciſcendæ iniuriæ magis Deo commendata ſit. Vnde Deus infert ad ſe pertinere in gentes illas immites, & impias ſeuerè animaduertere, quando populus ſuus nihil de ſe cogitat, ſed totam cauſam Deo iudicandam relinquit. Quare illi, qui dixit, *videat Dominus & requirat.* 2. Paral. c.24. reſpondet Deus; *mihi vindictam, & ego retribuam.*

Vindicta derelinquenda.

Aut ſanè ſi iuxta textum Hebraicum (*Dominus*) ſit in datiuo, aut accuſatiuo, cum (*ad*) nam vtrumque valet ליהוה, vt etiam vertunt alij, ſenſus pulcher eſt, & ad rem moralem egregius. Cùm hominum oculi, & præcipuè tribuum Iſrael ad me ſint intenti, & tacitè petant, vt ſuam cauſam ſuſcipiam in populis duris, & vexatoribus requieſcet furor meus. Et quidem pauperum iniuriæ tacitè clamant, repetúntque, vel ipſis neſcientibus illud Zachariæ filij Ioiadæ 2. Paralip.24. *videat Dominus & requirat;* & eiuſmodi iniuriæ dicuntur peccata in cælum clamantia, quæ Deus plerumque in hac vita ſeuerè punit. De oppreſſione pauperum, qui *viduarum*, ac *pupillorum* ſignificantur nomine, eſt illud Exod.22. *Viduæ & pupillo non nocebitis: ſi læſeritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiámque vos gladio.* Et Eccli.35. *Nónne lacrymæ viduæ ad maxillam deſcendunt & exclamatio eius ad deducentem eas? A maxilla enim aſcendunt vſque ad cælum.* 11.

Pauperum iniuriæ tacitè clamant.

Verſ.2. *Hemath quoque in terminis eius.*] Hemath 12.
ciuitas eſt, inquit Hieronymus Syriæ Cœles, quæ ab Antiocho Epiphania dicta eſt. Et cùm duæ ſint ciuitates eiuſdem nominis, hîc vt cum Hieronymo ſentit Theodoretus, & Cyrillus, & communiter alij, de Epiphania ſermo eſt, quæ in aliarum ciuitatum, quæ poſtea nominantur, terminis eſt. Quidam putant in terminis eſſe terræ promiſſionis, idque a Propheta ſignificari; & hoc dupliciter: aut hiſtoricè, quia re ipſa attingit fines terræ promiſſionis, licèt non ab eadem plaga: nam Hemath à Septentrione, Tyrus & Sidon ab Occaſu illam definiebant. Alij ſpiritualiter: quia hîc agi putant de Gentium conuerſione, & dicunt has ciuitates futuras aliquando eſſe intra Eccleſiæ fines. Sed hæc mihi parum probantur, quia illud *eius* non videtur vllo modo reſpicere terram promiſſionis, cuius antea nulla mentio præceſſit, ſed potiùs Damaſcum; & his verbis ſignificari has ciuitates in terminis eſſe Damaſci non tam ſitu ſpatióque locorum, quàm ſocietate vindictæ: quia erunt eiuſdem ſupplicij ſociæ, eodem numero, atque ordine habitæ, quia ſe eiſdem ſceleribus implicuerunt. Qua ratione à Paulo cap.4. ad Galat. mons Sina coniunctus eſſe traditur Ieruſalem, non quidem ſitu, ſed myſterij ſimilitudine. Sin verò illud *eius* reſpiciat *requiem*, idem eſt ſenſus, ac ſi dicat, futuras quoque cum Damaſco, & Hadrach illas ciuitates in terminis, in quibus requieſcet diuinus furor, vel eſſe intra ſphæram, ad quam effundat ſe diuina vindicta.

Aſſumpſerunt ſibi quippe ſapientiam valdè.] Heb. 13.
quoniam ſapiens fuit valde. Et ita vertunt LXX. ſed aptè Hieronymus reddit, *aſſumpſerunt ſibi ſapientiam,* quia iſti erant non tam aliorum opinione, quàm ſua, non tam vera, quàm fucata, & ſutili

tili doctrina sapientissimi. Irrisoriè ergo sapientes vocantur Tyrij, & Sidonij; sicut Deus *Ezech.* 28. stultâ sapientiâ, aut vanissimâ sapientiæ opinionẽ obiicit Regi Tyri: *Ecce sapientior es tu Daniele, & omne secretum non est absconditum à te,* &c. vbi illa eadem propè dicuntur, quæ nunc à Zacharia. Ex quo apparet sermonẽ hìc esse de temporali potiùs vindicta, quàm de conuersione ad fidem: nã sapientia superbè, atque inaniter arrogata, & auaritia, de qua statim, non tam diuinam misericordiam alliciunt, quàm iram inflammant. Porrò vbicunque superbia est, & auaritia, quæ vndecunque pecuniam corradit, & eò præceps rapitur, vnde se primùm spes aliqua quæstus ostendit, nunquam abesse solet iniuria. Quare verisimile est iniurios fuisse Tyrios & Sidonios Hebræorum populo, vel dum grauissimis vsuris illorum opes exhauriunt, vel dum apud se captiuos pecunia à proximis hostibus coëmptos seuerè tractant. Alterum indicat Zacharias statim dum dicit; *& non transibit super eos vltrà exactor,* haud dubiè ille qui coaceruauit argentum, quasi humum, & aurum, vt lutum platearum. Alterum colligitur ex 1. Machab. cap. 3. vbi cùm inermes Iudæos ab armata, atque innumerabili inimicorum manu superatum iri crederent, venisse dicuntur ex vicinis regionibus mercatores cum argento, vt ex Hebræorum populo mancipia emerent; quod etiam ante Zachariæ tempora contigisse verisimile est, cùm sæpe ab hostibus variè iactata, atque afflicta fuerit Iudæorum fortuna. De Tyri Sidonísque diuitiis vide Isai. 13. Ezech. 27.

Ab auaritia abesse nõ solet iniuria.

14. Vers. 3. *Et ædificauit Tyrus munitionem suam.*] Quàm sese Tyrus prouidè, ac fortiter contra vim hostilem, atque humanos casus communierit, satis ostendit *Ezech. cap.* 27. sed strauit illam diuina potentia, ante Zachariam per Nabuchodonosor, vt dicit Isaias *cap.* 23. & Ezechiel *c.* 26. deinde per Alexandrum, vt profanæ testantur historiæ: tandem per Iudæos, vt hìc prædicit Zacharias, & statim videbimus.

Tyrus sæpe vastata.

15. Vers. 4. *Et percutiet in mari fortitudinẽ eius.*] Tutam se putabat Tyrus ab hostibus, quia muris cingebatur, non tantùm lapideis, quamquam ab his quoque satis habebat firmamenti, sed etiam marinis: aquis enim cingebatur, eóque nomine & placebat sibi, & fidebat maximè, quòd sederet in corde maris. Sed diuinæ potentiæ nil est non expugnabile, quæ per vnius homunculi manus, & industriam muros strauit marinos, terrestribúsque copiis liberum constrauit ingressum, ad euertendam vrbem. Cùm enim olim Tyrus, sicut nunc Gades, à continenti exiguo disiungeretur freto, spatium illuc strauit Alexander iactis molibus, peninsulámque fecit. Idem ante Alexandrum fecerat Nabuchodonosor, vt dicit super Ezech. Hieronymus in illud c. 29. *Omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus est.* vbi tradit seruos Nabuchodonosor decaluatum habuisse caput, & depilatos humeros, dum cophinos, lapidésque comportant ad obstruendum fretum, id est, maris angustias. Hæ verò, vt docet Curtius *lib.* 4. quatuor stadiis, vt verò Plin. *lib.* 5. *cap.* 19. & Hieron. *in Isai. c.* 23. *& Ezech.* 26. 27. septingentis passibus Tyrum à continenti discludebant. Quàm verò vastata fuerit Tyrus docet *Ezech. cap.* 26. ea dicendi forma qua Hebræi extremam vastitatem explicare solent: ita vt neque pertenue maneat antiquæ gloriæ vestigium. *Radam,* inquit, *puluerem eius de ea, & dabo eam in*

Hyperbole prouerbialis.

A *limpidissimam petram.* Quo etiam dicendi genere vsus est Isaias Propheta cùm extremam calamitatem minaretur domui Ieroboam 3. Reg. 14. *Mundabo reliquias domus Ieroboam, sicut mundari solet fimus vsque ad purum.* Quod illic in puluere radendo, idem hìc significatur in mundando fimo, cuius pars nulla relinqui solet. Et idem de Babylone Isai. c. 14. *Scopabo eam in scopa.*

Et hæc igne deuorabitur.] Quando incendio conflagrarit Tyrus, non inuenio: sed conflagrasse certum est ex hac Prophetia; nisi ex vsu Scripturæ dicamus ideo Tyrum dici vastandam incendio, quia extrema omnia passa est. Summa verò calamitas *incendij*, ac *flammæ* nomine explicari solet, 16.
B quia ignis omnia consumit, ac perdit. Eadem metaphora in eodem propè argumento vsus est Abdias cùm dixit: *Et erit domus Iacob ignis, & domus Israel flamma, & domus Esau stipula.* Est autem mira amplificatio diuinæ potentiæ, quòd ciuitas cincta vndique mari inter medios fluctus, tot instructa ad resistendum machinis, non tormentis solùm bellicis quatiatur, sed etiam absumatur incendio. Quòd si hæc ad Euangelij tempus referas, Tyrique conuersionem, multo est magis admirabile, quòd superba ciuitas, & sapientiæ opinione vehementer inflata; tum diuitiis abundans, quæ, vt dicit Matth. c. 13. *suffocant semen patrisfamilias:* & in corde maris, id est, voluptatibus
C demersa, quæ omnia horrent, ac respuunt seueritatem Euangelij, cessit tamen doctrinæ Christi, & liberam antè ceruicem iugo subiecit Euangelico. Quid ergo erit tam naturæ improbitate, quàm studio, atque arte contra omnem pietatem munitum, quod non expugnet cælestis doctrinæ vis admirabilis?

Summa calamitas incendij nomine explicatur.

Vis maxima Euangelij.

Vers. 5. *Videbit Ascalon, & timebit, quoniam confusa est spes eius: & peribit Rex de Gaza.*] Vastitatem 17.
minatur ciuitatibus Philistinorum, quibus cum Hebræis longa fuit atque assidua pene dimicatio, quæque opem tulerunt Assyriis, cùm in Iudææ fines irruperunt, sed eadem expeditione & cursu tam Tyrij, quàm Palæstini vastati sunt,
D quo Iudæi, quorum ipsi fortunæ, ac commodis inuidebant, vt dicit Hieronymus *lib.* 5. *in Isai. c.* 23. & constat ex *Isaia c.* 25. *& Ierem. c.* 47. Confundenda verò dicitur spes Ascalonis, & aliarum ciuitatũ, quas statim commemorat, cùm excisas viderint ciuitates alias potentissimas, & eiusdem sceleris socias, Damascum, Hadrach, & Tyrum. Quid enim sperent incolumitatem & salutem ciuitates peruiæ, & pene nudæ, cùm clausam multis modis, omníque bellico apparatu instructam cecidisse videant?

Palæstina vastitas.

Vers. 6. *Et Ascalon non habitabitur.*] Quod de 18.
Ascalone hìc dicitur, credo de aliquibus aliis Philistinorum ciuitatibus esse dicendum. De-
E sertam sanè fuisse Gazam docent Acta Apostolorum *c.* 8. & de toto marino tractu, quem incolebant Palæstini, satis apertè constat ex iis, quæ mox dicemus.

Et sedebit separator in Azoto.] Heb. ממזר *mamzer*, quod alibi ab Hieronymo expositum est *de scorto natus.* Deut. 23. *Non ingredietur mamzer* (id 19.
est, de scorto natus) *in Ecclesiam Domini.* Ex iuxta hanc explicationem quidam hunc mamzerẽ esse putant Alexandrum, qui spurius fuit, neque Philippi filius, vt Olympias mater confessa est: & eo nomine à Philippo repudiata. Hic verò, vt postea dicemus, Phœnices, & Palæstinos domuit, & in eorum finibus dominator sedit. Ita Lyra, & Dionysius. Hieronymus tamen & Ribera, & alij,

Alexander cur mamzer.

 qui

Christus separator. qui hæc tantùm spiritualiter accipiunt, Christum dicunt esse separatorem, qui frumentum à paleis, bonos pisces à malis, & aurum separat ab scoria. Sed nos qui historicè priorem huius capitis partem accipimus de populo Iudæorum, aliter interpretemur necesse est. An verò mamzer iste, seu separator sit Alexander, vel Iudæorum populus, tunc definiemus, quando viderimus, an vnquam postea à Iudæis ciuitates istæ habitatæ fuerint. Quod mox faciemus.

20. *Vltio diuina.* Vers.7. *Et auferam sanguinem eius de ore eius.*] Id est, dabunt pœnas illatæ iniuriæ, atque effusi sanguinis, suo nimirum sanguine. Est autem elegans metaphora sumpta ab his feris, quæ captam prædam lacerant, ac vorant: accidit tamen interdum potentior aliqua vis, quæ prædam extorquet iam iam vorandam, neque solùm rictum hiantem, & inanem relinquit excussa præda, sed ipsæ quoque feræ præda fiunt. Hoc genere loquendi vsus est Iob c.29. *Conterebam molas iniqui; & de dentibus eius auferebam prædam.* Neque longè diuersè cap.20. *Diuitias, quas deuorauit, euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus.* Vt ergo isti malè partam pecuniam cum magno suo malo, atque cruciatu euomunt; sic ille, de quo Propheta noster, quem hauserat, sanguinem cum dolore reddet. Porrò hoc loco allusum videtur ad antiqui sæculi consuetudinem, in quo homines ferinum in modum inimicorum quos in acie, aut alio quouis modo superassent, aut bibebant sanguinem, aut carnes deuorabant. Qua de re nos multis egimus *in cap.15. Altuum.* dum causam reddebamus, cur Deus olim populo suo sanguinem, & suffocatum prohibuerit.

Et relinquetur etiam ipse Deo nostro.] Id est, erit locus ille quondam alienus, & deditus inani idolorum cultui, subiectus Iudæorum genti: atque ideo Deum verum colet, sicut prouinciæ aliæ à Iudæis habitatæ, quos sibi ex omnibus Dominus elegit.

21. *Et erit quasi dux in Iuda, & Accaron quasi Iebusæus.*] Superandi dicuntur Accaronitæ, & in eis omnes etiam Palæstini; quòd si qui superfuerunt ex ipsis, erunt Israëlitis, quod olim Iebusæi; vt liquet ex *Iosue c.15.* & Iudic.1. restitêre Iebusæi diu, neque vinci potuerunt ante Regnum Dauid, à quo debellati, & à sua arce munitissima, quam propter murorum firmitatem, & loci naturam à cæcis, & claudis defendi posse existimabant, deiecti sunt. Sic Palæstini diu cum Israëlitis, & variè congressi, neque semel in acie superiores, tandem subiugabuntur, eritque in Iuda Dux, qui præsit, & in Accaron subditus, qui non aliter seruiat Iudæorum Duci, atque Iebusæus olim Dauidi. Lyra, & Dionysius Ducem istum Alexandrum esse putant, qui optimè in Iudæos animatus non aliter illis subdidit Accaronitas, quàm Dauid olim repugnantes Iebusæos. Sed, vt mox dicemus, hîc nihil de Alexandro.

22. Hæc, quæ à nobis dicta sunt, non videntur adhibere literæ vim vllam. Quòd si Iudæos in regionibus hoc capite commemoratis tanquam victores, & dominos consedisse probauerimus, & non tantùm Alexandrum, vt aliqui volunt, nil, credo, in nostra sententia nobis superest negotij. Subiugatas fuisse ab Alexandro Tyrum, Sidonem, & regiones olim subditas Philisthæis, & quibus tunc dominabantur Persæ, satis constat ex prophana historia. Vide Iosephum *lib.11. Antiq. c.8.* Q. Curtium *lib.4.* Iustinum, Plutarchum, Diodorum Siculum, Arrianum. Et ideo qui in

A mamzere, siue spurio, aut sicut noster vertit, *separatore*, qui sessurus est in Azoto, Alexandrum intelligeret, vt fecit Lyra, & Dionysius, verè quidem cogitaret; vereor tamen ne satis ad textum accommodatè.

Illud difficilius, an Iudæi in suam quoque ditionem non modò regiones ab Assyriis, Babyloniisque ablatas, sed etiam quas nunquam antea possederant; cùm tamen ad terram promissionis pertinerent, post hæc tempora Zachariæ redegerint. Mihi sanè certum est ad Iudæorum Regnũ illas quoque prouincias accessisse, quod multæ rationes illæque grauissimæ mihi persuadẽt. Primùm, quia hac de re sunt multæ, neque dubiæ, B aut obscuræ Prophetiæ. Suprà cap.2. *Post gloriam misit me ad gentes, quæ spoliauerunt vos, &c. & erunt prædæ iis, qui seruiebant sibi.* Et Sophonias cap.2. apertè Gazæ, Azoto, Accaroni, & Ascaloni, & funiculo maris, id est, tractui maritimo, vbi Tyrus est, & Sidon, vastitatem minatur, & subiicit: *Et erit funiculus maris requies pastorum & caula pecorum; & erit funiculus eius, qui remanserit de domo Iuda.* Et clariùs Abdias: *Et transmigratio exercitus huius filiorum Israel, omnia Chananæorum* (hæreditabit) *vsque ad Sareptam* (hæc ad Sidonios pertinet) *& transmigratio Ierusalem, quæ ad Bosphorum est, possidebit ciuitates Austri* (hæ dicuntur alibi funiculus maris) & concludit Abdias: *& erit Domino Regnum.* Eo- C dem, vt reor, sensu, quo dictum est à nostro Propheta nuper; *relinquetur etiam ipse Deo nostro.* Quod prædixit multo antè Isaias cap.49.n.19. *Quia deserta tua, & solitudines tuæ, & terra ruinæ tuæ nunc angusta erunt præ habitatoribus, & longè fugabuntur, qui absorbebunt te.* 23. *Iudæi post exilium plures obtinuère prouincias, quàm antè possederant.*

Secundò, quia id constat ex historiis. 1.Mach. 24. c.5. *Iudas declinauit in Azotum terram alienigenarum, & diruit, &c. & cepit spolia ciuitatum, & reuersus est in terram Iuda.* Quòd autem tunc alias quoque ciuitates subiugauerit, colligitur ex *lib.2. Mach. c.10.* vbi dicitur cepisse Gazaram, quæ Gaza est, vt tradit Iosephus Gorionis filius *lib.3. c.13.* & quidem Gazam in Iudæorum potestate fuisse do- D cet alter Iosephus *lib.4. Antiq. c.11.* nam eam aliquot post annos rebellantem recepit Alexander Hircani filius, nepos Simonis Iudæ Machabæi fratris. Iamniam quoque & Ioppem, quæ ad maris funiculum pertinent, captas esse constat *lib.2. Machab. c.12.* Multas quoque ciuitates habuisse Iudæos in Cœlesyria, totóque tractu maritimo, docet Hegesippus *lib.1.c.18.* cùm scribit illas ereptas esse per Pompeium Iudæis.

Ex iis, meo iudicio, satis constat, primò, quàm 25. *Cur Iudæus vocatur mamzer.* aptè hæc de temporali Iudæorum Regno intelligantur. Constat secundò quis sit ille separator, qui sessurus dicitur in Azoto: non enim Alexãder est, sed Iudaicus populus, qui separator dici E potest, quia veteres à Palæstino tractu habitatores expulit. Seu certè quia mamzer alienigenam significat, vt vertunt L X X. Mamzer Iudæus vocatur, dum Palæstinam habitat, quia non indigena illius prouinciæ; sed in eam ingressus aliunde. Si verum esset quod Stunica dicit, Hebræos à Philistæis mamzeres appellari conuitij gratiâ, quia non erant nati in ea regione, in qua consederant, sed ex Ægypto, aut ex Mesopotamia profecti, quos Hispanus vocat *aduenedizos*; & hi plerumque malè audire solent, sensus esset facilis; nempe eos, quos ipsi per ludibrium vocabant mamzeres, Azotum tanquam dominos, & indigenas possessuros. Sed non video vnde hoc Stunica discere potuerit. Est sanè accommodatum huic

huic loco nomen *alienigena*, quo vtuntur L X X. & putant multi ex Hebræis Doctoribus, & apertè exponit Chaldæus. *Habitabit*, inquit, *Israel in Asdod*, id est, in Azoto, *in quo fuerunt sicut extranei*. Si ergo mamzer alienigena sit, duplex erit sensus, & vterque neque ineptus, neque inelegans: nam illud *alienigena*, quod pene proprium erat Philistinorum nomen, qui ἀλλόφυλοι, id est, *alienigenæ*, dicuntur, referri potest ad ipsos Philistinos, & sensus erit: Philistinos tunc, si vnquam, maximè vocari posse alienigenas, quia in sua regione habitabunt tanquam in aliena, vtpote aliorum potestati subiecti. Referri item potest ad Israël, in hanc sententiam: Tunc verè dici poterit alienigena habitaturus in Azoto, quia Iudæi alibi nati in Azoto domini sedebunt.

26. Vers. 8. *Et circumdabo domum meam ex iis, qui militant mihi euntes, & reuertentes.*] Aut domum suam appellat Dominus templum, aut terram promissionis. Quocunque modo accipias, aptus est, & facilis sensus in nostra sententia, quoad terram quidem promissionis, quia totus ille tractus, qui funiculus dicitur maris, vbi Tyrus est, & Philistinorum ciuitates, ad terram promissionis pertinebat; vt constat ex Iosue *c.* 15. vbi Iudæ funiculo adscribuntur. Accaron, Gaza, & Azotus, &c. & maritimum littus, & *cap.* 19. funiculo Asser additur Tyrus, & quidem terra Chananæorum, quæ data est filiis Israël mari ipso definiebatur *Num.* 13. vbi exploratores dixêre: *Chananæus moratur iuxta mare, & circa fluenta Iordanis*; & Iosue 5. *Postquam audierunt omnes Reges Chanaan qui propinqua possidebant magni maris loca.* Dicit ergo Dominus domum suam, id est, regionem sibi suóque populo delatam, quam alieni eò vsque possederant, habitandam esse non ab externis, & incircumcisis, sed à gente suo stigmate notata. Neque frustrà dicitur; *Circumdabo domum meam ex his, qui militant mihi*: quoniam alieni regionem illam, quæ domus Dei dicitur, circumdabant, cùm extremam oram Regionis, & ambitum possiderent. Non ergo iam amplius alienigenæ circumdabunt, id est, in circuitu Regionis morabuntur, sed Iudæi.

27. Si tamen *domus* templum significet, eadem pene sententia est. Nam templum quoque alieni populi circumdabant, quia non longè aberant: occupabant enim non exiguam partem sortis Iudææ, vt vidimus, in qua, aut proximè in extrema parte sortis Beniamin templum erat ædificatum. Vide quæ de templi situ diximus cap. 2. ad illud, *Et possidebit Dominus Iudam.* Dicuntur autem *euntes, & reuertentes*, quia assiduè Deo, & in omni ministerio seruiunt. Sicut enim in ingressu, atque exitu omnia intelliguntur, quæ ab aliquo fiunt; sic etiam in progressione, ac reditu, siue in eundo, ac reuertendo. Nam serui fideles, & in dominorum suorum oculos, & imperium intenti, non minùs prompti reuocati redeunt, quàm ad præstanda mandata festini aduolant.

28. *Angelorum custodia.* Hæc quidem satis apparent probabilia; sed placet multo magis quod hîc indicat Hieronymus, non solùm pellendos esse hostes à Iudæorum finibus; sed adhibendam esse quoque custodiam, ne in Domum Dei aliquid indignum, aut è suo voto moliantur hostes. Custodia verò Angelorum est, quorum sedulum, ac promptum ministerium satis explicant duæ illæ voces *euntes, & reuertentes.* Quod etiam significauit Centurio apud Matth. c. 8. *dico huic vade, & vadit; & alij veni, & venit.* Dixit idem, credo, Isaias c. 62. vbi

A cùm eadem ferme tractasset, addidit: *Super muros tuos Ierusalem constitui custodes*; quos esse Angelos communiter existimant Patres. Facit pro hac sẽtentia, quòd pro *circumdabo*, Heb. est nan *chanah*, quod *castrametari* valet. Quo verbo vsus est Dauid Psal. 33. *immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum.* Alij vertunt, *castrametabitur*; vbi sine dubio sensus est castrensis & militaris.

Quia nunc vidi in oculis meis.] Hæc verba nonnulli referunt ad Prophetam qui dicat ea omnia se vidisse; & ita futura certa, ac si oculis iam facta conspiceret. Ego ad Deum refero, vt communiter alij, vbi aliquid supplendum est, nempe, *vos ô popule meus*, seu, *vestram calamitatem.* Et hic B sensus posset esse triplex. Primus, vt Deus iratus fingatur, quasi non curauerit, aut respexerit aliorum iniurias. Qui loquendi modus satis vsitatus est in Scriptura, in qua *videre*, aut respicere curam, & fauorem significant. Psal. 14. *respice in me, & miserere mei.* Thren. 5. *intuere, & respice opprobrium nostrum.* Nunc verò indicat Deus respexisse se populum, cuius videbatur curam abiecisse, & velle iam illatas iniurias vlcisci. 29.

Secundus sensus est, vidisse Dominum hactenus populum suum oculis non suis, sed alienis, id est, iracundis, & vindictam scintillantibus; nunc tamen vidisse oculis omnino suis, id est, mitibus, & fauentibus. Sed tertius sensus mihi maxi C mè omnium probatur, qui iuxta ea quę *c.* 2. & 8. dicta sunt, populum oculos facit Domini. Cùm ergo Dominus populum suum vexatum videt, quasi oculorum suorum pupillam violatam videt. Qui sensus esset multo clarior, si noster Interpres vocem Hebraicam בעיני *beenai* vertisset *oculos meos.* quod phrasis Hebraica non respuit, aut certè, *in oculos meos.* Notum est enim verbum ראה *raah.* i. *video*, habere post se præpositionem ב (i. *in*) & ideo in Scriptura frequens *respicere in aliquem, respicere in faciem*, est omnino idem, quod *respicere faciem.* Si ergo iuxta Hebraicam syntaxim illud ראיתי בעיני *raithi beenai* vertas, *respexi oculos meos*, nihil clarius, aut significantius dici potuit. D 30. *Dei humanitas, & suorum amor.*

Huc vsque de temporali Iudæorum Republica; quod superest capitis de Regno Christi est, quæ summa illius populi exaltatio fuit. Et sanè commodissimè: cùm enim subactos iam hostes Iudaici nominis ostendisset, inductámque pacem regioni antè perpetuis pene bellis, seditionibúsque turbatæ, consequens erat, vt post imaginem & vmbram succederet veritas, id est, pax spiritualis à Deo suo Regno, id est, Ecclesiæ reddita, post concussum iam, & debellatum dæmonis imperium. 31. *Hinc Prophetia de Ecclesia.*

Exulta satis filia Sion.] Magni aliquid est, quando præter institutum narrationis ordinem repentè mutatur dicendi figura; maximè cùm diu E æqualis, & lenis fuit dicendi modus. Viderat hactenus Zacharias mira, neque expectata populi Iudaici beneficia; humana tamen, & quæ ad temporaciã tantùm rationẽ & speciem pertinebant: nunc tandẽ dum huius typi veritatem intuetur, altissimum nempe Christi Regnum, & vinctos ex carcere magis diuturno, ac tetro liberatos, mutato stylo, ac forma dicendi, monet admirans filiam Sion, vt quem ipse videt regẽ pacificum, & insidentẽ asinæ, ipsa quoque exultans intueatur. 32.

Quia hoc Zachariæ testimonium ab Euangelistis non eisdem verbis citatũ est, obserua Apostolos, Apostolicósque viros in citandis Scripturis non tam verba ipsa adhibere solitos, quàm 33. REGVLA. *Apostoli Apostolicique viri in citandis testimoniis nõ tam verba spectant, quàm sententiam.*

TTt 4 seu

ſententiã. Quare Ioannes *cap.* 12. vbi hunc ipſum Zachariæ locum adducit, ait: *Noli timere filia Sion, ecce Rex tuus*; ſed licèt aliqua verba ſint diuerſa; ſententia tamen eadem eſt, & idem inſtitutum: quia probare tantùm voluit vterque Euangeliſta, tunc impletam eſſe Prophetiam de Rege Iudæorum inſidente pullo aſinæ.

34. Vel certè ex duobus teſtimoniis vnum conflatum eſt, quod in Scriptura infrequens non eſt. 1. Petr. 2. *Non credentibus autem lapidem, quem reprobauerunt, hic factus eſt in caput anguli; & lapis offenſionis, & petra ſcandali.* Prior pars teſtimonij ſumpta eſt ex *Pſal.* 17. poſterior ex *Iſai. cap.* 8. Et Marci cap. 1. *Sicut ſcriptum eſt in Iſaia Propheta: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deſerto; parate viam Domini*, &c. Prior pars ex *Malachia cap.* 3. poſterior ex *Iſai. capit.* 40. ſumitur. Et Petrus *Actuum cap.* 1. vbi agit de Iuda, ex duobus Pſalmis vnum contexuit teſtimonium. Vide quæ diximus infrà ad illud c. 11. *decorum pretium.* Sic ergo Matthæus cùm ageret de Ieſu Rege, & Saluatore, adduxit locum Iſa. c. 62. *Dicite filiæ Sion*, &c. & addidit ex Zacharia: *ſedens ſuper aſinam.* Similiter Ioannes *cap.* 12. videtur ex *cap.* 2. *Ioel.* ſumpſiſſe priorem, & ex Zacharia poſteriorem teſtimonij partem. Cùm enim de eadem omnino re ageret vterque Propheta, atque eadem videretur Prophetia, ſumpſit ex Ioel; *Noli timere filia Sion*: quia ibi Ioël dixit; *Noli timere terra, exulta, & lætare, quia magnificauit Dominus, vt faceret, & filij Sion exultate*, &c. ex Zacharia verò ſumpſit; *Ecce Rex tuus*, &c.

REGVLA. *Ex duob. teſtimoniis vnum conflari ſolitum.*

35. *Ecce Rex tuus venit iuſtus, & Saluator: & ipſe pauper.*] Cauſam oſtendit cur filiæ Sion exultandum ſit. Nam toto captiuitatis tempore Regẽ non habuit, neque tunc habebat, habiturave erat per 500. ferme annos; nam vſque ad externos reges per Sacerdotes, & Duces adminiſtrata eſt Iudæorum Reſpublica (quomodo quidam, qui è Machabæorum genere regium ſibi diadema impoſuerũt, propriè reges non fuerint, diximus in noſtris cõmentariis *ad cap.* 21. *Ezechiel.* vbi id expreſsè docet Hieronymus.) Aduenturus tandem eſt filiæ Sion Rex omnino ſuus ex Dauidico ſanguine, iuſtus, Saluator: non vt plerique ſuperiorum Regum, qui neque ſeruare potuerunt ab iniuriis, & dum ſuæ commoditati, ac libidini ſeruiunt, ſubditum ſibi populum vexauerunt, & exhauſerunt ſæpe; ac tandem extorrem à patria in longam, ac duram ſeruitutem abduxerunt. Non ſic Rex ille, qui poſt tot iactationes, rerúmque diſcrimina venturus eſſe dicitur: erit enim iuſtus, Saluator, &c. Illud obſeruandum, apud L X X. eſſe πραΰν, id eſt, *manſuetum*, ſicut etiam citauit Matthæus ſecutus L X X. In textu Hebraico, quem nunc habemus, eſt עני *Ani*, quod *pauperem*, & *humilem* ſignificat, quibus plerumque, vt refert ipſa rerum natura, adiuncta eſt manſuetudo. Sed fortaſſe L X X. ab eadem radice, ſed forma diuerſa legerunt ענו *Anau*, quod *manſuetum* valet.

36. *Aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ.*] Hic primùm nobis examinandum eſt an bene conuerterit noſter Interpres: neque enim deſunt qui dubitent: quia vox Hebraica חמור *chamor* videtur eſſe maſculini, nõ fœminini generis. Et ita putat Euthymius *in cap.* 21. *Mat.* & ideo inquit Græcè conuerſum eſſe, ὄνον, quod item maſculinum eſt. Eodem propè modo Ianſenius cap. 110. Concordiæ. Sed non eſt cur malè vertiſſe noſter Interpreres exiſtimari debeat: vtrumque enim nomen tam Græcum, quàm Hebraicum commu-

A nis eſt generis. De Hebraico conſtat 2. *Reg. capit.* 19. vbi cùm præceſſiſſet eadem vox חמור *chamor*, ſubditur עליה *aleha* cũ affixo generis fœminini, id eſt, *ſuper eam.* Et de voce Græca minùs eſt dubitandum: nam apud Matthæum eidem voci ὄνος fœmininum genus adiungitur. *Inuenietis*, inquit, ὄνον δεδεμένην, καὶ πῶλον μετ᾽ αὐτῆς, id eſt, *aſinam ligatam, & pullum cum ea.* Vbi duo ſigna apparent generis fœminei. Et licèt generis ſit ambigui, ſatis tamen genus expreſſiſſe videbatur Matthæus cùm illi voci pullum adiungit. Neque enim pulli patres ſequi, quos non nouerunt, ſed matres ſolent. Maximè quia pullus tener erat, vt L X X. indicant, cum vertunt καὶ πῶλον νέον, id eſt, *pullum*
B *nouum.* Et ſatis oſtendit, cùm dicit, in quo nemo ſederat, propter ætatis itaque infirmitatem necdum à matris ſocietate receſſerat.

Illud rurſum examinandum, an Rex hic ſuper aſinam, & eius pullum ſederit; an tantùm ſuper alterum? Diſputant quæſtionem hanc communiter Doctores *ſuper Matth. cap.* 21. neque deſunt, qui putent non ſolùm Chriſtum non ſediſſe ſuper duo, ſed neque duo fuiſſe tunc animalia, ſed tantùm vnum. Ita Euthymius ſuprà, qui putat aſinum priùs, deinde filium aſini nominari (nam ipſe, vt vidimus, aſinum, non aſinam eſſe putat) vulgato Hebræorum more, qui vnam rem vno atque altero modo ſignificare ſolent.
C Sed fuiſſe duo ſatis docet Matthæus, quia pluraliter loquitur, & ſatis diſtinctè, vt patet. Nam licèt tres Euãgeliſtæ pulli tantùm meminerint, ſed de aſina nihil negant. Neque verò omnes Euangeliſtæ omnia dicunt, ſed ab alio omiſſa alius ſcribit. Sed quòd alij pulli tantùm meminerint, ſua ratio eſt, eaque non vulgaris, de qua ſtatim. 37.

Quidam in vno tantùm ſediſſe putant, in quibus eſt Hieronym. *in Matth.* Auctor imperfecti, Abulenſis *ibid.* Ianſenius *in Concordia.* Salmeron *tom.* 6. *tract.* 47. quia in tam breui ſpatio (neque enim plus 15. ſtadiis abeſt à Ieruſalem Bethania) Chriſtum quaſi deſultoriè in duobus iumentis
D vectum eſſe veriſimile non eſt. Sed alij ferme omnes contrà ſentiunt. Chryſoſt. *homil.* 65. *in Ioãnem.* Theophylactus, Strabus, Hugo, S. Thomas, Lyra, Caiet. Toletus, Maldonatus. Neque de hoc, meo iudicio, dubitabit, qui paulo attentiùs legerit Matthæum: nam Chriſtus vtrumque tam aſinam quàm eius pullum ſolui iuſſit; & dici illorum domino, *quia Dominus his opus habet.* Deinde ſubditur: *Adduxerunt* (Apoſtoli) *aſinam, & pullum, & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua: & eum deſuper ſedere fecerunt.* Deinde, quia in hoc alterno aſinæ, pullique conſcenſu aliquid myſterij agnoſcunt communiter Patres, qui hîc adumbrari putant ampliſſimum Chriſti Imperium; quod non ſolùm Iudææ finib. circumſcriberetur, ſed latè ſe ad Gentes. i. ad orbem vniuerſum porrigeret. In
E aſina enim iã effœta ſenior ſynagoga deſcribitur, quæ ideo à LXX. ὑποζύγιον, & à noſtro *ſubiugalis* vocatur, quia à multis antè ſæculis iugum legis portauit, adeò graue, vt Petrus dixerit Actorum 15. *Quod neque nos, neque patres noſtri portare potuimus.* At pullus neque iugum vnquam, neque onus portauerat: quia Gentilis populus liber vixerat, vt onager in deſerto, & ſuæ potiùs voluntati, ac libidini, quàm legibus ſeruiebat. Vectus eſt autem Chriſtus aſina priùs, quia Iudaico populo priùs legem impoſuit; deinde pullo indomito, & inexperto ſeſſoris, quia poſteriùs ſibi Gentilem populum aſſociauit. Neque ratio Hieronymi, neque

38. *Chriſtus in aſina, & in pullo eius ſedit.*

neque aliorum nimis vrget: non enim Christus iumentum mutauit propter necessitatem, aut loci distantiam, sed propter mysterium, de quo modò; & vt Prophetia Zachariæ, quæ vtriusque meminit, sine vlla tergiuersatione videretur impleri.

39. *Cur alij Euangelistæ præter Matthæum asinæ non meminerunt.* Cùm verò ex hoc posteriori populo maior numerus Christo, & gloria maior accesserit, ideo pullo insidens asinæ satis à sua maiestate domito, in meliori sui triumphi parte, & loco, id est, spectante, ac plaudente tota ciuitate Solymitana inuectus est. Et quia aspectus ille posterior, & ingressus in ciuitatem totam ferme triumphi gloriam continebat, ideo puto, vno excepto Matthæo, omnes Euangelistas de asina neque obscurè quicquam insinuasse; quia fortasse illa vehebatur cùm primùm ex Bethania progressus, quãdo tantùm habuit Discipulos sui triumphi spectatores. Vbi autem se in frequentis turbæ conspectum dedit, pullum ascendit, qui secundo loco in hac Prophetia positus est.

40. Porrò asina hæc subiugalis vocatur ad ostendendam maiorem tanti Regis humilitatem, & mansuetudinem, quia asina hæc non ad iter faciendum, sicut in ea regione mos erat, sed ad gestandum onus, iugúmque subeundum erat destinata: & ideo ex castello, id est, villa proxima sumitur. Videntur autem inter Hebræos duo fuisse genera, aut munera asinorum: alterum eorum qui subiugales dicuntur, quia sub iugum agũtur, siue vt plaustrum ad onera, siue vt aratrum trahant ad vertendam terrã. Ideo Deut. 22. dicitur. *Non arabis in boue, & in asino:* & Isai. cap. 30. *pulli asinorum, qui operabantur terram.* Alterum ad iter faciendum; erat autẽ in ea regione non indecorum asinis inequitare; quare sæpe honesti etiam, & principes viri sterni sibi asinos iubent, vt Abraham *Genes.* 22. Achitophel Regius consiliarius 2. *Reg.* 17. & Miphiboseth Regius puer. *ibid. cap.* 19. *& Iudic.* 10. triginta filij Iair Galaaditæ Iudicis Israël, & totidem ciuitatum principes, sedere dicuntur super septuaginta pullos asinarum. Et *cap.* 12. idem dicitur de 70. filiis Abdon principis Israël, & *Iudic. c.* 5. principes Israël dicuntur sedere super nitentes asinos, id est, pingues, & pulchros. Hispanè *regalados.* Sed Christus subiugali vehebatur asina, & pullo, tenello tamen, neque dum assueto sarcinæ, atque adeò non solùm humiliter, sed etiam incommodè sedebat.

Duo asinorum munera apud Iudæos.

41. *De hoc asino Rabbinorum nugæ.* Ridiculum valdè est quod de hoc asino suo more fabulantur Hebræi, vt trádit Abulensis *super cap.* 22. *Genesis*, vbi docet sensisse Hebræos hunc asinum de quo Zacharias, esse illum, qui portabat Abraham, quando immolare voluit filium suum Isaac. Et *in cap.* 4. *Exodi q.* 10. refert ex sententia Rabbi Salomonis, hunc eundem esse asinum cui multis antè sæculis Moyses *Exod. c.* 4. vxorem, & duos filios imposuit, cùm Ægyptum repeteret: neque enim, inquit, alius asinus tantum onus portare potuisset, nisi qui portaturus esset Messiam, de quo hîc Zacharias. O rem nugatoriam, & Hebræo Doctore dignam! quasi magnum sit asinum vnum portare matrem cum duobus puerulis, aut ideo per tot annorum myriades asinus ille conseruari debuerit. Imò illi ipsi, qui hoc nugantur, fateri etiam debent asinum illum adhuc viuere, si portaturus est Messiam: quandoquidém Messiam expectant adhuc, quem nondum venisse putant.

42. *Ecclesiæ pax [illegible]* Vers. 10. *Et disperdam quadrigas ex Ephraim, & equum de Ierusalem.*] Vbi primùm se Propheta ex ea admiratione seu stupore recepit, quem ex tanti Regis asino insidentis mansuetudine conceperat, refert se rursus ad institutum narrationis ordinem. Dixerat subiugandos esse fines, quos hostes occuparant; ac firmo Angelorum præsidio stabiliendos; agebat autẽ de Republica Hebræorum: nunc verò de Ecclesia sermonem aggressus ostendit tanti Regis Imperium futurum esse pacificum. Atque ideo si qua parata fuerant ad bellicos casus instrumenta, illa iam necessaria non esse; non quadrigas, non arcus. Quod antè etiam Deus promiserat Isai. cap. 2. *Et conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non leuabit gens contra gentem gladium, neque exercebuntur vltrà ad prælium.* Et Michæas cap. 5. adhibet eadem propè verba, quæ nunc Zacharias: *Auferam equos tuos de medio tui, & disperdam quadrigas tuas,* &c.

Sed cur hoc loco potiùs meminit Ephraim? an quia Ephraim pro toto Israël sumitur, quia Samaria, quæ Israëlitici regni caput, & sedes est, in tribu Ephraim sita erat, & inde curribus instructi reges Israël contra duas alias tribus sæpe bella mouerunt. Vel quia duodecim tribus Israël spirituali sensu pro toto orbe sumuntur: vnde *Apoc. c.* 7. magnus ille beatorum numerus, quem vidit Ioannes, ex duodecim tribubus Israël assumptus dicitur. Et Apostoli *Matth. c.* 19. sedebunt cum Iudice Christo iudicaturi duodecim tribus Israël, id est, totum mundum. Aptè verò quadrigas accommodat Ephraim, equos Ierusalem, quia Ephraimiticum solum, id est, sortes decem tribuum, quæ nomine Ephraim explicantur, magis aptum curribus, quàm Hierosolymitanum; hoc enim confragosum est, & interceisum salebris; illud magis in planitiem æquatum. Quare reges Israël magno quadrigarum numero instructos fuisse Scriptura sacra commemorat. 43.

Hieronymus aliter accipit hunc locum: putat enim quadrigas disperdendas ab Ephraim, quia hostiles quadrigæ non nocebunt amplius Ephraim, neque equi item hostiles Hierosolymis, id est, Ecclesiæ in terra promissionis adumbratæ. Itaque Rex Messias & inducet pacem, & conseruabit.

Et loquetur pacem Gentibus.] Id est, annunciabit Euangelium, id est, regium suum edictum alienis populis. Quòd autem tertia persona ad primam transeat, *& disperdam*, & deinde redeat ad tertiam, *& loquetur*, vsitatum est in Scriptura, maximè in Prophetis, qui cùm in persona Domini loquantur, modò prima, id est, sua: modò tertia, id est, Domini, vtuntur persona. Porrò *loqui pacem*, idem est ac loqui pacificè. Psal. 27. *qui loquitur pacem cum proximo suo.* & Psal. 84. *quoniam loquetur pacem in plebem suam.* Et hoc fortasse est quadrigas disperdere, quia à Gentibus iam pacatis non amplius contra Dei populum ad bellum instruentur. 44.

Et potestas eius à mari vsque ad mare; & à fluminibus vsque ad fines terræ.] Eadem verba sunt *Psal.* 17. vbi de speciali Christi Regno etiam sermo est; *Et dominabitur à mari vsque ad mare: & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum.* Sed sanè videtur ab vtroque Propheta tam latè patens Christi imperium nimis angustè definiri. Quod enim tantũ est spatium, quo fines tã sibi ipsis vicini circumscribuntur? Nam hîc sine dubio terræ promissionis termini notãtur, qui etiã descripti sunt Exod. 23. *Ponã autẽ terminos tuos à mari rubro vsque ad mare Palæstinorum: & à deserto vsque ad fluuium*; qui termini respiciunt quatuor terræ promissæ plagas. 45. *Terræ promissionis termini.*

Eodem

Eodem ferme modo descripti sunt Deut. cap. 11. *A deserto, & à Libano, & à flumine magno Euphrate vsque ad mare Occidentale erũt termini vestri.* Ex quo constat *flumen* hîc sumi pro Euphrate. Neque admodùm obstat quòd in plurali numero, *à fluminibus*, dicatur, non *à flumine*: nam epithasis gratiâ res singularis pluraliter explicari solet, vt de die Sabbati diximus *Actor. cap. 13. nu. 14.* nam Sabbatum illud quod Iudæis religiosum est, & solenne, Sabbata dicitur. Sic modò, quia Euphrates fluuius magnus est, & ita in sacra Scriptura nominatur, pluraliter vocatur *flumina*. Et sanè in Hebraico singulariter ponitur מנהר, id est, *à flumine*, fines terræ hîc esse puto, quod in aliis terræ descriptionibus vocatur *desertum*; nempe Arabiæ, quæ ad Ortum spectat. Vocatur autem desertum, quia propter aquarum inopiam, & incommoda alia minus ea regio cultoribus frequens est, quàm finitimæ aliæ regiones. Finis verò terræ, quia cùm alias oras promissæ hæreditatis aquæ definiant à Meridie mare Rubrum, seu, vt alij volunt, fluuius Ægypti, qui Rhinocorura, siue Rhinocolura dicitur, ab Occasu mare Mediterraneum, à Septentrione Euphrates: ab Ortu tamen terra terminus est. Cùm verò Deus populo suo hæreditatem, quæ his definita est spatiis, attribuisset, ille tamen aut pugnando defessus, aut timore exanimatus subiicere sibi aut noluit, cùm posset, aut cùm vellet, non potuit propter sua peccata. Vide Hieronym. in Epist. *Quaris Dardane.* Et nos nonnihil diximus nuper ad illud, *Et circumdabo domum meam.*

46. REGVLA. *S. Scriptura interdum vulgi se opinioni accõmodat.*

Sed esse adhuc quod quæramus quomodo Christi imperium Propheta tam angustis terminis cohibeat, & in tractu Israëlitico, cùm tamen ad Gentes quoque latè se diffundere debeat? Duobus modis occurri potest huic difficultati. Prior est, si iuxta Scripturæ consuetudinem, quæ sæpe non tam secundùm rerum naturã loquitur; quàm secundùm vulgi existimationẽ, vt docuimus in illud Cant. 6. *Nasus tuus*, dicamus Prophetam loquutum iuxta vulgi sensum, qui amplissima spatia in terra promissionis esse existimabat: atque adeò id, quod à mari ad mare, & ab Euphrate ad desertum continebatur, immensæ cuiusdam magnitudinis esse arbitrabatur. Sicut Hispanorum olim vulgus ad Romam vsque infinita numerabat spatia: neque quicquam putabat esse super. Neque dissimili figura vsus est Iuuenalis *Satyra 10.* qui totum mundum inter Gades, & Gangem cõplexus est. Aut fortasse quemadmodum in filiis Israël omnes homines significantur Matth. c. 19. *iudicantes duodecim tribus Israel*; sic terra Israël pro toto mundo, & termini ipsius magis vniuersales pro totius mundi terminis vsurpantur.

47. REGVLA. *Loca certa pro illis mũdi regionib. posita, ad quas spectãt.*

Alius modus est soluendi huius nodi, ita vt quatuor illi termini non nominentur, neque hîc à Zacharia, neque à Dauide *Psalm. 71.* quia illis Imperium Christi conclusum sit; sed quia ab illis quoquouersus ad extremos terræ fines producatur. Nam, vt suprà diximus, quatuor fines terræ promissionis quatuor orbis plagas respiciunt, & nominant. Nam desertum Occasus dicitur, atque ideo deserto, & Arabiæ, quæ ad Occasũ pertinet, commune nomen est: imò & desertum, seu Arabia, occasus dicitur *Psalm. 67.* vt pluribus ostendimus in eius Psalmi Commentariis ad illud, *Qui ascendit super Occasum*, Hebr. ערבה *arabah*. Mare dicitur Meridies; vnde *Psalm. 106.* cùm quatuor orbis plagæ notarentur, mare Meridies est. *A Solis Ortu, & Occasu, ab Aquilone, & mari.* & Psal. 88. cùm de totius orbis spatiis ageret, diceretque; *Orbem terræ, & plenitudinem eius tu fundasti*, statim orbis partes separatim dinumerat. *Aquilonem*, inquit, *& mare tu creasti; Thabor, & Hermon, in nomine tuo exultabunt.* Vbi Thabor pro Occidente, Hermon pro Oriente ponitur, quia hic ad Ortum, ille ad Occasum spectat. Ita Doctores Hebræorum, Iansenius, Genebrardus, & Chaldæus. Ad hunc ergo modum non malè iudicaret, neque præter Scripturæ consuetudinem qui terminos magis notos pro illis regionibus vsurparet, ad quas per illos terminos progrediendum esset, id est, pro toto orbe, ad quem per quatuor designatos fines exitus patet. Ad omnes itaque mundi plagas Christi Regnum sese diffundet; quas quatuor terræ promissionis anguli respiciunt.

48. *Textus Hebraicus corruptus à Iudæis.*

Vers. 12. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos.*] Hîc plurimùm negotij facessit textus Hebraicus, quem habemus modò sine dubio corruptum à Iudæis; qui vbi prodi suã siue ignorantiam, siue perfidiam vident, fontes ipsos turbare, & luci tenebras obtendere moliuntur. Volũt autem, dum Christo tantam gloriam, & nobis tantum ad veritatem cognoscendam lumen inuidẽt, ad Synagogam suam, siue ad Ierusalem restitutam hunc locum non flectere molliter, sed violenter contorquere. Primùm illud *tu*, Hebr. est, את *ath* generis fœminei. Et pronomen *tui*, & *tuos* est ך generis item fœminei. & pro *emisisti* non est שלחת *salachta*, sed, שלחתי *salachti*, in prima persona. Et iuxta hanc scriptionem vertunt Pagninus, & Vatablus, Galatinus, Chaldæus & recentiores alij cum Chaldæo. *Et tu (ô Ierusalem) in sanguine fœderis tui dimisi vinctos tuos de lacu.* Sed quòd corruptus sit à Iudæis Hebraicus textus, satis indicãt LXX. qui longè aliter videntur legisse, nempe vt legit Hieronymus. Respondet ad Hebraici textus notationem satis diligenter Ribera, ex quo nos pleraque sumimus. Et, vt singula examinemus, primùm certum est apud Hebræos genera sæpe mutari, ita vt terminationes masculinæ fœmineis nominibus accommodentur. Vide Pagninum libro secundo institutionum capite tertio, & speciatim de pronomine את *ath*, quod masculinè sumi docet *libro 2. capite 34.* idque tribus exemplis confirmat. Idem docet Rab. Dauid in Miclol. Accedit quòd, vt idem docet Pagninus, sæpe ex אתה *athah* tollitur vltima. Cùm verò Prophetæ sine punctis scripserint, posteriores Hebræi qui longè pòst addiderunt puncta, decepti similitudine, numeróque literarum pronomen masculinum fœmineis punctis notauerunt. Idem dicendum est de pronomine ך: nam cùm litera vtrique generi sit communis, qui pũcta excogitarunt, illud appinxère, quod minimè oportuit. De שלחת illud dico, facile corrumpi potuisse, adiecto *Iod* extremæ literæ. Quod esse factum persuadet Hieroymi magna Hebraici sermonis peritia. Valdè enim rudis esset, si nactus literas quas nunc habemus, reddidisset *emisisti*, & non *emisi*. Neque verisimile est LXX. Seniores omnium Iudæorum doctissimos, ita conuersuros fuisse, nisi nacti essent codices aliter notatos.

Accedit quòd si in prima persona legas *emisi*, non apparet quis sensus esse possit aut facilis, aut commodus. Nam quem indicat Pagnini translatio; *Etiam tu Ierusalem exulta in sanguine fœderis tui*; omnino non placet: nam in primis illud *exulta*, de suo potiùs capite, quàm de textu sumpsit. Deinde, quia cùm iam antè præcessisset; *Exulta satis filia* 49.

filia Sion, iubila Ierusalem; non bene contexitur; *Etiam tu Ierusalem exulta*: quia illud otiosum esset & ineptum. Præterea, quia si de Christo hic sermo non est, sed de Ierusalem restituta, vt Iudæi volunt, non est cur adeò in sanguine fœderis exultandum sit.

Quòd si dicas, cùm superioribus verbis vrgeri magis possint Iudæi, cur illa non corruperint. Respondeo, illa non ita facilè potuisse vitium admittere: sunt enim eius formæ, atque eo ordine dispositæ literæ, vt sine magna mutatione non possint fraudem aliquam Iudæorum consiliis commodam subire.

Est igitur sine dubio sermo de Christo, ad quem Propheta sermonem conuertit; & satis quidem aptè: nam vbi de amplificata Iudæorum Republica, atque pacata dictum est, ac de Ecclesia per omnes terræ fines dilatanda, statim ad aliud tempus non minùs Regium, ac tanti Seruatoris proprium Prophetiam traducit.

50. Porrò illud, *tu quoque*, duo videtur posse coniungere: alterum, vt ad illam laudem de Ecclesia excitata, auctáque vehementer, & locorum spatiis, & fidelium numero, addat quoque libertatem illorum, qui cùm ad fidelium numerum pertinerent, clausi tamen tenebantur in tetro carcere, & lacu profundo, vbi non est aqua, id est, in Abrahæ sinu. Vel sanè cùm in temporaria Iudæorum Republica Christus duo per fecerit, excitarit nempe, munieritque ciuitatem & templum; & latè dispersum populum vndecunque vocauerit, & eos maximè, qui diu Babylonico dominatu durè vexabantur. Sic quoque eodem prorsus ordine, ac modo, non satis Christus habuerit in suo sanguine Ecclesiam constituisse, nisi etiam in eodem sanguine vinctos educeret, qui magis molestum, ac longum in lacu sine aqua quàm apud Babylonios Iudæi carcerem subierunt. Ita vt typicè Hierosolymorum ædificationi, atque libertati vera Ecclesiæ constructio atque captiuorum in Abrahæ sinu liberatio ex æquo respondeant. Ac si dicat: ædificasti, ô Rex, & Saluator Christe, Ierusalem & templum, extraxisti captiuos è Babylonico carcere, tu quoque, vt veritas suo typo respondeat, ædificabis Ecclesiam, atque ex alio carcere, quem Babylonicus adumbrabat, vinctos tuos educes. Et fauet huic posteriori explicationi, quò Christo non solùm spiritualis eius populi libertas tribuitur, sed etiam corporalis, si modò ad spiritualem cōferat, vt de Ægyptia libertate dicit Iudas, *Quoniam Iesus populum de terra Ægypti saluans secundò eos, qui non crediderunt perdidit.*

Libertas à Babylonia typus libertatis à peccato.

51. Cæterùm quid testamentum, & quid testamenti sanguis sit, explicato omnino opus est. Et vt plura alia omittam vocem Hebraicam ברית noster Interpres interdum *pactum*, & *fœdus*, interdum *testamentum* vertit: sicut etiam Græcus interdum *συνθήκην*, & interdum *διαθήκην*, quorum alterum *pactum*, alterum *testamentum* valet. Est autem testamentum, quo sensu dicitur Testamentum Vetus, & Nouum (vt optimè Bellarminus 1. *tom. lib.* 1. *cap.* 17. & Ribera in Commentariis epist. ad Heb. ad illud cap. 9. *testamentum enim in mortuis confirmatum est*) pactum quoddam, quod tamen vim accipit, impletúrque morte illius, qui genus illud testamenti aut fœderis pactus est. Itaque omnino testamentum non est: sed quasi legatum cum aliquo onere relictum, tribuendum tamen cùm mors intercesserit illius qui promisit. Vnde, quia conditionem aliquam

Quid testamentum Vetus, & Nouum, & cur fœdus dictum.

A requirit, vt ita loquar, in legatario, pactum est: quia tamen illud mortem expectat aut testatoris, aut promittentis, testamentum.

Porrò sanguis testamenti dicitur, quasi testamentum sanguine, id est, testatoris morte confirmatum. Sanguinem enim pro morte sumi satis notum est. Quare in sanguine testamenti vinctos educi, nil aliud esse puto, quàm liberatum iri vinctos è carcere, quando Christi sanguis aduenerit, qui pactum confirmet, aut testamentum stabiliat. Vsus autem videtur Propheta, & Paulus ad Hebr. c. 9. *sanguinis* potiùs nomine, quàm *mortis*, quia cùm duo *sanguis* significet, & id quod propriè sonat, & mortem, illud ad pactum referri potest, quod sanguine sanciri solet; hoc ad testamentum, quod testatoris morte confirmatur. S. Thomas quoties sanguis cum testamento coniungitur, Testamentum sanguine confirmatum exponit. Vide, quæ diximus in nostris Commentariis super Danielem ad illud v. 34. *Ne dissipes testamentum tuum.* 52.

Quomodo sanguis testamentum confirmet.

B

Sunt autem Testamenta duo, Vetus, & Nouum: in vtroque verò promittebatur filiis hæreditas Regni cælestis. In Nouo apertè, in veteri obscuriùs, & quasi per ænigmata: vt enim Ecclesia antiqua ex genere Abraham, typus erat Ecclesiæ: sic promissiones antiquæ, ac sacrificia, typus fuerunt eorum, quæ nunc in Ecclesia clariùs promissa, & magis prompta habemus. Terra promissionis cum suo melle, ac lacte, in quam per tot viarum dispendia, rerúmque discrimina ex Ægypto ingressi fuerunt filij Israël, æternam hæreditatem adumbrabat; & sanguis victimarum, Christi sanguinem, per quem ad hæreditatem illam aditus aperitur. In Testamento ergo Veteri promittebatur æterna hæreditas, non tamen adeunda, donec testator moreretur, obscurè tamen, vt dixi, & in vmbra; spectabatur enim hæreditas terrena, quæ cælestem, & vitulorum sanguis, qui Christi sanguinem designabat: vt enim Paulus ad Heb. 9. *nec primum* (testamentum) *sine sanguine dedicatum est*; quia morte victimæ mors adumbratur Christi testatoris. In Testamento ergo Veteri data est hæreditas, in vmbra tamen, quia qui moriebatur, testator non erat, sed testatoris imago quædam obscura. In Nouo verò iam vera aditur hæreditas, quia mortuo testatore patefactus est aditus ad ipsius bona. Et hoc ipsum indicat Paulus *ad Hebr.* 4. dum docet Hebræos non introisse in requiem, quamuis à Iosue forent in terram promissionis introducti. *Iterum*, inquit, *terminat diem quandam. Hodie, in Dauid dicendo: hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Nam si eis Iesus* (i. Iosue) *requiem præstitisset; nunquam de alia loqueretur posthac die*. Hoc explicuit optimè Lactantius lib. 4. c. 20. *Scriptura*, inquit, *omnis in duo Testamenta diuisa est: illud quod aduentum Domini passionémque antecessit, id est, lex & Prophetæ, Vetus dicitur: ea verò quæ post Resurrectionem scripta sunt, Nouum Testamentum nominatur. Iudæi Veteri vtuntur, nos Nouo; sed tamen diuisa non sunt, quia Nouum Veteris adimpletio est, & in vtroque idem testator est Christus.* Cùm ergo in vtroque Testamento eadem sit hæreditas, idem testator, sunt tamen aliqua discrimina. Primum, quia non eodem tempore instituta, ex quo alterum Vetus, alterum Nouum appellatur; secundum, quia prius obscurum, & in symbolis veram hæreditatem non tam continebat, quàm figurabat, &, vt optimè Lactantius suprà, clausum, & obsignatum erat; itaque nisi Christus mortem suscepisset,

C D E 53. 54.

pisset, aperiri testamentum, id est, reuelari, & intelligi mysterium Dei non potuisset. Tertium, quia illud ad Hebræos tantum, hoc etiam ad Gentes pertinebat. Quartum, quia impleta conditione, & peracta via, hæreditas tamen non adibatur, quia nondum mortuus erat testator. At in Nouo conditione posita, vbi primùm viator esse desiit, hæreditatem ingreditur.

55. Ex his obscurum non est quid sibi hîc velit Zacharias, aut quid appellet Testamentum Christi, nouum nimirum, & non iam vitulorum, vt antea, sed Christi sangine confirmatum: quod non promittit solùm, sed etiam inducit in æternam possessionem. Illud ergo spectabant vincti, & clausi in lacu sine aqua, id est, in sinu Abrahæ, quò pactam sibi hæreditatem legitimè, ac sine vllo impedimento adire iam liceret.

Emisisti vinctos tuos.] Id est, qui tibi seruierant, qui in tuo testamento, ac sanguine spem libertatis suæ collocauerant. *Emisisti*, more prophetico, pro *emittes*.

56. *De lacu, in quo non erat aqua.*] Omnes communiter intelligunt de sinu Abrahæ. Hieronymus, Cyrillus, S. Thom. *3. parte, quæstione 52. art. 1.* & quotquot ex recentioribus de purgatorio disputant. Cur] verò Limbus lacus dicatur sine aqua, variæ sententiæ sunt. Ego omissis aliis existimo sic appellari metaphoricè, siue quia in carceribus locus erat depressus, & obscurus, in quo tenebantur magni criminis rei: qui propter profunditatem lacus dicebatur. Sanè absque aqua, quia aliter non tam esset custodiæ, quàm supplicij locus; qui etiam dicitur fouea. Carcer in quẽ coniectus est Ioseph, lacus dicitur Gen. 40. *innocens in lacum missus sum.* Et idem vocatur fouea Sap. 10. *descenditque cum illo in foueam.* Heb. בור *bor*, quod *puteum* significat. Sed à communi puteo, seu lacu carcer iste distinguitur, quia ille aquis abundat, hic verò sine aqua est. Seu certè lacus sine aqua dicitur Abrahæ sinus ab illo lacu sine aqua, licèt non sine cœno, in quem dimissus fuit Ieremias, quia propter profunditatem & squalorem, & quia in loco celebri, vtpote in vestibulo carceris, non poterat esse non notissimus. Erat autem sine aqua, non tamen sine luto. Existimo autem prouerbiali figura quemcumque locum tetrum, & sordidum vocari lacum sine aqua, à carcere illo Hierosolymitano horrido, & tetro. Sicut locus profundus, squallidus, & horribilis, imò & gehenna ipsa barathrum dicitur à loco eius nominis, qui erat Athenis pro sontium suppliciis. Vide quæ de huiusmodi carcere diximus super Acta Apostolorum cap. 10. cùm ageremus de Petri custodia. In lacu igitur sine aqua, id est, loco magnæ profunditatis & horroris, nempe in Limbo, expectabant vincti libertatẽ per Christum: & in sanguine testamenti eius liberati sunt.

57. *Euangelij vis, & puritas.* Theodoretus aliter exponit hunc locum, acutè quidem, & satis ad mores, sed parum ad literam. Ait enim Euangelij tempore vocari homines ab inani rerum terrenarum studio, & idolorum cultu, à cisternis vtique dissipatis, quæ continere non valent aquam, Iere. c. 2. ad fontem aquæ viuæ. Et reuera qui aliquid, nisi ab Euangelio quærunt, aquam hauriunt turbidam, & lutulentam, imò cœnum quale erat in lacu sine aqua, in quem coniectus fuit Ieremias.

58. Vers. 12. *Conuertimini ad munitionem vincti spei.*] Actus in stuporem Propheta propter rerum, quas intuebatur, magnitudinem, modò ad Ierusalem A gratulabundus, modò ad Christum, modò ad Sanctos in lacu sine aqua conclusos mentem, orationémque conuertit. Iubet autem vt ad perfugium suum Christum referant animum, & quasi iam præsentem illum respiciant. Fingit enim adesse iam illis vindicem, & Seruatorem Christum, sicut ipse sibi intelligibili, aut alia fortasse specie præsentem intuebatur. Porrò *vincti spei* dicuntur vincti sperantes, Hebraica phrasi, qua *viri virtutis*, & *viri laudis*, viri fortes, & gloriosi vocãtur. Vincti etiam spei, vt indicat Cyrillus, & Hieronymus, vocari possunt Sancti omnes, qui in hac vita pro Christo dura patiuntur; quia dum in lacum, id est, in vincula traduntur, dum in B equuleo luxantur, sperant tamen meliora, eáque spe in suis se laboribus non modò patienter, sed etiam hilariter sustentant. Hos ergo spes in hæc, quæ vulgò existimantur incõmoda, conicit: sicut spes terræ frumentum condit ibi moriturum: & pecuniam mensario, & hominem naui, ac fluctibus propter emolumentum quod inde capi potest. Dicuntur itaque hi vincti spei, quia illos non tam Tyrannorum sæuitia, quàm spes nostra Christus vinculis astrinxit. Ex horum numero fuit Paulus, qui Act. c. 28. dixit, *propter spem Israel catena hac circumdatus sum*, id est, propter Christum. Vide quæ diximus in illud Act. cap. 23. *de spe, & resurrectione mortuorum ego indicor.* C Porrò allusisse videtur Zacharias *ad Psal. 39.* vbi hæc omnia coniunxit Dauid, & vinctos spei, & lacum cœnosum sine aqua, & munitionem, siue perfugium. *Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi: & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis, & statuit supra petram pedes meos.*

Spes beatitudinis animum confirmat ad laborem.

Hodie quoque annuncians duplicia reddam tibi.] Incertum est quò sint referenda hæc verba. Quidam ad Ecclesiam putant, & Euangelij tempora. 59. Ita Hieronymus, qui præmij magnitudine excitari dicit spem illorum, qui pro Christo duris vrgentur incommodis. Pro qua explicatione obseruandum est in sacra Scriptura *duplicia* pro copiosis, atque ingentibus sumi. Isai. c. 16. *pro confusione vestra duplici.* i. magna. Ierem. cap. 17. D *duplici contritione contere eos*, id est, ingenti. Sic nunc Deus copiosa munera promittit.

Ego quidem hæsi diu in hac salebra; neque 60. quicquam me magis moratum est, quàm aliorum authoritas. quos ego & feci semper plurimi, & ex animo colo; à quibus, si quando cogor, recedo non libenter. Quare quid hîc mihi verisimilitudinem aliquam obiiciat, propono potiùs, quàm suadeo. Et primùm existimo oblatam esse Prophetæ gloriam; & pacem populi à captiuitate restitui. Deinde quia ad illius etiam populi laudem pertinebat habere Christum Regem, & vindicem è suo genere, eidem quoque speciem esse oblatam illius imperij lati, atque gloriosi. Quod cùm stupens, & quasi à se ipso alienus esE set contemplatus, ea dicendi figura vsus est, quæ in magna mentis incitatione familiaris esse solet. Nunc verò quasi ab eo stupore receptus refert animum ad illa contexenda, quæ Christi Regni inducta cõmemoratione interruperat. Quod ipsa dicendi figura innuit, quæ mutatione personæ mutationẽ indicat Prophetiæ. Priùs ad multos loquebatur, ad vinctos nẽpe spei, nunc in singulari numero ad vnam siue Rempublicam, siue gentem sermonẽ conuertit, dum dicit; *reddam tibi.* Quare quæ modò subiiciuntur, non ad Christi tempora historico sensu, sed ad Iudæorum Reipublicæ statum, & formam pertinere existimo.

Singu

Singula igitur iam expendamus, primùm historicè de Iudæis, deinde absoluto capite allegoricè, & mysticè de tempore Euangelij.

61. *Hodie quoque annuncians duplicia reddam tibi.*] Hinc existimo oriri periodum aliter atque in multis dispungitur Bibliis: ita vt hæc non sint referenda ad vinctos spei, sed ad aliquid aliud, de quo statim. Illud *hodie* non pertinet ad orationem Zachariæ, vt aliqui volunt: hoc sensu, vt Deus daturus sit duplicia, id est, maiora quàm eo die promittebantur à Zacharia; sed ad præsens tempus, id est, ante aduentum Messiæ, & Euangelij pacem; ita vt ista sit vaticinij sententia. Non solùm tempore Regis Messiæ, sed etiam hodie, id est, proximis temporibus annuncio, ô Ierusalem, aut Iuda, magna me tibi redditurum; quæ tamen illa futura sint, statim explicat. *Hodie* non tantùm significat præsentem diem, sed tempus non valdè remotum, quódque iam proximè videtur impendere, seu non antè diu transactum est. Est autem vsitatum in sacra Scriptura, vt dies determinatus, & certus pro tempore indeterminato, atque incerto adhibeatur, sicut cras, quod licèt significet diem, qui proximè præsenti succedit, aliquando tamen pro tempore futuro ponitur, eóque valdè distante. Exod.13. *Cùmque interrogauerit filius tuus cras. Quid est hoc?* Et tamen tempus indicatur in eo *cras* longè pòst futurum, nempe post 40. annos, quia sacrificia illa, quæ tunc præcipiebantur, offerenda erant in terra Chanaan, id est, in terra promissionis: & idem dicitur Deut.c.6. n.20. *Heri*, quod proximè antegreditur diem hodiernum, pro præterito sumitur, item *nudius tertius*: quare hæc duo, *heri*, & *nudius tertius* sæpe coniunguntur, quæ sine dubio significant, id quod longè terminum per voces illas notatum antecessit. Sic etiam *hodie* tempus connotat, quod vel non diu pòst futurum, vel non diu antè transactum est. Exempla sunt plurima: tria simul occurrunt Deut.26. n.16. 17. 18. vbi *hodie*, idem est, quod *nuper*. *Hodie Dominus Deus tuus præcepit tibi, vt facias mandata hæc Dominum elegisti hodie, vt sit tibi Deus. En Dominus elegit te hodie, vt sis ei populus.* *Annuncians* participium præsentis est, quo Hebræi vtuntur pro præsenti tempore indicatiui, quo carent, hoc sensu: annuncio me duplicia redditurum.

REGVLA. *Tempus determinatũ, vt hodie, cras, pro tẽpore incerto, & in determinato.*

62. Vers.13. *Quoniam extendi mihi Iudam quasi arcum.*] Præteritum pro futuro sumitur Scripturæ more, maximè quando aliquid proximum est vt fiat, vt pluribus docuimus in illud Cant.1. *Introduxit me.* Sicut etiam illud *hodie* proximè dictum pro futuro sumi diximus. Ostendit autem Deus modum per Prophetam, quo Iudæorum Rempublicam ornaturus sit, atque amplificaturus. Dicit enim debellandas esse gentes per Iudæos, quos assumet suæ virtutis administros; quẽadmodum si quis arcu hostes, seu feras configat, & sternat. Quod factum esse Machabæorum tempore tradunt Hebræi: neque id omnino displicet Hieronymo, Theodoreto, & aliis. An verò ante Machabæos horum aliquid acciderit, mihi incompertum est; quia nihil horum inuenitur in sacris monumentis, cùm historia sacra ab iis diebus vsque ad Machabæos per centum ferme annos interrupta fit.

63. *Impleui Ephraim.*] Eodem sensu dicitur impletus Ephraim, quo Iudas tanquam arcus intentus. Hebr. *mile mala*, verbum est militare 4. Reg.c.9. vbi vulgatus. *Porrò Iehu tetendit arcum suum manu, & percussit Ioram.* Heb. est, & apud L X X. *Et*

Impleri arcum, militaris phrasis.

A *Iehu impleuit manum suam in arcu.* Rab. Dauid, *traxit arcum totis viribus suis.* Videtur autem in hoc exemplo esse quædam hypallage vsitata in Scriptura, ita vt legendum sit; pro, *impleuit manum suam in arcu*, vt locutus est hîc Zacharias, *impleuit arcum in manu sua.* Neque id alienum est ab vsu Latinorum. Vegetius *lib.1.c.15.* vbi agit de tyronum institutione. *Maior*, inquit, *adhibenda solertia, vt arcum diligenter, ac sapienter teneant; vt fortiter impleant, vt sinistra fixa sit.* Implere arcum idem esse existimo, quod toto conatu vibrare, & quàm maximè, atque acerrimè telum adigere, vt docuit suprà Rab. Dauid. Cyrillus hîc aliud esse putat. *Cùm*, inquit, *sagittarij ferratum arcum curuantes neruum ad pectus adducunt, tunc arcum implere dicuntur,*
B *& sagittam volantem, siue telum iaciunt.* Ego arcum tunc impleri puto quando extremis arcus capitibus, siue cornibus adducto vehementer neruo, coëuntibus impletur circulus, qui priùs videbatur inchoatus, in arcu, qui semicirculi figuram obtinet. Quod eleganter expressit Virg. *lib.11. Æneid.* cùm de iaculatrice Diana loqueretur.

Dixit, & auratam volucrem Treissa sagittam
Deprompsit pharetra, cornúque infensa tetendit:
Et duxit longè, donec curuata coirent
Inter se capita.

Quod sumpsisse videtur ex Homero Iliados 4. vbi ex arcu vehementer intento factum esse dicit circulum: sic enim ille de Pandaro,

C *Αὐτὰρ ἐπειδὴ κυκλοτερὲς μέγα τόξον ἔτεινε.*

Et Q. Smyrneus lib.10. *κυκλώθη δὲ κέρας*, id est, in circulum actus est arcus. Qui dicendi modus apud profanos non infrequens. Sidonius lib.1. ep. 2. *spicula capit, implet, expellit.* Nonus lib.1. Dionysiacôn ad hunc dicendi modum alludens. *Intendit*, inquit, *telum in neruo ad circulum.* Græcè *ἐπικύκλωσε.* Euripides in Rheso. *Iungite neruis arcus corneos.* Græcè *ζεύγνυτε τόξα.*

Est autem hæc metaphora vsitata in Scriptura, vt quæ instrumenta sunt alicuius, etiam ad rem non bellicam, vocentur sagittæ. Isai.49. *Posuit me quasi sagittam electam, in pharetra sua absconditme.* Porrò Ephraim potiùs meminit, vel quia Ephraimitæ erant peritissimi sagittandi, iuxta
D illud Psalm.77. *Filij Ephrem intendentes, & mittentes arcum*: vel quia Ephraim pro Iuda sumitur, quia ex ea tribu plurimi ad alias duas accesserunt. 2. *Paralip.c.30.* quippe qui proximi erant Ierusalem: & ideo puto aliis in locis in Ephraim Iudam intelligi, vt suprà. *Disperdam quadrigas de Ephraim, & equum de Ierusalem*; & Ierem.31. iuxta eorum sententiam, qui putant caput illud agere de felici Iudæorum reditu è Babylone, in quibus sunt Chaldæus, S. Thomas, Hugo, & expresè Theodoretus. Ephraim qui eo capite sæpe repetitur, pro Iuda sumitur. Quod si ita est, quod sanè non videtur improbabile, eadem sententia bis explicatur: quare idem est, *extendi mihi Iudam quasi arcum*; &, *impleui Ephraim.* 64.
E

Ex Ephraim multi duabus tribubus adiũcti.

Et suscitabo filios Sion super filios tuos, ô Græcia.] Satis ex hoc intelligitur sermonem hîc esse de Machabæorum tempore, in quo Græcorum arma (id est, eorum, qui Alexandro Macedoni successêre: nam hi omnes Græci vocantur, sicut horum Imperium Græcia dicitur) variè tentarunt, vexarúntque Hebræorum rationes; quibus tandẽ Machabæorum virtus superior fuit. Quos nimirũ Deus tanquam excussas ex arcu suo sagittas in Græcorũ caput intorsit. Cæterùm *suscitare* idẽ est, quod *iaculari.* Habacuc 3. *suscitans suscitabis arcum tuum.* Quare in eadem perstat metaphora. 65.

66. Verſ.14. *Et Dominus Deus ſuper eos videbitur; & exibit vt fulgur iaculum eius: & Dominus Deus in tuba canet.*] Hæc etiam accidiſſe in Machabæorum pugnis ſatis conſtat, tum ex victoriis, quæ à magnis hoſtium copiis, & bellico apparatu ſatis inſtructis ab exiguo numero, eóque inermi comparatæ ſunt: tum quia victorias illas admirabiles ſemper antecedebat oratio, quæ diuinum auxilium rebus afflictis, ac pene deſperatis aduocabat. Et eſt notatu dignum, cùm Iudas implorato, atque pacato numine bellum aggrediebatur, ſemper fuiſſe ſuperiorem, & eximia decoratum gloria. Bis autem orationem præmiſiſſe non legitur, & tunc ab hoſte ſuperatus eſt. Semel ab Antiocho Eupatore *lib.1.cap.6.* iterum *ibidem c.8.* vbi mortuus fuit. Sed ſunt non pauca diuini auxilij exempla, & teſtimonia, eáque admodùm illuſtria, vt liquet ex lib.2. Machab. cap.2. vbi author dicit, *ſcripturum ſe de illuminationibus quæ de cælo factæ ſunt ad eos, qui pro Iudæis fortiter fecerunt; ita vt vniuerſam regionem cùm pauci eſſent, vindicarent.* Et cap.5. *In Ieruſalem ſemper 40. dies viſi per aëra equites diſcurrere, & armatæ cohortes, telorũ iactus,* &c. Et cap.10. *Cum vehemens eſſet pugna, apparuerũt aduerſariis de cælo viri quinque in equis frænis aureis decori, ducatum Iudæis præſtantes; ex quibus duo Machabæum medium habentes armis ſuis circumſeptum incolumem conſeruabant; in aduerſarios autem tela, & fulmina iaciebant: ex quo, & cæcitate confuſi, & repleti perturbatione cadebant.* Et cap.11. *Cùmque pariter prompto animo procederent Hieroſolymis, apparuit præcedens eos eques in veſte candida, armis aureis, haſtam vibrans,* &c. *Ibant igitur prompti de cælo habentes adiutorem, & miſerantem ſuper eos Dominum.* Et *cap.* 12. hoſtes ex Dei præſentia in fugam narrantur verſi: & *cap.*15. ſignificatur adfuiſſe præſentia Dei. Quare dubitandum non eſt impleta fuiſſe in Machabæis, quæ hîc dicuntur à Zacharia.

Oratio Machabæos armauit, fecitque ſuperiores in acie.

Machabæis aſſiduè Deus adfuit.

67. Si verò dicamus iacula Domini fuiſſe fulmina, & fulgura, & tubam eſſe tonitru, quibus hoſtes perterriti, atque ſtrati ſunt, dicemus quidem aliquid ex vſu Scripturæ, quæ hæc arma appellat Dei. Habac. 3. *In luce ſagittarum tuarum ibunt,* id eſt, fugient territi ſagittis tuis igneis, & minacibus: & Sap.5. *Ibunt directæ emiſſiones fulgurum, & quaſi à bene curuato arcu nubium exterminabuntur.* Et Pſalm.28. tonitru dicitur eſſe vox Domini. *Vox Domini concutientis deſertum,* &c. & in hunc ſenſum accepit Theodoretus. Et eius rei eſt aliquod veſtigium in citatis locis, maximè 2. *lib. Machab. c.* 10. Sed videtur probabilius, id quod priùs diximus.

Deus in tuba canet.] Quemadmodum tuba excitat milites, & ſignum edit ad ineundum prælium, & receptui canens à pugna reuocat; vnde hæc videtur prælia moderari; ſic quia Deus Iudæorũ caſtris quaſi Imperator præerit, & ad eius imperiũ vel progrediẽtur, vel reuocabũtur caſtra; ideò aptè à Propheta Deo accommodatur tuba.

Ventus pro celeritate.

Et vadet in turbine Auſtri.] Deeſt hîc nota ſimilitudinis, id eſt, quaſi veheretur in turbine, id eſt, velociſſimè ac rapidiſſimè ferretur in hoſtes. Eſt autem vſitatum in Scriptura, vt per *ventos* ſumma celeritas ſignificetur. Pſal.103. *Qui ambulas ſuper pennas ventorum:* & Nahum cap. 1. *Dominus in tempeſtate, & turbine via eius.* Meminit autem Auſtri potiùs quàm alterius venti, vel quia hic vehemens eſt, vt docet Ariſt. *lib.*2. *Meteor. cap.5.* vel quia hic, quoniam flat à Meridie, ad Aquilonem irrumpit. Cùm autem Babylonij ad Aquilonem pertineant, quibus præcipuè iſtæ iactantur minæ, ideo Deus egreſſurus dicitur in turbine Auſtri, id eſt, dimicaturus contra Babylonios.

Verſ.15. *Et deuorabunt eos.*] Hebraiſmus eſt: nam verbum אכל *achal* non ſolùm *comedere* ſignificat, ſed etiam *conſumere, vaſtare, & perdere.* Quare aliquid vorari à gladio, & flamma frequens in Scriptura. Hanc loquendi formam natam fuiſſe ex barbara hominum conſuetudine qui fuerunt ante diluuium, qui & carnes comedebant hoſtium, & eorum bibebant ſanguinem, veriſimile diximus ſuper caput 15. Act. vbi agitur de ſuffocato & ſanguine, vbi hac de re multa.

Et ſubiicient lapidibus fundæ.] Incertum eſt an la- 68.
pides fundæ futuri ſint Iudæorum, vel hoſtium Iudaici nominis. Quidam hoſtium eſſe putant, vt Vatablus, & Montanus. Et ſi ita accipias, ſenſus erit duplex: alter, ſi *lapidibus* cum vulgato legas; ſubiiciet Dominus hoſtes lapidibus fundæ, quos ipſi eiaculabuntur; retorquebit enim in illorum caput. Alter, ſi *lapides* legas in quarto caſu, quod ſanè textus ipſe Hebraicus videtur poſtulare, ſubiicient lapides duros hoſtium, ita vt nocere non poſſint. Siue funda pro fundibulariis ponitur: aut pro hoſtibus, quibus in acie familiaris eſt funda. Nam pro his funda videtur poſſe ſumi; qua ratione equus, pro equite, haſta, pro haſtato; & pila, pro Romanis, geſſa, pro Gallis, acinacis, pro Perſis vſurpatur. Fuiſſe autem Græcis familiarem fundam, ſatis conſtat ex hiſtoria profana. Quòd verò fundis vſi fuerint Græci, qui cum Machabæis bella geſſerunt, traditur lib.1. Mach. c.5. & cap.6. vbi dicuntur habuiſſe multa tormenta, machinas, & fundibula ad iaciendos lapides. Iuuat hanc ſententiam, quia ſtatim videtur alios lapides cum iſtis lapidibus conferre, quos futuros dicit eſſe glorioſos. Quare hæc ſententia non omnino mihi diſplicet.

Sed tamen vt pleriſque placet, & eſt magis ad 69.
textum vulgati, & LXX. dicendum eſt, lapides fundæ futuros eſſe Iudæos, quibus Dominus tanquam arcu ad ſagittas, & funda ad torquendos lapides in hoſtium ſtragem vſus eſt: quorum aliqui ita fuerunt fundæ periti, vt cum Cygiſtis, de quibus Ariſtoteles in mirabilibus, & cum Balearibus non ſolùm conferri, ſed etiam longè anteponi potuerint. De viris enim Gabaa, quæ eſt in tribu Benjamin ſcribitur Iud.c.20. *ſic funda lapides ad certum iacientes, vt capillum quoque poſſent percutere, & nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur.* Et 1.*Paralip.c.*12. de quibuſdam ex Benjamin, qui transfugerunt ad Dauid dicitur, *tendentes arcum & vtraque manu fundis ſaxa iacientes.*

Et bibentes inebriabuntur quaſi à vino.] Vt deuorandi ſuprà hoſtes dicuntur; ſic illorum ſanguis bibendus nunc dicitur, ſumpta dicendi forma ab illa conſuetudine de qua nuper. Quem ſanguinem Iudæi victores ita auidè, atque ſitienter bibent, ſicut vinum.

Et replebuntur vt phialæ, & quaſi cornua altaris.] 70.
Declaratur quanta futura ſit inimicorum cædes; quando non aliter Iudæi victores implendi ſunt hoſtium ſanguine, quàm phialæ, quæ victimarum ſanguinem excipiunt: aut altaris cornua, quæ ex lege *Leuit. c.4.* ſanguine imbuuntur. Qua ſimilitudine ſignificat Deus futuram ſibi gratam hoſtium cædem, non aliter atque victimarum ſanguinem, quo madent altaria. Ita indicat Hieronymus. Porrò illud, *replebuntur vt phialæ,* poſtquã præceſſit *inebriabuntur quaſi à vino,* & auiditatem pugnandi, & in pugnando felicitatem ſignificat.

Nam

Nam quemadmodum qui vinum bibit, ita ſe impotenter interdum ingurgitat, vt quod haurire non poteſt, effundat immoderatè, & fœdè veſtimenta, pauimentúmque riget, atque commaculet, vt de Bitia Virg. Æneid. 1.

——— ——ille impiger hauſit
Spumantem pateram, & pleno ſe proluit auro.

Et de conuiuiis quorundam ebriorum dixit Cic. Philip. 2. *natabant pauimenta vino.* Sic hoc loco ebrietatis metaphora, & phialarum plenitudine, atque ararum aſperſione ſignificatur tantùm hoſtilis cruoris effundendum, vt non ſolùm expleat Iudæorum ſitim, ſed etiam longè ſuperet.

Dies pro longo tempore.

71. Verſ. 16. *Et ſaluabit eos Dominus Deus eorum in die illa, vt gregem populi ſui.*] Vſitatum eſt in Scriptura vt *dies* ſumatur pro tempore, id eſt, pro longiori ſpatio, in quo multi interdum anni continentur, ſicut etiam de *hodie* nuper diximus. *Hodie* verò tempus illud indicat, quod modò notat hæc vox, *in die illa*. Iudæi ſaluandi dicuntur à Domino, ſicut grex, quia, vt inquit Hieronymus, Machabæorum exercitus non armatus, neque inſtructus arte bellandi contra Macedones dimicaturus erat; ſed venturus quaſi grex paratus ad mortem; qui tamen auxiliante Deo ſuperaturus erat hoſtilem potentiam. Hoc facilè intelligitur ex 1. *lib. Machab c.* 3. vbi cum hoſtibus negotiatores veniſſe traduntur cum multo argento, vt captiuos emerent à victoribus. Imò *lib.* 2. *c.* 8. hoſtes ipſi cùm iam victoriam animo, atque ſpe deuorauiſſent, attuliſſe ſcribuntur ſecum mercatores, quibus captos venderent Iudæos. Mihi modò alius ſuccurrit ſenſus; an verò ſatis ad textum aptus, alij iudicabunt.

72. Saluabit Dominus eo tempore, quod notat Zacharias, populum; ita vt nullus dominetur alienus, qui in regione illa ad diuinum cultum ex omnibus electa ſuæ conſtituat aut dominationis, aut religionis inſignia. Notum eſt pro vario gentium dominatu, varia etiam excitari monumenta, & quaſi ſymbola Imperij à rerũ dominis, maximè in his locis, vbi aliquid præclarè geſtum eſt. De externis non eſt cur diu morer: pro multis ſufficiat nobis vnus locus *Leuitic.* 26. vbi non obſcurè indicatur. *Non facietis vobis idolum & ſculptile: nec titulos erigetis, neque inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, vt adoretis eum. Ego enim ſum Dominus Deus veſter.* De his, qui in hiſtoria ſacra continentur, aliqua proferam exempla. Excitauit Saül lapidem, imò & fornicem. 1. *Regum* 15. vt extaret aliquod monumentum ſuperati Amalec. Sed & viri magis religioſi, qui diuinorum beneficiorum memoriam conſeruare apud poſteros voluerunt, lapides erigebant, in quibus profecta in ſe à Deo beneficia teſtabantur. Moyſes *Exod. c.* 17. in memoriam datæ legis duodecim lapideos titulos erexit: & idem *Exod.* 24. totidem, quando iterum populus legem eſt amplexus. *Ioſue c.* 8. iuxta præceptum Moyſis *Deut.* 27. excitauit lapideos titulos, in quibus ſcripſit Deuteronomium, id eſt, legem: & *cap.* 24. alium erexit lapidem in teſtimonium datæ iterum fidei. Et *cap.* 4. duodecim lapides reliquit tranſmiſſo Iordane in tanti beneficij memoriam, quos ad tempus vſque Ioannis Baptiſtæ duraſſe docet Abulenſis ſup. *cap.* 4. *Ioſue quæſt.* 11. Vſque adeò verò vult Deus ſuorum beneficiorum non perire memoriam, vt (ſi modò verum eſt quod tradit Abulenſis in illud Geneſ. 18. [*erexit Iacob lapidem*] quæſt. 3.) conſeruarit adhuc tum in arena litto-

Rerum geſtarum monumenta excitata.

Beneficiorũ monumẽta.

Deus ſuorũ beneficiorũ memoriam perire non vult.

ris maris Rubri, tum in ipſa aluei profunditate veſtigia curruum, quibus Ægyptij duce, atque hortatore Pharaone in mare delati, atque ibi demerſi ſunt.

Vt ergo ad inſtitutum redeamus, ſaluabit 73.
Deus populum ſuum, relinquétque lapides in illis locis, vbi diuino auxilio partæ ſunt victoriæ. In omnibus vtique ſedibus terræ promiſſionis, quas ab externo poſſeſſore vindicabit. Inter hæc autem ſigna, & lapides, qui locum eſſe Deo conſecratum oſtendent, paſcet Dominus populum ſuum tamquam gregem: ſicut paſtor inter nota paſcua, ſaxóque terminali ab aliis diſtincta pecus agit. Hiſpanè, *Dentro de los cotos.* Et hoc plerumque certum in his, qui in re pecuaria potentes ſunt, qui paſcua habent propria, non cum aliis communia. Et ideo conſequenter ad hæc ſubditur,

Quia lapides ſancti eleuabuntur ſuper terram eius.] 74.
Vbi vulgatus *ſancti*, Hebr. eſt נזר *nezer*, quod *ſeparationem, conſecrationem*, & *coronam* ſignificat; à quo vocati ſunt Nazaræi, quaſi ſeparati, vel conſecrati, aut etiam coronati. Quare lapides iſti נזר appellari poſſunt, quia agros ab agris ſeparant, vel illos conſecratos eſſe Deo demonſtrant; aut certè terram promiſſionis cingunt, & coronant, ſicut flumina ſalicibus coronari dicuntur. A priori, & magis propria ſignificatione dici poſſunt lapides ſeparationis, & quaſi terminales, qui regionem Domino conſecratam ab aliorum finibus diſcriminant. Siue, qui regionem illam Domini eſſe illuſtri aliqua nota ſignificant. Qui etiam ſacri dici poſſunt, quia religionis ergo à viris piis excitati ſunt. Et videntur lapides hi ſacri, ſeu ſeparationis eſſe illi in quibus *Deut.* 27. præcepit Deus vt lex ſcriberetur. Quod tranſmiſſo Iordane fecit Ioſue *cap.* 8. Et hæc videntur eſſe ſigna illa, à quibus Gentib. eſſe timendum dicitur Pſalm. 64. *Turbabuntur Gentes, & timebunt qui habitant terminos, à ſignis tuis.* Eſt autem veriſimile, lapides illos, qui excitati fuerant ex diuino præcepto, in communi vaſtatione regionis illius, & Iudæorum diſceſſu, ab hoſtibus, qui in illorum ſedes ſucceſſerant, fuiſſe ſublatos: & ideo nunc dicuntur eleuandi.

Lapides erecti in terra promiſſionis.

Pro, *eleuabuntur*, Heb. eſt מתנוססות *mithnoſeſoth*, 75.
quod à נס *nes* deducitur, quod *vexillum* ſignificat. Quare eleuandi lapides dicuntur qui victorias prædicent partas eius virtute, in cuius gloriam excitati ſunt. In quibus notæ ſint certæ, & quaſi ſymbola tanti Imperatoris; nimirum lex olim ab ipſo lata. Vt ergo Deus excitatis olim titulis, ac lapidibus, quaſi relictis ſuæ potentiæ veſtigiis, regionem illam ſingulari aliqua ratione ſuam poſſidebat: ſic iiſdem ſignis excitatis, quæ Aſſyrij, atque Chaldæi antea deiecerant, idem in ſuam iterum regionem rediiſſe videbatur. Conſtituerant ſanè Aſſyrij ſui Imperij, atque religionis ſigna in terra promiſſionis, quam execrandis inanium Deorum ſimulacris, & impia ſuperſtitione contaminarant, vt cônſtat ex *lib.* 4. *Reg. cap.* 17. quibus ſuo ſibi imperio publico monumento regionem illam conſignarant; ſed rurſus Deus illis deiectis Gentium ſpurcitiis, ſuíſque ſignis vt antea reſtitutis, in ſuam poſſeſſionem poſtliminio reuertitur, poſſeſſionem, inquam, pinguem, & lætam, vbi poſſet gregem ſuum inter fines iam cognitos, & lapidibus quaſi terminalibus diſtinctos paſcere. Vnde ſubdit aptè ad ſuperiorem explicationem,

VVv 2 Verſ. 17.

76. *Terra promissionis fœcunditas.* Vers. 17. *Quid enim bonum eius est, & quod pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?*] Sensu allegorico, & præcipue à Spiritu sãcto intento non dubito quin hæc accipienda sint de Eucharistia; de qua postea plurib. in sensu mystico: nihilominùs hæc quoque esse historicè accipienda de terra promissionis, typicè tamen, & minùs præcipuè, verisimile est: ita Theodoretus, Albertus, & ex parte Hieronymus, & glossa, & alij dum hæc referunt ad tempus Machabæorum. Et primùm obseruo illud (*eius*) non pertinere ad terram quia affixum, id est, pronomen, est masculinum, nomen verò אדמה *Adamah*, pro quo noster *terra*, fœmininum est; sed ad Deum, siue ad gregem, nam quodlibet horum masculinum est. Ego ad populum refero. Sed certè quocumque modo sumas, sensus idem est, aut parum diuersus. Si ad verbum interpretère verba Hebr. sic habent. *Quàm bonum eius est, & quàm pulchrum eius?* id est, quantum bonitatis, & pulchritudinis afferet populo frumentum, & vinum, quod largè fundet Chananæus ager? *Bonum* ad frumentum refero, quod electos, id est, iuuenes (nam בחורים *bachurim electos*, & *iuuenes* significat) robustos facit; *pulchrum* ad vinum quod virgines florentes, & nitentes reddit.

77. Porrò cùm vox Hebr. בחורים *bachurim electos*, & *iuuenes* significet, hîc *iuuenes* interpretor, quia etiam ipsi electi sunt, vtpote strenui, atque robusti; sicut etiam interpretati sunt LXX. quia statim sequitur בתולות *bethuloth*, id est, *virgines*, quæ duæ voces in Scriptura sæpe coniunguntur. Pro, *germinans*, Heb. est ינובב *ienobeb* in *Piel*, quod significat *germinare*, aut *florere faciens virgines*. Hæc verò ideo videntur à Propheta dicta, quia iis contraria longo exilio, atque seruitute confecti iuuenes ac puellæ pertulerant. Quare *Thren.* 1. virgines dicuntur squallidæ; & *cap.* 5. iuuenes extremam ignominiam, atque ludibrium passi. Illæ ergo virgines, quæ quasi plantæ emortuæ aruisse videbantur, reuocatæ ad antiquum solum, quod lacte, & melle rigabatur, germinant iam, & ad priorem redeunt nitorem, dum in regione vbere, ac sua tutò, atque otiosè viuunt.

Mysticus sensus posterioris partis huius capitis.

78. *Sensus mysticus.* Peracta iam totius capitis explicatione commodè nunc, vt antea promiseram, ad extremam capitis partem reuertor; quam ad Ecclesiam præcipuè pertinere iam antè dixi, adumbratam tamen in eo successu, quem pro votis nacta est Iudæorum Respublica. Incipit autem hoc caput intueri Christum, & Euangelium ab illis verbis; *Exulta satis filia Sion.* Sed quia illa, & quæ sequuntur vsque ad *conuertimini ad munitionem*, explicata à me sunt de Christo, ideo illis in præsentia omissis, ab his mysticam explicationem aggrediar.

79. *Spes nostra Christus, qui potens & benignus est.* Vers. 12. *Conuertimini ad munitionem vestram vincti spei.*] Cùm proximè Messiæ Regis & potentiam ostenderet, cùm regnaturus esse dicitur à mari vsque ad mare, & benignitatem, & mansuetudinem, cùm ascensurus esset super asinam, & pullum eius, quæ duo maximè attollere solent spem miserorum, quando cum potentia eius, qui nobis bene cupit, humanitas, atque benignitas coniuncta est; iubet bono esse animo eos, qui vincti sunt. Siue hi sint, qui in Abrahæ sinu spe longum desiderium sustentant: siue qui Christi causâ vltrò se in vincula, atque tormenta dedunt. Aut A certè vincti spei illi sunt; qui spei sua studia, cogitationésque, imò & se ipsos obligarunt. Nam bonorum spes nihil non tentat, nihil nõ audet. Hos ergo iubet conuertere se, cogitationésque suas ad munitionem, id est, ad Christum, qui vt mitis, & benignus volet, vt potẽs valebit labores suâ causâ susceptos compensare. Quæ enim ab eius cõplexu deterrebit potentia, cui tanta adiungitur humilitas, ac mansuetudo? quem non alliciet, imò & trahet humanitas, quæ temperat, & mollit, si quid est seueritatis in potentia?

Hodie quoque annuncians duplicia reddam tibi.] Magna sunt, quæ in suo Regno parauit Christus; sed quæ *hodie*, id est, in præsenti vita daturus est Euangelij filiis, duplicia sunt, id est, eximia. Quàm ve- 80.
B rò Deus liberaliter, quàm indulgenter amplectatur suos, quàm ornet copiosè, etiam dum pugnandi, atque lugendi tempus est, norunt experti fideles serui, quos Dominus inter lilia pascit, dum aspiret dies, & inclinentur vmbræ, id est, interim dum adueniens aditum ad æternam requiem aperit. Sed nunc de Ecclesia interpretemur suo tempore excitanda per Christum, sicut modò reuocatis ab exilio Iudæis, excitato templo, & instauratis mœnib. fundata est Ierusalem, quæ Ecclesiæ imago quædam fuit. Dicit quidem Deus daturum se duplicia, id est, multo maiora Ecclesiæ tempore, quàm quæ contulit Iudæis redintegrata antiqua fortuna. Quæ quo-
C dam modo ad Iudæorum gloriam pertinebant; tum quia Christus ex eo genere natus, tum quia Apostoli, per quos infinitam propè multitudinem ad Ecclesiam adiunxit, ex eadem fuerunt familia. Et ideo aptè subiungitur.

Vers. 13. *Quoniam extendi mihi Iudam quasi arcũ.*] 81. *Apostoli, atque Apostolici viri descriptio, qui Dei arma, & instrumenta sunt.* Optima Apostolorum descriptio, & eorum, quorũ Deus vtitur opera ad animarum conuersionem. Nam hi à Deo non secus atque ex arcu sagittæ emittuntur; sagittæ, inquam, potentis acutæ in corda inimicorum Regis, quæ videlicet inimica corda configant, ac efficiant, vt tandem esse iam inimica desinant. Et quidem si Deus eiusmodi sagittas priùs in pharetra sua abscondit, ac sua deinde iaculatur manu, non est cur de successu du-
D bitandum sit. Sed proh dolor! ab illis qui non minùs arroganter, quàm falsò Apostolorum sibi nomen assumunt, vibrantur nõ ignita iacula ab Euangelio sumpta, sed plumæ futiles, ac leuissimæ stipulæ, quas vanitatis ventus circumfert potiùs inani volatu, quàm potenter, & vtiliter adigit zelus in corda inimicorum regis. Habet sanè mundus vnde contra Dei populum promat sagittas, ignitáque spicula, quæ assiduè eiaculatur cum miserabili fidelium strage; qualia habuisse dicitur Antiochus Eupator 1. Machab. 6. *Qui conuertit castra ad locum sanctificationis, & statuit illic balistas, & machinas, & ignis iacula, & tormenta ad lapides iactandos, & spicula, & scorpios ad mittendas sagittas, & fun-*
E *dibula.* Sed qui intus à pertinaci obsidebantur hoste, fecerunt & ipsi machinas aduersùs machinas eorũ. Sic Christus in Ecclesia sua habet vnde spicula iaculetur ignea cõtra ignea dæmonis tormenta, quæ quotidie in locum sanctificationis, id est, in Ecclesiam contorquet. Hi verò sunt Apostoli, qui iuxta nominis sui notationem sagittæ dici possunt; sunt enim qui mittũtur, & Christus, qui Apostolus dicitur à Paulo ad Heb. 3. *Considerate Apostolum, & Pontificem confessionis nostræ Iesum;* idem sagitta vocatur. Isai. 49. *Posuit me sicut sagittam electam, in pharetra sua abscondit me.* Quem locum communiter de Christo intelligunt

gunt Patres. Et duo Apostoli Ioannes, & Iacobus ignea videntur vocari iacula à Christo, cùm appellati sunt *Boanerges*, id est, filij tonitrui. Qui nō videtur esse alij quam fulmina, quæ cū tonitru excussa, aut fulgura, quæ cælo tonante emicant.

82. *Et impleui Ephraim.*] Satis notum est Ephraim sumi pro decem tribubus, quæ duce Ieroboam defecerunt à templo, & pene ab auita Religione, erectis aureis vitulis, quos pro Deo colerent. Quia ex ea tribu fuit Ieroboam seditionis princeps, & illius incendij prima fax. Sed, vt suprà diximus, Ephraim pro Iuda sumitur, & eadem est sententia superioris clausulæ, quæ dicit extendendum esse Iudam sicut arcum, & huius, quæ implendum dicit Ephraim. Sensus erit ergo, ex Ephraim & Iuda sumendum esse arcum, & sagittas, quibus vtatur in subigendis hostibus magnus bellator Christus. Et ideo subditur,

83. *Et suscitabo filios tuos, Sion, super filios tuos, ô Græcia*] Græcia hoc loco pro Gentium populo sumitur: & ita sæpe Iudæus à Græco distinguitur. Ad Rom. 1. *Iudæo primùm, & Græco.* & cap. 2. *Iudæi primùm, & Græci.* Ad Galat. 3. *non est Iudæus, neque Græcus.* Quare *Actorum cap.* 6. quando dicitur factum esse murmur Græcorum aduersus Hebræos; & *cap.* 18. cùm Paulus suadebat Iudæis, & Græcis, existimo in Græcis intelligi etiam quotquot ex Gentibus vndecumque ad Iudæorum olim, & postea ad Christianorum Religionem accedebant. Meminit autem hîc præsertim Græcorum, quia ab hoc Zachariæ tempore quicquid grauioris molestiæ, atque certaminis fuit, à Græcis, id est, ab Alexandri successoribus erupit. Hos ego per filios Sion, id est, Apostolos, Apostolicosque viros ad Ecclesiam adduxit Rex Messias, abiecta vana idolorum superstitione.

Græci pro Gentilib.

84. Vers. 14. *Et Dominus Deus super eos videbitur.*] Aderit sui Euangelij præconibus Deus, vt dux, qui præcedat, quique illorum ministerio omnia debellet; qui hortetur, & quasi bellica tuba animos acuat, & inflammet; & turbinis in modum velox, quicquid impedimenti est ab aduersaria potestate, sternat ac tandem protegat in extremo rerum vitæque discrimine.

Dei patrocinium.

85. Vers. 15. *Et deuorabunt eos.*] Persequitur eamdem metaphoram, qua ostendit filios Sion, vbi in subiugandam Euangelio externam gentem incubuerint, ita faciles habituros esse successus, & victorias, vt madentes redeant ex acie, & stillantes inimicorum sanguine; quem si non ad satietatē (quæ enim satietas esse potest sitienti animò diuinæ gloriæ, ac proximorum salutis?) ad ebrietatem tamen bibent. Quo dicendi genere, & in suscipienda animorum cura studium, & alacritas, & in euentu mira felicitas ostenditur.

Felix Apostolorum successus.

86. *Subiicient eos lapidibus fundæ.*] Lapides hos Hieronymus esse putat verba Scripturæ, quibus vsi sunt Apostoli, aut qui Apostolicum ministerium amplexi sunt; & sanè accommodatè. Hi enim lapides mundi sunt, ac sine vlla scabritie, vt qui è torrentibus sumpti, aut è proxima torrentibus ripa, id est, verba, quæ vel ab ipsa Scriptura petuntur, vel certè ab ipsa Scriptura elaborata, & in Sanctorum sinu, id est, scriptis reposita sunt; qui optimè torrentis ripa vocari possunt. Vt enim Sancti secus decursus aquarum plantati dicuntur Psalm. 1. sic eorum scripta magni fluminis, id est, Scripturæ ripa vocari possunt. Quæ quicquid habent, aut fructus, aut decoris, totum à fluminis societate hauriunt. Hinc verus Dauid pro gloria Israel in nomine Domini pro-

VerbumDei potens, & purū ab eo, quod terrā sapit.

A gressus ad bellum aduersus magnæ molis Gigantem lapides sumpsit. 1. Reg. 17. *Et elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastoralem.* Eiusmodi lapides facilè excutiuntur à funda; at qui aliunde sumuntur, illigantur potius fundæ, quàm ab ea emittuntur. Quare *Prou.* 26. stulti homines dicuntur lapides habere illigatos fundæ, vbi enim vulgatus noster habet; *Sicut qui lapidem mittit in aceruum mercurij, ita qui tribuit insipienti honorem:* Chaldæus, & L X X. legunt, *Sicut qui ligat lapidem in funda.* Qui ergo concionatorium, id est, Apostolicum munus aut oblatum suscepit, aut negatum arripuit, si stultus est, id est, si sua que quærit, non quæ Iesu Christi, accipit quidem lapides, illigatos tamen fundæ, non

Concionatori quid spectandū.

B limpidos à torrente; sed scabros à sua vanitate, qui aut nullas habent, aut certè leuissimas emissiones. Super fideles sacri verbi nuncios, & pro re Christiana pugnatores strenuos, vt diximus nuper, Dominus Deus videbitur. Secus est cùm aliquis non tam diuinæ gloriæ, quàm suæ vanitati seruit. Psal. 63. *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* Exaltabitur longè Deus, & fugiet ab illis, qui cor altum, id est, spiritus insolentes assumpserint; qui altè de se cogitant, suisque viribus sperant aliquid se perfecturos. Et tunc reuera sagittæ paruulorum sunt plagæ eorum: neque enim tunc Dei lacertis ignea iacula, sed suis futiles stipulas iaculantur.

C Quidam putant, vt suprà notauimus, lapides illos non esse Iudæos, quibus Deus Gentium populos strauit; sed hostium potiùs arma, atque potentiam, quæ Deus Iudæorum manibus euertit. Quod textus Hebraicus indicat, vbi in nomine, pro quo noster reddidit *lapidibus*; nullam adhibet notam ablatiui casus: neque in *subiicient*, & *deuorabunt* affixa sunt vlla; ita vt commodè dicas, *deuorabunt eos & subiicient eos*, & si ad verbum vertas, potiùs dicendum sit, *deuorabunt, & subiicient lapides fundæ.* Si ita legas, & accipias hunc locum, pulcher est sensus, quo significatur Apostolorum, & Apostolici muneris sectatorum

87. *Vir Apostolicus laboris appetens.*

D eam futuram esse virtutem, atque constantiam, vt non modò non terreantur, ac langueant propositis minis, & obiectis Tyrannorum lapidibus; sed vltrò lapides ipsos appetant, deuorentque tanquam aliquid non ingratum palato. Quæ dicendi forma vsitata est Latinis, qui aliquid oculis, aut animis deuorari dicunt, quando auidè ab aliquo spectatur, vel summo studio appetitur. Certè hoc de viro Apostolico Stephano canit Ecclesia, *lapides torrentis illi dulces fuerunt.* Sed vt suprà etiam dixi superior explicatio commodior est, magisque consentanea versioni vulgatæ, quæ videtur alios habuisse codices Hebræos, magis sine dubio correctos, quales etiam habuêre LXX. qui etiam verterunt, *in lapidibus.*

Et replebuntur vt phialæ, & quasi cornua altaris.] 88.
Aptissima similitudine explicat, quinā futuri sint
E isti, qui Euangelij gratiā certamen suscipient, & quotidie ad fidē, seu vitam meliorem alienos, aut improbos adducent. Sunt enim vt altaria consecrata Deo, quæ victimarum quotidie recenti sanguine stillent. Nam vt in templo victimæ, sic in sacro Concionatore, & Christi causam fideliter obeunti animæ pristino instituto conuersæ Deo quotidie sacrificantur. Neque Deo minùs gratus bellator iste respersus illorum sanguine, qui sæculo mortui sunt, vt Deo viuant, quàm ara cū phialis sanguine, aut altaris cornua ex instituto veteris legis imbuta victimarum cruore.

Concionatorum triūphus, & corona.

89. Verſ.16. *Et ſaluabit eos Dominus Deus eorum: quia lapides ſancti eleuabuntur ſuper terram eius.*] Quemadmodum fideles ſerui fuerunt Apoſtoli, dum in vnius Dei gloriam intenti magnis ſe difficultatibus, atque moleſtiis implicuerunt, ſic illos Deus & à periculis eripuit, & longè ſuper terram eleuauit, adduxitque in honorem illum quem pretioſi lapides habere ſolent in Regio diademate. Diximus ſuprà vbi noſter vertit, *lapide ſancti*, in Heb. eſſe נזר *nezer*, quod *ſeparationem* ſignificat, vel *coronam*. Quare commodus erit ſenſus indicatus, dignúſque & Apoſtolorum meritis, & Chriſti liberalitate, nempe, *quia lapides corona eleuabuntur*, vbi Hebræorum more nota ſimilitudinis deſideratur, id eſt, *eleuabuntur ſicut lapides corona.* Neque mirum ſi qui coronæ dicuntur Dei Iſai.62. *& eris corona gloria in manu Domini*; iidem nunc dicantur lapides illigati coronæ.

Deus viros Apoſtolicos honorat.

90. Seu certè, quia de ædificando templo, atque vrbe inſtitutus eſt à Zacharia ſermo, hîc in nobiliori longè fabrica Apoſtolos lapidibus comparat, qui in illo ſpirituali ædificio ſublimem locum obtinebunt. Aut quia hîc de his omnibus, quibus ad hominum ſalutem vtitur Deus, ſermo eſt, hi dicuntur futuri in loco excelſo ſublimes à terra, quos nihil terrena, atque humana morantur, qui nihil aut velint, aut cogitent niſi cæleſte.

91. Septuaginta pro *eleuabuntur*, legunt, *voluuntur*. In quibus, vt ait Cyrillus, intelliguntur myſtagogi, atque magiſtri, de quibus ſic loquitur. *Valui autem illos appoſitiſſimè dicit, vt ad quiduis ſanctorum agilitatem, celeritatémque declaret. Lapides enim orbiculares, ſeu rotundi citra vllam difficultatem mobiliſſimi ſunt, ſi quis eos impellere voluerit. Sic animus Sanctorum ad omnia Deo grata obeunda eſt verſatilis.* Vt verò ideo celeriter rotundus voluitur lapis, quia minima parte ſui, id eſt, puncto terram attingit: ſic etiam fideles hi Dei miniſtri, quia à terra id tantùm habent, quo niti ac ſuſtentari poſſint. Quod omnium nomine dixit illorum dux, & exemplar Paulus 1. ad Timoth. cap.6. *habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus.*

Vir Apoſtolicus à terrenis expeditus.

Verſ.17. *Quid enim bonum eius, & quid pulchrum eius niſi frumentum electorum*, &c.] Rationem reddit per quàm optimam, cur hi eleuentur à terra, & velociter ad diuinum imperium moueantur: quia frumento paſcuntur, quod robuſtos alit, & cæleſtes ſpiritus: non languentes, & ad terrena ſegniter abiectos; & caſtum nitorem, qualis virgines decet futuras Chriſti ſponſas. Hi verò omnino eleuati ſunt ſuper terram; in quo ſingularis quædam vis exprimitur Euchariſtiæ, quæ vt cæleſtis eſt cibus, ita ad cæleſtia attollit hominum animos, redditque ſi minùs Angelicos, at Angelicæ naturæ quàm ſimillimos. Quo munere hominibus nullum aut melius, aut pulchrius dari potuit. Illud (*eius*) populum refert, aut Deum, vt ſuprà obſeruauimus: ille nihil maius, aut pulchrius accipere, hic melius, aut ſalubrius dare nihil potuit. Explicuit cap.9. 92.

Euchariſtia cibus robuſtorum.

IN CAPVT DECIMVM

ARGVMENTVM.

PROMISERAT Deus in præſens tempus bona quàm plurima, & quàm maxima Iudæis, quæ ne vana ſuſpicarentur, ſicut vana fuerunt pſeudoprophetarum, & idolorum promiſſa, vt præſens ſucceſſus aliis poſtea futuris fidem faciat, iubet vt pluuiam petant ſerotinam, quæ agris maximè opportuna eſt. Et, vt veriſimile eſt, tempus tunc erat ſerotinæ pluuiæ. Deinde graue minatur ſupplicium pſeudoprophetis, qui populum nugacib. oraculis in fraudem impulerunt. Ad extremum valdè amplificat ea ornamenta, quæ gentem Iudaicam à Dei benignitate manent, cuius filiis Dominus vtitur tamquam inſtrumentis bellicis, quibus latè hoſtium copias euertet, dilatabitque fines terræ promiſſionis, ad quos vndecunque gentium captiuos euocabit, ſuperatis impedimentis quæ gentes apud quas degebant exules, opponent. Hæc ita hiſtoricè intelliguntur de Republica, ſtatúque Iudæorum, vt multo luculentiùs typicè impleta fuerint in Eccleſia.

CAPVT X.

1. *PEtite à Domino pluuiam in tempore ſerotino; & Dominus faciet niues, & pluuiam imbris dabit eis, ſingulis herbam in agro.*

2. *Quoniam ſimulacra locuta ſunt inutile, &*

PARAPHRASIS.

1. PLurima vobis nuper promiſi agrorum emolumenta, quæ ne vana futura eſſe ſuſpicemini, agite iam, petite ſerotinam pluuiam, qua maximè indiget annus, vt ſegetes ad ſpicam, & maturitatem adducat: & dabit Dominus vobis nubem, & imbrem largum, ita vt pro pecorum pabulo etiam ager veſtiatur, & abundet herba.

2. Hæc Dei promiſſa longiſſimè abſunt

Digitized by Google

& diuini viderunt mendacium, & somniatores locuti sunt frustra: & vanè consolabantur; ideirco abducti sunt quasi grex: affligentur, quia non est eis pastor.

A sunt ab illis, quibus simulacra, pseudoprophetæ, aut arioli ante captiuitatem lactabant nimiùm credulum populum, dicentes nihil illi adfuturum esse mali, vel à cæli, vel ab hostis inclementia, seu iniuria, seu etiam qui captiuitatis tempore prædicabant, si ad patriam sedem rediisset, omnia futura angusta, & ærumnosa. Idcirco illi abducti sunt in exilium, & nunc pleriq; manēt sicut grex cui non est pastor.

3. *Super pastores iratus est furor meus, & super hircos visitabo: quia visitauit Dominus exercituum gregem suum, domum Iuda, & posuit eos quasi equum gloriæ suæ in bello.*

3. In hos ergo pseudoprophetas, qui pastores, & authores fuerunt tanti exilij, grauiter indignatus sum. Neque adhuc
B satis in hircos, id est, populi Duces, qui audientes pseudoprophetarum nugas, nimis obsequentem populum in eandem secum perniciem traxerunt, sæuitum est. Iam autem Dominus de domo Iuda, & de grege suo satis pœnarum sumpsit. Quo vtetur ad res præclaras, sicut in bello Dux equo gloriosè vehitur.

4. *Ex ipso angulus, ex ipso paxillus, ex ipso arcus prælij, ex ipso egredietur omnis exactor simul.*

4. In hoc Iudaico populo, quem Dominus ad pristinam dignitatem reducet, non solùm equus erit, quo gloriosè Deus & dimicet, & triumphet; sed etiam angulus, id est, turris, seu armamentarium, &
C paxillus, vnde arma dependeant, & arcus, atque alia militaria instrumenta, quibus instructi milites in aciem prodeant; & qui domitis hostibus imponant, atque exigant vectigalia.

5. *Et erunt quasi fortes conculcantes lutum viarum in prælio: & bellabunt, quia Dominus cum eis: & confundentur ascensores equorum.*

5. Hi verò Gigantum in morem præsenti Dei auxilio muniti sic bellabunt strenuè contra ascensores equorum, vt illorum gloriam deprimant, conculcéntque non secus atque platearum lutum.

6. *Et confortabo domum Iuda, & domum Ioseph saluabo: & conuertam eos, quia miserebor eorum: & erunt sicut fuerunt quando non proieceram eos: ego enim Dominus Deus eorum, & exaudiam eos.*

6. Et confortabo domum Iuda insuper, & domum Ioseph, id est, Israël, &
D eorum vicem miseratus vtrosque ad antiquam felicitatem restituam. Ego enim Dominus eorum Deus annuam tandem illorum precibus.

7. *Et erunt quasi fortes Ephraim, & lætabitur cor eorum, quasi à vino: & filij eorum videbunt, & lætabuntur, & exultabit cor eorum in Domino.*

7. Et erunt Ephraimitæ quasi Gigantes, quorum animi sic à lætitia gestiunt, quasi qui à vino exhilarantur. Quæ cùm eorum filij, ac posteri videbunt, exultabunt solido, ac vero gaudio, quale immitti solet à Deo.

8. *Sibilabo eis, & congregabo illos, quia redemi eos: & multiplicabo eos sicut antè fuerant multiplicati.*

8. Sicut pastor dispersum gregem sibilo; sic ego populum meum latè dispersum, meo beneficio liberum congregabo,
E adducámque ad illam multitudinem à qua confecti cladibus atque ærumnis exciderant.

9. *Et seminabo eos in populis, & de longè recordabuntur mei: & viuent cum filiis suis, & reuertentur.*

9. Et in promissam sibi terram reuersi, & per eam longè, latéque sicut olim disseminati, viuent læti cum filiis meæ clementiæ, atque humanitatis memores: cui acceptum referent, quòd viuant, & quòd florentes sint.

Digitized by Google

10. *Et reducam eos de terra Aegypti, & de Assyriis congregabo eos: & ad terram Galaad, & Libani adducam eos: & non inuenietur eis locus.*

11. *Et transibit in maris freto, & percutiet in mari fluctus; & confundentur omnia profunda fluminis: & humiliabitur superbia Assur, & sceptrum Aegypti recedet.*

12. *Confortabo eos in Domino, & in nomine eius ambulabunt, dicit Dominus.*

A 10. Euocabo igitur eos de terra Ægypti, & de Assyriorum terminis ad Libanum, & Galaad. Et cùm tam latè pateant definita spatia, tamen pro redeuntium numero sic erunt exigua, vt vbi habitent, satis loci futurum non sit.

11. Neque minùs officiosus ero in populum, quem nunc ex Ægypto, atque Assyriis euocabo, quàm in eundem fui, cùm demerso Pharaone ex Ægypto quondam eduxi, aut in terram promissam sicco alueo traieci. Nam si occurrat impedimentum, quale olim in maris Rubri traiectu, aut cùm se Iordanis tumentibus B fluctibus opposuit, percutiam rursus virga fluctus, & rursus maris, & fluminis profunda siccabuntur, & sublatis impedimentis, quæ Ægyptius, Assyriúsque remigrantibus obiicient, humiliabitur illorum potestas, & gloria.

12. Confortabit itaque Dominus populum suum, qui in nomine Domini felici procedet incessu.

Vers. 1. *Petite à Domino pluuiam in tempore.*]

1. *Hoc caput de Iudæorũ Republica historicè, de Ecclesia mysticè intelligitur.*

TOTVM hoc caput quidam referunt ad tempus Ecclesiæ, sicut & ad quædam, quæ antecesserunt: & quidem dubitanter, & timide, vt Hieronymus, Dionysius, & plures è recentioribus. Alij de Republica Hebræorum, vt Theodoretus, Hugo, Paulus de Palacios. Mihi idem videtur esse dicendum quod de superiori capite, nempe historicè accipiendum de statu Iudæorum, typicè verò de Ecclesia. Quare quæ hîc dicuntur, coniungenda sunt cum antecedenti capite iuxta priorem explicationem, vbi vberibus pascuis pascendus dicitur grex; & terra futura ferax frumenti, quod vires augeat iuuenibus, id est, electis, & decorem virginibus afferat. Obseruandum est autem, quod suprà vidimus c. 8. in illud, *merces hominum non erat*, famem contigisse, & feracis glebæ miserrimam maciem ante hoc tempus, postquam reuocati ab exilio Iudæi Hierosolymitanum agrum colere cœperunt. Iubet ergo Propheta Iudæis, vt bono sint animo: & audacter a Domino iam placato pluuiam petant: rationémque reddit, cur priùs ager sedulæ ac longæ cultorum operæ tam parcè responderit. Hæc autem referenda sunt ad illud capitis præcedentis. *Hodie quoque annuncians duplicia reddam.* Quasi dicat Deus: experimini an vera sint, quæ vobis me largiturum esse polliceor. Petite pluuiam, & nisi vestris votis annuero, &c.

2. *Imber temporaneus, & serotinus quis.*

In tempore serotino.] Duo imbres sæpe occurrunt in Scriptura, temporaneus, & serotinus. Temporaneus, qui à Ioële *cap.* 1. dicitur matutinus, est qui sub mensem Septembrem, atque Octobrem plerumque contingit, quia hoc tempus maximè aptum est sementi faciendæ. Alter serotinus, qui frugibus incrementum & maturitatem affert; qui plurimùm in Aprilem, aut Maium incurrit. A Maio verò, in quo partem Aprilis comprehendo propter Lunarem rationem, quæ He-

In Palæstina à Maio ad Octobrẽ pluuia non est.

C bræorum menses moderatur, vsque ad Octobrem, in quo similiter propter eandem rationem pars Septembris intelligitur, aiunt qui regiones illas inoluerunt, non pluere. Certè Hieronymus in illud Amos 4. *Ego quoque prohibui à vobis imbrem, cùm adhuc tres menses superessent vsque ad messem:* vbi planè agitur de hoc imbre serotino, ait se nunquam in Iudæa mense Iunio, ac Iulio pluuiam vidisse. Imò Samuëlis tempore. 1. Reg. 12. tanquam prodigium quoddam fuisse traditur tempore æstatis, ac messis motas esse pluuias. Videntur autem hæc à Zacharia dicta sub tempus vernum, quando maximè serotinus imber expetitur, qui si absit, sitiente terra, peribit omnis agricolarum spes. Quare Iob capite 29. vt significaret vehemens studium, & desiderium ardens, hac similitudine D vsus est. *Expectabant me sicut pluuiam, & os suum aperiebant, quasi ad imbrem serotinum.*

Qui hæc cum Hieronymo de Ecclesia accipiunt, Christum esse putant serotinam pluuiam, quæ fruges ad spicam, & granum adducit; & quidem aptissimè; nam antiqua lex tanquam temporaneus imber stipulam produxit, & herbescentem segetem, quæ fructum non tam habet, quàm promittit in vagina sua, aut in herba latentem. Quare Prophetæ, qui iam pridem temporaneum imbrem acceperant in lege, id est, prima semina, serotinum, id est, fructum expectabant, nempe Christum, cùm clamabant; *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum; aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Isai. 45.

3. *Christus pluuia serotina cur.*

Et Dominus faciet niues, & pluuias imbris dabit eis.] Pro *niues*, Hebraicè est חזיזים *Chazizim*, quod alij *nubes*, alij *procellas*, LXX. φαντασίας, id est, *apparitiones*, vertunt. Sunt autem apparitiones illæ, seu E phantasiæ, coruscationes aut fulgetræ, quæ emicant è nubibus, quæ ferè esse non solent sine pluuia, & cum his plerumque contingit imber serotinus. Hieronymus eamdem vocem variis locis variè

Digitized by Google

variè reddit. Iob capite 28. *procellam* vertit. *Quando ponebant pluuiis legem, & viam procellis sonantibus.* & *tonitruum* Iob 38. *& viam sonantis tonitrui.* Quem locum reddit Chaldæus; *& viam nubibus, quæ deiiciant aquam cum tonitruis.* Et fortassè *nubes* hic Hieronymus, sed leui literarum permutatione pro *nubibus*, *niues* irrepserunt. Certè Sanctes Pagninus in Lexico, & authores Lexici Complutensis, hoc loco putant *nubes* reddidisse Hieronymũ. Neque sanè vernum tempus, & cælum iam clementius, & intepescens satis est niuibus opportunũ. Quòd si *niues* vertit Hieronymus, vt est in pluribus codicibus, atque etiam in Sixtiano, ideo videtur fuisse, quia niues quodammodo nubes sunt, quia tandem sicut nubes in aquam soluuntur.

5. *Et pluuias imbris.*] Ex hoc etiam fit verisimile חזיזים esse nubes: nam duo nubium genera hic videntur constitui. Alterum procellosum, quod copiosæ pluuiæ prognosticum esse solet; & hoc positum est priori loco: alterum mitius, à quo benignior stillat imber, de quo posteriùs. Hæc autem duo nomina eiusdem propè significationis in Scriptura sæpè coniunguntur, *pluuia & imber.* Quod autem quidam putant *pluuiæ* nomen, Hebraicè מטר *matar*, esse vniuersale magis quàm *imbris*, Hebraicè גשם *ghesem*, quia pluuia non solùm aquam, sed etiam niuem, aut grandinem mittit; contrahi verò per imbrem, quod statim subiicitur; non videtur verum: nam Iob capite trigesimoseptimo bis ponitur גשם *ghesem* antè מטר *matar*, id est, imber ante pluuiam: quare imber eodem modo contrahendus videbatur. Dicendum ergo est geminata nomina, siue eadem sint, siue coniugata, aut certè diuersa; eiusdem tamen significationis, habere semper auxesim quandam iuxta suam naturam; vt in 1. Cantic. pluribus diximus ad illud, *Osculetur me osculo oris sui.* Siue nomina sint in diuersis casibus, vt, v.g. *Cantica Canticorum*; *Rex Regum*: siue in eodem, vt, *homo homo, putei putei, dies dies*, id est, multi homines, multi putei, multi dies, vel, singuli homines, vel putei, vel dies. Eodem modo si nomina sint synonyma, coniuncta singularem quandam habent epitasim. Exempla sunt plurima. *Genes.* 2. Adam formatus dicitur *de limo terræ*, id est, de limo purissimo. Et *Psalm.* 39. vbi vulgatus habet, *de luto fecis*; Hebr. est *de luto cœni*, id est, copioso. Quo sensu in titulis Psalmorum sæpe ponitur *Canticum psalmi*, & *Psalmus cantici*, quo, vt bene Genebrardus in titulo *Psalm.* 107. præstantia talis Psalmi significatur. Quæ dicendi forma vsitata est apud Latinos, qui dicunt cum eadem auxesi, *purum putum*; *fartum tectum*: & apud Hispanos, qui in re commendanda vocem geminant, dum dicunt, *lindo alindado, dinero adinerado, dia adiado.* Ad hunc ergo modum, hic *pluuia imbris*; & Iob 37. *imber pluuiæ*, copiosum imbrem designat.

Nomina synonyma cõiuncta epitasim habẽt.

6. *Et dabit eis singulis herbam in agris.*] Id est, singulis eorum faciet, vt non ipsi solùm fruges habeant, & maturas & plenas; sed etiam vt agri ad speciem pulchri, & ad pecorum pascua vberes, & opportuni sint. Pro, *eis singulis*, Hebr. est *viro*, Hebræorum more, qui *virum* pro *quolibet* vsurpant.

7. Vers. 2. *Quoniam simulacra locuta sunt inutile.*] Confert nunc verissima Dei oracula cum falsissimis augurum, pseudoprophetarum, & simulacrorum nugis, neque illa futura dicit esse vana, sicut illæ fuerunt vanissimæ. Agit autem, vt ego existimo, Propheta hic non solùm de vaticiniis, quæ Iudæi acceperunt ante captiuitatem à diuinis, & pseudoprophetis, qui ipsis omnia promittebant

A secunda, neque quicquam timendũ esse à Chaldæorum Rege, in cuius postea seruitutem adacti sunt, sed etiam de aliis, quæ aut in exilio Babylonico, aut etiam in patria soluta iam captiuitate, acceperunt à maleficis. Et quidem ante captiuitatem fuisse Prophetas falsos, qui populum nimiùm credulum decepère, satis docet Ieremias capite 27. *Nolite*, inquit, *audire Prophetas vestros, & diuinos, & somniatores, & augures, & maleficos, qui dicunt vobis; non seruietis Regi Babylonis, quia mendacium prophetant vobis, vt longè vos faciant de terra vestra, & eiiciant vos & pereatis.* & Threnorum 2. *Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta.*

Quòd verò in captiuitate apud Babylonios simulacra Iudæi, atque ariolos consuluerint, satis 8.
B est verisimile: nam si cùm adhuc essent in Ierusalem, vbi templum erat, Sacerdotes, & Prophetæ, oracula tamen petebant à maleficis; quid ipsos fecisse putandum est inter Gentes omni superstitionis genere contaminatas? Et indicat satis apertè Ieremias *cap.* 29. in epistola, quam misit ad captiuos, qui erant in Babylone. *Non vos* (inquit) *seducant Prophetæ vestri, qui sunt in medio vestri, & diuini vestri, & ne attendatis ad somnia vestra, quæ vos somniatis*, &c. *quia hæc dicit Dominus, cùm cœperint impleri in Babylone* 70. *anni, visitabo vos.* Neque hoc mirum, cùm etiam Deos alienos in captiuitate coluerint: sic enim de illis Ieremias cap. 16. *Eiiciam vos de terra hac in terram, quam ignoratis vos, & patres vestri; & seruietis ibi diis alienis.* Ex quo constat falsos illos Prophetas ademisse captiuo populo spem reditus in patriam. Atque adeò verisi-
C mile etiam est dæmonem per suos maleficos voluisse persuadere, atque etiam obtinuisse apud multos, nihil captiuis in patriam reuersis futurum esse ex votis, nihil pacatum, nihil nisi ærumnosum, & angustum. Cùm verò iam reuersi experientia cognouissent, quanta à vicinis quotidie occurrerent impedimenta, & postremis hisce temporibus sterilis ager exiguos, atque infelices prouentus redderet, quasi vera essent quæ in Babylonia audierant vaticinia, & maleficos in patria iterum consulebant, qui illis aduersa omnia minabantur, & de repetenda Babylone rursus deliberabant. Quòd nisi nos fallunt Hebræorum Annales, multi qui ab exilio redierant,
D eòdem remigrarunt: nam & ipsum Ducem Zorobabel absoluto iam templo rediisse Babylonem tradunt in Seder Holam Zuta, *in decuria* 6. & ibi mortuum. Quis autem credat tantum virum solum esse reuersum?

In Babylonia Iudæi simulacra, & augures cõsuluerũt.

Multi ex Iudæis Babylonem reuersi: & in his Zorobabel.

De vtrorumque ergo vaticiniis agit Propheta, 9.
& de his, qui obiecta falsa securitatis specie populum nimiùm credulum in exilium egère; & de illis, qui eundem populum patriam reuisere, & instaurare cogitantem, proposito metu retinere moliebantur. Aut etiam fortassè de illis postremis, qui animos debilitabant, & studium eorum, qui iam erant in Ierusalem, & in opere faciendo segnes reddebant. Nam ad eorum animos confirmandos, omnium illorum Propheta-
E rum fidem infirmatam oportuit. Sed præcipuè de primis sermo est, quorum vaticiniis, quæ prospera omnia pollicebantur, alia opponit vaticinia longè diuersa, quæ erunt omnino quàm verissima, quemadmodum illa alia omnino quàm falsissima fuerunt. Quos dicit dedisse pœnas in exilio pseudomantiæ, quia non aliis tantùm malum: sed etiam sibi ipsis exitium attulerunt. Et ideo statim subditur; *idcirco abducti sunt sicut grex.*

Pro *simulacris*, Heb. est *Teraphim*: de cuius significa- 10.

Google

Teraphim quid. ficatione multi multa dicunt. Hebræi *Teraphim* imagines esse putant, in quib. futura cognoscuntur diabolo per eas responsa reddente. Alij etiam ex Hebræis putant caput esse primogeniti dæmoni consecrati,& ne putrescat, arte conditi,in cuius ore lamina quædam erat, & in ea insculptum Idoli nomen, quod per os pueri reddebat oracula. Ita Doctores Hebræi, vt refert Lyra *in cap. 17. Iud.* qui videtur illorum sententiam non respuere. Alij instrumentum quoddam astronomicum credunt ad inuestigandum per astra futuros rerum euentus. Ita R. Dauid, & Abenezra,& Montanus hic. Sed illud de pueri capite, aut de astrologico instrumento videtur omnino falsum. De capite quidem, quia *Teraphim* fabricata dicuntur; at illud non fabricatur, sed pigmentis conditur. Item quia Idola, quæ furata est Rachel, Genes. 31. *Teraphim* dicuntur. At quis credat illa fuisse multorum primogenitorum capita, & non potiùs imagines aureas, aut argenteas? Et hæc eadem probant non esse astronomicum instrumentum, Cylindrum puta, aut Astrolabium, quia ista idola non sunt. Sed neque existimo *Teraphim* esse imagines illas satis familiares Gentilibus,ex cera plerumque, & ex alia nonnunquam materia fictas, quas dæmon subit, & in illis loquitur: sed patere credo latiùs nomen *Teraphim*, & sumi etiam pro quocumque signo, atque statua, aut simulacro, vt hic Hieronymus vertit. Certè statua, qua supposita pro Dauid Michol paternos satellites elusit, *Teraphim* dicitur 1. *Reg.* 19. At quis credat in domo Dauid imaginem fuisse, per quam consuleretur dæmon; aut filiam Regis auituram apud se retinere, quod pater tanto studio è Regno depulerat, sublatis pythonibus, ariolis, & diuinis? Sanè omnes pene Interpretes *imagines* vertunt,& Aquila μορφώματα. Vide plura de *Teraphim* apud Lyram *in cap. 31. Genes. & in cap. 17. Iudic.* & ibi Abulensem; & Riberam *in cap. 3. Oseæ num. 20.*

11. *Idcirco abducti sunt sicut grex: affligentur, quia non est eis pastor.*] Duo hic hominum genera videntur constitui ex his qui captiui ducti fuerunt; alterum eorum, qui sine vlla sua culpa, saltem qui neque consuluerunt simulacra, neque illorum responsis obsequuti sunt. Quorum è numero fuisse plurimos, maximè ante Sedechiam, constat ex *capite 26. Ieremiæ*: vbi Principes Iuda, & omnis populus obstitisse dicuntur Sacerdotibus, & Prophetis,nempe falsis, qui Ieremiæ vastitatem prædicenti ciuitatis, & templi, mortem moliebantur. Certè longè aberat ab eo consilio Daniel cum sociis, qui primo Chaldæorum aduentu, & Ezechiel, qui postea secundo captus est. Cùm verò Sedechias Ieremiam Prophetam vrbis, ac templi ruinam denunciantem non audiisset, sed Prophetas falsos, qui verbis lactabant adulatoriis, & alij ferme omnes impij regis vesaniam imitati eodem simul errore in idem quoque exitium traherentur; hi quidem, qui capti vltimò, quia iisdem se cum scelerato Rege consiliis implicuerunt, ab exilio reuersi non sunt, vt diximus suprà capite septimo ad illud, *sic clamabunt, & non exaudiam.* Neque qui cum Iohanan reclamante Ieremia profecti sunt in Ægyptum, nisi admodùm pauci,at illi forsan qui non tam vltrò, quàm coacti, sicut Ieremias ipse, eò compulsi sunt. Ex aliis verò qui communi errore vel calamitate potiùs, quàm suo scelere lapsi fuerunt (licèt multi aut regionis bonitate capti, aut quia ibi agros, aut alia bona comparassent, redire noluerint)

Quidam ex exilio reuocati, alij ibidem relicti.

A plurimi Dei beneficio patriæ restituti sunt. Ait ergo Deus eos, qui idolorum responsis, & pseudoprophetarum vocibus obsequuti sunt, dedisse pœnas in exilium abductos, daturosque adhuc, quia pastorem non habebunt, qui in antiqua septa, id est, auitam possessionem reducat, se videlicet,qui illos inter alienos desidere patietur. Et hoc multo magis explicat, quod statim subditur.

Vers. 3. *Super pastores iratus est furor meus: & super hircos visitabo.*] *Visitare* hic punire significat. Verisimile valdè mihi est hircos hoc loco eosdem esse,qui priùs pastores vocati sunt, & in quos diuinæ huius comminationis fulmen intentum est. Nam pro, *hircis*, Hebr. est עתודים *Attudim*, qui non sunt quicumque hirci, sed qui gregi præeũt, 12. *In hircis Duces, & Principes intelliguntur.*

B vt constat *Ierem. cap. 50. num. 8.* Vnde per metaphoram Principes, ac potentes eo nomine vocantur: nam *Isai. cap. 10. numero 13.* vbi vulgatus *Principes*, & *cap. 14. numero 9.* vbi idem *Gigantes*, Hebr. est עתודים: seu certè pastores vocantur falsi Prophetæ, quorum suasu id intentauit infortunatus grex, quod illi exitio fuit; hirci verò principes, & duces, qui pseudoprophetarum consulta ac somnia executi sunt. Neque translatio dura: nam quemadmodum pastor gregem in aliquem locum destinat; dux autem gregis hircus eò deducitur: sic Prophetæ falsi quasi pastores ad Babyloniam, tanquam ad macellum destinarunt Iudæos,& illorum consiliis obsequuti principes, eò deduxerunt. Puniet ergo Deus pastores,id est,

C Prophetas falsos, & Principes, quorum alij vel imperio, vel suasu verorum Prophetarum monita abiecerunt. In pastores autem vehementiùs inflammabitur diuinus furor, quia illi turbam ignobilem,& facilè obsequentem principum studiis in communem secum stragem rapuerunt. Dicuntur autem principes illi perquàm aptè *hirci*, quia hi inquieti sunt, & lasciui, & in præerupta audaces & præcipites; quique ita gregibus imperant, vt eò trahant, quò ipsis ire collibuerit.

Quia visitauit Dominus exercituum gregem suum, domum Iuda.] De aliis, qui simulacrorum, & pseudoprophetarum voces audierunt, locutus est Deus, quasi de alieno grege, cui pastor non est; de domo verò Iuda, id est, de illis,qui dici Iudæi 13. *Visito quid.*

D verè possunt, quia Deum confitentur,neque honorem deferunt mutis simulacris, tanquam de suo sibi grege loquitur. Porrò *visitare*,& fauorem significat, & quidquid à beneuolentia nascitur. Qua ratione Deus dicitur *visitasse populum suum Oriens ex alto.* Lucæ 2. & supplicium, aut id quod ex odio, aut offensione prouenit. Qua ratione Deus dicitur *visitare super peccata.* Si *visitauit* hìc in priori significatione sumas, sensus erit satis rectum naturæ accommodatus. Quia Deus fauere voluit populo suo, ideo Principes malos, & pastores, seu impostores sustulit, aut in exilio reliquit. Sicut cùm populo iratus est, Principes stultos, & pastores fatuos esse permittit. *Isai. c. 3. Et dabo pueros Principes eorum: & effeminati dominabuntur eis.* Sed puto in priori significatione

E hìc potiùs esse sumendum; quia non videtur in eadem pene clausula fieri debuisse tantam in significatione verbi mutationem. Quarè hìc & *visito* pœnam significat; & est sententia facilis. Pastores, & hirci nondum dederunt pœnarum satis; adhuc multùm superest quod subeant. Et ideo dicit, *visitabo*: alij verò perfuncti sunt supplicio suis decreto meritis, neque iam amplius puniendi, & ideo dicit, non *visitabo*, sicut de prioribus; sed *visitaui.*

Sed

14. Sed quo magis sit expedita hæc explicatio, obseruа tam apud Hebræos כי *chi*, quam apud vulgatum *quia*, quod idem valet, redundare non rarò. Genes. 45. vbi noster; *Et ipse dominatur in omni terra Aegypti.* Hebraice est, *& quia ipse dominatur:* & Psal. 17. quater particula כי Heb. & *quoniam* Latinè, expletiua & otiosa ponitur *versu* 31. 32. 33. 35. *& Oseæ c.* 10. bis versu 3. *Quia luxit super eos populus.* & versu 5. *quia nunc dicent; non est Rex nobis.* Sic hoc loco (*quia*) non reddit rationem, sed narrationem continuat, hoc sensu. *Visitabo super pastores*, &c. *etiam visitaui super gregem meum.*

Quia aliquando redundat.

15. *Et posuit eos, quasi equum gloria sua.*] Non solùm Deus liberauit populum suum, sed etiam ornauit, ac voluit, vt sibi quoque esset ornamento. Hoc loco præteritum, *posuit*, pro futuro *ponet*, adhibitum esse credo, quod satis in Scriptura frequens. Equus gloriæ est equus gloriosus, pulcher, & egregiè instructus. Fortasse equi gloriæ, quibus populum cóparat Deus, Angeli sunt, in quibus sedere, aut equitare dicitur Deus *Ps.* 17. Cætera quæ sequuntur, eò spectant, vt per populum priùs abiectum, & squallidum significet eximias se victorias reportaturum. Quæ optimè adumbrant, quæ postea Christus in Ecclesia per Apostolos operatus est; quæ accommodare ingenioso Concionatori non est diffi cile. Quare ea de re paucis. Concionator verò & vir Apostolicus, qualis nostro sæculo fuit è Societate Iesu B. Franciscus Xauier, equo simillimus esse debet, qui Christum velociter, & cum dignitate per omnes mundi plagas & bellantem, & triumphantem circumferat: neque labore, & cursu languescat, & deficiat, neque ascensu arduo, aut obiecto periculo terreatur; sed talem se præstet omnino, qualis à Iob describitur cap. 39. *Exultat audacter, in occursum pergit armatis, & contemnit pauorem, nec cedit gladio.* Alij sunt, atque vtinam exiguo numero, qui tanquam viles aselli traducunt potiùs per ludibria, quàm portant gloriosè Christum; dum & ipsi moribus sunt impuris, & in præstando munere segnes, & tardi, & inani, atque nugaci eloquentia Euangelij sanctitatem inuoluunt.

Optimum symbolum viri Apostolici.

16. Vers. 4. *Ex ipso angulus, & ex ipso paxillus.*] *Angulum* pro Regibus, & Ducibus sumi satis notum est à turribus, quæ in murorum angulis excitari solent ad vrbis defensionem. Quo sensu sumuntur Sophoniæ cap. 1. *Dies tubæ, & clangoris super ciuitates munitas, & super angulos excelsos.* Hinc metaphoricè dicuntur Principes, sicut à Latinis non adeò dissimili metaphora *proceres.* Iud. 20. *Omnes anguli populorum conuenerunt.* & 1. Reg. 14. *Applicate huc vniuersos angulos populi.* Hieronymus in illud Isai. 19. *deceperunt Ægyptum angulum populorum*; ab angulo domus metaphoram deducit. *Idioma*, inquit, *est Scriptura, vt angulum pro Regno ponat, eo quòd populos contineat, & quasi in tota domo fortissimum sit.*

Angulus quid.

17. *Ex ipso paxillus.*] Hebr. יתד *iather*, quod *clauum*, seu *paxillum* valet, ex quo aliquod dependet vas. Figuratè paxilli dicuntur hi, ex quibus aliorum spes, ac fortunæ pendent. Quidam per *angulum* Regiam potestatem, per *paxillum* Sacerdotalem intelligunt. Et quidem Eliacim, qui futurus erat Sacerdos, paxillus vocatur Isai. 22. *Et figam illum paxillum in loco fideli*, &c. *& suspendent super eum omnem gloriam domus patris eius, vasorum diuersa genera, omne vas paruulum à vase craterarum, vsque ad omne vas musicorum.* Pro paxillo L X X. vertunt

A *Principem*, qui si fideli, id est, stabili loco fixus sit, tam infirmorum, quàm potentiorum commoda sustentat.

Ex ipso arcus prælij.] *Arcus* hic per synecdochem pro quolibet armorum genere sumitur, quæ ex paxillo, seu clauo, de quo nuper, suspenduntur.

Hæc de angulo, & paxillo, per quos Regia, ac 18.
Pontificia dignitas adumbrantur, optimè conueniunt in Christum, qui Rex fuit, & Pontifex ex tribu Iuda, ex quo spes nostra ac fortitudo pendent. Sed credo historicè ab illis verbis, *posuit eos quasi equum gloriæ suæ*, ad hunc vsque locum significari in populo Iudaico futuros strenuos Duces, per quos Deus illustres consequatur victorias; qui in equis exprimuntur, quos in re bellica constat magno esse vsui: & in eodem futurum esse armamentarium, ex quo duces illi in aciem armati prodeant. Armamentarium verò optimè describitur per angulum, & paxillum: nam angulus, vt suprà vidimus ex Hieronymo, locus est fortissimus; quod ad armamentarium necessarium est: & deinde, vt paxilli sint, seu claui, ex quibus arma dependeant. Ad extremum, vt ibi sint arma, quibus milites contra vim hostilem se communiant. Hæc verò per arcum significantur. Talis erat turris illa Dauidica, de qua Cant. 4. *Mille clypei pendent ex ea, & omnis armatura fortium.* Hæc verò optimè historicè conueniunt in populum Iudaicum: allegoricè verò multo meliùs in Christum, & Ecclesiam. Quare vbi iam de bellico apparatu actum est, statim de militibus, qui inde egrediuntur armati, inducitur sermo.

Christus angulus, & paxillus, Rex, & Pontifex.

Ex ipso egredietur omnis exactor simul.] A populo 19.
Iudaico priùs alienæ gentes vectigalia exigebant, ad futurum tamen tempus dicit Dominus fore vt Gentes illæ domitæ Iudæorum armis, ipsis conuersa fortuna vectigalia pendant. Porrò hîc *exactor* pro victore ponitur: nam id obtinet victor, vt victis imponat, & suo tempore exigat vectigalia. Pro *exactore*, Heb. est נגש *noghes*, quod *exactorem* significat, & *artlatorem*, quæ duo potentem hominem, & in bello superiorem ostendunt.

Vers. 5. *Et erunt quasi fortes conculcantes lutum viarum in prælio.*] Illud *quasi*, non significat similitudinem, sed veritatem; vt Ioan. 1. *Gloriam quasi vnigeniti à Patre*; hoc sensu. Illi qui ex tali armamentario instructi prodibunt, conculcabunt hostes, aut victos, aut interfectos, sicut qui calcat lutum in via; vt decet viros fortes. Vel sanè cùm vox Heb. גבורים *ghiborim* non significet hominem vtcumque fortem, vel strenuum, sed potentissimum Heroëm, Gigantem, quo nomine vocatus est Nemrod *Gen.* 10. & Goliath 1. *Reg.* 17. in illo (*quasi*) spectari posset aliqua similitudo, in hanc sententiam. Inde prodibunt armati viri, quasi Gigantes, qui hostes proterant, quasi viarum lutum. Pedibus autem calcare hostes magnæ victoriæ signum est, qualis proponitur Ps. 67. *vt intingatur pes tuus in sanguine.* Et hæc victoriæ significatio in sacra Scriptura frequens. 20.

Viri Apostolici vnde ad ministerium muniti.

Si hæc ad tempora Euangelij referas, & Apostolicos excursus, inuenies viros ex Christi armamentario munitos attulisse ad barbaras gentes heroicos animos, & gigátæos planè spiritus; strauisse populos immanitate barbaros, multitudine innumerabiles, locis infinitos, multò præstatiùs, atque feliciùs quàm olim Cæsar, de quo similia adulatoriè mentitus est Cicero. Lege Acta Apostolorum, & superiorum temporum Annales, occurrent passim pedibus euangelizantium pacem 21.
calcati

calcati alieni à Religione populi, non secus, atque viarum lutum.

Ioseph pro Israël.

22. Vers.6. *Et domum Ioseph saluabo.*] Communiter omnes spiritualiter intelligunt de decem tribubus, quas nomine *Ioseph* intelligi putant, quæ & in fine sæculi conuertendæ sunt:& nunc etiam ad fidem ex illis tribubus multi sunt vocati. Sunt quidem hæc vera, & ad allegoriam satis apta, id, est, ad tempus Ecclesiæ quæ neminem excludit; sed nescio quàm aptè ad sensum historicum, id est, ad præsens tempus, de quo hic sermo est. Quare reuocanda sunt quæ suprà notauimus cap. 8. ad illud, *domus Iuda,& domus Israël.* vbi probauimus ex decem tribubus multos fuisse reuersos ab exilio; & Israël sæpe sumi pro Iuda. Vide Abulensem *in lib.1. Paralip.c.9. q. 3.* Cùm ergo Ioseph vsurpetur nónunquam pro toto Israël, quid mirum si pro Iuda ponatur aliquando? Quòd verò in Ioseph totus Israël intelligatur, liquet ex Ps.70. *Qui regis Israël intende; qui deducis velut ouem Ioseph.* vbi eadem in posteriori hemistichio sententia per epexegesim vsitatam Hebræis: nam illud *regis*, quod est in priori, Heb. רגה *regheh*, pastorale verbum est,& est idem quod *ouem deduxisse*; quod est in posteriori. Et Ps.80. *Quia præceptum in Israël est,& iudicium Deo Iacob:testimonium in Ioseph posuit illud.* vbi tria hæc nomina, *Israël,Iacob,& Ioseph* pro eodem omnino capiuntur: neque in aliam sententiam accipio illud Ps. 76. *Redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Iacob, & Ioseph.* Sumitur autem Ioseph pro Israël, tum propter sanctitatem, & potentiam; & quia in Ægypto fratribus suis pro parente fuit: tum quia loco Ruben nactus est primogenij dignitatem.1. *Paral.* 5. Neque sine causa hîc Iosephum nominat Propheta; nam cùm summa omnia tribui Iuda videatur esse pollicitus; ne qui ex aliis tribubus cum Iudæis patriam iam sedem obtinebant,quorum magnus erat numerus, vt *cap.*8.pluribus ostẽdimus, quique nomine Ephraim sæpe significantur, cuius pater fuit Ioseph, se contemni putarent, de his quoque seorsum aliquid esse dictum oportuit. Siue ergo Ioseph pro decem tribubus sumatur, sicut Ephraim, qui ab eo genitus, quod est mihi probabilius, seu certè pro toto Israël, quod est satis probabile, promissio certe illa ad omnes illos pertinet, vel qui tunc ab exilio Babylonico, atque Assyrio in patriam, vel qui postea ex Iudaico,siue Gentilitio instituto ad Ecclesiam congregati sunt.

Ex tribu Iuda Duces fuerunt, & moderatores populi.

23. Licèt mitem se Deus ac benignum ostendat Ioseph, & Ephraim, id est, eis qui e decem tribubus commigrarunt Ierusalem, vt nunc vidimus, & statim magis apparet, dum dicitur, *& erunt quasi fortes Ephraim*, id est, quasi Gigantes, & Heroës, sicut dixerat de Iuda: nam vtrobique est גבורים *ghiborim*, tamen aliquid videtur promittere tribui Iuda, quod aliis negat. Dicit enim de Iuda; *confortabo domum Iuda*, & de aliis tribubus, *& domum Ioseph saluabo.* Quare his salutem, victoriam, & felicitatem pollicetur; illis verò potentiam, & dominatum. Quod sanè ita accidit:nam ex aliis tribubus Duces non fuerunt, vt constat. Sacerdotes verò vsque ad commutatam Rempublicam Iudæorum, id est,ad tempus pene Herodis, fuerunt ex Leuitico genere; quod in illa distractione tribuum Iodæ adnumerabatur, cùm in terra promissionis nullam haberet certam sortem Leuitica tribus, sicut aliæ habuerunt. Et cùm seruiret templo, quod in tribu Iuda, & Beniamin situm erat, maior pars plerumque duabus illis tribubus adiungebatur. Quod verò sceptrum, id est, Regia dignitas, ablatum non fuerit de Iuda, satis fidei facit Iacob vaticinium *Gen.*49. An verò Machabæi qui diu Iudaici populi Imperium tenuerunt, Duces, & Sacerdotes de tribu Iuda fuerint, longa quæstio est, neque hoc loco à me discutienda. Ita sanè putat Genebrardus *in Chronologia* anno mundi 3900.& Baronius *tom.* 1. *Annalium* in apparatu patum à principio. Sed sanè fuisse de tribu Leui satis constat ex *lib.1. Machab.cap.2.* vbi Mathathias Machabæorum pater Sacerdos fuisse dicitur ex filiis Ioacim, id est, ex familia Ioacim,quæ inter 24. familias posterorum Aaronis prima exiit.1.*Par.c.*24. Ex Machabæorũ autem genere propriè & verè non fuisse reges, Hircanum, Aristobulum, & alios, qui sibi imposuere diademata, probauimus multis super Ezechielem *cap.*21.

Probabilius est Machabaeos fuisse de tribu Leui.

24. Vers.7. *Et letabitur cor eorum quasi à vino.*] Mœrori in quo diu fuerat populus in alieno solo lætitia opponitur, quam habebit in suo mitificam, qualis à vino capitur. Vnum puto pro lætitia sumi prouerbialiter; sicut de cella vinaria diximus *in c.2.Cant.*ad illud, *Introduxit me Rex.* Quare *Prou. vlt.*vinum dandum esse tristibus dicitur. *Date siceram mœrentibus,& vinum his,qui amaro sunt animo.*

25. Vers.8. *Sibilabo eis, & congregabo illos.*] Simili metaphora vsus est Isaias cap.7. *Sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminis Ægypti: & api, quæ est in terra Assur: & venient eis.* *Sibilare* autem vox est pastoralis, quæ suauiter ac blandè gregem errantem aduocat. Neque abs re, quia de populo quasi de grege prius locutus fuerat. Sibilauit autem Deus leniter ac benignè, cùm eam mentem dedit primùm Cyro, deinde Dario, postea Artaxerxi, vt auidissimè, & studiosissimè cogitarent, non solùm de restituendo; sed etiam de ornando Hebræorum populo.

26. *Quia redemi eos.*] Licèt *redimere* pecuniam connotet, quæ pendi pro captiuorum libertate solet; tamen, quia vox eadem libertatem etiam intuetur, fit, vt is, qui quocumque modo à seruitute vindicatur, redemptus appelletur. Vtitur autem Deus præterito *redemi*, vel quia iam cœperat captos in antiquam possessionẽ reducere(quæ enim fieri cœpta sunt, illa interdum in Scriptura facta esse dicuntur,vt obseruauimus suprà cap.1. ad illud, *iam septuagesimus annus est*) vel quia quæ non longè sunt, vt fiant, pro factis habentur.

27. *Et multiplicabo eos sicut antè fuerant multiplicati.*] Hæc verba satis apertè indicant sermonem esse non de Ecclesia, sed de Iudæorum gente,quæ reditura dicitur in illum statum, in quo prius fuerat. Qui deinde magis explicatur, dum à Galaad vsque ad Libanum porrigenda traditur illorum habitatio. Satis enim angusti forent Ecclesiæ termini,si non se magis late diffunderent,quàm olim Israëlis hæreditas.

28. Vers.9. *Et seminabo eos in populis.*] *Populos* hîc esse puto regiones illas,ex quibus gens Israëlitica depulsa fuit, quas iam externi habitatores occuparant; imò & eas, quæ cùm ad Israëlis sortem pertinerent,non tamen ab eo subactæ,aut possessæ sunt. Quales fuerunt Tyrus & Sidon, totúsque tractus maritimus,quem diu tenuerunt Palęstini: nam hæc omnia à Machabæis in Iudæorũ ditionem redacta sunt, vt diximus cap.8. ad illud, *& erit quasi dux Iuda.* In illis autem locis dicuntur seminati,non quasi profligati, atque abiecti, vt pereant,sed vt grana fertili, atque subacto solo mandata,quæ copioso prouentu multiplicantur.

Et

29. *Et ae longè recordabuntur mei.*] Licèt longè sint à Ierusalem, & templo, vbi stabile sibi domicilium Dominus constituit, & in extremis finibus terræ Chanaam, in quibus seminandi dicuntur, recordabuntur tamen mei: quia ad templum venient, vt festa obeant à lege præscripta: neque quisquam erit, qui eorum studia, & vota, aut prohibeat, aut moretur, vt fecit olim Ieroboam, & aurei vituli, qui à medio cursu confluentem ad templum pietatis ergò populum represserunt.

30. Vers. 10. *Et reducam eos de terra Ægypti, & de Assyriis congregabo eos: & ad terram Galaad,* &c.] Iudæorum plurimos inter Assyrios reliquos esse satis constat. Fuisse etiam inter Ægyptios iam satis probauimus *capite* 8. ad illud, *domus Iuda, & domus Israel.* Et Ieremias apertè dicit Thren. cap. 25. *Ægypto dedimus manus & Assyriis vt saturaremur panibus.* Ex Ægypto verò aliquos esse reuersos dictum est suprà *cap.* 8. Quemadmodum verò Galaaditis regio, & Libanus Machabæorum imperio paruerint, *eodem cap.* dictum est.

31. *Et non inuenietur eis locus.*] Ribera locum refert ad regionem Ægyptiorum, & Assyriorum, ita vt ex Iudæis nullus apud Ægyptios, & Assyrios relinquẽdus sit; & hoc indicat translatio LXX. *& non relinquetur ex eis vllus.* Et dicit hunc esse vsum Scripturæ, vt cum nullum relictum esse in loco significare volumus, dicamus nullibi eius locum inuentum esse. Quod sanè verum est, & exempla obuia. Psal. 36. *Quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.* Dan. 2. *Contrita sunt pariter ferrum, testa, æs,* &c. *nullúsque locus inuentus est eis.* Apocalyp. 12. *Draco pugnabat, & Angeli eius: & non valuerunt, neque locus inuentus est eorum amplius in cælo.* In quo loquendi genere suspicor hypallagem esse; & quod homini conuenit, tribui loco. Ac si dicas: ille non est inuentus in eo loco; nisi mauis per metonymiam locum continentem vsurpare pro homine, qui in loco continetur.

Non est inuentus locus eius, id est, ille non est inuentus in loco, hypallage.

32. Sed mihi verisimilius est non esse sermonem de loco exilij, id est, de termino à quo, sed de loco, ad quem Iudæi iam liberi restituti sunt, id est, de termino ad quem, qui pro multitudine eorum, qui aliquando regionem illam obtinebunt, angustus futurus esse dicitur. In hanc sententiam licèt termini, ad quos redituri sunt captiui, satis laxi sint, vtpote ad Galaad, & Libanum extensi; tam erit tamen copiosa soboles, quæ ex captiuorum reliquiis propagabitur, vt præ locorum angustiis cogatur extra definitos terminos externas sibi sedes quærere. Quod accidisse constat, tum ex aliis locis, tum ex *cap.* 2. *Actuum*, vbi ex omni natione quæ sub cælo est, ad Pentecostes diem conuenisse traduntur Iudæi. Hanc autem sententiam sequuntur plerique ex Interpretib. Chaldæus, Albertus, Hugo, Lyra, Glossa, Vatablus. Neque fortasse ille loquendi modus: *& non inuenietur eis locus*, aptus est Riberæ expositioni; neque enim eo vti solet Scriptura cùm fauor indicatur, sed exitium, aut calamitas, vt etiam ipse fatetur Ribera *in cap.* 1. *Nahum numer.* 18. At hîc sine dubio fauor est: quare non respicit locum, vnde liberati sunt exterminati Iudæi; sed illum ad quem iam liberati reduces appulerunt.

Quàm latè se diffuderint Iudæi.

33. Vers. 11. *Et transiet in maris freto.*] Quia dicitur angustus futurus locus præ Iudæorum multitudine, nunc in eandem sententiam addit Propheta, tentandum esse mare, fluctus remo pulsandos & transmarinas regiones, atque insulas esse quærendas. Quod reuera factum est, vt liquet ex A *Actor. cap.* 2. vbi ad festum Pentecostes conuenisse commemorantur Iudæi viri religiosi, ex Parthis, Medis, ex Phrygia, Creta, Libya, & locis aliis quæ transmarina sunt. Et Philo in legatione ad Caium tradit totum orbem à Iudæis habitari. Hæc explicatio satis est facilis, totique capiti consentanea: sed aliam indicat Cyrillus, quæ mihi valdè placet. Existimat enim allusum hic esse ad illud tempus, quo gens Hebræa ab Ægyptio dominatu libera mare Rubrum traiecit. Et pro hac expositione obseruandum, omissam hîc Hebræorum more similitudinis notam. Quare sensus est; eo modo è Babylonica captiuitate superatis difficultatibus reuersurum in terram B promissionis populum Hebræum, quo liberatus olim ab Ægyptia tyrannide, traiecto mari Rubro in illam ingressus est. Sicut enim fuit valdè similis Babylonica seruitus Ægyptiæ seruituti; sic etiam non fuit valdè dissimilis libertas. Et quemadmodum obiectu maris Rubri, imminenti à tergo Pharaonis exercitu, impeditus non est Hebræorum cursus ad terram promissionis possidendam; sic neque maxima impedimenta, quæ à Babylonica potentia quotidie ostendebantur, impedire potuerunt gentem Israeliticam, quominùs in eamdem regionem reuocata libertatis lucem aspiceret. Quam sententiã expressisse videtur Isaias cap. 11. *Et erit via reliqua populo meo, qui* C *relinquetur ab Assyriis, sicut fuit Israel in die illa, qua ascendit de terra Ægypti.* Porrò mare Rubrũ, vtpote notissimum Hebræis, quia eo articulo occurrit egredientibus, in quo vrgente hoste spes vitæ in vna fuga posita videbatur, pro maximo periculo sumitur Prouerbiali figura. Psal. 67. *Conuertam in profundum maris.* Hebr. *de profundis.* vbi nota similitudinis subaudienda. Isai. c. 11. *Leuabit manum suam super flumẽ,* &c. *vt transeant per eum calceati.* Et Num. 20. *Sicut fecit in mari Rubro, sic faciet in torrentibus Arnon; scopuli torrentis inclinati sunt,* &c. id est, sublata sunt impedimenta, quia neque fluminis magni Euphratis profundi gurgites; neque scopulorum præalti, atque prærupti vertices Hebræorum cursum retardarunt. Neque D alio sensu accipiendum est illud Ionæ cap. 2. qui cùm in Mediterraneo mari vectaretur à marina bellua, tamen in mari Rubro se fuisse dicit: vbi enim vulgatus habet; *pelagus operuit caput meum.* Hebr. est *suph*, quod *caricem*, aut *mare Rubrum* significat. In quo loco exponendo miri sunt Hebræorum Doctores. Chaldæus *mare Rubrum*, vertit. Hunc ergo locum iuxta Prouerbialem dicendi figuram sic interpretor; Ionam non aliter demersum fuisse in mari mediterraneo, quã Pharao demersus est olim in mari Rubro. Est ergo sensus loci: sic occurrat impedimentum, quale olim in maris freto, atque traiectu, cùm egrederetur ex Ægypto, obiectum est populo Hebræo- E rum; enatabunt inde captiui, neque graue aliquid patientur à profundo gurgite. Et hæc explicatio, quæ Cyrilli est, & Theodoreti, mihi magis probatur.

Mare Rubrum Prouerbiali specie pro maximo periculo, & pro eius figura.

Et percutiet in mari fluctus.] Si fluctus occurrant tumentes, sicut olim in mari Rubro; non deerit virga, quæ illos domet, & aperiat, sicut Deus fecit per manum Moysis.

Et confundentur omnia profunda fluminis.] Allusum puto ad Iordanem, qui Iosue cap. 3. sicco alueo traiectus est, quando ripas suas tempore messis impleuerat. Confusio verò dicitur repressus ille exundantium aquarum tumor, sicut confusus dicitur homo potens, & insolens, cùm ipsius 34

ipsius impetus, & furor à maiori aliqua potentia reprimuntur. LXX. aptè ad hanc sententiam vertunt; *siccabuntur omnia profunda.*

35\. Hebræi; vt tradit hic Hieronymus, fabulantur Iudæos, qui vltra Bosphorum sunt, id est, angustum illud fretum, quod Bizantium, & Chalcedonem diuidit, redituros in patriam: & eodem modo diuidendum esse mare illud, quo olim mare Rubrum diuisum fuit. Sed certè locus iste nullo modò fauet illorum insaniæ, etiamsi historicè sumas de Iudæorum reditu: nam hîc tantùm synecdochicōs illa duo magna impedimenta oblata Hebræis, aut egressuris ad terram promissionis; aut ingressuris ad illam, quæ à mari rubro priùs, deinde à Iordane oblata sunt, quæ superata fuerunt à Deo, pro magnis periculis, & impedimentis, & pro singularibus Dei beneficiis vsurpari solent, vt vidimus. Et quemadmodum cùm diuidendus dicitur fluuius, non intelligitur propriè diuisio, quia & Babylone captiui sine Euphratis diuisione reuersi sunt. Sic neque in reditu illorum, qui vltra Bosphorum sunt, si fortè vnquam reuersuri, aperiendum est mare illud; maximè quia illi cùm in Asia sint, vtpote inter Persas, & Medos; & in ea regione, quæ olim Assyriis, atque Babyloniis patuit, non est cur traiiciendum sit aliquod mare, vt in patriam redeant, quæ in Asia quoque est.

Hebræorum fabula de reditu decē tribuum.

36\. *Et humiliabitur superbia Assur.*] Rex Babylonis Assur hîc appellatur, quia Assyrium quoque Imperium obtinebat. Quomodo verò rex Assyriorum, id est, Babyloniæ ab Alexandro victus, quóve modo Ægyptij subiugati ab Alexandro priùs, deinde à Romanis, satis copiosè tradunt scriptores externi.

Sunt qui hæc postrema referant ad Alexandrum, qui Chaldæorum atque Ægyptiorum potentiam fregit; apud quos extare voluit suæ virtutis ac nominis monumentum, ad Nili ostia ædificata Alexandria; qui, vt docet Iosephus *lib. 2. Antiq. cap. vltim.* sicco alueo transiit mare Pamphyliæ, cuius Deus vestigiis mare peruium fecit, qui Alexandri opera ad euertendum Persarum Imperium vti decreuisset. Idque traditum esse dicit ab iis, qui res ab Alexandro gestas scriptis prodidère. Sed neque Iosephus hæc probat, imò fabulosa esse indicat, dum dicit; *sed de his, vt cuique libet, ita sentiat:* neque ego hæc apud vllū scriptorem antiquum inuenio; neque id docet Strabo *lib. 14.* imò contrarium tradit. Dicit enim in mari Pamphilico graue subiisse periculum Alexandrum, eo in loco, qui mari tranquillo apertus, ac peruius esse solet. Et sanè Petrus Crinitus *lib. 17. cap. 13.* à quoquam veterum scriptorū traditum esse negat. Sed neque, si certa forent, existimare illud de transitu freti pertinere vllo modo ad Alexandrum, sed ad Iudæos, de quorum gloria, ac felicitate hîc sermo est.

Fabulosum est mare Pamphylia apertum fuisse Alexandro.

Vers. 2. *Confortabo eos in Domino: & in nomine eius ambulabunt, dicit Dominus.*] Vsitatum est, vt antecedens sumatur pro relatiuo, aut pro eo, quod substantiui loco ponitur, & ita hoc loco, *in Domino, &c. in nomine eius, &c. dicit Dominus,* posita sunt pro in me, &c. in nomine meo, &c. dico ego. Simili locutione vsus est Dominus Exod. 24. *Moysi quoque dixit Deus: Ascende ad Dominum,* id est, ad me. Vide Salmeronem *Proleg. 14. formula 13.* 37.

Antecedens loco relatiui.

Hæc quæ huc vsque à nobis proposita, explicata sunt historicè de Hebræorum populo; quæ aliqui nescio quomodo fastidiunt, oleréque putant Iudaicum aliquid, quia non omnino ad Euangelij tempora referuntur. Quorum ego pietatem laudo; vellem tamen mitiùs, aut æquiùs de alia expositione sentirent: quandoquidem, vt ipsi etiam vident, & ingenuè agnoscunt, nonnisi contortè illorum aliqua ad Ecclesiæ tempus trahi possunt. Neque desunt viri pij, & graues, qui de Hebræorum populo hæc accipiunt; quorum nuper nominimus ad illud, *& non inuenietur eis locus.* Alij verò, qui de Ecclesia caput hoc intelligunt, interdum coguntur nōnulla de Iudæorum Republica interpretari, vt accidit Stunicæ. Dionysius dubius vtrique sensui explicationem attemperat. Theodoretus omnino de Hebræis accipit. Hieronymus dubius est, neque ita sequitur spiritualem sensum, vt alium respuat; sed *pendulo,* vt eius verbis vtar, *incedit gradu,* paratus certè, non difficilis ad aliam partem amplectendam. Nos sequuti sumus illam, quæ proprior visa est literæ, ac textui; in qua tamen Ecclesiæ viuam quandam imaginem intuemur, quam etiam existimamus Spiritum sanctum in hac mutatione, atque amplificatione populi antea captiui, ac durè vexati adumbrare voluisse. Nam sicut alia in figura contigère Iudæis, sic ista figuram quoque fuisse Ecclesiæ, & natæ primùm, deinde afflictæ, ac vehementer posteà propagatæ verisimile est. Quæ ad mysticum illum & allegoricum sensum accommodare vsque adeò promptum est, vt eo labore mihi supersedendum puto. 38.

IN CAPVT VNDECIMVM

ARGVMENTVM.

PRÆDICIT Propheta cladem Ierusalem in Libani specie, & cedrorum sublimitate adumbratæ: tum etiam aliarum ciuitatum, quas aliorum montium, atque arborum nominibus exprimit. Deinde, vt ostendat Deus, quémnam modum cum gente Israëlitica seruaturus sit, iubet Prophetæ, vt pastorem agat, pascátque pecus gladio, atque macello destinatum. Quod ipse fecit assumens duas virgas, alteram mitem, quam decorem *vocauit: alteram seueram, & grauem, quam appellauit* funiculum. *Quas in pascendo alio, atque alio modo ingrato, atque pertinace pecore confregit. Cúmque locati laboris mercedem à gregis dominis exigeret, eámque acciperet pertenuem, ac vilem, iussus est illam ad statuarium abiicere. Deinde, quia futurum erat, vt ad iniqui, & stulti pastoris curam grex infaustus veniret: iubetur Propheta stulti pastoris instrumenta sumere;*

mere, cui ad extremum gladium minatur Deus, quo dextrum brachium, & oculus item dexter feriantur. Quæ omnia historicè de rebus Iudaicis, allegoricè verò ac mysticè magna ex parte de tempore Euangelij intelliguntur.

CAPVT XI.

1. *APeri Libane portas tuas, & comedet ignis cedros tuas.* A

2. *Vlula abies, quia cecidit cedrus, quoniam magnifici vastati sunt. Vlulate quercus Basan, quoniam succisus est saltus munitus.*

3 *Vox vlulatus pastorum, quia vastata est magnifica eorum. Vox rugitus leonum, quoniam vastata est superbia Iordanis.*

4 *Hæc dicit Dominus Deus meus. Pasce pecora occisionis.*

5. *Quæ qui possederant, occidebant, & non dolebant, & vendebant ea, dicentes: Benedictus Dominus, diuites facti sumus, & pastores eorum non parcebant eis.*

6. *Et ego non parcam vltrà super habitantes terram, dicit Dominus.*

Ecce ego tradam homines, vnumquemque in manu proximi sui, & in manu Regis sui: & concident terram, & non eruam de manu eorum.

7. *Et pascam pecus occisionis propter hoc, ô pauperes gregis.*

Et assumpsi duas virgas, vnam vocaui decorem, & alteram vocaui funiculum, & paui gregem.

PARAPHRASIS.

1. O Ierusalem quam propter altitudinem, ac speciem Libanum voco, contra hostium arma nihil tua tibi proderunt munimenta. Quare aperies aliquando portas tuas, & liberum aditum hostibus relinques. Consumet ignis cedros, id est, qui Principes inter alios viribus, & auctoritate sunt.

2. Quòd si potens ciuitas, & egregiè munita ab hoste capitur, quid sperent ciuitates aliæ minùs instructæ ac fortes. Quid non timeat abies succisa cedro? quid
B non ignobilis turba, cùm nobilior sternitur? Plorare ergo iubeo quercus Basan, ciuitates nempe alias, cùm saltus magis ab arte, & natura munitus vastatus sit.

3. Vlulabunt pastores, & Principes populi, quia vastata Ierusalem peribit illorum commoditas, fastus, & potentia: sicut leones rugient sublatis pascuis, quæ sunt ad Iordanis ripas, vbi alebantur pecora, quia præda deficeret, vbi suam sibi famem, & rabiem explerent.

4. Deinde vt actione hierogyphica miserrimam populi cladem Iudæorum oculis subiicerem, iussus sum à Deo gregem pa-
C scere destinatum macello.

5. Quem domini facilè, & sine vllo doloris sensu vendunt, & occidunt: imò suæ fortunæ gratulantur, aguntq; gratias Deo, quòd ipsorum cæde locupletentur: neque pastores quicquam mouet gregis interitus: imò ipsi vltrò ad lanienam deducunt.

6. Eodem prorsus modo Deus non parcet iis, qui Ierusalem, & possessionem Israeli designatam habitauerint.

Vt possessor gregem, quem ad macellum pascit, aliis, atque aliis vendit, à quibus iuguletur: sic ego, dicit Dominus, populum de cuius cæde iam à me defini-
D tum est, tradam inprimis proximis suis, ac ciuibus, à quibus nihilo leuiora patietur, quàm ab hostibus. Tradam etiam illi, quẽ sibi Regem elegit, quem experietur acrem inimicum. Hi verò terram populabuntur Israeliticam, neque ego de illorum manibus liberabo.

7. Et reuera pascam pecus gladio deuotum, propter quod me vehementer miseret eorum, qui in grege pauperes, & infirmi sunt.

Vt pastorem agerem, qualem me Deus esse voluit, sumpsi mihi duas pastorales virgas: alteram mitiorem, quæ molliter regit, neque percutit pecus, quam *decorem* voca-

A ui : alteram, quæ capit, trahit, ac percutit pecus, quã appellaui *funiculum*. Quibus instructus meũ pastorale munus obire cœpi.

8. Et succidi tres pastores in mense vno: & contracta est anima mea in eis, siquidem & anima eorum variauit in me.

8. Res autem ita mihi accidit infeliciter, vt vno mense tres pastores summouerim. Animus enim liberalis, & mitis, quo pascere cœperam infaustum pecus, propter eius intemperiem, atque ingratitudinem contractus est.

9. Et dixi: non pascam vos; quod moritur, moriatur, & quod succiditur, succidatur. Et reliqui deuorent vnusquisque carnem proximi sui.

9. Cùm ergo viderem inanem esse illam pastoralem operam, statui leniter non esse iam amplius pascendum gregem; sed
B durè, ac seuerè. Quare cùm de macello
potiùs, quàm de mitiori pabulo cogitarem, nihil mihi laborandum, seu curandum existimaui, siue tabescant fame pecudes, siue intereant ferro; siue à seipsis, siue à proximis vicissim lacerentur.

10. Et tuli virgam meam, quæ vocabatur decus: & abscidi eam, vt irritum facerem fœdus meum, quod percussi cum omnibus populis.

10. Fregi ergo virgam illam priorem, quæ dicebatur decor, vt dissoluerem fœdus, quod cum omnibus populis inieram; & quorum pecus mercenaria pascebam opera.

11. Et in irritum deductum est in die illa: & cognouerunt sic pauperes gregis, qui custodiunt mihi, quia verbum Domini est.

11. Quod ea die perfectum est. Quod
C non latuit pauperes gregis; qui cùm scirent verbum esse Domini, quod tunc opera illa hieroglyphica significabatur, singula, quæ à me fiebant, accuratè, ac vigilanter obseruabant.

12. Et dixi ad eos: Si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam, & si non, quiescite. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos.

12. Tunc ego ad gregis dominos: Si vobis placet, aut opera, quam ego pascendo pecori nauaui, vobis probatur; afferte mercedem, quæ meum laborem dignè compenset. Sin aliter vobis visum, nolite me iam amplius ouium vestrarum custo-
D dem esse. Tunc illi locatæ à me tam longæ, atque molestæ operæ pretium triginta argenteos numerarunt.

13. Et dixit Dominus ad me: Proiice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, & proieci illos in domo Domini ad statuarium.

13. Tunc verò ad me Dominus, cuius in ea vili mercede futurus aliquando contemptus significabatur, vilissimo pretio ab illis æstimatum se dixit. Quare præcepit, vt illud ad statuarium, seu luti formatorem proiicerem. Cuius ego imperio obsecutus, in templum abij, & ibi triginta argenteos, locatæ operæ pretium, ad statuariũ proieci.

14. Et præcidi virgam meam secundam, quæ appellabatur funiculus, vt dissoluerem germanitatem inter Iudam, & Israël.

14. Cùm viderem tam parui me fieri à
E dominis gregis, & laborem meum tam iniqua mercede compensari, alteram etiam virgam funiculum abiiciens; curam quoque gregis, & studium abieci: vt dissoluerem populos in vnum coalitos; non aliter atque olim dissolui, ac distraxi Israël à Iuda tempore Roboam.

15. Et dixit Dominus ad me: Adhuc sume tibi vasa pastoris stulti.

15. Rursus ad me Dominus: Adhuc profer maioris calamitatis symbolum, sume instrumenta improuidi, atque stulti pastoris.

16. Quia ecce ego suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non visitabit, dispersum non quæret, & contritum non sanabit; & id quod stat,

16. Quia ego excitabo in terra Iuda pastorem, qui dispersum gregem non quærat, derelictum non inuisat, confractum non

Digitized by Google

ſtat, non enutriet, & carnes pinguium comedet, & vngulas eorum diſſoluet.

A non alliget, atque conſolidet, & quod ſanum eſt in grege, non paſcat, & nutriat. Qui carnibus veſcatur pinguioribus, erraréque faciat miſerum pecus per aſpera, & confragoſa loca, ita vt vngulis, quamuis ex dura, firmáque materia, diſſolutis commouere ſe etiam in ſummo periculo non audeat.

17. *O paſtor, & idolum, derelinquens gregem, gladius ſuper brachium eius, & ſuper oculum dextrum eius: brachium eius ariditate ſiccabitur, & oculus dexter eius tenebreſcens obſcurabitur.*

17. O iam non paſtor, ſed vanum, & merum paſtoris ſimulacrum. Deſcendet in brachium eius dexterum, & in dexterum etiam oculum vindex gladius: areſcet brachium, & cum eo cadet poteſtas ſimul, & authoritas, tenebreſcet oculus, & cum eo calliditas, & conſilium peribunt.

---

1. VTi de Iudæorum felicitate actum eſt, quæ eò progreſſura dicitur, vt nihil videatur fingi poſſe fortunatius; iam tandem agit de templi, ciuitatíſque plaga planè miſerabili, quam inflixit priùs Antiochus, deinde Romani: & quibus gradibus ad illum ſtatum, calamitatémque venerit. Cùm autem Ieruſalem plena eſſet ciuibus, atque omni inſtructu, ſplendoréque pulcherrima, comparatur montibus, & ſpecie conſpicuis, & pecore abundantibus, & omni rerum copia, ac varietate præclaris. Quorum ſtrages, ac vaſtitas longa quadam allegoria illius ciuitatis, ac templi exitium declarat.

2. Verſ.1. *Aperi Libane portas tuas.*] Notum eſt *montium* nomine viros authoritate, atque potentia nobiles, aut vrbes ſignificari. Quare ſuprà cap.3 diabolus, aut Darius mons appellatur, & præcipuè Ieruſalem vocatur mons, quia in monte ſita eſt. Iſai. c.2. *Venite aſcendamus ad montem Domini.* Et Pſal.67. *Mons Dei, mons pinguis.* Sed Ieruſalem præcipua aliqua ratione vocatur Libanus, quia quidquid in Libano pulchrum eſt, & pretioſum, ſiue in lignis, ſiue in aromate, ad templi Hieroſolymitani, Regiæque domus fabricam tranſlatum fuit; & quia ſicut mons Libanus alios: ſic Ieruſalem ciuitates alias pulchritudine excellit. Quare Thren.2. *vrbs* dicitur *perfecti decoris, gaudium vniuerſæ terræ.* Alluſit fortaſſe Zacharias hîc *ad caput* 22. *Ierem.* vbi ſub eadem metaphora denunciat duabus tribubus vaſtitatem, quæ à Chaldæis obuenit, quæ fuit valdè ſimilis illi, quæ multo pòſt inflicta fuit à Romanis, de D qua modò Zacharias. *Hæc,* inquit, *dicit Dominus ſuper domum Regis Iuda; tu mihi caput Libani* (domus Regis vocatur Galaad, quia ſicut in Libano ea præcipua pars; ſic regia domus in Ieruſalem) *ſi non poſuero te ſolitudinem eius, & ſuccendens electas cedros tuas, & præcipitabunt in ignem.* Et infrà, *Aſcende Libanum, & clama, & in Baſan da vocem tuam.* & paulo pòſt. *Quæ ſedes in Libano, & nidificas in cedris, quomodo congemuiſti?* Quibus in locis *Libanus* ſumitur pro Ieruſalem. Et clariùs Ezech.c. 17. *Aquila grandis magnarum alarum venit ad Libanum, & tulit medullam cedri;* id eſt, Nabuchodonoſor venit in Ieruſalem, & tulit captiuum Iechoniam Regem. Nunc ergo conuerſus ad Ieruſalem Propheta denunciat, quanta illi ſtrages immineat, quem finem habituræ ſint domus illæ, quas tanto nunc labore, ac ſumptu moliuntur reſtituti

Mons magnum aliquid ſignificat.

Ieruſalem cur dicitur Libanus.

B ciues, ſumit autem imperatiuum pro futuro, quod familiare eſt Hebræis, ſicut poſtea; *percute paſtorem,* id eſt, percuties, ſic modò, *aperi,* id eſt, aperies.

Aperi Libane portas tuas.] Quidam *Libanum* putant pro teplo ſumi. Euſeb. *lib.4. de Demonſt. Euang. Dem .4.* Hieronymus *in cap.17. Ezech.* & alij plures. Certè Ioſephus *lib. 7. de bello c.12.* templí portam, cùm eſſet ænea, & vix à viginti viris clauderetur, ſexta hora noctis ſponte ſua apertam eſſe tradit. Refert etiam Rab. Dauid ex Hebræorum traditione, quadrageſimo ante vrbis excidium anno ſponte reſeratas templi fores, & inſignem quemdam Iudæorum magiſtrum vocatum Iohanan dixiſſe: *O domus, ô ſacra domus, quid hoc ſibi vult quòd tu tibi timeas? equidem ſcio interitum tibi, & vaſtationem imminere: & iam olim de te vaticinium editum fuiſſe. Aperi Libane portas tuas.* Refert hæc eadem paululum mutata Lyra *hîc,* & Petrum Galatinus *lib.4. cap.8.* qui ex Talmud Hieroſolymitano docet portas templi cùm veſpere clauderentur, manè inuentas eſſe apertas; & id non ſemel. Quod etiam dicit Lyra, & omnes hæc referunt ad hunc locum Zachariæ. Nihilominus longè veriſimilius eſt, *Libanum* ſumi pro Ieruſalem, vt tenet Ribera, & Theodoretus, neque negat Euſebius, qui ſuprà ab Ezechiele dicit Ieruſalem Libanum appellari. Et ſanè qui deinde vocantur cedri, & abietes, principes ſunt, & potentes in ciuitate, non ſolùm qui templo præſunt, aut templi partes. 3.

Libanus pro templo.

Et comedet ignis cedros tuas.] Perſeuerat in eadem metaphora, & ſicut *Libanus* pro Ieruſalem ſumitur, ſic quod in Libano eximium eſt, pro eo, quod eſt in ciuitate præcipuum. Quare *cedri* ſumuntur pro Principibus, ſiue qui templo, ſiue qui ciuitati præſunt. Ita Cyrillus, & Euſebius ſuprà. Et quia ſyluarum, ac montium extrema vaſtitas ab incendio eſt, ideo addit altiſſimas cedros ab igne deuorandas, id eſt, illorum Principum neque veſtigia fore relinquenda. 4.

Vlula abies, quia cecidit cedrus.] Sicut abies proximè ad cedrorum proceritatem accedit, & materiæ bonitate in ſylueſtrium ordine non longè inferior, ſic per *abietes* ſignificantur, qui Principibus, & optimatibus proximi dignitate ſunt. Hos ergo iubet vlulare; nam ſi cedris neque hoſtilis ſecuris, neque flamma pepercerunt, multo ſanè minùs ab illis temperabunt, in quibus minùs eſt opis, atque potentiæ. Et ideo ſubdit; *quoniam magnifici vaſtati ſunt.* 5.

6. *Vlulate quercus Basan.*] Quàm fuerit munita Basan, vbi olim Og regnauit, & quemadmodum data sit tribubus Gad, & Ruben, & dimidiæ tribui Manasse, vide *Deut. cap.* 3. Est autem verisimile, Basan, quia trans Iordanem est, id est, extra terminos terræ promissionis, sumi pro aliis ciuitatibus à Ierusalem, quæ hoc loco fortasse pro duabus tribubus sumitur, quia Ierusalem sita est in duarum tribuum confinio, ita vt non magis ad Iudam, quàm ad Benjamin pertineret, vt diximus capite secundo ad illud, *ô, ô fugite.* Quare hæc non solùm vrbi Hierosolymitanæ denunciari videntur, sed etiam toti ditioni à Iudæis occupatæ, quo tempore ingruit à Romanis extrema clades. Porrò quia Libanus, & Basan montes sunt egregiè, & ab arte, & à natura muniti, tum etiam ad aspectum præclari, existimo prouerbiali figura apud Hebræos his nominibus significari, quæ pulchra sunt, expugnatúque difficilia. Isai. capite 2. *Dies Domini exercituum*. &c. *super omnes cedros Libani sublimes, & erectas. & super omnes quercus Basan.* Et cap. 33. *Confusus est Libanus, & obsurduit,* &c. *& concussa est Basan.* Ierem. 22. *Ascende Libanum, & clama; & in Basan da vocem tuam.* Quia verò quercus fortis est, & magna perfert pondera, pro diuitibus, atque robustis sumitur. Quòd verò pulchras quercus, materiæque ad varios vsus eximiæ ferat Basan, satis intelligitur ex *Ezech. cap.* 27. vbi cùm nauem Tyri è pretiosis lignis fabricatam ostendisset, in his connumerauit quercus Basan.

7. *Quoniam succisus est saltus munitus.*] Hic saltus est in Ierusalem. Ex hoc loco intelligitur in *Basan* significari populos alios, qui sunt extra Ierusalem: nam ex huius excidio probat ciuitates alias minùs munitas non effugituras communem illam cladem. Aptè verò in Ierusalem constituit cedros, & abietes, quæ celsæ sunt, & magistratus significant: alibi verò quercus, quæ fortitudinem præstant, & varios habent vsus, nihil autem præ se ferunt aut dignitatis, aut pulchritudinis.

Reges pastores dicti.

8. Vers. 3. *Vox vlulatus pastorum, quia vastata est magnificentia eorum.*] Pastores hoc loco Principes sũt, quorum curæ commissa est populi administratio, atque custodia. Neque nouum est, aut solius Hebraicæ linguæ, Reges vocari pastores: nam Homerus Reges vocat ποιμένας λαῶν. Quoniã verò pastores isti, vt statim ostendit, potiùs lacerabant greges, quàm pascebant, id spectantes vnum, vt suæ commoditati ex eorum incommodis prouiderent, ideo iubet eos plorare; quia sublato pecore non est cur suis vsibus quicquam sperent futurum esse reliqui. Hanc vocat magnificentiam ab effectu: quia quòd splendidi, lauti, atque magnifici videantur, faciunt infelicis gregis per sũmam iniuriam exuuiæ detractæ.

Iordanis ripa fertiles.

9. *Vox rugitus leonis, quia vastata est superbia Iordanis.*] Qui priùs appellati sunt pastores, nunc credo aptissimè ad illorum mores, & ad Iordanis naturam leones vocari. Rugient ergo leones, id est, immites, & scelerati Principes, quia sublatis pascuis, & extincto pecore non erit vnde opimas, vt ante, atque quotidianas prædas agant. Sed hîc notanda duo: alterum, regiones illas, quas à Libano ad mare vsque mortuum permeat Iordanis, esse vberrimas, vt docet Iosephus *libr.* 3. *de bel. c.* 18. & Hegesippus *lib. 3. cap.* 26. & *Num.* 32. constat prope Iordanẽ vberrima esse pascua: & *Genesis* 13. regiones circa Iordanem vberrimæ dicuntur. Alterum, in eo tractu, & vbere, & denso le-

Leones in Iudæa.

ones esse: quod & natura ipsa rerum postulat, & in Scriptura sunt aliquot coniecturæ. Nam vbi densitas arborum ac fruticum est, commoda sunt leonum latibula; vbi plerunque pascuntur greges, ad quos inhiat leonum fames. Certè leo ille, qui à Dauide occisus dicitur 1. *Regum cap.* 17. arietem de grege rapuerat. Et à re nota, & familiari, qualis esse solet aqua, sumitur similitudo. Dicit Amos c. 3. *Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ.* Et cùm sponsa *Cant. cap.* 4. venire iubetur de Hermon, Sanir, & Libano, vnde nascitur Iordanis, de montibus pardorum, & leonum cubilibus euocatur. Vt ergo leo rugiet cùm superbia Iordanis, id est, pascua læta, & perpetuò vernans ager exusta fuerint, quia greges quoque deficient, quorum se carnibus explebant; sic quoque principes rugient, vbi sublata fuerit infirmior, & ignobilior turba, cuius ipsi commodis insidiabantur. Aut certè superbia Iordanis dicitur ipsa Solymitana ciuitas, quæ gloria est, atque corona illius regionis, quam Iordanis perluit. Quod, si ita accipias, sic licet interpretere: Vlulabunt Iudæorum principes, quia euersa Ierusalem nulla iam erit præda, in quam eorum deinceps inhiet auaritia, quemadmodum exusta sylua leones rugient, quia & sua latibula, & quæ sibi fuerant escæ pecudes perierunt.

Hæc explicatio videtur apta in ea quæ de hoc capite hucusque adducta sunt; sed subit nunc alia non inepta fortasse, quam ideo subiicio minùs libenter, quia quem sequar neminem ducem habeo. Prædicit Propheta futuram Iudaici populi vastitatem, neque quicquam fore iam munitum, atque arduum, quod non expugnatura sit Romanorũ potentia: neque minùs Iudæos à Romanis esse superandos, quàm à Iudæis olim Chananæi superati, atque deleti sunt. Duo impedimenta offerebantur Iudæis quominùs tutò & facile terram promissionis ingrederentur; & quòd alti essent montes, quorum angustiæ exiguo hostium numero occupari possent, & quòd iis superatis iterum se Iordanis opponeret, à cuius traiectu impediri facilè possent ab hoste vicino. Alterum impedimentum sublatum est: nam alti, atque prærupti montes, qui vel nullum, vel insidiosum aditum præberent Hebræis, inclinati sunt atque aperti non aliter atque olim mare Rubrum quando hostis Ægyptius imminebat à tergo. *Num. cap.* 21. citatur ex libro bellorum Domini: *Sicut fecit in mari Rubro, sic faciet in torrentibus Arnon; scopuli torrentium inclinati sunt, vt requiescerent in Arnon, & recumberent in finibus Moabitarum.* Porrò montes isti ad Libanum pertinent. 10.

Alterum impedimentum etiam sustulit Deus siccato Iordanis alueo, *Iosue* 3. Quæ res valdè commouit Reges omnes, vt dicitur ibidem cap. 5. *Postquam ergo audierunt omnes Reges Amorrhæorum, qui habitabant trans Iordanem ad Occidentem plagam, & omnes Reges Chanaan, qui propinqua possidebant magni maris loca, quòd siccasset Dominus fluenta Iordanis coram filiis Israel, donec transirent, dissolutum est cor eorum,* &c. Vbi obseruandum est, eo tempore ita excreuisse Iordanem, vt aluei ripas impleuerit, quæ aquarum abundantia optimè potest appellari superbia Iordanis. 11.

Probabile est Libanum hic propriè sumi pro monte.

Erit ergo sensus iuxta hæc: Tempus aderit quando quæ munitissima sunt Iudæorum præsidia, prohibere non poterunt Romanorum potentiam, quominùs liberè irrumpant in Iudæorum fines. Aperiet enim Libanus portas suas, vel vltrò fauente Deo Romanorum votis, & 12.

pœnas

pœnas exigente à Iudæorum culpis, vel certè vi depulso præsidio. Facit ad hæc quòd Romani per illam partem Iudææ oppugnationem aggressi sunt; nam, vt tradit Hegesippus *lib.1. cap.15.* Pompeius è Syria, & Damasco venit in Ierusalem; quare illi necessariò per Libani portas transeundum fuit: imò & Vespasianus inde castra mouit, vt docet Hegesippus *lib.3. cap. 5.* & Iosephus *lib. 3. cap.1. & 5.* vbi ex Ptolomaide soluisse dicitur, quæ in Syria est. Et addit Iosephus *capit. 5.* præmissos esse stratores viarum, qui aspera complanarent, syluásque obstantès præciderent. Et hoc fortasse est aperire Libanum portas suas.

13\. *In Libano duæ portæ, Basan, & Emath.*

Si dicas parum aptè in hanc explicationem venire quæ mox subiiciuntur de quercubus Basan. Respondeo, etiam Basan esse locum munitissimum natura, atque arte. Vide *Deuteron. 3. & Numer.21.* qui continens Libano est, & eius pars. Hæc autem duo loca superata sunt ab Israele, & aperta, quæ clausa esse videbantur, & quasi murus externis hostibus obiecta. Sicut Alpes à natura datas esse pro muris Italiæ contra Barbarorum impetum dixit Iuuenalis *Satyra 10.*

Opposuit natura Alpémque, niuémque.

Sic duo hi montes, Libanus, & Basan, vel potiùs vnus mons Libanus, cui duæ erant fauces magis notæ, Basan, & Emath, claudebant muniebántque terram promissionis. Sed illa obstacula sustulit Dominus, aperuítque portas Romano Imperatori à natura obseratas. Quàm facilè aditus in terram promissionis impediri potuerit ab Amorrhæis, vide quod dicit Abul. *in cap. Num.21. post quæst.23.* ex sententia Hebræorum: & quomodo à Deo sublatum fuerit impedimentum inclinatione scopulorum. Sed puto hîc præcipuè sermonem esse de illis Libani faucibus, quæ occurrunt venientibus è Syria in terram promissionis. Hac enim ingressi sunt priùs Assyrij, & Babylonij, & deinde Romani.

14\. Vt Libanus Romanis portas suas aperuit; sic etiam eisdē Iordanis se peruium dedit, suámque superbiam illis inclinauit, quia ab illis facilè transmissus est. Superbia verò Iordanis dici potuit aquarum abundantia, qua ripas impleuit quo tempore sicco alueo traiectus est à Iosue. Et tunc erit sensus: etiamsi Iordanis intumescat, sicut olim contra Israelitas in ingressu terræ promissionis; cùm tamen in eandem regionem ingredi voluerint Romani, nulli erunt impedimento quominùs cogitata perficiant; sicut neque olim Hebræos ab ingressu moratus est aperto alueo, cóque calcato siccis vestigiis. Vbi intelligenda est nota similitudinis. Aut certè superbia Iordanis dici potuit mare Tyberiadis, seu stagnum Genesareth, quæ pars est nobilissima, atque pulcherrima Iordanis, de cuius vbertate, atque amœnitate vide Iosephum lib.3. de bello capite 18. & Hegesippum *lib.3. cap.26.* vbi ostendit quàm locus iste nauali quondam conflictu fœdatus fuerit, & sanguine, & cadaueribus Iudæorum. *Cerneres*, inquit, *mixtas sanguine aquas, plenum cadaueribus lacum, grauis odor teterrimus fœtor locorum.* Idem ferme Iosephus lib.3. cap.19. *Mixtum*, inquit, *plenúmque cadaueribus cerneres totum lacum; acerbus autem secutis diebus odor illam regionem oppressit, & facies. Nam littora quidem naufragiis plena erant, & corporibus tumidis: calefcentes autem, & tabefacti mortui cæli tractum corrumpebant.* Cùm hæc ergo spectarent Hierosolymitani Principes, & eius populi pastores, quid mirum si tanquam leones rugirent?

Mare Tyberiadis.

A Vers.4. *Pasce pecora occisionis.*] Dubium est ad quem hæc verba pertineant. 15.
Cyrillus ad eos putat, qui priùs dicti sunt pastores, & leones: quia legit in plurali, *pascite*. Theodoretus, & cum eo Ribera, ad Christum referunt, ita vt Pater loquatur ad Christum, iubeátque vt gregem pascat occisioni destinatū, quia grex ille captus est à Romanis, & ad tēpus vsque Christi variè iactatus. Alij ferme omnes huic Prophetæ attribuunt, & hoc mihi probatur magis. Quid verò his verbis præceptū sit Prophetæ, non facile cogitatu est. Ego ita existimo id habuisse in mandatis à Domino, vt pasceret gregē macello destinatū: & actione illa hieroglyphica ostendi Iudæorū populum, B qui non semel suprà grex vocatus est, Romanorum gladio, & quasi lanienæ, seu macello esse deuotum. Neque nouum est, vt actionibus, & non tantùm verbis Prophetæ aliquid futurum denuncient. Et vt omittam alios, hic idem Propheta in eadem propè materia exemplo nobis esse potest; qui iussus est sumere vasa pastoris stulti. Vt ergo tunc Propheta personam agit stulti pastoris, sic nunc eius, qui non tam inuigilat gregi, vt pascat, quàm insidiatur, atque imminet, vt occidat, aut occisioni præparet, & macello. Porrò pecora occisionis ea sunt, quæ cædi destinantur. Psal. 43. *Æstimati sumus, sicut oues occisionis.*

Zacharias pascere iubetur pecus macello destinatum.

Pecus occisionis quid.

C Vers.5. *Quæ qui possederant, occidebant, & non dolebant, & vendebant ea, dicentes: Benedictus Dominus, diuites facti sumus.*] Mimesis est eorum, qui gregem ad macellum pascunt, qui cùm cædem illius tantùm expectent, pretiúmque, neque cum dolore mactant, neque cum molestia vendunt, imò, vtcumque de pecoribus actum sit, dummodò de vtilitate nihil ipsis excidat, gratias agunt Deo, quasi ab eo habeant, quò sanctè ex lacerato pecore commoditatem capiant. Pro, *dolebant*, Hebr. est, *[illegible] iecsamo*, id est, *non peccabant*, aut, *non confitebantur*, aut, *credebant se peccare*, quia scilicet id per Deum licere sibi existimabant. Hactenus symbolum, & quasi prothesis similitudinis propheticæ. D

Iudæorum clades per Romanos.

Hæc quidam ad pastores Israel accommodant, qui de grege suæ fidei commisso, quasi de suo statuunt, & illum pro sua libidine aut iugulant, aut vendunt. Sed magis videtur ad veritatem, sermonísque textum, si de Romanis hæc intelligimus, qui non secus atque lanij de gregibus, id est, Iudæis suæ iam potestati subditis, durè admodùm statuent. Et ideo subditur, 16.

Vers.6. *Et ego non parcam vltrà super habitantes terram.*] Addit nunc apodosim Propheta, id est, accommodationem propositæ similitudinis. Ideo enim gregem occisionis pauit Zacharias, vt ostenderet quisnam maneret exitus populum E nunc quidem liberali manu ab exilio, & pene à macello vindicatum, postea verò ignobili captiuitate, & miserabili magis exitio perdendum. Pasce, inquit, pecus occisionis, macta, & vende sine dolore, quia eodem ego modo non parcam vltrà populo iam toties à me seruato, sed occidam, &c. Porrò *terra* hîc pro terra promissionis vsurpatur, iuxta regulam sæpe traditam, qua docemur omnem terram determinatè sumi pro illa de qua sermo est. Vide *cap.2. Actuum* ad illud, *ab omni natione quæ sub cælo est.* Vide infrà num.37. 17.

Ecce ego tradam homines, vnumquemque in manu proximi sui.] Hîc significatur quomodo grex occisionis venalis futurus sit, neque vni addi- 18.

cendus domino; sed multis, qui in miseri pecoris iugulum crudeliter sæuiant. Inprimis tradentur proximiorum manibus, quod Romanorum temporibus,& sub ipsam extremam cladem contigisse satis constat ex Iosepho *libro 5. de bel. capite 2.& lib. 6. cap. 1. & 4.* Ex quo disces domesticum Iudæorum inter se odium quantum exitium attulerit miseræ Reipublicæ. Et tempore Machabæorũ multi ex Iudæis fuerunt in Antiochi castris: & de Iasone, & Menelao dicemus postea.

19. *Et in manu Regis sui.*] Cæsarem indicat; nam & ipsi dixerunt Ioann. capite 19. *Non habemus Regem nisi Cæsarem.* Cùm autem Imperatores alij Iudaicum genus variè iactauerint; maximè verò Vespasianus, & Titus, qui Rempublicam illam funditus deleuerunt. Cladem autem à Romanis acceptam perpetuam fore, neque ad suum iterum ordinem reuersuros Iudæos, sicut olim ex Babylone, satis probat, quod sequitur statim; *Et non eruam de manu eorum.*

20. Vers. 7. *Et pascam pecus occisionis propter hoc, ô pauperes gregis.*] Accommodat nunc Deus prothesim, vt ita dicam, ad apodosim. Quasi dicat: Quod dixi de cæde mutua ab intestinis Iudæorum odiis,& à Romanorum Principum armis, illud idem est, quod priùs dixeram, pascendum esse pecus occisionis. Deinde quemadmodum *Lucæ cap. 19.* longè ante vrbis excidium, dum considerat Deus tantam, támque speciosam molem excisum iri; *videns Ierusalem fleuit super illam, dixítque dolens. Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui*, &c. Sic nunc multis antè sæculis eiusdem populi idem deflet exitium. Sed præcipuè dolet illorum vicem, qui in eo infelici grege pauperes sunt; sicut etiam *Ionæ cap. 4.* vbi cùm sermo esset de vastatione Niniue, dixit dolere se super multa hominum millia, qui nesciunt quid sit inter dexteram, & sinistram suam. Miseretur autem pauperum præcipuè: tum quia in communi clade maiora solent sustinere incommoda; tum quia minore suo patiuntur merito, plectuntúrque miserè quidquid plerumque, ac maximè delirant Reges. Et ideo horum vicem misertus Deus clamat, *ô pauperes gregis.*

Dei in pauperes clementia.

21. *O pauperes gregis.*] Hæc verba suspensa videri possunt per aposiopesim familiarem in Scriptura, quæ in magno aliquo affectu adhiberi solet, & in qua id, quod suppletur, obscurum est, & longiori indiget explicatione. Quid verò suppleri debeat, non facilè occurrit. Sed videtur non improbabile, si dicamus appellari hìc pauperes, & mansuetos, atque humiles; nam hæc omnia valet vox Hebr. עניים *Anijm*, vt iudicent an rectè faciat; dum gladio committit ingratum pecus: & item, vt statim videbimus, quàm leniter illud pauerit virga decore, deinde paulo seueriùs, vtiliter tamen virga funiculo, ac tandem reliquerit, aut permiserit illius curæ cuius personam referebat Zacharias, cùm iussus est gestare vasa pastoris stulti. Eodem artificio vsus est in eadem omnino causa Isai. 5. vbi etiam Iudices constituit viros Iudæ inter se, & vineam, quæ magno studio, atque labore culta labruscas reddidit domino suo.

22. Septuaginta, vbi noster habet, *ô pauperes gregis*, reddunt, *in Chanaanitide.* Translationis diuersitas nata est ex literarum similitudine: nam si separatim legas cum vulgato לכן עניי *lachen anijim*, ita vertendum est, *propter quod, ô pauperes.* Si coniungas, quod sine dubio fecêre LXX. לכנעני *lecanhhni*, *Chananæum aliquid* significat. Et iuxta hanc trans-

A lationem sensus videtur, quem Cyrillus indicat; nempe gregẽ illum qui in regionem Chananitidem inductus est, in pascua nimirum pinguia, atque salubria, in iisdem regionibus fore lacerandum. Et reuera ita contigit. Lege Iosephum, & inuenies quomodo nulla fuerit pars paulo nobilior, quam non constrauerit, fœdauerítque Romanus exercitus Iudæorum strage.

Et assumpsi mihi duas virgas.] Locus hic difficilis est, & in eo explicando valde laborant Interpretes. Quidam ad Christum Pastorem referunt, neque ego contrà sentio. Sed credo etiam conuenire Zachariæ, qui veri, atque solliciti pastoris hac actione hieroglyphica typus fuit. Quare vt à plu- B ribus sententiis vel recensendis, vel confutandis abstineam, censeo hæc & iniuncta fuisse Zachariæ, & ab eodem accuratè præstita. Vt enim gregem pasceret, oportuit, vt virgas assumeret pastorales. Quòd verò eas sumpserit, & pauerit gregem, præstiterítque omnia quæ toto capite traduntur, suis quæque locis probabimus. Illud interim vniuersè notandum, symbolis, & hieroglyphicis singulis singulatim suam explicationem adhiberi. Et sic, puto, aliquid erit lucis loco maximè obscuro. 23.

In re pastoritia duas videmus esse virgas, seu pastorales baculos: alterum à summo modicè inflexum, qui ita regit pecus, minatur, ac terret: vt tamen illi nihil afferat nocumenti, & ideo à sum- C mo incuruus est, ne proiectus siue à prouido, siue ab irato pastore plagam inferat, qui à Latinis communiter *baculus*, ab Hispanis *cayado* dicitur. Alterum non incuruum molliter, sed præferratum vnco, quod tunc vtuntur pastores, cùm pecudes capere student: quod tunc plerumque fit, cum aut tondendæ sunt, aut mulgendæ, aut certè iugulandæ. Latinè *pedum*, Hispanè vocatur *gancho*, quem etiam *hamatum baculum*, aut *virgam* posset appellare, vt indicat Philostratus apud Suidam, apud quem appellatur, καλαῦροψ, qui dicit eo capi pecudes sicut pisces hamo: quem videtur descripsisse Virg. *Eclog. 5.* dum pedum formosum esse dicit ære, quo nempe præferra- D tum est. 24.

Duæ virgæ pastorales.

Hæc duo virgarum genera etiam fuêre apud Hebræos, ad quæ sæpe allusum est in Scriptura. Ita Doctores Hebræi in illud Psalm. 22. *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Vbi duo etiam hæc genera agnoscit Chaldæus, in quorum altero legem significari putat; quæ pastoris prouidentiam, atque indulgentiam prodit: in altero correctionem, & castigationem, quæ pastoris quidem prouidentiam indicat, plenam tamen seueritatis. Altera virga dicta est נעם *noam*, id est, *iucunda, mitis*; altera חבל *chebol*, quæ *dolorem* sonat, *funiculum, & laqueum.* Ad priorem puto allusum esse Psalm. 89. *Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti*; Hebraicè *lætifica nos*; & statim, *Respice in* E *seruos tuos, & in opera tua, & dirige filios eorum* (illud *dirige*, verbum videtur pastorale) *& sit splendor Domini Dei nostri super nos* (Heb. נעם *noam*, id est, virga illa quæ appellatur *decor*) quasi dicat. Propheta satis diu desæuiit in nos virga, quæ appellatur *funiculus*, seu *dolor*; fac vt aliquando sit super nos virga illa, quæ vocatur *decor*. Ad virgam funiculum allusum est, cùm dicitur Psalm. 2. *virga ferrea*, id est, præferrata; & Thren. 3. *virga indignationis.* Isai. 10. *virga furoris.* & Paulus 1. Corinth. 4. dum ait, *Quid vultis in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis*; id est, in virga *funiculo*, vel in virga *decore*. 25.

Has

26. *Virga decor.* Has ergo duas virgas sumpsit Zacharias, vt iniunctum sibi mandatum expleret. Priorem, vt se mitem præberet, qua pasceret molliter in amœnis pascuis, & sibi incommoda omnia subiret, ne quid incommodi accidat commisso gregi. Quod fecit olim Iacob, qui ne macrum, aut sterile pecus esset, ipse duras, atque insomnes transigebat noctes. Fecit etiam Dauid, qui ne ouis periret in leonis faucibus, ipse se audacter in vitæ periculum offerebat. Fecit denique bonus Pastor Christus, qui errantem ouem suis sublatam humeris ad caulas reduxit; & animam suam posuit pro ouibus suis.

27. *Virga funiculus.* Sumpsit etiam alteram virgam præferratam vnco, & quasi hamatam, quæ à crurib. pecudem capit, siue vt acri curet medicamento, à scabie, siue vt à villis nudet, siue vt gladio tradat, & macello. Hæc verò virga optimè appellatur *funiculus*: quia non aliter capit à pedibus ouem, quàm funis, aut laqueus. Vnde à Latinis dicitur *pedum*, quasi pedica, quæ pedes vincit ac trahit.

Hæc verò duo symbola satis ostendunt quàm populum suum Deus humaniter, ac prouidè tractarit; vt virga decore rexerit, in pascuis collocauerit vbertatis eximiæ: & ad posteriorem virgam non antè venerit, quàm vbi priori profici nihil videt. Ac tandem ad stulti pastoris vasa progressus sit; quod extremæ calamitatis momentum habet.

28. Vers. 8. *Et succidi tres pastores in mense vno, & contracta est anima mea in eis.*] In hoc loco existimo esse hysteron proteron, aut prolepsim, per quam aliqua ante suum tempus explicantur. Nam priùs coarctam esse animam oportet, & abscissam virgam, quæ vocatur *decor*, quàm occisos esse tres pastores, quos sustulit altera virga, quæ dicitur *funiculus*. Illud *contracta*, satis explicat quomodo Deus gregem suum pauerit virga illa, quæ dicebatur *decor*, animo nempe liberali, ac tenero, qualis ab Isaia describitur cap. 40. *Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit fœtas ipse portabit.* Deinde verò cùm grex tanta abuteretur humanitate pastoris, contractus est animus ille largus, & profusus, & quasi pertæsus ingratum; & peruicax gregis ingenium, more hominis infensi, suíque laboris dispendio permoti, dixit: *Non pascam vos, quod moritur, moriatur*, id est, pereat, ac laceretur, nil mea refert.

29. Antequam ad huius symboli explicationem, & corticis medulam accedo, quid in symbolo ipso præcesserit, explicato opus est. Et primùm, verisimile mihi est, sicut in Oseæ nuptiis cum fornicaria, in catenis modò ligneis, modò ferreis Ieremiæ, quasi in imagine propositus fuit status Iudæorum; sic etiam in hoc pascendi genere obiectam esse eidem variam pro temporum, rerúmque varietate formam aspectabilem. Quare verè pauit Zacharias gregem occisionis, priùs molliter, ac benignè, deinde tres pastores succidit, & perfecit reipsa, quæ illi iniuncta sunt, & quæ hîc facta commemorantur. Nunc explorandum est, quinam in hoc symbolo sint tres isti pastores, quos succidit Zacharias: nam de significatione postea. Qua in re omnino diuinandum est, atque adeò ignoscendum, si quicquam alicui audaciùs à me dictum videatur, quandoquidem in hac hieroglyphica specie illustranda, quem sequar ducem nullum habeo, & coniecturæ incertæ sunt.

30. Tres isti pastores, aut propriè fuêre tales, aut figuratè; prius mihi verisimile est. Nam cùm Za-

A charias adhuc gestaret virgam decorem, & benigniùs gregem pasceret, tres alios pastores, aut cum successione, in eam curam socios adhibuisse videri potuit. Qui tamen succisi sunt, vel à pastore prouido, quia parum erant idonei pascendo gregi, dum adhuc gestaret virgam decorem; vel à pastore infenso, cùm iam accepisset virgam funiculum; quia tanta cura, atque prouidentia tam ingratum, & inutilem gregem indignum censebat. Neque huic explicationi incommodat, quò succisi dicantur pastores illi tres: neque enim vox Latina *succidu*, aut Hebraica [illegible] *acchee*, *secidere* tantùm significat, sed *abscondere*, *celare*, *submouere*. Et in hunc sensum videntur accepisse

B LXX. dum reddunt eam vocem ἐξαρῶ, id est, *auferam*. Quare iuxta hanc explicationem res illi occisi non sunt; sed à pascendo submoti. Quòd si ita est, satis apparet quàm vilis sit illa triginta argenteorum merces, de qua statim, pro tanta, ac tam prouida tot pastorum custodia.

Sed non minùs ad veritatem, & textum hieroglyphicum visum est, si tres pastores, tres arietes gregis ductores intelligamus, qui à pastore condocefacti reliquo gregi præeunt, ducúntque ad pascua, & inde rursus ad stabula reducunt, qui ab Hispanis dicuntur *los mansos*. Quod fieri ætate nostra nemo nescit; & olim etiam fieri solitum colligitur ex Virg. Eclog. 7. qui capro hœdos videtur commisisse. 31. *In gregibus aliqui aliorum duces.*

C *Vir (inquit) gregis ipse caper deerrauerat.*—

Eius vestigia, & ductum reliquos fuisse sequutos, indicat quod sequitur,

—*caper tibi saluus, & hœdi.*

Et lib. 12. Æneid. de tauris idem indicatur; vbi cùm describeretur pugna inter duos tauros, subditur:

Stat pecus omne metu mutum, mussántque iuuencæ,

Quis pecori imperitet, quem tota armenta sequantur.

Hoc idem de arietibus, & hircis docet Arist. de Hist. animal. lib. 6. cap. 19. *Singulis, inquit, ouibus singuli duces constituuntur, qui quoties eo nomine à pastore vocentur, antecedunt, quod ab ineunte ætate facere assue-* 32.

D *scunt.* Id verò maximè apud Hebræos in vsu fuisse docet vox [illegible] *Aturim*, quæ *hircos* significat, qui gregi præeunt, & ab iis per metaphoram Rectores, & Principes vocantur. Translationes autem huiusmodi non nisi à rebus maximè notis, atque vsitatis sumi solent. Vide quæ suprà diximus *cap.* 10. ad illud, *super pastores iratus est furor meus, & super hircos visitabo.* Vbi qui priori loco dicuntur pastores, iidem posteriori vocantur hirci. Non ergo videtur durum si metaphoram reciprocam hic esse dicamus: & quemadmodum Principes, & pastores vocantur hirci, aut arietes, qui præeunt; sic etiam hirci, aut arietes pasto-

E res appellentur. Horum ergo tres dicit Zacharias præ nimia animi offensione à se fuisse occisos. Ex quo apparet, quid reliquum futurum sit de reliqua minori, atque ignobiliori turba.

Nisi mauis hæc de canibus intelligere, qui meliùs pastores dici possunt. Nam & hi clamant, excubias agunt, & omnia pene munera pastoris obeunt. Quare qui præsunt, canes vocantur Isai. 56. *canes muti non valentes latrare.* Est autem offensi animi maximum signum, cùm pastor, quos habet curæ, atque laboris socios perimit.

Et contracta est anima mea in eis.] Sicut anima Iudæorum affecta fuit in Deum; sic vicissim anima Dei in eosdem affecta. Quod etiam dixit antè Dauid Ps. 17. *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum peruerso peruerteris.* Quid 33.

sit

sit, animam Dei esse contractam, suprà indicauimus. Hebr. ותקצר vatiksar, quod significat *coangustatam esse:* nam animus antea tam ad largiendum profusus contraxit se, & pronam illam liberalitatem repressit. Porrò, vt Euseb. refert *lib. 10. de Demonstr. Euangelic. Demonst. 4.* Aquila, & Theodotion verterunt, ὠλιγοψύχησε, i. *exanimata est,* aut *deliquium passa anima mea.* Quæ mirè explicant, & Dei bonitatem, qui maxime dolet, si quando cogitur propter nostra peccata in nos sæuire (vt ostendit etiam Gen. c. 6. *Tactus dolore cordis intrinsecus; delebo, inquit, hominem quem creaui.* & Isai. 1. *Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor*) aut à sua liberalitate cessare, dum in peccatorem Deus exanimatus est, & quasi curam eius abiecit. L X X. vertunt, *& grauabitur anima mea super eos.* Quæ dicendi ratio significat valdè quo sit modo Deus in peccatorem affectus: nempe eo, quo ille qui venenum hausit, qui à dolore, atque molestia leuari non potest, donec illam veneni acerbitatem euomuerit. Sic Deus laborare videtur, & grauari donec iram euomat, quam homo secundùm duritiam, & impœnitens cor in diuino pectore thesaurizauit.

Deus cum dolore punit.

Dei in peccatorem ira.

34. *Siquidem anima eorum variauit in me.*] Hebr. בחלה bachalah, id est, *tædio affecta est*, quasi dicat: Citò defatigati sunt obediendo mihi, licèt ego molliter enutrierim, quare alia pascua amabant, & subesse pastoribus aliis studebant. Aquila vertit; *anima eorum immaturauit in me*, vt refert Euseb. *lib. 10. de Demonstr. Euang. Dem. 4.* Græcè ἐπέπανεν, id est, *mollis facta est,* sicut poma nimis matura, quæ parum absunt à putredine, in quibus vt nulla firmitas, & durities est; sic in grege nulla fuit in suscepta vitæ ratione constantia. Et est ista translatio ad spiritualem sensum morésque perquàm bella, quia grex, id est, subditi, qui sibi putant aduenisse mẽtis maturitatem; id est, qui in se ad sua tractanda satis putant esse consilij, digni sunt, qui nimium præcocis maturitatis pœnas dent sublatis pastoribus, à quibus gubernari possent multo commodiùs. Septuaginta vertunt, *rugierunt in me*, id est, sæuierunt, & qui tanquam oues esse deberent mansuetæ, in prouidum, & amantem pastorem, facti sunt sicut leones sæui. Eadem est sententia Ierem. 12. *Facta est mihi hereditas mea quasi leo in sylua: dedit contra me vocem; ideo odiui eam.* Quocunque modo accipias, eadem est huius loci sententia. Nempe ideo animam Dei esse contractam; quia anima variauit Iudæorum: nam qui priùs humiles esse cœperant, obsequentésque diuinæ legi; cùm suo se iudicio mallent quàm diuino regere, contra Deum non solùm arrogãtes, sed etiã audaces, & feroces spiritus assúpserũt.

Subditi in ingenio suo ac prudentia cõfidũt.

35. Vers. 9. *Quod moritur moriatur.*] Phrasis Hebræa, qua significant se nihil curare quid rerum fiat; ídque cum fastidio, quasi dicant; trahantur per me omnia pedibus, & pereant. Qua etiã forma idẽ Hispani significant, dicunt enim cum eodẽ affectu: *venga loque viniere, muera, qui en muriere.*

36. Vers. 10. *Et tuli virgam meam, quæ vocabatur decor, & abscidi eam.*] Statuit Zacharias instinctus à diuino Spiritu non iam amplius vtendum esse indulgentia in efferum illud, & ingratum pecus. Quare abiecit decorem, & sumpsit funiculum. Hæc quæ præcesserunt, vt dixi, per hysteron proteron dicta sunt: nam occisos esse tres pastores, & illud, *quod moritur, moriatur,* non est eius, in cuius manu sit virga decor: à funiculo potiùs pastorum cædes, & vox doloris impatiens nascitur, quam à decore.

A *Vt irritum facerem fœdus meum, quod percussi cum omnibus populis*] Hæc verba in hoc hieroglyphico sermone Prophetæ sunt, qui oues populorum pascebat ex pacto, non suas. Qui cùm fregit virgam, omnino significauit nolle se iam amplius tam molesto pecori pastoritiam operam nauare. Et ita ex eo die irritum fecit pactum, quod cum populis inierat: nam, vt patebit infrà, mercenariam operam populis omnibus, id est, his qui ex captiuitate redierant, locauerat. Notum est autem, vt docet Hieronymus in illud Isai. 13. *Vt disperdam omnem terram*; & nos pluribus ostendimus in illud Act. c. 2. *ab omni natione quæ sub cælo est*; hanc vocem *omnis*, & similes non vniuersè de
B omnibus omnino esse accipiendas; sed de regione, aut gente, de qua sermo est. Et sic existimo omnes populos, cum quibus pactum iniit, esse omnes illos, ad quos hoc vaticinium pertinebat, id est, eos qui à Babylone remigrauerant. Qui populi multi dici possunt, quia in plures vicos, atque oppida distracti erant; vt constat ex Esdra lib. 1. c. 2. n. 1. Qui cùm ageret de populo in patrias sedes restituto, ait; *& reuersi sunt in Ierusalem, & Iudam, vnusquisque in ciuitatem suam.* 37.

Vers. 11. *Et cognouerunt sic pauperes gregis, qui custodiunt mihi, quia verbum Domini est.*] Illi pauperes ad quos antea Dominus locutus fuerat, cùm dixit suprà, *propter quòd, ô pauperes gregis*; quósque Iu-
C dices, aut spectatores constituerat, vt probabile censebamus, cognouerunt, & afflatum à Deo Prophetam hæc designasse, & quid Deus in hoc obscuro symbolo, siue ænigmate significare voluerit. Credo autem hæc postrema verba includenda esse parenthesi: nam quod statim subditur de mercede, ad alios potiùs videtur spectare, quàm ad hos, qui pauperes inducuntur, & amici Dei. Illud, *qui custodiunt mihi.* Hebraismus est, pro *custodiebant, & obseruabant me?* Hispanè, *est aban ala mira:* quid nempe facerem; nam illa pastione hieroglyphica aliquid latere arcani consilij suspicabantur, à Domino admoniti illis verbis, *propter quod, ô pauperes gregis.* 38.

D Vers. 12. *Et dixi ad eos.*] Scilicet populos, quorum pascebat greges, non ad pauperes gregis.

Si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam.] Quia mercenarius Propheta alienum pecus pascebat, petit iam mercedem, de qua cum pecoris dominis antè conuenerat; quasi diceret, si eiusmodi esset, vt tam longum, assiduum, atque molestum laborem compensaret, futurum, vt postea etiam pasceret. Et ideo videtur addidisse, *& si non, quiescite.* Ac si dicat: si parcè, atque auarè pretium operæ mihi numeratis, frustra me rursus in eandem curam aduocabitis. Seu certè, quod magis reor, modestus hic pastor mercenarius constitutum antè pretium locatæ operæ recipere no-
E luit priusquam suus labor, atque industria aliis esset probata. Quare monet, vt ipsi videant quantum laboris, quàm vigilanter, & assiduè in pascendo pecore positum sit. Quòd si eorum voluntati satisfactum, & iudicio probatum sit, afferant mercedem. Porrò *bonum esse in oculis alicuius*, nihil est aliud quàm placere, aut probari.

Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos.] 39.
Pauerat Propheta alienum gregem, vt est verisimile, longo tempore: nam dum virgam *decorem* gestauit, aliquot menses posuit suauiter, ac molliter: dum verò illa abiecta *funiculum* sumpsit, exegit saltem vnum mensem durè, atque asperè: quia vno mense dicitur tres occidisse pastores.

Tam

Tam longo, atque molesto labori exiguum triginta argenteorum pretium redditum est ab ingratis, & auaris hominibus: præsertim si suo sumptu Propheta tres alios pastores conduxerit, quos haberet in eo labore socios. Quare vilem illam pecuniam præcipit Dominus, vt ad statuarium proiiciat. Huc vsque typus. Hæc iterum ad veritatem & allegoriam referamus: & quomodo ad extrema Iudaicæ Reipublicæ tempora pertineant, exploremus.

Explicatio allegorica superiorum.

40. Vers. 7. *Et assumpsi mihi duas virgas.*] Ita se gessisse Deum cum populo suo, vt priùs leniter tractarit, & amanter, id est, vsus fuerit virga, quæ appellatur *decor*, satis ex sacra Scriptura constat. Et quàm ingratè atque inuerecundè tantæ humanitati responderit vetanus populus, omnia propè tempora ab exitu ex Ægyptiaca seruitute ad Christum vsque testantur. Qua de re longæ, atque assiduæ querimoniæ sunt apud Prophetas. Sed cùm hæc, quæ de duabus virgis à nobis dicta sunt, in omnia Hebræorum tempora conueniant, dubitare aliquis meritò posset, an de omnibus simul, aut de illorum aliquo dici debeant. Et quidem, si singula sæcula expendamus, inueniemus singularem Dei beneuolentiam, & paternam sollicitudinem in suos: deinde illorum impietatem, ac peruicaciam seueriùs esse mulctatam: ac tandem vno mense, id est, breuissimo spatio tres pastores esse sublatos. Nam si primum tempus, id est, illud quod Ægyptiam seruitutem consequutum est, intueare tam humaniter benignus pastor gregem amplexus est, vt portauerit in humeris suis custodieritque sicut pupillam oculi sui. *Deut.* 32. Deinde sumpto funiculo duriùs accepit. Lege totum caput. Ad extremum breui tempore tres pastores succidit, Aaron, Moysem, & Mariam. Alterum tempus fuit, quo exactis Iudicibus per Regiam potestatem administrari cœpit Iudaica Respublica. Nam sub ea tempora grauiter afflicta fuit à Philistinis, accepta magna clade, & arca capta, & tribus pastoribus interfectis, Heli, Ophini, & Phinees. Alterum tempus, cùm extincto regio nomine, & populo illo lauto, ac nobili in Babylonicam seruitutem dato mutata est forma Reipublicæ, résque Iudaica per Sacerdotes, & duces gubernari cœpta: quo tempore tres pastores, vel extincti, vel summoti sunt à cura, custodiáque gregis. Hi verò fuère Ioacim, & Ioachim, siue Iechonias. 4. *Reg. c.* 24. & Sedechias 4. *Reg.* 25. quorum succisionem secuta est miserabilis Hierosolymorum vastitas. Sub hoc tempore in funiculo Deus, pauit populum in alieno solo captiuum.

41. Postquam ab hoc exilio populus restitutus est, rursus Deus sumpsit virgam decorem, pauitque gregem quàm mollissimè, nimirum sicut pupillam oculi sui, vt in hoc Propheta pollicitus est *c.* 2. 8. 9. 10. sumpsit tamen postea funiculum non longè ante Euangelij tempora, castigauitque populum adeò durè, vt non solùm externis armis debellandum, sed etiam domesticis odiis, ac seditionibus conficiendum tradiderit. Tunc autem tres pastores occisi sunt. Qui fuisse videntur siue tres fratres Machabæi, Iudas, Ionathas, & Simon, quibus extinctis res Iudaica grauiter afflicta fuit, siue, vt plerique existimant, magistratuum tres ordines, Sacerdotum, Iudicum, & Prophetarum: nam sub Christi tempore aut sublati erant, aut fœdè corrupti. De quibus statim.

42. His breuiter non tam expositis, quàm propositis, quod ad huius corticis medullam attinet. Quidam priorem virgam legem naturalem esse putant, quæ omnes latè gentes moderabatur: posteriorem legem scriptam, quæ ideo funiculus vocata est, quia contracta magis, & ad illum populum conscripta, qui Dei funiculus appellatur. Deut. 32. *Iacob funiculus hereditatis eius.* Ita Hugo, Albertus, Ribera, Hieronymus. Alij in lege veteri funiculum, in Euangelio decorem intelligunt. Sed mihi verisimilius est, id quod antè diximus, in virga decore Dei benignitatem, in funiculo eiusdem seueritatem indicari. Quod videtur omnino esse dicendum, si quæ sequuntur ad vrbis Solymitanæ vastitatem pertinent, quæ per Romanos illata fuit. Et sanè actiones istæ hieroglyphicæ magis videntur esse symbola rerum futurarum, quàm iam præteritarum monumenta; vt sunt reliqua omnia, quæ in hac spectantur Prophetia.

43. *Et occidi tres pastores in mense vno.*] S. Hieronymus, Haymo, Ribera, & alij quidam hos pastores esse putant Moysem, Aaron, & Mariam: sed Hieronymus non censet improbabile esse Reges Sacerdotes, & Prophetas. Item sequitur Theodoretus, & Cyrillus, nisi quòd pro Regibus legis peritos adhibet. Quod etiam placet quibusdam ex Iunioribus, Galatino, & vtrique Palacios. Et hoc mihi multo probatur magis, quia cùm hîc sermo sit, vt patet de calamitate, quæ populum Iudaicum, post Zachariæ tempora vexauit, de excidio putà ciuitatis & templi, de his peccatis, atque hominibus, siue ordinibus actum oportuit, quæ cladis illius causa fuerunt, & illius incendij proxima fax. Nam alia peccata, siue personas, quæ hoc Zachariæ sæculum antecesserunt, aliæ calamitates consecutæ sunt. Quòd verò hæc tria sub Christi tempora defecerint, satis, credo, notum est: nam inprimis defecit prophetia: vt enim est Hebræorum traditio, quos nostri communiter sequuntur, post Malachiam ad tempus vsque Christi nullus fuit Propheta. Defecisse prætereà ex stirpe Dauidica regiam potestatem, certius ex Iacobi vaticinio *Genes.* 49. quàm vt probari debeat. De sacerdotio summo, constat ex Iosepho, Romanorum arbitratu, atque etiam Herodis datum & ablatum esse propè singulis annis, & plerumque venale. Quòd si quis Concilium, quod ab Hebræis vocatur Sanhedrim, ad hunc numerum pertinere putet, hoc quoque aut omnino, aut certè magna ex parte sublatum est à Romanis, & translata iudicandi potestas ad Prætores Romanos. Ita Genebrardus *in Chron.* ex sententia Hebræorum anno Christi 15. & Galat. *lib.* 4. *c.* 4. quod nonnulli colligunt ex illo *Ioan.* 18. vbi pontifices dixerunt: *Nobis non licet interficere quemquam*; licebat autem per legem *Deut.* 17. Significant ergo per Romanorum potestatem ereptum esse sibi, quod per legem licebat, illud verò consilium in captiuitate durasse docet Galatinus suprà ex sententiâ Hebræorum, & probatur ex illo iudicio, quo senes, & Iudices populi capitali supplicio damnauerunt Susannam. *Dan. cap.* 13.

44. *In mense vno.*] Mensis vnus non significat tempus in quo à Domino tres pastores occisi sunt; nam longius multo fuit illud spatium: sed in quo à Zacharia typicè tres sint vel occisi, vel summoti

summoti. Vnus verò mensis typicè longioris spatij symbolum esse potuit: sicut vnus dies vnius anni symbolum est. Ezechiel. c.4. *diem pro anno dedit tibi.*

Explicatio historica.

45. Vers.13. *Et dixit Dominus ad me: Proiice illud ad statuarium.*] Hinc iam liquet, quemadmodum hæc omnia ad Prophetam pertineant; quando vile illud operæ locatæ pretium iubetur ad statuarium proiicere. Locus autem hic difficillimus est, multúmque negotij attulit optimis ingeniis. Quare in eo nos paululùm immorabimur. Pro *statuario* in Hebræo est יצר *iotser*, quod variè ab Interpretibus exponitur. Septuaginta *conflatorium* reddunt, vt habemus in codice magis correcto; & quædam addunt explicationis, vt reor, gratiâ, quæ in textu non sunt. Sic enim illi: *depone eos in conflatorium; & considerabo si probatum est, sicut probatus sum pro eis.* Eodem modo Aquila, & Symmachus, vt refert Eusebius *lib.10. de demonstr. Dem.*4. Sed Aquila etiam vertit *plastem.* Neque diuo Hieronymo, qui *statuarium* in textu verterat, hæc Aquilæ translatio displicet; nam in Commentariis ait optimè *fictorē*, aut *plastem* verti potuisse. Est autem hoc loco statuarius qui ex quauis materia signa fingit, aut cōflat. Sed hîc omnino vox Heb. יצר *iotser*, iuxta familiarem vsum, in Scriptura illum significat, qui aliquid fingit ex argilla, & luto. Quis verò sit hic statuarius incertum est. Hieronymus, & cum eo complures alij, Rupertus, & Ribera, & ex Hebræis R. Abraham, Deum esse putat, qui omnium plastes, & formator est. Et accommodatè ad hæc locum exponit in hunc sensum Hieronymus. Proiice ante Deum, vt ipse iudicet, quàm malè ab auaris tui laboris merita compensentur. Quod perinde videtur, ac si dicat: videat Dominus, & iudicet. Qui cùm omnium formator sit, norítque cuiusque dignitatem, & merita, videat Dominus, & iudicet, quàm sit illa exigua, atque vilis merces.

46. Ego hîc, quod in rebus obscuris aliquando licet, aliquid aggrediar nouū, & eo nomine minùs mihi gratum; sed non sine aliquo fundamento, nisi me ipsum fallo. Vilissima sanè fuit illa merces pro tam longo, atque molesto labore: adde etiam & pro mercede alia maiori, qua aliorum pastorum, quibus ad pascendum gregem sociis vteretur, opera redemerat, vt suprà verisimile putabamus. Neque minore pretio conduceret populus ille ingratus, & improbus statuam aliquam seu fictilem, seu fœno, aut alio quouis tomento refertam, quam vellet suo gregi regendo, atque custodiendo præponere, sicut ligneum, aut stramineum Priapi simulacrum à prophanis statuitur hortorum custos. Ait ergo Deus: Proiice ad statuarium, qui signa ex argilla fingit, pretium hoc decorum, ironicè, id est, ridiculum, vt ipse è luto pastorem aliquem, aut idolum pastoris fingat, cuius præsentiam alij tam vili mercede coëmant, neque enim illud sordidum, & ignobile pretium alterius operam dignè remunerare potest. Qua loquendi figura satis aptè pretij illius momenta extenuauit. Neque existimo aliud voluisse Deum in hoc typo significare, quàm vilissimum æstimatum esse Prophetæ laborem, & illum à scelerato populo habitum esse ludibrio. Quam fuisse Dei mentem satis videtur cognouisse Zacharias, quandoquidem non abiit ad statuarium, seu plastem, vt verba ipsa indicabant

A propriè, sed ad templum, vbi sine dubio neque figulus, neque statuarius erat. Proiecit tamen ad Sacerdotes, qui gregis videbantur esse domini: & fortasse exprobrans illis auaritiam & sordes, cùm proiiceret, addidit, sibi vt ab statuario, & plaste fictilem pastorem prouiderent, quem suo præficerent gregi; neque enim alium pastorem tam exigua mercede conduci posse. Et hæc sit prima expositio.

Secunda expositio. Ad statuarium iubetur proiici pretium illud, vt ex eo lutum emat pro fingendis vasis: tam vili namque mercede lutum potiùs emi, quàm hominum labor, & industria potest. Et est sententia non valdè à superiori di- 47.
B uersa, & allegorico sensui accommodatissima; de quo statim. Et illud *proiice*, non parum fauet; quasi dicat Deus, pretium illud omnino contemnendum, & emendum eo potiùs lutum, quàm ingenui hominis operam. Existimo autem *figulum*, seu *plastem*, prouerbialiter sumi pro luto, & puluere, quia circa lutum versatur eius ars, ea figura, qua materia intelligitur, ex eo qui materiam illam versat, & tractat: quomodo morti proximum ad Libitinam mittimus, quia illa curat, & vendit, quæ ad funus spectant, & Vulcano aliquid tradi emendandum dicitur, cum in ignem proiicitur, in quo se Vulcanus, & suam artem exercet. Sic cùm iubemus aliquid ad boues, seu ad porcos mitti, paleas significamus, aut glan-
C des, aut certè aliquid vilius. Sic ergo, cùm aliquid ad plastem proiicimus lutum esse significamus, quia in eo versatur eius opera. *Lutum* verò pro re vilissima metaphoricè sumi in sacra Scriptura satis notum. Sap. 7. *tanquam lutum argentum in conspectu illius*, id est, vilissimum est, & c. 15. *luto vilior vita eius.*

Lutum pro re vili.

REGVLA. *Materia intelligitur ex eo qui in ea materia aliquo modo versatur.*

Tertia expositio esse potest satis & rerum e- 48.
uentibus, & Iudæorum meritis accommodata, ita vt hac actione hieroglyphica Iudæis prænuntietur illa clades, quæ à Romanis suæ Reipublicæ comparata est. Contulerat Ieremias cap. 32. tantumdem fere pecuniæ in agrum, qui, vt statim dicemus, ager figuli dici potuit, & li-
D brum, atque instrumenta emptionis clausit in vase fictili, quod in agro illo sepultum est. Hæc verò prædixère aliquo modo, certè antecesserunt cladem illatam à Chaldæis. Ad huius igitur imitationem Zacharias prædicit non dissimilem cladem inferendam à Romanis, dum triginta argenteos ad figulum mittit, qui illos, seu illorum pretium in vase includat à se formato, nempe fictili.

Quarta expositio: quia pretium istud vile, quo 49.
emptus est tam bonus, ac sollicitus pastor Zacharias, figura est eius pastoris qui postea venditus est à proditore Iuda, iubet Deus, vt ad statuarium proiiciat illam pecuniam, seu, vt alij vertunt, ad conflatorem, vt ex ea figuram faciat;
E illud enim est statuarij præcipuum munus, quasi dicat: Vilis hæc merces, qua emptus est talis pastor, figura est illius iniquæ mercedis, qua ego aliquando venalis ero, quam expositionem videntur probare, quæ statim subiiciuntur, vbi Deus typum, & figuram ad veritatem accommodat, dum dicit: *Decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis.*

Has expositiones adduxi, in quibus, si audacius egisse videor, cùm sine duce pergam, facilem, credo, veniam obtinebo: cùm obscurus sit locus, & valdè celebris; cui aliquid attulisse lucis, si modò id alicui contingat, magnum est operæ, atque

atque studij pretium. Ex iis elige quam malueris, nisi omnes reiiciendas putaueris: nam mihi promptum non est statuere quænam illarum cæteris præferenda sit. A

50. *Decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis.*] Qui suam operam alteri locant, quasi se ipsos vendunt, quia sibi ipsis libertatem, id est, moralem vitam, eripiunt. Est autem verisimile non tantùm pro impensa trium, aut quatuor mensium opere datam esse exiguam illam mercedem Zachariæ; sed pro toto illo munere, quod obiturus esset in pascendo grege; nullo definito temporis spatio. Quare vita Zachariæ triginta argenteis æstimari videbatur. Accommodat ergo Deus figuram hanc in Zacharia propositam, & explicat, quò spectet mysticus ille ac hieroglyphicus labor, tam vili mercede compensatus. Dicit ergo Dominus populum illum extremis suæ Reipublicæ temporibus non aliter futurum in se, quàm tunc in Zachariam sui typum fuisset. Laborarat Christus diu, variéque vexerat Iudaicum gregem, modò virga decore, modò funiculo, prout gregis varia ratio, atque commoditas exigebat: emptus est tradente proditore Iuda, à Sacerdotibus, Principibúsque Synagogæ, id est, Iudaici gregis, triginta argenteis, hoc pretio Christus appretiatus, hoc emptus fuit. Neque ea pecunia Christo impensa, vt eius muneraretur labor, sed vt ea proditus morti traderetur. Vilis sanè merces est triginta argenteorum; sed grauior iniuria, quòd ea non ad Christi commoditatem, sed ad eius potiùs mortem expenditur.

Qui laborè alteri locat, sibi moraliter moritur.

51. Hic obiter nota vsque adeò vilem, & execrandam visam esse Iudæis pecuniam è Christi venditione redactam, vt impium existimauerint illam in Corbonam mittere, id est, ad templi vsum conferre, & sacrificiorum sumptus. Cùm enim *Deut. c.* 23. præcipiatur ne quæ abominationi sunt, in templum inferantur: sic quia immundam, & abominabilem putabant illam pecuniam, à templo, id est, ab vsu sacro abdicauerunt: perinde atque si pretium esset canis, aut prostibuli merces: nam hæc nunquam admittebantur in templum.

Grauis Iudæorum iniuria in Christum.

52. Nunc oportet examinemus longam quæstionem exagitatam à multis; & quæ nondum est à quoquam definita; cur quæ hic tradita sunt à Zacharia, eadem *Matth. c.*27. attributa fuerint Ieremiæ Prophetæ? Nam cùm dixisset ibi Matthæus triginta argenteis emptum fuisse agrum figuli, addidit. *Tunc impletum est quod dictum est per Ieremiam Prophetam dicentem; & acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, quem appretiauerunt à filiis Israël: & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.* Sunt qui putent hoc testimonium Ieremiæ quidem esse, sumptum tamen à Matthæo, non ex iis libris Ieremiæ, qui nunc extant, sed ex iis, qui temporum iniuria perierunt: periisse autem aliquid a Ieremia scriptum colligitur ex 2. *Mach. c.*2 Suspicantur alij testimonium istud à Ieremiæ scriptis callidè à Iudæis fuisse sublatum. Ita Eusebius *lib.* 10. *de Demonst. cap.*4. Origen. Chrysost. Euthym. Sunt qui putent Matthæum ex Apocrypho libro testimonium sumpsisse, idque etiam aliquando Apostolos facere solitos. Quod tradit Origenes. Et sanè Hieronymus scribit ab Hebræo quodam sibi traditum esse eiusmodi librum, in quo testimonium istud ad verbum legebatur. Sed hoc parum pium; sicut quod alij dicunt, Apostolos, D

Apostolicósque viros memoria lapsos interdum aliter locutos quàm postularet sacræ Scripturæ veritas, idque hoc loco contigisse Matthæo. Aliæ sunt huius difficultatis siue solutiones, siue fugæ, quas vide apud Maldonatum *in cap.*27. *Matthæi*, Salmeronem *tom.*10. *tract.*25. Suarez *to.*2. *disput.*39. *sect.*1. Sed ex omnibus illa maximè placet Hieronymo, Baronio *in appendice ad annum* 34. Iansenio *c.* 140. *Concordiæ* & Maldonato, atque Suarez *suprà*, quæ dicit Matthæum suo more tantùm posuisse, *quod dictum est per Prophetam*: ab aliquo autem in margine positum *Ieremiam*, & inde tandem in textum irrepsisse. Quòd verò Matthæus sæpe commune nomen Prophetæ scripserit, non proprium alicuius, liquet ex *c.*1. *n.*12. *c.* 2. *n.*5. 19. 25. & *c.*13. *n.*35. & *c.*21. *n.*4. & hoc ipso B *cap.*27. *n.*35. Facit ad hæc quòd in Syriaco Euangelio Ieremiæ nomen non inuenitur. Et Aug. *lib.* 3. *de consensu c.* 7. scribit suo tempore in quibusdam Latinis Codicibus non reperiri Ieremiæ nomen, tametsi hanc sententiam minùs probet Aug. sed potiùs dicat parum referre Zacharias dicatur; vel Ieremias, cùm author Spiritus sanctus qui per Prophetas locutus est, idem in omnibus sit; quod etiam dixit Beda Augustinum sequutus.

Ribera in hunc locum Zachariæ non laborat vbi hoc testimonium adductum à Matthæo apud Ieremiam legatur: tantùm dicit testimonium illud non esse Zachariæ, quia verba illius diuersa sunt ab iis quæ citat Matthæus, & in Matthæo multa sunt, quæ non reperiuntur in Zacharia.

C Res sanè difficilis est, & digna in qua piorum hominum ingenia, atque studia laborent. Ex prædictis antè sententiis illa mihi magis probatur, quæ censet nullius certi Prophetæ nomen positum à Matthæo: sed Ieremiæ nomen primùm alicuius incuria insertum, deinde exceptum ab aliis, sensim omnes expleuisse codices. Quæ cogitatio & minùs habet incommodi, & magnorum virorum, vt nuper diximus, authoritate munitur. Sed sanè durum est valdè, & à quo nescio quomodo pietas abhorret, tandiu in sacris literis alienum inueterasse nomen, & in re purissima illam quasi labem adhæsisse. Neque præterea video, contrà quàm putat Ribera, quomodo negari possit in hoc testimonio non esse aliquid ex Zacharia, cuius verba pene numerat Matthæus. Quare enitendum est, vt testimonium hoc esse Ieremiæ dicamus cum Matthæo, neque excludamus Zachariam, quod Patres omnes, & Interpretes communiter censent. Dicam igitur aliquid, non in quo acquiescat animus; sed quod aliquid habeat non omnino impeditum. Quod licèt aliquid haberet aut ingenij; aut momenti, quod non reor, eo tamen ipso, quòd patrono destituta sit, non potest mihi non displicere sententia. 53.

Satis notum est, in Testamento Nouo tam ab Apostolis, & Euangelistis, quàm ab ipso Domino ex duobus testimoniis diuersorum etiam librorum vnum testimonium solitum esse conflari. Exempla sunt obuia. *Actor.*1. ex diuersis Psalmis Petrus vnum fecit testimonium: ex *Psal.* 68. sumpsit illud, *fiat commoratio eorum deserta, & non sit qui inhabitet in ea*: & ex Psalm. 108. *& episcopatum eius accipiat alter.* Et idem Petrus è *Psal.*1. *capite* 2. cùm dixit: *lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: & lapis offensionis, & petra scandali*; altera pars sumpta est ex *Ps.*117. altera ex *Isai. cap.*8. Et Paulus *ad Romanos capite* 3. ex multis Psalmis vnum coagmentauit quasi 54. E

REGVLA. E diuersis testimoniis Testamenti Veteris vnũ compositum.

corpus; sumpsit enim illud; *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum*; ex *Psalm.* 13. at alios octo versus, qui incipiunt; *Sepulchrum patens*, &c. ex variis Psalmis. Imò & Christus ex *Isai.* 56. & ex *Ierem. cap.* 7. composuit testimonium illud Matth. cap. 21. *Domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Et suprà nos ostendimus *cap.* 9. illud testimonium Matth. capite 21. *Dicite filia Sion: Ecce Rex tuus venit*, &c. ex *Isai. cap.* 62. & ex Zachariâ fuisse conflatum. Vide quæ diximus suprà *c.* 9. *n.* 34.

55. REGVLA. *Cum à duabus authoritatibus testimonium componitur, interdum vnus tantùm citatur author.*

Illud etiam vsitatum, vt cùm verba, aut testimonia duorum sunt, aut altero omisso, alterius tantùm nomen exprimatur, aut totum testimonium, quasi vnius tantùm esset, significetur. Prioris partis exemplum est apud Marcum cap. 1. *Sicut scriptum est in Isaia Propheta. Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto: parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* Prior pars Malachiæ est, posterior Isaiæ, & tamen omisso Malachia vnus nominatur Isaias. Posterioris exemplú habes *Matth. cap.* 21. nam cùm illud testimonium; *Dicite filia Sion: Ecce Rex tuus venit tibi, mansuetus, & sedens super asinam*, sumptum sit & ex *Zachar. capite* 9. & *Isai. capite* 26. In singulari tamen dicitur à Matthæo; *vt adimpleretur quod scriptum est per Prophetam dicentem*, &c.

56. Sic ergo testimonium hoc apud *Matth. cap.* 27. ex duobus sine dubio coaluit: ex *Ieremia c.* 32. & *Zachar. c.* 11. & tamen vnus citatur Ieremias. Neque deest causa cur à Matthæo Ieremias potiùs nominari debuerit. Rationem enim voluit reddere Euangelista, vt legenti constabit, non tam pretij, quo Christus emptus est à Principibus Synagogæ, quàm agri eo pretio empti. De agro verò nihil dicit Zacharias, quare eo loco nominandus non fuit: dixit verò Ieremias *cap.* 32. vbi ante captiuitatem imminente iam vrbi Chaldæorum exercitu iussus est à Deo agrum emere, in cuius emptione aliquid celati mysterij ipse cognouit. Nunc reliquum est, vt ostendamus agrum à Ieremia emptum typum fuisse eius, qui triginta argenteis ex Christi venditione redactis à Principibus Synagogæ emptus, quique ager figuli vocatus est. Quod si assequimur, sanè nihil erit, quod aliquis à nobis amplius requirat.

57. Iussus est Ieremias agrum emere eo tempore, quo ipse captus erat, neque aliqua, aut saltem pertenuis spes emergendi è carcere, esset cùm ciuitas graui obsidione premeretur à Chaldæis. Quare nulli vsui videbatur futurus ager ille emptori suo, quia venturus statim erat in hostium potestatem. Quod significauit ipse Dominus: nam cùm dixisset Ieremias; *Ecce munitiones extructæ sunt aduersus ciuitatem, vt capiatur, & vrbs data est in manus Chaldæorum: & tu dicis mihi, eme agrum argento*, &c. Respondit Deus: *ecce ego tradam ciuitatem istam in manus Chaldæorum.* Ex hoc id habemus vnum, agrum istum non tam emptum esse domino, aut domesticis, quàm externis, & peregrinis: neque enim illum agrum possedit Ieremias, vt constat, neque ipsius posteri, quia, vt notauit Hieronymus in *c.* 23. Ieremias virgo fuit. Idem Ignatius Epist. ad Philadelphienses. Isidorus *lib. de vita & morte Prophet. cap.* 38. Et eò, credo, spectat, quod post captiuitatem idem cecinit Thren. 5. *Hæreditas nostra versa est ad alienos.*

Ieremias virgo.

58. Quomodo verò ager iste pro sepultura sumi potuerit, nonnulla nobis coniectura est, quia ager erat in Anatoth, quæ assignata fuit Leuitis *Iosue cap.* 21. in tribu Benjamin. In iis autem ciuitatibus non habebant Leuitæ agros pro ferendis frugibus, sed tantum suburbana, adalenda iumenta, vt ibidem dicitur, & verisimiliter hortum pro sepultura, Hebræorum more, qui in agris sepeliebantur, vbi proprium erat, & domesticum sepulchrum; sicut Ioseph ab Arimathia hortum habuit ciuitati vicinum, & in eo sepulchrum, in quo Christus positus fuit.

59. *Ager à Ieremia emptus, cur dictus figuli.*

Ager autem ille Ieremiæ dici potuit ager figuli, si vspiam alius. Nam *eodem cap.* 32. postquam in oculis omnium Iudæorum, qui sedebant in atrio carceris, emptus fuit ager, & facta nomina; dixit Baruch ministro suo Ieremias: *Sume libros istos, librum emptionis huius signatum, & librum hunc, qui apertus est, & pone illos in vase fictili, vt permanere possit diebus multis.* Est autem valdè probabile in agro eo vas illud fictile cum instrumentis infossum esse: nam si non esset tegendum terra, non erat quòd clauderetur in vase fictili, vt seruaretur in longum spatium, cùm similia monumenta extra huiusmodi vasa in scriniis, & arculis in multa sæcula integra seruentur. Dicitur ergo ager ille vas figuli, vel quia vas illud fictile, cum instrumentis ibi sepultum est, vel quia scriptura ipsa, quæ fundi loco sufficitur, in figulino vase conclusa fuit. Neque hæc dicendi forma admodùm inusitata aut peregrina est: nam ab aliquo effectu non solùm ager aliquis, sed etiam ciuitas nomen solet accipere: sicut *Iud. c.* 13. REGVLA. *Multa loca nomen sumunt ab aliquo effectu.*
Ramalechi seu eleuatio maxillæ dicitur locus ille, vbi asini mandibula Samson Philistæos strauit; & Baal pharasim, vbi iidem à Dauide profligati sunt. 2. *Reg. c.* 5. &, vt multi è Patribus sentiunt, ideo vbi Christus crucifixus est, caluariæ locus dicebatur, quia ibi sepultum erat caput Adam. Neque rarum est, vt locus ab aliquo possessus, aut in quo est aliquid, quod ad aliquem aliquo modo pertineat, pro possessore, aut pro eo, cuius in eo aliquod extat monumentum, aut opus, vsurpetur, qua ratione à Latinis Vcalegon, pro Vcalegontis domo ponitur, Pluto, & manes pro inferno, & ager fullonis in quo erat piscina, vbi fullo dealbabat vestes ex aqua collectitia: & ager, quem figurabat hic, de quo nobis quæstio, dictus est Acheldema, quia in eo erat, aut opus, aut pretium sanguinis. Sic etiam ager Ieremiæ, ager figuli dici potuit, quia in eo solemni ceremonia vas figuli defossum est. Est autem vsitatum in Scriptura, vt vas fictile, quia opus est figuli, vas figuli vocetur. Psal. 2. *Tanquam vas figuli confringes.* Eccl. 27. *vasa figuli probat fornax.* Apoc. 2. *lagena figuli.* Solere locum aliquem 60.
nomen sumere ab eo quod in eo moratur, aut conditum est, satis est notum. Quâ ratione domus Vcalegontis, Vcalegon dicitur; & Misenus, Palinurus, & Caieta nomen accepêre ab illis qui inibi sepulti sunt. Quod etiam in sacris vsitatum est. Arbe enim (teste Hieronymo in traditionibus Hebraicis super Genesim) illud nomen habuit à quatuor viris ibi tumulatis. Et Ephrata, seu Bethlehem dicta est Rachel *Ierem. cap.* 31. vt plurimi ex Patribus volunt cum Hieronymo, quia ibi condita fuit Rachel. Hoc, vt dixi, facile est, illud verò durius, quomodo fictile vas figulus vocari possit: nã iuxta hãc expositioné ager ille vocari potiùs debuit ager vasis fictilis, quàm ager figuli, cùm nó figulus in eo, sed vas fictile defossũ sit.

Sed

Regvla. Interdum rebus, & eorum authoribus cõmune nomen.

Sed neque hoc, credo, admodum alienum est ab vsu loquendi: videmus enim opus sumere nonnunquam nomen ab authore: sic Platonem, Homerum vocamus libros ab illis editos; & *Luc. cap.* 16. *&* 24. Moyses, & Prophetæ pro eorum scriptis vsurpantur. Neque id solùm in libris vsitatum; sed in rebus aliis longè diuersa arte, aut industria perfectis. Thermæ à Nerone constructæ, Nero vocatæ sunt à Martiale lib. 10. Epig. 48.

Temperat hac Thermas, nimios prior hora calores

Halat, & immodico sexta Nerone calet.

Et nummus à Philippo percussus, Philippus vocatus. Horatius lib. 2. epist. 1.

Retulit acceptos Regale numisma Philippos.

Et hoc ipsum nomen exemplo nobis esse potest; nam figulus per metonymiam pro laterculis fictilibus vsurpatur à Iuuenali Satyra 10. qui Babylonicos muros dum ex cocto laterculo constructos significat, à figulis munitos dicit.

Cùm tamen a figulis munitam intrauerit vrbem.

Et nuper hoc eodem capite *num.* 47. materiam significari diximus ex eo, quod circa illam materiam aliquo modo versatur, quomodo Lybitina pro funere, Ceres pro pane, Vulcanus pro igne accipiuntur. Quare cùm figulus circa vasa versetur fictilia, vas fictile figulus non incommodè nominari potest.

Inter Hispanos sanè, putóque etiam apud alias gentes, satis frequens artificum nomina artificiis imponi. Nam pannorum nobilium certa genera ab inuentoribus dicuntur *Limiste*, *Lobo Velarte*: & quia ex nostra Societate P. Alfonsus Salmeron Venetiis author fuit, vt fœminæ honesto quodam amiculo vterentur, illa amicula vulgo Venetorum *Salmerones* vocantur. Cui etiam rei affine est, quòd linteorum quædam genera, aut pannorum à regionibus in quibus elaborata sunt, vocantur *Londres*, *Damasco*, *Ruan*, *Olanda*, *Cal cut*. Cuius generis sunt exempla obuia, sicut in medicamentis, quemadmodum potionem ab Hippocrate inuentam, *Hippocras* vocamus, &c. sic puto nunc figulum pro vase fictili sumi. Et iuuat hanc coniecturam, quòd artificum nomina in vasis olim, sicut nunc etiam apud nostros, pleraque etiam alia insculpebantur, vt obseruauit Vrsinus in appendice operis de triclinio Petri Ciacconij. Vbi ait fuisse Aretij repertum vas fictile cum inscriptione Nimis, nempe authoris sui. Et ita explicat Martialem lib. 14. disticho 98.

Aretina Nimis ne spernas vasa monemus.

Et Martialis *eodem libro ad distichum* 110. cuius titulus est, *Ampulla potatoria*; nomen authoris vasi insculptum indicat; licèt aliter exponi possit.

Hac licet in gemma, qua seruat nomina Cosmi,

Luxuriose bibas. ———

Quòd si vas fictile in agro Ieremiæ defossum, nomen habuit figuli à quo formatum est: agèr figuli non admodùm difficili figura vocari potuit. Hæc mihi vero similiora visa sunt: nam hæc non esse à Ieremia prædicta, cùm hæc quotidie in sacris habeat, & canat Ecclesia, respuunt aures piæ, atque Catholicæ.

61. Vers. 14. *Et pracidi virgam meam secundam, qua appellabatur funiculus.*] Huc vsque & Propheta typicè, & Christus verè gregem pauerat, molliter priùs, & indulgenter in virga decore; pòst duriùs, & seueriùs in virga funiculo. Vtraque verò pascendi forma à sedula pastoris prouidentia nascebatur: vbi verò gregis improbitas, ac pertinacitas, & eorum, qui putabantur esse domini, A insignis impudentia, qui tantam operam, tam sedulam, atque vtilem vilissima mercede compensarant, diuinam, vt ita loquar, patientiam exhauserat, ipsam quoque virgam funiculum fregit: sicut virgam decorem antea præciderat, quod nimiùm offensi animi signum, & opus est. Qua de re multa sunt, eáque grauissima Scripturæ testimonia, quæ tunc ad extremum malorum ventum esse significat, cum à correctione & flagello Dominus manus abstinuit. Vide Gregor. *homil.* 12. *in Ezech. & lib.* 26. *Moral. cap.* 15.

Ablata virga correctionis, magna offensionis signum.

Vt dissoluerem germanitatem inter Iudam & Israël.] 62.
Hic locus aliquibus persuasit, tres pastores fuisse Moysem, Aaron, & Mariam, cùm fractus dicatur esse funiculus antequam diuisus esset Israël à B Iuda. Veruntamen hic locus non admodùm vrget nos in illam sententiam; imò potiùs optimè indicat, quid postremis temporibus in populo Hebræorum ex variis locis, & tribubus congregato fecerit virgæ funiculi præcisio. Nempe vt, sicut olim Israël à Iuda diuisus est, incitatisque odiis vicissim inter cognatas tribus non minùs hostiliter, quàm cum externis pugnatum est, sic etiam, vbi Deus fracto funiculo indomitum gregem liberè pro sua libidine vagari permisit, non modò animis, qui priùs in iisdem septis claudebantur; sed etiam armis, & castris inter se pugnauerint: neque minùs Iudæi, quàm Romani Iudæis cladi, atque exitio fuerint. Lege Iosephum, & Hegesippum; & disces quàm C Iudæorum vires intestinis bellis exhaustæ fuerint. Soluta est ergo germanitas Israël, & Iudæ, siue quia qui ex aliis tribubus se Iudæis adiunxerant, vt *cap.* 8. *numero* 29. vidimus, contra duas alias tribus arma sumpserunt, quo tempore, siue ab Antiocho, siue à Romanis oppugnata fuit Ierusalem; siue, quod mihi magis est verisimile, quia ibi Hebræorũ more nota similitudinis subauditur. Et tunc hic erit sensus, & facilis, & cum filo, veritatéque consentiens. Dissoluam populos in vnum quasi gregem coactos, non aliter atque olim dissolui germanitatem Israël, & Iudæ, ita vt à rapina, & cæde non temperet furentes animos generis, Religionísque communitas.

Vers. 15. *Adhuc sume tibi vasa pastoris stulti.*] Pru- 63.
D dentis pastoris, suarúmque pecudum amantis antè formam descripserat, quando cum gemina virga, quarum altera leniter, & blandè, altera duriùs, vtraque tamen vtiliter gregem pascebat. Nunc stulti pastoris imaginem proponit, amantis, quærentísque quæ sua sunt, non quæ ad gregis commoditatem pertinent. Quæ verò sint hæc stulta pastoris vasa, seu instrumenta, non difficile iudicatu est. Illa nempe, quæ vel blandimento fallaci ad mortem trahunt, aut lacerant vi, & fame attenuant, atque conficiunt potiùs quàm alunt, atque tutantur gregem. Stultus autem pastor est, vt statim ipse indicat Deus, qui greges dispersos, atque derelictos non quæret; quod cõfractum fuerit, non curabit: carnibus vescetur pinguioribus, E erraréque faciet infaustum pecus ita citato gradu, locisque asperis, vt vngulis, quãuis è dura, firmáque materia, dissolutis cõmouere se in summo periculo, vel necessitate non possit. Qui dũ in lupi faucibus, aut leonis vnguibus vlulatus edũt miserabiliter agni, ipse aut fistula se vesanus oblectat, aut vmbras otiosus captat in opaco loco. Hęc itaque instrumenta sunt stulti pastoris, gladius ad mactandũ, fistula ad canẽdum: & si quod aliud instrumentum est, non tã ad vsum alendarũ ouium,

Stulti pastoris descriptio.

quàm ad inertem voluptatem, & inanem potestatis ostentationem.

64. *Antichristus pastor stultus.* Hunc stultum pastorem Antichristum esse cum Hieronymo, ac Cyrillo alij pene omnes Interpretes fatentur; quia ille extremis sæculi temporibus omnia aggredietur, perficietque, quæ hic describuntur à Zacharia: & ad quem sese adiungent illi, qui Christum optimum pastorem abiecerunt; iuxta illud Ioan. 5. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Non possunt non amplecti communem hanc sententiam, in quam incumbit omnium pene authorum conspirans consensio, quæ magnæ authoritatis apud omnes momentum habet; dicam tamen quod in hac communi sententia mihi minus probatur; non quòd alios aliter existimare velim, sed quia aliter locus iste relinqueretur obscurior.

65. Videri primùm alicui posset hîc de Antichristo sermonem non esse: nam priùs de vastitate vrbis agi cœptum est; deinde verò cap. sequenti de eadem omnino continuatur sermo. Quare non videbatur cur interposita Antichristi crudelitate, ac fraude longus ille sermo tam aptè cum consequentibus cohærens esset intercidendus. Deinde quia multa sunt, quæ non videntur aptè in Antichristum posse quadrare: nam stultus pastor hîc iners fingitur, & otiosus, qui neque dispersum congregat, neque fractum consolidat; at Antichristus strenuus est, & industrius. Denique iste pastor erat, qui hîc à Zacharia reprehenditur, & pastoris munus obire debuit, & ideo reprehenditur, quia commissi sibi gregis curam abiecit. Sed Antichristus pastor non erat, neque ex instituto, artéque pastorali illa curare debuit optimi pastoris officia, quæ in hoc desiderantur. Atque ideo accusandus potiùs fuit quòd laceraret, & perderet gregem, quàm quòd minùs vigilanter custodiret. Accedit, quòd quæ ab Antichristo gesta sunt, quia multo post acceptam à Romanis Hierosolymæ cladem contigerunt, non videbantur hoc loco commemoranda. Et quidem quæ sequenti capite dicuntur de libertate & gloria populi Iudaici, quæ (vt textus ipse indicat, post stulti pastoris insaniam contigerunt) siue intelligas patrata per Christum mysticè, siue per Machabæos historicè, illa nullo modo post Antichristum acciderunt, qui in sæculum incidit extremum.

66. *Regula. Ex umbra sæpe ad veritatem sermo traducitur.* At dices solere Scripturam aliquando cùm aliquid expositum est, quod alterius figura, vel exemplar esse possit, ad illud subitò, atque ex inopinato sermonem transferre, quod huic Prophetæ non semel accidit; & apud *Dan. c. 11.* postquam actum est de Antiochi crudelitate, atque odio in Iudæos, statim ad Antichristum, quem mores adumbrabant Antiochi, vaticinium traducitur. Et habemus exemplum non tam simile, quàm omnino idem *Matth. 24.* nam cùm ageretur de Hierosolymæ excidio, sicut nunc à Zacharia, eius occasione actum illicò est de Antichristo. Respondeo, negari non posse id in Scriptura aliquando contingere, & ita forsitan accidisse hoc loco. Verùm id non nisi perquàm rarò, neque ad hanc expositionem confugiendum, nisi cùm aliter expediri non potest inchoatus sermo; scilicet quando historicè, & propriè non omnia quæ dicuntur, illi conueniunt, cuius antea meminimus. Quare *Psal. 71.* quia Salomoni non omnia conueniunt, quæ ibi scripta sunt, quædam de

A Christo, cuius typus erat Salomon, interpretamur. Eodem modo *Dan. cap. 11.* Antichristo tribuimus, quæ minus verè dici de Antiocho poterant. Sed hic nihil est quod in ciuitatis, populique Iudaici calamitatem & exitium non cadat, imò, vt nuper diximus, multa sunt, quæ non videntur commodè aptari Antichristo posse.

Superest iam, quando hîc aliquid aliud ab Antichristo significari posse indicauimus, vastationem nempe Hierosolymæ, ostendamus quomodo hæc, quæ ab aliis communiter dantur Antichristo, in vrbis, templique ruinam aptè conueniant. Et primùm obseruandum maximè, huc vsque nondum actum esse de vrbis strage, sed de iis tantùm gradibus, per quos eò calamitatis lapsum est Iudaicum genus. Quia nimirùm pastori Deo tunc B obsequuti non sunt, cùm in virga, quæ dicebatur *decor*, illos moderabatur suauiter, ac placidè. Deinde, quia funiculo, quo vsus est postea, neque deterriti sunt ab incessu, pastúque noxio, neque quicquam habuerunt pensi tanti pastoris studium, ac excubias. 67.

Secundò obseruandum, vsitatam esse in Scriptura prolepsim, siue occupationem, quando nimirum claritatis gratiâ, aut ne eodem referenda sit narratio, aliquid ante suum tempus exponimus, quod docet Gregor. c. 1. Præfat. in Iob. *Sacra* (inquit) *Scriptura in superioribus suis partibus solet breuiter longè post sequutura perstringere, cùm studet ad alia subtilius enuncianda properare.* Per hanc figuram ante suum ordinem, & locum dicta sunt, quæ ad Christum pertinent, venditum vili, ac sordida triginta argenteorum mercede. Contigerunt enim illa longè post Antiochi tempora, de quibus hîc quoque sermo est. Sed claritatis gratiâ illa ante suum tempus commemorare oportuit, vt constaret omnibus quanti habita fuerit à Iudæis tam sedula opera, & tam prolixa benignitas. Neque fortasse necessarium erat ad prolepsim confugere, quia duæ istæ visiones, aut hieroglyphicæ figuræ coniunctæ non sunt, sed omnino diuersæ, quæ distinctos ordines, & successus portendunt. Et hæc postrema de pastore stulto, contigit, vt patet, post fractam vtramque virgam, id est, multis mensibus post priorem. 68. *Prolepsis usitata in Scriptura.*

Hinc iam aliqua se nobis ostendet lux ad co- 69.
D gnoscendum, & quis fuerit stultus hic pastor, & quorsum hoc loco de illo inductum vaticinium. Satis offensus videbatur Deus, quòd vtramque fregisset virgam, suóque arbitratui reliquisset peruicacem gregem: sed vlteriùs progressa est diuini pectoris offensio; permisit enim vt improbus, atque stultus pastor illum ageret, id est, vt est in Prouerbio, *ouem lupo commisit.* Fuisset enim actum cum grege meliùs, si pastorem habuisset nullum.

Ab hoc tempore, quo hæc prædicta sunt à 70.
Zacharia, & præsignata symbolo, varia fuére Iudæorum tempora: quorum primo, id est, vsque ad tempus Antiochi secundus fuit cursus, statúsque Iudaicæ Reipub. Tunc verò propter pastoris stultitiam conturbata ratio est, & ita collapsa, vt
E vix manserit antiquæ fortunæ, ac Religionis pertenue vestigium. Stultus autem hic pastor, vt reor, Iesus quidam fuit, vt dicit Iosephus *lib. 12. Ant. cap. 6.* postea vocatus Iason, qui ab Antiocho Rege pecuniis nō tam obtinuit, quàm emit summum Sacerdotium, id est, pastoris munus. Qui ne quid prioris status, ac Religionis retineret, nomen quoque gentilitium mutauit, & qui priùs Iesus *Iason stultus pastor.*

Iesus dicebatur, vt Græcus videretur, Iason vocari voluit. Hic totam Reipublicæ Iudaicæ formam peruertit, &, vt impium sibi esse liceret, aliísque impune infanda quoque patrare permitteret, pecuniis emit. Vide 2. *lib. Machab. c.* 4. vbi de hoc Iesu, siue Iasone. *Promittebat* (Antiocho Regi) *centum quinquaginta talenta, si potestati eius concederetur Gymnasium, & Ephebiam sibi constituere: & eos, qui Hierosolymis erant, Antiochenos scribere. Quod cùm Rex annuisset, & obtinuisset principatum, statim ad Gentilem ritum contribules suos transferre cœpit.* Et paulo pòst. *Etenim ausus est sub ipsa arce Gymnasium constituere, & optimos quosque ephebórum in lupanaribus ponere. Erat autem hoc non initium; sed incrementum quoddam, & profectus Gentilis, & alienigenæ conuersationis propter impij, & non Sacerdotis Iasonis nefarium, & inauditum scelus. Ita vt Sacerdotes iam non circa altaris officia dediti essent, sed contempto templo & sacrificiis neglectis festinarent participes fieri palæstræ, & præbitionis eius iniustæ: & in exercitiis disci: & patrios quidem honores nihil habentes, Græcas glorias optimas arbitrabantur.* Et paulo pòst idem Iason cum agon quinquennalis Tyri celebraretur, misisse traditur Tyrum trecentas didrachmas argenti in sacrificium Herculis.

71. Addit verò Iosephus *lib. 12. Antiq. cap.* 6. Iudæos tunc adduxisse præputia, ne nudi in ludis Græcis dissimiles viderentur. Hoc autem de præputiis etiam scriptum est 1. *Machab. c.* 1. *v.* 15. vbi obiter nota Iosephi incuriam, qui hæc quæ Scriptura tribuit stulto pastori Iasoni, ipse adscribit Menelao. Porrò, sicut præputij spoliatione auitam Religionem profitebantur Iudæi; sic adductum præputium abiuratæ illius Religionis testimonium, & professio erat. Quod primum omnium fecisse Esau ad abnegationem Dei, & vt suæ gentis characterem deleret, tradit Epiphanius lib. de ponderibus & mensuris ad medium. Hic ergo Iason vasa habuit stulti pastoris; nam cùm pietas cecidisset, multíque ad Gentiles ritus, & indecoram atque obscœnam turpitudinem se abiecissent, ipse gymnicos ludos, & Græcorum palæstram meditabatur. Quod sanè nihil est aliud, quàm dum iugulantur oues, stultum pastoré oblectare se fistula. Non longè dissimilia his quæ à Iasone facta diximus, ausus est Menelaus Sacerdos, qui non minùs perfidus, atque impius successit Iasoni, quem per fraudem à Sacerdotio depulit: hic enim & populum suum prodidit, & Religionem patriam, vt constat ex 2. *lib. Machab. cap.* 4. & 5. Quòd verò pastor stultus in singulari numero ponatur, non admodùm refert, cùm id sæpe in Scriptura per synecdochem contingat.

Cur Iudæi præputium adducant.

Esau primus author adducendi præputium.

72. Alij, vt dicit Theodoretus, Antiochum putant hunc fuisse pastorem. Arias Montanus Herodem existimat. Sed licet hi populum durè vexarint, non tamen videntur dici posse pastores, quia isti non fuerunt ex eo numero, qui communiter vocantur pastores Israël; quales sunt Sacerdotes, & hi præcipuè, in quos post captiuitatem dignitas Regia, ac Pontificia conuenerunt. Neque videntur isti pastores, de quibus Zacharias, alij fuisse ab iis, de quibus Ezech. capite 34. *Fili hominis propheta de pastoribus Israel: Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat, occidebatis; gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis: quod confractum, non alligastis: quod abiectum est, non reduxistis: & quod perierat, non quæsistis.* Eadem hæc dicuntur à Zacharia.

A Et sicut illic de pastoribus Israël sermo est, vt communiter Patres, id est, de his qui sunt ex semine Israël, & in ordine sublimioris; sic etiam hîc. Quare si à magis communi sententia, id est, ab ea, quæ in stulto pastore Antiochum agnoscit, recedendum esset, magis ego in Iasonem propenderem, qui Sacerdos fuit, & ex Sacerdotali genere, & omnium flagitiosissimè gregem prodidit: sed, vt dixi, cum pluribus sentiendum. Si quis pastorem hunc Cæsarem esse putet, non minùs probabiliter diceret, quàm qui Antiochum, aut Herodem putauerunt; nam illi lacerauerunt gregem, dissoluerúntque vngulas, ita vt iam amplius in antiqua septa non redierint; sed neque de hoc vaticinium esse puto.

B Hæc mihi satis verisimilia visa sunt, si de calamitate illata per Antiochum vaticinium istud intelligamus: si verò ad Romana referamus tempora, in quibus omnino deleta est Iudæorum Respublica, & eorum nomen tantùm ad ignominiam, & ludibrium relictum, etiam fuerunt stulti pastores, quales hîc à Zacharia describuntur, qui cùm se prouidos, & vigilantes simularent, intrinsecus autem, vt Christus dixit, erant lupi rapaces. Fuerunt autem Christi tempore, id est, non longè ab vrbe per Romanos excisa, Sacerdotes, & Scribæ externo quidem habitu Religiosi, & legis æmulatores, intrinsecus verò pleni dolo, atque rapina. Quos Christus eodem penè modo descripsit *Matth.* 23. & *Lucæ* 11. quo hîc Zacharias: nam quod hîc dicit; *derelicta non visitabit: dispersum non quæret: & contritum non sanabit*; apud Mat. sic expressit. *Reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium, misericordiam, & fidem.* Et clariùs apud Lucam. *Præteritis iudicium, & charitatem Dei.* Quod hîc, *carnes pinguium comedet*, apud Matth. *quia comeditis domos viduarum.* Quod hîc, *vngulas eorum dissoluet*, in Matth. *Qui clauditis Regnum cælorum ante homines; vos enim non intratis, neque introeuntes sinitis intrare.* Et infrà de proselyto, *Facitis eum filium gehennæ.* Quod verò de pastore stulto postea subdit: *ô pastor, & idolum*; sæpissimè à Christo Scribis, & Pharisæis obiectum est, dum illos appellat *hypocritas*, quæ vox propriè idolum est, quia propriè *histrionem* significat, id est, qui alienam personam agit, non suam. Quòd si de hoc tempore sermo esset, quod non videtur improbabile, de his potiùs Sacerdotibus, ac Scribis acciperem hunc locum, quàm de Herode, aut Imperatore Romano. Sed in priorem sententiam magis inclino de Iasone, aut de Iasone simul, & Menelao, quia statim capite sequenti Propheta confirmandos, & roborandos dicit esse Iudæos contra populos sibi priùs infensos, quod accidit post Antiochi cladé, & Iasonis, & Menelai perfidiam, tempore Machabæorum, nunquam verò post acceptam à Romanis plagam. Quæ ratio mihi persuadebat hoc vaticinium de Antichristo non esse intelligendum. 73.

C D

E *O pastor, & idolum.*] Quot incommoda sequuta fuerint huius stulti pastoris inertiam, atque perfidiam; si de Iasone, ac Menelao intelligas, satis perspicuum est ex libris Machabæorum, maximè *lib.* 2. *c.* 4. & 5. Si de Sacerdotibus, & Scribis, ex Iosepho, atque Hegesippi monumentis. Hunc ergo pastorem, quicunque est, optimè dicit idolum, quia in eo externa pastoris imago est, non animus, ac virtus. Qui, quocunque velis modo capere, gregem perdidit: tradidit enim & Antiocho spoliandum, aut Romanis, ornamentis, & vita, & multò crudeliùs diabolo lacerandum. 74.

Hypocrita, seu pastor simulatus.

Porro idolum vmbra quædam est, & imago, sed in qua spiritus non est, neque quicquam præter externam formam: in qua persæpe contingit, vt sint omnia contraria rei repræsentatæ. Quemadmodum si ex cupresso, aut cedro, quarum lignum amarum est (atque ideo, vt docet Vitruuius *lib.* 2. c. 9. non patitur penetrare cariem, aut eas bestiolas, quæ sunt nocentes) fanum fingas, aut pomum, in quibus nihil est amari: aut è plumbo volantem aquilam, aut è duro saxo lanam mollem. Sic etiam qui baculum gestat, & cætera pastoris insignia, si gregem non curat, sed potiùs lacerat, lanius est, & non pastor, sed pastoris idolum.

75. Pro *idolo*, Heb. est, האליל *haelil*, & est in genitiuo, quæ sic ad verbum reddo, *ó pastor idoli*, seu, *vanitatis*. Sed est idem sensus; quia dum stultus iste, vult pastor videri, id est, tueri in se speciem pastoris, pascit vanitatem, nempe inane nomen pastoris, quia eiusmodi monstrum nihil minùs quàm pastor est.

76. *Gladius super brachium eius, & super oculum dexte-* A *rum eius.*] Sunt qui putent hìc significari stulti vasa pastoris, scilicet, quia gladium gestat in brachio ad ouium cædem; gladium etiam in oculo, quia oculo etiam nocet; sicut in fascinatione contingit: vt enim est in prouerbio, *Oculus Domini impinguat equum*: sic contrà Tyranni oculus extenuat, & exhaurit. Sed communiter authores designari hìc putāt supplicium stulti pastoris. Quoniam verò in brachio potentia intelligitur, gladio brachium præcidi, erit potentiam eripi, & authoritatem. Quod ita contigit tam Iasoni, & Menelao, quàm Sacerdotibus, & Scribis: nam illis ab Antiocho, his à Romanis potestas, & authoritas erepta fuit. Super oculum dexterum gladius erit, quia illis prouidentia deerit, & sanum, atque vtile consilium, quod accidisse Iasoni, & Menelao tradit Iosephus suprà. Et Scribæ, & Pharisæi B hoc audierunt à Christo, dum vocati sunt cæci, & duces cæcorum, & in Christi morte ea machinati sunt, quæ à cæcis potiùs, & dormientibus, quàm à sanæ mentis hominibus, & vigilantibus excogitari poterant.

IN CAPVT DVODECIMVM

ARGVMENTVM.

PRINCIPIO graue vaticinium profertur contra Ierusalem: in cuius oppugnatione, ac vastitate populi omnes experientur, ostentabúntque quantùm viribus, atque arte possint. Deinde minas conuertit in populos qui contra Ierusalem vires exeruerunt; quos grauiter conculcandos, atque opprimendos dicit: promittitque populo Iudaico auxilium tam potens, vt eo confirmatus sic hostes conficiat, sicut ab igne consumi solet arida materia, & tam illustre, & clarum, vt nemo ex Ducibus Ierusalem ex ea victoria quicquam suis viribus, ac industriæ arrogare possit. Promittit deinde longè maiora beneficia in Euangelij tempus, spiritum nempe gratiæ, ac precum. Nihilominùs ingratus ille populus, & tantæ humanitatis immemor auctorem, & vindicem suæ libertatis, & gloriæ in cruce configet. Ad extremum grauem planctum describit, quo vel se Iudæi dira percussi plaga, aut Christum à se confixum amarè prosequentur.

CAPVT XII.

1. *ONus verbi Domini super Israël. Dicit Dominus extendens cælum, & fundans terram, & fingens spiritum hominis in eo.*

2. *Ecce ego ponam Ierusalem superliminare crapulæ omnibus populis in circuitu: sed & Iuda erit in obsidione contra Ierusalem.*

3. *Et erit: in die illa ponam Ierusalem lapidem oneris cunctis populis. Omnes qui leuabunt*

PARAPHRASIS.

C 1. VAticinium graue contra eos, qui ex omnibus tribubus ab exilio conuenerunt in Ierusalem. Hæc dicit Dominus qui cælos expandit sublimes, & terram deorsum suis librauit, fundauítque momentis; à quo homines habent vt spirent, & viuant.

2. Ecce ego faciam vt Ierusalem omnibus populis prædæ sit: in qua non aliter furorem suum sanguine, & auaritiam exuuiis expleant, quàm explere sitim ebriosi solent in vinaria taberna: in cuius limine propotii solet hedera, aut aliud signum, aut symbolum venalis vini. Neque solùm ab externa vi vexabitur Ierusalem, sed etiam D à ciuibus, atque domesticis, qui contra illam cum hostibus consilia, manúsque coniungent.

3. Tunc autem omnes populi quantùm virium, atque potentiæ habeant, contra Ieru

Digitized by Google

bunt eam, concisione lacerabuntur, & colligentur aduersus eam omnia Regna terræ.

4. In die illa, dicit Dominus, percutiam omnẽ equum in stupore, & ascensorem eius in amentia: & super domum Iuda aperiam oculos meos, & omnem equum populorum percutiam cæcitate.

5. Et dicent Duces Iuda in corde suo: Confortentur mihi habitatores Ierusalem in Domino exercituum Deo eorum.

6. In die illa ponam Duces Iuda sicut caminum ignis in lignis, & sicut facem ignis in fœno, & deuorabunt ad dexteram, & ad sinistram omnes populos in circuitu, & habitabitur Ierusalem rursus in loco suo in Ierusalem.

7. Et saluabit Dominus tabernacula Iuda, sicut in principio, vt non magnificè glorietur domus Dauid, & gloria habitantium Ierusalem contra Iudam.

8. In die illa proteget Dominus habitatores Ierusalem, & erit qui offenderit ex eis in die illa, quasi Dauid: & domus Dauid, quasi Dei: sicut Angelus Domini in conspectu eorum.

9. Et erit in die illa: quæram conterere omnes gentes, quæ veniunt contra Ierusalem.

10. Et effundam super domum Dauid, & super habitatores Ierusalem spiritum gratiæ, & precum: & aspicient ad me, quem confixerunt.

Et

A Ierusalem experientur, ostentabúntque non aliter quàm robusti iuuenes in lapide, aut disco explorare solent quantum viribus, aut arte possint. Sed tandem vbi aliquandiu contra Ierusalem potentes fuerint, & hostiliter bacchati, ab ipso, quod eleuauere, pondere opprimentur, opprimentur, inquam, omnia Regna terræ vndecunque collecta contra Ierusalem.

4. Eo verò tempore, dicit Dominus, B quo exigam pœnas à populis qui hostili animo vexauêre Ierusalem, percutiam equum, & ascensorem eius adeò grauiter, vt stupidi, & amentes sine consilio, ac sensu præcipites ferantur ac deuij. Cùm verò illi præcipites errabunt, & cœci, populum Iuda mitioribus oculis ad salutem respiciam.

5. Cùm Iudaici populi Dominus aperuerit oculos, tunc illum Duces & Principes supplices orabunt, vt vires, & animos addat ciuibus Ierusalem.

6. Quod Deus ita largè præstabit, vt C hostibus deinceps sint quod ligno arido caminus, aut ignis stipulæ, ac fœno. Quare à dextris, & à sinistris quocumque se verterint, percutient, & sternent populos in circuitu. Et Ierusalem verè iam erit Ierusalem, id est, similis erit sibi ipsi: redibit enim ad antiquam gloriam, & ciuium frequentiam.

7. Et sicut antea Deus populum Iuda ita magnificè seruauit ab hostibus, vt salus, & victoria ipsius adscriberetur potentiæ; sic nunc adeò erunt aperta diuini auxilij, atque præsentiæ signa, vt qui domui D Dauid, ac Regno præsunt, quique gloria sunt eorum, qui habitant in Ierusalem, sibi ac suis victoriam arrogare non audeant eóque nomine Iudæi reliquis se præferendos putent.

8. Eo enim die sic Dominus proteget ciues Solymitanos, vt qui in ipsis infirmus fuerit, & aliquando ab hoste superatus, sit instar Dauid, audax & strenuus, & qui fuerint eiusmodi, vt filij Dauid propter animi præstantiam, & robur dici potuerint, multiplicatis à Domino viribus erunt quàm simillimi illis, qui sunt de do- E mo Dei, id est, Angelis, qui Dei ministri sunt.

9. Quo tempore statui conterere quotquot contra Ierusalem aliquid molientur.

10. Sed erunt postea beneficia longè illustriora, dicit Dominus: infundam enim super domum Dauid, reliquósque Ierosolymorum ciues spiritum gratiæ, quo grati sint mihi, & spiritum precum, quo,

 quia

Digitized by Google

A quia à me omnia profecta esse norunt, à me plura petant. Sed ô diræ mentis consilium insanum! aspicient in me, confugiéntque supplices auxilij gratia, cùm grauibus prementur incommodis; quem tamen deinde immemores officij, & gratiæ in cruce configent.

Et plangent eum planctu quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum, vt doleri solet in morte primogeniti.

Nunc iam à Christo in cruce confixo, ad Iudæ Principes redeo, & Duces Ierusalem, qui affecti illis incommodis, à quibus per me, cùm spiritum gratiæ, & precum acceperint, salutem orabunt, lugebunt super se adeò miserabiliter, sicut B lugeri solet à parentibus primogeniti, aut vnigeniti mors.

11. *In die illa magnus erit planctus in Ierusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Maggedon.*

11. In die illa talis erit planctus in Ierusalem, qualis olim fuit Adadremmon in campo Maggedon in Iosiæ funere.

12. *Et planget terra: familia & familia seorsum; familia domus Dauid seorsum, & mulieres eorum seorsum.*

12. Planget autem tota terra Iuda; omnes familiæ seorsum inter se, & in singulis viri separatim à fœminis: quia singulis erit propria, & grauis plorandi materies. Plorabunt in familia Regia Dauid.

13. 14. *Familia domus Nathan seorsum, & mulieres eorum seorsum. Familia domus Leui seorsum, & mulieres eorum seorsum. Familia Semei seorsum, & mulieres eorum seorsum. Omnes familiæ reliquæ, familia & familia seorsum, & mulieres eorum seorsum.*

C 13. 14. Et in familia prophetali Nathan, & in Sacerdotali Leui, & in doctorali, siue literata Semei; & in omnibus denique aliis viri seorsum à fœminis lamentabuntur.

Vers.1. *Onus verbi Domini super Israël.*]

ONvs, vt à nobis alibi pluribus ostensum est, Prophetia est, quæ aliquid durum, & hostile denunciat. Porrò *Israël* pro tribubus sumitur à captiuitate restitutis, vel ad patrias sedes ex variis regionibus collectis. Vt enim alibi docuimus, ex omnibus tribubus plurimi Hierosolymam redierunt.

Deus sumit nomina rebus accommodata.

1. *Dixit Dominus extendens cælum, & fundans terram, & fingens hominis spiritum.*] Vsitatum est in sacra Scriptura, vt cùm Prophetæ aliquid grande, difficiléque creditu dicturi sunt, priùs ostendant potentissimum esse Deum, addántque plerumque illam Dei proprietatem, quæ magis rei verisimilitudinem ostendit: vt docet Chrysostomus D hom.1.in posteriorem ad Corinth. Quare interdum dicitur *Deus exercituum*: interdum *refugium, & firmamentum*: interdum *illuminatio*, pro rerum illarum diuersitate, vel quæ postulantur à Deo, vel hominibus necessariæ sunt. Hoc verò loco accommodatè dixit Deum auctorem esse cæli, & terræ, & formatorem hominis: quia qui formauit hæc, facilè eadem conuertere, & suo arbitratu versare poterit. Eisdem pene verbis vsus est Isaias *cap.42.* in materia non adinodùm dissimili. *Hæc dicit Dominus creans cælos, & extendens eos: creans terram, & quæ germinant ex ea: dans flatum populo, qui est super eam; & spiritum calcantibus eam.*

2. Vers.2. *Ecce ego ponam Ierusalem super liminare crapulæ omnibus populis in circuitu.*] Existimo totum istud caput spectare excidium, & calamitatem Ierusalem, comparatam præsertim ab Antiocho: & quemadmodum quæ collapsa videbantur externorum, ac domesticorum improbitate, vi per Machabæos sint restituta: nam de Romanis agitur extremo capite, quorum extremam expeditionem antecessit Christi mors, de qua statim *cap.13.* In explicando verò quid sit hoc superliminare crapulæ, & lapis oneris, mirè variant Interpretes. Hieronymus ideo superliminare crapulæ futurum dicit in Ierusalem; quia omnes populi, qui illam attigerint, quasi ebrij corruent; & illum plures alij sequuntur. Et facit ad hæc, quòd ebrij in sacra Scriptura dicuntur, qui magna clade, aut incommodis ab aliis vexati, seu concisi sunt. Isai.51. *Consurge Ierusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ eius vsque ad fundum.* & infrà: *Audi paupercula ebria, & non à vino.* Vide quæ diximus in illum Isaiæ locum. Idem pene cap.29. & Ierem. cap.25. *Bibite, & inebriamini, vomite, & cadite: neque surgatis à facie gladij.* Albertus existimat Ierusalem omnibus patentem futuram, sicut ad crapulam, in hunc sensum; quemadmodum vinaria taberna cuilibet est proposita, ad quam omnes liberè, & auidè concurrunt; sic Ierusalem omnium cupiditati, atque iniuriæ fore proponendam. Alia expositio sumi posset ex translatione LXX. qui ita reddunt. *Ecce ego pono Ierusalem sicut superliminaria, quæ mouentur.* Quæ sic explicat Theodoretus: *vrbem similem faciam superliminaribus commotis, & ruinam agentibus.*

Ebrietas pro calamitate.

Digitized by Google

agentibus. Sed fortasse iuxta LXX. alia posset esse sententia, quæ magis cum vulgatæ versione consentiret. Ita nutabit Ierusalem, & quasi rotabitur ab armis populorum, qui in circuitu sunt, sicut rotari, ac circumagi videntur tecta temulentis.

3. Vbi vulgatus, *superliminare crapulæ*, Heb. סף רעל *saph raal*, quod Hebræorum magistri vertunt, *crater veneni*. Chaldæus, *vas plenum amaritudinis*. Quod etiam faciunt quidam è recentioribus, vt Vatablus, & Pagninus. Quæ translatio plurimùm fauet sententiæ Hieronymi, in qua non tam minæ proponuntur Hierosolymæ, quàm iis qui contra eam arma comparauerint. Indicat enim futuram Hierosolymam gentibus, quasi scyphum crapulæ, aut veneni, quem vbi populi biberint, id est, vrbem oppugnauerint, non aliter nutabunt, ac corruent, atque ij, quos vini potestas mente commouerit.

4. *Has Prophetia contra Ierusalem.* Mihi in re obscura si diuinandum est, & ex adiunctis sumenda coniectura, videtur non tam hîc agi de felicitate Ierusalem, eiúsque de hostibus victoria, quàm de ipsius calamitate, quam grauissimam tam ab externis, quàm à domesticis hostibus esset acceptura, maximè Machabæorũ tempore: nam primùm id suadet illud; *Onus verbi Domini super Israël.* Quod sanè non tam fauet, quàm minas ostentat Israeli: deinde, quia eam sententiã omnino indicat versio LXX. & tenet expressè Theodoretus; & Cyrillus aliquid aduersum hîc agnoscit; & ita omnino cum Cyrillo sentire debent qui hæc spiritualiter accipiunt de Ecclesia à Gentibus impugnata. Neque Hieronymus totus abit ab hac sententia: nam statim, dum explicat illud, *Ponam Ierusalem quasi lapidem oneris*, idem sentit. Dicit enim leuandam esse Ierusalem à Gentibus quasi lapidem, vastandámque; deinde Gentes daturas cladis illatæ pœnas. Neque incommodat huic sententiæ aut calicis, aut crapulæ metaphora: licèt enim calix propinatus aliis incommodi aliquid ac doloris significet, interdum tamen indicat alicuius in re maximè desiderata expletum desiderium; aut venisse aliquem in rei maximè optatæ possessionem; iuxta illud Psal. 15. *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei.* Et est forma linguæ sanctæ familiaris *inebriare se*, pro explere se; aut suæ cupiditati satisfacere. Psal. 35. *inebriabuntur ab vbertate domus tuæ.* Aggæi c. 1. *comedistis, & non estis satiati; bibistis, & non estis inebriati.* Et quæ sequuntur statim multo magis confirmant hanc sententiam.

Quid ebrietas in Scriptura.

5. *Et Iuda erit in obsidione contra Ierusalem.*] Quemadmodum Iudæorum multi cum externis in patriam conspirarint sub tempora Machabæorum, & vt pactum nefarium contra Religionem inierint cum Gentibus, satis constat ex libris Machabæorum, præsertim *lib. 2. cap. 3. 4. 9.* & ex Iosepho *lib. 12. Antiq.*

6. *Lapis oneris.* Vers. 3. *Ponam Ierusalem lapidem oneris.*] Eodem ferme modo exponit Hieronymus, & alij pene omnes, qui superiorem locum de victoria Iudæorum accepêre. Dicit autem Hieronymus suo etiam tempore esse in omnibus vrbibus, oppidis, & viculis Palæstinæ rotundos lapides grauissimi ponderis, ad quos iuuenes exercere se solent, & eos pro virium mensura, magis ac minùs subleuare, & eiusdem formæ visam à se dicit æneam sphæram Athenis, accepisséque à ciuibus Athletarum in illa massa fortitudinem probari. Putat ergo Hieronym. hunc esse sensum; in Ierusalem, quasi in lapide oneris periculum facturas esse Gentes omnes suarum virium; deinde verò eidem succumbentes lapidi, oppressum iri; & reuera ita contigit: nam qui Ierusalem variis vexarunt incommodis, postea à Machabæis iidem malè mulctati graues dederunt audaciæ suæ, & impietatis pœnas.

Septuaginta aliter vertunt; *Ponam Ierusalem quasi lapidem, qui conculcatur à cunctis gentibus.*] Et iuxta hanc versionem dicit Theodoretus, conculcandam esse Ierusalem, quia lapidem angularem, de quo *Isai. cap. 28.* Iudæi reprobauerunt, & conculcauerunt. Quare hæc videtur referre non ad Antiochi, sed ad Romanorum arma. 7.

Et colligentur aduersus eam omnes gentes terræ.] Hinc colligit Ribera sermonem hoc loco non esse de Ierusalem, sed de Ecclesia: illam enim non omnes gentes; hanc verò vbique terrarum omnes gentes insectatæ sunt. Sed meminisse debuit eius regulæ, quam tradit Hieronymus in illud Isai. cap. 13. *vt disperdam omnem terram.* vbi docet idioma esse Scripturæ, vt omnem terram eius intelligat prouinciæ, de qua sermo est. Vide quæ notauimus ad illud Act. 2. *ab omni natione quæ sub cælo est.* Omnes ergo gentes terræ intelliguntur illæ, quæ in Palæstina sunt, aut in vicinis locis. Quæ omnia contigerunt sub Machabæorum tempora. 8.

Hæc quæ hactenus dicta, magis communia sunt, atque ideo magis mihi probabilia. Sed adiiciam expositionem, quæ ideo mihi probatur minùs, quoniam ab authoribus nuda: fieri tamen potest, vt alicui placeat. Et sanè in rebus obscuris multa tentare licet. Diximus superiori capite probabile videri, stultum illum pastorem, cuius vasa portauit Zacharias, esse Iasonem, aut Menelaum Sacerdotes, qui eò vsque progressi sunt impietatis, vt sublata patria Religione in vrbem sanctam Græcorum superstitionem inuexerint. Vide quæ suprà diximus *cap. 11.* ad illud: *vasa pastoris stulti.* vbi posita dicitur Ephebia, & optimi quique iuuenum prostituti. Ad hanc igitur Græcam turpitudinem spectare puto præsens vaticinium. Pro qua sententia aliqua nobis statuenda sunt. 9.

Primum, moris esse apud omnes ferme nationes, vt in ipso limine stemmata quædam, aut insignia nobilitatis, ordinis, aut artis proponerentur: quia limina primùm occurrebant hominum oculis. Quod vsque adeò curæ fuit antiquis, vt publica loca, quantumuis sordida, ac turpia, coronarent, certísque notis insignirent. Ita Tertull. de corona militis in fine. *A sæculo* (inquit) *coronantur & lupanaria, & latrina, & pistrina, & carcer, & ludus, & ipsa amphitheatra, & ipsa spoliaria, ipsaq́; Lybitina.* Et lib. de pudicitia titulum propositum esse dicit in meretricis cellæ ianuis sub ipsis libidinum titulis. Sed etiam vsitatum apud Hebræos in superliminaribus symbola quædam, aut signa ponere, aut Religionis, aut generis, satis ex Scriptura liquet. Et vt omittam superliminaria Hebræorum tincta fuisse agni sanguine, qui genus, & Religionem indicaret, certè ab illis imagines, aut symbola idolorum quæ prodita Religione patria colebant, in ianuis, & superliminarib. ponebantur. Isai. 57. *post ostium, & retro postem posuisti memoriale tuum.* Sanè in porta Aquilonari templi positum esse idolum Zeli, seu, vt alij vertunt, Baal, dicit apertè Ezechiel cap. 8. *Ecce ab Aquilone portæ altaris: idolum Zeli in ipso introitu.* Et in ostiis domus inscripta fuisse præcepta diuina constat perspicuè Deut. 6. *scribésque ea* (nempe præcepta) *in limine, & in ostiis domus tuæ.* 10.

In limine signa nobilitatis, ordinis, aut artis proponi solita.

Iuxta

Templum libidinum diuerticulũ.

11\. Iuxta hæc puto superliminare crapulæ, aut craterem vini, vt textus habet Hebraicus, positum esse in Ierusalem, aut in publicis, frequentibusque locis, aut certè in ipso templo: quia in ciuitate multa erant vtriusque sexus libidinum diuerticula; & ipsum templum mutatum fuerat in execrabile prostibulum. Nam, vt traditur 2. Machab. cap.6. *templum luxuria, & comessationibus Gentium erat plenum, & scortantium cum meretricibus, sacratisque ædibus mulieres se vltrò ingerebant, intrò ferentes ea, quæ non licebat.* In templis autem Gentilium publica agitari conuiuia docet Aristoteles *lib.7. Politic. cap.12. & Iudic.cap.9. ver.17.* Sichimitæ in fano Dei sui Berith inter epulas, & pocula maledicebant Abimelech. In idoliis, id est, Deorum templis instrui mensas, & obiri conuiuia frequenter, indicat Paulus 1. *Cor.8. ver.10.* Quin in eisdem templis esse libidinum diuersoria, docent non solùm authores nostri, vt Arnobius, Minucius, Augustinus, sed etiam Gentiles: & suadet dæmonum, quibus illa templa sunt excitata, deprauata natura, qui obscœnis delectantur. Quare existimo illo Machabæorum tempore iuxta Gentilicos ritus obscœnos, & sordidos, templum Solymitanum popinis, & scortationibus seruiisse. Scyphus autem, aut aliquod aliud symbolum ebrietatis, aptissimum quoque symbolum est Venereæ intemperantiæ. Quare *Apoc. cap.17.* fornicaria fœmina cum aureo poculo describitur *plena abominatione, & immunditia fornicationis.* Existimo ergo in lupanaribus, atque adeò in ipso quoque templo propositum esse scyphum lupanarium, aut alterius intemperantiæ, quæ est à vino, commune symbolum; qui significaret domum illam sacratam esse Veneri, aut Baccho. Sicut in officinis aut apothecis proponi solent earum rerum signa, quæ prostant venales. Adde, quòd Herculi, & Baccho eodem etiam tempore sacrificauerunt Iudæi. De Hercule constat 2. *Machab.cap.4.* de Baccho ibidem cap.6. *Ducebantur, inquit, cum amara necessitate in die natalis Regis ad sacrificia, & cùm Liberi sacra celebrarentur, cogebantur hedera coronati Libero circuire.* Et quidam è Iudæis qui in censum sua nomina retulissent, eóque testimonio seruos se Regis Ægyptiorum essent professi, suæ seruitutis insigne habuerunt hederaceum Bacchi folium suis corporibus inustum. Vtriusque verò tam Bacchi, quàm Herculis symbolum fuit scyphus: de Baccho satis notum; de Hercule probat, signum Herculis Epitrapezij, de quo Martialis *lib. Epig.* & Statius *in sylua*; & Virg. *lib.8. Æneid.* cùm ageret de Herculis sacris, inter alia Herculis insignia scyphum adhibuit.

Scyphus Herculi, & Baccho sacer.

——— *Herculea bicolor cum populus vmbra*
Velauitque comas, foliisque innexa pependit:
Et sacer impleuit dextram scyphus.

12\. Posita ergo sunt superliminaria crapulæ, id est, crapulæ symbolo notata omnib. populis: quia ad Ephebiam, sacráque Bacchi nuper instituta non segniùs, aut infrequentiùs confluebant vicini populi, quàm ad Olympiacos ludos, aut Nemæos. Neque deest aliquod in Scriptura vestigium: nam 2. *Machab.cap.4.* vbi vulgatus habet, *optimos quosque epheborum in lupanaribus ponere.* Græcè est ὑπὸ πέτασον, quæ vox redditur *velum*, ab Interprete: sed etiam *poculum* significat, vt ex Eratosthene docet Athenæus *libro 11. cap.17.* Quare, vt is qui translationem Græcam Latinam facit, reddit *sub velum*; quia meretrices, & meritorij iuuenes velum suæ turpitudini prætendebant: sic etiam *sub scyphum* vertere potuisset, quòd id quoque significat πέτασος. Neque dura esset aut inusitata locutio, quia signum pro re significata poni satis est frequens. Vertit autem vulgatus propriè *lupanar*, quod figuratè L X X. dixère πέτασος, siue ille velum sit, siue scyphus.

Illud verò, *lapidem oneris*, discum esse puto, non quidem metaphoricè, vt cum Hieronymo communiter censent alij: sed propriè; nam reuerà eo calamitoso, & profano tempore, quo præfuit populo pastor stultus Iason, & Menelaus, instituta fuit palæstra, vbi exercerent se Iudæi Græcis hominib. permixti, tum aliis gymnicis ludis, tum maximè disco. Sic enim 2. Machab. cap.4. *Erat autem hoc non initium, sed incrementum quoddam, & profectus Gentilis, & alienigenæ conuersationis propter impij, & non Sacerdotis Iasonis nefarium scelus: ita vt Sacerdotes, &c. festinarent participes fieri palæstræ, & præbitionis eius iniustæ, & disci.* Exercebantur autem Gentilium more nudi, quod horrebant olim Hebræi: nam, vt tradit Iosephus *lib. 12. cap.6.* eo consilio Iudæi illo tempore adduxère præputia, ne cùm nudi in Gymnasium inter Græcos prodirent, illis dissimiles viderentur; vsque adeò inuerecunda erat ludentium species. Quemadmodum Græci nudi se exercerent in palæstra, vide Dionysium Halicar. *lib.7. Rom. Antiq.* Pausaniam *lib.5. Philostratum in Vita Apollonij.* Quod etiam à Romanis in quibusdam sacris fieri solitum tradit Ouidius 2. *Fastorum*, & Plutarchus *in Vita Antonij.* Quæ morum licentia ad fœminas etiam peruasit, quæ nudæ cum nudis hominibus certabant; idque ex instituto Platonis, vt tradit Eusebius *de Præpar. lib.3. cap.12.* Vide Chrysostomum *homil.6. in Matth. ad finem.* Et mihi satis est verisimile idem fuisse in ciuitatem inductum, quandoquidem templum eo tempore plenum fuisse dicitur meretricibus. Est autem discus, de quo nobis nunc opera, non solùm vas latum, & idoneum ministrandis cibis, sed etiam massa quædam rotunda, seu globus ex ferro, plumbo, aut saxo, quo adolescentes vires explorabant, siue eleuando, siue iactando. Ita Eustathius *in lib.2. Iliad.* ad illud, δισκοῖσιν τέρποντο. vbi dicit, δίσκος ἐστὶ βαρὺς λίθος, id est, *discus est grauis lapis*, qui à nostro vulgato dicitur, *lapis oneris*, eodem sensu: qualis erat quem Hieronymus vidisse se dixit in omnibus oppidis Palæstinæ. Et idem docet Hesychius, qui vocat λίθον σφαιροειδῆ, id est, *lapidem rotundum.* Vide Hieronym. Mercurialem de re gymnastica, vbi multa de disco. Hæc etiam expositio locum habet in Romanorum temporibus: nam, vt tradit Iosephus *lib.15. cap.11. de Ant.* instituta fuerunt ab Herode gymnasia, theatra, & amphitheatra, ad quæ vndecumque magna hominum frequentia concurrebat. Hæc mihi tam de superliminari crapulæ, quàm de lapide oneris dici posse videbantur non improbabiliter; sed in priorem sententiam libentiùs feror, quia patronos habet nobiles, à quibus hæc nostra posterior nuda est. 13.

Lapis oneris discus.

Omnes, qui leuabunt eum, concisione lacerabuntur.] Hæc ad posteriorem sensum non videntur difficilè accommodari posse, hoc modo: omnes qui lapidem illum oneris leuauerunt, siue Græci fuerint, siue Iudæi, Græcæ superstitionis in ciuitatem sanctam inductæ, & ciuitatis profanatæ pœnas dabunt; stabunt scilicet illis cari alteres, & disci: suo enim pondere opprìment eos, qui leuare tentabunt. Hoc autem loco moralis causa naturam imitatur Physicæ, vt enim communiter dicitur mercator ab auaritia 14.

ritia demersus, quia pecuniæ cupiditate adductus fuit, vt mari se committeret, vbi naufragium fecit: & *Iud.* 19. Leuitæ concubina dici potest perdidisse Benjamin, quia illa libidinosè violata Israelitarum animos in vindictam accendit; & à peccatis dicitur diluuio periisse mundus, quia eis prouocatus Deus diluuium inuexit. Sic nunc lapis ille oneris opprimet, quia propter Gentiles ludos à nudis hominibus inuerecundè obitos, discúmque peregrino ritu in ciuitate sancta versatum offensus Deus gentem illam mulctabit cæde, aut exilio, aut aliqua alia ignominia duriori. Et ita sanè contigit; nam gentes, quæ ciuitatem ingressæ, ibi obscœnis ludis impudenter bacchatæ sunt, à Machabæis exagitatæ, atque concisæ fuerunt. Item Iudæi, qui barbaros ritus imitati Græcis superstitionibus adhæsère. Vide 2. *lib. Machab. cap.* 6. In aliorum sententia facilem habet explicationem hic locus, si ibi notam addas similitudinis, hoc sensu. Erit Ierusalem sicut lapis oneris, quem ita versat, aut subleuat homo, vt eius pondere dum vires ostentat, frangatur, aut opprimatur. Quod sæpe accidere solet in arroganti, atque inani virium ostentatione.

Equus, & ascensor pro omni bellico apparatu.

15. Vers. 4. *In illa die, dicit Dominus, percutiam omnem equum in stuporem.*] Hîc iam ostendit Propheta quomodo, & quibus viribus frangenda sit illa impiorum potentia, & tollendæ sordes illæ peregrinæ, quæ ciuitatem fœdauêre Græca superstitione. Hîc verò notandum, equum, & ascensorem sumi pro omni bellico apparatu, atque ideo hæc duo in Scriptura sæpe coniungi. Exod. 15. *Equum, & ascensorem proiecit in mare.* Iob 39. *Deridet equum, & ascensorem eius.* Aggæi 2. *Equi, & ascensores eorum.* Quàm verò tempore Machabæorum percussæ fuerint Gentes in stuporem obiectis terribilibus spectris, aut alio quouis modo incusso pauore, satis constat ex 2. *lib. Machab.* variis locis, quæ nos suprà adduximus *cap.* 9. ad illud, *Dominus Deus super eos videbitur.* Præterea in illa die significari tempus longius, à nobis probatum est suprà cap. 5. ad illud, *hodie quoque.*

16. *Et super domum Iuda aperiam oculos meos.*] Quo tempore tam grauia hæc acciderint incommoda, miserebor, inquit Dominus, populi Iudaici, & ad stuporem vsque percutiam inimicos, ita vt quid faciant nihil sanum, aut certum occurrat. Nam subitus motus, ac timor deliberandi facultatem eripit, sicut accidit Philistæis. *Iud. capite* 15. qui cùm ingentem plagam accepissent à Samson stupentes suram femori imposuerunt, & hoc est quod statim subiicit, *& omnes equos populorũ percutiam cæcitate*, seu quia illis erepta mens est, seu quia consilium inierunt in instruendo, inferendóque bello suis rationibus non opportunum.

17. *Equos* puto pro equitibus sumi, & videtur allusum ad tempus Elisæi; quando equites Syriæ in medium plateæ Samariæ cæci deducti sunt, id est, inter medios hostes. Subauditur autem nota similitudinis: sicut olim equites Samariæ percussi cæcitate, sic, &c. Eo ergo tempore, quo alij cæci, & amentes errabunt, Dominus aperiet oculos suos super domum Iuda, quam neglexisse videbatur, & inimicorum armis tradidisse.

18. Vers. 5. *Et dicent Duces Iuda in corde suo; confortentur mihi habitatores Ierusalem.*] Hieronymus Duces Iuda illos esse putat, qui cum hostibus oppugnabāt Ierusalem; qui meliùs iam in patriam animati optant, vt forti sint animo. Alij de Ducibus intelligunt, qui populo præerant Iudaico, quique postea debellatis hostibus genti suæ saluti fuerunt. Et hoc mihi videtur magis expeditum. Illud autem, *confortentur mihi habitatores Ierusalem*, videtur oratio, qua Duces salutem à Domino precabantur, vbi obseruandum est primum effectum diuinæ misericordiæ postquam oculos super populum suum aperuit, fuisse spiritum gratiæ, & precum, vt statim dicit; nempe vt animos excitent ad spem libertatis, eámque à Domino impetrare contendant. Et hoc magis indicat translatio Aquilæ, quæ sic habet, vt refert Hieronymus; *Conforta mihi habitatores Iuda.* Neque ea displicet Hieronymo. Et quidem ita accidit; nam oratione sæpe se populus communiuit contra hostiles acies: & sine dubio ita contigit, licèt id in Scriptura expressum non habeamus, cùm primùm Mathathias contra Antiochi imperium Iudæos commouit. Hæc autem verba orationem indicant & preces, quando aliquid videntur optare, idque tacitè in corde.

Spiritus precum ex primis effectibus diuinæ misericordiæ.

19. Vers. 6. *In die illa ponam Duces Iuda sicut caminum ignis, & sicut facem ignis in fœno.*] Duces sibi prostratos, ac supplices sic corroborauit Deus, vt exigua militum manu innumerabiles hostium copias ea facilitate deleuerint, qua exigua scintilla magnam copiam aridæ materiæ consumit. Hæc satis nota sunt ex Machabæorum libris. Est autem apud Hebræos Prouerbialis figura; *Ignis ad stupam*, seu, *ad fœnum*, vt constat ex Abdia, & Isaia *cap.* 1. qua significamus aliquid ab alio nullo negotio deleri posse.

20. *Et habitabitur Ierusalem rursus in loco suo in Ierusalem.*] Septuaginta vertunt: *Et habitabitur Ierusalem adhuc in se ipsa.* Sed est sensus idem; nam, vt alibi pluribus ostendimus, sæpe antecedens repetitur loco relatiui: sed in ea repetitione epitasim esse puto. Antiochi tempore, vt vidimus, sic Ierusalem à se ipsa defecerat, dum idolis seruit, dum templum libidinibus, omnium oculos obscœnis spectaculis incestat, vt non Ierusalem diceres, sed Babyloniam, aut Sodomam; faciet tamen Deus restituta Religione, ac purgato templo per Machabæos, vt Ierusalem sibi ipsi, id est, suo nitori, atque sanctitati restituatur. Est autem vsitatum hoc loquendi genus in magna rerum mutatione. Si Roma v.g. à sua nobilitate defecit, Romam iam non esse Romam: si ab eo statu ad priorem gloriam, & virtutem rediit, Romam iam esse Romam dicimus. Quod in causa non admodùm dissimili dixit Martialis in Amphitheatro, *Epigr.* 2. de Roma ab Imperatore Domitiano restituta. *Reddita*, inquit, *Roma sibi est.* Sic hoc loco dicitur habitanda Ierusalem in Ierusalem, id est, in eo statu, in quo tunc erat quando verè dici potuit Ierusalem, id est, ciuitas pacis, aut ciuitas sancta.

Anima sibi restituta per pœnitentiam.

21. Vers. 7. *Vt non magnificè glorietur domus Dauid, & gloria habitantium Ierusalem contra Iudam.*] Genus victoriæ, quam sæpe Machabæi reportarunt ab hostibus, satis indicat cæsos esse hostes non tam humanis viribus, quàm diuina potentia: sæpè enim non obscuris signis, atque prodigiis Deus ostendit pugnare se pro Machabæis. Ne igitur domus Dauid, id est, Duces, qui vel ex familia Dauid orti erant, vel qui Dauidis quondam Regnum administrabant (nam de genere ac tribu Machabæorum non disputo, vide quæ diximus cap. 10. ad illud, *& domum Ioseph saluabo*) suæ

Victoria à Deo.

suæ virtuti victorias adscriberent, eóque nomine intolescerent, suæ potentiæ illud opus esse significauit Deus. Secundi hemistichij eamdem existimo esse sententiam, ita vt gloria habitantium Ierosalem sumatur pro principibus. Faciet ergo Deus, ne qui gloriosi sunt, & Principes in Ierusalem, contra reliquam multitudinem Iuda inanes sumant spiritus, quando manifestis indiciis omnes intelligẽt victorias partas esse ope diuina.

22. Vers. 8. *Et erit qui offenderit ex iis in die illa, quasi Dauid.*] Felicitatem indicat Iudaici populi iam ad antiquam gloriam restituti: dicit enim eos, qui offenderint, id est, qui infirmi fuerint (vt vertunt L X X. & exponit Hieronymus in Commentariis) futuros sicut Dauid fortes, strenuos atque gloriosos.

23. *Et domus Dauid quasi Dei.*] Locus hic difficilis est, neque facile iudicatu, an illud *Dei* in genitiuo sit, aut in nominatiuo plurali. Septuaginta in genitiuo ponunt τοῦ θεοῦ, & ita accipit Hieronymus, & alij communiter: & ita censeo dicendum; & tunc sensus erit. Qui fuerint de domo Dauid, id est, digni tanto progenitore, quos nempe Dauid ex suo sanguine prognatos agnoscat, hi erunt quasi de domo Dei, id est, tanquam illi, qui sunt de domo Dei. Qui verò sint isti statim explicat cùm addit; *sicut Angeli Domini in conspectu eorum.* Angeli ergo dicuntur esse de domo Dei, & quia Deo astant, & quia Dei nuncij sunt, qui præire solent castra populi Dei tanquam strenui Duces, & bellatores. Exodi 23. *Præcedet te Angelus meus, & introducet te ad Amorrhæum.*

Pro Religiosis, & verbi Dei ministris.

24. Alicui videri posset, & literæ, & textui consentaneum, si *Dei* sit in nominatiuo: nam Hebraicè est כאלהים sine vlla nota genitiui casus. Quod nomen non semper *Deum* significat, sed aliquando *Angelos*. Psalm. 8. *minuisti eum paulo minus ab Angelis.* Hebraicè מאלהים. Et in Scriptura nomen *Dei* aliis etiam rebus commodari solet, vt Sacerdotibus & Iudicibus. Exod. 21. *Offeret eum Dominus Diis*, & cap. 22. *Dominus domus applicabitur ad Deos.* & ibidem. *Diis non detrahes.* Et Psal. 81. *Deus stetit in Synagoga Deorum: in medio autem Deos diiudicat.* Neque tunc diuersus est sensus; qui nihil aliud indicat, quàm eos, qui sunt è domo Dauid, quo sensu suprà explicuimus, futuros quasi Angelos. Et fauet huic sententiæ, quia alterum hemistichium alterius explicatio est; quod sic habet: *Sicut Angeli Domini in conspectu eorum.* Quæ sic coniungi possent eleganter, & iuxta idioma Scripturæ: *Domus Dauid quasi Angeli; quasi Angeli Domini in conspectu eorum.* Sed prior sententia, quia communis est, magis mihi probatur.

25. Vers. 9. *Quæram conterere eos qui veniunt contra Ierusalem.*] Vbi Deus populum ita corroborarit, vt infirmis, & qui iam offenderant, id est, qui propter timiditatem ad hostes defecerant, aut aliquo alio modo animum abiecerant, robur, atque audaciam Dauidicam indiderit: strenuis verò Angelicum robur, & constantiam, dicit se straturum omnium hostium vires: quo planè ostendit sua potentia, non Iudæorum armis, & industria victorias illas esse comparatas.

26. Quæ hactenus dicta sunt, ita de Republ. Iudaica, Machabæorúmque temporibus accipi possunt, vt etiam ad tempus Euangelij pertineant, quod multi volunt; sed de illis puto historicè, de hoc typicè, quia in hac renouatione, vexatione, ac defensione rei Iudaicæ, optimè ea, quæ Ecclesia passa fuit à Tyrannis, & quomodo Dei singulari prouidentia defensa, atque propagata fuerit, adumbrantur. Quæ verò sequuntur ad finem vsque capitis, etsi non difficilè ad eadem Machabæorum tempora referri possent; tamen verisimilius est pertinere ad tempus Euangelij, & quidem historicè, vt suis quæque locis ostendemus.

Vers. 10. *Et effundam super domum Dauid, & super habitatores Ierusalem spiritum gratiæ, & precum.*] Si particula (&) continuatiua est, videntur multa, quæ præcesserunt, dicta fuisse per prolepsim, vt quod dixerint Duces Iuda, *Confortentur mihi habitatores Ierusalem*: quæ vox à spiritu gratiæ, & precum orta est, & felicem rerum progressum, qui descriptus est, antecedere plerumque solet spiritus orationis. Sed fortasse (&) causalis est, vt alibi sæpe. Vide quæ diximus in Commentariis in Acta ad illud cap. 7. *& semini tuo*: quia spiritus gratiæ, & precum causa fuit tantæ felicitatis. Septuaginta pro, *precum*, vertunt *miserationis*: sed sensus idem est, quia si quis se ipsum miserum cognouerit, statim confugit ad orationem, & preces. Quare eadem vox δέησις apud Græcos *indigentiam*, & *precationem* significat. Porrò spiritus ille miserationis respicere potest Deum, qui humanæ infirmitatis miseretur, & hominem, qui suam infirmitatem agnoscat, & lugeat. Vtrumque enim valet οἰκτιρμὸς, quo vsi sunt L X X. 27.

Orationis vis & vtilitas.

Cùm Deus populo spiritum gratiæ, & precum infundit, profectò indicat non semel, aut iterum, aut breui tempore futurum se illi propitium, ac vindicem; sed diu, ac sæpe. Et ideo spiritum infundit gratiæ, vt gratum habeat populum, illíque liberaliter largiatur, quæ vsui futura sunt & gloriæ: & precum, vt gnarus infirmitatis suæ ad Deum confugiat. Spiritus autem precum ille est, qui pro nobis postulat gemitibus inenarrabilibus, id est, qui nos postulare facit. Magnum sanè donum est, & velle Deum grato sibi populo concedere, quæ illi ad salutem expediant; & eidem eam mentem, atque spiritum dare, vt semper petat. Hunc spiritum dedit Machabæis, quo exigua manu ingentes inimicorum copias deleuerunt: nam oratione se ante congressum muniebant. Et sanè obseruatione dignum est, semper Iudam fuisse superiorem, quoties implorato diuino auxilio bellum aggressus est, bis autem orationem præmisisse non legitur, & tunc ab hoste magnam accepit plagam; semel ab Antiocho Eupatore, *lib.* 1. *cap.* 6. iterum ab Alcymo, & Bacchide, *cap.* 9. vbi occisus fuit. Pro re morali obserua, spiritum gratiæ, & precum aptè coniungi: neque enim si gratia adsit abesse debet spiritus precum, qui id oret à Deo, vt gratia perseueret, & augeatur. 28.

Magnũ Dei donum oratio.

Et adspicient ad me, quem confixerunt.] Locus hic valdè difficilis est, contorquétque valdè, atque inuertit, quem pertexuimus ordinem hactenus. Neque difficilis esset explicatio de Machabæorum temporibus, nisi hæc verba Ioannes *cap.* 19. ad Christi mortem retulisset, cùm dixit. *Et iterum alia Scriptura dicit: videbunt in quem confixerunt*; qui planè ad hunc locum respexit, vt communiter omnes, & nos ita omnino tenemus, quod necesse est. Sed non credo incommodare explicationi quam de Iudaica Republica tradidimus. Sed priusquam de Christo hæc interpretemur, expendamus hæc iuxta L X X. translationem. 29.

Septuaginta hunc locum ita conuertunt: *Aspicient in me, in quem insultauerunt*; & ex sententia Cyrilli ita distinguunt, vt illud, *& aspicient in me*, ad præcedentia pertineat, & non incipiant clausulam nouam; 30.

nouam: ita vt illi, quibus datus est spiritus gratiæ, & precum, statim se ad Deum conuertant, & in eum aspiciant auxilij gratiâ. Posuerunt autem pro, *confixerunt*, quod adhibuit vulgatus, & habet Ioannes, *insultauerunt*, decepti, vt inquit Hieronymus, literarum similitudine: legerunt enim רקדו *rakedu*, pro דקרו *dakedu*; iuxta quam translationē, nisi Ioannis; id est, canonica authoritas intercederet, sensus esse posset: Quia Deus paulo antè dixerat daturum se spiritum precum, aut miserationis, qui nostram nobis paupertatem, & culpas ostendit, propter quæ clamamus, aduocamúsque diuinam misericordiam, & auxilium, subdidisse videri posset eos, qui afflicti fuerant ab Antiocho, quique Deo insultarant inuerecundè, atque impiè, reuersuros tamen ad Deum, & eius misericordiam imploraturos, etiamsi Gymnasiis assueti, Gentilium ritu templi sanctitatem meretricum sordibus inquinauerint. Neque hic sensus durus videbatur, etiamsi pro, *insultauerunt*, cum vulgato legas *confixerunt*. Nam hoc etiam verbo in eadem significatione vtitur Malachias cap. 3. *Si affiget homo Deum, quia vos configitis me?* Accedit, quia hîc non tam videtur Christus loqui, quàm Deus. Hæc ideo dixi, vt ostenderem quàm non difficilè hæc contexi eodem sensu cum superioribus possent. Sed quando constat ad hunc locum Ioannem respexisse, aliter hic locus à nobis exponendus est.

31. Dicimus ergo hæc tribuenda esse non Deo à Iudæis contempto, dum sacris pollutis noua idolorum monstra, nouæ sacrificiorum sordes inuehuntur; sed Christo in crucem acto, & clauis, lāceáque confixo; vt omnino indicat Ioannes: nō tamen ideo existimò mutandam esse sententiam, quam ad hunc vsque locum contexuimus. Quā ad rem obseruandum, solere Prophetas, quando historiam aliquam texere videntur, ex interrupto ad spiritum, id est, ad Christum, seu Euangelij tempora vaticinium conuertere, & inde se rursus eodem pene impetu ad historiam referre. Vide Salmeronem *Prolegom.* 10. *can.* 14. Riberam *in Osea cap.* 2. *n.* 34. *&* 35. Pradum *in Commentario Isagogico in Ezech. sect.* 5. Exempla sunt obuia, pauca hæc accipe. *Isai.* 45. cùm dixisset: *Hæc dicit Dominus christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram: & subiiciam ante faciem eius Gentes*, mox altiùs assurgit, & de Christo dicit, *Rorate cæli desuper*, &c. Et *cap.* 16. cùm egisset de Moab, repentè transit ad Christum; *Emitte*, inquiens, *agnum Domine Dominatorem terræ de petra deserti*, &c. & statim redit ad historiam: *& erit Moab quasi auis fugiens.* Quo in loco regulam hanc tradit Hieronymus; & in hoc Propheta sunt exempla multa: nam *cap.* 3. auertens ab historia sermonem de Christo dicit. *Ecce ego adducam seruum meum Orientem.* & cap. 5. *Ecce vir Oriens nomen eius.* & cap. 9. *Ecce Rex tuus venit tibi.* & statim cap. 13. *percute pastorem.* In quibus locis quia se aliqua species Christi offerebat, eò abripitur spiritus propheticus; deinde verò ad historiam interruptam reuertitur. Sic etiam hic Deus quasi admiratus suam liberalitatem, & quanto populum Iudaicum studio, atque amore prosequutus fuerit, deinde Iudæorum ingratam quamdam barbariem, qua in Christum sæuierunt, confixerúntque, dixit; intuebuntur Christum tanquam suæ salutis auctorem & vindicem, quem tamen, ô vesanam mentem postea configent. Vbi præteritum *confixerunt* posuit more prophetico, deinde verò vbi hæc quasi ἐκστατικῶς inserta sunt narrationi, historiam prosequitur de re Iudaica.

Regula. Sæpe fit trāsitus à litera ad spiritum, & rursus ad illam reditus.

32. *Et plangent eum planctu, quasi super vnigenitum.*] De Christo plerique hæc accipiunt, & de eo tempore, quo confixus est. Sed sunt multa, quæ huic explicationi minùs fauent: primùm, quia non apparet, quomodo omnes tribus eo ordine, atque frequentia Christi mortem defleuerint, quam nunc prædicit Zacharias. Neque enim Christi mors nisi admodùm paucis doloti fuit; neque publicè defleta, sicut Iosiæ cædes, de qua 2. *Paralip. c.* 35. Accedit, quòd dura videtur immigratio à prima persona ad tertiam. Dixerat Dominus suprà: *aspicient ad me, quem confixerunt*; & statim mutata persona subditur, *& plangent eum*; alium scilicet ab eo, qui confixus est. Scio frequentes esse in sacra Scriptura personarum mutationes; sed id non est adeò frequens, vt ex hac mutatione sumi non possit in contrariam sententiam aliqua coniectura.

33. Quidam hæc referunt ad Iudicij tempora, sicut & illud, *videbunt in quem transfixerunt.* Aug. 20. *de ciuitate c.* 30. *& lib.* 1. *de Trin. c.* 13. Theodoretus, Rupertus, Lyranus, Ribera, Haimo, qui vt priorem partem extremi Iudicij temporibus accommodant; sic etiam consequenter posteriorem. Sed vt de priori fateamur, quod non puto, quia nimis videtur à re proposita alienum; de posteriori certè concedi non potest. Neque enim Iudicij tempore omnes tribus terræ plangent Christum, sed si quid ipsis durius acciderit, plangent se ipsas, imò neque omnes plangent; sed qui damnati fuerint. Illi verò dicuntur ploraturi, aut Christum, aut seipsos, quibus Deus daturus est spiritum gratiæ, & precum; sed ij non lugebunt, sed gaudebunt potiùs, quia gratiam, & preces potiùs sequitur exultatio, quàm luctus. Sed neque si se ipsas tribus plorent, satis aptè hæc in tempora Iudicij conueniunt, quia seorsum ploraturi dicuntur viri à mulieribus; in Iudicio autem extremo non erit hæc tribuum, sexuúmque diuisio. Quare hîc videtur significari aliquid fieri solitum ex Hebræorum more.

34. Alij hæc de Romanorum tempore, déque ciuitatis exitio intepretantur, in quibus est Cyrillus, & Eusebius *lib.* 8. *de Demonst. Dem.* 4. quod etiam videtur difficile: tum quia statim *cap.* 14. de hac vastatione agitur; neque priùs de planctu, quàm de ipsius planctus causa dicendum fuit: tum quia Iudæi in extremo illo ciuitatis excidio non aspexerunt Christum, neque propter eius mortem putauerunt inflictum sibi malum; sed propter seditiosorum peccata, & propter alia flagitia, quæ tunc ab omnium gentium ordinibus impudentissimè admittebantur Hierosolymis. Certè Iosephus *lib.* 6. *de bello c.* 16. tradit eam fuisse in vrbe flagitiorum omnium colluuiem; vt si Romani seriùs aduenissent, aut hiatu terræ deuoranda, aut instar Sodomæ cœlesti igne conflagratura fuerit vrbs illa inquinatissima.

35. Quare aliter locus explicandus est; & est mihi valdè probabile, quod nuper dicebamus familiare esse Prophetis, Zachariā postquam de Christi morte ἐκστατικῶς breue illud vaticiniū attexuit, statim ad interruptam historiam rediisse: neque ea, quæ dicuntur de planctu, ad Christum pertinere; quod satis reddunt verisimile ea, quæ paulo antè diximus: sed ad tempora Machabæorum, de quibus hactenus est instituta narratio.

Postquam enim effusus est à Deo spiritus gratiæ, & precum, seu miserationum, statim secutus est planctus, & dolor, & oratio, vt de Mathathia, eiúsque filiis constat 1. *Machab. c.* 1. vbi etiam cum Mathathia conuenisse dicuntur plurimi cum vxoribus suis: & hi videntur esse, qui fleuisse dicuntur seorsum à mulieribus. Sed huic expositioni duo videntur incommodare non leuiter.

36. Alterum est, quod in (*plangent eum*) illud *eum*, cùm reciprocum non sit, accommodari non potest, aut referri ad eos, qui plangunt, cùm *se* potiùs dicendum esset. Alterum, quia etiamsi reciprocum esset, in plurali numero esse debuit, non in singulari. Ad priorem partem respondeo, affixum *vau*, quod verbo *plangent* adiungitur, vim habere reciproci, & pronominis non reciproci, vt Hebraicæ linguæ mediocriter peritis compertum est: & noster vulgatus aliquando *eum* reciprocè, aliquando *se* non reciprocè vertit. Huius exemplum est Genes. 2. *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi*; id est, ei. Illius exemplum præ manibus habemus, nam hunc eundem locum, vbi noster *plangent eum*, Ioannes Apoc. 1. legit *plangent se*, & eodem modo legunt L X X.

REGVLA. *Pronomen reciprocum pro non reciproco, & contrà, non reciprocũ pro reciproco adhibitũ ab interprete.*

Ad posteriorem non est difficilis solutio ex vsu sacræ Scripturæ, quæ adhibere solet singularem numerum, cùm pluralis præcessisset. Vide Pagninum *lib.* 4. *Regula* 18. ex multis vnum aut alterum exemplum accipe *Genes.* 27. vbi vulgatus, *Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus, & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* Hebr. est, *Maledicentes tibi maledictus, & benedicentes tibi benedictus.* Et Prou. 3. vbi vulgatus, *& qui tenuerit eam beatus.* Hebr. *& tenentes eam beatus.* Et ita L X X. non tam voces, quàm significationem, & vsum spectantes, quod singulariter Hebraicè, ipsi pluraliter transtulerunt, ϗ κόψονται ἐπ' αὐτοῖς, id est, *plangent super seipsos.* Sed est alia ratio longè grauior, quæ me in istam sententiam adduxit: nam Ioannes *c.* 1. *Apoc.* qui hunc Zachariæ locum ex omnium opinione respexit, in hanc sententiam interpretatus est; sic enim ille. *Et videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt; & plangent se super eum omnes tribus terræ.*

37. Hæc sententia mihi valdè probabilis visa est, quæ statuit ab omnibus tribubus non plorari Christum, sed illorum statum, atque fortunam, qui spiritum gratiæ, atque precum accepere. Nihilominùs, quia multi Christo in crucem sublato lacrymis parentatum esse putant; eorum quoque sententiæ siquid occurrebat incommodi, amoueamus. Et primùm obseruo, Prophetis non esse propositum historias texere: neque enim tam historici sunt, quàm vates; narrant autem illa, quæ ad Prophetiarum intelligentiam necessaria sunt. Quare neque semper temporum ordinem seruant, vt in Ieremia liquet; & prætereunt multa, quæ si omisisset historicus, ferendus non esset. Idcirco cùm Zacharias hìc tantùm prædiceret Reipublicæ Iudaicæ deteriorem fortunam tempore Antiochi; & eiusdem instaurationem per Machabæos, reliqua amputauit omnia, quia ad ea non pertinebat vaticinium, statimque descendit ad Christi mortem, sumpta occasione ab eius liberalitate, cui tam iniquè, atque immaniter respondit populus tantopere ab eo ornatus.

REGVLA. *Quia Propheta historicos non agunt, multa in narrando prætereunt.*

Secundò, obseruo vsitatum esse in sacra Scriptura, vt talia aliqua dicantur, non qualia sunt, sed qualia esse debent, aut qualia rerum ipsarum natura, & status exigebat. Quare in eadem propè causa Amos c. 8. dixit, *Inducam super omne dorsum vestrum saccum, & super omne caput caluitium.* Sensus est, tantam futuram esse calamitatem, vt omnes induere debeant cilicia, & caput decaluare; iuxta hæc, licèt non constet, an quando Christus mortem subiit, fleuerit ea multitudo, quæ hìc à Zacharia prædicitur, veruntamen fleuisse debuit, quia plorandi grauior causa fuit, quàm mortuo Iosia.

Quòd si ad tempora Romanorum referas, & vrbis excidium, aptè Iudæorum gens Christi mortem ploratura dicitur. 39. Nam licèt Christi mortis in sua clade Iudæi non meminerint, imò alias ob causas existimauerint illam calamitatem obuenisse, plorabunt tamen Christi mortem; quia reuerà illa tantæ calamitatis occasio fuit. Est autem vsitatum valdè, vt causa sumatur pro effectu, etiam moralis. Qua ratione auaritiæ naufragium tribuimus, si illa in causa fuit vt negotiandi gratia aliquis se fluctibus committeret. Et verè ille dici posset, vel quando esset in medio gurgite, vel ad littus eiectus, suam auaritiam deplorare. Et Troiani exciso iam Ilio lugere dici possent aut Paridis libidinem, aut Helenæ raptum; quandoquidem hæc causa fuerunt tanti mali, licèt Paridis, atque Helenæ funditus excidisset memoria. Sic omninò hoc loco ploraturi dicuntur Iudæi Christi mortem, quia propter illam, & ciuitate, & antiqua gloria carebunt. Quàm autem sæpe, ac miserabiliter lugeant viri, ac fœminæ communem illam cladem, docet Hieronymus, qui eorum fletibus testis ipse non semel interfuit; in cap. 1. Sophon. ad illud [*Vox diei Domini.*] *Videas*, inquit, *in die quo capta est à Romanis, & diruta Ierusalem, venire populum lugubrem, confluere decrepitas mulierculas, & senes pannis, annisque obsitos, in corporibus, & in habitu suo iram Domini demonstrantes*, &c. *Adhuc fletus in genis, & livida brachia, & sparsi crines, & miles mercedem postulat, vt illis flere plus liceat.* Hi omnes, licèt ipsi de Christi morte non cogitent, tamen reuerà Christi mortem lugent, quia ab ea satis grauem lugendi materiam habent.

REGVLA. *Causa moralis sæpe ponitur pro physica.*

Ad illud, quod suprà contra hanc explicationem obiiciebamus, non videri sermonem esse de Christo, quia cùm in prima persona dixisset; *Aspicient in me, quem confixerunt:* deinde in tertia persona dixit; *& plangent eum:* respondeo, illud etiam esse in sacra Scriptura vsitatum, vt de se aliquis in tertia persona loquatur, etsi priùs in prima loqui cœperit. 40. Isai. 22. vbi noster, *Expellam te de statione tua, & de ministerio tuo deponam te.* Hebr. *deponet te.* & c. 42. *Cui peccauimus, & noluerunt in viis eius ambulare*; pro *noluimus.* Ps. 81. vbi vulg. *cibauit illos ex adipe frumenti, & de petra melle saturauit eos*; in textu Hebr. priori loco est tertia persona; posteriori prima: & in Euang. sæpe Christus, cùm à prima persona cœpisset, in tertia de seipso in eodem textu locutus est. Matth. 19. *Amen dico vobis, non consummabitis ciuitates Israel donec veniat filius hominis*, id est, donec ego veniam. Ad hunc ergo modum, qui de se dixit in prima persona, *Aspicient in me*; ille idem de se ipso subiunxit in tertia, *& plangent eum.*

REGVLA. *Aliquis de se in tertia persona interdum loquitur, licèt in prima de se loqui cœperit.*

41. Neque verò omittendum, hæc quoque valdè probabiliter dici posse de tempore Iudicij, quod multi, vt diximus, ex Interpretibus volunt. Et fauet plurimũ locus ille Ioannis *c.* 1. *Apoc.* qui sine dubio ad hæc Zachariæ verba respexit: vbi, vt verba ipsa indicant, & communiter omnes Patres acci

accipiunt, de extremo Iudicio sermo est, sic autè ibi Ioannes. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt: & plangent se super eum omnes tribus terræ.* Nisi velis hæc per accommodationem tradũcta ad Iudicij tempus, cùm historicè aliò pertineant.

42. Adduxi tot sententias, eásque fusiùs explicui, quàm antea solitus, quia & celebris est locus, & impeditus: neque quid sequar, omnino mihi expeditum est; magis tamen animus propendet in eam sententiam, quæ primo loco à me probata est, quæ de Machabæorum temporibus hæc interpretatur, & planctum pertinere dicit, non ad Christi mortem, sed ad eos qui spiritum gratiæ, & precum accepère.

43. *Quasi super vnigenitum.*] Sicut maximè parentes amant, quem vnicum habent filium, sic grauissimum ex eius desiderio, ac funere dolorem concipiunt. Ierem. c.6. *Luctum vnigeniti fac tibi, planctum amarum.* Amos 8. *Ponam eam quasi luctum vnigeniti.*

44. *Sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon.*] Adadremmon, vt inquit hîc Hieronymus, vrbs est iuxta Iezraël, quæ modò vocatur Maximianopolis in campo Mageddon, vbi vulneratus est Iosias à Pharaone Nechao. Tunc verò maximo illum prosecutus est luctu Iudæorum populus, quem singulis annis instaurauit. 2. Paral. 35. *Et vniuersus Iuda, & Ierusalem luxerunt eum, Ieremias maximè, cuius omnes cantores, & cantatrices vsque in præsentem diem lamentationem super Iosiam replicant: & quasi lex obtinuit in Israel.* Hic verò Iosias, quia tẽplum purgauit, idola subuertit, & Sacerdotes impios sustulit, Christi Domini figura fuit, qui sublata impietate veram Religionem restituit; & quod de Iosia Ieremias dixit *Thren. c.4.* idem de Christo eisdem omnino verbis dici potest. *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris: cui diximus: In vmbra tua viuemus in Gentibus.*

45. Si de vastitate Ierusalem sermo sit, constat Iudæos singulis annis illam plorare solitos. De illa quam intulerunt Chaldæi, satis constat ex solemni ieiunio, quod eius rei gratiâ à Iudæis indictum esse diximus *cap.7. in principio*, mense quinto, & septimo: de illa verò quæ inflicta fuit à Romanis, docet Hieronymus ad illud Sophoniæ cap.1. *Vox diei Domini*, vt nuper diximus.

46. Sin autem accipias de Christi morte, solemni,
Christi mors solemni planctu deplorata.
atque anniuersario luctu celebrata, planè ita fit nunc à Christianis, qui non solùm lugent, sed etiam profuso sanguine dolori sibi esse acerbam Christi mortem profitentur. Quod optimè designat translatio LXX. qui pro, *Sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon*, legunt: *Sicut planctus mali granati, quod in campo succiditur.* Græcè est ῥοῶνος, id est, *puniceti*: non enim tam significat punicam malum, quàm locum puniceis consitum malis. Cur verò LXX. ita verterint, mihi incertum est, eius tamen versionis rationem defuisse non puto. Quæ tamen illa sit, non occurrit. Fortasse quo tempore occisus fuit Iosias ab hostibus mala punica excisa sunt, quæ Iudæis erant in deliciis. Et ea satis idonea ratio visa est, vt ager ille vocaretur Adadremmon: quod nomen hoc tantùm loco reperitur: vel quia explicatio nominis sacræ Scripturæ more pro nomine ipso ponitur, vt pluribus docuimus ad illud Cant.4. *suauis, & decora.* Aut denique quia punicetum Hierosolymitanis in magno pretio, atque in deliciis est, in quo laxantur animi, & deponuntur anxiæ, atque molestæ curæ. Vnde sponsus

A ait Cant. 6. *Descendi in hortum meum, vt viderem si floruissent mala punica.* Quem sensum indicat hîc Cyrillus. Theodoretus similitudinem sumi putat ab eo strepitu, qui à lignatoribus editur, cùm mala punica succiduntur.

Ex omnibus mihi magis placet expositio Cy- 47.
rilli: nam quemadmodum grauis est dolẽdi causa, cùm quis populatur, ac succidit hortum, in quo nostras nobis delicias ponimus; sic etiam Christo per tot acerbitates sublato, lugẽdi Christianis causa est longè grauissima: & ad hanc similitudinẽ respexisse videtur Ieremias *Thren. c.4.* cùm de Iosia, aut, vt alij malunt, de Christo dixit. *Cui diximus: In vmbra tua viuemus.* Sed, cùm alia B sint grata, quæ si nobis succidantur, aut eripiantur, dolemus, malorum tamen punicorum præcipuè meminit, quia hæc quando comprimuntur, sanguineum fundunt succum, qualẽ sponsa propinat sponso suo Cant. 8. *Dabo tibi mustum malorum granatorum meorum.* Et idem Christiani meditantur, cùm in seipsos piè sæuientes verberum inflictu tundunt terga, libántque Deo non ab arietibus, seu vitulis expressum sanguinem, sed à suo corpore pia quadam indignatione lacerato.

Vers. 12. *Et planget terra: familia & familia seor-* 48.
Iosia quomodo à Iudæis parentatum.
sum.] Existimo hîc etiam designari quæ in funere Iosiæ contigerunt, & vulgato sacræ Scripturæ more notam similitudinis esse subaudiendam. C Quanto dolore Iosiæ mortẽ populus prosequutus sit, quàm illi prolixè parentarit, satis constat ex *lib.2. Paralip. c.35. & lib.3. Esdræ cap.1.* Quemadmodum non viri solùm, sed etiã fœminæ in parentalibus honorem illi, & lacrymas detulerint, dicit Esdras suprà. *In tota Iudæa lugebant Iosiam, & qui præsidebant cum vxoribus lamentabãtur eum vsque in hunc diem. Et datum est hoc fieri in omne genus Israel.* Hoc, inquam, id est, vt viri, & fœminæ in omnibus tribubus (quod omnino sibi vult illud, *& planget terra*: nempe Israël, & omnes familiæ, quæ deinde tributim numerantur) pro sua quisque parte exequias obeant tanti Principis; in quo post tot Reges impios spes erat omnium. Eodem D modo videtur Israel parentasse Aaron, de quo Num. 20. in fine. *Omnis autem multitudo videns occubuisse Aaron, fleuit super eum tribus diebus per cunctas familias suas.*

Familiæ domus David seorsum, & mulieres eorum 49.
Fœminæ seorsum à viris in conuiuiis, in luctu, & in oratione.
seorsum.] Indicat Propheta Hebræorum consuetudinem, apud quos fœminæ viris permixtæ nihil obibant publicum, vsque adeò, vt illis in luctu, quo tempore minùs est periculi ab intemperantia, atque lasciuia, simul esse non liceret, non modò in alienorum virorum turba; sed neque cum suis. Quod obseruauit hîc Hieronymus. *Hoc propheticum verbum*, inquit, *significat, quòd tempore tribulationis, & luctus non debeamus seruire coniugiis, &* E *operi nuptiarum. Vnde & in Ioël captiuitate propinqua dicitur ad Iudæos. Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo. Et impendente diluuio imperatur Noë: Ingredere in arcam tu, & filij tui seorsum, & vxor tua, & vxores filiorum tuorum* (item seorsum) *& postea finito diluuio dicitur ad eum* (ordine mutato) *Egredere tu, & vxor tua, & filij tui, & vxores filiorum tuorum. Vt qui in arca impendente discrimine fuerant separati, redditi mundo, generationi, & liberis deseruirent. Hoc autem non solùm in tempore fit angustiæ; sed in tempore orationis, quando volumus Dominum deprecari, dicente Apostolo 1. Cor. 7. Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi. Igitur & nunc tribus David, & tribus Nathan, &c. à suis vxoribus separatæ plangunt.*

ZZz 2 Hic

50\. *Fœmina seorsum à viris in aliis nationibus.*

Hîc obiter obserua, in locis, vbi paulo accuratior pudoris, atque modestiæ, tam in sacris, quàm in aliis publicis conuentibus separatum à viris fœminas habuisse locum. De conuiuiis Romanorum tradit Macrobius *lib.* 3. *Satur. c.* 13. De Græcorum, Cicero *Actione* 3. *in Verrem*. De Chaldæorum conuiuiis constat *Esther c.* 1. vbi Vasthi Regina fœminarum conuiuium apparauit diuersum ab eo, quod pro viris instruxerat Assuerus. Quod ita fuit olim Gentibus vsitatum, & quasi legitimum, vt in domibus paulo splendidioribus pars esset pro viris destinata, quæ *Andronitis*, pars pro fœminis, quæ *Gynaconitis* dicebatur. Quod etiam apud Hebræos in vsu fuisse colligi potest ex eo conuiuio natalitio, quod Herodes instituit ex Hebræorum sine dubio more. *Mat.* 14. vbi Herodiadem seorsum ab Herode cum aliis, vt est verisimile, fœminis accubuisse indicat puellæ egressus ad matrem, vt ab illa disceret, quid pro saltatione præmij peteret ab Herode. Et sanè Clemens *lib.* 2. *constit. cap.* 62. in templo diuersa loca fuisse docet fœminis, & viris. Et *Exod c.* 15. Moyses cum viris, & Maria seorsum cum fœminis canticum cecinisse traduntur. Hinc collige, nobis formam quandam à Propheta præscribi, quæ obseruari debeat in anniuersario Christi parentalium luctu, vt fœminis in virorum conuentu esse non liceat; quæ licèt nunc apud Hispanos in vsu sit, vt tamẽ accuratiùs seruetur, optandum est.

51\. *Alius virorum, alius fœminarum videtur cãtus, & luctus.*

Cyrillus aliter accipit hunc locum, non quòd disiuncti loco viri, ac fœminæ diuersam cantilenam instituerint, sed quòd quælibet tribus, aut sexus diuersam habuerit lamentandi causam. Mihi vtrumque videtur esse dicendum, & diuersum esse locum, in quo viri, ac fœminæ considęant: & quemlibet ordinem, ac sexum præcipuas quasdam, ac proprias habuisse lugendi causas. Neque enim omnibus eadem æquè grata sunt, aut vbi fuerint, illa lugere, aut etiam commemorare æquè honestum. Laudant viri res bellicas, prudentiam in gubernando, in Religione, aut retinẽda, aut instauranda pietatẽ, at fœminæ, si quid ad earum cultum, ad pacem, & quietem comparatum est. Argumento nobis est Dauid 2. *Reg.* 1. qui dum ipse luget Saül, & Ionathan, à rerum bellicarum gloria commendat. *Sagitta*, inquit, *Ionathæ nunquam rediit retrorsum, & gladius Saül non est reuersus inanis.* Sed quando filias Ierusalem ad plorandum vocat, aliam illis lacrymarum materiam proponit. *Filiæ*, inquit, *Israel super Saül flete, qui vestiebat vos coccino in deliciis, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro.* Et vt ex eo loco constat, in carmine illo lugubri familiare erat illud, *Quomodo ceciderunt fortes?* quod ter repetit Dauid. Vt autem in virorum planctu aliquid sonat grandius, & virili constantia dignum, sic in muliebri eiulatu aliquid auditur tenerum & molle, vt ex *Ieremia cap.* 22. videtur posse coniici. Sic enim de Ioachim filio Iosiæ. *Non plangent eum: va frater, & va soror, non concrepabunt ei, va Domine, & va inclyte:* quorum prior pars fœminis, posterior viris videtur tribuenda. Nisi mauis priorem partem cognatis, & domesticis adscribere, à quibus vocandus esset *frater*, sicut etiam in funere fœmina vocatur *soror*; posteriorem verò aliis, à quibus vocari solet *inclitus*, &, *Dominus*. Vbi illud *va frater, & va soror, va inclyte, & vę Domine*; formas esse solemnes, & quasi conceptas in funeris luctu; illam quidem in priuato, ac domestico, hanc verò in publico, & communi

Familiaris forma plangendi apud Hebræos.

A mihi certum est. Et de hoc omnino docet *Ier. c.* 34. vbi agit de publico planctu Sedeciæ, *Va Domine, plangent te.*

52\. Quòd si ita accipias, vt planè accipiendum videtur, optimè dici possent seorsum lugere domestici, & consanguinei, & seorsum illi, qui alieni sunt à cognatione, licèt in funere, ac planctu eodem loco permixti essent atque confusi. Et eamdem ob causam familia Dauid, Nathan, Leui, & Semei, seorsum dicuntur ploraturæ, quia quælibet propriam habebit lugendi causam. Familia quidem Dauid, quia sublatum Regnum, quod in ea dudum inueterarat: familia Nathan, quia Prophetæ, aut cessabunt, aut malè iactabuntur: B familia Leui, quia templum destruetur, polluentúrque sacra: familia Semei, quia Doctorum, & Scribarum ordo contaminabitur. Quòd si non de luctu propter euersam vrbem, sed de eo, qui propter Christi mortem institutus est, sermo sit: sanè multo melius seorsum hæ tribus lugere possunt, cùm Iesus Rex, Sacerdos, Propheta, & Doctor iniquissimo iudicio per summos cruciatus, atque ludibria sublatus sit.

53\. Porrò in his familiis omnes hominum ordines designantur, qui præcipuè aut consensêre, aut incubuêre in Christi mortem. In familia Dauid quæ Regia tribus est, Principes intelliguntur & optimates populi: in Nathan Prophetalis; in C Leui Sacerdotalis; in Semei Scribarum, & Pharisæorum ordo describitur, vt dicit Cyrillus, & Hieronymus. Porrò LXX. pro *Semei*, legunt *Simeonem*, ex cuius tribu lectos esse Iudices, vtpote prudentissimos, ex sententia Hebræorum tradit Cyrillus, & Hieronymus *hic, & quæstione* 10. *ad Algasiam*, & in illud Isaiæ 8. *Hæc ad me loquutus est Dominus*. & ad Algasiam suprà docet Simeonẽ, Akiba, & Hillel magistros fuisse Pharisæorum.

54\. Has omnes familias existimo hoc eodem ordine parentasse Iosiæ Regi, & aliis, atque aliis epicediis pro officiorum varietate, quæ accepissent à Rege, suum quamque dolorem significasse: (diximus autem allusum esse hîc ad plan- D ctum de Iosia, & subaudiri similitudinis notam) neque aliter accidit in Christi morte, vbi omnibus præcipua aliqua ratio lugendi fuit. Neque verò admodum refert si hæc non eodem modo contigerint, quo descripta sunt à Propheta: nam ex vsu sacræ Scripturæ ea facta, aut futura esse dicuntur, quæ vt fiant grauis causa est, aut ipsa rerum natura postulat; vt docuit Salmeron *Proleg.* 10. *quinquag.* 2. *can.* 13. & Ribera *in c.* 20. *Apoc. n.* 72. In re verò proposita satis grauis causa fuit, vt omnes simul, & quælibet familia priuatas ob causas lamentarentur.

55\. Si spectes tempus Christi Passionis, hæc etiam videntur contigisse: nam cùm magno in loco Christus esset apud omnes, extaréntque quamplurima beneficia quibus Iudæorum incommo- E dis subuenisset; & eius sanctitatis signa quædam illustria, quæ neque delere, neque obscurare potuit impiorum inuidia, præsertim cùm acciderent ipso Passionis tempore tot, támque illustria de cælo testimonia; non dubito quin multi seorsum Christi mortem, sicut Iosiæ olim planctu magno prosequuti fuerint. Certè non multo pòst doluisse constat ex *Actis cap.* 2. vbi audita Christi morte compuncti corde, & conuersi dicuntur homines ter mille, & c. 4. quater mille. Vt verò quotannis instaurata sit Crucis, Passionísque memoria ad nostram vsque ætatem inter Christianos, nemo non videt. Hæc de cap. 12.

IN

IN CAPVT DECIMVMTERTIVM

ARGVMENTVM.

TOTVM hoc caput de tempore Euangelij est, Christique Passione, quo tempore futurus esse dicitur fons ita apertus, vt neminem excludat; sic purus, & ad purgandum idoneus, vt quod à peccato, & menstruo sanguine inquinatum est, id est, maximè impurum, ac padore horridum, id totum abluat, ac emundet. Tunc idola, arioli, ac pseudoprophetæ tollentur è terra; adeóque accipientur malè, vt parentes filios suos eo nomine non solùm ad ignominiam, sed etiam ad mortem deposcant. Et ipsi horrore plagarum, sic veteratorium nomen execrabuntur, vt quiduis videri velint magis, quàm Prophetæ. Deinde admonitus Propheta à plagis, quas pseudoprophetis inflixêre parentes pij, conuertit vaticinium ad Christum Pastorem optimum, & verissimum Prophetam, qui à Patre multo duriùs percussus est. Quo vulnere dispergendæ dicuntur oues, quæ tamen non multo pòst conuertentur ex fuga. Ad extremum agit de excidio Jerusalem per Romanos, futurúmque vaticinatur, vt ex tribus partibus duæ, quæ impiorum erunt, perituræ sint; tertia verò quæ piorum est, seruanda: ita tamen vt igne tribulationis purgata, sicut aurum in fornace, Deum agnoscat, colátque. Quam Dominus velut populum suum vicissim amplexabitur.

CAPVT XIII.

1. *IN die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris, & menstruatæ.*

2. *Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltrà: & pseudoprophetas, & spiritum immundum auferam de terra.*

3. *Et erit: cùm prophetauerit quispiam vltrà, dicent ei pater eius, & mater eius, qui genuerunt eum: Non viues, quia mendacium loquutus es in nomine Domini; & configent eum pater eius, & mater eius, genitores eius, cùm prophetauerit.*

4. *Et erit, in die illa confundentur Prophetæ, vnusquisque ex visione sua cùm prophetauerit, nec operientur pallio saccino, vt mentiantur.*

5. *Sed dicet: Non sum Propheta; homo agricola ego sum: quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea.*

6. *Et dicetur ei: Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? & dicet: His plagatus sum*

PARAPHRASIS.

A 1. IN die illa, in qua ab ingrato populo in cruce configetur Christus, fons erit apertus domui Dauid, & iis, qui Hierosolymis habitabunt: & expiatoriæ aquæ ad abluendum quidquid à peccato, & à mẽstruo sanguine sordidum, & impurum est.

2. Tunc, dicit Dominus; si qua erunt Gentium idola, fidem illis, & authoritatem adimam: si qui pseudoprophetæ, aut diuini, si quis spiritus Pythonicus, aut immundus, omnes penitus tollentur de terra.

3. Vsqueadeò verò eo tẽpore odiosum erit, ac vile pseudoprophetarum, ac diuinorum nomen, vt etiam parentes à filiorum plagis, atque etiam cæde violentas manus
B non contineant. Dicent enim, si quando filij vaticinari tentauerint, omnino tibi moriendum est; quia mendacio tuo diuini nominis fidem, & maiestatem prætendis, idque teipsa non minùs constanter exequentur, quàm piè, ac seuerè fuerant minati.

4 Eo rerum articulo cùm suam sibi veteratoriam artem pseudoprophetę videant adeò non esse quæstui, vt potiùs propter il-
C lam contemnantur, & vapulent, abiicient institutum illud; atque abominabuntur: neque ad decipiendos homines sacco vtetur cilicino.

5. Sed profitebuntur apertè, etiam non rogati, se non esse, neque vnquã fuisse Prophetas; sed natos eo parente, quem Deus esse iussit terræ cultorem, edoctósque potiùs ab homine terram subigere, quàm afflatos à Deo, vt futura prædicant.

6. Quòd si plagarum notæ in manibus relictæ falsum hunc Prophetam mendacij coar

sum in domo eorum qui diligebant me.

A coarguant, cùm eo supplicio mulctari soleant simulati Prophetæ, neque ille conuictus possit aliquid ampliùs tergiuersari, fatebitur quidem se in ea fraude, ac scelere fuisse; liberatum se tamen diuino beneficio: tantique facere ereptam sibi esse mentem illã, vt amet eos, à quibus percussus est; illásque plagas numeret in beneficiis, & ab insigni amore profectas putet.

7. *Framea suscitare super pastorem meum, & super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum: percute pastorem, & dispergentur oues: & conuertam manum meam ad paruulos.*

7. Digni sanè fuerunt impostores illi, atque pastores falsi, qui à parentibus grauiter, & ignominiosè cæderentur. Sed quid bonus pastor, & verus Propheta Christus admisit, vt æternus Pater frameam suscitaret, & ad mortem vsque percuteret? quem
B dicentem audire videor: ô gladie excitare, & vibrare super illum, quem pastorem meo gregi præposui,& super filium meum, qui ita cohæret mihi, vt mecum, & in me ipso ab æterno sit. Percute, ô framea, pastorem, ex cuius vulnere ouium, id est, discipulorum sequetur fuga, atque dispersio. Veruntamen conuertam manum, quam ad plagam intenderam, ad paruulos Discipulos, eósque à fuga, pauoréque receptos amplexabor, confirmabóque.

8. *Et erunt in omni terra, dicit Dominus, partes duæ in ea dispergentur, & deficient: & tertia pars relinquetur in ea.*

8. Iam à Christo plagato me ad populi Iudaici plagam,& exitium conuerto. Con-
C tinget quo tempore vrbs ab Imperatore Romano premetur angustè, & hostiliter expugnabitur, vt duæ partes ciuium miserè pereant: tertia verò pars relinquetur in terra Iuda, quæ piorum erit.

9. *Et ducam tertiam partem per ignem, & vram eos sicut vritur argentum: & probabo eos sicut probatur aurum. Ipse vocabit nomen meum, & ego exaudiam eum: & dicam: Populus meus es; & ipse dicet: Dominus Deus meus.*

9. Quæ tamen non erit ab omni incõmodo, seu iactatione libera: nam tribulatione ita probabitur, sicut igne aurum, atque argentum probari solet. Ita vt si quid adhæsit scoriæ, id excoquatur totum. Illi præterea, qui in expiatoria illa fornace purgati fuerint, dicit Dominus, agnoscent me Deum, inuocabúntque, quorum ego vota, ac preces audiam. Quos, vt ego populum meum vocabo; sic illi me Deum suum vicissim esse dicent.

Vers. 1. *In die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris, & menstruatæ.*]

1. IN extrema parte capitis 11. planctum magnum, de quo ibi similem futurum esse diximus illi, qui quotannis in Iosiæ parentalibus instaurabatur. Nunc quæ toto hoc capite dicuntur de fonte patenti, de sublatis ariolis ac pseudoprophetis, ad Iosiæ quoque similitudinem adducta credo: quomodò verò explicanda sint, atque accommodanda, iam excogitemus.

2. Et quidem hæc non nemo pertinere posse existimabit ad Machabæorum tempora, in quibus non aliter contaminatum erat;& postea purgatum templum, & domus Iuda, quàm accidit vtrumque Iosiæ temporibus: & quemadmodum

D ante Iosiam fons non erat apertus, quo se polluti, ac immundi legitimo Iudæorum ritu purificarent; quia potentior erat Regum, ac Principum impietas, per quos legitimis sacris studere non licebat; quæ eas vires propter Regum stuporem, ac improbitatem acceperat, vt in eandem amentiam Iosiæ filios, qui post ipsum regnauerunt, traxerit. Porrò, vt liquet ex *lib. 4. Regum c.23.* in eodem statu erat Religio tempore Iosiæ, quo postea tempore Machabæorum: nam effœminati tunc in templo prostabant, ibi deorum simulacra, & aræ: neque licebat tempore impij Regis Manasse, qui biennio antè decesserat, piè viuere; omnia erant sordida, & fœdè olentia impie

Digitized by Google

impietatem. Tunc cum Iosia oriri visus est fons aquæ viuentis, ac putæ, quæ sordes illas abluit, reddiditque templum antiquæ puritati, ac nitori. Quare videri potuit fons patens in ablutionem peccatoris, & menstruatæ, id est, contra immunditias, obscœnásque sordes, quæ *menstruatæ* nomine significari solent.

Tempora Iosiæ, & Machabæorum valdè similia.

3. Eodem etiam tempore Machabæorum omnia erant polluta, ac sordida, & templum ipsum meretricibus plenum, vsque adeò verò non erat tunc fons patens ad eluendam illam proluuiem, vt neque occultè liceret vti sacris expiatoriis, neque filio circumcidere. Quare quædam mulieres interfectæ sunt, quia deprehensæ fuerunt filios circuncidisse: imò & multi præputium adduxerunt, quasi abiurantes patriam Religionem. Machabæi verò non aliter atque Iosias aperuerunt, fontes, id est, sacra expiatoria, & ipsi circumciderunt quamplurimos; perfecerúntque, vt liberè auderent omnes profiteri legem, quam accepissent à parentibus. Neque est improbabile occidisse eos, qui se Prophetas vẽditabant, sicut fecit Iosias: nam vbi ritus erant Gentilium, & idolorum altaria, quis dubitet ariolos, & aruspices fuisse, qui futura prædicerent? quamuis de iis nihil traditum sit in Machabæorum libris.

4. Licèt hæc non improbabiliter de Machabæorum temporibus accipi possint, quæ valde affinia fuêre Iosiæ temporibus; mihi tamen dubium non est, quin hic locus intelligendus sit de Christo, quod communiter omnes existimant. Imò & Iudæi proxima verba accipiunt de Messia, vt refert Galatinus lib. 4. cap. vltimo: nam ex Christo tanquam à fonte aqua fluxit purissima ad purgandum quidquid sordium est vndecumque contractum. De quo fonte ne plura dicam facit, quia ab aliis multa dicta sunt, neque locus longiori explicatione indiget. Illud dicam, hoc loquendi genus esse in Scriptura valdè vsitatum. Ioan. 4. *Qui biberit ex hoc aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* & cap. 7. *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* vbi excludit neminem, & seipsum fontem patentem indicat. Nomine autem *peccatoris*, & *menstruatæ*, in quorum ablutionem fons ille patet, vtrumque populum significari tam Iudaicum, quàm Gentilem putat Ribera, qui in *peccatore* Iudaicum, in *menstruata* Gentilem agnoscit. Cuius ea videtur ratio non incongrua, quia cum Iudæus circumcisione sit purificatus, suo potiùs peccato fœdatus est, quàm communi naturæ; vnde iuxta hominum vulgarem existimationem peccator magis propriè dicitur. Alter menstruatus est, id est, sordibus à natura fluentibus inquinatus, sicut à natura menstruata mulier habet, quo fœdè, atque indecorè puteat, & obsolescit. Nihilominùs fons ille est in domo Dauid, & pro iis, qui habitabant in Ierusalem; quia tantùm est in Ecclesia, cuius typus est Ierusalem; vt sæpe in Scriptura, & in hoc Propheta aliquando, vidimus. Porrò *menstruata* Prouerbiali, vt reor, figura, pro sordib. vehementer fœdis, & otiosis sumitur. Horrent enim omnes, nauseántque ad mulierem, quæ obscœnum patitur menstrui sanguinis fluxum: maximè Hebræi, apud quos menstruata fœmina quidquid tangebat, reddebat immundum.

In peccatore Iudæus, in mẽstruata Gentilis intelligitur.

5. Septuaginta pro, *in ablutionem peccatoris, & menstruatæ*, reddiderunt, *in transmutationem, & in aspersionem*: quam translationem non improbat Hieronymus, quia inde habent homines, vt à lege ad Euangelium, à litera ad spiritum, ab vmbra ad veritatem transeant. Videtur autem iuxta trans- A lationem istam allusum ad *cap. 19. Numer.* vbi aqua vaccæ rufæ cineribus permixta inquinati mundantur, & aspersione abluuntur. Hæc, vt dixi, ad Christi tempus spectant. Si quis tamen putet hæc quoque ad Machabæorum tempora pertinere, statúmque Iudaicæ Reipublicæ; non valdè incommodat eius cogitationi translatio LXX. Mutatus est enim status Iudæorum, inducta noua, aut potiùs instaurata antiqua Religio; & legitima quadam aspersione, quæ polluta fuerant, omnia mandata.

Vers. 2. *Disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltrà, & pseudoprophetas.*] Constat 6.
Iosiam Christi fuisse typum, & quemadmodum B Christi planctum Iosiæ planctui diximus esse persimilem, & in vtriusque studio in purificando templo, atque Regno Iuda nonnullam nuper fuisse similitudinem ostendimus; sic etiam quę nunc de falsis Prophetis inducuntur, ad Iosiæ similitudinem videntur esse proposita; à cuius historia, vt ego suspicor, plurimùm lucis accipiet caput istud obscurum.

Quanto studio Iosias idola non solùm è Ierusalem, sed è tota terra sibi subiecta sustulerit, satis 7.
Iosiæ pietas.
constat ex 4. *Reg. cap. 23. & cap. 24.* neque enim vsquam quicquam idolorum fuit; neque locus vllus, vbi impia sacra à sceleratis obita, quæ non contaminauerit, atque ita deleuerit, vt nulla ibi obscœnæ superstitionis vestigia reliquerit. Vt verò fuerit ad extremum vsque exitium idolorum Sacerdotes, ac pseudoprophetas insectatus, ex eodem loco satis liquet. Sic enim de Iosia suprà cap. 23. *Et deleuit aruspices, quos posuerant Reges Iuda ad sacrificandum in excelsis per ciuitates Iuda, & in circuitu Ierusalem; & eos, qui adolebant incensum Βα-al.* & infrà: *Sed & Pythones, & ariolos, & figuras idolorum, & immunditias, & abominationes, quæ fuerunt in terra Iuda, & Ierusalem, abstulit Iosias.* Ex iis fit verisimile, cùm tam seuerè in aruspices, & Pythones, qui & ipsi pseudoprophetæ erant, animaduerteret Iosias, fidem eos, aut authoritatem quam apud imperitam plebem obtinuerant, omnino perdidisse; imò & fuisse odio illis, apud quos antea in honore fuerant. Ex quo etiam existimo *Prophetæ* nomen eo tempore suspectum fuisse propter eos, qui illud falsò, atque impiè sibi arrogauerant: sicut olim nomen *Exorcistæ* turpe, & infamum, & ipsi exorcistæ quasi impostores, & nugatores habebantur, vt pluribus docuimus *c. 19. Actuum.* Et sanè Vlpianus *l. 1. ff. de variis & extraord. cognit.* impostores vocat. Quare parentes, & cognati, si quid filios, aut consanguineos propheticum moliri, aut sonare suspicarentur, eos non verbis solùm, sed etiam plagis ab eo siue nomine, siue studio deterrebant.

Hæc ergo omnia, quæ facta sunt tanquam in 8.
Iosias Christi typus in eluendis à terra sordibus.
E typo tempore Iosiæ, tempore etiam Christi cumulatè completa sunt: nam quemadmodum Iosias fons quidam fuit non clausus, qui occultè, & in vno loco; sed patens, qui in toto Regno sordes, & abominationes elueret; sic Christus fuit patentissimus fons, vt peccatorem, & menstruatum ablueret. Et vt ille pseudoprophetas toto Regno deleuit; sic Christus: eorum etenim magna tunc erat copia non apud Gentiles modò, qui spiritu Pythonico instructi futura se nosse prædicabant, sed etiam apud Hebræos. Nam quemadmodum tempore Iosiæ corruptis Hebræorum moribus diuini, & arioli sine vllo metu, imò cũ nonnullo honore frequentes visebantur, sic cùm Christi tempore Hebræorum mores es-

Inter Iudæos fuere arioli, & augures etiam tempore Euangelij.

17. Non, inquit impostor ille, Propheta sum, neque vnquam fui: ex quo enim per ætatem sapere cœpi, natum me ad laborem esse didici, eo nimirum prognatum parente Adam, quem Deus colendæ terræ duo alligauit ministerio. In eum igitur intuens potiùs statui sudore vultus mei è subacto agro tenuem fructum percipere, quàm propheticos spiritus, id est, insolentes animos assumere. Alij non hæc de primo homine Adam accipiunt, sed de alio quouis, à quo se dicit accepisse artem pastoralem, ac rusticam. Et sanè sensus esset non ineptus: nam Propheta à Deo afflatus, & doctus vaticinium fundit, agricola, seu pastor rei pecuariæ, ac rusticæ ab homine institutus operam dat molestam, & ignobilem. Ait ergo mendax ille quondam Propheta iam tamen vexatione sanior; non sic efferor animo ambitioso, ac futili, vt ad fundenda oracula quasi Dei nuncium ab ipso Deo institutum me, atque afflatum putem: neque me supra humanæ naturæ tenuitatem attollo: ab homine edoctus sum humanis, non diuinis assuescere; quod quilibet è vulgo facit, id mihi quæstui, atque studio est. Sed prior expositio communior, atque significantior est. Videtur autem allusum à Zacharia ad illud Amos cap. 7. *Non sum Propheta, & non sum filius Prophetæ, sed armentarius ego sum, vellicans sycomoros.*

18. Vers. 6. *Et dicetur ei: Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Si inflicta vulnera Prophetam illum falsum, qui tamen negabat se vnquam talem existimari voluisse, mendacij coarguerint, cùm eo supplicio mulctentur simulati Prophetæ: sicut nostra ætate aurium mutilatione latrones, aut ferro, & stigmate fugitiui serui, & dentium excussu testes mendaces; & aliquis obiiciat mendacij suspicionem, cùm secum ferat in corpore non tam oblati, quàm arrepti muneris prophetici notas, fatebitur quidem se in ea fraude, & scelere fuisse, liberatum se tamen ab eo errore diuino beneficio, tantique facere exustum sibi fuisse errorem, & ablatam illam Prophetæ simulati personam, vt in summi beneficij loco habeat plagas illas, & relicta vulnerum vestigia, quando per illa id consequutus est, vt meliori sit iam & saniori mente. Atque ideo superioris vitæ rationem detestatus ait ita se affectum ab eis, qui verè ipsum diligebant; atque adeò habere se illis immortales gratias. Sed in his aliqua nobis expendenda sunt. Primum, an hæc verba de Christo sint accipienda, an de Propheta falso. Secundum an verè ille confixus fuerit, & plagatus. Tertium, quid significet illud, *in medio manuum tuarum.*

19. *Christo hæc à quibusdā [illegible]nuntur.*

Quod ad primam quæstionem spectat, communis sententia est, hæc verba non pertinere ad Christum, sed ad illum, qui vaticinij falsi conuictus pœnas dedit. Ita Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, Albertus, Hugo, Haymo, Lyra, Vatablus, Dionysius, & è Recentioribus plerique: & in hanc sententiam omnino cogit textus ipse. Alij de Christo accipiunt, in quibus est Rupertus, S. Thomas in illud Psalm. 21. *Foderunt manus meas.* Salmeron *to. 10. tract. 7.* Ribera *hic.* Quorum hæc firmamenta sunt aut sola, aut potissima. Primum, quia in Missa quinque plagarum hæc verba ad Christi vulnera accommodantur. Secundum, quia si de pseudopropheta propter mendacium plagato hæc fuissent dicta, non videbantur satis piè ab Ecclesia ad Christum accommodari potuisse. Tertium, quia non dubium est, quin quod statim sequitur, ad Christum pertineat, atque adeo id, quod proximũ, ac penè cohærens est,

A Sed prior sententia magis est ad textum, neque rationes oppositæ admodum vrgent. Non prima, quia non omnia, quæ in Missæ sacris adducit Ecclesia, ad mysterium accommodata sunt, sed satis putat Ecclesia aptè conuenire, si vel vnum, aut alterum verbum historiæ cum festo, cuius causâ adhibentur, commune sit; vt patet *in feria 2. Dominica 3. quadrag.* vbi lectio longissima adducitur de Naaman à lepra mundato, cùm tamen in Euangelio multa sint alia, cum quibus historia proposita nihil habet commune. Item in Missa Angelorum Euangelium, quod totum est de scandalo, vix habet de Angelis aliquid præter nomen. Sic ergo in Missa de Passione, quia in B lectione quæ ibi adducitur ex hoc Propheta aliquid est quod ad Christi plagas, & Passionem pertineat; nempe, *percute pastorem*, &, *framea suscitare*, etiamsi plura sint alia, quæ eò non spectent, illud satis visum est Ecclesiæ, vt capitis illa magna pars recitaretur. Et quidem Patres qui putant Mariam peccatricem non esse sororem Lazari, in quibus est Theophylactus *in cap.* 14. *Marc.* Euthymius *in cap. 26. Matth.* Nicephorus *lib. 1. cap.* 37. sequuti Origenem *homil.* 35. *in Matthæum*, & Hieron. *in cap.* 26. *Mat.* & Ambrosium *in cap. 24. Lucæ*, Chrysostomum *homil.* 18. *in cap. 26. Matth.* & alij, qui dubitant, an eadē sit peccatrix, quæ soror Marthæ, vt est Bernardus *in serm. de* C *Magdalena.* S. Thomas *in cap. 26. Matth. & in cap. 11. Ioannis.* vbi connumeratis sententiis nihil definit, non admodùm mouetur, quòd in Ecclesia in festo Mariæ Magdalenæ, id est, sororis Marthæ historia recitetur peccatricis. Vide solutiones alias, quas adducit Salmeron *tom. 4. p. 2. tract. 6.* qui etiam censet Magdalenam, à peccatrice diuersam, dum respondet Hymno, qui in Magdalenæ festo in Ecclesia cantatur.

20. Probabilius est dici de Propheta falso.

REGVLA. *Ecclesia ad sacrum officium adhibere solet historiam, aut loca vtriusque testamenti quæ tota accommodari non potest, sed eius aliqua pars.*

Maria peccatrix quibusdam diuersa videtur à sorore Lazari.

Maria soror Lazari,
Quæ tot commisit crimina, &c.
In vas translata gloriæ
Ex vase contumeliæ.

Deinde non rarò in sacris Ecclesia solet alienam D historiam propter similitudinem aliquam, vel mysterium ad res alias accommodare. Vbi intelligi solet nota similitudinis, quæ ibi non exprimitur, vt illud Ionathæ & Saulis, quod cecinit Dauid 2. Reg. 1. *in morte quoque non sunt separati*, ad duos Ecclesiæ Principes Petrum, & Paulum traducit: & duas oliuas, & lucernas, de quibus Zacharias *cap. 4.* ad duos fratres Ioannem, & Paulum. *Isti sunt duæ oliuæ, & duo candelabra lucentia ante Dominum.* In Missa Vigiliæ Ioannis Baptistæ lectio sumitur ex *cap. 1. Ieremiæ*, quæ tota de Ieremia est: in die verò eiusdem ex *cap. 49. Isaiæ*, quæ verba sine dubio de Christo sunt. Et in festis B. Virginis plurima adducuntur, quæ in sapientiam E scripta sunt; & in assumptione ipsius historia proponitur Marthæ, & Magdalenæ. Quis autem ideo sibi persuadeat illam historiam, aut de Ioanne, & Petro; aut de B. Virgine esse intelligendam.

21. REGVLA. *Ecclesia ad sacrum officium historiam alienam propter similitudinē accommodat.*

Ad secundum non est difficilis responsio: satis enim notum est homines malos, & in actione etiam non bona rerum sanctissimarum, atque adeò Dei ipsius esse figuram. Quod negarat priùs Hieronymus *in cap. 45. Isai. & in cap. 10. Oseæ, & in cap. 12. Ezech.* sed mutauit postea sententiā epist. 131. *ad Rufinum.* vbi ait duas filias Loth, & duas vxores Oseæ significare vtrũque testamentũ, & Loth, & Oseā in eo etiā, in quo vxores, & filiæ figuræ fuere Synagogæ, Christi fuisse typũ. Idem putat Augustinus

22. REGVLA. *Malus in acti[one] etiam mala typus esse solet rei bonæ sicut etiam bonus rei malæ.*

gustinus *lib. 22. contra Faustum Manichæum*; & adducit incestum concubitum Loth cum duabus filiabus, & Iudæ cum Thamar. Idem Gregor. *lib. 3. Moral. cap. 21.* confirmátque exemplo Dauidis, & Bersabeæ: & Theodoretus *dialogo 3.* vbi Christū videt in serpente exaltato à Moyse. Hoc idem docet Eucherius *in libro 1. Reg.* vbi mortem Saul typum esse dicit mortis Christi. Vide plura apud Salmeronem *Proleg. 9. can. 10. & 11.* vnde hæc à nobis sumpta sunt. Quid ergo nimirum si Prophetam istum plagatum parentibus typum esse dicamus Christi qui à matre Synagoga, & à parente Deo percussus est? Tametsi ad hanc solutionem confugere necessarium non sit: quia, vt diximus nuper, satis est vt historia ex hoc loco petita in Missa plagarum recitetur, quia ibi est aliquid quod ad Christum propriè, & sine typo pertineat; nempe, *framea suscitare*, &, *percute pastorem*.

Ad tertium, fatemur illa quæ proximè dicuntur, propriè dici de Christo. Quomodo verò id non incommodet expositioni nostræ, suo loco dicemus.

23. Secundò, dubitatur an hic verè plagatus sit, vel confixus. Hieronymus, quem ferè alij sequuntur, affixum fuisse putat patibulo, & ex eo sciscitantibus responsum reddidisse. Alij, non respondisse ex patibulo; sed gestasse in manibus vulnerum stigmata, quæ plagæ dicuntur. Ita Theodoretus, Albertus, & alij. Imò Cyrillus putat plagas illas esse vinculorum vestigia, quibus ille pseudopropheta à parentibus ligatus est. Neque sanè parentibus à lege permissum est, vt priuata authoritate liberos in crucem agant: neque ageretur nisi in Prophetali habitu, vt eo præ se ferrent cuius sceleris in eo patibulo pœnas darent. At ille iam videbatur illū deposuisse, & sumpsisse pastoritium, & rusticum, quando respondit, *vir agricola ego sum*.

24. Quod de plagis ab aliis dictum est, nempe, quòd verè plagatus sit à parentibus pseudoprophetes, mihi omnino videtur esse dicendum. Sed improbabile non est, hæc non accidisse; sed ex vsu Scripturæ fuisse significatum, id quod ex tanto odio Prophetici nominis verisimiliter putabatur esse futurum. Est enim valdè vsitatum, vt aliquid factum esse dicatur, quod, vt fieret, aut rerum natura, aut status postulabat, vt diximus in fine præcedentis capitis. Et si hoc admittas, quod in pluribus aliis Scripturæ locis recusandum non est, sensus erit: vsque adeò inflammandum esse vel parentum odium in pseudoprophetarum præstigias, & veteratorias fraudes, vt si necesse fuerit filios suos vulnerare, atque etiam ignominiosè rapere in patibulum, non recusent; & adeò pseudoprophetis horroris futurū nomen illud, vt primùm omnino negent in se aliquid esse propheticum; vbi verò nullus fuerit tergiuersationi locus, quia vulneris notis proditur vsurpatum munus, dicant adeò se non amare nomen illud, & ministerium non suum, vt magnas agant gratias parentibus, quorum opera, licèt cum magno suo dolore, atque ignominia, ab eo studio liberati sunt. Hæc verò mimesis est eorum, quæ in simili casu fieri solent.

25. Tertiò, dubitatur an pseudoprophetæ manus vulneratæ sint. Si in crucem actum esse dicamus, non est difficile statuere, quia ligno manus affiguntur; sed qui ligni supplicium subeunt, ratò inde refiguntur nisi mortui. In hac re obscura mihi videbatur dici posse non improbabiliter, in

A vsu esse apud Hebræos, quod in nationibus aliis videmus esse frequens, vt multi scelerati non tam supplicij pœnam, quam ignominiam subeant: cuius rei argumento nobis est & direptio calcei ab eo, qui excitare noluit fratris sui semen; & consputatio in eius faciem ab vxore fratris mortui. *Deut. 25.* & traductio, in quam vt multi putant ne conijceret B. Virginē voluit illam Ioseph occultè dimittere. Sic ergo putabam in speciem, &, vt aiunt dicis gratiâ falsos illos Prophetas ad patibulum duci, ibíque configi manus, qua parte & periculum nullum est, & leuior dolor, & inde vestigia vulnerum in manibus referre; quæ conspicati alij facile in suspicionem venirent, illum esse de illo impostorum numero. Neque putabam aliter ex cruce, in qua supplicium subitur

B extremum, aliquem viuum, & plagatum deduci posse.

Hebræi hoc loco *manus* non accipiunt in ea significatione, quam illis nos communiter damus: 26.
sed putant sumi pro toto corpore, neque id sine aliquo fundamento; nam inprimis Hebr. vbi noster legit, *in medio manuum tuarū*, est בין ידיך *beniadecha*, id est, *inter manus tuas*: & ita vertunt Pagninus & Vatablus. Quare non est necesse vt dicamus manus esse vulneratas. Neque obstat Latina translatio, quæ habet *in medio*: tum quia *in medio* non sēper valet ex vsu Scripturæ id quod sonat, sed *inter*, vt, *in medio populi mei ego habito*, id est,

C inter meos populares: tum quia in medio manuum corpus est. Facit ad id quod 9 *iad*, id est, *manus*, significat *terminum*, vt pluribus ostendimus suprà c. 4. ad illud, *Quæ sunt iuxta duo rostra*. Et ita accipio illud Psalm. 103. *Hoc mare magnum, & spatiosum manibus*, id est, terminis, aut littoribus. Manus verò totius corporis quasi termini sunt.

Res sanè dubia, & in qua quid sequar definitum nihil habeo; eò tamen magis inclinat animus, vt existimen verbum *configo*, quo hic vtitur Interpres, sumi non pro certo aliquo cruciatus, seu ignominiæ genere; sed indifferenter pro 27. *Configo pro quolibet cruciatu.*

D quocunque quod graue sit, & horribile, per synecdochem: sicut de *ferro*, atque *vro* diximus *in proœmio Commentariorum Isaiæ & suprà cap. 3.* ad illud; *torris erutus de igne*. Quod multa Scripturæ loca mihi persuadent. Prouer. 22. *configo* sine dubio vehementem afflictionem indicat. *Non conteras egenum in porta, quia iudicabit Dominus causam eius; & configet eos, qui confixerunt animam eius*. & Malachiæ cap. 3. *Si affiget homo Deum, quia vos configitis me? & dixistis, in quo confiximus te? In decimis, & primitiis*. Eodem, vt puto, sensu, quo in casu non admodùm dissimili dixit Isaias cap. 1. *Laboraui sustinens*. Neque parū fauet huic sententiæ, quòd vbi noster habet *configent*, L X X. legunt συμποδιοῦσιν, id est, *compedient*, seu, *ligabunt*, nempe vt amentem, vt putat Cyrillus. Sed Nahum cap. 3. con-

E fixionem cum illa ligatione coniungit, quasi ligatus confixus sit, id est, grauiter afflictus. *Omnes*, inquit, *optimates eius confixi sunt in compedibus*. Accedit quòd Deut. c. 13. pseudoprophetæ lapidari iubentur, non crucifigi, vbi sermo est ad patrem, & cognatos contra filium, aut consanguineum somniatorem, & Prophetam. *Sit prima manus tua super eum: & postea omnis populus mittet manum: lapidibus obrutus necabitur*. Neque est verisimile parentes pios, si in filios impostores, & mendaces animaduertere vellent capitali pœna; patibulo vsuros fuisse potiùs, quàm lapiditatione à lege constituta. Et ita censet Cyrillus, qui plagas

gas manuum non tam clauis, quàm à funium nexu relictas esse censet. Vide quæ supra diximus capite 12. ad illud, *quem confixerunt.* Et hæc postrema sententia ex omnibus mihi maximè placet; nihil tamen hic certò, ac definitò assero.

28. Vers. 7. *Framea suscitare super pastorem meum.*] Hæc verba optimum habent interpretem Christum Iesum, qui hæc de se ipso exponit *Matth. cap. 26. & Marci 14.* Quod verò quæ modò sequuntur valdè sint à superioribus diuersa, ostendit & mutata dicendi figura magis emphatica, vtitur enim Propheta imperatiuo, cùm priùs vsus esset futuro: & quod statim subdit, *dicit Dominus*, quod ad hæc postrema videtur esse referendum. Solent autem nonnunquam Prophetæ subitò in alios, atque alios affectus erumpere, neque facilè apparet qua occasione, aut qua cum adiunctis consequutione id fiat; quod maximè contingit in iis, quæ ad Christum pertinent. Nam quemadmodum, qui aliquid vehementer amat, totus in eo est, & importunè interdum rebus, non tamen amori suo sermonem inducit de eo quod sibi hæret in animo; neque rarò se præbet aliis aut inurbanum, aut ridiculum: sic Prophetæ cùm de Christo cogitant, in Christi nomen, & gesta è medio sermonis cursu abripiuntur. Quare viri sapientes non semper in Prophetis quærendum esse putant cur hæc, vel illa hoc temporis seu sermonis articulo dicantur. Satis enim grauis ratio est, quam redderet, qui alterum deperit, si se amare dicat: neque enim amanti vsquam importunus est sermo de amato. Nihilominùs Propheta noster non sine occasione, eáque grauissima nunc in Christi Seruatoris plagas, & mortem exiliit.

29. Obseruatum nobis antea est, vsitatum esse in Prophetis, maximè in Euangelico Propheta Isaia, vt quoties occurrit typus Christi, aut species Euangelij, à typo ad veritatẽ progressus fiat. Quare suprà *cap. 6.* postquàm Iesu Sacerdoti ablatis sordidis vestibus imposita fuit aurea corona: quia in eo apparebat species aliqua Christi, post Passionem coronati; ad Christum statim transtulit vaticinium, dicens. *Ecce vir Oriens nomen eius.* & c. 9. cùm meminisset populi, qui pauper erat, atque humilis à captiuitate restitutus; qui tamen postea futurus erat fortis, & potens: quia ibi occurrebat typus aliquis Christi exaltandi post quandam veluti seruilem conditionem, aut certè tantæ felicitatis, & amplioris postea libertatis authoris, intento ad Christum spiritu dixit, *Exulta satis filia Sion; iubila filia Ierusalem; ecce Rex tuus venit.* Et huius subitæ, atque extaticæ migrationis exempla occurrunt passim in Isaia. Cùm ergo videret Zacharias pseudoprophetas merito suo vulnerari, malos vtique pastores, & eo nomine, quasi seductor esset, & malus Propheta, Pastorem optimum, & fidelissimum Prophetam Christum ab ignaro, atque impio populo vulnerandum, abripitur repentè à spiritu, & admirabundus ait venturum esse tempus, quo non à piis hominibus veterator, & impostor, sed ab impiis verus Pastor, & fidelis Propheta vulnerandus sit. Item cùm videret falsos Prophetas à parentibus suis vulneribus affectos, memoriam Zachariæ opportunè subiit quomodo Deus Pater, qui multo magis filium Christum diligebat, eum traditurus esset morti, imò, vt cecinit Isaias percussurus; *propter scelus populi mei percussi illum.*

REGVLA. *Cum occurrit vmbra temporis Euangelici, ad illud transferri solet sermo propheticus.*

30. Cæterùm notum est, imperatiuum sumi pro futuro; quod si in aliis esset dubium, de hoc tamen impium esset dubitare. Christus enim apud Matthæum hunc locum per futurum expressit. *Percutiam*, inquit, *Pastorem, & dispergentur oues gregis.* Quod de framea etiam dicendum esse nemo dubitabit, quando idem filum est, textúsque verborum.

31. Ex verbis Christi satis fit credibile frameam à Deo Patre suscitandam super Pastorem Christum, & ab eodem esse percutiendum. Quo enim nisi ad Patrem, referri possit illud *percutiam*, non apparet. Appellat autem Deus Pater Christum Pastorem suum, id est, à se missum, cuius custodiæ gregem commendarat. Quare Christus bonus Pastor Patri suo dixit Ioan. 18. *Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam*; vt se cerneret à Pastoribus aliis, id est, pseudoprophetis, qui à Deo missi non sunt; neque eo iubente propheticum munus obierunt, sed impellente ambitione, aut auaritia: de quibus Ier. c. 28. *Non mittebam Prophetas & ipsi currebant; non loquebar ad eos: & ipsi prophetabant.* Hîc ad extremum obseruandum familiare esse Prophetis apostrophen ad gladium: vt enim hîc Zacharias, *Framea suscitare*: sic Ieremias cap. 47. *ô mucro Domini vsquequò non quiesces?* & Ezechiel cap. 21. *Mucro, mucro, euagina te ad occidendum.*

Apostrophe vsitata ad gladium.

32. *Et super virum cohærentem mihi.*] Hebr. עמיתי *amithi.* LXX. transtulerunt *ciuem eius*; qui videntur deduxisse à עם *am*, quod *populum* significat, & pro *Iod* affixo pronomine primæ personæ, in suis codicibus habuisse *Vau* tertiæ. Eandem etiam vocem עם *am* habuisse videntur Aquila, & Symmachus, quorum alter *contribulem meum*, alter *virum populi mei*, conuertit; sed Hieronymus deduxit, à עמית *amith*, quod *proximum* significat; at parum diuersius sensus est, quacumque ex parte deriues, nisi quòd iuxta Aquilæ, & Symmachi translationem hæc verba videntur spectare ad Zachariam, cui contribulis Christus fuit, & eiusdem populi. Sed iuxta trãslationem vulgati ad Deum Patrem referuntur; præsertim si in futuro sumas, & in prima persona, vt Christus ipse docuit, cùm pro *percute*, citauit *percutiam.* Excitaturus igitur dicitur Deus frameam suam super virum cohærentem sibi, id est, consubstantialem, & qui ita cohæret, vt cum ipso, atque in ipso sit. Et quidem si Dei verba sint ista, reliqua magis expedita sũt. Et ita sentiunt omnes penè Interpretes, iuxta versionem LXX. qui reddunt in tertia persona, *super virum ciuem eius.* In *ciue* aliquid diuersum intelligitur à Pastore, & ex sententia Cyrilli, & Theodoreti intelliguntur Apostoli, & Discipuli Christi, qui eodem tempore, & post Christi Passionem variè vexati sunt.

33. *Percute Pastorem, & dispergentur oues.*] Christus de Patre dixit; *Percutiam Pastorem.* Zacharias item de Patre, *percute*, id est, percutiet. Sed idem est in Zacharia, *percute*; quod de Patre, *Percutiam*: nam Pater cum framea loquitur sua; & dum iubet, vt percutiat Pastorem, sine dubio dicit se percussurum; neque enim alius frameam illam vibrat, præter Deum. Porrò hæc de Christo, & de pusillo Discipulorum grege esse accipienda ipsa veritas docet Matth. 26. neque alij Christo percusso dispersi sunt; sed potiùs aggregati quàm plurimi.

34. *Et conuertam manum meam ad paruulos.*] Tempus hoc futurum satis indicat illud *percute*, optimè fuisse à Christo conuersum per futurum, *percutiam.* Paruuli isti iidem sunt, qui suprà dicuntur *oues dispersæ*, nempe Discipuli Christi. Dicuntur verò paruuli, vel quia humiles, & à Principibus Synagogæ despecti, vel quia pusillus grex, vel quia

quia quo tempore percussus fuit Pastor, ipsi timido fuerunt ac pusillo animo. Quo verò sensu accipiendum sit illud, *conuertam*, obscurum est. Si sequaris translationem L X X. qui ita vertunt; *& inducam manum meam ad Pastores*, sensus est; Pastores quoque percutiendos esse. Pastores verò illi sunt ex sententia Cyrilli, ac Theodoreti Principes Synagogæ, qui Christum morte damnauêre. Sed quomodo *Pastores* L X X. conuertere potuerint, non video, nisi pro צערים *Soarim*, quod nunc est in textu Hebraico, & *paruulos* significat, exigua commutatione רעים *roim* legerint, quod *Pastores* valet. Sed iuxta vulgati versionem alia est significatio, quam Hieronymus sequitur, Haimo, Ribera, & complures alij. Ita vt Deus conuertat manum, non vt percutiat, atque dispergat paruulos; sed potiùs vt dispersos colligat, & metu Iudæorum exangues confirmet, & à fuga, pauoréque receptos amplexetur ac foueat. Et hæc mihi probatur magis sententia, quam etiam textus ipse non obscurè significat; si modò constet *paruulos* esse Discipulos. Nam si iam antè percussi metu, atque dispersi fuerant, cur in illos intendenda iterum manus ad plagam? Magis sanè videtur ad rem si dicamus Dei manum à plaga, & flagello ad misericordiam, atque medicinam fuisse conuersam.

35. Vers. 8. *Et erunt in omni terra, dicit Dominus, partes duæ in ea dispergentur.*] Hîc iam, vt putat Hieronymus, post parenthesim, in qua de Christi morte actum est, ab ea vaticinium auertens Zacharias, ad ea quæ interruperat, sermonem refert. Constituit autem tria hominum genera, vnum Iudæorum, aliud Gentilium, qui tunc in vrbe morabantur, quãdo extrema clades accidit à Romanis: tertium Christianorum. Duo illa perierunt, quia vel absumpti sunt fame, & perempti gladio, vel exilio mulctati; id enim est *perire de terra*. Et quidem Ioseph. *lib. 7. de bel. c. 17.* scribit in obsidione vndecies centena millia periisse: fuisse verò capta nonaginta septem millia; eorum verò maiorem partem fuisse Gentilium, qui ad Azymorum festum vndecumque conuenerant. Tertia verò pars & vitam retinuit, & libertatem, nempe Christianorum. Quod quidem ex eo fit probabile: nam Christiani ex aliis regionibus ad illam Azymorum solennitatem non venerant in Ierusalem, quia illis Iudæorum festa sancta non erant. Neque credibile est Christianos, qui in Christi mortem non conspirarant, aut si qui in eo numero fuerunt, iam peccatum illud detestati pœnitentia, & lacrymis expiassent, luisse pœnas pro Christi nece Iudæis inflictas.

36. Mihi inprimis placet sermonem hîc esse de obsidione Romanorum, sicut pleraque eorum quæ ad finem vsque Prophetiæ dicuntur; & ita putat. vt diximus, Hieronymus, Cyrillus, & alij. Quod verò Hieronymus, & illum sequutus Haymo de duab. partibus dicunt, ex Iudæo, Gentilisque populo constatis, minùs certum est. Et quidem si textum Hebraicum consulas, inuenies non ibi partium distinctionem, ita vt ex duabus partibus altera sit ab altera diuersa; sed proportionem significat, ita vt ex omnibus, qui eo tempo-

In Romanorum obsidione quot, & ex quo genere perierint.

A re erunt in Iudæa, tertia pars superstes è ferro, & flamma futura sit. Hebræa sic habent, פי שנים *pi sanum*, id est, *portio*, seu *mensura duarum*. Quod verò tertia pars, quæ seruata fuit, fidelium fuerit, & non eorum Iudæorum, qui excisa vrbe capti, & variis incommodis iactati sunt, quorũ nũc etiã posteri ignobiles, sordidi, & odiosi supersũt, ex eo probatur, quia tertia pars, quæ saluãda dicitur, inuocatura etiam dicitur nomen Dei, & futura eius populus, & tribulatione probanda non aliter quàm igne probatur argentum: nam licèt Iudæi à vastitate reliqui tractati fuerint, non solùm durè, sed etiam ignominiosè, non tamen ita mutarunt animos, ac mores, vt Deum colant, vo-
B carique potuerint populus Dei. Qui in fornace persecutionum ita & olim Vespasiani tempore, & nunc etiam vtuntur, vt non purgentur; ita coquuntur, vt non excoquatur scoria. Longè aliter fideles, qui Christum coluerunt, quique Deo ex omnibus soli possunt dicere, *Deus meus es tu*, quósque Deus ita probat, sicut probatur argentum, in camino tribulationis. Discant hinc, qui ad hanc tertiam partem pertinere student, examen durum ignis, & laborum esse subeundum: neque tutum existiment statum illum hominum, à quibus ignis abest paupertatis, & tribulationis, quo purgari debet, & probari quod aurum futurum est purum & excoctum.

Fideles seruati.

C Theodoretus infrà ad illud cap. 14. *Ecce dies veniunt*; putat omnes fideles, qui in vrbe erant, quo tempore Vespasianus obsidionem moliebatur, excessisse ex vrbe matura fuga, antequam ab hoste interclusi essent ad salutem aditus. *Fama est*, inquit, *Vespasiano, & Tito bellum comparantibus, & suscipientibus, id temporis fideles ex reuelatione vrbem reliquisse.* Et verò hoc ipsum in Euangeliis Dominus Christus iussit. *Cùm videritis circumdari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote quia appropinquat desolatio illius: tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes.* 37.

Circa textum obseruandum est, illud, *& erunt*, otiosum esse in Latina translatione, quod in tex- 38.
D tu Hebraico otiosum non est; quia id exigit Hebraicum idioma. Est enim perinde ac si dicas: *& in terra erunt partes duæ.* Obseruandum item illud, *in omni terra*, intelligendum esse tantùm de terra Iudæorum, iuxta regulam, quam in illud Isai. 13. *vt disperdam omnem terram*, tradit Hieronymus. *Idioma est*, inquit, *Scripturæ, vt omnem terram illius significet prouinciæ, de qua sermo est.* Exempla multa adduximus ad illud Actuum 2. *ab omni natione quæ sub cœlo est.* Obseruandum tertiò, *dispergi in terra*, aut *perire de terra*, sumi non tantùm pro exilio, aut vulgari morte, sed pro quocumque grauissimo infortunio, siue illud temporale sit, & humanum, vt diuitiarum, aut vitæ iactura; siue spirituale, &
E æternum, vt est gehennæ supplicium. De damnis temporariis est illud Psal. 103. *Deficient peccatores à terra; & iniqui, ita vt non sint.* & Psal. 108. *Dispereat de terra memoria eorum.* Sed Psal. 59. de æternis intelligitur, vt ex adiunctis liquet. *Dominus regnabit in æternum, & in sæculum sæculi, peribitis gentes de terra ipsius.* Et sanè cælum *terra viuentium* appellatur, & ita exponit Iansenius.

Dispergi, aut perire de terra, quoduis damnum significat, siue spirituale, siue humanum sit.

IN

IN CAPVT DECIMVMQVARTVM

ARGVMENTVM.

DOCET quomodo ab hostibus Solymitana ciuitas capienda sit, & deprædationem, atque ignominiam subitura à gentibus, quas Dominus in prælium quasi Dux & antesignanus antecedet. Dehiscente autem monte Oliuarum ad muros vsque Ierusalem, omnes ad loca tuta ciuitatis confugient ea trepidatione, ac velocitate, qua terræmotus tempore sub Ozia. A quo terra tremore, hominúmque fuga admonitus Propheta ad extremi Iudicij minas vaticinium traducit: à quo rursus ad Ecclesiæ felicissimum statum illicò reuertitur. In qua in omnes gentes, & in omnem ætatem abundantem dicit futurum esse fontem, & iugiter manantem: deinde Ecclesiæ hostibus exitium minatur. Ad extremum dicit futurum, vt omnium gentium opibus, atque ornamentis ad diuinum cultum vltrò collatis Ecclesia locupletetur, & splendeat.

CAPVT XIV.

1. *Ecce dies Domini venient, & diuidentur spolia tua in medio tui.* A

2. *Et congregabo omnes gentes ad Ierusalem in prælium, & capietur ciuitas, & vastabuntur domus, & mulieres violabuntur, & egredietur media pars ciuitatis in captiuitatem, & reliquum populi non auferetur ex vrbe.*

B

3. *Et egredietur Dominus, & præliabitur contra gentes illas, sicut præliatus est in die certaminis.*

4. *Et stabunt pedes eius in die illa super montem Oliuarum, qui est contra Ierusalē ad Orientem: & scindetur mons Oliuarum ex media parte sui ad Orientem, & ad Occidentem prærupto grandi valdè, & separabitur medium montis ad Aquilonem, & medium eius ad Meridiem.*

5. *Et fugietis ad vallem montium eorum, quoniam coniungetur vallis montium vsque ad proximum: & fugietis sicut fugistis à facie terræ motus in diebus Oziæ Regis Iuda.* C

6. *Et veniet Dominus Deus meus, omnésque sancti cum eo. Et erit in die illa: non erit lux, sed*

PARAPHRASIS.

1. DIxi obsessum iri à Romanis Solymitanam vrbem, duásque terræ Iudaicæ partes perituras; id quomodo futurū sit accipe. Cùm dies ille terribilis à Domino immissus sit, in hostium potestatem venient exuuiæ, quæ sunt in Ierusalem; quas ipsi inter se per otium, & securè distribuēt.

2. Et congregabo, dicit Dominus, armabóque ad oppugnationem ciuitatis omnes gentes, à quibus capietur ciuitas: & exhaurientur, ac vastabuntur domus: neque suam pudicitiam mulieres à militum intēperantia liberabunt; & parte media ciuium in exilium abducta, quod reliquum fuerit è populo, in vrbe remanebit.

3. Neque gentes illæ vndecunque contra Hierosolymam congregatæ solæ pugnabunt: præcedet enim illas Deus tanquam Dux, & author belli; quibus ad excidium ciuitatis veluti instrumentis vtetur.

4. Et sicut Romani in monte Oliuarum, qui in ciuitatem ab Oriente respicit, castrametabuntur; sic etiam Deus eodem loco cum Romanis contra ciuitatem consistet. Tunc hiatu grandi mons Oliuarum diuidetur ab Ortu in Occasum; ita vt hinc inde partes duæ ad Aquilonem, & Austrum media disclusæ voragine relinquantur.

5. Cùm autem hiatus ille grandis ex Oliuarum monte per Cedronem ad locum ciuitati proximum producendus sit, recipient se ciues ad eam vrbis partem, quæ à prærupto illo, atque ab hoste imminenti putabatur tuta. Hæc verò est inter duos montes Dei, Sionem videlicet & Moriam. Fugient autem non minùs trepidè, ac velociter, quàm fugerunt cùm sub Ozia graui motu terra concussa est.

6. Species hæc omnino lugubris Ierusalem trepidantis priùs, deinde miserabiliter

Digitized by Google

frigus, & gelu.

7. ***Et erit dies vna, quæ nota est Domino, non dies, neque nox: & in tempore vesperi erit lux.***

8. ***Et erit in die illa: exibunt aquæ viuæ de Ierusalem: medium earum ad mare Orientale, & medium earum ad mare nouissimum: in æstate, & in hyeme erunt,***

9. ***Et erit Dominus Rex super omnem terram: in die illa erit Dominus vnus, & erit nomen eius vnum.***

10. ***Et reuertetur omnis terra vsque ad desertum de colle Remmon ad Austrum Ierusalem: & exaltabitur, & habitabit in loco suo, à porta Benjamin vsque ad locum portæ prioris, & vsque ad portam angulorum: & à turre Hananeel vsque ad torcularia Regis.***

11. ***Et habitabunt in ea: & anathema non erit amplius: sed sedebit Ierusalem secura.***

12. ***Et hæc erit plaga, qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ pugnauerunt aduersus Ierusalem: tabescet caro vniuscuiusque stantis super pedes suos, & oculi eius contabescent in foraminibus suis, & lingua eorum contabescet in ore suo.***

13. ***In die illa erit tumultus Domini magnus in eis, & apprehendet vir manum proximi sui, & conseretur manus eius super manum proximi sui.***

14. ***Sed & Iudas pugnabit aduersus Ierusalem: & congregabuntur diuitiæ omnium gentium in circuitu, aurum, & argentum, & vestes multæ satis.***

15. Et

A euersæ admonet me extremi temporis sæculorum, in quo Dominus concutiet motibus, & iudicabit mundum. Veniet enim vt nunc cum Romanis copiis ad euertendam vrbem istic etiam postea cum Angelis ad iudicandum mundum. Quo tempore obtenebrescet terra: ex quo etiam consequetur, vt inducatur frigus, & quæ tenebris, & frigore designari solent, pauor, & cæcitas.

7. Et in die illa, quæ nota est Domino, neque dies erit, quia Sol obscurabitur, neque nox, quia Sol, licèt obscurus, præsens
B tamen erit huic hemisphærio. Vesperi tamen, id est, postremo iam sæculorum articulo, postquam demersi in infernum sontes fuerint, lux erit longè maior quàm antea.

8. Iam me ad felicissima Euangelij tempora conuerto; in quibus de Ierusalem non terrestri, sed mystica, id est, de Ecclesia, aquæ exibunt viuæ, & iugiter manantes ad mare Orientale, atque Occidentale, id est, in omnem mundi plagam, in æstate, atque hyeme, id est, in omni tempore.

9. Tunc autem vnus Rex erit super ter-
C ram, & vnum nomen, quod omnes venerentur, & implorent.

10. Ecclesia, quæ hoc loco in Ierusalem intelligitur, longè latéque suos explicabit fines. Quemadmodum si ad terrestris Ierusalem habitationem, terra à monte Remnon, qui est ad Austrum, vsque ad desertum complanetur: ipsaque Ierusalem habitetur tota in antiqua sede à porta Benjamin ad portam vsque priorem, & portam angulorum; & à turre Hananeel vsque ad Regium torcular.

D 11. Quæ ita habitabitur securè, & munita, vt iam amplius nulla futura sit ab hoste vastatio, & metus.

12. Illorum verò qui Ecclesiam impiis conatibus insectari voluerint, hoc supplicij genere audaciam, atque impietatem mulctabit Deus: caro ipsorum longa tabe resoluta defluet: computrescent oculi, & è suis foraminibus excident: & lingua blasphema liquescet in saniem, & intra dentium vallũ fœdè putrescet. Quod accidet ipsis non solùm iam vita functis, vt communiter omni-
E bus in sepulchris; sed viuis, ac sentientibus, & stantibus super pedes suos.

13. Tunc magnus erit hostium tumultus, & coniuratio in Ierusalem, id est, in Ecclesiam, ad quam opprimendam mutua se Gentes cohortatione inuitabunt.

14. Sed & falsi Christiani non minori studio pugnabunt contra illam, sicut olim Iudæorum multi contra Ierusalem impias manus armarunt. Sed licèt omnes gentes Ecclesiam oppugnauerint, non tamen ex-

pugna

A pugnabunt, sed potiùs suis spoliis, & diuitiis locupletabunt, & instruent.

15. *Et sic erit ruina equi, & muli, & cameli, & asini, & omnium iumentorum, quæ fuerint in castris illis, sicut ruina hæc.*

15. Et quemadmodum potentes ac robusti, sic etiam alia infirmior, atque ignobilior turba cadet, quàm mulorum, & camelorum compellatio, & ministerium adumbrant.

16. *Et omnes, qui reliqui fuerint de vniuersis gentibus, quæ venerunt contra Ierusalem, ascendent ab anno in annum, vt adorent Regem Dominum exercituum, & celebrent festiuitatem tabernaculorum.*

16. Sicut omnes gentes olim quotannis ex terra Israël in Solymitanum templũ ad festum tabernaculorum confluebant: sic postea quotquot ex gẽtibus reliqui fuerint, ad magis arcana, & sacratiora Ecclesiæ festa, neque minùs frequenti concursu, neque minori studio, ac religione conuenient.

17. *Et erit: qui non ascenderit de familiis terræ ad Ierusalem, vt adoret Regem Dominum exercituum, non erit super eos imber.*

B 17. Eorum verò agris, qui ex omnibus terræ familiis adorandi Domini causâ in mysticam Ierusalem ascendere recusauerint, negato cælesti imbre sterilitatem, & squalorem inducet.

18. *Quòd & si familia Aegypti non ascenderit, & non venerit, nec super eos erit, sed erit ruina, quæ percutiet Dominus omnes gentes, quæ non ascenderint ad celebrandam festiuitatem tabernaculorum.*

18. Quam humoris inopiam, & agrorũ maciem, atque sterilitatem experietur etiam Ægyptus, quæ aquis terrestribus ac suis abundare videtur; nisi ipsi quoque cum aliis eo studio, quo Iudæi ad festa tabernaculorum venerant, ad pias Ecclesiæ solemnitates accedant.

19. *Hoc erit peccatum Aegypti, & hoc peccatum omnium gentium, quæ non ascenderint ad celebrandam festiuitatem tabernaculorum.*

19. Hoc punientur modo Ægyptus, & qui ex aliis familiis tabernaculorum festi-
C uitatem, vt dixi, non obierint.

20. *In die illa erit quod super frenum equi est sanctum Domino: & erunt lebetes in domo Domini quasi phialæ coram altari.*

20. Eo tempore quæcunque hominibus in pretio, atque in deliciis sunt, quibúsque illuminari, atque exornari solent arma, & fræna, aliáque equestria Imperatorum, ac Ducum ornamenta, Domino consecrabuntur.

21. *Et erit omnis lebes in Ierusalem, & in Iuda sanctificatus Domino exercituum: & venient omnes immolantes, & sument ex eis, & coquent in eis: & non erit mercator vltrà in domo Domini exercituum in die illo.*

21. Et quæ, dum sæculo, carnique seruiebant, instar cacaborum, atque ollarũ erant, quæ sordidis destinãtur ministeriis, illa iam ad Domini cultum religiosè traducta, erunt quasi phialæ, quæ vasa sunt honoris, & altaris vsui cõsecrata. Denique is erit fidelium ardor, id studium in religiosum Dei cul-
D tum, vt nullus sit lebes, qui non reperiatur in mystica Ierusalem; lebetum verò is erit numerus, vt etiamsi immolaturi plurimi veniant, tamen aliquid semper supersit ex eo numero. Neque erit vltrà mercator, qui victimas vendat, quia vltrò à religiosis hominibus offerentur.

---

1. TOTVM hoc caput & varium est, & explicatu difficillimum: neque enim constat de quo tempore, aut de quibus rebus loquatur Propheta. Atque etiam, si de tempore, materiáque constaret, genus ipsum dicendi implexum, & obscurum eos implicat nexus, quos si quis explicare contendat, rem sanè arduam tentabit potiùs, quàm assequetur. Hieronymus varias sententias adducit. *Quidam*, inquit, *Iudæorum complenda hæc esse dicunt sub Gog. Alij temporibus Macedonum, atque Ægyptiorum tribuunt.* Neque desunt è iuniorib. qui putent hæc respicere ad Machabæorum, & Antiochi tempora. Ita Paulus de Palacios, & annotationes marginales in Bibliis Pagnini; quod etiam ex antiquis aliquot ita existimasse colligitur ex Eusebio lib. 6. de Demonstr. cap. 18. ibi optimè hanc refellit sententiam. Est quidem satis probabile, & mihi pene certum, in hoc vltimum caput, & varia tempora, & varios temporum euentus esse collatos: quod Hieronymus indicat, & alij plures apertè testan-

testantur: quæ tamen illa sint, valdè est incertum. Et primùm placet, quod sentit Hugo, quem è Recentioribus multi sequuntur, in hoc vltimo capite explicari, & dilatari pluribus, quæ non tam exposita, quàm proposita fuerunt in fine superioris; vbi ex tribus partibus, quæ futuræ dicebantur in terra, duæ perituræ prædicuntur; tertia verò seruanda quidem, & probanda, & excoquenda igne tribulationis. Et quidem, qui ita Prophetiam distingueret, vt caput hoc inciperet ab illis verbis cap. 13. *Et erunt in omni terra, dicit Dominus, partes duæ*; non incommodè diuideret: ne quæ historiæ filo contexuntur, capitum distinctione distraherentur.

2. *De obsidione Romanorum.* Vers. 1. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & diuidentur spolia tua in medio tui.*] Prima pars capitis agit de excidio Ierusalem per Romanos. Huc incubuit omnium pene Interpretum consensio. Et quia de Christi Passione proximè egerat; quam non longè pòst secuta est Hierosolymæ vastitas; ideo dicit: *Ecce dies veniunt.* Illud verò (*in medio tui*) dupliciter exponi potest: aut quia hostes vrbem ita subigent, tenebúntque victores, & domini, vt spolia non in agro, quod in subita direptione fieri solet, vt notauit Hieronymus; sed in media vrbe securè distribuant. Seu potiùs ibi subaudiendum est aliquod relatiuum, quod in Scriptura frequens est, hoc sensu; diuidentur spolia, quæ sunt in te. *Medium* autem significare, quod in aliquo loco sit, etiamsi longe ab eo, quod medium communiter dicitur, satis notum est. Et hæc secunda expositio magis mihi probatur.

3. Vers. 2. *Et congregabo omnes gentes.*] Romani rerum domini facilè omnes gentes ad arma euocabunt, maximè qui vicina loca Hierosolymis occupauerunt, quæ à Romanis imperio tenebantur. Dicuntur verò omnes gentes accommodatè ad locum, témque propositam, iuxta id, quod nuper diximus in fine cap. 13. De copiis à Vespasiano coactis contra Iudæos. Vide Iosephum *lib. 3. de bello cap. 1.* & Cornelium Tacitum *lib. 11. Annal. in principio.*

4. *Et vastabuntur domus, & mulieres violabuntur.*] In deprædatione vrbium, maximè quæ ab hostibus fit à Religione alienis, hæc familiaria sunt. Existimant enim insolentes victoria milites, & parum sibi ab eo, quod voluptuarios sensus titillat, temperantes, licere sibi in subiugatos populos, quidquid collibuerit. Idem accidisse cùm vrbs capta fuit à Nabuchodonosor, scribit Ieremias Thren. c. 5. *Mulieres in Sion humiliauerunt, & virgines in ciuitatibus Iuda, &c. adolescentibus impudicè abusi sunt.* Hæc verò, & longè grauiora passos esse Iudæos refert Iosephus, & Cornelius Tacitus, teste Hieronymo.

5. *Quid reliquum in Ierusalem post excidium Romanorū.* *Et egredietur media pars ciuitatis in captiuitatem, & reliquum populi non auferetur ex vrbe.*] Tres partes videtur Zacharias constituere populi Iudaici: primam, quæ extincta est obsidionis tempore; secundam, quæ in exilium abducta; tertiam, quæ in vrbe relicta. Quæ verò sit ista pars tertia, & à quo relicta, obscurum est. A Tito id fuisse concessum verisimilius est: nam Iosephus *lib. 7 de bello c. 15.* scribit seruata esse de populo plusquam quadraginta hominum millia, quibus permissum fuit, vt vbicumque mallent, considerent. Neque est improbabile eos manere maluisse in vrbis ruinis, ex quibus rediuiua materia domos sibi construerent, quàm alienas regiones, & peregrinum cælum expetere. Qui, vt tradit Tacitus *lib. 21. Annalium*, vsque adeò amantes erant patriæ, vt, si transferre sedes cogerentur, maior esset vitæ metus, quàm mortis. Quidam existimant à Tito superiorem partem ciuitatis esse conseruatam, & in ea magnum ciuium numerum esse relictum. Ita Hieronymus, Cyrillus, Hugo, Eusebius *libro 6. de Demonst. cap. 18.* Neque ideo impletum non est quod Christus dixerat, ita excisum iri Ierusalem, vt remansurus non sit lapis super lapidem: nam quod reliquum fuit ab excidio Titi, deleuit postea Adrianus. Iosephus *lib. 7. de bello cap. 16.* scribit quasdam turres excisas non esse, quæ futuræ essent fortunæ Cæsaris monumentum. Et cap. 18. tradit relictam esse eam murorum partem, quæ vrbem ab Occidente cingebat. Hegesippus *lib. 5. cap. 49.* crematam dicit vrbem, neque quicquam liberum fuisse ab incendio. Fortasse ea figura vsus est Hegesippus, qua id quod ab extremo, aut toto parum abest, totum, aut nihil appellari solet. Vel potiùs hic loquendi modus Prouerbialis est, quo extremum declaratur excidium; sicut cùm dicimus hyperbolica etiam, & Prouerbiali forma, *scopare vrbem, & verrere puluerem*: & similia, quæ nihil ex antiqua mole significant fuisse reliquum. Vide quæ diximus in caput 14. Isai. ad illud, *Scopabo eam in scopa.*

6. In ea igitur parte à Tito non euersa potuisse habitare non incommodè illa tot seruatorum millia, aut eorum bonam partem, non est improbabile: vel fortasse aliquot Iudæorum dicuntur non auferendi, quia ab Adriano iussi sunt ciuitatem à se restitutam inhabitare: quam ipse de suo nomine vocauit Æliam. Vide Dionem in Adriano. Qui sublati non dicuntur de terra, quia omnino expulsi non sunt, quandoquidem ad illam postea sunt reuocati. Neque incommodat, quòd fortasse qui tunc obsessi sunt, omnes eiecti fuerunt: nam de tota natione Iudæorum videtur intelligenda Prophetia; maximè cum inter tempora Titi, & Adriani non multùm intercesserit temporis. Quod attinet ad partem mediam, quæ abitura dicitur in captiuitatem, mihi verisimilius est quod Ribera docet, & Rupertus, ex Iudæis extinctos esse plurimos, & ferro, & fame; alios verò captiuos fuisse, qui licèt mortuorum numerum non adæquauerint, dicuntur tamen esse pars media, iuxta vulgi opinionem, cui se interdum accommodat Scriptura: quòd vbi magna pars est in aliqua multitudine, illam solet appellare mediam. Et fauet plurimum vox ipsa *medium*, quam Hebræi iuxta suæ linguæ proprietatem adhibere solent eis rebus, quæ in aliquo numero, aut loco sunt, etiamsi longè absint à medio, id est, à centro. Neque enim cùm 1. Reg. 17. dixit Dauid, *Veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis*; credendum est, ablatum esse arietem, qui esset circumfusus vndique à reliqua arietum multitudine; cùm leo, aut vrsus illum plerumque rapiat, qui est in extremo agmine, vtpote magis expositum prædæ. Erit ergo sensus: ex ea multitudine partem aliquam abituram in captiuitatem. *Medium non arithmeticè, aut mathematicè sumendū aliquando.*

7. Vers. 3. *Et egredietur Dominus, & præliabitur contra gentes illas, sicut in die certaminis.*] Egredi dicitur Deus cùm se aliquo opere manifestat. De gentibus contra quas egressurus dicitur Deus, non omnes idem sentiunt. Quidam Romanos esse dicunt. Ita Hugo, Vatablus, Interlinearis, Ribera: tum quia suprà, vt diximus, gentium Romanarum meminerat, & ad nihil aliud videtur posse

posse referri: tum etiam quia præliaturus dicitur Deus sicut in die certaminis; sed certamen illud, vt suo dicemus loco, pro Hebræis fuit. Sed alij censent non egressurum Deum contra Romanos, sed cum Romanis, & pro ipsis. Ita Theodoretus, Cyrill. & Eusebius. Et hæc posterior sententia mihi est verisimilior, quam mihi ita persuadeo: nam vbi Latinus habet *contra gentes illas*. Heb. est בגוים *bagoim*, id est, *in gentibus*. Quod probant LXX. qui reddiderunt ἐν τοῖς ἔθνεσιν, id est, *in gentibus*. Est autem notum *beth* apud Hebræos munus habere instrumenti, vt, *percutere in gladio*, &c. Deus ergo in gentibus Romanis præliatus est contra Ierusalem, id est, per Romanos Ierusalem expugnauit, vltus indignissimam, atque acerbissimam filij sui necem. Quod neque Romanos ipsos latuit, licèt à Religione alienos: nam Titus sæpe confessus est vrgeri Iudæos ab irato Deo potiùs, quàm ab hostibus. Et, vt tradit Philostratus *lib.6. cap.14.* propter debellatos Iudæos coronari noluit, quia victoriam non sua; sed diuina virtute comparatam putabat. *Finitimæ*, inquit, *gentes ob victoriam coronare ipsum voluerunt; ille verò tali honore indignum se esse respondit: non enim se talium operum authorem, sed Deo iracundiam contra Iudæos demonstranti manus suas præbuisse.* Cui rei argumenta multa fuerunt, quæ tradit Ioseph. & Hegesip. vt quòd aliquando Titus miraculosè seruatus. Ioseph. *lib.6.c.2.* quòd de cælo data signa, & ostensa prodigia. Idem *lib.7.cap.12.* Hegesippus *lib.5.cap.44.* inter alia commemorat visos per inane ferri currus, & armatas acies tranantes nubila, & ciuitati circumfusas. Hæc verò omnia satis ostendunt Hierosolymitani belli authorem esse Deum. Ex quibus sequitur Deum non fuisse præliatum contra Romanos, sed vsum illorum armis, ac ministerio Iudæis bellum, & cladem intulisse.

8. Sed facit contra hanc expositionem, quia contra gentes pugnaturus dicitur Deus, non pro gentib. aut cum eis simul tanquam earum Dux. Respondeo, in Heb. vt nuper diximus, esse בגוים *ba goim*, & licèt illud à aliquando significet *contra*, frequentiùs tamen significare instrumentum. Neque inusitatum est nostro Interpreti, vt è duab. significationibus sumat minùs propriam; deinde per quamdam metalepsim ad propriam eius loci significationem ascendat: vt *Sap.4.* cùm μόσχευμα *vitulum*, & *plantam* significet, aut *quod ad vitulum, plantationémque pertinet*, noster pro *plantatione*, id est, pro significatione propria impropriam adhibuit: *& spuria vitulamina non dabunt radices altas.* Plura exempla habes in nostris Commentariis ad illud *Psal.67.* in defensione vulgatæ; *etenim non credentes.* vbi ostendimus illud apud politissimos prophanorum authorum fuisse in vsu. Cum ergo *beth* instrumentum significet, & *contra*; quid mirum si bonorum authorum exemplo alteram significationem adhibuerit minùs propriam? Sed neque fortassè aliud hîc significat *contra*; quæ vox nonnunquam valet idem quod *ante*, siue, *è conspectu*. Psal.50. *peccatum meum contra me est semper*, id est, ante me. Hebr. נגדי *negdi*, id est, *coram me*; & Abdias, *cùm stares aduersus eum.* Hebr. מנגד *minaged*, id est, *è conspectu*. Et statim de monte Oliuarum; *qui est contra Ierusalem.* Quo sensu Virg. Æneid.1. dixit,

——*Italiam contra, Tyberinaque longè*
Ostia.——

Et vox *aduersùm*, quæ non valdè differt à *contrà*, fauorem, & beneuolentiam interdum significat.

REGVLA. E duab. significationib. interdũ ab Interprete sumitur minus propria.

Contra non semper aliquid inimicum significat.

Qua ratione dicimus *reuerentiam aduersus parentes, gratiam, & humanitatem aduersus omnes.* In hunc sensum Deus dici potest pugnasse contra Romanos, id est, è Romanorum conspectu, aut ante ipsos tanquam Dux, & author inferendi belli.

Sicut in die certaminis.] Id est, quo tempore contra Pharaonem pugnauit pro Israëlitis: nam quemadmodum Deus antecedebat Israelis agmen, aperiebátque viam, quo tempore nullum proponebatur effugium: sic Deus Romanis aperuit ad oppugnationem viam, cùm Ierusalem, aut propter loci naturam, aut munitionem arte, atque industria comparatam, nulla ratione videretur expugnari posse.

Vers.4. *Et stabunt pedes eius in die illa super montem Oliuarum, qui est contra Ierusalem ad Orientem.*] 9.
Hic variè distrahuntur Interpretes, quorum sententias commemorare, atque refellere longum esset. Quidam ad tempora Antichristi referunt; alij ad extremum Iudicium; nonnulli ad Christi gloriosam ascensionem. Theodoretus hæc etiam pertinere putat ad obsidionem Romanorum; cuius mihi præter cæteras probatur sententia, quia iuxta illam maior videtur rerum consequutio. Quam ad rem obseruo, vt ex Iosepho constat *lib.6. de bell. cap.3.* Titum in monte Oliuarum castra posuisse. *His (legionibus) præceptum erat sexto ab Hierosolymis stadio castra ponere, qua parte mons, qui appellatur* ἐλαιῶν, id est, *Oliuarum, contra ciuitatem ab Oriente situs est, aliáque interiacente valle discernitur, cui nomen est Cedron.* Et eam fortassè ob causam Christus ex eo monte spectans Ierusalem fleuit super illam *Lucæ cap.19.* dicens: *quia si cognouisses & tu*, &c. *quia venient dies, & circumdabunt te inimici tui vallo*, &c. Quia futurum erat, vt qui ex eo loco mansuetus ingrediebatur, sanguinem, & vitam pro Hebræorum salute largiturus, post in eodem loco staret cum Romanis seuerus, & durus obstinatæ perfidiæ vindex, ciuitatem ingratam, & impiam ad extremum vsque lapidem vastaturus.

Titus in mõte Oliuarũ castra metatus est.

Et scindetur mons Oliuarum ex media parte sui ad Orientem, & ad Occidentem prærupto grandi valdè.] 10.
Hîc, vt censeo, nobis diuinandum est, quia neque ex Scriptura, neque ex authoribus sacris, aut externis satis habemus lucis, quam intueamur. An terræ concussu mons Oliuarum diuisus sit hiatu grandi in obsidione Romanorum, nihil constat ex sacra, aut ex prophana historia; est tamen verisimile ita contigisse; sicut alia multa prodigia, quæ nuper ex Iosepho, atque Hegesippo retulimus. Quòd verò illius hiatus Iosephus non meminerit, mirandum non est, cùm in tanta rerum varietate, aliis, atque aliis rebus animum haberet intentum, dum Iudæorum, & vrbis cladem exponit. Et hoc potiùs censeo: quia sententiam hanc textus ipse non inuitus offert; licebit tamen in re vsque adeò obscura aliquid inuestigare, ac commentari noui: faxit Deus ne ineptè, aut otiosè.

Cùm in hunc locum inciderem, à nemine, 11.
vt reor, hactenus satis expeditum, addubitare cœpi an hîc sermo esset de terræ concussu, atque hiatu, quo mons Oliuarum discessisset, vel de castris Romanorum, quæ sic erant ab Imperatore disposita, vt montem diuiderent, ita vt ab Oriente in Occidentem paterent, aut porrigerentur, & hinc inde ad Aquilonem, & Meridiem duas partes relinquerent. Præruptum verò grandem valdè, vallem Cedronem interpretabar, etiã occupauerunt Romani, vt ex Iosepho cõstat.

Vallis verò nihil est aliud quàm montium scissura, & ideo à radice, בקע *bakahh*, quæ idem est, quod *scindo*, vallis appellatur בקעה *bikhhah*; imò hoc loco clariùs pro *prærupto* Heb. ponitur גיא *gie*, quæ *vallem* significat. Quòd verò Cedron dici possit hiatus, seu vorago, vt hìc interpretantur L X X. potiùs quàm vallis, docet Iosephus lib. 14. Ant. cap. 14. *Vallis*, inquit, *in immensos dehiscebat hiatus, ita vt caligarent despicientium oculi visu deficiente ob immensam profunditatem.*

12. Ex his hanc sententiam colligebam, diuidendum esse montem Oliuarum cum suo prærupto grandi, id est, valle Cedrone à Romanorum castris: ita vt montis duæ partes ab exercitu disclusæ pertinerent ad Aquilonem, & Meridiem; quod necessarium erat, quando Orientalem partem montis occupauit exercitus, cùm mons ille Ierosolymam ab Oriente respiceret. Et iuxta hanc explicationem dicendum putabam, non hìc agi de noua montis scissura, seu hiatu, sed significari antiquam Cedronis profunditatem non futuram aut munimentum Iudæis, aut impedimentum Romanis, quominùs optata perficerent. Neque longè ab hac sententia abit Theodoretus, qui montem putat esse exercitum Romanorum, qui montem occupauit. Diuisum verò montem putat, quia ad alia ciuitatis loca obsidenda diuisus fuit Romanus exercitus. Existimo autem partem illam ciuitatis minùs fuisse munitam arte, quia satis à natura propter Cedronis profunditatem, & ascensum arduum videbatur contra hostes habitura præsidij, atque adeò in alias vrbis partes muniendas, & tuendas incubuerat Iudæorum studium. Certè Pompeius in regione Aquilonari castra metatus est, deterritus Cedronis profunditate, quæ minùs erat opportuna oppugnationi, vt tradit Iosephus lib. 14. Ant. cap. 8.

13. Aliam nunc accipe explicationem magis, credo, ad rem. Inter castra Titi, & vrbem ab Orientali plaga profundissima intererat vorago Cedronis, quæ Iudæis contra hostes firmissimum erat munimentum. Hanc credo sic impletam, atque constratam, vt expeditam viam aperuerit copiis ad muros vsque ciuitatis. Id suadet, quod in aliis vallibus id fuisse factum à Tito docet Iosephus lib. 6. de bello cap. 4. & cap. 5. *Qui iussit exercitum totum, quod erat vsque ad muros spatium complanare. Cunctis igitur maceriis, ac sepibus dirutis, quibus hortos, & prædia incolæ præmunierant, omnique opposita, quamuis frugifera, sylua excisa repletum est quidquid erat cauum, & vallibus impeditum.* Et in ipsa valle aggeres esse constructos, & muros docet idem Iosephus *lib. 6. capite* 13. & planè indicat translatio L X X. quæ obturatam dicit esse vallem. Ex iis mihi verisimile videtur Romanos ex monte Olíueti, vbi consederant, deuoluisse in subiectam vallem saxa, atque aliam materiam idoneam, & implendæ voragini, & aggeri excitando: & spatium illud, quod profundum, & vacuum relictum est excisis saxis, & fossa terra, vocari scissuram: & ideo commodè dici posse scissum esse montem Oliuarum, ferramentis nempe Romanorum. Cùm autem scissura illa spectaret vrbem, quam mons Oliuarum ad Occidentem habebat, ipsáque ab Oriente produceretur, neque admodùm lata, quia neque latum spatium Cedronis, saxa inde deuoluta complentura erant, ac constratura; optimè dicitur montem Oliuarum esse diuidendum ad Orientem, & Occidentem. Ex quo etiam necessariò fiet, vt duæ partes prærupto illo, & fossa media ita distrahantur, vt altera ad Aquilonem, altera ad Meridiem spectet. Et quidem id L X X. in sua versione satis indicant, dum dicunt. *Et obturabitur vallis montium meorum, & adiungetur vallis montium vsque ad Asael.* Neque dubium est vallem illam esse Cedronem, quæ montem Oliuatum, & Moriam discludit. Et quidem non est verisimile Iosephum, aut Hegesippum omissuros terram illo concussu discessisse, qui aliorum cælestium prodigiorum meminissent.

Hæc videbantur in re adeò difficili dici posse non improbabiliter; nihilominùs verum existimo graui motu terram esse diuisam, quando id Patres affirmant, & vox ipsa in sua proprietate sumpta id persuadet. Neque admodùm vrget in oppositum, quòd hæc à Iosepho prodita non sint, cùm alia non minora suo loco à sacris Scriptoribus omitti soleant. Et ne longiùs abeamus, terræmotus sub Ozia, de quo statim, & cui similis futurus esse dicitur, à Zacharia ille de quo nobis sermo; suo loco omissus est, & tantùm nobis notus, quia & hìc à Zacharia, & ab Amos capite 1. citatus est; sic etiam terræ motus hic omissus est à Iosepho, nobis tamen notus, quia prædictus à Zacharia. Neque existimo in monte Oliueti duas fuisse scissuras, sed vnam tantùm, quæ ab Ortu ad Occidentem versùs Cedronem, & ciuitatem producebatur: & tunc facilè intelligitur quomodo vna pars montis ad Aquilonem, altera respiceret ad Austrum. Hieronymus putat duas in monte futuras esse voragines in crucis similitudinem; ita vt quod est præruptum, in quatuor mundi plagas pateret; quod etiam sequitur Cyrillus, & Theodoretus. Sed quod diximus de vna tantùm voragine, magis implet textum, & ita sentit Eusebius suprà, & Ribera cum aliis recentioribus. Et illud indicant L X X. dum vertunt. *Et inclinabit media pars eius ad Aquilonem*, &c. 14. *Mons Oliuarum diuisus.*

Vers. 5. *Et fugietis ad vallem montium meorum; quoniam coniungetur vallis montium vsque ad proximum.*] 15.
Septuaginta aliter legunt. *Et obturabitur vallis montium meorum, & adiungetur vallis montium vsque ad Asaël.* Eodem modo legunt Aquila, & Theodotio, vt dicit Hieronym. Diuersæ translationis causa fuit vna vox Hebraica, quæ secunda persona esse potest numeri pluralis, à verbo נוס *nus*, quod est *fugere*; & tertia vocis passiuæ singularis numeri, à verbo סתם *satham*, quod est *claudere*, seu *obturare*. Iuxta versionem L X X. commoda videtur esse sententia, si ita interpretêre: Ex illa montis diuisione implebitur vallis, quæ media est inter Oliuetum, & vrbem, atque adeò ad Asaël, id est, vt putat Hieronymus, ad extremam partem montis, vbi situm erat templum. Et ita vallis illa profunda complanata fuit, constrauítque viam Romanorum copiis, non secus, atque si esset sine offensione planicies. Et reuerà ita contigit: nam, vt statim dicemus, castra Romanorum mœnibus ciuitatis proxima fuerunt, ab Orientali plaga constructo nouo muro in Cedrone, vt tradit Iosephus *libro 6. de bello capite decimotertio.*

Sed iuxta nostram versionem, quam omnino amplecti debemus, ad nostram sententiam magis accommodatur explicatio. Sed priùs obserua, vallem montium non esse eandem priori loco, quæ posteriori. Priori enim loco, vt putat hìc Hieronymus, sumitur pro eo spatio, quod intra ciuitatis mœnia est, inter montem Moriam, 16.

&

& montem Sion, qui montes Domini vocantur; quia eos elegit sibi Dominus: in vtroque enim fuit Arca Domini. In monte quidem Sion, id est, in ciuitate Dauid multis annis. 1. *Paralipp. c. 15.* & 2. c. 5. & in monte Moria longè pluribus, quia in eo ædificatum erat templum. Posteriori verò loco sumitur pro Cedrone, quæ montem Olïueti diuidit ab eo monte, in quo sita est Ierusalem. Hæc verò coniuncta dicitur ad proximum, quia, vt nuper vidimus ex Ioseph. *lib. 6. de bell. c. 13.* muro fuit cincta ciuitas à Tito ab ea parte, quæ Cænopolis dicitur, per Cedronem ad montem vsque Oliuarum: idque eo consilio, ne cui in extrema fame egredi liceret; aut ne quid ciborum inuehi ad obsessos posset. Cùm ergo proximus mœnibus instaret hostis, omnes se ad interiora ciuitatis recipiebant, vbi omnia minùs periculosa. Vel certè, cum multi extra ciuitatis muros habitarent, vt tradit Ioseph. lib. 6. de bell. cap. 6. in Cænopoli, seu Bezetha, quæ pars erat extra ciuitatem, hi Romanorum metu se intra septa ciuitatis abdiderunt. Et hæc quidem iuxta expositiones priores, quas diximus non adeò nobis probari, quæ tamen non videntur displicere Theodoreto, qui montem diuisum censet esse exercitum Romanorum, qui cùm primùm in Olïueto consedisset, deinde diuisus est in alia loca opportuna vrbis expugnationi.

17. Si tamen dicamus, quod magis est ad literam, ingenti hiatu terram patuisse à monte Olïueti, per Cedronem vsque ad proximum, id est, vsque ad ipsa propè ciuitatis mœnia, satis hinc intelligitur quomodo Hebræi ad interiora se ciuitatis abdiderint, vbi minùs erat periculi, quia longiùs aberant à terræ hiatu, vel, cùm multi habitarent extra mœnia, vt tradit Iosephus suprà, deterriti à grandi illo præruptu, qui ad suam vsque regionem pertinuit, se in mediam ciuitatem dederunt. Vide suprà c. 2. ad illud, *Absque muro habitabitur ciuitas.*

18. *Et fugietis sicut fugistis à facie terræ motus in diebus Oziæ.*] De hoc terræ motu habemus *Amos cap. 1.* neque in Scriptura de eo aliquid habemus præter nomen, idque tantùm in Amos, & Zacharia. De illo agit Iosephus lib. 9. Antiq. cap. 11. *Nam cùm Sacerdotis munus assumpsisset sibi Rex impius, ecce* (inquit) *terra vehementer concutitur, fissóque supernè templo radius Solis os Regis ferit, quod è vestigio lepra contactum est. Accessit huic & aliud prodigium, quod eodem terræ motu ante vrbem in loco, qui dicitur Eroge, dimidium montis ad Occidentem vergentis reuulsum per quatuor stadia volutum, obiectu demum Orientalis montis constitit, & obstructa via publica, & oppressis ruina hortis Regiis.* Hæc Iosephus. Addit verò Cyrillus sub Ozia Iudæorum regionem, & ipsam Hierosolymam contremuisse; atque ita fuisse quassatum Sion, vt in duas partes dirumperetur, & valles adiacentes iugis eius opplerentur.

Terra motus sub Ozia.

19. *Et veniet Dominus Deus meus.*] Hæc non difficilè accommodari posse puto ad Solymitanum excidium, ad quod cum Romanis adfuit vindex Deus. Antecessit verò fragor & tremor, vt tempore Eliæ. 3. Reg. 19. *Ecce Dominus transit, & spiritus grandis, & fortis subuertens montes, & conterens petras ante Dominum.* Adfuisse autem Dominum cum Romanis cum obsiderent ciuitatem, & eius potentia fuisse deletam potiùs quàm Romanorum armis, ipsi quoque Romani confessi sunt, vt paulo antè diximus. Neque eius rei defuere argumenta: nam, vt ex Iosepho diximus suprà ad illud; *Et egredietur Dominus*, armatæ acies in aëre

A visæ sunt. Porrò, sancti qui cum Deo dicuntur esse venturi, Angeli videntur esse posse, quorum ministerio sæpe vsus est Deus in euertendis hostibus. In Heb. pro *cum eo*, est עמך *ghimecha*, id est, *tecum*; & ita vertit Vatablus. Sed sine dubio corruptus est codex Hebraicus, & legendum עמו *ghimo*, sicut etiam legerunt LXX.

Nihilominùs puto ex hoc loco migrationem 20.
quamdam fieri ad extremi Iudicij diem; neque id abs re: cum enim eius similitudo præcessisset in vastatione ciuitatis, ab vmbra vaticinium ad veritatem erupit. Quod etiam in eodem argumento Christus fecit *Matth. 24. Marc. 13.* nam cùm de hac Romanorum obsidione agere cœpisset, statim eodem textu sermonis de Antichristo B sermonem induxit. Accedit quòd hæc verba Paulus videtur accepisse de extremo Iudicio 1. Cor. 6. *An nescitis quia sancti de hoc mundo iudicabunt?* & 1. Thessal. 3. *In aduentum Domini nostri Iesu Christi cum omnibus sanctis eius.* Et hæc est omnium ferme Patrum sententia.

Vers. 6. *Et erit, in die illa non erit lux, sed frigus, & gelu.*] Hæc verba de excidio ciuitatis videbantur explicari posse, siue metaphoricè accipias, siue propriè, & historicè. Nam ciuitas mense Septembri octauo die capta est, ineunte scilicet hyeme, quando in ea regione frigus est, & tempestas nubila: sed potiùs videntur hæc accipienda esse metaphoricè; nam quo tempore capta fuit Ierusalem, consilium ac prudentia defuerunt obsessis C Ducibus, adeò vt Imperator Titus miratus fuerit Ducum amentiam, qui turres, quæ nullis machinis euerti posse videbantur, reliquissent, dixeritque: *Deo planè adiuuante pugnauimus.* Ita Iosephus *de bell. lib. 7. cap. 16.* Hæc ergo amentia, & mentis æstuantis perturbatio tenebræ dicuntur a Latinis, atque prophanis sæpe, à sacris Scriptoribus multo sæpiùs. *Frigus* autem, & *gelu* pro formidine sumuntur, & pro re, quæ infeliciter, & sine successu procedit. Vnde dicimus aut frigere res nostras, aut nos in rebus frigere, cùm res neque ex vsu, neque ex voto succedunt, aut certè quia frigore torpent membra, neque ad opus satis sunt expedita, aut soluta. Quæ omnia reuerà contigère in Hierosolymitana clade. Sed licèt D hæc conuenire possint in statum, ruinámque Iudæorum, est tamen longè verisimilius hæc maius aliquid spectare, vt communiter Patres; nempe Iudicium extremum, vt nuper indicauimus. Sed priùs quàm hinc emigro, ad harum rerum, earúmque, quæ mox sequuntur maiorem explicationem, quædam addere non exiguum erit operæ pretium.

21. *Quo modo non fuit lux, dum caperetur ciuitas.*

Ad ea, quæ dicta sunt à Propheta toto hoc 22.
cap. 14. ad hunc vsque locum, & in fine cap. 13. de templi, mundique consummatione, credo respexisse Christum *Matth. 24.* & eius integram expositionem nobis reliquisse: nam cùm Christus dixisset ita dissoluendum esse templum, vt lapis super lapidem non esset relinquẽdus, Discipuli, cùm sederet in monte Olïueti, rogant quando E futurum esset tantæ molis exitium; & simul de secundo aduentu, nimirum ad iudicandum, interrogant. Ad quæ respondet Christus eo prorsus ordine, & modo, qui à nostro Propheta propositus est. Quod verò apud *Matt. cap. 24. Marc. 13. Luc. 21.* sermo fit de vrbis templique strage, & verba ipsa declarant, & volunt communiter Patres, & Doctores. Vbi priùs obserua, Apostolos videri in eo tunc esse errore, vt existimarent templi, mundique consummationem futuram

Christus videtur hæc Zachariæ verba exposuisse.

eodem tempore, atque ideo de vtroque simul interrogant, adducti fortasse hoc Zachariæ testimonio, in quo vtrumque sine dubio coniungitur. Et idem fortasse erat Iudæorum sensus, templum nō nisi cum mundo solutum iri; quare impij habebantur qui de templi ruina aliquid dixissent. Quo nomine Christus accusatus est, & Stephanus occisus. Christus verò ita primùm agit de templo, vt ab eius dissolutione mundi finem quam longissimè remoueat. Postquam enim signa tradidit excidij Hierosolymitani, quæ eiusmodi erant, vt ab eis videretur mundus esse soluendus, subiecit. *Sed nondum statim finis.* Nunc singula Prophetæ verba ad Christi item verba referamus.

23. Cap. 13. dixit Zacharias: *Et erunt in omni terra, dicit Dominus, partes duæ in ea dispergentur, & deficient; & tertia pars relinquetur in ea.* & cap. 14. *& reliquum populi mei non auferetur ex vrbe.* Hoc Christus significat cùm dixit. *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modo, neque fiet.* Quod esse dictum de populo Iudaico ostendit Lucas cap. 21. *Erit enim pressura magna super terram, & ira populo huic.* Et ita exposuit August. *epist.* 80. *ad Hesychium.* Deinde subdit: *Et nisi breuiati essent dies illi, non fieret salua omnis caro. Sed propter electos breuiabuntur dies illi.* Augustinus suprà ait propter Christianos, qui tunc erant Hierosolymis, breuiatum esse obsidionis tempus: nam, vt res tunc habebat Solymitana, si paulo diutiùs traheretur obsidio, fames, ac pestis extinguerent omnes obsessos; neque salua fieret omnis caro Iudaica; quia de illa institutus sermo. Vide quæ ad hunc locum diximus *cap.* 13. quomodo tertia illa pars superstes à ferro, atque exilio, Christianorum fuerit, aut certè eorum, qui ad fidem pòst essent accessuri. Hæc eadem docet Salmeron tom. 4. tract. 39.

24. *Et congregabo omnes gentes in Ierusalem in prælia, & capietur ciuitas, & vastabuntur domus.*] Hoc etiam Christus dixit suprà. *Audituri estis prælia, &c. surget gens contra gentem.* Hæc verò omnia esse contra Ierusalem ostendit Lucas; addit enim. *Cùm videritis circumdari ab exercitu Ierusalem, &c. Erit enim pressura magna super terram, & ira populo huic, & cadent in ore gladij; & captiui ducentur in omnes gentes: & Ierusalem calcabitur a Gentibus.*

25. *Et scindetur mons Oliuarum.*] Idem Christus docuit Matth. 24. *Et terræ motus per loca*; quod etiam prædixisse videtur Lucæ cap. 23. nam cum de hac obsidione ageret, ad filias Ierusalem ait. *Tunc incipient dicere montibus: cadite super nos; & collibus: operite nos.* Videtur enim cum aliis ciuitatis infortuniis, terræ quoque motum & montium ruinam prædixisse, licèt allusum sit ad *cap.* 10. *Oseæ*, vbi illa eadem verba reperiuntur. Porrò Christus, vt apparet, non tantùm egit de motu, quo mons Oliueti concussus est, & diuisus; sed de aliis etiam, qui sub idem tempus excisæ Ierusalem contigerunt. Sedebat autem tunc fortasse Christus in eadem parte montis, quæ prærupta grandi scissa est: nam mons ille ab Orientali plaga respiciebat vrbem; ab Ortu verò ad Occasum hiatus patebat, qui ex terræmotu relictus fuit. Christus verò in eo montis loco sedebat, vt dicit Marcus suprà, vnde commodè vrbem spectare posset. *Sedebat,* inquit, *contra templum.* Quare pars illa Christi vaticinio obsequuta satis latè diuinum oraculum impleuit.

26. Cæterùm eodem obsidionis tempore aliis in locis terra prodigiosè contremuit: vt enim prodit Orosius *libro* 7. *capite* 9. sub id tempus tres ciuitates Cypri terræ tremor euertit. Huc etiam refero incendium Vesuuij, de quo Orosius suprà, & Xiphilinus in Tito, cuius torrentibus flammis vicina regio cum vrbibus, hominibúsque deleta esse commemoratur.

Et erit, in die illa non erit lux, sed frigus, & gelu.] 27.

Quo tẽpore, & die capta Ierusalem.

Huc videtur Christus respexisse cùm dixit. *Orate, vt non fiat fuga vestra in hyeme, vel Sabbato.* Nam, vt ex Iosepho docuimus, ineunte hyeme capta ciuitas est die octauo Septembris, qui non longè aberat ab æquinoctio hyemali. More autem Scripturæ, quod proximè abest ab aliquo termino, eius sibi nomen vsurpare solet. Quòd verò die etiam Sabbati capta sit ciuitas, tradit Dionysius Cassius in Nerone. Ante illud tempus nonnulla ostendebatur spes vitæ ac libertatis: nam Titus, qua erat animi lenitate omni tempore, extremo etiam, & iam pene labente statu Iudæorum ad fœdus, & pacem vocabat populum nimiùm in sua vesana mente obstinatum. Scio ab omnibus pene causas alias afferri, cur neque hyeme, aut Sabbato apta, aut vtilis fuga futura fuerit; sed illæ morales sunt: hæ verò neque alienæ videntur ab historia, neque aliis incommodant; sed potiùs luculenter accinunt. Hæc de Christi verborum cum Zachariæ vaticinio consensu, quòd attinet ad excidium Ierusalem. Quòd verò Christus cùm egit de Iudicio, ad hunc quoque Prophetam alluserit, dicemus statim ad illud; *Et erit dies vna.*

Et veniet Dominus Deus meus, omnésque sancti cum eo.] Hinc credo sermonem traduci ad extremi Iudicij tempus; vbi in lugubri Hierosolymæ clade eius viuum exemplar antecessit. Ad quem locum variæ sunt allusiones, vbi de fine sæculorum sermo fit. 1. *Cor.* 6. 1. *Thessal.* 3. 28.

Et erit, in die illa non erit lux, sed frigus, & gelu.] 29.
Hunc locum explicuimus iam de excidio Ierusalem: sed quia difficilis est, non erit abs re si aliter etiam explicare tentemus; ita vt à Ierusalem Propheta ad alia transferat vaticinium, quod aliis etiam visum est. Sed, vt hæc vera sint, est tamen dubium ad quodnam tempus, seu mysterium hęc accommodari debeant. Quidam ad Christi Passionem referunt, in quibus est Eusebius *libro* 6. *de Demonst. cap.* 18. *& lib.* 10. *cap.* 7. Theodoretus, Clemens Romanus *lib.* 5. *Constit. cap.* 16. quia tunc lux non fuit, quia moriente Domino tenebræ factæ sunt; sed gelu, & frigus, quia reuerà ita accidit, vt ostendit Petrus, qui eodem tempore calefaciebat se. Vel certè, quod videtur verisimilius, *frigus*, & *gelu* pro nocte sumuntur: neque enim aptè coniunctio aduersatiua (*sed*) opponit luci frigus, sed noctem, aut tenebras: satis enim notum est noctis vim esse maiorem frigoris; vnde nox frigida dicitur, ita vt adiunctum sumatur pro subiecto.

Sed est verisimilius hæc ad Iudicij tempus pertinere. Ita Hieronymus, Cyrillus, Haimo, & è Recentioribus plurimi; quod probant quæ hactenus à nobis dicta sunt, & quæ statim dicentur.

Vers. 7. *Et erit dies vna, quæ nota est Domino.*] Hic 30.
ego non dubito sermonem esse de Iudicio: nam cum locis suprà citatis ex Euangelio Discipuli de die Iudicij sciscitarentur, respondit Iesus, respiciens, vt apparet, ad hunc locum Zachar. Matth. 24. & Marc. 13. *De die autem illa, & hora nemo scit: neque Angeli cælorum, nisi solus Pater.* Id verò est, *diem notam esse Domino.*

Non

31. *Non dies, neque nox, & in tempore vesperi erit lux.*] Clemens Romanus *lib.5. Const. cap.*16. hæc accipit de Christi Passione. *Per tres horas* (inquit) *tenebræ extiterunt à sexta ad nonam; rursus lux orta est vergente Sole ad occasum, sicut scriptum est; non dies, & non nox: & ad vesperam erit lumen.* Alibi à nobis dictum est ad illud capit.9. *Hodie quoque*, in Scriptura *diem* non semper sumi, vt communiter solet, pro spatio 24. horarum, sed pro aliquo spatio multo etiã longiori, sicut etiam sæpissime mensura aliqua certa, seu certus numerus pro re incerta sumitur. Quantum verò futurum sit illud tempus, nõ constat, & tamen *dies* appellatur. Vocatur autem Iudicij tempus etiam illud, quod proximè Iudicij aduentum antecessit. Hoc ergo spatio temporis neque dies erit, quia Sol obscurabitur, & Luna non dabit lucem suam, & stellæ cæli cadent, id est, cometæ discurrent. Quia vulgus, cui se interdum accommodat Scriptura, cadere tunc stellas putat. Hæc verò magis videntur speciem habere noctis, quàm diei. Sed neque nox erit; quia Sol, licèt obscuratus, præsens erit huic hemisphærio. Ad extremum tamen erit lux, eáque clarissima; quia peracto Iudicio, sontibúsque repentè in barathrum absorptis, lux erit in ipso vesperi, id est, extremo iam articulo sæculorum: quoniam ad lumen Solis, quod tunc, si vnquam, splendidissimum erit, accedet splendor Christi, & Sanctorum omnium, qui fulgebunt sicut Sol. *Matth.*13. & *Sap.*3. Imò & elementa iam purgata plurimùm claritatis addent vniuerso. Vt enim putat S.Th. in 4. distinct.48. quæst.2. art.4. *Terra erit lucida, & peruia sicut vitrum in superficie; aqua sicut crystallus; aer sicut nunc est cælum, ignis sicut nunc sunt luminaria cæli.* Porrò in his verbis videtur esse quædam correctio superiorum: dixerat enim priùs, *Erit dies vna, quæ nota est Domino*; nunc subiicit, *non dies, neque nox.* Ac si dicat Propheta, diem dixi? sed neque dies erit, neque nox, vel quia dies erit caliginosus, vel quia Sol stabit, qui suo motu diem metitur, & noctem. Quare deerit illa temporum mensura, &c.

32. *Hic omnino sermo de Ecclesia.*

Vers.8. *Et erit, in die illa exibunt aquæ viuæ de Ierusalem.*] Hic se Propheta refert ad Christi tempora, ad illa sc. quæ consequuta sunt Christi Passionem (de qua nonnihil egerat in c.13. & verbis, quæ proximè antecessère, ex sententia Theodoreti, Eusebij, & Clementis Romani, quorum sententiæ non parum fauet hic locus) & agit de Euangelij, Ecclesiæque propagatione, in quam sententiam omnes pene conspirant. Quare hic iam minùs laborandum est, quia à rerum Iudaicarum historia, in qua parum est lucis, expediti, ad Ecclesiã traducti, & lucis habemus plurimùm, quod intueamur, & duces, quos sine periculo sequi possimus. Eo ergo tempore felicissimo de Ierusalem, vbi fons erit patens domui Iacob, suprà *cap.*13. exibunt aquæ viuæ, claræ vtique decurrentes, ac puræ, non sordidæ, non conclusæ, ac fœtidæ, quæ mortuæ dicuntur, in ablutionem peccatoris, & menstruatæ. Aquæ verò istæ sunt Sacramenta, per quæ sanguis Christi iugi, atque vbere influxu in piorum animos illabitur. Item scientia Dei, & Euangelica doctrina, de qua Isai. c.11. *Repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes.* Cur verò dicantur exire de Ierusalem, ea ratio est, quia Christus ibi passus est, & inde exordium sumpsit Euangelij prædicatio; iuxta illud Isai.cap.2. *Quia de Siõ exibit lex, & verbũ Domini de Ierusalẽ.* Cur aquæ dicãtur viuæ, vide quæ diximus ad illud cap.4. *Cant. puteus aquarum viuentium.*

A Hîc verò obseruandum, *Ierusalem* non solùm significare ciuitatem illam, de qua hactenus multa, sed etiam figurate Ecclesiam Dei; sicut etiam hæc eadem beatorum patriam adumbrat, quę passim vocatur Ierusalem cælestis. In eo verò quod reliquum est capitis, maxima ex parte Ierusalem Ecclesiam significat, & si quid proprium ciuitatis adducitur, ideo fit, quia propter illud speciem habet, & typum Ecclesiæ. Quod præter alia probat apertè, quia aquæ illæ semper exibunt de Ierusalem, vt dicemus statim. De terrestri verò, & materiali verum non est: de Ecclesia autem verissimum. Accedit quòd plura alia de Ierusalem dicuntur in hoc capite, quæ in terrestrem nullo modo conueniunt. 33.

B *Medium earum ad mare Orientale, & medium earum ad mare nouissimum.*] Mare Orientale putat Hieronymus esse mare mortuum; mare verò nouissimum Mediterraneum, quod ab Occasu, atque Austro Palæstinam alluit. Sumũtur verò pro Ortu, & Occasu, id est, pro toto mundo, vulgari Scripturæ more. Vide quæ diximus cap. 18. ad illud, *de terra Orientis, & de terra Occasus.* Ita Euseb *lib.6. de Demonst. cap.* 18. & August. *contra Fulgentium Donatistam c.* 6. Quòd verò pars, quæ ad Ortum spectat, pro Ortu, & quæ ad Occasum, pro Occasu sumatur, argumento est, quia *mare* sæpe pro Meridie sumitur, & *Thabor* pro Occasu, *Hermon* pro ortu. Psal.88. *Aquilonem, & mare tu creasti: Thabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt.* 34. *Ortus & Occasus pro toto mundo.*

C vbi quatuor mundi plagæ describuntur. Neque id alienum est ab omnium pene gentium consuetudine, quæ certum locum vsurpat pro regione, ad quam locus ille spectat. Cùm tamen mare mediterraneum Meridiem spectet, & Occasum, quà tamen ad Occasum pertinet, *nouissimum* dicitur, quia magis distat a Ierusalẽ: vel certè quia quemadmodum Oriens קדם *kedem* dicitur, quia ab eo principium est diei; sic etiam Occasus *vltimum* vocatur, aut *nouissimum*, quia illum Sol vltimò lustrat. Quare LXX. quod noster Interpres vertit, *mare Orientale*, ipsi reddiderunt, *mare primum*; quos aliqui è Recentioribus secuti sunt.

D Quidam existimant *mare Orientale*, id est, mortuum, sumi pro Iudæis, quia in eorum regione est illud mare: *mare* verò *nouissimum* pro Gentibus, quia illud est extra Iudæam; & ita putat Hieronymus, Cyrillus, & Haimo. Quòd si hoc admittas, obseruabis *medium* pro parte sumi, vt alibi diximus, etiamsi pars, quæ medium dicitur, longè sit inæqualis: nam constat maiorem partem illius aquæ viuæ ad mare nouissimum, id est, ad Gentes decurrisse. Sed placet prior explicatio. 35.

In æstate, & hyeme erunt.] Sicut priùs in *Occasu*, & *Ortu* totus mundus; sic modò in *æstate*, atque *hyeme* omne tempus intelligitur. Ita Eusebius, & Aug. suprà, Cyrillus, & Theodoretus. Quare sensus est; in omnem locum, & omni tempore E emanaturas aquas è Ierusalem, id est, ex Ecclesia, de qua hæc affirmari possunt. Quòd verò *hyems* & *æstas* pro toto anno sumantur, non solùm ex sacris, sed etiam ex prophanis authoribus docemur. Virg.Eclog.2. 36. *Æstas & hyems pro toto anno.*

Lac mihi non æstate nouum, non frigore desit.

Vbi *frigus* pro hyeme ponitur, quod est poëtis familiare. Gen.8. *æstas, & hyems: nox, & dies.* vbi sicut *nox*, & *dies* nullum tempus excludunt; sic *æstas*, & *hyems* omne tempus admittunt. Dan.4. *Benedicite frigus, & æstas Domino.* vbi de temporibus anni videtur agi, quia iam de gelu, atque æstu dictum

dictum fuerat. Et quidem Theodoretus ait à quibusdam annum bifariam diuidi, in hyemem, & æstatem; quod etiam Plinius tradit *lib.7. cap.48.* qui annum nostrum a quibusdam in duos annos diuisum esse ait. *Annum* (inquit) *alij æstate vnum determinabant, & alterum hyeme.* Ex quo frequens apud prophanos duobus hisce spatiis annum definiri. Virg. 1. Æneid.

Tertia dum Latio regnantem viderit æstas,
Ternaque transierint Rutulis hyberna subactis.

Et in eundem sensum Seneca in Thebaide.

Bruma ter posuit niues,
Et tertia iam falce decubuit Ceres.

Neque deest ratio, cùm duo alia tempora, ver, & autumnus non tam afferant nouam qualitatem, quàm remittant, & temperent illam, quæ ab hyeme, atque æstate est. Notantur verò duo hæc tempora, quia seruata aquarum metaphora, de his dubitari poterat: solent namque his temporibus aquarum cursus cohiberi. In æstate quidem, quia propter siccitatem aquæ deficiunt; in hyeme verò, quia frigore conglaciant, atque consistunt. Ex hoc loquendi genere discimus, in rebus maximè angustis, id est, premente quàm acerbissimè Tyrannorum rabie, aut hæreticorum versutia, non tamen ideo aut exhauriendos, aut obturandos perennes Ecclesiæ fontes.

37. Septuaginta, vt diximus, pro *mari Orientali*, verterunt *mare primum*. Et est sine dubio mare mortuum, quia illud ab Oriente Hierosolymam respicit, quod etiam mare primum vocatur, quia nullum mare propius est Hierosolymæ, quàm mare mortuum. Vbi obserua, quia metaphoricè Sacramenta, aut Euangelica prædicatio aquæ viuæ vocantur, id est, quæ fluunt, optimè etiam dici, seruata eadem translatione, in maria influere, quorum aquas salsas & insalubres, & graue olentes sanant, non aliter atque fons Ierichuntinus sanatus est ab Elisæo. 4. *Reg. c.2.* Populos autem per *aquas* significari satis notum est, iuxta illud; *Aquæ multæ, populi multi.* Optimè verò populus Iudaicus per *mare mortuum* intelligitur, quod sterile est, fœtidum, & percussum è cælo. Cui non absimiles Iudæi, qui odio sunt, horrori, & nauseæ apud omnes, non solùm propter vitæ genus, morésque ignobiles: sed etiam multo magis propter Christi mortem. Quare Romani cùm aliis non solùm hominibus, sed etiam integris nationibus Romani nominis titulum concesserint; & qui in vrbe habitant, quicumque illi sint, Romani dicantur, Iudæi tamen patrio vocantur nomine, non Romano, & vbique terrarum sunt Iudæi. Vide Aug. in illud Ps. 58. *Disperge illos in virtute tua.* Et si quando aliud audiunt nomen, quàm Iudaicum, ignobili etiam appellatione vocantur Libertini; vt pluribus diximus in illud Actuum 6. *Quæ appellatur Libertinorum.* Sed & illis inusta esse traditur perpetua infamiæ nota; nam eorum corporibus tantus inest fœtor, vt ab eo nomen vulgare traxerint, & dicti sint *fœtentes.* Quare Ammianus lib.2. hæc tradit de Marco Imperatore. *Cùm Palæstinam transiret Ægyptum petens, fœtentium Iudæorum, & tumultuantium sæpe tædio percitus, dolenter dicitur exclamasse. O Marcomanni, ò Quadi, ò Sarmatæ, tandem alios vobis deteriores inueni.* Sanè Martialis *lib.4. Epig.4.* fœtentem Iudæorum halitum Prouerbiali, vt reor, specie significat, cùm inter ea quæ grauissimè fœtent, connumeret: coniungit enim cum exhausta palude, aqua sulphurea, fumante lychno, vulpino stercore, viperino cubili. Hæc verò, vt constat, graue aliquid ex-

Iudæis naturalis quidam fœtor.

spirant. Appellat autem eo loco Iudæos Sabbatarios.

Vers.9. *Et erit Dominus Rex super omnem terram: in die illa erit Dominus vnus.*] Ex illo tam vbere viuarum aquarum & salubrium influxu fiet, vt Dominus vbicumque regnet. Quod etiam dixit *cap.13.* cùm de hoc eodem fonte ageret. *Et disperdam nomina idolorum de terra.* Si quæras quomodo post illa tempora diu perseuerauerint idola, & nunc etiam apud barbaras, & ignotas regiones idola colantur, vt nostra ætate apud Sinas videmus, & Iaponios. Respondeo iuxta regulam à nobis traditam ad illud cap.12. *Et plangent eum;* illa in Scriptura dici fieri, quæ vt fiant, ipsa rerum natura, aut potentia postulant: de qua pluribus Ribera in illud *Apoc.c.20. num.72.* vbi eandem regulam tradit sub his terminis; *futurum tempus interdum non significare actum, sed potentiam.* Sic ergo Deus Rex erit, & Dominus vnus super terram, vndecumque sublatis idolis, quia vis ea erit fontis illius, qui in omnem mundi partem effundetur, vt hæc omnia præstare non solùm possit, sed etiam mereatur. 38.

REGVLA. *Futurum tempus aliquando non actum, sed potentiam significat.*

Et erit nomen eius vnum.] Sicut suprà dixit; *disperdam nomina idolorum de terra,* id est, cultum & obseruationem idolorum: sic etiam nunc dicit futurum vnum nomen, id est, vnum Deũ, & vnum cultum. Multa sunt Dei nomina, quæ non amisit Deus Euangelij tempore, sed futurum dicitur vnum ipsius nomen, vel quia illa multa nomina ad vnam rem significandam adhibentur, vel, quod magis reor, quia nomen in Scriptura pro re significata sumitur, vt diximus ad illud Cant.1. *Oleum effusum nomen tuum.* Quare Hebræorum more eadem sententia duobus modis explicata est: neque deest ratio, cur pro Deo hîc *nomen* positum sit: nam nomē magnum aliquid & illustre sonat, vt Ouid. lib.3. de Tristibus. 39.

Cur vnum Dei nomen in vniuersa terra.

REGVLA. *Nomen pro persona.*

Nomina magna fuge.

Virg. lib.3. Georgic.

——Demissæq; ab Ioue gentis
Nomina——

Sed in Scriptura huius significationis maior vsus. *Genes.6.* viri famosi & celebres dicuntur *viri nominis* Heb. & Eccl.39. *Narrationem virorum nominatorum conseruabit.* i. Doctorum magnæ authoritatis. Erit ergo sensus: vnus Deus coletur, vel, vna tantùm erit Maiestas in terra.

Vers.10. *Et reuertetur omnis terra vsque ad desertum.*] Hebræorum magistri, & alij quidam è Recentioribus legunt. *Circumdabitur omnis terra & planicies.* Sed, meo iudicio, quocumque modo legas, sensus est idem; & significatur dilatandos esse terminos mysticæ Ierusalem, sumpta metaphora à terrestri, in cuius situm & terminos intuetur, dum cælestis amplitudinem ostendit. Dicit ergo habitandam esse Ierusalem in loco suo, ita vt in ea nihil futurum sit spatij vacui ab habitatoribus: sumit quatuor terminos quibus totus ciuitatis ambitus circumscribitur; portam scilicet Benjamin, & portam priorem, & turrem angulorum, quæ maximè inter se videntur distare: deinde alia ex parte turrem Hananeel, & torcularia Regis. De harum portarum, & locorum situ res est obscura. Vide nostrum Villalpandum in Ezechiel. De Regis torcularibus nihil certum: sed credo hîc figuratè poni pro horto Regio, de quo *lib.Reg.4. c.21.* nam vt *cellaria vini* pro deliciis sumuntur, vt diximus ad illud Cant.7. *Introduxit me Rex in cellaria:* sic nunc *torcularia*, quod non obscurè indicant Psalmi, qui inscripti sunt, *pro torcularibus;* 40.

Quàm lata Ecclesiæ spatia.

Spatia Ierusalem.

ribus; in quibus aliquid festiuum significatur.

41. Neque spatium illud totum satis futurum est ciuium numero. Quare complanandum esse dicit collem Remnon, qui prope Ierusalem est, & ad illum vsque dilatanda ciuitatis spatia. Hac terrenæ ciuitatis imagine apte exprimuntur amplissimi Ecclesiæ fines. Eodem modo Ieremias *cap.* 31. dixit extra normam, & situm ædificandam esse Ierusalem, vbi etiam adumbrat Ecclesiæ magnitudinem. Nam quemadmodum si vera, & propria Ierusalem pro ciuium multitudine ad antiqua mœnia collem quoque Remnon adiungeret, esset omnino magnitudinis prodigiosæ: sic Ierusalem mystica extra fines notos, scilicet extra Iudæam ad vltimas vsque mundi plagas egressa admirabilem habebit magnitudinem. Hanc esse puto sententiam huius impediti loci. Porrò Remnon locus est arduus, & præruptus in tribu Beniamin non longè à Gabaa, in quem confugerunt sexcenti viri, qui reliqui fuerunt à cæde illa, de qua Iudicum capite 21.

42. Sed vt ad literam redeam, illud, *reuertetur omnis terra vsque ad desertum*, sic accipio: omnem terram à colle Remnon in desertum, id est, in planum redigendam, & desolandam esse, vt ciuitas quæ coangustata, & altitudine collium, & vallium profunditate dilatari non poterat, latiùs se in omnem partem explicaret; in partem scilicet Septemtrionalem: nam à Septemtrione Remnon Ierosolymã respicit, & ad Australem; ideo enim subditur, *ad Austrum Ierusalem*, vbi subauditur coniunctio *&*, vsitato more Hebræorum.

43. Imò & alias orbis plagas notari existimo in hoc eodem loco: nam vbi noster habet, *in desertum*. Heb. ערבות *Araboth*, quod etiam *Occasum* valet: vbi habet, *de colle Remmon*. Heb. מגבע לרמון *migbeba le rimmon*, quod optimè verti potest, *a Gabaa vsque ad Remmon*: vbi noster, *exaltabitur*. Hebr. ראמה *raamah*, quod L X X. vertunt *Rhama*, quod & alij quoque fecerunt. Quemadmodum vbi Hieronymus vertit Ierem. 3. *vox in excelso audita est.* L X X. reddiderunt, *vox in Rhama*. Neque est improbabile, aut difficile his locis varias mundi regiones designari. Accedit quòd vbi noster vertit, *& reuertetur omnis terra*. Heb. סב *bisob*, id est, *circumdabitur*; quæ vox maximè fauet huic explicationi. Quæ expositio de omnibus mundi partibus; licet ab Hebraico textu aliena non sit, & bellè cum superioribus consentiat, tamen illam non tam probo, quàm aliis examinandam relinquo.

44. Hæc explicatio satis accommodata est & literæ, & mysterio: sed fortasse non minùs apta est, quam tradit R. David, si illam à terrestri Ierusalem, de qua ipse loquitur, ad mysticam, id est, ad Ecclesiam referamus; dicit enim complanandos esse montes, qui sunt circa Ierusalem, vt ipsa sublatis impedimẽtis, & videri ab omnibus possit, & adiri faciliùs. Hæc si nos ad Ecclesiã aptemus, elegantissima sunt, & verissima; nam Deus superauit impedimenta omnia, strauitque populis viam ad Ecclesiam, atque Euangelium, scopulosam antea & horrentem spinis; ita vt puellæ etiam teneritimæ per illam ingrediantur, non patienter solùm, sed etiam libenter.

Ecclesia amplissima spatia.

45. Vers. 11. *Et anathema non erit amplius, sed sedebit Ierusalem secura.*] Vbi noster legit *anathema*. Hebr. est חרם *cherem*, quod *vastitatem*, & *occisionem* valet. Quare Hieronymus sic exponit; *Nullus metus hostilis impetus, nulla formido.* Chaldæus. *Neque occisio erit amplius.* Et sanè id sæpe significat vox חרם *cherem*. Iosue 6. *Sitque ciuitas hæc anathema, & omnia quæ in ea sunt*, id est, vastetur, & pereat. Significat ergo Propheta nunquam futurum, vt Ecclesia quantumuis oppugnata pereat, sicut periit terrestris Ierusalem, quæ iterum excindenda est à Romanorum armis: neque enim vnquam portæ inferi præualebunt aduersùs eam. *Matth.* 16. Est enim fundata non supra Sion, aut Moriam, qui montes terræ quatiuntur, & euertuntur motibus: sed supra firmam petram, quæ concuti quidem poterit, conuelli non poterit. De anathemate vide Hieronymum *epist. ad Algasiam quæst.* 9.

Vers. 12. *Et hæc erit plaga, qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ pugnauerunt aduersùs Ierusalem.*] Non negat Propheta defuturos qui mysticam Ierusalem oppugnent, neque minus crudeliter, atque obstinatè, quàm Assyrij, Græci, atque Romani oppugnauère terrenam; dicit tamen eos à Domino grauiter esse puniendos. Adhibet autem more prophetico præteritum tempus pro futuro, quod est frequens in Scriptura. 46.

Tabescet caro vniuscuiusque stantis super pedes suos.] Proponit supplicij genus, quo Ecclesiæ hostium audacia, atque impietas punienda sunt. Caro ipsorum longa tabe resoluta defluet; computrescent oculi, & è suis foraminibus excident, & lingua blasphema liquescet in saniem, & intra dentium vallum fœdè putrescet. Neque id accidet, vt obseruauit Cyrillus, vt in cæteris plerunque hominibus, postquam vita functi iacuerint in sepulchris; sed ipsis viuis, sentientibus, ac vegetis. Id enim est, *stare super pedes suos*. Quod verò tempus hæc supplicia spectent, non omnes eodem modo explicant. Quidam ad Iudicij tempus referunt, vbi homines arescent præ timore. Alij spiritualiter accipiunt, quia illi Religionis hostes præcipites sinentur abire post concupiscentias suas. Mihi valdè placet Hieronymi sententia, qui hæc subituros esse supplicia putat Ecclesiæ hostes, ac vexatores, cùm adhuc viuerent; & in ipso æstu, atque studio extinguendi nominis Christiani. Exemplis plenæ sunt Ecclesiasticæ historiæ: & satis docuit primus Ecclesiæ persecutor Herodes, qui *Actor.* 12. dicitur expirasse consumptus vermibus. Sed Iosephus *lib.* 19. *Ant. cap.* 7. tales tradit pertulisse pœnas, quales à nostro Propheta describuntur. Neque mitiùs cum aliis Ecclesiæ persecutoribus actum est. Nero suo se gladio peremit. Quomodo Maximianus, & Maximinus tabe consumpti fuerint, & vermibus, vide Euseb. de Vita Constantini *lib.* 1. *capite* 31. Iulianum Apostatam diuinitùs occisum, satis notum est; quem etiam communi caruisse sepoltura, vtpote à terra, quæ se sponte aperuit, absorptum, docet Nazianzenus Orat. in Athanasium. Anastasius Imperator fautor Eutychianorum fulmine extinctus est, vt tradunt Cedrenus & Zonaras, & Paulus Diaconus. Nestorij impiam linguam à vermibus fuisse consumptam scribit Euagrius *lib.* 1. *hist. cap.* 7. Caluinum quoque à vermibus extabuisse tradit Hieronymus Bolsecus *in eius Vita*. Vide Bellarminum *to.* 1 *lib.* 4. *c.* 17. 47.

Hic obserua speciem sumi pro genere, id est, speciale aliquod supplicij genus pro quolibet supplicio, per synecdochem. Neque enim omnes, qui insectati sunt Ecclesiam, tabem illam experti sunt, quam minatur Propheta; sed alij præcipitio, alij flumine, alij alio supplicij genere sublati; omnes tamen miserè, & horribiliter; & id credo prædictum à Zacharia per *tabem*, & *saniem*. Adde 48.

quòd

quòd diuinitùs illud mortis genus à Deo ſolet infligi, vt in Antiocho, atque Herode conſtat, qui fœdè, ac miſerè extabuerunt: neque ipſos latuit diuinitùs ſibi illatam eſſe plagam. Et 2. *Paralip. cap.* 26. Ozias à Deo lepra percuſſus eſt, & Maria *Num* 12. & Iob non diſſimili morbo fœdè cruciatus tactum ſe dixit diuina manu. Sed hæc non longè abſunt à tabe. Hoc verò ſupplicium eſſe grauiſſimum oſtendit Abacuc c. 3. qui cùm grauiſſimum malum ſignificare vellet, dixit; *Ingrediatur putredo in oſſibus meis: & ſubter me ſcateat.* Quod etiam pro grauiſſimo dolore, & à Dei indignatione profecto ſumi indicat Iſaias *cap.* 53. qui cùm Chriſtum propter languores noſtros grauiſſimè, atque acerbiſſimè excruciatum videret, dixit: *& nos putauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo.* Quia ergo Tyranni illi, qui in Chriſtianæ fidei ſectatores ſæuierunt, à Deo ſeuerè puniendi erāt, ideo eius pœnæ meminit Propheta, quæ & ipſa acerbiſſima eſt, & à Deo plurimùm infligi ſolet. Eſt autem hæc optima deſcriptio lepræ, quæ ſi grauior eſt, carnes conſumit, ac tabefacit, vt in Maria conſtat Num. 12. *Ecce* (inquit Aaron de Maria) *iam medium carnis eius deuoratum eſt à lepra.* & Iob de ſeipſo cap. 7. *Induta eſt caro mea putredine.*

49. *Hieroſolyma cū Eccleſia comparatio.* Antequam hinc abeamus, nota quanto artificio Propheta Ieruſalem terrenam cum myſtica, id eſt, cum Eccleſia componat. Poſtquam ædificata eſſet Ieruſalem, & templum, congregandos eſſe dixit hinc inde populos, ita vt illos capere non poſſent quantumuis lata murorum ſpatia; venturos poſtea hoſtes, qui illam premerent obſidione, & vexarent incommodis; quod accidit Antiochi tempore: quos tandem hoſtes Deus per Machabæos durè mulctauit. Nunc verò colligendam dicit Eccleſiam eo fidelium numero, vt externas etiam regiones impleat; neque defuturos, qui omnibus machinis illam conuellere conentur: explicat tamen quàm longè diſſimili ſucceſſu. Nam alij hoſtes, maximè Romani, euerterunt Ieruſalem, idque impunè, non tantùm non prohibente Deo, ſed etiam adiuuante. Sed qui contra Eccleſiam impia mouerunt arma, contrà nitente Domino, & promouerunt nihil, & ſuæ impietatis, & amentiæ pœnas dederunt, vt nunc prædicit Propheta. Quare cùm cætera aliquo modo conſentiant, hoc vno differunt, quòd illa Ieruſalem euerſa iam eſt, neque ſumpta de expugnatoribus pœna; hæc verò myſtica tentata quidem ſæpe Tyrannorum armis, conatu tamen irrito; & eorum furor, & audacia horribili, ac fœdo mulctata ſupplicio.

Verſ. 13. *In die illa erit tumultus Domini magnus in eis.*] Septuaginta vertunt; *extaſis, ac ſtupor Domini*, id eſt, à Domino miſſus. Sed idem eſt ſenſus, nempe, præ nimia perturbatione, atque æſtu ignoraturos quid conſilij capiant.

50. REGVLA. *Signum pro re ſignificata.* *Et apprehendet vir manum proximi ſui.*] *Virum* pro quolibet ſumi ſatis tritum eſt in Scriptura. Porrò hæc ſigna ponuntur animi perturbati, atque ſolliciti, & in eas anguſtias adducti ex quibus emergendi neque facultatem habeat, neque cōſilium. Signa verò pro rebus adhiberi frequens eſt, vt, *manus ponere ſupra caput ſuum*, luctus & mœroris ſignum. Ierem. 2. & 2. Reg. capite 13. *femur percutere.* Ierem. capite 31. erroris cogniti: *ſura ſupra femur impoſitio*, ſtuporis, & metus. *Iud.* 15. Neque hæc ſigna prædicuntur à Propheta, quia neceſſario futura ſint, ſed quia ea incidet perturbatio, ac ſtupor, ex quibus hæc plerunque euenire ſolent; iuxta Regulam traditam *cap.* 1. *num.* 7. *& c.* 3. *num.* 36.

Hæc ſententia eſt Hieronymi, & aliorum. Sed ſi quis his verbis conſpirationem hoſtium in Eccleſiam ſignificari putet, non admodùm repugnauerim: tumultus enim ille aliquid ſonat turbidum, ac militare; apprehenſio præterea manuum coitionem indicat, & conſpirationem. Et id, quod ſtatim ſequitur, videtur, non parum fauere huic cogitationi: nam tribus Iuda dicitur cum his quoque contra Ieruſalem pugnatura. 51.

Verſ. 14. *Sed & Iuda pugnabit aduerſus Ieruſalem.*] 52. *Multo magis à domeſticis, quàm ab externis oppugnatur Eccleſia.* Non ſolùm externi hoſtes, id eſt, Gentes, pugnabunt contra Ieruſalem myſticam; ſed etiam domeſtici, qui ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis. 1. *Ioan. capite* 2. Sicut Iuda antea arma ſumpſit contra Ieruſalem. Hic verò ſubauditur nota ſimilitudinis, hoc ſenſu. Sicut antea Iudæi Antiochi tempore à patria Religione deficientes contra Ieruſalem perfidiam ſuam, & impietatem armarunt; ſic etiam poſtea contra Eccleſiam Apoſtatæ, atque hæretici, qui de Eccleſia fuerunt, arma conuertent. Quòd ſi de veris Iudæis intelligas, nihil moror: nam & hi primùm naſcentem Eccleſiam infenſiſſimè, vt ex Actis Apoſtolorum liquet, & adultam poſtea, cùm facultatem nacti ſunt, non minori ſtudio, atque odio vexauerunt. Sed prior expoſitio placet magis. His adde eos, qui cùm fidem retineant, ſanctitatem abiecerunt, maximè ſi propter vitæ genus, ſtatúmque ſublimiorem aliis ad pietatem exemplo eſſe debuerunt. Tunc verò maximè Iuda pugnat contra Ieruſalem, plagámque infligit prorſus hoſtilem: neque enim ab vllo maius præiudicium, quàm ab eiuſmodi tolerat Deus. Vide Greg. *hom.* 17. *in Euang. & in Paſtorali parte* 2.

Et congregabuntur diuitiæ omnium gentium.] Pugnabunt quidem Gentes contra Eccleſiam, illam tamen vehementer ditabunt, ornabúntque, vel Martyrum ſanguine, vel virtutū luminibus; quæ maximè inter tribulationes emicabunt. Vel quia qui in Gentibus clariſſimi fuerunt, ad Eccleſiæ caſtra meliori iam mente confugient. Lege Eccleſiaſticos Annales, inuenies quomodo homines potentiſſimi, ac nobiliſſimi, qui armis, & Philoſophi ſapientiſſimi, qui ingenio, atque doctrina Eccleſiam oppugnauerant, ad illam acceſſerint, qui non minùs ſtrenuè defenderunt, vel armis, vel doctrina, quam priùs euertere, neque minùs ſplendidè excoluêre ſuis virtutibus, quam antea omnibus ornamentis ſpoliare ſtuduerūt; & hoc eſt ornari auro, atque argento, & pretioſa veſte. In auro enim atque argento, vt hîc dicit Hieronymus, ſenſus eſt & ſermo, id eſt, doctrina, & eloquentia. Veſtes verò quibus illuſtratur Eccleſia, virtutes ſunt, aut etiam iuſti, quibus myſtica hæc Ieruſalem tanquam ornamentis veſtitur. 53.

Verſ. 15. *Et ſic erit ruina equi, & muli, & cameli.*] Non ſolùm à Gentibus auferentur ad Eccleſiæ cultum inſtructúmque, quæ lautiſſima cenſentur ornamenta, vt nobiles, potentes, Oratores, Philoſophi; ſed etiam ex reliqua turba copioſa multitudo, quæ *equorum*, & *camelorum* nomine notantur. 54.

Iuxta ruinam hanc.] Id eſt, iuxta id quod rerum fert natura. Nam quemadmodum cùm magnæ molis ſaxum ex alto ruit, minoris molis ſaxa, & quidquid habet obuium, ſecum trahit; ſic potentes iſti, ac nobiles Doctores ruentes à Gentilico cultu, ſuo exemplo plurimos ad Eccleſiam addu- 55. *Illuſtrium hominum exēpla plurimū valent in vtrāque partem.*

adducent. Hoc enim fert natura rerum, vt hominum splendor, & sapientiæ opinio plurimùm valeat in vtramque partem, & iuxta eorum ruinam ruant etiam minores alij. Dicuntur verò in Scriptura illi, qui à voluptate potiùs & sensibus ducuntur, quàm à ratione, *equi*, & *muli*. Vnde Isaias *capite* 37. de impio Sennacherib, quasi equus esset, aut mulus dixit. *Ponam ergo circulum in naribus tuis, & frænum in labiis tuis.* & Dauid Psal. 31. *in chamo & fræno maxillas eorum constringe.* Ruent ergo isti ab equorum, mulorúmque natura, id est, ad Ecclesiam adiuncti tales esse desinét: ná qui priùs fuerat equus libidinis impatiens, à libidine ruet, &c. Latiùs hæc prosequitur Hieronymus. Cyrillus in his putat designari Assyrios, & Ægyptios, qui equis vtuntur, & Madianitas, & Nomades, qui camelis, & asinis.

56. (REGVLA. *Hæc pro eadem.*) Cæterùm hîc notandum est vsitatum esse in Scriptura vt (*hac*) sumatur pro (*eadem*) Exod. 19. *Mense tertio egressionis Israel de terra Ægypti, in die hac*, id est, eadem die, nempe tertia. Psalmo 141. *In via hac, qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi*, id est, in eadem via. Plurib. hæc Ribera *libro quinto de templo cap. 7.* Quare sensus erit, iuxta ruinam eamdem, qua illi potentes ceciderunt ruituros quoque infirmiores alios.

Vers. 16. *Et omnes qui reliqui fuerint de vniuersis gentibus.*] Sermo, vt apparet, est de his qui transfugæ ex hostium, id est, Gentium castris, adhæserunt Ecclesiæ. Hi ergo studiosè colent, quam amplexi sunt fidem. Quod explicat Propheta similitudine eorum, qui legem antiquam Religiosè coluerunt.

57. (*Dei cultus in Ecclesia.*) *Ascendent ab anno in annum, vt adorent Dominum exercituum, & celebrent festiuitatem tabernaculorum.*] Non rarum est in Scriptura, vt pro figurato adhibeatur figura, & res, vnde similitudo sumitur, pro re, ad cuius explicationem adhibetur: in quo sæpe tacetur similieudinis nota. Quòd hîc nunc omnino accidit; nam antiqua festiuitas tabernaculorum pro Ecclesiæ festiuitatibus vsurpatur, & studium Iudæorum in ea celebritate obeunda, pro studio Christianorum in suis celebritatibus celebrandis; hoc sensu: Sicut Iudæi Religiosi ac pij sua colunt sacra, & sacrificia peragunt; sic Christiani Christiana colent sacra, obibúntque non minori studio, atque frequentia. Pro sacris autem, ac festis Iudæorum posuit per synecdochem festum tabernaculorum, id est, scenopegiam. Cur verò hoc præcipuè, ea ratio videtur esse posse; quia vt Iudæi ea celebritate memoriam renouabant illius beneficij quo ex Ægypto per desertum ad terram promissam, & Ierusalem inducti sunt; ita illi recens ad fidem & Ecclesiá vocati gratias agent, quòd ex Gentium tenebris, idolorúmque sordibus ad Ecclesiæ lauacrum, Euangeliique lucem translati sunt.

58. Vers. 17. *Et erit, qui non ascenderit de familiis terræ.*] Hæc pertinere videntur non solùm ad eos, qui in Gentilico errore permanserunt; sed etiam ad illos, qui ad Ecclesiam translati segniter se in Christiani hominis officio præstando gerunt. Nam supplicium quod minatur Propheta de imbre negando, intentatum est, & inflictum, vt suprà vidimus, non solùm alienis à Religione, sed iis, qui in Religione colenda segnes sunt. Et vt alia multa à Propheta proposita sunt Ecclesiæ nouæ, atque antiquæ communia, vt nuper ostensum est; sic etiam nunc Christianos minùs in Religione strenuos puniendos esse dicit, sicut olim puniti sunt Iudæi, in quibus patriæ Religionis colendæ studium desideratum est. Vide quæ suprà diximus *cap.* 8. & 10.

Non erit super eos imber.] *Imber* in Scriptura pro maximo beneficio sumitur, quia cùm terra promissionis non esset irrigua, si de cælo non fluxisset imber, ab arido solo nullus sperabatur prouentus. Deuter. 11. *Terra, ad quam ingrederis possidendam, non est sicut terra Ægypti, de qua existi; vbi iacto semine in hortorum morem aqua ducuntur irriguæ; sed montosa est, & campestris, de cælo expectans pluuiam.* Ex quo fiebat vt beneficium esset grande pluuia descendens, & grande supplicium eadem compressa. Quare ibidem Deus. *Si obedieritis mandatis meis, &c. dabit pluuiam terræ vestræ temporaneam, & serotinam, vt colligatis frumentum, &c. Cauete ne fortè decipiatur cor vestrum, & recedatis à Domino, &c. iratúsque Dominus claudat cælum, & pluuia non descendat.* Sicut autem pluuia per synecdochem pro omni beneficio sumitur, sic eius defectus pro omni supplicio. Et sicut per pluuiam spiritualia beneficia sæpe intelliguntur, vt illud; *Rorate cæli desuper:* & Spiritus sanctus aqua dicitur munda; sic pluuiæ inopia pro spiritualium bonorum priuatione capitur. Quare dum pluuiam Dominus improbis se daturum negat, de vtrisque bonis, tam spiritualibus, quàm corporalibus intelligendus est. 59. (*Imber maximum beneficium, & quare.*)

Vers. 18. *Quòd & si familia Ægypti non ascenderit, & non venerit, nec super eos erit.*] Ribera putat *familiam Ægypti* accipi pro Iudæis; tum quia non aliter Iudæi Christum, quàm Ægyptij Moysem Christi figuram insectati sunt: tum etiam quia *Apocal. cap.* 11. Ierusalem vocatur Ægyptus. *Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Ægyptus.* Et tunc sensus erit; defuturam etiam pluuiam Iudæis, si minùs fuerint diuinorum præceptorum obseruantes, quibus olim Deus tam amanter, & liberaliter indulgebat. Hieronymus, & Theodoretus in *Ægypto* intelligi volunt Ethnicos omnes per synecdochem. 60.

Mihi probabilius videtur sermonem hîc esse de his regionibus, quæ vberi sunt, & feraci gleba, quæque non tam à cælesti imbre, quàm ab irriguo solo fœcunditatem habent: pro quibus per synecdochem Ægyptus assumitur. Et de Ægypto docuit Chaldæus, qui ita hunc locum exponit; non crescet illis Nilus. Neque deest ratio cur Ægypti, & in ea aliarum Regionum perennibus, ac suis abundantium aquis Propheta meminerit: nam cùm de imbre subtrahendo priùs egisset, non videbatur illud futurum esse molestum Ægyptiis, quibus non tam à cælesti pluuia, quàm à Nili exundatione fœcunditas prouenit, *Deuteronomij capite* 11. Dicit ergo Deus his etiam negandum esse cælestem imbrem; imbris verò defectu agrorum minatur sterilitatem, & maciem. Quare illis minatur Nili extra ripas effluxum, qui Ægyptiis pro imbre est; ita vt omnino futurus sit illis ager aridus, & macer. Quod contigisse aliquádo, & ante hoc Zachariæ tempus; & deinceps non rarò, docent historiæ. (*Ægyptus sæpe sterilis fallente Nilo.*) Ante Zachariam constat *Genes.* 41. vbi traditur 7. annis terram Ægypti neque arari potuisse, neque meti. Quòd verò sæpe aliis etiam temporibus accideret, satis intelligitur ex Plinio *lib. 5. cap. 9.* qui etiam obseruat quo tempore propter varia Nili incrementa, aut speranda sit frumenti copia, aut inopia metuenda. Quod sanè nisi frequens esset, 61.

notari non posset. *Iustum* (inquit) *incrementum est cubitorum sedecim : minores aquæ non omnia rigant, ampliores detinent tardiùs recedendo ; hæ ferendi tempora absumunt solo madente ; illæ non dant sitiente: vtrumque reputat prouincia. In duodecim cubitis famem sentit, in tredecim etiamnum esuriem, quatuordecim cubita hilaritatem afferunt, quindecim securitatem, sedecim delicias.* Hæc Plinius. Famem autem contigisse Ægyptiis Traiani tempore tradit alter Plinius in oratione Panegyrica, cuius verba satis sunt ad nostram sententiam accommodata ; sic enim ille. *Ægyptus alendis, augendisque seminibus ita locata est, vt nihil imbribus, cœlóque deberet, siquidem proprio semper amne perfusa, neque alio genere aquarum solita pinguescere, quàm quas ipse deuexerat, tantis segetibus induebatur, vt cum feracissimis terris quasi nunquam cessura certaret ; hac inopina siccitate vsque ad iniuriam sterilitatis exaruit.* & statim : *Frustra tunc Ægyptus nubila optauit, cælúmque respexit.*

62\. *Sed erit ruina, qua percutiet omnes gentes.*] Subibit omnino Ægyptus, si minùs fuerit obsequens diuinæ legi, famem, & inopiam, & languente flumine, à quo tota vbertatis spes, frustra cælestes optabit pluuias.

Peccatum pro peccati supplicio, aut expiatione.

Vers, 19. *Hoc erit peccatum Ægypti.*] Vsitatum est, vt causa, quæcumque illa sit, pro effectu sumatur per metonymiam. Hinc *peccatum* pro oblatione aut sacrificio sumitur; quia peccatum, id est, peccati expiatio eius finis est. Quo sensu dicuntur Sacerdotes comedere peccata populi *Oseæ c.4.* id est, oblationes pro peccatis, & Christum pro nobis peccatum fecisse dicitur 2. Cor. 5. *Qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso.* Sic etiam *peccatum* sumitur pro supplicio, quia eius moralis causa est, id est, meritoria. Sic Genes. cap. 4. *Statim in foribus peccatum tuum aderit.* Et Genes. cap. 19, *ne & tu pereas in scelere ciuitatis.* Et Ezech. cap. 7, sæpe *scelus, iniquitas, abominatio* pro eorum pœnis vsurpantur. Vide suprà cap, 3. ad illud, *Ecce abstuli abs te iniquitatem.* Sic ergo modò *peccatum Ægypti* pro pœna sumitur; & ita interpretatur Chaldæus. Eiusmodi, inquit, erit vltio Ægyptiorum, & punitio populorum.

63\. Vers. 20. *In die illa erit quod super frænum equi est, sanctum Domino.*] Certum est prædici hîc à Propheta magnum studium, ac sumptum ponendum à fidelibus in diuino cultu ; quo verò modò sit intelligendum, non facile explicatu est. Hieronymus, & Cyrillus pacem hîc prænunciari putant ; quia cùm bellum futurum non sit, neque equi iam necessarij videbuntur ; atque ideo equorum ornamenta, quæ *fræni* nomine intelliguntur, Deo dicuntur esse consecranda. Theodoretus sermonem esse putat de hostium spoliis, quibus Ecclesia Tyrannorum victrix excoletur. Et facit ad hunc sensum illud Psal. 67. *Rex virtutum dilecti, dilecti, & speciei domus diuidere spolia.* Quia victor Deus spolia conferet ad speciem, & ornatum Ecclesiæ, sicut Dauid olim ad speciem, & instructum templi. Alij existimant respexisse Prophetam ad Constantinum Magnum, qui clauum de Christi cruce sublatum in frænum inseruit. Quam sententiam reiicit Hieronymus; Cyrillus non putat improbabilem, cui subscribit Ribera.

64\. Sed puto dici posse non ineptè, quod super frænum est, sanctum futurum esse Domino, quia in principio Ecclesiæ, qui erant fideles, ardore, ac pietate in Deum, omnia bona ad pedes Apostolorum abiiciebant ; sic eodem, aut certè proximo tempore Principes, & copiosi, quidquid splendidum, & lautum, quidquid in ornamentis, & deliciis habuerunt ; id totum ad Dei honorem, cultúmque conuertent ; vt quæ impie antea iniquitati seruierant, eadem postea sanctè iustitiæ, ac pietati seruirent.

Porrò sicut *frænum* hîc per synecdochen pro equorum phaleris, ac omni instructu, atque ornatu equestri ponitur, vt fatetur Hieronymus; sic etiam per eundem tropum pro ornamentis aliis, atque deliciis adhibetur, quæcumque illa sint. Et est non leuis ratio, propter quam præcipuè equestrium ornamentorum meminerit : nam in illis olim & studium maximum, & sumptus ponebantur. Et quidquid olim fœminæ, atque etiam nunc nostrates, auri, ac gemmarum ad mundum muliebrem, & molliores delicias adhibebant. atque etiam proh pudor, & dolor ! nostræ ætatis viri, qui, vt animos alunt muliebres ; sic etiam non verecundantur gestare ornamenta non admodum mulieribus dissimilia, id totum antiqui ponebant in armis illuminandis, aut ornandis, De quibus Iuuenalis Satyra 5.

——Virro gemmas ad pocula transfert
A digitis, quas in vagina fronte solebat
Ponere, zelotypo iuuenis prælatus Hyarbæ.

Et idem Satyra 11.

Argenti quod erat, solis fulgebat in armis.

Et ibidem docet, quidquid erat gemmarum in poculis, ad equorum phaleras traduci.

Magnorum artificum frangebat pocula miles,
Vt phaleris gauderet equus.——

Et sanè antiqui historici, ac poëtæ arma nobiliū 65.
sæpe describunt, & elaborata maximo studio, atque arte, & pretioso metallo, & lapide radiantia, De gladio Æneæ Virg. lib. 4. Æneid,

——Stellatus iaspide fulua
Ensis erat.

De alio instructu militari probant satis, quæ Homerus tradit de armis Achillis, & Virgilius de armis Æneæ à Vulcano fabricatis ; quæ ex illorum temporum consuetudine elaborata sunt. Et in Scriptura sacra non obscura vestigia sunt : nā aureos clypeos gestatos à Machabæis constat 1. *Machab. c.6.* & Salomon clypeos conflauit aureos. 2. *Paralip. cap.* 12.

Quòd verò in frænis apud antiquos maxima pars esset splendoris militaris, ostendit Constantinus pius, & religiosus Imperator, qui nunquam clauum refixum è Christi cruce in fræno posuisset, nisi locus ille soleret rebus pretiosissimis illustrari. Et quidem Virg. Æneid. *lib.* 8. aurea dicit esse Pallantis fræna.

Frænaque bina meus quæ nunc habet aurea Pallas.

Et idem *lib.* 7. satis ostendit quantùm splendoris antiqui posuerint, in equorum stragulis, ac frænis : sic enim ille de equis, quos Latinus Rex misit ad Æneam.

——Teucris iubet ordine duci
Instratos ostro alipedes pictisque tapetis;
Aurea pectoribus demissa monilia pendent,
Tecti auro, fuluum mandunt sub dentibus aurum.

De Dario Quintus Curt. lib. 3. *Iacebant toto campo opes Regiæ, aurea vasa, aurei fræni.* Et idem de Cyro Xenophon *lib.* 1. *Machabæorum* etiam 2. *capite* 10. apparuisse dicuntur de cælo viri quinque in equis aureis frænis decori; quod videtur sumptum ex elegantium equitum consuetudine, Quod suo etiam tempore obseruari, proh pudor ab Ecclesiasticis dolet Bernardus; ad quos sic loquitur ex imitatione Persij.

Dicite Pontifices, in frænis quid facit aurum?

Et

Et eiusmodi exempla quamplurima inuenient, qui paulo attentiùs antiquorum Annales euoluerint. Dicit ergo Propheta illud futurum fidelium in Dei Religiosum cultum studium, & ardorem, vt non modò non recusent; sed etiam vltrò appetant suæ voluptati, atque decori detracta ornamenta in diuinum obsequium conferre. Quod fecit cumulatè Constantinus, vt habetur in actis Syluestri Papæ, & plures alij, vt ex historiis constat.

66. *Et erunt lebetes in domo Domini quasi phialæ.*] Phialæ sunt vasa, in quibus odoramenta ponuntur, vt dicit Hieronymus, & quæ excipiunt victimarum sanguinem, vt diximus suprà *cap.9.* Erant autem in templo phialæ quamplurimæ: nam ex auro fuerunt à Salomone conflatæ centum, ab Hiram aliæ multæ. 2. *Paralip. c.4.* Ex alia materia sine dubio multo plures: nam cùm Esdræ tempore res Iudaica multo esset angustior, numerantur phialæ ex auro 30. ex argento mille lib. 1. cap. 1. Esdræ. *Lebetes* verò ollæ æreæ sunt, in quibus victimæ coquuntur, vt dicit Hieronymus. Dùm ergo prædicit Propheta tantum futurum esse lebetum numerum, quantum phialarum, ostendit magnam fore multitudinem eorum, qui ad Ecclesiam accedent, & sacrificia offerent: vbi figura pro figurato ponitur, id est, veteris legis sacrificia pro oblationibus, & sacrificiis nouæ. In hanc pene sententiam Ribera.

Aliter Hieronymus, qui putat ollas æreas in quibus coquuntur carnes, tam sanctas, tantáque dignas veneratione futuras, quàm aureas quondam phialas, in quibus erant libationes, atque odoramenta. Et iuxta hanc Hieronymi sententiam *lebetes* hoc loco referri possunt ad Christianorum tempora; *phialæ* verò ad sacra veteris legis. Ac si dicat Propheta: lebetes qui nobis præ phialis minimi sunt pretij, tanti erunt Euangelij tempore, quanti a nobis modò phialæ habentur, id est, quæ minima erunt aureo illo Euangelij sæculo, non erunt inferiora iis, quæ nostro putantur pretiosissima.

68. Sanè hæc optimè, dicam tamen quod mihi videtur dici posse non ineptè. Dixerat Propheta nuper aurum, quod erat super frænum, oblatum iri Deo, id est, quidquid erat pulchrum atque pretiosum: id nunc aliter explicat; sed cum epitasi, significans quod erat natura sua pulchrum, vsu tamen ignobile, ac turpe, quia hominum vanitati, ac luxui seruiebat, illud idem ad meliorem vsum, & Religiosum ministerium traductum fore pretiosissimũ. In priori quidem vsu lebes erat carnibus coquendis destinatus, id est, carnalibus, atque impuris deliciis: at consecratus templo mutatur in phialam, quæ altari propior aliquid exhalat & aspirat gratum, atque diuinum. Ad hunc, credo, locum allusit Ecclesia cùm de Magdalena cecinit,

Quæ vilia in sæculo pretiosa sũt consecrata Deo.

Fit ex lebete phiala,
In vas translata gloriæ
Ex vase contumeliæ.

69. Et huic expositioni optimè consonant, quæ deinde sequuntur; ex qua spiritualis sensus optimè deducitur. Quia lebes instrumentum est quo carnes coquebantur in atrio exteriori, quod à Paulo sæculare dicitur *c.9. ad Hebr.* in phialis verò altari proximis thymiamata offerebantur; ad harum similitudinem fideles, qui in superiori,

A id est, sæculari, atque prophana vita tanquam lebetes ignobiles, ac sordidi, qui non nisi ganeis seruiunt, atque popinis se, suæque carnis oblectamentis consecrarunt, iam facti phialæ præstant, quod monet Paulus ad Rom. 12. *Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctum, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum: & nolite conformari huic sæculo.* Et cap.6. *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatẽ: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* Sic Elisæus aratrum, & boues in sanctificationem obtulit, quibus antea ad subigendam terram vtebatur. 3. *Reg.*19. & Magdalena, quæ fa-
B cta fuit ex lebete phiala, lenocinia, & blandimenta libidinis in Christi honorem, & obsequium impendit.

Vers.21. *Et erit omnis lebes in Ierusalem.*] Id est, 70.
fideles ab vsu, atque studio prophano ad sacros vsus lebetes conuertent. Illud verò (*omnis*) pro plurimis sumi notum est ex communi loquendi vsu, à quo non abhorret Scriptura, vt, *totus mundus post ipsum vadit.* id est, plurimi.

Et venient omnes immolantes, & sument ex eis.] 71.
Ostendit magnum futurum numerum lebetum, cùm satis futuri sint illis qui ad immolandum accedent. Modus autem loquendi, *sument ex eis,* epitasim habet, quasi numero futuri sint lebe-
C tes, vt etiamsi multi sumantur ab immolantibus, aliquid tamen semper supersit ex eo numero. Porrò hìc figura pro figurato ponitur, id est, antiquus sacrificandi ritus pro nouo, id est, pro his oblationibus, de quibus Paulus ad Romanos nuper. Neque enim post prædicatum Euangelium lebetes erunt vlli, vel phialæ in illos vsus, in quos olim habuerunt Hebræi. Ita Cyrillus, Hieronymus & Haimo mysticè, hæc de mortificatione sumunt; & sanè aptissimè: nam Euangelij tempore bellum indicitur carni, & sanguini, id enim est, carnes immolare, & coquere, vt quidquid in eis est fluxum, & carneum, igne excoquatur spiritus, vt talem odorem aspiret
D mortificata caro, qualem habere solent phialæ aromate fragrantes.

Figura pro figurato, id est, sacrificia antiqua pro nouis.

Et non erit mercator vltrà.] Hebr. כנעני *Chenaghni,* 72.
quod & *Chananæum* significat, & *mercatorem.* Priorem significationem amplexi sunt LXX. posteriorem Hieronymus secutus Aquilam. Sed idem est sensus; nam *Chananæus* pro mercatore sumitur Prou. vlt. *Cingulum tradit Chananæo.* Solent autem LXX. Hebraica relinquere; neque, si de vero Chananæo, id est, de illo qui ante Hebræorum aduentum terram promissionis occupauit, intelligas, sensus erit alienus. Significat enim in Ierusalem, id est, in domo Domini non futurum idolum; neque qui idolo cultum exhibeat. Sed sensus alius aptior est, quem offert vulgati translatio; quo docemur non futurum aureo illo sæ-
E culo, qui victimas vendat ad sacrificia; quod fieri solere non modò extra, sed intra templum constat *Matth.*21. quia & maior impendetur à fidelib. templis honor, & ipsi vltrò pro diuino cultu sine vllo pretio victimas impendent, maximè cum vnum futurum sit pro omnibus sacrificium Christus Dominus, cui sit honor in sæcula sæculorum, Amen. Quidquid autem à me scriptum est, id non Ecclesiæ tantùm, sed doctorum etiam hominum censuræ subiicio.

Digitized by Google

IN MALACHIAM PROPHETAM COMMENTARII.

PROLEGOMENON I.

De genere, & patria Malachiæ.

1. *Malachiæ patria & genus.* DE patria nihil habemus aliud, quàm quod Epiphanius tradit *in lib. de vita, ac morte Prophetarum*, & ex eo Isidorus, & Dorotheus *in Synopsi*, & Chronicon Alexandrinum. Hi etenim omnes Zabulonitem esse dicunt, & ortum in oppido Sopha. De genere neque ab ipso, neque ab aliis aliquid habemus. Si verum esset Esdram fuisse Malachiam, quod Hebræi putant, vt docet *in Commentariorum Prologo* Hieronymus, & in Commentariis non semel, à quorum sententia ipse non abhorret, quam sequitur Chaldæus, & Rupertus; constaret nobis apertè de Malachiæ genere. *Malachias existimatus Esdras.*

2. Nam fuisse Esdram Saraiæ sacerdotis magni filium, quem occidit in Reblata Nabuchodonosor, ipse docet Esdras *lib. 1. cap. 7.* Illum porrò Saraiam magnum esse sacerdotem, & patrem Iosedec, & Iesu auum, eius qui cum Zorobabele templum extruxit, constat ex *lib. 1. Paralip. cap. 6. v. 13.* Et quidem quod ad tempus attinet, non videbatur difficile, cùm Malachias, qui prophetarum Testamenti veteris vltimus esse censetur, post Zachariam prophetarit, vt indicat series ipsa librorum, & est communis Patrum, interpretúmque sententia. Post Zachariam verò scripsisse, aut prophetasse Esdrã, nemo nescit; & ipse docet *lib. 1. cap. 7.* dum longè post solutam captiuitatem ascendisse se dicit Hierosolymam, anno videlicet septimo Artaxerxis, postquam absolutum iam erat templum, quod Zorobabelis studio, anno Darij sexto perfectum est *lib. 1. Esdræ cap. 6. v. 15.* Quare ratio temporis nihil huic cogitationi Hebræorum incommodat. *Esdras sacerdotis maximi filius.*

A

3. Sed si vera sunt, quæ de Malachiæ ætate tradunt authores à nobis suprà citati, nullo modo Esdras existimari debet Malachias. Cùm enim è Babylone rediit Esdras, illum supra septuagenarium fuisse oportet: natus est enim Saraia parente sacerdote magno Hierosolymæ; cùm verò postliminio reuersus est, iam soluta fuerat à Cyro captiuitas, & anni non pauci ad annum Artaxerxis septimum interiecti. Et Malachias natus esse dicitur, postquam populus rediit ab exilio in oppido Sopha de tribu Zabulon, & in ætate adhuc iuuenili è vita discessisse. *Malachias non fuit Esdras.*

B

4. Neque rationes, quibus hoc sibi persuaserunt Hebræi, eiusmodi sunt, vt aliquem, in quo iudicij aliquid sit, in illam cogitationem adducere debeat. Prima est, quia multa dicuntur ab Esdra, quæ in Malachia deprehendimus. Quæ ratio, si quid valeret, probaret etiam omnes Prophetas, qui idem tractauerunt argumentum, imò in quibus eædem inueniuntur sententiæ, non esse diuersos; quod nemo concederet. At multo plura inuenies Isaiæ, ac Ieremiæ communia, quàm Esdræ, ac Malachiæ. Secunda ratio est, quia cùm sæpe Aggæi, ac Zachariæ mentio fiat, mirũ tamen est de Esdra silentium, cùm tamen eodem cum illis tempore floruerit. Vnde coniectant Esdram esse illum, qui eisdem locis Malachias vocatur. Alia adducunt his similia, quæ huc adducere necessarium non est. Ego Malachiam semel tantùm inuenio cũ Aggæo, & Zacharia coniunctum; nempe *lib. 4. Esdræ*, qui fidem canonicam non habet, *cap. 1. v. 40.* & ibi omnes numerantur Prophetæ, ex quorum numero Malachias eximi non debuit. Quare miror quibusdã è nostris hanc Hebræorum cogitationem placuisse; è quorum numero est Rupertus.

C

Pudet

Digitized by Google

Pudet in re adeò futili tantum otij, atque operæ lusisse, quam nemo fermè Patrum, & interpretum omninò probat.

5. *Malachias nō fuit Angelus.* Neque defuerunt, qui illum cælestem esse spiritum existimarent, qui humana sub specie cum hominibus conuersatus fuerit. In his fuit Origenes, cuius sententiam confutat Hieronymus *in prologo*, & Cyrillus. Præcipua verò ratio ex nominis notatione sumitur. Malachias enim Hebr. מלאכי *Malachi* Angelum significat. Et ideo Septuaginta pro *Malachia Angelum* reddiderunt. Quod faciunt interpretes non rarò, dum nominis significationem pro ipsis propriis nominibus vsurpant. Quod si ex nominis etymologia exploranda nobis foret rerum natura, multi, quemadmodum Malachias, censerentur Angeli, quia eo nomine in Scriptura sacra notati sunt. Qualis esset Christus, Aggæus, Baptista, & sacerdotes omnes, quia Malachia teste Angeli dicuntur. Et eodem prorsus modo vocaremus Oseam *seruatorem*, Ioelem *Dominum Deum*, & alios denique Prophetas, id quod illorum resonat nomen: quo quid absurdius? An verò Malachias vocatus fuerit à parentibus, à primis, vt assolet, annis; aut propter aliquem euentum, aut propter angelicam, id est, elegantem formam, aut morum suauitatem, incertum mihi est; suspicor tamen octauo circumcisionis die potius à parentibus, quàm propter aliquem euentum à populari turba impositum fuisse Malachiæ nomen.

PROLEGOMENON II.

De vita, & morte Malachiæ.

6. *Malachiæ mors & vita.* DE vita nihil habemus aliud, quàm natum esse post reditum ab exilio in terra Zabulonis; habuisse suauissimum, atque mitissimum ingenium; & ob eam rem quibusdam visum esse מלאכי, id est, *Angelum meum*, esse vocatum. Ita Isidorus, Epiphanius, & Dorotheus locis sæpe citatis. Addunt autem iidem, quæcunque diceret Malachias ad populum, ab Angelo statim fuisse confirmata, qui aspectabili specie apparebat hominibus. Ex qua hominum o-

A pinione, aut fortasse veritate factum est, vt cum Malachia communiter affingatur Angelus, quasi illius sermonum probator, & interpres. De morte id habemus ab authoribus proximè citatis, in iuuenili statu functum esse vita, & in agro iuxta parentes suos fuisse sepultum. Quo verò die decesserit, incertum est. Eius memoriam recolit Kalendarium Romanum *ad diem 14. Ianuarij.* Græcorum verò Menologium *ad diem tertium.* *Cur Angelus cū Malachia pictus.*

B

PROLEGOMENON III.

Quo tempore prophetârit.

ID verò videtur esse certum, prophetasse absoluto iam templo; quod necesse est, si natus fuit captiuitate soluta. Et facit quod cùm duo alij Prophetæ, qui præcessere proximè, multa de templo aut neglecto, aut instaurari cœpto dixerint, nihil de templi fabrica in tota Malachiæ prophetia legimus, vt notauit Theodoretus, & Cyrillus. Sixtus Senensis vixisse dicit anno 3400. mundi, & 50. ante Christum: sed non video, vnde id habere possit, nisi coniectando. Est autem verisimile vixisse, quo tempore Esdras agebat Hierosolymæ; tum quia Esdras diu vixisse videtur Hierosolymæ, vt probant multa, quæ ibidem ab illo facta commemorantur. Deinde quia eadem Esdras Iudæis exprobrat, vt quòd vxores duxerint alienigenas, &c. 7. *Malachias quo tempore vixit.*

C

D

PROLEGOMENON IV.

Ad quos, & de qua materia prophetârit.

PRophetauit ad Israël, id est, ad eos, qui ex duodecim tribubus in antiquos fines remigrarunt; quibus, cùm in vnum iā populum essent collecti, commune datum est Israelis nomen. Summam verò prophetiæ paucis in Synopsi complexus est Athanasius. *Exprobrat* (inquit) *Israeli transgressiones eius: & accusat illum neglectarum decimarum, & omissæ communicationis cum pauperibus. Prophetauit etiam de die iudicij, & de illustratione seruatoris. Eliámque ante aduentum seruatoris venturum prænunciat.* 8. *Ad quos prophetauit.*

E

IN CAPVT PRIMVM

ARGVMENTVM.

QVO magis Deus Israëlitarum ingratum, & infidele ingenium esse demonstret, beneficia commemorat, quibus nuper ab ipsis Israëliticæ gentis incunabulis populum illum prosecutus est; quem non aliter, quàm dominus liberalis seruum, aut pater indulgentissimus filium amplexus est. Quare in illo honorem, qui parenti debetur; & quæ debetur domino, obseruantiam requirit. Deinde speciatim in sacerdotes querimoniam intorquet, quod quæ in re sacrificali religio iubet, perfidiosè, ac negligenter curent; ita vt non tam coluisse Deum sacrificio legitimo, quàm vitiosis victimis despexisse videantur; qui ita sunt in sacro etiam ministerio ad lucrum intenti, vt nihil habeant in templo non venale. Ad extremum gratissimam Deo victimam, quali aureum Euangelij sæculum fruetur, commendat. Et postquam iterum alia sacerdotum scelera commemorat, illos maledicto compungit, qui Deo in sacrificando, & implendo voto debiliora tribuit, sibi verò meliora retinet.

CAPVT I.

1. *ONus verbi Domini ad Israel in manu Malachiæ.*

2. *Dilexi vos, dicit Dominus, & dixistis: In quo dilexisti nos? Nónne frater erat Esau Iacob, dicit Dominus, & dilexi Iacob,*

3. *Esau autem odio habui? & posui montes eius in solitudinem, & hereditatem eius in dracones deserti.*

4. *Quòd si dixerit Idumæa: Destructi sumus, sed reuertentes ædificabimus quæ destructa sunt. Hæc dicit Dominus exercituum: isti ædificabunt, & ego destruam: & vocabuntur termini impietatis, & populus cui iratus est Dominus vsque in æternum.*

5. *Et oculi vestri videbunt: & vos dicetis: Magnificetur Dominus super terminum Israel.*

6. Filius

PARAPHRASIS.

A 1. VAticinium durum, quod à Domino Malachias accepit, vt ad Israelitas deinde perferret.

2. Audite, ô Israelitæ, quid in vobis Dominus improbet, & damnet. Reuocate, ait Dominus, in memoriam, quo modo vos ab initio dilexerim, innumerísque beneficiis ornauerim. Sed vos quo estis siue stupore, siue insania, eò progressi fuistis impudentiæ, vt dicatis impudenter, & liberè: Ecquis in nos amor? ecqua abs te in nos collata beneficia? Accipite vel hoc vnum, & ex eo cætera colligite. Nónne
B Iacob parentem vestrum, cuius frater erat Esau, & in eo totum Israeliticum genus dilexi, illiúsque saluti, & commodis paternè consului.

3. At Esau eodem conceptum vtero, & eodem natum tempore sic accepi, vt abiecisse videar, & odisse. Cuius terminos ita vastaui Chaldæorum armis, vt in solitudinem redacti syluestres alant belluas, præbeántque serpentibus opportuna latibula.

4. Quòd si Idumæi iam ab hoste subacti reuersuros se dicant in antiquas sedes, & illa, quæ serpentes habitabant, ædificanda rursus; horum consiliis, ait Domi-
C nus, aduersabor; & quæ ipsi rursus excitauerint, rursus euertam. Ita vt homines, qui horribiles hosce casus ex peccatis oriri sibi persuaserunt, sceleratum putent, & dicant esse populum, quem ita Deus seuerè concidit; & in æternum illi iratum fore Deum, cùm illa ruina eiusmodi sit, vt duratura videatur in æternum.

5. Eorum tunc vos, ô Israelitæ, cladem, & exitium cum exultatione videbitis; Deúmque grati, & venerabundi laudabitis, quòd

Digitized by Google

A quòd in vestris vos sedibus quietos, & prosperos habitare concesserit.

6. Filius honorat patrem, & seruus dominum suum: si ergo Pater ego sum, vbi est honor meus? & si Dominus ego sum, vbi est timor meus? dicit Dominus exercituum ad vos, ô sacerdotes, qui despicitis nomen meum, & dixistis: In quo despeximus nomen tuum?

6. Hæc omnia à liberali Domino, aut à patre beneuolo nascuntur, quibus propterea honor debetur, & obseruantia. Et quidem cùm filius patrem honorare, & seruus dominum reuereri soleat, vos tamen vtrumque prodidistis officium: neque enim me vt patrem honorastis, neque vt Domino debitum obseruantiæ exhibuistis obsequium. Hæc ad totum populum, qui tam longè est, vt beneficium rependat, vt neque impensum agnoscat. B Nunc ad vos, ô sacerdotes, querimoniam, reprehensionémque conuerto, qui cùm meipsum vilem, ac despicabilem habeatis, neque peccatum hoc agnoscitis; & si quid apparet in vobis sceleratum, & turpe, id à vobis callida tergiuersatione depellitis.

7. Offertis super altare meum panem pollutum, & dicitis: In quo polluimus te? In eo quod dicitis: Mensa Domini despecta est.

7. Nunc accipite, quid ego in vobis sceleris, & officij neglecti reprehendam. Defertis enim ad altare, contra quàm ritus sacrificalis edicit, pollutum panem; & tamen quæritis quánam in re pollutus à vobis esse videar. An non ego tunc à vobis C pollutus censeri debeo, cùm mensam meam vilem esse, ac despicabilem aperto iactatis, liberóque conuitio?

8. Si offeratis cæcum ad immolandum, nónne malum est? & si offeratis claudum, & languidum, nónne malum est? offer illud duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum.

8. Vilem porrò apud vos haberi mensam meam non dubiis ostenditis argumentis. Adducitis enim, quod graue scelus est, victimas, quas lex sacrificalis ab altari remouet, quásque neque homo paulo lautior admitteret, cæcas nimirum, claudas, & elumbes, extrema denique macie, aut morbo confectas. Quas si ad du- D cem vestrum, & principem adducere volueritis, malè vos accipiet, & in crucem cum vestris victimis facessere iubebit.

9. Et nunc deprecamini vultum Dei vt misereatur vestri (de manu enim vestra factum est hoc) si quomodo suscipiat facies vestras, dicit Dominus exercituum.

9. Nunc ergo supplicibus ad Deum votis, precibúsque contendite, vt à vobis, & populo furorem auertat: fieri enim potest, vt postulatis annuat, & veniam concedat. A vobis enim profectum est hoc tantum malum, qui vitiosas à populo victimas accipitis, eásque ad altare pollutis manibus immolatis.

10. Quis est in vobis, qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuito? non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra.

10. Vnde tanta in vobis impietas, tam infidele, & ingratum obsequium, non est E coniectare difficile. Ideo enim vestrûm quisque sacrificat, vt aliquid inde compendij capiat; & dummodo id non desit, de puris, atque legitimis hostiis non laborat. Nihil est autem in templo non venale, non ostia claudere, non ignem accendere, & alia, quæ in sacro ministerio cēsentur leuissima. Quare cùm sacrificantes ipsi non placeant, neque sacrificia placent; quæ sicut leges remouent ab altari, sic ego ab anima repellam.

11. *Ab ortu enim Solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum.*

11. Mihi perfecta debetur victima, quia vniuersorum Deus sum, & vbique terrarum magnum est, & venerabile nomen meum. Cui aliquando in aureo Euangelij sæculo vbique locorum, etiam inter Gentes, mundissima atque gratissima immolabitur hostia.

12. *Et vos polluistis illud in eo quod dicitis: Mensa Domini contaminata est: & quod superponitur, contemptibile est, cum igne, qui illud deuorat.*

12. Sed vos nomen meum omnibus sæculis, ac Gentibus venerabile, tanquam vile aliquid, & despicabile polluistis; dum mensam meam rudi opera elaboratam esse dicitis, contaminatam, & sordidam; & tam quod illi sacrificium imponitur, quàm ignem, qui illud accendit, & deuorat, aliquid esse exiguum, & futile, quódque iure ab omnibus debeat haberi ludibrio.

13. *Et dixistis: Ecce de labore, & exufflastis illud, dicit Dominus exercituum, & intulistis de rapinis claudum, & languidum, & intulistis munus: numquid suscipiam illud de manu vestra, dicit Dominus?*

13. Quò verò à vobis crimen illud depelleretis, quod ex victimarum macie, atque languore sacrificiis adhæserat, dicebatis non posse à populo meliores expectari victimas; quia debilis erat, & angusta miserorum fortuna, cùm agris, & pascuis opportunus imbet defuisset; atque ideo res tunc pecuaria, ac rustica laboraret. His porrò sacrificiis tantum addidistis ponderis, quãtum habet fumus, aut stipula; & fecistis vt illa Deus dissipet potius, & exsufflet, quàm admittat. Neque satis habuistis, vt claudum ad aram afferretis, & languidum, nisi etiam id esset furto sublatum. Nunquid ego de manibus vestris tam crudele, ac vile munus accipiam?

14. *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino: quia Rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, & nomen meum horribile in Gentibus.*

14. Maledictus ille, qui in sacrificiis non syncerè, & castè, sed dolosè, & fraudulenter agit. Qui cùm in grege victimam habeat pinguem, & masculam, & quam ex voto debet vitiosam immolat, & debilem. Neque id secum attentè considerat, quia Rex magnus ego sum, & nomen meum vbique terrarum venerabile.

Vers. 1. *Onus verbi Domini ad Israël in manu Malachiæ Prophetæ.*]

1. QVID sit *onus*, iam sæpè à nobis declaratum est. Alicui tamen videri posset, oneris nomen in hanc prophetiam non aptè conuenire, cùm promissionum, ac beneuolentiæ plus habeat, quàm minarum. Hieronymus minaces hîc sermones agnoscit, & propheticum onus, in alios tamen potius, quàm in Israel. Et ea adducitur ratione, quòd non contra, sed ad Israel proponitur, quidquid hîc onerosum atque molestum est. *Consolationis*, inquit, *aliquid habet, quod non contra Israel, sed ad Israel sumitur. Aliud est enim quando, verbi gratia, ad illum, vel illum scribimus; aliud, quando contra illum, & illum: quia in altero pars amicitiæ, in altero inimicitiarum aperta confessio est.* Ita Hieronymus, qui indicat hoc prophetico sermone doceri Iudæos, non quod sibi, sed quod aliis infortunium impendeat. Hieronymum sequuntur, qui in eius sententiam videntur iurasse.

2. Est qui putet hoc esse reuera prophetale pondus, impositum tamen non aliis, quàm Malachiæ ceruicibus. Quia sanè durum est munus fideliter obire propheticum, aperire vulnus, & seuerum illi medicamentum adhibere, subire multorum odia, & se furiosi, ac desipientis populi consiliis opponere. Quod querebatur Ieremias cap. 15. v. 10. *Væ mihi mater mea, quare genuisti me virum rixæ, virum discordiæ in vniuersa terra. Non fœneraui, nec fœnerauit mihi quisquam: omnes maledicunt mihi.*

Durum est propheticū obire ministerium.

3. Ego non video, cur hæc prophetia, etiamsi Iudæorum populum spectet, vocari non possit onus, cùm graues contineat reprehensiones, & minas, vt legenti constat. Neque id, quod in principio beneuolentiæ videtur esse plenum, sale caret, & felle. Eo enim antiquus in populum, & tener amor proponitur, vti inde ex obliuione, atque ingratitudine aculeos accipiat, & velut impetum capiat reprehensionis acerbitas. Quàm porrò

Digitized by Google

porrò sæpe, ac grauiter populum, & sacerdotes exagitet Propheta, promptum est videre.

4. *Israel pro iis, qui redierunt ex exilio.*

Israel hoc loco non significat decem tribus, vt antea, sed illos, qui ad patriam ab exilio ex duodecim tribubus permixti redierunt. Neque enim duæ tantùm familiæ Iuda, & Beniamini; sed etiam ex aliis remigrauere quamplurimi, vt latè à nobis probatum est *in cap. 1. Oseæ*. Vt autem quotquot ex Israelitico genere reuersi sunt, quacunque ex familia orti, vocati sunt Iudæi, quia vnum habuerunt ducem, & caput Zorobabel de semine Iudæ: sic etiam, vt notauit Hieronymus, post exilium omnes compellationem sumpserunt Israelis, quia Israele omnes prognati sunt parente; neque necesse est, cùm iam in vnum populum, & quasi corpus coaluerint, diuersa appellatione secerni. Quid sit verbum fieri in manu Malachiæ Prophetæ, diximus ad eadem propè verba apud Aggæum in principio.

5. *Grauius est peccatum post beneficia.*

Vers. 2. *Dilexi vos, dicit Dominus, & dixistis, in quo dilexisti nos.*] Peccat qui in aliquem iniurius est, vt si contemnat, irrideat, aut aliquod edat signum hostilis, aut auersantis animi. At qui hæc præstiterit in hominem officiosè de se, & amicè meritum, is eo peccat grauius, quo plura negligit officia, & arctiora frangit necessitudinis vincula. Hinc fit, vt sæpè in exprobrando antiqua commemoremus officia. Id planè facit Deus dum populi sui peccata damnat, & amplificat, quod in summo dolore, atque offensione faciunt, qui tragico stylo de gratia malè reddita, aut de iniuria pro gratia relata dolent. Quod verò statim subditur, *in quo dilexisti nos?* Stuporem indicat animi dementis, & ingrati, qui tam est longè, vt gratiam referat pro beneficiis, vt neque impensum sibi beneficiũ agnoscat. Quamobrem Deus quàm in populũ illũ ab antiquissimis sæculis liberaliter, quàm assiduè meritus fuerit, edocet.

6. *Iacob quo sensu dilectus, & Esau odio habitus.*

Vers. 3. *Nonne frater erat Esau Iacob, dicit Dominus, & dilexi Iacob, Esau autem odio habui?*] Ab orto Iacob, qui Israelitici generis author fuit suę in populum liberalitatis deducit exordium. Nota est Iacob, & Esau historia, quomodò ex eisdem parentibus, imò eodem tempore, atque conceptu nati, *Genes. cap. 25.* Dicitur autem Iacob à Deo dilectus, Esau verò odio habitus, eo dicendi modo, quo illa negantur inesse alicui, quæ aliorum comparatione exigua existimantur. Sic Lucæ cap. 14. v. 26. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum,* &c. id est, vt est eorum interpretum sententia, qui non me plus quàm parentes diligit; neque enim parentes odisse fas est, cùm Deus illos à nobis amari iubeat. Et quidem Matthæus *cap. 10. v. 37.* cùm hoc idem Christi testimonium adduceret, per comparationem expressit. *Qui amat patrem, aut matrem plus quàm me, non est me dignus.* Et *Genes. 29. v. 31.* vbi vulgatus, *Videns Deus, quod* (Iacob) *despiceret Liam.* Hebr. est שנואה *senuah*, id est, exosa, seu odio habita. & ita transtulere Septuaginta, *Videns Deus quòd odio haberet Liam.* Cùm Samaria, & Sodoma multorum fuerint peccatorum contaminatæ sordibus, iustæ tamen dicuntur cum Hierosolyma comparatæ. Ezech. c. 16. *Iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis.* Et ideo Ezechielis *cap. 20.* antiqua præcepta dicuntur non bona, cùm tamen mala non fuerint, quia talia existimari possunt cum euangelicis præceptis comparata. Ita putant Ambros. *ser. 16. in Psal.* 118. Gregor. *lib. 28. Moral. cap. 17.* Cassianus *collat. 23. cap. 4.* Et ne longiùs abeamus, in ipsis Esau & Iacob, de quo nobis quæstio,

REGVLA. Illa negantur inesse alicui, quæ aliorum comparatione existimantur exigua.

exemplum habemus accommodatum. Genesis *cap. 25. v. 28.* ab Isaac dicitur amatus Esau, à Rebecca Iacob; non quòd hic non sit dilectus ab Isaac, aut ille à Rebecca; sed quia alter altero respectiuè magis amabatur. Sic huius loci hanc esse puto sententiam, multo magis Iacob à Deo amatum esse, quàm Esau.

Secundò obseruo hoc odium, siue amorem 7.
non esse tantùm erga Iacob, & Esau, sed etiam, imò præcipuè erga eorum posteros, vt censet hic Hieronymus. Et docet non obscurè Malachias, dum argumentum sumit ab his rebus, quæ non tam ad Esau, & Iacob, quàm ad eorum posteros pertinebant. Neque enim Esau terram desertam vidit, & rursus visurus erat, cùm habitari rursus inciperet, euersam. Neque id obscurè docet Propheta, cùm dilectionem Iacob, dilectionem esse dicit filiorum eius. *Dilexi*, inquit, *vos.* & probat, quia Iacob dilexit. Vnde optimè hîc Hieronymus, *In Iacob vos dilexi, in Esau Idumæos odio habui.*

Ex his definiri posset quæstio, de qua inter Do- 8.
ctores controuersus est sermo: An hoc odium Esau, & amor Iacob intelligenda sint de illius reprobatione, & huius prædestinatione: an potiùs de prærogatiua ad aliquod temporale commodum; quale videri potuit ius primogenij, aut nobilior hæreditas, aut in Esau posteros dominatus, aut aliquid aliud, quod hominum opinione numeratur in bonis. Mihi placet, quod Hieronymo, & Theodoreto placuit, quod etiam sequuntur interpretum plerique tum apud Malachiam, tum apud Paulum *ad Rom. 9.* vbi hoc adducit testimonium, & quidam ex Scholasticis Doctoribus. Vide Gabrielem Vasquez *tomo 1. in 1. p.* S. Thomæ *disp. 95. cap. 8.* Qui omnes censent nihil hîc spectari spirituale, sed quod ad externum commodum, & ornamentum pertinet. Quod Malachias ipse docet, qui in amore Iacob, & odio Esau, nihil adducit, quod ornet, & iustificet animum; sed tantùm externa bona, quæ hominum vulgus dona putat esse fortunæ.

Amor Iacob, & odiũ Esau ad temporale commodum refertur.

Neque leuis est coniectura, quoniam, vt appa- 9.
ret, locus iste alium respicit ex *Genes. cap. 25. v. 23.* vbi hoc de gemina prole audit à Domino Rebecca, *Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populúsque populum superabit, & maior seruiet minori.* Et *cap. 27. v. 29.* compleri cœpit, cùm in benedictione hæc Iacobo precatus est pater Isaac, *Seruiant tibi populi, & adorent te tribus: esto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ.* Hîc spirituale nihil audimus.

Accedit quòd nullus est locus, ex quo constet 10.
reprobatum esse à Deo, & damnatum Esau; neque Deus hîc aliud affert, quàm quod notum erat filiis Israel. At vnde illis notum esse poterat æternis flammis damnatum Esau? Alioqui quam vim haberet ratio, quam Dominus adducit, si illius veritas Israelitis foret ignota? At prælatum fuisse Iacobum Esau fratri, & ius primogenij fuisse consecutum, & antequam Iacob esset natus prædictum esse matri Rebeccæ, nemo illorum ignorabat. Aliam explicationem habes in fine *ad num. 19.*

Sed obtendet nobis aliquis illud *ad Rom. 9. v.* 11.
11. vbi Paulus de prædestinatione, & gratia loquebatur, sic *n. 16.* de Iacob & Esau, *Cùm enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, vt secundum electionem propositum Dei maneret. Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei* (Rebeccæ) *quia maior seruiet minori, sicut scriptum est* (nempe apud Malachi

Malachiam hîc) *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Huic obiectioni respondet Hieronymus hîc, dum ait hanc Pauli allegationem mysticum habere, non historicum sensum. Alij alias explicationes adducunt, quas apud Pauli interpretes videre promptum est. Mihi placet illa, à qua non videtur abhorrere Hieronymus, spectari hic quidem spirituale aliquid, vt sentiunt cum Augustino plurimi; quod vt hominibus largiatur, Deus illorum merita non expectat. Cùm autem nullum haberet Paulus in Scriptura sacra exemplum, adduxit aliquid simile in Iacob, & Esau; quorum alterum, cùm nulla præcessissent merita, ad primogenituram,& alia dignitatis ornamenta vocauit; alterum abiecit ab eo, nimirum honore, ac statu, in quo minorem fratrem constituerat. Tunc autem similitudinis notam subaudio in hunc sensum: Liberum est Deo suo arbitratu sine vllo meritorum examine, quo voluerit, spiritualibus ornare donis, & ad suam aduocare gratiam,& amicitiam, aut certè inornatos, nudósque relinquere: sicut in temporalium, humanarúmque rerum dispensatione aliquando fecisse Scriptura docet. Prius enim quàm boni aliquid egissent, aut mali, Iacob, & Esau, iam Deus statuerat, vt maior minori seruiret, & primogenij prærogatiuam obtineret, sicut scriptum est per Malachiam, *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Ex quibus verbis apertè colligimus propriam, atque germanam huius loci sententiam. Neque enim, vt docet apertè Paulus, aliud dixit Propheta, quàm quod dictum fuerat antè Rebeccæ, nempe *quia maior seruiet minori. Sicut* (inquit) *scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Et verò si, vt priùs dicebamus,& ipse Propheta non obscurè docet, hæc impleta sunt in posteris horum duorum fratrum, durum est, & omninò incredibile,& nullum ex Esau genere seruatum, & omnes ex Israelitico semine gloriam consecutos.

12\. *Esau quo sensu non inuenerit locum pœnitentiæ.* Sed est quod nobis qui contrà cogitat, obijciat ex epistola ad Hebr. *cap.* 12. *v.* 17. vbi Esau dicitur non inuenisse locum pœnitentiæ. Ex quo videtur reprobatus fuisse, atque damnatus Esau. Hic locus variè à varijs exponitur. Mihi placet quod in hunc locum visum est nostro Gabrieli Vasquez, pœnitentiam hanc non esse Esau, sed parentis Isaac, à quo filius precibus, & lacrymis extorquere non potuit, vt mutaret mentem, & benedictionem, quam Iacob fratri fuerat impertitus, reuocaret: neque de pecato tunc dolebat, & lacrymabatur Esau, sed quòd frater sibi primogenituram abstulisset. Neque obscura est Pauli sententia, si attentiùs expendatur. *Ne quis,* inquit, *fornicator, aut profanus, vt Esau, qui propter vnam escam vendidit primitiua sua. Scitote enim quoniam & postea cupiens hereditare benedictionem reprobatus est* (nempe à patre, qui noluit illi primogenituræ benedictionem largiri.) *Non enim inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam.* Id est, non effecit precatione, ac gemitu, vt pater mutaret animum, & largam illi benedictionem ad se transferiberet. Vbi vulgatus *pœnitentia,* Græcè est *μετάνοια*, quæ vox mutationem, aut correctionem significat sententiæ. Sanè Publius Rutilius Lupus *lib.* 1. *μετάνοιαν* schema esse dicit, cùm ipse, qui loquitur, se reprehendit, & id, quod priùs dixit, sententia posteriori commutat. Neque alio sensu dixit Paulus ad Rom. cap. 11. v. 29. *dona Dei esse sine pœnitentia.* Hanc sententiam probat noster Cornelius à Lapide, & meo iudicio nihil habet in textu non expeditum.

13\. *Et posui terminos eius in solitudinem, & hereditatem eius in dracones deserti.*] Explicat nunc in quo spectetur odium, seu minor amor Esau; quia illius vastauit terminos, & in meram redegit solitudinem; quod faciet & iterum, vbi illa solitudo instaurari cœperit. *Idumæi vastati.* Quod præstitit priùs per Nabuchodonosor, qui quinto, postquam Hierosolymam excidisset, anno Idumæam,& alias prouincias regioni Israelitidi vicinas euertit, vt author est Iosephus *lib.* 10. *Ant. cap.* 11. Porrò cùm extrema significatur vastitas, habitata dicitur ciuitas à feris, quæ loco succedunt hominum. Vt enim pro domibus succrescunt syluestres arbores,& vrbs antè frequens fit senticosa sylua; sic etiam ibi syluestres belluæ, atque serpentes sua sibi construxere cubilia. Idem de Ierusalem dixit Isaias *cap.* 30. & de Babylonia *cap.* 13. Vide quæ nos ibi. Et paulo antè Sophon. *c.* 2. *v.* 5. De Idumæorum exitio agit Ezechiel *cap.* 35. Ieremias *cap.* 49. & Abdias; apud quos ego multa, quæ tu vide.

14\. Vers. 4. *Quòd si dixerit Idumæa, destructi sumus, sed reuertentes ædificabimus quæ destructa sunt; hæc dicit Dominus exercituum, isti ædificabunt, & ego destruam.*] Notant, opinior, Idumæi reuersuros se aliquando in patriam,& destructas à Chaldæorum exercitu ciuitates fore ædificandas: sic enim audierant à Ieremia prædictum *cap.* 27. Cùm enim Tyro, Sidoni, & Idumææ, alijsque prouinciis à Babylonis Rege prædixisset exitium, subdidit v. 7. *Et seruient ei omnes gentes, & filio eius, & filio filij eius, donec veniat tempus terræ eius.* Quòd verò post reditum instaurarint euersa, ex eo liquet, quòd à Machabæis iterum vastati sunt. *Idumæi ab Israele subacti.* Sic enim legimus Machab. 1. cap. 5. *Et debellabat Iudas filios Esau in Idumæa,* &c. *& percussit eos plaga magna.* Et *lib.* 2. *c.* 10. viginti quinque millia trucidata narrantur,& eodem capite iterum viginti millia. Euertendos autem rursus esse ab Israelitis Idumæos dixit Abdias v. 17. *Erit,* inquit, *domus Iacob ignis, & domus Ioseph flamma, & domus Esau stipula: & succendentur in eis, & deuorabunt eos, & non erunt reliquiæ domus Esau.* Imò eò adducti sunt, vt tradit Iosephus *lib.* 13. *Ant. cap.* 17. vt circumcisionem subire cogerentur; quod illis instar mortis fuit. Sic autem ille de Hircano, qui tunc ex Machabæorum genere populo præerat. *Subiugatis omnibus Idumæis edixit, vt circumciderentur, nisi mallent è propriis pelli sedibus. Atque illi amore patriæ admiserunt, & circumcisionem, & reliquam iuxta Iudaicos ritus viuendi formulam.* Hinc Deus probat, quanto magis Israelitas amet, quàm Idumæos; cùm illos iterum atque iterum iuxta promissionem antiquam Israeli subiecerit.

15\. *Et vocabuntur termini impietatis, & populus, cui iratus est Dominus in æternum.*] Hic est communis hominum sensus, & familiare iudicium, vt docuerunt amici Iob, qui ideo nullum sceleris reum arguebant, quòd tot viderent modis à Domino mulctari. *Humana incommoda vulgus orta putat ex peccatis.* Quare cùm homines, quibus is est communis, ac penè naturalis sensus, vastatam viderint Idumæam, & non iam ab hominibus, sed à syluestribus feris habitatam, impiam existimabunt esse regionem, à qua Deus tam seueras exegisset pœnas; & vehementer Deum iratum esse populo, quem sic reddidisset iterum & sæpiùs miserabilem. Dicitur autem Dominus in æternum iratus, quia sic erat concisa regio, & populus affectus, vt æterna futura videretur illa iactatio. Hîc tu obserua non prædici à Propheta æternam Idumææ vastitatem; sed ita existimaturos eos,

eos, qui, desertã viderint, & malè iactatam. Neque si hoc affirmatum esset a Propheta, fide careret vaticinium: vt enim à nobis obseruatum est sæpius, *æternum*, *sempiternum*, & similia, non semper id valent, quod fine caret, sed interdum, idque non infrequenter, quod diuturnum est.

16. Vers. 5. *Et oculi vestri videbunt.*] Verbum *video*, iuxta Hebræorum idioma, magnam habet epitasim, vt nos pluribus ostendimus ad illud Isaiæ cap. 60. *Tunc videbis, & affines*, vbi exemplorum satis. Significatur autem illo dicendi modo ingens lætitia, quæ capitur siue ex oblatis bonis, siue ex inimicorum nostrorum interitu. In hunc sensum dictum est Psal. 34. v. 21. *Dilatauerunt super me os suum, dixerunt: Euge, euge, viderunt oculi nostri.*

17. *Et vos dicetis, magnificetur Dominus super terminos Israel.*] Tunc quando malè se ab hostibus iactari videant Idumæi, verisimile est eos præ laboris, & incommodorum impatientia in deos patrios, & tutelares multa contumeliosa fore iactaturos; id enim in deos suos, si quando aliquid accideret aduersi, faciebant plerumque Gentiles. Quorum consuetudinem expressit Maro *lib.* 2. *Æneid.* qui sic hominem pium cum suis diis expostulantem inducit.

Quem non incusaui amens hominúmque, Deúmque.

Et Ecloga 5.

Cùm complexa sui corpus miserabile nati,
Atque deos, atque astra vocat crudelia mater.

18. Quo ergo tempore Idumæi de sua fortuna querebantur, precabantúrque malè diis, à quibus patrocinium in rebus aduersis implorauerant; tunc Israelitæ laudabant Deum, eúmque ab omnibus magnificari, id est, haberi magni, atque laudari studebant, quòd deiecisset populum Israelitici nominis inimicum, & Iudæorum finibus magnum addidisset incrementum. Id enim videtur sibi velle illud, *super terminos Israel.* id est, propter terminos amplificatos. Nisi mauis *super terminos* idem esse, quod vos eritis super terminos lætantes, atque laudantes Deum; illi verò lacrymantes, & mœsti, quòd ex patriis finibus turpiter exciderint.

19. Ex his ergo aliam explicationem adducam, fortasse veram, atque germanam huius loci, qui tamdiu torsit interpretum ingenia. Et priùs obseruo vsitatum esse in sacris literis, sicut etiam in profana literatura, vt pro effectu adhibeatur causa. Quomodo odium adhibemus pro vexatione, iniuria, aut his incommodis, quæ ex maleuolentia plerumque proueniunt. Sic multo frequentiùs amor pro commodis illis vsurpatur, quæ ab amore nascuntur. Hinc *ἀγάπη*, seu agape pro conuiuiis accipitur, quæ pauperibus exhibentur; & nos charitatem vocamus aut munus datum alteri, aut eleemosynam, qua pauperum leuamus inopiam; quia vtrumque opus est à charitate profectum. Ad hunc ergo modum existimo, *diligere* idem esse quod munificum aliquem esse, & liberalem in alium, quem beneficiis ornet: & *odio habere* parcum esse, & minùs officiosum, sicut superiùs diximus. Quare nil puto aliud hîc à Domino dici, quàm populum illum non iam inde à sui generis incunabulis variis fuisse beneficiis ornatum, quæ cùm ingratus ille populus non agnosceret, Deus hîc connumerat, ostendens ex rerum ipsarum dissimilitudine diuerso se animo in Israelitas, quàm in Idumæos affectum. Quæ explicatio multas euitat controuersias, eásque difficiles, quæ agitari solét inter scholasticos Doctores.

Amor pro beneficiis, & obsequiis, quæ ab amore nascuntur.

A Iuxta hæc ego existimabam explicari posse illud Lucæ cap. 7. de Magdalena. *Demissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Quo loco, *diligere* idem esse putabam, quod obsequia præstare, quæ plerumque oriri à dilectione solent. In hunc ergo sensum accipiebam hunc locum. Qui plura sibi peccata, ac debita indulgeri studet, pluribus officiis creditoris gratiam demereri contendit. Quod fecit Magdalena, quæ cùm se debitis oneratam videret, variis obsequiis conciliare sibi voluit creditoris animum. Quia ergo dilexit multum, & quantum potuit, in Christi obsequium lubens impendit, dimissa sunt illi peccata multa. Et ideo post exhibita illi eximiæ humanitatis officia dixit Christus, *Remittuntur tibi peccata tua.* Quod ἀντίδωρον fuit, & præmium tam liberalis officij. Cùm verò Pharisæus neque de venia laboraret, neque se tot debitis oneratum existimaret, minùs in Christum fuit liberalis, & officiosus. 20.

Magdalena quomodo dimissa peccata quia dilexit.

B

21. Vers. 6. *Filius honorat patrem, & seruus dominum suum: si ergo ego pater sum, vbi est honor meus.*] Huc spectabat illa Iacob & Esau cóparatio, vt inde vim haberet maiorem reprehensio. Patrem se Deus Israelitarum probauerat, cùm paternam in illos beneuolentiam, & sedulitatem ostendit; item Dominum, cùm illos tot beneficiis coëmisset, maximè cùm à seuero Chaldæorum dominatu redemit, cuius recens erat memoria.

C Tunc autem si quid esset in illis pudoris, aut mentis, seruos se sui redemptoris agnoscere, ac profiteri deberent. Illi tamen Deum neque vt parentem amarunt, neque vt Dominum reueriti sunt. Hîc porrò notandum id, quod aliis sæpè locis obseruauimus, actum secundum, vt Logici dicunt, sumi pro primo, aut, quod idem est, pro officio, ac debitô. Quare idem est à filiis parentes, seu dominos honorari, atque honorari debere: quomodo ego explicari posse credebam illud, de quo proximè, de Magdalena. *Quis eum plus diligit?* id est, quis debet illum pluribus prosequi officiis?

Regulæ; Actus secundus pro primo.

D *Ad vos, ô sacerdotes, qui contemnitis nomen meum.*] 22.
Hinc noua incipit reprehensio ad sacerdotes; nam superior ad totum pertinebat populum, quem ideo seueriùs accepit; quià cùm in illum paternum semper ostendisset animum, tam erat longè vt officium rependeret, vt neque impensum agnosceret. Nunc iam significat habere se aliquid, quod in sacerdotum fide, & religione desideret. Ita putat Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, & plures alij: quod mihi etiam placet. Sunt verò nonnulli, qui à superiori clausula, ab illis nempe verbis: *Filius honorat patrem*, existimant sacerdotum reprehensionem deduci: quod licèt in Hebraico textu, & eius dispunctione aliquod appa-

E reat habere fundamentum; minùs tamen videtur orationis filo consentaneum. Nam cùm Dei in populum antiquissima commemorasset beneficia, vt acerbitatis plus haberet obiurgatio, manca videbatur omnis illa præparatio, si non esset ad extremum addita reprehensio.

Nouam igitur obiurgationem aggreditur, accusátque sacerdotes, quòd cùm illis diuini nominis religio sit, atque custodia credita, illius tamen curam abiecerunt; imò contempserunt illud nomen, quod religiosè obseruare debuerant. Sumitur autem hoc loco, sicut alibi frequenter, *nomen Dei* pro Deo; atque ideo contemni Dei nomen, idem est quod Deum ipsum contemni. Quòd si nomen hoc loco honor est, 23.

vt

vt in omni lingua frequens vsus obtinuit, contemni Dei nomen idem erit, quod diuini honoris curam haberi nullam. Et hoc indicat, quod proximè succedit.

24. *Et dixistis, in quo despeximus nomen tuum?*] Sicut ingratus populus, & beneficiorum immemor dixit paulo antea, *in quo dilexisti nos?* quasi nullum Dei beneficium agnosceret: sic nunc sacerdotes, quasi nulli se peccato obnoxios putarent, sed strenuè sacerdotali satisfecisse muneri, & diuino honori consuluisse cumulatè, dicunt, *in quo despeximus nomen tuum?* Et vt ibi sua Deus in populum beneficia, sic nunc sacerdotum in se peccata commemorat.

25. Vers. 7. *Offertis super altare meum panem pollutum, & dicitis, in quo polluimus te.*] Alterum sacerdotibus crimen obiicitur, quod panem ad altare, id est, ad Domini mensam, pollutum adduxerint. Sed illi quasi omne sacerdotale, ac sacrificale opus expleuissent legitimè, ac sanctè, hanc à se criminationem remouent, ac dicunt eadem qua proximè ambitione, & amentia, *in quo polluimus te?* Illud hîc obiter obseruandum impropriè videri à sacerdotibus fuisse responsum. Queritur Dominus, quòd à sacerdotibus oblatus fuerit pollutus panis; negant illi à se Deum esse pollutum, de quo non videbantur accusari. Sed si Scripturæ consuetudinem expendas, & quid secum afferat ipsa natura rerum, non videtur sacerdotum inepta responsio, modò vera. Si quispiam alteri vile aliquid offerat, vilem illum esse demonstrat; si vestem iniecerit pollutam, pollutum reddit, quia hæc aut moribus, aut meritis accommodata esse fatetur. Accedit quòd ex Scripturæ sacræ idiomate illa facere dicimur, quæ aliquo modo facta esse significamus. Quomodo polluere dicitur leprosum sacerdos, seu contaminare, cùm illum pollutum, seu contaminatum declarat. Lege *cap.* 13. *Leuitici*, in quo multa occurrent exempla. Sic qui sacrificiis impiis dat operam, polluere dicitur nomen Domini, *Leuit.* 18. *v.* 21. Item periurus *cap.* 19. *v.* 12. Et *cap.* 21. *v.* 6. sacerdotes, qui sancti non sunt, neque legitimè sacerdotale obeunt ministerium, polluere dicuntur nomen Domini, id est, Dominum ipsum. *Sancti*, inquit, *erunt sacerdotes Deo suo, & non pollu[e]nt nomen eius.* Quare dum sacerdotes negant Deum à se esse pollutum, dicunt se esse sanctos, & nihil se in re sacrificali fecisse, nisi legitimè.

Regvla. Illud fecisse dicimur quod esse factum ostendimus.

Pollui nomē Domini, quid.

Sacerdotes mali Deum polluunt.

26. *Offertis super altare meum panem pollutum.*] Panis Hebr. לחם *lechem*, ex Hebræorum idiomate non solùm significat id, quod propriè sonat, nempe quod ex farina subigitur frumentacea; sed etiam quidquid ad mensam adhibetur, siue è terra, arboribúsque nascatur, siue ab animalibus sumptum, quidquid denique hominem confirmat, & nutrit. Hieronymus panes esse putat propositionis, qui multis modis putat videri pollutos, cùm videlicet aliquid in illis desideratur, quod ratio legitima præscribit. Sic autem ille: *Offertis super altare meum panem pollutum, panes videlicet propositionis, quos iuxta traditiones Hebraicas ipsi serere, ipsi demetere, ipsi molere, ipsi coquere debebatis, & nunc sumitis quoscumque de medio? Et voce temeraria respondetis, & dicitis, in quo polluimus eos, siue te? Dum enim sacramenta violantur, ipse, cuius sunt sacramenta, violatur.* Cum Hieronymo sentiunt Remigius, Haymo, Albertus, Hugo, & Lyra.

Panes propositionis à sacerdotibus subacti, & cocti.

27. Alij de aliis panibus, aut sacrificiis hæc accipiunt, quæ ex simila fiunt, quibus ex lege aliquid admisceri debet, nihil tamen fermenti: quibus si aliquid horum desit, immundus censetur panis, & pollutus, atque indignus altari; ita putat Cyrillus, indicat Theodoretus, neque Riberæ displicet. Multa verò esse necessaria, ne panis, aut quæuis oblatio ex farina frumentacea polluta sit, aut, quod idem est, polluta, & à lege reprobata, habemus ex variis Scripturæ sacræ locis. Vide Leuiticum *cap.* 2. *v.* 4. & 8. *cap.* 6. *cap.* 16. vbi forma præscribitur sacrificij, & quid in eo lex antiqua requirat.

Quòd si, vt secundo capite Aggæi dicebamus, 28.
qui pollutus est, quicquid tetigerit, continuò polluit, pollutus quoque panis ille censebitur, quem sacerdos obtulerit pollutus. Qualis erat ille, de quo *Leuit.* 21. *v.* 17. vbi sic Dominus ad Moysem. *Loquere ad Aaron. Homo de semine tuo, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius: si cæcus fuerit, si claudus*, &c.

In eo quod dicitis, mensa Domini despecta est.] 29.
Huius loci duas ego expositiones inuenio; neque vtri illarum adhæream, promptum habeo. Altera respondet posteriori quæstioni, rationémque reddit, cur ad altare, id est, ad Dei mensam panis afferebatur pollutus. Videbat populus ille tum aliis, tum hoc maximè loco nequam, & insipiens, vt erat templum à Zorobabele constructum impolitum, & minus, quàm fuerat antiquum, augustum, & amplum: sic etiam rudem esse mensam, & altare, ad quod de more adduci, atque immolari solebant oblationes, & victimæ. Cúmque altare potius spectaret impolitum, & rude, quàm Dei maiestatem, in cuius honorem illa fuerant instituta sacra, satisfactum putabat, & legi, & loco, etiamsi pollutum afferret panem, aut victimas, quas lex, & ratio remouebant ab aris. Hoc autem erat peccatum graue, cùm populus ille diuinam maiestatem ex mensæ dignitate, ac pretio metiretur: aut certè indignum existimaret, pretiosas, atque perfectas victimas adduci ad mensam neque perfectam, neque pretiosam. Tunc verò hæc verba sic interpretor. *In eo quod dicitis*, id est, propterea quod dicitis, & existimatis; nam *in* idem interdum valere, quod *propter*, notum est. Mensa Domini despecta est, id est, vilis, atque indigna, quæ in honore sit, ac pretio. Nam participium præteriti, idem valere quod nomina in *bilis*, sæpiùs à nobis obseruatum est. Quomodo dicitur *inaccessus, inuictus*, & similia, pro *inaccessibilis, inuincibilis*.

Ex tenui cultu diuina maiestas æstimari non debet.

Altera explicatio est, quæ docet, quomodo sa- 30.
cerdotes Dei nomen despiciant; respondétque illis verbis. *Qui despicitis nomen meum.* Tunc verò despiciunt, cùm aram Domini, aut mensam despicabilem esse dicunt, & indignam, cui honoris aliquid debeat impendi.

Ego in his non multum discriminis esse video, 31.
cùm eodem spectet vtraque sententia. Ad sensum moralem pro religiosæ vitæ instituto magnum hoc loco documentum intueor. Altare quoddam est Christi symbolum, imò Christi vicarium, quod excipit id, quod oblatum est Deo; & quod si contemnatur, perinde Deus æstimat atque si Deus ipse sordidus habeatur, & vilis: & ideo Deus pollui se dicit ac despici, quia eius mensa, seu altare despicitur. Eodem modo quis, qui legitimè præest, Christi vices obtinet, & ideo Christi nomine mandatum iniungit; si ille despicitur ad illum tanquam ad vilem, & despe-

Altare Christi symbolum.

ctant

ctam aram munus obedientiæ, aut victima producitur ſcabioſa, & languida, & qualem ab altari remouet diuina lex, Deus ipſe contemnitur: quemadmodum ſi quiſpiam eius imaginem, quia minus habet artis, & in vili, atque communi materia expreſſa eſt, indignam putaret, cui honor, & reuerentia debeatur.

32\. Contingit aliquando, & ſæpius fortaſſe quàm res exigebat religioſa, & Chriſtiana, vt rudis ſit ara, ad quam oblationes, & victimas adducimus, & ſic rudis imago Dei in ſuperioribus non tam expreſſa, quam adumbrata ruditer, ita vt in ea nihil Chriſti, aut imaginis videas præter nomen. Non tamen ideo conceſſum eſt vt obedientiæ opus tale ſit, quale ſtatim in victimis à Propheta deſcribitur: quia non tam homini imperfecto, & tanti nominis indigno exhibetur, quàm Deo, cuius ille nomen, & perſonam ſuſtentat. De quibus Chriſtus dixit, *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Abſconditur quidem Chriſtus interdum in eo, qui præeſt, & vſque adeò latet, vt nihil in eo appareat Chriſtianum; nihilo tamen minùs latet in eo Chriſtus, & inde accipit quaſi ex ara rudi, aut ex ſui vicario munus oblatum. Sanè nihil apparebat in Cyri moribus diuinum, nihil diuino ſimile; in eo tamen dicebat Iſaias cap. 45. v. 15. *Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael ſaluator.* Vide quæ nos ibi.

A religioſo Deus in ſuperiori aut contemnitur, aut colitur.

Superiori licèt imperfecto perfecta obedientia deferenda.

33\. Menſa porrò Domini non rarò ponitur pro altari; quia ex altari fingitur Deus ſumere, quod homines ex menſa. Notum eſt quomodo Scriptura de Deo humano loquatur modo. Sic proximè *verſ.* 12. vbi cum igne menſa coniungitur; ignis verò non eſt in ea, quæ propriè menſa dicitur, ſed in altari. Neque alio ſenſu dixit Paulus 1. Cor. 10. *Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum.* Et in hunc ſenſum expoſuimus illud Iſaiæ 65. *Qui ponitis fortunæ menſam.* Hoc ipſum nos pluribus ad illud Ezech. 40. *Duæ menſæ hinc, & duæ menſæ inde.*

Menſa pro altari.

34\. Verſ.8. *Si offeratis cæcum ad immolandum, nònne malum eſt? Et ſi offeratis claudum, & languidum, nònne malum eſt?* Docet in quo menſa, ſeu altare polluatur, & à ſacrificantibus videatur eſſe deſpectum, quia ad illud immolantur victimæ à lege damnatæ, vitioſæ nempe, & quas vulgus quoque hominum meritò reſpueret. Qualem ſibi Deus offerri velit victimam, edixit Leuit. cap. 22. verſ. 21. *Homo, qui obtulerit victimam pacificorum Domino, vel vota ſoluens, vel ſponte offerens tam de bobus, quàm de ouibus, immaculatum offeret, vt acceptabile ſit; omnis macula non erit in eo. Si cæcum fuerit, ſi fractum, ſi cicatricem habens, ſi papulas, aut ſcabiem, aut impetiginem, non offeretis ea Domino.* Deut. 15. verſ. 21. *Sin autem habuerit maculam, & vel claudum fuerit, vel cæcum, aut in aliqua parte deforme, aut debile, non immolabitur Domino Deo tuo.* Has victimas immolabant ſacerdotes, quia non alias exigere exiſtimabantur aræ impolitæ, ac rudes; aut quia cùm meliores offerrentur à populo, earum loco vitioſas immolabant ſacerdotes, ſibique retinebant illas, quæ ſanæ eſſent, & integræ, & quæ plus videbantur vtilitatis habituræ.

Victima qualis offerenda.

35\. Hoc quoque ad moralem ſenſum, quem ſuprà indicabamus, aliquid facit. Ex eo enim quod vilem, imprudentem, aut parùm religioſum illum eſſe credimus, qui Dei loco vicariam obtinet authoritatem, obedientiam exhibemus multis modis vitioſam; procedimus errabundi, ac lenti, perinde atque ſi cæci eſſemus, & claudi, qui neque Deum in ſuperiore contemplamur, neque rectum molimur greſſum, ſed flexuoſum, & tardum; tum etiam quaſi languidi cum murmure, & gemitu, renitentes, & quaſi coacti: quo non tam obſequio, quam obſequij mortui ſimulacro, non tam aliorum conciliamus animos, quàm auertimus. Sanè in obedientia præſtanda veriſſimum eſt, quòd de beneficiis tradidit Seneca lib. 1. de beneficiis cap. 7. *Ingrata ſunt, licèt re, ac ſpecie magna videantur, quæ danti aut extorquentur, aut excidunt: multóque gratius venit, quod facili, quàm quod plena manu datur,* &c. *At id, quod dedit, magnum eſt, ſed dubitauit, ſed diſtulit, ſed, cùm daret, gemuit, ſed ſuperbè dedit, ſed circumtulit, & placere ei, cui præſtabat, noluit: ambitioni dedit, non mihi.* Quare huiuſmodi obedientiam, ſiue ſacrificia Deus non refert in acceptum, cùm magis polluant, quàm ornent, aut honeſtent altaria.

Quid in obedientia vitioſum.

Beneficia quæ ingrata.

Offer illud duci tuo, ſi placuerit ei: aut ſi ſuſceperit faciem tuam.] Ab exemplo probat malum eſſe victimam offerre cæcam, claudam, aut quoquo modo debilem, & infirmam; aut tale obſequium, quale modò deſcripſimus e Seneca. Nemo eſt enim paulo lautior, qui non toruis aſpiceret oculis eum, qui tale ſibi obſequium, aut munus detuliſſet. Neque æquum eſt, vt quod homo ſuo nomine arbitratur indignum, & ideo afferri ſibi ducit ignominiæ, id Domino exercituum dignum cenſeamus, & gratiam ab illo illuſorio illo ſacrificio captemus. Ducis meminit, non regis, quia eo tempore ducem tantùm habuit Zorobabel; neque ad tempus vſque Chriſti reges verè, ac propriè habuerunt Iudæi, vt pluribus à nobis demonſtratum eſt *ad cap. 21. Ezechielis.* 36.

Si placuerit ei.] Modus loquendi in Scriptura frequens, quo ſignificamus aliquid aut non admitti, aut non probari. Quaſi dicas, certè non placebit illud non tam ſacrificium, & donum, quàm iniuria, ſiue ludibrium. Similia habemus exempla non pauca. Iſaiæ 22. *Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini*, id eſt, non dimittetur. Pſ.88. *Semel iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mentiar*, id eſt, non mentiar. Marci 8. *Si dabitur generationi iſti ſignum.* Ierem. 38. *Viuit Dominus, qui fecit nobis animam hanc, ſi occidero te, & ſi tradidero te in manibus virorum iſtorum.* Illud *ſi* in his omnibus idem valet, quod *non*. Fortaſſe vt aliis ſæpe locis, hîc quoque eſt iuriſiurandi forma, in qua execratorium aliquid ſubauditur: hoc nimirum, aut aliquid ſimile, ſi duci tuo placuerit, aut te propter tale munus beneuolo, atque hilari vultu ſuſceperit, fallax ego habear. 37.

Si idē quod non.

Suſcipere alicuius faciem, eſt audire aliquem, aut poſtulata concedere, aut certè honorare, aut gratum vultum, atque hilarem oſtendere. Iob 42. *Iob autem ſeruus meus orabit pro vobis; faciem eius ſuſcipiam, vt non vobis imputetur ſtultitia.* Et ſtatim, *Et ſuſcepit Dominus faciem Iob. Faciem* porrò ſumi pro eo, cuius eſt facies, ſæpe à nobis dictum eſt. Quare ſuſcipere alicuius faciem, nihil eſt aliud quàm aliquem ſuſcipere, nempe libenter, & amanter. 38.

Suſcipere faciem alicuius, beneuolentia eſt.

Verſ.9. *Et nunc deprecamini vultum Dei, vt miſereatur veſtri.*] Sicut *facies hominis* pro homine ſumitur; ſic etiam *vultus Dei* pro Deo. Quare hortatur Propheta, vt Deum deprecentur, qui illius animum priùs impuris, & illegitimis ſacrificiis 39.

offenderant; fieri enim potest, vt postulatis annuat,& veniam concedat. A

40. Rab. Salomon, quem adducit Figuerius, sensum hic putat ironicè induci. Quasi dicat Deus, cùm tales sitis, & huiusmodi sacrificiis irritetis me potius quàm placetis; deprecamini vultum Dei, vt misereatur vestri. Quasi dicat, in vanum deprecabimini. Cuius rationem reddit, *Quia de manu vestra factum est hoc.* Quod perinde est, atque si diceret: A vobis est hoc opus, id est, à peccatoribus, & à manibus sanguine pollutis, quarum sacrificia Deus fastidit, *Isaia cap.*1. Neque ista, licèt ab authore non bono, mala videtur explicatio.

41. *De manu enim vestra factum est hoc.*] Hoc à vobis tantum malum profectum est: aut per vos à populo perfectum, ô sacerdotes, qui oblatas à populo vitiosas victimas obtulistis. Cùm ergo oblationis impuræ ministri fueritis, pollueritisque altare fucata religione; facite, vt vestris precibus à vobis, & populo diuinum furorem auertatis. B

42. Vers. 10. *Quis est in vobis, qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuitò.*] Aut nouam orditur accusationem, aut superiorem exaggerat. Negat primùm in illis esse religionis aliquid, aut pietatis, cùm neque diuini honoris studio tangantur, & non nisi suæ commoditati, aut ambitioni seruiant. Ideo sacrificant, vt aliquid ex sacrificiis compendij captent; & dummodò illud spectent, de puris, atque legitimis hostiis non laborant. Adducit porrò illorum exemplum, quæ in templi ministeriis leuia putantur, in quibus reliqua alia ministeria sacra intelliguntur. Quasi dicat nihil esse in templo, néque sacrificali non venale, etiam ostia claudere, quod ianitorum munus est; aut ignem accendere, quod leuissimum est munus. Simili figura dicunt Latini ne manum quidem vertere, aut digitum porrigere, nisi aliqua sese commoditas ostentet. Sic sanè Cicero lib. 3. de Finibus. *Chrysippus*, inquit, *& Diogenes, detracta vtilitate, ne digitum quidem porrigendum esse dicebant.* Vsque adeò viles sunt hominum ignobilium spiritus. Hic mihi sensus magis videtur obuius.

Sacerdotum auaritia.

43. Hieronymus alium indicat, quem sequuntur alij, qui plerumque solent. Indicat etiam subobscurè Cyrillus: ideo nempe grauiori supplicio dignos esse, qui sacra infideliter, & negligenter obeunt, cùm nihil efficiant gratis, etiamsi humana commoda respicias. A sacerdotibus enim vsque ad Leuitas, cantores, ianitores, & eos, qui comportant, & accendunt ligna, nemo suum gratis ministerium peragit; omnes enim ex altari, & templo sustentantur. Quare si hæc tantùm ab humano principe recepissent, iniquum esse ducerent, si tardum illi, atque infidele præstarent obsequium. Alij hæc de veterum hostiarum cessatione accipiunt, in quibus sunt Cyrillus, & Theodoretus; sed nimiùm esset longum persequi omnia, & tunc maximè quando variæ sunt interpretum sententiæ.

44. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum.*] Hebraismus hic est, quo significatur aliquid alicui non placere. Hic Deus displicere sibi dicit, non sacrificia, sicut proximè indicatat, sed sacrificantes, & offerentes ipsos. Quare cùm illos non probet, neque probaret, aut admitteret sacrificia, etiamsi nihil haberent vitiosum, quod lex, & recta ratio respueret: Deus enim prius sacrificantis animum, quàm sacrificium intuetur. Qua ad rem sæpe Patres vsurpant illud Gen. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Hoc facit illud Isaiæ *cap.*1. vbi nõ ideo respuit holocausta, & victimas, quia vitiosæ, quia claudæ, cæcæ, & languidæ; sed quia à manibus offeruntur immundis. *Holocausta*, inquit, *arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum & agnorum, & hircorum nolui.* Et postea, *Manus enim vestra sanguine plena sunt.* Et ideo ait, *Ne offeratis vltrà sacrificium frustrà: incensum abominatio est mihi.* Hoc idem dixisse videtur hoc loco Malachias, si textum Hebræum sic interpretere, sicut è recentioribus Vatablus, Figuerius, & Chaldæus. *Quis etiam in vobis, & claudat ostia, & non accendatis altare meum frustrà?* Ac si dicat: vtinam aliquis ex vobis templi clauderet portas, ne villæ ad altare meum inutiles, & frustrà adducerentur victimæ. Vbi à vulgato, *gratuitò*, Hebr. est חנם *chinam.* quod multis locis à vulgato redditur *frustrà.* quo modo nuper dixit Isaias. Prouerb. cap. 1. v. 11. *Abscondamus tendiculas contra insontem frustrà.* Et paulo pòst, *Frustrà iacitur rete ante oculos pennatorum.* Præterea *gratuitò*, seu, quod idem est, *gratis.* Hebr. חנם sæpe vulgatus vsurpauit pro *frustrà.* Ps. 34. v. 19. *Odio habuerunt me gratis*, & alibi sæpè.

Ingrata peccatoris oblatio.

Gratuitò idem quod frustrà.

Et munus non suscipiam de manu vestra.] Quia 45.
Deus homines non probat, hinc etiam sequitur, vt neque illorum habeat grata sacrificia. Vt enim ingrata est impiorum oratio, & execrabilis, *Prouerb.* 28. *v.*9. *& Ps.*108. *v.*7. dicitur esse in peccatum: sic etiam impiorum munera, quia à polluto corde, & manibus à sanguine fœtentibus polluuntur. C

Vers. 11. *Ab ortu enim Solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus.*] Duas hîc opiniones inuenio, de quibus actum omnino opus est. 46.
Altera hæc de ætate Malachiæ, & ante Euangelij tempus intelligit. Altera de lege noua, & de Ecclesiæ tempore, & Christi œconomia. Opinio prior Hebræorum est, & aliorum, qui illorum sententiæ impensius student, quàm fortasse deceret: posterior omninò vera, & probanda fidelibus. Rationes, quibus, qui contrà sentiunt, innituntur, leuissimæ sunt. Vide Galatinum *lib.*11. *cap.*11. Quòd si vniuersim de omni tempore loquatur Propheta, rationem videtur indicare Dominus, cur suo nomini sacrificia debeantur perfecta, & iuxta legis præscriptum examinata diligenter. Quia vniuersorum Deus est, & ab vniuersis obseruari debet religioso cultu. Alij enim dij, si tamen dij, & non potiùs fabulæ, & nugæ, ita coluntur, vt tamen certis finibus, iisque admodum angustis sua pseudo nomina definiant. Sic Osiris, Isis, & Anubis ita ab Ægyptiis in honore habētur, vt extra Ægyptios fines contemnantur ab aliis. Melchon ab Ammonitis, Dagon à Palæstinis, Merodac, & Nebo à Babyloniis ita coluntur, vt tamen ab aliis ignorentur, & eorum nomen vile sit, & ridiculum. At Dei nomen vbique terrarum magnum est, & venerabile; atque ideo iure ab hominibus perfectum exigit sacrificium. Tunc verò si iuxta hanc sententiam, quæ proximè succedunt, cum prioribus coniungamus, illud *sacrificatur, & offertur*, idem valent atque sacrificari & offerri debet, iuxta illam regulam, quam paulo antè adduximus ad illud, *Filius honorat patrem.* D E

Sed planè de Ecclesiæ tempore tam hæc, 47.
quàm

quàm quæ sequuntur proximè, explicanda sunt. Ita cōmuniter interpretes omnes cū Hieronymo. Cyrillo, Alexandrino, Theodoreto. Ait tamen Hieronymus ita de futuris texi vaticinium, vt præsens tempus non deseratur, adducítque regulam. *Regula*, inquit, *Scripturarum est, vbi manifestissima prophetia de futuris texitur, per incerta allegoriæ non extenuari, quæ scripta sunt.* Quare hunc sermonem ad Iudæorum sacerdotes spectare ait, qui claudum offerunt, & cæcum. *Vt sciant carnalibus victimis spirituales victimas successuras, & non in vna orbis prouincia Iuda, neque in vna Iudæa vrbe Ierusalem, sed in omni loco offerendam oblationem nequaquam immundam, vt à populo Israel, sed mundam, vt in ceremoniis Christianorum. Ab ortu enim Solis vsque ad occasum magnum est nomen Domini in Gentibus. Cúmque nomen meum magnum in Gentibus sit futurum, vos, ô principes Iudæorum, polluistis illud, atque polluitis. Propterea autem ô sacerdotes, & principes Iudæorum, in omni loco mihi offertur oblatio munda, & magnum est nomen meum in Gentibus; quia dicitis, mensa Domini contaminata est, & quod superponitur, contemptibile est cum igne, qui illud deuorat.*

REGVLA. *Vbi manifestissima prophetia de futuris texitur, per incerta allegoria non extenuatur quæ scripta sunt.*

48. Hæc ideo ex magno Doctore retuli, quia filum ostendunt, & aptè cum futuris præsentia contexunt, cùm ex indignitate tum victimarum, tum illas immolantium, tam sacerdotum, quam legis nouæ augustissimi sacrificij dignitas appareat, cuius è contrario excitatur memoria. Quomodo in occasu, atque ortu totus intelligatur mundus, diximus ad illud Zachariæ cap.8. *Ego saluabo populum meum de terra Orientis, & de terra Occasus.* Præter interpretes accipiunt hæc communiter Patres de tempore Euangelij, & augustissimo Eucharistiæ sacrificio. Sic Irenæus *lib.4. aduersus hereses cap.32.33. & 34.* Clemens Romanus *lib.7. Apost. Constit. cap.31.* Iustinus Martyr *contra Tryphonem.* Tertul. *lib.3. cap.22. contra Marcionem.* Cyprianus *lib.1. aduersus Iudæos cap.16.* Eusebius *de demonst. Euang. cap. vltimo.* Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi* 18. & alter Cyrillus *hic, & lib.2. de adoratione.* Chrysostomus *in Ps.95. & orat.2, contra Iudæos.* Aug. *de ciuit. lib.18. cap.35.* & aliis locis sæpè.

49. *Eucharistia sacrificium.*

Et in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.] Agit hoc loco de Eucharistia, vt putant interpretes, & communiter Patres. Vbi apud vulgatum *oblatio*, Hebr. est מנחה minchah, in qua omnes purissimum Eucharistiæ sacrificium agnoscunt. Accedit ad extremum Concilij Tridentini sacrosancta authoritas, quod *sess. 22. cap.1.* sic de Eucharistiæ sacramento. *Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest, quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in Gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit.*

50. *Quia magnum est nomen meum in gentibus.*] Hæc victima munda est, quæ sola ex omnibus Dei voluntatem conciliat, & implet, in hac sibi Deus omninò complacet; quia, vt ipse magnus est in gentibus, sic etiam in gentibus, quibus se Deus aureis Euangelij temporibus communicat, magna offertur victima, Deóque digna, quæ non polluit altare, sicut vitiosæ Iudæorum hostiæ, sed honestat, & consecrat, Dei nomen magnum esse docet, & venerandum inter gentes.

51. Vers.12. *Et vos polluistis illud in eo, quod dicitis, mensa Domini contaminata est.*] Longè aliter in diuino cultu sese habet magnus sacerdos Iesus, qui lectissima victima honorat, & sanctificat aras, quàm Iudæorum sacerdotes, & principes, qui illegitimis hostiis altari polluto, Dei quoque nomen inhonestant, & polluunt. Polluere autem diuinum nomen, aut contemnere ille dicitur, vt diximus ad illud vers.7. *Ad vos, ô sacerdotes, qui despicitis nomen meum.* qui illud vt profanum aliquid tractat; qui vilibus prosequitur, & vulgaribus hostiis; qui rudes potius lapides spectat, & contemnit in altari, aut mensa Domini, quàm Deum, qui ibi sacrificiis colitur puris, & legitimis, quique illi mensæ existimatur accumbere, vt odorem inde capiat suauitatis. Qui denique dicit ad despectam mensam afferri non oportere speciosas victimas, aut pretiosa dona. De mensa contaminata, ac despecta diximus suprà v.8. ad eadem propè verba.

Et quod superponitur, contemptibile est cum igne, qui illud deuorat.] Ex eo quod Domini altare rudi esset lapide, & arte elaboratum, coniectabant illi sacrificiorum veterum antistites, qui externam tantùm speciem intuebantur, à rudi opere vile aliquid contrahere quidquid in eo imponeretur, nempe oblationes, & victimæ, & ignis, qui hæc in altari oblata consumeret. Aut certè ita secum ratiocinabantur, vt Hieronymus putat, non esse admodum curandum de victimarum qualitate, ac pretio, cùm statim essent ab igne deuorandæ. Dicebant enim, vt ait Hieronymus: *Quid prodest, si offeramus optima? Quæcumque fuerint, quæ offeruntur, igne sunt deuoranda. Fructus autem altaris ignis est, cibúsque ignis hostiæ, vel holocausta.* 52.

Vers.13. *Et dixistis: Ecce de labore, & exsufflastis illud.*] Hic ego tres expositiones inuenio. Vna est Hieronymi, quem Albertus, Haymo, Remigius, Lyra, Dionysius, & Hugo sequuntur, qui hæc verba populi esse putant, qui cùm eo nomine accusaretur, quod victimas vitiosas, & languidas offerret, respondet tamen se attenuatum esse longo apud Babylonios exilio, & viarum incommodis; neque aliquid aliud habere, quod de sua tenuitate deferat ad altare. Ecce, inquit, hoc est de labore, ac tenuitate nostra. Quæ sententia omnium mihi maximè placet, si modò addas non hæc à populari turba, sed à sacerdotibus responderi; ad illos enim seuera hæc reprehensio spectat: quasi dicant non habere se à populo, quæ immolent, meliora sacrificia; quia ille extenuatus est, nec habet meliora, quæ deferat ad altare. 53.

Non longè hinc abit Cyrillus, qui dicit excusari à sacerdotibus populum, quòd obtulerit; & sacerdotes ipsos, quòd immolarint victimas illas vitiosas, & infirmas: quia pingues erant, & perfectæ victimæ, quales sacrificales leges ad aras exigebant; *sed ex itinere ita afflictas, cùm è Babylone in Iudæam reuerterentur.* Sed quominus hæc sententia placeat, multa faciunt. Primùm, quia non constat Babylonios exules secum in patrias sedes eos adduxisse greges, ex quibus ad altare portantur victimæ; imò grauis est coniectura nihil secum ex bobus, ouibus, aut capris attulisse. Nam *Esdræ lib.1. cap.2. vers.66.* omnia numerantur animalia, quæ secum adduxere captiui, neque vllum ibi verbum de victimali grege. Sed fac cum exulibus innumeros rediisse victimarum greges. Atqui quomodo fieri potuit, 54.

vt quo tempore hæc à Malachia dicebantur, defessi essent, & languidi, cùm iam anni, quocunque modo tempora dinumeres, præteriissent supra viginti, ab anno videlicet primo Cyri, vsque ad sextum vt minimum Darij filij Histaspis, in quo absolutum est templum; absoluto enim templo, vt diximus *prolegom.*3. prophetare cœpit. Neque credibile est sacerdotes illos, quamuis scelerati forent, vsque adeò futuros fuisse fatuos, & amentes, vt excusationem illam adducerent, quam nemo sanus non irrideret, cùm nulla tunc viueret victima ex his, quæ cum exulibus essent deductæ. Adde, quòd non tantùm accusantur victimæ, quia claudæ, & languidæ, sed quia cæcæ: at via, vt elumbes reddat, & languidas victimas, non tamen cæcas.

55\. Alij excusationem aliam adducunt, fingúntque laborantes, & fatigatos homines victimarum pondere; quasi illæ pinguissimæ essent, & portantium premerent, & lassarent humeros; quasi proiicerent victimas, vt se ab illarum exonerarent pondere; & dicerent: Ecce in victimarum portatione quantus labor; quod crebro anhelitu, & laboranti spiritu significabant. Et id indicari putant illo verbo, *Et exufflastis illud*, id est, frequenti, atque ægro flatu, seu anhelitu significastis ponderosam esse victimam, quam in terram ex humeris proiecistis. Sed hæc non minori, quàm superior, incommodo laborat. Hæc enim sacerdotes dicunt, qui onus illud non portauerant; neque responsio hæc claudicantem, aut cæcam victimam excusabat.

56\. Quare placet magis, quod Hieronymus putat, excusari à sacerdotibus extenuatas, & vitiosas victimas; quia meliores afferre non poterat populus tunc ab exilio restitutus, cuius erat fortuna tenuis, & res pecuaria debilis, & angusta. Quæ neque leuis erat, & erat illi temporis articulo accommodata sceleris depulsio.

57\. Quod verò statim additur, *Et exufflastis illud*, satis idoneè exponitur à Hieronymo. *Exufflastis* (inquit) *vestra sacrificia, id est, exufflatione mea digna fecistis. Siue, vt in Hebræo legi potest: Et exufflastis me hæc dicendo; non sacrificio, sed mihi fecistis iniuriam.* In qua metaphora duo ego considero. Si flatum Deo tribuas, significatur magna Dei virtus, atque potentia, quæ suo tantùm flatu victimas illas dissipare potest, atque dispergere: hoc enim dicendi modo magnam alicuius potentiam exprimimus prouerbiali forma. Sic apud Plautum ad gloriosum militem parasitus, *Cuius tu legiones difflasti spiritu, quasi ventus folia.* Et de Deo Sap.11. v.21. *Sed & sine his vno spiritu poterant occidi persecutionem passi ab ipsis factis suis, & dispersi per spiritum virtutis tuæ.* Quod si ad Iudæos offerentes referas, in verbo *exsufflo* leuitatem, & vilitatem sacrificiorum intueor. Quæ enim leuissima sunt, illa ventus difflat, atque dispergit; quales sunt stipulæ, spumæ, puluis, fumus, & decidui quarundam herbarum flocci, siue lanugines. De his Sap. cap.5. vers.15. *Spes impij tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur; & tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur; & tanquam fumus, qui à vento diffusus est.*

58\. Neque plus habent ponderis hæc sacrificia, quæ modò Malachias accusat, quàm impiorum spes, quam leuissimus iactat, & dissoluit ventus. Tunc verò hæc erit huius loci sententia. Exsufflastis sacrificia, id est, tantum illis ponderis addidistis, quantum habet fumus, aut stipula: fecistis enim, vt difflari possint, & reuera exsufflentur à Deo, quasi aliquid inane; aut fecistis, vt Deus potius exsufflet, quàm admittat, sicut ventus dispergit paleas, & relinquit grana, quæ dominus in horrea recondat. Hîc verò ad extremum obseruandum, causam moralem interdum vsurpari pro physica. Quo modo dicimus ab auaritia aliquem esse demersum, quia dum lucro studet, mare est ingressus, vbi à fluctibus haustus, atque demersus est. Sic aliquem euertisse domum, quia fundamētum adeò iecit infirmum, vt à vento posset, aut à flumine dirimi: & parentes dicuntur in crucem egisse illum filium, quem sic instituerunt, vt dignus cruce iudicaretur. Sic aliquid exsufflare dici aliquis potest, cùm illud sic reddidit euanidum, aut leue, vt à vento possit exsufflari.

REGVLA. *Causa moralis pro physica.*

59\. *Et intulistis de rapinis claudum, & languidum.*] Ademerunt aut offerentes, aut sacrificantes, sacrificio pondus, fecerúntque, vt illud esset exsufflabile, & vanum, quia contra, quàm lex, & ratio præscribit, obtulerunt id, quod non tam erat Deo gratum, quàm execrabile. Quia claudum erat, & languidum, quod lex omninò remouet ab altari *Deuter. cap.*1. de quo suprà. Quòd illud de rapina sit etiam execrabile, habes Eccl.cap.34. à v.21. *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata.* Et v.24. *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.* Sed quid hoc loco rapinæ nomine intelligatur, videndum est. Albertus, & Montanus putant sacerdotes, ad quos grauis ista reprehensio pertinet, sumpsisse sibi victimas pingues, atque legitimas, quas offerebat populus, & pro illis immolasse suas languidas, & macras, quas lex ab altari remouebat. Id verò offerri videtur ex rapina, non quia ex alieno raperentur victimæ; sed quia genus quoddam ibi intercedebat rapinæ, cùm aliquid sibi ex iniqua permutatione inuitis dominis compendij captarent, & Deo, atque altari raperent, quod sibi artificio illo inuerecundo, atque impio vendicabant.

Sacrificium de rapina ingratum Deo.

60\. Cyrillus ideo putat victimas oblatas de rapina, quia id offerebant, quod rapuerant priùs semesum, & laceratum à belluis. Vbi etiam docet, quæ existimat appellari clauda sacrificia. *Offerebant* (inquit) *& clauda, & rapta, & debilia. Feræ siquidem incursantes interdum gregibus nocent: seu fortè quid rapuerint, deinde cursu pastor insecutus faucibus earum eripuerit, aut canum latratibus conterruerit, aut pedum in eas proiecerit. Hæc sunt opinor, ἁρπάγματα, rapta, & hæc simul cum claudis, quæ cum cæteris pasci ampliùs non possent, offerebant. Etiam infirmata dicebant, hoc est, iam morbunda, vniuersorum Deum dedecorantes potiùs honorantes.*

Ingratum Deo sacrificium, cuius pars præcipua aliis oblata.

61\. Non displicet cogitatio Cyrilli, quia & ipsa grauis est, & acuta, & moralem sensum habet valde tum aliis, tum maximè sacris, & religiosis hominibus opportunum. Sunt qui quod melius est ætatis, ac temporis, diabolo, sæculo, & vanitati tribuunt, id est, humanis, carnalibus, plenísque omni futilitate curis; quicquid ab his rapiunt, quasi ab immanibus, ac voracibus belluis laceratum, & fœdum, id Deo tribuunt; imò quod à feris tanquam insuaue, atque inutile relictum est. Prima, ac meliora tempora sæculo, ambitioni, ac voluptati damus, hæc nobis prima studia, ad hæc integri aduolamus, & vegeti; ad alia verò claudi, fatigati, ac tardi peruenimus, si tamen peruenisse dicendi sunt, qui in medio plerumque cursu aut moriuntur, aut languescunt. Vt autem impudentis esset hominis, ad magni principis

Malè sibi consulit, qui meliora tēpora mūdo, ac vanitati tribuit.

principis mensam escas afferre semesas ab aliis, à porcis puta, lupis, & canibus; aut poma, quæ porcorum rostra fœdè versarunt: sic etiam hominis esset, quem mens, & pudor omninò deseruisset, offerre Deo, quæ in suis faucibus diabolus antè versauerat, & aliquid adhuc diabolicum spirantia. Quid, quæso, sperare posset à Deo, qui relicta pingui, atque speciosa victima, quam offerre posset e numeroso grege, belluarum reliquias, id est, lacerata, atque semesa membra ad altare deduceret, puta duo crura, aut duas auriculas, quæ in leonis faucibus contemplabatur Amos *cap. 3. v. 12.* In hos aptè conuenit maledictio, de qua mox.

62. Sed placet illa explicatio, quam Hieronymo suprà probari diximus, qui offerri de rapinis dicit illa, quæ aliena sunt, & ab aliis vi, furto, aut fraude quoquo modo sublata. Illa enim, vt paulo antè diximus, non admittit, sed execratur Deus. Illa porrò in morali sensu de rapinis dici possunt oblata, quæ cum aliis debeantur studiis offerri Deo, in aliis offeruntur, id est, quando Deo in aliis exercitiis, atque operibus offeruntur, in quibus sibi illa offerri non vult. Offert homo Deo, quod impendit indigenti patri; offert tempus, quod orationi tribuit, & secessui; sed illud Deo minùs placet, quia de rapina est: vtrumque enim impendi debuit parentum inopiæ, aut indigentibus doctrina fratribus. Quare deserendus sæpè Deus in oratione, vt proximorum necessitati succurratur: quod nihil est aliud, quàm vnum sacrificium, aut obsequium Dei, cum alio item Dei sacrificio esse permutandum. Qua de re sæpe, atque grauissimè Patres.

De rapina sacrificium offertur, cùm tempus, quod vni occupationi impendi ex obedientia debuit, ad alia traducitur.

63. Huc præterea facit secunda explicatio Montani, de victimarum permutatione, quando vna immolatur pro alia. Quod si quando fit, fit autem persæpe, minùs accedit gratum, vt cùm opus omittis huic tempori ab obedientia præscriptum, & aliud assumis, non quidem malum, sed quia obedientiæ pondus non accedit, minùs multo bonum.

64. Vers. 14. *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino.*] Graue sanè verbum, & pondus planè imporrabile, quod est à Dei maledictione, quæ omnia secum apportat mala: sicut in Dei benedictione cumulus intelligitur bonorum. Hoc porrò fulmen in illorum intorquetur caput, qui meliora aut sibi retinent, aut aliis impendunt; id verò Domino reseruant, quod despectum est, quódque amicis, aut benè de se merentibus porrigere illiberale ducerent. Vbi diligenter expendendum est *dolosi* nomen, quod Deus multis locis in Scriptura sacra detestatur. Est autem ille dolosus, qui artificiosè, & callidè aut vitium tegit; aut virtutem simulat, vt alium inducat in fraudem, & sibi nullo modo debitum, quasi legitimum, & debitum compendium captet; qui pro syncetis, atque integris corrupta, & inutilia; pro mundis, & legitimis polluta, & illegitima supponit. Et in re minimè sancta aliquid esse purum, & sanctum, simulat, cùm necessitatem, aut tenuitatem prætexit; & cùm honestam speciem non habeat, fucatam obducit. Quare qui languidam offert victimam, & cum robustam habeat in gregibus, habere se negat, eoque nomine culpam à se, & reprehensionem depellit, ille dolosus est: sed planè frustrà contra Deum simulatio obtenditur, & fucata sanctitas, qui nouit omnia, & qui fucum omnem, & artificium execratur.

Dolosus quis.

Gasp. Sanctij Com. in Malachiam.

A Masculum Propheta pro perfecto posuit; quia sexus ille vt robustior est, sic etiam dignior, atque perfectior. Quare Deus nonnunquam ex eo sexu offerri sibi victimam iubet, vt in agno paschali. Quod etiam in suis sacrificiis obseruarunt Gentiles, qui non nisi rarò, & in vilioribus sacris ex fœmineo sexu victimas adhibebant. Adeò vt si quid in rebus inanimatis, ex quibus oblatio fieret, aliquid esset, quod masculi nomen obtineret, illud altari censeretur idoneum. Sic sanè Plinius de thure *lib. 12. cap. 14.* vbi cùm duo thuris constituisset genera, alterum masculum, alterum fœmineum; illud dixit ad suffitum in sacris adhiberi, hoc omninò repelli. *Religioni*, inquit, *tributum est, ne sexus alter* (nempe fœmineus) *vsurparetur.* Et Virgilius *in sua Pharmaceutria* masculum thus ad quædam sacra magica adhiberi iubet: sic autem illic,

65. *Masculus pro perfecto.*

Masculus aptior sacrificiis.

B *Verbenásque adole pingues, & mascula thura.*

Quod ad sensum moralem spectat, in victima, id est, opere quocumque ad Dei honorem ex obedientia suscepto, adhibenda est fortitudo acris, & constans, qualis in virili spiritu spectari solet; quæ neque ardua timeat, neque succumbat molestiæ, atque oneri, neque in ipso operis curriculo deficiat. Sed quæ vbi duris perfuncta fuerit, alia, atque alia appetat; & benè secum actum putet, vbi durioribus se laboribus exercet. Hæc victima est mascula, quam obtulerunt viri sanctissimi, quibus pro Christo sanguinem profundere, quasi ludus fuit, fuit certè dulce; & qui tota vita, quò Christo viderentur confixi, voluptariis sensibus implacabile bellum indixerunt. At qui fœmineam afferunt victimam, aliquid afferunt languidum, ac molle; fœmineum enim pectus citò lassatur, & deficit, in dolore gemit; si quid accidet votis, aut sensibus aduersum, aut eiulat apertè, aut tacitè secum queritur, & murmurat. Illæ animorum victimæ, quæ reluctanter, & cum indignatione ad altare veniunt, & cultrum subeunt, ingratæ sunt Deo: imò neque Gentiles deorum suorum aris censebant idoneas. Vide quæ diximus in nostris Commentariis super Isaiam ad illud cap. 53. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Vbi de hac mascula, ac voluntaria victima satis multa, quæ valde huc faciunt.

66. *Constantia, & alacritas in laboribus pro Deo.*

C

Victima inuita Deo ingrata.

D

Illum etiam Hieronymus dolosum dicit, & à Deo maledictum, qui cùm habeat fœcundum, & masculum ingenium, offerreque possit Deo pinguem, atque pretiosam victimam, debile tamen aliquid, ac vile parturit, & in eo sibi placet, & placere putat Deo. *De nobis*, inquit, *dici potest, si creati à Deo sapientes, habentésque naturam sacris congruam disciplinis, nostrum negligamus ingenium, & nos dedamus vitiis, atque luxuria, & habentes masculum, immolemus debile Domino.* Debile sanè immolat sapiens, & cui doctrinæ datum est officium, dum leuia auditoribus, & ludicra proponit; dum è suggestu nugatur ad populum, & sua potius commenta auditoribus suis, quàm Christi documenta producit, id est, masculam abijcit, & legitimam victimam, fœmineam offert, atque vitiosam. Quod perinde est, atque si in conspectu Domini interficiat virum, aut canem excerebret, aut sanguinem offerat suillum. Quod de similibus victimis dixit Deus Isaiæ *cap. 66. v. 3.* Non tamen, vt notauit hîc Hieronymus, Deus debile, ac fœmineum sacrificium respuit, cùm offerens nullũ habet aliud. Tunc verò condẽnat, & maledicto configit offerentem, cùm masculũ sibi 67.

E

Ingrata Deo quæ à sapientibus nugatoriè, & sine fructu dicuntur.

reseruat, & pingue, debile tamen, & fœmineum ducit ad altare: in quo non tam honorat, quàm despicit Deum. Quòd verò fœminæ etiam offerri possent in quolibet genere, satis indicatur *Leuitici cap. 3. v. 2.*

68. *Votum impleri debet ex optimis.*

Et votum faciens.] Quocunque tempore quis imperfectam Deo, atque vitiosam offerat victimam, rem facit omnium creatore, ac Domino indignam: qui tamen victimam illam offert ex voto, sic Deo opus exhibet ingratum, vt ab illo seueram hanc, & diram execrationem audiat. Quòd verò plura Deus in votiua, quàm in spontanea victima requirat, docet illud Leuit. cap. 22. *Bouem, & ouem aure, & cauda amputatis voluntariè offerre potes; votum autem ex eis solui non potest.*

69. *Quid munera nostra ingrata reddat, aut vim adimat.*

Quia verò hæ victimæ à Religiosis non solùm diebus singulis, sed singulis etiam horis offeruntur, ideo non erit sine aliquo operæ pretio ex veterum Patrum instituto tradere, quid religiosis victimis masculum vigorem, & nitorem adimat, & ad muliebrem infirmitatem infringat. Qua de re latè, atque optimè Ribera; nos ex eo paucis. Est autem in religiosis propria voluntas, quæ cæcas, claudas, strigosas, & languidas victimas reddit, imò facit, ne victimæ sint. Ita Bernardus ser. 17. in Cant. *Vereor, ne inter nos aliqui sint, quorum non acceptet munera sponsus, eo quòd non redoleant lilia. Etenim si in die ieiunij mei inuenitur voluntas mea, non tale ieiunium elegit sponsus, nec sapit illi ieiunium meum, quod non lilium obedientia, sed vitium propriæ voluntatis sapit.* Vbi tu pondera olere lilia, vbi non abest obedientia. Plura addit *ser. 19. in Cant.* vbi docet, quòd sit voluntatis propriæ proprium, atque legitimum opus. Gregorius *in lib. 1. Reg. cap. 15.* ad illud, *Imò audiui vocem Domini.* Docet obedientiam esse pretiosam, & gratissimam Deo victimam. *Per alias virtutes*, inquit, *nostra ei impendimus* (nempe Deo) *per obedientiam nosmetipsos exhibemus. Samuel ergo subiungens ait: Nunquid vult Deus holocausta, & victimas, & non potiùs vt obediatur voci Domini?* Vide Basilium *in Regulis breuioribus interrog.* 138. Cassianum *collat. 2. cap. 11. & collat. 4. cap. 20.*

Propria voluntas nostrarum actionum pestis.

Et nomen meum horribile in Gentibus.] Horribile idem est, quod honore, & obseruantia dignum: quòd enim timor, aut horror pro religione, aut obseruatione sumatur, sæpè à nobis obseruatum est. Vide quæ diximus in nostris Commentariis super Ezechielem ad illud cap. 1. *Quasi aspectus crystalli horribilis.* Et super Ioel cap. 2. ad illud, *Dies Domini magnus, & horribilis.* Cùm autem ab omnibus Gentibus diuinum nomen venerabile sit, omni planè maledictione dignissimi sunt, qui cùm religiosi sint, aut Sacerdotes, quibus præsertim curæ] esse debet diuini nominis obseruantia, illud vitiosæ victimæ oblatione contemnunt. 70.

Horribile pro venerabili.

IN CAPVT SECVNDVM

ARGVMENTVM.

PRIMA pars capitis graues contra Sacerdotes minas intorquet, quia præstare sanctè, atque fideliter nolunt, quod ipsorum ordini lex, atque religio præscribit. Explicat deinde pactum, quod cum Leui, id est, cum sacerdotali ordine percussit, quod quia ipsi violarunt, contra quàm ipsorum patres antè fecerunt: ideo vacuas fore dicit, & irritas promissiones, quas sub conditione olim acceperunt. Quas minas iam ex parte sunt experti, cùm angustus sit illis victus, & vilis apud omnes locus, & nomen. Alia deinde scelera proponit: quod nimirum in iudicio personas accipiant. Aliquid præterea tam ipsis, quàm populo commune: nempe quòd ipsi aut vxores ducant, aut ab aliis duci sinant ex alieno, atque gentilico semine, & quòd veras, & ex cognato sanguine vxores & despiciant iniquè, & tractent inclementer, cùm tamen charas habere debuerint, tanquam animæ suæ dimidium. Ad extremum grauis esse dicitur Deo illorum oratio, qui in Deo requirere se dicunt aut in dispensandis bonis æquitatem, aut in iudicando iudicium.

CAPVT II.

1. *ET nunc ad vos mandatum hoc, ô sacerdotes.*

2. *Si nolueritis audire, & si nolueritis ponere super cor, vt detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum: mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris, & maledicam illis: quoniam non posuistis super cor.*

3. *Ecce*

PARAPHRASIS.

1. VEstra nunc, ô Sacerdotes, audiistis peccata; nunc quod à Deo ad vos mandatum habeo, paucis accipite.

2. Sic Dominus ad vos: Commendata vobis est à Deo sui nominis gloria, quam tamen vos, ac si nullum eiusmodi mandatum haberetis, omninò despexistis. Nunc autem seriò cogitate, quid à vobis nomen sacerdotale requirat. Quòd si meditari hæc, atque præstare nolueritis, efficiam, ne quis vobis ex agro, ac decimis prouentus; aut ex Leuitici generis benedictionibus vlla commoditas adueniat; denique vt vobis

A bis omnia sint angusta. Hæc, inquam, ideo vobis aduenient, quia de gloria mea omnem cogitationem abiecistis.

3. *Ecce ego proiiciam vobis brachium, & dispergam super vultum vestrum stercus sollemnitatum vestrarum, & assumet vos secum.*

3. Neque diu à vobis aberit plaga. Extendam in vos infensum, & hostile brachium, & in faciem vestram solemnitatum vestrarum, quas religionis plenas arbitramini, stercus proiiciam; quarum ignominia, ac fœditas à vobis nusquam aberunt: semper enim faciem habebitis ignominiæ plenam, & stercore fœdatam.

4. *Et scietis quia misi ad vos mandatum istud, vt esset pactum meum cum Leui, dicit Dominus exercituum.*

4. Tunc autem cognoscetis experimento non dubio, quale fuerit pactum, quod B cum Leui, id est, cum sacerdotali ordine iam olim pepigi, nempe non aliter illum futurum in honore, nisi meum ipse nomen honoraret.

5. *Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis: & dedi ei timorem, & timuit me, & à facie nominis mei pauebat.*

5. Promisi sacerdotibus abundè omnia, quæ ab hominibus numerantur in bonis; quæque pacis, ac vitæ significantur vocabulo. Quæ tamen ornamenta, & commoda ea lege promisi, dummodo me obseruarent, & colerent. Quia verò antiqui sacerdotes leges illas religiosè seruarunt, quas ego illorum ordini præscripsi; ideo vitam illis, & pacem abundè largitus sum.

C

6. *Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non est inuenta in labiis eius: in pace & in æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate.*

6. Leges autem sacerdotali nomini, atque ordini præscriptæ sunt, primùm ne quid simulatum, & falsum, ne quid fraudulentum, & iniquum in sacerdotis ore deprehendatur. Deinde vt coram Deo semper incederet, neque vnquam se ab illius voluntate subduceret, & cum Deo, cuius seruiebat studiis, semper pacem haberet, & errantes ad certam salutis viam, & peccantes ad legis obseruationem reduceret. Quod ipsi iuxta datam viuendi formam accuratè compleuerunt.

7. *Labia enim sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia angelus Domini exercituum est.*

D 7. Hoc verò postremum ideo sacerdoti mandatum est, quia in eius ore diuinæ legis, ac sapientiæ thesaurus seruari debet, à quo alij in rebus quibusque dubiis petant oracula. Cùm enim Dei ad homines legatus sit, & eius loquatur nomine, non alia quàm Dei mandata, & verba deferat oportet.

8. *Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege: irritum fecistis pactum Leui, dicit Dominus exercituum.*

8. Vos autem contra quàm sacerdotale nomen exigebat, & maiorum admonebat exemplum, neque seruastis legem, & quominus seruarent alij, vestro vel exemplo, vel doctrina fecistis. Quare, ait Dominus E exercituum, causam mihi grauem præbuistis, vt pactum, quod cum Leui quondam vitæ, ac pacis inieram, nihil iam habeat firmitatis, ac ponderis.

9. *Propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis, sicut non seruastis vias meas, & accepistis faciem in lege.*

9. Propterea quia à meo mandato, & lege recessistis, id consecuti estis, vt qui apud alios esse in honore debueratis, despicatui iam sitis, & ludibrio: & quo à lege

10. *Num*

Digitized by Google

A longiùs abiistis, longiùs etiam à vobis honor omnis abierit, atque commoditas. Cúmque alia grauiter in legem peccetis, illud grauissimum, quod in exponenda lege, ac iudicio ferendo non vitatur à vobis personarum acceptio.

10. Numquid non pater vnus omnium nostrûm? numquid non Deus vnus creauit nos? quare ergo despicit vnusquisque nostrûm fratrem suum, violans pactum patrum nostrorum?

10. Quod nullo à vobis modo fieri debuit; cur enim inter illos accipiendæ personæ, quibus eadem est generis, religionísque communio. Vnus enim fuit pater Iacob, à quo genus totum Israeliticum propagatum est. Vnus creauit Deus, cui omnes curæ sunt, & apud quem acceptio nulla
B personarum. Et quæ erit ratio, aut species honesta, cur fratrem suum quisquam ex ordine vestro despiciat, violétque pactum ea de re cum parentibus antè percussum?

11. Transgressus est Iuda, & abominatio facta est in Israel, & in Ierusalem: quia contaminauit Iudas sanctificationem Domini, quam dilexit, & habuit filiam dei alieni.

11. Hactenus cum sacerdotibus, nunc cum reliquo etiam populo disceptatio est, qui ex alieno sanguine ad Israeliticum torum vxorem adduxit; rémque patrauit abominabilem in Israel, & Iuda, quia in illegitimo thalamo proles suscipitur ex Israelitico, atque Gentili semine confu-
C sa: & ex diuersarum Gentium commixtione, quarum non est vna lex, atque religio, sanctificatio, templúmque polluitur, & vera Iudæorum religio contemnitur.

12. Disperdet Dominus virum qui fecerit hoc, magistrum, & discipulum de tabernaculis Iacob, & offerentem munus Domino exercituum.

12. Audistis facinus, nunc supplicium accipite. Fuerunt sacerdotes, qui aut docerent, aut saltem permitterent hæc diuersarum Gentium contracta coniugia. Fuerunt, qui ab iis edocti quasi discipuli damnatum illud nuptiale pactum non exhorruerunt. Tam hos, quàm illos ita dis-
D perdam, vt non iam ampliùs in Israelitarum cœtu numerentur, illos etiam, qui sacrificiis offerendis diuinam videbantur beneuolentiam promeriti.

13. Et hoc rursum fecistis, operiebatis lacrymis altare Domini fletu, & mugitu, ita vt non respiciam vltrà ad sacrificium, nec accipiam placabile quid de manu vestra.

13. Accessit ad hanc intemperantiam alia quæque in vxores legitimas iniuria. Quæ cùm se à viris contemni vident, neque ab illis, quod ius, & pudor postulant, obtinere nequeant, clamant ad Deum, neque à gemitu, atque vlulatu abstinent etiam in templo, & prope altare, quæ lacrymis implent, & eiulatu resonare fa-
E ciunt. Quare à vestris sacrificiis, qualiacumque fuerint, oculos auertam; neque illis à me veniam impetrabitis, quia vestris votis, ac precibus obstrepunt vxorum vlulatus.

14. Et dixistis: Quam ob causam? quia Dominus testificatus est inter te, & vxorem pubertatis tuæ, quam tu despexisti: & hæc particeps tua, & vxor fœderis tui.

14. Quia verò causam quæritis, cur durè ad vestra sacrificia, & preces afficiar, hanc à me grauem, & iustam accipite. Quia præceptum habes à Domino, quomodo, & qua fide seruare debeas coniugale consortium cum vxore, quam à primis,

15. Non

A mis, & florentibus annis tibi sociasti; quam tamen, connubiali prodita fide, despexisti. Cùm tamen pars quædam sit tui, vtpote ex viri costa, & carne formata; & capax est illius legis, ac fœderis, quo Deus primos in orbe coniuges matrimonio coniunxit.

15. *Nónne vnus fecit, & residuum spiritus eius est? Et quid vnus quærit, nisi semen Dei? Custodite ergo spiritum vestrum, & vxorem adolescentiæ tuæ noli despicere.*

15. Nónne vterque coniugum à Deo formatus, & vt eadem caro vtrique communis, quia à viro sumpta; sic etiam communis vtrique spiritus, quia quod fuit Adæ residuum, id datum est Euæ? Ille verò vnus, qui vtrumque formauit, semen quærit suum, filios videlicet Israel, semen
B sanctum, à quibus præcipua quadam religione honorari vult. Custodite igitur vxores, quæ pars quædam sunt spiritus vestri; neque quas adolescentes duxistis, & iam pridem habuistis domi, violata coniugali fide contemnite.

16. *Cùm odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Israel: operiet autem iniquitas vestimentum eius, dicit Dominus exercituum: custodite spiritum vestrum, & nolite despicere.*

16. Si odiosa tibi fuerit vxor, dimitte potiùs liberam, libello dato repudij, & libertatis vindice, vt sui iam sit, non alieni, ac tyrannici iuris: minùs enim erit molestum illi; veruntamen licèt hoc vxori maximè videatur optabile, viro tamen esse non potest non turpe: neque minùs operietur iniquitate, eiúsque supplicio, quàm operitur indumento. Quare iterum mo-
C neo, vt vxores, id est, animæ vestræ dimidium custodiatis, neque despiciatis, quod tantopere vobis à Deo commendatum est.

17. *Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris, & dixistis: In quo eum fecimus laborare? In eo quòd dicitis: Omnis qui facit malum: bonus est in conspectu Domini, & tales ei placent, aut certè vbi est Deus iudicij?*

17. Magnam Domino in vestris verbis molestiam præbuistis; neque, quo estis mentis stupore, in quo sit vobis orationis genere peccatum, agnoscitis; aut vnde Deus videatur capere potuisse molestiam, ídque vobis ostendi postulatis. Quare illud vobis aperio. In eo quod dicitis placere Domino malos, & iustos contemni: atque in eo iudicium, & æquitatem requiri, cùm iustos laborare, & opprimi, impios autem dominari, & exultare permittat.

Vers.1. *Et nunc ad vos mandatum hoc, ô Sacerdotes.*]

1. PECCATA hactenus proposuerat sacerdotum; nunc quale illos, nisi resipiscant, supplicium maneat, edocet.

2. Vers.2. *Si nolueritis audire, & ponere super cor, vt detis gloriam nomini meo.*] Hactenus sacerdotes, dum vitiosas, & viles immolant victimas, contemnere potius Deum, quàm venerari videbantur. Nunc igitur admonet, vt seriò cogitent, quid ab ipsis nomen exigat sacerdotale, ne quisquam in illis officium, pietatémque desideret; & illius gloriæ studiosè seruiant, quem priùs videbantur habuisse ludibrio.

Mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris.] Simulabant sacerdotes paupertatem, 3. *Malis sacerdotibus minatur Deus egestatem.*
aut suam, aut populi; quare, vt suprà dicebamus, eo nomine violatæ legis crimen remouebant, quòd nullas haberent victimas nisi claudas, vitiosas, & languidas, quas deferrent ad aras. Hoc ipsum, quòd ipsi de sua tenuitate falsò iactabant, effecturum se Dominus dicit, vt verè experiantur, lugeántque, non vano, & simulato, sed vero, & continenti fletu. Mittet enim egestatem, & illa inducta maledictione contaminabit, & perdet, vnde ad honestum cultum, victúmque delicatum, & vberem, sumptus habebant abundantes.
Porrò

Digitized by Google

Benedictio pro abundantia.

Porrò hîc benedictiones appellat illa omnia, quæ proxime Deus à reditu promiserat, & quæ multis iam annis fuerat abunde largitus. Vide quæ diximus ad illud Aggæi cap.2. *Ex die ista benedicam.* Et Zachar. cap.8.vers.12. ad illud, *Semen pacis erit, vinea dabit fructum suum, & terra dabit germen suum, & cæli dabunt rorem suum.* &c. His ergo benedictionibus Dominus maledicet, id est, efficiet ne vel exiguus referatur è copioso semine proventus; negato namque cælesti rore, neque ex vite vinum exprimetur, neque ex terra fruges condentur in horrea.

Malorum sacerdotum quid benedictio cōferat.

4. Hæc mihi maximè placet explicatio; neque illa displicet, quam etiam adducit, probátque Hieronymus, quidquid benedixerint sacerdotes, aut certè qui de gregibus peiora sacrificant, diuina maledictione fore damnandum. Optant homines, obsecrántque, vt feliciter cedat, quod plantant, aut serunt; vt valeant greges, vt sana sit illorum, & copiosa fœtura: idque benedictionibus mille, & mille votis prosequuntur. Sed contrà Deus, cuius potentior est, & grauior maledictio, occidit pecus, aut reddit infœcundum; exurit vites, aut sternit grandine; segetes percutit aurugine, & spem omnem sacerdotum, & agricolarum eludit. Hoc est benedictionibus, id est, rebus ab aliis benedictis maledictionem inurere. Neque enim digni sunt, quorum à Domino preces audiantur, & vota, qui talia offerunt, qualia infelix, & macer fundit ager, aut pariunt greges attenuati, & morbidi; cùm tamen non desit nitidum, & pingue, quod leges probant, & poscit religio.

Diuina maledictio quā timenda.

5. Hîc tu considera, quàm sit timenda hominibus diuina maledictio, quæ labores diuturnos, & graues momento temporis exurit, & perdit. Maledixit Dominus terræ, & inducto diluuio, cuncta vastauit. Genes.8. *Nequaquam vltrà maledicam terræ.* Et *Matth.cap.21.v.19.* cùm maledixisset ficui, confestim exaruit. Non sic hominum timenda maledictio, quæ cùm nullum habeat pondus, facilè illa dissipatur, & in auras vanescit. Sanè, vt author est Plinius *lib.19.c.7.* cuminum, & ocymum cum execrationibus seruntur ab agricolis ex disciplina rustica, quibus benedicit Dominus, ac tribuit vim fœcunditatis eximiæ. Sicut contrà, quæ homines benedictionibus augeri volunt, sua Deus maledictione damnat.

Hominum maledictio quàm parū timenda.

Plantæ quædam cum execratione seri solita.

6. Hæc iuxta aliorum sententias, quibus ego subscribo non illibenter: sed fortasse benedictiones illæ dicuntur, de quibus statim, nempe quæ ex sacrificiis sacerdotali ordini, ac ministerio debentur ad illorum victum; de quibus *Exod.19.v.28. & Leuit.2.* & aliis sæpè locis. Quomodo verò benedictiones illæ maledictionem subeant diuinam, dicemus statim. Quòd autem cibus, aut quicquid ab alio datur liberali manu, benedictio vocetur 1. *Reg.25.v.27.* sic Abigail ad Dauid, cùm pro victu dona offerret hospitalia, dixit; *Suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi domino meo, & da pueris, qui sequuntur te.* Et cap.30.v.26. dona de inimicorum spoliis benedictionem appellat Dauid. *Venit ergo Dauid de Siceleg, & misit dona de præda senioribus Iuda proximis suis, dicens: Accipite benedictionem de præda hostium Domini.* 4. Reg.5. vers.15. Naaman cùm Elisæo dona quædam afferret, ait: *Obsecro itaque vt accipias benedictionem à seruo tuo.* Genes.33. vers.11. munera, quæ Iacob ad fratrem attulit, benedictionem vocat. Et *Psal.144. vers.16.* alimenta, quæ Deus animantibus præbet, eodem appellantur nomine. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Talia vocari possunt, quæ statim à Deo vilia appellantur, & sordida, quæ tamen à liberali Domini manu in sacerdotum alimenta decreta sunt.

Benedictio pro dono.

7. Vers.3. *Ecce ego proiiciam vobis brachium: & dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum.*] Vbi vulgatus *brachium*, Hebr. est זרע, quod variè notatum semen significat, & brachium. Recentiores cum Chaldæo *semen* conuertunt. Iuxta quam lectionem sensus difficilis non est, neque explicatio dura eorum, quæ proximè præcessere. Maledicet enim Deus semini, aut semen proiiciet, quia faciet, negato cælesti rore, aut immissa aurugine, seu locusta, ne quid germinet semen, aut quod germinauit, vratur, & vanescat. Si puncta consideres, quæ nunc in Hebraicis codicibus habemus, planè semen valet vox Hebraica, sic enim notatur זֶרַע *zerahh.* Sed credo malè addita fuisse hæc puncta. Aliter notarunt Hieronymus, & Septuaginta, qui multo quàm Tibaritæ, fuere linguæ Hebraicæ peritiores: constat enim legisse זרוע *zeroahh.* ille *brachium*, hi verò ὦμον, id est, *armum*, transtulere.

Parū grata Deo, quæ à peccatoribus offeruntur.

8. Est ergo sensus, vt Hieronymus putat. Proiiciam vobis, nempe in faciem (sicut dicit statim de stercore) brachium, id est, armum, vt transtulere Septuaginta, quæ pars ex victima sacerdoti debetur: & idem faciam de ventriculo, qui etiam ad sacerdotem pertinet, & tam ipsum, quàm sordes, & stercora, quæ in illo continentur, in faciem sacerdotum effundam. Qui dicendi modus aliquid indicat vile, aut quod cum offensione, & [illegible] non tam datur liberali, quàm coniicitur hostili manu. Quam phrasim Hispani communem habent cum Hebræis, qui dum significant aliquid ab offenso, atque inuito porrigi, hoc fermè modo explicant, *in faciem, aut oculos proiicere.* Septuaginta, vbi noster *stercora*, conuerterunt ἔνυστρον, id est, *ventriculum*, qui per metonymiam pro stercore sumitur, & fimo, quæ ventriculus claudit. Ita Hieronymus. Et quidem פרש *peres* propriè stercus, ventriculum figuratè significat. Significat autem Deus illa omnia, quæ in populi præcipuè solemnitatibus, sacerdotibus erant alimento, & gloriæ; futura deinceps, nisi meliora cogitent, dolori, atque ignominiæ. Tam enim armi, quàm ventriculi in faciem proiicientur, illi ad dolorem, hi ad ignominiam. Quasi dicat, vos me dolore, atque ignominia affecistis, dum abiecta, & squalida ad altare defertis: ego vobis faciem aspergam victimarum fimo, & armum in faciem, oculósque proiiciam. Ita fermè Cyrillus. *Quoniam ipsi*, inquit, *dedecorant altare, adeo Deus dicit, dispergam, velut par pari referens.*

Qualis malorum sacerdotum ignominia.

9. Porrò armum, & ventriculum ex victima ad sacerdotum vsum reseruari satis constat. Deut.18. vers.3. *Hoc erit iudicium sacerdotum à populo, & ab his, qui offerunt victimas, siue bouem, siue ouem immolauerint, dabunt sacerdoti armum, & ventriculum.* Hæc explicatio perbellè facit cum ea explicatione superioris clausulæ, quam postremo loco adduxi, quam mihi dicebam admodum videri probabilem. Nam hæc, quæ ex victimis ad sacerdotum alimenta separantur, benedictiones appellari, iam suprà à nobis, vt opinor, ostensum est.

10. Hæc iuxta Hieronymi, aliorúmque sententiam. Neque mihi displicet illa cogitatio, quæ in brachio fortitudinem agnoscit siue Iudæorum, siue sacerdotum, quibus Deus sæpe promiserat illorum virtute inimicas regiones fore subiugandas. Tunc autem illorum brachium dicitur proiiciendum,

ciendum, id est, frangendum, ne quid strenuum, & eximium præstet. & ita putat Lyra. Aut certè si brachium intelligatur esse Dei, sensus erit non minùs grauis, contentaneúsque Iudæorum moribus, maximéque sacerdotum, quorum ingratum, & illiberale ingenium exprobrarat. Quasi dicat, extendam in vos brachium meum, nempe hostile, & ferro peccatorum vindice conficiam. Porrò brachium proiicere, virile aliquid, & minax sonat. Quare oratores dum in actione, & moderatione corporis Rhetorem instituunt, in contentionibus, cùm acriùs in suggestu, veluti in acie pugnatur, brachiorum proiectionem commendant, qui habitus militaris est. Ita Cicero in oratore, & lib. 3. de Orat. *Brachium procerius proiectum, quasi quoddam telum orationis.*

11\. Stercus verò solemnitatum ideo appellari existimo, vt quàm apud Deum vilia sint illa impura sacrificia, & illegitima sacerdotum festa significet. Quod aliis sæpè locis ostenderat, vt *Isaia cap.* 1. vbi sacrificia Deus abominationem appellat; & in illis sustinendis laborare se dicit. Et *Prouerb.* 15. *v* 8. *& cap.* 21. *v.* 27. impiorum victimæ execrabiles dicuntur. Hæc autem verba aut stercus sonant, aut quæ ab stercore non longè absunt. Vt autem Deus aliquorum sacrificia in odorem excipit suauitatis; sic etiam aliorum tanquam cœnum, aut stercus execratur, & horret.

Mali sacerdotis ignominia.

12\. *Et assumet vos secum.*] Quasi dicat, stercus illud semper vos assequetur; nusquam aberit. Quare semper faciem habebitis stercore fœdatam, & illud erit de vobis hominum iudicium, quod de monstro quodam ex stercore, & sordium omnium collutione concreto. Paueant hic sacerdotes, & viri Deo sacri, qui dum polluta Deo sacrificia immolant, impuris hostiis, quales in fine superioris capitis expressimus, Deo non tam obsequuntur, quàm illudunt; sordes sibi allinunt, quas, si non maturè sibi prouident, nunquam eluet, aut exuret æternitas. Quòd si de ignominia hæc, & infamia sacerdotum intelligas, aut sacrorum hominum, qui non religiosè, & sanctè munus sacrum obeunt, certum est iuxta hominum opinionem, & sensum nihil esse vilius, qui vt illorum statum venerantur, sic turpes execrantur mores.

13\. Vers. 4. *Et scietis, quia misi ad vos mandatum istud, vt esset pactum meum cum Leui.*] Honorauit Deus sacerdotes, commendauitque populo, cuius decimis, & oblationibus sustentari voluit; sin illi à data, & commendata sanctitate deficerent, grauia illis minatus est supplicia. Quare honorem illum sacerdotalem noluit omninò esse vacuum ab onere. Quare sæpe illis mortem edicit, & ignominiam, si datas sibi partes illegitimè, ac negligenter obeant. Exod. 19. v. 22. *Sacerdotes, qui accedunt ad montem, sanctificentur, ne percutiam eos.* Et Leuit. 22. v. 3. *Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra* (sermo est ad Aaron, & ad eius posteros) *ad ea, quæ consecrata sunt, & quæ obtulerunt filij Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino.* Et Leuit. 10. vers. 8. *Vinum, & omne, quod inebriare potest, non bibetis tu, & filij tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonij, ne moriamini.* Multa inuenies aliis in locis his affinia.

Magnum onus honori sacerdotum impositum.

14\. Et quidem seueras suæ siue audaciæ, siue inertiæ, aut violatæ legis pœnas dedisse sacerdotes, docuerunt duo filij Aaron Nadab, & Abiu, quos propter alienum ignem, ignis vltor absumpsit, *Leuit. cap.* 10. Et duo filij Heli Ophni, & Phinees, quos vna dies sustulit: & Oza sacerdos, quẽ quia parùm religiosè, & cautè ad arcam accessit, repẽtinus casus oppressit. Hoc pactum iniit Deus cum Leui, id est, cum sacerdotibus, qui à Leui parente propagati sunt, vt sanctè, atque legitimè munus obirent sacerdotale; sin aliter sacrum illud ministerium peragerent, agendum cum illis esse seueriùs. Id ergo cognituros dicit sacerdotes in semetipsis, cùm famem patiantur extremam, cùm aliis odio sint, atque ludibrio; cùm denique videant in suis rebus, ac commodis diuinam maledictionem latè, ac diu grassari; & supplicium indictum à lege peccatis suis ex æquo respondere, facilè intelligent ab eo illatum, à quo supplicium indictum ante fuerat.

Supplicia de sacerdotibus sumpta.

Mandatum porrò missum esse dicit, aut olim, cùm datum est iis, qui orti essent è Leuitico genere; aut nunc cùm per Prophetas sacerdotes officij sui aut commendati priùs, aut in præsentia deserti admonuit, vt nunc per Malachiam, & antè per Oseam *cap.* 4. & per Prophetas alios persæpe. Tunc verò sensus erit, cùm hoc tempus ærumnosum aduenerit, cognituros esse sacerdotes illos infideles, quàm vera fuerint Prophetarum mandata, quæ meras nugas, & somnia indicabant. Sic Zacharias *cap.* 2. *vers.* 9. ex vero rerum euentu cognituros dicit esse Iudæos, quòd ipse fuerit à Deo missus. 15.

Vt esset pactum meum cum Leui.] Quale pactum fuerit, statim declarat. Illud porrò, *vt esset*, non puto habitudinem habere causæ finalis, sed tantùm indicare, quale fuerit pactum illud. Quasi dicat: Tunc cognoscetis quale fuerit pactum, quod cum Leui, id est, cum sacerdotali ordine iam olim pepigi; nempe non aliter illum futurum esse in honore, nisi meum ipse nomen honoraret. Porrò incertum est quocum initum fuerit pactum illud; & de hac re multiplex est interpretum opinio. Ego cum Aarone puto, qui primus omnium è Leuitica stirpe sacerdos fuit; licèt de pacto pacis nihil habeamus ab Aaron. Habemus tamen *Numer.* 25. *v.* 11. tale pactum initum cum Phinees filio Eleazari. *Phinees filius Eleazari, filij Aaron sacerdotis auertit iram meam à filiis Israel: quia zelo meo commotus est contra eos. Idcirco loquere ad eum. Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi, quàm semini eius pactum sacerdotij sempiternum.* Hæc eadem verba de Phinees repetuntur *Eccli. cap.* 45. *v.* 28. 16.

Pactũ quale à Deo cum sacerdotibus.

Vers. 5. *Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis: & dedi ei timorem, & timuit me.*] Duas partes continet pactum illud; altera sacerdotibus abundè promittit, quæ hominum opinione numerantur in bonis, quæ pacis, ac vitæ nomine significantur: altera à sacerdotibus aliquid requirit, quod si absit, nulla Deus fidei datæ obligatione tenetur; quia promissio illa conditionata fuit. Id enim valet, *dedi ei timorem.* Ac si diceret, talia illi commoda promisi, dummodo me obseruaret, & coleret: id enim valet in Scriptura sacra *timet.* Quod si sacerdotibus antiquis, qui Leui notantur, ac significantur nomine, pacem Deus, & vitam dedit, id est, abundantiam, otium, honorem, & alia vitæ commoda, & pacis ornamenta; ideo fuit, quia leges illas religiosè seruarunt, quas illorum ministerio, atque ordini præscripsit. Quas leges statim singulatim percenset. Porrò in *pace* contineri quicquid hominum vota desiderant, & orant, nemo nescit. Vnde Hebræis familiaris in salutationibus forma, *Pax vobis.* & cùm aliquem à se beneuolè dimittunt, hac illum precatione prosequuntur, *vade in pace.* quibus verbis omnia illis secunda precantur. Quod autem *vita, & viuere,* iucunditatem, 17.

tem, & tranquillitatem animi valeant, diximus in nostris Cómentariis super Ezechielem *c.* 20. *n.* 41.

18. *Timuit me, & à facie nominis mei pauebat.*] Seruarunt sacerdotes alij, quod illis fuerat à lege, religionéque præscriptum, tam quod ad altare, & sacra, quàm quod ad morum sanctitatem pertinebat: & ideo illorum commoditati, ac gloriæ abundanter à Deo consultum est. *A facie nominis mei*, idem est atque *à facie mea*, vt alibi à nobis sæpe obseruatum est. *Pauere*, & *timere* religionem sonant, & obseruantiam, quam maiori, seu diuinæ potestati deferimus. Hic autem pauor fecit, vt puræ essent, & legitimæ victimæ, non claudæ, non cæcæ, ac languidæ, quales nunc in sacerdotibus Deus reprehendit, & respuit; quia ad illum quem religioso, ac vero cultu veneramur, vulgaria, aut vilia afferri munera pudor ipse ingenuus, & obseruantia prohibent.

Quæ sint sacerdotum officia.

19. Vers. 6. *Lex veritatis fuit in ore eius: & iniquitas non est inuenta in labiis eius.*] Aliam nunc legem ostendit, quæ sacerdotum linguam, & labia moderatur. Iubet enim Dominus, ne quid vnquam simulatum, & falsum in sacerdotis ore deprehendatur; neque aliquid fraudulentum, & iniquum, quod turpem sacerdotum nomini maculam inurat, & innocentibus per calumniam, corruptaque iudicia perniciem paret. Ideo legis scientiam illum habere iubet; illius, inquam, legis, quæ quia nihil falsum continet, & iniquum, lex dicitur veritatis; atque ideo in illius ore nil falsum esse debet, aut iniquum. *Labia sacerdotis custodiunt scientiã.*

Dei præsentia commodata sacerdoti.

20. *In pace, & in æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate.*] Explicatio est superioris clausulæ. Qui enim veritatem colit, neque aliquid meditatur, aut loquitur iniquum, pacem ille quærit, & æquitatem amat; quibus omnium sibi gratiam, & amorem conciliat. Hæc fortasse vera. Sed non displicent explicationes aliæ duæ, quæ optimè in sacerdotum mores, & instituta conueniũt. Altera est, vt pax, & veritas non sint, quales apud homines vulgò reperimus, qui mediocribus contenti, de meliorum perfectione non laborant. Quæ verò magna sunt, illa in Scriptura sacra adiuncto diuino nomine explicari solent; quomodo dicimus *cedros Dei, montes Dei*, id est, excelsos, atque conspicuos: *magnus coram Deo*; & *coram Deo ambulare*, id est, ingenti aliquem magnum esse cumulo, & nunquam à Dei voluntate recedere. Sic etiam magnum esse *cum Deo*, idem esse credo, quod *coram Deo*. Quòd enim *cum*, idem interdum valeat quod *coram*, constat ex lib. Deut. 18. v. 13. *Perfectus eris, & absque macula cum Domino Deo tuo.* Et 3. Reg. 15. vers. 3. de Ieroboam. *Ambulauitque in omnibus peccatis patris sui, quæ fecerat ante eum, nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo.* Quod autem cum Deo, aut coram Deo fieri dicitur, illud valde perfectum esse, aut valde gratum Deo significatur. Probat hoc illud Gen. 5. de Henoch. *Ambulauit Henoch cum Deo.* Quod Paulus *ad Hebr. cap.* 11. *v.* 5. in hunc sensum exposuit, *Ante translationem testimonium habuit placuisse Deo.* Eadem verba habemus Eccli. cap. 44. *Henoch placuit Deo, & translatus est in paradisum.* Quare sensus erit, sacerdotes alios in seruanda pace, atque in rebus omnibus æquitate plurimùm placuisse Domino.

Ambulare cum Deo vel coram Deo quid.

21. Illud autem *in pace*, consensionem cum diuina voluntate indicat. Nam qui diuinæ voluntati omnes animi vires, & affectus attemperat, ille amicum habet Deum, atque fauentem: qui aliter vitam suam, & mores instituit, irritat potius Deum tanquam inimicum ad iram, quàm propitium, & gratum ad benignitatem, & clementiam inflectit. In pace itaque ambulare cum Deo, nihil aliud esse puto, quàm illi in omnibus placere, & cum eo habere societatem, & pacem.

Altera explicatio est, quæ ambulare cum Deo asserit idem esse, quod suum studium atque conatum cum Domino coniungere; & in eandem cum illo curam incũbere; &, vt Pauli verbis vtar, ad salutem animarum cooperari, & collaborare cum Deo: vt quemadmodum Deus id optat, & curat, vt homines à peccatorum sordibus extracti meliora cogitent; sic eò ferantur sacerdotum studia, vt errantes homines ad Deum reducant, & cum illo iam pacato concilient. Quod statim magis videtur explicare Propheta, dum ait, *& multos auertit ab iniquitate.* Id verò est cum Deo ambulare, aut agere cum Deo. Neque hæc postrema explicatio displicet; licet magis mihi prior arrideat. 22.

Sacerdos cooperator est Dei in animarum salute.

Et multos auertit ab iniquitate.] Hæc, vt opinor, pars est pacti, quod Deus cum sacerdotibus iniit; si vellent ipsorum commoditatem, & gloriam diuinæ tutelæ, ac curæ esse commendatam. Quare qui proximorum curam abiecit, neque orationibus, aut hortationibus, aut vitæ exemplo ad honestatem non traducit, aut in vitæ puritate non conseruat, longè est, vt sacerdotali muneri satisfaciat. *Qui sacerdos est* (ait hoc loco Hieronymus) *& non corripit delinquentes, sacerdotis officium præterit.* Qua de re multa grauiter Patres. Gregor. hom. 11. super Ezech. *Nos, qui sacerdotes vocamur, qui supra ea mala, quæ propria habemus, alienas quoque mortes addimus, quia tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi, & tacentes videmus.* Et ibidem: *Tum subiectus moritur sine te, quando in causa mortis te contradictorem pertulerit: nam morti, cui non contradicis, adiungeris.* Lege totam Homiliam, quæ grauissima est. Isidorus lib. 3. de summo bono. *Sacerdotes pro populorum iniquitate damnantur, si eos aut ignorantes non erudiunt, aut peccantes non arguunt.* 23.

Vers. 7. *Labia enim sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius.*] Rationem ostendit, cur in sacerdotali lingua nihil esse debeat iniquũ, aut falsum; quia illius labia consignat illa, quæ vere scientia est, & à lege hausta. Hæc facit, ne in sacerdotis ore quicquam sit scurrile, ac leue, nihil non pudicum, ac sanum, nihil quod non legis sanctitatem, & veritatem oleat. Hæc legis scientia, si viuida est, & efficax, vti profectò esse debet, non otiosa, & mortua, non solùm scientem, sed etiam alios ab iniquitate, & turpitudine reuocat. Hunc alij de lege, & morum sanctitate consulunt, quia quoddam est quasi sacrarium, & oraculum, in quo diuina obsignantur, & clauduntur arcana. Quare necesse est, nisi prodere velit sacerdotis ministerium, & nomen, vt die, ac nocte mediteтur in lege, cuius cognitione primùm suæ, deinde aliorum saluti caueat. 24.

Sacerdoti commodata doctrina.

Hæc commendauit Deus olim Aaroni sacerdotum omnium maximo, & primo; quóque id posset præstare commodiùs, diuinæ legis cognitione compleuit; cauitque, adhibito temperantiæ præcepto, ne vis in sacerdotibus intelligentiæ, aut docendi facultas turbarentur. Leuit. cap. 10. v. 8. *Dixit quoque Dominus ad Aaron: Vinum, & omne, quod inebriare potest, non bibetis tu, & filij tui, quando intratis in tabernaculum testimonij, ne moriamini; quia præceptum sempiternum est in generationes vestras. Et vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum & profanum, inter pollutum, & mundum, doceatisque filios Israel omnia legitima mea.* Eadẽ propè de Aaron Eccli. 45. v. 21. 25.

Sacerdoti commẽdata sobrietas.

Dedit

Dedit illi in praeceptis suis potestatem in testamentis iudiciorum, docere Iacob testimonia, & in lege sua lucem dare Israel. Hoc ipsum in Euangelica lege præcipit Apostolus Timotheo 1. ad Timoth. 4. *Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ. Insta in illis, hoc enim faciens & teipsum saluum facies, & eos, qui te audiunt.* Aggæi cap. 2. populares ad sacerdotes mittuntur, vt illos de lege aliquid interrogent; quod indicat in Israel frequenter solitum esse fieri. In quem locum ita Hieronymus. *Considera sacerdotum esse officij de lege interroganti respondere: si sacerdos est, sciat legem Domini: si ignorat legem, ipse se arguit non esse Domini sacerdotem.* Plura ibi Hieronymus de sacerdotis scientia lectu dignissima, quæ tu vide.

26. Hieronymus hîc obseruat, non dici sacerdotum labia scientiam proferre, aut fundere, sed custodire. *Vt loquantur,* inquit, *in tempore, dentque conseruis cibaria in tempore suo.* Ego aliam hîc metaphoram inuenio; & puto id sacerdotum ori tribui, quod arcæ, aut fisco, quæ thesauros claudunt, atque custodiunt; quæ vbi aliquis aperuerit, diuitias inuenit, aurum, & gemmas; nihil vile, aut quod non deceat, aut regium cultum, aut nuptialem elegantiam. Sic sanè habes *Prouerb.* 21. *v.* 20. iuxta Septuaginta versionem. *Thesaurus desiderabilis requiescet super os sapientis.* Dixit hoc ipsum Socrates apud Stobæum, dum sapientis os templorum ostiis comparauit: vt enim cùm templi panduntur portæ, statim sacræ apparent imagines, quæ aliquid olent, aut ostentant diuinum; sic cùm sapiens os aperuerit suum, diuina loquitur, quæque ad informandos ad pietatem animos grauissima sunt. Erit itaque sacerdotum os quasi tabularium in quo publicæ seruantur leges; aut sacrarium quoddam, seu arca testamenti, in qua diuinæ legis continentur tabulæ; & ex qua interrogantibus legitima, & consueta redduntur oracula. Ex qua vt nihil auditur non diuinum, & sacrum; sic neque ex ore sacerdotis, quicquam audiri fas est, quod non sit à lege, & religione haustum.

Sacerdotis os scientia thesaurus.

Os sapientis sicut templi porta.

27. *Quia Angelus Domini exercituum est.*] Hoc loco Hieronymus putat exponi Malachiæ nomen, & eius etymon explicatius ostendi. Est enim Malachias idem quod Angelus Domini. Indicat autem *Malachiam* non esse proprium nomen, sed commune, & significare ministerium, quod tunc obibat Esdras sacerdos; quem exprimi putat communi Malachiæ nomine. Sed de hoc nos pluribus *Prolegom.* 1. Ego hæc non ad vnum Malachiam, aut Esdram, sed ad omnes sacerdotes pertinere puto, quorum hîc mores, & instituta describit. Reddit autem rationem, cur nihil falsum, aut iniquum meditari, aut loqui debeat sacerdos, & cur in eius labiis, scientia nempe legis custodienda sit. *Quia,* inquit, *Angelus Domini est.* Angelus nuncius est, & legatus: hic verò non suo loquitur nomine, sed eius, à quo legationem accepit. Quare verba non sacerdotis sunt, sed Dei: atque ideo ne quid loquatur, quod à Deo non sit, necesse est vt legem discat, & ab illa sumat sermonis, legationisque materiam. Magna quidem est sacerdotis dignitas, sed magnum secum pondus importat. Cùm enim Dei personam quasi illius legatus, atque vicarius repræsentet, necesse est vtatur non tam suis, quàm Domini verbis, quibus subscribi à Deo possit, vsitatum illud, *Ego Dominus.* Aliter enim frustrà sibi magnum sacerdotis nomen, & gloriosum titulum assumit, cuius neque pondus sustinere, neque dignitatem tueri potest. De quo optimè hîc Hieronymus. *Ad sacerdotem,* inquit, *pertinet disciplinam interrogatum de lege respondere, qui si ignorantiam in cæteris diligentem; in Scripturis sanctis obtenderit negligentem, frustrà iactat dignitatem, cuius opera non exhibet.*

Sacerdos cur dictus Angelus.

28. Gregorius Angelum Domini sacerdotem vocari ideo putat, quia angelicum debet obire ministerium. Sic autem ille hom. 7. in Euang. *Vtinam fratres charissimi, non ad iudicium nostrum dicamus, quia omnes, qui sacerdotis nomine censentur, Angeli vocantur, Propheta attestante, qui ait: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius. Quia Angelus Domini exercituum est. Sed huius altitudinem nominis etiam vos, si vultis, potestis mereri. Nam vnusquisque vestrûm in quantum sufficit, in quantum gratiã supernæ aspirationis accepit, si à prauitate proximũ reuocat, si exhortari ad bene operandũ curat, si æternum regnũ, vel suppliciũ erranti denunciat, cùm sanctæ denunciationis verba impendit, profectò Angelus existit.* Hæc, quæ ad angelicum ait pertinere ministerium, & curam, suprà *v.* 6. sacerdotalis dicit esse negotij, dum ait, *Et multos auertit ab iniquitate.*

Quæ sunt sacerdotalis sicy partes.

29. Vers. 8. *Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege.*] Ostenderat, qualis fuerit sacerdotum viuendi forma, & quæ religio sacerdotali ordini iura præscribat. Nunc contraria omnia in sacerdotibus reprehendit; qui neque ipsi tenuerunt viam, quam à lege cognouerant, & aliis fuerunt impedimento, quominùs illam ingrederentur. Quomodo verò scandalum in lege posuerint videndum est. Scandalum multis modis obtendi in lege potest; vel quia aliter explicatur, quàm recta docet ratio, & spectauit author legis; aut quia noua fertur lex ab eo, qui condendæ legis videtur facultatem habere, quæ veram legem, & antiquam obscurat, & euertit. Priori modo posuerunt scandalum in lege Pharisæi olim, & legis doctores, qui sic legem interpretabantur, vt fœdissima tegerent flagitia, & ad noua scelera, & ab ipsa natura reprobata satis laxam fenestram aperirent. Qualis fuit ea, quæ illorum explicatione falsa parentibus alimenta negabat, ne deesset sacerdoti, ac templo; quam Christus improbat *Matth. cap.* 15. Et quæ odisse iubet inimicum, contra quam Christus *Matth.* 5. Plurima huius generis recentiores Hebræi congesserunt in suum Talmud, quibus decepta Iudæorum infelix, & copiosa turba mille subit quotidie casus, & incommoda. Hoc modo sacerdotes ipsi fortasse in lege aliis posuerunt scandalum, cùm ad alienos sensus, ac noxios syncera legis documenta detorquent. Quibus ideo credebat ignobilior turba, quia norat sacerdotes legis esse custodes, & interpretes; & in mandatis habebat, vt si quod incideret dubium, ad sacerdotũ iudicium, & examen referret, *Deut.* 17. quorum decreto tantum Deus authoritatis inesse voluit, vt capitale supplicium indixerit recusanti.

Quot modis à sacerdotibus oriatur scandalum.

30. Aliter in lege posuerunt scandalum, quia legem, dum malè viuunt, posuerunt humanis rationibus, & publicæ saluti contraria. Notum est, & ab scriptoribus tam sacris, quàm profanis sæpè repetitum, eorum qui in dignitate sunt, quósque aut nobilitatis insignia, aut sanctitatis opinio cõmendat, mores, & exemplum apud alios instar habere legis. Quales sũt Reges, sacerdotes, & illi, quibus inesse sapiẽtiã arbitrãtur alij; & in quibus aliquid esse putãt, quod sperẽt, aut metuãt. Hieronymus epist. ad Heliodorũ. *Domus Episcopi, & cõuersatio quasi in speculo posita, magistra est publicæ disciplinæ; quidquid feceris, id sibi omnes faciendum putant.* Quantum

Exemplum sacerdotum & principũ pro lege.

tum ſacerdotum, & principum exemplum noceat, docuit Gregorius *in* 1. *p. Paſtor. cap.* 2. quia aquam conculcatam, & turbidam populo propinant; imò & fontes inficiunt veneno, vnde alij potum hauriant peſtilentem. Vnde Plutarchus grauiter reprehendit illos, qui malis principes imbuunt diſciplinis; id enim agunt, quod qui publicos fontes aut cœno turbant, aut veneno corrumpunt. Neque enim minùs populus inferior à principum moribus haurit diſciplinam, quàm à fontibus potum; qui id iure ſe facere putat, quod facit ad principis exemplum.

31. *Malum principum exemplum peſtiferum.* Multa hîc adduci poſſent ex profana eruditione. Vnum adducam Tullij *lib.* 3. *de legibus* teſtimonium. *Non tantum mali eſt peccare Principes, quamquã eſt magnum hoc per ſeipſum malum, quantum illud, quod permulti etiam imitatores principum exiſtunt. Nam licet videre, ſi velis replicare memoriam temporum, qualeſcumque viri ciuitatis ſummi fuerint, talem ciuitatem fuiſſe. Quæcumque mutatio morum in principibus extiterit, eandem in populo ſecuturam. Ego autem nobilium vita, victûque mutato, mores mutari ciuitatum puto. Quo perniciosius de republica merentur vitioſi Principes, quod non ſolùm vitia concipiunt ipſi, ſed ea infundunt in ciuitatem, neque ſolùm obſunt, quod illi ipſi corrumpuntur, ſed etiam quod corrumpunt, pluſque exemplo, quàm peccato nocent.* Vtrobibet modo dici poſſunt ſacerdotes ſcandalum in lege poſuiſſe, quia & legem malè, & ad ſuum vſum interpretantur; & ſuis moribus, quaſi leges forent, formam aliis viuendi præſcribunt, certè illorum peccata, dum habent cum populo communia, leuant.

32. *Irritum feciſtis pactum Leui.*] Promiſit Deus Leui, id eſt, ſacerdotali ordini, & neceſſarios ſumptus ad victum, & cultum; & honorem à populo, cum ea tamen adiectione, ſi fidelem operam, & gratum obſequium diuino nomini præſtarent. Cùm autem ſacerdotes, quibuſcum Propheta loquitur, datum ſibi negotium negligenter, aut etiam infideliter tractarent, violarentque pactum; Deus quoque, ſublata conditione, liberum ſe putauit à præſtanda fide, quam certis alligarat conditionibus, de quibus nuper. Quocirca irritum fecerunt ſacerdotes pacis, & vitæ pactum, quia ex illo Deus ipſis neque vitam dabit, neque pacem.

33. Verſ. 9. *Propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles in omnibus populis: ſicut non ſeruaſtis vias meas*]Ex pacto iam irrito, quia à viis, id eſt, à mãdatis Domini ſacerdotes longè receſſerunt, factũ eſt, vt qui apud alios eſſe debuerunt in honore, deſpicatui iam habeantur, & ludibrio: & vt ipſi nihilo popularibus fuere meliores (vt enim populus, ſic ſacerdos auaritiæ ſtudet, atque calumiæ) ſic etiam à populari ſacerdos nullo diſcrimine ſecernitur.

34. *Sicut non ſeruaſtis vias meas.*] Non iniuſta ſacerdotes ſupplicia ſubeunt, cùm contemnuntur, & irridentur ab aliis; quando ipſi legem Dei, & traditam ab eo viuendi, & ſacrificandi formam, imò & Deum ipſum contempſerunt. Quod ſuprà querebatur Dominus, cùm dicebat nomẽ ſuum à ſacerdotibus haberi ludibrio. *Ad vos*, inquit, *ô ſacerdotes, qui contemnitis nomen meum.* Contemnebant autem, cùm offerebant Deo, quod ſuis offerre ducibus non auderent; victimam nimirum claudam, & cæcam, quam lex, & religio abigunt ab altari. Dixit hoc item Deus ad Heli ſacerdotem lib. 1. Reg. cap. 2. *Loquens locutus ſum, vt domus tua, & domus patris tui miniſtraret in conſpectu meo vſque in ſempiternum. Nunc autem dicit Dominus, abſit hoc à me; ſed quicunque honorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.*

Et accepiſtis faciem in lege.]Faciem accipere idem eſt quod accipere perſonam, nec de omnibus æquali menſura, ac lege iudicare. Quod vitiũ vulgare eſt hodie in omni iudicio, ac foro, in quo aliter potentes, & nobiles; aliter plebeia, ac tenui fortuna viri iudicantur. Sic faciebant hoc tempore ſacerdotes; quorundam probabant victimas, quaſi immaculatæ eſſent, ac probæ, cùm tamen cæcæ eſſent, & claudæ, & alias ob cauſas à lege damnatæ; aliorum reprobabant, quaſi eſſent indignæ, & execrabiles, cùm tamen multo haberent minus, cur à lege arceri debuerint ab aris. Aliter de diuite, aliter de paupere leproſo iudicabant; hunc arcebant longè ab hominum congreſſu, illum in mediis hominum cœtibus morari patiebantur. Perſonarum acceptio, quæ Græcè προσωποληψία dicitur; vocari etiam ſolet ὀψοληψία, & ſecundùm faciem iudicare. Græcè κατ᾽ ὄψιν ſecundùm viſionem, aut ſpeciem. Sic Pſal. 81. *Vſquequo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum ſumitis?* Et Iſaiæ cap. 11. *Non ſecundùm viſionem oculorum iudicabit.* De hac perſonarum acceptione multa Iacobus *epiſt. cap.* 2. vbi docet, quid iniqui iudices, & perſonarum acceptores ſpectare ſoleant. *Si introierit*, inquit, *in conuentum veſtrum vir annulum aureum habens in veſte candida; introierit autem & pauper in ſordido habitu, & intendatis in eum, qui indutus eſt veſte præclara*, &c. 35. *Acceptio perſonarum quid.*

Sanè apud eos, qui parum conſtanti animo sũt, quique ſperant, aut metuunt, momenti multum habet externa ſpecies, quæ magna promittit, aut grauia minatur. Quare qui ſe contra hanc iudiciorum, & æquitatis labem munire volunt, lucem ſibi eripiunt, ne videant illuſtrem aliquam, aut ſordidam ſpeciem; aut in ſuum conſpectum non admittunt id, quod allectare poſſit, aut auertere animos. Quare vt in Hermotino refert Lucianus, Areopagitæ, in quibus ſeueræ diſciplinæ, atque incorrupti iudicij viuum erat exemplar, noctu, aut in tenebris iudicabat; ne facies aut illuſtris, aut vilis afficeret animos, & iudicia peruerteret. Cùm autem iudices ad perſonarum facies intenti iudicia iniquè diſpenſarent, à viis recedebant Domini, qui tum aliis locis, tum *Deut. cap.* 1. ſeuerè cauerat, ne in iudiciis locum haberet vllũ hæc impura labes. *Nulla erit diſtantia perſonarum, ita paruum audietis, vt magnum: nec accipietis cuiuſquam perſonam, quia Dei iudicium eſt.* Eadem propè *Leuit. cap.* 19. Qua de re vide S. Thomam 2. 2. *q.* 63. *art.* 1. 36. *Noctu Areopagitæ iudicare ſoliti, ne ſpecie hominum iudicia peruerterent.*

Verſ. 10. *Nunquid non pater vnus omnium noſtrũm? Nunquid non Deus vnus creauit nos?*]Locum hũc variè accipiunt interpretes. Hieronymus traditionem quandam Hebræorum adducit, quam ipſe nõ improbat, imò potiùs ſequitur. Ait enim hîc reprehendi Iudæos, quòd propriis, & ex ſuo genere relictis vxoribus, alienas duxiſſent: quod ne vnquam faceret gens Iſraelitica, ſeueriſſimo Deus præcepto cauerat, *Exod.* 34. *v.* 16. Sic autem habet illa apud Hieronymum Hebræorum traditio. *Reuerſi de captiuitate Babylonis tam principes, ac ſacerdotes, & Leuitæ, quàm reliquus populus abiecerunt vxores ſuas Iſraelitici generis, quæ paupertate, & iniuria longioris viæ, & fragilitate ſexus non ferentes laborẽ, confectæ erãt, & infirmitatẽ, ac deformitatẽ corporis cõtraxerãt: & cũ alienigenis vel ætate florẽtibus, vel cultu corporũ pulcrioribus, vel potentũ, ac diuitũ filiabus matrimonia copularunt. Corripit itaque eos Eſdras Propheta, & ad repudium nouarum coniugum prouocat, vt vxores, quas dimiſerant, recipiant.* 37.

cipiant. Hæc Hieronymus: cui plures subscribunt alij, & in his Cyrillus. Quorum hæc est, aut certè sic videtur posse formari sententiam. Quasi dicat Propheta nullam esse causam, cur Israeliticas vxores, peregrinis quasi pellicibus inductis, repudiare debeant. nam in vxoribus id spectari debet, vt commune sit genus, & religio eadem: sed Israelitis cum vxoribus, quas abiecere, cōmunio sanguinis est, quia omnes ab vno parente Abrahamo genus suum, & familiam deriuant (Abrahamum hic Hieronymus, & Cyrillus, aliique complures intelligunt) vnam colunt religionem, quam videlicet à Deo rerum omnium creatore acceperunt. Quod sanè in aliis non tam vxoribus, quàm pellicibus non reperitur, quibuscum nulla est sanguinis, religionisque communitas.

38. Ego hæc improbare non audeo, quia magnis authoribus placent, à quibus si quando discedere cogor, facio permolestè. Dicam tamen quid in hac cogitatione aut non assequar, quod fortasse verius, aut non probem; & cur mihi alia cogitatio, de qua statim, videatur non esse difficilis. Primum non probo in vno, seu communi parente intelligendum esse Abraham; quia licèt communis sit pater Hebræorum, ex eo tamen, & ex illius genere orti sunt, quibuscum Israelitis nullo modo licebat inire connubia. Ex illo ortus est Ismael, ex quo propagati Nabathei, & Cedareni, & qui Ismaelitæ dicuntur, quorum latè patent fines, & nomina. Ex illo & Cetura ortus est Madian, ex quo Madianitæ. Deinde ex Isaac natus est Esau, qui Idumæorum pater fuit. Cum his verò gentibus, licèt Abrahamum parentem agnoscerent, non licebat Israelitis nuptiale contrahere commercium.

39. Deinde nō probo à Iudæis, vt alienigenas acciperent vxores, repudiatas esse Israelitidas; neque vllo ex Esdra colligitur modo. Tantùm enim *cap.* 9. *&* 10. *lib.* 1. dicit alienigenas esse ductas; non tamen expulsas esse priores. Neque est verisimile illud factum à Iudæis eo maximè tempore, in quo tot à Deo beneficiis cumulati erant: neque vlla patiebatur lex, & humanitas, vt quas habuerunt exilij tam longi, atque ærumnosi socias, easdem in libertate pacata, & fortuna meliori dimitterēt. Quomodo vxores dicantur despectæ Israelitides, & alienæ inductæ siue vxores, siue pellices, dicemus infrà suo loco. Fuit quidem illa Hebræorum traditio, qui quiduis audent, vt se ab implicitis Scripturæ sacræ nodis expediant. Quod etiam post Hieronymi tempora dixit ex Hebr. Rab. Salomon, qui locum Esdræ tantùm adducit. Sed Esdras, vt diximus, nihil prodit de priorum vxorum iniquo, atque inhumano repudio.

40. Ego in primis puto alienigenas connubiali iure venisse in Iudæorum thalamum, tum cùm essent tam hi, quàm illæ apud Babylonios in exilio: nam fuisse alienas etiam nationes simul cum Iudæis à Nabuchodonosore Babylonem abductas habemus ex Ieremia *cap.* 25. Cùm autem eandem omnes subirent fortunam, & iisdem à Domino ministeriis essent alligati, facilè intelligitur, quomodo ex vsu conciliata fuerit necessitudo, & ex necessitudine, & studiorum communitate connubia. Quare illæ eadem cum maritis redierunt in Iudæam, id est, in patriam iam communem, neque repudiatæ sunt, licèt exhaustæ laboribus, tum lōgæ viæ, tum diuturnæ, atque molestæ seruitutis, & iam ætate, & ancillarum ministerio deformes. Neque magis fuerunt alienigenæ, quàm cognatæ fœminæ, formosæ, cùm communis omnium

Iudæorum cum externis cōnubia exilij tempore.

A labor, siue in carpenda via, siue in ærumnoso vitæ genere; neque minus æstuosæ regionis iniuria infuscata est alienigenarum, quàm Iudæarum facies; neque illarum prius, quàm harum soluta seruitus, ita vt sub patrio cælo ante alias recuperare candorem, & pulcritudinem possent, quam æstus Babylonicus abstulerat.

Sanè negare potest nemo, post reditum in vrbem inter Hebræos, & alienigenas celebrata coniugia. 41. Id enim apertè docet Esdras *lib.* 2. *cap.* 13. *v.* 23. Sed non minùs viri alienigenæ cum Hebræis fœminis, quàm Hebrææ fœminæ cum alienigenis viris matrimonio iungebātur. Quod ideo factum est, quia in exilio fuere simul, & in eosdem fines simul remigrarunt, quasi iam in vnum populum, & ordinem coacti. B De his hunc in modū Esdras, *Et in diebus illis vidi Iudæos ducentes vxores Azotidas, Ammonitidas, & Moabitidas. Et filij eorum ex media parte loquebantur Azoticè, & nesciebant loqui Iudaicè, & loquebantur iuxta linguā populi, & populi: & obiurgaui eos, & maledixi. Et cecidi ex eis viros, & decaluaui eos, & adiuraui in Deo, vt nō darent filias suas filiis eorum; & non acciperent de filiabus filiis suis, & sibimetipsis.* Quo loco ea Propheta prohibet, quæ tunc fiebant in Iudæorū populo, in quo non magis Iudæorum filij cum filiabus alienis, quàm alienæ filiæ cum Iudæorum filiis pactum inierunt coniugale. Et quidem alienos inter Iudæos habitasse, & cum illis in eundem coaluisse populum, indicat C illud Esdræ *lib.* 1. *cap.* 9. *v.* 1. vbi populi terrarum dicuntur à populo Israel non esse separati.

Ex hoc loco coniectarunt aliqui, de quibus 42. *Prologom.* 1. Malachiam esse Esdram, qui Malachias dictus sit ab officio, quo tunc Dei nomine fungebatur, quia fuit Angelus, id est, nuncius à Domino legatus. Quia eadem, quæ nunc Malachias, tractauit Esdras locis nuper adductis. Sed licèt ille sit sensus, quem ipsi volunt; nil tamen hac ratione efficiunt. Neque enim nouum est, vt à multis Prophetis idem tractetur argumentum. Et si rectè expendas, inuenies Prophetarum plerosque plurimum in eodem argumento versari.

Hæc, vt dixi, quia à magnis viris probantur, nō 43. D possum ego non probare. Dico tamen quod neque alienū arbitror à textu, & habet facile, atque continens filum. Neque ego solus, si aliam ingrediar viam, ab Hieronymi sententia recedo. Sunt enim alij, qui contrà sentiunt, licèt non vna sit omnium sententia. Theodoretus, Dionysius, & Lyra reprehendi hîc putant sacerdotes, quòd ab illis animo maleuolo dissideant, quos vt amplecterentur, & amarēt, non vna erat, neque vulgaris causa. Erāt enim ex eodem prognati genere, siue Iacob intelligas, siue Abrahamum; eundem colebāt Deum, à quo creati sunt. Quare monstri videbatur simile, si cùm religionis, ac sanguinis necessitudo intercederet, animos tamen dissociaret intestinum, ac domesticum odium. E Id enim significare putant illud, *Quare ergo despicit vnusquisque nostrū fratrem suum?* Hi verò violare dicuntur parentum pactum, quod nempe Deus olim cum parentibus iniit, cùm legem dedit, & charitatis commendauit officia, qualia inter fratres intercedere solent, & debent, & omne odiorum seminarium sublatum esse voluit.

Mihi placet magis, quod visum est Ruperto: 44. hæc verba nihil obiicere noui sacerdotibus, quibuscum præsens exprobratio; sed tantùm proximum amplificare peccatum de iniusta personarum acceptione. Remouet enim causas omnes, propter quas huic acceptioni prætendi aliqua posset

posset honestatis species. Nam si in iudicando haberi aliqua debuit ratio personarum præcipua, tum maximè quando inter cognatos, & alienos, aut inter eos, quibus non eadem est vitæ disciplina, & diuersa religio; at nihil horum erat in illis, qui suas ad sacerdotes causas, & iura deferebant. Ex eodem enim orti sunt parente, nempe Israele: ideo dicitur, *Nunquid non pater vnus omnium nostrûm?* Iisdem viuunt institutis, & legibus; eandem colunt religionem. Illud enim fortasse valet illud, *Nunquid non Deus vnus creauit nos?*

45. Sed est sine dubio posterioris clausulæ sensus alius, nẽpe omnes homines curæ esse Deo, à quo creati sunt; atque ideo humanũ iudicium simile futurum esse diuino. Vt autem Deus personarum acceptor non est, vt habes *Rom. 2. v.* 11. sic etiam homo, qui Dei iudicium exercere debet Deut. 1. v. 16. *Quod iustum est, iudicate, siue ciuis sit ille, siue peregrinus, nulla erit distantia personarum. Ita paruum audietis vt magnum, neque accipietis cuiusdam personam, quia Dei iudicium est.* Quia videlicet vicariam à Deo potestatem accipiunt; neque illa probare debent, quæ Deus improbat; aut aliter iudicare, quàm à Deo iudicatum iri putant. Hoc idem 2. *Paralip. cap.* 19. *v.* 6. audierunt à Iosaphat, qui disceptandis in populo causis præpositi sunt. *Videte*, ait, *quid faciatis; non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini*, &c. *Non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.* Eandem verò causam, quam nunc affert Malachias, habes *Sap.6.v.* 8. quòd videlicet omnes tam pusilli, quàm magni creati sunt à Deo, *Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, qui est omnium dominator; nec verebitur magnitudinem cuiusquam, quoniam pusillum, & magnum ipse fecit, & æqualiter est illi cura de omnibus.* Hoc verò pactum, quod initum esse dicitur cum parentibus, est de non accipienda persona; quod expressum est *Deut. cap.* 1. *v.* 16. de quo proximè, *& cap.* 16. *v.* 18. *Leuit.* 19. *v.* 15. Hæc mihi explicatio facilis est; neque video quid illi à quoquam obtendi possit graue. Maximè cùm hæc querimonia non sit toti populo, sicut quæ proximè succedit; sed tantùm sacerdotibus, quibus aliquando de popularibus causis concessum est iudicium.

In iudicio non accipienda persona.

46. Vers. 11. *Transgressus est Iuda, & abominatio facta est in Israel, & in Ierusalem, quoniam contaminauit Iudas sanctificationem, quam dilexit, & habuit filiam Dei alieni.*] Hæc iam à sacerdotum vitiis ad totius populi flagitia reprehensio traducitur. Hîc ego non dubito sermonem esse de pellicatu, aut nuptiis, quas viri Iudæi cum alienigenis fœminis inierunt; ex quibus abominatio facta est in Iuda, ac Ierusalem; tum quia violata est lex tam antiqua, & necessaria, quæ promiscua illa, & quasi biformia connubia prohibet; ex quo id sequitur, vt ex Israelitico, atque gentili semine propagata soboles diuersa ad illud vsque tempus iura, sacraque cõfundat. Sed præcipuè quod ex ea diuersarum gentium commixtione significatio polluitur, & religio contemnitur.

47. De sanctificatione polluta variæ sunt interpretum sententiæ. Quidam nihil aliud significari putant, quàm Iudæorum mores esse corruptos; & periisse sanctitatem, quam exigebat Deus, & amabat in populo sibi specialiter electo. Leuit. 20. v. 26. *Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, & separaui vos à cæteris populis, vt essetis mei.* Et Exod. 19. v. 6. *Eritis mihi in peculium de cunctis populis, & vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta.* Ita exposuit Chaldæus. Alij sanctificationem esse putant separationem ipsam Iudæorum à Gentili populo, quam contaminauerunt Iudæi, cùm adeò egerunt cum alienis familiariter, vt etiam communem vtrique populo sobolem susceperint. Ita cum Hieronymo censent alij non pauci, & in his Cyrillus. Quæ expositio non procul abest à priori; quia si Gentilibus, ac Israelitis communis fuerit, & indiscreta soboles, periculum est, ne tota corruat antiqua disciplina; & filij, qui magis maternis abducuntur blanditiis, quàm parentum monitis informantur, & ipsi impuræ adhærescent religioni, & parentes suos in eandem impietatem impellent: quod facient multo magis ipsæ matres, quæ magis sunt blando, atque pellaci ingenio. Ex quo sequetur tandem, vt nihil sit sanctum, nihil non pollutum in ciuitate.

Iudæis cum gentibus coniugia prohibita.

Mihi non displicet in sanctificatione templum intelligi; sic enim sæpè in Scriptura vocatur. Machab. lib. 1. cap. 1. *Antiochus intrauit sanctificationem cum superbia.* Hæc verò sanctificatio tunc polluitur, cùm in atrium Israelitis destinatum Gentilis ingreditur. Eo nomine accusatus est Paulus à Iudæis *Actor. cap.* 21. quod in templum Gentiles induxisset. *Gentiles*, inquiunt, *induxit in templum, & violauit sanctum locum istum. Violare* autem idem esse videtur, quod *contaminare*. Quis autem dubitet Azotidas, & Ammonitidas fœminas, quæ nupserunt Israelitis, templum ingressuras, cùm in Dei populum ipso coniugis iure, sicut in viri sui familiam essent coaptatæ; & licèt non professione, ac cultu, domo tamen, & fortasse nomine tanquam Israelitides haberentur. Præsertim cùm viros haberent Israelitas, & in his aliquos è sacerdotali genere, qui iniuriæ sibi, atque ignominiæ ducerent, si vxores suas ex Israelitarum atrio excludi viderent. Præterea sanctificatio Domini, & à Domino dilecta, seu electa minùs aptè cadit in priuatam alicuius sanctitatem, vt prima statuebat opinio; aut in illam separationem à populo, aut connubio Gentilium, quàm in templum, quo Domini sanctificatio simpliciter appellatur. 48.

Sanctificatio idem quod templum.

Et habuit filiam Dei alieni.] Id est, quæ alienam sectatur religionem. Notum est quàm latè pateat filij, atque filiæ nomen. Illud *&*, rationalis est particula, quæ indicat ex illis illegitimis, & damnatis à Domino nuptiis contaminari templum; quia illa ab alienigenis in templo fiunt, quæ neque lex patitur, & pietas horret. *Habere*, verbum est nuptiale, aut affine nuptiis, sicut ἔχειν Græcè. Exempla apud Latinos non pauca, illud nunc sufficiat Tullij, *Habeo, non habeor à Laide.* Vbi Latinus *habuit*, Hebraicè est בעל *Baal*, quod maritale verbum est. 49.

Vers. 12. *Disperdet Dominus virum, qui fecerit hoc, magistrum, & discipulum de tabernaculis Iacob.*] Postquam scelerum fœditatem exposuit, supplicium minatur tam magistris, id est, sacerdotibus, qui aliis flagitiosi connubij authores extiterunt; dum suo exemplo docuerunt id fieri posse, quod, ne vnquam fieret, leges seuerissimè cauerant. Vt enim suprà diximus, sacerdotum, & principum exemplum instar obtinet legis; quia id quodammodo inferiori turbæ præscribunt, imò edicunt, quod ipsi faciunt. Sic sanè dixit Quintilianus declamat. 8. *Hæc*, inquit, *conditio principum est, vt quicquid faciunt, præcipere videantur.* Hi ergo magistri dicuntur, à quibus alij fermè viuendi formam, & rationem accipiunt. Quod autem sacerdotes, & eorum filij vxores acceperint è gentilico semine, docuit Esdras *lib.* 1. *cap.* 10. *v.* 18. vbi tradit sacerdotum filios gentilicis indulsisse connubiis 50.

Sacerdotes mali scelerum magistri.

bitis; quod sine Patrum consilio fecisse non puto, imò fortasse eius rei authores habuerunt parentes.

51. *Disperdet Dominus virum, qui fecerit hoc, &c. de tabernaculis Iacob.*] Obseruat hic Hieronymus Deum non præcidisse errori veniam, neque in desperationem homines egisse propter peccata iam antè commissa; atque ideo verbo vsum esse præteriti temporis, non futuri, vt homines in posterum à peccando deterreat. Perire de terra, de populo, de tabernaculis, &c. aut exiliũ significat, aut mortẽ; neque enim minùs de hac, vel illa terra perit qui ab illa extorris abit non iterũ reuersurus, quàm qui de viuis, ac de hominum cœtu prorsus excedit. Vtrùm horum Deus hoc loco minetur, definire non possum; neque statuere, si de morte sit sermo; an mors ista futura temporalis, an æterna, qui dicendi modus ad omnia patet. Sed in re dubia, & ab omnibus penè interpretibus omissa, diuinando potius, quàm certi aliquid statuendo, exilium potius à terra, quam paulo antè postliminio receperant, quàm mortem, quocunque modo capias, edici arbitror; licèt temporalem mortem hoc in loco Cyrillus agnoscat. Quòd autem eò animus inclinet diuinando, ea ratio est, quia qui gentilicum instituere viuendi modum & templum, atque sanctificationem Dei gentilicis sordibus inficiunt, dignissimi sunt, qui à templo, sacrisque Iudæorum exclusi in exilium, cœtúmque Gentilium hominum rursus extrudantur. Hoc planè valere, & sonare videtur illud, *de tabernaculis Iacob*, id est, de terra, quam olim ante excisam Hierosolymam; & nunc iterum, instaurata iam vrbe, Iacob posteritas inhabitat. Terram porrò promissionis appellari tabernacula, id est, domicilia, aut habitacula Iacob, habemus ex Psal. 86. *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.*

52. *Et offerentem munus Domino exercituum.*] Offerunt munera, qui de suo grege victimam sacerdoti tradunt, quam ad aram immolent. Offerunt item sacerdotes, quorum manibus res tota sacrificalis peragitur. De omnibus his credo Prophetam loqui, quasi dicat, etiamsi sacrificiis Deum placare studeant, nisi meliora meditentur, non consecuturos, vt mortem, si de morte sunt minæ, aut si de exilio sunt, exilium effugiant. Illud *&* non arbitror habere tam coniungendi, quàm augendi vim. Quasi dicas, illi etiam, qui sacrificiis oblatis diuinam sibi videbantur meruisse gratiam. Quod autem *&* interdum augeat, & idem valeat, quod *imò*, vel *potius*, diximus in nostris Commentariis super Isaiam, illúdque tam sacris, quàm profanis testimoniis ostendimus *ad cap. 19. n. 25. & cap. 62. n. 21. & cap. 7. n. 27.*

53. Vers. 13. *Et hoc rursus fecistis: operiebatis lacrymis altare Domini, fletu, & mugitu.*] Hæc verba aliquid addunt ponderis nostræ cogitationi, quæ in *sanctificatione* templum considerat. Polluerant templum, vt proximè vidimus, alienigenæ fœminæ, & proles informis ex Iudæo, Gentilíque suscepta; nunc aliquid aliud addit, quod templo ex eadem intemperantia iniurium est. Nam vxores cùm se à coniugibus contemni vident, ferunt permolestè; & vbi à viris nil obtinent precibus, aut blanditiis, clamant ad Deum, neque à gemitu, & vlulatu abstinent etiam in templo, vt id à Deo misericorde impetrent, quod ab iniquo coniuge extorquere non possunt.

54. Tradunt quidam Hebræorum magistri, neque nostri abnuunt, vxores Israelitidas neglectas esse

Iudæorum in vxores iniuria.

A à viris, & earum loco inductas alienas religione, ac patria. Cùm autem vxores, dato libello repudij, legitimè dimissæ non essent, tenebantur domi quasi ancillæ, quæ marito, siue adultero, siue malè coniugato, & eius siue vxori contra legem, & pudorem, siue pellici seruirent, quotidieque viderent genialẽ lectum, quem ipsæ fortasse suis strauerant manibus, incestis nuptiis, & damnato concubitu fœdari: cùm domi neque queri impunè, neque plorare liceret, adibant templum, & altare, illúdque lacrymis, & vlulatu complebant. Hęc omnia aut apertè colligi, aut prudẽter coniectari possũt è textu. Nũc aliqua nobis explicanda.

Primùm vt viris ad arma, sic fœminis in dolore, ac metu ad vlulatum, & lacrymas confugere proprium esse. Quare sæpe apud profanos auditur fœmineus vlulatus, & planctus, muliebres lacrymæ, & similia. Sic Pacuuius in Nitris, 55.

B

Fœminarũ arma fletus & lacrymæ.

Conqueri fortunam, non lamentari decet,
Id viri est officium, fletus muliebri ingenio additus.

Deinde fœminas valde esse impatientes iniuriæ, quæcunque illa sit, maximè cùm à viro, aut à pellice contemni se videt; à quo vitio neque mulieres sanctæ sexus vitio sunt immunes. Hanc verò iniuriam furor sequitur, & clamor, qui eiusmodi esse solet, vt non domum solùm, sed viciniam compleat; de quo clamore multa profani. Quàm grauiter iniuriam ferant propter fœminei pectoris angustias mulieres etiam sanctæ, docuerunt C duæ eiusdem nominis Annæ, altera Samuelis mater *lib. 1. Reg. cap. 1.* quæ cùm ab æmula duriùs esset accepta, *flebat assiduè largiter, neque capiebat cibum.* Altera Tobiæ iunioris vxor, quæ sic tulit ægrè obiectum ab ancilla conuitium, vt *tribus diebus & tribus noctibus neque manducaret, neque biberet.*

Fœmina impatiens contumeliæ.

Illud ad extremum obseruandum, *operiri*, in Scriptura aliquid importare magnum, & abundans; quomodo dicimus aliquem *opertum confusione, ignominia, formidine, iniquitate*; & terram *opertam caligine, inundatione camelorum*, &c. Sic etiam templum, & altare opertum dicimus fletu, & lacrymis, quia multæ erant fœminæ, quæ in templo D diu ac sæpe lacrymentur, & plorent. Qui dicendi modus à Latinorum vsu non est alienus, qui impleri clamoribus dicunt locum illum, qui latè personat vlulatu, ac gemitu. Sic sanè Virgil. lib. 7. Æneid. 56.

Operio ab[undantiam] significat.

Ast aliæ tremulis vlulatibus æthera complent.

Ouid. epist. OEnonæ ad Paridem,

Impleuitque sacram querulis vlulatibus Idam.

Et idem lib. 4. Metamorph.

Sicut erant viso nuda sua pectora nymphæ
Percussere viro, subitisque vlulatibus omne
Impleuere nemus.

Ita vt non respiciam vltrà ad sacrificium, nec accipiam placabile quid de manu vestra.] Multa sunt, quæ di- 57.
E uinis oculis ingrata reddunt sacrificia, quæ sub hæc tempora offerebantur: tum quia illa ab altari arcebat lex, & religio, cùm essent clauda, & cæca, vt principio vidimus: tum quia illorum sumptibus comparata, aut illorum immolata manibus, qui legitimis vxoribus tam grauem irrogarant iniuriam. Quare illa, quia vitiosa, non respiciebat, id est, probabat Deus; neque his, licèt nõ essent à lege reprobata, placabatur, quia precibus, ac votis offerentium obstrepebant eiulatus, & lacrymæ vxorum quæ diuinam auertebant misericordiã, & furorẽ in viros fidei coniugalis immemores acuebãt. Has lacrymas Christus ingratas fore dicit, nisi priùs qui offert, ab offenso fratre iã pacato gratiam sibi, & beneuolentiã inierit.

Sacrificia ingrata, dũ contra clamat frater offensus.

Sic autem Christus Matth. 5. v. 24. *Si offers munus tuum ad altare; & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.*

58. Vers. 14. *Quia Dominus testificatus est inter te, & vxorem pubertatis tuæ, quam tu despexisti.*] Perculsi seuera hac reprehensione Iudæi, causam rogant, cur Deus ab oblatis muneribus auertat oculos, & illis se placatum iri neget. Quibus Deus respondit eo se animo in populum illum infidelem affectum, quia legem à se latam de sociali perpetuóque matronij fœdere violauit. *Testificari*, vt optimè hîc Ribera, idem est quod *præcipere*; sicut *testimonium* idem valet quod *præceptum*, vt millies andis Psal. 118. Deut. 32. *Ponite corda vestra in omnia verba hæc, quæ ego testificor vobis hodie, vt mandetis ea filiis vestris custodire.* Exod. 19. *Tu enim testificatus es, & iussisti, dicens: Pone terminos circa montem, & sanctifica illum.*

Testificor idem quod præcipio; & testimoniũ præceptum.

59. Hanc porrò testificationem, seu præceptum, Hieronymus, Theodoretus, Cyrillus, & alij non pauci putant referendum ad illud antiquissimum sæculum, quo Deus parentes primos coniugali fœdere sociauit. Quare hic erit iuxta hæc idoneus sensus. Dominus præcipit tibi quomodo, & qua fide seruare debeas nuptiale consortium, cùm dixit Genes. cap. 2. *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ.* Vxor pubertatis illa dicitur, quam aliquis primùm duxit, cùm primùm pubes est, & rei coniugali idoneus, cui assueuit diu, & virginitatis libauit florem; ex qua suauitates plurimas, & vsus cœpit, cùm ætas fuit magis integra, ac florida. Si verò hæc aut morbo defloruerunt, aut ætate, propterea deserere turpe est. Hæc porrò, quæ ætate virginali nupsit, *παρθενική* dicitur, id est, *virginalis sponsa*, quæ magis solet esse dilecta.

Vxor pubertatis tuæ.

60. *Et hæc particeps tua, & vxor fœderis tui,*] Descriptio est vxoris ritè, sanctéque matrimonij legibus sociatæ. Particeps illa dicitur, quæ socia est, & omnium commodorum, quæ ad virum pertinent, partem capit, quia inter coniuges nihil debet esse diuisum, qui in vnam carnem, & in vnum propè spiritũ coaluerunt. Aut certè vxor viri dicitur particeps, vt putat Chrysostomus *serm. de libello repudij*; quia pars est viri, & ex ipsius ossibus, & carne formata. De qua dixit Adam. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Et hoc mihi posterius omninò placet, quia bellè cum his, qui proximè sequuntur, consentiunt. Vxor fœderis illa videtur hoc loco dici, quæ capax est illius legis, ac fœderis, quo Deus primos in orbe coniuges sociauit; inter quos illud esse voluit ingale vinculum, quod tantùm posset mors vna dissoluere; & eam coniunctionem, ac fidem, vt amori coniugali parentum amor præferri non debeat.

Vxor vnum corpus cum viro.

61. Vers. 15. *Nónne vnus fecit, & residuum spiritus eius est.*] Rationem aliam adducit, cur vxor à viro despici, aut alienari non debeat, quia eiusdem cũ viro spiritus est. Cuius sit spiritus ille, Deine, an viri, Hieronymus in dubio relinquit; contentus ostendisse vtrumque visum esse prioribus. Res sanè difficilis. Theodoretus residuum spiritus futuram hominum progeniem intelligit; nam cùm homo mortalis in æternum vitam propagare non possit, prouidit Deus, vt de hominum spiritu haurirent homines spiritum, & vitam, ne in vno parente mortale hominum genus interiret. Et id sibi velle arbitratur illud Genes. 2. *Crescite, & multiplicabimini.* Illud autem commodè residuum appellatur, quia aliquid hominis est, extra hominem tamen, quod in homine redundat, sicut seminalis materia, quæ ita est in homine, vt cùm ad hominis constitutionem non omninò pertineat, residuum hominis appellari potest.

Cyrillus spiritum putat esse hominis. Idem tenet Haymo, Remigius, Albertus, & eò magis Hieronymus inclinat; quasi ab homine, ex quo formata fuit prima fœminarum, non solùm carnem, & ossa, sed spiritum acceperit, id est, animam. Vt enim coniuges vna caro fiunt; sic etiam anima quodammodo vna, quia idem sentire, idem velle, ac nolle, & idem omninò spirare debent. Placet quod Cyrillus, aut dicit, aut indicat. Quod planè accidit Dauidi, & Ionathæ, quorum vnus videbatur spiritus, & vnus sensus. 1. Reg. 18. v. 1. *Anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid: & dilexit eum Ionathas quasi animam suam.* Neque est improbabile, spiritum, quo animata fuit Eua, hoc loco appellari diuinum: quasi Deus eodem flatu Adæ, atque vxori spiraculum infuderit vitæ; ita tamen vt priorem partem illius in Adami, posteriorem in Euæ faciem inspirauerit: quod nimirum Adamo iam viuificato, ex eodem spiritu reliquum fuit. Quòd quidem licèt physica consideratione difficile sit, & prorsus improbabile, quia inter animatum Adamum, & formatã Euam non parum intercessit spatij, tamen morali sensu, & iuxta vulgarem loquendi consuetudinem, ex eodem spiritu animatum censeri potest vtrumque: quomodo ex eodem semine nati dicuntur fratres; & in illis eundem esse sanguinem inter quorum ætates parum temporis interiectum est. Quæ ratio grauissima est ad conciliandam beneuolentiam, & vitæ societatem. Quare explicationẽ vt nullam improbare audeo; sic etiam nihil habeo, quod definitò affirmem. Hæc postrema videtur esse magis ad filum sermonis; nam sicut vnus vtrumque fecit, & ille sine dubio Deus est (licèt sint non pauci, qui aliter accipiant) sic etiam eiusdem spiritu vtrumque videtur esse formatum. Et firmat hanc cogitationem, quod iterum ille idem vnus continenter additur, qui aliquid exigit ab iis, quos ipse fecit, & vno spiritu sociauit. Nihilominus secunda placet magis, quia patronos habet, & ipsa satis est ad veritatem, & textum. 62.

Vxor vna caro, & spiritus vnus cum viro.

Et quid vnus quærit, nisi semen Dei.] Ille vnus, qui vtrumque fecit coniugem in principio, & flatu suo vtrique spiritum inspirauit, & vitam, ex illis nasci sibi voluit filios; ideo enim illis vim fœcunditatis attribuit: idem etiam nunc dicit expectare se ex genere Israelitico semen, nempe vt filij sibi ex suo populo nascantur, quem vnum de pluribus elegit. Ita Hieronymus, & qui illi perpetuò subscribunt. *Vnus*, ait Hieronymus, *Deus quid quærit nisi semen Dei?* hoc est, filios de Israelitica stirpe generatos. Hi verò, si vlli alij, semen dicuntur Dei, quia etiam filij dicuntur sancti, & à quibus Deus præsertim honoratur. Secus est de filiis, qui ex damnatis oriuntur nuptiis, quíque à matris conceptu aliquid hausere gentilicum, propter quod excluduntur à templo, imò ab Israelitarum familiari congressu. 63.

Septuaginta aliter legunt, & hæc verba ad illos referunt, quos Deus coniugalis fidei violatæ coarguit. Quasi dicant illi nihil aliud Deum ex matrimonio quærere, quàm vt ex illo filij generentur; sed siue hoc ex alienis, siue cognatis, à nobis 64.

nobis præstetur, Deo perinde est: finem enim, quem Deus spectauit, promissa consequuntur. ita fermè Cyrillus, & Theodoretus, dum Septuaginta translationem exponunt, quæ sic habet: *Et dixistis. quid aliud quàm semen quærit Deus?* Quibus ex Cyrilli sententia respondet Deus, illos non carere culpa, eáque grauissima, quia illa contemnitur vxor, quæ cum illis nuptiali vinculo constricta est; quæque vxor testamenti dicitur, & fœderis. Et quod dicit Hieronymus, *Cùm habeatis fœcundas coniuges, & liberis gaudeatis, quid pulchritudinem vxorum quæritis, quæ meretricibus apta est, non vxoribus.*

65. *Custodite ergo spiritum vestrum, & vxorem adolescentiæ tuæ noli despicere.*] *Custodire spiritum*, ex Hieronymi sententia, cui subscribunt Haymo, Remigius, & Ribera, nihil est aliud, quàm non peccare. Quare monet Propheta, vt vxores, quas adolescentuli duxerunt Iudæi, ad senectutem vsque in honore conseruent, si modò velint animam seruare à peccato liberam: neque enim despici sine peccato possunt, quæ nihil admisere, cur expelli debeant, aut ignominiosè tractari. Mihi hæc Hieronymi sententia non displicet, quæ magis est communis: sed nescio quomodo inclinat magis animus in illam, quæ in spiritu, id est, in anima, vxores intelligit, quas viri, si præstare volunt, quod lex exigit coniugalis, amare debent non secus atque animam suam. Neque insitatum est, vt coniuges, inter quos benè conuenit, his sibi salutationibus blandiantur: *Anima*, siue *animula mea*; *cor*, aut *corculum meum*. Ex hac vulgari amantium consuetudine dixit Iuuenalis Sat. 6. tritum, & familiare illud inter amantes, ζωὴ καὶ ψυχὴ, id est, *vita, atque anima*. Sanè infrequens non est inter amantes, vt amicos animæ suæ dimidium appellent. Facit huc, quod, vt paulo antè dicebamus, vxores pars quædam sunt, seu, quod idem est, residuum animæ virorum. Sic enim multi accipiunt illud, *Residuum spiritus eius.* Neque in eadem clausula mutari nominis vsus, & significatio debuit. Et hoc aut confirmat, aut innuit, quod proximè sequitur, in quo ego epexegesim quandam intueor, quæ priorem sententiam continet, & explicat. Videtur enim esse prorsus idem custodire spiritum suum, quod vxorem adolescentiæ non despicere. Tunc verò illud *&*, particulam exponentem interpretor. Quasi dicas, custodite spiritum vestrum, id est, vxores vestras ne dispicite. Hæc mihi videbantur non aliena; à communi tamen sententia non recedo. Vxor adolescentiæ illa est, quam vir tum duxit, cùm primùm ætatem nactus est rei coniugali idoneam; aut etiam cùm virginem duxit, connubio iam maturam; nam illud *adolescentiæ* non minùs videtur ad vxorem, quàm ad virum pertinere, & fortasse magis.

Amantium familiares salutationes.

66. Vers. 16. *Cùm odio habueris, dimitte, dicit Dominus Israel.*] Hic varij sunt interpretes. Quidam hic Iudæorum obiectionem agnoscunt contra reprehensionem, quam audierunt à Propheta. Quasi dicant, non vsque adeò iniquum, aut indignum esse, aut domo pellere, aut domi despectam vxorem continere, cùm repudij libellum lex ipsa permittat, qui vxorem, quacumque fuerit ætate locata viro, à coniuge dissociat. Ita Hieronymus, qui sic huic Iudæorum defensioni respondet; hoc quidem in lege præceptum esse, sed propter duritiam cordis; quicunque autem nisi fornicationis causa vxorem dimiserit, illum omninò fore peccati reum.

Vxorem quando repudiari liceat.

Alij admixtum hìc aliquid arbitrantur ironicum in illo *dimitte*. Quasi dicat Propheta, si dimiseris vxorem ea tantùm de causa, quia illam odisti, operiet te iniquitas, aut pœna, quæ iniquitatis fructus est. Dimittere autem vxorem nisi illi ea contingat fœditas, aut turpitudo, quæ odium in coniugis animo non immeritò gignat; qualis, interprete Christo, est fornicatio, nullo modo licet. An verò ob aliam fœditatem dimitti possit vxor cum libello repudij, disputant Theologi, putántque probabilius propter duritiam cordis Iudæis alias ob causas id à lege fuisse permissum. 67.

Ex his aliquid mihi sese ad huius loci sententiam lucis ostendit. Et primùm credo, quod suprà existimaram, vxores hasce à suis coniugibus cum libello repudij non esse dimissas; sed contineri adhuc domi, cùm inducerentur externæ siue vxores, siue pellices; non vt ad coniugale munus, & vt ibi matres essent familias, sed vt ancillare ministerium subirent; & non tantùm à viris, sed etiam à pellicibus aliquid audirent, paterentúrque quotidie, quod misellarum animum grauiter exagitaret, atque vreret. Hinc illi vlulatus, ac lacrymæ, quæ operiebant altare; & afflictam domi fortunâ, & violatam coniugij fidem Domino miserorum vindici commendabant. Quibuscum magis videbatur actum esse clementer, si dimissæ forent cum libello repudij, à coniugij onere, & maritorum intemperie liberæ, quàm domi lacrymis, ac mœrore confici, & quasi in suo regno viuere captiuas. Id verò coniuges non putabant in suum vsum fore, cùm nihil opponere possent vxoribus, quod videretur esse eiusmodi, vt ad libellum repudij graue censeretur ab aliis: & sine graui causa vxorem domo pellere neque liceret, neque fortasse tentare possent impunè. Si tamen vxor libellum à coniuge dimissionis testem acciperet, id consequebatur boni, à priori viro nihil amplius timeret, vt & secundas nuptias impunè, atque honestè contraheret. 68.

Iudæorum in vxores inclementia.

His vtcumque positis, hanc esse puto sententiam. Si odiosa tibi fuerit vxor, dimitte potiùs liberam libello dato repudij, ac libertatis teste, vt sui iam sit, non alieni, atque tyrannici iuris; minùs enim erit molestum vxori excedere domo; licèt non possit illi aliquid infamiæ non hærere, quam vitam in tenebris agere seruilem, & ægram. 69.

Operiet autem iniquitas vestimentum eius.] Licèt hoc vxori magis videatur optabile; viro tamen non potest esse non turpe, quia graue peccatum est innocentem vxorem domo ignominiosè pellere; neque aliter operietur iniquitate, quàm operitur vestimento. Qui dicendi modus non leue indicat esse peccatum, aut non exiguam peccatorum multitudinem. *Cooperire* enim, vt suprà diximus *ad v. 13.* magnum aliquid, & abundans importat, vt Psal. 72. *Cooperti sunt iniquitate.* Quod item apud Latinos vsitatum, qui dum aliquem valde miserum ac sceleratum significare volunt, coopertum esse dicunt flagitiis, aut miseriis. Si quando verò hæc magna significare volumus, vestimenti quoque nomen adhibemus. Psal. 108. *v. 19. Fiat ei* (nempe maledictio) *sicut vestimentum quo operitur; aut sicut zona, qua semper præcingitur.* Et v. 29. *Induantur, qui detrahunt mihi, pudore: & operiantur, sicut diploide, confusione sua.* Hoc porrò loco si, quod est apud Hebræos frequens, nota subaudiatur similitudinis, sensus est non difficilis; 70.

Operiri sicut pallio magnum aliquid, & manifestum significat.

nempe operiet illum iniquitas, sicut operire solet vestimentum.

71. Quòd si nihil hîc suppleas, maius aliquid indicat hic loquendi modus: neque enim tantùm multiplex significatur esse scelus, sed omnium oculis manifestum, sicut pallium, aut extima quæcumque vestis, epitogium puta, aut chlamys, laxæ sunt, & amplæ vestes, quia quaslibet alias tegunt, & cohibent, & quia extimæ omniũ oculis patent; sic etiam illa scelera, quæ modò Propheta reprehendit, non solùm magna sunt, sed etiam aperta. Quæ sic in hominum oculos facilè, ac frequenter incurrunt, quomodo signa, aut stemmata, quæ sunt assuta, aut intexta externo vestimento, vt, quæ nobilitatem indicant, aut magistratum; quales sunt in Romanorum togis palmæ, aut lati, siue angusti claui; & in his ordinibus, qui ex instituto militiam profitentur, crux assuta pectori,& similia. Aut quæ infamiæ sunt documenta, & notæ: qualia multis in locis gestant meretrices; & qui desertæ religionis rei à sacræ inquisitionis,fideique censoribus declarantur;quæ perfidiam euulgant, & religionis violatæ crimen.

72. Hæc mihi non difficilia sunt;quæ eo latiùs exposui,quia difficilis locus,& variis modis ab aliis tentatus; neque tamen,vt opinor,satis expeditus, id videbatur si minùs exigere, at certè permittere, & pati. Sed eò magis & omninò propendet animus, vt credam in *iniquitate* non tam scelus, quàm sceleris supplicium intelligendum. Quod supplicium instar erit vestimenti, quod totum operit hominem; & quia palàm gestatur, omniũ occursat oculis. Supplicium autem, quod Deus sacerdotibus præcipuè minatur, instat habet illius vestimenti, quod totum tegit hominem. Nam, vt suprà vidimus *v.2.* nihil erit, quod ad vsum, honorémque pertineat sacerdotum, quod Dominus sua maledictione nõ feriat,& damnet; idque adeò apertè, vt maledictionis illius signa in vultu, vestimentóque circumferant. Id enim ipsa verba indicant non obscurè. *Mittam*, ait Deus, *in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris, & maledicam illis, quia non posuistis super cor. Ecce ego proiiciam vobis brachium, & dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum, & assumet vos secum.* Hæc omnia non tam iniquitas propriè sunt,quàm iniquitatis pœna.Hæc meo iudicio si non omninò conuincunt, indicant tamen vehementer similes alij loquendi modi, qui non tam peccatum significant,quàm peccati pœnam. Quales sunt illi,quos nuper ex *Psal.108.v.19.& 29.* produximus. Quòd autem *iniquitas, impietas, peccatum*, & his affinia pro eorum suppliciis vsurpentur, res est nota; & nos exemplis satis, opinor, demonstrauimus super Zachariam cap.3. ad illud, *Ecce abstuli à te iniquitatem.* vbi iniquitas sordes illas significat, quas Iesus sacerdos filius Iosedech in captiuitate contraxerat.

Iniquitas, & similia pro supplicio.

Custodite spiritum vestrum, & nolite despicere.] 73.
Hæc paulo antè à nobis pluribus explicata sunt, quæ satis assonant aptè postremæ huic cogitationi de peccati pœna. Quasi dicat Deus,vt consilia mutent, & connubiale fœdus accuratè seruent, vxores apud se cum fide, atque honestate retineant, nisi malint loco excidere, ac talibus affici suppliciis, qualia nuper in vestimentis exprimuntur.

Vers.17. *Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris: & dixistis, in quo eum fecimus laborare?*] 74.
Accusarat priùs Propheta sacerdotes, quòd egissent impiè tum in sacrificando contra quàm sacrificali lege cautum erat; tum in aliis, quæ pluribus in toto capite proponit, & amplificat. Cùm verò ipsi de sua sibi sanctitate placerent, neque, quid à se peccatum foret, agnoscerent, rogant, in quo ipsi studio, aut opere deliquerint. Sic etiam nunc cùm eorundem accuset verba, impia nimirum, & sacerdotibus prorsus indigna; neque in loquendo ipsi, quo erant stupore, aut superbia, peccasse se crederent: hoc ipsum rogant, quod nimirum verbum ex ipsorum ore, aut impium, aut minùs religiosum exciderit. Vbi obseruandum illud *laborare* magnũ habere pondus, neque enim leue est illud onus, in quo sustinendo laborare dicuntur, & lassari diuini humeri. Iisdem verbis aliis in locis vtitur Deus, cùm ex hominum peccatis maximam se dicit cepisse molestiam. Vt *Isaia cap.1* de sacerdotum sacrificiis, qualia hoc tempore videntur reprehendi. *Facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens.* Et cap. 44. v. 24. *Prebuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.*

Peccatorum opera Deo molesta.

In eo, quod dicitis, omnis, qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, & tales ei placent.] 75.
Vetus fuit hæc Iudæorum cantilena, qui cùm ex humanis, & fugacibus bonis, Dei beneuolentiam atque iudicia metirentur, & malos his commodis abundare cernerent; aut iniquum putabant esse Deum, aut ignarum, cùm tales amaret, ornarétque, quasi boni forent; aut prouidentiam in illo desiderabant, cùm omnia súsque déque ferri, neque de æqua illorum dispensatione curaret. Aut certè iudicium in eo, & æquitatem requirebant, cùm iustos laborare, & opprimi; impios exultare, & dominari cernerent, neque quicquam illorum votis euenire contrarium. Hæc aperta sunt. Vide quæ in hanc sententiam diximus *in Ierem.cap.12. Habacuc cap.1. Ezechiel. cap.9.* Hæc de cap.2.

IN CAPVT TERTIVM

ARGVMENTVM.

SVMPTA occasione ex sacerdotum moribus, neque religiosis, neque iustis, traducit vaticinium ad aureum Euangelij tempus,in quo vt sacrorum, sic etiam sacerdotum magna erit dissimilitudo,quos Christus noui Testamenti conditor purgabit,& instituet. Incipit autem à Joanne Baptista,qui Christi aduentum, & œconomiam euangelicam præcurret. Post hanc veluti parenthesim, ad id, quod antecedenti capite exprobrare cœperat, reuertitur, ostenditque errare eos vehementer, qui æquitatem in

Deo,

Digitized by Google

Deo, ac iudicium requirunt; cùm reipsa liquidò cognituri sint, quemadmodum iusti, atque impij æquo, seueróque iudicio pro suis quisque meritis afficiendi sint, illi præmio, isti supplicio. Alia deinde peccata proponit, propter quæ graui & antea dudum, & nunc etiam fame, & inopia laborant; monétque, vt saniora cogitent, vt experiantur Deum multo magis quàm hactenus liberalem, & mitem. Ad extremum docet, quid cogitarint illi, quos Dei pupugit timor; & quid de illorum compensandis meritis cogitarit Deus.

CAPVT III.

1. *Ecce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis; & angelus testamenti, quē vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum.*

2. *Et quis poterit cogitare diem aduentus eius, & quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum:*

3. *Et sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum, & erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia.*

4. *Et placebit Domino sacrificium Iuda, & Ierusalem, sicut dies sæculi, & sicut anni antiqui.*

5. *Et accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis, & adulteris, & periuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij, viduas, & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum.*

6. Ego

PARAPHRASIS.

A 1. HI sunt mores, hæc studia sacerdotum: at longè alia erit illorum viuendi forma, quos aureum Euangelij sæculum sacerdotes habebit. Ecce ego, (inquit æternus Pater, de Ioanne) mittam ante me Angelum, ac præcursorem, qui mihi in hominum animis hospitium paret; quique Christo filio meo, per quem hoc potissimùm consequar, viam expediat. Quod cùm primùm præstiterit, confestim sequetur Christus Dominus, qui communibus expetitur votis; & qui testamentum, & pactum cum populo percussum tanquā nuncius, & Angelus Domini fideliter impleat,
B quo nihil magis est votis. Et in templum ingredietur, in suum vtique domicilium veniet, dicit Dominus.

2. Illum porrò diem, quæque in eo fient admiranda prodigia, cogitare nemo poterit: vsque adeò enim erunt admirabilia, vt neque in hominum cogitationem venire posse videantur. Et quis erit animo tam præfracto, ac ferreo, quem illius exēplum, & sermo potentissimus non mutet, & frangat? Quis vsque adeò rebellis, & frigidus, cuius pectus ignea vis oculorum non capiat, & inflammet? Id enim in hominum
C animis à sordibus, & squalore purgandis faciet, quod ignis in metallo conflando, & in emaculandis vestibus herba fullonia.

3. Sedebit ille, & eo studio purgabit illius felicissimi sæculi Sacerdotes, quo artarius sedet, vt argentum purificet, & conflet. Quos ita liquefaciet, emundabitque, sicut emundari solet argentum, & aurum. Qui non recedent in sacrificando ab eo, quod lex, & pietas præfinit sacerdoti; ita vt
D possit sacrificium illud appellari iustitiæ.

4. Tunc autem sacrificium, quod offeretur in Ecclesia, cuius Ierusalem, & Iuda typus sunt, sic erit gratum Deo, vt in illo sibi vehementer placeat. Qualia fuerunt illa sacrificia, quæ antiquissimis sæculis à magnis sacerdotibus oblata sunt.

5. Nunc ab Ecclesiæ felicissimo sæculo ad tempus hoc vestrum, ô sacerdotes, vaticinium, quod est tantisper interruptum, refero. Dixeratis in me neque iudicium esse, neque humana commoda pro hominum meritis æquitate seruata dispensare,

A sare. Quò nomen meum ab hac aliena suspicione vendicem, efficiam statim, vt quãto fueritis in errore, experimento cognoscatis. Accedam igitur ad vos iudex, vt vestra merita cognoscam, & iudicem, idque quamprimum, contra maleficos, & adulteros, contra periuros, & qui mercenarios callidè mercede defraudant; qui pupillos, & viduas spoliant, & vexant; qui peregrinos opprimunt, neque timent Deum; & tunc cognoscent se testem fuisse illorum, quæ ipsi fecissent, aut cogitassent in tene-
B bris, quæque latere putabant diuinos oculos; & de illis nullam in cælis esse prouidentiam.

6. Ego enim Dominus, & non mutor: & vos filij Iacob non estis consumpti.

6. Ego, inquit Deus, de meipso mecum meditans, tam longam in vestrum genus tolerantiam admiror. Nam cùm Deus sim, neque aliter nunc, quàm olim à sæculo in peccatum, & peccatorem afficiar, plurimósque, non diu postquam peccauere, cõsumpserim: vos tamen filij Iacob, quorum vita sceleribus est innumeris cooperta, viuitis, neque dum estis pro vestrorum scele-
C rum ratione consumpti.

7. A diebus enim patrum vestrorum recessistis à legitimis meis, & non custoditis. Reuertimini ad me, & reuertar ad vos, dicit Dominus exercituum. Et dixistis: In quo reuertemur?

7. Neque enim nunc primùm vitam vestram flagitiis contaminare cœpistis; iam pridem vestrorum scelerum turpissima colluuies continenti penè filo ad vestram ætatem vsque profluxit. Ab vltima parentum vestrorum memoria, parentum imitati vestigia à lege recessistis: legem, inquam, meam à parentum vestrorum ætate non seruastis. Licèt ob hanc tam obstinati animi pertinaciam perdere vos potuerim, meę tamen clementiæ memor admoneo vos,
D vt superiorem viuendi modum detestati, per vitæ nouitatem redeatis ad me; neque inutilis erit, hæc animi seria, veraque conuersio. Reuertar enim & ego ad vos, in quos talem accipiam animum liberalem, & mitem, qualem antea, cùm melior esset Iudæorum status, habueram. Vobis autem sic vestra placent, vt non putetis vos à diuina lege aliquò declinasse. Atque ideo rogatis, à quónam errore vester ad Deum gradus reuocandus sit.

8. Si affiget homo Deum, quia vos configitis me? Et dixistis: In quo configimus te? In decimis, & in primitiis.

8. An non graue peccatum est molestiam mihi grandem præbuisse, quod Gen-
E tilium nemo in deos suos ausus, aut meditatus est? Et dubitatis, in quo spiritum meum afflixeritis, & de hoc ipso à me doceri vultis. Id igitur iam tandem discite. Quia primitias, & decimas aut negatis omninò, aut magnam ex illis partem defraudatis: ita vt neque ad templi sumptus necessaria suppetant, neque sacerdotes inde satis habeant alimenti. Quocirca si res vobis est angusta, si fames vrget, nullam aliam quæratis causam; hæc enim satis est grauis, quòd

9. Et

Digitized by Google

9. Et in penuria vos maledicti estis, & me vos configitis gens tota.

10. Inferte omnem decimam in horreum, & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem vsque ad abundantiam.

11. Et increpabo pro vobis deuorantem, & non corrumpet fructum terræ vestræ: nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituũ.

12. Et beatos vos dicent omnes Gentes: eritis enim vos terra desiderabilis, dicit Dominus exercituum.

13. Inualuerunt super me verba vestra, dicit Dominus.

14. Et dixistis: Quid locuti sumus contra te? Dixistis: Vanus est, qui seruit Deo: & quod emolumentum quia custodiuimus præcepta eius, & quia ambulauimus tristes coram Domino exercituum?

15. Ergo nunc beatos dicimus arrogantes: siquidem ædificati sunt facientes impietatem, & tentauerunt Deum, & salui facti sunt.

16. Tunc locuti sunt timentes Dominum, vnusquisque cum proximo suo. Et attendit Dominus, & audiuit; & scriptus est liber monumenti coram eo timentibus Dominum, & cogitantibus nomen eius.

17. Et

A quòd omnes simul hoc me modo configitis.

9. Inferte decimas, quæ debentur ex lege, in horreum meum sine vlla diminutione, ac fraude, vt pro sacrificiis, sacerdotúmque victu necessaria suppetant: & tunc cognoscetis, vndénam profecta fuerit tanta penuria, & quàm fuerim in præstandis promissis fidelis, & constans. Quòd si non immisero vobis illam aquarum copiam, vt cataractæ nubium apertæ videantur; & eam rerum abundantiam, quam horrea, & vasa
B cellaria capere non possint, illum me esse existimate, cui deinceps fides haberi non debeat.

10. Efficiam præterea, ne quid fructibus, quos irrigata terra peperit, officiat: arcebo hostes, qui segetes aut calcatu sternant, aut flammis aboleant: prohibebo bestiolas arboribus, ac frugibus infensas, ne terra, arboribúsque nata deuorent; & ventum vrentem, ne germinata corrumpat; neque ager erit sterilis, neque vineæ in agris suo nitore, ac fructu vastabuntur.

C 11. Ea denique erit terræ species, vbi Deus in illam pacatos oculos intenderit, vt omnes vos beaos esse prædicent, secúmque putent actũ esse feliciter si vobiscum in ea aliquando habitare contingat.

12. Audite iam iterum in quo etiam molestiam mihi præbueritis, & in quo vestram ego impietatem accusem, & damnem; quia contentiosè, & sæpè magnis contra me clamoribus insurgitis.

13. Neque id consideratis, atque ideo
D quæritis, quod verbum ex ore vestro iniquum contra Deum exciderit?

14. Dixistis illum esse stultum, & vanum, qui Dei se voluntati, & mandatis attemperat; neque vos ex illius obsequio, aut ex longo ieiunio aliquid habuisse compendij.

15. Arrogantes autem, & violentos homines fortunatos esse dicebatis, qui cùm peccatis se, ac voluptatibus tradant, abundant tamen filiis, magistratibus, opibus, atque illis tandem omnibus, quæ numerantur
E in bonis. Neque cùm Deum sæpe, & grauiter peccando tentauerint, aliquid tamen aduersum patiuntur.

16. Post querelam hanc tam grauem, & iustam, quibus timor inerat, & in Deum obseruantia, secum de meliori viuendi forma meditati, & de eadem cum proximo locuti sunt, multo aliter quàm alij de Deo sentientes. Quòd videlicet humana curet, eaque pro cuiuslibet meritis cum æquitate dispenset; neque tam sint illi beati, quàm stulta hominum multitudo cogitat; cùm suus quemque dies, & iudicium maneat.

Quæ

Digitized by Google

A Quæ verba Deus in librum retulit memorialem, sicut aliorum orationem impiam antè retulerat; quia de Deo benè sentiunt, & de illius religioso cultu deliberant.

17. *Et erunt mihi, ait Dominus exercituũ, in die qua ego facio, in peculium: & parcam eis, sicut parcit vir filio suo seruienti sibi.*

17. In die illo, ait Dominus, qui de hominum factis, ac studiis iudicabit, amplectar illos quasi meam mihi hæreditatem, & peculium; neque aliter tractabo, quàm pater filium, cuius commodis, & valetudini consulit.

18. *Et conuertimini, & videbitis quid sit inter iustum & impium: & inter seruientem Deo, & non seruientem ei.*

18. Tunc ea erit rerum, fortunarúmque conuersio, cùm arrogantes, & violenti B è suo loco cadant; eleuentur autem iusti, qui priùs videbantur abiecti, vt tam hi, quàm illi liquidò cognoscant, quid inter iustum, & iniustum intersit; & inter illum, qui Dei obsequitur voluntati, ac nutui, atque eũ, qui ab eius se voluntate subduxit.

Vers. 1. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.*]

1. QVÆRVNT hîc aliqui, quæ sit horum verborum, seu huius vaticinij cum præcedentibus apta connexio. Quidam in eo vtrumque caput conuenire putant quòd tam hîc, quàm illic sermo de sacerdotibus est; qui cùm illic describerentur impuri, atque eo nomine prorsus indigni, de quorum manibus id contraxere victimæ, vt Deo non tam odorem aspirent gratum, quàm nauseam moueant, atque fastidium: hîc iam ostenditur, quomodo purgandi sint à Deo, eóque adducendi, vt eorum sacrificium ita placeat, sicut dies sæculi, & anni antiqui. Alij putant respondere Deum sacerdotum fatuo, impióque sermoni, qui clamabant neque in Deo prouidentiam esse, neque iudicium; cùm impuros, atque sceleratos diuitiis cumulet, & honoribus, iustos verò patiatur conculcari, atque opprimi, neque in eius iudiciis habeatur æquitatis ratio. Vt ergo os illorum obstruat, & ignominiosam illam calumniam depellat, de iudicio agit, quod experientur homines seuerum, sacerdotes maximè, à quibus primùm videtur vox illa sacrilega fluxisse.

2. Ego neque hæc improbo, neque alia, quæ ab aliis afferuntur, quæ sciens, prudénsque prætereo, ne longus sim. Puto tamen in prioribus verbis (nam de aliis aliter nobis considerandum est) de aliis sacerdotibus vaticinium institui; nempe qui tempore viuent euangelico, in quo sacrificium magis erit purum, Deóque gratum, nobilius sacerdotium, & longè alia sacrificandi forma. Est autẽ in Scriptura non infrequens, vt cùm ex Testamento veteri aliquid proponitur, aliquid statim adhibeatur contrarium ex nouo, vt inter vtrumque magnum aliquod discrimen appareat. Cùm *Isaiæ cap.66.* præcessisset, *Nunquid parturiet terra in die vna? aut parietur gens simul?* statim de Testamento nouo dixit, *Quia parturiuit, & peperit Sion filios suos.* Zachar. *cap.9.* cùm superbum apparatum descripsisset, statim contraria omnia in Christo triumphatore posuit. *Ecce*, inquit, *Rex tuus veniet, &c. Pauper, & ascendens super asinum.* Ac si diceret, longè alius erit habitus, & species Christi, qui insidebit asinæ; & tamen

REGVLA. *Ex testamẽto veteri gradus fit ad aliquid contrarium ex nouo.*

C inimicorum suorum quadrigas, aciésque prosternet. Et *cap.* 13. cùm de falsis prophetis ageret, quos eo nomine parentes confixerunt, atque plagarunt, ad Christum pastorem verum, & à parente plagatum, modo tamen, ac studio longè dissimili vaticinium traducit. *Framea suscitare super pastorem meum*, &c. Et *Ezech. cap.* 34. *v.* 22. cùm malum pastorem descripsisset, ad Christum pastorem bonum vaticinium transtulit. Eodem modo cùm in malorum sacerdotum mores esset inuectus, ad bonos, id est, euangelicos sacerdotes gradum facit, quos Deus, cùm in mundum adueniret, purificabit, & instituet, ita vt purum ab illis, & placabile sacrificium offeratur.

D Antequam ad huius capitis explicationem accedo, exploratò opus est, quomodo cùm Malachias primam in hoc testimonio personam adhibeat, pro prima Christus, dum idem Malachiæ testimonium adducit, secundam supponat. Sic Malachias, *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Sic Christus apud Matthæum cap.11. *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Quæ verba eodem repetunt modo Marcus *cap.*1. & Lucas *cap.*7. Hæc verba variè aut conciliant, aut conciliare student interpretes tum apud Malachiam, tum apud Euangelistas illos, de quibus nuper. Quod etiam nunc ego facere tentabo, vtinam non abs re. 3.

E Et primùm statuo, quod alibi sæpe ex Patrum communi sententia pluribus probaui, & docuit Hieronymus *lib.*1. *Commentariorum Epistola ad Galatas, & lib. de optimo genere interpretandi*, & in præsentem Malachiæ locum; vsitatum esse in Scriptura, vt ab Apostolis, & Euangelistis, dum testimonium aliquod sumunt è Testamento veteri, non tam spectent verba, quàm verborum pondus, atque sententiam. Quare interdum mutant, aut inuertunt verba, interdum aliquid addunt explicationis gratia; aut quia ad rem, de qua agunt, necessarium non est, interdum aliquid omittunt. Egit hac de re eruditè, & latè Salmeron *Proleg.*9. *Quinquag.*1. *cap.*17. vbi exemplorum satis. 4.

REGVLA. *In testimoniis testamẽti veteris, quæ citantur in nouo, non tã verba, quàm sententia referuntur.*

Illum, à quo Angelus mittendus esse dicitur, 5.
quidam

Digitized by Google

quidam Spiritum sanctum esse putant. Ita Hieronymus *in cap. 1. Marci*. Tertullianus *aduersus Iudæos cap. 1.* Chrysost. *hom. 5. in cap. 1. Ioan.* & plures alij Patrem esse putant. Quod mihi omninò videtur esse dicendum. Iansenius *lib. 1. Concordiæ cap. 13.* & Galatinus *lib. 3. cap. 12.* Christum faciem esse dicunt Patris, etiam quà homo est: atque ideo cùm Pater dicit *ante faciem meam*, idem omninò esse ac si diceret, *ante Christum*. Ait autem ibi Galatinus hoc etiam olim visum esse quibusdam Hebræorum magistris, quos ipse nominat. Alij neque pauci, neque ignobiles verba hæc Christi esse putant; in quibus est Hieronymus, Haymo, Remigius, Albertus.

6. Ego, vt dixi, hæc verba non tam Christo, quà homo est, quàm Deo tribuo. Quod, meo iudicio, satis ipse docuit Christus, qui illud *meam* in *tuam* mutauit, & explicationis gratia addidit *ante te*. Hæc autem verba satis indicant non ab illo fuisse dicta, ad quem fuerunt directa: nemo verò dubitat hæc ad Christum pertinere, quem præcursor Ioannes antecessit. Et quidem nemo dubitat, illum, qui duobus antè capitibus, & duobus aliis sequentibus locutus est, esse Deum, quà Deus est: quare non videtur sermonem hunc ab illo remouendum esse, à quo tam quæ præcessere, quàm quæ proximè subsequuntur, audiuimus.

7. Ribera hæc Deo tribuit, sed cùm Dei opera, quæ extra Deum sunt, tribus personis sint communia, modò vni personæ, modò alteri accommodari posse dicit. Et adducit ad eam cogitationem apta quædam exempla. Primum, quod Isaiæ 6. dicitur, *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum*, &c. Deo Patri tribuit Damascenus ex Basilio *in serm. 4. contra Eunomium*. Hoc idem filio tribuit Ioannes cap. 12. *Hæc*, inquit, *dixit Isaias, quando vidit gloriam eius, & locutus est de eo.* Hoc idem de Spiritu sancto affirmat Paulus Actor. cap. 28. *Bene Spiritus sanctus locutus est per Isaiam Prophetam ad patres nostros, dicens: Vade ad populum istum.* Hoc idem putat dicendum de Ioanne; quòd nempe a Spiritu sancto dici possit missus, quod *in cap. 1. Marci* putabat Hieronymus, & à Filio, vt in hunc locum Hieronymus idem opinatur; & à Patre, vt sentiunt alij. Neque tunc putat mutari sensum, qui si in citato retineatur testimonio, non videtur adductum infideliter, vt paulo antè ex Hieronymi sententia dicebamus. Idem enim est sensus, siue à Patre, siue à Filio, siue à Spiritu sancto dicamus hæc esse verba. Pater enim misit Ioannem ante faciem filij sui; Filius ante faciem suam; Spiritus sanctus ante faciem Filij. Placet valde Riberæ cogitatio. Ego tamen, licèt re penè cum illo conueniam, quia tamen loquendi modus ad hanc sententiam videtur esse duriusculus, putabam aliter duo hæc loca conciliari posse simpliciùs.

Regula. Quæ Deus facit, modò huic, modò alteri diuinæ personæ tribuuntur.

8. Non dubito Angelum istum esse Baptistam; neque fas est dubitare, cùm id habeamus expressum à Christo. Fuit autem Baptista Angelus Domini, vt viam illi, & hospitium pararet; spirituale nempe, quale Deus ab homine requirit. Quare non minùs Patris fuit, quàm Christi præcursor, quia eo consilio missus est, vt pararet Domino plebem perfectam, *Lucæ capite 1. vers. 17.* Hæc verò plebs perfecta hospitium erat, quod in terris Deus sibi parari voluit, in quo non minùs habitaret libenter, quàm in cælo. Quocirca aptissimè Deus

Ioannes Christi, Patrisque præcursor.

A Pater de Ioanne præcursore dixit, *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem meam.* Parauit autem, cùm prædicauit Baptismum pœnitentiæ, & hominum animos & præmio veræ virtutis allexit; & gehennæ metu, & iudicij seueritate concussit. Id enim sonant illa, quæ sub allegoria frugum, quæ in area teruntur, intonuit Ioannes *Matthæi cap. 3.* Quare hæc non minùs ad Patrem (de hoc enim speciatim loquor) quàm ad Christum spectant: tam enim huic, quàm illi aperitur via, & præparatur hospitium.

Sed quia id Pater per filium suum mortali carne vestitum consecutus fuit, per quem subiugare sibi voluit vniuersum; & illius præsertim Ioannes cognitioni, & prædicationi B seruiuit, ideo illius magis propriè dicitur esse nuncius, aut præcursor; qui tamen non tam à Christo, quàm à Patre de Christo, id est, Christi causa missus censeri debuit. Quomodo si Rex vehementer cuperet regnum aliquod suæ sibi ditioni subiugare; eóque consilio ducem aliquem mitteret, & per legatos cum amicis, fœderatísque populis ageret, vt duci suo viam aperirent, & de rebus ad expeditionem illam necessariis commodarent; licèt legatus ille ducem præcurreret, illiúsque consiliis accuratè seruiret; non tamen diceretur à duce, sed ducis causa à Rege fuisse præmissus. Sic Ioannes præcursor erat Christi, illúmque populis commendabat, vt constat *Marci 1. vers. 7.* & cecinit pater Zacharias *Lucæ 1.* C veruntamen à Deo Patre missus est, qui Christo ad rem euangelicam præpararet viam, & tam Christo, quàm ipsius Patri in hominum animis hospitia disponeret. Neque leuis ex hoc capite ad hanc cogitationem coniectura sumitur: in quo inter eum, qui Angelum mittit, & Christum, cuius præcursor est Ioannes, videtur aliquid intelligi diuersum. Nam cùm dicat ante faciem suam missurum se Angelum; statim, quasi aliquid esset diuersum, addidit, *Et statim veniet ad vos dominator, quem vos quæritis.* Qui ex omnium, Hebræorum etiam sententia Christus est. Quare sic videtur hoc loco Pater fuisse locutus. Ego mittam ante me, qui mihi in hominum animis D hospitium paret, quíque filio meo, per quem hoc potissimè consequar, viam expediat. 9.

Hoc, meo iudicio, Christus ipse non obscurè docuit, dum verba paululùm immutauit; quæ tamen non alium habent sensum, quàm qui à Propheta propositus: vbi duas sine dubio personas distinguit, & illam, quæ mittit, & aliam, cuius causa mitti dicitur Angelus. *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui preparabit viam tuam ante te.* Quasi dicat Pater: Ecce, ô fili, ego mittam Angelum antè, qui viam tibi præparet, per quam tu ad gloriam meam ingressurus es. 10.

Nisi mauis hoc dicendi modo explicari à Patre eximium illum, & inexplicabilem amo- 11.
E rem, quo Christum prosequitur; de quo aliquando dixit filium sibi esse dilectum, & in illo benè sibi complacuisse. Est enim modus ille amatorius, quo aliquis personam sibi dilectam suos appellat oculos, suum spiritum, animam, & cor; sicut capite præcedenti vxor dicitur esse spiritus viri, id est, alter ipse. Sic Pater Christum suam appellat faciem, id est, alterum se; id enim familiare est amantibus.

Patris in Christum tenerrimus amor.

Quasi diceret, ante faciem dilectissimi filij mei, qui mihi est perinde ac si (vt humano loquar modo) facies esset mea. Si enim Christus de discipulis dixit Ioan. 13. vers. 20. *Qui accipit si quem misero, me accipit*; quanto id melius de Christo dici posset, qui missus est à Patre. Neque id Christus siluit, qui statim addidit, *Qui autem me accipit, accipit eum, qui me misit*. Vtroque modo componi possunt hæc loca, quæ in speciem videntur non benè consensisse. Si quis aliquid adduxerit idoneum magis, gratus accipiam.

12. Est præterea aliquid aliud, in quo hærere possit curiosus aliquis, & attentus lector. Nam cùm hic locus, vt vides, Malachiæ sit, neque in Isaia reperiatur; Marci tamen *cap.* 1. ab Isaia dicitur esse proditus. *Initium*, inquit, *Euangelij Iesu Christi filij Dei, sicut scriptum est in Isaia Propheta: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te: vox clamantis in deserto, parate viam Domini*, &c. Quid alij sentiant, aut dicant, omittam in præsentia, ne longus sim; dicámque quambreuissimè potero, quod magis videtur expeditum, & facile. Certum est in Testamento nouo ex duobus locis maximè disiunctis, imò ex diuersorum authorum scriptis vnum conflari testimonium. Exempla nos adduximus non pauca in nostris Commentariis super Zachariam ad illud cap. 11. *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos*, numero 54.

Regula. *Ex duobus Scripturæ locis vnum conflatur testimoniū.*

13. Illud etiam vsitatum, licèt minùs frequenter, vt cùm testimonium à duobus diuersorum authorum locis conflatum sit, vel vnius tantùm exprimatur nomen, vel ita significetur, quasi vnus esset tantùm illius author. Illud Matth. cap. 21. *Dicite filiæ Sion, ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, & sedens super asinum*, sumptum est ex Zachariæ *cap.* 9. & Isaiæ *cap.* 26. vnus tamen in singulari numero testis producitur à Matthæo. *Vt adimpleretur*, inquit, *quod dictum est per Prophetam, dicentem*, &c. Est alius locus huic nostro quàm simillimus apud Matthæum *cap.* 27. nam cùm ex duobus locis vnum coaluisset testimonium, ex Zachariæ nempe *cap.* 11. de triginta argenteis, & ex Ieremiæ *cap.* 32. de agro figuli; vnius tamen Ieremiæ nomen Matthæus adhibuit. *Tunc impletum est, quod dictum est per Ieremiam Prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiauerunt à filiis Israel, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus*. Sic ergo nunc apud Marcum vnus citatur Isaias; cùm tamen totum illud testimonium ab illo non sit. His iam præmissis, commentationem aggrediar.

Regula. *Cū conflatū est à duobus diuersis authoribus vnum testimoniū, vnus tantùm interdum nominatur author.*

14. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.*] De sacerdotibus agit testamenti noui, quorum vita, & institutum longè erunt ab antiquæ legis sacerdotum vita, institutóque diuersa. Et primum illius temporis nuncium, & quasi matutinæ lucis proximum, & illustre signum præmittit, qui solem antecedat, & dormientes animos ad cælestem illius splendorem excipiendum exsuscitet. De Angelo multa ab antiquis excogitata. Hebræi, vt docet hîc Hieronymus, Eliam esse putauerunt, qui ad posteriorem Christi aduentum iudicem antecedet. Eusebius *lib.* 1. *Demonstr. Euang. cap.* 38. Christum esse putat. Sed Christus omnem abstulit dubitandi causam, cùm illum Ioannem esse verbis expressit apertissimis, *Matth. cap.* 11. *Marci* 1. *Lucæ* 7.

15. Neque nomen Angeli quicquam incommodat, cùm nuncium significet, cuius partes Ioannes fideliter impleuit. Qui si Angelus natura nō fuit, fuit tamen officio, & aliquid habuit supra naturam angelicam eximium. Vt enim ait author Imperfecti hom. 27. in Matthæum, *Angelus hoc ipsum quod Angelus est, non tantum est virtutis præmium, quantum naturæ proprietas. Ioannes autem mirabilis est, qui humana natura angelicam sanctitatem transgressus est, & obtinuit, quod non habuit natura per gratiam Dei*. Vide in hanc sententiam plura apud Chrysost. *hom.* 32. *in Acta*, in doctrina morali. *Ante faciem meam* idem est quod *ante me*; per faciem enim persona circumscribitur, vt alibi à nobis dictum est; & Christus ipse docuit, dum reddidit, pro *ante faciem tuam, ante te*.

Ioannes cur dictus Angelus.

Et statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis.] Postquam Ioannes viam Christo parauerit, illumque supra hominem esse, & Messiam iam olim Genti Israelitidi promissum illustri testimonio docuerit; veniet Christus, & in templum, quod sacerdotum, & popularium scelerati mores contaminarant, ingredietur; in templum, inquam, suum, propriúmque domicilium. Ex quo meritò nonnulli colligunt Christum esse Deum; quia non nisi Deo consecratur templum, quod domus millies nominatur Dei. Agit autem Dominus, vt apparet, non de ingressu illo, quo Christus templum iniit quadragesimo ab ortu die, quando illum mater in die Purificationis induxit; aut cùm duodecim esset annorum, quando inter doctores legis, quasi vnus ex illorum numero consedit. Quia neque tunc ingressus est templum, quasi diuinam haberet potestatem; & vitam malè constitutam maiori quadam authoritate, & doctoris libertate corrigeret, quod fecit sæpè postea; neque Ioannis antecesserant præconia de Christo, neque illius prædicatio viam expedierat, post quam præparationem Christus dicitur ingressurus esse templum. Quod autem postea sæpè doctrinæ gratia Christus templum inierit, docuimus ad illud Aggæi 2. *Magna erit gloria domus illius nouissimæ, plusquam primæ*. 16.

Sunt qui templum hoc B. Virginis vterum esse putent, aut carnem, quam in eo cælesti templo purissimam induit. Ita August. *lib.* 18. *de Ciuit. cap.* 35. vbi hunc tractans Malachiæ locum, ait: *Subitò veniet in templum suum Dominus, id est, in carnem suam; de qua dicit in Euangelio: Soluite templum hoc, & in triduo resuscitabo illud*. Idem probat Cyrillus, & Theodoretus. Sed quominùs hæc sententia placeat, facit, quòd ingressurus Christus dicitur templum, cùm præcursor Ioannes viam præparauerit: at cùm Ioannes parare cœpit sub annum Christi trigesimum, iam dudum Christus in virgineo templo carnem induerat. Quare placet quod plures alij sentiunt sermonem esse de materiali templo, quod paulo antè fuerat à Zorobabele constructum. Ita putat Hieronymus; nam quod priùs in templo Ecclesiam à Christo fundatam, aut quamlibet fidelem animam videtur intelligere, ex aliorum locutus est sententia, non sua. Hieronymo subscribunt Lyra, Dionysius, Hugo, Albertus; licèt horum aliqui in alias etiam sententias inclinent. Quòd dominator ille fuerit Messias, quem expectabant omnes, & communibus aduocabant votis, nemo fermè negat; neque ex Iudæis, qui tamen adeò sunt cæci, vt sperent adhuc Messiam, cùm templum non habeant, in quod iuxta Malachiæ vaticinium ingressurus sit. 17.

Maria Christi templum.

Et

18. *Et Angelus testamenti.*] Vt Christus Apostolus dicitur, & Pontifex, vt ait Paulus *ad Heb. cap. 3.* sic etiam modò dicitur Angelus; quia ille missus est, vt testamentum, & fœdus à Deo antè cum populo percussum, id est, promissa à Deo facta populo fideliter impleret. Sicut etiam Moyses appellari potuit Apostolus, vt putat S. Thomas in locum nuper citatum ex *epist. ad Hebr.* in qua cum Moyse comparatur Christus, & in dato sibi, ac præstito negotio multo ab Apostolo dicitur excellentior. *Considerate*, inquit, *Apostolum, & Pontificem confessionis nostræ Iesum, qui fidelis est ei, qui fecit illum, sicut & Moyses in omni domo eius.* Fuit autem Moyses Apostolus, quia Dei nomine, à quo legatus fuit, eripuit ex Ægyptia seruitute populum, & per illum Deus legem, & testamentum dedit ad montem Sinai, vnde Angelus dici potuit Testamenti veteris. Sic etiam Christus Apostolus dicitur, quia à Deo missus, vt testamentum, id est, pactum cum Israelitico populo percussum impleret; quod idem fermè est atque vt testamentum nouum, & legem institueret euangelicam. De Christo enim, & de spirituali libertate fuerunt præcipuæ promissiones; & eò spectabant antiqua sacrificia, & ceremoniæ, vt Christi venturi, & veræ sanctitatis speciē obtenderent. Cúmque hæc promissio, seu testamentum plurima cōplectatur, tamen hoc loco testamentū de Christo promisso esse intelligendum textus ipse manifestè significat. Qui similis in promissione Moysi futurus dicitur; quia sicut ille antiquæ legis, seu testamenti Angelus, seu minister fuit; quæ lex Euangelij, ac nouæ legis erat obscura quædam vmbra: sic Christus Angelus fuit, & minister pacti iam olim initi cum Iudæorum populo, vt indicat Paulus ad Rom. cap. 15. *Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis* (id est, Gentis Israelitidis) *propter veritatem Dei* (id est, vt Deus se verum, & fidelem in promissis ostendat) *ad confirmandas promissiones Patrum.*

Christus Apostolus, & Pontifex.

Moyses dictus Apostolus.

Christus Angelus.

19. Hæc verò promissio cùm multis aliis locis facta fuerit, illam tamen, quæ cum Christo Moysem comparat, quámque sæpe repeti videmus in Testamento nouo, vt *Ioann. 1. 45. Actor. 3. 22. & 7. 37.* In Deuteronom. legimus cap. 18. v. 18. *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui* (id est, Moysi) *& ponam verba mea in ore eius, loquetúrque ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam.* Ex his constat, quomodo Christus vocari possit Apostolus, seu Angelus testamenti; quia pactum impleuit, seu promissiones, quas à Deo populus acceperat Israeliticus; & Dei nomine testamentum quoque nouum instituit. Quòd Angelus idem interdum sit, quod legatus, qui alterius nomine possit & pactiones inire, & de rebus statuere, docent duo illi legati, qui ab Ezechia missi fuerunt ad legatos Senacherib, vt cum illis fœdus inirent pacis. De quibus Isai. cap. 33. v. 7. *Angeli pacis amarè flebunt.* Et Christus aliis in locis Angelus vocatur. Isai. cap. 9. v. 6. vbi vulgatus de Christo *consiliarius*, Septuaginta legunt, *Magni consilij Angelus.*

20. Vers. 2. *Ecce venit, dicit Dominus exercituum; & quis poterit cogitare diem aduentus eius? & quis stabit ad videndum eum?*] De Christo sermo est, de quo proximè, & de illius aduentu priori, quia aliter non diceretur venisse, vt purgaret filios Leui, vt offerant deinceps sacrificium iustitiæ. Secundus enim aduentus aliud spectat, neque post illum erunt à Leuitis iam purgatis ea sacrificia, quæ Propheta commendat. Illum porrò diem, seu tempus, id est, illa, quæ eo tempore à Christo fient, cogitare nemo poterit: vsque adeò enim erunt admiranda, vt neque in hominū cogitationem venire posse videantur. Hæc obscura sunt, & variè à variis explicata. Quæ ego in primis accipio de primo Christi in terras aduentu, in quo viuendum est quomodo acciderint illa, quæ dicuntur ab homine sustineri non posse, neque illius cogitatione comprehendi. Sanè plurima fuerunt admiranda, quæ ab illo Angelo testamenti patrata sunt. Primum ineffabile Incarnationis mysterium, quod neque ab Angelis nisi ex reuelatione cognosci potuit: deinde miracula, qualia nunquam ad illud vsque tempus quisquam audiuit; illa præsertim, quæ in ipsius morte contigere; & plurima, quæ in Ecclesiæ cunabulis admirati sunt ipsi etiam Christiani nominis inimici. Hæc obscura non sunt; neque aliud exigi videtur ad plenam illius clausulæ prioris intelligentiam. Sed est in eo, quod sequitur, aliquid explicatu difficilius; neque enim tam videtur admiratione dignum, quàm aliquid durum, atque horribile portendere.

Et qui stabit ad videndum eum?] Quidam hæc ad Christum non tam cum hominibus conuersantem, & eorum causa laborantem, quàm ad extrema mundi sæcula, & Christum iudicem referri putant; quia aliquid indicant, quæ præ horrore hominum oculi sustinere non possint. Qualis videlicet à Ioanne *Apocal. cap. 1. & cap. 7.* à Daniele visus est, cuius neuter aspectum intueri potuit. Ioannes namque de seipso tradit v. 17. *Cum vidissem eum, cecidi ad pedes eius tanquam mortuus.* Et Daniel v. 15. *Horruit spiritus meus, ego Daniel territus sum in his, & visiones capitis conturbauerunt me.* Alij, licèt hæc de tempore capiant euangelico; & id, quod horribile dicitur, quódque homines sustinere non possunt, non sumunt à Christo; sed à tyrannis, qui Christi nomen insectati sunt, & vt illud extinguerent, nihil non tentarunt immane, & horribile naturæ mortalium. Alij hæc expectanda dicunt à Romanis, qui sic in Iudæorum genus fuere crudeles, vt ciuitatem, templúmque subuerterint, & ferro, ac fame infinitam penè confecerint multitudinem; & ita dissiparint populi reliquias, vt nullibi gentium, neque cum dignitate, neque securi consistant. Cyrillus in priore parte clausulæ Christi maiestatem, & gloriam significari putat, quam nemo cogitare potest; in posteriori illius fortitudinem peccatorum vindicem, quæ graui metu improborum viscera concutiet. Dicit enim *virtutem œconomiæ eius quibusdam non fore despicabilem, neque incredulis tolerabilem.* Quod experti sunt pauperes, & humiles, quos Christus amplexus est humaniter, & ad se mira suauitate pellexit: & superbi, suíque ipsorum amantes Pharisæi, quorum Christus exagitauit mores, & exprobrauit vitam. Illis visus est planè intolerabilis, qui dixerunt Ioan. 6. v. 60. *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Et illis, qui ibid. v. 66. *Abierunt retrò, & non iam cum illo ambulabant.* Sed illis suauis supra quàm credi, aut cogitari posset,

21. *Facies Christi in iudicio horribilis.*

qui dixerunt, *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.*

22. Ego posteriorem hanc partem sic interpretor, vt in Christo singularem agnoscam virtutem ad commouendos animos, siue vitæ cælestis exemplum, siue doctrinæ, sermonisque virtutem consideres. Quod confessi sunt non solùm fideles, & domestici; sed etiam alieni à religione, & fide, Iosephus lib. 18. Ant. cap. 4. *Eodem tempore fuit Iesus vir sapiens, si tamen virum oportet dicere: erat enim mirabilium patrator operum, & doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt. Plurimos quoque tam de Iudæis, quàm de Gentibus sui habuit sectatores*, &c. Eadem propè Abgarus Edesse rex in epistola ad Christum scripta, quam adducit Eusebius *lib. 1. Histor. cap. 3.* Domesticorum testimonia sunt plurima. Illud huc maximè facit, quòd duo discipuli, *Lucæ 24. v. 19.* illum dixere *potentem esse in opere, & sermone coram Deo, & omni populo.* Quod perinde est ac si dixissent: *Et quis stabit ad videndum eum?* id est, cuius erit animus tam præfractus, & ferreus, quem illius exemplum, aut sermo potentissimus non mutet, & frangat. Ita Cyrillus. *Quis adeò*, inquit, *durus, & immitis, vt tempore, & die eius in mundum ingressus subsistere infracto animo queat?* Quòd si textum consulas Hebraicum, non multum de hac cogitatione dubitabis [illegible] *vmi hoamed behe aroibo.* Quod idem valet, ac si dicas: Quis stabit, cùm ipse se ostenderit, aut cùm ipse apparuerit. Septuaginta, *Quis subsistet in visione eius.* Et eodem fermè modo recentiores interpretes.

Exemplum & doctrina Christi ad mutandos animos potentissima.

Externorũ de Christo testimonia.

23. Quare sẽsus erit, quis erit vsque adeò obstinatus, quẽ illius aspectus nõ sternat, & frangat? Quis vsque adeò rebellis, & frigidus, cuius animum ignea vis oculorum non capiat, & inflammet? Neque mihi videtur durum, si illud *eum* actiuè sumas, hoc sensu: Quis stabit ad visionem illius? id est, cùm ipse viderit: quasi vis ad sternendos homines sit in oculis. Et certè in oculis vim esse maximam in vtramque partem, siue ad terrendum, siue ad alliciendum, multa docent tam sacrorum, quàm profanorum scriptorum testimonia, & experientia docet quotidiana. Vide quæ nos diximus in nostris Commentariis ad illud Cant. 6. *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt.*

Aspectus Christi potentissimus.

Oculorum magna vis.

24. *Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonũ.*] Adhuc vaticinium perstat in aduentu Christi primo, in quo sacerdotes elegit, atque ita mundauit, quomodo in fornace purgatur, & splendescit argentum, aut saponaria radice immundæ vestes vindicantur à sordibus. Hoc verò Christi doctrina facit, quæ ad purgandos animos non minùs potens fuit, quàm ignis ad excoquendam scoriam ex argento; neque minores habet ictus ad molliendam, atque frangendam animi duritiem, quàm malleus, qui petras domat, & conterit. De quo Ierem. cap. 23. v. 29. *Nõnne verba mea, quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petras?* Sanè Dei verbum vehementer ignitum vocat Dauid *Psal. 118. v. 4.* & Paulus *ad Heb. 4.* viuum appellat, & efficax, & gladio penetrabilius ancipiti. Hunc ignem Deus misit in terram, neque aliud vult, quàm vt cælesti inflammetur incendio. Lucæ cap. 12. *Ignem veni mittere in terram.* De hoc ignito verbo, quod terram inflammat, & emundat, dixit Ambrosius ser. 18. in illud Psal. 118. *Ignitum eloquium tuum vehementer. Quem ergo Dominus ignem in nouo sparsit Testamento? Qui secretas mentium diuina ardore cognitionis inflammaret affectus: qui vaporem fidei, & deuotionis adoleret, qui cupiditatem virtutis accenderet. Hoc igne calefactus dicit Ieremias: Et erat ignis flammigerans in ossibus meis: hoc sermonum igne calefactum vaporati Cleophas, & ille alius, qui simul cum Domino ab Ierusalem vsque ad castellum confecerunt iter, dicebant: Nõnne cor nostrum ardens erat in nobis, cùm aperiret Scripturas? Ignis ergo hic sermo Christi est, & bonus ignis, qui calefacere nouit, nescit exurere nisi sola peccata. Hoc igne super bonum fundamentum posito, Apostolicum illud aurum probatur. Hoc igne illud meritum, vel operum examinatur argentum. Hoc igne pretiosi illi lapides examinantur; fœnum autem, & stipula consumitur. Mundat ergo hic ignis animum, consumit errorem. Vnde & Dominus ait: Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Postrema hæc verba nostram sententiam planè confirmant, quæ vim purgandi tribuunt Christi sermonibus. Idem penè Cyrillus, qui etiam adducit illud Marci cap. 1. *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne.*

Doctrina Christi vis ignea.

Et quasi herba fullonum.] Ignis argentum liquefacit, ac purgat, vt ex vase immundo, excoctis sordibus, vas confletur aliud purum, & nobile. Herba fullonis maculas è vestimentis eluit, redditque emaculatas & puras. Hac duplici consideratione significat Propheta nihil esse, quod Christi sermone, ac sanguine purificari non possit. Si enim tantùm ab igne sumpsisset comparationem, purificari tantùm significaret, quòd conflatum esset è metallo, aut argilla; nullum tamen vestimentis è lana, aut lino remedium ostendisset; cùm ignis non tam mundet, quàm consumat, & perdat indumenta. Ideo etiam addidit herbam fullonum, quæ vestes sine vlla noxa mundat, & emaculat. Sanè Christi sanguis herba fuit fullonis, quo sanctorum stolæ dealbantur, & nitent. Apoc. 7. *Isti sunt qui lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni.* 25.

Nulla est macula quã Christi sanguis atque doctrina nõ abstergat.

Quam hîc Hieronymus herbam vocat fullonis, Ieremiæ *cap. 2.* retenta Hebraica voce herbam appellat *borith.* Est autem hæc, quam hominum vulgus saponariam dicit. Quam Hieronymus super Ieremiam aut nasci in Palæstinæ humectis, ac virentibus locis, & ad abluendas sordes eandem vim habere, quàm nitrum. Ex hac Hieronymi descriptione mihi valde videtur verisimile herbam fullonis illam esse, quam Hispani vulgò *sosam* appellant. Cuius cineres ad eluendas maculas potentissimi sunt, & ex illis fit sapo, quo fullones ad vestium munditiem plurimùm vtuntur. Hieronymus hîc aliquid adducit ad mores opportunum. *His*, inquit, *qui peccant grauiter, Deus ignis conflans est, atque consumens; qui autem leuia peccata committunt, herba fullonis, vt lotis munditiam restituat.* 26.

Vers. 3. *Et sedebit conflans, & emundans argentum.*] Nota subauditur similitudinis. Quasi dicat, hoc negotium purificandi Leuitas assumet neque perfunctoriè, neque molli brachio; sed longo, & accurato studio, quasi argentarius metalla purificat, & conflat. 27.

Et purgabit filios Leui.] Contra sacerdotes præsertim exarserat hoc illustre vaticinium, in quorum moribus suprà multa reprehendit. Nunc illis alios opponit sacerdotes, quos filios appellat Leui, licèt ex alio genere esse possent, imò & fuerint longè plures. Quia id, quod in aliquo loco, aut ordine proprium, & frequens est, illi plerumque è suo quasi iã cõmune nomen 28.

Leuitæ vocati etiam testamenti noui sacerdotes.

nomen attribuit. Quomodo Phrygij, & Cares dicuntur serui, vndecunque sint, quia ex his regionibus aduehuntur serui. Chaldæi dicuntur Mathematici, Astrologi, Genethliaci; quia istæ artes aut in Chaldæa natæ, aut certè ibi diligenter cultæ. Sic ergo cùm è tribu Leui fuerint Israelitarum sacerdotes, fit, vt quicunque sacerdotes, ex lege etiam noua, in qua sacerdotium cessauit Aaronicum, dicantur filij Leui, seu, quod idem est, Leuitæ. Sic sanè Ecclesia vocat Stephanum, & Laurentium, & in sacerdotum consecratione non semel auditur Leuitarum nomen. Purgabit igitur Christus filios Leui, id est, quos habebit in euangelica lege sacerdotes, cælesti doctrina, euangelicis institutis, & factus ipse forma sacerdotum.

REGVLA. *Loca vbi artes maximè coluntur, nomen artificibus tribuunt.*

29. *Et colabit eos quasi aurum, & quasi argentum.*] Vbi volgatus *colabit*, Hebr. est זקק *zikek*. quod propriè est liquare, ac fundere metalla. Tunc verò cùm aliquid liquescit, priores exuit figuras, & emblemata; & nouas assumit, eas nimirum, quas illud vas formatorium habet, in quod metallum illud liquefactum infunditur. Hispanè *molde* vocatur. Et verò si quis nouæ legis sacerdos verus esse vult, necesse est exuat, quod expressit à vetere Adam; & à secundo, id est, à Christo nouis informetur figuris, & nouum hauriat viuendi modum; qualis decet illum, qui Christum in sacerdotali præcipuè munere repræsentat. Porrò *colare* pro *liquare*, aut *purificare*, verbum est Latinis vsitatum, cùm per linteum densis maculis reticulatum colum aliquid transmittimus, ne quid hæreat in liquore, aut re colliquefacta sordium. Qui dicendi modus exactam indicat purificationem.

Legis nouæ sacerdos Christi figuram gestare debet.

30. *Et erunt Domino offerentes sacrificium in iustitia.*] Sacerdotes ita purificati, vt nihil in se retineant veteris hominis, id meditentur necesse est, quod sanctos decet; & id præcipuè, quod sacerdotum est proprium, vt in re sacrificali nihil admittant, quod fastidiat, aut improbet Deus. Atque ideo curabunt, vt in re tanta nihil audeant non religiosum, nihil meditentur iniustum: sicut fecerunt sacerdotes, quos nuper Dominus tam seuero vaticinio percussit, qui victimas ferebant ad altare, quas repellebat antiqua religio, cæcas, claudas, infirmas. In iustitia offerent sacrificia; quia non recedent in sacrificando ab eo, quod lex, & pietas sacerdoti præfinit; neque committent, vt augustissimum Eucharistiæ sacrificium impuris tractent manibus, & corde polluto.

31. Vers.4. *Et placebit Domino sacrificium Iuda, & Ierusalem.*] Non placuerant antea sacrificia, quæ in Solymitano templo offerebantur, quia multa in illis erant non legitima. At post seueram illam purgationem sacrificia offerentur in Iuda, & Ierusalem, quæ Dominus & admittet gratus & placebit sibi in illis vehementer; quia ibi primum à nouæ legis sacerdotibus augustissimum Eucharistiæ sacramentum oblatum est. Sed non dubito in Ierusalem, & Iuda Ecclesiam intelligi, vbicumque gentium illa fuerit: quia sicut antiquæ legis sacerdotes, nouæ legis ministros adumbrabant, vnde Leuitarum in illis nomen sæpius audimus; sic Ierusalem, & Iuda, vbi sacrificia tantùm ritè peragebantur, symbolum quoddam fuerunt, & typus Ecclesiæ. Alij aliter putant; hæc mihi explicatio magis videtur expedita.

Iuda & Ierusalem Ecclesia typus.

32. *Sicut dies sæculi, & sicut anni antiqui.*] Dies sæculi, & antiqui anni idem significant; neque aliquid aliud, quàm illa sæcula, quæ non longè à mundi constitutione recesserunt, qualia fuere Abel, Noë, Abraham. Et quidem gratissima fuisse Deo illa sacrificia ipsa Scriptura sacra docet. De Abel est illud præclarè Genes. cap.4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* De Noë cap.8. *Obtulit holocausta super altare; odoratúsque est Dominus odorem suauitatis.* De Abraham Genes.22. dixit Deus, *Per memetipsum iuraui, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum*, &c. De sacrificio Melchisedec nemo dubitat, quia illius meminit Dauid *Psal.*109. & Paulus *ad Hebraos cap.*7. & eo maximè nomine gratum fuit, quod typus fuit illius sacrificij, quod vnum in Ecclesia, & augustissimum est. Ita penè Cyrillus.

Grata Deo antiquorũ Patrum sacrificia.

Hæc ego sacrificia, quia maximè nota, atque 33.
illustria fuere, prouerbialem puto apud Hebræos habuisse formam, ita vt cùm aliquod sacrificium, seu oblationem gratam esse Deo cuperent, hoc, aut alio simili modo precarentur: Placeat tibi sicut sacrificium Abel, & Abrahæ, &c. Sic sanè in sacrificio Missæ facit Ecclesia; vbi cùm oblati panis, & calicis meminisset, addit: *Supra quæ propitio, ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere: sicut accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedec, sanctum sacrificium immaculatam hostiam.* Quorum verborum sensum optimè exponit Guilielmus Durandus in Rationali diuin. offic. lib.4. cap.43. *Hoc*, inquit, *aduerbium, sicut, similitudinem innuit, non exprimit quantitatem. Multo enim acceptius est hoc sacrificium Deo, quàm quod obtulit Abel, quod obtulit Abraham, quod obtulit Melchisedec: valet enim amplius res, quàm vmbra; veritas, quàm figura. Ipsam ergo similitudinem magis, quàm quantitatem debemus attendere.*

PROVERB. *Antiqua sacrificia pro gratis.*

Vers.5. *Et accedam ad vos in iudicio, & ero testis* 34.
velox maleficis, & adulteris.] Communior est interpretum sententia ex hoc loco sermonem esse de aduentu Christi secundo ad extremum sæculorum articulum. Ita cum Hieronymo, ac Theodoreto complures alij. Mihi placet, quod visum est Riberæ, & indicat Cyrillus, hîc de neutro Christi aduentu esse vaticinium; sed de iudicio, quod proximè imminebat Hebræorum populo, & maximè sacerdotibus, qui sancta administrauere, & tractauere non sanctè; siue sit ab Antiocho primis Machabæorum temporibus; nam tunc grauia passus est sacerdotalis ordo: siue ante tempus illud paulo post ista Malachiæ verba. Quod nos ideo ignoramus, quia ab hoc tempore ad tempus vsque Machabæorum sacra silet historia. Puto ergo primùm à principio capitis ad hæc verba, in quibus de priori Christi aduentu sermo est, diuersum ab instituto filo interpositum esse vaticinium; atque ideo claudendum esse parenthesi: deinde verò interrupta contexi, & inchoatas minas continuari.

Queri Deus cœperat in fine secundi capitis, 35.
quod sacerdotes, & cum illis alij quidam è populo impiè de Deo, eiúsque prouidentia fuerint locuti. Dixerant enim Deo malos esse gratos, & de illis tantùm esse sollicitum, cùm bonis illos abundare videant. Aut certè in Deo nullum esse iudicium, quo vitium à virtute secernat, & pro illorum discrimine humana commoda dispenset. His Deus illa, quæ nos hîc explicare contendimus, adiungit. Et docet longè aliter sese rem habere, quàm ipsi aut tacitè secum

obmurmurant, aut conuitio publico in suis conuentibus exagitant. Ait enim venturum se quamprimùm, & iudicio seuero, ac iusto in improborum caput animaduersurum; tunc verò cognituros esse, qui de Deo impiè, & liberè loquentur, quàm longè aberrarit à vero illorum blasphema cogitatio.

36. *Et ero testis velox maleficis, & adulteris, & periuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij.*] Non diu differet Dominus iudicium, quod in ipso impius hominum stupor requirebat. Quare velocem ait se futurum esse testem eorum, quæ illi diuinæ intelligentiæ putabant occulta, neque de illis curare Deum. Dicit autem Deus se futurum esse testem breui: non quòd antea non fuerit; nullum est enim temporis momentum, in quo diuinos oculos aliquid lateat, quantocumque hominum artificio celatum: sed iuxta Scripturæ consuetudinem, in qua aliquid tunc fieri dicitur, cùm cognoscitur. Quo sensu dixit Deus ad Abraham Genes. 22. *Nunc cognoui, quòd timeas Deum.* Nunquam Deus illud ignorarat; sed quia timoris, & obseruantiæ illustre tunc signum apparuit, tum dicit se cognouisse. Egimus hac de re pluribus ad illud Isaiæ 49. *In tempore placito exaudiui te.* Cùm ergo tunc homines ex re iudicata, atque damnata cogituri sint nihil occultum esse Deo, futurum se dicit testem: cùm nunquam non fuerit.

REGVLA. *Aliquid tunc fieri dicitur, cùm factum esse cognoscitur.*

37. *Maleficis, & adulteris, &c.*] Quædam sunt flagitia, quæ in publico fieri, pudor ipse, & periculum vetant. Quale est adulterium, & quæcumque veneream olent intemperantiam. Hæc enim neque prostitutæ audent in publico subire: sed omnes submouēt testes venalis pudicitiæ. Id alia de causa faciunt malefici, & magi; tum quia res est turpis, neque benè accipiuntur, qui ex veneficiis, & damnatis actibus quæstum parant; tum quia illis est à lege supplicium capitale propositum, *Exod.* 22. v. 18. Idem dicendum est de periuris, qui rem aut falsam, aut dubiam iuramento confirmant; qui quidem nullo modo facerent, si res esset aperta; ideo namque Deus testis adducitur, quia ille arcana cognouit omnia.

38. *Et qui calumniantur mercedem mercenarij, & humiliant viduas, &c.*] Occulta Deus peccata numerarat, quorum se testem futurum profitetur, quo se ab illa calumnia vendicet, qua non videre, aut nō curare, quid rerum in occulto fieret, putabatur. Nunc ad alteram calumniæ partem respōdet. Dicebant enim homines, quibuscum Dominus seueriùs loquitur, Deo placere iniustos, quos bonis omnibus abundè cumulabat; iustos verò grauibus quotidie incommodis affligi, & superbæ, atque tyrannicæ improborum potestati succumbere. Nunc ergo ait horum neminem, qui tenuiorum fortunas aut aperta vi, aut fraudulento, callidóque consilio prædati sunt, habiturum esse facinus impunitum. In viduis autem, pupillis, & peregrinis, omnium miserorum genus, & ordinem intelligi res est nota; quia hi spoliari solent frequentiùs, & aliis lacerari modis; qui repugnare, aut contradicere neque audent, neque possunt. Simile aliquid sub hæc fermè tempora dictum est à Zacharia *cap.* 5. in illa visione voluminis volantis, vbi grauia denunciantur mala periuris, & furibus. Quare dubitare nefas hæc accidisse non longè post hæc tempora; licèt de his in Scriptura sacra nihil habeamus: quia, vt dixi, ad tempus vsque Machabæorum sacri silent annales.

39. Vers. 6. *Ego enim Dominus, & non mutor: & vos filij*

A *Iacob non estis consumpti.*] Iudæorum magistri sic exponunt hunc locum, vt suæ gentis honori non inuideant; imò ament valde, & ad illum inuita verba, & reluctantia detorqueant. Dicunt enim nil aliud sibi velle diuina hæc verba, quàm nunquam extinguendum Iudæorum genus. Quasi dicat Deus se eundem habere animum, quem sēper habuit conseruandi populum. Alij obstinationem Iudæorum significari credūt, quorum ingenium sic videtur obfirmatum in malo, vt ab illo abduci non possit; quod in Angelorum natura agnoscunt Theologi. Tunc verò Deus induci existimatur, qui dicat se non mutari in eo, quod decreuit semel; nempe vt peccatum oderit, & puniat; sanctitatem amet, & muneret: & Iudæos, licèt in materia non bona, habuisse ingenium diuino simile, nempe vt non mutentur, quia à vitiis, quæ semel amplexi sunt, nunquam abducuntur. Quasi gloriæ sibi ducant in eo, quod semel apprehenderunt, hærere pertinaciter. De quo plurima à Prophetis audierunt Iudæi. Quale est illud Ierem. 2. v. 30. *Frustrà percussi filios vestros, disciplinam non receperunt.* & cap. 13. v. 23. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos potestis benefacere, cùm didiceritis malè.* Ita ferè Rupertus.

Iudæorum obstinatus animus in malo.

B

Mihi maximè omnium probatur Cyrilli sententia, qui negari hîc dicit à Deo id, quod alij aut suspicabantur, aut dicebant, Deum videlicet esse mutatum: nam cùm priùs amaret, & ornaret bonos, & malos afficeret suppliciis tanquam odiosos, & inuisos sibi; nunc tam en ingenio, atque consilio mutato, malorum tuetur causam, & consiliis fauet, neque quid boni improborum calumniis patiantur, quicquam habet pensi. His ergo Deus hunc in modum respondet. (verbis vtor Cyrilli) *Quando in iudicium vocari videritis veneficas, &c. Tum rebus ipsis cognosceris, quia ego sum Dominus Deus vester, & olim, & nunc bonus simul, & bonorum, ac virtutis amans: nescio enim mutationem, aut vicissitudinem. Ego enim semper, & citra mutabilitatem sum id, quod sum.* Quod etiam Riberæ placet; qui etiam addit ad Cyrilli verba, si Iudæi consumpti non sunt, cùm iam pridem parentum scelera non horruerint, & illa quasi legitima, & hæreditaria possideant, non tamen ideo futuros immunes à supplicio: differtur enim pœna, non aufertur. 40.

C

D

Ego iampridem hunc Malachiæ locum sic interpretabar. Quasi Deus secum admiraretur, quod cùm non mutetur, sed eodem afficiatur modo nunc in peccatores, quo superioribus antè sæculis, tamdiu sustinuerit rebellem illum populum, & in peccatis obstinatò hærentem; neque illum percusserit hostili manu, neque peste, ac ferro; aut aliqua communi vastitate consumpserit. Vix dum peccauit pater humani generis Adam, cùm illum, & filios ab eo propagatos & afflixit penè continentibus malis, & ineluctabili mortis necessitati subiecit. Notum est, quomodo apostatas Angelos, quomodo Noë tempore vniuersum hominum genus, quomodo Sodomæos, & Ægyptios, & alios populos sæpe aut morte, aut grauiori etiam supplicio mulctauerit. Neque pauca in eodem Iudæorum populo suppetunt exempla. Tunc autem ad illud, *non estis consumpti*, notam interrogationis adhibeo, in hunc sensum: Cùm ego eodem sim in peccatores animo, quo superioribus antè sæculis, quomodo tamdiu sustineo sceleratum hunc populum, neque omninò consumo 41.

Admirabilis Dei patientia.

E

consumo; cùm tot extent in alios offensionis meæ, atque seueritatis aperta documenta? Hoc mihi placebat olim; neque nunc displicet. Quòd autem populus ille consumptus non fuerit, non ideo est, quia illorum peccata non mereantur, & assiduis clamoribus diuinum in se furorem non sollicitent; sed quia Deus prouocatam iram naturali sibi clementia temperauit. Quod agnouit, & prædicauit Ieremias, qui cùm contribulium suorum mores omnium vitiorū turpitudine corruptos expenderet, dixit Thren.1. cap.3. *Misericordia Domini, quia non sumus consumpti.*

42. Vers.7. *A diebus enim patrum vestrorum recessistis à legitimis meis, & non custodistis.*] Hinc excitata est illa admiratio, quam suprà significari dicebamus in Deo, qui more locutus humano, vt aliis in locis frequenter, mirari videbatur, quòd tamdiu tantam scelerū̀m colluuionem impunitam reliquerit. Ait enim filios paternos hæsisse vestigiis; & quæ in illis lex, & recta ratio damnabat, coluisse pro legibus; atque adeò nullum tempus fuisse vacuum à flagitiis, cùm à parentibus filij flagitiosos expresserint mores, & ab illis iterum nepotes, & nati natorum, & qui ab illis per multa sæcula propagati sunt. Hæc verò sæpissimè obiiciuntur Iudæis, in extremis etiam Iudaicæ reipublicæ temporibus. Sic Christus Matth. cap.20. *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulcra Prophetarum*, &c. *Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filij estis eorum, qui Prophetas occiderunt. Et vos implete mensuram patrum vestrorum.* Et Stephanus Actor. cap.7. *Dura ceruice, & incircumcisis cordibus, & auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis, sicut patres vestri, & vos.*

Iudæorum à sæculo profligati mores.

43. *Reuertimini ad me, & reuertar ad vos, dicit Dominus.*] Illa eadem clementia, quæ tamdiu pertulit Iudæorum peccata, & intentam ad plagam dexteram cohibuit; illa eadem nunc eosdem ad veniam, & pœnitentiam inuitat. Iubet, & hortatur, vt superiorem viuendi formam detestati, ad se per vitæ nouitatem reuertantur. Tum etiam promittit se in illos, à quibus animo, atque studio recesserat, talem habiturum animum, talem beneuolentiam, qualem antè, cùm melior esset Iudæorum status, habuisset. Similia verba habet Zacharias cap. 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Vbi nos aliqua diximus, quæ ad hunc locum maximè faciunt. Quo videlicet sensu peccatoris videatur præcedere conuersio.

44. Nunc explorandum est & quid Deus exigat à populo, quem ad pœnitentiam inuitat, & quid illi polliceatur conuerso. De priori quæstione nihil est dubium, cùm res ipsa doceat conuersionem futuram à peccato, cùm illa Deus exigat, quæ omitti sine peccato non possunt, de quibus statim. Recesserant à Deo Solymitani ciues, & sacerdotes, cùm illa tantùm curarent, quæ ad priuatos pertinerent vsus; de cultu verò Dei aut curam abiecerant, aut negligenter curabant. Quare pingues sibi reseruabant victimas; cæcas, claudas, & extrema confectas macie ad aras adducebant. Et cùm primitias, ac decimas omitterent, quibus sacerdotes, & qui sacra in templo ministeria obeunt, de more vescuntur, fiebat quoque, vt sacer in templo cultus aut omitteretur, aut frigeret. Cùm qui essent ex genere Leuitico, aliunde cogerentur parare sibi victum, & à templi, altarísque ministerio recedere: hinc Deus Iudæorum agris sterilitatem, gregibus maciem, & luem inuexit; vt qui diuina neglexissent obsequia, humana paterentur incommoda. De hac fame, & angustia rerum inopia habemus apud Esdram *lib. 2. cap. 5.* quæ eò adduxerunt homines, vt ad paranda vitæ necessaria subsidia filios suos in seruos, & filias in ancillas externis dominis vendere cogitarint; & in eandem seruitutem rursus compingere, ex qua proximè difficulter emerserant.

Ex negatis decimis orta fames.

His positis, non est difficile statuere, quid Deus exigat ab ingrato, & infideli populo, nempe vt reuertatur ad ea peragenda legitima, quæ lex, & pietas iubent; victimas offerant electas, non neglectas à gregibus. Quid verò promittat, meo iudicio, non admodum obscurum est. Vt enim Deus hanc pietatem, & obsequium ex animo puro promptum, & fidele spiritualibus donis, quæ à gratia nascuntur, & illam perpetuò comitantur, cumulatè compenset, quæ Deus ex animo conuersis nunquam negat; tamen hic, vt verba ipsa non obscurè sonant, aliquod promittit humanum, & temporale commodum: illud nempe, quo ipsi proximè caruerant; quando ad impium consilium, & plenum desperationis adigebantur: dicebántque Esdræ lib.2. cap.5. v.2. *Filij nostri, & filiæ nostræ multæ sunt nimis: accipiamus pro pretio eorum frumentum, & comedamus, & bibamus.* 45.

Quòd verò conuersis animis, & per pœnitentiam conciliatis, & his, qui Deo prompto seruiunt animo, & studio fideli, Deus promittat humana commoda, mille docent Scripturæ sacræ loca, quæ hìc referre nimis esset longum. Sanè Abrahamo pro obedientia eximia temporalia bona promissa sunt. lege *Leuit cap.26. & Deut.cap.* 28. & disces, qualia virtuti promittantur, quæ in bonis numerantur humanis. 46.

Et dixistis, in quo reuertemur?] Nimiùm sibi in sua religione placebant Iudæi, qui non putabant aliquem in locum se declinasse, à quo esset reprimendus gradus, & reuocandus ad Deum. Quare, vt suprà rogarant cap.1. v.17. *In quo despeximus nomen tuum?* & statim, *In quo polluimus te?* quasi nullius culpæ conscium haberent animum: hic modò, quasi neque digitum, à viis recessissent Domini, rogant, *in quo reuertemur?* ac si dicant, quánam in re à nobis peccatum est. 47.

Vers.8. *Si affliget homo Deum, quia vos configitis me.*] Verbum, *affligo*, obscurum reddit, & difficilem locum. Hebr. est קבע *kabah.* quæ vox multa significat, nempe rapere, fraudare; vt etiam in Commentariis non improbat Hieronymus. & ita vertunt interpretes alij tam noui, quàm antiqui. Noui quidem: *nunquid rapiet homo Deum*, id est, quæ Dei sunt. Ita Pagninus, & Vatablus. Antiqui, vt Aquila, Theodotion, Symmachus (vt notat hìc Hieronymus) ἀποστερήσει reddiderunt, id est, *fraudabit.* Septuaginta videntur permutatis literis, pro קבע l *gisse* עקב & ita conuerterunt εἰ πτερνιεῖ id est, *si supplantabit.* Hieronymus *affliget* priori loco, posteriori *configit* legit. Rationémque reddit, quia id valet apud Chaldæos, & Syros vox קבע, & ita se olim vertisse dicit, magis ad mysterium Dominicæ passionis, in qua homines crucifixerunt Deum, quàm ad primitias, & decimas scripta referentem. Porrò fraudari se Dominus ait, aut à se rapi decimas; quia illis sacerdotes, & Leuitæ priuantur, quibus illas à populo præberi voluit. Quia qui templum, résque sacras curabant, sacra deseruerunt, & templum, vt sibi, ac suis de victu prouiderent. *Si enim*, inquit Hieronymus, *per alios visitatur in carcere, & ægrotus suscipitur, & esuriens, sitiénsque cibum accipit, atque* 48.

Sacerdotes decimis defraudari ginaiter fert Deus.

potatur; cur non in ministris suis ipse decimas accipiat, & si non dentur, parte sua ipse priuetur?

49. Hic nobis duo obseruanda. Primum, vsitatum esse in sacra, atque profana literatura, vt possessor sumatur pro re possessa. Quare est illud Virgilij lib.2. Æneid. *Iam proximus ardet Vcalegon.* Hinc familiare est *deuorare hominem*, pro illius opes consumere, *gustare de sene.* Quare rapere Deum, seu defraudare, aut configere Deum, nihil est aliud, quàm bona Dei rapere, aut illa callidè vendicare pro suis, quæ ad Deum pertinebant.

REGVLA. *Possessor pro re possessa.*

50. Deinde *configere*, seu *affigere*, idem interdum esse, quod affligere, seu cruciare, inde fortasse sumptum, quòd qui in crucem aguntur, configuntur clauis: crucem verò pro graui, atque ignominioso supplicio, familiari, & quasi prouerbiali phrasi sumi nemo nescit. Quare *configere* sæpe in Scriptura pro affligere, seu cruciare ponitur. Sic ego interpretor illud Zachar.13. *Et configent eum pater eius, & mater.* Neque enim verisimile est à parentibus filium agendum in crucem, neque tantum lex iuris esse voluit parentibus in filios. Et *Prouerb.* 22. configo sine dubio cruciatum indicat, non crucem, cui capitalis sceleris reus affigitur. *Non conteras egenum in porta, quia iudicabit Dominus causam eius, & configet eos, qui confixerunt animam eius.* Et *Nahum cap.3.* confixionem cum compedibus iunxit. *Omnes*, inquit, *optimates eius confixi sunt in compedibus*, id est, afflicti, & durè atque tyrannicè vexati.

Affigo, seu configo idē quod affligo, & crucio.

51. Exprobrat igitur Deus Iudæis, quòd ab illis fuerit confixus, id est, grauem molestiam passus, & illorum scelus aliarum gentium exemplis amplificat, quarum nulla fuit, quæ Deos suos tam sit inuerecundè prosecuta, tam ignominiosè tractauerit. Et quidem de Gentibus, quæ vicinos Iudææ fines incolebant, hoc certum puto; neque de alijs credo nunc loqui Deum: quid enim impietatis argueret Iudæos, illarum Gentium productis exemplis, quas ipsi neque vidissent vnquam, neque de illarum religione quicquam accepissent? Simili argumento vsus est Deus contra eundem populum Isai. 1. *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui; Israel autem me non cognouit.* Et *Ierem. cap.*8. milui, ciconiæ, & hirundinis exemplo, populi sui vecordiam reprehendit; & *cap.*35. ad illorum inobedientiam coarguendam Rechabitarum exemplum adducit.

52. *In decimis, & in primitiis.*] Aut negabant decimas, & primitias; aut magnam ex illis partem defraudabant: ita vt neque ad templi sumptus necessaria suppeterent, neque sacerdotes inde satis haberent alimenti. De primitiis, & decimis disputant alij; mihi agendi pluribus otium non est. Vide Augustinum *ser.* 1. *de decimis*, & alios, qui ea de re tractatus integros edidere.

53. Vers.9. *Et in penuria vos maledicti estis, & me vos configitis gens tota.*] In penuria maledici nihil est aliud, quàm egestate premi; quod sub hæc ipsa tempora passi fuere Iudæi, quia Deum in decimis confixerunt, id est, quia negatis, aut defraudatis decimis, molestiam illi grauem attulerunt. Neque vnus fuit, qui Deo fraudatis, aut diminutis decimis illuserit: sed gens tota, secuta credo potentiorum, & principum exempla, quæ ignobiliori turbæ pro legibus sunt, certè faciunt, vt aliorum peccata minus videantur habere turpitudinis. Ex quo omnes hominum ordines negatis terræ prouentibus, inopia, faméque laborant. Illud &, non tam coniungit extrema, quàm rationem reddit, cur Iudæis tam angusta sint omnia: nempe quia iustus Deus paria reddit hominibus. Vt enim illa Deo, quæ ipsius sunt, negant: sic Deus, quæ ad humanos pertinent vsus, aut negat omninò, aut parca, atque contracta suppeditat manu.

Vers. 10. *Inferte omnem decimam in horreum meum, & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit Dominus.*] Ostendit Deus, vnde Iudæorum agris prouenerit tam grauis, & diuturna calamitas: quia sublatis decimis, vacuum erat horreum domus Domini, & genus omne Leuiticum cogebatur cibum foris emendicare. Iubet autem certum aliquod illius rei experimentum capi: illud autem erit non obscurum, si contra quàm fecerunt hactenus, omnem decimam, quæ debetur ex lege, in templi horreum, id est, ad ministrorum alimentum, & sumptus, sine vlla fraude, & detractione conferant. Quòd si tunc status mutetur, & inopiæ, & fami saturitas, & rerum omnium abundantia succedat, nemo prudenter dubitare poterit, superiorem famem ex eo prouenisse, quod quæ Dei sunt, & templi, ad suos vsus quilibet iniustè conuerterit. An verò fuerit in templo Zorobabele constructo sacrum aliquod horreum, vbi frumentum, aut alij terræ prouentus recondantur, incertum est. Certè in vtriusque templi descriptione fuisse horreum aliquod, non inuenio: neque videtur necessarium, cùm extra templum, quæ templo sunt destinata, commodè custodiri potuerint. 54.

Decimarum commendatio.

Ex decimarū fraudatione sterilitas, & fames.

Si non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem vsque ad abundantiam.] Hi dicendi modi copiosum indicant imbrem, à quo ager antea macer, & sterilis irrigetur: & eam rerum abundantiam, qua nihil possit sperari felicius. Res est non obscura; aliquid tamen hîc peculiariter obseruandum. Primum, quid sit cataracta, seu cataractes; quod vbi ostenderimus, constabit, quanta hoc dicendi genere significetur rerum affluentia. Cataracta, seu, vt alij legunt, catarrhacta à verbo græco καταράττω, seu καταῤῥήγνυμι deducitur, quod est cum impetu decido, aut erumpo. Quare cataracta erit aqua vehemens, quæ cum fragore atque impetu ex præcipiti loco, aut etiam ex plano, coangustato tamen exitu prorumpit; vt si rumpatur agger, & compressus fluuius, qua data porta ruat, & latè se cum impetu diffundat. Hinc cæli cataractæ dicuntur apertæ, quia ea copia, atque impetu è cælo præcipitantur aquæ, vt videantur in nubibus apertæ fenestræ, per quas in terras fluuius, qui in sinu cohiberetur nubium, præceps erumperet. Vbi autem vulgatus Genes.7. *cataractas*, Hebr. est ארבות *aruboth*, quæ vox etiam fenestras, aut hiatum significat, per quæ vis aquarum magna præceps erumpit. Licèt autem apertus locus cataracta dicatur, non id propriè, sed figuratè dicitur, ea figura, qua continens locus pro re contenta sumitur. Quomodo *lib.* 4. *Regum cap.* 6. dixit quidam, *Si Dominus fecerit cataractas in cælo.* Et locus, vbi non tam fluunt, quàm præcipitantur aquæ Nili, cataractes dicitur, Plinius *lib.* 5. *cap.* 9. Et quidem si vim nominis expendas; non tam aperto loco, quàm erumpenti aquæ conuenire potest: quis enim defluxus, aut fragor in loco, qui stabilis est; at in aquis erumpentibus, & decurren 55.

Cataracta quid.

currentibus, maximus. Ex hac verbi proprietate cataractæ vocantur portæ plerumque ferreæ, quæ funibus, seu catenis pendulæ, cum impetu, & stridore demissæ aditum hostibus ad vrbes occludunt.

56. *Abundantia promissa his, qui decimas soluunt.*

Abundantia hoc loco idem valet, quod exuberantia, aut redundantia, ita vt capiendis terræ prouentibus nulla vinaria, aut olearia vasa, nulla sufficiant horrea, nullæ cellæ. Quod Deus antè clariùs promiserat Leuit.26. v. 10. *Comedetis vetustissima veterum, & vetera nouis superuenientibus proiicietis.*

57. *Negatio sæpe repetita.*

Obseruandum ad extremum iterandam esse negationem ante *effudero*; quod esse in Scriptura frequentissimum diximus in nostris Commentariis in Isaiam ad illud cap. 53. *Et non erat aspectus, & desiderauimus eum.* Aliquot nos ibi exempla produximus. Tu plura inuenies apud Pagninum *lib. 4. Instit. cap. 14.* Quare sensus erit, *Si non aperuero vobis cataractas cæli, & si non effudero,* &c. Hic aliquid subaudiendum, sicut alibi sæpe, vbi hæc iurisiurandi forma reperitur: nempe vanus existimer, infidelis, & cui deinde haberi fides non debeat.

58. Vers. 11. *Et increpabo pro vobis deuorantem, & non corrumpet fructum terræ vestræ.*] Duobus modis plerumque contingit, vt spes, & labor agricolarum pereat; aut quia pluuia non adfuit opportuna; aut quia cùm iam se fructus vber ostendisset, hostis irrupit importunus, qui segetes aut conculcaret, & sterneret, aut incendio vastaret; aut certè animalcula ingruerent arboribus ac frugibus infesta, qualia sunt locustæ, bruchi, aut ventus vrens, aut vis aliqua alia arridentibus iam terræ prouentibus pestilens, & noxia. Quod ad pluuiam attinet, iam Deus illam abundè promiserat; quod verò ad vim hostilem, pestésque alias, quæ deuorant, atque corrumpunt terræ fructus, nunc Deus asserit arcendas esse ab agris, ne quid spem, & operam agricolarum eludat. Cætera commentatione non egent.

59. Vers. 12. *Eritis vos terra desiderabilis.*] Paulo antè diximus possessorem in omni literatura pro re possessa sumi, id credo nunc fecisse Prophetam: quare sensus est facilis, talem nimirum fore regionem illam, postquam in illam Deus oculos intenderit pacatos, & hilares, vt omnes putent secum actum esse feliciter, si in illa aliquando habitare contingat. Cyrillus hîc supplere videtur similitudinis notam, in hunc sensum: Eritis sicut terra desiderabilis, quæ fœcundam habet glebam, eámque irriguam, in qua omnium plantarum visitur, & fructuum vbertas, & florum, foliorúmque luxuries. Quam explicationem probat Ribera.

60. Ex his constat, quàm Deus velit sua sibi debita restitui, primitias videlicet, & decimas; quando desertam in eo officio religionem tam seuerè punit; seruatam tanta bonorum abundantia compensat. Promisit hoc idem Prouerb.cap.3. v. 10. *Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis frugum tuarum da ei: & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt.* Idem iterum *Ezech.35. à versu 10.*

61. Vers. 13. *Inualuerunt super me verba vestra, dicit Dominus.*] Quid hæc verba significent, obscurum non est; ostendunt enim sæpe & cum clamoribus obstrepuisse Iudæos, Prophetarum, ac Domini verbis; & aliquid oraculis opposuisse diuinis, quo plures à religione, & legibus auerterent, quàm quos à Domino legati Prophetæ ad debitum, & religiosum officium conuertissent. Inualescere multiplicatum, & contentiosum sermoné indicat, qui plerumque est à tumultuante, & concitata plebe, quæ non tam ratione, quàm furore ac seditione regitur. Septuaginta verbum Hebr. חזקו *chazecu.* pro quo vulgatus *inualuerunt* reddidere ἐβαρύνατε ἐπ' ἐμέ. id est, *ingrauabatis super me,* nempe verba vestra, id est, dixistis, quæ mihi grauia fuerunt, & indecora. Hæc mihi certa, illud non ita, quando hæc à Iudæis inclamata, & cur hoc loco à Domino reprehensa, cùm iam iterum hoc ipsum audiissent Iudæi in fine cap.2. *Dicitis, inquit, omnis, qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, & tales ei placent.*

Quidam putant post hanc Dei reprehensionem, & ad extremum liberalem promissionem, si fideliter præstent, quod lex iubet; nihilominus sicut fecere priùs, in Dei nomen sacrilegam exercuisse linguam, & ad antiquam rediisse cantilenam, qua significabant Deum illis impensè fauere, quorum esset vitæ forma deterior. Quod mihi non displicet. Si tamen hæc intelligas non de postrema hac admonitione, sed de aliis similibus, quas priùs Iudæi ab aliis accepere Prophetis, & ab hoc nostro fortasse non semel: tunc autem hanc puto commodam esse sententiam. Licet contra legem iam diu primitias, & decimas templo, mihíque debitas, ad vestros, profanósque vsus conuerteritis; & insuper antea, & hoc etiam tempore nomen meum iniqui iudicij, & nullius, aut inertis prouidentiæ reum accusatis; nihilominus si conuertamini ad me, & quod religio iubet, de primitiis, ac decimis solueritis, ego conuertar ad vos; & talia præstabo, qualia de mea liberalitate interposita iurisiurandi sacramento nuper audistis. Hæc dici videntur satis consequenter. Sed fortasse illud scelus grauissimum ideo post magnum illud beneficium repetitur, vt ipsius beneficij magis amplificetur magnitudo; quod cùm in indignos, & pessimè de nobis meritos confertur, non leui cumulatur incremento. Exemplorum in Scriptura satis. Duo accipe ex *cap.16. Ezech.* vbi Deus sponsam iam instructu ornatam sponsalitio repetere iubet memoriam illius temporis, cùm iacuit fœdata puerperij sanguine; & nisi liberali sponsi manu excitaretur ex illo obscœno volutabro, & mundaretur à sordibus, neque munditiam haberet vllam, neque paratam sibi mortem effugeret. Sic etiam nunc vt ostendat Deus, quàm sit ingens illud beneficium, quod promittit, reuocat in memoriam, quàm illi fuerint indigni, in quos confertur, cùm diuinum nomen toties, támque impiè, atque inuerecundè conciderint. 62.

Post beneficium grauissimum peccatum.

Sed quæret aliquis, quomodo, cùm tot se Iudæi peccatis implicuerint, quot suprà Deus ipse commemorauit, vni tamen decimarum, & primitiarum obseruationi omnium rerum abundantiam promittat, & animum in illos beneuolum ostendat. Cui dubitationi satisfieri video posse dupliciter. Primò, si dicamus nihil hic spirituale promitti, sed tantùm prouentum vberem earum rerum, quas terra germinat, quæ studium hominum in offerendis decimis directè compensant: huic verò officio bonorum omnium abundantia promittitur, vt paulo antè vidimus *Prouerb.3. v.10.* Hæc autem bona viris etiam peccatoribus largitur Deus. Deinde quia vnum præceptum per synecdochem pro omnibus simul vsurpari solet. Quomodo apud Ezechielem *cap. 20.* sabbati obseruatio, & Zachar. *cap. 14.* Taber- 63.

naculo

Præceptum vnum interdum pro omnibus per synecdochen.

nacuiorum festiuitas, pro præceptis omnibus vsurpantur. Quare hoc loco vna decimarum oblatio præceptorum omnium summam amplectitur. Hæc posterior explicatio probabilis; sed placet magis prior.

64. Vers. 14. *Et quod emolumentum, quia custodiuimus præcepta eius, & ambulauimus tristes?*] Hæc secum Iudæi de diuina fide, ac prouidentia querebantur, cùm alienos populos abundare cernerent, quos præ se impuros, & sceleratos indicabant, cùm indulgerent nimium petulanti genio, & festiuos ducerent, & geniales dies; cùm tamen ipsi incederent tristes coram Deo, &, vt ipsi stultè sibi blandiebantur, ab eius voluntate non recederent. *Ambulare tristes*, est habitum assumere pœnitentium; operiri cilicio, & cinere, abstinere à cibo, & denique illam speciem, ac personam assumere, vt quisquis indicaret illos esse in squalore, ac luctu. Talem habitum habuerunt illi, quorum vacuam, & fucatam sanctitatem non probauit Deus, quia procul aberat interna. Isaiæ 58. v. 5. *Nolite ieiunare, sicut vsque ad hanc diem, vt audiatur in excelso clamor vester. Nunquid tale est ieiunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? Nunquid contorquere quasi circulum caput suũ & saccum, & cinerem sternere?* Hæc omnia satis indicant tristem, & lugentem animum. Et sicut *lugere*, & *luctus* ieiunare significant, & ieiunium, vt diximus super Zachariam ad illud cap. 7. v. 3. *Nunquid flendum est mihi?* nil mirum, si tristem ambulare idem esse dicamus quod ieiunare.

Tristitia, & luctus pro ieiunio.

65. Vers. 15. *Ædificati sunt facientes impietatem.*] Ædificare multa significat vt augeri filiis, quia בן *ben*, id est, *filius*, quoddam est parentum beneficium, & opus, à verbo בנה *banah*, quod est *ædifico*. Et hoc sensu explicant hunc locum interpretum multi; quasi Iudæi vicinis populis inuideant, quòd filiis abundent, domúsque suas felici successione nobilitent. Sed placet multo magis, vt *ædificari* hoc loco, sicut & pluribus aliis, sit ornari, nobilitari, & augeri nonsolùm filiis, sed etiam honoribus, opibus, & his, quæ apud homines numerantur in bonis. Sicut & *destruo*, quod illi opponitur, rerum omnium stragem importat, quibus homines fortunati censentur; quomodo si quis orbetur filiis, spolietur bonis, è sublimi decidat, & honesto loco. Sic certè videtur ædificationis nomen explicuisse, & quasi euoluisse Dauid *Psal.* 143. v. 12. cum impiis huiusmodi genus ædificationis attribuit. *Quorum filij sicut nouellæ plantationes in iuuentute sua filiæ eorum compositæ, vt similitudo templi. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud: oues eorum fœtosæ*, &c. Ita sanè hoc loco explicat Hieronymus. *Ædificati*, inquit, *sunt, & post scelera, atque blasphemias prosperis omnibus perfruuntur.*

Ædificari idem quod augeri, & ornari.

66. Eodem modo accipiunt Augustinus, & Theodoretus illud de obstetricibus Exod. cap. 2. *Quia obstetrices timuerunt Deum, ædificauit illis domus.* Theodoretus quidem q. 2. in Exodum. *Hac*, inquit, *de causa Deus obstetrices remunerare volens copiam bonorum eis largitus est.* Augustinus *lib. 2. locutionum in Exod.* hoc idem de obstetricibus tradit, & addit exemplum Iacob, qui post quatuordecim annos seruitutis dixit Laban socero suo. *Nunc ergo quando faciam & ego mihi domum?* (sic legit Augustinus ex Hebræo, vbi vulgatus, *Iustum est, vt aliquando prouideam domui meæ.*) *Dixerat enim quod creuissent multum pecora Laban sub illo. Cùm ergo dicit: Quando faciam & ego mihi domum? subintelligitur, sicut & tu; vt ad ipsam domum faciendam videatur pertinere, quod consequenter à Laban merces ipsi constituenda proponitur.* Et quidem hoc loco melius intelligitur, quomodo de filiis tantùm non videatur accipiendum verbum *ædifico*. Id dolent Iudæi, quòd sibi negetur, quo viri alij impij, & infideles abundant: at sub id tempus Iudæos abundasse filiis, ipsi fatentur Esdræ lib. 2. cap. 5. *Filij nostri, & filiæ nostræ multæ sunt nimis.*

Ædificare domum est bonis augeri.

Vers. 16. *Tunc locuti sunt timentes Deum vnusquisque cum proximo suo.*] Non omnes eodem spiritu, ac modo diuinam promissionem, ac minas acceperunt. Alij quasi ludicrum esset aliquid, & planè nugatorium; atque ideo occinebant illa, quæ proximè audimus, meliorem esse improborum, quàm sanctè, legitiméque viuentium conditionem; Deúmque illorum causam studiosè tueri, horum negligere. Sed fuerunt, quos diuina pupugerunt oracula, & arcana Dei consilia venerati, de diuina prouidentia meliùs, & de salute sua salubriùs cogitarunt, eáque de re seriò egerunt inter se. Quid dixerint, non ostendit Propheta, quia hæc cuilibet cogitanda reliquit. Quid verò cogitarint, ex his, quæ sequuntur, coniectare difficile non est: illud nimirum, quod in casu simili cogitabat Ieremias, cùm in statum impiorum felicem, vt vulgus arbitrabatur, & angustam bonorum fortunam intueretur; nempe varia esse tempora, in quibus mulctari possent improborum flagitia, & benè iustorum facta mercede compensari. Sic autem Ieremias cap. 12. *Quare via impiorum prosperatur, benè est omnibus, qui præuaricantur, & iniquè agunt.* Sed statim v. 3. declarat, quis maneat exitus prosperam illam improborum fortunam. *Congrega eos quasi gregem ad victimam, & sanctifica eos in die occisionis.* Vide quæ nos in hunc Ieremiæ locum. 67.

Ita ex Hebræorum sententia, quam ipse probat, censet Hieronymus. *Illis de Dei iudicio blasphemantibus, qui timent Deum, ad inuicem sunt locuti. Quòd retributio bonorum, vel malorum non sit in præsenti, & breui sæculo, sed in futuro, & æterno: & quòd homo non possit Dei scire iudicia, & de illius æquitate, & iustitia disputare; & cætera, quæ debet iustus cum iusto loqui. Nec dicit, quæ sunt locuti; sed ex eo, quod intulit, tunc locuti sunt timentes Deum quisque cum proximo suo, intelligere debemus ea locutos, quæ omnium Scripturarum vocibus continentur.* Quæ expositio viam aperit ad alia omnia, quæ ad finem vsque prophetiæ videbantur implexa. 68.

Et attendit Dominus, & audiuit, & scriptus est liber monumenti coram eo timentibus Deum, & cogitantibus nomen eius.] Lyra hæc verba illorum esse dicit, qui Deum timent, iquique inter se proximè locuti esse dicuntur. Quasi se eorum opponant orationi impiæ, qui fauere dicebant Deum impiorum causæ, neque curare, quid iusti paterentur ab improbis. Quasi dicant non dormire Deum, aut non negligere quid rerum fiat; sed vigilare, & attendere de cælo, quid boni, ac mali faciant, aut designent, eaque distinctè, claréque in monumentis habere consignata, vt suo tempore, quæ à bonis benè gesta sunt, præmio; & quæ à malis flagitiosè, supplicio compenset. Quare non esse, cur iusti, si se malè nunc vexari videant, abiiciant animos: & improbi præsenti fortuna arroganter exultent: cùm de suis rebus adhuc timeri debeat finale iudicium. Hæc videtur velle Lyræ sententia; neque mihi displicet, quia & verè cogitat, & ad capitis filum accommodatè. Nam Deus attemperatè 69.

ratè ad hanc explicationem approbare videri posſet illa verba, & tempora conſtituere poſt hæc, in quibus de iuſtorum, atque iniuſtorum cauſa ſeuere, & cum æquitate decernat.

70. Sed communiter alij verba putant eſſe Prophetæ, qui dicit attendiſſe Deum, quid viri illi timentes, & ſeuera admonitione perculſi dixerint; quod omiſit Propheta, reliquítque ex aliis ex ipſa rerum natura conſiderandum. Quidquid tamen illud ſit, in librum retuliſſe, qualem homines vigilantes, ac prouidi ſecum habere ſolent memoriæ gratia; vt piam illorum orationem, & obſequendi ſtudium luculenter ornaret. Et hoc potiùs amplector, quia commune eſt, neque quicquam habet ab orationis filo continente diſtortum. Sed addo mihi videri in libro monumenti non tantùm eſſe ſcripta, quæ homines illi Dei timentes dixerint; ſed quid fecerint, cogitarintque, qui benè de Deo, aut impiè loquuntur: vt extremo tempore, atque iudicio, quid cuique pro meritis debeatur, rependat. An verò idem ſit liber, an diuerſus alius, alia quæſtio eſt. Sanè Cyrillus diſtinctum librum eſſe putat, in quo impij, & illorum ſcelerata vita deſcribitur, ab hoc libro monimenti, qui iuſtorum continet verba; qui vocari ſolet liber vitæ. Et adducit illud Pſal. 68. *Deleantur de libro viuentium; & cum iuſtis non ſcribantur.* Et quidem id indicat locus, quem verſamus. Sed ſcribi omnes affirmat idem Dauid Pſal. 138. v. 16. *Et in libro tuo omnes ſcribentur.* Et hoc mihi de hoc libro veriſimilius eſt.

Deus librū habet memorialem, in quo omnium hominum cogitata deſcribit.

71. Liber monimenti eſt, quod aliter memoriale dicitur, aut liber memoriæ; qualem habent diligentes, ac prouidi patresfamilias, qui nihil volunt eſſe non punitum in domo, nihil non muneratum, vt ſpe præmij alios, alios ſupplicij metu in officio contineant. Sic ſanè habuiſſe dicitur Aſſuerus, qui, vt habes *Eſther cap. 6.* annales habuit, in quos rerum geſtarum memoriam conſeruaret. De hoc libro dixit Deus Deut. c. 32. *Nónne hæc condita ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis?* Et Thren. 1. v. 14. *Vigilauit iugum iniquitatum mearum, in manibus eius conuoluta ſunt.* Vide quæ nos ibi.

72. *Timentibus Dominum, & cogitantibus nomen eius.*] Liber ille in fauorem, & gratiam ſcriptus eſt illorum, qui Deum timent, & de illius cultu, atque obſeruantia cogitant, neque hac cura quicquam habent potius, aut antiquius. Eſt enim illis gratum noſſe iuſtis paratum eſſe præmium, licèt nunc ab improbis calcari videantur; neque his, qui alienis opibus, & incommodis triumphant, defuturum eſſe ſuppliciū, quo illorum impunita ſuperbia, & familiaris iniuria aliquando mulctetur. Dicitur autem liber ſcriptus timentibus, quia licèt in eo, vt ſupra putabamus probabile, improborum etiam facta eſſent deſcripta, in timentium conſolationem, & gratiam ſcriptus eſt. Vſus autem hominum obtinuit, vt licet opus aliquod ad multos pertineat, illius tamen eſſe dicatur, cui vſui, aut voluptati fuerit. *Nomen Domini* pro Domino adhiberi in Scriptura frequentiſſime, ſæpiùs à nobis obſeruatum eſt.

Verſ. 17. *Et erunt mihi, ait Dominus exercituum, in* 73.
die, qua ego facio in peculium.] Illos, qui neglecti in præſentia exiſtimantur à Deo, & alieni, quia deſtituti ab illis, quæ vulgo hominum exiſtimantur bona, eo tempore, in quo Deus illa faciet, quæ proximè comminatus fuerat; cùm repellet à ſe fortunatos illos, & infelices hoſce hominum opinione, amplectetur amanter, non aliter atque pater obſequentes filios, eóſque quaſi ſuum ſibi peculium, & hæreditatem aſſumet.

Verſ. 18. *Conuertimini, & videbitis, quid ſit inter* 74.
iuſtum, & iniuſtum.] Dubium eſt, quibuſcum Dominus hoc loco loquatur; cum iuſtíſne, an cum illis, qui cum improbi forent, felices tamen cenſebantur ab imperito vulgo. Hieronymus verba ad improbos refert, qui in Deo æquitatem, & iudicium requirebant. Cuius alij non pauci ſententiam ſequuntur. Rupertus, Remigius, Haymo. Et indicant ſermonem hunc eſſe de impiorum ſera pœnitentia, quibus tunc aperientur oculi, quando nullum pateat malorum effugium. Quod accidit illis, de quibus Sap. cap. 5. *Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis, dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes: Hi ſunt, quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. &c. ergo errauimus à via veritatis.* Tunc verò cognoſcent illi, quid interſit inter iuſtum, & iniuſtum; & eſſe in Deo æquitatem, & iudicium, quibus hunc præmio, illum ſupplicio pro cuiuſque meritis cumulatè proſequitur. Hæc mihi explicatio potior eſt. Neque tamen diſpliceret, ſi quis diceret hæc verba ad homines referri tam timentes Deum, quàm ad peccatores: & conuerſionem non eſſe animorum, aut ſententiæ, ſed fortunæ; quia regnabunt cum Deo, qui in hoc ſæculo videbantur abiecti; & qui affluentes bonis cenſebantur felices, in tenebras æternas detruſi cenſebuntur millies infortunati. Tunc verò quando id in extremo ſæculorum articulo cognouerint, intelligent omnes, quanto iudicari debeat infeliciùs bonis affluere, quibus elatus animus inſoleſcat, quàm vitam in hoc ſæculo inopem, & ærumnoſam agere. Hæc de capite tertio.

IN CAPVT QVARTVM

ARGVMENTVM.

DE extremo iudicij tempore loquitur Propheta, in quo iuſtorum, atque iniuſtorum quantum ſit diſcrimen apparebit. Sic enim iudicium illud vltimum erit horribile, vt non aliter excruciet, atque conficiat impios, quàm accenſa fornax aridam ſtipulam. Tunc qui impiis ignis erit deuorans, iuſtis ſol erit hilaris, & ſplendens, qui claritatem iuſtis, & ſalutem impertiat. Quare hortatur omnes, vt ſi eo tempore ſecum velint agi feliciter, diuinis ſe totos mandatis attemperent. Ac tandem promittit ad tempus illud horribile, & durum, Eliam Theſbitem, qui quod collapſum fuerit ex Iſraelitico genere, reſtituat.

CAPVT

CAPVT IV. PARAPHRASIS.

1. *Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus: & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem, stipula: & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem & germen.* A

1. Audiistis quale de iustorum, iniustorúmque meritis iudicium sit futurum. Nunc illius diei speciem, & horrorem accipite: erit enim sicut accensa fornax, quæ non aliter arrogantes, quíque inter alios dominari videntur, inflammabit, & perdet, quàm magnum incendium stipulas aridas absumit, & deuorat, ita vt illorum nihil incolume supersit; sicut in arbore excisis radicibus omnia prorsus intereunt.

2. *Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius: & egrediemini, & salietis sicut vituli de armento.* B

2. Iustos autem, Deíque timentes longè dissimilis euentus expectat. Iudex enim, qui impiis erit instar ardentis ignis, ille iustis erit instar Solis, qui reuelat omnia, quæ nocturnis celabantur tenebris; & talia faciet apparere, non qualia iudicabant delusi hominum sensus, sed qualia ipsa fuerunt: ita vt reuera possit sol vocari iustitiæ, qui iusta rerum momenta expendat, & aperiat. Et qui iniustis æstum, & mortem attulit, ille in pennis, id est, radiis, timentibus Deum splendorem afferet, lætitiam, & salutem. C Tunc verò iusti ad salutaris huius lucis exortum sic lætabuntur, quomodo vituli, vbi primùm illuxit, ex stabulis egressi, & campum nacti apertum, & vberem, exultant.

3. *Et calcabitis impios, cùm fuerint cinis sub planta pedum vestrorum, in die qua ego facio, dicit Dominus exercituum.*

3. Ea porrò tunc erit peccatorum, ac tam ærumnosa vilitas, vt vestris, ô viri sancti, calcentur pedibus, non aliter quàm si cinis foret ab incendio relictus.

4. *Mementote legis Moysi serui mei, quam mandaui ei in Horeb ad omnem Israel, præcepta, & iudicia.*

4. Quare, ô viri Israelitæ, si durum studetis declinare iudicium, & vitulorum instar exultare, curate ne quam ætatis vestræ partem à legibus, quas Moyses accepit in D monte Sinai, solutam habeatis.

5. *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis.*

5. Sed antequam dies ille horribilis, qui de hominum meritis iudicabit, adueniat, mittam vobis Eliam Thesbitem, qui, quæ ex vestro genere collapsa fuerint, instauret.

6. *Et conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum: ne fortè veniam, & percutiam terram anathemate.*

6. Hic verò Iudæorum corda, qui longè à parentum spiritu, ac fide deerrarunt, ad parentum imitationem, id est, ad meliorem viuẽdi formam adducet. Vnde fiet, vt parentes, qui à filiorum de- E prauatis moribus animos, atque oculos auerterant, ad eosdem iam sibi mites conuertant animos, sicut patres solent ad obsequentes filios. Sic verò fiet Eliæ opera, ne tota Iudæorum terra, quæ ad illud vsque tempus in peccatorum sordibus obstinatò hæret, funditùs intereat.

Digitized by Google

Verſ. 1. *Ecce enim dies veniet ſuccenſa, quaſi caminus.*]

1. APTISSIME hoc cum præcedenti capite componitur. Deſcribitur enim illa dies, qui de iuſtorum, iniuſtorúmque meritis iudicabit, & quid ſit inter vtroſque diſcriminis, oſtendet. Ille verò dies extremus eſt mundi; aut certè qui proximè ſuccedit hominum vitæ; quãdo ſeuera de rebus omnibus exigitur ratio. Sed eſſe de extremo, vniuerſalique iudicio ſermonem multa probant; primum quòd iudicandi dicuntur iuſti, & iniuſti; & ex diſſimili rerum euentu, quid inter hos, & illos interſit, cognoſcendum. Deinde quia aduentus prædicitur Heliæ, qui ad ſingulare, priuatúmque iudicium nullo modo pertinet: dies porrò ille horribilis eſt, vt in Scripturæ ſacræ multis locis audimus. Id verò ſignificat ignis, B qui præterquam quòd reuera iudicem antecedet, metaphoricè tamen furorem omnem, & acerbitatem ſignificat, quia & grauiter cruciat, & conſumit omnia. Notum eſt fornacem accenſam, aut caminum prouerbiali forma pro re ſumi vehementer horribili.

2. *Et erunt omnes ſuperbi, & omnes facientes impietatem, ſtipula; & inflammabit eos dies veniens.*] Nunc ſuperborum, atque impiorum fortuna, exitúſque deſcribitur, quos ignis ille conſumet, & perdet, non aliter atque ſi ſtipula eſſet, aut quæuis alia arida, futiliſque materia, quæ momento temporis in fauillas, aut in aliquid magis exile diſſoluitur. Modus iſte loquendi prouerbialis eſt, quo etiam vſus eſt Abdias v. 18. *Et erit domus Iacob ignis, & domus Ioſeph flamma, & domus Eſau ſtipula.* Dies veniens C dies eſt iudicij. Sumitur autem per metonymiam dies pro eis, quæ in ipſo continentur die; pro igne videlicet, aut cruciatu, qui perſequetur impios, aut pro ſeuero iudicis examine.

PROVER. *Ignis & ſtipula.*

3. *Quæ non relinquet ex eis radicem, & germen.*] Prouerbialis eſt etiam hic dicendi modus, quo ſignificamus extremam, & vniuerſalem ſtragem, aut cladem, ex qua nihil eſt reliquum. Qualia ſunt à profanis illa radicitus, funditus extirpare, aut tollere; quibus ſignificatur & periiſſe rem totam, ita vt inſtaurari nequeat. Quomodo ſi quis domũ à fundamentis excindat, aut plantam à radicibus euellat. Ab arbore hic ſimilitudo ducitur, cui deciſi ſunt rami, & omnis ex illa nitor, & ſpecies excuſſa: & quia ſtirps etiam abſciſſa, & effoſſa radix, nulla ſupereſt ſpes inſtaurandæ ruinæ. D Græci à pinu prouerbium ſumunt, cuius ea eſt natura, vt vbi abſciſſa ſemel fuerit, nunquam ex eius trunco, aut ſtirpe quicquam repullulet. Funditus itaque dicuntur iſti perituri, qui impiam de Deo cogitationem, imò & ſermonem ſuſceperũt.

PROVER. *Radix & germen.*

4. Verſ. 2. *Et orietur vobis timentibus nomen meum ſol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius.*] Audiuimus proximè, qualis ſit futura ſuperborum hominum conditio; nunc verò diſſimilem oſtendit iuſtorum exitum. Cùm enim dies ille horribilis aduenerit, qui finiet, iudicabitque ſæcula, tale ſcelerati iudicium ſubibunt, quale nuper audiuimus: quia iudicem habebunt ſicut ignem inflammantem omnia, à quo ipſi ad imas quaſque ſtirpes & fibras exurentur. E Sed cùm ille idem iudex iuſtus ſicut ſol, purus, & hilaris affulgebit, qui iuſtitiam oſtendat, & exerceat, dum aliis æſtum intolerabilem, & peſtem importet; iuſtis verò ſplendorem, A lætitiam, ſanitatem, quam in pennis, id eſt, radiis manifeſtè circumfert.

Sol iuſtitiæ dicitur Chriſtus, quia quemadmodum nocturnis tenebris ſic celantur quæ in terra ſunt, vt illorum formam, aut naturam aut non agnoſcas, aut non niſi confusè admodum, & obſcurè. Vnde fit, vt arboris truncũ hominem eſſe putes, & myricam inutilem, aut ſylueſtrem oleaſtrũ, oliuam pinguem, aut nobilem plantam, quæ balſamo ſtillat, aut fructum aliquem eximium producit. Quandiu ſol abeſt, & terris nox incubat, nullum æquum, & prudens poteſt de rebus informari iudicium. Quare qui errare nolunt fallaci rerum ſpecie decepti, iudicium ſuſtinent, donec nocturnæ vaneſcant tenebræ, & ſol exoriens rerum naturam, & ſplendorem oſtẽdat. Ad illud vſque tempus, in quo Chriſtus æquum feret, illuſtreque iudicium de hominum meritis, occultíſque conſiliis, omnia ſunt incerta, & obſcura magis, quàm ſi cymeriis forent tenebris offuſa. Quare ſicut in tenebris non facile regem à lictore, ſeu ruſtico diſtinguas, neque à ſicario, ſeu nebulone Pontificem; ſic etiam ante illud tẽpus, neque vera à fictis, neque à ſynceris adulterata ſecernes; ſed quaſi iudex iniuſtus, & cæcus peccata indicabis muneranda mercede, & honeſtè facta punienda ſupplicio. Quare Paulus 1. Cor. 4. v. 5. ait, *Nolite ante tempus iudicare, quoad vſque veniat Dominus, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.* Quæ deſcriptio eſt Solis iuſtitiæ, qui iuſtè, & verè facta manifeſta, & illorum naturam, & momenta declarat. Solem iuſtitiæ vocabant impij Deum *Sap. 5.* quando negant ſibi affulſiſſe iuſtitiæ lumen; quod nimirum oſtenderet, quid iuſtum eſſet, an ſecus: lumen porrò iuſtitiæ idem eſt atque ſol iuſtitiæ.

5. *Chriſtus cur dictus ſol iuſtitiæ.*

Iudicium in hac vita incertum, & fallax.

Et ſanitas in pennis eius.] Nõ memini me apud aliquẽ ex profanis legiſſe Soli datas eſſe pẽnas; alatos Solis equos lego, quod idẽ penè eſt atque alatum eſſe ſolẽ; & auroram roſeos habere digitos, qui digiti iidẽ in homine vidẽtur, qui in volucribus pennæ. Sic ſanè ab Homero familiari epitheto vocatur *ῥοδοδάκτυλος ἠώς*, id eſt, *roſeos habens digitos aurora.* Sed in Scriptura ſol, ſeu aurora alas habere dicitur, *Pſ. 138. v. 9.* vbi enim vulgatus habet, *Si ſumpſero pennas meas diluculo,* Hebr. eſt כנפי שחר *canpe ſahar.* vbi *ſahar*, id eſt, *diluculũ*, ſeu *aurora*, eſt in D genitiuo, quia *canpe*, id eſt, *penna*, eſt in ſtatu regiminis. Et ita vertunt Pagninus, Tigurina. *Si ſumpſero pennas auroræ*, id eſt, velociſſimas, quibus momento temporis omnia colluſtrat. 6.

Pennæ ſolis quid.

In pennis igitur Solis ventura dicitur ſanitas; aut quia quàm citiſſimè aderit, ſicut ſol faciliimè omnes diſcutit tenebras, & ſuo ſplendore omnia colluſtrat; aut quia ſtatim atque ſe, vt ſol, terris oſtenderit, in ipſo primo ingreſſu ſanitatem afferet. Primus autem ingreſſus Solis aurora eſt, quam hic pennarum vocabulo ſignificat. Fortaſſe alluſum eſt à Propheta ad illud Ierem. cap. 2. v. 34. *In alis tuis inuentus eſt ſanguis animarum pauperum, & innocentum.* Quibus verbis deſcripta videtur barbara tyrannis, E qualis eſt illorum, à quibus antea dicebantur ſpoliati, ac lacerati pauperes, ſicut ab aquila ſanguinolenta, & truci infirmum aliud volucrum genus. Hoc igitur videtur ſignificare Malachias, 7

alas Christi non allaturas pauperibus, atque innocentibus cædem, & rapinam in alis cruentis expressam; sed sanitatem qualis à clementi, atque paterno pectore sperari potest.

B. Virginis salutaris deuotio.

8. Quòd si aurorãm B. Virginem intelligas, sicut sæpe hoc in Ecclesia de Virgine vocabulum auditur, sanè in B. Virginis pennis salus est; quia illa sub alis amplectitur gentem sibi deuotam, illámque ab omnibus diaboli insidiis, & vi hominum pestilenti tuetur. De qua accommodato sensu verè prædices illud Ps. 90. *Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis.*

9. Cùm omnibus oriatur Deus sol iustitiæ, quia omnium non opera solùm, sed etiam cogitata manifestabit; oriturus tamen dicitur timentibus Deum, quia illorum aget causam, illorum studia, atque consilia commendabit, munerabitque. Aliis tamen non tam videtur, quàm contra illos oriri, quia illis non tam voluptati, ac laudi, quàm dolori, atque ignominiæ futurus est ortus ille Solis. Si enim ex vsu Scripturæ illud negatur esse factum, quod fuit inutile (quomodo non fuisse medicinam, si non est sanitas consecuta; aut non fuisse aliquid auditum, quod non est executioni mandatum) multo minùs videtur iniustis ortus esse sol, qui non tam peccatoribus lucem afferet, quæ illuminet, & exhilaret animos, quàm ardorem, & æstum, qui cruciet, & exurat. Atque ideo impij *Sap. 5.* in inferno clamabant iustitiæ lumen sibi non affulsisse, quia perinde vixerunt, ac si affulsisset nunquam.

10. *Et egrediemini, & salietis, sicut vituli de armento.*] Clausi quodam modo, atque constricti vinculis tenebantur viri timentes Deum, quia vulgo despicabiles, à potentioribus oppressi, & ea specie, vt subire non auderent curiosos, & elegantes oculos stultæ multitudinis. Ex illa igitur fortuna, & statu egredientur nó aliter quàm vituli, qui noctu in stabulis clausi, vbi primùm illuxerit, apertum nacti campum discursant læti, & ludibundi vagantur, & exultant. Vbi vulgatus *de armento,* Hebr. est מרבק *marbec,* quod alij *pabulum*, alij *saginarium*, aut aliquid affine conuertunt. Iuxta quam lectionem sensus erit, sic egressuros de suis angustiis viros religiosæ addictos disciplinę, quomodo vituli ex vberrimis pascuis saginati prodeunt. Quæ non leuis est religiosæ, atque seueræ vitæ commendatio. Illa enim sagina quædam est, quæ vt corporis vires domandis, ac cohibendis affectibus attenuat, sic spiritum pinguefacit, & roborat; facítque vt suo postea tempore, sicut saginati vituli, nitentes, & alacres in æternum exultent.

Religiosa vita forma & affectus.

11. De impiis alia ratio est, quorum in mortali statu immatura est voluptas omnis, quæ vt corpus saginat, dum molliter, ac delicatè curat, debilitat animum, redditque indignum, qui in æternis pabulis lætus exultet. Talis fuit Ægyptus, quæ cùm ad instar elegantis, atque lasciuæ vitulæ latis spatiata campis ludibunda discurreret, postea experta est acutos ab Aquilone stimulos, qui immaturæ illius voluptatis pœnas exegerunt acerbissimas. De qua Ierem. cap. 46. v. 20. *Vitula elegans, atque formosa Ægyptus, stimulator ab Aquilone veniet ei.* Quocirca ille prudentiùs fecerit, qui in hac mortali vita, sicut bos aratro, aut plaustro destinatus, stimulos patitur, vt postea quasi saginatus vitulus ludat, quàm si modò pinguis, & nitidus lasciuire voluerit, stimulis postea æternis compungatur.

In hac vita omnis voluptas immatura, & acerba.

12. Omnes penè de extremo vitæ, aut sæculorum tempore hæc interpretantur, vbi ossa exultabunt humiliata. Hieronymus de vitæ fine sic. *Tunc egredientur, qui nunc sæculo, quasi carcere sunt inclusi; & salient quasi vituli de armento. siue quasi vituli de vinculis liberati. Vnde & Apostolus dicit: Cupio dissolui, & esse cum Christo, vt egrediatur, & saliat sicut vitulus.* Cum Hieronymo sentiunt Remigius, Haymo, Albertus, & alij. Sed, vt dixi, hæc, si ex adiunctis expendas, multo magis in extrema sæculorum tempora conueniunt. Et ita sentiunt alij nó pauci. Tertullianus *lib. de Resur. carnis cap. 31.* Theodoretus, Rupertus, Ribera, Castrus, Figuerius. Egredientur itaque iusti de sepulcro nitentes, & pulcri, sicut vituli in campum vberem, & apertum, vt discursent, & ludant. Quæ similitudo optimè sanctorum felicitatem, & lætitiam exprimit.

Vers. 3. *Et calcabitis impios, cum fuerint cinis, sub planta pedum vestrorum, in die, qua ego facio.*] Hæc satis indicant sermonem esse de tempore, in quo multi resurgent, multi cadent, cùm multi dicantur triumphaturi, alij calcandi; quod non benè in priuatum alicuius iudicium conuenit. Impij porrò dicuntur futuri cinis, quia ille opus est, & reliquiæ flammarum: tum etiam quia prouerbiali specie cinis pro re vsurpatur vilissima; qui calcatur pedibus, imò & indignus videtur, quem pedes hominum attingant, & calcent. Cùm vile se aliquid putabat Abraham *Genes. 18.* cinerem se esse dixit. Licèt homines, qui resoluti sunt in puluerem, cineres appellentur: at hic credo cineres vsurpari pro re vilissima. Quasi dicas, tunc tales erunt impij, qui quondam fortunati videbantur, vt calcentur sub sanctorum plantis, non aliter atque si forent cineres. Eo verò tempore gaudendum esse sanctis, & in damnatorum ruinis exultandum, habemus Ps. 57. *Lætabitur iustus, cùm viderit vindictam: manus suas lauabit in sanguine peccatoris.* Et Ps. 51. *Videbunt iusti, & timebunt, & super eum ridebunt, & dicent: Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum. Calcabunt*, inquit hoc loco Haymo, *non insultando perditioni eorum, sed iusto Dei iudicio concordando, & nulla ad eos compassione animos flectendo.* Et quidem illa vox sanctorum est, in damnatione peccatorum, *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* 13.

PROVERB. Cinis pro re vilissima.

Iusti quomodo dicantur exultãdum in malorum supplicio.

Vers. 4. *Memento legis Moysi serui mei, quam mandaui ei in Horeb.*] Ex hoc iustorum, atque improborum exitu dissimillimo hortatur Deus homines, vt si saluti suæ consultum esse velint, amplectantur legem studiosè, & seriò, & illius memoria nunquam cadat ex animo. Quod perinde est ac si diceret: si vitulis esse similes optatis, qui liberi, & soluti vagantur, & exultant, curate ne quam ætatis vestræ partem à legibus solutam habeatis; hinc enim vestra orietur voluptas, & libertas. Porrò mons ille, in quo data fuit lex, binomius est; dicitur enim Sinai à rubo, & Horeb, vt notat hîc Hieronymus, à siccitate. 14.

Mons Sinai dictus etiã Horeb.

Vers. 5. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam antequam veniat dies Domini, magnus, & horribilis.*] Multa hîc Patres de Elia, & de illius aduentu, vt in diem iudicij ea in Iudæorum genere restituat, quæ Antichristi violentia, & fraude collapsa sunt. De quibus præter Malachiæ interpretes, & illorum locorum Euangelij, quæ Ioannem Baptistam Eliam esse dicunt, vide Franciscum Suarez *tom. 2. in 3. p.* S. Thom. *quæst. 59. disput. 55.* &. Maluendam de Antichristo *lib. 9. cap. 6.* Et primò statuendum est contra quàm nonnulli existimarunt, Eliam, de quo hoc loco 15.

Ioannes propriè nõ fuit Elias.

Mala

Malachias, non esse Ioannem: neque contrà grauiter vrget locus ille Matth. cap. 17. & Marci cap. 9. *Interrogauerunt eum* (Christum) *Discipuli, dicentes: Quid ergo Scribæ dicunt, quòd Eliam oporteat primum venire. At ille respondens ait eis; Elias quidem venturus est, & restituet omnia. Dico autem vobis, quia Elias iam venit, & non cognouerunt eum. Tunc intellexerunt Discipuli, quia de Ioanne Baptista dixisset eis.*

16\. Nam ex vsu Scripturæ talis aliquis dicitur, qualis est ille, cuius exprimit mores, & ingenium. Quomodo *Ezech. cap.* 16. Chananæa vocatur Ierusalem, quia Chananæorum mores imitatur. Et Ioannes *epist. cap.* 2. nunc Antichristi multi facti sunt, id est, qui Antichristi meditantur studia, & Ecclesiam Christi persequuntur. Hoc modo Ioannes vocatur Elias, quia illius imitatus est zelum, & pro Ecclesia Christi, & Christi nomine laborauit: neque minus constanter proposito capitis periculo reprehendit Herodem, quàm Elias Achab. Et sane hoc ipso loco docet Christus, dum venturum dicit Eliam, cùm tamen iam dudum venisset Ioannes. Priori autem loco locutus est propriè de Elia, posteriori de Elia mysticè, & de Baptista figurato, & vero: de illo dixit venturum esse, de hoc iam venisse. Et clariùs *Matth. cap.* 11. v. 14. vbi sic de Ioanne, *Si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est.* Vbi duos sine dubio proponit Elias; alterum proprium, qui venturus est, nempe ante secundum Christi aduentum; alterum figuratum, qui ante primum. Et quidem venturum esse Ioanné in spiritu, & virtute Eliæ, & quasi futurum alterum Eliam, dixit Angelus ad Zachariam parentem Lucæ cap. 1. v. 1. *Et ipse præcedet ante illum in spiritu, & virtute Eliæ.*

Regvla. Talis aliquis dicitur, qualis est ille, cuius exprimit mores.

17\. Quare dubitandum non est de Elia propriè, & vere agere hoc loco Malachiá; quod docet aperte Septuaginta translatio in codicibus à Sixto correctis, qui ita vertunt. *Et mittam vobis Eliam Thesbitem.* Sed est alius locus maximè illustris, qui nullo modo dubitare nos sinit, *Eccli. cap.* 48. v. 10. vbi sine dubio in hunc Malachiæ locum intentus, dixit iisdem penè verbis omnia fermè, quæ nunc Malachias. *Qui receptus est in turbine ignis, in curru equorum igneorum. Qui inscriptus est in iudiciis temporum lenire iracundiam Domini; conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Iacob.* Vt nemo dubitare potest ab Ecclesiastico nunc Eliam designari; sic neque à Malachia, cuius ibi videntur verba numerari. Quòd verò Elias Christi posteriorem aduentum præcessurus sit, qui collapsa restituat, communis est Patrum, interpretúmque sententia, quos non refero, ne longum texam authorum catalogum. Tu vide quotquot in hunc Malachiæ locum, & *in Matth. cap.* 17. & *in Apocal. cap.* 11. commentarios ediderunt, qui plurimi sunt: & communiter docent cum Elia simul Henoc esse venturum. Loca præcipua, quibus firmatur ista sententia, sunt, quæ a nobis nuper adducta sunt; nempe hoc Malachiæ testimonium, & quod ad illud respectantes exhibuerunt. Ecclesiasticus *cap.* 48. & Christus *Matth. cap.* 17. Cúmque ea de re latè ab authoribus disputatum sit, iure videor ab hoc negotio supersedere posse.

Elias secundum Christi aduentum antecedet.

18\. Vers. 6. *Et conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum.*] Hic locus variè tentatus est ab his, qui in hunc Prophetam, & in Matthæum commentarios ediderunt: neque enim omnes in conuersionis, aut in parentum, filiorúmque nomine conueniunt. Quidam illud *ad*, Hebraicè אל *al* idem esse putant quod cum; quod est in Scriptura sacra non infrequens. Tunc verò hanc

A sententiam informant, filios cum patribus, & cum filiis patres ab Elia fore conuertendos, id est, omnes simul. Sed huic expositioni minùs fauet, quod *Eccli. cap.* 48. conciliandum dicitur cor patris ad filium, & *Lucæ cap.* 1. conuertenda corda patrum in filios; qui dicendi modus diuersa indicat patrum, ac filiorum studia, neque inter illos bene conuenire. Quare illorum alteri conuertendi sunt; nempe filij, vt parentum se consiliis, & moribus accommodent, vt parentum ad se animos beneuolentes trahant. Quòd si, vt Patrum, atque interpretum plerique sentiunt, Patriarchæ sunt, qui primis Israelitici populi sæculis floruerunt, & à quibus genus illud propagatum est; quales fuerunt Abraham, Isaac, Iacob,

B & duodecim Patriarchæ; neque illi indiguerunt Eliæ opera ad conuersionem; neque cùm multis antea sæculis è viuis excessissent, pertinere ad illos potuit extremus ille labor Eliæ.

Quare placet magis explicatio communior, 19.
quam ex interpretibus secuti sunt plurimi; ex Patribus Hieronymus, Augustinus *lib.* 20. *de ciuit. cap.* 29. Gregorius *lib.* 11. *Moral. cap.* 10. qui dicunt opera Eliæ Iudæorum corda, quæ longè à parentum spiritu, ac fide deerrauerant, ad parentum imitationem, id est, ad meliorem viuendi modum fore reuocanda; ita vt de Christo iam inter homines commorato, & seruatoris munere perfuncto id sentiant, & ament, quod ipsorum patres

C de venturo multo antè præsenserant. Cùm enim viri sancti filiorum perfidiam agnoscerent, ingeniúmque, & mores toto cælo dissimiles, ab illis cor auerterant, sicut etiam oculos, qui sustinere non poterant tantam in filiis, támque inueteratam amentiam; sic etiam mutato vitæ genere cóuertent. Auertit cor à filiis offensus, & indignatus pater, conuertit iam mitior, & placatus, si proteruum, & malè conciliatum filiorum animum pœnitentia subeat. Quod in parente Dauid expertus fuit aliquando filius Absalon. Quare cùm piorum parentum ad filios, à quibus priùs auersi fuerant, animi conuertendi dicantur; mores in filiis dicuntur esse corrigendi; & hoc præstandum dicitur ab Elia.

D Hîc ego ad extremum obseruo allusionem esse non inelegantem ad Thesbitæ nomen, quod Elias habuit à patria, quódque à radice שוב *sub* videtur esse deriuatum, quod idem valet atque restitutionem, reuocationem, conuersionem, aut aliquid simile. Cùm ergo dicitur Elias conuersurus corda patrũ ad filios, aut restituturus omnia, facturus id dicitur, quod Thesbitæ nomen importat, & sonat; quasi dicas, non habebit Elias otiosam, & vacuam sui nominis notationem, & vim; erit, quod audit, restitutor, & conuersor. Huiusmodi allusiones familiares sunt in Scriptura, vt ostendimus pluribus in nostris commentariis in Danielem *prolegom.* 6. vbi exemplorum satis. Vt quod Nabal iuxta suum nomen sit stultus,

E Iacob supplantator. Tu cætera inde sume. 20.

Thesbites quid.

Ne fortè veniam, & percutiam terram anathemate.] 21.
Quasi dicat, veniet Elias, vt Iudæorum corda sic sua prædicatione disponat, vt reddat Deo, parentibúsque grata; ne tota Iudæorum terra, quæ ad illud vsque tempus in suis tenebris obstinatò demersa est, funditus intereat. Hic duo nobis obseruanda; alterum est illud *fortè*, quod dubitationem importat, qualis in Deo esse non potest, arbitrij humani libertatem indicare. Vt autem nos certò affirmare non audeinus, quod ex alieno pendet arbitratu; atque ideo particulam

Fortè, forsitan, & similia arbitrij libertatem importans.

illam frequenter adiicimus; *fortè forsitan*: sic Deus, qui se humano loquendi modo frequenter accommodat, cùm de euentu non dubitet, particulas tamen addit dubitantes.

Anathema graue aliquid, & execrabile valet.

22. Alterum est, vocem *anathema* significare graue aliquid, & execrabile; quale videri potuit excidium Sodomæ, vbi funditus est deleta ciuitas, & abominabili percussa plaga. Sic Iericho *Iosue* 6. à fundamentis est euersa, & graui execratione deuota. Quæ verò execrationi subiecta fuerunt, illa *cap.* 7. anathema vocantur. *Filij autem Israel præuaricati sunt mandatum, & vsurpauerunt de anathemate.* Hîc porrò notandum, quæ sacra sunt, illa interdum aliquid significare omninò contrarium, & prorsus execrabile. Qua de re nos pluribus ad illud Isaiæ 23. *Et merces eius sanctificatæ Domino:* sic *sacer* idem est quod *execrandus*. Sic καταγίζω *sanctificare* valet, & *polluere*. Sic à קדש *kadas*, quod sanctitatem notat, קדשה *kedesah* deducitur, quod *meretricem*, & *kades*, quod Cynædum, aut *Pathicum* significat. Idem dicendum de voce Græca ἀνάθεμα, quæ separatum aliquid importat; siue quia diuino consecratum honori, qualia sunt donaria, ac vota, quæ suspenduntur in templis, quale fuit Holophernis conopæum, quod Iudith in anathema obliuionis consecrauit *cap.* 16. *v.* 23. aut quia cædi, & ludibriis hominum, aut etiam diabolo deuotum est.

REGVLA. Quæ sacra sunt, aliquid interdum indicant maximè contrarium.

Anathema pro donariis.

23. Pro anathemate Hebr. est חרם *cheram*. quæ vox in malam sæpiùs, in bonam partem aliquando sumitur; semper tamen id significat, quod hominum vsibus eripit religio, penitúsque remouet à communi, ac familiari consuetudine, seu quia sacrum est, seu quia solemni, ac legitima execratione damnatum. Quicquid verò חרם seu anathema posteriori hac significatione vocatur, multis modis vel ab honore, vel ab hominum vsibus aboleri solet: aut enim comburitur, aut conficitur ferro; quædam ita viuere permittuntur, vt tamen despicatui sint, & horrori, & omninò prohibeantur cum hominibus habere commercium. Quomodo apud Essenos qui certis se peccatis obstrinxerunt, à sacris, atque ciuium congressu separantur, vt nemini per religionem liceat illos aut excipere hospitio, aut fouere cibo, quasi diris, cædique deuotos, docet Iosephus *lib.* 2. *de bello cap.* 7. Quod חרם & anathema aliquid significent religiosum, & Deo consecratum, multa probant. *Leuit.* 27. *v.* 28. vbi vulgatus, *Omne quod Domino consecratur*, Heb. est חרם. Græcè apud Septuaginta ἀνάθεμα. & statim, *Quicquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino.* Vbi iterum Græcè ἀνάθεμα. Hoc ipsum Iustinus Martyr docuit q. 121. *Anathema*, inquit, *id dicitur, quod Deo est dedicatum, atque destinatum, & in communem vsum amplius non conuertitur; aut id, quod à Deo per malitiam est abalienatum.* Idem pluribus docet Chrysostomus *hom.* 16. *in epist. ad Romanos.*

Esseni peccata quomodo puniant.

Anathema aliquid indicat ab vsu communi separatum.

Hoc loco, vt patet, in peiorem partem assumitur, cùm minæ præcesserint; & significatur interiturū penitus Iudæorum genus. Id enim valet, vt diximus, חרם Quod supplicium subibunt, si parentum fidem imitati nō fuerint; id est, si Christum non susceperint, coluerint, amauerint; quem ipsi videre cupierunt, & votis assiduis aduocarunt. Ex hoc loco plurimum lucis accipit, vt opinor, locus ille Pauli 1. Cor. cap. 16. *Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema Maranatha.* Vbi duo habemus vocabula, quæ etiam in nostro Propheta reperimus. Alterum est *anathema*, quod excidium significat, aut aliquid diuinæ maledictioni deuotum. Alterum *maranatha*, quod Dominum, id est, Christum venisse profitetur. Vtrumque habemus in Propheta nostro; *anathema* quidem expressum; *maranatha* non quidem expressum, verùm illius loco propriam illius significationem suppositam, nempe *Dominus venit.* Id enim Propheta indicat, dum ait anathemate illos esse percutiendos, ad quos antiquorum patrum animi conuersi non fuerint; id est, qui non eo fuerint animo in Christum affecti, quo eorum parentes. Quare is erit sensus. Qui non amat Christum, quem Prophetæ cecinerunt esse venturum, & qui iam venit, diuinæ maledictionis pondus incurrat. 24.

Anathema maranatha quid.

Hic finis esto commentariorum in duodecim Prophetas; faxit Deus, ad cuius gloriam tantus à me labor suscipiendus fuit, vt tam longæ, atque molestæ operæ aliquem capiant vsum, aut pretium; quod expectarem sanè non exiguum à diuina clementia, si de pura in Deum intentione mihi ipsi constaret. Elaboraui, quantum potui, vt clausam in literali cortice medullam, & in occultis obscuri sermonis inuolucris latentem veritatem eruerem. Quid secutus fuerim, affirmare possum; quid sim assecutus, nec cogitare quidem audeo. Id scio, si quid peccatum est, id totum esse meum; si quid verè à me, vel vtiliter scriptum (si tamen aliquid est eiusmodi) id totum à Deo fuisse donatum, qui linguas infantium facit disertas, qui nostro neque eget ingenio, neque nostram disciplinam, & industriam ad suorum consiliorum definitos exitus, tanquam aliquid necessarium requirit. Illi sit gloria, à quo quicquid honestum est, & pulcrum, tanquam à fonte haurit humana mortalitas, & egena facultas; mihi verò confusio faciei, à quo sperari nihil, nisi lapsus, & error, & in rebus etiam clarissimis infantilis ignorantia potest. Quicquid verò à me tam in his commentariis, quàm in aliis omnibus, quæ in publicam lucem prodierunt, quæque deinde, si Deus dederit, aliquando prodibunt, Ecclesiæ examini, & doctorum hominum censuræ subiicio.

F I N I S.

INDEX

Digitized by Google

INDEX RERVM ET VERBORVM QVÆ IN HIS PROPHETARVM COMMENTARIIS CONTINENTVR.

Prior numerus paginam, alter numerum marginalem, a,b,c,d,e, literas interlineales denotant.

A

A Et ex vsus in comparatione. 192.52.a
Propter Aaron, Moysen & Mariam tria beneficia data existimantur. 992.18.c
Abel Damasci occisus putatur. 546.46.e

Abdias.

Abdias vnde donũ cõsecutus Prophetiç. 749.12.e
Abdias Idumæus existimatus. 745.1.b
Abdias Sychimita. ibid.2.d
Abdias Sarephtanæ viduæ maritus putatur. 746.3.a
Abdias sermone breuis magnus põdere. 749.10.b
Abdias prophetauit sub Achab. 746.4.c
Abdiæ mors & sepultura. 750.13.b
Absque non semper excludit, sed interdum addit. 1428.9.b

Abundantia.

Abundantiæ prouerbialis descriptio. 742.49.c
Abundantia his promissa qui decimas soluunt. 1777.56.a
Abundantia ciborum homines belluas reddit. 220.51.c
Abyssus quid. 691.10.e
Accusatiuus sæpe subauditur. 664.8.c
Aceruus lapidum pro vastitate magna. 353.50.e
Achab & Iezabelis fraus. 901.6.a

Achor.

Achor quid. 66.85.a
Achor, Engaddi, Baal Hamon idem significant. 67.89.b
Achor terra fœcunditatis & amœnitatis eximiæ. ibid.90.c

Actio.

Actio pro illius fructu seu effectu. 130.51.e
Actio pro loco vbi exercetur. 734.24.b 1291.17.b & 907.32.c
Actio pro opere aut facultate aut arte. 811.41.d
Actio gratiarum post cibos vsitata. 481.83.b
Actus secundus pro primo. 363.4.e. 1710.21.c

Ad.

Ad idem aliquando quod *de*. 757.2.d
Addò auus Zachariæ alius ab eo de quo 3. Regum 13. 1398.24.e
Adam vt in paradiso ità Hebræi in deserto tractantur. 317.20.b

Adolescentia.

Adolescentiæ vitia ad senectutem durãt. 216.34.a
Adolescentia Israelitici populi, quæ. 68.94.d

Adorare.

Adorare vnde dictum. 367.15.a
Adorationis signum osculum. 366.14.c
In adoratione osculum manuum. ibid.
Qualis adoratio Solis. 1267.13.a

Aduentus.

Aduentum primum Christi bella & multa signa præcesserunt. 1360.11.c
In aduentu Christi primo cælum & terra commota. 1359.10.e
Adulterium non dicitur idololatria in populo Gentilico. 81.135.e
Adultera rursus nubit Oseæ. 86.5.d

Ædificare.

Ædificari idem quod augeri & ornari. 1779.65.d
Ædificia superba quæ ingrata Deo. 671.30.e
Æditui qui. 1266.11.a

Ægyptus.

In Ægypto ac deserto Israelitæ coluerunt idola. 143.45.c.& 564.15.c
Ex Ægypto & Babylone admirabilis exitus. 1028.57.d
Ne in Ægyptum populus rediret magno studio cauit Deus. 320.32.e
Ægyptus à Persis post Chaldæam subacta. 329.61.e
Apud Ægyptios magis in honore boues fœminæ quàm mares. 284.24.b
Ægyptiorum dij potius vituli videntur fuisse, quàm vaccæ. ibid.25.c
Ex Ægyptia libertate multa prouerbia. 1194.7.b
Ænigma quid & eius vsus. 1167.52.b
Æquitas in iudiciis violata. 1124.14.d

Aer.

In aere fit mel. 78.125.e
Aer quomodo sanctorum seruiat votis. ibid.

Æternum.

Æternum, sæculum, generatio generationis & similia tempus aliquando significant diuturnum. 458.10.a
Æternum & vltra quid. 939.24.e
Æternitatis symbolum cedrus. 409.30.0
Æterni cur dicantur montes. 1221.78.e

Æthiopia.

Æthiopia duplex. 1223.82.c
Æthiopia à Nabuchodonosore subacta. 1297.34.d
Æthiopes à Deo superati. ibid.83.d
Cur Æthiopes dicti Israelitæ. 735.27.d

Affectus.

Affectus omnes quibus homo seruit illi pro Deo

sunt. 54.48.d
Affectuum variorum variæ voces. 392.7.d.
Affectus varios significat varius capitis ac manuum motus. 1100.25.c
Affectum interdum significat vox. 825.12 c

Affligo.

Affigo seu configo idem quod affligo & crucio. 1775.50.b
Afflictis & timidis obscurati omnia videntur. 466.53.a
In afflictos & peccatores benignitas Dei. 88.8.b
Affirmatio cum negatione contrarij epitasin habet. 647.49.c & 158.16.e
Africa cur varia monstra gignat. 44.18.e

Ager.

Agrorum fines non mutandi. 165.41.e
Agris iustorum debentur pluuiæ. 28.125.d
Agrorum sterilitas propter peccata. 1344.11.d
Ager aut vinea mendax quid. 252.6.e
Ager figuli. 1620.58.b
Ager figuli cur dictus est quem emit Zacharias. ibid.
Agri à lapidibus repurgari soliti in vinearum plantatione. 879.29.c

Aggæus.

Aggæi genus & patria. 1333.1.a
Aggæus ad quos prophetauit. 1335.5.a
Aggæus quo tempore prophetauit. 1334.4.c
Aggæum, Malachiam, & Baptistam Angelos fuisse quidam falsò putant. 1350.28.e
Ex Aggæo mysterium Trinitatis qui probent. 1359 8.b.
Aggæi vita & mors. 1333.2.c
Aggrauare aures & cor quid. 1521.22.e
Agnominationes in Scriptura frequentes. 1290.10.a
Agrippa Rex in Carabæ persona ignominiosè traductus. 1098.20.d
Aguinaldum petere in Natalitiis feriis vnde apud Hispanos ortum. 1064.62.e

Alexander.

Alexander qualis in Iudæos. 1404.45.d
Alexander cur dictus mamzer. 1554.19.e

Alexandria.

Alexandriæ descriptio. 1102.32.c
Alexandria quando euersa. ibid.30.a
Alleluja à quo primùm cantatum. 1334.3.b

Altare.

Altare patebat etiam non sacerdotibus in periculis. 1395.13.d
Altaria aliquot vero Deo consecrata in Israel. 647.50.e
Altare symbolum Christi. 1712.31.e
Mensa pro altari. 1713.33.c

Amans.

Amantis anima in amato. 76.117.c
Amatorum insignia gestari solita. ibid.

Ambitio.

Ambitio cæca & præceps. 852.1.c
Ambitio mortem adducit columbæ. 217.39.c
Ambitiosus nō percipit fructum verbi Dei. 1346.17.e
Ambulare cum Deo vel coram Deo quid. 1735.20.d
Amentes & cæcos homines reddit libido. 132.59.e

Amici.

Amicorum imagines in annulis insculptæ. 1377.61.c
Neque amicis, neque domesticis, neque vxori fidendum. 1015.20.b

Ammonitæ.

Ammonitarum & Moabitarum in Israelitas odium. 543.69.e
Ammonitæ & Moabitæ superbi. 1296.18.a
Ammonitarum & Moabitarum quæ in Iudæos conuitia. 1293.11.d
Ammonitæ & Moabitæ auxilio fuerunt Nabuchodonosori. ibid.20.c
Ab Ammonitis & Moabitis occupatæ possessiones Israel. 498.6.d

Amos.

Amos cur se Prophetam neget. 520.6.c
Amos Pastor & Propheta. 519.5.e.521.7.c
Amos Propheta alius à patre Isaiæ. 519.4.a
Amos Prophetæ genus. 518.3.c
Amos Prophetæ auia existimatur esse Thecuitis, sed falsò. 517.2.c
Amos Prophetæ patria. ib.1.a
Iudicium Augustini de eloquentia Amos. 524.12.d
Amos similitudines ducit à rure. 533.6.e
Amos de quibus rebus prophetauit. 523.11.d
Amos quo tempore prophetauit. 522.10.e
Amos sermo non rusticus. 524.12.d
Amos Prophetæ obitus. 522.9.e

Amor.

Amor pro obsequiis. 1709.19.e
Pro amore beneficium. 312.5.c
Amor & prouidentia Dei in suos. 1324.43.d
Amoris diuini signum admirabile. 16.18.c
Amor & dolor vnigeniti. 718.38.c
Amor Iacob & odium Esau ad temporale commodum refertur. 1706.8.e
Vis amoris qui amantem in amatum trāsformat. 265.52.a
Magni amoris argumenta sunt leuia etiam multa. 993.19.a
Quis amor aut odium inter socrum & nurum. 1019.30.e
Variis se amoribus quotidie implicat anima, quæ à Deo defecit. 89.12.b
Ad amorem conciliandum vsitata maleficia. 1094.7.d.
Amor struthionis in filios. 883.45.e

Amorrhæus.

Cur Amorrhæorum nomine vocatæ septem nationes Chananæorum. 571.32.b
Amorrhæorum robur & proceritas. ibid.34.d.
Amphisbænæ, Catoblepæ, & Basilisci noxia vis in oculis. 1133.43.b
Amphora quid. 1484. 13.a pro mensura 1487.23.b.
Amplificatio ab impossibili. 679.53.a

Anathema.

Anathema pro donariis. 1791.22
Ab vsu communi separatum aliquid indicat anathema. ibid.
Anathema graue aliquid & execrabile valet. ibid.a
Anathema Maranatha quid. 1792.24.a

Ancilla.

Ancillarum qualis habitus. 1096.12.c
Ancillæ indecorè vestitæ imò nudatæ turpiter. 56.55.e
Andromedæ fabula conficta ex Ionæ historia. 806.24.a

Angelus.

Angelus sæpe locutus cum Iacob. 344.21.e
Cum Angelo luctatus Iacob non cum Deo. 341.13.e
Angelus quomodo ab homine superatus. 343.14.b

Digitized by Google

Angelos de custodia hominum examinare quomodo dicatur Deus. 987.4.d
Angelus Prophetæ familiaris, qui spiritus Prophetiæ dici potest. 1405.47.c
Angelus prouinciarum custos. 1407.52.d & 1447.20.a
Angeli inter se loquuntur. 1426.4.c
Angeli principum. 1447.20.a
Testes Angeli custodes in iudicio contra homines. 987.4.d
Angelus prophetiæ non semper adest Prophetæ. 1457.1.a
Angelorum custodia. 1557.28.e
Angelus non fuit Malachias. 1697.5.a
Cur Angelus cum Malachia pictus. ibid.6.d
Cur Angelus dictus Ioannes. 1764.a
Angulus quid. 1589.16.d
Angulus pro turre aut munimento ciuitatum. 1278.46.d

Anima.

Anima pro desiderio. 256.20.c & 1166.47.b
Anima pro eo cuius est anima. 1161.33.e
Anima à Deo diuisa moritur. 279.8.d
Anima à Dei custodia destituta qualis. 695.30.e
Anima quæ à Deo defecit variis se amoribus quotidie implicat. 89.12.b
Animæ reparandæ curam quomodo abiiciat Deus multitudine peccatorum offensus. 694.27.c
Per animam suam iurare quid. 671.29.a
Cur anima interdum dicatur de mortuo seu cadauere. 1372.47.c
Anima à Deo aliena concipit varia monstra. 45.10.a
Animas diabolo vendit scandalosus,& ideo odiosus Deo. 550.57.a
Quis in anima pollutus. 1372.46.b
Animæ peccatricis status. 44.18.c
Qualis anima à Deo derelicta. ibid.17.a
Anima à Deo diuisa moritur. 279.8.d
Cum in animam descendit Deus illam liquefacit & mutat. 876.22.e
Anima à Deo habet omnia ornamenta. 42.13.b
Anima amantis in amato. 76.117.c

Animus.

Animus gratum Deo sacrificium. 997.32.e
Animus interdum magis in tribulatione obduratur. 177.2.d
Animorum magnum alimentum Verbum. 721.46.a
Quis animorum motus à Deo. 759.8.d
Animi Chananæorum dissoluti Hebræorum aduentu. 1219.72.d
Animus audax & intrepidus Chaldæorum. 465.32.b

Animalia.

Animalia quædam suos habent duces. 1143.73.c
Animalia quæ biformia. 1198.19.e
Animalia terrestria ex suo genere infirmiora denotant. 1141.69.e
Animalia in quorum medio Christus cognoscitur. 1197.15.c

Annulus.

Annuli aut gentilitij stemmatis quæ auctoritas. 1378.64.a
In annulis insculptæ imagines amicorum. ibid.
Christo tanquam annulo consignati Sancti. ibid. 65.b

Annus.

Annus olim semestris. 824.9.c
Annus duplex, vulgaris & sacer. 1341.2.a 1389.2.c
Anni sacri ratio à Zacharia habita. 1390.4.d
Annus apud Prophetas sacer non vulgaris. 1375.56.e
Anni vulgaris nullus in Scriptura vsus. 1390.4.e
Anni primus mensis à principio mundi Martius seu Nisan. 1391.b
Annorum principia Principum nominibus notari solita. 1592.7.d
Anni 70.captiuitatis quando impleti. 1410.62.c
Anni nondum completi interdum omissi, interdum pro integris numerati. ibid.e
Anni 70. cœperunt primo anno Nabuchodonosor. 1411.62.b
Anni 70. finiti sunt quando finitum est Chaldæorum imperium. ibid.
Alius est septuagesimus annus Ieremiæ, alius de quo Zacharias. 1413.66.c
Tribus annis lactatur infans apud Hebræos. 23.41.a
Anno septimo liber debitor à debitis. 713.21.c
Antecedens pro relatiuo. 1596.37.a

Apostolus.

Apostoli sicut fulmen & fulgur. 1238.123.c
Apostoli riui qui terram irrigant. ibid.116.a
Apostolorum descriptio. 1576.81.c
Apostolorum felix conatus. 1577.85.d
Apostolus cur dictus Moyses. 1765.18.a

Apostolicus vir.

Apostolici viri institutum. 976. 67.b & 1577.86.e
Apostolico viro necessaria oratio. 766 88.c
Vir Apostolicus non quærit sua commoda, sed proximorum salutem. 834.41.e
Apostolici viri descriptio. 1576.81.a
Vir Apostolicus laboris appetens. 1578.87.c
Apostolici viri corona. ibid.88.e
Vir Apostolicus à terrenis expeditus. 1579.91.b
Apostolici viri symbolum. 1589.15.b & 1230.100.b
Viri Apostolici vnde ad ministerium muniri. 1590.20.d
Vir Apostolicus quasi Angelus Dei. 1639.23.b
Apostolico viro quale robur esse debeat & constantia. 977.71.d
Apparatus eximius nuptiarum. 435.26.c

Aqua.

Ab aqua sumpta similitudo totale aliquid indicat. 167.44.c
Aquam haurire è mari vulgo existimatur Iris. 639.23.a

Aquila.

Aquila vocatus Nabuchodonosor. 230.4.d
Aquilæ ad prædam magna velocitas. 1132.40.b
Aquilæ quomodo pennæ defluant. 891.73.a
Aquilo pro damnatorum carcere. 1207.41.e
Ad aras festiui Israelitarum ludi. 717.35.d
Arabia pro occasu. 1131.36.b
Aranearum tela pro re futili. 235.20.c

Arbor.

Arborum quarundam vmbræ noxiæ. 412.39.c
Arboribus quàm vtilis cortex. 434.24.d
Sicut architectus ruinosæ domui, sic Deus reparandæ naturæ lapsæ inuigilat. 568.26

Arcus.

Arcus Dei Christus. 1230.101.d
Arcus Dei vir Apostolicus. ibid.102.c
Arcum implere quid. 1569.63.c
Arcus dolosus aut prauus pro infido ac fallaci.

Digitized by Google

laci. 222.56.c
Areopagitæ noctu iudicare soliti & cur. 1740.36.d
Argento illuminatæ vestes Iudæorum & crines. 1276.38.b
In argumentando qualis esse debeat modestia. 1155.13.d,e
Arioli & Augures etiam tempore Euangelij. 1665.8.b

Arma.

Arma inscribi solita. 1480.4.c
In armis olim splendor omnis. 1073.10.e
In armis tergendis magnum olim studium. 1074.11.b
Armis suis diuinum aliquid arrogant homines superbi. 1136.55.e
Arma Dei omnes creaturæ. 467.39.d
Armati hominis species in locusta. 687.3.e
Ex Arnon ad Basan prouerbium. 608.21.b
Assyriorum arrogantia. 1057.36.a

Artes.

Ex artibus nomen sortitæ quædam nationes. 1291.14.b
Artifices cum multa exerceant ab vno tamen opere nomen assumunt. 212.24.c

Ascendo.

Ascendo & descendo quid. 331.66.c
Ascendo & descendo idem quod venio. 238.27.a & 806.25.d
Ascensio pro throno. 734.22.b

Asina.

Asina & pullus eius duos pullos significant. 1560.38.c
In vtroque sedit Christus. ibid.
Asinæ cur nulla mentio apud quosdam Euangelistas. 1561.39.a
Asinorum duo munera apud Hebræos. 1561.40.c
De asino in quo Christus sedit Rabbinorum nugæ. ibid.41.d
Aspicio, video, & similia cum epitasi. 1023.42.c

Assyrij.

Assyriorum arrogantia. 1056.34.b
Assyriis Israel vectigalis. 169.51.e
Assyriorum nomen Chaldæis datum. 1025.47.b
Ab Assyriis attritus Israel variis temporibus. 689.8.d
Ab Assyriis captæ variis incursionibus decem tribus. 353.48.b
Assur cur dictus vltor. 170.53.c
Assur aliquando vocatus est Nabuchodonosor. 1025.47.b
Assuerus cui nupsit Esther quis. 1392.7.e
Astrologiæ iudiciariæ futilitas. 766.32.e
Athanasij modestia in reprehendendo. 563.10.c
Attentionis captandæ forma Prophetica. 871.1.c

Auaritia.

Auaritia sacerdotum. 129.45.c
Auaritia domi exitium parat. 1171.56.e
Auaritiæ inexplebilis sitis. 1166.49.e
Auaritia à militari virtute abesse debet. 465.33.c

Auctor.

Auctor Canonicus in citandis Scripturæ testimoniis non tam verba quàm sensum expendit. 20.34.d
Auctor tantùm vnus aliquando nominatur vnius testimonij, quod è diuersis auctoribus conflatum est. 1763.13.c

Audacia.

Audacia & nobilitas equorum. 461.18.a
Audaciam affert periculum. 502.18.d
Audio idem quod obedio. 982.84.a
Augustini de eloquentia Amos iudicium. 524.12.d
Aurigo quid. 615.43.d
Aurora vel mane pro breuissimo tempore. 311.1.a

Auster.

Auster pro beatorum loco. 1207.41.d
Australes, Aquilonares, &c. regiones dicuntur comparatione Hierosolymæ.

B

Baal.

BAal commune idolorum nomen. 363.3.b
Baal à Iudæis cultus. 1265.8.b
Baal Hamon, Achor, & Engaddi idem significant. 67.89.b
Baalim commune nomen idolis Gentium. 314.12.e

Babylon.

Babylon imperij sedes. 840.8.e
Babylonis magnitudo. 839.4.c
Babylon magnum accepit incrementum ex quo facta est imperij sedes. 840.8.e
Babylon existimata Niniue. 839.4.c
Babylon à Niniue diuersa. 841.12.d
Quomodo Babylon desolata. 1027.55.e
In Babylone ornanda magni sumptus Nabuchodonosoris. 1176.72.e
Exitus è Babylone non minus admirabilis quàm ex Ægypto. 1028.57.e
Babylon idem tulit supplicium, quod aliis intulerat. 1181.90.e
Ex Babylone multi redire noluerunt. 978.43.e
A Babylone restituti exules fidelium typus. 1203.33.e
Babylon Prophetarum tempore non sumpta pro sæculo. 1430.13.e
Babylon pro carcere aut exilio. 1486.22.e
Babylonius in Iudæos plus sibi iuris sumpsit, quã à Deo datum. 1317.25.a
In baptismo fœtor à Iudæis depositus. 104.60.e
Baptistam fuisse Angelum quidam falsò putant. 1350.18.c

Basan.

Basan mons egregius. 1603.6.a
Basan prouerbialiter pro loco pingui & vbere. 603.3.b
Ex Basan ad Arnon prouerbium. 608.21.b
Basilisci noxia vis in oculis. 1133.43.b
Beelphegor idem qui Priapus. 264.50.e
Belial quid. 1066.65.a
Bellota Hispanica vox vnde dicta. 135.69.d

Bellum.

Quod bellum sanctificatum aut milites. 1270.21.a
Belli comparandi optima descriptio. 502.16.a
Belli indicendi forma apud Gentiles. 713.11.a
Belli comparatione magnus significatur metus aut periculum. 508.35.b
Bella & multa signa primum Christi aduentum præcesserunt. 1360.11.c

Bellua.

Belluæ quoque diffugiunt vbi aliqua regio ab hominibus deseritur. 1263.3.d
Belluæ in dolore cruciari solitæ. 846.26.b
Belluas homines reddit ciborum abundantia. 220.51.e
Belus deorum antiquissimus. 1095.8.b
Bene idem quod *valde*. 277.2.d 858.21.b

Benedictio.

Digitized by Google

Benedictio pro dono. 1731.6.d
Benedictio pro abundantia. ibid.a.
Benedictionis vallis dicta vallis Iosaphat. 497. 3.d

Beneficium.

Beneficium pro amore. 311.5.e
Pro beneficiis amor. 1709.19.d
Tria beneficia data existimantur propter Moysen, Aaron, & Mariam. 992.18.d
Quomodo diuinis beneficiis respondendum. 101. 50.d
Beneficiorum Dei perpetua memoria. 1573. 72.d
Beneficium interdum nostrum est aliorum calamitas. 1054.29.d
Beneficia accepta Deum ad iracundiam prouocant. 115.3.e
Post beneficia peccatum grauius. 1778.62.c
Beneficium contemptum acuit iram Dei. 140. 82.d 1490.32.c
Quid à beneficiis diuinis timendum. 101.50.e
In beneficiis Dei agnoscendis ingens peccatoris stupor. 316.16.a
Beneficium magnum est verbum Dei. 1341.1.a
Beneficia quæ ingrata. 1714.a
Non minoris beneuolentiæ est auferre data, quàm noua beneficia referre. 54.49.e
Beneuolentiæ est suscipere faciem alicuius. 1714. 38.e

Benjamin.

Benjamin exigua & ignobilis tribus. 778.66.e & 1431.17.e
Benjamin cur nomen sumpserit à Iuda. 1432. 17.a
Ad tribum Benjamin pertinet Ierusalem. ibid. 18.c
Benignitas Dei in afflictos & peccatores. 88. 8.b & in animam reuersam ad gratiam. 76. 116.a
Bersabee locus pius & sacer. 635.10.a
In bestiolis quatuor significantur quatuor aduentus Chaldæorum. 429.8.e

Bethauen.

Bethauen quid. 181.84.d
Bethauen cur sic appellata. 636.14.a
Bethel & Galgala sacraria idolorum præcipua. 608.21.d

Bethlehem.

Bethlehem duplex. 960.16.c
Vnde Bethleem datum nomen. 962.14.e

Bibere.

Bibere vox ambigua. 771.47.e
Bibere pro conuiuari. 1059.44.c
Bibere aliquid significat lætum. 772.48.b
Biformia animalia quæ. 1198.39.e
Blasphemium aliquid indicat nomen Domini nominare. 674.38.b

Bonum.

Bonum idem quod gratum. 1416.74.e
Bonus idem quod multus. 277.2.d
Bonum nomen cum odoriferis rebus comparatum. 413.42.c
Bona pauperum quasi præda est & hæreditas potentium. 669.24.
Bona quorum malus vsus, tunc deficiunt quando maximè necessaria. 55.52.d
Bonorum à malis separatio qualis futura in iudicio vniuersali. 383.66.c

Bosphorus.

Bosphorus pro quacunque longinqua regione. 783.79.d
Bosphorus, vnde dictus. 784.82.b
Bosphorus existimatur Hispania. 781.71.b
Bosphori duo. 784.82.c
Boues quomodo in aratione releuandi. 318. 26.c
Boues feminæ magis quàm mares in honore apud Ægyptios. 284.24.b

Bruchus.

Bruchus quid. 430.12.d
Bruchus symbolum gulæ. 431.14.c
Bruchi & locustæ pro ingenti multitudine. 1106. 47.d

C

Cadauera.

Cadauera Iudæorum inhumata. 1179.48.e
Cadauera exhumari impium est. 301.7.e
Cæca ambitio. 32.a.c
Cæsaries in luctu deposita. 890.72.e

Calamitas.

Calamitas Ephraim grauis & diuturna. 114. 31.e
Calamitas aliorum interdum nostrum est beneficium. 1055.31.c

Calceus.

Calceamentum pro re vili. 566.19.a
Calcei in dolore depositi. 883.43.b

Calix.

Calix, vinum, ebrietas pro calamitate. 1165. 44.a
Calix in conuiuiis circunferri solitus. ibid.
Caluitium in luctu. 718.37.b
Calumnia quid. 167.46.e
Cambyses quandiu regnauit. 1414.67.a
Idem forte Artaxerxes seu Assuerus cui nupsit Esther. 1393.7.b

Candelabrum.

Candelabrum de quo Zacharias diuersum ab eo de quo in Exodo. 1457.2.e
In candelabro lucernæ instar coronæ. 1458. 3.a
In candelabro oliuæ cælatæ. 1462.11.b
Candelabrum typus templi & populi Iudaici. 1460.8.d
Candelabrum typus Ecclesiæ. ibid.6.b 1461.10.c & 1466.19.a
Candor simplicitatis & innocentiæ symbolum. 735.26.b
Canticum peccatoris ingratum Deo & cur. 648. 52.d
Cantus Insciniarum dulcis & lugubris. 884. 47.d
Canum instar detractores. 563.9.b
Cappadocia profecti Palæstini. 736.29.c

Capilli.

Capilli in dolore euulsi apud Hebræos. 891. 75.e
Capilli in dolore euulsi apud Gentes. ibid.74.c
Capilli in sepulcrum amicorum coniecti. 892. 78.d

Caput.

Capitis ac manuum varius motus varios affectus significat. 1077.25.
Capitis tullum tegumentum apud Hebræos. 667. 20.e 1240.129 b
Caput obnubitur in dolore & ignominia. 824. 18.b
Caput vnum habuerunt omnes Israelitæ post exilium. 740.41.b
Caput alicuius idem quod aliquis. 730.8.c
Caput prouinciæ pro ipsa prouincia.
Caput tantum vitulorum expressum. 283.23.d

Digitized by Google

Quæ ad capitis præcedentis finem pertinent interdum in subsequentis principio ponuntur & contra.* 17.1.c

Captiui.

Ex captiuis viri tantum probi in patriam redierunt. 1318.27.18
Captiui aliqui rediere qui templum Solomonis agnouerant. 1357.2.d
Populi captiui reditus & gloria typus Ecclesiæ. 782.75.c

Captiuitas.

E captiuitate pauci reuersi. 968.42.d 1401.33.b
A captiuitate non fuit idololatria inter Iudæos. 979.79
Captiuitas quando cœpit. 1411.62.b
Captiuitas quo tempore soluta. 1393.8.c
Captiuitatis anni 70. quando impleti. 1389. 2. & seq.

Carcer.

Carcer laborantium ergastulum. 990.11.c
Pro carcere damnatorum Aquilo. 1207.41.c
Carmelus & libanus pro re speciosa prouerbialiter. 1051.19.c
Castigat Deus considerate & amanter. 1158.60.c
Castris Deus incutit metum. 467.38.b
Casleu mensis nonus. 1391.4.a

Catulus.

Catulus leonis idem quod leo. 433.23.c
Catulis raptis vrsa prouerbialiter pro feroci & irato. 370.25.c

Causa.

Causa Moralis pro Physica. 1710.a
Causa pauperis plerunque iustior. 641.31.b

Cedrus.

Cedrus æternitatis symbolum. 490.30.e
Cedri proceritas prouerbialis. 571.34.e

Celeritas.

Celeritatem indicant mane, diluculo & similia. 1312.10.c
Celeritas præmatura onagro noxia. 139.33.e
Cerethi quod genus hominum. 1290.12.d
Ceruus halitu serpentem ex cauernis extrahit. 1030.64.e

Cetus.

A ceto vomitus Ionas quota hora. 834.39.a
Cetus non proprium alicuius speciei, sed commune nomen multis. 821.2.d

Chaldæa.

In Chaldæa & Niniue è laterculo magis quam è saxo ædificia. 1106.44.b
Post Chaldæam subacta quoque Ægyptus à Persis. 295.61

Chaldæi.

Chaldæorum descriptio. 1127.24.e
Chaldæorum seuera disciplina. 464.29.c
Chaldæorum animus audax & intrepidus. 465.32.b
Chaldæorum vis & feritas. 1132.42.e
Chaldæorum ira implacabilis. 1279.49.e
Eorum in Idumæos perfidia. 766.30.a
Eorum Reges quid indecorum fecerint & stultum. 1164.43.e
Cum eisdem Idumæi contra Iudæos conspirarunt. 765.29.e 498.5.e
Eisdem Iudæa in possessionem data. 1217.68.e
Ab eisdem Idumæi deleti. 770.44.e
Cum eisdem contra Ierusalem varij populi congregati. 947.c
Eorum aduentus quatuor in quatuor bestiolis significati. 429.8.e
Chaldæi & Persæ in animalibus expressi. 1198.17.d
Chaldæi aliquando vocati Assyrij. 1025.47.a
Chaldæi, Persæ & Medi olim subditi Assyriis. 972.58.e
Ad Chaldæorum ingressum dissoluti Iudæorum animi. 1219.72.d
Ex Chaldæis aliqui conuersi. 1031.66.c

Chananæi.

Chananæi mercatores. 348.31.b 1401.33.b
Chananæorum ignobile & odiosum nomen. 347.30.e.
Chananæorum animi Hebræorum aduentu dissoluti. 1219.72.d
Chananæorum septem nationes cur Amorrhæorum nomine vocatæ. ibid.
Chananæos quibus armis Deus expulit. 1215.61
Chanaan cum statera dolosa pro fallaci. 348.32.c

Christus.

Christus cur dictus sol iustitiæ. 1786.5.a
Christus imber serotinus. 1584.3.d
Christus arcus Dei. 1230.101.d
Christus Pontifex. 1765.a
Christus iustitiæ Doctor. 478.75.e
Christus Angelus. 1765.c
Christus Apostolus & Pontifex. ibid.a
Ventus de deserto. 386.73.a
Diaboli & mortis victor. 1218.69.b
Cognoscitur in medio animalium. 1197.15.c
Cur natus dicatur inter duo animalia. 1199.20.b
Duo animalia inter quæ natus Christus vnde adnecta. ibid.
Christi aduentum primum bella & signa multa præcesserunt. 1360.11.c
De Christi Incarnatione prophetia. 266.59.e
De Christo testimonia externorum. 1212.52.b
De Christo promissiones à Deo iuratæ. 1230.101.e
Christo nato dæmonum oracula siluerunt. 971.5.d
Christus dictus oriens. 1448.24.a
A Zorobabel & Iesu Sacerdote adumbratus. 1464.15.a
Implet figuras & prophetias. 1470.31.c
Suo ingressu templum implet & absoluit. 1471.35.b
Iesus Sacerdos cum duabus coronis typus Christi. 1504.19.d
Angulus & paxillus Rex & Pontifex. 1590.18.a
Ab eo Reges & Sacerdotes oleum accipiunt. 1465.16.b
Christi typus Ionas. 790.7.b
Christi imago in Scripturæ typis. 1204.35.d
Qui Christi typus fuerunt non in omni facto fuerunt, sed in vno vel altero. 790.7.c
A typo sæpe ad Christum seu Euangelij tempus sermo conuertitur. 959.13.d
Patris in Christum tenerrimus amor. 1762.11.c
Christi potestas in terram. 1218.69.b
Christus terram impleuit splendore. 1214.57.b
Sub Christi aduentum maleficia fuerunt inter Hebræos. 973.76.a
Christi exemplum & doctrina ad immutandos mores potentissima. 1767.22.a
Doctrinæ Christi vis ignea. ibid.24.e
Splendor Christi in terris. 1214.56.a
Christi aspectus potentissimus. 1767.23.c
Christi Patrisque Præcursor Ioannes. 1789.17.d

Cælorum

Digitized by Google

Cælorum de Christo testimonium. 1212.52.b
Christus aliquomodo in populo Israelitico adumbratus. 314.10.a
Christus appetens crucis. 1215.60.b
In cruce quanta Christi potentia. ibid.61.c
Christus moriens facile nobis reddidit crucis pondus. 1235.115.d
Quibus armis Christus vicit mundum. 1214.56.a
Quomodo Christus in corde terræ fuerit tribus diebus & tribus noctibus. 825.6.c
Resurrectio Christi nostræ resurrectionis exemplar & causa. 181.17.d
Christi post crucem gloria & triumphus. 1236.120.e
Christi sanguis & doctrina quamuis maculam abstergit. 1768.25.c
Christus mundum subiecit in cruce. 1214.56
Christi figuram gestare debet nouæ legis Sacerdos. 1769.29.b
Cum Christo commune nihil habet qui iugum non admittit. 1066.65.c
In Christo spes omni possessione pluris facienda. 1246.149
Christus cum peccatore moriente commoritur & cum resurgente resurgit. 1314.16.e
Quid Christus contulerit Ecclesiæ. 971.54.c
Grauis iniuria Iudæorum in Christum. 1606.15.c
Christi mors solemni planctu deplorata. 1645.46.d
Christo ea tribuuntur quæ ad animæ salutem pertinent etiam temporalia. 1433.20.e
Christi secundum aduentum Elias antecedet. 1789.17.d
Christi facies in iudicio horribilis. 1766.21.c
Cum Christo in aëre erunt iusti. 506.29.b
De Christiano ac Religioso quale iudicium. 592.36.d
Christi templum Maria. 1764.17.d

Cibus.

Cibus rusticorum Sycomorus. 700.50.d
Cibi polluti qui. 253.9.c
Post cibos vsitata gratiarum actio. 481.83.b
Ciborum abundantia homines belluas reddit. 220.51.e
Cilicium quid. 436.31.e
Cinis pro re vilissima. 1788.13.b
Circuncisionem admittere coacti Idumæi. 1156.17.e 1788.13.b
Citreæ tabulæ. 772.49.c

Ciuitas.

Ciuitas aut prouincia quæ primum nauigantibus aut exploratoribus occurrit, nomen dat toti regioni. 571.93.c
Ciuitates ignobiles ab illustri aliquo ciue nobilitatæ. 964.30.c
Subactæ ciuitates arari solitæ. 674.39
Ciuitatis euersæ species. 879.29.b 928.27.a & 1294.23.e
Ciuitatum genus non ex significatione sed exterminatione interdum sumitur.
Clamare ad Deum quomodo dicantur res inanimatæ & irrationales. 444.58.e
Claudicantes cur dicti Israelitæ. 940.27.d
Claustra oris. 1015.20.d

Clementia.

Dei clementia singularis. 1287.3.d
Clementia Dei etiam in furore. 378.52.c
In cloacis & cryptis latere soliti Iudæi. 1276.40.e
Clypeus loco feretri. 605.11.e

Cælum.

Pro cælo templum. 184.93.a & 873.10.b
De cælo dimicatum ad mare rubrum. 1231.103
Cælestia atque sublimia cognoscuntur per sensibilium imagines. 513.51.b
Cœnæ funebres apud Gentes & apud Hebræos. 255.17.c

Cognosco.

Cognoscere in Scriptura practicum aliquid valet. 52.43.c
Cognosco idem quod faueo. 369.21.c
Cognitio sui ipsius neglecta peccatori. 1097.14.b
Non cognosci aut nesciri dicuntur quorum facta improbantur. 232.10.e
Cognatorum domesticorumque perfidia. 905.23.d

Collis.

Colles mundi qui. 1210.73.a
In collibus clamare aut signa ponere soliti Iudæi. 96.34
Vsque ad collum prouerbiali forma pro maximis rerum angustiis. 1239.128.e

Color.

Colores quarundam nationum. 1497.7.b
Color niger prauum indicat ingenium & mores. 735.26.b

Columba.

Columba cur appellata excors. 216.38.e
Columbæ ambitio mortem adducit. 217.39.c
Columbæ similis Ephraim. ibid.40.d
Columba nomen sponsæ. 1310.3.b
Cometæ sagittæ Dei. 1238.123.b

Commoda.

Qui commoda sua contemptu aliorum captarunt male mulctati. 834.41.e
Commoda humana adiicientur Dei regnum quærentibus. 1348.22.b
Commodis iustorum creaturæ omnes seruiunt. 78.124.b
Commodis humanis seruiens non construit Deo domum. 1348.22.c
Quæ commoda ab ouibus. 920.5.a

Comparatio.

In comparatione excelsum significat &c. 537.17.a
Quæ in comparationibus extremo loco ponuntur excellere existimantur. ibid.c

Concionator.

Concionator filius Dei. 11.2.a
Concionatori materiam præscribit Deus. 589.25.a
Concionatori vtile aliquando tacere. 641.31.a
Concionatoris vox qualis. 589.25.a & 1238.123.d
Concionatores sui ingenij theatrum & laudatores quærere non debent. 803.16.c
Concubitu immoderato extinctæ à scortatoribus fœminæ. 261.40.e
Conditio vilis miseraque Iudæorum. 237.26.d
Conditionales aliquando minæ Dei. 470.48.b
Conditum vinum. 432.18.d

Confessio.

Confessio qualis. 684.11.c
Confessio peccatorum victimæ similis. 396.15.b
Quæ in confessione dura. ibid.16.c
Nec dura nec difficilis confessio. ibid.18.e
Confessionis vtilitas. 732.15.c

Celari

Digitized by Google

Celati in confessione peccati pœna. 376.45.a
Contigo idem quod crucio. 1775.50.b
Contixio pro quocunque cruciatu. 1666. 12. b 1670.27.c
Confundi quid. 46.24.b
Confusio pro fornicatione. ibid.26.d
Congrego idem quod occido. 906.26.c 1262.2.c

Coniugium.

Coniugia Iudæis cum Gentibus prohibita. 1743. 47.e
A coniugij vsu vacandum tempore orationis. 472.55.c
A coniugij vsu abstinuerunt qui in arca fuerunt cum Noë. ibid.56.d
Coniugum fidelitas. 77.120.b
Connubia Iudæorum cum externis exilij tempore. 1741.40.e
Connubia Iudæorum cum externis post reditum. 1742.41.a
Connubia Hebræorum extra ciuitatem celebrata. 65.81.a

Consuetudo.

Consuetudo naturam alteram facit. 296. 67.e & 735.29.d
A consuetudine sanctorum puritas non tam facile adhæret quàm labes ab improborum. 1373.50.e
Consuetudo sacrandi mensam apud Gentes. 253. 11.e
Quando consuetudo agendi significatur futurum adhiberi solitum. 128.41.b
Constantia & alacritas in laboribus pro Deo. 1711.66.b
Contra non semper aliquid aduersum indicat. 1673.8.e
Quibus naturæ suæ contrarium aliquid accidit lugere dicuntur. 1232.105.a
Contumeliæ impatiens fœmina. 1746.55.b

Conuerter.

Conuertor & similia quædam per aduerbium exponenda. 55.50.b
Conuertor idem quod spiritum resumo. 412.40.d
Conuersio vera quæ. 394.10.a
Conuersio imperfecta. ibid.11.c
Conuersio Dei ad nos præcedit nostram ad Deum conuersionem. 1400.29.b
Ad conuersionem maximum impedimentum luxuria. 159.20.b
Conuiuarum capita vnguentis delibuta. 667. 19.d

Conuiuium.

Pro conuiuio vinum & pro conuiuari bibere. 772.a 1059.44.c 604.7.b
Conuiuia in templis. 569.27.a
In conuiuiis calix circunferri solitus. 1183. 93.

Cor.

Cor pro medio aut pro eo quod interius est. 827. 20.e
Cordis latitudo quid. 41.11.e
Cor quomodo scinditur. 469.45.d
Cor solui aut tabescere quid. 1081.40.d
Loqui ad cor quid. 65.83.d

Cornu.

Cornu pro regno seu potentia. 680.54.c 948.50.b 1211.49.c 1418.80.c
In quatuor cornibus quatuor orbis partes. ibid.e
Cornua pro armis. 1211.48.c
Cornua pro buccinis. ibid.50.d

Correctio.

Correctio Dei quando vtilis. 584.11.d
Correctio ad peccatoris ingenium & affectum attemperanda. 851.13.d
Correctio artificiosa. ibid.e
Qui correctionem odit proximus est ruinæ. 640. 26.a
Cum à Deo corripimur magnum amoris argumentum est. 583.7.b
Corus quæ mensura. 91.18.c
Per crabrones expulsi è suis finibus Chananæi. 1216.61.a
Cras coruina vox familiaris vox diaboli. 1300. 51.c

Creatura.

Creaturæ cum naturam suam obliuiscuntur ad imperium Dei, tunc maxime Deum laudant. 1232.107.d
Creaturæ omnes arma Dei. 467.39.d
Creaturæ peccatorem persequuntur. 813.48.c
Creaturæ omnes peccatoribus infensæ. 78. 124.b
Crines Iudæorum illuminati argento. 1276. 38.b
Crucis pondus facile nobis reddidit Christus moriens. 1235.115.d
Crudelitas dira scandalosi. 554.70.c
Cubicula æstiua & hiberna. 595.41.b
Cultum & victum ab sponso petit sponsa. 48. 29.a

Custodia.

Custodia pro specula. 1152.4.c pro vinctis. 1151. 2.c
Custodia pro statione. ibid.3. d pro lege. ibid. 2.e

Cyrus.

Cyrus cur animal biforme. 1198.19.d
Cyrus quandiu regnauit. 1413.66.e

D

Dæmon.

DÆmon à Christo victus. 1236.118.d
Dæmon ad sui cultum loca eligit opportuna libidini. 134.66.e
Dæmon factæ à peccatore sementis fructum capit. 237.24.b
Dæmones non horrent lucem. 342.15.e
Dæmoni lux odiosa existimatur. ibid.14.c
Dæmones ex signis & imaginibus reddidere responsa & quomodo. 98.41.d
Dæmoni victimæ humanæ quomodo immolentur. 366.13.b
Dæmonum oracula Christo nato siluerunt. 980. 81.c
In Dæmonum cultu quam effusi sumptus. 61. 68.b
Damascus pro quolibet populo Iudæis infenso. 1550.4.a
Damasci occisus existimatur Abel. 546.46.e
Damnatorum vinum nobile. 570.30.d
Damna vini. 1163.40.e

Datiuus.

Datiuus sæpe apud Hebræos paragogicus. 663. 6.d
Datiuus aliquando ornatus tantum gratia. 414. 45.c
Datiuus pro ablatiuo cum præpositione cum. 195.59.d
Darius qui soluit captiuitatem non filius. Esther. 1391.7.e
Dauid optimorum Principum exemplar. 101. 48.a

Debitor.

Debitor quomodo vendi possit cum soluendo non

Digitized by Google

non est. 565.18.d
Debitor à debitis liber septimo quoque anno. 713.21.c

Decima.

Decimarum commendatio. 1776.54.a
Ex decimis negatis orta fames. 1773.44.e
Ex decimis oblata in templo sacrificia. 609. 127.c
Dentium stupor quid. 612.35.d
Quod denunciat quis faciendum esse id facere dicitur. 719.5.c
Denunciata parentibus multa quæ in posteris completa sunt. 1169.60.e
Descendo & ascendo idem quod venio. 238.27.a 717.93.a

Desertum.

Deserti fluuius quis. 681.59.a
De deserto ventus quis. 385.72.c
In deserto eodem modo quo Adam in paradiso Hebræi tractantur. 317.10.a
In deserto Israelitæ coluerunt idola. 564.15.c
Desiderium pro re desiderata. 1363.18.a
Desiderare id aliquis dicitur, cuius indiget. 1364. 22.e

Desperatio.

Desperatio & peccati odium. 291.50.d
Desperationis damna. 731.15.c
Pro desperatione prouerbialiter *usque ad cœlum.* 1240.130.d
Detractores quasi canes. 563.9.b
Quod detrimentum magnum passum est periisse dicitur. 1027.55.e
Deuotio B. Virg. salutaris. 1787.8.a

Deus.

Deus valde ad veniam & misericordiam pronus. 39.6.e & 1551.7
A Deo diuisa anima moritur. 279.8.d
Quando Deus egredi dicatur. 1241.134.c
Dei gemitus magnæ alicuius plagæ prognosticum. 575.44.b
Egressus Dei ex aliquo loco prognosticum est & initium ruinæ. 873.11.d
Dei humanitas ex abietis similitudine. 414. 47.e
In Dei patientia magna illius apparet fortitudo. 1048.9.d
Dei rugitus tempore Euangelij. 330.62.a
Dei nomen piorum memoriale. 346.26.e
Deo pro rerum opportunitate varia accommodantur nomina. 1403.40.a & 1631.1.c
In manu Dei res natura leues & infirmæ magnarum rerum instrumenta sunt. 480.82.e
Dei quadrigæ vir Apostolicus. 1230.100.b
Nisi quæ Dei sunt, prius curentur, inanis labor. 1348.23.d
Dei iugum cum graue videatur leuissimum est. 319.29.a
Dei nomen tetragrammaton Gentes suis interdum diis tribuerunt. 142.88.c
Dei benignitas in animam reuersam ad gratiam. 76.116.a
Dei in amicos quanta prouidentia. 72.103.a
Cum Dei nomine non audet satanas indecorum aliquid coniungere. 674.39.e
Dei multiplex & constans studium in peccatore conuertendo. 185.30.e
A Dei custodia destituta anima qualis. 695. 30.e
Deus custos Ierusalem. 1429.111.c
Dei ira rugitus leonis. 328.57.c
Dei arma fulmen & fulgur. 1054.27.b
Dei nomen aliis nominibus infertum dignitatem conciliat. 1114.2.d
Dei in suos amor & prouidentia. 1324.43.d
Dei scientia quorum in terra negetur esse. 116. 7.e
Dei æquitas & humanitas in iudicando. 167. 45.e
Deus ornamentum populi sui. 1429.112.e
Dei in populum indulgentia singularis. 315.14.b & 1429.11.c 1507.40.e
Dei iram frangit spiritus humilis, acuit superbus. 854.8.c
Dei nullum opus otiosum etiamsi inutile videatur hominibus. 1228.96.d
Dei clementia etiam in furore. 378.52
Deus fidelis in promissis. 77.121.d
Deus aduersis læta subiungit. 1519.1.b
Deus benigne adest strenue laborantibus secus torpentibus. 1534.22.e
Dei patrocinium. 1577.84.c
Dei iudicium contra peccatorem. 693.21.a
Deus dolet calamitatem hominum & præcipue pauperum. 1607.20.b
Deus cum dolore punit. 1611.33.a 1322.38.d
Dei nomen aliis attributum. 1639.24.c
Dei quis cultus in Ecclesia. 1689.57.e
Dei filius vocatus Israel. 313.6.a
Vero Deo victimas tribus decem obtulerunt. 648.51.c
Quam Deo parum grata quæ à peccatoribus offeruntur. 1732.7.a
Deo domum non construit qui humanis seruit commodis ac deliciis. 1348.22.c
Deo ingratum canticum peccatoris & cur. 648. 51.d
Quæ Deo grata lætitia hominum, & quæ odiosa. 1326.50.e
Deo consecrata loca sibi dedicari optat & curat diabolus. 634.10.0
A Deo interdum morbi, & ab illo speranda medicina. 1021.37.e
Cum Deo vel coram Deo ambulare quid. 1735. 20.d
Quis à Deo motus animorum. 759.8.d
Qui à Deo recedit quam miser & inops. 52. 41.b
A Deo ignorata Gentilitas cur dicatur. 583. 6.a
A Deo nemo se abscondit. 751.11.b
Locus in quo quis à Deo constituitur, aptissimus aduersus diaboli insidias. 1153.6.c
In Deo circa peccatorem animus parentis & iudicis. 323.40.e
A Deo recedere periculosum. 802.14.d
Deo ingratum de rapina sacrificium. 1720.59.b
Vero Deo consecrata aliquot altaria in Israel. 647.50.e
A Deo se effugere posse putat stultus. 802. 13. & 19
Deo fauente nulla rerum inopia timenda. 1247. 153.e
Quæ de Deo cogitatio Gentilium. 809.36.e
In Deo solo pax & abundantia; ab aliis nihil solidi. 51.41.e
Deo gratum sacrificium animus. 997.32.c
Peccatoris in Deo contemnendo amentia. 88. 9.c
Deo aliquando grata libertas in oratione. 1153. 4.a
Deo cura est paruulorum. 906.28.e
Quæ Deo grata laus. 394.12.c

Digitized by Google

Deo molesta opera peccatorum. 1552.74.c
Quam Deo ingrata luxuries. 799.5.e
Deum vnum habere ducem quantum expediat. 1127.99.e
Ad Deum clamare quomodo dicantur res inanimatæ,& irrationales. 444.58.e
Dei nomen cur à peccatore violari dicatur. 568. 24.c
Deum expoliat qui pauperem nudat. 905.24.e
Aliter Deus aliter homo punit. 325.46.b
Si Deus est offensus, fallax negotiatio. 1345. 15.c
Descendere Deus existimatur & locum excelsum relinquere cum punit. 875.16.c
Deus omnium testis. 871.5.a
Deus furorem temperat suum. 324.42.b
Deus populum quasi medicus ægrotum curauit. 316.17.b
Deum improbus quantum in se est deprimit, dum ad iracundiam prouocat. 875.17.d
Deus in sui similes non irascitur. 1289.7.b
Deus patiens vltor. 1047.6.e
Deus cum suo nomine magnum imponit onus. 115.2.b
Deus pauperum patronus. 799.5.e
Deus sua viscera animæ impendit. 76.117.b
Deus quando non punit peccata existimatur à stultis illa non videre. 541.31.c
Deus subito obscurat illustria & illustrat obscura. 638.21.c
Deum effugit nemo. 586.17.b
Deus peccata seruat tanquam in sacculo. 374. 38.a
Deus ægre fert in loco sacro superbire quenquam. 1321.35.e
Cur Deus differat postulata. 1121.5.c
Deus misericors in animantia muta. 845.23.b
Deus cur dicatur obliuisci. 21.36.b
Quomodo Deus solitus commouere animos. 759.7.c
Deus ad suorum custodiam semper accinctus. ...
Deus quo diutius expectat durius punit. 1047. 6.e
Amat Deus te magis quàm tua. 997.32.c
Deus illa scire dicitur, quæ probat, illa ignorare, quæ damnat aut improbat. 1055.30.a
Punit Deus sensim prius & mitius, post verò durius. 169.49.a
Deus supplicium suspendit vsque ad certum peccatorum numerum. 535.13.e & 538.22.d
Deus cum in animam descendit, illam liquefacit & mutat. 876.22.e
Deus suorum fortitudo. 1149.157.a
Deus egestatem minatur sacerdotibus malis. 1730.3.c
Pugnat Deus in ministris suis. 1211.52.b
Deus reparandæ naturæ lapsæ inuigilat sicut architectus ruinosæ domui. 694.26.d
Deus in peccatores quam molli animo affectus. 39.6.e
Laudator Deus iustorum hominum. 1327. 53.d
Deus quasi à seipso recedit cum punit & irascitur. 875.15.a
Cur Deus commoditates hominibus auferat. 1229.98.c
Deus dedit Iacob nomen suum, quasi memoriale. 345.24.c
Deus cum indignatur misericordiæ memor. 1103.32.b
Deus ad supplicium hominis inuitus. 377.50.e & 1288.5.d
Deus etiam cum offenditur liberalis, & miris. 993.21.c
Deus captiui etiam populi sponsus. 1317.25.e
Deus concionatori modum atque materiam præscribit. 588.25.e
Deus librum habet memorialem & cur. 1781. 70.a
Deus offensus peccatorum multitudine curam animæ reparandæ quomodo abiicit. 694. 27.e
Deus egredi dicitur cum aliquid ad extra producit. 1221.78.& 134.
Deus ab hominibus iudicari vult. 989.10.e
Deus cur hominibus commoditates auferat. 1229.98.c
Deus considerate & amanter castigat. 1138. 60.d
Deus rerum suarum satagit. 1244.144.d
Quod Deus facit, modo huic modo alteri personæ tribuitur. 1761.7.c
Deus complet omnia. 733.21.e
Quomodo Deus lætari dicatur de peccatoris supplicio. 734.23
Cur Deus in res inanimatas sæuire dicitur. 1229. 97.a
Deus Angelos examinare dicitur an homines studiosè custodierint. 987.4.d
Deus honori sibi ducit si aliquis ad se in tribulatione clamat. 219.47.d
Deus per Prophetas rugit. 585.15.e
Deus parcit; homo totum acerbitatis virus effundit. 324.43.c
Deus contra peccatores nouas acies format. 687. 2.e 1813.32.a
Orari se vult Deus etiam pro illis, quæ alias concedere statuerat. 1138.58.a
Percutit Deus & ipse solus sanat. 178.5.e
Deus per Ephod consulebatur. 99.45.e
Deus in superiori colitur aut contemnitur à Religioso. 1713.32.a
In quibus Deus excubat, fortissimi muri. 694. 27.e
Deus vmbra in æstu. 338.5.d
Deus vel solo nutu gentes dissoluit. 1219.71.a

Dij.

Gentilium error in deorum opinione. 1268. 17.c
Deorum imagines in facie ac pectore gestabant Gentiles. 40.8.d
Deorum antiquissimus Belus. 1095.8.b
In Deos suos magni ab idololatris sumptus. 880. 34.d
Dij gentium captiui. 1296.30.d 554.70.e
Dij tutelares euocari soliti à locorum præsidio. 873.11.e
Dij à Gentibus excitari soliti. 1183.92.e
Diis suis maledicere soliti Gentiles. 675. 40.a

Diabolus.

Diabolus Dei minister ad punienda peccata. 1217.65.a
A diabolo immissus sopor. 809.34.b
Diabolus à dextris est quando in iudicio superior & quando impedimento est. 1442.6.e
Diabolus non tam humanas quam belluinas voces edocet. 220.47.b
Diabolus quos habet sibi subiectos in varia præcipitat peccata. 146.101.e
Diabolus consecrata Deo loca dedicari sibi optat &

& curam. 634.10.e
Diaboli oracula tempore Euangelij siluerunt. 1573.71

Dies.

Dies pro longo tempore. 1573.71.b
Dies nouissimi qui. 933.3.e
Dies modò rem lætam, modò tristem & aduersam significat. 60.67.e
Quomodo duo dies fiant ex vno. 814.10.d
Ad dignitatem significandam pluralis numerus pro singulari positus. 1363.20.d
Diluculo, mane, & similia pro magno studio & ardore & celeritate. 900.4.c 1312.10.c

Diluuium.

De his qui in diluuio & Sodomis perierunt quod Hieronymi iudicium. 1057.37.a
Ante diluuium ædificata creditur Ioppe. 804.20.d
Disciplina Chaldæorum multum seuera. 464.29.c
Discissæ in summo dolore vestes. 882.42.e
Diuersoria libidinis in templis. 569.27.a

Diuinitas.

Diuinitatis argumenta. 662.62.a
Diuina maiestas ex tenui cultu æstimari non debet. 1712.19.c
Diuina maledictio horribilis est. 242.136.a 1731.5.c
Diuini furoris quanta vis. 1053.26.e
Cum diuino nomine nulla vox indecora coniungebatur apud Hebræos. 674.39.d
Diuinationes & maleficia inter Hebræos fuerunt sub Christi aduentum. 979.76.a
Diuinandi varia ratio per virgam & lignum. 133.61.d
Diuites in opibus suis non in Deo solent confidere. 1323.40.c

Diuitiæ.

Diuitiæ iniusto possessori laqueus sunt & dolus & pondus. 1168.57.e
Diuitiæ ebrietatem quandam inducunt. 432.17.c
Diuitiæ impediunt potius quam iuuant. 1168.54.a
Diuitiæ fortitudo bellorum. 950.54.b
Diuitiarum vermis & fructus superbia. ...
In diuitiis nulla firmitas. 1168.55.c
Diuitiarum impedimenta. 1169.58.b

Doctrina.

Doctrinæ Euangelicæ vis & fœcunditas. 975.66.c
Doctrina & sanguis Christi quamuis maculam abstergit. 1736.25.e
Doctrina Sacerdoti commendata. ibid.24.d

Dolor.

Dolet cum punit Deus. 322.38.d
Dolor parturientis pro maximo. 944.38.c
Dolor vnigeniti. 718.38.e
Dolor æternus pro breui voluptate. 376.47.e
Dolor magnus si hostes nostra norint damna. 568
In dolore discissæ vestes. 882.42.e
In dolore deposita cæsaries. 890.72.e
In dolore ac gaudio magno ad planctum & gratulationem alios aduocamus. 643.38.e
Dolosus quis. 1721.64.d
Dolosus arcus pro fallaci. 232.56.c

Dominus.

Dominus in iuramento quouis intelligitur. 604.9.c
Dies Domini quis. 417.a 644.41.e
Domini nomen nominare aliquid indicat blasphemum. 674.38.b
Domini nomen pollui quid. 1711.15.c
Contra vulnus à Domino inflictum nulla humana medicina. 171.55.a 1021.57.e
Domesticis non fidendum. 1015.20.b

Domus.

Domus pro familia ac genere. 251.5.c
Domus in agro pro nuptialibus sacris. 65.81.b
Domum ædificare est bonis augeri. 1779.66.e
Sicut domui ruinosæ architectus sic reparandæ naturæ lapsæ inuigilat Deus. 694.26.d
Non tam domum quam sepulcrum sibi fur ex alieno ædificat. 1172.57.b
Domus eburneæ quo sensu dictæ. 596.44.b
Domui exitium parat auaritia. 1171.56.e

Donum.

Pro dono benedictio. 1731.6.d
Pro donariis anathema. 1791.22.b
Donum illud gratius quod de necessariis subtrahitur. 256.21.e
Dona corrupta sunt quibus admiscetur vanitas aut rapina. 631.29.a

Dormire.

Dormio idem quod iaceo aut otiosus sum. 665.12.e
Dormiens dicitur & otiosus & qui inutilia captat. 432.17.b
Dormire in sinu vxorem quid. 1015.21.e
Dotes non pensandæ ex patria aut ministerio. 525.13.b

Draco.

Draconis vlulatus. 883.44.c
Draconis cum elephanto pugna. ibid.c
Duces habent suos quædam animalia. 1143.73.c
Ductor & Rex in gregibus. 289.44.c
Duplex idem quod magnus. 1568.59.c

E

Ebrietas.

Ebrietas pro abundantia. 432.16.a 1633.4.b
Ebrietas pro calamitate. 1165.45.b 1632.2.d
Ebrietatis & superbiæ idem effectus. 1164.41.e
Ebrietatis & vini damna. 1163.40.e

Ebur.

Ebur duplex elephantinum & fossile. 595.42.d
Ebur fossile. ibid.
Eburneæ domus quo sensu dictæ. 596.44.b

Ecclesia.

Ecclesia quid. 470.51.e
Ecclesia Gentium accessione illustrata. 1329.58.c 1532.13.14.40
Ecclesiam ornarunt qui prius illam insectati fuerant. 742.47.b 1510.45.e
Ecclesiæ pulchritudo firmitas & odor. 411.35.a 1468.25.c
Ecclesiæ fœcunditas & suauitas. 743.50.b
Ecclesiæ subiecti populi externi atque inimici. 974.63.c
Ecclesia grauius oppugnatur à domesticis, quam ab externis. 1688.52.b
Ecclesiæ perpetuus splendor secus ac lunæ. 1237.121.e
Ecclesia comparatur cum Ierusalem. 1687.49.b
Ecclesiæ persecutores fœde mulctati. 1686.47.b
Typus Ecclesiæ in reditu & gloria captiui populi. 784.81.a
Quis in Ecclesia cultus Dei. 1689.57.a
Effundere & instillare iram, quid. 167.45.d
Elegantia in Religioso indecora. 1272.14.e
Elephanti & draconis pugna. 883.44.c
Elias secundum Christi aduentum antecedet. 1789.17.d

Ephod.
Ephod quid. 96.33.b
Ephod forma duplex. ibid.c
Ephod pro Sacerdotio. 98.39.b
Deus per Ephod consulebatur. 99.45.e
Ephraim columbæ similis. 277.40.d
Eius calamitas grauis & diuturna. 214.31.e
Epitasis in affirmatione cum negatione contrarij. 647.49.c
Episcopo aut Sacerdoti necessaria scientia. 126. 35.c
Epistola vocatur liber. 1045.2.e
Equi.
Quis equorum vsus in Israel. 398.21.e
Equorum nobilitas & audacia. 461.18.a
Equorum qui ad Euphratem, alacritas & vigor. ibid.19.c
Equi Chaldæorum velocissimi. 1129.31.e
Eruca quid. 430.9.a
Esau.
Esau primus omnium præputium adduxit. 1625. 71.c
Odium Esau & amor Iacob ad temporale commodum refertur. 1706.8.c
Esau quo sensu non inuenit locum pœnitentiæ. 1707.12.d
Esdras.
Esdras Sacerdotis maximi filius. 1695.2.b 1357. 2.d
Esdras existimatus Malachias. 1695.1.b
Esse aut fieri viro, vox nuptialis. 93.25.e
Esseni peccata quomodo puniant. 1791.23.d
Esther.
Esther non habuit filium Darium. 1391.7.e
Esther cur dicta Edissa. 1405.46.a
Et.
Et particula rationalis & causalis. 1138.59.c
Et excessum significat in comparatione. 537.17.a 478.44.c 1551.8.e
את eth, nominatiuo aliquando præponitur. 1358. 4.c
Euangelium.
Euangelium multa significat. 106.62.d
Euangelium ardua omnia reddit mollia. 1236. 119.d
Euangelium superbos spiritus humiliat. ibid. 117.c
Euangelicæ doctrinæ vis & fœcunditas. 978. 74.c 1554.16.b 1567.57.c
Euangelium pacem in mundum inducit. 978. 74.c
Euangelica luce lustrati Indici populi. 975. 67.c
Qualis Dei rugitus tempore Euangelij. 330. 62.a
Ad Christum seu Euangelij tempus sermo conuertitur à typo. 959.13.d
Eucharistiæ sacrificium. 1717.49.d
Eucharistia cibus robustorum. 1580.92.a
Euripus quid. 828.21.e
Euphrates siccatus, ac diuisus quando. 1231. 104.d
Ex & *à* vsus in comparatione. 292.92.a
Exclamationes tragicæ vsitatæ in Scriptura. 716.31.b Execratio addita iuramento. 1356. 26.c
Exemplum.
Exemplum Christi ad mutandos animos potentissimum. 1767.22.a
Exemplum Principum & illustrium virorum potentissimum. 440.45.b 1688.55.c & 878. 25.d
Exemplum sacerdotum & Principum pro lege. 1738.30.e
Malum exemplum Sacerdotum nocentissimum. 191.48.e
Pro exequiis mortuorum luctus. 255.17.d
Exercitus.
Exercitus fluuio ac tempestati comparatus. 166. 43.e 1077.24.c
Exercitus properantis signum puluis. 1050. 15.d
Exilium.
Ab exilio Iudæi cum iubilo & plausu reuersi. 1249.158.d
Ab exilio plurimi ex decem tribubus redierunt. 26.51.a
Post exilium administrata à sanctis viris Hierosolyma. 1322.36.b
Post exilium Israelitæ omnes vnum habuerunt caput. 740.41.b
Exules à Babylonia restituti fidelium typus. 1203. 33.e
Exitium domui parat auaritia. 1171.56.e
Exitus.
Exitu & ingressu omnia significantur. ...
Exitus è Babylone æque admirabilis atque ex Ægypto. 1028.57.d
Exitus amarus voluptatis turpis. 374.39.c
Exsufflo quid. 1348.24.e

F

Faber commune nomen multis artificibus. 1419.81.a
Fabula.
Fabulæ Hebræorum de Og. 572.37.c
De vitulis aureis. 287.36.e
De duobus piscibus qui Ionam deuorarunt. 822 4.d
De Iona in mare iactato. 816.59.e
De Ionæ ceto. 822.3.b
Fabulæ plurimæ è sacris & veris historiis confictæ. 804.21.e
Herculis à marina bellua deuorati fabula orta ex Ionæ historia. 806.24.c
Andromedæ fabula ex historia Ionæ. ibid.b
Facies.
Facies pro eo cuius est facies. 1133.44.c
Faciem alicuius suscipere beneuolentiæ est. 1714. 38.e
Quæ faciei ornamenta. 40.8.e
In facie vnde nigredo. 463.25.b
Faciem abscondere quid. 161.27.b
Facies percussa pro grauissima ignominia. 959. 11.a
Facies Christi in iudicio horribilis. 1766.21.e
Faciem deprecari. 1519.13.a
Facio.
Facio idem quod sacrifico. 53.46.e
Facere argentum idem quod celare. ibid.57
Fieri aut esse tunc aliquid dicitur cum apparet. 687.2.b
Factum aliquid dicitur, cùm fieri incipit. 1414. 68.e
Fames.
Famis rabidæ proprietas. 1311.7.e
Fames grauis in terra promissionis. 419. 14.b
Famem & inopiam inclementia & rapina inducit. 116.6.d
Fames ex decimis negatis orta. 1773.44.e
Fasciculi varia significatio. 734.23.c
Faucium significatio multiplex. 193.52.b

Fauces inferni existimantur esse in valle Iosaphat. 507.32.c 1746.66.b
Fauni ficarij. 701.51.c
Felicitas malorum infortunata. 1780.
Felicitatem tribulatio antecedit. 66.86.c
Fermentum in sacrificio pro gratiarum actione adhibetur. 610.29.e
Ferociores leonibus existimati leunculi sed falso. 17.57.d
Ex concubitu in festiuis diebus nata proles debilis ac deformis. 472.55.c

Ficus.

Ficus in Palæstina frequentes. 59.64.c
Ficulneæ prima poma pro re suaui. 1263.46.c
Ficulneum pro molli ac vano. 1243.139. ficarij Fauni. 701.51.c

Fides.

Fides sola non sufficit ad salutem. 1161.37.e
Fides Græcorum leuis in iudicando. 1013.12.a
Qui fidit in seipso & infra nihilum infirmus est. 702.56.d
Non fidendum amicis neque domesticis neque vxori. 1015.20.b
Fidelium typus in restitutis à Babylonia exulibus. 1203.33.e
Fidelitas Dei in promissis. 77.122.d
Fidelitas coniugum. ibid.120.b
Fiducia quæ non in Deo seminarium est multorum vitiorum. 1324.41.b
Fiducia in Deo liberat à multis vitiis. ibid.
Figmentum Hebræorum de Iuda. 331.65.a
Figurata oratione honestari solet quod turpe dictu est. 1316.20.a

Filius.

Filius personam circumscribit. 721.48.c
Filij alieni qui. 47.28.c
Filij fornicationum, qui. 13.11.e
Filij dæmonibus immolati. 996.29.c
In filiis multa completa quæ parentibus denunciata fuerant. 1169.60.e
Filiorum mors aut priuatio graue parentum supplicium. 266.56.b
Filios sceleratos non liberat à morte virtus parentum. 733.62.b
Filij illorum dicimur, quorum mores imitamur. 740.43.e

Finis.

In finem quid. 1124.14.c
In finem, æternum, aut in suo genere vehemens significat. 1715.30.e
Fines terræ promissionis. 1027.53.b
Fines agrorum non mutandi. 165.41.e
A fine seu euentu res denominantur. 43.14.a
Firmitas pulchritudo & odor Ecclesiæ. 411.35.a
Infanda flagitia in templo Solymitano. 569.28.d
Fletus & lacrymæ arma fœminarum. 1746.55.b

Flumen.

Fluuius deserti quis. 681.59.a
Fluuij & fontes aliquando aruerunt. 120.17.c
In fluuiis aliquando extincti pisces propter hominum peccata. ibid.16.a
Fluuio ac tempestati comparatus exercitus. 1077.24.c
Fœcunditatis atque abundantiæ descriptio. 742.49.e
Fœdari & cruciari solitæ belluæ in dolore. 846.26.b
Fœdus connubiale quando primum iniit Hebræus populus. 69.94.a

Fœmina.

Fœmina impatiens contumeliæ. 1746.55.b
Fœminæ ac viri seorsim in arca Noë. ...
Fœminæ à viris separatæ etiam in via. 991.16.d
Fœminarum ac virorum diuersa tabernacula. ibid.& 1647.51.c
Fœminæ in templis consecratæ. 1079.31.d
A fœminarum cæde abstinens hostes. 553.68.c
Fœminarum habitus in luctu. 435.27.d
Fœminarum arma fletus & lachrymæ. 1746.55.b
Non fœminæ solùm sed & viri lachrymas vænales habent. 643.39.e
Fœminæ & viri alterius sexus vestimenta ferre prohibentur. 1271.23.b
Fœmina fornicationum, vir dolorum, & similia cum epitasi. 12.7.d
Fœminis præfuisse creditur Maria, sicut Moyses viris. 991.16.c
Fœminæ boues magis in honore apud Ægyptios quam mares. 284.24.b
Fœminea terminatio pro substantiuo nomine. 1361.13.b
Fœtor à Iudæis in baptismo depositus. 104.60.e
Fœtus vrsæ quanto labore à matre formatus. 370.25.c
Forma Prophetica attentionis captandæ. 871.2.e
Forma connubij spiritualis. 81.133.a

Fornicatio.

Fornicationis spiritus, quid. 134.64.c
Fornicationum filij, qui. 13.11.e
Fornicatio pro societate ac communione. 47.28.d
Pro fornicatione, *confusio*. 46.16.d
Quæ fornicationes vberum, seu ornamenta. 47.9.a
Fornicariam vxorem duxit Oseas. 15.16.d
Fortis dicitur qui suum munus strenue obit. 433.20.b

Fortitudo.

Fortitudo suorum Deus. 1249.157.a
Fortitudo Dei magna apparet in illius patientia. 1048.9.d
Infirmitatis potius est quam fortitudinis seipsum interficere. 854.7.a
In frænis maxima antiquorum cura. 1705.14.b 1692.a
In fratres crudelitas. 669.24.a

Fraus.

Fraus quomodo punitur. 998.36.e
Fraus in negotiatione odibilis Deo. 998.35.c
Fraus & vis Achab & Iezabelis prouerbialiter. 901.6.a

Fructus.

Fructus & laus Pœnitentiæ. 1327.51.b
Fructum verbi Dei non percipit ambitiosus. 1346.17.e
Fruges in Palæstina teri solitæ. 948.51.d
Fugam petite ab aliquo & similia quid. 576.49.c
Sicut fulgur Apostoli. 1238.123.d
Fulmina & fulgura Dei indignatio. 1054.27.d
Dotali fundo coëmpta sponsa. 66.89.c
In funere lugentium quis habitus. 718.36.a
Furere à vino. 210.18.d

Digitized by Google

Fur.
Fur sibi sepulchrum ædificat ex alieno. 1174.66.d
Inter furem & latronem differentia. 106.6.e
Contra furem & violentum perpetuus clamor. 1178.77.d
Furor.
Furoris diuini quanta vis. 1053.26.e
Etiam in furore clementia Dei. 378.51.e
Furorem Dei auertit misericordia. 185.29.d
Fustuarium militum supplicium. 957.6.c
Futilitas idolorum. 232.16.e Item iudiciariæ Astrologiæ. 767.34.b
Futurum.
Futurum debitum aut decorum significat. 769.41.e
Futurum vt frequens actio aut agendi consuetudo significetur adhiberi solet. 128.41.b
Futurum pro præterito imperfecto subiunctiui. 474.62.d
Pro futuro imperatiuus. 391.1.b
G
Gabaitæ.
Gabaitæ Sodomitis similes. 262.41.b
Gabaitæ quibus sceleribus infames. ibid.
Galaad.
Galaad quid. 544.40.e
Galaad idolis dedita. 351.47.e
In Galaad simulacrorum officina. 294.56.b
Galgala.
Galgala & Bethel præcipua idolorum sacraria. 608.22.d
In Galgalis idola constituta. 141.83.a
Gallia existimatur esse Sarepta. 780.69.a
Gehenna dicitur vallis Iosaphat. 507.32.e
Gemitus Dei magnæ alicuius plagæ prognosticon. 575.44.b
Gemitus struthionis & in filios amor. 883.45.a
Quæ generaliter videntur dicta ad vnam tantum prouinciam coarctantur. 458.5.a
Generatio generationis, sæculum sæculi & similia tempus aliquando significant diuturnum. 458.10.b
Gentes.
Gentes absolutè pro Gentilibus, cū addito etiam pro aliis. 1436.28.b
Gentes Deus vel solo nutu dissoluit. 1219.71.a
Ex Gentibus ad Iudæos aggregati multi. 1319.29.c
Cum Gentibus prohibita Iudæorum matrimonia. 162.30.a
Gentium dij captiui. 1296.30.d
Cum Gentibus communem habere mensam non licebat Iudæis. 145.98.d
Gentes suis interdum diis nomen tetragrammaton tribuerunt. 142.88.e
Apud Gentes consuetudo sacrandi mensam. 253.11.e
Gentilitas cur dicatur ignorata à Deo. 583.6.a
Gentilium error in deorum opinione. 1268.17.c
Gentiles deorum imagines in facie ac pectore gestabant. 40.8.d
Gentiles idolorum suorum vendita mancipia. 1095.8.b
Gentiles diis suis maledicere soliti. 675.40.a
Gentiles quomodo filij Israel. 23.43.e
Gentiles imitati sunt Iudæi in vestibus. 1272.25.b
Ad Gentilium instar Israel multa coluit idola. 213.28.c
Gentilium templa diuerticula libidinū. 135.67.a
Gentilium templa meretricum & cynædorum prostibula. 138.76.c
Apud Gentiles forma indicendi belli. 711.13.b
Annuli aut gentilitij stemmatis qualis auctoritas. 1378.64.a
Genua infirma aut genua infirmari quid. 1082.40.b
Genus.
Genus & nomen fœmineum ignauis & mollibus viris attribuitur. 603.2.a
Genus masculinum in se concipit fœmininum. 274.24.a
Genus ciuitatum interdum non ex significatione sed terminatione. 962.11.c
In extremis ea quæ illius sunt generis continentur. 826.17.e
Genus fœmineum in irrisione pro masculino ponitur. 283.22.b
Gloria.
Quanta ex gloria Christus in terram descenderit. 1213.55.d
Gloriam peccatoris sequitur ignominia. 127.38.c
Gothi in equis fortissimis significati. 1502.23.c
Græci.
Græci pro omnibus Gētilibus. 501.13.d 1577.83.b
Græcorum imperium. 1497.9.e
Quando finitum. 1501.18.a
Græcorum leuis fides in iudicando. 1013.12.a
Gratia.
Ad gratiam ab offensione alium prouocare quantus honor. 322.36.a
In gratiarum actione cantari solitus Ps. 119. 1250.160.c
Gratiarum actio post cibos vsitata. 481.83.b
Gratuito idem quod frustra. 1716.b
Ad gratulationem & planctum in magno gaudio ac dolore alios aduocamus. 643.38.c
In gregibus ductor & rex. 289.44.e
Grossi alicubi gratissimi saporis. 1011.4.b
Gulæ symbolum bruchus. 431.14.c
H
Habacuc.
Habacuc nomina varia. 1113.6.c
Habacuc genus & patria. 1111.1.a
Habacuc ab eo, qui prandium attulit Danieli, diuersus. ibid.2.c
Habacuc quando prophetare cœpit. ibid.d
Quando mortuus Habacuc. 1112.5.d
Habacuc reliquiæ quando translatæ. 1115.5.a
Habitatio Idumæorum in cauernis. 762.17.a
Habitus.
Habitus peculiaris Prophetarum. 521.a
Habitus lugentium in funere. 718.36.a
Habitus fœminarum in luctu. 435.25.d
Habitus ancillarum qualis. 1096.12.c
Hastis præfixa hostium capita. 605.12.d
Hebræi.
Hebræus populus quando primum iniit connubiale fœdus. 69.94.a
Dei cum Hebræis pactum de terra promissionis. 191.a
Hebræi cur in titulis ponant nomina parentum. 518.3.c
Hebræi captiui venditi. 501.13.c
Varius apud Hebræos tubarum clangor. 455.2.d
Apud Hebræos & Gentes cœnæ funebres. 255.17.e
Apud Hebræos consuetudo sacrandi mensam. 251.1.b

Apud

Apud Hebræos nullum capitis tegumentum.667.19.c
Hordeum apud Hebræos in pretio. 92.a
Hebræus populus à captiuitate idololatriam horruit præter admodum paucos. 72.106.e
Hebræorum fabula de vitulis aureis. 287.36.e
In Latinis Hebraicisque codicibus non eadem series librorum. 3.6.e
Hebræorum de Iuda figmentum. 331.a
Hiberna & æstiua cubicula. 595.41.b
Hic pro *idem*. 1689.56.b

Hieronymus.

Contra Hieronymum magnæ turbæ excitantur de hedera. 856.15.b
Quod Hieronymi iudicium de iis qui in diluuio & Sodomis perierunt. 1057.37.a

Hierosolyma.

Hierosolymæ restitutæ gloria. 1331.65.b. 1331.11.d
Hierosolyma instaurata typus Ecclesiæ. 1203.33.e
Hierosolyma à sanctis viris administrata post exilium. 1322.36.b
Hierosolymæ comparatione regiones aliæ dicuntur Aquilonares, Australes, &c. 1106. 39.d 1496.6.d.

Hispania.

Hispania existimatur Bosphorus, vel Sepharad. 781.72.b.
Hispania non videtur appellanda Sperida. ib. 71.a
Hispaniam esse Sepharad non dicit Paraphrastes Chaldæus. 782.74.a
Cur Iudæi Hispaniam appellarunt Sepharad. ibid.75.c
Hispani in equis robustissimis significati. 1502.24.e
Vnde Hispanis orta consuetudo petendi in natalitiis feriis *Aguinaldum*. 1064.62.e

Historia.

Historia ex quo tempore fidem habuit. 1.2.c
Historiam sæpe alienam accommodat Ecclesia ad mysteria, quæ celebrat. 1193.5.d
Historia Ionæ iudicata à quibusdam fabulosa.821.1.a
Ex historia Ionæ orta fabula Herculis itemque Andromedæ. 806.24.b

Homo.

Si homo fugerit, Deum tamen non effugiet. 803.18.e
Ab homine quomodo superatus Angelus. 343.17.b
Ab hominum existimatione falsa nomẽ aliquando res assumunt. 236.24.e
Antiquus dicitur homo simplex & rectus. 741.44.c
Homines etiam pessimi instrumentum Dei.1499.13.b

Hordeum.

Hordeum apud Hebræos in pretio. 92. a item apud Græcos. ibid.20.c
Hordeum pro tritico datum his qui in re militari deliquissent. ibid.21.d
Horeb etiam dictus mons Sinai. 1788.14.d
Horribile pro venerabili. 1724.70.b

Hostis.

Aliter hostis cædit quam iudex. 1139.61.a
Hostium capita hastis præfixa. 605.12.d
Supplicem ad hostem accedere durum est. 1105.a
Hostes à fœminarum cæde abstinent. 553.68.e
Hostes in infantes etiam sæuiunt. 544.38.c
Hostia aut victima pro cæde. 1169.20.b
Humanarum rerum inconstantia. 1496.6.e
Humanitas Dei ex abiectis similitudine. 414.47.e
Humerus vnus prouerbialiter. 1319.30.d

Humilis.

Humilis spiritus frangit iram Dei. 854.8.e
Humiles extollere & superbos deprimere facile est Deo. 623.65.b
Humiliat superbos spiritus Euangelium. 1236.117.b
Humiles Ecclesiæ Prælati. 1322.38.e
Humilitas virtutum tegumentum & custos. 435.a
Humiliationis varia significatio. 1000.41.a
Humilibus principiis orta, quæ magna. 1472.41.d
Hyems & æstas pro toto anno. 1682.36.d
Hypallage in Scriptura frequens. 691.15.d & 1215.59.a
Hyperbolicæ locutiones. 774.54.b
Hypocrita seu pastor stultus. 1626.74.e
Hypocritarum & potentum supplicium. 57.57.e

I

IAcentes proni in puluere orant aliquando homines. 439.42.d

Iacob.

Iacob quomodo supplantauit fratrem,& quale in ea supplantatione miraculum. 341.11.b
Iacob quo sensu dilectus & Esau odio habitus. 1703.6.c
Iacob cum Angelo luctatus, non cum Deo. 341.13.e
Cum Iacob sæpe locutus Angelus. 344.21.e
Deus Iacob suum nomen quasi memoriale dedit. 345.24.c
Iason stultus pastor rem Iudaicam peruertit. 1624.70.e
Ibat proficiens Hebraica & Hispanica phrasis. 814.52.e

Idolum.

Idola in Galgalis constituta. 141.83.a
Idolis dedita Galaad. 552.47.a
Idolorum commune nomen Baal. 314.12.e. 363.3.b
Idolorum præcipua sacraria Galgala & Bethel. 608.22.d
Idola multa coluit Israel ad Gentilium instar.213.18.c
Idola in Ægypto coluerunt Israelitæ. 243.45.d
Idolum sponsus & Rex appellatum. 289.43.d
Idola ex meretricio quæstu conflata. 881.36.b
Idolorum suorum vendita mancipia Gentiles. 1095.8.b
Idolorum futilitas. 235.19.b
Idololatria inter Iudæos à soluta captiuitate non fuit. 72.106.e.979.79
Cur Hebræorum idololatria dicta fornicatio. 39.5.e
Idololatria in Gentilico populo non dicitur adulterium. 81.135.e
Israel & idololatræ populi cur dicantur virgo. 632.4.e

Idumæi.

Idumæorum odium contra Israelem. 742. 47.a. 768.37.b
Idumæorum habitatio in cauernis. 761.15.d
Idumæi sæpe à Iudæis vexati. 773.51.e
Idumæorum vilitas. 760.11.d

Digitized by Google

Idumæi circuncisionem admittere coacti. 774. 54.c
Idumæi cum Chaldæis contra Iudæos conspirant. 768.37.b
Idumæi à Chaldæis deleti. 773.a
Idumæi ab Israele subacti. 1708.14.c
Idumæorum superbia. 762.16.a
De Idumææ Rege Hebræorum nugæ. 561.2.b
Ab Idumæis incensum templum. 769.40.b
Iechoniæ nepotes duo Zorobabeles. 1341.4.a
Iehu & eius posteri impij. 19.30.b

Ieiunium.

Pro ieiunio tristitia & luctus. 1779.64.b
Ieiunia Iudæis indicta. 1513.2.d.1540.36.d
Ieiunia quæ grata Deo. 1519.16.e
Fletus pro ieiunio. 1519.14.b
Ieremias quomodo agrum figuli emit. 1610.59.b. fuit virgo. 1619.57.e

Ieroboam.

Ieroboam nomen duobus Regibus commune. 11.4.c
Ieroboami consilium, quo populum summouit à templo. 155.4.b
Ieroboam à Ierusalem auertit populum. 207.9.e
Ieroboam multa sumpsit ex Iudæorum religione ad vitulos aureos colendos. 594.40.e

Ierusalem.

Ierusalem turris gregis. 942.32.c
Cur pila dicta. 1174.33.b
Ierusalem antonomasticè vocata vrbs. 1171. 55.b
Idumæi cum Chaldæis contra Ierusalem. 498. 5.c.& varij populi. 947.47.c
Ierusalem quibus muris cincta. 1429.a
Deus eius custos. ibid.11.c. & ornamentum. ibid. 12.e
Ædificata in duarum tribuum confinio. 1432.c
Typus Ecclesiæ. 1530.6.c
Ierusalem dicta Libanus. 1601.2.c
Quo tempore & die capta à Romanis. 1680. 27.a
Quæ eius spatia. 1684.40.d
Vide *Hierosolyma.*
IESVS Seruator in lapide significatus & quomodo. 1449.31.e.& 34.d
Iesus filius Iosedech qui stetit coram Angelo quis, & quæ eius iniquitas. 1349.1.d

Iezrael.

Iezrael pro supplicio. 18.26.b
Iezrael pro gente non omnino derelicta misera tamen. 80.130.b

Ignis.

Ignis & stipula prouerbium. 1785.2.c
Ignis pro summa calamitate. 1554.16.b
Ab igne consumptus exercitus Sennacherib. 1058 42.e
Ignis est, qui domum absumit, rapina in domo. 998.34.b

Ignominia.

Ignominia grande tormentum. 858.a
Ignominia malorum Sacerdotum qualis. 1732. 8.& 11.
Ignominia sequitur peccatoris gloriam. 127.38.c
Ignorantia pro peccato. 57.59.e.1195.11.e
Ignorare ea dicitur Deus quę damnat aut improbat; scire quæ probat. 1055.30.a

Imago.

Imago Christi in Scripturæ typis. 1204.35.d
Imagines amicorum in annulis insculptæ. 1377. 63.c
Imagines deorum in facie ac pectore gestabant Gentiles. 40.8.d
Per imagines sensibilium cælestia atque sublimia cognoscuntur. 513.51.b
Ex imaginibus & signis dæmones olim reddidere responsa, & quomodo. 98.41.d

Imber.

Imber temporaneus, & serotinus. 183.23.c.688. 4.b. 1583.2.d
Imber maximũ beneficium Palæstinis. 1690.59.a
Imbrem non magis appetit terra, quam nubes illum in terram effundere desiderat. 79. 128.e
Imperatiuus pro futuro cum epitasi. 636.15.b

Imperium.

Imperia claustris coercita. 1495.3
Imperium Chaldæorum. 1497.7.a. Persarum. ibidem 8
Græcorum. ibid. 9. quando deletum. ibid. 19
Romanorum. 1498.10.b

Impius.

Impij nimium de Dei misericordia confidunt. 904.18.b
Impij quasi stipula iusti ceu lapides in ciuitate. 738.38.d
Impiorum prosperitas ducit ad mortem. 144. 92.b
Ab improborum consuetudine facilius labes adhæret quam puritas à sanctorum. 1373.50.e
Impurus nemo etiam, apud Gentes accedebat ad sacra. 471. 52. *Impleo* verbum militare. 1569. 24.c.63.e

In.

In vsum habet instrumenti. 1155.21.b
In idem aliquando quod cum. 119.14. c.161.28.c
In idem quod propter. 877.24.d 922.14.d 160. 24.c 816.58.d
In idem quod inter. 863.26.e
In in iuramento idem quod per. 671.29.c
De Incarnatione Christi Prophetia. 266.59.e
Incestus peccatum graue. 568.24.b
Inclementia & rapina famem & inopiam inducit. 116.6.d
Incommoda humana vulgus exorta putat ex peccatis. 1708.15.e
Indici populi Euangelica luce lustrati. 976.67.c
Dei indignatio fulmina & fulgura. 1054.28.d

Infans.

Infantes in vrbium expugnatione saxis allisi. 1103.36.e
Elisi infantes discissis prægnantibus.
Cur infantes innocentes interficiant tyranni. 554. 70.e
Infantes ad publicas preces & planctus adhiberi soliti. 845.24.d
Infans tribus annis lactatus apud Hebræos. 23. 42.a
Infernus pro sepultura, morte, aut damnatorum carcere. 1105.46.d.381.a
Inferni fauces putantur esse in valle Iosaphat. 507.32.b

Infirmus.

Infirmari in Scriptura quid. 118.12.e
Infirmus est qui in seipso fidit, & infra nihilum. 680.56.b
Infirmæ res & leues magnarum rerum instrumenta sunt in manu Dei. 480.82.e
Infirmitatis est seipsum occidere. 854.7.a
Pro vario hominum ingenio. 586.19.d

Ingratitudo.

Ingratitudo odiosa. 1309.1.b.
Ingratitudo misericordiam Dei exsiccat. 185.a
Ingrata vox inimici. 648.52.d

Digitized by Google

Iniquitas & similia pro supplicio. 1751.…c
Iniquitas terræ quomodo vna die à Christo sublata. …
Innocentiæ symbolum candor. 735.16.c
Nulla inopia timenda fauente Deo. 1247.113.c
Insignia maiorum in liminibus aliisque locis illustribus describi solita. 1239.18.b
Insignia religionis aut amatorum gestari solita. 54.47.b
In Instrumenti vsum habet. 1155.11.b
Insulæ dicuntur longinquæ regiones. 1297.33.c
Inter initium & principium discrimen. 966.36.c
Interiectionum loco verba. 12.7.e
Interimere se sua manu nemini licitum. 815.54.c
Inuestigo verbum venatorium. 1268.18.e
Corpus Ioacim stigmate impio notatum. 979.78.d

Ioannes.

Ioannes Christi, Patrisque Præcursor. 1761.8.e
Ioannes propriè Elias non fuit. 1788.15.e
Ioannes cur dictus Angelus. 1764.a

Ioel.

Ioelis genus & patria. 417.1.b
Quo tempore vaticinatus. 418.2.a
Ioel locutus ad duas tribus. 419.3.b
Ioel alter filius Samuelis. 417.1.c

Ionas.

Ionæ patria.787.1.a. Ex quo genere. ibid.2.d
Quo tempore prophetauit. 788.3.c
Contra quos prophetauit. 789.4.a
Ionæ minæ conditionatæ. 843.17.d
Ionas cur fugerit. 801.8.b
Ionæ tempestas miraculosa. 810.37.b
De Ionæ ceto fabulæ Hebræorum. 831.31.a
De Iona iactato in mare fabulæ Hebræorum.816.59.c
Ionæ piscis quis. 822.2.d
Ionæ historia postquam deturbatus è naui. 831.33.d
Quomodo Ionas in ventre ceti & Christus in corde terræ fuerint tribus diebus & totidem noctibus. 823.6.c
Hebræorum fabulæ de duobus piscibus qui Ionam deuorarunt. 822.3.b
Ionas quota hora vomitus à ceto. 834.b
Ionas in quem locum eiectus. 833.39.c
Ionas liberatus Resurrectionis, & liberationis è graui malo typus prouerbialis. 180.13.e
Ionas à quibusdam à culpa defenditur. 853.5.d
Ex Ionæ historia conficta fabula Andromedæ. 806.14.a
Ionæ historia à quibusdam iudicata fabulosa.821.1.a
Ionæ Prophetia de Romanis. 789.5.c
Ionæ vita & mors. ibid.6.d
Ionas sanctus. 859.26.a
Ioppe ædificata creditur ante diluuium. 804.20.e
Eius descriptio. 806.15.c.831.32.c

Iosaphat.

Vallem Iosaphat esse aliqui negant. 504.23.d
Iosaphat prope Ierusalem in valle sepultus esse creditur. 505.25.b
Vallem Iosaphat prope Ierusalem esse aliqui dicunt. ibid.d
Disceptatio de valle Iosaphat. 462.23
Vallis Iosaphat pro loco vbi strages edita. 506.30.d
Vallis Iosaphat inferni symbolum. 507.32.b
In valle Iosaphat tãtum erũt damnandi. 505. 18.e
Vallis Iosaphat dicitur Tophet. 507.31.b
Vallis Iosaphat idoneus ad iudicandum locus. 506.30.e

Ioseph.

Ioseph pro Israel. 1539.33.c.1591.12.a
Ioseph pro decem tribubus. 636.16.c
Quomodo à Ioseph in nuptiis empta est Maria. 90.16.d
Iosephi historici errores de templo secundo. 1368.34.c
Eiusdem leuis in historia fides. ibid.a

Iosias.

Iosiæ tempora Machabæorum similia. 1653.3.a
Iosiæ pietas. 1564.7.b
Iosiæ planctus solemnis. 1646.48.e
Eius filij omnes aut cæsi aut capti. 1270.21.c
Iosias typus Christi. 1564.15.e

Ira.

Ira Dei grauis. 1611.33.b
Ira Dei rugitus leonis. 328.57.c
Ira Dei à peccatore prouocata. 574.43.d
Iram aliquandiu suspendit Deus donec adueniat peccatorum mensura. 21.37.c
Iram Dei frangit humilis spiritus, acuit superbus. 854.8.c
Ira pro supplicio. 1021.35.b
Iram instillare & effundere quid. 167.45.d
Ira Chaldæorum implacabilis. 1279.49.d
Iracundia in res inanimatas stulta. 1226.b
Iris vulgo existimatur aquam haurire è mari. 639.a
Ironia in Scriptura vsitata. 195.58.b
Isaias non fuit filius Amos Prophetæ. 1399.25.b
Isaiæ & Micheæ eadem verba. 933.1.a

Israel.

Israel pro Iuda. 1539.33.c
Israel pro toto mundo. 965.a
Israel pro iis qui redierunt ab exilio. 1705.4.a
Israel vocatus filius Dei. 313.a
Israelitici populi pueritia. 312.5.c
Israelitici populi adolescentia quæ. 68.94.d
Cur domus Israel vocantur decem tribus. 877.24.e
Israelitæ in Ægypto coluerunt idola. 564.15.c.143.45.d
Israel ad Gentilium instar coluit idola. 213.28.c
Israel legum ac iugi impatiens. 221.55.e
Ludi Israelis ad aras.717.35.d. ante idola & vitulos. 251.1.a
Israelitici nominis hostes Idumæi. 742.47.a.552.64.b
Israelitis aliquando infensa Tyrus. 551.60.b
Israel mercede sibi malum accersiuit. 240.35.c
In Israel quis equorum vsus. 398.21.b
Cur Virgo vocatur Israel & alij etiam populi idololatræ. 632.4.c
Israelitis infensissimi Ammonitæ & Moabitæ. 553.69.c
Cur Israelitæ dicti claudicantes. 940.17.d
Israel ab Assyriis variis temporibus attritus. 689.8.d
Israelis in duas tribus crudelitas. 285.27.b
Israelitæ cur dicti Æthiopes. 735.17.d
Israelitæ omnes post exilium vnum habuerunt caput. 740.b
Inter Israelitas & Tyrios sociale fœdus. 551.61.c
Israelem per Prophetas sæpe admonuit Deus. 351.44.c

Israelis

Israelis propria loca priùs ab Assyriis occupata.
...
Subacti ab Israele Idumæi. 1708.14.c
Israel Assyriis vectigalis. 169.51.e
Israelitæ apud Assyrios & Ægyptios exularunt. 329.60.c

Iudæus.

Iudæorum antiqna tempora meliora. 741.45.d
Iudæi licet exules non tamen a Deo repudiati. 94.27.& 28
Iudæis cum Gentibus prohibita coniugia. 1743.47.e
Iudæorum animi dissoluti, ad Chaldæorum ingressum. 1219.72.d
Iudæis visitata maleficia. 979.78.d
Post exilium Iudæi infensos sibi populos subiugarunt. 974.a
A captiuitate soluta inter Iudæos idololatria non fuit. 980.82.e
Iudæorum in vxores inclementia. 1750.68. & 54
Orantes Iudæi ad templum conuersi. 832.36.e
Iudæa grauiter vexata tum ab externis tum à cognatis tribubus. 298.72.e
Iudæi ab exilio reuersi cum iubilo & plausu.1249.158.d
Post exilium plures prouincias obtinuerũt quàm antea. 1556.23.a
Ad Iudæos ex gentibus aggregati multi. 1319.c. & 1542.41 a
Iudæi grauibus oppressi vectigalibus. 105.62.e
Iudæorum calamitas prouerbialis. 1356.a
Clamare in collibus aut signa proponere soliti. 163.34.e
Iudæa Chaldæis in possessionem data. 1217.68.e
Iudæorum perfugium in speluncis.291.49.b 751.13.d
Iudæi ne Gentibus essent dissimiles, adduxere præputia. 1272.26.c 1615.71.b
Iudæos Romani suo nomine non dignantur.105.61.c
Iudæorum vilis miseraque conditio. 137.26.d
Iudæorum vestes & crines illuminata argento. 1276.38.b
Vagi ac timidi Iudæi. 271.a
Iudæorum nostri temporis status. 104.58.c
Quid à Chaldæis passi Iudæi. 1421.a
Eorum ieiunia. 1540.36.d
In Iudæos plus sibi iuris sumpsit Babylonius, quàm à Deo datum. 1295.25.c
Iudæi in Babylonia simulacra & augures consuluerunt. 1586.8.d
Iudæi in Babylonia relicti. 1587.11.c
Iudæi in Babyloniam reuersi. 1586.8.d
Quàm latè se diffuderint. 1593.32.d.1532.15.c
Eorum mutuum inter se odium. 1622.62.b
Sacrificauerunt Herculi & Baccho. 1587.11.d
Iudæus cur vocatus manzer. 1556.25.e
Inter Iudæos qui relicti fuerunt in patria multi Principes. 1517.8.a
Iudæorum populus in omnibus locis honoratus, vbi antea confusus. 1331.a
Sordidi & fœtentes hodie Iudæi.104.59.c.1683.37.e
Ab omnibus repulsi. 105.61.a
Iudæorum cum externis connubia exilij tempore. 1741.40.e
Iudæorum lacrymæ in secundi templi fabrica. 1357.1.b
A Iudæis fœtor in baptismo depositus. 104.60.e
Ex Iudæo neminem ad suam sectam immediatè admittunt Mahometani. 105.61.b
Iudæi huius temporis non possunt appellari sponsa. 103.55.e
Iudæi ad finem mundi conuertentur. 504.22.a
Contra Iudæos illustris locus. 1362.18.c
De Iudæis nostri temporis non videtur locutus Oseas. 103.56.d
Iuda & Ierusalem Ecclesiæ typus. 1769.31.e
De Iuda figmentum Hebræorum. 331.a
Cur Iudæi Hispaniam Sepharad appellarunt.782.75.c
Iuda tribus & ex ea Duces & gubernatores.1591.23 d

Iudex.

Aliter iudex aliter cædit hostis. 1139 61.a
Iudicis animus in Deo circa peccatorem. 22.40.c
Iudices olim iidem pene qui Reges. 212.26.e
Iudicium malorum est non tam emendare, quàm perdere. 1139.62.c
Iudicum iniquitas. 637.a
Iudex & prælatus instrumentum Dei ad correctionem non ad exitium. 1417.77.c

Iudico.

Iudico idem quod administro & moderor. 936.13.d
Iudicare noctu soliti Areopagitę & cur.1740.36.d
Ad iudicandum idoneus locus vallis Iosaphat. 506.31.e
Humanitas Dei in iudicando. 988.5.b

Iudicium.

Cur iudicium in portis. 640.27.b
Iudicium cum his graue qui terrena amant. 115.4.e
In iudicio persona non accipienda. 1743.45.b
In iudicio & iustitia summum imperium significatur. 75.114.b
Iudicium in hac vita incertum & fallax.1786.5.a
In diuino iudicio reuelantur omnia. 649.54.c
Iudicium Dei contra peccatorem. 693.b
Iudicium finale. 1680.30.e 1228.95.c
Iudicij signa præcedent iudicem.511.43.a 1631.a
Pro iudicio extremo messis. 509.38.a
In iudicio apparebit qualis quisque fuerit. 187.35.e
In iudicio horribilis facies Christi. 1766.21.c
In iudicij die iusti omnino ab iniuriis vindicati. 515.58.b
Bonorum à malis qualis in extremo iudicio separatio. 383.66.c
In Dei iudicio qui testes peccatorum ignominiæ. 589.16.b
In extremo iudicio quanta tempestas. 1050.16.c
Iustis iudicium horribile non erit. 1787.9.b
Sancti à quibus accepimus viuendi formam testes in iudicio. 989.8.b

Iugum.

Iugum Dei leuissimum est cum graue videatur. 319.29.e
Graue iugum quod ab homine imponitur. 320.31.c
Iugum super maxillas exaltans quid. 318.24.b
Iugi ac legum impatiens Israel. 221.55.e

Iuramentum.

Iuramentum actus religionis. 1267.14.d
In quouis iuramento intelligitur Deus. 604.9.e
In iuramentis idem *in* quod *per*. 604.8.d
Iuramento adiuncta execratio. 1356.26.c
Iurare per animam suam quid. 671.29.c

Iustus.

Iusti in ciuitate quasi firmi lapides, impij quasi stipula.

Digitized by Google

ftipula. 738.38.d
Iustis quomodo dicatur exultandum in malorum supplicio. 1788.13.c
Iustis creaturæ omnes seruiunt. 78.124.b

L.

LAbia in timore tremunt. 1245.147.d

Labor.

Labor pro eo quod labore comparatur. 258.26.a
Peccatoris labor grauis & stultus. 337.1.b
Inanis labor nisi quæ Dei sunt prius curentur. 1348.23.d
Alacritas & constantia in laboribus pro Deo. 1722.66.b
Laborantium carcer ergastulum. 990.12.e
Lac poculentum. 49.34.b
Lacto quid. 63.76.c
Lactatus infans apud Hebræos tribus annis. 23.a
Lacrymæ Iudæorum in secundi templi fabrica. 1357.1.b
Lacunar & laquear quid. 1343.9.e
Lacus sine aqua carcer durus est, cur ita vocatus. 1567.56.b
Læti viuere, qui tristes sunt mori dicuntur. 409.29.b
Lambere aut lingere idem interdum quod tangere. 1030.a
Lampas in fastigio candelabri Christus. 1.,51.9.a

Lapis.

Lapis oneris. 1633.6.c. idē est quod discus. 1636.13.a
Lapides vocantur mercatorum pondera. 999.37.c. 1473.42.a
Lapis stanneus perpendiculum. ibid.b
Lapidum aceruus pro magna vastitate. 353.50.e
Lapides erecti in terra promissionis. 1574.74.b
Lapis typus Christi. 1450.34.d
Laquei varij pro vario hominum ingenio. 586.19.d
Lasciui valde vituli. 286.30.c
Latebræ & speluncæ Iudæorum. 731.13.c
E laterculo magis quam è saxo ædificia in Chaldæa & Niniuæ. 1106.44.b
Inter latronem et furem differentia. 206.6.c
Latro idem quod miles. 956.b

Laus.

Laus quæ grata Deo. 394.12.e
Sacrificium laudis gratum Deo. 395.13.b
Iustorum laudes gratæ Deo. 1327.54.e
Impiorum laudes Deo ingratæ. 1328.55.a
Iustorum hominum laudator Deus. 1327.53.d
Leæna & pardus pro sæuitia & fortitudine. 370.24.b

Lectus.

Lecti eburnei. 665.11.c
Triclinares Hebræorum lecti. ibid.12.d
Lectorum tam cubicularium quam triclinarium ornamenta. ibid.11.b
In templis instrati ad dormiendum lecti. 569.28.c

Leo.

Leonis catulus idem quod leo. 433.23.e
Leones in Iudæa. 1603.9.e
Rugitus leonis pro re horribili. 327.54.d
Rugitus leoni pro telo. 585.13.d
A leone in vrsum & ab hoc in viperam prouerbium. 646.45.b
Leonibus ferociores existimati leunculi sed falso. 171.57.d
Leuare manus pro laudare. 1233.108.c
Iuramenti signum. 1435.26.d

Leuita.

Leuitæ qui Ieroboam secuti sunt non amplius ad Sacerdotale ministerium redierunt. 125.34.e
Leuitæ vocati etiam noui testamenti Sacerdotes. 1738.28.a

Lex.

Lex noua non mutanda. 1361.14.e
Vetus lex cur dicta mobilis. 1361.15.b
Legis vicem habet exemplum sacerdotum & Principum. 1738.30.e
Leges viuæ sancti. 242.40.a
In legibus ferendis curandum non est quid stulti velint & sentiant. 397.19.b
Libanus pro templo. 1602.3.b. Cur Ierusalem dicta Libanus. 1590.20. In Libano duæ portæ seu fauces. 1605.13.b
Libatio quid propriè. 255.15.b
Librum memorialem habet Deus & cur. 1781.70.a
Liberatus quis dicitur aut ereptus ab eo ad quod à lege seu natura dispositus. 540.29.d
Libri Hebræorum ab initiis titulum assumunt. 1195.10.d
Orationis libertas Deo interdum grata. 1110.4.e
Libertas è Babylonia typus libertatis è peccato. 1565.50.c
Linguæ originalis genus interdum retinetur à vulgato. 697.36.b

Libido.

Libido homines cæcos & amentes reddit. 132.59.e
Libidini opportuna loca ad cultum suum eligit dæmon. 134.66.c
Libidinis lenocinia aut ornamenta quæ ad illam inuitant dicuntur fornicatio. 40.7.c
Libidinis diuersoria in templis. 569.a

Locus.

Locus pro his quæ loco continentur aut nascuntur. 995.28.d
Locus alicuius non est inuentus, pro aliquis non est inuentus in loco. 1593.31.c
Locus & tempus visionis aliquid designat. 1403.42.e
Pœnitentiæ locum non inuenit Esau. 1733.12.c
In comparationibus excellere existimantur quæ extremo loco ponuntur. 537.17.c
Dei excelsus locus misericordia ipsius & veluti maiestas. 875.26.c
Ab Assyriis prius expugnata propiora Israelis loca. 709.6.c
Loca sæpe nomen sumunt ab euentu. 141.85.c. 1620.59.c

Locusta.

Locusta agrorum pestis. 430.10.b
Locusta inanis gloriæ symbolum. 431.14.c
In locusta armati hominis species. 687.3.c
Locustarum multitudo prouerbialis. 430.10.c 1106.47.d
Locustarum proprietas. 430.10.b

Luctus.

Luctus pro mortuorum exequiis. 255.17.d
Luctus aliter à viris aliter à fœminis. 1647.51.c
Eius familiaris forma. ibid.51.e
In luctu atque dolore deposita cæsaries. 890.72.c
In luctu saccus vsitatus tam pro operimento quam pro lecto. 438.41.c
Habitus fœminarum in luctu. 435.27.d

Ludi

Digitized by Google

Ludi Israelitarum ad aras. 717.35.d. ante idola & vitulos. 251.1.a. In luctu caluitium. 718.37.b

Lugeo.

Lugeo quid in sacris literis. 437.35.d
Lugere interdum dulce est. 902.22.c
Lugere illa dicuntur quibus aliquid accidit naturæ suæ contrarium. 1132.105.a
Luna typus Ecclesiæ. 1237.121.c
Sol & Luna pro statu felici. 1234.110.b

Lupus.

Lupi vespertini. 1130.33.b
Lupi in nocte sæuiores. ibid.34.c
Lupi noctu vident. 1131.35.a
Lusciniis non solùm dulcis sed etiam lugubris cantus. 884.47.d

Lux.

Lux pro vita. 1021.34.a
Lux odiosa Dæmoni. 342.14.c

Luxuries.

Luxuries quam ingrata Deo. 799.5.e
Luxuries ad conuersionem maximum impedimentum. 135.20.c
Luxuriæ symbolum eruca. 431.14.c
Luxuriosi sunt iumenta putrida. 443.53.b

M.

Machabæi.

Machabæi armati oratione fortes. 977.70. c. 1571.66.a
Machabæorum infirmus exercitus Dei virtute potens. 1573.71.b
Machabæos probabilius est fuisse ex tribu Leui. 1591.23.d

Madianitæ.

Madianitarum viuendi ratio. 1224.83.d
Madianitæ qui & Æthiopes à Deo superati. 1223.83.d
Magdalenæ quomodo dimissa peccata quia dilexit. 1710.26.a
Magistratus & artifices cum multa exerceant ab vno tamen opere nomen assumunt. 212.24.c
Magnificare os quid. 771.45.b
Mahometani ex Iudæo neminem immediate ad suam sectam admittunt. 105.61.b
Maiestas Dei misericordia est. 875.16.c
Maiorum insignia in liminibus aliisque locis illustribus describi solita. 1299.38.b

Malachias.

Malachiæ patria & genus. 1695.1.a
Quo tempore vixit Malachias. 1698.7.b
Ad quos prophetauit Malachias. ibid.8.d
Malachias existimatus Esdras. 1695.1.b
Malachias non fuit Esdras. 1696.3.a
Malachias non fuit Angelus. 1697.5.a
Cur cum Malachia pictus Angelus. 1698.a
Malachiam & Baptistam Angelos fuisse quidam falso putant. 1350.28.c

Maledictio.

Maledictio quid. 1482.10.c
Maledictio hominum quàm parum timenda. 1731.5.c
Maledictio Dei quàm timenda. ibid.
Maledictio diuina horribilis est. 1242.136.a
Maledictio grauis sterilitas. 268.63.b
Maledicere soliti Gentiles diis suis. 675.40.a
Maleficia Iudæis visitata. 979.76.a
Ad amorem conciliandum vsitata maleficia. 1094.7.d

Malum.

Malus etiam in re non bona optimæ rei symbolum. 16.19.d
Malorum infortunata felicitas. 1780.68.d
Malum in auctorem suum relatum. 1419.82.d
Mercede sibi malum accersiuit Israel. 240.35.c
Mancipia idolorum suorum Gentiles. 1095.8.a

Mane.

Mane, diluculò, & similia pro magno studio & ardore. 900.4.c
Mane, diluculò, & similia celeritatem indicant. 1312.10.c
Manè seu aurora pro tempore breuissimo. 311.1.a
De mane vsque ad noctem pro tempore breuissimo. 1222.21.e
Matutinus ros pro re momentanea. 184.26.c

Manus.

Manus pro vinculo aut vncino. 1179.79
Manus leuatio iuramenti signum. 1435.26.d
Manus leuare pro laudare. 1233.108.c
Manus dissolutæ prouerbium. 1326.b
Manuum & capitis varius motus varios affectus significat. 1100.25.c
Manuum osculum in adoratione. 366.14.e
Manu sua se interimere nemini licitum. 815.54.c
Manzer cur dictus Alexander. 1554.19.e
Maranatha quid. 1792.24.b

Mare.

Mare mortuum dictum mare salis. 1295.24.a
Ad mare rubrum dimicatum de cælo. 1234.112.c
Mare rubrum pro maximo periculo. 1594.c
Mare Pamphyliæ apertum esse Alexandro fabulosum. 1595.36.d
Mare Tyberiadis amœnissimum. 1605.14.e
Mare orientale pro ortu nouissimum pro occasu. 1682.34.b
In mare proiectum dicitur cuius memoria in æternum perit. 1033.73.c
Maria syluas alunt occultas. 830.28.d

Maria Virgo.

Maria Christi templum. 1764.17.d
Maria quomodo in nuptiis empta à Ioseph. 91.a
Maria Prophetissa. 991.a
Mariæ Virginis salutaris deuotio. 1787.8.a

Maria soror Moysis.

Maria fœminis præfuisse creditur sicut viris Moyses. 991.16.c
Maria à Deo & à populo Hebræorum magni habita. 992.18.c
Propter Mariam Aaron & Moysem tria beneficia data existimantur. ibid.d
Maria peccatrix à multis putatur diuersa à sorore Lazari. 1668.20.b
Martius ab initio mundi primus mensis anni. 1391.b

Maritus.

Maritus cum vxore caro vna & spiritus vnus. 1748.62.b
Maritus vxori de alimento in totam vitam prouidet. 91.18.e
Maritus vxori parentis loco. 74.111.c
Masculus pro perfecto. 1722.65.a. Aptior sacrificiis. ibid.
Mater arborum pro radice. 304.91.d
Matrimonia Iudæorum cum Gentibus prohibita. 162.a
Super maxillas exaltans iugum quid. 318.24.b
Medi, Persæ & Chaldæi olim subditi Assyriis. 972.58.e

Medicina

Digitized by Google

Medicina.

Medicina humana nulla est contra inflictum à Domino vulnus. 171.55.a
Medicinam horret peccator vt phreneticus. 316.18.d
Medicina morbi, quem immisit Deus speranda à Deo. 1021.37.e
Mel in aëre fit. 78.125.e
Melchon quid. 1267.15.e

Memoriale.

Memoriale quid. 345.25.e
Memoriale piorum nomen Dei. 346.26.e
Memorialem librum habet Deus & cur. 1781.70.a
Cuius memoria perit proiectum in mare dicitur. 1033.73.c
Memoria lapsi magni auctores. 1446.18

Mendacium.

Mendacium quo sensu optari possit. 909.35.c
Mendacij panis quid. 320.83.c
Mendax ager aut vinea, quid. 252.6.e
Os mensuram interdum & proportionem significat. 300.78.e

Mensa.

Mensa pro altari. 1713.33.c
Mensam cum Gentibus habere communem non licebat Iudæis. 145.98.d
Sacrandi mensam consuetudo apud Hebræos. 254.12.b

Mensis.

Mensium nomina. 1391.5.c
Mensium quis ordo apud Hebræos. 1389.2.d
Propria mensium nomina etiam ante captiuitatem. 1391.6.a

Mercator.

Mercatores Chananæi. 348.31.b
Mercatorum pondera lapides dicuntur. 999.37.c

Meretrix.

Meretrix infernus est. 384.a
Meretricis studium & vota. 1096.12.d
Meretricum sordes. 1097.17.d
Meretrices & pathici aliquando in templo Solymitano. 138.76.d
Meretricum & cynædorum prostibula Gentilium templa. ibid.c
Meridionalis ventus Theman. 768.b

Messis.

Messis pro vastitate. 196.a
Messis & torcular pro strage. 508.37.e
Messis pro extremo iudicio. 509.38.a
Messis pro qualibet collectione fructuum. 196.63.d

Metus.

Metus magnus comparatione belli significatur. 508.34.b
Metum castris Deus incutit. 467.38.c

Michael.

Michael Synagogæ Princeps. 1404.44.c
Michael strenuus in defendendo populo. 1407.51.b
Michael dux Angelorum tutelarium. 1409.59.e

Micheas.

Micheæ genus & patria. 861.1.a
Quo tempore prophetarit Micheas. 862.2.a
Micheæ dicti Prophetæ duo. ibid.e
Micheæ & Isaiæ eadem verba. 933.1.a
Contra Ierusalem & Samariam prophetat Micheas. 871.1.a
Micheæ vita & mors. 863.3.a
Mille in scriptura idem interdum quod omnia. 963.25.b

Milites.

Milites sanctificati qui. 1270.a
Militum fustuarium supplicium. 957.6.c
Militum custodia in templis. 1079.31.d
His qui in re militari deliquissent datum hordeum pro tritico. 92.a
A militari virtute abesse debet auaritia. 465.33.c
Quæ militia cæli. 1290.11.d

Minæ.

Conditionatæ minæ Ionæ. 843.17.d
Minæ Dei aliquando conditionales. 470.48.b
In ministris suis pugnat Deus. 1212.52.b
Status & ministerium peccatum aggrauat. 812.43.c
Propheticum obire ministerium durum est. 1704.2.d

Misericordia.

Misericordia oblatio Deo gratissima. 188.37.d
Misericordia furorem Dei auertit. 185.29.d
Misericordiam Dei exsiccat ingratitudo. ibid.a
Veritas sæpe cum misericordia coniuncta. 1034.76.c
De misericordia Dei nimium confidunt impij. 904.18.a
Misericordiæ memor Deus etiam cum indignatur. 1203.32.b
Misericordia excelsus Dei locus & ipsius veluti maiestas. 875.16.c
Ad misericordiam & veniam Deus valde pronus. 39.e
Misericordia sacrificium est. 189.39.b
Miseremur eorum maxime, qui talia patiuntur, qualia nos antea. 853.3.a
In Missarum sacris silentium indicitur. 1184.94.d

Moabita.

Moab quomodo peremptus. 564.12.a
Moabitæ & Ammonitæ prope mare mortuum. 1293.21.d
Moabitarum & Ammonitarum in Israelitas odium. 553.69.c
Moabitæ & Ammonitæ superbi. 1296.28.a
Ab Ammonitis & Moabitis occupatæ possessiones Israelis. 498.6.d
Moabitæ & Ammonitæ auxilio fuerunt Nabuchodonosori. 1293.20.c

Modestia.

Modestia in argumentando qualis esse debeat. 1155.13.e
Modestia Athanasij in reprehendendo. 563.10.c
Modus orandi vtilis & ingenuus. 473.58.d
Exordiendi orationem vehemens modus. 1120.d

Montes.

Montes ad ingressum Israel verè & propriè commoti. 1210.a
Montes cur dicantur æterni. 1211.78.c
Montes cadite super nos. 290.48.c
Montes quidam hominum manibus facti. 1212.a
Montes sæculi & colles mundi. 1220.a
Commoti reuera aliquando montes. 1052.22.d

Monstra.

Monstra cur gignat Africa. 44.18.e
Monstra concipit anima à Deo aliena. 45.20.a
Morbi interdum non à naturali causa sed à Deo & ab illo speranda medicina. 1021.37.e

Mori.
Mori pacificè quid. 563.11.d
Congregari idem quod mori. 120.18.e
Moritur anima à Deo diuisa. 279.8.d
Mori censentur qui tristes sunt, viuere qui læti. 409.19.b
Mors existimatur ærumnosa vita. 364.5.b
Pro morte aut sepulchro infernus. 381.58.a
Mortem columbæ adducit ambitio. 115.39.e
Vsque ad mortem idem quod valde. 858.21.e
Luctus pro mortuorum exequiis. 255.17.d
De mortuis non nisi honorifice loquendum. 563.10.e
Mortua dicuntur quæ vigorem amiserunt aut languent. 1402.19.e
Mortuus censetur qui vitam agit ærumnosam & tristem. 182.18.a
Mortua cur interdum dicitur anima. 1372.47.c
Quæ ad mortuos pertinent polluta. 255.18.e
Mortuorum sepulcra religiosa ac veneranda. 562.6.e
Mortuus pro mortali aut morituro. 563.4.d
Mortis symbolum vncinus pomorum. 710.8.a
Mores.
Talis aliquis dicitur, qualis ille cuius exprimit mores. 1789.16.a
Quorum imitamur mores, illorum filij nominamur. 740.41.e
Affectuum variorum indices varij manuum motus. 1100.25.c 1109.57.a
Moyses.
Moyses cur dictus Apostolus. 1765.18.a
Populum à Moyse eo modo tractari voluit Deus quo ipse tractauit. 315.14.c
Sicut Moyses viris sic Maria fœminis præfuisse creditur. 991.16.e
Propter Moysen, Aaron & Mariam tria beneficia data existimantur. 992.18.d
Mulier.
Mulieres vocantur qui sunt imbelles. 1105.41.e
Mulieres prægnantes discissæ & allisi infantes. 391.4.d
Mulier & vir aliis à natura rationali attribuuntur. 606.15.e
Multitudo.
Multitudinem & præstantiam significat *Ter.* 536.14.b
Multitudinem distributam significat *Vir.* 607.16.a
Vbi ex magna multitudine relicti pauci nullus existimatur aut dicitur esse reliquus. 460.d
Mundities.
Quanta Sacerdotum mundities dum sacrificiis dant operam. 61.69.d
Munditiem etiam externam Deus in Sacerdotibus commendat. 62.71.b
Mundus.
Mundi colles qui. 1220.a
Mundum Christus subiecit in cruce. 1214.56.c
Ad mundi finem conuertendi Iudæi. 504.22.a
Qui mundo ac vanitati meliora tempora tribuit, malè sibi consulit. 1710.61.e
Quid munera nostra ingrata reddat aut vim adimat. 1723.69.b
Muri fortissimi in quibus excubat Deus. 695.29.c
Musca in conuiuiis. 666.15.e
Vera vitæ mutatio. 468.43.e
Mutatoria quid. 1445.15.c

N.

Nabuchodonosor.
NAbuchodonosoris potentia & aliorum contemptus. 1134.a
Nabuchodonosor sua potentia abusus. 1139.62.d
Nabuchodonosoris machinæ ad oppugnandum. 1135.a
A Nabuchodonosor ludibrio habitus Sedecias. 1179.78.b
Nabuchodonosoris in ornanda Babylone magni sumptus. 1176.72.e
Nabuchodonosor forte periit, Ierusalem bello. 475.65.c
Nabuchodonosor aliquando vocatus Assur & Chaldæi Assyrij. 1025.a
Nabuchodonosoris magna mutatio. 1135.51.e
Nabuchodonosori auxilio fuerunt Moabitæ & Ammonitæ. 1293.20.c
A Nabuchodonosore subacta Æthiopia. 1297.34.d
Nabuchodonosor vocatus aquila. 230.4.d
Nahum.
Nahum genus & patria. 1037.1.a
Nahum non prophetauit in Niniue. 1039.a
Nahum contra quos prophetauit. 1038.3.c
Nahum Prophetæ mors & sepultura. 1040.7.d
Nares latæ pro patientia, contractæ pro ira. 1049.a
Non nasci melius, quam nasci miserum. 268.64.d
In Natalitiis feriis Aguinaldum petere vnde apud Hispanos ortum. 106.62.e
Hispanica vox Naua vnde habet originem. 534.7.b
Qui à naufragio liberantur vota nuncupant. 818.62.a
Nazaræi magno in pretio apud Hebræos. 573.39.c
Nebulosa turris gregis. 941.31.e
Negatio.
Negatio sæpe repetita. 1777.57.b
Negatio vniuersali nomini addita facit vniuersale negatiuum. 112.22.b
Cum negatione contrarij affirmatio cum epitasi. 158.16.e
Negotiatio.
Negotiatio fallax si Deus est offensus. 1345.15.e
In negotiatione fraus odibilis Deo. 968.35.c
Neomenia quid & cur instituta. 59.63.a
Niger color prauum ingenium, & mores indicat. 735.26.b
Nilus sæpe fallit spem Ægypti. 1690.61.e
Niniue.
Niniue Babylon existimata. 839.4.c
Amplitudo Niniuæ. 797.2.c
Niniuæ conditor & amplitudo. ibid.
Niniuæ ædificia è laterculo magis quàm è saxo. 1106.44.b
Niniue antiquissima imperij sedes. 840.7.b
Niniue duplex. 838.4.e
Niniuæ peccata. 799.6.d
Niniuitarum vera pœnitentia. 848.30.b
Niniue quomodo subuersa. 1040.6.b
Niniue spiritualiter subuersa. 841.15.d
Niniue apud Diodorum quomodo capta. 1078.26.b
Quanta Niniuæ longitudo. 838.4.e
Cur Niniuitæ in Deum crediderunt. 843.18.e
In Niniue non prophetauit Nahum. 1039.a
Nisan ab initio mundi primus mensis. 1391.b
Noe.
Noe & qui fuerunt in arca abstinuerunt ab vsu coniugij. 471.56.d
In

Digitized by Google

In arca Noe seorsum viri ac fœminæ. 471.56.e
Noe tribus fabulis occasionem dedit. 805.21.c

Nomen.

Nomini diuino magna debetur reuerentia. 674.38.c
Deo de suo nomine magna cura. 970.51.d
Nomina Deo variè accommodata pro rerum opportunitate. 1402.39.d
Nominare Dei nomen quomodo aliquid indicat blasphemum. 674.38.b
Dei nomē aliis insertum nominibus dignitatem conciliat. 114.2.d
Nomen Dei tetragrammaton Gentes suis interdum diis tribuerunt. 142.88.e
Vnum Dei nomen in terra. 1684.39.b
Cum diuino nomine nulla indecora vox ab Hebræis coniungebatur. 674.39.d
Deus cum suo nomine magnum onus imponit. 115.2.b
Nomen Domini pollui quid. 1711.25.e
Nomen Dei violari à peccatore cur dicatur. 568.24.b
Nominata ab euentibus loca. 141.85.e.1620.59.c
Inuocari super aliquem alicuius nomen potestatis est. 75.114.d
Nomen pro persona. 1684.39.c.970.48.a
Nomen bonum cum rebus odoriferis comparatum. 413.42.e
Dei nomen Prophetiæ suæ cur prætendunt Prophetæ. 9.1.e
Nomen aliquando res assumunt à falsa hominum existimatione. 236.24.e
Commune interdum nomen rebus, & earum auctoribus. 1621.a
Ex ingenio aut artibus nomen sortitæ quædam nationes. 1291.14.b
Nomen aut genus fœmineum tribuitur viro cum muliebre aliquid agit. 137.74.& 603.2.a
Nomina eiusdem hominis diuersorum idiomatum. 1507.40.e
Nomen commune idolorum Baal. 363.3.b
Commune nomē variè à variis redditur. 856.16.e
Loca vbi artes maximè coluntur nomen artificibus tribuunt. 1769.a
Nomen vnde ciuitatibus impositum. 767.34.e
Cōmune nomen Oseæ Prophetæ & Iosue. 10.2.e
Composita nomina non eodem ab omnibus modo conuersa. 674.39
Parentum nomina cur ponant Hebræi. 518.3.c
Ex propriis nominibus altera tantùm pars interdum conuersa. 1100.26.e
Nomen interdum sumunt prouinciæ à vicinis prouinciis. 1025.48.c
Nomen Dei memoriale piorum. 345.25.e
Nomen ab opere vno sumunt artifices & magistratus cum multa exerceant. 212.24.c
Pro proprio nomine sæpe eius significationem ponit interpres. 154.3.e.546.45.e
Nomina parentum sine vlla mutatione pro patronymicis. 100.48.e.1376.61.e
Nomina latina aut peregrina multa in textu Græco aut Hebraico. 781.73.c
Pueri nomen quibus conueniat. 436.30.c
Tale nomen aliquis habet quale eius ætati ac conditioni conuenit, licet ratio nominis absit. 436.30.c
Nomen alicui regioni vernaculum de illa regione indicat sermonem fieri. 781.72.b
Licèt nominis ratio absit tamen ab his quæ vsitatiora sunt in aliquo genere alia compellantur. 99.43.a

Nominatiuus.

Nominatiuus absolutus si pronomen sequatur, quasi in eius casu foret, exponendus. 266.55.a
Nominatiuo aliquando præponitur na eth. 1358.4.c
Non vltra, non amplius, idem quod nunquam: 513.2. & interdum tantum temporis dilationem significant. 321.35.e
Notatiq nominis posita pro nomine proprio. 546.45.c

Nox.

Nox & tenebræ & similia pro affectione. 457.6.b pro cæcitate & amentia. 923.16. b. pro vita ærumnosa. ibid. 17.c
Noctis quatuor vigiliæ tubis distingui solitæ. 303.87.e
Noua lex non mutanda. 1361.24.e
Nouissimum interdum idē quod postea. 102.51.b
Nudus non semper significat omnium vestimentorum spoliationem. 882.41.d
Nudatæ turpiter ancillæ. 56.55.e
Nulli pro paucis. 1264.4.c
Exigua pro nullis. 1705.6.d

Numerus.

Numerus Cardinalis pro ordinali. 535.11.e
Numerus pluralis ad significandam dignitatem pro singulari positus. 965.34.d.1363.20.d
Septenarius & octonarius numerus pro magna multitudine. 972.56.b
A nundinis feriatus dies Sabbati. 713.20.b

Nuptiæ.

Nuptiæ per coēmptionem. 90.16.d
Nuptiarum eximius apparatus. 435.16.c
Nuptiale gaudium pro maximo. 58.62.e
Pro nuptialibus sacris domus in agro. 65.81.b
Inter nurum & socrum quis amor aut odium. 1019.30.e

O.

Obedientia.

OBediētiæ illustre exemplum in Osea. 12.6.a
Quid in obedientia vitiosum. 1713.35.e
Obedientia perfecta superiori etiam imperfecto deferenda. 1713.32.a
Oblatio Deo gratissima, misericordia. 188.37.d
Obsequium humillimum terram lingere. 1030.61.a
Pro obseruantia & religione pauor. 101.49.b
Obstinationis symbolum. 1488.25.a
Obstinatio & quæ ad illam via. 1522.23.a
Per occasionem alibi explicatur quod suo loco omissum in scriptura. 853.4.e
Pro occasu Arabia. 1131.36.b
Octonarius numerus pro magna multitudine. 972.56.b

Oculus.

Oculorum variæ acceptiones. 1484.11.e
Oculorum magna vis. 1767.23.d
Quæ oculis capiuntur grauius mouent, quam quæ auribus. 1123.9.a
Oculi septem pro maxima attentione. 1450.33.b
Oculi Domini septem Angeli. 1474.45.c
Qui oculi Regum dicti. ibid.d
Septem lucernæ candelabra septem oculi sunt. 1475.47.a
Catablepæ noxia vis in oculis. 1133.43.b

Odium.

Magnum odium quo dicendi modo significetur. 905.24.e
Magni odij argumentum est alicuius nominis vel obscuram notam audire nolle. 194.56.b
Odium in parentes. 906.27.d

Digitized by Google

Odium inter socrum,& nurum. 1019.30.c
Ammonitarum, & Moabitarum odium in Israelitas. 553.69.c
Odium immortale inter Israelitas, & Idumæos. 551.64.b
Odor pro fama. 413.42.d
Odor firmitas, & pulchritudo Ecclesiæ. 411.a
Officina simulacrorum in Galaad. 194.56.b
De Og fabulæ Hebræorum. 572.57.c
Oleum accipiunt Reges & sacerdotes à Christo. 1465.16.a
Oliueti in monte castra Romanorum. 1674.9.b
Quomodo mons ille diuisus. 1676.14.b

Oliua.

Oliuæ vsus & species. 411.35.b
Oliuæ duæ cælatæ in candelabro. 1461.12.b
Quid oliuæ duæ significent in populo Iudaico. 1463.13.a. Quid in Ecclesia. 1466.21.e
Cur oliuæ duæ dicti Elias & Enoch 1466.19.b. 1467.22.b
Omnes pro plurimis,nulli pro paucis. 1164.4.c

Onager.

Onager libidinosus & zelotypus. 238.31.e
Onagro præmatura celeritas noxia. 239.33.e
Onagri proprietates. 238.29.c

Onus.

Onus quid. 1045.1.c
Onus peccati graue. 808.30.a
Operæ suæ pretio priuari durum est homini. 1009 1.c
Operio abundantiam significat. 1746.56.e
Operiri sicut pallio magnum aliquid & manifestum significat. 1750.70.e

Opes.

Opes occultandæ. 217.41.e
Opes alienæ clamant contra iniustum possessorem. 1177.75
Opum abundantia peccatorum occasio. 303.87

Opus.

Opus pro operis mercede. 106.61.e
Opus Dei non otiosum etiamsi inutile videatur hominibus. 1128.96.d
Opus quod Deum non spectat vanum est. 1355.14.c
Dæmonum oracula Christo nato siluerunt. 980.81.c

Oratio.

Oratio magnum Dei donum. 1640.18.c
Secessus vndique clausus orationi opportunus. 1153.5.b
Oratio magnum telum. 1571.66.a
Orationis vis & vtilitas. 1640 27.b
Nullus locus aptior eo, in quo quis à Deo constituitur,siue ad orationem, siue aduersus diaboli insidias. 1153.6.d
Ad orationem præparatio optima. 371.31.a
In puluere iacentes homines aliquando orant. 439.42.d
Quis Gentibus in orando modus. 220.50.e
Orationem exordiendi vehemens modus. 1120.d
Deo aliquando grata libertas in oratione. ibid. 4.e
Vtilis & ingenuus orandi modus. 220.50.e
Oratio Apostolico viro necessaria. 786.88.c
Orationis tempore vacandum ab vsu coniugij. 472.55.b
Oratione figurata honestari solet quod turpe dictu est. 1316.a
Oriens Christi nomen non à sole sed à plantis. 1448.25.c

Ornamentum.

Ornamétum templorũ quod præcipuũ. 1365.25.c
Ornamenta lectorum tam cubicularium quam tricliniarium. 665.11.b
Ornamenta quæ ad fornicationem inuitant, dicuntur fornicatio. 40.7.c
Ortu & occasu totus mundus significatur. 1532.16.e

Os.

Os idem quod verbum aut præceptum. 922.14.e
Oris claustra. 1015.20.d
Os magnificare quid. 771.42.b
Os sapientis sicut porta templi. 1737.26.c
Os sacerdotis thesaurus scientiæ. ibid.b
Os mensuram & proportionem interdum valet. 300.78.e

Osculum.

Osculum adorationis signum. 366.14.d
Osculum manuum in adoratione. ibid.e

Oseas.

Oseas inter duodecim Prophetas primus. 1.1.a
Oseas prophetauit illustri tempore. ibid.2.c
Oseæ genus & vita. 2.3.a
Oseæ stylus. 4.8.d
Oseæ nomen commune Prophetæ cum Iosue. 10.2.e
Oseas obscurus. 5.9.b.415.50.d
Quandiu vixit prophetauitque Oseas. 2.4.d
Oseæ vxor vilissima. 14.12.b
Oseas verè duxit vxorem fornicariam. ibid.
Ab Osea aliquando separata vxor adultera. 92.22.e
Oseæ rursus nubit adultera. 86.5.d
In Osea illustre obedientiæ exemplum. 12.6.a
Oseas non videtur loquutus de Iudæis nostri temporis. 103.56.d
Osee regnum breue & obscurum. 312.4.a

Ossa.

Ossa quid allegorice. 920.8.e
Ossa nuda carnibus sepulchro mandata. 673.34.b
Otiosus dicitur & dormiens qui inutilia captat. 431.17.b

Oues.

Quæ ad ouibus commoda. 920.5.a
Oues tondentur sub vernum tempus. 689.6.a

P.

Pactum.

Pactum inter Deum & Adam. 190.45.e
Pactũ quale à Deo cũ sacerdotibus. 1734.16.c

Palæstina.

Palæstina dicta Cerethi. 1290.13.e
In Palæstina plana tecta. 1266.13.e
In Palæstina vites ac ficus frequentes. 59.64.c
Palæstina vocata terra Chanaan. 1291.16.e
Quis fructus Palæstinæ vernaculus. 340.a
Quomodo in Palæstina fruges teri solitæ. 948.51.d
Hordeum in Palæstina in honore habitum. 92.a
Palæstina vastata. 550.58.c.& 1554.17.c
In Palæstina non est imber à mense Maio ad Octobrem. 1583.2.e
In Palæstina duplex imber. 183.23.c
Palæstini è Cappadocia profecti. 736.19.e
Paleis potius quàm granis sustentata Iudæorum vana spes. 104.a
Paliurus quid. 1014.16.b

Panis.

Panis subcinericius quis. 214.30.d
Panis mendacij quis. 320.83.c
Panes propositionis à sacerdotibus subacti & cocti. 1711.26.e

Parabola.

Parabola & Ænigma quid & eorum vsus. 1167.52.c

In

In Parabolis non omnia accommodanda. 790.7.d
Paragogicus sæpe apud Hebræos datiuus. 663.6.d

Paraphrastes.

Paraphrastes Chaldæus non dicit Sepharad esse Hispaniam. 782.74.a
In Paraphrasi Chaldæa multa absurda. ibid.

Pardus.

Pardus & leæna pro fortitudine ac sæuitia. 370.24.b
Pardorum velocitas. 1130.a

Parens.

Parentis loco est vxori maritus. 74.111.c
Parentis & iudicis animus in Deo circa peccatorem. 323.40.c
Parentibus denunciata multa, quæ in posteris completa sunt. 1169.60.e
Parentes odio habere quo sensu liceat. 1017.25.d
Parentum virtuti non fidendum. 735.28.c
Parentum virtus laus posteris inanis. 232.8.b
Parentum nomina sine vlla mutatione pro patronymicis. 100.48.e
Paret terra iustorum votis. 79.129.c
Parietes templi antiqui non relicti. 1347.19.c
Paronomasia in Scriptura frequens. 615.13.d. 710.9.c
Participia præteriti pro nominibus in bilis. 145.98.c. 116.37.d
Paruulorum cura est Deo. 906.28.c

Pastor.

Pastor malus quis. 919.3.c
Pastoris stulti descriptio. 1622.63.d
Pastoris stulti supplicium. 1627.76.b
Iason Sacerdos pastor stultus. 1624.70.e
Pastor stultus putatur esse Antichristus. 1623.64.a
Qui sūt tres pastores occisi à Zacharia. 1614.43.b
Pastores signa deferunt laceratæ pecudis ad dominum gregis. 592.34.b
Pastores reges vocati. 1603.8.d
Pastor & Propheta Amos. 519.5.e
Pascere ventum. 337.1.b

Pater.

Patris & Christi præcursor Ioannes. 1761.8.e
Aliter pater & iudex, aliter hostis cædit. 1139.61.a

Patientia.

Patientia Dei admirabilis. 1772.41.d
Patientiæ probatio. 857.19.d
In patientia Dei magna apparet illius fortitudo. 1048.9.d
Pro patiētia latæ nares, contractæ pro ira. 1049.a

Paulus.

Pauli constantia. 977.71.d
Pauli imitator Xauerius. ibid. 71.e

Pauper.

Qui pauperem nudat Deum expoliat. 905.24.e
Pauperi nunquam deerit quod offerat Deo. 997.31.d
Pauperis causa plerunque iustior. 641.31.b
Pauperum iniuriæ clamant. 1552.11.b
Pauperum patronus Deus. 799.5.d
Pauperum bona quasi præda, & hæreditas est potentium. 671.28.b
Pauperum substantia sanguis, & vita illorum est. 925.22.c
E pauperum plerunque bonis opera publica. 916.23.b
Pauperibus reddendæ vestes pignoratæ ad singulas noctes. 569.29.e

Pax.

Pax data pro templis ædificandis. 1369.38.e
Pax & abundantia in solo Deo: ab aliis nihil solidi. 51.41.e
Ad pacem & veniam alium inuitare gloriosum. 321.36.e
Pacem in mundum inducit Euāgelium. 978.74.c
Personarum acceptio quid. 1740.35.a

Peccator.

Deus quasi inuitus peccatorem punit. 184.25.b
Circa peccatorem animus parentis & iudicis in Deo. 323.40.c
Peccatorem creaturæ persequuntur. 813.48.e
Peccator nūquā sine metu esse debet. 1022.38.b
Bellum Deo indicit peccator. 905.22.c
Peccator suauitatem Dei in amaritudinem conuertit. 355.55.c 678.52.e
Si audiendi studium habeat peccator, non est in eo desperanda salus. 568.26
Peccatoris symbolum subcinericius panis. 214.32 e
Peccator reipublicæ obnoxius. 1318.57.e
Videri se à Deo non putat peccator. 804.19.b
Peccator vt phreneticus horret medicinam. 316.18.d
Peccator Domino molestus & grauis ad portandum. 574.44.e
Cum peccatore moriente commoritur Christus, & cum resurgente resurgit. 1314.16.e
A peccatore prouocatur ira Dei. 574.43.e
A peccatore nullum bonum solidum offerri potest. 393.9.c
In conuertendo peccatore multiplex & constans Dei studium. 185.30.e
Cur à peccatore violari dicatur Dei nomen. 568.24.c
Sementis à peccatore factæ fructum capit dæmon. 237.14.b
Iudicium Dei contra peccatorem. 693.b
Contra peccatores Deus nouas format acies. 687.2.d
In peccatores quàm molli animo affectus Deus. 39.6.e
Peccatori fauere periculosum. 813.47.d
Fucus peccatori à Deo auferendus & nudanda turpitudo. 57.56.b
Tunc Deus peccatori veniam benignius promittit, cum de se actum putat propter vitæ turpitudinem. 62.73.d
Peccatori neglecta suiipsius cognitio. 1097.14.b
Quæ à peccatoribus offeruntur quàm Deo parum grata. 1732.7.a
Peccatori creaturæ seruiunt inuitæ. 56.53.a
Peccatoris in peccando furor & insania. 143.90.d
Peccatoris contra Deum audacia. 900.3.c
Peccatoris insignis impudentia. 54.48.c
Peccatoris miserrimus status. 576.47.a
Peccatoris stupor vitulino similis. 296.a
Peccatoris stupor incredibilis in agnoscendis Dei beneficiis. 316.a
Ingratum Deo peccatoris canticum. 684.52.d
Peccatoris obstinati symbolum. 809.34.b
Peccatoris à Deo derelicti status. 647.47.a
Quæ peccatoris vitam non emendant flagella, illa sunt æternæ vitæ initia. 1058.41.b
Oblatio peccatoris ingrata. 1716.a
Peccatoris stupor & amentia in contemnendo Deo. 88.9.c
Animæ peccatricis status. 44.18.c
Labor peccatoris stultus & grauis. 337.1.b
Peccatoris gloriam ignominia sequitur. 127.38.c
Peccatorum iusta retributio. 131.a

Digitized by Google

Peccatorum mensuram expectat Deus vt puniat. 21.37.c.538.12.d. 509.38.a.1487.23.b
Consuetudo peccatorum timenda. 576.48.b
Opera peccatorum Deo molesta. 1752.74.c
Retributio peccatorum iusta. 131.a

Peccatum.

Peccatum pro peccati pœna aut purgatione.1445. 14.b.1691.62.c.peccati pœna. 1483.12.b
Deus grauiter fert quenquam ab alio ad peccandum induci. 370. 25.d
Peccata accusant auctorem suum apud Deum. 800.7.d
Peccata Magdalenæ dimissa,quia dilexit,quo sensu. 1710.20.a
Peccata fauet impunitas. 1123.11.e
Peccata aliorum consumit Sacerdos quasi ignis. 128.42.c.129.a
Peccata nostra amarum Deum faciunt. 391.5.d
Diabolus Dei minister est ad peccata punienda. 1217.65.a
Peccata seruat Deus tanquam in sacculo. 374. 38.b
Peccata Christianorum ac Religiosorum grauiora. 235.a
Qualiter peccata in iudicio reuelanda. 1098. 21.e
Quomodo peccata puniant Esseni. 1791.23.d
In mare expiationis ergo proiici solita peccata. 1034.74.a
Celati in confessione peccati pœna. 376.a
Peccata alia aliis nationibus vernacula.811. 42.e
In peccatis tribus multa continentur peccata. 536.16.c
Supplicium graue impunita relinquere peccata. 136.71.d
Peccata etiam inter Gentiles diuinitus punita. 810.38.d
Quando peccata in cælum clamant. 799.4.b.& quæ.ibid.5.d
Inundare dicuntur peccata quæ publice atque impune fiunt. 117.8.a
Peccata cur vocentur fortia. 641.30.a
Propter peccata hominum aliquando extincti in fluuiis pisces. 120.a
Quando peccata non punit Deus existimatur à stultis illa non videre. 541.31.c
Peccata auferenda & illorum fibræ. 393.8.b
In quarto peccato plura videntur peccata contineri. 536.16.c
Sterilitas agrorum propter peccata. 1344.11.d
In peccata varia præcipitat diabolus, quos habet sibi subiectos. 146.101.e
Peccati diu celati pœna. 875.43.d
Peccati pœna pluuiæ defectus. 614.39.b. 184. 27.e
Horribilia duo in peccato. 295.61.a
Peccati odium, & desperatio. 291.50.d
Peccati fructus. 235.21.c
Peccati vmbra sopor. 809.34.b
Peccati onus graue. 808.30
Incommoda humana vulgus exorta putat ex peccato. 1708.15.c
Ignorantia aut stultitia pro peccato. 57. 59.c. 1195.11.e
Peccatum dicitur inutile. 899.2.d
Ministerio peccatum aggrauatur. 812.43.c
Grauius est peccatum post beneficia. 1705.5.b
Peccatum vnum & præceptum vnum pro omnibus simul adhibentur per synecdochen. 507. 33.d
Peccatum graue incestus. 568.24.b
Peccatum semper parturit fructum. 281.17.a
Peccatum pro idolo. 41.11.d
Locus peccatum aggrauat. 812.43.c
Peccatum pro sacrificio pro peccato. 127.39.c
In pectore ac facie imagines deorum gestabant Gentiles. 40.8.d

Pecunia.

Vis pecuniæ. 348.33.c.349.35.d
Pecunia pro deo ha bita. ibid.c
Pecunia fœnori locari solita Calendis. 712. 16.b

Pecus.

Quomodo pecus Dei signatum. 592.36.e
Pecudis laceratæ signa deferunt pastores ad dominum gregis. 568.26

Penna.

Pennæ solis quid. 1786.6.c
Pennæ ventorum. 147.103.a
Pennæ quomodo aquilæ defluant. 891.73.a

Perfidia.

Perfidia cognatorum domesticorumque. 1016. 23.d
Perfidia Chaldæorum in Idumæos. 765.28.d
Perforatum aliquid debile ac futile significat. 1242.138.d
Perfugium Iudæorum in montium speluncis. 291.49.b

Periculum.

Periculum audaces ac robustos reddit. 502.18.d
Periculum magnum in potentia ac felicitate. 1165.45.b
Periculum illorum qui terrena sapiunt. 877. 23.e
Periculum magnum significatur comparatione belli. 508.35.b

Perire.

Perire fugam ab aliquo & similia quid. 576.49.c 432.19.e
Perire dicitur qui grauem sustinuit iacturam & mutationem. 545.41.c.1664.38.d
Perisse dicuntur quorum non est vsus. 1263. 2.a
Periisse dicuntur illa quorũ proprius vsus periit, licet alios habeant vsus. 443.54.b
Pro perfecto masculus. 1722.65.a
Periurium grauiter à Deo punitur. 1483.12.b

Persa.

Persæ & Chaldæi in animalibus expressi. 1198. 17.c
Persæ,Medi & Chaldæi olim subditi Assyriis.972. 58.e
Persarum rex dictus vltor. 1465.17.d

Persona.

Personam circumscribit filius. 700.48.a
Personarum acceptio quid. 1740.35.a
Persona in iudicio non accipienda. 1743.45.b
Personæ tertiæ pronomen interdum reciprocum interdum secus. 1128.27.c
Pharan beatitudinis typus. 1208.43.c
Phrasis Hebraica atque Hispanica ibat proficiens. 814.52.e
Vt phreneticus medicinam horret peccator. 316. 18.d
Philtra & maleficia ad conciliandum amorem vsitata. 1094.7.d
Pietatis plenus vaticinandi modus. 631.2.d
Ierusalem cur dicta pila. 1274.33.b

Pisces.

Pisces & reptilia neque dominos habent neque duces.

Digitized by Google

duces. 1143.72.b
Pisces quomodo moriantur aqua marina corrupta. 119.15.d
Pisces, volucres & animalia terrestria ex suo genere infirmiora deuorant. 1141.69.e
Pisces aliquando in fluuiis extincti propter hominum peccata. 119.a
Pisces etiam dicuntur serpentes. 1141.68.c
De piscibus duobus qui Ionam deuorarunt Hebræorum fabulæ. 822.4.d
Piscinarum grauis odor. 1081.a

Plaga.

Plaga desperata quæ. 885.48.a
Plagæ alicuius magnæ prognosticon gemitus Dei. 575.b

Planctus.

Planctum & lachrymas venales habent non solum fœminæ sed etiam viri. 643.39.c
Ad planctum & preces publicas adhiberi soliti infantes. 471.53.d
Mortuæ plantæ quæ. 183.23.c
In plantatione vinearum agri à lapidibus purgari soliti. 879.29.c
Platiphylli pestilens natura. 119.15.c
Plenitudo in Scriptura quid. 872.4.a
Quæ nobiliora sunt plurali numero explicantur. 965.34.e

Pluuia.

Pluuia bonorum præmium. 614.40.d
Pluuiæ iustorum agris debentur. 78.125.d
Pluuiarum duo genera. 79.127.d
Pluuiarum duo tempora. 613.38.d
Pluuiæ defectus peccati pœna. 184.27.c

Pœna.

Pœna obstinationis. 1049.11.a
Pœna ingratitudinis. 126.37.e
Pœna peccati diu celati. 375.45.d
Pœnæ æternæ initia sunt peccata quæ peccatoris vitam non emendant. 1058.41.b
Pœni ab Hebræis multas sumpserunt voces. 212.26.c

Pœnitentia.

Pœnitentia quantam adducat hilaritatem. 1408.54.b
Pœnitentiæ vis. 514.d
Pœnitentiæ fructus & laus. 1327.51.b
Pœnitentiæ veræ species. 844.21.e
Veræ pœnitentiæ testimonium. 846.26.d
Pœnitentia facit hominem gloriam & coronam Christi. 1508.42.e
Pœnitentia restituit animam sibi. 1638.20.e
Pœnitentia sera. 1288.5.c
Pœnitentia non differenda in crastinum. 1300.52.e
Pœnitentiæ dilatæ tristis fructus. 375.45.e
Quæ simulata quæ vera pœnitentia. 469.44.a
Pœnitentia vera in mutatione vitæ. 904.10.e
Pœnitentia Niniuitarum vera. 846.39.d
Ad pœnitentiam adducit tribulatio. 177.1.b

Pollui.

Pollui nomen Domini quid. 1711.25.c
Quis pollutus in anima. 1372.46.b
Quis pollutus polluit quæ tangit. ibid.48.e
Polluta quæ ad mortuos pertinent. 255.18.c

Poma.

Poma prima ficulneæ pro re suaui. 261.46.e
Pomorum custodia quid. 879.31.e
Pomorum vncinus mortis symbolum. 710.8.a
Pondera mercatorum lapides vocantur. 999.37.c

Populus.

Populus exemplum Regis sequitur. 204.d
Populum à Moyse eo modo tractari voluit Deus, quo ipse tractauit. 315.14.c
Ne populus in Ægyptum rediret magno studio cauit Deus. 320.32.e
Populus clangore tubarum admonetur aut conuocatur apud Hebræos. 229.1.b
Item apud Gentiles. ibid.
Populus Hebræus idololatriam horruit à captiuitate præter admodum paucos. 72.106.e
Populi captiui reditus & gloria typus Ecclesiæ. 784.a
Infensos sibi populos Iudæi post exilium subiugarunt. 974.61.a

Possessio.

Israelis possessiones ab Ammonitis & Moabitis occupatæ. 498.6.e
Possessor pro re possessa. 1775.49.a
Iniusto possessori pondus & laqueus sunt diuitiæ. 1174.66.d
Potentes quæ communia sunt propria sibi esse putant. 1264.5.d
Potentia omnis humana infirma est absque Deo. 244.49.d
Vini potentia. 210.18.e

Potus.

Potus multiplex. 48.33.e
Potus pro conuiuio & bibere pro conuiuari. 1059.43.a
In potu ac vino totum intelligitur conuiuium. 604.7.b
Præceptum vnum & peccatum vnum pro omnibus simul adhibentur per synecdochen. 507.33.d
Præceps & cæca ambitio. 851.e
Prægnantes mulieres discissæ, infantes allisi. 391.4.c

Prælati.

Qui Prælati aut Principes Ecclesiæ dicantur electi à Deo. 233.12.e
Prælatus speculator & sanguinis alieni reus. 872.5.b
Prælati Ecclesiæ humiles. 1299.38.b
Prælati & sacerdotes negligentes aliena peccata faciunt sua. 128.45.d
Prælium sanctificare quid. 922.15.e
Præparatio ad orationem optima. 372.31.a
Præparo idem quod confirmo. 1177.73.b
Præpositio aliquando redundat. 1126.20.c

Præputium.

Præputium adduxit Esau primus omnium. 1625.71.c
Præputia adducere Iudæi ne Gentibus essent dissimiles. 1272.26.c 1625.71.c
Præsentia Dei commendata sacerdoti. 1735.20.c
Rupes ad præsidium quinam sibi elegerunt. 763.20.a
Præteritum perfectum pro nomine in bilis. 1364.22.d
Priapus Hebraice Beelphegor. 264.50.c

Princeps.

In collibus significati principes. 987.2.b
Item in montibus. 876.21.d
Qui Principes aut Prælati dicantur à Deo electi.

ἀι. 253.12.c
Qui Principes sunt in Republica, principes sunt in tormentis. 670.26.c
Principes sunt populi fundamenta. 988.6.d
Principes & sacerdotes male sua auctoritate abusi. 155.6.e
Principes & sacerdotes speculatores. 156.8.d
Principes in suos inhumani. 910.5.b
Principes quo artificio bona aliorum extorqueant. 1012.11.d
Principum optimorum exemplar Dauid. 101.a
Principum potentissimum exemplum. 567.22.b
Principum exemplum pro lege. 1738.30.e
Grauissima Principum exempla in vtramque partem. ibid.
Malorum Principum exemplum pestilens. 1739.31.b
Principum futilis & tantum phantastica potentia. 1237.b
Probatio patientiæ. 857.19.d
Probitas vitæ auctoritatem sententiæ conciliat. 1318.56.c
Prognosticon magnæ alicuius plagæ gemitus Dei. 575.44.b
Prolepsis in Scriptura vsitata. 1101.29.d
Promissa oblata, aut bona ab hominibus concessa fallacia. 55.51.e
Promissiones à Deo iuratæ de Christo. 1130.101.d

Pronomen.

Pronomen sæpe redundat. 188.40.e 1136.d
Pronomen tertiæ personæ interdum reciprocum interdum secus. 1128.27.c

Propheta.

Propheta Dei legatus. 552.46.c
Coram Domino esse dicuntur Prophetæ. 801.11.e
Prophetæ dicti Videntes. 1447.23.e
Prophetæ in portis loqui soliti. 640.28.d
Prophetæ ex variis tribubus. 38.5.d
Prophetæ cur Dei nomen suæ prophetiæ prætendunt. 9.1.e
Cur parentum suorum nomina in principio librorum ponant Prophetæ. 1399.18.d
Prophetarum habitus peculiaris. 511.a 1666.14.d
Prophetæ fuerunt in deserto. 573.39.b
Prophetæ ludibrio habiti. 1160.31.e
Extra terram promissionis fuerunt Prophetæ. 802.12.b
Signis aliquando & factis prophetabant Prophetæ. 882.40.c
Prophetæ existimati insani. 259.31.e
Prophetæ ea facere dicuntur, quæ facienda prædicunt. 923.a
Duodecim Prophetæ non eodem ab omnibus ordine numerantur. 3.5.c
Prophetarum verba subsannata. 259.30.d
Prophetas habuerunt duæ tribus post captiuitatem non verò decem. 719.40.d
Apud Prophetas annus sacer non vulgaris. 75.56.d
Prophetæ dicuntur qui typus fuere Christi vt Abel. 1447.21.b
Prophetis non tam extrinsecus quàm intrinsecus loquitur Deus. 1153.b
Prophetis & concionatoribus vtile aliquando tacere. 641.31.d
Prophetis ab Hebræis indictum silentium. 573.40.e
Maria Prophetissa. 992.a
Prophetiæ donum vnde consecutus Abdias. 749.12.e
Prophetia de futuris per incerta Allegoriæ non extenuatur. 1717.a
Prophetia defecit à tempore Zachariæ vsque ad Euangelium. 1396.15.b 1401.34.d
Deus propheticæ denunciationis vas. 871.6.c
Propheticum ministerium obire durum est. 1704.1.d
Propheticus stylus diuersus ab aliis. 4.8.d
Prosperitas impiorum ducit ad mortem. 144.92.b
Ad prostibulum venditi pueri. 499.8.c

Prouerbium.

Prouerbia multa ex Ægyptiaca seruitute ac libertate. 1194.7.b
Prouerbialis descriptio fœcunditatis atque abundantiæ. 742.49.e
Prouidentia Dei in suos. 72.a 1324.43.d

Prouincia.

Prouincia aut ciuitas quæ primum nauigantibus aut exploratoribus occurrit nomen dat toti regioni. 571.33.c
Prouinciæ caput pro ipsa prouincia poni solet. 1298.36.c
Prouinciæ nomen interdum sumunt à vicinis prouinciis. 1025.48.c
Ad prouinciam tantum vnam coarctantur quæ generaliter videntur dicta. 458.9.a
Proximus idem qui amicus. 1540.35.b
Prudentes viri sunt oculi ciuitatis. 1279.b
Prudentia, aut dotes ex patria, aut ministerio non pensanda. 525.13.b
Prudentia à Deo prudentibus erepta. 766.31.c
Quid in Psalmorum titulis, *Victori in Psalmis.* 1250.a
Psalmus 119. in gratiarum actione cantari solitus. 1250.160.c
Pseudoprophetarum varia studia. 1665.10.e
eorum supplicium. 1666.12.b
Pubertatis vxor quæ. 1747.59.c

Pudor.

Pudor graue tormentum. 396.17.d
Pudoris violati supplicium graue filiabus decretum. 139.78.c

Puer.

Pueri nomen quibus conueniat. 436.30.c
Puer aliquando nomen ministerij non ætatis. 1426.5.e
Pueritia Israelitici populi. 312.5.c
Pulchritudo, firmitas & odor Ecclesiæ. 411.a

Puluis.

Puluis mutum signum. 1050.15.d
Puluis signum exercitus aduentantis. ibid.
Punit Deus cum dolore. 1611.33.a
Pupillus pro misero & ab omni auxilio destituto. 399.23.b

Q

Quadrigæ.

Quadrigæ imperia significant. 1425.2.b
Quadrigarum vsus in bello. ibid.c
Malè quæsita non explent animum. 131.52.c

Ex

Digitized by Google

Ex meretricio quæstu conflata idola. 881.36.b
In quarto peccato multa continentur. 570.31.d

Quia.

Quia interdũ otiosum.874.12.b 47.27.c 589.14.a
Interdum tantum ad ornatum. 438.38.c
Interdum vox aduersatiua. 287.54.a
Quies pro quietis loco. 907.32.e
Quisquiliæ quid. 715.27.a
Quoniam & *quia* sæpe otiosa. 286.33.e

R

Rapina.

RApina in domo ignis est qui illam absumit. 998.34.b
Quibus rapina aut vanitas admiscetur corrupta sunt dona. 61.1.a
Rapinæ etiam occultæ contra raptorem clamant. 1178.76.b
Rapina & inclementia inopiam & famem inducit. 116.6.d

Ratio.

Ratio seuerius ab eo exigenda qui plus accipit. 251.3.d
Ratio iis reddenda qui de nobis queruntur. 1156.14.a

Radix.

Radix & germen. 1785.3.c
Radix & stirps pro germine. 410.31.b
Radix arida pro sterili. 270.71.d

Recordor.

Recordor sæpe practicum aliquid significat in Scriptura. 71.100.a
Non recordari siue obliuisci quomodo dicatur Deus. 21.36.b

Regio.

Regiones fluminibus inter se montibusque dissitæ, & discretæ. 1026.52.e
Regiones longinquæ dicuntur insulæ. 1297.33.c
Vbi regio aliqua ab hominibus deseritur inde quoque belluæ diffugiunt. 1263.3.d
Regioni ,tori nomen dat prouincia aut ciuitas quæ primum nauigantibus aut exploratoribus occurrit. 571.33.c
Regiones aliæ Australes vel Aquilonares dicuntur comparatione Hierosolymæ. 1206.39.d

Relatiuum.

Relatiuum sine antecedente. 539.26.e
Relatiuum ab Hebræis omissum. 1212.80.c 288.37.c

Religio.

Religionis via quo studio aggredienda. 1018.27.c
Religionis actus iuramentum. 1167.14.d
Religionis aut amatorum insignia gestari solita. 54.47.b
Pro religione & obseruantia timor & pauor. 101.49.b
Ad religionem Iudæorum multi ex Gentibus accesserunt. 1297.32.a
Ex religione Iudæorum multa sumpsit Ieroboam ad aureos vitulos colendos. 594.40.e

Religiosus.

In religioso indecora elegantia. 1271.24.e
A Religioso Deus in superiori aut contemnitur aut colitur. 1713.32.a
Religiosorum grauiora peccata. 235.18.a
Religiosæ vitæ facilitas suauis. 1151.2.a
Religiosæ vitæ forma & effectus. 1787.10.d
De Religioso quale iudicium. 592.36.d
Reliquiæ numerum exiguum significant. 941.28.b
Repulsi ab omnibus Iudæi. 105.61.a
Requies pro vindicta. 1550.6.e
Res significata pro signo. 40.7.b
Res à fine seu euentu nominatur. 43.14.a
Respicio idem quod faueo. 1140.65.c

Respondeo.

Respondeo pro dico. 1409.57.b
Respondeo æquam mensuram significat. 152.21.d
Responsa olim dæmones ex signis & imaginibus reddidere. 98.41.d

Respublica.

Reipub. noxius peccator. 1328.57.e
Qui in Repub. Principes sunt erunt in tormentis Principes. 670.26.c

Resurrectio.

Christi resurrectio nostræ resurrectionis exemplar. 181.17.d
Cum resurgente peccatore resurgit Christus, & cum moriente commoritur. 1314.16.e
Resurrectionis & liberationis è graui malo typus prouerbialis in Iona liberato. 180.13.e
Reuertor & similia per aduerbium iterum explicanda. 1032.71.e
Reuerentia magna nomini diuino debetur. 674.38.c
Reus alieni sanguinis Prælatus. 872.5.b

Rex.

Rex appellatur sponsus. 289.42.c
Regis exemplum sequuntur populi. 104.d
Quod inter Iudices Regesque discrimen. 212.16.e
Regum quæ munera & partes. ibid.25.d & 1467.21.b
Reges & Potentes instrumenta Dei ad correctionem & non ad exitium. 1417.77.c
Reges & Imperatores à Deo quasi feræ coerciti. 1495.3.c
Qui Reges iidem Iudices. 212.25.d
Rex quasi lex est populi cuius alij exemplum & voluntatem sequuntur. 104.d
Reges dicti pastores. 1603.8.d
Reges in hircis significati. 1588.12.a
Regum ingentes sumptus in vxorum cultu. 1106.47.e
Regia potestas cum sacerdotali coniuncta. 1505.32.d & diu in sacerdotibus durauit. 1506.35.d
De rege Idumææ Hebræorum fabulæ. 561.2.b
Reges Chaldæorum quid stultum fecerint. 1164.43.e
Regnum Dei quærendum & humana adiicientur commoda. 1348.22.b

Romani.

Romani Iudæos non dignantur suo nomine. 105.62.c
Romanæ ciuitatis ignobilis origo. 955.2.d
Romani in Ierusalem ab eis obsessa quot & ex quo genere perierint. ...
Romanorum obsidio. 1671.2.b
Pro Romanis Deus pugnauit. 1672.7.e
Romanorum castra in monte Oliuarum. 1674.9.c

Digitized by Google

Quomodo in Romanorum obsidione frigus & tenebræ. 1678.22
Ionæ prophetia de Romanis. 789.5.c

Ros.

Ros matutinus pro re momentanea. ...
Ros & stillæ pro auxilio in re desperata. 975. 66.d

Rubigo.

Rubigo quid. 430.12.e
Rubigo symbolum iræ. 431.14.c
In rubro mari varij frutices. 830.27.b

Rugitus.

Rugitus leoni pro telo. 585.13.d
Rugitus leonis ira Dei. 328.57.c
Ruinæ prognosticon est & initium egressus Dei ex aliquo loco. 873.11.d
Rupes ad præsidium Idumæi sibi delegerunt. 763. 20.a

S

SAbbati dies à nundinis feriatus. 1713. 20.b

Saccus.

Saccus quid. 436.31.d
Saccus vsitatus in luctu tam pro vestimento quàm pro lecto. 458.41.e
In sacculo signari pro diligenti custodia. 374. 38.b

Sacer.

Sacer & vulgaris annus apud Hebræos. 1341. 2.c
Sacer annus non vulgaris apud Prophetas. 1375. 56.d
Rei sacræ & optimæ symbolum malus etiam in re non bona. 16.19.d

Sacerdos.

Sacerdos populum repræsentat & in eum peccata populi redundant. 1341.4.e
Sacerdotis munus. 1738.28.a 1467.21.b
Sacerdos cur dictus Angelus. 1737.27.e
Sacerdos cooperator est Dei in animarum salute. 1736.22.a
Sacerdos quasi ignis peccata aliorum consumit. 128.42.c 129.a
Sacerdos nouæ legis figuram Christi gestare debet. 1769.29.b
Pro Sacerdotio Ephod. 98.39.b
Ad sacerdotale ministerium non amplius redierunt Leuitæ qui Ieroboam secuti sunt. 125. 34.e
Sacerdotes mali Deum polluunt. 1711.25.d
Sacerdotum auaritia. 1715.42.b
In Sacerdote munditiës vestium. 61.70.e
Sacerdotes vestibus candidis vtuntur in sacrificando. 1266.11.b
Sacerdotes mali aliis ad peccandum irritamento sunt. 129.47.e
Sacerdotes & Principes speculatores. 156. 8.d
Sacerdotes seipsos offerunt pro peccatis aliorum, & quomodo. 130.a
Sacerdotes auctoritate sua male abusi. 155. 6.e
Sacerdotes mali scelerum magistri. 1744.50.e
Sacerdotes vitulis aureis præfecti. 128.a
Sacerdotes & Principes negligentes peccata aliena faciunt sua. 128.41.c
Sacerdoti aut Episcopo scientia necessaria. 126. 35.c & 1736.24.d
Sacerdoti commendata Dei præsentia. 1735. 20.c
Sacerdoti contradictio capitalis. 122.24.e
Malis Sacerdotibus egestatem Deus minatur. 1730.5.c
De Sacerdotibus sumpta supplicia. 1733.14.c
A Sacerdotibus insidiæ callidæ. 193.a
A Sacerdotibus in Deum grauis iniuria. 223. 58.a
Cum Sacerdotibus quale à Deo pactum. 1734. 16.c
In Sacerdotibus externam etiam munditiem Deus commendat. 62.71.b
Sacerdotis os scientiæ thesaurus. 1737.26.b
Sacerdotum & Principum exemplum pro lege. 1739.29.c
Malum Sacerdotum exemplum nocentissimum. 191.48.c 1735.19.b
Officia Sacerdotum quæ.
Sacerdotum honori magnum onus impositum. 1733.13.d
Sacerdotum malorum benedictio quid conferat. 1731.4.b
Sacerdotum publicum peccatum perniciosum. 140.80.a
Sacerdotum reuerentia. 123.a
Malorum Sacerdotum qualis ignominia. 1732. 8.b
Quanta Sacerdotum munditiës dum sacrificiis dant operam. 61.69.d

Sacra.

Quæ sacra sunt aliquid interdum indicant maximè contrarium. 1791.22.b
Ad sacra nemo etiam apud Gentes accedebat impurus. 471.52.b
Loca sacra aut acceptis beneficiis illustria pondus addunt peccatis. 269.67.c
Ex veris & sacris historiis fabulæ plurimæ confictæ. 804.21.e

Sacrificium.

Sacrificium laudis Deo gratum. 395.13.b
Sacrificium Deo ingratum cuius pars præcipua aliis oblata. 1720.60.d
Sacrificia Deo ingrata dum contra clamat frater offensus. 1746.57.e
Deo gratissima antiquorum patrum sacrificia. 1770.a
Sacrificia antiqua pro gratis. ibid.33.b
Sacrificia in templo ex decimis oblata. 609. 27.e
In sacrificio pro gratiarum actione fermentum adhibitum. 610.29.e
Quanta in sacrificiis munditiës sacerdotum. 61. 69.d
Sacrificiis aptior masculus. 1722.56.a
Sacrificium de rapina ingratum Deo. 1720. 59.b
Voluntarium esse sacrificium aliud est, & aliud ex voto. 611.30.b
Sacrificium de rapina quando offeratur. 1721. 62.b
Quod sacrificium Deo gratum. 996.30.d
Sacrificium misericordia est. 188.38.d
Sacrificium Eucharistiæ. 1717.49.d

Saculum.

Saculum, generatio generationis, & similia tempus aliquando significant diuturnum. 458.10.b
Sæculi montes & mundi colles qui. 1220.a
Sæuire in mortuos impium. 562.5.b
Sagittæ Dei cometæ. 1238.123.b Item fulgura &

Digitized by Google

& fulmina. 1235.113.b
Sale ciuitates cur aspersæ. 1195.15.c
Salmana Regis superbia & casus. 287.35.c
Saluator etiam de hominibus dicitur. 748. 84.c

Salutatio.

Salutatio familiaris, *Dominus vobiscum*. 641. 34.d
Salutationes amantium familiares. 1749. 65.c

Salus.

Salutis plerunque idonea subsidia sunt quæ angusta videntur & dura. 834.40.b
Ad salutem non sufficit sola fides. 1161.37.e
Desperata alicuius salus quo dicendi modo significetur. 121.21.e

Samaria.

Contra Samariam prophetat Micheas. 871. 1.a
Samaria à Machabæis occupata. 775.a

Samson.

Samson quomodo se occidendo non peccauerit. 815.54.d
Samson tribus fabulis occasionem dedit. 805. 21.c

Sanguis.

Sanguinis significatio multiplex. 118. 10. a
Sanguis pro alimento atque opibus. 1177.a
Sanguis sanguinem tetigit. 117.9.d
Pauperum substantia sanguis illorum est & vita. 925.22.e 1768.25.b
Macula nulla est quam Christi sanguis, & doctrina non abstergat.
Sanguis in Scriptura quid. 192.49.c

Sancti.

Sancti leges viuæ. 242.40.a
Aliqui in Israel sancti cùm captæ decem tribus. 326.50.c
Sanctorum votis quomodo aër seruiat. 78. 125.d
Sancti Christo tanquam annulo consignati. 1378. 65.b
Testes in iudicio sancti à quibus accepimus viuendi formam. 989.8.b

Sanctificare.

Sanctificare ieiunium & similia quid. 440. 45.c
Quomodo vestes rei sacræ contactu sanctificantur. 1371.43.c
Sanctificatum bellum & sanctificati milites quid. 1170.a
Sanctificatio idem quod templum. 1744.48.b

Sanctitas.

Quomodo sanctitas adueniat homini ex contactu rei sacræ. 1371.45.e
Nocentissima sanctitatis species in gente non sancta. 156.7.b

Sapiens.

Sapientis os sicut templi porta. 1737.26.c
Quæ à sapientibus nugatorie, & sine fructu dicuntur ingrata sunt Deo. 1722.67.e
Saraiæ Sacerdotis filius putatur Esdras. 1357. a.e
Sarepta terminus terræ promissionis. 780.70.d existimatur esse Gallia. ibid.69.b
Sareptanæ viduæ maritus putatur esse Abdias. 746.3.a
Satanas non audet aliquid indecorum cum Dei nomine coniungere. 674.39.e
Saxis allisi infantes in expugnationibus vrbium. 1103.36.e

Scandalum.

Scandalum à sacerdotibus quot modis oriatur. 1738.29.c
Infernus est qui scandalo est aliis, & maximè meretrix. 384.a
Scandalosi dira crudelitas. 553.70.b
Diabolo animas vendit scandalosus, & ideo odiosus Deo. 550.57.a

Scelus.

Scelerum insignia gestari solita. 1098.19.c
Scelerum vltor Deus, quem effugiet nemo. 586. 17.d
Scelerum magistri Sacerdotes mali. 1744.50.a
Sceleratus à lege punitus lex est viua. 140. 40.a
Sceptrum olim virga. 957.7.e

Scientia.

Scientia Dei quorum in terra negetur esse. 116. 6.e
Scientia Episcopo aut sacerdoti necessaria. 126. 35.c
Scio practicum aliquid significat. 919.2.b
Scorta fœminea & mascula diis Gentium consecrata. 139.77.a
A scortatoribus immoderato concubitu extinctæ fœminæ. 261.40.e
Scribi olim solitum in tabulis. 1156.16.d
Scriptores Canonici aliquando ex pluribus testimoniis vnum componunt. 381.60.c

Scriptura.

Scriptura significationem potius quàm voces aliquando spectat. 10.34.d 541.31.b
In Scriptura negari videtur quod aliorum comparatione exiguum est. 189.40.d
Scriptura in loquendo interdum se ad vulgi opinionem accommodat. 567.23.d
In Scriptura vsitatæ imprecationes & exclamationes tragicæ. 716.31.b
Litote in Scriptura vsitata. 1287.1.b
In Scriptura locutiones hyperbolicæ. 774. 54.b
Librorum Scripturæ series non eadem vbique. 418.1.b
Scyphus Herculi & Baccho sacer. 1635.11.d
Secessus vndique clausus orationi opportunus. 1153.5.b
De secundo templo errores Iosephi. 1368. 34.d
Secundus actus pro primo. 363.4.e 1710.21.b
Securitas sanctorum in iudicio. 511.46.e
Sedecias à Nabuchodonosor ludibrio habitus. 1179.78.b
Sedeo aliquid lugubre, & ærumnosum significat. 94.29.e
Quæ sedulitas humana offenso Deo captat, pereunt omnia. 1346.16.b
Seipsum occidere infirmitatis potius est quam fortitudinis. 854.7.a
Selah quid. 1108.44.d
Semel idem quod omnino & funditus. 1057. 37
Semestris olim annus. 824.9.c
Senacherib exercitus ab igne consumptus. 1058. 43.e
Senibus ignorare turpe est. 215.34.d
Sententiæ auctoritatem conciliat vitæ probitas. 1328.56.c
Sepes viua. 1014.16.b
Sephatad existimatur Hispania. 781.a

Sepharad

Digitized by Google

Sepharad esse Hispaniam non dicit Paraphrastes Chaldæus. 782.74.a
Cur Sepharad Hispaniam appellarunt Iudæi. 782.75.c
Sepharad non videtur esse Hispania. ibid. 76.d
Septem oculi pro attentione maxima. 1450. 33.b

LXX. Interpretes.

Septuaginta Interpretes multa addunt quæ non sunt in textu Hebraico. 1515.3.b & differunt interdum à vulgato non tamen semper sine causa. 1517.10.e
Vera sunt quæ dicunt licet non in textu. 1518. 11.b

Sepulchrum.

Pro Sepulchro infernus. 381.a
Sepulchro mandata ossa carnibus nuda. 673. 34.b
In sepulchrum amicorum capilli coniecti. 892. 78.d
Sepulchra mortuorum religiosa ac veneranda. 562.6.d
Sepulturæ magnus honor. 673.34.a
Sepulti in terra promissionis magnus honor. 1062.56.e
Sepultus esse creditur Iosaphat in valle prope Ierusalem. 505.25.b
Qui insepultus manet infelix iudicatur. 1062. 56.e
Serotinus & temporaneus imber. 688.4.b
Serpentem ceruus halitu ex cauernis extrahit. 1030.64.e
Seruis gladium gestare prohibitum. 1247. 151.c
Seruitus ciuilis mors. 1617.50
Sesostris barbara insolentia. 1134.47.d

Si.

Si conditionalis subaudienda. 733.a 512.a & 1246.149.c
Si idem quod non. 1714.37.d

Signum.

Signum admirabile diuini amoris. 1618.c
Signa proponere, aut clamare in collibus soliti Iudæi. 163.34.d
Signa iudicij præcedent iudicem. 511.43.b
Signari iubentur quæ longo post tempore euenient. 1157.20.d
Significata res pro signo. 40.7.b
Significatio vocis, non vox, aut genus spectatur aliquando. 1182.89.d

Silentium.

Silentium pro reuerentia. 1184.94.d
Seruitutis signum silentium. 1029.59.b
Silentij significatio multiplex. 1317.51.b
Pro silentio manus super os. 1029.59.b
Silentium dolorem indicat aut fortunam duram. 124.29.b
Sileo idem quod obseruo, aut metuo. 1269. 19.a
Sileo idem quod cesso. 874.51.d

Similitudo.

Similitudo ab aqua sumpta totale aliquid indicat. 167.44.c
Similitudines à rure sumit Amos. 533.6.c
Sinai etiam dictus Horeb. 1788.14.d
In sinu dormire vxorem quid. 1015.21.e
Sirenum planctus. 884.47.c
Contra Sisaram dimicatum est de cælo. 1234. 111.d

Sitis & fames pro inopia. 720.43.c
Situs terræ promissionis. 277.a
Situs templi. 332.68.b
Sobrietas sacerdoti commendata. 1736.25.e

Societas.

Societas improborum periculosa. 807.30.e
Pro societate ac communione fornicatio. 47. 28.d
Societates aliquorum dissoluere sanctum est. 1018.a
Societas inter socrum,& nurum. 1020.31.b

Sodoma.

Sodoma prouerbialiter pro magna vastitate. 777. 61.c
Sodoma pro graui supplicio. 618.51.d
Sodomitis similes Gabaitæ. 262.41.b
De iis,qui,in Sodomis perierunt, quod Hieronymi iudicium. 1067.37.b

Sol.

Sol typus Christi,Luna Ecclesiæ. 1237.121.c
Sol & luna pro statu felici. 1234.110.b
Occidet sol in meridie prouerbium. 717.34.b
Solis adoratio qualis. 1267.a
Solis pennæ quid. 1786.6.c
Solymitani ciues cælestium typus. 507.34.e
In Solymitano templo infanda flagitia. 569. 28.d
In Solymitanum templum multa ab externis collata. 1363.19.c

Sophonias.

Sophoniæ genus & patria. 1253.1.a
Sophonias quo tempore prophetauit. 1254.3.a contra quos. ibid.4.b

Sopor.

Sopor grauissimus est somnus. 808.33.e
Sopor à diabolo immissus. 809.34.b
Peccati vmbra Sopor. ibid.c

Sordes.

Sordes meretricum. 1097.17.d
Sordidi & fœtentes hoc tempore Iudæi. 104. 59.c
Vinacia vuarum pro re sordida & vili. 88. 10.
Vas immundum pro eodem. 237.26.c

Sors.

Sortem aliquam certam non habuit Leuitica tribus. 125.33.d
Sortes vsitatæ. 811.a
Pro specula custodia. 1152.4.d
Speluncæ in montibus ad quas Iudæi confugerent.

Spes.

Spes confirmat animum. 1568.a
Spes Iudæorum vana paleis potius sustentata quam granis. 104.a
Pasci vento dicuntur qui vana spe lactantur. 338.b
Spes nostra Christus. 1575.79.e
Spes in Christo quauis possessione pluris facienda. 1247.b
Quis sperare à Deo debet benignitatem. 904. 19.d
Spero & expecto etiam de rebus aduersis. 1160. 29.c
Ex spinis optimum sepimentum. 50.37.d

Spiritus.

Spiritus multa significat. 1358.6.e
Spiritus pro furore & ira. 1489.30.e pro velocitate. 1490. a pro dono Prophetiæ. 1503. 26.d

Spiritus

Spiritus precum ex primis effectibus diuinæ gratiæ. 1638.b
Spiritus vnus & caro vna vxor cum viro. 1748. 62.b
Spiritus fornicationis quid. 134.64.c
Spiritus humilis iram Dei frangit, superbus acuit. 854.8.c
Spiritus superbos humiliat Euangelium. 1236. 117.c
Spirituali viro etiam à minimis cauendum. 70. 99.d
Vir spiritualis nunquam esse debet sine teste. 989.8.c

Splendor.

Splendor omnis in armis. 1073.10.e
In armis splendor & mundities commendatur. 1239.124.a
Splendore Christus terram impleuit. 1212.53.e
Spolia Deo offerri solita. 949.53.c

Sponsus.

Sponsus vxori viuendi præscribit formam. 74. 112.d
Sponsus captiui etiam populi Deus. 1347.25.c
A sponso emptæ sponsæ. 1309.2.d
Sponsi zelotypi & amantis officium. 49.36.e
A sponso præceptis connubialibus informatur sponsa. 1310.4.d
A sponso victum, & cultum accipit sponsa. 48.a

Sponsa.

Sponsa coempta dotali fundo. 66.89.e
Sponsæ nihil cogitandum, aut dicendum, quod excitare possit turpem memoriam. 70.98.b
Sponsæ emptæ è sponsis. 1309.2.d
Sponsæ nomen columba. 1310.3.b
Sponsæ nomen non merentur Iudæi huius temporis. 103.55.c
Spuma pro re leui, ac momentanea. 290.45.b
Statuarius quid. 1613.45.a

Status.

Status animæ à Deo desertæ. 60.66.a
Status animæ peccatricis. 44.18.c 371.30.d 647. 47.a
Stellarum nomen cometis datum. 1238.123.c
Stemmatis gentilitij qualis auctoritas. 1378. 64.a
Sterilitas grauis maledictio. 268.63.b
Sterquilinium quid. 442.52.e

Stigma.

Impio stigmate notatum corpus Regis Ioacim. 979.78.d
Stigmata seruis aut aliis ad ignominiam ori inusta. 958.9.b
Stillæ pro auxilio in re desperata. 975.66.h
Stillo verbum ambiguum, quod durum, & molle significat. 903.17.e
Quasi stipula impij, quasi firmi lapides iusti in ciuitate. 738.38.d
Stirps & radix pro germine. 410.31.b

Strages.

Strages omnimoda. 304.91.d
Pro strage [illegible] 598.37.e
Pro strage tritura. 948.49.b
Pro strage ac supplicio magno *ignis*. 545.42.d
Struthionis [illegible], & in filios amor. 883.45.e

Stultus.

Stultus est superbus. 701.14.c
Stultus putat se posse effugere à Deo. 802.e
A stultis existimatur Deus non videre peccata, quando illa non punit. 549.31.e
Quid stulti velint, ac sentiant curandum non est in ferendis legibus. 33
Stultitia, aut ignorantia pro peccato. 59.e

Stupor.

Stupor & amentia peccatoris in contemnendo Deo. 88.9.c
Pro stupore ac metu *silentium*. 763.21.c
Stuporem & ebrietatem quandam diuitiæ inducunt. 452.17.c

Stylus.

Stylus Propheticus diuersus ab aliis. 4.8.d
Stylus Oseæ. ibid.e
Subcinericius panis symbolum peccatoris. 114. 32.e
Subditi ne fidant suæ prudentiæ. 1611.34.c
Subter interdum significat locum in quo quis est. 765.29.c 574.43.c
Subtrahi verbum Dei supplicium graue. 720. 44.d
Super interdum idem quod iuxta. 1458.4.d

Superbia.

Superbia pro excellentia. 1073.7.c
Superbia & venustas mortis causa. 217.39.c
Superbia nunquam satiatur honoribus. 1366. 48.c
Superbia atque potentia idem facit interdum in homine quod ebrietas. 1464.41.c
Superbia vermis & fructus diuitiarum. 1323. 39.b
Superbia Idumæorum. 762.16.a
Superbus habitus in templo odiosus. 1272. 27.d
Superbum pro excellenti. 715.28.c
Superbus spiritus iram Dei acuit. 854.8.c
Superbi etiam post vtiles labores Deo odiosi. 854.9.d
Superba ædificia quæ ingrata Deo. 671.30.c
Superborum supplicium. 901.9.d
Superbos spiritus humiliat Euangelium. 1236. 117.c
Superbos deprimere & humiles extollere facile est Deo. 623.65.b
Superbire quemquam in templo aut loco sacro ægre fert Deus. 1321.35.e
Superiori licet imperfecto obedientia perfecta debetur. 1713.32.b
Supplanto quid. 340.11.c
Supplices & miseri se ad terram abiiciunt. 566. 21.e

Supplicium.

Supplicium potentum. 57.57.c & hypocritarum. ibid. superborum. 901.9.d
Supplicia à Deo in peccatores decreta. 71. 102.e
Aliorum supplicia aliis timori esse debent. 1022. 38.c
Ignis supplicij, maximi aut detrimenti symbolum. 545.42.d 691.15.c
Pro supplicio iniquitas & similia. 1751.72.c
De supplicio peccatoris quomodo lætari dicatur Deus. 257.23.b
Quomodo in malorum supplicio exultandum iustis. 1788.13.c
Pro supplicio ira. 1021.35.b
Supplicium parentum graue mors aut priuatio liberorum. 266.56.b
Supplicium graue impunita relinquere peccata. 736.71.d
Pro supplicij loco vallis Iosaphat. 497.3.c
Sumptus Regum ingentes in vxorum cultu. 1084.47.d

Digitized by Google

Israelis propria loca priùs ab Assyriis occupata.

Subacti ab Israële Idumæi. 1708.14.c
Israel Assyriis vectigalis. 169.51.e
Israelitæ apud Assyrios & Ægyptios exularunt. 329.60.c

Iudæus.

Iudæorum antiqua tempora meliora. 741.45.d
Iudæi licet exules non tamen à Deo repudiati. 94.27.& 28
Iudæis cum Gentibus prohibita coniugia. 1743.47.e
Iudæorum animi dissoluti, ad Chaldæorum ingressum. 1219.72.d
Iudæis vsitata maleficia. 979.78.d
Post exilium Iudæi infensos sibi populos subiugarunt. 974.a
A captiuitate soluta inter Iudæos idololatria non fuit. 980.81.e
Iudæorum in vxores inclementia. 1750.68. & 54
Orantes Iudæi ad templum conuersi. 832.36.e
Iudæa grauiter vexata tum ab externis tum à cognatis tribubus. 298.72.e
Iudæi ab exilio reuersi cum iubilo & plausu. 1249.158.d
Post exilium plures prouincias obtinuerũt quàm antea. 1556.25.a
Ad Iudæos ex gentibus aggregati multi. 1319.c.& 1542.41 a
Iudæi grauibus oppressi vectigalibus. 105.61.e
Iudæorum calamitas prouerbialis. 1556.a
Clamare in collibus aut signa proponere soliti. 163.54.e
Iudæa Chaldæis in possessionem data. 1217.68.e
Iudæorum perfugium in speluncis. 291.49.b 751.13.d
Iudæi ne Gentibus essent dissimiles, adduxere præputia. 1272.26.e 1625.71.b
Iudæos Romani suo nomine non dignantur. 105.62.c
Iudæorum vilis miseraque conditio. 237.26.d
Iudæorum vestes & crines illuminata argento. 1276.38.b
Vagi ac timidi Iudæi. 271.a
Iudæorum nostri temporis status. 104.58.c
Quid à Chaldæis passi Iudæi. 1421.a
Eorum ieiunia. 1540.36.d
In Iudæos plus sibi iuris sumpsit Babylonius, quàm à Deo datum. 1295.25.c
Iudæi in Babylonia simulacra & augures consuluerunt. 1586.8.d
Iudæi in Babylonia relicti. 1587.11.c
Iudæi in Babyloniam reuersi. 1586.8.d
Quàm latè se diffuderint. 1593.32.d.1534.15.c
Eorum mutuum inter se odium. 1612.62.b
Sacrificauerunt Herculi & Baccho. 1587.11.d
Iudæus cur vocatus manzer. 1556.25.e
Inter Iudæos qui relicti fuerunt in patria multi Principes. 1517.8.a
Iudæorum populus in omnibus locis honoratus, vbi antea confusus. 1331.a
Sordidi & fœtentes hodie Iudæi. 104.59.c. 1683.37.e
Ab omnibus repulsi. 105.61.a
Iudæorum cum externis connubia exilij tempore. 1741.40.e
Iudæorum lacrymæ in secundi templi fabrica. 1357.1.b
A Iudæis fœtor in baptismo depositus. 104.60. e
Ex Iudæo neminem ad suam sectam immediatè admittunt Mahometani. 105.61.b
Iudæi huius temporis non possunt appellari sponsa. 103.55.c
Iudæi ad finem mundi conuertentur. 504.22.a
Contra Iudæos illustris locus. 1362.18.e
De Iudæis nostri temporis non videtur locutus Oseas. 103.56.d
Iuda & Ierusalem Ecclesiæ typus. 1769.31.e
De Iuda figmentum Hebræorum. 331.a
Cur Iudæi Hispaniam Sepharad appellarunt. 782.75.c
Iuda tribus & ex ea Duces & gubernatores. 1591.23 d

Iudex.

Aliter iudex aliter cædit hostis. 1139.61.a
Iudicis animus in Deo circa peccatorem. 22.40.e
Iudices olim iidem pene qui Reges. 212.26.e
Iudicium malorum est non tam emendare, quàm perdere. 1139.62.c
Iudicum iniquitas. 637.a
Iudex & prælatus instrumentum Dei ad correctionem non ad exitium. 1417.77.c

Iudico.

Iudico idem quod administro & moderor. 936.13.d
Iudicare noctu soliti Areopagitę & cur. 1740.36.d
Ad iudicandum idoneus locus vallis Iosaphat. 506.31.e
Humanitas Dei in iudicando. 988.5.b

Iudicium.

Cur iudicium in portis. 640.17.b
Iudicium cum his graue qui terrena amant. 115.4.e
In iudicio persona non accipienda. 1743.45.b
In iudicio & iustitia summum imperium significatur. 75.114.b
Iudicium in hac vita incertum & fallax. 1786.5.a
In diuino iudicio reuelantur omnia. 649.54.e
Iudicium Dei contra peccatorem. 693.b
Iudicium finale. 1680.30.e 1228.95.e
Iudicij signa præcedent iudicem. 511.43.a 1631.a
Pro iudicio extremo messis. 509.38.a
In iudicio apparebit qualis quisque fuerit. 187.35.e
In iudicio horribilis facies Christi. 1766.21.e
In iudicij die iusti omnino ab iniuriis vindicati. 515.58.b
Bonorum à malis qualis in extremo iudicio separatio. 383.66.e
In Dei iudicio qui testes peccatorum ignominiæ. 589.26.b
In extremo iudicio quanta tempestas. 1050.16.e
Iustis iudicium horribile non erit. 1787.9.b
Sancti à quibus accepimus viuendi formam testes in iudicio. 989.8.b

Iugum.

Iugum Dei leuissimum est cum graue videatur. 319.29.e
Graue iugum quod ab homine imponitur. 310.31.c
Iugum super maxillas exaltans quid. 318.24.b
Iugi ac legum impatiens Israel. 221.55.e

Iuramentum.

Iuramentum actus religionis. 1267.14.d
In quouis iuramento intelligitur Deus. 604.9.e
In iuramentis idem *in* quod *per*. 604.8.d
Iuramento adiuncta execratio. 1356.26.c
Iurare per animam suam quid. 671.29.c

Iustus.

Iusti in ciuitate quasi firmi lapides, impij quasi stipula.

Digitized by Google

stipula. 738.38.d
Iustis quomodo dicatur exultandum in malorum supplicio. 1788.13.c
Iustis creaturæ omnes seruiunt. 78.124.b

L.

LAbia in timore tremunt. 1245.147.d

Labor.

Labor pro eo quod labore comparatur. 258.26.a
Peccatoris labor grauis & stultus. 337.1.b
Inanis labor nisi quæ Dei sunt prius curentur. 1548.23.d
Alacritas & constantia in laboribus pro Deo. 1722.66.b
Laborantium carcer ergastulum. 990.12.e
Lac poculentum. 49.34.b
Lacto quid. 63.76.c
Lactatus infans apud Hebræos tribus annis. 23.a
Lacrymæ Iudæorum in secundi templi fabrica. 1357.1.b
Lacunar & laquear quid. 1343.9.e
Lacus sine aqua carcer durus est, cur ita vocatus. 1567.56.b
Læti viuere, qui tristes sunt mori dicuntur. 409.29.b
Lambere aut lingere idem interdum quod tangere. 1030.a
Lampas in fastigio candelabri Christus. 1,51.9.a

Lapis.

Lapis oneris.1633.6.c. idē est quod discus. 1636.13.a
Lapides vocantur mercatorum pondera. 999.37.c.1473.42.a
Lapis stanneus perpendiculum. ibid.b
Lapidum aceruus pro magna vastitate. 353.50.e
Lapides erecti in terra promissionis. 1574.74.b
Lapis typus Christi. 1450.34.d
Laquei varij pro vario hominum ingenio. 586.19.d
Lasciui valde vituli. 286.30.e
Latebræ & speluncæ Iudæorum. 731.13.e
E laterculo magis quam è saxo ædificia in Chaldæa & Niniuæ. 1106.44.b
Inter latronem & furem differentia. 206.6.a
Latro idem quod miles. 956.b

Laus.

Laus quæ grata Deo. 394.12.e
Sacrificium laudis gratum Deo. 395.13.b
Iustorum laudes gratæ Deo. 1327.54.e
Impiorum laudes Deo ingratæ. 1328.55.a
Iustorum hominum laudator Deus. 1327.53.d
Leæna & pardus pro sæuitia & fortitudine. 370.24.b

Lectus.

Lecti eburnei. 665.11.c
Triclinares Hebræorum lecti. ibid.12.d
Lectorum tam cubicularium quam triclinarium ornamenta. ibid.11.b
In templis instrati ad dormiendum lecti. 569.28.c

Leo.

Leonis catulus idem quod leo. 433.23.e
Leones in Iudæa. 1603.9.e
Rugitus leonis pro re horribili. 327.54.d
Rugitus leoni pro telo. 585.13.d
A leone in vrsum & ab hoc in viperam prouerbium. 646.45.b
Leonibus ferociores existimati leunculi sed falso. 171.57.d
Leuare manus pro laudare. 1233.108.c
Iuramenti signum. 1435.26.d

Leuita.

Leuitæ qui Ieroboam secuti sunt non amplius ad Sacerdotale ministerium redierunt. 125.34.e
Leuitæ vocati etiam noui testamenti Sacerdotes. 1738.28.a

Lex.

Lex noua non mutanda. 1361.14.e
Vetus lex cur dicta mobilis. 1362.15.b
Legis vicem habet exemplum sacerdotum & Principum. 1738.30.e
Leges viuæ sancti. 242.40.a
In legibus ferendis curandum non est quid stulti velint & sentiant. 397.19.b
Libanus pro templo.1602.3.b. Cur Ierusalem dicta Libanus.1590.20.In Libano duæ portæ seu fauces. 1605.13.b
Libatio quid propriè. 255.15.b
Librum memorialem habet Deus & cur. 1782.70.a
Liberatus quis dicitur aut ereptus ab eo ad quod à lege seu natura dispositus. 540.29.d
Libri Hebræorum ab initiis titulum assumunt. 1195.10.d
Orationis libertas Deo interdum grata. 1110.4.e
Libertas è Babylonia typus libertatis è peccato. 1565.50.c
Linguæ originalis genus interdum retinetur à vulgato. 697.36.b

Libido.

Libido homines cæcos & amentes reddit. 132.59.e
Libidini opportuna loca ad cultum suum eligit dæmon. 134.66.c
Libidinis lenocinia aut ornamenta quæ ad illam inuitant dicuntur fornicatio. 40.7.c
Libidinis diuersoria in templis. 569.a

Locus.

Locus pro his quæ loco continentur aut nascuntur. 995.28.d
Locus alicuius non est inuentus, pro aliquis non est inuentus in loco. 1593.31.e
Locus & tempus visionis aliquid designat. 1403.42.e
Pœnitentiæ locum non inuenit Esau. 1735.12.c
In comparationibus excellere existimantur quæ extremo loco ponuntur. 537.17.c
Dei excelsus locus misericordia ipsius & veluti maiestas. 875.16.c
Ab Assyriis prius expugnata propiora Israelis loca. 709.6.c
Loca sæpe nomen sumunt ab euentu.141. 85.e. 1610.59.e

Locusta.

Locusta agrorum pestis. 430.10.b
Locusta inanis gloriæ symbolum. 431.14.e
In locusta armati hominis species. 687.3.e
Locustarum multitudo prouerbialis. 430.10.c 1106.47.d
Locustarum proprietas. 430.10.b

Luctus.

Luctus pro mortuorum exequiis. 255.17.d
Luctus aliter à viris aliter à fœminis. 1647.51.c
Eius familiaris forma. ibid.51.e
In luctu atque dolore deposita cæsaries. 890.72.e
In luctu saccus vsitatus tam pro operimento quam pro lecto. 438.41.e
Habitus fœminarum in luctu. 435.27.d

Ludi

Ludi Israelitarum ad aras.717.35.d. ante idola & vitulos.25 L.1.a.In luctu caluitium. 718.37.b

Lugeo.

Lugeo quid in sacris literis. 437.35.d
Lugere interdum dulce est. 902.12.c
Lugere illa dicuntur quibus aliquid accidit naturæ suæ contrarium. 1132.105.a
Luna typus Ecclesiæ. 1137.121.c
Sol & Luna pro statu felici. 1134.110.b

Lupus.

Lupi vespertini. 1130.33.b
Lupi in nocte sæuiores. ibid.34.c
Lupi noctu vident. 1131.35.a
Lusciniis non solùm dulcis sed etiam lugubris cantus. 884.47.d

Lux.

Lux pro vita. 1021.34.a
Lux odiosa Dæmoni. 341.14.c

Luxuries.

Luxuries quam ingrata Deo. 799.5.e
Luxuries ad conuersionem maximum impedimentum. 135.20.c
Luxuriæ symbolum eruca. 431.14.c
Luxuriosi sunt iumenta putrida. 443.53.b

M.

Machabæi.

MAchabæi armati oratione fortes.977.70. c. 1571.66.a
Machabæorum infirmus exercitus Dei virtute potens. 1573.71.b
Machabæos probabilius est fuisse ex tribu Leui. 1591.23.d

Madianitæ.

Madianitarum viuendi ratio. 1224.83.d
Madianitæ qui & Æthiopes à Deo superati.1223.83.d
Magdalenæ quomodo dimissa peccata quia dilexit. 1710.26.a
Magistratus & artifices cum multa exerceant ab vno tamen opere nomen assumunt. 212.24.c
Magnificare os quid. 771.45.b
Mahometani ex Iudæo neminem immediate ad suam sectam admittunt. 105.61.b
Maiestas Dei misericordia est. 875.16.c
Maiorum insignia in liminibus aliisque locis illustribus describi solita. 1299.38.b

Malachias.

Malachiæ patria & genus. 1695.1.a
Quo tempore vixit Malachias. 1698.7.b
Ad quos prophetauit Malachias. ibid.8.d
Malachias existimatus Esdras. 1695.1.b
Malachias non fuit Esdras. 1696.3.a
Malachias non fuit Angelus. 1697.5.a
Cur cum Malachia pictus Angelus. 1698.a
Malachiam & Baptistam Angelos fuisse quidam falsò putant. 1350.18.c

Maledictio.

Maledictio quid. 1482.10.e
Maledictio hominum quàm parum timenda. 1731.5.c
Maledictio Dei quàm timenda. ibid.
Maledictio diuina horribilis est. 1241.136.a
Maledictio grauis sterilitas. 268.63.b
Maledicere soliti Gentiles diis suis. 675.40.a
Maleficia Iudæis vsitata. 979.76.a
Ad amorem conciliandum vsitata maleficia. 1094.7.d

Malus.

Malus etiam in re non bona optimæ rei symbolum. 16.19.d
Maiorum infortunata felicitas. 1780.68.d
Malum in auctorem suum relatum. 1419.81.d
Mercede sibi malum accersiuit Israel. 240.35.c
Mancipia idolorum suorum Gentiles. 1095.8.a

Mane.

Mane, diluculò, & similia pro magno studio & ardore. 900.4.c
Mane,diluculò, & similia celeritatem indicant. 1312.10.c
Manè seu aurora pro tempore breuissimo.511.1.a
De mane vsque ad noctem pro tempore breuissimo. 1224.22.c
Matutinus ros pro re momentanea. 784.26.c

Manus.

Manus pro vinculo aut vncino. 1179.79
Manus leuatio iuramenti signum. 1435.26.d
Manus leuare pro laudare. 1233.108.c
Manus dissolutæ prouerbium. 1326.b
Manuum & capitis varius motus varios affectus significat. 1100.25.c
Manuum osculum in adoratione. 366.14.e
Manu sua se interimere nemini licitum. 815.54.c
Manzer cur dictus Alexander. 1554.19.e
Maranatha quid. 1792.24.b

Mare.

Mare mortuum dictum mare salis. 1295.24.a
Ad mare rubrum dimicatum de cælo. 1234.112.e
Mare rubrum pro maximo periculo. 1594.c
Mare Pamphyliæ apertum esse Alexandro fabulosum. 1595.36.d
Mare Tyberiadis amœnissimum. 1605.14.e
Mare orientale pro ortu nouissimum pro occasu. 1682.34.b
In mare proiectum dicitur cuius memoria in æternum perit. 1033.73.c
Maria syluas alunt occultas. 830.18.d

Maria Virgo.

Maria Christi templum. 1764.17.d
Maria quomodo in nuptiis empta à Ioseph. 91.a
Maria Prophetissa. 992.a
Mariæ Virginis salutaris deuotio. 1787.8.a

Maria soror Moysis.

Maria fœminis præfuisse creditur sicut viris Moyses. 991.16.c
Maria à Deo & à populo Hebræorum magni habita. 992.18.c
Propter Mariam Aaron & Moysem tria beneficia data existimantur. ibid.d
Maria peccatrix à multis putatur diuersa à sorore Lazari. 1668.20.b
Martius ab initio mundi primus mensis anni. 1391.b

Maritus.

Maritus cum vxore caro vna & spiritus vnus. 1748.62.b
Maritus vxori de alimento in totam vitam prouidet. 91.18.c
Maritus vxori parentis loco. 74.111.c
Masculus pro perfecto.1722.65.a. Aptior sacrificiis. ibid.
Mater arborum pro radice. 304.91.d
Matrimonia Iudæorum cum Gentibus prohibita. 162.a
Super maxillas exaltans iugum quid. 318.24.b
Medi,Persæ & Chaldæi olim subditi Assyriis.972.58.e

Digitized by Google

Medicina.

Medicina humana nulla est contra inflictum à Domino vulnus. 171.55.a
Medicinam horret peccator vt phreneticus. 316.18.d
Medicina morbi, quem immisit Deus speranda à Deo. 1021.37.e
Mel in aëre fit. 78.125.e
Melchon quid. 1267.15.e

Memoriale.

Memoriale quid. 345.25.e.
Memoriale piorum nomen Dei. 346.26.e
Memorialem librum habet Deus & cur. 1781.70.a
Cuius memoria perit proiectum in mare dicitur. 1033.73.c
Memoria lapsi magni auctores. 1446.18

Mendacium.

Mendacium quo sensu optari possit. 909.55.c
Mendacij panis quid. 320.83.c
Mendax ager aut vinea, quid. 252.6.e
Os mensuram interdum & proportionem significat. 300.78.e

Mensa.

Mensa pro altari. 1713.33.c
Mensam cum Gentibus habere communem non licebat Iudæis. 145.98.d
Sacrandi mensam consuetudo apud Hebræos. 254.12.b

Mensis.

Mensium nomina. 1391.5.c
Mensium quis ordo apud Hebræos. 1389.2.d
Propria mensium nomina etiam ante captiuitatem. 1392.6.a

Mercator.

Mercatores Chananæi. 348.31.b
Mercatorum pondera lapides dicuntur. 999.37.c

Meretrix.

Meretrix infernus est. 384.a
Meretricis studium & vota. 1096.12.d
Meretricum sordes. 1097.17.d
Meretrices & pathici aliquando in templo Solymitano. 138.76.d
Meretricum & cynædorum prostibula Gentilium templa. ibid.c
Meridionalis ventus Theman. 768.b

Messis.

Messis pro vastitate. 196.a
Messis & torcular pro strage. 508.37.e
Messis pro extremo iudicio. 509.38.a
Messis pro qualibet collectione fructuum. 196.63.d

Metus.

Metus magnus comparatione belli significatur. 508.34.b
Metum castris Deus incutit. 467.38.c

Michael.

Michael Synagogæ Princeps. 1404.44.c
Michael strenuus in defendendo populo. 1407.51.b
Michael dux Angelorum tutelarium. 1409.59.e

Micheas.

Micheæ genus & patria. 861.1.a
Quo tempore propheta rit Micheas. 862.2.a
Micheæ dicti Prophetæ duo. ibid.e
Micheæ & Isaiæ eadem verba. 953.1.a
Contra Ierusalem & Samariam prophetat Micheas. 871.1.a
Micheæ vita & mors. 863.3.a
Mille in scriptura idem interdum quod omnia. 963.25.b

Milites.

Milites sanctificati qui. 1270.a
Militum fustuarium supplicium. 957.6.c
Militum custodia in templis. 1079.31.d
His qui in re militari deliquissent datum hordeum pro tritico. 92.a
A militari virtute abesse debet auaritia. 465.33.c
Quæ militia cæli. 1290.12.d

Minæ.

Conditionatæ minæ Ionæ. 843.17.d
Minæ Dei aliquando conditionales. 470.48.b
In ministris suis pugnat Deus. 1212.52.b
Status & ministerium peccatum aggrauat. 812.43.c
Propheticum obire ministerium durum est. 1704.2.d

Misericordia.

Misericordia oblatio Deo gratissima. 188.37.d
Misericordia furorem Dei auertit. 185.29.d
Misericordiam Dei exsiccat ingratitudo. ibid. a
Veritas sæpe cum misericordia coniuncta. 1034.76.e
De misericordia Dei nimium confidunt impij. 904.18.a
Misericordiæ memor Deus etiam cum indignatur. 1203.32.b
Misericordia excelsus Dei locus & ipsius veluti maiestas. 875.16.c
Ad misericordiam & veniam Deus valde pronus. 39.e
Misericordia sacrificium est. 189.39.b
Miseremur eorum maxime, qui talia patiuntur, qualia nos antea. 853.3.a
In Missarum sacris silentium indicitur. 1184.94.d

Moabitæ.

Moab quomodo peremptus. 564.12.a
Moabitæ & Ammonitæ prope mare mortuum. 1293.21.d
Moabitarum & Ammonitarum in Israelitas odium. 553.69.e
Moabitæ & Ammonitæ superbi. 1296.28.a
Ab Ammonitis & Moabitis occupatæ possessiones Israelis. 498.6.d
Moabitæ & Ammonitæ auxilio fuerunt Nabuchodonosori. 1293.20.c

Modestia.

Modestia in argumentando qualis esse debeat. 1155.13.e
Modestia Athanasij in reprehendendo. 563.10.c
Modus orandi vtilis & ingenuus. 473.58.d
Exordiendi orationem vehemens modus. 1120.d

Montes.

Montes ad ingressum Israel verè & propriè commoti. 1220.a
Montes cur dicantur æterni. 1221.78.c
Montes cadite super nos. 290.48.c
Montes quidam hominum manibus facti. 1222.a
Montes sæculi & colles mundi. 1220.a
Commoti reuera aliquando montes. 1052.22.d

Monstra.

Monstra cur gignat Africa. 44.18.c
Monstra concipit anima à Deo aliena. 45.20.a
Morbi interdum non à naturali causa sed à Deo & ab illo speranda medicina. 1021.37.e

Digitized by Google

Mori.
Mori pacificè quid. 563.11.d
Congregari idem quod mori. 120.18.c
Moritur anima à Deo diuisa. 279.8.d
Mori censentur qui tristes sunt, viuere qui læti. 409.29.b
Mors existimatur ærumnosa vita. 364.5.b
Pro morte aut sepulchro infernus. 381.58.a
Mortem columbæ adducit ambitio. 215.39.c
Vsque ad mortem idem quod valde. 858.21.c
Luctus pro mortuorum exequiis. 255.17.d
De mortuis non nisi honorifice loquendum. 563. 10.c
Mortua dicuntur quæ virorem amiserunt aut languent. 1402.29.c
Mortuus censetur qui vitam agit ærumnosam & tristem. 182.18.a
Mortua cur interdum dicitur anima. 1372.47.c
Quæ ad mortuos pertinent polluta. 255.18.c
Mortuorum sepulcra religiosa ac veneranda. 562. 6.c
Mortuus pro mortali aut morituro. 363.4.d
Mortis symbolum vncinus pomorum. 710.8.a
Mores.
Talis aliquis dicitur, qualis ille cuius exprimit mores. 1789.16.a
Quorum imitamur mores, illorum filij nominamur. 740.43.e
Affectuum variorum indices varij manuum motus. 1100.25.c 1109.57.a
Moyses.
Moyses cur dictus Apostolus. 1765.18.a
Populum à Moyse eo modo tractari voluit Deus quo ipse tractauit. 315.14.c
Sicut Moyses viris sic Maria fœminis præfuisse creditur. 991.16.c
Propter Moysen, Aaron & Mariam tria beneficia data existimantur. 992.18.d
Mulier.
Mulieres vocantur qui sunt imbelles. 1105.41.e
Mulieres prægnantes discissæ & allisi infantes. 391.4.d
Mulier & vir aliis à natura rationali attribuuntur. 606.15.e
Multitudo.
Multitudinem & præstantiam significat *Ter.* 536. 14.b
Multitudinem distributam significat *Vir.* 607.16.a
Vbi ex magna multitudine relicti pauci nullus existimatur aut dicitur esse reliquus. 460.d
Munditiet.
Quanta Sacerdotum munditiès dum sacrificiis dant operam. 61.69.d
Munditiem etiam externam Deus in Sacerdotibus commendat. 62.71.b
Mundus.
Mundi colles qui. 1220.a
Mundum Christus subiecit in cruce. 1214.56.c
Ad mundi finem conuertendi Iudæi. 504.22.a
Qui mundo ac vanitati meliora tempora tribuit, malè sibi consulit. 1720.61.e
Quid munera nostra ingrata reddat aut vim adimat. 1723.69.b
Muri fortissimi in quibus excubat Deus. 695. 29.c
Musca in conuiuiis. 666.15.c
Vera vitæ mutatio. 468.43.e
Mutatoria quid. 1445.15.c

N.

Nabuchodonosor.
NAbuchodonosoris potentia & aliorum contemptus. 1134.a
Nabuchodonosor sua potentia abusus. 1139.62.d
Nabuchodonosoris machinæ ad oppugnandum. 1135.a
A Nabuchodonosor ludibrio habitus Sedecias. 1179.78.b
Nabuchodonosoris in ornanda Babylone magni sumptus. 1176.72.e
Nabuchodonosor forte periit, Ierusalem bello. 475.65.c
Nabuchodonosor aliquando vocatus Assur & Chaldæi Assyrij. 1025.a
Nabuchodonosoris magna mutatio. 1135.51.c
Nabuchodonosori auxilio fuerunt Moabitæ & Ammonitæ. 1293.20.c
A Nabuchodonosore subacta Æthiopia. 1297. 34.d
Nabuchodonosor vocatus aquila. 230.4.d
Nahum.
Nahum genus & patria. 1037.1.a
Nahum non prophetauit in Niniue. 1039.a
Nahum contra quos prophetauit. 1038.3.e
Nahum Prophetæ mors & sepultura. 1040.7.d
Nares latæ pro patientia, contractæ pro ira. 1049.a
Non nasci melius, quam nasci miserum. 268.64.d
In Natalitiis feriis Aguinaldum petere vnde apud Hispanos ortum. 106.62.c
Hispanica vox Naua vnde habet originem. 534. 7.b
Qui à naufragio liberantur vota nuncupant. 818. 62.a
Nazaræi magno in pretio apud Hebræos. 573. 39.c
Nebulosa turris gregis. 941.31.e
Negatio.
Negatio sæpe repetita. 1777.57.b
Negatio vniuersali nomini addita facit vniuersale negatiuum. 121.22.b
Cum negatione contrarij affirmatio cum epitasi. 158.16.c
Negotiatio.
Negotiatio fallax si Deus est offensus. 1345. 25.e
In negotiatione fraus odibilis Deo. 968.35.c
Neomenia quid & cur instituta. 59.63.a
Niger color prauum ingenium, & mores indicat. 735.26.b
Nilus sæpe fallit spem Ægypti. 1690.61.e
Niniue.
Niniue Babylon existimata. 839.4.c
Amplitudo Niniuæ. 797.2.c
Niniuæ conditor & amplitudo. ibid.
Niniuæ ædificia è laterculo magis quàm è saxo. 1106.44.b
Niniue antiquissima imperij sedes. 840.7.b
Niniue duplex. 838.4.e
Niniuæ peccata. 799.6.d
Niniuitarum vera pœnitentia. 848.30.b
Niniue quomodo subuersa. 1040.6.b
Niniue spiritualiter subuersa. 842.15.d
Niniue apud Diodorum quomodo capta. 1078. 26.b
Quanta Niniuæ longitudo. 838.4.e
Cur Niniuitæ in Deum crediderunt. 843.18.e
In Niniue non prophetauit Nahum. 1039.a
Nisan ab initio mundi primus mensis. 1391.b
Noe.
Noe & qui fuerunt in arca abstinuerunt ab vsu coniugij. 472.56.d

Digitized by Google

In arca Noe seorsum viri ac fœminæ. 472.56.e
Noe tribus fabulis occasionem dedit. 805.22.c

Nomen.

Nomini diuino magna debetur reuerentia. 674.38.c
Deo de suo nomine magna cura. 970.51.d
Nomina Deo varie accommodata pro rerum opportunitate. 1402.39.d
Nominare Dei nomen quomodo aliquid indicat blasphemum. 674.38.b
Dei nomẽ aliis insertum nominibus dignitatem conciliat. 114.2.d
Nomen Dei tetragrammaton Gentes suis interdum diis tribuerunt. 142.88.e
Vnum Dei nomen in terra. 1684.39.b
Cum diuino nomine nulla indecora vox ab Hebræis coniungebatur. 674.39.d
Deus cum suo nomine magnum onus imponit. 115.2.b
Nomen Domini pollui quid. 1711.25.e
Nomen Dei violari à peccatore cur dicatur. 568.24.b
Nominata ab euentibus loca. 141.85.e.1620.59.c
Inuocari super aliquem alicuius nomen potestatis est. 75.114.d
Nomen pro persona. 1684.39.c.970.48.a
Nomen bonum cum rebus odoriferis comparatum. 413.42.e
Dei nomen Prophetiæ suæ cur prætendunt Prophetæ. 9.1.e
Nomen aliquando res assumunt à falsa hominum existimatione. 236.24.e
Commune interdum nomen rebus, & earum auctoribus. 1621.a
Ex ingenio aut artibus nomen sortitæ quædam nationes. 1291.14.b
Nomen aut genus fœmineum tribuitur viro cum muliebre aliquid agit. 137.74.& 603.2.a
Nomina eiusdem hominis diuersorum idiomatum. 1507.40.e
Nomen commune idolorum Baal. 363.3.b
Commune nomẽ varie à variis redditur. 856.16.e
Loca vbi artes maximè coluntur nomen artificibus tribuunt. 1769.a
Nomen vnde ciuitatibus impositum. 767.34.e
Cõmune nomen Oseæ Prophetæ & Iosue. 10.2.e
Composita nomina non eodem ab omnibus modo conuersa. 674.39
Parentum nomina cur ponant Hebræi. 518.3.c
Ex propriis nominibus altera tantùm pars interdum conuersa. 1100.26.e
Nomen interdum sumunt prouinciæ à vicinis prouinciis. 1015.48.c
Nomen Dei memoriale piorum. 345.25.e
Nomen ab opere vno sumunt artifices & magistratus cum multa exerceant. 212.24.c
Pro proprio nomine sæpe eius significationem ponit interpres. 154.3.e.546.45.e
Nomina parentum sine vlla mutatione pro patronymicis. 100.48.e.1376.61.e
Nomina latina aut peregrina multa in textu Græco aut Hebraico. 781.73.e
Pueri nomen quibus conueniat. 436.30.c
Tale nomen aliquis habet quale eius ætati ac conditioni conuenit, licet ratio nominis absit. 436.30.c
Nomen alicui regioni vernaculum de illa regione indicat sermonem fieri. 781.72.b
Licèt nominis ratio absit tamen ab his quæ vsitatiora sunt in aliquo genere alia compellantur. 99.43.a

Nominatiuus.

Nominatiuus absolutus si pronomen sequatur, quasi in eius casu foret, exponendus. 266.55.a
Nominatiuo aliquando præponitur את eth. 1358.4.c
Non vltra, non amplius, idem quod nunquam: 513.a. & interdum tantum temporis dilationem significant. 321.35.e
Notatio nominis posita pro nomine proprio. 546.45.c

Nox.

Nox & tenebræ & similia pro affectione. 457.6.b pro cæcitate & amentia. 923.16.b. pro vita ærumnosa. ibid.17.c
Noctis quatuor vigiliæ tubis distingui solitæ. 303.87.e
Noua lex non mutanda. 1361.24.e
Nouissimum interdum idẽ quod postea. 102.51.b
Nudus non semper significat omnium vestimentorum spoliationem. 882.41.d
Nudatæ turpiter ancillæ. 56.55.e
Nulli pro paucis. 1164.4.c
Exigua pro nullis. 1705.6.d

Numerus.

Numerus Cardinalis pro ordinali. 535.11.e
Numerus pluralis ad significandam dignitatem pro singulari positus. 965.34.d.1363.20.d
Septenarius & octonarius numerus pro magna multitudine. 972.56.b
A nundinis feriatus dies Sabbati. 713.20.b

Nuptiæ.

Nuptiæ per coëmptionem. 90.16.d
Nuptiarum eximius apparatus. 435.26.c
Nuptiale gaudium pro maximo. 58.62.e
Pro nuptialibus sacris domus in agro. 65.82.b
Inter nurum & socrum quis amor aut odium. 1019.30.e

O.

Obedientia.

Obedictiæ illustre exemplum in Osea. 12.6.a
Quid in obedientia vitiosum. 1713.35.e
Obedientia perfecta superiori etiam imperfecto deferenda. 1713.32.a
Oblatio Deo gratissima, misericordia. 188.37.d
Obsequium humillimum terram lingere. 1030.61.a
Pro obseruantia & religione pauor. 101.49.b
Obstinationis symbolum. 1488.25.a
Obstinatio & quæ ad illam via. 1522.23.a
Per occasionem alibi explicatur quod suo loco omissum in scriptura. 853.4.c
Pro occasu Arabia. 1131.36.b
Octonarius numerus pro magna multitudine. 972.56.b

Oculus.

Oculorum variæ acceptiones. 1484.11.e
Oculorum magna vis. 1767.23.d
Quæ oculis capiuntur grauius mouent, quam quæ auribus. 1123.9.a
Oculi septem pro maxima attentione. 1450.33.b
Oculi Domini septem Angeli. 1474.45.c
Qui oculi Regum dicti. ibid.d
Septem lucernæ candelabra septem oculi sunt. 1475.47.a
Catablepæ noxia vis in oculis. 1133.43.b

Odium.

Magnum odium quo dicendi modo significetur. 905.24.e
Magni odij argumentum est alicuius nominis vel obscuram notam audire nolle. 194.56.b
Odium in parentes. 906.27.d

Odium inter socrum,& nurum. 1019.30.c
Ammonitarum, & Moabitarum odium in Israelitas. 553.69.c
Odium immortale inter Israelitas, & Idumæos. 551.64.b
Odor pro fama. 413.42.d
Odor firmitas, & pulchritudo Ecclesiæ. 411.a
Officina simulacrorum in Galaad. 194.56.b
De Og fabulæ Hebræorum. 572.37.c
Oleum accipiunt Reges & sacerdotes à Christo. 1465.16.a
Oliueti in monte castra Romanorum. 1674.9.b
Quomodo mons ille diuisus. 1676.14.b

Oliua.

Oliuæ vsus & species. 411.35.b
Oliuæ duæ cælatæ in candelabro. 1461.12.b
Quid oliuæ duæ significent in populo Iudaico. 1463.13.a. Quid in Ecclesia. 1466.21.e
Cur oliuæ duæ dicti Elias & Enoch 1466.19.b. 1467.22.b
Omnes pro plurimis, nulli pro paucis. 1164.4.c

Onager.

Onager libidinosus & zelotypus. 238.31.e
Onagro præmatura celeritas noxia. 239.33.c
Onagri proprietates. 238.29.c

Onus.

Onus quid. 1045.1.c
Onus peccati graue. 808.30.a
Operæ suæ pretio priuari durum est homini. 1009.1.c
Opertio abundantiam significat. 1746.56.c
Operiri sicut pallio magnum aliquid & manifestum significat. 1750.70.e

Opes.

Opes occultandæ. 217.41.e
Opes alienæ clamant contra iniustum possessorem. 1177.75
Opum abundantia peccatorum occasio. 303.87

Opus.

Opus pro operis mercede. 106.61.e
Opus Dei non otiosum etiamsi inutile videatur hominibus. 1228.96.d
Opus quod Deum non spectat vanum est. 1355.24.e
Dæmonum oracula Christo nato siluerunt. 980.81.c

Oratio.

Oratio magnum Dei donum. 1640.18.c
Secessus vndique clausus orationi opportunus. 1153.5.b
Oratio magnum telum. 1571.66.a
Orationis vis & vtilitas. 1640.17.b
Nullus locus aptior eo, in quo quis à Deo constituitur, siue ad orationem, siue aduersus diaboli insidias. 1153.6.d
Ad orationem præparatio optima. 372.31.a
In puluere iacentes homines aliquando orant. 439.41.d
Quis Gentibus in orando modus. 220.50.c
Orationem exordiendi vehemens modus. 1120.d
Deo aliquando grata libertas in oratione. ibid. 4.e
Vtilis & ingenuus orandi modus. 220.50.e
Oratio Apostolico viro necessaria. 786.88.c
Orationis tempore vacandum ab vsu coniugij. 472.55.b
Oratione figurata honestari solet quod turpe dictu est. 1316.a
Oriens Christi nomen non à sole sed à plantis. 1448.25.c

Ornamentum.

Ornamētum templorū quod præcipuū. 1365.25.c
Ornamenta lectorum tam cubicularium quam tricliniarium. 665.11.b
Ornamenta quæ ad fornicationem inuitant, dicuntur fornicatio. 40.7.c
Ortu & occasu totus mundus significatur. 1532.16.e

Os.

Os idem quod verbum aut præceptum. 912.14.e
Oris claustra. 1015.20.d
Os magnificare quid. 771.42.b
Os sapientis sicut porta templi. 1737.26.c
Os sacerdotis thesaurus scientiæ. ibid.b
Os mensuram & proportionem interdum valet. 300.78.e

Osculum.

Osculum adorationis signum. 366.14.d
Osculum manuum in adoratione. ibid.e

Oseas.

Oseas inter duodecim Prophetas primus. 1.1.a
Oseas prophetauit illustri tempore. ibid.2.c
Oseæ genus & vita. 2.3.a
Oseæ stylus. 4.8.d
Oseæ nomen commune Prophetæ cum Iosue. 10.2.c
Oseas obscurus. 5.9.b.415.50.d
Quandiu vixit prophetauitque Oseas. 2.4.d
Oseæ vxor vilissima. 14.12.b
Oseas verè duxit vxorem fornicariam. ibid.
Ab Osea aliquando separata vxor adultera. 92.22.e
Oseæ rursus nubit adultera. 86.5.d
In Osea illustre obedientiæ exemplum. 12.6.a
Oseas non videtur loquutus de Iudæis nostri temporis. 103.56.d
Osee regnum breue & obscurum. 312.4.a

Ossa.

Ossa quid allegorice. 910.8.e
Ossa nuda carnibus sepulchro mandata. 673.34.b
Otiosus dicitur & dormiens qui inutilia captat. 432.17.b

Oues.

Quæ ad ouibus commoda. 920.5.a
Oues tondentur sub vernum tempus. 689.6.a

P.

Pactum.

Pactum inter Deum & Adam. 190.45.e
Pactū quale à Deo cū sacerdotibus. 1734.16.c

Palæstina.

Palæstina dicta Cerethi. 1290.13.e
In Palæstina plana tecta. 1266.13.e
In Palæstina vites ac ficus frequentes. 59.64.c
Palæstina vocata terra Chanaan. 1291.16.e
Quis fructus Palæstinæ vernaculus. 340.a
Quomodo in Palæstina fruges teri solitæ. 948.51.d
Hordeum in Palæstina in honore habitum. 92.a
Palæstina vastata. 550.58.c.& 1554.17.c
In Palæstina non est imber à mense Maio ad Octobrem. 1583.2.e
In Palæstina duplex imber. 183.23.c
Palæstini è Cappadocia profecti. 736.19.c
Paleis potius quàm granis sustentata Iudæorum vana spes. 104.a
Paliurus quid. 1014.16.b

Panis.

Panis subcinericius quis. 214.30.d
Panis mendacij quis. 320.83.c
Panes propositionis à sacerdotibus subacti & cocti. 1711.16.c

Parabola.

Parabola & Ænigma quid & eorum vsus. 1167.52.c

Digitized by Google

In Parabolis non omnia accommodanda. 790.7.d
Paragogicus sæpe apud Hebræos datiuus. 663.6.d
Paraphrastes.
Paraphrastes Chaldæus non dicit Sepharad esse Hispaniam. 782.74.a
In Paraphrasi Chaldæa multa absurda. ibid.
Pardus.
Pardus & leæna pro fortitudine ac sæuitia. 370.24.b
Pardorum velocitas. 1130.a
Parens.
Parentis loco est vxori maritus. 74.111.c
Parentis & iudicis animus in Deo circa peccatorem. 323.40.c
Parentibus denunciata multa, quæ in posteris completa sunt. 1169.60.e
Parentes odio habere quo sensu liceat. 1017.25.d
Parentum virtuti non fidendum. 735.28.e
Parentum virtus laus posteris inanis. 232.8.b
Parentum nomina sine vlla mutatione pro patronymicis. 100.48.e
Paret terra iustorum votis. 79.129.c
Parietes templi antiqui non relicti. 1347.19.c
Paronomasia in Scriptura frequens. 635.23.d.710.9.c
Participia præteriti pro nominibus in bilis. 145.98.e.216.37.d
Paruulorum cura est Deo. 906.28.e
Pastor.
Pastor malus quis. 919.3.c
Pastoris stulti descriptio. 1622.63.d
Pastoris stulti supplicium. 1627.76.b
Iason Sacerdos pastor stultus. 1624.70.e
Pastor stultus putatur esse Antichristus. 1623.64.a
Qui sũt tres pastores occisi à Zacharia. 1614.43.b
Pastores signa deferunt laceratæ pecudis ad dominum gregis. 592.34.b
Pastores reges vocati. 1603.8.d
Pastor & Propheta Amos. 519.5.e
Pascere ventum. 337.1.b
Pater.
Patris & Christi præcursor Ioannes. 1761.8.e
Aliter pater & iudex, aliter hostis cædit. 1139.61.a
Patientia.
Patientia Dei admirabilis. 1772.41.d
Patientiæ probatio. 857.19.d
In patientia Dei magna apparet illius fortitudo. 1048.9.d
Pro patiẽtia latæ nares, contractæ pro ira. 1049.a
Paulus.
Pauli constantia. 977.71.d
Pauli imitator Xauerius. ibid.72.e
Pauper.
Qui pauperem nudat Deum expoliat. 905.24.e
Pauperi nunquam deerit quod offerat Deo. 997.32.d
Pauperis causa plerunque iustior. 641.32.b
Pauperum iniuriæ clamant. 1552.12.b
Pauperum patronus Deus. 799.5.d
Pauperum bona quasi præda,& hæreditas est potentium. 671.28.b
Pauperum substantia sanguis, & vita illorum est. 925.22.e
E pauperum plerunque bonis opera publica. 926.23.b
Pauperibus reddendæ vestes pignoratæ ad singulas noctes. 569.29.e
Pax.
Pax data pro templis ædificandis. 1369.38.e
Pax & abundantia in solo Deo: ab aliis nihil solidi. 51.41.e
Ad pacem & veniam alium inuitare gloriosum. 321.36.e
Pacem in mundum inducit Euãgelium. 978.74.c
Personarum acceptio quid. 1740.35.a
Peccator.
Deus quasi inuitus peccatorem punit. 184.25.b
Circa peccatorem animus parentis & iudicis in Deo. 323.40.c
Peccatorem creaturæ persequuntur. 813.48.e
Peccator nũquã sine metu esse debet. 1022.38.b
Bellum Deo indicit peccator. 905.22.c
Peccator suauitatem Dei in amaritudinem conuertit. 355.55.c.678.52.e
Si audiendi studium habeat peccator, non est in eo desperanda salus. 568.26
Peccatoris symbolum subcinericius panis. 214.32.e
Peccator reipublicæ obnoxius. 1328.57.e
Videri se à Deo non putat peccator. 804.19.b
Peccator vt phreneticus horret medicinam. 516.18.d
Peccator Domino molestus & grauis ad portandum. 574.44.e
Cum peccatore moriente commoritur Christus, & cum resurgente resurgit. 1314.16.e
A peccatore prouocatur ira Dei. 574.43.e
A peccatore nullum bonum solidum offerri potest. 393.9.c
In conuertendo peccatore multiplex & constans Dei studium. 185.30.e
Cur à peccatore violari dicatur Dei nomen. 568.24.c
Sementis à peccatore factæ fructum capit dæmon. 237.24.b
Iudicium Dei contra peccatorem. 693.b
Contra peccatores Deus nouas format acies. 687.2.d
In peccatores quàm molli animo affectus Deus. 39.6.c
Peccatori fauere periculosum. 813.47.d
Fucus peccatori à Deo auferendus & nudanda turpitudo. 57.56.b
Tunc Deus peccatori veniam benignius promittit, cum de se actum putat propter vitæ turpitudinem. 61.73.d
Peccatori neglecta suiipsius cognitio. 1097.14.b
Quæ à peccatoribus offeruntur quàm Deo parum grata. 1732.7.a
Peccatori creaturæ seruiunt inuitæ. 56.53.a
Peccatoris in peccando furor & insania. 143.90.d
Peccatoris contra Deum audacia. 900.3.c
Peccatoris insignis impudentia. 54.48.c
Peccatoris miserrimus status. 576.47.a
Peccatoris stupor vitulino similis. 296.a
Peccatoris stupor incredibilis in agnoscendis Dei beneficiis. 316.a
Ingratum Deo peccatoris canticum. 684.52.d
Peccatoris obstinati symbolum. 809.34.b
Peccatoris à Deo derelicti status. 647.47.a
Quæ peccatoris vitam non emendant flagella, illa sunt æternæ vitæ initia. 1058.41.b
Oblatio peccatoris ingrata. 1716.a
Peccatoris stupor & amentia in contemnendo Deo. 88.9.c
Animæ peccatricis status. 44.18.c
Labor peccatoris stultus & grauis. 337.1.b
Peccatoris gloriam ignominia sequitur. 127.38.c
Peccatorum iusta retributio. 131.a

Digitized by Google

Peccatorum mensuram expectat Deus vt puniat. 11.37.c.538.22.d. 509.38.a. 1487.23.b
Consuetudo peccatorum timenda. 576.48.b
Opera peccatorum Deo molesta. 1752.74.c
Retributio peccatorum iusta. 131.a

Peccatum.

Peccatum pro peccati pœna aut purgatione. 1445. 14.b. 1691.62.c. peccati pœna. 1483.12.b
Deus grauiter fert quenquam ab alio ad peccandum induci. 370.25.d
Peccata accusant auctorem suum apud Deum. 800.7.d
Peccata Magdalenæ dimissa, quia dilexit, quo sensu. 1710.20.a
Peccata fauet impunitas. 1113.12.c
Peccata aliorum consumit Sacerdos quasi ignis. 128.42.c. 129.a
Peccata nostra amarum Deum faciunt. 391.3.d
Diabolus Dei minister est ad peccata punienda. 1217.65.a
Peccata seruat Deus tanquam in sacculo. 374. 38.b
Peccata Christianorum ac Religiosorum grauiora. 235.a
Qualiter peccata in iudicio reuelanda. 1098. 21.c
Quomodo peccata puniant Esseni. 1791.23.d
In mare expiationis ergo proiici solita peccata. 1034.74.a
Celati in confessione peccati pœna. 376.a
Peccata alia aliis nationibus vernacula. 811. 42.c
In peccatis tribus multa continentur peccata. 536.16.c
Supplicium graue impunita relinquere peccata. 136.72.d
Peccata etiam inter Gentiles diuinitus punita. 810.38.d
Quando peccata in cælum clamant. 799.4.b. & quæ. ibid. 5.d
Inundare dicuntur peccata quæ publice atque impune fiunt. 117.8.a
Peccata cur vocentur fortia. 641.30.a
Propter peccata hominum aliquando extincti in fluuiis pisces. 110.a
Quando peccata non punit Deus existimatur à stultis illa non videre. 541.31.c
Peccata auferenda & illorum fibræ. 393.8.b
In quarto peccato plura videntur peccata contineri. 536.16.c
Sterilitas agrorum propter peccata. 1344.11.d
In peccata varia præcipitat diabolus, quos habet sibi subiectos. 146.102.a
Peccati diu celati pœna. 375.43.d
Peccati pœna pluuiæ defectus. 614.39.b. 184. 27.c
Horribilia duo in peccato. 295.61.a
Peccati odium, & desperatio. 291.50.d
Peccati fructus. 235.21.c
Peccati vmbra sopor. 809.34.b
Peccati onus graue. 808.30
Incommoda humana vulgus exorta putat ex peccato. 1708.15.c
Ignorantia aut stultitia pro peccato. 57.59.c. 1195.11.c
Peccatum dicitur inutile. 899.2.d
Ministerio peccatum aggrauatur. 812.43.c
Grauius est peccatum post beneficia. 1705.5.b
Peccatum vnum & præceptum vnum pro omnibus simul adhibentur per synecdochen. 507. 33.d
Peccatum graue incestus. 568.24.b
Peccatum semper parturit fructum. 282.17.a
Peccatum pro idolo. 41.11.d
Locus peccatum aggrauat. 812.43.c
Peccatum pro sacrificio pro peccato. 127.39.c
In pectore ac facie imagines deorum gestabant Gentiles. 40.8.d

Pecunia.

Vis pecuniæ. 348.33.c. 349.35.d
Pecunia pro deo habita. ibid.c
Pecunia fœnori locari solita Calendis. 712. 16.b

Pecus.

Quomodo pecus Dei signatum. 591.36.c
Pecudis laceratæ signa deferunt pastores ad dominum gregis. 568.26

Penna.

Pennæ solis quid. 1786.6.c
Pennæ ventorum. 147.103.a
Pennæ quomodo aquilæ defluant. 891.73.a

Perfidia.

Perfidia cognatorum domesticorumque. 1016. 23.d
Perfidia Chaldæorum in Idumæos. 765.28.d
Perforatum aliquid debile ac futile significat. 1242.138.d
Perfugium Iudæorum in montium speluncis. 291.49.b

Periculum.

Periculum audaces ac robustos reddit. 502.18.d
Periculum magnum in potentia ac felicitate. 1165.45.b
Periculum illorum qui terrena sapiunt. 877. 23.c
Periculum magnum significatur comparatione belli. 508.35.b

Perire.

Perire fugam ab aliquo & similia quid. 576.49.c 432.19.c
Perire dicitur qui grauem sustinuit iacturam & mutationem. 545.41.c. 1664.38.d
Perisse dicuntur quorum non est vsus. 1263. 2.a
Periisse dicuntur illa quorũ proprius vsus periit, licet alios habeant vsus. 443.54.b
Pro perfecto masculus. 1722.65.a
Periurium grauiter à Deo punitur. 1483.12.b

Persæ.

Persæ & Chaldæi in animalibus expressi. 1198. 17.c
Persæ, Medi & Chaldæi olim subditi Assyriis. 972. 58.c
Persarum rex dictus vltor. 1465.17.d

Persona.

Personam circumscribit filius. 700.48.a
Personarum acceptio quid. 1740.35.a
Persona in iudicio non accipienda. 1743.45.b
Personæ tertiæ pronomen interdum reciprocum interdum secus. 1128.27.c
Pharan beatitudinis typus. 1108.43.c
Phrasis Hebraica atque Hispanica ibat proficiens. 814.52.c
Vt phreneticus medicinam horret peccator. 316. 18.d
Philtra & maleficia ad conciliandum amorem vsitata. 1094.7.d
Pietatis plenus vaticinandi modus. 631.2.d
Ierusalem cur dicta pila. 1274.33.b

Pisces.

Pisces & reptilia neque dominos habent neque duces.

Digitized by Google

ducet. 1143.72.b
Pisces quomodo moriantur aqua marina corrupta. 119.15.d
Pisces, volucres & animalia terrestria ex suo genere infirmiora deuorant. 1141.69.e
Pisces aliquando in fluuiis extincti propter hominum peccata. 120.a
Pisces etiam dicuntur serpentes. 1141.68.c
De piscibus duobus qui Ionam deuorarunt Hebræorum fabulæ. 822.4.d
Piscinarum grauis odor. 1081.a

Plaga.

Plaga desperata quæ. 885.48.a
Plagæ alicuius magnæ prognosticon gemitus Dei. 575.b

Planctus.

Planctum & lachrymas vænales habent non solum fœminæ sed etiam viri. 643.39.e
Ad planctum & preces publicas adhiberi soliti infantes. 471.53.d
Mortuæ plantæ quæ. 183.23.c
In plantatione vinearum agri à lapidibus purgari soliti. 879.29.c
Platiphylli pestilens natura. 119.15.c
Plenitudo in Scriptura quid. 872.4.a
Quæ nobiliora sunt plurali numero explicantur. 965.34.e

Pluuia.

Pluuia bonorum præmium. 614.40.d
Pluuiæ iustorum agris debentur. 78.125.d
Pluuiarum duo genera. 79.127.d
Pluuiarum duo tempora. 613.38.d
Pluuiæ defectus peccati pœna. 184.27.c

Pœna.

Pœna obstinationis. 1049.11.a
Pœna ingratitudinis. 126.37.e
Pœna peccati diu celati. 375.45.d
Pœnæ æternæ initia sunt peccata quæ peccatoris vitam non emendant. 1058.41.b
Pœni ab Hebræis multas sumpserunt voces. 212.26.e

Pœnitentia.

Pœnitentia quantam adducat hilaritatem. 1408.54.b
Pœnitentiæ vis. 514.d
Pœnitentiæ fructus & laus. 1327.51.b
Pœnitentiæ veræ species. 844.21.e
Veræ pœnitentiæ testimonium. 846.26.d
Pœnitentia facit hominem gloriam & coronam Christi. 1508.42.e
Pœnitentia restituit animam sibi. 1638.10.c
Pœnitentia sera. 1288.5.e
Pœnitentia non differenda in crastinum. 1300.52.e
Pœnitentiæ dilatæ tristis fructus. 375.45.e
Quæ simulata quæ vera pœnitentia. 469.44.a
Pœnitentia vera in mutatione vitæ. 904.20.e
Pœnitentia Niniuitarum vera. 846.39.d
Ad pœnitentiam adducit tribulatio. 177.1.b

Pollui.

Pollui nomen Domini quid. 1711.25.c
Quis pollutus in anima. 1372.46.b
Quis pollutus polluit quæ tangit. ibid.48.e
Polluta quæ ad mortuos pertinent. 255.18.e

Poma.

Poma prima ficulneæ pro re suaui. 263.46.e
Pomorum custodia quid. 879.31.e
Pomorum vncinus mortis symbolum. 710.8.a
Pondera mercatorum lapides vocantur. 999.37.c

Populus.

Populus exemplum Regis sequitur. 204.d
Populum à Moyse eo modo tractari voluit Deus, quo ipse tractauit. 315.14.c
Ne populus in Ægyptum rediret magno studio cauit Deus. 320.32.e
Populus clangore tubarum admonetur aut conuocatur apud Hebræos. 229.1.b
Item apud Gentiles. ibid.
Populus Hebræus idololatriam horruit à captiuitate præter admodum paucos. 72.106.e
Populi captiui reditus & gloria typus Ecclesiæ. 784.a
Infensos sibi populos Iudæi post exilium subiugarunt. 974.61.a

Possessio.

Israelis possessiones ab Ammonitis & Moabitis occupatæ. 498.6.e
Possessor pro re possessa. 1775.49.a
Iniusto possessori pondus & laqueus sunt diuitiæ. 1174.66.d
Potentes quæ communia sunt propria sibi esse putant. 1264.5.d
Potentia omnis humana infirma est absque Deo. 244.49.d
Vini potentia. 210.18.e

Potus.

Potus multiplex. 48.33.c
Potus pro conuiuio & bibere pro conuiuari. 1059.43.a
In potu ac vino totum intelligitur conuiuium. 604.7.b
Præceptum vnum & peccatum vnum pro omnibus simul adhibentur per synecdochen. 507.53.d
Præceps & cæca ambitio. 851.c
Prægnantes mulieres discissæ, infantes allisi. 391.4.c

Prælati.

Qui Prælati aut Principes Ecclesiæ dicantur electi à Deo. 233.12.e
Prælatus speculator & sanguinis alieni reus. 872.5.b
Prælati Ecclesiæ humiles. 1299.38.b
Prælati & sacerdotes negligentes aliena peccata faciunt sua. 128.43.d
Prælium sanctificare quid. 922.25.e
Præparatio ad orationem optima. 372.31.a
Præparo idem quod confirmo. 1177.73.b
Præpositio aliquando redundat. 1126.20.c

Præputium.

Præputium adduxit Esau primus omnium. 1625.71.c
Præputia adduxere Iudæi ne Gentibus essent dissimiles. 1272.26.c 1625.71.c
Præsentia Dei commendata sacerdoti. 1735.20.c
Rupes ad præsidium quinam sibi elegerunt. 763.20.a
Præteritum perfectum pro nomine in bilis. 1364.22.d
Priapus Hebraice Beelphegor. 264.50.c

Princeps.

In collibus significati principes. 987.2.b
Item in montibus. 876.21.d
Qui Principes aut Prælati dicantur à Deo electi.

Digitized by Google

ēti. 253.12.c
Qui Principes sunt in Republica, principes sunt in tormentis. 670.16.c
Principes sunt populi fundamenta. 988.6.d
Principes & sacerdotes male sua auctoritate abusi. 155.6.e
Principes & sacerdotes speculatores. 156.8.d
Principes in suos inhumani. 920.5.b
Principes quo artificio bona aliorum extorqueant. 1012.11.d
Principum optimorum exemplar Dauid. 101.a
Principum potentissimum exemplum. 567.22.b
Principum exemplum pro lege. 1738.30.e
Grauissima Principum exempla in vtramque partem. ibid.
Malorum Principum exemplum pestilens. 1739.31.b
Principum futilis & tantum phantastica potentia. 1137.b
Probatio patientiæ. 857.19.d
Probitas vitæ auctoritatem sententiæ conciliat. 1328.56.c
Prognosticon magnæ alicuius plagæ gemitus Dei. 575.44.b
Prolepsis in Scriptura vsitata. 1101.29.d
Promissa oblata, aut bona ab hominibus concessa fallacia. 55.52.e
Promissiones à Deo iuratæ de Christo. 1230.101.d

Pronomen.

Pronomen sæpe redundat. 188.40.e 1136.d
Pronomen tertiæ personæ interdum reciprocum interdum secus. 1128.27.c

Propheta.

Propheta Dei legatus. 352.46.c
Coram Domino esse dicuntur Prophetæ. 801.11.e
Prophetæ dicti Videntes. 1447.13.e
Prophetæ in portis loqui soliti. 640.18.d
Prophetæ ex variis tribubus. 38.1.d
Prophetæ cur Dei nomen suæ prophetiæ prætendunt. 9.1.e
Cur parentum suorum nomina in principio librorum ponant Prophetæ. 1399.28.d
Prophetarum habitus peculiaris. 511.a 1666.14.d
Prophetæ fuerunt in deserto. 573.39.b
Prophetæ ludibrio habiti. 1160.31.e
Extra terram promissionis fuerunt Prophetæ. 801.12.b
Signis aliquando & factis prophetabant Prophetæ. 882.40.c
Prophetæ existimati insani. 259.31.e
Prophetæ ea facere dicuntur, quæ facienda prædicunt. 923.a
Duodecim Prophetæ non eodem ab omnibus ordine numerantur. 3.5.c
Prophetarum verba subsannata. 259.30.d
Prophetas habuerunt duæ tribus post captiuitatem non verò decem. 719.40.d
Apud Prophetas annus sacer non vulgaris. 75.56.d
Prophetæ dicuntur qui typus fuere Christi vt Abel. 1447.21.b
Prophetis non tam extrinsecus quàm intrinsecus loquitur Deus. 1153.b
Prophetis & concionatoribus vtile aliquando tacere. 641.32.d
Prophetis ab Hebræis indictum silentium. 575.40.e
Maria Prophetissa. 992.a
Prophetiæ donum vnde consecutus Abdias. 749.12.e
Prophetia de futuris per incerta Allegoriæ non extenuatur. 1717.a
Prophetia defecit à tempore Zachariæ vsque ad Euangelium. 1396.15.b 1401.34.d
Deus propheticæ denunciationis vas. 872.6.c
Propheticum ministerium obire durum est. 1704.2.d
Propheticus stylus diuersus ab aliis. 4.8.d
Prosperitas impiorum ducit ad mortem. 144.92.b
Ad prostibulum venditi pueri. 499.8.c

Prouerbium.

Prouerbia multa ex Ægyptiaca seruitute ac libertate. 1194.7.b
Prouerbialis descriptio fœcunditatis atque abundantiæ. 742.49.e
Prouidentia Dei in suos. 72.a 1324.43.d

Prouincia.

Prouincia aut ciuitas quæ primum nauigantibus aut exploratoribus occurrit nomen dat toti regioni. 571.33.c
Prouinciæ caput pro ipsa prouincia poni solet. 1298.36.c
Prouinciæ nomen interdum sumunt à vicinis prouinciis. 1025.48.c
Ad prouinciam tantum vnam coarctantur quæ generaliter videntur dicta. 458.9.a
Proximus idem qui amicus. 1540.35.b
Prudentes viri sunt oculi ciuitatis. 1279.b
Prudentia, aut dotes ex patria, aut ministerio non pensanda. 525.13.b
Prudentia à Deo prudentibus erepta. 766.31.c
Quid in Psalmorum titulis, *Victori in Psalmis.* 1250.a
Psalmus 119. in gratiarum actione cantari solitus. 1250.160.c
Pseudoprophetarum varia studia. 1665.10.e
eorum supplicium. 1666.12.b
Pubertatis vxor quæ. 1747.59.c

Pudor.

Pudor graue tormentum. 396.17.d
Pudoris violati supplicium graue filiabus decretum. 139.78.c

Puer.

Pueri nomen quibus conueniat. 436.30.c
Puer aliquando nomen ministerij non ætatis. 1426.5.e
Pueritia Israelitici populi. 312.5.c
Pulchritudo, firmitas & odor Ecclesiæ. 411.a

Puluis.

Puluis mutum signum. 1050.15.d
Puluis signum exercitus aduentantis. ibid.
Punit Deus cum dolore. 1611.33.a
Pupillus pro misero & ab omni auxilio destituto. 399.23.b

Q

Quadrigæ.

QVadrigæ imperia significant. 1475.2.b
Quadrigarum vsus in bello. ibid.c
Malè quæsita non explent animum. 131.52.c

Ex

Digitized by Google

Ex meretricio quæstu conflata idola. 881.36.b
In quarto peccato multa continentur. 570.31.d

Quia.

Quia interdū otiosum.874.12.b 47.27.a 1789.14.a
Interdum tantum ad ornatum. 438.36.c
Interdum vox aduersatiua. 267.54.a
Quies pro quietis loco. 907.31.e
Quisquiliæ quid. 715.27.a
Quoniam & *quia* sæpe otiosa. 186.33.c

R

Rapina.

Rapina in domo ignis est qui illam absumit. 998.34.b
Quibus rapina aut vanitas admiscetur corrupta sunt dona. 611.a
Rapinæ etiam occultæ contra raptorem clamant. 1178.76.b
Rapina & inclementia inopiam & famem inducit. 116.6.d

Ratio.

Ratio seuerius ab eo exigenda qui plus accipit. 251.3.d
Ratio iis reddenda qui de nobis queruntur.1156.14.a

Radix.

Radix & germen. 1785.3.c
Radix & stirps pro germine. 410.31 b
Radix arida pro sterili. 270.71.d

Recordor.

Recordor sæpe practicum aliquid significat in Scriptura. 71.100.a
Non recordari siue obliuisci quomodo dicatur Deus. 21.36.b

Regio.

Regiones fluminibus inter se montibusque dissitæ,& discretæ. 1026.52.e
Regiones longinquæ dicuntur insulæ. 1297.33.c
Vbi regio aliqua ab hominibus deseritur inde quoque belluæ diffugiunt. 1263.3.d
Regioni toti nomen dat prouincia aut ciuitas quæ primum nauigantibus aut exploratoribus occurrit. 571.33.c
Regiones aliæ Australes vel Aquilonares dicuntur comparatione Hierosolymæ. 1206.39.d

Relatiuum.

Relatiuum sine antecedente. 539.26.e
Relatiuum ab Hebræis omissum. 1222.80.c 288.37.c

Religio.

Religionis via quo studio aggredienda. 1018.27.e
Religionis actus iuramentum. 1267.14.d
Religionis aut amatorum insignia gestari solita. 54.47.b
Pro religione & obseruantia timor & pauor. 101.49 b
Ad religionem Iudæorum multi ex Gentibus accesserunt. 1297.32.a
Ex religione Iudæorum multa sumpsit Ieroboam ad aureos vitulos colendos. 594.40.e

Religiosus.

In religioso indecora elegantia. 1271.24.e
A Religioso Deus in superiori aut contemnitur aut colitur. 1713.32.a
Religiosorum grauiora peccata. 235.18.a
Religiosæ vitæ facilitas suauis. 1151.a
Religiosæ vitæ forma & effectus. 1787.10.d
De Religioso quale iudicium. 592.36.d
Reliquiæ numerum exiguum significant. 941.28.b
Repulsi ab omnibus Iudæi. 105.61.a
Requies pro vindicta. 1550.6.e
Res significata pro signo. 40.7.b
Res à fine seu euentu nominatur. 43.14.a
Respicio idem quod faueo. 1140.65.c

Respondeo.

Respondeo pro dico. 1409.57.b
Respondeo æquam mensuram significat. 159.21.d
Responsa olim dæmones ex signis & imaginibus reddidere. 98.41.d

Respublica.

Reipub.noxius peccator. 1328.57.e
Qui in Repub. Principes sunt erunt in tormentis Principes. 670.26.c

Resurrectio.

Christi resurrectio nostræ resurrectionis exemplar. 181.17.d
Cum resurgente peccatore resurgit Christus, & cum moriente commoritur. 1314.16.e
Resurrectionis & liberationis è graui malo typus prouerbialis in Iona liberato. 180.13.e
Reuertor & similia per aduerbium iterum explicanda. 1032.71.e
Reuerentia magna nomini diuino debetur. 674.38.c
Reus alieni sanguinis Prælatus. 872.5.b

Rex.

Rex appellatur sponsus. 289.42.c
Regis exemplum sequuntur populi. 104.d
Quod inter Iudices Regesque discrimen. 212.26.e
Regum quæ munera & partes. ibid.25.d & 1467.21.b
Reges & Potentes instrumenta Dei ad correctionem & non ad exitium. 1417.77.c
Reges & Imperatores à Deo quasi feræ coerciti. 1495.3.c
Qui Reges iidem Iudices. 212.25.d
Rex quasi lex est populi cuius alij exemplum & voluntatem sequuntur. 204.d
Reges dicti pastores. 1603.8.d
Reges in hircis significati. 1588.12.a
Regum ingentes sumptus in vxorum cultu.1106.47.e
Regia potestas cum sacerdotali coniuncta. 1505.32.d & diu in sacerdotibus durauit. 1506.35.d
De rege Idumææ Hebræorum fabulæ. 561.2.b
Reges Chaldæorum quid stultum fecerint.1164.43.e
Regnum Dei quærendum & humana adiicientur commoda. 1348.22.b

Romani.

Romani Iudæos non dignantur suo nomine.105.62.c
Romanæ ciuitatis ignobilis origo. 955.2.d
Romani in Ierusalem ab eis obsessa quot & ex quo genere perierint. ...
Romanorum obsidio. 1671.2.b
Pro Romanis Deus pugnauit. 1672.7.e
Romanorum castra in monte Oliuarum.1674.9.c

Quomodo

Digitized by Google

Quomodo in Romanorum obsidione frigus & tenebræ. 1678.22
Ionæ prophetia de Romanis. 789.5.c

Ros.

Ros matutinus pro re momentanea. ...
Ros & stillæ pro auxilio in re desperata. 975.66.d

Rubigo.

Rubigo quid. 430.12.e
Rubigo symbolum iræ. 431.14.c
In rubro mari varij frutices. 830.27.b

Rugitus.

Rugitus leoni pro telo. 585.13.d
Rugitus leonis ira Dei. 328.57.c
Ruinæ prognosticon est & initium egressus Dei ex aliquo loco. 873.11.d
Rupes ad præsidium Idumæi sibi delegerunt. 763.20.a

S

SAbbati dies à nundinis feriatus. 1713.20.b

Saccus.

Saccus quid. 436.31.d
Saccus vsitatus in luctu tam pro vestimento quàm pro lecto. 438.41.e
In sacculo signari pro diligenti custodia. 374.38.b

Sacer.

Sacer & vulgaris annus apud Hebræos. 1341.1.c
Sacer annus non vulgaris apud Prophetas. 1375.56.d
Rei sacræ & optimæ symbolum malus etiam in re non bona. 16.19.d

Sacerdos.

Sacerdos populum repræsentat & in eum peccata populi redundant. 1441.4.e
Sacerdotis munus. 1738.28.a 1467.21.b
Sacerdos cur dictus Angelus. 1737.27.e
Sacerdos cooperator est Dei in animarum salute. 1736.22.a
Sacerdos quasi ignis peccata aliorum consumit. 128.42.c 129.a
Sacerdos nouæ legis figuram Christi gestare debet. 1769.29.b
Pro Sacerdotio Ephod. 98.39.b
Ad sacerdotale ministerium non amplius redierunt Leuitæ qui Ieroboam secuti sunt. 125.34.c
Sacerdotes mali Deum polluunt. 1711.25.d
Sacerdotum auaritia. 1715.42.b
In Sacerdote mundities vestium. 61.70.e
Sacerdotes vestibus candidis vtuntur in sacrificando. 1266.11.b
Sacerdotes mali aliis ad peccandum irritamento sunt. 129.47.e
Sacerdotes & Principes speculatores. 156.8.d
Sacerdotes seipsos offerunt pro peccatis aliorum, & quomodo. 130.a
Sacerdotes auctoritate sua male abusi. 155.6.e
Sacerdotes mali scelerum magistri. 1744.50.e
Sacerdotes vitulis aureis præfecti. 128.a
Sacerdotes & Principes negligentes peccata aliena faciunt sua. 128.43.c
Sacerdoti aut Episcopo scientia necessaria. 126.35.c & 1736.24.d
Sacerdoti commendata Dei præsentia. 1735.20.c
Sacerdoti contradictio capitalis. 122.24.e
Malis Sacerdotibus egestatem Deus minatur. 1730.3.c
De Sacerdotibus sumpta supplicia. 1733.14.c
A Sacerdotibus insidiæ callidæ. 193.a
A Sacerdotibus in Deum grauis iniuria. 223.58.a
Cum Sacerdotibus quale à Deo pactum. 1734.16.c
In Sacerdotibus externam etiam munditiem Deus commendat. 62.71.b
Sacerdotis os scientiæ thesaurus. 1737.26.b
Sacerdotum & Principum exemplum pro lege. 1739.29.c
Malum Sacerdotum exemplum nocentissimum. 191.48.c 1735.19.b
Officia Sacerdotum quæ.
Sacerdotum honori magnum onus impositum. 1733.13.d
Sacerdotum malorum benedictio quid conferat. 1731.4.b
Sacerdotum publicum peccatum perniciosum. 140.80.a
Sacerdotum reuerentia. 123.a
Malorum Sacerdotum qualis ignominia. 1732.8.b
Quanta Sacerdotum mundities dum sacrificiis dant operam. 61.69.d

Sacra.

Quæ sacra sunt aliquid interdum indicant maxime contrarium. 1791.22.b
Ad sacra nemo etiam apud Gentes accedebat impurus. 471.52.b
Loca sacra aut acceptis beneficiis illustria pondus addunt peccatis. 269.67.c
Ex veris & sacris historiis fabulæ plurimæ confictæ. 804.21.e

Sacrificium.

Sacrificium laudis Deo gratum. 395.13.b
Sacrificium Deo ingratum cuius pars præcipua aliis oblata. 1720.60.d
Sacrificia Deo ingrata dum contra clamat frater offensus. 1746.57.e
Deo gratissima antiquorum patrum sacrificia. 1770.a
Sacrificia antiqua pro gratis. ibid.53.b
Sacrificia in templo ex decimis oblata. 609.27.e
In sacrificio pro gratiarum actione fermentum adhibitum. 610.29.e
Quanta in sacrificiis mundities sacerdotum. 61.69.d
Sacrificiis aptior masculus. 1722.56.a
Sacrificium de rapina ingratum Deo. 1720.59.b
Voluntarium esse sacrificium aliud est, & aliud ex voto. 611.30.b
Sacrificium de rapina quando offeratur. 1721.62.b
Quod sacrificium Deo gratum. 996.30.d
Sacrificium misericordia est. 188.38.d
Sacrificium Eucharistiæ. 1717.49.d

Sæculum.

Sæculum, generatio generationis, & similia tempus aliquando significant diuturnum. 458.10.b
Sæculi montes & mundi colles qui. 1220.a
Sæuire in mortuos impium. 562.5.b
Sagittæ Dei cometæ. 1238.123.b Item fulgura &

Digitized by Google

& fulmina. 1235.113.b
Sale ciuitates cur aspersæ. 1295.25.c
Salmana Regis superbia & casus. 287.35.c
Saluator etiam de hominibus dicitur. 748. 84.e

Salutatio.

Salutatio familiaris, *Dominus vobiscum*. 641. 34.d
Salutationes amantium familiares. 1749. 65.c

Salus.

Salutis plerunque idonea subsidia sunt quæ angusta videntur & dura. 834.40.b
Ad salutem non sufficit sola fides. 1162.37.e
Desperata alicuius salus quo dicendi modo significetur. 121.21.e

Samaria.

Contra Samariam propherat Micheas. 871. 1.a
Samaria à Machabæis occupata. 775.a

Samson.

Samson quomodo se occidendo non peccauerit. 815.54.d
Samson tribus fabulis occasionem dedit. 805. 22.c

Sanguis.

Sanguinis significatio multiplex. 118. 10.a
Sanguis pro alimento atque opibus. 1177.a
Sanguis sanguinem tetigit. 117.9.d
Pauperum substantia sanguis illorum est & vita. 925.22.e 1768.25.b
Macula nulla est quam Christi sanguis, & doctrina non abstergat.
Sanguis in Scriptura quid. 192.49.c

Sancti.

Sancti leges viuæ. 142.40.a
Aliqui in Israel sancti cùm captæ decem tribus. 326.50.c
Sanctorum votis quomodo aër seruiat. 78. 125.d
Sancti Christo tanquam annulo consignati. 1378. 65.b
Testes in iudicio sancti à quibus accepimus viuendi formam. 989.8.b

Sanctificare.

Sanctificare ieiunium & similia quid. 440. 45.c
Quomodo vestes rei sacræ contactu sanctificantur. 1371.43.c
Sanctificatum bellum & sanctificati milites quid. 1370.a
Sanctificatio idem quod templum. 1744.48.b

Sanctitas.

Quomodo sanctitas adueniat homini ex contactu rei sacræ. 1371.45.c
Nocentissima sanctitatis species in gente non sancta. 156.7.b

Sapiens.

Sapientis os sicut templi porta. 1737.26.c
Quæ à sapientibus nugatoriè, & sine fructu dicuntur ingrata sunt Deo. 1722.67.e
Saraiæ Sacerdotis filius putatur Esdras. 1357. 2.e
Sarepta terminus terræ promissionis. 780. 70.d existimatur esse Gallia. ibid.69.b
Sareptanæ viduæ maritus putatur esse Abdias. 746.3.a
Satanas non audet aliquid indecorum cum Dei nomine coniungere. 674.39.e
Saxis allisi infantes in expugnationibus vrbium. 1103.36.e

Scandalum.

Scandalum à sacerdotibus quot modis oriatur. 1738.29.c
Infernus est qui scandalo est aliis, & maximè meretrix. 384.a
Scandalosi dira crudelitas. 553.70.b
Diabolo animas vendit scandalosus, & ideo odiosus Deo. 550.57.a

Scelus.

Scelerum insignia gestari solita. 1098.19.c
Scelerum vltor Deus, quem effugiet nemo. 586. 17.d
Scelerum magistri Sacerdotes mali. 1744.50.e
Sceleratus à lege punitus lex est viua. 240. 40.a
Sceptrum olim virga. 957.7.e

Scientia.

Scientia Dei quorum in terra negetur esse. 116. 6.e
Scientia Episcopo aut sacerdoti necessaria. 126. 35.c
Scio practicum aliquid significat. 919.2.b
Scorta fœminea & mascula diis Gentium consecrata. 139.77.a
A scortatoribus immoderato concubitu extinctæ fœminæ. 261.40.e
Scribi olim solitum in tabulis. 1156.16.d
Scriptores Canonici aliquando ex pluribus testimoniis vnum componunt. 381.60.e

Scriptura.

Scriptura significationem potius quàm voces aliquando spectat. 20.34.d 541.31.b
In Scriptura negari videtur quod aliorum comparatione exiguum est. 189.40.d
Scriptura in loquendo interdum se ad vulgi opinionem accommodat. 567.23.d
In Scriptura vsitatæ imprecationes & exclamationes tragicæ. 716.31.b
Litote in Scriptura vsitata. 1287.1.b
In Scriptura locutiones hyperbolicæ. 774. 54.b
Librorum Scripturæ series non eadem vbique. 418.2.b
Scyphus Herculi & Baccho sacer. 1635.11.d
Secessus vndique clausus orationi opportunus. 1153.5.b
De secundo templo errores Iosephi. 1368. 34.d
Secundus actus pro primo. 163.4.e 1710.21.b
Securitas sanctorum in iudicio. 511.46.e
Sedecias à Nabuchodonosor ludibrio habitus. 1179.78.b
Sedeo aliquid lugubre, & ærumnosum significat. 94.19.e
Quæ sedulitas humana offenso Deo captat, pereunt omnia. 1346.16.b
Seipsum occidere infirmitatis potius est quam fortitudinis. 854.7.a
Selah quid. 1208.44.d
Semel idem quod omnino & funditus. 1057. 37
Semestris olim annus. 824.9.c
Senacherib exercitus ab igne consumptus. 1058. 43.e
Senibus ignorare turpe est. 215.34.d
Sententiæ auctoritatem conciliat vitæ probitas. 1328.56.c
Sepes viua. 1014.16.b
Sepharad existimatur Hispania. 781.a

Digitized by Google

Sepharad esse Hispaniam non dicit Paraphrastes Chaldæus. 782.74.a
Cur Sepharad Hispaniam appellarunt Iudæi. 782.75.c
Sepharad non videtur esse Hispania. ibid. 76.d
Septem oculi pro attentione maxima. 1450. 33.b

LXX. Interpretes.

Septuaginta Interpretes multa addunt quæ non sunt in textu Hebraico. 1515.3.b & differunt interdum à vulgato non tamen semper sine causa. 1517.10.c
Vera sunt quæ dicunt licet non in textu. 1518. 11.b

Sepulchrum.

Pro Sepulchro infernus. 381.a
Sepulchro mandata ossa carnibus nuda. 673. 34.b
In sepulchrum amicorum capilli coniecti. 892. 78.d
Sepulchra mortuorum religiosa ac veneranda. 562.6.d
Sepulturæ magnus honor. 673.34.a
Sepulti in terra promissionis magnus honor. 1062.56.c
Sepultus esse creditur Iosaphat in valle prope Ierusalem. 505.25.b
Qui insepultus manet infelix iudicatur. 1062. 56.c
Serotinus & temporaneus imber. 688.4.b
Serpentem ceruus halitu ex cauernis extrahit. 1030.64.c
Seruis gladium gestare prohibitum. 1247. 152.c
Seruitus ciuilis mors. 1617.50
Sesostris barbara insolentia. 1134.47.d

Si.

Si conditionalis subaudienda. 733.a 512.a & 1246.149.c
Si idem quod non. 1714.37.d

Signum.

Signum admirabile diuini amoris. 16.18.c
Signa proponere, aut clamare in collibus soliti Iudæi. 165.34.d
Signa iudicij præcedent iudicem. 511.43.b
Signari iubentur quæ longo post tempore euenient. 1157.10.d
Significata res pro signo. 40.7.b
Significatio vocis, non vox, aut genus spectatur aliquando. 1182.89.d

Silentium.

Silentium pro reuerentia. 1184.94.d
Seruitutis signum silentium. 1029.59.b
Silentij significatio multiplex. 1327.51.b
Pro silentio manus super os. 1029.59.b
Silentium dolorem indicat aut fortunam duram. 124.29.b
Sileo idem quod obseruo, aut metuo. 1269. 19.a
Sileo idem quod cesso. 874.51.d

Similitudo.

Similitudo ab aqua sumpta totale aliquid indicat. 167.44.c
Similitudines à rure sumit Amos. 533.6.c
Sinai etiam dictus Horeb. 1788.14.d
In sinu dormire vxorem quid. 1015.21.c
Sirenum planctus. 884.47.c
Contra Sisaram dimicatum est de cælo. 1234. 111.d
Sitis & fames pro inopia. 720.43.c
Sitis terræ promissionis. 977.a
Situs templi. 332.68.b
Sobrietas sacerdoti commendata. 1736.25.c

Societas.

Societas improborum periculosa. 807.30.c
Pro societate ac communione fornicatio. 47. 28.d
Societates aliquorum dissoluere sanctum est. 1018.a
Societas inter socrum,& nurum. 1020.31.b

Sodoma.

Sodoma prouerbialiter pro magna vastitate. 777. 61.c
Sodoma pro graui supplicio. 618.51.d
Sodomitis similes Gabaitæ. 262.41.b
De iis,qui,in Sodomis perierunt, quod Hieronymi iudicium. 1067.37.b

Sol.

Sol typus Christi,Luna Ecclesiæ. 1237.121.c
Sol & luna pro statu felici. 1234.110.b
Occidet sol in meridie prouerbium. 717.34.b
Solis adoratio qualis. 1267.a
Solis pennæ quid. 1786.6.c
Solymitani ciues cælestium typus. 507.34.c
In Solymitano templo infanda flagitia. 569. 28.d
In Solymitanum templum multa ab externis collata. 1363.19.c

Sophonias.

Sophoniæ genus & patria. 1253.1.a
Sophonias quo tempore prophetauit. 1254.3.a contra quos. ibid.4.b

Sopor.

Sopor grauissimus est somnus. 808.33.c
Sopor a diabolo immissus. 809.34.b
Peccati vmbra Sopor. ibid.c

Sordes.

Sordes meretricum. 1097.17.d
Sordidi & fœtentes hoc tempore Iudæi. 104. 59.c
Vinacia vuarum pro re sordida & vili. 88. 10.
Vas immundum pro eodem. 237.26.c

Sors.

Sortem aliquam certam non habuit Leuitica tribus. 125.33.d
Sortes vsitatæ. 811.a
Pro specula custodia. 1152.4.d
Speluncæ in montibus ad quas Iudæi confugerent.

Spes.

Spes confirmat animum. 1568.a
Spes Iudæorum vana paleis potius sustentata quam granis. 104.a
Pasci vento dicuntur qui vana spe lactantur. 338.b
Spes nostra Christus. 1575.79.c
Spes in Christo quauis possessione pluris facienda. 1247.b
Quis sperare à Deo debet benignitatem. 904. 19.d
Spero & expecto etiam de rebus aduersis. 1160. 29.c
Ex spinis optimum sepimentum. 50.37.d

Spiritus.

Spiritus multa significat. 1358.6.c
Spiritus pro furore & ira. 1489.30.c pro velocitate. 1490.a pro dono Prophetiæ. 1503. 26.d

Spiritus

Digitized by Google

Spiritus precum ex primis effectibus diuinæ gratiæ. 1638.b
Spiritus vnus & caro vna vxor cum viro. 1748. 62.b
Spiritus fornicationis quid. 134.64.c
Spiritus humilis iram Dei frangit, ſuperbus acuit. 854.8.c
Spiritus ſuperbos humiliat Euangelium. 1236. 117.c
Spirituali viro etiam à minimis cauendum. 70. 99.d
Vir ſpiritualis nunquam eſſe debet ſine teſte. 989.8.c

Splendor.

Splendor omnis in armis. 1073.10.e
In armis ſplendor & mundities commendatur. 1239.124.a
Splendore Chriſtus terram impleuit. 1212.53.e
Spolia Deo offerri ſolita. 949.53.c

Sponſus.

Sponſus vxori viuendi præſcribit formam. 74. 112.d
Sponſus captiui etiam populi Deus. 1347.25.c
A ſponſo emptæ ſponſæ. 1309.2.d
Sponſi zelotypi & amantis officium. 49.36.e
A ſponſo præceptis connubialibus informatur ſponſa. 1510.4.d
A ſponſo victum, & cultum accipit ſponſa. 48.a

Sponſa.

Sponſa coempta dotali fundo. 66.89.e
Sponſæ nihil cogitandum, aut dicendum, quod excitare poſſit turpem memoriam. 70.98.b
Sponſæ emptæ è ſponſis. 1309.2.d
Sponſæ nomen columba. 1310.3.b
Sponſæ nomen non merentur Iudæi huius temporis. 103.55.c
Spuma pro re leui, ac momentanea. 290.45.b
Statuarius quid. 1615.45.a

Status.

Status animæ à Deo deſertæ. 60.66.a
Status animæ peccatricis. 44.18.c 371.30.d 647. 47.a
Stellarum nomen cometis datum. 1238.123.c
Stemmatis gentilitij qualis auctoritas. 1378. 64.a
Sterilitas grauis maledictio. 268.63.b
Sterquilinium quid. 442.52.e

Stigma.

Impio ſtigmate notatum corpus Regis Ioacim. 979.78.d
Stigmata ſeruis aut aliis ad ignominiam ori inuſta. 958.9.b
Stillæ pro auxilio in re deſperata. 975.66.a
Stillo verbum ambiguum, quod durum, & molle ſignificat. 903.17.e
Quaſi ſtipula impij, quaſi firmi lapides iuſti in ciuitate. 738.38.d
Stirps & radix pro germine. 410.31.b

Strages.

Strages omnimoda. 304.91.d
Pro ſtrage *tuſſis & vertulæ*. 598.37.e
Pro ſtrage tritura. 948.49.b
Pro ſtrage ac ſupplicio magno *ignis*. 545.42.d
Struthionis gemitus, & in filios amor. 883.45.e

Stultus.

Stultus eſt ſuperbus. 701.14.c
Stultus putat ſe poſſe effugere à Deo. 802.e
A ſtultis exiſtimatur Deus non videre peccata, quando illa non punit. 549.31.e
Quid ſtulti velint, ac ſentiant curandum non eſt in ferendis legibus. 397.19.b
Stultitia, aut ignorantia pro peccato. 57. 59.e

Stupor.

Stupor & amentia peccatoris in contemnendo Deo. 88.9.c
Pro ſtupore ac metu *ſilentium*. 763.21.c
Stuporem & ebrietatem quandam diuitiæ inducunt. 432.17.c

Stylus.

Stylus Propheticus diuerſus ab aliis. 4.8.d
Stylus Oſeæ. ibid.e
Subcinericius panis ſymbolum peccatoris. 214. 31.e
Subditi ne fidant ſuæ prudentiæ. 1611.34.c
Subter interdum ſignificat locum in quo quis eſt. 765.29.c 574.43.c
Subtrahi verbum Dei ſupplicium graue. 720. 44.d
Super interdum idem quod iuxta. 1458.4.d

Superbia.

Superbia pro excellentia. 1073.7.c
Superbia & venuſtas mortis cauſa. 217.39.c
Superbia nunquam ſatiatur honoribus. 1466. 48.c
Superbia atque potentia idem facit interdum in homine quod ebrietas. 1464.41.c
Superbia vermis & fructus diuitiarum. 1323. 39.b
Superbia Idumæorum. 762.16.a
Superbus habitus in templo odioſus. 1272. 27.d
Superbum pro excellenti. 715.28.c
Superbus ſpiritus iram Dei acuit. 854.8.c
Superbi etiam poſt vtiles labores Deo odioſi. 854.9.d
Superba ædificia quæ ingrata Deo. 671.30.e
Superborum ſupplicium. 901.9.d
Superbos ſpiritus humiliat Euangelium. 1236. 117.c
Superbos deprimere & humiles extollere facile eſt Deo. 623.65.b
Superbire quemquam in templo aut loco ſacro ægre fert Deus. 1321.35.e
Superiori licet imperfecto obedientia perfecta debetur. 1713.32.b
Supplanto quid. 340.11.c
Supplices & miſeri ſe ad terram abiiciunt. 566. 21.e

Supplicium.

Supplicium potentum. 57.57.c & hypocritarum. ibid. ſuperborum. 901.9.d
Supplicia à Deo in peccatores decreta. 71. 102.e
Aliorum ſupplicia aliis timori eſſe debent. 1022. 38.c
Ignis ſupplicij maximi aut detrimenti ſymbolum. 545.42.d 691.15.c
Pro ſupplicio iniquitas & ſimilia. 1751.72.c
De ſupplicio peccatoris quomodo lætari dicatur Deus. 257.23.b
Quomodo in malorum ſupplicio exultandum iuſtis. 1788.13.c
Pro ſupplicio ira. 1021.35.b
Supplicium parentum graue mors aut priuatio liberorum. 266.56.b
Supplicium graue impunita relinquere peccata. 736.71.d
Pro ſupplicij loco vallis Ioſaphat. 497.3.c
Sumptus Regum ingentes in vxorum cultu. 1084.47.d

Digitized by Google

Surge, consurge, & similia studium significant & vigilantiam. 1316.22.e

Sycomorus.

Sycomorus cibus rusticorum. 700.50.d
Sycomorus frequens in agro Palæstino. ibid.e
Sycomorus quadrifero prouentu felix. ibid.
Syluas occultas alunt maria. 830.28.e

Symbolum.

Symbola inter Hebræos vsitata. 611.31.e
Symbolorum aut imaginum duo genera. 14.14.e
Symbolum peccatoris obstinati. 809.34.b
Symbolum sacræ & optimæ rei malus, etiam in re non bona. 16.19.d
Christi symbolum altare. 1712.31.e
Ventus velocitatis symbolum. 147.103.a
Ignis symbolum supplicij ac detrimenti. 691.15.c
Symbolum simplicitatis & innocentiæ candor. 735.16.b
Symbolum inanis gloriæ locusta. 431.14.c
Symbolum luxuriæ eruca. ibid.
Symbolum iræ rubigo. ibid.
Symbolum gulæ bruchus. ibid.
Symbolum peccatoris obstinati. 809.34.b
Synonymæ voces coniunctæ cum epitasi. 75.115.e

T

TAbernacula virorum ac fœminarum diuersa. 991.16.e
Tabes quæ vermes generat dira plaga. 1146.50.d
Tabescere cor aut solui quid. 1082.40.d

Tabula.

Tabulæ buxeæ. 1156.16.d
Tabulæ citreæ. ibid.e
Tabulæ eboreæ. ibid.
In tabulis olim scribi solitum. ibid.d
Talmud. 1481.8.e
Tecta in Palæstina plana. 1266.13.e
Tela aranearum pro re futili. 235.20.d

Tempestas.

Quanta tempestas in extremo iudicio. 1051.a
Tempestas Ionæ miraculosa. 810.37.b
Tempestatis & turbinis vis. 1050.a
Tempestati comparatus exercitus. 1977.24.e

Templum.

Templum pro cælo. 873.10.b
Templum aut Ierusalem turris gregis. 941.31.e
Ad templum conuersi Iudæi orantes. 831.56.e
In Solymitanum templum multa ab externis collata. 1363.19.e
Templum quo loco situm. 332.68.b
Ad templi fabricam multa externi contulerunt. 1509.44.c
In templum cur interdum homines descendere, interdum ascendere dicantur. 332.68.c
Templum Salomonis agnouerant aliqui, qui è captiuitate redierunt. 1357.2.d
Templum ab Idumæis incensum. 769.40.b
Iosephi errores de secundo templo. 1368.34.d
In Solymitano templo infanda flagitia. 569.28.d, 1635.11.a
Templum secundum quomodo ædificatum sit quadraginta sex annis. 1415.70.c
Templum secundum diuturnius quam prius. 1366.30.e
Antiqui templi parietes non sunt relicti. 1347.19.e
Templum secundum creditum à nonnullis ornatius priore, sed falsò. 1366.29.d
Templum excisum non est quando tertio constructum est ab Herode. ...
In Solymitano templo aliquando meretrices, & pathici. 138.76.d
Templum Solymitanum Ecclesiæ typus. 1509.43.b
Fœminæ in templis consecratæ. 1079.51.d
In templis custodia militum. ibid.30.e
Instrati in templis ad dormiendum lecti. 569.28.c
In templis conuiuia. ibid.b
Templa Gentilium diuerticula libidinum. 135.67.a 138.76.c
In templo aut loco sacro quenquam superbire Deus ægre fert. 1321.35.e
Quod templorum præcipuum ornamentum. 1365.25.c
Templum Christi Maria. 1764.17.d

Tempus.

Tempus pro his quæ fiunt in tempore. 708.4.c 1472.40.c
Ex quo tempore fidem habere cœpit historia. 1.2.d
Tempore orationis vacandum ab vsu coniugij. 472.55.c
In diebus illis, in illo tempore, tunc, & similia adhiberi solent sine vllo ad superiora respectu. 503.21.d
Temporis diuturnitatem significant *generatio generationis, sæculum, æternum*, & similia. 458.10.b
Tempus & locus visionum aliquid designant. 1404.a
Antiqua Iudæorum tempora meliora. 741.45.d
Qui meliora tempora mundo ac vanitati tribuit, male sibi consulit. 1720.61.e
Pro tempore breuissimo aurora. 311.1.b

Tenebræ.

Tenebræ pro amentia. 923.16.b
Tenebræ pro re tristi ac misera. 1021.34.a
Tenebræ, nox, & similia pro afflictione. 457.6.b

Teraphim.

Teraphim quid. 1587.a
Teraphim signa & imagines significat. 98.40.c
Teraphim aliquid creditur esse Magicum. 97.36.b
Teraphim aliquid turpe significat. ibid.35.a
Terminatio fœminea pro substantiuo nomine. 1361.13.b

Terra.

Terra patet iustorum votis. 79.129.e
Non magis terra appetit imbrem, quam nubes illum in terram effundere desiderat. ibid.128.e
Terra & cælum commota in primo Christi aduentu. 1359.10.e
Terræ siccitas, & defectus pluuiæ pœna peccati. 184.27.e
Terræ motus sub Ozia. 531.3.c 1677.18.d
Ad terram sese abiiciunt miseri & supplices. 566.21.e
Terræ miseræ descriptio. 44.18.d
Terræ promissionis termini. 681.59.a 1562.45.e
Terminus terræ promissionis Sarepta. 780.70.d
Terræ promissionis cum paradiso comparatio. 191.a
Bonitas & fœcunditas terræ promissionis. 115.3.d 1575.76.a

Dei

Digitized by Google

Vestis.
Vestis aliena ab instituto turpis. 1271.24.d
Certa vestis Hebræis ex lege. 1272.25.a
Vestis peregrina quæ. 1271.23.a
Vestes in dolore discindi solitæ. 469.46.e
Candidis vestibus vtuntur Sacerdotes in sacrificando. 1266.11.b
Vestes pignoratæ ad singulas noctes pauperibus reddendæ. 569.29.e
Vestitæ indecorè imo turpiter nudatæ ancillæ. 56.55.e
In vestibus Iudæi imitati sunt Gentiles. 1272.25.c
Vestes Iudæorum illuminatæ argento. 1276.38.b
Vestimenta alterius sexus ferre viri & fœminæ prohibentur. 1271.23.b
Vestes contactu rei sacræ quomodo sanctificentur. 1371.43.c
Vetus lex cur dicta mobilis. 1361.15.b
Via idem quod modus & institutum. 567.22.d 617.48.c
Victima.
Victima qualis offerenda. 1713.34.d
Victimæ inuitæ Deo ingratæ. 1711.66.c
Victima pro cæde. 1269.10.c
Victimas vero Deo óbtulerunt decem tribus. 648.51.c
Victimæ humanæ quomodo dæmoni offerantur. 366.13.b
Victori in Psalmis, quid sit in Psalmorum titulis. 1249.159.e
Victoria à Deo. 1638.21.c
Video.
Video multa significat. 871.1.b
Video, aspicio & similia cum epitasi. 1023.42.c 946.45.d
Vigiliæ tubis distingui solitæ. 303.87.e
Vilitas.
Vilitas peccatoris. 1328.57.d
Vilitas Idumæorum. 760.11.d
In vinearum plantatione agri à lapidibus purgari soliti. 879.29.c
Vinum.
Vinum, ebrietas, calix, pro calamitate. 1165.44.a
Vinum odoratum. 413.43.e
Vinum morte damnatis porrigi solitũ. 1180.81.b
A vino furere. 210.18.d
Vinum pro conuiuio. 772.a. 604.7.b
Vinum conditum. 772.a. 432.18.d
Vinum damnatorum nobile. 570.30.b
Vini multa genera. 49.a
Vini potentia. 210.18.e
Vini & ebrietatis damna. 1163.40.e
Violata in iudiciis æquitas. 1124.14.d
Vir pro quolibet. 1420.83.b. 121.22.c
Virga.
Virga pro quocunque instrumento ad plagam. 958.10.d
Virgæ duæ pastorales. 1608.24.c
Virga correctionis fracta magnæ offensionis symbolum. 1622.a
Per virgam varia diuinandi ratio. 133.61.d
Virgo cur aliquando vocetur, quæ corrupta est. 436.29.b
Vir.
Vir aliquando idem quod quicunque. 122.21.c
Vir multitudinem distributam significat. 607.16.a
A viro custodienda vxor. 93.23.b
Vir Apostolicus quadriga, & equi Dei. 1230.100.b
Vir & mulier aliis à natura rationali attributi. 606.15.e
Viri & vxoris vnus spiritus, & vna caro. 1748.62.b
Viri sancti magno vsui populis. 326.50.e
Virorum ac fœminarum diuersa tabernacula. 991.16.e
Viri prudentes oculi ciuitatum. 1279.a
A viro bona omnia accepisse vxor fingitur. 42.13.c
Cum viro vxor vnum corpus. 1747.60.d
Viri, & fœminæ alterius sexus vestimenta ferre prohibentur. 1271.23.b
A viris separatæ fœminæ etiam in via. 991.16.d
Viri ac fœminæ seorsim in arca Noe. 472.56.e
Vir dolorum, fœmina fornicationum, & similia cum epitasi. 12.7.d
Viri Apostolici leonis instar constantes & intrepidi. 977.71.d
Viri molles & elegantes quasi viris inutilis. 277.1.b
Viro spirituali à minimis cauendum. 70.99.d
Viri etiam lacrymas habent & planctum venales. 643.39.e
Viri Apostolici arcus Dei. 1230.102.c
Vir Apostolicus proximorum salutem quærit, non sua commoda. 834.41.e
Virtus.
Virtus parentum laus inanis posteris. 232.8.b
Virtus parentum non liberat à morte sceleratos filios. 737.32.b
Virtutum custos humilitas. 435.a
Vis.
Vim pati forense verbum. 1123.10.a
Vis & fœcunditas doctrinæ Euangelicæ. 975.66.e
Vis oculorum quibusdam noxia. 1133.41.c
Vis & natura fermenti. 210.19.e
Vis amoris quæ amantem in amatum transformat. 265.52.a
Vim nostris muneribus quid auferat. 1723.69.b
Vis Amphisbænæ, Catoblepæ & Basilisci in oculis. 1132.41.e
Visito quid. 1588.13.c
Vita.
Pro vita lux. 1021.34.a
Vitæ vera mutatio. 468.43.e
Forma & effectus religiosæ vitæ. 1787.10.d
Qui vitam tristem agit mortuus videtur. 182.a
Vitæ delicatæ ac mollis exitus tristis. 605.10.a
Huius vitæ voluptas omnis immatura & acerba. 1787.11.e
Vita ærumnosa mors existimata. 364.5.b
Vitæ probitas sententiæ auctoritatem conciliat. 1328.56.c
Sub vite & ficu prouerbium. 939.21.a
Vitium.
Vitiorum multorum seminarium fiducia non in Deo. 1324.a
A multis vitiis liberat fiducia in Deo. ibid.6.
Vitulus.
Vituli valde lasciui. 286.30.c
De vitulis aureis fabulæ Hebræorum. 287.36.e
Vitulis aureis præfecti Sacerdotes. 128.a
Ante vitulos ludi Israelis. 251.1.a
Vitulorum tantum caput expressum. 283.23.d
De vitulis labiorum quæ Iudæorum sententia. 395.14.d
Vitulorum multæ imagines fuerunt inter Israelitas. 185.27.b
Ægyptiorum dij videntur potius fuisse vituli, quam vaccæ. 284.25.c
Ad vitulos aureos colendos multa ex Iudæorum religione sumpsit Ieroboam. 594.40.d

Digitized by Google

Viua lex sceleratus à lege punitus. 242.41.c
Viuere idem quod iucundè agere. 641.b 409.29. b.1162.35.b

Vltor.

Vltor patiens Deus. 1047.6.d
Vltor cur dictus Assur. 170.53.c

Vmbra.

Vmbra pro quietis ac refrigerij loco. 412.a
Vmbra in æstu Deus. 338.5.c
Vmbra peccati sopor. 908.34.c
Vmbra quarundam arborum noxia. 412.39.c
Vncinus quid. 709.5.a
Vncinus pomorum symbolum mortis. 710.8.a
Vnguenta, & odores in conuiuiis. 667.19.d
Volucres, pisces & animalia terrestria ex suo genere infirmiora deuorant. 120.a
Volumen quid. 1479.3.d

Voluptas.

Voluptas & cupiditas insatiabilis. 131.53.c
Voluptas huius vitæ immatura & acerba. 1787.11.d
Pro voluptate breui æternus dolor. 376.47.c
Turpis voluptatis amarus exitus. 374.39.c
Voluntas propria nostrarum actionum pestis. 1724.a
Quota hora Ionas vomitus à ceto. 833.39.c
Vomitus pro turpi abundantia, & ignominia. 1181.85.c

Votum.

Votum impleri debet ex optimis. 1723.68.a
Vota nuncupant qui à naufragio liberantur. 818.62.a
Votis sanctorum quomodo aër seruiat. 78.125.c
Vota meretricis. 1096.12.d
Votum quod Deo gratum. ...
Quæ Deo vouentur magna fiunt licet alioqui vilia. 1693.68.d

Vox.

Vox interdum affectum significat. 825.12.c.394.6.c
Vox Dei tonitru. 467.a
Vox concionatoris qualis. 588.25.c
Nulla vox indecora cum diuino nomine coniungebatur apud Hebræos. 674.39.d
Vox inimici ingrata. 648.51.d
Voces multas Pœni ab Hebræis sumpserunt. 212.26.c

Vrbs.

Vrbs Antonomasticè vocata Ierusalem. 1171.55.b

Vrsus.

Ab vrso in viperam prouerbium. 646.45.b
Vrsæ fœtus quanto labore à matre formatus. 370.25.c
Vrsa raptis catulis pro feroci & irato. ibid.
Ea, quorum vsus proprius periit, periisse dicũtur. 978.57.c. etiamsi alios habeant vsus. 443.54.c
Ab his, quę vsitatiora in aliquo genere, alia nominantur licet ratio nominis absit. 99.43.a

Vua.

Vuæ in deserto & prima poma ficulneæ, pro re suaui. 263.46.c
Vuarum vinacia pro re vili ac sordida. 88.10.c

Vulgatus.

Vulgatus genus aliquando retinet originalis linguæ. 697.36.b
Vulgatus aliquando è duabus significationibus minus propriam assumit. 121.19.a
Vulgatus sæpe pro nomine proprio eius significationem ponit. 154.3.c

Vulgus.

Vulgus humana incommoda ex peccatis exorta putat. 1708.15.c
Ad vulgi opinionem interdum se accommodat scriptura in loquendo. 638.23.c

Vxor.

Vxor vnum corpus cum viro. 1747.60.d
Vxor vna caro & vnus spiritus cum viro. 1748.62.b
Pubertatis vxor quæ. 1747.59.c
Vxori maritus parentis loco. 74.111.c
Vxorem in sinu dormire quid. 1015.21.c
Vxori in totam vitam maritus de alimento prouidet. 91.18.c
Vxor à viro omnia bona accepisse fingitur. 42.13.c
Vxori non fidendum. 1015.20.b
Vxorem repudiare quando liceat. 1749.66.c
In vxorum cultu ingentes Regum sumptus. 1084.47.d
Fornicariam vxorem vere duxit Oseas. 1516.d
Vxor adultera aliquandiu separata ab Osea. 85.2.c
Vxor Oseæ vilissima. 14.12.b
Iudæorum in vxores iniuria. 1745.54.c. & inclementia. 1750.68.b

X.

XAuerius Pauli imitator. 977.72.c

Z.

Zacharias.

ZAcharias omnium Prophetarum obscurissimus. 1389.1.a
Zacharias fuit ex vltimis Prophetis veteris testamenti. 1396.a
Zacharias pauit pecus destinatum macello. 1606.15.a
Non fuit eius auus Propheta. 1399.25.b
Senex è Babylonia rediit. 1398.23.d
Prophetauit templo bona ex parte perfecto. 1395.a
Occisus inter templum & altare. 1393.9.d
Zacharias pater Ioannis non fuit ille qui Matth. cap. 23. occisus dicitur inter templum & altare. 1396.18.c
Neque Zacharias filius Ioiadæ. 1396.a

Zelus.

Zelus quid & qualis eius vis. 1046.3.c
Zelus odium & fauorem significat. 1529.3.c
Zelus Dei. ibid.2.b
Zelotypiæ dolor. 1280.50.b
Zelotypus & libidinosus onager. 238.31.c
Zelotypi sponsi officium. 49.36.c

Zorobabel.

Zorobabel quam potestatem habuit. 1506.34.c
Zorobabel in Babyloniam rediit. 1586.8.b
Zorobabeles duo Ieconiæ nepotes. 1342.a

FINIS.

GASPA

Digitized by Google

Dei cum Hebræis pactum de terra promissionis. 191.a
In terra promissionis aqua venalis. 48.31.d
Terræ promissionis grauis à cælo sitis. 977.a
Terram lingere humillimum obsequium. 1030.a

Testamentum.

Testamentum vetus & nouum quid & cur dicta fœdus. 1565.51.e
Veteris & noui testamenti discrimina. 1566. 53.b
Testamenta sanguine confirmantur. ibid.51.a
Ad nouum testamentum digressio fit, quando illius vmbra in veteri apparet. 503.20.a
Ex testamento veteri gradus fit ad aliquid contrarium ex nouo. 1759.2.e
Cum in testamanto veteri apparet vmbra noui, ad illud digressio fit, & statim ad interrupta reditus. 378.53.e
In testamenti veteris testimoniis, quæ citantur in nouo, non tam verba quam sententiæ referuntur. 1760.4.e

Testimonium.

Testimonium idem quod præceptum. 1747. 58.b
Testificor idem quod *præcipio*. ibid.
Quod verum ac fidele testimonium. 331.67.a
Testimonium vnum conflatum ex duobus Scripturæ locis. 1763.12.b
Testimonij vnius, quod è diuersis auctoribus conflatum est, vnus tantum interdum nominatur auctor. ibid 13.e
Testimonia externorum de Christo. 1767.22.b

Testis.

Sine teste vir spiritualis nunquam esse debet. 989. 8.c
Testes in iudicio sancti à quibus accepimus viuendi formam. ibid.b
Nomen Dei tetragrammaton diis interdum suis Gentes tribuerunt. 142.88.e
In textu Græco aut Hebraico multa nomina latina, aut peregrina. 781.73.c
Theatrum in genij sui, & laudatores quærere non debet concionator. 803.16.c
Thecua vbi. 517.2.c
Thecuitis fœmina auia existimatur esse Amos sed falso. ibid.

Theman.

Theman vrbs Idumæorum præcipua. 767.34.b
Theman ventus meridionalis. 768.b

Thesaurus.

Thesaurus quid. 386.74.a
Thesaurus pro vase. ibid.c
Thesbites quid. 1790.20.d
Pro throno *ascensio*. 754.12.b

Timor.

Timor vox religiosa. 813.45.b
Timor & pauor pro religione & obseruantia. 101.49.b
Timor pro admiratione. 1204.34.a
Labia in timore tremunt. 1245.147.d
Timidis & afflictis commoueri atque obscurari omnia videntur. 466.35.a
Titulum ab initiis assumunt libri Hebræorum. 1195.10.d
Tonitru vox Dei. 467.a
Tondentur oues sub vernum tempus. 689.6.a
Tonsionis varia significatio. 688.5.d
Tophet dicitur vallis Iosaphat. 507.32.c
Torcular & messis pro strage. 508.37.e
Torcular Regis. ...
Tormentum durum ignominia. 858.a
Torris ab incendio prouerbium. 618.52.e
Tragicæ imprecationes & exclamationes vsitatæ in Scriptura. 716.31.b
Translationes variæ à *claudico*. 1330.62.b

Tres.

In tribus peccatis multa continentur peccata. 536.16.d
Præstantiam & multitudinem *ter* significat. 536.b
A tribula seu ferrato carpento supplicium. 543. 36.c

Tribulatio.

Tribulatio pacem & felicitatem antecedit. 66. 86.c
In tribulatione interdum magis obduratur animus. 177.2.d
Tribulatio aperit oculos & ad pœnitentiam adducit. ibid.1.a
Honori sibi ducit Deus, si quis ad se in tribulatione clamat. 219.47.d

Tribus.

Tribus Leuitica non habuit certam aliquam sortem. 125.33.d
Tribus Benjamin tribui Iuda est adscripta. 878.a
Duæ tribus post captiuitatem habuerunt Prophetas, non vero decem. 719.40.d
Duæ tribus multis plagis affectæ variis temporibus. 428.6.e
Tribus Benjamin prius exigua & vilis. 778. 66.d
Duabus tribubus multi ante captiuitatem se adiunxerunt & simul in Babylone fuerunt. 1537. 29.6
Duæ tribus cur negentur rediisse. 1538.31.a
De earum reditu Iudæorum nugæ. 1595.35.a
Cur decem tribus negentur redituræ. 25.53.c
Multi ex decem tribubus è captiuitate redierunt. 1537.29.b 326.50.c
Decem tribus cur vocatæ domus Israel. 877. 25.e
Decem tribus victimas Deo obtulerunt. 648. 51.c
Pro decem tribubus domus Ioseph. 636.16.e
Aliqui sancti in Israel cum captæ decem tribus. 326.50.c
Decem tribus ab Assyriis variis incursionibus captæ. 353.48.b
De decem tribubus vaticinium. 113.1.d
A Tribuno milites virgis cæduntur. 957.6.c
Triclinares Hebræorum lecti. 665.12.d
Trinitatis mysterium ex Aggæo qui probent. 1359 8.b
Tristitia pro ieiunio. 1779.64.b
Tritura pro strage. 948.b

Tuba.

Tubarum apud Hebræos varius vsus & clangor. 455.2.d
Tubarum clangore admonetur & conuocatur populus apud Hebræos, & apud Gentiles. 229. 1.6
Tubis quatuor noctis vigiliæ distingui solitæ. 303.87.e
Tunc, in illo tempore, in diebus illis, & similia adhiberi solent, sine vllo ad superiora respectu. 503.21.d
Turba ignobilis in vallibus significata. 877.23.b
Turbinis vis. 1050.a
Turpitudo peccatoris nudanda à Deo. 57.56.b
Quod turpe dictu est figurata oratione solet honestari. 1316.a

Digitized by Google

Turris.

Turris nomen ad multa patet. 942.b

Turris gregis, templum aut Ierusalem. ibid. 32.c

Turris gregis cur nebulosa. 941.31.c

Typus.

Typus Christi Ionas. 790.7.b

Typus Ecclesiæ luna. 1237.121.c

Typus Ecclesiæ Hierosolyma instaurata. 1203. 33.e

Typus Ecclesiæ reditus, & gloria populi captiui. 784.a

Qui typus fuerunt Christi non in omnifacto fuerunt sed in vno vel altero. 790.7.b

Typus beatitudinis Pharan. 1208.43.c

Tyrannus.

Tyranni vox olim honesta. 1134.48.e

Tyranni cur interficiant infantes innocentes. 554.70.c

Tyrus.

Tyrus Israelitis aliquando infensa. 551.60.b

Tyrus sæpe vastata. 1553.14.c

Inter Tyrios & Israelitas sociale fœdus. ibid. 61.b

V

NOn vaccæ sed vituli videntur fuisse Ægyptiorum dij. 284.25.c

Vacuum idem quod inutile. 278.4.c

Vagi ac timidi Iudæi. 271.a

Vallis.

Valles ignobilem turbam adumbrant. 877. 23.b

De valle Iosaphat disceptatio. 504.23.d

Vallis Iosaphat pro supplicio. 505.e

Vallis Iosaphat pro loco stragis. ibid.d

Vallis Iosaphat dicitur gehenna. 507.32.b

In valle Iosaphat fauces inferni esse existimantur. ibid.

Vallis Iosaphat inferni symbolum. ibid.

In valle Iosaphat tantum erunt damnandi. 505. 28.e

Vallem Iosaphat commune esse nomen aliqui dixerunt. 504.24.e

Vallis benedictionis dicta vallis Iosaphat. 497. 3.d

Vallis Iosaphat metaphorica erit prope Ierusalem. 506.30.d

Vanitas.

Quibus vanitas aut rapina admiscetur corrupta sunt dona. 611.a

Qui vanitati meliora tempora tribuit male sibi consulit. 1720.61.d

Vana sunt, quæ diabolus aut iniquitas dat. 146. 101.d

Vas.

Vas multa significat. 667.18.b 807.29.d

Vas omne instrumentum significat. 1081.39.e

Pro vase thesaurus. 386.74.c

Immundum vas pro re vili ac sordida. 337.26.d

In vasis illa insculpi solita quæ vasorum explicant vsum. 1462.12.b

Vas Propheticæ denunciationis Deus. 872.6.c

Vastitas.

Vastitatis descriptio. 43.15.d

In vastitate exprimenda hyperbolicæ locutiones adhibentur. 774.54.b

Pro vastitate magna aceruus lapidum. 353.50.e

Vastati Idumæi. 1708.a

Vaticinium.

Vaticinium de decem tribubus. 113.1.d

Vaticinium de duabus tribubus. 85.2.c

Vectigalis Israel Assyriis. 169.55.

Vectis pro munimento. 746.44.b

Velle aliquis id dicitur quod in causa vult. 645. 43.b

Velocissimi Chaldæorum equi. 1129.32.e

Venatorum instrumenta. 157.12.d

Ad veniam alium inuitare, gloriosum. 321. 36.e

Venalis aqua in terra promissionis. 48.31.d

Ad prostibulum venditi pueri. 499.8.c

Venter.

Ventris varia significatio. 827.19.d

Venter pro visceribus. 1245.147.c

Ventus.

Ventus symbolum ministrorum Dei. 1499.14.d

Ventus velocitatis symbolum. 147.103.a 1571. 67.c

Ventus vrens quis. 615.41.c 1132.41.d

Venti à locis quæ perflant qualitates sumunt. 1208.41.b

Ventum seminare pro fructu inutili ex stulto labore. 235.21.e

Vento pasci dicitur qui de se alte cogitat. 338. 4.b

Vento pasci dicuntur, qui falsa spe lactantur. 337. 3.d

Ventorum pennæ. 147.103.b

Ventus meridionalis Theman. 768.b

Ventus de deserto quis. 385.71.c

Ventum pascere. 337.1.b

Venustas.

Venustas & superbia mortis causa. 217.39.c

Venustas, & opes occultanda. ibid.41.e

Verbum.

Verbi significatio latè patet. 871.1.b

Verbum pro vulgari sermone. 1521.a

Verbum bonum quid. 1416.74.e

Verbum pro iis quæ verbo significantur. 1358. 5.c

Verbum magnum animorum alimentum. 720. 45.e

Verbum forense *vim pati*. 1123.10.d

Verba quid propriè. 392.6.c

Verba interdum explicanda per aduerbia. 157. 12.d

Neutra verba, cum accusatiuo iunguntur, modum aliquem secum important. 639.25.d

Verba loco interiectionum. 12.7.e

A verbis quæ indecorum aliquid sonant, abstinendum. 69.97.d

Non tam verba quam sensum expendit auctor Canonicus in citandis Scripturæ testimoniis. 20.34.d

Verba Prophetarum subsannata. 259.30.d

Qualia verba sponsi ad sponsam, & Dei ad animam. 64.79.d

Verbum Dei magnum beneficium. 1341.1.a

Verbum Dei propter peccata tollitur. 720.45.e

Verbum Dei subtrahi supplicium graue. 720. 44.d

Verbum Dei si desit graue damnum. 1401. 35.e

Verbum Dei potens est & purum. 1577.86.e

Verbum Dei subtrahi signum est diuini furoris. 1503.26.d

Vermis diuitiarum superbia. 1323.39.c

Veritas idem interdum quod promissa aut iurata misericordia. 1035.76.e

Vernaculum alicui regioni nomen de illa regione indicat mentionem fieri. 781.72.b

Vespertini lupi. 1130.33.b

Vestis.

Digitized by Google

Digitized by Google

GASPARIS SANCTII CENTVMPVTEOLANI,

SOCIETATIS IESV THEOLOGI,

IN COLLEGIO COMPLVTENSI sacrarum literarum Interpretis,

IN BARVCH PROPHETAM

Commentarij cum Paraphrasi

AC RERVM INDICE.

Digitized by Google

IN BARVCH PROPHETAM COMMENTARII.

PROLEGOMENON I.

De patria, & genere Baruch.

1. *Baruch genus & patria.*

HAc de re nihil habemus ex Scriptura, neque ab authoribus, qui de aliorum Prophetarum vitis scripserunt. Cur omnes de Baruch, quasi coitione facta, siluerint, dicemus statim *Proleg.* 3. Illud habemus filium fuisse Neriæ, & ex illorum propagatum genere, quos ipse in principio nominat. Sed ex qua tribu, aut loco fuerit, nihil dicit; neque nos ad diuinandum vllam habemus coniecturam. Iosephus *lib.* 10. *Antiq. cap.* 11. insigni familia natum esse prodit, & in lingua Hebraica egregiè doctum, sed nihil dicit de genere, & patria. Illud puto certum, virum esse nobilem; quod ex eo apparet non obscurè, quia frater videtur Saraiæ, qui cum Sedecia profectus est Babylonem, cùm adhuc esset pax inter Sedeciam regem, & Nabuchodonosor. Qui cùm honoris ergò regem esset secutus, non dubium, quin magno fuerit apud regem loco. Ille verò filius esse dicitur Neriæ filij Amasiæ: sicut etiam Baruch, & eodem loco princeps vocatur prophetiæ. Cui Ieremias mandata quædam dedit, qualia dedisse creditur fratri Baruch. Vide Ieremiam *cap.* 51. *à v.* 59.

PROLEGOMENON II.

De vita, & morte illius.

2. *Vita, & mors Baruch.*

DE vita nihil habemus aliud, quàm quod accipimus ex Ieremia, nempe illius esse amanuensem, atque notarium, qui, vt legimus *Ieremiæ cap.* 36. omnes prophetias literis mandauit, quas à principio Ieremias acceperat. Quæ cùm à Ioacim rege forent & concisæ gladio, & flammis incensæ, secundò illas magno iam auctas
A
corollario transcripsisse traditur. Hic præterea ab eodem rege simul cum Ieremia quæsitus esse dicitur, vt cõiiceretur in vincula, & piorum hominum industria regio furori, & eius satellitio subductus. Ex quo mihi verisimile est, quod Iosephus tradit *lib.* 10. *Antiq. cap.* 11. simul cum Ieremia in vinculis fuisse, & à Nabuzardã simul cum Ieremia exclusum à vinculis, & libertatem consecutum. Deinde ad Babylonem fuisse profectum, excisa iam vrbe, vt solatio esset
B
populo captiuo, ex ipsius prophetia in principio constat; vnde epistolam scripsit ad eos, qui Hierosolymæ manserant; de quo suo loco pluribus. De illius morte nihil habemus certi; est tamen verisimile decessisse Babylone, quò profectus fuit ex Ægypto, ad quã cum aliis pluribus Ieremiæ socius secedere coactus est. Id verò satis ex Ieremia constat, qui *cap.* 43. arguitur à quibusdam in ipso cursu ad Ægyptios, quod à Baruch in callidum, inutiléque consilium fuisset inductus: quod
C
sanè non dicerent, nisi illum Ieremias vitæ socium haberet. Quòd aliquando grauiter conquestus fuerit Baruch, & quæ fuerit dolendi causa, diximus in nostris Commentariis in Ieremiam *cap.* 45. quod nihil aliud continet.

PROLEGOMENON III.

Quid scripserit.

D

3. *Scripta Baruch.*

CErtum est epistolam longam ad captiuos Babylonios, quæ sexto continetur capite, scriptam esse non tam ab authore, quàm à notario Baruch; quam excepit à Ieremia dictante, & ideo inter Baruch scripta numeratur. Nam fuisse Ieremiam authorem præfixus capiti titulus ostendit. *Baruch huius libri nõ tam author, quàm notarius.* De quinque aliis capitibus res est magis inter authores controuersa. Sanè antiqui Patres, si quando ex illis aliquid adducunt, Ieremiam nominant authorem, non Baruch. Sic Cyprianus *lib.* 2. *contra Iudæos,* *cap.* 6.

Digitized by Google

cap. 6. Clemens Alexand. *lib.* 1. *Pædag. cap.* 10. Augustinus *lib.* 18. *de Ciuit. cap.* 33. Ambrosius *ser.* 18. *in Psal.* 118. & aliis sæpe locis. Chrysostomus *serm. de Trin. & in demonst. aduersùs Gentiles*, quòd Christus sit modò. Basilius *lib.* 4. *aduersùs Eunomium.* Epiphanius *heresi* 30. *aduersùs Hebionaeos.* Idelphonsus *lib. de virginitate Mariæ. cap.* 6. Neque deest ea de re grauis Pontificum authoritas. Sixtus I. *epist.* 1. *ad omnes fideles.* Pelagius I. *epist. ad Vigilium.* Felix III. *epist.* 2. *ad Petrum Antiochenum*, quæ in V. Synodo Constantinop. *actione* 1. recitatur. Alios plurimos omitto, ne longus sim. Denique nemo fermè est ex antiquis, qui dum ex hoc libro aliquid allegat, non dicat illud è Ieremiæ prophetia fuisse desumptum. Quæ causa fuit, vt notauit hoc loco Maldonatus, & Bellarminus *lib.* 1. *cap.* 8. *de verbo Dei*, vt quædam Concilia, dum scriptores numerant canonicos, prætereant Baruch, quia Ieremiæ vaticinia putant, cuius in eo scriptorum catalogo meminerant.

4. Ego quæstionem esse video difficilem, propter communem hominum sensum, & Ecclesiæ authoritatem, quæ iamdudum hunc librum Baruch nomine consignat: quod in animo fideli, ac pio plurimum debet habere momenti. Neque desunt aliqui, qui Baruch Prophetam numerent, eiúsque, vt apparet, scripta à Ieremiæ vaticinio diuersa. Sic certè Euseb. *lib.* 10. *de Præparat. cap.* 3. eodem tempore prophetasse dicit Baruch, Oldad, & Ieremiam, & Cyrillus *lib.* 10. *contra Iulianum, non longè ante medium*, in citando quodã ex eo libro testimonio Baruch expressè nominat. Et Augustinus *suprà* ita aliquos sensisse ait, licèt sententiã aliam magis dicat esse celebratã. Ego quid hîc statuã, certi nihil habeo; dicã tamen quod magis ad veritatem videtur accedere, & quo aliorum sententiæ videantur conciliari posse commodiùs.

5. Primùm puto hæc omnia Ieremiam accepisse à Deo, & ab illo excepisse, & ad Babylonios exules transmisisse Baruch, illa saltem quæ prophetica sunt. Nam si qua ad historiam pertinent, illa non videntur à Ieremia dictata. Illa verò, quæ ad prophetiam pertinent, accepit, opinor, à Ieremia quinquennali illo spatio, in quo cum illo apud Ægyptios commoratus est, siue in scriptis, siue memoriter. Quæ postea Babyloniis captiuis impertiit aut Ieremiæ nomine, quod potiùs arbitror, aut suo. Neque id Propheta obscurè indicat, qui longè aliter vaticinium aggreditur, & librum, quàm Prophetæ alij, qui instincti à Deo vaticinia fundunt. Solent enim sic incipere:

A *Visio*, v. g. *Isaiæ*, aut *verba Ieremiæ*, &c. At Baruch nihil dixit huiusmodi, sed principium adhibuit, quale nullus alius Prophetarum, nempe, *Hæc verba libri, quæ scripsit Baruch.* quod non tam Prophetæ est, quàm eius, qui excipit, mandátque scriptis Prophetæ verba. Hinc Patres antiqui, cùm assumunt aliquid ex hoc libro, quod plerumque propheticum est, Ieremiam aduocant authorem, quia ab illo didicit Baruch: neque antiquis aliquando sæculis nomen tacetur Baruch, & nunc nostro sæpius auditur, quàm Ieremiæ, quia ille reuera scripsit, & euulgauit; quod satis fuit, vt apud homines scriptoris, & authoris nomen obtineret. Exempla habemus in humanis non pauca. Nam Plato multa scripsit, quæ accepit à Socrate, cuius erat discipulus, & tamen illorum omnium author dicitur Plato. Et multi Psalmi à Dauide compositi alieno inscribuntur nomine, aut quia illi cecinerunt, aut aliquo alio modo publicarunt. Et si verum est, quod aliqui, vt tradit Hieronymus *in Lucam*, suspicantur Euangelium scriptum à Luca, dictatum esse à Paulo, & ideo Euangelium dici tam Pauli, quàm Lucæ, optimum est exemplum. Sic autem ibi Hieronymus, *Quidam suspicantur quotiescunque in epistolis suis Paulus dicit, iuxta Euangelium meum, de Lucæ significare volumine.* Quare si quispiam Euangelium Lucæ, Pauli vocaret; & dialogum à Platone scriptum Socratis esse diceret, non erraret; sicut neque etiam errant, qui nunc Platonis esse dicunt; quia vtriusque in illo aliquid laboris, & studij reperitur. Sic etiam neque errat, qui librum hunc Baruch, neque qui affirmauerit esse Ieremiæ, quia vtriusque in eo aliquid est operæ. Ita fermè Athanasius *in synopsi*, v. Ieremias. *Baruch*, inquit, *hunc librum scripsit, qui postea sermones istos ex ore Ieremiæ scriptos iis, qui Babylone captiui erant, legit, & consolandi gratia spem, quòd liberandi essent à Deo, annunciauit.* Idem Theodoretus in principio, *Baruch*, inquit, *discessit vnà cum Iudæis, qui aufugerant in AEgyptum. Veruntamen post quinque annos, ex quo capta est vrbs, peruenit Babylonem, vbi recitauit diui Ieremiæ prophetiam cunctis captiuis, & potissimùm Iechonia, qui cùm regnasset modico tempore, factus est captiuus.*

6. *Cur hic liber dicatur Baruch.*

Libri cur quibusdam attributi, à quibus editi nõ sũt.

PROLEGOMENON IV.

An hic liber sit Canonicus.

EX Catholicis vnus negat Driedo *lib.* 1. *de scripturis & dogmatibus Eccles. cap. vltimo.* Hieronymus de canonica huius libri fide minus loquitur clarè, quàm vellemus; & in Hebræorum sententiam inclinat,

7. *Liber Baruch canonicus.*

Digitized by Google

nat, qui de suorum librorum canone librum istum expungunt. Sic autem Hieronymus in proœmio Ieremiæ de hoc libro & Ieremiæ epistola, quæ *cap. 6.* continetur, loquitur, vt quia in ipso canonicam fidem esse non arbitratur, ab eius expositione abstinendum putauerit. *Libellum*, inquit, *Baruch, qui vulgò editioni Septuaginta copulatur, nec habetur apud Hebraos, & ψευδέπιγραφον epistolam Ieremiæ nequaquam censui disserendam.* Neque parùm videtur ad hanc sententiam facere, quod neque Augustinus *lib. 2. de doctrina Christiana cap. 8.* neque Gelasius *d. 15. cap. sancta Romana Ecclesia.* neque alij, qui sacrorum librorum texuere catalogum, huius libri meminerunt. Deinde quia Græcè tantùm reperitur scriptus, qua lingua neque à Baruch, neque à Ieremia videtur scribi potuisse; quia & ipsi Hebræi erant, & cum Hebræis loquebantur.

8. Nullo tamen modo dicendum est abesse ab hoc libro canonicam fidem, vt docet Concil. Trid. *sess. 4.* & Florentinum. Neque defuerunt antiquissimi Patres, qui in hoc libro canonicam agnouerunt fidem; quos citat Bellarminius *lib. 1. de verbo Dei cap. 8.* Cyprianus *lib. 2. contra Iudæos*, ex hoc libro quasi diuinum assumit testimonium. & *serm. de oratione Dominica*, cùm citaret sextum caput Baruch, ibi locutum dicit Spiritum sanctum. Clemens Alexand. *lib. 2. Pædag. cap. 3.* diuinam appellat Scripturam. Item Eusebius *lib. 6. de demonst. cap. 19.* Ambrosius *lib. 1. de fide cap. 2.* Et quot hunc librum Ieremiæ nomine consignant, illum omninò canonicum esse fatentur, cùm Ieremiæ scriptis canonicam esse fidem fateantur.

9. Iam superest, vt quæ ab aduersariis opponuntur, diluamus; quod sanè difficile non est. Et primùm quid Hieronymus senserit, nemo dubitat: sed quid dicturus esset, si nostrum sæculum fuisset nactus, tam de hoc libro, quàm de aliis, quos in prologo Galeato inter apocryphos numerauit, nempe Sapientiam, Ecclesiasticum, Iudith, Tobiam, qui à Conciliis Florentino, & Tridentino in canonem sunt admissi, ipse declarauit, dum librum Iudith, quem antè tanquam apocryphum conuertere noluerat, vbi à Concilio Niceno inter Scripturas sacras relatum agnouit, Latinum reddidit. Sic autem ille Præfatione in librum Iudith: *Apud Hebræos liber Iudith, inter apographa legitur, cuius authoritas ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt, minùs idonea iudicatur (nempe ab Hebræis.) Sed quia hunc librum Synodus Nicena in numero sanctarum Scripturarum legitur computasse, acquieui postulationi vestræ, imò & exactioni; & sepositis occupationibus, quibus vehementer arctabar, huic vnam lucubratiunculam dedi, magis sensum à sensu, quàm à verbo verbum transferens.*

Hieronymus modò quosdam libros canonicos indicauit, quos antè à canone reiecit.

A Fecisset hoc idem Hieronymus in hoc libro, si ad eius aures duorum Conciliorum peruenisset authoritas.

10. Quòd neque Augustinus, neque Gelasius citati suprà, neque alij, qui sacrorum librorum texuere catalogum, huius libri meminerint, ea causa est, quia illum Ieremiæ fuisse crediderunt; & cùm omnia Ieremiæ scripta canonicæ fidei habere pondus iam antè dixissent, non necesse fuit B specialem huius libri fieri mentionem. Quòd si apocryphum hoc opus iudicasset Pelagius, cùm alios huius notæ libros damnasset, non sanè hunc librum, qui non minus, quàm alij, publicè legebatur, omisisset. Quod mihi grauissimum argumentum est, vt putem à Gelasio iudicatum esse canonicum.

11. Quòd verò scriptum esse Græcè dicatur, nihil habet momenti; eodem quippe nomine expungerentur è Canone Tobias, C Iudith, Sapientia, Machabæi, & alij. Huic nos rationi pluribus occurrimus in nostris Commentariis in Danielem, cùm vindicaremus ab hac calumnia aliquot Danielis capita, quæ eodem nomine quibusdam videbantur non esse de canone. Vbi diximus tam illa capita, quàm alios libros scriptos primùm Hebraicè, periisse tamen primæuam, & originalem scripturam; & tantùm fuisse reliquum, quod ex Hebraico textu descriptum est. Inde tu sume disputationem illam neque D breuem, neque huic etiam loco parùm opportunam.

PROLEGOMENON V.

Quo tempore prophetauerit, & ad quos.

12. PRofectus fuit Ieremias in Ægyptum post euersam Ierusalem, quo cũ cõmoratus est annos quinque, vt docet Theodoretus, & indicat non obscurè caput primum Baruch. Ibi accepisse creditur E epistolam, & tradidisse scriptis, quam excepit à Ieremia dictante; & ideo epistolæ illi nomen præfigitur Ieremiæ. Tum etiam alia omnia, quæ in quinque alia capita collata sunt, quæ videtur excepisse memoriter, & mortuo iam in Ægypto Ieremia, in scripta retulisse. Exacto igitur ab excisa Hierosolyma quinquennio, & Ieremia, vt est verisimile, iubente, excessit ex Ægypto, & adiit Babyloniam, vt fratres exules solaretur, & hæc ad illos Ieremię nomine mandata perferret. Apud quos piam operam, neque inutilem posuit. Quandiu autem

Baruch quo tempore, & ad quos prophetauerit.

apud illos commoratus, aut quo mortis genere defunctus fuerit, incertum est.

PROLEGOMENON VI.

An Propheta fuerit Baruch.

Baruch non videtur fuisse Propheta.

13. EX dictis definiri potest alia quæstio, an Baruch instinctus fuerit propheticę dono. Communiter in Bibliis scribitur, & communi hominum sensu, propheta existimatur Baruch. Sed hoc quomodo sit intelligendum, explicatum est à nobis. Satis enim est ad Prophetæ nomen, si prophetiam in scriptis exceperit, illamque quasi interpres, & nuncius euulgauerit. Sanè cātare Psalmos, aut diuina oracula, & Scripturam sacram explicare, prophetare est. Vnde in Scriptura auditur aliquando *prophetare in citharis*, &c. 1. Reg. 10. v. 5. sic Samuel ad Saul, *Cùm ingressus fueris vrbem, obuium habebis gregem Prophetarum descendentium de excelso, & ante eos psalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam, ipsósque prophetantes.* Idem *cap.* 19. *v.* 24. *& Exod. cap.* 7. *v.* 1. Aaron Propheta dicitur, id est, interpres Moysis. Eodem sensu prophetare sumitur 1. *Cor* 11. *v.* 4. *&* 14. & aliis sæpè locis. Hac acceptione Baruch vocari iure optimo Propheta potuit, quia diuina oracula Ieremiæ priùs inspirata duxit Babylonem, & captiuis exposuit. Lyra, Dionysius, & Hugo, & Bellarminus de scriptoribus in Baruch. Prophetam esse dicunt, cùm affirment hunc librum scriptum à Baruch. Sed eorum sententia iam à nobis suprà refutata est.

Propheta nomen latè patet.

Ego, cur propriè Propheta possit appellari, non video, quia non apparet, quid propheticè scripserit; neque à quoquam aliquid afferri video. Scripsisse aliquid suspicor eorum, quæ in quinque prioribus capitibus legimus; illud tamen historicum puto, non propheticum, vt quæ primo capite dicuntur, quæ à Ieremia proculdubio, vtpote iam mortuo, dictata non sunt. Hebræi Baruch Prophetam fuisse negant, eo saltem tempore, quo suam sortem dolebat, apud Ieremiam *cap.* 45. cui Ieremias à Deo hæc mandata detulit. *Dixisti: Væ misero mihi, quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo, &c. Quos ædificaui, ego destruo, &c. Et tu quæris tibi grandia?* Dicunt igitur ex Hebræis Rab. Dauid, & Rab. Salomon, ideo suam vicem dolere Baruch, quòd cùm tot annis foret amanuensis Ieremiæ, eiúsque causa plurima sustinuisset incommoda, nō donum consecutus esset ex eius conuictu prophetiæ. Sicut consecuti sunt olim Iosue minister Moysis, & Elisæus Eliæ discipulus. Sed ea sententia ad illum locum Ieremiæ à nobis improbata est. 14.

IN

IN CAPVT PRIMVM
ARGVMENTVM.

DVAS partes continet caput hoc primum; alteram ad versum vsque 11. quæ tota est historica, cuius author fuit Baruch; alteram ad finem vsque capitis, vnde incipiunt quæ dictata fuerunt à Ieremia, & excepta à notario, atque amanuensi Baruch. In priori parte refert Baruch scriptor idem & author, quomodo ipse in conspectu Iechoniæ regis, & principum populi, & coram vniuerso populo variis locis, atque temporibus congregato Ieremiæ librum legerit, quo sic commouit miserum illum populum, vt lacrymas excusserit; impuleritque, vt corrogatas ab illa captiuorum multitudine pecunias Hierosolymam mitteret, vt victimas emeret, & aromata, quæ pro peccato, meliorique fortuna populi in eo loco cremaret, & offerret, vbi Salomonis templũ fuerat antè constructum. Item pro salute, ac vita illorum principum, qui Babylonicum moderabantur imperium, quósque ipsi sibi placare, atque officiis demereri studebant. In reliquo orandi forma præscribitur, quam Ieremias tradidit, quámque captiuo populo voluit esse solemnem.

CAPVT I.

1. *ET hæc verba libri, quæ scripsit Baruch filius Neriæ, filij Maasiæ, filij Sedeciæ, filij Sedei, filij Helciæ, in Babylonia,* A

2. *In anno quinto, in septimo die mensis, in tempore quo ceperunt Chaldæi Ierusalem, & succenderunt eam igni.*

3. *Et legit Baruch verba libri huius ad aures Iechoniæ filij Ioakim regis Iuda, & ad aures vniuersi populi venientis ad librum.*

4. *Et ad aures potentium filiorum regum, & ad aures presbyterorum, & ad aures populi, à minimo vsque ad maximum eorum omnium habitantium in Babylonia, ad flumen Sodi.* B

5. *Qui audientes plorabant, & ieiunabant, & orabant in conspectu Domini.*

6. *Et collegerunt pecuniam secundùm quod potuit vniuscuiusque manus.*

7. *Et miserunt in Ierusalem ad Ioakim filium Helciæ filij Salom Sacerdotem, & ad Sacerdotes, & ad omnem populum, qui inuenti sunt cum eo in Ierusalem.* C

8. *Cùm acciperet vasa templi Domini, quæ ablata fuerant de templo, reuocare in Terram Iuda decima die mensis Siuan, vasa argentea, quæ fecit Sedecias filius Iosiæ rex Iuda.*

9. Postea

PARAPHRASIS.

1. HÆc sunt verba, quæ dictante Ieremia Propheta excepit amanuensis eius Baruch filius Maasiæ, filij Sedeciæ, filij Sedei, filij Helciæ.

2. Anno quinto, & septimo die illius inauspicati mensis, quo capta est à Chaldæis, & incendio vastata Hierosolyma.

3. Legit autem librum, audiente Iechonia filio Ioacim regis Iuda, & vniuerso populo, qui variis locis, atque temporibus ad audienda illa Ieremiæ monita conuenerat.

4. Conuenerunt autem, vt quæ Propheta dictauerat, audirent, qui è regio erant sanguine prognati; tum etiam viri annis, & authoritate graues; ab omni denique captiuorum cœtu, à maximo vsque ad minimum, qui morabantur ad fluuij magni ripas, qui Babylonicos alluit muros, & à magnitudine dicitur Sodi.

5. Qui liber excussit ab auditoribus lacrymas, fecítque, vt ieiuniis patrio ritu se dederent, oraréntque ab offenso Deo peccatorum veniam.

6. Et vt ad suas aliorum quoque preces, & victimas insuper adiungerent, collegerunt pro cuiusque facultate pecunias.

7. Quas miserunt Hierosolymam ad Ioacim Helciæ filium, & filium Salom inter eos sacerdotes principem qui remanserunt in patrio solo, & ad sacerdotes alios, reliquúmque populum, qui sub illud tempus cum illis fuerunt Hierosolymæ.

8. Qui priùs acceperat decima die mensis Siban vasa quædam à captiuo populo redempta, quæ de templo sustulerat Nabuchodonosor, vt illa ad terram, vnde fuerant ablata, reduceret; vasa, inquam, argẽtea, quæ aliorum loco Sedecias Iosiæ filius ad sacra templi ministeria conflauerat.

Digitized by Google

9. Postquam cepisset Nabuchodonosor rex Babylonis Iechoniam, & principes, & cunctos potentes, & populum terræ ab Ierusalem, & duxit eos vinctos in Babylonem.

10. Et dixerunt: Ecce misimus ad vos pecunias, de quibus emite holocautomata, & thus, & facite manna, & offerte pro peccato ad aram Domini Dei nostri:

11. Et orate pro vita Nabuchodonosor regis Babylonis, & pro vita Balthasar filij eius, vt sint dies eorum sicut dies cæli super terram:

12. Et vt det Dominus virtutem nobis, & illuminet oculos nostros, vt viuamus sub vmbra Nabuchodonosor regis Babylonis, & sub vmbra Balthasar filij eius, & seruiamus eis multis diebus, & inueniamus gratiam in conspectu eorum.

13. Et pro nobisipsis orate ad Dominum Deum nostrum: quia peccauimus Domino Deo nostro, & non est auersus furor eius à nobis vsque in hunc diem.

14. Et legite librum istum, quem misimus ad vos recitari in templo Domini in die sollemni, & in die opportuno.

15. Et dicetis: Domino Deo nostro iustitia, nobis autem confusio faciei nostræ: sicut est dies hæc omni Iuda, & habitantibus in Ierusalem,

16. Regibus nostris, & principibus nostris, & sacerdotibus nostris, & Prophetis nostris, & patribus nostris.

17. Peccauimus ante Dominum Deum nostrum, & non credidimus, diffidentes in eum.

18. Et

A 9. Hæc autem vasa tunc cudi iussit Sedecias, postquam Nabuchodonosor Iechoniam regem, & principes alios ciuitatis, virósque potentes, & de populo complures alios captiuos abduxit Babylonem.

10. Cum pecuniis autem literas dedere, quibus ab illis enixè postulabant, vt victimas emerent, & aromata; & sacrificia de more peragerent, & ad aram offerrent pro peccato, quæ lex iubet, & religio præscribit.

11. Et vt suis precibus postularent à B Deo longam, & fortunatam vitam super terram tam Nabuchodonosori Chaldæorum regi, quàm illius nepoti Balthasari, qui futurus erat in regno successor.

12. Et det captiuis consilium, & mentem, vt norint, quid in illis captiuitatis angustiis facto opus sit; & virtutem, vt quæ facienda probauerant, illa reipsa præstare possint; vt non tam dominos experiantur, quàm patronos, tam regem Chaldæorum, quàm nepotem illius Balthasarem; & sub illorum vmbra ducant dies, C qui vocari possint vitales. Atque ita apud gratos, atque benignos principes hilarem subeant, & longam seruitutem.

13. Tum etiam vt pro captiuis ipsis pias ad Deum offerant preces: agnoscunt enim se contra Deum deliquisse grauiter, neque mirantur, aut iniustè se tam asperè vexari sentiunt; neque queruntur ad illum vsque diem extentam habere Deum vindicem dexteram.

14. Iubent præterea, vt quem mittebant dictatum à Ieremia librum, in loco D vbi ædificatum antè fuerat Salomonis tēplum, quo tempore populi conuentus fieret, recitarent.

15. Et vt iuxta hanc orandi formam à Ieremia traditam orationem suam informarent. Tibi, ô Domine, debetur æquitatis, atque iustitiæ laus, nobis autem pudor, & ignominia; qualem modò sustinent viri Iudæi, illi etiam, qui Hierosolymā lautam ciuitatem & regiam habitarunt.

16. Ipsis quin etiam qui nobis præsunt, quique res nostras priuatas, & publicas E moderantur: quales sunt reges, principes, sacerdotes, & Prophetæ nostri, & qui alio præterea titulo nostri possunt appellari parentes.

17. Neque sanè nos, ac maiores nostri sine magno nostro merito punimur. Peccauimus enim contra Deum, neque credidimus illi, cùm per Prophetas suos nobiscum assiduè loqueretur; neque nos, ac nostra illius fidei, atque tutelæ permisimus, quia illum infirmum, aut infidelem putabamus.

18. Neque

Digitized by Google

A

18. Et non fuimus subiectibiles illi, & non audiuimus vocem Domini Dei nostri, vt ambularemus in mandatis eius, quæ dedit nobis.

18. Neque nostras ceruices mandatorum ipsius iugo subiecimus; neque ipsius voci obsecuti sumus, quæ nos iubebat in mandatorum suorum semitis ponere vestigia.

19. A die, qua eduxit patres nostros de Terra Aegypti, vsque ad diem hanc, eramus incredibiles ad Dominum Deum nostrum: & dissipati recessimus, ne audiremus vocem ipsius.

19. Hoc porrò vitium in nostro genere iampridem inueterauit: ab eo enim tempore, quo Dei benignitate ex Ægyptiæ seruitutis sordibus emersimus, ad hunc vsque diem, neque docilem, neque credulum animum diuinis monitis adhibuimus. Quin etiam ne audiremus admonentis,
B
siue iubentis vocem, dispersi aliò atque aliò longissimè recessimus.

20. Et adhæserunt nobis multa mala, & maledictiones, quæ constituit Dominus Moysi seruo suo: qui eduxit patres nostros de Terra Aegypti, dare nobis terram fluentem lac & mel, sicut hodierna die.

20. Atque ideo perpetuò nos insectantur mala, & diræ illæ maledictiones exagitant, quas per Moysem Deus in legis transgressores intorsit. Qui maiores nostros de Ægyptia seruitute liberauit, vt nos in terram lacte, ac melle fluentem introduceret, sicut hodierna die & terræ vbertatem, & Dei fidelitatem experimur.

21. Et non audiuimus vocem Domini Dei nostri secundum omnia verba prophetarum, quos misit ad nos.

21. Ab illa tamen excidimus possessione felici, quia vocem Domini loquentis in
C
Prophetis ad nos, & iudices nostros audire recusauimus.

22. Et abiuimus vnusquisque in sensum cordis nostri maligni, operari diis alienis, facientes mala ante oculos Domini Dei nostri.

22. Cùm autem datam à Domino legem abiecissemus, illam studiosè complexi sumus, quam sua cuique libido præscripsit: neque diuinorum oculorum maiestas, ac reuerentia cohibuit, quominus & alia, præsente Deo, mala quisque patraret, & alienis diis sacrificia varia, & religiosum cultum supplex impenderet.

Verſ.1. *Et hæc verba libri, quæ scripsit Baruch.*]

1. *Prima pars huius capitis scripta ab auctore Baruch.*

TOTVM hoc caput ad v.15. scriptum arbitror à Baruch, non vt amanuensi, qui cogitationes excipit alienas; sed ab authore, qui suas mandat monumentis. Scripsit autem in Babylonia, quò profectus, neque antea potuit; cùm historia, quæ literis mandatur, & inde ad Iudæorum reliquias transmittitur, post profectionem illam acciderit. Ille porrò dicendi modus historiam hanc esse potius, quàm prophetiam ostendit: de Propheta enim potiùs diceretur, *accepit, vidit, audiuit*, quàm *scripsit*.

2. Vers. 2. *In anno quinto, in septimo die mensis.*] Annum hunc Maldonatus numerat à transmigratione Iechoniæ, sexto nimirum anno, antequam conflagraret, & omninò periret Hierosolyma. Adducitur autem ea ratione, quia captiui pecunias mittunt, vt ex illis emantur victimæ, quæ offerantur in templo. At cùm euersa est ciuitas, nullę templi superfuere reliquiæ, neque locus, vbi legitimè possent immolari victimæ.

3. Ego annum illum, vt antea dixeram, ab excidio numero Ierusalem, & ab exusto templo: & in illam cogitationem venio, quia non aliter video componi posse plurima, quæ in hoc capite maximè videntur implexa. Quod tenent Theo-
D
doretus, Lyra, Hugo, Sixtus Senensis, Castrus, Emanuel Sà. Neque abest optima coniectura, quæ nos in hanc cogitationem deducit. Vt enim nunc Iudæi annos suos numerant ab excidio ciuitatis, & templi per Romanos: sic etiam verisimile est, eos, qui reliqui fuerant post euersam ciuitatem, & templum à Chaldæis, annos suos ab hoc tempore numerare cœpisse. Exemplum habemus Hispani proprium, atque domesticum, nam postquam Hispania Arabum armis subacta est, ab eo anno prorsus infelici supputari tempora cœperunt. Deinde quia, vt constat ex Iosepho *lib.* 10. *Ant. cap.* 11. *anno* 5. ab excisa Hierosolyma, capta est Ægyptus. Quo tempore verisimile est cum
E
aliis Ægyptiis, quibuscum tunc agebat Baruch, translatum esse Babylonem. Adde his, quòd multa narrantur in hoc libro, quæ tempore illo contingere non potuerunt, quod Maldonatus probat; vt quòd parentes filiorũ carnibus pasti sint, quod accidit paulo antequam ciuitas caperetur. De quo statim *cap.* 2. *v.* 3. Si qua verò huic cogitationi aduersari videntur, ea nos in commentationis decursu diluemus.

Annos ab excidio Hierosolymæ numerant Iudæi.

Arabes olim ab euersa Hispania numerarūt annos.

In septimo die mensis.] Quis mensis iste fuerit, non docet Propheta; quare alio atque alio modo 4.
diuinant interpretes. Quidam anni primum esse mensem

Digitized by Google

mensē opinantur, quē Hebræi Nisan, Latini verò Martium appellant. Alij primū mensem à captiuitate. Mihi visum est idem, quod in simili casu iudicabam in commentariis in Ezechielem ad illud cap. 26. v. 1. *Et factum est in vndecimo anno primi mensis.* vbi mensis etiam nota, & nomen omittitur. Eo autem loco sic cogitabam, cùm aliquid magnum accidit, & aliqua ratione notabile, siue illud horribile sit, aut maximè rebus humanis opportunum, si aliqua adsit nota, quæ illud tametsi obscurè designet, omitti interdum solere. Et ne longiùs vager, hic ipse dies, quo capta est Hierosolyma, argumento nobis esse potest; quem credo Hebræis fuisse prouerbialem, & ominis gratia illius nomen esse suppressum. Ille verò fuit aut mensis quartus, qui Iunio nostro respondet, in quo capta est ciuitas, vt habes *Ieremiæ cap. 53. v. 6.* aut certè mensis quintus, quo euersa est ciuitas, & diruta mœnia, & templum incensum à Nabuzardan; qui noster Iulius est, vt legimus *lib. 4. Reg. cap. 25. v.* 8. Inclino magis, vt mensem quintum esse putem, quia ignis Propheta meminit, qui mense quinto grassatus est. Cùm autem mensis ille notissimus esset, prætermissus est lib. 4. Reg. 25. v. 3. *Clausa est ciuitas, atque vallata vsque ad vndecimum annum Regis Sedeciæ, nona die mensis.* Vt ergo mensis ille, quia notus, & prouerbiali specie à Iudæis sæpiùs vsurpatus, quia funestus fuit, & quasi fatalis suæ genti, prætermissus est *lib. 4. Reg.* & ab Ezechiele *cap. 26.* sic etiam à Baruch. Quasi diceret in anno quinto, & septimo die mensis illius inauspicati, cuius horreo nomen. Eo igitur mense scripsit Baruch librum istum, id est, scribere cœpit: nam ex vsu Scripturæ id factum dicitur, quod cœptum est fieri, vt diximus in Isaiam *cap. 8. v. 9.*

Mensis quo capta est ciuitas ab Hebræis notatur, & penè prouerbialis.

5. *In tempore, quo ceperunt Chaldæi Ierusalem.*] Id est, ab illo tempore. Notum est enim, *in*, sæpiùs in Scriptura sacra sumi pro *ab*, vel *ex*. Certè apud Græcos præpositio ἐν, quæ hoc loco ante tempus legitur, idem interdum valet, quod *ex*. Et ita hunc locum exponunt Lyra, Hugo, Manuel Sa, & Castrus.

6. Vers. 3. *Et legit Baruch verba libri huius ad aures Iechoniæ.*] Hic loquendi modus satis indicat aut Baruch propriè non fuisse Prophetam; aut certè prophetiam hanc (de historicis nihil dico) non esse Baruch, sed Ieremiæ: neque enim Prophetæ suas aliis prophetias de scripto legunt, sed ex memoria depromunt, & annunciant. Quærunt hîc aliqui, cùm Sedecias, qui proximè exciderat regno, tunc esset Babylone, cur potiùs ad Iechoniam venerit Baruch, neque in illis, qui librum audierunt, numeretur Sedecias. Deinde cùm eo tempore teneretur in vinculis Iechonias, ex quibus vsque ad Nabuchodonosoris obitum non emersit, ad illum ingredi potuerit Baruch.

7. De Sedecia non est difficilis responsio: nam cùm cæcus esset, & deformatus valde, non censebatur dignus, qui rex existimaretur; maximè cùm alius esset inter captiuos, qui rex antè fuerat, & regio nomine minùs putaretur indignus. Deinde quia verisimile est in custodiam datum esse Sedeciam magis tenebricosam, & angustam, vtpote fœdifragum, & cui Chaldæorum rex valde esset infensus; quò penetrare non potuit Baruch. Secùs est de Iechonia, qui cùm nihil contra Chaldæorum regem admisisset, liberiori, atque honestiori vtebatur custodia, ita vt non prohiberetur ab aliorum congressu. Accessit igitur ad Iechoniam eo prorsus modo, quo aliquot antè

A annis ad Ieremiam, cùm teneretur etiam in vinculis, *Ierem. cap. 32.* vbi emptioni agri interfuit, quem sibi Ieremias à patrueli comparauit.

Et ad aures vniuersi populi venientium ad librum.] 8.
Legit Baruch librum vniuerso populo, non tamen vno loco, ac tempore, sed variis, prout rerum commoditas exigebat. Quare seorsum legit Iechoniæ; neque enim omnis captiuorum turba ad Regis custodiam conuenire potuit: & alios aliis locis, atque temporibus sic est aggressus, vt nemo fuerit, cui non sacri illius libri verba impertitus sit. Filij autem regum dicuntur, aut qui reuera à regibus orti, qualis fuit Salatiel Iechoniæ filius, & si quos alios genuit; aut certè qui B primo Chaldæorum appulsu abducti fuerunt cum Daniele Babylonem, quorum aliqui regum, & tyrannorum dicuntur esse filij. Dan. cap. 1. v. 3. *Et ait rex Asphenez præposito Eunuchorum, vt introduceret de filiis Israel, & de semine regio, & tyrannorum pueros, in quibus nulla esset macula,* &c.

Vers. 4. *Et ad aures populi à minimo vsque ad maximum eorum omnium habitantium in Babylonia ad flumen Sodi.*] Hoc loco distingui videntur filij regum, potentes, atque presbyteri, ab ignobili, & populi turba; nam illi in honestiori ciuitatis loco videntur habuisse domicilium; hi ad ripas fluuij, in suburbiis, opinor, ciuitatis, abiecti longè à C lautiorum hominum conuictu. Quare Ezechiel adiisse dicitur loca extra ciuitatem, vt Dei mandata ad contribules suos perferret, cap. 3. *Veni,* inquit, *ad transmigrationem, ad aceruum nouarum frugum, ad eos, qui habitabant iuxta flumen Chobar, & Sodi, vbi illi sedebant.* Porrò Iudæos captiuos reiectos esse à communi populorum congressu ad fluminum ripas, aut vicina loca, diximus in nostris Commentariis in Ezech. *cap. 1. n. 11. & cap. 3. n.* 38. Porrò flumen Sodi idem videtur esse, qui Euphrates. Vt enim ille apud Ezechielem Chobar appellatur, quia magnus est; id enim valet vox Hebraica Chobar: sic etiam, quia idem fluuius superbus est, & qui caput supra fluuios alios attol-D lit, qui Syriam interfluunt, Sodi dicitur; id enim sonat verbum Hebraicum זוד *zud.* à quo deduci puto. Neque video ad quem alium fluuium habitare potuerint captiui Babylonij. 9.

Euphrates cur dictus Sodi.

Vers. 5. *Qui audientes plorabant, & ieiunabant.*] 10.
Totus fermè liber à versu 15. orationem continet, quam de scripto recitauit Baruch nomine, vt opinor, Ieremiæ, quæ cùm orta esset ab animo pœnitente, & qui propter peccata grauia pateretur incommoda, facilè commouit captiuorum animos, ex quorum oculis extorsit lacrymas, & ad orationem, & ieiunium induxit.

Vers. 6. *Et collegerunt pecuniam secundùm quod potuit vniuscuiusque manus; & miserunt in Ierusalem ad Ioacim filiū Helciæ filij Salom sacerdotem.*] Doluerunt 11.
captiui de peccatis, tristi malorum commemora-E tione compuncti. Atque ideo & ipsi plorant, vt veniam exorent, & aliorum etiam preces enixè solicitant. Quia verò in Ierusalem domum esse nouerant orationis, & locum, in quo sibi Deus aliquando placuerat, ex quo sæpe suauitatis odor in cælum ascenderat; ideo pecuniam corrogant, illámque ad sacerdotem Hierosolymam mittunt, vt victimas emant, easque pro peccatis, mitiorique fortuna ad altare immolent.

Hæc ratio Maldonato suasit, vt putaret, quo 12.
tempore hæc scripta sunt ab exulibus, nondum esse ciuitatem euersam, & templum exustum. Quare nobis probandum est, & esse populum in Iudæa

Iudæa reliquum, ad quem hæc epistola; ac liber mitteretur; & esse locum in Ierusalem, vbi offerri legitimè sacrificia potuerint. Atque ideo ex hoc capite non esse, quod nostræ sententiæ quicquam incommodet. Quod ad populum attinet, nemo dubitabit extra Hierosolymam fuisse quamplurimos, qui neque tentati fuerunt à Chaldæis, neque Babylonem abducti. Id probat Godoliæ primùm præfectura, deinde casus, & interitus. Relicti sunt namque plurimi, quorum rei communi, ac publicæ præfectus est Godolias *lib. 4. Reg.* 25. *Ierem. cap.* 40. & deinceps. Vbi multa legimus, quæ docent in Iudæa reliquos fuisse non paucos, qui se adiunxere Godoliæ. Fuisse autem alios plurimos docet magnus ille numerus, qui ad templum iam euersum conuenisse dicuntur cum muneribus; quos seductos callidè occidit Ismael, *Ierem. cap.* 41. Hi autem ex ciuitatibus profecti fuerant Hierosolymæ vicinis, ex Sichem, Silo, Samaria, & ipse Ismael, & qui cum eo venerant viri non pauci, Iudæi erãt, qui ad Ammonitas præsidij gratia se receperant. Neque omnes, quibus Chaldæorum furor, & arma pepercerant, ad Ægyptios migrarunt cum Iohanna filio Caree; sicut neque omnes ad Godoliam antè conuenerant. Deinde quia ex illis, qui petierunt Ægyptum, viri aliqui, licèt non adeò multi reuersi sunt in Iudæam, vt habes Ierem. cap. 44. v. 28. *Et qui fugerint gladium, reuertentur de terra Ægypti in terram Iuda viri pauci.* Quàm multi aut in Iudæa remanserint, aut externarum Gentium fidei se, ac tutelæ permiserint, diximus in nostris Commentariis in Zachariam *ad cap. 7. n. 7. & 8.*

Plurimi ex Iudæis excisa Babylonia in Iudæa relicti.

13. Quòd verò euerso templo, in ipsis templi ruinis sacrificari potuerit, altari ibi excitato opere etiam impolito, & rudi, mihi dubium non est, neque præceptum est, vt in templo sacrificia fierent, sed in loco, quem Deus in terra promissionis elegisset, vt audis in Scriptura millies. Deut. 12. v. 5. & v. 26. *Ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, vt ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis: & offeretis in loco illo holocausta, & victimas vestras, &c.* Quod optimè norant octuaginta illi viri, de quibus *Ierem. cap.* 41. qui cùm nossent euersam esse ciuitatem, & templum, & ideo lugentes veniunt *rasi barba, & scissis vestibus, & squalentes, & munera, & thus habebant in manu, vt offerrent in domo Domini.* Neque tamen ignorare poterant excisum esse templum, cùm non procul abesset à Hierosolyma Samaria, Sichem, & Silo, vnde ipsi venerant; neque pauci iam exacti fuerant dies ab incendio, quando ipsi venerunt. Sed habemus exemplum aliud multo grauius à sacerdotibus, qui legem nouerant, neque quicquam contra legem auderent, quia viri sancti. Nondum erat ab exulibus iam in patriam reuersis instauratum templum, & tamen in templi ruinis eodem loco, vbi priùs erat altare, antiquo, atque legitimo ritu sacrificatum est. Audi Esdram lib. 1. à versu 2. *Surrexit Iosue filius Iosedech* (hic erat sacerdos summus) *& fratres eius sacerdotes, & Zorobabel filius Salatiel, & fratres eius, & ædificauerunt altare Dei Israel, vt offerrent in eo holocaustomata, sicut scriptum est in lege Moysi viri Dei. Collocauerunt autem altare Dei super bases suas, & obtulerunt super illud holocaustum Domino manè, & vespere. Feceruntque solemnitatem tabernaculorum, sicut scriptum est, & holocaustum singulis diebus per ordinem secundùm præceptum, opus diei in die suo. Et post hæc holocaustum iuge tam in calendis, quàm in vniuersis solemnitatibus Domini, quæ erant consecratæ, & in omnibus, in quibus vltro offerebatur munus Domino. Porrò templum Domini nondum erat fundatum.* Quid clarius? & quid amplius in Salomonis templo illibato, atque integro præstari potuit?

Euerso templo in eius loco sacrificari poterat.

14. Quòd si ab aliis in antiqua templi sede excitatum altare non est, quod non puto, cùm etiam existimem ad altare illud raptim excitatum frequenter obiri solere sacrificia: at illud nunc extrui facillimi negotij fuit, & nullius sumptus. Non enim Deus operosam aliquam molem, aut artificum commenta in altari construendo desiderat; sed aliquid & facilè parabile, & non tam elaboratum arte, quàm in aceruum rudi opere congestum. Exod. 20. v. 24. *Altare de terra facietis mihi, & offeretis super eo holocausta, & pacifica vestra: oues vestras, & boues in omni loco, in quo memoria fuerit nominis mei. Quòd si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus.*

15. Vers. 7. *Et miserunt in Ierusalem ad Ioacim filium Helciæ filij Salõ sacerdotẽ, & ad sacerdotes: & ad omnẽ, qui inuenti sunt cũ eo in Ierusalem.*] Sicut ex aliis tribubus relicti fuerunt non pauci in terra Iuda, sic etiã ex Leuitica tribu relicti fuere sacerdotes, qui sacra vtcũque in eo statu ærumnoso præstarent. Hic porrò Ioacim, licèt sacerdotũ, qui remanserũt in Iudæa, princeps fuerit, non tamen summus fuit, quia sub id tempus sacerdos erat maximus Iosedech Saraiæ filius, quem Nabuchodonosor occidit eo die, quo Sedeciæ regis faciem effossis oculis deformauit. Fuit tamen illis generis communione proximus, filius videlicet Helciæ sacerdotis summi, & Saraiæ patruus. Quod probatur, quia sicut hic Ioacim dicitur filius Helciæ filij Salom; sic etiam Saraias dicitur filius Azariæ filij Helciæ filij Selum, qui idem est quod Salom. Ita *lib. 1. Paralip. cap. 6. v. 13. & lib. 1. Esdræ cap. 7. v. 2.* vbi Esdras se fratrem esse indicat Iosedech, & Saraiæ filium. Ad illum igitur vtpote in illa tenui republica principem, & sacerdotum, qui ex cæde, ac fuga reliqui fuerunt, maximum, pecunia mittitur, præcipuè vt ex illa captiuorum nomine comparentur victimæ, quæ ab ipsis diuinum auertant furorem, & concilient clementiam.

16. Sed contra hæc posset aliquis obiicere illud Azariæ apud Danielem cap. 3. *Non est in tempore hoc princeps, & dux, & Propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te.* Exposuimus hunc locum in nostris Commentariis in Danielem, vbi ostendimus quomodo negari potuerit sacerdotes esse, principes, & Prophetas; cùm tamen neque in exilio Babylonico defuerint, cùm ibi tunc temporis essent Daniel, Ezechiel, & alij; & viuerent Iechonias, & Sedecias, & sacerdos summus Iosedech, & Esdras, aliique ex eo ordine minores. Vbi respondimus illud ex vsu Scripturæ, & literaturæ etiam profanæ dici abesse, quod vile censetur, aut inutile. Quo modo dicimus non esse scholas, cùm literarum studia frigent, & pauci sunt, qui doctrinæ causa illas obeant; non esse leges, cùm nõ seruantur, aut contemnuntur; aut illa abesse, quæ minùs frequenter, aut cũ minore dignitate fiunt. Quomodo *lib. 4. Reg. cap. 6.* Syri dicuntur nõ ampliùs venisse in fines Israel, cùm tamen aliquãdo venerint; quia id minus quàm antea frequenter, & cũ minore successu venerunt. Et *Genes.* 39. dictum est Iacob à Deo, *Non vocaberis vltrà Iacob, sed Israel erit nomen tuum;* & tamen, vt constat, sæpe vocatus est Iacob: quia nomen minus quàm antea sæpe vsurpatum est. Sic ergo ab Azaria negantur

REGVLA. *Illud abesse dicitur quod vile censetur aut inutile.*

Quo sensu sub tempore Babylonicũ, sacerdotes & prophetæ fuisse negentur.

gantur esse sacerdotes, quia illorum tunc vile nomen, & rarum ministerium; negantur sacrificia, & altare, quia rariùs immolantur victimæ, & cum minore hominum frequentia, ac plausu. Cùm ergo sub hæc tempora templum esset nullū, sed tantùm altare quoddā subdiale, ex cespite, aut impolito lapide constructū; neque audiretur aut canentium clamor, aut organorum concentus; sanè iuxta prædicta cessasse dici possunt sacrificia, & aram esse nullam; cùm etiam eandem ob causam Prophetæ esse, & sacerdotes negentur.

17. Vers. 8. *Cùm acciperet vasa templi Domini, quæ ablata fuerant de templo, reuocare in terram Iuda.*] Hic locus difficilis est, qui tamen aliquid accipiet lucis, si priùs obseruemus præteritum imperfectum adhiberi posse pro plusquamperfecto; sicut præteritum perfectum. Et licèt nullum nunc occurrat exemplum de imperfecto; at de perfecto plurima sunt, quæ tu vide apud Salmeronem *proleg. 15. regula 4.* Solet autem præteritum perfectum non minùs pro imperfecto sumi, quàm pro plusquam perfecto; quia cùm Hebræi vtroque tempore careant, pro vtroque adhibent perfectum tempus, vt ibidem Salmeron. Non dubito in Hebræo fuisse tempus præteritum, quod noster interpres per plusquam perfectum conuertere potuit. Sicut etiam in Græco præteritum habemus perfectum, aoristum certè, quem pro perfecto vsurpant Græci, *ἐν τῷ λαβεῖν*. Quare si ita vertas, *Cùm accepisset vasa templi*, sensus est facilis. Quòd si diuinandum est, vt videtur profectò faciendum necessariò, sic videtur fieri posse non ineptè, si statuamus duo tempora, in quibus à captiuis aliquid datum est Ioacim sacerdoti pro sacrificiorum ministerio, ac sumptibus. Alterum est, quando vasa retulit argentea, quæ fabricauit Sedecias, siue illa referret ex Babylone vbi priùs cum reliquis captiuis aliquandiu vixerat; quod est magis ad literam: siue certè cùm esset in Iudæa, à captiuis accepit missa per legatos, vt deinceps cum dignitate sacrum obiret ministerium. Vtcumque tamen accipias, neque enim quid dici possit, aliquid est certum, neque magni refert, an illo modo capias: dicendum est pecuniam illam esse missam aliquot diebus, aut etiam mensibus, postquam accepit argentea vasa pro altaris ministerio. Nam pecuniam accepit, vt diximus, mense quarto, quando capta est ciuitas; aut certè quinto, quando euersa est, & templum exustum: quorum alterum mense Iunio, alterum Iulio mense contigit. At vasa antea acceperat mense Liban, id est, mense Maio; est enim Liban mensis tertius, qui eiusdem anni quinti est; cùm alius annus non præcesserit, ad quē referri possit.

REGVLA. Præteritum perfectum, aut imperfectum pro plusquam perfecto.

18. *Vasa argentea, quæ fecit Sedecias filius Iosiæ, rex Iuda, postquam cepisset Nabuchodonosor rex Babylonis Iechoniam, &c.*] Non habemus ex alio Scripturæ loco conflata fuisse à Sedecia argētea vasa ad vsum sacri ministerij: sed dubitare nefas, cùm hîc sint expressa verba. Cùm eo tempore, quo captus est Iechonias, omnia vasa, quæ à Salomone pro templi ministerio conflata essent, Nabuchodonosor transtulisset Babylonem, non dubium est, quin Sedecias eorum loco excudi fecerit argentea, vt cum dignitate res ageretur sacra. Illa ergo argentea vasa, quæ fecit Sedecias, postquam, Iechonia capto, ipse in illius loco suffectus est, abstulit quoque Nabuchodonosor, postquam, Sedecia victo, rem quoque Iudaicam profligauit, & perdidit. Quæ postea pecunia redemerunt captiui, & per manus Ioacim sacro deinde ministerio reddiderunt. Dicuntur porrò vasa non restituta post captum Iechoniā; sed illo capto, à Sedecia facta.

19. Vers. 10. *Et dixerunt: Ecce misimus ad vos pecunias, de quibus emite holocaustomata, & thus, & facite mānā.*] Explicant captiui in quem vsum mittant corrogatum argentum, nempe vt Deum sibi sacrificiis & aliis oblationibus placent, & salutem regi, regiísque liberis obtineant. Illud *manna*, quod etiam Septuaginta Græcè habent, idem est, quod Hebr. מנחה *minchah.* quod Septuaginta, quorum sine dubio Græca translatio ex Hebræo, cùm variè conuertant, vt *θυσίαν, δῶρον*, aliquando tamen, vt alias sæpe voces, ita relinquūt, sicut in Hebręis codicibus inuenerunt. Quare vt vocem hanc 4. *Reg. 8. v. 8. & Ierem. 17. 26.* pro מנחה reddiderunt manna, sic etiam hoc loco. Quod mihi argumento est, translationem hanc Græcam esse Septuaginta. Est autem מנחה oblatio, seu donum. Quæ vox latè patet, sed videtur hoc loco ab holocaustis, & sacrificio pro peccato distingui, quia quasi diuersum ab vtroque ponitur.

20. *Et offerte pro peccato ad aram Domini.*] De sacrificio pro peccato loquitur, de quo *Leuit. cap. 4.* Ad aram Domini ideo credo dici, non in templo, quia templum non erat; sed tantùm in antiqui templi sede ara quædam, vt illius temporis conditio ferebat, impolita, & rudis.

21. Vers. 11. *Et orate pro vita Nabuchodonosor regis Babylonis.*] Ea erat apud alienos etiam opinio de Iudæorum religione, ac templi sanctitate, vt illorum se precibus, & sacrificiis commendarent. Sic Darius *lib. 1. Esdræ cap. 6. v. 10.* necessaria pro re sacrificali decernit. *Et offerent*, inquit, *oblationes Deo cæli, orénque pro vita regis, & filiorum eius.* Et hoc ipsum commendat Ieremias cap. 29. v. 7. *Quærite*, inquit, *pacem ciuitatis, ad quam transmigrare vos feci, & orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius erit pax vobis.* Quod etiam Paulus commendat *1. ad Timoth. cap. 2. v. 11.*

Oratio pro infidelium etiam principum salute.

22. *Et pro vita Balthasar filij eius.*] Hîc dubitant interpretes, cur Balthasaris potiùs meminerint captiui Babylonij, quàm Euilmerodach, cùm hic fuerit Nabuchodonosor filius, ille nepos; imò cùm fortè illo tempore nondum esset natus Balthasar. Quidam binomium fuisse putant, atque ideo modò Euilmerodach, modò Balthasarem vocari. Alij duos esse Nabuchodonosoris filios, Balthasarem primogenitum, qui futurus erat in imperio successor, qui in viuis erat, quo tempore hæc epistola scripta fuit; & Euilmerodach: ille immatura morte præreptus ad regnum non peruenit; hic superstes obtinuit. Orant igitur captiui pro Balthasaris vita, quem futurum regem post patris funus arbitrabantur. Res est incerta, quam coniectare potius possis, quàm definire. Mihi alia succurrebat coniectura, & nisi ab Hebræis tantum esset fundamentum, non infirma. Tradunt enim Hebræi Euilmerodach, aut quia rebus studeret nouis, aut quia contra parentis vitam aliquod consilium imisset, aut alias ob causas, quas adducit Lyra *in caput vltimum Ieremiæ*, & Abulensis *in lib. 4. Reg. cap. 25. q. 37.* coniectum esse à parente in vincula, vbi aliquot annos cum Iechonia vixit. Si hoc verum esset, existimare aliquis posset ideo captiuos in sua epistola omisisse nomen Euilmerodach, ne malè affectum parentis animum offenderent; & tantùm posuisse Balthasarem huius filium, & nepotem Nabuchodonosoris; quem, omisso patre, auus ad regnum aduocabat.

Euilmerodach cur omissus in Iudæorum orationibus.

23. *Vt sint dies eorum sicut dies cæli super terram.*] Prouerbia

uerbialis forma, qua tempus significamus longum. Sicut enim cælum nunquam interiturum existimatur; sic cùm alicui cælorum precamur vitam, dies illi postulamus æternos. Sic Psal.88. *Et ponam in sæculum sæculi semen eius, & thronum eius sicut dies cæli.* Hugo aliquid etiam aliud hîc considerat. Vt enim cælum nunquam existimatur esse soluendum, idémque candidum est, & syderum splẽdore distinctum: sic etiam orant, vt dies regi æterni, iidémque candidissimi contingant.

24. Vers.12. *Vt det Dominus virtutem nobis, & illuminet oculos nostros.*] Duo homini necessaria sunt, vt suis rebus prudenter, & opportunè consulat; primum, vt norit quid facto opus sit, deinde vt idipsum velit, & possit. Illud prius commendatur, cùm dicitur, *vt illuminet oculos nostros*; posterius verò, cùm virtus à Domino postulatur.

25. *Vt viuamus sub vmbra Nabuchodonosor regis Babylonis.*] Durus erat Nabuchodonosor in Hebræorum populum, vt dixit Azarias in ea oratione quam habuit Dan. cap. 3. v. 32. *Tradidisti nos regi iniusto & pessimo vltra omnem terram.* Quare aut metu regis, vitam illi, & fortunam bonam optant, vt vel hoc modo sibi demereantur, & placent regis iniqui truculentum animum, vt vitam sub illius imperio ducant, si non omninò vitalem, minus tamen duram, quàm antea subierant. Illud enim fortasse significat, *vt viuamus*. viuere enim non dicitur, qui vitam agit ærumnosam, & ægram; sed cui benigna est, & placata viuendi ratio. Acutè namque dixit, & verè; qui dixit, *Non est viuere, sed valere vita.* Et cùm Dauid dixit Psal. 37. 20. *Inimici autem mei viuunt.* nihil significat aliud, vt ex adiunctis liquet, quàm illis esse benè, & rebus omnibus ad vsum, & delicias affluere. Huc igitur videtur spectare captiuorum oratio, vt mitiorem habeant Nabuchodonosor, & vt alios multos, sic etiam ipsos sub alarum suarum vmbram admittat. Quod probat id, quod v.10. *Et inueniamus gratiam in conspectu ipsorum.* Aut certè non audent animi sui dolorem aut loquendo, aut scribendo prodere; quod proprium est illorum, qui seuero aliorum dominatu premuntur. Quod multis exemplis probauimus *ad cap. 24. Ezechielis.* Vbi Propheta iubetur in vxoris funere festiuos agere dies, prohibuítque lugere, aut aliquod edere mœroris signum, vt eo portento significet Iudæis neque in summmo dolore esse lugendum. vide quid nos ibi, quæ huc faciunt omnia.

Ille viuere dicitur, qui vitam agit lætam.

26. Vers. 14. *Et legite librũ istum, quem misimus ad vos, recitari in templo Domini, in die solemni, & in die opportuno.*] Notum est consuesse Iudæos in religioso aliquo, atque frequenti loco, certis quibusdam diebus in Synagogis, atque conuentibus ex Scriptura sacra aliquid expromere. Quod nos pluribus ostendimus super Acta Apostolorum cap.13. v. 14. *Ingressi, Synagogam die Sabbatorum sederunt. Post lectionem autem legis, & Prophetarum,* &c. Et v.27. *Et voces Prophetarum, quæ per omne Sabbatum leguntur.* Quæ tu vide. Sanè hoc sæpè fecit Esdras, vt habes *lib.2. cap.8. v.2.* & iterum *v. 18.*

Iudæis in Synagogis familiaris ex scriptura sacra lectio.

27. Illud alienũ videri difficile posset, & his, quæ à nobis suprà dicta sunt, omninò contraria. Nam in templo dicuntur conuentus futuri, in quibus liber iste producatur ad populum: at nos hoc tempore fuisse templum non putabamus. Quod etiam repetitur cap.2. v.16. *Respice Domine de domo sancta tua in nos,* id est, de templo. Huic nos obiectioni occurremus facilè ex vsu communi hominum, qui sublatis rebus, aut nominum rationibus, nomen tamen seruant quod non antea dudum habuerunt. Sic cæcos, surdos, & claudos appellat Euangelium, qui ab his morbis fuerant à Christo sanati. *Cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt.* Et quæ paulo antè violata est, virgo vocatur. Sic Virgilius de Pasiphae iam non virgine, Ecloga 6.

REGVLA. *Res ea seruant nomina quæ paulo ante habuerunt.*

Ah virgo infelix, quæ te dementia cepit.

Et *Instit. lib. 2. tit.1. §. Quod si naturali, de rerum diuisione,* alueus vocatur locus ille, per quem aliquando fluuius defluxit, licèt iam dudum fluere desierit. Hoc verò sæpiùs accidit in ciuitatum ruinis, quæ nomen retinent ciuitatum, quæ eo in loco constructæ fuerant. Sanè hoc apud Hispanos frequens, qui in desertis locis nomen audiunt, quod habuerunt priùs, quando ab hominum cœtibus habitabantur; & euersa templa nomen seruant antiquum, vocantúrque, v. g. sanctus Petrus, sanctus Paulus. Sanè Iericho euersa fuit omninò à Iosue, & tamen antequam esset restituta, millies locus ille vocatur Iericho, vt Iosue *cap.13. v.32. & cap.16. v.1. & 7.*

Neque mihi dubium est solere Iudæos, qui 28.
in Iudæa, locísque vicinis consederunt, frequenter, diebus præsertim solemnioribus, in quibus adire priùs Hierosolymam lege tenebantur, ad vrbem, templíque ruinas conuenire, vt illa antiquæ maiestatis vmbra animi sui angorem solarentur. Sanè hoc fecisse, postquam à Romanis euersa fuit Hierosolyma, vt patriæ quodammodo parentarent, docet oculatus testis Hieronymus *in cap.1.* Sophoniæ, ad illud, *Vox diei Domini amara. Videas* (inquit) *in die, quo capta est à Romanis, & diruta Ierusalem, venire populum lugubrem, confluere mulierculas decrepitas, & senes pannis, annísque obsitos, in corporibus, & in habitu suo iram Domini demonstrantes, plangere ruinas templi sui populum miserum, & tamen non esse miserabilem. Adhuc fletus in genis, & liuida brachia, & sparsi crines, & miles mercedem postulat, vt flere plus liceat.* Tunc autem dici populus potest in templum venisse, & illud esse tempus opportunum, in quo legi posset liber ille è Babylone missus; & ideo cùm templi Propheta meminit, & diei solemnis tempus significauit, & locum opportunum.

Iudæorũ ad templi ruinas deplorandas ex vicinis regionibus cõuentus.

Hæc vsque Baruch historicè; deinde sequitur id quod ipse à Ieremia exceptum in scripta retulit.

Vers.15. *Et dicetis Domino Deo nostro iustitia, nobis autem confusio faciei nostræ sicut est dies hæc.*] Hinc ver- 29.
ba incipiunt Ieremiæ, quibus captiuos ad orandum informat, quò Deum indignatum iustè ad misericordiam inflectant. Hanc porrò familiarem esse, & quasi solemnem orandi formam, docent orationes aliæ, quæ sub hæc ipsa tempora à variis instructæ sunt. Sic Azarias *Dan. 3.* sic Daniel ipse *cap.9.* qui eadem fermè repetunt, quæ nunc per suum amanuensem præfinit Ieremias. Quare cùm hæc oratio eiusmodi sit, vt interpretis non desideret operam, & magna ex parte in nostris Commentariis in Danielem *cap.3. & 9.* sit explicata, in illa exponenda paulum expendemus temporis, & tantùm notabimus id, in quo hærere possit mediocris attentio. Hæc eadem verba adhibita sunt à Daniele *cap.9. v. 7.* & iterum à Baruch, *cap.2. v. 6.* Quæ verba iustum Deum esse prædicant, qui peccatorem populum sic puniat seuerè; & dignum populum, qui tam diram à Domino plagam accipiat. Quæ nos latè ad locum citatum ex Daniele.

Vers. 17. *Et non credidimus diffidentes in eum.*] 30.

Rationem reddit, cur à Deo iustè puniri, & ignominiam illam subire debuerint; quia neque crediderunt Deo, qui per Prophetas suos assiduè loquebatur; neque se illius tutelæ ac fidei tradiderunt, quia illum infidelem, aut infirmum putabant. Vnde Prophetarum minas conuertebant in cantica, quasi nugatorium aliquid foret, & à suis potius manibus, & hominum auxiliaribus copiis, quàm à Domino patrono, ac vindice auxilium postulabant.

Vers. 18. *Et non fuimus subiectibiles illi.*] In quo
31. se Deo tanquam legislatori, ac domino non subiecerint, statim declarat, quia impositum suis ceruicibus iugum excusserunt; neque quicquam habuerunt pensi, quid populo Deus per Moysem indixerit.

32. Vers. 19. *Eramus incredibiles ad Dominum Deum nostrum.*] Græcè ἀπειθοῦντες, id est, *increduli, rebelles, impatientes iugi*; quæ vox aliis multis in locis reperitur in eadem actiua significatione. Eccli. 1. v. 34. *Ne sis incredibilis timori Domini.* & cap. 2. v. 18. *Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius.* & cap. 16. v. 7. & 29. cap. 41. v. 4. Sap. 10. v. 7. de vxore Loth, *Et incredibilis animæ memoria stans figmentum salis.* Neque inusitatum est apud authores maximè Latinos, vt nomina in *bilis* actiuè sumantur, quomodo *penetrabile* pro penetrante, aut penetratiuo ponitur. Virg. lib. 10. Æneid.

REGVLA. *Nomina in bilis aliquando actiuè significant.*

Aspice, num magè sit nostrum penetrabile telum.

Et Martial. lib. 4.

Ne madidos intret penetrabile frigus in artus.

Quare non malè interpres noster transtulit illud ad Hebr. 4. v. 12. τομώτερος, *penetrabilior. Viuus est*, inquit, *sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio.* Idem etiam apud Latinos non semel valet *impetrabile.* Plautus *in Mostellaria* oratorem vocat impetrabilem, & Propertius *lib. 4. eleg. 1.* votum impetrabile, id est, quod impetrare potest & lamentabile carmen, & vocem, & exequias, quæ deplorant aliquem infelicem casum.

Vers. 20. *Et adhæserunt nobis multa mala, & maledictiones, quæ constituit Dominus Moysi seruo suo.* 33.
Illud *adhærere* assiduitatem indicat. Tunc aliquid adhærere dicitur, cùm nunquam separatur ab aliquo, vt febris hectica, quæ internis inclusa visceribus, ac medullis affectum corpus vbique comitatur. Sic etiam hostis, qui semper imminet, ac vexat, neque locum vnquam quietis, ac leuamenti concedit. Sic Ierem. cap. 42. v. 16. *Fames, pro qua estis solliciti, adhærebit vobis.* Porrò maledictiones illæ quæ Iudæos iampridem insectantur, illæ sunt, *Leuit. cap. 26. & Deut. cap. 28.* quæ transgressoribus legum denunciantur. Cùm verò se iustè malis illis vrgeri prædicant, à seipsis violatam esse legem confitentur.

Adhærero *assiduitatem sonat.*

Vers. 22. *Abiuimus vnusquisque in sensum cordis nostri.*] Id est, datam à Deo legem contempsimus, 34.
& illam accepimus, quam sua cuique libido præscripsit. Quæ lex sensuum dicitur, aut concupiscentia, quæ non tam regit & moderatur affectus petulantis animi, quàm illis indulget, & in omnem intemperantiam abducit. Hoc est, quod Ieremias dicit cap. 9. v. 14. *Abierunt post prauitatem cordis sui.* & Psal. 80. 13. *Ibunt in adinuentionibus suis.*

Operari diis alienis.] *Operor*, sicut & *facio*, Verbum est sacrificale. Vnde sæpe audimus operari sacris, Veneri, Cereri. Sic Virgil. lib. 1. Georg. 35.

Operor verbum *sacrificale.*

In primis venerare Deos, atque annua Magnæ
Sacra refer Cereri, lætis operatus in herbis.

Horatius lib. 3. Carm. ode 14.

Vnico gaudens mulier marito
Prodeat iustis operata diuis.

Et Tibullus lib. 2. eleg. 5.

Tunc operata Deo pubes discumbet in herba.

Quare operari diis alienis nihil est aliud quàm sacrificare; quod sæpè fecerunt Hebræi, eóque nomine à Prophetis grauiter reprehensi.

IN CAPVT SECVNDVM

ARGVMENTVM.

INCHOATAM antè precationem persequitur. Et primùm iustum fatetur esse Deum, qui peccanti populo supplicium imponit non indebitum. Et quo illum ad misericordiam inflectat, statum proponit ærumnosum, & durum, in quem adduxit & Dei offensio, & Chaldæorum insolens, & barbara potentia. Quod totum fatetur non tam ab irato Deo, quàm à misericorde, & leni fuisse profectum, qui eo consilio peruicacem populum vexatione domuit, vt ad officium, & sanitatem adduceret. Post quod libertatem, & meliora tempora promittit, & postea Euangelij sempiternum fœdus, quod infinita alia beneficia consequentur.

CAPVT II.

1. *PRopter quod statuit Dominus Deus noster verbum suum quod locutus est ad nos, & ad iudices nostros, qui iudicauerunt Israel, & ad reges nostros, & ad principes nostros, & ad omnem Israel, & Iuda.*

PARAPHRASIS.

1. PRopter hoc (dicunt orantes captiui) excitauit Dominus verbum suũ, & antiquas minas, quarum oblitus videbatur, quas antè Prophetarum ore detonuerat contra nos, & contra iudices, qui iampridem rem Israelis publicam moderati sunt; & ad reges, qui deinde tenuerunt Israelitici populi gubernacula, reliquósque principes, quorum consilio in publica rerum administratione reges vtebantur. Ad

 omnes

Digitized by Google

2. Vt adduceret Dominus super nos mala magna, quæ non sunt facta sub cælo, quemadmodum facta sunt in Ierusalem; secundùm quæ scripta sunt in lege Moysi.

3. Vt manducaret homo carnes filij sui, & carnes filiæ suæ.

4. Et dedit eos sub manu regum omnium, qui sunt in circuitu nostro, in improperium, & in desolationem in omnibus populis, in quibus nos dispersit Dominus.

5. Et facti sumus subtùs, & non supra: quia peccauimus Domino Deo nostro non obaudiendo voci ipsius.

6. Domino Deo nostro iustitia: nobis autem, & patribus nostris confusio faciei, sicut est dies hæc.

7. Quia locutus est Dominus super nos omnia mala hæc, quæ venerunt super nos.

8. Et non sumus deprecati faciem Domini Dei nostri, vt reuerteremur vnusquisque nostrûm à viis nostris pessimis.

9. Et vigilauit Dominus in malis, & adduxit ea super nos, quia iustus est Dominus in omnibus operibus suis, quæ mandauit nobis.

10. Et non audiuimus vocem ipsius, vt iremus in præceptis Domini, quæ dedit ante faciem nostram.

11. Et nunc Domine Deus Israel, qui eduxisti populum tuum de Terra Aegypti in manu valida, & in signis, & in prodigiis, & in virtute tua magna, & in brachio excelso, & fecisti tibi nomen sicut est dies iste.

A omnes denique, qui Israeliticos, & qui præcipuè Iudæorum fines occuparunt.

2. Ita vt talia nobis induxerit mala, qualia nulla regio, cuicumque subsit cælorum plagæ, vnquam experta est: illa nempe mala, quæ iam antè dudum per Moysem cõminatus est Dominus populo suo, si quãdo diuinarum legum obseruantiam abiiceret.

3. Eò enim nos scelerum grauitas, & dira necessitas adduxit, vt parentes ad filiorum suorum, & filiarum carnes comedendas adegerit.

4. Ad hæc nos Deus regum omnium,
B qui nos vndecumque circumstant, potestati subiecit, qui nostra diriperent, atque subuerterent, nósque superbè, atque contumeliosè vexarent. Quam ignominiam, atque ludibrium in omnibus populis, ad quos nostra nos peccata dispersere, patimur.

5. Et cùm omnes in nostrum caput potestatẽ habeant, nullus est, qui potestati nostræ subditus sit. Neque iniustis vrgemur, aut indignis oneribus; quia dum peccando sensibus nostris intẽperanter obsequimur, diuina mandata inuerecundè respuimus.

C 6. Sit ergo Domino iustitia, qui nihil nostris meritis imponit indebitum; nobis autem, patribúsque nostris pudor, & ignominia, sicut hoc temporis articulo sustinemus.

7. Hæc omnia mala Deus, quò nobis ab illis caueremus, multo antè prædixerat.

8. Neque tamen agnouimus hanc Dei clementiam singularem, neque nostrorum nos peccatorum pœnituit, neque de illorum venia, aut meliore mente, ac vitæ mutatione cogitauimus.

D 9. Sed vigilauit Deus, qui nobis dormire videbatur; notauit scelerum nostrorum numerum, & momenta; & duro, neque nostris meritis indebito supplicio, nostra in nostrum caput scelera conuertit. Est autem Deus iustus in omnibus, quæ vel dedit olim mandata, vel nunc imponit nobis pro illorum violatione supplicia.

10. Neque enim nos illius vocem obsequentes excepimus, neque quicquam habuimus pensi obseruare religiosè, ac piè,
E quæ quia coram nobis proposita fuerunt, ignorari non poterant.

11. Et nunc, ô Deus Israël, cuius beneficio liberi, & læti de Ægyptiorum ergastulis emersimus; vbi tuam potentiam in nostra libertate signis, atque portentis ostendisti, cuius hoc etiam tempore memoria viget. Qui manu potenti, extento brachio, & eximia virtute, strata Ægyptiorum potentia nobis ad libertatem, & lucem aditum aperuisti.

Digitized by Google

12. Peccauimus, impiè egimus, iniquè gessimus, Domine Deus noster, in omnibus iustitiis tuis.

A 12. Cùm nos tot tunc beneficiis cumulasses, peccauimus tamen contra te; peccauimus, inquam, contra te, quod iterum & sæpius dolentes confitemur; peccauimus contra legem tuam, quam iustissimam esse non negamus.

13. Auertatur ira tua à nobis, quia derelicti sumus pauci inter gentes, vbi dispersisti nos.

13. Auerte, obsecro, ô Domine, & ardentem animum, & iratos oculos à nobis. Vide ad quàm exiguum numerum tanta sit redacta Iudaicæ stirpis multitudo, quam tam latè, ac vagè ad varios populos dispersisti.

14. Exaudi Domine preces nostras, & orationes nostras, & educ nos propter te: & da nobis inuenire gratiam ante faciem eorum, qui nos abduxerunt.

B 14. Aures igitur ad nostras preces, & orationem aduerte, & propter temetipsum (neque enim à nobis aliquid habemus, quod tuam possit benignitatem allicere) ab hac nos exime seruili conditione. Et fac interim, vt gratos habeamus, atque beneuolos illos, qui nos è patrio solo captiuos abduxerunt.

15. Vt sciat omnis terra quia tu es Dominus Deus noster, & quia nomen tuum innocatum est super Israel, & super genus ipsius.

15. Vt externi populi, qui nomen tuum contumeliosè subsannant, reipsa cognoscant te nobis esse Deum, & nomen tuum ab Israële, & Israëlitide gente fuisse religiosè susceptum, & in dubiis, angustísque re- C bus imploratum.

16. Respice Domine de domo sancta tua in nos, & inclina aurem tuam, & exaudi nos.

16. De domo igitur sancta tua, quæ Chaldæorum conflagrauit incendio, oculos ad nos mites, placidósque conuerte, & preces nostras benignus exaudi.

17. Aperi oculos tuos, & vide: quia non mortui, qui sunt in inferno, quorum spiritus acceptus est à visceribus suis, dabunt honorem & iustificationem Domino.

17. Vide, Domine, à mortuis, quos sensus, spiritúsque deseruit, quique iam latent in inferno, tumulóque conclusi sunt, non posse tibi honorem illum exhiberi, quem in templo tibi viri sancti, & sacerdotes impendunt, neque tuas in illo iustitias cele- D brari.

18. Sed anima, quæ tristis est super magnitudine mali, & incedit curua, & infirma, & oculi deficientes, & anima esuriens dat tibi gloriam & iustitiam Domino.

18. Illi tibi exhibent confessionem, & laudem, qui, cùm duris vexantur incommodis, culpæ suæ conscij ægro sunt animo, incedunt incurui, neque oculi tam scintillant ab ira, quàm lacrymis fluunt; & à cibis abstinent. Et dum seipsos vltrò macerant, & pia quadam crudelitate castigant, cum Deo faciunt, & illum iustum scelerum vindicem confitentur, & laudant.

19. Quia non secundùm iustitias patrum nostrorum nos fundimus preces, & petimus misericordiam ante conspectum tuum, Domine Deus noster.

19. Illud prætereа laudi tibi est, quòd E non nostris, parentúmque nostrorum meritis nostræ nituntur preces, vt, quam orant misericordiam, exorent; sed clementia tua singulari.

20. Sed quia misisti iram tuam, & furorem tuum super nos, sicut locutus es in manu puerorum tuorum prophetarum, dicens:

20. Illa porrò clementia ex eo maximè se prodit, quòd toties monuisti populum per Prophetas, sibi vt caueret ab illo supplicio, quod post longam patientiam tandem intulisti.

21. Sic dicit Dominus: Inclinate humerum vestrum, & ceruicem vestram, & opera facite regi

21. Sic autem te inspirante, atque iubente, loquebantur ad populum Prophetæ. Subiicite nunc ceruicem ad iugum, & humeros

Digitized by Google

regi Babylonis, & sedebitis in terra, quam dedi patribus vestris.

22. *Quòd si non audieritis vocem Domini Dei vestri operari regi Babyloniæ: defectionem vestram faciam de ciuitatibus Iuda, & à foris Ierusalem.*

23. *Et auferam à vobis vocem iucunditatis, & vocem gaudij, & vocem sponsi, & vocem sponsæ, & erit omnis terra sine vestigio ab inhabitantibus eam.*

24. *Et non audierunt vocem tuam vt operarentur regi Babylonis: & statuisti verba tua, quæ locutus es in manibus puerorum tuorũ Prophetarum, vt transferrentur ossa regum nostrorum, & ossa patrum nostrorum de loco suo:*

25. *Et ecce proiecta sunt in calore solis, & in gelu noctis: & mortui sunt in doloribus pessimis in fame & in gladio, & in emissione.*

26. *Et posuisti templum, in quo inuocatum est nomen tuum in ipso, sicut hæc dies, propter iniquitatem domus Israel, & domus Iuda.*

27. *Et fecisti in nobis Domine Deus noster secundùm omnem bonitatem tuam, & secundùm omnem miserationẽ tuam illam magnam.*

28. *Sicut locutus es in manu pueri tui Moysi in die, qua præcepisti eis scribere legem tuam coram filiis Israel.*

29. *Dicens: Si non audieritis vocem meam, multitudo hæc magna conuertetur in minimam inter Gentes, quò ego eos dispergam.*

30. *Quia scio quòd me non audiet populus, populus est enim dura ceruice: & conuertetur ad cor suum in terra captiuitatis suæ.*

A humeros ad onus, quod in præsentia vobis imposuerit Babylonius; & quicquid vobis negotij, atque operis dederit, diligenter explete. Ex quo id vestris accidet votis, vt regionem, quam à Deo parentes accepere, æterna possessione teneatis.

22. Quòd si audientes esse nolueritis diuinæ vocis, quæ iubet, vt Babylonium subeatis iugum, fidelémque naueetis operam Chaldæorum regi, de patriis sedibus, déque ipsa Hierosolyma procul amãdabo.

23. Neque spectabitis ampliùs quæ vobis in patria cordi esse, ac voluptati solita:
B neque vocem audietis, quæ iucundum aliquid, atque festiuum sonet; quale est in epithalamiis, sacrísque nuptialibus coniugum geniale canticum. Neque terra ab habitatoribus iam deserta calcabitur ampliùs ab humano vestigio.

24. Illi verò cùm Babylonicum detrectarent imperium, neque quid à te mandatum esset, quicquam haberent pensi, seueras illas minas excitasti, quas illis antè Prophetarum ore denunciaras, quæ ad vnam omnes designatum habuerunt effe-
C ctum: ita vt quod videbatur horribilius, ossa regum parentúmque nostrorum ex suis tumulis fuerint effossa.

25. Et ecce cùm tot iam dies ab illa cadauerum effossione transierint, adhuc tamen inhumata manent, calori Solis, & nocturno frigori proposita. Hæc passi sunt iam functi vita reges, & patres nostri, sed illud etiam acerbum, & triste, quòd cùm dolore, atque ignominia graui ærumnosam vitam amiserunt, alij gladio, alij fame consumpti, alij è natali solo ad peregrinas,
D & barbaras regiones extorres.

26. Templum etiam tuum, in quo tuum sæpe nomen inuocatum est, quia id exigebant populi peccata, æquatum est solo, & violatum incendio; quale nunc videre cuilibet promptum est.

27. Hæc porrò, quæ ab offensione nata videri poterant, à singulari tua benignitate, atque misericordia profecta sunt.

28. Neque aliter nobiscum actum est, quàm eo tempore, quo data lex fuit filiis Israel per Moysem seruum tuum, facturum
E te significasti.

29. Dixisti enim multitudinem illam, si minùs esset datis sibi præceptis obsecuta, ad paucos esse redigendam inter alienos populos, ad quos erat latè disseminanda.

30. Scio enim rebellem fore populum hunc præceptis meis, cuius ingenium peruicax est, & ceruix ferrea. Qui stimulis duræ vexationis in exilio compunctus, quod in prosperitate non fecerat, redibit ad se, & meliora quàm antea cogitabit.

31. *Et scient quia ego sum Dominus Deus eorum, & dabo eis cor, & intelligent; aures, & audient.*

A 31. Tum verò me Deum suum, & Dominum agnoscent; dabo enim cor intelligens, & docile; & aures, quæ non solùm excipiant, sed etiam ament, & exequantur audita.

32. *Et laudabunt me in terra captiuitatis suæ, & memores erunt nominis mei.*

32. Tunc autem laudabunt me captiui, quod non fecerunt liberi in terra sua, recordabuntúrque mei, cùm illos vndecumque circumfundant angustiæ.

33. *Et auertent se à dorso suo duro, & à malignitatibus suis: quia reminiscentur viam patrum suorum, qui peccauerunt in me.*

33. Neque ampliùs de se magnificè, ac superbè cogitabunt, neque erectum habebunt dorsum, aut duram ceruicem, sed
B demissi incedent, & incurui. Quæ priùs meditati malignè fuerant, abiicient, supplicésque tandem reuertentur ad me, memores parentes suos olim, qui peccauerant, ea ratione salutem, & veniam fuisse consecutos.

34. *Et reuocabo illos in terram, quam iuraui patribus eorum, Abraham, Isaac, & Iacob, & dominabuntur eis: & multiplicabo eos, & non minorabuntur.*

34. Cùm autem illi edocti ærumnosæ cõditionis aculeis, vitam, morésque mutauerint, restituam eos libertati, ac terræ, quam primis eorum parentibus interposito iureiurando promisi. Quam habitabunt, & possidebunt vt domini; neque minuetur
C illorum numerus, aut potestas, sed maius quotidie incrementum accipiet.

35. *Et statuam illis testamentum alterum sempiternum, vt sim illis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum: & non mouebo ampliùs populum meum, filios Israël, à terra, quam dedi illis.*

35. Ad hoc porrò beneficium accedet aliud post aliquot sæcula maius, & illustrius. Aliud enim fœdus sempiternum paciscar; vt ille sit mihi populus, & ego illi Deus: neque ampliùs verè Israelitas à regione, cuius illis possessionem tradidero, dispergam.

Vers.1. *Propter quod statuit Dominus Deus noster verbum suum.*]

1. ITERAT, quod proximè dixerat v. 20. Agnoscit Propheta, Ieremias videlicet, cuius hæc sunt verba; atque etiam Baruch, qui hæc eadem monumentis tradidit, veras fuisse minas, quas à Deo maiores acceperunt, si quando à diuina lege recederent. Quod idem confessus est Daniel *cap.* 9. *v.* 12. Repetit autem hìc plurima eorum, quæ Deus *Leuit.* 26. *& Deut. cap.* 28. minatus est; quæ sub id tempus captiuus, & profugus populus patiebatur. *Statuere* porrò idem est quod excitare id, quod antè iacuerat; & metaphoricè facere, vt id appareat, quod lateret, aut obliuione sepultum esse videbatur. Quomodo si leges, quæ vim existimabantur desuetudine amisisse, in sceleratos exacuant stimulos obtusos antea. Sic Deus statuisse dicitur verbum, cuius post tot sæcula oblita videbatur fera Iudæorum & scelerata posteritas. Dedit enim intellectum vexatio, fecítque vt intelligeret, quod foret à Deo decretum peccatori supplicium. Dicit autem illa in suum, suorúmque caput inducta mala, non solùm quæ per Moysem antea; sed etiam quæ proximè per Prophetas dicta sunt principibus, ac regibus Israel. Qualia multa habemus ab Isaia, à Ieremia plura, ab Ezechiele non pauca. Et sa-

Statuere quid.

D nè Prophetarum nemo fermè est, cuius non extet de hoc infelici Israelitarum tempore vaticinium.

Vers.2. *Vt adduceret Dominus super nos mala magna, quæ non sunt facta sub cælo.*] Græcè ὑπὸ κάτω παντὸς τοῦ οὐρανοῦ, id est, *sub omni cælo.* Quasi dicat nullibi gentium tale aliquid contigisse. Notum est cælum pro certa aliqua cæli regione sumi. Vnde frequens *mutare cælum*, id est, in aliam, atque aliam regionem migrare, quæ diuersæ subsunt cælorum parti; & *calū frigidum, calidū, turbidum* vocamus pro ea plaga, quæ frigida est, æstuosa, & tempestatibus obnoxia. In nulla igitur regione, cuicunque subsit cælorum parti, talia contigere, qualia
E Israelitidi Genti, cùm diuinarum legum obseruantiam abiecit. Hæc eadem Daniel cap. 9. v. 12. *Vt superinduceret in nos malum, quale nunquam fuit sub omni cælo.*

Vers.3. *Vt manducaret homo carnes filij sui, & carnes filiæ suæ.*] Hoc idem minatus fuerat Deut. 28. 52. *Comedes fructum vteri tui, & carnes filiorum tuorum, & filiarum tuarum.* Quod in obsidione Samariæ contigisse habes ex *lib.* 4. *Reg. cap.* 6. Et in Ierusalem docuit Ieremias *Thren.* 2. *v.* 20. *& cap.* 4. *v.* 10. & Ezechiel aliquid addidit amplius *cap.* 5. *v.* 9. vbi neque aliquid simile vnquam futurum esse dicit; & non solùm parentes filiorum, sed etiam filios

Parentes filiorum, & filij parentum carnibus pasti.

Digitized by Google

filios parentum carnibus esse pascendos. *Faciam,* inquit, *in te, quod non feci, & quibus similia vltrà non faciam propter omnes abominationes tuas; siquidem patres comedent filios in medio tui, & filij comedent patres suos.* Quomodo autem hæc sint intelligenda, diximus in nostris commentariis ad locum citatum Ezechielis.

4. Ver. 4. *Et dedit eos sub manu regum omnium, qui sunt in circuitu nostro, in improperium,* &c. Vbi vulgatus, *sub manu,* Græcè est [illegible], id est, *subiectos.* Illi autem populi, qui dicuntur esse in circuitu, sunt illi, à quibus bello aut ante hoc tempus aut sub hunc articulum subacti fuerunt Iudæi. Quales fuerunt Assyrij, & Ægyptij, & priùs sub Iosia, & iterum excisa Babylone, quando Iudæorum reliquiæ ad Ægyptios præsidij gratia se receperunt; quos, quandiu Chaldæorum armis expugnati non sunt, non tam, vt verisimile est, patronos habuere, quàm dominos: & Assyrij, ac tandem Chaldæi, sub quorum eo tempore imperio crudeli, ac barbaro viuebant. Denique ab vrbis excidio in nullam partem fuere delapsi, in qua aut liberi fuerint, aut nó alienæ Gentis subiecti ludibrio. Hæc eadem Daniel *cap. 9. v. 7.* Quod Dominus *Deut. 28. v. 37.* comminatus est, *Et eris perditus in prouerbium, ac fabulam omnibus populis.* Quæ populus postea millies audiuit à Prophetis. Sic sanè Ieremias cap. 24. v. 9. *Et dabo eos in vexationem, afflictionémque omnibus regnis terræ: in opprobrium, & in parabolam, & in prouerbium, & in maledictionem in vniuersis locis, ad quæ eieci eos.*

Iudæi vbique terrarum exules, & subdati.

5. Vers. 5. *Et facti sumus subtus, & non suprà.*] Familiaris, ac prouerbialis Hebræorum forma, qua seruilem exprimunt conditionem; qua vsus est Deus *Deut. 28. v. 13.* Quod aliis etiam modis explicari solet, vt esse in caput, & non in caudam; quæ duo coniungit caput Deut. de quo proximè, *Constituet te Dominus in caput, & non in caudam: & eris semper supra, & non subter.* Cæterùm affirmatio cum negatione contrarij non caret epitasi; plerumque enim certitudinem maiorem importat promissionis, aut minarum. Quomodo de Ioanne dicitur Ioan. cap. 1. *Confessus est, & non negauit.* Et Ezechiæ regi dictum est Isaiæ 38. *Quia morieris tu, & non viues.* Ezechiel. cap. 18. *Vita viuet, & non morietur.* Sic etiam nunc *subtus* addit, & *suprà* negat.

REGVLA. Affirmatio cum negatione contrarij cum epitasi.

Vers. 6. *Domino Deo nostro iustitia.*] Hæc à nobis capite præcedenti v. 15. explicata sunt. & *Dan. 9. v. 7.* vbi hæc eadem verba legimus.

6. Vers. 7. *Quia locutus est Dominus super nos omnia mala hæc, quæ venerunt super nos; & non sumus deprecati faciem Domini.*] Iustum confitetur Dominum, qui multo antè Patribus per Moysem, & longo pòst tempore aliis per Prophetas etiam atque etiam prædixit, sibi vt cauerent ab illis malis, quæ violatæ legis reis comminatus fuerat. Quod eo fecit consilio, vt homines conuersi intentos à diuino furore stimulos auerterent: neque illi hanc agnouere clementiam, sed in suis sceleribus obstinato consilio defixi, neque de meliori mente, neque de venia cogitarunt. *Faciem Domini deprecari,* idem est quod deprecari Dominum. Sicut *Psal. 44.* idem de vultu dicitur, *Vultum tuum deprecabuntur.* Facies enim, aut vultus alicuius, iuxta Hebræorum idioma, pro persona ponitur, cuius est facies.

7. Vers. 9. *Et vigilauit Dominus in malis.*] Hæc eadem verba ad versum vsque 13. dixit Daniel *cap. 9. v. 14.* sumpsit, credo, ex hoc loco, vbi præscripta est à Ieremia orandi forma. Illud porrò *vigilauit,* ad illud Ieremiæ cap. 1. spectat v. 12. *Virgam*

A *vigilantem ego video.* Et statim, *Benè vidisti, quia vigilabo ego.* Est autem illa visio apta prouerbiali formæ, cùm significatur iamiam à Deo impendens supplicium. Huc respexisse videtur Ieremias cap. 13. v. 28. *Vigilaui super eos, vt euellerem.* & cap. 44. v. 27. *Ecce ego vigilabo super eos in malum.* Et huc fortasse spectat illud Petri epist. 2. cap. 2. *Perditio eorum non dormitat.* Ait ergo Propheta Deum, etiamsi alicui dormire, aut nihil curare videretur, dum brachium cohibet à plaga, vigilasse tamen, & debitum Iudæorum meritis supplicium inflixisse.

Vers. 11. *Sicut est dies iste.*] Hæc à nobis exposita sunt capite præcedenti, v. 15. Illud verò, 8.
B quod mox subditur, *Peccauimus, impiè egimus, iniquè gessimus,* vsitata videtur, & familiaris confitendi forma, quæ animum indicat, qui peccatum agnoscit suum, quíque peccati vehementer & pudet, & pœnitet. Sic Daniel cap. 9. v. 5. *Peccauimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus.* & *Psal. 105. v. 6. Iudith 7. v. 19.* Tam verò hîc, quàm aliis in locis tria verba idem significantia coniunguntur, licet non semper eadem; ternarius quippe numerus vim habet ad significandum maximam.

Vers. 16. *Respice Domine de domo sancta tua in nos.*] 9.
Diximus capite præcedenti v. 10. quomodo euerso templo, locus tamen illius religiosus putaretur, & sanctus; atque ideo in illo offerrentur victimæ.
C Quod agnoscebat Daniel, qui cùm esset Babylone, conuersus tamen ad Ierusalem flexis genibus ter orabat in die, quasi inde salutem speraret captiuo populo. Hoc idem docet Propheta faciendum à captiuis, quasi inde magis quàm ab alio loco paratum esset à Domino subsidium. Qui locus pro templorum religione aliquid habet momenti.

Vers. 17. *Quia non mortui, qui sunt in inferno, quorum spiritus acceptus est à visceribus suis, dabunt honorem, & iustificationem Domino.*] De hac laude, ac 10.
confessione, quam mortuis adimit Propheta, varij varie sentiunt. Ego id magis in præsentia probo, quod in casu non dissimili in Ezechiæ oratione apud Isaiam *cap. 38.* iudicabam: nempe hanc
D confessionem, & laudem esse illam, quam religiosus populus exhibebat in templo. Quæ laus vocalis est, & humano formatur anhelitu; hæc verò à mortuis, in quibus neque spiritus est, neque formandæ vocis vlla facultas, exhiberi non potest. Hoc planè dicit Ezechias, cùm penè à morte esset excitatus. *Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te viuens, viuens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie. Domine saluum me fac, & psalmos nostros cantabimus in domo Domini.* Ac si dicat, impendam tibi illum honorem, quem præstare non potest, qui in viuis esse desiit. Hoc idem, opinor, dixit Dauid Psal. 113. *Non mortui laudabunt te Do-*
E *mine, neque omnes qui descendunt in infernum: sed nos, qui viuimus, benedicimus Domino.* Et Psal. 29. *Nunquid confitebitur tibi puluis, aut annunciabit veritatem tuam?* Est autem hæc pia, & religiosa postulatio, 11.
quæ vitam orat, aut certè, quæ vitæ instar obtinet, libertatem, vt diuinæ confessioni, ac laudi corporis vires, & vitam impendat. Id autem velle videntur exules à templo, & sacris longè remoti, dum orant, vt Dominus de templo respiciat; de domo videlicet exusta, in qua non audiuntur, vt antè, voces confessionis, & laudis, quas exhibere tantùm possunt homines viui, & qui non procul absunt à loco religioni, ac diuinis laudibus destinato. Quare id videntur orare exules Dominum, vt vitam conseruet, quam ægrè ad-

Vita cur optanda.

modum non tam ducunt, quàm tolerant; & patriam restituat, in qua tantum illud pietatis, & religionis opus præstari potest. *Quorum spiritus acceptus à visceribus.* Descriptio est mortui, cuius corpus spiritus animat, & informat. *Iustificationem dare* est Dominum iustum confiteri, etiam dum grauiter punit. Quomodo dicimus *sanctificare nomen Domini, sanctificare sabbatum,* cū externo aliquo signo sanctum esse significamus. Sic fecerunt illi qui verba illa vsurpant ex versu 6. *Domino Deo nostro iustitia; nobis autem, & patribus nostris confusio faciei.*

12\. Vers. 18. *Sed anima, quæ tristis est super magnitudinem mali.*] Qui à Deo punitus, supplicij pondus inuitus portat, contenditque, quantum potest, ex humeris excutere; ille ostendit, aut suis meritis indigna pati; aut Deum esse iniustum, & crudelem, qui tanto dolore, ac malo immerentes afficiat. Quomodo sæpè fecere olim, faciúntque Gentiles, qui vbi aliquid suis rebus, aut votis aduersum accidit, deos suos iniustos, aut crudeles appellant; imò & aliquando non conuitiis solùm, sed etiam verberibus afficiunt. Quod hodie faciunt Sinarum incolæ, cùm tamen neque irreligiosi habeantur, neque barbari. Sanè Virgilius secutus, opinor, hominum consuetudinem, voces has impias hominibus in dolore tribuit. Sic ecloga 5. Virg.

Doloris impatiens iniurius Deo.

Cum complexa sui corpus miserabile nati,
Atque Deos, atque astra vocat crudelia mater.

Et suo Æneæ, quem pium facit, hoc etiam genus impietatis dat *lib. 2. Æneid.* in vxoris iactura,

Quem non incusaui amens hominúmque, Deúmque.

13\. At qui dolore, atque incommodis affecti nihil meditantur, quod vindictam, aut impatientis animi motum oleat; sed tantùm culpæ conscij ægro sunt animo, ambulant incurui: neque oculi tam scintillant ab ira, quàm lacrymis fluunt, à cibis abstinent; & dum seipsos vltrò macerant, & pia quadam crudelitate sæuiunt, cum Deo faciunt, quasi à seipsis velint pœnas exigere, quas Deus exposcit. Hæc porrò omnia pœnitentem hominem optimè describunt, qui cùm se peccatorem, & Deum iustum scelerum vindicem confitetur, dat illi gloriam. Et ideo ad hæc attemperatè subiicitur, *Anima esuriens dat tibi gloriam, & iustitiam Domino.*

Glorificat Deum qui aduersa fert patienter.

Pœnitentis descriptio.

14\. Græcè, vt aliqui volunt, aut corruptus est textus, aut si syncerum esse dicamus, alius est sensus. Quid alij cogitent, non moror; ego textum incorruptum arbitror, neque aliam esse sententiam, quàm quæ modò producta est. Græcè sic habet, ἀλλ' ἡ ψυχὴ ἡ λυπουμένη ἐπὶ τὸ μέγεθος ὃ βαδίζει κυπτὸν καὶ ἀσθενοῦν. Illud ὃ cum ψυχὴ nullo modo conuenire potest, quia illud neutrius est generis, hoc fœminei. Ego hic suppleo, σῶμα, id est, *corpus*, quod generis est neutrius. In quo video quoddam dolentis, ac pœnitentis animi familiare signum. Quod adhibuit Dauid *Psal. 37. v. 7.* dum talem in seipso speciem describit, qualem nunc exules Babylonij. *Miser factus sum; & curuatus sum vsque in finem; tota die contristatus ingrediebar.* Idem putat Maldonatus, sed in magnitudine corpus intelligit, quod aggrauat animam. Sed mea mihi cogitatio solutior videtur; ita vt multitudo sit peccatorum, quæ facit, vt homo graui illo pondere pronus, atque incuruus incedat. Sic Dauid suprà v. 5. *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.*

Vers. 19. *Quia non secundùm iustitias patrum nostrorum nos fundimus preces.*] Idem fermè dixit postea Daniel, iuxta hanc sibi traditā orandi formulam, qui noluit sua merita proponere, vt à Deo misericordiam extorqueret; sed tantùm diuinam appellat misericordiam, iampridem à parentibus, & deinde suo tempore multis experimentis exploratam. Sua itaque, ac parentum merita, licèt magna, Deoque gratissima ab oratione remouet, vt spectans vnam Dei clementiam, plus habeat virium, & ponderis oratio. Clementiam autem Domini singularem ex eo cognoscit, & probat, quòd toties populum admonuerit, sibi vt caueret ab eo supplicio, quod nunquam intermissa peccandi consuetudo iamdudum aduocabat. Quod signum est beneuoli, atque clementis animi, qui non vult mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, & viuat; neque enim qui alium odio prosequitur hostili, & ad illius mortem auidus anhelat, admonere solet, vt intentum iaculum effugiat. Agnoscit præterea vera esse promissa Domini, & veras minas; quia illa, quæ minatus antè fuerat, in suum caput iam collata videt. Hanc igitur rationem esse dicit, cur ad illum nunc humilis, & supplex reuertatur; quia clementem nouit, si quis se ad illius voluntatem, & obseruantiam conuertat; & terribilem, si quis ipsius monita, atque imperata contemnat. Id enim sibi velle videtur illud, *Sed quia misisti iram tuam, & furorem tuum super nos, sicut locutus es in manu puerorum tuorum Prophetarum.* 15.

In oratione non nostra merita, sed Dei misericordia proponenda.

Vers. 21. *Inclinate humerum vestrum, & ceruicem vestram.*] Repetit Prophetarum verba, quibus Deus populi sui saluti prouideat. Quæ verba non semel audiuit populus ille à Ieremia, quorum Baruch ipse, vtpote anagnostes, atque notarius, testis fuit. Sunt autem verba apud Ieremiam cap. 27. v. 8. *Gens autem, & regnum, quod non seruierit Nabuchodonosor regi Babylonis, & quicunque non curuauerit collum suum sub iugo regis Babylonis, in gladio, & in fame, & in peste visitabo super gentem illam, ait Dominus, donec consumam eam.* Porrò inclinare humerum, aut collum, idem fermè est; vtrumque enim significat hominem esse paratum ad sarcinam, & ad seruile ministerium; collo namque iugum, humeris sarcinam imponimus. 16.

Vers. 22. *Quòd si non audieritis vocem Dei vestri operari regi Babylonis.*] Operari idem est quod seruire: seruus enim non tam sibi, quàm Domino laborat.

Vers. 23. *Et auferam à vobis vocem iucunditatis, & vocem gaudij, & vocem sponsi, & vocem sponsæ.*] Hæc prædixerat antè Ieremias cap. 7. in fine. *Et quiescere faciam de vrbibus Iuda, & de plateis Ierusalem vocem gaudij, & vocem lætitiæ, vocem sponsi, & vocem sponsæ: in desolatione enim erit terra.* Porrò quid hîc vox gaudij, & vox sponsi significet explicuimus ad hunc Ieremiæ locum. Hæc verò prouerbialis est forma, qua summus exprimitur lætitiæ modus; qualis est in nuptialibus sacris, vbi ex Hebræorum ritu vox auditur genialis, atque festiua, tum nouorum coniugum, tum puellarum, quæ epithalamium cantant. Capite deinde 16. & cap. 25. hoc idem repetitur, vbi additur *vox molæ, & lumen lucernæ.* Sicut etiam *Apocal. cap. 18.* Quid porrò in nuptiali ac geniali plausu vox significet molæ, & lumen lucernæ, quæ à voce sponsi, & sponsæ separari non solent, diximus *ad cap. 25. Ieremiæ.* & in nostris Commentariis super Cantica ad illud cap. 2. *Fulcite me floribus.* 17.

Vers. 24. *Et statuisti verba tua.*] Hæc à nobis explicata 18.

Digitized by Google

explicata sunt v. 1. vbi idem est dicendi modus.

Vt transferrentur ossa regum nostrorum.] Hæc antè prædixerat Ieremias cap. 8. *Eiicient ossa regis Iuda, & ossa principum eius*, &c. *de sepulcris suis.* De hac cadauerum effossione diximus ad hunc Ieremiæ locum; neque est quid cum magno operæ pretio adiungi posse videatur. Tantùm dico illa ossa non iterum fuisse sepulta, vt apertè prædixit Ieremias; & hoc tempore, id est, aliquot annos, ex quibus est excisa Hierosolyma, & à Chaldæis eruta cadauera, adhuc esse inhumata, & sub cælo ad Solis æstum, & nocturnum gelu latè dispersa.

19. Vers. 25. *Et mortui sunt in doloribus pessimis, in fame, & in gladio, & in emissione.*] Augetur mortuorum infelicitas; tum quod è suis sunt tumulis effossi; quod extremum existimatur infortunium, cùm eo honore careant, quem ipsi etiam hostes negare non solent. De quo nos pluribus ad locum proximè è Ieremia citatum. Tum etiã quòd cum graui doloris acerbitate, aut ignominia infelicem vitam amiserunt. Id enim valet, in doloribus pessimis, in fame, & gladio, & in emissione, id est, in exilio, vbi cum seruitute labor, & egestas adiungebantur, quibus resistere non poterat humana mortalitas. Hoc ipsum Ieremias prædixerat *cap. 34. v. 17.*

20. Vers. 27. *Et fecisti in nobis, Domine Deus noster, secundùm omnem bonitatem tuam, & secundùm omnem miserationem tuam.*] Non queritur Propheta, aut docet ne querantur alij de inflictis à Domino plagis; sed gratias agant potiùs pro acceptis ab illo beneficiis, aut quia mitiùs fuerint punita, quàm illorum exigebant merita. Quomodo paulo ante hunc articulum Ieremias cecinit Thren. cap. 3. v. 22. *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes eius.* Aut quia dum duro vexat exilio, & variis versat, & exercet modis, fecit, vt sua cognoscerent errata, & ad illum gradum, à quo peccando exciderant, reuerterentur pœnitendo; quod magnum est beneficium, & opus diuinæ clementiæ singulare. Omnis porrò misericordia ex Hebræorum idiomate idem valet quod ingens misericordia: *omnis* enim, aut *vniuersum* interdum in Scriptura sacra non tam distribuit quasi vniuersale signum, quàm auget significationem. Sic *omnis esca* pro esca suauissima, ac nobilissima ponitur. Psal. 106. *Omnem escam abominata est anima eorum.* id est, suauissimam; loquitur enim de manna. Et Psal. 38. *Vniuersa vanitas omnis homo viuens.* id est, omnis homo est vanissimus, seu mera vanitas. Ieremiæ cap. 1. *Ab Aquilone pandetur omne malum.* id est, magnum malum. Sic ergo nunc *omnis bonitas, & omnis misericordia* maximam bonitatem, & misericordiam significat.

Omnis aliquando pro eo, quod est in suo genere magnum.

21. Vers. 28. *Sicut locutus es in manu pueri tui Moysi.*] Hæc est misericordia, & bonitas, de quibus proximè, quæ populum, cui ceruix esset ferrea, assidua vexatione domuit, fecítque, vt stimulis compuncti reuerterentur ad Dominum. Quo autem loco hæc à Domino Moyses acceperit, & filiis Israel à Domino nunciauerit, non est adeò apertum. De dispersione populi, & ex multitudine magna ad paupertatem reductione Deut. cap. 4. v. 26. & cap. 28. v. 62. *Remanebitis*, inquit, pauci numero, qui priùs eratis sicut astra cæli præ multitudine. Vbi vulgatus *multitudo* reddidit, Græcè est βόμβησις, quæ vox examen significat apum; sed eadem sub hac metaphora multitudinem valet, quia *examen*, quod etiam ad alia traducitur animalia, vim semper numerosam importat.

Vers. 30. *Quia scio quòd non audiet populus; populus est enim duræ ceruice.*] Hæc habes Exod. 33. v. 3. & Deut. 9. v. 13. vbi indocile indicatur, & barbarum Hebræorum ingenium. Quare illos Deus quasi iuuencos refractarios, & impatientes iugi, stimulis adigit ad officium. Hoc autem modo Deus, dum durè exagitat, facit, vt resipiscat populus, & reuertatur ad cor. Quod cecinit Dauid Psal. 77. *Cùm occideret eos, quærebant eum; & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum.* Hoc idem dixit Moyses Deut. 4. v. 30. *Postquam te inuenerint omnia, quæ prædicta sunt, nouissimo tempore reuerteris ad Dominum Deum tuum, & audies vocem eius.* 22.

Vers. 31. *Et dabo eis cor, & intelligent.*] Ex vsu Scripturæ sacræ, & omnium pene linguarum, illa negantur esse, quorum nullus est, aut tantùm vilis & alienus vsus. Quomodo ille negatur audiisse magistrum, qui illum non intelligit, aut qui doctrinã illius nec probat, nec amplectitur. Quomodo dicimus, *ego non odio Platonem*, id est, quid doceat Plato, non curo. Sic dicitur ille nescire legem, qui legi non paret. Eodem modo excordes vocamus, quibus cor est stolidum; aut qui talia curat, aut quærit, quæ cordatus homo contemnit, & respuit; qui etiam dicitur non habere cor, quia quod habet, ouino simile est, aut bouino. Sanè Dauid cor dicebatur amisisse, quando illud à cælestium rerum studio ad molliores curas, & carnales voluptates abiecerat. Quare cùm vexatione ad seipsum retulit peregrinum animum, dixit inuenisse se cor illud, quod amiserat, quando ab humanorum commodorum aucupio ad templi fabricam seipsum excitauit. Sic autem ille de se lib. 2. Reg. cap. 7. v. 27. *Propterea inuenit seruus tuus cor suum, vt oraret.* Cùm ergo populus cor haberet, ita tamen stupidum, vt mollioribus blanditiis delinitum superna non curaret, aut non intelligeret, dedit illi Deus cor aculeis eruditum, quo intelligeret, & desineret esse belluinum. Quod fecit cum Chaldæorum rege, *Dan. cap. 4.* cùm reddidit cor, seu sensum hominis; cùm priùs aut belluinum habuisset, aut belluino simile. Sanè libidinosus amor Salomoni viro sapientissimo cor ademit *3. Reg. cap. 11.* Hanc porrò vim esse vino, atque luxuriæ, vt cor auferant homini, habes Oseæ cap. 4. v. 11. *Fornicatio, vinum, & ebrietas auferunt cor.* 23.

REGVLA. *Illa negantur esse quorum nullus est, aut vilis aut alienus vsus.*

Cor quis dicitur non habere.

Vers. 33. *Et auertent se à dorso suo duro.*] Dura ceruix, seu ferrea illa dicitur, quæ non patitur iugum, sed illud horret, & quantum potest, à se longissimè repellit. Sic etiam dorsum illud durum est, quod non se inflectit, & supponit oneri; quale habet equus indomitus, & onager, qui, vt ait Iob c. 11. v. 12. se liberum natu putat. Ante hoc tempus Babylonicum, cùm omnia Iudæis minùs essent incommoda, onus excutiebant legis, recalcitrabántque, si quando Deus aliquid minus ad illorum voluntatem iniungeret. De quibus Moyses Deut. 32. v. 15. *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum.* Sed credo aliam esse huius loci sententiam. Qui magnificè de se cogitant, neque aliquid suis votis patiuntur aduersum, erecto sunt collo, & corpore, quia specimen exhibere pudet abiecti, timidi, atque languentis animi. Contrà verò ij, quos aut fortuna mala, aut conscientiæ stimulus, aut hominum manus violenta persequitur, demisso incedunt vultu, incur- 24.

Dorsum durum quod.

Vexatio superbos humiliat, & incuruat.

uato

Digitized by Google

uato dorso; quale habere solent, qui supplices ad altos fundunt preces, aut qui alienæ voluntati parent. Sanè audimus sæpè ietuos, & supplices coram altis stetisse incuruato corpore, vt familia Iacob ante Esau *Genes. 33. v. 6. & Genes. 43. v. 28.* fratres ante Iosephum incuruati sunt. Imò pro subiectione incuruatio ponitur *Genes. 27. v. 27.* Sic Isaac benedicens filio suo Iacob, *Esto Dominus fratrum tuorum: & incuruentur ante te filij matris tuæ.* Psal. 68. v. 24. *Dorsum eorum semper incurua.* Quare auertere se à dorso duro, nil aliud esse puto, quàm subiectum esse alteri, & humile aliis obsequium præstare. Vt autem dorsum incuruum pro seruili conditione, aut afflicta fortuna ponitur: sic etiam puto dorsum durum pro dominatu, aut vita molliori sumi. Sanè otiosos, & delicatos homines Hispanus *lomi in biestos* appellat.

25. Quia reminiscentur patrum eorum, qui peccauerunt in me. Norant Iudæi, quemadmodum parentes, cùm grauibus vexarentur incommodis, reuerterentur ad Deum, & ab illo exciperentur humaniter; iuxta illud Psal. 77. *Cùm occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum.* Illorum igitur exemplum secuti, ad Deum in afflictione sunt reuersi, à quo id tandem consecuti sunt, quod statim à Propheta subiicitur. Quod totum sumptum est ex *Leuit. cap. 26. v. 42. & Deut. 30. à v. 1. ad 6.* Vbi Deus pœnitenti populo priorem fortunam pollicetur.

Vers. 35. *Et statuã illis testamentum alterum sempi-*
26. *térnum.*] Quidam hoc pactum idem esse putant, quod antè pepigerat cum Abraham, Isaac, & Iacob, de tribuenda rursus terra promissionis, & illius possessione sempiterna. Quare testamentum non alterum putant à priore, sed illius instaurationem. Ita putat Theodoretus. Et reuera ita accidit: nam ex captiuitate edicto Cyri redierunt in patriam. Quod suadent extrema capitis verba, in quibus Deus

A promittit non ampliùs à regione sibi data repellendos esse Iudæos. Sempiternum autem dicitur pactum istud, seu testamentum posterius, quomodo prius etiam sempiternum vocatur Genes. 13. v. 15. *Omnem terram, quam conspicis, tibi dabo, & semini tuo vsque in sempiternum.* Pactum autem, quod hîc instauratur, est *Genes. 17. v. 7.* vbi sic Deus ad Abraham, *Statuam pactum meum inter me, & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno; vt sim Deus tuus, & semini tuo post te. Dabóque tibi, & semini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in possessionem æternam, eróque Deus eorum.* Vt autem pactum illud conditionatum fuit, si Abrahami posteri à legis obserua-
B tione non recederent. *Leuit. 26. v. 31.* Sic etiam sub eadem conditione hoc idem pactum instauratur. Cùm autem Iudæorum posteri, sicut ante parentes, contra legem peccauerint, sicut illis antè non fuit; sic etiam neque postea his data est terræ promissionis æterna possessio. Hæc mihi sententia improbabilis non est. Sed meliùs, opinor, alij in testamento altero Euangelium agnoscunt, quod erit sempiternum, quod nulla lex alia vnquam abrogabit. Ita censent Dionysius, Hugo, Lyra, Maldonatus, & Castrus. Quod mihi planè persuadet idem, qui hæc dictauit, Ieremias in sua prophetia cap. 31. v. 31. *Ecce dies venient, dicit Domi-*
C *nus, & feriam domui Iuda, & domui Israel fœdus nouũ,* &c. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Vide quæ nos latè in hanc sententiam ad hunc Ieremiæ locum adduximus. Commodè autem à Hierosolyma restituta ad Ecclesiam vaticinium traducitur: est enim vsitatum in Scriptura, vt gradus à figura ad figuratum fiat. Quòd verò Hierosolyma restituta, & soluta captiuitas typus sit Ecclesiæ, in quadam præfatione ad caput Isaiæ quadragesimum ex Patrum interpretúmque sententia abundè pro-
D bauimus.

IN CAPVT TERTIVM

ARGVMENTVM.

ORATIONEM absoluit, quam proximo capite fuerat exorsus. Deinde tanti mali causam illam esse dicit, quòd populus illa sapientia caruerit, quæ sola potest fortunatam præstare vitam, qualem non habuere, qui terrena captant commoda, quantumuis illi excellant ingenio, & humana solertia, & illis præstent ornamentis, & donis, quæ hominum opinione censentur esse maxima. Deinde docet ab vno Deo præstari posse, cui parent omnia non inuita. Postremò datam esse Iacob, vt ad posteros deinde transmitteret; & ad hæc beneficia, quæ illustrissima sunt, illud addidisse longè maximum, vt carnem assumeret, & cum hominibus homo versaretur.

CAPVT III.

1. *ET nunc Domine omnipotens, Deus Israel, anima in angustiis, & spiritus anxius clamat ad te.*

2. *Audi Domine, & miserere, quia Deus es misericors, & miserere nostri, quia peccauimus ante*

PARAPHRASIS.

E 1. ET nunc Domine, cuius nihil est omnipotentiæ difficile, vrgentibus vndecumque malis, anima nostra, & spiritus æger, & anxius tuam benignitatem, & clementiam implorat.

2. Preces ergo nostras anxias, & supplices mitior exaudi; & quia tibi eximia est à lenita

Digitized by Google

ante te.

A lenitate, & miseratione commmendatio, fac vt te fortunæ nostræ tam grauiter afflictæ miserescat. Peccauimus quidem contra te, quòd animum nostrum mœrore graui, & pœnitentiæ stimulis exulcerat.

3. *Quia tu sedes in sempiternum, & nos peribimus in æuum.*

3. Ecquid, Domine, tibi compendij est ex tam fragilis naturæ æterno dispendio? Tu cum maiestate sedes, de qua nihil detrahet, aut obscurabit æternitas; nobis autem vsura vitæ momentanea, & mors impendet sempiterna.

4. *Domine omnipotens, Deus Israel, audi nunc orationem mortuorum Israel, & filiorum ipsorum, qui peccauerunt ante te, & non audierunt vocem Domini Dei sui, & agglutinata sunt nobis mala.*

4. Memento, Domine, parentum nostrorum, qui iampridem è viuis excesserũt, B quorum illustria merita pro filiis orant; pro illis, inquam, filiis, quorum peccata tam dura vexatione castigas; quorum etiam ad te supplex ascendit, humilisque precatio; quibus tanta adhæserunt infortunia, quia mandatis tuis ipsi non adhæserunt.

5. *Noli meminisse iniquitatum patrum nostrorum, sed memento manus tuæ, & nominis tui in tempore isto.*

5. Noli, Domine parentum nostrorum peccata vindice memoria repetere, quæ nos tam dura vexatione luimus. Sed manus tuæ, atque potentiæ memento, quam Gentes infirmam esse putant, dum populum tuum alienæ potestati vident esse C subiectum: & nominis tui, quòd hoc tempore ab externis eam ob causam lacerari vides.

6. *Quia tu es Dominus Deus noster, & laudabimus te Domine:*

6. Quia tu es Dominus Deus noster, in cuius laudes ab hac ærumnosa conditione soluti liberiùs incumbemus.

7. *Quia propter hoc dedisti timorem tuum in cordibus nostris, & vt inuocemus nomen tuũ, & laudemus te in captiuitate nostra, quia conuertimur ab iniquitate patrum nostrorum, qui peccauerunt ante te.*

7. Ideo timorem tuum, & obseruantiam cordibus nostris indidisti, vt nomen tuum habeamus sanctum, & venerabile, & in nostra etiam captiuitate veneremur, cõmendemúsque. Hanc porrò laudem, credo non auersabere, quia longè à parentum D nostrorum iniquitate separamur.

8. *Et ecce nos in captiuitate nostra sumus hodie, qua nos dispersisti in improperium: & in maledictum, & in peccatum secundum omnes iniquitates patrum nostrorum, qui recesserunt à te Domine Deus noster.*

8. Ecce nos in ea captiuitate sumus, in qua nos duriùs tractari voluisti; quibus illudunt, & insultant populi, maledictis exagitant, & à peccatis nostris pœnas exigunt non indebitas. Hæc nos non immeritò patimur, quia parentum nostrorum, qui à mandatis tuis recesserunt, & mores expressimus, & vestigia tenuimus à salute deuia.

9. *Audi Israel mandata vitæ: auribus percipe, vt scias prudentiam.*

9. Declinasti hactenus, ô Israel, ab illa semita, quæ ad vitam ducit verè vitalem. E Nunc vel malis, & diuinæ iustitiæ stimulis edoctus disce vnde peti possit vera prudentia, quam vt inuenias, attentas aures, & dociles aduerte.

10. *Quid est Israel quòd in terra inimicorum es?*

10. Meditare iam laudem Israel, & attentè considera, vnde hoc tibi infortunium acciderit, vt in hostili solo tam longum trahas, & ærumnosum exilium.

11. *Inueterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis: deputatus es cum descendentibus in infernum.*

11. Consenuisti iam extorris à patria, neque minùs pollutus es, & tabidus, quàm saniosum, & informe cadauer. In illorum numero

12. Dereli

A

12. *Dereliquisti fontem sapientiæ.*

13. *Nam si in via Dei ambulasses, habitasses vtique in pace sempiterna.*

14. *Disce vbi sit prudentia, vbi sit virtus, vbi sit intellectus: vt scias simul vbi sit longiturnitas vitæ & victus, vbi sit lumen oculorum, & pax.* B

15. *Quis inuenit locum eius, & quis intrauit in thesauros eius?*

C

16. *Vbi sunt principes Gentium, & qui dominantur super bestias, quæ sunt super terram?*

17. *Qui in auibus cæli ludunt.*

D

18. *Qui argentum thesaurizant, & aurum in quo confidunt homines, & non est finis acquisitionis eorum? qui argentum fabricant, & solliciti sunt, nec est inuentio operum illorum?*

19. *Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt, & alij loco eorum surrexerunt.* E

20. *Iuuenes viderunt lumen, & habitauerunt super terram: viam autem disciplinæ ignorauerunt.*

21. Neque

mero censeri potes non immeritò, qui tumulati iacent in sepulcris.

12. Neque id mirum, cùm turbidos ignorantiæ consectatus riuulos, illimem veræ sapientiæ fontem non adieris.

13. Quòd si viam diuinæ legis iniisses, quæ fons est, vnde cælestis disciplinæ, & sapientiæ veræ eructant iuges, & pellucidæ scatebræ, vixisses vtique non in squalore, & rerum omnium indigentia, sed in perpetua pace, & tuta bonorum omnium abundantia.

14. Ex hac morte, quæ te iamdudum in exilio vexat, atque consumit; ex hac cæcitate, quæ te iampridem tenebris alligauit Babylonicis, disce vbi sit virtus, vbi prudentia, vbi intelligentis animi constans, & vera disciplina, vt etiam cognoscas, vbi sit vitalis, ac diuturna vita, vbi fortitudo, vbi perspicax oculorum acies, vbi denique quies, & bonorum omnium pacifica possessio.

15. Quis inuenit locum, vnde pretiosus ille thesaurus effoditur? Aut quis ad propria illius conceptacula penetrauit?

16. Sanè non inuenerunt, qui consiliis nituntur, & reguntur humanis, vt docet exitus ille miser, & ignobilis, qui tandem illorum vitam momentaneam excepit. Vbi sunt principes illi, qui dominabantur inter Gentes; qui belluas natura sua feras, & indociles iugi, cicurarunt tamen, & ad subeundum iugum adegerunt;

17. Qui cæli volucres condocefaciunt ad prædam, & aucupium, illisque dominantur, & ex earum volatu, ac præda mirificas capiunt voluptates, & vsus.

18. Qui argumentum, & aurum è terræ visceribus effodiunt, & eorum ingentes congregant aceruos, qui hominum exhilarant animos, & confidentia alunt, & audaciam; neque vllum imponunt fidem cupiditati suæ. Quorum non minor in argento cælando, & variis in illo formis exprimendis, quàm in eruendo cernitur solertia. Illud tamen quicquid est argenti, & auri, quod hominum sagacitas inuenit, & cudit, momentaneum est bonum, & inutile.

19. Neque enim illorum esse potuit diuturna, & multo minùs æterna possessio. Illi enim, qui tot indormiunt opibus, perierunt, quibus illæ tot opes breuem, atque sollicitam voluptatem attulerunt; quorum loco successerunt alij, qui ad relictam prædam tanquam sibi debitam possessionem aduolarunt.

20. Vixerunt illi, & habitarunt in terra, neque tamen veram agnouere sapientiam, neque fecerũt quominus viderentur excessisse è pueris, aut sẽsus deposuisse iuueniles.

21. Vsque

21. Neque intellexerunt semitas eius, neque filij eorum susceperunt eam, à facie ipsorum longè facta est.

A 21. Vsque adeò veræ sapientiæ possessionem assecuti non sunt, vt neque de via, quæ ad illam deducit, doceri voluerint: quare tam ab illis, quàm ab eorum posteris procul abscessit.

22. Non est audita in Terra Chanaan, neque visa est in Theman.

22. Huius autem sapientiæ, quam humana facultas non inuenit, nomen neque auditum est inter Chananæos, quorum in mercatura, & congerendis opibus mira solertia; neque inter Themanitas, qui inter Idumæos existimantur esse sapientissimi.

23. Filij quoque Agar, qui exquirunt prudentiam quæ de terra est, negotiatores Merrhæ, & Theman, & fabulatores, & exquisitores prudentiæ, & intelligentiæ: viam autem sapientiæ nescierunt, neque commemorati sunt semitas eius.

B 23. Ismaëlitæ quoque, qui genus duxerunt ab Agar, qui terrenæ sapientiæ existimantur non expertes: Merrhaitæ, qui ipsi quoque cum Ismaelitis mercaturam exercent; atque etiam Themanitæ, de quibus proximè, qui potius fabulatores, quàm sapientes existimari possunt, cùm terrenæ studeant sapientiæ, & nugacibus inuigilent argutiis. Ignorarunt tamen illi sapientiæ viam, neque de illius semitis aut meminerunt vnquam, aut cogitarunt.

24. O Israël, quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius!

C 24. O Israël, si nosses quàm ampla est domus Domini, ad quam deducit illa, quæ verè potest appellari sapientia, & quantum se illius hæreditatis spatia diffundāt, quàm sorderent omnia, quæ hominum stupor tantopere admiratur, & captat.

25. Magnus est, & non habet finem: excelsus & immensus.

25. Sanè locus ille Beatorum quieti destinatus amplissimus est, cui nullus ab omni regione circumscribitur finis; sublimis est, quò ascendere non potest humana facultas, neque ascendere quantumuis perspicax oculorum acies; immensus denique, D cuius spatia nulla hominum ars, nulla Mathematicorum solertia metitur.

26. Ibi fuerunt gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt, statura magna, scientes bellum.

26. Solertes illi, atque sapientes homines, de quibus proximè, cælestem illam, verámque sapientiam consecuti nōn sunt. Quo in numero illos etiam statuo, qui robore præstant, & audacia: quales fuere gigantes, qui magnum sibi nomen à sæculo pepererunt, & vasta corporis proceritate, & bellicæ artis peritia, & gloria singulares.

27. Non hos elegit Dominus, neque viam disciplinæ inuenerunt: propterea perierunt.

27. Est autem à singulari Dei beneficio veram inuenisse sapientiam, quam tamen isti non inuenerunt; quia neque Deus illos elegit, neque præclarum hoc donum E illis impertitus est. Atque ideo omnes ad vnum perierunt.

28. Et quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam.

28. Ad vnum, inquam, perierunt omnes quasi insipientes, & cæci, quia illis veræ sapientiæ splendor non affulsit.

29. Quis ascendit in cælum, & accepit eam, & eduxit eam de nubibus?

29. Ecquis est, qui ad cælum ascendit, & illam in terram è nubibus deduxit?

30. Quis transfretauit mare, & inuenit illam? & attulit illam super aurum electum?

30. Quis transmisso Oceano inuenit illam, aut auro obryzo, aut vllo alio pretio, seu permutatione comparare potuit?

31. Non est qui possit scire vias eius, neque qui exquirat semitas eius:

31. Nemo est mortalium, qui viam illius norit, imò qui de illius semitis inuestigandis, aut explorandis laboret.

Digitized by Google

32. *Sed qui scit vniuersa, nouit eam, & adinuenit eam prudentia sua: qui præparauit terram in æterno tempore, & repleuit eam pecudibus, & quadrupedibus:*

A 32. Vnus est Deus, qui nouit vniuersa, qui illam agnouerit, & qui prudentia sua latentem inuenerit. Qui in rerum initio formauit, & stabiliuit terram, eámque omni animantium genere compleuit.

33. *Qui emittit lumen, & vadit: & vocauit illud, & obedit illi in tremore.*

33. Qui si lumen emiserit, egreditur, & collustrat terram; si reuocauerit, obsequitur statim cum tremore, & lumen recolligit, quod diffuderat.

34. *Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis, & lætatæ sunt:*

34. Stellæ porrò lætæ excipiunt illius imperium, & in datis sibi stationibus perpetuò lucent.

35. *Vocatæ sunt, & dixerunt: Adsumus: & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas.*

B 35. Cùm euocatæ fuerint, confestim creatoris sui vocem, & imperiũ agnoscunt, dicúntque, in præstò sumus ad tuam volũtatem, alacres, & intentæ; & ad illius gloriam, à quo formatæ sunt, sine vlla molestia, & cunctatione lucent.

36. *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum.*

36. Hic est Deus, quẽ vera colit Israëlis religio; in cuius cõparatione nihil sunt illi, quos deos vocat, & colit delusa Gentilitas.

37. *Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo.*

37. Hic inuenit solus diuinæ sapientiæ viam, & illius addiscendæ modum, quem
C tradidit Iacob seruo suo dilecto, & Gentis Israëliticæ parenti, vt ad posteros suos perpetua successione transmitteret.

38. *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.*

38. Sed illud beneficium longè maius, quòd non solùm lex data, sed ipse etiam legislator datus est hominibus, quibuscum diu conuersatus est, & illos non solùm sermone viuido, & acri, sed etiam exemplo ad veræ sapientiæ fructum informauit.

Vers.1. *Et nunc, Domine omnipotens Deus Israël, anima in angustia est: & spiritus anxius clamat ad te.*]

1. ADhuc orandi forma à Propheta præscribitur. Est autẽ grauis ad impetrandam, aut etiam extorquendam misericordiã tam apud homines, quàm apud Deũ animi dolor, atque angor, & spiritus contribulatus, & afflictus. Quod *Psal.50.* docuit Dauid, cùm dixit, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor cõtritum, & humiliatũ Deus non despicies.* Neque Deus à sua benignitate, vt ita loquar, impetrare potest, vt non statim accurrat, cùm miserorum audit preces, & gemitus. Psal.11. *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus.* Hoc autem orationis genus audit libenter Dominus, & eo se honorari dicit. Psal.49. *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.*

2. Vers.3. *Quia tu sedes in sempiternum, & nos peribimus in æuũ.*] Hæc etiã ratio non leue telum est ad leniendam diuini pectoris iracundiam, cùm nostram tenuitatem, & miseriã, & illius, quem exoratum volumus, apertè potentiam, & maiestatem prædicamus. Tu, inquiunt exules, cum maiestate sedes, de qua nihil detrahet, aut obscurabit æternitas; nos fragilẽ sumus conditionẽ nacti, & fortunam miseram omniũ gentium expositam ludibrio. Tibi facilè est ab iniuria nos, atque ignominia vindicare, cùm imperiũ obtineas sempiternũ; nobis autem cùm data sit & vsura vitæ momẽtanea, & mors impendeat sempiterna, ecquid, Do-
D mine, tibi cõpendij est ex tam fragilis naturæ æterno dispendio? Hæc verò humanæ conditionis tã momentaneus spiritus, & naturalis infirmitas, multum habent ad misericordiam in diuino pectore momẽti. Quod optimè explicuit locus ille *Psal.102. à v.13.* ad quem videtur respexisse Ieremias, dum hoc tradidit præclarum orationis documentum. *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognouit figmẽtum nostrum. Recordatus est quoniam puluis sumus, homo sicut fœnum dies eius, tanquam flos agri sic efflorebit. Quoniam spiritus pertransibit in illo, & non subsistet.*

Vers.4. *Audi nunc orationem mortuorum Israel, & filiorum ipsorum, qui peccauerunt ante te.*] In mortuis 3.
E ego viros sanctos intelligo, è quorum meritis, & precibus magnum sibi exules sperant in ea calamitate subsidium. Quales fuerunt antiqui Patriarchæ, & viri alij non pauci, quorum est in Scriptura commendata religio: quorum merita illorum posteri in orando proponunt. Quod fecit Azarias, qui hanc sine dubio accepit à Ieremia precandi formam, *Dan. cap.3.v.35.* qui iuxta hunc modum videtur instituisse preces suas. Hæc autem sanctorum merita, ipsis licèt tacentibus, clamant tamen pro filiis; non secus atque sanguis Abel clamasse de terra dicitur contra fratricidam Cain. Sed & sancti illi reuera orant ad Deum, quorum preces vt audiantur, & exorent,

populus

Digitized by Google

populus nũc precatur. Sanè Ieremias pro suis cõtribulibus iam mortuus orabat Machab. 2. cap. 15. *Hic est, qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate.* Porrò orare sanctos exolutos iam corpore, contra quàm somniarunt hæretici, docuimus in nostris Commentariis super Ieremiam ad illud cap. 15. v. 1. *Si steterit Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.*

Illud *qui peccauerunt ante te*, non ad *sanctos* refero, sed ad filios tantùm, id est, ad posteros illorum, quos mortuos appellat, quósque Patriarchas, & viros Deo gratos esse diximus. Hi verò sunt, qui tunc apud Babylonios exulabãt, quibúsque mala adhæserant ingentia.

4. Vers. 5. *Noli meminisse iniquitatum patrum nostrorum.*] Audierant Iudæi à Ieremia *cap.* 15. *v.* 4. Ierusalem peccata luere Manassæ. *Dabo eos in feruorẽ vniuersis regnis terræ, propter Manassem filium Ezechiæ regis Iuda super omnibus quæ fecit in Ierusalem.* Vnde apud illos orta est prouerbialis illa, & sæpe cantata querimonia, *Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt.* De qua Ieremias *cap.* 31. & Ezechiel *c.* 18. Quare orat populus, vt tam sua, quàm parentum suorum peccata Deus obliuiscatur.

5. *Sed memento manus tuæ, & nominis tui in tempore isto.*] Manus hoc loco pro potentia sumitur, vt alibi sæpè; & tũc sensus est. Memento Domine quali sis potentia, cui nempe vis nulla mortalium resistit; & quomodo infirmam esse putent Gentiles, cùm videant populũ tuæ fidei, atque tutelæ creditum, pro cuiusque arbitratu, atque libidine durè, atque igominiosè vexari. Memento item nominis tui, quod ea de causa ab externis lacerari vides; cuius gloriam tanti facis.

6. Audierunt Iudæi Deum fecisse plurima, vt nomen suum, ac fidem ab omni suspicione vindicaret; cùm tamen ingratus, atque infidelis populus illis omninò foret indignus. Sic audierant ab Isaia cap. 48. *Propter nomen meum longè faciam furorem meum.* Hæc eadem Ezechiel *cap.* 36. Quod cùm ex Prophetarum verbis agnouissent Hebræi, diuini gloriã nominis in suis precibus obtendebant, orabántque ab hostium armis, & externorum liberarentur conuitiis, ne quid apud gentes nomen illud venerabile pateretur. Sic Psal. 78. v. 9. *Propter gloriam nominis tui libera nos.* Dan. 3. v. 43. *Erue nos in mirabilibus tuis, & da gloriam nomini tuo.* Et Iudith *cap.* 7. *v.* 24. his verbis consolatur obsessos, *Forsitan indignationem suam abscondet* (Deus) *& dabit gloriam nomini suo.* Illud idem primis Hebraicæ reipublicæ temporibus orarat Moyses Exod. 32. v. 12. *Ne quãdo dicant Ægyptij, callidè eduxit eos.*

Magni Deus facit sui nominis gloriam.

7. Hæc videntur satis ad Hebræorum consuetudinem, & familiarem precandi formam: sed puto aliò spectare captiuorũ verba, qui ideo videntur orare libertatem, vt Dei nomen, quod iamdiu in sacris hymnis, & Canticis non audiebatur, quia templum nullum erat, neque qui solemni ritu diuinas laudes prædicaret. Quasi ipsi patriæ restituti renouaturi sint intermissum illud religionis officium, & Dei nomen de more cantaturi. Id enim sonat, quod statim sequitur, *Quia tu es Dominus Deus noster, & laudabimus te Domine. Quia propter hoc dedisti timorem tuum in cordibus nostris, vt inuocemus nomen tuum, & laudemus te.* Timor porrò præter vulgarem significationem, obseruantiam etiam, & religionem significat. Vtrumque autem Deus per duram illam vexationem indidit. Ex eo enim tempore aliter obseruarunt Deum, quàm antea, dum illis res esset integra, & conditio liberior: quia vltorem cognouerunt iniuriarum, & dignum cui omnis exhiberetur honor.

Vers. 7. *Et laudemus te in captiuitate nostra, quia conuertimur ab iniquitate.*] Non est speciosa laus in ore peccatoris. Hi autem, qui in peccatis hactenus obstinatò vixerant, edocti vexatione, & ex ea timore concepto, meliora cogitant. Quare & Deum reuerentur, licèt in alieno solo captiui, & ibidem diuinas laudes meditantur; & hoc debere se fatentur Dei benignitati, qui ideo stimulos adigit, vt illos ad pietatem, & officiũ reducat. 8.

Vers. 8. *Et in peccatum.*] Græcè εἰς ὀφλήματα, quæ vox debitum sonat. Peccatum autem, & quæ huic affinia sunt, vt malitia, iniquitas, impietas id etiam significant, quod supplicij loco peccatis imponitur, vt exilium, seruitus, ignominia, quæ debita sunt, quæ peccator exoluit. Hic enim peccatorum fructus est, quem, credo, intuebatur Ieremias, cùm *Thren. c.* 1. dicebat, *Princeps prouinciarum facta est sub tributo.* Tributi autem nomine illud intelligit, quod hostis auarus, barbarus, atque insolens pro sua libidine vellet à captiuorũ siue corpore, siue facultatibus exigere.

Vers. 9. *Audi Israel mandata vitæ; auribus percipe, vt scias prudentiam.*] Postquam tradita est à Propheta precandi forma, iam aliquid aggreditur aliud, & monet, vt ex illa dura vexatione discat, quam legem seruare debeat, si suis commodis ac vitæ cõsultum esse velit, & in quibus studiis vera sapientia spectari debeat. Quasi dicat, tunc rectè, ô Israel, vitam instituis, cùm illam ad diuinæ legis formam attemperas; & tunc verè sapis, cùm meis præceptis imbueris; neque aliis siue fraudibus, siue blandimẽtis abduceris. Disce ergo ex his, quæ pateris, vbi sit vita, vbi sit prudentia. Quæ sanè nõ sunt in his quæ tu huc vsque tã auidè cõplexus es. Similia habemus à prophanis, qui malis dicunt stultos doceri. Ita sanè Hesiodus παθὼν δέ τε νήπιος ἔγνω. Quod apud Virgiliũ docet Phlegyas, qui alios admonet, vt ex suo malo discant, quomodo suis rebus consulere debeant. 9.

Admonet, & magna testatur voce per vmbras,
Discite iustitiam moniti, & non temnere diuos.

Vers. 10. *Quid est Israel, quod in terra inimicorum es.*] Iam incipit erudire populum, & malorum omnium, quibus in exilio continenter afficitur, causas aperire.

Vers. 11. *Coinquinatus es cum mortuis, & deputatus es cum descendentibus in infernum.*] Ea erat captiuorũ vita, vt commutari meritò cum morte potuerit, imò & mors existimari. Et quidẽ, vt ex Ezechiele constat c. 37. exules appellantur mortui, & exiliũ sepulcrum. Coinquinatus cum mortuis ille dicitur, qui eandem cum mortuis conditionem nactus est. Sunt autem mortui & ipsi coinquinati, & eos, qui ipsos attigerint, polluunt, atque contaminant, vt habes *Leuit.* 21. *&* 22. Quod verò sequitur, *Deputatus es cum descendentibus in infernum*, eiusdem est sententiæ; infernus enim idem interdum valet, quod sepultura, sicut & *lacus*, & *fouea*. Sic Psal. 142. *Similis ero descendentibus in lacum.* & Psal. 87. *Æstimatus sum cum descendentibus in lacum.* 10.

Exules inter mortuos computari.

Vers. 12. *Dereliquisti fontem sapientiæ.*] Quicunque à diuino se magisterio subducit, & alia consectatur documenta, ille cæcus est, & procul à via veritatis aberrat: & tam longè est, vt possit appellari sapiens, vt potiùs sapientium ore magno suo meritò nominetur stultus. Id autem cognouerunt exules Babylonij graui suo damno iam miseri, ac perditi: sicut etiam alij Sap. 5. qui cùm sibi priùs sapientes viderentur, & illos amentes iudicarent, 11.

Sapientia à solo Deo.

d by Goog

carent, qui diuinis se præceptis adstringerẽt; postea verò in lacum demersi, vnde ad vitalem halitum nullum sese aperiret effugium, edocti serò à pungente conscientia dolorum acerbitate clamant, *Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore, ecce quomodo computati sunt inter filios Dei*, &c. *Ergo errauimus.* Cæterùm Deus sæpè fons dicitur, vnde omnia bona deriuantur ad homines. Dicitur *fons aquæ viuæ*, Ieremiæ cap. 2. *fons vitæ*, Psal. 35. *fons sapientiæ*, Eccli. 1. *Omnis sapientia à Domino Deo est, & cum illo fuit semper, & est ante æuum.* Plurima in hanc sententiam habes in eodem capite.

12. Vers. 13. *Habitasses vtique in pace super terram.*] Pax in Scriptura quàm latissimè patet; significat enim bonorum abundantiam, quietem, & otium, denique quicquid est hominibus optabile. Hanc porrò pacem Deus his, qui sua mandata obseruare voluerint, cumulatè promittit. Psal. 80. *Si populus meus audiisset me, Israel si in viis meis ambulasset.* Isaiæ cap. 48. v. 18. ad hos eosdem captiuos loquitur, & eadem prorsus dicit, quæ nunc Baruch. *Vtinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua, & iustitia tua sicut gurgites maris. Et fuisset quasi arena semen tuum; & stirps vteri tui, vt lapilli eius, Non interiisset, & non fuisset attritum nomen eius.*

13. *Prudentia vera quæ.* Vers. 14. *Disce vbi sit prudentia, vbi sit virtus, vbi sit intellectus, vt scias simul, vbi sit longitudo vitæ, & victus, vbi sit lumen oculorum, & pax.*] Fontem aperit, vnde bonorum omnium commoditas, & affluentia profluit: nempe ex prudentia, qualis non est illa, quæ terrena captat commoda, quæ callidè scrutatur, & solerter inuenit, de qua statim. Qui enim his rebus futilibus inhiant, satis indicant lõgè sibi abesse prudentiam. Quod idem de intellectu dicendum est, qui in peccatore non est, quem Scriptura sæpè stultum, & amentẽ appellat. Neque ab hac cogitatione abeunt, qui inter profanos habiti sunt sapientes. Sane Aristoteles peccati ignorantiam attribuit. Hæc porrò duo cum virtute, vt vides, coniunguntur, quia si virtus absit, illa tam longè sunt vt honesta, aut vtilia iudicentur, vt potiùs possessori suo, & communibus rationibus officiãt. Quid verò hæc, nisi virtutem ducem, & sociam habeant, nocumẽti afferant, statim declaratur, dum veri intellectus, atque prudentiæ fructus ostenditur. Ex vero etenim intellectu, & prudentia longanimitas vitæ, & victus, & lumen oculorum, & pax oriuntur. Hauddubium quin ex illa, quæ non est tam prudentia, quam calliditas, & ex eo, qui ab ignaris intellectus dicitur; cùm tamen mentis sit cæcitas, & stupor, contraria nascantur; vitæ nimirum breuitas, inopia, cæcitas, & animi continua turbatio.

14. *Prudentia vera quãta commoda.* *Vbi sit longanimitas vitæ.*] Longa vita legis obseruanti promittitur, Prouerb. c. 3. *Fili mi, ne obliuiscaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum custodiat. Lõgitudinem enim dierũ, & annos vitæ, & pacẽ apponent tibi.* Et iterum v. 16. cùm de vera sapientia, de qua nunc Propheta loquitur, egisset Salomon, subdit, *Longitudo dierum in dextera eius: & in sinistra eius diuitiæ, & gloria.* Promittuntur quoque humanæ vitæ necessaria subsidia; qualis est victus copiosus, & salubris. De quibus plura inuenies in Scriptura sacra testimonia. Lege *cap. 28. Deut.* vbi legum custodiæ luculenta promittuntur bona. Sed *Leuit. c. 26.* hæc fermè omnia expressa reperies, quæ nunc legis in Baruch. *Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluuias temporibus suis, terra gignet germẽ suum, & pomis ar-* A *bores replebuntur. Apprehendet messiũ tritura vindemiã, & vindemia occupabit sementem: & comedetis panem vestrum in saturitate, & absque pauore habitabitis in terra vestra. Dabo pacẽ in finibus vestris, & non erit qui exterreat.* Neque pauciora sunt testimonia, quæ legem oculorum dicunt esse lumen. Psal. 18. v. 9. *Præceptũ Domini lucidum illuminans oculos.* Et Prouerb. 6. v. 23. *Mandatum lucerna est, & lux, & via vitæ.*

Vers. 15. *Quis inuenit locum eius? & quis intrauit in thesauros eius?*] Ostendit Propheta fuisse perpaucos, 15.
qui hanc veram sapientiam inuenerunt, & hauserunt ex illa immensos illos thesauros, quos ibi Deus condidit, seruauitque illis, qui peregrina contempserunt dogmata, & totos se ad diuinæ legis custodiã applicuere. *Sapientia vbi, & quomodo inuestiganda.* B A quorum numero excludit homines, qui terrena venantur commoda; qui voluptatibus seruiunt; qui in eo felicitatem suam esse putant, si delitiis abundent; & nihil eorũ desit, quæ oblectamena censentur, aut blandimenta naturæ. Hæc eadem multis antea sæculis Iob *cap. 28. à v. 12.* vbi illius splendorem, & vsus optimè describit. *Sapientia*, inquit, *vbi inuenitur? & quis est locus intelligentiæ? Nescit homo pretium eius, nec inuenitur in terra suauiter viuentium.* Quod etiam nũc Propheta docet, dum sapientiam remouet ab his, qui ludicris studiis, & voluptatibus indulgent.

Vers. 16. *Vbi sunt principes Gentium, & qui dominantur super bestias quæ sunt super terram.*] Isti sunt, quos 16.
Propheta à veræ sapientiæ possessione secludit, *Quæ vana sapientia.* C quósque Iob dixit in terra viuere suauiter. Hæc enim quæ hîc commemorãtur, à stulta potiùs ambitione, aut ab inerte voluptate nascuntur, quàm à vera sapientia. Sic sanè Salomon reipsa expertus est, qui vbi congregauit omnia, quæ homines in ornamentis, atque deliciis numerant, tandem conclusit, vanitatem esse hæc omnia, & afflictionem spiritus. Eccl. 2. à v. 4. *Magnificaui opera mea, ædificaui mihi domos, & plãtaui vineas, &c. Possedi seruos, & ancillas, multámque familiam habui; armenta quoque, & magnos ouium greges vltra omnes, qui fuerunt ante me in Ierusalem. Coaceruaui mihi argentũ, & aurum, & substantias regum, & prouinciarum. Feci mihi cantores, & cãtatrices, & delicias filiorum hominum, &c. Et vidi in omnibus* D *vanitatem, & afflictionem animi.* Hæc omnia Propheta numerat in illis, quos à sana veráque sapientia excidisse dicit. Et primùm hos appellat principes Gentium, qui in bestiis dominãtur terræ, quia plurimos obtinent greges, & armenta; qui equis vehuntur, & dromedariis, & impatiẽtes iugi; atque indociles belluas condocefaciunt, & ad iugũ cogunt: qui denique tũc se gloriosos prædicant, & ambitiosè triũphant, cùm illa, quæ cicurari non posse videbantur, neque ad disciplinã, & imperium adigi, seruire suis commodis, & voluntati faciũt. *Qui belluas dominarũt, & in illis gloriati sunt.* Qualia quidã adiunxere curribus, quo maior accederet admiratio ad triumphalem gloriam. Marcus Antonius; vt author est Plinius *lib. 8. c. 16.* E leones sub iugum egit, qui traxerunt currum, in quo ipse triumphauit. Heliogabalus item leones, & tigres iugo subdidit, vt in eius vita tradit Lampridius. Neque melius actũ est cum elephantis, quibus etiam Gordianus iugum imposuit, vt tradit in illius vita Capitolinus. Quot modis homines, & quàm varios ad vsus elephantis imperarint, docet Plinius *lib. 8. c. 2.* De imperio hominũ in belluas optimè Cicero lib. 2. de natura Deorũ. *Efficimus*, inquit, *domitu nostro quadrupedum vectiones, quarum celeritas, atque vis nobis ipsis affert vim, & celeritatem. Nos onera quibusdam bestiis, nos iuga imponimus, nos elephantorum acutissimis sensibus, nos sagacitate canum ad vtilitatem nostram abutimur.*

Vers. 17.

17. Vers. 17. *Qui in auibus cæli ludunt.*] Magnum est terræ belluas, quæ nos longe robore, ac celeritate vincunt, domuisse; non tamen illud vsque adeò mirabile, cùm in terra nobiscum habitent, neque se à nobis altiùs attollant. At illud prorsus mirabile, quódque valde commendat hominum solertiam, quod cùm aues longè sint a nobis, cùm in aëre volent, & nonnunquam valde cælo proximè; inde tamen hominum industria detrahantur ad mensam, & delitias, imò quod mirere magis, condocefiant volucres, quarum ministerio ad aliarum aucupium vtimur, vltrò redire ad hominum manus, & suam libertatem cum seruili quadam conditione permutare. Hoc enim est in auibus cæli ludere; mirabiles enim ludos præbent hæ volucres, dum in aëre certant, quibus tenent diu cum voluptate aucupis oculos, etiamsi nihil inde vtilitatis expectent.

Ex auibus quantus hominibus vsus, & voluptas.

18. Vers. 18. *Qui argentum thesaurizant.*] In hoc etiam spectatur humana calliditas, quæ terræ scrutatur viscera, & inde metallorum, & lapillorum species effodit innumeras, in quibus artificio mirabili varias exprimit formas. Sic enim interpretor illud, *Qui argentum fabricant.* In argento porrò siue conflando, siue cælando, non minor apparet, quàm in acquirendo solertia.

19. *Neque est inuentio operum illorum.*] Ad duos sensus patet hic locus; vtrum illorum amplectar, constitutum non habeo. Alter est, tot esse hominum machinamenta, tot ingenij solertis artificia, tot ab illis opera constructa; vt non facilè quis illa possit aut inuenire perscrutando, aut numerando percensere. Quod magnum argumentum est magnam esse vim illam ingenij, quam imperitum hominum vulgus prudentiam appellat. Alter est, illa omnia, quæ tot artificiis hominum sagacitas aut inuenit, aut excudit, nihil illis attulisse compendij; qui fucatum tantùm splendorem habuerunt, & vsum omninò momentaneum. Quod probat, quod proximè subiicitur. Et huc magis inclinat animus.

20. Vers. 19. *Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt.*] Hinc probat illam nullo modo vocari posse prudentiam, quæ res hasce aucupatur inutiles; quæ neque possessores suos sequitur, cùm è viuis excesserint, neque illos, dum in viuis agunt, aut reddunt meliores, aut non nisi fucato splendore nobilitant. Descendunt enim ad inferos, siue sepulcrum intelligas, siue carcerem damnatorum æternũ, onerati peccatis; neque ex illa bonorum possessione, in quam hæredes statim successerunt, quicquam habent in illud tempus vsus, nisi perpetuam lugendi materiam. Hoc autem studium congregandi diuitias vanitatem appellat Salomon Eccl. 2. v. 18. *Detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboraui, habiturus haeredem post me, quem ignoro vtrùm sapiens, an stultus futurus sit: & dominabitur in laboribus meis, quibus desudaui, & sollicitus fui. Et est quicquam tam vanum?* Et clariùs Psal. 48. v. 11. *Relinquent alienis diuitias suas: & sepulcra eorum domus illorum in æternum.*

Diuitiæ momentaneæ, & inutiles.

Stultus qui hæredibus thesaurizat.

21. Vers. 20. *Iuuenes viderunt lumen, & habitauerunt super terram, viam autem disciplinæ ignorauerunt.*] Iuuentutis affinis est ignorantia; quare iuuenem, aut puerum appellamus eum, cui nondum ingenij maturitas aduenit, qualem Isaias vocat stultum senem. *Maledictus,* inquit, *puer centum annorum.* Qui videlicet cùm ætate sit grandi, puerile tamen habet ingenium. Erit ergo sensus. Vixerunt illi, & habitarunt in terra, neque tamen veram agnouere sapientiam, neque fecerunt quominus viderentur excessisse ex ephebis, & ignorantiam deposuisse iuuenilem. Videre porrò lumen, idem est quod viuere, non solùm apud sacros, sed etiam profanos authores. Sic Ouidius lib. 5. Tristium, eleg. 10.

Qui sunt pueri.

Dúmque quod (ó breue sit) lumen vitale videbo,
Seruiet officio spiritus iste tuo.

Vnde vulgare est *cassus lumine, spoliatus lumine,* pro mortuo; & à Græcis viui dicuntur βλέποντες. Huic affine est, quod dixit Virgilius lib. 4. Æneidos, *Tædet cæli conuexa tueri.* id est, viuere.

Vers. 22. *Non est audita in terra Chanaan, neque visa est in Theman.*] In Chananæis negotiatores intelliguntur; id enim nomen ipsum importat, iuxta illud Oseæ cap. 12. v. 7. *Chanaan in manu eius statera dolosa, calumniam dilexit.* Quòd si ad Chananæus Tyrij pertinent, & Phœnices, hi sanè quò diuitias acquirant, nihil nõ audent, maria transmittunt, & in eam curã mille oculis inuigilant. In Theman sapientes intelliguntur. Vt enim ciuitates aliæ scholas habuere, & commune literarum emporiũ; quale habuisse creditur Cariath Sephar, & Abela: sic etiam Theman ciuitas fuit in Idumæa nobilis, in qua Academia aliqua fuit, aut in qua sapientum hominum claruerunt ingenia. Fuisse autem ibi sapientes docet Ieremias cap. 49. v. 7. *Nunquid non vltra est sapientia in Theman? Periit consilium à filiis; inutilis facta est sapientia eorum.* Et Eliphaz Themanites, qui cũ Iob omniũ acerrimè disputauit, sapientissimus esse traditur, qui, vt nomen ipsum præsefert, aut erat ex vrbe Theman, aut in Theman disciplinis philosophicis fuerat excultus. In Chananæis igitur, & Themanitis illorum non tam sapientiam, quàm calliditatem, & solertiam, aut vanam philosophiam reprehendit, quæ terrenis inhiant commodis, & cælestium bonorum obliuiscuntur. 22.

Themanitæ sapientes.

Vers. 23. *Filij quoque Agar, qui exquirunt prudentiam, quæ de terra est.*] Hi sunt, qui ex Ismaele genus ducunt: hunc autem, vt constat *Genesis cap.* 16. genuit Agar; qui ab aliis Sarraceni, ab aliis Agareni meliùs vocati sunt, sed in Scriptura Ismaelitæ vocantur. Hos verò fuisse negotiatores, atque ideo humanam habuisse prudentiam, liquet ex *Gen. cap. 37. v. 25.* vbi dicuntur portasse de Galaad camelos onustos aromate in Ægyptum. Qui etiã videntur aliquibus disciplinis studuisse, vt indicant non obscurè, quæ sequuntur. 23.

Ismaelitæ mercatores callidi.

Negotiatores Merrha, & Theman, fabulatores, & exquisitores prudentiæ.] Hæc de Agarenis, seu Ismaelitis, Merrhaitis, atque Themanitis dicuntur, in quibus aliquod fuit studium moralis seu philosophieæ disciplinæ. De Themanitis iam diximus. De Ismaelitis suadet Ietro Moysi socer, qui prudens genero consilium dedit, *Exod. 18.* Hic verò Ismaelites fuit, licèt eo loco Madianites appelletur; Madianites enim idem est qui Ismaelites, vt constat *Genes. cap.* 37. vbi iidem negotiatores Ismaelitæ, & Madianitæ nominantur. Quid sit Merrha, incertum est, cùm tantùm reperiatur in hoc loco; est tamen verisimile similem fuisse Theman. Dicuntur autem hi fabulatores, vel quia illorum scientia, licèt suis authoribus arguta videatur, & plena dignitatis; quia tamẽ de terra est, fabulosa videtur, & nugatoria: aut certè quia parabolis, & symbolis suam moralem, & physicam scientiam incluserunt. Ita putat Theodoretus. Et sanè in tota Syria, Hieronymo teste *in cap. 18. Matthæi*, frequenti erant in vsu parabolæ, & similitudines, quibus moralis continebatur doctrina, & 24.

Humana sapientia futilis, & vana.

Digitized by Google

& hominum explicabatur cogitatio. Hæ verò regiones aut pertinebant ad Syriam, aut ab illa vtpote vicina hoc dicendi, aut disputandi genus acceperunt.

24. Vers. 24. *O Israel, quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius.*] Hic multa interpretes de hac domo, neque omnibus idem de re tanta iudicium. Alij templum esse putant, alij totam terram promissionis; suæ cuique rationes, & firmamenta sunt. Dicam ego paucis quod minùs impeditum, & magis ad textum, & mores esse iudico. Vsitatum est Prophetis, vt ex oblata occasione, anagogico sensu ad aliquid excelsius, & spirituale magis sermonem, aut vaticinium traducant. Quod nos pluribus docuimus ad illud Zachariæ cap. 13. v. 7. *Framea suscitare super pastorem meum.* Vbi verò anagogicum illud, aut spirituale interpositum est, ad interruptum filum reuertitur oratio. Quare illud quasi à filo diuulsum, parenthesi conclusum, à textu, & filo continuato secernitur. Ergo ab his verbis ad illud v. 26. *Ibi fuerunt gigantes.* separatim legendum est, quasi aliquid alienum.

REGVLA. *Ex oblata occasione sermo ad Euangelium, seu ad cælestia traducitur.*

25. Cùm igitur Propheta considerasset varia hominum studia, quibus aliquid fallax, & futile proponitur, quasi doleret in eo etiam errore versari filios Israel, quos idem stupor, atque vecordia in longum exilium, & seruitutis duræ incommoda compegerat; ad illos conuertit orationem, & meditari iubet, quàm sit domus Domini, id est, cælestis commoratio, & æterna possessio ingens, atque præclara, vt à fugacibus, & terrenis non tam bonis, quàm inani bonorum simulacro cogitationem auocent, & toto ferantur animo ad æternam illam, & amplam possessionem.

Beatitudinis, & gloria magnitudo.

26. Vers. 25. *Magnus est, & non habet finem, excelsus, & immensus.*] Hæc in cælum optimè, Beatorúmque sedes; in terram verò promissionis nullo modo conueniunt, cuius angusti sunt fines: tantum abest, vt immensa nominari debeat. In hanc iubet animum, oculósque conuertere, vt mirari desinant fugacia hæc, & sordida homines ad maiora vocati, & ad cælestium rerum possessionem incunctanter aspirent. Sic sanè faciebat B. P. Ignatius, cui, cùm cælum aspiceret, sordere omninò humana omnia videbantur. Neque aliter sentiunt qui aliquid de cælesti suauitate gustarunt. Hic finitur parenthesis.

27. Vers. 26. *Ibi fuerunt gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt, statura magna scientes bellum.*] Absoluta parenthesi, ad interrupta reuertitur; ad illos nempe, qui cùm potentes essent, vtpote principes, & qui belluas indociles iugi ad iugum, & vincula coëgerint: & illos, qui cùm solertes essent, & callidi, astuto negotiandi genere opes sibi congessere quamplurimas; qui tamen veram non inuenere sapientiam. Nunc addit illos, quibus ad vastitatem, & proceritatem corporis accessit quoque virium magnitudo, & ad res aggrediendas singularis audacia; quibus tamen incompertam fuisse dicit sapientiæ semitam, quam humana vis nulla, aut solertia deprehendit, cùm à Deo, cuius est donum, reuelari tantùm, & obtineri possit.

28. Hic nobis tria exploranda. Primum, quid illud *ibi* sibi velit. Quidam ex hac voce, gigantúmque nomine coniectant, neque proximè de cælo, neque de Solymitano templo sermonem esse; cùm neque in templo gigantes fuerint, neque in cælo. Atque ideo de terra promissionis agi putant, in qua olim fuerunt homines de stirpe Enac ea corporis mole, vt Israelitæ cum illis comparati quasi locustæ viderentur. Sed hæc ratio iam à nobis nuper explosa est. Diximus enim ea, quæ de domo Domini dicuntur à Propheta, aliena esse à textu sermonis, atque ideo tanquam separatum aliquid parenthesi claudenda. Ego illud *ibi* non ad locum aliquem refero, sed ad illorum numerum, qui cùm aliquid inter alios haberent eximium, veram tamen sapientiam consecuti non sunt. Quasi dicat, inter illos, qui sapientiam non inuenerunt, cùm tamen aut opibus valerent, aut ingenio, illos etiam numerari, qui corporis proceritate, ac robore præstitere, quales fuere Gigantes, quorum superioribus sæculis nomen illustre.

Porrò huiusmodi aduerbia localia pro nominibus in hanc, quam diximus, sententiam, aut in alias affines vsurpari, res est vsu frequens, & hominum maximè Latinorum authoritas confirmat. Sic dicimus, *huc spectat, huc facit*, id est, ad hanc sententiam: & cùm alij præcesserunt in eodem numero, atque ordine, ex quibus aliquis assumitur, aut cum quibus aliquis censetur, per aduerbium illud frequenter explicamus. Veluti cùm Cardinales, aut Areopagitas nominamus, *inde* dicimus assumi Pontificem, aut prouinciarum administratores, id est, ex eorum collegio, ac numero. Neque minùs propriè diceretur *ibi*, id est, inter eos esse Italos, Gallos, Hispanos. Plura exempla nobis suppeditat Virgilius *lib. 6. Æneid.* vbi cùm alios nominasset, qui vel in Auerno cruciantur, vel in Elysiis campis vitam agunt beatam, cùm inter eos speciatim aliquos enumerat, aduerbium adhibet *hic*, quod licèt locum denotet, & hoc magis propriè, spectat tamen illos, qui in illo sunt loco; cùm ageret de viris, quos bellicus nobilitauit splendor, ait: 29.

REGVLA. *Aduerbia localia pro nominibus sumpta.*

Hic illi occurrit Tydeus, hic inclytus armis
Parthenopæus, & Adrasti pallentis imago.
Hic multum fleti ad superos, belliquè caduci
Dardanidæ.

Et cùm aliquos fortunatos numerasset, addidit:

Hic genus antiquum Teucri pulcerrima proles.

Et paulo pòst:

Hic manus ob patriam pugnando vulnera passi.

Cùm vero gigantes dicuntur ab initio, non necessariò illi intelliguntur qui fuere primis vniuersi temporibus, illi nempe, qui Noëticum antecessere diluuium; qui *Genes. cap. 6. v. 5.* viri dicuntur à sæculo famosi; qui, quod idem est, appellantur hîc à Propheta *viri nominati*. Initium enim in Scriptura sacra non semper dicitur; quod primum omninò fuit, sed quòd antiquissimum; quale fuit Patriarcharum tempus. Neque vt hæc probemus, alio indigemus exemplo. Hi iidem gigantes, etiamsi demus illos esse, de quibus hic Propheta loquitur, qui proximè diluuium præcesserunt; quod non puto: non tamen, si rem ad seuerum examẽ explores, dici possunt ab initio mundi, quia ad illorum tempus, id est, ad diluuium, anni intercessere ad mille, & septingentos. Fuerũt igitur gigãtes, tã illi, quàm qui sub Israelitarũ ingressũ in terrã promissionis, Chananitidẽ regionẽ occuparũt; quorũ è numero, & genere fuerunt filij Araphah, & Og rex Basan, de quo *Numer. c. 21. & Deut. 3.* Qui tamẽ licèt esset fortissimi, nõ tamẽ cõsecuti sunt, vt mortẽ declinarent: neque genus illud procerum, & vastum conseruare potuerunt. Ex illa enim tanta multitudine vnus erat reliquus Og. Sic enim Deuter. 3. v. 11. *Solus Og rex Basan resiterat de stirpe gigantum.* 30.

REGVLA. *Initium, principium, & similia non semper primum, sed aliquando antiquum valent.*

Vers. 27.

31. Verſ. 27. *Non hos elegit Dominus, neque viam diſciplinæ inuenerunt.*] Oſtendit, vnde hominibus conceſſa fuerit veræ ſapientiæ cognitio ſalutaris; non ſanè ab alio, quàm à Deo, qui populum Iudæorũ elegit, illique tantùm hoc donum impertitus eſt. Quod ſi, vt par erat, accuratè ſeruarẽt, nũquam eo mortis genere, ac modo periiſsẽt, quo gigantes, & principes, alij denique omnes, de quibus proximè, qui ad inanem, futilémque ſapientiam applicuerunt totas animi, atque ingenij vires.

32. Verſ. 29. *Quis aſcendit in cœlum, & accepit eam, & deduxit eam de nubibus.*] Duæ ab Apoſtolo Iacobo *cap.3.v.15.* conſtituuntur ſapientiæ formæ. Altera, quæ de terrenis cogitat, ſeruítque immoderatis animi motibus: quam terrenam vocat, animalem, diabolicam: quam aſſecuti ſunt, ſeu potiùs amplexati principes illi, atque gigantes, de quibus modò. Altera, quæ cæleſtia meditatur, quæ pudica eſt, pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia, & fructibus bonis. Et hanc dicit eſſe deſurſum; aut quia ſuperna tantùm, & cæleſtia conſiderat; aut, quod verius puto, quia nullo hominum ſtudio, atque labore comparatur, ſed à cælo deſcendit, & à Deo ſolo communicatur hominibus. De hac nunc Propheta loquitur, & docet à ſolo Deo præſtari mortalibus, qui neque ad cælum poſſunt aſcendere, neque illam ſecum de nubibus deducere; quam idem Iacobus *cap.1.* docet à Domino ſolùm eſſe poſtulandam, qui dat illam omnibus affluenter.

Sapientiæ duæ ſpecies valde inter ſe contrariæ.

33. Verſ. 30. *Quis transfretauit mare, & inuenit illam, & attulit illam ſuper aurum electum?*] Egerat ſuprà de negotiatoribus, quorum prudentia, ſeu ſolertia eò ſpectat, vt opes vndecumque conuerrat. Ait igitur ab his neque diuitiis, neque vllo artificio ſapientiam illam eſſe comparabilem; quia cùm de cælo ſit, fruſtrà in tranſmarinis regionibus indagatur. Neque ſi ibi eam inueniſſe contigerit, vllum erit pretium, quo emi poſſit à mercatore quantumuis opulento, ac cupido. Id enim valet illud, *ſuper aurum electum.* id eſt, pro auro obryzo, & puro. Dixit hoc idem Iob cap. 28. *v.15. Non dabitur aurum obryzum pro ea (ſapientia) nec appendetur argentum in commutatione eius.* Et Prouerb. 3. v. 14. *Melior eſt acquiſitio eius negotiatione auri, & argenti, primi, & puriſſimi fructus eius.*

Diuina ſapientia omni pretio maior.

34. Verſ. 32. *Sed qui ſcit vniuerſa, nouit eam.*] Deſcribit ab effectibus Deum, qui rerum omnium creator eſt, quas ſingulatim numerat: quæ quia obſcuræ non ſunt, ab illis commemorandis, & explicandis abſtineo.

35. Verſ. 34. *Stellæ autem dederunt lumen in cuſtodiis ſuis.*] Aſtrorum ordo cælorum dicitur militia, & de illis tanquam de militibus, qui ſtant in acie, ſæpè Scriptura loquitur Iudic. 5. v. 20. *Stellæ manentes in ordine, & curſu ſuo aduerſus Siſarã pugnauerunt.* In cuſtodiis autem ſuis dicuntur dediſſe lumen, id eſt, in ſtationibus ab imperatore Deo deſignatis.

36. Verſ. 36. *Et non æſtimabitur alius aduerſus eum.*] Id eſt, in cuius comparatione nihil ſunt illi, qui à deluſa Gentilitate exiſtimantur Dij.

37. Verſ. 37. *Hic adinuenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam Iacob puero ſuo.*] Deus ſic eſt populum Iſraeliticum amplexus amanter, vt illi diſciplinæ viam aperuerit, quam primum Iacob, id eſt Iſraeliticæ gentis parenti impertitus eſt, vt ad poſteros ſuos deinde tranſmitteret. Notum eſt Iacob, & Iſrael pro toto Iſraelitico genere vſurpari: huic autem populo variis temporibus ac locis ſuam Deus voluntatem oſtendit, primùm Abrahæ, deinde Iſaac, poſtea Iacob, & Moyſi; quibus omnibus Chriſtum, qui legis author, & conſummator eſt, aut promiſit, aut præmonſtrauit. Quod beneficium ſic agnouerunt antiqui, vt ideo ſe præ reliquis populis fortunatos vocarent. Et ſanè meritò, neque enim vulgare beneficium eſt accepiſſe à Deo legem, & ſalutarem viuendi formam, vbi tot ſunt veteratores, & humanæ ſalutis inimici, qui nouas quotidie leges, eáſque vehementer noxias inueniunt, ſtolidiſque hominum animis perſuadent. Sic ſanè putabat Dauid Pſal. 147. qui eam ob cauſam deberi exiſtimabat Domino laudem ſempiternam. *Qui annunciat verbum ſuum Iacob, iuſtitias, & iudicia ſua Iſrael. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis.* In his legibus vera continetur ſapientia, quam hominum vis, & ſolertia non inuenit. Sed audi aliquid maius, & quod in hominum memoria æternum debet eſſe beneficium.

Magnum beneficium datam eſſe legem.

38. Verſ. 38. *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.*] Habuerunt Iſraelitæ legem à Domino, quæ rectas ad vitam, atque ſapientiam ſemitas oſtenderet aperirétque. Magnum hoc, & illuſtre paternæ charitatis argumentum. Sed illud longè maius, quod non ſolùm lex data, ſed ipſe etiam legiſlator datus eſt hominibus; qui non iam verbis alienis, ſicut antea per Prophetas, & Moyſem, ſed ſuis populum illum licèt ingratum, & interdum indocilem inſtrueret. Quod fecit non tantùm ſermone viuido, atque acri, ſed etiam exemplo, in quo maior eſt ad docendum, & perſuadendum efficacitas. Id enim indicat illud, *Et cum hominibus conuerſatus eſt.* Quòd autem ille idem, qui cum hominibus conuerſatus eſt, legem olim per Moyſem Iſraeli dederit, docet Paulus *ad Galat. cap. 3. v. 19.* vt nonnulli putant, in quibus ſunt Chryſoſtomus, S. Thomas, Theophylactus, OEcumenius, Legionenſis, Maldonatus *hic*, qui mediatorem, in cuius manu lex data dicitur ab Apoſtolo, Chriſtum eſſe dicunt. Scio aliquos in Mediatore Moyſem agnoſcere; à qua ego diſputatione in præſentia abſtineo. Hoc dico, antiquos omnes Patres, & interpretes hunc locum accepiſſe de Chriſto: qui locus illuſtris eſt, & valde notatus. Neque qui contrà ſentiunt, aliquid afferunt, quod premat in oppoſitum. Vide Lyram, qui aliorum contra communem ſententiam rationes adducit. Huc ſpectaſſe videtur Ioannes *cap.1.* cùm dixit, *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.*

Deus cum hominibus conuerſatus.

[library stamp]

IN CAPVT QVARTVM

ARGVMENTVM.

DOCET primùm, vnde vera sapientia, quam mundi sapientes inuenire nunquam potuere, petenda sit. Ad cuius studium, & amorem Israeliticum genus exhortatur. Deinde Hierosolymam inducit miserabile filiorum exitium deplorantem, quæ docet, vnde tanta filiis suis calamitas aduenerit, quos ad meliorem viuendi modum inuitat, & mærentes consolatur animos, spe proposita futuræ libertatis & proximæ Babylonis, maximaque ruinæ, quam patietur à victore Persa. Postea hæc eadem Propheta proponit Hierosolymæ, quo grauem mærorem ex animo detergit.

CAPVT IV.

1. HIc liber mandatorum Dei, & lex quæ est in æternum, omnes qui tenent eam peruenient ad vitam: qui autem dereliquerunt eam, in mortem. A

2. Conuertere Iacob, & apprehende eam, ambula per viam ad splendorem eius contra lumen eius. B

3. Ne tradas alteri gloriam tuam, & dignitatem tuam genti alienæ.

C

4. Beati sumus Israel: quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis.

5. Animæquior esto populus Dei, memorabilis Israel.

6. Venundati estis Gentibus non in perditionem: sed propter quòd in ira ad iracundiam prouocastis Deum, traditi estis aduersariis. D

7. Exacerbastis enim eum qui fecit vos Deum æternum, immolantes dæmoniis, & non Deo.

8. Obliti

PARAPHRASIS.

1. AVdistis, ô Israelitæ, qualis fuerit scientia, quam secuti sunt alij, qui cùm callidi viderentur, & fortes, ignobili tamen, & infelici morte perierunt. Tum deinde quam legem Dominus Iacobo tanti populi parenti tradiderit. Illa est mandatorum omnium summa complexio; illa est lex æterna, quam qui fideli, ac solida religione seruauerit, vitam consequetur, & pacem: si cui tamen ab illa aberrare contingat, mors est illi, & vitæ conditio misera proposita.

2. Quare, ô popule, qui ab Israele parente propagatus es legẽ istam amplectere, & quam hactenus tenuisti viuendi rationem execrare, & in illius splendorem, tanquam in rectam viuendi formam semper intentus aliorsum ab illius semita nusquam deflecte.

3. Gloriosus eras tunc, ô Israel, cùm mores tuos ad diuinæ legis præscriptum informabas: nunc ad pristinum viuendi modum animum refer, & illud tibi ius aliquando vendica, quod in caput tuum alienis populis tradidisti.

4. Præclarè nobiscum actum est, ô Israel, & vsque adeò benignè, vt vocari iure possimus fortunati, quia data nobis lege, quid Deo voluptati foret, manifestè cognouimus.

5. Bono esto animo, ô popule, quem Deus suum esse voluit; neque enim Deus obliuiscetur tui, cuius memoriale secum perpetuò gestat.

6. Addixit quidem vos, ô Israelitæ, Dominus Gentium seruituti; non tamen vt omninò perderet, aut Iudæorum nomen funditus extingueret; sed quia peccando illius furorem in vestrum caput acuistis, paterna corripuit manu, ne forent impunita peccata, & vt vos ad officium, & meliorem mentem reuocaret.

7. Ideo vos Deus inimicorum vestrorum potestati tradidit, quia æterni Dei, à quo

Digitized by Google

A quo spiritum, & vitam accepistis, exulcerastis animum, dum ab illius religione ad dæmoniorum cultum nefaria sacrificia transtulistis.

8. Obliti enim estis Deum, qui nutriuit vos, & contristastis nutricem vestram Ierusalem.

8. Obliti estis illius, à quo talem estis indulgentiam experti, qualem infans accipit à nutrice. Et genitricem vestram Ierusalem, quæ maternis vos lactauit vberibus, grauibus dolorum compunxistis aculeis.

9. Vidit enim iracundiam à Deo venientem vobis, & dixit: Audite confines Sion, adduxit enim mihi Deus luctum magnum.

9. Quæ cùm videret, quid iamiam à Domino vobis impenderet supplicij, conuersa ad vicinas sibi regiones, illas ad doloris, & luctus societatem inuitans, magnam sibi clamat lugendi paratam à Domino materiam.

B

10. Vidi enim captiuitatem populi mei, filiorum meorum, & filiarum, quam superduxit illis æternus.

10. Prospicere, inquit, mihi videor populi mei exilium miserabile, & captiuitatem, quam filij mei, & filiæ ab immortali, atque æterno Deo sustinebunt.

11. Nutriui enim illos cum iucunditate: dimisi autem illos cum fletu, & luctu.

11. Neque est cur cuiquam mirum esse videatur, quòd tam amarè lugeam, cùm filios, quos iucundè, ac delicatè nutriui, nunc mœrentes, ac sordidos à meo complexu diuelli conspicer.

C

12. Nemo gaudeat super me viduam, & desolatam: à multis derelicta sum propter peccata filiorum meorum, quia declinauerunt à lege Dei.

12. Nullus vestrùm, ô vicini populi, tam ferreo sit, & hostili animo, vt in mea viduitate, aut in meis se doloribus, & lacrymis oblectet; quin potiùs pias mecum in hac orbitate lacrymas adiungat. Quia enim à præscripta sibi viuendi forma deerrauerunt filij, ipsorum peccata numerosam mihi sobolem abstulerunt.

13. Iustitias autem ipsius nescierunt, nec ambulauerunt per vias mandatorum Dei, neque per semitas veritatis eius cum iustitia ingressi sunt.

13. Neque enim quid esset à Domino præceptum, quicquam habuerunt pensi, & multo minùs per mandatorum vias ingressi sunt, neque in iustitiæ, ac veritatis semita vestigia posuerunt.

D

14. Veniant confines Sion, & memorentur captiuitatem filiorum, & filiarum mearum, quam superduxit illis æternus.

14. Adsint igitur Gentes vicinæ Hierosolymæ, & diram filiorum meorum captiuitatem, quam non mortalis homo, sed Deus immortalis induxit, simul mecum lamentando commemorent.

15. Adduxit enim super illos gentem de longinquo, gentem improbam, & alterius linguæ:

15. Induxit namque aduersùs illos è regione longinqua Gentem ingenio duro, & moribus improbis, & feris, cui sermonis vsus communis non est.

16. Qui non sunt reueriti senem, neque puerorum miserti sunt, & abduxerunt dilectos viduæ, & à filiis vnicam desolauerunt.

16. Qui neque seniles annos suspexere, neque infantilis ætatis miserti sunt, & à viduæ sinu charissimos filios abstraxerunt, & vnico filio, vnico videlicet matris solatio longiùs auulso, mœrorem matri, ac solitudinem amaram indixerunt.

E

17. Ego autem quid possum adiuuare vos?

17. Sed, ô me miseram, quid ego orba, infelix, viribus, atque opibus exhausta in hac, ô filij, tam aduersa fortuna potero vobis afferre subsidij?

18. Qui enim adduxit super vos mala, ipse vos eripiet de manibus inimicorum vestrorum.

18. Non est, ô filij, cur à me calamitatis vestræ remedium expectetis; ille sanare solus poterit, qui percussit vos. Qui malè vobis & captiuitatem inuexit, ille de inimicorum

Digitized by Google

A micorum vestrorum manibus eripiet.

19. Ambulate filij, ambulate: ego enim derelicta sum sola.

19. Vos, filij è paterna domo, meóque complexu ad barbarum discedite, atque hostile solum: at ego hinc orbata, & sola derelinquar.

20. Exui me stola pacis, indui autem me sacco obsecrationis, & clamabo ad Altissimum in diebus meis.

20. Quod viribus ab hoste potentiore obtinere non possum, id vt à clemente Deo precibus obtineam, quàm potero studiosissimè curabo. Quare maiestatis, atque lætitiæ ornamenta deposui, & saccum, ac cinerem assumpsi, quæ vt orationem plurimùm iuuant, sic etiam obsecra-
B tionis indumenta dicuntur. Et quandiu hæc vestra calamitas, & mea solitudo durauerit, non intermittam, quominus clamando diuinam misericordiam sollicitem.

21. Animæquiores estote filij, clamate ad Dominum, & eripiet vos de manu principum inimicorum.

21. Animæquiores igitur estote filij, & ad benè de vestra, communique fortuna sperandum animos excitate: seriò, & constanter in preces incumbite, & ad Deum clamate; ipse enim eripiet vos de illorum potestate, quorum in præsentia subiacetis imperio.

22. Ego enim speraui in æternum salutem vestram: & venit mihi gaudium à sancto super misericordia, quæ veniet vobis ab æterno salutari nostro.

C 22. Magnam mihi spem, atque fiduciam affert de salute, ac libertate vestra diuina clementia: sentióque mihi à Deo ingentem instillari lætitiam, dum benignitatem, ac misericordiam intueor, quam immortalis Deus, & vestræ salutis author, ac vindex indulgebit.

23. Emisi enim vos cum luctu & ploratu: reducet autem vos mihi Dominus cum gaudio & iucunditate in sempiternum.

23. Et cur non gaudeam, serióque triumphem, cùm vos cum fletu, ac lacrymis descendentes viderim; futurúmque videam, vt Deus vos postea in sinum meum
D non ad exigui temporis moram, cum plausu festiuo, & ingenti voluptate restituat.

24. Sicut enim viderunt vicinæ Sion captiuitatem vestram à Deo, sic videbunt & in celeritate salutem vestram à Deo, quæ superueniet vobis cum honore magno, & splendore æterno.

24. Vt autem prouinciæ, quæ Solymitanos attingunt fines, captiuitatem immissam à Deo conspicatæ sunt; sic breui, Deo ipso agente, libertatem vestram, & reditum videbunt, quem Dominus lætum vobis, & splendidum, ídque solidum, atque perpetuum præstabit.

25. Filij patienter sustinete iram, quæ superuenit vobis: persecutus est enim te inimicus tuus, sed citò videbis perditionem ipsius: & super ceruices ipsius ascendes.

25. Obdurate igitur tantisper, ô filij, & sustinete quodcumque ab offensione diuina infortunium obuenerit. Persequetur
E enim te, & durè vexabit inimicus; breui tamen sedabitur illa tempestas. Peribit enim citò, te spectante, atque plaudente, inimici potestas, & gloria; & tu super illius humeros, & ceruices ascendes.

26. Delicati mei ambulauerunt vias asperas, ducti sunt enim vt grex direptus ab inimicis.

26. Quos ego molliter, ac delicatè nutrieram, per aspera, ac senticosa loca in alienam regionem ablegati sunt, non aliter atque greges non à pastore prouido, & amante, sed à prædone inimico, ac barbaro coguntur.

27. Animæquiores estote filij, & proclamate

27. Meliora tamen sperate, ô filij, vt animum

mate ad Dominum: erit enim memoria vestra ab eo qui duxit vos. A

animum à mœrore,& solicitudine recipite, diuinam etiam atque etiam clementiam implorate: neque enim immemor erit vestri, qui vos nunc adigit extra patriam extorres.

28. *Sicut enim fuit sensus vester vt erraretis à Deo: decies tantùm iterum conuertentes requiretis eum.*

28. Sicut enim induxistis animum vesano planè consilio, vt à diuinorum mandatorum obseruantia ad insanum idolorum cultum abiretis, sic etiam spero fore, vt longè maiori studio, quàm recesseratis antea,ad fidem,& officium reuertamini.

29. *Qui enim induxit vobis mala, ipse rursum adducet vobis sempiternam iucunditatem cum salute vestra.* B

29. Qui malis vos ingentibus vrgeri permisit, ille idem iam placatus salutem vobis, & iucunditatem adducet sempiternam.

30. *Animaquior esto Ierusalem, exhortatur enim te,qui te nominauit.*

30. Huc vsque Ierusalem ad filios,nunc ad Ierusalem Propheta. Depone, ô Ierusalem, mœrorem, & animo meliora concipe; sic enim iubet Deus, qui elegit te, & nomen suum in tuo voluit audiri.

31. *Nocentes peribunt, qui te vexauerunt: & qui gratulati sunt in tua ruina,punientur.*

31. Qui te durè iactarunt, & grauibus affecere detrimentis, peribunt; & qui sibipsis de tua ruina gratulati sunt, non dissimili,imo grauiori casu punientur.

32. *Ciuitates,quibus seruierunt filij tui, punientur; & quæ accepit filios tuos.* C

32. Dabunt suæ crudelitatis pœnas ciuitates, quibus tu seruilem operam nauasti; sed illa præcipuè ciuitas, in qua filij tui plus temporis, & seruilis operæ posuerunt: subibit enim talia à victore Persa, qualia ipsa victrix onera Iudæis imposuit.

33. *Sicut enim gauisa est in tua ruina, & lætata est in casu tuo,sic contristabitur in sua desolatione.*

33. Sicut te cadente gauisa est,& in tua ruina mirificam cepit voluptatem; sic ad prœmaturæ voluptatis mensuram, & modum,cùm ipsa ceciderit,delebit.

34. *Et amputabitur exultatio multitudinis eius,& gaudimonium eius erit in luctum.* D

34. Illa porrò exultatio, qua gestiebat Babylonicæ Gentis multitudo, in illa fortunæ conuersione cessabit, & dura rerum vicissitudine in luctum, & planctum conuertetur iuuenile tripudium.

35. *Ignis enim superueniet ei ab æterno in longiturnis diebus,& habitabitur à dæmoniis in multitudine temporis.*

35. Immittet enim Dominus in ciuitatem illam incendium,quod diuturno tempore non extinguetur; & in vrbis ruinis quàm diutissimè syluestres feræ, & horribiles dæmonum species habitabunt.

36. *Circumspice Ierusalem ad Orientem, & vide iucunditatem à Deo tibi venientem.*

36. Ergo,ô Ierusalem, intende quoquò versùs oculos, & ab omni regione in filiorum reditu oblatam à Domino iucunditatem intuere.

37. *Ecce enim veniunt filij tui,quos dimisisti dispersos, veniunt collecti ab Oriente vsque ad Occidentem,in verbo sancti gaudentes in honorem Dei.*

37. Ecce enim filij, quos dispersos antè videras,collecti redeunt ab ortu,& occasu, & ab omni mundi plaga, cum festiuo plausu,& honore maximo,quemadmodum per Prophetas Deus antè promiserat.

---

1. TOTVM hoc caput obscurum non est, neque duo alia, quæ sequuntur, quorum filum nemo non pertexet; & quæ in illis continentur,non admodũ interpretis lucem & operã desiderant. Quare non videbor cũ huius operis incommodo,aut lectoris offensione horum capitum accuratam commentationem omissurus. Efficiam tamen, quantum potero, ne quid maneat obscurum, aut impeditum; commentatione quidem vbi locus inciderit implexus, & dubius; paraphrasis in aliis omnibus, quæ paucis complectitur,

Digitized by Google

ctitur, & elucidat plurima: atque ideo nihil omittam in quo aliquid à me operæ positum non fuerit. Primùm igitur obseruandum caput hoc quartum cum præcedenti contexi; explicarique magis, quæ dicta fuerant de sapientia priùs: cuius nomen diuinæ legi, & eius obseruationi tribuitur, in qua vera libertas est, & perfecta felicitas. Quare diuinam legem captiuo populo commendat, illique & optatæ libertatis lucem, & gloriosum reditum promittit.

2. Vers. 1. *Hic liber mandatorum Dei, & lex, quæ est in æternum: omnes, qui tenent eam, peruenient ad vitam.*] Liber mandatorum continet sapientiam, quæ non perit, sicut periit illa, quam principes, & qui solerti fuerunt, ac callido ingenio, quam denique gigantes sequebantur, qui in illius semitis traducti potius, quàm ad vitam, & gloriam inducti sunt. Librum porrò mandatorum illum vocat, qui continet ea, quæ proximè dixit data esse Iacob, id est, populo à Iacob, seu Israele propagato.

3. Vers. 2. *Contra lumen eius.*] Id est, in eius lumen, & splendorem semper intentus, ita vt nunquam aliorsum oculos dimoueas tuos.

5. Vers. 4. *Ne tradas alteri gloriam, & dignitatem tuam genti alienæ.*] Gloriosus erat tunc Israel, quando Deum vnum coluit; neque alienis se superstitionibus implicuit, cùm illius se formauit legibus, & Gentilium horruit delicamenta. Cùm autem veram prodidit, & fallacem religionem amplexus est, nihil illo vilius, nihil infortunatum magis. Hortatur igitur Propheta, si modò velit vitam liberam, honestam, & bonis omnibus cumulatam agere, neque se aliorum ludibriis irridendum præbere, vt referat se ad leges, quas abiecit, in quibus vera continetur sapientia; & illud sibi ius vendicet, quod in suum caput alienæ genti dedit.

6. Vers. 5. *Memorabilis Israel.*] Græcè μνημόσυνον Ἰσραήλ. id est, *memoriale Israel*. Cur *memoriale Israel* dicatur populus ille captiuus, & miser, nō vna ratio est, aut vna sententia. Quidam memorabilem Israel, aut memoriale dici putant, quia Deus, quocunque in loco, ac conditione fuerit, illius nunquã memoriã deponet. Quod alio in loco clariùs expressit Deus, *Isaia cap. 49. v. 15*. Ita Lyra, Dionysius, & Hugo. Alij μνημόσυνον esse dicunt, quia exiguæ illæ reliquiæ tanti populi faciunt, ne totus populus ille perierit; qui eo tantùm consilio ex communi cæde videntur esse superstites, vt aliquando fuisse Israeliticam gentem posteri cognoscerent. Quomodo ex ciuitatis ruinis ciuitatem eo in loco fuisse cognoscimus. Erit igitur memoriale, argumentum quoddam, ex quo externi populi coniectent, quanta Iudaici nominis fuerit amplitudo, & gloria.

7. *Memoriale Deus secum habet.*

Ego memoriale signum esse puto, quod Deus secum gestare existimatur in armilla, aut annulo, ne ex animo excidat Hierosolymæ, & filiorum eius grata memoria. Accommodat enim se Dominus hominum ingenio, qui eorum, quos obseruant, aut amant, imagines portant, quæ occursent oculis, neque labi sinant illorum ex animo memoriam. Qua de re egimus in nostris Commentariis super Cantica *Prolegom.* 10. vbi aliquot ex Scriptura sacra exempla produximus. Spectauit, credo, Baruch, seu veriùs Ieremias ad similem Isaiæ locum *cap. 49. v. 15*. Vbi Propheta consolatur populum afflictum, quasi tunc esset exul apud Babylonios; vbi Deus inducitur dicens nunquam se futurum Israeliticæ gentis immemorem, cuius

A expressam secum in manibus, id est, in annulis circunferret imaginem, quam hoc loco Baruch memoriale, seu mnemosynon vocat. *Dixit*, inquit, *Sion, dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.* Deinde mnemosynon, id est, memoriale, se habere significat. *Ecce in manibus meis descripsi te: muri tui coram oculis meis semper.* Vide quid nos in hunc Isaiæ locum. Et est mihi valde verisimile hoc Isaiæ caput Prophetæ oculis fuisse propositum; quia nihil aliud agit hîc Propheta, quàm quod ab hoc loco ad finem vsque capitis tractat Isaias.

Vers. 6. *Venundati estis gentibus, non in perditionem.*] 7.
Traditi sunt Iudæi hosti Chaldæo, non in perditionem, id est, vt omninò pereant, & ipsorum
B prorsus nomen extinguatur. Quod dixit Ieremias cap. 4. v. 27. *Deserta erit omnis terra, sed tamen consummationem non faciam.* Non enim id agebat Dominus, dum Chaldæorum imperio suum addixit populum, vt illum perderet, sed vt paterna corriperet manu, & ad officium, & meliorem mẽtem reuocaret. Porrò *venundare* idem aliquando valet, quod *tradere*, vt diximus ad illud Isaiæ 52. *Gratis venundati estis*, quia non aliter interdum homines hosti traduntur, quàm si ab illis forent pretio coëmpti: atque ita licèt in traditione nullum intercesserit pretium, liberatio tamen, siue redemptio ab illa seruitute sine pretio non fit. Sic Psal. 43. *Vendidisti populum tuum sine pretio.* Et Iudic. 2.
C *Vendidit eos in manus inimicorum suorum.* Quo sensu sæpè audimus aliquem venditum esse peccato. Vide plura in nostris Commentariis ad illud Isaiæ 50. *Cui vendidi vos.*

Venundare idem quod tradere.

Vers. 8. *Obliti estis eum, qui nutriuit vos.*] Non aliter Deus tractauit ingratum illum, atque immemorem populum, quàm pater filium, quem genuit, aut nutrix, quæ infantem suis lactat vberibus. His sanè nominibus Deus ipse suam in homines charitatem commendat. Sic Isaiæ cap. 1. *Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.* Oseæ cap. 11. v. 3. *Et ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis: & nescierunt, quòd curarem eos.* 8.

Et contristastis nutricem vestram Ierusalem.] Loquitur de Ierusalem tanquam de matre, quæ suam
D solitudinem, & filiorum calamitatem, atque absentiam deplorat, quam per prosopopœiam loquentem inducit, facientémque, quod prudentem matrem, & solicitam decet, quæ filios hortatur, vt honestè, atque ingenuè viuant, & languentem animum ad benè de suis rebus sperandum exciret. Quod facit sæpè Ieremias idem in Threnis, qui Ierusalem plorantem inducit, squalentem, & miseram. Vide *cap. 1. à versu 12.*

Vers. 20. *Exui me stola pacis, indui autem me sacco obsecrationis.*] Pax ex Hebræorũ idiomate prosperitatem, iucunditatem, & omne animorum oble-
E ctamentum importat. In hoc verò statu lautas homines, & speciosas vestes assumunt. At dum ingruunt mala, & durior aliquis casus, aut metus animum affligit, & contrahit; vestis illa genialis, & speciosa deponitur, & saccus assumitur, & habitus ille, qui ad dolendum excitet, & infensos aliorum spiritus ad misericordiam inflectat. Talem assumpsit habitum Achab seuera Eliæ comminatione deterritus 3. *Reg. cap. 21. & Ioel cap. 1.* homines in euentu rerum infelici ad saccum, & lugubrem habitum vocantur. Hic porrò habitus obsecrationis dicitur, quia tunc homines vt diuinam sibi misericordiam concilient, habitum sibi

9. *Vestes pro varia fortuna mutatione mutantur.*

In luctu quis habitus.

sibi squalidum, & horridum assumunt. Sic fecit Iudith *cap.9.* sic Esther *cap* 14. & Dauid 2. *Reg.c.*12. Hunc habitum deponere iubetur Ierusalem, & resumere rursus indumenta lætitiæ *cap.5.* in principio. *Exue te Ierusalem stola luctus*, &c.

10. Vers. 22. *Ego enim speraui in æternum salutem vestram. Et venit mihi gaudium à sancto.*] *Æternus* nomen est Dei, vt apparet, quod iterum ponitur hoc eodẽ versu, & suprà v. 14. *Quam superduxit illis æternus.* & iterũ v. 35. Græcè est ὑπὸ τοῦ αἰωνίου. Quod si noster interpres vertisset *in æterno*, quod sanè posset, sensus esset apertior. *Sanctus* nomen est Dei, quem sub hoc nomine laudarunt Angeli *Isaiæ cap.*6. cùm in suo τρισαγίῳ cecinerunt, *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Sic Iob cap. 6. v. 10. *Nec contradicam sermonibus sancti*, id est, Dei.

Æternum idem quod diuturnum.

11. Vers. 23. *Cum gaudio, & iucunditate in sempiternum.*] *Sempiternum, æternum*, & similia, non semper valent id, quod nullum habet finem, licèt hoc frequentiùs significent; sed id, quod diuturnum futurũ est, vt sæpiùs obseruauimus. Neque enim vt apparet, æterna fuit restituti populi iucunditas, cùm turbata fuerit, vt ex Machabæorum libris constat, ab Antiocho, neque regionis postliminio aditæ possessio fuerit sempiterna. Sanè Deus Abrahæ posteritati æternam promisit possessionem terræ Chanaan *Genes.* 17. *v.* 8. quam tamen Septuaginta annorum exilium interrupit. Idem dicendum de splendore, qui statim *v.* 24. futurus esse dicitur *æternus*.

12. Vers. 26. *Delicati mei ambulauerunt vias asperas.*] Magnum habet momentum ad πάθος magna rerum, fortunæque mutatio; cùm qui modò in sua republica Princeps fuerat, in seruilem conditionem compingitur; cùm locus religioni sacer, ac venerabilis, stabulum fit armentorum, & ferarum cubile. Quæ figura familiaris est Ieremiæ *in Threnis*, & ab ea ducit illorum exordium. *Quomodo sedet sola ciuitas plena populo, facta est quasi vidua domina gentium*, &c. Quæ verò hîc paucis, illic oratione longa, ac flebili prosecutus est. Delicati erant Solymitani pueri, Nazaræi maximè, qui nutriebantur in croceis, illi tamen abducti sunt per aspera, & senticosa loca, extorres à patria, & in exilio eò adacti miseriæ, vt amplexati fuerint stercora.

13. Vers. 28. *Sicut enim fuit sensus vester, vt erraretis à Deo, decies tantum iterum reuertentes requiretis eum.*] Materna hæc est exhortatio, suauitatis videlicet plena, qualis esse solet matris, quæ mœrentem consolatur filium, & de illius indole multa sperare, & meliora dicit. Errasse dicit filios suos Hierosolyma, cùm à Deo, eiúsque voluntate ad insanum idolorum cultum diffluxerunt: sperat tamen fore vt longè maiori studio reuertantur, quàm ab illo recesserant. Quo id tandem consequentur, vt Babylonicum iugum ex suis ceruicibus excutiant, & gloriosè reuertantur in patriam, quam deinceps æterna, atque iucunda habitatione possideant. Porrò *decies* ex Hebræorum idiomate multitudinem indicat cum epitasi non vulgari. Quomodo Iacob *Genes.* 31. *v.* 7. cùm significaret sæpe socerum suum mutasse mercedem, illud per denarium numerum explicuit. *Mutauit mercedem meam decem vicibus.* Neque alio sensu dixit Iob c. 19. v. 3. *Decies confunditis me.* id est, sæpe, aut valdè. Quare sensus erit, non tam impudenter, ac stolidè relictum esse Deum, quàm religiosè, atque auidè fore requirendum.

Decem multitudinem significat.

14. Vers. 31. *Animæquior esto Ierusalem: exhortatur enim te, qui te nominauit.*] Huc vsque prosopopœia. Neque enim iam Hierosolyma loquitur, sed Propheta, qui Hierosolymam de filiorum fortuna consolatur: ad leuandum autem animi dolorem graue sumitur argumentum ab eo nomine, quod ciuitati illi datum est à Deo, in quo ipsius quoque nomen auditur. Licèt autem in nomine, quod casus aliquis, aut hominum voluntas imposuit, momenti nihil, aut parum sit ad infelicem, prosperámve fortunam: at quia, quæ Deus indidit, vacua non sunt, illa in suo genere certum aliquid, & ratum in futura sæcula portendunt. Nominauit autem Deus ciuitatem illam multis modis ante hoc tempus, atque ita nominauit, vt suum illi nomen, aut è suo nomine aliquid indiderit. Infrà c. 5. v. 4. *Nominabitur nomen tuũ à Deo in sempiternum pax iustitiæ, & honor pietatis.* Quod nomen illustre est, sed alia sunt illustria magis, quia diuino consignata nomine, quod in se cõtinent. Quale est, quod proximè Deus imposuerat Ezechielis capite vltimo, & in eius fine, *Et nomen ciuitatis ex illa die Dominus ibidem.* & multo antè Isaiæ c. 62. *Vocaberis voluntas mea in ea.* & c. 1. *Vocaberis ciuitas iusti.* id est, in qua iustus, nempe Deus habitat. Fortasse, vt antè dixi, nominari à Deo dicitur ciuitas, quia nomen sumsit à nomine Domini. Quomodo *Isaiæ c.* 48. Deus quasi magnam gratiam, & beneficium commendat, quòd tale nomen indiderit Iacob, in quo suum nomen incluserit, quod magnorum operum pignus esse voluit. Sic nos ibi explicuimus illud, *Audi me Iacob, & Israel, quem ego voco.* Vide quæ nos ibi.

Nomen à Deo impositum vacuũ non est.

Ierusalem variis nominibus à Domino vocata.

15. Vers. 32. *Et quæ accepit filios tuos.*] Hæc est Babylonia, quæ ideo dicitur accepisse Iudæos, quia ibi septuaginta annorum egerunt exilium. Excepit autem filios Hierosolymæ, non quasi hospitium excipit peregrinos benignè, illósque fouet, & amplectitur molliter; sed sicut arcta, duraque custodia, aut seruulorum ergastulum, quod vinctos tenet, quos accepit, & duris ministeriis exercet, & frangit. Huic rependendam dicit esse vicem, vt talia nempe à victore Persa patiatur, qualia ipsa victrix onera Iudæis imposuit.

16. Vers. 34. *Et gaudimonium eius erit in luctum.*] Gaudimonium nouum est vocabulum. Græcè χαυρίαμα, quod non solùm gaudium valet, sed superbiam, elationem animi, qua quis in sua sibi fortuna placet, atque blanditur; quam nos gloriationem appellare possumus. Est autem, vt opinor, iteratio sententiæ, quæ proximè antecessit, quod Prophetis familiare est. Præcessit autẽ, *Amputabitur exultatio.* Pro *exultatio*, Græcè est ἀγαλλίαμα, quæ vox non tam lætitiam valet, quàm exultationem, id est, externam aliquam gesticulationem, aut iactationem, quæ motum indicat lætantis animi, & pro felici rerum successu gestientis; quæ vox non valde dissidet à χαυρίαμα.

Gaudimonium quid.

17. Vers. 35. *Et habitabitur à dæmoniis.*] Plurimum nobis lucis attulisset textus Hebraicus, si nunc extaret. Quæ vox tunc fuerit in originali lingua obscurum est. Ego vt putem fuisse שעירים *sehhirim*, his rationibus adducor. Primum, quia cùm de hoc ipso Babylonis interitu ageret Isaias *cap.* 13. hoc nomen adhibuit, quod ibi noster interpres *pilosos* reddidit, Faunos videlicet, aut Satyros, qui hirsuto sunt corpore, & à delusa gentilitate dij existimantur agrestes, qui reuera dæmones sunt. Deinde quia hanc vocem aliquando *dæmones* conuertit, vt Leuit. c. 17. *Nequaquã vltrà immolabũt hostias suas dæmonibus.* Et 2. Par. 11. *Qui constituit sibi sacerdotes excelsorũ & dæmoniorũ.* De hac ipsa Babylone, spectãs credo ad hũc Isaiæ, atque Baruch locũ, dixit

xit Ioãnes Ap. 18. *Cecidit, cecidit Babylon illa magna, & facta eſt habitatio dæmoniorũ, & cuſtodia omnis ſpiritus immũdi.* Quomodo verò deſoláda ſit, & à feris, atque dæmonibus habitanda Babylon, cùm tamẽ à Perſarum exercitu adeò non ſit exciſa, diximus ad locum nuper ex Iſaia citatum.

18. Verſ. 36. *Circumſpice Ieruſalem ad Orientem.*] Hîc duo video, quæ alicui fortaſſe videbuntur minùs aptè, & conuenienter dici. Alterum eſt, quod cùm in vnum locum intueri iubeat Propheta Hieroſolymá, nempe in Orientem; verbum tamen adhibeat, quod regiones indicat in omnes mundi plagas circumquaque patentes. Id enim abſque dubio valet *circumſpicio.* Deinde quia captiui non redierunt ab Oriente, ſed ab Aquilone: notum eſt enim Aquilonarem eſſe Babylonem, vt millies à Prophetis audimus. Maldonatus putat certum locum pro incertis, & vnũ adhiberi pro multis. Alij ad Orientem putant Perſiam, & Mediam pertinere; comparatione non ſolùm Babylonis, ſed etiam Hieroſolymæ. Sed hoc licèt eſſet verum, non tamen oſtenderet, quo modo hîc locũ habere poſſet *circumſpicio,* quod non vnũ reſpicit, ſed plura loca.

19. Ego hîc duas adiiciam explicationes, de quibus lector, vt volet, iudicabit. Vbi vulgatus *ad orientẽ,* Græcè eſt in plurali numero πρὸς ἀνατολάς id eſt, *ad Orientes.* Cùm autẽ ortus aliquid ſignificet candidum, & lætum, ſicut contrà occaſus obſcurum, & triſte; quaſi omnia loca lucem ſint allatura, atque lætitiam Hieroſolymæ, quia inde filij ad ipſius complexum eſſent in gloria, & ſplendore reuerſuri, iubet Propheta, vt quoquò verſùs ad omnia loca circumſpiciát, quæ ſic erunt candida, ſicut orientalis plaga, quæ exactis tenebris, ſplendorem terris, & lætitiam inducit.

Ortus aliquid lætum, occaſus triſte ſignificat.

20. Altera explicatio eſt, quæ mihi magis, imò omninò videtur expedita: quam antequam expono obſeruo Iudæos in omnes terræ plagas fuiſſe diſperſos. Quod pluribus oſtendimus in noſtris Cõmentaris in Zachariam ad illud c. 8. *Et ego ſaluabo populum meũ de terra Orientis, & de terra occaſus Solis.* Item obſeruo in ortu, & occaſu non ſolùm apud ſacros, ſed etiã apud profanos ſcriptores vniuerſũ terrarũ orbẽ ſignificari. Pſal. 112. *A Solis ortu vſque ad occaſũ laudabile nomen Domini.* id eſt, in toto mundo. Et Matth. 12. Luc. 13. *Multi ab Oriente, & Occidẽte venient.* id eſt, ex orbe toto. His poſitis, non eſt difficilis ſẽſus, ſi cũ ortu occaſũ quoque cõiungas; quod nõ videtur eſſe durũ, cùm occaſus in ſequẽti ſtatim verſiculo ponatur, vbi diſperſi filij iã collecti ab ortu, & occaſu venturi eſſe dicũtur, id eſt, ab omni mũdi plaga. *Ecce,* inquit, *veniũt filij tui, quos dimiſiſti diſperſos, veniunt collecti tibi ab Oriente vſque ad Occidentem.* Neque obſtat quòd priori loco occaſũs nomen non audiatur; tum quia cùm vulgaris ſit illa, & penè prouerbialis dicendi forma, non neceſſe eſt, vt, quod in prouerbiis ſæpe fieri videmus, omnia exprimantur verba, quæ alibi ſæpè reperiũtur coniuncta. Tum etiam quia eodem penè filo in ſubſequẽte verſu coniunguntur. Sicut etiam eodem ſenſu capite ſequenti *v. 5. & c. 8. Zachariæ,* vbi idem prorſus eſt argumentum, & occaſus cum ortu coniunctus inuenitur.

In ortu & occaſu omnes mundi regiones intelliguntur.

21. Verſ. 37. *In verbo ſancti gaudentes in honorem Dei.*] Id eſt, ſecundùm verbum Dei, quod per Prophetas promiſit futurum aliquando ab exilio reditum, *in honore Dei,* id eſt, honeſtum, & glorioſum valde. Quod enim magnum eſt, id Dei eſſe dicitur; quomodo montes, & cedri Dei eſſe dicuntur, cùm ſublimes ſunt, & ſpecioſi.

IN CAPVT QVINTVM

ARGVMENTVM.

HOC caput aptè cum ſuperiore contexitur, in quo de iucunda, atque expedita remigratione agitur populi, cuius exitum planè miſerabilem oratione lugubri, & veſte parentali, ac ſordida proſecuta fuerat Jeruſalem. Iubet igitur primùm Hieroſolymæ Deus, vt ſtolam reſumat ſplendentem, & regiam, quam antè depoſuerat; eámque illius mutationis rationem adducit, quia futurum eſt, vt filij cum honore, & iubilo in patriam reuertantur, quorum reditum dignitatis plenum, & lætitiæ in reliquo capite eleganter deſcribit.

CAPVT V.

1. *EXue te Ieruſalem ſtola luctus, & vexationis tuæ: & indue te decore, & honore eius, quæ à Deo tibi eſt, ſempiternæ gloriæ.*

2. *Circumdabit te Deus diploide iuſtitiæ, & imponet mitram capiti honoris æterni.*

3. *Deus enim oſtendet ſplendorem ſuum in te omni, qui ſub cælo eſt.*

4. *Nunc*

PARAPHRASIS.

1. DEpone; ô Ieruſalem, ſtolam ſqualentem, & lugubrem, & illam reſume, quam antè depoſueras, decoram videlicet, & honeſtam, ea honeſtate, & gloria, duratura vtique diutiſſimè quæ à Deo ſempiterno proueniet.

2. Indue te diploide, talari videlicet ſtola, quam tibi Deus iuſtus, atque promiſſi memor largitus eſt: & ſplendidam, atque honorariam mitram capiti impone, quam ab æterno Deo oblatam accipies.

3. Tantum enim tibi ſplendorem conferet Deus, ô Hieroſolyma, quantus homini ſub cælo contingere, aut ſperari poteſt.

4. Tunc

Google

4. *Nominabitur enim tibi nomen tuum à Deo in sempiternum: Pax iustitiæ,& honor pietatis.*

A 4. Tunc autem sic te Deus in sempiternum ornabit, vt pacem habeas, non quæ ab iniuria,& fraude, sed quæ à iustitia,& æquitate prouenit; & honorem,quem virtus peperit, & pietas, atque religio conciliat: ita vt vocari possis non alieno,sed proprio, & tuis meritis consentaneo nomine, *pax iustitiæ,& honor pietatis.*

5. *Exurge Ierusalem, & sta in excelso: & circumspice ad Orientem, & vide collectos filios tuos ab Oriente sole vsque ad Occidentem, in verbo sancti gaudentes Dei memoria.*

5. Exurge igitur, ô Ierusalem, & è sublimi specula prospecta ad omnem cæli plagam, ac vide filios tuos, quos maior Chaldæorum potentia variè disperserat, à B sole oriente, atque occidente congregatos ad tuum complexum postliminio reuerti, iuxta Dei fidelem promissionem, qui tuorum memoriam, & curam non abiecit.

6. *Exierunt enim abs te pedibus ducti ab inimicis: adducet autem illos Dominus ad te portatos in honore sicut filios regni.*

6. Exierunt priùs cursu pedestri, ac lasso adacti vltra vires,& modum ab hoste inhumano, ac barbaro; erit tamen reditus longè dissimilis. Illos enim Deus ita reducet molliter, ac splendidè, quomodo regij filij, qui sic iter instituunt, vt nihil ad vsus, nihil ad delitias requiras.

7. *Constituit enim Deus humiliare omnem montem excelsum, & rupes perennes, & conualles replere in æqualitatem terræ, vt ambulet Israel diligenter in honorem Dei.*

7. Statuit namque Dominus expedi- C tam, & mollem parare viam Iudæis, cùm ab exilio remigrarent in patriam, ita vt nulla occurrat montium asperitas ardua, nulla montium depressa profunditas. Quare diruet Dominus montes, qui à mundi primordio commodi non fuerunt, & vallium cauitates implebit, vt ambulet Israel celeri, atque indefesso cursu; quod etiam ad Dei honorem, cuius factum est beneficio,pertinebit.

8. *Obumbrauerunt autem & siluæ, & omne lignum suauitatis Israel ex mandato Dei.*

8. Adeò interiectæ syluæ remigrantibus D impedimento non erunt, vt magna etiam offerant oblectamenta, atque vsus. Tam enim syluestres plantæ, quàm arbores,quæ fructus afferunt, & suauiter halant commodam è via lassis vmbram, & diuerticula præstabunt; qua etiam in re Deo, qui omnia reuertenti populo statuit esse iucunda, naturæ illæ sensus expertes obsequentur.

9. *Adducet enim Deus Israel cum iucunditate in lumine maiestatis suæ cum misericordia, & iustitia,quæ est ex ipso.*

9. Et quemadmodum cùm populum Deus exemit ex Ægyptio iugo,ducem præmisit, qui viam ostenderet in deserto; columnam videlicet igneam,quæ prælucceret, E & nubem, quæ Solis temperaret ardorem. Sic etiam cùm ex exilio eduxerit Babylonico,lumen ostendit, quale diuinam maiestatem decebat; & vmbram ab arboribus, quas Deus ad suorum commoditates obsequentes habuit. Neque id mirum, cùm intercedat misericordia, & iustitia, quæ ex iterata toties promissione nascitur, id à Deo requireret.

Digitized by Google

Vers. 1. *Exue te Ierusalem stola luctus, & vexationis tuæ: & indue te decore, & honore.*]

1. CAPITE præcedenti v. 20. dixerat Ierusalem, cùm filios à suo complexu distractos vidit, & barbaræ addictos seruituti, *Exui me stola pacis, indui autem me sacco obsecrationis.* Nunc quia de illorum celeri, atque gloriosa remigratione Propheta loquitur, iubet vt stolam exuat squalentem, & lugubrem; & illam resumat, quam antè deposuerat. Decore, & honore, seu decorem, & honorem indui Hebraismus est, pro indui vestes decoras, & honestas, quæ videlicet ostendunt non ancillarem, & sordidam fortunam, sed regiam, & splendidam. Sic *Psal.* 92. Deus dicitur induendus fortitudinem, & decorem, id est, arma, quæ viri fortis argumentum, & munimentum sunt; & gloriosam chlamydem, quæ ad fortitudinem speciem quandam addit, & nitorem. Honor autem ille sempiternæ gloriæ dicitur, quæ à Deo est; quia gloria illa, & splendor regius, quem Ierusalem reuocatis ad patriam filiis obtinebit, non ab alio proueniet, quàm à Deo (licèt ad illud opus Persarum manus adhibuerit) neque erit ad exigui moram temporis, sed sempiternus, id est, diuturnus: id enim, vt sæpè diximus, valet non rarò *æternum, sempiternum,* & similia.

2. Antequam ad vlteriora progrediatur commentatio, repetendum est, quod pluribus ostendimus in præfatione quadam ad quadragesimum caput Isaiæ; vbi diximus gloriosum reditum Iudæorum ab exilio esse typum Ecclesiæ, ad cuius complexum venere vndecumque Gentium conuentus innumeri, quos antea diabolus, Dominus longè, quàm rex Babylonis, durior, tyrannico premebat imperio. Hanc diximus communem esse sententiam, tum veterum Patrum, tum omnium penè interpretum, quorum ibi nomina produximus. De hoc loco sentiunt interpretum plerique, qui hæc de Ecclesia mysticè, de Hierosolyma restituta interpretantur historicè. Ita putant Theodoretus, Maldonatus, & Castrus. Si qui tamen de Ecclesia accipiunt, id faciunt mysticè; nam historicum sensum de Hierosolyma liberata esse putant. In his sunt Lyra, Dionysius, Hugo. Quod mihi quoque visum est: sic enim hic Iudæorum libertatem & gloriosum reditum intueor, vt tamen aliquid maius in Ecclesia prospiciam. Neque contra hanc cogitationem quicquam facit, quod in hoc capite sæpiùs auditur, *æternum, sempiternum:* nam aliquando hæc de Deo dicuntur, cuius nomen *æternum, & sempiternum* est. Neque hæc nomina, vt paulo antè diximus, aliud interdum valent, quàm *diuturnum.*

Ierusalem restituta Ecclesiæ typus.

3. Vers. 2. *Circumdabit te Deus diploide iustitiæ.*] Diplois vestis est duplex, id est, quam aliquod inserit tomenti genus, aut pannus assutus; quam contra frigus comparari solitam, docet caput extremum Prouerbiorum. *Non timebit domui suæ à frigoribus niuis: omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus.* Videntur enim hîc duplices, quæ alibi sæpè dilopides vestes appellantur; cùm vox vtraque eandem habeat significationem, hæc Græcè, illa Latinè. Si textus nobis non excidisset Hebraicus, locus iste minus haberet difficultatis. Ego in Hebraico textu fuisse arbitror מעיל *mehil,* quod Septuaginta, sicut hoc loco, *Psal.* 108. *v.* 29. transtulere *diploidem. Operiantur sicut diploide, confusione*

Diplois quid.

A *sua.* Porrò מעיל *mehil*, vestis est talaris, honesta; quales reginæ, aut filiæ regum virgines gestare solent, quæque optimè stola vocari potest. Hæc muliebris est vestis, vt indicat Cicero, qui vt muliebrem Antonij animum, & studium notaret, commutasse illum dicit virilem togam cum stola muliebri. Hanc porrò ad talos demitti docet Horatius lib. 1. Satyr. 2.

Stola quid.

Ad talos stola demissa, & circumdata palla.

Quòd stola hæc matronarum honestæ vitæ fuerit, eadè satyra indicat Horatius. Et Ouidius à librorum de arte amandi lectione repellit fœminas illas, quæ stolis vtuntur, id est, honestas, & castas. Sic autem ille, cùm nomen à se turpe repelleret lib. 2. de Tristibus, eleg. 1. 4.

B

Ecquid ab hac omnes rigida summouimus arte,
Quas stola contingi, sumptaque vitta vetat.

Quod verò מעיל id est, diplois, seu honesta stola puellas regias ornat, liquet ex *lib. 2. Reg. c. 13. v.* 18. vbi de Thamar Dauidis filia dicitur, *Quæ induta erat talari tunica; huiuscemodi enim filiæ regis virgines vtebantur.* Vbi pro *talari tunica,* Hebraicè est מעיל. Quòd verò hæc vestis lætitiæ, ac gloriæ documentum sit, docet Septuaginta translatio, quę dicit vestẽ illam variis esse floribus, & fructibus intextã. *Tunica,* inquit, *erat intexta fructibus.* Græcè *καρπωτὸς.* Talis porrò vestis decebat Hierosolymam, quasi iam regina sit, & hilaris.

Filiarum regum stolæ quales.

Si quæras cur vestis ita florida diplois appelletur, ego duas rationes inuenio; aut quia flores
C illi, ac fructus assuti potiùs erant ex alieno panno, ac serico, quàm textiles; atque ideo vestis duplex vocari potuit, quasi à duplici consuta textu; aut quia quæ in quocunque genere magna sunt, duplicia nominantur. Quomodo Isaiæ cap. 40. dicitur, *Suscepit de manu Domini duplicia,* id est, magna. & Zachar. 9. *Duplicia reddam tibi.* Ierem. 17. *Duplici contritione contere eos.* Neque id respuit Latinorum vsus, qui quod magnum est, crassum, atque robustum, duplex vocat. Virgil. de equo lib. 3. Georg.

Quæ magna sunt, duplicia vocantur.

At duplex agitur per lumbos spina.

id est, lata. & 1. Georg. de forma aratri.

Bina aures duplici aptantur dentalia dorso.

Diploide iustitiæ.] Diplois illa à Deo est. Genitiuus *iustitiæ* non tam à Deo regitur, quàm à diploide, vt probat non obscurè Græcus articulus 5.
D *περὶ βάλλου τὴν διπλοΐδα τῆς παρὰ τοῦ θεοῦ δικαιοσύνης.* Editiones aliæ habent, *à Deo iustitiæ*; sed Sixtiani codices habent *diploide iustitiæ.* Quare hic est sensus, indue te diploidem iustitiæ, quæ tibi est à Deo: vocatur autem iustitiæ, quia Deus illam promiserat; pertinet verò ad iustitiam promissorum fides.

Impone mitram capiti tuo honoris æterni.] Mitra 6.
muliebre ornamentum est, quod assumere fœminæ solent in deliciis. Sic Iudith cap. 10. v. 3. cùm elegantiùs se ad capiendos Holophernis oculos ornaret, *Discriminauit crinem capitis sui, & imposuit mitram super caput suum, & induit se vestimentis iucunditatis.* Quòd Solymitanæ fœminæ mitras gestarent, ostendit *Isaiæ c. 3. v. 20.* Apud Virgilium Numanus dum muliebre ingenium Troianis exprobrat, illis mitras attribuit lib. 9. Æneidos.

Mitra ornamentum muliebre.

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.
O vere Phrygiæ, neque enim Phryges.

Illud

Digitized by Google

Illud autem *æterni* Dei nomen est, neque cum *honore* conuenit, tanquam honor futurus esset æternus; sed dandus dicitur ab æterno Deo. Id conuincit apertè textus Græcus, in quo *æterni* in terminatione masculina est; cùm tamen *honor* Græcè δόξῃ fœminei sit generis. Sic autem Græcè, ἐπὶ τὸ τὴν μίτραν τῆς δόξης τοῦ αἰωνίου.

7. Vers. 3. *Deus enim ostendet splendorem suum in te, qui sub cælo est.*] Translatio Latina sententiam habet non obscuram: tantum videlicet splendoris, & gloriæ dandum esse Hierosolymæ, cùm ad antiquam sedem, & ordinem restituta fuerit, quantum homini sub cælo contingere, aut sperari potest, summum nimirùm. Tota verò difficultas est in textu Græco, cum quo hæc translatio sese difficilè conciliat. Sic enim habet, ὁ γὰρ θεὸς δείξει τῇ ὑπ' οὐρανὸν πάσῃ τὴν σὴν λαμπρότητα. Quod Latinus interpres reddidit, *Dominus enim ostendet vniuersæ* (nempe terræ) *quæ sub cælo, splendorem tuum.* Et ita vertunt præter vulgatum interpretes alij. Ego, quomodo translatio vulgata aptè cum Græco textu componi possit, non video, nisi dicamus alios, magísque correctos codices habuisse vulgatum interpretem; ab eo enim textu, quem nunc habemus, non video quomodo exprimi possit illa, quam nunc habemus, Latina translatio.

8. Vers. 4. *Nominabitur enim tibi nomen tuum à Deo in sempiternum.*] Ostendit, quomodo id, quod sub cælo existimatur maximum, à Deo fuerit Hierosolymæ concessum, cùm illi nomen à Deo impositum affirmat, quo nullum sub cælo gloriosius optare posset, si superet humana mortalitas. *Nominari* autem à Deo, idem ex Scripturæ sacræ consuetudine est, quod *esse*; sicut diximus in nostris Commentariis in Isaiam ad illud cap. 60. *Vocaberis voluntas mea.* Vbi diximus nunquam tale nomen habuisse Hierosolymam; quia tamen id præstitura est, quod nomen illud importat, ideo nomen illud habitura dicitur. Et *Ezech. cap.* 48. quia Dominus in instaurata ciuitate, ac templo futurus est, hoc ciuitati deinceps futurum nomen esse traditur, *Dominus ibidem.* Sic ait Dominus nominandam esse in posterum ciuitatem, *Pax iustitiæ, & honor pietatis.* Quia id in illa in posterum inuenietur familiare, ac proprium, quod nomen illud secum aut sonat, aut inducit.

9. *Pax iustitiæ, & honor pietatis.*] In pace omne continetur bonum, quod expetere possunt hominum vota. Si autem hoc quicquid est, boni iniustè obtineri, id est, per fraudem, & violentiam contingat, hæc sanè felicitas non est, neque aliquid hominum opinione laudabile; secùs verò si illa sanctè, & sine vlla hominum iniuria contingant, cùm bonorum possessionem neque mala existimatio commaculet, neque animum malefactorum conscientia adactis stimulis compungat, & excruciet. Honor item, quem sibi conciliauit vis, & iniuria, aut ab æquo, atque legitimo exorbitans audacia, optabilis non est, quia quàm longissimè abit ab honesto. At si illum comparet pietas, & religio, & sibi perpetuò consentiens fides, & integritas, magnum est ornamentũ & eximium decus. Ait igitur ab his rebus habituram esse nomen Ierusalem; habituram nimirum pacem ortam à iustitia, & honorem, quem virtus peperit, & pietas, cultúsve in Deum fideliter impensus. Hæc mihi explicatio difficilis non est, quam indicat Isaias *cap.* 32. *v.* 17. vbi pacem, & otium, securitatem ab hostibus, libertatem à barbara dominorum tyrannide fructum, & opus dicit esse iustitiæ. *Erit opus iustitiæ pax & cultus iu-*

Quis verus honor & pax.

stitiæ silentium, & securitas vsque in sempiternum.

Vers. 5. *Exurge Ierusalem.*] Hæc capite præcedenti *ad v.* 36. explicata sunt. Illud *in verbo sancti,* 10.
idem est quod propter verbum, seu promissionem sancti, id est, Dei, qui libertatem promisit à Babylonio iugo; cuius verbis abesse non potest pondus, & fides. *Gaudentes Dei memoria.* Quia Deus non ita aliorum imperio, ac voluntati permisit, vt illorum abiecerit memoriam; aut quid ab aliis patiantur, non curat.

Vers. 6. *Exierunt enim abs te pedibus ducti ab ini-* 11.
micis: adducet autem illos Dominus ad te portatos in honorem, sicut filios regni.] Quàm durè in via tractati fuerint Iudæi; cùm in Babylonem captiui ducerentur, lamentabatur Ieremias *Thren.* 1. *v.* 5. *&* 6. illos porrò lassos, & onustos graui pondere in medio cursu interiisse, & viam ipsam captiuorum constratam esse cadaueribus. Thren. 4. v. 5. *Qui vescebantur voluptuosè, interierunt in viis.*

Multa sunt, quæ prouerbiali forma delicias si- 12.
gnificant, & incessum sedatum, & mollem, qualem in hominibus luxui, & voluptati deditis intuemur. Quale est illud, *Equus me portat, & alit rex.* quæ verborum non desiderant fidem. Satis est enim si melior significetur viuendi ratio, quam prouerbialis illa dicendi species tantùm intuetur. Quare non necesse est, vt qui dicit ali se à rege, & ab equo portari, vehatur equo, aut regiis alatur sumptibus, satis est, vt vitam ducat otiosam, & hilarem. Sunt eiusmodi in Scriptura plurimæ adagiales, sine dubio, dicendi formæ, vt illa Exod. 19. v. 4. *Quomodo portauerim vos super alas aquilarum.* Id est, sicut aquila pullos suos super alas portat, aut humeros. Et Isaiæ cap. 66. v. 20. *Adducent fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis.* Et cap. 49. v. 22. *Et afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas super humeros portabunt.* Talis est sine dubio modus ille, *Portabunt sicut filios regni.* id est, sicut filios regis. Nam cùm regum filij in regno debeant succedere parentibus, iidem omninò sunt regum, & regni filij. Quanto autem splendore, atque apparatu, quàm molli, ac placido ferculo, quàm geniali, atque festiuo plausu regij incedant pueri, nemo ignorat. Sed licèt hæc prouerbialem tantùm habere soleant fidem; hic tamen habent prorsus historicam. Sic enim de Iudæorum reditu lib. 1. Esdræ cap. 2. v. 66. *In ipsis,* inquit, *cantores, & cantatrices ducenti: equi eorum sexcenti triginta sex, muli eorum ducenti quadraginta quinque, cameli eorum quadringenti triginta quinque,* &c. Clariùs idem lib. 3. cap. 5. v. 2. *Darius rex misit vnà cum eis equites mille, donec deducerent eos in Ierusalem cum pace, & cum musicis, & cum tympanis, & tibiis. Et omnes fratres erant ludentes,* &c. Vide Iosephum *lib. Ant.* 11. *cap.* 4.

Portari in humeris, & in sinu prouerbialis forma.

Iudæorum in reditu quanta commoditas.

Vers. 7. *Constituit enim Deus humiliare omnem mon-* 13.
tem excelsum, & rupes perennes, & conualles replere in æqualitatem terræ.] Hæc etiam prouerbialis videtur hyperbole, quæ tantùm, vt opinor, significat expeditum, & facilem futurum esse reditum, perinde atque si nulla occurreret montiũ asperitas sublimis, nulla vallium profunditas. Quod dixit multo ante hæc tempora Isaias *cap.* 40. cùm in hoc Iudæorum reditu Ecclesiæ felicitatem adumbraret. *Omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur,* &c. Rupes dicuntur perennes, quomodo Habacuc *cap.* 3. dicuntur *montes sæculi, & colles mundi.* Cur verò perennes dicantur rupes, & montes æterni, diximus ad illud Habac. cap. 3. *Ab itineribus æternitatis eius.*

Digitized by Google

14. Verſ. 8. *Obumbrauerunt autē & ſylua, & omne lignum ſuauitatis.*] Adeò interiectæ ſylua remigrantibus impedimento, atque moleſtiæ non erunt, vt potiùs magnos afferant vſus, & oblectamenta. Tam enim ſyluestres plantæ, quæ plerumque infrugiferæ ſunt, quàm aliæ, quæ plurimum ad guſtum, & odoratum ſuauitatis habent, commodam laſſis, aut etiam integris opacato loco requiem præſtabunt. Tria reddere poſſent viatori difficilem, atque moleſtiam viam, & montium accliuitas, & profunditas vallium; vtrumque enim & curſum impedit, & frangit viatorem. Neque illud minùs horrent, qui ad iter ſe accingunt, cùm per viam æſtuoſam gradiendum eſt. Qualem eſſe regionem Babylonicam pluribus oſtendimus in noſtris Commentariis *ad cap. 4. Danielis.* Ita vt Babylonicus æſtus in prouerbium abierit, qui toto fermè anno ibi moleſtus eſt. De quo Ouidius *lib. 2. de Ponto*, cùm de rebus ageret impoſſibilibus, numerat refrigerari ab æſtu Babylonem.

Longa dies citiùs brumali tempore, noxque
Tardior hiberna ſolſtitialis erit.
Nec Babylon æſtum, nec frigora Pontus habebit,
Calthaque Paſtanas vincet odore roſas.

Vide Plinium *lib. 2. cap. 105.* Strabonem *lib. 16.* Plutarchum *in vita Alexandri*, vbi mira de Babylonis æſtu. Contra hanc moleſtiam opportunum Dominus vmbraculum parauit à ſyluestri planta, & odorato ligno.

Verſ. 9. *Adducet enim Deus Iſrael cum iucunditate in lumine maieſtatis ſuæ, cum miſericordia, & iuſtitia, quæ ex ipſo eſt.*] Alluſum videtur ad egreſſum ex Ægypto filiorum Iſrael, quos Dominus in lumine maieſtatis anteceſſit; in nube nimirum per diem, cui reſpondet opacitas, & obumbratio ſyluarum, & per columnam ignis in nocte, quam modò promittit. Neque hoc mirum eſt, cùm intercedat Dei miſericordia, quæ multo melius quam nubes obumbrat; & iuſtitia quia id antè promiſerat. Neque patietur fidem ſuam vanitatis argui, aut nomen ſuum in dubiū, aut ſuſpicionem vocari violatæ fidei. 15.

IN CAPVT SEXTVM

ARGVMENTVM.

CVM Ieremias, diuino afflante ſpiritu, cognoſceret futurum, vt qui cum ipſo tunc agebant in Ægypto, quò ſalutis, ac libertatis cauſa, conſilio ſanè temerario confugerant, abducendos eſſe Babylonem captiuos, idque perbreui: timerétque propter illius Gentis in omnem partem varium & multiplex ingenium, ne prodita vera, atque paterna, ad Chaldæorum religionem, & ſacra diffluerent; hanc epiſtolam dictauit amanuenſi ſuo Baruch, vt quod ipſe præoccupatus morte non poterat, id per epiſtolam, & operam alterius commodiori tempore præſtaret. Deterret igitur contribules ſuos ab idolorum cultu; cúmque multa in eam curam afferat argumenta grauiſſima, illa nos in quædam capita breui conferemus. Docet ergo indignos eſſe Chaldæorum deos (quod idem etiam intellige de mutis Gentilium ſimulacris) quos homines venerentur, & timeant. Primùm, quia à ſe nihil habent amplius, quàm ligna, quæ cæduntur è ſyluis, aut ſaxa, quæ effodiuntur è montibus; nam reliqua acceperunt vel ab hominum inſana liberalitate, vel ab accurata artificum induſtria. Tum quia nihil opis afferre poſſunt hominibus, cùm neque ſeipſos poſſint aut à latronum manibus, aut ab incendio, aut ab alio quouis infortunio liberare. Deinde quia ſacrificiis coluntur obſcœnis, & meretriciis donariis exornantur. Vnde ad extremum concludit, ſolem, & lunam, imò & beſtias eſſe longè illis præferenda, cùm & ipſa aliquid habeant ſpecioſum, & vtile; à diis autem illis nihil ſperari poſſit à natura pulcrum, neque humanis vſibus opportunum. Hæc ſumma eſt, breuiſque complexio eorum, quæ in hac epiſtola latè digeſta ſunt.

CAPVT VI.

EXemplar epiſtolæ, quam miſit Ieremias ad abducendos captiuos in Babyloniam à rege Babyloniorum, vt annunciaret illis ſecundùm quod præceptum eſt illi à Deo.

1. Propter peccata, quæ peccaſtis ante Deum, abducemini in Babyloniam captiui à Nabuchodonoſor rege Babyloniorum.

2. Ingreſſi

PARAPHRASIS.

HOc eſt exemplar illius epiſtolæ, quam dictauit Ieremias amanuenſi ſuo Baruch, vt perferret ad Iudæos illos, qui poſt excidium Hieroſolymæ ſeſe ad Ægyptios præſidij gratia receperunt, quique breui ipſi quoque, ſicut alij, qui tranſlati iam fuerant, abducendi erant in Babylonem, vt, quæ à Deo acceperat mandata, cognoſcerent.

1. Peccaſtis, ô Iudæi, qui Ægyptum cōtra inimicorum arma ſubſidio vobis fore putaſtis; peccaſtis, inquam, contra Deum: atque

A atque ideo à Chaldæorum rege Nabuchodonosor in Babylonem captiui transmigrabitis.

2. *Ingressi itaque in Babylonem, eritis ibi annis plurimis, & temporibus longis, vsque ad generationes septem: post hoc autem educam vos inde cum pace.*

2. In Babylone autem, id est, in dura ærumnosáque custodia plurimos annos, & longa tempora ponetis, donec septima ex hoc generatio transierit. Tunc verò, agente me pacificè, & cum festiuo plansu reuertemini.

3. *Nunc autem videbitis in Babylonia deos aureos, & argenteos, & lapideos, & ligneos in humeris portari, ostentantes metum Gentibus.*

3. Vbi autem eò migraueritis, occurrent vobis aurea, argentea, lapidea, & lignea deorum simulacra, quæ hominum B circumferuntur humeris, eo aspectu atque habitu, vt spectantibus religionem, & horrorem incutiant.

4. *Videte ergo ne & vos similes efficiamini factis alienis, & metuatis, & metus vos capiat in ipsis.*

4. Vos igitur cauete, ne vos illius Gentis vicinitas, & maior, quàm par esset, necessitudo peruertat; & eodem, quo Babylonij, spiritu, quasi aliquid forent diuinum, inania idolorum figmenta fanatico terrore veneremini.

5. *Visa itaque turba de retro, & ab antè adorantes, dicite in cordibus vestris: Te oportet adorari Domine.*

5. Cùm autem illusam illam turbam videritis à facie, à tergo, & ab vtroque latere supplicem diuinos exhibentem hono- C res, tacitè vobiscum dicite meliori sensu: Tibi, ô Deus Israel, hæc debetur adoratio, & cultus, non impuris idolorum monstris.

6. *Angelus enim meus vobiscum est: ipse autem exquiram animas vestras.*

6. Neque est, cur timendum vobis existimetis, si quæ adorant Babylonij, illa vos meliori consilio contemnatis. Adest enim Angelus vobiscum, qui vos ab inimicorum armis, & iniuria defendet. Quòd si in caput vestrum aliquid hostile moliantur, mearum erit partium Chaldæorum D morte mortem vestram, & iniurias vlcisci.

7. *Nam ligna ipsorum polita à fabro, ipsa etiam inaurata & inargentata, falsa sunt, & non possunt loqui.*

7. Cur autem simulata illa Chaldæorum numina contemni potius, quàm adorari debeant, ea ratio est; quia ligna sunt mera, neque aliud præterea habent, quàm quod acceperunt ab artifice: neque si argenteis sint, aut aureis intecta crustis, non ideo desinunt esse figmenta falsa; aut habere possunt sentiendi, atque loquendi facultatem.

8. *Et sicut virgini amanti ornamenta; ita accepto auro fabricati sunt.*

8. Neque alio modo illis ex argento, E & auro ornamenta cuduntur, incude nimirum, & malleo, quàm virgini, cùm ad ætatem peruenit coniugali thalamo maturam.

9. *Coronas certè aureas habent super capita sua dij illorum: vnde subtrahunt sacerdotes ab eis aurum, & argentum, & erogant illud in semetipsos.*

9. Habent quidem in capite aureas coronas, vnde sacerdotes ad suos sumptus, atque delicias aurum, & argentum callidè & fraudulenter assumunt.

10. *Dant autem & ex ipso prostitutis, & meretrices ornant: & iterum cùm receperint illud à meretricibus, ornant deos suos.*

10. Quinetiam deorum suorum donis, quasi cultus esset meretricius, illas, quæ in templis venalem habent pudicitiam, exornant, vt habeant, quo ad se amatorum oculos alliciant: vbi verò illæ aut suam,

Digitized by Google

A aut aliorum expleuere libidinem, ad deos rursus ex prostituto corpore reducunt.

11. *Hi autem non liberantur abærugine & tinea.*

11. Idola verò vsque adeò vilia sunt, & sensus omnis, & cognitionis expertia, vt nihilo plus habeant, quàm quod alia quæuis profana materia. Nam quæ ærea sunt, obducuntur rubigine: quæ lignea, corrumpuntur à tabe, & roduntur à tinea.

12. *Opertis autem illis veste purpurea, extergunt faciem ipsorum propter puluerem domus, qui est plurimus inter eos.*

12. Cùm autem illis iniecta fuerint ornamenta purpurea, facies illorum, quæ longè vilior est, illo puluere conspurcatur, B & tegitur, qui ingredientium vestigiis excitatur, qui sanè multus est.

13. *Sceptrum autem habet vt homo, sicut iudex regionis, qui in se peccantem non interficit.*

13. Gestant in manibus sceptrum magistratus insigne, sicut homines qui regionibus leges, & iura dicunt; neque tamen de illis, qui contra suam religionem, & numen aliquid admiserunt, capitali supplicio decernunt.

14. *Habet etiam in manu gladium, & securim, se autem de bello, & à latronibus non liberat. Vnde vobis notum sit quia non sunt dij.*

14. Armant gladio, atque securi manus; sed planè frustrà, cùm neque bellorum vim, neque latronum insidias declinare possint, aut efficere, quominus ipsi quoque C communem subeant miserorum fortunam.

15. *Non ergo timueritis eos. Sicut enim vas hominis confractum inutile efficitur, tales sunt & dij illorum.*

15. Non est ergo cur illis religiosum cultum, aut venerationem deberi existimetis; neque enim plus habent vtilitatis, ac pretij, quàm vas hominis, quod casus collisit, & in minuta frusta confregit.

16. *Constitutis illis in domo, oculi eorum pleni sunt puluere à pedibus introeuntium.*

16. Sunt quidem illi Gentium dij in suis collocati sacrariis, quàm tamen longè sint, vt quæ ibidem fiunt, aut videant, aut curent, vt oculos, quos acceperunt à runcina, & scalpro, plenos habeant pulueris, D quem ingredientium pedes excitarunt.

17. *Et sicut alicui qui regem offendit, circumseptæ sunt ianuæ; aut sicut ad sepulchrum adductum mortuum, ita tutantur sacerdotes ostia clausuris & seris, ne à latronibus expolientur.*

17. Quemadmodum si quispiam regiam offendit maiestatem, ille claustris includitur, & custoditur, ne fugiat. Et sicut sepulcro clauditur, & continetur cadauer, quod de more cum pretiosis ornamentis in sepulcrum infertur, ne aliquid ab externis patiatur iniuriæ: sic etiam sacerdotes claustra obiiciunt & seras, ne latrones deorum suorum ornamenta furentur.

18. *Lucernas accendunt illis, & quidem multas, ex quibus nullam videre possint: sunt autem sicut trabes in domo.*

18. Accendunt sacerdotes in illorum delubris lucernas, & faces, & quidem E plurimas; sed quem ex illarum splendore vsum, aut voluptatem capient, qui non magis vident, quàm trabes, aut saxa, ex quibus impura illa sacraria ædificata sunt.

19. *Corda verò eorum dicunt elingere serpentes, qui de terra sunt, dum comedunt eos, & vestimentum ipsorum, & non sentiunt.*

19. Cùm negare non possint Babylonij ligneos esse deos, atque ideo neque vitam habere, neque sensum, dicunt à serpentibus, quales sunt, qui reptant in terra, quíque in ipsorum habitant præcordiis; animari, ac viuere. Sed hoc ridiculum est, cùm à tineis, vermiculis, & ipsis etiam serpentibus

20. *Nigræ*

pentibus

Digitized

A pentibus tam ipsi, quàm illorum vestimenta sine ullo eorum sensu corrodantur.

20. *Nigræ fiunt facies eorum à fumo, qui in domo fit.*

20. Neque quicquam illis prosunt ad speciem fucati medicamenta candoris, cùm à fumo qui domi fit, ipsorum facies deformitatem contrahant, & atrorem.

21. *Supra corpus eorum, & supra caput eorum volant noctuæ, & hirundines, & aues etiam similiter & cattæ.*

21. Supra corpus, atque adeò supra caput ipsorum hirundines, & noctuæ, atque aliæ immundæ, atque nocturnæ volu-
B cres circumuolant; neque feles illorum specie, ac maiestate terrentur, quominus illis insideant, & insultent.

22. *Vnde sciatis quia non sunt dij. Ne ergo timueritis eos.*

22. Ex quo facile erit coniectare illos non esse Deos. Quare à vobis neque colendi, neque metuendi sunt.

23. *Aurum etiam quod habent, ad speciem est.*
Nisi aliquis exterserit æruginem non fulgebunt: neque enim dum conflarentur, sentiebant.

23. Aurum, quod ad speciem adhibuerunt artifices, æruginem contrahit, & sordes, quas nisi aliquis exterserit, splendorem amittet: sordes autem, atque rubiginem, à quibus atri fiunt, atque defor-
C mes, non sentiunt. Neque, quando à conflatore formas acceperunt, igne colliquefacti, & malleo percussi, nullum tamen sensum habuerint.

24. *Ex omni pretio empta sunt, in quibus spiritus non inest ipsis.*

24. Et cùm neque spiritum habeant, neque sensum, tanta est ignorantia, ac cæcitas, magno ab hominibus pretio comparantur.

25. *Sine pedibus in humeris portantur, ostentantes ignobilitatem suam hominibus. Confundantur etiam qui colunt ea.*

25. Carent omninò adminiculo, ac firmitate pedum, & dum alienis portantur humeris, satis suam produnt infirmitatem, & quàm vili ab omnibus æstimari debeant.
D Vt autem si quid inesset mentis idolis, pudorem deberent, & ignominiam subire; sic etiam his, qui diuinum illis exhibent honorem, confusionis debuit esse materia.

26. *Propterea si ceciderint in terram, à semetipsis non consurgunt: neque si quis eum statuerit rectum, per semetipsum stabit, sed sicut mortuis munera eorum illis apponentur.*

26. Quia igitur vestigio niti non possunt, si fortè ceciderint, seipsos in pedes excitare nequeunt. Quòd si aliorum ope de terra excitari contingat, statum illum rectum à semetipsis seruare non possunt; sed sunt omninò quasi mortui, qui cùm efferuntur in feretris, aut cùm latent in tumulis, munera, aut ornamenta, quæ à vi-
E uis accipiunt, neque agnoscunt, neque desiderant.

27. *Hostias illorum vendunt sacerdotes ipsorum, & abutuntur: similiter, & mulieres eorum decerpentes, neque infirmo, neque mendicanti aliquid impertiunt:*

27. Hostias, quas delusi, cæcique cultores ad illorum altaria deducunt, faciunt omninò profana, dum ex illis diuenditis pecuniam redigunt, & ad vsus domesticos sibi seruire faciunt. Et mulieres aut quæ prostant in templis, aut quibuscum intercedit coniugalis necessitudo, decerpunt ex illis suam quoque partem. Neque quicquam confertur inde infirmo, aut pauperis leuatur inopia.

28. *De sacrificiis eorum fœta & menstruata contingunt. Scientes itaque ex his, quia non sunt*

28. Quàm sint illorum impura sacrificia, hinc licet coniectare, quia fœminæ, quæ

Digitized by Google

sunt dij, ne timeatis eos.

29. Vnde enim vocantur dij. Quia mulieres apponunt diis argenteis, & aureis, & ligneis.

30. Et in domibus eorum sacerdotes sedent, habentes tunicas scissas, & capita, & barbam rasam, quorum capita nuda sunt.

31. Rugiunt autem clamantes contra deos suos, sicut in cœna mortui.

32. Vestimenta eorum auferunt sacerdotes, & vestiunt vxores suas, & filios suos.

33. Neque si quid mali patiuntur ab aliquo, neque si quid boni poterunt retribuere: neque regem constituere possunt, neque auferre.

34. Similiter neque dare diuitias possunt, neque malum retribuere. Si quis illis votum vouerit, & non reddiderit; neque hoc requirunt.

35. Hominem à morte non liberant, neque infirmum à potentiori eripiunt.

36. Hominem cæcum ad visum non restituunt, de necessitate hominem non liberabunt.

37. Viduæ non miserebuntur, neque orphanis benefacient.

38. Lapidibus

A quæ pollutæ sunt aut menstruo sanguine, aut recenti puerperio, illa contrectant. Hinc igitur edocti in illis nullum esse numen, non est cur illos aut formidetis, aut colatis.

29. Cùm tanta sit deorum vilitas, tam species ludicra; vnde illis data est ab hominibus diuini nominis maiestas, & religio? Sanè quia homines aliquid circa illos exhibent religiosi cultus; & quia fœminæ vt ludicra quædã signa fingunt, & ornant, puppas puta, aut etiam turpium rerum indecoras imagines; sic etiam aureas, argenteas ac ligneas formas non dubitant fœmineis exornare delitiis.

B 30. Conciliant illis diuini nominis opinionem sacerdotes, qui in illorum delubris commorantur, qui capita habent superstitioso ritu non solùm nuda, sed etiam decaluata, & vestimenta supplicum more lacerata

31. Et quasi ab illis impetrare possent aliquod aut doloris leuamentum, aut morbi medicinam, aut in rebus angustis præsidium opportunum, non aliter rugiunt clamore lugubri, quàm qui in parentali cœna familiari planctu sui doloris

C publicum aliquod argumentum exhibent.

32. Qui tam sese religiosos venditant, & templorum custodes, & vigiles, illi à suis diis, quos supplices adorant, & ritu sacerdotali sacrificant, vestimenta detrahunt, quibus filios suos, & vxores operiunt.

33. Neque si quis sacrilegas iniiciat manus, aut aliquid contra ipsorum religionem, & nomen moliatur, aut contra pium aliquod obsequium impendat, neque compensandi officij, neque sacrilegij pu-

D niendi facultatem habent. Neque regij nominis, aut conferendi, aut auferendi ius habent vllum, aut potestatem.

34. Neque diuitiis ornare quemquam possunt; neque malis afficere eos, qui variè de illorum religione, ac cultu meriti fuerint. Neque de nuncupati voti fide laborant; neque ad exoluenda vota immemores, aut recusantes adigunt.

E 35. Neque hominem à morte, neque à potentiorum iniuria infirmum, aut pauperem eripiunt.

36. Si quis captus oculis fuerit, illorum beneficio non videt; si quis rebus necessariis indigeat, ab illis nullum habet in graui rerum necessitate subsidium.

37. Neque illos viduarum solitudinis, neque orphanorum orbitatis miserescit, quorum est fortuna, ac misera conditio, quique potentiorum iniuriis, atque ludibriis exponuntur.

38. Neque

Digitized by

38. *Lapidibus de monte similes sunt dij illorum, lignei, & lapidei, & aurei, & argentei. Qui autem colunt ea confundentur.*

A 38. Neque quicquam inter illos, ac lapides, qui de latumiis cæduntur, interesse video deos illos, qui lignei sunt, aut saxei, aut vbi cum illis actum optimè fuerit èx auro, argentóve conflati. Quid igitur, qui inanimata illa monstra venerantur, sperare possunt præter ignominiam, & pudorem.

39. *Quomodo ergo æstimandum est, aut dicendum illos esse deos?*

39. Quis erit igitur tam cæcus, & amens, qui aliquid illis inesse numinis sibi persuadeat?

40. *Adhuc enim ipsis Chaldæis non honorantibus ea: qui cùm audierint mutum non posse loqui, offerunt illud ad Bel, postulantes ab eo loqui.*

40. Quorum potentia, & nugatoria B religio ipsis quoque Chaldæis ridicula est, qui sæpe quanta sit in illorum religione, & mentita diuinitate futilitas, experti sunt. Mutum enim hominem ad aras Beli sistunt, orántque, vt illi expedita lingua loquendi facultatem indulgeat.

41. *Quasi possint sentire qui non habent motum, & ipsi cùm intellexerint, relinquent ea: sensum enim non habent ipsi dij illorum.*

41. Neque ab illo preces illæ vanissimæ quicquam obtinent. Quid enim præstent, qui neque sensum habent vllum, neque motum? Quod cùm ipsi experimento didicerunt, iure perquā optimo despiciunt.

42. *Mulieres autem circundatæ funibus in viis sedent, succedentes ossa oliuarum.*

C 42. Quanta verò sit illorum turpitudo, quàm impura sacra, ex sacrificiorum atque votorum obscœnitate coniectare licet. Mulieres enim, quæ venalem habent pudicitiam, vt meretricio quæstu deorum suorum ornent simulacra, in viis prostant, & illa venerea diuerticula funibus obsepiunt. Et quo prætereuntium oculos capiant, & ad vulgatum illum concubitum alliciant, olearum nucleos, quod amatorij veneficij genus est, foculis imponunt, & superstitiosè comburunt.

43. *Cùm autem aliqua ex ipsis attracta ab aliquo transeunte dormierit cum eo, proximæ suæ exprobrat quòd ea non sit digna habita sicut ipsa, neque funis eius diruptus sit.*

D 43. Cùm autem tanto teneantur studio conciliandi sibi, aut placandi Dei, feliciter secum actum arbitrantur, eóque sibi gratulantur nomine, quod rupto fune intra illa septa adulter, aut amator peregrinus irrupit; & alias, quæ in eodem sunt stadio, ac quæstu, procaci exagitant conuitio, quòd nō fuerint nactæ hominem, ex cuius congressu pretium comparauerint, quo à conciliato Deo gratiam inirent.

44. *Omnia autem quæ illis fiunt falsa sunt. Quomodo æstimandum, aut dicendum est, illos esse deos.*

44. Omnia autē, quæ in illis siue sculpendis, siue excolendis fiunt, aliena sunt, & falsā habent religionis speciem, & quomodo E vnquam venire in mentē potuit, vt in illis credatur aliquid esse diuinum.

45. *A fabris autem, & ab aurificibus facta sunt. Nihil aliud erunt, nisi id quod volunt esse sacerdotes.*

45. Nihil enim habent à natura, sed omnia quasi mendicatò sumpserunt ab artifice; à fabro nimirum, vel ab aurifice. Neque aliud habent nomen, aut numen, nisi quod illis aut affinxere, aut addidere sacerdotes.

46 *Artifices etiam ipsi, qui ea faciunt, non sunt multi temporis. Numquid ergo possunt ea quæ fabricata sunt ab ipsis, esse dij?*

46. Ipsi prætereà artifices neque à longo tempore vixerunt, neque in longos annos vitam producent. Quomodo ergo illorum operibus diuinum nomen damus,

Reliquæ cùm

Digitized by Google

47. Reliquerunt autem falsa, & opprobrium postea futuris.

48. Nam cùm superuenerit illis prælium, & mala; cogitant sacerdotes apud se, vbi se abscondant cum illis.

49. Quomodo ergo sentiri debeant, quoniam dij sunt, qui nec de bello se liberant, neque de malis se eripiunt?

50. Nam cùm sint lignea, inaurata, & inargentata, scietur postea quia falsa sunt ab vniuersis Gentibus, & regibus: quæ manifesta sunt, quia non sunt dij, sed opera manuum hominum, & nullum Dei opus cum illis.

51. Vnde ergo notum est, quia non sunt dij, sed opera manuum hominum, & nullum Dei opus in ipsis est?

52. Regem regioni non suscitant, neque pluuiam hominibus dabunt.

53. Iudicium quoque non discernent, neque regiones liberabunt ab iniuria: quia nihil possunt, sicut cornicula inter medium cæli, & terræ.

54. Etenim cùm inciderit ignis in domum deorum ligneorum, argenteorum, & aureorum, sacerdotes quidem ipsorum fugient, & liberabuntur: ipsi verò sicut trabes in medio comburentur.

55. Regi autem, & bello non resistent. Quomodo ergo æstimandum est, aut recipiendum quia dij sunt.

56. Non à furibus, neque à latronibus se liberabunt dij lignei, & lapidei, & inaurati, & inargentati: quibus hi qui fortiores sunt.

57. Aurum

A cùm à mortali manu immortalitatem habere non possint?

47. Reliquerunt itaque falsam religionis, & diuinitatis imaginem futuris sæculis, quam pro deo coleret decepta posteritas, quæ sanè fuit erroris, & ignominiæ prolixa materies.

48. An non est hæc hominibus turpis ignominia, cùm illos habeant deos, qui neque alios possint, imò neque seipsos ab infortunio liberare; si enim bellum ingruerit, aut alia quæuis à mortali manu
B vis, & calliditas, secum sacerdotes taciti deliberant, quomodo & seipsos, & deos suos à furto, seu calamitate subducant.

49. Ecquis ergo putet illos esse Deos, qui neque belli tempore defendere se possunt ab armata manu, neque aliud quodcunque inciderit, infortunium effugere.

50. Quamuis nunc homines illa deorum monstra venerentur, & colant; edoctæ tamen experientia vniuersæ Gentes, & populorum capita, cognoscent manifestè nihil esse aliud, quàm lignum, & ar-
C gentum, ex quibus illæ ab artifice expressæ sunt imagines, quibus nihil constat inesse diuinum.

51. Notum est, inquam, abesse ab illis procul diuini nominis maiestatem, & titulum; cùm tantùm sint mutum opus artificis, neque in illis quicquam appareat, quod ab vno Deo præstari posset.

52. Neque enim regionibus regem præficiunt, neque imbres de cælo in terram effundunt.

53. Neque præterea quicquam legitimo
D decernunt, integróque iudicio, neque regiones vendicant ab iniuria; quia nihilo plus posunt, aut illorum oracula plus habent fidei, quàm corniculæ cantus, qui crocitando regionem permeat, quæ media est inter cælum, & terram.

54. Etenim cùm domus deorum, qui dolantur è ligno, aut ex auro, argentóve conflantur, incendio conflagrauerit; sacerdotes quidem fuga incendij periculum euadent, at dij non magis erunt ab incendio tuti, quàm trabes, ex quibus compa-
E cta est templorum contignatio.

55. Quòd si rege, aut bello inferiores sunt, quia illorum potestati non resistunt; quæ tanta est hominum insania, vt illos deos esse statuat, atque vt deos accipiendos, & obseruandos putet.

56. Si latro, aut fur in deos illos ligneos, argenteos, & aureis ornamentis instructos manus intulerint violentas, nequaquam illorum effugient aut vim apertam, aut occultas insidias, cùm maius in illis sit robur, ac potestas.

57. Aufe

57. Aurum, & argentum, & vestimentum, quo operti sunt, auferent illis, & abibunt, nec sibi auxilium ferent.

A 57. Auferent autem quicquid illis est argenteum, & aureum, & nudos à suo vestimento relinquent, & impunè spoliis abibunt onerati: neque sibi, dum à latronibus spoliantur, possunt esse subsidio.

58. Itaque melius est esse regem ostentantem virtutem suam; aut vas in domo vtile, in quo gloriabitur qui possidet illud; vel ostium in domo, quod custodit quæ in ipsa sunt, quàm falsi dij.

58. Est ergo melius regium obtinere, quàm diuinum nomen, quale sibi vendicant illa deorum muta simulacra; rex enim virtutem aliquam ostentat, quod non faciunt dij. Aut certè vas, quod aliquid præstat ad cõmunes, & domesticos vsus, quod possessori suo aliquid affert vtilitatis, & gloriæ. Aut ostium domus, quod custodit,
B & claudit, quæ in domo sunt; quorum nihil præstare possunt illi, quibus diuinum nomen indidit hominum vecordia.

59. Sol quidem, & luna, ac sidera cùm sint splendida, & emissa ad vtilitates, obaudiunt.

59. Meliores etiam sunt, quàm Gentium dij, sol, & luna, & reliqua cæli sydera, cùm ipsa splendorem habeant, & oriri iussa diuino præcepto ad hominum vtilitatem obsequuntur.

60. Similiter & fulgur cùm apparuerit, perspicuum est: idipsum autem & spiritus in omni regione spirat.

60. Idem dicendum de fulgure, ac vento; illud enim cùm hominum se oculis ostentat, aliquid vibrat igneum, atque perspicuum; hic suo spiritu, quo regiones o-
C mnes percurrit, & perflat, aliquid se habere virtutis, & vtilitatis ostendit.

61. Et nubes, quibus cùm imperatum fuerit à Deo perambulare vniuersum orbem, perficiunt quod imperatum est eis.

61. Idem de nubibus, quibus cùm imperatum fuerit à Deo, vt vniuersum orbem percurrant, & obumbrent, sine vlla difficultate, ac mora imperata perficiunt.

62. Ignis etiam missus desuper vt consumat montes, & siluas, facit quod præceptum est ei. Hæc autem neque speciebus, neque virtutibus vni eorum similia sunt.

62. Ignis præterea, quem desuper eiaculatur Deus, vt montes, & syluas incendio comburat, datum sibi negotium sine vlla cunctatione suscipit, & præstat. Hæc autem neque si speciem, neque si virtutem, & agendi facultatem consideres,
D nihil habent cum deorum futilitate commune.

63. Vnde neque existimandum est, neque dicendum illos esse deos, quando non possunt neque iudicium iudicare, neque quidquam facere hominibus.

63. Vnde nemo sanus affirmare, imò neque cogitare debet illos esse deos; quando neque iudicando decernere, neque hominibus aut commodare quicquam, aut obesse, seu aduersari possunt.

64. Scientes itaque quia non sunt dij, ne ergo timueritis eos.

64. Cùm igitur illos procul abesse constet à diuina natura, non est cur illorum metuatis offensionem, & iram.

65. Neque enim regibus maledicent, neque benedicent.

65. Quid enim ab illis vel sperandum, vel timendum, cùm neque regum, quorum esse debuit prouidentia maior, neque alio-
E rum hominum fortunare possint, aut atterere opes, & potentiam.

66. Signa etiam in cælo Gentibus non ostendunt, neque vt sol lucebunt, neque illuminabunt vt luna.

66. Neque præstare possunt, quod res creatæ, quæ à diuino nomine immẽsis spatiis recesserunt, assiduè perficiunt. Neque enim cælorũ nobis ostendunt signa neque diem illuminant, quod beneficiũ habemus à sole; neque nocturnas exigunt tenebras, quod ad varios hominum vsus efficit luna.

Digitized by Google

67. Bestiæ meliores sunt illis, quæ possunt fugere sub tectum, ac prodesse sibi.

A 67. Multo sunt illis bestiæ meliores, quæ cauere possunt, & prouidere sibi. Quæ sub tectum fugiunt, vt declinēt temporum iniurias, & norunt, ipsa docente natura, vitæ suæ necessaria conquirere.

68. Nullo itaque modo nobis est manifestum quia sunt dij: propter quod ne timeatis eos.

68. Est itaque manifestum ex his nullo modo illos esse deos: quare non est cur illos quisquam timere debeat.

69. Nam sicut in cucumerario formido nihil custodit, ita sunt dij illorum lignei, & argentei, & inaurati.

69. Vt enim quod excitatur in cucumerario, aut in horto terriculum, quia aliquid est fœno, seu alio quouis tomenti generi refertum, nihil à se affert horto, siue cucumerario tutelæ, sed ab inani auicularum errore, qui aliquid putant esse viuum. Sic sanè dij isti, qui lignei sunt, aut ex auro, B argentóve conflati, qui nihilo fœneo simulacro, hortorúmque terriculo meliores sunt, cùm nocere non possint, imò neque videre: hominum tamen error facit, vt terrori sint.

70. Eodem modo & in horto spina alba, supra quam omnis auis sedet. Similiter & mortuo proiecto in tenebris similes sunt dij illorum lignei, & inaurati, & inargentati.

70. Neque aliquid habēt amplius, quàm spina alba, in qua sedent, ludunt, & garriunt impunè volucres. Neque dij illi lignei, auro, atque argento splendidi à cadauere differunt, quod tenebricoso, atque alido sepulcro conclusum est.

71. A purpura quoque & murice, quæ supra illos tineant, scietis itaque quia non sunt dij. Ipsi etiam postremò comeduntur, & erunt opprobrium in regione.

71. Illa ad extremum argumento vobis esse possunt, in illis nihil prorsus esse diuinum. Induti quidem sunt purpureis, & C conchiliatis indumentis, quæ cùm deorum humeris insideant, à tineis tamen corrosa soluuntur, & tabescunt: & ipsi tandem exedentur à carie, præbebúntque regionibus latè irridendi, atque subsannandi materiam.

72. Melior est homo iustus, qui non habet simulachra: nam erit longè ab opprobriis.

72. Longè illis melior est homo iustus, longéque superior, qui neque simulacra colit, neque de illorum religione laborat, longè enim aberit, vt talibus ab hominibus exagitetur opprobriis, qualibus à sanæ mentis viris per summum dedecus, atque ludibrium, concerpuntur idola.

Vers. 1. *Exemplar epistolæ, quam misit Ieremias ad abducendos captiuos in Babyloniam.*]

1. SCripsit alias epistolas Ieremias, D cùm adhuc staret ciuitas, & templum Solymitanum, vt liquet *Ierem. cap. 29.* ad captiuos, qui Babylonem cum Iechonia transmigrarunt. Quo verò tempore scripta sit hæc epistola, incertum est. Quidam scriptam putant ex Hierosolyma ad captiuos, qui iam exules agebant à patria, & futurum positum arbitrantur pro præterito. Alij scriptam quidem dicunt Hierosolymæ ad eos, qui cùm nondum essent ad alienum solum relegati, futurum tamen erat, vt breui abducerentur. Ego neutram harum cogitationũ probare potui; quia ab hoc libro non obscurè docemur, quando data fuit, excisam esse vrbem, & eius ciues post extremam vastitatem actos esse captiuos. Illa enim memorat, quæ tantùm in illam extremam cladem, & vltima Iudaicæ reipublicæ tempora conueniunt. Quale est, quod *c. 4.* Ierusalē viduam se, & à ciuibus orbatam dolet, séque non semel desolatam appellat. Quæ verba adhibet Ieremias in Threnis sæpe, quos nemo dubitat post euersam vrbem, & abductos in Babylonem ciues esse compositos. Et est mihi valde probabile eodē tempore omnia, quæ excepit Baruch à Ieremia, quęque sub nomine legimus Baruch, scripta fuisse, licèt nō omnia eodem tēpore fuerint recitata.

Ego omnia hæc dictata arbitror à Ieremia, & excepta ab eius amanuensi Baruch eo tempore, quo vterque vixit in Ægypto, ad extremum vitæ, atque exilij tempus. Nam fuisse vtrumque in Ægypto post vrbis exitiũ, & Godoliæ cædē, habemus apud Ieremiā *c. 43. v. 3.* Et eodem capite habemus venturũ esse Nabuchodonosor in Ægyptũ, & Ægyptios abducendos esse Babylonē. Et *c. 44.* docet talia Iudæos, qui fuerunt in Ægypto, passuros, qualia eorũ patres in Ierusalē. Quare non dubiũ, quin

1. Ieremias & Baruch fuerunt in Aegypto.

Aegyptij, & qui apud illos erant Iudæi abducti Babylonem.

Digitized by Google

quin cum Ægyptiis captiui quoque Babylonem abierint Iudæorum plurimi. Quod accidit anno 5. ab excisa Hierosolyma, vt author est Iosephus lib. 10. Ant. cap. 11. *Contempto*, inquit, *Dei consilio, Ioannes, & reliqua multitudo in Ægyptum abiit, abducto simul Barucho, & Ieremia. Quo postquam peruentum est, Deus significauit Prophetæ, fore vt Babylonius exercitum ducat in Ægyptum; iussique prædicere populo, quod capietur Ægyptus, & ibi partim interficientur, partim captiui Babylonem abducentur: id quod etiam factum est quinto post excidium Solymitanum anno.*

3\. Illud non omittendum, Ieremiam, cùm in Ægypto ageret, & liberè in suis, & spiritu verè prophetico multa reprehenderet, grauem sibi apud illos inuidiam conflasse; qui eò indignationis, & amentiæ progressi sunt, vt armatas in eum attulerint manus, ac tandem lapidibus oppresserint. Ita Hieronymus *in Proœmio in Ieremiam*, Isidorus *lib. de vita atque obitu sanctorum*, Epiphanius, Dorotheus *in synopsi*, Tertullianus *in Scorpiaco cap.* 8. & Kalendarium Romanum *Kalendis May*.

Ieremiæ mors.

4\. Cùm ergo moriendum sibi Ieremias cognosceret, neque sua verba apud væsanos exules pondus habitura; aut certè cùm illorum ad tam seuera monita aures videret obstructas, monita hæc scriptis voluit esse mandata, quæ illis traderentur à Baruch superstite. Nam certissimè norat illa tunc fidem habitura apud illos, cùm minas, quas antè contempserant, viderent habuisse pondus. Quare titulus optimè ad hunc articulum, & statum accommodatus est. *Exemplar*, inquit, *epistolæ, quam misit Ieremias ad abducendos captiuos in Babyloniam.* Non dixit ad abductos, quia eò nondum Babylonius appulerat. Additur porrò illud à Deo Ieremiam accepisse mandatum.

5\. Idem admonuerat olim ciuibus suis, antequam è patrio solo in Babyloniam essent ablegati, vt habes *Ieremiæ cap.* 10. vbi paucis complectitur, quæ ibi pluribus diffusa sunt. Neque desunt, qui hanc epistolam illud esse putent, quod ibi denunciatum, aut prædictum est. Ita Chaldæus opinatur. Sed est expeditum magis, quod diximus. An verò huc spectet, vel ad cap. 10. Ieremiæ, quod de huiusmodi Ieremiæ monitis traditur *lib. 2. Machab. cap.* 2. incertum est. Ego de hac epistola sermonem illum esse existimabam, quia in ea plura sunt documenta, illaque multo magis explicata. Veruntamen quia ibi transmigrantibus dicit data fuisse præcepta, & cum illis ibi ignem coniungit sacrum; quod in tempus Ægyptium minùs aptè conuenit: ideo spectari potius existimo decimum Ieremiæ caput, aut aliud eiusmodi argumenti, quod fortasse periit, quàm epistolam hanc, quam, vt ego coniecto, postremam omnium, & proximus iam morti dictauit.

6\. Vers. 1. *Propter peccata, quæ peccastis ante Deum, abducemini in Babyloniam à Nabuchodonosor.*] Peccarunt grauiter in Ægypto Iudæi, quibuscum modò Propheta loquitur; tum quia credere noluerunt Prophetæ, imò cum Dei nomine vehementiùs vrgeret, illum occiderunt. Deinde quia vt ex *Ierem. cap.* 44. liquet, coluerunt idola, neque in suorum capite didicerunt, à quibus sibi consiliis abstinendum, & quid esset maximè probandum.

7\. Vers. 2. *Ingressi itaque in Babylonem eritis ibi annis plurimis.*] Quia diuturnum futurum erat illud Iudæorum exilium, illos maturè ad illius incommoda ferenda communit. Sicut etiam fecit *cap.* 10. Et quia grauior est animorum, quàm corporum

A vexatio, grauior iactura; ideo illos contra vanitatem idolorum, & idololatrarum fraudes, & commenta instruit, & armat. Quàm longum porrò futurum sit exilium, explicat verbis non parùm obscuris, quæ diu torserunt, & torquent adhuc interpretum ingenia.

Vsque ad generationes septem.] Interpretum plerique putant hoc dicendi modo annos septuaginta numerari; quod captiuorum probauit exitus, & libertas, qui anno à captiuitate septuagesimo, iubente Cyro, libertatem consecuti sunt; quod etiam Ieremias *cap. 25. & 29.* antè prædixerat. Sed quomodo generationibus septem, anni cõtineantur septuaginta, & non plures (nam hic numerus definitus est Iudæorum exilio) difficile est statuere. B Variæ sunt huiusmodi extricandi rationes, quas tantùm attingam, ne longior sim, quàm vellem, & deinde paucis, quid minùs mihi videatur difficile, proponam. 8.

Quidam hìc *septem* indefinitè sumunt pro multis, quod in Scriptura non rarò contingit. Quomodo dicitur *septies in die cadit iustus*. Sed hæc expositio, quam adduxit Pererius *in cap. 9. Danielis*, co laborat incommodo, quod nihil definit certum; & de longo illo spatio, quod hic indefinito numero significari putat, iam egerat proximè, cùm dixit, *Eritis ibi annis plurimis, & temporibus longis.* Quare non erat cur tertium adderet, & obscurum magis numerum magnum, sed incertum. 9.

Alij in generatione tempus illud intelligunt, C in quo quis habet ætatem rei coniugali, & generationi maturam; qualis à quibusdam annorum 20. ab aliis 18. ab aliis paucioribus, ab aliis pluribus designatur. Sed quocunque modo iuxta illorum considerationem numeres, plures inuenies quàm annos septuaginta. Alij ab aliis afferuntur difficultatis extricãdæ modi, quos prudens omitto, quia plures ipsi modos impediunt, quàm quos in hoc loquendi modo extricare contendũt. Duos ego alios propono; faxit Deus ne abs re, quos lector expendet, déque illis suo arbitratu statuet. 10.

Primum generationis nomen, quod Græcè γενεὰ, Hebr. דור *dor*, dicitur, non significat tempus aliquod certum, sed varium pro rerum natura: quoties enim aliqua fit naturalis rerum mu- D tatio, aut ex hominum instituto conuersio, & quasi periodus, γενεὰ dicitur, aut ætas. De דור Mercerus apud Pagninum. דור inquit, *est successio, seu reuolutio; ordo graduum naturalis propagationis, quo alius ex alio nascitur: ætas, seu generatio, quæ more sphæra reuoluitur.* Vnde fit, vt generatio spatia significet diuersa, quia diuersæ naturæ rerum varias subeunt statas, & quasi legitimas mutationes, & quasi reuolutiones, seu periodos. Fit vno anno reuolutio Solis, siue periodus; hinc ætas, seu γενεὰ, vnus annus vocatur apud Virgilium *lib. 3. Georg.* vbi sic de equis, 11.

Generationis multiplex acceptio.

Aetas pro vno anno.

At tribus exactis, vbi quarta accesserit ætas,
Carpere mox gyrum incipiat, gradibúsque sonare
Compositis.

E Fortasse in equis alia ratio est, quia singulis annis magna fit in equis, sicut in armentis aliis mutatio. Hinc quia in homine septimo quoque anno magnam experimur in statu, atque habitu corporis mutationem, fit vt ætatem septem annis medici definiant: ita Censorinus *de die natali cap.* 14. ex Hippocrate; quod item tradit Suidas v. γενεὰ, vbi dicit prohiberi à medicis, ne cui ante secundam ætatem, id est, ante annum 14. mittatur sanguis. 12.

Aetas spatium septem annorum.

Varro, vt docet suprà Censorinus, ætates singulas quindecim annorum esse vult. Alij triginta. Alij γενεὰν, seu generationem eo tempore terminant, quo quis idoneus censetur generationi; & vt hoc tempus varium est, sic etiam varium sit necesse est ætatis, seu generationis spatium.

13. Ex his ego duas solutiones inuenio. Altera est, generationem hîc spatium esse septem annorum, vt statuunt medici, quia numerus ille varios in homine status definit, quos Censorinus nominat. *Post septimum quemque annum,* inquit, *articulos quosdam, & in his aliquid noui natura ostendit. In prima hebdomada dentes homini cadunt, in secunda pubescit, in tertia barba nascitur, in quarta vires sunt, in quinta maturitas.* Septem generationes, quadraginta nouem annos implent; tantum enim numerum efficit septenarius numerus replicatus septies. Si captiuitatem numeres à quarto anno Ioacim; quod meo iudicio fieri debet, vt ostendimus in nostris Commentariis *ad cap.* 1. *Zachariæ*, è septuaginta annis captiuitatis detrahendi sunt, quotquot intercessere à quarto illo anno ad tempus, quo exules, qui erant in Ægypto, ad quos diximus scriptam esse hanc epistolam, abducti fuere Babylonem. A quarto anno Ioacim ad vltimum Sedeciæ, in quo euersa fuit ciuitas, & consummata captiuitas, anni intercessere 19. Adde his quinque annos; nam quinto anno ab euersa Hierosolyma, rediit Nabuchodonosor, & cum aliis prouinciis expugnauit Ægyptum, vt habes apud Iosephum *lib.* 10. *cap.* 11. Quare septẽ ætates, seu generationes paulo minùs fuerunt Babylone Ægyptij illi Iudæi, ad quos epistola hæc à Ieremia data fuit.

Varij hominum status septenario definiti.

14. Aliter iuxta hanc generationis varietatem sumi possunt generationes istæ septem; si generationes dicamus esse annorum decades, quæ planè septuaginta complebunt annos, iuxta Ieremiæ prophetiam. Tunc verò non solùm de iis, qui apud Ægyptios fuerunt, exulibus, sed de omnibus Iudæis intelligendum est hoc septem decadum exilium. Quod verò in decade generatio, seu γενεὰ intelligatur, hinc ex dictis potest intelligi, quia in numerando in decade periodus absoluitur, neque enim progredimur vltra decem; sed vbi ad decadem ventum est, altera deinde assumitur decas, & post secundam tertia; & hac finita, alia rursus decas inchoatur; & sic chiliadas, myriadas, & omnes denique numerorum terminos partimur. Quod non sine causa omnes omnium gentium, ac linguarum ordines seruarunt. Sic Ouidius in Fastis.

Ætas decẽ annis constat.

Decas numerorum terminus.

Semper ad vsque decem numero crescente venitur,
Principium spatiis sumitur inde nouis.

Ex his duabus explicationibus vtram eligam, non mihi promptum est. In priorem magis inclinat assensio, quia magis ad historiam, & quia annorum hebdoas à multis appellatur, vt vidimus γενεὰ, seu ætas.

15. Addam ego tertiam aliam sumptam ex illorum opinione, qui generationem tempore illo definiri putant, in quo quis ætatem habet proli maturam, & rei vxoriæ non ineptam. Ita August. *super Psal.* 104. & complures alij, licèt de hac ætate non vnus sit omnium sensus. Rarum est, imò, vt multi putant, supra naturæ vires, vt aliquis anno decimo generet. Quod si aliquando contingat, maximè si personæ eiusmodi sint, vt ignorari

Generatio pro ætate generationi matura.

A non potuerint, id satis est vt det prouerbio locum, aut certè vulgo legitimum alicui facultati numerum definiat, qui plerumque ille sumitur, qui primus, aut qui postremus est. Qualis esse posset, exempli gratia, in vltimis annus quingentesimus, quia ea ætate Noe generasse traditur *Genes. cap.* 5. *v.* 32. In primis decimus, quia viri principes, & multis de causis illustrissimi ea ætate generasse dicuntur. Qualis fuit Salomon, qui, vt docent Hebræi, & sequitur Hieronymus *epist.* 32. quæ est ad Vitalem, decennis genuit Roboam: licèt id aliqui negent, in quibus est Abulensis *in lib.* 3. *Reg. cap.* 11. *q.* 14. & Lyra.

Salomon decennis genuisse traditur.

B Et quidem ex Scriptura firmamentum aliquod sumi non potest, quod illam Hebræorum, Hieronymique sententiam persuadeat. Constat sanè anno decimo ætatis ab Achaz genitum Ezechiã; quod item sua ætate mulierculæ cuidam contigisse tradit, quæ à decennali puero grauidata est. Duo autem illi viri vtpote reges, & regum parentes, aut prouerbiali formæ, aut primæ generandi maturæ facultati locum, & numerum dederunt; ita vt iam decem anni pro generatione vna capiantur. Hæc ego addidi, non quia omninò probem; multo enim magis arridet illa cogitatio, quæ proximè proposita fuit: sed quia res est obscura, & multis ab aliis versata modis; & quia in huiusmodi rebus impeditis, quicquid aliquam probabilitatis speciem habere videtur, contemni non solet. 16.

Achaz decennis genuit Ezechiam.

C *Post hoc autem educam vos inde cum pace.*] *Cum pace* idem ex Hebraicæ linguæ idiomate valet, quod cum lętitia, & gloria, & rerum commoditate, qualem nuper *cap.* 5. descripsimus. 17.

Vers. 3. *Ostentantes metum Gentibus.*] Metus, horror, & similia, præter formidinem, quod propriè sonat, etiam reuerentiam, & obseruantiam, quæ est à religione, significat. Quare dij Gentium, quorum simulatum, ac futile dicit esse numen, aliquid præseferebãt in ore, aut gestabant in manu, quo hominibus aut incuterent metum, aut reuerentiam excitarent. Quocirca aut gestabant in manu sceptrum, quod est Regiæ maiestatis insigne, aut coronã, aut radios solares in capite, aut aliquid simile, quod aliquid portendat diuinum; aut fulmen, gladium, securim, arcum, vt se hominibus horribiles ostendãt. Hæc igitur omnia quia D in materia sunt lignea, atque marmorea, quæ mente omninò carent, & sensu, contemnenda dicit, quantumuis illa delusa gentilitas adoret, quæ illa religiosa pompa, & festiuo plausu à tergo, & facie, & ab vtroque latere circumfundit. 18.

Deorum Babyloniorũ habitus.

Vers. 5. *Dicite in cordibus vestris: Te oportet adorari Domine.*] Idem penè dixerat *cap.* 10. *vers.* 11. vbi Chaldaicis verbis (quia futuri inter Chaldæos erant) formam præscripsit, qua suam profiterentur fidem, & Chaldaicæ Gentis sacris, & superstitionibus illuderent. *Sic ergo*, inquit, *dicetis eis: dij, qui cælos, & terram non fecerunt, pereant de terra, & de his, quæ sub cælo sunt.* Quia verò homines inermes, & captiui non videbantur imE punè laturi, si quicquam de religione victoribus, ac dominis suis exprobrarent: ideo ne quid eam ob causam ab hoste timeant, pauentes illorum animos confirmat.

Vers. 6. *Angelus autem meus vobiscum est: ipse autem requiram animas vestras.*] In nostris commentariis in Danielem *ad cap.* 10. diximus à Deo Gabrielem Angelum captiuis esse præfectum, qui curam illorũ gereret, & de illorũ cõmoditate laboraret. 19.

Deus & Angeli illos tuentur, qui causam agunt Dei.

Hic

Hic porrò contra Persarum, & Græcorum principes, quos ex Hieronymi, Ruperti, Cassiani, & aliorum sententia, spiritus malos esse diximus, pro captiuorum salute diu atque frequenter dimicauit. De hoc, opinor, Dominus loquitur, nisi mauis per synecdochem singularem numerum pro plurali sumi, ita vt Dominus dicat cum illis esse custodes Angelos, quorum virtuti mortalium potentia repugnare non poterit; qui ve animos facient captiuis, sic etiam adiment Babyloniis, ne quid audeant contra viros suæ fidei, atque tutelæ commissos. Quòd si seueriùs eam ob causam in Iudæorum caput animaduertant, suarum partium esse Dominus dicit Chaldæorum malo Iudæorum mortem, & iniurias vlcisci.

20. Vers. 8. *Sicut virgini amanti ornamenta, ita accepto auro fabricati sunt.*] Virgo amans dicitur, quando ad illam peruenit ætatem, in qua de nuptiis cogitare potest. Tunc enim delicias amat nuptiales, & ornamenta, quibus ipsa cultior sit, & procorum oculos, & animos capiat; quales sunt armillæ, periscelides, torques, monilia. Hæc ab Ezechiele *cap.* 16. descripta sunt à versu 8. *Et ecce tempus tuum tempus amantium.* Vt autem amantis virginis ornamenta, incude, & malleo, ex auro, siue argento cuduntur; sic etiam Gentilium dij nihil habent aliud, quàm quod acceperunt ex incude, & malleo.

21. Vers. 10. *Dant autem & ex ipso prostitutis, & meretrices ornant.*] Quàm viles sint, & turpes Gentilium dij, ex eo probat Propheta, quod iisdem ornamentis prostitutæ fœminæ, & deorum simulacra vestiuntur. Aufetunt enim illa Sacerdotes, vt ornent eas, quæ quæstuariam habent libidinem; & rursus vbi prostitutum ornauere corpus, ad deorum suorum cultum reuocantur. Neque meretrices verentur cùm suo corpore deorum quoque suorum ornamenta in lustris prostituere; neque indignum sua maiestate dij arbitrantur conspurcata ornamenta, & impuris fœdata libidinibus resumere. Quando id contigerit, & an hoc antiquis solemne fuerit, & quasi legitimum, mihi incertum est: in templis autem, locísque sacris esse prostibula, ibíque liberius quàm alibi, & impudentius fœminas libidinari solitas, multa docent. In hac ipsa Babylonia, de qua in præsentia sermo, docet Herodotus in Clio, omnes virgines deduci solitas in Veneris téplum, neque inde domum reduci, donec ibidem aliquis cum illis concubuerit. Esse omne templum Romæ commune prostibulum docet Iuuenalis *Sat.* 9. vbi sic ad virum profligatæ libidinis.

Ornamenta diis, meretricibusque communia.

In templis publica prostibula.

Nuper enim, vt repeto fanum Isidis, & Ganimedem
Pacis, & aduectæ secreta palatia matris,
Et Cererem (nam quo non prostat fœmina templo)
Notior Aufidio mœchus celebrare solebas.

Plura nos in hanc sententiam ad illud Isaiæ cap. 65. *Et in delubris idolorum dormiunt.* Quare si in templis publica fuere prostibula, nil mirum, si Sacerdotes idolorum, ad quos ex impuro illo mercimonio non exiguus quæstus pertinebat, ad meretricum ornatum ex simulacris deorum ornamenta detraxerint, quæ æquè his, & illis quasi desultoriè seruirent.

22. Vers. 15. *Sicut enim vas hominis confractum inutile efficitur.*] Cùm rem omninò vilem, & inutilem explicare volunt Hebræi, illam prouerbiali specie vas appellant confractum. Sic Psal. 30. *Factus sum tanquam vas perditum.* neque maiorem præstant vsum Gentilium dij. Vbi vas confra-

PROVERB. Vas confractum.

A ctum est, si quem habet vsum, ille vilis est, nempe vt in eo portetur igniculus è vicina domo, aut sordes colligantur. Neque aliud sibi exigunt, qui dij appellantur ab hominibus, in quibus aliquid est pudoris, aut mentis.

Vers. 19. *Corda verò eorum dicunt elingere serpentes, qui de terra sunt.*] Sensus, vt opinor, simplicissimus est, cor, id est, medullam ligni, ex quo dolata sunt idola, à tineis, seu vermibus corrodi. Neque enim species quædam angusta, quam indiderunt artifices, aut aurum, aut si quid est auro micantius, ac potius, à tinea vel tabe vendicant lignea simulacra, quæ nihilo plus habent, quàm informia ligna, quæ cæduntur è syluis. Vbi noster *serpentes*, Græcè est ἀπὸ τῶν γῆς ἑρπετῶν. Quæ verba latè patent, & tam draconibus, & anguibus, quàm terræ vermiculis conueniunt, quia omnes è terra sunt, & humi reptant; imò omnium maximè vermiculis, quia illi è terra gignuntur putrefacta, aut ex corrupto ligno: at qui communiter serpentes appellantur, illi ex naturali masculi, ac fœminæ commixtione nascuntur. 23.

B

24. Sed fortasse allusum est ad aliquam Babylonici vulgi opinionem, qui in diis suis serpentes clausos esse putabant. Sanè serpentes esse Babyloniis sacros, imò & aliis regionibus, diximus ad illud Danielis cap. 14. *Et erat draco magnus in loco illo, & colebant illum Babylonij.* Non poterant negare Babylonij ligneos esse Deos, quia de materia constabat; atque ideo illis etiam confitendum fuit, nisi ipsi quoque lignei essent, atque marmorei, illos esse mortuos: quare fingebant in illorum corde, id est, in medio sinu simulacri latere serpentes, quorum apud ipsos magna religio. Sic Maro Palladis simulacro serpentes associat lib. 2. Æneidos.

C

Serpentes habiti pro diis.

Serpentes deorum simulacris affixi.

At gemini lapsu delubra ad summa dracones
Effugiunt, sæuæque petunt Tritonidos arcem,
Sub pedibúsque Deæ, clypeique sub orbe teguntur.

Esse autem duos illos dracones aut partem Mineruæ, aut ad illius effigiem spectare, indicat Accius in Eriphyle.

Pallas bicorpor anguium spiras trahit.

D Notum est quid de Æsculapio fabulentur Poëtæ; subiisse autem deorum aliqua simulacra diabolum, & serpentum assumpsisse speciem, quos habuit sibi ab initio mundi familiares, & obsequentes, satis est verisimile. In hanc posteriorem explicationem magis inclinat animus; tum quia aliquid olet erroris, & superstitionis antiquæ; tum quia Propheta non dicit cor idolorum lingere, seu comedere serpentes; sed ita vulgo Babyloniorum existimari. Id enim valet illud, *Corda verò eorum dicunt elingere serpentes.* Dicunt nempe Babylonij, qui certè ad deorum suorum insigne ludibrium non dicerent Deos suos à tineis rodi, sed potiùs ab his, qui intus viuunt, serpentibus animari. 25.

E *Dum comedunt eos, & vestimentum ipsorum, & non sentiunt.*] Iuxta posteriorem hanc explicationem hæc verba sic accipio. Dicunt Babylonij Deos suos viuere; quia intus serpentes habent, quibus animantur; cùm tamen vsque adeò mortui sint, vt nullum habeant sensum, dum à tineis, & vermibus, & ipsis etiam serpentibus, à quibus animari, & informari existimantur, tam ipsi, quàm ipsorum vestimenta corroduntur, & pereunt. Si priorem explicationem sequaris, nihil in his verbis occurrit difficile. 26.

27\. Verſ.26. *Sed ſicut mortuis munera eorum illis apponentur.*] Alluſum puto ad conſuetudinem aliquam ſiue Iudæis, ſiue Babyloniis familiarem circa mortuos ſuos, quos in funebri pompa pretioſo exornant cultu, aut certè cum ipſis maxima quæque ornamenta in ſepulcrum inferunt. Qui tamen neque cùm efferuntur domo, aut cùm latent in tumulis, honorem illum feralem agnoſcunt; aut ſi quis illud pietatis officium omittat, illud deſiderant, aut deſertum dolent, cùm neque bonum ſentiãt, neque malum. Porrò mortuos variis modis honeſtari, prout multiplex regionum conſuetudo ferret, nemo neſcit. In aliorum funeribus odores cremabantur; cùm aliis inferebatur vis pecuniarum ingens, vt de ſepulcro Dauidis tradit Ioſephus *lib.7. Ant. cap. vltimo.* Mortuos præterea cum optimis ornamentis in ſepulcrum inferri probant & parentum noſtrorum, & noſtris etiam ſæculis effoſſa cadauera cum ſpecioſo cultu; quale S. Ceciliæ apparuit, vt refert Sigebertus *in Chronico anno Domini* 821. & ex ipſo Baronius *in Additionibus ad Martyrologium, ad diem* 22. *Nouembris.* Vbi à Paſchaſio Papa inuentum eſſe dicitur S. Ceciliæ corpus aureis velatum indumentis. Et apud Sozomenum *in hiſtoria Eccleſ. lib.* 9. *cap.*17. inuentum eſſe traditur Zachariæ Prophetæ corpus ſtola indutum candida, & iuxta illum puerum regali ornatum cultu. *Habebat enim in capite coronam auream, & aurea in pedibus calceamenta, & veſtem pretioſam.* Plura eiuſmodi adduci exempla poſſent, quæ attento lectori tam in ſacra, quàm in profana eruditione ſæpiùs occurrent.

Honor cultûs mortuis.

Ornamenta, & opes cum mortuis in ſepulcrum illata.

28\. Verſ.28. *De ſacrificiis eorum fœta, & menſtruatæ contingunt.*] Iudæorum religio menſtruatas, & fœtas, id eſt, puerperas, quæ iam videlicet ſolutæ ſunt, atque leuatæ partu, à ſacris, & templo remouebat; quia indignum putabat, aut quæ menſtruo profluerent ſanguine, aut non eſſent à puerperio purgatæ, ſacra contingerent, aut templum intrarent: ſacra enim maximè debent eſſe intemerata, ac pura. Cùm verò Gentilium ſacra tam puris (ſi qua in illis poteſt eſſe puritas) quàm impuris, & obſcœno ſanguine fœdatis pateant, ſatis conſtat quo loco ab illis habita, & quo ab aliis haberi, & æſtimari debeant.

29\. Porrò fœtæ non ſolùm dicuntur, quæ grauidæ ſunt, & vterum gerunt, licèt id ſignificent frequentiùs, ſed etiam quæ iam ſunt ab vteri onere leuatæ. Id pluribus docuimus ad illud Iſaiæ cap. 40. Fœtas ipſe portabit. Plinius *lib.8. cap.*42. de equa poſt editum pullum ait, *Hippomanes, quod ſtatim edito partu deuorat fœta.* Virgilius 3. *Georgicon*, vaccas, quæ vitulos alunt, fœtas vocat, quas mulgeri prohibet, ne vitulis deficiant alimenta.

Fœta aliquando dicitur, quæ iam peperit.

> ——— *Nec tibi fœtæ*
> *More patrum niuea implebunt mulctralia lacte,*
> *Sed tota in dulces conſument vbera natos.*

Geneſ.32. v.15. de Iacob, *Separauit camelos fœtas cum pullis ſuis.* Et quidem hoc loco vbi vulgatus *fœtæ*, Græcè eſt λεχὼ. quæ vox puerperam valet, id eſt, illam, quæ iam partu onus depoſuit vteri. Et quidem *Leuit. cap.*12. *v.*4. ad quem locum ſine dubio reſpexit Propheta, grauidæ non arcentur à ſacris, ſed quæ nondum ſunt à partu purgatæ.

30\. Verſ.29. *Quia mulieres apponunt diis argenteis, & aureis, & ligneis.*] Duobus modis diuinum ab imperita hominum multitudine nomen conciliant ſibi muta, & omnis ſenſus expertia ſimulacra; aut quia auguſtam aliquam ſpeciem ſumpſerunt ab artifice; aut pretioſum aliquod ornamentum ab ambitioſa, aut liberali potentiorum hominum ſuperſtitione. Nunc primùm de ornatu, qui ſuperborum, aut auarorum hominum tenet oculos, & animos oblectat. Hanc tamen curam Propheta mulieribus attribuit, quæ vt ludicra quædam ſigna fingunt, & ornant; puppas videlicet, aut etiam turpium rerum indecoras imagines: ſic etiam ligneas formas, aut ſaxeas non dubitant muliebribus exornare deliciis. Hinc ſecuta eſt admiratio, deinde quædam religionis ſpecies, quæ pretioſa quæque adorat, maximè pecunias, ſeu diuitias, quarum eſt in anguſtis animis potentiſſimum numen, vt in noſtris Commẽtariis in Danielem oſtendimus ad illud cap.11. *Deum autem Maozim in loco ſuo venerabitur.*

Ex ornatu ſimulacra diuinum nomen accipiunt.

Verſ.30. *Et in domibus eorum ſacerdotes ſedent habentes tunicas ſciſſas, & capita, & barbam raſam, quorum capita nuda ſunt.*] Deſcriptio eſt ſacerdotalis habitus, quem habuere Babylonij ſacrificuli, ac Myſtæ, qui, vt opinor, cum aliis quoque gentibus communis fuit. Nam *Leuit. cap.*10. *v.*6. cùm Deus Sacerdotes ſuos à Gentilium deorum Sacerdotibus certo aliquo ſigno ſeparare vellet, prohibuit, ne talia geſtarent, aut facerent, qualia nunc in ſacerdotali Gentium habitu commemorat. *Capita* (inquit Dominus ad Sacerdotes) *veſtra nolite nudare, & veſtimenta veſtra nolite ſcindere.* Quod iterum, & ſæpiùs iterat *Leuit.* 19.27. *&* 21.5. *&* 10. vbi etiam iubet ne in carnibus ſuis faciant inciſuras. Sanè Ægyptios Sacerdotes caput habuiſſe raſum, docet Herodotus *lib.*2. & Iuuenalis *Sat.*6. Iſidis Sacerdotes propter raſum, aut depilatum caput, caluos appellat. Quod in obſecrationibus fieri ſolitum docet factum illud Sacerdotum Baal, qui cùm de ſua, ac Dei ſui exiſtimatione certamen eſſe cernerent, ad rugitus ſuos carnis quòque lacerationem addiderunt. 3. *Reg.*18. Illa verò omnia, quæ hîc de Gentium Sacerdotibus numerantur, ſigna ſunt ſupplicis, atque dolentis animi; nam qui lugent caput radunt, & barbam, & veſtes conſcindunt, vt fecerunt paulo ante hoc tempus viri de Sichem, & Silo, & Samaria, qui venerunt, vt ſtragem Hieroſolymæ lugerent, Ieremiæ cap.41. v.5. *Venerunt*, inquit, *viri de Sichem, & de Silo, & de Samaria octoginta viri raſi barba, & ſciſſis veſtibus.* De capite plura ſunt exempla. Sanè Iob audita filiorum morte caput totondit, & veſtimenta diſcidit. cap.1. v.20. *Scidit veſtimenta ſua, & tonſo capite corruens in terram adorauit.* 31.

Sacerdotum Gentilium veſtitus cultus.

Sacerdotes raſi barba, & capite.

Carnes ſuas lacerant.

Verſ.31. *Rugiunt autem clamantes contra deos ſuos.*] Cùm habitu illo funeſto, ac lugubri accedebant Sacerdotes illi ad deorum aras, ibique ſimulatos edentes gemitus, & artificio quodam exprimentes lacrymas, dolere ſe de aliorum incommodis ſimulabant, orabántque, vt impendens auerterent periculum, aut præſentibus mederentur incommodis. Hoc porrò modo magis honorabant, imò faciebant deos ſigna illa è ſaxo, aut ligno, quàm qui ex illis expreſſerunt imagines, aut illas auro, & pretioſis lapidibus ornarunt. Sic enim dixit acutè epigrammatarius lib. 8. epigr.24. 32.

> *Qui fingit ſacros auro, vel marmore vultus,*
> *Non facit ille Deos; qui rogat, ille facit.*

Verſ.32. *Sicut in cœna mortui.*] Quomodo in mortuorum exequiis funebre inſtrueretur epulum, vbi cognati, amicique & ſe viciſſim ſolarentur, & pio luctu ſui doloris publicum aliquod argumentum ederent, diximus Ierem. cap.16. ad illud, 33.

Epulum in mortuorum exequiis.

illud, *Ne ingrediaris locum conuiuij, neque vadas ad plangendum.* & ad illud Ezech.24. *Nec cibos lugentium comedes.* Qui planè docent id olim apud Iudæos vsitatum. Vide Iosephum *lib.2. de bello cap.1.* Sed esse hoc etiam solemne Gentibus parentale conuiuium, docent Romanorum testamenta, imò & saxa ipsa, in quibus legimus id esse à mortuis commendatum hæredibus, vt in suo funere luculentum populo epulum præberent. In quo sine dubio interfuere præficæ, ac lamentatrices, quæ lacrymas suas, & artificiosos gemitus venales habent. Quæ cùm dolere se simulent, quia tamen ex illa arte compendium captant, lacrymas exprimunt ex læto pectore coactas. Tales igitur sunt hi sacerdotes, qui ex quæstuariis precibus, atque gemitibus viuunt; qui ante aras supplices rugiunt, eo tamen animo, ac sensu, quo præficæ in parentali cœna: quæ adeò non dolent, cùm dolere se fingunt, vt magis doleant, si abesse contingat lugendi causam.

34. Vers.40. *Adhuc autem ipsis Chaldæis non honorantibus ea.*] Argumentatur à comparatione minorum: si enim Chaldæi, qui nullum alium agnouere Deum, patrios deos nugatores existimant, & omninò contemnunt; quid vos, viri Israelitæ, facere oportet, quibus Deus veram ostendit religionem, illámque variis prodigiis, atque portentis confirmauit? Cùm Chaldæi mutum hominem ante deos sistunt, illique orant loquendi facultatem, & preces vanas experiuntur; cum nihilo magis ille expeditam habeat linguam, quàm antea, in illo nihil esse diuinum sibi persuadent; atque ideo illum iure perquam optimo despiciunt.

35. Vers.42. *Mulieres autem circundatæ funibus in viis sedent.*] Hic locus, si vllus alius, in hoc Propheta difficilis est, atque ideo ab authoribus variè tentatus. Quidam existimarunt, quorum sententiam Maldonatus non improbat, fœminas alicuius sibi sceleris conscias, quo deos sibi propitios redderent, illud à seipsis supplicium exegisse, vt sicut feræ in caueis, sic ipsæ intra quosdam includerentur funes, quos ipsæ sibi sponte circumdedissent, donec obuio, & diuinitùs, vt ipsæ existimabant, oblato concubitu admissum scelus expiarent. Quare feliciter secum actum arbitrabantur, eóque sibi gratulabantur nomine; quòd rupto fune intra sua septa irrupisset adulter. Et aliæ, quæ in eodem erant stadio, ac carcere, procaci exagitabant, ac libero conuitio, quod non essent nactæ hominem, cuius congressu iram à suo capite diuinam auertissent.

Turpe quoddam expiationis genus.

36. Ego primùm aliquid hic Babyloniis familiare afferri puto, neque aliquid aliud quæro, quàm quod Propheta docet. Multa alij adducunt ex eruditione profana, quæ ad huius loci sententiam nonnihil faciunt. Verùm neque omnia huc accómodanda, imò neque sine aliquo operæ molestæ pretio referenda sunt. Illud necessariò videndum, cur cùm de deorum Babyloniorum insania futili sermo sit institutus à Propheta, nunc ad fœminarum cócubitum publicum, ac vagum gradus fiat. Ex sacrificiis, ac donis quibus deorum illorum continetur, atque honestatur religio, facilè cognoscitur religionis sanctitas, aut honestas. Quare si ex religionis studio, & deorum instituto, ac placito esse dicamus publicum illum, solemnémque concubitum, satis constabit quàm sit turpis, ac vilis illa religio, quæ impuram illam consuetudinem aut iubet, aut patitur.

37. Ad hanc Deorum turpitudinem spectat, quod quidam ex profanis de re Babylonica prodidere. In quibus est Herodotus in Clio, qui pecuniam ex vago concubitu collectam sacram dicit esse Veneri, & illam ab omnibus fœminis religiosè deberi. Sic autem ille. *Vna Babylonis lex est omnibus modis execranda. Nempe omnibus mulieribus indigenis commune est semel in vita ad Veneris templum desidentibus cum externis viris consuetudinem habere.* Et paulo pòst: *Ad templum Veneris sedent nodis, corollisque tempora reuinctæ, è quibus dum aliæ seorsum abeunt, aliæ regrediuntur. Nam diuerticula vndecunque sic funiculis distincta aditum prabent externis ad mulieres illas, quam cuique libuerit deligendam. Porrò cùm semel illic consederunt, non prius domum regrediuntur, quàm hospitum aliquis pecuniam mulieri in sinum iniecerit, & cum eadem à fano seorsum abducta rem habuerit. Hospitem autem illum, qui pecuniam obtulit, dicere oportet: Tanti ego tibi deam Mylittam imploro. Mylittam enim Assyrij Venerem appellant. At verò pecuniam illam, quantulacumque sit, non est fas reiicere, siquidem in sacrum conuertitur vsum. Postremò vbi iam congressa fuerit cum externo mulier, deæ expiata, domum reuertitur.* Hæc Herodotus.

Quæstus è prostituto corpore diis Babylonicis sacer.

Ex quibus duo habemus; nempe mulieres impio Babylonicæ Gentis ritu funiculis esse circumseptas, expectantes obuium quemque hospitis externi congressum; neque commodè posse in illum secessum, ac turpe diuerticulum quempiam irrumpere, nisi prætentum funiculum derumpat. Quod item dicit hic Ieremias. Alterum est, fœminas illas non tam prostituto pudore sibi, quàm Mylittæ deæ, seu Veneri mereri, quando pecunia illa non ad priuatum fœminæ, sed ad sacrum Veneris vsum conferebatur; neque aliud intuebatur hospes ille, qui violati pudoris mercedem offerebat. Ex quo constat quàm sint impuri Babylonij dij, qui talibus obsequiis, atque donariis oblectantur. 38.

Porrò ex nefario meretricum quæstu dona offerri Gentilium diis, alij præter Herodotum prodidere non pauci. 39. Idem, quod Herodotus, refert Strabo *lib.16.* & Quintus Curtius *lib.5.* Idem de Cypriis tradit Herodotus *supra*, & Iustinus *lib.18.* Augustinus *lib.4. de Ciuit.cap.10.* ait de prostitutis filiabus, antequam matrimonio locentur, donaria Veneri à Phœnicibus sacrari. Vide ea de re Cœliũ Rhodig.*lib.8.cap.21.* Ex quibus nemo dubitat, quo sint habendi loco illi non dij, sed vana deorum nomina, & meræ nugæ, cùm talia probent, & exigant, quique sua authoritate, quæ à stultis creditur esse diuina, omnium vitiorum obscœnam proluuiem induxerunt. De templo. Isidis dixit Ouidius lib.1. de arte amandi.

Gentilium templa libidinis diuerticula.

Nec fuge linigeræ Memphitica templa iuuencæ.
Multis illa facit, quod fuit illa Ioui.

Et cùm apud Liuium decretum esset à senatu de Bacchi sacris, impurísque sacrariis, résque tota Marci Catonis esset prudentiæ commendata, sic egit ad populum. *Nunquam tantum malum in republica fuit, neque ad plures, neque ad plura pertinens. Quicquid his annis libidine, quicquid fraude, quicquid scelere peccatum est, ex vno illo sacrario scitote ortum esse.*

Succendentes ossa oliuarum.] Græcè est πίτυρα. 40. quam vocem alij furfures, alij paleas, aut aliquid simile conuertunt. Noster interpres ossa oliuarum reddidit. Sed quid illud sit, obscurum est, aut quorsum oliuarum ossa à fœminis in suo illo secessu, atque impuro diuerticulo cremarentur. Cùm hæc ego mecum cogitarem, accidit peropportunè, vt sermo incideret de quibusdam veneficis fœminis, quæ paulo antè comprehensæ, atque damnatæ fuerant, quæ inter alia maleficia, quibus

Oliuarum ossa philtri genus. quibus mutare arguebantur animos, & ad rem amatoriam agere præcipites, ossa oliuarum dicebantur inuenta, vtpote quæ vim haberent philtri. Tunc ego arripui verbum, & visus sum mihi planè intellexisse, quid hoc loco Propheta significare voluerit; nempe in oliuarum ossibus vim esse aliquam amatoriam, & magicam, qua fœminæ illæ funibus inclusæ prætereuntes hospites detinerent à cursu, & ad execrandum illum concubitum illicerét. Quod omninò docuit Theocritus in sua Pharmaceutria, vbi fœminam introducit veneficam, quæ ad insanum amorem accendere conatur absentem; ad quem vsum, quasi aliquid ad dementandos homines potentissimum, *πίτυρα*, id est, oliuarum ossa, seu nucleos accendit. Dixerat autem priùs, *Sicut hanc ceram ego, Deo adiuuante, liquefacio, ita præ amore statim liquescat myndius delphis. Vtque voluitur hic æneus orbis ope Veneris, sic voluatur ante nostras fores.* Post hæc addit *νῦν θυσῶ τὰ πίτυρα*, id est, *sacrificabo ossa oliuarum.* Illud verò *θυσῶ* Scholiastes exposuit *πυρὶ καύσω*, id est, *accendam igne.* Hæc porrò sollicitudo studium magnum indicat animi religiosi, quique maximopere cupit donum aliquod ex violato pudore collectum quamprimùm Veneri consecrare.

41\. *Deorũ cultus ex meretricio quæstu.* Quomodo ex his meretriciis donis tum deorum statuæ, tum illorum ornamenta curentur, dixit Michæas cap. 1. v. 7. *Omnia sculptilia eius concidẽtur, & omnes mercedes eius comburentur igne, & omnia idola eius ponam in perditionem: quia de mercedibus meretricis congregata sunt, & vsque ad mercedes meretricis reuertentur.* Plura nos in nostris commentariis ad hunc locum, quæ tu vide, neque enim illa huc transferre libet. Illud addo, hoc etiam nationibus aliis videri commune, quando Deus, qui populum suum à Gentilium moribus, & sacris separare voluit, hoc omninò fieri prohibuit. Deut. cap. 23. v. 18. *Non offeres mercedem prostibuli, neque pretium canis in domo Domini Dei tui.* Tractarunt hæc pluribus ex nostra Societate Martinus de Roa *lib. 3. singular. cap. 11. & 12.* & Christophorus de Castro *in hunc locum.* Martinus del Rio *lib. 3. disquisit. Magic. p. 1. q. 3. sect. 2.* Pereira *lib. 5. in Danielem.* Ego resecui plurima, quia pluribus opus esse non putabam.

Vers. 45. *Nisi id, quod volunt esse sacerdotes.*] Antequam accederet sacerdotum voluntas, aut artificis manus, non magis aptus erat truncus è sylua, aut saxum de monte, vt Iupiter esset, quàm Mars, aut Bacchus, aut Satyrus, ac Silenus, imò aut serpens, aut asinus; sed quia sacerdoti placuit, ex ligno dolatus est Iupiter, plusquam deorum alij. Imò imago iam ex ligno dolata, aut è marmore expressa, quæ non magis hunc, quàm illum Deum referebat, quia sic visum est sacerdoti, Iupiter vocatur, aut Belus. Expressit hoc lepidè Isaias *cap. 44. à v. 14.* vbi ait ex eodem ligno dolatam imaginem, & ignis desumptum alimentum. *Plantauit*, inquit, *pinum, quam pluuia nutriuit, & facta est hominibus in focum. Sumpsit ex eis, & calefactus est, & succendit, & coxit panes: de reliquo autem operatus est Deum, & adorauit; fecit sculptile, & curuatus est ante illud.* Idem penè de suis diis dixere Gentiles, in quibus aliquid erat mentis. Horatius *lib. 1. Sat.* 8. de Priapo, quem fecit Gentilitas hortorum custodem; apud quem ille loquitur.

Olim truncus eram ficulnus inutile lignum,
Cùm faber incertus scamnum faceret ne, Priapum
Maluit esse Deum, Deus inde ego furum, auiumque
Maxima formido.

42\. Vers. 53. *Sicut cornicula intermedium cæli, & terræ.*]

A Prouerbium esse apparet de re molesta, ac futili, quæque cùm multa promittat, eaque assiduè, & cum clamore venditet, nihil tamen præstat. Addit non sine causa, *inter cælum, & terram*; quia dum illa crocitat, inamœnum aliquid, & odiosum, neque vllum vsum præbet hominibus. *A cornice quæ prouerbia.* Quem habeat vsum prouerbium hoc apud Hebræos, aut aliud simile apud Latinos *cornicari*, & quem in sensum hîc accipiendum sit, obscurum est; neque enim de hac re nimis laborarunt interpretes. Ego tres adducam expositiones sumptas ex totidem cornicis proprietatibus; quæ deorum naturam optimè declarant: quæ verò illarum magis faciant ad veritatem, & textum, lector expendet.

In cornicibus superbos, & inflatos homines significari, qui pleno gutture, & graui sono cum B tumore crocitant, certum est; quod per verbum *cornicor*, expresserunt Latini. 43. Sic sane Persius Satyr. 5. vbi Coruinum præceptorem suum à modestia laudat, à qua longè abest insolens fastus, & verborum odiosus tumor.

Tu neque anhelanti, coquitur dum massa camino,
Folle premis ventos, nec clauso murmure raucus,
Nescio quid tecum graue cornicaris inepte,
Nec sclopo tumidas intendis rumpere buccas.

Cornicari quid. Optime quidem quid esset cornicari, id est, cornicis in modũ ambulare, ac loqui, Persius expressit. Sed multo meliùs Hieronymus in epist. ad Rusticum Monachum longè post mediũ. *Alij*, inquit, C *sublatis in altum humeris, & intra se nescio quid cornicantes, stupentibusque in terram oculis, tumentia verba trutinantur, vt si præcones addideris, putes incedere præfecturã.* Describit autem ibi Hieronymus superbos monachos, qui ambitioso, ac putido corporis motu, & sono vocis immoderatè depresso Pontificium aliquid, & diuinum ostentant. Hæc explicatio licèt idolorum superbum cultum exprimat, quæ, vt suprà vidimus, cum sceptro, atque securi finguntur; in eo tamen laborat, quod nihil assumit ex eo situ, qui est inter cælum, & terram, vnde videatur sumpta comparatio.

Alicui videri posset hac similitudine explicari, 44. *A cornice inanis ostentatio prouerbialis.* quod hoc capite sæpiùs Propheta docuit, deos videlicet gentium nihil esse præter saxum, aut lignum; D & si quid habent splendoris, aut supra ligni, marmorisve naturam, id totum esse alienum: sumpserunt nempe formam à runcina, & scalpro, aurum ab hominibus, ornamenta alia à fœminis, quæ non aliter vestiunt deorum simulacra, quàm puppas, & alias infantiles nugas. Quare si quilibet illorum repetat, quæ simulacris dedit, reliquum erit nihil præter rude saxum, aut lignum informe. Quare allusum alicui videri posset ad corniculæ fabulam, quæ alienis exornata pennis aliis admirationi fuit: vbi autem quas auium quæque plumas commodarat, repetiit, illa iam nuda, & vera cornix se aliis irridendam, & vellicandam præbuit. De qua Horatius epist.

Ne cùm forte suas repetitum venerit olim
Grex auium pennas, moueat cornicula risum
Furtiuis nudata coloribus.

E Sed huic cogitationi duo vehementer incommodant. Alterum, quod hîc cornicula inter cælum, & terram consideratur; de quo nihil in fabula. Alterum, quia hæc fabula, si authorem Æsopum habuit, vt nemo ferè dubitat, nondum sub hoc tempus excogitata fuerat; quare ad illam nullo modo potuit esse respectus. Vixit enim Æsopus sub Crœso Lydorum rege, quo tempore Cyrus floruit, qui subacto imperio Babylonico, Iudæis in patriam remigrandi potestatem fecit. Atqui hæc

longè

longè post hæc tempora habuere successum.

45. Quare placet tertia expositio, quæ totam similitudinem implet, & est maximè tempori, & Chaldæorum ingenio consentanea. Si vllibi Gentium, apud Chaldæos disciplinæ viguere Mathematicæ, ac diuinatrices; vnde qui futura præsagiunt, quocunque id modo faciant, Chaldæi vocantur, seu Babylonij, qui arioli dicuntur, magi, aruspices, malefici, quos *cap.2. Dan.* consuluit Nabuchodonosor, & *Ezech. cap.21.* De quibus nos ad vtrumque caput in nostris Commentariis. Cúmque ex variis animalibus captarentur auguria, id fiebat sæpiùs è cornice, quia hæc maximè putabatur auguralis. Sic Cicero *lib.2. Academ. quæst.* tam certum dicit quibusdam videri, quod cecinit cornix, quàm lucere diem. *Non, inquit, magis assentiuntur, neque approbant lucere nunc, quàm cùm cornix cecinerit, tunc aliquid eam aut iubere, aut vetare.* Hinc sæpè antiqui cùm auguria captant, cornicis meminere. Virgilius Eclog.1.

A cornice varia olim sumebantur auguria.

Sæpe sinistra caua prædixit ab ilice cornix.

Horat. lib.3. Carm. Ode 27.

Téque nec læuus vetet ire picus,
Nec vaga cornix.

Mitto alia, quæ ex augurali disciplina prodiderũt antiqui, quæ omnia meræ sunt nugæ, & delirantium somnia. Audi Isidorum, qui optimè quid de cornicis cantu, seu aspectu alij credant, quidque de illorum prædictione existimandum sit, docet lib.12. Orig. cap.7. *Cornix annosa auis apud Latinos Græco nomine appellatur. Quam aiunt augures hominum curas significationibus augere, insidiarum vias monstrare, futura prædicere. Magnum nefas hæc credere, vt Deus cõsilia sua cornicibus mandet.* Ludicrum aliquid, atque impium indicat Isidorus talia de cornicibus existimare, ac credere, qualia sibi deliri persuasere Chaldæi. Hoc ipsum existimo significare Prophetam, cùm Gẽtilium deos corniculis assimilat, quæ inter cælum, & terram sunt, id est, quæ volant in aëre. Neque enim maior illis est habenda fides, si quid in posterum prædicere videntur, quàm corniculæ, quæ in aëre crocitat; cuius vox inanis, & augurium fallax. Hæc postrema explicatio mihi videtur esse omninò soluta; in aliis aliquid inuenio, quod probare non possum, atque ideo illas referre necessarium non duxi.

46. Vers.69. *Nam sicut in cucumerario formido nihil custodit.*] Formido idem est quod terriculum, quales

A sunt illi, qui vocantur homines fœnei, qui imagines quidem referunt hominum; cùm tamen nihil sint aliud, quàm sacci fœno, aut alio quouis inferti tomenti genere. Hæ porrò imagines à natura sua nihil habent, quo hominibus possint esse terrori, cùm neque sentiant, neque viuant; auiculis tamen insipientibus metum afferunt, illásque abigunt ab arborum fructibus, quia in illis vitam esse putant, & nocendi vim. At postquam vsu didicere in illis non esse motum, à priori errore liberatæ, nihilo accedunt audacter minus, quàm si inanis illa hominis species obiecta non esset; imò interdum in illo spectro, ac terriculo confident, ibi ludunt, & garriunt, vt in ficedulis, ac turdis quotidiè videmus.

Formido idē quod terriculum.

47. Formido apud profanos terriculum est, qualem suprà Horatius Priapum esse dixit, qui hortorum vocatur vigil, & custos. B Est præterea formido, quæ item linea dicitur formidolosa, funis quidam, seu filum variis ac versicoloribus intextum pennis, quod pennarum agitatione ceruos exterret, & in foueam, & cassem, aut in venatorum cultros, & venabula conicit; imò interdum leones, & vrsos, quia horribile aliquid putant illum pennarum motum. De ceruis dixit Virgilius lib.1. Georg.

Formido idem quod linea formidolosa.

Puniceæve agitant pauidos formidine pennæ.

De vrsis, & apris dixit Nemesianus.

Namque vrsos, magnósque sues, ceruósque fugaces
Terrificant, linique vetant transcendere septum.

C De vtrisque Seneca lib.2. de ira cap.12. *Cùm maximos ferarum greges linea pennis distincta conterreat, & in insidias agat, ab ipso effectu dicta formido.* De hac formidine, seu formidolosa linea explicuimus illud Isaiæ c.24. *Formido, & fouea, & laqueus super te.* Cùm autem hæc formido perbellè exprimat idolorum naturam, quæ cùm aliquid sint pluma longè leuius; quia tamen aliquid esse magnum excordes homines sibi persuaserunt, illa timent, cauéntque sedulò, ne ab illis aliquid sibi mali contingat. Sed planè de formidine hic agitur, quæ custodiæ gratia in cucumerario ponitur, à qua ducitur, vt vides, similitudo; D non verò de posteriori hac, quæ tantùm reperitur in syluis. Hic finis esto, ad laudem vtinam Dei, cui omnium studia seruire debent. Quicquid autem à me dictum, scriptum, aut cogitatum est, id Ecclesiæ sanctæ, & doctorum hominum censuræ subiicio.

F I N I S.

IN

Digitized by Google

INDEX RERVM, ET VERBORVM, QVÆ IN BARVCH PROPHETÆ Commentariis continentur.

Prior numerus paginam, alter numerum marginalem, a, b, c, d, e, literas interlineales denotant.

A

ANNOS ab excidio Hierosolymæ numerant Iudæi. 14.d
Annos ab euersa Hispania numerant Arabes. ibid.
Adbaere assiduitatem sonat. 24.33.a
Ex auibus quantus hominibus vsus, & voluptas. 53.17.a
Æternum, idem quod diuturnus. 69.11.b
Ætas pro vno anno. 98.11.
Ætas spatium septem annorum. ibid.12.e
Ætas decem annis constat. 99.14.c
Æchaz decennis genuit Ezechiam. 100.16.b
Auguria olim à cornice sumebantur. 109.45.a

B

BAruc genus, & patria. 1.1.a
Baruc vita, & mores. ibid.2.d
Baruc huius libri non tam auctor, quàm notarius. 2.3.d
Baruc cur dicatur auctor huius libri. 4.a
Baruc quo tempore, & ad quos prophetauit. 6.12.d
Baruc non videtur fuisse Propheta. 7.13.a
Belluas qui domuerunt, & in illis gloriati sunt. 52.16.e
Beatitudinis, & gloriæ magnitudo. 55.25.b
Baruc, & Ieremias fuerunt in Ægypto. 96.2.e

C

COr quis dicitur non habere. 38.23.e
A cornice quæ prouerbia. 108.a
Cornix superbiæ symbolum. ibid.43.b
Cornicari, quid. ibid.
A cornice inanis ostentatio prouerbialis. ibid.44.c
A cornice varia olim sumebantur auguria. 109.45.a

D

DIes cæli, pro longo tempore. 21.a
Doloris impatiens iniurius Deo. 35.12.b
Deum glorificat, qui aduersa fert patienter. ibid.13.c
Dorsum durum, quid. 38.24.d
Deus magni facit sui nominis gloriam. 59.6.c
Diuitiæ momentaneæ, & inutiles. 53.20.c
Deum cum hominibus conuersatum. 58.38.e
Deus memoriale suorum habet. 67.7.e
Decem, multitudinem significat. 69.13.e
Diplois quid. 75.3.d
Duplicia dicuntur, quæ magna sunt. 76.4.c
Decas numerorum terminus. 99.14.c
Decennis generasse dicitur Salomon. 100.a
Deorum Babyloniorum habitus. ibid.18.e
Deus, & Angeli illos tuentur, qui causam agunt Dei. ibid.19.e
Diis, meretricibúsque ornamenta communia. 102.21.c
Diis Babylonicis quæstus, è prostibulo corporis sacer. 106.a
Deorum cultus ex meretricio quæstu. 107.41.b

E

EVphrates cur dictus Sodi. 16.9.c
Euilmerodac cur omissus in Iudæorum orationibus. 20.22.d
Epulum in mortuorum exequiis. 104.33.e
Expiationis turpe quoddam genus. 105.35.c

F

FIliarum regum stolæ quales. 76.4.b
Fœta aliquando dicta, quæ jam peperit. 103.29.d
Formido idem, quod terriculum. 110.a
Formido idem, quod linea formidolosa. ibid.47.b

G

GLorificat Deum, qui aduersa fert patienter. 35.13.c
Gaudimonium quid. 70.16.d
Generationis multiplex acceptio. 98.11.d
Generatio pro ætate generandi matura. 99.15.e

H

HIeronymus libros quosdam modò canonicos iudicauit, quos priùs à canone reiecit. 5.9.e
Hierosolyma excisa ex Iudæis plurimi in Babylone relicti. 17.a
Ierusalem variis nominibus à Domino vocata. 70.b
Ierusalem restituta Ecclesiæ typus. 75.2.c
Honor verus, & pax, quæ. 77.9.d
In humeris portari, & in sinu, prouerbialis forma. 78.12.b

I

IVdæi plurimi, Hierosolyma excisa, relicti in Babylone. 17.a
Iudæis in Synagogis familiaris sacra lectio. 21.26.d
Iudæorum ad templi ruinas deplorandas ex vicinis ciuitatibus conuentus. 22.28.b
Iudæi vbique terrarum, exules, & subditi. 33.4.a
Impatiens doloris iniurius Deo. 35.12.b
Ismaelitæ mercatores callidi. 54.23.d
Iudæorum in reditu quanta commoditas. 78.12.d
Ieremias, & Baruc fuerunt in Ægypto. 96.2.e
Ieremiæ mors. 97.3.b

L

LIbri huius Baruc non tam auctor, quàm notarius. 2.3.d
Liber hic cur dicatur esse Baruc. 4.6.a
Libri quibusdam attributi, à quibus editi non sunt. ibid.b
Liber Baruc canonicus. ibid.7.e
Libros quosdam canonicos iudicauit Hieronymus, quos priùs à canone reiecit. 5.9.e

Lectio

Lectio sacra Iudæis familiaris in Synagogis. 21. 26.d
Legem esse datam magnum beneficium. 58.37.b
Luctus quis habitus. 68.9.e

M

Mensis quo capta est ciuitas ab Hebræis notatus & penè prouerbialis. 15.a
Memoriale Deus suorum habet. 67.7.c
Mitra ornamentum muliebre. 76.6.d
Meretricibus, Diísque ornamenta communia. 101. 21
Mortuis honor exhibitus. 103.27.a
Cum Mortuis ornamenta, & opes in sepulcrum illata. ibid.b
Menstruatæ, & puerpuræ à sacris arcētur. ibid.28.c
In Mortuorum exequiis epulum. 105.33.a
Ex Meretricio quæstu Deorum cultus. 107.41.

N

Nomen à Deo impositum vacuum non est. 70.a

O

Oratio pro in fidelium, & principum salute. 20.21.b
Operor, verbum sacrificale. 24.35.c
In oratione non nostra merita, sed Dei misericordia proponenda. 36.15.a
Omnis aliquando pro eo, quod est in suo genere magnum. 37.20.c
Ortus aliquid lætum, Occasus triste significat. 71. 19.c
In ortu, & occasu omnes mundi regiones intelliguntur. 72.10.a
Ornamenta meretricibus, Diísque communia. 101.21.c
Ornamenta, & opes cum mortuis in sepulcris illata. 103.27.b
Oliuarum ossa philtri genus. 107.a

P

Prophetæ, & Sacerdotes, quo sensu sub tempus Babylonicum esse negentur. 18.16.e
Prouerbium, dies cæli, pro longo tempore. 21.a
Parentes filiorum, & filij parentum carnibus pasti. 32.3.e
Pœnitentis descriptio. 35.13.d
Pax vera, & honor quis. 77.9.d
Prouerbialis forma, *portar sin humeris, & in sinu*. 78. 12.c
Prouerbium, *Vas confractum*. 101.22.e
Puerperæ, & menstruatæ à sacris arcentur. 103. 28.e
Philtri genus oliuarum ossa. 107.a
Prouerbia à cornice quæ. 108.a
Prouerbialis à cornice inanis ostentatio. ibid.44.d

Q

Quæstus è prostituto corpore Diis Babylonis sacer. 106.a
Ex quæstu meretricio Deorum cultus. 107.41.b

Regula.

Regula, Illud abesse dicitur quod censetur vile, aut inutile. 18.16.e
Regula, Præteritum perfectum, aut imperfectum, pro plusquam perfecto. 19.17.b
Reg. Res illa seruant nomina, quæ priùs habuerant. 21.16.e
Reg. Nomina in bilis aliquando actiuè significant. 23.32.b
Regula, Affirmatio cum negatione contrarij cum epitasi. 33.5.c
Reg. Illa negantur esse, quorum nullus est, aut vilis, & alienus vsus. 38.23.b
Regula, Ex oblata occasione sermo ad Euangelium, seu ad cælestia traducitur. 35.42.a
Regula, Aduerbia localia pro nominibus sumpta. 56.29.b
Regula, Initium, principium, & similia non sēper primum, sed aliquando antiquū valent. 36.30.d

S

Sodi, cur dictum Euphrates. 16.9.c
Sacrificari poterat euerso templo in eius loco. 17.13.c
Sacerdos, & Propheta, quo sensu sub tempus Babylonicum esse negentur. 18.16.e
Statio quid. 31.1.e
Superbos humiliat vexatio. 38.24.e
Sapientia vbique, & quomodo inuestiganda. 52. 15.b
Sapientia vana quæ. 52.16.c
Stultus qui hæredibus thesaurizat. 53.20.d
Senes qui pueri. 53.21.c
Sapientia humana futilis, & vana. 54.24.e
Sapientiæ duæ species valde inter se contrariæ. 57.32.b
Sapientia diuina omni pretio maior. 57.33.c
Stola quid. 76.a
Stolæ filiarum regum quales. ibid.4.b
Septenario definiti varij hominū status. 99.13.a
Salomon decennis generasse dicitur. 100.a
Serpentes habiti pro Diis. 102.24.b
Serpentes Deorum simulacris affixi. ibid.c
In sepulcrum ornamenta, & opes cum mortuis illata. 103.27.b
A sacris arcētur mēstruatæ, & puerperæ. ibid.28.c
Simulacra exornata diuinum nomen accipiunt. 104.a
Sacerdotum Hebræorum vestitus, & cultus. ibid. 31.b
Sacerdotes rasi barba, & capite. ibid.c
Sacerdotes carnes suas lacerant. ibid.
Superbiæ symbolum cornix. 108.43.b

T

Templo euerso in eius loco sacrificari poterat. 17.13.e
Ad templi ruinas deplorandas Iudæorum, ex vicinis ciuitatibus conuentus. 22.28.b
Themanitæ sapientes. 54.22.b
In templis publica prostibula. 101.21.c
Turpe expiationis genus. 105.35.d
Templa gentilium libidinis diuerticula. 106. 39.d

E

Viuere dicitur ille, qui vitam agit lætam. 21. 25.c
Vita cur optanda. 34.11.e
Vexatio superbos incuruat. 38.24.e
Venundare, idem, quod tradere. 68.7.b
Vestes pro varia fortunæ mutatione mutantur. 68.9.e
Vas confractum, Prouerbium. 101.22.c

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Digitized

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google